ACTA

SANCTORUM

OCTOBRIS

TOMUS DECIMUS

IMPRESSION ANASTALTIQUE
CULTURE ET CIVILISATION
115, AVENUE GABRIEL LEBON
BRUXELLES
1970

Dedit illi scientiam Sanctorum. Sapia

In plenitudine Sanctorum detentio mea. Eccli. 24

ACTA

SANCTORUM.

OCTOBER.

ERVDITIO

VERITAS

ANTIQVA REDVCO

OBSCVRA REVELO

I. F. Rudler... Fecit

ACTA
SANCTORUM
OCTOBRIS

EX LATINIS ET GRÆCIS ALIARUMQUE GENTIUM MONUMENTIS, SERVATA PRIMIGENIA VETERUM SCRIPTORUM PHRASI,

COLLECTA, DIGESTA,

Commentariisque et Observationibus

ILLUSTRATA

A

J. VAN HECKE, B. BOSSUE, V. DE BUCK ET E. CARPENTIER,

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

TOMUS X

QUO DIES VIGESIMUS TERTIUS ET QUARTUS CONTINENTUR.

BRUXELLIS,

TYPIS HENRICI GOEMAERE.

MDCCCLXI.

SYNOPSIS

TOMI DECIMI

DE ACTIS SANCTORUM

OCTOBRIS.

Ex quo tomus IX Octobris in lucem venit, exortam esse adversus institutum hagiographicum tempestatem fragosam magis quam sævam non est quod hoc loco doceamus, quum plerarumque gentium ephemeridibus hujus rei fama ubique increbuerit. Sed consedit brevi procella; neque ejus mentionem fecissemus, nisi publica beneficia postulassent ut publica fieret grati animi significatio. Servetur itaque imprimis in opere nostro memoria cum Cll. VV. Petri Tack et Bartholomæi Dumortier, qui die 11 februarii anni sexagesimi supra millesimum octogesimum tam strenue labores nostros in comitiis publicis tutati sunt; tum Exc. V. Caroli Rogier, ministri regii, qui oratione non minus gravi quam prudenti motos fluctus sedavit. Qui quum publice spopondisset se operis nostri singulariter rationem redditurum negotiumque commisisset societati historicæ regiæ, R. V. Franciscus Xaverius De Ram, universitatis catholicæ rector magnificus, commentarium de Actis sanctorum scripsit, quod perenne eximiæ doctrinæ et acerrimi judicii monumentum fore omnes consentiunt. Acute, brevius tamen eadem de re scripsit Cl. V. Adolphus Borgnet, in universitate Leodiensi professor historiæ. Quorum lucubrationes ita probavit universa societas historica ut eas suo nomine ministro regio offerendas esse statuerit, postulans ut ne desisteret gubernium auxilium conferre hagiographis. Aliquanto post, autumno scilicet ejusdem anni, quum Dunkerkæ frequens celebraretur archæologorum conventus, ad quem confluxerant eruditissimi viri, non ex Gallia tantum, verum etiam ex vicinis regionibus, omnium adstantium votis decretum est gubernium Belgicum bene de republica literaria meriturum, si, quod pridem cœpeperat, pergeret hagiographicum opus fovere et sustentare. Verum neque hic stare nobis licet; etenim commemorandi etiam sunt R. V. Kesselius, Coloniensis archæologus; Richardus Simpson, scriptor Anglus; eques de Rossi Romanus, ævo nostro præcipuum archæologiæ decus; Alexander Chodzko, ereditus Polonus et in collegio Franciæ literarum Slavicarum lector; Panizzi, F. Madden, Ed. A. Bond, S. Winter Jones, musæo Britannico præpositi reique literariæ in Anglia summi arbitri habiti: quibus demum accedit, ut alios omittam quorum nomina dabit R. V. De Ram commentarius, Henricus Pertz, quem nominasse laudasse est. Atque hi omnes ea benevolentia opus nostrum prosecuti sunt, ut novum nobis addiderint calcar ad intendendos omnes animi nervos, quo celerius et diligentius id promoveremus.

Prodit nunc itaque, nondum elapso triennio, tomus decimus Octobris; quo iterum propter rerum abundantiam duo tantum continentur dies. Cogitaveramus quidem initio eo quatuor dies concludere atque etiam præmittere *Annum ecclesiasticum Slavicum,* quem ex monumentis, latinos passim latentibus, multa diligentia in usum nostrum collegerat R. P. Joannes Martynov, domo Russus; sed denuo mirum in modum nos fefellit nostra opinio: ita ut egregium hoc opusculum et quæ ipsi jam parata habebamus in proximum volumen seponenda visa sint. Capit itaque præsens tomus Commentarios, Syllogas et alia diversi nominis scripta numero quinquaginta, quibus illustrantur gesta aut cultus sanctorum quinque et septuaginta, præter quater mille quinquaginta duos anonymos, passos cum S. Aretha in persecutione Arabica, Dunaan seu Dhu Nowaso judæo in eos sæviente: atque illi omnes diebus vigesima tertia et quarta octobris honores ecclesiasticos obtinuerunt aut adhuc obtinent. Ex his autem viri in tres ordines distribuendi sunt: alii referendi ad *statum ecclesiasticum,* alii ad *monasticum,* alii ad *sæcularem*, quamquam qui monachi et ecclesiastici fuere, sæpe ad utramque seriem spectent. His accedit *femineus sexus,* ratione nulla habita professionis. Quatuor has classes breviter pro more jam lustrabimus, ut quæ hoc volumine disputata fuerint uno quasi conspectu intelligatur.

STATUS ECCLESIASTICUS.

Dedit Constantinopolitana sedes, tantis olim sanctimoniæ et scientiæ laudibus conspicua, duos præstantissimos viros S. Proclum, S. Joannes Chrysostomi discipulum, et S. Ignatium, constantia sua neque minus calamitatibus suis gloriosum. *S. Procli* memoriam variis diebus celebratam; nativitatis locum; ministerium puerile in ecclesia Constantinopolitana; electionem ad cathedram Cyzicenam; populi victricem oppositionem; episcopatum deinde Constantinopolitanum; canones de episcoporum translatione; mansuetudinem a Socrate laudatam; epistolam ad Armenos; causam Athanasii, episcopi Pyrrheni; plurium episcoporum in pluribus provinciis

vinciis institutionem, ex privilegio sedis Constantinopolitanæ arrogatam; de Trisagio controversiam et tempus mortis, quantum licuit, pro instituto nostro explicuimus, omittentes tamen scriptorum catalogum et editiones, quod hæc res historiæ literariæ potius pars sit. Multo copiosiores res sunt *S. Ignatii;* sed quum hæ singulari diligentia et accuratione collectæ fuerint a Niceta seu Davide Paphlagone, scriptore coævo optimoque teste, brevis solum commentarius præmittendus fuit, in quo de sancti viri memoria in fastis sacris, de ejus biographo, de gestorum chronotaxi et de controversia, summos pontifices inter et S. Ignatium super jure patriarchico in Bulgariam agitata, actum est. Africa illustrandum præbuit *S. Felicem*, episcopum Tubzacensem, cui hoc singulare accidit ut Acta passionis ejus continuo post mortem ab optimis testibus conscripta fuerint atque ejus tamen res obscurissimæ sint. Quæ res inde provenit quod ab antiquissimis temporibus illa scriptio in laudem civitatis Nolæ corrupta fuit et hujus martyris historia cum aliorum laudibus commixta. Omnia inde turbata erant, homines, loca, tempora. Quare, ut lux aliqua affunderetur, variæ Actorum S. Felicis editiones et classes constituendæ fuerunt, et deinde ex temporum ratione aliisque argumentis ostendendum editionem Surianam, licet forte aliquando breviatam, longe optimam esse et sinceram. Quæsitum dein an S. Felix martyrii habuerit socios et unde factum sit ut SS. Januarius, Fortunatus et Septiminus ei additi fuerint. Demonstratum præterea Venusiam ejus martyrii fuisse testem et corpus translatum Carthaginem ejusque cultum longe lateque aliquando fuisse propagatum. His intercedit disquisitio de vero ejus sedis nomine et accedit Passio tum secundum familiam codicum Venusinam seu Africanam, tum secundum familiam Nolanam, atque etiam secundum græcos. Ex Italia tres nobis obvii fuere episcopi, Joannes Syracusanus, Octavianus seu Octarianus Comensis et Verus Salernitanus. In Commentario de *S. Joanne* diximus de ejus cultu, de incerta ejus monastica professione et de vitæ ejus temporibus; quibus subdidimus Vitam, olim ab Octavio Cajetano conscriptam. Breviores etiam fuimus in *S. Octaviano*, quem ostendimus ecclesiæ Comensi præfuisse, dum hæc schismati Trium Capitulorum involuta esset; unde pauca dicenda fuerunt de cultu eorum, qui extra communionem ecclesiæ diem obierunt: quod argumentum in S. Ignatio etiam tetigimus. *S. Veri* nomen, quod cultus ejus certus sit, ab oblivione vindicandum fuit, paucis adjectis de erecti episcopatus Salernitani ævo et veterum episcoporum serie. Gallia pro more multo plures obtulit sanctissimos præsules; nec mirum quum hæc regio constitutionem suam, pristinum splendorem et auctoritatem debeat sanctimoniæ et prudentiæ priscorum suorum antistitum. *S. Amon*, episcopus Tullensis, ordine alphabetico venit primus; cui adjunximus, quum ante omissi fuissent et reliquiarum fata communia fere haberent, *SS. Alcham, Celsinum* et *Ursum* seu *Ursinum*, qui proxime eamdem Tullensem cathedram occuparunt. Horum omnium, si S. Amonem excipias, res gestæ non accurate notæ, sed cultus certissimus. Vienna in Galliis, quæ tot olim sacris pignoribus dives erat ut *sancta* cognominaretur, nunc autem paupertatem suam luget, *S. Edicium* præstitit, ex pluribus fastis sacris cognitum; cujus episcopatus tempus, quantum licuit, indagavimus. Pone sequitur *S. Fromundus* seu *Frodomundus*, episcopus Constansiensis in Normannia, passim confusus cum S. Fremundo seu Fromundo, martyre Anglo. Ut eos diversos esse ostenderemus, Acta S. Fremundi retractavimus et, quantum potuimus, explicuimus S. Frodomundi ortum, monasticam vitam, monasterii suo nomine dicti fundationem et fata, episcopatum Constantiensem, dedicationem parthenonis Hamensis et sanctissimi viri cultum in tribus Normanniæ diœcesibus. Locum deinde suum habet *B. Herefridus*, Autissiodorensis episcopus, cujus laudes et vitam conscripsit auctor coævus. Hinc in Commentario prævio beati viri explicare licuit ortum ex familia Armoricana; nationem Carnotensem; educationem in palatio regio; electionem ad cathedram Autissiodorensem, qua occasione breviter dictum est de partibus regiis in episcoporum electione; et felix beati viri studium in recuperandis ecclesiæ suæ bonis. Qui deinde venit *S. Leothadius*, Ausciensis antistes, minus faustam habuit fortunam; quippe cujus gesta nemo olim scripto collegit. Quæ itaque de præfectura ejus Moissiacensi, de initiis metropolitanæ dignitatis in Ausciensi ecclesia, de tempore beati viri episcopatus et de pluribus ejus corporis translationibus in medium protulimus, undequaque corradenda fuere. *S. Maglorii*, in Britannia Armoricana episcopi, qui hac quoque colitur die, Vita et corporis Translatio jam pridem a Mabillonio in lucem fuit data. His præmissus Commentarius, in quo quæ in illis monumentis aut obscura aut minus plena sunt suppleta fuerunt. De *S. Romano*, Rothomagensi præsule, qui similiter illustrandus fuit, copiosa exstant monumenta, ex quibus quæ potiora visa sunt selecta fuerunt, Vita scilicet conscripta a Gerardo monacho, et altera ab anonymo. In Commentario prævio, præter communia de cultu, declaratus fuit ejus ortus, officia in aula regia, episcopatus tempus, reliquiarum translationes et destructio, a Calvinianis patrata, imprimis vero dictum de privilegio Feretri seu S. Romani deque ejus origine et ritu. Ultimo demum succedit loco *S. Severinus*, episcopus Burdegalensis, quem ut multos alios ejusdem ævi Galliarum episcopos advenam fuisse constat. Edita ejus Vita ex S. Gregorio Turonensi. S. Severinus ille Burdigalensis in Germaniam pedem ferre nos coegit, ubi *S. Severinus* Coloniensis, non secus ac ille alter, die 23 octobris colitur. Ostendimus itaque duos diversos esse; Coloniensem nunquam sedisse Burdigalæ; successisse Eufratæ et fundasse ecclesiam SS. Cornelii et Cypriani; cui commentario subjecimus ex manuscriptis et typographicis codicibus Vitam antiquam. De *SS. Severino* et *Felice I*, habitis episcopis Trevirensibus, diximus ad sequentem diem, breviter retractata quæstione de primis episcopis Trevirensibus; ubi indicavimus episcopos Trevirenses, Tungrenses

Tungrenses et Colonienses videri confusos fuisse; S. Felicem in catalogum Trevirensem intrusum videri ex Mettensi et S. Severini cultum ex alio errore ortum. In S. *Evergislo,* qui Coloniæ sedit, et in S. *Ebergiso,* qui Trajecti ad Mosam cathedram suam habuit, plurima quoque confusio deprehensa est, quod S. Bruno, Coloniensis episcopus, S. Ebergisi corpore translato, crediderit se sui decessoris exuvias vexisse Coloniam. Inquisivimus præterea in S. Ebergisi ætatem et sepulturæ locum; Vitam, nunc deperditam, sæculo XI ab Anselmo Leodiensi scriptam fuisse ostendimus et reliquiarum fata fuse enarravimus. Quod S. Evergislus puer in ecclesia Tungrensi oblatus fuerat, nonnulla de prisca puerorum oblatione collegimus; dein jus episcoporum Coloniensium in ecclesiam Tungrensem explicuimus; et quæ de beati viri diaconatu et episcopatu et martyrio feruntur, dedimus. Post Acta S. Arethæ, monachi Cryptensis, diximus de B. *Simone,* episcopo Vladimiriensi et Suzdaliensi, ut inferius explicabimus. Ad occidentem autem reversis et mare transgressis Britannicum, obtulit se nobis S. *Rumonus,* episcopus Hibernus, cultus olim in celeberrimo Devoniæ monasterio Tavestockio, cujus origines et fata exhibuimus, quod hæc cum S. Rumoni cultu omnino cohæreant. Tantam episcoporum seriem excipiunt tres presbyteri, S. Theodoritus scilicet seu Theodorus, S. Benedictus et S. Pompejus et unus diaconus S. Domitius. Ut S. *Theodorito,* martyri Antiocheno et Ucetiensi in Galliis patrono, lux affulgeret, homonymos diligenter distinximus; Acta martyrii, quæ ex editis et mss. codicibus dedimus, diligenter illustravimus; tempus passionis inquisivimus et simul originem patrocinii Uceticensis : unde dicendum quoque fuit de Deothario, episcopo Arisitensi, quem S. Theodorito nonnulli substituere voluerunt. S. *Benedictum,* qui in diœcesibus Pictaviensi et Lucionensi potissimum colitur atque olim etiam alicubi in diœcesi Remensi, volunt plerique episcopum fuisse; presbyterum fuisse ostendimus, et verisimiliter prius sepultum Asiani, dein translatum Quinciacum et Trenorchium; reliqua autem, quæ feruntur, fabulosa esse : his interseruimus commentarium de pagis Medalgico, Theofalgico et Herbadillico. S. *Pompejii* Acta immixta sunt rebus S. Odæ, de qua redibit sermo in sexu femineo. Similis sors S. *Socratis,* de quo videnda sunt Acta S. Theodotæ, martyris Nicææ in Bithynia. S. Domitium, quem Ambianensis diœcesis sibi vindicat, non presbyterum fuisse, sed solummodo diaconum verisimile fecimus ex Vita ejus, quam sæpius fuisse scriptam demonstravimus; ejusque occasione disputavimus de cathedralitate ecclesiæ S. Acheoli juxta Ambianum et de vita clericali, quam ibidem duxit beatus vir.

STATUS MONASTICUS.

Ut inter eos, quos statui ecclesiastico adscripsimus, plures sunt quos jure merito sibi vindicare possit status monasticus, sic inter decem nomina, quæ ad præsentem retulimus classem, plures presbyteratu aut diaconatu insigniti fuere. Ordine alphabetico, nulla gentium ratione habita (licet hic denuo vincat Gallia), venit primo loco S. *Arethas,* monachus Cryptensis Kioviæ in Russia; cujus gesta quum ex Paterico Mosquensi nota sint, singularis de hoc libro disputatio instituta est, scilicet de libri auctore, origine, incrementis, partitione, variis recensionibus manuscriptis et editionibus typographicis : et quum B. Simoni, episcopo Vladimiriensi et Suzdaliensi, de quo dicendum fuisset ad diem 10 maji, adscribenda sit ea pars quæ de S. Aretha est, de præsulis illius ortu, vita monastica Kioviæ, deque ejus episcopatu et cultu et scriptis fuse tractatum est : S. Arethæ autem indagata est ætas; Polocia, ejus patria, illustrata; vita in monasterio Cryptensi, mors et sepultura in crypta Antoniana cultusque immemorabilis declaratus; et dein gradus factus ad laboriosam quæstionem an sæculo XII catholici essent metropolitæ Kiovienses et hegumeni Cryptenses. Facilior fuit et minoribus tricis implicitus B. *Bertrandus,* abbas Grandis Silvæ in Galliis; cujus cultum certum esse ostensum est; dein enarrata ejus vita monastica in Grandi Silva atque hujus monasterii adjunctio familiæ Cisterciensi; felicem vero obitum dedit anonymus coævus. Cum his cohæret commentarius de B. *Giraldo de Salis,* novem monasteriorum fundatore, qui monachum Castellariensem, cujus scriptionem dedimus, biographum habuit. Quæ de S. *Joanne Capistrano,* Minorita, mirabili viro, ecclesiæ Dei sæculo XV columna et maximarum rerum sui ævi cardine et incitamento, collegimus, frustra conaremur brevi spatio concludere. In Commentario prævio, ex quadraginta sex paragraphis constante, innumera documenta authentica exhibuimus, ex quibus accuratissime innotescit quid beatus vir pro ordinis sui reformatione, pro catholicorum morum castigatione, pro reductione hæreticorum et schismaticorum et demum pro Turcarum attritione in Italia, in partibus septentrionalibus et ad Danubium tam strenue, tam prudenter, tantaque audacia et fortitudine egerit; quibus subjecimus tres Vitas a tribus ejus sociis singulis fere diebus, ut res contingebant, scriptas atque hactenus ineditas; quibus nil desiderari potest sincerius, nil accuratius, nil ad faciendam fidem potentius. B. *Joannes Angelus Porro,* ex Servorum B. M. V. familia, vir item pius fuit, sed alia omnino instituta sectatus. Hic enim quietis amans et solitudinis, hominumque turbam aversans, plura ordinis sui cœnobia virtutibus illustravit, reformationem sodalium exoptans, schismata tamen et divisiones studiose fugiens, operamque suam novitiorum institutioni libenter impendens. Gesta dedimus ex quatuor fontibus, quorum duo hactenus publico non patuerant. Quoniam autem id fert operis nostri ratio, locum dedimus viro fabuloso, nomine *Macario Romano,* qui inventus est (ut sæculo IV fabulatores finxerunt) juxta Paradisum; quem virum olim coluerunt patriarchatuum Constantinopolitani et Mosquensis ecclesiæ et cujus olim inter latinos multa etiam fuit fama. S. *Martini,* abbatis Vertavensis, in diœcesibus Nannetensi et Pictaviensi potissime culti, longe melior est historia. Duas dedimus Vitas cum adjecto libro de miraculis et translatione; quibus præmisimus

præmisimus commentarium, in quo ostendimus pagum Herbadillicum, in quo beatus vir, quum diaconus esset, verbum Dei prædicavit, partem diœcesis Nannetensis aliquando fuisse, licet ad lævam Ligeris positus esset. Dein diximus de S. Martini vita eremitica, fundatione monasteriorum Vertavi, Duogemellorum et Durini seu Durivi, interjecta quæstione an regula Benedictina ibidem ab initio servata fuerit; enarratus dein sanctissimi abbatis obitus, corporis translationes et cultus olim celeberrimus. Licet alio die mortuus sit et olim cultus fuerit S. *Martinus* seu *Martius* Massicus, huc tamen tractus est aliquando, quod confusus fuerit cum S. Martino Vertavensi. Distinguendus itaque ille fuit ab hoc et ab aliis sanctis Martinis abbatibus aut eremitis; inquisitum in sincerum diem cultus, inque ejus ætatem et professionem religiosam. Descriptus mons Massicus in Campania; monasterii fata exposita simul cum corporis translatione, sæpius tentata et aliquando perfecta, atque etiam cum Carinulæ oppidi originibus. Subjecta Vita ex S. Gregorii Magni dialogis; Historia translationis coæva; Vita, translatio et miracula, auctore Petro diacono Cassinensi, et alia antiqua documenta. S. *Nicephori,* fundatoris monasterii in Charsiano, Acta hactenus non deteximus, non satis certi utrum id monasterium in Cappadocia, an potius Constantinopoli exstiterit. Agmen claudit S. *Senochus* seu *Enochus*, presbyter et abbas in pago Turonico Galliæ; cujus ortum, clericatum, monachatum, monasterium, vitæ tempus, cultum, continuo post mortem inter Turonenses inchoatum et dein per Burgundiam, Britanniam Armoricam et alias plagas propagatum, explicuimus, in fine dantes Vitam, a S. Gregorio Turonensi conscriptam.

STATUS SÆCULARIS.

Paucos confessores multosque martyres continet pro more tertia classis. Eam aperit S. *Allucius*, Pisciensis in Etruria patronus, cujus Vitam et translationem dedimus ex duobus codicibus manuscriptis, præmisso commentario de cultus antiquitate, de territorio Pisciensi et de domo hospitali S. Allucii, occupata deinde ab equitibus Hierosolymitanis. De *S. Aretha* et sociis quater mille ducentis et quinquaginta, martyribus Negranæ in Arabia, paulo prolixius diximus pluribus de causis. Prima est quod Arabica persecutio, quæ sævissima fuit, et in qua per universam Arabiam Felicem martyres ad viginti millia occubuere, parum nota est hactenus in historia ecclesiastica; immo usque ad medium sæculum præcedens ipsis viris eruditis e solo pæne Metaphraste innotuerat. Deinde fuit *S. Arethas* Negranæ princeps et regulus; et dum ipse ad fidem est conversus anno circiter 445, principis exemplo moti sunt pars magna civium. Accrevitque ecclesia ista constanter, nec modo suos episcopos mox habuit, sed et dilatata est extra tractum Negranensem, et usque ad ultimas partes Homeritidis fides disseminata est. Tunc orta est persecutio Dhu Nowasi, annis septuaginta et octo post conversionem S. Arethæ; in qua Negranenses flammis et gladio absumpti sunt quater mille ducenti et quinquaginta. Hos inter, præter S. Aretham, illustris fuit sancta Ruma, femina nobilissima, quæ S. Arethæ neptis fuisse videtur. Postquam enim mulieres Negranenses sermone plurimo ad perseverantiam hortata erat, ac blanditiis et minis tyranni constanter restiterat, simul cum filiabus, omni inspectante plebe christana, gloriosum martyrium complevit. Non multo post Negranæ quoque passi sunt S. Azkir, presbyter, et socii 39. Demum victo et cæso Dhu Nowaso a S. Elesbaa, rege Æthiopum, jam Negranæ non solum, sed in universa Homeritide dominari cœpit religio christiana. Nestoriani Persidis, licet vicini, eam illic inficere numquam potuerunt; ardentius aut frequentius id tentarunt monophysitæ Ægyptii, sed vix ullo successu, saltem ad annum usque 585, ut ex Joanne, Asiæ episcopo, satis elucet. Verum neque usque ad annum 634, quo christiani Negranenses a khalifa Omar in exsilium exacti sunt, multum efficere potuerunt, ut suadent plurima : ex quibus demum sequitur pæne per sesquisæculum ecclesiam Homeriticam floruisse. Occasione vero martyrii S. Arethæ et sociorum deducendam esse breviter credidimus historiam ecclesiasticam, non modo Arabiæ Felicis, sed regnorum etiam Ghassan et Hiræ in Arabia Deserta. Etenim ut insinuatum est, dum scripsere majores, monumenta vix ulla Arabica e tenebris ars typographica eduxerat; et inde factum ut necessario valde jejuna sint quæ de pæninsula Arabica et de Syria orientali, sive Arabia Deserta, in opere nostro sparsim obvia sunt. Quam ob rem supplenda fuerunt quæ deerant; quod nunc præstitimus in hoc Commentario de S. Aretha : quum ceteroqui, usque dum S. Gregentii, archiepiscopi Tapharensis, Acta dabuntur ad diem 19 decembris, nulla alia idonea opportunitas adfutura sit, obscurissimam quoque Æthiopiæ priscæ historiam in pluribus illustrare licuit. Commentario denique subjunximus Acta Græca S. Arethæ, eaque latinitate donavimus. Sunt vero Acta illa, simul cum epistola Simeonis Beth-Arsamensis, quæ ipsi Commentario interserta est, inter monumenta pretiosissimæ historiæ ecclesiasticæ sæculi sexti connumeranda. Quumque Acta hæc antiquissima S. Arethæ solus ediderit hucusque Boissonadius in Anecdotis suis, profecto ex probato codice ms. denuo excudi, ut ad plures pertingerent, merebantur. Pauca admodum de S. *Cadfarcho*, quo olim gloriabatur Wallia septentrionalis in insula Britannica, reperimus; atque illa pertinent ad nobile et sanctum ejus genus, ad duo templa, ab eo fundata, ad ejus cultum, ætatem et parentelam. SS. *Claudianus*, *Eutherius*, *Flavianus*, *Justus* et *Victor*, martyres Hierapolitani in Phrygia ex fastis Hieronymianis cogniti, occasionem dederunt disputandi de duabus Hierapolibus in Phrygia. Copiosioribus nobis esse licuit in SS. *Crescio*, *Omnione*, *Emptio*, *Cerbonio* et *Pamphila*, martyribus in agro Mugellano in Thuscia. In Commentario prævio, postquam de redintegrato SS. Crescii et sociorum cultu sermonem habuimus, controversias de antiqua Passione, utrinque justo acrius agitatas, examinavimus; qua occasione Florentinas origines profanas et christianas et alia id genus exposuimus; Acta dein dedimus

mus juxta editiones Laderchii, Moctii et Lamii et apographa Bollandiana; quibus pro Gloria posthuma subdidimus Antonii Francisci Felicii Romani lucubrationem de perpetuo illorum martyrum cultu; quam in annotatis plurimum auximus. S. *Florentini*, confessoris, origine Scoti seu Hiberni, domicilio autem et cultu Tullensis, Vita olim scripta fuit; sed hactenus latet : capita tamen dedimus tum ex antiquis libris, tum ex tabulis pictis Bonnetensibus in agro Tullensi. Quum autem sanctus ille vir plurimum illic invocaretur pro amentium valetudine, longam orationem habuimus de ritibus illic olim usurpatis et de aliis similibus Ghelæ et Rothnaci in Belgio eadem de causa celebratis. Hinc gradum fecimus ad festum translationis S. Florentini, ad pium peregrinantium concursum, ad templum a S. Gerardo ædificatum : cujus rei ope devenimus in notitiam ætatis S. Florentini atque etiam ejus patriæ. S. *Gratianus*, martyr in agro Ambianensi, disputandi locum dedit de ejus cultu, de ejus martyrii et translationis tempore, de corylo in annua ejus festivitate fructifera deque ejus reliquiis. Vicini sunt sanctissimi fratres *Luglius* et *Luglianus*, a prædonibus violenta morte in Belgio affecti, et exinde relati inter martyres potissimeque Lillerii et Mondiderii culti. Examine Vitæ anonymæ instituto, cædisque causa et tempore indagatis, sanctorum illorum cultum, reliquiarum visitationes earumque ad hanc usque diem fata exposuimus. SS. *Servandus* et *Germanus*, martyres prope Gades in Hispania, alius omnino generis sunt. Passionem ex ms. codice collata cum editione typographica dedimus, post prævium commentarium de eorum cultu secundum ritum Mozarabicum, de patria, familia, tempore et loco martyrii. *Severus* et *Dorotheus*, martyres Hadrianopolitani; item *Severus*, *Vitalis*, *Felix*, *Rogatus*, *Papirius*, *Victoria*, *Flavianus* et *Victor*, martyres Nicomedienses; et demum *Seuresius*, martyr Cæsareæ in Cappadocia, innotuerunt solum ex fastis Hieronymianis aliisque id genus libris.

SEXUS FEMINEUS.

Inter illos autem status sæcularis sanctos, præter S. *Victoriam* et *Pamphiliam*, insignem sibi locum vindicat S. *Rumi* cum multis sociabus Negranensibus, crudele martyrium perpessis, Dhu Nowasso seu Dunaan impiissimo tyranno. His addenda S. *Elfleda* seu *Ethelfleda*, vidua Glastoniæ in Anglia, cujus duplicem Vitam dedimus cum præmisso commentario in quo ab homonymis accurate distincta est, ejus regia prosapia explicata, investigata ætas, et S. Dunstanus, quod ejus gesta immixta sint S. Elfledæ rebus, a gravissima calumnia vindicatus. B. *Juliana* de Busto Arsitio, soror conversa abbatiæ S. Mariæ de Monte supra Varesium in pristino ducatu Mediolanensi, narrandi potius quam disputandi occasionem dedit. In Commentario itaque historico beatæ virginis ortum, virginitatis propositum, persecutiones in domo paterna toleratas, accessum ad Sacrum Montem, vitam eremiticam ibidem viginti annos cum B. Catharina de Palantia actam, admissionem regulæ S. Augustini, virtutes, orandi modum dictum vestem B. M. Virginis, mortem, sepulturam, translationem, festum, imagines antiquas et cultus approbationem ex optimis monumentis explicuimus. Contra de S. *Montana*, cui accommodata fuere Acta S. Gertrudis Nivellensis, plura inquirenda, pauca narranda fuere. Ostensum unde dicta fuerit abbatissa Cavensis; quomodo ejus corpus e diœcesi Bituricensi Ferrarias in Senonensi translatum fuerit; quæ utrobique de ea viguerint aut vigeant traditiones; et demum quæ origo fuerit processionum Pentecostalium, in Galliis, in Belgio, in Anglia et alibi olim atque etiam nunc tanta frequentia institutarum. SS. *Oda* vidua et Pompejus presbyter, ambo diœcesis Leodiensis decora, ex antiqua Vita perbene innotuerunt. Huic Vitæ præmissus Commentarius, quo complures sanctæ Odæ a se invicem distinguuntur; biographi antiqui et recentiores recensentur; ætas beatæ mulieris indicatur; nobile ejus genus ex diplomate Alahonensi, cujus sinceritas vindicatur, ostenditur; et tandem migratio in Austrasiam, mors, corporis elevatio, et reliquiarum, quarum semper maxime pars remansit Amanii, visitationes traduntur et explicantur. S. *Syram* virginem, olim Meldis cultam et Catalauni in Gallia, nunc autem omni veneratione destitutam, unam eamdemque esse demonstrandum fuit, sed diversam a S. Syra Trecensi seu Rilliacensi, quacum ab aliis confunditur; item Catalauni illam fuisse abbatissam, sed non videri sororem fuisse S. Fiacrii. Coronidem tandem imponit S. *Theodota*, quæ Nicææ in Bithynia ut atrox sic gloriosissimum consummavit martyrium. Ejus veterem Passionem, cui innexa sunt S. Socratis, martyris Ancyrani, gesta, bonæ notæ esse suasimus; atque ex ea nonnihil luminis affulgere tot martyriis, quæ Alexandro Severo imperatore facta esse perhibentur. Plura præterea quæsivimus de SS. Georgii, Theodotæ et Mamantis templis et monasteriis Constantinopolitanis, quod hæc ad beatorum martyrum cultum proxime spectarent. Atque his breviter expedivimus quæ tomo x Octobris continentur. His, utere, lector; et ut nobis tibique sancti illi suis apud Deum orationibus adsint et opitulentur enixe petimus.

INDEX SANCTORUM

IN TOMUM X OCTOBRIS.

A

23 Alchas, episcopus Tullensis. *Vide* Amon.

23 Allucius confessor. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § Unic. Sancti cultus antiquus; descriptio territorii Pisciensis; canones qui de hospitali agunt; equites Hierosolymitani hospitalem domum occupant 226. VITA ET TRANSLATIO S. ALUCII CONFESSORIS, *ex ms. Francisci Mariæ Florentini, medici Lucensis, collato cum apographo Pisciensi.* CAPUT I. Corporis inventio; delegatio episcopi Lucensis ad inquirendam veritatem 232. CAPUT II. Vita S. Allucii, approbatio ejus reliquiarum 234

23 Amon, episcopus confessor Tulli Leucorum in Gallia. SYLLOGE CRITICA ET HISTORICA. § Unic. Sancti cultus; res gestæ parum cognitæ; tempus episcopatus; variæ translationes corporis 48. PARALIPOMENA. Cultus et reliquiarum fata SS. Amonis, Alchæ, Celsini et Ursi seu Ursini 908. VITA S. AMONIS, EPISCOPI TULLENSIS ex veteri Breviario Tullensi et Vitis Patrum Occidentis Benedicti Gononi 911. INVENTIO CRYPTÆ S. AMONIS ET RELIQUIARUM SS. ALCHÆ, AUSPICII, CELSINI ET URSI, EPISCOPORUM TULLENSIUM, *ex editione Benedicti Picard in historia ecclesiastica et civili Tullensi* 912.

24 Arethas et Ruma et socii quater mille ducenti quinquaginta, itemque Askir et Cyriacus et socii triginta octo, martyres Negranæ in Arabia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Arabia vetus et hodierna. Arabiæ Felicis divitiæ et negotiatio usque ad prima sæcula christiana: rudera et monumenta pristini splendoris 661. § II. Lingua Homeritica, inscriptiones, communis origo cum Æthiopibus. Arabum idololatria; templum Caaba. Adventus Judæorum 666. § III. Ortus religionis christianæ inter Arabas; eorum apostoli 669. § IV. Homeritarum reges christiani; legatio Theophili Indi; urbs regia Taphar 674. § V. Historia christiana tribuum Arabiæ desertæ occidentalis. S. Hilarion Arabiæ Petrææ et S. Euthymius Arabum Scenitarum apostolus; hic fundavit ecclesiam Paremboles 677. § VI. Desertum Phœnicon ejusque phylarcha christianus Abu Charabus; insula Iotabe, ejus regulus et episcopi; princeps Arabs et poëta Imrulcays, præfectus Palæstinarum 682. § VII. Historia christiana Arabum Hirensium; eorum aliorumque Scenitarum apostolus S. Simeon Stylita 684. § VIII. Propagatio religionis christianæ in vicina Mesopotamia et Chaldæa; christiani Hirenses diu catholici fuerunt 688. § IX. Conversio Negranensium ad fidem christianam ejusque tempus; Dhu Nowasus, seu Dunaan, regnum Homeritarum adipiscitur: fit judæus 691. § X. Origo bellorum Æthiopas inter et Homeritas; Paulus episcopus Negranensium; S. Elesbaas, rex Æthiopum; ejus et Dhu Nowasi varia nomina apud scriptores 694. § XI. Joannes Paramonarius fueritne episcopus Æthiopum, an vero Homeritarum; auctores varii emendantur; proreges Æthiopum in Homeritide; de Simeone Beth-Arsamensi, historico martyrii Negranensium 697. § XII. Epistolæ Simeonis Beth-Arsamensis pars prima; annus et dies passionis S. Arethæ; Abrahamus legatus ejusque legationes; epistola Dhu Nowasi ad Almundarum Hirensem, in qua narrat quæ gesserit Negranæ 700. § XIII. Ordo rerum gestarum Negranæ a Dhu Nowaso; de S. Ruma, femina nobilissima, ejusque et filiarum martyrio ex epistola Dhu Nowasi ad Almundarum 703. § XIV. Narrationem prosequitur Simeon Beth-Arsamensis: S. Arethæ genus, libertas loquendi coram tyranno, martyrium. Mirabilis constantia pueri quinquennis 705. § XV. De suppliciorum modo et numero martyrum 708. § XVI. Hortantur Justinus imperator et Timotheus patriarcha Alexandrinus sanctum Elesbaan ad bellum gerendum adversus Dhu Nowasum; historia expeditionis. Martyrium SS. Azkir, Cyriaci et sociorum 38. Quo tempore hæresis monophysitica intra Homeritidem penetrarit 710. § XVII. Cultus martyrum Negranensium e fastis sacris Latinis et Græcis 714. § XVIII. Cultus martyrum Negranensium ex kalendariis Syriacis, Armeniacis et Æthiopicis, et ex Æthiopum senkessar 716. § XIX. Actorum ætas et sinceritas 718. ACTA GRÆCA *ex codice ms. Parisiensi collato cum editione Boissonadii; adjecta interpretatione Latina.* CAPUT I. Conditio Homeritidis; ejus rex Dunaan rebellat contra Æthiopas; Negranam perjurio ingreditur 721. CAPUT II. Martyrium clericorum, monachorum et virginum, qui in ignem projiciuntur, numero 427; uxoribus procerum caput abscinditur; numerus martyrum 728. CAPUT III. Martyrium viduæ cujusdam Negranensis, genere nobilissimæ, et duarum filiarum ejus 731. CAPUT IV. Martyrium S. Arethæ et sociorum procerum trecentorum quadraginta 734. CAPUT V. Martyrium pueri quinquennis ejusque matris; pueri permulti servituti addicuntur 738. CAPUT VI. Dunaan, rex Homeritarum, regibus pluribus persecutionem suadet; Justinus vero imperator hortatur S. Elesbaan, regem Æthiopiæ, ut tyranno Homeritæ bellum inferat 742. CAPUT VII. S. Elesbaas sese ad bellum parat; adit sanctum quemdam stylitam; pars navium ejus ad Homeritidem pervenit 747. CAPUT VIII. Rex Homeritarum profligatur et occiditur 754. CAPUT IX. S. Elesbaas, pluribus

bus in Homeritide constitutis, ad Æthiopiam revertitur; fit monachus et sanctissime vivit ac moritur 758. APPENDIX. Fragmentum interpretationis Latinæ Actorum S. Arethæ quam adornavit Athanasius Junior, episcopus Neapolitanus 761.

24 Arethas, monachus Cryptensis Kioviæ in Russia. COMMENTARIUS R. P. JOANNIS MARTYNOV. *Proxime sequitur ejusdem Disquisitio de auctore Paterici et Vita B. Simonis, episcopi Vladimiriensis et Suzdaliensis.* MONITUM 863. § I. Memoria S. Arethæ in fastis Russis. Gesta nota ex Paterico 864. § II. B. Arethæ ætas. Patria Polocia. Hujus civitatis decora ecclesiastica sæculo XII 865. § III. B. Arethæ vita in monasterio Cryptensi, mors et sepultura in crypta Antoniana. Cultus immemorabilis 866. § IV. An sæculo XII metropolitæ Kiovienses et hegumeni Cryptenses catholici essent 868. VITA S. ARETHÆ, MONACHI KIEVOCRYPTENSIS, *auctore B. Simone, episcopo Vladimiriensi, juxta Patericon Mosquense anni* 1759 871. PARERGON. PARS PRIOR DE PATERICO MOSQUENSI. § I. De auctore Paterici 872. § II. Paterici ortus, incrementa, partitio 874. § III. Variæ Paterici recensiones manuscriptæ 875. § IV. Editiones seu impressiones variæ Paterici 876. PARS POSTERIOR DE B. SIMONE, EPISCOPO VLADIMIRIENSI ET SUZDALIENSI. § I. Ejus ortus, vita monastica Kioviæ, episcopatus et cultus, ex variis auctoribus collecta 877. § II. B. Simonis, episcopi Vladimiriensis scripta 879. ELOGIUM B. SIMONIS, EPISCOPI VLADIMIRIENSIS, *ex Paterico Mosquensi anni* 1759, *ad diem* 10 *maji* 881.

24 Azkir. *Vide* Arethas.

B

23 Benedictus confessor et presbyter, quem dicunt episcopum, in diœcesibus Pictaviensi et Lucionensi. COMMENTARIUS CRITICUS. De pagis Medalgico, Theofalgico et Herbadillico. S. Benedictus fuit presbyter, verisimiliter prius depositus Asiani, dein translatus Quinciacum et Trenorchium. Reliqua fabulosa 150

23 Bertrandus, abbas Grandis Silvæ. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § Unic. Cultus certus; vita monastica in Grandi-Silva; ejusdem monasterii associatio ordini Cisterciensi 239. FELIX OBITUS B. BERTRANDI, *auctore anonymo coævo, ex ms. Aureæ Vallis apud Mabillon. Annal. tom. VI* 245

C

24 Cadfarchus, conf. non pont. in Wallia septentrionali. SYLLOGE. S. Cadfarchi nobile et sanctum genus; duo templa fundat; ejus cultus; ætas; parentela 763

24 Cerbonius seu Serapion. *Vide* Crescius.

23 Celsinus, episcopus Tullensis. *Vide* Amon.

24 Claudianus, Eutherius, Flavianus, Justus et Victor, martyres Hierapolitani in Phrygia. SYLLOGE. Ex fastis Hieronymianis aliisque martyrologiis. Brevis disquisitio de duobus Hierapolibus Phrygiæ 634

24 Crescius, Omnion et socii Emptius, Cerbonius, Pamphila, martyres in agro Mugellano in Thuscia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. De redintegrato SS. Crescii et sociorum cultu; de antiqua Passione controversiæ 583. ACTA PASSIONIS SS. CRESCII ET SOCIORUM *juxta editiones Laderchii, Moctii et Lamii, necnon apographa Florentina.* CAPUT PRIMUM. Comprehensio SS. Crescii et Miniatis 589. CAPUT II. S. Omnion, carceris custos, ad fidem convertitur a S. Crescio et prolixe docetur 591. CAPUT III. S. Crescius cum Christianis Florentinis statuit Faventiam fugere 592. CAPUT IV. S. Crescius mirabiliter sanat S. Serapionem seu Cerbonium eumque cum matre Pamphila et multis aliis convertit 593. CAPUT V. SS. Crescius, Omnion et Emptius in fide constantia et martyrium 594. CAPUT VI. Sepultura S. Crescii et martyrium S. Cerbonii et sociorum. GLORIA POSTHUMA SS. CRESCII ET SOCIORUM *seu Antonii Francisci Felicii Romani appendix ad Acta SS. Crescii et sociorum martyrum, perpetui eorum cultus monumenta complectens.* LECTORI 598. CAPUT PRIMUM. Scriptores et martyrologia quæ de SS. Crescio et sociis martyribus meminerunt *ibid.* CAPUT II. Antiquæ imagines SS. Crescii et sociorum martyrum 600. CAPUT III. Ecclesiæ in honorem SS. Crescii et sociorum martyrum erectæ 601. CAPUT IV. Visitationes ecclesiæ SS. Crescii et sociorum Valliscavæ et reliquiarum eorumdem inventiones et translationes 608. CAPUT V. Officium et Missa SS. Crescii et sociorum martyrum 610

24 Cyriacus. *Vide* Arethas.

D

23 Domitius confessor. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § Unicus. Sancti elogia in martyrologiis; videtur solum fuisse diaconus; ejus Vita a variis vario tempore conscripta; de cathedralitate ecclesiæ S. Acheoli juxta Ambianum et de vita sancti clericali 143. VITA S. DOMITII CONFESSORIS, *descripta ex Legendario ecclesiæ S. Wulfranni, Abbatisvillæ, diœcesis Ambianensis* 145

23 Dorotheus. *Vide* Severus.

E

24 Ebregisus seu Evergisus, episcopus Trajectensis ad Mosam. SYLLOGE. § Unicus. S. Ebregisi ætas; sepulturæ locus; Vita scripta medio sæculo XI ab Anselmo Leodiensi. Ostenditur a S. Brunone Coloniensi translatum fuisse Coloniam S. Ebregisi Trajectensis corpus, non autem S. Evergisli Coloniensis. Feretra 818

23 Edicius episcopus confessor, Viennæ in Gallia. SYLLOGE HISTORICA. § Unicus. Memoria in fastis sacris; tempus episcopatus 71

23 Elfleda seu Ethelfleda vidua Glastoniæ in Anglia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § Unicus. Distinctio ab homonymis; ejus memoria apud hagiologos; regia prosapia; ætas; S. Dunstanus a columnia vindicatur 214. VITA PRIOR, *auctore monacho anonymo, extracta ex Vita S. Dunstani in Actis Sanctorum tom.* IV *Maji* 218. VITA ALTERA *auctore Osberno monacho, extracta ex Vita S. Dunstani in Actis*

Actis SS. tom. IV *Maji, collata cum editionibus Mabillonii et Whartoni* 220
24 Emptius. *Vide* Crescius.
24 Enochus. *Vide* Senochus.
24 Evergislus, episcopus Coloniensis et martyr. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Sancti memoria in fastis sacris; nominis etymologia; ejus oblatio in ecclesia Tungrensi : qua occasione inquiritur de oblatione puerorum 650. § II. Jus episcoporum Coloniensium in ecclesiam Tungrensem; diaconatus et episcopatus S. Evergisli; an martyr dicendus sit 653
24 Eutherius. *Vide* Claudianus.

F

24 Felix I, dictus episcopus Trevirensis. *Vide* Severinus Tungrensis.
24 Felix, episcopus Tubzacensis in Africa et martyr Venusii in Apulia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Variæ Actorum S. Felicis editiones et classes 618. § II. Ex temporum ratione ostenditur editionem Surianam longe esse optimam 620. An S. Felix in martyrio habuerit socios; quare ei additi SS. Januarius, Fortunatus et Septiminus. Palæstra Venusia. Corpus Carthaginem translatum 621. Sedes episcopalis S. Felicis; cultus 623. PASSIO S. FELICIS EPISCOPI TUBZACENSIS, *secundum editionem Surii, Baronii et Ruinartii, seu antiquiorem familiam codicum Venusinam* et simul *secundum editionem Fabri, Dacherii et Baluzii et codices mss. Ultrajectinum, Rubeæ Vallis et tres Audomarenses, seu familiam codicum Nolanam* 625. PASSIO S. FELICIS *secundum Menæa Græcorum* et simul *secundum Menologium Sirleti* 633
24 Felix martyr. *Vide* Severus.
24 Flavianus, martyr Hierapolitanus in Phrygia. *Vide* Claudianus.
24 Flavianus, martyr Nicomediensis. *Vide* Severus.
24 Florentinus confessor, cultus in pristina diœcesi Tullensi. SYLLOGE. § I. S. Florentini, genere Scoti seu Hiberni, nomen ad plures dies fastis sacris adscriptum. Falso eum popularem suum arbitrati sunt præsentis Scotiæ incolæ. Ejus Vitæ capita. Sepultura et cultus Boneti in pristina diœcesi Tullensi 850. § II. Olim plurimum invocabatur S. Florentinus Boneti pro amentium valetudine. Ritus illic olim usurpati et similes Ghelæ et Rothnaci in Belgio 852. § III. Festum translationis; pius peregrinantium concursus; templum S. Florentini a S. Gerardo ædificatum. Ejus ætas et patria 857
24 Fromundus seu Frodomundus, episcopus Constantiensis in Normannia. SYLLOGE. § Unicus. S. Fromundi ortus, monastica vita, monasterii suo nomine dicti fundatio, episcopatus Constantiensis, dedicatio parthenonis Hamensis, cultus in diœcesibus Bajocensi, Rothomagensi et Constantiensi. Distinguendus est a S. Fremundo seu Fromundo, martyre Anglo, quocum ab Anglis et Normannis confusus fuit 842

G

23 Giraldus de Salis confessor. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § Unicus. Beati cultus antiquus; Vita conscripta a monacho Castellariensi; ætas; fundatio novem monasteriorum 249. VITA *scripta ab auctore anonymo, Castellariensi, ut videtur, monacho, ex ms. Castellariensi, apud Edm. Martene, Amplissim. Collect. t.* VI. CAPUT I. Beati natales; litterarum studium; canonicatus regularis; vita eremitica; prædicationes in diœcesi Pictaviensi 254. CAPUT II. Varia construit monasteria; parentes et fratres ad vitam monasticam traducit, miraculis claret 257. CAPUT III. Post fundatum monasterium Castellariorum, beatus graviter infirmus, illuc defertur; sancte obit ibidem et sepelitur 260. CAPUT IV. Varia miracula post beati obitum ejus intercessione patrata 262
23 Gratianus, martyr in agro Ambianensi. SYLLOGE HISTORICA. § Unic. Sancti memoria; cultus; tempus martyrii et translationis; de corylo, in festivitate ejus quotannis fructus producente; sancti reliquiæ 18

H

23 Herifridus episcopus Autissiodorensis. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § Unicus. Beati elogia ac Vita, a coævo conscripta; ex Armoricana familia oriundus, nascitur Carnoti; in palatio regio ad litteras informatur; partes regis in electionibus episcoporum; bona, ecclesiæ Autissiodorensi subtracta, agente episcopo, restituuntur 206. VITA S. HERIFRIDI EPISCOPI CONFESSORIS *ex Historia episcoporum Autissiodorensium, tom I Novæ Bibliothecæ mss. Philippi Labbe* 210

I

23 Ignatius, patriarcha Cpolitanus. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Sancti memoria in fastis sacris; ejus Acta a Niceta coævo conscripta; chronotaxis vitæ beati viri 157. § II. Controversia inter summos pontifices et S. Ignatium circa jus patriarchicum in Bulgariam 160. VITA S. IGNATII, PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI, *auctore Niceta, seu Davide Paphlagone coævo ex tom. VIII Conciliorum Philipp. Labbe S. J.* PROLOGUS p. 167. CAPUT I. Sancti illustres natales; infortunia; monachatus et presbyteratus 168. CAPUT II. S. Ignatius sedem CP. conscendit, quam magnis virtutibus illustrat; graviter reprehendit Bardam cæsarem, qui illum ad abdicationem cogere tentat; recusat sanctus cedere loco suo 173. CAPUT III. Photius vi et dolo sedem CP. occupat; S. Ignatium persequitur et Romanum pontificem decipere tentat 177. CAPUT IV. Photius, corruptis legatis pontificiis, conciliabulum cogit, in quo S. Ignatius deponitur, ac dein multimode torquetur; Nicolaus Papa acta Photii rescindit, sed Michael, imperator impius, a Photio decipitur 182. CAPUT V. Photius familiares S. Ignatii ad suas partes trahere conatur; occiditur Bardas Cæsar; Photius Nicolaum papam exauctorat; Michael imperator occiditur 188. CAPUT VI. Mortuo Michaeli succedit imperator Basilius, qui Photium ejicit, et S. Ignatium in sedem suam, coacta œcumenica synodo CPoli, reponit : S. Ignatius

tius clerum et populum instruit 193. Caput VII. S. Ignatii pius obitus, sepultura et miracula; Photius, dolo sedem CPolitanam iterum adeptus, novis turbis ecclesiam involvit 199

23 Joannes confessor et episcopus Syracusanus. Commentarius prævius. § Unic. Cultus certus; incerta professio monastica; vitæ chronotaxis 66. Vita, *auctore Octavio Cajetano S. J. ex tomo* I *Vitarum Sanctorum Siculorum*. Caput unic. Sancti electio ad ecclesiam Syracusanam; res gestæ in episcopatu; laudes S. Gregorii Magni eidem tributæ; obitus 67

23 Joannes de Capistrano, confessor ordinis FF. Minorum. Commentarius prævius. § I. Sancti elogia in Martyrologiis Romano et Franciscano; Vitæ compendium; biographi 269. § II. Locus sancti natalis; parentes; annus et dies nativitatis; gesta in juventute 272. § III. Mirabilis sancti vocatio ad ordinem FF. Minorum 276. § IV. Ingressus in ordinem Seraphicum; prima sancti sub magistro S. Bernardino Senensi ministeria 280. § V. Apostolici labores S. Joannis per Italiam 283. § VI. Legationes pro Sede apostolica obitæ 288. § VII. Initium reformationis, vulgo Observantum dictæ 291. § VIII. S. Joannes suscipit defensionem reformationis 294. § IX. S. Joannes Capistranus constituitur vicarius generalis Observantum 299. § X. Conventualium conatus, ut Observantes sibi subjiciantur, repellit S. Capistranus 302. § XI. Complures sanctus fundat conventus Observantum in Italia; et Tertium Ordinem in tutelam suscipit 305. § XII. Fundationes conventuum in Germania et Polonia 308. § XIII. Omni ope et consilio satagit S. Joannes avertere pericula novellæ reformationi imminentia 314. § XIV. De cultu Sanctissimi Nominis Jesu, a S. Bernardino Senensi propagato, et a S. Joanne Capistrano a calumniis vindicato; de procurata canonizatione ejusdem S. Bernardini 318. § XV. Agit S. Joannes contra Fraticellos 323. § XVI. In variis civitatibus Germaniæ prædicatoris munus obit S. Joannes 327. § XVII. Iter Germanicum describit Fr. Nicolaus de Fara testis oculatus; discutiuntur adversus sanctum quorumdam dicteria 330. § XVIII. Acta S. Joannis Capistrani adversus Hussitas 333. § XIX. Continuantur Acta S. Joannis Capistrani adversus Hussitas 337. § XX. Gesta S. Capistrani in Silesia, præsertim Wratislaviæ 341. § XXI. Gesta S. Capistrani in Polonia 344. § XXII. Diluitur accusatio, quasi S. Capistranus, dum omnia pacem inter christianos suaderent, auctor belli inter Poloniæ regem et equites Teutonicos exstitisset 347. § XXIII. Principes christianos accendit S. Joannes Capistranus ad bellum sacrum contra Turcas suscipiendum 350. § XXIV. Spe confœderationis inter christianos principes fallente, S. Capistranus in Hungariam se confert 355. § XXV. Labores S. Capistrani per Hungariam et finitimas provincias; conscriptio militum pro bello sacro 359. § XXVI. Plena de Turcis victoria ad Nanderalbam seu Belgradum precibus et opera S. Capistrani relata 362. § XXVII. Victoriam de Turcis relatam narrare incipit Joannes Tagliacotius, S. Capistrani socius et testis oculatus 366. § XXVIII. Describit Joannes Tagliacotius victoriam de Turcis navalem et cruce signatorum mores integerrimos 370. § XXIX. Joannes Tagliacotius varias industrias describit, quibus S. Capistranus cruce signatos animat et exponit imminentem civitatis ruinam 374. § XXX. Narrat Tagliacotius, parta victoria, tandem liberatam Nanderalbam 377. § XXXI. Confutatur calumnia vanæ gloriæ, S. Joanni Capistrano impacta 381. § XXXII. Obitus Joannis Corvini seu Huniadis, cui assistit S. Capistranus 385. § XXXIII. Joan. Tagliacotius initia supremi morbi S. Capistrani exponit 389. § XXXIV. S. Joannes Capistranus infirmus remediis caret; Vilakum abit; a rege Hungariæ visitatur 392. § XXXV. Ingravescit S. Capistrani infirmitas; fratres suos ad regularem observantiam hortatur; proxime ad mortem se præparat 395. § XXXVI. Varia variis prædicit S. Capistranus; sanctissime obit; magnus ad ejus corpus fit populi concursus 399. § XXXVII. Statim post mortem S. Joannis Capistrani rex et principes Hungariæ instant pro ejus canonizatione 402. § XXXVIII. Recitantur litteræ, a principibus et civitatibus Germaniæ datæ, quibus canonizatio S. Capistrani urgetur 406. § XXXIX. Retardatus per longum tempus S. Joannis Capistrani cultus, tandem a Leone X et Gregorio XV permittitur 409. § XL. Julius Cæsar Fagnanus, advocatus consistorialis, pro canonizatione B. Joannis Capistrani coram Alexandro Pp. VII orationem habet 411. § XLI. Innocentius XI declarat tuto procedi posse ad canonizationem B. Joannis Capistrani; et referuntur miracula, a S. Rituum Congregatione probata 414. § XLII. Intercessione S. Joannis Capistrani parta anno 1683 de Turcis victoria a Joanne Sobieskio, Poloniæ rege 417. § XLIII. Canonizationis S. Joannis Capistrani, ab Alexandro VIII celebratæ, bullam edit Benedictus XIII; alteraque subnectitur, quæ edita non fuit 420. § XLIV. De titulo Apostoli, S. Joanni Capistrano quæsito 427. § XLV. De corpore et aliis reliquiis S. Joannis Capistrani 432 et 915. § XLVI. De scriptis S. Joannis Capistrani 437. Vita clarissimi viri fratris Joannis de Capistrano, *feliciter incipit, per fratrem Nicolaum de Fara, socium ejusdem. Ex Ms. Aracœlitano*. Prologus 439. Caput I. De ejus ortu et sæculari conversatione; de vocatione et admissione ad ordinem Seraphicum 440. Caput II. De ejus vitæ ratione; de ejus scientia; et suscepta defensione ordinis Minorum 443. Caput III. De ejus virtutibus; de quatuor summorum pontificum in eum fiducia 447. Caput IV. De variis miraculis; de ejus imperio in dæmones; de ejus prædicationibus 451. Caput V. De ejus pietatis et pacis studio; de magnitudine et potentia fidei 456. Caput VI. De studio orationis; de dono prophetiæ; de ratione gubernandi subditos 459. Caput VII. Iter Germanicum et Polonicum; ac miracula in eo patrata 465. Caput VIII. Iter Hungaricum; promulgatio belli sacri; victoria navalis 469. Caput IX. De sancti obitu; de quibusdam miraculis,

raculis, post mortem patratis 474. Caput x. Continuatur relatio miraculorum 479. Caput xi. De nonnullis aliis signis et prodigiis etiam post S. Joannis dormitionem patratis 481. Vita S. Joannis de Capistrano, *scripta a Fr. Hieronymo de Utino, ex Ms. Aracœlitano.* Prologus. Caput i. De civitate et prosapia sancti; de studio virtutum ac litterarum in habitu sæculari; de ejus in religionem ingressu 483. Caput ii. De ejus vivendi modo in religione; de ingressu in Hungariam et obsidione Bellogradiensi 486. Caput iii. De supremo morbo, obitu et sepultura 488. Vita S. Joannis a Capistrano *scripta a Fr. Christophoro a Varesio, ex Ms. Aracœlitano.* Prologus. Caput i. Sancti natales; liberalis institutio; res gestæ in sæculo; ingressus in ordinem Minorum 491. Caput ii. De ejus professione et prædicatione 496. Caput iii. Gesta sancti contra judæos, hæreticos et schismaticos 499. Caput iv. De miraculorum perpetratione 503. Caput v. De ejus pro unitate Ordinis et pro Observantiæ propagatione laboribus 506. Caput vi. De laboribus pro canonizando S. Bernardino Senensi impensis; de dono prophetiæ 509. Caput vii. De ejus scientia et scriptis libris 514. Caput viii. Itinerarium Germanicum, et miracula in itinere patrata 516. Caput ix. De fundatione provinciæ Austriacæ Fratrum Minorum Observantiæ; de miraculis in Moravia patratis 519. Caput x. De miraculis, præsertim in Bohemia patratis 521. Caput xi. De ejus miraculis in Germania 524. Caput xii. De fundatione conventuum; sanctus Poloniam percurrit; Francofordiensibus comitiis interest; Hungariam ingreditur 526. Caput xiii. De victoria Nanderalbensi, et de felici sancti obitu 531. Caput xiv. Sancti sepultura; miracula ad ejus tumulum 534. Caput xv. Contracti, cæci, muti, surdi, epileptici curati 538. Caput xvi. De curatis a diversis infirmitatibus 542. Appendix. Epistolæ aliquot S. Joannis Capistrani, ad familiam Rosembergicam directæ 546

24 Joannes Angelus Porrus, presbyter conf. ordinis Servorum B. M. V. Commentarius prævius. § i. Præcipui de B. Joanne Angelo scriptores 883. § ii. B. Joannis Angeli vita et munia ab anno 1430 ad 1481 886. § iii. Ejus gesta usque ad annum mortis, 1506 890. § iv. Translationes, cultus et cultus approbatio 893. Vita B. Joannis Angeli Porro, *auctore Philippo Albericio, ex italico latine versa* 901. Encomium B. Joannis Angeli Porro, *auctore Thoma Veronensi, ex italico latine versum* 902. Gesta P. Joannis Angeli Porro *ex Pocciantii Chronico Servorum B. M. V.* 904. Vita B. Joannis Angeli Porro *ex Gianii Annalibus ordinis Servorum B. M. V.* 907

23 Juliana de Busto Arsitio, soror conversa abbatiæ S. Mariæ de Monte supra Varesium in pristino ducatu Mediolanensi. Commentarius historicus. § i. Cultus B. Julianæ; fontes historici; ortus; virginitatis propositum; persecutiones in domo paterna toleratæ; accessus ad Sacrum Montem 553. § ii. Viginti duos annos cum B. Catharina de Palantia vitam eremiticam sanctissime colit B. Juliana; dein fit soror conversa, vitam amplexa monasticam sub regula S. Augustini; virtutes ejus; orandi modus, dictus Vestis B. Mariæ Virginis; pientissima mors 555. § iii. Sepultura, translationes, festum, imagines antiquæ, cultus approbatio, lectiones propriæ 559

24 Justus. *Vide* Claudianus.

L

23 Leothadius confessor episcopus. Sylloge historica. § Unic. Paucitas monumentorum; sancti præfectura in monasterio Moissiacensi; initia metropolitanæ dignitatis in Ausciensi ecclesia; tempus episcopatus incertum; variæ translationes 122

23 Luglius et Luglianus martyres. Commentarius prævius. § i. Locorum, ubi SS. Luglius et Luglianus coluntur, notitia; Acta examinantur; sedis causa et tempus 108. § ii. Cultus sanctorum martyrum Lillerii et Mondiderii; variæque visitationes reliquiarum usque ad finem sæculi xviii 111. § iii. Sors sacrarum reliquiarum SS. Martyrum a fine sæculi xviii usque ad præsentem diem 114. Vita SS. Luglii et Lugliani fratrum, *auctore anonymo, ex pervetusto codice ms. ecclesiæ Lilleriensis collata cum Vita, typis edita anno* 1597. Caput unic. Sanctorum patria; gesta extra Belgium; iter in Belgium, ibique gesta; violenta mors a prædonibus illata 117

M

23 Macarius Romanus fabulosus, qui inventus est juxta Paradisum et olim in patriarchatu Constantinopolitano cultus fuit. Commentarius prævius. § Unicus. Gesta S. Macarii Romani fabulosa sunt. An ipsa persona fabulosa sit. Ejus cultus apud Græcos et Russos 563. Vita fabulosa S. Macarii Romani, *servi Dei, qui inventus est juxta Paradisum, auctoribus Theophilo, Sergio et Hygino* 566

24 Maglorius, episcopus confessor. Commentarius prævius. § i. Sancti elogia in fastis sacris et synopsis vitæ; locus natalis; vitæ chronotaxis 772. § ii. Variæ sacri corporis translationes 777. Vita S. Maglorii episcopi, *ex Mabillonii Actis sanctorum S. Benedicti, auctore anonymo, collata cum ms. Rubræ Vallis.* Caput i. Sancti patria et parentes; diaconus cum S. Samsone in Armoricam trajicit; eidem succedit, episcopatum abdicat, et cœnobium in Sargiensi insula construit, in quo sancte vivit 782. Caput ii. Varia miracula; obitus 787. Translatio S. Maglorii et aliorum Parisios, *auctore anonymo, ex tomo* iii *Annalium Ord. S. Benedicti* 791

24 Martinus, abbas Vertavensis et confes. Nannetis et Pictavis in Gallia. Commentarius prævius. § i. Memoria in fastis sacris; diaconatus Nannetis; prædicatio in pago Herbadillico; exstiteritne umquam Herbadilla oppidum 794. S. Martini vita eremitica; fundatio Vertavi; an regula Benedictina ibidem ab initio in usu fuerit; fundatio Duogemellensis et Durinensis. Mors, translationes, cultus 797. Vita antiquissima S. Martini

S. Martini abbatis Vertavensis, *ex codice ms. Ultrajectino S. Salvatoris*. Caput unicum. Diaconatus Nannetis; prædicatio Herbadillæ; hujus oppidi ruina; Vertavi monasterii origo; S. Martini obitus in asceterio Durinensi 802. Alia Vita S. Martini, abbatis Vertavensis, *auctore monacho Vertavensi anonymo; qui sæculo* IX *exeunte vixit. Ex ms. cod. monasterii Silvæ Majoris secundum editionem sæculi* I *Benedictini*. Prologus 805. Vita S. Martini Vertavensis. Caput unicum. Diaconatus Nannetis; prædicatio Herbadillæ; hujus oppidi ruina; Vertavi monasterii origo; S. Martini obitus in asceterio Durinensi 806. Miracula et translatio S. Martini Vertavensis, *auctore eodem monacho Vertavensi. Ex schedis Vertavensibus et Silvæ Majoris*. Caput I. Paralipomena et miracula ante translationem 810. Caput II. Normannis ingruentibus, transferuntur S. Martini reliquiæ; miracula 814

24 Martinus, dictus Martius, eremita et abbas in Campania. Commentarius prævius. § I. Confusus fuit S. Martinus cum aliis sanctis; duo dies cultus; ætas; professio religiosa; Montismassici descriptio 824. § II. Monasterii in Montemassico fata quædam; translatio corporis S. Martini tentata et tandem perfecta. Carinulæ origo. Cultus ibi, in Montemassico et Neapoli. Historiæ S. Martini 826. Vita S. Martini, *ex Dialogis S. Gregorii Magni, lib.* III, *cap.* XVI. De S. Martino monacho de Montemassico 831. Historia translationis reliquiarum S. Martini ex Montemassico Carinulam, *ex ms. codice Canonicorum Regularium S. Augustini in Bodeken, collato cum aliis*. Prologus 833. Incipit translatio S. Martini *ibid.* Incipiunt miracula ejusdem 895. Vita, translatio et miracula S. Martini abbatis, *auctore Petro diacono Casinensi ex codice ms. Casinensi*. Caput I. S. Martini vita solitaria in Montecasino et in Montemassico 835. Caput II. Translatio corporis S. Martini sæpius tentata et demum perfecta. Saracenorum incursiones 837. Caput III. Miracula Carinulæ et in Montecasino 839. Hymnus seu Vita B. Martini, solitarii et confessoris, versibus dictata, *cujus festum est* III *nonas augusti, auctore Petro diacono Casinensi, ex mss. codicibus Bodekenensi et Carinulano* 841

24 Montana, in diœcesi Bituricensi atque olim in Senonensi culta. Sylloge critica. § Unicus. S. Montanæ applicata Vita S. Gertrudis Nivellensis. Unde dicta abbatissa Cavensis. Furto transfertur ejus corpus e diœcesi Bituricensi Ferrarias in Senonensi. Traditiones de ea et cultus utrobique. Processionum seu peregrinationum Pentecostalium origo 859

N

24 Nicephorus, fundator monasterii in Charsiano. Dubitatio utrum id monasterium exstiterit Constantinopoli an in Cappadocia.

O

23 Octavianus seu Octarianus, episcopus Comensis in Longobardia. Sylloge historica. § Unicus. S. Octavianus præfuit ecclesiæ Comensi, dum hæc schismati de Tribus Capitulis adhæreret. De ejus cultu et de cultu aliorum qui extra communionem ecclesiæ obierunt 105

24 Omnion. *Vide* Crescius.

23 Oda vidua et Pompejus presbyter. Commentarius prævius. § I. Sanctæ viduæ distinctio ab homonyma virgine; ejus biographi antiqui et recentes; Childebertus ejus, ut fertur, pater; annus sanctæ natalis 128. § II. Nobilissimum genus sanctæ ope diplomatis Alahonensis, cujus sinceritas vindicatur, ostenditur; ejus in Austrasiam migratio 130. § III. Annus sanctæ emortualis; sepultura et elevatio corporis; variæ visitationes reliquiarum, quarum pars maxima semper Amanii remansit 134. Vita S. Odæ viduæ, *auctore anonymo ex codice pergameno Trajectino bibliothecæ regiæ Bruxellensis sub n° 7917 collata cum codice Corsendoncano ejusdem bibliothecæ sub* 858. Caput unicum. Ortus sanctæ; migratio in Austrasiam; opera pia; sanctus obitus; elevatio corporis a S. Florberto episcopo Leodiensi 139

P

24 Pamphila. *Vide* Crescius.

24 Papirius. *Vide* Severus.

23 Pompejus presbyter. *Vide* Oda.

24 Proclus episcopus CPolitanus. Commentarius historicus. § I. Sancti memoria in fastis sacris variis diebus celebratur; natus videtur CPoli, cujus ecclesiæ inservivit ab infantia; fit episcopus Cyzicenus sed a populo rejicitur 637. § II. Episcopatum CP., dejecto Nestorio et vita functo Maximiano, accipit sanctus; canones de translatione episcoporum et laudata a Socrate mansuetudo ad trutinam revocantur 640. § III. Sancti epistola ad Armenios; causa Athanasii episcopi Perrheni 643. § IV. Ex privilegio sedis CPolitanæ arrogat sibi sanctus variorum episcoporum in variis provinciis institutionem; cultus Trisagii; tempus mortis 646

R

24 Rogatus. *Vide* Severus.

23 Romanus episcopus et confessor. Commentarius prævius. § I. Memoria in fastis recentioribus; vitæ synopsis; biographi, e quibus aliqui edendi seliguntur 74. § II. Sancti ortus; officia in aula regia; tempus episcopatus ex ordinatione SS. Eligii et Audoeni 76. § III. Variæ reliquiarum translationes; sacri corporis destructio per calvinianos; servatæ aliquæ exuviæ 82. § IV. De privilegio Feretri seu S. Romani; de ejus origine fatis et ritu 87. Vita prior, *auctore Gerardo monacho* 91. Vita secunda, *auctore anonymo, ex ms. Branensi*. Caput I. Sancti natales; pia institutio; episcopatus Rotomagensis; ejus labores, miracula, obitus 96. Caput II. A seniore quodam solvitur difficultas, in Vita S. Romani occurrens; visio glorificans sanctum; qui quosdam

quosdam suæ ecclesiæ clericos a naufragio invocatus liberat 100
24 Ruma. *Vide* Arethas.
23 Rumonus, episcopus et confessor, cultus Tavestockii in Devonia. SYLLOGE HISTORICA. § Unicus. Tavestockiensis abbatiæ origo et fata. Translatio S. Rumoni episcopi Hiberni; ejus cultus 223

S

24 Senochus seu Enochus, presbyter et abbas in pago Turonico Galliæ. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. S. Senochi ortus, clericatus, monachatus, monasterium, vitæ tempus 764. § II. S. Senochi cultus, inchoati continuo post mortem, propagatio per Burgundiam, per agrum Turonicum, Britanniam Minorem et diœcesim Lucionensem 767. DE SANCTO SENOCHO ABBATE. *Ex vitis patrum S. Gregorii Turonensis secundum editionem Ruinartii et codicem ms. de Sassenayo* 769
24 Serapion seu Cerbonius. *Vide* Crescius.
23 Servandus et Germanus, martyres prope Gades in Hispania. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § Unicus. Cultus sanctorum martyrum secundum liturgiam Mozarabicam; eorumdem patria et familia; tempus et locus martyrii 25. PASSIO, *ex codice ms. Joannis Bouhier, collata cum Legenda Henrici Florez, tom.* XIII *Hispaniæ Sacræ* 28
23 Severinus episcopus et confessor Burdigalæ. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § Unicus. S. Severinus, sicut multi alii eodem tempore, in Gallias advena, ecclesiam administrat Burdigalensem 64. BREVIS VITA *ex Gregorio Turonensi, lib. de Gloria Confessorum* 65
23 Severinus, episcopus Coloniensis confessor. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § Unicus. Distinctio inter S. Severinum Burdigalensem et Coloniensem; hic numquam sedem Burdigalensem occupavit; succedit Eufratæ; fundat ecclesiam SS. Cornelii et Cypriani; ejus obitus et Acta 50. VITA ET TRANSLATIO, *auctore anonymo, ex Surio, collata cum variis codicibus mss. bibliothecæ regiæ Bruxellensis.* CAPUT I. S. Severinus Eufratæ succedit; ejus virtutes; mors S. Martini eidem revelatur; Burdigalam profectus pie obit 56. CAPUT II. Colonienses, calamitate multiplici pressi, statuunt corpus S. Severini in urbem suam adducere : ægre consentientibus Burdigalensibus, tandem summo honore Coloniam deferunt 61
24 Severinus Tungrensis et Felix I, habiti episcopi Trevirenses. SYLLOGE CRITICA. § Unicus. De primis Trevirensibus episcopis. Confusio episcoporum Trevirensium, Tungrensium et Coloniensium. An S. Felix Trevirensis exstiterit. Nonne fictus ex Metensi. Unde ortus cultus S. Severini 615
23 Severus et Dorotheus martyres Hadrianopoli. SYLLOGE. *Ex Martyrologiis* 23
24 Severus, Vitalis, Felix, Rogatus, Papirius, Victoria, Flavianus et Victor martyres Nicomedienses. SYLLOGE. *Ex fastis Hieronymianis aliisque martyrologiis* 634
23 Seuresius, martyr Cæsareæ in Cappadocia. SYLLOGE. *Ex Hieronymianis aliisque fastis* 24
24 Simon, episcopus Vladimiriensis. *Vide* Arethas monachus.
23 Socrates. *Vide* Theodota.
23 Syra virgo, Meldis culta et Catalauni in Gallia. SYLLOGE HISTORICA ET CRITICA. § Unicus. S. Syra Meldensis seu Catalaunensis distinguenda a S. Syra Trecensi seu Rilliacensi. Catalauni fit abbatissa. An S. Fiacrii soror. Ejus cultus nunc interiit 104

T

23 Theodota et Socrates presbyter, martyres, hic Ancyræ, illa Nicææ in Bithynia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § Unicus. Cultus sanctorum martyrum Constantinopoli. Templa et monasteria SS. Georgii, Theodotæ et Mamantis. Illorum martyrum Passionis fides. Martyres tempore Alexandri Severi 9. CERTAMEN SEU MARTYRIUM SANCTÆ, GLORIOSÆ ET VICTORIIS CLARÆ MARTYRIS THEODOTÆ, *e græco ms. medicæo regis Franciæ, interprete Guilielmo Gratio Brugensi, Societatis Jesu presbytero* 12
23 Theoderitus seu Theodorus, presbyter martyr Antiochiæ in Syria. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Distinctio inter varios homonymos; elogia apud græcos et latinos; cultus Ucetiæ 32. § II. Acta martyrii videntur coæva; tempus passionis; carmen Flodoardi; origo patrocinii Uceticensis ; qua occasione agitur de Deothario, episcopo Arisitensi 35. PASSIO, *auctore anonymo, ex mss. Sanlaurentiano et Bodecensi, collatis cum editionibus Joannis Mabillon, Theodorici Ruinart et ms. anonymo* 40

V

23 Verus, episcopus et confessor Salerni. SYLLOGE HISTORICA. § Unicus. Tempus erecti episcopatus Salernitani; episcoporum series 47
24 Victor, martyr Hierapolitanus in Phrygia. *Vide* Claudianus.
24 Victor, martyr Nicomediensis. *Vide* Severus.
24 Victoria. *Vide* Severus.
24 Vitalis. *Vide* Severus.
23 Ursus seu Ursinus, episcopus Tullensis. *Vide* Amon.

INDEX CHRONOLOGICUS.

SÆCULO PRIMO.

Magi videntur prima semina religionis Christianæ in Arabiam intulisse 669 et seq.
Anno 29 (juxta probatiorem chronologiam) Judæi Arabes, qui Hierosolymis in prima Pentecoste post resurrectionem fidem susceperunt, eam in Arabia propagarunt 670 c d
Ante medium sæculum I S. Bartholomæus inter Arabiæ apostolos fuit 672 et seq.; num et S. Paulus 670 d
Eodem ævo S. Matthæus, non Arabiæ, sed Nubiæ apostolus 671 e f, 672 b c
Eodem ævo Eunuchus reginæ Candacis inter Nubiæ apostolos recensendus est 670 e f
Eodem ævo Adæus seu Thaddæus, ex septuaginta duobus discipulis, partes aliquas Arabiæ desertæ attigit 671 a b c d
Eodem ævo Apostoli alii in Arabia fidem prædicasse dicuntur 670 e
Ab anno Christi 76 *ad* 106 regnavit in Arabiæ provincia Hedjaz, princeps dictus Abd-el-Masih, id est, Servus Christi. Postmodum, quin sciatur a quo tempore, venerata fuere in templo Caaba signa Christi et B. Virginis 674 d
Anno Christi 81 obiisse fertur S. Mares, Adæi discipulus, qui fidem Christianam propagavit in Iraca occidentali et in partibus aliquot Arabiæ desertæ 671 b c d e
Sæculo I mercatores Arabes aliqua semina fidei christianæ ex Palæstina in patriam suam reportasse non est dubium 673 f, 674 a b

SÆCULO II.

Circa annum Christi 180, Monoimus Arabs, philosophus christianus, S. Justini discipulus, in hæresim labitur 679 a
Circa annum 190 S. Pantænus, philosophus Alexandrinus, non modo Indiam Brachmanicam adit, sed, ut in primis est verisimile, Arabiæ etiam partes aliquot 672 et seq.
Eodem circiter anno Arabes Salihitæ veniunt ex Tehama Homeritidis ad Iracam occidentalem 678 b

SÆCULO III.

Circiter annum 205 Arabes Ghassanidæ, ex Homeritide oriundi, in ea parte Arabiæ desertæ considunt, quæ Bostris est vicina. Tum vero temporis christiani jam multi erant in Arabiæ desertæ civitatibus, in primis Bostris 678 b
Anno circiter 217 arcessitur Origenes a duce Arabiæ, ut eum fidem christianam edoceat 678 c d
Eadem tempestate doctrina excellebat Beryllus, episcopus Bostrorum. Labitur tamen in hæresim et ab Origene emendatur 678 d
Circa annum 230 S. Theodota Pontica Nicææ in Bithynia et S. Socrates Ancyræ martyrium faciunt 9 b
Anno circiter 246, orta nova hæresi in Arabia deserta, hanc denuo adit Origenes, et errorem comprimit 678 f
Anno 249 *inter diem* 17 *junii et* 9 *octobris* occiditur Veronæ Philippus imperator 600 b
Anno 250 Decii jussu interempti fuisse videntur SS. Crescius et socii 588 c. Decius tunc videtur Florentiæ versatus esse 588
Ab anno 273 *ad annum* 297 in Homeritide regnat rex christianus Abd-Kelal 674 e f, 675 a, 677 b
Circa annum 290 rex Salihitarum Dawud a Græcis constituitur phylarcha Arabum Syriæ; habitabat vero Medabæ, non procul a Jordane; eum christianum fuisse ferunt 679 b
Non multo post, *anno* 292, imperante Diocletiano, rex Dawud a Ghassanidis profligatur, atque hi in ejus locum phylarchiam Arabiæ desertæ occidentalis obtinent 679 b
Sæculo III reges plures Ghassanidarum christianos fuisse nonnulli historici tradunt 679 b c

SÆCULO IV.

Anno 303, *die* 24 *februarii*, edictum persecutionis Diocletiani Nicomediæ proponitur 620 e, 628 c; quindecim diebus post secundum et paulo post tertium 629 a b
Eadem anno, verno tempore idem proponitur in Africa et ante diem II mensis novembris alterum multo acerbius 621 a b, 629 a b
Eodem anno, die 25 *martii*, proponitur Alexandriæ secundum decretum Diocletiani contra christianos et mense aprili in Palæstina 629 b. Hoc anno festum paschatis non eodem die celebratur in Ægypto et in Palæstina ibid.
Anno 303 *mense majo* secundum Diocletiani edictum venit in Africam 629 b. Die 5 junii proponitur Tubuzæ ibid.
Eodem anno, *die* 30 *augusti* martyrium facit Venusiæ S. Felix episcopus Tubzacensis 618 et seqq.
Anno 325 concilio Nicæno subscribunt multi episcopi civitatum Arabiæ desertæ 679 d
Circa annum 350 Homeritidem adit Theophilus Indus episcopus Arianus et legatus Constantii imperatoris, regnante illic Marthado, vel, ut verisimilius est, ejus filio Wakia, quem christianum fuisse perhibent, saltem aliquandiu 675 et seqq.
Circa eumdem annum idem Theophilus in Homeritide plures ecclesias ædificat, Taphari nimirum, Adanæ et ad sinum Persicum 675 f, 676 f, 677 a b c
Tum temporis rex Axumitarum in partem Homeritidis dominatus videtur 677 c d e
Medio sæculo IV jam multum provecta erat conversio Arabum Ghassanidarum ad fidem christianam 679 c
Eodem tempore Aizanas, rex Æthiopum, sese regem Homeritarum dicit 725 b
Non multo ante annum 356 Aizanas, rex Axumitarum seu Æthiopum, factus est christianus 677 e
Anno 356 Contantius, imperator Arianus, scribit ad reges Æthiopiæ Aizanam et Sazanum, qui jam christiani erant et parti Homeritidis dominati videntur 697 c
Anno 362, 23 *octobris* martyrium facit S. Theodoritus 36 b-f, 37 a-c
Anno 371 vita fungitur S. Hilarion, monachus, qui apostolus fuit Ghassanidarum Palæsti-

næ, seu Arabiæ Petrææ, in primis civitatum Elusæ et Majumæ 680 b c
Anno 372, aut paulo post, gens Ghassanidarum cum regina sua Mawia sacra christiana amplectitur; deinde nonnisi hac pacta conditione cum Valente, imperatore Ariano, fœdus inire consentiunt, ut scilicet episcopum habeant, Mosem sanctum, ortu Saracenum et doctrina catholicum. Deinceps reges Ghassan videntur omnes christiani fuisse 679 d e f
Anno circiter 373 in monte Sina interimuntur monachi quadraginta a Saracenis gentilibus et totidem fere a Blemmybus in vicino monasterio Raithu 682 e
Anno circiter 380, quum Ardasjirus in Perside regnare cœpit, christianis Mesopotamiæ et Iracæ Arabicæ pax est reddita, et Tamuza, episcopus Seleuciensis, ecclesias reædificavit, conditaque sunt monasteria Hiræ ac aliis in locis 688 f, 689 a
Circa eumdem annum natus videtur S. Proclus, episcopus Constantinopolitanus 638 c, 639 a
Ab anno 384, regnante Sapore III, pace fruebantur ecclesiæ Persidis, Mesopotamiæ et Iracæ; sed ejus successor Vararanes IV persecutor fuit, donec anno 399, regnum adepto Iezdegerde, pax redintegrata est 689 a b c
Circa annum 395 occiduntur monachi multi a Saracenis gentilibus prope Thecuam in Palæstina 682 e f
Sæculo IV, opera sacerdotum, ac in primis monachorum, ad fidem christianam traductos esse Syros orientales et ex Persis ac Saracenis quam plurimos scribit Sozomenus 680 a, 688 e
Exeunte sæculo IV in Ægypto monachi erant et moniales ultra centum millia 746 a
Sæculis IV, V *et* VI floruit religio christiana in Mesopotamia, Chaldæa et aliis partibus regni Persici 689 et seqq.

SÆCULO V.

Circa annum 400 nova contigit irruptio Saracenorum in montem Sinai, versante ibi S. Nilo ejusque filio; et monachi multi interempti sunt 682 f, 683 a
Anno 405 ad monasterium Pharan, juxta viam quæ Hierosolymis Jerichontem ducit, confugit S. Euthymius, monachus ac sacerdos et Arabum Scenitarum apostolus 680 d
Anno 406, *pridie kal. januarii,* barbari, Rheno trajecto, in Gallias irruunt 52 c, 61 a
Anno 409, *mense octobri,* barbari Hispaniam occupant 52 e
Anno 410 Roma capitur, sed falso dicitur tum visum esse lumen zodiacum 741 b c
Anno 411 Saracenis gentilibus Palæstinam invadentibus, S. Hieronymus a Bethleem fugere coactus est 683 a
Ab anno 413 S. Simeon Stylita, Arabum Scenitarum apostolus, vitæ asceticæ deditus, inclusus manet in domuncula quadam per annos tres 686 e
Anno 416 ad celeberrimum montis verticem venit, ibique ad eum concursus maximus fieri cœpit, etiam antequam notissimam columnam conscendisset. Exinde Arabes multos, in primis Hirenses, ad fidem convertere cœpit 686 e
Anno circiter 418, Nooman I, rex Hirensis, quum sibi de nocte visus esset S. Simeon, fit christianus et ecclesias exstruit : et mox, dimisso regno, religioni liberius vacandi gratia, aufugit. Tum vero temporis nondum S. Simeon columnam conscenderat 685 e, 686 a e. Circa idem tempus increbrescit ejus fama in aula Iezdegerdis, regis Persarum 686 e f
Anno 418 (non vero anno captæ Romæ a Gothis, Christi 409, vel 410) phænomenon in cælo conspicitur Constantinopoli, duratque per menses quatuor 741 b c
Eodem anno, die 19 *julii,* contigit deliquium solis, quod similiter observatum est Constantinopoli 741 b
Anno 418 *vel* 419, sæviente persecutione, quam ultimis regni sui annis in christianos moverat Iezdegerdes, rex Persarum, Aspebetus quidam (seu Aspebed), præfectus Arabum in regno Hirensi, quum christianis faveret, ad Palæstinam transire coactus est. Ibi a S. Euthymio cum Arabibus multis in fide christiana eruditur, baptizatur, et constituta illic ab Anatolio, præfecto Orientis, colonia Arabum militari, hæc tota, præsente Aspebeto, qui in baptismo dictus est Petrus, christiana facta est. Tum Juvenalis, patriarcha Hierosolymitanus, hujus florentissimæ coloniæ Petrum episcopum constituit. Coloniæ hujus, sive castrorum (παρεμβολων) curam gessit S. Euthymius usque ad mortem 680 et seq.
Anno circiter 421 Almundarus I, rex Hirensis, Syriam depopulatur 687 a
Anno 422 fœdus initur Romanos inter et Persas, et pax diuturna consequitur 687 a
Anno 423 S. Simeon Stylita in columna degere incipit 686 e
Anno 426, 28 *februarii* ordinatur Sisinnius episcopus CPolitanus 639 a
Anno 428, *die* 10 *aprilis* ordinatur Nestorius episcopus CPolitanus 640 c
Anno 431 Petrus, episcopus Paremboles, genere Arabs Hirensis, interest synodo œcumenicæ Ephesinæ et a patribus delegatur cum duobus aliis ad Nestorium et ad Joannem Antiochenum 681 f
Anno 436 epistolam ad Armenios de Incarnatione dominica dedit S. Proclus 644 e f
Anno circiter 445 ad fidem convertitur S. Arethas, phylarcha provinciæ Negranensis in Arabia, et circa idem tempus conversio Negranensium multum promovetur 693 c, 717 f
Anno 446, *mense julio,* obit S. Proclus 649 f
Anno 451 Marcianus, episcopus insulæ Iotabes, in mari Rubro, subscribit synodo Chalcedonensi 683 e
Anno 473 Imrulcays, seu Amorcesus, e gente Kinda, insulam maris Rubri, Iotaben dictam, in qua multi degebant mercatores, misso Petro episcopo, imperatori Cpolitano offert; ejusque et simul Saracenorum, qui in Arabia Petræa sub Romanis degebant, constituitur phylarcha 683 a b c d
Anno 490 regnum Homeritarum consequitur Dhu Nowas, a Græcis dictus Dunaan 693 e f; non multo post fit judæus et christianos persequi incipit 694 a b c
Circa eumdem annum 490, regnante in Æthiopia

pia Alameda, ex imperio Constantinopolitano et ex Ægypto in ejus regnum venerunt sancti novem, inter Æthiopes celebratissimi 725 c, 751 b c

Anno 491 in Oriente imperare incipit Anastasius, ac imperium tenet ad annum 518 usque 693 d

Eodem anno vel sequenti, Aswad, rex Arabum Hirensium, bellum gerit cum Ghassanidis christianis, a quibus tandem victus et cæsus est 681 b c

Circa idem tempus Arabiam Desertam et Syriam invadit Arethas, filius Amr-el-Macsur, e gente Kinda; et simul Parembolem Arabum christianorum Palæstinæ semel iterumque subvertit : quæ tamen aliquot post annis iterum florere incipit 681 c d e

Anno 496 Hodjr, filius Harith, et Djabala, principes Kindæ, Syriam denuo vastant 687 b

Anno 498 insula Iotabe, Arabibus prælio victis, ab Anastasio imperatore conceditur negotiatoribus Græco-Romanis, vectigali annuo constituto 687 b c

Anno 498 *et sequentibus* Nooman III, seu Naaman, rex Hirensis, Euphratesiam invadit 687 b f

Sæculo v *et ordiente* vi in Palæstina florebat S. Sabas, qui Arabas Ghassanidas non paucos in pietate erudivit 681 f, 682 a

SÆCULO VI.

Anno 500 iterum Syriam vastat Arethas, filius Amr-el-Macsur, rex Arabum Thalabitarum 687 c

Circa eumdem annum in Æthiopia regnat rex christianus Tazena, qui, devictis Nubiis, eos ad fidem christianam adduci curavit 745 c

Circa eumdem annum, Axumi regnante Tazena, videntur Axumitæ seu Æthiopes aliquam victoriam reportasse de Homeritis et dominatum in partem Homeritidis vel renovasse, vel extendisse. Tum temporis civium Negranensium pars non exigua sacris christianis sese addicunt 693 d e, 694 e, 695 b c d, 725 c

Usque ad annum circiter 502, Arabes christiani regni Hirensis plerumque aut magnam partem catholici fuerunt 690, 691 a

Hoc ipso anno 502 Anastasius imperator fœdus pangit cum Aretha, filio Amr-el-Macsur, rege Arabum Thalabitarum, qui dudum Syriam vastaverat 681 c, 687 c e

Anno 503, *die* 10 *januarii,* expugnatur Amida (Diarbekr) ad fluvium Tigrim, a Cavade rege Persarum et Nooman III, rege Hirensi, cæsique sunt plus octoginta millia incolarum 687 c d e f

Eodem anno Nooman partem Mesopotamiæ, quæ Græco-Romanis erat subdita, populatur; sed, vulnere in capite accepto, e vita decedit. Inter duces vero ejus exercitus christiani fuere 687 c d e f

Eodem anno, post captam Amidam a Cavade, rege Persarum, Nooman III, rex Arabum Hirensium, Syriam et partem Palæstinæ diripuit; a cujus incursionibus S. Joannes Silentiarius in solitudine Ruban, non procul a mari Mortuo, ascesi vacans, cælitus servatus est 687 f, 688 a

Anno 505 pax sancitur Persas inter et Græco-Romanos duratque ad annum usque 522. Quo tempore Arabes cohibiti sunt ab excursionibus suis tam a Persis quam a Romanis; molesti tamen erant interdum anachoretis Syriæ et Palæstinæ 687 f

Anno 509 S. Sabas S. Joanni Silentiario, versanti in solitudine Ruban, ut ab incursionibus Arabum gentilium sese tueretur et ad lauram rediret persuasit 688 b

Anno 513, *aut paulo post,* Almundarum III, regem Arabum Hirensium, ad tempus christianum esse factum verisimile est 688 b c d, 690 f, 691 a

Non multo ante annum 518, Euphrasius, avus Nonnosi historici, ab Anastasio imperatore legationem accipit ad Caysum, sive Imrulcays, poëtam Arabem et Phylarcham Maaddenorum et Kindinorum 683 e f, 700 b, 701 c

Hoc ipso anno, mense julio, imperium auspicatur, Anastasio vita functo, Justinus I, cognomento Thrax, sive junior 694 d e

Eodem anno literis synodicis Joannis, patriarchæ Hierosolymorum, adversus Severum, hæreticum monophysitam, subscribit Valens, episcopus Arabum christianorum Palæstinæ 681 e

Eodem anno vel sequenti, bellum primum contra Dhu Nowasum, regem Homeritarum, gerit S. Elesbaas, rex Æthiopum 694 e, 745 a, 752 b c, 753 a

Inter annum 519 *et* 523, videtur Dhu Nowasus, rex Homeritarum, ab Æthiopibus fugatus, nec ipsam regiam suam Tapharim retinuisse 759 a

Anno 521 moritur Paulus, episcopus Negranensis in Arabia 694 f

Anno 522 vita fungitur prorex Æthiopum in Homeritide 699 a

Adventante hieme anni 522, rebellionem contra Æthiopes in Homeritide auspicatur Dunaan seu Dhu Nowasus, et christianos permultos interimit 701 e f, 726 c

Usque ad annum 523 Negrana urbs regia fuit Æthiopum in Homeritide 760 a

Anno 523 *circa initium mensis octobris,* cum exercitu centum viginti millium militum ad Negranam accedit Dhu Nowasus, quam diebus aliquot obsidet, dein perjurio ingreditur 702 c, 703 b c. Mox persecutionem contra christianos Negranenses orditur, in qua, die 24 mensis octobris, patitur S. Arethas 707 c; et universim martyrio coronantur cives Negranenses 4,252, 709 f, 710 a

Anno 524, *ab exeunte mense januario ad martium,* conspicuum fuit Negranæ, in Arabia, phænomenon cæleste, quod vel lumen zodiacum fuit, vel miraculo adscribendum est 741 a b c

Eodem anno 524, *mense januario,* Abrahamus, legatus Justini imperatoris, ac Simeon presbyter Hiram adveniunt, et exinde adeunt castra Almundari, regis Hirensis, qui cum exercitu versabatur inter Maaddenos 700 b f, 701 a b c d, 705 e, 719 c

Eodem anno, eodemque mense januario, Dhu Nowasus literis hortatur Almundarum, regem Hirensem, et Cavadem, regem Persarum, ut persecutionem moveant adversus christianos 710 c, 742 a

Eodem

Eodem anno Justinus imperator scribit ad Timotheum, patriarcham Alexandrinum, et ad S. Elesbaan, regem Æthiopiæ, rogans ut vindicetur sanguis martyrum Homeritarum 710 d, 743 d e

Eodem anno, die 24 februarii, Simeon episcopus Betharsamensis, Hiram ingreditur, redux e castris Almundari III 705 f, 706 a

Eodem anno moritur Silas, patriarcha Nestorianus Seleuciæ 744 b

Eodem anno comes Paremboles Arabum christianorum Palæstinæ erat Anghæas, filius Zed, filii Job 681 e

Extremo eodem anno 524 *et sequenti* S. Elesbaas, rex Æthiopiæ, exercitum instruit et classem parat adversus Dhu Nowasum, persecutorem christianorum in Homeritide 711 a b

Eodem anno 524, *vel sequenti*, Negranæ martyrio coronantur S. Azkir, sacerdos, S. Cyriacus et socii 38, principatum illic tenente, loco Dhu Nowasi, quodam Sjarabhil, vel Sarabahal 711 d e, 716 f, 717 a

Anno 525, *mense aprili*, Timotheus, patriarcha Alexandrinus, synodum cogit in ecclesia S. Marci; post quam presbyterum mittit ad S. Elesbaan, eum hortans ut bellum urgeat adversus Dhu Nowasum 711 c, 746 c

Anno 525, *non multo post Pentecosten*, S. Elesbaas cum classe et exercitu vehitur trans fretrum Bab-el-Mandeb in Homeritidem 711 c d, 751 a

Eodem anno victoriam refert S. Elesbaas et religionem christianam restituit Negranæ 737 c

Eodem anno prorex Æthiopum in Homeritide constituitur Esimiphæus Homerita christianus 698 c, 699 a b, 712 e f

Eodem anno 525 *aut sequenti*, Taphari, in Homeritide, archiepiscopus constituitur S. Gregentius 720 d

Eodem anno 525 *aut sequenti*, Cpoli cœptus videtur cultus S. Arethæ, martyris Negranensis, in ecclesia B. Mariæ in tractu Protasii, quam ædificaverat Justinus imperator 715 b c

Circa annum 528, Abrahamus, pater Nonnosi, legationem obit ad Imrulcays, phylarcham Kindinorum et Maaddenorum 683 e f, 701 c d, 719 d

Circa annum 529, Abocharabus, seu Abu-Carib, Arabs christianus, desertum Phœniconis tradit Justiniano imperatori, a quo phylarcha constituitur Arabum Palæstinæ tertiæ 682 b c d

Anno circiter 530 prorex Æthiops in Homeritide constituitur Aryates, e genere S. Elesbaæ 699 b, 712 e f, 760 a

Circa eumdem annum 530 Justinianus imperator Julianum legatum mittit ad S. Elesbaan, regem Æthiopum, et ad Esimiphæum, proregem Homeritarum 684 a

Circa eumdem annum, Nonnosus, filius Abrahami, legationem obit ad Imrulcays, phylarcham Kindinorum 683 e f

Anno 534 *aut* 535, Abrahamus, filius Euphrasii et pater Nonnosi, legationem suam alteram suscipit ad Imrulcays, phylarcham Kindinorum 683 e f, 701 d, 719 d

Anno 536 Synodo Cpolitanæ interest Anastasius, episcopus insulæ Iotabes in mari rubro 683 e

Anno circiter 537 nascitur S. Senochus 765 e

Eodem anno moritur Abocharabus seu Abu-Carib, phylarcha christianus Arabum Palæstinæ 719 b

Eodem anno in locum Abu-Carib, phylarchæ Palæstinæ tertiæ, constituitur Caysus, sive Imrulcays, princeps Kinda et poëta Arabs celebratissimus. Is vel fidem christianam professus videtur vel eam finxisse 683 e f, 684 a b

Eodem anno Anastasius, episcopus insulæ Iotabes, in mari Rubro, subscribit synodo Cpolitanæ 683 d

Anno circiter 540 Abraha-Al-Asjram contra Aryatem, proregem Homeritidis, rebellionem concitat et regnum consequitur 698 f, 699 a b, 712 f, 713 a b c

Eodem anno aut sequenti S. Elesbaas, rex Æthiopum, mare Arabicum tertio trajecit, regemque Homeritarum agnoscit Abrahamum 759 b, 760 a

Ab eodem circiter anno 540 litteras Græcas floruisse inter christianos Homeritas suadent plurima 720 e f

Non multo post eumdem annum 540 habita est disputatio S. Gregentii, archiepiscopi Tapharensis in Arabia, cum judæo Erbano 720 d

Inter annos 542 *et* 566 moritur S. Cadfarchus in Wallia 764 a d

Anno circiter 545 libros quinque priores suæ Topographiæ conscripsit Cosmas monachus, dictus Indicopleustes 753 a

Anno 547 librum sextum suæ Topographiæ addidit Cosmas 752 c

Ante annum 548 vulgavit Procopius libros tres priores de bello Gothico 691 a

Inter annum 540 *et* 570, in Homeritide regnante Abrahamo, christiani Homeritæ catholici fuerunt, non vero monophysitæ 713 c d e f

Anno 557 subscribit S. Samson concilio Parisiensi III 773 e f

Anno 561, *mense decembri*, moritur Clotarius I, rex Francorum 767 c

Anno 562 occiditur in insidiis sibi structis Almundarus III, rex Hirensis 691 a

Anno circiter 565 vita fungitur S. Elesbaas, rex Axumitarum sive Æthiopum 719 b

Post eumdem annum 565 vulgati sunt libri Procopii de bello Persico, et circa idem tempus liber quartus Gothicorum 691 d, 750 a

Ab anno 570 currit æra elephantis, inter Arabes celebris 699 b

Eodem anno nascitur Mahumetes 713 c

Eodem anno Abraha Al-Asjram, rex Homeritidis christianus, expeditionem movet contra Meccam ejusque delubrum Caabam, sed infelici exitu. Non multo post diem obit Abrahamus 713 c

Anno 572, *die 24 augusti*, S. Gregorius fit Turonensis episcopus 767 b, 771 d e

Anno 575, Persæ regnum Yemanæ, seu Homeritidis, occupant; sed paucis post annis ab Æthiopibus recipitur 718 f

Eodem anno, exeunte mense novembri aut ineunte decembri, occiditur Sigebertus, rex Austrasiæ 765 a b

Anno

Anno 576 moritur S. Senochus abbas 765 a b c d e
Circa annum 580, *die* 3 *augusti*, moritur S. Martinus Massicus 824, 826 b
Circa annum 585 *aut* 590 florebat Negranæ episcopus Coss, filius Saida, poëta et orator, Mahumeti notus 720 d
Non multo post eumdem annum 585 suam historiam scripsit Joannes Malalas Antiochenus 760 a
Sub annum 588 scribit S. Gregorius Turonensis de Gloria confessorum 764 c
Anno 595 Cosroës Parviz, rex Persarum, regnum Homeritidis, Æthiopibus internecione deletis, occupat 718 f
Extremo sæculo VI hæresi Nestoriana infici christiani Homeritæ cœperunt 737 c

SÆCULO VII.

Anno 602 Mauritius imperator occiditur a Phoca cum filiis 10 a
Anno 608 *et sequentibus* Cosroës Parviz, rex Persarum, universam Syriam vastat 718 f
Anno 611 S. Ebregisus fit episcopus Trajectensis 818 e
Anno 616 idem Cosroës Hierosolymam capit ac diripit 718 f
Anno 617, occupata Ægypto et Africa septentrionali, idem obsidet Carthaginem, sed ab Heraclio vincitur 718 f, 719 a
Anno 628 Persarum prorex in Homeritide fit mahumetanus 719 a
Anno 629 Mahumetes exercitum mittit in deserta Syriæ contra Romano-Græcos et Ghassanidas 718 e
Anno 630 Negranæ florebat episcopus Abu-Haritha, quocum Mahumetes de religione disceptavit 720 d
Anno 631 christiani Negranenses, quum sacra sua ejurare nollent, a Mahumete coguntur pendere vectigal 719 a
Anno 632 pars media civium Negranensium, qui idololatræ erant, fiunt mahumetani ; pars vero altera media christiana remansit 719 a
Exeunte anno 634 Califus Omar christianos Negranenses omnes in exsilium abire jubet ac in Syria aut Iraca Arabica sedes deligere 719 a
Eodem anno Abu Becr magnam partem Syriæ invadit 718 e
Anno 644, 23 *octobris* vita fungitur S. Romanus 81 b-f
Anno 646, *die* 14 *maji* ordinantur SS. Eligius et Audoenus 79 a-f
Anno 649, *die* 25 *octobris* Cabilone celebratur concilium 844 a

SÆCULO VIII.

Anno 722 *aut* 723 sancte obit S. Oda 135 b
Sub annum 760 Arichis II, Longobardorum princeps, multa sanctorum corpora infert Beneventano S. Sophiæ templo 827 a ; quæ inter duodecim fratrum Adrumetinorum corpora 622 e f
Anno 799 verisimiliter natus S. Ignatius CP. 159 b c

SÆCULO IX.

Sæculo IX urbis Neapolis pars Græca erat et Græci illic sex ecclesias parochiales obtinebant 715 d e
Anno 800 scriptum celebre Godelgaudi Remensis sacramentarium Gregorianum 150 b f
Anno 819 Paschalis papa I confirmat Vulturnensi monasterio sua bona 827 e
Circa annum 832 fundatur Rotonense in Britannia Minori monasterium 151 a
Anno 843 Normanni primum Ligerim populabandi ingrediuntur 817 e
Eodem anno, die 24 *junii*, occiditur a Normannis, civitatem invadentibus, S. Godardus, episcopus Nannetensis 800 e, 814 b c
Eodem anno metu Normannorum Vertavo effertur S. Martini corpus 801 d. Utri circa id tempus pareret Aquitania, Pippino II an Carolo Calvo ibid.
Eodem anno castella Metallici, Theofalgici et Herbadillici pagorum dissipantur a Normannis 154 f, 155 a
Eodem anno, mense junio, Pippinus, regnator Aquitanorum, versatur in Arvernia 814 e
Anno 844 Pippinus II fundit Caroli Calvi exercitum 801 e
Anno 845 Carolus Calvus pactione nanciscitur pagos Sanctonensem, Engolismensem et Pictaviensem, et Pippinus II reliquam Aquitaniam obtinet 801 e
Anno 846, *die* 4 *julii* verisimiliter, episcopus consecratur S. Ignatius CP. 159 e
Anno 851 Erispogius victor quiete obtinet comitatum Nanneticum, et mutantur fines diœcesium Pictaviensis et Nannetensis 794 c e, 796 b c
Anno 853 Turones, Lucio, S. Florentii monasterium et Nannetæ exuruntur a Normannis 155 a
Circa annum 858 videtur S. Benedicti Herbadillici corpus translatum fuisse Quinciacum 155 b c
Anno 866, *immo post annum* 870, *die* 11 *maji*, occiditur in Anglia S. Fremundus martyr 848 c d
Anno 870, *die* 20 *novembris*, cæditur S. Edmundus 848 c
Eodem anno, die 10 *octobris*, Vulturnense monasterium pessime habetur a Saracenis et multi in eo occiduntur 828 a b
Anno 872 regimen ecclesiæ Neapolitanæ auspicatur Athanasius Junior 715 f
Anno 877, *die* 23 *octobris*, obit S. Ignatius CP. 159 f
Circa annum 879 Atenulfus, comes Capuanus et Beneventanus, condit Calvium 829 a b
Anno 887, *die* 29 *augusti*, episcopus Autissiodorensis ordinatur B. Herifridus 208 e
Anno 888 Odo a Ganterio Senonensi coronatur rex Francorum 209 a
Anno 893 Carolus Simplex a Fulcone Remensi coronatur rex Francorum 209 a
Anno 895, *mense augusto*, Guido, dux Spoletanus, Benevento expellit Græcos 839 d

SÆCULO X.

Anno 912 baptizatur Rollo, dux Normannorum 100 a
Anno 943 Alanus Barbatorta et Guilielmus Caput de stupis, comes Pictaviensis paciscuntur de pluribus ad Ligerim pagis 151 b c

Sub annum 959 S. Bruno Coloniensis venit in diœcesim Leodiensem et corpus S. Ebergisi, putans id esse corpus S. Evergisli, Coloniam transfert 658 f, 659 f, 660 a, 818 et seqq.
Circa annum 963 reliquiæ S. Maglorii et aliorum in Galliam interiorem transferuntur 778 f
Anno 965 moritur S. Bruno Coloniensis 818 f
Anno 967 moritur Folcmarus, episcopus Coloniensis 818 f
Anno 981 fundatur Tavestockiense monasterium 223 d e
Sub annum 997 Dani vastant Tavestockiense cœnobium in Anglia 224 a

SÆCULO XI.

Anno 1062 monasterium Kievocryptense e cryptis in lucem prodiit 871 f
Anno 1079 transfertur corpus S. Romani ad ecclesiam cathedralem Rotomagensem 82 c
Anno 1094, *die* 26 *junii*, multo apparatu transferuntur Carinulam clam abreptæ S. Martini Massici reliquiæ 833 et seq.

SÆCULO XII.

Anno 1100 ex Foro Claudii S. Bernardus episcopus sedem suam transfert Carinulam 829 c d
Anno 1103 B. Paschalis papa II confirmat episcopo Fesulano omnes suas ecclesias et castella 607 e
Anno 1106, *die* 15 *junii*, solemni pompa consecratur Fiscannense templum 846 b
Anno 1109, *die* 1 *augusti*, Turgotus episcopus S. Andreæ in Scotia consecratur 5 f
Anno 1124 Joannes cardinalis S. Chrysogoni visitat reliquias S. Romani 83 a b
Anno 1134, 23 *octobris*, obit S. Allucius 228 f, 233 d
Anno 1147 Clemens electus est metropolita Kioviensis 868 d
Anno 1148 Georgius Kiovia potitur 868 f; et ab eo Clemens, metropolita Kioviæ, sede pellitur ibid.
Anno 1149, *die* 11 *julii*, obit B. Bertrandus Grandis Silvæ abbas 240 b c
Anno 1154 Clemens iterum sede movetur a Georgio Longimano 868 f
Anno 1155 Georgius, Suzdaliæ dux, Kioviensem regionem iterum invadit 868 f
Anno 1156 Constantinus sedem metropolitanam Kioviæ occupat ibid.
Eodem anno dedicatur a Chalone Pictaviensi ecclesia Castellariensis 262 b
Anno 1158 obiit Georgius Longimanus, magnus dux Kioviæ. 869 a
Anno 1164 Polycarpum Kioviensi monasterio præficit Joannes IV, metropolita 870 a
Anno 1168 celebratur synodus Kioviensis, præside Constantino II metropolita 870 b
Anno 1169 clade crudelissima Kioviam afficit Andreas Bogolubscius 870 c
Eodem anno moritur Constantinus II, metropolita Kioviensis, et libertati restituitur Polycarpus, archimandrita Cryptensis 870 b
Anno 1177, *die* 28 *januarii*, dedicatur nova ecclesia Castellariensis a Simone Burdigalensi 264 c
Anno 1179 transfertur corpus S. Romani in capsam novam 82 e f
Anno 1182 Basilium hegumenum instituit Nicephorus II, metropolita Kioviensis 870 c
Anno 1185 diplomata S. Lamberti Leodiensis incendio fere delentur 821 d

SÆCULO XIII.

Anno 1200 Matthæus eligitur metropolita Kioviensis. 870 d
Anno 1202 Guido, cardinalis Prænestinus, legati officia tuetur in Belgio 862 b
Anno 1223 mortuus est Matthæus, metropolita Kioviensis 870 d
Anno 1226 Quinciaci fit solemnis translatio reliquiarum S. Benedicti Herbilliaci seu Quinciacensis 156 a
Anno 1233 Servi B. M. V. in Campo Martio prope Florentiam condunt hospitium de Caphagio; unde ortus celeberrimus B. M. V. Annuntiatæ conventus 889 b c
Anno 1234 inchoatur in Monte Senario ordo Servorum B. M. V. 887 f
Anno 1241 Nicolaus, ex ordine FF. Prædicatorum, episcopus et inquisitor apud Hungaros, occiditur 7 d e
Anno 1279, XVII *Kal. junii*, reliquiæ S. Domitii in ædem cathedralem Ambianensem transferuntur 149 f
Anno 1292 erecta confraternitas S. Romani Rotomagi 86 d-f

SÆCULO XIV.

Anno 1312 martyrium subit B. Jacobus Eleemosynarius ex ordine Servorum B. M. V. 884 b
Anno 1317 creatur diœcesis Lucionensis 795 e
Anno 1376 monachi Setichenbeckenses impie occiduntur 7 b
Anno 1386, *die* 24 *junii*, nascitur S. Joannes Capistranus 274 d e f
Anno 1395 transfertur imago B. M. V. Volodimeriæ in Russia 578 c

SÆCULO XV.

Anno 1404 initium fit Observantiæ seu congregationi speciali Servorum B. M. V. 887 f
Anno 1411 Senarius mons iterum incoli incipit a Servis B. M. V. 887 f, 888 a
Anno 1416, *die* 13 *augusti*, transferuntur Autissiodori S. Syræ reliquiæ 105 e
Ann 1416, *die* 4 *octobris*, Ordinem FF. Minorum ingreditur S. Joannes Capistranus 281 a b c
Anno 1427 nascitur B. Juliana de Busto 554 b
Anno 1437, *die* 9 *augusti*, constituuntur visitatores Ordinis Jesuatorum SS. Laurentius Justinianus et Joannes Capistranus 288 c-f
Anno 1439, *die* 22 *aprilis*, S. Capistranus sermonem habet ad clerum in synodo diœcesana Tridentina 437 a
Anno 1441, *die* 1 *augusti*, transferuntur solemnitate maxima plurium sanctorum episcoporum Tullensium corpora 913 c d
Anno 1443, *die* 13 *julii*, S. Joannes Capistranus creatur vicarius generalis Cismontanus Observantiæ 299 e f, 300, 301 a b c d
Anno 1447, *die* 1 *decembris*, fundatur conventus Observantiæ Capistrani 306 a-e

Anno

Anno 1449, *die* 18 *maji*, eligitur S. Capistranus vicarius generalis Observantum 304 a
Eodem anno, die 14 *junii*, S. Capistranus agit promotorem canonizationis S. Bernardini Senensis 323 c
Anno 1451, *die* 10 *februarii*, Brixiam prædicaturus advenit S. Joannes Capistranus 287 a
Eodem anno Quadragesimam Venetiis prædicat S. Joannes Capistranus 287 f
Eodem anno, die 22 *julii*, S. Capistranus inchoat conventum Viennensem 309 b
Eodem anno, die 5 *octobris*, S. Capistranus venit in Drasoff 335 c
Eodem anno, die 10 *octobris*, Eginburgum 335 e
Eodem anno, die 18 *octobris*, Crumlovium 335 e
Eodem anno, die 28 *octobris*, admittit S. Capistranus fundationem Brunensem 309 f
Eodem anno, die 22 *decembris*, fundatur conventus Novemburgensis 309 e
Anno 1452, *die* 6 *martii*, jubet Nicolaus Pp. V, ut conventus Austriæ in unam Observantum provinciam coalescant 310 c f
Eodem anno, die 24 *aprilis*, B. Catharina de Palantia petit Montem supra Varesium, monasterium ibi deinceps fundatura 555 a
Eodem anno, die 17 *maji*, ex Ponte Bohemiæ scribit S. Capistranus ad Card. Cusanum contra Compactata 339 c d
Eodem anno, mense junio, comitiis Ratisbonensibus interest S. Capistranus 524 d
Eodem anno, die 25 *decembris*, Dresdæ agit S. Capistranus 342 b
Anno 1453, *die* 13 *februarii*, Wratislaviam advenit S. Capistranus 312 c, 313 b c
Eodem anno, die 30 *maji*, inchoatur fundatio Wratislaviensis conventus Observantum 312 d-f, 313 a b
Eodem anno, die 21 *augusti*, Wratislavia Poloniam versus abit S. Capistranus 344 c
Eodem anno, die 28 *augusti*, Cracoviam ingreditur S. Capistranus 311 d e
Anno 1454, *die* 29 *septembris*, comitiis Francofordiensibus interest S. Capistranus 352 b
Anno eodem, die 14 *octobris*, Montem supra Varesium adit B. Juliana de Busto, sancte ibidem postea victura 555 b c
Anno 1455, *mense novembri*, S. Capistranus Hungariam ingreditur 367 b
Anno 1456, *die* 14 *februarii*, S. Capistranus accipit crucem belli sacri, a pontifice missam 362 a, 367 e
Eodem anno, die 2 *julii*, Belgradum ingreditur cum cruce signatis S. Capistranus 368 d
Eodem anno, die 14 *julii*, adjutore S. Capistrano, classis Turcica destruitur 371 f
Eodem anno, die 22 *julii*, crucesignati, duce S. Capistrano, Turcas fugant 382 c
Eodem anno, die 6 *augusti*, infirmari incipit S. Capistranus 391 d
Eodem anno, die 11 *augusti*, ex peste pie moritur Joannes Hunyades, assistente S. Capistrano 384 c, 387 b c d
Eodem anno, die 1 *septembris*, S. Capistranus Villakum ingreditur, ibidem moriturus 393 f
Eodem anno, die 19 *octobris*, ultimis sacramentis reficitur S. Capistranus 396 d e
Eodem anno, die 23 *octobris*, *circa horam Vesperarum* obit S. Capistranus 400 e f, 401 c
Anno 1461, *die* 5 *januarii*, moritur Nicolaus de Perusio, prior generalis Servorum B. M. V. 887 d
Anno 1468 retegitur corpus B. Jacobi Eleemosynarii, martyris ordinis Servorum B. M. V. 884 b
Anno 1470 Servi B. M. V. primum occupant eremum Clanti 889 a
Anno 1471 thecæ argenteæ includuntur Lillerii reliquiæ SS. Luglii et Lugliani 111 a b
Anno 1473 scinditur in duas partes congregatio Observantum Servorum B. M. V. 888 b c
Anno 1476, *die* 10 *novembris*, concedit Sixtus IV ut mulieres eremicolæ in Monte supra Varesium sequantur instituta S. Ambrosii ad Nemus 557 c
Anno 1478, *die* 6 *aprilis*, sancte moritur B. Catharina de Palantia 557 d
Anno 1480 pestis fuisse dicitur Florentiæ 889 f
Anno 1481 fundatur conventus Mediolanensis B. M. V. de Paradiso Servorum B. M. V. 890 b c
Anno 1485 Antonius Alabantus creatur prior generalis Servorum B. M. V. 889 e
Anno 1487 creatur prior Senarii montis B. Joannes Angelus 901 c d
Anno 1495 moritur Philippus Alabantus, prior generalis Servorum B. M. V. 903 f
Anno 1498, *die* 15 *augusti*, transferuntur S. Ebregisi reliquiæ, putatæ S. Ebregisli 822 b c

SÆCULO XVI.

Anno 1501, *die* 15 *augusti*, moritur B. Juliana de Busto 553 et seqq.
Anno eodem Thadæus Tancredus eligitur prior generalis Servorum B. M. V. 891 d
Anno 1506, *die* 23 *februarii*, erigitur congregatio Corvariensis Observantum Servorum B. M. V. 891 f. Eodem anno celebrantur Romæ ejusdem ordinis comitia generalia 892 a
Eodem anno, die 24 *octobris*, moritur Mediolani B. Joannes Angelus 892 e f, 893 a b
Anno 1514, *die* 31 *decembris*, Leo X concedit officium et missam in honorem B. Capistrani 410 b c
Anno 1516 Jacobus a S. Petro, ex ordine FF. Prædicatorum, a Mauris occiditur 7 d
Anno 1519, *die* 19 *januarii*, cum sanctimoniæ fama obit Catharina Bimia, abbatissa Montis supra Varesium 554 a b
Anno 1521, *die* 12 *novembris*, capitur Mediolanum ab imperialibus militibus 560 e
Anno 1545 Borovitskio Novogrodum transfertur Jacobi Sali corpus 6 d
Anno 1547, *die* 26 *februarii*, inchoatur concilium Moscuense 6 f
Anno 1562, *die* 3 *maji*, calvinistæ devastant ecclesiam S. Audoeni Rotomagi 85 c
Anno eodem, die 8 *julii*, calvinistæ corpus S. Romani comburunt 85 b c

Anno

Anno 1564, *die* 1 *septembris*, monasterium Parisiense S. Maglorii unitur mensæ episcopali 779 c
Anno 1566, Franciscus Lardegarius et Jacobus Laggerius Minoritæ occiduntur a calvinianis 7 e f
Anno 1575, Hieronymus Ragazonius auctoritate apostolica visitat diœcesim Mediolanensem 898 f
Anno 1579 moritur Romualdus de Fabriano, egregius Camaldulensis monachus 7 b
Anno 1594 pie obit Ulmeti Catharina de Quadia, ex Tertio Ordine S. Francisci 7 f

SÆCULO XVII.

Anno 1601, 11 *julii*, transferuntur ex Germania in Hispaniam corpora SS. Justæ et Rufinæ 28 c d
Anno 1605 fit prima translatio corporis B. Joannis Angeli 893 c
Anno 1610, 14 *januarii*, invenitur Ausciis corpus S. Leothadii et aliorum sanctorum 125 c
Anno 1613 reteguntur ossa S. Crescii et sociorum 608 et seq.
Anno 1615 mirabiliter deteguntur S. Gilberti, abbatis Novemfontium, reliquiæ 576 b
Anno 1617 translatio reliquiarum B. Godefridi comitis Tungerloam 1 c
Anno 1620 moritur Joannes de Leiva, ex ordine FF. Prædicatorum, missionarius in insulis Philippinis 7 e
Anno 1622, *die* 16 *julii*, extenditur cultus S. Capistrani ad universum ordinem Minorum 410 e
Anno 1631, *die* 8 *augusti*, recognitio reliquiarum SS. Luglii et Lugliani Mondiderii 116 b
Anno 1634, visitantur reliquiæ S. Odæ 136 a
Anno 1640 moritur Laurentius Ramirez ex ordine FF. Prædicatorum, vir apostolicus 7 e
Anno 1650, *die* 23 *octobris*, solemnitate maxima transfertur corpus B. Julianæ de Busto 559, 560
Anno 1660, *die* 25 *maji*, recognitæ fuerunt Mondiderii reliquiæ SS. Luglii et Lugliani 116 a
Anno 1663, *die* 17 *januarii*, Alexander VII declarat heroicas virtutes S. Capistrani 414 b, 415 e
Anno 1675, *die* 14 *julii*, Clemens X duo miracula approbat in causa canonizationis S. Capistrani 414 c, 415 f
Anno 1676, *die* 6 *maji*, Clemens papa X probat SS. Crescii et sociorum cultum 583 c
Anno 1679, *die* 13 *junii*, Innocentius XI decernit, tuto procedi posse ad canonizationem S. Capistrani 414 b c d
Anno 1681 celebratur secunda translatio corporis B. Joannis Angeli 893 e
Anno 1690, *die* 16 *octobris*, Alexander papa VIII solemni ritu S. Capistranum albo sanctorum adscribit 421 d
Anno 1691 fit tertia translatio corporis B. Joannis Angeli 894 a

SÆCULO XVIII.

Anno 1725 quarta peragitur translatio corporis B. Joannis Angeli 894 a
Anno 1736 introducitur causa de approbando cultu B. Joannis Angeli 899 c
Anno 1737 approbatur cultus B. Joannis Angeli 899 d e
Anno 1738 Præmonstratense capitulum ordinat S. Gilberti, abbatis Novemfontium, festum 576 c
Anno 1742 detegitur Calendarium marmoreum Neapolitanum 715 d
Anno 1758, *die* 26 *augusti*, decernitur introducendam esse causam beatificationis æquipollentis B. Julianæ de Busto 553 b
Anno 1762 cultum publicum primum obtinuerunt in ecclesia Mosquensi sancti Cryptenses 868 a
Anno 1765, *die* 17 *maji*, corpus sanctum Bistricense Bukurestinum advenit 435 c
Anno 1767 virtutes B. Joannis Angeli a Clemente papa XIII declarantur heroicæ 899 e
Anno 1769, *die* 12 *septembris*, Clemens papa XIV approbat cultum immemorabilem B. Julianæ de Busto 562 b
Anno 1770, *die* 11 *augusti*, Clemens papa XIV potestatem facit eremitis B. Augustini celebrandi festi B. Julianæ de Busto 562 b c
Anno 1791, *mense martio*, distrahuntur omnia bona monasterii Grandis Silvæ 244 d
Anno 1793, 24 *augusti*, S. Allucii reliquiæ ex hospitali domo suppressa transferuntur in ædem cathedralem 231 b-f
Anno 1793 reliquiæ S. Maglorii absconduntur 779 e
Anno 1795, 22 *octobris*, e feretris argenteis in lignea transferuntur Mondiderii reliquiæ SS. Luglii et Lugliani 116 c
Anno 1797 Montis supra Varesium monasterium profanis usibus traditur 561 c
Anno 1799 transferuntur S. Boethii Severini philosophi ossa in templum cathedrale Papiense 3 c

SÆCULO XIX.

Anno 1810, *die* 4 *octobris*, aperitur Mondiderii lipsanotheca SS. Luglii et Lugliani 117 a b
Anno 1829 ex aliis partibus accersuntur Romam reliquiæ 822 d
Anno 1830, *die* 29 *julii*, periere reliquiæ S. Gratiani 22 e
Anno 1835, *die* 24 *aprilis*, reliquiæ S. Maglorii inveniuntur 779 f, 780 a-e
Anno eodem, *die* 13 *octobris*, Hyac. de Quelen approbat inventas reliquias SS. Maglorii et aliorum 780 d e
Anno 1838, *die* 8 *octobris*, solemnissime Cololoniæ transferuntur reliquiæ S. Evergisli seu potius S. Ebregisi 823 a
Anno 1844, 14 *aprilis*, aperitur Mondiderii lipsanotheca SS. Luglii et Lugliani 114 d
Anno 1848, *die* 28 *decembris*, visitantur reliquiæ S. Odæ 136 e f, 137 a
Anno 1857, 21 *januarii*, visitantur reliquiæ S. Leothadii 127 c

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU BELGICÆ.

Quum tres theologi Societatis nostræ legerint edique posse censuerint tomum decimum de Actis Sanctorum Octobris, collectis et illustratis a Josepho Van Hecke, Benjamino Bossue, Victore De Buck et Eduardo Carpentier, Societatis ejusdem presbyteris theologis; ego infrascriptus præpositus provinciæ Belgicæ, potestate mihi facta ab Adm. R. P. Nostro Petro Beckx, concedo facultatem dictum tomum excudendi. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas consuetoque officii sigillo munitas, dedi Bruxellis, die trigesima Junii anni 1861.

FREDERICUS BOSSAERT, S. J.

L. S.

APPROBATIO ORDINARII.

Imprimatur.

Bruxellis, 1ª Julii 1861.

J. B. VAN HEMEL, VIC. GEN.

PROTESTATIO AUCTORUM.

Quod olim protestati sunt decessores nostri in hoc de Actis Sanctorum opere, se servatas velle Urbani VIII constitutiones; neque suis aliorumve hic relatis commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ; idem et nos ante hunc tomum decimum Octobris protestamur.

NOTITIA

FIGURARUM ORNANTIUM HUNC TOMUM.

Solitum operis frontispicium.
Exemplar epistolæ S. Joannis Capistrani ad S. Coletam. . . . . pag. 302
Imago S. Joannis Capistrani, cruce signati. . . . . pag. 534
Imago B. Joannis Angeli, in theca jacentis. . . . . pag. 895

OCTOBRIS.

TOMUS DECIMUS.

DIES VIGESIMA TERTIA.

SANCTI QUI DECIMO KALENDAS NOVEMBRIS COLUNTUR.

S. Theodota, virgo et martyr Nicææ in Bithynia, et S. Socrates, presb. et mart. Ancyræ in Gallatia.

S. Gratianus, mart. in territorio Ambianensi.

SS. Severus et Dorotheus, MM. Hadrianopoli.

S. Scurisius, M. Cæsareæ in Cappadocia.

SS. Servandus et Germanus, MM. prope Gades in Hispania.

S. Theodoritus, presb. mart. Antiochiæ in Syria.

S. Verus, episc. conf. Salerni.

S. Amon, episc. Tulli Leucorum in Gallia.

S. Severinus, Coloniensis episc.

S. Severinus, Burdigalensis episc.

S. Joannes, episc. conf. Syracusis.

S. Edicius, episc. conf. Viennæ in Gallia.

S. Romanus, episc. conf. Rotomagi.

S. Syra, virgo, Meldis et Catalauni in Gallia.

S. Octavianus seu Octarianus, episc. conf. Novocomi in Longobardia.

SS. Luglius et Luglianus, MM. in Picardia.

S. Leothadius, episc. conf. Ausciis.

S. Oda, vidua, et S. Pompejus, presb. conf. Amanii in diœcesi Leodiensi.

S. Domitius, conf. in territorio Ambianensi.

S. Benedictus, presb. conf. in diœcesibus Pictaviensi et Lucionensi.

S. Ignatius, patriarcha Constantinopolitanus.

B. Herifridus, episc. conf. Autissiodori.

S. Elfleda, vidua Glastoniæ.

S. Rumonus, episc. conf. Tavestockii in Anglia.

S. Allucius, conf. Pisciæ in Tuscia.

S. Bertrandus, conf. abbas Grandis Silvæ in Occitania.

S. Joannes de Capistrano, conf. ord. FF. Minorum, Villacki in Pannonia.

B. Juliana de Busto, virgo in Longobardia.

APPENDIX.

De S. Macario Romano, qui inventus fuisse dicitur juxta Paradisum et olim cultus fuit a Græcis.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Tungerloæ in altari S. Sebastiani repositio reliquiarum B. Godefridi, comitis Cappenbergensis et canonici Præmonstratensis, *hodie annuntiatur in supplemento ms. ad Menologium Præmonstratense. Facta est hæc reliquiarum translatio anno* 1617. *De hoc sanctissimo viro tractarunt decessores ad* XIII Januarii.

S. Surani abbatis et martyris, cujus meminit B. Gregorius in libris Dialogorum. *Ita in Octobris Tomus X. Calendario Benedictino, quod S. Salvatoris Antverpiensis in opere nostro dici solet. De S. Surano actum est in opere nostro ad* XXIV Januarii.

S. Modoci, episcopi et culdei in Scotia, *memoriam facit hac die Ferrarius, nixus imaginario Scotico Calendario. In commentario cujus titulus est:* Fundatio ecclesiæ de Lochlevin, quæ postea data [est] priori S. Andreæ, *legitur post donationem, factam a Maldino,*

A *Maldino, episcopo S. Andreæ* (1): Modoch, filius Malmikil, vir piissimæ recordationis, episcopus S. Andreæ, cujus vita et doctrina tota regio Scotorum est illustrata, contulit eis Karkindoc. *Maldinus aliquis episcopus fuit ab anno* 1034 *ad* 1061, *et antiquior fuerit oportet quam Modocus ille, filius Malmikil. Et quidem nullus Modoch reperitur inter episcopos, qui S. Andreæ sedem occuparint ante sæculum* XII (2). *Porro episcopus, Modocus nomine, filius Malmikil, qui post iniens sæculum* XII *vixit, inter sanctos non recensetur. Inter fabulosi autem S. Amphibali comites computatur quoque S. Modocus aliquis, quem Priscum cognominant; et ex quo alios duos procudit Dempsterus* (3). *Sed S. Modocus ille, quum pridie kalendas Februarias celebretur etiam a Scotis, idem habendus est ac S. Aidanus, qui et Modocus, episcopus Fernensis in Hibernia: de quo non amplius nobis dicendum est, quum abunde ejus gesta illustrarint decessores ad*
XXXI Januarii.

B S. Severi, *qui in Monte Falco, Umbriæ oppido, singulari veneratione colitur, memoriam hodie facit Ferrarius in Catalogo generali et in Catalogo sanctorum Italiæ, atque hinc scriptor Hagiologii Italici. De eo dixit Bollandus in Addendis ad diem, quo in Monte Falco ejus natalis agitur,* I Februarii.

Elnone restitutio corporis sancti Amandi, episcopi et confessoris, *celebratur hac die in nonnullis auctariis Hieronymianis et Usuardinis; item a Saussayo et in aliquot vetustis Kalendariis. De ea actum est in opere nostro ad diem, quo* S. Amandus *præcipue colitur,* VI Februarii.

Barcinone festum translationis S. Eulaliæ virginis ex basilica S. Mariæ de Arenis ad templum cathedrale *celebrat hac die Tamaius in Menologio Hispanico, et similiter Ferrarius in Catalogo generali et Arturus in Gynecæo. De S. Eulalia Barcinonensi ejusque corporis translationibus egerunt cum Martyrologio Romano decessores nostri ad diem* XII Februarii.

Festum translationis B. Catharinæ de Ricciis
C *hodie celebrari jubetur in Officiis propriis Sanctorum Etruriæ. De hac sancta aliquando agetur in supplemento Februarii ad diem*
XIII Februarii.

In Cæsarea Cappadociæ, S. Longini martyris *memoria occurrit hac die in plerisque codicibus Hieronymianis, in aliquot Bedæ seu Flori et Usuardi auctariis et in Kalendariis nonnullis, prout inferius ad præsentem diem satis videre erit in Sylloge de SS. Severo et Dorotheo, martyribus Hadrianopolitanis, et in altera de S. Seuresio, martyre Cæsareensi in Cappadocia. Adjungitur enim passim* S. Longini *nomen alterutri memoriæ. Verum occurrit etiam seorsim, ut in Martyrologio Morbacensi* (4), *et in Auctariis Usuardi Bruxellensi et Greveniano, ubi nudum fere nomen legitur; et in auctario Bedæ seu Flori Barberiano et Tornacensi* (5): Ipso die in D Cæsarea Cappadociæ natale Longini. *In Martyrologio autem Ottoboniano* (6): In Cæsarea Cappadociæ Longini et aliis multis. *Demum ut alios mittam, Rhabanus ad diem* 24 *Octobris* (7): In Cæsarea Cappadociæ natale Longini; *quæ verba, omisso vocabulo* natale, *repetiit ad eamdem diem Notkerus* (8), *addens:* De quo postea; *videlicet ad* 22 *Novembris, qua die de* S. Longino *fusius quoque dixit Rhabanus, aliique multi. Atque ex illa Notkeri promissione, licet ejus Martyrologii pars, in qua cum Rhabano ad* 22 *Novembris* S. Longinum *copiosius celebravit, nondum detecta est, intelligimus tamen* Longinum, *qui hodierna die aut crastina ab Rhabano et Notkero (quos hoc mense jam a fronte, jam a tergo aliorum euntes continuo videmus) annuntiatur, eumdem esse ac militem, qui pectus Domini in cruce pendentis lancea perforavit. Florentinius* (9), *qui persuasum habebat centurionem, in Christo confitendo reliquis præeuntem, eumdem esse ac militem qui Christi latus aperuit, scripsit* E *Longinum, hac die celebratum, centurionem illum esse, medio mense Martio a Latinis, medio mense Octobris a Græcis cultum; adeoque ejus nomen ad hanc diem tollendum duxit. Sed male. Duo enim Longini distinguendi sunt: alter centurio, qui et Primianus, Christi confessor, et die* 16 *Octobris a Græcis honoratus, et præsenti in Fastis Hieronymianis et aliis; alter miles, seu Christi vulnerator, qui die* 15 *Martii in Martyrologio Romano celebratur. De utroque simul dixere decessores nostri ad* XV Martii.

In Cornugalliæ commemoratio S. Columbæ virginis et martyris: *ita ad hanc diem scriptor anonymus Martyrologii Britannici* (10). *Nomen suum dedit beata hæc virgo duobus oppidis Cornugalliæ, alteri* S^t^ Columb Major *dicto, alteri* S^t^ Columb Minor (11). *Vitam hujus sanctæ manibus versavit Camden, ejusque meminit tum in majori suo opere* (12), *tum potissime in Epistolis* (13). *Eam ex vulgari Cornugalliæ idiomate in latinum versam fuisse monet Edmondus Gibson* (14). *Hanc Vitam dedissemus ad hanc diem, si alicunde nancisci* F *potuissemus; sed eam desideramus non secus ac decessor noster Henschenius, qui virginis illius memoriam ab interitu tantum vindicare potuit ad diem, quo olim colebatur,* XVI Martii.

Syracusis S. Zosimi episcopi et confessoris. *Sic Bucelinus in Menologio Benedictino ad hanc diem; ubi et beati viri gesta fusius dein prosequitur. De hoc sancto præsule, qui medio sæculo* VII *floruit, tractatum habuerunt decessores nostri ad diem, quo Martyrologio Romano inscriptus est,* XXX Martii.

Martyrium S. Tymonis, unius ex septuaginta discipulis et septem diaconis, quem deinde episcopum Bassoræ occidentalis apostoli ordinaverunt; ubi, baptizatis plurimis Græcis et Judæis, martyr occubuit. *Ita ad hanc diem Michael, episcopus Atribæ et Meligæ in Syn-*

(1) Ap. Pinkerton, an enquiry into the history of Scotland, tom. I, pag. 469, edit. 1814. — (2) Ibid. tom. II, pag. 268 et seqq. — (3) Britannicarum ecclesiarum antiquitates, pag. 339, edit. 1687. (4) Martene, Thesaurus anecdotorum, tom. III, col. 1570. — (5) Act. SS. tom. II Martii, p. XXXV. — (6) Ap. Georgi, Martyrologium Adonis, pag. 686. — (7) Ap. Basnagium, Thesaurus Canisii, tom. II, part. II, pag. 345. — (8) Ibid. part. III, pag. 183. — (9) Martyrologium S. Hieronymi, pag. 931. — (10) A memorial of ancient British piety or a British Martyrology, London, 1761. — (11) Vide Carlisle, Topographical Dictionary of England, v° *St Colomb.* — (12) Britannia, edit. Gough, tom. I, pag. 6. — (13) Epist. I, 91. — (14) In editione tertia, quam paravit, Britanniæ Camdeni, tom. I, pag. 22.

axario

A *axario seu Martyrologio ecclesiæ Alexandrinæ Coptitarum* (1). *Memoratur item ad hanc diem in Calendario Æthiopico, edito a Ludolfo* (2). *De hoc sancto dixere decessores nostri ad diem, quo a Latinis colitur,*

XIX Aprilis.

Festum translationis S. Petri de Rates, archiepiscopi Bracharensis et martyris, *indicatur hac die in Codice Lusitano, continente officia propria, quæ in tota fidelissimæ majestatis ditione recitantur; in quo simul habes lectiones de hac translatione proprias. De illo sancto et de ejus translatione egerunt decessores nostri in appendice ad diem* XXVI Aprilis.

S. Jacobus, apostolus, frater Domini, episcopus Hierosolymitanus et martyr, *celebratur hac die in Menologiis Basilii et Sirleti, in Ephemeridibus Græcis prosaïcis et metricis, in Tabulis Slavicis Capponianis, Possevinianis et Papebrochianis, in Eclogadiis Græcis et Copticis, et aliis multis ecclesiæ Orientalis monumentis, quæ magna ex parte dabit Godefridus Henschenius* (3) *ad diem, qua de*

B *eo in opere nostro dixit,* I Maji.

S. Boethii *seu* Severini *memoria hodie celebratur in Martyrologio Maurolyci, in Martyrologio Germanico Walasseri, dicto Canisii, in Wionis Ligno Vitæ in Catalogo generali Ferrarii, in ejusdem Sanctorum Italiæ catalogo atque etiam in Hagiologio Italico, quod inde desumptum est. Quin etiam in Martyrologio Usuardi, ineunte sæculo* XVI *anglico idiomate cum auctariis Londini edito,* S. Boethii *laudes hac die referuntur. Est autem ille Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius, consularis et egregius philosophus; cujus olim solemnis habebatur natalis in ecclesia Papiensi seu Ticinensi S. Petri in Cælo aureo, et cujus etiamnum reliquiæ illic coluntur in templo cathedrali. Ejus gesta fuse explicata sunt in recentioribus ejus operum editionibus; et nuper de singularibus aliquot ejus rebus diligenter scripsit R. D. Bosisius, capituli Papiensis præpositus et templi cathedralis parochus* (4). *Ostendit autem luculente custodia eum tentum fuisse proxime ad bap-*

C *tisterium templi cathedralis; enectum autem fuisse in agro, olim Calventiano dicto et sito prope ambitum suburbani monasterii S. Petri in Cælo aureo; ubi sepulturam nactus est, donec anno* 1799 *ejus ossa translata fuere in templum cathedrale Papiense. Non minus feliciter demonstravit Bosisius vere catholicum fuisse Boethium, nequaquam rebellem dici posse et jure merito martyrem haberi a præstantissimis scriptoribus eoque titulo ecclesiasticis honoribus coli. Sed hæc et multa alia nobis prosequi non licet, quum Papebrochius decessor noster, illustrans S. Joannis papæ I gesta, simul dixerit de gestis et cultu S. Boethii ejusque soceri Symmachi ad diem*

XXVII Maji.

Vicentiæ beati Bartholomæi de Bragantia episcopi et confessoris ordinis sancti Dominici, Nimociensi primum, dein Vicentinæ ecclesiæ præpositi, atque insuper Gregorii IX, cui a consiliis fuit, aliisque summis pontificibus, necnon Ludovico Galliarum regi ob insignem sanctitatem et labores ad D catholicam religionem amplificandam acceptissimi. *Ita Martyrologium S. O. FF. PP., seu supplementum ad Martyrologium Romanum in eorumdem usum, anno* 1845 *Romæ et sequenti anno Mechliniæ editum. Quæ ideo notamus, quoniam non ita pridem beati illius viri cultus auctoritate apostolica approbatus est et ad ordinem universum extensus, ut ex illa ipsa annuntiatione manifestum est. Verum jam pridem de B. Bartholomæo Vicentino in opere nostro dictum est ad diem, qua eum obiise volunt,* I Julii.

B. Angela de Arena, *quæ regis Bohemi dicitur filia et virgo Carmelitana, hodie prodit in Menologio Carmelitano, quæ Acies bene ordinata nuncupata est. De ea fuse egerunt decessores nostri, dubitantes an umquam exstiterit in rerum natura, ad diem* VI Julii.

Laude Pompeja translatio S. Gualterii confessoris. *De hoc sancto disseruit Sollerius noster ad diem, quo obiit,* XXII Julii.

SS. Maximilianum, Jamblicum, Martinianum, Dionysium, Joannem, Constantinum et E Antoninum, *martyres Ephesinos, vulgo dictos Septem Dormientes, aut Pueros speluncæ laudat hac die Menologium Basilii et Synaxarium seu Eclogadium arabicum Melchitarum, a cardinali Angelo Majo recensitum* (5); *dum plerique Græci pridie id faciant: in opere nostro de iisdem dictum ad diem, qua apud Latinos potissimum honorantur,*

XXVII Julii.

SS. Dorothei et Gorgonii, *cubiculariorum Diocletiani imperatoris, festum hodie indicatur in Breviariis Aurelianensibus, excusis anno* 1701 *et* 1771. *De his sanctis, quorum martyrium laudarunt Eusebius et Rufinus et quorum corpora, primum Romam translata, dein dicuntur in ecclesia Aurelianensi juxta S. Mamerti capsam collocata, actum est in opere nostro ad diem* IX Septembris.

S. Lugdelinum, *episcopum Tullensem, coli hac die in notis affirmat Ferrarius in Catalogo generali sanctorum; sed errat.* S. Leudinus, *qui et* Bodo *dicitur, (nam hunc profecto intelligit Ferrarius), non colitur hac die, sed die, ad quam de eo dixerunt decessores nostri,* F

XI Septembris.

Translatio, *legitur ad hanc diem in auctariis Usuardi Lubeco-Coloniensi et Greveniano,* beati Materni Coloniensis primi, Trevirensis tertii et Tongerensis etiam primi archiepiscopi et confessoris. Cujus corpus ad vitandam seditionem populorum harum trium ecclesiarum, maturo consilio expositum fuerat Coloniæ navigio; et ecce navis illa sine humano gubernatore in medio Reni posita, cælesti agitata remigio, contra cursum aquæ versus Trevirim ascendebat. *De his quoque ad hanc diem dixere Canisius seu potius Walasser, Ferrarius et Saussayus; sed hæc jam in opere nostro examinata fuere et a fabulis expurgata ad* XIV Septembris.

S. Januarii, episcopi et martyris, translationem, *a Beneventanis agendam, indicat hac die Ferrarius. De eo satis superque actum est in opere nostro ad diem* XIX Septembris.

(1) Ap. Majum, Scriptt. vett. nova collectio, tom. IV, part. II, pag. 98. — (2) Ad Historiam Æthiopicam commentarius, pag. 395. — (3) Act. SS. tom. I. Maji, pag. 24. — (4) Memoria intorno al luogo del supplizio di Severino Boezio con un appendice intorno alla di lui santità. Pavia, 1833. — (5) Scriptt. vett. nova collectio, tom. IV. part. II, pag. 48.

SS. Cosmæ

A SS. Cosmæ et Damiani *nomina leguntur ad præsentem diem in kalendario Morbacensi, quod edidit Martenius* (1). *Multis aliis anni diebus eadem in fastis sacris recurrere dictum est ad* 17 *Octobris inter Prætermissos; quoniam plurimæ factæ sunt eorumdem martyrum reliquiarum translationes et magnus templorum numerus sub eorum patrocinio fuere dedicata. Sed his diutius inhærendum non videtur, quoniam multa accuratione de his sanctis disputavit in opere nostro Stiltingus ad diem* XXVII Septembris.

In Northumberlandia commemorationem S. Ywii diaconi et discipuli S. Cuthberti, *annuntiat ad hanc diem tamquam ex Heriberto Rosweydo, Actorum Bollandianorum patre, scriptor Memorabilium pietatis Britannicæ* (2). *Verum Rosweydus* (3) *non ad diem* 23 *Octobris S. Ywii commemorationem retulit, sed ad diem, qua de eo dixerunt decessores nostri,* VI Octobris.

Natalem Venantii abbatis, de quo scriptum est, quod adhuc in terris constitutus, missarum solemnia in cælo consummari agnoverit; et cum aliquando ad missas Dominica cantaretur Oratio, audierit quemdam e tumulo sacerdoti respondentem: sed libera nos a malo, *consignat ad hanc diem Notkerus* (4) *et ante eum elogio etiam multo fusiori Rhabanus* (5). *Verum de eo jam dixit in opere nostro D. Anselmus Berthodus ad* XIII Octobris.

S. Cleridoniam *virginem, sublaci cultam, celebrat hodie Castellanus. Dictum est de ea in opere nostro ad diem, qua vere colitur,* XIII Octobris.

S. Desiderii, abbatis in diœcesi Bituricensi, *virtutes hac die laudat anonymus Donauwertensis in Kalendario ecclesiastico ordinis S. Benedicti, anno* 1786 *Donauwertæ edito. De eo nos egimus die* XIX Octobris.

Maria Salome, mulier evangelica, *laudatur hac die a Tamayo, tamquam Compostellæ in Gallecia culta. De ea dictum est pridie seu* XXII Octobris.

S. Severum, presbyterum Heracleensem, pro fide captivum, *præsenti die signari vult Castellanus in Martyrologii sui Universalis supplemento, quod hodie obierit. Nos de eo diximus die præcedenti, scilicet* XXII Octobris.

B. Joannis Boni, ordinis Eremitarum S. Augustini, *festivitas hodie annuntiatur in supplemento Martyrologii Romani pro ordine Eremitarum S. Augustini, in auctariis Usuardi, itemque apud Grevenum, Walasserum seu Canisium aliosque; et quidem hac die de eo agendum fuisset; sed certis de causis de eo actum est pridie, scilicet* XXII Octobris.

Festum Jesu Nazareni seu Pueri Jesu *solemniter, et quidem cum octava, agendum hac die in templis Romanis S. Caroli ad quatuor Fontes, B. Mariæ de Fornacibus, S. Marcelli aliisque indicatur a Josepho Mozzolario in Diario suo sacro tertium edito Romæ anno* 1819. *De festis Christi Domini aliquando singulariter agetur.*

Solemnitas sanctissimi Redemptoris, cujus venerabile simulacrum, a barbaris captum, et in Africam deportatum, atque opprobriis et contumeliis lacessitum, indeque a Fratribus Discalceatis ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, soluto pretio, recuperatum et in Hispaniam deportatum, signis et prodigiis ubique fulgens, magna populorum devotione sub sanctissimo nomine Jesu Nazareni adoratur et colitur, *celebratur hodie, ut ex his recentissimi eorum Martyrologii verbis patet a religiosis illis. In recentissima quoque editione Martyrologii Carmelitarum Discalceatorum legitur hac die agendum esse* festum sanctissimi Redemptoris, *ubi non fit dominica III julii; verum hujus alia est causa et origo.*

In finibus agri Parisiensis dedicatio ecclesiæ de Vallibus Cernaji. *Ita in Calendario Cisterciensi. Talia solemus prætermittere.*

S. Orestis *nomen venit ad hanc diem inter additamenta, quæ in codice S. Cyriaci Martyrologii Bedæ seu Flori obvia sunt. Redit ibidem tamquam socius SS. Severi et Dorothei martyrum Hadrianopolitanorum; sed mendum esse in Sylloge de his sanctis inferius monebimus. Cæterum, quum plures hujus nominis martyres sint, verisimiliter ille idem ex alia die ad hanc transpositus fuit.*

S. Huram *martyrem Æthiopes et* S. Warim *Coptitæ hodie olim celebrarunt; qui jure merito Ludolfo* (6) *unus et idem visi sunt. Libenter etiam ei consentirem qui diceret non alium esse* S. Bassum, *qui ad hanc diem celebratur in calendario Evangeliarii arabici Coptitarum, recensito a cardinali Majo* (7). *Hinc ad hanc quoque diem dedit Castellanus S. Huram, ab Æthiopibus cultum; et secundum eum R. D. Pétin, Dictionarii hagiographici auctor; qui addidit de suo eum a Græcis honorari. Verum quum eum omiserit Michael, episcopus Atribæ et Meligæ, in Synaxario seu Martyrologio suo ecclesiæ Alexandrinæ Coptitarum, neque ejus nomen mihi obviam factum sit apud alios quos habemus rerum Æthiopicarum et Copticarum scriptores, non possum eum non præterire.*

S. Speciosi, VIII episcopi Fesularum, *memoria fit hac die in Diario sacro Florentino Ludovici Santini* (8). *Verum neque apud Scipionem Ammiratum, neque apud Ughellium in episcoporum Fesulensium serie ullus Speciosus reperitur; et qui Florentiæ sedit, cultum ecclesiasticum assecutus est numquam.*

In Cæsarea Cappadociæ, Seuresi, Magni, Justi *memoria celebratur ad hanc diem in Martyrologio Hieronymiano Corbejensi majori, quod in lucem dedit Dacherius* (9). *De S.* Seuresio *dicetur inferius ad hanc diem. SS.* Magnus *autem et* Justus *prætermittendi videntur, quoniam in nullis aliis quam in isto Corbejensi codice leguntur, neque ullis indiciis distingui possunt a cognominibus.*

Natalis sanctorum Severi, Dorothei et Victoris, quos antiqua ecclesiæ Tolosanæ diptycha indicant hodie celebranda. *Hæc Saussayus habet ad hanc diem in supplemento ad Mar-*

(1) Thesaurus Anecdotorum, tom. III, col. 1570. — (2) A memorial of british piety, pag. 148. — (3) Fasti sanctorum quorum vitæ in Belgicis bibliothecis manuscriptæ, pag. 64. — (4) Ap. Basnagium, Thesaur. Canisii, t. II, part. III, pag. 183. — (5) Ibid. part. II, pag. 344. — (6) Ad historiam Æthiopicam commentarius, pag. 395. — (7) Scriptt. vett. nova collect. tom. IV, part. II, pag. 18. — (8) Guida sacra per le feste principali etc. Anno 1833, pag. 106. — (9) Spicilegium, tom. II, pag. 20, edit. in-fol.

tyrologium

A *tyrologium Gallicanum, quasi hi martyres singulari aliqua ratione ad ecclesiam Tolosanam pertinerent. Sed nil hujuscemodi est. Sunt hæc nomina mera augmenta ex fastis Hieronymianis in varia martyrologia recepta: de qua re dictum est præsenti die in sylloge de SS.* Severo *et* Dorotheo; *nam Victor ex alia martyrum turma est.*

Colmani Sancti *nomen legitur hac die in Martyrologio Tamlactensi. Verum in hoc uno libro octoginta octo Colmani occurrunt, plerique sine ullo signo quo a se invicem distinguantur; et quum id nomen diversa tantum forma sit nominis Colum, Columbæ, Columbani* (1), *atque hi numero viginti sint, nemo profecto a me, viro extero et libris hibernicis non satis instructo, exspectabit ut per densam hanc silvam ducem me præbeam. Meliora procul dubio sperari possunt ab erudito Guilielmo Reeves, qui, licet ecclesiæ Anglicanæ in Hibernia minister, singulari tamen candore et eruditione mirabili de S. Columba, abbate Hyensi, scripsit; seu etiam a doctis-*
B *simo viro V. G. Todd, qui, eadem illa sacra olim secutus, non ita pridem ecclesiam catholicam ingressus est, et quem si restitutæ hagiographiæ hibernicæ magistrum dixeris, non nimiis honestabis laudibus. Addiderim demum S. Colmani nomen hac die non prodire in Martyrologio Dungallensi; unde pronum est suspicari in Tamlactensi Martyrologio repeti nomen quod aliis diebus jam celebratum fuerat, v. g. die* 20 *Octobris, ubi in opere nostro inter prætermissos de S. Colmano Tuam Grenensi dictum est.*

Colcani *nomen, quod idem est ac* Colgani, *et patronymicum seu in genitivo casu nominis* Coelchu *sive* Colga (2); *occurrit hac die in Martyrologio Tamlactensi, omittitur autem in Dungallensi. Colganus* (3) *ad* 20 *Februarii de quatuor SS. Colgis seu Colganis sigillatim dixit et quatuor alios recensuit. Quos dum patronos qualitercumque suos illustraret, ubi venit ad S. Colgum seu Colganum, filium Kellachi, de quo in Vita S. Columbæ, abbatis Hiensis, lib. I, cap.* 34, *et lib. III, cap.* 15, *sermo est, scripsit fieri posse ut idem sit ac qui hodierna*
C *die in Tamlactensi Martyrologio memoratur. At nihil proficimus talibus conjecturis ideoque prætereundum ducimus hodiernum S. Colganum.*

Dalbach Cule Colla *memoria hodie fit in Martyrologio Tamlactensi, quod non ita pridem ex codice ms. Bruxellensi edidit bonæ memoriæ Matthæus Kelly, historiæ ecclesiasticæ in Maynoothensi S. Patricii collegio lector; similiter in Dungallensi Martyrologio, quod nondum typis excusum est et in tertio, non minus celebri, Mariani Gormani* (4). *Cule Colla, immo Cule Collaing seu Cuil-Collang in comitatu Corcagiensi situm esse monet R. D. Kelly* (5); *ita ut diversum sit oporteat a Kilcullen in comitatu Kildarensi, in quo S. Iserninus a S. Patricio episcopus constitutus fuisse traditur* (6) *et quod olim* Culcolling *appellatum fuisse ex Vita S. Abbani dicendum foret* (7), *si lectio satis certa esset* (8). D
Kill *cellan, immo templum significat;* Cule *autem secessum, angulum, abditum locum. Quod vero de S. Dalbacho est, qui locum, dictum Cule Collaing, olim virtutibus suis illustravit, de eo non aliam reperio memoriam quam quod ei attributa fuere metrica quædam S. Camini, abbatis Mis-Keltraensis, fabulosa et apocrypha Acta* (9); *unde sequitur eum hoc sancto, qui anno* 856 *obiit, recentiorem esse et inter scriptores Hibernos jam pridem fuisse recensitum.*

Killianum, filium Toidnaim *seu* Todnani *aut* Dodnani, *reperimus ad hanc diem in Martyrologiis Tamlactensi et Dungallensi, monetque nos Colganus* (10) *quod eadem legit apud Marianum Gormanum, Cathaldum Maguir et Casselensem martyrologum. Iidem scriptores ad diem præcedentem, scilicet* 22 *Octobris, alium S. Killianum seu Killenum dederant; quem nos plane omisimus et nunc saltem memoramus. Nomen id inter veteres Scotos et Hibernos satis commune; neque nos novimus quibus modis distinguendus sit S. Killianus,* E
filius Todnani, aut ille alter, qui die 22 *Octobris colitur, a plerisque homonymis, quorum catalogum texuit Colganus* (11).

Mæltulius *seu* Maltulius *et* Mœltulius, filius Tiain *seu* Thioni, *obvius nobis fit hac die in Martyrologiis Tamlactensi et Dungallensi; cæterum ignotus nobis est.*

Eodem die sanctæ Gothæ, *inquit Arturus a Monasterio, laudans Camerarium et Canisium. At Canisius seu potius Wallasser, cujus lucubratio est Martyrologium Germanicum, de ea plane tacet; et Camerarii merces minimi veneunt* (12). *Addiderim tamen aliquam S. Godam coli in parochia Heron prope Leodium ibique invocari tamquam patronam adversus tumores aliosque similes morbos.*

In Scotia S. Turgoti, episcopi Andreopolitani: *ita ad hanc diem Ferrarius in Catalogo generali sanctorum; et quidem in Annotatis addit se hanc memoriam sumpsisse ex Kalendario et breviario Scotiæ, atque hunc S. Turgotum confessarium fuisse S. Margaritæ reginæ et Dunelmiæ priorem. Verum enimvero centies*
F *in opere nostro ostensum est a Ferrario in testimonium advocari breviaria et calendaria, quæ numquam vidit; sed quorum laterculis ea nomina inscripta esse conjecit, quoniam de eorum veneratione ecclesiastica aliunde sibi constare arbitrabatur; neque dubium est quin hoc loco ob oculos positum habuerit Dempsterum, historiæ ecclesiasticæ Scotiæ scriptorem et sanctorum ejusdem regionis laudatorem. Atque idem Dempsterus in Menologio suo Scotico jam ante, scilicet die* 9 *Octobris, celebrarat* ad Fanum S. Andreæ Turgoti episcopi consecrationem, *licet hæc celebranda fuisset Kalendis Augusti, quum hac die, anno* 1109, *S. Andreæ infulis primum decoratus fuerit* (13). *Quam commemorationem quum obviam sibi habuissent decessores, scripsere in Prætermissis ad diem* 9 *Octobris de eo actum iri die* 23 *Octobris, dummodo rea-*

(1) Cfr Reeves, The Life of S[t] Columba, founder of Hy, pag. 29, 42. 124. 172 et 296. — (2) Cfr Colganus, Vitæ SS. Hiberniæ, pag. 379; Reeves, Vita S. Columbæ, pag. 82. — (3) Ib'd. pag. 378 et seqq. — (4) Cfr Colganus, Acta SS. Hiberniæ, pag. 747. — (5) Calendar of Irish Saints, pag. 41. — (6) Lewis, A topographical dictionary of Ireland, v° Kilcullen. — (7) Ap. Colganum, Vitæ SS. Hiberniæ, pag. 615. — (8) Ibid. pag. 622, num. 20. — (9) Ibid. pag. 746. — (10) Ibid. pag. 331. — (11) Ibid. pag. cit. — (12) Cfr Acta SS. tom. V Junii, pag. 248. — (13) Wharton, Anglia sacra, tom. II, pag. 234.

pse

A *pse inter sanctos recensendus sit* (1). *Pro officio itaque quæsivimus an ullum uspiam consecutus esset Turgotus ille cultum ecclesiasticum; sed ne vestigium quidem reperimus. Imprimis abest omnino ejus nomen a Breviario Aberdonensi, quod nuperius denuo editum fuit et tot sanctos Scotos continet. Ab Hectore Boethio* (2) sanctissimus *dicitur* eruditissimusque vir *et* maximo cum fructu *episcopale* suum munus administrasse. *Ab ipso Baleo* (3), *qui catholicos viros, maxime sanctos, non illustrare solet, sed proscindere, laudatur; neque male habetur a Buchanano* (4). *A Leslæo* (5) *autem, episcopo catholico Rossensi in Scotia,* vir *dicitur,* siquis alius, virtutum luminibus præclare ornatus; *et a Seldeno in præfatione ad Scriptores decem Twysdeni laudatur plurimum. In Actis Sanctorum vero bis de ejus rebus disputatur et utrobique ejus laudes patefiunt* (6). *Præcipua vitæ capita scripserunt Alfordus, qui et Griffith* (7), *et Mabillonius* (8). *Usserius* (9) *similiter de eo dixit et Whartonus* (10); *et, ut alios*
B *recentiores præteream, v. g. Pinkerton* (11) *et Jamieson* (12), *complures coævi aut suppares fuse de ejus gestis dixerunt, puta Eadmerus, Guilielmus Malmesburiensis, Hovedenus, chronicum Mailrosense et Simeon Dunelmensis. Verum quamquam illi omnes conveniunt in celebranda pietate et vitæ sanctimonia Turgoti, nullus tamen eum* sanctum *aut* beatum Turgotum *appellat, aliove significat indicio ecclesiasticos ullos honores ei concessos fuisse: immo in ipsis Menologiis Benedictinis, quæ tot venerabilium virorum capiunt nomina, Turgoti nomen non legitur. Quocirca nobis non licet ei locum dare inter sanctos in nostro opere; si tamen postea deprehenderetur hac in re nos falli, posset de eo dici ad diem, qua Ferrarius eum etiam coli affirmat,*

IX Novembris.

Hoc ipso die S. Turgoti monachi Melrosensis, *ait Ferrarius in Annotato ad Turgoti Andreopolitani episcopi memoriam. Verum hic Turgotus idem est ac episcopus S. Andreæ; quem aliquando Mailrosense monasterium una cum magistro Aldwino incoluisse te docebunt Al-*
C *fordus* (13) *et Whartonus* (14). *Mailrosensis tamen monachus non fuit, quum Wiremuthæ, quo, Mailrosa relicta, transgressus est, primum habitum monasticum induerit.*

Translatio venerabilium ossium S. Jacobi Croroviensis (*immo* Borovitsciensis) et Novogrodensis thaumaturgi. *Sic ad hanc diem legitur in Sobornik seu Synaxario Ruthenorum Kioviensi, cujus interpretationem anno* 1688 *ad decessores nostros misit Georgius David, societatis nostræ missionarius Moscuæ. In alio autem, quod baro de Sparwenfeld ad eosdem destinavit anno* 1713, *rectius legitur:* Item S. Jacobi Borowitsici, novi miraculifici *seu potius thaumaturgi; et dein nota apponitur, qua traditur sanctus ille diem obiisse anno mundi secundum computum Constantinopolitanum* 6960, *qui convenit cum* D *anno Christi* 1452. *In hæc ubi incidimus, non parum solliciti fuimus quo loco de illo nomine dicendum esset, an inter prætermissos, an inter sanctos recte cultos; nam licet anno* 1452 *Mosci jam pridem abjecissent concordiam, quam Isidorus, metropolita Kioviensis et Moscuensis, Florentiæ cum catholicis inierat, erant tamen inter eos plures, etiam episcopi, qui schismati non consentirent. Et quidem Euthymius, Novogrodensis episcopus, in cujus diœcesi vivebat S. Jacobus, contulit se ad metropolitam Isidorum, anno* 1437 *ex Græcia Moscuam reducem. Consulimus itaque R. P. Joannem Martinof, qui cum R. P. Joanne Gagarin, quoties de sanctis Slavis agitur, semper promptissimus est ad opem nobis ferendam. Ejus itaque mentem secuti, S. Jacobum Borovitsciensem inter prætermissos collocamus, quoniam, quum ejus gesta ignota fere sint, valde difficile sit aliquid de eo viro definire. Placet tamen pauca, quæ mecum de hoc viro communicavit R. P. Martinof, hic attexere. In Synaxario Moscuensi et Menæis* E *cumulatur vulgaribus laudibus, sine quibus nemo inter orientales sanctus sit: quod scilicet oraret multum, vigilias multas faceret, corpus affligeret; et præterea quod eam vitam duceret, quam alii sancti, stulti pro Christo facti atque hinc* Sali *nuncupati, exemplo suo honestarunt. Deinde de ejus corporis detectione agitur, quod usque ad annum* 1545 *quo Borovitscio Novogrodium translatum fuit, incognitum remanserat. Quum itaque B. Jacobus Salus seu Stultus tamdiu in tenebris jacuerit priusquam celebris fieret ejus memoria, nemo mirabitur maxime jejunos esse de eo scriptores ecclesiasticos Russos; adeoque Philaretus, episcopus Rigensis, ubi in Historia sua ecclesiæ Russiacæ venit ad B. Jacobum Salum seu Borovitsciensem, satis habet lectores amandare ad Lexicon hagiographicum Russicum, ubi tamen vix aliquid reperire est. Quamquam autem B. Jacobi Sali translatio anno* 1545 *solemniter facta sit, non tamen admissum fuit ejus nomen inter sanctos viginti aut viginti et unum, quorum festivam* F *memoriam quotannis fieri jussit concilium Moscuense, die* 26 *Februarii anni* 1547 *incohare et quorum vitas inseruit Menæis Slavicis Macarius, ex episcopo Novogrodensi metropolita Moscuensis creatus et vulgo habitus Menæorum Slavicorum auctor; neque in ullis aliis sæculi* XVI *Menæis B. Jacobi Sali memoria celebratur; quin etiam desideratur ejus imago in Ephemeridibus Græco-Moscis Papebrochii, quæ post medium sæculum* XVII *Moscuæ communi adhuc in usu erant. In fine addiderim oppidum Borovitski seu Borovitschi, in quo vixit et sepultus fuit S. Jacobus Salus, jacere ad fluvium Msta, in provincia Novogrodensi, ad orientem brumalem Novogrodi, satis notæ civitatis, a qua distat chiliometris* 160.

(1) Acta SS. tom. IV Octobris, pag. 571. — (2) Scotorum historiæ, lib. XII, fol. vers. CCLXVIII, edit. 1526. — (3) Scriptores Britanniæ, tom. I, pag. 169. — (4) Rerum Scoticarum lib. VII, pag. 221, edit. Francof. — (5) De rebus gestis Scotorum, lib. VI, pag. 203, edit. Rom. — (6) Act. SS. tom. III Martii, pag. 124 et seqq. et tom. II Junii, pag. 320 et 321. — (7) Annales ecclesiæ Anglicanæ ad an. 1074, num. 16 et seqq. et ad an. 1093, num. 31 et seqq. — (8) Annales Benedictini, lib. LXIV, num. 83; lib. LXVII, num. 47; lib. LXX, num. 91; lib. LXXI, num. 61; lib. LXXII, num. 102. — (9) Britannicarum ecclesiarum antiquitates, pag. 346, edit. 1687. — (10) Anglia sacra, tom. I, præf. pag. XLVII, et pag. 786; tom. II, pag. 234. — (11) An Enquiry into the history of Scotland, tom. II, pag. 269. — (12) An historical account of the ancient culdees of Jona, pag. 239 et seqq. — (13) Annales eccles. Angl. ad an. 1074, num. 18. — (14) Anglia sacra, tom. I, pag. 786.

Toleti

A Toleti in Carpetania Hispaniæ depositio S. Gratiani martyris, Romæ passi; cujus sacra pignora in monasterio fratrum SS. Trinitatis deaurata theca servantur et a fidelibus religiosa pietate coluntur. *Ita Tamayus in Martyrologio Hispanico ad hanc diem; ubi in annotatis addit hujus viri ossa ex cœmeteriis Romanis fuisse eruta et data R. P. F. Joanni ab Annuntiatione, qui ea in Hispanias deferenda curavit. Donec erit tempus pro merito examinandi gravissimas quæstiones, quæ de sanctis cœmeterialibus Romanis motæ sunt, satis nobis erit eos in opere nostro inter Prætermissos collocare.*

B. Lucas, ex discipulo S. Norberti primus abbas cœnobii Montis Cornelii ordinis Præmonstratensis, quod in civitatem Leodiensem translatum nunc esse dicitur, *laudatur hac die in supplemento ms. Menologii Præmonstratensis et in Ephemeridibus hagiologicis Georgii abbatis Roggenburgensis. Hactenus legitime et publice inter sanctos relatus non est.*

B Martyrium abbatis et monachorum Setichenbeckensium in Germania, *quos anno* 1376 *comes Mansfeldius injusta nece occidit quod hospitalilatem, regula S. Benedicti præceptam, exercuissent in hostes ejus, commemorat hodie in Menologio seu in Vitis sanctorum ordinis S. Benedicti Antonius de Heredia. Verum hactenus non vindicavit hos martyres ecclesia.*

In Claravalle B. Gauzelini monachi; qui longo sanctæ conversationis usu ignitas in corde suo ascensiones disponens, quadragesimo anno conversionis pervenit ad Dominum. *Sic legitur ad hanc diem in auctario Kalendarii Cisterciensi. Gauzelinum quoque laudant Bucelinus, Heredia, Henriquez aliique menologii Benedictini et Cistercienses; sed cultum ecclesiasticum non habet.*

Camalduli venerabilis viri Romualdi de Fabriano, *qui decessit anno Christi* 1579. *Hæc ex Benedictino Menologio Bucelini, ex Diario Camaldulensi Basilii Duvergii, ex Vitis SS. Benedictinorum Antonii de Heredia aliisque fontibus; verum Romualdus ille cultum ecclesiasticum nondum obtinuit.*

C

Eboraci in Anglia Ven. Wilsindis, *discipulæ S. Burgundofaræ et sub annum* 650 *ad superos transgressæ, memoriam recolit hac die anonymus Donauwertensis Kalendarii Benedictini scriptor. Cultus vestigia non novi.*

Apud Montem S. Walburgis, monasterium ordinis Cisterciensis, tribus milliaribus a Colonia, prope Bruelam, B. Richmundis virginis; quæ quum vigiliis, jejuniis et obsecrationibus indefesso spiritu vacaret et, mente excedens, cæli secretis interesset, plena bonorum operum migravit ad Christum. *Hæc Arturus a Monasterio ad hanc diem in Sacro Gynecæo, laudans Cæsarium Heisterbacensem, lib.* VIII, *cap.* 7 *Miraculorum, Henriquezium in Menologio Cisterciensi, Manriquezium in Calendario sanctorum ac beatorum ordinis Cisterciensis, atque adeo Calendarium Gallicum, Divione excusum. His addi jam posset Antonius de Heredia in Vitis SS. Ordinis S. Benedicti Hispanice conscriptis et scriptor Kalendarii Cisterciensis in auctariis ad hanc diem. Verum licet hi fere omnes conveniant in nuncupanda Richmunde sancta aut beata, nullus tamen suggerit aliquod ejus cultus umquam exstitisse vestigium. Rectius itaque Gelenius in Admiranda magnitudine Coloniæ eam solummodo* venerabilem *appellavit; nos vero eam prætermimus.* D

B. Alberti, comitis de Franckenberg, in Hassia, et ordinis Prædicatorum alumni, *qui circa medium sæculum* XIII *floruit, laudes hodie efferuntur in Diario sacro Dominicano, Italice Romæ anno* 1758 *impresso. Auctoritate publica nondum sanctis accensitus est Albertus.*

Ven. P. Joannis Nideri, *rerum spiritualium scientissimi, memoriam facit ad hanc diem, Annum Dominicanum secutus, Emmanuel de Lima in Hagiologio Dominicano. Nemo non magni facit hunc virum; at ecclesia eum non colit.*

Jacobi a S. Petro, *anno* 1516 *pro fide a Mauris occisi,* Joannæ de Osorio, *circa annum* 1430 *pie inter moniales Dominicanas mortuæ,* Nicolaï, *episcopi et inquisitoris apud Hungaros,* E *anno* 1241 *occisi,* Arsanciæ Cadelæ, *quæ ex monasterio de Pruliano anno* 1321 *ad superos abiit, et* Laurentii Ramirez, *viri apostolici, qui anno* 1640 *meliorem vitam adeptus est, memoriam meritis laudibus hac die celebrat Emmanuel de Lima in Hagiologio Dominicano. Quibus adde ex Anno Dominicano breviato, anno* 1670 *Parisiis edito,* Febroniam Bononiensem, *pientissimam virginem, et* Petrum Delgatum, *missionarium in India Occidentali. At ex his nullus inter sanctos vindicatus est.*

Joannis de Leiva, *missionarii in insulis Philippinis et anno* 1620 *pie vita functi, laudes hac die celebrant Marchesius in Diario Dominicano et Emmanuel de Lima in Hagiologio Dominicano. Ast nondum judicio legitimo inter sanctos relatus est.*

Nicolai Lyrani, *qui circa annum* 1340 *obiit, piam memoriam recolunt hac die Huberus in Menologio Seraphico et Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano.*

Franciscum Lardegarium, presbyterum, et Jacobum Laggerium laïcum, *utrumque ex* F *ordine Seraphico, hac die laudatos vide ab Hubero in Menologio, quod anno* 1566, *ab hæreticis Calvinianis apud Montem Regalem occisi, martyrium fecerunt.*

Belvisii in territorio Palentino circa annum 1566 pie obiit Didacus Suffranus. *Ejus meminit Huberus in Menologio Seraphico et simul Arturus a Monasterio.*

In India Occidentali, B. Bernardini Saguntini, confessoris. *Sic Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano. Ast Bernardinus ille cultu ecclesiastico caret.*

Palmæ in territorio Cordubensi B. Leonoræ Porto-Carrieræ a Vega, virginis Clarissæ, *quæ circa annum* 1570 *florebat, memoriam hodie celebrant Huberus in Menologio Seraphico et Arturus a Monasterio in Gynecæo sacro et in Martyrologio Franciscano. Eam prætermittimus, quod legitimum cultum ecclesiasticum nondum obtinuit.*

Ulmeti in diœcesi Abulensi, in conventu tertii ordinis S. Francisci, anno 1594, virtutibus clara obiit Catharina de Quadia.

A dia. *Eam laudat iterum hac die Huberus.*
S. Crescum *aut* Crescium, *martyrem in Valle Mugellana in Etruria, ab aliis vero adscriptum Florentiæ aut Fesulis, laudant hac die Castellanus in Martyrologio Universali, Ferrarius in Catalogo generali et in Catalogo SS. Italiæ, item auctor Hagiologii Italici aliique; nos de eo dicimus ad diem proxime sequentem, scilicet* XXIV Octobris.

In Cæsarea Cappadociæ passio SS. Longini, Severi, Victoris et Dorothei *memoratur præsenti die in codice Lætiensi Martyrologii Bedæ seu Flori* (1). *De* S. Longino *dictum est supra; de SS. Severo et Dorotheo, martyribus Hadrianopolitanis, inferius erit sermo.* S. Victor *incognitus nobis est, nisi pertineat ad manipulum Nicomediensem aut Hierapolitanum, de quo dicetur sequenti die, scilicet* XXIV Octobris.

Venusiæ, Felicis episcopi Tubzocensis et Audacti et Januarii presbyterorum: *hæc leguntur in codice Barberiniano Martyrologii Bedæ seu Flori* (2) *ad hanc diem. Eadem nomina refert hac die Notkerus, addens* Fortu-
B natum *et* Septimum *lectores; sed pertinent ad diem sequentem, ad quam* S. Felicis *passionem explicabimus, et simul ostendemus SS.* Audactum *et* Januarium, Fortunatum, Septimum *aliosque male intrusos esse. Vide itaque Acta* S. Felicis *ad* XXIV Octobris.

B. Bernardus, episcopus Viguensis in Hispania, *hac die iterum prodit in Menologiis Benedictinis. In prætermissis ad diem* 16 *Octobris jam diximus, nos de eo acturos die* XXVI Octobris.

Commemoratio sancti abbatis Imeatæ, unius e novem sanctis *monachis, qui ex imperio Romano venerunt in regionem Habessiniæ, Tigrè dictam, ibique floruerunt exeunte sæculo* V, *celebratur hac die in Senkassar seu Hagiologio Habessino, quod non ita pridem in lucem dedit egregius missionarius Josephus Sapeto* (3). *Ejusdem nomen, mutatum in* Jemata *legitur in Kalendario Æthiopico, edito a Ludolfo ad diem* 28 *mensis Æthiopici Tekemt seu* 25 *mensis Romani Octobris* (4). *Alibi* (5) *venit nomine* abbatis Adimatæ *et*
C *ex Qosiat (quis locus is sit me hactenus latet) oriundus erat* (6). *De novem sanctis monachis tentarunt aliquid decessores occasione S. Michaelis Aragawi, quem unum ex iis fuisse falso putarunt* (7); *et S. Garumæ seu Garimæ, quem nescierunt ex eorum numero reapse fuisse, et genuino nomine appellatum fuisse Isaacum, memoriam ab oblivione vindicarunt ad diem* 11 *Junii* (8). *Verum, quum quæ nunc habemus monumenta iis defuerint, non potuere securo incedere tramite. Operæ pretium itaque erit hæc nonnihil retractare; nomina sanctorum Æthiopum, in opere nostro ad dies suos omissa, revocare in memoriam; verbo breve Hagiologium Æthiopicum seu Habessinum conscribere. Quod facile fieri poterit in proximo tomo, in quo dicendum erit de S. Frumentio illarum regionum apostolo, et de S. Elesbaan, Æthiopibus et Habes-*
sinis Kaleb dicto, qui cum S. Pantaleonte, D *novem sanctorum monachorum aliquando duce et patre, multum commercium habuit. Hæc itaque exspectet lector ad diem, quo SS. Frumentius et Elesbaan celebrantur in Martyrologio Romano,* XXVII Octobris.

S. Genesius et mater ejus Genesia, *qui coluntur Tigerni apud Alvernos, celebrantur hac die a Branchio, sanctorum Alvernorum biographo: sed sphalma typographorum in causa est; nam, ut ex ipso Branchii textu sequitur, scribenda erat dies, quo de eis nos dicturi sumus,* XXVIII Octobris.

Officium gloriosi præsulis ac martyris Foillani, XXIII Octobris, ex decreto capituli generalis recognitum, celebrandum ritu majoris triplicis in celebri abbatia ejusdem sancti patroni, *typis Montensibus anno* 1721 *impressum, coram habeo. De illo sancto dicemus ad diem, quo communiter colitur,* XXXI Octobris.

S. Albini, *pro martyre culti in templo monasteriali, dein cathedrali S. Pontii Tomeriarum in Gallia Narbonensi, meminit ad hanc diem* E *Castellanus et secundum eum R. D. Pétin, Hagiographici Dictionarii scriptor. Certissime in S. Pontii æde festive colebatur ejus corpus, donec post medium sæculum* XVI *a Calvinistis dissipatum est. Nunc autem nuspiam signatur ejus festum in ordine divini officii recitandi in divisione ecclesiastica S. Pontii Tomeriarum pro anno* 1829. *Haud scio an hæc omissio primum facta sit quum tam male Calviniani reliquias sancti viri habuere. Certe non apparet ejus festum in duobus Calendariis Tomeriensibus medii sæculi* XVII; *neque id restitutum est a Petro Joanne Francisco de Percin de Montgaillard, qui ab anno* 1665 *ad* 1713 *Tomeriensem sedem occupavit et a Galliæ Christianæ novæ scriptoribus* (9) *meruit laudari quod* Augustinianæ *(Iprensem intellige)* doctrinæ tenax eam pro virili parte defendit. *Certe non reperitur* S. Albinus *in Catalogo festorum, quem hic præsul anno* 1681 *typis Narbonensibus edidit; et quo nonaginta tria festa aut commemorationes ex Missali et Breviario Romanis expunxit; viginta et unum festa ad ritum infe-* F *riorem redegit, v. g. festum Immaculatæ Conceptionis ad ritum mere duplicem sine octava, et festum S. Ignatii Loyolæ ad nudam commemorationem; et quo demum viginti novem festa induxit quæ a Kalendario Romano absunt inter quæ postrema frustra quæres S. Albini nomen. Utut id est, si diversus sit a S. Albino Andegavensi, qui nunc (si nullæ nuper factæ sint mutationes) Tomeriis colitur die* 1 *aut* 2 *Martii, malumus de eo cum Saussayo* (10) *dicere ad diem* II Novembris.

Gaudiosi, episcopi Tyrasonensis conf. patroni ecclesiæ, duplex primæ classis cum octava in matrice; in diœcesi duplex; *ita legitur ad hanc diem in Ordine recitandi divini officii in diœcesi Tyrasonensi seu Turiasonensi in Hispania pro anno* 1718, *verum*

(1) Act. Sanctorum tom. II Martii, pag. XXXV. — (2) Ibidem pag. citata. — (3) Viaggio e missione cattolica fra i Mensâ, i Bogos e gli Habab con un cenno geographico e storico dell' Abissinia, pag. 411. — (4) Commentarius in Historiam Æthiopicam, pag. 396. — (5) Ap. Ludolfum, Hist. Æth. lib. III, cap. 3; Commentarius, pag. 284. — (6) Zapeto, Viaggio etc. pag. 405. — (7) Acta SS. tom. I Junii, pag. 639 et tom. V Octobris, pag. 606 et seq. — (8) Act. SS. tom. II Junii, pag. 465. — (9) Tom. VI, col. 254. — (10) Martyrologium Gallicanum, tom. II, Supplem. pag. 1190.

Ferrarius

A *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, Castellanus in Martyrologio Universali, Tamayus in Martyrologio Hispanico et Petrus Sainz de Baranda in Clavi Hispaniæ sacræ annuntiant ejusdem festum ad diem* 3 *Novembris et prædictus Ordo translationem indicat ad diem* 15 *ejusdem mensis. Quamobrem de eo dicemus ad diem*

III *aut* XV Novembris.

S. Zachariæ sacerdotis *memoria hodie recolitur in kalendario Syriaco seu Chaldaïco, quod anno* 1624 *typis Romanis expressum fuit et cujus duplex versio nobis ad manum est, altera Simonis Moysis Maronitæ, altera Josephi itidem collegii Maronitici alumni. De S. Zacharia, sacerdote et S. Joannis Baptistæ patre, dicemus cum Martyrologio Romano ad diem* V Novembris.

S. Laidgennus *seu* Laidcend *laudatur hac die in Martyrologiis Tamlactensi, Dungallensi, Hibernico Colgani, et in Martyrologio Mariani Gormanni. Colganus in Annotatis ad syllogen de S. Laidgenno, filio Baithi, hæc de præsenti S. Laidgenno habet* (1)*:* Commemoratur... 23 Octobris tertius Laidgennus, filius Bochra, qui cum suis fratribus Cannecho et Accabrono 28 Novembris colitur in regione Desiorum, in loco qui Achadhraithin appellatur. *Commodius itaque de sancto hoc manipulo dicetur die* D

XXVIII Novembris.

S. Petri Paschasii, *episcopi Giennensis et martyris, nomen ab anno* 1674 *bis legitur in Martyrologio Romano, semel die* 6 *Decembris, qua obiit; semel die* 23 *Octobris, quo ejus festum transtulit Clemens papa* X*; satius nobis videtur, ut et Butlero, Godescardo aliisque visum est, de eo dicere ad diem*

VI Decembris.

S. Gratianum, *episcopum Telonensem in Provincia et martyrem, laudat ad hanc diem R. D. Pétin. De eo cum Saussayo et aliis dicemus ad*

XXVI Decembris.

(1) Act. SS. Hiberniæ, pag. 58.

B E

DE SS. THEODOTA ET SOCRATE MARTYRIBUS NICÆÆ IN BITHYNIA

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ unicus. Cultus sanctorum martyrum Constantinopoli. Templa et monasteria SS. Georgii, Theodotæ et Mamantis. Illorum martyrum Passionis fides. Martyres tempore Alexandri Severi.

CIRCA ANNUM CCXXX. *Situs Xylocirci Cpoli; monasterium S. Georgii et templum S. Theodotæ.*

C *Qui oculos conjecerit in mappam seu tabulam Constantinopoleos, is viderit oportet civitatis hujus eam esse formam ut proxime accedat ad figuram geometricam, sectorem appellatum. Propontidis littus loco unius radii est; maris sinus, septentrionem versus Constantinopolim a suburbio Galata dividens et cui nomen est Cornu aureum seu Chrysokeras, alter est radius; circuli vero arcum repræsentat murus, a Propontide usque ad Cornu aureum ductus et urbem ad Caurum seu Occidentem æstivum cingens. Porro prope locum, quo murus hic Cornu aureum attingit, nec procul a palatio et monasterio Blachernarum porta olim erat pluribus nominibus designata; quorum unum* porta Xylocirci. *Id ei nomen datum, quod illac ibatur ad Xylocircum, paulo magis ad septentrionem positum e regione scilicet pontis Leonis imperatoris, supra sinum Chrysokeras constructi; distabat autem Xylocircus quingentis circiter passibus a Blachernis et nomen suum, quod sæpius* Xerocercus *scribebatur, communicabat viciniæ. Ineunte sæculo* VI *exstabat ibidem certissime S. Georgii monasterium, quum Eugenius, abbas monasterii sancti eximiique martyris Georgii in Xerocerco,* ἀββᾶς μονῆς του ἁγιου μεγαλομαρτυρος Γεωργιου ἐν τῃ Ξηροκερκῳ, *subscripserit libello monachorum ad synodum sub Hormisda papa; et medio sæculo sequenti durabat adhuc, quippe cujus abbas Cyriacus interfuerit concilio Constantinopolitano, sub patriarcha Menna habito* (1). *Putem medio sæculo* XI *jam cessasse hoc asceterium: posterioribus saltem temporibus nullam amplius ejus reperio memoriam. Xylocircum partem fuisse Hebdomi bene demonstravit Cangius* (2)*; sed an umquam Xylocircus dictus fuerit positus in Campo Hebdomi, qui fere campus Martius Constantinopolitanus erat, plane mihi ignotum est. Utut id est, in Campo Hebdomo ecclesia erat, quam, ut ex Procopio, lib.* I *de Ædificiis, cap.* 4*, Cangius refert, Justinianus* I *ædificarat titulo S. Theodotæ. Sed hæc martyr nostra non est, sed Nicæna natione, coæva S. Anastasiæ martyri et die* 29 *Julii in Menæis celebrata* (3). F

Non in his, sed in templo monasterii S. Mamantis culti fuere sancti martyres.

2. *Quocirca neque de S. Georgii monasterio et templo in Xylocirco, neque de S. Theodota in Campo Hebdomi cogitandum est, ubi hæc die in Menologio Sirmundi post vulgarem* SS. Theodotæ *et* Socratis *laudationem hæc occurrunt:* Τελειται δε ἁγιων συναξις ἐν τῃ ξυλοκιρκῳ; agitur eorum festivitas in Xylocirco; *sed nomen id proprium erat monasterio S. Mamantis suburbano. Anonymus enim Bandurianus antiquita-*

(1) Du Cange, Constantinopolis christiana, lib. IV, § VI, num. 46, pag. 85, edit. Byzant. Veneta. — (2) De Hebdomo Constantinopolitano disquisitio topographica, num. 12, pag. 16, edit. Veneta. — (3) Cfr Cangius, Cpolis Christ. lib. IV, § VII, num. 31; De Hebdomo Cpolitano, num. 19.

AUCTORE V. D. B.

tum Cpolitanarum indagator, quum de eo asceterio acturus est, hunc titulum præfigit: De monasterio Xylocerco seu S. Mamantis; Περι της μονης τα Ξυλοκερκου, ὁ ἁγιος Μαμας; *et dein ita exorditur* (1): Ἡ δη μονη Ξυλοκερκος, ὁ ἁγιος Μαμας, παρα της ἀδελφης Μαυρικιου ἐκτισθη; Monasterium Xylocircus seu S. Mamantis conditum fuit a Mauricii sorore. *Ita ut dubitandum non sit quin hoc indicetur monasterium in Sirmundiano Menologio. In commentario de S. Mamante fuse dixit de hoc asceterio decessor noster Joannes Pinius* (2), *ex quo pauca huc transferam. Leo I, cognomine Macelas, qui ab anno* 457 *ad* 475 *imperavit, primus videtur struxisse Constantinopoli S. Mamantis templum. Integro sæculo post, dum Mauritius regni habenas teneret (quod fecit ab anno* 582 *usque ad annum* 602, *quo a Phoca cum filiis occisus fuit), soror ejus monasterium ibidem addidit, in quo fratrem ejusque liberos sepeliendos curavit; circa quod tempus Pharasmanes eunuchus templum renovasse videtur. Virgines id asceterium initio habitabant; an etiam viri, ita ut duplex esset monasterium, incertum; sed post-*

B *ea certe ibidem vixere viri, quorum unus celebre habet inter Symeones nomen: is Symeon Junior, theologus dictus, Alexandro Comneno imperatore, Hesychostarum Thessalonicensium seu Palamitarum pater; de eo plura dabunt Leo Allatius* (3), *Fabricius* (4), *Combefisius* (5), *Morcellius* (6) *aliique. Exstat etiam Vindobonæ et Mosquæ hujus viri Vita, auctore Niceta Stethato, cum hoc titulo:* Του ἐν ἁγιοις πατρος ἡμων Συμεων του νεου, θεολογου πρεσβυτερου και ἡγεμονου της μονης του ἁγιου Μαμαντος της Ξηροκερκου. Vita beati patris nostri Symeonis novi theologi, presbyteri et higumeni monasterii S. Mamantis in Xerocerco. *Durabat adhuc Xylocirci seu S. Mamantis monasterium medio sæculo* XIV, *ut passim ex Joannis Cantacuzeni historiis colligi potest; destructum tamen fuerit oportet antequam sæculo* XV *expugnata fuerit Constantinopolis: positum enim erat extra mœnia et quidem in ea ipsa parte, ad quam in Constantinopolis delineatione, anno* 1422 *a Christophoro de Bondelmontibus facta, hæc leguntur* (7): Hic Turci semper præliant, quia locus est debilior.

C

Synaxarium de sanctis martyribus in Menologio Basiliano et Menæis ad 21 *et* 23 *Octobris;*

3 *Porro quomodo factum sit ut in Xylocirco seu S. Mamantis templo SS.* Theodota *et* Socrates *singulari veneratione colerentur me plane fugit: suspicor eo delatas fuisse illorum cœlitum reliquias, maxime quod antiquis temporibus non die* 17 *Septembris, qua S.* Theodota *vitam pro Christo dedit, colebatur, sed die tantum* 23 *Octobris. In Menologio enim Basilii Porphyrogeniti, qui orientale imperium administravit ab anno* 976 *ad* 1025, *hæc ad posteriorem hanc diem leguntur* (8): Sancta Theodota parentibus nobilibus in regione Pontica nata, sub Alexandro imperatore exstitit. Dum autem in monasterio, quo se receperat, quietam vitam ageret, agnita est et a præside* Christi causa capta est. In equuleum semel iterumque* sublata scalpitur et in fornacem ardentem injicitur; sed Christi beneficio inde erepta, a præside Byzantium versus ducitur:

* *Cappadociæ* add. Men. exc. et Rad.; *Simplicio* ms.

* Omitt. δευτερον seu ἐκ δευτερου Men. exc.

mox Ancyram venit; ubi, dum gentiles publica festivitate dæmones colerent et idola adorarent*, Socrates presbyter, vir pius Dominique nostri Jesu Christi confessor, pro sui zeli ardore altare subvertit, eaque de causa, capite amputato, spiritum reddidit. Sancta vero Theodota, jussa idolis immolare et imperata facere recusans, in sartaginem ferventis olei conjecta est; sed quum Dei favore inde illæsa evasisset*, ipsa quoque gladio vitam finivit. *Proxime ad hanc narrationem accedit seu potius eadem est brevis illorum martyrum historia, quæ in Menæis tum excusis, tum manuscriptis leguntur. De excusis pronuntio juxta editionem Venetam anni* 1843 *et versionem Raderi, ex Menæis item excusis paratam; de manuscriptis autem juxta exemplaria Ambrosiana, Chiffletiana et Sirmundiana, toties a decessoribus nostris laudata. Operæ pretium itaque arbitratus non sum eum narratum huc transferre, quum certissime a Basiliano Menologio tantum solummodo distet, quantum corrupta plus minus apographa a meliori exemplari. Varietates cæterum præcipuas*

E *ad marginem notavi, quo magis appareret lectionem, quam etiamnum recitant Græci die* 23, *aut potius nunc* 21 *Octobris, originaliter eamdem esse ac quæ in Basiliano Menologio legitur.*

D

* Ms. hab. θυοντων tantum

* Men. exc. et Rad. omitt. *in sartaginem... evasisset.*

4 *Hoc itaque synaxarium in omnibus menologiis et synaxariis, tam excusis quam manuscriptis, quæ mihi saltem videre licuit, die* 21 *aut* 23 *Octobris legitur; et quidem in ms. libris et Menologio Basiliano die* 23 *Octobris, in Menæis excusis adeoque recentioribus (quo pertinet Sirletianum Menologium) die* 21 *Octobris; et quoniam in his tantum, non autem in illis, alia festivitas cum alio fusiori synaxario indicatur ad* 17 *Septembris, dubium nullum esse potest quin primitus festum SS.* Theodotæ *et* Socratis *Constantinopoli actum sit die* 23 *Octobris; quæ dies quum integro mense distet a* 17 *Septembris, sanctorum martyrum morte honestata, et quum quæ illa die agebatur festivitas, solemnius celebraretur in uno S. Mamantis suburbano templo, nemo non videt quam pronum sit conjicere reliquias aliquot SS.* Theodotæ *et* Socratis *illic olim hac die receptas fuisse. Ast non* F *id solum de synaxario Basiliano animadvertendum est. In eo videlicet ita narratur SS.* Theodotæ *et* Socratis *martyrium ac si ambo Ancyræ capite fuissent plexi; ast in Passione, quam infra edemus et cujus epitome exstat in Menæis excusis ad diem* 17 *Septembris,* Socrates *quidem Ancyræ occisus dicitur;* Theodota *autem hinc Nicæam Bithyniæ ducta, atque hic capite minuta. Ex qua diversitate oritur quæstio ubi demum S.* Theodota *martyrium fecerit; dein utra historia antiquior Menologii Basiliani an illius fusioris Passionis; quod si hæc recentior habenda sit, an ea omnia, quæ S.* Theodota *Nicææ locuta esse et fecisse dicitur, totidem commenta sint. Verum si quis præ oculis habeat rationem, qua collectum fuerit Menologium Basilianum, fons et origo synaxariorum, quæ de SS.* Theodota *et* Socrate *in Menæis ad diem* 21 *aut* 23 *Octobris scripta aut impressa sunt; si*

id desumptum fuit ex antiquiore Passione, omissa S. Theodotæ *palæstra, quæ Nicææ in Bithynia fuit.*

(1) Banduri, Imperium Orientale, tom. I, part. III, pag. 54, edit. Paris. 1721. — (2) Act. SS. tom. III Augusti, pag. 431. — (3) De Symeonum scriptis diatriba, pag. 72, 143, 151, 161, 168, 172 et seqq. — (4) Bibliotheca græca, tom. X, pag. 323 et 324. — (5) Auctarium noviss. tom. II, pag. 119 et seqq. — (6) Calendarium Constantinopolit. tom. I, pag. 126. — (7) Vide hanc mappam ap. Banduri, Imperium Orientale, post pag. 348, edit. Veneta. — (8) Menologium Græcorum, tom. I, pag. 136.

quis,

A *quis, inquam, recogitet totum fere illum librum nil aliud continere quam summaria longiorum Passionum, atque hæc ita confecta esse ut omnia fere habeant eamdem magnitudinem; non poterit non putare scriptorem, nimium ad finem properantem, omisisse S.* Theodotæ *Nicænum iter et post indicatam S.* Socratis *mortem continuo sociæ ejus cruentam necem narrasse. Equidem quin ita sit dubitare non possum, maxime quoniam ad calcem longioris illius Passionis S.* Theodotæ *sepultura refertur, a Sophronio, episcopo Nicæno, in civitatis vico procurata. Unde sequitur nil obstare quin Passio illa Menologio Basiliano, seu initio sæculi* XI *antiquior sit; immo certum videri Menologii illius de martyribus nostris synaxarium ex ea ipsa Passione fuisse excerptum.*

Auctor hujus Passionis non fuit Simeon Metaphrastes.

5 *Sed quis hujus Passionis scriptor et quæ ejus auctoritas? Manu Rosweydi inscriptum reperio interpretationi, quam dabimus, auctorem græcæ Passionis esse Simeonem Metaphrasten. Verum id parum credibile : stylus enim omnino alius est; dein hæc lucubratio non recensetur ab Allatio inter Vitas et Passiones, quæ* B *reapse a Metaphraste conscriptæ fuere* (1); *et tertio demum, Metaphrastis scripta nequaquam rara sunt, sed multis reperiuntur locis : contra Passio SS.* Theodotæ *et* Socratis *tam paucis exsistit in bibliothecis ut nuspiam mihi in catalogis fuerit obvia. Quam autem vertendam curavit Rosweydus, eam acceperat Parisiis,* ex ms. Medicæo regis Franciæ, *ut ibidem annotavit : qui codex quo nunc terrarum abiverit mihi plane incertum; profecto in catalogis Parisiensibus annotatam hanc Passionem non reperio. Bruxellis etiam non exstat exemplar græcum, ex Parisiensi desumptum; neque id post Rosweydi mortem habuisse videntur decessores, in quorum quippe catalogis nulla illius fiat mentio. Procul dubio tamen in Græcia aut Constantinopoli exemplaria superesse debuere, quum Menæa fuere excusa : quæ enim in iis ad diem* 17 *Septembris leguntur ex hac ipsa Passione partim verbatim desumpta, partim breviata sunt.*

Difficultates, quæ ei insunt,

6 *Vix itaque dubitandum videtur quin SS.* Theodotæ *et* Socratis *Passio adscripta fuerit Simeoni Metaphrasti pro communi illa opi-* C *nione, qua quævis Sanctorum acta græca, auctoris titulo carentia, opus ejus esse dicuntur : de qua re videri potest Allatius* (2). *Verum inde neque crescit, neque decrescit scriptionis hujus auctoritas. De hac autem me anxium plurimum fuisse et jam in unam jam in alteram partem propensum quare diffiterer? Postquam tamen omnia quæ in eorumdem favorem aut contra ea facere viderentur diligenter semel et iterum examinavi, statui mecum tandem nil esse cur inter apocrypha scripta referretur, et multa esse quibus suadeatur eamdem esse sinceram. Quatuor autem præcipuæ difficultates in hac Passione esse videntur : quarum prima est imperatorem Alexandrum in ea dici impii decreti auctorem et jussisse idola ab omnibus adorari; secunda continuis fere miraculis ab omnigenis tormentis servatam fuisse S.* Theodotam; *tertia sæpius sanctam virginem uti inter loquendum scripturæ sacræ locis et quarta demum longiores ejus esse sermones. Verum, ut ab his postremis difficilioribus locis exordiar, in sermonibus S.* Theodotæ *duplex genus distinguendum est, alterum responsionum, alterum orationum ad Deum; prius generatim breve est et simile responsionibus quæ in Actis præsidialibus occurrunt; posterius nil habet quod insolens sit aut inopportunum videatur. Non magis obstare possunt Sacræ Scripturæ loca, quæ S.* Theodota *recitat: sunt enim hæc ad unum fere omnia deprompta ex libro psalmorum, quem multi fideles initio ecclesiæ memoria tenuisse et domi rurique cantasse norunt omnes. Magis serium est quod de continuis miraculis objici potest. Ast vide quam nude et simpliciter hæc narrentur; dein nullum est quod in aliis Passionibus, etiam optimæ notæ, non legatur : quemadmodum in annotatis fusius explicabimus.*

AUCTORE V. D. B.

et quarum potissima est decretum persecutionis adscriptum Alexandro Severo.

7 *Quod demum decretum persecutionis Alexandro Severo imperatori tribuitur, neque id impedire debet quominus hanc Passionem sinceram habeamus. Re quidem vera princeps ille, Mammæa, muliere christiana, natus* (3), cum puer ad imperium pervenisset, fecit cuncta cum matre, ut et illa videretur imperare, *et ad finem* E *usque vitæ* optimæ matris consiliis usus est (4); clamabat sæpius quod a quibusdam... christianis audierat et tenebat...: « Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris (5); » cum christiani quemdam locum *(tabernam scilicet meritoriam)*, qui publicus fuerat, occupassent *ibique templum B. Mariæ trans Tiberim excitassent,* contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit melius esse ut quomodocumque illic Deus colatur quam popinariis dedatur (6); si non cum uxore cubuisset, *quotidie* matutinis horis in larario suo, in quo et divos principes, sed optimos, electos, et animas sanctiores, in queis et Apollonium, et quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham et Orpheum et hujusmodi cæteros habebat, ac majorum effigies, rem divinam faciebat (7); Christo templum facere voluit eumque inter Deos recipere;... sed prohibitus est ab iis qui, consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, et templa reliqua deserenda (8); *multum itaque abest ut Alexander christianos odio habuerit, aut qui erga omnes* F *studebat esse mansuetus, æquus et comis, violentus in eos fuerit et crudelis; contra magni eos faciebat certumque habebat eorum sacerdotes optimos quosque esse viros; adeoque ubi rectores dandi erant provinciis, præpositi faciendi et ordinandi rationales, servabat ipsemet instituta, quibus christiani tam bonos sibi præficiebant magistros* (9). *Quocirca quamquam pristina decreta, quibus christiani proscribebantur, non sustulit, eorum tamen vim et auctoritatem gravem esse noluit; verbo* christianos esse passus est (10); *quin etiam* in ejus familia *servili* complures fideles et christiani versabantur (11).

non officiunt illius auctoritati; nam Ulpianus, Alexandri adolescentuli tutor, omnia priora collegit.

8 *Verum enim vero* Paulum et Ulpianum in magno honore habuit, quos præfectos ab Heliogabalo alii dicunt factos, alii ab ipso. Nam et consiliarius Alexandri, et magister scrinii Ulpianus fuisse perhibetur; qui tamen ambo assessores Papiniani fuisse traduntur. *Hæc*

(1) De Simeonum scriptis diatriba, pag. 124 et seqq. — (2) Ibid. pag. 79 et 80. — (3) Lampridius, Alexander Severus, cap. 15. — (4) Ibid. cap. 66. — (5) Ibid. cap. 51. — (6) Ibid. cap. 49. — (7) Ibid. cap. 29. (8) Ibid. cap. 43. — (9) Ibid. cap. 45. — (10) Ibid. cap. 22. — (11) Eusebius, Hist. eccl. lib. VI, cap. 21.

Ælius

AUCTORE V. D. B.

Ælius Lampridius (1): *qui pluribus aliis locis* (2) *docet summam apud Alexandrum Ulpiani fuisse auctoritatem, ita ut eum* pro tutore habuerit, primum repugnante matre, dein gratias agente (3); *et ut, teste Dione Cassio* (4), *non solum ei* dederit præfecturam prætorianam, *verum etiam* ei permiserit cætera quæ pertinent ad administrationem imperii. *Neque enim initio poterat Alexander, quippe qui quarto decimo ætatis anno imperium capessivit, rempublicam ipsemet gubernare. Ast audi jam quomodo Ulpianus, pristinarum legum retinentissimus, in christianos usus fuerit hac sua potestate.* Quin etiam, *inquit Lactantius* (5), sceleratissimi homicidæ *(Ulpianus quippe pluribus reus visus est Chresti et Flaviani cædis)* contra pios jura impia condiderunt. Nam et constitutiones sacrilegæ et disputationes jurisperitorum leguntur injustæ. Domitius, de officio proconsulis libro septimo, rescripta principum nefaria collegit, ut doceret quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur. *Perdita est hæc illius libri pars aut potius destructa, quum simul cum Constan-*
B *tino vicit christiana religio; sed quum ea in præsidum provinciarum manus venit, quis mirabitur aliquot ex eis fuisse qui nefaria illa rescripta exsequi statuerint nomine adolescentuli imperatoris? Quod enim Alexandro imperatore non per omnes provincias in christianos aspere actum fuit, nequaquam inde sequitur ubique iis fuisse parcitum. Præsides plurimum ducebantur suo genio:* Accepta enim potestate, *ait Lactantius, generatim agens de præteritis temporibus,* pro suis moribus quisque sæviit. Alii præ nimia timiditate plus ausi sunt quam jubebatur; alii suo proprio adversus justos odio; quidam naturali mentis feritate; nonnulli ut placerent, et hoc officio viam sibi ad altiora munirent. Aliqui ad occidendum præcipites exstiterunt, sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit. *Atque illa forte veterum decretorum renovatio præcipua causa fuit ob quam Mammæa initio Ulpianum repugnanter tulerit. Ex illo itaque capite frustra oppugna-*
C *retur SS.* Theodotæ *et* Socratis *passio.*

Plura suadent hanc Passionem sinceram esse et bonam.

9 *Jam si in ea inquiramus quæ eamdem commendent et sinceram esse suadeant, imprimis considerandus venit interrogandi et respondendi modus, qui omnino idem est ac qui in genuinis martyrum Actis omnium ferit oculos; deinde nuspiam generalia dicta habes, sed omnia accurate designata, homines, loca et alia hujusmodi; tertio nil est quod non conveniat cum illius ævi moribus et rebus gestis: qui fabulatorum pene omnium certus est scopulus; quarto locus aliquis inest, qualem nuspiam in Passionibus fabulosis deprehendes; ecce autem:* Prodiit in medium virgo, talisque apparuit ut præfectus eam lautioribus cibis in itinere nutritam fuisse arbitraretur. Itaque accersito ad se commentariensi dicit: Dic, sodes: quibusnam cibis usa est Theodota? Tum alter: Domine, Tatianus, adjutor commentariorum, ad hoc respondeat. Tum præfectus: Tatianus mox adsit. Tatianus præsens hunc in modum rogatus est: Dic nobis quales cibos sumpserit virgo? Ait Tatianus: Domine, in itinere cum esset I vinculis constricta *etc. Sed potius judicet ipse lector, non præjudicatis opinionibus ductus, sed præ oculis habens optima martyrum Acta, quæ ipsi severiores critici inter bona historica monumenta recensent. Plura addemus in annotatis ad Acta. Ad calcem hujus commentarii tandem subjungam versiculos, qui Menæis græcorum inscripti sunt. Ad* 17 *Septembris, qua die unius S.* Theodotæ *memoria celebratur, hos habes:*

Την Θεοδοτην προς ξυρος τεθηγμενην, * τεθηγμενον
Ποιει προθυμον ἡ Θεοσδοτος χαρις.

Id est latine: Theodotam ad ensem acutum *(excipiendum)* paratam facit divina gratia; *et ad* 21 *Octobris, quo simul S.* Socrates *colitur:*

Την Θεοδοτην ἐκ ξυρους τετμημενην
Θεῳ δοτην ἐγνωμεν ἁγνην θυσιαν.
Ὁ Σωκρατης ἐσπευδεν ὀφθηναι, Λογε,
Τετμημενος σοι Σωκρατης στεφοκρατης.

Theodotam gladio occisam novimus Deo datam *seu factam esse* puram victimam.

Christe, Verbum *Dei,* Socrates properavit E apparere coram te *tamquam* Socrates stephocrates *seu* coronatus.

CERTAMEN SEU MARTYRIUM

SANCTÆ, GLORIOSÆ ET VICTORIIS CLARÆ

MARTYRIS THEODOTÆ,

E græco ms. medicæo regis Franciæ, interprete Guilielmo Gratio Brugensi, Societatis Jesu presbytero a. a

Alexander imperii sui tempore, impii dogmatis auctor, servos Dei inanis nominis idola, et quæ solam deorum appellationem sortiuntur, colere jubebat *b.* Magos quosdam secum ducere consueverat, qui ad verum christianæ fidei mysterium persequendum eum incitabant *c.* Tale decretum per totum orbem terrarum instituit, ut qui vana ejusmodi mysteria nollent evertere, Simplicio cuidam, omnis veritatis hosti, cui omnem imperandi licentiam dederat *d,* inservirent. Huic et absolutum jus concessum est ad interficiendos eos, qui idolis honorem exhibere recusarent. Igitur Simplicius, egressus ex Oriente, totum orbem idola colendo peragravit. Maxime vero Apollini sacra faciebat, christianos diris afficiens supplicii. Ingressus Cappadociam *e,* jussit eumdem deum adorari eique adoleri. Erat autem ea tempestate illic frequens christianorum exercitium.

Simplicius, missus ab Alexandro Severo ad cultum deorum urgendum, *b* *c* F *d* *e*

2 Inter cæteras Theodota quædam ex Pontica regione et primaria matrona, Anicia nomine, eminebat; multis facultatibus abundans, a cæteris in veneratione habebatur, quod se Deo jam devovisset *f.* Quum vero impurissima sacrificia Apollini immolarentur, Simplicius undequaque christianos adesse

obviam sibi habet in Cappadocia S. Theodotam *virginem, fidem fortiter profitentem.* *f*

(1) Alexander Severus, cap. 26. — (2) Ibid. cap. 15, 31, 67, 68 et aliis. — (3) Ibid. cap. 51. — (4) Hist. Romanæ, lib. LXXX, initio. — (5) De divin. instit. lib. V de justitia, cap. 11.

coegit.

A coegit. Theodota, sese palam ostentans et ad unius Dei cultum et cognitionem publice comparens, primam se Simplicio patefecit, dicens : Estne quod postulas, præfecte? Ait Simplicius : Imperatoris decretum sine mora perfici. Ait Theodota : Cujusnam imperatoris? aut quodnam decretum? Iterum Simplicius : Imperatoris Alexandri, qui orbem sibi subjugavit, cujus imperium est venerabile et [qui] victimas passim diis immolari decrevit et consequenter *g* Apollini sacrificari voluit. Theodota ait : Vide ne tu hallucineris, Simplici. Deus enim omnipotens, qui mundum universum creavit, in cælis degit, et idola et falsos deos fieri prohibuit. Disce diligenter christianorum Deum per prophetam dixisse : Dii, qui cælum et terram non fabricaverunt, pereant! Iterum alius propheta ait : Dii gentium dæmonia sunt. Quomodo igitur christianus, mandata minime falsa servanda suscipiens æternamque adiens ex Christi testamento hæreditatem, terga vertet? et incorruptibili excidens, vitam corruptibilem sortietur, æternæ mortis

B supplicia incurrens?

Romæ Candida dicebatur, patre Acacio, genere Anicio orta, anhelat ad martyrium.

3 Ad hæc Simplicius præfectus : Quænam tu, quæ tam temeraria effutire audes? Ait Theodota : Quod primum et maximum est, christiana sum, quæ salutem per Christum consequi desidero. Secundo matrona sum, patre Acacio. Tertio sum Romæ Candida *h* ex genere Anecio *i*. Ait Simplicius : Quæ tantæ es dignitatis, cave ne multos ad peregrinam cognitionem seu scientiam adhorteris. Verum imperatori morem gerens, diis mox sacrificato. Tum Theodota : Consequenter loquere et sustinebo te. Vetas ne multos ad peregrinam cognitionem incitem; et contra dicis : Apollini sacrifica. Perniciem ex ipso nomine agnoscito, cum Apollinem nominas *k*. Si ipse periit, igitur omnes, qui ipsi adhærent, animas suas perditas eunt. Tum Simplicius : Cave, mulier, ne nugis femineis nos circumvenias, ne crudelem mortem incurras. Iterum Theodota : Christi stadium non solum viros, sed etiam mulieres comprehendit, et præmiorum dator est Christus; neque solum adversus diabolum

C viros, sed et mulieres ungit, gloriosum ducens pro victoria eas cum hoste concertare, ut coronatæ dicant : Ubi est, mors, stimulus tuus? ubi, inferne, tua est victoria? Tum iterum Simplicius : Gravibus te suppliciis consumam, nisi sacrifices. Tum Theodota : Jube me hæredem fieri patrum. Pater enim meus David in testamento exposuit : Quoniam ad flagella paratus sum et vultum meum non averti ab opprobrio conspuentium. Quapropter patrum sequar hæreditatem. Fac mecum quod vis; nullo me timore concuti videbis. Christum enim habeo, qui me contra patrem tuum diabolum armare non desinit.

Simplicius jubet eam suspendi et genas abradi; non sentit tormenta martyr, et hortamentis Simplicii fortiter resistit.

4 Iratus Simplicius varia tormentorum genera, in medium allata, præparari curat moxque ait : Per deos, ni statim sacrificaveris, his omnibus te sine mora tormentis cruciabo, ut his brevi tempore carnem tuam consumam. Ad quæ Theodota : Hæc omnia ex patris tui satanæ hæreditate habes et præbes; qui enim perversi patris es filius, perversa et operaris. Simplicius mox eam suspendi imperat, malasque in facie abradi *l*. Illa vero suspensa et rasa, voce elata ait : Gloria tibi, Deus, quod per impurum Simplicium purum in me et eloquentem sensum excitaveris et aperuisti os meum et attraxi spiritum. Sedi enim ligata et ignota omnibus. Nunc vero, Deus omnipotens, per hæc flagra aperuisti os cordis mei, omnibusque divinitatis tuæ gratiam declarasti. Ipsa jam rasa neque ullo modo læsionem sentiente et Deum glorificante, fatigati erant *m* ministri diaboli. Tum Simplicius eam apprehendi et interrogari imperat; dumque cominus adducitur, ait : Dic sodes, Theodota, utrum mentem mutaveris. Omnes ecce spectatores mecum his te tormentis affici indignissime ferunt. Nobilis enim cum sis, et ex prima prosapia et scientia venerabilis, agnosce te tibi infamiæ notam non [posse] leviter inurere. Te enim dii optimi maximi, licet rasam, salvam tamen ad sacrificium exspectantes conservant. Venerare et honora in omnibus genus tuum, neque corporis tui speciem ingloriam esse sinas, et tamquam prudens mulier sacrificium Apollini offeras. Ait Theodota : O rei iniquitas! Qualia nobis profers, Simplici, verborum sophismata? Certe sermo-

E nes tui absinthio sunt amariores. Monitio tua est instar laquei lethalis, mortem occultantis. Vultus refert agnum mollem et lentum, sed clam execrantem. Procul absit ut fraudulentis tuis consiliis mentem meam valeas supplantare. Christi sigillum *n* animo meo nervos et robur addidit, cogitationesque confirmavit, ut, intelligibilis divinitatis facta professione, tormentorum tuorum technas et inventiones superare possim.

Crudelissime flagellatur, nullum sentiens dolorem; et in carcere interiori posita visitatur ab angelo;

5 Ait Simplicius : Iterum velut prius in aere suspensa, feriatur, donec intestina diffluant *o*. Tum iterum illa : Deus meus, qui omnipotens es et invisibilium thesaurorum largitor, qui sæculorum es creator, qui præteris omne delictum ex ignorantia commissum animæ tibi sincero corde servientis, qui omnis malitiæ oblivisceris, neque peccatorum recordaris, sed in te sperantes ex ore lupi sine mora eripis, libera me quoque a maligni dæmonis carnificina, ut tibi serviens dexteræ tuæ auxilium persentiscam. His precibus rite fusis, flagra usque ad ossa intima penetrarunt, sed quæ nullum omnino dolorem inferrent *p*.

F Tum iterum præfectus in carcerem eam conjici curat, ubi hunc in modum cantare cœpit : Viam iniquitatis amove a me, et in lege tua miserere mei. Iterum Simplicius in interiorem custodiam *q* abductam diligenter per suos ibidem conservari imperat, ne quisquiam forte ingressus sermones artificiosos eam doceat. Famuli ad hæc, timore perculsi, spatio tridui omnibus eam adeundi viam præcludunt. Post tres dies foribus carceris ultro apertis, custodes, tremore concussi, citato cursu ingressi, virginem hilari et pleno vultu conspiciunt, pugillares *r* ulnis gestantem simulque dicentem : Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Cantabo et psallam in gloria mea. Illi interrogaturi cur ita consisteret, ecce subito juvenem conspicantur, panem et aquam deferentem. Tum statim, clausis foribus, accurrentes quæ in carcere admiranda viderant Simplicio nuntiant *s*.

et quemadmodum coram Simplicio fatetur, val-

6 Simplicius, iis nequaquam fidem adhibens, eo die supersedendum ratus, sequenti ad se adduci jubet, iterumque rationem reddere

EX MSS. *nera sanantur.*

dere cur diis sacrificare nolit. Illa, carcere egressa nec jam ob corporis incolumitatem et integritatem agnita, ita est prolocuta : Viam veritatis elegi; judicia tua non sum oblita. Cumque stantem ante tribunal Simplicius non agnosceret, ait : Omnino concipio me alteratum esse vel incantatum. Tum ad illam : Quænam es tu? Ad quæ sic illa : Cogitationes tuæ obtenebrescunt et mens ad interitum parata est. Si enim veritate lotus et purgatus esses, facile cognosceres quod eadem Theodota sim, per Jesu Christi misericordiam salutem consecuta. Simplicius præfectus ait : Quis te demum docuit nos ita effascinare, ut flagrorum ictus
t non videamus *t*? Ad quæ Theodota : Osor malitiæ, pravitatis artifex, hostis cælestis victoriæ, tu non nosti quod flagra tua quasi in alieno corpore pertulerim? Neque enim corruptibilis hominis est tam cito mederi; sed Dei auxilio, et Christi adminiculo, Spiritus Sancti denique operatione curata sum. Quapropter iterum incipe; idcirco enim tibi sano corpore adsto, ut denuo me flagris percutias; ut, cor-
B pore doloribus exercitato, anima inde magis excitata ad Deum evolet dicatque : Laqueus contritus est et ego liberata sum. Adjutorium meum in nomine Domini, qui fecit cælum et terram.

Injecta in flammas, quibus septuaginta milites comburuntur,

7 His præfectus auditis, in fornacem ardentem conjici actutum imperat. Tum ipsa statim : Parata sum; minas tuas nequaquam pertimesco; Christus enim mihi adjutor. Cum jam fornax, igne instructa arderet, insuper ad Deum cantans ait : Tu Domine, qui omnium es Deus, qui et in cælis ministraris et a cælestium angelorum cœtibus glorificaris, qui per omnem terram adoraris et ab iis cognosceris, qui mandata tua in veritate custodiunt, a cælis oculos deorsum dirige; et quemadmodum in iis qui tibi digne deserviunt complacuisti; eosque ab omni via diaboli liberasti, ita quoque ego humilis tibi modo placeam : præbe mihi promptum a cælo auxilium; flammamque, ab hoc maligno mihi præparatam, irrora; adversarios vero igne consume, ut cognoscant te Deum esse qui viventes et perdurantes animas suscipis. Interea famuli fornacem ardere
C ac totam igneam esse domino nuntiant. His auditis, præfectus a throno descendens, ad locum perrexit, ad quem et sancta Theodota mox adducta. Vix eam famuli cremandam comprehenderunt, quin serpens flamma septuaginta milites adusserit *u*. Interea virgo orans fornacem ingreditur; ostium in sequentem diem, ne quis eam educere tentet, fortiter obseratur.

u

postridie hinc sana egreditur laudatque Deum.

v
x
y

8 Præfectus, prima luce basilicam *v* ingressus, Lampadium Jovis *x*, et Malacium Apollinis *y* sacerdotes ad locum, fornacis spectandi gratia, accersiri jubet : existimabat enim virginem jam cônsumptam esse ac in cineres redactam. Accesserunt sacerdotes cum ingenti populi multitudine, fornacis ostium aperturi. Ad quos Simplicius : Tollite et dissipate exustos cineres, ne qui cineres colligentes dei loco habeant et martyrium declarent. Vix fornacis orificio soluto, sacerdotes duos juvenes, flammas dissipantes, in quorum medio virginem stantem, deprehendunt; a quibus statim exusti sunt. Egressa autem est virgo e clibano tamquam e thalamo, illæsa et intacta, dicens : Christe, qui meus et totius mundi es D
salvator, qui et lumen accendis et Spiritus Sancti substantia, angelorum ore, flammam dissipas, qui alienos a veritate conteris tuosque præcones in veritate coronas, qui Spiritus Sancti faces et lumina in eorum illustrationem, qui mandata tua custodiunt, extendis, qui fluctuum sedas tempestates, qui servum tuum Petrum divino tuo aspectu ex infideli in fidei columnam commutas et ex maris periculis conservas, qui hunc diem in tui glorificationem et in credentium auxilium mundo declarasti, tu, Domine, cursum meum perfectum velut Deus conserva. Hæc audiens Simplicius, simulque videns milites suos mortem oppetiisse, ait : Variis suis incantationibus hæc victrix evadit; abeat igitur in carcerem, donec videam qua ratione e medio tollatur.

Dum redit in carcerem, voce cælesti recreatur et in itinere Byzantium versus visitatur ab angelo.

9 Illa jam abeunte, vox e cælo audita est, dicens *z*: Gaude et lætare in nomine meo, Theodota, ex omnibus te tormentis liberabo, quæ tibi propter nomen meum inferuntur. Postquam septem diebus in carcere fuisset, Simplicius Byzantium *aa* una cum sancta virgine concessit. In itinere angelus, ipsi apparens circa horam nonam, vincula solvere consueverat; quo tempore preces perficiebat; tum iterum vinciebatur. Post viginti dies Ancyram *bb* venit, ubi omnia mancipia diaboli, vinculis quasi furore bacchico ligata, Jovi et Apollini sacrificabant.

z
aa
bb

Ancyræ S. Socrates presbyter, eversa ara, capite plectitur, et S. Theodota coram Simplicio sana apparet.

10 Ad hæc Socrates quidam presbyter, Apollinis aram eversurus, accessit dicens : Omne dæmonium, sanguinem et nidores amans, alienum est a me. Igitur si is, cui sacrificium offers, a Christo alienus est, et hujus impuræ hostiæ alienæ sunt ab eo; quarum sedes vel cathedra pestis est. His dictis, Simplicius presbyterum sine mora capite plecti jubet, virginemque denuo ad quæstionem vocari, ut pœnitudine ducta, tamquam nobilis et pura mulier, sacrificare pergeret. Prodiit in medium virgo, talisque apparuit ut præfectus eam lautioribus cibis in itinere nutritam fuisse arbitraretur. Itaque accersito ad se commentariensi dicit : Dic, sodes : quibusnam F
cibis usa est Theodota? Tum alter : Domine, Tatianus, adjutor commentariorum *cc*, ad hoc respondeat. Tum præfectus : Tatianus mox adsit. Tatianus præsens hunc in modum rogatus est : Dic nobis quales cibos sumpserit virgo. Ait Tatianus : Domine, in itinere cum esset vinculis constricta, cum iisdem libere usque ad horam nonam obambulavit. Hora nona, ad quemcumque locum pervenimus, omnia vincula solvebantur ipsaque preces fundebat; cumque reverteretur, alii iterum in vinculis erant, nosque ambulabamus. Hoc scio et novi, aliud præterea nihil.

cc

Jubetur super pyram mitti,

11 His Simplicius auditis, ait virgini : Dic, sodes, Theodota; mutasti tandem sententiam? Tum virgo : Iterum scire desideras cur ego huic deo sacrificare nolim; quia deus non est, sed mutum dæmonium. Anne æstimas tu quod, flagris percussa, alia sim et remissior in proposito facta? Absit hoc; verum animus mihi est pluribus et inusitatis tormentis et doloribus Deo magis innotescere. Perge igitur patris tui satanæ voluntatem perficere; me enim ob Christi confessionem per celebria

A bria tormenta coronari detur. Iterum Simplicius pyram exstrui jubet ut in eam conjecta vitam finiat. Tortoribus paratis, ad incendium pertracta est sacra martyr et in hunc modum oravit: Justitiæ illuminator, Christe, qui legislatori Moysi auxilium ferens, populumque confirmans, adversarios ejus in mare demersisti; qui gubernacula ejus qui hominum vitæ insidiatur confregisti, portumque tranquillum sanctis ostendisti, tu modo vultu tuo divino me aspicere dignare, mihique in subsidium sanctæ virginis Teclæ *dd* angelum, qui flammam excitati ignis dissipet submittere ne graveris, ut comminationes Simplicii, veri Christi hostis, mihi in nominis tui confessione permanenti subjiciantur.

dd

et in foro iterum ad litandum idolis frustra incitata, rogat ut aliquis sacerdos gentilis secum in flammas veniat.

12 His dictis, satellites ad forum pertrahunt; quo cum venit, ait iterum Simplicius: Quo usque tandem, Theodota, tibi ut Apollini lites persuadere non poterimus? Ait Theodota: O insensate, quorsum me frustra ut impuro dæmonio immolem hortaris? Quid ita insanis? O malitiose, hujus impuri spiritus impotentiam nondum satis novisti? Non B vides mutum et cæcum esse dæmonium? Agnosce quam sit absurdum servire tam impuro, qui nulli valet auxiliari; verum alios partim dissolutos, partim exustos a præparata in meam perniciem flamma, magna Christi per suos satellites potentia, illos, inquam, igne absumptos nequaquam liberare potest. Quævis pœna convenit. Et tu etiam cur ego non immolem rogare pergis. Itane vero ego Christum curatorem meum deseram? Apollinis hujusque* sacrificio immoriar? Perge, o alienatissime veritatis hostis, perge, inquam, patris tui artes exercere. Si vero scire aves quis demum sit qui mihi auxiliatur, da mihi libellensem *ee* tuum, per quem et tui imperatoris cognitio et tua fragilis et inanis potestas, nomenque falsi dei, qui ab interitu seu pernicie appellationem sumpsit, omnibus innotescet. Mecum in paratum rogum descendat, et si quidem salvus inde exierit, tui omnes in Apollinem credant. Tum Simplicius: Dorothee, qui magnorum deorum Jovis et Apollinis honoras memoriam, descende C cum hac in rogum.

ee

Ipsa incolumis inde exit, combusto Dorotheo sacerdote.

13 Dorotheus, Apollinis oraculorum conservator, ait: I prior; sequor. Tum sancta virgo: Ego, ait, primum ingrediar; et simul stans ante locum incendii, dicit: Christe, qui veritatis es legislator, qui profundum maris rubri divisisti, idque hinc inde quasi muro obvallans fidem ostendisti, hostiumque temeritatem tuæ divinitatis potentia submersione punivisti, me quoque hoc in statu communire mecumque congredi non moreris. Tu enim es, Domine, qui sicut imperantium dispellis consilia, ita flammarum dissipare vales incendia. His dictis, prius se signo crucis muniens, descendit ac in ignis conceptaculo quasi in sublimi thalamo constitit. Descendit pariter et Dorotheus, stansque ante locum, in hæc verba prorupit: Dii maximi, benevoli et propitii, Jupiter insuperabilis Apolloque invincibilis, corporis mihi incolumitatem, per summam gratiam ignis scintillas dissipantes, conferte. Hæc dicens, Apollinis se diademate religans, ad focum perrexit; quem exsiliens flamma statim exussit ac in cineres redegit. Hinc magno timore omnes clamarunt, præmium iniquitatis indigne ferentes; alii vero dixerunt: Magnus est Deus Theodotæ. Simplicius autem, subitum Dorothei interitum non ferens, stantem in medio igne virginem fixis intuetur oculis, dicens: Præstigiis tuis et pharmacis id efficis, non solum ut vincas, sed et ipsos deos fallis eorumque oculos arte tua perstringis. Verum nondum suppliciorum satis est; majora tibi inferenda sunt supplicia. Hoc dicto, in carcerem redire jussit, surgensque perrexit in prætorium.

EX MSS.

Nicæam ducitur S. Theodota *et ibi frustra jubetur serrari.*

14 Verum sequenti die, plenus dolore ob Dorothei mortem, iter in Bithyniam maturat; quem et sequitur Theodota. Cum vero in Nicæam urbem pervenisset, graviter infremuit, anxius quo supplicio virginem puniret. Ductis secum dæmonum sequacibus *ff*, convocatoque consilio, decernitur, ut in foro publice serra secta dividatur media. Quod ut perficiat sequenti die, prodit ut fera silvestris tyrannus, ad supplicium innocentem ante statuas idolorum pertrahens: dixitque illi: Non ultro te tuæ juvabunt præstigiæ; en parati adsunt, E qui te mediam dividant. Ait virgo: In hanc horam collimavi, ut Appollini appropinquans sacrificem. Adstantes, hæc audientes, gavisi dixerunt: Quantas diis propitiis gratias referemus! Illa vero conversa ad Apollinis aram accessit, in hunc modum ad Deum verba faciens: Deus, qui sublimis es et purus, verax et ab omni macula alienus, verus te invocantium auxiliator, qui potentia intelligibili dissipas consilia machinatoris perniciei hominum, qui precibus optimi tui prophetæ, dracone occiso, Bel evertisti argenteamque imaginem comminuisti, accede hac hora et ostende num talis sis qualis semper fuisti. His dictis, aram evertit Apollinis statuamque in pulverem redigens deorsum præcipitavit. Tum ad Simplicium: Ubi nunc dii tui, o Simplici? Is, ira excandescens, quatuor lignis *gg* alligatam, extensis membris, a quatuor virorum paribus jubet serrari. Ad hæc serratores cæcutiebant, et quo magis traherent, eo majori languore afficiebantur. Tum civium omnium una vox, quod nullum a pharmacis, sed a Deo solo virgo auxilium acceperit. Simplicius, F visa totius civitatis seditione, dissolvi curat, jubetque dicere qua arte et cujus potentia hæc fecissit. Ad hæc illa tota imperterrita: Viri, Dei simul et Christi amatores, notum vobis omnibus sit, quod libere profitear Deum, qui Moysi auxiliatus est, populumque per maris medium deduxit, quique olim in rubo locutus est; qui et Isaaci sacrificium immaculatum suscepit et qui hac hora (in clamorem erumpens) nobis cooperatur; is est qui mihi non solum præsto est, sed et omnibus, qui nomen ejus coram hominibus invocant, auxiliatur. In hoc nomine confisa et in hujus confessione persistens, ab omnibus his tormentis liberata sum; credoque firmiter, Deo et Christo favente, me cum pace spei æternæ hæredem futuram.

ff

gg

Tandem decollatur et a Sophronio episcopo sepelitur.

15 Tum vero majore timore Simplicius perculsus, maximeque ob Dorothei mortem dolens, sine mora virginem capite plecti jubet, statimque e tribunali descendit. Cum autem ad justitiæ bravium capessendum pergeret, ait: O sapiens nauclerus es, qui animam in hac

EX MSS. hac homicidæ fluctuatione gubernas, qui me ad stationem cælestis tui portus deducis, qui omnis boni osoris famulos gubernaculis pietatis comminuis; qui cursum meum ad rectum et simplicem divinitatis tuæ nutum complevisti! Tu ipse, Domine misericordiarum, audi me, tuaque benignitate refice me, et ut patrum meorum partem habeam dignam me fac; cui omnis gloria et fortitudo in sæcula sæculorum. Amen. Statim vox e cælo audita
hh est, dicens *hh*: Audivi, virgo, deprecationem tuam teque in certamine tuo glorificavi. Tu tandem cum pace in paradisi stadium ingredere; fruere corona justitiæ. Peracta hac voce, tortores ad hoc destinati eam capite
ii plectunt. Sophronius episcopus, *ii* acceptum sanctæ Theodotæ corpus, idque in eodem civitatis vico cum hymnis et canticis unctum variisque aromatibus conditum in monumento novo in perpetuam ejus passionis memoriam cum pace recondidit. Celebratur autem sanctæ Theodotæ memoria 17 mensis Septembris in laudem et gloriam Dei Patris et Filii
B et Spiritus Sancti in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Actis Bollandianis plura inserta sunt, quæ Guilielmus Gratius ex græco in latinum vertit, maxime in primis tomis.*

b *Vide de his Commentarium prævium num.* 7 *et* 8.

c *Potius jurisconsultos secum habere consueverat Alexander, maxime Ulpianum. Aliorum nomina dabit Lampridius, cap.* 68. *Aruspicum quoque amabat societatem; quippe qui, teste iterum Lampridio, cap.* 27, aruspicinæ peritissimus fuit; ὀρνεοσκοπος magnus, ut et Vascones et Hispanorum et Pannoniorum augures vicerit. *A sacra consulentibus seu ab auguribus prohibitum fuisse Alexandrum ne Christo templum erigeret, monuimus in Commentario prævio, num.* 7; *neque hos in eo constitisse ut Alexandri in Christianos benevolentiam inanem facerent, verum etiam auctores ei fuisse ut eos cohiberet, nemo qui humanam naturam norit dubitabit. Verum-*
C *tamen christianos plus a jurisperitis passos esse quam ab auguribus aut magis, valde credibile est.*

d *Simplicius hic in Menologio Basiliano nude* præses ἀρχων *dicitur; in Menæis Ambrosianis et Chiffletionis* præses in Cappadocia, ἀρχων ἐν Καππαδοκια; *in Menæis excusis ad* 21 *Octobris* præses Cappadociæ, ἀρχων της Καππαδοκιας; *in iisdem ad* 17 *Septembris, propius ad nostram Passionem accedentibus, perhibetur simpliciter* missus in Cappadociam, ἀπεσταλεις ἐν τῃ των Καππαδοκων χωρᾳ. *Putem legatum aut proconsulem extraordinarium fuisse, missum potius ab Ulpiano quam ab Alexandro. Multa exempla supersunt talium legatorum, qui quum singularis quædam causa erat in provincias destinabantur; neque in una tantum provincia auctoritatem habebant sed in plurimis, et interdum in toto fere imperio Romano. Talis fuit Cn. Pompejus bello piratico; et, ut exemplum magis notum afferam, Quintilius Varus, quum Christus Dominus, vix* D *natus, census est.*

e *Cappadociam, in cujus historiam multo studio inquisiverunt Freret* (1), *Belley* (2) *et Eckhel* (3), *regebat imperante Alexandro Severo legatus augusti proprætor. Nomen ejus Q. Atrius Clonius et pluribus simul provinciis præerat, ut ex lapide antiquo constat* (4).

f *In Menæis et Menologio ad* 21 *aut* 23 *Octobris dicitur id fecisse S.* Theodota *in monasterio* ἐν ἀσκητηριῳ. *Recte omissum est in Passione, ut etiam in Menæis ad* 17 *Septembris. Ut rara tunc erant monasteria, sic multæ se Deo vovebant in sæculo virgines. Atque id non minimi momenti indicium est vetustissimam hanc esse Passionem. Eodem valet* peregrina cognitio.

g *In exemplari græco, quod ante oculos habuit Gratius interpres, legebatur* ἀραρο. *Divinando itaque positum est* consequenter.

h *Sensus est : Nomine græco appellor* Theodota; *sed genuinum meum nomen* Candida. *De similibus vix umquam cogitasset falsarius. Nomen forte in baptismo mutaverat sancta martyr.*

i *Supra scribitur* Anicius, *hic* Anecius. *Gens* E *Romana satis supraque nota.*

k *Græce lusus verborum est in* Απολλωνι, *deo, et* ἀπολλυμι, vasto, diruo, perdo. *Is lusus de Apollinis nomine valde frequens erat primis ecclesiæ sæculis.*

l *Scalpris fiebat hæc abrasio, commune et turpe tormentum.*

m Ἐκαμνον *in exemplari Medicæo legebatur; in Menæis ad* 17 *Septembris* ἠτονουν. *Sensus uterque idem fere refert.*

n *Intelligitur sacramentum baptismi, si Cangii Lexico græco, v°* Σφραγις, *standum sit. Verumenimvero quum apud Græcos sacramentum confirmationis conferatur hac forma :* Signaculum doni Spiritus Sancti, *nonne potius hoc sacramentum in Passione designatur? seu potius, quum baptismus et confirmatio olim solerent una solemnitate celebrari, et quasi unum sacramentum haberentur, nonne iis locis, in quibus* σφραγις Χριστου *seu* Θεου *baptismati indicando adhibetur, id fit per synecdochen, scilicet parte pro toto usurpata?*

o *Flagellatorum intestina diffluebant sæpis-* F *sime, ut ex scriptoribus græcis, latinis et judæis ostenderunt plerique commentatores sacri, qui de Christi Domini flagellatione scripserunt.*

p *Etiam in Actis proconsularibus reperiuntur exempla martyrum, qui nil aliquando de tormentis senserunt; verbi gratia S. Probus, ignito ferro bis ustulatus, dixit Maximo præsidi* (5) : Ignis tuus tepidus est et me non contingit; *et dein acrius adustus :* Nunc vere tepidus factus est ignis tuus. Rident te ministri tui *etc. Item SS. Tryphon et Respicius, quorum pedes clavis confixi erant; qui quum tracti ita fuissent per civitatem Nicæam, interrogati a præfecto Aquilino :* Quid est? Non sentitis tormenta? responderunt : Non, quia clavi non sunt fixi in pedibus nostris, sed quasi in calceamentis (6). *Cfr Acta SS. Lucii et Montani* (7), *necnon S. Jacobi Intercisi* (8).

q *Hoc erat inter interiorem et exteriorem carcerem discrimen quod qui in exteriori tene-*

(1) Mémoires de l'académie des inscriptions, tom. XIX, pag. 56 et seqq. — (2) Ibid. tom. XL, pag. 124 et seqq. — (3) Doctrina numorum, tom. III, pag. 186 et seqq. — (4) Ap. Gruterum, pag. MXCI. 5. — (5) Ruinart, Acta sincera Martyrum, pag. 431, edit. Amstelod. — (6) Ibid. pag. 163. — (7) Ibid. pag. 237. — (8) Ap. Georgi, de miraculis S. Coluthi, pag. 238.

bantur,

A *bantur, satis libere cum externis, ad se adventantibus, agere poterant, qui vero carceri includebantur interiori, iis neminem admittere licebat. Vulgo martyres in carcere exteriori manebant : unde intelligitur quomodo passim tam facile presbyteri, diaconi et fideles ad eos accederent; interdum tamen immittebantur in carcerem interiorem, quemadmodum ipsi SS. Paulus et Sylas Philippis, ut in Actis Apostolorum,* XVI, 23, 24, *narratur. Vide ad hunc locum commentatores, fuse de carcere interiori et exteriori tractantes.*

r *Pugillares sunt tabellæ scriptoriæ, plerumque cera illitæ.*

s *In Actis sinceris SS. Tryphonis et Respicii, quæ paulo supra jam adhibuimus, hæc leguntur* (1): Præfectus, ira repletus, jussit ungulas ac lampades eorum lateribus applicari. Quæstionarii accedentes jussa complebant. Igitur applicantibus eis lampades, adstitit sanctis Angelus Domini, coronas habens in manibus, gemmis et floribus ornatas, quas capitibus eorum imposuit, atque fortes in agone perfecit. Quod cum viderent ministri,
B cadentes in terram facti sunt veluti mortui.

t *In Actis præsidialibus SS. Tarachi, Probi et Andronici, quibus nullum forte præclarius documentum sacra antiquitas nobis reliquit, simile legitur prodigium, a notario in publicas tabulas relatum; ecce autem* (2): Maximus dixit: Convertite cum et in ventrem cædite, ut priores plagæ excitentur et usque ad medullam descendant. Andronicus dixit: Et in prima confessione vexasti corpus meum et sanus ante tribunal tuum oblatus sum. Præsto est et nunc qui me curat et salvat. Maximus præses dixit: Nonne præcepi vobis, o mali milites, ut nemo ad eum accederet neque curaret; sed sic esset ut vulnera ipsa in se putrirent? Pegasius commentariensis dixit: Per magnificentiam tuam, nemo eum curavit, neque aliquis intravit ad illum. In interiori custodia servabatur in vinculis : et si inveneris me mendacem, caput habeo; potestatem habes. Maximus præses dixit: Quomodo ergo plagæ ejus non parent? Pegasius commentariensis dixit: Nescio quomodo curatus sit, per
C nobilitatem tuam. Andronicus dixit: Medicus noster grandis est et pius, o stulte. Non medicamentum ponit aut emplastrum, sed solo sermone curat omnes qui sperant in eum. Habitat enim in cælo; præsens est ubique, quem tu non agnoscis, insensate.

u *De martyrio trium puerorum legimus apud Danielem,* III, 47, 48, 49, 50: Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem: et erupit et incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem: et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit. *Fecit hæc Deus pro amicis suis sub testamento veteri; an vero abbreviatum est brachium ejus, postquam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum et cum illo omnia nobis donavit?*

v *In basilicis erant tribunalia.*

x *Cæsareæ in Cappadocia, imperantibus Augustis, multus honor habebatur Jovi, cujus quippe imago aut symbolum (aquila nempe insidens monti Argæo civitati proximo) multis numis inscriptum est* (3).

y *Non reperio Apollinem singulari veneratione Cæsareæ habitum fuisse; in pluribus tamen numis exstant coronæ laureæ, pythicorum ludorum præmia* (4): *hæc non sine Apollinis cultu erant.*

z *Similiter in Actis sinceris S. Polycarpi legitur* (5): Cum arenam fuisset ingressus, e cælo statim missa vox sonuit, clamans: Polycarpe, habeto virtutem. Hanc vocem qui in arena erant audierunt; ex aliis autem nullus audivit.

aa *In Menæis excusis ad* 17 *Septembris legitur:* Ἐπει δε ἐμελλεν ὁ Σιμπλικιος εἰς το Βυζαντιον ὁδευειν; *in Menologio Basiliano et Menæis mss. et excusis ad* 21 *et* 23 *Octobris:* Ἀγεται παρα του ἀρχοντος ἐπι το Βυζαντιον, εἰτα ἐν Ἀγκυρᾳ κ. τ. λ. *Sed numquam Byzantium usque ducta est S.* Theo-
E dota, *quippe quæ in itinere occisa est. Ex Cappadocia ducta est Ancyram et Ancyra Nicæam, ubi demum ictum lethalem accepit. Sufficit cæterum oculos in mappam conjicere ut Menologii et Menæorum (scilicet commemorationis, quæ mense Octobri legitur) errorem deprehendas. Juxta Antonini Itinerarium Cæsarea ibatur Saccasenam, hinc Osianam, hinc Nisam, hinc Parnassum, hinc Asponam, hinc Orsologiacum, hinc Grorbeum, atque hinc demum Ancyram, itinere M. P.* CXCVIII. *Deinde Ancyra Nicæam ibatur per Manezarduum, Mizinum, Baganeum, Juliopolim, Dadastanam, Cenon Gallicanon, Dablim, Totaio et Mædo Orientis, itinere M. P.* CCXVI.

bb *Annotato* aa *diximus Cæsaream ab Ancyra distare M. P.* CXCVIII. *Belley* (6) *historiam Ancyræ luculente scripsit. Ab apostolico ævo ecclesia ibi exstitit; sed partim ad religiones pristinas rediit Juliani ævo. In Passione S. Basilii presbyteri, qui tum splendidum ibidem fecit martyrium, Hecates et Æsculapii cultus solummodo memoratur* (7); *sed quum civitas*
F *sacra esset (ita enim appellatur a Libanio), vel tunc, vel saltem ante multo plura ibi fuerint idola oportet.*

cc *Græce* βοηθος κομεντων; *quam locutionem quoque adhibet Prochorus de rebus gestis S. Joannis Evangelistæ.* Adjutor commentariorum *legitur in Collatione* II *Carthaginensi et* Adjutor commentariensis *lib.* 5 *Cod. Theod. de custodia reorum. Videatur de his Cangius in Glossario Græco, v°* Κομεντον. *Commentariensibus commendata erat reorum custodia; et quod commentariis,* régistre d'écrou, *inscriberent nomina, hinc ipsi accipiebant suum nomen. Passim occurrunt in Passionibus martyrum, dicti aliquando* Corniculariі, clavicularii, carcerum custodes *etc. Ex hoc ipso loco patet adjutores commentariorum subfuisse commentariensibus eosque inferioris gradus fuisse* (8).

dd *S. Tecla, cujus festum a latinis agitur die* 23 *Septembris, apostolorum fuit discipula*

(1) Ibid. pag. cit. — (2) Ibid. pag. 433. — (3) Beley, Mémoires de l'académie des inscriptt. tom. XIV, pag. 139. — (4) Ibid. pag. 140. — (5) Ibid. pag. 33 et 40. — (6) Ibid. tom. XXXVII, pag. 391 et seqq. — (7) Act. SS. tom. III Martii, pag. 382. — (8) Vide Cangium, Lexicum græcum, v° *Βοηθος;* Lexicum latinum, v° *Adjutor;* Facciolati, Lexicum latinum, v° *Adjutor;* Et. Quatremère, Mémoires géographiques et historiques sur l'Egypte, tom. I, pag. 302 et seqq.

A *et Iconii mirabiliter a præparato sibi rogo liberata est.*

ee *Græce* λιβελλησιον, *a latino* libellensi. *Libellenses autem ii erant qui in palatio et apud præsides libellis ad dominos suos datis excipiendis præpositi erant; plerumque ii viri carissimi erant, quibus quippe domini solebant omnino confidere.*

ee *In Actis sinceris SS. Bonosi et Maximiliani, qui sub Juliano apostata gloriosum martyrium fecerunt, similia habes. Quum enim ii plumbatis cæsi fuissent nec quidquam sensissent, et dein, in picem ardentem missi, inde salvi et incolumes evasissent,* judæi et gentiles, qui ad eorum venerant irridendum exitium, clamare cœperunt: Isti magi et malefici; sic Christus eorum maleficia faciebat. Et cum hæc Secundo præfecto nuntiata fuissent, stupefactus cum admiratione cucurrit videre quod factum esset. Et cum vidisset, ait: Da mihi sacerdotes deorum, et faciamus eis similiter, et videamus si possint salvari sicut isti. Et applicati sacerdotes idolorum turificati
B sunt, et fecerunt secundum consuetudinem suam, ut solebant in sacrificiis suis. Et cum fecissent omnia secundum ritum suum illi sacerdotes, missi sunt in flammam piceam; ibique carnes eorum remanserunt (1).

ff Σχολασται *græce legebatur; quæ vox in Glossario Cangii desideratur.*

gg *Ita vertit Gratius; et, quamquam locus difficilis est, non tamen (ut alias solet) verba græca margini adscripsit. In Menæis græcis ad 17 septembris totus locus sic legitur:* Μανεις οὐν ὁ ἀρχων ἐκελευσε ταθηναι ἐκ τεσσαρων την ἁγιαν και ταθεισαν πρισθηναι· και τουτου γενουμενου, ὁ μεν πριστηρ ἠμβλυνετο μη ἐχων το ἐνεργουν, οἱ δε δημιοι ἠτονουν, και ἡ ἁγια ἀνετος ἠν εὐχαριστουσα τῳ Θεῳ. *Porro* ταθηναι ἐκ τεσσαρων *est imponi nervo seu tabulato eique pedibus et manibus ad angulos extensis* D *alligari, ita ut immobile quidem sit corpus, nequaquam tamen luxetur, quemadmodum equuleo tortis solet advenire. In Menæis dein unus* πριστηρ *seu serrator apparet cum pluribus* δημιοις *seu carnificibus; in Passione ms. plures serratores, scilicet* τεσσερα ζυγα ὑπερετων, *quatuor paria ministrorum seu apparitorum: hæc mihi videntur eodem recidere. Apparitores illi seu carnifices, lictores erant aut, si mavis, milites, lictorum officio fungentes. Nam Lampridius de Alexandro Severo, cap.* 52 : Apparitores denique nullos esse passus est: tribunis aut ducibus nisi milites anteire voluit; jussitque ut ante tribunum quatuor milites ambularent, ante ducem sex, ante legatum decem; hique ad domos suas reciperentur; *verum tamen hanc mutationem, initio imperii Alexandri, quo tempore passa videtur* S. Theodota, *factam fuisse parum credibile est. In numerum lictorum, qui magistratibus adessent, primus cum cura quæsivisse habetur Justus Lipsius* (2); *sed ut mittam reges, consules, dictatores et alios id genus, qui huc non faciant, de aliis magistratibus nil apprime certum reperisse videtur. Neque* E *melior fuit Spanheimii fortuna, eamdem deinde spartam iterum ornantis* (3). *Videtur hæc res, ut aliæ plurimæ, in imperatorum arbitrio fuisse, ita ut pro officii magnitudine plures paucioresve lictores seu apparitores magistratibus assignarent; et certe octo lictorum numerus conveniens erat pro legati extraordinarii comitatu.*

hh *Vide supra annotatum* z. *Dum S. Victor Massiliensis decollaretur, audita est vox cœlestis dicens:* Vicisti, Victor beate, vicisti (4).

ii *Sophronius ille nunc primum innotescit. Valde mutilus est, etiam primis temporibus, Nicænorum episcoporum catalogus.*

(1) Ap. Ruinart, Acta sincera martyrum, pag. 594. — (2) Electorum lib. I, cap. 23. — (3) De præstantia et usu numismatum antiquorum, tom. II, pag. 93 et seqq. — (4) Ap. Ruinart, Acta sincera martyrum, pag 299.

DE S. GRATIANO MARTYRE

IN AGRO AMBIANENSI

C F

J. V. H.

SYLLOGE HISTORICA.

§ unicus. Sancti memoria et cultus; tempus martyrii et translationis; de corylo, in festivitate ejus quotannis fructus producente; Sancti reliquiæ.

PROBABILITER INTER ANNUM CCLXXXV ET CCLXXXVII. *Memoria in fastis sacris.*

S. Gratiani *nomen et passionem silentio prætereunt Martyrologia, vulgo classica appellata, Usuardi, Adonis etc. Pleraque etiam Hieronymiana apographa eumdem omittunt: unde etiam forsan Baronium Sancti Martyris cultus latuerit. Nihilominus in antiquissimo Martyrologio annorum fere octingentorum, quod in Corbejensi monasterio agri Ambianensis asservabatur, legimus sub hac die* x *kalendas novembris:* In Gallia, depositio sancti Gratiani Martyris (1). *Atque ex hoc fonte, quemadmodum et ex cultu Ecclesiæ Ambianensis ac Columbensis monasterii manavit* S. Gratiani *elogium in Auctaria Usuardina apud Sollerium. Sic Molanus habet:* In territorio Ambianensi, Sancti Gratiani gloriosi Martyris: *editio Lubeco-Coloniensis* S. Gratiani *palæstram ponit* in territorio Ambiacensi: *mendosius etiam Ferrarius in suo Catalogo generali Sanctorum :* In territorio Halbianensi, *quamvis in Notis profiteatur, se ex Molano elogium mutuatum fuisse : dein* videndum esse, *ait,* an Gatianus dicendus sit. *Et id quidem scrupulosius quam verius: nam omnes, qui de sancto Martyre egerunt, præsertim qui in agro Ambianensi degebant aut eidem finitimi erant,* Gratianum *Martyrem no-*

(1) D'Achery, Spicil. tom. II, pag. 20.

strum

A *strum appellarunt. Centulensis seu S. Richarii monasterii Auctarium id habet speciale, quod annale indicet prodigium his verbis:* In territorio ejusdem civitatis (*Ambianensis, quia de S. Domitio presbytero actum fuerat*) Sancti Gratiani Martyris, ad cujus sanctitatem comprobandam Dominus quotannis arborem corilum sub unius noctis spatio facit frondere, florere et nuces producere. *De isto prodigio infra latius agemus.*

et in Breviario Ambianensi:

2 *Quam certa est autem passio S.* Gratiani, *tam ignotæ sunt ejus circumstantiæ; quoniam Acta non exstant, ut monstrat sermo in ejus natali, cujus fragmenta infra num.* 9 *exhibebimus. Dicit enim:* Cujus, nostris licet exigentibus peccatis, ignoremus passionem. *Sæculo igitur* XII *nulla exstabant S.* Gratiani *Acta. Antiquius Breviarium Ambianense, anno* 1554 *typis editum, habet ad diem* XXIII *octobris festum S. Domitii cum memoria S.* Gratiani *Martyris ex Communi Martyrum. Recentius Breviarium, jussu Lud. Gabrielis de la Motte episcopi typis excusum anno* 1746, *similiter festo S. Domitii* B *subjungit simplicem commemorationem S.* Gratiani *Martyris; ita tamen, ut brevem legendam lectionibus de S. Domitio subnexuerit, his verbis:* In hunc diem incidit memoria sancti Gratiani Martyris, cujus mentio est in Martyrologio omnium antiquissimo, quod Hieronymicum dicitur, ut et in variis hujusce diœcesis Martyrologiis. Confessus est autem Christum coram Rictiovaro præside, et nobile martyrium capitis abscissione consummavit in eo Ambianensis agri vico, qui inde sancti Gratiani nomen invenit. Ejus corpus ibidem sepultum est, supraque illud ædificata est ecclesia, Deo sub sancti Gratiani nomine sacrata, ubi semper Martyr sanctissimus magna in veneratione fuit. Beatus Gervinus, Centulensis abbas, ad ejus sepulcrum, velut in solitudinem, secedebat ineunte sæculo undecimo. Sub ejusdem sæculi finem translatum est sancti Martyris corpus in Columbense diœcesis Carnotensis monasterium, ubi religiose colitur.

oratorium, in sancti honore a S. Gervino conditum:

3 *Quædam in citata legenda occurrunt, quæ interpretatione indigent. Certe, ut vidimus supra, apographum aliquod Martyrologii, vulgo Hieronymiani, recenset* Gratiani *passionem. Sed est Corbejense; scilicet, ut videtur, additamentum locale: Corbeja enim monasterium intra fines episcopatus Ambianensis continetur. Forsan et minus accuratum est, quod dicitur, S. Gervinus, abbas Centulensis seu Richarii,* ineunte sæculo undecimo ad S. Gratiani sepulcrum secessisse. *Etenim si Vitam S. Gervini adeamus ad diem* III *martii* (1), *reperimus, hunc, Gulielmo Notho Normanniam regente, atque adeo post annum* 1035, *præfecturam Centulensem obtinuisse: minus itaque vere dicitur,* ineunte sæculo undecimo *S. Gervinus Martyris* Gratiani *locum coluisse, quandoquidem* sæculo undecimo satis provecto *id religionis præstare primum potuit. Dein in Breviario citato traditur idem sanctus abbas* ad S. Gratiani sepulcrum velut in solitudinem secessisse. *Quod eatenus verum est, quod S. Gervinus fundaverit tria oratoria, scilicet* prioratum de Veteri villa juxta Luilly Ambianensis diœcesis... Et in eodem episcopatu, in loco secreto composuit unum oratorium, in nomine B. Gratiani Martyris fundatum; et in Silva Augi (*gallice* Eu *in Normannia*) unum in nomine B. Martini (2). *De hoc postremo addit Malbrancus* (3): Quod frequentius adibat, corpus multa de fatigatione castigaturus et psalmis operam daturus. *Nihilominus si ipsam Vitam adeamus, facile percipiemus in tribus hisce oratoriis, secundum opportunitatem rerum, ut se turbæ ac negotiis subtraheret, solitudinem coluisse. Nam, relata trium oratoriorum fundatione, pergit biographus* (4): Horis, quibus divina decantabantur in ecclesia S. Richarii, semper genibus flexis, stabat in oratione, secum Reliquias Sanctorum deferens, ac si primus et personaliter interfuisset in sua dicta ecclesia, parum dormiendo, continuo jejunando, continuo Missam qualibet die celebrando in ortu solis.

AUCTORE J. V. H.

tempus passionis, inter annum 285 *et* 287: E

4 *Si quidem sub Rictio Varo, infensissimo Christiani nominis hoste, martyrium fecisse S.* Gratianus *referatur, inquirendum est, in quod potissimum tempus ejus passio incidere potuerit. Videtur autem veri simillimum, tunc accidisse, quando pro Christo plures sanguinem suum fuderunt in provinciis Belgicis Prima et Secunda, quarum metropoles erant urbes Trevirorum et Remorum. Porro observatu dignum est, Martyrologia antiquissima plures Martyres recensere, circa mensem octobris in utraque provincia sub Rictio Varo passos: quasi nempe menstrua fere expeditione per utramque provinciam grassatus, christianum nomen delere voluisset tyrannus. Scio equidem, diem, in Martyrologiis assignatum, non semper eumdem esse cum die passionis vel depositionis; plerumque tamen unus idemque dies Martyrologii et passionis* (5), *et tum maxime, quando iste dies in Actis Martyrum consignatur. Quod fere in sanctis Belgicis, sub Rictio Varo passis, contingit. Sic S. Firminus, episcopus Ambianensis, die* XXV *septembris; S. Piatus seu Piato, Tornaci, die* I *octobris; SS. Tyrsus, Bonifacius et Socii, Treviris, die* IV *octobris; Treviris quoque SS. Palmatius et Socii, die* V *octobris; SS. Gereon,* F *Victor et Socii pariter Treviris, die* VI *et* X *octobris; S. Justus puer, Bellovaci, die* XVIII *octobris; SS. Crispinus et Crispinianus, Suessione* XXV *octobris; S. Quintinus, Augustæ Veromanduorum, die* XXXI *octobris. Conjicere licet ad idem tempus, S.* Gratianum, *die* XXIII *octobris passum, pertinere. Invento autem tempore unius martyrii, sub Rictio Varo facti, pronum erit judicare, reliqua contigisse, quando tyrannus utramque provinciam Belgicam percurrebat: adeoque dies, mensis et annus facili negotio utcumque definientur. Noster autem Jacobus Buæus in commentario prævio Actorum SS. Tyrsi, Bonifacii et Sociorum ad diem* IV *octobris num.* 92 *et seqq.* (6), *horum Thebæorum Martyrium anno Christi* 287 *illigat, multisque demonstrat: plerique tamen eruditionis sacræ principes, Philippus Labbe* (7), *Theodoricus Ruinart* (8), *Tillemont* (9), *Jacobus Longueval* (10) *aliique malunt Thebæorum martyria in annum præce-*

(1) Act. SS. tom. I, Mart. pag. 283. — (2) Act. SS. tom. I, Mart. pag. 286. — (3) De Morin. tom. II, pag. 813. — (4) Act. SS. tom. I. Mart. pag. 286. — (5) Dan. Papebroch. Conat. chronol. pag. 23*. — (6) Act. SS. tom. II, Octob. pag. 353. — (7) Abrégé chron. tom. II, pag. 134. — (8) Act. Sinc. Mart. pag. 274. — (9) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés. tom. IV, pag. 697. — (10) Hist. de l'Egl. Gall. tom. I, pag. 115.

dentem

AUCTORE J. V. H.

dentem 286 *reponere. Quæ vero pro opinione sua erudite profert citatus Bueus, ne actum agamus, in laudato commentario videre licet. Tandem Franciscus Zaccaria in speciali dissertatione, quam de SS. Adventore, Solutore et Octavio, militibus Thebæis, Taurini passis, conscripsit, censet Thebanam tragœdiam ad annum* 285 *pertinere* (1). *Hæc quæstio, quum sæpius recurret, ad Acta SS. Crispini et Crispiniani ad diem* XXV *octobris, in hoc ipso, quod edimus, volumine trutina critica examinari poterit; quapropter sancti nostri* Gratiani *passionem inter annos* 285 *et* 287 *in capite hujus sylloges signavimus.*

S. Martyris corpus, incerto tempore

5 *In ipso passionis loco sepulturam nactus* S. Gratianus, *loco nomen dedit usque in hodiernum diem. Est scilicet* S. Gratiani *vicus in hodierna diœcesi Ambianensi, in pago* (canton) Villers-Bocage, *et undecim circiter chiliometris Ambiano septemtrionem versus distat. Quamdiu quidem istic corpus S. Martyris quieverit, non liquido constat.* Quo tempore, *ait Mabillonius lib.* LXXII *Annal.* § 126, quave occa-
B sione Martyris Reliquiæ ad Columbense monasterium translatæ sint, incertum. *Ex iis, quæ supra num.* 3 *diximus, satis dubium est, an tempore S. Gervini, qui post annum* 1035 *Centulensis monasterii gubernaculum suscepit, adhuc in vico S.* Gratiani, *ejusdem Martyris exuviæ remanerent. Nam e penu sua deprompsit Malbrancquius, Martyris Reliquias asservatas fuisse in vico S.* Gratiani, *quando Gervinus, solitudinis causa eumdem incolebat* (2): *nihil enim simile in Vita, a nostris ad diem* III *martii edita, reperitur. Cæterum nulla apparet causa, cur sæculo undecimo, pro monumentis religiosis securo, in alienam diœcesim translatum fuisset integrum corpus alicujus Sancti. Dein quando S. Gervinus locum S.* Gratiani *colere cœperit, dicitur:* In loco secreto composuit unum oratorium, in nomine B. Gratiani Martyris fundatum (3). *Non igitur* frequens *erat locus; quod absentiam sacri corporis, alioquin a fidelibus frequentandi, aliquatenus indicat. Additur quoque,* oratorium in nomine B. Gratiani Martyris fundatum *fuisse; quod si sacræ Reliquiæ præsentes fuissent, accura-*
C *tius locutus fuisset S. Gervini biographus dicendo oratorium* ad corpus S. Gratiani *fundatum fuisse. Non crediderim tamen ante finem sæculi* XI *aut initium sequentis, ut infra monstrabimus, in Columbense monasterium corpus* S. Gratiani *translatum fuisse: sed aliquandiu delituisse, forsan a tempore vastationis Normannicæ et decursu temporis detectum Columbensibus datum fuisse.*

ad Columbense cœnobium translatum:

6 *Prima, ut habet Gallia christiana* (4), *Columbensis monasterii notitia occurrit anno circiter* 930, *quando clerici sæculares desertum locum occupabant; quem et ipsi postmodum deseruerunt. Succedente tempore, monasterium jure beneficiario ad Rogerium, Bellovacensem antistitem, devenit, qui, ait diploma instaurationis, datum anno* 1028 (5), videns abbatiam tam sua quam suorum negligentia priorum miserabiliter direptam, ædificio deturpatam, officio miserabilius profanatam, Deo tangente, tactus dolore cordis intrinsecus, ad hoc se D viriliter accinxit, ut et locum reædificaret, et rebus sui juris contiguis redintegraret, ac officio servientium clericorum, prout res pateretur, ad tempus exornaret. Cujus pio desiderio Dei bonitas adeo aspiravit, ut infra tempus non multum, quod animo conceperat, oculis videret. Nam et ecclesiam a fundamentis speciose perfecit, rebus ditavit, clericis et ornatu non modico decoravit. In hac tamen adhuc animi intentione suspenso, ut si Deus annueret, eam quandoque monastico ordine insigniret. Volens autem totius bonitatis Deus, ejus heredes istius eleemosynæ fieri coheredes, Rogerio episcopo, cum hac bona voluntatis inhiatione sanctis patribus aggregato, suus nepos Odolricus præsul, qui ei jure hereditario succedebat, velut alter Heliseus, avunculi sui pia facta corde complexus, laudavit, et ejus bonam intentionem efficaciter adimplevit: abbatiam denique, sæpius nominatam, abbate proprio, nomine Berangero, et monachis sublimavit, et de suo proprio gratanter augmentavit... Actum pu- E blice Parisius anno Incarnati Verbi MXXVIII. *Rogerius Bellovacensem cathedram ab initio circiter usque ad annum* XXII *sæculi undecimi occupavit* (6): *Odolricus autem Aurelianensem ab anno* 1021 *ad annum saltem* 1035 (7).

corylus, quotannis in loco passionis

7 *Quamvis autem Rogerius et Odolricus ecclesiam Columbensem ditarint et ornarint, non crediderim tunc in eam illatum fuisse corpus* S. Gratiani; *atque hanc translationem ad finem sæculi undecimi aut duodecimi initium reponi posse probabiliter censeo. Etenim si multo prius sancti Martyris exuvias apud Columbenses statuamus, mirum videbitur, quomodo per sæculum fere integrum non inquisierint de prodigio coryli, una nocte frondescentis, florentis et nuces proferentis, de quo jam locuti sumus num.* 1 *ex Martyrologio Centulensi. Quod si corpus S.* Gratiani *circa annum Christi* 1100 *ad asceterium Columbense advectum fuerit, intelligitur, quomodo Toroldus, abbas Columbensis inter annos* 1103 *et* 1115 (8) *interrogaverit Ingelrannum, ab anno* 1115 *Ambianensem episcopum* (9), *de prodigio coryli; quod quidem sequenti epistola, a Mabillonio lib.* LXXII *Annalium* § 126 *edita; explicatur.* Ingelrannus, F Dei gratia Ambianensis episcopus, Turoldo, venerabili abbati Columbensis cœnobii, omnique monachorum congregationi, in extremo examine audire feliciter Domini læta Verba, venite, benedicti Patris mei etc. Frater Petrus, vester monachus, ad nos veniens, et de miraculo, quod Deus omnipotens meritis Martyris sui Beati Gratiani apud nos annis singulis operari non desinit, diligenter inquirens, quod ita res habet, vidit et evidenter agnovit. Nos autem petitioni ejus ob veritatis assertionem acquiescere non abnuentes, sanctitatem vestram de eodem miraculo certiorem reddere auctoritatis nostræ litteris curavimus. Sciatis itaque procul dubio, dilectissimi, quia ille, qui dicit in Evangelio, « Pater meus usque modo operatur, et ego operor, » ad laudem et gloriam et honorem

(1) Dissert. di stor. eccles. tom. I, pag. 270.—(2) De Morinis tom. II, pag. 813.— (3) Act. SS. tom. I, Mart. pag. 286. — (4) Tom. VIII, col. 1248.—(5) Ibid. Instrum. col. 295 et seqq. — (6) Ibid. tom. IX, col. 705. — (7) Ibid. tom. VIII. col. 1434. — (8) Ibid. col. 1253. — (9) Ibid. tom. X, col. 1172.

præfati

A præfati Martyris in episcopio nostro, tertio videlicet ab urbe nostra milliario, tale miraculum quotannis declarare dignatur, ut quædam corylus, quæ juxta ecclesiam ejus, in pede scilicet maceriæ, antiquitus plantata est, et vulgo dicitur, quod baculus ejus fuerit, in natalitio ipsius Martyris, unius noctis et diei spatio, floreat et fructum plene formatum, integre adultum emittendo proferat. De hoc vero nulla habeatur ambiguitas, quia expertis credendum est. Et quod dilectioni vestræ intimando asserimus, oculis nostris vidimus, et idoneorum testium et etiam domni Godefridi, beatæ memoriæ episcopi, prædecessoris nostri, qui frequenter huic miraculo interfuere, revelatione cognovimus. Valete. Ego vero Achardus, hujusce epistolæ notarius, hoc miraculum aspexi, et in ipsa arbore prædicta, præsente Godefrido episcopo, nuces novas collegi et ei attribui, de quibus ipse episcopus, me vidente, comedit.

et die martyrii,

B 8 *Hoc prodigium explicavit anonymus, probabiliter Columbensis monachus, sermone speciali, quem Mabillonius in suorum Annalium Appendice num.* XCI *recudit. Ex eo proferemus, quæ ad ipsum miraculum, omissis locis communibus, spectant, præsertim quum quædam occurrunt, quæ alibi frustra quæsieris.* Celebrantes, *inquit Anonymus* (1) hodie, fratres carissimi, Beati Gratiani præclara solemnia, tanto majorem causam lætitiæ spiritualis habemus, quanto familiarius pro nostris excessibus Domino supplicat in cœlis, cujus hic sacratissimum corpus pio complectentes amore veneramur in terris. Omnes quippe Sanctos, æternæ beatitudini conjunctos, pro prædestinatis exorare, sibique socios optare nequaquam dubitamus. Sed si eos proprios patronos nos habere, credamus, quos devotioribus obsequiis venerantes, velut advocatos mittimus ad judicem, non erramus. Pro grativa* igitur nostri Gratiani, summi judicis ira placabitur, si nos suæ festivitati viderit intentos, et debita devote reddentes obsequia. Cujus, nostris licet exigentibus peccatis, ignoremus passionem, quantum tamen de lapide

* gratia

C pretioso coronatus, sole lucidior ante Dominum resplendeat, nimis evidenti declaratur miraculo: quod quamvis suæ magnitudinis inaudita novitate non solum a vobis, sed et diversarum regionum a populis agnoscatur, nequaquam tamen erit incongruum, si vestræ caritati præsenti sermone referatur. Est igitur in Ambianensi pago, brevis ambitu, magna virtutibus ecclesia quædam, pretiosi Martyris hujus nomini dedicata, cunctis mortalibus admiranda, se juxta positam arborem habens, quæ sancti Gratiani corylus ab incolis appellatur. Hic virum Dei martyrium suscepisse tradit antiquitas: qui dum ab impiis decollaretur, siccum corylinum baculum, quem manu tum forte gestabat, in terram fixit, et, o res nova! siccitas recipit humorem, ariditas viriditatem, truncus illico vertitur in arborem: inhærescens humo firmatur imis radicibus, sursum pullulans, distenditur in ramos, vestitur foliis, fructibus adornatur. Natura miratur, tempus non exspectare coacta; mutat ordinem, dum veteri plantario subministrat novas vires. Quid longius protraham? Videte miraculum, ne credatur Gratianus mori, dum moritur, lignum, quod diu fuerat mortuum, reviviscit...

AUCTORE J. V. H.

9 Sed mirandis majora succedunt: imo, fratres mei, parum, comparatione sequentium, quidquid de arbore superius narratum est. Tantam gratiam Gratiano suo confert divina benignitas, ut non huic simile toto terrarum orbe possit reperiri miraculo. Nam decimo kalendas novembris, quando sacræ passionis martyris hujus annua dies agitur, arbor juxta temporis qualitatem, arbores ut cæteræ, fructibus viduata, foliis etiam exspoliata, rursum, quod mirabile dictu, natura mirante, pubescit, frondescit, nuces parit, quas antequam hora diei sexta compleatur, ad maturitatem perducit, et temporis non oblita, quo plantata fuit, Martyris passionem terrigenis recolendam prædicat, diemque denuntiat. Circumfluit ad tale spectaculum diversis e partibus ingens populorum multitudo, et ludentes, velut apertius rem probaturi, purgant arborem foliis veteribus, si quæ fortasse remanserint, novæ pubertatis alia diluculo visuri, novos fructus, quos gratia Gratiano confert, collecturi. Sero nihil in ea dignum admiratione reperiunt, divinam in ea virtutem operatam nocte fuisse, mane comperiunt. Post deifici mysterii celebrationem certatim a populo curritur, divini muneris ubertas, e cœlo missa, lætabunda colligitur. Vid...* inibi sanctam arborem manibus festinantium discerpi, futuro tamen anno nullum propter hoc damnum passam fuisse, cognosceres; nescit enim gratia cedere naturæ. Denique novo refecti cibario, læti remeantes ad propria, ad infirmorum curationem partem reservant in posterum. Si quis enim ægrotus, maxime febricitans, de Gratiani dono gustaverit, in divino judicio mereatur affligi, pristinam sanitatem se recipere gratulatur: quod nostro tempore, nostraque patria non solum de fructu, verum etiam de ramusculis certis experimentis verum esse didicimus. Dicant alii quid senserint, ego quidem fateor, me numquam audisse, numquam tale legisse miraculum.

frondescit et fructus facit,

* Vidi, videtur?

E

F

10 O quam magnum esset, si sanctus baculus, versus in arborem aliarum arborum consuetudinem sequeretur, et ad memoriam martyrii vivens ordine naturali, tempore fructuum suos etiam fructus afferret! Sed parum id esse Gratiano divina munificentia judicavit, ni passionis illius insignia nobis annuo et numquam deficiente repræsentaret miraculo. Si enim fortasse contigerit aliquotiens naturales fructus deesse, gratia Gratiano, velut debito coacto, suos deesse fructus non patitur. Evenit nempe, quod silentio prætereire non debemus, pretiosissimi Martyris ecclesiam igne concremari, et quia parietibus illius erat contigua, sanctam arborem sic omnino fuisse combustam, ut nec reviviscendi spes maneret ulterius. Sed adest rursus mira Dei potentia, quantique meriti sit apud eum Gratianus, evidens declarat indicium. Ne debiti muneris Martyri deesset largitio, pro-

ut fidem faciunt, initio sæculi XII.

(1) Tom. V. Annal. pag. 639.

deunt

AUCTORE J. V. H.

deunt ex radicibus virgulta multiplicia, quæ contra naturalem morem novæ pullulationis eodem anno, die solito, tributa reddidere... Accedit ad miraculi cumulationem, quod non verno tempore, quando naturaliter humor superiora conscendens, vires novæ pullulationis subministrat arbusculis, id agitur, ne videatur arbor sancta naturæ fructus præparare, non gratiæ dare: sed quando radicibus imis immoraturus humor inferiora petit, tum prius naturales fructus, largitione gratiæ foliis decoratur, fructu fœcundatur. Extollant igitur alii suorum Martyrum gesta, et litteris assignata transmittant ad posteros, quæ, quoniam non visa cernuntur, possunt ab infidelibus decredi; nos nostri Gratiani superexcellens, quia numquam deficiens, miraculum tacere non debemus: quia quod visu cernitur, manu palpatur, ore gustatur, dicere non esse, (est) capitis insani. Huic nec incredulitas judæorum, nec gentilium cervicositas poterit contraire. An nos, cui credulitas famulatur, falsa loquentes fictam contexere
B fabulam dicemur? Sed cernant oculis, qui, corporalibus assueti, signa quærunt, et in hoc miraculo, quod pro uno servorum suorum Christus operari dignatur, considerent, quam præclara christianorum fides habeatur...

testes oculati:

11 Exstitit præterea quidam vir monachus, Petrus nomine, tunc temporis secretarius* hujus ecclesiæ, qui, velut alter Thomas, de miraculo nimium dubitans, dixit, se nullo modo crediturum, nisi oculis suis contemplaretur factum. Itaque a domno Toroldo abbate licentia petita et accepta, ad locum, ubi testis Christi pro ipso Domino occubuit, et ubi miraculum, superius annotatum, quotannis fit, perrexit, oculis suis, ut desiderarat, vidit in ipsa vigilia cum multis aliis, qui ob assuetam consuetudinem ad festivitatem sanctissimi Martyris undique confluxerant, manu sua folia et quæcumque alia a prædicta corylo detraxit, et sub uno noctis spatio nuces natas et ad integrum adultas collegit, detulit, pluribus ostendit; etiam domno Gaufrido, Carnotensi episcopo, duas
C ex ipsis nucibus dedit, quas ipse domnus gratanter accepit, et, ipso vidente, comedit: reliquas vero inter Reliquias hujus ecclesiæ in quadam parva buxtula posuit ad memoriam præsentium et testimonium futurorum. Et ut ejus peregrinatio rata fieret, litteras domni Ambianensis, sigillo ejus signatas, secum detulit, ita se habentes. *Sequuntur litteræ Ingelranni, Ambianensis episcopi, quas supra num.* 7 *dedimus. Addit Mabillonius citato lib.* LXXII *Annalium* § 126 annuum illud miraculum jam dudum desiisse, tametsi nucum S. Gratiani fama et nomen hactenus in ore vulgi perseveret.

* sacrista

Reliquiæ S.

12 *Gaufridus, cujus mentio fit in citato sermone, est hujus nominis secundus, qui anno* 1116 D *Carnotensem sedem conscendit* (1). *Unde patet, Toroldum, Columbensem abbatem, ultra diem* XXIII *octob.* 1116 *vitam produxisse suam; quoniam Petrus monachus, qui miraculo ista die testis interfuit, retulit litteras Isengranni, anno primum* 1116 *episcopi Ambianensis, et Gaufridus II Carnotensi cathedræ eodem anno impositus fuit. Quum porro in festivitate S.* Gratiani, *ut initium docet, sermo habitus fuit, credimus ad annum* 1117 *eumdem pertinere. Hisce addit Mabillonius lib.* LXXII § 126 *in Columbensi monasterio, anno* 1648 *congregationi Mauro-Benedictinæ tradito* (2), *asservari sancti Martyris Reliquias* in argentea capsa, quæ nuper, *ait*, a nostris affabre confecta est. Aperta veteri capsa, ut mihi a nostro Antonio Beaugendre, tunc ejus loci priore, assertum est, inventa parva pixis ex plumbo, in qua nuces illæ, a Petro monacho ex S. Gratiani ecclesia allatæ, linteolis involutæ repertæ sunt. *Scilicet Hugonotti, principe Condæo Carnotum obsidente, expilarant basilicam Columbensem, ejus sacella, sacras vestes, sanctorum imagines, sepultorum tumulos* (3); *sed feliciter eorum furori subtractum fuerat S.* Gratiani *corpus; quod deinceps in majori veneratione ac religione habitum fuit usque ad luctuosas vicissitudines inclinati sæculi* XVIII, *quando e capsa argentea Parisios missa, in pecuniam redigenda, aliquis officinæ monetariæ minister sacras exuvias extraxit, et opportuno tempore ad archiepiscopium Parisiense detulit. Ibi asservatum remansit corpus S.* Gratiani *usque ad diem* XXIX *Julii* 1830, *quo, direpto palatio archiepiscopali, Reliquiæ periere, aut saltem disparuere* (4).

Gratiani *an.* 1830 *partim pereunt,*

13 *Sed feliciores fuerunt incolæ villæ S.* Gratiani, *juxta Ambianum, qui ad hanc usque diem conservarunt Reliquias S. Martyris, sæculo proxime præterlapso ad illos translatas. Hæc enim ad nos die* VII *Januarii* 1859 *benigne rescripsit R. D. Maillard, loci parochus. Dolebant Sangratianenses privatos se Reliquiis sancti patroni sui: quapropter deprecati sunt episcopum suum, venerabilem Ludovicum Francisc. Gabriel. d'Orléans de la Motte ut, mediante episcopo Carnotensi Petro Augustino de Fleury, a Columbensibus monachis partem aliquam Reliquiarum obtinerent. Lubentes petitioni religiosæ annuerunt monachi, et prior monasterii Corbejensis Ambianum attulit nobiliorem partem cranii S.* Gratiani, *quam die* XXIII *Novembris solemni ritu recognovit ac in hermam transtulit episcopus Ambianensis una cum instrumentis authenticis recognitionis et translationis. Hæ sacræ exuviæ quotannis die dominica infra octavam Ascensionis Domini religiosa pompa hactenus circumferuntur: ac in memoriam celebritatis transmisit ad nos dictus R. D. parochus cantica, gallico idiomate concinnata, quæ narrata referunt. Quoad corylum prodigiosum spectat, laudatus R. D. respondit, nullam hujus arboris superesse memoriam.*

partim in villa S. Gratiani *hactenus conservantur.*

(1) Gall. Christ. tom. VIII, col. 1134. — (2) Ibid. col. 1251. — (3) Ibid. l. c. — (4) Butler h. d. Ami de la Relig. tom. LXV, pag. 4.

A D

DE SS. SEVERO ET DOROTHEO MARTYRIBUS

HADRIANOPOLI

SYLLOGE. V. D. B.

Ex Martyrologiis.

SS. Severus *et* Dorotheus, *martyres Hadrianopolitani, aliis permixti et loco moti,*

Ad præsentem diem in codicibus suis Lucensibus mss. Martyrologii Hieronymiani legit Florentinius : In Atrianopoli Severi, Dorothei ; *in Antverpiensi seu Epternacensi :* In Andrionopoli Severi et Dorothei; *et in Corbejensi minori, postmodum edito a Sollerio :* In Atrianopoli Severi, Dorothei. *Richenoviense exemplar, quod Sollerii quoque curis, et Corbejense, quod Dacherii* (1) *opera in lucem venit, memoriam habent similem omnino Antverpiensi; atque alterum Corbejense, excudi jussum a Martenio* (2), *similem prorsus Lucensibus. Ottobonianum, quod Georgius publici juris fecit, ita digestum est* (3) : In Atrianopoli Traciæ nat. sancti Dorothei. *Hinc ejusmodi annuntiationes defluxerunt in Auctaria Martyrologii Bedæ et Flori; scilicet in codices S. Cyriaci, Vaticanum et Barberianum* (4) : In Adrianopoli Severi, Dorothei ; *et in Atrebatensem et Tornacensem :* Natale SS. Severini, Dorothei et Victoris; *et in Lætiensem:* In Cæsarea Cappadociæ passio SS. Longini, Severi, Victoris et Dorothei ; *in quibus* Severinus, Victor, Longinus *et* Cæsarea Cappadociæ *per confusionem turmarum aliorum martyrum immixta sunt. In fastis prosaicis, Martyrologio metrico Wandelberti a nescio quo Lemovicensi scriba inspersis, occurrit* (5) : In Trajanopoli Severi et Donati. *Rabanus* (6) *et Notkerus* (7) *et Galesinius errore unius diei ad* 24 *Octobris habent:* In Nicomedia natale [natalis dies] Severi et Dorothei. *Melius in Auctario Greveniano Usuardi legitur* (8) : Apud Adrianopolim sanctorum Severi et Dorothei; *quæ in Auctario quoque Bruxellensi ad diem sequentem obvia sunt, hac forma :* Apud Andronopolim natale sanctorum Severi et Dorothei martyrum. *In multis quoque fastis, omissa palæstra, de SS.* Severo *et* Dorotheo *dicitur : sic in Gellonensi Martyrologio* (9) *legitur:* x kal. Novem. Severi, Dorothei ; *similiter in Augustano et Labbeano, editis a Sollerio, et in Hieronymiano S. Germani Autissiodorensi contracto* (10); *in Martyrologio autem Morbacensi antiquissimo* (11) *et in Comite S. Hieronymi Lucensi* (12) *solum* Severi *nomen notatum; in Turonensi vero* (13) : Severi, Longini, Dorotheæ ; *et in aliis id genus alia.*

B C

separantur a sociis perperam additis et sedi suæ restituuntur;

2 *Utcumque autem commemorationes illæ inter se pugnare videantur, facile tamen est discernere quæ vera sit lectio, scilicet :* Hadrianopoli Severi et Dorothei. *Quod enim amendanda sit Nicomedia, constat id non solum ex meliorum codicum fide, sed maxime ex eo quod ad sequentem diem venit in Hieronymianis fastis alia annuntiatio, his concepta verbis :* In Nicomedia Severi, Vitalis, Felicis, Rogati, Paperi, Victoriæ, Flaviani, Victoris ; *quæ, ut sæpe fieri solet, cum memoria sanctorum præcedentis diei in codicibus nonnullis confusa fuit : unde etiam factum est ut alii partem manipuli Nicomediensis traxerint ad diem* 23 *Octobris, alii martyres Hadrianopolitanos ad* 24 *Octobris; seu etiam ad* 22 *Octobris, quoniam hac die in alia Hadrianopolitana corona occurrit S. Severus presbyter. Abjicienda quoque* Trajanopolis, *quam Lemovicensis anonymus in Wandelberti Martyrologium induxit, et ad diem præcedentem interpolator Flori, seu scriptor codicis S. Cyriaci, hoc modo :* In Trajanopoli Severi episcopi, Dorothei et S. Oresti : *hæc enim ejusdem sunt generis ac quæ in Ottoboniano ad* 22 *Octobris leguntur :* In Trajanopolim Thraciæ nat. sanctorum Philippi episcopi *etc.; ubi etiam* Trajanopolis *loco* Hadrianopolis *scripta est; quemadmodum ex his, quæ ad præcedentem diem declarata sunt, satis constat. Nulla autem nomina præter* Severi *et* Dorothei *retinenda sunt. Severinus enim, de quo hac die inferius agetur, idem habitus ac* Severus, *et duæ annuntiationes in unam conflatæ. Victor assumptus ex manipulo Nicomediensi, quem die* 24 *Octobris celebrari diximus. Longinus aut Seuresus in codicibus aliquot Cæsareæ Cappadociæ hac die culti fuisse traduntur : quæ causa fuit ut alicubi in unam cum alterutro turmam coaluerint* Severus *et* Dorotheus, *et passi dicti fuerint Cæsareæ Cappadociæ. Unde vero Orestes ortus sit, me latet; qui, quum in uno codice S. Cyriaci repertus sit, inter prætermissos ablegandus visus fuit. In eodem S. Cyriaci codice* Severus *dictus est* episcopus; *sed hic titulus parum curandus, quippe qui singulari tantum testimonio nixus est.*

E F

Paucissima tamen de iis nota.

3 *Nonnulla itaque in illis Martyrologiis et Kalendariis omittenda sunt; aliqua corrigenda; plura dispescenda et dirimenda. Cavendum tamen ne S.* Severus, *qui hac die Hadrianopoli celebrabatur, confundatur cum S. Severo presbytero, cujus natalis agebatur etiam Hadrianopoli, sed (ut diximus) die proxime præcedenti. Ne autem id fiat, considerandum est in optimis quibusque codicibus Hieronymianis utrumque Severum annotatum seu distinctum esse, et alterutrum in pejoribus tantum libris omissum fuisse; dein* Dorotheum, *quem Lemovicensis interpolatos* Donatum *dixit, in melioris notæ codicibus*

(1) Spicilegium, tom. II, pag. 20, edit. in fol. — (2) Thesaurus anecdotorum, tom. III, col. 1584. — (3) Martyrologium Adonis, pag. 686. — (4) Acta SS. tom. II Martii, pag. xxxv. — (5) Spicilegium Dacherii, tom. II, pag. 54. — (6) Canisius, Lectiones antiquæ, tom. II, part. II, pag. 344, edit. Basnagii. — (7) Ibid. part. III, pag. 183. — (8) Usuardi Martyrologium, edit. Sollerii, pag. 623. — (9) Spicilegium Dacherii, tom. II, pag. 33. — (10) Martene, Thesaurus anecdotorum, tom. III, col. 1561. — (11) Ibid. col. 1570. — (12) Ap. Florentinium, Martyrologium S. Hieronymi, pag. 1053. — (13) Ibid. col. 1590.

socium

AUCTORE V. D. B. *socium ei assignari; qualem socium nequaquam habuit S. Severus presbyter. In codice Ottoboniano determinatur quæ Hadrianopolis SS.* Severi et Dorothei *palæstra fuerit, scilicet Hadrianopolis Thraciæ; sed quum* Thraciæ *vocabulum in hoc uno tantum legatur libro, manifestum additamentum habendum est, admissum haud dubie quoniam ad diem præcedentem de Hadrianopoli Thraciæ factus erat sermo. Quocirca malim nil addere et incertum relinquere in qua Hadrianopoli martyrium suum consummarint ambo athletæ. Plures enim erant. Præter Thracicam, Paphlagonia habebat civitatem archiepiscopalem hujus nominis; Ætolia episcopalem sub archiepiscopo Naupactensi, Pisidia sub Antiocheno,* D *Bithynia et Honorias sub Claudiopolitano: et licet nudo Hadrianopoleos nomine passim Thraciæ metropolis designetur, id tamen (si solum sit) firmum argumentum non est. Demum quod spectat ad martyrii tempus, nil etiam divinare lubet; animadvertendum tamen beatum par prodire in Hieronymianis fastis primo loco, plerumque dato antiquioribus martyribus. Inter sanctos Gallicanos recensuit hos sanctos Saussayus, male interpretatus auctarium Martyrologii seu Calendarii Tolosani : sed hac de re in Prætermissis dictum est.*

DE S. SEURESIO, MARTYRE,

CESAREÆ IN CAPPADOCIA

V. D. B.

SYLLOGE.

B

Ex Hieronymianis aliisque fastis.

E

S. Seuresius, *ex fastis Hieronymianis et similibus tantam notas; nominis forma.*

In codicibus suis Lucensibus Martyrologii Hieronymiani pauca admodum nomina reperit Florentinus ad hanc diem: scilicet Severum et Dorotheum, martyres Hadrianopolitanos, de quibus modo diximus; et post hæc sequentem commemorationem: Et in Cæsarea Cappadociæ Seuresi. *S.* Seuresius *item laudatur in codice Antverpiensi, immo Epternacensi, ubi* Seuresius *dicitur et non secus ac in Gellonensi,* (1) *Labbeano* (2) *et S. Germani Autissiodorensi* (3) *sociatur S. Longino; de quo in Prætermissis; in Corbejensi autem antiquissimo, edito a Dacherio* (4), *memoratur simul cum SS. Magno et Justo, quos similiter inter Prætermissos ablegavimus; in Augustano* (5) *autem solus venit, non indicato palæstræ loco, qui etiam deest in Gellonensi, Labbeano et Autissiodorensi. In aliis multis omittitur, relinquens tamen interdum sui vestigium, scilicet passionis locum Cæsaream Cappadociæ: sed hæc curiosius prosequi operæ pretium non est.*

C *Ex Hieronymianis fastis fluxit S.* Seuresii *nomen in Bedæ et Usuardi Martyrologiorum codices. Sic in codice Bedæ Barberiniano* (6) *legitur ad hanc diem:* In Cæsarea Cappadociæ S. Sereusi et alibi S. Longini; *quæ memoria in aliis codicibus multis variisque modis luxata est. In Usuardinis codicibus seu potius auctariis nuspiam illa eadem recte occurrit: In Rosweydano* (7): In Cesarea Cappadociæ, Severi, episcopi et confessoris; *et apud Grevenum* (8): In Cæsarea Cappadociæ, sancti Severi, episcopi. *Episcopi titulum tollendum esse ex his rivulis, quum in Hieronymiano fonte non reperiatur, manifestum est; et similiter confessoris, non minus patet, quum vix unus alterve confessor in eodem libro reperiatur. Et quidem primis ecclesiæ sæculis rarissimus erat confessorum cultus, nisi ob exantlatos labores et toleratas persecutiones martyribus æquiparari possent. Militem fuisse S.* Seuresium *innuit Florentinus; sed ita obiter ut vix animadverti debeat illa conjectura, omni plane fundamento destituta. Nominis forma* Seuresius, *licet plane insolens sit, servanda videtur; reperitur enim in optimis et in plerisque codicibus; deinde aliæ formæ* Suversius, Seversius, Senresius *in singularibus tantum mss. libris obviæ sunt, neque magis olim usitatæ fuisse reperiuntur quam forma* Seuresius, *ex qua cæterum eas originem suam cepisse ipsa earum demonstrat facies. Sane placeret magis forma* Severus, *utpote communis usus, si in ullo antiquo libro legeretur; sed ita non est: adeoque* F *quemadmodum pronum est, ut scribæ nomina mira et parum usitata mutent in vicina nomina vulgaria, sic facile ponendum non est ut iidem* Severi *nomen, tot olim impositum hominibus, in* Seuresium, *nomen prorsus insolitum, converterint. Martyrium fecisse putem beatum virum sub Diocletiano imperatore, quandoquidem longe maxima pars sanctorum, qui Hieronymianis laterculis inscripti sunt, tunc temporis certarunt pro fide.*

(1) Dacherius, Spicilegium, tom. II, pag. 35. — (2) Act. SS. post tomos Junii, pag. 28. — (3) Martene, Thesaurus Anecdotorum, tom. III, col. 1561. — (4) Spicilegium, tom. II, pag. 20. — (5) Act. SS. post. tom. Junii, pag. 22. — (6) Act. SS. tom. II, Martii, pag. xxv. — (7) Sollerius, Martyrol. Usuardi, pag. 621. — (8) Ibid. pag. 623.

A

DE SS. SERVANDO ET GERMANO,

MARTYRIBUS PROPE GADES IN HISPANIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ unicus. Cultus Sanctorum Martyrum secundum liturgiam Mozarabicam; eorumdem patria et familia; tempus et locus martyrii.

INITIO SÆC. IV. *Cultus SS. ex Martyrologiis et liturgia*

Horum pugilum memoriam celebrat Martyrologium Romanum parvum hisce verbis : In Hispaniis, Servandi et Germani. *S. Ado pro more suo compendio totius passionis historiam complectitur; quod, pauculis exceptis, exscribunt Usuardus et Romanum hodiernum :* In Hispaniis, natalis Sanctorum Servandi et Germani, qui post verbera, squalorem carceris et sitis ac famis injuriam et longissimi temporis laborem, quem, jubente Viatore præside, ferro onusti pertulerunt, novissime martyrii sui cursum, ferro cæsis cervicibus, impleverunt. Ex quibus Germanus Emeritæ juxta S. Eulaliam sepultus; Servandus vero, Hispalim translatus, circa Sanctas Justam et Ruffinam conditus est. *Quæ ex antiquissimis et celebratissimis Martyrologiis adducimus, satis ostendunt passionem et gloriam Sanctorum nostrorum a nemine in controversiam jure vocari posse. Universa porro Hispaniarum Ecclesia S.* Servandum *et* Germanum *ab antiquo coluit, uti ostendunt Breviarium et Missale Mozarabica, secundum Regulam S. Isidori redacta, quæ specialem nobis de SS. Martyribus exhibent liturgiam. Sic Breviarium habet hymnum proprium ad Vesperas sequentis tenoris* (1) :

B

Christus, verus rex Sanctorum,
Et sacrator Martyrum,
Tu es veritas et via,
Vitaque credentium;
Tu optantibus das votum
Et Beatis brabium *.
Tibi laudum vota pandit
Cuncta chors * fidelium
Qui Servando et Germano
Robur mox eximium
Concessisti, ut vincerent
Dimicando Zabulum *.
Præses namque mundialis
Ire ad aram præcipit.
Idolis litare vanis
Fortes Christi milites,
Noxiumque hostiarum
Immolari sanguine.
Illi pœnas expectabant
Christi amore interriti :
Dulce tunc illis cremari,
Dulce ferrum perpeti,
Validisque offerenda
Corpora suppliciis.
Nos Christum nempe fatentes
Execramus idola;
Et cœlestem adorantes
Temnimus terrestria;
Absit, ut ritu profano
Inclinemus corpora.
Hæc loquentes obruuntur
Mille pœnis Martyres,
Nexibus manus utrasque
Flexus involvit rigor,
Et calybs attrita colla
Duris ambit circulis.
Nobilis per vulnus amplum
Porta justis panditur;
Quosque Christus candidatis
Adgregat cohortibus :
Miscet choris Angelorum
Et coronat præmiis.
State nunc, hymnistæ cuncti,
Voce, votis, munere,
Atque in laudem Sanctorum
Vox cunctorum insonet :
Hic dies et festa nobis
Sit sacratum gaudium.
Gloria Deo parenti
In excelsis resonet,
Gloriam canamus Christo
Atque Sancto Spiritui;
Cui laus et potestas
Per æterna sæcula. Amen.

D

E

* bravium

* cohors

* diabolum

2 *Quæ specialia habet Missale Mozarabicum, sæpe repetuntur; quapropter sufficiat hic citasse tum orationem ad pacem, tum inlationem, quæ duo omnia complectuntur dicta in reliquo officio divino.* Oratio *autem* ad pacem *dicitur ante* Inlationem (*in Missa latina ordinaria Præfationem*), *quia fidelibus, specialiter iis, qui tunc temporis sacrificio intersunt, apprecatur sacerdos pacem et caritatem* (2). *Oratio igitur ad pacem habet* (3) : Deus, qui Martyrum tuorum corpora, unius gloriæ remuneratione indivise fruentia, divisis in regionibus locas; et Servandum Gaditano situi donas, et Germanum Emeritensium civibus accommodas; præsta nobis, ut gratiæ tuæ luce illuminati, et corporaliter divisi, unitatem retentemus dulcedinis, et collecti in unum redundemus munere charitatis. *Inlatio porro seu Præfatio alia addit notatu digna* (4) : Dignum et justum est, æquum vere et salutare, nos tibi gratias agere, Domine sancte, Pater æterne, omnipotens Deus, per Christum Dominum nostrum : pro quo Beati Martyres Servandus et Germanus corporaliter lacessiti, fames, vincula carceresque vicerunt. Hos vita felix invictos reddidit in pœna, humiles in conscientia, probabiles in doctrina. Hi prædicant idolorum sacra subverti, et solum adorandum Christum Filium Dei. Post pri-

Mozarabica:

F

(1) Patrologia, tom. **LXXXVI**, col. 1233.— (2) Pinius. Liturg. antiq. Hisp. Tract. prælim. num. 454. Act. SS. tom. VI Julii, pag. 89. — (3) Patrol. **LXXXV**, tom. I, col. 886. — (4) Ibid. l. c.

AUCTORE J. V. H.

mam igitur, quam meruerunt, de triumphato hoste victoriam, rursus ad ungulas et tormenta, rursusque ad pœnas rapiuntur atque supplicia. Non hos labor itineris, non coangustatio carceris, non totius illatæ terruerunt supplicia passionis; sed ambo campum fidei constanter aggressi, quod mercati sunt fide, adepti sunt passione. Exceperunt quippe sacris coruscum cervicibus gladium, et pro tuo, Deus, nomine viriliter animas posuerunt. Sicque parili alternoque mysterio, dum divisi sacris illustrant corporibus terras, indiviso meritorum suffragio et beneficia largiuntur populis et coronas, Unigeniti tui concedente clementia, cui merito omnes Angeli non cessant clamare, ita dicentes. R. Sanctus. Sanctus. Sanctus. *Quæ hactenus ex liturgia Hispanica attulimus antiquissima et certissima sunt, si forte Martyrologium Parvum excipias, monumenta cultus et historiæ Sanctorum nostrorum. Præterea eorum dies natalis inter solemniores festivitates olim recensebatur, ut ex Aguirrio refert Pinius noster num.* 422 (1); *quamvis juxta*
B *Kalendarium, Missali et Breviario Mozarabico præfixum, idem festum ritu* IX *lectionum, id est quarto ordine annotetur. Nam primi ordinis solemnitates dicuntur* sex capparum; *secundi,* quatuor capparum; *tertii,* duarum capparum; *ac tandem quarti,* novem lectionum.

in Actis tria occurrunt explicanda:

3 *Acta SS.* Servandi *et* Germani *non alia habemus, quam ex Breviariis Hispanicis extracta; quæ quoniam liturgia Mozarabica recentiora sunt, ad hujus normam præcipue dijudicanda sunt; quamdiu præsertim documenta certiora aliud non suadent. Omnes qui de Sanctis Hispanis tractarunt, excepto (quod mirabile est) Pseudodextro, Martyres nostros laudibus extulerunt, adjunxeruntque iis, quæ liturgia refert, varias circumstantias, quas operæ pretium est, pressius examinare. Imprimis dicunt* Servandum *et* Germanum *fratres, et filios S. Marcelli centurionis ex S. Nonia seu Nonna. Ex hac genealogia deducunt porro patriam Martyrum nostrorum, imo et gentem seu familiam fuisse romanam, ex qua originem traxerint suam. Dein tempus statuunt passionis finem sæculi tertii; quod alii ad initium quarti prorogant. Tandem,*
C *reliquis tacentibus, Martyrologium Romanum locum passionis accuratius definit, quando dicit:* In Hispania prope Gades ad fundum Ursonianum SS. MM. Servandi et Germani *etc: quibus ex verbis enata est controversia de loco, ubi constituendus est fundus Ursonianus, palæstra Martyrum nostrorum. Hæc igitur tria examinanda recurrunt in hoc commentario prævio, dum reliqua in Annotatis ad Vitam, ex Breviariis extractam, facile explicari poterunt.*

1° Utrum sancti fuerint filii S. Marcelli,

4 *Jam vero quod ad familiam SS.* Servandi *et* Germani *spectat, hæc leguntur apud Petrum Ribadineira nostrum in Flore Sanctorum, præsertim Hispanorum, qui liber sæpe ejus Legendario subjungitur:* Eborense, *inquit* (2), Breviarium, itemque Joannes Vasæus in chronico Hispaniæ (3) testantur duodecim filiorum S. Marcelli hæc fuisse nomina: Claudius, Lupercius, Victoricus, Facundus, Primitivus, Hemeterius, Cheledonius, Faustus, Januarius, D
Martialis, Servandus et Germanus, atque hos omnes Martyres fuisse. *Eosdem enumerat Nicolaus Antonius in sua censura historiarum fabulosarum* (4) *cum hac tamen appendice, quam ex Hispanica lingua latine reddimus:* Aliqui auctores dubitant, utrum omnes hi sint filii S. Marcelli, et alios eorum loco substituunt: ad nos non pertinet ista inquisitio. *Jam variis in locis inquisitionem hanc attigerunt nostri, dubiique hæserunt. Etenim ad diem* III *martii in Actis SS. Emetherii et Caledonii quæstionem examinant* (5) *et argumento sane non spernendo filiationem horum Martyrum destruunt, quum et Prudentius dicat in Peristephano, Hymno* I (6) *:*

O vetustatis silentis obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis, fama et ipsa extinguitur;
Chartulas blasphemus olim nam Satelles abs- [tulit,
Ne tenacibus libellis erudita sæcula
Ordinem, tempus, modumque passionis pro- [ditum
Dulcibus linguis per aures posterorum spar- [gerent. E

Eamdem iisdemque verbis ignorantiam profitetur scriptor Compendii Actorum ex Ecclesiæ, *inquiunt nostri* (7), Burgensis ecclesiasticis tabulis; *nam* præstantissimorum Martyrum, *ait,* ortus, nataleque solum, tum etiam tempus martyrii, generaque tormentorum, (quæ memoria, a patribus in filios derivata, tenet fuisse atrocissima) penitus oblitterata incompertaque sunt. *Quoniam vero Prudentius, ut ejus verba aperte testantur, dicit periisse malitia persecutorum documenta scripta martyrii SS. Emeterii et Chelidonii, consequitur initio sæculi quinti, quo floruit, vaga quadam traditione superstitem mansisse martyrii modum; quod quidem argumenti genus positivum magis, quam negativum videtur.*

et fratres aliorum Martyrum,

5 *Similiter ad diem* XIII *Octobris tractant nostri de SS. Fausto, Januario et Martiale, Martyribus Cordubensibus* (8), *qui et ipsi filii S. Marcelli, adeoque et fratres SS.* Servandi *et* Germani *fuisse traduntur. Id negat noster Cornelius de Bie in Commentario prævio ad eorum passionem num.* 4 *et seqq.* (9), *dicens ex Pseudo-* F
Juliano natam opinionem, quæ tamen antiquior est, quoniam jam emissa a Luca Tudensi sæculi XIII *scriptore in Præfatione Chronici sui* (10). *Certe Acta Martyrum Cordubensium, quæ sincera habentur* (11), *non solum tacent eorum cum S. Marcello ac reliquis consanguinitatem, sed contrarium potius insinuant, ut monstrat Barthol. Sanchez de Feria in sua Palæstra sacra Martyrum Cordubensium* (12). *Nam Eugenius tyrannus, quum videret pugiles in fidei confessione constantes, exarcerbatus:* Unde, *inquit* (13), vobis est hæc tam desperata societas? *Et paulo infra* Eugenius ad Martialem, conversus dixit: Vides istorum animi dementiam, qui te in societatem suam contraxerunt. *Ex quibus verbis meo judicio deducere licet, societatem, inter hos pugiles contractam, non sanguinis sed amicitiæ necessitudine coaluisse,*

(1) Liturg. antiq. Hisp. pag. 77. (2) Flos. SS. pag. 324. Edit. Colon. 1741. — (3) Hispan. illustr. tom. I, pag. 649 et seq. — (4) Cens. de Historias fabul. pag. 330. — (5) Act. SS. tom. I Mart. pag. 229. — (6) Patrolog. tom. LX, col. 288. edit. Migne. — (7) Act. SS. tom. I Mart. pag. 232. — (8) Ibid. tom. VI, Octob. pag. 187. — (9) Ibid. pag. 188. — (10) Hisp. illustr. tom. IV, pag. 2. — (11) Cfr Act. SS. tom. VI, pag. 188 et Ruinart Acta Martt. pag. 534. edit. Amstelod. 1713. — (12) Feria, Palestra Sagrada, tom. III, pag. 136. — (13) Act. SS. tom. VI Octob. pag. 193.

adeoque

AUCTORE J. V. H.

A *adeoque socios magis quam fratres fuisse. Vix enim credi potest, tyrannum, nulla facta mentione consanguinitatis, ejusdem fidei societatem, quæ fortuita ipsi videbatur, iterato exprobrasse. Quapropter existimo, non solum antiquorum silentium, sed maxime allatum qualecumque positivum argumentum receptæ nunc passim opinioni nocere. Unde, eliminatis jam quinque suppositiis filiis S. Marcelli, non possumus admittere SS.* Servandum *et* Germanum *ad eamdem familiam S. Marcelli pertinuisse; imo antiqua documenta ne ullo quidem verbo indicant, hos Sanctos sanguine fuisse conjunctos. Cæterum hæc eadem quæstio ad diem* XXX *Octobris, quo Martyrologium Romanum passionem S. Marcelli celebrat, necessario erit retractanda* (1).

2° *tempus martyrii,*

6 *Quod ad tempus spectat, quo Sancti nostri passi sunt, facillimam nobis indagandi viam sterneret, eorumdem, si constaret, ex S. Marcello prognatio : verum quum ea ipsa in controversiam merito vocari possit, non est, quo vestigium certum figamus. In hoc certe conveniunt omnes, quotquot legi, Martyres nostros*
B *sæviente persecutione Diocletiani passos fuisse : ast simul fateri necesse est, traditionem hanc ab unanimitate asserentium magis, quam a documento aliquo antiquo auctoritatem mutuari suam. Neque argumentum temporis accuratius definiendi præbet Ado dicens :* Germanum Emeritæ juxta S. Eulaliam sepultum, Servandum vero circa SS. Justam et Rufinam reconditum fuisse: *id quidem valeret, si statim post passionem* Germanus *Emeritam,* Servandus *Hispalim translati fuissent; nam monstraret sanctas Virgines, initio sæculi quarti passas, nostros pugiles præcurrisse ad coronam; adeoque sæculi quarti initio passionem sanctorum nostrorum esse illigandam. Verum multo tardius, et probabiliter pace Ecclesiæ jam reddita, id acciderit: quod quidem certissimum est pro S.* Servando; *etenim in oratione Missalis Mozarabici, supra num.* 2 *citata, dicitur* Gaditano situi donatus; *unde consequitur, S.* Servandum *aliquandiu in finibus Gaditanis jacuisse, ibique cultum publicum obtinuisse, priusquam transferretur Hispalim et circa SS. Justam et*
C *Rufinam reconderetur. Momentum aliquod chronologicum præberet circumstantia, quod jussu Viatoris, quem Ado præsidem, Acta infra edenda num.* 4 *Vicarium, vicariam agentem præfecturam, vocant, Martyres nostri gladio percussi fuerint. Sed istius sive præsidis sive vicarii nomen nuspiam hactenus mihi occurrit, nisi in his ipsis commentariis, qui de Sanctis nostris agunt; ita ut id nomen plane inutile sit ad difficultatem solvendam. Certe Joannes de Masdeu, qui in sua Historia Critica Hispaniæ diligentissime collegisse videtur veteres inscriptiones Romanas, et ad numerum usque* 1350 *publici juris fecit* (2), *nuspiam inter tot nomina mentionem Viatoris facit, ita ut ex solis Actis nostris hactenus innotescat. Si tamen verum est, quod Acta l. c. exhibent, nempe Viatorem titulum Vicarii per Hispanias obtinuisse, dicendum est, eumdem postremis Diocletianeæ persecutionis temporibus magistratum gessisse. Etenim,* AUCTORE J. V. H. *testibus Ambrosio de Morales* (3) *et Joanne Masdeu* (4), *Vicarii dignitas a Constantino Magno constituta fuit, et in eo consistebat, ut dicit Ambr. Morales l. c., ut esset gubernator generalis omnium Hispaniarum, a quo pendebant in negotiis momentosis belli et pacis præsides septem provinciarum. Quæ si ita sint, satis verisimile fit, Viatorem, furente adhuc persecutione, magistratum aliquem obtinuisse, adeoque Martyres nostros initio sæculi quarti fuisse passos; quapropter hanc qualemcumque epocham in capite hujus commentarii signavimus. Neque objiciat quis Viatorem, sub Diocletiano persecutorem, tantam sub Constantino christiano gratiam assecutum fuisse, ut supremam in Hispania dignitatem obtinuerit: etenim ea erat temporum conditio, ut impossibile esset, exclusis paganis, solis christianis officia etiam primaria concredere: certe circa finem ejusdem sæculi quarti magna pars senatus Romani cultui idolorum addicta erat, ut monstrat ejus intercessio contra decretum Gratiani imperatoris, jubentis tolli statuam Victoriæ, quæ superstitioso cultu, tamquam columen imperii, habebatur* (5). E

3° *locus qui, exclusa* ossuna,

7 *Devenimus tandem ad tertiam difficultatem, nempe quo loco Sancti nostri certamen consummarint. Martyrologium Romanum et Acta infra edenda num.* 4 *palæstram assignant* fundum Ursonianum. *Aliqui existimarunt hanc vocem significare civitatem Ursonam, quæ et Ursaonem, Orsonam, etiam Genuam aut Geminam Urbanorum dicebatur* (6), *hodie* Ossuna *in provincia Bætica et diœcesi Hispalensi: sed istam opinionem allego, magis ex aliorum quam ex mea opinione: nullus enim mihi hactenus scriptor occurrit, qui Martyrum nostrorum palæstram in Ursona civitate constituerit. Quoniam tamen scriptores Hispani hanc sententiam refutarunt, extra controversiam mihi est, eamdem apud quosdam viguisse: quos refutat Rodericus Caro in suis Antiquitatibus Hispalensibus lib.* III *cap.* 55 (7). *Certe si etymologiam sectemur, commoda est istiusmodi interpretatio, imo et recta, quando reliqua concurrunt aut saltem non obstant. Sed imprimis idem nomen*
F *variorum locorum, ut inspicienti lexicon aliquod topographicum ad oculum patet, non raro proprium est; adeoque Ursonæ civitatem hodiernam Ossunam necessario non indigitat. Atque id valet in casu nostro; quandoquidem Ursonianus fundus, ut Martyrologium Romanum et Passio num.* 6 *habent,* prope Gades *inveniri debet: Ossuna autem saltem viginti octo leucis gallicis, secundum mappas, seu* 112 *chiliometris Gadibus distat, adeoque incorrecte* prope Gades *Ossuna diceretur.*

prope Gades constituendus videtur.

8 *Neque error corrigitur dicendo, vicinitatem significari posse per conventum juridicum; quatenus provincia Bætica in quatuor conventus juridicos, qui singuli proprios judices habebant, dispertita erat, nempe Hispalensem, Cordubensem, Gaditanum et Astigitanum* (*hodie* Ecija) (8): *atque vicinitatem conventum interpretantur quidam* (9). *Verum non video, cur verba ambigua,*

(1) Cfr Tillemont, Mém. pour serv. à l'hist. Ecclés. tom. IV, pag. 575 et Espana. Sagr. tom. XXXIV. pag. 336. — (2) Masdeu, Hist. Critica de Espana. tom. V et VI. — (3) Coronica Gen. de Espana, tom. V, pag. 206. edit. Madrit. 1791. — (4) Hist. Crit. tom. VIII, pag. 36. — (5) Cfr Tillemont. Hist. des Emp. tom. V, pag. 73 et seqq. Et, si lubet, Prudentius, Carm. contra Symmach. lib. I, v. 614. apud Migne. Patrol. tom. LX, col. 171. — (6) Masdeu, Hist. Crit. tom. VI, pag. 400. — (7) Caro, Antiguedades de Sevilla, f° 178, v°. — (8) Florez. Espana. Sagr. tom. IX, pag. 59; Cellarius, Geogr. antiq. tom. I, pag. 66. — (9) Tamayus. Mart. Hisp. ad XXIII Octob. tom. V, pag. 622 et Caro, Antig. de Sevilla, f° 178 v°.

qualia

AUCTORE J. V. H.

qualia sunt prope Gades *nomini certo et definito conventus substituisset scriptor antiquus. Quod si tamen objectio qualicumque demum modo elidatur, nascitur gravior difficultas, nempe Plinius lib.* III *Historiæ naturalis cap.* I *conventui Astigitano annumerat Ursonam, quæ, ait, etiam Genua Urbanorum appellatur; adeoque e conventu Gaditano excluditur Ursona seu* Ossuna. *Porro si de Ursona agatur, tamquam de Martyrum palæstra, nulla ratio reddi potest, cur, omissa appellatione coloniæ,* fundi *nomen scriptor adhibuerit, quod nullatenus coloniæ, suis nummis, imo officina monetaria insigni* (1), *convenire potest : fundi enim, ut constat ex l.* 211 *D. de Verb. signif.* (*L.* 16), appellatione omne ædificium et omnis ager continetur; sed in usu urbana ædificia, ædes; rustica, villæ dicuntur : locus vero sine ædificio in urbe, area; rure autem ager appellatur. Idemque ager cum ædificio fundus dicitur. *Inepte igitur colonia celebris* fundus, *aut, ut habent alii,* vicus *vocaretur. Quapropter omnino consentiendum est auctoribus Hispanis, palæstram Martyrum*
B *intra insulam Gaditanam constituentibus. Unde et sustineri potest opinio Henrici Florez in Hispania Sacra* (2), *qui locum martyrii assignat vicum, in Itinerario Antonini dictum* Ad Pontem (*hodie* Puente de Zuaso), *quatuordecim millibus passuum a portu Gaditano distantem* (3), *qui vicus recte dicitur et* prope Gades *et in territorio Gaditano, quod insula cognomine circumscribitur.*

Variæ translationes.

9 *In fine Passionis infra edendæ dicitur S.* Servandi *corpus Hispalim fuisse translatum; quod ad posteriora sæcula pertinet. Nam liturgia Mozarabica, dum S. Germanum Emeritæ civitati attribuit, S.* Servandum Gaditano situi donat : *ex quibus verbis consequitur, S.* Servandi *corpus saltem usque ad initium sæculi septimi, quo S. Isidorus floruit, Gadibus aut juxta Gades quievisse; et serius fuisse Hispalim translatum. Imo ipsa corpora SS. Justæ ac Ruffinæ videntur in villa Wittlariæ in decanatu hodierno Dusseldorpiensi, diœcesis Coloniensis* (4), *toto medio ævo quievisse. Hæc enim refert Jacobus de Zuniga in suis Annalibus Hispalensibus sub anno* 1602 *num.* 5 (5); *ex hispa-*
C *nico latine reddo :* Jam ab annis notitia erat pervulgata Hispali et in conventu SS. Trinitatis in loco quodam diœcesis Coloniensis, in Germania, conservari Reliquias insignes, quas traditio ferebat pertinere ad SS. Martyres Justam et Rufinam, quæ in tam remotum locum a Christianis, Maurorum captivitatem fugientibus, asportatæ fuerant : affulserat tunc spes recuperandarum, quæ hactenus plane desperata tantum non fuerat. Ad instantiam F. Christophori de Gaona intercesserat tam efficaciter minister generalis Ordinis apud Ernestum, principem imperii et Coloniensem archiepiscopum, ut tandem donari sibi obtinuerit pro conventu Hispalensi caput; quod S. Rufinæ habebatur et os grande ac fere integrum S. Justæ. Quas Reliquias dictus princeps archiepiscopus litteris datis die 11 Julii 1601 Leodii (*erat nempe Ernestus Bavarus simul Leodiensis episcopus*) declarat haberi quasi D SS. Martyrum Hispalensium, et tamquam talium ab immemorali in honore habitas in ecclesia parochiali Wittilaer (*Wittlahr*), diœcesis suæ Coloniensis; quapropter ad instantiam et petitionem ministri generalis totius Ordinis SS. Trinitatis easdem Reliquias concedit dicto Ordini et specialiter religiosis conventus Hispalensis, et sic cum variis instrumentis authenticis translatæ fuere Hispalim dictæ Reliquiæ. *Quas probavit dein Hieronymus Leyba, vicarius Ferdinandi Guevara, cardinalis archiepiscopi Hispalensis. De hac translatione nihil habent nostri, ubi ad diem* XIX *Julii agunt de SS. Justa et Rufina* (6) : *imo et ipsi auctori, cujus verba exscripsimus, videntur adhuc delitescere intra urbem Hispalensem sacra lipsana. Cæterum translatio in tam longinquam regionem mira videri non debet : scimus enim S. Leocadiæ, Martyris Toletanæ, corpus usque ad sæculum decimum sextum in monasterio S. Gisleni in Hannonia quievisse, illuc propter metum Maurorum translatum* (7).

Acta edenda.

10 *Hisce expeditis, superest, ut ipsa Acta martyrii exhibeamus. Coæva quidem nobis desunt : antiquissima monumenta sunt ea, quæ ex liturgia Mozarabica in principio hujus Commentarii recitavimus; nec dubito, quin ad eorum, utpote antiquissimorum, normam reliqua Acta composita fuerint. Tres porro diversas lucubrationes coram habemus. Scilicet Tamayus ad hanc diem* (8) *Acta SS. Martyrum nostrorum collegit* ex Sanctoralibus *ut ipse dicit,* SS. Ecclesiarum Hispalensis, Asturicensis et Segobiensis mss. *Verbis magis quam rebus differunt ab iisdem, quæ habentur tum in collectione Bollandiana ex manuscripto codice Joannis Bouhier Divionensis, tum apud Henricum Florez* (9). *Inter hosce postremos una est diversitas; quatenus Bouhierianum apographum habet brevem Prologum et in fine consuetam doxologiam; quod utrumque deest in editione Florezii, qui et ipse sua* ex veteribus Hispaniæ Breviariis *deprompsit. Legendæ istæ satis inter se et cum liturgia Mozarabica conveniunt, neque definire facile est, quæ sit earum antiquissima, ut unam alteri præferamus, atque publici juris faciamus : quapropter Acta e codice Bouhieriano, aucta* F *Prologo et doxologia edemus : quod vero diversum fuerit in Annotatis pro more consignabimus, non omissis lectionibus officii hodierni, quod in Proprio Sanctorum Hispanorum reperitur.*

PASSIO

SS. SERVANDI ET GERMANI,

Ex codice ms. Joannis Bouhier Divionensis,

Collata cum Legenda Henrici Florez, Tom. XIII Hispaniæ Sacræ.

Prologus.

Beatissimorum Martyrum passiones inclytæ quum omnium, tum etiam Servandi et Ger-

(1) Masdeu, Hist. Crit. de Espana, tom. VI, pag. 19, 400, 454 et 603. — (2) Espana. Sagr. tom. XIII, pag. 315. — (3) Vetera Romanor. Itineraria. pag. 409, edit. Wesselingii, Amstelod. 1735. (4) Handbuch der Erzdiocese Koln, pag. 44. — (5) Zuniga, Annal. de Sevilla. pag. 602. — (6) Act. SS. tom. IV, Julii, pag. 584.

(7) Cf. Florez, Espana. Sagr. tom. VI, pag. 308. Annales de l'abb. de S. Gislain. Monum. pour servir à l'hist. des prov. de Namur, Hainaut et Luxemb. pag. 765. — (8) Martyrol. Hisp. tom. V, pag. 621. — (9) Espana. Sagr. tom. XIII, pag. 412.

mani,

A mani, quid sunt aliud, quam eorum fidei virtutes et constantissimæ patientiæ testimonia gloriosa? Ad hæc igitur dum intendimus mente et confessionis honore virtutem passionis et dicata Deo fortissima pectora secundum meritum eorum admirantes, digno laudis præconio prædicamus, ad cœlestem gratiam roboramur. Nec sum nescius, quod singula eorum egregia facta virtutum explicare non possumus : est enim mihi ingenii perquam angusta mediocritas et crebro imperitus sermo : sed quæ sunt vera non desiderant pompam neque ubertatem verborum, sed sinceræ fidei nitorem purissimum.

SS. Servandus *et* Germanus.

2 Servandus itaque et Germanus, beatissimi Martyres *a*, quorum clarissimus passionis illuxit dies, magni et nobiles genere, pii, boni, simplices, præstantes virtute, animi pariter et corporis religiosum animum, fidem justam, castamque patientiam pro vera operatione coluerunt. Ili ergo quum ante hos annos *b* haberent animos graves, gratam et virilem conscientiam et gererent religiosissimam B curam, bene sibi de candida simplicitate conscii, ad omnem faciem terrenam penitus expiandi, optatam beatissimi Martyres gratiam perceperunt. Renati itaque ex aqua et Spiritu Sancto, animati cœlesti Spiritu, induerunt se arma justitiæ et in nomine Domini Nostri Jesu Christi, Filii Dei, exutiebant de obsessis corporibus dæmonia nequissima et per impositionem manuum suarum membra multorum, diverso fessa languore, curabant. Quum ergo eorum præcordia intima amor legis auxisset operationibus justis, cœperunt jam ex illo *c* tempore de antiquo Zabulo *c* triumphare, qui erant et virtutibus multis et divinis suffragiis gloriosi. Quid illa memorem, quemadmodum semper fuerint jejuniis et eleemosynis plurimum dediti, quemadmodum omnem libidinem spiritali vigore contempserint, quemadmodum calcaverint diversa vitia et peccata terrena, ut ad justitiæ palmas et coronas currentes, per hæc castitatis, fidei et patientiæ studia pervenerint.

a

b

c

post priora tormenta

3 In hoc ergo agone quum exercerent piam et fortissimam mentem, non longis intervallis C temporum sacrilega frementium principum cœpit sævire persecutio; odio nominis Christi ita enim in pectore hominum perditorum venenum malitiæ suæ Zabulus draco sævum infuderat, ut christiani statim interficerentur, si qui idolis sacrificare noluissent, et longis pœnis et cruciatibus sauciati, negare Christi nomen venerabile cogerentur. Sic etenim diversas et inauditas invenerat pœnas ingeniosa crudelitas, ut multorum virtutem animi longa tormenta superarent. Iisdem vero temporibus dum fremeret pœna sine fine et mors pulchra per vulnera pro Christi nomine perveniret, Servandus et Germanus, fortissimi milites, quum lacerarentur majoribus pœnis, majorem se lætabantur gloriam consecutos : erat in illis laceratio corporis, sed animi gloriosa victoria; tantaque constantia quum essent fortiores, sæva tormenta vincebant; quum temporali turbulentia sævitia victa languebat, et de militibus Christi superatum se Zabulus ingemiscebat, tunc illi in ipsa desperatione corporis et nervorum conjunctione soluta majores in confessione Christi nominis esse meruerunt. Hi ergo Confessores, victoriæ titulis sublimati, præbebant virtutis suæ specula lætissima Christo, dabant fratribus justissima animositatis exempla.

EX MSS. ET EDITT.

4 Sed ecce, opitulante divina indulgentia in persecutione violenta, post tempestatem furoris et ruinam multorum, quum, respiciente Deo, tranquillitas Ecclesiæ reddita reluxisset, Servando et Germano, Confessoribus primis, martyrii corona per alteram victoriam parabatur *d* : postquam dimitti jussi sunt quicumque in vinculis, in pœnis, in carceribus, in tormentis erant, Servandus et Germanus non ad refectionem temporalem animum relaxabant, nec vitam hujus sæculi esse aliquid computabant, quum æternam a Deo quærerent vitam *e*. Simulacra itaque gentilium, quæ stulti homines deos putabant, cum lucis eorum et ædificiis et aris penitus dissipabant, ut omnibus fatuæ mentis errorem vanæ superstitionis auferrent, et sic adducerentur miseri de morte ad vitam et de tenebris ad Christi clarissimum lumen *f*. Plurimi itaque cœperunt horrere sacra funesta, relinquebant idola, quæ confracta, de hominibus christianis nulla se poterant majestate defendere, credebant in Christi nomine, currentes ad Ecclesiam Domini, agentes gratias Domino Jesu Christo, peccatorum sordibus expiati.

liberi,

d

e

f

E

5 Sed quam cito Zabulus ingemiscit, invidus, sævus, et iterum se in pectora judicum temporalium dirus infundit. Jubetur itaque, ut Servandus et Germanus Confessores nobiles rursus raperentur ad vincula, rursus ad tormenta, quæ expiati vicerant novissime; illam, quam gloriosam futuris Martyribus inviderant * mortem, cœpit quamprimum, ut illis inferretur, optare, quorum operibus justissimis videbat sua sacra funesta subverti. Stimulante itaque Zabulo, Servandus et Germanus, post confessionis coronas iterum gloriosi, pulchrius triumphaturi de morte et Zabulo, subjiciuntur vinculis, pœnis, durisque tormentis, cur illa simulacra, ad quorum aras sacrificare contempserant, dissipassent. Sed quemadmodum credere poterant, ferocissimus judex, cujus cor lividum antiquus coluber obsidebat, Servandum et Germanum modo interficere sæviebat, modo exquisitis pœnarum generibus reservabat : et ne quid inausum aut intentatum scelleri relinqueretur, circulis ferreis felicia eorum jussit colla circumdari et ligari religiosas manus.

iterum torquentur

* inviderat

F

6 Quum autem Viator nomine *, agens vicariam præfecturam *g*, ex civitate Emeritensi de provincia Lusitaniæ ad provinciam Mauritaniæ *h* pergeret, jussit illos post se trahi vinculis ferreis colligatos, ne ab eorum exitiis aliqua pœna cessaret. At illi durum laborem itineris, gravati catenis, fame, siti, frigore, procellis, animi virtute tolerabant fortissimi milites Christi, ut de inimico judice et hoste Zabulo acrius triumpharent : cumque enim alii invinculati haberent dolorem, mœrorem, lamentationem, gemitus in illa pœna itineris longioris, Servando et Germano pro mœrore gaudium erat, lætitia pro lamentatione; et ubi maxime in labore esse putabantur, illi psalmis, hymnis, laudibus religiosa corda mulcebant. Tandem enim quum ventum esset ad fundum, cui nomen est Ursiano, qui est in territorio

et tandem capite plectuntur.

* F. præses Viator nomine

g

h

territorio Gaditano *i*, huic loco divina gratia magnum lumen infudit, ut conventus Gaditanus tantum divino illustraretur Martyrum passione, qui solus tanta gloria indigere videbatur. Illuxit ergo dies passionis illorum in Ursanensi loco : præfectus *k* * Viator sententiam misit, ut Servando et Germano colla carnifices amputarent. Tunc ergo ducuntur ad collem, ubi est sublimior locus, qui est circumjacentibus agris velut in specula constitutus ; ibique fixis genibus, tacite orantes Deum, exceperunt sacris cervicibus gladium, offerentes se victimam mundam. Passi sunt pro fiducia veritatis die x kalend. Novembrium, sua gloriosa morte vitam perpetuam consecuti. O quam multum beata terra Gaditana, quæ gremio suo beatissimorum Martyrum sanguinem suscepit! Ubi mors est victa cum Zabulo, ubi fortissimi milites Christi in tali triumpho ad immortalitatem sunt sua pretiosa morte transgressi. Sed et Hispalensium et Emeritensium urbes magnæ sunt eorum passionis gratiam consecutæ : siquidem Germani corpus Emeritensis altrix terra suscepit, quod juxta Eulaliam cæterosque Martyres in cœmeterio datum est honestissimæ sepulturæ : Servandi corpus, in cœmeterio Hispalensi inter Justam et Rufinam beatissimas Martyres sepultum, in honore requiescit *l*, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit cum Deo Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

EX MSS. ET EDITT.
i

k
* F. præfectus *omittit*

B

l

ANNOTATA.

a *Hodiernum Proprium Officiorum Hispaniæ vocat SS.* Servandum et Germannm fratres, patre Marcello, Legionensi viro, non solum martyrio, sed et felici duodecim filiorum sobole præclaro, matre Nona sanctissima fœmina natos. *Numm.* 4 *et seqq. Commentarii prævii egimus de hac cum S. Marcello et aliis Martyribus parentela, quam omnes scriptores recentiores admittunt, licet in antiquis monumentis, hactenus notis, radicem habere non videatur: imo sive in liturgia antiqua Hispanica sive in aliis veteribus monumentis ne vel verbo ipsorum SS.* Servandi *et* Germani *inter sese* C *fraterna consanguinitas insinuatur, quamvis sæpe, ut monstrant fragmenta liturgica num.* 1 *allata, occasio se obtulerit, ut istiusmodi cognatio indicaretur.*

b *Ex hisce verbis* ante hos annos *monstratur antiquitates Actorum nostrorum.*

c *Vox* Zabulus *pro* Diabolus *usurpata antiquitatem scripturæ indicat. Cfr, h. v. Du Cange, Lexicon med. latinit. Cæterum eadem vox apud Florezium et Tamayum legitur.*

d *Ex hisce verbis manifestum est, Sanctos sub duobus persecutoribus tormenta subiisse: ast, ait Alexander Lesleus noster in Notis ad Missale Mozarabicum* (1) de tempore passionis nihil certi constat ; fortasse Christum sub Aureliano primum confessi sunt, demum sub Diocletiano martyrii palmam adepti.

e *Citatus Lesleus* (2) *scribit* Servandum et Germanum reddita Ecclesiæ pace demissos, vitam asceticam vixisse. *Sed id vitæ genus sectatos supponit post priorem persecutionem, quasi antea aliud capessiverint. Quod si Acta nostra attendimus, facile conjectabimus et ante et post priorem persecutionem eumdem vitæ tenorem observasse Sanctos, qui dicuntur num.* 2 *miracula patrasse, de antiquo Zabulo triumphasse et per castitatis, fidei ac patientiæ studia pervenisse ad justitiæ palmas. Porro jam alio loco actum fuit de Originibus monasticis in Hispania nempe in Commentorio prævio S. Irenes Virginis num.* 4 *ad diem* XX *Octobris* (3). *In concilio Illiberitano anni* 305 *canone* XIII *dicitur de virginibus,* quæ se Deo dicaverint, quod, *si* libidini servierint *et postea* omni tempore vitæ egerint pœnitentiam, *poterunt* in fine communionem *accipere* (4). *Quoniam vero major vitæ perfectio non magis uni quam alteri sexui propria est, facile crediderim istiusmodi perfectionis sectatores etiam inter viros exstitisse, qui forsan in Hispania clero simpliciter accensebantur.* D

f *Animadvertit Lesleus* (5) *id* de sacris privatis intelligendum ; quilibet enim ad fidem conversus idola sua comminuebat ; nam res paganorum sacras aut idola publica evertere, legibus Ecclesiæ vetitum erat. *Hactenus Lesleus, in cujus confirmationem adduci merito potest canon concilii Illibertani* LX (6) *quo sancitur, ut* si quis idola fregerit et ibidem fuerit occisus... in numero eum non recipiendum Martyrum ; *rationem vero addit*: quatenus *id* (*idolorum confractio*) in evangelio scriptum, non est, neque invenitur sub Apostolis umquam factum. *Quem plura de hoc videre libuerit, adeat Commentarium Ferdinandi Mendozæ de hoc concilio* (7). E

g *Vicaria præfectura erat summa dignitas imperii Romani per Hispanias, et qui ea fungebatur, dicebatur vicarius præfecti prætorii. Incerta est hujus dignitatis origo. Eamdem ad tempora Constantini Magni referunt Henricus Florez* (8), *Joannes Mariana aliique* (9). *Verum Tillemontius in Historia imperatorum* (10) *majorem vicariatui antiquitatem assignat, quando in Decii tempora reponit inscriptionem quamdam Tarraconensem, in qua Septimius, Acindynus, Agindinus seu Agnidius* (*varie enim* F *scribitur*) *vicaria potestate per Hispanias functus nominatur. Inscriptionem Tarraconensem damus ex Henrici Florez Hispania Sacra* (11). *Id solum observandum est, in utraque lectione infra danda, bis occurrere siglam* V. C. : *illud Florezius interpretatur prima vice* vir consularis, *altera* vicariatum, *nixus auctoritate lapidis, in quo vc.* vicarium *significat* (12). *Si tamen initium vicariatus Hispanici a Constantino M. sumendum est, ut diximus num.* 6, *sigla* virum consularem *significat.*

PIO ATQUE INCLITO DN. TRAIANO
NOBILISSIMO. AC. FORTISSIMO. ET
FOELICISSIMO. CÆSARI. SEPTIMIUS
AGNIDIUS V. C. AGENS PER HISPANIAS
V. C. ET. VICE SACRA COGNOSCENS
NUMINI MAJESTATIQUE EJUS SEMP
DICATISSIMUS.

(1) Migne, Patrolog. Missale Mozarabicum, tom. LXXXV, col. 884, note *a*. — (2) Ibid. l. c. — (5) Act. SS. tom. VIII. Octob. pag. 910. — (4) Labbe, tom. I, Conc. col. 972. — (5) Migne, Missale, tom. LXXXV, col. 885, not. *i*. — (6) Labbe, tom. I, Conc. col. 977. — (7) Ibid. col. 1303 et seqq. — (8) Espan. Sagr. tom. I, pag. 223. — (9) Lib. IV, cap. 16, tom. II, Hist. de Espana. pag. 91 et 463. — (10) Hist. des Emp. tom. III, pag. 130. (11) Espana. Sagr. tom. IV, part. II, pag. 250. Cfr Masdeu Hist. Crit. de Espana. tom. V, pag. 442 et tom. XIX, pag. 143. — (12) Espana, Sagr. tom. IV pag. 251.

Alio

A *Aliomodo eamdem inscriptionem reddit Antonius Povillonius, qui in ms. codice, in Bibliotheca regia Bruxellensi sub num.* 3821 *exstante, affirmat se eamdem Tarracone exscripsisse.*

PIO. ATQUE INVICTO
DN. TRAIANO NOBILIS
SIMO AC FORTISSIMO FELICISSIMO
CÆSARI SEPTIMIUS
AGINDINUS. V. C. A
GENS PER HISPANIAS
V. C. P. T. VICE SACRA COG
NOSCENS NUMINI
MAJESTATIQUE EJUS
SEMPER DEVOTISSIMUS

Hujus loci non est, scrupulosius differentiam verborum et linearum inter utramque inscriptionem occurrentem indagare : id sufficit ad scopum nostrum tempore Trajani cæsaris jam exstitisse pro Hispaniis vicariam præfecturam. Certe inscriptio ad Trajanum imperatorem non videtur pertinere, tum quia hujus tempore vicaria præfectura non exsistebat; tum quia Trajanus non diceretur simpliciter Cæsar, sed
B *aut Augustus, aut Cæsar Augustus; ac tandem, quia Trajani imperatoris tempore istiusmodi formulæ non adhibebantur. Videtur porro inscriptio pertinere ad Decii filium, cujus nomen erat :* Q. Herennius Host. Etruscus Messius Trajanus (1). *Quidquid enim sit de numero filiorum Decii imperatoris, quem alii ad duos contrahunt, ad plures extendunt alii* (2), *nihil certe obstat, aliquem filiorum Decii nomen Trajani, quod pater juxta veteres inscriptiones habuit* (3), *gessisse. Ipsæ dein formulæ, accumulatio nominum ad Deciana tempora accedunt, ut constat ex marmore Dertusiensi* (4) :

QUINTO HERRENNIO
ETRUSCO. MESSIO. DECIO
NOBILISSIMO. CÆS
FILIO
D. N. SANCTISSIMI
TRAJANI. DECI
P. F. INVICTI. AUG.
ORD. D. C. D. *
DICATISSIMUS
NUMINI. EJUS

**decurionum coloniæ Dertosæ.*

Ex hactenus dictis probabile mihi videtur, tempore Decii jam exstitisse Vicarii officium, quo per Hispanias fungebatur Sept. Agnidius, seu Agindinus. Nihilominus Tillemontius sæpe laudatus dicit Vicarii officium incepisse primum sub Diocletiano, atque opinionis suæ vadem profert Lactantium (5), *qui libro de Mortibus Porsecutorum cap.* 7 (6) : Ut omnia *inquit,* terrore complerentur, provinciæ quoque in frusta concisæ, multi præsides et plura officia singulis regionibus, ac pene jam civitatibus incubare; item rationales multi et magistri et vicarii præfectorum, quibus omnibus civiles actus admodum rari, sed condemnationes tantum et proscriptiones frequentes etc. *Verum ex his verbis quomodo deduci possit, officium Vicarii sub Diocletiano primum constitutum fuisse, non video, nisi quoque tunc primum fuerint et rationales et magistri. Cæterum, quoad rem nostram attinet, id perspicuum fit Vicarios sub Diocletiano per provincias fuisse.*

h *Mauritaniæ pars Tingitana dicta, Hispaniis accensebatur. Otho imperator, teste Tacito lib.* I *Hist. cap.* 78, Provinciæ Bæticæ Maurorum civitates dono dederat : *Tingitana regio prius itaque Bæticæ attributa, serius coaluit in discretam provinciam, Hispaniarum tamen vicario subjectam, ut habet Pancirolus* (7); *et quandoque transfretana dicta. Licet porro, quoad administrationem civilem spectat, inter Hispanicas provincias numeraretur. In ecclesiasticis tamen semper ad Ecclesiam* E *Africanam spectavit Mauritania universa* (8).

i *De fundo Ursiano seu Ursoniano actum fuit num.* 7 *et seq, Commentarii prævii.*

k *Qui hic loci præfectus dicitur Viator, paulo supra a Florezio præses appellatur : præfectus nempe, quia vicarius præfecti : præses autem, quia, inquit Digestum,* præsidis nomen generale est : eoque et proconsules, et legati cæsaris et omnes provincias regentes, licet senatores sint, præsides appellantur. *l.* I *D. de off. præs.* (I. 18). *Porro difficultatem facessit Lesleo in notis ad Missale Mozarabicum* (9), *quod Viator secum SS. Martyres vinctos duxerit Emcrita provinciæ Lusitaniæ ad agrum Gaditanum provinciæ Bæticæ, eosdem dein in Mauritaniam traducturus; rationem difficultatis reddit Lesleus, quia* Viator ille, qui tantum procurator erat, reos secum in alienam provinciam trahere non poterat. *Et profecto recta utcumque esset Leslei argumentatio, si Viator procuratorio tantum nomine specialem provinciam administrasset. Ast imprimis incertum est, utrum Lusitania, Bætica* F *et Mauritania diversas sub Diocletiano provincias constituerent : aliis id negantibus* (10), *affirmantibus aliis* (11). *Dein Viator non erat procurator, sed Vicarius, adeoque, ut supra monstravimus, universis Hispaniis præerat.*

l *De translatione S.* Servandi *actum est Comment. prævii num.* 9.

AUCTORE J. V. H.

(1) Tillemont. Hist. des Emp. tom. III, pag. 273. Cfr Onuphr. Panvinii Fasti, pag. 82, edit. Venit. 1557. — (2) Act. SS. tom. VIII. Octob. pag. 320, nume. 10. — (3) Masdeu. Hist. Crit. de Espana. tom. V, pag. 357. — (4) Ibid. l. c. Cfr Eckhel, Doct. num. vett. tom. II, pag. 350. — (5) Hist. des Emp. tom. III, pag. 130. — (6) Oper. tom. II, pag. 191. edit. Paris. 1748. — (7) Notitia Imperii Occident. pag. 95. Edit. Genev. 1623. — (8) Florez. Espana, Sagr. tom. I, pag. 185. — (9) Migne, Patrol. tom. LXXXV, col. 886. — (10) Masdeu. Hist. Crit. tom. VIII, pag. 12. — (11) Mariana, Hist. de Espana, Lib. IV, cap. 5. Moralez, Coronica gen. de Espana, Lib. IX, cap. 32.

DE

A D

DE S. THEODORITO SEU THEODORO,

PRESBYTERO MARTYRE ANTIOCHIÆ IN SYRIA,

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Distinctio inter varios homonymos; elogia apud græcos et latinos; cultus Ucetiæ.

ANNO CCCLXII. *S.* Theodoriti, *presbyteri et Martyris*

Sunt varii hujus nominis presbyteri Martyres Antiocheni, citati in Martyrologiis, quos probe distinguere nos oportet. Majores nostri ad diem XXIII *martii* (X *Kal. aprilis*) *referunt elogium S. Theodori seu Theoduli, presbyteri et Martyris Antiocheni, de quo dicit Martyrologium Canisii,* cum in honestate morum, sapientia et eloquentia excelluisse (1). *Hunc pugilem diversum a nostro hodierno satis aperte pronuntiant majores: dubito tamen an recte: nam quæ citantur elogia, nullo signo* B *indicant, quo circiter tempore aut quo persecutore passus fuerit iste S. Theodorus, adeoque nulla est certa aut etiam verisimilis nota, qua a nostro* Theodorito *distinguatur. Imo si attendatur, Theodorum hunc fastis sacris ad diem* X *kal. aprilis inscribi, quo et noster* Theodoritus *in multis codicibus manuscriptis passus narratur, non temere judicabitur Theodorus hic esse noster, cujus Acta adhuc forsan delitescebant. Huic opinioni pondus etiam addunt verba Canisii supra citata, quatenus Sancto nostro hodierno apprime conveniunt, nec aliunde quam ex aliqua notitia Actorum nostrorum hausta videantur. Eumdem fontem aperte indigitat Auctarium Usuardinum Hagenoense sub die* X *kal. aprilis* (XXIII *martii*) *hisce verbis:* In Antiochia, Sancti Theodorici presbyteri et Martyris, qui alapis multis est cæsus, super scamnum ligatus, in tantum extenditur, ut octo pedum longus videretur; post hæc duæ lampades ardentes ejus lateri appositæ, tandem occisus est gladio. *Legenti autem Acta S.* Theodoriti *infra danda manifestum fiet, Hagenoense encomium ex iisdem accurate depro-* C *mptum fuisse* (2). *Sed hisce rationibus prævalere, mea sententia debet auctoritas tam Usuardi sinceri quam Martyrologii Romani, ad utrumque diem* X *kal. tum aprilis, tum novembris S. Theodorum seu Theodulum referentium: ex quo certum mihi fit, ambobus martyrologiis duos Sanctos Theodoros distinctos fuisse. Non dissimulabo tamen, majores nostros unum Theodoritum statuisse, dum Sanctum ad* X *kal. aprilis recensitum, in diem* X *kal. novembris rejiciunt* (3).

quem ab homonymis distinguimus,

2 *Die* XXIX *martii alter nobis occurrit Theodorus, pariter Antiochenus presbyter et Martyr: sed hunc a nostro distinguunt omnino, quamvis cætera desint, socii, nempe Poëntalis, Julianus et Achatia* (4): *constat enim, ut Acta docent, nostrum solitarie decertasse. Tertius homonymus, et ipse quoque sub Juliano Antiochenus Martyr, refertur a Rufino Aquilejensi in Historia Ecclesiastica lib.* X *cap.* 36 (5). *Verum hic* adolescens *dicitur, nuspiam autem presbyter; fortuito captus est, quia* primus occurrit, *noster autem ideo, quia* collectas *in civitate* faciebat; *tandem noster in tormentis vitam finivit suam, dum alter post annos aliquot superstes cum Rufino, ut ipse testatur, Antiochiæ colloqueretur. Theodori adolescentis dies cultus videtur die* X *novembris reponendus, quo de illo tractari poterit. Certe Grevenus apud Sollerium sub ista die sine ambagibus id pronuntiat dicens:* Apud Antiochiam, S. Theodori adolescentis confessoris, de quo libro X Historiæ Ecclesiasticæ (*nempe Rufini*) refertur quod ob Christi fidem tempore Juliani a prima luce E usque ad horam decimam tanta crudelitate et tot mutatis carnificibus tortus sit, ut simile nulla ætas factum meminerit. *Neque alii mihi noti sunt homonymi, qui cum hodierno S.* Theodoro *seu* Theodorito *confundi possint; quamvis sint multi ejusdem nominis Martyres et Confessores, reliqui omnes tum loco tum tempore ita distinguuntur, ut nullum possit esse errandi periculum.*

elogium texuit Ado,

3 *Sancti, de quo hodie tractamus, elogium satis prolixum texit sub hac die S. Ado hisce verbis:* Apud Antiochiam Syriæ, natale S. Theodoreti presbyteri, qui persecutione Juliani impii, sub præfecto et avunculo ejus Juliano, quum ab eo Antiochenorum ecclesia spoliata et religiosi quique fuissent dispersi, in ecclesia spoliata mansit intrepidus: atque ab eo teneri jussus, post equulei pœnam et multos ac durissimos cruciatus, etiam lampadibus circa latera appositis, inflammatus est. Sed his divina virtute restinctis, quum milites, qui eas tenebant, Angelorum aspectu territi, ruissent in faciem, et credentes Chri- F sto, impium ministerium recusarent, jussit eos Julianus pelago immergi. Quibus B. Theodoretus ait: Præcedite, fratres, ego vos, superans inimicum, sequar ad Dominum. Sicque in confessione persistens et prophetico spiritu repletus, Juliano Apostatæ, quem apud Persidem divina ultione incurrit, prædicens interitum, occisione gladii martyrium consummavit. *Eadem habent, sed pro more contractius, sub hac similiter die, Martyrologia Usuardi et Romanum hodiernum: quibus omnibus præluxit Parvum dicens:* Antiochiæ, Theodoreti presbyteri.

et supplementum Menæorum,

4 *Quamvis de Sancto suæ Ecclesiæ agatur, parciores tamen sunt græci latinis in* S. Theodoreti *laudibus adornandis: de eo enim tacent, quæ præ manibus habui et vidi græcorum Menæa et Menologia. In Menæis tamen excusis, quibus majores nostri utebantur, sub die* III *Martii, annuntiatur* S. Theodoritus, *ut constat ex Menæorum Indice Bibliothecæ regiæ vulgo Bur-*

(1) Act. SS. tom. III, Mart. pag. 449. — (2) Cfr Tillemont, Mém. pour serv. à l'hist. eccl. tom. VII, pag. 736. — (3) Act. SS. tom. III Aprilis, pag. 4. — (4) Act. SS. tom. III Mart. pag. 770. — (5) Tom. II, pag. 62. edit. Rom. 1741.

gundicæ

A *gundicæ ms. sub num.* 7962 (1). *Unum interea occurrit elogium in supplemento ms. Chiffletii nostri ad Menæa græca excusa, quod inter codices mss. bibliothecæ nostræ regiæ signatum num.* 11,324 *videre est, sequentis tenoris :* Ἰουλιανὸς ὁ θεῖος τοῦ δυσσεβοῦς καὶ ἀθέου Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου, πρώην μὲν χριστιανὸς ὢν, καὶ πιστὸς τοῦ Θεοῦ θεράπων, καὶ ἀναγνώστης τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ μεγάλης ἐκκλησίας, πεισθεὶς τῷ δυσσεβεῖ βασιλεῖ Ἰουλιανῷ καὶ ἀνεψιῷ αὐτοῦ τῆς εἰς Χριστὸν μὲν πίστιν ἠρνήσατο προσκυνῶν τοῖς εἰδώλοις· ἄλλα καὶ πάντα τὸν πλοῦτον τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἐκφορήσας, ὅσον ὁ μέγας βασιλεὺς Κωνσταντίνος δι' ἀναθημάτων ἱερῶν τῇ ἐκκλησίᾳ προσαφωρίσε, προδέδωκεν ὁ δυσσεβὴς τῷ τυράννῳ, ὑπ' αὐτοῦ αὐτὸς διώκτης καὶ τυράννος ἐκεῖσε προχειρισθείς. Τότε ὁ ἀλιτήριος ἐκεῖνος τὸν τῆς ἐκκλησίας κλῆρον διασκορπίσας, ἔμεινεν ὁ ἅγιος Θεοδώρητος αὐτὸς μόνος ἐν τῇ εἰς τὸν Χριστὸν πίστει καὶ ὁμολογίᾳ. Καὶ κρατήσας καθεῖρξεν ἀσφαλῶς καὶ παραστησάμενος πρῶτον μὲν τοῦς πόδας προσέταξε τύπτεσθαι, εἶτα καὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ ἀποδύσας αὐτὸν ἐκρεμμα.... ἐπὶ ξύλου, καὶ προσέταξεν εὐτόνως ξέεσθαι, ξενομένου δὲ αὐτοῦ μακαρίου... ὡραις τρίσι· τὸ μὲν ἅιμα κρουνηδὸν ἐχεῖτο,
B τὸ δὲ πρόσωπον αὐτοῦ διαυγέστερον ἦν· ὡς δε καὶ, θύσον, ἄθλιε, τοῖς θεοῖς, ἤκουε, τοῦ δυσσεβοῦς λέγοντος, καὶ εἰ χρεώστης τῷ βασιλικῷ ταμιείῳ ἢ ἑτέρῳ τινὶ, ὁ βασιλεὺς ἀπαλλάξει σε πάντως τοῦ χρέους, καὶ μὴ οὑτω κακῶς τὴν ψυχὴν σου ἀπορρήξεις. Ὁ δε ἁγίος· συ εἶ, ταλαίπωρε, ἄθλιος καὶ ὁ βασιλεὺς σου ὁτι ἐάσαντες τοῦ Χριστου τὴν ἀληθίνην πίστιν μέχρις ἐσχάτης ἀναπνοῆς. Τουτῶν ἀκούσας ὁ ἐναγὴς καὶ θεομίσης τύραννος, λαμπάδες δύο προσέταξε τεθῆναι ταῖς τοῦ ἁγίου πλευραῖς· καὶ ἅι μεν λαμπάδες ἔιχονται τας πλευρας· ὁ δε ὅμμα εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνατείνας προσηύχετο ὑποψιθυρίζων καὶ εὐθέως ὁι τὰς λαμπάδας κατέχοντες ἔπεσον χαμαὶ, ὡσει νεκροὶ.

in aliquibus mutilum,

5 Ταρασσομένου δε τοῦ Ἰουλιανοῦ καὶ τῶν συν αὐτῷ καὶ μετὰ σπουδὴς ἀναστησάντων αὐτους καὶ τρισκατάρατοι, λεγόντων, ἀφεντες κατακαίειν τον δυσσεβεῖ καὶ πανάθλιον τοῦτον νυσταγμῷ καὶ ἀμελεια κατεσχέθητε. Ὁι δε στρατιῶται· συ δε εἶ δυσσεβὴς καὶ τρισκατάρατος καὶ ὑπεπηρόμενος τὰς ὄψεις, ὁτι οὐχ ὁρᾶς τοὺς φυλάττοντας τόν δοῦλον τοῦ Θεοῦ τέσσαρας ἀγγέλους καί κωλύοντας ἡμᾶς προσεγγεῖσαι· μὴ ουν μωρολογεῖς μεγας γὰρ ἔστιν ὁ Θεὸς τῶν χριστιανῶν. Ὁ γοῦν τύραννος ἀισχυνθεὶς, ποντωθῆναι αὐτοὺς ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης ἐκέλευσεν. Ἀπαγομένων δε
C αὐτῶν ὁ μακάριος προς αὐτοὺς· πορευεθε, τεκνία μοῦ, τὴν μακαρίαν ὁδὸν· ἐφίων ἐν ἐιρήνῃ ἐλεύσομαι γαρ κἄγω ἀκολούθως ὑμῖν καὶ συγχαρίσομαι μεθ' ὑμῶν χάριν τὴν ἀνεκλάλητον καὶ αἰώνιον ἐν τῇ βασιλεία τῶν οὐράνων· καί τοῦτοι μὲν τοίον τὸ τῆς μαρτυρίας τέλος ἐδέξαντο. Ὁ δε ἁγίος Θεοδώρητος ὡσει διόλου ἐπικείμενος αὐτῷ Ἰουλιανὸς καὶ ἀναγκάζων θῦσαι τοῦς ἐιδώλους· συ μὲν, δυσσεβέστατε καί ἀθλιότατε, φησι, παντῶν τῶν κατὰ σε μασησαμεν μετ' ὀλιγας ἡμέρας τήν μιαρὰν σου ψυχὴν βιαιως ἀπορρήξεις, τῷ ἀιωνίῳ πυρί ταύτην παραπέμπτων. Ὁ δε δυσσεβέστερος σου τύραννος ἐν τῇ περσικῇ γῇ καὶ αὐτὸς οὐρανοῦ λόγχη πληγεὶς εἰς τὴν γεένναν τοῦ πυρὸς ἀκορτισθήσεται, καὶ οὐχ ὑποστρεψει· καὶ ταῦτα μὲν, ἀθλιότατε, τὰ ἐπίχειρα τῶν ἔργων ὑμῶν· ἐγω δε θυσω τῷ Θεῷ μου θυσίαν ἀινέσεως. Οὑτως εἰπε καὶ παραυτίκα τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀποτμηθῆναι προσέταξεν. Ἐν ὅσῳ δε πρὸς τὸν προκείμενον ἐπορέυετο τόπον προήυχετο ἐν φαιδρότητι ψυχῆς, καὶ ἀποτμηθεὶς τὴν κάραν ἀπῆλθεν εἰς τὸν Θεὸν. Τοῦτου τὸ ἅγιον σῶμα πιστοὶ τινες ἀξίως κηδεύσαντες ἐσημειώσαντο τὰ ὑπὸ τοῦ μακαρίου ἐκφωνηθέντα, καὶ δι'ὀλίγων ἡμερῶν, καθως ὁ ἅγιος προεῖπεν, ὁι δύο Ἰουλιανοὶ κακῶς τοῦ ζῆν ἀπηλλάγησαν τῷ αἰωνίῳ ταμιευθέντες πυρὶ.

AUCTORE J. V. H.

6 *Hiulca hinc inde est græca phrasis, quam Papebrochius noster latine versam in suis schedulis sub num.* 8919 *bibliothecæ regiæ reliquit. Eamdem hic, quibusdam mutatis, exhibemus, uncinis, quæ ad sensus integritatem supplemus, includentes.* Julianus, impii ac desertoris Juliani avunculus, primum quidem christianus et ipse Deo fideliter deserviebat, in magna, quæ Antiochiæ est, ecclesia lector ordinatus: post modum vero ad sacrilegi sui nepotis persuasionem adorans idola, Christi fidem negavit. Insuper omnes divitias, quæ ex donariis magni imperatoris Constantini ecclesiæ obvenerant, impie tradidit tyranno, ipse persecutor et tyrannus constitutus. Tunc scelestus ille clerum ecclesiæ dispersit, solo in fide et confessione Christi permanente Sancto Theodoreto. *Incuriosa dictio: nam non solus S.* Theodoritus *permansit in Christi fide; sed solus, cæteris per regionem dispersis, et, ut habent Acta num.* 1 *Deo, ut poterant, servientibus, in civitate perseveravit. Quæ vero sequuntur, phrasibus quibusdam intermediis connectenda sunt. Nempe: (Julianus hæc audiens),*
E comprehendit sanctum ac in carcere trusit: coram se vero adductum verberari eum jussit primum in pedibus dein in capite, exutumque vestibus in ligno suspendi. Dum autem dirissime per horas tres excarnificaretur, sanguis quidem Martyris ubertim fluebat, vultus vero ejus magis resplendebat. Ubi vero his verbis se compellari audiebat: Sacrifica diis, miser, et si quid vel regio ærario debes vel alteri cuiquam, omni debito solutum imperator te dimittet, neque ita misere vitam abrumpes tuam. Respondit S. Martyr: Imo miser et infelix es tu et imperator tuus, qui veram fidem reliquistis, quam ad extremum usque spiritum (*oportuerat vos profiteri*). Audiens hæc furibundus et impius tyrannus, jussit duas lampades lateribus Sancti apponi. Dum autem latera ureretur Sanctus, ille elevatis in cœlum oculis, tacito murmure preces fundebat, et subito, qui lampades applicabant, prolapsi sunt in terram, velut mortui.

cujus versionem latinam

qualemcumque hic exhibemus.

7 Territus autem Julianus cum assessoribus suis, et cum festinatione relevatis, qui ceciderant: Ut quid, exclamat, sceleratissimi, impium hunc et miserrimum non exuritis, ignavia somnoque torpentes? Milites responderunt: Tu ipse impius es et exsecrabilis, quum oculis captus non vides quatuor Angelos, custodientes servum Dei et impedientes ad eum accessum. Desine insana loqui; magnus est enim christianorum Deus. Rubore suffusus, tyrannus jussit illos demergi in profundum maris. Quumque hi abducerentur, dixit Beatus: Ingredimini, filioli, viam felicem; excitatus vestro exemplo, subsequar mox et ego et vobiscum gaudebo lætitia ineffabili ac æterna in cœlesti regno. Et hunc quidem beatæ confessionis finem suscepere. Sanctus vero Theodoritus Juliano, fortiter urgenti cogentique ad sacrificandum idolis, dixit: Tu quidem, impiissime et miserrime, te ipse devorans, paucis post diebus contaminatam animam, violenter ejectam, trades æ-

(1) Cfr Act. SS. tom. I, Mart. pag. 223.

AUCTORE J. V. H.

terno igni cruciandam: ipse autem scelestior te tyrannus nequaquam huc reversurus est, sed cœlesti jacula in Persica terra sauciatus, in gehennæ incendia præcipitabitur. Hæc sunt præmia operum vestrorum: ast ego sacrificabo Deo meo sacrificium laudis. Hæc ille; et sine mora (*Julianus*) jussit eum capite plecti. Dum ad destinatum (*supplicii*) locum pergeret, orabat Martyr in lætitia mentis, et capite plexus, conscendit ad Deum. Cujus corpus fideles quidam reverenter curarunt, et quæ Sanctus elocutus fuerat adnotarunt. Post paucos vero dies ambo Juliani pessimum sortiti exitum, æternis sunt ignibus mancipati. *Ne porro vel particula græcæ literaturæ, quantum cognoscimus, nos prætereat, addimus et Sozomenum Lib.* v. *Hist. cap.* 8 (1) *de Sancto nostro scripsisse, et Chiffletium nostrum distichon collegisse, quod, quamvis nihil contineat, quo historia illustretur aut S.* Theoditi *homonymi ornari non possint, hic tamen subscribimus:*

Χωρεῖν ἔχει πῶς τῆς ἐδέμ. τὸ χωρίον
Καὶ τὸν Θεοδώρητον ἔνδον τὸν μέγαν.

B Quo te modo potest Edenæus locus, Theodorite magne, complecti sinu (2). *Atque hinc liquet, in Ecclesia quoque Græca suum habuisse cultum S.* Theodoritum, *ejusque Passionem, quam edimus, e Græco fonte derivatam.*

Sancti cultum Uceticæ monstrant

8 *Ast vero frequentiores sunt apud latinos S.* Theodoriti *laudes, utpote quas præcipua, ut vidimus, Martyrologia celebrant. Quod inde derivandum censeo, quia traducto ejus in Occidentem cultu, Sancti memoria paulatim apud Orientales desuevit. Certe jam ineunte sæculo decimo cathedralis Ucetiæ, olim sub metropoli Narbonensis civitatis, ecclesia titulo S.* Theodorici *seu correctius* Theodoriti *insignita erat. In charta, qua Raynaldus ejusque uxor Agilburgis donant ecclesiæ Ucetiensi varia prædia, dicitur:* Locum sacrum S. Theodoriti, Martyris Christi, sedis principalis, qui est ædificatus atque constructus in Ucecia civitate, ubi Amelius, gratia Dei episcopus regere videtur... Facta carta ista in mense junio, anno x regnante Ludovico imperatore (3). *Qui hoc diploma ediderunt Benedictini, auctores Historiæ Occitaniæ, illud retulerunt ad annum Christi* 823, *quo scilicet Ludovicus Pius regnabat anno decimo. Verum iste annus nequaquam consistere potest cum chronologia episcoporum Uceticensium; nam Elephantus I toto tempore regnantis Ludovici Pii Uceticensis episcopus fuit* (4); *et qui in charta dicitur occupasse cathedram Amelius, circa annum* 887 *interfuit concilio Nemausensi seu de Portu* (5). *Non alius autem Ludovicus imperator cum Amelio, episcopo Uticensi, sedem, ut diximus, anno* 887 *occupante, occurrit, quam hujus nominis Tertius, etiam Ludovicus Cæcus appellatus, qui a patre Bosone regnum Arelatense, quod tunc Ucetiam continebat, anno* 887 *accepit* (6) *ac imperatoris titulum anno* 900 *assumpsit* (7). *Atque hinc liquet, annum* x *Ludovici imperatoris ad annum vulgarem* 896 *aut* 910, *prout regiminis, initium auspicemur a regno Arelatensi aut ab imperio adito* (8): *utroque initio usus est Ludovicus III*

C *in suis diplomatis. Porro Amelium Uceticensem,* D *(nam hujus nominis duos fuisse, monstrabimus infra) sedisse anno* 971, *testis est charta, data* (9) nonas (*aut secundum Galliam Christianam* (10) VI nonas) julias sub die veneris in Nemauso civitate publica, regni domni Lotharii anno XVIII. *Auctores Historiæ Occitanicæ jam laudati annum* XVIII *Lotharii cum anno vulgari* 971, *qui vero Galliam Christianam scripserunt, cum anno* 969 *conjungunt. Enimvero hi perperam: nam licet varia sint Lothariani imperii initia, nuspiam tamen Lotharius regnum suum ab anno Christi* 952 *exorsus legitur* (11); *id autem est necessarium, ut octavus decimus annus cum anno* 969 *concurrat. Emendanda quoque videtur chronotaxis Historiæ Occitaniæ: etenim sive exordium regni ducatur ab anno vulgari* 954, *quo Lotharius coronatus est, sive a sequenti anno* 955, *quo initio præsertim utebatur in Septimania* (12), *intra cujus limites tum Ucetia tum Nemausus continebantur, annus octavus decimus regis Lotharii ad annum Christi* 972 *aut* 973 *pertingit: sed neutro anno nonæ julii in diem veneris incidunt. Quapropter, in anno* 971 *concurrentibus nonis julii cum* E *die veneris, censeo sphalma aliquod obrepsisse, legendumque esse* annum XVII, *ductum a die* XII *novembris* 954, *quo coronam accepit, aut etiam, si quidem in Septimania ab anno* 955 *notare initium regni consueverat Lotharius, innocue forsan* annus imperii XVI *poni posset. Quidquid sit, ex hactenus dictis consequitur, Amelium Uceticensem, qui circa annum* 971 *testis adducitur in charta Lotharii regis, non potuisse sub Ludovico Pio vivere: adeoque chartam Raynaldi supra citatam magis pertinere ad Ludovicum III imperatorem, Bosonis, Arelatensis regis filium, qui anno* 900 *regnavit; ita ut anno* 909 *aut* 910 *data censenda sit, quam chronotaxin probant auctores Galliæ Christianæ* (13).

quæ examinantur, chartæ antiquæ:

9 *Hisce tricis chronologicis utcumque expeditis, duo etiamnum nodi solvendi supersunt; videlicet quis sit Amelius Uticensis (duos enim sibi succedentes passim celebrant recentiores) qui in utraque charta memoratur: dein utrum Lotharius, de quo in posteriori charta mentio fit, non potius rex Italiæ quam Galliæ dicendus* F *sit, quo casu tentata paululum supra chronotaxis rueret. Imprimis Amelio Uticensi, sive unus sive duo fuerint, coævi exstiterunt Lotharius, rex Italiæ, Hugonis filius, qui ab anno* 931 *ad* 950 *regnum tenuit* (14), *et Lotharius rex Galliæ, qui a patre suo Ludovico Transmarino sceptrum anno* 954 *recepit. Uter vero in posteriori charta nominetur, pendet a quæstione, ad quem nempe civitas Nemausensis tunc pertineret. Ast spectasse Nemausum civitatem, aut aliam quamdam Occitaniæ partem ad Lotharium, Italiæ regem, nemo prudens dixerit. Si quid enim, quod hic loci inquirendum non est* (15), *intra Gallias possederit, aliud certe non fuit, quam Arelatense sive Provinciæ regnum, quod Rhodano et Alpibus circumscriptum, civitatem Nemausensem universamque Occitaniam excludebat* (16). *Restat igitur, ut dicamus de Lothario, rege Galliæ, agi in posteriori charta. Ne vero per solam, ut vulgo dicitur, eliminationem Lo-*

(1) Eusebii etc. Hist. Eccles. tom. II, pag. 604. — (2) Siber. Martyrol. Metr. Eccl. græc. pag. 86. — (3) Hist. gén. du Languedoc. tom. I, Pr. col. 61. — (4) Gall. Christ. tom. VI. col. 616. — (5) Labbe IX conc. col. 395. — (6) L'art de vérif. les dates, tom. II, pag. 428, edit. Paris 1784. — (7) Ibid. pag. 9. — (8) Ibid. — (9) Hist. du Langued. tom. II, Preuv. col. 123. — (10) Tom. VI, col. 617. — (11) L'Art de vérif. les dates tom. I, pag. 564. — (12) Ibid. — (13) Tom. VI, col. 617. — (14) Muratori. Annal. d'Ital. tom. V, pag. 317 et 368. — (15) Hist. du Languedoc. tom. II, pag. 551. — (16) Ibid. pag. 79.

tharii

A *tharii Itali hic procedere videamur, addimus instrumentum donationis, Nemausensi Ecclesiæ factæ, quæ signatur,* die Sabbati VII idus septembris anno VII, quod regnare cœpit Lotharius rex, filius Lodoici (1), *qui dies Sabbathi,* VII *idus septembris anno vulgari* 961 *convenit, computando scilicet more septimanico exordium regni ab anno* 955*; Lotharius autem hic citatus, quoniam filius Ludovici dicitur, alius quam rex Galliæ esse non potest. Atque hinc facilis nobis modus ad alterum nodum solvendum præbetur: utrum videlicet unus Amelius Uticensis episcopus, an vero duo ejusdem nominis et dignitatis fuerint. Quandoquidem Amelius, ut num. præcedenti monstravimus, interfuerit Concilio Nemausiense, anno* 887 *celebrato, et ejusdem nominis ac sedis episcopus in charta Nemausiensi anno* 971 *nominetur, pronum est judicare, duos hujus nominis, ne uni episcopi regimen octoginta saltem quatuor annorum adscribere cogamur, fuisse Uticensi cathedræ, impositos, quos proin recte Gallia Christiana Amelium I et II appellat* (2). *Ex dictis hactenus deducere licet prius instrumen-*
B *tum num. præcedenti allatum,* in Ucecia civitate *datum, ad Amelium I, qui in sede Uceticensi sæculum nonum clausit, decimum inchoavit, pertinere: diploma autem Nemausiense, anno* 971 *scriptum, Amelii II esse, certum satis est.*

§ II. Acta Martyrii videntur coæva; tempus passionis; carmen Flodoardi; origo patrocinii Uceticensis; qua occasione agitur de Deotherio, episcopo Arisitensi.

Acta, quorum varia habemus exemplaria,

E *diverticulo ad S.* Theodoretum *redimus. Acta, quæ edituri sumus, primus publici juris fecisse videtur Joannes Mabillon in Veteribus Analectis* (3), *quem secutus est ejus sodalis Theodoricus Ruinart, usus melioribus exemplaribus, in suis Actis Sinceris Martyrum* (4). *Nos vero, nacti ex bibliotheca nostra regia sub num.* 9289 *exemplar omnium accuratissimum, olim monasterii S. Laurentii Leodiensis, eadem*
C *Acta correctiora, notatis pro more variantibus lectionibus præcipuis non tantum ex Mabillonio et Ruinartio, sed ex altero codice ms. ejusdem bibliothecæ, signato num.* 207, *exhibebimus. Tandem in Collectione Bollandiana ad hanc diem reperitur alius codex, ex manuscripto Bodecensi transsumptus, qui licet eadem iisdemque sæpe verbis ac cæteri codices referat, tamen varia addit non omnino spernenda, quatenus explicatiora sunt: quapropter ne multiplici additamento textum Laurentianum obfuscemus potius quam dilucidemus, maluimus Bodecensem textum in altera columna Laurentiano opponere, ut hac ratione utraque lectio facilius comparari possit. Quod porro Laurentianum exemplar, num.* 9289 *signatum, omnium accuratissimum prædicamus, facit imprimis ejus antiquitas, utpote quod circa annum* 1075 *exaratum videatur* (5): *dein styli consequentia, quando in aliis non raro occurrit aliquid hiulci nec satis coagmentati, dum in Laurentiano omnia fluunt et suis nexibus sunt compacta. Non idem dixerim de altero nostro codice sub num.* 207, *qui Anonymus dicendus est, quoniam nullo indicio prodit sive scriptorem sive originem. Magno quidem apparatu literarum figuratarum depictus est, membranæ maximæ latis marginibus circumdantur, scriptura nitida, nihilominus tum manu recentiori exaratus fuit* (6), *tum iisdem passim nævis, quibus Mabillonius et Ruinartius, inficitur. Atque hæc ad formam, si ita loqui fas est, exteriorem Codicum pertinent.*

AUCTORE J. V. H.

videntur coæva; et objectiones de ordinatione Juliani

11 *Venit nunc altera quæstio examinanda, quæ sit videlicet auctoritas Actorum edendorum. Si spectamus postrema verba, dubium esse non potest, quin sint coæva et a testibus oculatis conscripta; hæc enim leguntur:* Nos, qui Antiochiæ in palatio eramus, et cum ipso (*Juliano imperatore*) in Persida fuimus, licet peccatores, Servi Dei, hæc, quæ gesta sunt circa famulum Dei Theodoritum .... conscripsimus. *Ex hisce verbis deducit Tillemontius* (7) *nihil obstare, quominus istis Actis plena fides adhibeatur; quamquam in iisdem quædam deprehendat, quæ aliquatenus eorum auctoritatem labefactant. Verum ea non sunt, ut dilui non possint. Imprimis reprehendit Tillemontius, Julianum cæsarem dici num.* 1 lectoris functum
E officio in Ecclesia Antiochensi, *quando potius Ecclesiæ Nicomediensi adscribendus est* (8): *atque hoc habet Socrates lib.* III *Hist. Eccles. cap.* 1 (9). *Sed Sozomenus ejusdem sæculi, nempe quinti, historicus dicit lib.* V *cap.* 2 (10), *ambos fratres, Gallum et Julianum* in Cappadocia degere jussos in Macello, in villa publica, haud procul ab urbe Cesarea: ibi, *pergit historicus,* ab humaniorum artium magistris et a doctoribus sacrarum literarum ita sunt eruditi, ut in clerum adscriberentur et ecclesiasticos libros populo prælegerent. *Ex quibus verbis satis manifestum est, Sozomenum censuisse, Julianum ejusque fratrem Cæsareæ Cappadociæ lectoris officium accepisse. Enimvero ambos lectores fuisse, unanimis testatur coævorum vox, licet unus alterve recentior, id dubium facere sategerit, quos refutavit jam collega meus in Actis S. Eliphii Annotato* a *ad diem* XVI *Octobris* (11). *Incerta igitur est Tillemontii correctio.* F *Facile tamen admiserim, errorem esse commissum a scriptore Actorum, quando Julianum lectorem Ecclesiæ Antiochenæ adscribit: qui error forsan derivandus est ex eo, quod res in Passione narratæ referantur gestæ in urbe Antiochiæ et quasi divinans librarius id addiderit. Quamquam et alia ratio æque plausibilis hujus sphalmatis reddi possit: etenim supra num.* 4 *ex Menæis manuscriptis vidimus, Julianum, Cæsaris avunculum, dici* lectorem in magna ecclesia Antiochena, *num forte scriptor nepoti tribuerit, quod convenit avunculo, dispiciat lector. Id clarum est, istiusmodi errorem non infringere auctoritatem Actorum.*

e custodia substantiæ ecclesiasticæ diluuntur:

12 *Aliam difficultatem, qua sinceritas Actorum impugnari possit, objicit sibi Tillemontius* (12); *nempe S.* Theodoritum, *teste Sozomeno lib.* V *cap.* 8 (13), sacrorum vasorum custodem, qui eorum notitiam tradere valeret, comprehensum gravissime cruciatum *fuisse, quod ta-*

(1) Ibid. Pr. col. 114. — (2) Tom. VI, col. 617. — (3) Vet. Anale et. pag. 187. edit. Paris. 1723. — (4) Act. Sinc. Martt. pag. 588. edit. Amstel. 1713. — (5) Catalogue des mss. de la biblioth. roy. tom. I, pag. 5. — (6) Ibid. pag. 186. — (7) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés. tom. VII, pag. 736. — (8) Ibid. l. c. — (9) Eusebii et aliorum Hist. Eccles. tom. II, pag. 166. edit. Valesii Mogunt. 1677. — (10) Ibid. pag. 593. — (11) Acta SS. tom. VII, Octob. pag. 815. — (12) Mém. tom. VII, pag. 736. — (13) Eusebii etc Hist. tom. II, pag. 604.

men

AUCTORE J. V. H.

men in ejus Actis attingi non videtur. Hæret Tillemontius l. c.; sed siquidem ex Sozomeno argumentum desumitur, ex eodem elementum responsionis eliciamus. Ipse Sozomenus l. c. dicit Julianum comitem Ecclesiæ donaria, quæ plurima erant ac pretiosissima, ademisse et in imperatoris ærarium transferri curavisse; *adeoque res Ecclesiæ Antiochenæ fisco addictæ erant. Unde et gloriatur comes Julianus, quando, interempto S.* Theodorito, *dicit imperatori in Passione num.* 9 : Quantus modus auri et argenti inventus in ecclesia, illatusque thesauris tui fuerit ostensus, provideat clementia tua. *Et in eadem Passione num.* 5 *Julianus Martyri :* Audivi, *ait,* te fisci debitorem, et ideo mori desideras, ne reddas, quod debes. Sacrifica ergo, et noli vereri; ego suggeram imperatori et omnia tibi donabuntur. *Martyr simpliciter negat,* se alicujus esse debitorem. *Quo responso sufficienter retundebat accusationem. Satis enim perspecium erat Juliano, olim christianismum professo, nulla ratione extorquendam esse pecuniam Ecclesiæ, nisi prius Sanctus a fide defecisset, proin facile sibi persuadebat* Theodoritum, *ut de S. Laurentio loquitur S. Leo Papa in Sermone* LXXXV *al.* LXXXIII *de ejus natali cap.* 2 (1), *non prius rei ecclesiasticæ traditorem futurum, quam faceret veræ fidei desertorem : consequenter qua blanditiis et promissionibus, qua minis et tormentis totus in hoc erat, ut Christum negaret S. Martyr: reliqua dein sponte sua fluebant. Quapropter perspicuum fit, cur tyrannus ulteriores circa substantiam ecclesiasticam quæstiones omiserit, quin aliquod ex ista omissione detrimentum Acta capiant.*

monstratur passio Sancti mense octobri

13 *Gravior quæstio moveri potest circa tempus, quo S.* Theodoritus *martyrium suum obiit. Et quidem definito die, facile erit determinare annum passionis. Quoad diem spectat, variant codices : Joannes Mabillon in Veteribus Analectis* (2), *Theodoricus Ruinart in Actis Sinceris Martyrum* (3), *codex anonymus sub num.* 207, *supra num.* 10 *citatus, et Bodecense apographum scribunt diem* x *kal. Aprilis seu* XXIII *Martii. Conjicit Tillemontius* (4), *hac die* x *kal. Aprilis signari posse tempus, quo Acta conscripta fuerint : sed id mihi verisimile nullatenus videtur;* C *tunc enim oportuisset addere annum vel consulatum, ut aliquid notatus dies significare valeret. Probabilius igitur est* (*quod cæterum ipse Tillemontius l. c. admittit*) *scriptores his verbis diem passionis signare voluisse. Sed quam apte dies* x *kal. Novembris, quem Laurentianus codex definit, cum reliqua historia concordat, tam inepte cum eadem dies* x *kal. Aprilis conjungitur. Nam constat ex Actis, Julianum imperatorem, quando Sanctus noster passus est, Antiochiæ præsentem fuisse; quo, ut monstrant Tillemontius in Historia imperatorum* (5) *et Jacobus Gothofredus in Chronologia Codicis Theodosiani* (6), *extremo mense Julio anni* 362 *pervenit. Itaque S.* Theodoritus *die* x *kal. Martii* 362, *præsente Cæsare Juliano, pati Antiochiæ non potuit. Sed neque eodem die anni sequentis; tunc enim Julianus comes, diem obierat suum, scilicet paulo post kalendas Januarii* 363, *uti testatur Ammianus lib.* XXIII *cap.* 1, *qui quum retulisset mortem Juliani comitis, statim subnectit : Præcesserat aliud sævum, namque* kalendis Januariis *repentina morte interiit sacrificulus in templo Genii. Ut autem hæc, quæ tamquam portenta futuræ calamitatis exhibet Ammianus, ominosi aliquid haberent, necessarium fuit, ut binæ mortes presse sibi subsequerentur, adeoque ut Juliani comitis obitus non multum a kalendis Januariis distaret. Huc etiam facit, quod Julianus cæsar, quem Antiochiæ degentem Acta exhibent, die* x *kal. Aprilis* 363 *Antiochiam jam reliquerat, ut habet Ammianus lib.* XXIII *cap.* 2 : Jamque, *ait,* apricante cælo, tertio nonas martii (*id est die* V *martii*) profectus, Hierapolim solitis itineribus venit. *Sequitur porro continuata profectio in Persidem, ubi interemptus fuit.* D

14 *Magis itaque probanda est lectio, quæ martyrium S.* Theodoriti *die* x *kal. novembris illigat, cui etiam favent tum ejus memoria hoc die in variis Martyrologiis celebrata, tum verba Philostorgii, lib.* VII *cap.* 10 (7), *accuratius definientis diuturnitatem morbi, cui immortuus est Julianus comes.* Julianus, *inquit,* difficili et ignoto correptus morbo totos quadraginta dies supinus jacuit, nec loquens quidquam, E nec sensu ullo præditus. Postea vero quum paulo commodius se habere cœpisset, impium facinus, quod admiserat, identidem damnavit, eamque ob causam id supplicium sibi irrogatum esse confessus est: et hactenus morbo levatus, quoad usque suæ ipsius impietatis testis exstitisset: omni ulcerum genere ventrem ejus dilacerante, animam inter cruciatus exhalavit. *In morbum igitur Julianus comes inciderit, ut Acta num.* 10 *insinuant, postridie passionis S.* Theodoriti, *nempe* XXIV *Octobris, quadragesimum diem secundam decembris attingemus; tunc* paulo commodius se habere cœpit; *et ita* morbo levatus *fuit, ut* testis suæ ipsius impietatis *esse ac* impium facinus, quod admiserat, damnare *potuerit: atque hæc inter meliorem valetudinem et miseram mortem temporis intercapedo facile ad initium januarii, quo circiter obiit, protenditur. Verum tamen, ut nihil dissimulemus, hactenus dicta, quantumcumque probabilia videantur, suis difficultatibus non carent. Nam Ammianus lib.* XXII *cap.* 13 *dicit:* Die XI kalend. novembrium (XXII *Octobris*) amplissi- F mum Daphnæi Apollinis fanum... subita vi flammarum exustum est. Quo tam atroci casu consumpto, ad id usque imperatoris iram provexit, ut quæstiones agitari juberet solito acriores, et majorem ecclesiam Antiochiæ claudi: suspicabatur enim id christianos egisse stimulatos invidia. *Ex quibus verbis sequi videtur, imprimis fugam omnium clericorum, uno excepto S.* Theodorito *nostro, qui interea cum quibusdam fratribus collectam sine cessatione faciebat, et facti famam ad aures Juliani comitis delatam ac tandem Sancti martyrium, intra unum aut maxime duos dies esse concludenda, si videlicet S.* Theodoritum *die* XXIII *Octobris passum dicamus. Dein quoniam Theodoretus in sua Historia lib.* III *cap.* 12 (8) *testatur majorem ecclesiam Antiochiæ, occasione incendii clausam,* obtinuisse eo tempore Arianos, *consequeretur* Theodoritum *nostrum Ariana labe infectum fuisse, adeoque per-*

accidisse

(1) S. Leonis Oper. tom. I, col. 338. edit. Venet. 1753. — (2) Pag. 189. — (3) Pag. 592. — (4) Mém. tom. VII, pag. 736. — (5) Hist. des Emper. tom. IV, pag. 213 et 297. edit. Bruxell. 1732. — (6) Codex. Theodos. tom. I, pag. LXV. — (7) Eusebii etc. Hist. tom. III, pag. 507. — (8) Ibid. pag. 134.

peram

A *peram Martyrologiis catholicis fuisse illatum.*

anno Christi 362.

15 *Lubenter fatemur magnam Antiochiæ ecclesiam* XI *kal. novembris clausam fuisse. Tillemontius admittit* (1), *dispersionem et fugam clericorum ac reliqua omnia intra biduum consummari potuisse, quamquam id nobis quam longissime a verisimilitudine abesse videatur. Etenim antequam delicta, qualia S.* Theodorito *imputabantur, ad supremum magistratum, qualis erat comes Julianus, deferrentur, atque hic potestatem suam explicare posset, rationi satis congruit, ut aliquot dierum intervallum, quibus collectas repetierit et facti fama ad judicem devenerit, exigamus. Quapropter malo alteram Tillemontii responsionem, scilicet clericorum dispersionem et S.* Theodoriti *collectas non tunc primum incepisse, quando major ecclesiæ clausa fuit, id est* XI *kal. novembris; sed quando aliæ Antiochenæ ecclesiæ jam clausæ fuerant, id est, statim ac comes Julianus christianos persequi incepit. Nam Sozomenus lib.* V *cap.* 8 (2) *gesta ejus narrare exorsus, dicit illum donaria Antiochensis Ecclesiæ in ærarium*

B *imperatoris transtulisse,* sacrasque ædes occludi jussisse, *sequuntur dein varia martyria, translatio S. Babylæ, posteraque die incendium templi Apollinis, propter quod, ut supra didiscimus ex Ammiano* major ecclesia Antiochena *clausa fuit. Neque Sozomeni verba de unica ecclesia interpretari licet; nam græcus textus habet,* εὐκτηρίους τόπους, loca orationis *in plurali numero. Interpretationem nostram confirmat id, quod in Vita S. Artemii Martyris sub Juliano ad diem* XX *Octobris num.* 57 (3) *legimus, Julianum, dum, incensa Apollinis æde, majorem ecclesiam* omni aditu, foribus strictissime clausis, prohiberet, *simul tamen* liberum fecisse gentilibus ingressum christianarum ecclesiarum, in quibus pro libitu agebant: *atque hinc manifestissimam habemus inter majorem et reliquas ecclesias distinctionem; dum enim illa* strictissime occluditur, *hæc ludibriis impiorum* aperiuntur, *quia videlicet antea non patebant. Ex hisce omnibus verisimile nobis fit, binis temporibus ecclesias Antiochenas clausas fuisse, adeoque et S.* Theodoritum *collectam, ut dicitur num.* 2, *facere incepisse, quando pri-*

C *mum comes Julianus clausit ecclesias minores. Nihilominus fatebor, incendium templi Apollinis, ac secuta ira imperatoris audaciorem fecisse comitem præfectum Orientis, ut pœnam capitalem in S. Martyrem decerneret. Ex hactenus dictis consequitur, S.* Theodoritum *passum non esse die* X *kal. aprilis neque anni supra trecentesimum* LXII, *quoniam tunc Julianus Cæsar necdum Antiochiam advenerat, neque anni sequentis* LXIII, *quia et idem Antiochiam reliquerat, diemque suum jam obierat comes Julianus. Recte igitur meo judicio Sancti nostri passio in diem* X *kal. novembris anni* 362, *quem huic Commentario præfiximus, consignatur.*

S. Theodoritus *partibus Eustathii adhæsisse videtur:*

16 *Præterea ex Actis elicere licet, S.* Theodoritum *in dissidio Antiocheno partibus Eustathii, cui Paulinus successit, adhæsisse. Etenim soli Eustathiani inter catholicos ecclesiam intra mœnia Antiochena habebant, Meletianis extra urbem sacra facientibus, ut docet nos Socrates lib.* III *cap.* 9 (4): Euzoius Arianæ perfidiæ antistes, ecclesiis potiebatur. Paulinus vero unam dumtaxat ex minoribus ecclesiis intra urbem obtinuit, ex qua illum Euzoius, reverentia viri commotus, non ejecerat. At Meletius extra urbis portas plebem colligebat. *Quoniam igitur refertur, S.* Theodoritus *in ejus Actis num.* 2, *reliquis clericis dispersis,* non discessise a civitate, *sed* in ea collectam fecisse, *ad partes Paulini seu Eustathianorum potius quam Meletii pertinuisse dicendus est. Certe nemo eum Arianum dixerit, ut ex alia potuerit expelli ecclesia. Dissidium porro inter Antiochenos catholicos exarsit, quando, abacto in exsilium S. Eustathio* (*cujus Acta vide ad diem* XVI *julii* (5)) *et, agentibus Arianis, S. Meletius* (*Acta ejus sub die* XII *februarii reperiuntur* (6)) *Antiochenus episcopus electus fuit; qui mox pro concione frequenti professionem fidei apprime catholicam fecit. Qua re infensi Ariani eum quoque exsulare jusserunt. Propterea ait Socrates lib.* II *cap.* 44 (7), quotquot propenso erga Meletium animo erant, relicto Arianorum cœtu, separatim conventus egerunt; quum ii, qui ab initio consubstantialis doctrinam receperant E (*nempe Eustathiani*) communionem ipsorum refugissent, eo quod Meletius Arianorum suffragio ordinatus fuisset, ipsique ejus sectatores baptismum ab iisdem suscepissent. Ad hunc modum Antiochensis quoque Ecclesia duas in partes, licet in doctrina fidei consentientes, divisa est. *Hæc certe ostendunt S.* Theodoritum, *licet Eustathianum vere catholicum, fuisse. Si quis plura de hoc schismate Antiocheno, quo præter episcopum Arianum, bini aderant catholici antistites, nosse voluerit, adeat quamlibet historiam ecclesiasticam, aut Bollandum nostrum, qui ad diem* XII *februarii in Commentario prævio de S. Meletio* (8) *late rem explicat.*

ejus elogium carmine celebrat Flodoardus.

17 *Ne vero nos quidquam, quod antiqui de S.* Theodorito *scripserunt, prætereat, subjicimus Flodoardi Remensis, sæculi* X *auctoris, carmina in universali scriptorum ecclesiasticorum Patrologia, hactenus inedita* (9) *ex libro* II *cap.* 1 *de Triumphis Christi Antiochiæ gestis extracta.*

Ecclesiis post hanc fulsit lux clara procellam
Quam livore nigro pietatis defuga tentans
Obscurare, jubet Sanctos libare profanis, F
Diris aut subigi pœnis; transmittitur unde
Huc præfectus atrox Julianus avunculus hujus:
Qui veniens spoliat Christi truculentus ovile,
Ac dispergit oves: valido sed presbyter almus
Theoderitus opem supero munimine sumens,
Restitit intrepidus pia servans mœnia surmus*. * *firmus?*
Præfectus quod comperiens, ad flagra teneri
Hunc jubet, hinc variis agitat terroribus, atque
Suspensum multis sævus cruciatibus urget.
Lampadibus siquidem latera inflammantur adactis;
Siderea quibus evictis virtute, repente
Angelico stupidi visu cecidere ministri,
Credentesque ministerium feritatis abhorrent,
Devotique Deum vero Christum ore fatentur.
Quos dum præfectus mergi demandat in altum;
« Ad Dominum, fratres me nunc præcedite » Sanctus
Martyr ait, « superans inimicum mox sequar auctos. »

(1) Mém. tom. VII, pag. 737. — (2) Eusebii etc. Hist. tom. II, pag. 604. — (3) Act. SS. tom. VIII, Octob. pag. 878. — (4) Eusebii etc. Hist. eccl. tom. II, pag. 181. — (5) Act. SS. tom. IV, Julii, pag. 130. — (6) Ibid. tom. II, Febr. pag. 585. — (7) Eusebii etc. Hist. tom. II, pag. 158. — (8) Act. SS. tom. II, Febr. pag. 587. — (9) Migne. Patrologiæ, tom. CXXXV, col. 571.

Sic

AUCTORE J. V. H.

Sic quoque persistens Christi robustus amore,
Vaticinans etiam plenus de flamine sancti,
Retrogradi interitum Persarum in gente gerendum;
Martyrii tandem gladio complevit agonem:
Atque polo dignus meritum percepit honorem.
Mulctatur lanius, divino examine plexus,
Quoque sacras violarat opes turgore sedile
Perculsus, putri fluit inguina tabe liquatus:
Spirans verme editur, saniem non unguina sistunt;
Nequidquam medici frustra medicamina sudant.
Nec solum teritur mulcta temerator aperta;
Quin detractores, vigiles gerulique sacrorum.
Morte gehennales misera truduntur in ignes.

Quandoquidem hi de S. Theodorito *versus in capite libri secundi* de Triumphis Christi Antiochiæ gestis *leguntur, et vix ullam cum libro præcedenti connexionem habent, videtur mihi exordium mutilum: dicitur enim* præfectus Julianus avunculus hujus: *Sed cujus? id vero ex carmine præcedenti elicere non est. Quapropter*
B *credo aut in fine libri primi aut in principio libri secundi quidpiam deesse, v. g. post Diocletianeam* procellam, *pacem Ecclesiæ turbasse Julianum apostatam: hac solum ratione intelligi poterit cujus avunculus fuerit Julianus præfectus.*

Origo patronii Uceticenseis antiquior est

18 *Atque hæc de S.* Theodorito, *Martyre Antiocheno, dicta sunto. Duo tamen explicanda etiam sunt. Primum inter angustias Uceticensis Ecclesiæ circumscriptum non fuisse S.* Theodoriti *cultum, utpote qui ad Aptensem et Mirapicensem, ut ostendunt Breviaria, propagatus fuerit. Quin et Italia suam Sancto nostro venerationem exhibere tentavit. Nam quum anno* 1849 *Bergomensis Ecclesia S. Congregationi Rituum exhibuisset elenchum eorum Sanctorum, quos colere amabat, etiam inter illos fuit S.* Theodoritus *ad diem* XXIII *octobris sub ritu duplicis minoris: sed istud officium expunxit Sacra Congregatio, ut videre est in Proprio Bergomensi, Romæ probato et anno* 1854 *Mediolanensibus typis excuso. Alterum superest inquirendum, qua nempe ratione S.* Theodorito, *patrocinium ecclesiæ cathedralis Uceticnsis de-*
C *latum fuerit. Verumtamen delatum fuisse, monstravimus supra numm.* 8 *et seqq.; et hodiedum perseverare, testem habemus parochialis, nunc in diœcesi Nemausensi, olim cathedralis Ucetiensis ecclesiæ curatum, R. D. Bonnet, qui plurima, eaque utilissima, documenta nobis subministravit, cui proin gratias maximas habemus. Aliqui nempe opinantur, patrocinium S.* Theodorici *Martyris incœpisse, quando destructa sæculo* XII *primæva æde cathedrali, ab militibus Templi instaurata fuit, prout nunc est, ecclesia. Enimvero deficiente pecunia necessaria ad templum primarium denuo ædificandum, milites Templi multum æris dederunt Bertrando, episcopo Ucetiensi ab anno* 1188 *ad* 1190 (1), *sub ea tamen cautione, ut novum templum dedicaretur sub invocatione S.* Theodoriti, *Antiocheni Martyris, quasi tunc primum nomen istius Sancti, ex Oriente translatum in Occidente innotuisset. Imo, teste laudato R. D. Bonnet, exstant hodiedum senes, qui testantur, se cognovisse majores, qui ipsum contractum scriptum viderant. Verum instrumentum istud* D *perierit casu aliquo nobis incognito, quum hi seniores appellant ad suos seniores, adeoque ad initium saltem sæculi* XVIII; *proinde ad tempus, quod postremas Galliarum vicissitudines antecedit.*

bellis cruciatis

19 *Is certe non sum, qui huic traditioni vulgari refrager; dummodo id mihi concedatur, cultum S.* Theodoriti *tunc non incœpisse. Etenim habemus monumenta longe antiquiora, a nobis supra num.* 8 *citata, quæ monstrant, primariam ecclesiam Uceticensem S.* Theodoritum *patronum nactam fuisse. Quod igitur habet popularis traditio de pacto quodam inter Bertrandum episcopum et Templarios, eatenus admittimus, quatenus hi continuatum voluerint S.* Theodoriti *patrocinium in æde cathedrali Ucetiensi, quando forsan aliqui ecclesiæ titulum immutatum, et ad notiorem Sanctum translatum cupivissent: quo sensu concedimus, patrocinium S.* Theodoriti *in pactum fuisse deductum. Cæterum quin speciale quidpiam afferre possim de ecclesia Uceticensi, testem habemus oculatum, Stephanum Tornacensem, qui anno* 1181 *scribit ad Joannem, Sedis Apostolicæ legatum (2):* Vidi nuper in transitu, cumDominus rex Tolosam me mitteret, frequentem et ferventem E
in illa terra (*Narbonensi*), in qua est Ucetia, terribilem mortis imaginem, semirutos ecclesiarum muros, ambusta sacrorum ædificiorum loca, fundamenta effossa, et ubi fuerant habitacula hominum inculta domicilia bestiarum. *Scribebat hæc Stephanus, quando rescivit, Joannem legatum sedi Narbonensi destinatum fuisse. In Notis suis Claudius Du Moulinet, canonicus regularis S. Genovefæ, citat alios scriptores coævos, qui provinciam Narbonensem,* velut totius sentinam malitiæ, totam in se colluvionem hæresis illuc defluentis excipientem. *Atque inde confirmatur, quod habet vigens traditio; videlicet anno* 1177 *funditus eversam fuisse antiquam ecclesiam cathedralem et anno* 1188 *initium datum fuisse novæ ædificandæ, cujus primum lapidem posuerit Bertrandus episcopus.*

et sæculum saltem X attingit:

20 *Quæ quidem quum ita sint, manet quæstio posita circa patrocinium S.* Theodoriti: *id solum habemus Templariis et bellis cruciatis antiquius esse. Sed quæ fuerit ejus aut causa* F
aut occasio, dicendo non sum. Unum indicabo, frequens fuisse commercium inter Galliam et Orientem, maxime regnante Carolo Magno, ut constat ex ejus Vita, ab Eginhardo, ejus notario, conscripta. Atque hac ratione explicari aliquousque potest, quomodo passio S. Theodoriti *in Gallia innotuit: circa quod et illud animadversu dignum, quod, ut in superioribus ostendimus, nullum cultus S. Martyris nosci vestigium antiquius nono sæculo, quo Ado in suo Martyrologio prolixum texuit elogium, a nobis num.* 3 *allatum, S.* Theodoriti. *Quod porro nihil non facerent orientales principes, ut Carolum sibi devincirent, testis nobis est Eginhardus mox citatus.* Auxit etiam, *inquit* (3), gloriam regni sui, quibusdam regibus et gentibus per amicitiam sibi conciliatis... Cum Aaron, rege Persarum, qui excepta India, totum pene tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam ejus omnium, qui in toto orbe terrarum erant, regum et princi-

(1) Gall. Christ. tom. VI, col. 621. — (2) Migne. Patrol. tom. CCXI, col. 373. — (3) D. Bouquet. Rec. tom. V, pag. 95.

pum

A pum amicitiæ præponeret, solumque illum honore et munificentia sibi colendum judicaret. Ac proinde cum legati ejus, quos cum donariis ad sacratissimum Domini ac Salvatoris mundi sepulchrum locumque Resurrectionis miserat, ad eum venissent, et ei domini sui voluntatem indicassent, non solum quæ petebantur, fieri permisit, sed etiam sacrum illum et salutarem locum, ut illius potestati adscriberetur, concessit. Et revertentibus legatis suos adjungens, inter vestes et aromata et cæteras terrarum orientalium opes, ingentia illi dona direxit; cum ei ante paucos annos, eum, quem tunc solum habebat, roganti mitteret elephantem. Imperatores etiam Constantinopolitani, Nicephorus, Michael et Leo, ultro amicitiam et societatem ejus expetentes, complures ad eum misere legatos: cum quibus tamen propter susceptum a se imperatoris nomen, et ob hoc quasi qui imperium eis præripere vellet, valde suspectum, fœdus firmissimum statuit, ut nulla inter partes cujuslibet scandali
B remaneret occasio. Erat enim semper Romanis et Græcis Francorum suspecta potentia: unde illud græcum exstat proverbium: Τὸν φράγκον φίλον ἐχῃς, γείτονα οὐκ ἐχῃς. *Francum amicum, non vicinum habeas. Ex his pronum est judicare, etiam Sanctorum tum Reliquias tum Vitas, quarum, utpote princeps piissimus, avidissimus erat Carolus imperator, ad eum missas fuisse: atque hac ratione S.* Theodoriti *passio et cultus ad Galliam propagari potuerunt: et quidem, ut initio hujus commentarii indicavimus, abundantiores sunt latini quam græci in Sancto nostro laudando.*

Deotharii, episcopi Arisitensis,

21 *Dum in traducendo S.* Theodoriti *cultu ex Oriente in Occidentem non levis sit difficultas, alicui subire forsan posset cogitatio, patronum tutelarem Ecclesiæ Uceticensis esse Deotharium, Arisitensem episcopum, fratrem S. Firmini episcopi Uceticensis. Erat autem Arisitum vicus, in quo episcopus regebat quindecim parochias, quas sibi episcopus Ruthenensis* (Rhodez) *vindicabat, ut legimus lib.* v *Historiæ Francorum Gregorii Turonensis. Mundericus, inquit* (1), apud Arisitensem vicum episcopus
C instituitur, habens sub se plus minus diœceses (*parochias*) quindecim, quas primum Gotthi quidam tenuerant, nunc vero Dalmatius, Ruthenensis episcopus, vindicabat. *Quo loco inveniendus sit vicus Arisitensis, non conveniunt eruditi. Henricus Valesius divinans dixit, esse forsan vicum* Ariat, *positum in finibus Ruthenorum ad Biaurum fluvium* (le Viaur), *qui in Avarionem* (Aveyron) *fluit; aut etiam* Aire, *vicum montanum, qui mihi, inquirenti lexica topographica, quam explicatissima, non occurrit.* Ajunt, *porro dicit,* in Rutenis inter Æmilianum (*Milhau*) et Ucetiam territorium pagumve esse longum VI circiter leugas; hodieque nuncupatum l'Arsat, nomine ad Arisitum accedente (2). *Est territorium aspectu sterile, sed alendis aptum gregibus* (3). *Verum episcopatus iste Arisitensis non diu perseveravit, et cum diœcesi Ruthenensi coaluit. Interim epi-*

AUCTORE J. V. H.

scopi citantur, Deotharius, de quo agimus; dein ejus nepos Modericus seu Mundericus, de quo supra Gregorius Turonensis; Emmo qui, teste Frodoardo (4), *anno* 625 *Concilio Rhemensi quadraginta, vel eo amplius episcoporum interfuit: ac tandem Mummolus, de quo in Vita S. Amandi Trajectensis* (5). *Post hos episcopatus Arisitensis abolitus videtur, quandoquidem nulla deinceps ejus vestigia reperiantur* (6).

episcopatus hujus locus

22 *Porro Deotharius, patre Ansberto ex genere senatorum natus dicitur in genealogia, vivente Pepino rege conscripta, ut habet Cointius ad an.* 569 § XXVII, *habuitque fratres, Firminum, Gamardum, Aigulfum, et Ragnifridum: ex Ansberto, a Ferreolorum familia, prætorii sæpe clara, prognato, aliqui originem Carolovingicæ stirpis, repetunt, quam alii ad Merovingos deducunt. In neutram opinionem inquirimus, quam sat nitide exposuit Benedictinus monachus in Historia Metensis urbis* (7): *ipsam vero genealogiam exhibet Calmetus in Historia Lotharingiæ* (8). *Quamvis autem istiusmodi genealogias ad illustrandam regiam familiam confictas, suspicari liceat falsas,* E *omnia tamen narrata expungenda non censeo; intererat enim interpolatorum sic relationem componere, ut fundamentum quoddam in vera historia haberet, ita ut fabulæ plurima vera admiscerentur. Inter vera autem habeo, quæ de Deothario dicuntur scilicet illum Arisitum vicum construxisse: nihil enim fabulatorem urgebat, ut rem falsam, consilio suo inutilem, narrationi admisceret. Hæc autem lego in genealogia Carolovingica* (9): Ansbertus vero, unde prius commemorationem fecimus, qui fuit ex genere senatorum, habuit fratres Deotharium, Firminum, Gamardum et Agiulfum episcopum et Raginfridum. Deotharius vero construxit vicum Arisidum, ubi Christi Confessor effectus requievit * (10). *Ex coævis dijudicare licet, circa medium sæculum* VI *floruisse Deotharium.*

* *Ussermann. Collect. monum. p.* LXI requiescit.

et tempus examinatur

23 *Id etiam utcumque confirmatur ex eo, quod Arisitum videtur jure hereditario ad Ansbertinam familiam pertinuisse. Nam ex Genealogia, a Cointio citata sub anno* 569 § XXVII, *legitur:* F Tempore bonæ memoriæ Aigulfi episcopi hic dominus Theudebertus, rex Francorum, vicum Arisidium per suum præceptum B. Stephani Protomartyris Metensis Ecclesiæ delegavit, et dominus Arnoaldus (*Arnulfus*), nepos ipsius Aigulfi, accepit exinde de ipso vico Arisido confirmationem tempore domini Clotarii, regis Francorum, partibus B. Stephani. Similiter domnus Dagobertus, rex Francorum et Sigebertus ipsum vicum ad prædictam ecclesiam B. Stephani per eorum præceptionem confirmaverunt; et domnus Aigulfus prius germanum suum Deotarium episcopum constituit in ipso Arisido; et post domnum Deotarium, nepos ipsius domnus Modericus est ordinatus in ipso Arisido episcopus per ordinationem pontificis Metensium urbis. *Huc etiam facit, quod præcipuæ Ferreolorum mansiones, teste Sidonio Apollinare* (11), *ad Tarnam et Vardonem fluvios, adeoque Arisito, adjace-*

(1) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 321. — (2) Notit. gall. pag. 43, Cfr tamen Mém. de l'Acad. des Inscript. tom. V, pag. 336. — (3) Monteil. Déscript. du dep. de l'Aveiron. tom. I, pag. 175. — (4) Migne. Patrol. tom. CXXXV, col. 102. — (5) Act. SS. tom. I, febr. pag. 853. — (6) Vales. Notit. Gall. pag. 43. — (7) Hist. de Metz, tom. I, pag. 354. — (8) Hist. de Lorraine, tom. I, Prob. col. XCVII. — (9) Pertz. Monum. Germ. Hist. tom. II, pag. 310. — (10) Migne. Patrol. tom. LVIII, col. 746. — (11) Mém. de l'Acad. des Inscript. tom. III, pag. 280.

cebant

AUCTORE J. V. H.

bant. Firminus autem pontificatum tenuit in Ucecia civitate, ubi Confessor Christi requiescit: Agiulfus vero in Mettis civitate episcopus ordinatus est. Deotharius ex fratre neptem habuit S. Tarsitiam, cujus nomen ad diem XV *januarii in Supplemento Martyrologii Gallicani Saussayi et Ferrario occurrit* (1). *Ejus autem fratrem, Ucetiensem episcopum Firminum, celebrant sub die* XI *octobris Romanum aliaque Martyrologia* (2). *In sancta igitur familia sancte institutus Deotharius,* suarum, *habet alia Genealogia, a R. D. Bonnet citata*, heredem Christum faciens opum, Arisidium construxit locum, ubi pontificali sublimatus infula, pace quiescit æterna. *Atque hinc factum credo, quod sæpe cum titulo* D *Sancti nomen Deotharii decoretur. Quæ hactenus scripsi, ideo Actis* S. Theoditi, *subnectenda judicavi, tum ut in Actis Sanctorum aliqua superesset viri meritissimi Deotharii memoria, tum præsertim quia, ut supra insinuavi, quis hærere posset, utrum Deothario, ex quo facile* Theudeurii, *Theudorici, Theodorici excrescunt nomina, patrocinium tribuendum non fuerit. Ast consideranti celebriorem esse memoriam* S. Theodoriti, *Antiocheni Martyris, apud latinos, quam apud græcos, eamque esse antiquissimam, mihi videtur patrocinium* S. Theodoriti, *licet græci, Uticensibus omnino esse retinendum.*

(1) Act. SS. tom. I, Januar. pag. 1068. — (2) Ibid. tom. V, Octob. pag. 635 et Auctar. pag. 51.

PASSIO

S. THEODORITI, PRESBYTERI ANTIOCHENI,

B Auctore anonymo, ex mss. Sanlaurentiano et Bodecensi, collatis cum editionibus Joannis Mabillon, Theodorici Ruinart, et ms. anonymo *a*. E

CODEX BODECENSIS.

CODEX SANLAURENTIANUS.

S. Theodoritus *presbyter,*

1 Tempore divæ memoriæ Constantini miperatoris Julianus quum esset adolescens, confugiens ad ecclesiam Antiochensem, lectoris officio fungebatur: recepto vero e corpore Constantino, Julianus transgressus est fidem et prævaricator effectus, idola quoque colens, imperii diadema suscepit, sicque omnes christianos non vi nec minis, sed præmia et dignitates promittendo, perducebat ad sacrilegam legem. Quumque Julianus avunculus ejus et ipse devians immolasset, accepto jure gladii comes factus est in Oriente, restituens ubique culturam idolorum. Audiens ergo ecclesiam Antiochensem multitudinem auri et argenti habere, quasdam opponens causas, clericis effugatis, clausit ecclesiam. Et ad nutum voluntatis suæ quantam ibi reperit, abstulit et auferri permisit pecuniam: et illi quidem omnes, qui dispersi sunt ab ecclesia, C ubicumque poterant, sive latenter sive in propatulo, Deo serviebant.

1 Tempore bonæ memoriæ Constantini imperatoris *b*, Julianus quum esset adolescens *b* et ejus odio viveret, confugiens ad Ecclesiam Antiochensem, lectoris fungebatur officio *c*. *c* Recepto vero de corpore Constantino, Julianus transgressus est fidem, et prævaricator effectus, idola colens, imperii regnum suscepit: sicque omnes Christianos non vi nec minis, sed dignitatum et præmiorum promissione suadebat ad sacrilegam legem. Quumque avunculus ejus Julianus *d*, et ipse devians, *d* immolasset, accepto jure gladii, comes factus est Orientis: qui statim restituit idola. Audiens vero Ecclesiam Antiochensem multitudinem auri et argenti habere, quasdam opponens causas, clericos effugans, clausit ecclesiam Dei. Qui vero dispersi erant, unusquisque Deo, ubi poterat, serviebat.

F

a Juliano comite in jus vocatus,

2 Sanctus autem Theodoricus, supra memoratæ ecclesiæ presbyter, non discedens de civitate, sed congregans sibi quosdam fratres sine cessatione collectam fecit, acceptabilesque Deo cum lacrymarum imbribus fudit orationes. Audiens vero Julianus comes, quia Theodoricus presbyter faceret collectas, cogitabat illum ad sacrificia deorum impellere, ut eo magis imperatori Juliano placeret. Sedens ergo in secretario suo, comes Julianus jussit Beatum Theodoricum, ligatis manibus deorsum, coram se adduci; qui quum fuisset exhibitus, dixit ad eum Julianus: Tu es Theodoricus, qui tempore Constantini imperatoris prohibebas deos coli, et aras et templa destruens, ecclesias ædificabas et sepulcra mortuorum venerari atque coli instituebas? Beatus Theodoricus respondit: Ego, in quantum potui, ecclesias et basilicas Martyrum pro Christi amore et nomine ædificavi; idola autem et aras dæmoniorum ideo destruxi, ut

2 Sanctus vero Theodoritus, supra memoratæ ecclesiæ presbyter, non discedens de civitate, sed congregatis sibi quibusdam fratribus, sine cessatione collectam faciens *e*, *e* acceptabiles Deo fundebat orationes. Audiens vero Julianus, hunc facere collectam et volens placere imperatori, sedit in secretario *f*, *f* eumque sibi jussit exhiberi. Introducto igitur Theodorito, ligatis post tergum manibus, Julianus dixit: Tu es Theodoritus, qui tempore Constantini imperatoris prohibebas Deos coli, et aras et templa destruebas et ecclesias ædificabas et sepulcra mortuorum *g*? Theodoritus dixit: Ego, in quantum potui, ecclesias *g* et basilicas Martyrum ædificavi; idola vero et aras dæmoniorum destruxi, ut animas errantium liberarem. Julianus dixit: Da ergo diis honorem, qui te ista fecisse confessus es. Theodoritus respondit: Tempore Constantini imperatoris me ista fecisse cognosco, nec ab eo aliquando fuisse prohibitum. De te nunc animas

EX MS. BODEC.

animas errantium et diabolum adorantium liberarem et ad divinum cultum invitarem. Julianus dixit: Da ergo nunc diis honorem, quia te ista fecisse confessus es. S. Theodoricus respondit: Tempore Constantini imperatoris me ista fecisse agnosco, nec ab eo umquam fuisse prohibitum, imo devotissime adjutum: miror autem te subito divinæ legis prævaricatorem effectum, diabolica rabie inflammatum, dæmoniorum vindicem sine causa exsistere.

3 Tunc Julianus dixit ministris suis: Cædatur in plantis, quoniam idola respuit, deos confundit, et me ad injuriam imperatoris probrosa voce perfundit. S. Theodoricus quum cæderetur acutis clavis per plantas, clamavit dicens: Peccas, Juliane, transgressus catholicam fidem et acquirens tibi perpetuæ damnationis mortem. Julianus dixit: Cædatur in facie et palmis insipiens, ut cesset blasphemare nos. B. Theodoricus dicit ad Julianum tyrannum: Miser Juliane, resipisce ab errore tuo et ab insania ista, et noli vera
B dicentem injuriis ac pœnis lacessere. Julianus dixit: Nunc si blande vapulans indignaris, subsequentur tormenta graviora, si non sacrificaveris. S. Theodoricus respondit: Sicut antea dixi, ita et adhuc repetens dico, noli peccare prædicando et dicendo eos deos, qui sunt opera manuum hominum. Consulo itaque tibi, depone hanc temporalem superbiam et recole, quid amiseris. Julianus dixit: Nolo, ut mihi verba composita et mendicata loquaris, quibus miseris hominibus errorem, non mihi, persuades. B. Theodoricus respondit: Quando verum Deum colebas, tunc amabas et colebas veritatem et mendacium abominabaris et odisti, nunc vero elatus in superbiam mentis, idola deos esse dicis, et veritatem mendacium esse putas; ecce in quam insaniam et errorem delatus es. Julianus dixit: Philosopharis, sacrilege, tamquam ab Athenis nuper adveneris. S. Theodoricus respondit: Ego neque Athenis neque ab humana philosophia, sed a Spiritu Sancto instigatus, et ex Sacræ Scripturæ testimonio munitus, tuis paratus sum respondere objec-
C tionibus, optans te iterum ad fidei veritatem converti et ad meliora reverti.

4 Tunc iratus Julianus jussit eum funibus et nervis extendi: qui quum fuisset extensus, et funibus et nervis ac trochleis fortissime distentus, in tantum tendebantur nervi ejus, ut plus quam octo pedum Dei Martyr videretur extentus. Cui Julianus tyrannus insultando dicebat: Sentis hæc tormenta, Theodorice? Sanctus vero Theodoricus ingenti voce respondit et hilari vultu: Oblitus es, quia dixi, opera manuum hominum ne dixeris deos esse, sed potius recognosce Deum, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et Jesum Christum Dominum nostrum, cujus pretioso sanguine fueras liberatus. Julianus dixit: Crucifixum, mortuum et sepultum dicis creatorem et redemptorem mundi? S. Theodoricus respondit: Crucifixum, mortuum et sepultum pro nostra salute, ipsum prædico resurrexisse a mortuis, per quem facta sunt omnia, qui est Verbum et Sapientia Patris, quem et tu, quando sapiebas, adorabas, et iterum forsitan, si sapies et conversus

miror, prævaricatorem subito et vindicem dæmoniorum apparuisse. EX MS. SANLAUR.

3 Julianus dixit: Cædatur in plantis, quoniam idola deos negat esse. Theodoritus respondit: Peccas, Juliane, transgressus fidem et acquiris tibi perpetuam mortem. Julianus dixit: Cædatur et in faciem palmis insipiens, et non blasphemet. Theodoritus respondit: Noli errare, et me vera dicentem injuriis agere. Julianus dixit: Nunc vapulans indignaris? Subsequentur vero te tormenta, quæ non speras, si non sacrificaveris. Theodoritus respondit: Et paulo ante dixi tibi, et nunc dico, noli peccare dicendo, deos, qui sunt opera manuum hominum, sed depone hanc E temporalem superbiam, et recole, quid amiseris. Julianus dixit: Nolo mihi verba composita et emendicata loquaris, quibus miseris hominibus persuades. Theodoritus respondit: Quando Deum colebas, confitebaris veritatem, et mendacium abominabaris; nunc vero elatus superbia, idola deos dicis, et veritatem mendacium putas esse. Julianus dixit: Dissertas, sacrilege, tamquam ab Athenis *h* nuper adveneris. Theodoritus respondit: Ego neque ab Athenis neque ab oratore, sed divinæ Scripturæ eruditus (documento et Spiritus Sancti, qui in Scripturis loquitur, informatus magisterio,)* tuis respondeo interrogationibus, optans te iterum ad meliora reverti.

eumdem refellit:

h

* *uncinis inclusa omittunt* M *et* R

F

4 Iratus Julianus jussit eum in contis *i* fortius tendi: quumque funibus quibusdam et trochleis fuisset extensus, in tantum tendebantur nervi ejus, ut octo pedum spatio proceritas S. Martyris videretur excrevisse. Julianus dixit: Sentis tormenta, Theodorite? Recede ergo ab hac doctrina, et sacrifica et vives. Theodoritus vero ingenti voce, quæ et cordis lætitiam loquebatur et vultus ostendebat hilaritatem, respondit: Oblitus es, quia dixi tibi, opera manuum hominum ne dixeris deos? Sed recognosce Deum, qui fecit cœlum et terram et Jesum Christum Filium ejus, cujus pretioso sanguine fueras liberatus. Julianus dixit: Crucifixum, mortuum et sepultum; ipsum dicis creatorem mundi? Theodoritus respondit: Crucifixum, mortuum et sepultum pro nostra salute, ipsum prædico resurrexisse a mortuis, per quem facta sunt omnia, qui est Verbum et Sapientia Patris, quem tu, quando sapiebas recta cognoscens, adorabas, si tamen aliquando sapere potuisti. Julianus

qua propter torquetur i

EX MS. BODEC.

fueris, adorabis. Julianus tyrannus iratus jussit eum extensum verberibus cædi et dixit ei: Vel nunc time deos, et fac, quæ ab imperatore sunt jussa; quia scriptum est. « Cor regis in manu Dei. » S. Theodoricus respondit: Cor regis, agnoscentis Deum in manu Dei est, non cor tyranni, adorantis idola. Julianus dixit: Stulte et insipiens, imperatorem tyrannum vocas? S. Theodoricus respondit: Si talia jubet imperator, ut tu dicis, non solum tyrannus dicendus est, sed et miserrimus omnium hominum.

5 Repletus ergo furore maximo Julianus, jussit sanctum virum crudelissime torqueri, quumque diutissime torqueretur, ita ut nimius sanguis de ejus flueret lateribus, vultus tamen ejus hilaris permanebat et lætus. Julianus dixit: Vel adhuc miser rediens ad temetipsum recognosce deos et sacrifica illis. S. Theodoricus respondit: Ego non cognosco deos manufactos; sed adoro unum Deum, qui fecit cœlum et terram. Julianus dixit: Necdum, ut video, sentis tormenta. B. Theodo-
B ritus respondit: Non sentio, quia Dominus mecum est. Julianus tyrannus rursus jussit eum vexari et dixit: Audivi te fisci esse debitorem, et ideo mori desideras, ne reddas quæ debes: sacrifica ergo et noli vereri: ego suggeram pro te domino imperatori, et omnia tibi bona donabuntur. S. Theodoritus respondit: Argentum et aurum vestrum vobiscum sit in perditionem: ego nullius sum debitor nisi solius Dei, cui puram exhibeo conscientiam; oro autem, ut et ipse promissiones suas dignanter velit adimplere.

6 Julianus dixit: Convertere a stultitia, qua detineris, et lucrare animam tuam. B. Theodoricus respondit: Tu magis convertere ad Deum vivum, a quo recessisti, ut salves animam tuam, quam perdidisti. Iterum jussit eum Julianus vexari, dixitque ad eum: Infatuatum est cor tuum, ut magis obedire cogites mortuo crucifixo, quam regi potenti et glorioso. S. Theodoricus respondit: Infelicissime omnium, crucifixus ille, quem dicis, et te et tyrannum tuum in die judicii mittere habet in gehennam. Julianus dixit: Interim ego te
C igni tradam. Et hæc dicens, præcepit duas lampades ardentes ejus applicari lateribus: quibus appositis, elevans oculos suos ad cœlum B. Theodoricus dixit: Domine Deus omnipotens, qui fecisti cœlum et terram et omnia, quæ in eis sunt, Salvator mundi, repromissam spem famulo tuo, qui propter nomen tuum ista patitur, dare dignare, et iniquis hominibus ostende virtutem tuam, ut cognoscant omnes, quoniam gratiam tuam præstas timentibus te, et tormenta denegantibus te, ut glorificetur nomen tuum, quod est benedictum in sæcula sæculorum. Ad hanc vocem Martyris Christi ceciderunt carnifices in facies suas una cum lampadibus.

7 Quo viso Julianus comes turbatus est cum adstantibus militibus, et jussit carnifices elevari, dixitque ad eos: Applicate iterum lampades lateribus ejus. At illi responderunt: Alios jubeat nobilitas tua hoc facere, nos non possumus in hac parte jussionibus

EX MS. SANLAUR.

dixit: Vel nunc time deos, et fac, quæ ab imperatore sunt jussa, quia scriptum est tibi. « Cor regis in manu Dei. » Theodoritus respondit: Cor regis, cognoscentis Deum, scriptum est, esse in manu Dei, non cor tyranni, adorantis idola. Julianus dixit: Stulte, tyrannum vocas imperatorem? Theodoritus respondit: Si talia jubet, ut dicis, et talis est, non solum tyrannus dicendus est, sed miserimus omnium hominum.

5 Repletus ira Julianus, jussit eum tor- *in trochlea*
queri; quumque diu torqueretur in tantum, ut nimius sanguis de ejus flueret lateribus, vultus ejus ridebat. Julianus dixit: Vel nunc cognoscens deos, sacrifica. Theodoritus respondit: Ego non cognosco deos manufactos, nisi unum Deum, a nullo factum, factorem vero omnium rerum. Tu vero, qui speras in eos, eorum particeps invenieris. Julianus dixit: Necdum, ut video, sentis tormenta. Theodoritus respondit: Non sentio, quia Dominus mecum est. Julianus rursus jussit eum E
vexari, dixitque ad eum: Audivi te fisci esse debitorem, et ideo mori desideras, ne reddas, quod debes *k*. Sacrifica ergo, et noli vereri, *k*
ego suggeram imperatori et omnia tibi donabuntur. Theodoritus respondit: Argentum et aurum vestrum vobiscum sit in perditionem: ego nullius sum debitor, nisi solius Dei, cui puram exhibeo conscientiam: oro, ut promissionibus suis me copulare dignetur.

6 Julianus ait: Convertere a stultitia et lu- *et lampadibus*
crare animam tuam. Theodoritus respondit: *ardentibus:*
Tu magis convertere ad Deum tuum, a quo recessisti, ut salves animam tuam, quam perdidisti. Iterum jussit eum vexari, dixitque ad eum: Infatuatum est cor tuum, ut magis obedire velis mortuo crucifixo, quam regi. Theodoritus respondit: Infelicissime, et te et tyrannum tuum, Crucifixus, quem dicis, in die judicii, ut ipse nosti, habet mittere in gehennam. Julianus dixit: Interim te ego igni tradam, postea vero (de his, quæ futura sunt, facile consulemus, dum te a vita detur- F
bato, deorum cultura imperturbata florebit; illisque de se ipsis securis committemus sollicitudinem nostræ salutis. Sic dicens) jussit duas lampades ardentes ejus apponi lateribus *l*. Appositis vero lampadibus, S. Theodo- *l*
ritus, elevans oculos suos ad cœlum, dixit: Domine Deus omnipotens, qui fecisti cœlum et terram et omnia, quæ in eis sunt, Salvator mundi, repromissam spem famulo tuo, qui propter nomen tuum sanctum hæc patitur, conferre dignare: et iniquis ostende tuam virtutem, ut cognoscant omnes, quoniam gratiam præstas timentibus te, et tormenta denegantibus te: ut glorificetur nomen tuum, quod est benedictum in sæcula. Hæc eo dicente, ceciderunt carnifices in faciem suam cum lampadibus.

7 Turbatus est vero Julianus cum adstanti- *tortores conversi ducuntur ad supplicium:*
bus militibus, et jussit carnifices elevari, dixitque ad eos: Applicate iterum lampades ejus lateribus. At illi responderunt: Aliis jubeat nobilitas tua, nos enim hoc facere non possumus, quia vidimus quatuor Angelos adstantes tuis

EX MS. BODEC.

tuis obedire; quia vidimus quatuor Angelos adstantes et loquentes cum eo, et ideo in facies nostras cecidimus. Iratus vero Julianus jussit eos in pelago mitti. Qui quum ducerentur ad submergendum, Theodoricus Martyr dixit ad eos : Præcedite, fratres, nihil timentes, sed læto animo pergite ad pœnas præcipitationis; jam enim vos exspectat paradisus Dei, ut inter Martyres gaudeatis in æternum : ego autem superans inimicum, sequar vos ad Dominum, qui mihi una vobiscum palmam victoriæ donare dignabitur. Julianus dixit: Quis est inimicus, de quo triumphare te dicis, vel quis est Dominus, de quo speras tibi venire victoriam? B. Theodoricus respondit : Inimicus est diabolus, qui per vos operatur voluntatem suam, ut pro defensione lapidum nos sine causa tormentis affligatis : victoriæ vero palmam dat Dominus meus Jesus Christus, Salvator mundi. Julianus tyrannus dixit : Miserrime hominum, crucifixum illum, quem omnes norunt ante trecentos ex muliere natum, tu creatorem et remuneratorem dicis
B esse? B. Theodoricus respondit : Quamvis indignus sis ad audiendum verbum Dei, propter adstantes tamen servos ejus contradicam verbis veritatis blasphemiam infidelitatis tuæ, qua temerario injuriasti Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum. Audi ergo licet invitus de gratia quam amisisti, ne me putes superatum a te. Deus omnipotens, qui creavit omnia per verbum suum, misertus est generi humano, quia per prævaricationem transgressionis videbat totum mundum periisse, misitque Filium suum, ut carnem humanam per Virginem susciperet, quoniam divinitas videri non poterat, et sic sponte passus, salutem, quam amisisti, nobis in fide nominis ejus constanter agentibus tribuere dignatus est.

8 Julianus dixit : Perseverantem te video in argumentationibus verborum tuorum; sed audi me vel adhuc, et sacrifica, ne gladio te percuti jubeam, quoniam tormenta contemnis. S. Theodoricus respondit : Ego renuntiavi diabolo patri tuo; oro autem ut, sicut dixisti, consummem cito cursum meum in conspectu Domini, quatenus per martyrii palmam tan-
C dem contingat mihi transire ad gaudia regni æterni. Timeo enim, ne si diutius in carne permansero inveniam gratiam in conspectu Juliani tyranni, et differatur corona præmii mei. Julianus dixit : Quantas velis, dicito injurias adversus imperatorem Julianum et me; ego certe te desiderantem occidi, ideo differo in pœnis, ut non tam cito finiatur tormentum tuum, quatenus discas, imperatorem te non debere contemnere. B. Theodoricus respondit: Tu quidem, Juliane tyranne, fac de me, quod tibi placet, sciens pro certo, quia malis cruciatibus cito morieris : Julianus vero imperator, qui sperat in Persarum regione victoriam se de paganis habiturum, in terram Romanorum non revertetur; sed ita crudeliter et occulte occidetur, ut nemo suorum cognoscat, a quo sit interfectus. Audiens hanc prophetiam Julianus, concussus est præ timore, horror enim maximus invaserat eum : timens vero ne alia graviora de se prophetando iterum diceret, data sententia, gladio eum percuti præcepit.

9 Tunc B. Theodoricus fundens orationem

in veste candida et loquentes cum eo; et ideo in faciem nostram cecidimus. Julianus vero iratus, jussit eos in pelago mitti *m*. Et quum ducerentur, Theodoritus dixit : Præcedite, fratres, ego vero superans inimicum, sequar vos ad Dominum, qui mihi palmam victoriæ dare dignatus est. Julianus dixit : Quis est inimicus, vel quis dabit victoriam? Theodoritus dixit : Inimicus est diabolus, qui per vos operatur : victoriæ vero palmam dat Dominus Jesus Christus, Salvator mundi. Julianus dixit : Miserrime hominum, quem omnes norunt, ante trecentos plus minus annos ex muliere natum, tu creatorem et remuneratorem dicis esse! Theodoritus respondit : Quamvis indignus sis ad audiendum verbum Dei; propter adstantes tamen servos Dei, ne me putes esse superatum, audi, quod amisisti ; Deus: qui fecit omnia per Verbum suum, misertus generi humano, quos transgressos a fide, videbat idolis servire, misit Verbum suum super Virginem carnem humanam suscipere, quia divinitas videri non poterat : et sic sponte passus, salutem, quam amisisti, dare nobis dignatus est. E

EX MS. SANLAUR.

m

8 Julianus dixit : Perseverantem te video in argumentis verborum tuorum : audi me et sacrifica, ne gladio te percuti jubeam, quia tormenta contemnis. Theodoritus respondit : Ego renuntiavi diabolo patri tuo. Oro autem, ut cursum consummem in conspectu Domini, nec inveniam gratiam ante tyrannum. Julianus dixit : Quanta vis, dic, ego te non occidam. Theodoritus respondit : Tu quidem, Juliane, F malis cruciatibus in lecto tuo, ubi corporis tui putabis te inventurum requiem, ibi atrocissimum mortis incurres horrorem, quo et anima tua excussa impelletur ad infernales tenebras, et corpus tuum, a te ipso corrosum, monstrabitur exemplum, ne quis similis tui divinam contra se provocet iracundiam. Nam tyrannus tuus, qui sperat in paganam gentem victoriam facere, non poterit vincere : sed ita occidetur, ut ne quis cognoscat, a quo fuerit interfectus *n* , et nec in terram Romanorum revertetur. Timens vero Julianus, ne alia graviora diceret, data sententia, eum gladio percuti præcepit.

prædicta utriusque Juliani morte, plectitur

n

9 Theodoritus dixit : Deo meo gratias ago, cum

gladio Sanctus.

EX MS. BODEC.

cum lacrymis, hilari vultu dixit: Deo meo gratias ago, qui mihi tolerantiæ finem donare dignatus est. Quumque fuisset percussus gladio beatissimus vir Theodoricus, christiani rapientes corpus ejus tradiderunt sepulturæ, cum gemitu dicentes : Quid facimus in tam crudeli persecutione? Nam pagani persecutores cesserunt, et ecce novum genus persecutionis obortum est, dum christiani christianos gravissime persequuntur. Altera die præcedens * ad palatium comes Julianus, adoravit imperatorem Julianum et dixit : Cognoscat invictissima clementia tua, domine imperator, quia ego fidelissimus imperii tui exsecutor impiissimum Theodoricum presbyterum, te deosque tuos acerrime blasphemantem propter mysteria ecclesiastica, apertissime ab eo contra tuum decretum celebrata, adhibitis tormentis, gladio percuti jussi. Audiens hæc imperator Julianus, dixit aperte contra suum propositum hoc esse patratum : dixitque coram omnibus, qui palatio præsidebant : Quare quod mihi contrarium erat, hoc egisti? Ego multis argu- B mentis legem Galilæorum conabor destruere, et tamen neque per violentiam neque per jussionem aliquem eorum jussi interficere : tu vero male fecisti dans occasionem Galilæis, ut multum adversum me conscribant, sicut prædecessoribus meis fecerunt : vide ne aliquem illorum occidas et aliis manda, ne faciant, quia eos, quos occiderimus, Galilæi Martyres sibi faciunt.

*procedens?

10 Tum divino judicio tactus est comes Julianus coram imperatore Juliano, cœpitque quasi mortuus et amens subito apparere. Videns autem imperator, quod avunculus ejus comes Julianus amens et exsanguis repente est effectus, voluit eum confortare et animare, dixitque ad eum : Nunc nunc sacrificemus diis, ut aspersus sanguine sacrificii sanus efficiaris. Euntibus ergo eis, cor Juliani comitis maxima tristitia gravari cœpit : erat enim sibi conscius mali sceleris. Offerentibus itaque sacerdotibus idolorum volatilia et animalia, asperserunt sanguinem immolatitii cruoris super imperatorem et omnem populum ejus; extrahentes etiam de igne carnes sacrificiorum, C obtulerunt Juliano imperatori, qui quum manducasset, dedit partem Juliano avunculo suo, sacrificii carnem videlicet semiustam. Ille vero verecundia faciente sibi timorem, parum gustavit, statimque inter manus se tenentium ad terram corruit; per manus vero ministrorum ad portorium * reductus est, ibique lacrimis suffusus, jacuit in lecto, fere pœnitens mala, quæ gesserat, nihilque cibi accipiens; sed et sacrificii portionem, quam acceperat, cum sanguine evomens. Vespere autem facto, comprehendit eum dolor ventris, ita ut acriter torqueretur; ast ille masticans linguam suam et frendens dentibus, deglutiebat sanguinem suum cum maximo tormento, et quum dolorem suum ferre non posset, mittens ad imperatorem mandando rogavit, ut ecclesias christianorum aperire juberet. Imperator vero remandavit ei dicens : Ego nec clausi, nec aperire præcipio. Iterum mandavit ei dicens : Propter te, inquit, imperator, hæc patior, et male consumor, nec tamen impetrare possum, quæ postulo. Ad hæc remandans imperator: Incredulus, inquit, fuisti diis et ob hoc qui mihi tolerantiæ finem dare dignatus est. Quumque fuisset percussus, et se Julianus recepisset in secreto, inquietam habuit noctem. Alia vero die procedens ad palatium et adorans imperatorem, dixit : Quantus modus auri et argenti inventus in ecclesia, illatusque tuis thesauris fuerit ostensus, rationem hujus provideat tua clementia. Nam et hoc cognosce, quod iniquissimum Thodoritum presbyterum, quem propter ministeria ecclesiæ inquirebas, comprehensum, adhibitis tormentis, gladio percuti jussi. Audiens vero Julianus imperator contra suum propositum esse factum, exclamavit dicens : Quod mihi erat contrarium, hoc egisti : ego enim multis argumentis legem Galilæorum conabar destruere et neque vi facta aliquem eorum interfici jussi. Tu vero male fecisti : dedisti enim occasionem Galilæis, ut multum adversum me conscribant, sicut adversus prædecessores meos fecerunt, qui interfectos maleficos Martyres vocant. Vide neminem eorum occidas, et aliis manda, ne faciant

EX MS. SANLAUR.

E

*prætorium?

10 (Ex hac re confusus Julianus, pœnituit eum, tanta sævitiæ rabie inaniter in christianos exarsisse : pro qua nec in gratiam regis veniebat, nec consueta licentia id ipsum prosequi concedebatur, reputans id maximo suo detrimento, quia hac, qua consuetus erat, tyrannide cogebatur, deinceps abstinere*). Videns autem imperator, quia confusus et velut mortuus factus est Julianus, volens eum animare, dixit ei : Nunc euntes sacrificemus diis, ut adspersus sacrificiis, sanus efficiaris. Euntibus vero eis, cor Juliani mœstitia erat repletum. Offerentes vero sacerdotes idolorum volatilia et alia multa, extrahentes de igne; obtulerunt Juliano imperatori *o*. Et quum manducasset, dedit avunculo suo Juliano : ille F autem verecundia faciente vel timore, parum gustavit et recessit in prætorio suo, pœnitens malorum, quæ gesserat, pro quibus nec se gratiam apud imperatorem invenisse cognovit; nihilque cibi vel potus accipere voluit. Vespere igitur facto, in lecto se prosternens, quiete noctis voluit sopire mœstitiam cordis, quum ecce comprehendit eum dolor ventris et acriter torquebatur : nam sacrificium, quod particulatim acceperat, disrumpebat ejus ficatum *, et ejiciebat per os foras, ille vero masticans partim * projiciebat, partim * vero deglutiebat. Et quum jam sufferre non posset, mittens rogabat imperatorem, ut ecclesias aperiri juberet. Remandans vero imperator, Ego, ait, nec clausi nec aperiri præcipio *p*. Iterum mandans ei, propter te, inquit, imperator, ista patior et male consummor. Iterum remandans ei imperator dixit : incredulus fuisti diis, ob hoc ista pateris tormenta multis diebus. Infelix quidem Julianus, multis diebus cruciatus, diversas accipiens escas, suo tamen pastus est ficato, secundum prophetiam beatis- is ta

Brevi post pereunt Julianus comes

* M et R *omittunt uncinis inclusa.*

o

* M ficolum, R fecatum, A figatum, jecur.

* R parum

* R parum.

p

EX MS. BODEC.

ista tormenta pateris. Infelix itaque Julianus comes multis diebus cruciatus, diversis medicinis acceptis, curari non potuit, sed secundum prophetiam beatissimi Martyris Theodorici totus vermibus consumptus, miserabili fine, ut dignus erat, exspiravit. Audiens hæc Julianus imperator, nulla animi compassione motus, super eum dixit : Quia non erat fidelis diis, perpessus est ista.

11 Post paucum vero profectus ipse imperator adversus Persas in bellum, non valuit eos superare : constitutus igitur ibi quum esset in multa elatione, eo quod dominus appellaretur universæ terræ, die quadam irruit super eum repente multitudo exercitus Angelorum; et timore perterritus, præcepit armari totum exercitum suum, nesciens infelix, quoniam cœlestis militia venisset adversus eum. Veniens autem subito quasi sagitta terribilis de aëre percussit eum in mamillam; quumque sanguis ex omni parte flueret, aspiciens sursum, putavit se Dominum Jesum videre, implensque manum suam de sanguine jactavit
B in aëre dicens : Usque in finem, Galilæe, persequeris me et ecce superasti me : sed ego etiam te hac hora negabo, licet positus in articulo mortis. Et sic veniens in civitatem quamdam crudelissimo fine mortuus est; sicque tota prophetia B. Theodorici Martyris impleta est. Passus est autem beatissimus Martyr Theodoricus apud Antiochiam sub die decimo Kalend. Aprilium, regnante Domino Jesu Christo, cui est cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

simi Martyris, totus a vermibus comestus, est mortuus. Audiens vero Julianus imperator dixit : Quia non fuit fidelis diis, ideo ista perpessus est. EX MS. SANLAUR.

11 Post paucum vero tempus Julianus profectus adversus Persas, non valuit superare eos. Et quum omnia se obtinuisse putasset, subito irruit multitudo exercitus Angelorum. Et timore perterritus, suum exercitum armari præcepit, nesciens infelix, quoniam cœlestis militia apparuerat ei. Et subito veniens sagitta de aëre, percussit eum in mamilla. Quumque sanguis flueret, aspiciens putavit se Dominum Jesum videre, implensque manum suam de sanguine, jactavit in aëre dicens : Usque in agonem Galilæe persequeris? Etiam hic te negabo sauciatus de cætero, Christe, quia superasti me. Et sic veniens in quamdam civitatem *q*, crudeliter mortuus est. *q*
Et tota prophetia B. Martyris Theodoriti impleta est. Nos, qui Antiochiæ in palatio eramus et cum ipso in Persida fuimus, licet peccatores, Servi Dei, hæc quæ gesta sunt circa famulum Deum Theodoritum x kal. Novembris * *r* conscripsimus; ut legentes nostri memores esse dignentur, et ejus edocti exemplis, imitando in virtutibus animi proficiant, et ejus passionem relegentes et frequenter audientes, discant tolerantiam in adversis, discant Christum sibi conciliare opprobriis, discant Christum, qui nos redemit morte, simili mortis pretio comparare, ut cum illo regnante valeant etiam ipsi regnantes ejus perfrui societate, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. * M. R. A. aprilium *r*

et Julianus cæsar.

ANNOTATA.

a *Jam supra num.* 10 *Commentarii prævii indicavimus, nos præter Mabillonium et Ruinartium, duos præsertim habuisse codices pretiosos, quorum unus, tum propter ætatem, tum propter correctionem longe præstantissimus est et præcipuum textum Passionis S.* Theodoriti *exhibet. Variantes lectiones, quæ sunt alicujus momenti, ex Mabillonio litera* M, *ex Ruinartio litera* R, *et ex codice ms. signato num.* 207, *undecumque anonymo, sive locum originis sive scriptorem spectes,*
C *litera* A *commemorabimus; nam ut præmonuimus codicem Bodecensem ex integro proferimus, propter rationes num.* 10 *Commentarii allegatas.* F J. V. H.

b *Julianus Apostata, Julii Constantii, fratris Constantini Magni et Basilinæ filius, natus CPoli anno Christi* 331, *obiit* XXVI *Julii* 363 (1). *Observasse etiam juvat, Constantini et Constantii nomen non raro promiscue sumi et usurpari, ut quandoque difficile sit discernere utri factum aliquod tribuendum sit, videlicet an Constantino Magno an Constantio ejus filio. In nostra tamen Passione evidens est ex narrationis serie Constantini nomen Constantio adscribi, quod semel animadvertisse sat est.*

c *Supra num.* 11 *Commentarii prævii egimus de errore, quo Julianus Cæsar Ecclesiæ Antiochenæ lector adscribitur, quum verisimilius in Ecclesia sive Cæsariensi sive Nicomediensi ordinatus fuerit : probabilem etiam erroris causam ibidem assignavimus.*

d *Quod Julianus comes Juliani cæsaris consanguineus fuerit, inter omnes convenit : id solum controvertitur, qua necessitudine uterque conjungatur. Tillemontius* (2) *allegat S. Chrysostomum dicentem, consanguinitatem ex patre Juliani Cæsaris esse derivandam, quatenus Julianus comes, frater patris Juliani cæsaris fuerit, adeoque comes dicendus sit* patruus Cæsaris, θεῖος ὁ πρὸς πατρός (3). *Atque nihil hæsitantes dictis S. Chrysostomi assentiremur, nisi altera eaque nostro judicio potior assertio obstaret, Ammiani videlicet, qui lib.* XXIII *cap.* 1 *eumdem facit* avunculum *imperatoris, ac proinde per matrem consanguinitatem nectit. Quæ quidem opinio potenter confirmatur ex eo, quod Constantino Magno solum tres cognoscantur fratres, nempe Dalmatius, Julius Constantius, Juliani cæsaris pater, et Annibalianus, quem alii Constantinum appellant : ita ut Juliano comiti nullus inter Constantini Magni fratres relictus sit locus* (4) : *dein ex Zosimo, sæculi*

(1) Tillemont. Hist. des Emper. tom. IV, pag. 198, 224 et 296. — (2) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés. tom. VII, pag. 735. — (3) S. Chrysost. Oper. tom. II, pag. 564. edit. Paris. Montfaucon. — (4) Tillemont. Hist. des Emp. tom. IV, pag. 34.

quinti

AUCTORE J. V. H.

quinti scriptore, lib. II *cap.* 40 (1) *habemus Constantinum* cognati sanguinis effusione virilem omnibus animum probare voluisse; *adeoque superstitem vixisse Julianum comitem, quia ad imperatoriam familiam non pertinebat. Imo, teste Socrate lib.* III *cap.* 1 (2), *nec ipse Julianus futurus cæsar mortem effugisset, nisi illum* tenera ætas conservasset. *Ex his omnibus verisimile fit, Julianum comitem consanguineum cæsaris per sororem suam Basilinam, Apostatæ matrem fuisse.*

e *Vox* Collecta (*vide Du Cange Glossarium hoc verbo*) *variam apud scriptores habet significationem : hic vero* Σύναξιν *seu Missæ sacrificium interpretari vocem oportet. Etenim si aliud quidpiam significaret, non videretur consequentiam habere ex dispersione clericorum et statione solitaria S.* Theodoriti *in urbe.*

f Secretarium, *Ammiano lib.* XV *cap,* 7 judiciale secretum, *est conclave, in quo judices considebant, in eoque sensu adhibitam vocem a Lactantio monstrat Facciolati h. v.*

g *Julianus comes hoc loco alludit ad sepulcra Martyrum, quæ frequentius ædificabantur et ornabantur splendidius. Sed hisce præsertim temporibus Sancti, pro fide mortem passi, ab impiis simpliciter mortui appellabantur; ut constat ex Sozomeno lib.* V *cap.* 19 (3) : *nam interrogatus Apollo, cur oracula non redderet, respondit* locum cadaveribus refertum *esse.* Porro, *ait idem scriptor,* quum multa essent Daphnæ sepulta cadavera, imperator tamen conjiciens solum Martyrem oraculis obstare, arcam illius transferri jussit. *Cfr S. Joannis Chrysostomi orationem de S. Babyla adversus Gentiles num.* 15 (4). *Cæterum ipse Martyr respondendo monstrat, se apprime intellexisse, quale sibi crimen objiceretur :* Ego, *inquit,* in quantum potui, ecclesias et basilicas ædificavi Martyrum; *qua quidem responsione S.* Theodoritus *aperte monstravit, qui mortuorum nomine apud Julianum comitem venirent.*

h *Codex Bodecensis omittit in responsione Martyris verba* neque ab oratore; *forsan melius; quia Julianus comes eum irridet quasi* ab Athenis nuper advenerit; *quamvis et oratoris cujusdam magisterium ideo insinuare potuerit S.* Theodoritus, *ut significaret numquam se Athenis versatum, imo neque ab oratore quocumque aut rhetore ad eloquentiam humanam informatum fuisse. Displicebant tunc, sicut et hodie, impiis peremptoriæ fidelium responsiones. Ista porro tempestate Athenæ habebantur tamquam præcipua sedes philosophiæ et eloquentiæ, uti testatur coævus S. Gregorius Nazianzenus in laudatione funebri S. Basilii Magni, ordine* XLIII *alias* XX *num.* 14 (5): Inde, *ait,* (*CPoli Basilius*) Athenas, hoc est, literarum sedem ac domicilium a Deo atque inexplebili simul et præclara doctrinæ cupiditate mittitur; Athenas, inquam, mihi vere aureas, ac si cuiquam alii, bonorum procuratrices.

i *Agitur hic, ut verba sequentia satis ostendunt, de trochleæ tormento, Martyribus frequenter inflicto. Si vim verborum retineamus,* contus *aliud non est juxta lexica, quam sudes seu hasta longior et durior, in cuspidem acuminata. Quoniam porro trochleæ tormentum in eo consistit, ut ope cochleæ corpora distendantur, ut videre est in figura* IV *cap.* 2 *de Cruciatibus Martyrum Gallonii* (6), *patet adhibendos fuisse contos ad rotationem cochleæ procurandam : unde intelligitur, quo censu Julianus comes S.* Theodoritum in contis tendi *jusserit et quomodo Martyris corpus* ad octo pedes *excrevisse dicatur; quamvis id exaggeratum existimemus, quoniam corpus Martyris omnino dissolutum fuisset.*

k *Vide, quæ de fisci debito Commentarii prævii num.* 12. *Rationem ibidem redditam, cur Julianus comes neque explicitius, neque fortius quæstionem urserit, mire confirmat S. Leo, ut indicavimus, in sermone de S. Laurentio num.* 2 (7) : In levitam, *inquit,* Laurentium, qui non solum ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sibi prædam de unius viri comprehensione promittens, quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exsortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus et veritatis inimicus; avaritia, ut rapiat aurum, impietate, ut auferat Christum. *S. Laurentio rapienda prius erat ecclesiastica substantia, ut dein fidem amitteret; Sanctus* Theodoritus *urgebatur ad renuntiandum Christo; quo obtento, facilis erat rei, Deo sacratæ, traditio. Accurate utrumque tyrannum imitantur, qui nostris etiam temporibus Ecclesiæ Christi invident et intemeratam suam fidem et divitias suas, legitimis nominibus quæsitas.*

l *Multipliciter hic variant codices, ut diversæ lectiones in margine pro more poni non possint. Conferatur imprimis apographum Bodecense cum iis, quæ in Laurentiano codice uncinis inclusa sunt. Eorum verborum loco, M et R legunt pericopen :* Interim ego igni te tradam : postea vero quid fuerit? Sic jussit duas lampades *etc. Mihi et hic videtur Laurentianus textus correctior et arctiorem cum reliquis connexionem habere. Porro dum hæc ultro citroque dicebantur, videtur mihi S. Martyr super instrumento torturæ, relaxatis tamen funibus, permansisse; ita ut, dum paulo superius, num.* 5, *legimus :* Julianus jussit eum torqueri, *id intelligendum sit de mandato tyranni jubentis, ut ope cochlearum intenderentur funes : similiter et hic torturæ trochleæ addantur faces ardentes.*

m Pelagus *quandoque pro qualibet aqua, etiam fluviali, accipitur : Cfr Du Cange Glossarium h. v. Porro Antiochia jacet ad Orontem, fluvium, teste Baudrando in suo Lexico geographico, Syriæ maximum, nec ita multum a mari distat, ut aquæ Antiochenæ pelagus dici etiam accuratiori modo non potuerint.*

n *Omnes antiqui in eo conveniunt, quod cæsar Julianus in prælio ignota manu lethale vulnus acceperit* (8). *Ammianus lib.* XXV *cap.* 3 : Clamabant, *inquit,* hinc inde candidati, quos disjece-

(1) Pag. 106. edit. Bonn. 1837. — (2) Eusebii etc. Hist. tom. II, pag. 165. — (3) Eusebii etc. Hist. tom. II, pag. 627. — (4) S. Chrysost. Oper. tom. II, pag. 560. edit. Montfaucon. — (5) Greg. Naz. Oper. tom. I, pag. 780. edit. Paris. 1778. — (6) Gallon. De Cruciat. SS. Martt. pag. 45, edit. Paris. 1659. Cfr Gasp. Sagittarii de Martt. cruciat. pag. 299. — (7) S. Leon. Oper. tom. I, col. 338. — (8) Cfr Tillemont. Hist. des Emp. tom. IV, pag. 224 et 298.

rat

A rat terror, ut fugientium molem, tamquam ruinam male compositi culminis, declinaret : et incertum, subito equestris hasta, cute brachii ejus præstricta, costis perfossis, hæsit in ima jecoris fibra. AUCTORE J. V. H.

o *Codex Bodecensis addit narratis in Laurentiano quasdam circumstantias examinandas; nempe idolorum sacrificulos* aspersisse sanguinem immolatitii cruoris super imperatorem et omnem populum ejus. *Crediderim scriptorem alludere ad ritum judaïcum, de quo agit Pentateuchus in Exodi* XXIV 8 *et S. Paulus Hebr.* IX, 19, *scilicet Moysen, promulgata lege,* sumptum sanguinem respersisse in populum, *seu, ut ait S. Paulus :* Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit. *Extra vero casum icti fœderis cum populo israelitico, nuspiam reperio sanguinis aspersionem in veteri lege; nisi in consecratione sacerdotum, qui mixtura, ut videtur, sanguinis et olei simul cum vestibus suis aspergebantur, Exod.* XXIV, 20 *et* 21, *Levit.* VIII, 30; *simili fere modo mundabantur leprosi, Levit.* VIII, 6 *et* 7. *In iciendo autem fœdere quædam quoque barbaræ gentes sanguinem paciscentium adhibebant, ut accurate describit Tacitus Annal.* XII, 47. Mos est regibus, quoties in societatem coeant, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque præstringere. Mox ubi sanguis in artus extremos se affuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. *Ex hactenus dictis liquet, scriptorem codicis Bodecensis excogitasse ritum, nusquam in sacrificio ordinario usitatum, et de quo tacent codices melioris notæ.*

p *Ex hisce verbis datur intelligere, ecclesias Antiochenas clausas fuisse jussu non Juliani cæsaris, sed comitis; unde confirmantur dicta Commentarii prævii num.* 15.

q *Locum Juliani cæsaris emortualem Phrygiam appellat Ammianus lib.* XXV *cap.* 3 *his verbis :*
B Ideo spe deinceps vivendi absumpta, quod percontando Phrygiam appellari locum, ubi ceciderat, comperit. Hic enim obiturum se præscripta audierat sorte (1). E

r *Circa diem et annum passionis S.* Theodoriti, *vide dicta Commentarii prævii num.* 13.

(1) Cfr Tillemont. Hist. des Emp. tom. IV, pag. 224.

DE S. VERO,

EPISCOPO ET CONFESSORE SALERNI,

SYLLOGE HISTORICA. J. V. H.

§ Unic. Tempus erecti episcopatus Salernitani; episcoporum series.

SÆC. V. *In serie episcoporum* S. Verus, *tertio loco*

Quoties *de Sanctis episcopis Salernitanæ Ecclesiæ agimus, tricis chronologicis implicamur, quibus expedire nos, datum hactenus non fuit. Inter eruditos nempe non constat, quo sæculo vixerint primi episcopi Salernitani; utrum scilicet sæculo quinto an octavo, pro alterutra sententia certantibus, hinc Gaspare Mosca pro quinto, inde Antonio Caraccioli pro sæculo octavo. Sed plerique recentiorum partes Moscæ tuentur, et quin et ipse Ughellus, cui sententia Antonii Caraccioli arridet, Catalogum tamen Gasparis Moscæ exhibet* (1). *Communem opinionem secuti sunt nostri in S. Bonoso ad diem* XIV *maji* (2), *in S. Gramatio ad diem* XI *Octobris* (3), *et in S. Eusterio ad diem* XIX *ejusdem mensis* (4), *quam nos quoque amplectimur. Et vero antiquissimum esse Salernitanum episcopatum nobis testatum facit Gaudentius, qui concilio Romano sub Symmacho Papa, anno* 499, *interfuit eidemque subscripsit his verbis:* Gaudentius Salernitanus (5). *Quod si traditionem Ecclesiæ Salernitanæ respuimus, eos solos ad sæculum usque nonum habebimus hujus Ecclesiæ episcopos, quorum nomina ex actis Conciliorum colligi poterunt. Ex hoc quidem fonte derivata ad nos est notitia, non solum Gaudentii, sed et Asterii, qui anno* 536 *concilio CPolitano legatus Agapiti Papæ adfuit* (6), *Luminosi, Concilii Lateranensis anni* 649 *sub Martino I Papa patris* (7), *et Leonis, in Catalogo Ughelliano omissi, qui anno* 761 *chartæ Pauli Papæ I pro monasterio SS. Stephani et Sylvestri subscripsit* (8). *Reliquorum antistitum Salernitanorum nomina, si traditionem hujus Ecclesiæ rejicimus, delevit antiquitas* (9).

C 2 *Ast sine gravibus rationibus rejiciendi non sunt fasti alicujus Ecclesiæ, cujus præ cæteris interest memoriam suorum pontificum conservare: adeoque Salernitanæ Ecclesiæ vindicare debemus sanctos episcopos, qui eamdem illustrasse perhibentur. Inter hosce hodierna die recurrit S.* Verus, *cujus memoriam celebrat Martyrologium Romanum his verbis:* Apud Salernum, Sancti Veri episcopi. *Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ paulo abundantius scribit:* Verus, III episcopus Salernitanus, S. Gramatio in episcopatu successit. Cujus etsi Acta de Sancto non exstant, sancte tamen Ecclesiæ Salernitanæ præfuisse, miraculisque coruscasse dubitari non potest, quum illius memoria ab Ecclesia a priscis temporibus celebrari consueverit, ut in Breviario ejusdem Ecclesiæ, quadringentos abhinc annos et eo amplius edito, satis apparet. Migravit ex hac vita X kal. novembris. Corpus ejus, in æde sacra majore in crypta cum corporibus aliorum sanctorum episcoporum con- *veniens, sæc. V floruit.* F

(1) Ital. sacr. tom. VII, col. 351. — (2) Act. SS. tom. III Maji, pag. 374. — (3) Ibid. tom. V Octob. pag. 671. — (4) Ibid. tom. VIII Octob. pag. 436. — (5) Labbe, tom. IV Conc. col. 1315. — (6) Ibid. tom. V, col. 51 et alibi. — (7) Ibid. tom. VI, col. 78. — (8) Ibid. col, 1693. — (9) Cfr Orlendi. Orbis sac. et prof. tom. IV, pag. 1708.

ditum,

AUCTORE J. V. H.

ditum, pie asservatur. *Eadem fere habet Gaspar Mosca, Salernitanæ, ut dicit, civitatis presbyter* (1), *qui addit Orationem, in festo S.* Veri *recitari solitam, sequentis tenoris:* Deus, qui perennem gloriam sanctissimi Confessoris tui atque pontificis Veri animæ contulisti, tribue, quæsumus, ejus nos apud te patrociniis ita sublimari, ut cum eo vitam possideamus æternam. Per Dominum. *Eamdem orationem exhibet Proprium Sanctorum Ecclesiæ Salernitanæ, anno* 1696 *editum; nec quidquam præterea speciale habet, quum, ut scribit, reliqua* omnia sint de communi. *Neque nobis reperire quidpiam contigit, quo S.* Veri *historiam elucidemus: quæstionem chronologicam ante nos tractarunt, qui de SS. Bonoso, Gramatio et Eusterio ita egerunt, ut eadem nos repetere non vacet: quapropter, quoniam S. Gramatio successit, tempus episcopatus S.* Veri *sæculo* v *affiximus.* D

(1) De Salern. Eccl. episcopis, pag. 13.

DE S. AMONE,

EPISCOPO CONFESSORE, TULLI LEUCORUM IN GALLIA,

J. V. H.

SYLLOGE CRITICA ET HISTORICA.

§ Unic. Sancti cultus; res gestæ parum cognitæ; tempus episcopatus; variæ translationes corporis.

POST MED. SÆC. IV. *S.* Amonis *cultus certus;*

Inter multiplicia, quæ Usuardo suo addidit Sollerius noster, Auctaria, nullum tamen occurrit, quod mentionem faciat Sancti episcopi Tullensis Amonis. *Ejus nomen recensent Claud. Castellanus tamquam* secundi episcopi *Tullensis et Card. de Noailles in Martyrologio Parisiensi his verbis:* Tulli Leucorum, S. Amonis episcopi. *Et merito quidem fastis sacris inscribitur sancti antistitis nomen, quum nullum sit dubium de ejus cultu, ab antiquissimis temporibus frequentato, quem etiam demonstrant repetitæ translationes, de quibus infra agemus, olim celebratæ. Ferrarius quoque in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio non sunt, S.* Amonis *nomen recenset ad diem* XXV *septembris, ac iterum ad hanc diem* XXIII *octobris, in quam a majoribus nostris, ut ipsi dicunt die* XXV *septembris, dilatus fuit. In Breviario Tullensi, anno* 1749 *jussi Scipionis Hieronymi Begon episcopi edito, festivitas S.* Amonis *die* XXIII *octobris ritu Duplicis secundæ Classis ordinatur.* E

quamvis pauca de eo cognita;

2 *Cæterum, licet constans fuerit sancti Confessoris cultus, de ejus rebus gestis vix aliud nobis servarunt antiquiora scripta, quam quæ exhibentur in Actis episcoporum Tullensium, ab Edmundo Martene editis in Thesauro Anecdotorum* (1). *Actorum istorum scriptor anonymus est sæculi* XII *ineuntis, neque satis indicat, quibus monumentis innititur primorum episcoporum historia: proinde ad trutinam revocandæ erunt variæ ejus assertiones. Laudatur tamen ab Auctoribus Historiæ literariæ Franciæ scriptor, quod fabulas, quibus antiquiora documenta inspersa erant, resecuerit* (2): *sed simul dubitant, num intiusmodi emendatio saniori crisi attribuenda sit; quandoquidem eumdem vident in chronologicis quandoque peccare. Et quidem ante Anonymum jam alios res gestas primorum episcoporum Tullensium non attigisse solum, sed etiam luculenter explicasse, testem habemus Adsonem, Dervensem abbatem, qui Vitam S. Mansueti, primi episcopi Tullensis, circa finem sæcul* X, *sub episcopatu S. Gerardi, conscripsit. Sed et ipse Adso, ut ad diem* III *Septembris habent nostri* (3), scripturæ documento percepit, *quod de S. Mansueto litteris commendare voluit. Exstabant proinde Adsonis ætate antiquiora documenta, quæ perierunt. Unde, quid accurate recipiendum sit ex posteriorum scriptorum narratione, hodie discerni non potest. Damus igitur ex Actis episcoporum Tullensium, ab Edm. Martene in Thesauro Anecdotorum editis, quæ de S. Ammone in iis referuntur* (4).

successit S. Mansueto

3 Post excessum igitur prædicti sanctissimi pontificis et egregii doctoris *(Mansueti)* quis ei in sede episcopali successerit, memoremus. Post eum domnus Amon cathedræ pontificalis adeptus est dignitatem : qui cum eodem videlicet suo prædecessore Beato Mansueto requiescit in ecclesia præfata sanctissimi Apostolorum principis Petri. Quorum meritis, id est, Sancti Mansueti atque prælibati Beati Amonis, plurimi, cæcitatis, lepræ et febris, cæterorumque languorum ægritudine detenti, redduntur sanitati. Ad quorum patrocinia multi reges et principes venire consueverant, atque eorum locum ex proprio ditabant. Erat enim illic confluens turba advenientium et innumera multitudo pauperum, quibus, unde viverent, erat a fidelibus constitutum : unde usque hodie dicitur, ad matriculam domni Mansueti et domni Amonis. *Hæc fere exscripsit Anonymus ex Adsone* (5) *cap.* 14 *Vitæ S. Mansueti, compendiose tamen : nam Adso aliqua addit non omittenda. Scilicet S. Ammonem* communi universorum voto atque consensu ordinatum episcopum fuisse, prædecessoris sui mores et instituta ad unguem exsecutum, bonitatis et sanctitatis fuisse operibus comprobatum. Hic, *pergit Adso,* pontificalem dignitatem in cuncta morum honestate exsuperans, non solum verbis et exemplis subjectam plebem circumquaque competenter excoluit, sed etiam miris ac magnificis virtutibus illustravit. Qui sic quoque quum daret in celebrationibus decus, et ornaret tempora, ut scriptum est *, usque ad consummationem vitæ, recedens ab hoc F

* *Eccli.* XLVII, 12.

(1) Tom. III, col. 992. — (2) Hist. litt. de la France, tom. XI pag. 129. — (3) Act. ss. tom. I, sept. pag. 639. — (4) Thes. Anecd. tom, III, col. 992. — (5) Migne Patrol. tom. CXXXVII, col. 631.

sæculo,

A sæculo, in oratorio, quod superius diximus B. Petri, Apostolorum principis honore a sancto viro studiose constructum, cum eodem prædecessore suo sanctissimo condigne traditus est sepulturæ.

in cathedra Tullensi,

4 *Hæc fere sunt, quæ de rebus gestis S.* Amonis *cognoscimus. Addit tamen Breviarium Tullense, Sanctum eremum, quantum patiebantur apostolici ejus labores, coluisse.* Fertur, *inquit,* fuisse solitudinis amantissimus, et ad eremi secreta, longe a tumultu in nemoroso Sanctesis provinciæ loco, qui ex ipsius mansione Amonis Sylva usque hodie nuncupatur, interdum et quantum sibi per pastorales curas liceret, secessisse, quo sæculi vana declinaret facilius, divinorum meditationi vacaret liberius et pro grege sibi commisso Dominum ibidem exoraret quietius (1). *Ast inquirendum restat; quo circiter tempore vixerit. Si certa esset ætas S. Mansueti ejus prædecessoris et primi Tullensis episcopi, satis e propinquo definiri posset tempus episcopatus S.* Amonis. *Sed inter eruditos controversia est. Adso, sæculi, ut diximus,* x *scriptor, docet, S. Mansuetum a S. Petro, adeoque primo sæculo æræ christianæ, Tullum missum fuisse, ut Evangelium Tullensibus prædicaret. Quoniam autem S.* Amon *fuit ab eo secundus episcopus Tullensis, ejus pontificatus ad idem sæculum aut initium sequentis referendus videretur. Majores nostri, ad diem* III *Septembris Acta S. Mansueti illustrantes, initium Ecclesiæ Tullensis, adeoque ætatem primi episcopi, ad tempora Constantini Magni aut filiorum ejus reducunt (2). In confirmationem sententiæ suæ afferunt, quæ passim cognoscuntur de S. Gregorio Turonensi, primorum episcoporum missionem medio sæculo* III *sub Decio illigante et de S. Sulpicio Severo, dicente,* serius trans Alpes Dei religionem susceptam. *Sed hæc testimonia exigui esse ponderis ad auctoritatem opinioni conciliandam, monstratum fuit ad diem* XVII *octobris in Commentario historico de S. Florentino, episcopo Trevirensi (3), ut hic retractanda non veniant.*

sæculo, ut e Catalogo episcoporum

5 *Sed vero propinquius, mea sententia, est argumentum, deductum ex Catalogo episcoporum Tullensium, qui succedentium sibi antistitum ordinem exponit. Scilicet primus S. Mansuetus, secundus S.* Amon, *tertius Alcha, quartus Celsinus, quintus S. Auspicius, sextus Ursus, septimus S. Aper, octavus Albinus, etc. Hi autem omnes ita se exceperunt, ut diuturnum interpontificium numquam exstiterit. Quæ quum ita sint, nulla ratione explicari potest, quomodo S. Mansuetus ad primum sæculum pertinuisset, quando quintus ab eo S. Auspicius, senescente sæculo quinto floruerit. Atque hoc posterius omnino constat ex epistola Sidonii Apollinaris ad Arbogasten, Trevirensem, ut videtur, comitem, qui ipsum consuluerat circa interpretationem sacrarum scripturarum. Satis lepide invitationem declinat Sidonius, scribens* (4) : De paginis sane quod spiritualibus vis, ut aliquid interpres improbus garriam, justius hæc postulabuntur a sacerdotibus loco propinquis, ætate grandævis, fide claris, opere vulgatis, omni denique meritorum sublimium dote potioribus. Namque ut antistitem civitatis vestræ relinquam, consummatissimum virum, cunctarumque virtutum conscientia et fama juxta beatum, multo opportunius de quibuscumque quæstionibus tibi interrogantur inclyti Galliarum patres et protomystæ, nec satis positus in longinquo Lupus, nec parum in proximo Auspicius; quorum doctrinæ abundanti eventilandæ nec tua consultatio sufficit.

AUCTORE J. V. H.

6 *Qui a Sidonio citatur* antistes civitatis *Arbogastis seu Trevirensis, est Jamlychus, alio nomine forsan Evemerus* (5), *de quo ipse S. Auspicius agit in epistola metrica ad eumdem Arbogastem* (6) *his verbis :*

liquet, probabiliter

Sanctum, et primum omnibus,
Nostrumque papam Jamlychum.
Honora, corde dilige,
Ut diligaris postmodum.

Lupus dein non satis positus in longinquo, *est celeber episcopus Trecensis, anno* 478 *vita functus, cujus Acta illustrarunt nostri ad diem* XXIX *julii* (7). *Non difficile divinatu est, Auspicium* non parum in proximo positum, *esse Tullensem episcopum, qui in citata epistola metrica Deo gratias rependit, quod Arbogastem* magnum Tullensi in urbe viderit (8). *Quum itaque hi omnes ad senescens sæculum quintum pertineant, in specie Sidonius Apollinaris, anno* 483 *post decennem pontificatum, ut omnes eruditi tenent, defunctus; ad idem itaque ævum pertinuerit, necesse est, S. Auspicius, quintus a S. Mansueto Tullensium episcopus. Quod si ab obitu Constantini seu ab anno* 337 *ad tempus episcopatus Sidonii seu ad annum circiter* 472 *computemus, annos habemus omnino* CXXXV, *qui in quinque episcopos dispertiti, singulorum regimini annos* XXVII *assignant. Percurrantur porro catalogi, quæ vulgo episcopologiæ dicuntur, et vix reperire erit seriem quinque episcoporum, qui tam diuturnum temporis spatium impleant. Atque hinc probabilis fit majorum nostrorum sententia, statuentium initium episcopatus S. Mansueti ad Constantiniana tempora revocandum esse. Unde consequitur, episcopatum S.* Amonis *sæculo quarto, jam ultra medium provecto, illigandum esse. Veneramur certe antiquiorum Ecclesiarum traditiones; dum tamen inter se pugnantes non sunt, et conciliari possunt cum certis monumentis historicis: tunc aliquatenus fundamentum habent veritatem; a quo sine gravissimis rationum momentis discedere non oportet.*

E

F

medio quarto;

7 *Ut vero quis sese hac difficultate expediat, alterutrum ostendere deberet: vel in Catalogo Tullensi plures intermedios episcopos fuisse omissos, vel in eodem recensitos longis intervallis sibi successisse: nam nemo consentiet, hos quinque spatium trecentorum annorum continuo implevisse. Sed neutrum sustineri potest. Non prius, quia quæ habemus de Ecclesia Tullensi documenta, uno ore eosdem episcopos, eodemque ordine enumerant, nec vel levissimo significant indicio, alios episcopali cathedræ impositos fuisse. Quod ad alterum spectat, Acta Ecclesiæ*

(1) Cfr Gall. Christ. tom. XIII, col. 939. — (2) Act. SS. tom. I Sept. pag. 620. — (3) Act. SS. tom. VIII, oct. pag. 21 et seqq. — (4) Migne. Patrol. tom. LVIII, col. 522. — (5) Hontheim. Hist. Trev. tom. I, pag. 20. — (6) Migne. Patrol. tom. LXI, col. 1008. — (7) Act. SS. tom. VII Jul. pag. 53. — (8) Migne. Patrol. tom. LXI, col. 1006.

AUCTORE J. V. H.

Tullensis, a Martenio edita, ita loquuntur, ut unus alterum brevi intervallo exceperit. Post eum *(Mansuetum), habent* (1), domnus Amon, cathedræ pontificalis adeptus est dignitatem... Post quem adeptus est pontificatus honorem vir egregius, nomine Alcha... Eo de terrea calamitate exempto, Celsinus factus est episcopus... Quo vitæ hujus excessu facto cum Deo, Auspicius in prædicta sede exstitit ordinatus... Inde sequens est Ursus... His ita transactis,... sanctissimus vir et admirandæ vitæ Confessor, domnus Aper raptus fuisse dignoscitur... Successit vero illi domnus Albinus vir egregius omnique bonitate conspicuus. *Hæc satis indicant, apud Tullenses nullam fuisse suspicionem, quasi hiulca esset suorum antistitum successio, aut plurium annorum spatio interrupta. Proinde firmissima mihi videtur conjectura, S. Mansuetum sedem Tullensem fundasse sæculo primum quarto, adeoque S.* Amonem *post medium idem sæculum eidem impositum fuisse, quod in capite hujus Sylloges signavimus.*

licet Tullenses etiam primo sæculo, evangelicam lucem viderint.

8 *Sententiam recentioris fundationis Ecclesiæ Tullensis confirmare satagit abbas Senoniensis Calmetus ex eo, quod sæculo* XI *dicebatur, S. Mansuetus Roma ad suam Ecclesiam attulisse Reliquias S. Petri Apostoli* (2); *ac proin ab ipso Tullum missum non fuisse. Stringeret argumentum, si semel tantum Romam adivisse S. Mansuetum, constaret : sed missus a S. Petro, potuit Romam proficisci post ejus passionem et tunc quidem Tullum ejus exuvias referre. Præsertim quum frequens esset in utramque urbem commeatus ex legionum Romanarum apud Leucos statione, quam testatur Tacitus lib.* I *Hist. cap.* 64 : Nuntium, *ait,* de cæde Galbæ et imperio Othonis Fabius Valens in civitate Leucorum accepit. Nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus, bellum volvebat. *Non moror, quid nomine civitatis hic veniat; an Tullum urbs, an universa Leucorum gens: quum aliqui Granum urbem Leucorum caput antiquitus fuisse, existiment* (3). *Verum ex statione legionum probabile credo, etiam primo sæculo Leucis illuxisse fidem christianam, ut alibi monstravimus* (4) : *scilicet ex proxima urbe Trevirorum apostolicis viris excurrentibus, qui fundamenta quodammodo Ecclesiæ Tullensis jecerunt. Fuerunt aliqui opinati, Granum urbem habuisse sedem episcopalem, Tullum dein translatam* (5) *ast hæc sententia multiplici obnoxia est difficultati, imprimis quod Tullum urbs in antiquissimis Notitiis imperii constanter habeatur, tamquam caput Leucorum, et nuspiam Granum indicetur.* D

S. Amon *in ecclesia suburbana primum sepultus.*

9 *In Notitia, num.* 3 *exhibita, dicitur, S.* Amon cum suo prædecessore Beato Mansueto in ecclesia sanctissimi Apostolorum principis *depositus fuisse. Erat hæc ecclesia suburbana, in plaga septemtrionali urbis Tullensis ædificata, quæ dein ab exuviis primi episcopi Tullensis a S. Mansueto titulum desumpsit* (6). *Perstititque celebre monasterium usque ad annum* 1552, *quando urbis gubernator, nomine Montarlot, veritus, ne Carolus V imperator Tullum obsidione cingeret, sacras ædas incendio delevit: quæ dein initio sæculi* XVII *instauratæ ex parte fuerunt, refectorio communi vices ecclesiæ supplente* (7) : *sed et hæc circa finem calamitosi sæculi* XVIII *destructa fuerunt. Eodem porro numero dictum fuit,* propter confluentem multitudinem pauperum, iisdem, unde viverent, constitutum fuisse, *quæ eleemosyna dicebatur* ad matriculam domni Mansueti et domni Amonis. *Quamvis autem vox mediæ latinitatis* Matricula *varia significet, hic tamen indicat stipendia constituta iis pauperibus, qui sepulcrum Sanctorum visitabant : unde incertus numerus, incerta erant nomina matriculariorum, quibus victus præbendus erat. Alioquin apud alios scriptores eadem vox significat catalogum seu indicem eorum, quibus eleemosyna aliqua dispertienda esset, quorumque proinde numerus et nomina definita erant* (8). *Quam vero S.* Amon, *dum viveret, incoluit eremum, etiam hodie retinet nomen* Sylvæ S. Amonis, *in pago Columbensi* (Colombey) *in septemtrionali, ad Orientem vergente, parte agri Tullensi, ut videre licet in Atlante Cassiniano num.* 84, *in cujus medio est viculus S.* Amonis. E

(1) Thes. Anecd. tom. III, col. 992. — (2) Hist. de Lorr. tom. I, Dissert. pag. XXXIV. — (3) Ibid. pag. XXXVII. — (4) Act. SS. tom. VIII octob. pag. 31. — (5) Calmet. Hist. de Lorr. tom. I, Diss. pag. XXXVII. — (6) Cfr Act. SS. tom. I sept. pag. 627. — (7) Gall. Christ. tom. XIII, col. 1087. — (8) Cfr Du Cange Glossar. h. v. C F

DE S. SEVERINO,

EPISCOPO COLONIENSI, CONFESSORE,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ Unicus. Distinctio inter S. Severinum Burdigalensem et Coloniensem; hic numquam Burdigalensem sedem occupavit : succedit Eufratæ; fundat ecclesiam SS. Cornelii et Cypriani; ejus obitus et Acta.

INIT. SÆC. V. *Distinctio inter homonymos Burdigalæ defunctos :*

Martyrologium Romanum hodierna die habet : Burdigalæ, Sancti Severini, episcopi Coloniensis et Confessoris : *Usuardus autem, ut infra videbimus, correctius :* Civitate Coloniæ Sancti Severini episcopi et Confessoris ; *Auctarium Rosweydianum post* Severini *addit :* archiepiscopi et confessoris, qui in hora transitus S. Martini, quum post matutinum loca sancta cum clericis suis circumiret, audivit psallentium chorum superius.

rius. *Wandelbertus solum* Severinum *celebrat hisce versibus* (1) :

Severine, tuos decimo sacer inde Colonos
Inspectas, primi radians de culmine templi.

Præterea si Breviaria et Kalendaria ecclesiastica consulamus, innumeræ Ecclesiæ tum Galliæ tum Germaniæ, quibus enumerandis supersedemus, cultum sacrum S. Severino *exhibent. Antiqua fert traditio, S.* Severinum, *ex Aquitania oriundum, post occupatam sedem, tum Senonensem tum Coloniensem, Burdigalam rediisse jam senem, et denuo, cedente S. Amando episcopo, Burdigalensis Ecclesiæ regimen suscepisse, ac in ea diem obiisse suam. Similia insinuat Martyrologium Romanum, dum locum obitus, Burdigalam, episcopo Coloniensi assignat; id de cætero clarissimis verbis profertur in Vita, quam Surius ad hanc diem edidit. Verum recentiores critici opinati sunt, non unum fuisse Severinum, qui et Coloniæ et Burdigalæ sedit, sed duos, quorum alter in Aquitania, alter in Germania vixit. Ante omnia igitur ad trutinam revocare oportet rationes, quas recentiores afferunt, ut duplicem Severinum statuant, quæque nobis probabiles videntur. Quapropter diversis Commentariis res gestas tum S.* Severini *Coloniensis, tum ejus homonymi Burdigalensis exponamus : a Coloniensi porro, utpote seniori, ordiemur.*

S. Severinus *Coloniensis, Burdigalensem sedem,*

2 *Et quidem S.* Severinum *Coloniensem distinguendum esse ab eo, qui sub S. Amando Burdigalensem sedem occupavit, suadet imprimis chronologica ratio. Etenim inter eruditos convenit S.* Severinum *Euphratæ successisse, et id quidem circa medium sæculum quartum, id est inter annos* 350 *et* 360 (2); *ex altera vero parte certum est, S. Amandum ante initium sæculi quinti episcopum Burdigalensem non fuisse; quoniam ejus antecessor, S. Delphinus, tunc vivebat, ut constat ex epistola* XX, *aliis* XVI, *S. Paulini Nolani, ad eumdem data* (3), *in qua extollit caritatem erga se tum S. Anastasii, Romani Pontificis ab anno* 392 *ad* 401 *aut* 402, *tum S. Venerii, Mediolanensis episcopi, qui mense Augusti anno* 400 *S. Simpliciano successit* (4). *Citatur plerumque ejusdem S. Paulini carmen* XXVII, *nunc* XXX, *in quo mors et cultus S. Delphini refertur his verbis* (5) :

Nec minor occiduis effulsit gratia terris,
Ambrosius Latio, Vincentius exstat Iberis,
Gallia Martinum, Delphinum Aquitania sumpsit.

Ex his verbis aliqui deducere contendunt (6), *S. Delphinum obiisse anno* 403 *aut, si mense Decembris vita functus fuerit, anno* 402. *Sed imprimis incertum est, quo anno carmen istud* XXX, *S. Felicis Natalitium* XVIII, *conscriptum fuerit, quamvis commode ad annum* 411 *aut sequentem revocari possit; quandoquidem carmen Natalitium* IX *anno* 402 *illigetur* (7) : *nihil tamen indicat, quo accuratum tempus obitus S. Delphini definiri possit, ut satis liquet ex allegato simul cultu SS. Ambrosii, Vincentii et Martini, qui omnes sæculo quarto, sed multorum annorum intervallo vitam finierunt suam.*

impeditus ætate grandæva,

3 *Id itaque solummodo certum est, S. Delphinum saltem usque ad annum* 400 *vixisse, adeoque ejus successorem Amandum sæculo quinto sedem Burdigalensem occupasse. Quæ quum ita sint, quis sibi persuadeat, S.* Severinum *Coloniensem, jam quadraginta aut quinquaginta annos in episcopatu habentem, ac proin senem decrepitum, gentis ignotæ regimen suscepisse? Neque juvat dicere, S.* Severinum, *Burdigalam usque profugum, in partem sollicitudinis pastoralis a S. Amando assumptum fuisse, ut rerum gerendarum experientia ac sanctitatis splendore onus episcopi amici sublevaret, quin veri nominis episcopus Burdigalensis dicendus sit. Istiusmodi enim interpretatio testimonio Gregorii Turonensis aperte contraria est, qui libro de Gloria Confessorum cap.* XLV *refert* (8) : Quem (*Severinum*) deinceps in tantum dilexit et veneratus est Amandus episcopus, ut eum in locum suum substitueret, ac ipse quasi junior habebatur. Denique post paucos annos obiit beatissimus Severinus; quo sepulto, Amandus episcopus recepit locum suum, quem ei non dubium est per obedientiam redditum, quam in Dei Sanctum exercuit. *Ex his manifestum est, istum Severinum fuisse veri nominis episcopum Burdigalensem, quoniam habemus* substitutionem *unius episcopi pro altero, et* redditionem *sedis ei, qui prius hanc reliquerat. Recte igitur fronti citati capitis, sive ab ipso Gregorio Turonensi sive ab alio quocumque inscribitur:* De Severino, episcopo Burdigalensi. *Perstat igitur allata ratio de grandæva ætate S.* Severini *Coloniensis, quæ eumdem, ne tantum onus apud gentem ignotam susciperet, impedire debuit.*

sacris canonibus,

4 *Præter rationem, e chronologia petitam, est et alia canonica, ob quam S.* Severinum *Coloniensem a Burdigalensi diversum fuisse opinamur : nempe canon* I *concilii Sardicensis, in Gallia certe notus, quum plures istius regionis episcopi præsentes eidem adfuerint, prohibet translationes episcoporum ab una ad alteram sedem* (9) : Osius episcopus dixit : Non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est; ne cui liceat episcopo de civitate sua ad aliam transire civitatem. Manifesta est enim causa, qua hoc facere tentant; quum nullus in hac re inventus sit episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret. Unde apparet, avaritiæ ardore eos inflammari et ambitioni servire et ut dominationem agant. Si omnibus placet, hujusmodi pernicies sævius et austerius vindicetur, ut nec laicam communionem habeat, qui talis est. Responderunt universi : Placet. *Canone dein secundo* (10) *præcluditur excusatio, quasi per* populi litteras *ad translationem compulsus fuerit istiusmodi episcopus : id, ait canon, paucorum corruptione accidere potuit. Quod vero translatitiis episcopis vel laïca communio denegetur, id pœna est gravissima, quæ crimen gravissimum indicat. Difficulter itaque nobis persuadere possumus, duos sanctissimos episcopos, quales certe erant* Severinus *et Amandus canones, tam recenter latos et omnibus notos, adeo aperte violasse aut neglexisse : maxime quum Coloniensis antistes non vicariam potestatem, sed propriam ex dictis num. præcedenti exercuisse dicendus sit. Neque id præterire nos de-*

(1) Soller. Usuardi Martyr. die XXIII octob. — (2) Act. SS. tom. III maji. pag. 212, num. 9. — (3) Migne. Patrol. tom. LXI, col. 246. — (4) Saxius Archiep. Mediol. tom. I, pag. 105. — (5) Paulini oper. col. 673. — (6) Hist. litt. de la France, tom. II, pag. 45. — (7) Paulin. oper. col. 647 not*. — (8) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 863. — (9) Labbe, tom. II, conc. col. 644. — (10) Ibid. l. c.

bet,

AUCTORE J. V. H.

bet, dum Turonensis agit in libro I *de Miraculis S. Martini cap.* IV (1) *de S.* Severino *nostro, optime novisse eum Coloniensem episcopum: loquens autem de S. Severino Burdegalensi, dicit libro de Gloria Confessorum cap,* XLV (2) *illum* de partibus Orientis *ad Burdigalensem destinatum fuisse urbem. Quod si unus idemque fuisset Severinus, qui et Coloniæ et Burdigalæ sedit, eumdem titulo episcopatus sui Coloniensis potius, quam vaga indicatione Orientis designasset; imo siquidem de Coloniensi antistite verba faceret, dixisset melius* a partibus Septemtrionis *eum venisse, quum ad Septemtrionem Burdigalensis urbis Colonia Agrippina in Eurum inclinatum jaceat.*

et periculo propriæ plebis

5 *Tandem episcopatus Burdigalensis quadrare videtur neque cum grandæva ætate neque cum sanctitatis fama S.* Severini *Coloniensis. Non cum grandæva ætate : certe initio sæculi quinti octogenario major erat, neque in ea ætate onus regendæ plebis, hactenus ignotæ, siquidem maximam vitæ partem ad Rhenum transegerat, prudenter suscipere poterat maxime, quando undique Galliis imminebant gentes barbaræ,* B *quæ Romanum imperium infestabant. Sed multo minus quadrat episcopatus iste cum sanctitate S.* Severini; *imminentibus enim barbaris, pastori bono gregem suum deserere non licebat; si quod umquam tempus erat, ut supra oves sibi commissas ageret vigilias, certe præsens urgebat, quando barbari, partim Ariani partim idololatræ, ruinam hereditati Domini minitabant. Quapropter neque revelationem divinam, de qua loquuntur Breviaria Coloniensia antiqua, tamquam causam itineris Aquitanici censeo admittendam, quoniam mercenarii est, veniente lupo, dimittere oves et fugere, boni autem pastoris, animam suam dare pro ovibus suis.* (*Joan.* x, 11 *et* 12.) *Neque majoris mihi momenti est altera ratio itineris Aquitanici, nempe S.* Severinum *fugisse propter metum barbarorum, quorum incursionibus cominus patebat episcopatus Coloniensis* (3). *Imprimis quo tempore iter Aquitanicum ordinatur scilicet primo quadriennio sæculi quinti, imminebant quidem Galliis barbari, sed hactenus Rhenum limitem non trajecerant : id primum accidit, teste Prospero* (4),

C *Arcadio* VI *et Anicio coss. anno vulgari* 406, Vandali, *inquit,* et Alani Gallias, trajecto Rheno, pridie Kalendas Januarii ingressi. *Addit Orosius* (5), gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum Francos proterunt, Rhenum transeunt, Gallias invadunt, directoque impetu, Pyrenæum usque perveniunt, cujus obice ad tempus repulsæ, per circumjacentes provincias refunduntur. *S. Hieronymus epistola* CXXII, *aliis* XI, *ad Ageruchiam seu Geruntiam graphice describit Galliarum vastationem his verbis* (6) : Quidquid inter Alpes et Pyrenæum est, quod Oceano et Rheno includitur Quadus, Wandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, et, o lugenda respublica! hostes Pannonii vastarunt. « Etenim Assur venit cum illis. » * Moguntiacum, nobilis quondam civitas, capta atque subversa est, et in ecclesia multa hominum millia trucidata; Vangiones * longa obsidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetæ *, Argentoratus translatæ in Germaniam! Aquitania, novemque populorum, Lugdunensis et Narbonensis provinciæ, præter paucas urbes, populata sunt cuncta; quas et ipsas foris gladius, intus vastat fames. Non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ ut hucusque non rueret, Sancti episcopi Exuperii merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ, jamjamque perituræ, quotidie contremiscunt, recordantes irruptionis Cimbricæ, et quidquid alii semel passi sunt, illæ semper timore patiuntur. D

*Ps. LXXXII, 9.

* *Wormatia*

* *Spira*

6 *Hieronymianam epistolam scriptam fuisse non serius anno vulgari* 409, *liquet ex eo, quod Hispaniam a jugo barbarico hactenus liberam dicat S. Doctor, neque citius anno* 407, *quia pridie hujus anni primo barbari Rhenum trajicerunt, tum quia Hieronymus indicat, Hispanos in dies invasionem exspectasse, quam demum anno* 409 *accidisse Idacius in chronico suo nuntiat his verbis* (7): Alani, Vandali et Suevi Hispanias ingressi era CDXLVII (*anno vulgari* 409), alii IV kal., alii III id. octobris memorant die, tertia feria, Honorio VIII et Theodosio, Arcadii filio, III consulibus. *Sub iisdem consulibus idem factum indicat Idacius in suis Fastis* (8). *Republica hisce turbinibus labefactata, nulla idonea ratio afferri potest, cur se loco moverit suo S.* Severinus, *quoniam fuga saluti suæ nullatenus consulere valuit, et multo minus cur, derelicto proprio grege, regimen populi Burdigalensis assumere potuerit, quando quidem et ipsorum civitas jugum barbarorum subire coacta fuerit* (9). *Neque videmus reliquos episcopos Galliarum, in eodem periculo constitutos, gregem suum dereliquisse, quapropter eamdem laudem Sancto nostro adscribendam censemus. Cæterum ipsum iter Aquitanicum, cujus causæ plurimæ, licet nobis incognitæ, exsistere potuerunt, nullatenus negamus. Vix enim dubitare licet, S.* Severinum *Burdigalæ obiisse, id præsertim affirmante ejus corporis Burdigala Coloniam translatione. Sed propter rationes supra allegatas rejicienda censemus, tum ejus sub S. Amando jam episcopo susceptionem, tum Burdigalensem pontificatum: imo* F *Acta infra edenda, quamvis suis erroribus non careant, clare tamen, ut adnotabimus, significant, Sanctum nostrum ad mortem usque retinuisse sedem suam Coloniensem, et reditum ad suam Ecclesiam sola morte improvisa præoccupatum fuisse. Ex hactenus dictis verisimillimum nobis videtur, duos SS. Severinos fuisse, quorum alter Coloniæ, alter Burdigalæ sedit. De Burdigalensi, ut diximus, infra agemus.*

quod summum erat, occupare non potuit :

7 *Quod vero ad S.* Severinum *Coloniensem spectat, inquirendum est primum, quo ordine inter Agrippinenses antistites recensendus sit. Extra controversiam est sæculo Ecclesiæ quarto et parte quinti sedem Coloniensem occupasse Maternum, Eufratam,* Severinum *et Euergislum. Si qui volunt inter Maternum et* Severinum *nostrum nullum medium fuisse, ii Eufratam,* quod, *ut habent Acta Sanctorum Belgii* (10), hæreticus fuisse crederetur, *e Catalogo episcopo-*

Eufratæ, perperam tamquam hæretico

(1) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 918. — (2) Ibid. col. 862. — (3) Tillemont. Mém. pour serv. à l'hist. ecclés. tom. X, pag. 556. Hist. litt. de Fr. tom. II. pag. 178. Butler, XXIII. Octob. — (4) Ap. D. Bouquet, tom. I, pag. 627. — (5) Ibid. pag. 598. — (6) Migne. Patrol. tom. XXII, col. 1037. — (7) De Aguirre. conc. Hisp. tom. III, pag. 61. edit. Rom. 1752. — (8) Ibid. 72. — (9) De Vienne. Hist. de Bordeaux, tom. I, pag. 12. — (10) Tom. I pag, 34.

rum

A *rum expunxerunt. Maternum porro initio sæculi quarti Coloniensem episcopum fuisse, aperte testatur S. Optatus lib.* I *de Schismate num.* 23 (1): *sed an unus solum Maternus istam Ecclesiam rexerit, an vero duo, quorum prior sæculo* I, *posterior sæculo* IV *sedisset, est magna inter eruditos quæstio; quam solvere utcumque conati sumus in Commentario historico de S. Florentino, episcopo Trevirensi ad diem* XVI *Octobris* (2). *Neque Eufratam e Catalogo episcoporum expungendum censemus, quatenus in Synodo Agrippinensi hæreseos damnatus fuerit. Jam alio loco, nempe in Auctario ad tomum quintum Octobris ad Acta S. Sanctini, Nota* 69 (3), *monstravimus monumenta hujus synodi ad nos sincera non devenisse.*

traducto, ex Actis pseudo-synodi Coloniensis,

8 *Hanc quidem opinionem claris verbis enuntiat Baronius ad annum* 346 § VII: Perlegentes, *inquit,* nos ejus synodi Acta, et quæ ipsam præcessise atque subsecuta esse dicuntur, eadem omnia imposturæ suspicione laborare cognovimus... Haud enim facile adduci possumus, ut credamus, hominem, qui adeo in-

B fami nota (*nempe Photinianismi*) esset inustus, quantumlibet palinodiam recantasset, et tam brevi spatio in pristinam sedem restitutum et inter eximios sanctitate et doctrina viros, Galliarum episcopos, qui Sardicensi synodo interfuerunt, esse delectum, quem præsertim gravior hæresis, quam Arii, infamasset. *Quapropter hanc synodum Agrippinensem e conciliis Germaniæ expunxit Josephus Harzheim noster, quia, inquit* (4) meo judicio, spectatis omnibus, quæ ingeniosissimi critici pro hac synodo tuenda et retinenda excogitarunt, manent insanabiles contradictiones tum ex ratione temporis, tum ex ratione personarum, tum ex ipsomet errore Photini, qui damnatus illic fuisse narratur, ut eam jam sustineri nulla ratione videam. Taceo adhuc silentium omnium coævorum et supparium a sæculo IV ad XI, quo scribebat Harigerus; sed quid dico silentium? Coævi scriptores ea scribunt de his annis et personis, quæ nullo colore veri conciliari possunt cum actis et personis concilii Agrippinensis. *Hactenus Jos. Harzheim, qui dein in varia argumenta, assertionem suam*

C *confirmantia et in citato Auctario S. Sanctini indicata, excurrit.*

successit :

9 *Quamvis autem Eufratas non videatur depositus fuisse, non est tamen dubium, quin eidem S.* Severinus *noster successerit; in hanc nempe successionem conspirant omnes episcoporum Coloniensium Catalogi. Sed et initium Severiniani pontificatus commode circa medium sæculum quartum collocatur: nam ex S. Athanasio epistola ad Solitarios habemus* (5), *Eufratam Coloniensem post concilium Sardicense Antiochiam missum in paschate anni* 348 *jam* senem *fuisse, adeoque nec diu huic anno fuisse superstitem. Quod aliunde convenit cum omnium calculo statuentium, S.* Severinum *circa hoc tempus Eufratæ successisse: imo ex hoc temporis concursu forsan nata est fabula depositi episcopi Coloniensis, cujus memoria, quia in Oriente obiit, apud Colonienses oblite-*

rata fuit. Certius aliquid edoceret nos Chronicon Reginonis Prumiensis, si accuratior esset ejus chronotaxis: dicit enim inter annos 350 *et* 364 (6): Severinus episcopus Coloniæ clarus habetur. *Sed, inquam, omnino perturbata est ejus chronotaxis, utpote qui intra eosdem annos ordinet S. Martinum his verbis* (7): Martinus episcopus ad cœlestia transiit, *qui tamen in extrema meta sæculi quarti dies suos clausit. Sic quoque Concilium Nicænum, anno* 325 *celebratum, inter annos* 263 *et* 295 *ponit. Neque medicabilis est error ex eo, quod, posito semel calculi defectu, consequenter fluant reliqua; tunc enim momentum historicum haberet laudata chronotaxis: sed omnia perturbata sunt, ita ut v. g. initium imperii Juliani Apostatæ, ad annum* 310 *affixum, differat a vero anno annis* 51, *dum Valentis annis* 47, *Gratiani* 43, *Theodosii Magni* 40 *rectam chronotaxim antecedat. Adeo ut Reginonis chronotaxis vix aliquid chronologiæ ordinandæ conferre possit. Quemadmodum, ut supra diximus, nullo certo testimonio constat, quo accurate anno episcopatum suum inceperit S.* Severinus, *sic incer-*

E *tum quoque est, quo anno obierit. Sed susceptus a S. Amando, qui initio sæculi quinti sedem Burdigalensem adiit, eodem circiter tempore, id est, initio sæculi quinti diem suum clauserit: præsertim quum vix non octogenarius istam civitatem adierit: quapropter hoc qualecumque tempus Commentario præfixi.*

incertum porro est. utrum Concilio Parisiensi

10 *Parca admodum sunt, quæ de rebus gestis S.* Severini *habemus monumenta. Joseph Harzheim, auctoritate, ut ait, Henschenii fretus, dicit* (8), *S.* Severinum *una cum S. Servatio Tungrensi interfuisse concilio Parisiensi anni* 362, *in quo Gallicani episcopi scripserunt ad collegas suos, Orientales episcopos; et Ariminensem fraudem detestati, confitentur ὁμοουσιον seu consubstantialitatem Filii, non omnimode tamen ὁμοιουσιον seu similitudinem substantiæ Filii cum Patre damnantes* (9), *quia, ut monstraverat S. Hilarius libro de Synodis* (10) *hæc vox ὁμοιουσιον* fideli et pia intelligentia *accipi poterat, quæ dein tessera semiarianorum facta est. Et certe nemo umquam fidei integritatem aut S. Hilarii aut patrum Parisiensium in dubium revocavit. Porro Henschenius, ab Harzheim*

F *citatus, nuspiam asserit SS. Servatium ac* Severinum *patribus Parisiensibus accensendos esse; sed in Commentario prævio ad Acta S. Servatii sub die* XIII *maji, num.* 9 (11), *dubitat de S. Servatio, tacet omnimode de S.* Severino: Huic, *inquit,* (*concilio*) desunt subscriptiones episcoporum, inter quos FORSAN Servatius, nisi morbo aut alia re impeditus, suum locum tenuit. *Nuda igitur conjectura est, Servatium synodo Parisinæ præsentem adfuisse, quam Henschenius ipse ex parte infirmat, addendo* (12): Vel nisi ab Arianis semel deceptus, ab omnibus episcoporum conventibus abhorruit, nec deinceps voluit ullam synodum adire, sed sibi et suæ diœcesi attendere solum curavit.

anni 362 *præsens adfuerit.*

11 *Ut autem ad S.* Severinum *nostrum propius accedamus, nullo verbo laudatus Henschenius indicat, Sanctum dicto concilio præsentem fuisse.*

(1) Migne. Patrol. tom. XI col. 930 et seq. Cfr Labbe tom. I, conc. col. 1401. — (2) Act. SS. tom. VIII. octob. pag. 16 et seq. — (3) Act. SS. tom. V. octob. Auctar. pag. 47. — (4) Conc. Germ. tom. I Praef. pag. 22 et seq. — (5) Oper. S. Athan. pag. 226. Edit. Paris. 1608. — (6) Pertz. Monum. hist. Germ. tom. I pag. 525. — (7) Ibid. l. c. — (8) Conc. Germ. tom. I pag. 8. — (9) Sirmond. Conc. Gall. tom. I pag. 16. Cfr Longueval. Hist. de l'Egl. Gall. tom. I pag. 275. Edit. Paris 1825. Migne. Patrol. tom. X col. 710. — (10) Migne Ibid. col. 530. — (11) Act. SS. tom. III maji. pag. 212. — (12) Ibid. l. c.

Sed

AUCTORE J. V. H.

Sed post verba mox citata: Hoc tempore, *inquit*, factum crediderim, ut S. Severinus, Coloniensis episcopus Eufratæ, non in concilio Coloniensi anni CCCXLVII, sed post annos decem aut sedecim suffectus, Tungros accesserit, de causis ecclesiasticis collaturus cum S. Servatio jam sene. *Ex quibus verbis intelligitur, mentem Henschenii non fuisse, ut Sanctum nostrum patribus Parisiensibus accenseret. Quoniam tamen pontificatus S.* Severini *complectitur totum tempus, quo Constantius universum imperium Romanum, mortuis fratribus Constantino et Constante, ab anno* 353 *ad* 361 *gubernavit* (*nam initium pontificatus Sancti nostri decem aut sedecim annis post annum* 347, *id est in annum* 357 *aut etiam* 363, *prorogare, nullo idoneo testimonio niti nobis videtur*) *non dubitamus, quin S.* Severinus *noster strenue adversus Arianos fidem catholicam vindicaverit; ut prodit ejus Vita infra danda, et, si conjecturis indulgere libet, astiterit aliquibus e frequentibus intra Gallias conciliis, quæ, agente S. Hilario, celebrata dicit Sulpicius Severus lib.* II
B *Historiæ Sacræ cap.* 45 (1). *Quocirca omnino admittimus, quæ de Sancto nostro in Vita S. Evergisli dicuntur, prout ea recitantur in Commentario Henschenii ad Acta S. Servatii* (2): Grassabatur tum etiam in Galliis Ariana hæresis, quam beatissimus Severinus passim profligare nitebatur. *Tungros eum adivisse eadem de causa docet nos laudata Vita, sive ut juxta Henschenium* (3) *consilia conferret cum S. Servatio, sive, ut vult Bucherius* (4), *post mortem S. Servatii viduatæ Ecclesiæ consuleret.*

Accipit Sanctus revelationem de morte S. Martini :

12 *De S.* Severino *refert Gregorius Turonensis lib.* I *de Miraculis S. Martini cap.* 4 (5), *illum cœlesti visione cognovisse obitum S. Martini :* Beatus, *inquit*, Severinus, Coloniensis civitatis episcopus, vir honestæ vitæ et per cuncta laudabilis, dum die dominica loca sancta ex consuetudine post matutinos hymnos cum suis clericis circumiret, illa hora, qua Beatus obiit, audivit chorum canentium in sublimi : vocatumque archidiaconum interrogavit, si aures ejus percuterent voces, quas ille attentus audiret. Respondit : Nequaquam. Tunc ille : Diligentius, inquit, ausculta. Ar-
C chidiaconus autem cœpit sursum collum extendere, aures erigere et super summos articulos, baculo sustentante, stare. Sed credo, eum non fuisse æqualis meriti, a quo hæc non merebantur audiri. Tunc prostrati terræ, ipse pariter et beatus episcopus Dominum deprecantur, ut hoc ei divina pietas audire permitteret. Erectis autem, rursum interrogat senex : Quid audis? Qui ait, voces psallentium tamquam in cœlo audio, sed quid sit, prorsus ignoro. Cui ille : Ego tibi quid sit, narrabo. Dominus meus Martinus episcopus migravit ex hoc mundo, et nunc Angeli canendo eum deferunt in excelsum. Et ut parumper moræ esset, dum hæc audirentur, diabolus eum cum iniquis angelis retinere tentavit, nihilque suum in eodem reperiens, confusus recessit. Quid ergo nobis peccatoribus erit, si tanto sacerdoti voluit pars inimica nocere! Hæc sacerdote loquente, notavit tempus archidiaconus, et Turonos misit velociter, qui hæc diligenter inquireret. Qui veniens, eo die et D
hora manifestissime cognovit transisse Beatum Martinum, quo S. Severinus audivit psallentium chorum. *Quæ circa hanc visionem adnotanda occurrunt, dabimus in Vita infra edenda.*

ædificat ecclesiam SS. Cornelii et Cypriani,

13 *Traditio antiqua tribuit S.* Severino *fundationem ecclesiæ SS. Cornelii et Cypriani, Coloniæ sitæ, quæ dein Sancti nostri nomen assumpsit. Ab antiquissimis temporibus habebat collegium sive clericorum sive monachorum, ut constat ex diplomate Wigfridi, archiepiscopi Coloniensis, qui ab anno* 925 *ad* 953 *sedit* (6). *In eo nempe, ut habet Gelenius* (7), *anni* 948 *diplomate, Wigfridus* in synodali conventu, quem in Cœna Domini collectum *habuit, jussit* septem sapientes clericos et totidem idoneos circummanentes laïcos super capsam S. Petri jurare, quo publice recitarent, ut veraciter scirent *circa limites possessionum ecclesiæ S.* Severini, *quos dein archiepiscopus describit. Eumdem terminum territorii Severiani jam ante firmaverat ejus antecessor Herimannus seu Hermannus I, cognomento Pius, qui Coloniensem cathedram ab anno* 890 *ad* 925 *occuparat. Laudatus Wigfridus consecravit oratorium S.* Severini, *ejusque corpus in novum scrinium transtulit, ut ipse testatur his verbis* (8) : Ego Wigfridus, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ scilicet indignus archiepiscopus, pastorali cura impulsus, ac divinitus in visionibus persæpe præmonitus, in monasterio, quod dominus meus, scilicet Sanctus Christi Confessor Severinus ipse a fundamentis erexit et sub honore sanctorum Martyrum Cornelii et Cypriani dedicavit, oratorium construxi, ac in quantum potui in ipsius honorem specialiter perornavi ad remedium animæ meæ et omnium mihi sibique secundum Deum procurandorum, quia nulla pars negligentia meorum antecessorum ipsius templi dedicata erat sibi *(Severino?)*; in cujus oratorii dedicatione, quum forte adesset sub vero charitatis pignore Berengerus, Verdunensis civitatis episcopus et religiosus Cameracensis civitatis Joannes episcopus, et etiam, ut supra dictum est, divino monitu perterritus, Reliquias beatissimi Confessoris muta-
vimus de scrinio, jam carie consumpto, in F
scrinium, ut tunc temporis humano ingenio melius potuit esse formatum. Ast ego meique coepiscopi, cordis compunctione attacti, quoniam talem thesaurum corporis tam sanctissimi militis Christi, ac fratres tantæ religionis in eo loco inveni, quales in alio loco non habui, prædictorum confratrum aliorumque multorum religiosorum virorum instinctu præmonitus, tam sanctissimas, priusquam scrinio sigillum imprimerem dotavi Reliquias, et quasdam res proprietatis meæ pago in ipso sitas..... contradidi. *Enumerat scilicet Wigfridus varia prædia, quæ S.* Severino ac fratribus sibi tam incessanter famulantibus *adscribit.*

quæ variis donationibus auctas,

14 *Ex hactenus recitatis liquet tum antiquissimam esse traditionem, quæ S.* Severino *tribuit fundationem ædis sacræ in honorem SS. Cornelii et Cypriani, tum sæculo* X *in ea ecclesia fuisse collegium presbyterorum, qui sacris ministeriis ibidem vacarent. Et recte quidem procedit citata*

(1) Migne. Patrol. tom. XX col. 155. — (2) Act. SS. tom. III maji pag. 212. — (3) Ibid. l. c. — (4) Apud Chapeauville. Gesta pontt. Leod. tom. I Disput. hist. pag. 32. — (5) Migne. Patrol. tom. LXXI col. 918. — (6) Gall. Christ. tom. III col. 644. — (7) Admirand. Colon. pag. 271 et seq. — (8) Ibid. pag 272. Cfr. Binterim. Die alte und neue Erzdiöc. Köln tom. I pag. 39.

charta,

A *charta, quod ad Berengerum seu Berengarium spectat, qui ab anno* 940 *ad* 959 *Virdunensem sedem obtinuit* (1). *Sed fallitur charta in episcopo Cameracensi : nam nullus hujus nominis sub pontificatu Wigfridi occurrit; ab anno* 909 *ad* 956 *Cameraci sederunt Stephanus et Fulbertus* (2) : *Joannes autem I ab anno* 867 *ad* 889 (3), *et ejusdem nominis II ab anno* 1192 *ad* 1196 (4) *Cameracensem cathedram tenuerunt. Neuter itaque Wigfrido in episcopatu coævus esse potuit. Sed Joannes iste forsan pro Stephano aut Fulberto Cameraci pontificalia munia exercuit, et pro more istorum temporum Cameracensis episcopus dictus fuit. Sic Heynianus seu Hilduinus* (nomina enim, *inquit Ant. Binterim* (5), hisce temporibus diversissime sæpe expressa et scripta novimus omnes) *in chronico S. Martini Coloniensis* (6) *dicitur episcopus his verbis :* Postea abbas præfuit Heynianus, vir illustris, qui factus est archiepiscopus Coloniæ. Obiit DCCCXLVIII et duo altaria instituit *etc. Annales Colonienses brevissimi, sed synchroni, habent* (7): Hilduinus accepit episcopatum Coloniæ. *Attamen in nullo catalogo episcoporum Coloniensium*
B *nomen Hilduini seu Heyniani occurrit : fuerit igitur simpliciter episcopus vice sacra pro archiepiscopo aut in interpontificio fungens, quod et de Joanne Cameracensi dici potest* (8). *Cæterum si error est in nomine, tantus non est, ut auctoritatem diplomatis Wigfridiani convellat : nam manare potuit ex consuetudine, qua nomina propria scribebantur sola littera initiali, ut multis id exemplis ostendunt Benedictini in suo tractatu de Arte Diplomatica* (9) : *atque hinc non raro accidit, ut librarii, occurrente littera initiali nominis proprii, imperite suppleverint, quod in originali charta deerat; imo non recte legerint ipsam initialem litteram, quam J opinati sunt, dum S aut F legendum erat; hæ enim litteræ non differunt apud scriptores sæculi* X, *ut error obrepere non potuerit, adeoque librarius imperitus Joannem scribere potuit, pro Stephano aut Fulberto.*

S. Severini 15 *Jam ante Wigfridum de ecclesia Severiniana bene meritus fuerat Anno I, Coloniensis archiepiscopus, qui circa initium sæculi* VIII *cathedram tenuit* (10). *Hic septem præbendas in*
C *eadem ecclesia fundavit, ac in ea sepulturam elegit, ubi in vestibulo chori majoris assurgit marmoreus sarcophagus* (11). *Hunc Annonem graviter carpit Gelenius* (12), *sed impactas accusationes repellit Carolus Le Cointe ad annum* 724 *num.* 23 (13). *Integro dein post Wigfridum sæculo novis ædificationibus auctum est collegium Severinianum ab Hermanno II, archiepiscopo Coloniensi, filio BB. Ezonis et Mathildis, quorum Acta dederunt nostri sub die* XXI *Maji* (14). Ego Herimannus, *habent tabulæ* (15), secundi Ottonis imperatoris filiæ, scilicet dominæ Mathildæ beatæ memoriæ filius, licet indignus sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Dei gratia archiepiscopus, pastorali cura admonitus monasterium sanctissimi confessoris Christi Severini a præposito Sigeboldo cum auxilio antecessoris mei Piligrimi renovari incœptum perfeci, id est oratorium cum crypta, prout potui, perornavi. In cujus monasterii dedicatione anno MXLIII, indictione XI et III regni junioris Henrici regis (*III hujus nominis*), atque VIII præsulatus mei, acta hæc sunt publice ante cornu ipsius altaris. *Eamdem ecclesiam denuo consecratam invenio, anno* 1237, IV *Novembris a Balderico, Semigallensi episcopo* (16). *Ante istam dedicationem novis donis ecclesiam S.* Severini *auxerat archiepiscopus Coloniensis Fridericus I, ut constat ex diplomate dato, inquit* (17), in generali synodo nostra, anno Domnicæ incarnationis MCIX. *Unde manifestum fit quanto venerationis affectu Colonienses præsules patronum suum prosecuti fuerint. Sed et principes etiam suum contulerunt ad gloriam S.* Severini *propagandam : sic Gulielmus I, Montium dux, anno* 1394 *cœpit ædificare hujus Sancti turrim maximam, quam ejus filius Adolphus anno* 1411 *perfecit* (18). *Venerationem erga S. Severinum ostendit quoque cultus ejus Reliquiis et festivitati annuæ exhibitus.*

AUCTORE J. V. H.

16 *Etenim circa finem ejusdem sæculi* XII *Hermannus III, dictus Dives, archiepiscopus Coloniensis, quem Gallia Christiana Sanctum dicit* (19), *in novam pretiosioremque capsam ossa S.* Severini *transtulit, ut monstrant versus hierothecæ inscripti* (20) : *nomen accepit.*

E

Præsul præsentis Herimannus tertius urbis,
Res patronorum cupiens augere suorum,
Ossa Severini capsæ prius indita vili,
Splendidiore domo gemmis decoravit et auro,
Quem pro peccatis juvet hujus gratia patris,
Compensans votum simul hoc laudabile donum.

Vidimus supra Wigfridum duobus ante sæculis jam transtulisse eadem ossa sacra ex scrinio, jam carie consumpto, in scrinium, ut tunc temporis humano ingenio melius potuit esse formatum. *Adeoque quum nunc ferantur eadem ossa* capsæ vili *indita fuisse, dicendum est, aut Wigfridianam capsam periisse, aut minus elegantem fuisse et collata cum Hermanniana vilem potuisse appellari. Hanc deinceps pristino nitori multis adjectis gemmis restituerunt Theobaldus Craschel episcopus Cyrenensis et Coloniensis procepiscopus* (21), *Conradus Wippermann decanus, Herbachius sigillifer* (22). *Quum porro ante annos circiter triginta capsa reliquiaria* F *aperta fuisset, ut partes quædam extraherentur, mittendæ ad ecclesiam quamdam in Bavaria, in ea solum inventa sunt ossa minora et multum pulveris, ut nuperrime ad nos rescripsit P. Franciscus Rothenflue, Coloniæ Agrippinæ degens.*

Sancti cultus celeber apud Colonienses.

17 *Tamquam primarium aliquem patronum cultu præcipuo venerabatur olim Ecclesia Agrippina S.* Severinum, *et proprio officio ejus festivitatem agebat. Exstat in bibliotheca nostra liber liturgicus Coloniensis, vulgo Diurnale dictus, sine anno et loco impressionis. Antiphona ad Magnificat secundarum Vesperarum, Sanctum nostrum SS. Ambrosio et Martino æquiparat sequentibus verbis :* O prædicanda toti mundo Dei pietas, cui Trinitatis mysterium uno tempore subli-

(1) Gall. Christ. tom. XIII col. 1178. — (2) Ibid. tom. III col. 14. — (3) Ibid. col. 13. — (4) Ibid. col. 32. — (5) Suffraganei Colon. pag. 13. — (6) Pertz. Monum. germ. hist. tom. II pag. 214. — (7) Ibid. tom. I pag. 97. — (8) Cfr Binterim. Suffrag. Col. pag. 12 et seq. — (9) Nouv. Traité de Diplom. tom. III pag. 506 et seq. — (10) Gall. Christ. tom. III col. 628. — (11) Gelen. Admirand. Colon. pag. 277. — (12) Ibid. l. c. — (13) Annales eccles. Franc. tom. IV pag. 714. Cfr Gall. Christ. tom. III col. 628. — (14) Act. SS. tom. V maji pag. 48 et seqq. — (15) Gelen. Admirand. Col. pag. 273. — (16) Binterim. Suffrag. Colon. pag. 37. — (17) Hartzheim. Conc. Germ. tom. III pag. 255. — (18) Gelen. Adm. Col. pag. 273 et Knapp. Geschichte Cleve,... Berg. tom. II pag. 484. — (19) Tom. III col. 670. — (20) Gelen. Admirand. Col. pag. 273. — (21) Binterim. Suffrag. Colon. pag. 73. — (22) Gelen. Admirand. Col. pag. 274.

mibus

AUCTORE J. V. H.

mibus patefecit testibus, Ambrosio, Martino, Severino, qui duobus non inferior, sed miræ humilitatis et victæ fidei verus Dei cultor, arianæ hæresis in Galliis pullulantem damnavit perfidiam. *Operæ pretium fuerit animadvertere eamdem laudem S. Martino* (*nam de S. Ambrosio satis notum est*) *in proprio officio tribui : Missale enim Gothicum, a B. Josepho Thomasi editum* (1), *de eo cantat in Præfatione :* Digne Arianorum non subjacuit feritati : *vel ut habent Monumenta veteris liturgiæ Alemannicæ* (2) : Digne ei Arianorum subjacuit feritas. *Similiter in laudato mox supra Diurnali Coloniensi legimus sequentem hymnum ad Vesperas :*

Laude digna jubilemus,
Laudem semper Deo demus,
Qui patronum sanctum Virum nobis dedit Se-[verinum.
Doctor verus Arianam
Exstirpavit sectam vanam
Veritatis verbo sanctam illuminans Ecclesiam.
Iste vivus angelorum
Meruit audire chorum,
B Martinus dum cœlestia transmisit ad palatia.
Felix præsul, cujus vita
Confortatur Eremita,
Qui secum illo sedulo orabat dignum præmio.
Imber terris siccis datur,
Dum vir Dei reportatur,
Tribus annis qui negatus erat, sed nec fructus [datus.
Sancte pater, Severine,
Præsul urbis Agrippinæ,
Ora Deum, ut nos tecum gaudeamus sine fine.
Sit laus, honor et potestas,
Decus, virtus et majestas
Patri Deo, Christo nato, Spiritui paraclito.

Ejus Acta,

18 *Acta quoad spectat, eadem duplicis sunt generis. Priora quidem particulatim tradunt ea, quæ ejus ortum, institutionem, episcopatum tangunt, proptereaque recentiori manu conscripta censemus : istiusmodi Acta exhibent nobis ex bibliotheca regia codex manu exaratus sub num.* 428 *et variæ legendæ, sæculo* XV *typis excusæ : horum Actorum fragmenta aliqua dabimus in Annotatis ad Vitam infra edendam. Sunt et alia Acta, quæ typis edimus : sinceriora*
C *nobis videntur; quamvis etiam fabula Euphratæ hæresiarchæ et episcopatus Burdegalensis cum S. Amando episcopo infecta sint. Neque id mirum, quum ipse scriptor fateatur num.* 5 *sola traditione niti, quæ de S.* Severino *refert :* Cujus, *inquit,* vitæ descriptionem nostræ nequaquam inertiæ commendamus, quia vel quanta ipse pro Domino egerit et pertulerit, vel quanta per eum Dominus operatus sit, nec historiæ narratione nec testium veracium assertione perfecte dedicimus : quamvis ea literarum commendatione et congrua fidelium relatione dignissima credimus. *Nihilominus hæc Acta, quatenus sunt antiquiora, deficientibus aliis, edenda censemus. Eorum exemplaria varia habemus, quibus utemur, ut Surianam editionem emendemus et compleamus. Hisce subnectimus Historiam translationis S.* Severini, *conscriptam, ut constat ex Prologo, ab eodem auctore, qui post Normannicam vastationem vixit, adeoque facile sæculum* X *aut* XI *attingit, quin pro-*
pius ejus ætatem definire valeam. Translationis D
Historiam tamquam caput II *damus, quam pro more nostro numeris distinguimus.*

19 *Restat ut paucula dicamus de scriptis* *et scripta, eidem attributa.*
S. Severino *attributis : scilicet de* Doctrina de Sapientia, *multoties edita, nempe a Fabricio in sua Bibliotheca mediæ et infimæ latinitatis ad calcem libri* VI *et a Jacobo Sirmondo* (3) *aliisque. Est farrago quædam axiomatum moralium, nullo nexu conjunctorum, nec quidquam ostendit, eamdem sancto antistiti Coloniensi esse adscribendam, nisi quod circumferatur in quibusdam codicibus sub titulo :* D. Severini Doctrina de Sapientia. *Laudatus Fabricius libro* XVIII *v°* Severinus, *dicit aliquos eruditos Sanctum nostrum habere auctorem Homiliæ* L *inter Opera S. Petri Chrysologi. Certe recentiores editores Operum S. Petri dubitant, utrum genuinus sit fœtus S. Doctoris, aliis pro S. Joanne Chrysostomo, aliis pro S. Hieronymo se pronuntiantibus : sed ne mentionem quidem faciunt sententiæ, a Fabricio prolatæ, nec quidquam occurrit, quo opinatio fulciatur* (4).

E

VITA ET TRANSLATIO
S. SEVERINI,
EPISCOPI COLONIENSIS ET CONFESSORIS,

Auctore anonymo, ex Surio, collata cum variis codicibus mss. bibliothecæ regiæ Bruxellensis a. *a*

CAPUT PRIMUM.

S. Severinus Eufratæ succedit in sede Coloniensi; ejus virtutes; mors S. Martini eidem revelatur; Burdigalam profectus pie obit.

PROLOGUS.

Dominus ac Redemptor noster, caput totius universalis Ecclesiæ, corpus suum, toto orbe F dispersum, sicut divina potestate condidit, ita piissima gubernatione custodit. Unde et firmiora membra consultum * imbecillioribus, ** consulturus?* infirmitatis humanæ præscius, in toto mundo prævidere * dignatus est. Quibus etiam pere- ** providere?* grinantibus et capiti suo suspirantibus, numquam se defuturum esse promisit, dicens discipulis suis : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. * » Consolatur ergo infirmos, ut dixi- ** Matth. XXVIII,20.* mus, majorum adjutorio, ut eorum admonitionibus exercitati, discant peregrinationem suam cognoscere, et patriam cœlestem desiderare. Hos sanctos patres nostros, suo quemque loco, laudabiliter studio deservisse non dubitamus; quorum ut memoriam solemniter celebremus, partim ex literarum commendatione, partim ex majorum traditione in consuetudine habemus. Quos quia Dominus cœlesti gloria sublimavit, nostræ quoque in per-

(1) Codices sacram. pag. 383. Edit. Rom. 1680. — (2) Gerbert. pag. 193. — (3) Oper. tom. II pag. 910. — (4) Migne. Patrol. tom. LII col. 181. Præf. pag. VI et pag. 79. Edit. Aug. Vind. 1758.

petuum

petuum honorandos memoriæ commendavit. Tales, denique in ædificatione sui sancti corporis ministros esse constituit, quorum sollicitudine custodiantur electi, et ab aperta grassatione coerceantur perversi. Qui videlicet gregem dominicum a luporum insidiis prædicando, recte operando et orando protegentes, suo Domino talenta credita cum lucro reportantes, non solum pro suis meritis, sed et pro commissorum profectibus, sui Domini gaudium intrare merentur. Qui etiam sublimiora loca in sancta Ecclesia sortiuntur, ut ab omnibus vel exempli vel doctrinæ gratia videantur. Nemo enim, ut ait Dominus in Evangelio, lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. *

* *Matth. V*,15 *et Luc. XI*,33.

S. Severinus, *episcopus factus*, *b*

2 De quorum probatissima societate Beatum Severinum, virum honestæ vitæ et per cuncta laudabilem *b*, cujus hodierna die festa percolimus, Agrippinensi prædestinatum Ecclesiæ, electione et consensu cleri totius ac populi præesse misericorditer voluit. Qui tempore Arianæ hæreseos lorica fidei dominicæ indutus, in Dei opere spectabilis fuit, adeo ut convenientibus ad synodale concilium ex tota pene Gallia, aliarumque provinciarum partibus catholicis et orthodoxis fidei christianæ doctoribus, Euphrata, memoratæ Agrippinæ Coloniæ non pastore, sed mercenario, pro prælibatæ pestis perfidia destituto, idem sanctissimus Dei famulus Severinus, ut infusam malitiam eliminare debuisset, a cunctis aptissimus acclamaretur *c*. Quod, quia periclitanti populo necessarium erat, Deo propitio, sancti concilii auctoritate firmatum est. Actumque est mira omnipotentis Dei dispensatione, ut non Euphratæ, scelestissimæ perversitatis doctori, Severinus æterni judicis præco succederet, sed, pestiferi seminis auctore expulso * et exterminato, Materni, fortissimi christiani fidei propugnatoris et vigilantissimi propagatoris *d*, nec fidei nec doctrinæ perfectione dissimilis, successor exstiterit: quatenus perspicacibus discretionis obtutibus, quod male pullulaverat resecando, decessoris sui monimenta redintegraret, et impostoris mendacia, fide verissima reminiscente, repelleret.

c

* repulso *A*, *B*, *C*

d

populum Coloniensem

3 Quali autem vigilantia sibi et doctrinæ suæ post susceptum episcopatum attendisset vel qualiter in custodia ovilis sibi crediti desudasset, corona justitiæ, quam eum jam in Angelorum consortio suscepisse luce clarius est, manifestissime pandit. Quod si quis a nobis miraculorum ejus virtutes exigit, sciat tunc temporis plus fuisse * necessariam sermonum interpretationem, quam virtutum operationem *; quia contra eos exstitit pugna, qui non negabant Dei potestatem in miraculis, sed æqualitatem sanctæ et inseparabilis Trinitatis in personis. Ariana ergo tunc contentio grassabatur, quæ eo crudelior, quo interior, ita totius pene Ecclesiæ viscera serpentinis irrepsit insidiis, ut vix esset credibile, mundum umquam tantæ pestis illecebris posse carere, et nisi suadente Domino, christianæ militiæ robustissimi bellatores, quorum Severinus non ultimus, labenti in tantis scandalorum turbinibus sanctæ Ecclesiæ succurrerent, pejora prioribus tempora procul dubio citius advenirent. Tales enim tunc eam caninis morsibus lacerabant, quales ipsa veritas cavendos esse præmonebat, dicens : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces : a fructibus eorum cognoscetis eos. » * Faciliusque forsan foret, aut aperte contra veritatem debacchantes per rationem vincere, aut pro eadem veritate corpus in mortem tradere, quam simulantes justitiam gladio rectitudinis expugnare, et infusum virus, quod jam per membra serpsit, interius medicinalibus sanctarum scripturarum poculis resolvere et ad integrum exsiccare. Quo virtutis studio sagacissimum athletam Christi Severinum decertasse cognovimus. Cujus solemnitati quo devotius insistimus, tanto nos eum, quem dilexit et cujus munere ad tantam gloriam pervenit, et ardentius et sincerius diligere comprobamus.

* esse *A*, *C*

* *deest* operationem *A*

AUCTORE ANONYMO.

* *Matth. VII*, 15

4 Signa autem non a fidelibus, sed ab infidelibus exigenda sunt. Quamvis tot mortuorum resuscitator esse veracissime prædicetur, quot animarum, hæretica pravitate corruptarum, doctrina fidei catholicæ et operationis rectæ recuperator esse cognoscitur. Plus enim est, animam, in æternum victuram, a vitiorum sordibus ad immortalitatis desiderium per dulcedinem piæ exhortationis accendere, quam corpus, iterum moriturum, de tumulo resuscitare. Quoties ergo aliquem ad cognitionem veritatis a tenebris revocavit erroris, toties cæcis oculis fulgorem reddidit lucis. Quem dum ea, quæ agenda proposuit, ad effectum operis assiduis admonitionibus perducere fecit, etiam manuum damna resolvit: cui si de virtute in virtutem eundi et cordis affectibus ad superiora ascendendi voluntatem et facultatem doctrina simul et precibus impetravit, gressus pedum a debilitatis nexibus liberos dedit. Verum omnipotens Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult *, tam forti sanctos et electos suos compage charitatis univit, ut nihil eorum, quæ alter merito sanctitatis assequitur, alteri desit. Quum enim quæcumque bona sic alter in altero diligit, sicut in semetipso, nimirum per charitatem agitur, ut eisdem * etiam cum ipso participetur. Quo fit, ut beatissimum Severinum antistitem nullius omnino virtutis expertem merito credamus, quem perfecta charitate bonorum omnium profectibus conjunctum esse non dubitamus.

ab hæresi

* *I Cor. XII*, 6 *et II*

* eadem *A*, *C*, *D*

5 Cujus vitæ descriptionem nostræ nequaquam inertiæ commendamus, quia vel quanta ipse pro Domino egerit et pertulerit, vel quanta per eum Dominus operatus sit, nec historiæ narratione nec testium veracium assertione perfecte didicimus: quamvis ea literarum commendatione et congrua fidelium relatione dignissima credimus *e*. * Quomodo enim posset fieri, ut tam idoneus fidei catholicæ prædicator et doctor memorabilibus non fulgeret operibus? Cui tamen laudabilius fuit, labefactum sanctæ Ecclesiæ statum suo loco corrigere et ad pristinam incolumitatem maximo sudore reducere, quam recto stantem ordine et non nutantem servare. Sed post decessum doctoris religiosissimi, quando gravissima inundatio gentis incredulæ totam pene Galliam et ejus finitima cæde atque incendiis

et a calamitatibus defendit.

e

* credamus *D*

AUCTORE ANONYMO.

cendiis devastabat, succedentibus et ingravescentibus adversis, sancti viri gloriosa facta vel miracula, partim conscripta, partim avidis scriptoribus casu inopinatæ perturbationis erepta, gratulationi nostræ cognitionis ablata sunt. Tantam namque dominationis vim tunc temporis* crudelitati tyrannicæ propter peccatum inobedientiæ ultio divina concessit, ut in cunctis Galliarum provinciis nec una quidem civitas, nisi Metensis, inusta remaneret; quamvis in ea non nisi solum oratorium, S. Stephani nomine dedicatum, propter ejusdem Protomartyris sanguinem, ibidem pullulantem, servatum* esse S. Servatii gesta commemorent *f*: ut videlicet populi, qui corde obdurato prædicatorum suorum blandis admonitionibus non obtemperabant, in se compleri* sentirent, quod sancta scriptura de quibusdam perversis dicit, quia « tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. » *

* temporibus *A*

* salvatum *B, C, D*

f

* impleri *A, B*

* *Id. XXVIII, 19*

S. Martini obitum

6 Quam insanientis gentilitatis feritatem omnipotentis Dei patientia non prius Coloniensem populum permittebat invadere, quam ejus defensoris animam in electorum suorum consortium dignaretur accipere: ut aperte daretur intelligi, quanti privaretur munitione patroni, qui et ipsam, quam inevitabiliter merebatur, plagam, præsente corporaliter S. Severini patrocinio, videret esse dilatam *g*. Sed fama mirabilium sancti viri operum, certis utique de causis ad nos usque non perducta, laudem sanctitatis ejus non minuit, quia veræ beatitudinis perfectioni non detrahit; in qua illum, jam æterna securitate felicem, poscamus esse nostræ fragilitatis misericordissimum adjutorem.

B

g

7 In laude igitur hujus Deo digni pontificis Severini* non minimum sanctitatis indicium, quod contemporalis ejus probatissimi Christi Confessoris, Martini, miraculis inditum reperimus, nequaquam transeundum putamus *h*: in quo lucidissime demonstratur, unum, agone jam bene consummato, coronam justitiæ debitam percepisse, alterum, adhuc in certamine positum, eamdem fidei bonorumque operum constantiam meruisse: et, ut aperte dicam, unius ostendit præmium, alterius describit miraculum. Quodam itaque tempore, dum solertissimus pastor Ecclesiæ, Severinus, gregis sibi commissi custodiis invigilans, die dominico, expletis matutinalibus officiis, ex consuetudine loca sancta orandi gratia circuiret *i*, audire meruit dulcisonam cœlestis militiæ melodiam, quæ illum afflatu Sancti Spiritus docuit, quia Martinus episcopus de sæculo migravit. Quam dum intentus ipse diligenti aure perciperet secreti cœlestis testem secum habere desiderans, vocato archidiacono *k*, requisivit, si aures ejus cantilena, cœlitus immissa, percuteret. Quo tale aliquid se audire negante, rursus episcopus, ut diligenter auscultaret, admonuit. Quumque ille toto corporis et mentis nisu cœlestis concentus fieri particeps appeteret et non impetraret, intellexit vir Dei a Deo implorandum fore, ut hujusmodi laudes diaconus audiret.

* *addunt*, quoddam *A, B C, D*

h

C

i

k

cœlesti visione cognoscit.

8 Tunc prostrati simul in terram episcopus et diaconus, ut harmonia, quam magister intentus audierat, etiam discipulum non lateret, orabant. Quibus erectis, quum beatus antistes diaconum iterum interrogaret, si desideratam vocem auribus adhuc quodam modo sentiret: « Voces, inquit, psallentium tamquam in cœlo audio; sed quid sit, prorsus ignoro. » Cui* secretorum conscius cœlestium, quid audita jubilatio designaret, aperuit, dicens: « Dominus meus Martinus migravit a sæculo, et nunc eum hymnidici civium cœlestium chori in suum consortium lætantes suscipiunt. Cujus sanctissimam animam, carne solutam, diabolus cum suis angelis retinere curavit, sed nihil in eo suum reperiens, confusus abscessit. Propter quod et paululum moræ fuit, quod exsequiarum ejus digna celebratio a nobis audiri non potuit. » Requisitum est ergo diligentissime et inventum, eadem die et hora Sanctum Martinum æternum sui Domini gaudium intrasse; quo hoc Beatum Severinum contigit prophetiæ spiritu tactum sensisse *l*. Prophetiæ enim esse creditur, quod divinæ virtutis mysterium per manifestationem Spiritus Sancti cuilibet revelatur. Quid ergo nobis de hujus sanctissimi pontificis Severini meritis dicendum est, nisi quod omnipotens Deus, dum Martinum ad cœlestem gloriam extulit, huic ejus consessus et consortii securitatem dedit: ut qui non dissimilis studii erant in contemptu sæculi, æquali gloria fulgerent in æterna lætitia contemplationis Dei?

D

* *addunt* statim *A, B, C, D*

l

E

S. Severini sanctitas visione alia

9 Fertur etiam ejusdem gloriosi pontificis temporibus eremitam quemdam præcipuis virtutum operibus floruisse; qui cujusdam magni principis fuisse filius et in deliciis copiosissimis esse nutritus perhibetur. In quibus eo usque perductus est, ut parentes ejus magnificas illi nuptias præpararent, et sponsam delicatissimam cum apparatu multo conducerent. Cujus dum conjugio potiturus, cubiculum post cœnam opulentissimam intraret, subito pavore, nescio quo, raptus, vidit quasi juvenem speciosissimum, qui et majorem gloriam commodaturum sancte promitteret, si sibi parere sequendo maluisset. Quod quum tota ambitione juvenis se velle dixisset, surrexit, et de omni suppellectili, quam possederat, vasculum ligneum, quo vinum de situlis in vasa aurea et argentea mixtum bibentibus fundi solebat, solum secum sumens, virum, qui apparuit, secutus, abscessit. A quo in remotiora eremi loca ductus, vitam laudabilem et paucis imitabilem duxit. Quumque ibidem multos dies ad promerendum Deum continuis orationibus vacaret, supplicare magnopere cœpit, ut cum quo æqualitatem præmii habiturus esset, judex æquissimus aperiret. Cui dum Coloniensis Ecclesiæ præsul famosissimus, Severinus, in hujusmodi consortio proponeretur, sibi eum, quis esset, ostendi precabatur.

F

declaratur.

10 Nec mora, idem, qui illuc eum adduxerat, adfuit, et ei locum, in quo sanctus episcopus illis diebus morabatur, ostendit. Forte tunc, instante quadam solemnitate*, multitudo populi confluebat, cui post divinum officium a tanto pontifice convivium exhiberi honor impositus exigebat. Ubi dum prædictus solitarius deliciarum affluentiam cernens, se ei in præmio sociandum esse pertimesceret, qui talia, qualia ipse quondam dimisisset, haberet, severitate correptionis a magistro imposita didicit, quod minus episcopus omnem

* solemni die *A, B, C, D*

A omnem illam sæcularem gloriam, quam ipse ligneum vasculum, quod sibi de cunctis suis opibus reservaverat, dilexisset. Unde Deo gratias agens, ad locum, unde venerat, gratulabundus recessit, et ut promissum præmium cum Severino, Dei famulo, mereretur, quoad *m* vixit, instantissime flagitavit *m*. Hæc ergo duo Beati Severini virtutum insignia, quæ proposuimus ad exprimendum bonitatis ejus meritum, ut puto, sufficerent, etiamsi plura non fuissent. In altero enim Dei, in altero intelligimus dilectionem proximi. Nam quod humanam possibilitatem transcendens, supernorum spirituum laudes in Beati Martini transitu audivit, qualiter in Dei dilectione profecisset, ostendit: soli enim sincerissimæ charitati præstatur, ut Dei, qui charitas est, arcanis admisceatur. Quod autem contemplativæ vitæ dulcedinem deserens, proximorum infirmitati etiam in conviviorum apparatu condescendit, quam forti fraternæ charitatis vinculo constringeretur, insinuat. Magnum est enim hæc habendo dispensare et non diligere; et manifestum est, quia hæc qui non B diligit, etiam non habere velit. Sed hæc discretissimus Sanctæ Ecclesiæ provisor, Severinus, et sibimet ipsi plus cœlestia desiderans, non appetiit, et commissorum necessitati, quando tempus fuit, sollicite ministravit, quasi suis subditis dicens cum Apostolo: « Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis.* » Qua in re de sanctitatis ejus merito certi, Coloniensem populum, Deo auxiliante, felicem fore credimus, si cujus studio reparatus est ad fidem, illius cum bonorum operum exsecutione poscat sedulus intercessionem.

* *II Cor. V*,13

Burdigalum profectus,

11 Corroborata itaque et bene stabilita Dei gratia Coloniensi Ecclesia, sanctus vir Severinus, in Dei opere * indefessus, per visionem monetur, ut Burdegalense oppidum et partes Aquitaniæ, unde etiam claram traxisse fertur originem, cœlestis lucri causa visitare non dubitaret. Quod statim, cognita Dei voluntate, licet jam senili gravaretur ætate, perficere aggressus est *n*. Interea dum iter ageret, revelatum est a Domino Beato Amando, ejusdem civitatis præsuli, Severinum, magnificæ C sanctitatis episcopum, visitatum Aquitanicos cives advenire, et se ei cum cleri populique cœtibus obviare debere. Unde repletus gaudio vir Dei, congregationem fratrum plebemque subditam convocavit et in occursum beati pontificis cum veneratione debita properavit. Quem mox ut appropiavit, prior proprio nomine, velut per revelationem doctus fuerat, salutare curavit, prosequente clero et dicente : « Benedictus, qui venit in nomine Domini. » Tum læto constipatus utriusque sexus agmine, ad ecclesiam honorifice cum canticis et hymnis deducitur, et consueta convenientium fratrum vota solvuntur.

* Dei operis *A addit* permanens *B*

n

in morbum incidit, et pie obit:

12 Ibi sane constantissimus Christi confessor, veluti repuerascens, fidei virtutisque exempla simul et documenta proposuit, quibus incredulos salubri credulitati restituit, errantes ad viam veritatis reduxit *, bene agentes in bonorum operum profectu firmavit. Non pauca quoque miracula in eadem provincia Dominus* per servum suum operatus est. Et quia ibi dissolvenda corporis ejus vincula divina prædestinavit scientia, subita vir Dei gravatus infirmitate, convocatis fratribus prædixit, se in eodem loco mortis debitum soluturum, et locum sedis propriæ corporaliter amplius non visurum. Sicque sanctissimus pontifex, post datam exhortationem et benedictionem, cunctis onustus virtutibus, quibus promeretur Deus, consummato feliciter vitæ præsentis cursu, intentum supernis desideriis Creatori reddidit spiritum, coronandus cum Confessoribus sanctis immarcescibili bravio perpetuæ retributionis.

* duxit *A, B, C*

* *addunt* ut dicitur *A, B, C*

AUCTORE ANONYMO.

13 Tunc venerabilis Amandus episcopus, *mortuus* conveniente utriusque sexus innumerabili multitudine, susceptum sacratissimum corpus cum clericis in crypta suæ ecclesiæ *o*, *o* fecit honorabiliter sepeliri. Ubi ex illo tempore tantas Dominus virtutes per Beati Severini merita operari dignatus est, ut videretur incolis fidem mortuus custodire, quam vivus dicitur recuperasse. Ex quibus unum insigne miraculum explicabo, quod ideo famosius prædicatur a cunctis, quia communis erat causa salutis. Nam dum quodam tempore ad annuale festivitatis ejus gaudium plebs totius E provinciæ religionis amore conflueret, inopinata Gothorum rabies cum exercitu copioso supervenit. Quumque se multitudo, quæ convenerat, inermem et resistendi impotem cerneret, ad ejus consilium confugit, cujus eam gloriosa solemnitas invitavit. Nec mora, idem, qui prædaturus, quantum cædi superesset, hostis advenerat, meritis Sancti Severini immenso ex virtute Dei pavore perterritus, fuga se tantummodo vel latibulis, quibus quisque potuit, salvare quæsivit, hisque, quos prædari venerat, cum omnibus, quæ attulerat, præda fuit. Unde factum est, ut omnipotenti Deo ejusque militi Severino laudes Aquitania tota rependeret, et singulis exinde annis hanc solemnitatem cum donis et muneribus copiosius frequentaret.

Aquitanos tuetur.

14 Cætera, quæ tamen nec modica nec pauca esse comperimus, breviandi gratia dimittimus; quia eos, inter quos facta sunt, nullo modo de his silere putamus. Nam sicut « sacramentum regis abscondere bonum est, » ita « opera Dei revelare et confiteri honorificum est. » * Ipse enim in Sanctis et per Sanctos virtutes quaslibet operatur, qui electis suis discipulis dicit: « Sine me nihil potestis facere ; » * de quo Paulus dicit « Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. » * Cui nos quoque, fratres charissimi, pro modulo nostro laudes et gratiarum actiones in his gloriosissimi sui Confessoris Severini solemniis deferamus; ut qui illum in Sanctis suis mirabilem prædicamus, eisdem opitulantibus, nobis eum fore propitium sentiamus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et gloriatur Deus in sæcula sæculorum. Amen.

F

* *Tob. XII*, 7

* *Joan. XV*, 5

* *I Cor. I*, 24

ANNOTATA.

a *In sua nos Usuardi editione præmonuerat Sollerius noster ad diem* XXIII *octobris varios in Musæo Bollandiano exstare codices manuscriptos, quibus illustrari, quam hic edimus, Surianam editionem possint. Hi codices hodie in bibliotheca Bruxellensi reperiuntur inscripti sub numm.* 2764, 9289, 7460 *et* 206 : *ad hos codices*

AUCTORE J. V. H.

ces correximus in margine textum Surianum: brevitatis tamen causa notavimus varios hos codices litteris: nempe num. 2764 *littera A: num.* 9289, *B; num.* 7460, *C*; *num.* 206, *D. Est quoque codex alterius generis, nempe qui, ut diximus num* 18. *Commentarii prævii, singularia habet de S.* Severini *initiis, notatur in bibliotheca regia num.* 428, *nos vero littera E, signabimus.*

b *Codex E, supra notatus, circa finem fol.* 256, *his verbis refert initia S.* Severini : Beatissimus Severinus, quantum ad terrenæ dignitatis gradum, alto parentum genere, sæculari felicitati in Aquitanensium provincia exortus est. Qui mox talis voti devotione ab ipsis Deo dignis parentibus, caste et honeste ad educandum in ipsis primis cunabulis exponitur : post hoc liberalibus studiis traditur. Quibus dimissis, Dominum Jesum Christum, concordiam, pacem, sanctitatem amare cœpit; et bona, a parentibus sibi dimissa, quasi pulverem reputavit. Nullam horam sine spirituali lucro sibi deperire voluit; semper
B eleemosynis vacans, aut orationi operam dans, aut sacræ lectioni insudans; aut inde aliquid in memoria ruminans. Nullam horam passus est inertem transire, nisi vix quantum satisfaceret naturæ. Ipse enim sæpe ab hominibus abscondere se disposuit, sed nulla ratione potuit; quia Deo non placuit, quod talis lucerna sub modio poneretur, magis volens, ut supra candelabrum ab omnibus videretur: nolens eum in abscondito celari, per quem sua dispositione plures deberent salvari. *Hæc non satis commode conciliantur cum iis, quæ narrat Auctarium ad Legendam Auream, editam Coloniæ anno* 1483 (1) : B. Severinus, *inquit*, apud Burdegalim in Vasconia exsistens agricola, aratrum minans, audivit vocem in aëre ab Angelo talem : Severine, Severine, tu eris episcopus in Colonia. At ille : Quando hoc erit? Respondit vox desuper : Quum virga, quam manu gestas, floruerit. Et statim ipse virgam aridam ponens in terram, germinavit et floruit. Unde in episcopum diu post electus, omni devotioni se contulit. *Certe binæ legendæ inter se non facile componuntur ;*
C *etenim in priori habemus juvenem, ad omnem disciplinam litterariam informatum; in posteriori autem agricolam rudem, qui episcopale onus non refugit, sed curiose inquirit in tempus, quo id suscipiendum erit. Si quid veri in alterutram legendam ex antiqua traditione manavit, dubium non est, quin prior legenda præferenda sit : destinatus a Deo S.* Severinus, *ut vaferrimam Arianorum hæresim debellaret, litterarum adjutorium ei necessarium fuit.*

c *Jam alibi actum fuit de multiplicibus difficultatibus, quæ Concilio Agrippinensi objiciuntur, ut hic repetendæ non sint : id sufficiat observasse, sedes citatorum episcoporum, si SS. Maximinum Trevirensem et Servatium Tungrensem excipias, ex sola hac synodo cognosci; eadem quidem episcoporum nomina in subscriptionibus concilii Sardicensis, sed nulla facta sedium, quæ singulis tribuantur, mentione* (2) : *unde deest gravissimum argumentum, quo authenticitatem synodorum confirmare* D *solemus. Sed præterea falluntur Acta in duobus episcopis, nempe Discolo Remorum et Simplicio Æduorum. Nam, teste Flodoardo lib.* I *hist. Rem. cap.* 5 (3), *Betausium, qui tempore Constantini sedit, excepere episcopi Aper, Maternianus, Donatianus, Viventius, Severus, Nicasius, qui Ecclesiam rexit initio sæculi quinti, quando Vandalica persecutio, Gallias premebat* (4). *Similia dicenda sunt de Simplicio, Æduorum seu Augustodunensi episcopo, qui initio ejusdem sæculi quinti sedere cœpit : successionem episcoporum Augustodunensium statuit Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confessorum capp.* 75 *et* 76 (5), *ut Reticius interfuerit Concilio Arelatensi anni* 314, *cui successit Cassianus, post hunc Egemonius pontificatum suscepit, quem sequitur Simplicius, qui, ut monstrant majores nostri* (6), *sæculum quintum attigit. Quoniam vero hos duos, de quibus specialem notitiam habemus, e Catalogo patrum Coloniensium expungere coacti sumus; vehementer timendum, ne scriptor Actorum Concilii in aliis quoque episcopis cespitaverit.* E

d *Certum est Maternum, episcopum Coloniensem, fuisse initio sæculi* IV; *utpote qui concilio Arelatensi anni* 314 *interfuerit* (7). *Sed inter eruditos controversia est, utrum alter fuerit Maternus discipulus S. Petri, qui sub finem sæculi* I *aut initium* II *fundavit Ecclesias Coloniensem et Tungrensem. Pro utraque sententia pugnatur in Actis Sanctorum* (8). *Cæterum quæ biographus dicit, commode applicari possunt alterutri Materno ; priori quidem, quatenus est Ecclesiæ Coloniensis fundator, posteriori autem, utpote qui adversus Donatistas et probabiliter adversus gliscentem Arianismum strenue decertavit.*

e *Hæc verba clare ostendunt, nullum monumentum coævum scriptori præluxisse : desunt ei et* historiæ narratio *et* testium veracium assertio : *ita ut, quæ refert, traditioni populari magis, quam certis documentis nitantur.*

f *Galliarum vastatio, quam biographus noster describit, accidit medio sæculo quinto, seu quinquaginta circiter annis post obitum S.* Severini. *De hac agit Gregorius Turonensis, et in specie lib.* II *Historiæ Francorum cap.* 6 *ruinam Metensis urbis his verbis describit* (9) : Chunni a Pannoniis egressi, ut quidam ferunt, in ipsa sancti Paschæ vigilia, ad Mettensem urbem, reliqua depopulando, perveniunt, tradentes urbem incendio et populum in ore gladii trucidantes, ipsosque sacerdotes Domini ante sacrosancta altaria perimentes. Nec remansit in ea locus inustus, præter oratorium Beati Stephani Primi Martyris ac levitæ. De quo oratorio, quæ a quibusdam audivi, narrare non distuli. Ajunt enim, priusquam hi hostes venirent, vidisse se virum fidelem in visu, quasi conferentem cum Sanctis Apostolis Petro ac Paulo, Beatum levitam Stephanum de hoc excidio ac dicentem: Oro, Domini mei, ut non permittatis obtentu vestro Mettensem urbem ab inimicis exuri, quia locus in ea est, in quo parvitatis meæ pignora continentur: sed potius sentiant se populi aliquid me posse cum F

(1) Fol. CCCLV. — (2) Cfr Labbe tom. II, Conc. col. 658, 662 et 679. — (3) Migne. Patrol. tom. CXXXV, col. 36. — (4) Gall. Christ. tom. IX, col. 4. — (5) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 882. — (6) Act. SS. tom. IV junii, pag. 812, num. 2 et tom. II august. pag. 63, num. 20. Cfr Gall. Christ. tom. IV, col. 329 et seqq. — (7) Labbe tom. I Conc. col. 1430. — (8) Act. SS. tom. IV septemb. pag. 354 et tom. VIII octob. pag. 16. — (9) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 198.

Domino.

A Domino. Quod si tantum facinus populi supercrevit, ut aliud fieri non possit, nisi civitas tradatur incendio, saltem vel hoc oratorium non cremetur. Cui illi ajunt: Vade in pace, dilectissime frater, oratorium tantum tuum carebit incendio : pro urbe vero non obtinebimus, quia dominicæ sanctionis super eam sententia jam processit. Invaluit enim peccatum populi, et clamor malitiæ eorum ascendit coram Deo : ideo civitas hæc cremabitur incendio. Unde procul dubio est, quod horum obtentu, urbe vastata, oratorium permansit illæsum. *Oratorium S. Stephani est hodierna ecclesia cathedralis Metensis, quæ titulum Sancti Protomartyris hactenus retinet* (1). *Quæ a biographo citatur Vita S. Servatii, est Harigeri, abbatis Lobiensis, qui in confinio sæculi* X *et* XI *floruit* (2).

g *Jam monstravimus in Commentario prævio num.* 5 *Vandalos et Alanos Gallias, trajecto Rheno pridie Kalendas januarii* 406 *ingressos, adeoque obitus S. Severini hunc diem præcessit.*

h *Ex Gregorio Turonensi dedimus Commentarii prævii num.* 12 *visionem S.* Severini *de obitu* B *S. Martini. Operæ pretium fuerit animadvertisse, duo præcipua, quæ de Sancto nostro a biographo referuntur, videlicet Gallicam vastationem et visionem de obitu S. Martini derivari ex Gregorio Turonensi, ut supra ostendimus.*

i *Quandoquidem S.* Severinus *a Gregorio Turonensi, num.* 12 *Commentarii prævii citato, dicatur,* die dominica loca sancta ex consuetudine post matutinos hymnos cum suis clericis circumivisse ; *verissimam habemus christianæ processionis imaginem, imo, quantum novi, exemplum, saltem in Ecclesia latina, omnium antiquissimum. Circa origenem, ritum et varias species processionum consule, si lubet, Edmundi Martene Tractatum de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis* (3), *Jacobi Gretseri libros duos de Processionibus* (4), *monographiam de Processionibus ecclesiasticis, Parisiis anno* 1640 *typis editam, Martini Gerbert Veterem Liturgiam Alemannicam* (5) *et Antonii Binterim Monumenta Ecclesiæ catholicæ* (6). *Sed soli, inter citatos scriptores, Edn. Martene et Mart. Gerbert agunt de processione dominicali,* C *qualem celebratam legimus a S.* Severino, *quin et hi ipsi nude monachalem fuisse insinuant, quatenus aqua benedicta variæ monasterii officinæ expiabantur.*

k *S.* Severini *archidiaconus fuit S. Evergislus, qui ei successit et Martyr occubuit. Ejus Acta sequenti die,* XXIV *Octobris, quo ejus nomen Martyrologio Romano inscribitur, dabuntur.*

l *S. Martini annus emortualis multis controversiis obnoxius est : quam quæstionem ad diem ejus cultui sacrum,* XI *Novembris, ablegamus. Cæterum tum nostri* (7), *tum ephemerides Trivulsianæ* (8) *annum obitus s. Martini statuunt* 397.

m *Sanctus eremita, qui æqualem cum S.* Severino *gloriam consecutus est in cœlis, ignotus in terris omnino remansit.*

n *Jam in Commentario prævio num.* 6 *monuimus, nos nullatenus negare iter Aquitanicum, cujus variæ excogitari possunt causæ : sed nobis videtur iter istud usque ad episcopatum S. Amandi prorogari non posse, seu usque ad annum* 406 *: nam imminebant jam Galliæ, præsertim orientali, barbari ; et episcopi officium erat,* corroboratam, *ut ait biographus,* et bene stabilitam Dei gratia Coloniensem Ecclesiam *porro conservare. Itaque itineris tempus statuimus inter obitum S. Martini seu annum* 397 *et primos omnino annos sæculi quinti. Cæterum biographus noster non solum tacet de Burdigalensi sede, a S.* Severino *occupata, sed contrarium insinuat, quum dicit sanctum,* subita gravatum infirmitate prædixisse se locum sedis propriæ corporaliter amplius non visurum. *Certe Colonia non fuisset sedes propria, si pontificatum Burdegalensem tenuisset.*

o *Crypta, de qua agit biographus, erat extra civitatem, intra quam licitum non erat mortuum sepelire* (9) : *adeoque quum dicitur in crypta ecclesiæ suæ, id intelligendum non est de ecclesia cathedrali, sed cœmeteriali, posita extra civitatem. Vox crypta pro ipso cœmeterio quandoque usurpatur* (10).

E

CAPUT II.

Colonienses, calamitate multiplici pressi, statuunt corpus S. Severini in urbem suam adducere : ægre consentientibus Burdigalensibus, tandem summo honore Coloniam deferunt.

S. Severini *memoria, apud Colonienses obliterata,*

Quia beatissimi pontificis et Confessoris Christi, Severini, vitam vel gesta, prout nobis, quasi per densissimam antiquitas nebulam prospicientibus, elucere potuit, ex parte contigimus, et licet propter majorum negligentiam, sive, quod licentius dici potest, propter barbarorum, quorum supra mentionem fecimus, hostilem potestatem* quædam minus usitata, tamen propter indubitatam fidei constantiam, simplicemque veræ religionis affectum, facile credibilia dilucidare curavimus: superest, ut quomodo divina pietas plebem, quam subtracto pastore pro meritis castigaverat, reducto ejus sacratissimo corpore lætificaverit, prout possumus, explicemus *a*. Nec mirum cuipiam videatur, quod post tantum temporis spatium nonnulla, quæ prius sollicitudo styli non tetigit, posteritatis memoriæ per descriptionis certitudinem commendare satagimus; quia eorum assertionibus roboramur, qui sanctissimi custodes cineris, a religiosis audita parentibus, de memorabilibus beati viri factis vel miraculis, ad sui solatium diligentissime servaverunt, et quorum non admittebant scribendorum fiduciam, sæpius repetendorum in suis conventiculis dulcem non amittebant memoriam, evangelicum illud implendum exspectantes oraculum, quod veritas ipsa promittit, quia « quod auditis in cubiculis prædicabitur in tectis » *b*.

* *Addunt* quædam antehac incognita *A, C, D*

F

a

b

(1) Cfr Hist. de Metz, tom. I, pag. 229. edit. Met. 1769. — (2) Act. SS. tom. III, maj. pag. 216, num. 23*. — (3) Pag. 60, edit. Lugd. 1706. — (4) Oper. tom. V, pag. 9. — (5) Pag. 989 et seqq. — (6) Denkwürdigkeiten der Christ. Cathol. Kirche. tom. IV, part. I, pag. 533 et seqq. — (7) Act. SS. tom. VII, maji. De episcop. Tungr. pag. XLI. — (8) Journal de Trévoux, an. 1765, pag. 1238 et seqq. — (9) Cfr Boldetti. Osservaz. sopra i cimiteri. pag. 583. — (10) Cfr ibid. pag. 585.

AUCTORE ANONYMO.

16 Postquam vir Domini sanctus et pontifex gloriosus, Severinus, sæculi hujus laborioso transcurso certamine, coronam justitiæ, quam vivens promeruit, in æternum jam victurus accepit, et orbatis utrimque* tanti patroni præsentia corporali, Coloniensium et Burdigaliensium populis, luctus, diebus plurimis continuatus, pro humanæ levitatis consuetudine paululum refrigescere cœpit, infanda Hunnorum gens *c* totam, ut prædiximus, Galliam, hostili gladio devastandam, invasit; et quanta præsidii firmitate carerent, obliviosis in memoriam revocavit. Quibus gestis, quum Ecclesiis Dei pacis iterum tranquillitas redderetur *d*, Agrippinenses, quasi post flagella securi, iterum sui pastoris immemores *e*, pretiosissimum sancti ejus corporis thesaurum studio, quo decuit, non exquisierunt. Unde factum est, ut per totam illius episcopii latitudinem pluviæ gratia pene per triennium negaretur, congruo nimirum castigationis exemplo, ut qui nubis obumbratione carerent, pluviam non haberent. De illorum quippe vir iste sanctus numero proculdubio fuit, quos propheta, per Spiritum intuens, ajebat: « Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* » Non solum enim verbis pluerat, sed et miraculis coruscabat*. Quumque magna penuria loci illius Ecclesia gravaretur, convenerunt quique consilii sanioris, ut quid sibi tanti mali levandi* causa agendum esset, tractarent. Quo facto, omnes unanimiter triduani jejunii remedium quæsierunt. Quod quum magna sollicitudine a clero simul et populo celebraretur, meruerunt angelicæ visitationis certitudine, cur talia paterentur, agnoscere.

17 Tertia namque transacta solemnis parsimoniæ die, quemdam ejusdem Ecclesiæ clericum Angelus per visionem arguit, dicens: Pastorem et episcopum vestrum non habetis et causas tantæ iracundiæ quæritis? Qua territus allocutione clericus, evigilavit, et quorsum ista portenderent, admodum miratus, de incolumitate pontificis, qui tunc temporis ibi præfuit, sollicite requisivit. Sed quum illum integra resciret sanitate vigere, primum metuens narrare, quod viderat, reticendum esse putabat, deinde quibusdam sibi familiarius adhærentibus visionem, quasi pro somnii phantasia, pandebat. Sicque paulatim illa omnino laudabilis fama per singulorum officia, cunctorum pene pervagabatur ora. Fit conventus cleri totius ac populi, clericus, velut hujus oraculi vates, productus in medium, ut visa cunctis per ordinem exponat, rogatur*. Qui quum imperiis et votis sacerdotis suspensæque plebis satisfaceret, clamor mox omnium unanimus attollitur, Severinum sanctissimum et solis vix perfectioribus imitabilem antistitem, hoc præsagio sedi propriæ restituendum esse, conclamatum est : ibi nemo, qui non annueret, nemo, qui non hoc sibi optabile prædicaret, nemo pene, qui non præ gaudio fleret.

Burdigala Coloniam esse advehendum,

18 Mox mirum in modum diu negata pluvia terris arescentibus reddita, se gratulantibus velut ejusdem consilii participem sociavit : et quia omnipotens Deus probavit, quod præmonuit, cunctis absque ullius caligine dubietatis innotuit. Tunc beata Coloniensium et vicinorum quoque * societas *f*, prospero cursu per Gallias properans, Aquitaniæ partibus propinquabat, ubi Burdegalense oppidum, jam a pretiosi hospitis nomine, S. Severini castellum vocatum *g*, venerandos Reliquiarum cineres conservabat. Principes autem provinciæ, auditis causis itineris, magna primum animositate resistere conati sunt. Unde et multitudinem convocantes, se non solum optata et longe quæsita munera venientibus non daturos, sed ipsis, si non cito recederent, bellum illaturos esse minati sunt. Postea vero quum suggerentibus quibusdam, eorum æquam et rationabilem, et non sine Dei providentia dispositam veniendi causam agnoscerent, et depositum eos exposcere, non rapinam, nutu Dei, quamvis inviti, tacendo plurimi consenserunt.

sed Burdigalenses resistunt,

19 Burdegalenses vero, nimio infausti nuntii mœrore perculsi, nulloque providentiæ Dei vel visitationis angelicæ signo sibi delato, ad dandum suum solatium sollicitati, convenerunt omnes in unum, et vitam sibi sine defensoris sui corporali præsentia nullo modo prodesse conclamaverunt, adjicientes illam se magnopere mortem optare, quam pro tuendis et retinendis secum beati viri Reliquiis subire mererentur. Similiter illi, qui venerant, in cœpta debiti sibi muneris quærendi vel exigendi constantia permanebant. Quumque pari studio diutius audientes et reddentes utrinque * certarent, et Colonienses jam implendi desiderii sui causa totas vires expendere deliberassent, tandem Aquitanici, spiritu consilii tacti, ne propter salutis suæ ministrum hi vel illi mortis sentirent dispendium *h*, pia et non contemnenda esse vota venientium asserentes, pacis insignia prætulerunt : ea tamen conditione, ut si piissimo amborum defensori propriam placeret revisere sedem, ipsi ob ejus memoriam et solitam sui tutelam, sanctissimi mererentur habere corporis partem. Quod dictum quum placuisset omnibus, invisos prius hospites cum gaudio susceperunt, ipsique, quod petierant, consecuti, cum honore eos maximo remiserunt. Quantus sane tunc ibi dolor et gemitus, quantus præ gaudio flentium luctus, quum membra sancta a loco pristinæ quietis ablata sunt, non est opus verbis, ut credimus, explicare, quum per se valeat hoc unusquisque pensare. Illi enim, quod vita charius habebant, amittere se flebant; isti, unde salutem sperabant *, se gaudentes acquirere, lacrymabantur.

tandem æqua conditione corpus dividitur,

20 Præcedentes igitur thesauri sacratissimi portitores secuti sunt omnes cum hymnis et laudibus, quos aut ætas aut infirmitas non retrahebat : et nunc quidem alii fessi discedentes, alii piis exsequiis succedentes, hymnum canebant et laudabant Dominum in excelsis, donec recto itinere *, ducente pacis Angelo, Coloniam pervenirent. Ibi vero exercitus innumerabilis civium et externorum, quos tanta felicis famæ gloria invitaverat, confluebat. Suscipientes ergo diu desideratum sui pontificis corpus, in ecclesia Beatorum Martyrum Cornelii et Cypriani *i* solemniter condiderunt; orantes, ut sicut eos quondam doctorum solertissimus exemplis et prædicationibus gubernasset, sic intercessor et patronus * in perpetuum custodiret. Ipso autem

* utrisque *A, D deest B*

c

d

e

B

* *Is. LX,8.*

* *deest pericope in* A

* levigandi *A, B, C*

* leviandi *D*

unde et statuitur corpus ejus

C

rogabatur *A, B, C*

Burdigala Coloniam esse advehendum,

* *quorumque A, B, C, D*

f

g

E

* *addit* responsa *B*

h

F

* *speratam C*

* *itinere prospero B*

i

* *addunt* piissimus *B, C, D*

A autem anno tanta ibi fertilitas facta fuisse narratur, ut ipsa ex omnium ore patronum suum veraciter rediisse, sedique propriæ restitutum esse testaretur. Unde contigit, ut hoc verbum, ab incolis usitatum, etiam longinquos et exteros non lateret, factumque est quasi in proverbium, « domi esse Sanctum Severinum episcopum * *k*. »

* *deest* episcopum *B, C*

k

et pars media Coloniæ

21 Quod, ut ajunt, etiam beatæ memoriæ venerandus Papa Leo, quasi consuetudinis ejusdem oblitis * suo impressit exemplo. Nam quum Roma profectus propter pœnas, injuste sibi illatas, ad imperatorem Carolum migraret in Franciam *l*, devenit in locum, quo viri Dei Severini corpus venerabile requiescit, ibique præter morem, quem in via servaverat, oratum ecclesiam introivit. Comites autem ejus mirantes causam hujusmodi sciscitabantur. Quibus ille: Loci, inquit, hujus defensor domi est; ideo non ausus sum illum præterire insalutatum. Hinc ergo consuetudo civibus inolevit, ut uno die per singulas hebdomadas ad S. Severini sepulcrum veniant *m* et ut B per totam hebdomadam ejus patrocinio fulciantur, supplici devotione deposcant.

* non oblitus *B, C, D*

l

m

cum summo honore colitur.

22 Meritis itaque sancti hujus et Deo dilecti pontificis, apud venerabilem ipsius sepulcri locum, plurima digne petentibus præstantur beneficia; nullum namque salutis est signum, cujus ibi fides non inveniat emolumentum. Siquidem post reconditum ibi beati corporis thesaurum, Normanni, ruptis habenis, crudeliter sævientes, et maximam regni illius partem incendiis et cæde vastantes *n*, nullo penitus conatu valebant ejus oratorium inflammare, quum tamen nulla tunc in circuitu ecclesia flammis quiverit superesse. Ibi totum malevolentiæ suæ spiritum proferendo nihil proficientes, imo non modicum sui detrimentum in quorumdam gravibus pœnis, quorumdam mortibus sentientes, illius ædis custodem et dominum iratum esse, rustice *o* clamaverunt, et ab ejus se vicinia quantocius rapuerunt. Quod, quantum audemus divini judicii secreta rimari, nostræ salutis causa credimus fieri, ut his admoniti crebro miraculis, opem quæramus ejus intercessionis apud misericordiam Redemptoris, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

n

o

C

ANNOTATA.

a *Initium prologi demonstrat eumdem esse biographum ac qui Historiam translationis conscripsit. Idem de cætero est scribendi stylus, eædem afferuntur rationes, cur* S. Severini *res gestæ oblivione deletæ sint : nam* barbarorum hostilem potestatem, *quam ignorantiæ suæ prætendit auctor hoc loco, jam allegaverat in Vita num.* 5, *ad quem locum alludit in Prologo.*

b *Alludit scriptor ad textum Lucæ* XII, 3, *qui tamen paulo aliter sonat :* Quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. *Vel apud Matthæum* X, 27 : Quod in aure auditis, prædicate super tecta.

c *De hac Hunnorum invasione, quæ medio sæculo quinto accidit, egimus in Annotato* f *capitis præcedentis : nam de eadem vastatione loqui auctorem liquet ex ejus verbis, quum dicit :* ut prædiximus.

d *Apud Surium in nota marginali ad hunc locum tranquillitas ista usque ad annum Christi* 795, *primum Leonis III, procrastinatur : et vadem istius assertionis affert Surii editor Card. Baronium. Verum quidem est, Annalistam ad hunc annum* § 1 *laudare Adriani I felicitatem, qua major numquam exstitit : sed ante illa tempora Ecclesiæ Gallicanæ sat magna erat tranquillitas, ut translatio sacri corporis tuto peragi potuisset. Dein si celebrata fuerit translatio anno* 795, *non intelligitur, qua ratione auctor noster dicere possit num.* 20, *quod Leo Papa, qui bis in Germania fuit, videlicet an.* 799 *et* 804, quasi consuetudinis oblitis suo impresserit exemplo, *ut sæpius sepulcrum S.* Severini *visitarent incolæ. Etenim si tam recens fuit translatio et tam frequens ad tumulum concursus tum civium tum externorum, ejus memoria quadriennio aut novennio oblitterari non potuit. Quapropter censemus, translationem corporis S.* Severini *sæculo potius sexto factam fuisse. Tunc enim sua pace et tranquillitate* E *gaudebant Galliæ, quando Clodovæus rex, baptizatus, bellum indixit Gothis Arianis, qui partem Galliarum occupabant; et anno* 508, *teste Gregorio Turonensi lib.* II *Hist. Francorum cap.* 37 (1), apud Burdegalensem urbem hyemem egit. *Ab illo tempore nihil occurrit, quo translatio impediri posset : ad definiendum autem accuratius tempus nobis nullum documentum innotuit. Quapropter rejiciendam censemus assertionem Gelenii, dicentis* (2), *sub S. Evergislo, S.* Severini *successore, translationem celebratam fuisse. Sed sub S. Evergislo, Hunnorum gens forsan Gallias devastabat, sed certe* pacis tranquillitas reddita *non erat regionibus desolatis : adeoque post S. Evergisli pontificatum translatio ponenda. Propter eamdem rationem admittere non possumus opinionem editoris Lovaniensis Butleri, qui dicit S.* Severini *corpus tribus post mortem annis Coloniam reportatum fuisse.*

e *Hic videmus, S.* Severinum *haberi tamquam proprium Ecclesiæ Colcniensis pastorem, adeoque pontificatus Burdigalensis excluditur. Idem paulo* F *inferius habetur, quando populo Coloniensis exprobatur*, quod pastorem et episcopum suum non habeat; populo *dein acclamant,* Severinum sanctissimum sedi propriæ restituendum esse.

f *Ex iis quæ infra num.* 18 *dicuntur, nempe dissidium pro Reliquiis S.* Severini *inter Colonienses et Burdigalenses ad arma spectasse, arguere licet* beatam Coloniensium et vicinorum societatem *valde numerosam fuisse, et agminis instar processisse armatam.*

g S. Severini Castellum, *hodie* S. Seurin, *etiamnum exsistit. Primum monasterium Ordinis S. Benedicti, dein ad canonicos regulares S. Augustini transiit, qui et ipsi habitum sæcularem postea acceperunt* (3). *Nunc est parochia ruralis juxta Burdigalam. Anno primo imperii sui, id est anno Christi* 814, *Ludovicus Pius diploma dedit* (4), *quo* villam quæ dicitur Miscaria, in pago Santonico super fluvium Garumnam sitam, cum omnibus appendenciis suis, ad supplementum fratrum, in ipso mo-

(1) Migne. Patrol. tom. **LXXI**, col. 236. — (2) Admir. Colon. tom. **VI**, pag. 458. pag. 274. — (3) Gall. Christ. tom. **II**, col. 857. — (4) **D. Bouquet.**

nasterio

AUCTORE J. V. H.

nasterio consistentium, reddit. *Sed paulo serius idem Ludovicus ad preces Sicharii, Burdigalensis archiepiscopi, diplomate declaravit* (1) *monasterium S.* Severini, ubi etiam requiescit ipse, constructum in suburbio ipsius civitatis *pertinere ad sedem Burdigalensem. Diploma non exprimit annum, quem Carolus le Cointe in suis Annalibus ad annum* 814 § LXIV *initio imperii Ludovici Pii illigat; pro quo quidem tempore aliud nihil patrocinari videtur, nisi quod dicatur* oblatam *fuisse* obtutibus *imperatoris* immunitatem domini et genitoris *ejus,* Karoli, bonæ memoriæ serenissimi augusti. *Sed hæc privilegiorum confirmatio serius etiam concedi potuit. Nullum itaque exstat monumentum, quo chronologia stabiliri possit; nam incertum est tempus, quo Sicharius pontificatum suum inchoavit et finiit* (2).

h *Annotato* f *indigitavimus, controversiam ad sanguinis usque effusionem deventuram fuisse, nisi sapientiorum consilia prævaluissent.*

i *Antiquissimus simul et celeberrimus est SS. Cornelii et Cypriani cultus : de quo vide,* B *quæ nostri habent ad diem* XIV *Septembris* (3) : *translato illuc corpore S.* Severini, *ab eodem titulum accepit ecclesia, de qua egimus in Commentario prævio num.* 13. *Sed latius etiam propagatus est cultus S.* Severini, *non solum in diœcesi Coloniensi, sed etiam extra eamdem, sic, teste editore Lovaniensi Butleri ad* XXIII *Octobris, jam septimo sæculo ejus memoria in loco* Biesme, *pagi Fossensis, diœcesis* D *Namurcensis, celebrabatur : in eodem quoque episcopatu reperio duas ecclesias parochiales sub S.* Severini *invocatione consecratas, nempe* Bihain, *in pago Houffalise et* Aye *in pago Marcensi.*

k *S.* Severinus, *ut habet Gelenius* (4), *vocatur* Sanctus pluvialis, *quatenus sua intercessione triennalem siccitatem depulerit, ut narratur num.* 16.

l *Iter Gallicum* propter pœnas, injuste sibi illatas, *instituit Leo Papa III anno* 799 (5).

m S. Severini, *inquit Gelenius* (6), et aliorum Sanctorum Reliquias Colonienses hebdomadaria secundæ feriæ statione toto anno visitant.

n *Regino Prumiensis coævus vastationem Coloniensem illigat mensi Novembris anni* 881 (7). *Alii plerumque eamdem in annum sequentem reponunt. Quod facile conciliari potest; nam ante captam Coloniam, primo Leodium, dein Trajectum, post Tungros occuparunt:* secunda *autem, ait Regino,* incursione Ripuariorum finibus effusi, cædibus, rapinis ac incendiis E cuncta devastant, Coloniam Agrippinam..... igne comburunt. *Unde probabile est, vastationem incepisse quidem mense Novembri* 881, *sed Coloniam attigisse solum anno* 882.

o Rustice, *id est vernacule seu Scandice significantur locuti Nortmanni.*

(1) Ibid. pag. 557. — (2) Gall, Christ. tom. II, col. 796. — (3) Act. SS. tom. IV sept. pag. 181 et 337. — (4) Admir. Colon. pag. 274. — (5) Cfr Baron. ad hunc an. § VI. — (6) Admir col. pag. 274. — (7) Pertz. Monum. Germ. hist. tom. I, pag. 592.

DE S. SEVERINO,

EPISCOPO ET CONFESSORE, BURDIGALÆ.

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ Unicus. S. Severinus, sicut multi alii eodem tempore, in Gallias advena, Ecclesiam administrat Burdigalensem.

C F

INITIO SÆCULI V. *Varii adducuntur viri sancti,*

De S. Severino *episcopo, quatenus diversus est ab ejus homonymo Coloniensi non alia cognoscimus, quam quæ refert Gregorius Turonensis libro de Gloria Confessorum cap.* XLV. *Sufficeret itaque narrationem Gregorii, quibusdam Annotatis illustratam, exhibere, nisi operæ pretium duceremus, allatis quibusdam exemplis, monstrare insolens non fuisse antiquis temporibus, viros sanctos patriam reliquisse, ut christianas disciplinas propagarent etiam in iis regionibus, quæ fidem catholicam jam susceperant : unde et factum est, ut istiusmodi viri de adoptiva patria optime meriti, summos honores non raro apud populares adscriptitii consequerentur. Ne vero sermo noster longius excurrat, ea solum exempla adducimus, et quæ Gallias attingunt et intra tria sæcula, quæ S.* Severini *nostri tempus circumcingunt, continentur : itaque quos adducimus Sanctos, ii sæculo* IV, V *aut* VI *floruerunt. Omnes enim norunt primos Galliarum apostolos, qui antiquas regionis sedes fundarunt aut e Græcia per SS. Pothinum et Irenæum, aut ex Italia per SS. Trophimum, Saturninum, eorumque socios processisse. Hic autem de iis viris, qui, constitutæ jam Galliarum Ecclesiæ opem contulerunt, loquimur.*

2 *Sæculo quarto ex Africa in Gallias venerunt SS. Marcellinus, Domninus et Vincentius; Marcellinus quidem Ebredunensem, Domninus Diniensem fundarunt Ecclesias* (1). *Eodem sæculo S. Cassianus, ex Alexandria Ægypti in Gallias appulit, et Rheticio, Augustodunensi episcopo successit* (2). *Sæculo dein quinto videmus Diogenem græcum episcopale officium exercuisse apud Atrebates : negat quidem Josephus Ghesquière Diogenem hunc aut umquam Cameracensem vel Atrebatensem episcopum fuisse, aut cultum aliquem obtinuisse* (3); *sed nequaquam inficias it, talem virum, ante S. Vedastum, adeoque currente sæculo quinto, in istis* *qui, relicta patria,*

(1) Cfr Act. SS. tom. II febr. pag. 660 et tom. II apr. pag. 760. — (2) Ibid. tom. II aug. pag. 59. — (3) Act. SS. Belg. tom. I, pag. 437.

regionibus

A *regionibus ministerium sacrum exercuisse* (1). *Sic et Severum Indum legimus, florentem tempore Leonis et Zenonis, cujus suasu templum S. Stephani Viennæ Allobrogum excitatum fuit* (2). *Joannes quoque Cassianus, sive Scytha sive Atheniensis origine, post multiplices peregrinationes, tandem Massiliæ conquiescit, fundator duorum monasteriorum pro utroque sexu* (3) : *sic et Abraham, natale solum ad Euphratis fluvium nactus, moritur abbas monasterii Claromontani in Alvernis* (4).

circa sæc. V Gallias excoluerunt.

3 *Sexto sæculo occurrit S. Fortunatus, episcopus Vercellis natus, qui cupiens S. Germanum Parisiensem coram videre, iter in Gallias arripuit, et in agro Senonensi vita functus est* (5). *Licerius ex Hispania oriundus, voluntarium elegit exsilium, et factus episcopus Conseranensis in Occitania nomen suum indidit civitati* (Saint-Lizier, département de l'Arriège) (6). *Paulus Warnefridus, vulgo dictus Paulus Diaconus, in suo libro de Gestis episcoporum Metensium, inter episcopos sæculi sexti numerat* (7). Vigesimum Fronimum; post quem Chromatium; dein Agathandrum, *additque :* Tres itaque isti, quos præmisimus, sicut in eorum nominibus attenditur, de origine credendi sunt emanare Græcorum (8). *Benedictini scriptores Historiæ Metensis ad hunc Warnefridi locum dicunt, omnia monumenta Metensia illos, propter solam nominum etymologiam, haberi quasi græcos origine. Non vacat id operosius inquirere : sufficit animadvertisse, insolens non fuisse istis sæculis, quod viri alienæ regionis sedes episcopales in Galliis conscenderint, alioquin ex nuda, ut volunt Benedictini, nominis etymologia, Warnefridus conjecturam non expressisset suam. Ex hactenus adductis exemplis intelligitur, quo pacto peregrinus aliquis episcopus et Burdigalam advenerit, et, instantibus cpiscopo, clero ac populo, pontificatum ad obitum gesserit. Quamvis a Gregorio Turonensi* de partibus Orientis *venisse dicatur, latinum crediderim, utpote qui* Severini *nomen gesserit. Neque aliud de S.* Severino *Burdigalensi dicendum occurrit, quod in Annotata ad brevem Vitam, quam laudato ex libro S. Gregorii de Gloria Confessorum damus, commodius*

C *rejici non possit.*

BREVIS VITA

S. SEVERINI,

BURDIGALENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS,

Ex Gregorii Turon. libro de Gloria Confessorum, cap. XLV a.

a

S. Severinus, *ex Oriente advena*

b

Habet et Burdegalensis urbs patronos venerabiles, qui sæpius se virtutibus manifestant, Sanctum Severinum episcopum suburbano murorum summa excolens fide *b* : et licet jam dixerimus in Prologo libri hujus, ut ea tantum scriberemus, quæ Deus post obitum Sanctorum suorum, eis obtinentibus, est operari dignatus *c* ; tamen non puto absurdum duci, si de illorum vita memoremus aliqua, de quibus nulla cognovimus esse conscripta. Sanctus igitur Severinus, ut ipsorum Burdegalensium clericorum fidelis relatio profert, de partibus Orientis ad eamdem destinatur urbem *d*. Dum autem iter ageret, et Ecclesiam Burdegalensem Amandus episcopus regeret *e*, apparuit ei Dominus in visu noctis, dicens : Surge et egredere in occursum famulo meo Severino; et honora eum, sicut honorari Scriptura Sancta docet amicum divinitatis : melior est enim te, meritisque sublimior. Exsurgens autem Amandus episcopus, accepto bacillo in manu sua *f*, perrexit in occursum ejus, nihil de viro sancto sciens, nisi quæ Dominus revelasset.

AUCTORE GREGOR. TURON.

c

d

e

f

2 Et ecce Sanctus Severinus veniebat quasi obviam ei. Tunc appropinquantes sibi, ac propriis se nominibus salutantes, ruunt pariter in amplexus, deosculatique, fusa oratione, ecclesiam cum magno psallentio *g* sunt ingressi. Quem dein in tantum dilexit ac veneratus est Amandus episcopus, ut eum in locum suum substitueret, ac ipse quasi junior habebatur. Denique post paucos annos obiit beatissimus Severinus. Quo sepulto, Amandus episcopus recepit locum suum, quem ei non dubium est per obedientiam redditum, quam in Dei Sanctum exercuit *h*. Ex hoc incolæ, cognita ejus sanctitate, patronum sibi asciscunt, certi quod si quandoque urbem aut morbus obrepat, aut hostilitas obsideat, aut aliqua querela percellat, protinus concurrentes populi ad basilicam Sancti, indictis jejuniis, vigilias celebrant, devotissime orationem fundentes, et mox ab imminenti calamitate salvantur *i*. Vitam tamen hujus, postquam hæc scripsimus, a Fortunato presbytero conscriptam cognovimus *k*.

Burdigalensem Ecclesiam sanctissime regit.

g

E

h

i

k

ANNOTATA.

a *Damus textum Gregorii Turonensis secundum editionem Theodorici Ruinart, quam novis typis excudit presbyter J. P. Migne in sua Patrologia seu collectione omnium Patrum Ecclesiæ.*

F

b *Suspicor, Gregorium ignorasse Severinum Coloniensem aliquando Burdigalæ fuisse atque illic diem obiisse supremum. Nam summus ille cultus in suburbano exhibitus, titulus patroni, et, ut in fine dicitur, recursus populi ad Sancti tumulum in omnigena calamitate, apprime conveniunt Coloniensi episcopo, ut satis liquet ex Historia translationis corporis ejus. Nominis similitudo effecit, ut, confusis in unum utriusque gestis, alterius cultus hactenus oblitteratus permanserit. Certe quum dicatur, S.* Severinus *Burdigalensis S. Amando, qui tamen cultu ecclesiastico gaudet, et* melior *et* meritis sublimior, *de ejus sanctitate dubitandum non est.*

c *In Prologo libri de Gloria confessorum* (9) *non dicit hæc aperte auctor, sed solum, in hoc libro velle se agere de* miraculis Confessorum, *quatenus per illa Dominus servos suos glorifica-*

(1) Cfr Le Cointe. Annal. eccles. an. 538 § 70 et Gall. Christ. tom. III, col. 2. — (2) Act. SS. tom. II mart. pag. 448, num. 3. — (3) Ibid. tom. V jul. pag. 458. — (4) Ibid. tom. II jun. pag. 1038. — (5) Ibid. tom. III jun. pag. 601. — (6) Ibid. tom. VI aug. pag. 47. — (7) Migne. Patrol. tom. XCV, col. 704. — (8) Hist. de Metz, tom. I, pag. 243. — (9) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 830.

AUCTORE J. V. H.

verit; quod plerumque post eorum obitum contingit. In hoc autem elogio S. Severini *agit magis auctor de ejus occursu cum S. Amando et regimine Ecclesiæ Burdigalensis, quin specialis alicujus miraculi mentionem injiciat.*

d *Per Orientis designationem non continuo Græcia aut Asia intelligenda sunt : ipsum Sancti nomen, latinum quum sit, originem latinam indicat : S.* Severinus, *etiam ex Italia aut Africa veniens, recte de* Orientis partibus, *adventare Burdigalam dicetur.*

e *De S. Amando, episcopo Burdigalensi, egerunt nostri sub die, quo colitur,* XVIII *junii* (1).

f *Bacillus, quem in manu sua accepit S. Amandus, significare potest baculum viatorium, vel etiam baculum pastoralem, quem et pedum et ferulam vocant antiqui. Posteriorem significationem præferendam hic loci censeo : videtur enim S. Amandus solemni ritu S.* Severino *obviam processisse, siquidem paulo infra uterque dicitur ingressus ecclesiam* cum magno psallentio, *id est, ut hoc verbum interpretatur Carolus Du Cange in suo Glossario, cum psalmorum et hymnorum concentu. Illo certe tempore* B *episcopalis potestatis jam insigne erat baculus, ut constat exemplo S. Victuri, Cenomanensis episcopi, qui, ut narrant Gesta episcoporum Cenomanensium* (2), *obviam factus S. Martino Turonensi, salutatur pontifex et in signum futuræ sanctitatis* Beatus Martinus dedit illi baculum suum, quo sustentari solebat. *Videtur tamen etiam sæculo quinto baculum simplicem fuisse, si de pedo pastorali agit Vita S. Cæsarii Arelatensis, lib.* II, *num.* 22 (3), *quam ediderunt nostri sub die* XXVII *augusti. Etenim quum quidam in locis Alpinis videret, quod cunctos suos fructus vis grandinis devoraret, de* baculo *S. Cæsarii, qui* casu *apud virum* remanserat, crucem fieri jussit, quam eminentiori loco fide armatus infixit, ut, veniente lapide, contrairet virga discipuli, crux magistri. *Ex quibus satis liquet S. Cæsarii baculum in summitate recurvum non fuisse, sed rectum, qui facile in crucem decussari posset.* D

g *Jam supra animadvertimus,* psallentium *esse cantum ecclesiasticum ac psalmorum et hymnorum concentum* (4).

h *In Commentario prævio ad Acta S. Severini Coloniensis num.* 3 *monstravimus S. Amandum vere renuntiasse sedi suæ, quæ dein, mortuo S.* Severino, *ei reddita est.*

i *Jam animadvertimus supra Annotato* b, *frequentem istum populi Burdigalensis recursum in calamitatibus publicis magis spectare ad S. Severinum Coloniensem : videtur Gregorius ignorasse, hunc, Burdigalæ mortuum, ibidem sepulchrum fuisse nactum.*

k *Optandum omnino foret ut* Severini *nostri Vita, a Venantio Fortunato conscripta et hactenus deperdita, reperiretur. Michael Angelus Luchi,* E *monachus Cassinensis, anno* 1802 *a Pio VII creatus S. R. E. Cardinalis* (5), *novis curis Venantium edidit, quam editionem recudit presbyter J. P. Migne; et licet varia adjecta fuerint, hactenus tamen S.* Severini *Vita omnes latet. Quod autem Venantius dicatur a Gregorio Turonensi presbyter, licet sedi Pictaviensi immortuus sit, nihil negotii facessit : nam Gregorius obiit anno* 595, *Venantius autem anno* 599 *Pictaviensem cathedram conscendit* (6). *De utroque Sancto agetur, de Gregorio Turonensi ad diem* XV *kal. decembris; de Venantio vero* XIX *kal. januarii.*

(1) Act. SS. tom. III jun. pag. 587. — (2) Mabillon. Vet. Anal. pag. 244. edit. Paris. 1723. — (3) Act. SS. tom. VI august. pag. 80. — (4) Du Cange. Glossar. med. et inf. latinit. v° *Psallentium.* — (5) Novaes. Vite dei sommi Pontef. tom. XVIII, pag. 127. — (6) Migne. Patrol. tom. LXXXVIII, col. 47.

DE S. JOANNE,

CONFESSORE ET EPISCOPO SYRACUSANO,

J. V. H. C

COMMENTARIUS PRÆVIUS. F

§ Unicus. Cultus certus : incerta professio monastica : vitæ chronotaxis.

Circa annum 609. *Certus S.* Joannis *cultus:*

De S. Joanne, *Syracusano episcopo, paucissimis præfari debemus: quæ enim de ejus rebus gestis cognoscimus, ex epistolis S. Gregorii desumpta sunt, quarum ope Octavius Cajetanus noster in Hagiologio Siculo Vitam concinnavit, omnibus suis numeris absolutam, quam infra edemus et Annotatis pro more illustrabimus. De sancto antistite nostro silent omnia, quantum novi, Martyrologia et Menologia, uno excepto Ferrario, qui in Catalogo Sanctorum, in Martyrologio Romano omissorum, ad hanc diem,* XXIII *octobris, eum recenset his verbis:* Syracusis in Sicilia, S. Joannis episcopi, a S. Gregorio Papa I ordinati. *Annuntiationem suam deprompsisse se ait Ferrarius* ex Tabulis Ecclesiæ Syracusanæ, cui præfuit. *Sed Ferrarius quandoque tabulas citat, quas numquam videt. Attamen ex plerorumque Martyrologiorum silentio id solum deduci potest, cultum S.* Joannis *Syracusani intra terminos istius diœcesis circumscriptum fuisse: unde in sola kalendaria Syracusana illatus fuit. Neque omittendum, majorem esse kalendariorum, quam Martyrologiorum auctoritatem, quoniam illa cultum sacrum quotannis exhibitum testantur, dum dubia hærent sæpe Martyrologiorum testimonia, utpote quæ pro singulari quandoque scriptoris affectu adornantur. Cujus additionis exempla non raro occurrunt in Auctariis Usuardi et Adonis ac in Menologiis. Solum igitur kalendarium Syracusanum plus valet ad demonstrandum S.* Joannis *cultum, quam ejus nomen in obscuro aliquo Auctario interpolatum : præsertim quum ejus sanctitatis famam luculentissimis verbis, ut infra ostendemus, S. Gregorius Magnus deprædicarit. Simile testimonium ab*

A *ab eodem sancto Pontifice datum S. Maximiano fundamentum nostri in hujus Actis ad diem* IX *junii* (1) *habent legitimi cultus. Unde merito S.* Joannem *albo sanctorum accensemus.*

dubia professio monastica;

2 *Unum nullo verbo Cajetanus in Vita infra edenda attingit; nempe utrum ante episcopatum monachus Benedictinus fuerit. Id quidem asserit Rochus Pirrus in Sicilia Sacra* (2), *quem sequitur Cajetanus Moroni in suo erudito opere, Lexico ecclesiastico, verbo* Siracusa (3). *Ast, quantum novi, nullo idoneo testimonio affirmatur. Satis notum est, non undequaque compositam esse controversiam de monachatu Benedictino S. Gregorii* (4), *quo nutante, nutaret quoque S. Maximiani,* Joannis *nostri decessoris professio Benedictina: adeoque ipse* Joannes *Benedictinis plane abjudicandus videretur. Sed hisce omissis, Joannes Mabillon Sanctum nostrum in suis Annalibus lib.* VIII § 55 *Benedictini instituti alumnum minime facit, dicens, illum* monachum, si Rocho Pirro hac in re fides, Benedictinum, *satis significans, neminem se novisse, qui ante Pirrum, sæculi* XVII

B *scriptorem, istiusmodi qualitatem S.* Joanni *episcopo Syracusano tribuerit. Enimvero ex S. Gregorii epistola* XVII *lib.* V (5) *habemus, sanctum nostrum ante susceptum episcopatum fuisse* archidiaconum Catanensis Ecclesiæ; *quapropter dubium mihi est, an simul monachus fuerit; quoniam idem S. Gregorius caverat, ne monachi ita ad clericatum accederent, ut inde occasio vagandi extra claustra nasceretur:* Si quos, *ait epist.* XLII *lib.* I (6) a clericatu in monachicam conversionem venire contigerit, non liceat eis ad eamdem vel aliam Ecclesiam, quarum pridem milites fuerant, sua voluntate denuo remeare, nisi talis vitæ monachus fuerit, ut episcopus, cui ante militaverat, sacerdotio dignum prævideri, ut ab eo debeat eligi, et in loco, quo judicaverit ordinari. *Frequenter apud S. Gregorium vox* sacerdos *et* sacerdotium *pontificalem gradum designat; unde consequitur, si vera sit interpretatio, monachus ad inferiora episcopatus officia in ecclesia sæculari deputari non posse; ex altera parte vult idem S. Gregorius epist.* XLI *lib.* II (7), *ut* monachi semper

C *maneant in abbatum suorum potestate. Quæ omnia quidem difficulter cum archidiaconatu Catanensi conveniunt. Hinc tamen nemo, velim, deducat sacrum ministerium monachis interdictum fuisse; sed solum voluisse S. Gregorium, ut monachi, ad sacros ordines promoti, suis sub præsulibus constituti, occasionem liberioris et laxioris vitæ non captarent* (8).

initium et tempus episcopatus.

3 *Quoad chronotaxin attinet, pauca habemus. Maximianus, S.* Joannis *decessor, obiit anno* 594; *nam vita functum mense junii, primum* mense novembri *innotuit Pontifici, ut ipse scribit ad Cyprianum diaconum epist.* XVII *lib.* V (9): *et anno sequenti* 595 Joannes *consecrari potuit. Etenim præcedens epistola ad Datianum episcopum,* X *kal. januarii scripta fuit* (10) *adeoque epistola ad Cyprianum posterior aliquot saltem diebus, vix ante initium anni* 595 *dari potuit: in qua quidem agebatur solum, de proponendo* Joanne archidiacono Catanensi, *nisi* Trajanum, bonæ mentis et nullis criminibus involutum presbyterum, maxima pars eligeret: *unde conjicitur, S.* Joannem *anno primum* 595 *Syracusanam cathedram conscendisse. Sed quam certum est episcopatus initium, tam dubius est ejus finis, seu obitus sancti antistitis. Pirrus in Sicilia sacra* (11), *dicit obiisse anno* 609 sub Tiberio et Martio impp. *Non est quod huic chronotaxi repugnemus, gratum tamen fuisset, propius inspicere fontem, ex quo hanc deduxit Pirrus; proinde eamdem tamquam verisimilem assumimus et in capite hujus Commentarioli posuimus. Nihilominus animadvertendum ducimus, nullum Martium imperatorem umquam exstitisse: et quod ad Tiberium, hujus nominis Secundum, spectat, hic ab anno* 578 *ad* 582 *in Oriente regnavit, adeoque diu ante pontificatum S.* Joannis *Syracusani fatis concesserat. Si quidem sanctus antistes noster anno* 609 *obiit, dicendum esset* Phoca imperante *mortem accidisse.*

VITA S. JOANNIS E

EPISCOPI SYRACUSANI,

Auctore Octavio Cajetano S. I.

Ex tomo I Vitarum Sanctorum Siculorum.

CAPUT UNICUM.

Sancti electio ad Ecclesiam Syracusanam; res gestæ in episcopatu; laudes a S. Gregorio Magno eidem tributæ : obitus.

Maximiano, episcopo Syracusarum, extincto *a*, cleri populique studia vertere se ad successoris delectum; quo potissimum Gregorius, Pontifex Romanus, animum intendit, qui sollicitudine Ecclesiæ tum vacuæ vel maxime urgebatur. Scripsit igitur ad Cyprianum diaconum, patrimonii in Sicilia rectorem, ut videret, quis defuncto Maximiano successor destinandus foret. Credebatur, Trajanum presbyterum a Syracusanis delectum iri, quem virum bonum fama vulgaverat, sed Gregorii judicio tantæ provinciæ impar erat. Is Cypriano mentem aperuit suam; Joannem Ecclesiæ Catanensis archidiaconum, digniorem sibi videri, qui Maximiano succederet : proin hoc ageret, ut is eligeretur *b;* operam vero præstaret cum Leone, episcopo Catanensi, ut orbari se archidiacono suo facile pateretur, majore Christi Ecclesiæ bono *c :* plane rem summa quum prudentia, tum diligentia conficeret. Hic si commemoraverimus illustre Gregorii testimonium de Maximiano, neutiquam habere se parem viro illi episcopum, quam Syracusis præficeret, summam testificationem Joanni virtutum esse dixerimus, di-

S. Joannis, agente S. Gregorio,

a

F

b

c

(1) Act. SS. tom. II jun. pag. 241. — (2) Apud Grævium Antiquit. Ital. tom. X, vol. II, col. 585. — (3) Tom. LXVI, pag. 308. — (4) Act. SS. tom. II mart. pag. 123. — (5) Migne. Patrol. tom. LXXVII, col. 737. — (6) Ibid. col. 496. — (7) Ibid. col. 580. — (8) Exam. Hist. et canonic. libri Mar. Verhoeven, pag. 402. — (9) Migne. Patrol. tom. LXXVII, col. 737. — (10) Ibid. l. c. — (11) Antiq. Sicil. tom. X, vol. II, col. 487.

gnum

AUCTORE OCTAVIO CAJETANO.

gnum Maximiani successorem a Magno Gregorio existimatum fuisse.

episcopus Syracusanus electus, *d*

2 Interea Syracusis conventus agebantur, sed inter se discordantes *d* : nam a clero et plebe Agatho, nescio quis alter, delectus est : at nobilitas Syracusana, id oneris sapienter declinans, in Romanum Pontificem rejecit; adjectoque insigni elogio B. Maximiani, parem episcopum a Gregorio postulabat. Is, nobilium Syracusanorum laudata modestia, scripsit, ut quos clerus ac plebs delegissent, mitterent ad se in urbem, ut quem potius *e* institueret, coram decerneret *e*. Dum dantur ultro citroque litteræ, Cyprianus, qua pollebat dexteritate, præstitit, ut a clero populoque Syracusano, compositis rebus, Joannes archidiaconus Ecclesiæ Catanensis deligeretur, quem sanctissimus vir Gregorius deligendum censuerat. Igitur ab excessu Maximiani, post annum et menses ferme quatuor, Gregorius Joanni episcopo pallium, more majorum permisit; admonens, ut quod ad sacerdotalis officii decus accepisset, exornare moribus B contenderet : futurum utroque honore conspicuum, si corporis habitus virtutesque animi consentirent. Simul etiam Ecclesiæ Syracusanæ privilegia auctoritate apostolica firmavit, decernens ut rata in posterum manerent *f*.

f *pallio donatur,*

3 Sub idem tempus scripserat ad Gregorium Joannes, ad novam Ecclesiam proficiscenti, arduumque regendi onus subeunti necessarium sibi esse presbyterum, quocum vetus* in Ecclesia Catanensi usus fuerat *g*. Causa erat, ut quum negotiorum rerumque angustiis premeretur, notum hominem haberet, in cujus secreto pectoris requiem ac levamen inveniret; proinde curarum suarum solatium, opemque a Pontifice deprecabatur; si ejus auctoritas intercederet cum Leone episcopo, certus spei erat, presbyterum benigne sibi concessum iri. Gregorius vero, Joannis epistola permotus, scripsit ad Cyprianum, ut cum Leone episcopo ageret, leniterque suaderet, ut hominem, quem Joannes episcopus expetebat, dare vellet; quemque, ut episcopus institueretur, volens concesserat, cumdem jam subsidiis solatiisque necessariis C destitutum ne pateretur. Simul Joannis episcopi modestiam commendabat, qui eo animo adhuc esset erga Leonem episcopum, ut ejus se archidiaconum profiteretur; neque futurum, ut beneficiorum oblivisceretur *h*.

* diu

g

h *et strenue agit,*

4 Sane Joannes, ut administrationem Ecclesiæ suscepit, adversus Venantium patricium strenue pro ecclesiastica jurisdictione decertavit *i*. Sed is, ut impotentes animi homines solent, perinde ac accepisset et non fecisset injuriam, litteras questuum plenas ad Gregorium scripsit. Sanctissimus vero Pontifex, aliunde intellecta re, Venantium per litteras objurgat, quod in episcopi domum homines armatos immisisset; Joannem episcopum justo in eum dolore commotum; probeque nosse se, qua ille gravitate, mansuetudineque et sanctitate polleret. Dein monet, ut sacerdotem et parentem suum, ut filium deceret, revereretur, neque ad iram animum ejus provocaret : sed tumore animi deposito, ageret causam suam, caritate intemerata. Litteris vero suis Gregorius Joannem episcopum hortatus est, ut Venantium, perinde ac filium, reciperet in gratiam, et benevolentiæ officiis D promereri studeret : simul Ecclesiæ jurisdictionem ita tueretur, ut nullum caritas detrimentum caperet *k*.

i

k

captivos redimit;

5 Jam vero quum impiis Longobardorum armis Italia vexaretur, et benignissimus Pontifex redimendis captivis insigniter operam præstaret, Joannes, quum studia ejus æmulatus tum profusos sumptus commiseratus, pecunia, per Candidum missa, Gregorium juvit. Qui caritatem episcopi mirifice complexus est, eique per epistolam gratias egit. Quod autem Joanni, ex animo suo metienti rem, modicum visum esset, contra Gregorius ultra modum ex episcopi opibus æstimavit, magnifico largitatis ejus elogio, quod penes quem greges pauperum essent, semota adeo loca explenda misericordia perquireret. Extrema vero epistola Gregorius Joannem monet ne scripta sua coram extraneis ad prandium cœnamve legi permitteret *l*. Quod monitum in utriusque *l* laudem cedit : nec modestiam modo Gregorii monstrat; sed Joannis pietatem et sacerdotalem in capiendo cibo temperantiam, qui sacra E lectione mensam instrueret suam, animumque reficeret.

Romam proficiscitur;

6 Post quinquennium Joannes episcopus profectionem ad limina Apostolorum molitus : sed auditum Gregorius iter prohibuit *m*. Crediderim Ecclesiæ Syracusanæ bono vetitum, cui Gregorius Joannem pernecessarium sciret. Verum is in tristitiam lapsus, quod desiderio suo pietatique facere satis non posset; ut Gregorius intellexit, quum diligeret et videre episcopum percuperet, nubeculam illam mœroris ex animo ejus excussit, facta potestate, ut opportuno tempore Romam navigaret. Primo igitur vere, anno 602 Joannes ad S. Gregorium profectus est, et Sanctorum Apostolorum limina veneratus. Ex Urbe regredienti administrationem sacri patrimonii Gregorius commisit, quam ultra annum procuravit, donec ad illud regendum Adrianus Cartularius in Siciliam a Gregorio missus est *n*. Sed ex Gregorii epistolis, negotiisque, *n* Joannis episcopi fidei permissis, facile cognosces, quantum Gregorius ejus integritati virtutique subniteretur. Nam Decii causam epi- F scopi Lilybætani cognoscendam B. Joanni demandavit *o*. Sane quum Lucillus, Melitæ *o* episcopus, apud Sedem apostolicam recusatus fuisset, Gregorius ad Joannem scripsit, ut, episcopis quatuor in concilium adhibitis, de illius facinoribus judicaret; presbyterisque ac diaconis, qui scelerum participes fuissent,* efficeretque, ut quantum illi Deum ad iracundiam facessivissent, tantum severa ipse emendatione placaret *p*. Factum ab eo, quod *p* Pontifex imperavit, ac Lucillum, flagitiorum convictum, de gradu dejecit. Ad hoc accusationem Bizaceni primatis provinciæ Africæ Gregorius ad arbitrium Joannis retulit : hoc addito præconio, de ejus amore in omnipotentis Dei causa certum esse : exsequi ne dubitaret : quod Joannes ageret, putaret egisse Gregorium *q*. Præterea controversiam de agro- *q* rum finibus inter Cæsarium, abbatem monasterii S. Petri ad Bajas, et Joannem, abbatem S. Luciæ prope Syracusas, ad eumdem episcopum detulit *r* : itemque præscripsit, ut in *r* diaconos Ecclesiæ Catanensis inquireret, proceuere

* *supple* pœnas irrogaret

s cedere ausos in calceis compagis *s*, quod diaconis solum Messanensibus sedes Romana concesserat.

a S. Gregorio mire laudatus, 7 Ea vero Gregorii de Joanne existimatio fuit, ea de virtute ejus opinio, ut perscriptas contra eum querimonias semper suspectas habuerit, mox falsas repererit. Itaque rescripsit ad Felicem, qui querelas ad Pontificem dederat, quidquam injuria factum a Joanne ne suspicari se quidem potuisse; quod neque ejus cogniti mores neque actus permitterent. Venantium patricium, de eo conquestum acriter incusavit, asserens, haud ignotum sibi, qua Joannes episcopus sanctitate præstaret. Sed ejus Gregorius sæpe numero summa cum laude meminit : appellat virum providi consilii; laudat ejus mores, justitiam, sapientiam, curam rerum Ecclesiæ. Alias scire se ait, sanctitatis ejus discretionem et inditam illi
t tranquillitatem *t;* de ejus sanctitate et sollicitudine certum esse; quod amorem suum, quoties se offerret occasio, in B. Petrum præferre non cessaret; certumque esse se, de amore
B ejus in Dei causis. Quæ Joannis episcopi præconia satis omnes intelligunt, quanti facienda sunt, quum ex S. Gregorii judicio gravissimo et integerrimo proficiscantur.

sancte obit. 8 Cæterum Joannem episcopum prophetiæ spiritu clarum fuisse, historiæ S. Zozimi antiquus scriptor prodit, qui DCCC ante annos vixit. Nam quum defuncto B. Fausto, abbate
v monasterii S. Luciæ *v*, inter monachos certaretur, quem in ejus locum sufficerent, pluresque præfecturam illam ambirent, de communi consilio res ad Joannem episcopum delata est, virum per id temporis (hoc ornat elogio scriptor ille) sanctitatis reverentia plenum et præconio venerabilem, virtute præcipuum, præscientiæ gratia ditatum. Joannem igitur adiit monachorum cœtus, relicto Zozimo, sepulcri S. Luciæ ejusque ecclesiæ custode. Sed ille sacrum conventum intuitus, ac Zozimum, quem contempserant abesse divino Spiritu pernoscens, interrogat, numne aliquis in monasterio remansit? Nemo, respondent, venerabilis pater. Rursum episcopus rogitat : Videte, inquit, quemquamne habeatis in mo-
C nasterio? Respondere, non alium illic esse præter ostiarium ad ecclesiæ custodiam relictum. Tum Joannes ut mature Zozimum accerserent, jussit. Coram adductum summo cum honore excipit, cæteris omnibus præ insolentia rei in admirationem defixis. At sanctissimus episcopus, quum, revelante Deo, videret super Zozimum, adolescentem contemptum, requiescere spiritum Domini, ad monachos conversus. Hic, inquit, abbas vester est. Mox presbyterum et abbatem inauguravit : ita lapis rejectus, factus est in caput
w anguli *w*. Cæterum quot annos B. Joannes in episcopatu vixerit, incertum : crediderim
x S. Gregorio superstitem fuisse *x* : sed pie sancteque obiisse, ex scriptoribus, qui post eum floruere, satis constat. S. Joannis episcopi festus dies in Ecclesia Syracusana colicur x kalendas novembris.

ANNOTATA.

AUCTORE J. V. H.

a *De S. Maximiano egerunt nostri majores ad diem* IX *junii* (1).

b *Hæc ad litteram fere excripsit biographus ex epist.* XVII *libri* V (2).

c *Adeo clerici Ecclesiæ propriæ addicti erant, ut sine episcopi diœcesani licentia ne ad episcopalem quidem dignitatem assumi possent. Quod etiamnum viget pro Regularibus, qui ad episcopatum vocati, eumdem accipere debent de consensu sui prælati : quapropter eorum electio potius postulatio dicenda est, ut docent juris canonici periti. In casu autem nostro dicit, quod si* Joannes, *archidiaconus Catanensis, electus fuerit episcopus Syracusanus, Leo, Catanensis episcopus*, cessionem facere debebit, ut Joannes liber ad ordinandum possit inveniri. *Eadem disciplina vigebat etiam sæculo* IX *: nam quum Hincmarus, Remensis archiepiscopus, examinaret Willebertum, episcopum Catalaunensem ordinandum, inter alia, ut habent Formulæ antiquæ promotionum episcopalium apud Sirmondum* (3), de aliena provincia (*nempe* E
Turonensi) *Willebertum esse* cognoverunt. *Igitur* humiliter domnus Hincmarus archiepiscopus simul cum coepiscopis et clero, ordine et plebe Catalaunica ab Herardo (*Turonensi archiepiscopo*) eum petiit et impetravit ac canonice illum ei commisit.

d *Ad electionem episcopi, tempore S. Gregorii Magni concurrebat clerus et populus Ecclesiæ viduatæ : unde conventus agebantur, in quibus tractabatur de futura electione : quapropter inter epistolas sancti Pontificis variæ leguntur directæ ad clerum et populum; sic epistola* XXXIX *lib.* II ad clerum, ordinem et plebem Crotonæ (Cotrone, *hodie etiam civitas episcopalis sub metropoli Regiensi in Calabria*) *commendat,* quatenus in ecclesiastico officio sacerdos exquiratur, qui a venerandis canonibus nulla discrepat ratione (4). *Vox* Ordo *apud S. Gregorium sæpe nobilitatem designat, aliquando ab eo distinguitur, quo casu magistratum civilem indicat, v. g. epist.* VI, *lib.* II *scribit* clero, nobilibus, ordini et plebi consistentibus Neapoli (5).

e *Quanti faceret S. Maximianum S. Gregorius, monstrat epist.* XXII, *lib.* V (6), *ad nobiles Syracusanos, qui electionem episcopi permiserant arbitrio Pontificis, data :* Sciat, *inquit,* F
magnitudo vestra, quia civitati illi quem dare Maximiano reverendissimo similem non habemus : *promittit tamen se talem daturum pontificem, qui defuncti episcopi,* Deo adjutore, imitator exsistere valeat.

f *Epist.* XVIII *lib.* VI (7) Apostolicæ, *inquit,* sedis benevolentia et antiquæ consuetudinis ordine provocati, fraternitati tuæ, quam in Syracusana Ecclesia gubernationis officium constat suscepisse, pallii usum prævidimus concedendum, illis videlicet temporibus atque eo ordine, quibus decessorem quoque tuum usum esse non ambigis. *Quod ad tempora spectat, de quibus S. Gregorius loquitur, satis notum est, pallii usum, etiam hodie, statis solum diebus concessum esse. Ista ætate pallium non erat insigne metropoliticæ jurisdictionis, sed*

(1) Act. SS. tom. II jun. pag. 241. — (2) Migne. Patrol. tom. LXXVII, col. 737. — (3) Conc. Gall. tom. II, pag. 633. — (4) Migne. Patrol. tom. LXXVII, col. 577. — (5) Ibid. col. 542. — (6) Ibid. col. 731. — (7) Ibid. col. 810.

magis,

AUCTORE J. V. H.

magis, ut loquitur S. Gregorius in citata epistola, sacerdotalis officii honor, *nullam episcopo extra propriam Ecclesiam tribuens potestatem. Et revera Syracusanam Ecclesiam primum metropolitanam lego, hodierno tempore, nempe anno* 1844 *a Gregorio Pp.* XVI. *Nihilominus hic ipse biographus noster, Octavius Cajetanus, in Isagoge ad historiam Siculam* (1), *jus metropoliticum Ecclesiæ Syracusanæ in duobus præsertim fundat, primo, quod Syracusa ante omnes alias Siciliæ Ecclesias a S. Petro constituta fuerit; deinde quod esset metropolis civilis, quam ecclesiastica sectari solet. Albertus Piccolus, summis licet laudibus Syracusanam Ecclesiam extollens in Dissertatione II de Antiquo jure Siculæ Ecclesiæ cap.* 9 (2), *monstrat tamen eam metropolis honore caruisse. In quam sententiam etiam abiit Dominicus Georgius in tractatu de Antiquis Italiæ metropolibus* (3). *Neque hactenus composita est controversia : nam ut docet nos Alexius Narbone noster in eruditissimo opere Historiæ litterariæ Siculæ, etiam postremis hisce annis in utramque partem agitata*
B *fuit quæstio. Ipse porro censet sæculo octavo jus metropoliticum sedi Syracusanæ adjectum fuisse, abolitum autem excidio civitatis circa annum Christi* 880 (4). *Neque huic sententiæ officit, quod S. Gregorius Maximianum,* Joannis *nostri decessorem, constituerit suum per Siciliam vicarium, ut monstrat epistola* VI *lib.* II (5), *nam expresse dicit :* Quas videlicet vices non loco sed personæ tribuimus, quia ex transacta in te vita didicimus, quid etiam de subsequenti tua conversatione præsumamus. *Enimvero hunc qualemcumque primatum in solo Romani pontificis arbitrio stetisse, ostenditur ex eo, quod S.* Joannes *noster, nuspiam reperiatur Sedis Apostolicæ vicarius in Sicilia, deinde quod ante Maximianum eodem officio functus fuerit Petrus, subdiaconus sedis apostolicæ, cui commissum fuerat Romanæ Ecclesiæ patrimonium in Sicilia, ut docet nos epistola* I, *lib* I (6).

g *In presbytero illo, quem S.* Joannes, *regiminis sui adjutorem habere optat, est nobis imago vicarii generalis, qui ad nutum episcopi, præter ordinarios Ecclesiæ ministros, episcopum in negotiis spiritualibus adjuvat. Quid au-*
C *tem sibi velit, quod epistola* XX, *lib.* VI *ad Cyprianum diaconum* (7) *dicit Gregorius,* Joannem *archidiaconum habuisse* presbyterum, proprium, qui tamen a Leone in Catanensi Ecclesia dicebatur ordinatus; *non satis intelligo: an ideo* proprius, *quia ortu ad Syracusam pertinebat? an vero* Joannis *archidiaconi* proprius, *quia in ecclesia, archidiacono subjecta ministrabat? divinare non valeo.*

h *Hæc fere omnia desumpta sunt ex citata supra epistola* XX.

i *Venantius patricius, excusso jugo professionis monasticæ, uxorem duxerat Italicam, aut jam ductam receperat, ex qua duas habuerat filias, Barbaram et Antoniam. Quamvis autem illum Gregorius multis verbis adhortaretur, ut ad meliorem frugem rediret, permansit tamen in apostasia. Quapropter* Joannes *episcopus Venantii, tamquam transfugæ, oblationes rejecerat ac in domo ejus Missas celebrari pro-*
D *hibuerat. Venantius, ira abreptus, armatos homines suos in episcopium immisit, ut varia hostili more mala committerent. Atque de his Pontifex reprehendit Venantium, simulque monet, ut cum episcopo in gratiam redeat, ut legimus epistola* XLIII *libri* VI (8); *ast eodem etiam tempore, epistola* XLIV *ejusdem libri* (9), *episcopo præcipit, ut Venantii oblationes* in dulcedine et Deo placita benignitate suscipiat et in domo ipsius Missarum peragi mysteria permittat. *Quoniam vero S. Gregorius litterarum cum Venantio, in sæculo perseveranti, commercium continuavit, fortassis dicendum est, Venantium indulgentiam sedis apostolicæ saltem ad tempus obtinuisse. Atque id quidem insinuat S. Bernardus libro de Præcepto et Dispensatione cap.* XVII (10).

k *In mox citata S. Gregorii epistola* Joannem *episcopum monuerat, ut ita circa subditos se episcopus* discreta moderatione exhibere studeat, ut et quod negotii qualitas exigit, salubriter peragat, et a paternæ caritatis gratia non recedat. *Idem per* Joannem *nostrum*
E *præstari voluit S. Gregorius, quum, audito desperato Venantii morbo, episcopo Syracusano injungit epistola* XXXVI *lib.* XI (11), *ut* exhortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo, ad habitum suum *monasticum* redire vel in extremis *compellat,* ne ei tantæ culpæ reatus in æterno judicio obsistat. *Vult tamen Pontifex, ut episcopus substantiam filiarum Venantii,* velut propriam defendat.

l *Epistola* IX *lib.* VII *hæc habet S. Gregorius* (12) : Præterea audio, quod aliqua de iis, quæ scripsisse me memini, fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat: quod mihi non videtur esse faciendum, quia hoc, quod vos pro caritate facitis, possunt quidam, quantum ad me est, vanæ gloriæ deputare. Ideoque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum auctoritate valeant, qui audierint, informari.

m *Id quidem monstrat epistola* XXXVI *lib.* XI (13) : Præterea, ait, in scriptis, quæ ad nos misistis, fraternitatem vestram contristatam invenimus, eo quod huc eam, quasi pro ingratitudine aliqua, venire noluissemus: quando
F non illud ob aliud nisi sola utilitatis causa fecimus, scientes, propter personas, ibidem consistentes, valde necessariam illic fuisse præsentiam. Sed ne forte ex hoc ingratum erga vos animum nostrum credatis, quod absit, exsistere, si veniendi vobis voluntas est, apto vos tempore Apostolorum vos liminibus præsentate. *Olim episcopi Siculi omni triennio Romam convenire debebant, sed epistola* XXII *lib.* VII (14) *statuit Gregorius, eorum* laboribus consulens, *ut deinceps singulis quinquenniis fieret. Effluxerat autem quinquennium, ex quo S.* Joannes *ordinatus fuerat, proinde urgebat præceptum romani itineris, quod S. Gregorius retardatum volebat. Si quidem anno* 602 *S.* Joannes *limina Apostolorum visitaverit, consequitur, illum septem post annis ab adito episcopatu S. Gregorium convenisse.*

n *Liquet ex epistola* LXII *lib.* IX, *ad Romanum*

(1) Apud Grævium Antiq. Sicil. tom. X, vol. II, col. 82. — (2) Ibid. col. 80. — (3) Pag. 110. — (4) Stor. lit. della. Sicilia, tom. V, pag. 27, tom. VII. pag. 229. — (5) Migne. Patrol. tom. LXXVII, col. 543. — (6) Ibid. col. 442. — (7) Ibid. col. 811. — (8) Ibid. col. 830. — (9) Ibid. col. 831. — (10) Ibid. tom. CLXXXII, col. 888. — (11) Ibd. col. 1148. — (12) col. 864. — (13) Ibid. col. 1149. — (14) Ibid. col. 875.

defensorem

A *defensorem data* (1), *S.* Joanni *commissam fuisse curam patrimonii Ecclesiæ Romanæ in Sicilia, quod valde amplum erat, et epistola* XVIII *lib.* XIII *ad quosdam Siciliæ episcopos, inter quos et* Joannes *noster, dicitur Adrianus rector ejusdem patrimonii constitutus; quapropter eumdem illis commendat* ut, in quo usus exegerit, ei solatia conferant, quatenus dum et ad agendum corporalibus, et ad facilitatem explendi, quæ cœperit, spiritualibus orationum fuerit fultus auxiliis, prospere ea, quæ a nobis ei injuncta sunt, Deo quoque valeat cooperante perficere. *Quam porro ampla et opulenta essent R. E. patrimonia, monstrat Joan. Ant. Zaccaria peculiari disputatione* (2).

o *Causam Decii, episcopi Lilybetani* (*hodie* Marsala, *in Sicilia*) *committit Gregorius* Joanni *episcopo et Leontio glorioso exconsuli, epistola* XLIX *lib.* X (3).

p *Hæc habemus in epistola* LXIII *lib.* IX *ad* Joannem *data* (4), *qua judicium Lucilli* Joanni *et tribus quatuorve episcopis, ab eo adhibendis, delegatur. Condemnatus et a sede sua dejectus* B *Lucillus, insuper res Ecclesiæ Melitensis, injuste ablatas, restituere jubetur, ut docet nos epistola* I *lib.* X *ad Romanum defensorem* (5).

q *Quid criminis haberet Crementius, Bizacenus in Africa primas, non innotuit. Id certum, illum refugisse judicium sedis apostolicæ, impeditum auctoritate magistratus sæcularis. Martinus autem scholasticus cum* Joanne *nostro egerat, ut dissidium componeretur: quapropter S. Gregorius ad eumdem epistola* LVIII *lib.* IX *scribit* (6): Postquam fratrem et coepiscopum nostrum Joannem vidistis, in eo et nos vidisse vos credimus. Et ideo, quia de eisdem nobis et ipse causis scribere studuit, ei quæ nobis sunt visa rescripsimus. Qui quoniam maturi providique consilii sacerdos est, si cum ipso causas, pro quibus missus est, tractare volueris, certi sumus, quia in eo et quod utile et quod rationem habet, invenies. *Et reapse epistola sequenti* LIX (7) *universum negotium* Joanni *committit Gregorius:* Quæ *inquit,* vos agitis, nos egisse non dubitabis. AUCTORE J. V. H.

r *Contentionem de agrorum finibus inter duos abbates diremptam vult S. Gregorius epistola* XXXIX *lib.* VII (8) agrimensoris definitione. *Vult igitur, ut* Joannes *ad* loca, de quibus controversia *est accedat*, et utraque parte cominus constituta, loca, quæ in lite sunt, sua faciat præsentia terminari, quadraginta tamen annorum utrique parti præscriptione servata.

s *Campagus erat calceamenti genus, solis pontificibus concessus; postea quibusdam aliis indultus fuit, ut docet nos epistola* XXVII *lib.* VIII (9), *v. g.* Diaconis Ecclesiæ Messanensis. *Ornatum hunc sibi præsumpserant diaconi Catanenses; adeoque Gregorius injungit, ut in originem privilegii inquiratur; et siquidem male usurpatum* E *fuerit, irritetur.*

t *Quæ hic referuntur S.* Joannis *elogia ex variis epistolis S. Gregorii desumpta sunt: puta ex epistola* XLIII *lib.* VI (10), XLIV *lib.* IX (11) *et* LVIII *ejusdem libri* (12).

v *De S. Fausto, abbate Syracusano, egerunt nostri sub die* VI *Septembris* (13).

w *De S. Zozimo, abbate et dein episcopo Syracusano actum quoque fuit sub* XXX *martii* (14).

(1) Migne. Patrol. t. LXXVII col. 999. — (2) Cfr de Reb. ad Hist. eccles. pertin. tom. II, pag. 68. — (3) Migne. Patrol. tom. LXXVII. col. 1105. — (4) Ibid. col. 999. — (5) Ibid. col. 1065. — (6) Ibid. col. 995. — (7) Ibid. l. c. — (8) Ibid. col. 897. — (9) Ibid. col. 918. — (10) Ibid. col. 831. — (11) Ibid. col. 976. — (12) Ibid. col. 995. — (13) Act. SS. tom. II sept. pag. 686. — (14) Ibid. tom. III mart. pag. 837.

DE S. EDICIO,

EPISCOPO CONFESSORE, VIENNÆ IN GALLIA,

C J. V. H.

SYLLOGE HISTORICA. F

§ Unicus. Memoria in fastis sacris, tempus episcopatus.

Probabiliter circa an. 640. *S.* Edicius, *in quibusdam Martyrologiis*

Viennensis Ecclesia, hodie vi concordati 1801 *a Gratianopolitana absorpta, olim metropolis erat provinciæ Romanæ cognominis. Notissimæ sunt ejus cum Arelatensibus pontificibus circa jus metropoliticum sæculo quinto controversiæ, quas hic loci exponere opus non est* (1). *Porro inter Viennensis metropolis antistites recolitur hac die S.* Edicius, *qui etiam* Edictus, Eodicius, Edistus *et* Hedicius *appellatur. Tacent ejus nomen Martyrologica classica, ne ipse quidem Ado, ejus post duo sæcula successor, hujus meminit. Ast inter Auctaria Usuardina, apud Sollerium ad hanc diem, est editio Lubeco-Coloniensis, quæ habet:* Viennæ, S. Eodicii episcopi. *Grevenus autem:* Viennæ, S. Eodici episcopi et Confessoris. *Martyrologium Parisiense, anno* 1727 *jussu Cardinalis de Noailles editum:* Viennæ Allobrogum, sancti Eodicii episcopi. *Castellanus in Appendice ad* XXIII *Octobris eadem omnino vernacule profert, nisi quod addat,* successorem fuisse sancti Sindulfi. *Ferrarius tandem in suo Martyrologio annuntiat:* Viennæ in Gallia, S. Edisti episcopi: *in Notis tamen, ad calcem diei appositis, deprompta dicit,* ex tabulis episcoporum Viennensium: traditur fuisse XXXIII episcopus Viennensis, ad quem Agatho Papa scripsit. De eo Joan. Boschensis in tabulis Bibliothecæ Floriacensis. In tabula tamen Sanctorum, quos Ecclesia Viennensis colit haud continetur.

2 *Videtur Ferrarium exscripsisse Jacobus* celebratur,

(1) Cfr Longueval. Hist. de l'Egl. Gallic. tom. II, pag. 89. edit. Paris. 1825.

Le

AUCTORE J. V. H.

Le Long in ejus Bibliotheca historica Galliæ, in qua sub num. 10,683 *recenset* (1) : Viennæ Allobrogum primatum et archiepiscoporum Elenchus historicus a Joanne a Bosco collectus : *additque opusculum editum* in Bibliotheca Floriacensi T. I, p. 109 Lugduni 1605 in-8° *ast in Emendationibus ad Tomum primum dicit, pro* Floriacensi *substituendum* Cluniacensi (2). *Ast neutrum valet. Certe Bibliotheca Cluniacensis ab Andrea Quercetano Parisiis anno* 1614 *edita, ne verbo quidem attingit Viennensem Ecclesiam, nedum elenchum ejus pontificum proferat. Similiter Floriacensis Bibliotheca ne hilum de Viennensi pontificio loquitur. Causam erroris, ab uno ad alios serpentis, existimo, quod in quibusdam exemplaribus Bibliothecæ Floriacensis simul cum ista compactum fuerit ejusdem auctoris Joannis a Bosco opusculum supra recensitum, unde lapsu calami in unum coaluerit cum Bibliotheca Floriacensi. Certe in Musæo Bollandiano olim taliter compactus liber exstabat: nam ad* XVI *Martii, in Commentario historico de S. Isichio, Viennensi, num.* 4 (3), *citatur Joannis a Bosco lucubratio*
B *de Antiquitatibus Viennensibus, quæ, ait scriptor,* exstat ad calcem Bibliothecæ Floriacensis. *Quo tamen utor exemplari Bibliothecæ Floriacensis, etiam olim ad Musæum Bollandianum pertinenti, caret Auctario Joannis a Bosco circa episcopos Viennenses. Præterea cultum S.* Edicii, *quem incertum habet Ferrarius, abunde ostendunt Martyrologia, quæ supra allegavimus et Breviarium Viennense a Cointio ad an.* 631 § X *citatum.*

præsertim a Saussayo,

3 *Atque his quidem addendum est Martyrologium Gallicanum Andrea Saussayi, qui omnium copiosissime de Sancto nostro, quem* Edictum *appellat, scripsit his verbis :* Viennæ Allobrogum, Sancti Edicti episcopi et Confessoris, qui tanta sede dignus, episcopali illam decore sub Agathone Papa gubernavit. A quo rescriptis apostolicis honoratus est, quibus ille res gestas in sexta synodo œcumenica, CPoli, adversus Monothelitas intimavit : aliaque magni momenti negotia universalis Ecclesiæ, quæ Galliæ episcopis notificaret, eidem per Donatum, presbyterum Viennensem, quem
C ejus vice Romæ in synodo idem Papa residere fecerat, voluit insinuari. At non his potissimum favoribus summæ sedis inclaruit Edictus; sed longe magis pastorali vigilantia, zelo fidei et operibus justitiæ, quibus plenus, in pace defecit. *Similia habet Joannes Le Lièvre in Historia antiquitatis urbis Viennensis* (4) *nec dubito, quin uterque hæc mutuatus fuerit ex Joanne a Bosco, ex quo etiam citat laudatus Le Lièvre epistolam Agathonis Papæ, ad* Edicium *datam, videlicet:* Agatho episcopus sancto Edicto, Viennensi archiepiscopo. Presbyter tuus Donatus in synodo, ubi centum pene episcopi residebant, Romæ de sanitate tua nos lætificavit. Cui rem gestam apud CPolim, sicut legati nostri detulerunt, sanctitati tuæ deferendam dedimus : ubi reperies, Antiochenum episcopum pro errore suo damnatum. Hæc tu, frater beatissime, quum percurreris, omnibus Galliarum episcopis legenda et cavenda ac tenenda transmitte. Scias autem loco ejus D Theophanium episcopum ordinatum. Data prid. kalendas Martii, piissimo Constantino augusto. *Omissa forma v. g. inscriptionis, quæ non bene convenit cum ea, quæ passim in epistolis Pontificum coævorum occurrit, quæque aliquam alterationem insinuat, aliud circa authentiam istius epistolæ moveri debet dubium: nempe an S.* Edicius *eo vixerit tempore, quod ætatem Agathonis Papæ attigerit. Id quidem Ado in suo chronico affirmat* (5). *Sed ejus chronologiam non raro cœcutire, infra ostendemus. Quod ad ipsam epistolam Agathonis spectat, jam vitiatam titulo* Viennensis archiepiscopi, *forsan dicendum erit nomen* Edicii *divinatione quadam irrepsisse.*

qui tamen errat circa Sancti ætatem,

4 *Agatho ab mense Junio anni* 678 *aut* 679, *ut variis placet* (6), *ad* X *Januarii (ad quam diem ejus Acta dederunt nostri* (7)) *anni* 682 *Sedem Romanam occupavit. Jam vero habemus, S. Sindulfum,* Edicii *decessorem, interfuisse anno* 625 *aut* 630 *concilio Rhemensi, a Sonnatio celebrato* (8); *Landalenum vero, tertium a Sancto nostro successorem, subscripsisse Concilio Cabilonensi, quod Phil. Labbe anno* 650, *alii* E *vero anno* 644, *innectunt* (9). *Hæc est porro secundum Catalogos successio episcoporum Viennensium, quo S. Sindulfus anno* 625, *et quo Landalenus anno* 650, *sederunt : Sindulfus,* Edicius, *Cadeoldus, Landalenus. Landalenum, Concilio Cabilonensi subscribentem, omittit S. Ado in suo Chronico. Unde archidiaconus Viennensis Charvet suspicatur, hunc Landalenum episcopum eumdem esse cum Cadeoldo : enimvero non facile persuadebit sibi quis, Adonem ignorasse, adeoque omisisse unum a decessoribus suis, quorum ætatem accuratissime signare conatur. Censet autem laudatus archidiaconus, Landalenum, inter subscriptiones Cabilonensis synodi corrupto Cadeoldi aut etiam Edaldi nomine, irrepsisse. Quo admisso, consequetur, S.* Edicii *pontificatui aliquot annos intra* XXV *annorum terminum assignandos esse; adeoque ejus ætatem temporibus Agathonis Papæ innecti nullatenus posse. Atque hinc factum est, ut archidiaconus Charvet, in sua Historia Ecclesiæ Viennensis* (10) *quadriennium, ab anno* 636 *ad* 640, *S.* Edicio *episcopo tribuerit : quam temporis rationem facile admitteremus, nisi aliquod* F *repagulum interponeret S. Ado et ipse Viennensis archiepiscopus, qui S.* Edicii *pontificatum temporibus Constantini Pogonati seu III, assignat* (11) : *adeoque inter annos* 668 *et* 685 *constituit; quandoquidem Constantinus Pogonatus ab anno* 668 *ad* 685 *solium occupavit. En textus, in quantum ad præsentem quæstionem spectat* (12) : Constantinus filius Constantini superioris annis XVII... Sindulfus, Viennensis Ecclesiæ episcopus ,clarus habetur.... Sindulfo, episcopo defuncto Hecdicus Viennensis Ecclesiæ præsulatum suscepit, magnæ religionis vir; claruit autem usque ad ultimum tempus Justiniani imperatoris (*regnantis ab* 685 *ad* 695) cujus et tempore obiit.

ab Adone, cujus chronotaxis

5 *Licet autem Ado, utpote domesticus, summæ sit auctoritatis, quando seriem successionemque antistitum Viennensium exponit, quæ cæterum cum nostra, quam supra dedimus, ex-*

(1) Biblioth. Hist. de Fr. tom. I, pag. 682. — (2) Ibid. tom. IV, pag. 327. — (3) Act. SS. tom. II mart. pag. 448. — (4) Hist. de l'Antiquité de la cité de Vienne, pag. 163. — (5) Migne. Patrol. tom. CXXIII, col. 115. — (6) L'art de vérif. les dates. — (7) Act. SS. tom. I januar. pag. 624. — (8) Labbe, tom. V, Conc. col. 1689. — (9) Ibid. tom. VI, col. 391. — (10) Hist. de l'Egl. de Vienne, pag. 132. — (11) Migne. Patrol. tom. CXXIII, col. 115. — (12) Ibid. l. c.

puncto

A *puncto Landaleno, convenit; vacillat tamen, quando tricis chronologicis implicatur. Unum proferam exemplum ex chronotaxi imperii Justiniani II seu Minoris, qui patri Constantino Pogonato ab anno* 685 *ad* 695 *successit, depromptum. Ordinat enim Ado sub tempore istius Justiniani mortem Dagoberti I, regis Francorum, his verbis* (1) : Dagobertus rex, valida febre ægrotans, mortuus est Spinogilo villa in pago Parisiensi, atque in ecclesia B. Dionysii sepultus (2) : luxeruntque eum Franci diebus multis. Regnavit autem quadraginta quatuor annis. Ejus loco constituerunt Franci Clodoveum filium ejus regem, cujus uxor Balthildis, de genere Saxonum. *Agi porro de Dagoberto I, non est, quod dubitemus. Conveniunt locus mortis et sepulturæ, filius Clodoveus, hujus nominis secundus, hujusque uxor S. Bathildis. Verum chronologica omnia mendosa sunt, imprimis enim, omnibus consentientibus, Dagobertus I diem supremum obiit anno* 638 : *quod si vel primo anno Justiniani II obierit, Dagoberti vita in annum usque* 685 *proroganda erit; proinde*

B *Ado quadraginta septem annis solidis a recta chronotaxi deviat. Addit deinde, Dagobertum regnasse quadraginta quatuor annis : ostendemus in Actis S. Romani hac ipsa die dandis, Dagobertum regnasse annis sexdecim, nempe ab anno* 622, *quo pater ejus Clotharius Austrasiæ administrationem regio titulo ei commisit, usque ad obitum anno* 638. *Imo Dagoberti vitæ cursus tam longus non fuit : demessis enim ab anno vulgari* 638 *annis* XLIV, *devenimus ad annum* 594, *quo Dagoberti pater Clotarius decennis fuit, utpote qui natus fuerit anno* 584 (3). *Ex his recte concludere possumus, chronotaxi Adonianæ minime esse fidendum; ac proin quum altera ex parte habeamus Sindulfum præsentem Rhemensi synodo anno* 625 *aut* 630, *et Landalenum, anno, ut tardissime,* 650 *concilio Cabilonensi subscribentem, quo medio tempore pontificatus S.* Edicii *ordinandus est, tanti facienda non est Adoniana chronologia.*

refellitur, deceptus. 6 *Porro σφαλματα Adoniana originem habent tum ex male computatis imperatorum annis, tum maxime ex omisso imperio Heraclii, qui annis omnino triginta regnavit. Unde inter Ju-*

C *stinianum Primum et ejusdem nominis Secundum, imperatores, inito calculo, est differentia annorum plus minus quinquaginta quatuor, si correctiorem chronologiam cum Adoniana comparamus. Nihilominus id utilitatis habet Adonis chronotaxis, quod monstret, S.* Edicium *obiisse post Dagobertum, anno* 638 *defunctum. Nam sub Justiniano II ponit, Dagobertum vitam clausisse; ac dein aliis quibusdam interpositis, Caldeoldum S.* Edicio *suffectum* (4) : Dagobertus rex, valida febre ægrotans, mortuus est Spinogilo villa in pago Parisiensi.... Chaldeoldus episcopus Viennensem Ecclesiam rexit usque ad tempora Theodorici regis, *qui anno* 670 *regnum suum auspicatus est. Quod eatenus verum esse potest, quatenus expuncto Landaleno, qui concilio Cabilonensi, ut diximus supra, subscripsit, Chaldeoldus sedem Viennensem tenuerit usque ad Bobolenum episcopum. Et certe nullum medium pontificem ponit Ado inter utrumque; et anno* 653, *adeoque tribus saltem post Cabilonensem synodum annis videmus Chaoaldum, Viennensem episcopum, subscribere privilegio, quod Clodoveus II monasterio S. Dionysii concessit* (5). *Chaoaldus cum Caldeoldo, qui etiam Ethoaldus alicubi dicitur* (6), *videtur eadem persona esse : unde dicendum erit, Landalenum, Cabilonensi synodo subscribentem, eumdem esse cum Caldeoldo, adeoque binominem, aut ejus subscriptionem vitiatam fuisse a librariis. Cæterum alterutram opinionem amplectatur quis : aut Landalenum eumdem cum Caldeoldo faciat aut ejus successorem; id semper inconcussum perstat, inter annos* 624 *et* 650 *locum esse S.* Edicio *intermedio tempore; ac proin nihil repugnare, quominus tempus ejus obitus circa annum* 640 *ponatur. Atque hæc sunt, quæ de S.* Edicio *dicenda habemus. Res ejus gestas omnino ignoramus : inter schedas nostras, una est, a Petro Francisco Chiffletio conscripta, continens Sanctos diœcesis Viennensis, inter quos et S.* Edicius *noster recensetur; sed simul dicitur* horum fortasse nullius Vita scripta est. *Denuo proin repetamus, quod de Sancto fert judicium Ado, ipse Sanctus domesticus et omni exceptione major, S.* Edicium *fuisse* magnæ religionis virum.

AUCTORE J. V. II.

E

F

(1) Migne. Patrol. tom. CXXIII, col. 115. — (2) Cfr Fredegar. Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 656. — (3) Cfr Cointius ad ann. 631 § X. — (4) Patrol. tom. CXXII, col. 115 et seqq. — (5) Felibien. Hist. de l'abb. de S^t Denys. pag. 23. Cfr Charvet. Hist. de l'Egl. de Vienne, pag. 133. — (6) Charvet. pag. 132.

A D

DE S. ROMANO,

EPISCOPO ET CONFESSORE, ROTOMAGI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Memoria in fastis recentioribus; vitæ synopsis; biographi, e quibus aliqui edendi seliguntur.

ANNO PROBABILITER 644. *Memoria in fastis sacris;*

Quamvis de S. Romano, *archiepiscopo Rotomagensi, nullam mentionem faciant Martyrologia Adonis et Usuardi, quæ vulgo classica vocantur; non est tamen, quod de ejus sanctitate dubitemus, utpote qui habet cultum, ut infra monstrabimus, antiquissimum simul et celeberrimum. Hodiernum Martyrologium Romanum sub hac die habet:* Rhotomagi, Sancti Romani episcopi. *Quod amplificat Autissiodorense, ab episcopo Carolo de Caylus* B *anno* 1751 *editum, his verbis:* Rotomagi, S. Romani episcopi, qui gentilitatis reliquias ab urbe et diœcesi expulit, plurimisque miraculis vivus ac mortuus refulsit. Corpus ejus ibidem in majori ecclesia quiescit, et singulis annis in festo Ascensionis solemni pompa per urbem defertur. *Ebroicense autem, eodem circiter tempore, nempe anno* 1752 *jussu Petri de Rochechouart editum, duobus sibi sequentibus diebus S.* Romani *meminit, nempe die* XXII *Octobris, quo dicit post S. Mellonum Rotomagensem:* Eodem die, memoria S. Romani, ejusdem urbis episcopi, cujus natalis die sequenti agitur. *Adeoque die sequenti legitur:* Rhotomagi, Sancti Romani episcopi, qui paganorum delubra funditus evertit, bonos promovit ad meliora, et malos a malis revocare studuit.

Brevis vita;

2 *Quo melius intelligantur, quæ in hoc Commentario dicturi sumus, opportunum censemus synopsin Vitæ S.* Romani *ex Breviario Rotomagensi, jussu Ludovici de la Vergne de Tressan archiepiscopi anno* 1736 *edito, hic exhibere.* Benedictus, cujus uxor Felicitas diu suam C gemuerat sterilitatem, Romanum, virtutis et facultatum heredem, precibus et eleemosynis a Deo impetravit. Parentes non minus pietate, quam genere commendabiles, filium optimis studiis a pueritia tam sedulo imbui curaverunt, ut factus adolescens ad summa virtutum pertingeret. In aulam Clotarii Secundi missus, castitatis, justitiæ et mansuetudinis illustre fuit exemplar. Jussus a rege inter primores sanctioribus adesse consiliis, commissas sibi partes egregie et laudabiliter sustinuit. Mortuo antistite Rotomagensi, variantibusque de eligendo successore suffragiis, tandem indictis jejunio et precibus, communi omnium voto, Romanus renuntiatus est episcopus. Gratum habuit Clotarius assumi in præsulem, quem in partem regiæ sollicitudinis vocaverat. Manifestis divinæ vocationis indiciis, pastorale suscepit onus. Vix Rotomagum accesserat, et Veneris delubrum, a paucis, qui in civitate supererant, paganis frequentatum, funditus evertit. Alia deinceps in diœcesi Jovi, Mercurio et Apollini mancipata pariter disturbavit; suscepta pastorali cura, inspexit sibi commissas oves, et continuis laboribus debilitari non patiens, bonos promovit ad meliora, malos a malis revocavit. Eam statuit in clero disciplinam, ut pudor esset subditis a regula deflectere. Ipse, forma factus gregis, cibi et somni parcus, in sacris celebrandis pius et frequens, rerum divinarum jugi meditatione animum refecit. Summam dictis et factis conciliavit auctoritatem, quia in eo enituit divinæ virtutis operatio. Sequanæ et campos et ipsam civitatem inundanti occurrens, intumescentes aquas diluvio jussit abstinere, et intra statos limites, ad vocem alterius Moysis, docilis fluvius compressus est. Alia et vivens et mortuus edidit signa, quibus optimi pastoris sanctitas eluxit. A Deo præmonitus, mortem suscepit. Dum vixit populi pater et norma cleri, post obitum inter Sanctos et diœcesis præcipuos tutores recolitur. Regnante Ludovico Pio, in monasterium S. Medardi Suessionis caput est delatum: anno millesimo nonagesimo fuit restitutum et cum reliquis ossibus a Gulielmo, dicto de Bona Anima, in metropolitana ecclesia depositum. Laminis aureis ac gemmis capsa ditata est; quibus in publica necessitate ablatis, alteram fieri curavit archiepiscopus Rotroldus, in qua, comitantibus episcopis Lexoviensi et Sagiensi sanctos cineres deposuit. Ea est, quæ vocatur hucusque Sancti Romani Feretrum. Qui capite damnatus et a capitulo Rotomagensi, jure privilegii electus, illud extulerit, una cum consortibus ejusdem sceleris, quotannis die Ascensionis Domini liber dimittitur. E F

Acta varia,

3 *Vitæ Synopsis, quam exhibuimus, deprompta est ex multiplicibus Actis, hactenus superstitibus. Antiquiora tamen documenta videntur periisse. Inter ea, quæ coram habemus, edemus Vitam, a Gerardo, monacho Sammedardino, et, ut ipse se dicit,* patre cœnobitarum *conscriptam; brevis est et ita sobria, ut eam mutilatam suspicemur. Gerardus iste, qui ut infra ostendemus, sæculo* X *jamjam desinente scripsit, in epistola ad* Hugonem, Rotomagensis urbis archiepiscopum, *qua nuntiat, a se novis curis Vitam S.* Romani *compositam, dicit penes se fuisse et se transmittere* Vitam veteranam, heroico carmine editam; ut omnino cunctis notum sit, quod nulla, *inquit,* inventionum vobis dirigo mendacia. Illam autem, quæ historiali stylo depicta est, pro nimia vetustate penes nos retinens, hanc digestam stylo illius ad instar vobis transmitto (1). *Duplex*

(1) Migne. Patrol. tom. CXXXVIII, col. 173.

igitur

A *igitur Vita antiquior Gerardo scriptori præluxit, qua auctoritatem suæ lucubrationi vindicare sategit. Restat igitur inquirendum, quo circiter tempore vixerit Gerardus, ut aliquatenus indagare possimus, quæ sit et Vitæ ab ipso conscriptæ et Vitæ metricæ, hactenus conservatæ, quæque Gerardi tempore jam veterana vocabatur, antiquitas. Mabillonius in suis Analectis scite animadvertit* (1), multos legi Gerardos in Catalogo abbatum monasterii *S. Medardi Suessionensis,* multos item Hugones, Rotomagensis Ecclesiæ archiepiscopos; sed, *addit,* nullus ex his Gerardis tempore congruit cum ullo Hugone.

imprimis Gerardi, monachi S. Medardi;

4 *Et vero nullum Gerardum, seu, ut alii dicunt, Giraldum aut Gairaldum abbatium tenuisse commodo tempore, liquet ex Catalogo abbatum S. Medardi Suessionensis: nam Giraldus I sedit tempore S. Gregorii Magni* (2): *Giraldus II sub Dagoberto I* (3): *Giraldus III medio sæculo* XI (4): *ita ut duo priores nimiæ sint antiquitatis, quam ut Vitam S.* Romani *secundis curis retractari potuerint: tertius autem nulli*
B *Hugoni Rotomagensi coævus fuerit. Censet igitur Mabillonius, Gerardum, quamvis se* patrem cœnobitarum *vocet, abbatem tamen non fuisse, sed præpositum monasterii S. Medardi, tunc a sæcularibus occupati, ut liquet ex catalogo abbatum. Nam anno* 902 *Heribertus I, comes Viromanduorum, abbatiam invasit, eamque jure quasi hereditario transmisit filio suo Heriberto II, pariter comiti Viromanduorum, quem excepit filius ejus, Trecensis et Meldensis comes, Heribertus III, donec anno* 970 *Odoleus electus fuerit abbas regularis* (5). *Utrum porro status iste regularis in monasterio perseverarit, dubitare licet: quum anno* 1210 *occurrit Ricardus miles* dictus abbas S. Medardi, *ut infra num.* 54 *monstrabimus. Ex hoc rerum statu conjicere licet, Gerardum, monasterio a laicis occupato, præfuisse titulo sive præpositi sive decani, adeoque vere se* patrem cœnobitarum *nuncupare potuisse. Quod vero Gerardus Hugoni II, Rotomagensem cathedram ab anno* 942 *ad* 989 *occupanti* (6), *coævus fuerit, ostenditur ex eo, quod dicat Gerardus in epistola ad Hugonem data,* Brainam (*oppidulum ad Vidulam fluvium*)
C potestatis Ecclesiæ Rotomagensis *fuisse. Ast sub Hugone III, seu anno* 1128 *jam translatum erat istud dominium ad comites Brainacenses* (7). *Epistolam, hactenus ineditam una cum Vita, a Gerardo conscripta infra dabimus.*

metrica anonymi, et alia, forsan omnium antiquissima;

5 *Id autem constat, Vitam S.* Romani *metricam Gerardina antiquiorem esse, utpote, quam* veteranam *appellet. Et quoniam ætate Gerardi hujus lucubrationis fere deleta esset memoria, facile cernitur, uno saltem sæculo vetustior, adeoque ad tempus S.* Romani *proxime accedere. Eam tamen, ne nimii simus, non edemus, quoniam legi potest in Thesauro Anecdotorum Edmundi Martene* (8) *et nihil fere novi ad elucidationem rerum gestarum affert. Ejus loco dabimus aliam Vitam, Gerardina prolixiorem, ab anonymo conscriptam, ac in duos divisam libros. Liber secundus compositus est sub pontificatu Roberti I, Rotomagensis archiepiscopi, adeoque inter annos* 989 *et* 1037 (9). *Primus autem liber is nobis videtur, de quo Gerardus loquitur,* historiali stylo depictus *et* nimiæ vetustatis: *quia* 1° *explicit consueta doxologia, quæ ordinarie in fine totius operis ponitur; unde arguitur diversus auctor libri primi et secundi.* 2° *Quia distinctius ordinat temporum momenta, ab aliis omissa, v. g. S.* Romanum *obiisse nocte dominica,* X *kal. novembris, num.* 16. 3° *In Brania, ait Gerardus, exsistebat Vita ista antiquissima, et ad majores nostros a Nicolao Belfortio missa fuit* ex ms Branensi, *ut adnotavit manu sua Heribertus Rosweydus.* 4° *Quædam narrat auctor, quasi vicinus tempori, quo acciderunt; v. g. exsultatio populi, videntis miraculum num.* 11, *luctus in obitu S.* Romani *num.* 16.

AUCTORE J. V. H.

vita scripta a Fulberto, archidiacono Rotomagensi,

6 *Præter tres Vitas, hactenus enumeratas, est et quarta a Nicolao Rigaltio anno* 1609 *Rotomagensibus typis edita, quam antiquissimam censuit Mabillonius, nempe* veteranam *illam,* historiali stylo depictam, *quam* pro nimia vetustate penes se retinuit *Gerardus biographus* (10). *Ignorabat scilicet vir doctissimus,* E *lucubrationem, a Rigaltio typis excusam, auctorem habere Fulbertum, sæculo* XI *archidiaconum Rotomagensem. Latebat Mabillonium epistola, postmodum ab Edmundo Martene publici juris facta in Thesauro Anecdotorum* (11), *inscripta* dominis et confratribus suis, sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ matris filiis, Fulbertus peccator salutem. *Titulus autem libri erat:* Fulberti archidiaconi præfatio in Vitam S. Romani, archiepiscopi Rotomagensis. *Certum itaque est, Fulbertum hujus quartæ Vitæ scriptorem, fuisse archidiaconum Rotomagensem. Sed quoniam eodem circiter tempore tres Rotomagi floruerunt Fulberti, dispiciendum est, cui ex tribus adscribenda est lucubratio. Sed imprimis eliminandus est Fulbertus, monachus S. Audoeni, qui jussu abbatis sui Nicolai, ab anno* 1038 *aut* 1042 *ad* 1094 *monasterio præfecti* (12), *librum miraculorum S. Audoeni composuit, in quo quidem sæpe se monachum profitetur* (13); *adeoque vitam agens inter monachos, archidiaconatum Rotomagensem occupare non potuit.*

qui a variis homonymis

7 *Sed sunt alii duo Fulberti, ambo archidiaconi Rotomagenses. Scilicet Fulbertus, qui Maurilii archiepiscopi ab anno* 1055 *ad* 1067 (14), *consiliarius fuit, ut testatur Ordericus Vitalis lib.* III *Historiæ Ecclesiasticæ dicens* (15): Eodem anno (*scilicet* 1056) Maurilius episcopus et Fulbertus Sophista, consiliarius ejus..... Uticum convenerunt. *Maurilio titulum Beati tribuit Gallia Christiana* (16): *et profecto eæ sunt, quæ illi tribuit Ordericus laudes, ut perfectam summæ sanctitatis imaginem exhibeant* (17). *Ejus tamen Acta omiserunt nostri ad diem* XIII *Septembris, eo quod* sufficientia publici cultus necdum suppetebant, ut titulum Sancti aut Beati ei vindicare præsumerent (18). *Cum Maurilii consiliario confundi non debet alter Fulbertus, memoratus ab Orderico his verbis* (19): Gislebertus Ebroicensis episcopus... et Fulbertus Roto-

(1) Pag. 429. edit. Paris. 1723. — (2) Gall. Christ. tom. IX, col. 410. — (3) Ibid. l. c. — (4) Ibid. col. 414. — (5) Ibid. col. 413. — (6) Tom. XI, col. 25. — (7) Vet. Analect. pag. 429. — (8) Tom. III, col. 1655. — (9) Gall. Christ. tom. XI, col. 26. — (10) Vet. Analect. pag. 430. — (11) Tom. I, col. 181. — (12) Gall. Christ. tom. XI, col. 141. — (13) Act. SS. tom. IV august. pag. 834 et 836. — (14) Gall. Christ. tom. XI, col. 30. — (15) Migne. Patrol. tom. CLXXXVIII, col. 236. — (16) Tom. XI, col. 30. — (17) Migne. tom. CLXXXVIII, col. 307 et 403. — (18) Act. SS. tom. IV sept. pag. 50 — (19) Migne. tom. CLXXXVIII, col. 654.

magensis

AUCTORE J. V. H.

magensis archidiaconus scita patrum (*id est canones Concilii Rotomagensis anni* 1096 (1)) promulgaverunt. *Promulgator iste Synodi Rotomagensis jam annis fere quadraginta distat a consiliario Maurilii : quin et vitam suam prorogasse videtur saltem usque ad annum* 1126 : *etenim in Orderico hæc legimus* (2) : Eodem anno (1126) Gulielmus, abbas (*S. Audoeni*), obiit, et Ragemfredus, ejusdem monachus Ecclesiæ, regimen suscepit: cujus tempore claustrum cum aliis monachorum officinis consummatum, specialiter emicuit. Tunc Fulbertus, archidiaconus et decanus Rotomagensis, ægrotavit, et monachile schema devotus suscepit. Defunctus autem in claustro S. Audoeni ante capitulum tumulatus est, et albo lapide decenter coopertus est. *Nempe Fulbertus iste factus est, ut tunc dicebatur,* monachus ad succurrendum : *id est, ut habet Cangius ad h. v.* qui dum extrema agit, vel urgente mortis periculo, monachicam vestem induit, quo fratrum ac monachorum suffragiorum seu orationum fiant participes. *Ex quo autem ad validitatem professionis regularis requisitus fuit*
B *annus integer tyrocinii in claustro et habitu Ordinis, desiit istiusmodi monachatus, omnes cæterum obligationes status religiosi inducens.*

coævis distinguitur.

8 *Quum igitur intervallum septuaginta annorum inter Fulbertum archidiaconum, consiliarium Maurilii et Fulbertum, pariter archidiaconum, sed monachum in extrema ægritudine factum, currat, non dubitamus esse diversos, licet pari dignitate insignitos : proinde remanet decidenda quæstio, utri Vita quarta seu Fulbertina tribuenda sit. Non ambigimus autem lucubrationem Fulberto, consiliario Maurilii, medio sæculo* XI *florenti, adscribere. Quæ vero in hanc sententiam inclinat ratio, hæc est : quod quo tempore scribebat Vitam S.* Romani *Fulbertus, fere oblitterata erat rerum a sancto antistite Rotomagensi gestarum memoria : dicit enim* (3): Tantam operis sarcinam, a peritissimis viris prætermissam, arripere metuebam, ne nobilis materia, rustico stylo exarata, vilesceret, si forte in manus incideret grammaticorum. *Atqui anonymus S. Audoeni, qui sub initio episcopatus Gulielmi I, id est, circa annum* 1079
C *scripsit, adnotat Vitam S.* Romani *litteris consignatam fuisse. Nam recensens successionem antistitum Rotomagensium :* Successit, *inquit* (4), Hildulfo Beatus Romanus, nobilis ortu et virtute præclarus. Beato Romano Sanctus Audoenus, claris natalibus ortus et virtutum magnitudine excelsus. Beato Audoeno successit inclytus Ansbertus, venerabilis præsul et sanctis operibus gloriosus. Horum vero trium ac Beati Gildardi memoriam tantum tetigimus, quia eorum gesta a probatissimis luculenter apud nos conscripta habentur. *Proinde S.* Romani *biographus exstiterit necesse est inter annum* 1056, *quo Fulbertus consiliarius Maurilii floruit, et annum* 1079, *quo gesta S.* Romani *jam conscripta servabantur : adeoque priori archidiacono Fulberto attribuenda est Vita quarta; neutiquam vero posteriori, qui vitam suam saltem usque ad annum* 1126 *protraxit*(5). *Fulbertinam Vitam non edemus, a Rigaltio jam evulgatam, præcipue quia nihil continet, quod* D *in edendis non reperiatur.*

§ II. Sancti ortus; officia in aula regia; tempus episcopatus et obitus ex ordinatione SS. Eligii et Audoeni.

Claro patre

S. Romanum *nobili prosapia natum fuisse et quidem Francum genere apud omnes biographos in confesso est : quam habemus antiquissimam Vitam, infra edendam num.* 3, *docet Benedictum, S. Romani patrem, Clodovæi non solum commilitonem fuisse, sed etiam e regia domo oriundum, a S. Remigio Remis Christo initiatum fuisse. En verba :* Exstitit vir quidam, nomine Benedictus, in regno Galliæ, quæ modo nuncupatur Francia ob gloriosissimos viros, robustissimosque bellatores, qui ex Sicambriæ partibus, Domino ducente, pervenerunt in has provincias et a Sancto Remigio, Rhemensis E sedis archipræsule, per verbum sacræ doctrinæ conversi sunt, atque baptismi latice renati, veri exinde fidei catholicæ exstiterunt cultores. Qui venerabilis Benedictus ortus ex nobili prosapia præfatorum regum, etc. *Ex his liquet gente Francum fuisse Benedictum, S.* Romani *patrem. Eodem modo Vita metrica num.* 1 *Benedictum recenset* inter magnificos proceres patresque serenos *Clotharii regis. Neque obstare debet, quod Rigaltina Vita dicat* (6), *Benedictum* intra fines Galliæ exstitisse oriundum, *quasi propterea ex censu gentis Francicæ delendus esset: nam eodem loco eumdem* ex eorum (*a S. Remigio conversorum*) nobili genere *fuisse; et paulo infra* (7), bello strenuum, consilio providum, maximam apud Latinos virtutis gloriam, sed et superiorem apud regem familiaris gratiæ sibi locum paravisse, *prædicat. Qui hoc loco* Latini *dicuntur iidem sunt ac Romani, Galliarum scilicet accolæ, dum Franci regionem invadebant, quique lingua romana seu latina utebantur* (8). *Quod porro Benedictus, licet Francus,* intra fines Galliæ *oriundus dicatur, mirari non debemus;* F *quandoquidem sciamus Childericum, Clodovæi patrem, anno* 481 *Tornaci sepulcrum nactum fuisse; unde patet, Francos jam tum sedem,* intra fines Galliæ *fixam habuisse. Quod quidem sufficit pro chronotaxi nostra: nam initia dominationis Francicæ intra fines Galliæ definire non vacat* (9). *Cæterum Benedictum post obitum Clodovæi natum censemus.*

qui sub Clotario I militavit,

10 *Nam Vita antiquior habet num.* 3, temporibus Lotharii, inclyti Francorum regis filii Ludovici gloriosissimi principis, exstitisse virum quemdam, nomine Benedictum. *Iste autem Lotharius, seu Clotarius I Francorum regnum, sive cum Fratribus divise, sive solus universum ab anno* 511 *ad* 561 *tenuit. Verum Vita Rigaltina tradit Benedictum, jam bello insignem, sub Clodovæo I seu Ludovico floruisse:* Militiæ, *inquit* (10), actibus egregium in regno Galliæ nomen acquisierat, tempore Ludovici

(1) Bessin. Concil. Rotomag. pag. 77. — (2) Migne. tom. CLXXXVIII, col. 635. — (3) Martene. Thes. Anecdot. tom. I, col. 181. — (4) Mabillon. Vet. Analect. pag. 226. — (5) Cfr Hist. lit. de la France, tom. VIII, pag. 373 — (6) P. 3. — (7) P. 4. — (8) Cfr Le Cointe. Annal. Franc. ad. an. 595 § XVII. — (9) Cfr Daniel. Hist. de France. Praef. Hist. pag. LXVIII. Edit. Amstelod. 1742. — (10) Pag. 3.

regis

A regis gloriosi: hic est Ludovius, quem de pagano Christianum fieri sors bellica coegit. *Quam lectionem si sequamur, eamdem vix cum reliqua chronotaxi vitæ* S. Romani *conciliabimus. Etenim si verum est, Benedictum jam sub Clodovæo, anno* 511 *defuncto,* egregium nomen *sortitum fuisse, necesse est, ut aliquot annis ante finem sæculi quinti natus fuerit: ponamus, si lubet, vel unum decennium; jam consequitur,* S. Romanum, *circa annum* 630 *episcopum factum, annis, ut minimum, centum quadraginta ab ortu patris sui distare. Quod vix admittere possum: decrepitis enim senibus Ecclesiarum regimen non concredebatur. Quod si lectionem Vitæ antiquioris admittamus, scilicet* temporibus Lotharii *exstitisse Benedictum, omnia bene fluunt, nec quidpiam obstat, quominus ipsam Benedicti nativitatem intra annos* 511 *et* 561 *collocemus; ex quo deinceps res gestæ* S. Romani *suo ordine recte procedunt.*

matre hactenus sterili,

11 *Quo autem tempore* S. Romanus *in lucem editus fuerit, definire nobis, quoniam documenta desunt, non licet. Ex Vita antiquiori num.* 4 *conjicere datur, matrimonium Benedicti cum Felicitate fuisse initio sterile, nec per aliquod tempus affulsisse spem prolis: alioquin non satis commode explicatur angelica, quam refert biographus, visio:* Benedicte, *inquit,* Benedicte, Dominus Jesus Christus misit me ad te gaudium magnum nuntiare tibi; ecce enim nutu ipsius uxor tua Felicitas unicum tibi pariet filium electum, nomine Romanum. *Quod si timor sterilitatis non exstitisset, nulla videretur ratio visionis angelicæ. Cæterum Vita metrica id ipsum apertius dicit* (1)*:*

Sed quia nullus erat fructus sibi posteritatis,
Poscebant ambo munus summæ Deitatis.

Similiter biographus Rigaltinus (2): Cum tanto intra aulam regiam polleret honore, hoc uno infortunii genere anxius tenebatur, quod filium non habens, alieno censum servabat heredi. Hoc uno impatientis desiderii æstu anhelus venerandus heros, sibimet ingratus, paululum displicebat; dum mentem ipsius hæc mordacis curæ meditatio exulcerabat, cui post exitum suum alta rerum patrimonia, cui regia beneficia, cui etiam longus ordo
C famulorum cedere jus hereditarium deberent. Erat enim uxor ingenuis orta et ipsa natalibus, quæ conjugalis pudicitiæ dignitate cæteras tunc suo tempore matronas præibat et exemplo: sed longæ sterilitatis incommodo anxiabatur. *Sequitur visio angelica, quam supra exposuimus.*

sæculo VII *inchoato natus,*

12 *Quoniam igitur Benedictus,* S. Romani *pater, sub Clotario rege floruit, id tali ratione nos interpretari oportet, ut sub isto rege prima* beneficia *susceperit propter res in bello et pace egregie gestas: nam Clotario regnante, natum* S. Romanum *non credimus. Quia nempe ejus ortus, ut tardissimus, ad annum* 561, *quo defunctus est Clotarius, referendus esset; adeoque* S. Romanus, *episcopatum Rotomagensem circa annum* 630 *adiens, prope septuagenarius fuisset, quod non facile quis sibi persuadeat. Ætas quidem, ad presbyteratum vel episcopatum apta, erat in Galliis tricenaria; uti constat ex concilio Agathensi, anno* 506 *celebrato, in quo canone* XVII *sancitur* (3): Presbyterum vel episcopum ante triginta annos, id est, antequam ad viri perfecti ætatem veniat, nullus metropolitanorum ordinare præsumat. *In Concilio Parisiensi V, anno* 615 *coacto, quum canone* I *decretum fuisset, ut* decedente episcopo, in loco ipsius ille debeat ordinari, quem metropolitanus, a quo ordinandus est, cum provincialibus suis, clerus vel populus civitatis, absque ullo commodo vel datione pecuniæ elegerint (4): *Huic canoni addit edictum Clotarii, ut episcopus, taliter electus,* per ordinationem principis ordinetur: vel certe, si de palatio eligitur, per meritum personæ et doctrinæ ordinetur (5): *cupiebat scilicet rex, ut e clero palatino aliqui ad episcopatus apicem assumerentur, quos inter certe fuit* Romanus *noster. Quoniam porro ex biographo prolixiori num.* 6 *habemus, regem, quum ad eum referretur de* S. Romani *electione, dixisse,* in homine attendendum esse potius religionem, quam ætatem, *videtur* S. Romanus, *qui circa annum Christi* 630 *ad cathedram Rotomagensem admotus fuit, annos triginta, seu ætatem canonicam tunc non habuisse, adeoque sæculo septimo* E *jam inchoato natus ex patre septuagenario, utpote qui sub Clotario I militaverat et ex matre hactenus sterili. Conjecturæ nostræ pondus utcumque adjicit Vita Rigaltina, quæ sanctum vocat* novum Isaac *de* promissione filium (6), *et codex eburneus Ecclesiæ Rotomagensis, in quo Felicitatem, Sancti matrem, comparat Saræ, cui, ut dicitur Genesi* XVIII, 2, *desierant muliebria: unde quinquagenariam fuisse puerperam autumamus.*

AUCTORE J. V. H.

sacrasque litteras edoctus,

13 *Angelus, Sancti nativitatem prædicens, injunxerat,* mox ut maternis ablactatus uberibus, intellectuales annos attingeret, catholicis viris committeretur (7). *Parentes autem angelicum præceptum adimplevisse docet auctor Vitæ infra edendæ num.* 4: Ortus diligenti cura B. Romanus genitorum in æde est nutritus. Post exiguam autem temporis capedinem, ipso suggerente, spiritualibus disciplinis præ cæteris traditur pædagogis scholaricis, apprime imbuendus disciplinis liberalibus. *Et quod hoc artium studium ad altiores tenderet disciplinas, docet nos paulo infra idem biographus num.* 5, *scilicet* Divinarum scripturarum optimum agnitorem *exstitisse: unde et datur intelligi, quo sensu accipiendæ sint* spirituales disciplinæ, *ad quas a pueritia destinatus fuit* S. Romanus. *Atque id quidem consequenter, quoniam secundum angelicam prædictionem, futurus erat nasciturus puer* Ecclesiæ decor atque splendor, fortis columna, *ut dicitur num.* 4. *Ab ipsa igitur infantia clericali militiæ præparatum fuisse* S. Romanum, *non est dubium sive disciplinarum genus, ad quas incubuit, sive prædictionem, ab Angelo factam, spectemus. Adolescentis* Romani *vitæ particulam optime describit Vita Rigaltina* (8): Crescit itaque, *ait,* puer, traditur catholicis viris, imbuitur uberius divinis scripturis, quem brevi tempore doctrina et eruditione anteriores suos præire omnes mirabantur. Fulgebat in eo non simplex virtutum gratia: in corde etenim sinceritas et legis plenitudo,
F

(1) Migne Patrol. tom. CXXXVIII, col. 174. — (2) Pag. 4. — (3) Labbe tom. IV Conc. col. 1386. — (4) Ibid. tom. V col. 1650. — (5) Ibid. col. 1653. — (6) Fol. 6. — (7) Fol. v°. 5. — (8) Fol. 6.

in

AUCTORE J. V. II.

in ore ipsius veritas erat et puræ eloquentiæ magnitudo. Verum divini dogmatis prægustata dulcedine, quanto plus scientiæ ac sanctimoniæ pollebat copiis, tanto magis humilitati operam dabat, omnibus se affabilem præbebat, nullum se inferiorem existimans, illud cogitans Salomonis*: « Quanto magnus es, humilia te in omnibus: » et*: « Quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. »

* *Eccli. III,20*
* *Jac. IV, 6*

in aulam regiam vocatur,

14 *Pergit idem scriptor* (1): Sanctitatis quoque ejus fama circumquaque fragrante, ad regias aures virtus tam egregiæ adolescentiæ pervenit. Rex etiam ipse, illustris juvenis fama delectatus, jam de ejus, quem necdum noverat, institutione præcogitabat. Mittitur ergo legatio, quæ ex mandato regis juvenem ad palatium venire quantocius moneat; quod juvenis strenuus primo quidem sprevit, utpote qui soli Deo vacare studens, populosas urbes et regiam frequentiam declinare malebat; sed reputans ex verbis Apostoli *, omnem animam subdi debere sublimiori potestati, et maxime regiæ majestati, licet ægre, ad regiam se confert præsentiam. *Biographus, a nobis edendus, dicit num.* 6 : Taliter ergo in virtutum apice locatus, cœpit strenue in aula regis militare Clotharii. *Sed animadvertendum est, hunc Clotarium, sub quo S.* Romanus *ministerio aulico adhibitus fuit, esse hujus nominis secundum, filium scilicet Chilperici regis, qui patri anno* 584 *quadrimestris successit, et tandem ab anno* 613 *ad* 628 *universum Franciæ regnum solus tenuit. Fieri certe potuit, ut tunc primum S.* Romanus *aulam regiam adierit, quando jam regno universo potiebatur Clotarius II. Cæterum rex iste jam ab anno* 584 *Suessionense regnum occupans, Neustriam, id est Galliæ partem inter Sequanam et Ligerim sitam, adeoque diœcesim Rotomagensem, in hereditate sua habebat* (2).

* *Rom. XIII,* 1

B

reiquepublicæ curam impendit:

15 *Si fidem habemus Vitæ metricæ* (3), *non prius videtur militiæ clericali adscriptus fuisse, quam vocatus ad aulam regiam advenisset : canit enim poeta :*

Inde palatinam de more vocatur ad aulam,
Vestiturque toga, magis ardens cœlibe vita,
Intra castra Dei devotus miles haberi.

C *Quibus verbis scriptor indicat, S.* Romanum *prætulisse togæ seu magistratui civili militiam Christi seu vitam clericalem : cui nondum initiatus videtur fuisse. Crediderim tamen medio tempore, quo in aula vixit, saltem clericum fuisse. Etenim frequens erat in palatio regio clerus, tum quia Francis, hactenus barbaris necessarii erant viri, scientia et artibus instructi; quales plerumque inter clericos reperiebantur; tum quia S. Remigius Clodovæo regi, recens baptizato, imprimis commendaverat, ut sacerdotes in suis consiliis adhiberet.* Consiliarios, *inquit* (4), tibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare, et beneficium tuum castum et honestum esse debet, et sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, et ad eorum consilia recurrere. Quod si bene cum illis convenerit, provincia tua melius potest constare. *Quapropter erant in aula regia, clerici qui officio referendarii seu custodis annuli regii et notarii* D *fungebantur. Vide Referendariorum Catalogum in Glossario mediæ et infimæ latinitatis verbo* Referendarius *Caroli Du Cange. Hac dignitate insignitum fuisse Sanctum nostrum, asserit Franciscus Pommeraye, S. Audoeni monachus Benedictinus, in sua Historia archiepiscoporum Rotomagensium* (5). *Verum Sancti nomen omisit laudatus Cangius, quum hactenus in nullo diplomate occurrerit : quin et ipse Franc. Pommeraye paulo infra suam emollit affirmationem, dicens, S.* Romanum *aut ab annulo aut a consiliis regi fuisse. Quod quidem posterius verissimum est : nam in Vita antiquiore legimus num.* 6, *eum* in aula regis militasse Clotharii, *quod magistratum civilem interpretamur; et Vita Rigaltina apertius docet* (6), *regem,* summo cum honore Romanum suscepisse et inter primos palatii suis jussisse interesse consiliis.

ordinationis ejus annus pendet ex obitu Melantii

16 *Quamdiu S.* Romanus *in aula regia vixerit, incertum est : quum nullum nos doceat monumentum, quo tempore aut in ea agere inceperit, aut cathedram Rotomagensem adierit. Ordericus Vitalis lib.* V *tribuit Hildulfo episcopo* XXVIII *annos ejusque successori, S.* Romano *annos* XIII, *quod tempus* XLI *annorum currit inter Melantium et S. Audoenum episcopos Rotomagenses. Anno* 601 *adhuc vixisse videtur Melantius : ad illum nempe dedit S. Gregorius M. indictione* IV *seu mense septembri, an.* 601, *epistolam lib.* XI *epist.* 58 (7), *qua commendat S. Augustinum et socios, ad gentem Anglorum missos. Si itaque certo cognosceretur tempus obitus Melantii et ordinationis S. Audoeni, satis e propinquo chronotaxis utriusque medii, seu Hildulfi et S.* Romani *statui posset. Ignoramus autem, quo tempore obierit Melantius; id unum admittendum videtur, vixisse quum S. Gregorius epistolam supra laudatam post mensem septembrem scripsit, aut saltem non ita diu ante vita functum fuisse. Quod vero spectat ad ordinationem S. Audoeni, vexatissima est quæstio, quam vario modo solverunt eruditi. Tota controversia pendet ex textu S. Audoeni in Vita S. Eligii, qui sic sonat* (8) : Convenientes igitur simul in civitatem Rothomagensem quarto decimo die mensis tertii, tertio F anno Clodovei, juvenculi adhuc regis, die dominico ante Litanias inter catervas populi, inter agmina clericorum, inter choros psallentium, consecrati sumus gratis ab episcopis pariter episcopi, ego Rodomo, ille Noviomo. *Mensis tertius est, anno a martio incipiente, majus. Litaniæ sunt Rogationes, per triduum ante festum dominicæ Ascensionis celebrandæ, ut constat ex can.* XXVII *Concilii Aurelianensis, anno* 511 *celebrati, et cui S. Gildardus Rotomagensis subscripsit :* Rogationes, *inquit* (9), id est litanias ante Ascensionem Domini ab omnibus ecclesiis placuit celebrari ; ita ut præmissum triduanum jejunium in dominicæ Ascensionis festivitate solvatur : per quod triduum servi et ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant et quadragesimalibus cibis utantur.

E

(1) Fol. 7. — (2) Cfr Valesius. Notit. Gall. v°. *Neustria.* — (3) Migne Patrol. tom. CXXXVIII, col. 175. — (4) Migne Patrol. tom. LXXI, col. 1157. — (5) Hist. des Archiv. de Rouen. pag. 119. Servin. Hist. de Rouen tom. I, pag. 68. —(6) Fol. 7 v°. — (7) Migne Patrol. tom. LXXVII. Op. S. Greg. col. 1177. — (8) Ibid. tom. LXXXVII, col. 512. — (9) Labbe tom. IV Conc. col. 1408.

17 *Certe*

et ordinatione SS. Audoeni et Eligii,

17 *Certe si, deleto anno regni Clodovei tertio, legeretur textus S. Audoeni supra citatus, omnes consentirent in annum* 646 *reponendam esse SS. Audoeni et Eligii consecrationem episcopalem. Eo enim, notato littera dominicali A, paschate die* IX *aprilis occurrente, dominica quinta post pascha seu ante Rogationes, incidebat in diem* XIV *mensis tertii seu maji. Alii autem anni, his notis insigniti non occurrunt, nisi* 635 *et* 657, *neuter vero cum chronologia componi potest. Omnia igitur bene concurrerent in assignandum annum* 646 *consecrationi, nisi obstaret alia nota chronologica, nempe Sanctos ordinatos fuisse* tertio anno Clodovei, juvenculi adhuc regis. *Etenim si annus* 546 *tertio Clodovæi II illigetur, necesse est, ut Dagobertus anno* 644 *obierit, scilicet die, in quo omnes conveniunt* (1), XIX *januarii, unde tertius annus regni Clodovæi currebat anno* 646. *Ast hic est nodus, quodam modo insolubilis. Recentiores fere omnes mortem Dagoberti ad annum* 638, *adeoque consecrationem SS. Audoeni et Eligii ad* 640 *statuunt, freti firmissimo argumento Fredegarii Scholastici, uno vix sæculo iis, quæ*
B *narrat, posteriora. Hic autem scriptor annos solum sedecim Dagoberto, partitum primo, universum dein Francorum regnum administranti, tribuit.* Dagobertus, *inquit* (2), cum jam annos septem regnaret maximam partem patris (*anno* 628 *defuncti*), regni, ut supra memini, assumpsit. *Atque istiusmodi chronotaxim persecutus ad obitum usque dicit* (3) : Anno XVI regni sui Dagobertus... ægrotare cœpit... post paucos dies emisit spiritum. *Quæ vero idem Fredegarius paulo infra refert, quasi anno primo Clodovæi acciderint, eamdem chronotaxim confirmant. Anno primo* Constantinus, *inquit* (4), imperator moritur... Eodem anno Sintela, rex Spaniæ, qui Sisenando in regno successerat, defunctus est. *Quæ duo aptissime cum anno* 639 *conveniunt* (5). *Quapropter dubitatio nulla esse potest, quin Fredegarius ad annum* 638 *obitum Dagoberti statuerit.*

cujus tempus Cointius,

18 *Quum duo historice certa sunt quæ mutuam sibi faciunt angustiam, scilicet diem* XIV *Maji concurrentem cum dominica ante litanias seu Ascensionem Domini pertinere ad an-*
C *num* 646 *et Dagoberti mortem, anno* 638 *obitum, reducere annum Clodovæi II tertium ad Christi* 640; *varii variam inierunt viam ad discutiendam difficultatem. Cointius quidem ad annum* 640 § XXI *bifidit allatum supra num.* 16 *textum S. Audoeni, scilicet* hujus periodi duæ sunt partes. Prior annum diemque designat, quo Rothomagum Audoenus et Eligius pervenerunt : posterior diem notat, quo consecrati sunt episcopi. Rothomagum ingressi sunt quarto decimo mensis tertii : consecrati sunt episcopi die dominico ante Litanias : dies ille dominicus ante Litanias fuit vigesimus primus mensis tertii seu Maji, quia hoc anno, Clodovæi tertio, pascha die decimo sexto celebratum est. *Subnectitque, qui duas partes in periodo S. Audoeni non distinguunt, ordinationem referre coguntur aut ad annum* 635 *aut ad* 646. *Hanc distinctionem Cointii merito explodit Jos. Ghesquière in suis Actis Sanctorum, in quibus Annotationes quasdam adnectit ad Exegesim de Dagoberto Godefridi Henschenii.* Quis, quæso, *inquit* (6), non videat S. Audoenum, scriptorem utique accuratum ac diligentem, non tam sui sanctique Eligii in Rothomagensem urbem adventus epocham, quam ipsummet susceptæ ab utroque consecrationis episcopalis diem suis temporum notis designare voluisse? Et vero quis utcumque historiographus, qui electorum præsulum in episcopalem urbem, aut abbatum absentium electorum in cœnobium suum, adventum omnibus notis chronologicis diserte designet, diem vero consecrationis eorum summo involvat silentio. Sit hoc unum, plurium instar exemplum, quo pateat assignatum a S. Audoeno diem decimum quartum mensis Maji, diem esse episcopalis consecrationis ipsius Audoeni atque S. Eligii, non vero diem XXI ejusdem mensis, cujus ne verbo quidem uno mentionem fecit Audoenus : ut adeo non immerito dixerit Henschenius num. XI (7), verendum esse, ne hi, qui dictum diem XIV Maji separant a die consecrationis, dum moliuntur ædiculam construere, basilicam destruant. Fateor tamen adducta hic ab Henschenio ar- E
gumenta non esse tam evidentia, ut Audoeniani textus explicandi methodum ab illo adhibitam, extra omnem controversiam ponant.

refutatus a Ghesquiero.

19 *Quæ sunt igitur ab Henschenio adhibita? Duo scilicet ponit* (8): *quod dominica Rogationum sive Litaniarum distinguenda sit a dominica ante Rogationes, ita ut hæc sit dominica quinta, illa vero quarta post Pascha; hac ratione consecratio peracta fuit die* XIV *Maji, incidente anno* 640 *in dominicam quartam. Alterum argumentum est, potuisse anno* 640 *apud Neustrios celebrari pascha octiduo citius, quo casu, dominica quinta concurrebat cum* XIV *Maji. Ast vicissim rejicit Henschenii argumenta satis, ut ex verbis Josephi Ghesquière supra allatis constat, labilia Cointius ad an.* 798 § XCII. *Citato enim* XXVII *Concilii Aurelianensis, quem num.* 16 *retulimus, monstrat dominicam quintam post pascha vere dici et esse dominicam ante Rogationes, quæ per sequens triduum celebrabantur; adeoque* alia opus esse probatione, ut quis persuadeat dominicam quartam dominicam F
Rogationum vocatam fuisse. *Quod autem addit Henschenius, solere quasdam solemnitates octiduo integro ante eorum celebrationem annuntiari : responderi potest, tum consuetudinem, etiamsi, quum scriberet Henschenius, exstitisset, non monstrari exstitisse sæculo septimo; tum suffecisse, ut dominica quinta indicarentur Rogationes, quæ postridie erant inchoandæ. Quod ad alterum Henschenii argumentum spectat, nempe Rotomagenses forsan solido octiduo pascha anni* 640 *præoccupare potuisse, cujus varia profert exempla ex Gregorio Turonensi, quibus ostendit accidisse, ut in celebranda solemnitate paschali orientales Ecclesiæ ab occidentalibus dissiderent. Et certe istiusmodi discordiæ exempla multo exhibet Opus Chronologicum Gallicum* L'art de vérifier les dates. *Ast ejus discrepantiæ duplicem allegat causam Cointius* § XCIV; *alteram, quando* XIV *lunæ paschalis seu plenilunium Martii incidebat in Sabbathum, paschale*

(1) D. Bouquet. Rec. tom. III, pag. 687. — (2) Migne Patrol. tom. LXXI, col. 642. — (3) Ibid. col. 656. — (4) Ibid. col. 657. — (5) Cfr Mariana. Hist. de Espan. tom. II, pag. 294. Edit. Valent. 1785. Cedren. Hist. Compend. pag. 753 et seq. Edit. Bonn. 1838. — (6) Act. SS. Belg. tom. II pag. 233. — (7) Ibid. pag. 230. — (8) Ibid. l. c.

sacramentum

AUCTORE J. V. H.

sacramentum reponebant latini non in dominicam sequentem, seu XV *lunæ, sed in* XXII, *ita ut toto octiduo ab orientalibus discreparent.* Absurdum enim, *ait Sanclementius* (1), latinis patribus videbatur, lætum festumque Resurrectionis diem recolere, ea luna, qua Christum Dominum in humani generis redemptionem cruci affixum et sepultum fuisse constabat. *Et vero Christus feria quinta,* XIV *lunæ sacram cœnam celebraverat, ac postridie,* XV *lunæ in cruce mortuus est. Ast hæc causa Henschenio patrocinari non potest : nam anno* 640 *littera dominicali A, plenilunium paschale in diem* XII *Aprilis, feriam quartam hebdomadis incidebat; pascha vero in diem* XVI *ejusdem mensis adeoque nulla ex hoc capite causa erat movendi paschatis.*

vicissim refutato,

20 *Altera causa discrepantiæ in eo est, quod latini orientales biduo in constituendo novilunio paschali præcedebant. Unde fieri potuit et aliquando factum est, ut plenilunium, incidens in* XXI *aut* XXII *Martii, pascha latinis daret mense Martio; dum orientales, quibus iisdem*
B *diebus solum curreret* XII *aut* XIII *lunæ, ac proinde, quum ex decreto concilii Nicæni ea habenda est luna paschalis, cujus dies* XIV *occupat aut sequitur æquinoctium vernum, diei* XXI *Martii affixum, orientalibus luna paschalis currere incipiebat* VIII *Aprilis, ut ad* XXI *Aprilis plenum suum attingeret : unde accidit ut toto fere mense pascha orientale ab occidentali seu latino distaret. Sed neque hæc causa Henschenium juvare potest : nam, ut jam diximus, anno* 640 *pascha celebratum fuit dominica* XVI *Aprilis, luna* XVIII; *differentia bidui ipsam solemnitatem non afficit : id solum fuerit apud orientales, ut hi plenilunium a feria quarta ad sextam transtulerint, quin propterea ipsa festivitas Resurrectionis dominicæ suo moveri loco potuerit. Perstat igitur nodus hactenus insolubilis.*

ad annum 646 referimus:

21 *Eumdem tamen quasi discindit Hadrianus Valesius lib.* XX *Rerum Francicarum* (2), *dum insinuat, expungendam esse particulam textus Audoeniani, qua docemur, anno tertio Clodovæi II consecrationem SS. Audoeni et Eligii esse illigandam : dicit enim* anno tertio Chlo-
C dovei regis, quo anno Eligius et Audoenus ad episcopatum pervenisse dicuntur; *ac dein affirmat,* Nonnulla in ejus (*Audoeni*) libris de vita S. Eligii a recentioribus inserta esse. *Verum justo audacius mihi videtur totam particulam tollere. Sed quid si pro* anno tertio *Clodovæi II legeremus* anno nono? *Sua staret regno Dagobertino simul et ordinationi SS. Audoeni et Eligii chronotaxis : immo retineri posset, quod Clodovæus dicitur* juvenculus adhuc rex : *nam si ponatur* anno nono, *annos tredecim non attigisset, qua ætate etiamnum* rex juvenculus *appellari potuit. Quidquid sit de hac qualicumque solutione vexatæ quæstionis, quæ ad diem* I *Decembris in Actis S. Eligii retractari poterit, id mihi certius videtur, epocham ordinationis SS. Audoeni et Eligii a die* XIV *Maji anni* 646 *dimoveri non posse. Huc etiam facit quod vetustissima Calendaria, etiam sæculi noni ordinationem S. Eligii diei* XIV *Maji innectunt* (3). *Nunc ad ordinandam utcumque chronotaxim* D *Vitæ S.* Romani *gressum facimus.*

ex Orderico, non temere

22 *Diximus supra num.* 16 *tempus* XLI *annorum, quo episcopatus Hildulfi et S.* Romani *duravit, circumscribi per pontificatum Melantii et S. Audoeni. Verum quidem est, hanc annorum intercapedinem desumptam esse ex libro* V *Orderici Vitalis, qui nonnumquam in chronologicis notis cespitat, ast minus tamen quam passim dicitur, ut animadvertunt scriptores Historiæ literariæ Franciæ* (4). *Sic in recentissima, ut credo, Orderici editione Parisiensi anni* 1840 *accusatur, quasi omnino erraverit in recensendis Franciæ regibus Hildulfo coævis. Scripsit nempe* (5) : Hic (*Hildulfus*) annis XXVIII... Tunc in Francia regnaverunt Childebertus et filii ejus Theodoricus ac Theodebertus et Lotharius Magnus. *Ad hæc verba editor dicit, verba gallica latine reddo :* Non possumus non refutare hanc phrasim, quæ quot verba, tot continet errores. Solus ex citatis principibus, qui Hildulfo coævus fuerit est Clotharius II. Videtur auctor hunc confundisse cum avo suo Clothario I et quum hic coævus fuerit Childe-
E berto et Theodorico, eos ad tempus Hildulfi reduxit, falsus etiam in gradibus consanguinitatis. *Unus est error in textu Orderici, conjungentis regnum Childeberti cum episcopatu Hildulfi : nam veneno sublatus fuit Childebertus anno* 596 *et anno* 601 *adhuc in vivis erat Melantius, Hildulfi prædecessor. Ast reliqua accuratissima sunt : ab anno* 596 *Theodoricus Burgundiæ usque ad* 613, *Theodebertus Austrasiæ ad* 612, *Childeberti filii præfuerunt. Quantum vero spectat ad Clotharium II, non dicitur Childeberti filius, imo quandoquidem post Theodoricum et Theodobertum ponitur, alium habuisse patrem, potius insinuatur. Ideo autem Magnus appellatur, quia ab anno* 613 *ad obitum usque universam Franciam suo sceptro subegit.*

erroris culpando,

23 *Non igitur nimis faciles esse oportet in arguenda falsitate quarumdam notarum, quas operose congerit Odericus in ordinanda serie præsulum Rothomagensium, eumque prudenter sequemur, donec ex aliis monumentis meliora edoceamur. Hæc itaque scribit de S.* Romano (6) : Hic XIII annis, tempore Honorii, Severini et Joannis Paparum, Heraclio regnante, mira-
F culis coruscavit : decimoque kal. novembris ad Dominum gloriose transiit. Tunc in Gallia christiani principes vigebant Dagobertus et Lodoveus : in Anglia Oswaldus, Oswinus et Oswius : in Italia Agilulfus, Adoaldus, Arioaldus, Rotharith et Rodoaldus. Arioaldo regnante, Beatus Columbanus, genere Scotus, postquam in Gallia Luxoviense monasterium construxerat, in Italia, in Alpibus Cottiis Bobiense condidit. *Expendamus notas hasce chronologicas, et cum tabulis chronologicis Benedictinorum conferamus. Honorius Papa I pontificatum tenuit ab anno* 625 *ad* 640 (7) : *in Hidulfo etiam dixerat Odericus* (8), *tempore Honorii eumdem fuisse : unde habemus medio tempore S.* Romanum *episcopum fuisse ac perseverasse usque ad Joannem, ab anno* 640 *ad* 642 *Papam* (9). *In Gallia, Dagoberto regi ab anno* 622 *ad* 638 (10), *succedit Clodovæus II, qui regnum*

(1) De vulgaris Æræ emend. pag. 486. — (2) Tom. III, pag. 185. — (3) Mabillon. Vet. Analect. pag. 519. Cfr Act. SS. tom. IV, aug. pag. 797. — (4) Hist. de la France lit. tom. XII, pag. 202. — (5) Tom. II, pag. 344. — (6) Orderic. Vital. Hist. Eccles. tom. II, pag. 345. — (7) L'art. de vérif. les dates, pag. 261. Edit. Paris. 1770. — (8) Tom. II, pag. 344. — (9) L'art. de vérif. les dates, pag. 262. — (10) Ibid. pag. 529.

tenuit

A *tenuit usque ad an.* 656 (1). *In Anglia, Oswaldus, rex Northumbriæ ab anno* 634 *ad* 643 (2), *Oswinus a* 644 *ad* 651 (3), *Oswius vero a* 643 *ad* 670 (4). *In Italicis regibus minus accurata est Orderici chronotaxis; nam Agilulfus, rex ab* 591, *desiit an.* 615 (5); *Adoaldus ab* 615 *ad* 626 (6); *Arioaldus a* 625 *ad* 636 (7), *quo regnante, B. Columbanus, defunctus anno* 615, *Bobiense monasterium condere non potuit. Rotharis ab* 636 *ad* 652 (8); *tandem Rodoaldus ab obitu patris sui Rotharis ad annum* 672 *regnavit* (9).

chronotaxis pontificatus S. Romani

24 *Licet in Orderico gravis sit error in principibus, ut diximus, Italicis, in eo tamen collimant omnes notæ chronologicæ, ut certum videatur, S.* Romanum *post annum* 640 *superstitem fuisse: unde et confirmatur sententia nostra, anno* 646 *SS. Audoeni et Eligii ordinationem illigans. Et profecto ordo chronologicus Pontificum Romanorum sæculi septimi satis certus est, ut error non facile irrepserit: adeoque quum Joannes Papa IV electus fuit die* XXIV *decembris anni* 640, *consequens est, ut tunc quidem cathedram Rotomagensem S.* Romanus *tenuerit: imo ad finem usque pontificatus Joannis Papæ eamdem occupasse probabile est, alioquin nimium proroganda esset Ecclesiæ Rotomagensis viduitas, quæ etiam tam diuturna est (nempe a* XXIII *octobris* 642 *ad* XIV *maji* 646), *ut magis episcopatus S.* Romani *usque ad tempora Theodori, Pontificis a die* XXIV *novembris* 642 *ad* XIII *maji* 649, *aliquantulum videatur extendendus. Nec quispiam nudam hic conjecturam suspicetur: etenim in Vita prolixiori num.* 16 *dicitur S. Romanus obiisse* dominica nocte, decima kalendarum novembrium, *id est, die sabbathi,* XXIII *octobris: jam vero annus bissextilis* 644, *littera dominicali* DC *notatus, habet sabbathum* XXIII *octobris; neque alius annus aptior illigandæ morti S.* Romani *occurrit: non annus* 639, *simili littera* C *notatus, quia cum chronotaxi S. Audoeni, ut infra monstrabimus, non convenit: non annus* 650, *quo certe jam sedebat S. Audoenus. Hac ratione nimis prolongatum interpontificium inter SS.* Romanum *et Audoenum tollitur, et ad novemdecim circiter menses, seu a* XXIII *octobris* 644 *ad* XIV *maji* 646, *reducitur: et initium pontificatus S.* Romani, *qui* XIII *annis cathedram Rotomagensem tenuit, circa annum* 631 *definitur.*

B

C

aliquousque statuitur

25 *Certum porro est, inter electionem et consecrationem, anno* 646, *ut diximus, peractam, sat longum tempus cucurrisse. Electus enim S. Eligius, hactenus laicus,* ne tamen, *ait S. Audoenus* (10), in ullo catholicæ regulæ deviare videretur, non se permisit prius sacerdotem consecrari, nisi sub normula clericatus aliqua temporis curricula exigeret. *Scilicet concilium Arelatense anni* 524 *decrevit Can.* II, *ut laici antequam ad ordines sacros assumerentur, per annum integrum in clericatu perseverarent. En verba* (11): Et licet de laicis prolixiora tempora antiqui patres ordinaverint observanda; tamen quia, crescente ecclesiarum numero, necesse est nobis plures clericos ordinare, hoc inter nos, sine præjudicio dumtaxat canonum antiquorum, convenit, ut nullus metropolitanorum cuicumque laico dignitatem episcopalem tribuat, sed nec reliqui pontifices presbyterii vel diaconatus honorem conferre præsumant, nisi anno integro fuerit ab eis præmissa conversio (12). *Hæ fere sunt rationes, quæ sat longum interpontificium in Ecclesia Rotomagensi fuisse suadent.*

AUCTORE J. V. H.

26 *Nam quæ stant argumenta pro dilatione consecrationis S. Eligii, etiam pugnant pro interpontificio Rotomagensi. Electus videlicet fuit cum S. Eligio S. Audoenus, ut ipse testatur in Vita Eligii* (13): Elegerunt, *ait,* ex merito sanctitatis... ad sacerdotale officium sanctum Eligium... Elegerunt autem cum eo Audoenum, sodalem ejus, qui vocabatur Dado, ut præesset Ecclesiæ Rothomagensi. *Et paulo dein infra occurrit sæpe recantatus textus de utriusque in una die consecratione. Quod igitur intervallum currit inter electionem et ordinationem S. Eligii, id etiam S. Audoeno annumerandum est. Ut autem per synopsim exhibeamus chronotaxim S.* Romani, *prout ex supra dictis deducitur: opinamur Sanctum in lucem editum sæculo septimo jam inchoato, ita ut tricenario minor fuerit, quando cathedram Rotomagensem conscendit. Anno circiter* 631 *episcopatum accepit, in quo per annos* XIII *perseverans, sancto fine anno* 644, *die* XXIII *octobris quievit.*

E

deluuntur objectiones.

27 *Non tamen omnes scriptores cum hac chronotaxi conveniunt. Cointius in Annalibus suis ad annum* 626 *refert* § XIII (14) *S.* Romani *ordinationem: et id necessario, signans ordinationem SS. Eligii et Audoeni ad annum* 640. *Quamvis et in hac sua sententia eum fallat chronologia: nam S.* Romano, *defuncto, ut ipse dicit* (15), *anno* 639 *die* XXIII *Octobris, successor ordinatus est S. Audoenus die* XXI *maji* 640; *adeoque ne semestre quidem spatium interfuit inter mortem S.* Romani *et consecrationem S. Audoeni; ast vidimus paulo supra solidum saltem requiri annum inter ejus electionem et consecrationem. Quod si Sancti nostri obitus ad annum* 638 *redigatur, tunc initia seu tredecim anni ejus episcopatus ad annum Christi* 625 *referenda erunt, et demetiamus, oportebit aliquot e* XXVIII *annis, quos tribuit Ordericus* (16) *episcopatui Hildulfi; quandoquidem, ut supra num.* 16, *ostendimus, Melantius, Hildulfi prædecessor, adhuc vivebat anno* 601. *Scio responsum fore, Ordericum in numeris adhibendis nonnumquam peccare: esto; quamvis, ut supra diximus num.* 22, *non tam frequenter, ut quidam opinantur; et cæterum ut ejus rejiciam auctoritatem, necessarium censeo, monstrare errorem: quamdiu quæstio dubia est, malo in rebus historicis cum antiquis quam cum recentioribus scriptoribus errare. Gallia Christiana medicam manum adhibet ad chronologiam Cointianam, nempe* obiisse, *inquit* (17), illum putamus anno 638, ut annus integer et aliquot menses effluxerint inter obitum ejus (S. Romani) et consecrationem S. Audoeni. *Infelix medicina quæ alterum, ut ostendimus, malum excitat. Franciscus Pommeraye Benedictinus in Historia archiepiscoporum Rotomagensium, gallice conscripta* (18), *Anonymus in*

F

(1) L'art de vérif. les dates, pag. 530. — (2) Ibid. pag. 768. — (3) Ibid. l. c. — (4) Ibid. l. c. — (5) Ibid. pag. 363. — (6) Ibid l. c. — (7) Ibid. pag. 364. — (8) Ibid. l. c. — (9) Ibid. pag. 365. — (10) Ibid. l. c. — (11) Labbe tom. IV, Conc. col. 1622. — (12) Cfr Act. SS. tom. VII octob. pag. 964. — (13) Act. SS. Belg. tom. III, pag. 229. — (14) Tom. II, pag. 775. — (15) Tom. III, pag. 84. — (16) Hist. Eccles. tom. II, pag. 344. — (17) Tom. XI col. 12. — (18) Hist. des Archev. de Rouen.

AUCTORE J. V. H.

simili Historia edita Rotomagi anno 1731 (1), *altera item a causidico Servin* (2). *Tandem nuperus scriptor L. Fallue* (3), *ita* S. Romani *chronotaxim ordinat, ut factus episcopus anno* 631, *anno* 644 *obierit. Cui sententiæ, secundum supra exposita, omnino subscribendum duco: qua scilicet omnia commodissime conciliantur: nempe episcopatus Hildulfi, anno* 601 *ordinati, cui ad annum usque Christi* 630 *pontificatus annos* XXVIII *facile concedimus : dein diuturnius interpontificium, forsan anni solidi, quo Rotomagenses, primum in varias factiones abrepti, tandem in electionem* S. Romani *anno* 631 *consenserunt: ac demum ex eo tempore cursus* XIII *annorum, quo sedem Sanctus tenuit, usque ad annum* 644, *quando meritis plenus ad cœlestem patriam transivit.*

§ III. Variæ Reliquiarum translationes; sacri corporis destructio per Calvinianos; servatæ aliquæ exuviæ.

B

S. Romani corpus, primum in ecclesia S. Gildardi

Transiit, *ait biographus brevior num.* 9, e mundo decima kal. novembris. Tunc arripientes ejus corpus, cum omni sepelierunt diligentia, ubi multorum miraculorum benefica Domini pandit magnificentia per eumdem servum suum Romanum usque in hodiernum diem. *Non exprimit auctor, qua in ecclesia compositum fuerit* S. Romani *funus : ast scimus in ecclesiam S. Mariæ, quæ dein nomen S. Gildardi sortita est illatum fuisse,* (4). *Erat autem sæculo septimo hæc ædes extra muros urbis Rotomagensis, ut monstrat anonymus, qui late urbem descripsit* (5) : *nam extra muros olim, ut jam sæpe dictum est, sepeliebantur fidelium corpora. Depositæ* S. Romani *exuviæ in sepulcro jaspideo remanserunt in eadem ecclesia usque ad annum* 1036, *quo Robertus archiepiscopus, filius ducis Normanniæ, easdem visitavit, et integras repertas, continuato cultu venerari præcepit. Robertus, inquit Ordericus* (6), ecclesiam metropolitanam in urbe Rotomagensi Sanctæ Dei Genitrici a fundamentis in-
C choavit, quam magna ex parte consummavit; *quamque B. Maurilius archiepiscopus* nono anno præsulatus sui (7), *id est anno Christi* 1063 (8), *dedicavit.*

sepultum, transfertur anno 1079 *in ædem metropolitanam;*

29 *Ast anno* 1079 *Gulielmus, archiepiscopus Rotomagensis, vulgo dictus de Bona Anima,* corpus, *ait Ordericus* (9), Sancti Romani præsulis de propria æde in metropolitanam basilicam gloriose transtulit, et in scrinio, auro argentoque cum pretiosis lapidibus operose cooperto, reverenter collocavit. Solemnitatem quoque ejus x kal. novembris per totam diœcesim suam festive celebrari constituit, et generali edicto festivam stationem ad sancti pontificis corpus extra urbem singulis annis fieri decrevit ; ad quam parochianos pene omnes monitis et absolutionibus atque benedictionibus invitavit. *Incepisse videntur occasione hujus translationis Nundinæ, quæ* Indul- D
gentiæ ac S. Romani *dicuntur :* Foire du pardon ou de S. Romain, *quæque inchoatæ a die* XXIII *octobris, primo per biduum, dein per sex dies continuabantur* (10) ; *celebrabantur autem in agro juxta muros septemtrionales hodiernæ urbis, et loco inditus erat nomen campi Indulgentiæ* (le champ du pardon). *Ut præterea Gulielmus Gildardinis damnum amissi corporis S.* Romani *compensaret, stationem, ut supra dicit Ordericus, ad sepulcrum instituit : quæ quidem compensatio in eo consistebat, ut Dominica Palmarum SS. Eucharistia hora sexta matutina reverenter a duobus presbyteris ad ecclesiam S. Gildardi portaretur, ex qua dein cum ramis et palmis solemni pompa ad metropolitanum templum reducebatur. Vocatur hic ritus processio sacri Corporis* (la procession du Corps Saint) (11). *Translatio corporis S. Romani celebrabatur olim die* XVII *maji* (12) : *sed festivitatem expunctam video in Breviario Rotomagensi, jussu tum Francisci de Harlay, anno* 1627, *tum Ludovici de la Vergne de Tressan archiepiscopi anno* 1736 *edito : et tota solemnitas coalescit in diem* XXIII *octobris, quo celebratur S.* Romanus *ritu* triplicis, *ut ibidem dicitur,* primæ classis *cum Octava.* E

anno 1179 *in pretiosiorem capsam*

30 *Anno* 1179 *Rotrodus seu Rotrocus, filius Henrici comitis Warwicensis, archiepiscopus Rotomagensis ab anno* 1164 *ad* 1183 *in augustiorem capsam transtulit corpus S.* Romani; *cujus rei exstat instrumentum in archivo ecclesiæ cathedralis, sequentis tenoris* (13) : Ideo aurum et argentum Ecclesia thesaurizat, ut illud in redemptionem captivorum et alimoniam pauperum et alia misericordiæ opera, secundum quod multiplex urgentia necessitatum sæpe flagitat, impendatur. Ingruente siquidem validissima fame, Rotomagensis Ecclesia de feretro aureo, ubi corpus beatissimi Romani Confessoris atque pontificis fuerat cum veneratione reconditum, aurum, quod ibi erat, assumpsit, Christique patrimonium Christo reddens, illud in sustentationem pauperum misericorditer erogavit. Rotrodus autem, Rotomagensis archiepiscopus, beatissimum Confessorem, pro pauperum indigentiis spoliatum, gloriosius revestivit, illumque F
de veteri capsa educens, in qua devotissime quondam fuerat repositus, atque sigillis Gaufridi archiepiscopi, Rotomagensis capituli Joannis Cremensis, tituli S. Chrysogoni presbyteri Cardinalis studiosius sigillatus, in feretro novo, tam auro quam pretiosis lapidibus cooperto, assistentibus sibi Arnulfo Lexoviensi et Frogerio Sagiensi episcopis, qui ad hoc specialiter convocati fuerant, cum reverentia et devotione reposuit, atque tam suo, quam capituli Rotomagensis, necnon et prædictorum episcoporum sigillis, sub multorum, qui aderant, præsentia consignavit. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1179. Indictione XII.

pretio prioris in pauperes collato, reconditur :

31 *Hæc autem spoliatio capsæ S.* Romani *videtur accidisse anno* 1124. *Ad hunc etiam annum notant Annales Hildesienses* (14) : Ecli-

(1) Hist. de la ville de Rouen. Part. III, pag. 133. — (2) Hist. de la ville de Rouen. tom. I, pag. 67. — (3) Hist. pol. et relig. de la métrop. de Rouen tom, I, pag. 63. — (4) Pommeraye. Hist. des Arch. de Rouen pag. 129. — (5) Hist. de la ville de Rouen par un solitaire. tom. I, pag. 7. — (6) Hist. Eccles. tom. II, pag. 365. — (7) Ibid. pag. 371. — (8) Gall. Christ. tom. XI. col. 30. — (9) Hist. Eccles. tom. II, pag. 314. — (10) Hist. de la ville de Rouen tom. I, pag. 34. — (11) Cfr Mauleon. Voyage liturg. pag. 337. Farin. La Normandie Chrest. pag. 474. — (12) Farin. pag. 473. — (13) Bessin. Conc. Rotomag. tom. II, pag. 31. — (14) Apud Leibnitz. Rer. Brunswic. tom. I, pag. 740.

psis

AUCTORE J. V. H.

psis lunæ facta est kal. februarii : magnæ molis grando cecidit VIII kal. augusti : eclipsis solis facta est III id. augusti : magna fames accidit : Callistus Papa obiit, cui Honorius successit. *Lugubris hujus visitationis instrumentum servabatur inter inscriptiones, quæ erant in capsa S.* Romani *in ecclesia cathedrali Rotomagensi, ac in collectione Bollandiana Bibliothecæ regiæ num.* 8,919 *exstat apographum:* Anno ab Incarnatione Domini ICXXIIII Indict. II tempore D. Goisfridi archiepiscopi (*ab anno* 1111 *ad* 1128), V kal. junii feria V futura insequenti die dominica Apostolorum Petri et Pauli solemnitate, quæsitum est et inventum in hac ipsa urna totum corpus cum capite beatissimi Romani, præsente D. Johanne Cremensi, Romanæ Ecclesiæ Cardinali tituli S. Grisoni *; qui ipse propriis manibus et evolvit inventum et involvit recondendum, præsente prædicto G. pontifice et Bosone Beccensi abbate et Goisfrido decano et Rogerio secretario et Fulberto archidiacono cum canonicis S. Ecclesiæ Rotomagensis, Wilhelmo de S. Andrea, Rogerio de Pireis, Rotberto de S. Nicholaho, Connano, Ricardo de Gonvilla, Hugone de Loderesval presbyteris, Radulfo et Osmundo et Hugone, filio Turaldi et Walthero de S. Laudo diaconibus, Jevenia, Walthero, filio Adelelmi, Radulfo, filio Urselli, Joanne, filio Benedicti, Rodberto Cenomanensi, Wilhelmo de Nereio et Romano et laicis religiosis, Gardino fabro, Ranulfo aurifice cum servientibus ecclesiæ Turfrido, Stephano, Giroldo, Walthero, Odone *etc.*

Chrysogoni

excepto tamen, licet aliud habeat instrumentum,

32 *In allato instrumento id animadvertendum occurrit, quod dicatur conceptis verbis in lipsanotheca ecclesiæ cathedralis* inventum fuisse totum corpus cum capite beatissimi Romani. *Scilicet monachi S. Audoeni Rotomagensis constanter affirmaverunt caput S.* Romani *in sua esse ecclesia. Nec immerito : quum firma apud eos stet traditio, a sæculo* XI *in suo monasterio hunc thesaurum existere. Equidem reperire non potui, quo tempore vel qua occasione caput Sancti a reliquo corpore separatum fuerit, nisi forsan id acciderit, quando corpus S. Gildardi Rotomago Suessionem ad monasterium S. Medardi translatum fuerit. Quum enim Hilduinus, abbas Medardinus ab anno circiter* 824 *ad* 840 (1), *vehementer cuperet novam, quam moliebatur, ecclesiam exuviis S. Gildardi, qui secundum falsam tunc vigentem opinionem frater ferebatur S. Medardi* (2), *exornare, petiit ab imperatore Ludovico Pio, ut Gildardi corpore ditaretur cœnobium. Annuit quidem imperator, sed obstitit populus Rotomagensis. Unde negotium transactione confici debuit : scilicet, ut relicto Rotomagi S. Gildardi capite, Medardinis donaretur corpus S.* Romani, *in eadem ecclesia quiescentis. Placuit utrique parti transactio, et caput S.* Romani *una cum corpore S. Gildardi et S. Remigii, Rotomagensium episcoporum, Ludovico Pio regnante, Suessionem translatum est.*

capite, quod in monasterium S. Audoeni

33 *Duobus fere sæculis tardius, Nicolaum, abbatem S. Audoeni ab anno circiter* 1042 *ad* 1092, *incessit pietas habendi capitis S.* Romani, *quo novam, quam adortus erat, ecclesiam ornaret* (3). *Itaque ad Odonem, abbatem S. Medardi* (4), *monachum quemdam delegavit, qui pretiosis donariis Reliquias pretiosiores acciperet. Nec repugnavit abbas Odo : verumtamen, quoniam agebatur de Reliquiis extra fines regni transferendis, regem Franciæ veritus, ejus primum licentiam obtinere contendit; qua obtenta caput S.* Romani *cum aliis multis Reliquiis Sanctorum Nicolao abbati donavit. Et sic factum est, ut monachi Audoeniani perpetuo gloriati sint in sua ecclesia caput S.* Romani *conservari* (5). *Hujus translationis narrationem, prout in pervetusto codice S. Audoeni exstat, initio mutilam edidit Franciscus Pommeraye in sua Historia monasterii S. Audoeni* (6), *et quam ex eodem codice bis transsumptam habemus in schedulis Bollandianis bibliothecæ regiæ Bruxellensis sub num.* 8,919. *Ante tamen quædam annotanda sunt, quæ difficultatem facessunt. Imprimis dicitur, translatio celebrata die octavo Dominicæ resurrectionis anni* 1090, *id est paschate occurrente die* XXI *aprilis, octavus dies Resurrectionis erat* XXVIII *aprilis. Quod si admittatur, jam falsum erit, ut habet narratio, corpus S.* Romani in vicina *monasterio Audoeniano B.* Mariæ basilica, *postmodum a S. Gildardo nuncupata, servari; nam anno* 1079, *ut supra ostendimus, Gulielmus archiepiscopus jam in cathedralem transtulerat prædecessoris sui exuvias. Si autem ante hanc translationem seu ante annum* 1079 *advectum caput S.* Romani *dicamus, in alium inpingimus scopulum, scilicet Odonem, de quo agitur in instrumento, pedum abbatiale non obtinuisse ante annum* 1080 (7); *siquidem inter S. Gerardum, qui e Medardino monasterio profugus, anno* 1080 *monasterium Sylvæ Majoris in diœcesi Burdigalensi fundavit* (8) *et Odonem, medius fuit Pontius abbas* per aliquot annos (9). *Ut autem hasce difficultates utcumque effugiamus, credimus expungenda esse, tamquam manu recentiori adjecta, verba, quæ annum* 1090 *indicant, quoniam ipsum instrumentum aperte dicit, corpus S.* Romani *adhucdum servari in ecclesia S. Gildardi. Quod vero ad regimen Odonis Medardini abbatis spectat, dicendum est, fuisse illa ætate omnino incertum regimen monasterii S. Medardi, alternabant viri sancti et simoniaci: sic Pontium exauctoratum excepit S. Arnulfus, et post fugam S. Gerardi, qui Arnulfo successerat, iterum Pontius regimen monasterii usurpavit* (10). *Post quem venit Odo, forsitan ille ipse, qui sub S. Arnulfo abbate, machinas struxerat, ut sedem abbatialem conscenderet. Istis itaque turbulentissimis temporibus et Odo, aut abbatem se gessit, aut saltem regimen monasterii tenens, abbatis titulum, pro more istius ætatis, ut ostendimus supra num.* 5, *assumpsit. Qua ratione caput S.* Romani *etiam ante annum* 1079 *donare Nicolao abbati potuit : imo ipsa advectio capitis ansam forsan dedit Gulielmo archiepiscopo transferendi corporis ad ecclesiam cathedralem. Nunc ipsam translationis historiam, initio, ut diximus, mutilam ex Francisco Pommeraye* (11) *exhibeamus. Agitur in principio de corpore S. Gildardi Suessionem deferendo.*

(1) Gall. Christ. tom. IX, col. 411. — (2) Act. SS. tom. II, junii, pag. 67. — (3) Gall. Christ. tom. XI, col. 142. — (4) Ibid. tom. IX. col. 415. — (5) Pommeraye. Hist. de l'abbaye de S^t^ Ouen, pag. 202. — (6) Ibid. pag. 413. — (7) Gall. Christ. tom. XI, col. 415. — (8) Ibid. tom. II, col. 866. — (9) Ibid. tom. XI, col. 415. — (10) Ibid. col. 414. — (11) Hist. de l'abbaye de S^t^ Ouen, pag. 413.

AUCTORE J. V. II. *sæculo XI,*

34 ... Nec corpora ab invicem sepultura divideret, quos cœlestis aulæ sinus pariter unius horæ articulo in cœlesti gloria susce-pisset; remota ergo omni dilatione suorum primatum consultu pro B. Gildardi corpore ocius Rothomagum nuntios dirigit. Quo com-perto cives ejusdem urbis, gravi mœrore con-cussi et ad repugnandum conspirati, primo quidem armis gregatim obviare, et huic edi-cto violenter conantur resistere; sed tandem consilio saniore correpti, imperiali cedunt potestati. Obnixe tamen expetunt sui pastoris aliqua donari portione ad ejus æternum me-moriale. Legati igitur nihil ex membris imminuere ausi, caput B. Gildardi ibidem relinquunt, et mutua vicissitudine caput B. Romani cum corpore S. Remigii, ejus-dem sedis archiepiscopi ad propria defe-runt: quibus monachi B. Medardi, una cum populo festive obviam procedentes, magno cum tripudio Sanctorum corpora excipiunt, et in sua ecclesia honorifice recondunt. Multorum ergo temporum labente curriculo,
B inclito duce Normannorum Willelmo, qui et regnum obtinuit Anglorum, humanis rebus adempto, totius Normanniæ provincia, tanti principis morte orbata, a pestiferis homi-nibus nimia afflictione premebatur, præda-toria manu et incursione publica depopulaba-tur, intestina bella excitabantur et Ecclesia Christi in illis maxime partibus adverso ma-lorum turbine exagitabatur.

industria Ni-colai abbatis S. Audoeni.

35 Ad cujus tantæ calamitatis solatium, justus et clemens Dominus inter alia suæ pie-tatis munera B. Romani adhibuit patroci-nium. Denique excellentis memoriæ abbas Nicolaus, divino fretus munere, B. Audoeni monasterium eleganti construens opere, ipsius quidem gloriosi antistitis præsentia gaudebat; sed prædecessoris sui, B. Romani, Reliquias se non habere dolebat. Nam ejus corporis gleba in vicina B. Mariæ basilica (*quæ postea S. Gildardi dicta est*), caput vero, uti præliba-vimus, in Suessionica servabatur ecclesia. Quamobrem enixius supplicabat Christo, regi Sanctorum, ut sui animi votum perficeret, et gemmam tam pretiosam patriæ vel urbi red-
C deret. Talia secum volvens pater memoratus quemdam fratrem, vocabulo Nicolaum, clan-culo accivit, et ei hujusmodi negotium paterne injunxit: quatenus Suessionicum B. Medardi cœnobium peteret, et ab abbate loci, nomine Odone, sibi dudum familiarissimo, prece omnimoda tantum thesaurum extorquere sa-tageret. Addit etiam precibus munera, ad cultum ecclesiæ pretiosa, duas scilicet ex purpura casulas, auro decenter ornatas, po-derem ornatu insignem cum superhumerali, auro et lapidibus pretioso, calicem cum pa-tena ex auro et argento, bina candelabra si-militer ex auro et argento, duas quoque optimi pallii cappas et auriphrygio ornatas, dalmati-cam ex albo serico, auro decenter ornatam et albam sericam.

Suessione translatum,

36 Cum his itaque exeniis prælibatus frater profectus, illius obnixe flagitabat auxilium, qui quondam Tobiæ ad sui commodum Ra-phaelem misit Archangelum. Ubi vero ad locum pervenit, abbatis secretum quæsivit colloquium et patris sui in ordine patefecit desiderium. Dein promerendæ suæ postula-tionis gratia, paternæ benedictionis protulit D munera. Quæ illæ gratanter amplectens et tanti patris profluam charitatem perpendens, adhibito fratrum consilio, sui dilectoris de-crevit petitionem fieri, tamen cum authoritate regali. Nec mora, palatium adiens, regi Francorum Philippo causam innotuit, acce-ptaque licentia, festinus ad monasterium red-iit. Deinde ipso jubente, ab ædituo templi et a quibusdam senioribus cum summa humilitate et humili veneratione sacrum reseratur æra-rium et Sanctorum proferuntur lypsana, balsami odore fragrantia: caput scilicet am-brosium B. Romani et brachium dextrum B. Gildardi et de reliquis artubus, magnam quoque partem corporis B. Remigii et Reli-quias B. Medardi et SS. Innocentium, San-ctique Sereni Confessoris et S. Bandaridi episcopi et Confessoris. Hæc ab abbate et monachis ejus cum regia authoritate, facto sacramento, ne de his alicui surrepat dubita-tio, fratri Nicolao traduntur, et B. Audoeni ecclesiæ æternaliter habenda transmittuntur.

solemni pom-pa deportatur:

37 Tunc prædictus frater, cœlestibus re-dimitus copiis, ovans ad propria rediit, pro-ximansque urbi, nuntium abbati præmisit, qui valde gavisus in Domino, illico venera-ndum præsulem ejusdem metropolis Willelmum adiit, et rei eventum seriatim patefecit. At ille pro suis beneficiis gratias agens Redemptori, cum clero ac plebe, Sanctorum Reliquiis festive obviam processit, quibus in vicino monte S. Michaelis reverenter occurrit. Ubi cum paululum remorarentur, præfatus ponti-fex universæ plebi divinæ largitatis munera exposuit, ac universis caput sui quondam glo-riosi antistitis ostendit. Tunc universi solote-nus prostrati, Dominum benedicunt, cujus favente gratia, multa populis commoda eadem die perveniunt. Discordes in pace fœderantur, abruptæ pacis jura renovantur, legitimæ mo-netæ refectores et non nisi ad placitum num-mos in negotiis accipientes, quod valde ple-bem gravabat, amodo divina authoritate interdicuntur, raptores ecclesiæ anathematis gladio feriuntur, recti corde divina benedi-ctione lætificantur, gloriosus Dominus noster in Sanctis suis magnificatur. Affuerunt in hoc F præclaro conventu cum prædicto præsule ab-bas Nicolaus cum suorum examine monacho-rum, abbas Walterius ejusdem Montis cum sua congregatione, aliique nonnulli abbates et monachi, procerumque de utriusque sexus innumera multitudo. Sic ergo cum hymnis et laudibus Sanctorum pignora in urbem defe-runtur, et in ecclesia B. Audoeni honorifice reconduntur. Gaudet tellus Northmannica, pa-storis sui capite illustrata, in quo fuerunt oculi solis justitiæ splendore irradiati et ad speculandum domum Israel vigiles et aperti, cujus preciosioris labia sunt vitta coccinea, interdum scilicet pro testimonio veritatis con-ferta rubore martyrii et distillans pro dulce-dine prædicationis. Quod denique caput exi-mium, in resurrectione justorum corpori suo compaginatum et pretiosissimo capiti Christo conjunctum, Sanctæ Trinitatis indicibili sa-tiabitur visione, cujus a prima indole miro flagravit amore. Dies erat octavus dominicæ Resurrectionis, annus vero millesimus nona-gesimus Incarnationis ejusdem Domini nostri Jesu

A Jesu Christi et qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

sacras exuvias, variis temporibus visitatas,

38 *Quoties post hanc translationem visitatæ fuerint Reliquiæ S.* Romani, *tum quæ in æde metropolitana tum quæ in Audoeniana requiescebant, non mihi liquet : inter Bollandianas schedas præter visitationem factam* v *kal. Julii* 1184, *de qua egimus supra num.* 31, *Radulfus Roussel, anno* 1444, *feria* VI, XXI *Augusti visitavit monasterium S. Audoeni : quod in archivo archiepiscopali his verbis ponitur:* Ipsa vero die veneris dictus Revermus Pater Dns archiepiscopus, cruce sua præcedente etc. ad ipsum monasterium causa visitationis profectus est... Item visitavit thesaurum ecclesiæ, ubi plura corpora Sanctorum cum Reliquiis Sanctis satis honeste et reverenter tam in capsis quam alias invenit, et inter cætera caput beatissimi Romani deosculatus est. *Anno autem* 1537 *die* XXII *Novembris Joannes Calenge prior claustralis (erat tunc abbas, ut vulgo dicitur, commendatarius Innocentius Cibo, Innocentii Papæ VIII ex*

B *fratre nepos* (1)) *cum aliis monachis visitavit thesaurum, in eoque invenit conservatum caput S.* Romani.

anno 1562 *Calvinistæ exuerunt;*

39 *Verum post breve annorum curriculum, Reliquiæ, tanta cura et veneratione ultra nongentos annos servatæ, hominum scelere perierunt. Post sæculum* XVI *medium bellum civile Gallias universas commovit: causa belli arrogatum a Calvinistis jus subigendæ utriusque reipublicæ civilis et ecclesiasticæ. Post verborum et consiliorum velitationes, res ad arma spectare cœpit, quæ, ut sunt quotidiana, nunc Catholicis, nunc Calvinistis favebant. Anno* 1562 *die* XVI *aprilis Calvinistæ urbem Rotomagensem occupant, ac die dominica* III *maji in ædem metropolitanam, quo tempore sacrum capitulare cantabatur, irruunt* (2), *sacras imagines, sacellorum clathros comminuunt, et ecclesiam incendio vastant: sequentibus diebus omnem pretiosam supellectilem recensent, et appositis militibus sibi custodiendam reservant. Tandem die* VIII *julii ope duorum aurifabrorum capsam S.* Romani *auro et lapidibus pretiosis spoliant, ac ipsum sacrum corpus flammis addicunt* (3).

C *Sed jam ante, scilicet* XVIII *die irruptionis suæ in urbem Rotomagensem, seu* III *maji, caput S.* Romani *flammæ absorpserant. Hæc refert Franciscus Pommeraye in sua Historia abbatiæ S. Audoeni ex teste, ut videtur, oculato, quæ nos quoque ex Gallico idiomate latine reddimus* (4): Dominica, *inquit testis,* III maji 1562 Hugonotti, in confertam turbam coagmentati, armati et furibundi venerunt ad ecclesiam S. Audoeni: ingressi, sedilia chori, aram maximam et sacella destruxerunt; comminuerunt horologium, cujus vestigia lignea etiamnum exstant in sacello juxta arcum septemtrionalem, et organa, quorum plumbum et stannum, glandibus conficiendis aptum surripuerunt. Dein accensis quinque ignibus, tribus in ipsa ecclesia, duobus juxta eamdem, combusserunt monachorum sedilia, altarium columellas et clathros, plurimas vestes sacras, pluvialia, tunicas, casulas, albas: pretiosiora autem vestimenta, auro et argento ornata, in diversorio Pineæ (*hôtellerie de la pomme de pin*) pariter combusta ad extractionem metallorum. Eadem fuit sors Reliquiarum, prius tamen sepositis auro, argento et lapidibus pretiosis. Confregerunt quoque pulpitum artificiosissime sculptum et figuris decoratum: idem obtigit clathris æneis, miræ pulchritudinis: quotquot autem Sanctorum imagines invenire potuerunt, confregerunt et everterunt. Caput S. Romani, feretro impositum ad officinam monetariam, tædis stramineis circumdatum, detulerunt ac ibidem rogo injecerunt.

AUCTORE J. V. .H

ita tamen, ut quædam particulæ

40 *Licet porro tanta fuerit sacrarum Reliquiarum vastatio, non omnes tamen periere. Etenim nocte insequenti diem* III *maji Catholici rogum, in quem injectæ fuerant, scrutati, cineres et ossium fragmenta collegerunt, quin dignosci potuerint, quæ ad singulos Sanctos singula pertinerent, ac mixtim in novo feretro recondita fuerunt. Quando igitur Ludovicus* XIII *anno* 1638 *a capitulo Rotomagensi petiit particulam, licet minimam corporis S.* Romani, *re-* E *sponderunt canonici omnia tempore rebellionis destructa fuisse; mittere tamen extractas ex capsis aliquot particulas,* prout sunt (telles qu'on les put trouver) (5). *Paulo tardius capitulum Rotomagense partem corporis S.* Romani *commutatione recuperavit: prior Benedictinus. Insulæ Adami* (Isle-Adam) *pro aliis Reliquiis dedit, quas habebat exuvias S. Victricii, S. Evodii et S.* Romani (6). *Quin et sequenti sæculo nova donatio damnum calvinisticæ deprædationis resarcivit, aut saltem mitigavit; quando decanus capituli Terrisse anno* 1776 *os S.* Romani *ecclesiæ metropolitanæ obtulit, hactenus in monasterio S. Victoris apud Caletes servatum, et olim a Rotrodo, qui, ut monstravimus supra num.* 30, *in alteram capsam, eamque pretiosiorem anno* 1179 *corpus S.* Romani *transtulit, partemque aliquam Victorinis monachis donavit* (7).

superstites

41 *Sed nec sua bona fortuna monasterium Audoenianum, pari calamitate suo thesauro spoliatum, caruit. Conservata nempe fuerant aliqua ossa S.* Romani *in capsella, quæ in sacristia* F *ejusdem ecclesiæ ad annum usque* 1654 *delituerant; quum Joannes de Malevant, episcopus Olenensis (diœcesis sub metropoli Patrensi in Achaja) vicarius generalis archiepiscopi Rotomagensis, Francisci de Harlay, invitatus ad consecranda quædam altaria, loco suo mota, in ecclesia S. Audoeni, capsellam visitavit, ac in ea invenit aliquot vertebra, cubitum, os peroneum, et unum vertebrum colli, cui postremo acicula multa rubigine infecta affixa erat chartula pergamena cum his verbis:* Reliquiæ Sancti Romani Rothomag. archipræsulis. *Tres priores Reliquias declaravit dictus episcopus esse S. Audoeni, posteriores S.* Romani; *atque ea de causa particulas aliquot in sepulcro altaris recondidit* (8). *Utrum hodiedum exstet feretrum S.* Romani *controverti potest. Cl. A. Deville censuit capsam hactenus conservatam;*

(1) Gall. Christ. tom. XI, col. 154. — (2) Fallue. Hist. de l'Egl. metrop. de Rouen, tom. III, pag. 244. Pommeraye. Hist. de la cath. de Rouen, pag. 111. — (3) Hist. de la ville de Rouen, par un solitaire. tom. I, pag. 153. Cfr Floquet. Hist. du Priv. de S. Romain, tom. I, pag. 301. — (4) Hist. de l'abbaye de S^{t} Ouen, pag. 205. — (5) Fallue, tom. IV, pag. 111. Floquet. tom. I, pag. 301. — (6) Fallue, tom. IV, pag. 217. — (7) Floquet. tom. I, pag. 302. — (8) Pommeraye. Hist. de l'abbaye de S^{t} Ouen, pag. 209

sed

AUCTORE J. V. H.

sed falli videtur; quum, quam putavit esse S. Romani, *verius sit* omnium Sanctorum (1). *Attamen hæc lipsanotheca continere etiam nunc dicitur partem cranii* S. Romani *cum magno osse S. Hildeverti, Meldensis episcopi, de quo nostri egerunt sub die* XXVII *maji* (2). *Quoniam vero antiqua, quæ fidem facerent, instrumenta perierunt, Card. Hubertus Cambaceres, primus post Concordatum, Rotomagensis archiepiscopus, novum instrumentum confici jussit* (3). *Quomodo hæc conservatio partis cranii combinari possit cum iis, quæ supra num.* 39 *retulimus ex monacho Audoeniano, non clare perspicio. Certe Franciscus Pommeraye, qui, ut vidimus num. præc., accurate describit particulas Reliquiarum forte detectarum, non videtur omissurus fuisse, si pars capitis impias Calvinistarum manus effugisset.*

et ipsum primum sepulcrum remanserint:

42 *Felicior inter has rerum vicissitudines sors primævi sepulcri* S. Romani, *quod jaspideum fuisse diximus. Quum porro Gulielmus Bona Anima corpus sancti pontificis, e veteri sepulcro extractum, in pretiosam capsam, in sua ecclesia cathedrali conservandam, transtulisset, reliquit sepulcrum jaspideum in ecclesia S. Gildardi: præteriit Calvinistarum furorem et hactenus integrum exstat. Est autem ex una jaspide excavatum, pedibus septem cum dimidio longum, largum duobus pedibus et digitis duobus, altum duobus pedibus et quatuor digitis: si autem ipsam internam excavationem dimetiamur, longitudinis erit sex pedum, latitudinis septemdecim digitorum, et totidem altitudinis: supra solum vero elevatur duabus basibus lapideis duorum pedum* (4). *Magno semper in honore habitum fuit sepulcrum istud, licet vacuum: unde profluxit epigraphe, cujus postrema verba sunt* (5):

B

Orphana turba veni, viduisque allabere saxis,
Est aliquid soboli patris habere thorum.

Tandem quum post concordatum ecclesia Carmelitarum excalceatorum, primum sub invocatione SS. Ludovici et Mariæ Magdalenæ erecta (6) *in parochiam urbanam designata fuisset,* S. Romani *vocabulum accepit, ac in eam translatum fuit anno* 1804 *jaspideum Sancti sepulcrum* (7).

S. Romanus *primarius Ecclesiæ Rotomagensis patronus;*

43 S. Romanus, *licet habuerit varios prædecessores, sanctitatis et rerum gestarum gloria illustres, præsertim SS. Nicasium et Mellonum, jure merito habendos Ecclesiæ Rotomagensis fundatores, colitur tamen tamquam primarius civitatis et diœcesis patronus, cujus propterea solius festum toto octiduo celebratur, ut videri potest in Breviario, jussu archiepiscopi de Tressan olim edito, ejusque nomen primum recitatur inter Rotomagenses præsules, qui invocantur in Litaniis Sabbathi sancti* (8). *Hujus excellentiæ causam assignat Pommerayus, quia inceptum a prædecessoribus opus perfecit* S. Romanus, *abolendo nempe, quæ adhuc supererant, idolatriæ vestigia* (9). *Hinc etiam factum est, ut quæ erant Rotomagi institutiones piæ et sanctæ, a* S. Romano *nomen sortirentur suum. Sic in metropolitana ecclesia erant triginta præbendæ, fœminis addictæ, quapropter et* Canonicæ S. Romani *dicebantur. Olim, ut videtur, curam supellectilis lineæ habebant, unde erat, quo honeste viverent. Postmodum, abolita lineorum cura, onera præbendarum ad assistentiam trium anniversariorum, die* XV *januarii in festo S. Mauri abbatis,* XXIII *in vigilia S. Joannis Baptistæ et* XI *julii in festo Translationis S. Benedicti celebrandorum, pro quibus singulæ canonicæ sex libras Turonenses accipiebant, dummodo pridie Vigiliis et ipsa die Sacro, sub quo ad Offertorium accedebant, interfuissent. Litteras institutionis accipiebant singulæ ab ipso archiepiscopo, et beneficium, quantumvis tenue ambiebant etiam fœminæ largioris fortunæ, quia privilegiis capituli participabant* (10).

D

in ejusque honorem pia confraternitas

44 *In honorem pariter* S. Romani *anno* 1292 *erecta fuit a canonicis minoribus ecclesiæ metropolitanæ Rotomagensis sodalitas seu confraternitas, cujus scopus erat subvenire clericis inopia pressis. Instrumentum erectionis, hactenus delitescens, publice juris fecit D. Floquet in sua Historia Privilegii* S. Romani, *ac ex eodem quædam decerpemus* (11). *Itaque* capitulum *Rotomagense*, decanatu vacante *exponit, quod* octo minores canonici, videlicet quindecim marcharum et quindecim librarum..... zelo fidei accensi considerantes et pie attendentes, quod temporibus retroactis, plures de choro Rotomagi, tam sacerdotes quam diaconi, subdiaconi, quondam beneficiati in Rotomagensi ecclesia; qui tempore, quo vivebant, fuerant vitæ laudabilis et conversationis honestæ, ad tantæ devenerant infortunium paupertatis, quod ad eorum sustentationem non suppetebant propriæ facultates, nec in fine vitæ suæ habebant, unde fierent eorum exsequiæ secundum consuetudinem Rotomagensis Ecclesiæ, immo oportebat eos, urgente inopia, ad Domum Dei * deferri, et ibi quasi inhonestam habere et recipere sepulturam, quod vertebatur, cum sic accidit in dedecus et opprobrium memoratæ ecclesiæ. Ad delendum autem hujusmodi dedecus et opprobrium, prædicti minores canonici *capitulo Rotomagensi* supplicant humiliter ut concederet eis instituere et habere confratriam seu fraternitatem in Rotomagensi ecclesia in honore Sanctorum archipontificum ac etiam ejusdem Ecclesiæ patronorum, Nigasii, Melloni, Romani, Audoeni, Ansberti, Victricii, aliorumque Sanctorum Rotomagensis Ecclesiæ patronorum. *Quapropter capitulum, volens concurrere ad pium opus, concedit habere et instituere confratriam seu fraternitatem* in honore Dei et Beatæ Virginis Mariæ et prædictorum Sanctorum, inter quos beatissimum Romanum voluerunt *canonici minores* habere præcipuum fraternitatis suæ dominum et magistrum, ut ipsius, qui assidue orat pro populo et pro civitate ista, apud Dominum precibus adjuventur.

E

* *Hôtel Dieu*

F

anno 1292 *erecta fuit.*

45 *In reliquo dein instrumento præscribuntur Officia divina et preces a singulis sodalibus tum communiter tum privatim facienda: dein obsequium honestæ sepultura, aut etiam subsidium, si* casu fortuito, non per factum proprium, *ad paupertatem devenerint, sodalibus exhibendam:*

(1) Floquet. tom. II, pag. 588 et 595. Cfr ibid. pag. 338. — (2) Act. SS. tom. VI, maji pag. 712. — (3) Floquet. tom. II, pag. 586. — (4) Hist. de la ville de Rouen par un solitaire. tom. IV. pag. 134. Mauleon. voyage liturg. pag. 416. — (5) Pommeraye. Hist. des Archev. de Rouen, pag. 130. — (6) Hist. de la ville de Rouen, par un solitaire, tom. VI, pag. 129. — (7) Fallue tom. I, pag. 63. — (8) Pommeraye. Hist. des Archev. de Rouen. pag. 130. — (9) Ibid. l. c. — (10) Hist. de la ville de Rouen, par un solitaire, tom. III, pag. 86. Mauleon. Voyage liturg. pag. 374. — (11) Hist. du Privilège de S. Romain, tom. II, pag. 603.

A *exhibendam : statuuntur etiam mulctæ absentibus sine legitimo impedimento, et pecunia danda in singulorum receptione, id est* quinque solidi Turonenses, *qui cedunt sodalitati : tandem ordinatur, qua ratione pecunia sodalitatis sit conservanda et expendenda. In toto instrumento nihil occurrit, quo indicetur, sodalibus injuncta præsentia processioni S.* Romani, *quæ quotannis, ut infra ostendemus, celebrabatur. Ast in aliis statutis anni* 1346 *præcipitur sodalibus, ut adjuvent in portando corpore S.* Romani (1). *Decrescente cursu temporis avitæ fidei devotione, eo devenere sodales S.* Romani, *ut nominis et officii eos puderet, adeoque dissolutionem ipsius sodalitatis peterent : quin et inconsulto capitulo metropolitano, sacram supellectilem asportarent. Res ad supremos judices delata est, qui omnia sodalitatis bona mobilia et immobilia hospitio pauperum adjudicarunt* (2).

§ IV. De privilegio Feretri, seu S. Romani; de ejus origine, fatis et ritu.

B

Origo liberationis annuæ unius captivi

Ad constituendum et confirmandum primatum S. Romani *inter multiplices Sanctos, qui Rotomagensem Ecclesiam illustrarunt, quosque vicissim veneratur Rotomagensis Ecclesia, non minimum mea sententia contulisse videtur singulare privilegium quo ad honorem S.* Romani *ista gaudebat Ecclesia : passim* Privilegium S. Romani *seu* Privilegium feretri *vocatur* (Privilège de S. Romain, Privilège de la Fierte). *In eo autem consistebat istud privilegium, ut quotannis capitulum Rotomagense jus haberet liberandi a vinculis et a morte, unum qui jam capitali sententia damnatus erat, ea tamen lege, ut capsam seu feretrum S.* Romani *ter sustolleret et aliquandiu portaret. Suis sæpissime controversiis vexatum fuit Rotomagense privilegium, perstrepuit in foro, in scriptis libris ultro citroque pro cujuslibet opinione agitatum fuit. Nicolaus Rigaltius, de quo supra egimus num.* 5, *ex editione Vitæ, a Fulberto conscriptæ,*

C *ansam arripuit impugnandi privilegii S.* Romani, *quatenus, ut ipse scribit in epistola dedicatoria ad Silerium, Franciæ cancellarium,* vanissima fabula deceptus et delusus Rotomagensis clerus diplomata christianissimorum principum ambitioso religionis obtentu impetravit. *Hæc et alia non minus cruda, a Rigaltio prolata, bilem moverunt Adriano Behotio, magno archidiacono Rotomagensi, qui eodem, quo Rigaltii Vita prodiit, anno* 1609, *libellum edidit, indignantis magis quam confirmantis factum. Proinde in hac quæstione expendenda, existimamus mediam viam esse tenendam, ut nec unius accusationes omnes, nec alterius vindicationes admittamus. Quapropter imprimis in ipsam originem privilegii, dein in ejus progressum ac tandem in ritum inquiremus. Ducem præcipue sequemur Cl. A. Floquet, qui duobus voluminibus universam hujus privilegii historiam singulari diligentia complexus est* (3).

vulgo tribuitur

47 *Vulgaris narratio, quam privilegio Rotomagensi originem dedisse ferunt, hæc fere, si leviusculas circumstantias negligamus, est. Temporibus Dagoberti regis accidit, ut serpens miræ magnitudinis, prope urbem Rotomagensem in loco palustri stabulans, devoraret homines et jumenta, neque tutum esset civibus exire urbe. Beatus autem* Romanus, *tantam calamitatem miseratus, ingenti malo occurrere statuit. Accepit igitur e carcere criminosum, multis sceleribus infamem et certæ morti addictum : quocum urbe egressus, ubi ad feræ latibulum pervenit, signo crucis eam cicuravit, et stola sacerdotali ligatam in urbem ducendam criminoso tradidit. Quando illuc perventum est, serpens igni traditus, ejusque cineres in adjacentem fluvium dispersi fuerunt. Subito tanti miraculi fama totum regnum pervasit, et admirationem regis totiusque curiæ rapuit. Dagobertus autem, ut de tota re certior fieret, S.* Romanum *advocavit : qui quum adveniens, rem, prout gesta erat, narrasset, voluit rex, ut in tanti miraculi memoriam, jus esset Ecclesiæ Rotomagensi, liberandi quotannis in die Ascensionis unum facinorosum, mortis reum. Hæc*

E *habet traditio popularis, mutatis quidem aliquibus adjunctis. Sic enim dicitur ab aliis, serpens e ponte in Sequanam, Rotomagum præterfluentem, præcipatus :* Romanus *duos facinorosos petiisse, ast unus, cui postmodum vita donata est, consensisse. Sed levia sunt, nec viscera narrationis attingunt.*

AUCTORE J. V. H. *draconi, per S.* Romanum *occiso:*

48 *Nunc inquirendum est, quanti æstimari oporteat hanc narrationem, quæ est fundamentum privilegii S.* Romani. *Eam ut* fabulam ineptissime confictam *citatus Rigaltius traducit : modestior est Cointius ad an.* 635 § VII *dicens,* multos commentum putare. *Utriusque argumenta hæc fere sunt, silentium biographorum S.* Romani; *dein serpentem græce* Ὕδραν *dici, etiam in latinum idioma derivatum* Hydram, *quam, scribit S. Isidorus lib.* XII *Etymologiarum seu Originum* (4), esse serpentem cum novem capitibus, quæ latine excetra dicitur, quod uno cæso tria capita excrescebant. Sed constat hydram locum fuisse evomentem aquas vastantes vicinam civitatem, in quo, uno clauso meatu, multi erumpebant, quod Hercules videns, loca ipsa exussit et sic

F aquæ clausit meatus, nam hydra ab aqua dicta est. *Quum itaque S.* Romanus *inundantis Sequanæ calamitatem, tum precibus, tum probabiliter aggeribus, ab urbe Rotomagensi averterit; hinc natum dicitur commentum serpentis seu draconis, omnia vastantis, et potentia sancti pontificis ligati et cicurati. Rotomagi hæc qualiscumque fera* gargouille *appellabatur : quod vocabulum etiam in arte architectonica passim adhibetur ad significandos lapideos canales, aquæ pluviæ e tectis defluæ emissarios, forsan quia in ædificiis gothicis plerumque confingunt animalia, dracones et id genus bestiarum exhibentia. Cæterum* Gargalia *apud Cangium h. v. est* pars gutturis et canna pulmonis, *quod satis bene cum canalibus emissariis convenit.*

quod quidem propter silentium scriptorum,

49 *Jam sæpius tractatum et retractatum est argumentum negativum, quod vim suam mutuatur a silentio coævorum, ut hic loci redhiberi non debeat : satisque inter eruditos convenit,*

qui debuerunt loqui,

(1) Hist. du Privilège de S. Romain, tom. II, pag. 610. — (2) Fallue, tom. IV, pag. 383. — (3) Hist. du Privilège de S. Romain, tom. II, Rotomag. 1833. — (4) Migne. Patrol. tom. LXXII, col. 445.

tunc

AUCTORE J. V. H.

tunc solum alicujus momenti esse, quando auctores silent, quando loqui oportuisset. Nec porro tam altum antiquorum auctorum silentium, ut volunt Rigaltius et Cointius, fuisse, admittere possumus. Etenim notum est ex Vitis antiquis, cui accinit et Vita Rigaltina, et stitisse S. Romanum *Sequanam exundantem, et, destructo fano, expiasse locum Veneri sacrum. En verba Rigaltii* (1) : Postquam vero pontificalem adeptus est sedem, illius populi caterva, mox inito consilio, venerunt necessitate coacti, petieruntque unanimiter solotenus prostrati Beatum pontificem, ut eorum subveniret calamitati. Erat enim juxta urbem ipsam a septemtrionali latere, lapideo opere constructa in modum amphitheatri muralis machinæ altitudo, in qua subterraneum spelæum angustum iter introeuntibus præbebat : domus illa subterranea latebrosis fornicibus cingebatur; hanc domicilium Veneris propter scortantium usus appellabant. Verum desuper intra ambitum muri exterioris, spatiosa patebat area, in cujus (*fastigio?*) fanum, artifici
B opere constructum, eminebat, in quo ara editiori loco stabat, et desuper titulus Veneris : de quo loco ajebant, sæpe immundorum spirituum murmur auditum; sed neque visu hominis adverti poterat, quia hiatu ipso sulfureus vortex tetros vapores exhalabat, et intolerabiles fœtores, cum quibus flammæ piceæ horror erumpens, vicinæ urbis ædificia sævo sæpe vastabat incendio, multos vero fumifero necabat odore. *Hæc, si rem ipsam, suis spoliatam adjunctis, inspicimus, bene conveniunt cum iis, quæ supra num.* 47 *retulimus de* serpente miræ magnitudinis, prope urbem Rotomagensem in loco palustri stabulantem, qui devorabat homines et jumenta.

et propter similes narrationes de aliis Sanctis

50 *Quod si hæc conferimus cum narratione Vitæ metricæ, eadem reperiemus, nisi quod apertius indicetur monstrum aliquod, a Sancto occisum: nam num.* 6, *postquam locum spurcum expiasset* S. Romanus, *addit poeta:* Territus exsanguis vis illic perdidit anguis, *seu serpens. Unde liquet, quo ex fonte derivari possit narratio de serpente seu dracone, per*
C *S.* Romanum *devicto. Redit igitur quæstio, an hic qualiscumque serpens seu draco in figura an in veritate accipiendus sit: auctor Vitæ metricæ, abunde patet, calamitatem per anguem mataphorice traduxit: et sic videmus quid rei subsit traditioni vulgari. Cæterum traditioni vulgari de occiso per S.* Romanum *serpente plurimum nocet silentium, tum biographorum, quotquot novimus, omnium, tum præsertim Orderici Vitalis, qui eventum tam celebrem taciti præterire non potuissent, si revera illum cognovissent: erat enim fundamentum, privilegii insignis, quo gloriabatur inter cæteras Ecclesias sedes Rotomagensis. Dein hæc eadem historia variis Sanctis tribuitur, iis præcipue, qui idolatriam destruxerunt: sic Paulus episcopus Leonensis in Armorica ad diem* XII *martii legitur serpentem miræ magnitudinis in insula Batha* (Batz) *circumjecta stola sacerdotali, in mare præcipitavit* (2): *Jovinus seu Joava presbyter ad* II *martii simili stola monstrum,* D *nec* hominibus *nec* jumentis *parcens, occidit* (3): *Julianus Cenomanensis ad diem* XXVII *januarii serpentem, qui* flatu sulfureo et atrocis verbæ caudæ devotorum sibi phalanges in mortem urgebat, *crucis signo* in loca humana cultura carentia *relegavit* (4): *Beatus, Vindocini* (Vendome) *die* IX *maji cultus, serpentem* miræ magnitudinis,... magnum excidium tam in hominibus quam in jumentis perpetrans..... divino fretus auxilio exterminavit (5): *Clemens, primus Metensis episcopus, serpentes, hominibus infestos, in amphitheatro stabulantes, exstirpavit, quorum maximum stola sacerdotali ligavit et omnes in fluvium præcipites jecit* (6): *Martha, Christi hospita ad diem* XXIX *julii immanem draconem,* terrarum aquarumque perniciem, *aqua benedicta et zona virginea edomuit* (7): *Samson, Dolensis episcopus, ad diem* XXVIII *julii serpentem, omnia vastantem, in mare præcipitem dedit* (8): *Nigasius seu Nicasius, quem Rotomagenses inter suos episcopos accensent ad diem* XI *octobris, serpentem, stola sacerdotali irretitum, perdomuit* (9): *Amandus,* E *episcopus Trajectensis, ad diem* VI *februarii, adhuc puer, signo crucis serpentem* miræ magnitudinis *ex insula Ogia fugavit* (10): *Vigor, Bajocensis episcopus, ad diem* I *novembris, serpentem immanem, qui* flatu suo et homines et pecora multa adurebat, *injecto orario suo, in mare præcipitavit* (11).

admittendum non videtur:

51 *Alia multa ejusdem portenti exempla proferri possent; sed malui ea, in solis Galliis quærere, quin omnia adduxerim. Jam vero nemo facile crediderit, in hisce portentis agi de feris veri nominis, qui in rerum natura exsistant: quis enim simile quid in historia naturali invenit, ut serpens involvat universam regionem in calamitatem et perniciem. Quod si quis dicat istiusmodi feras esse vera dæmonia, sensibili forma vestita; dico, jam nos coram habere rem mere incorpoream, quam artifices forma corporea exprimere tentaverunt, ut videre est passim in imaginibus S. Michaelis Archangeli, qui dæmonem, ordinarie draconem aut serpentem, pedibus suis conculcat, est certe ista pugna invisibilis visibili figura expressa. Atque hinc ortam censeo traditionem popularem, quæ me-* F *taphoram ad veritatem traduxit. S.* Romanus *ultima vestigia idololatriæ, adhuc Rotomagi excultæ, delevit; Sequanam quoque, urbem sæpe vastantem, precibus et forsan aggeribus positis coercuit, ac tali ratione magnam calamitatem a populo suo avertit, atque ideo diu post mortem vox populi ejus nomen magnificavit. Neque istiusmodi interpretationem ex aere, ut vulgo dicitur, arripimus. Etenim in nummis Constantini Magni occurrit unus, cujus pars postica exhibet serpentem, contritum labaro, cui impositum est monogramma Christi, cum inscriptione* spes publica (12). *Ad cujus quoque exemplum Majorianus, anno* 457 *imperio potitus, nummum cudit, in cujus parte aversa ipse imperator hasta crucifera conterit serpentem, cum verbis:* victoria augg (13). *Nemo autem ex istiusmodi numismatis deducet, Constantinum aut Majorianum serpentem aliquem occidisse, sed*

(1) Fol. 11. — (2) Act. SS. tom. II, mart. pag. 118. — (3) Ibid. tom. I, mart. pag. 140. — (4) Ibid. tom. II, januar. pag. 765. — (5) Ibid. tom. II, pag. 566. — (6) Hist. de l'Egl. de Metz par un Bénéd. de S. Vannes, tom. I, pag. 205. — (7) Act. SS. tom. VII, jul. pag. 11. — (8) Ibid. tom. VI, jul. pag. 586. — (9) Ibid. tom. V. octob. pag. 513. — (10) Ibid. tom. I, febr. pag. 849. — (11) Surius ad 1 novemb. — (12) Eckhel. Doctrin. Numm. tom. VIII, pag. 88. — (13) Ibid. pag. 195. Baron. ad an. 325 § CCVI.

potius

A *potius idolatriam destruxisse, ut monstrat historia. Qui plura scire cupit de istis Sanctis Ophioctonis, consulat quæ late disseruerunt majores nostri in Actis S. Georgii Martyris ad diem* XXIII *aprilis* (1).

certum tamen est, sæc. XII, 52 *Traditioni autem Rotomagensi etiam obest, quod nullum vestigium privilegii S.* Romani *inveniatur a sæculo* VII, *quo Sanctus obiit, ad duodecimum: et quidem, ut jam notavimus, privilegium tam singulare præterire non potuit Ordericus Vitalis, totus in magnificanda Rotomagensi Ecclesia; ipsi quoque versus, S.* Romano *attributi, decolores sunt, dum factum insigne, si exstitit, celebrare debuissent* (2):

* ortu Sanctus Romanus, præclaro nobilis actu,*
Moribus emicuit, sacri quoque lumine verbi.

Ast quidquid sit de origine privilegii, certum tamen est exstitisse et ad hæc postrema tempora perseverasse. Prima elementa præbet epistola archiepiscopi Rotomagensis et Gulielmi de Capella, castellani Archensis, testans, privilegium viguisse temporibus Henrici II et Richardi I, ducum Normanniæ ab anno 1151 *ad* 1199. *Etenim Philippus Augustus, rex Galliæ,*
B *Normannia potitus, certus fieri voluit, utrum privilegium Rotomagense niteretur legitima consuetudine, quæ tolli non deberet.*

ut constat ex allegato 53 *In mss. bibliotheca regia hæc reperiuntur* (3): Anno 1210 controversiam de Sancti Romani privilegio, inter capitulum et regis castellanum exortam, Robertus archiepiscopus et Guillelmus de Capella, castellanus Archensis, judices a Philippo rege dati, lata in Ecclesiæ gratiam sententia compescuerunt. Exstant ea de re sequentes ad principem litteræ in chartulario capituli. Reverendo Philippo, Dei gratia illustri Francorum regi, Robertus, permissione divina Rotomagensis archiepiscopus et Guillelmus de Capella, castellanus de Archiis, salutem etc. Noverit excellentia vestra, quod juxta tenorem litterarum vestrarum, quas nobis transmisistis, convocavimus coram nobis, apud S. Audoenum, in festo Apostolorum Petri et Pauli proxime præterito, Henricum cantorem, Radulfum archidiaconum et Walterum de Castaneio, canonicos, Johannem de Pratellis,
C Lucam filium Johannis et Robertum de Freschenîis milites, Laurentium de Ylione et Johannem Lucæ, cives Rotomagenses. Hi prædicti coram nobis, tactis sacrosanctis Euangeliis, solemniter juraverunt, quod super contentione, quæ vertebatur inter vos et capitulum Rotomagense de prisione, quem idem capitulum exigebat a vobis, nobis rei veritatem, bona fide secundum suas conscientias, declararent. Qui jurati dixerunt unanimiter, quod temporibus Henrici et Ricardi, regum Angliæ, numquam inde aliquam contentionem viderunt.

hic instrumento, 54 Sed cum processio transibat, in die Ascensionis, per castellum, canonici ibant ad ostium carceris, et omnes, qui erant in carcere, extra carcerem ponebantur, et quemcumque illorum canonici deliberare volebant, eligebant, si non esset captus pro proditione Domini regis. Et dixerunt, quod quando rex Ricardus erat in captione, non habuerunt anno illo prisionem, et pepercerunt anno illo interdicere ballivos suos propter regis captionem. Sed quando deliberatus fuit rex, habuerunt duos prisiones pro illo anno et pro anno præterito. Et ideo secundum mandatum vestrum, judicavimus illum prisionem, quem elegerunt, esse reddendum. Valeat in Domino vestra serenitas. *Richardus rex e Palæstina rediens, in Austria ab anno* 1192 *ad* 1194 *captivus fuit. Mirabitur forsan quis, nullam de S.* Romano *in recitata epistola mentionem fieri, imo in suspicionem venire posset, tantum privilegium meritis Sancti pontificis olim tributum non fuisse. Sed tale dubium facile diluet alia epistola seu Charta ejusdem anni* 1210, *qua Ricardus miles, dictus abbas S. Medardi, declarat se* intuitu gloriose Virginis Mariæ et beati Romani *e carcere liberatum fuisse* in die Ascensionis Domini; *quapropter* dono Dei et meritis Beatæ Virginis Mariæ et Beati Romani et toti Ecclesiæ Rotomagensi merita gratitudine devotus, *varias facit donationes* (4).

AUCTORE J. V. H.

exstitisse; 55 *Prima igitur, quæ religi possunt, privilegii S.* Romani *vestigia ad medium sæculum* XII
E *seu ad tempora Henrici II et Richardi I, Angliæ regum deducunt; quin propterea dicam tunc primum incepisse. Etenim vocati testes in epistola ad Philippum regem, juraverunt tunc viguisse, adeoque privilegii initia ad altiora tempora esse referenda. Quod autem auctor privilegii fuerit Dagobertus I magna ex parte pendet ex historia draconis occisi, de quo egimus supra: S. Audoenus scilicet, adhuc regis referendarius, narrato portento, vocatoque episcopo ad aulam, privilegium et obtinuit et scripsit. Quod si ita est, tanto magis me stupefacit silentium pertinax biographorum et historicorum circa rem tam prodigiosam et singularem, ut tacuisse, negasse videantur. Quoniam quidem initium, privilegii certo statuere non possumus, id certum est, idem viguisse a sæculo* XII *et ad finem sæculi* XVIII *seu ad annum* 1790 *perstitisse, quo Nicolaus Béhérie aut Beheréi ejusque uxor Maria Anna Pinel, propter homicidium capitis damnati, beneficio feretri S.* Romani *a supplicio liberati fuerunt. Verum privilegium tam insigne quibusdam circumscribebatur limitibus: sic in charta Roberti archiepiscopi supra citata, jam privabatur beneficio feretri,* qui
F captus erat pro proditione domini regis, *adeoque qui crimen læsæ majestatis commiserat. Et vero frequenter magistratus sæcularis aut aperte aut occulte et quasi per ambages privilegium infringere satagebat: cujus rei aliqua proferimus exempla.*

ac licet sæpe moverentur quæstiones 56 *Anno* 1207 *Rotomagensis urbis præfecto, captivum retinente, cui capitulum metropolitanum privilegium S.* Romani *contulerat, urbs universa interdicto ecclesiastico subjecta fuit, quod sublatum non fuit, licet rex ipse qua precibus qua minis et legatione egisset, donec ipse præfectus in pleno concessu canonicorum captivum restituisset* (5) *Anno* 1299 *cautum fuerat coram judicibus Scacarii* (Echiquier) *seu supremi tribunalis, ne ulla ante sententia capitalis exsecutioni mandarent, quam canonici suum, quem liberarent, captivum elegissent: nihilominus Robertus d'Auberbosc, capitis damna-*

(1) Act. SS. tom. III, april. pag. 104. — (2) Ord. Vital. tom. II, pag. 345. — (3) Floquet. tom. II, pag. 601. — (4) Ibid. tom. II, pag. 602. — (5) Ibid. tom. I, pag. 70.

AUCTORE J. V. H.

tus fuit, trahebaturque ad supplicium, quando reductus fuit ad carcerem, quin tamen, capitulo alium eligente, liberatus fuerit (1). *Simile quid accidit anno* 1302: *judices recusarant carceri Rotomagensi restituere Nicolaum Letonnelier; vicissim canonici noluerunt eligere captivum liberandum : lite pendente, expositæ in palatio publico toto triduo remansere S.* Romani *exuviæ: restitutus demum captivus, non tamen liberatus fuit, sed feretri beneficium Gulielmus de Montguerard accepit* (2). *Quum autem anno* 1361 *ballivus seu prætor Rotomagensis inter festum paschatis et Ascensionis, quo intervallo sententiæ capitales prohibitæ erant, secreto et quæstionem instituisset contra quemdam Rogerium Letailleur aut Letellier, et eumdem capite plectere ausus fuisset, capitulum Rotomagense prætorem sententiæ excommunicationis subjecit, nec prius a censuræ vinculis absolutus fuit, quam, agnito crimine, veniam a canonicis impetrasset* (3). *Qui autem privilegio feretri liberatus erat, non solum sententiam capitalem, sed bonorum spoliationem et mulctas pecuniarias effugiebat* (4).

et querelæ;

57 *Anno* 1394 *nova quæstio mota fuit: nempe an liberati captivi complices, etiam hactenus incogniti, pari modo liberationis beneficium consequerentur. Privilegium obtinuerat Joannes Maignart, quum innotuit, adhuc delitescere complices, et inquisitione facta, reperti sunt varii. Quæstionem ad regem Carolum VI delatam decreto suo solvit rex, declarans etiam complices participare privilegio* (5). *Quum porro Henricus V et post eum ejus filius Henricus VI, reges Angliæ, Normannium occupassent, denuo in privilegium inquisitum fuit anno* 1420 *et* 1425: *causamque suam canonici Rotomagenses vicerunt* (6). *Victoriam capituli corroboravit etiam Carolus VIII, rex Galliæ, Rotomagi præsens, coram quo reus homicidii feretrum levavit, anno* 1485 *et omnimodam liberationem consecutus est* (7). *Paulo post, anno* 1497, *Collinettus Petrelay, dum propter crimen incarceratus, conduceretur e carcere ad castellum, fuga elapsus erat. Suspiciosi canonici, unum suæ electioni subtractum fuisse criminabantur. Sed fallebantur canonici, et melius edocti, excusationem fugæ, solis custodibus imputandæ, admiserunt.*

C

imo decursu temporis

58 *Anno* 1499 *Scacarium Normannicum, hactenus ambulatorium, cujusque judices pro tempore incerto incerti sedebant, in tribunal permanens transiit. Priores itaque judices, temporarii et sæpe ab urbe absentes, non audebant conflictum provocare cum capitulo metropolitano, juris sui tenacissimo: ast posteriores, sui quidem securi et suprema regis auctoritate in sententiis ferendis muniti, obliquis oculis videbant pretiosiorem gratiosioremque auctoritatem clero collatam, jus scilicet gratiæ, qua canonici Rotomagenses pro jure suo reos gravissimorum scelerum jurisdictioni suæ subtrahebant, et, exstincto processu judiciali, libertate donabant. Jam igitur anno* 1501 *Ludovicus* XII *regiis litteris jusserat, ut, si quidem constaret de privilegio S.* Romani, *in pacifica possessione relinquerentur canonici Rotomagenses. Utcumque acquievere curiales, ita tamen, ut ipsum privilegii usum restringere tentarent* (8). *Ast ipse rex mense novembri* 1512 *edictum dedit, quo privilegium* D
S. Romani *denuo confirmavit et sancivit, ut quotannis in die Ascensionis Domini capitulo Rotomagensi jus esset liberandi unum captivum simulque ejus complices et adjutores* (9). *Repugnavit quidem edicto curia Rotomagensis, illud clausulis vinculatum suis regestis inscripsit*(10): *verum rex novo edicto, dato die* XXV *februarii* 1513 *decrevit in privilegio nihil esse innovandum* (11).

inter arctiores limites

59 *Neque diffitendum est, canonicos quandoque tales liberasse, qui indulgentia maxime indigni videbantur; unde quoque majus pondus addebatur querelis, quas magistratus sæcularis coram rege effundebat. Et ut exemplo utamur : anno* 1545 *Georgius de Prestreval, qui ipsa die Ascensionis se incarcerandum præsentabat, statim per privilegium feretri liberatus fuit. Et tamen annos vix* XXIII *natus, jam in multiplicibus et enormibus sceleribus erat involutus. Patri absenti, ruptis seris, summam octingentarum librarum surripuerat, a paternis colonis, intentata nece, omnem pecuniam extorserat, falsurius scripturam patris mentitus fuerat, castello, cui* E
nomen Mesmoulins, potitus illic gregalium turmam collegerat, quorum auxilio vicinam regionem rapinis agitaverat, regiæ majestati rebellis, missos milites, qui tantum malum compescerent, vi et armis repulerat. Tot sceleribus onustum capitulum ipsa die, qua in vincula se conjecerat Georgius, liberum abire permisit. Non mirum igitur, magistratum sæcularem indulgentiæ, quandoque importunæ, obicem injicere voluisse (12). *Nihilominus Henricus II, rex Galliæ, novo edicto* XXVIII *aprilis* 1554 *conservatum voluit privilegium S.* Romani : *quod quidem novis litteris, datis* XIV *junii* 1557 *et* IX *martii* 1559 *ratum habuit idem rex, quia canonici beneficium feretri contulerant in consanguineum Dianæ de Poitiers, scorti regii* (13).

circumscriberetur,

60 *In exercendo itaque privilegio S.* Romani *abusus aliqui irrepserant, et eo progressus fuerat causidicus, privilegio patrocinans, ut diceret,* notorium esse inter vinctos illum semper præferri, qui gravissimorum scelerum accusatus erat (14). *Atque hinc factum est ut Henricus IV litteras regias dederit* XXV *januarii* 1597, *quibus intra arctiores limites circumscribebatur* F
privilegium. Imprimis exciepiebantur crimina læsæ majestatis, hæreseos, adulteratæ monetæ, homicidii meditati, et stupri virginum, violenter illati. Dein qui indulgentiæ particeps fieri cuperet, ipse se, nequaquam autem per procuratorem, deferre et accusare debebat. Tertio ipsa sui accusatio ante denuntiationem, judicibus faciendam, fieri debebat. Tandem, nihil interea obstabat, quominus judices in reos criminum porro inquirerent, citra tamen sententiam ejusque exsecutionem (15). *Eo magis capitulo Rotomagensi displicuit edictum, quod rex præfatus fuerat, se omnia conservata velle, quæ olim Ludovicus XII concesserat : attamen Ludovicus unum crimen exceperat, nempe læsæ majestatis; Henricus autem varia alia, ut vidimus exceptioni unicæ adjecerat. Capitulum quidem jus sibi suum integrum cavit; nihilominus perstitit regium Henrici IV decretum, quo fiebat, ut deinceps in potestate regia esset jus recusandi,*

(1) Floquet tom. I, pag. 70. — (2) Ibid. pag. 72. — (3) Ibid. pag. 81. — (4) Ibid. pag. 88. — (5) Ibid. pag. 100. — (6) Ibid. pag. 116 et 134. — (7) Ibid. pag. 189. — (8) Ibid. pag. 201. — (9) Ibid. pag. 208. — (10) Ibid. pag. 214. — (11) Ibid. pag. 216. — (12) Ibid. pag. 263. Cfr Ibid. pag. 326 et 337. — (13) Ibid. pag. 274 et 283. — (14) Ibid. pag. 421. — (15) Ibid. pag. 424.

si

A *si quandoque statos limites excederent canonici* (1). *Et re ipsa anno* 1670 *nobilis quidam Baudry de Bois-Caumont, homicida cujusdam de la Bunaudiere, sperabat se beneficium feretri consecuturum : ast scripsit Ludovicus XIV tam capitulo quam judicibus, ne talis indulgentia concederetur : paruerunt, canonici et curiales* (2).

perstitisse usque ad annum 1791 :

61 *Imo quum paulo post, seu anno* 1672, *quæstio de tollendo, aut saltem de mutilando privilegio S.* Romani *denuo coram rege tractaretur, id unum, tamquam summam victoriam, tulerunt canonici, ut conservaretur* ad normam edicti Henrici IV (3). *Instabant enim in aula regia judices, ut penes ipsos staret arbitrium captivi permittendi aut retinendi, nec liberum deinceps esset Rotomagensibus canonicis intercedere apud ipsum regem, quando judices aliquem dimittere recusassent. Quum igitur omnia instructa erant, ut regio edicto petitio judicum Rotomagensium rata firmaque haberetur ; nihil tamen prodiit, et res in antiquo statu permanserunt, verum cum hac clausula, canonicos profiteri,* solius tribunalis (parlement) esse
B cognitionem eorum, qui secundum edictum Henrici IV digni aut indigni sunt privilegio feretri (4). *Sicque privilegium perseveravit, interjectis licet quibusdam impedimentis, usque ad annum* 1790, *quo, ut diximus, ultimo liberati fuerunt duo conjuges, qui in altercatione domestica cum vicino, hunc infeliciter magis, quam malitiose, occiderant* (5). *Etenim anno* 1791, *exulante legitimo pastore Ecclesiæ Rotomagensis, in ejus cathedram intrusus fuerat Ludovicus Charrier de la Roche* (*tardius, abdicato sincere et publicis litteris schismate, episcopus Versaliensis*) : *hic vero, licet, destructo capitulo, fateretur, privilegium periisse, petiit tamen conservari* consuetudinem indulgentiæ. *Judices, ad quos petitionem suam inscripserat Ludovicus, incerti, quid agerent, Justitiæ, ut dicitur, supremum administrum Duport consulunt, qui epistola Parisiis data* XXX *Maji* 1791 *respondet, inter reliqua privilegia etiam abolitum fuisse Privilegium S.* Romani, *adeoque feretrum nullam deinceps indulgentiam esse procuraturum* (6).

ritus solemnis liberationis

62 *Devenimus ad tertiam quæstionem, quam solvendam suscepimus, seu ad ritum ipsum, quo captivus per privilegium S.* Romani *liber e vinculis dimittebatur. Imprimis feria* II *post octavas paschales designabat capitulum quatuor canonicos, qui jurisdictioni sæculari insinuare seu denuntiare debebant privilegium S.* Romani. *Hi autem feria* II *tertiæ hebdomadis paschalis, in habitu chorali, præcedente apparitore suo, tribunalia adibant, et admissi, verbis capituli privilegium denuntiabant. Procurator regius plerumque acquiescebat canonicorum petitioni, aliquando tamen privilegium sat acerbe perstringebat. Nihilominus judices ratum exsecutionique mandandum privilegium decernebant* (7). *Dein tribus diebus Rogationum et mane ipso die Ascensionis dominicæ, duo delegati capituli visitabant carceres et omnes vinctos interrogabant* (8), *quorum* confessio instar fere confessionis sacramentalis secreta erat (9). *Ipso porro die Ascensionis hora octava matutina conveniebat capitulum* (10), *ac delegati seu commissarii referebant incarceratorum confessiones, inter quos, invocata prius Spiritus Sancti gratia, ad pluralitatem suffragiorum, eligebat capitulum liberandum a carcere et pœna* (11). *Quo facto, electi captivi nomen inscribebat archiepiscopus in schedula, quæ sigillata cera viridi ad judices per capellanum S.* Romani *deferebatur. Remanebant interim inclusi canonici, donec responsum judicum redditum esset* (12).

explicatur.

63 *Interea post apertam liberationis schedulam, omnia instrumenta litis criminalis legebantur coram judicibus, et audito procuratore regio, ad majoritatem suffragiorum declarabat tribunal, liberandum dignum vel indignum privilegio feretri* (13). *Quo posteriori casu, capitulum novum eligebat liberandum. Tandem, omnibus peractis, declarabant judices, electum a capitulo frui posse privilegio pro criminibus confessis, non vero pro aliis* (14). *Quo facto, liberandus ducebatur ad locum, dictum Veterem Turrim* (Vieille Tour), *antiquum ducum Normannicorum palatium, in cujus fronte est podium, septuaginta quinque pedibus altum, ad* E *quod ascendebat liberandus, ita ut a populo universo facile aspici posset. Ibi exspectabat solemnem processionem, qua capsa S.* Romani *deferebatur, quando vero illuc pervenerat clerus, liberandus, genibus flexis, recitabat* Confiteor, *et celebrans manu ejus capiti imposita, dicebat* Miscreatur *et* Indulgentiam, *jubebatque leniter attollere trinis vicibus capsam, quam dein ad usque metropolitanam ecclesiam succollabat* (15). *Tandem liberatus sertis floridis, quibusdam omni supplicio turpioribus* (16), *redimebatur* (17). *Postera autem die liberatus capitulo gratias pro collato beneficio agebat, a canonico, ad id delegato, fiebat increpatio criminum, postea liberatus, tactis SS. Evangeliis, jurabat, obedientiam decano et capitulo Rotomagensi, defensionem jurium ejusdem Ecclesiæ, detestationem omnium criminum, et demum præsentiam suam in processione festi Ascensionis cum face ardenti* (18). *Atque hæc, ex libro Cl. Floquet maxime extracta, ut notæ ad calcem paginæ adscriptæ satis indicant, de privilegio feretri seu S.* Romani, *dicta sunto.*

F

VITA PRIOR S. ROMANI,

ARCHIEPISCOPI ROTOMAGENSIS.

Auctore Gerardo, monacho S. Medardi Suessionensis :

Ex ms. Rubeæ Vallis, excepta epistola, desumpta ex veteribus Analectis Joannis Mabillon p. 429.

Epistola auctoris.

Gerardus, gratia Dei venerabilis Pater cœnobitarum, domno Hugoni, Rothomagensis urbis archiepiscopo *a* et omni collegio, ibi Deo militanti prosperum vitæ præsentis successum, atque indelibilis felicitatis bra-

a

(1) Floquet. tom. I, pag. 425. — (2) Ibid. tom. II, pag. 28. — (3) Ibid. pag. 33. — (4) Ibid. pag. 35. — (5) Ibid. pag. 538. — (6) Ibid. pag. 153. — (7) Ibid. pag. 168 — (8) Ibid. pag. 197. — (9) Ibid. pag. 201. — (10) Ibid. pag. 215. — (11) Ibid. pag. 221. — (12) Ibid. pag. 229. — (13) Ibid. pag. 260. — (14) Ibid. pag. 271. — (15) Ibid. pag. 290. — (16) Ibid. pag. 336. — (17) Ibid. pag. 302. — (18) Ibid. pag. 324.

vium.

AUCTORE GERARDO MONACHO.

vium. Noverit benevolentiæ vestræ sagacitas de Vita S. Romani vestri patroni, pro qua humillima memet exorastis prece, quoniam pactum, quod pepigi vobiscum, nullo modo attendere quivi, ob adversitatum videlicet incommoditates, quas undique præsenti anno in nostris partibus perpessi sumus. Modo autem dirigo vobis Vitam veteranam, heroico carmine editam, ut omnino cunctis notum sit, quod nulla inventionum vobis dirigo mendacia *b*. Illam autem, quæ historiali stylo est depicta, pro nimia vetustate penes nos retinens *c*, hanc digestam stylo illius ad instar, vobis transmitto. Ordinem quoque rei, qualiter hanc merui adipisci, vobis indicabo brevi sermone. In Braina ergo, potestatis vestræ loco *d*, eadem Vita, negligentiæ causa, fuit perdita, aliique quam plurimi libri. Quidam autem clericus Suessionis civitatis ab inventore mercatam, nostræ contribuit nepti obtinendam, in monasterio Dei Genitricis Mariæ Deo sacratæ *e*; illaque post hæc, interjecto exigui temporis articulo, eamdem Vitam mihi, muneris gratia, impertivit, multorum annorum peractis jam curriculis. Præterea flexo cordis poplite, oramus munificentiæ vestræ modestiam, ut nobis vicem rependatis charitatis, scilicet transmittendo nobis per gerulum nostrum ex eodem patrono vestro, beatissimo Romano, sacrorum pignorum munera, utpote spopondistis, ut et nos condigne celebrare queamus ejus memoriam. De cætero humili flagito prece, quo cuncto illius loci contubernio fratrum pro me jubeatis ad Dominum fundere preces, similique modo in monasterio Sancti Audoeni fieri, et in omnibus locis vestræ potestatis jubete; quoniam tanto pondere imbecillitatis premor, ut ultima semper exitus hora mihi præsens videatur adesse.

b

c

d

e

B

Gratia vobis Domini servet sine limite quovis;
Atque suave jugum miti cervice ferentes,
Angelicos læti possitis adire cohortes.

PROLOGUS.

1 Tempora igitur mundani regni per sera caducaque vitæ meando discurrunt, diesque labendo vertundo utuntur discursibus anni: verum laus et gloria Sanctorum nullo penitus concluduntur fine, imo perenniter recensenda manebunt, nobis quidem ad correptionem morum pravorum, illis autem ad gloriam, qui præsenti in sæculo manentes, carnis trabea circumdati, semper pro viribus cunctam illecebrosam vitam refutavere, in nullo penitus hosti antiquo cedentes, imo viriliter agonizantes, jamque fine carentes; quos Christus Jesus tanto exaltationis munere ditavit, tamque claro nomine insignivit, ut « in omnem terram exiret sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum *. » Horum ergo licet ossa incubent terris, flamina resident cœlis solis claritate præfulgida. Unde Dominus euangelico promit sermone: « Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris mei *. » Quorum virtute morbi curantur humani, languoresque propelluntur, incommoditates a populis, et insuper eorum oratu nobis vitæ conceduntur prospera, quodque salubrius est, animabus per omnia.

C

* *Ps. XVIII,5.*

* *Matth. XIII, 43.*

S. Romanus

2 Nulli ergo, fratres, boni operis labor tædium pariat, quoniam callis recti itineris non est nisi angusto initio incipiendus, processu vero bonæ conversationis inenarrabili dulcedine via curritur mandatorum Dei, et usque in finem custoditum hominem perducit ad Dei contemplationem et æternam salvationem; quoniam non qui cœperit, sed « qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit * . » Quia vero ex Sanctorum laude pro modulo parvitatis nostræ sermo agitur, instans hortatur dies tanti natalis, sacrum inter cæteros memorare Romanum, merito non disparem: cujus tanta præfulgent beneficia, ut ejus nomen celebre per plurimorum hominum volitetur ora. Vere etenim sacer Dei hic Romanus laudandus, cujus tanta in cœlis exstat gloria, ut post hujus Vitæ narrabunt sequentia; cujus gloriæ causa, inquit psalmista David, « beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. » His paulatim omissis, reflexo præsentis operis calamo ad ejusdem sancti viri inaudita et gesta, præsule Christo, conabor advertere.

D

* *Matth. X,22.*

* *Ps. LXXXIII,5.*

3 Igitur temporibus Lotharii, inclyti regis Francorum, filii Ludovici, gloriosissimi principis, exstitit vir quidam, nomine Benedictus, in regno Galliæ, quæ modo nuncupatur Francia *f* ob gloriosissimos viros, robustissimosque bellatores, qui ex Sicambriæ partibus, Domino ducente, pervenerunt in has provincias, et a Sancto Remigio, Rhemensis sedis archipræsule *g*, per verbum sacræ doctrinæ conversi sunt, atque baptismatis latice renati, veri exinde fidei catholicæ exstitere cultores. Qui venerabilis Benedictus, ortus ex nobili prosapia præfatorum regum, tanto bonitatis est culmine potitus, ut Deo cœli amabilis, regique ac palatinis venerandus fieret cunctis. Ob hoc autem nullis penitus superbiæ stimulis umquam agitatus fuerat, imo humilitatis ante omnia ferens virtutem, venerabilium jussa principum magnifice adimplebat, ergaque subjectos, ut pater præclarus, in omnibus Domini potentiam pensans, matremque virtutum discretionem retinens, voluntati Domini jugiter parebat.

ex patre sene et matre sterili

E

f

g

4 Is quum tot virtutum polleret copiis, redimitus Spiritus Sancti gratia, dum ex more quadam nocte membra quieti dedisset, mox est Angelus missus ab omnipotenti Domino, inquiens ad eum: Benedicte, Benedicte, Dominus Jesus Christus misit me ad te gaudium magnum nuntiare tibi: ecce enim nutu ipsius uxor tua Felicitas unicum tibi pariet filium electum, nomine Romanum, quem præscit magnum futurum, Ecclesiæque decorem atque splendorem, fortemque columnam. Ipsum ergo merito gens excolet Francica, humilique cum voce persæpe rogabit, quatenus sibi exsistat pius fautor ad Christum, propriorum peccaminum causa. Ex qua visione genitor exhilaratus corde, verba superni nuntii suæ intimavit conjugi: unde attentius Domini oravere clementiam, humilitati operam dantes, donec promissum devenit gaudium Domini. Ortus namque, diligenti cura Beatus Romanus genitorum in æde est nutritus. Post exiguam autem temporis capedinem, ipso suggerente, spiritualibus disciplinis præ cæteris * traditurque pædagogis scholaricis apprime imbuendus disciplinis liberalibus, quarum industria jugi assiduitate inserviret studiis, unde sciret proferre nova et vetera. Cui quanto fuit gratia discendi

ab Angelo præ-nuntiatus, nascitur,

F

* *supple* destinatur

discendi flagrantior, tanto gratiosior inveniendi exstitit aditus : quoniam quem sibi Spiritus Sancti gratia elegit, ei affuit prudentia : unde Salomon « Omnis, inquit, sapientia a Domino Deo est *. »

* *Eccli. I*, 1.

pie educatur;

5 Factus ergo divinarum scripturarum optimus agnitor, quanto plus sanctimoniæ pollebat corpus, tanto magis humilitati operam dabat. Omnibus se affabilem præbebat, nullum se inferiorem existimans, illud cogitando Salomonis : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus *. » Et quia Deus superbis semper resistit, humilibus autem dat gratiam *. » Præterea bonæ indolis Romanus pueritiæ annos excedens, et ævum adolescentiæ cum sollicitudine omni exercebat, et quotidie in bonis operibus vigebat, ac resplendebat in verbis ejus Spiritus Sancti gratia, sapientiaque humilitatis in vultu. Eratque idem Beatus animo clarus, interna fortitudine firmus, consilio validus, prudentia præditus, censura justitiæ stabilis et religione celsitudinis ornatus ; statura procerus, facie decorus, cæsarie formosus, corpore castus, mente devotus, affabilis alloquio, amabilis aspectu, temperantia clarus, discretione suffultus, longanimitate assiduus, patientia robustus, humilitate mansuetus, charitate sollicitus. Et ita cum decor sapientiæ adornabat, ut juxta Apostolum « sermo illius sale esset conditus. »

* *Eccli. III*,20.
* *Jacob. IV*,6.

B

* *Luc. XIV*,33.

ex aula regis h

6 Taliter ergo in virtutum apice locatus, cœpit strenue in aula regis militare Clotharii *h*. Nam Dei nullo modo prætermittens jussa, reddebat « quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo *. » Venerabatur namque sincero affectu a rege optimatibusque cunctis, nec non ab episcopis, variisque ordinibus Sanctæ matris Ecclesiæ veluti pater modestus, quoniam jugis fulgebat eloquii facundia, consilii magnitudo in omnibus omnino locis Domini. Hanc immemor potentiæ loquebatur sapientiam atque stabilitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ. Omnibus imitandus, omnibus speculum factus, ille a tramite recto numquam devius, sed fautor factus optimus ; quippe quem nulla in mundo nexuerant scelerum contagia, ad cœli liber anhelabat alta. Licet autem idem pater tantæ exaltationis potiretur honore, nullis tamen ob id superbiæ stimulis agitatus, aulicis sincere jussis, optimatumque ac procerum obtemperabat edictis, illud cogitans Apostoli « subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis*. » Erat subditorum sibi salute sollicitus, ad corrigendum humilis ac modestus, ira temperatus, discordiæ malum ab imis cordis procul pellens : et si audiebat, obturabat aures suas, ne audiret sanguinem, et claudebat oculos suos, ne videret malum.

* *Matth. XXII*, 21.

C

* *I Petr. II*, 13.

ad cathedram Rotomagensem vocatur

7 Interea accidit, ut archipræsul Rhotomagensis urbis ultimo mortis sopiretur somno, ac fieret plebs in Christo devota illius urbis absque pastore. Unde merito exigente, supernaque favente clementia, plebs omnis consors monachorum clericorumque ac laicorum Romanum almifluum in sorte pontificatus acclamabant eligendum, seque ab eo more pontificis abinde regendum. Hoc omnis sexus, hoc omnis ætas, hoc omnium voluntas fieri celebre acclamabant, ut tanti meriti vir eorum fieret rector, qui eos viæ rectæ dogmate nutriret. Tali gaudio divini amoris instinctu animati, ad regis aures universæ plebis clamor universus pervenit hujusmodi, quatenus eorum Romanus beatus fieret rector opulentissimus. Tum rex hoc audiens, dignumque fore S. Romanum tanti honoris intelligens, libentissime affectui eorum assensum præbuit. Eligitur ergo functus pontificatus honore, universis hinc inde exsultantibus, atque ad Rhotomagensem civitatem consonis laudum vocibus perducitur *i*.

i

in qua caste vivens

8 Quodam tempore hyemali, dum sacer ille scilicet Romanus, antistes ille sacratissimus, solus pernox orationi vacaret, accedens humani generis inimicus, nudatus vestibus ante fores, ubi intus Beatus Romanus orabat, astitit, fœmineam habens speciem, cupiens tentare versutia sua Beatum, ad illum inquiens : Sancte et electe Dei Romane, aperi mihi januam cellulæ tuæ, atque famulam Dei, fatigatam longo itinere, intromitte domum, quoniam a nimbo frigoris premor veste nudata. Sed Sanctus Domini, omnino talia spernens consortia, aure quidem captabat vocem, sed mente recusabat ex toto, indignum fore infra præcordia cogitans, sui se tali pectoris jungere socio. Tunc mulier prædirum movens pectore luctum, cœpit clamare : Domine sacer Christi, tu Christo redditurus rationem ob animam meam a frigoribus, quibus cogitur corpus meum exire; nec tu eris in hoc insons nec criminis expers in me, qui tua claudens limina, non me permittis adire. Quumque Sanctus ille undique anxius staret, tandem pietate commotus, vocantem hostem introvenire decrevit. Sed postquam illusor diabolus, ad ignem calefactus, dilatans crines capitis usque ad pedes, quum vellet illecebrosis colloquiis corripere animam sancti, Dominus omnipotens non passus tentamina sævi chelydri, mox cœlicolam transmisit ad eumdem auxilii causa. Ad cujus adventum hostis depulsus iniquus, ac Sanctus Dei Romanus non solum tunc, verum etiam persæpe tentaminum ferens spicula, permansit probatus, semper stabilis cum pectore casto *k*.

E

k

sancte obit.

9 Denique quum appropinquasset exitus sui diem, fidelium convocata copia, cuncta quæ possidere videbatur in mundo, egenis, advenis, viduis et orphanis larga manu distribuit, nihil sibi reservans ex omnibus, ne transituro e mundo aliqua contagii macula inveniretur in illo, illud cogitans psalmistæ Davidis : « Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.* » Sicque filios charissimos allocutus est tali sermone : Dominus Jesus Christus, quia a primæva ætate servum pro viribus me est dignatus pro sua pietate et pro quantitate mei laboris, jam mihi reddat felicis gloriæ præmium, et immarcescibilis vitæ sertum : unde paterno affectu vos moneo, dilectissimi, ne a recti itineris tramite devii respiciatis retro, quod absit; imo de die in diem magis augmentantes sincere vivatis ; quoniam juxta vocem Apostoli, « unusquisque mercedem propriam recipiet secundum suum laborem.* » Si quis vero, quod absit, aliter egerit, vestro pio foveatur exemplo. Unusquisque quod sibi fieri non vult, alii ne faciat ;

* *Ps. CXI*, 9

* *I Cor. III*, 8

AUCTORE GERARDO MONACHO.

faciat; ne atrox inimicus, qui non nostra tollere quærit, sed ut feriat in nobis charitatis ardorem, aliquod inveniat periculi malum, unde decepti perire possitis: quoniam ego pastor hactenus vester, jam amplius non ero. Cunctis flentibus, inter voces psallentium, corpus terris, animam reddidit astris, ubi fulget ut sol, stola laureatus præcandida. Transivit autem e mundo decima kal. novembres. Tunc arripientes ejus corpus, cum omni sepelierunt diligentia, ubi multorum miraculorum beneficia Domini pandit magnificentia per eumdem servum suum Romanum usque in hodiernum diem, ipso auxiliante, cui honor et gloria et imperium per infinita sæculorum sæcula. Amen.

ANNOTATA.

a *De utroque, Gerardo et Hugone, egimus Commentarii prævii num. 4. Quod porro Gerardus se ipse venerabilem patrem appellat, id familiare, ait Mabillonius ad hunc locum* (1), illius ævi hominibus: *sic Warinus comes scribit*: signum
B Warini gratia Dei bonæ indolis comitis.

b *Si quidem Gerardus biographus mittit Vitam metricam,* ut omnino cunctis notum sit, quod nulla inventionum clero Rotomagensi dirigat mendacia, *videtur pressis debuisse insistere vestigiis exemplaris missi: ast omittit Gerardus, quæ maxime faciunt ad gloriam S.* Romani: *destructa idolorum fana, deletus paganismus, S. chrisma prodigiose recollectum, quæ omnia in Vita metrica occurrunt. Unde suspicor, ut supra num.* 3 *Commentarii insinuavi, mutilam ad nos devenisse Gerardi lucubrationem.*

c *Vitam* historiali stylo depictam, *quam apud se retinuit Gerardus biographus, exstare adhuc credimus, ut dictum fuit num.* 5 *Commentarii ac infra edemus. Et certe quod nos signamus* caput secundum, *apographum autem appellat* librum secundum, *secunda quoque manu conscriptum fuit, uti suo loco annotabimus.*

d *In Annalibus Flodoardi Rhemensis legimus sub anno* 950 (2): Homines Ragenoldi comitis quamdam munitionem Rodomensis Ecclesiæ
C super fluvium Vidulam (*La Vesle*) sitam quam vocant Brainam, furtivo capiunt ingressu. *Est Braina,* Braine *oppidulum in præfectura Axomæ:* département de l'Aisne, arrondissement de Soissons. *Sed et similiter, teste eodem Flodoardo* (3), *Brainam castrum jam anno* 931, *id est undecim ante annis, quam Hugo II episcopatum adiret,* captum et eversum fuit: *unde certo statui non potest, quo proprie anno Braina extra potestatem Rotomagensium antistitum in perpetuum facta est.*

e *Parthenonem Mariæ Suessionensis fundavit Drausius, ejusdem urbis episcopus, anno* 660 (4).

f *Ad Gallias, prout Romanis notæ erant, certo pertinebat Normannia: sed quum hæc scriberet biographus, Normannia, ducem habebat sat laxo vinculo regi Franciæ obligatum: unde quod hic dicitur,* quæ modo nuncupatur Francia, *referendum ad distinctionem ducatus Normannici a reliqua Francia, nullatenus tamen ad initium hujus nominis sæculo medio decimo illigandum: quocirca non credimus inservire hæc verba posse* D *ad altiorem antiquitatem lucubrationis stabiliendam.*

g *Acta S. Remigii, Rhemensis episcopi, dederunt majores ad diem* 1 *octobris* (5).

h *Clotarium II interpretamur qui ab anno* 584 *Neustriæ, universæ Franciæ ab anno* 613 *ad annum emortualem* 628 *imperavit. Nam sæculo* VII *jam inchoato, natum S.* Romanum *existimamus, ut dictum fuit Commentarii prævii num.* 12, *adeoque sub solo Clotario II militare, id est servitium aulicum, exhibere potuit.*

i *Aditum ad sedem Rotomagensem S.* Romano *non planum fuisse, docet Vita prolixior infra danda num.* 5. *Tunc enim malæ pestes, avaritia et simonia, per Gallias grassabantur. Luculentissimum mali testem habemus S. Audoenum in Vita S. Eligii* (6): Crudeliter, *inquit,* in diebus illis simoniaca hæresis pullulabat in urbibus et in cunctis finibus regni Francorum, maximeque de temporibus Brunichildæ, infelicissimæ reginæ et usque ad tempora Dagoberti regis violabat hoc contagium catholicam fidem. Sollicite tamen pro hoc invigila- E
bant sancti viri Eligius et Audoenus, et communi cum cæteris viris catholicis habito concilio, suggesserunt principi et optimatibus ejus, ut hoc mortiferum virus cito deleretur de corpore Christi, quod est universalis Ecclesia. Habuit itaque effectum eorum pia petitio et libenter obtinuerunt, quod devote rogaverunt. Tunc ergo placuit omnibus, uno in Spiritu Sancto accepto consilio, simul cum regis imperio, ut nullus, pretio dato, ad sacerdotale officium admitteretur, neque eos, qui, ut lupi rapaces, munera dando, mercanda censebant dona Spiritus Sancti. *De quo quidem Concilio hic agatur, incertum est. Si de Cabilonensi* III, *aliquibus anno* 644, *aliis* 650 *celebrato, jam tum episcopi erant SS. Audoenus et Eligius, utpote qui dictæ Synodo subscripserint* (7). *Quidquid sit, id extra dubium positum est, tempore electionis S.* Romani *grassatam fuisse labem simoniacam. Quapropter biographus metricus sequentia habet de electione* S. Romani (8):

Terrea contemnens, nil præter commoda quærens; F
Cætera distribuens, sibi frugi, largus egenis,
Hostis avaritiæ, quæ pessima regnat ubique,
Quæ gravat hunc mundum, cœlos ne possit adire;
Non exstinguibilis rogus ardens, tristis herinis,
Omnibus hoc vitium vibrat læthale venenum,
Prælatos stimulat, subjectos denique pulsat,
Ecclesiam vastat, populares undique mactat,
Immutat mores, indignis præstat honores;
Nobilis et clarus subito vocitatur avarus,
Vertigo pridem, quem fecerat una Quiritem,
Sed furiosorum non vis pepulit dominorum,
Subjectus vitiis, vinclis oppressus iniquis
Et quamvis subito sit judex tristis agaso,
Sit pollens rebus, tamen exit crimine servus.
Humanas leges regina pecunia tractat,
Et quod lugendum gravius, multumque dolendum,
Ipsa potestates corrumpens spirituales,
Crebro sacricolis infert discrimina mortis:

(1) Vet. Analect. pag. 430. — (2) Migne. Patrol. tom. CXXXV, col. 476. — (3) Ibid. col. 442. — (4) Gall. Christ. tom. IX, col. 442. — (5) Act. SS. tom. I, octob. — (6) Act. SS. Belg. tom. III, pag. 229. — (7) Labbe. tom. VI, Conc. col. 390. — (8) Martene. Thes. Anecd. tom. III, col. 1655.

Præcipue

A Præcipue multos, quos dicunt Simonianos,
Invadit penitus flammante cupidinis æstu.
Ordinat hos nummus, non vitæ nobilis actus;
Servat ovile lupus, captat divina malignus,
Dæmonis ex nido, quem protulit atra cupido,
Evolat, alta petit. Facit hoc absentia Petri;
Nam credo rueret, si Cephas proximus esset.

k *Omissa sunt in hac Vita breviori, quæ reliqui biographi habent, purgata aut destructa idolorum templa, prodigium de vase chrismali fracto et restituto, quæ tamen scriptori prælucebant in Vita metrica, a Gerardo ad Hugonem archiepiscopum missa, ut scirent lectores, ipsum* inventionum mendacia *non scripsisse. Ad quid autem codicis metrici transmissio, si præcipua opera omissurus erat Gerardus? Unde, ut dictum est supra Annotato* b, *credimus mutilam ad nos devenisse Gerardi lucubrationem. Utrumque porro prodigium hisce verbis exponit Vita metrica* (1):

Taliter electum divinitus atque sacratum
Pontificem sanctum, digno cultu venerandum,
Rothomagi cives adeunt consulta petentes,
B Suppliciterque rogant, sua sic discrimina narrant :
« Sancte pater, nobis instat sævissimus hostis,
Plurima damna ferens, penes urbis mœnia degens,
Est ibi nam castrum, murali robore firmum,
In quo fœdarum domus atra latet meretricum,
Fornicibus variis cæcis obstrusa latebris.
Illic obscœni rivales seu parasiti,
Vel quos impuri juvat ingluvies Epicuri,
Sorde lupanari semper sitiunt maculari.
arca? In medio castri patet arca * more theatri,
Quo fanum Veneris, titulus spurcæ mulieris,
Falso frequentatur, scorti species veneratur.
Subter hians antrum, penitus tendens in abyssum,
Faucibus angustum, tamquam stygiale profundum
Non valet attingi, nullo visu penetrari,
Claustra vel hos aditus potuit perfringere nullus :
Tanta malignorum vis est ibi dæmoniorum.
Altera, Sancte, tuis par est irruptio mortis.
Nam Sequanæ vastum patimur discrimen aqua-
C rum;
Dum contra morem metam superando priorem,
Alveus exundat, late confinia vastat,
Ædes subvertit, parvos et ad ubera perdit :
Exitium multis infert et damna salutis.
Inde dolor, planctus, mœror non cessat amarus,
Casibus in tantis, quos impetus ingerit amnis :
Talibus ærumnis affligimur atque periclis;
De cœlo nobis nisi stillet fons pietatis,
Quæ relevet miseros; urbem lutulenta libido
Ad similes Sodomæ pœnas trahet usque Gomorrhæ.
* debiles? Sed tua, Sancte, manus, solidat quæ debilis * artus,
Monstra cruenta fugat, diva virtute coruscat,
Exspuat hanc labem, Babylonis subruat arcem. »
Talibus auditis Romanus, præsul herilis,
Exorat Christum, totius egentis asylum,
Parcat ut afflictis, veluti quondam Ninivitis;
Avertat et mortem, bonitatis conterat hostem.

Ergo dux fidei, mores* ad loca perniciei : AUCTORE J. V. H.
Et contra fortes proprias ad bella cohortes, * mox?
Psalmicines ex more greges, reliquosque fideles,
Cum crucibus sacris, cum pignoribus pretiosis
Sic castrum subiens, divinaque spicula figens,
Fanum destruxit, labyrinthi claustra revulsit,
Idola contrivit, funesta sacella removit,
Spurcitiisque locum purgavit dæmoniorum :
Territus exsanguis vis illico perdidit anguis,
Ad Christi labarum, quo deposuit dominatum,
Ut quondam Josue Jericho bellator in urbe
Officiis laudum magno clamore tubarum
Mœnia subvertit, munimina quæque subegit :
Sic Israelis noster dux ille fidelis,
Cinctus utrisque choris, divina laude canoris,
Delubra fudit humi, cujus exitium fuit humi.
Inde potens meritis antistes flumen adivit,
Stipatus nitidis reliqua cum plebe ministris,
Armatusque fide calcantis in æquore Petri,
Per nomen triadis, per virtutem Trinitatis,
Perque crucis signum, quod submovet omne nocivum,
Imperat, ut staret, nec ad ulteriora mearet,
Quem tenuit primum repetens ab origine cur- E
sum.
Paret huic fidei natura fluens elementi,
Atque sinum repetit, nec ripas fluminis exit.
Hoc siquidem facto renitet sanctissimus archos, *
* princeps
Non impar Josue, cujus memoravimus ante,
Qui Domino cœli devotus mente fideli,
Debellans hostem, jussit subsistere solem,
Donec inexhaustis acies consumeret armis :
Par virtus radiat, quamvis distent elementa.
Nam si jussisset ratio, vel causa fuisset,
Sicut et unda fluens, sol ipse, per ardua currens,
Redderet obsequium, nec abesse praclue signum.
Urbs ita salvatur, tantisque malis spoliatur,
Fertilis et pleno ridet sibi copia cornu;
Mors fugit, hostis abest, aqua stat, devotio gaudet.
Præsul in ecclesia plaudit præconia digna :
Christus adoratur, quo vis inimica fugatur,
Virgo laudatur, per quam Cytherea crematur,
Prostibuli cœnum decus hoc absolvit amœ- F
num.

Paulo infra canit biographus prodigium vasis chrismalis his verbis (2) :

Ante diem sacrum, quo plebs nova christicolarum
Dulce colit pascha, quo gaudens transit ad astra;
Hic athleta Dei, quamvis sibi sedulo parcus,
Tunc magis urgebat confecti corporis artus,
Excubiis instans, precibus, rivis lacrymarum,
Hostis et insidiis curas adhibens animarum.
Jamque dies pacis, populique reconciliandi
Venerat, et sacram turbis impleverat aulam,
Tunc pius antistes fletus dabat uberiores,
Inter lugentes, inter sua crimina flentes,
Atque piis precibus veniam poscendo reatus,
Plebes absolvit, oleum chrismati sacravit.
Clerus at incaute minus illud providus omne
Dividit ecclesiis, vix una superfuit illis
Ad lavacri morem retinens ampulla liquorem,
Tertia cumque dies venerabilis emicuisset,

(1) Martene. Thes. Anecd. tom. III, col. 1660. — (2) Ibid. col. 1660.

Gaudia

AUCTORE J. V. H.

Gaudia magna ferens, imis cœlestia jungens,
Phœbus et accelerans jam nonam clauderet horam
Præsul ad officium sanctus processit agendum :
Hinc inter sacræ dum per solemnia Missæ
Fontibus adstaret, lavacrum quo sanctificaret,
Vas jubet afferri sacrum chrismale ferentis.
Forte sed in præceps turba stipante minister
Dum pede festinat, ne pontifici mora fiat,
Labitur e manibus, fractum vas evacuatur;
Pene vorax omnem quin hausit arena liquorem.
Fontibus adstanti res est ut cognita patri,
Nil ex hoc trepidus, fidei sed robore firmus,
Fragmina parva legens, ad Christum brachia tendens,
Membra solo sternit, devota precamina fundit,
Exorans illum, qui fractum cardine mundum
Mirifice reparat, proprium fundendo cruorem,
Ut reddat mœstis, quod diruit æmula pestis.
Quid moror in verbis? ad mutum cunctipotentis
Ecce reformatur, resolutum consolidatur
B Vas illud vitreum velut ante liquore refertum.

VITA SECUNDA S. ROMANI,

ARCHIEPISCOPI ROTOMAGENSIS.

AUCTORE ANONYMO. *a*

Ex ms. Branensi. a.

CAPUT PRIMUM.

a. Sancti natales; pia institutio; episcopatus Rotomagensis; ejus labores, miracula, obitus.

S. Romanus *ex patre Franco,*

Clodoveo, Francorum rege, intra Gallias imperante, erat ex stemmate Francorum, regio semine ortus, vir honore Benedictus et nomine; qui sub Clodoveo et filio ejus Lothario militavit *b*, bello strenuus, consilio providus, vita decorus; ita ut post regem pater patriæ vocaretur. Huic tanto tamque sublimi
C data est uxor, præclaris natalibus exorta, nomine Felicitas, bonis quidem operibus intenta, sed sterilitatis dolore perturbata. Quamobrem nimium erubescentes, sed coram Deo humiles preces assiduas effundebant, et eleemosynas abundantes, ut eis divina gratia præstaret filium; qui annosum patrem et armis effractum supportaret, matri auferret sterilitatis opprobrium, alta post eos patrimonia possideret et a regibus collata beneficia familiasque cum honoribus hereditariis retineret.

et matre sterili,

2 Quoniam igitur inanis esse non poterat eorum supplicatio, mittitur illis insperati gaudii nuntius, Angelus scilicet de cœlo, qui sub noctem viro consolationem intulit, dicens: Ne paveas, electe Dei, nec verearis phantasiæ spiritu illudi : ego sum Angelus ille, qui vestra bona studia et orationes Deo obtuli; quæ quidem divinis gratæ conspectibus, proximo tempore implebuntur. Nam tibi ego votivum nuntio gaudium, quia Felicitas uxor tua pariet tibi filium, cui illustris vitæ prærogativa nomen acquiret Romanum. Eum tu ab omnis corruptionis labe immunem servare memento; D quia necdum genitum Deus ad regimen sanctæ Ecclesiæ et patriæ illuminationem præordinavit electum. Mox vero ut ablactatus, intellectuales annos attigerit, catholicis viris eruditendum committes : futurum est enim, ut Christi Ecclesia perversis hæresibus impugnetur, quas suo ille tempore valida damnabit auctoritate.

Angelo prænuntiante, nascitur :

3 Cumque vir inclytus aperuisset uxori omnem jucundæ visionis ordinem, illa congratulans nimium, et quod intra se celaverat manifestans, respondit: Ego plane dum ipsam, quæ hanc istam octava præcessit, noctem totam insomnem agerem, peccatis meis imputans, quod conclusit Dominus ventrem meum, levi somno, ut fit, correpta, ut nec vigilare penitus nec obdormire viderer, astitit mihi vir, nivei candoris habitum gerens, et nimiam vultus claritatem præferens, qui injecta manu pectus et ventrem tactu leni pertractabat, dicens : Procul hinc æmula abesto sterilitas, ut novo partu jucunda veritas fructificet. Mox admotam manum insequitur ignea procedens de E utero meo facula, quæ per auras longa via discurrens, et Neustriam usque regionem superveniens, stationem accepit, eam circumfusa luce undique terram irradiavit. Hujus rei si est aliquod præfinitum mysterium, mi charissime, pandere verebar *c*. Hic vir prudens cum *c* animadvertisset se a Deo visitatum; uxorem, quæ viderat, silere præmonuit, ne vulgo mysterium hoc patesceret. Acquiescit mulier sobrio viri consilio : fiunt interea propensiores orationes, et eleemosynarum largior distributio. Quid ultra? Tandem filium edidit, qui, prout monuerat Angelus, dictus est Romanus.

pie et liberaliter educatus,

4 Is congruo tempore viris catholicis commendatur, divinis litteris imbuendus : quibus in brevi collectis, mox vitæ sanctioris semitas apprehendit. Ejus fama passim celebris per Gallias citissima penetravit, et ad regis usque notitiam perveniens, ipsum permovit, ut, transmissa legatione, præciperet, eum suis aspectibus præsentari, ac pro gratia, ei a Deo collata, inter palatii primos regalibus consiliis interesse. Mirabantur omnes ejus industriam, F potissimum vero rex, qui sapientiam in eo advertebat, ad singula quæque diffusam.

eligitur episcopus Rotomagensis,

5 His ita procedentibus, Rothomagensis archiepiscopus vita defungitur. Quamobrem Rothomagenses pro substituendo pontifice variis favoribus distrahuntur, partes faciunt, seditiones concitant *d*, donec, propitiante Deo, *d* de sapientis cujusdam sententia, triduanum implent jejunium; quo peracto, uni de venerabilibus viris divina per visum revelatio facta est, dicens, susceptam esse jejunii devotionem et humilium supplicationem. Irent ergo quantocius ad regem, et prætermissis omnibus aliis, hunc singulariter dari sibi deposcerent, cui ab arce mundani imperii denominatum instaret vocabulum : hunc, antequam nasceretur, a Deo electum, et, ut Præcursor Domini, ad parandam illi plebem perfectam ex nomine esse prænuntiatum. Facta igitur hac voce, vir præfatus sermonem illum, qui civibus consilium dederat, silentio evocans, et quæ sibi dicta fuerant, diligenter exposuit. Lætus ille, quamquam de persona incertus, convocatis civibus

A civibus auditum pandit oraculum: qui omnes, animis exultantibus, gratias Deo dederunt. Cumque prætaxati imperii nomen longa discussione ventilantes, animadvertissent, divino portendi oraculo virum Dei Romanum, qui regis in aula sanctimoniæ et veritatis testimonium a cunctis habens, isto nomine solus infra Galliæ fines censeretur.

et cum gaudio a populo excipitur :

6 Unanimiter in hoc consentientes, legatos cum litteris ad regem dirigunt, quia hunc inter primos regis consiliarios esse noverant. Rex autem electioni tam consonæ et tam sanctæ præbuit assensum, dicens, in homine attendendum esse potius religionem, quam ætatem. Et vocato tandem Romano rex ipse negotium manifestat : at renitenti litteras etiam legendas tradit. Quas perlegens Romanus, et divinum cernens oraculum, perterritus oculos levans ad cœlum, dicens : Domine Jesu Christe, si est ex te consilium istud, fiat voluntas tua. Nec mora, assumptis rex episcopis et magna procerum frequentia, electum Dei famulum ad sedem nominatam perducit. Vi-
B dere erat, quanta exultatione omnis sexus et ætas pastori, a Deo sibi donato, obviam procederet. Sed enim cujus tam ferreum pectus, ut non lacrymaretur præ gaudio, dum audiret etiam pueros clamantes et dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Porro hi non alio spiritu quam quondam pueri hebræorum incitabantur.

amphitheatrum et Veneris

7 Nam et hic venerandus Dei famulus se in nomine Domini venisse, satis comprobavit, dum mox ut a clero et populo susceptus et ab episcopis consecratus est, statim mercationes sacrorum Ordinum et auctores earum penitus extirpavit *e;* templaque et statuas idolorum, ubicumque reperit, funditus evertit. Erat Rothomagi a septemtrione antiquum Veneris domicilium, in modum amphitheatri sublimi opere constructum, latebrosis fornicibus circumseptum, fanum erat in medio et ara in fano, titulo Veneris superscripto : post fanum tartareus hiatus esse dicebatur, vicinis circum manentibus fœtore et flamma quam sæpe nocivus : exinde conventus ac murmur dæmonum audiebatur, quasi ad consilium de longis
C partibus coeuntium, in quo suorum quisque operum rationem reddere cogebatur, et pro officii magnitudine vel altius quilibet honorabatur, vel pro inertia verberibus afficiebatur. Post fanum hujusmodi sub obscuro quodam loco spelunca erat horribilis, introrsum quidem spatiosa, sed fauce angusta, inæstimabilem profundi altitudinem celans *f*.

fanum destruit;

8 Episcopus itaque, assumptis clericis et civibus, processit ad locum, et ut destruant, populos hortatur. Accedente autem episcopo, strepitus dæmonum cœpit audiri; quorum unus quasi princeps eorum sic ait : Quid nobis et tibi, Christi sacerdos? Cur a sedibus nostris ejicis nos? Suscitabo et ego tibi a finibus maris et remotis insulis homines fortes et feroces, qui terram istam devastabunt, sibique subjugabunt, et ossa tua et aliorum servorum Dei terrore suo facient asportari in alienas regiones. Sicut facis nobis, faciemus et tibi, tuisque Christianis. Ad hæc episcopus prophetiæ Spiritu repletus, respondit : Gens quidem illa, per quam nobis mala promittis, et quæ nomen Christi alias non audivit, audiet in partibus istis, et postquam audierit, Christo miserante, suscipiet, et fideli animo credens, fidei sacramenta percipiet, nostraque etiam ossa de terris, ad quas audierit ea esse translata, reportabit ad sedem propriam veneratione summa. Nunc ergo, Spiritus immunde, cum legione tua exi et recede *g*. Sic effatus, tenens triumphale crucis signum, castra inimica pervadit, et titulum Veneris quantocius evertit. Spectabile visu, mirabile dictu, episcopo triumphante et nomen Christi personante, illa dæmonum legio, relicta sede, longo tramite fugiens cum ululatu terribili sese in aera recepit, astantibus Deum glorificantibus, episcopum defensorem suum sublimantibus : qui etiam illico, præcipiente episcopo, ferventibus animis juvant, et domicilia dæmonum, præter muri exterioris ambitum, funditus evertunt.

AUCTORE ANONYMO.

g

Sequanæ inundationes cohibet,

9 Tali dæmonum cœtu eliminato, surgit a latere meridiano grave nimis incommodum et retroactis temporibus insolitum. Repentina siquidem aquarum inundatio Rothomagenses prima noctis vigilia occupavit. Surgunt ita- E
que, suisque vix parvulis assumptis, et rebus, quas egrediendo manus invenit, montes vicinos conscendunt; cætera, diluvio prævalente, disperierunt *h*. Tunc sanctus aberat episcopus, pro causis ecclesiasticis apud regem occupatus: sed misso a civibus nuntio, sollicitus pastor, omissis pluribus, cito revertitur. Assumpta vero in manu cruce dominica, contra vagantes prodiit aquas. Fusa denique oratione ad Dominum, funduntur pariter aquæ ac refugiunt, et sancto episcopo persequente, arva, quæ pervaserant, derelinquunt, suoque sese alveo reinfundunt. Videntes incolæ, erectis ad cœlum manibus, agunt Deo gratias et ubertim suo antistiti benedicunt : sed timentes redivivo intercipi diluvio, habitare disponunt in sedibus alienis. Quos revocat præsul eximius, et Spiritu Sancto afflatus, sic eos alloquitur : Nolite, filii, nolite sic turbari : aquæ enim istæ tumentes, ultra non supervenient vobis : scitote autem, quod prænuntiant vobis, superventurum adversariæ gentis exercitum, piraticis manibus allatum. Gens ista præ nimia feritate regionem hanc F
occupabit, suoque dominio subjugabit : verumtamen apud Dominum pro vobis obtinui, ut non eveniant ista temporibus vestris. Gens equidem illa non prævalebit, sed, Deo propitio, mox, suscepta fide, populum sibi subjectum in multa pace servabit. Quibus auditis, cives Rothomagi episcopo credunt, et suas domos, ab aquis erutas, incunctanter adeunt.

h

diœcesim lustrat;

i

10 Præterea dum suæ diœcesis ecclesias episcopali consuetudine visitaret *i*, pervenit ad templum, sublimi opere constructum, errore fanatico plenum. Hoc dum eminus aspicit, videt super alta templi fastigia, immundos spiritus prospectantes, et ad resistendum sibi truculento more dispositos. Hic episcopus suos interrogat, num et ipsi viderint dæmones illos teterrimos : cumque dicerent, se nihil talium intueri, vocantur iterum, ut sint episcopo præsentes, qui fani illius custodes dicebantur. Inquisiti de religione fani illius, trementes nihil respondere, sed potius confundi, pallescere. Mox de summo culmine fani vox obscœna prorupit, dicens : Quid tu hic,

AUCTORE ANONYMO.

Romane, venisti ut nos ejiceres, sicut ejecisti nostros socios a Rothomagensi sede? Episcopus vero consignans se, januam impellit, quæ mox, fractis repagulis, cum grandi sonitu, liberum intrantibus christianis aditum patefecit. Intrante autem episcopo, idola omnia corruunt, statimque luctus aruspicum et ululatus dæmonum pariter audiuntur : e contra vero lætabundus clamor fidelium attollitur : irruunt milites, aurum et argentum, quibus tegebantur idola, certatim rapiunt. Quibus episcopus, ne profana illa tangendo contaminarentur, severa increpatione revocat et cum omnibus exire festinat. Egressus autem, tollit in cœlum oculos cum manu, et solo orationis impulsu totum illud ædificium quodam terræ hiatu citissime complanat. Hinc inde concurrunt populi, tanti miraculi fama concitati, et in locis suis detegunt Apollinis et Mercurii statuas a sacerdotibus impudice coli : vadit episcopus sola virtute Christi subnixus; quo signante, templum dæmonum et eorum statuæ funditus in præceps ruunt, et in pulverem versa, deficiunt : eoque in loco Christi sacerdos ex proprio sensu * fundatam fecit ecclesiam.

* censu ?

vas chrysmale fractum mirabiliter reficit :

11 Sacrosancti tempore jejunii, quod Sanctum Pascha præcedit, tempus advenerat, et in eo episcopus jejuniis et orationibus insistebat, pauperibus et pœnitentibus solamen debitum exhibens. Cum expleta Quadragesima, Sancti Sabbathi die, quo baptisma generale solet consecrari, dum episcopus benedicendis aquis baptismalibus intenderet,

* Chrisma?

Sanctum baptisma* requiritur, nec invenitur. Cum autem præcipiti cursu quidam ivisset ad locum, ubi chrismatis vasculum servabatur; arrepto vasculo, dum præceps et attonitus graditur, lubrico cadens pavimento, vas, quod portabat, conterit et effusum chrisma dispergit. Hoc ubi conspexere, omnes simul ingemunt, turbantur, et præ cæteris sanctus episcopus. Qui tamen, resumpto tandem spiritu, procedit, et ante chrisma, varie diffusum, toto corpore prosternitur, cœlumque precibus penetrat. Sentit ergo preces suas a Deo susceptas, surgensque præcipit fragmina vitrea recolligi, quæ cum suscepta manu sua statim
C solidata reformasset, reformati vasculi patulum os pavimento applicat. Mira res! et miraculi hactenus inexperto efferenda: videre erat chrismatis effusi rivulos et guttulas quasque cogi in unum, et recurrendo vasculi in ora conscendere. Sed penitus effari nequeo, quas laudes, quas gratiarum actiones Deo referebant, qui præsentes mira tam mirabilia præ oculis inspectabant. Multa vero etiam prætereo, dum ad majora festino.

visione cœlesti de vicino obitu monetur ;

12 Quodam die Ascensionis dominicæ solemnes Missas præfatus pastor agebat : dum autem in sacro Canone Sacramenta sanguinis et corporis mente simul et ore conficeret, totus a terra corpore sublevatus, in aerem sublevatur. Non omnibus, qui præsentes aderant, hoc videre concessum est. Tres tantum sanctæ conversationis fratres, superveniente gratia, plenius inspectare potuerunt. Dum vero sacrum calicem a mensa paulo altius elevaret ignea flamma super caput ejus apparuit, et de medio ignis dextera benedicens ei : ubi autem dextera Domini infra globum igneum sese sursum recepit. Inde progressa vox ad aures episcopi pervenit, D
dicens : Constans esto, o famule Dei, persevera, ut cœpisti; proximo enim tempore veniam ad te, et inter electos collocabo te in regno Patris mei : ubi de dextera, quam vidisti, palmam perennis gloriæ et stolam jucunditatis æternæ percipies. Sed et in hoc preces tuas suscipio, quod de quibuscumque et pro quibuscumque petieris, semper impetrabis : at quæ in præsenti officio sacra pertractas, tibi in æterna vita complebo. Quibus inspectis et taliter auditis, diem suæ vocationis instare, filiis et fratribus indicavit, ac exinde populorum frequentias evitans, sanctæ contemplationi et precibus assiduis in remotiori cellula arctius se recepit.

dæmonem, sub specie fœminæ tentantem,

13 Ad hæc antiquus hostis insurgens, assumpta specie fœminea, solitarium pontificem tentator adoritur. Nam cum eo tempore hyems asperior rigenti frigore terram constringeret, sub noctis tenebris tenebrosus hostis accedit, clamans, se esse fœminam miseram et desolatam, a latrunculis spoliatam. Cumque ad ostium cellulæ pulsans, seque nimio frigore
E perire deplorans, suspiraret, et pro Christo misericordiam sibi fieri expostularet, his tandem querulosis fletibus ad misericordiam movetur episcopus, ut persona tam misera misericorditer admitteretur. At licet propositi sui memor, staret incertus et dubius, hinc ne propter propositum misericordia debita negaretur, illinc ne propter misericordiam a sancto proposito deviaret, reformidans : tamen fœmina miserabiliter deplorante, vicit propositum pietas : et sub nomine pietatis intrat impietas. Intromissus ergo hostis in fœmina, comptis crinibus, facie decora, pectus aperit, et speciosa membra præsentat : mox etiam propius accedens, refoveri in lectulo postulat. His arctatus episcopus, hostem agnoscit, et se Christi esse militem agnoscens, toto animo ad Deum se convertit. Et ecce Angelus Domini superveniens universæ cellæ ostia, laquearia et culmina crucis signo munit, hostemque interceptum mirum in modum cædit, urget, fundit, ac, negato exitu, per immundas cloacas abire compellit *k*.

k oratione fugat ;

14 Tunc securus vir Dei, damnare in se lenitatis culpam vehementer cœpit, cur, soluto gravitatis antiquæ proposito, fœmineum sexum quavis occasione deceptus, hospitio suscepisset. Tum vero pugnis contundi videres pectus innocuum, miserum se clamare, dira imprecari, indigne se ferre pastorale regimen, qui vel ex deceptione primi parentis satis edoceri potuisset, quam sint vitanda tali in conventu suasionis fœmineæ blandimenta. Tali æstu accusantem se idem, qui hostem malignum extruserat, Angelus, ne se tanto dolore excruciaret, consolabatur, dicens : Merito quidem, electe Altissimi, compungeris, quod sexus corruptibilis quamlibet speciem mentitam sub umbra culminis tui recepisti : sed vicit te pietas et miseratio. Repara igitur virile animi robur, resume contra tentatoris antiqui insidias prudentiæ et sobrietatis constantiam; hoc pro vero intelligens, quod juxta serpentem positus, diu illæsus non eris. De vocatione autem tua, quæ proxime instat, sollicitus, subjectam tibi familiam, ut pastor vigilantissimus, instruere ne differas, et contra

A tra hujusmodi fallentis hostis præstigia præmunire. His rebus recreatus et de vocatione sua certior, fratres monasterii ad se jussit convocari : quibus primum de instanti obitu, dehinc de insidiis, quas a diabolo perpessus fuerat, intimabat, ne familiaris pestis consortio corrumpi se aliquando permitterent.

tandem vale dicto clericis suis

15 Jam tempus aderat quo verus Israel ex Ægypti ærumnis liberandus, peracti certaminis præmia erat percepturus. Quapropter labentem dierum cursum mente præoccupans, diem exitus sui, quem per Angelum didicerat, sollicitus expectabat. Fit igitur, ipso jubente, rerum mobilium in pauperes larga distributio, et per ecclesias Dei sub testamento prædiorum multa distractio. Postremo quadam nocte dominica, dum membra debilia, nocturnis fessa vigiliis, tenui somno recreari voluisset, sensit se intra viscera regnantis morbi aculeis quibusdam perurgeri : et idcirco diem illam et sequentem hebdomadam pro expectatione exitus sui, psalmis et orationibus usque ad sequentis horam nonam continuabat. Qua hora
B sentiens dolorem ad vitalia crebris ictibus pulsari, convocatis fratribus, jubet sibi oleo sancto corpus perungi. Dehinc paucis quidem, sed saluberrimis, eos monitionibus instruere cœpit, dicens : Unum est fratres mei et filii charissimi, quod pervigili mente observandum vobis commendo, ut pacem et unanimitatem manere inter vos recognoscat ille, qui de hoc mundo transiturus ad Patrem electis suis dicebat : « Pacem relinquo vobis, pacem meam

** Joan. XIV, 27*

do vobis. » * Verumtamen ea discretione vos moneo servare, ut cum quibus eam fundare lebeatis, solerter caveatis : quia si perversorum nequitia in pace jungitur, profecto eorum malis actibus robur augetur : nam quo sibi in malitia magis congruunt, eo se robustius bonorum afflictionibus illidunt. Unde David :

** Ps. CXXXVII,21.*

« Nonne qui oderunt te, Domine, oderam et super inimicos tuos tabescebam? » *

sancte moritur.

16 Ecce jam, fratres vocor a Domino, longo vos sermone tenere ultra non debeo; vos ipsi scitis qualiter vobiscum conversatus sum ab initio ordinationis meæ; non aurum, non argentum, non omnino quæ vestra fuerunt, sed
C vos ipsos quæsivi : non tyrannicam in vos dominationem exercui, sed, ut ipsi mihi testes estis, paterno vos affectu percolui. Si rexi vos, non ut decui; rexi tamen, ut novi et potui. Vos recturus a Christo accepi, ipsi vos regendos restituo, ipsi, ne longum faciam, committo, qui salutari vos lavit baptismate et proprio redemit sanguine Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit in sæcula sæculorum. Ita fatus collegit se in lectulo suo, quem cinere et cilicio contectum, pro festiva mollitia habere consueverat, sanctamque animam cœlo reddidit. Ad cujus transitum gloriosus occurrit Sanctorum numerus, cum quibus ab omni labe integer sequitur agnum, virgineæ castitatis auctorem, Dominum nostrum Jesum Christum. De cujus funeris obsequio, quia sufficientia eloqui non valeo, silendum existimavi : quia ad illud quantus ordo psallentium, quanta turba occurrit lamentantium, æstimari quidem potest, numerari autem non potest. Transivit autem dominica nocte, decima kalendarum Novembrium die *l*, sepultusque est primo ab urbe * in oratorio quondam suo, quo in loco in honorem Beati Gildardi, quondam ejusdem sedis, * fundata constat ecclesia : ubi divina uberius beneficia* ad laudem Dei et Domini nostri Jesu Christi; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

AUCTORE ANONYMO.

l

** supple* : lapide

** supple* : episcopi

** supple* : præstantur

ANNOTATA.

a *Jam supra, num.* 5 *Commentarii prævii, monuimus, hoc caput primum aut Veteranam esse vitam, de qua loquitur Gerardus in epistola sua* historiali stylo depictam, *aut saltem ex hac primaria proxime sumptam : nam quod caput secundum appellamus, in codice Branensi est liber secundus; qui sæculo* X *conscriptus fuit, ut infra monstrabimus.*

b *Cfr num.* 10 *Commentarii prævii, in quo monstravimus, militiam Benedicti, patris S.* Romani *cum ætate Clodovæi componi non posse.*

c *Fulbertina Vita, edita a Nic. Rigaltio quemadmodum reliqui biographi antiquiores, omnino silent alteram visionem, octava ante die factam Felicitati uxori : narrata enim angelica visitatione viri, sic pergit* (1) : Certus itaque de angelico oraculo vir inclytus, uxorem diligenter excitat; sciscitatur an de visione et allocutione cœlestis nuntii aliquid sensisset, quod quum penitus abnegasset, aperuit illi omnem jucundæ visionis ordinem. Unde generosa, divino oraculo congratulata, orationibus et eleemosynis, cunctisque bonis operibus amplius insudavit. *Eodem modo, omissa tamen Felicitatis negatione, habet Vita metrica* (2) :

Excitus somno, quæ viderat inclytus heros,
Uxori retulit; fit gaudens munere Christi.
Nec mora, concepit etc.

d *Quæ electionem episcopi Rotomagensis retardabant impedimenta, exponit Vita Fulbertina* (3) : Inter cives et provinciales viros de substituendo pastore generalis commotio fasta est : quoniam, ut se habet in talibus negotiis, eligentium vota in diversum trahebant, dum alii alios pro voluntate sua ad culminis hujus apicem attollere conabantur. Tali altercatione Ecclesia sine pastorali regimine manebat. *Refert dein Fulbertus eodem modo, quo noster, actum electionis.*

e *Quantum simoniæ pestis per Gallias grassarctur, indicavimus in Annotato* I *prioris Vitæ.*

f *In Historia Domuum Rotomagensium* (Histoire des maisons de Rouen), *anno* 1821 *a Cl. Delaquerrière edita et a D. Cochet citata* (4) *dicuntur hujus amphitheatri adhuc exstare vestigia subterranea; videlicet juxta monasterium olim Carmelitarum, est monticulus sive tumulus in cujus lateribus quam profundissime rudera Romana reperiuntur. Istiusmodi porro ruinæ, quæ non raro adhibebantur ad ædificationem murorum, ecclesiarum, aut etiam arcium, plerumque sæculis* VI *et* VII *periere.*

g *Quamvis, ut jam sæpe diximus, opinemur, quam edimus Vitam, illam veteranam esse, quam* historiali stylo depictam *docet Gerardus biographus, non censemus tamen eamdem aut coævam aut subæqualem, sed sæculo* X *conscriptam; quando nempe gens Normannica christiana sacra susceperat, quod primis annis sæculi* X

(1) Fol. v°. 5. — (2) Martene. Thes. Anecd. tom. III, col. 1653. — (3) Fol. 8. — (4) Cochet. La Normandie souterraine pag. 140.

accidit,

AUCTORE ANONYMO.

accidit, ut narrat Ordericus libro III : Dispensante, *ait* (1), divinæ pietatis arbitrio, ex eadem gente, unde venit Neustriæ desolatio, inde nimirum non multo post processit consolatio... Anno itaque ab Incarnatione Domini DCCCCXII Rollo dux a domno Francone Rotomagensium archiepiscopo, baptizatus est idolisque contemptis, quibus ante deservierat, cum toto exercitu suo christianitatem suscepit. *Scilicet anno* 911 *Carolus Simplex, rex Franciæ, maximam Neustriæ partem Rolloni cesserat, filiamque suam Giselam ea lege desponderat, ut baptismum susciperet, quam legem Rollo anno sequenti seu* 912 *complevit.*

h *Multiplices fuisse Rotomagi exundationes Sequanæ docent nos istius urbis Annales. Annis* 1119, 1150, 1196 *acciderunt istiusmodi calamitates : quum simile malum irrupisset anno* 1296 *Gulielmus de Flavacour, Rotomagensis archiepiscopus, jussit solemni pompa circumgestari Reliquias* S. Romani, *et subito aquæ consuetum alveum repetierunt* (2).

i *Gallia Christiana refert* (3), S. Romanum
B summa veneratione coli in Ecclesia Rotomagensi, quod nempe reliquias idolatriæ, in diœcesi sua, maxime vero apud ultimos Caletes, repullulantis, radicitus tandem extirpaverit. *Sunt autem Caletes populus ad septemtrionem diœcesis habitans, ad terminos Ambianenses, quapropter* ultimi Caletes *appellantur a biographo : ista regio hodiedum lingua vernacula* le pays de Caux *dicitur* (4).

k *De adjutorio ab Angelo impenso nihil habet Vita Fulbertina, quæ, post simulatum vafræ mulieris luctum, sic habet* (5) : Quum Sanctus ille undique anxius staret, tandem pietate commotus, vocantem hostem intro venire decrevit. Sed postquam delusor diabolus ad ignem est calefactus, dilatans crinem capitis sui usque ad pedes, quum illecebrosis colloquiis Sancti animum vellet corrumpere, Beatus Romanus crucis vallatus munimine, antiqui hostis insidias triumphali fidei superavit certamine. *Vita autem metrica angelicum interventum utcumque insinuavit, dicens* (6) :
Angelicis armis siquidem munitus ab astris,
Signa crucis vibrat, quo pilo fortiter acta
C Diffugiendo vagas evanuit umbra per auras.

l *Commentarii prævii num.* 24 *ostendimus ex nostro biographo, tempus mortis S.* Romani *cum anno* 644 *probabilius concurrere. Etenim* Dominica nocte, *id est die sabbatho obiit : anno autem bisextili* 644, *litteris dominicalibus D C signato,* x *kal. Novembris in sabbathum incidebat. Solus biographus noster accurate signat et diem obitus, et præparationem proximam integræ septimanæ ad sanctam mortem.*

D

CAPUT II.

A seniore quodam solvitur difficultas, in Vita S. Romani occurrens: visio glorificans Sanctum; qui quosdam suæ Ecclesiæ clericos a naufragio invocatus liberat.

Robertus aëpus quædam objicit

Si rerum causas perpendere libet, sicut ex luce reverberata lux refunditur; ita quodammodo ex miraculis signa oriuntur. Hujus rei exemplo satis esse putamus quemdam eventum, visu et auditu terribilem, sed fide et ratione probabilem. Instabat siquidem Beati Romani memoranda depositionis dies, quam fratres monasterii solemnibus præveniebant officiis. Ad quæ venerandus præsul Robertus *a*, et ipse acturus excubias convenerat. Ventum forte erat ad locum, quo præfati patris liber vitæ editus commemorat (sicut E in anteriori visione audivimus) dum dominicis astaret sacramentis, de summo vertice dexteram Domini comparuisse *b:* hoc in loco præfatus præsul aliquamdiu hæsitans, cuidam seniori, quem in disciplinis liberalibus magistrum habuerat, sic ait: Quamquam de meritis hujus venerandi patris nostri nefas sit dubitare, chare magister, locus tamen iste, fateor, mentem meam compellit fluctuare; an sit credibile homini corporeo, quantumlibet sancto, dexteram Dei corporeo conspicuo intueri. Ad hæc vir ille, alte suspirans, verbum, ab ore episcopi prolapsum, expavit, et moderata increpatione coercuit dicens: Ut quid mihi, Domine charissime, tale cogitare potuisti? Cur inusitato rei exemplo turbatus, in hæsitationis foveam incidisti? Vel anteriorum patrum exemplo doceri potuisti, revelatam Domini gloriam sæpe comparuisse. Quem innixum scalæ vidit patriarcha Jacob, dum ascendentes et descendentes Angelos conspiceret.

a

b

*narratis de S.*Romano,*cui respondet magister ejus:*

18 Sed et Isaïas nondum incarnatum Dominum, super solium excelsum sedentem se vidisse testatur: et Michæas Dominum sedentem, eique omnem cœli militiam assistentem vidit. Ac Beatus Stephanus Filium hominis stantem se vidisse perhibuit. Procul ergo, procul a te, domine, absit hujusmodi dubitatio. Ad hæc episcopus, increpationis verbum patienter ferens; Fateor, inquit, bone magister, ita esse, nec est, quod apertæ rationi contraire debeam: ignosce itaque, venerande magister. Qui respondens: Ignosco, ait, mi domine, et Deus ignoscat, nec ad injuriam suam beatus Confessor prolatum verbum accipiat; ne et tu in sortem eorum appareas, qui emissam supra Christum paternam vocem, dicebant tonitruum esse. Necdum verba compleverat, et ecce repentina aeris coruscatio et fragor intonuit, quo omnes, qui ad Laudes vigilabamus, ex elementorum solutione mundi interitum supervenisse fatebamur; cum nulla tempestatis signa, sed omnia æque serena

(1) Ord. Vitalis tom. II, pag. 7. — (2) Hist. de la ville de Rouen par un solitaire. tom. I, pag. 167. — (3) Tom. XI, col. 12.— (4) Cochet. La Normandie souterraine pag. 324.—(5) Vita Rigalt. fol. 22. — (6) Thes. Anecd. tom. III, col. 1663.

paulo

A paulo ante comparuissent *c*. Jam hora transierat, et ecce verendi luminis illa coruscatio, quæ tota ecclesiæ spatia a summo usque deorsum occuparat, in unum se radium collegit, et recta via sese in feretrum, quo sacra ossa quiescunt, splendore mirabili, nobis inspectantibus, se infudit, ut lucis hujus forinsecus residuæ signa nulla comparuissent; ac si patenter elementa testarentur, quod humana corda credere recusabant. Enimvero resumpto cursu, non sine formidine Laudes ad finem usque transegimus. Quibus expletis, quis enumerare sufficiat, quam multæ quæstiones super rerum eventum, et quam dissonæ sententiæ promovebantur? Tandem venerandus pontifex quæstionem, inter se et magistrum habitam, hac ipsa hora, qua lux cum tonitruo emicuit, fratribus aperuit. Quod verbum sane altioris vir intelligentiæ et antiquæ auctoritatis assumens, præfatæ revelationis affirmamentum competenti ratione coaptavit, dicens: Cum ad opprobrium Judæorum saxa insensibilia Christi mortem doluerint, dignum videri, B ut contra incredulitatem nostram in testimonium sancti hujus patris nostri mundi elementa occurrant.

mirabilis cujusdam visio,

19 Sed nec hoc silendum arbitror, quod senioris cujusdam viri relatu compertum addidici, qui et dignitate et officio sacræ ædis præfecturam moderanter agebat *d*. Huic enim cum cæteros antevenire ad nocturnas laudes, necdum pulsatis signis, familiaris esset consuetudo, sciscitari ab eo curiose cœpi, si quid memoriæ dignum aliquando in ecclesia videre sibi contigisset. Quod cum ille refugisset confiteri multa dissimulatione, tandem importunitate nostra victus, unum mihi hoc retulit, a me quoque silentio tegi flagitans. Quod tibi, inquit, refero, non ludificante somno, sed visu conspicuo, me vidisse profiteor. Nocte quadam dominica de somno excussus, dum ad ecclesiam de more* festinarem, astitit mihi quidam vir, deterrens me, ne seniores inquietarem*: cujus dum vultum dicere nequirem, aut de quibus fratribus ageret, penitus ignorarem; mira res! repente somno reprimente, in extasi raptus*, video me ad ecclesiam tamquam solemni die procedere. Quam cum introgressus, oculos versus Orientem* intenderem (eloquar, an sileam?) visu* mirabile, sed delectabile vidi et vere vidi: circa aram in modum coronæ sacerdotales viros, pontificalibus infulis circumamictos, sedentes. Quibus reverenter circumsedentibus, unus forte, qui astabat medius, cæteris quasi curæ officialis exhibebat ministerium: qui a tergo* respiciens, ut me intuitus est, vultu paululum severo, quasi* increpantis, me* perterruit: cur injussus præsumpsissem intrare*. Continuo tremens ac stupens, solotenus corrui, fulgorem oculorum* et angelicam vultus speciem ferre non valens.

20 Tunc vir ille miseratus, ne timeam hortatur. Ad quem ego, sumpta fiducia*, sic aio: Conventum istum, mi Domine, non curiositate aut temeritate introivi*, sed rerum penitus ignarus*, offensionem aliquam non existimans*. Sed postquam aut nescius aut insolens huc veni, non me ignorare sinat* Dominus meus, si fas es quærere, qui sunt isti seniores, vel ad quid huc collecti venerunt? Qui ait*: Isti sunt apostolici rectores, qui præsentem ecclesiam quondam rexerunt*, per quos et regnum istud multa pace floruit, et plebs subdita longa incolumitate viruit, quibus adhuc de loco et publica salute non modica cura est. Cumque* singulorum nomina exponi mihi deposcerem: Satis, inquit, tibi fuerat impune abiisse de loco, quem introgressus offenderas, non etiam exposcere istorum nomina, quæ jam in libro vitæ titulis aureis scripta refulgent*. Sed quia super hoc te adeo anxium intueor: ille, quem ad dexteram altaris conspicis veneranda canitie albicantem, hic est dominus* Mellonus *e*, qui ex mellea charitatis dulcedine congruum sibi sortitus est vocabulum. Ilic alter, quem sanguineis rosis, interlucente corona, laureatum vides, is est beatus Nigasius* *f* qui unus ex nobis, sub persecutionis tempore, materiali gladio cæsus occubuit. Ille autem angelicæ dignitatis vultu et oculis præfulgens, is est dominus noster Audoenus, qui tempore suo adversus Arianam et Priscillianam perfidiam*, cæterosque Christi nominis adversarios bella non modica infatigabilis miles peregit, quos E et divini dogmatis gladio spiritali et signorum potentia mutos reddidit et elingues: felix adhuc Rothomagensis est ista civitas, tanti patroni suffulta vicino munimine *g*. Is vero, qui proxima sede recumbit, venerandus extat Ansbertus *h*, qui et doctrina præcipuus et miraculis coruscus effulsit.

21 Sic enumeratis singulis stellantis coronæ sessoribus, cum beati Romani mentionem nondum audivissem, hunc ipsum, qui mihi loquebatur, vere beatum Romanum esse* arbitrabar; eo certius, quo velut patrem familias cæteris adstare tamquam ad mystica rerum ordinanda perspexeram. Illum ergo familiari ausu interrogans: Tune, inquam, venerande pater, noster ille es advocatus Romanus, qui solus hunc nobis locum servare maluisti? At ille: Ne me, ait, hunc esse dixeris: nam ut cum videris, tibi opus non erit indicio alieno: satis tibi erunt signa manifesta, vultus sole clarior, stellis micantior, oculi siderea luce et gemmis stillantibus rutilantes, cervix lactea, genæ roseæ, frons nive candi- F dior, ut nihil de perfecta resurrectione deesse videatur. Cui ego: Quid, inquam, mi domine, solum hunc abesse dicam, quem præsentius adesse decuerat? An locum hunc deseruisse credendus est*? Tum venerandus heros: Non ut times, inquit, locum istum dominus Romanus deseruit; sed familiarius cæteris præest, servat atque custodit. Enimvero non longe abesse videbis, et est plane juxta sacrarium et cum eo tres* ex pontificali ordine viri, qui ei ad ornandum se sacris vestibus famulantur; necnon leviticæ dignitatis et sequentis ordinis non ignobiles personæ, quæ continuo addextrabunt eum ante præsentem aram ad sacra dominica peragenda: quia hinc hodie nequaquam sumus abituri, donec sumpta ab eo benedictione, gratissimum ab eo vale deposcamus*, qui et ipsius edictum expectamus, quam* mox ad divinum hujusmodi concilium occurrere debeamus.

22 Cui et ego: Quem igitur pater te esse, dicemus, qui me sic alloqui dignatus es? Victricius, inquit, dicor, cognomento firmissi-

mus,

* *P.* omitt. Qui ait
* *P.* in vita sua rexerant
* *P.* A quo cum
* *P.* nedum istorum nomina...refulgent, tibi jubeas exponi
* *P.* domnus
e
* *P.* Nicasius
f
* *P.* hæresim.
g
h
inter quos præcipuus S. Romanus,
* *P.* fore
* *P.* fatear
* *P.* In quo et cæteri
* *P.* reportemus
* *P.* quo
apparent solemni

* *P.* ex more procedere
* *P.* ne deberem seniores inquietare
* *P.* in extasim rapior
* *P.* orientalem plagam
* *P. add.* sane
* *P.* vir autem sanctus
* *P.* specie me
* *P. deest* me
* *P. add.* sed quid imprudens ego dicerem?
* *P.* fulgur oculorum
in qua Rotomagensis Ecclesiæ sancti pontifices
* *P.* audacia
* *P.* non curiositas, non sane temeritas me introire persuasit
* *P. add.* de introitu
* *P.* contrahare non metuebam
* *P.* vidit

AUCTORE ANONYMO.

mus, quem tali nomine fratres idcirco appellari* maluerunt, quia in causis judicialibus non persona, metus aut amor a vero umquam avertere valuerunt*. Unde et apostolica sedes et cætera per subjectum orbem concilia ab hac nostræ humilitatis sede responsa in causis dubiis postulare consueverant: sed nec firmum illud aut consummatum fatebantur, quodcumque nostræ sanctionis titulo caruisset *i*. Cum hæc ille pater egregius exponeret, ecce ab interiori sacrario mira odoris fragantia nostris se naribus tanta infudit*, ut omnia aromata odoris suavitate vinceret. Subsequitur mox acies ordinata, cum crucibus, cereis, thuribulis, et textis* euangelicis : ipse beatus Romanus* in extremo agmine, duobus a dextera et læva famulantibus viris pontificalibus incedebat vultu et habitu incomparabili, (de cujus specioso decore nec mens meditari, nec lingua æquivalet effari, quippe cum) velut ille Israeliticæ plebis rector Moyses, de monte descendens*, in cujus faciem populus, deorsum expectans, intendere non poterat propter gloriam vultus ejus, quam ex consortio divini alloquii assumpserat.

* *P.* appellare
* *P.* prævaluerunt
i
* *P.* infuderat
* textibus
* *P.* ipse in extremo... pontificalibus, ipse, in quam B. pontifex Romanus
* *P. add.* incedebat

B

23 Mox advenienti omnis circumsedentium chorus assurgit cum voce hujusmodi: Vir iste in populo suo mitissimus apparuit, quam cum versu usque in finem psallentes, usque ad ipsum altare perducunt. Tum* orationi paulo immoratus, se erigit*, pacisque osculo a dextris et sinistris fratribus stans ipse libavit; et sic ad aram progreditur *k* cæteris Missam incipientibus in hæc verba: Sancti tui, Domine, benedicant te. Ut autem ad locum Offertorii ventum est, singuli panem et vinum ex ordine offerrebant. Postremo* hora benedictionis instante*, ipse dominus Victricius, elevata voce cæteros, ad benedictionem jubet inclinari; dehinc sacramentis cœlestibus communicari. Ita officiis expletis, curiose explorabam, quo se hæc daret turba Sanctorum. Nam ut « Ite missa est » exclamatum est, ipse dominus Romanus paululum orabat, cæteris reverendum silentium agentibus. Ut autem se ab altari removit, ecce omnes illum medium obeuntem in præfatum sacrarium deducunt. Ego a foris diu expectans, dum exire aut intrare neminem* intueor, suspenso pede, ad sacrarium tremulus progrediens*, intra prospicio*, et vacua cella, universos abiisse reperio. Quo ex facto perterritus* quia signum aliquod nisi odorum fragrantiam perpendere non poteram; de quibus quid conjicere debeam, dubito, nisi quia eos apud Deum* esse, certissime* constat, inter eos, qui amicti stolis albis, sequuntur Agnum, quocumque ierit. Hanc ipsam tamen sacri officii celebritatem* mortalibus innotescere voluerunt; ut intelligeremus eos locum, quem temporaliter rexerunt*, nisi nostris offensionibus arceantur, præsentibus patrociniis gubernare.

ritu celebrantes:
* *P.* Verum
* *P.* erigeret
k
* *P.* Jam
* *P.* instabat
* *P. add.* postmodum
* *P.* progredior
* *P.* et diligentius introspicians
* *P.* stupor altus conterruit, quod exitum aut vestigium, sed neque signum aliquod deprehendere potui, præter quod ex residua odoris fragantia satiari non poteram.
* *P. add.* præsentes
* *P.* certissima fide constet
* *P. add.* hunc conventum concilii
* *P.* rexerant.

24 Duo ab urbe Rothomagensium levitici ordinis fratres, ac tertius coloniæ adjacentis venerabilis presbyter, condixerant sibi dominicum Hierosolymæ invisere sepulchrum. Arrepta igitur peregrinatione, superatis Alpibus, Romam pervenientes, indignum æstimant sacra Apostolorum limina insalutata præterire. Huc de remotis fere partibus numerosa turba virorum se infuderat, qui et ipsi, expetita peregrinatione, hanc ipsam adibant regionem. Quæsitis itaque altrinsecus partium causis, mox invicem confœderati progrediuntur ab Urbe. Hinc Adriatici maris littora, frementibus animis, expetentes, forte naves onerarias quamplures reperiunt; quarum, unam, quæ expeditior videbatur, tres, quos præfati sumus, fratres conscendunt. Ventis ergo ad vota sperantibus, omnes simul naves prospero cursu maris alta tenebant; et jam medium fere pelagus peregerant, cum hæc una, quæ memoratos fratres vehebat, casum miserabilem incurrit. Nam cum circumquaque reliquum æquor tranquilla serenitate radiaret, toto ab æthere nimborum collecta effusio, huic uni carinæ vehementius incubuit, erat miserabile intueri ratem, violenti turbinis sinu interceptam, nautis eluctantibus, nequaquam posse expediri: sicque tamdiu circumflua agitatione fatigatur, donec abyssi profundo recepta, imis subsedit arenis, non tamen sine manifesta Dei custodia.

tres clerici Rotomagenses, invocato S. Romano, a naufragio liberantur.

D

25 Nautæ interea languenti murmure incusabant, se recipisse viros sacrilegos, quos nec terra sustinere, nec pelagus poterat portare. Fratribus illis hæc audientibus, sed instantis mortis formidine consternatis, nulla calumniantibus nautis dantibus responsa, tandem unus eorum fratrum in vocem erumpens: Sancte Romane, Sancte Romane acclamare cœpit; quem ille videlicet speciali memoria quotidie percolebat, is ut familiarem patronum invocavit. Vidit virum, inæstimabili luce coruscum, precibus hujusmodi Dominum majestatis compellantem: Dominator Domine, hos famulos tuos, passionis tuæ locum requirentes, sæva maris tempestas intercludit. Fiat illis, rex bone, repulsa hæc vel præsentium malorum evasione tolerabilis, ne antiquus hostis, si quid in eis molitur, hoc ad suæ artis nequitiam transcribat. Fiat unda, quæ te auctore fluit, illis via salutis in adoptionis gratiam; fiat, te rectore, eis portus salvationis ad vitæ custodiam. Nec mora sanctus Romanus in posteriori parte carinæ consedit: et sedato æquore, navem ab arenis extorsit. Dehinc baculo, quo navem Ecclesiæ in mundano sæculo rexerat, ipsam ratem impulit, ut quantum toto die spatium libero cursu sociæ classes confecerant, hoc totum intra horam transvolans, multo ante eas tempore ad littus optatum navem deduceret. Nec post multum tempus, cæteri portum tenentes et amissos socios lamentantes, offendunt in littore, quos sævo existimabant naufragio periisse. Nec tamen præsumunt credere, quod vident, sed somnium putant, donec eventus sui exposito ordine, certos reddunt, quos dubios acceperant. Fit communis de alterutra salute lætitia: paratis omnibus, quæ reficiendis erant necessaria, ille solus, cui prædicta apparuerat revelatio, ab esu carnis se abstinens, Deo, qui ipsum liberaverat, multas gratiarum actiones referebat. RELIQUA DESIDERANTUR.

F

ANNOTATA.

a *Robertus, de quo hic agitur, est hujus nominis Primus, qui inclinato sæculo* x *et inchoato satisque*

A *satisque provecto* XI *sedem Rotomagensem occupavit* (1). *De isto præsule hæc tradit Ordericus Vitalis lib.* VI (2) : Ricardi senioris ducis ex Gunnoride filius fuit, et XLVIII annis archiepiscopatum Rotomagensem et comitatum Ebroicensem tempore Rodberti, regis Francorum, et Henrici, filii ejus, rexit..... Rodbertus archiepiscopus mundanis opibus affatim abundavit; sæcularibus negotiis oppido intentus exstitit, et a carnalibus illecebris non (ut pontificem decuisset) abstinuit. Nam conjugem, nomine Herlevam, ut comes, habuit, ex qua tres filios, Ricardum, Radulfum et Gulielmum, genuit, quibus Ebroicensem comitatum et alios honores amplissimos secundum jus sæculi distribuit. In senectute tandem, errorum memor suorum, pœnituit, et pro reatibus multis magnisque multum timuit. Multas igitur eleemosynas pauperibus erogavit, ecclesiamque metropolitanam in urbe Rotomagensi Sanctæ Dei Genitrici a fundamentis inchoavit, quam magna ex parte consummavit. *Quum itaque apud anonymum nostrum reperimus, Robertum archiepiscopum vigilias egisse*
B *in festivitate S.* Romani, *supponi debet, hanc pietatem Roberto crevisse in* senectute, *adeoque sæculo* XI *satis provecto : eumdem porro parum calluisse disciplinas ecclesiasticas, monstrat ejus interrogationes, magistro propositas, de quibus anonymus paulo infra tractat.*

b *Hæc verba aperte indicant, alium esse auctorem capitis primi ac secundi : caput primum jam recitabatur in* solemnibus Officiis, *circa annum* 930, *quo Robertus archiepiscopus,* in senectute *mores suos emendaverat; adeoque antiquior est Vita metrica Gerardi, conscripta, ut vidimus in Vita breviori Annot.* d, *anno* 950, *sub Hugone II archiepiscopo, Roberti decessore. Dein commemorans visionem, num.* 12 *relatam, non dicit auctor, se de ea* scripsisse, *sed,* sicut in anteriori visione audivimus; *unde satis dat intelligere, alium esse scriptorem prioris libri. In ecclesia S. Gildardi, ubi quiescebat S.* Romanus, *hæc vigiliæ una cum canonicis celebratæ fuerunt : quod favet opinantibus, S. Gildardi ecclesiam fuisse aliquandiu cathedralem.*

c Laudum *nomine etiam Matutinum venire*
C *docet Edm. Martene* (3). *Auctor, scribens se præsentem, coævum rei narratæ se probat.*

d *Hujus, quam narrandam suscipit auctor, historiæ alterum habemus exemplar, manu Papebrochii exaratum, cuique titulus, præfixus est* Translationis S. Romani ; *quamvis ne verbo quidem istiusmodi celebrationem attingat, quæ, ut diximus* § III *primum sub Gulielmo Bona Anima anno* 1079 *facta est. Utemur ms Papebrochiano ad corrigenda et supplenda quædam minus recte in codice Branensi descripta. In margine notabimus variantes lectiones, additiones, neglectis levioribus, uncinis in ipso textu includemus et signabimus littera P.*

e *Acta S. Melloni referuntur Tom.* IX *octobris ad diem* XXII *octobris* (4).

f *De passione S. Nigasii seu Nicasii agunt nostri ad diem* XI *octobris* (5).

g *Acta S. Audoeni seu Dadonis, nostri dedere ad diem* XXIV *augusti* (6). *Arianam tamen hæresim impugnasse S. Audoenum, nuspiam legi : ast secunda Vita docet, serpentem per Hispanias Pauli CP errorem, quem nostri Monothelismum suspicantur* (7), *repressisse. Nihil quoque in Actis S. Audoeni habetur de hæresi Priscilliani, quæ ex Gnosticismo prodiens, per Hispanias* IV *et* V *sæculo pessime grassabatur : fieri certe potuit, ut sectæ reliquias* E
S. Audoenus profligaverit.

h *Ansberti, S. Audoeni successoris, Acta dedere nostri ad diem* IX *februarii* (8).

i *Quæ hic habentur S. Victricii, cujus Acta ediderunt nostri ad diem* VII *augusti* (9), *laudes nullatenus quadrant cum iis quæ in ejus gestis leguntur. Etenim videtur Romam evocatus, ut se purgaret crimine erroris circa fidem* (10), *et ipse dubius circa res disciplinares, exquisivit judicium sedis apostolicæ : exstant et hodie celebres decretales literæ Innocentii Papæ I ad S. Victricium Rotomagensem* (11). *Adeoque non perspicitur, quatenus auctor noster dicat,* apostolicam sedem et cætera per subjectum orbem concilia *a S. Victricio* responsa in causis dubiis postulare consuevisse, nec firmum illud aut consummatum fassos fuisse, quodcumque *S. Victricii* titulo caruisset.

k *Qui ritus Missæ pontificalis, describitur, satis convenit cum Ordine Romano I, quem Sacramentario S. Gregorii Magni subnexuit Menardus, ut ibidem videre est* (12).

l *Introitus iste* in natali Plurimorum Sanctorum *recurrit in Antiphonali Sangallensi* F
S. Gregorii, quem edidit noster Ludovicus Lambillotte (13).

(1) Gall. Christ. tom. XI, col. 26. — (2) Tom. II. pag. 365. — (3) De antiq. Eccl. discipl. in divin. officiis celebr. pag. 45. — (4) Tom. IX octob. pag. 65. — (5) Act. SS. tom. V, octob. pag. 510. — (6) Ibid. tom. IV august. pag. 794. — (7) Ibid. pag. 814. — (8) Ibid. tom. I febr. pag. 342. — (9) Ibid. tom. II august. pag. 192. — (10) Ibid. pag. 195. — (11) Ibid. pag. 196. — (12) Migne. Patrol. tom. LXXVIII, col. 938. — (13) Antiphonaire de Saint-Grégoire pag. 153.

DE

A D

DE S. SYRA VIRGINE

MELDIS ET CATALAUNI IN GALLIA

V. D. B.

SYLLOGE HISTORICA ET CRITICA.

§ Unicus. S. Syra Meldensis seu Catalaunensis distinguenda a S. Syra Trecensi seu Rilliacensi. Catalauni fit abbatissa. An S. Fiacrii soror. Ejus cultus nunc interiit.

CIRCA MEDIUM SÆCULUM VII. *Meldis S.* Syra *culta et Trecis; utrum una an diversæ sint*

Legitur hodierna die in Catalogo generali Sanctorum Ferrarii : Apud Meldas, sanctæ Syræ virginis; *in Gynecæo Arturi :* Meldis, sanctæ Syræ virginis, beati Fiacrii confessoris germanæ, abbatissæ Benedictinæ : quæ, Christi amore regnum, regiosque thalamos despecta (*immo* aspernata), omnis puritatis et gratiæ conspicua candore evasit; *et demum in supplemento Martyrologii Gallicani Saussayi longa de ea item fit ad diem* 23 *Octobris laudatio. Neque his immorari volo, quoniam ex dicendis satis superque constabit hac die Meldis celebratam esse aliquam S.* Syram : *adeoque ea de re nulla umquam controversia fuit neque esse potest. Alia omnino res in dubium venit et divortia sententiarum inter præstantissimos scriptores fecit. Die scilicet* 8 *Junii colitur S.* Syria *vel* Syra; *quæ in Actis S. Saviniani* mulier *dicitur et in Usuardinis auctariis* matrona; *quæ* quadraginta (*alicubi* septuaginta) annos ab oculis cæca sedisse *traditur, et venisse ad sepulcrum S. Saviniani, quum* pluribus annis latuisset corpus beati martyris ob nimiam christianorum persecutionem; *quæ ea occasione visum recuperavit, reliquias sancti athletæ detexit, ecclesiam super eas ædificandam curavit et quæ demum reliquam vitam ibidem pientissime degit. Hæc acta Rilliaci; qui vicus quinque fere leucis a Tricassina civitate distat et ad Sequanam positus est. Volunt itaque complures S.* Syram *Meldensem et S. Syram Trecensem seu Rilliacensem unam eamdemque esse; dum alii contra statuunt eas omnino esse diversas.*

B

C

examinarunt jam pridem præstantes scriptores.

2 *Duo autem præcipue scriptores priorem sententiam, scilicet unam tantum S. Syram esse Meldensem et Trecensem, tuiti sunt, nempe Petrus Franciscus Chiffletius in suo* de una S. Syra seu Syria virgine opusculo *et Le Dieu, Benigni Bossuetii secretarius, in suis* Memorabilibus *seu potius commentariis de corrigendo calendario Breviarii et Missalis Meldensis. Chiffletio opposuit Papebrochius* (1) *Appendicem criticam de distinguenda Meldensi ac Trecensi hujus nominis sancta, et abbati Le Dieu Plessæus annotatum* XXX *ad Historiam suam Meldensem* (2). *Atque illi quatuor singulari cura argumentum hoc tractarunt. Sed alii bene multi id attigerunt, alterutram partem amplexantes. Pro una S. Syra stant Gononus* (3), *Huberus* (4), *Nicolaus Desguerrois* (5) *et Menardus* (6); *pro duabus autem Cointius* (7), *Saussayus* (8), *Ferrarius* (9), *Henschenius* (10) *et Mabillonius* (11). *Jam si mea quæratur opinio, plane profitebor in hoc rerum genere nil statui posse quod per suspiciones* (*in quibus nonnulli artem criticam positam esse autumant*) *everti nequeat; adeoque si per suspiciones lis dirimenda sit, utramque sententiam æque probabilem et improbabilem esse pronuntiabo; si autem veteres traditiones ante omnia suscipiendæ videantur, altera fuisse S. Syra Trecensis seu Rilliacensis, altera Meldensis dicenda videtur. Atque hac de causa noluimus discedere a decessorum dictis aut S.* Syram *Meldensem inter prætermissos ablegare. Sed jam explicandæ sunt traditiones Meldenses.*

E

3 *Ante omnem hominum memoriam culta fuit S.* Syra *die* 23 *Octobris in Brigensi seu S. Burgundofaræ monasterio, in quo de ea sequentia tradebantur : eam videlicet virginem fuisse et monialem illius asceterii; hinc eductam fuisse a Ragnebodo, episcopo Catalaunensi* *, *qui eam in civitatis suæ suburbio abbatissam fecerit; sororem fuisse S. Fiacrii minime asserebatur, sed potius credebatur inter ambos cælites non alia fuisse vincula quam religionis et caritatis* (12). *Neque plura de ea sciebantur. Verum hæc sufficere videntur ad distinguendam eam a S. Syra Trecensi. Hæc enim colitur die* 8 *Junii, illa die* 23 *Octobris; prior mulier et matrona dicitur altera virgo; vixit Trecensis Rilliaci, Meldensis in parthenone S. Faræ et Catalauni. Re quidem vera his opponi potest unum eumdemque sanctum sæpius diversis diebus coli in diversis diœcesibus et locis; facile fieri potuisse ut quæ mulier erat et matrona, alicubi tamquam virgo coleretur, quum vix olim usus ferret ut aliæ quam virgines colerentur et certissima reperiantur exempla mulierum atque etiam matrum familias, quæ in divinis officiis et martyrologiis virgines dicuntur eoque titulo celebrantur* (13); *et demum nil obstare quin S. Syra postquam recte instituisset Rilliacense cœnobium, dein Catalaunense rexerit. Ast quid ad hæc reponemus? Certe ex diversis cultus diebus non semper colligere licet sanctos itidem diversos esse; neque virginis titulus talis est quo aliæ fœminæ tuto distinguantur ab aliis : verumtamen hæc indicia sunt quæ negligere non liceat, maxime ubi ad*

Quæ S. Syræ *Meldensi attribuuntur, nequaquam conveniunt sanctæ Syræ Trecensi, maxime quod hæc ad finem vitæ Rilliaci degit,*

* Châlons-sur-Marne.

F

(1) Act. SS. tom. II junii, pag. 65 et 66. — (2) Histoire de l'Eglise de Meaux, tom. I, pag. 684 et seqq. — (3) De Vitis Patrum Occidentis, lib. IV, pag. 248. — (4) Menologium Benedictinum, ad 8 junii. — (5) Saincteté chrestienne, pag. 164 et seqq. — (6) Martyrologium SS. Ord. S. Benedicti, pag. 596 et seqq. — (7) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 652, num. 55, tom. III, pag. 351. — (8) Martyrologium Gallicanum ad 8 junii et in suppl. ad 7 julii et 23 octobris — (9) Catalogus gener. SS. ad 8 junii et 23 octobris. — (10) Act. SS. tom. II junii, pag. 63. — (11) Act. SS. Ord. S. Benedicti, pag. 602 — (12) Du Plessis, Hist. de l'Eglise de Meaux, tom. I, pag. 59 et 60. — (13) Cfr Act. SS. tom. IX octobris, pag. 143.

contrarium

A *contrariam affirmandam partem nulla firma afferuntur argumenta; aein quamvis indicia illa, sigillatim considerata, nequaquam valeant ad sanctos indubitate discernendos, multum tamen habent ponderis, quum simul sumuntur, quemadmodum reapse sumenda sunt.*

illa autem Catalauni fuit abbatissa.

4 *Sed quod præcipuum est, S. Syræ Trecensi nequaquam convenire possunt quæ de Catalaunensis parthenonis gubernatione feruntur. Valde scilicet firma traditio est hoc cœnobium rectum fuisse a S.* Syra, *quæ Meldis culta est, nequaquam vero a S. Syra, abbatissa Rilliacensi. Ex Passione enim S. Saviniani antiquissima constat hanc cum parentibus degisse, donec ad sancti martyris sepulcrum visum receperit ibique extruxerit ædem sacram :* qua diligenter ædificata, *sic pergitur in Actis nonnihilo recentioribus* (1), non immemor beneficii accepti, B. Syria devovit se Deo servire et beato martyri : ibi se affligens multis jejuniis, orationibus vacans et vigiliis, se vivam hostiam Domino immolavit. Ac sic juste ac sancte vivendo per immensum vitæ martyrium, ac per magnæ
B devotionis famulatum, meruit adipisci sancti martyris consortium, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre *etc. Quibus luculente traditur S. Syra reliquam vitam juxta basilicam illam seu ædem cœmeterialem explesse et dein in cœlis continuasse consortium, quod in terris cum S. Saviniano habuerat. Ad hæc accedit eam Rilliaci, non autem Catalauni sepultam fuisse* (2). *Quod vero S.* Syra, *Meldis culta, Catalaunense cœnobium rexit, non habemus tantum ex lectionibus seu traditionibus Meldensibus, sed ex certis vestigiis, quæ ineunte sæculo* XVII *adhuc supererant.* In suburbano *enim* Catalaunensi, ad illum locum, ubi parochus sancti Sulpitii suas ædes habet, haud pridem visebantur adhuc, *inquit Cointius* (3), rudera veteris claustri, cui nomen erat S. Syræ, ut ex quorumdam seniorum relatione scripsit Desguerroisius.

Hinc quoque liquet S. Syram *Meldensem floruisse circa medium sæculum VII, ita ut fuerit S. Fiacrio coæva :*

5 *Atque ex illa ipsa gubernatione Catalaunensi colligi potest quo tempore S.* Syra *Meldensis vixerit. Evocata enim illuc fuisse legitur a Ragnebaudo, Catalaunensi episcopo; qui quum circa medium sæculum* VII *vixerit, hinc certum fit eodem tempore floruisse S.* Syram. *Re quidem vera Catalaunenses nil de gestis Ragnebaudi norunt; sed in hoc conveniunt scriptores omnes* (4) *eum sedisse inter Felicem I, qui anno* 625 *concilio Remensi interfuit et inter Landebertum, cujus nomen inscriptum fuit anno* 666 *diplomati Drausii, Suessionensis episcopi, pro monasterio S. Mariæ* (5), *et qui anno* 675 *adhuc in vivis fuisse videtur* (6). *Porro quum S. Fiacrius sæculo* VII *adulto etiam floruerit, (quamquam ævi ejus spatium accurate definiri nequeat* (7),) *nil ex hoc capite obstat quominus S.* Syra *contemporanea habeatur S. Fiacrio atque etiam germana ejus soror.*

ast ideo non

6 *Verumtamen postrema hæc opinio recens esse videtur et primum ab improbis testibus introducta; neque S.* Syra *Meldensis prior S. Fiacrii soror dicta est, sed S. Syra Trecensis. Constat id scilicet ex lectionibus, quæ olim in ecclesia Trecensi recitabantur festivo S. Syræ die, ex institutione Henrici de Noya, decani ecclesiæ S. Petri Trecensis, ut legere est in ejus epitaphio de anno* 1300 (8). *In his quippe S. Fiacrius et S. Syra filii dicuntur B. Margaritæ, reginæ Scotiæ, ejusque mariti Davidis, qui* obiisse *ibidem traditur* anno millesimo ab incarnatione Domini; *ita ut SS. Fiacrius et Syra sæculo* XI *floruissent! Hæc etiam leguntur in vetere Breviario Autissiodorensi ad diem* 13 *Augusti, aut apud Gononum* (9), *qui hæc inde desumpsit. Nam quum Joannes de Auxeio, ab anno* 1342 *usque ad annum* 1352 *Trecensis episcopus* (10), cum magnis sumptibus corpus S. Syriæ transtulisset et in altum collocasset honorabiliter in theca condecenti (11), *atque dein ipsemet translatus fuisset ad sedem Autissiodorensem, in hac nova sua diœcesi pietatem erga S. Syram Trecensem stabilivit: in cujus etiam honorem* capellam Fontanis extruxit, ubi ejusdem beatæ virginis reliquias recondi- E
dit (12). *Vix dubitandum, ut id obiter moneam, quin initio id festum Autissiodori actum fuerit die* 8 *junii; translatum vero in* 13 *Augusti occasione celeberrimæ translationis eo die, anno* 1416 *peractæ, ut in additamento earumdem lectionum, quas Autissiodorenses a Trecensibus acceperant, scribitur. Ast quum anno* 1580 *Jacobus Amyot, Autissiodorensis præsul et celeberrimus interpres, novum breviarium edidit, id plane expunxit: ita ut in illo libro S. Syriæ seu Syræ nomen non occurrat die* 8 *junii,* 13 *Augusti aut* 23 *Octobris.*

et a Scotis sæculo XVI, SS. Fiacrium et Syram *inter populares recensentibus, licet S. Fiacrius Hibernus potius fuerit.*

7. *Sæculo* IX *S. Fiacrium jam dictum fuisse natione Scotum ex S. Faronis Vita* (13) *plane certum esse videtur; et quamvis longius fors processerit Pinkerton* (14), *ubi affirmavit ante sæculum XI præsentem Scotiam numquam hoc nomine fuisse designatam, sed eo semper intelligendam esse Hiberniam, communiter tamen, ubi in veteribus scriptis Scoti apparent, Hibernos significari vix ullus nunc dubitat: ita ut S. Fiacrius inter Hibernos sanctos plane recensendus videatur. At sæculo* XVI *aliter omnino sentiebant Scoti; quocirca mirandum non est Hectorem Boethium, postquam innumeras de S. Fiacrio vendidisset fabulas, hæc addidisse* (15): Erat Fiacrio soror, virgo sanctissima, nomine Syra; quæ, audita fratris sanctitate, ad eum, in Meldensi agro anachoreticam vitam agentem, cum majusculo sanctarum virginum comitatu se recepit: quæ, ab eo cum sodalibus in sancto proposito confirmata, ad Gallicanam Campaniam se contulit, ubi per vitæ sanctitatem et clara sanctitatis signa insignem sui reliquit memoriam. *Complures scriptores Scotto-britanni* (16) *eam crambem postea recoxerunt; neque hæc me remorari patiar, id unum affirmans falso ab*
F

(1) Act. SS. tom. II junii, pag. 63. — (2) Ibid. pag. cit. — (3) Annales eccles. Francorum, ad an. 652, num. 55, tom. III, pag. 352 et 353. Cfr Du Plessis, Hist. de l'Eglise de Meaux, tom. I, pag. 59 et 60. — (4) Claudius Robertus, Gallia Christ. pag. 295; Fratres Sammarthani, Gallia Christ. tom. II, pag. 502; Gallia Christ. nova, tom. IX, col. 863; Cointius, Annal. eccles. Francorum, ad an. 675, num. 9, tom. III, pag. 743. — (5) D. Germain, Hist. de l'abbaye royale de N. D. de Soissons, pag. 421; Brecquigny, Diplomata, chartæ etc. ad res Francicas spectantia, pag. CCXC; Cfr Act. SS. tom. VII octobris, pag. 966 et 970. — (6) Cfr Cointius, Annal. eccles. Francorum ad an. 675, num. 9, tom. III, pag. 743. — (7) Cfr Act. SS. tom. VI augusti, pag. 604. — (8) Act. SS. tom. II junii, pag. 65. — (9) Vitæ Patrum Occidentis, tom. I, pag. 248. — (10) Gallia Christ. nova, tom. XII, col. 512. — (11) Labbe, Biblioth. nov. Mss. tom. I, pag. 513. — (12) De Caylus, Martyrologium Autissiodorense, ad 8 junii. — (13) Ap. Mabillonium, Vitæ SS. Ord. S. Benedicti, tom. II, pag. 618. — (14) History of Scotland, tom. II, pag. 151, 223, 237 et 240. — (15) Scotorum Historia, edit. Ascensiana, anni 1526, folio CLXXX. — (16) Dempsterus, Camerarius, Leslæus, etc.

AUCTORE V. D. B. *fuit ejus soror germana; qui titulus sæculo XIII cœpit dari S. Syræ Trecensi abs Trecensibus et postea ab Autissiodorensibus*

AUCTORE V. D. B.

aliquibus asseri in Breviario Aberdonensi S. Syram *sororem dici S. Fiacrii. Id enim, anno* 1854 *Londoniensibus typis fideliter ex editione anni* 1509 *expressum et dono nobis datum a cl. v. R. Simpson, diligenter evolvi, neque ullum ibi festum* S. Syræ *reperi, neque mentionem ejus ullam in Officio de S. Fiacrio. Cæterum in Actis S. Fiacrii, quæ vel Mabillonius ex Surio, vel decessores nostri ex mss. codicibus ediderunt, nullum vestigium est de consanguinitatis vinculis, quæ inter* SS. *Fiacrium et* Syram *umquam exstitissent: ita ut multo tutius sit hanc generis propinquitatem referre ad eam animi propensionem, qua res diversæ inter se facillime colligantur et cujus insigne exemplum dat illa ipsa Campania, ubi omnes fere martyres fratres et sorores dicuntur S. Eliphii* (1). *Vide insuper quæ infra dicturi sumus de duodecim fratribus martyribus. Ex dictis quoque satis ruunt quæ de regio Scotico genere* S. Syræ *a nonnullis feruntur.*

De cultu S. Syræ *in diœcesibus Meldensi et Catalaunensi.*

8 *De ejus cultu pauca dicenda supersunt. In Breviario diœcesano Meldensi, quod anno* 1640 *edendum curavit Dominicus Seguier, Meldensis episcopus, neque officium fit neque commemoratio de hac sancta, et monet Plessæus* (2) *ejus festum breviarii Meldensis kalendario inscriptum non fuisse ante annum* 1672. *Verum quadraginta vix annos hanc fortunam habuit. Quum enim fatiscenti jam Bossuetio persuasissent viri aliquot, ejus societate plane indigni, renovanda quoque esse Meldensia Breviarium et Missale, consilia ea de re sæpius collata sunt; quæ secretarius Le Dieu* (3), *hujus rei incentor, fatetur summo viro parum placuisse. Utut id est, post Bossuetii mortem prodiit id Breviarium cum Missali anno* 1713 *absque* S. Syræ *nomine; verumtamen anno* 1716, *quum Breviarium monasterii S. Faræ etiam renovatum fuit, noluit cardinalis Henricus de Thyard de Bissy, Breviarii diœcesani editor, inde expungi* S. Syræ *festum, tam diu ibidem jam usitatum. Qua occasione animadvertit Plessæus* (4) *multo ante annum* 1600 *in pluribus diœcesis Meldensis ecclesiis actam fuisse festivitatem* S. Syræ *adeoque jam sæculo* XIII *solemniter eam celebratam fuisse a S. Fiacrii monachis. Anno* 1625 *receperunt S. Faræ moniales ab abbate S. Lupi Trecensi reliquias aliquot S. Syræ Trecensis; quam quum a sua* S. Syra *distinguere non nossent virgines illæ, argenteæ pyxidi, quæ formam virginis et abbatissæ habebat, illa pignora incluserunt. Nam jam pridem periere* S. Syræ *Meldensis reliquiæ; quam sortem eas nactas fuisse arbitror Catalauni; ubi ut vixit, sic quoque obiisse et sepulta fuisse videtur. Et quidem facile fuit has amitti reliquias aut dissipari, quum ante hominum memoriam ita ibidem deletum fuerit* S. Syræ *monasterium, ut ineunte sæculo* XVII *vix aliqua memoria superesset. Quod quum non amplius exstaret, pronum quoque erat fieri ut paulatim obscuraretur ipsius sanctæ nomen; neque proin mirum est, si eam Catalaunenses aliquando confuderint cum S. Syra Trecensi, longe celeberrima, ejusque festum egerint cum Trecensibus die* 8 *junii. Nunc vero* (*Breviarium ante oculos habeo excusum anno* 1840) *cæulat omnino* S. Syræ *nomen ex Catalaunensi kalendario: ita ut nunc verisimiliter nuspiam amplius quotannis honoretur* S. Syræ *Meldensis nomen et sanctimonia. Perstat autem adhuc Trecis alterius S. Syræ cultus.*

(1) Act. SS. tom. VII octobris, pag. 804. — (2) Hist. de l'Eglise de Meaux. tom. I, pag. 686 et 687. — (3) Mémoires et Journal sur la vie et les ouvrages de Bossuet, tom. I, pag. 400. — (4) Tom. I, pag. 687.

DE S. OCTAVIANO SEU OCTARIANO,

EPISCOPO COMENSI IN LONGOBARDIA,

C F

V. D. B.

SYLLOGE HISTORICA.

§ Unicus. S. Octavianus præfuit ecclesiæ Comensi, dum hæc schismati de Tribus Capitulis adhæreret. De ejus cultu et de cultu aliorum qui extra communionem ecclesiæ obierunt.

CIRCA ANNUM DCLXXX. *Tempore schismatis de Tribus Capitulis præfuit S.* Octavianus *ecclesiæ Comensi.*

Ad diem 20 *Octobris, ubi de S. Joanne III, episcopo Comensi, agendum erat* (1), *ex optimæ notæ monumentis fuse ostendimus hanc ecclesiam per integrum sæculum* VII *schismati, quod de Tribus Capitulis vulgo dicitur, involutam fuisse; atque intra id tempus vixisse S. Agrippinum, S. Rubianum, S. Adalbertum, S. Martinianum, S. Victorinum, S. Joannem II, S. Joannem III, S.* Octavianum *seu* Octarianum, *S. Benedictum, S. Flavianum, et Deusdedit seu Deodatum; quo sedente schisma sublatum est, sed qui, aliam quam decessores schismatici nactus post mortem fortunam, ecclesiasticos numquam assecutus est honores. Quædam ibidem attulimus, quibus illi forte vindicari possint a schismate formali, ut cum theologicis loquar; quæ si non placent, cogitandum est cultum eorum esse cultum particularem; quem, quin lædatur universalis ecclesiæ sanctitas et auctoritas, viris indignis per errorem deferri posse res clara est et consentit præ reliquis Benedictus papa XIV* (2). *Hæc omnia itaque omittere possumus, satis habentes lectorem ad illum de S. Joanne III commentarium amandare.*

(1) Act. SS. tom. VIII octobris, pag. 903 et seqq. — (2) De beatificatione et canonizatione SS. lib. I, cap. 42, num. 13.

AUCTORE V. D. B.

Lis de ejus nomine; genus incertum; acta perierunt.

2 *Primus Aloysius Tatti* (1) *pluribus disserit de pontificatu S.* Octaviani *seu* Octariani; *sed omnia quæ habet ex historia generali illius ævi deprompta sunt. Ast ea de causa, quandoquidem ecclesia Comensis non communem tunc sequebatur viam, omnia fere quæ tradit, quantum ad S.* Octavianum *spectant, nullis nituntur fundamentis. Neque mirum est bonum scriptorem ita in hac parte aberrasse a veritatis tramite, quum sæculo* XVII, *quo scribebat ille, nondum innotuissent documenta, quibus indubium jam est ad finem sæculi* VII *usque in schismate perseverasse Comenses; adeoque in media sua dissertatione* (2) *fatetur ipsemet gesta illius sancti penitus periisse et unius nominis superesse memoriam. Et quidem de hac ipsa nominis forma non convenit inter scriptores rerum Comensium.* Nonnulli, *inquit Tattius* (3), *atque inter eos est Ughellius* (4), pro Octariano scribunt Octavianum, quos redarguunt antiqua ecclesiæ nostræ monumenta, in quibus semper Octarianus appellatur. *Verum quæ sint antiqua illa monumenta declaratur nuspiam; et quum* Octariani *nomen omnino insolens sit,*
B *adhærere potius velim Ughellio quam Tattio, licet hunc triginta abhinc annos sequendum arbitratus sit eruditus vir Cantù* (5). *Patria Comensem fuisse S.* Octavianum *et ex nobili familia Satterapa ortum tradit Ughellius* (6). *Sed res notissima est genealogos Italos sæculo* XV *et* XVI *pro libitu suo optimis quibusque nominibus honestasse nobiles domos; et recte Tattius, de S.* Octaviani *genere agens, scripsit* (7): Nihil super hoc a melioris notæ scriptoribus accepimus; quare recentiorum commentum hoc existimamus.

Sub annum 670 Comensem sedem occupavit et sepultus fuit in templo suburbano S. Abundii.

3 *Conscendisset S.* Octavianus *Comensem cathedram anno* 668 *eamque morte sua vacuam fecisset die* 23 *Octobris anni* 680, *si credere liceret Ughellio* (8), *Tattio* (9) *et Cæsari Cantù* (10); *sed monet ipse Tattius hanc meram esse conjecturam. Probabile tamen est sedisse Comi hunc antistitem circa annum* 670 *aut* 680. *Nam quum certum sit, ut in Commentario de S. Joanne III ostendimus, floruisse Deusdedit seu Deodatum circa annum* 700, *et tertium ante eum locum occupet S.* Octavianus *in catalogis maxime*
C *probatis* (11), *liquet fieri non posse ut ab hoc ævo longe recedatur.* Sepultum esse in cathedrali *templo*, cum prius plura templa, præ antiquitate labantia, resarcisset aut etiam a fundamentis excitasset, *affirmat Ughellius, sed sine vade neque teste. Neque credibile est S.* Octaviani *corpus in cathedrali templo, quod B. Mariæ virginis patrocinium et titulum habet, sepultum fuisse; nondum enim illo ævo invaluerat mos sepeliendi mortuos intra civitatum mœnia, quemadmodum alibi certis testimoniis ostendimus* (12); *et quidem meliorem testem habemus Tattium, quippe qui perhibet suo adhuc ævo S.* Octaviani *corpus servatum fuisse una cum ossibus aliorum complurium episcoporum Comensium sub pavimento chori basilicæ suburbanæ S. Abundii* (13). *Hanc primum cathedrale templum fuisse vult Jovius* (14); *sed haud scio an ullis probaturus sit sæculo* VII *primariam ecclesiam et episcopalem sedem extra mœnia fuisse positam. Equidem non dubito quin hæc basilica initio cœmetarialis fuerit; cujus dein (ut tot aliarum id genus basilicarum) varia fuit fortuna.*

Ejus cultus propagatus ab episcopo Caraffino et restrictus a S. Rituum Congregatione.

4 *De S.* Octaviani *cultu hæc comperta habemus. Initio sæculi* XVII, *ut ex nova Ferrarii Topographia ad Martyrologium Romanum innotescit, sanctis accensebant Comenses viginti duos primos suos episcopos, sed decem tantum prosequebantur officio ecclesiastico* (15). *Verum ubi Lazarus Caraffinus anno* 1626 *Comensem cathedram conscendit, eam usque ad annum* 1665 *occupaturus, multam operam ipse posuit in extollendis ecclesiæ suæ decoribus* (16). *Inter hæc curavit etiam, et quidem ante annum* 1651, *ut duodecim etiam illi sancti episcopi officio proprio colerentur per totam diœcesim. In usu aliquandiu fuit id institutum; sed non placuit sacræ Rituum Congregationi, quæ voluit ut hujus præsulis festum, et simul plurium aliorum,* E *in sola basilica S. Abundii ageretur, ut Tattius in libro, anno* 1663 *edito, testis est* (17). *Hinc idem Tattius, postquam in Martyrologio Novocomensi, quod anno* 1675 *dedit in lucem, scripsisset* (18) : Novocomi in ecclesia S. Abundii extra urbis mœnia S. Octariani, episcopi et confessoris ; qui, commissam sibi gregem Domini et verbo spiritali et integerrimæ vitæ exemplo gubernans, æterna in cælo præmia adeptus est, *continuo in annotato addidit :* Agunt de ipso Officia Sanctorum ecclesiæ Novocomensis hac die, qua colit eum in basilica S. Abundii, ubi asservatur corpus; *ita ut cultus ad unum S. Abundii templum tunc constrictus fuerit. Verum mutationes ibi non steterunt. In Ordine enim Comensi recitandi divinum officium missamque celebrandi pro anno* 1847 *indicuntur sequentia sanctorum episcoporum Comensium festa, per totam diœcesim celebranda,* 26 *Februarii S. Flaviani;* 2 *Martii, S. Prosperi et* 8 *S. Provini;* 8 *Aprilis S. Amantii;* 22 *Maji S. Eusebii;* 3 *Junii S. Adalberti,* 5 *S. Eutychii,* 17 *S. Agrippini et* 22 *S. Exsuperantii;* 5 *Julii S. Adalberti et* 7 *S. Consulis ;* F 31 *Augusti S. Abundii;* 1 *Septembris S. Joannis I et* 3 *S. Martiniani;* 3 *Octobris S. Joannis II,* 8 *S. Felicis,* 11 *S. Eupelii,* 20 *S. Joannis III,* 23 *S.* Octariani *et* 30 *S. Benedicti;* 26 *Novembris S. Flaviani II; et demum* 16 *Decembris S. Rubiani. Jam vero quando et qua auctoritate restitutus fuerit ille cultus per universam diœcesim Comensem me fugit. Profecto generatim hæc legitime facta esse ponendum est; sed quum sæculo superiori ad finem labente episcopi Longobardi multa audere jussi sint, quæ intra ordinariæ suæ potestatis limites non continerentur, nil certi hoc loco statuere licet. Porro omnes illi sancti ritu duplici coluntur et plerique lectiones proprias habent in libello, dicto Sanctorum Co-*

(1) Annali sacri della città di Como, tom. I, pag. 702 et seqq. — (2) Ibid. pag. 706 ; Cfr Martyrologium Novocomense, pag. 231. — (3) Martyrologium Novocomense, pag. 231. — (4) Italia sacra, tom. V, col. 262, edit. Coleti. — (5) Storia della città e diocesi di Como, tom. I, pag. 144. — (6) Italia sacra, tom. V, col. 262. — (7) Martyrologium Novocomense, pag. 231. — (8) Italia sacra, tom. V, col. 262. — (9) Annali sacri di Como, tom. I, pag. 702 et 708. — (10) Storia di Como, tom. I, pag. 144. — (11) Jovius, Hist. Novocomensis, lib. II, in Burmanni Thesauro Ant. et Hist. Ital. tom. IV, part. II, col. 102 et seq. ; Ughellius, Ital. sacra, tom. V, col. 261. Tatti. tom. I, pag. 702; Cantù, Storia di Como, tom. I, pag. 142 et seqq. — (12) Cfr Act. SS. tom. VIII octobris, pag. 886 et 887. — (13) Annali di Como, tom. I, pag. 708 ; Martyrologium Comense, pag. 230 et 231. — (14) Historia Novocomensis, lib. II, ap. Burmannum, Thesaur. Ant. et Hist. Italiæ, tom. IV, part. II, col. 102 et seq. — (15) Cfr Act. SS. tom. II septembris, pag. 541. — (16) Tatti, Annali di Como, tom. I, passim. — (17) Ibid. tom. I, pag. 708. — (18) Martyrologium Novocomense, pag. 231.

mensium ;

AUCTORE V. D. B.

mensium; sanctus tamen Octavianus *seu* Octarianus *hoc in numero non est, in cujus quippe festo lectiones II Nocturni dicuntur de communi secundo loco et Missa* Sacerdotes. *Verum quæcumque harum rerum origo sit et vis, quum S.* Octaviani *cultus olim sacræ rituum Congregationi probatus fuerit saltem pro templo S. Abundii, non licuit nobis abstinere a referendo ejus nomine in Actis nostris, quorum institutum est dicere de omnibus, qui in ecclesia catholica, auctoritate publica præcipiente, permittente aut tolerante, coluntur.*

Scriptores, de S. Octaviano *agentes. Templum S. Abundii adhuc exstat; sed monasterium cessavit.*

5 *Atque his, ni fallor, satis innui quæ animo stet sententia de S.* Octaviani *laudibus; quamobrem nil aliud superest nisi in fine hujus commentarii signare scriptores, quos de eo egisse indicat Tattius* (1) *et quos ipsi non memoravimus. Hi autem sunt Felicianus Ninguarda in Descriptione urbis et suburbiorum, ubi de ecclesia S. Abundii; Philippus Archintus in Elencho suo prædecessorum; Lazarus Caraffinus tum in* D *Diptycho episcoporum Comensium, num.* 20, *tum in Catalogo sanctorum et beatorum, quorum corpora in civitate et in diœcesi requiescunt; Philippus Ferrarius in Nova topographia ad Martyrologium Romanum; Franciscus Ballarinus in Chronico Comensi, pag.* 2 *et pag.* 3; *Robertus Ruscha in Antiquitatibus suæ stirpis, lib. I; et Lelius Fravezzius in Diario perpetuo Novocomensi. Coronidis loco addemus templum S. Abundii, in quo S.* Octavianus *sepultus fuit et requiescit, adhuc exstare* (2); *sed monasterium, quod ei adjunctum fuit, abolitum esse a Gallis, ad finem sæculi superioris Longobardiam occupantibus et secundum libertatis (quam appellabant) leges novam hanc instituentibus provinciam* (3). *Hinc certe fieri non potuit quin S.* Octaviani *cultus minueretur; sed quamdiu S. Abundii ædes assurget, non peribit omnino episcopi illius memoria.*

(1) Martyrologium Comense, pag. 231. — (2) Millin, Voyage dans le Milanais, tom. I, pag. 332. — (3) Cantù, Storia di Como, tom. II, pag. 491.

B E

DE SS. LUGLIO ET LUGLIANO,

MARTYRIBUS, LILLERII IN ARTESIA ET MONDIDERII IN PICARDIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. G.

PRÆFATIO.

Quæ hic damus Acta SS. Luglii *et* Lugliani, *ex Actis Sanctorum Belgii desumpta, a Josepho Ghesquiere nostro conscripta fuerunt. Ea denuo prælo subjicimus, quia quod melius, quod amplius dicamus, non habemus : immo varia manuscripta, a Ghesquiero allata, perierunt. Quæ tamen e nostra penu proferemus, uncinis includemus, ut quid* C *nostri, quid antecessoris laboris sit, facile distinguatur. Præcipuum, quod in nos incubuit, fuit disquisitio Reliquiarum, vicissitudine et impietate extremi sæculi præcedentis dispersarum. Quam spartam facillimam nobis fecit benevolentia RR. DD. De Beaumont parochi Mondiderien-sis et L. Dangez presbyteri Ambianensis; qui instrumenta, accuratissime descripta, ad nos transmiserunt. Utilitatem quoque maximam nobis attulit D. Victor de Beauvillé, recens scriptor Historiæ Mondideriensis, in tres pulcherrimos tomos distributæ quamque pro opportunitate adhibebimus. Porro unicum* § *Ghesquieri,* F *ne prolixior sit, in tres dispertivimus : ita ut duo posteriores præsertim explicent disquisitionem circa exuvias sacras Beatorum Martyrum secundum varias temporum et locorum conditiones.*

SUB SÆCULI VII FINEM ET VIII INITIUM.

§ I. Locorum, ubi SS. Luglius et Luglianus coluntur, notitia; Acta examinantur; cædis causa et epocha.

Locorum, ubi SS. Luglius *et* Lugliani *coluntur, notitia:*

Lillerium, cujus territorium sancti fratres Luglius *et* Lugliani *suo sanguine purpurarunt, oppidulum est (olim) diœcesis Audomarensis, (nunc Atrebatensis sub districtu Bethuniensi) in Artesia (hodie in præfectura Trajecti Calesiensis,* département du Pas-de-Calais), *pari ab Aëria vulgo* Aire, *ac Bethunia trium milliarium* (XII *chiliometris*) *remotum, canonicorumque collegio (olim) decoratum, quod anno* 1043, *uti apud Miræum videre est* (1), *initiatum fuit. Memoratur Lillerium in litteris Roberti Flandriæ comitis, datis apud oppidum Broburgh (nunc Bourbourg) anno Dom. Incarnat.* MCIII, *simul cum Ingelramno, castri Lilleriensis domino. A quibusdam Lilarium dicitur, et vernacule* Lillers *vocatur. Mondiderium autem seu Mons Desiderii, quo SS.* Luglii *et* Lugliani *Reliquiæ nonnullæ ex Artesia asportatæ fuerunt,*

(1) Diplom. tom. I. pag. 130.

A *runt, castrum olim fuit nobile, situm in finibus Ambianorum, Raugæ* * *proximum, a situ et conditore Desiderio dictum. Est enim summo monti impositum, ac vulgo* Mondidier *appellatur. In litteris Widonis Candavenæ, Corbejæ castellani, datis anno* 1199, *vocatur Mons Desiderius, in chartario S. Petri de Lehuno, ubi hæc leguntur :* Hoc factum fuit apud Montem Desiderium in aula domini regis, præsentibus *etc.* anno ab Inc. Dom. MCXCIX. Ibi ergo, prout scribit Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum (1) sua regibus Francorum aula, domus sua vel palatium fuit, tamquam in oppido claro et nobili. *Atque hæc de locis, ubi Sancti nostri coluntur.*

* *vulgo* Roye

eorum Acta, olim perparum in Belgio nota : depromptum inde elogium :

2 *SS.* Luglii *et* Lugliani *nullam in Martyrologiis classicis memoriam inveni, ac nequidem in Auctariis Usuardinis. Unde suspicor Acta eorum parum nota fuisse usque ad annum* 1597, *quo anno Andreas Herbi, ecclesiæ cathedralis Atrebatensis canonicus, ea in lucem emisit, ac quibusdam in locis suo stylo expolivit. Ex hoc præsertim fonte hausit Malbrancquius quæcumque in suo de Morinis opere de hisce Sanctis retulit, eaque bene multa, quæ et ipse suo exornavit stylo. Malbrancquio in laudandis hisce Actis præiverat Ferreolus Locrius in Chronico Belgico* (2), *et deinde Arnoldus de Raisse, Duacensis ad S. Petrum canonicus, in suo ad Natales Sanctorum Belgii Auctario, anno* 1627 *typis vulgato* (3) ; *ubi tamen hic multo brevius elogium ex Actis illis concinnavit, hisce nimirum conceptum verbis :* In territorio Teruanensi, passio SS. Luglii archiepiscopi et Lugliani Hibernorum regis : qui Theodorico Baino, Morinorum episcopo, sedente, religionis ergo, patria emigrantes, Boloniam appulerunt : ubi, signis varie ac splendide editis, Teruanam concedentes, eamdem ab incendio mirabiliter eripuerunt; *qua de re adducit verba cujusdam Prosæ, canonicis Lillerianis familiaris, hic infra recitandæ. Tum in hunc modum pergit :* Quibus aliisque peractis, ad vallem quæ Scyredala dicitur, quatuor ab urbe Morinorum interpositis milliaribus, cantando per devia nemora et loca inculta pervenerunt, ac per manus impiorum, Berengerii videlicet et fratrum suorum Bovonis et Esceimi (*alias* Helcelini ac

C Hescelini) et eorum complicum martyrio fuerunt coronati circa annum Domini septingentesimum vigesimum quintum. *Addit, eorum Reliquias Lillerium postea translatas fuisse : atque illic quum in perantiquo, quasi ingloriæ, feretro ligneo, inaurato tamen, quievissent, in novum idque argenteum affabre cælatum anno* 1471 *translatas fuisse. Sed de his infra latius.*

Actorum antiquitas et auctoritas examinantur :

3 *Nunc in eorum Vitæ antiquitatem fidemque inquiramus. Servabatur certe ea in Belgio ante annum* 1179, *immo et nota erat Gualtero seu Galtero, Araosiensi abbati, anno* 1179 *creato, uti patet ex ejus Præfatione historica fundationis Araosiensis monasterii* (*vulgo* Arouaise), *quam anno* 1786 *illius cœnobii prior, R. D. Gosse edidit, ubi hæc leguntur* (4) : Sed et in Historia passionis SS. Luglii et Lugliani Hibernensium, quorum corpora apud castrum, quod Mons-Desiderii dicitur, in ecclesia venerantur, perspicue scriptum legitur, quod iidem Sancti per has regiones transeuntes, per manus impiorum, prædicti videlicet Berengarii et fratrum suorum Bovonis et Hescelini et eorum complicum fuerunt martyrio coronati. *Eadem Vitæ verba leguntur Tom.* I *Januarii Bollandiani* (5) *in vita B. Heldemari Eremitæ, anno* 1097 *defuncti. Ex his Gualteri verbis consequens etiam fit, SS.* Luglii *et* Lugliani *Vitam currente sæculo* XII *ut fide dignam, habitam fuisse : quo magis miror, horum Sanctorum memoriam nequidem in Belgicis Usuardi Auctariis uspiam reperiri; sed tantum apud Raissium citatum, apud Willotium in Hagiologio Belgico ad diem* XXIII *Octobris, ac denique apud Castellanum in suo Martyrologio universali, ad eumdem diem; ubi tamen perperam scribuntur,* occisi fuisse sæculo quinto a Wandalis; *quod sane conciliari nequit cum verbis eorum Vitæ, quibus in Belgium venisse asseruntur, sedente in Morinensi cathedra* domno Theodorico Baino, *S. Audomari successore secundo. Eamdem illam Vitam etiam anno* 956 *antiquiorem esse, censeo, ex eo capite, quod nulla illic de translatis Mondiderium SS.* Luglii *et* Lugliani *Reliquiis mentio*

B *fiat; quæ tamen translatio facta fuit, quum Hil-* E *duinus, Mondideriensis comes esset, idem nempe, cui Hugo Magnus, pater Hugonis Capeti, Combensem villam concessit, uti legitur in diplomate Hugonis Capeti, quod exstat apud Labbeum* (6). *Quanto autem tempore Vita illa Hugone Magno, qui anno* 956 *mortuus est, antiquior sit, non habeo, quod definiam. Quod autem ad ejusdem Vitæ auctoritatem fidemque attinet, nititur ea unius alteriusve Hiberni, et quidem non coævi, relatione, uti ex nostris in Vitam Annotatis patebit. Nefas adeo non fuerit, si hinc inde solo illius testimonio non stemus : puta, quum* Luglium *asserit Hiberniæ insulæ archipræsulem,* Luglianum *vero Hiberniæ regem fuisse; quorum scilicet nomina nuspiam seu in archiepiscoporum seu in Hiberniæ regum Catalogis inveniuntur. Fuisse autem* Luglium *episcopali dignitate ornatum, nulli tamen certæ sedi affixum;* Luglianum *vero cujusdam in Hibernia ditionis regulum seu dynastam fuisse, facile credidero; at istum totius Hiberniæ archipræsulem, hunc vero monarcham exstitisse, tum demum credam, ubi scriptoris coævi et cætera fide digni testimonium accesserit.* F

Sanctorum cædis causa : epocha non prope definienda :

4 *Superest, ut de violentæ mortis eorum causa, tempore et subsecuto eorum cultu, nonnulla eorum Actis præmittamus. A nefariis prædonibus in valle, cui Scyredala nomen est, crudeliter occisos fuisse, testatur eorum Vita; sed ex veræ fidei odio aut ob catholicæ fidei defensionem morti traditos fuisse, nuspiam Acta eorum insinuant. Cur ego, inquies, ut Martyres annuntiantur in capite eorum Vitæ, a laudato Herbio editæ, atque ut tales etiamnum coluntur? Respondeo, id moris jam pridem fuisse, ut vitæ innocentia spectabiles viri, qui nefarie ab improbis hominibus occisi fuerant, pro Martyribus haberentur atque colerentur. Exempla habemus sat multa, ut in S. Adalbaldo duce* (7), *et in S. Monone* (8), *in SS. Canuto, Balduino, archidiacono Laudunensi aliisque. Major est in definienda sat prope eorum necis epocha difficultas. Occisos fuisse eo tempore, quo S. Bainus, Morinensis*

(1) Diplom. tom. I, pag. 347. — (2) Ibid. pag. 82. — (3) Fol. v°. 227. — (4) Ibid. pag. 535. — (5) Ibid. pag. 832. — (6) Miscell. tom. II, pag. 579. Cfr Bouillard. Hist. de l'abb. de S^t Germain. Pièces justif. pag. xxx. — (7) Act. SS. Belg. tom. II, pag. 396. — (8) Ibid. pag. 421. Cfr Act. SS. tom. VIII octob. pag. 363.

AUCTORE J. G.

AUCTORE J. G.

nensis episcopus, Teruanæ morabatur, tradunt ipsa SS. Luglii *et* Lugliani *Acta. Sed enim, uti hic in Commentario Historico-Critico dicetur* (1), *Sanctus ille episcopus non videtur ultra annum* 706 *Teruanæ sedisse; immo vero, uti quibusdam placet jam ab anno* 697 *secessisse Fontanellam : oportet ergo, ut sancti fratres non anno* 725, *quod tradit laudatus Raissius, sed ante exitum præcedentis sæculi e vivis abierint, seu anno* 696, *uti arbitratur Malbrancquius in sua de Morinis chronologia* (2). *Utri autem in hac re potior fides habenda sit, Raissio, an Malbrancquio, quis pronuntiet, quamdiu non constiterit de anno, quo Bainus Morinis valedixit, ad eos deinceps non reversurus? Hoc itaque stante dubio, satius mihi visum est,* SS. Luglii *et* Lugliani *truculentam necem sub exitum sæculi* VII *vel sub sæculi* VIII *initia referre, quam absque solido fundamento eam determinato alicui anno affigere.*

cultus occasio et antiquitas;

5 *Quæ violentam* SS. Luglii *et* Lugliani *necem proxime subsecuta sunt prodigia, divina nempe in percussorem ultio, delapsa cœlitus*
B *super eorum corpora lux, et angelicæ turmæ e cœlo quasi per scalam Jacobicam ad visenda corpora declivis descensus, quorum omnium in Actis diserta mentio fit, ea haud dubie eorum cultui initium fecerunt, accedente virtutum eorum ac miraculorum, quæ in vivis patrarant, sparsa in Morinis fama. Non est ergo, cur Malbrancquio denegemus fidem, eorum necem ac subsecuti mox cultus initia in hunc modum describenti* (3) : Ecce (SS. Luglius *et* Luglianus) spoliantur vita et vestibus, projecto in lacunam utriusque corpore, ac sine honore relicto. At impune non abierunt (*sicarii*), immanes illæ tigrides. Qui primarius auctor ac lethi ipsius opifex, cacadæmonem sensit in præcordia immitti, distendi membra, viscera dilacerari : et ne quid ærumnoso deesset, ultrices ipsæ feræ involant, et fœdum in modum artus discerpunt, devorantque; procul hinc, procul diffugere commilitones, ne eorum malorum agmine involvantur. Quare saucio Erkenbodo (*hunc Malbrancquius socium facit Sanctorum*)est facta potestas sancta corpora componendi : nulla ei de vulnere gravissimo cura : crura trahit ani-
C mosius, et multo cespite ex obviis educto geminam illam victimam adoperit. Tanta eum salutis suæ fiducia tenet, ut illic totam noctem exigere et quorumcumque seu ferarum seu prædonum impetus sustinere minime detractet. Atque hoc præclaro spectaculo magis animatur : angelica turma e cœlo per scalam Jacobicam ad visenda corpora proclivis tendit, et obsequiosi spectabundo luminis splendore collustrat. Verum et immani imbrium superfusione ita intumuit vallis, ut aquis torrentis in morem sibi alveum pene Lillerium usque invenientibus, eo avecta fuerint Martyrum corpora : sesquileucæ iter est. Res ad Bainum delata, qui ab Erkenbodo tragicæ necis seriem edoctus, cum pia illuc multitudine concessit. Sacra autem pignora, tumulis honorifice condita, ad castellum suum, illic in propinquo situm, deportavit. Ubi verisimile est, fuisse ædiculam, vel sane a pontifice adjectam : ad hæc enim tempora continuo quidpiam illic sacrariolum extitit eorum no-
D mine et honore insignitum : atque omnino existimatur Lillerium opportuna istorum patronorum, quos adhuc servat, accrevisse beneficentia. Scilicet cum illic nil nisi sylva, Butnetum nomine, et in ejus aditu illud Baini esset castellum; totus ille tractus a loco, ubi corpora torrens deposuit, ad castellum pontificium et a castello ad Lillerium hodiernum multis domiciliis cœpit excoli. Locus pluvialis inundationis corpora excipiens, etiam sacrarium excepit, in quo a profunda majorum ætate semper degit anachoreta, testis plurimarum, quæ adhuc in febrientibus maxime contingunt, sanationum; et Heuronville nominatur, olim Herronvilla, ex antiquo Theutonum etymo dominorum villam significante, quod principum, seu dominorum, illic reperta corpora. *Hactenus Malbrancquius. In eo autem Heronvillano castello* SS. Luglii *et* Lugliani *corpora debito cum honore adservata fuisse usque ad Normannorum sub sæculi noni medium in Gallias excursiones, omnino verisimile est. Quum vero Normannorum metu sacra Sanctorum lipsana vel ad munitiora loca deferren-*
E *tur, vel abditioribus terræ conderentur recessibus; postremum hoc haud dubie contigerit Sanctorum nostrorum Reliquiis, si quidem hæ inter delata ad S. Audomarum Sanctorum corpora non recenseantur. Reddita demum Galliis pace, credibile omnino est, eas e terræ visceribus educta atque in sacellum* Ad Ulmos, *recens ædificatum, congruis ritibus transvectas et fidelium veneratione expositas fuisse. Atque ita, quæ a Malbrancquio relata sunt, cum infra dicendis facile componentur.*

quam compendiose explicat

6 [*Appendicis loco addimus, Ghesquierum nostrum ignorasse Breviarium Audomaripolitanum, jussu Alexandri de Bruyères-Chalabre episcopi recens tunc editum, aut saltem eodem usum non fuisse ad illustrandum commentarium suum. In eo autem Breviario recensitam reperimus festivitatem* SS. Luglii *ac* Lugliani *pro tota diœcesi sub ritu, ut vulgo dicitur, semiduplici cum sequenti Legenda :* Luglius et Luglianus in Hibernia septimo sæculo, Dodano patre, uno ex istius insulæ regulis, et matre Relania nati, litteris a prima ætate instituti sunt, et præceptis sacræ religionis imbuti.
F Luglianus regni paterni habenas summa æquitate aliquamdiu moderatus est : et Luglius ad episcopalem pervenit dignitatem. Sed ambo vitæ perfectioris amore succensi, positis dignitatum insignibus, patria clam excedere statuerunt. Igitur in Angliam devecti, prædicare Evangelium cœperunt. Mox, ut se laudibus et admirationi hominum subtraherent, satius duxerunt terras petere incognitas. Quapropter noctu navem conscendunt, et ad terram Morinensem vela faciunt, ingentemque passi tempestatem, quæ precibus eorum sedata fuerat, Bononiam pervenerunt. Inde postquam multos ad fidem adduxissent, signisque claruissent, profecti sunt, votum causati de Romana peregrinatione solvendum. Morinorum urbem ingressi, celeberrimam Virginis basilicam inviserunt, seque in aliam regionem profecturos ejus patrocinio commendarunt, et ne vulgata eorum nominis fama, apud Bainum episcopum diu-

(1) Act. SS. Belg. tom. VI, pag. 646. — (2) Tom. I, Init. Oper. (3) Ibid. pag. 528.

tius

A tius commorari cogerentur, hospitio excepti sunt, et postera die prima luce iter facere cœperunt.

Breviarium Aulomaripolitanum.

7 Forte postquam in vallem Schyredalam prope Fracfagium pervenerunt, dum inter se psalterium in via decantarent, in impios sicarios, Berengarium et fratres ejus Bovonem et Hesselinum incidunt et ab illis truncati vitam amiserunt. Eorum corpora ab episcopo Tervannensi in castro suo non procul ab Hurionvilla delata fuere; ibique postea constitutum est oratorium, cujus curam habuit a multo tempore anachoreta ad annum usque millesimum sexcentesimum vigesimum quintum. Nono autem sæculo, Lillerium, hujus diœcesis oppidum, translatæ sunt eorum Reliquiæ et religiose asservantur in argentea theca, quam capitulo Lilleriensi, anno supra millesimum quadringentesimo septuagesimo primo, dono dedit Isabella, filia Joannis regis Lusitaniæ et dux Burgundiæ. Harum vero Reliquiarum portiones Montem-Desiderii a multis jam sæculis allatæ sunt, et ibi in antiqua Deiparæ
B Virginis ecclesia coluntur. Porro cives tum Lillerienses, tum Montis-Desiderii Sanctos Luglium et Luglianum patronos sibi elegerunt, eorum patrocinii efficaciam non semel experti sunt. *Oratio autem in hac festivitate est hujuscemodi :* Deus, pro cujus amore Beati Luglius et Luglianus, gloriam terrenam fugientes, perfectionis evangelicæ viam ingressi sunt, eorum nobis intercessione tribue, ut, spretis mundi illecebris, Christum sequi valeamus, et eos imitari, quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos. Per eumdem. *Quæ hic dicta sunt de* perfectiori statu, *quatenus ad S.* Luglium *episcopum spectat, bono sensu accipi debent : S. Thomas docet* 22. *q.* 185 *art. 4 episcopum* tamdiu obligari ad hoc, quod curam postoralem retineat, quamdiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem... Oportere tamen, quod sicut curam regiminis assumit aliquis per providentiam superioris prælati, ita etiam per ejus auctoritatem deserat susceptam. *Jam supra q.* 184 *art.* 7 *docuerat S. Thomas* statum perfectionis potiorem esse in episcopis quam in religiosis. *Si itaque*
C *S.* Luglius *episcopus patriam clam reliquit, dicendum est aut certæ sedi non fuisse alligatum, aut populum habuisse rebellem, quem ad virtutem inclinare desperaret : quapropter rigidius vitæ genus sequi maluit.*]

§ II. Cultus sanctorum Martyrum Lillerii et Mondiderii; variæque visitationes Reliquiarum usque ad finem sæculi XVIII.

Reliquiarum pars, ex sacello, ad Ulmos sito, furtim sublata,

In eo Artesiæ tractu, ut est mirabilis Deus in Sanctis suis, nonnullis Sanctos nostros inclaruisse miraculis et quidem usque ad medium fere sæculum x, *colligitur ex Relatione ms. de Reliquiis SS.* Luglii et Lugliani, *quam clarissimus Cangius nona martii anno* 1666 *ad majores nostros transmisit, hisce conceptam verbis :* Sacerdos quidam, Paulus nomine et gente Armoricus, agens tamen id temporis Ambiani, quum in D. Matthæi (*immo Machuti*) festum paulo liberius esset ausus obstrepere, divina faciente justitia, cæcitatis damnatus est. Quare auditis miraculis, quæ in Belgico sacello quodam, apud Ulmos sito (qui locus is ille est, in quo sancti Martyres Luglius et Luglianus capite plexi fuerant, eorumque sacræ tum jacebant Reliquiæ) Paulus ille, in spem adductus amissi luminis recuperandi, comite adhibito viæ duce, illo convenit. Ubi humili fusa oratione, votisque de more exsolutis, lucis usuram recipere promeruit. Tum ille, inflexa hinc inde oculorum acie, quum istiusmodi locum desertum et habitationi minus idoneum animadvertisset, accersitum comitem sic affatus est : Care frater, humili supplicatione postulemus a Deo, velit nobis sacra Martyrum suorum corpora exhibere, ut ea etiam, si ferat ejus voluntas, ad locum a se destinatum asportemus. Votis igitur illorum aspirante Deo, Sacras Martyrum Reliquias diripuere, ociusque in fugam sese dederunt. Quos dum fugientes sacelli custodes ac ministri concitato cursu insectarentur, illico obrepente divinitus medium per aera caliginosa nube, a prosequendi proposito abducti sunt. E

AUCTORE J. G.

9 Paulus autem cœpto itineri securus insistens, quum in bajulanda sacra illa sarcina molestiæ aliquid forte pateretur, de vendenda illa, suasu diaboli, cogitare cœpit. Quumque inde aliquot milliarium iter esset emensus, in Pallardium vicum devenit, ubi exceptus hospitio a ruricola quodam, prius sibi noto, ab eodem precario scriniolum accepit, in quo sacrum depositum abdidit asservandum, donec e loco, quo pergebat, remearet. Ille itaque probe obserato scrinio, clavique servata, abiit, secum revolvens animo, quanti posset sacrum illum thesaurum vendere. Illo autem abeunte, mox e scriniolo tantus splendor erupit, ut luminum radiis tota coruscaret domus : sed et strepitus ingens, fragorque terribilis in eodem excitus est, quem audiens præfatus agricola, intuitusque prosilientes inde flammarum globos, pavore totus exhorruit. Unde quum ipse stupenda illa prodigia ad vicinos populares suos detulisset, consilii causa; hi, divino afflante Spiritu, persuasere adeundum esse Montem-Desiderium, selectisque e clero F piis sacerdotibus totam illam historiæ seriem aperiendam. Quorum consiliis acquiescens agricola, una cum laudatis popularibus Mondiderium venit, ipseque subinde Mondiderinos sacerdotes adiit, rem istiusmodi expositurus. Sed illi, revelante Domino, totius rei gestæ jam præscii, antequam ipse verbum effutiret, rem illi totam explanarunt : sacras videlicet Martyrum Luglii et Lugliani Reliquias in Pallardio oppido delitescere, abditas in arcula a sacerdote Paulo. Quare e vestigio delecti illi Mondiderenses presbyteri una cum iisdem agricolis Pallardium regressi, sacras ipsorum Martyrum Reliquias inde Mondiderium advexere, stipantibus Hilduino comite, Helvide conjuge, primoribusque populi Mondiderini; atque in æde, Beatissimæ Virgini sacra, quæ prioratus est Ordinis Cluniacensis, solemni ritu ac supplicatione, personante cantico, « Te Deum laudamus, » reconditæ sunt : ubi etiamnum summa Mondiderensis populi, innumeris grati beneficiis, veneratione coluntur. *Hæc ms. Relatio.*

et Mondiderium delata;

10 *Subdit*

AUCTORE J. G. *translationis tempus, adjuncta quædam:*

10 *Subdit laudatus Cangius, Relationi huic veterem suffragari traditionem, vetustumque consonare chirographum, quod in eodem prioratu asservatur. Adstipulatur item scedula anno* 1666 *a R. D. Ludovico Nicquet, cœlestino Suessionensi et bibliothecæ præfecto, ad majores nostros transmissa, in qua insuper narratur, quomodo sacræ illæ Reliquiæ per ignem probatæ fuerint. Verba audi :* Vix presbyter (*Paulus*) verba finierat, *quibus nempe ablatas a se SS.* Luglii *et* Lugliani *Reliquias fassus erat,* quum adstantes sacerdotes *Mondideriani* et laici ignem accenderunt, et Sanctorum Reliquias, pergameno involutas, prunis ardentibus imposuerunt, quæ, videntibus cunctis, illæsæ exierunt. Proinde comitissa *Helvidis,* perterrita *vehementer, basilicam Deo ejusque S.* Genitrici et Beatis Martyribus se facturam adpromisit, de mariti sui ac prædecessorum salute præmeditans; et in ecclesia, qua Deo et Martyribus Luglio et Lugliano servitutis redderetur obsequium, clericos reditu ampliavit præbendarum, ac de suorum ditavit largitate prædiorum et gloria decoravit ornamentorum. *Notat porro Cangius ad calcem prioris scedulæ, Hilduinum illum, de quo illic mentio fit, fuisse Mondiderianum comitem, cui Hugo Magnus duæ, pater Hugonis Capeti Francorum regis, Combensem villam* (*vulgo* Coulanville en Brie), *quæ fuerat abbatiæ S. Germani Pratensis, provecto jam sæculo* X *concessit, prout habetur in diplomate Hugonis Capeti, quod exstat apud Philippum Labbeum* (1), *et apud Gallandium Tractatu de Franco-allodio* (2). *Unde emendandus est Vitæ SS.* Luglii *et* Lugliani, *a R. P. Guilleberto de la Haye conscriptæ, locus* (3), *ubi Sanctorum nostrorum Reliquiæ non sæculo* X, *sed anno* 870 *Mondiderium asportatæ fuisse referuntur. Notandum insuper, recitata Relationis verba, quibus Paulus sacerdos SS. Martyrum* corpora *abstulisse narratur, non eo sensu intelligenda esse, quasi vero integra Mondiderium detulisset; sed eo sensu, ut insignes ex binis istis corporibus exuvias abstulerit; puta utriusque Sancti caput et ossa quædam, quæ etiamnum Mondiderii asservantur; quum reliquæ corporis partes in Artesia, nempe in Ulmensi sacello, remanserint; uti nos docet laudata Prosa, in Lilleriensi ecclesia decantari solita, in qua hæc de Sanctis nostris leguntur :* Ab Ulmis huc (*Lillerium scilicet*) deportati, in hac aula sunt locati Dei providentia. *Et vero ipsamet Relatio Cangiana diserte refert, ablatas clanculo a Paulo Reliquias, non admodum magnæ molis fuisse, quandoquidem eas in* scriniolo *seu in* arcula *abdere potuerit, quod fieri de duobus integris corporibus nequaquam potest.*

impensa eis Mondiderii ecclesiastica veneratio.

11 *Quanto autem in honore habitæ semper fuerint delatæ Mondiderium SS.* Luglii *et* Lugliani *Reliquiæ, docet nos præfatus Guillebertus de la Haye, qui Mondideriana monumenta consuluit, priusquam Sanctorum nostrorum Vitam, cultusque historiam vulgaret. Scribit porro laudatus auctor, SS.* Luglii *et* Lugliani *capita Mondiderii servari, inclusa thecis, in humanam faciem efformatis, ligneis quidem, sed inauratis;* Luglium *vero exhiberi mitram capite gestantem,* Luglianum *autem corona regia redimitum, alia autem aliqua eorum ossa inclusa esse lipsanothecæ ligneæ, itidem inauratæ. Hæc summo altari imposita est: capita vero versus parietes collocata. Utræque Reliquiæ Calvinianorum furori, sæculo* XVI *in Sanctorum Reliquias debacchantium, subductæ anno* 1567. *Quo tempore in cujusdam Mondideriani civis domo absconditæ latebant, miro lumine subinde collustratæ fuerunt : quum ad ecclesiam dein relatæ sunt, prodigioso subinde lumine etiam collustrata fuit præfata ossium theca. Contra pestes, incendia, nimias terræ siccitates Mondideriani SS.* Luglii *et* Lugliani *patrocinium implorare solent, eorumque opem salutarem sæpius experti sunt; uti illic fuse enarrat laudatus scriptor* (4). *Sodalitium quoque in eorum honorem Mondiderii erectum, ac sacris ab Alexandro Pp. VII indulgentiis ditatum fuisse; eorum etiam festum die* XXIII *octobris, translationem corporum prima mensis julii dominica celebrari, idem testatur scriptor: tandem ad operis sui calcem subdidit hymnum, in ecclesiastico eorum Officio Mondiderii cani solitum; est autem sequens:*

Hæc dies, nullis abolenda sæclis,
Imperat festos geminare plausus;
Quippe gemmatam gemino coronam
Traxit ab astro.
Hinc enim tollit caput infulatum
Luglius : frater Luglianus inde
Regios vultus et uterque summo
Regnat olympo.
Hinc duos læti canimus patronos,
Quos probat nostram relevare gentem,
Multiplex in variis redundans
Gratia rivis.
Si solo clausus negat axis imbres,
Et seges siccis sterilescit arvis,
Civitas uno rogat affuturos
Ore patronos :
Illico tellus gremio feraci
Parturit densis gravidata nimbis,
Spesque dilapsas avido refundunt
Arva colono.
Si repentino glomerata casu
Flamma correptos populatur ædes,
Martyrum thecæ reprimunt obortos
Ocius ignes.
Ut sacræ lympham tetigere thecæ,
Lympha divinum reserans vigorem,
Cernitur jam tum male pertinaces
Frangere flammas.
Sparsa nimirum rapidos in ignes,
Ignium diros inhibet furores;
Sic ut obtusi stupeant, nec ultra
Serpere possunt.
Quisquis hæc audis superum Potentem
Et parem Patri venerare prolem,
Quin et amborum cane sempiterno
Pneuma triumpho. Amen.

SS. Luglii *et* Lugliani *in Artesia cultus.*

12 *Quæ ad eorum in Artesia cultum attinent, paulo latius nunc exsequar. Eodem Guilleberto teste, locus ille, in quo SS.* Luglii *et* Lugliani *corpora resederant, magno semper ab incolis in honore habitus fuit ; et piorum hominum eo confluentium peregrinatione celebratur, feria præsertim sexta cujusque hebdomadæ, non sine febrientium levamine. Exstructum olim illic fuerat sacrariolum, et quidem, ut fama ferebat, a S. Baino episcopo, eratque accolenti eremitæ pro oratorio usque ad annum* 1625 ; *quo tempore*

(1) Miscell. tom. II, pag. 579. — (2) Ibid. pag. 486. edit. I. — (3) Ibid. pag. 49. — (4) Ibid. pag. 60 ad 69.

vir

A *vir nobilis Antonius de Lieres, toparcha pagi, cui nomen* Frefay, *pro vetusto novum condidit, in quo ex perpetua munificentia R. D. De Lannoy, Atrebatensis ecclesiæ cathedralis canonici, singulis diebus dominicis ac festis sacrosanctum Missæ sacrificium Deo offertur. Prope sacellum illud scaturit fons, cui quotannis sacro ritu benedictio impertitur, unde aqua hausta ægrotis medelam sæpe affert* (1). *Scribit quoque laudatus auctor* (2), *in destructi a Normannis castelli loco erectam a præfato D. De Lannoy fuisse lapideam crucem, atque ante illam quotannis concini Antiphonam* Regina cœli, *quum SS.* Luglii *et* Lugliani *Reliquiæ solemni supplicantium ordine circumferuntur; id fieri in memoriam servati quondam in eodem castello sacri thesauri, in Lilleriensem a pluribus sæculis ecclesiam deportati. Quandonam autem Sanctorum nostrorum Reliquiæ Lillerium ab Ulmensi sacello translatæ fuerint, sat prope definire nequeo. Tradit quidem præfatus Guillebertus* (3), *factum id esse sub annum* 900 : *verum quum nullum asserti sui testem antiquum adducat, non est cur solo ejus testimonio hic stemus.*

B *Probabilius mihi est, SS.* Luglii *et* Lugliani *Reliquias tum demum ex Ulmensi sacello Lillerium translatas fuisse, quum Artesii experimento didicissent, eas in hoc sacello non satis tuto asservari. Arbitror itaque, eas dumtaxat sub sæculi* X *medium ex Ulmensi sacello Lillerium deportatas fuisse; ubi primum in æde parochiali, dein collegiata, sub sæculi* XI *medium exstructa, fidelium venerationi expositæ fuerunt, perseverante etiamnum eadem sacra veneratione, quæ illis a tot sæculis impensa fuit. Colitur autem Reliquiarum, ex sacello Ulmensi Lillerium translatarum memoria die* XX *Maji officio duplici et solemni supplicatione, uti et sacro de SS.* Luglio *et* Lugliano *panegyrico; qua de re adisis laudatum Guillebertum* (4).

coluntur Lillerii, ut patroni urbis secundarii :

13 *Lillerii etiam, ut scribit præfatus Guillebertus, SS.* Luglius *et* Luglianus *coluntur ut patroni urbis secundarii, si quidem iis primarius est S. Audomarus, Morinensis episcopus. Unde in officio ecclesiastico solemnis eorum commemoratio fit, uti fieri assolet de cujusque ecclesiæ patronis. Antiphona autem et Oratio, in ea commemoratione adhiberi solitæ, sic sonant :*

C Divino Spiritu accensus approbat consilium fratris Beatus Luglianus, erogataque substantia, paucis comitantibus, Hibernia exierunt. ℣. Exultabunt Sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis. Oratio. Deus, qui nos Beatorum Martyrum tuorum Luglii et Lugliani meritis et intercessione lætificas, concede propitius, ut quorum beneficia poscimus, dono gratiæ tuæ consequamur. Per Dominum nostrum *etc. Prosa vero, quæ in Missa, in eorum honorem celebrata, olim concinebatur, ita sonabat :*

Rex requirit æquitatis,
Ut affectu pietatis
  Gaudeat Ecclesia ;
Sanctos fratres venerando,
Et eorum celebrando
  Devote solemnia.
Quos conjunxit natione
Et eadem passione
  Gemina germanitas;
Illos Christus fœderavit,
Et cum Sanctis solidavit
  Fides, Spes et Caritas.
Luglius et Luglianus,
Quibus ortus christianus,
  Inter rerum copiam;
Res caducas dum attendunt,
Mundi hujus parvi pendunt
  Vanescentem gloriam.
Summo Deo deservire,
Sentientes non transire
  Ei soli serviunt.
Quorum unus præsulatus,
Alter regni sublimatus
  Hybernensis culmine.
Pompam mundi deserentes,
Soli Deo adhærentes
  Divino spiramine.
Propter Dei salutare
Transierunt ambo mare,
  Relinquentes patriam;
Verbum Dei prædicantes,
Atque signis coruscantes,
  Venerunt Boloniam.
Per hos mare serenatur,
Eventino lumen datur,
  Et infirmis sanitas.
Horum prece liberatur
Ab igne, quo crematur
  Morinorum civitas.
Post hæc signa perpetrata,
Cum jam diu expectata
  Prope esset passio;
Apud Ulmos decollantur,
Et a Christo coronantur
  In cœli palatio.
Fit concursus populorum,
Cæcis lumen oculorum,
  Ægris salus redditur.
Quisquis Deum, vere credit,
Et infirmus huc accedit,
  Alacer regreditur.
Ab Ulmis huc deportati,
In hac aula sunt locati
  Dei providentia.
Quorum festa celebrando,
Grates Deo gratulando
  Reddit hæc ecclesia.
Avete jam sancti fratres,
Atque loci hujus patres
  Et patroni seduli :
Pacem nobis impetrate,
Et pro nobis exorate
  Salvatorem sæculi :
Ut nos vestra Sancta prece,
Mundans a peccati fæce,
  Nobis detur venia;
Quo cum Christo gaudeamus.
Et cum Christo maneamus
  In cœlesti gloria. Amen.

AUCTORE J. G.

E

F

et Mondiderii, ut primarii.

14 *Similes cantus voluerunt sibi Mondiderini, et Bonus Merbesius* (Bon de Merbes) *presbyter Oratorii, qui sæculo* XVII *etiam inter theologos floruit, carmen civibus suis composuit* (5), *quod supra num.* 11 *exhibuimus. Hymno adduntur sequentia :*

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi. ℟. Et

(1) Miscell. tom. II, pag. 47. — (2) Ibid. pag. 72. — (3) Ibid. pag. 73. — (4) Ibid. pag. 76. — (5) Beauvillé, Hist. de Mondid. tom. III, pag. 248.

AUCTORE J. G.

gloriamini omnes recti corde. Oremus. Quæsumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de Beatorum Martyrum Luglii et Lugliani glorificatione procedit; quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos. Per Dominum *etc. Mutatis scilicet nominibus, est eadem oratio, quæ in festo SS. Joannis et Pauli Martyrum ad diem* XXVI *Junii recitatur.*

Lillerii translatæ in argenteam capsam Reliquiæ; reliqua ad eorum ibi cultum spectantia.

15 *En modo reliqua, quæ ad Sanctorum nostrorum in Artesia cultum spectant: quum* sacræ *eorum* exuviæ *Lillerii jam diu* in perantiquo, *uti Raissius scribit* (1), quasi ingloriæ, feretro ligneo, deaurato tamen, quievissent, in novum idque argenteum, affabre cælatum, ab Elizabetha, Lusitaniæ regis filia ac Philippi, cognomento Boni, ducis Burgundiæ et comitis Artesiæ, quondam piissima conjuge, eodem anno, quo ipsa Æriæ obiit (nempe anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo) transferri curantur. *Argenteo huic feretro, prout refert laudatus Guillebertus* (2), *hæc sequens adjuncta est inscriptio:*

B YSABEL FILLE DU ROY JEAN DE PORTUGAL, DUXISSA DE BOURGOIGNE A DONNÉ CESTE CHASSE A L'EGLISE DE LA VILLE DE LILLERS ANNO DOMINI 1471. PRIONS A DIEU POUR ELLE: *quæ latine sonant:* Isabella, filia Joannis Lusitaniæ regis, ducissa Burgundiæ, hanc lipsanothecam dedit ecclesiæ Lilleriensi anno Domini 1471. Oremus Deum pro ea. *In hac porro lipsanotheca argentea exhibetur S.* Luglius *habitu archiepiscopali:* Lugianus *vero regio; superiorem locum occupant Lusitanici regni insignia. Quod autem die* XXIII *Octobris de iis celebratur Officium, hoc* duplex primæ classis cum Octava *vocat laudatus Guillebertus. Fuerat olim illud Sanctis nostris proprium; ast post Romani Breviarii correctionem, a S. Pio V peractam, Officium eorum de Communi Martyrum fit, retentis tamen antiquis secundi Nocturni lectionibus, quæ ipsis propriæ sunt. Fuit anno* 1633 *eorum lipsanotheca aperta et inspecta a revmo D. Christophoro Morlet, Audomarensi episcopo; indeque extracta duo ossa, quorum alterum dno de Frefay, alterum sacello Herenvillano concessum fuit; cætera vero, eaque non pauca, in eadem capsa decen-*
C *ter reposita sunt. Invocantur autem illic Sancti nostri contra incendia, tonitrua ac tempestates, febres quoque ac pestem, ac sæpe eventu prospero et salutari. Sed quid eorum Acta moramur?* [*Hactenus Josephus Ghesquierus.*]

§ III. Sors sacrarum Reliquiarum SS. Martyrum a fine sæculi XVIII usque ad præsentem diem.

Anno 1844 *Lillerienses petunt et obtinent*

Quibus quidem nihil addendum haberemus, nisi vicissitudine desinentis præteriti sæculi debacchata impietas susdeque vertisset omnia, quæ ad Dei Sanctorumque cultum pertinebant. Unde factum est, ut plurimæ Sanctorum exuviæ iniquitate temporis aut dispersæ perierint, aut a probis aliquandiu occultatæ novis indiguerint recognitionibus. Sic apud Lillerienses videntur amissæ SS. Luglii *et* Lugliani *Reli-*

D *quiæ: quandoquidem anno* 1844, *die* XVI *aprilis, illustriss. ac revmus D. Joannes Maria Mioland, tum Ambianensis episcopus, post archiepiscopus Tolosanus, licentiam concedit aperiendi capsam SS.* Luglii *et* Lugliani, *et ex ea extrahendi aliquas particulas Reliquiarum, Lillerium transferendas. Cujus extractionis sequens exstat instrumentum:* In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ad perpetuam memoriam. Anno gratiæ a Christo nato millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, anno tertio decimo pontificatus Sanctissimi Domini nostri Gregorii Papæ XVI, Ludovici Philippi, regis Francorum decimo quarto, illustrissimo Domino Joanne Maria Mioland sedem episcopalem Ambianensem occupante, feria III, decima sexta die aprilis, hora quinta pomeridiana, in sacello SS. Luglii et Lugliani, patronorum oppidi Montis-Desiderii, R. D. Ludovicus Maria Martinus Aubrelique decanus curatus parochiæ S. Petri in dicto Monte-Desiderii, Ecclesiæ Cathedralis canonicus honorarius et archipresbyter, vi facultatis ab
E illust. episcopo Ambianensi sub die XI hujus mensis Aprilis concessæ, assistentibus DD. Hippolyto Eduardo Camillo Lugliano Chandon, majori oppidi Mondideriensis, equite Legionis honoris etc., Carolo Simone Dangez, custode confraternitatis dictorum Sanctorum, Jacob et Deneufgermain vicariis ecclesiæ S. Petri, Longuet, Bertrand, Fissier et Braine, consiliariis ejusdem confraternitatis, et secundum supra dictam licentiam, aperuit hermas, continentes Reliquias Sanctorum Luglii et Lugliani, ut inde extraheret particulas, donandas ecclesiæ Lilleriensi diœcesis Atrebatensis. In aperto herma S. Lugliani inventa fuit capsa ferri stanneati, formæ ovalis, in superiori parte habens operculum commissum, tribus sigillis in fascia serica rubra munita, quorum duo priora erant vicepræfecturæ Mondideriensis, tertium D. Lefebvre quondam curati parochiæ S. Petri: ex dicta autem capsa extractum fuit instrumentum pergamenum de translatione Sacrarum Reliquiarum SS. Luglii et Lugliani, facta anno 1810 in novos hermas ex cupro deargentato, pariter sigillis vice-præfectura et D. F
Lefebvre munitum: dein integrum fere cranium S. Lugliani, positum in pulvinari serico rubro; e quo cranio dissecta fuit pars ossis parietalis dexteri longitudinis quinque centimetrorum et duorum latitudinis, quæ continuo panno serico rubri coloris involuta, sigillis parochiali S. Petri et urbano Mondiderensi munita fuit.

a Mondideriensibus SS. Fratrum Reliquias,

17 Secundo loco processum est ad aperitionem hermæ S. Luglii, in qua, sicut in priori, reperta fuit capsa ex ferro stanneato, formæ ovalis, clausa operculo commisso, ligata fascia serica rubra, tribus sigillis, duobus prioribus vice-præfecturæ, tertio D. Lefebvre, quondam S. Petri curati munita: in qua imprimis repertum fuit instrumentum anni 1719 translationis Reliquiarum S. Luglii in hermam argenteum, subscriptum a monachis Benedictinis prioratus Mondideriensis et a primariis viris confraternitatis ejusdem oppidi: dein instrumentum anni 1720 translationis S. Lu-

(1) Beauvillé. Hist. de Mondid. tom. III, pag. 228. — (2) Ibid. pag. 75.

gliani

A gliani in hermam argenteum, ab iisdem testibus subscriptum: tertio instrumentum anni 1795, quo constat sacras Reliquias ex hermis argenteis, monetæ cudendæ designatis, in hermas ligneos deargentatos translatas fuisse, quod signarunt oppidi administratores et municipes primarii: quarto procuratio signata et sigillata ab illustr. D. Joanne Francisco de Mandolx, episcopo Ambianensi et chirographo D. Gravet, secretarii episcopatus munita, data D. Lefebvre, curato S. Petri Mondideriensis, ut aperirentur hermæ SS. Luglii et Lugliani et debite recognitæ reponerentur in hermis ex cupro deargentato: quinto fasciculus pergameno coopertus, munitus duplici sigillo vice-præfecturæ et D. Lefebvre, curati S. Petri, continens instrumentum anni 1660, munitum magno sigillo prioratus Benedictini, in quo particulatim recensentur Reliquiæ prioratus B. M. V. Mondideriensis et in specie Reliquiæ SS. Luglii et Lugliani; quod quidem instrumentum, lapsu temporis depravatum, repositum fuit sub sigillo urbano et parochiali S. Petri. Tandem sub dictis in-
B strumentis extractis, inventum fuit fragmen cranii S. Luglii, magnitudinis unius palmæ, positum in duplici pulvinari ex serico rubro; a quo fragmento desecta fuit particula ossis occipitalis, longitudinis duorum, latitudinis unius centimetrorum; ac involutæ panno holoserico rubri coloris, supradictis sigillis munita fuit, utraque hæc particula translata fuit ad episcopium Ambianense, ut inde mitteretur Lillerium, diœcesis Atrebatensis, fidelium venerationi exponendum. Actum et consummatum anno, mense, die et hora supra indicatis. *Sequuntur subscriptiones. Nihilominus legimus, cultum SS.* Luglii *et* Lugliani *non revixisse Lillerii, et hanc parochiam nunc patronos habere SS. Julium et Victorem* (1).

quorum cultus Lillerii neglectus fuerat;

18 *Miratur eruditus vir, D. Victor de Beauville, in sua Historia Mondideriensi Sanctorum nostrorum Reliquias, ab anno* 900 *Mondiderium translatas, ad sæculum usque quartum decimum quasi delituisse, et sæculum decimum sextum, Sanctorum cultui tam infensum, venerationi SS.* Luglii *et* Lugliani *maxime profuisse* (2). *Verum id non mirabitur, qui in re*
C *hagiographica aliquandiu versatus fuerit: habet enim Sanctorum cultus suam fortunam: sic multi Sancti, quorum cultus medio ævo erat celebratissimus, populari memoriæ nunc exciderunt: dum aliorum veneratio nunc floret: unde quoque accidit, ut, obliterato quasi ecclesiæ alicujus titulo, alius Sanctus patroni cultum in vulgo obtineat. Et ne longius excurramus, S. Maria Magdalena est etiam hodie patrona ecclesiæ metropolitanæ Mechliniensis, ut docet quotannis Directorium liturgicum; attamen ecclesia ista vulgari nomine S. Rumoldi dicitur, cujus exuviæ in ea quiescunt. Ipse etiam D. Beauville fatetur, SS.* Luglii *et* Lugliani *nomina Lillerii vix celebrari, atque SS. Julii et Victoris cultum istic prævaluisse. Est et aliud: scilicet moris est in Ecclesia catholica, ut quo gravius et periculosius impugnatur aliqua veritas, eo fortius et potentius populo fideli inculcetur. Exempla nobis sunt hæresis Nestorii, qua cultus Deiparæ Virginis potissimum increvit: SS. Eucharistiæ venerationem plurimum adauxit hæresis tum Berengarii tum protestantium. Quoniam porro hi Sanctorum imaginibus et sacrarum Reliquiarum cultui quam infensissimi erant; hinc factum est, ut inter catholicos multum accreverit erga Sanctos, eorum imagines ac Reliquias publica pietas, et novæ inductæ fuerint festivitates. Commodissime tali ratione explicatur in SS.* Luglium *et* Luglianum *Mondideriensium renovatus fervor devotionis, celebrior festivitas quotannis frequentanda, ac reliqua omnia in honorum sanctorum Martyrum acta.*

AUCTORE J. G.

Mondiderii autem, procedente

19 *Cæterum SS. Martyrum Reliquiæ a sæculo* IX *ad* XV *non tam ignotæ jacuerunt, ut nulla exstaret memoria. Gualterus abbas Arrouasiensis, qui sæculo* XII *ad finem vergente floruit, conceptis verbis docet, SS.* Luglii *et* Lugliani corpora apud castrum, quod Mons Desiderii dicitur, in ecclesia venerari (3). *Ipsam quoque SS. Fratrum passionem notam fuisse, monstrat Gualterus citatus supra a Ghesquiero num.* 3 : *tamen omisit, quo traditio sicariorum firmatur, nempe* locum *in quo monasterium Arrouasia* E *fundatum fuit,* super stratam publicam constitutum *in silva, quæ dicitur Arida-Gamantia* situm *fuisse; quæ quidem silva* a castro, quod Encra dicitur, usque ad fluvium Sambre, tunc temporis (*an. C.* 1090) continua protendebatur, olim spelunca latronum fuerat, unde et hunc quidam Truncum Berengarii ab ejusdem nominis latronum principe vulgo denominant, pro eo quod post mortem ejus solitos esse ferunt satellites, illius trunco, quem cavaverant, captos a se quoslibet præsentare, infra quod quidam ex ipsis, quasi idem Berengarius loquens, summam captivis redemptionis imponebat, quam nulli minuere vel mutare liceret (4). *Refert deinceps sanctorum fratrum necem a Berengario et sociis patratam. Eodem fere loco habetur Tumulus, a Berengario dictus* la Motte-Bérenger, *quasi scelesti sepultura, ubi anno* 1784 *sparsa humana ossa et ornamenta ænea deaurata reperta fuere* (5). *Hæc abunde ostendunt, memoriam martyrii ab antiquissimis temporibus derivari, et eorum Reliquias, Mondiderium translatas, ibidem in veneratione habitas fuisse ducentis etiam post annis, siquidem* F *translatio provecto jam sæculo* IX *celebrata fuerit. Dein instrumentum Suessionense translationis supra num.* 6 *allatum, sæculo* XVII *longe antiquius est : quandoquidem anno* 1666 *jam, ut num.* 8 *dicitur,* vetus suffragatur traditio *et idem testabatur* vetustum chirographum. *Ex quo consequitur, recedendum non esse a traditione Mondideriensi, cui varia hæc monumenta consonant. Ecclesia autem B. M. V. Mondiderii in prioratum Ordinis Cluniacensis erecta fuit ab Innocentio Pp. II bulla, data Pisis* III *id. Martii anni* 1136 (6), *quam confirmarunt deinceps Alexander III* (7) *et Urbanus III* (8). *Ex quibus liquet instrumentum translationis sæculo* XII *antiquius non esse, quum in eo dicatur,* ædem Beatissimæ Virginis sacram *esse* prioratum Ordinis Cluniacensis : *quanto recentius est, definiendo non sum, quum non reperiatur hodie inter scedas nostras hagiographicas. Id certe constat, translationis circumstantias prius innotuisse, quam*

(1) Beauvillé. Hist. de Mondid. tom. II, pag. 438. — (2) Ibid. pag. 36. — (3) Gosse. Hist. de l'abb. d'Arrouaise. pag. 535. — (4) Ibid. pag. 535. — (5) Ibid. pag. 9. — (6) Bullar. Cluniac. pag. 49. — (7) Ibid. pag. 73. — (8) Ibid. pag. 87.

anno

AUCTORE J. G. *tempore, ut constat,*

anno 1656 *in dramate quodam exhibita fuerint* (1).

20 *Sacræ Martyrum exuviæ Mondiderii sæpius recognitæ fuerunt. Die* XXV *Maji* 1660 *quum increbuisset in populo sacra pignora negligentia monachorum dispersa fuisse, voluerunt Cluniacenses certiorem facere populum hæc hactenus conservata haberi: quapropter aperuerunt etiam thecam, Reliquias SS.* Luglii *et* Lugliani *continentem; in qua varias partes corporis invenerunt cum scedulis fere erosis, nomina tamen duorum fratrum exhibentibus, quæ chartæ testantur antiquum Sanctorum cultum. Sed consueverant Mondiderienses, quoties incendium in oppido aut ejus pomœrio sæviebat, dictas Reliquias intingere in aqua flammis exstinguendis adhibenda; unde fiebat, ut ossa sacra luto coalescerent. Dictam capsam auro novo obducere curarant lanifices, qui anno* 1631, *die* VIII *Augusti patronos opificii sui adoptaverant SS.* Luglium *et* Luglianum (2). *Similis recognitio facta fuit anno* 1674, *die* XII *Augusti* (3). *Demum anno* 1686, *die* XII *Maji ex capsa lignea confracta, permanente tamen* inviolata interiorum involucrorum integritate *in novam translatæ fuerunt sacræ exuviæ* (4); *tandem anno* 1720 *hermis argenteis inclusæ fuerunt, ut docet instrumentum, quod coram habemus. Præterea in SS. Martyres populi Mondideriensis pietate, sodalitium institutum fuit* ad Dei omnipotentis laudem et animarum salutem, proximique subventionem pro omnibus utriusque sexus fidelibus, *quod plurimis indulgentiis ditavit Alexander Pp. VII litteris apostolicis, datis id. Aprilis* 1660 (5).

ex variis instrumentis,

21 *Sub hac veneratione servatæ fuere SS.* Luglii *et* Luglianii *Reliquiæ usque ad finem sæculi decimi octavi, quando utraque respublica sæve subversa fuit, et omnia conculcata. Imprimis duo hermæ argentei quibus Sanctorum Fratrum exuviæ continebantur, ad monetam publicam direpti fuere : ipsæ tamen Reliquiæ cura Mondideriensium sepositæ; quapropter presbyter schismaticus C. E. Guédé in hermis ligneis deargentatis easdem deponi curavit: cujus translationis instrumentum e gallico idiomate latine reddimus.* In nomine Patris *etc.* Anno a Christo nato septingentesimo supra millesimum nonagesimo quinto. S. D. Pii Pp. VI decimo nono, anno quarto Reipublicæ Gallicæ, unius et individuæ, die trigesima mensis Vindemialis, hora diei septima, seu veteri stylo, die vigesima secunda Octobris, vigilia festivitatis gloriosorum Martyrum Luglii archiepiscopi ac Lugliani regis Hiberniæ, patronorum civitatis Mondideriensis, quæ omni tempore salutare eorumdem apud Deum patrocinium experta est, vespere hora quarta et minutis quadraginta octo, civis Carolus Eduardus Guédé, presbyter superior collegii Mondideriensis sub parochia S. Petri ejusdem oppidi, assistente clero ejusdem loci, egressus est ex sacristia dictæ ecclesiæ, sacerdotalibusque vestimentis et pluviali indutus, ad pedem aræ maximæ constitit, ac ibidem genuflexus hymnum « Veni Creator » inchoavit, quem clerus ac populus continuatum absolvit. Post orationem de Spiritu Sancto, civis Guédé altare ascendit, in quo depositæ erant duo hermæ deargentati, unus a dexteris altaris, exhibens imaginem S. Luglii archiepiscopi, alter a sinistris exhibens S. Lugliaum, Hiberniæ regem; uterque sculptus arte civis Damay Mondideriensis, ut subrogaretur hermis argenteis, anno 1719 et 1720, ut constat ex instrumentis, confectis qui anno II reipublicæ, mense brumali, districtui Mondideriensi a communitate Mondideriensi traditi fuere secundum leges patrias; quæ traditionem istiusmodi hermarum et thecarum patriæ succurrendo præscripserunt. Hermas ligneos, argento ab inauratore Lainé obductos, portavit civis Guédé ad infimos gradus sanctuarii, ac in mensa, debito modo ad id parata, reposuit. Assumptasque pretiosas Reliquias SS. Luglii et Lugliani, hermis argenteis anno 1719 et 1720 inclusas, et nunc, argento monetæ deputato, sollicite a magistratu urbano servatas ac involucro serico viridi insutas, coram fidelium cœtu explicuit, ac monstravit duas partes craniorum SS. Luglii et Luglani magnitudinis unius palmæ; quæ conveniunt apprime cum instrumento recognitionis sacrarum Reliquiarum, confecto anno 1660, subscripto et signato sigillo communitatis prioratus olim Mondideriensis, quod in herma argenteo, dum ad monetam deferretur, inventum fuit ac cum transsumpto ejusdem instrumenti in librum capitularem relato. Quæ ossa, ex suis involucris extracta, in pelvi deposita, solemni ritu per navim ecclesiæ S. Petri, ut monstrarentur fidelibus, qui ad sanctuarium accedere non potuerant, ostenderentur. Dein civis Guédé sacra ossa insuit panno serico viridi, ac ossa S. Luglii in ejus herma, S. vero Lugliani in altero collocavit, ac thuris honorem iisdem tribuit, quo tempore hymnus « Te Deum laudamus » cum oratione de SS. Trinitate et de SS. Martyribus decantatus fuit : post quem civis Guédé osculatus est partem hermarum, ex qua ossa sacra videri poterant, ac pone sequebantur clerus ac ii de populo, quos pietas incitabat. Eodem tempore clara voce lectum fuit præsens instrumentum ac subscriptum. *Sequuntur nomina.*

in extenso aut summarie allegatis,

22 *Hæc acta sunt duobus fere post annis, quam lege lata abolitus fuisset cultus catholicus, eique subrogata divinitas rationis humanæ* (Déesse de la Raison) (6). *Sed denuo publice instaurata religione catholica, pietas Mondideriensium erga SS. Martyres refloruit. Nam quum anno* 1805 *pluviæ continuatæ messem vitiaturæ essent, solemnis supplicatio in diem* XXV *Augusti indicta fuit cum Reliquiis SS.* Luglii *et* Lugliani, *cui una cum clero oppidano magistratus civilis interfuit. Die* XXVII *Septembris* 1810 *Joannes Francisc. de Mandolx, episcopus Ambianensis in mandatis dedit parocho S. Petri Mondideriensis Lefebvre, ut Reliquias SS. Martyrum recognosceret et recognitas in novos hermas rite transferret. Mandato episcopali obsecutus parochus, sequens edidit instrumentum, ex gallico latine redditum :* In nomine Patris etc. Anno a Christo nato millesimo octingentesimo decimo, pontificatus SSmi Domini Nostri Pii Pp. Septimi decimo, imperii Napoleonis primi sexto, sedem Ambianensem, Belvacensem et Noviomensem

(1) Beauvillé. Hist. de Mondid. tom. III, pag. 37. — (2) Ibid. tom. II, pag. 428. — (3) Ibid. pag. 433. — (4) Ibid. pag. 437. — (5) Ibid. pag. 439. — (6) Rev. chronol. de l'Hist. de Fr. 1787-1818, pag. 184.

occupante

A occupante D. Joanne Francisco de Mandolx, feria v die iv Octobris ejusdem anni, circa horam decimam matutinam, D. Lefebvre, presbyter curatus ecclesiæ parœcialis et districtus Mondideriensis, vi commissionis dicti domini episcopi sui, ut aperiret capsas continentes Reliquias SS. Martyrum Luglii et Lugliani, patronorum oppidi Mondideriensis, ac earumdem authenticitatem et conformitatem cum antiquis instrumentis, capsæ inclusis, recognosceret, ac reconderet in novis hermis : dictus curatus, assistente D. Delatour, curato ecclesiæ succursalis ejusdem oppidi, et simul utriusque ecclesiæ clero ex sacristia solemni ordine egressus, ad pedem aræ maximæ hymnum « Veni Creator » inchoavit, quem reliqui, pulsatis organis, absolverunt, et dicta oratione de Spiritu Sancto, supradictus parochus ascendit ad altare, in quo positi erant hermæ ænei deargentati, sumptibus incolarum, quorum pia liberalitas est monumentum æternum sinceræ reverentiæ et gratæ memoriæ erga Sanctos, qui majores suos perpetuis beneficiis per novem fere sæcula, quamdiu
B sacra ossa in civitate fuere, cumularunt.

continuo accrevit.

23 Hermas sacro ritu expiatos, deponi jussit dictus parochus in mensa parata ad introitum sanctuarii, et extraxit ex antiquis hermis paucis ante diebus apertis, præsentibus DD. Delatour, curato supradictæ succursalis ac Lefebvre parocho olim B. V. Mondideriensis et Cocquerel, civitatis majore, ab episcopo ad id designatis, duas pretiosas Reliquias SS. Luglii et Lugliani, nempe partem cranii S. Luglii magnitudinis unius palmæ et cranium integrum S. Lugliani, prout constat ex instrumentis antiqui prioratus, et separatim depositas in pelvi argentea, serico rubro cooperta, ac super altari posita : post quæ dicti curati easdem ritu solemni circum ecclesiam, ad solatium eorum fidelium, quibus ingressus in chorum concedi non potuerat, detulerunt. Circumitione solemni peracta, dictus curatus sacras Reliquias panno serico viridi insutas, una cum præsenti instrumento, cæterisque antiquioribus, in veteribus hermis repertis, et inventario Reliquiarum, fere putrido, deposuit in
C capsa ferrea stannata, ad hoc parata, quam proprio ac vice-præfecturæ sigillis munivit et in hermis collocavit, quibus thuris honorem tribuit ; dum cantaretur psalmus « Laudate Dominum omnes gentes, » celebrans ac reliqui osculati sunt cristallum, qua sacræ exuviæ tegebantur. Nam hymnus « Te Deum » in vespertinam benedictionem reservatus fuit. Hisce omnibus adimpletis, præsens instrumentum clara et contenta voce lectum fuit, prout nobis injunctum fuerat ab episcopo domino nostro ; eademque die subscriptum fuit. [*Sequuntur subscriptiones.*]

AUCTORE J. G.

VITA

SS. LUGLII ET LUGLIANI

FRATRUM,

AUCTORE ANONYMO,

Ex pervetusto codice ms. ecclesiæ Lilleriensis, collato cum Vita typis edita anno 1597.

CAPUT UNICUM.

Sanctorum patria; gesta extra Belgium; iter in Belgium, ibique gesta; violenta mors, a prædonibus illata.

E

In Hibernia, jam ad Christi fidem conversa,

Post gloriosissimam Domini nostri Redemptoris in cœlos ascensionem, ac Paracleti Spiritus in terris beatissimam missionem, Sancti Apostoli, divino Euangelii verbo igniti, per mundi climata ad humanæ creaturæ genus prædicatione restaurandum, quod per zelum * diabolicum pericrat, sigillatim fere disperguntur. Ne rationalis creatura, quæ post primi parentis culpam, ad damnationis cumulum idololatriæ adinventionis errorem incurrerat, perditioni penitus subderetur. Eorum igitur spiritualibus eloquiis, in omnem terram exeuntibus, Hybernensis regionis omnis plebs imbuta, idolorum servitutem respuit, depositoque perfidiæ senio, sese baptismatis undis innovatam, studioso Dei servitio subjecit; et quanto magis in generationibus crescebat, tanto impensius divinis et ecclesiasticis studere devotionibus insistebat.

* *Herbius* invidiam

2 Quo tempore rex quidam, nomine Dodanus, genere moribusque illustrissimus et in fide catholica eruditus, habens mulierem, modis prædictis sibi consimilem, nomine Relanim, toti ipsius insulæ populo juste, quippe justus, atque laudabiliter imperabat *a*. Hic atque sua conjux reverentissima, quoniam (Deo testante) arbor bona fructus malos non potest facere * ; ex sese progeniem Deo procreantes acceptabilem, ternos Trinitati militaturos, Luglium videlicet et Luglianum, flores juvenum, pariter Liliam, gemmam puellarum, Spiritus Sancti voluntate genuerunt. Qui studiis litterarum dediti, superna illustrante clementia, brevi tempore diversarum artium disciplinis refarciuntur. Quorum memoratus pater cum more mortalium cursum vitæ finierat, Luglianus, quamquam junior nondum enim * clericali jugo adstrictus, jure hereditario tamen regnum subintravit * . Luglius vero infirmitatem maculæ (causam scilicet vitæ melioris aggrediendæ) in uno oculorum patiens, clericus enim effectus, postpositis sæcularibus, Dei servitio, in quo nemo perseverans fallitur, corpus et animam subjugavit. Lilia autem, eorum germana, in fragili sexu tunc fortitudinem nacta, prout potuit, a bonis operibus

nati sunt SS. Luglius *et* Luglianus *ex parentibus præ-nobilibus : ubi litteris imbuti,*

a

* Matth. VII.

* *rectius* neque * *Herb.* administrandum susccpit

AUCTORE J. G.

operibus minime cessavit. Cujus servitium Deo gratum extitisse, liquet ex miraculo, quod in ejus monasterio quidam indigena nobis noviter fieri * intimavit *b*. Dixit enim, præfatam virginem, adhuc in corpore manentem, clericum quemdam (cui sibi sedulo famulanti omnia bona sua commisisset) secum habuisse, de cujus tribu semper unus in sua serviens ecclesia, ab statua, ad ejus virginis similitudinem composita, etiam infra se particulam corporis retinente, notitiam cujusque imminentis adversitatis, seu famis seu mortalitatis, seu belli, seu alterius periculi, pronus ante statuam, expleta oratione, devote tunc accepit; necnon etiam quomodo vitari queat, certissimus inde regreditur *c*.

* *Herb.* recenter factum

b

c

Luglianus *desertum petit ; Hierosolymam ambo pergunt.* Luglius *in episcopum eligitur;*

* Luc. XIV

3 Hujus autem prædictus frater Luglianus simul annis quatuor cum admirabili gloria regnaverat, ratus hanc sæcularem pompam sibi, cœlestia non mediocri animo flagranti, fore offendiculum (ait enim Dominus : « Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus * ») omnibus relictis, solus desertum adiit : ubi Deo acceptabiliter degeret, utens pro palatio cavea * , pro divitiarum diversitatibus, foliis amaris et agrestibus radicibus, pro purpurarum copia, corporis nuditate; neque hoc quidem brevis temporis, verum (ut magis admiretur*) sex annorum intervallo, quum ex sua præcedenti vita pateat, ex sequenti tamen manifestius cognoscitur miraculo. Nam quum adire Hierusalem intenderet , atque ad id comitem neminem haberet, fratre suo Luglio, ab Angelo nuntiante monito, eodemque docente usque ad ipsum deducto, fraterna juncta societate et divina gratia conducente, quo tendebant, feliciter pervenerunt. Quibus inde cum alacritate regressis, archipræsule interim illius insulæ defuncto *d*, Luglius, morum generisque eximietate clarus, totius populi electione, Spiritusque paracleti dispositione archiepiscopalem cathedram adeptus est. Qualiter autem sibi impositam curam rexerit, multis liquet miraculis quorum narrationem modo in antea tunc repetituri suspendimus. Sed quæ de Lugliano relatione cujusdam loci illius incolæ didicimus *e*, disserere diligentius operæ pretium duximus. Habetur igitur in ecclesia, in Dei suique honore ædificata (in qua triginta quatuor canonici omnes serviunt jugiter) fons subter altare, cujus aqua cæcus aspersus visum , surdus quidem auditum, claudus vero gressum, mutus etiam verbum vel qualibet ægrimonia oppressus alacritatem recuperant.

* *Herb.* spelunca

* *Herb.* mirandum

d

e

et episcopus sacratus, virtutibus claret ; in pauperes liberalis, benignus in captivos,

4 His igitur de Lugliano singulariter explicatis, ad fratrem ejus Luglium (ut de utrisque communiter disseramus) redeundum est. Divulgata circumquaque sanctitatis eorum excellentia, Luglius, qui erat ipsorum primus natu (sicut a quodam sanctissimo abbate Hyberniæ nostris veteranis * relatum est *f*, et ut supra diximus) unanimiter ab omnibus supradictæ insulæ habitatoribus electus est archiepiscopus. Lucerna igitur, super candelabrum posita, Luglius, archiepiscopali honore sublimatus, in domo Dei gloriose resplenduit : qui commissam sibi plebem a devio transitoriæ delectationis ad directam æternæ patriæ viam verbo et opere revocare non destitit.

* *Herb.* majoribus

f

Imposito enim sibi terrenæ celsitudinis apice, minime obligatur*, quin ad cœlestis felicitatis beatitudinem toto mentis desiderio et multorum assiduitate beneficiorum anhelaret. Frequenti jejunio corpus macerans, carnis superbiam domabat, remunerari sibi a Domino in æternum confidens, quæ pro ejus amore temporaliter amitteret . Necessaria etiam sui corporis pauperibus impendebat. Noctu vigiliis et orationibus intentus; die ægros et in carceribus* trusos, consolandi gratia visitans, nullatenus a Dei servitio vacabat. Cujus frater Luglianus, ab eo exemplar honestatis accipiens et iisdem pietatis operibus sese exercens, nulla caduca, sola perenniter mansura diligebat.

D

* *Herb.* retardatur

* *Herb.* carceres

5 Cumque eum nulla sæcularis dignitatis imposita sibi dispositio urgeret , quamvis præcelsi meriti, divinæ contemplationi intentus assidue manebat *g*. Cum autem præfatus archiepiscopus sub calore ecclesiastici honoris, quædam sæcularium deliciarum blandimenta sibi velle obrepere sensisset, et quia populari favore, non solum per Hyberniæ insulam, sed et per omnes, quæ propinquæ erant, regiones ejus merita divulgabantur, ab antiquo hoste se per extollentiæ jaculum impeti animadvertisset; quærere cœpit, qualiter hujus mundi gloria nudaretur, ut æternam in Domino mereretur. Secreto igitur fratrem allocutus, ad contemnenda sæcularia, et ad promerenda vitæ cœlestis præmia, devotum ipsius animum hujusmodi oratione accendit. Si veræ felicitatis sanctitatem, quæ sublata terris cœlorum penetravit altitudinem, frater charissime, adipisci desideramus, necesse est, ut ad eam, dominica præcepta sectantes, per viam veritatis gradiendo, cursum vitæ nostræ dirigamus : non enim a desidiosis , et somnolentis comprehenditur regnum Dei, sed a perseverantibus in mandatis Domini. Quæ siquidem qui scrutantur et in toto corde exquirunt, beati sunt : miseri procul dubio, qui effugiunt. Hoc est autem viam veritatis deserere, euangelicæ institutioni et apostolicæ doctrinæ male vivendo contra ire; non modo profuturæ, imo maxime nocituræ vanitati sæculi hujus animam subjugare. Nos igitur , quoniam (testante sacro eloquio omnia) quæ sub cœlo sunt, vanitates sunt * ; ad eum mentis oculum referamus, ad ejus æternitatem totis nisibus suspiremus, qui in sole posuit tabernaculum suum, et tamquam sponsus procedens de thalamo suo*, hoc est, qui in sempiterna claritate Patris permanens, de utero sanctæ et intemeratæ Virginis nasci dignatus est, factus homo. Cum enim dives esset*, non solum pro nobis effectus est pauper, ut nos paupertate sua divites efficeret, imo mori voluit, ut resurgens mortis imperium destrueret * et sequentibus se januam immortalitatis aperiret. Qualiter autem eum sequi oporteat, evidenter insinuat, ubi ait : Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me*. Et iterum : Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me. Hæc ergo, frater, monita illius audiamus, et hæc ejus præcepta toto affectu amplectamur, nec, quasi nimis difficilia præceperit, perhorrescamus; dabit enim ipse

inanem gloriam fugit Luglius, *et sæculi blandimenta; fratrem accendit ad amorem cœlestium;*

g

E

F

* Eccles. I

* Ps. XVIII

* II Cor. VIII

* Hebr. II

* Matth. VI

A ipse implere, quæ jussit. Si vero nunc visibilia contemnendo, sequamur eum, quamdiu colligamur fragilitate humanæ infirmitatis, apprehendemus eum veraciter, sicut est, in veritate salutis æternæ.

omnibus divenditis, peregrinantur sancti fratres; in Angliam deveniunt, ubi mari se committunt:

6 Mox divino spiritu accensus approbat consilium fratris beatissimus Luglianus. Nec mora sancti fratres substantia, quam sæculariter possidebant, egenis distributa, pretioque venumdatarum possessionum similiter disperso, sese in peregrinationem tradiderunt. Romam itaque ire disponentes, Domino præmonstrante viam, cum paucis clientibus, Hybernia exierunt. Cum enim in principio comitaretur eos servorum suorum non pauca multitudo, elegerunt potius, quamplurimis ad propria remissis, in paucitate hominum, sine strepitu placere Deo, quam abundantia servientium fulciri, et eorum obsequiis extolli. Cum vero egressi e patria, in Anglorum regione parum morarentur, ut verbum Dei annuntiando infidelibus, quos diabolicum blandimentum post Augustini sanctissimam prædicationem ad se retraxerat *h*, ad fidem Sanctæ et individuæ Trinitatis redire suasoriis compellerent sermocinationibus, pro mira comitatis eorum excellentia agniti, et rursus (ac si in patria) a populo venerabiliter sublimati, noctu inde fugerunt; volentesque a via, quam cœperant, declinare, properato itinere, ad mare pervenerunt: datoque nautis pretio*, navim ingressi, inspirante aura, a portu discesserunt.

h

* *Herb.* persoluto naulo

sæva tempestas in mari exoritur; quæ demum eorum precibus sedatur.

7 Prora quippe jam in mediis fluctibus discurrente, ut ubique Dei fidelium virtus clarescerct, admirabilis tempestatis impetus exortus est, ita ut pene ab omni parte navis latera mergerentur. Nautæ equidem cum ex improviso tam immensam tempestatis disturbationem exoriri, necnon procellarum turbines multiplicari percepissent, ac sese imminente naufragio in fluctibus mergendos (nisi per misericordiam Dei liberarentur) novissent, inenarrabili tremore confusi*, navim (dimisso velo) per æquora, sicuti de vita desperantes, vagare permiserunt, et in oratione dediti, Deum Sanctumque Nicolaum exorare

C cœperunt, quatenus ab illo mortis periculo supernæ auxilio gratiæ eriperentur. Deus autem quantam apud se Sancti Luglius et Luglianus haberent gratiam, volens declarare, nautarum voces clamantium exaudire volebat,* sed magis tempestatis fervorem convalescere faciebat: quorum unus (cui jam cognita duorum fratrum fuerat benignitas) cum parum preces suas suorumque sodalium a Christo exaudiri novissent, necnon procellarum turbines multiplicari percepissent, summo cohortans alios admonitu, prædictos fratres deposcere, ne navim suam mergi sinerent, ipse primus in oratione se ante pedes eorum prostravit. Quod nautis audientibus*, atque haud sine causa dici et fieri posse credentibus, magna voce clamantes, Sanctos Luglium et Luglianum exorare cœperunt, ut sua intercessione ab imminenti periculo liberarentur. Sancti fratres imprimis Dominum pro illis invocare hæsitantes, sed tamen, si pro eorum negligentia perirent, esse crimen maximum autumantes, manibus ad cœlum erectis, supplici devotione Dominum poposcerunt, quatenus suo interventu, navis illius rectores secum ipsis maris profunditas non absconderet*; neque ibi sive alicubi fidelis* necessitudo opprimeret, si quidquid per diem et per noctem admiserant, per pœnitentiam et eleemosynas, sive per alia hujusmodi beneficia digne satis non abluissent. Oratione nondum finita, utpote Dei voluntas suorum preces fidelium quantam apud se haberent potentiam ostendere volebat, maximus ille tempestatis impetus cessavit: statimque expulso undique omni concursu venti nubiumque, aeris serenitas rediit, atque aura inspirante salutifera, nautis minime remigio præ pavore auxiliantibus, navis ad portum salutis perducta est. Nautæ vero tam cito littori se restitutos per Sanctorum fratrum intercessionem cognoscentes, valde gavisi sunt. Domino et ipsis fratribus pro liberatione sua gratias reddiderunt; quos egressos navi et ipsi secuti sunt.

* *Herb.* horribili tremore confusi

* nolebat?

* *Herb.* videntibus

AUCTORE J. G.

* *Herb.* una cum aliis maris tempestas non obrueret. * *An* fatalis?

Bononiam, civitatem maritimam ingrediuntur: ubi Luglii *prædicatione Bononienses quidam convertuntur,*

i

8 Beatissimi igitur Luglius atque Luglianus, ubi suas preces, quibus nautas seque de naufragio expedierant, a Christo exauditas cognoverunt, timentes, ne divulgati, pro favore terrestri cœlestem amitterent gloriam, soli decesserunt, suosque comites effugientes, nutu Dei Boloniam *i* pervenerunt. Cumque ibi annuntiantes Euangelium Dei, gentes incredulas ad fidem veram revocarent, ecce prædicti comites subsecuti eos, prædicantibus eis supervenerunt; atque illorum bonitatem et quantam salutem in mari per eos operari Dominus dignatus sit, huc illuc referentes, per urbem eos exaltaverunt. Tunc omnis præmemoratæ urbis populus ad eorum prædicationem properavit: audiensque Sancti Euangelii verbum, quod illi Luglius, omnibus audientibus, prædicabat, pœnitebat cum*, quod a Dei servitio per tot annos retractus, idolis servivisset; valde lamentari cœpit, et corda sua, quæ antea incredula fuerant, fidei catholicæ substravit. Cumque omnes ibi intentis auribus fratres beatissimos euangelizantes auscultarent, et pro divini eloquii dulcedine cordibus compuncti, lacrymis diffluerent, ecce quidam a natali die cæcus, Eventinus nomine, (cujus aures fama prædicationis Sanctorum attigerat) intelligens advenit ad Sanctum Luglium sermocinantem, et ad eum, quamvis cæcus, per mediam turbam cucurrit, et ad ipsius genua provolutus, cum exorare cœpit, ut sibi visum exorando restitueret, quem a die nativitatis suæ amisisset. Archiepiscopus autem, in eum aspiciens, commotusque pietate, ingemuit, et ait illi: Dimitte me, frater, non est nostrum posse talia: sed per divinam dispositionem, si credis, fiet tibi, quod postulas.

* *nempe* populum

F

et præmissa ad Deum oratione,

9 Communicato autem cum fratre consilio, intellexit, cæcum supradictum, nisi postulata impetraret, simulque adstantem populum permanere incredulum: et prostratus in terram, devota mente Dominum orabat dicens: Domine Jesu Christe, qui cæco, secus viam sedenti et clamanti, Jesu, fili David, miserere mei*, visum restituisti; cujus crucis patibulum a perditione istud eripuit sæculum; qui ad similitudinem Jonæ in ventre ceti, triduo conservati, tribus diebus ac tribus noctibus in corde terræ quievisti, et resurgens, postea in

* Luc XVIII.

A in cœlum ascendisti, sedensque ad dexteram Patris, Spiritum Sanctum Paracletum in discipulos effudisti; te ergo quamvis peccator indignus, rex piissime, supplici mente expostulo, ut nostra intercessione istius non videntis oculos digneris aperire: simulque ab adstante populo incredulitatis tenebras expellere, ut per omnia et in omnibus tui pretiosissimi nominis gloria celebretur: qui vivis et regnas cum Deo Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen. Finita oratione, exsurgens archiepiscopus aquam sibi jussit afferri, lotisque manibus, ut Deus suam vocem exaudiret, divinum Missæ sacrificium suppliciter celebrare cœpit.

reddit Luglius *uni cæco visum.*
* *Herb.* miserabili

10 Interim præmemoratus Eventinus, clamore admirabili* vociferans, haud dicere talia cessabat: Domine Lugli, pater piissime, memorare mei. Ecce unus clericorum, qui astabat, audiens, quod vox illius tam magnum super ecclesiam faceret tumultum, et astantis populi a percipiendis mysteriis impediret auditum, vasculum, in quo aqua fuerat, unde manus suas archiepiscopus abluerat, arripuit, satisque confidens, quod viri Dei benedictio salutem fidelibus restituere posset, blandis Eventinum alloquiis affatus est, et symbolum fidei ordinatim exponens, interrogabat eum per singula, an crederet. Cumque ille hæc se omnia credere sæpius iteraret, clericus in fide catholica confirmatum agnoscens, aquam in vasculo ante Sanctum Luglium, divino peracto officio, attulit, et ut eam benediceret, postulavit: quam postea cæco porrexit, hortans eum, aqua, unde manus archiepiscopus abluerat, linire oculos, ut salutem, quam postulabat, Domino annuente, recipere mereretur. Ipse autem recuperandæ salutis avidus, manus ex improviso in porrecto vasculo mittit, lotisque oculis, visum continuo recepit. Quod ut Sanctus Luglius percepit, Te Deum Laudamus etc. clara voce incepit, omnisque clerus, qui astabat, cum ipso alacriter perfinivit, plebs quoque laica, parte ex alia secundum scire, laudes Deo referens, flexis genibus, terram pro tanto miraculo osculata est: et resurgens, quamvis
C illitterata, illi exclamavit: Osanna in excelsis, benedictus, qui venit in nomine Domini. Finitis clericalis et laicæ multitudinis hymnis et laudibus, ille, quem coram omnibus Dei virtus illuminaverat, cedente turba, ante beatissimum præsulem venit, et ad ejus pedes provolutus, osculari incœpit, Deoque gloriam et Sancto Luglio, qui sanitatem orando impetraverat, gratiam reddidit.

Teruanam urbem ambo ingrediuntur: ubi ignoti esse cupiunt: excitatum ibi incendium extinguunt.

11 His actis, beatissimi fratres Luglius atque Luglianus, Boloniæ amplius morari nolentes, sed quod Deo voverant, libenti animo complere desiderantes, ab ea, omni clero et populo comitante, egressi sunt. Cumque ad locum, a præfata urbe quatuor distantem milliaribus, cum tanta multitudine pervenissent, ibi a populo eundi accipientes licentiam, comitibus, quos e patria eduxerant, secum retentis, per villas, per vicos et per loca satis aspera, usque Teruanam iter tenuerunt: et ingressi urbem, ad matrem ecclesiam orare perrexerunt. Finitis orationibus, a templo festinanter egressi, subito præ
k nimio fessi labore, hospitati sunt *k*. Nolebant enim, ut per urbem illam fama illorum crebrescens aures domni Theodorici Baini *l*, tunc temporis pontificalem cathedram præsidentis, attigisset, ne divulgati ibi a prædicto præsule retinerentur. Illud autem nostro tractatui inserere credimus operæ pretium, qualiter præfata urbs eorum meritis incendium evaserit, sicut quidam suorum viventium clientum retulisse dicitur *m*, qui se cum illis ad martyrium etiam fuisse, testatus est. In subsequenti enim illius diei nocte, quo Teruanam intraverant, compressis sopore civibus, sanctis autem fratribus murmuratim in lecto Psalmos cantantibus, domus, quæ eorum hospitio jungebatur, incenditur. Expergefacti illico cives a custodibus civitatis ad incendium restinguendum, pariter cucurrerunt: quorum alii culmina domorum conscendunt et diruunt, alii aquam in ignem projiciunt; alii haurientes projicientibus suggerunt. Convalescenti autem flammæ et magis ac magis sese dilatanti resistere non valentes, in pavorem nimium conversi, totius urbis concremanda esse ædificia metuebant. Cumque ignem multas vici E illius ædes occupare prospexissent, maximum tumultum lugendo facientes, hospitem sanctorum fratrum sopore inundatum, excitaverunt. Ipse autem tanto clamore exterritus, a lecto surrexit, currensque scrutandi causa, quid hic tantus significaret tumultus, ostium aperuit. Admiratus autem, unde noctis, prius tenebrosæ, tam subita claritas exorta fuisset, exsiliit, vidensque, quia jam domus suæ loca superiora impetus flammæ succenderet, unde exierat, rediit, fratresque sanctos, sopori deditos, autumans, voce horribili exclamavit dicens: O vos Scoti *n*, festinantes surgite, *n* fugientes discedite; domus enim mea incensa est. Cumque sancti fratres vocem sui hospitis clamantis audivissent, illius caritate, non ignis timore commoti, ad ostium quantocius pervenerunt, et ambo ad terram prostrati ad orationum præsidia recurrerunt. Dehinc Sanctus Luglius surrexit, et archiepiscopali auctoritate procedens, dextera erecta, confisus in Domino, crucis signaculum contra incendium opposuit; sicque flamma, quæ antea nimis convalescebat, statim ad nihilum re- F ducta est, ac si multa pluvia desuper aspergeretur. Qui vero in magna claritate ad incendia venerant, vix ad hospitia, relapsis tenebris, redire potuerunt. Noctis autem illius transacto spatio, sancti fratres celeriter ex urbe egredientes, ne agniti disturbarentur, iter, quod cœperant, abiverunt.

Teruana discedunt; Psalmos in via legunt; a prædonibus, vias publicas obsidentibus

12 Divina autem inspirante gratia cognoscentes, quia die illa martyrii palmam adepti forent *o*, sicut unaquaque die soliti fuerant, Psalterium incœperunt: et ad Vallem, quæ Scyredala dicitur *p*, quatuor a prædicta urbe interpositis milliaribus *q*, cantando per devia nemora et inculta loca pervenerunt. Illis vero diebus totius Morinensis pontificatus territorio *r*, Wandalorum exercitu depopulato, rari remanserant coloni: et qui supererant, magis in latrocinio, quam in terræ cultura corpora exercebant. Tunc temporis enim tres fratres, in latrocinio excompti*, in hoc prædicto pago habitantes, unus videlicet Bovo apud Butnetum; alter vero Escelmus juxta Fracfragium habitans; tertius scilicet Berengerus secus villam,

o
p
q
r

* *Herb.* latrocinio insignes

A villam, Percetum nomine, refugium habens, in saltibus satellites plurimos habebant; illosque die ac nocte ad custodienda nemora et viarum transitoria mittebant, ut pertranseuntes vestibus et aliis, quæ ferrent, despoliarent. Prædictorum latronum satellites ad viam, quæ per Scyredalæ vallis medium porrigitur, custodiendam, die illa, qua Sancti Martyres a prædicta urbe exierant, missi, eos a longe descendentes viderunt, atque inter fruteta absconditi, donec propius accederent, exspectaverunt. Gloriosi nempe fratres, nihil metuentes (ut supra memoravimus) cantando Psalterium, insidias inciderunt, et a satellitibus inique aggressi, procul a semita deducti sunt. Mox omnes, qui advenerant discipuli, ut eos aggressos perspexerunt, pavore arrepti maximo, per devia nemora fugerunt. Unus tamen illorum ad se (stimulante pietate) reversus, quod fugisset valde condoluit, et quid de magistro fieret, toto cordis affectu scire desiderans, ubi eos dimiserat, recurrit; citoque ab apparitoribus perforatus et spoliatus, semivivus relictus est.

gladio feriuntur; subsecuta divina in percussorem ultione. Servus custodit eorum corpora; eaque Angeli visitant.

13 Beatissimi autem Luglius atque Luglianus coram famulo, consolandi gratia adstantes, et ad finem Psalterii festinantes, et multum martyrio congaudentes, in oratione perseverabant. Cumque, Vivet anima mea et laudabit te *, cum sequenti versu pronuntiassent, ecce a persecutoribus percutiuntur, ac capitalem subeuntes sententiam, pariter vita spoliantur, ac vestibus. Quorum animæ, ab Angelis susceptæ, æterni Redemptoris offeruntur aspectui, et cum candidato Martyrum exercitu laudant Dominum in æternum. Continuo igitur qui in beatissimos Martyres ictum miserat læsionis, maximusque instigator, ut occiderentur, exstiterat, arreptus a diabolo, evidenter vexatur, et in eodem loco, aliis fugientibus, derelictus, a feris discerpentibus consumitur. Præfatus autem famulus haud procul a Sanctis Martyribus vulneratus jacens, surrexit, et (pro posse) felicia Sanctorum corpora colligens, ex parte cooperuit: ac juxta ea, tenebris jam relabentibus, per totam noctem discumbens, custodivit. Qui nocte illa continua patefactum
C cœlum super Beatos Martyres testatus est se vidisse, ac per scalam, a terra usque ad firmamentum porrectam, Angelorum choros cum ingenti lumine descendisse, Sanctorumque corpora venerabili obsequio visitasse. Nec dubitandum, quin eorum animas per se ipsum Dominus multiplici retributionum genere mirificet in cœlis, qui ita eorum corpora per suos cœli ministros glorificat in terris: ad laudem et gloriam nominis sui, quod est benedictum in sæcula. Amen.

* Ps. CXVIII

ANNOTATA.

a *Si Dodanus totius Hiberniæ monarcha fuerit, mirum est, nomen ejus regum Catalogis non inveniri. Credibilius est, præpotentem dynastam, quam monarcham exstitisse.*

b *Nituntur hæc narratione cujusdam indigenæ Hiberniæ; sed quanto temporis spatio is a sæculo* VII *remotus fuerit, Vita silet.*

c *Simile quid retulimus hic Tom.* V, *num* 12 *commentarii de S. Bertulpho, quem adisis* (1). AUCTORE J. G.

d *Mirum est, archipræsulem Hiberniæ, cui* Luglium *successisse tradit biographus, ab eo non nominari; sed nec prodi nomen archiepiscopalis urbis.*

e *Nititur et hæc biographi assertio cujusdam Hiberni relatione, cujus tamen ætatem non prodit, sed nec auctoritatem. Fuit haud dubie Hibernus ille sæculo plus uno aut altero Sanctis nostris junior, ut qui meminit de eorum ecclesia, in qua* triginta quatuor canonici *Deo et S.* Luglio *deserviunt.*

f *Adi Annotatum præcedens, et observa, non assignari sæculum, quo* veterani *illi seu* majores *vixerint. Adi et Commentarii prævii num.* 3 *sub finem.*

g *Herbius hæc ita edidit, suo, ut arbitror, mutato stylo:* Porro nullo modo sæcularis dignitatis sarcina illis imposita arridebat; quamvis præcelsi meriti illos sanctitas extolleret.

h *S. Augustinus, Anglorum apostolus, episcopusque Cantuariensis in Anglia, obiit anno Christi* 608 (2).

i Boulogne-sur-Mer *vulgo nuncupatur. Olim* E Gessoriacum *vocabatur. Adi hic dicta de ista urbe* (3). *Plura vide in Notitia Galliarum, auctore Adriano Valesio* (4): *ubi etiam leges, urbem hanc ab antiquioribus non* Boloniam *sed* Bononiam *nuncupatam fuisse; tametsi contrarium indicent scriptores Galliæ Christianæ* (5).

k *Nempe in communi aliquo urbis diversorio.*

l *De S. Baino, cui Vita hæc* Theodorici *pronomen fuisse asserit, vide hic disputanda ad annum* 729 (6).

m *Vox hæc* dicitur *satis denotat, narrationem hanc non niti certo coævi testis testimonio.*

n *Hiberni antiquitus Scoti vocabantur* (7).

o *Martyrium nempe improprie dictum. Adi Comment. prævii num.* 4.

p *Malbrancquius vallem hanc nunc vocari asserit* La Vallée de Frefay.

q Milliaria, *de quibus hæc Vita loquitur, sunt* leucæ Belgicæ, *non millia passuum geometrica.*

r *Locum hunc, uti et alia quædam, hocce* F *numero relata, Malbrancquius in hunc modum exposuit in suo libro de Morinis* (8): Jam quatuor (*ab Urbe Teruana*) leucas per devia nemora et inculta emensi (*SS.* Luglius *et* Luglianus) in vallem, cui Scyredala nomen, descendere, Locus est fractagio (*nunc* Frefay) ad viam Romanam sito proximus. Recta processere, indigi proborum consilio, qui prædonum manus hic exeundas edocerent. Namque superioribus annis affusi per Oceanum in Morinos barbari, eas partes depopulati fuerant. (*Quidni et Wandali proprie dicti, qui Arcadio VI et Probo coss. anno Christi* 406, *trajecto Rheno, Gallias ingressi sunt, uti ex scriptoribus fide dignissimis ostendimus* (9). *Partes autem, de quibus hic Malbrancquius, illæ sunt,* quæ inter Blangiacum (*Gallice* Blangi) Perniacum (*Gall.* Pernes) et Teruanam interjacebant, quæ necdum suos colonos receperant: nam indigenæ quipiam, quos forsan olim meliores bearant

(1) Act. SS. Belg. tom. V, pag. 457. — (2) Cfr Act. SS. tom. VI Maji, pag. 373. — (3) Act. SS. Belg. tom. I, pag. 388. — (4) Pag. 231. — (5) Tom. X, col. 1526. — (6) Act. SS. Belg. tom. VI, pag. 646. Cfr Act. SS. tom. IV Jun., pag. 26. — (7) Ibid. tom. I, pag. 3 et 15. — (8) Act. SS. Belg. tom. I, pag. 527. — (9) Ibid. pag. 456.

AUCTORE J. G. copiæ, illorum exemplo prædandi studio se addixere. Hos inter grassabantur ter gemini fratres, bipedum nequissimi. Alter, Bovo nomine, domicilium fixerat apud Butnetum et modo Bunet silvula ad Lillerium nomen retinuit : alter Escelmus (alias Helcelinus et Hescelinus) Fracfagii (Frefay) incola : tertius Berengerus juxta villam Percetum (jam Persy) Perniaco contiguam. Frequenti omnes satellitio freti, quod ad exitus viarum amandabatur. Et hac ipsa die, quasi data opera ad Scyredalam vallem stabant explorabundi. Ut viros, in proclivia tendentes, conspexere, D oppido inter fruteta latitantes, dum propius accedant, opperiuntur. Interea germani (Luglius et Luglianus) de his nihil anxii, psalmodiæ solito alacrius incumbunt. Detectis prædonum ambagibus, protinus non modo corporis exuvias, sed corpus ipsum et animam pro Christi nomine profundere se paratissimos exclamant. *Et post pauca subdit :* Ecce gladio plectuntur, spoliantur vita et vestibus, projecto in lacunam utriusque corpore, ac sine honore relicto.

DE S. LEOTHADIO,

CONFESSORE EPISCOPO, AUGUSTÆ AUSCIORUM,

J. V. H. **SYLLOGE HISTORICA.**

B E

§ **Unicus. Paucitas monumentorum; Sancti præfectura in monasterio Moissiacensi; initia metropoliticæ dignitatis in Ausciensi Ecclesia : tempus episcopatus incertum; variæ translationes.**

FORSAN ANNO. DCCXVII. *Inter patronos suos colit Ecclesia Auscien-sis S.* Leothadium, *Quamvis multos, inquit nuperrimus scriptor R. D. Monlezun* (1), *colat Ausciensis Ecclesia pontifices, sanctimoniæ laude insignes, quatuor tamen præcipuo honore et veneratione prosequitur, S. Taurinum, sub die* V *Septembris* (2), *S. Orientium, sub die* I *Maji* (3), *S. Austindum sub die* XXV *Septembris* (4) *et S.* Leothadium, *cujus festivitas hac die* XXIII *Octobris celebratur. De tribus prioribus egerunt majores nostri, ut notamus ad calcem paginæ. Superest S.* Leothadius, *cujus rerum gestarum avara nimis fuit antiquitas; ut vix pauculas reliquias e vasto naufragio surripere nobis sit datum: quin et hæc ipsa, controversiis intricata, tenentur. Præterea S.* Leothadii *nomen plerosque martyrologos latet. In Auctariis Usuardinis, a Sollerio sub hac die editis, sancti* C *episcopi nomen recensent Aquicinctinum, Castri Caroli et Cluniacense hisce verbis :* Eodem die (XXIII *Octobris*) Sancti Leotadii episcopi et Confessoris. *Hisce addit laudatus hagiographus Ausciensis* (5) *Sanctum antistitem, in Burgundia Vita functum, Auscium relatum fuisse; quin istiusmodi translationi certum tempus assignari possit. Castellanus etiam S.* Leothadium *ex abbate Moissiacensi episcopum Auscii annuntiat. Licet hæc parca et jejuna sint, non nocent tamen S.* Leothadii *honori et cultui, qui ab omni ævo in Ausciensi Ecclesia perstitit, et frequentatur a fidelibus, sanctum invocantibus in morbis, præsertim epilepticis* (6).

qui dicitur ex principibus Aquitaniæ ortus; 2 *Progredimur jam ad ea, quæ traditio aut servavit aut effinxit circa S.* Leothadium, *et trutina historica expendimus. Fertur imprimis S.* Leothadius *familiam principum Aquitaniæ, et speciatim Eudonem, Vasconiæ ducem, attigisse; dum alii magis ejus genus ad Carolum Martellem, adeoque ad Carlovingicam stirpem revocant : quapropter R. Canonicus Monlezun mavult utrinque ejus consanguinitatem dispertire, quatenus simul et Eudonem, adeoque Merovingicam, et Carolum Martellum, ac proinde Carlovingicam stirpem attigerit* (7). *Ast hæ opiniones parum veri similes videntur. Imprimis dubia valde est, saltem sæculo septimo aut octavo, quo floruit S.* Leothadius, *cognatio inter Merovingicam et Carlovingicam familiam. Dein Eudonis Aquitanici genealogiam habemus satis accuratam ex diplomate fundationis monasterii Alahonensis in Hispania, quod magna ex parte dabimus in Actis S. Odæ Viduæ hac ipsa die. In hoc porro documento nihil occurrit, quo S.* Leothadius *principali Aquitanicæ familiæ annecti posset. Consule, si lubet, tabulam genealogicam Eudonianæ familiæ apud Benedictinos scriptores Historiæ Occitaniæ* (8). *Cæterum posita S.* Leothadii *consanguinitate cum Eudone, nullum est dubium, quin Sanctus domesticum habuisset seu ducem seu sectatorem, S. Hubertum: quum hic certe ad principalem Aquitanicam domum pertinuerit. Uter vero alterum præcesserit, determinare non valemus, quum ætas Ausciensis antistitis tam certo hactenus cognita non sit, ut firmum aliquod argumentum præbere possit.* F

et Moissiacensi monasterio præfuisse; 3 *Traditur etiam, S.* Leothadius, *antequam Ausciensem cathedram conscenderet, monasterii Moissiacensis, in diœcesi Cadurcensi siti, præfecturam gessisse. Traditionem rejicit Cointius ad annum* 691 § XXIV *dicens, abbatem Moissiacensem appellari Leocadium seu Leochadium, adeoque cum S.* Leothadio, *Ausciensi episcopo, confundendum non esse. Sed leviuscula est objectio: etenim frequens est in anti-*

(1) Monlezun. Vies des SS. Evêques d'Auch. pag. 1.— (2) Act. SS. tom. II Sept., pag. 630. — (3) Ibid. tom. I Maji, pag. 60. — (4) Tom. VII Sept., pag. 152. — (5) Monlezun, pag. 19. — (6) Ibid. l. c. — (7) Ibid. pag. 17. — (8) Hist. du Langued. tom. I, pag. 689.

quis

A *quis documentis istiusmodi nominum alteratio, ut inde aliquid concludi possit. Dein fidentius quam verius appellat Cointius Moissiacensem abbatem Leocadium. Enimvero in Vita S. Desiderii, Caturcensis episcopi, a Philippo Labbe edita, hæc leguntur* (1): Nullum quidem eo tempore in urbe Caturcæ propositum monachi, neque habitum Religionis aut Regulæ cœnobialis intraverat: secta Columbani procul aberat, instituta B. Benedicti longe distabant. Desiderii autem tempore hæc secta Caturcæ intravit, hujus sub die hæc Religio adolescere cœpit: nam et Marciliacense cœnobium hujus temporis a viris laudabilibus Anseberto et Leuthado initiatum est. *Facile dabitur, Leuthadi et Leothadi seu Leothadii unum idemque nomen esse: adeoque Cointium minus accurate locutum. Philippus Labbe in Appendice ad priores tomos Bibliothecæ, ad calcem voluminis secundi posita:* Pro Maciliacensi, *inquit,* cœnobio sedulus in rem suam, suique monasterii honorem interpolator Moissiacense substituit pessima fide, subjecitque, paulo ante regiis expensis initiatum, hujus
B tempore a viris laudibilibus Ansberto et Leochadio competenter expletum. *Est certe Marciliacum monasterium in episcopatu Cadurcensi situm: ast quo tempore vivebat S. Desiderius, valde dubium est, an exstiterit. Gallia Christiana tamquam* popularem traditionem *habet Marciliacum sive a Pipino, patre Caroli Magni, sive a Pipino, Aquitaniæ rege fundatum fuisse; qua etiam traditione admissa, fundatio Marciliacensis centum fere annis S. Desiderio posterior est, ut infra monstratur. Imo fatetur, nullam ejus antiquiorem fieri mentionem, quam anni* 960 (2): *adeoque ad tempora S. Desiderii Caturcensis non pertinet Marciliacensis fundatio. Dein esto nomen Moissiacense mala fide interpolatum: traditio præfecturæ monasticæ, a S.* Leothadio *gestæ non magnum capiet detrimentum. Etenim habemus aliud instrumentum, a Mabillonio allatum* (3), *ex quo constat anno septimo Theodorici III, seu vulgari* 677, *Nizezium cum uxore sua Ermentrude vendidisse* Leutado, *abbati Moissiacensi, varia prædia: quum porro Cointio episcopatus Ausciensis S.* Leo-
C thadio *incœpit anno* 691, *profecto ratio temporis optime quadrat: nec est, quod ex hac parte pugnet cum Sancti præfectura Moissiacensi.*

cui opinioni momenta chronologica minime repugnant:

4 *Rem tamen propterea confectam esse non dixero. Nam contra Moissiacensem præfecturam S.* Leothadii *gravius argumentum affert Cointius l. c. cui suffragantur scriptores Galliæ Christianæ* (4). *Scilicet Moissacum initiatum fuit, vivente S. Desiderio, ut liquet ex biographo ejus supra citato: Desiderius autem vita functus est, secundum Cointium l. c.* § XXIII anno sexcentesimo unde quinquagesimo, *secundum Mabillonium anno* 656 (5), *quæ septennii diversitas ad diem* XV *Novembris, qua Acta S. Desiderii illustrabuntur, examinanda recurret. Utramlibet sententiam quis amplectatur, nihil in alterutra repiriri potest, quæ absurdam faciat opinionem eorum, qui censent, S.* Leothadium *ante episcopatum Ausciensem assumptum aliquanto tempore Moissiacense asceterium rexisse. Ipse certe Cointius ad annum* 674 § CXI *statuit Sanctum episcopum factum anno Christi* 691, *sedem tenuisse annis* XXVII, *adeoque* X *kal. Novembris* 718 *diem obiisse supremum. Qua in chronotaxi, inter tempus quo monasterium Moissiacense ac porro diœcesim Ausciensem administravit, annos habemus quadraginta duos; quæ temporis intercapedo tanta non est, ut uni eidemque* Leothadio *tribui non possint et præfectura Moissiacensis et Ausciensis pontificatus. Quapropter recedendum non credimus a vulgari traditione secundum quam concedendum erit, Sanctum ad senium usque vixisse, v. g, nonagenarium obiisse: quam ætatem nemo absurdam et impossibilem dixerit. Cæterum tam vaga fluxaque est Sancti nostri chronotaxis, ut definitæ alicui epochæ certo firmoque indicio innecti non possit; et sive antecessorum sive successorum S.* Leothadii *tempora expendamus, nihil occurrit; quo certo vestigio consistere possimus. Non est igitur cur Menardum, receptam traditionem secutum, tam præfidenter reprehendat Cointius.*

AUCTORE J. V. H.

ast minus firmum est, quod traditur

5 *Ast aliud est, cur justius majorique cum veritate Menardus a Cointio ad an.* 691 § XXIV, *vapulat; quia dixit, Sanctum fuisse archiepiscopum Ausciensem* (6), *quum sæculo octavo jus metropoliticum esset penes episcopum Elusanum. Et quidem sunt non pauci, qui dignitatem metropoliticam existimant primum collatam fuisse sæculo nono satis provecto, nixi epistola Joannis Pp. VIII anni* 879, *quæ inscribitur:* Airardo archiepiscopo (*Ausciensi*), Involato Convenensi, Wainardo Conserano, Sarstono Biggorensi episcopis (7), *in qua incestuosæ nuptiæ prohibentur. Atque hunc Airardum primum fuisse, Ausciensis Ecclesiæ archiepiscopum, aperte docet Odo levita scribens ad Garsiam archipræsulem, hujus nominis primum, qui in fine sæculi decimi sedem occupavit* (8), *quandoquidem hunc dicit,* septimum exstitisse jure pontifici felicitatis vitæ claudendi et rescrandi (9). *Et vero expuncto, ut vult Gallia Christiana* (10), *Odilo aut Seguino, utroque incerto, septimus est ab Airardo Garsias antistes. Ex quo consequitur, S.* Leothadium *recte episcopum, non vero archiepiscopum Ausciensem, vocari debere.*

F *a variis*

6 *Atque hic gradum sistere possemus, nisi difficultatem nobis crearet Joannes Stiltingus noster in Sylloge historica S. Taurini Ausciensis ad diem* V *Septembris* (11). *Videtur nempe viro sagacissimo Odo,* qui barbare et obscure scripsit, *non satis clare indicare initium archiepiscopalis dignitatis, Ausciensi sedi attributæ. Quod quidem eatenus admitto, quatenus limpidioribus et usitatioribus vocibus rem suam potuisset explicare Odo levita. Verum id quidem extra omnem controversiam est, Garsiam septimum esse, qui aliquam potestatem clavium acceperit: quoniam autem de episcopali jurisdictione intelligi nequit, Garsia scilicet inter Auscienses præsules occupante, secundum Galliam Christianam* (12), *quinquagesimum quartum locum; non video, quam aliam præter metropoliticam jurisdictionem, a qua septimus est Garsias, indicare potuerit Odo. Cum Stiltingo*

(1) Nov. Biblioth. M SS. tom. I, pag. 707. — (2) Tom. I, col. 177. — (3) Tom. I, Annal. pag. 631. — (4) Tom. I, col. 159 et 976. — (5) Vet. Analect. pag. 521. Edit. Paris. 1723. Cfr De la Croix. Series epp. Cadure. pag. 29. — (6) Martyrol. ord. S. Bened. pag. 724. — (7) Migne. Patrol. tom. CXXVI, col. 844. — (8) Gall. Christ. tom. I, col. 978. — (9) Ibid. instrum. pag. 159. — (10) Ibid. col. 978 n. — (11) Act. SS. tom. II Sept., pag. 633. — (12) Tom. I, col. 978.

tamen

AUCTORE J. V. H.

tamen consentio, S. Taurinum, multo antiquiorem, ducem et quasi primipilum non fuisse. Huc etiam facit alterum argumentum, quo opinio nostra confirmari potest. Notum scilicet est Gallicarum provinciarum, metropoles civiles simul etiam ecclesiasticas fuisse ac permansisse usque ad currentis hujus sæculi initium, quo novis limitibus circumscriptæ fuere Galliæ provinciæ et diœceses vi Concordati anni 1801. *Sic, ut rem coram exhibeamus: Provinciæ Lugdunensis Primæ metropolis fuit Lugdunum; Lugdunensis Secundæ, Rotomagum; Lugdunensis Tertiæ, Turones; Lugdunensis Quartæ seu Senoniæ, Senones; Belgicæ Primæ, Treviri; Belgicæ Secundæ, Remi; Germaniæ Primæ Moguntia; Germaniæ Secundæ, Colonia Agrippina; Maximæ Sequanorum, Vesuntio; Alpium Graiarum et Penninarum, Darantasia; Viennensis, Vienna, Aquitanicæ Primæ, Bituricum: Aquitanicæ Secundæ, Burdigalæ; Narbonensis Primæ, Narbona; Narbonensis Secundæ, Aquæ Sextiæ; Alpium Maritimarum, Ebredunum. Hanc Galliarum Notitiam inter alios ediderunt D. Bouquet* (1) *et accuratius D. Guerard* (2). *Patet autem omnes has metropoles civiles etiam ecclesiasticas fuisse ac permansisse: imo quum in allegata Notitia sub metropoli Viennensi ordinetur* civitas Arelatensium, *sunt variantes lectiones, a D. Guerard recensitas, in quibus legitur:* Provincia Arelatensium, metropolis civitas Arelatensis (3). *Qua occasione Arelas in metropolim erecta fuerit, et quæ exortæ cum Viennensi metropolita dissensiones, exponunt passim historiæ ecclesiasticæ scriptores. Consule, si lubet, Cointium ad annum* 508 §§ LIV *et seqq.*

de metropolitica in Ausciensi Ecclesia jurisdictione.

7 *Consulto omisimus hactenus provinciam Novempopulanam, de qua specialis est quæstio. Hæc in citata Notitia sequenti modo describitur* (4): Metropolis civitas Elusatium (Eauze); civitas Aquensium (Acqs); civitas Lactoratium (Lectoure); civitas Convenarum (Comminges St Bertrand); civitas Boatium (*secundum aliquos* Bayonne, *secundum alios* Tête-de-Buch); civitas Benarnensium (Lescar); civitas Aturensium (Aire); civitas Vasatica, ubi castrum Bigorra (Bazas); civitas Elloronensium (Oloron); civitas Ausciorum (Auch). *Descriptioni Novempopulaniæ subnectit D. Guérard variantes lectiones, ex viginti quinque codicibus manu scriptis bibliothecæ Parisiensis desumptas : inter eas autem sunt viginti et unus, qui ponunt metropolim* civitatem Ausciorum, *et totidem, qui Elusatium civitatem ultimo loco constituunt : imo unus, sæculi quidem quarti decimi, habet :* Civitas Elosatium, metropolis quondam, modo villa (5). *Non videtur tamen desiisse Elusanus episcopatus ante sæculum nonum, quo civitas a Normannis deleta fuit; quamvis nomen alicujus episcopi post sæculum septimum, ultra medium provectum, hactenus repertum non sit; ultimus, cujus nomen cognoscatur, est Paternus, qui anno* 663 *priviligio monasterii Corbejensi subscripsit* (6). Post Paternum, *ait Gallia Christiana* (7), desiderantur plurimi præsules Elusanæ Ecclesiæ ; in hoc enim loco perseveravit adhuc sedes metropolitana usque ad sæculum IX, quo urbs a Normannis destructa est, et sedes Ausciensis metropolis honore fuit cæteris Novempopulaniæ anteposita. *Manente autem sede episcopali Elusæ, nulla canonica videtur ratio, cur jure suo metropolitico privaretur : ac sæculo* VIII *vigebat lex ecclesiastica,* ut, *inquit, Adrianus Pp. I* (8), sicut antiquis privilegiis singulæ metropolitanæ urbes fundatæ sunt, ita maneant... Nec debet ecclesia ullum damnum sui ordinis inde sustinere, si per LX aut LXXX et eo amplius annos incuria quorumque præsulum et vastatione barbarorum dignitatem antiquam, et Romanorum antistitum firmitate roboratam, perdidit et amisit, quando innumeris pene annis illa, Spiritu Dei disponente, usa fuerit. *Hæc epistola ad Bertherium Viennensem missa, ad omnes episcopos, ut in textu dicitur, directa fuit. Ex his satis probabile evadit, episcopum Ausciensem, sublata primum sede Elusana sæculo* IX, *metropoliticam dignitatem consecutum fuisse : adeoque Sanctum nostrum* Leothadium *ex albo metropolitarum seu archiepiscoporum expungendum esse.*

Tempus episcopatus utcumque definitur;

8 *Atque hæc fere sunt, quæ de sancto episcopo Ausciensi disputare licet. Cointius ad annum* 674 § CXI *addit :* Perpetuum existimamus hoc anno factum episcopum, et, ut Chenutius affirmat, annos egisse in præsulatu septemdecim, id est, ad annum 691 pervenisse, quo S. Leothadius ei successit. Addit Chenutius, S. Leothadium annos sedisse septem ac viginti. Nihil ad nostram chronologiam convenientius dici potest, quia S. Leothadius, ut Sammarthani ex veteribus membranis Ausciensis Ecclesiæ probant (9), ex hac vita decessit decimo kalendas Novembris, anno Christi duodecimo* supra septingentesimum. *Hactenus Cointius, quem, quia aliud non habemus, utcumque sequimur : id tamen dolendum, neminem exhibere instrumenta, quibus assertiones firmentur. Saussayus in supplemento ad Martyrologium Gallicanum de S. Leothadio hæc habet* (10) : In Burgundia Sancti Leothadii Augustæ Ausciorum, jam sedis metropolitanæ, antistitis. Hic ex abbate Moissiacensi ad confluentes Tarni et Saræ amnium in Caturcensi agro, hanc ad cathedram ob micantia plenæ Deo mentis lumina evocatus, et inceptum asceterium absolvit et pastoris boni exempla secutus, diœcesim suam, adeoque et Novempopulaniam universam, ad præscriptum divinæ voluntatis gubernavit. Quum autem creditas sibi oves annis XXXVII (*alii* XXVII) sanctissime rexisset, in Burgundia, quo pro utilitate ecclesiastica profectus erat, ad suorum laborum metas pervenit, placidaque morte in Christo, qui vera vita est, requievit. Corpus ejus, ad propriam sedem revectum et in summa æde sanctissimæ Virginis Deiparæ conditum, signis gloriæ plerisque effulsit : ex quibus id effectum, ut fidelis populi votis, tamquam gratus apud Deum suffragator, jam abhinc fuerit invocatus; quibus, largiente Domino, non raro opitulatur. Succurrit etiam sæpissime Beatus Confessor et Pontifex clientibus suis contra omnes angustias mentis et corporis; at potissimum contra subitaneam mortem patrocinatur.

* decimo septimo?

(1) Rec. des Hist. de France. tom. II, pag. 1 et seqq. — (2) Essai sur les divis. territ. des Gaules. pag. 12. — (3) Ibid. pag. 25. — (4) Ibid. pag. 28. — (5) Ibid. pag. 30. — (6) Mabillon. Annal. tom. I, pag. 433. — (7) Tom. I, col. 970. — (8) Migne. Patrol. tom. XCVI, col. 1215. — (9) Gall. Christ. Vet. tom. I, pag. 98. — (10) Pag. 1185.

ac in Burgundia defunctus probabiliter asseritur.

9 S. Leothadium *in itinere Burgundico obiisse, traditio est, eaque undecumque firma, si constat, ejus corpus istic diu quievisse servatum. Legitur autem in carta Cluniacensi* (1), *Stephanum cum uxore Ermengarde abbati Cluniacensi Eymardo seu Aymardo dedisse* curtem indominicatam, quæ vocatur Oydellis, cum capella, quæ est constructa in honore Beatæ Dei Genitricis Mariæ, ubi Beatus Leotadus in corpore quiescit : *dicta autem curtis sita est* in comitatu Arvernico in episcopatu Augustodunense. *Quis sit iste locus* Oyellis, *quem Baluzius gallice reddit* Oudelle (2) *me latet, neque occurrit in polyptycho sive Augustodunensi aut Cluniacensi, aut in hodiernis lexicis geographicis reperiri potuit. Ast quidquid sit de loco, perspiciendum est, num in citata carta de S.* Leothadio *Ausciensi agatur, an contra de altero homonymo. Et quidem nullus hujus nominis, præter Sanctum Ausciensem episcopum, recensetur in fastis sacris, quantum eos perscrutatus sum, qui cultu ecclesiastico gaudeat : dein, quum S.* Leothadii, *teste Menardo* (3),
B *nomen ad diem* XXIII *Octobris referat vetus Kalendarium Cluniacense, veri omnino simile est, corpus Oyellis anno* 952, *ut habet carta supra citata, esse S.* Leothadii, *Ausciensis episcopi. Quæstio profecto dirempta foret, si de translatione constaret; verum et hoc nobis invidit antiquitas. Quæstionem in medio relinquit Gallia Christiana* (4); *ast D. Brugelles in suis Chronicis Ausciensibus, citatus a R. D. Monlezun* (5), *indubiam habet vulgarem opinionem. Atque hæc sunt, quæ de rebus gestis S.* Leothadii *possumus utcumque explicare.*

ex Burgundia translatum corpus Auscii quiescit,

10 *Quamvis certo scirent Auscienses corpus S.* Leothadii *in ecclesia metropolitana quiescere, lapsu tamen temporis deleta erat memoria definiti loci, quo recondebatur. Ast Leonardus de Trapes, qui ab anno* 1599 *ad* 1629 *Ausciensem Ecclesiam rexit, anno* 1610 *S.* Leothadii *exuvias, in sede metropolitana, quam magnis sumptibus instaurabat, invenit. Rem totam adamussim narrat Antonius Montgaillard, Societatis nostræ presbyter, in Historia Vasconica, hactenus, ut Sothwellus in Bibliotheca Scriptorum dicit, inedita, quam proinde ex opusculo*
C *R. D. Monlezun, qui signat T.* I *f°* 275, *proferimus* (6). Pretiosum Beati hujusce Leothadii corpus cum aliis duobus Sanctorum Taurini et Austindi inventum est a Rmo D. Leonardo de Trapes, archiepiscopo Auxitano sub initium anni MDCX in visitatione basilicæ cathedralis hoc, qui sequitur, modo. Constanti habebatur fama, certaque traditione credebatur, in tribus lithinotaphiis, quæ in cryptis cathedralis ecclesiæ Auxitanæ tribus in altaribus diversis visuntur, deposita fuisse tria Beatorum Taurini, Leothadii et Austindi corpora; sed vel temporum incuria vel diuturnitate, e memoria deletum erat quo quisque tumulo contineretur. Hoc tandem ferebatur, in eo sepulcro, quod introeuntibus ex archiepiscopio in secundo sacello reperitur, B. Taurini corpus contineri. Cætera incerta ; ergo sagacitate opus fuit, quum nec diptycha, nec libri, nec lapides loquerentur.

11 Ut aperta sunt illa lithinotaphia, diligenter quæsitum est, an omnia in quolibet tumulo corporis ossa reperirentur; et quidem adstantibus et explorantibus medicis ac chirurgis, duo bene integra in duobus sepulcris inventa sunt. In tertio brachii unius partem inferiorem, quæ manui adhæret, deesse affirmarunt. Hic igitur venerandæ canonicorum lipsanothecæ argenteæ arcessendæ aperiendæque fuerunt ; gravique virorum illorum assertione, eorumdem monumentis contestata, B. Leothadii brachium eductum est. Nec deficit dicto fides. Accepto enim osse illo ex lipsanotheca argentea, aliisque brachii ossibus, in tumulo lapideo jacentibus, composito, tam apte commissuris ac juncturis inhæsit, ut adstantium nemini dubium reliquerit, hoc os hujusce corporis esse. Ac ne forte cuipiam vel minima dubii remaneret causa, collatæ commensuratæque brachii cum brachio, rursus brachii cum cæteris ossibus innatæ proportiones, constansque symmetria debitæ longitudinis, ejusdem coloris, magnitudinis, nulla parte inæqualis, luce meridiana rem effecere clariorem. Quare ex hoc jam primo constitit corpus S. Leothadii in pro- E
ximo ad archiepiscopium sacello repertum esse.

AUCTORE J. V. H. *quod Leon. de Trapes, aëp. Ausciensis,*

12 Ad alia igitur sepulcra accedentes, rursus, ut veritas clarescceret, dubitandum fuit, ex iis quodnam esset B. Taurini corpus; quodnam B. Austindi? Sed et hic difficilis non fuit conjecturæ locus. Certum est enim, B. Taurinum gloriosissimo certamine martyrii vitam clausisse, suprema scilicet capitis parte contusa. Quæsitum est ergo in secundo tumulo cranium, itaque, ut fama ferebat, inventum : nempe contrita penitusque abscissa illa parte dextra cranii a vertice ad aurem, quantum vola manus apertæ contegeret. Quo certissimo indicio cognitum est, B. Tauriui lipsana in secundo sacello jacere. Reliquum fuit, ut tertium S. Austindo confessori concederetur. Quod et aliis argumentis post hæc fuit manifestum. Nam et ossa ipsa inter se composita, sericique panni, quibus sacræ isthæc Reliquiæ involvuntur, id ipsum attestata sunt : quum ea, quæ in tumulo B. Austindi videntur, recentiora; quæ in B. Leothadii vetu- F
stiora, quæ in B. Taurini vetustissima apparcant, quod veritati historicæ maxime est affine. Inventis ergo ab religiosissimo antistite sacris corporibus, is honor, qui debebatur, est redditus. Ac primum celeberrima pompa, tota urbe supplicante, clero populo Auxitano (*comitante*), capita illa sanctissima, tanta quondam pietate, sapientia, divinoque lumine plena, pretiosissimis pannis involuta tum ab ipso reverendissimo præsule circumlata sunt, tum ab antiquissimis capituli canonicis : ac dein lithinotaphia, uti prius, erant conclusa, relicto prius ibidem scripto (de) hujusce festæ diei inventione, membranis antiquorum voluminum more involutis,quod sit æternæ memoriæ monimentum. Capita vero honorifice in sacrario reposita, donec argenteæ, quæ curantur, lipsanothecæ fuerint elaboratæ.

canonice visitat,

13 In hac fausta sacrorum pignorum inven- *qua de re solemne instrumentum confecit,*
tione, ne Collegium Societatis nostræ sua

(1) Baluze. Hist. de la maison d'Auvergne, tom. II, pag. 1. — (2) Ibid. tom. I. pag. 29. — (3) Martyrol. Ord. S. Bened. pag. 724. — (4) Tom. I, pag. 976. — (5) Vies des SS. Evêques d'Auch. pag. 19. — (6) Ibid. pag. 90.

benedictionis

AUCTORE J. V. H.

benedictionis parte fraudetur, amantissimus nostri præsul, non inscius quam ardentibus votis nostri patres hujusce divini thesauri particulam exoptarent, de Leothadii partem costæ, de Austindi partem ossis majoris, de Taurini corpore digiti unius articulum ultro nobis obtulit: sibi vero pallia et baculos pastorales ligneos, qui in monumentis reperti fuerant, retinuit; non alia de causa, nisi quod nimia vetustate consumpti, ad eam levitatem bacilli redacti sunt, ut medullam sambuci crederes adeoque fragiles erant, ut minimo contactu in favillæ modum evanescerent. *Mendosa quædam, vitio typothetarum intrusa, correximus, et quæ deesse videbantur, voces, uncinis inclusas, supplevimus. Totius rei gestæ instrumentum solemne confecit laudatus Leonardus de Trapes archiepiscopus, sequentis tenoris* (1): Leonardus miseratione divina et sanctæ sedis apostolicæ gratia archiepiscopus Auscitanus universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus, quod nos anno Domini millesimo sexcentesimo decimo, die decima quarta mensis Ja-
B nuarii, procedentes et continuantes visitationem a nobis inceptam in ecclesia nostra metropolitana, et visitatis omnibus altaribus et cæteris visitandis in dicta superiori nostra ecclesia, in inferiores capellas subterraneas descendimus, in quarum (prima,) quæ est ex parte domus nostræ archiepiscopalis, altare lapideum reperimus, super quo sepulcrum etiam lapideum repertum est, in quo Sancti (Leothadii) archiepiscopi prædecessoris nostri corpus conditum omnes asserebant, cujus rei ut certiores essemus, idem sepulcrum coram venerabilibus viris, magistris Francisco Vedelly, abbate de Fageto, syndico capituli, Bernardo Dufaur, Geraldo Daignan, Ramundo du Mas, Joanne Destarac, Durando du Mont, Joanne Jacobo Acosta, Sanxio Chappuys et Petro Rouede, nostræ Ecclesiæ canonicis, Manaldo Falga præbendato, magistris Guillelmo Laburguiere, Joanne Borie et Dominico Pujol, consulibus, a Guillelmo Bauduer fabro lapidario seu cæmentario aperiri jussimus. In quo sepulcro corpus divi Leothadii, (infe-
C riori parte brachii minutum) reperimus et caput integrum, quod extraximus, ut argenteis capsis inclusum, in nostra dicta ecclesia metropolitana conservetur totius populi devotioni, et majori dicti S. Leothadii honori sit et habeatur. Quo facto, dictum sepulcrum recludi (et) celari fecimus ab eodem fabro lapidario seu cæmentario. In quorum fidem has præsentes litteras, manu propria signatas et sigillo nostro munitas, per secretarium nostrum expediri jussimus. Datum Ausciis, in domo nostra archiepiscopali, die decima quinta mensis Januarii, anno Domini millesimo sexcentesimo decimo. Leonardus *etc. sequuntur subscriptiones reliquorum præsentium.*

sicut et de exuviis SS. Taurini et Austindi:

14 *Similes litteræ pro aliis Sanctis, Taurino et Austindo, expeditæ: ita ut solum mutata fuerint nomen Sancti et numerus Sacelli, in quo jacebat. Nescio quo lapsu calami, R. D. Monlezun in capite scripserit agi de corpore* S. Leothadii, *in corpore dein ipsius instrumenti agat* D *de Austindo: quapropter et nos debuimus quædam verba textus, uncinis inscripta, exuviis S. Leothadii adaptare. Cæterum hæc de tribus sanctis pontificibus eo lubentius attulimus, quo minus hæc reperiuntur in Actis SS. Taurini et Austindi, illustratis a prædecessoribus nostris, qui nullo verbo attingunt scripta Antonii Montgaillard, quæ et nos ignoraremus, nisi fragmenta quædam in libro R. D. Monlezun reperissemus. Curta est nobis libraria suppellex de rebus Vasconicis et ne Breviarium quidem sive antiquum sive recens habere nos contingit. Et hæc paucula, quæ de* S. Leothadio *operose corrasimus, debemus præsertim libro R. D. Monlezun de sanctis Pontificibus Ausciensibus, misso ad nos postquam aliquam notitiam de Sancto apud R. D. secretarium archiepiscopatus exquisivissemus. Habeant igitur debitas gratias, qui liberali ratione opellam nostram promoverunt: dignenturque ii qui res Auscienses penitius norunt, facilem veniam titubanti, deficienti, erranti scriptori impertire.*

partes sanctorum corporum thecis pretiosis inclusæ:

15 *Quamvis porro Leonardus archiepiscopus in animo haberet, singula sanctorum decessorum suorum capita singulis hermis argenteis includere; id, forsan aliis preoccupatus, pro solo S. Taurino exsecutus est* (2). *Hermam alterum S. Austindo dono dedit Stephanus d'Aignan du Saindat* (3): *ast caput* S. Leothadii *inclusum hermæ ligneo deaurato permansit inclusum* (4). *Sacrarum exuviarum visitationem, a Leonardo archiepiscopo celebratam, aliæ translationes præcesserunt. Ignoramus certe, ut supra diximus, et quando et quomodo corpus* S. Leothadii *e Burgundia in Vasconiam delatum fuerit; neque, ut videtur, exstat memoria translationis, quæ aut desinente sæculo decimo quinto aut decimo sexto incipiente facta est. Si quidem constat anno 1484, die* XII *Februarii, jactum fuisse primarium lapidem novæ metropolitanæ ædis* (5), *quæ inter splendissimas ecclesias cathedrales Galliæ merito computatur; isto probabiliter tempore motæ fuere sacræ exuviæ, singulisque sacellum et altare proprium assignatum; nec tamen, quod sciam, ullum instrumentum istiusmodi translationis superstes remansit. Fuerant nihilominus ista altaria et* F *sepulcra, utraque ex lapide secto, ita composita, ut pars anterior sepulcri in margine altaris, posterior in ipso pariete sacelli sustineretur; qua structura, liber erat circuitus circa altare, hominesque, pro more istorum temporum* (6), *etiamnum in quibusdam sanctuariis vigente, singula sepulcra subire poterant: quin et sepulcra utrinque ad caput pedesque aperta erant, ut intrinsecus inspici et sudariola aliaque tactu sanctificari possent.*

tandem anno 1837

16 *Atque in eo statu perseverarunt sanctorum pontificum Ausciensium Reliquiæ usque ad tristissimum annum* 1793: *quo, abolita catholica religione, ædes sacræ spoliatæ, direptæ, dirutæque fuerunt. Quamvis autem multis aliis ecclesiis felicius fuerit templum metropolitanum, utpote quod præcipua sua decora, pronaon, porticus, altaria marmorea, sedilia chori artificiosissima, fenestras imaginatas, quasi ex integro conservaverit* (7); *sua tamen sacra supel-*

(1) Monlezun. pag. 95. — (2) Ibid. pag. 73 et seqq. — (3) Ibid. pag. 74. — (4) Ibid. l. c. — (5) Ibid. pag. 63. — (6) Ibid. pag. 64. — (7) Ibid. pag. 79.

lectili

A *lectili spoliata fuit ecclesia, adeoque et thecis reliquiariis, ex pretioso metallo plerumque confectis. Sic cum herma argenteo periit caput S. Taurini* (1): *ast Reliquiæ SS.* Leothadii *et Austindi intactæ permanserunt; quamvis lipsanothecæ igne perierint* (2). *Post tantas rerum vicissitudines opportunum videbatur servatas hactenus exuvias visitare: Nicolaus Augustinus de la Croix d'Azolette archiepiscopus, quem R. D. Monlezun Sanctum antiquiorum dierum appellat* (3), *bis metropolitanam ædem visitavit, sed ecclesiam subterraneam clausam reliquit. Itaque hodiernus archiepiscopus, Revmus D. Antonius de Salinis cryptas ecclesiæ metropolitanæ die* XXI *Januarii* 1857 *aperiri jussit, et coram testibus, in instrumento authentico nominatis, indagare voluit, an turbulentis temporibus sæculi* XVIII *in finem vergentis, nihil detrimenti passæ fuissent sacræ exuviæ. Incepta visitatio fuit a sacello S.* Leothadii, *et aperto sepulcro, apparuit sudarium albi coloris, extensum fere per totum sepulcrum, nulla ex parte attritum, ex tela flandrica tenuissima confectum: in medio posita erat phiala, continens*
B *membranam involutam. Subtus istud sudarium erat et alterum, pariter lineum et variis figuris adumbratum, et circa caput pannus sericus rosei coloris, sat magnus, ac denique fractæ accisæque vestium pontificalium reliquiæ.*

nova visitatio instituta fuit, cujus instrumentum exhibetur.

17 *Demum depositis omnibus impedimentis, apparuere sacri corporis ossa, ordine suo naturali composita* (4). *Die porro* III *Februarii sequentis recensio ossium Sancti facta fuit, et reperta* (5), *maxilla inferior cum dentibus* XIII, *deerant nempe unus molaris sinistrorsum et duo tomici; costæ* XXIV *et sternum; os hyoide; pars superior laringis; duo claviculi; duæ omoplatæ; vertebræ* XXIV; *humerus, cubitus et radius dexter; humerus sinister; duo ossa ilion et sacrum; duo femora cum duabus rotulis; tibia et peronea dextera; tibia et peronea sinistra; duo calcanea et plura ossa tarsis, metatarsis et digitorum pedis; parvus numerus carpi, metacarpi et digitorum; tandem cineres, eadem die tribus vasis inclusi. Die sequenti,* IV *Februarii similis recensio ossium SS. Taurini et Austindi facta est* (6). *Solemnem sacrarum exuviarum visita-*
C *tionem revmus dominus archiepiscopus Ausciensis hodiernus sequenti instrumento roboravit* (7): Antonius de Salinis, Dei et apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Auscitanus universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus, quod nos anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo, die vigesima prima mensis Januarii, in inferiores capellas ecclesiæ nostræ metropolitanæ descendimus, in quarum prima, quæ est ex parte septentrionali, altare lapideum reperimus, super quod sepulcrum etiam lapideum repertum est, in quo sancti Leothadii prædecessoris nostri corpus conditum, omnes sciebant. Cujus rei ut certiores essemus, coram venerabilibus viris, magistris Petro de Belloc, Casimiro de Ladoue, Germano Darré, vicariis generalibus nostris, Antonio Viguier, Joanne Baptista Mondin, Joanne Baptista Prieur, Joanne Josepho Mendousse, Petro Barciet archipresbytero, Joanne Justino Monlezun, Ludovico Antonio Chevallier, Joanne Caussade, Bernardo Taran, Maria Dominico Josepho Pellefigue, canonicis, Joanne Baptista Densoy, parocho S. Orentii, Carolo Monbet, seminarii majoris professore, canonicis ad honores, necnon et Bartholomæo Campardon et Austindo Fourcade, fabricæ ecclesiæ administratoribus, et multis aliis, a Palanque et Autefage, fabris lapidariis seu cæmentariis illlud aperiri jussimus. In quo sepulcro invenimus vas vitreum, bene clausum et sigillo munitum, continens litteras authenticas visitationis, a venerabili Leonardo de Trapes, prædecessore nostro, anno millesimo sexcentesimo decimo, die decima quarta Januarii factæ, quas legi fecimus. Invenimus insuper integra ossa Sancti Leothadii, præter caput et brachium sinistrum, quæ in sacrario asservantur. Ut devotioni fidelium satisfiat, duas costas extraximus. Quo facto dictum sepulcrum recludi (claudi) et cælari (firmari) fecimus ab iisdem fabris lapidariis. In quo-
E rum fidem has præsentes litteras, manu propria signatas et sigillo nostro munitas per secretarium nostrum expediri jussimus. Datum Auscis in domo nostra archiepiscopali mense et anno supradictis. *Satis manifestum est, hoc instrumentum confectum fuisse currente mense Februario: quandoquidem, ut supra docuimus, recensio ossium primum facta est* III *et* IV *Februarii. Similes etiam literæ expeditæ fuere circa sacra corpora Taurini et Austindi.*

AUCTORE J. V. H.

18 *Jamjam clausuri, quæ de S.* Leothadio *dicenda collegimus, duo addimus. Imprimis referimus versus aliquot, sat antiquos, in honorem Sancti compositos, omissos a Philippo Labbe in Bibliotheca MSS, qui tamen similia carmina recenset de SS. Taurino et Orentio* (8). *Sunt autem hi versus :*

Hymnus in honorem S. Leothadii *et præsens status metropolis Ausciensis.*

Lætetur Ecclesia Auscitana
Mirifici Leothadii colendo solemnia;
Qui archipræsul ibidem
Fuit annis viginti septem,
Post triginta septem alios
Numero archiepiscopos.
Exultet præcipue felix civitas Auscia,
Tanti pontificis sacro corpore gloriosa :
Ut suis assiduis intercessionibus
F Liberetur ab adversis omnibus,
Et mereatur obtinere apud Altissimum
Remissionem peccatorum omnium,
Ac feliciter pervenire
Ad lucis claritatem perpetuæ. Amen.

Alterum addo. Scilicet sæculo probabiliter nono metropolitana sedes Elusa Auscium translata fuit; et istic permansit usque ad initium currentis hujus sæculi, cum ecclesiis suffraganeis Aquensi, Lectorensi, Convenensi seu S. Bertrandi, Conseranensi, Adurensi, Vasatensi, Tarbiensi, Oloronensi, Lascuriensi et Bajonensi. Ast tunc, abolitis omnibus totius Galliæ Ecclesiis cathedralibus et metropolitanis, nova episcopatum auctoritate Pii Pp. VII vi Concordati anni 1801 *circumscriptio facta fuit, quæ male cecidit Auscitanæ Ecclesiæ : nam Auscium, caput partitionis Gersii* (Département du Gers) *cum toto suo territorio accrevit recenter erectæ Aginnensi* (Agen) *diœcesi : donec mutata rerum*

(1) Monlezun. pag. 73. — (2) Ibid. pag. 74. — (3) Ibid. l. c. — (4) Ibid. pag. 75 et seqq. — (5) Ibid. pag. 97. — (6) Ibid. pag. 98 et seqq. — (7) Ibid. pag. 101. — (8) Tom. II, pag. 598.

facie,

AUCTORE J. V. H.

facie, anno 1823 *novo pacto inito cum Pio Pontifice, denuo sedes metropolitana Ausciensis, cui præfectura Gersii attributa, restituta fuit, habens Ecclesias suffraganeas, Aturensem, Tarbiensem et Bayonnensem.* D

DE S. ODA VIDUA ET S. POMPEJO,

PRESBYTERO ET CONFESSORE, AMANII IN DIOECESI LEODIENSI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

PROBABILITER ANNO 722 AUT 723.

§ I. Sanctæ viduæ distinctio ab homonyma Virgine; ejus biographi antiqui et recentes; Childebertus ejus, ut fertur, pater; annus Sanctæ natalis.

S. Oda *vidua, Amanii, quod describitur, defuncta*

S. Oda *vidua, cujus Acta exhibemus, confundenda non est cum ejus homonyma, coæva et, si mortem ac sepulturam spectes, conterranea, S. Oda virgine. Hæc per S. Lambertum Tungrensem episcopum, a cæcitate liberata, post varias peregrinationes, finem vitæ in Belgio invenit, ac in Roda sepulcrum nacta, annua celebritate colitur die* XXVII *Novembris, quo ejus Vita, jam in Actis Sanctorum Belgii edita, illustrabitur. Roda porro, locus emortualis S. Odæ Virginis, olim diœcesis Leodiensis, anno* 1559, *quando novi episcopatus in Belgio erecti fuerunt, diœcesi Buscoducensi adscripta, etiamnum in decanatu Endhovicnsi sub eodem episcopo, nomine* Sint-Oden-Roey *existit* (1). *Ast nostra* Oda *vidua, Amanii vita functa, ibidem etiam quiescit. Est autem* Amanium *seu Ammanium, vernacule* Ama, *aut frequentius* Amay, *vicus in sinistra Mosæ ripa, per quem via Romana strata erat ad trajiciendum fluvium, istic vadosum, in quo etiam pons erat, cujus adhuc rudera visuntur* (2). *Septem chiliometris Hoyo* (Huy) *orientem versus distat. Locum vita, obitu et sepultura, ac fundato ibidem sacro collegio novem canonicorum sub præposito præcipue illustravit S.* Oda *vidua. Extincto autem per vicissitudines sæculi præteriti in finem labentis capitulo, est hodie ecclesia Amaniensis succursalis sub decanatu Hoyensi.* C

celebratur in Martyrologiis Belgicis;

2 *Martyrologia, quæ vulgo classica vocamus, altum servant de Sancta nostra silentium: quinimo Auctaria Usuardina, plerumque lauta, de S.* Oda *parca valde sunt. Molanus suo Usuardo addit hæc verba :* Eodem die (XXIII *Octobris*) Odæ viduæ, amitæ Sancti Huberti, in villa Anania super fluvium Mosæ. *Error aut scriptoris aut typothetæ certe est in nomine* Anania; *qui correctus fuit in posteriori editione Molani scribentis :* In villa Amania, super fluvium Mosæ, Sanctæ Odæ viduæ, amitæ Sancti Huberti. *Ampliora, sed mendosiora, ut infra liquebit, habet Auctarium Bruxellense apud Sollerium, scilicet :* Item, Odæ viduæ, filiæ ducis Lotharingiæ ac conjugis relictæ Lamberti comitis, nostri fundatoris; quæ viro suo in translatione corporis Beatæ Gudulæ et institutione hujus ecclesiæ, tam consilio quam auxilio, fidelis coadjutrix fuit. *Qua in annuntiatione tot sunt errores, quot verba. Etenim præterquam quod S.* Oda *nostra ante S. Gudilam probabiliter mortua sit, adeoque hujus translationis nullatenus consulere potuerit; quidquid refertur, ad Odam, conjugem Lamberti, Brabantiæ principis, medio sæculo undecimo florentis, pertinet. Lambertus corpus S. Gudilæ ex æde Bruxellensi S. Gaugerici ad templum S. Michaelis transferendum curavit, ac in eodem templo, deinceps communiori vocabulo S. Gudilæ nomen sortito, capitulum canonicorum fundavit,* adjuvante, *inquit Haræus* (3), et favente in talibus optima conjuge Oda, quæ filia fuit Gozelonis, Lotharingiæ ducis. *Proinde per anachronismum abnormem ab Oda Lotharingica ad S.* Odam *viduam, seu ab undecimo ad octavum sæculum traduxit elogium suum martyrologus Bruxellensis.* E

plus minusve accuratis:

3 *De S.* Oda *veriora quamvis non omni ex parte correcta, habet Molanus in suis Natalibus Sanctorum Belgii ad hanc diem :* In villa Amania, super fluvium Mosæ, natalis Sanctæ Odæ, viduæ Boggi, ducis Aquitanorum. Quem anno septingentesimo undecimo in Gallia claruisse scribit Sigebertus, chronographus Gemblacensis. Amita fuit S. Huberti episcopi, quæ post mortem mariti sui Boggi, catholici principis, dote contenta, Deo servire sategit et pauperibus. Sacerdotes et sacros Ecclesiæ ministros in Domino dilexit. Ex suis bonis ecclesias fundavit, maxime Amaniensem, in qua quiescit. Ab ea quoque multa habet Leodiensis ecclesia, quæ est S. Lamberti, sub quo præsule floruit. Transtulit autem Reliquias de tellure S. Florbertus, filius S. Huberti, et in episcopatu successor, septimo idus Julii. Quiescit Amaniæ, in collegiata S. Georgii, suique nominis ecclesia, uno milliari ab Huyo. *Molani elogio addit quædam Breviarii Leodiensis anni* 1766 *legenda, videlicet, S. Odam,* genere nobilissimam; *post obitum viri* in partes Austrasiæ secessisse, ubi amplas patrimonii possessiones habebat; diversis in locis Xenodochia et ecclesias ædificasse; *ac tandem* Christum Dominum, sub specie mendici, hospitium rogantis excepisse, atque bonorum æternorum pro temporalibus repromissionem accepisse. F

(1) Cfr Act. SS. Belg. tom. VI, pag. 587. — (2) Mém. des savants étrangers de l'Acad. de Brux. tom. XXVI, Grandgagnage. Mém. sur les anc. noms des lieux de la Belg. Orient. pag. 130. — (3) Annal. duc. Brabant. tom. I, pag. 175. Cfr Act. SS. Belg. tom. V, pag. 678.

Sanctæ biographi;

4 *De S.* Oda *egerunt Bartholomæus Fisen in sua Sancta Legia* (1) *ac Floribus Ecclesiæ Leodiensis* (2), *et Joannes Foullon in Historia Leodiensi* (3), *uterque noster; Molanum exscripsit fere Joannes Chapeaville in Gestis Pontificum Tungrensium* (4). *Omnium luculentissime de Sancta scripsit laudatus Foullon, qui in opere mox citato dicit,* Amaniensium canonicorum rogatu *in publicum se edidisse Vitam S.* Odæ *lingua gallica sub titulo :* Perfectissima imago sancti matrimonii et viduitatis in Vita S. Odæ exhibita (5) : *qua in lucubratione, quum quædam retulisset soli vulgari traditioni innixa, ea in sua Historia Leodiensi retractat. Inter antiquiores scriptores unum solum reperio biographum anonymum, cujus apographum exstat in codice membraneo sub nomine Passionalis, a bibliotheca domus S. Hieronymi Trajectensis ad Musæum Bollandianum olim traducto; ex quo in bibliothecam regiam Bruxellensem sub num.* 7,917 *migravit. In eadem bibliotheca est et alius codex, sub n°* 858, *olim ad cœnobium Corsendoncanum pertinens; alter alterius defectus supplet, ut ex textu nostro apparebit. Con-*
B *tinet vero prior codex seu Trajectinus Vitas SS. Virginum et Mulierum, quin ullius viri in codice Vita referatur. Post Vitam S. Elisabeth Hungaricæ, quæ penultima est, hæc leguntur fol.* CXCV : Gratiarum actio editoris hujus libri. Deo gratias, per quem finivi istud dictamen vitæ Beatæ Elysabeth viduæ, anno Domini M° CC° XCVII°, nono ydus Maji. Oret pro me Dominum nostrum Jesum Christum, in cujus conspectu nullam repulsam ejus patitur oratio. Amen. *Equidem primo obtutu credebam, hisce verbis signari tempus scriptionis : sed post dubitare cœpi, num potius gratiarum actio ad solam Vitam S. Elisabeth referenda sit : tum quia verba solum indicant* dictamen Vitæ B. Elysabeth; *dein quia si de totius codicis scriptione ageretur, post Vitam S. Cæciliæ, quæ ultima est in codice, ponenda esset dicta gratiarum actio; ac tandem quia scripturæ genus sæculum* XV *magis redolere videtur; quod quidem tempus signatur tum in catalogo mss. bibliothecæ regiæ, tum in dorso libri. Ita ut gratiarum actio auctorem habeat biographum*
C *S. Elisabeth, non vero librarium codicis Passionalis.*

ætas Vitæ antiquioris :

5 *Porro quam infra edimus, S.* Odæ *Vita auctorem habet anonymum; et quidem si errores quosdam genealogicos attendamus, ejus ætatis, ut uno alterove solido sæculo ab iis, quæ narrat, distet. Quoniam autem S.* Odam *per S. Arnulfum, Metensem episcopum, matrem familiæ Carlovingicæ exhibet, ad sæculum* X, *in cujus exitu stirps Carlovingica regnare desiit, Vitam, qualem habemus, compositam fuisse existimo. Etenim vicinior temporibus, de quibus agit, errores vitasset historicos; remotior autem consanguinitatem cum Carlovingica familia non curasset. Verum hæc conjecturæ loco habentor : id tamen certum, S.* Odam *ex nobilissima familia originem suam duxisse : cujus testimonium, omni exceptione majus, est ejus cum S. Huberto episcopo, de cujus generis splendore nemo dubitat, consanguinitas, ejusque cum principe Aquitanorum matrimonium. Deveniendum itaque est ad S.* Odæ *genealogiam, quæ, quum attingat, S. Huberti familiam, ad diem* III *Novembris, qua Acta sancti præsulis dabuntur et ad trutinam expendentur, retractari poterit.*

AUCTORE J. V. H.

utrum patrem habuerit

6 *Joannes Foullon in Vita gallica Sanctæ dicit, eam patre Childeberto, Francorum rege, natam fuisse* (6) : *in Historia sua Leodiensi* (7), *suspenso aliquantum calamo, non tam sua profert, quam refert ab aliis narrata :* Odam, *inquit,* prisci scriptores Bogonis Aquitaniæ ducis viduam, Childeberti regis filiam faciunt, eosque secutus sum in ejus Vita (*nempe gallica*), quam antehac ineditam, Amaniensium canonicorum rogatu, olim in publicum dedi. *Verumtamen ipse in Annotatis, ad calcem Vitæ gallicæ positis, profitetur rem esse dubiam. Nihilominus S.* Odam *ex regio sanguine ortam tenet, tum quia cum regiis insigniis constanter depingitur, tum quia ejus corpus, anno* 1635 *repertum, involutum erat panno, liliis gallicis ornato* (8). *Quamquam peremptorium non sit argumentum : omissa enim quæstione de antiquitate liliorum gallicorum, jus ad insignia regalia S.* Odæ *competebat propter maritum Bogonem, qui certe,* E *ut infra monstrabitur, ad Merovingicam familiam pertinebat. Cæterum duo nomine Childeberti reges fuerunt Francorum, quorum neuter cum ætate S.* Odæ *aptari potest. Childebertus quidem, Sigeberti I, Austrasiæ regis, filius et in regno hæres, circa annum* 570 *natus, vivere desiit anno* 596. *Si igitur hujus filia fuit Sancta nostra, nonagenaria in Belgium venisset, quandoquidem mortuo marito suo Boggone, id est anno* 688, *Aquitaniam reliquisset; imo, teste, ut infra videbimus, Sigiberto Gemblacensi, mortua anno* 711, *saltem annos facta centum quindecim obiisset; quam rem extraordinariam aliquo verbo significassent auctores. Non est, quod agamus de Childeberto, rege Parisiorum, filio Clodovæi I, anno* 558 *defuncto, quum etiam minus hujus ætas cum annis S.* Odæ *conveniat.*

Childebertum Merovingicum :

7 *Est tamen alius Childebertus, cujus ætas cum Actis S.* Odæ *aptissime convenit, scilicet filius Theodorici, regis Burgundionum. Quum enim anno* 613, *jussu Clotarii II occiderentur Theodorici filii,* Childebertus, *ait Fredegarius* (9), fugaciter ascendens (*equum*), nec umquam postea fuit reversus; *quam lectionem* F *secunda manus ita reddidit :* Childebertus, fugam iniens, ascenso equo, numquam postea visus est. *Et quidem de isto agi existimat Theodoricus Ruinart in sua editione Fredegarii, quando in Vita S. Rusticulæ, abbatissæ Arelatensis, ad diem* XI *augusti, dicitur apud Clotarium accusata* (10), quod illa occulte regem nutriret *Childebertum profugum. Huic, inquam, aptissime quadrant Acta S.* Odæ : *habemus regem Childebertum; habemus ætatem; nam princeps ille profugus anno* 613 *vix infantiæ limites excesserat, quum pater moriens annos haberet solum* XXVI. *Potuit itaque S.* Oda *ex isto Childeberto rege nasci sæculo* VII *jam provecto, ita ut necesse nequaquam sit, eam centenaria majorem facere, ut anno* 711 *moreretur. Hactenus res chronologicæ bene procedunt : sed duo obstant huic solutioni. Imprimis secunda lectio Fredegarii, supra allegata, habet, Childebertum istum* numquam postea visum fuisse : *quod*

(1) Tom. I, pag. 81. — (2) Pag. 438. — (3) Tom. I, pag. 109. — (4) Tom. I, pag. 115 et seqq. — (5) Modèle très-parfait du saint mariage et viduité dans la vie de Ste Ode. — (6) Vie de Ste Ode, pag. 168. — (7) Tom. I, pag. 109. — (8) Vie de Ste Ode, pag. 254. — (9) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 632. — (10) Act. SS. tom. II Aug., pag. 660.

AUCTORE J. V. H.

si filiam suam aliquot post annis in matrimonium collocasset Bogoni, duci Aquitaniæ, cognosceretur ejus uxor et in nuptiis filiæ suæ nomen patris reticeri non potuisset. Ast difficultati non levis momenti reponi potest, incertum esse tempus, quo Fredegarius vivere desiit; et censet Theod. Ruinart in Præfatione sua ad Opera S. Gregorii Turonensis (1), *illum obiisse circa medium sæculum septimum; quapropter ignorare potuit ulteriora fata Childeberti profugi. Tandem omittenda non est allucinatio biographi S.* Odæ *num.* 3, *qua dicit Childebertum, patrem S.* Odæ, *fuisse* fratrem Dagoberti regis. *Erat certe Clotario II alter filius, Charibertus, cui pater, devoluto Francorum regno ad Dagobertum, filium primogenitum, Aquitaniam reliquit. Verum iste Charibertus nullatenus Sanctæ nostræ pater esse potuit: impedit ætas defuncti anno* 631, *quum, ut mox ostendemus, S.* Oda *vix ante annum* 650 *nata sit; et, quod magis est, Charibertus pater fuit Bogonis, mariti S.* Odæ. *In Genealogiis texendis sæpe titubat biographus noster.*

qua ratione latifundia in Austrasia habuerit :

8 *Est et altera difficultas : quomodo scilicet S.* Odæ *obvenire potuerint tot latifundia, in Austrasia sita, quum ipsa, Childeberti, ut supponitur, filia, potius in Burgundia, unde originem suam duceret, bona patrimonialia habere debuisset. Verum mirandum magis esset, aliquid Burgundici patrimonii patri Childeberto profugo et delitescenti superfuisse. Et certe Clotarius rex victor, occisis Childeberti duobus fratribus, bona eorum et profugi sua fecit. Quod vero infelici familiæ aliqua bona obtingere potuerint in Austrasia, docet historia; siquidem Theodoricus, Childeberti pater, detruso in monasterium fratre Theodeberto, aliquanto tempore in Austrasia regnavit. Dein S.* Odæ *latifundia, in Austrasia sita, obvenire potuere per matrem. Nam lex istius temporis omnem hereditatem fœminis non præcludebat; uti constat ex instrumento, infra allegando, quando agemus de familia Bogonis ducis, mariti Sanctæ nostræ. Et quidem Lex Salica tit.* LXII *de Alode successionem bonorum ordinat sequenti modo* (2) : Si quis homo mortuus fuerit, et filios non dimiserit, si pater aut mater superfuerint, ipsi in hereditatem succedent. Si pater aut mater non superfuerint, et fratres vel sorores reliquerit, ipsi hereditatem obtineant. Quod si nec isti fuerint, sorores patris in hereditatem ejus succedant. Si vero sorores patris non exstiterint, sorores matris ejus hereditatem sibi vindicent. Si autem nulli horum fuerint, quicumque proximiores fuerint de paterna generatione, ipsi in hereditatem succedant (3). *Porro istiusmodi hereditatis fœmineæ plura nobis testimonia § sequens suppeditabit. Fieri itaque facile potuit, ut S.* Odæ *ejusve matri, licet forsan alienigenis, aliqua hereditas Austrasiana obvenerit. Atque hæc per conjecturam dicta sunto : nam non satis constat de Childebertina origine S.* Odæ, *ut certi aliquid statuamus.*

C

septuaginta annorum ætatem

9 *Quoniam plerique biographi S.* Odam *filiam Childeberti regis, anno* 596 *defuncti, fecerunt, longævitatem extraordinariam eidem debuerunt tribuere. Verum si ejus vitæ seriem propius inspiciamus, dicendum erit, eamdem sæculo septimo medio vix natam esse. Ut enim omittamus, quem supra divinando diximus, Childebertum patrem, qui initio sæculi septimi natus, filiam eodem sæculo medio generare potuit; adest fortius argumentum, nempe matrimonium S.* Odæ *cum Bogone, principe Aquitanorum. Nam, ut habent Benedictini auctores Historiæ Occitaniæ* (4), *anno* 631 *Bogo ejusque frater Bertrandus, filii Chariberti, Aquitaniæ regis, vix ab uberibus avulsi erant : unde conjicere licet, nuptias Bogonis cum S.* Oda *circa annum* 660 *conciliatas fuisse. Huc etiam facit, quod refert Vita ejus num.* 2, Odam in sancta viduitate permansisse, votoque facto in continentia perpetua vivere studuisse : *insuper eamdem, mortuo marito, habuisse filium minorennem, cui, quum* ad annos pubertatis devenisset, principatum provinciæ gubernandum tradidit. *Si jam quinquagenaria aut sexagenaria anno* 688 *fuisset S.* Oda, *non esset magnopere laudandum* continentiæ perpetuæ *votum; neque liberos habuisset infra adolescentiæ annos constitutos. Quapropter censeo, Sanctam nostram, anno* 722 *aut* 723, *ut infra monstrabimus, vita functam, septuagenariam fuisse: adeoque natam circa medium sæculum septimum.*

D

E

non multum videtur superasse.

10 *De S.* Oda *varia refert Richardus de Wassebourg, archidiaconus Virdunensis, quæ apud alios scriptores non reperiuntur* (5). *Sic Sanctam facit filiam Gunzonis, Sueviæ ducis. De isto Gunzone, Alamannorum duce, actum fuit in Commentario S. Galli ad diem* XVI *Octobris* (6) : *ex ejus autem ætate reducimur ad decrepitam S.* Odæ *senectutem, quæ sustineri non potest. Dein obitum Bogonis, quem ipse Buggisum appellat, consignat ad annum* 609; *ita ut S.* Oda *in viduitate permansisset usque ad annum* 711 *seu centum et duobus annis. Tandem conjugibus istis variam adscribit prolem : Arnulfum, ducem Galliæ Mosellanæ seu Lotharingiæ, Modoaldum, Brunulphum, aliis Sigilphum, Basinum, Trevirensem episcopum; Severam, Afram, Gunzam, matrem Lutwini, episcopi Trevirensis, tandem Odam, matri cognominem, quæ in virginitate perseveravit. Et quidem Basino Lutwinum in sede Trevirensi successisse, recte habet : verum quum Basinus testamento S. Irminæ anno* 704 *subscripserit* (7), *denuo centenarium habemus, quandoquidem pater ejus Bogo, secundum Wasseburgium, anno* 601 *in eremum secesserit, ibique annis* VIII *vixerit. De quo secessu nulla est apud alios memoria : imo si ante obitum vitam occœpisset perfectiorem Bogo, jam mariti mortem exspectare non debuisset S.* Oda, *ut* voto facto, in continentia perpetua viveret. *Ast de his jam satis, quæ fabulas reputat Joan. Foullon* (8).

F

§ II. Nobilissimum genus Sanctæ ope diplomatis Alahonensis, cujus sinceritas vindicatur, ostenditur; ejus in Austrasiam migratio.

S. Oda *nobilitas ex diplomate Alahonensi,*

S. Odam *maritum habuisse Bogonem, quem alii Boggum et Boggisum appellant, extra con-*

troversiam

(1) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 112. — (2) Lindebrog. Leges antiq. pag. 340. — (3) Eichhorn. Deutsche Staats-und Rechs geschicht § LXV. — (4) Hist. du Langued. tom. I, pag. 332. — (5) Antiquitez de la Gaule-Belg. f°. LXXXII. v°. — (6) Act. SS. tom. VII Octob., pag. 877. — (7) Gall. Christ. tom. XIII, col. 387. — (8) Vie de Ste Ode, pag. 255.

A *troversiam positum existimamus, quum nullus, qui vel uno verbo de Sancta egerit, ejus cum Bogone matrimonium tacitus prætereat. Quamvis igitur regia S.* Odæ *origo in dubium vocari possit, nemo certe per ejus cum Bogone nuptias affinitatem cum regibus Merovingicis negabit. Exstat scilicet charta fundationis monasterii B. Mariæ de Alahon, in qua genealogia Bogonis exhibetur. Est autem Alahonense monasterium (hodie* Nuestra Senora de la O), *fundatum anno* 835, *situm ad dexteram ripam fluvii Nogeræ Ripœcurtiensis* (Ribagorza), *qui terminum facit inter Aragoniam et principatum Catalunensem; adeoque intra limites Regni Aragoniæ constituitur. Quæ sint hujus asceterii, post recentiores Hispaniarum vicissitudines fata, ignoro : id certum, in Kalendario ecclesiastico Madritensi anni* 1817 *inter abbates congregationis Benedictinæ adhuc numerari R. D. Isidorum Santa Creu, tamquam moderatorem monasterii S. Mariæ de la O* (1). *Mabillonius lib.* XXXI, § 33 *erronee dicit,* amplius non exstare. *Sunt autem nonnulli, qui sinceritatem cartæ Alaho-*
B *nensis in dubium revocant, quos refellunt Benectini scriptores Historiæ Occitaniæ* (2), *Josephus de la Canal, continuator Hispaniæ Sacræ* (3), *et Cl. Fauriel in Historia Galliæ Meridionalis* (4). *Quæ enim diplomati Alahonensi objiciuntur sunt argumenta plane negativa : nempe Petrum de Marca nullam de ista carta facere mentionem. Enimvero si Petrus ignoravit cartam, aperta est ejus silentii ratio : si vero eamdem cognovit, eamque ut suspectam omisit, habemus quidem judicium viri gravissimi et doctissimi, quod tamen aliorum pari gravitate et eruditione insignium virorum eliditur.*

cujus sinceritas

12 *Alterum argumentum, licet negativum majoris est ponderis. Silentium videlicet cartularii Alahonensis, quod sæculo* XI *exeunte exaratum fuit : videtur enim diploma fundationis in capite libri ponendum fuisse. Difficultati occurrit laudatus Joseph de la Canal; dicendo* (5), *cartularium compilatum fuisse sub pontificatu Raimundi Dalmatii, episcopi Rotensis* (Roda), *qui quum in rebus politicis maximæ esset dexteritatis, noluerit in cartularium inferre instrumentum, quo sedi Urgellitanæ adscribe-*
C *batur monasterium Alahonense. Quamvis et fieri potuerit, ut dictum instrumentum injuria temporum apud monachos pericrit. Ex tabulario Ecclesiæ Urgellitanæ istud transsumpsit Joseph de Aguirre in Conciliis Hispaniæ* (6). *Diplomati robur addunt novem litteræ, quibus confirmatur : id enim dein laudarunt et firmum habuerunt anno* 862, *id est septemdecim annis post datam cartam, Asinarius Solensis et Lupiniacensis comes; anno* 883 *alter Asinarius, præcedentis filius; anno* 911 *Lupus, præcedentis filius; anno* 973 *Atho, præcedentis filius; anno* 1007 *alter Atho, præcedentis filius; anno* 1015 *Garseanus, tutor Gulielmi Solensis; qui anno* 1034 *factum a tutore suo laudavit; anno* 1041 *Asinarius, Athonis II filius, et tandem Regimundus Gulielmus anno* 1040 (*nisi forsan vitium obrepserit, et quadragenario numero aliquot anni addendi sint, quum præcedentem Asinarium subsequi videatur*). *Aut igitur tamquam spuria rejicienda sunt omnia hæc instrumenta; aut aliquid falsi in iis contineri, erit ostendendum, ut repudiari possint. Monstrant autem laudati scriptores Historiæ Occitaniæ omnia, sive stylum, sive notas temporum, sive ipsa relata facta inspiciamus, concurrere in ejus roborandam sinceritatem; quam etiam comprobant continuatæ per duo sequentia sæcula confirmationes. Tandem calculum suum adjiciunt eruditi, quorum plerique id allegando diploma receperunt* (7). *Nihilominus scrupulum alicui forsan movebit insolens diplomatis facies, quod, præter ordinariam confirmationis formam, instar chronici, genealogiam et fata fundatorum recenset. Equidem fateor, insolitum id esse. Atque hinc deduco, sincerum esse diploma. Nam falsarius plerumque totus in eo est, ut consuetas formulas quam scrupulosissime sectetur, merito timens, ne, tritam viam deserendo, in errores incidat. Dein Carolo Calvo ordinaria non erat istiusmodi confirmatio, cui sufficere poterant consuetæ formulæ. Agebatur de ratihabitione fundationis, a rebellibus, quorum bona omnia fisco regio addicta erant,* E *factæ : quam si more usitato confirmaret, videbatur rex irritare quodammodo acta prædecessorum suorum. Quapropter genealogiam et repetitas rebelliones familiæ Hunaldinæ enumerat, ut acta regum prædecessorum sarta tecta conservet, ostendatque, se religionis intuitu ratum facere et habere, quod ab initio caducum irritumque erat* (8). *Nunc ipsum instrumentum, quatenus ad rem nostram spectat, exhibemus.*

AUCTORE J. V. H.

ostenditur:

13 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Carolus, Dei gratia Francorum rex. Dignum est sanctæ Ecclesiæ loca auctoritate regali stabilire et justis monachorum, divini cultus amore ad nos peragrantium, precibus favere. Idcirco notum sit fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, tam præsentibus quam futuris, quod religiosus vir Obbonius abbas, de partibus Hispaniæ veniens, de illa nempe Gothici regni marca, Francorum regibus olim nostroque præcepto subjecta, et auspiciis genitoris nostri Augusti Ludovici a Saracenorum squalore purgata, obtutibus nostris adiit; eum ad serenitatem præsentiæ nostræ ducens venerabilis ac fidelis noster Berarius, primæ sedis F Narbonensis urbis archiepiscopus, nobisque palam fecit, quod præclarus quondam Vandregisilus comes, consanguineus noster ac homo ligius, quem post patris sui Altargarii * comitis mortem, genitor noster super Vasconiam, quæ est trans Garumnam flumen, limitaneum constituit, quum Dei et militum suorum auxilia inter alia a Sarracenis et ab Amarbano, Cæsaraugustano duce, eripuit totum illud territorium, in dictæ Vasconiæ montanis locis situm, quod est ultra et circa flumen Balieram *, nomine Alacroon *. Et quod dictus Vandregisilus comes cum præclara uxore Maria comitissa in prædicto loco monasterium in Dei Genetricis honorem ante decennium sumptibus propriis exstruxit, de consilio et consensu filiorum suorum, videlicet Bernarthi, ad præsens ejusdem Vasconiæ comitis et totius limitis custodis, cum uxore sua

* *B.* Adalgarii

* *B.* Balicram

* *B.* Alacoon

(1) Guia de l'estado eccles. de España 1817 pag. 394. — (2) Hist. du Langued. tom. I, pag. 688. — (3) España sagr. tom. XLVI, pag. 207. — (4) Hist. de la Gaule mérid. tom. III, pag. 513. — (5) España sagr. tom. XLVI, pag. 208. — (6) Tom. IV, pag. 129. et seqq. Edit. Rom. 1754. — (7) Cfr Bréquigny. Table chronol. des diplomes. tom. I, pag. 216. — (8) Fauriel. Hist. de la Gaule mérid. tom. III, pag. 519.

AUCTORE J. V. H.

sua comitissa Theuda; et Athonis, nunc Palliarensis comitis cum Eynzelina uxore; nec non Anthonii, hodie vicecomitis Biterrensis cum uxore sua Adoira; itidemque Asinarii, nunc etiam Lupiniacensis ac Solensis vicecomitis cum Gerberga uxore sua.

in eo enim probatur,

14 Qui omnes de infidelium spoliis monasterium suscitarunt, et clericos monachos, secundum Regulam S. Benedicti conversantes, ex S. Petri Apostoli Sirasiensi monasterio cum eodem Obbonio abbate ad illud contulerunt. Et quod monasterium constructum ac dedicatum fuit de licentia et consensu venerabilis quondam Bartholomæi, primæ sedis Narbonensis tunc archiepiscopi; et venerabilis Sisevotus *, Orgellitanus episcopus, de cujus spiritualitate locus est, juxta ordinationem piissimi genitoris nostri augusti Ludovici, opus laudavit, et ecclesiam prædicti monasterii benedixit, præsentibus venerandis Ferreolo, episcopo de Jacca, et Involato, Convenarum episcopo; nec non Oddoario, Sirasiensi abbate (*sequuntur nomina variorum abbatum, ac tandem*) Stolido, abbate S. Arodii * Attanensis, qui ex Lemovicensi S. Salvatoris basilica tunc comportavit ad novam ecclesiam B. Mariæ lipsanas Hthonis *, quondam Aquitaniæ ducis, ac filii sui Altargarii comitis, patris videlicet et avi prædicti Vandregisili comitis cum cæteris fidelibus : de quibus omnibus autographum dedit. Similiterque obtulit nostræ serenitati testamentum seu placitum prædictorum Vandregisili comitis et conjugis Mariæ comitissæ, in quo de consensu omnium filiorum suorum dictus Vandregisilus eidem monasterio et clericis monachis, secundum Regulam S. Benedicti in eo conversantibus, tam præsentibus quam futuris, reliquit : imprimis omne jus quod ad se pertinere dixit, super monasterium de Rodi insula, quod olim in honorem B. Mariæ ædificavit Eudo, Aquitaniæ dux, cum uxore sua bonæ mem. Valtruda, Valchigisi ducis, de nostra progenie, filia; et ubi prædictus Eudo sepultus est : et omnes terras, ecclesias et jura, quæ ad prædictum Vandregisilum comitem pertinere asserebat de patrimonio suo in tota Aquitania, et præcipue in pago Tolosano, Cadurcensi, Pictaviensi, Agennensi, Arelatensi, Sanctonensi et Petragoricensi, quæ fuerunt dicti Eudonis, Aquitaniæ ducis, et fratris sui Imitarii, et eorum genitori Boggiso duci Dagobertus rex concessit post mortem fratris sui Ilderici, Aquitaniæ regis...

* *B.* Sisebotus

* *B.* Arcdii

* *B.* Hatthonis

C

Bogo, S. Odæ maritus,

15 Itidemque omnia monasteria in tota Aquitania et Vasconia, seu jura eorum omnium, quæ fuerunt Eudonis, Aquitaniæ ducis, et ejus genitori Boggiso duci Dagobertus rex concessit, post necem fratris sui Ilderici, Aquitaniæ regis, ut supra dictum est. Necnon omnia bona, quæ Amandus dux in Vasconia dedit filiæ suæ Giselæ reginæ et postea reliquit nepotibus suis, Boggiso duci et sui fratri Bertrando, quos Haribertus rex habuit ex Gisela uxore. Similiter legavit præfato monasterio jura, quæ dixit habere in pago Lemovicensi, Parciaco, Nulliaco, Podentiaco et aliis, quæ fuerunt Iadregisili, quondam Aquitanorum ducis, Vandradæ comitissæ, matris suæ progenitoris, et ad eam pertinebant jure sanguinis. Denique de consensu principali filii sui Asmarii *, vicecomitis Lupiniacensis et Solensis, qui territorium de Alacone sortitus fuerat, dedit monasterio et monachis præfatis ecclesias locorum de Arennus... Juxtaque donavit ecclesiam castri nomine Vandres, quod ipse ædificavit contra Mauros de Jacca, in redemptione sua, et domos de Jacca, et omnes hæreditates et prædia, quæ comitissa Maria habuit a patre suo, quondam Asinario comite, post captam civitatem, cum aliis campis et pagis, in prædicto testamento seu placito nominatis et contentis, et a prædicto monasterio possessis post mortem jam dicti Vandregisili comitis et ejus uxoris, Mariæ comitissæ, qui in eadem ecclesia tumulati sunt.

D

* *B.* Asinarii

ex stirpe Merovingica

16 De quibus omnibus præfatus Obbonius abbas suo monasterio sibique regiæ auctoritatis decretum fieri postulavit : ut jam dictas villas, ecclesias, monasteria et cæteras hereditates sub unius præcepti conclusionem inserens, in perpetuum confirmemus *; ut cum omnibus facultatibus suis, et nunc subjectis et moderno tempore subjiciendis, sub nostra defensione et immunitatis tuitione consistere faceremus. De quibus omnibus, habito consilio cum nostræ curiæ optimatibus et cum archiepiscopis, episcopis, abbatibus et ducibus et comitibus, nobiscum tum apud Carisiacum congregatis propter solennitatem ad nostras felicissimas nuptias cum gloriosa domina Hermentrude, sublimi regina, honorandas, recognovimus, quod in totum non possumus ejusdem abbatis precibus aures accommodare, utpote nostræ regali celsitudini et multorum juri adversantibus. Quia prædictus Vandregesilus comes minime facultatem habuit legandi seu donandi villas, ecclesias, monasteria et cæteras hereditates per Aquitaniam et Vasconiam constitutas : quia de posteriori linea seu generatione Boggisi et Eudonis ducum erat. Nam quæ Dagobertus rex olim donavit suis et Hariberto fratri, nepotibus Boggiso et Bertrando; post necem, ut dicitur, eorum fratris Ilderici, Aquitaniæ regis, jure hereditario ab Eudone, Boggisi filio, possessæ fuere, et post illius mortem a primogenito Hunaldo et Vifario * nepote, qui Aquitaniæ ducatus potiti sunt, nomine tamen Francorum regum. Sed quum Vifarius dux toties sacramenta fidelitatis inclyto proavo nostro Pipino regi violaverit, ab eo sæpius devictus fuit, et post eum apostata Hunaldus, dum Aquitaniam nova rebellione præoccupare conatus est, a magno Carolo avo nostro devicti atque rebelles dicti fuere. Propter quod Aquitania tota cum Vasconia et cum omnibus juribus suis, juxta Francorum leges, ad Carolum augustum devoluta est, qui illam cum regali titulo excellentissimo Ludovico genitori nostro donavit. A quo omne jus regaleque dominium super integram Aquitaniam ad nos pervenit : quod et de tota Vasconia, Deo auxiliante, similiter actum fuit.

* *B.* confirmaremus

E

* *B.* Vaifario

per Caribertum;

17 Nam magnus avus noster Carolus fidelissimo Lupo duci, qui ex secunda Eudonis linea seu generatione primogenitus fuit, nempe Nattionis * ducis major natu, et denuo magni Caroli se imperio subjecit, totam Vasconiæ partem beneficiario jure reliquit; quam

* *B.* Hatthonis

A quam ille, omnibus pejoribus pessimus ac perfidissimus supra omnes mortales, operibus et nomine Lupus, latro potius quam dux dicendus, Vifarii patris scelestissimi, avique apostatæ Hunaldi improbis vestigiis inhærens, arripuit jure, ut ajebat, Adelæ matris, fidelissimi nostri ducis filiæ. Attamen dum simulanter atrox nepos sacramentum glorioso avo nostro Carolo multiplex dicebat, solitam ejus, majorumque suorum perfidiam expertus est in reditu ejus de Hispania; dum cum scara * latronum comites exercitus sacrilege trucidavit : propter quod jam dictus Lupus captus, misere vitam in laqueo finivit, ejus filio Adalarico misericorditer Vasconiæ portione ad decenter vivendum relicta. Qui misericordia abutens, similiter ut pater, cum Scimino et Centullo filiis, adversus piissimum genitorem nostrum arma sumens, ejusque hostem * in montanis adorsus, cum Centullo filio in prælio occubuit. Sed genitor noster solita sua pietate Vasconiam inter dictum Sciminum et Lupum Centulli, demortui Centulli filium, iterum divisit. Quam et Lupus B Centulli et Garsimirus, Scimini genitus, propter infidelitatem amiserunt, Garsimiro, sicut et pater Sciminus, in rebellione occiso, et Lupo Centulli propter tyrannidem exsulato et a principatu remoto; tunc enim præexcelsus genitor noster, iterum Vasconia tota vindicata, et regio dominio conjuncta, illam e manibus nepotum Eudonis in perpetuum eruit, et aliorum ex nostro sanguine gubernaculis commisit. *Hæc sufficiunt pro monstranda origine Bogonis seu Boggisi, mariti S.* Odæ. *Plerique editores hujus instrumenti pro Eudone scripserunt* Lutonem ; *verum nomen minus recte legisse videtur cardinalis de Aguirre* (1), *quem exscripsit Hispania Sacra* (2). *Sed alii secuti collectores Scriptorum Rerum Gallicarum, melius pro* Lutone Eudonem *posuerunt* (3).

* turba

* exercitum


descendere ;

18 *Quod ex parte recitavimus, Alahonense instrumentum magnos continet, ut habet collector conciliorum Hispaniæ* (4) *thesauros antiquitatis, quos frustra alibi quæsieris. Sic multus est Jacobus Villanueva in suis excursibus liturgicis per Hispaniam* (5), *in statuendo tempore, quo Sisebutus episcopus sedem Urgellitanam tenuit, statuitque allatis diplomatibus, ejus pontificatum intra annos* 833 *et* 840 *esse definiendum. Ast ex instrumento nostro, in quo Sisebuti seu Sisivoti, ut videre est supra num.* 14, *fit mentio, supponitur adhucdum vivens ; nam quum nominasset rex Carolus Bartholomæum, subjungit,* primæ sedis Narbonensis TUNC archiepiscopum fuisse : *Verum de Sisebuto agens, absolute dicite eum esse* Orgellitanum episcopum; *quandoquidem loquens de monasterio addat,* de cujus spiritualitate locus est, *non vero* fuit *aut* erat. *Et ipse laudatus Villanueva agens de Sisebuti successore Beato, dicit hunc exstitisse anno* 850, *quin aliud quippiam de ejus pontificatu definire possit* (6). *Quod autem Clotharius II, cujus mentionem nullam facit instrumentum nostrum, filium habuerit Charibertum seu Haribertum* (*Cfr supra num.* 16), *nos docet Fredegarius* § LVII (7), *additque regionem inter Ligerim et Pyrenæos illi fuisse permissam, ejusque filium Chilpericum seu Ildericum infantem occisum fuisse* (8). *Quoniam igitur principes Aquitanici ad regiam* E *Merovingiorum stirpem pertinebant, et a suis quoque consanguineis regno avito spoliati fuerant, satis perspicitur ratio multiplicium bellorum seu rebellionum, quæ inter eos et domum Carlovingicam exarserunt : quod enim Carlogenis rebellio et continuata perfidia erat, id inter Aquitanos principes censebatur legitima vindicatio juris aviti, quod fraudes et doli legitimis heredibus eripuerant. Quod autem Hunaldus dicatur apostata* (*supra num.* 17), *hæc est causa : Constituto filio suo Vaifario duce Aquitaniæ, secessit Hunaldus in monasterium Insulæ Rotæ : at defuncto Vaifario anno* 768, *regnum recepit, uxorem resumpsit ; sed a Carolo Magno victus captusque, tandem socius Desiderii, Longobardorum regis, Papiæ occubuit* (9).

19 *Porro ex allato instrumento tabulam genealogicam confecerunt scriptores Historiæ Occitaniæ, quam ex parte hoc loco exhibendam esse duximus* (10).

ut liquet ex tabula genealogica.

C



F

(1) Conc. Hisp. tom. IV, pag. 129. — (2) España sagr. tom. XLVI, pag. 330. — (3) D. Bouquet. Recueil, tom. VIII, pag. 470. — (4) De Aguirre Conc. Hisp. tom. IV, pag. 135. — (5) Viage literar. tom. X, pag. 62. — (6) Ibid. l. c. — (7) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 642. — (8) Ibid. col. 648. — (9) Hist. du Langued. tom. I, pag. 409 et 427. — (10) Ibid. pag. 689.

In

AUCTORE J. V. H.

In instrumento, ex quo hæc tabula deprompta est, nihil quidem de S. Oda, *nihil de S. Huberto dicitur : et quod ad S. Hubertum spectat, ejus cum principali Aquitanica familia consanguinitatem examinandam prorogamus in diem* III *Novembris. Sed si vera refert tabula, consequitur, S. Hubertum S.* Odam *sanguine attigisse per patrem Bertrandum, fratrem Bogonis et per matrem Phigbertam, sororem S.* Odæ, *adeoque Sanctam fuisse simul amitam et materteram S. Huberti.*

mpus et ra- Austrasia-

20 S. Odam *in Austrasia, seu in Belgio nostro partem vitæ transegisse et sepulcrum nactam fuisse, extra controversiam est ut* § *sequenti ostendetur. Inquirendum tamen est, quo tempore et qua occasione, relicta Aquitania, apud Condrusos* (Le Condroz) *habitare cœperit. Imprimis, si, ut vulgo statuitur* (1), *Bogo, Sanctæ conjux, vita functus est anno* 688, *in ulteriores aliquot annos prorogandus erit ejus ad Condrusos adventus. Etenim in Vita num.* 2 *legitur :* Post mortem viri... provinciam sui principatus per fideles viros optime gubernabat... *donec* filius suus venerabilis Arnulphus
B ad annos pubertatis devenit, et mater, magnatum consilio principatum provinciæ cum sibi a patre patrimonio gubernandum reliquit. *Omisso manifesto errore in nomine Arnulfi, Metensis episcopi, utpote nati anno* 582 *et defuncti* 641 (2); *si ut verum admittatur, S.* Odam, *pro filio minorenni, tutelari nomine, Aquitaniam aliquot annis administrasse, necesse fuerit, ut paulo serius in Belgium emigraverit et vix ante annum* 690 *Condrusos attigerit. Quod si quis cum anno* 688 *secessum Belgicum S.* Odæ *conjungere voluerit; tunc obitus Bogonis conjugis aliquot annis anticipandus erit. Licet enim biographus noster in nomine Arnulfi aberraverit, non existimo tamen temporarium istud Aquitaniæ, durante pupillari ætate filii, regimen a Sancta abjudicandum esse. Erraverit biographus in nomine, facile concedam : quod vero confinxerit administrationem provinciæ, quam numquam adiit, quæque ad ejus sanctitatis famam augendam ne hilum conferebat, istiusmodi fictionis nullam video causam. Quum igitur, in bivio positi, utram semitam sectari debeamus, definire non possimus, id statuamus*
C *S.* Odam *circa ultimum decennium sæculi septimi in Belgium adventasse atque ibidem clausisse vitam suam.*

grationis onitur.

21 *Quod autem ad causam aut occasionem istiusmodi transmigrationis pertinet, eamdem divinare aliquatenus valemus. Joannes Foullon allegat quidem tyrannidem Ebroini, majoris palatii Theodorici III, regis Neustriæ et Burgundiæ* (3) : *sed obstat chronotaxis : nam Ebroinus odio privato necatus fuit anno* 681 (4), *ut habet continuator Fredegarii, paucis post annis seu anno* 735 *scribens* (5). *Quum autem S.* Oda *ante annum* 688 *in Belgium non venerit, liquet, Ebroini qualemcumque tyrannidem (quam excusare aut imminuere contendit Cointius ad an.* 681 § LXII) *causam migrationis non exstitisse. Id vero conjicere licet, fœminæ sanctæ, perfectioris vitæ tramitem sectanti, consultum fuisse, ut, relicta domo sua, in aliam regionem pergeret, ad dies suos tranquillius peragendos. Ut porro Aquitania exiret, suadebat gesta per* D *aliquot annos tutelaris provinciæ administratio, qua necessario multiplici negotio implicata, concursum hominum vitare ægre poterat : fieri quoque poterat, ut filii sui novum regimen non usquequaque matri placeret. Quod autem Belgium inter varias provincias præferretur, causa erat parta ibidem jure proprio opulentia, quæ eluxit, quando amplissimas istic pias fundationes constituit. Etenim recenter translata, aut etiam transferenda Leodium episcopalis Tungrorum sedes, multa debet S.* Odæ; *sive ipsa, mortuo S. Lamberto, dona contulerit; sive S. Hubertus, amitæ suæ heres, ejus nomine, ecclesiam novellam dotaverit. Utramlibet opinionem in controversiam vocant aliqui. Lectiones tamen Breviarii Leodiensis anni* 1766 *priori sententiæ favent, habent enim :* Specialiter piissima mulier nascenti ecclesiæ Leodiensi, quam insigni munificentia fovebat, opulenta donavit latifundia. *Et vero S.* Odam *S. Lamberto ejusque elevationi superstitem vixisse, sequenti* § *monstrabimus.*

E

§ III. Annus Sanctæ emortualis; sepultura et elevatio corporis; variæ visitationes Reliquiarum, quarum pars maxima semper Amanii permansit.

Ex chronotaxi Lambertina

Quæ verisimiliter ratio biographum Joan. Foullon movit, ut S. Odam *ante S. Lambertum mortuam scriberet, ea fuit, quod Childeberti regis filia centenaria major fuisset, si S. Lambertum, intra primum decennium sæculi octavi passum, non præcessisset. Verum supra num.* 9 *monstravimus, si ejus cum Bogone nuptias, in juvenili ætate viduitatem, gestam pupillari nomine Aquitaniæ administrationem vera habemus, Sanctam vix ante sæculum septimum medium natam fuisse. Adeoque nihil urget, ut ejus obitum ante S. Lamberti passionem præcipitemus. Sigebertus quidem Gemblacensis in suo Chronico sub anno* 711 *habet* (6) : Sancta Oda, uxor Boggis, ducis Aquitanorum, sanctitate claret in Gallia, quæ ecclesias Dei sua ditavit F munficentia, et moriens in Leodicensi quievit parochia. *Quæ verba si per se starent, omnem dubitationem merito tollerent : sed obstat, quod idem Sigebertus, passionem S. Lamberti mendose anno* 698 *illiget* (7). *Etenim plerique eruditi, inter quos et majores nostri, ad diem* XVII *Septembris, de S. Lamberto scribentes, statuunt eum mortem oppetiisse probabilius anno* 709, *quamvis nec repugnent anno emortuali* 708 (8). *Si autem S. Lamberti, B.* Oda *longe celebrioris, necem annis decem aut undecim anticipaverit Sigebertus, quæ fides ei tribuenda dicenti, hanc anno* 711 *diem suam obiisse. Enimvero suspecta est auctoritas scriptoris, sæpissime in notis chronologicis titubantis. Unum tamen animadvertam, chronotaxim Sigebertinam recte procedere, si anni undecim ejus calculo addantur.*

statuitur tempus emortuale S. Odæ:

23 *Ponit igitur Sigebertus necem S. Lamberti in anno* 698, *ast simul etiam ejusdem trans-*

(1) Hist. du Langued. tom. I, pag. 369. — (2) Act. SS. tom. V Jul., pag. 424. — (3) Vie de Ste Ode, pag. 205. — (4) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 669. — (5) Ibid. col. 667. — (6) Pertz. monum. Germ. hist. tom. VIII, pag. 329. — (7) Pertz. l. c. pag. 323 — (8) Act. SS. tom. V Septemb., pag. 536.

lationem

A *lationem per S. Hubertum in annum* 710 *revocat his verbis* (1): Sanctus Hucbertus, cœlitus admonitus, corpus S. Lamberti a Trajecto Leodium cum magna miraculorum gloria refert, sedemque episcopalem in eamdem urbem transfert: *quibus verbis addit Auctarium Gemblacense* (2): Ex tunc Legia exaltata, et in urbem ampliata. *In Actis autem S. Lamberti ad* XVII *Septembris* (3) *monstrat Constantinus Suyskenus, translationem celebratam fuisse* tertio decimo anno præsulatus *S. Huberti. Quod quidem eatenus rectum est, quatenus, secundum Sigebertinam chronotaxim, inter annum* 698 *et* 710 *duodecim anni intercurrunt, adeoque anno præsulatus S. Huberti* tertiodecimo *corpus S. Lamberti Leodium advectum fuerit. Porro, inito annorum calculo, laudatus Suyskenus statuit dictam translationem diei* XXIV *Decembris anni* 721 *aut* 722 *illigandam esse, prout ordinatio Huberti diem* XXIV *Decembris anni* 709 *aut præcesserit aut secuta fuerit. Quod ad S. Hubertum spectat, id scrupulosius in ejus Actis ad* III *Novembris trutinari quis poterit.*

B *Nobis sufficit ostendisse, errorem undecim annorum in chronotaxi Sigebertina obrepsisse; ast nihilominus accuratam annorum a nece S. Lamberti ad ejus Leodium translationem intercapedinem servatam fuisse. Quoniam vero S.* Odæ *obitum Sigebertus non solum post S. Lamberti necem, sed etiam post ejus ad Leodiensem urbem transvectionem statuit; existimo, idem remedium adhibendum esse in anno emortuali Sanctæ nostræ: adeoque si anno Sigeberti* 711 *undecim alios adjiciamus, pervenimus ad annum* 722, *imo et ad annum* 723, *ita ut vita functam dicamus S.* Odam, *uno anno post translationem S. Lamberti, et erectam cathedram episcopalem Leodii, quam suis latifundiis dotavit. Donec igitur certius documentum nanciscimur, statuendum censemus annum Sanctæ matronæ emortualem esse* 722 *aut* 723, *quem propterea in capite hujus Commentarii adnotavimus. Quoniam autem supra num.* 9 *monstravimus, S.* Odam *vix ante medium sæculum* VII *natam fuisse, si anno* 722 *aut* 723 *diem suam clausit, non multis annis septuagenariam ætatem supergressa est: qua ratione nec extraordinariam senectutem, nec mortem immaturam ei adscribimus.*

C *cujus corpus, prius terræ mandatum,*

24 Sacerdotes autem, *habet Vita edenda num.* 5, et cæteri ministri Christi corpusculum Beatæ matronæ, feretro impositum, ad ecclesiam, quam propriis facultatibus ad laudem sui Conditoris et honorem excellentissimi Martyris Georgii... construxerat,... cum psalmis et orationibus detulerunt: et, officio exsequiarum expleto, populo provinciali convocato, in sepulcro, lapidibus constructo, tantæ fidei famulæ corpusculum dignissime composuerunt. *Scribit Joan. Foullon, S. Hubertum episcopum hisce exsequiis verisimiliter adfuisse* (4): *quod omnino admittendum, sive sanguinis sive beneficiorum necessitudinem nobiscum consideremus, et aliquatenus confirmat textus mox allatus. Etenim copia* sacerdotum et cæterorum ministrorum Christi *funus deduxerunt, et,* populo conprovinciali convocato, *terræ mandarunt. Magno igitur sacerdotum et populorum concursu exsequiarum officium persolutum fuit; et, nisi insuperabile obstiterit impedimentum, suam desiderari præsentiam in obsequio amitæ carissimæ passus non est S. Hubertus. Idem biographus porro dicit, S.* Odæ *corpus in sarcophago jaspideo magnifico, supra terram elevato, compositum, eique multa aromata superfusa fuisse* (5). *Ast in duplici conjectura minus felix videtur laudatus Foullon. Esto, jaspideum fuerit sepulcrum; quod Anonymus num.* 7 mausoleum lapideum, solidum et integrum *appellat. Id tamen certum, subter humum conditas initio fuisse sacras exuvias, quum paulo infra Anonymus edendus num.* 6 *docet,* placuisse Altissimo, *postquam fama sanctitatis et miraculorum late sparsa fuisset, ut* sacrum corpus ejus elevaretur a tellure, et honoraretur in facie populi et Ecclesiæ cum debita dignitate, *quod præstitit S. Florebertus, filius S. Huberti carnalis aut spiritualis ejusque successor in sede Leodiensi. Initio igitur sub terra conditum corpus S.* Odæ, *tardius* in facie populi et Ecclesiæ honoratum *fuit. Quod vero spectat ad effusionem aromatum, huic luxui contradicit Anonymus num.* 5. Corpus, *inquit,* ejus honeste compositum fidelium manibus, non quasi mortuum, sed quasi dormiens apparebat, et ut cinnamomum et balsamum aromatizans optime redolebat. *Quæ verba plane ridicula essent, si clientium opera aromata corpori superfusa fuissent.*

AUCTORE J. V. H.

E

a S. Florebertc elevatur :

25 *Habemus ex Anonymo, in Vita edenda num.* 7, *elevationem corporis S.* Odæ *celebratam fuisse* VI *id. Julii, seu die* IX *ejusdem mensis: addit autem Breviarium Leodiense id accidisse* trigesimo secundo post mortem anno; *id est, si secundum Sigebertum obitus S.* Odæ *anno Christi* 711 *innodetur, elevatio facta est die* IX *Julii anni* 742. *Florebertus episcopus, qui id venerationis mulieri sanctissimæ exhibuit, ut notat Anonymus num.* 7, *frequens erat in sacris exuviis elevandis* (6), *ac præter Sanctam nostram* Odam *etiam corpora S. Landoaldi ac sociorum ejus, et præsertim S. Huberti exuvias ad Andainum monasterium solemniter deportavit anno* 743. *Nihil itaque dubii est de auctore elevationis S.* Odæ, *qui certe est Florebertus: ast in controversiam merito vocatur annus. Etenim si secundum chronotaxim nostram, qua obitum Sanctæ anno* 722 *aut* 723 *innexuimus, addimus annos triginta et unum, devenimus ad annum* 753, *quo jam defuncto S. Floreberto anno* 746 (7) *Fulcarius successerat. Si igitur circa elevationem sacri corporis certi quidpiam habet traditio Breviarii Leodiensis citati, dicendum erit, corpus S.* Odæ *elevatum fuisse anno vigesimo primo a felici ejus obitu, quo calculo ad annum Christi* 742 *aut* 743 *devenimus. Joan. Foullon in Vita Gallica dicit prudenter, id totum accidisse* aliquot annis *post Sanctæ mortem* (8).

F

Anno 1634 *ex auctoritate nuntii apostolici*

26 *Quamvis non dubitemus, quin a tempore Floreberti episcopi sæpius visitatæ fuerint S.* Odæ *Reliquiæ, nihil tamen compertum habemus de antiquioribus temporibus. Quæ enim exstabant capituli Amaniensis cartularia, aut dispersa fuerunt, aut penes eos exstant, qui exstincti capituli bona occuparunt. Verum anno* 1634 *de mandato nuntii apostolici Petri Aloysii Carafæ,*

(1) Pertz. tom. VIII. pag. 329. — (2) Ibid. pag. 391. — (3) Act. SS. tom. V Septemb., pag. 551. — (4) Vie de Ste Ode, pag. 243. — (5) Ibid. pag. 244. — (6) Foullon. Hist. Leod. tom. I, pag. 134. — (7) Act. SS. tom. III April., pag. 377. — (8) Vie de Ste Ode, pag. 249.

episcopi

AUCTORE J. V. H.

episcopi Tricariensis, Bartholomæus Ladson, rector domus Societatis Jesu Hoyi Reliquias Amanienses visitavit, cujus recognitionis instrumentum infra exhibemus. Hac occasione facta est nova dispertitio Reliquiarum, quarum pars aliqua obtigit Collegio Societatis Jesu Hoyi, alia cum monasterio Lætiensi et quibusdam ecclesiis communicata fuit. Et quidem ea lege Canonici Amanienses Collegio Societatis Hoyensi sacras exuvias tradiderunt, ut Vita S. Odæ *gallico idiomate ederetur. Quam fidem datam liberavit Joannes Foullon in sua lucubratione edita Leodii anno* 1665 (1); *in qua ita vulgares traditiones sectatur, ut tamen in Appendice seu Annotatis, ad calcem libri positis, istas ad saniorem crisin revocet, ostendatque aliqua ad trutinam historicam leviora inveniri. En instrumentum, extractum ex antiquo codice manu scripto, nobiscum communicatum a R. D. Dotrewe, hodierno parocho Amaniensi.*

visitantur Reliquiæ S. Odæ,

27 Canonici, *habet citatus codex,* Amanienses Reliquias, quas possidebant, in feretro argenteo recondi curaverunt: cujus visitatio facta est anno 1634, ut videtur in sequenti B instrumento. Universis et singulis præsentes visuris salutem in Domino, ego Bartholomæus Ladson, rector domus Societatis Jesu Hui. Decima Martii, anno millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, ex deputatione illustrissimi et rdissimi domini D. Petri Aloysii Carafæ, episcopi Tricariensis et ad partes Rheni nuntii apostolici cum potestate legati a latere, visitavi sanctas Reliquias S. Odæ in ecclesia Amaniensi prope Huum, in feretro argenteo requiescentes, in quo inveni notabilem partem cranii, item ossa majora octo, minora circiter triginta, denique pulveres plurimos cum fragmentis circiter duodecim alicujus baculi rotundi. Ex cranio detraxi aliquam partem, donandam præfato illustrissimo domino nuntio, ex ossibus vero majoribus unum, sed diminutum, pro domo Societatis Jesu Hui; ex minoribus vero domini canonici ecclesiæ Amaniensis sustulerunt novem aut decem, distribuenda ecclesiis sibi subditis. Datum Hui sexta Aprilis 1634. Ita est, Bartholomæus Ladson, Thomas Bettan, Societatis Jesu missionarius ibidem. *Qui in scrinio* C *recensetur baculus rotundus, ortum probabilius dedit populari commento, quo refertur, S.* Oda, *e dextera Mosa videns amœnitatem ripæ sinistræ, projecisse baculum ac vovisse, ubi caderet, ibidem ecclesiam se ædificaturam; eademque traditio monstrat montem, ex quo baculus projectus fuerit.*

quæ denuo anno 1848, *permittente episcopo Leodiensi,*

28 *Feretrum argenteum, in quo corpus S.* Odæ *compositum erat, in pretio habebatur non solum propter materiam, sed vel maxime propter artem, et antiquæ industriæ specimen exhibebat omnibus suis numeris perfectum. Feliciter, quum sæculo proxime elapso exeunte, ecclesiæ et monasteria bonis suis omnibus exuerentur, et pretiosa quæque in pecuniam redigerentur, substracta fuit impiorum rapacitati lipsanotheca, S.* Odæ *et melioribus temporibus conservata. Quum autem lapsu temporis aut etiam negligentia pristinum non solum splendorem amisisset, sed variis ornamentis mutilata fuisset lipsanotheca, tantum nihilominus erat ejus artificium, ut antiquarum rerum peD riti emi eam cuperent, et musæo artium publico adjudicandam censerent. Offertur igitur parochianis Amaniensibus pecunia non contemnenda, ut jure suo cederent: ast hi nullo pacto feretrum pretiosum, pietate majorum confectum, in profanos usus, et publicam curiositatem mere pascendam detorqueri passi sunt. Ut itaque suus instauraretur lipsanothecæ decor, statutum fuit, ære publico eam a sordibus purgare, mutilata reficere, quæ deerant supplere. Quapropter oportuit, antequam Bruxellas adornanda mitteretur, extrahere S.* Odæ *exuvias; quod quidem coram rogatis testibus factum est, die* XXVIII *Decembris* 1848, *ut docet sequens instrumentum, nobiscum a R. D. Doutrewe, parocho Amaniensi, communicatum.*

confectoque instrumento, examinantur,

29 Instrumentum aperturæ lipsanothecæ S. Odæ, factæ die XXVIII Decembris ab ædituis ecclesiæ succursalis Amanii cum licentia illustrissimi ac reverendissimi domini episcopi Leodiensis. Infrascripti exponunt, attenta propositione vendendæ lipsanothecæ S. Odæ aut ejusdem instaurandæ, facta die E XXVII Novembris 1847, quod posterius ædituis præplacuit, quæ relata ad consilium fabricæ dictæ ecclesiæ in sessione habita die II Aprilis 1848 probata fuit. Quapropter rescriptum fuit ad Comitem de Beaufort, præsidem collegii, servandis publicis monumentis præpositi; qui quidem suam operam et auxilium pollicitus, petiit tamen ut lipsanotheca, extractis prius Reliquiis, Bruxellas inspicienda mitteretur, quatenus examinari posset, quantum artis antiquæ præ se ferret. Obtenta igitur facultate necessaria ab illustrissimo ac reverendissimo D. episcopo Leodiensi, dies XXVIII Decembris anni 1848 assignata fuit lipsanothecæ aperiendæ. Præsentes adfuere DD. Victor Doutrewe parochus Amaniensis, G. Jamotte, G. Depart, æditui, J. Romous magister civium Amaniensis, J. Knaden parochus S. Petri Hoyi et G. Janssen, vicarius Amaniensis. Itaque extracta lipsanotheca ex sacello, e regione sacristiæ sito, ubi reposita erat super altari S. Odæ, deposita in sacristia, et in latus versa fuit. Sic revoluta, videre erat in fundo aperturam quadratam, assicula clau- F sam clavis facile extrahendis: nullum reperire fuit sigillum seu ligaturam, cujus ope ejus sinceritas et integritas confirmari posset: imo varia sunt indicia, quibus constat apertam fuisse; quin investigationes quidquam revelaverint. Aperta lipsanotheca, extracta fuere sequentia: 1° tres sacculi linei subcærulei (couleur d'ardoise); qui sunt recentioris texturæ, imo videntur novi. Unus autem e tribus sacculis continet pannum sericum, instar fragmenti vestis sacerdotalis, floribus rubris et flavis distinctum: conjicimus, istiusmodi panno ossa involuta fuisse. Alter saccus continet fragmenta ossium, inter quæ fragmentum sat longum tibiæ et collum femoris. Tertius continet cranium, dempto mandibulo inferiori, fere integrum, tria fragmenta ossium, ad mensuram brachii longa, unum astragalum et varia minora fragmenta ossium. 2° Saccus chartaceus, continens fragmentum femoris. Saccus iste conglutinatus fuit ex

(1) Vie de Ste Ode in Praef.

inscriptione

A inscriptione funerea diei xv Augusti 1833: quo indicio certo scitur, lipsanotheca aperta fuisse aut illo anno, aut saltem tempore aliquo posteriori. 3° Sacculus chartaceus continens trituras ligneas, inter quas fragmenta rotunda, quasi baculi. Num habenda sunt tamquam reliquiæ baculi S. Odæ, de quo agit traditio? 4° Aliqui pulveres, in sacculo contenti, qui supponuntur omnes quisquiliæ, in antiquiori quadam visitatione collectæ. 5° Tandem tria recisamenta panni, quorum unum satis antiquum videtur, alterum bombycinum recentioris operis, tertium ex albo et cæruleo virgatum, quæ supponuntur involucra fuisse, quandoquidem alium usum non potuisse habere videntur. Hæc omnia provisorie deposita fuerunt in capsa, donec aut lipsanotheca renovata fuerit, aut si vendatur, altera confecta fuerit. De quibus supra expositis conscriptum fuit præsens instrumentum, in dicta capsa depositum; cujus transsumptum in chartulario ecclesiæ Amaniensis relatum fuit. Actum Amanii die xxviii Decembris 1848. *Sequuntur subscriptiones.*

et sinceræ monstrantur:

30 *Ex allato instrumento manifestum est, circa annum* 1833 *apertam fuisse S.* Odæ *lipsanothecam, quin ullo hactenus cognoscatur indicio, quis et cujus auctoritate apertionem fecerit. Supersunt etiam duo, qui hodiernum parochum curati titulo Amanii præcessere: sed uterque ignorat, a quo et qua occasione lipsanotheca aperta fuerit; unde non levis excitatur suspicio, id clanculo et furtim contigisse, adeoque dubias habendas Reliquias, quæ hodie in feretro reconduntur. Et certe si tanta fuisset apertura; ut omnia ossa extrahi potuissent, non leve esset suspicionis et fraudis fundamentum. Ast interrogatus R. D. parochus hodiernus, utrum tanta esset in fundo feretri apertura, ut cranium v. g. eripi potuisset, negavit tantam esse: unde jam conficitur, non malo animo, siquidem majori aperturæ faciendæ obstaret nihil, id factum fuisse: quod si quis impia violatione Reliquias falsare intendisset, faciliori negotio feretrum omnibus ossibus, secreto recondendis, spoliasset, nulloque relicto violationis vestigio, fideles sua pietate defraudasset. Dein*

C *quæ fuerant reperta in visitatione anni* 1634 *ossa eorumque numerus, anno* 1848 *denuo recognita fuerunt; oportuisset itaque falsarium præ manibus habere eadem numero, eadem sexu, eadem ætate ossa, quæ olim in lipsanotheca recondita fuerant, quod non sine magna industria fieri potuit. Quod si tantam dexteritatem falsario tribuamus, quomodo accidit, aperti feretri tam clara post se reliquerit vestigia? Tandem, ut jam diximus, aliqua ossa, v. g. cranii ex facta apertura extrahi non potuerunt: igitur partem saltem eorum, ut veras Reliquias habere oporteret. Dicamus igitur temerarie id factum, sed sine malitia; nec debito suo cultu privandas esse S.* Odæ *exuvias, quales hodie Amanii in honore habentur.*

ostenditur quoque S. Oda

31 *Sed discussam difficultatem major excipit; quum in controversiam vocatur, utrum corpus S.* Odæ *Amanii vere quiescat, atque in Lotharingia hodierna Sanctæ exuviæ requirendæ non sint. Ex litteris R. D. Dotrewe, Amaniensis parochi, doceor, hoc fere modo quæstionem instrui. Sæculo nempe septimo non erat Amanii capitulum collegiatum, nisi forsan initio fuerit monialium asceterium. Quod si tamen collegiata ecclesia Amanii sæculo isto erecta fuerit, verisimile non est, viduam sanctam selegisse sibi locum, viris destinatum; imo potius filius ejus, S. Arnulfus, Metensis episcopus, duxerit matrem suam in montana Vosagi, ad parthenonem Habendensem, a S. Romarico fundatum. Antequam longius progrediamur, respondemus, S.* Odam, *S. Arnulfi Metensis, anno Christi* 640 *defuncti, matrem non exstitisse, quandoquidem Sanctæ obitum anno vulgari* 722 *aut* 723 *illigemus, statuamusque vix ante medium sæculum septimum natam fuisse. Quæ porro fuerint causæ, ut vidua sancta monialibus sese non adjunxerit, etiamsi ignoraremus, non est tamen, cur mansio Amaniensis in dubium vocemus: præsertim quum istiusmodi vitæ genus plures sectati fuerint. Et ut exempla domestica afferamus; id est, ejusdem sexus, sæculi et regionis, in habitu sæculari sancte vixere: S. Aldegundis, Truncinii culta, filia S. Basini Martyris* (1); *S. Dympna Martyr cum S. Gereberno, cujus nihilominus interierat, virginem sanctam in monasterio abscondi* (2), E *S. Bertilia Virgo* (3), *S. Framechildis, mater S. Austrebertæ* (4), *S. Gudila Virgo* (5), *S. Oda Virgo* (6), *S. Amalberga, Virgo Tamisiæ, in villa juris sui* (7). *Cæterum est specialis ratio, cur S.* Oda *id vitæ genus sectata fuerit, cura nempe, quam de nepote suo S. Huberto, gerebat, quapropter Ecclesiam quoque Leodiensem, cathedralem factam, latifundiis dotavit. Nullum igitur occurrit momentum, cur sancta matrona in Vosagum se conferret. Quod si monialium asceterio dedere se Sancta voluisset, extra Belgium id nullatenus debuisset quærere.*

AUCTORE J. V. H.

Amanii vixisse et obiisse,

32 *Hæc porro, quam diluimus, difficultas eo collimabat, ut locus mortis, adeoque sepulturæ, saltem primævæ, in Lotharingia constitueretur. Non capit scilicet scriptor Lotharingus, S.* Odam, *defunctam Amanii translatam fuisse; ac proinde locum mortis alibi existimat requirendum. Huic difficultati occurrit ipsa Vita infra edenda. Nam quum S.* Oda *more aliorum fidelium in sepulcro composita fuisset, aliquot post annis S. Florebertus, corpus Sanctæ elevavit; quo facto, pro more istorum temporum, cultum exhiberi permisit. Hæc habet Vita num.* 6: Cum igitur in circumpositis terrarum provinciis crebris virtutum miraculis fama nominis ejus fieret celebris, placuit Altissimo, ut pro celebranda nominis ejus ecclesiastica celebritate sacrum corpus ejus elevaretur a tellure, et honoraretur in facie populi et Ecclesiæ cum debita dignitate. Quia enim hæc famula Dei, Oda, diversas in vita sua fecerat construi divinæ servituti ecclesias, voluit Dominus, ut ecclesiæ, possessionibus ejus dotatæ, translatas de terra gloriosas ejus corporis servarent Reliquias, et Creatori suo ad fidem et notitiam futurorum redderent gratias..... Itaque Floreberto, venerabili Ecclesiæ Leodiensis pontifice, ordinante, congregatis ad ejus tubam personis ecclesiasticis, totius provinciæ populus undique confluebat, patrum sanctorum benedictionem suscipere et sanctas Reliquias transferendas de tellure digna veneratione et reverentia honorare. Patres itaque populo dantes benedi- F

(1) Act. SS. Belg. tom. V, pag. 226. — (2) Ibid. pag. 301. — (3) Ibid. pag. 233. — (4) Ibid. pag. 448. — (5) Ibid. pag. 667. — (6) Ibid. tom. VI, pag. 587. — (7) Act. SS. tom. III Jul., pag. 72.

AUCTORE J. V. H.

ctionem, cum oratione et psalmodia venientes ad sarcophagum, deponunt lapidem superiorem, super corpus sanctum positum : sicque in mausoleo lapideo, solido et integro, inveniunt sacras et venerandas Reliquias, dantes suavitatis odorem dulcissimum. Facta est hæc translatio septimo idus mensis Julii... Patres vero dignitatis ecclesiasticæ ecclesias, gloriosæ Dei famulæ Odæ constructas industria et labore, fecerunt ejusdem Reliquiis in majori altari Amaniensis ecclesiæ, ubi sepulta fuerat: et in locis singulis divinum servitium augmentare et laudes Deo in sanctorum ecclesiis per circumjacentes provincias pro Sanctæ Odæ memoria memoriter decantare. Reliquiæ itaque cum magna devotione reconditæ sunt in aliis ecclesiis honestissime. *Hactenus biographus noster.*

ejusque corpus, exceptis quibusdam particulis,

33 *Satis manifestum est, textum exhibitum circa finem, ubi agitur de Reliquiis, esse mutilum. Quoniam autem nullum hujus Vitæ novimus exemplar sincerum, quo proin alii codices emendari possint, et jam supra monuimus scriptorem hinc inde voces quasdam omisisse; tali ratione hiatum implere, uncinis supplementa includentes, censemus :* Patres vero dignitatis ecclesiasticæ ecclesias, gloriosæ Dei famulæ constructas industria et labore, fecerunt ejusdem Reliquiis (participes, ac corpus) in majori altari Amaniensis ecclesiæ, ubi sepulta fuerat, (imposuerunt), et in locis singulis divinum servitium augmentare et laudes Deo in sanctorum ecclesiis per circumjacentes provincias pro sanctæ Odæ memoria memoriter decantare (jusserunt). *Atque hunc mutili textus sensum esse (nam voces vocibus substituere licet) satis indicat, vel ipsa verborum codicis series et ordinatio; ut quid enim dum agitur de Sanctæ Reliquiis , aliarum* ecclesiarum, gloriosæ Dei famulæ Odæ constructarum industria et labore *mentio fieret, nisi de dispertitione sacrarum exuviarum, aliis ecclesiis facienda, sermo esset? Dein, quum paulo infra dicuntur,* Reliquiæ cum magna devotione reconditæ fuisse in aliis ecclesiis honestissime, *dubium nullum superesse potest, quin distributæ tunc fuerint variis ecclesiis Reliquiæ S.* Odæ. *Hunc sensum nobis etiam exhibet Joan. Foullon, quando dicit, S. Flodebertum particulas aliquas misisse ad ecclesias a Sancta constructas* (1).

numquam amotum fuisse.

34 *Sed e diverticulo ad quæstionem redeamus. Ex relatis satis manifestum est, quid nomine translationis,* VII *idus, seu die* IX *Julii, factæ, hic intelligendum sit, id est, ut habent Leodiensia Breviaria,* S. Florebertum, Leodiensem episcopum Beatæ Odæ, miraculis præclaræ, Reliquias ad altare sublimasse. *Præterea supersunt etiamnum lapides sepulcri, in quo primum S.* Odæ *corpus conditum fuit, atque juxta altare ecclesiæ Amaniensis parieti ad rei memoriam inædificati sunt* (2). *Traditionem igitur constantem cumulat argumentum palpabile lapidum sepulcralium, quo extra omne dubium ponitur, S.* Odam *et Amanii vitam clausisse et ibidem sepulcrum nactam, perpetuo ad nostra usque tempora immota perstitisse. Sed quid? Domni-Martini juxta Tullum Leucorum* (Dommartin-lez-Toul) *in hodierna diœcesi Nanceiensi, servantur hactenus partes notabiles corporis S.* Odæ, *monstraturque ejus sepulcrum. Certe si de solis Reliquiis, etiam grandioribus, sermo esset, responderi posset, Martinianam ecclesiam, forsan a S.* Oda *constructam, participem fuisse ejus Reliquiarum , maxime quia hodierna Lotharingia ad Austrasiam, quam sua liberalitate dotavit sancta matrona, pertinebat, aut etiam lapsu temporis ab alia ecclesia ad Martinianam devoluta esse lipsana. Verum quum istic monstretur et antiquum sepulcrum, mihi verisimile est, aliam quamdam Odam sanctam requirendam esse. Opportune autem occurrit S. Oda, quæ S. Eliphii Martyris, cujus Acta ad diem* XVI *Octobris dedimus* (3), *soror ferebatur. Et quidem istius Odæ cum S. Eliphio consanguinitatem non admittunt collega noster* (4) *aut D. Calmet in Historia Lotharingiæ* (5), *quin propterea ejus negetur aut sanctitas aut martyrium. Nam laudatus D. Calmet paulo infra ad annum* 450 *ejus passionem refert, sanctamque Hoildem, Hildam, Othildam, gallice* Ste Houx *appellat; additque eam in pago Parthensi sepultam mansisse usque ad annum Christi* 1159, *quo Henricus, Comes Campaniæ, Sanctæ corpus exhumari et Trecas transferri jussit* (6). *Videndum itaque est, an Reliquiæ Martinianæ imo et sepulcrum istius Odæ, non potius ad Tullensem quam ad Parthensem pagum pertineant. Tandem fieri potest, ut homonyma quædam, sanctitatis magis fama, quam rerum gestarum notitia, celebris, in Domni-Martini a sæculis sepulta, cultum aliquem obtinuerit, qui initio limites parochiæ vix excedens periit; sed postea inquirendi in ejus Acta cupiditas excitata fuerit, quumque nihil in loco ipso reperiretur, ad S.* Odam *Amaniensem historia devenerit . Sæpe enim sanctorum homonymorum Acta commiscentur. Sed hæc conjectando dicta sunto. Unum tenemus, corpus S.* Odæ *Viduæ, amitæ S. Huberti, et Amanii sepultum fuisse et ad hodiernam usque diem ibidem permanere.*

Brevis notitia S. Pompeji.

35 *Actis S.* Odæ *subnectimus ea quæ ex ejusdem Vita cognoscimus de ejus, ut videtur confessore, B.* Pompejo; *qui licet cultum proprie liturgicum, id est, Officium et Missam numquam videtur habuisse, apud Amanienses tamen in veneratione habetur, ut infra explicabimus. Quæ vero de beato viro narrantur, complexus est Molanus in suis Natalibus Sanctorum Belgii sub hac ipsa die* XXIII *Octobris.* Beatum, *ait,* Pompejum sacerdotem præcipue dilexit Sancta Oda, virum vita et moribus comprobatum in tantum, ut licet percussio abfuerit, palmam tamen martyrii in sui corporis maceratione non credatur amisisse. Sepultus est Amaniæ in crypta sacelli, quod in monte ad honorem S. Catharinæ Deo dicatum est ; usitatius tamen B. Pompeji dicitur, gallice « Saint Pope . » Altare ejus ecclesiolæ tres habet statuas, mediam Deiparæ, sinistram Catharinæ, et dexteram Pompeji, sedentis in habitu sacerdotali cum calice in manu. Similiter depictus est in pariete, sed stans et brutis benedicens animalibus. Quum autem rustici Missæ sacrificium inibi requirunt, sacerdotes legunt ex more de communi Confessoris non Pontificis, sed quia canonizatus non est, omissis Collectis de Confessore, legunt alias contra

(1) Vie de Ste Ode, pag. 249. — (2) Ibid. pag. 244. — (3) Act. SS. tom. VII Octob., pag. 804. — (4) Ibid. pag. 304. — (5) Hist. de Lorr. tom. I, col. 200. — (6) Ibid. col. 283.

pestem

A pestem animalium. *Humanissimis litteris ad me datis* VI *Januarii currentis hujus anni* 1858 *R. D. Victor Doutrewe scribit oratorium B.* Pompeji *jam non exstare, sed superstitem remansisse ecclesiolam S. Catharinæ, licet ad usus profanos redactam. B.* Pompeji *intercessio non solum pro brutis animalibus, præsertim porcis, efflagitatur, sed etiam pro infantibus, morbo aliquo laborantibus. Concursus populi, sanctum sacerdotem venerantis, præcipue celebratur kalendis Maji et feria* II *Pentecostes. Hodiedum ejus imago circumfertur æri incisa, exhibens Beatum, dextera sua calicem sustinentem, et porcis circumdatum. Atque hæc sunt, quæ de B.* Pompejo *monumenta, tum antiqua tum recentiora, tradiderunt.*

VITA S. ODÆ VIDUÆ,

AUCTORE ANONYMO,

B *Ex codice pergameno Trajectino bibliothecæ regiæ Bruxellensis sub n° 7917 collata cum Codice Corsendoncano ejusdem bibliothecæ sub n° 858.*

CAPUT UNICUM.

Ortus Sanctæ; migratio in Austrasiam; opera pia; sanctus obitus; elevatio corporis a S. Floreberto, episcopo Leodiensi.

S. Oda, Boggonis Aquitani vidua,

Gloriosa Christi famula Oda, potentissimi Gallorum regis filia *a*, felici auspicio tali nomine digna, quod laudem Dei vel hymnum sonat, Boggis, nobilissimi Aquitanorum ducis, uxor fuit *b*. Hæc gloriosæ Virginis Mariæ, Matris Domini, parentum Joachim videlicet

C et Annæ votum et exemplum secuta, omnia bona temporalia, quæ habuit, in tres partes divisit. Unam partem in ecclesiis construendis et Deo servientibus abundanter exhibuit: de altera infirmis et egentibus ministravit: tertiam in suos usus reservavit *c*. Pauperum vestes propriis manibus consuebat; faciens baptizari, extrahens eos de fonte sancto, maternitate cum ipsis conjuncta*, libentius eis benefaciebat. Ad mortuorum etiam pauperum sepulturam propriis manibus vestes fecit *d*, et eos suis manibus tangens, sepulturæ tradidit. Pauperculorum hospitiola, quantumcumque distarent et quantumlibet via lutosa esset vel aspera, benignissime visitabat cum salutifera consolatione. Et sic triplicem captabat remunerationem; ex itineris labore, ex animi compassione, et ex rerum temporalium largitione *e*. His et aliis piis et bonis operibus Deo et hominibus dilecta, venerabatur ab omni familia, a cunctis fidelibus amabatur, ab omnibus, in tribulatione positis, ut mater et nutrix, laudabatur.

a

b

c

* *C.* cum eis contracta

d

e

in Austrasiam venit,

2 Post aliquot annos sponsus ejus, dux gloriosus, in confessione veræ pietatis, vivifico pane munitus, ex hac luce migravit, et ad vitæ perpetuæ mansionem cum justis* pervenit *f*. Post mortem viri Beata Oda in sancta viduitate permansit; votoque facto, in continentia perpetua vivere studuit. Provinciam autem sui principatus per fideles viros optime gubernabat; suis subditis in omni tempore et loco, in omni angustia et necessitate salutis subsidia conferebat. Præcepit autem juxta mansionem suam fieri hospitale, in quo pauperes et infirmos pleno caritatis affectu refovebat. Pauperes hospitalis sui bis in die, mane et vespere personaliter visitavit; et cum hilaritate eis vitæ necessaria ministravit. Cum igitur his et aliis virtutum insigniis coruscaret, dilectus filius suus, venerabilis Arnulphus ad annos pubertatis devenit: et mater magnatum consilio principatum provinciæ cum relicto sibi a patre testimonio* gubernandum tradidit. Beatus igitur Arnulphus in juventute genuit* Ansigisum ducem, et post electus est Metensis episcopus *g*. Ansegisus dux, desponsata sibi Bogga*, Pippini principis filia *h*, gloriosæ Gheertrudis Virginis sorore dilectissima *i*, genuit ex ea Pippinum ducem; Pippinus vero dux habuit Carolum; Carolus habuit Pipinum primo ducem, post vero unctum in regem *k*. Pippinus rex genuit Karolum Magnum, qui a Leone Papa consecratus est in Romanorum imperatorem.

AUCTORE ANONYMO.

* *C. add.* victurus *f*

* *C.* patrimonio

* *C.* habuit *g*

* *C.* Begga *h*

i

k

3 Sic igitur Beata Oda ex magnis regibus, fidei christianæ cultoribus; Clodoveo videlicet atavo, Childeberto patre, fratre Dagoberto claruit decorata; sed filio ejus sanctissimo Arnulpho et sanctissimis imperatoribus et regibus, ex ejus genere procreatis, amplius exstitit apud Deum et homines glorificata *l*. Fuit etiam Beata Oda amita Beati Huberti episcopi Leodiensis *m*. Cum igitur die quadam omnem victum suum pauperibus erogasset, advenit Dominus in forma pauperis juvenis hilari vultu et jucundo postulans hospitium sibi pro Christi nomine præstari. Quæ, Christi audito nomine dulcisono, lætatur juvenem inspiciens, benignissime ipsum excepit hospitio. Juvenis autem assidens venerabili matronæ, rogat eam assurgere et sibi victualia ministrare. Surgens autem vadit ad sportam *n*, quam servientes prædixerant a victualibus evacuatam: invenitque eam panibus et cæteris alimentis usque ad summum repletam. Juvenis autem sumens victum a devota matrona, gratias retulit, et his verbis dulcissime eam alloquitur: « Quia hodie me in meipso, cæteris vero diebus in meis membris, refecisti; scito tibi vitæ æternæ gaudia præparari, et præsentis vitæ subsidia a te petentibus abundantiam tecum positis tui Redemptoris gratia ministrari. » His dictis, juvenis ab ejus oculis evanuit. Finito vero prandio, venientes servi et famulæ ad cellaria, solaria et horrea, viderunt messibus, farinis, panibus, cæterisque victualibus ita esse repleta, quasi non possent plura ibidem recondi *o*.

sanctisque operibus intenta,

l

m

n

o

4 Post aliquot autem annos ex nimia abstinentia et vigiliarum custodia cum ejus corpusculum nimia ægritudine fatigaretur, revelatione divina cognovit, excessum suum imminere. Consilio igitur servorum Dei omnem honorem et temporalium facultates in sola spiritualia

vicinæque mortis præscia,

AUCTORE ANONYMO.

spiritualia bona propter Christi amorem funditus permutavit, et divina dilectione ferventes famulos et famulas, sacris institutionibus obedientes, ad ministrandum egentibus vice sua Deo famulari constituit. Postquam vero vinculum et curam oneris terrenorum de sua conscientia relaxavit, quasi libera Deo, quo postea vixerit vitæ spatio, indesinenter oravit, ecclesiarumque sacras ædes perambulando, exhortationibus et verbis mellifluis prædicando, meditari in lege Domini non cessavit. Spe gaudens, in tribulatione patiens, mente invicta, vultu sereno in Domino exultabat. Transitus quoque sui diem extremum, sibi divinitus revelatum, cum patientia expectabat; de carcere ad regnum, de mœrore ad lætitiam, de tenebris ad lucem, de morte festinabat ad vitam: et cum in mundo esset corpore, animo quotidie ad æternas studuit transire virtutes. Continuis orationibus proficiebat, afflictioni et abstinentiæ singulariter serviebat: insuper et aspera cultu, veste cilicina suum induit corpusculum, et nullum in
p hac vita habuit sanctitatis refrigerium *p*, sed æternis semper erat intenta. Cumque ad diem venisset extremum, vocari fecit ad se sacerdotes et alios fideles; confessioneque facta, fide pura devotissime corpus dominicum recepit, sanctoque inuncta oleo, a cunctis circumsedentibus orationum petivit suffragium, ut de hac vita perveniret ad regnum cœlorum. Inde omnem substantiam et supellectilem et omnia, quæ habuit, Christi pauperibus jussit distribui, excepta vili tunica, in qua voluit sepeliri.

sancte obit;
q

5 Post hæc, dicta oratione dominica et symbolo Apostolorum *q*, jacuit exultans; et oculis intenta in cœlum, vidit Jesum Christum in medio sanctorum Angelorum, eam dulcissime vocantem ad refrigerium sempiternum. Sicque cum gratiarum actione omnes sibi assidentes devotissima voce et mente Domino commendavit: et suum in manus Domini tradens spiritum, quasi suaviter obdormiendo, decimo kalendas Novembris exspiravit. Multi vero circummanentes, ejus obitum audientes, ad ejus venerunt exsequias, et de-
C biles ac pauperes, quos vivens pascere solebat, ut matrem dulcissimam flentes se amisisse dolebant. Corpus vero ejus, honeste compositum fidelium manibus, non quasi (mortuum, sed quasi) dormiens apparebat, et ut cinnamomum et balsamum aromatizans optime redolebat. Sacerdotes autem et cæteri ministri Christi corpusculum beatæ matronæ, feretro impositum, ad ecclesiam, quam propriis facultatibus ad laudem sui conditoris et honorem excellentissimi Martyris Georgii, quem pluribus in locis, privilegio amoris, in similibus venerata est, construxerat, et in qua
* *C.* sepeliendа splendida * erat, cum psalmis et orationibus detulerunt: et officio exsequiarum expleto, populo cumprovinciali convocato, in sepulcro, lapidibus constructo, tantæ fidei famulæ corpusculum dignissime condiderunt.

corpusque aliquot post annis

6 Post obitum autem ejus Dominus omnium, quem sincere dilexit et cujus amore pauperum turbam pascere non cessavit, famulam suam in hoc mundo ad suam laudem et ad suorum consolationem fidelium glorificavit, cum infir-
**C. ald.* pro salute confluentibus, salutis mis, diversa ægritudine aggravatis*, remedia reparavit. Inde Christus digne laudatur a cun- D
ctis, qui Sanctos suos gloriose coronat in cœlis et virtutum prodigiis et miraculorum signis mirificat frequenter * in terris. Tanta enim * *C. deest* frequenter
signa et virtutes Dominus operari dignatus est per ejus merita, ut cæcis visus, surdisque redderet auditus, claudis repararet incessus et multis linguæ usus; debilis etiam quisquis, sospitatis suæ compos factus, divina consolatione gavisus sit, et corpore et animo roboratus. Unde non immerito perpetua et immortali corona creditur esse coronata, quæ in viduitatis professione posita, eleemosynarum semine, vigiliis et orationibus in templo frequenter Domino serviens, in omni bono claruit opere comprobata. Cum igitur in circumpositis terrarum provinciis crebris virtutum miraculis fama nominis ejus fieret celebris; placuit Altissimo, ut pro celebranda nominis ejus ecclesiastica celebritate sacrum corpus ejus elevaretur a tellure, et honoraretur in facie populi et Ecclesiæ cum debita dignitate. Quia enim hæc famula Dei, Oda, diversas in vita sua fecerat construi divinæ servituti ecclesias, vo-
luit Dominus, ut ecclesiæ, possessionibus ejus E
dotatæ, translatas de terra gloriosas ejus corporis servarent Reliquias, et Creatori suo ad fidem et notitiam futurorum redderent gratias et odas Odæ nomine et memoriæ frequentarent devotas.

a S. Floreberto elevatur.
r

7 Itaque Floreberto, venerabilis Ecclesiæ Leodiensis pontifice *r* ordinante, congregatis ad ejus tumbam personis ecclesiasticis, totius provinciæ populus undique confluebat patrum sanctorum * benedictionem suscipere et san- * *C. deest* sanctorum
ctas Reliquias transferendas de tellure digna veneratione et reverentia honorare. Patres itaque populo dantes benedictionem, cum oratione et psalmodia venientes ad sarcophagum, deponunt lapidem superiorem, super corpus sanctum positum: sicque in mausoleo lapideo, solido et integro, inveniunt sacras et venerandas Reliquias, dantes suavitatis odorem dulcissimum. Facta est hæc translatio septimo idus mensis Julii ad laudem et honorem Domini nostri Jesu Christi. Patres vero dignitatis ecclesiasticæ ecclesias, gloriosæ Dei famulæ Odæ constructas industria et labore, F
fecerunt ejusdem Reliquiis decorari et corpus in majori altari Amaniensis ecclesiæ, ubi sepulta fuerat (imponere) et in locis singulis divinum servitium augmentare et laudes Deo in Sanctorum ecclesiis per circumjacentes provincias pro Sanctæ Odæ memoria memoriter decantare *s*. Reliquiæ itaque cum magna *s*
devotione reconditæ sunt in aliis ecclesiis honestissime, et laudatur Deus deorum in sanctæ Odæ odis, gloria et honore, qui eam magnificavit virtutibus et coronavit in perpetua claritate *s*.

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num.* 6 *monstravimus, qua ratione dici possit S.* Oda *filia Childeberti regis : nempe istius Childeberti, qui occidendus a Clotario II, fugaque elapsus,* numquam postea visus est. *Ætas aptatur cum chronotaxi S.* Odæ, *ut liquet ex num.* 7.

b *De Boggo seu Bogone, ejusque splendidis natalibus ac posteris late actum fuit toto fere* § II *Commentarii prævii.*

c *De*

A c *De parentibus Deiparæ Virginis similem traditionem exhibet Ribadineira noster in Flore Sanctorum ad* XXVI *Julii.* Suos, *inquit,* namque reditus annuos trifariam partiebantur: unam sustentandæ familiæ impendebant; alteram templo ejusque ministris offerebant; tertiam egenis erogabant.

d *Codex Corsendoncanus omittit* propriis manibus vestes fecisse *ad sepulturam pauperum.*

e *Trinam remunerationem omittit Cod. Corsendoncanus.*

f *Boggo dux, maritus S.* Odæ, *diem suum obiit anno* 688. *Quum autem filio minorenni tutelam exhibere debuit ejus mater; confirmatur imprimis sententia, num.* 9 *Commentarii prævii exposita, S.* Odam *vix ante annum Christi* 650 *nasci potuisse : senior enim aliquot annis, primogenitus ejus filius infra ætatem virilem non fuisset. Consequitur dein et alterum: scilicet post impensam rei publicæ aliquot annorum tutelam, collatamque filio Aquitanici principatus liberam administrationem, demum in Austrasiam migrasse; quæ migratio inter annos*
B 690 *et* 700 *reponenda est. Etenim si citius patriam reliquisse dicatur, impingimus in tutelam Aquitanicam : si vero tardius, tempus non suffecerit, ut nepotem suum, S. Hubertum, ad eam sanctitatem informaret, qua S. Lamberto, defuncto anno* 708 *aut* 709, *digne succederet.*

g *De S. Arnulfo, Metensi episcopo, Carlovingicæ stirpis auctore, egerunt nostri ad diem* XVIII *Julii* (1). *Ostendimus in Commentario prævio num.* 20, *S. Arnulfum, anno* 640 *aut* 641 *defunctum, adeoque solido decennio ante S.* Odam *natam jam mortuum, eamdem matrem nullatenus habere potuisse. Præterea ex diplomate Alahonensi numm.* 13 *et seqq. Commentarii prævii constat Boggonem, ex S.* Oda *duos filios genuisse Eudonem, qui paternam hereditatem adiit, et Imitariun, de quo nihil hactenus præter nomen et filiationem innotuit. Quod si dicatur Imitarius, quatenus ignotus, fuisse forsan episcopus; ne conjectura quidem probanda est; quia verisimile non est, ut, omisso proprio filio, tantopere coluisset nepotem S. Hubertum, et neglecto episcopatu filii, latifundiis Ecclesiam Leodiensem,*
C *a nepote administratam, dotasset.*

h *De S. Begga vidua agendum erit ad diem, quo colitur,* XVII *Decembris : Acta ejus illustrata sunt in Actis Sanctorum Belgii* (2).

i *Colitur S. Gertrudis virgo die* XVII *Martii, quo Acta ejus ediderunt nostri* (3).

k *Errore librarii omittuntur in codice Trajectino duæ generationes, nempe Pipini Heristallii et Caroli Martelli. Textum ex codice Corsendoncano restituimus.*

l *Totam pericopen.* Sic igitur B. Oda..... glorificata. *Omittit codex Corsendoncanus. Num consulto, non ausim dicere. Certe non noscitur alius frater Dagoberti superstes, quam Charibertus, pater Boggonis, mariti S.* Odæ; *atque adeo frater et soror matrimonium contraxissent! Cæterum nullum hactenus noscitur monumentum, quo constat, fuisse* (4) *S.* Odam, *aliqua necessitudine cum stirpe Carolovingica conjunctam.*

m *Colitur S. Hubertus, qui sedem episcopalem Trajecto ad Mosam Leodium transtulit, die* III *Novembris, quando ejus Acta illustrabuntur. Ejus Historiam, præter alios, scripsit Joannes Roberti, Societatis nostræ.*

n Sporta, *quam peram, saccum, manticam et interpretatur Cangius in suo glossario, hoc loco significari credo* cellulam penuariam, *in qua edulia extemporalia aut ciborum reliquiæ servabantur : gallice* Huche, *apud Flandros nostros* Spinde *vel* Spende. *Barthol. Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, hanc vocem* penum *interpretatur : dicit enim : penum suam omni destitutam cibario commeatu.*

o Refrigerium *hoc loco significet* cessationem *aut* remissionem in agendo : *ita ut sensus sit, S.* Odam *non cessasse in procuranda propria sanctitate. Hanc Refrigerii significationem omisit Cangius in suo Glossario.*

p *Corsendoncano codici deest pericope :* His dictis..... ibidem recondi. *Similiter num. sequenti :* Afflictioni et abstinentiæ..... erat intenta.

q *Operæ pretium fuerit animadvertisse, quod nulla hic fiat mentio salutationis angelicæ cujus*
E *formula certe non exsistebat ætate S.* Odæ, *utpote sæculo* XI *antiquioris; quando inter latinos frequentior incepit istiusmodi precationis usus, qui demum in præceptum ecclesiasticum abiit, ut monstratum fuit in commentario Actorum S. Gauderici ad diem* XVI *Octobris* (5). *Hinc etiam denuo comprobamus, Vitam, quam edimus, scriptam fuisse, ut diximus Commentarii prævii num.* 4, *currente sæculo* X. *Nam si recentior fuisset scriptor, certe hæc retulisset pro more sui temporis, non omissurus proinde Salutationem angelicam.*

r *De S. Floreberto actum fuit ad diem* XXV *Aprilis* (6). *Obiisse dicitur circa annum* 746, *ex quo anno emortuali monstravimus num.* 25 *Commentarii prævii falli Breviarium Leodiense, dicens,* trigesimo secundo post mortem anno *corpus S.* Odæ *elevatum fuisse, quod quidem* σφαλμα *correxit Proprium Leodiense, anno* 1857 *editum, in quo simpliciter legitur sine ulla annorum indicatione:* Sanctus Floribertus, Leodiensis episcopus, Beatæ Odæ, miraculis præclaræ, Reliquias ad altare sacrum sublimavit.

s *Non censemus omittendam epistolam, a canonicis Amaniensibus datam die* IV *Julii* 1446 F *ad monachos S. Arnulfi Metensis; licet enim in ea quædam occurrant, arti criticæ, ut in decursu commentarii monstravimus, minime consentanea; continet tamen alia, quæ cultum S.* Odæ *illustrant, et præsertim testatur scriptum, etiam Lotharingis persuasum fuisse, quod corpus Sanctæ matronæ Amanii semper exstiterit. Epistolam edidit D. Calmet in Historia Lotharingiæ inter Instrumenta et est sequentis tenoris* (7) : Præpositus et totum capitulum ecclesiæ collegialis B. Odæ viduæ Amaniensis, Leodiensis diœcesis, humiles vestri amici, venerabilibus et religiosis dominis abbati et conventui monasterii Sancti Arnulfi Confessoris, situati prope civitatem Metensem, debitam reverentiam et honorem, salutem in Domino sempiternam. Vobis et vestræ benignæ gratiæ notum facere cupimus, vestram litteram per religiosum et circumspectum dominum Simonem de Chari-

(1) Act. SS. tom. IV Jul., pag. 423. — (2) Tom. V, pag. 70. — (3) Act. SS. tom. II Mart., pag. 592. — (4) Ibid. tom. III Febr., pag. 250. — (5) Act. SS. tom. VII Octob., pag. 1108. — (6) Ibid. tom. III Apr., pag. 377. — (7) Hist. de Lorr. tom. I, Preuves col. CIX.

seyo,

AUCTORE ANONYMO.

seyo, abbatem vestri præfati monasterii, nobis ex parte vestri missam, sigilloque præfati vestri abbatis sigillatam et roboratam; et prima facie apparebat, per illos duos homines, vobis ex parte nostri transmissos, benignissime recepisse, quosque homines benigne et laudabiliter amore sanctissimæ nostræ jam dictæ patronæ et nostri recepistis in vestro monasterio, prout dixerunt : pro quibus gratiarum actiones vobis per præsentes referimus; ut si qua possimus in partibus Leodiensibus facere, quæ vestris placeant voluntatibus, nobis vestris bonis delectaretis, paratis cum omni diligentia exponere nostrum posse ad omnia, quæ vestrum respiciunt commodum et honorem, propter sanctissimum Arnulfum, vestrum benignum patronum, filium B. Odæ viduæ suæ matris, nostræ fundatricis et patronæ; omniaque contenta in prætacta littera, nobis ex parte vestra missa optime intellexi-mus. Unde vobis referimus, quod nos, secundum quod cupitis, mittimus vobis totam Historiam et Legendam, Cantum et Officium Missæ Horarumque B. Odæ Viduæ, nostræ
B fundatricis et patronæ, prout reperietis in volumine latorum* præsentium tradito in pergameno, scripto secundum quantitatem voluminis, nobis per vos scripti, prout vestra littera asserebat : qui lator nobis promisit tradere vobis præfatam Historiam cum præsenti littera. Insuper vobis humiliter supplicamus, quatenus nobis per latorem præsentium remittere dignemini Historiam, Legendam, Cantum, Officiumque Missæ et Horarum festi B. Arnulfi Confessoris, vestri patroni, B. Odæ filii, et Historiam Translationis ejusdem S. Arnulfi necnon Chronicam B. Arnulfi : quam Chronicam per præsentes vobis promittimus eam remittendam, postquam conscripserimus, per latorem vel per alium virum fidelem. Item scire dignemini, venerabiles Religiosi, quod nos solemniter celebramus annuatim tria festa in nostra ecclesia collegiata Amaniensi in honorem B. Odæ viduæ, patronæ nostræ. Videlicet festum sui obitus, quando ipsa migravit ab hoc sæculo, XXIII die mensis Octobris: item celebramus secundum festum, scilicet
C festum Translationis B. Odæ IX die Julii: item celebramus tertium festum, scilicet festum Exaltationis B. Odæ, semper dominica die post festum S. Matthæi Apostoli et Euangelistæ in mense Septembri; et tunc fit solemnis processio circa villam Amaniensem, deferendo unum pulcherrimum feretrum argenteum, in parte deauratum, in quo feretro ossa benigni corporis beatissimæ Odæ sunt collocata. De quibus tribus festis primum festum prætactum, scilicet sui obitus, est majus; quia illud celebratur per omnes ecclesias totius episcopatus et diœcesis Leodiensis cum novem lectionibus in Matutinis, secundum ordinarium Leodiense. Et nos celebramus etiam de S. Arnulfo, vestro patrono, in nostra ecclesia Amaniensi, XVI mensis Augusti, festum cum novem lectionibus, secundum Ordinarium Leodiense, sicut de uno Confessore, propter defectum propriæ Historiæ. Etiam, venerabiles domini, vos facitis querimoniam de nomine patris

* latori?

S. Arnulfi, vestri patroni. De hoc rescribimus D
vestris reverentiis, quod pater S. Arnulfi vocabatur Boggus, qui fuit dux in Aquitania, prout invenietis in Legenda B. Odæ, per nos transmissa. Etiam si continget aliquos e vestris venire visitatum ecclesiam nostram Amaniensem temporibus futuris, vos reperietis eam sitam subtus oppidum Hoyense ad unum magnum milliare, prope fluvium Mosæ inter Hoyum et civitatem Hoyensem*, et habet ec- *Leodiensem?
clesia nostra duo campanaria, in qua ecclesia B. Oda requiescit, et est collegium canonicorum, et sumus de consortio et fraternitate sanctarum ecclesiarum Leodiensium. Item reperitur in Chronicis, quod B. Oda, nostra patrona, fundavit villam et ecclesiam Amaniensem in honore B. Georgii, et dotavit nostram ecclesiam de multis bonis, quæ possidemus, tam in decimis quam in denariis hereditariis, et adhuc fundavit quatuor ecclesias parochiales in episcopatu Leodiensi, omnesque in honore S. Georgii suis sumptibus; et instituit in nostra ecclesia Amaniensi E
octo canonicos, et quando decessit, omnes alias possessiones, prædia et allodia, quæ possidebat in patria Leodiensi, legavit S. Huberto Confessori, illo tempore episcopo Leodiensi, suo consanguineo, ad opus suarum ecclesiarum, quas ipse S. Hubertus fundabat tunc, tam in civitate Leodiensi quam in Ardenna; quia præfatus S. Hubertus erat filius sororis B. Odæ, et pater S. Huberti fuit filius Boggi supradicti; quia Boggi habuit duas uxores : ex prima genuit quemdam Bertrandum, et ille Bertrandus ex sua conjuge, vocata Phigberta, genuit S. Hubertum, quæ Phigberta fuit soror legitima B. Odæ viduæ. Post mortem suæ primæ uxoris, idem Boggus desponsavit B. Odam, ex qua genuit B. Arnulfum, vestrum patronum; et B. Oda fuit amita S. Huberti, et B. Arnulfus, filius B. Odæ, fuit avunculus S. Huberti ex parte Boggi, patris sui, quia Bertrandus et S. Arnulfus fuerunt fratres, non de una matre, sed de duabus matribus et de uno patre, scilicet Boggo. Item S. Arnulfus desponsavit sibi unam nobilem dominam, in qua genuit Angisum ducem, qui Angisus F
habuit in uxorem B. Beggam de Andradana, sororem S. Gertrudis Virginis; in qua Begga genuit Pippinum, prout ista reperimus in Chronicis Leodiensibus. Etiam aliquid et multa reperietis in Legenda B. Odæ de progenie, ortu, vita et sanctitate ejus. Novit Altissimus, qui vos in sancta Religione conservare dignetur per tempora longiora. In quorum omnium præmissorum testimonium, sigillum nostræ prætactæ ecclesiæ Amaniensis ad causas præsentibus litteris duximus appendendum. Datum anno Nativitatis dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, mensis Julii die quarta. *Non est, quod pluribus verbis monstremus multa esse errata in genealogica descriptione Amaniensium canonicorum, caput errorum in eo est, quod S. Arnulfum Metensem filium attribuant S.* Odæ, *cujus originem § II Commentarii prævii illustravimus, ut hæc denuo refutare opus non sit.*

DE

A D

DE S. DOMITIO,

CONFESSORE, IN TERRITORIO AMBIANENSI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. V. H.

§ Unicus. Sancti elogia in Martyrologiis; videtur, solum fuisse diaconus; ejus Vita a variis vario tempore conscripta; de cathedralitate ecclesiæ S. Acheoli juxta Ambianum et de vita Sancti clericali.

ANTE MEDIUM SÆC. VIII. *S.* Domitii *diaconi*

S. Domitii *sanctitatem et cultum ecclesiasticum testantur nobis varia Martyrologia; imprimis Romanum his verbis:* In territorio Ambianensi, Sancti Domitii presbyteri. *Molanus vero in suo Auctario Usuardino dicit:* In territorio Ambianensium, Sancti Domitii episcopi et confessoris; *ast Martyrologia Ebroicense et Autissiodorense exhibent* S. Domitium *Ecclesiæ Ambianensis* presbyterum et canonicum. *Præter Molanum nemo Sanctum nostrum episcopum dixit, imo neque presbyter dicendus est, quum antiquissima, quam infra damus, Vita eum diaconum vocet.* In partibus, *inquit num.* 1, Gallicanis fuit quidam senex, non tam annorum ætate, quam morum honestate præclarus, primitus Ecclesiæ Ambianensis canonicus, nomine Domitius, vir devotus, Spiritu Sancto repletus atque diaconatus gratia decoratus. *Et vero in reliqua narratione vitæ nihil occurrit, quod indicet* S. Domitium *aliquando presbyteratu functum fuisse; quin contrarium indicant verba num.* 9: Sanctus *enim* obitum suum, parum ante decessum suum, sentiens imminere,... uni sacerdotum, se ad Missam celebrandam præparanti, accessit, et ab ipso petiit, in ipsa Missa sibi sacrosanctam hostiam conferri. *Quod si* Domitius *presbyter fuisset, sanus adhuc vegetusque sacrificium ipse indubie obtulisset. Merito itaque Breviarium Ambianense, anno* 1746 *jussu Ludovici de la Motte episcopi editum, Sanctum* Domitium *diaconum dixit.*

B C

Acta edidere tum veteres,

2 *Quam coram habemus et edimus, Acta coæva non sunt, sed omnium, quæ novimus, antiquissima: quum enim* S. Domitius *sæculo* VIII, *tempore Christiani, Ambianensis episcopi, qui inter annos* 721 *et* 748 *sedem tenuit* (1), *floruerit; et hæc Acta conscripta fuerint, quando parthenon Paracliti, id est anno* 1219 (2), *construebatur, ut dicit biographus noster num.* 2, *patet eorumdem scriptorem initio sæculi* XIII *floruisse. Antiquiorem tamen Vitam biographo præluxisse, ad quam suam lucubrationem conformaverit, verisimile mihi videtur, tum quia in rebus gestis referendis omnino sobrius est, tum quia metricam quamdam Vitam exstitisse indicant verba similiter cadentia et ad metrum fere exacta, ut in Annotatis hinc inde ostendemus. Nostra etiam biographia* S. Domitii *omnino convenit cum ea, quam ex eodem Legendario Abbatisvillensi de S. Ulphia edidit Bollandus ad diem* XXXI *Januarii* (3). *In eo tamen utraque Acta differunt, quod diverso tempore scripta sunt: nam quo tempore biographus* S. Domitii *Vitam adornabat, monasterium Paracliti construebatur, nondum absolutum; ut ipse dicit num.* 2, *S. Ulphiam,* heremiticæ desiderio vitæ succensam fugisse et ad fontem quemdam, ubi cœnobium Paraclyti monialium Cisterciensis Ordinis MODO CONSTRUITUR ET FUNDATUR: *id autem accidit anno* 1219, *ut constat ex charta fundationis data* anno gratiæ MCCXIX, mense Junio (4). *Ast quando Vita S. Ulphiæ scribebatur, jam constructum et fundatum erat monasterium Paracliti, scribente biographo* (5): Ut mansionis locus Virginis Ulphiæ celebrior haberetur, divina providentia hoc eodem loco illud nobile cœnobium sacrarum virginum, quod dicitur Paraclitus, ædificatum exstitit et fundatum: *adeoque Vita S.* Domitii *Vitam S. Ulphiæ præcessit.*

E

tum recentiores:

3 *Post antiquiora Acta, etiam recentiores quidam operam suam in scribenda Vita S.* Domitii *contulerunt. Petrus a S. Quintino, ordinis FF. Minorum Capuccinorum, Vitam SS. Ulphiæ et* Domitii *gallice edidit Ambianis anno* 1664. *Et quandoquidem res gestas S. Ulphiæ attingere nemo potest, quin simul præcipua monumenta Sancti nostri referat, inter ejusdem biographos recensendi sunt etam ii, qui speciatim de S. Ulphia scripsere. S. Ulphiæ, tamquam monasterii Paracliti patronæ, Vitam gallico idiomate conscripsit et Parisiis anno* 1648 *edidit Susanna de Brasseuse,* XXIII *abbatissa ejusdem monasterii, ab anno* 1626 *ad* 1681 (6). *Tandem Ludovicus Sellier Societatis nostræ, nuper sancte defunctus, novam adornavit Vitam S. Ulphiæ, quam Ambianis anno* 1841 *publici juris fecit. Id inter alia pretii habet libellus, a viro piissimo concinnatus, quod usus antecessorum suorum lucubrationibus, fata etiam recentia sacrarum Reliquiarum, quæ turbine exeuntis sæculi præteriti dispersæ fuerunt, enarrare et piam antiquiorum temporum traditionem, quatenus et hodiedum viget, testari potuerit. Frequenter igitur nobis citandus occurret; et quamvis, suppresso auctoris nomine, sola tessera A. M. D. G. typis excusus fuerit liber, eumdem tamen sub auctoris nomine ad calcem paginæ pro more nostro exhibebimus.*

F

floruisse videtur

4 *Porro quod ad tempus spectat, quo* S. Domitius *floruit, nihil accurate definiri potest; quum nulla tum in ejus, tunc in S. Ulphiæ Actis occurrat nota chronologica præter pontificatum*

(1) Gall. Christ. tom. X col. 1156. — (2) Ibid. col. 1345. — (3) Act. SS. tom. II Januar., pag. 1123. — (4) Gall. Christ. tom. X, instrum. col. 339. — (5) Act. SS. tom. II Januar., pag. 1124. — (6) Gall. Christ. tom. XX, col. 1346.

Christiani,

AUCTORE J. V. H.

Christiani, Ambianensis episcopi, cujus tempus certis numeris determinare non licet. Erat autem Christianus ante episcopatum suum, teste Carolo Le Cointe in suis Annalibus ad an. 713 *num.* 38 (1), *abbas Reomaensis in Lingonibus: Petrus Roverius noster, qui Historiam monasterii S. Joannis Reomaensis composuit,* Christiani, *inquit* (2), præfecturam decennio posteriorem illa, quæ præcessit, Eustorgii tenemus, ex Catalogi abbatum notis chronicis: (*Eustorgium autem abbatem dixerat anno* 710, *adeoque Christianus præfecturam suam anno* 720 *occeperat*) sed illius finem præcise non licet assignare, multo minus res ab eo gestas, nisi quod sedis incompertæ episcopatu est functus. *Post quæ verba Cointius l. c. addit:* Illam tamen sedem a nobis compertam putamus, Ambianensem videlicet, quam Dominico, Ambianensi, post S. Lamberti translationem statim mortuo, Christianus obtinuit anno 721.

ante medium sæculum octavum:

5 *Verum Christiani episcopi, quemadmodum et aliorum antistitum, qui translationi S. Lamberti adstitisse dicuntur, præsentiam non satis idoneo testimonio comprobatam dicunt nostri ad diem* XVII *Septembris in Commentario de S. Lamberto num.* 200 *et seq.* (3): *imo, inquit Constantinus Suyskens, Commentator Actorum S. Lamberti:* aliquorum *antistitum* ex his, episcopatus tempus, quale a scriptoribus traditur, cum translationis tempore non concurrisse, aliorum vero admodum dubium esse, ac cæterorum denique præsentiam plane incertam. *Quamvis igitur plerique recentiores, Adrianus de la Morliere* (4), *Carolus Le Cointe* (5), *auctores Galliæ Christianæ* (6) *et monachus Cœlestinus Daire* (7) *tamquam indubitatam referant præsentiam Christiani, Ambianensis episcopi, in translatione S. Lamberti, hæc tamen certa non est, adeoque certum fundamentum chronologiæ præbere non potest. Quamvis igitur certum aliquod initium pontificatui Christiani dare non possimus, dubium tamen non est eumdem fuisse Ambianensem episcopum circa hæc tempora, quum id ex successione episcoporum supputare liceat. Sic Ursinianus, Ambianensis episcopus, memoratur in placitis Clodovæi III, anni* 692 *et Childeberti III, anni* 697 *de Nocido villa supra Isaram* Noisy-sur-Oise (8): *hunc excipit Dominicus, quem sequitur Christianus, post quem habemus Rainbertum, cujus mentionem facit Zacharias Papa in epistola ad Bonifacium Moguntinum et varios Galliæ episcopos, quæ, ut notat Sirmondus, data anno* 748 *fuerit* (9). *Itaque inter annum* 697, *quo Ursinianus et* 748, *quo Raimbertus sederunt, habemus intercapedinem quinquaginta trium annorum, quo intervallo episcopis Dominico et Christiano locus est; quod quidem sufficit, ut dicamus, S.* Domitium, *sub Christiano viventem, priorem partem sæculi octavi occupasse: quapropter ejus obitum late, quoniam nihil certius habebamus, ante medium sæculum octavum signavimus.*

ejus cella Ambiano

6 *In Vita num.* 1 *legimus S.* Domitium in quodam loco secreto, distante quindecim milliaribus a civitate Ambianis, solitariam vitam duxisse, *et* habuisse consuetudinem nocte qualibet Ambianis in ecclesia Beatæ Mariæ, ubi monasterium S. Acheoli nunc consistit, vigiliis personaliter, et, eisdem expletis, hora, qua poterat, ad suum heremitorium remeare. *In Vita S. Ulphiæ, a majoribus edita, num.* 4 (10), *dicitur ejus cella* circiter quarto milliario ab eadem urbe (*Ambianis*) juxta rivum Noyæ *fuisse. Quod quidem cum Actis S.* Domitii *nullatenus convenit: forsan error Vitam S. Ulphiæ inficit, nempe omissio vocis* decimo, *ita ut legendum sit, cellam Sanctæ Virginis* decimo quarto milliario *distantem Ambianis fuisse: qua ratione satis conveniret utraque Vita, quum cella Virginis duobus chiliometris propius Ambianis, quam Sancti Viri tugurium, adjacuerit. Constant hæc ex Atlante Galliæ Cassiniano. Verum dubito, an in alterutra Vita mensuræ topographicæ recte expressæ sint: milliare olim, saltem tempore Gregorii Turonensis, tertiam partem leucæ Gallicæ, quarum* XXV *sunt in gradu geographico efficiebat. Nam dicit Historia Francorum lib.* VIII *cap.* 15 (11), *Eposio castro monasterium S. Wulfilaici octo milliaribus distare, quæ leucas gallicas duas cum dimidia constituunt* (12). *Adeoque si S.* Domitius *quindecim milliaribus Ambianis, vel potius ab ecclesia S. Acheoli, distaret, iter quotidianum fuisset quinque leucarum, quibus duplicatis propter reditum, decem leucarum spatium diebus singulis percurrere debuisset: tantus autem peregrinandi labor quotidie suscipere, etiam per pluvias, nives et glacies vires humanas vix non superat, præsertim, si animadvertimus, id præstandum fuisse et a viro devexa jam ætate et a tenera virgine.*

duabus cum media leucis distabat,

7 *Quod si vero mappas geographicas consulimus, invenimus rem, etsi adhuc arduam, tamen humanius transactam fuisse. Atlas Cassinianus statuit distantiam Cellæ S.* Domitii, *quæ nunc simpliciter S.* Domitius *vocatur, ad S. Acheolum decem chiliometrorum seu paulo plus quam duarum leucarum cum dimidia: et cella S.* Domitii *ab Ulphiana, quæ dein in parthenonem Paracliti excrevit, duobus distat chiliometris, ut videre in Atlante laudato, mappa signata* 5 II. *Propter has rationes arbitramur, utrumque biographum cespitasse alterum excessu, defectu alterum: et legendum censemus, octo circiter milliaribus cellam Sancti viri Ambianis distantem fuisse, quare et S. Ulphiæ eremitorium septimo milliari ab urbe ponimus. Neque hæc dicta sunt, quasi utriusque Sancti laborem minutum vellemus: certe iter quinque leucarum, hyemali et æstivo tempore, quotidie conficiendum, tantam nobis exhibet arduitatem, ut nullum aliud pœnitentiæ opus eidem æquiparari posse videatur.*

eoque quotidie noctu ibat:

8 *Porro eodem num.* 1 *duo alia occurrunt, quæ illustratione aliqua indigent, nempe S. Acheoli monasterium, tunc* ecclesiam Beatæ Mariæ *fuisse, ac in ea canonicos ecclesiæ cathedralis sedisse. Quantum ad cathedralitatem ecclesiæ S. Acheoli spectat, conveniunt scriptores Ambianenses, eamdem omnium primam ædificatam fuisse in diœcesi Ambianensi, adeoque primos*

(1) Annal. Franc. tom. IV, pag. 526. — (2) Pag. 76. — (3) Act. SS. tom. V Sept., pag. 453. — (4) Antiquités de la ville d'Amiens, pag. 196. — (5) Annal. Franc. tom. IV, pag. 646. — (6) Tom. X, col. 1156. — (7) Hist. de la ville d'Am. tom. II, pag. 13. — (8) D. Bouquet. tom. IV, pag. 671 et 676. — (9) Migne. Patrol. tom. LXXXIX, col. 948. — (10) Act. SS. tom. II Januar., pag. 1123. — (11) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 457. — (12) Cfr Act. SS. Belg. tom. II, pag. 184. Annot. *a*.

episcopos

A *episcopos in ea sedem suam pontificalem constituisse* (1). *Id tamen singulare est, quod primaria ecclesia extra muros civitatis Ambianensis ædificata fuerit; plerumque enim in ipsa civitate erigebantur ecclesiæ cathedrales. Ecclesiam autem S. Mariæ ad S. Acheolum extra civitatem positam fuisse, ostendit mos ibidem sepeliendi mortuos, quum senator Faustinianus ibidem suum haberet sepulcrum. Quapropter probari mihi non potest ratio, ab auctoribus Galliæ Christianæ allegata, ad evincendum, ut ajiunt* (2), fuisse cathedralem, *quia nempe* in ea constat episcopos primos et plurimos sepultos fuisse. *Cautum enim erat legibus, ne defuncti intra civitatem componerentur, ut luculenter nobis testatur Concilium Bracharense anni* 561, *quod canone* XVIII *prohibens* (3), ne corpora defunctorum ullo modo in basilicis Sanctorum sepeliantur, *ordinationis suæ hoc adducit momentum:* Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc manet civitates, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere. *Proinde primi*
B *civitatum episcopi non sepeliebantur in suis ecclesiis cathedralibus, quando hæ intra murorum ambitum continebantur, sed extra civitatem erat sepulturæ locus, ut pluribus allatis exemplis monstrari posset* (4). *Hæc ideo dicta non sunt, quasi opinionem illorum reprobaremus, qui censent ecclesiam S. Acheoli olim cathedralem fuisse; sed ne inefficaces rationes producantur ad confirmandam opinionem, cæterum probabilissimam: quandoquidem omnium consensu ecclesia S. Acheoli fuit totius diœcesis antiquissima, pronum est judicare, in eadem primos episcopos Ambianenses sedem habuisse suam.*

an clero Ecclesiæ Ambianensis adscriptus fuerit, inquiritur.

9 *Verum quo tempore floruit S.* Domitius, *nempe sæculo octavo, hæc jam desierat esse cathedralis, quam S. Salvius, episcopus Ambianensis intra urbem sæculo* VII *ineunte, ut monstrarunt nostri in Actis utriusque S. Firmini* (5), *transtulerat. Videntur autem in ecclesia S. Acheoli fuisse clerici,* qui, *ut habet Gallia Christiana* (6), sub ditione capituli diu noctuque Deo militabant : *et istis quidem clericis associabat se S.* Domitius *ad nocturnas Deo persolvendas laudes, ut in Vita ejus num.* I *narratur.*
C *Utrum porro fuerit veri nominis canonicus, quales hodie novimus et habemus, dubitari merito potest; quum capitula ecclesiarum cathedralium nondum more hodierno essent constituta. Ab ipsis tamen Ecclesiæ initiis episcopo adhærebant presbyteri quidam et diaconi, quos S. Ignatius Martyr, epistola ad Trallianos* (7), *jam* senatum Dei et concilium Apostolorum *appellabat, quem summa veneratione a fidelibus habendum volebat. Propter similem reverentiam antiquissimo tempore vetitum erat presbyteris ruralibus Missæ Sacrificium, præsente presbytero urbano, sine ejus licentia, offerre, ut habet concilium Neocæsariense anni* 314 (8). *Quia igitur S.* Domitius *sat distans haberet extra Ambianum domicilium, ut non facile posset episcopo suo adesse; dubium est, an ad senatum seu presbyterium Ecclesiæ Ambianensis pertinuerit. Dein cohabitabant passim episcopus et clerus cathedralis. Nam ex can.* XII *concilii Turonensis II, anno* 567 *celebrati habemus* (9), *episcopum habitasse cum presbyteris, diaconis et junioribus clericis suis; quapropter episcopus, si fuerit uxoratus,* conjugem ut sororem habeat, ejusque habitationem separatam faciat: tam longe absint mansionis propinquitate divisi, ut nec hi, qui ad spem recuperandam clericorum servitute nutriuntur, famularum (*uxoris episcopi*) propinqua contagione polluantur. *Erat igitur domus episcopalis non solum quod nunc palatium episcopale dicimus, sed etiam claustrum canonicorum et juniorum seminarium, Atquehac ratione scholæ Ecclesiæ Ambianensis, adeoque ejus clero aliquandiu adscriptum fuisse* S. Domitium, *omnino admittimus: deinde vero tamquam diaconus basilicæ S. Acheoli, quandoquidem* præbendulæ, *ut habet Vita num.* I, *particeps fuerit, inserviit. Hæc Vitæ S.* Domitii *præmittenda duximus.*

AUCTORE J. V. H.

VITA S. DOMITII,

E

CONFESSORIS ET CANONICI AMBIANENSIS,

Descripta ex Legendario Ecclesiæ Collegiatæ S. Wulfranni, urbis Abbatisvillæ, diœcesis Ambianensis.

S. Domitius

Primo tempore alleviata pleniter et sedata valida persecutione tyrannorum, adversantium legibus christianis, in partibus Gallicanis fuit quidam senex, non tam annorum ætate, quam morum honestate præclarus, primitus Ecclesiæ Ambianensis canonicus *a*, nomine Domitius, vir devotus, Spiritu Sancto repletus, atque diaconatus gratia decoratus. Hic Christi charitate suaviter vulneratus, canonicatum suum sponte resignans, omnem contempserat mundi pompam, reliquerat vanitatem ac oblivioni dederat carnis curam, in quodam loco secreto, distante circiter quindecim milliaribus a civitate Ambianis *b*, solitariam vitam ducens. Hic etiam habebat consuetudinem nocte qualibet Ambianis in ecclesia Beatæ Mariæ, ubi S. Acheoli monasterium nunc consistit *c*, vigiliis personaliter interesse, et, eisdem expletis, hora, qua poterat, ad suum heremitorium remeare. Quotidianam nihilominus a se sibi indictam de canonicatu suo præbendulam *d*, modicam tamen et strictam, ut heremitæ sobrio competebat, benigne sui concanonici ministrabant, quam secum in pera, quasi mendicans, revertens a vigiliis humiliter deferebat.

a

b

c

d

S. Ulphiæ Virginis,

2 Fuit etiam in diebus illis virgo quædam, formosa valde, Ulphia nomine *e*, quæ patriam et parentes, divitias et nuptias, heremiticæ desiderio vitæ succensa, fugerat, et ad fontem quemdam, ubi cœnobium Paraclyti monialium Cisterciensis Ordinis modo construitur et fundatur *f*. Tunc vero in locum spinosum

e

f

(1) Gall. Christ. tom. X. col. 1148 et 1325. Daire Hist. d'Amiens. tom. II, pag. 251. — (2) Gall. Christ. l. c. col. 1148. — (3) De Aguirre. Conc. Hisp. tom. III, pag. 181. Cfr Additionem Jos. Catalani, ibid. pag. 187. — (4) Cfr Thomass. Discipl. Eccles. Part. III, lib. I. cap. 66. — (5) Cfr Act. SS. tom. I Septemb., pag. 186 et tom. VII, pag. 36. — (6) Tom. X, col. 1325. — (7) Migne. Patrol. gr. tom. IV, col. 678. — (8) Labbe tom. I, Conc. col. 1488. — (9) Ibid. tom. V, col. 855.

AUCTORE J. V. H.

et refertum vepribus secesserat; ibidemque adhuc parvo tempore latuerat, implorans a Domino sibi gratiam et misericordiam celeriter elargiri. Quum igitur quadam die, circa sextam horam *g* sanctus senex, Domitius, reverteretur a vigiliis, ut quotidie faciebat, et prope dictum fontem, juxta quem morabatur Ulphia, ad jactum sagittæ deberet transire, vox talis ad ipsam subito desuper est delapsa: Ulphia, cito surge, et tuo* patrem intuens, eidem festina occurrere. Quæ vertens oculos ad declivium montis, vidit sanctum senem, in habitu heremitico et vultu angelico descendentem, habentem capitis cæsariem et barbam venerandam *h*, canitie niveam, ac præ senectute et corporis debilitate se baculo sustentantem. Cui jussa divinitus, occurrit Ulphia, et capite inclinato, vultuque in terram dimisso, ante sancti senis genua, flexis poplitibus provoluta, lacrymabili voce dixit: Pater sanctissime, miserere mei. Stupens autem senex pro novitate rei insolitæ, et videns juvenculam sic se dejicientem, comiter sistit pedem, Ulphiæ breviter ita dicens: Quæ es? Quid quæris et quare sic te humilias? Et illa: Ego, inquit, sum Ulphia nomine, Christiana religione, Dei ancilla devotione, quæ quærens animæ meæ salutem et sponte me sic humilians, ut inde pietate Dei exaltationem consequar sempiternam, ad te missa nutu divino, ut mihi compatiaris affectu paterno, et ut tibi obediam in Christo filiali obsequio.

g

* tuum?

h

B

multum id sollicitantis,

3 Et Domitius ad illam: Quod, inquit, experimentum habere de te possum, ut existimem, esse vera, quæ dicis? Sancta virgo respondit: Si me, ait, in frutecto *i*, isti fonti contiguo, per vitæ meæ residuum conversantem inveneris, ea, quæ vitam heremiticam redolent, operantem, et ad illa, quæ divino cultui pertinent, deprehenderis promptam haud segniter et paratam, scito quod sanctitati tuæ me miserit Dominus a te in suo sancto servitio nutriendam. Interim vero Sanctus Domitius in Ulphiam, hanc et aliam causam adventus sui ad illum locum referentem, defixis oculis intendebat, comperiens et admirans supra modum et ipsius virginis vultus elegantiam et auditus intelligentiam, intellectus perspicaciam, sensus vigilantiam, sermonum ponderatorum efficaciam et responsionum discretarum claram evidentiam, insuper et religiosi propositi firmam vivamque vocis constantiam.

i

C

curam suscipit;

4 Cujusmodi constantiam ut plenius comprobaret senex callidæ et antiquæ circumspectionis, petitioni sanctæ virginis tunc minime acquiescens, usque ad crastinum astute distulit responsionem, eo quod sciebat dictum ab Apostolo: « Nemo vos seducat inanibus verbis » *; et quia diabolus aliquando « se transfigurat in Angelum lucis » *; et quia dicit alibi: « Probate spiritus, si ex Deo sunt » *: hoc maxime secum revolvens, quia super his nihil ei adhuc Dominus revelarat. Et ait ad illam: Juxta meam consuetudinem hac sequenti nocte proficiscar ad vigilias Ambianis, et in meo reditu tibi meam aperiam voluntatem. Et sic, illa remanente, discedens abiit viam suam, divinæ dilectionis, fervoris et devotionis igne in cor ejus vehementi nimis impetu scintillante, ita ut vix posset ad aliquid aliud cogitare. Crastina vero die reversus, dixit ad illam: Ulphia, heri, si recolis, promisi tibi petitioni, quam mihi feceras, hodie respondere, utrum vellem tecum affinitatem religiosam conjungere, et te in spiritualem filiam adoptare: in cujusmodi dilatione plenius edoctus a Domino, a tua supplicatione, facta devote, non recedo, sed, quod petisti, benigne concedo. At Ulphia sancto seni grates plurimas referens, facta cella modica, mansit ibi cum eodem Domitio *k*.

* Ephes. V, 6.
* II Cor. XI, 14.
* I Joan. IV, 1.

D

k

5 Eo vero tempore, quo sancta virgo Ulphia cum sancto in Christo patre suo, heremita Domitio, Ambianis ad vigilias noctu ibat, et adhuc noviter ire consueverat, contigit in una noctium, æstivo tempore, ut post completorium, orationumque ferventem instantiam, illa stratu suo cillicino caput suum, sicut erat vestita, reclinaret, quatenus hora eundi ad vigilias paratiorem et vigilantiorem Sanctus per eam adveniens inveniret. Et ecce statim, capite Sanctæ Virginis inclinato, ranæ, quarum ibi semper erat fertilis copia, juxta modum suum, non noviter consuetum, validum suo cantu facientes impetum, non solummodo tunc secundum quod consueverant, sed præ nimia tepiditate aeris multo fortius cantum suum exaltaverunt, quasi festum celebrantes cœtum: ita quod per sonum tumultuantium vocum, forsan aliquibus possent non modicum incutere tædium atque metum. At quum noctis profunditas et refrigescentis roris asperitas ipsarum bestiolarum voces paulatim et tandem penitus repressissent, ipsisque silentium indixissent; ipsa quoque virgo sancta per clamorem hujusmodi valde præter solitum vigilasset, et hora surgendi pergendique ad vigilias propinquasset, signo sanctæ crucis fatigata plurimum se munivit et sic celerius solito firmius obdormivit.

ranarum strepitu impedita sancta,

E

6 Mox autem ut obdormivit Ulphia, illæ bestiolæ, quæ jam a clamore quieverant et tacebant, sibi etiam dormienti taliter obstrepere videbantur, quod ad nihil poterat aliud intendere quoquomodo. Nam illo eodemque puncto et momento Sanctus Domitius advenit, et baculo pulsans Ulphiæ cellulæ pessulam, ut solebat, stansque foris et auscultans, intus nihil audiebat. Quare vocem suam cum ictibus baculi fortius semel et bis iterans, ajebat: Ulphia, surge. Quum autem Sanctus senex nullam responsionis vocem audiret, clamabat valentius voce, qua poterat, altiori: Ulphia, Ulphia, surge, mea filia, nam secunda noctis præterit vigilia *l*. Verum quum omnes ejus clamores casso labore deficerent, nec ejus auditum ulla deintus data responsa reficerent, æstimans Domitius, quod Ulphia jam ad vigilias perrexisset, et quod ipsa recta vigiliarum hora surrexisset, arguens in semetipso propriam somnolentiam et suam detestans socordiam, quod tenera virgo tam ferventer ipsum ad vigilias anticipasset, et ipse, detentus pigritia, diutius repausasset, iter arripiens, eamque præire credens, sequi festine nitebatur, verecundia magna tactus, sudore nimio defluente toto corpore madefactus.

ne S. Domitium, vocantem

F

l

7 At quum ad ecclesiam pervenisset, et primum vigiliarum signum vix pulsatum fuisset, ipseque filiam suam Ulphiam hac et illac per ecclesiam pluries quæsivisset et minime invenisset,

ad ecclesiam, audiret,

A invenisset, clam discedens ab ecclesia, sistere pedes noluit. Quinimo non, si voluisset, potuit, donec tristis, anxius atque sudans ad Ulphiæ cellam venit, eamque, de eadem exeuntem invenit; nam tunc primum evigilaverat et ostiolum suum aperuerat. Videns autem Ulphia sanctum patrem suum Domitium, rubore ex nimia fatigatione suffusum et sudore perfusum, ipsi compatiens et blande leniterque alloquens, dixit : Indulgeat tibi Deus, Domine pater, quod me hodie pergens ad vigilias non vocasti et somnolentem * nimis minime excitasti. Ad hæc senex respondit : Imo quinquies et amplius te vocavi, sed infra cellam tuam nullum responsum audiens, esse te jam ad vigilias æstimavi. Et ad terram senex residens, valde lassus, omnia quæcumque sibi acciderant illa nocte, ipsi Ulphiæ per ordinem narravit.

* somnolentam

ranis silentium indicit :

8 Intellexit igitur protinus virgo sancta per ranarum strepitum et earumdem immoderatum garritum, suum fuisse tunc auditum quasi fantastice impeditum, ne se excitantem seu vocantem audiret aut intelligeret patrem.

B Et confestim ad terram genua sua flectens, manusque simul junctas ad cœlum extendens, oravit ad Dominum ita dicens : O Deus omnipotens et æterne, ranarum istarum garrulitatem sterne, obtura guttura sic, ut amplius in isto loco non garrulent, tumultum non faciant, amodo usque in sempiternum taceant istæ quidem præsentes et omnes etiam aliæ post futuræ natæ istarum, natæque natarum et quæ nascentur ab illis, majores et mediocres cum pusillis. Et conversa ad illas dixit : Quia vos, vilissimi vermes, ista nocte graviter nos turbastis, privatisque devotionis et pacis bono, vestro tumultuoso sono, ego confidens de Dei dono, perpetuum silentium vobis impono, et sic vobiscum pactum compono, quod omnes vobis consimiles, hic in posterum venientes, isti interdicto suppono. O valida maledictio! O interdictum ore sanctum * et virgineo ita dictum, quod hoc miraculum nullo modo constat fictum *m*. Si quidem S. Domitio respondente, Amen, ex tunc hactenus ista sententia perduravit, et amborum merita Deus sic

* sancto?

m

C exaltare curavit, quod facta per nos, non solum cum pluribus sed etiam fere cum finitimis omnibus inquisitione diligentissima, omnes voce dicunt evidentissima, se numquam ibi audiisse ranarum cantamina *n*.

n

morti proximus

9 Sanctus autem obitum suum, parum ante decessum suum, sentiens imminere, finem optimum imponens operi bono, hominem utrumque viatico salutari studuit sic munire. Etenim nocte tunc sequente, cum sancta filia sua veniens ad vigilias, ut consueverat, facto mane, uni sacerdotum, se ad Missam celebrandam præparanti, accessit, et ab ipso petiit, in ipsa Missa sibi sanctæque virgini sacrosanctam hostiam conferri *o*. Qua sumpta, venerunt ad Ulphiæ cellulam ipsa die, residensque sanctus senex sic alloqui cœpit eam : Scisne, Ulphia, filia mea, quare nos duos hodie fecerim hostia sacra muniri? Ulphia dixit : Nihil super hoc, pater sancte, respondere rectum audeo, nihil inde definio, nisi quod conjicio, te credere et sperare in proximo ad Deum ire et recedere ab hac luce. Ad hæc Sanctus : Optime, inquit, filia cogitasti et solerter prudenterque conjicere studuisti, hoc ipsum mente tractans : siquidem ante primum gallicinium noctis instantis, nisi fallor, dimittet meus spiritus glebam carnis; et ob hoc, ut tutius hinc recedat, illum sacro Jesu Christi corpore præmuniri oportebat, ne suum iter malignus impediat spiritus sive cædat.

o

AUCTORE J. V. II.

S. Domitius. *SS. Eucharistia,*

10 Hoc nempe corpus Christi vere est et vere dicitur Viaticum, et hoc regium epulum, cœleste pabulum, Dei famulum, gradientem super mundi sabulum, facit boni charismatis æmulum, et in cultu divino sedulum reddere consuevit. Hic est cibus gratus fidelibus, jucundus fidelibus, juvans fragiles, roborans debiles, in cujus fortitudine levi conamine ambulavit nec se fatigavit Helias, eundo quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. Hoc et etiam manna, esca scilicet operans magna, lapsos erigens, devios dirigens, errantes corrigens, solamen porrigens, conatus dæmonum ad nihilum redigens, quo quondam egressum de Ægypto suum pavit Dominus populum in deserto. Hoc pane, qui digne in præsenti reficitur, in omni opere bono perficitur, carnis illecebra non E inficitur, tædio mentis non afficitur, intestino bello non vincitur, in peccatis gravioribus consensus omnino repellitur, insuper et digne sumens deiformis efficitur, postremoque ab hac valle miseriæ in æterna requie perducitur coronandus. Ornandus erat proinde talique viatico roborandus utriusque nostrum spiritus, meus scilicet, mox a suo corpore discessurus, et tuus etiam, in carne, quamdiu ipsius plasmatori placuerit, remansurus.

et extrema unctione munitus,

11 Audiens autem Ulphia, sanctum patrem suum, Domitium, talem de decessu suo facere mentionem, ab uberrimis lacrymis se continere non valuit; et ut præsens esset ad obitum suum, ad ipsius cellam cum eodem perrexit. Ingressique oratorium horas canonicas decantaverunt, et ecce, vesperis vix finitis, parochialis illius loci presbyter cum quibusdam clericis aliisque Christi fidelibus viris et mulieribus, ipsum ingressus est oratorium, secum deferens oleum infirmorum. Dixitque : Pax huic domui; clericis autem respondentibus : Et omnibus habitantibus F in ea : S. Domitius subsequenter addidit : Amen *p*. Et ait sacerdos : En, frater Domiti, revelante nobis Domino, nocte ista, ab hoc sæculo te cognovimus migraturum, et ut tuo nostrum impendamus obsequium funeri, tradamusque pulverem pulveri, cinerem cineri, circa te vigilare venimus, non parcentes itineri, nec onus hujusmodi deputamus oneri; dum in hoc simus intenti misericordiæ operi. Quia vero in loco, quo quondam canonicus exstitisti, sanctam communionem hodie recepisti, inde particeps effectus Corporis et Sanguinis Jesu Christi; si vis facere rationem, decet te per nos extremam recipere unctionem; nam in nostra parochia longa tenuisti sanctæ conversationis et tyrocinii spiritualis exercitia. Sanctus autem Domitius respondit sacerdoti : Mihi, frater charissime, placet propositum a te verbum, imple ministerium tuum. Tunc sacerdos, unctionis extremæ adhibito sacramento, dixit S. Domitio : Jam tibi, frater impendimus, quod decebat, nam fideli christiano sic fieri competebat.

p

12 Sanctus

AUCTORE J. V. H.

sancte obit, et in suo oratorio sepelitur.

12 Sanctus autem Domitius ipsi sacerdoti et Christi fidelibus, ibidem propter obitum suum congregatis, immensas referens gratias, ipsisque sanctam in Christo filiam suam, Ulphiam Virginem, commendans, eisdem aperuit et lucide reseravit ordinem vitæ ipsius virginis, et adventus sui causam ad illas partes; verum *q* et de ipsa virgine sibi ostensam ab Angelo visionem ipsam quoque sanctam Ulphiam, miraculose ab episcopo consecratam. Et his dictis, cunctisque ab eodem in sancto osculo salutatis, animam, virtutibus plenam, efflavit, illamque mundam et puram suo reddidit conditori, decimo kalendas novembris. Quod videns sancta virgo Ulphia, lacrymas ubertim effundens, animo consternata, magno clamore irrugiit, atque dixit: Heu misera mulier et infelix ego! Quid faciam amodo? Quo me vertere satagam? Nempe meum sanctum patrem et patronum amisi, cujus ignitis orationibus dæmones exusti, totiens ac totiens a me recesserunt confusi. Illum exstinctum aspicio, cujus præsidio sublato de medio, fere tota deficio, et ideo B tota pavco, mihimet tædeo; in hoc tamen solo gaudeo, quod ipsum cum Deo vivere non diffido. Confido etiam per ipsius merita a sanctitudinis semita me minime in posterum recessuram, sed semper de bono in melius incessuram. Quumque diu S. Virgo in amaritudine spiritus et cum interrumpentibus vocem singultibus lacrymosis, complosisque manibus, hæc et alia protulisset, atque, repressis * gemitibus, paululum quievisset, accedens ad sanctum corpus manus illius osculabatur, flexis genibus reverenter. Ablato vero sanctissimi Confessoris Domitii corpore, immensam adstantibus fragrantiam conferente, sepelierunt illud in oratorio suo *r*; ubi postmodum crebrescentibus miraculis, elevatoque corpore et ad civitatem Ambianensem delato, devotione fidelium ecclesiola fabricatur, in qua usque ad hæc nostra tempora per ipsius sancti Confessoris merita, fiunt plurimæ sanitates, et locus ipse a christocolis veneratione ac devotione congrua frequentatur *s*: ipso permittente et devotionem largiente, cui est honor, gloria et potestas per C infinita sæcula. Amen.

q

* expressis *Boll.*

r

s

ANNOTATA.

a *Quo sensu S.* Domitius *dici possit canonicus, adeoque habuerit concanonicos, utcumque docuimus in Commentarii prævii num.* 9. *Qui plura de origine capitulorum ecclesiarum cathedralium videre cupit, consulat Thomassinum V. et N. Disciplina part.* I, *lib.* III, *cap.* 7, *Antonium Binterim, Memoralia Ecclesiæ catholicæ T. III, cap.* 7 (1), *Joan. Augusti Manuale archæologicæ christianæ lib.* I, *cap.* 6, *sect.* 2 (2): *ita hoc postremo utendum est, ut elementum presbyterianum caveamus.*

b *In Commentarii prævii num.* 6 *et* 7 *monstravimus hæc qualiacumque milliaria quindecim efficere duas cum dimidia leucas gallicas hodiernas, seu* 10 *chiliometra.*

c *Locus, in quo postmodum monasterium* D *S. Acheoli constitutum fuit, Abladena dicebatur, eratque sepultura Faustiniani senatoris, qui conversus ad fidem, corpus S. Firmini Martyris, primi Ambianensium episcopi, sæculo* III *defuncti eo intulit, pauloque post super Sancti tumulum ecclesiam ædificavit, per tria circiter sæcula cathedralem, ut ostendimus Commentarii prævii num.* 9. *Anno* 1085 *Rorico, Ambianensis* XXXVI *episcopus, ecclesiam primitus sanctæ et perpetuæ Virginis Mariæ nuncupatam, quæ, ait Rorico in suo diplomate,* a SS. Martyribus Acco et Acheolo antiquitatis nostræ tempore sibi nomen aptavit, divinæ propitiationis manu cœlitus attacti, totiusque senatus nostri assensu, officii nostri auctoritate, ab omni reditu episcopi ministrorumque ejus liberam esse decernimus, et in ea clericos qui canonice et regulariter Deo serviant, deputamus. *Assignat dein dictis clericis varia ad vitam sustentandam, sub onere tamen, ut prior istius ecclesiæ* una integra hebdomada, sicut ecclesiæ *cathedralis* sacerdotes, missarum solemnia concelebret; et *clerici* annis singulis sanctorum Honorati, Fusciani et sociorum solemnitatibus E intersint; et in celebritate Martyris S. Firmini in die ad Missam cum processione pro viribus ordinate veniant; fratribusque nostris canonicis cereos duos solidorum duorum, ab omni alia exactione immunes, persolvant (3). *Seriem abbatum Santacheolanorum exhibet Gallia christiana usque ad* 1730 (4); *permansitque is status usque ad finem sæculi decimi octavi; dein ad Societatem Jesu devenere ædes in quibus hodie suos informat tyrones.*

d Præbendæ, *ut habet Car. Du Cange in Glossario med. en inf. latinit. h. v.,* sunt cibi et potus portiones diurnæ, quæ monachis, canonicis aliisque dabantur et præbebantur. *S. Domitio dabatur* præbendula, *quia erat* modica et stricta, ut heremitæ sobrio competebat.

e *De S. Ulphia egerunt nostri die* XXX *Januarii* (5).

f *Parthenon S. Mariæ ad Paraclitum, quo loco S.* Ulphia *sepulta fuit, fundatorem habet Ingelrannum, dominum de Bova, qui diplomate suo, dato anno* 1219, *mense Junio, monasterium, decenter dotatum, monialibus Ordinis Cisterciensis dedit* (6); *in quo deinceps duæ ejus filiæ Margarita et Isabella moniales vixere* (7). *Quoniam vero anno* 1219 *construebatur monasterium, diximus sub iisdem annis Vitam S.* Domitii *conscriptam fuisse: vide dicta Comm. prævii num.* 2. F

g *Quandoquidem S.* Domitius, *rediens a* vigiliis *seu ab officio nocturno,* ad fontem, *ubi postmodum monasterium Paracliti constructum fuit, advenit, videntur dictæ vigiliæ, habita ratione distantiæ, decem chiliometrorum, quæ inter Paracliti et S. Acheoli monasteria intercedit, hora quasi tertia finiisse. Utrum hora ista cum nostra matutina vulgari conveniat non liquido constat, quamvis verisimile mihi sit. Etenim in Vita S. Gervini, abbatis Centulensis, quam nostri ad diem* III *Martii edidere, legimus, Ravenardum priorem, in festo S. Vigoris Bajo-*

(1) Denkwürd. der Christ-Kathol. Kirche, tom. III, pag. 317. — (2) Handbuch der Christ-Archäolog. tom. I, pag. 220. — (3) Gall. Christ. tom. X, instrum. col. 293. — (4) Ibid. col. 1325 et seqq. — (5) Act. SS. tom. II Januar., pag. 1121 et seqq. — (6) Gall. Christ. tom. X, instrum. col. 339. — (7) Gall. Christ. tom. X, col. 1345. Daire. Hist. de la ville d'Am. tom. II, pag. 270. Sellier. Vie de Ste Ulphe, pag. 84.

censis

A *censis subito sanatum*, hora duodecima in nocte *intrasse chorum, et* cum fratribus decantavisse officium ecclesiasticum *dicti S. Vigoris* (1). *Unde quum officium nocturnum secundum Regulam S. Benedicti circa mediam noctem decantari consueverit, deduci posset* horam sextam *textus nostri cum hora nostra vulgari convenire, nisi aliquanto recentior esset S. Gervini biographus, scribens anno Domini* 1492 (2). *Id etiam animadvertendum est, horas non raro fuisse inæquales earumque durationem pro anni tempestate fuisse variam. Id docet nos Edm. Martene in suo Commentario in Regulam S. Benedicti* (3). *Dividebant antiqui diem naturalem in partem diurnam et nocturnam, et harum cuilibet duodecim assignabant horas : quum autem diurnam partem ab ortu ad occasum solis, nocturnam ab occasu ad ortum computarent, consequens erat, ut, excepto æquinoctio, horæ diurnæ et nocturnæ non essent inter se æquales. Solstitii tempore, quum nunc dies nunc nox in nostris regionibus, secundum æstatem aut hyemem haberet horas sedecim et horas octo : horæ diurnæ duodecim dilatandæ erant,*
B *ut ad sedecim horas vulgares extenderentur, nocturnæ autem restringendæ, ut intra octo horas vulgares clauderentur : atque hac ratione horæ diurnæ tempore solstitii æstivi erant* 80 *minutorum, nocturnæ* 40, *quod inverso ordine hyemali solstitio accidebat. Quamvis autem hæc ita se habeant, credo tamen* horam sextam *textus nostri esse sumendam quasi nostram vulgarem : etenim si horam solum nocturnam signaret biographus noster, rediisset sanctus senex circa mediam noctem, quod cum reliquo textu non convenit, qui dicit advenisse* ad fontem *reversus* a vigiliis.

h *Barbam, cæsariemque promissam ista tempestate non ferebant clerici ut monstravimus in Commentario S. Ambrosii Cadurcensis num.* 5 *ad diem* XVI *Octobris* (4).

i Frutectum *idem quod* Frutetum. *Cfr h. v. Du Cange, Glossarium. Quando vero fundabatur monasterium Paracliti, id est, anno* 1219, *jam excisum videtur frutetum, siquidem Ingelrannus dat locum,* continentem, *ait,* duodecim jornalia et amplius, terræ videlicet solidæ et
C maresci; *quid sibi velit hæc* terra solida *non explicat Du Cange; crediderim hic poni per oppositionem ad* marescum, *seu paludem* (5).

k *Hanc utriusque cellæ vicinitatem interpretari oportet, ut tamen altera ab altera duobus chiliometris distaret, ut inspicienti mappam topographicam patebit.*

l *Nox apud antiquos in quatuor vigilias, quarum singulæ ternas horas complectebantur, dispertiebatur. Credo, hanc vocem hic usurpari eo sensu, quasi secunda vigilia finiente, officium nocturnum media circiter nocte inciperet. Ast paulo infra, ubi dicitur, Sancto in ecclesiam adventante,* primum vigiliarum *signum* vix pulsatum fuisse; *vox* vigilia *pro ipso officio nocturno accipienda est.*

m *Hic observari potest, quod Commentarii prævii num.* 2 *monuimus, nempe metricam quamdam scriptionem biographo præluxisse : sic* bono *cum* sono, impono *cum* compono *et* suppono, interdictum *cum* dictum *et* fictum, perduravit *cum* curavit *etc. Idem paulo infra num.* 9 *reperire est in dictis S.* Domitii *de virtute SS. Eucharistiæ.* AUCTORE J. V. H.

n *Hanc ranarum taciturnitatem adhucdum durare dicit postremus S. Ulphiæ biographus* (6) : Constans est, *inquit,* in regione traditio, prodigium ad præsens usque tempus perseverare. Dum in vicinis paludibus valde strepitose coaxant ranæ, omnino silent in prato, ubi erat Sanctæ eremitorium. *Simile quid refertur in Vita S. Jacobi Piceni seu de Marchia, Ordinis Fratrum Minorum, cujus Acta dabuntur* XXVIII *Novembris. Etenim Gaspar de Monte Sancto, qui anno* 1804 *Asculi Vitam edidit, refert cap.* VIII (7), *quod aliquando Sanctus transiens juxta oppidum Mostaram in Bosnia, quum moram fecisset prope lacum quemdam (sunt autem varii in finibus Mostaræ lacus, ut videre est in Mappa Topographica tab.* VI *apud Schwandtnerum, Rerum Hungaricarum scriptores T.* III) *et ibidem officium divinum cum socio recitaret, turbatus ranarum coaxatione, iisdem præcepit silentium : postquam vero recessisset, recordatus præcepti, misit socium ut illud abrogaret;* E *socius vero dixit :* « *Rana, tibi permitto coaxationem;* » *quum itaque numero singulari usus fuisset socius, deinceps ad hanc usque diem una solum, reliquis silentibus, rana coaxans auditur. Hactenus Gaspar de Monte Sancto. Portentum certius nobis esset, si biographus nomen lacus expressisset, et testes adduxisset, qui rem etiam hodie coram inspexissent : cæterum in hæc curiosius indagari poterit, quando ad diem* XXVIII *Novembris Acta S. Jacobi Piceni illustrabuntur. Id tandem animadvertendum, Mostaram et ejus terminos usurpari hodie a Turcis.*

o *Ex hoc præsertim loco monstravimus, Commentarii num.* 1, S. Domitium *ad gradum presbyteralem numquam ascendisse; quum ipse sibi sacram communionem sanus vegetusque administrare potuisset.*

p *Hæc formula in antiquissimis ordinibus reperitur, ut videre est apud Edm. Martene* (8).

q *Hic loci textus noster ms. habet :* pretium *loco* verum, *quod quidem nullum exhibet sensum: ast id Vitæ S.* Domitii *fragmentum edidere* F
nostri in Commentarii S. Ulphiæ num. 7 (9), *ubi legitur :* Eisdem aperuit et lucide reseravit ordinem vitæ ipsius Virginis, et adventus sui causam ad illas partes; verum et de ipsa Virgine, sibi ostensam visionem, ipsam quoque S. Ulphiam *etc. Quapropter hanc lectionem secuti sumus.*

r *In Actis S. Amandi, Eremitæ ad diem* XVI *Octobris, ostensum fuit Eremitas frequenter in cellis seu oratoriis suis sepulturam esse nactos* (10) : *quod et hic S.* Domitio *factitatum est.*

s *Non reperi apud scriptores, quos mihi consulere licuit, ullam mentionem* ecclesiolæ S. Domitii *intra civitatem Ambianensem, quæ forsan nullo sui vestigio relicto, periit; maxime postquam Sancti Reliquiæ in cathedralem ecclesiam illatæ fuerunt; quod anno* 1279, XVII *kal. Junii* (XVI *Maji*) *contigisse videtur, quando et sacra corpora S. Firmini Confessoris et S. Ulphiæ*

(1) Act. SS. tom. I Mart., pag. 284 n. 7. — (2) Ibid. pag. 282. — (3) Pag. 247. Edit. Paris. 1690. — (4) Act. SS. tom. VII Octob., pag. 1033. — (5) Gall. Christ. tom. X Instrum. col. 340. — (6) Sellier. Vie de Ste Ulphe, pag. 41. — (7) Gesta di S. Giacomo della Marca, pag. 42. — (8) De Antiq. Eccles. rit. tom. I, pag. 301. Edit. Venet. 1783. — (9) Act. SS. tom. II Januar., pag. 1122. — (10) Act. SS. tom. VII Octob., pag. 847.

translata

AUCTORE J. V. H.

translata fuere (1). *In hoc tamen fallitur Ludovicus Sellier, l. c., quod hanc translationem Bernardo Abbatisvillano,* L *Ambianensi episcopo, anno* 1278 *defuncto adscribere videatur, quum ea sub initio pontificatus Gulielmi Matisconensis contigerit : dein supponit anno* 1279 *S.* Domitii *corpus adhuc in cella, in qua primum sepultum fuit, permansisse; quum jam anno* 1219, *quo hæc Acta conscripta fuere, nempe tempore fundationis monasterii Parclyti, ut vidimus Commentarii prævii num.* 2, crebrescentibus miraculis, elevatoque corpore et ad civitatem Ambianensem delato, devotione fidelium ecclesiola fabricaretur. *Id tamen verisimile videtur, S.* Domitii *corpus anno* 1279 *una cum lipsanis SS. Firmini et Ulphiæ in recens ædificatam ecclesiam cathedralem illatum fuisse. SS. Firmini et Ulphiæ instrumenta translationis exstant* (2); *nec dubitamus simile documentum in capsa S.* Domitii *exstitisse : utrumque instrumentum eodem die et anno, præsentibus iisdem testibus, confectum fuit. Porro capsæ S.* Domitii *et S. Ulphiæ sub altari majori ecclesiæ cathedralis Ambianensis quieverunt usque ad annum* 1793 : *tunc ecclesia suis spoliata thesauris, capsæ quidem direptæ fuere, sed Sanctorum ossa, suis munita involucris, a fidelibus collecta, e manibus impiorum evaserunt, et anno* 1816 *in capsam ligneam deauratam reposita fuerunt, una cum Reliquiis SS. Firmini Confessoris, S. Honorati et aliorum pontificum : et hactenus requiescunt pone aram maximam ecclesiæ cathedralis in spe beatæ resurrectionis.* D

(1) Sellier. Vie de Ste Ulphe, pag. 88 et seqq. Gall. Christ. tom. X, col. 1187. Instrum. col. 343. — (2) Gall. Christ. tom. X. Instrum. col. 343. Sellier. Vie de Ste Ulphe, pag. 90.

DE S. BENEDICTO, CONF. ET PRESB., B E

QUEM DICUNT EPISCOPUM,

IN DIOECESIBUS PICTAVIENSI ET LUCIONENSI,

V. D. B.

COMMENTARIUS CRITICUS.

De pagis Medalgico, Theofalgico et Herbadillico. S. Benedictus fuit presbyter depositus Asiani, dein translatus Quinciacum et Trenorchium. Reliqua fabulosa.

ANTE SÆCULUM IX. *Anno* 800 *S.* Benedictus *dicebatur presbyter et depositus in pago Herbadillico;*

Lantbertus, librarius et sacerdos, XI *kalendas Apriles, indictione* VI *scribere aggressus est et kalendis Augusti, indictione* VIII, quod nunc est annus quoque XXXI regnante domino nostro quoque Karolo gloriosissimo rege Francorum, *absolvit codicem sacramentorum Gregorianum, qui (quod pro Godelgaudo, presbytero et monacho, necnon in Remensi* C *S. Remigii asceterio decano, scriptus est) vulgo* Godelgaudi sacramentarium *appellatur. In edendo S. Gregorii sacramentario hunc librum usurpavit Menardus, eumdemque post eum satis illustravit Mabillonius* (1) *et similiter novi Tractatus de re Diplomatica scriptores* (2). *Quæ omnia annotare libuit, quoniam ex kalendario, huic volumini præmisso, omnium antiquissimum et certissimum repetendum videtur de S.* Benedicto *documentum. In eo enim, non ad* X *kal. Novembris, sed ad* XI *(si Mabillonio aut typothetis fidere licet), hæc leguntur verba :* XI kal. Novembris, in pago Herbatilico depositio sancti Benedicti presbyteri.

distinguitur a S. Benedicto Maceracensi

2 *Re quidem vera, quum die præcedenti seu* XI *kal. Novembris S. Benedictus Maceracensis in adjacenti diœcesi Nannetensi colatur, triplex sponte sua hic nascitur quæstio : prima an S.* Benedictus *Herbatilicus seu Herbadillicus idem sit ac S. Benedictus Maceracensis; secunda an idem ac S.* Benedictus *Pictaviensis seu Quinciacensis; tertia demum an tres distinctos habeamus Benedictos, Maceracensem et Herbadillicum, utrumque die* XXII *Octobris cultum, et tertium Pictaviensem seu Quinciacensem, ecclesiasticos honores jam pridem die* XXIII *Octobris nactum. Equidem, ut statim ab initio meam aperiam sententiam, æstimo imprimis Maceracensem et Herbadillicum esse diversos. Quum enim Maceracensis coli cœpit, non die* XXII *Octobris id factum, sed die prima ejusdem mensis; adeoque fortuito accidit, nempe propter translationem, ut postea die* XXII *Octobris ejus potissimum celebraretur festum; secundo in vivis adhuc erat S. Benedictus Maceracensis, quum Herbadillici nomen jam pridem Godelgaudi sacramentario esset inscriptum; tertio alter obiisse traditur die* I *Octobris, alter* depositus *die* XXII. *Atque his opponi posse quod ea omnia, quæ de S. Benedicto Maceracensi traduntur, nituntur lectionibus Rotonensibus, quæ non ita antiquæ sint, satis intelligo; neque diffitebor sæpius ea consideratione concussum fuisse animum; verum quin mutarem sententiam aut diutius hæsitarem impedivit hæc semper animadversio, lectionibus Rotonensibus eam saltem inesse auctoritatem ut inde certo cognoscamus Rotoni die* XXII *Octobris non depositionem seu obitum, sed translationem S. Benedicti Maceracensis fuisse celebratam; hanc vero translationem certe multo post annum* 800, *quo Godelgaudi sacramentarium scriptum est, fuisse factam patet ex* F

(1) Annal. Bened. lib. XXVI, num. 105, tom. II, pag. 328 et seqq. — (2) Nouveau traité de diplomatique, tom. III, pag. 194 et 195.

A *S. Convoionis Vita, qui Rotonensis cœnobii circa annum tantum* 832 *initia posuit.*

quare de pago Herbadillico aliisque hic agatur;

3 *Ad secundam autem quæstionem ajendum esse arbitror seu S.* Benedictum *Herbadillicum et Quinciacensem unum eumdemque esse; et proin ad tertium quæsitum negandum esse. Ut vero hæc confirmentur, redeundum est ad Godelgaudi Calendarium, in quo docemur S.* Benedictum depositum *seu sepultum fuisse* in pago Herbadillico, *et ante omnia investigandum quis ille esset pagus et qui ejus fines : hinc enim pendent fere omnia. Juverit itaque accurate hac de re disserere; atque ita quidem ut non tantum de pago Herbatilico seu Herbadillico* (Herbauge), *verum etiam de pagis Theofalgico* (Tiffauge) *et Medalgico* (Mauge) *nonnulla illustremus : quoniam hæc olim conjungi solemne erat. Re quidem vera non ita pridem, anno videlicet* 1835, *cl. v. de la Fontenelle de Vaudoré commentarium* (1) *conscripsit eadem de re; sed postea videntur hæc sua placita ei parum arrisisse, quum in altero commentario* (2) *plane alia de pagis agri Pictaviensis docuerit, omittens tamen dicta sua certis stabilire monumentis, quod* B *id jam non præcipuum ejus esset argumentum. Pollicitus quidem est in hac posteriori scriptione de Alani Barbœtortæ cum Guilielmo Capite de Stupis pactionibus alias scribere; quo argumento in mediam nostram controversiam ductus fuisset; verum id ab eo fuisse factum nequaquam reperio. Quocirca liceat jam extraneo id argumentum assumere, hoc apprime volumine versandum, quum inferius, ubi de S. Martino Vertavensi et de S. Enocho seu potius S. Senocho, in Theofalgia nato, agetur, de eodem necessarius iterum futurus sit sermo.*

ex pactione anni 943 determinantur

4 *Porro ad nos* (*quantum de geographia est*) *sequentia de memoratis modo pactionibus, ex Chronico Briocensi desumpta, pertinent verba* (3) : Alanus igitur dux Nanneticum pagum, et etiam trans Ligerim Medalgicum, Theophalgicum et Herbadilliacum ad se retinuit, recuperavit, ac de ipsis locis cum comite Pictaviensi, cognomento Caput de Stupis, finem fecit, sicut ipsi pagi terminant, id est a flumine Ladionis in Ligerim descendente, usque ad Irumnam flumen et Petram-frictam C et Ciriacum et flumen Ledii, quod in mare occidentale decurrit. *Sæculo itaque decimo* (*ad annum enim* 943 *illa spectant* (4)) *trium horum pagorum terminus septentrionalis erat Ligeris; occidentalis Ladio* (le Layon), *ad vicum* Montejan *atque etiam partim ad oppidum* Chalonne *aquas suas Ligeri miscens; ad vicum S. Lamberti* du Lattay *Irumna* (Iromne, Ironne, Yrôme) *in Ladionem influit et fit alter limes pagi Medalgici. Petra-fricta, quam Le Baud* (5) *gallice appellat* Pierre-fichée, *Guépin jam* le Chateau de Pierre-feinte (6), *jam* le Chateau de Pierre-fite (7), *mihi ignota; non enim crediderim esse* Pierre-fite, *infra* Thouars, *prope S. Varentium, in propinqua provincia utriusque Separis* (Deux Sèvres). *Loco Ciriaci legit Guépin* (8) Ariacum, *habet quippe* Ariac *et similiter D. Bouquet* (9); *Le Baud* (10) *vero* Tiriac; *quæ omnes formæ nec in lexicis, nec in mappis geographicis mihi obviæ factæ sunt.*

AUCTORE V. D. B.

fines adjacentis pagi Medalgici,

5 *Licet autem uterque ille limes nobis desit ex alio tamen fonte, nempe ex divisione ecclesiastica, Medalgici pagi fines reperiri queunt. Pristinæ enim diœceseos Andegavensis polyptychum has parochias decanatui Medalgico adscriptas exhibet:* Jallais, Jubaudiere, Grand Montrevault, Poitevinière, Pin en Mauge, Beaupréau, Gesté, Fief Sauvin, Chaussaire, Puiset doré, Petit Montrevault, Chapelle du Genet, Chaudron, S. Quentin en Mauge, Ville-Neuve, Montejan, S. Remi en Mauge, Chasteau-Penue, Chalonne, La Plaine, Neufuy, S. Christine, Jumelière, Chaudefous, Rochefort, Luigné, Dénée, Meure, Urrigné, S. Lambert du Lattay, S. Foi, La Pommeraye, Andrezé, Maulimart, S. Philibert en Mauge, S. Christophe de la Blonerie *et* Chapelle Aubry. *Brevitatis causa sola nomina vulgaria scribenda visa sunt. His addendum territorium S. Florentii veteris, continens* Mesnil, Marrillage, Bouzille *et* La Boissière *præter S. Florentii abbatiam seu oppidum: in diplomate enim, quod pro hoc monasterio Carolus Calvus anno* 849 *dedit* (11), *aperte S. Florentii monasterium pago Medalgico adscribitur : ita tamen ut angulus occidentalis præsentis districtus Belliprati* (Beaupréau) *pars pagi Medalgici non esset, sed Herbadillici;* E *unde ante rerum in Gallia conversionem hoc cornu contineretur quidem agro Andegavensi, episcopi tamen Nannetensis subesset jurisdictioni.*

Theofalgici

6 *Ast limes meridionalis districtus Belliprati ad pagum Theofalgicum pertinuisse videtur; atque hujus pagi certa adhuc supersunt vestigia in districtu* Bourbon *seu* Napoléon-Vendée. *Habes imprimis Theofalgiam* (Tiffauges) *ad Separim Nannetensem* (la Sèvre Nantoise), *et Euronotum versus* S. Aubin-en Tiffauges *et paulo inferius* S. Martin-Lars-en Tiffauges, *vicos paucis distantes leucis a Ledio flumine* (le Lay), *ultimo trium pagorum quos definimus termino. Ad Orientem vero ibat Theofalgicus pagus usque ad rivum dictum* la petite Maine; *quemadmodum colligitur ex Chronographo Nannetensi* (12), *narrante Begonis ducis* F *Aquitanorum seu potius comitis Pictaviensis* (13), *anno* 844 *cæsi,* corpus sepultum esse apud Durenum, Theofalgiæ vicum : *qui id* Dureni, Durivi *seu etiam* Dureii *nomen habuisse dicitur, quod duo ibidem confluunt rivi* (la grande et la petite Maine); *postea vero posuit, ut S. Georgii prope Montemacutum* (S. George près Montaigu) *titulum assumeret* (14). *Atque hinc patet pago Theofalgico duos adscribendos esse decanatus, alterum S. Laurentii ad Separim* (S. Laurent-sur Sèvre), *alterum Montisacuti* (Montaigu). *Ille, ad utrumque Separis ripam positus, ita circumscriptus erat ut* Chambretaut, Mallièvre, les Epesses, Mauléon, Moulins, la Chapelle Largeau, le Puy-S. Bonnet, la Tessonale, S. Mélaine-des-Sources,

(1) Recherches sur les peuples qui habitaient le nord de l'ancien Poitou sur la Loire et la Mer, lors de la conquête des Romains et de l'introduction du Christianisme, in Mem. de la soc. des antiq. de l'Ouest, tom. I, pag. 75 et seqq. — (2) Recherches sur les vigueries et sur les origines de la féodalité, en Poitou, ibid. tom. V, pag. 326 et seqq. — (3) Ap. Morice, Mém. p. s. de pr. à l'hist. de Bretagne, tom. I, col. 28 et 29. — (4) Cfr l'Art de vérifier les dates, pag. 353 et 894. — (5) Hist. de Bretagne, pag. 134. — (6) Hist. de Nantes, pag. 50. — (7) Ibid. pag. 62. — (8) Ibid. pag. 50. — (9) Recueil des hist. de Fr. tom. VIII, pag. 277. — (10) Hist. de Bretagne, pag. 134. — (11) D. Bouquet, Recueil des hist. tom. VIII, pag. 501. — (12) Ibid. tom. VII. pag. 219. — (13) D. Morice, Mémoires sur la Bretagne, tom. I. col. 21, 138 et 281. Vide tamen Besly, Histoire des comtes de Poictou, pag. 12. — (14) Cfr sæc. I Bened. pag. 374 et D. Morice, Mém. p. s. de pr. à l'hist. de Bretagne, tom. I, col. 197.

S. André-

AUCTORE V. D. B.

S. André-de-la-Marche, S. Macaire, Montigné, Torfou, Tiffauges, les Landes-Genusson *et* la Gaubretière *suo ambitu caperet; hic autem, decanatui S. Laurentii ad septentrionem et Occidentem contiguus, ut vicos includeret* S. Hilaire de Loulay, la Grolle, Rocheservière, Corcoué, S. Christophe de Chartrusse, S. Sulpice, la Copechagnère, Chauché, S. Fulgent *et* la Barottière-Mesnard. *Alperiensis autem archidiaconatus, et proin hæc omnis regio, quæ ad fontes utriusque Ledii jacet, an ad alium spectarit pagum, cujus nominis vestigia adhuc supersint in vicis* Mouilleron-en-Pareds, S. Paul-en-Pareds *et* Chavague-en-Pareds; *ita ut* S. Mars de la Réorthe, les Herbiers, Vaudrainne, S. André-de-Goule-d'Oye, S. Florence-de-l'Hébergement, S. Cécile, *et quæ vel infra hæc loca vel ad orientem minoris Ledii jacent, ad territoria de quibus agimus referenda non sint, nonnihil ambigo: utrinque enim probabiles rationes pugnant; quibus tamen examinandis supersedeo, ut tandem ad pagum Herbatilicum seu Herbadillicum deveniam.*

et Herbadillici, qui capiebat climata Ratiatense et Clissoniense,

7 *Eo capiebatur omnis regio quæ intra Ligerim et Ledium ad occidentem pagorum Medalgici et Theofalgici posita est, videlicet, ad septentrionem, decanatus seu climata Ratiatense et Clissoniense; ad orientem, decanatus Maroliensis; Thalemundensis ad meridiem et demum Asianensis ad occidentem. Ex singulis decanatibus excitemus exempla quibus demonstretur eos pagi Herbadillici fuisse partes: Decnse monasterium, quod dein prioratus S. Filiberti de Grandi Lacu seu Loco factus est, de climate Ratiatensi fuisse constat ex polyptychis Nanetensibus; simul vero de pago fuisse Herbadillico expresse docet Armentarius, scriptor Miraculorum S. Filiberti* (1), *biographus S. Martini Vertavensis* (2), *aliique. Ibidem præterea in vico* S. Mars de Coutais *ostendi ajunt locum etiamnum dictum* Herbauge (3); *fatear tamen oportet in mappis Cassini hunc mihi non fieri obvium. Similiter Clissoniense clima seu decanatum intra Herbadillicum fuisse pagum vel ex sola S. Viventii Vita liquet, in qua dilucide Vertavense monasterium, ad hoc clima spectans,* Herbadillicæ provinciæ *adscribitur* (4).

necnon decanatus Maroliensem,

8 *Maroliensem decanatum Herbadillico quoque pago fuisse inclusum eruere est ex Nanetensi Chronico* (5); *in quo de pugna Begonem inter et Gunferium, Herbadillicum comitem, deque Begonis sepultura ita sermo fit ut appareat Blesonis* Vada (ad quæ pugnatum est et quo nomine vicus* Boulogne *indicatur non secus ac alibi* (6) *per* Vadum Trizaci *vicus* Trizay) *Herbadillico agro contenta fuisse, dum Durenum (in quo, ut superius est dictum, Bego sepultus fuit) in pago esset Theofalgico: porro vicus* Boulogne *intra decanatum Maroliensem jacebat. Similiter ex vico* Bessay *videtur colligi posse hunc decanatum partem fuisse Herbadillici pagi. Etenim S. Gregorius Turonensis, agens de S. Vincentio Martyre Hispano:* Apud terminum vero Pictavum, *inquit* (7), vicus est in Arbatilico nomine Becciaco, in quo ejus habentur reliquiæ. *Jam vero solent Pictones terminationem* ciacum *in* say, çay *seu* sé *mutare, ut* Quinciacum *versum in* Quinsay *seu* Quinçay, Mesciacum *in* Missé *aliaque palam faciunt; hinc* Becciacum *prius transierit oportet in* Becsay, *dein in* Bessay. *Quocirca credere est initio integrum hunc decanatum de pago Herbadillico fuisse, licet plurimæ ejus parochiæ ad ripam meridionalem Ledii fluminis jacerent; et quidem video cl. v. de la Fontenelle de Vaudoré* (8) *idem omnino sentientem; ita tamen ut pagum Matreventum seu meridionalem decanatus Maroliensis partem, quæ Lucionem capiebat, anno tantum* 976 *a pago Herbadillico desectam fuisse adstruat; ast id saltem triginta tribus annis ante, seu quum Alanus Barbatorta cum Guillelmo Capite de Stupis de finibus pactus est, divisionem hanc fuisse factam ex dictis manifestum est; adeoque ipse cl. v. de la Fontenelle alibi* (9) *nonnihil dubius hæret.*

* la Boulogne

Thalemundensem et Asianensem,

9 *Thalemundensis decanatus, orientalibus Maroliensis decanatus finibus contiguus, ambitu suo capiebat* la Tranche, Angles, S. Benoît-sur-Mer, Lairoux, Curson, S. Cyr-en-Talmondais, S. Sornin *et* le Champ-S.-Père : *quod autem pars esset Herbadillici pagi Ledius fluvius, ad meridiem currens, palam facit; sed insuper diploma exstat anni* 1020, *quo Ademarus monasterio S. Cypriani Pictaviensi contulit nonnulla bona sita* in Hislas ad marchas in pago Erbadillico, in vicariam de Bram et de Talamun, inter fluvios Ascentia (Auzance) scilicet et Vertona (riv. S. Martin) ab ecclesia S. Martini Vertavensi (*nunc* S. Martin-de-Bram) (10). *Idem constat de decanatu Asianensi seu Asiniacensi, ad mare inter decanatus Ratiatensem et Thalemundensem jacenti, ex diplomate anni* 1100, *quo Euno, Gontardi filius, monasterio S. Cypriani Pictaviensi concessit ecclesiam* S. *Ambrosii de Riec, aliaque bona; de quibus ibidem legitur :* Hæc omnia sunt juxta castellum de Riec, in pago Herbadillico (11). *Riec autem, nunc* Rié, *in palude ad mare jacens ad Asinianensem pertinebat decanatum. Manifestum itaque remur, S.* Benedictum *depositum fuisse et cultum saltem usque ad annum* 800 *non Quinciaci, sed alicubi in pago Herbadillico : si quæras ubi, Asiani seu Asiniaci* (Aizenay *seu* Azenay) *respondebo : sed de hac divinatione inferius.*

Quæ de S. Benedicto *tradunt Pictavienses et Lucionenses;*

10 *Veniendum nunc ad ea quæ Pictavienses, Lucionenses aliique de S.* Benedicto *ferebant. In Excerpto ex sacris Pictaviensis ecclesiæ monumentis, quod Saussayus anno* 1636 *ab Pictaviensi episcopo accepit et ad calcem sui Martyrologii* (12) *inseruit, et post eum Labbeus Bibliothecæ suæ Mss.* (13), *hæc ad diem* XXIII *Octobris habes:* Benedictus, episcopus de Samaria, cum presbytero et quadraginta sociis ob paganorum sævitiam fugiens, venit apud Pictavos ad B. Hilarium, quem audierat e Phrygia regressum, et eremum juxta castellum petiit, ubi in excisa [*petra*] Deo serviens usque ad obitum permansit ibidemque sepultus est. *Similia habet Breviarium Lucionense anni* 1836, *videlicet :* Benedictus, episcopus, gratiæ donis et privilegiis perornatus, de civitate Samaria

(1) Act. SS. tom. IV Aug., pag. 84. — (2) D. Morice, tom. I, col. 196. — (3) Kératry, ap. Albert Le Grand, Vies des SS. de la Bret. Armor. pag. 648, in nota. — (4) Act. SS. tom. I Januar., pag. 807, n. 17, 18, 19. — (5) D. Morice, tom. I, col. 138. — (6) Besly, Evêques de Poictiers, pag. 89. — (7) De gloria Martt. et Conff. lib. I, cap. XC. — (8) Recherches sur les vigueries et sur les origines de la féodalité en Poitou, in Mém. de la soc. des antiquaires de l'Ouest, tom. V, pag. 342. — (9) Ibid. pag. 420. — (10) Ibid. pag. 413. — (11) Ibid. pag. 412. — (12) Martyrol. Gallic. pag. 1251. — (13) Tom. II, pag. 729.

A paganorum sævitatem declinans, cum Viventio presbytero et quadraginta sociis venit apud Pictavos ad divum Hilarium; quem audierat a Phrygia regressum. A beatissimo fidei defensore eremum juxta castellum Gravionem, ad Clanum amnem, non procul a Pictavo urbe impetravit. Ibi in excisa petra Deo serviens usque ad obitum permansit, ibidemque sepultus est. Accedente vero tempore, monasterium illic constructum est, quod S. Benedicti de Quinciaco fuit nuncupatum.

item quæ conjecit Stephanotius, videlicet S. Benedictum *fuisse episcopum Pictaviensem sæc. VIII;*

11 *Minus placuit illa S.* Benedicti *peregrinatio Claudio Estiennot seu Stephanotio; qui post excussas omnes Quinciacenses chartas in eam venit suspicionem ut æstimaret S.* Benedictum *non e Samaria aufugisse, sed* esse episcopum Pictaviensem numero XLII in catalogo episcoporum Beslii et v. c. Nicolaï de Sainte-Marthe; qui forte ex oppido Samarviæ, Quinciaco *ad meridiem* vicino, ad idem cœnobium se recepit. *Verum nonne rectius nulla habebitur Samariæ aut Samarviæ ratio? nulla de S.* Benedicti *episcopatu? nulla de commercio cum S. Hilario? nulla de ejus prope Gravionem*

B *eremitica vita? nulla uno verbo de his omnibus? Quid ergo? Fucum videlicet hic fieri demonstrandum est. Etenim recitata verba pars tantum sunt eorum quæ olim recitabantur publice in templis et quæ ita inter se pugnabant ut tandem aliquando alterutra pars resecanda fuerit. Placuit ut, quam modo retulimus, retineretur; ast quo intellectum est modo hanc melioris esse frugis quam quæ omissa fuit?*

addebantur olim alia multa palam absurda;

12 *Porro licet Albertus Legrand curarit maxime S. Benedictum Maceracensem a Quinciacensi distinguere, operæ pretium tamen est quid ipse de his senserit audire.* Breviarium Pictaviense, *inquit* (1), anno 1598 typis editum, ad diem XXIII Octobris S. Benedicti historiam in novem distributam lectiones exhibet, sed a nostra prorsus diversam et cum chronotaxi nostra pugnantem: quocirca Benedictum Pictaviensem alium habeo quam Maceracensem. Ille etiam dicitur ibidem episcopus; et (quod simul constare nequit) in una lectione coævus traditur S. Hilario, et in secunda contemporaneus scribitur S. Martino Vertavensi:

C quod factum esse nequit; *quum Hilarius et Martinus Vertavensis duobus a se invicem separentur sæculis. Resecuere itaque Breviarii reformatores omnia quæ ad S. Martinum Vertavensem pertinerent, retinuere vero alia : sed iterum quæ his fides? Adde, quod præcipuum est, lectiones antiquiores Pictavienses et reliqua omnia hausta fuisse ex Vita S. Viventii, quam Bollandus ad diem* XIII *Januarii* (2) *edidit, Castellanus vero jure merito fabulosam appellavit: neque multo melius de ea senserat ipse Bollandus.*

omnia repetuntur ex fabulosis S. Viventii Actis, quorum synopsis

13 *Viden' quæ monstra contineat? Tempore Diocletiani S. Georgius Cappadox Antiochiam venerat, ibique signo crucis Daciani præsidis evertebat idola; venit eodem S. Viventius, Samaria oriundus atque adhuc idololatra; qui, Georgii visis miraculis, ad fidem conversus est, dein sacerdos factus et concionator egregius. Hic igitur, Samariam redux, primo parentes convertit; post clam e patria discedit, ubique more apostolico prædicans; interea jussu angeli Thessalonicam pergit, adit Dacianum ejusque fanum et idola signo crucis comminuit; dein ingressus cubiculum Cleopatroniæ, Daciani filiæ, eam a dæmone liberat et cum* 200 *aliis ad fidem convertit, miraculaque nova patrat. Jam B. Cleopatronia per S.* Benedictum *antistitem et S. Viventium sacerdotem, angelo monente, donaria Romam mittit sibique propediem Sanctorum limina visituturæ hospitia præparari curat; et quidem ita illi declinant persecutionem Daciani. Inter valedicendum pallium dat B. Cleopatronia S.* Benedicto; *qui dum filiolum suum Promotum accersit, navi fugit Daciani satellites S. Viventius cum sociis quadraginta. Brevi autem oritur tempestas, submerguntur insequentes hostes, mirabiliterque naufragium evadit S. Viventius. Interea S.* Benedictus, *committens se mari cum filio Promoto super expansum pallium, ad S. Viventium fertur. Porro fame laborat pia cohors; ast, providente numine, magnus e mari piscis coram eis exsilit. Veniunt demum Romam et S. Cleopatroniæ munera ad S. Petri sepulcrum ponunt.*

AUCTORE V. D. B.

hic exhibetur;

14 *Quum autem his essent functi et benedictione beati papæ donati, Herbadillicam attingunt civitatem; separantur a se invicem SS.* Benedictus *et Viventius, atque hic cum sociis venit ad S. Martinum Vertavensem; quocum dum amicissime confabulatur, puer ei offertur, mortuus sine baptismo. Precibus suis vitam huic reddit Viventius, qui et ibidem audit Justinianum, iniquissimum imperatorem et teterrimum persecutorem christianorum, a senatu turpiter interemptum. Exin in insulam abit S. Viventius cum sociis et habitat in spelunca. Tempore eodem contigit ut de exilio beatus pontifex Hilarius reverteretur; eum adit Viventius et castellum Gravionem ab eo obtinet. Ubi dum moraretur, puerum serpentis veneno extinctum suscitat; quod miraculum sileri jubet; aliosque dein multos sanat. Post fugit in Olonicam insulam; viginti energumenos sanat; latrones, cum volentes interficere ut Daciani thesauros nanciscerentur, se ipsi occidunt; Gravione in rupe concava sancte vivit; a mœrentibus sociis perquiritur qui a Daciano suisque satellitibus anno egressionis eorum ex terra nativitatis* LXV *pro fide interficiuntur. Interea visitatur Viventius a* F *Gundicaro olim suo servo; jubet ægros omnes ad se duci cosque sanat; mortem prædicit et postulat Gravione sepeliri; ab angelo aditur sæpius et aliquando a S. Maxentio, abbate Pictaviensi; in cujus præsentia cœcum illuminat, ultimo vitæ die Missam celebrat, ægros sanat et moritur, sponte apertis Gravionis castelli carceribus; et a quo demum ibidem sepelitur. Nonnulla dein sequuntur miracula; mors Daciani; Rictiovari in India et Asia regnum et persecutio et alia id genus.*

nulla ergo his omnibus est fides;

15 *Atque ex hac farragine, de qua qualemcumque synopsin exhibuimus, deprompta sunt ea omnia quæ de S.* Benedicto *circumferuntur. Re quidem vera nunc ita res temperatæ fuere in recentioribus Breviariis, ut ne amplius tam luculente absurdæ apparerent; sed, iterum quæso, quam auctoritatem habet quidquid ad tam infectum fontem tandem aliquando referendum sit?*

16 *Sed subvertenda jam est adstructa S.* Be-

(1) Vies des SS. de la Bretagne Armorique, pag. 642, edit. 1837. — (2) Act. SS. tom. I Januar., pag. 804 et seqq.

AUCTORE V. D. B.

evertuntur quoque exordiis Quinciaci;

nedicti *Gravione seu Quinciaci commoratio et quæ ei annectuntur. Scilicet quamquam jam ante positas a S. Filiberto suas illic curas monachi essent Quinciaci, quemadmodum ex S. Filiberti Vita ostenderunt decessores* (1), *illis tamen initium non dederat S.* Benedictus, *sed S. Aicadrus; qui illuc paulo post medium sæculum* VII *advenit et dein se discipulum dedit S. Filiberto, huc adventanti. Adeoque licet harum rerum fusas satis habeamus narrationes, nulla in his de S.* Benedicto *mentio; quin immo erat antea Quinciacum locus profanus; et quum Deo dicatum est, id non in honore S.* Benedicti, *sed B. Mariæ Virginis factum* (2). *Præterea, quum fabulator ille S. Viventii conscripsit Acta, nondum invaluerat opinio S.* Benedictum *Quinciaci seu apud Gravionem castellum vixisse; quandoquidem in illis tradatur Gravio castellum datum S. Viventio* (3), *quum jam pridem a S.* Benedicto *separatus esset* (4).

quæ probabilis harum fabularum causa;

17 *Unde ergo illa traditio? Plurima passim fabulosa tradi de Sanctis in opere nostro innumeris patet locis; dein quum omnino videatur* (*ut inferius explicabitur*) *translatum fuisse* B *S.* Benedicti *corpus Quinciacum ibique per annos forte duodecim cultum, priusquam alio deferretur, pronum erat Quinciaci fieri quod sæpius alibi est factum : nempe ut crederetur hic vixisse et obiisse. Vin' exemplum? In Vita S. Convoionis legitur S. Maxentius,* beatus ex Pictavensi territorio abbas, olim molestias falsorum sui monasterii fratrum fugiens, venisse Plebelanium, *postea Salomonis monasterium,* ibique ad Dominum migrasse *et sepulturam nactus* (5). *Atqui hæc omnia apprime erronea sunt; nunquam enim falsos fratres fugiendos habuit nec fugit S. Maxentius, sed in suo mortuus est cœnobio* (6). *Ast unde hæc excogitata? Quod nempe illuc translatus fuerat Normannorum tempestate.*

quomodo S. Benedictus *factus patronus Quinciaci;*

18 *Dum vero hi tam immane sævirent, placuit divinæ bonitati fidelium roborare pectora multis præclarisque miraculis. Ex coævis enim probatissimisque documentis novimus passim Sanctorum corpora, dum huc illuc deferrentur, coruscasse prodigiis atque hinc factum ut ingens hominum undique excitaretur concursus. Similiter Quinciacum convolasse turbas ad S.* Benedicti *sacra ossa quis dubitet? Atque his aliud impedimentum e via tolli posse videtur : scilicet quemadmodum factum videmus ut S. Filiberti aliorumque nomina adhæserint locis pluribus, in quibus aliquandiu requieverant pii eorum pulveres, quidni similiter S.* Benedictus *Quinciacensis patronus evaserit? Neque statim factus est primarius. Legitur* (7) *quippe Isembertus Pictaviensis episcopus rexisse* abbatiam S. Mariæ, necnon S. Andreæ atque almi Christi * Benedicti Quinciacensis anno MXXVII : *quæ deprompta sunt ex charta tabularii S. Joannis Angeriacensis, quam Beslyus* (8) *edidit. Ecce initium :* Pro ambarum partium utilitatibus placuit atque convenit inter Aimericum, S. Joannis Ingeriacensis abbatem, ejusque congregationem et inter monachos S. Mariæ et S. Andreæ atque almi Christi... Benedicti

C

* *supple* confessoris

Quinciacensis, ut inter se terras suas commu- D tare debuissent; quod et omnimodo manifestum est fecisse, scilicet per consensum et voluntatem domini Isemberti episcopi qui tunc nominatim abbatiam regebat. Dedit interea prædictus abba et monachi S. Joannis partibus S. Benedicti et prædictis monachis vineam *etc. Quibus posterioribus verbis, nempe* partibus S. Benedicti *significatur jam tum in vulgari sermone S.* Benedicti *nomen celebrius fuisse, licet ejus patrocinium tertio tantum veniret loco; et quidem postea prorsus prævaluit unum S.* Benedicti *nomen; ita ut vulgo* S. Benoît de Quinçay, *seu* de Quinsay *diceretur.*

an ibi exstiterit ejus tumulus;

19 *Sed audio qui demum objiciant S.* Benedictum *Pictaviensem non* depositum *fuisse in pago Herbadillico, sed Quinciaci ibidemque proin vixisse, quandoquidem hic ejus post altare ostendebatur tumulus. Verum nil certi sciebant de hoc tumulo Quinciacenses et conjiciendo potius quam affirmando de eo disserebant. Patet id quippe ex ipsis Stephanotii aut scriptorum Galliæ Christianæ* (9) *verbis :* In ecclesia pone majus altare tumulus exstat E lapideus, qui CREDITUR esse S. Benedicti patroni monasterii. *Prætera etiamsi detur hunc vere fuisse S.* Benedicti *tumulum, nequaquam tamen hinc colligere licet eum ibi statim a morte fuisse depositum. Hoc enim ævo, licet antea S. Eligius aliique pretiosas reliquiarias thecas fecissent, rara tamen erant feretra adeoque sæculo* VIII *et* IX *in desuetudinem abiisse videtur id genus capsas construere* (10). *Servabantur itaque Sanctorum corpora in sepulcris, etiamsi ea transferre contingeret. Cujus rei exempla sunto SS. Maxentius et Martinus Vertavensis; quorum corpora præ Normannorum metu alio fuere transvehenda. Etenim de priori post translationem legitur* juxta cum sepultum *fuisse S. Convoionem* (11); *de hoc vero, licet,* effosso a loco sepulturæ beato viro, loculo imposuerint aureo gemmis nobilibus insignito, pervenientes ad Ensoniense cœnobium, juxta membra viri Dei Jovini corpus tumularunt S. Martini (12). *Quocirca ut ex tumulis S. Maxentii Rotonensi et Ensionensi S. Martini falso argueres eos his in locis vixisse, obiisse et sepulturæ traditos, ita etiam minus certo ex* F *Quinciacensi tumulo argueres aliquando ibi vixisse et vita functum S.* Benedictum.

quum per Normannorum incursiones res sacræ amplius tutæ non essent in pago Herbadillico,

20. *Ut autem unde exorsi sumus, eodem redeamus, quum nil magnopere suadeat S.* Benedictum *vixisse Quinciaci, sed contra plura eo vergant argumenta ut non tantum hæc traditio recens habeatur, sed ut Quinciacensis S.* Benedicti *commoratio excludatur, nemo non videt quam probabile factum sit S.* Benedictum *Quinciacensem eumdem esse ac Herbadillicensem, seu S.* Benedictum *Herbadillicensem* (*ut jam innuimus*) *Quinciacum translatum fuisse. Atque his aliunde quoque affunditur lumen. Etenim dum S.* Benedicti *corpus in pago quiesceret Herbadillico, incerta et periculis plena medio sæculo* IX *ejus facta est sors. Anno enim* 843, *mense circiter Julio, castella Metallicæ regionis et Theofalgiæ et Herbadillæ dissipa-*

(1) Act. SS. tom. V Sept., pag. 90 et 93; Cfr tom. V Aug., pag. 79 et 80. — (2) Cfr Vita S. Aicadri, Act. SS. tom. V Sept., pag. 87; et sæc. II Bened. pag. 956. — (3) Act. SS. tom. I Januar., pag. 808, num. 22. — (4) Ibid. pag. 807, num. 16. — (5) Ap. D. Morice, tom. I, col. 233. — (6) Cfr Act. SS. tom. V Junii, pag. 173. — (7) Gall. Christ. tom. II, col. 1290. — (8) Histoire des comtes de Poictou et ducs de Guyenne, preuves, pag. 345. — (9) Tom. II, col. 1290. — (10) R. D. Texier, Essai sur les argentiers et les émailleurs de Limoges, in Mém. de la soc. des antiq. de l'Ouest, tom. IX, pag. 77 et seqq. — (11) Vit. S. Convoionis, ap. D. Morice, tom. I, col. 233. — (12) II Vit. S. Martini Vertav. sæc. I Bened. pag. 688 et 689.

runt

A *runt Normanni, teste Chronographo Nannetensi* (1); nec post multo tempore, *eodem auctore* (2), secunda vice iterum per Ligerim remeantes ad urbes ripis finitimas devastandas, longa statione castrorum captum violenter concremaverunt, *et* anno 853 Luciannus mense Majo a Northmannis exuritur et mense Junio S. Florentii monasterium et Nannetis civitas, Turonis quoque exuruntur, *ut in Brevi Chronico seu Britannico* (3) *perhibetur. Et similia fere annis sequentibus. Initio autem harum cladium, quum adventare intelligerentur Normanni, humi occulebantur Sanctorum corpora, postea vero in tutiora delata fuerunt loca: de qua re ad diem* XVI *Octobris plura diximus in Commentario de S. Vitali* (4). *Quidni ergo similiter S.* Benedicti *sacra ossa, hactenus in pago Herbadillico religiose servata, in tutiorem delata fuere locum?*

S. Benedicti *corpus, quod postea etiam Trenorchium delatum est,* * Tournus

21 *Ast hic iterum standum paulisper ut secundum certa indicia reliquum dirigamus iter. In citato de S. Vitali Commentario* (5) *dedimus ex Chiffletiana Trenorchiensi* Historia integrum catalogum sacrorum pignorum, quæ anno* 1562 *Calviniani, in celeberrimam illam irrumpentes abbatiam, incendio deleverunt. Hæc inter venit* corpus S. Benedicti de Quinciaco, *id est, quemadmodum illic ostendimus de aliis Sanctis, corporis magna pars. Atque hinc colligimus non tantum S.* Benedicti *corpus delatum fuisse Trenorchium in Burgundia, sed prius ei jam adhæsisse agnomen* de Quinciaco, *et proinde antehac quievisse Quinciaci. Quum itaque ex una parte videatur S.* Benedicti *corpus tempore Normannorum aliorsum translatum ex pago Herbadillico* (*deinceps enim nullum ibi amplius de eo apparet vestigium*); *quumque ex altera corpus homonymum tunc aliunde delatum videatur Quinciacum* (*ibi enim non vixisse S.* Benedictum *satis ostendimus*): *quid superest quam ut firmiter teneamus S.* Benedictum *Herbadillicensem tristi Normannorum ævo portatum fuisse ad Quinciacense cœnobium, quemadmodum sæpius jam adstruximus?*

Quinciacum prius portatum et dein S. Filiberti corpori sociatum videtur;

22 *Ast quo id factum anno? Crediderim circa* 858: *ita saltem omnia facile fluunt. Videlicet, quum Normanni spem nullam facerent quietis, delatum est S. Filiberti corpus ex pago Herbadillico Conaldum* (Cunault) *in agro Andegavensi, et quadriennio post Mesciacum* (Missé), *tribus leucæ quadrantibus distans a Thoarcio in agro Pictaviensi; quidni similiter S.* Benedicti *corpus Quinciacum, Pictavis vicinum? qui locus ita tunc habebatur tutus, ut etiam Pictavis illuc transvecta fuerint S. Radegundis ossa* (6). *Ast quum Herensibus seu S. Filiberti monachis jure merito non satis securum haberetur Mesciacum, atque ipsi tandem anno* 871 *ex finibus Pictaviensibus in abbatiolam S. Portiani in agro Arvernensi profecti essent, atque hinc quinquennio post Trenorchium* (7), *manifestum est Quinciacum, non ita longe a Mesciaco jacens, periculi non fuisse immune; adeoque anno* 878 *id a Normannis fuisse destructum testatur chronicum Malleacense* (8). *Quocirca siquidem S.* Benedicti de Quinciaco corpus *certissime Trenorchii asservatum fuerit, quumque inter Herenses et Quinciacenses firmum esset vinculum* (*utrorumque enim pater fuerat S. Filibertus*), *et quum demum Falco, scriptor antiquus, asserat cum S. Filiberti corpore alia plurimum Sanctorum, quos* veretur nominatim suo inserere opusculo (9), *translata fuisse, nemo non videt quam probabile sit S.* Benedicti *sacras exuvias anno circiter* 858 *portatas fuisse Quinciacum, anno* 871 *transvectas in S. Portiani cœnobium et quinquennio post Trenorchium. Si cui tamen hæc minus placeant, quoniam anno* 868 *S. Viventii corpus Arvernos detulisse videntur Quinciacenses monachi; et paulo post in Burgundiam in comitatum Amausanum; atque hinc Vergiacum, territorii Augustodunensis locum* (10); *priusquam in aliam abeat sententiam, recogitet quam difficile seorsum deinceps lata fuissent SS. Viventii et* Benedicti *corpora, si ante simul in Arverniam essent aliquando portata. Neque idem argumentum valet contra nostram sententiam, quum facile fieri potuerit ut prius aliquot monachi cum S. Viventii corpore Quinciaco sint* E *profecti; alii vero aliquot annis tardius se addiderint Herensibus, secum S.* Benedicti *ferentes exuvias.*

AUCTORE V. D. B.

quid de eo Usuardus;

23 *Utut id est, certe anno* 859 *aut* 860, (*quo tempore priorem Usuardi Martyrologii editionem in lucem prodiisse unus ex collegio nostro ostendit* (11),) *nondum ex pago Pictaviensi translatum fuerat S.* Benedicti *corpus, quum in illa priori Usuardi editione seu in codice Heriniensi ejus memoria ad diem* XXIII *Octobris his signetur verbis:* In pago Pictavensi sancti Benedicti confessoris; *quæ annuntiatio semper deinde permansit eadem, atque etiam in Martyrologium Romanum transiit. Quin etiam si certo rejicienda foret distinctio inter pagos majores et minores, seu, ut aliis loquar verbis, si omnino constaret tunc temporis res non ita compositas fuisse ut unus pagus major alios plures complecteretur minores, sequeretur hinc, non probabiliter tantum, sed manifeste, jam ante annum* 860 *S.* Benedicti *exuvias ex pago Herbadillico Quinciacum in pago Pictaviensi delatas fuisse; sin autem, fieri posset ut etiam tunc adhuc fuissent in pago Herbadillico, quum certo certius* F *integer ille tractus aliquando pagus Pictaviensis dictus sit.*

Asiani in pago Herbadillico prioratus S. Benedicti *inchoatur et reliquiæ ponuntur;*

24 *Quum Trenorchio redierunt Quinciacum monachi, partem reliquiarum secum attulerint oportet: colligitur id quippe ex historia cujusdam controversiæ, quæ exeunte sæculo* XI *inter Majus Monasterium seu Turonense et Quinciacense efferbuit; atque indidem prioratus Asianensis seu cellæ S.* Benedicti *de Asenajo initia cognoscimus, siquidem de hac cella lis esset orta; et præterea ipsum* (*ni fallor*) *locum, ubi in pago Herbadillico vixit et primum depositus fuit S.* Benedictus. *Videlicet tempore Alberti abbatis, qui jam ab anno* 1034 *Majori Monasterio præerat* (12), *duo conjuges Arnulfus et Techildes construxerant illique tradiderant hanc cellam. Nihilominus Quinciacenses hanc sui esse juris contenderunt; seque eam possedisse tempore abbatum suorum Gualterii et dein*

(1) Ap. D. Morice, tom. I, col. 137. — (2) Ibid. col. 138. — (3) Ibid. col. 150. — (4) Act. SS. tom. VII Octob., pag. 1095. — (5) Ibid. l. c. — (6) Act. SS. tom. III Aug., pag. 65. — (7) Cfr Act. SS. tom. VII Octob., pag. 1095. — (8) Ap. Labbe, Bibl. Mss. Nov., tom. II, pag. 199. — (9) Act. SS. tom. VII Octob., pag. 1095. — (10) Ibid. tom. I Januar., pag. 813. — (11) Ibid. tom. VIII Octob., pag. 86. — (12) Annal. Bened. lib. LVII, num. 41, tom. IV, pag. 364.

Joannis

AUCTORE V. D. B.

Joannis viri sanctissimi, qui tunc eremiticam vitam ducebat; et se in ea posuisse particulam corporis S. Benedicti *confessoris, cujus corpus seu potius corporis pars apud se quiescebat. Anno* 1097 *et sequenti in duabus synodis petitores et rei suam egerunt causam, ita ut Majus Monasterium vicerit; quemadmodum fusius explicat Mabillonius* (1): *et sane in Polyptycho Turonensi inter Majoris Monasterii beneficia parœcia Asianensis recensetur* (2).

ibi vixisse et prius depositus fuisse videtur sanctus; quæ ibi de eo supersunt vestigia.

25 *Postliminii itaque jure et ante finem sæculi* XI *recuperarat Quinciacense cœnobium partem reliquiarum S.* Benedicti. *Eorumdem sacrorum pignorum solemnem translationem fieri curavit* III *kal. Januarias anni* 1226 *Aimericus I, abbas Quinciacensis, ut D. Fonteneau* (3) *ex Stephanotio refert. Quod autem ad cellam Asianensem spectat, quid hæc, licet ab initio tradita fuerit Majori Monasterio, titulum S.* Benedicti *assumpsit? Quid ei de reliquiis sui patroni tam prompte communicarunt Quinciacenses? An quia olim ibidem vixerat et diem obierat S.* Benedictus? *Pronum est suspicari.* B *Crescit vero hæc suspicio et fit res vere credibilis, si recogitetur Asinajum seu Asiniacum in pago Herbadillico situm esse, sicuti ostensum est supra; et si deinde præ oculis habeatur olim ad fines oppidi Asinaji, Africum versus, patuisse specum, cui vulgare nomen erat* Cave *seu* Grotte de S. Benoît, *in quam se sæpius descendisse meminerunt etiamnum senes Asianenses, ut ad me scripsit R. D. Collonier, parochus, die* 23 *Octobris anni* 1853; *ast eam a temporibus fere, quibus res publica et sacra adeo in Gallia perturbata fuit, esse clausam. Eamdem in rem suggerit mihi idem R. D. aliud argumentum, nempe usque ad annum* 1830 *in Asianensi templo servatum fuisse calicem argenteum, hexagonum et pede triangulari nixum; cui inscripta erant hæc aut similia verba :* calix S. Benedicti. *Verum id argumentum minus placet; quum nemo facile hinc concluserit ipsum S.* Benedictum *hoc ipso sacro poculo fuisse usum; sed potius hunc calicem de proprietate templi S.* Benedicti *fuisse. Cæterum jacere nunc videtur Asiani S.* Benedicti *cultus; pristinæ amissæ fuere reliquiæ; nulla pia peregrinatio; et S.* Benedicti *nomen paucis inter baptizandum datum* C *infantibus. Atque hic annotetur velim Castellani error, scribentis vulgo hunc S.* Benedictum *vocari* Bonizet; *certe id ei nomen non est Asinaji; nec in vicina parochia, ad Ledii ostia jacente, quæ in mappis æque antiquis ac recentibus S.* Benoît *appellatur; nec Quinciaci, qui locus etiam Castellani ævo S.* Benoît de Quinçay *dicebatur.*

Cultus S. Benedicti *in diœcesibus Pictaviensi,*

26 *Verum non tantum in hac parœcia, Asinaji et Quinciaci colebatur S.* Benedictus; *sed jam pridem honores ei concessi fuere ecclesiastici in universis diœcesibus Lucionensi et Pictaviensi. Quum postulavit anno* 1853 *episcopus Lucionensis a sacra rituum congregatione ut novum Proprium (quod appellant) Lucionense approbaret, allata sunt plura monumenta, tum Pictaviensia, tum Lucionensia, ex quibus, quod modo affirmabam, eximie constat; videlicet Breviarium sæculi* XIV, *olim in civitate et diœcesi Lucionensi usitatum atque nunc asserva-* *tum in bibliotheca oppidi Napoléon-Vendée; in* D *hujus kalendario inscribitur ad* 23 *Octobris S.* Benedicti *nomen, cum* episcopi *titulo, et officium inseritur novem Lectionum; secundo Pictaviense Breviarium ejusdem ævi, itemque Missale sæculi* XV, *utrumque in publica Pictaviensi bibliotheca expositum, in cujus kalendario ad* 23 *Octobris memoria legitur S.* Benedicti de Quinciaco episcopi *aut* S. Benedicti episcopi de Quinciaco; *deinde Breviarium, conscriptum ad usum Annæ de Pie, abbatissæ S. Trinitatis Pictaviensis ab anno* 1484 *ad* 1500, *in bibliotheca majoris Seminarii Pictaviensis repositum olimque a Maurinis Galliæ Christianæ novæ scriptoribus memoratum* (4); *Missale Pictaviense impressum anno* 1526 *et Breviarium anno* 1594; *in quibus omnibus S.* Benedictus *ad diem* 23 *Octobris celebratur et episcopus dicitur. In posterioribus libris liturgicis Lucionensibus et Pictaviensibus eadem servata fuere; sed quæ in antiquioribus ex Actis S. Viventii aperte fabulosa recitabantur, hæc partim suppressa, partim ita mutata ut aliquatenus ferri possent; et sæculo quidem* XVIII *omissa penitus fuit a Lu-* E *cionensibus omnis S.* Benedicti *Quinciacensis memoria, donec anno* 1767 *iterum restituta est, ritu simplici peragenda. Nuperius autem in lectionibus Lucionensibus, anno* 1853 *Romæ probatis, castigatio plenior facta est; retentus tamen* episcopi *titulus, licet S.* Benedictus presbyter *dicatur in Godelgaudi Sacramentario et nude* confessor *in Martyrologio Usuardi.*

Lucionensi

27 *Utut id est, ecce quid nunc Lucionenses recitent, consentiente sacra rituum congregatione; ipse pauca, uncinis inclusa, inserui :* LECTIO IV. Benedictus confessor, cujus sacra memoria die vigesima tertia Octobris in Martyrologio Romano recensetur, ab antiquis temporibus apud Pictones colitur ut episcopus. Eum Samariæ in Palæstina antistitem fuisse plurimi tradunt, et ob persecutionem cum sancto Viventio aliisque sociis Pictavos venisse ad divum Hilarium; a quo, ut fertur, eremum juxta castellum Gravionem, non procul a civitate, impetravit; ibique in excisa petra Deo serviens usque ad obitum permansit. Alii vero ejus episcopalem sedem et tempus quo vixit incomperta esse fatentur. [*Alii* F *demum merito persuasum habent eum, priusquam Acta fabulosa S. Viventii prodiissent, habitum fuisse presbyterum.*] Quidam ipsum in pago Herbatilico degisse arbitrantur ibique extremum clausisse diem, [*quum in sacramentario, anno* 800 *inchoato, legatur :* XI kal. Novembris, in pago Herbatilico depositio Sancti Benedicti presbyteri.] LECTIO V. Mundo alienus erat, sed Deo proximus et amicus : pauper rebus terrenis, sed gratiæ donis et privilegiis perornatus, itaque transitoria despiciens pervenit ad æterna. Undecimo sæculo, Quinciacense monasterium, situm juxta castellum Gravionem, [*cujus fundamenta sæculo* XVIII *in horto prioratus adhuc apparebant,*] nomine ejus et patrocinio jam gloriabatur. Eodem sæculo Azenaji, in territorio nunc Lucionensi, extructa est cella sub sancti confessoris invocatione; ibidemque etiamnum parochialis ecclesia ipsius titulo decoratur. LECTIO VI. *Ex libro*

(1) Annal Bened. lib. LXIX, num. 56, tom. V, pag. 350 et seq. — (2) Pouillé de Tours, pag. 106, edit. 1648. — (3) Collection ms. tom. LIII, in Biblioth. civit. Pictav. Cfr Lecointre, Notice sur l'abbaye de St Benoît de Quinçay, pag. 9. — (4) Tom. II, col. 1308.

S. Hilarii

A *S. Hilarii episcopi super Psalmos, in Ps.* 118, *lit.* XVI, *num.* 16, 17. Super topazion. MISSA Sacerdotes. *Id officium fit die* 27 *Octobris quod* 23 *impedita sit festo* (*ni fallor*) *SS. Redemptoris. Ante reformatum Proprium ritu simplici, ut paulo supra dicebam, celebrabant Lucionenses S.* Benedictum; *nunc semiduplici : hinc patet quam graviter erraverint Galliæ christianæ novæ scriptores* (1), *quum S.* Benedictum *Quinciacensem patronum esse dixerint templi cathedralis Lucionensis. Re quidem vera magno honore ibi olim colebatur S. Benedictus, verum non Herbadillicus seu Quinciacensis, sed Cassinensis : nec mirum quum ante annum* 1317 *illa ecclesia abbatialis erat, non autem cathedralis.*

et Remensi. 28 *Initio hujus commentarii diximus inscriptum fuisse S.* Benedicti *nomen et festum Sacramentario Godelgaudi, in Remensi S. Remigii monasterio decani. Hujus abbatiæ calendarium liturgicum non habemus; unde asserere non ausim ibidem perstitisse S. Benedicti cultum. Sed ex legato nobilis viri, Baronis de Viron, ad manum mihi est* Officium sanctorum Tresani, Gumberti et Sanctæ Berthæ, nunc jam suæ integritati restitutum, atque his typis quam diligentissime fieri potuit cura et expensis Ludovicæ de Linange, Aveniaci monasterii abbatissæ, excusum Rhemis anno 1557; *cui rarissimo libello præmittitur kalendarium liturgicum, in quo ad hanc diem* commemoratio *fieri jubetur S.* Benedicti episcopi; *ita ut ejus memoria in illa regione sæculo* XVI *nondum periisset, sed tantum exemplo Quinciacensium ejus presbyteratus ordo in episcopatum mutatus fuisset.* AUCTORE V. D. B.

(1) Tom. II, col. 1404 et 1405.

DE S. IGNATIO,

B E

PATRIARCHA CPOLITANO ET CONFESSORE,

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti memoria in fastis sacris; ejus Acta a Niceta coævo conscripta; chronotaxis vitæ.

ANNO DCCCLXXVII. *Sancti memoria in fastis tum latinis,*

In Martyrologio Romano sub hac die legitur : Constantinopoli, sancti Ignati episcopi, qui quum Bardam cæsarem ob repudiatam uxorem arguisset, ab eo multis injuriis affectus in exsilium pulsus est : sed a Nicolao, Romano Pontifice restitutus, tandem in pace quievit. *Hæc eatenus accurata sunt, quatenus S. Nicolaus I Papa acta contra S.* Ignatium *resciderit, adeoque eumdem in sede CPolitana restitui jusserit. Sed hujus Papæ decreta tunc primum effectum sortiri suum potuerunt, quando*

C *defuncto die* XXIV *Septembris* 867 *imperatore Michaele III, cognomento Ebrioso, Basilius Macedo imperii gubernacula suscepit : Nicolaus autem Papa ante mortem suam, quæ eodem anno die* XIII *Novembris accidit, vix funestam necem Michaelis, et rerum in Oriente mutationem cognoscere, et multo minus S.* Ignatii *restitutionem, die* XXIII *Novembris ejusdem anni, ut infra videbimus, factam, præscribere potuit. Jure suo S.* Ignatius, *cessante persecutione, a Photio usurpatore mota, ad sedem suam rediit, voluitque, ut, siquidem a pseudosynodo damnatus fuerat, legitima synodus eum restituerat : quod dein sub Adriano Papa II, anno Christi* 869, *in œcumenico concilio* VIII, *CPolitano* IV, *summo omnium consensu effectum est. Quoniam autem Martyrologi Usuardus et Ado ante S.* Ignatium *mortui sunt, ejus mentionem facere non potuerunt, adeoque Sancti nostri laus in solis Auctariis celebratur : nempe in Usuardinis sub die* XIV *Junii, codex Bruxellensis habet :* Item sancti Ignatii episcopi, *unde Sollerius noster quærit;* an CPolitani, qui colitur XXIII Octobris? *Quod affirmare videtur codex Florentinus :* Item sancti Ignatii episcopi et Martyris CP. *Et certe Martyr aliquo sensu dici potest, qui tanta et tam crudelia sustinuit pro Ecclesia Dei tormenta.*

2 *Eadem ac latini die Sancti nostri memo-* *tum græcis:*
riam agit Græca Ecclesia. In Menæis hodiernis legitur : Μνημη του ὁσιου πατρος ἡμων Ἰγνατιου πατριαρχου Κωνσταντινουπολεως. Memoria sancti patris nostri Ignatii, patriarchæ CPolis. *Iisdem verbis utitur Supplementum ad Menæa ms.,* F
quod olim in Collegio Claromontano Parisiis servatum, a Sirmondo nostro e tenebris erutum fuit, cujus apographum exstat in bibliotheca Bruxellensi regia, sub num. 11,324, *cum hac sola lectione variante, quod pro patriarcha dicatur archiepiscopus. Menæa insuper pro more habent distichon :*

Εὑρες μεταστας την παλαιαν ἀξιαν
Ἰγνατιε προεδρε Ῥωμης της νεας.

Quod Siberus (1) *latine reddit :*

In morte jam tua vetustam gloriam
Es nactus, Ignati, Romæ præsul novæ.

Appendix ad Martyrologium Romanum pro Ordine S. Basilii elogium S. Ignatii *ex Romano repetit, nisi quod addat post ejus nomen,* Ordinis S. Basilii : *et Kalendarium Basilianum ejus festum annuntiat his verbis :* Του ἁγ. ἱεραρχ. Ἰγνατιου Τ Ἡ : *id est :* Sancti præsulis Ignatii Ordinis nostri, ταξεως ἡμων. *Menæa breve pro more elogium exhibent, quod tamen, si manuscriptos codices cum excusis conferamus, varium est. Nos idem proferimus ex libro typis*

(1) Eccl. græc. Martyrol. metr. pag. 346.

Venetis

AUCTORE J. V. H.

Venetis anni 1843 *expresso, contenti assignare ex aliis, quæ notabiliter differunt. Eu itaque elogium :* Ὁ ἐν ἁγιοις πατηρ ἡμῶν Ἰγνατιος, ὑιος μεν γεγονε Μιχαηλ βασιλεως, και Προκοπιας της βασιλισσης, ἀδελφος δε Θεοφιλου, και ἐγγονος Νικηφορου του βασιλεως. Εὐνουχος δε γενομενος, εἰτα και μοναχος ἀποκαρεις και ἡγουμενος της του Ἀρχαγγελου μονης του τοτε μεν ἐπικαλουμενον Ἀνατελλοντος, νυν δε Σατυρου · προεχερισθη ἐπειτα πατριαρχης Κωνσταντινουπολεως, και ἐκρατησεν ἐτη ἑνδεκα και μηνας πεντε · και μετα ταυτα ἐξεβληθη ὑπο Μιχαηλ βασιλεως, ἀντ' αὐτου πατριαρχην προβαλεμενου Φωτιον, τον πρωτοσπαθαριον και πρωτοσηκριτην, γενομενον προτερον μοναχον. Εἰτα ἐξεβληθη και αὐτος ὑπο Βασιλειου βασιλεως, και ἀποκατεστη παλιν Ἰγνατιος, και ἐκρατησεν ἐτη δεκα · και παλιν ἐξεβληθη, και ἐγενετο Στεφανος ὁ ἐν ἁγιος. Ὁ δε ἁγιος Ἰγνατιος ἀπελθων ἐν τῃ Σατυρου μονῃ, ἐν ἐιρηνῃ ἀνεπαυσατο. *Latine sic sonant verba.*

in quibus per-peram S. Ignatius iterato pulsus dicitur.

3 Sanctus pater noster Ignatius filius fuit Michaelis augusti et augustæ Procopiæ, frater Theophili et nepos Nicephori. Eunuchus factus, monachus attonsus, factus est præfectus monasterii Archangeli, cognomento tunc quidem Orientis, nunc vero Satyri. Patriarcha CPolis ordinatus, Ecclesiam gubernavit annis undecim et quinque mensibus. Postea expulsus a Michaele imperatore, qui ejus loco Photium protospatharium et protosecretarium substituit. Deinde et ipse ejectus fuit a Basilio imperatore et Ignatius restitutus : et quum annis decem Ecclesiam administrasset, quo denuo ejecto, patriarcha factus est S. Stephanus. Ignatius vero in monasterium Satyri se recepit, et requievit in pace. *Menæa bina, quæ manuscripta habemus* (1), *apprime, si duo excipias, quoad sensum cum recitato conveniunt. Etenim addunt, S.* Ignatium *annos* 79 *vixisse, ejusdemque synaxin seu festum agi in dicto Satyri monasterio. Sed alterum gravius est : dicitur enim S.* Ignatius *iterum e sede sua pulsus, illique Stephanus substitutus. Sed id contra fidem historiæ affirmatur; quum ex omnibus antiquis monumentis constet et S.* Ignatium *in sede sua CP. diem obiisse, eique non Stephanum, sed Photium successisse, qui quidem iterato expulsus, locum fecit Stephano anno* 886, *id est novem annis post Sancti nostri obitum. Initio quidem suspicabar, in Menæis excusis integram phrasim, qua restitutio Photii referebatur, excidisse, ita ut dein recte procederet et secunda Photii ejectio et in ejus locum Stephani substitutio : sed istiusmodi conjectura sustineri non potest, nam mox subjungitur secessio S.* Ignatii *in monasterio Satyri,* ἀπελθων ἐν τῃ Σατυρου μονῃ; *quæ verba clare indicant, non mortuum* Ignatium *in monasterium fuisse delatum, sed viventem se illuc contulisse. Quorsum vero iste ab antiquis Menæis deflexus in hodiernis? An ut Photii alterum infortunium obvelaretur?*

Acta a Niceta

4 *Plura quidem in brevi, quod edidimus, elogio animadvertenda occurrunt, sed iis evolvendis nunc quidem supersedemus, quoniam uberius eadem in Vita, inferius danda, explicare poterimus. Vita ista auctorem habet Nicetam Paphlagonem, seu, ut alii dicunt, Davidem Paphlagonem, variorum opusculorum, quorum titulos apud Casimirum Oudin* (2) *videre licet, scriptorem : eumdem episcopum et quidem Dadybrorum in Paphlagonia dixere quidam, nulla auctoritate suffulti. Etenim* Niceta sanctissimus episcopus Dadybrorum *subscriptus legitur actis secundæ synodi Nicænæ anno* 787, *id est annis* 91 *ante Ignatii mortem, celebratæ* (3) : *sed hæc biographo nostro nequaquam convenire possunt, qui annis fere centum episcopalem dignitatem sustinere debuisset, quod credi nullatenus potest, maxime quia neque octavæ synodo, quæ S.* Ignatium *restituit, adfuisse legitur, nec vir jam centum annos habens in episcopatu, tam copiose Vitam conscribere potuisset. Sufficiat igitur de Niceta scire illum fuisse, ut scribit Joan. Albertus Fabricius* (4), *philosophum, historicum et rhetorem, imo etiam monachum; quod conjicio ex eo, quod duplex nomen gerat Nicetæ et Davidis : consueverant enim monachi nomen, in sæculo gestum, mutare, ut in* Ignatio *nostro infra monstrabimus. Nicetam porro coævum fuisse rebus gestis, quas narrat, unanimis est eruditorum sententia, si Walchium in sua Bibliotheca Patristica excipias, dicentem Nicetam* sæculo XI clarum (5) : *sed scholiastem S. Gregorii Nazianzeni, Nicetam, Serrarum primum episcopum, dein Heracleensem in Thracia metropolitam qui revera sæculo* XI *floruit* (6), *cum homonymo Paphlagone confudisse videtur.*

coævo conscripta;

5 *Cæterum ipse liber de vita S. Ignatii ætatem suam manifestissime prodit. Nam et post annum* 879 *quo Constantinus Cæsar, Basilii Macedonis filius, obiit et ante annum* 886, *quo iterato expulsus fuit Photius, conscriptus est. Constantini cæsaris præmaturam mortem, et cladem Syracusanam, quæ anno* 878 *contigit, adducit Niceta biographus tamquam pœnam, Photianæ impietati inflictam, hisce verbis num.* 65 : Has et his deteriores ob causas venit ira Dei super filios diffidentiæ. Subito namque imperatori filius et carissimus et natu maximus, Constantinus, est ereptus... Deinde etiam magna Syracusanorum civitas horrenda clade periit insulaque omnis et cuncta oppida et agri hostili manu fœde etiamnum hodie vastantur, diripiuntur et pessumdantur. *Constantinus porro diem suum obiisse dicendus est anno* 879; *siquidem epistola Joannis Papæ VIII, a Photio mutilata, inscribitur mense Augusto, indictione* XII, *seu anno* 879, *imperatoribus* Basilio, Leoni et Alexandro; *omisso nempe Constantini, jam defuncti, nomine* (7). *Similiter Syracusana direptio contigit, ut monstrat Muratorius* (8), *anno* 878; *nam constat ex Chronico Sarracenico-siculo captam Syracusam* vicesimo primo mensis Maji, feria quarta (9); *quum vero litera dominicalis anni* 878 *fuerit E, dies Maji vigesimus primus in feriam quartam incidit. Sed neque post annum* 886, *quo iterato e sede CPolitana ejectus fuit Photius, scripsit biographus Nicetas, certo certius non omissurus pœnam et infamiam Photio, quem in decursu operis omnimode exagitat, inustam, si id ante absolutionem lucubrationis contigisset. Itaque nihil temere asserimus, dum opus Nicetæ anno circiter* 880 *alligamus; ex quo proinde*

(1) Biblioth. reg. Brux. num. 11,324, mss. fol. 102 v°. et 142. — (2) Comment. de scriptt. eccles. tom. II, col. 214. Cfr Aubert. Miræi Auctarium de scriptt. eccles. pag. 42 in Biblioth. eccles. — (3) Labbe tom. VII Conc. col. 146. — (4) Biblioth. græc. tom. VII, pag. 747. Edit. Hamb. 1802. — (5) Biblioth. Patrist. pag. 61 et 377. Edit. Jenen. Danzii an. 1834. — (6) Fabric. Biblioth. græc. tom. VIII, pag. 431. (7) Labbe tom. IX Conc. col. 134. — (8) Annali d'Ital. tom. V, pag. 135. — (9) Muratori. scriptt. rer. Ital. tom. I, Part. II. pag. 245.

consequitur

A *consequitur biographum coævum fuisse, et idoneum testem eorum quæ scripsit.*

latina eorum versio hinc inde reformanda:

6 *Nicetæ biographiam e græco latinam reddidit Federicus Metius sodalis, ut videtur, Oratorii Romani, utpote quem suum nominet Cæsar Baronius ad annum* 847 § xxxv (1) : Monumentum, *ait,* hactenus latinis incognitum ex græco codice Columnensis bibliothecæ, quæ Sirleti Cardinalis, viri doctissimi, fuit, noster Federicus Metius erutum, in latinum vertens, egregio munere nostros locupletavit annales (2). *Alteram versionem adornavit et libro speciali publici juris fecit Matthæus Raderus, Societatis Jesu* (3) *ex quo dein in varias Conciliorum collectiones defluxit. Diffitendum porro non est, Raderum sæpius, quam par est, latina etiam phrasi nequaquam exigente, a Græco textu discedere. Quamvis autem is non sim, qui velim, græca monumenta, istius maxime ævi, ad verbum latina reddi; quod vix fieri potest, græcis plerumque synonyma et epitheta, non raro otiosa, accumulantibus : verumtamen arbitror, Raderum longius a græco textu, nulla*

B *necessitate cogente, deflexisse, imo sensum quandoque expressisse non accurate satis. Nihilominus Raderianam versionem, utpote vulgatiorem, dabimus, usuri tamen Metiana, quoties opus fuerit; neque lectorem monebimus, ne nimium propter istiusmodi leviores mutationes, annotationum numerus cum fastidio lectoris excrescat.*

nascitur Sanctus anno 798;

7 *Chronologicam vitæ S.* Ignatii *seriem ordinaturis, ante omnia nobis quædam temporum momenta statuenda sunt, ex quibus reliqua deducere nobis liceat: duo autem occurrunt certa, nempe monachatus ejus, quando factus est annos quatuordecim : dein ejus expulsio e sede CPolitana, postquam annos undecim, menses quatuor, dies viginti thronum patriarchalem occupasset. Quod ad prius spectat, scilicet ætatem, qua monachatum professus est S.* Ignatius, *id limpide declarat Nicetas biographus num.* 2 : quatuordecim vero annos factus, τεσσαρεσκαιδεκαετης γεγονως, et ipse monachum induit. *Quum igitur Michael imperator, S.* Ignatii *pater, expulsus et cum tota familia attonsus fuit anno* 813, *consequitur Sanctum nostrum*

C *natum esse anno* 798 *aut* 799; *et quidem mihi præplacet annus natalitius* 798, *quia, ut Vita docet num.* 55, *octogenarius obiit, quod magis cum anno emortuali, quem infra investigabimus, concordat. De anno autem, quo præfecturam monasterii suscepit, nihil definiri potest. Dicit quidem Nicetas num.* 7, patre et pædagogo e vita sublatis, statim fratrum Ignatio animarumque curam et præfecturam commissam fuisse : *sed vox* pater *de Michaele, olim imperatore, intelligenda non est : utpote qui annos triginta duos post assumptum monachatum vitam protraxerit suam, adeoque anno* 845 *obierit; scilicet uno solum anno antequam thronum patriarchalem conscenderet filius ejus S.* Ignatius; *cujus res, in monasterii præfectura et presbyteratu gestæ, arcto unius anni spatio concludi non possunt. Adeoque patrem et pædagogum, quorum nomina hactenus ignorantur et tempus mortis incertum est, illos intelligo viros, qui monachicæ vitæ S.* Ignatii *institutores, suam hereditatem sanctissimo discipulo reliquerunt.*

episcopus factus anno 846,

8 *Alterum momentum chronologicum invenimus in Libello synodico scriptoris coævi* (4) : Ignatium, *obtendebat Photius,* qui annos undecim, menses quatuor, dies viginti, thronum patriarchæ occupasset, electum numquam fuisse. *Inquirendum igitur est in annum ejectionis S.* Ignatii, *ut inde ad annum et diem ejus ordinationis deveniamus. Bollandus noster in Actis S. Theodoræ, imperatricis CP, ad diem* xi *Februarii, dicit* (5) *S.* Ignatium *a sede sua pulsum fuisse* mense Novembri anno 858. *Sed huic chronotaxi merito contradicit Pagius in Critica Baronii ad annum* 858 § xi. *Nam S. Theodora e solio deturbata et attonsa fuit, postquam, ut habet Nicetas noster num.* 39, *cum filio Michaele, annos quindecim, menses octo, imperium gubernasset,* nec multo post, *ait idem biographus num.* 15, Ignatium patriarcham depulit. *Jam vero Theodora una cum filio Michaele imperii administrationem occepit die* xx *Januarii* 842, *cui si addantur anni quindecim et menses octo devenimus ad mensem* E *Septembrem anni* 857 : *et quoniam non* multo post *S. Theodoræ attonsionem, S.* Ignatius *e sede ejectus fertur, incurrimus in mensem Novembrem ejusdem anni; a quo per* undecim annos, menses quatuor, dies viginti *retrocedendo, incidimus in diem* iv *Julii* 846, *quæ dominica erat* (*anno litera dominicali* C *notato*) *adeoque apta celebrandæ juxta antiquum morem ordinationis episcopalis. Diximus supra ex Bollando sacrilegam depositionem Sancti mense Novembri accidisse ; et id recte : nam Nicetas num.* 42 *dicit :* Dies erat dominica, tertia et vigesima Novembris, qua etiam prius in exsilium pulsus erat, qui Dei præsidio et clementia completam completorum novem annorum ex virtutis certamine lauream adeptus, Ecclesiæ suæ throno restituitur. *Subest tamen error nempe pro novem* ἐννεα *annis legendum est decem* δεκα, *quatenus ab anno* 857 *ad* 867 *ab episcopatu cessaverit S.* Ignatius. *Unde miror Pagium ad an.* 867 § xv, *quem secutus est Cuperus noster in sua Historia Chronologica Patriarcharum CP. num.* 643 (6) *dixisse per* undecim annos utrimque incompletos *absque* F *pontificatu vixisse.*

circa tempus obitus, varia est sententia,

9 *Circa annum emortualem S.* Ignatii *variantur sententiæ. Baronius, Alb. Butler ad hunc diem et nuperus biographus Photii canonicus Jager* (7) *dicunt Sanctum obiisse die* xxiii *Octobris anni* 878 : *alii vero admittunt sine ambiguitate diem* xxiii *Octobris, sed anno citius mortem statuunt, id est* 877 : *et hi quidem meo judicio rectius. Hujus sententiæ patroni sunt Pagius ad annum* 878 § xi *et Cuperus noster in Historia patriarcharum CP. num.* 655 (8). *Qui priorem opinionem emiserunt, nullam quidem suæ chronotaxis rationem reddiderunt; ast posteriores validis rationibus, ex Niceta desumptis, sententiam contrariam firmaverunt. Etenim Nicetas num.* 55, *totum patriarchalis dignitatis tempus complectens, dicit :* Ergo Ignatius iterum patriarcha, decennio præfuit : tricennio autem, pauloque amplius universe magnus antistes solium tenuit; et

(1) Cfr Fabric. Biblioth. græc. tom. VII, pag. 749. — (2) Act. SS. tom. VII Sept., pag. 280, num. 3. — (3) Ibid. l. c. — (4) Labbe tom. VIII Conc. col. 653. — (5) Act. SS. tom. II Februar., pag. 566, num. 88. — (6) Act. SS. tom. I Aug., pag. 110*. — (7) Hist. de Photius pag. 259. Edit. Lovan. 1845. — (8) Act. SS. tom. I Aug., pag. 112*.

octogenarius

AUCTORE J. V. H.

octogenarius in pace... profectus est, Δεκα μεν οὐν ἐτη το δευτερον, τα παντα δε τριακοντα και μικρον τι προς, ὁ μεγας ἀρχιερατευσας Ἰγνατιος· ὀγδοεκοστον δε ἠδη γεγονως ἐτος ἐν εἰρηνη... ἀνεληφθη. *Quoniam vero restitutionem S.* Ignatii *supra anno* 867 *illigavimus, consequens fit, ut annum obitus in annum* 877, *quo decennium, uno minutum mense, absolvitur, reponamus. Neque suspicari licet in numero decem annorum, a Niceta allegato, aliquid erroris obrepsisse; nam idem biographus paulo infra num.* 59, *agens de Photio,* decennale *ei attribuit exsilium :* Toto, *inquit,* illo decennali exsilio infinitas technas adversus Sanctum molitus est. Παντα δε τον δεκαετη χρονον της ὑπεροριας, μυριας κατα του ἁγιου κακανοιας κινων.

nobis præplacet annus 877.

10 *Nostra sententia ex eo etiam confirmatur, quod, ut dicit Nicetas num.* 65, *in pœnam sacrilegæ Photii restitutionis Syracusana capta fuerit a Sarracenis : id autem, ut supra num.* 5 *ostendimus contigit die* vicesimo primo mensis Maji, feria quarta *anni* 878, *adeoque post mortem S.* Ignatii, *siquidem Photius sedem CP. jam occuparet. Duo tamen sunt quæ sententiæ nostræ opponi possunt. Imprimis Zonaras Annal. lib.* XVI *cap.* 8, *annos* undecim *Sancto post ejus restitutionem adscribit : sed scriptor sæculi* XII *prævalere non debet biographo coævo, et siquidem tam facilis est error in numeris enuntiandis, non est cur istiusmodi lapsus Zonaræ tribui non possit. Nam quod Pagius ibidem* § XI *dicit de annis Julianis, non intelligo, quoniam anni Juliani, quales Julius Cæsar eosdem ordinaverat, vix a vulgaribus differunt; quum post annos plus mille et sexcentos, id est usque ad Gregorianam kalendarii reformationem anni* 1582, *decem solum diebus a vero calculo distarent. Quod si Pagius per annos Julianos lunares intelligat, quos Sanclementius Pompilianos appellat* (1), *tunc, quoniam epacta seu differentia anni solaris et lunaris est numero rotundo dierum undecim,* Ignatius *noster decem annis, tribus mensibus et viginti circiter diebus a restitutione sua sedem CP. occupasset. Sed satis est conjecturæ meræ. Alterum est, quod opinionem nostram infirmare posset; nempe ab eodem Niceta dici, S.* Ignatium *universim per annos triginta sedisse; quum ordinatus, ut supra vidimus, die* IV *Julii anno* 846, *potius totis triginta et uno annis, tribus mensibus et diebus viginti thronum CP. occupasse dicendus sit. Sed hæc difficultas patronis contrariæ sententiæ nullatenus favet, ut quæ faciat ut magis ad annum* 876 *retrocedere deberemus. Dein Nicetas qui decennium, licet, ut supra animadvertimus, uno mense imminutum, tamen solidum posuit, agens porro de tricennio pontificatus anno, addit* pauloque amplius και μικρον τι προς; *quæ verba non tam de mensibus, quos negligit biographus, sed de anno etiam integro interpretari pronum est.*

§ II. Controversia inter summos Pontifices et S. Ignatium circa jus patriarchicum in Bulgariam.

Controversia circa jurisdictionem, quæ quandoque innocue agitari potest,

Atque hic commentandi, biographo Niceta omnia accuratissime et minutim enarrante, nobis finis esset, nisi nœvum quemdam S. Ignatii *silentio tegere voluisset biographus. Nempe inter Romanos Pontifices et Sanctum nostrum exarserat gravis controversia circa jurisdictionem in Bulgaros, recens ad fidem conversos, exercendam. Utrinque enim contendebatur regionem, Bulgaris attributam, ad suum pertinere patriarchatum. Bulgari seu Vulgari nomen suum a Volga, Moscoviæ flumine, quod accolebant, mutuati dicuntur* (2) : *gens ferox, bellicosa, christiano nomini infesta, paulatim tamen sua cum Europæis consuetudine mitescere cœpit, ac tandem sæculo nono, ultra medium provecto, christianam fidem amplexa est. Jam sæpius egerunt nostri majores de gentis istius conversione, præsertim in Actis SS. Cyrilli et Methodii ad* IX *Martii* (3) *et in Dissertatione de conversione et fide Russorum, a Stiltingo nostro lucubrata* (4) ; *ut hic eadem recudere opus non sit : maxime quum speremus, e monumentis Slavicis novam Vitam SS. Cyrilli Methodii adornandam in opere nostro brevi proditurum. Hic igitur singulare momentum exponemus controversiæ, quæ juridictionem spiritualem attingens non raro inter viros etiam sanctissimos lites excitat; dum utrinque ea mentibus opinio insidet, debere quemque jura sibi credita omni ope vindicare. Nec quidpiam sanctitatis ex istiusmodi litigatione decrescit, dum utraque pars se officium suum satagere sibi persuadet : sic viros, integritate et sanctitate claros, disceptasse de jure sibi competenti, non raro tradit nobis historia ecclesiastica* (5).

exponitur ex Gulielmo Bibliothecario:

12 *Summarium totius controversiæ optime, meo judicio, exponit Gulielmus Bibliothecarius, sæculi* XI *scriptor, qui Anastasii, pariter Bibliothecarii et in præsenti quæstione actoris, Vitas Romanorum Pontificum, ab Adriano II exorsus, continuavit* (6). *Ipsa dialogi forma satis monstrat, Gulielmo præluxisse antiquum documentum, forsan ab Anastasio conscriptum. En verba* (7) : Post diem tertium, quo sacratissima Synodus (*CPolitana, OEcumenica VIII, anno* 869 *celebrata*) cum suis scriptionibus omnino in codice consummata retractataque ad omnem elegantiam in ecclesiæ Sanctæ Sophiæ fuerat, ab imperatore in domo cum vicariis patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano, simulque patriarcha Ignatio, qui cum aliquibus ibi residebat, callide convocati (*legati sedis apostolicæ*) sedere jubentur, et quod principes Bulgarorum eis litteras et dona per Petrum aliosque direxerint, audiunt. Quorum legationem, imperatore potissimum imminente, suscipiunt : sicque post salutationem Petrus, Bulgarorum legatus, exorditur : Domnus Michael, princeps Bulgarius, audiens, quod pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ ex diversis partibus auctoritate apostolica conveneritis, gratanter accepit, vobisque, qui ex sede apostolica

(1) De æræ vulgar. emendat. pag. 485. — (2) Stritter-Memoriæ Hist. tom. II, pag. 441. Act. SS. tom. II Mart., pag. 13*, num. 3. — (3) Act. SS. tom. II Mart., pag. 13*, num. 3. — (4) Act. SS. tom. II Sept., pag. IV. — (5) Act. SS. tom. V Maji, pag. 251*, num. 11 et tom. VII Octob., pag. 1063, num. 41. — (6) Ceillier. Hist. des Aut. Eccles. tom. XX, pag. 602. — (7) Migne. Patrol. tom. CXXVIII, col. 1391.

A stolica missi estis, quia in vestro transitu vestris eum litteris visitare dignati estis, multiplices gratias agit. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Nos, quia vos filios sanctæ Romanæ Ecclesiæ novimus, insalutatos vos præterire neque debuimus, neque voluimus, quos nimirum sancta sedes apostolica ut propria membra complectitur.

episcopi græci suam dicunt Bulgariam,

13 Bulgarorum legati dixerunt: Usque hodie pagani fuimus et nuper ad gratiam christianitatis accessimus. Ideoque ne in aliquo errare videamur, cui Ecclesiæ subdi debeamus, a vobis, qui vices summorum patriarcharum geritis, nosse desideramus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui per te, o Petre, tuus Senior Beato Apostolorum principi Petro cum omni gentis suæ regno se tradidit, a cujus successore, videlicet egregio Papa Nicolao, et præcepta vivendi et episcopos ac presbyteros suscipere meruit, vos et pertinuisse et pertinere debere etiam in eo monstratis, quod postulatos nostros sacerdotes et
B suscepistis et hactenus veneratione congrua retinetis. Bulgarorum legati dixerunt: A Sancta Romana Ecclesia sacerdotes nos petiisse et suscepisse et hactenus habere nos confitemur, et ei in omnibus obedire decernimus; verum utrum Romanæ an Constantinopolitanæ Ecclesiæ rationabilius subdi debeamus, cum his patriarcharum vicariis definite. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Propter quæ nos sancta sedes apostolica cum Orientalibus definienda mandaverat, Domino juvante, finivimus: de causa autem vestra, secus quam definita est, finienda, quia nihil in mandatis accepimus, nihil vel definimus, vel in præjudicium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ definiendum censemus. Quinimo quia omnis vestra patria nostris sacerdotibus ubique plena est, nulli vos nisi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinere debere, definitiva sententia, quantum ex nobis est, promulgamus.

quia in ea sacerdotes græci:

14 Vicarii Orientalium patriarcharum Bulgaris dixerunt: Quando vos illam patriam cepistis, cujus potestatis subdita erat, et utrum latinos an græcos sacerdotes habuerit, dicite?
C Legati Bulgarorum dixerunt: Nos illam patriam a græcorum potestate armis evicimus, in qua non latinos, sed græcos sacerdotes reperimus. Vicarii Orientalium responderunt: Si græcos sacerdotes ibi reperistis, manifestum est, quia ex ordinatione Constantinopoleos illa patria fuit. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: A græcis sacerdotibus argumentum sumere non debetis, quia linguarum diversitas ecclesiasticum ordinem non confundit: nam sedes apostolica, quum ipsa latina sit, in multis tamen locis pro ratione patriæ græcos sacerdotes et semper et nunc usque constituens, privilegii sui detrimenta sentire nec debet nec debuit. Vicarii Orientalium patriarcharum dixerunt: Etiamsi græcorum presbyterorum ordinationem vestri juris fuisse doceatis, illam tamen patriam græcorum regno pertinuisse, numquam negare poteritis. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sicut Bulgariæ nobis diverso modo pertinere ordinationem dicentes, mendacium non loquimur; ita nimirum eamdem Bulgariam ex Græcorum regno fuisse, numquam negamus. Sed intueri vos decet, quia aliud ordinant jura sedium, aliud patiuntur divisiones regnorum. Nos de divisione regnorum non agimus, sed de jure sedium loquimur.

AUCTORE J. V. II.

refutati a legatis Romanis;

15 Vicarii Orientalium patriarcharum dixerunt: Illud quod vobis diverso modo Bulgariam pertinere dicitis, addiscere volumus. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sedes apostolica, juxta quod decretalibus sanctissimorum Romanorum præsulum doceri poteritis, utramque Epirum, novam videlicet veteremque, totamque Thessaliam atque Dardaniam, in qua et Dardania civitas hodie demonstratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonice ordinavit et obtinuit. Ac per hoc ordinationem, quam tunc paganorum Bulgarorum irruptione omiserat, non a Constantinopolitana Ecclesia modo, ut fingitur, abstulit, sed ab his factis ipsa Christianis recepit. Secundo modo, quia Bulgares, jure gentili sibi patriam subjugantes, eam per tot annos retinent, quod ceperunt, sedis apostolicæ E
semet, ut superius diximus, patrocinio ordinationique specialiter committentes, nobis debent nec immerito subjici, quos ultronea voluntate magistros elegere. Tertio modo quia eosdem Bulgares sancta sedes apostolica, jussu quondam sanctissimi Papæ, Domni Nicolai, tam per aliquot nostrum, qui hic sumus, et illic multas ecclesias dedicantes, sacerdotes creavimus, quam per Paulum, Dominicum, Leopardum ac Formosum, venerabiles episcopos, sed et Grimoaldum coepiscopum nostrum, quem hactenus iste* Bulgares cum multis nostris sacerdotibus in conspectu nostro habere se fassi sunt, a diversis erroribus ad catholicæ fidei veritatem multo sudore, Christi gratia præduce, transferens, ecce ultra triennium tenuit, tenet, ordinat ac disponit. Ideoque consequens non est, ut sine conscientia Romani summi Pontificis Ecclesia Romana, de quibus præsentialiter vestita cernitur, spolietur.

* isti vel istic?

obedientiam promittit S. Ignatius.

16 Vicarii Orientalium patriarcharum dixerunt: At quem istorum modorum modo dispensare velitis, edicite. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sancta sedes apostolica vos, quia revera inferiores estis, super sua causa judices nec eligit, nec per nos elegit, utpote quæ de omni Ecclesia sola specialiter fas habeat judicandi; sed neque nobis de hac causa sententiam proferre commisit. Quapropter quod ab ea faciendum non accepimus, ejus cognitionis judicium, ei qui librorum multiplicitate ad defensionem sui multa proferre prævalet, ex integro reservamus; a qua omnis vestra sententia tanta facilitate despicitur, quanta levitate profertur. Vicarii Orientalium patriarcharum dixerunt: Satis indecens est, ut vos, qui græcorum imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in regno nostri principis ordinandi jura servetis. Quapropter Bulgarorum patriam ex Græcorum potestate dudum fuisse et græcos sacerdotes habuisse comperimus, Sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, a qua, quia per paganismum recesserat, nunc per christianismum restitui judicamus. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ clamantes dixerunt:

AUCTORE J. V. H.

Sententiam, quam non electi neque admissi, sive tumore seu gratia, vel quidquid illud est, modo præcipitastis potius, quam protulistis, auctoritate Sancti Spiritus, usque ad definitionem sanctæ sedis apostolicæ omnino rescindimus, ita ut nullo modo vel nomen sententiæ habere mereatur. Teque adjuramus, patriarcha Ignati, auctoritate Sanctorum Apostolorum principum, coram Deo suisque Angelis, omnibusque præsentibus, ut secundum hanc epistolam sanctissimi restitutoris tui, domni Hadriani, summi Pontificis, quam tibi ecce offerimus, industriam tuam ab omni Bulgariæ ordinatione immunem, nullum tuorum illuc mittendo, custodias; ne sancta sedes apostolica, quæ tibi tua restituit, per te sua perdere videatur. Quin potius, si, quod non credimus, justam te habere quærimoniam æstimas, Sanctæ Ecclesiæ, restitutrici tuæ, solemniter suggerere non omittas. Tunc patriarcha Ignatius apostolicam epistolam suscipiens, licet magnopere monitus, eam legere distulisset, respondit: Absit a me, ut ego his
B præsumptionibus contra decorem sanctæ sedis apostolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi surripi valeat, nec ita seniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo, ipse omittam. Hoc fine collocutio illa finita est.

Nihilominus Bulgaria jam per Photium occupata,

17 *Porro S.* Ignatio *exsulante, et usurpato per Photium patriarchali CPolis solio, conversionem Bulgarorum accidisse extra controversiam est; sive nunc epocha baptizati regis Bulgari anno* 861, *ut vult Pagius in Critica Baronii ad annum* 866 § 1, *sive anno* 864 *secundum Joannem Dominicum Mansi, ut ibidem notatur, illigemus. Et certe ipse Photius gloriatur conversione Michaelis, principis Bulgarorum, quam sua opera effectam dicit; quapropter in epistola, ad illum directa, eumdem dicit,* laborum suorum eximium ornamentum, *καλον ἀγαλμα των ἐμων πονων; et infra,* partus sui spiritualis verus et genuinus fœtus, *των ἐμων πνευματικων ὠδινων εὐγενες̀ και γνησιον γεννημα. Et quidem occasionem conversioni Bulgaricæ commercium cum CPolitanis præbuisse, satis probabile est, si vera narrent Cedrenus* (1) *aliique;*
C *nempe soror regis Bulgarorum CPolim captiva abducta, in aula imperatoria christiana doctrina imbuta fuerat; vicissim Theodosius, cognomento Cupharas, in Bulgaria captivus semina quædam pietatis in animos barbarorum jacere fuerat conatus: succedente tempore rex animum suum ad christianam religionem inclinavit, et CPoli, ubi frequens erat illi negotiorum consuetudo, arcessivit, qui se populumque suum in fide christiana instruerent. Cedrenus addit, Photium ad baptizandum missum fuisse. Id credo fundamentum arrogandæ in Bulgaros jurisdictionis. Verum rex Bulgarus, prius Boggoris, a baptismo Michael dictus, mense Augusto, indictione* XIV, *seu anno* 866 *suos legatos ad Papam Nicolaum I misit,* donaque, *ait Anastasius Bibliothecarius in Vita S. Nicolai* (2), non parva tam sanctis locis quam eidem summo pontifici contulit, suggerens ejus apostolatui, quid se facere salubrius oporteret, vel quid erga reliquum Bulgaricum adhuc baptismo sacro carentem populum, ut fidei sacramenta perciperet, agi deberet. *Nicolaus itaque in* D
Bulgariam direxit episcopos Paulum Populoniensem et Formosum Portuensem, qui rem ecclesiasticam apud Bulgaros constituerunt.

reclamante quidem S. Nicolao Papa,

18 *Et vero Nicolaum Papam jus suum in Bulgaros servatum voluisse, monstravit ejus responsa ad Consulta Bulgarorum, qui imprimis petierant sibi ordinari patriarcham: respondet Pontifex id pendere a multitudine Christianorum;* interim, *inquit* (3), episcopum habetote, et quum incremento divinæ gratiæ christianitas ibi fuerit dilatata, et episcopi per singulas ecclesias ordinati, tunc eligendus erit inter eos unus, qui, si non patriarcha, certe archiepiscopus ordinandus sit. *Ex his liquet, Bulgaris mentem non fuisse, ut sedi se CPolitanæ subjicerent; patriarcham, qualem petebant, alii patriarchæ subordinari non decebat; quod etiam sequenti responso confirmat Nicolaus, dicens, minus a majori esse benedicendum* (4); *sed* propter longitudinem itineris, *permittit ut archiepiscopus electus ab episcopis constituatur; ea tamen lege, ut neque in throno sedeat, nec quidpiam præter corpus Christi* E
consecret, priusquam pallium a sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes et Germaniæ et aliarum regionum archiepiscopi agere comprobantur (5). *Imo interrogatus Papa,* quot sint veraciter patriarchæ, *respondet* (6): Veraciter illi habendi sunt patriarchæ, qui sedes apostolicas per successiones pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt Ecclesiis, quas Apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet et Alexandrinam et Antiochenam..... Constantinopolitanus autem et Jerosolymitanus antistites, licet dicantur patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, quantæ superiores exsistunt. Nam Constantinopolitanam Ecclesiam nec Apostolorum quisquam instituit, nec Nicæna Synodus, quæ Synodis celebrior et venerabilior est, ejus mentionem aliquam fecit: sed solum quia Constantinopolis Nova Roma dicta est, favore principum potius, quam ratione patriarcha ejus pontifex appellatus est. *Ex his manifestissime habemus, Nicolaum Papam numquam sancivisse jurisdictionem, in Bulgariam arrogatam ab episcopis CPolitanis, utpote quos ne inter veri nominis* F
quidem patriarchas annumeraret.

qui jus RR. PP. demonstrat,

19 *Et vero ipsam Bulgariæ regionem, olim Dardaniam dictam, ad patriarchatum Romanum pertinuisse, ipsi græci tacendo consentire videntur. Nam in supra citata collatione legatorum cum vicariis patriarcharum Orientalium, hi quæstionem topographicam, nempe utrum Bulgarica regio intra fines patriarchatus Romani contineretur, non attingunt, contenti obtendere græcos sacerdotes Bulgaris ministros fuisse christianitatis: quam rationem repellunt legati, dum dicunt* sedem apostolicam, quum ipsa latina sit, in multis tamen locis pro ratione patriæ græcos sacerdotes et semper et nunc usque constituisse. *Attamen topographica quæstio, a legatis posita, toti controversiæ imminet: dixerant legati:* Sedes apostolica, juxta quod decretalibus sanctissimorum Romanorum præsulum doceri poteritis, utramque Epirum, novam videlicet veteremque, totamque Thessaliam atque Dardaniam, in

(1) Historiar. Compend. tom. II, pag. 151. Edit. Bonn. — (2) Migne. Patrol. tom. CXXVIII, col. 1374. — (3) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 541. — (4) Ibid. l. c. — (5) Ibid. col. 542. — (6) Ibid. col. 545.

qua

A qua et Dardania civitas hodie demonstratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonice ordinavit et obtinuit. *Argumentum istud omnium fortissimum non attingunt Græci, scientes esse ineluctabile. Etenim Illyricum universum ad Romanum patriarchatum hactenus spectasse negare non audebant. Mortuo quidem Theodosio Magno, imperium Romanum bifariam divisum fuit inter ejus filios, Arcadium et Honorium: Arcadio, cui cesserat Oriens, pars Illyrici, quæ postmodum Orientalis dicta est, obtigit; occidentali Honorio relicta* (1). *Porro Illyrici Occidentalis sex erant provinciæ sub vicario præfecti prætorio Italiæ, nempe Duas Pannonias, Noricum Mediterraneum et Ripense, Saviam et Dalmatiam* (2). *Sed de Illyrico Occidentali nulla nobis controversia.*

quo Illyricum universum patriarchatui Romano tribuitur,

20 *Quod verum Illyricum Orientale attinet, duas diœceses civiles continebat, scilicet Macedoniam versus meridiem, et Daciam ad septentrionem, quæ in suas quoque provincias dividebantur, ut Macedonia complecteretur Achajam,* B *Macedoniam, Cretam, Thessaliam, Epirum utramque et partem Macedoniæ Salutaris; Dacia vero Daciam Mediterraneam et Ripensem, Mœsiam Primam, Dardaniam, Prævalitanam et partem Macedoniæ Salutaris* (3). *Quamvis autem Illyricum Orientale imperio CPolitano attributum esset, mansit tamen sub ordinatione Pontificis Romani, quatenus totius Occidentis patriarchæ. Id aperte profitentur episcopi Macedoniæ in Concilio Romano, sub Bonifacio II anno* 531 *celebrato, in quo Theodosius, Echiniensis in Thessalia episcopus dicit* (4): Constat venerandos sedis vestræ (*Romanæ*) pontifices, quamvis in toto mundo sedes apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, et solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit; specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse. Et nota sunt vobis omnium præcedentium scripta pontificum. *Jubet dein allatas epistolas publice recitari Papa Bonifacius, inter quas occurrit mandatum Siricii, committens curæ Anysii, Thessalonicensis episcopi, universum Illyricum; ita ut sine ejus consensu in Illyrico* C *nullus episcopos ordinare præsumeret* (5) : *eamdem potestatem Anysio continuat Innocentius I* (6), *qui dein defuncto Anysio substituit ejus in sede Thessalonicensi successorem, Rufum, cui* committit curam causasque, si quæ exoriantur, per Achajæ, Thessaliæ, Epiri Veteris, Epiri Novæ, et Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ et Prævali Ecclesias; *adjungitque:* Non primitus hæc ita statuentes, sed prædecessores nostros apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio et Anysio injungi pro eorum meritis ista voluerunt (7). *Eumdem Rufum confirmat variis literis Bonifacius Pp. I* (8). *Sed quum circa hoc tempus episcopi aliqui CPolim versus jam inclinarent, Theodosius imperator Orientis, petente patruo suo Honorio, sancivit, ut* episcoporum per Illyricum subreptione remota, observaretur, quod prisca apostolica disciplina et canones veteres eloquuntur (9). *Sed de his latius ad diem* XXV *hujus mensis, ubi de S. Bonifacio I agendum erit. Quæ omnia dein a pontificibus Cœlestino* (10) *et Sixto III* (11) *confirmata legimus.*

AUCTORE J. V. H.

21 *Sed stabilito in Chalcedonensi synodo can.* XXVIII (12) *patriarchatu CPolitano, cui* diœceses Pontica, Asiana et Thracica, simul et episcopi prædictarum diœcesium, quæ sunt inter barbaros *assignabantur, cœperunt episcopi imperatoriæ urbis dilatare fimbrias suas. Sed hujuscemodi molitionibus fortiter restitit S. Leo Papa variis scriptis epistolis, quibus Anatolii, apostolicæ sedis indulgentia CPolitani episcopi, ambitionem exponit damnatque; sic in epistola ad Marcianum Augustum* (13): Multum, *inquit,* Anatolius episcopus proprio detrahit merito, si illicito optat crescere augmento. Habeat, sicut optamus, CPolitana civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia divinarum; nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis E erit ulla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio et mei favoris assensu, episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem: nec ullo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri. Privilegia enim Ecclesiarum, Sanctorum Patrum canonibus instituta, et venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exsequendo necesse est, me perseverantem exhibere famulatum. *Atque in hoc obsequio, Ecclesiæ Dei præstando, perstiterunt tum ipse Leo, tum ejus successores, præsertim dum CPolitani antistites cristam attollebant. Tandem traducta ad latinos CPolitana sede, Innocentius III in concilio Lateranensi* IV, *anno* 1215, *can.* V (14) *secundum a Romana cathedra locum CPolitano patriarchæ assignavit.*

specialiter excluso patriarcha CP.:

22 *Cæterum quoniam patriarchatus CP., ab episcopis quibusdam Chalcedone erectus, Illyricum nullatenus complectebatur, utpote qui diœcesibus Pontica, Asiana et Thracica circumscriberetur; S. Leo vicem suam per Illyricum Anastasio Thessalonicensi,* secutus, *ait,* eorum exemplum, quorum recordatio est veneranda, *committit, ut scribit ad metropolitanos Illyrici* (15). *Ast serius, Justiniano I imperatore petente, Vigilius Papa vicariatum sanctæ Sedis a cathedra Thessalonicensi ad Justinianam Primam, olim Achridum, post Locridam transtulit, ut habet Novella* CXXXI *cap.* III, *qua sancitur,* beatissimum Primæ Justinianæ, nostræ, *inquit Justinianus,* patriæ archiepiscopum habere semper sub sua jurisdictione episcopos provinciarum Daciæ Mediterraneæ et Daciæ Ripensis et Privalis et Dardaniæ et Mysiæ superioris atque Pannoniæ, et ab eo hos ordinari : ipsum vero a proprio ordinari concilio et in subjectis sibi provinciis locum obtinere

nam RR. Pontt. Illyricum

(1) Farlati. Illyricum sacr. tom. I, pag. 84. — (2) Panciroli. Not. Imp. Occident. pag. 90. Cfr Farlati. Illyr. sac. tom. I, pag. 84 et tom. II, pag. 46. — (3) Panciroli. Not. Imp. Orient. pag. 41. — (4) Labbe, tom. IV, Conc. col. 1699. — (5) Ibid. col. 1701. — (6) Ibid. l. c. — (7) Ibid. col. 1702. — (8) Ibid. l. c. et seq. — (9) Ibid. col. 1710. — (10) Ibid. l. c. — (11) Ibid. col. 1711. — (12) Ibid. col. 769. — (13) Ibid. tom. IV, col. 847. — (14) Labbe, tom. XI. Part. I. Conc. col. 154. Cfr Binterim. Denkwürd. tom. III. Part. II, pag. 236. — (15) Labbe, tom. III, Conc. col. 1720.

AUCTORE J. V. H.

eum Sedis apostolicæ Romæ; secundum ea quæ definita sunt a sanctissimo Papa Vigilio. *Quapropter S. Gregorius Magnus lib.* II *epist.* 23 (1) *scribens ad Joannem, episcopum Justinianæ Primæ dicit :* Pallium ex more transmisimus, et vices vos apostolicæ Sedis agere iterata innovatione decernimus, admonentes, ut ita vos circa subjectos (*id est, omnes Illyrici episcopos, ut satis liquet ex epistola præcedenti*) debeatis exhibere placabiles, ut rectitudinem vestram diligere provocentur potius quam timere. *Atque deinceps, quantum scio, permansit status ecclesiæ Illyricæ, donec Leo Isauricus, anno* 730, *Illyricum Orientale patriarchatui Romano subtraxit ex odio, quod contra Occidentales conceperat, ob eorum in sacrorum imaginum cultu constantiam* (2).

sub sua retinuerunt jurisdictione;

23 *Quapropter Nicolaus I in epistola ad Michaelem imperatorem, data* XXV *Septembris indictione* IX *seu anno Christi* 861, *nulla Bulgarorum facta mentione, petit* (3), *ut, inquit,* antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini, quatenus vicem, quam nostra sedes per episcopos, B vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum Veterem, Epirumque Novam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achajam, Daciam Ripensem, Daciamque Mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam, Prævalim, Beato Petro Apostolorum principi contradicere nullus præsumat, quæ antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cœlestini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis atque Hormisdæ, sanctorum pontificum dispositionibus augebatur. *Ex hisce monumentis manifestum est, Romanis Pontificibus immotum immutatumque stetisse patriarchale jus in universam Illyriam. Sed Photius, sedem CPolitanam nefarie occupans, quando Bulgari ad fidem christianam conversi sunt, spolia tam opima sibi perire passus non est, sed omni contentione conatus est, eosdem ad suas partes traducere, propterea in epistola, ad orientales patriarchas scripta, quam ex Pagii Critica Baronii ad annum* 867 § III *cito, exprobrat Occidentalibus, quod sint* homines ex tenebris prorepentes, *qui* omni C cum fraudulentia a sanis et puris dogmatibus et a fide inculpata christianorum, eos (*Bulgaros*) subdole deducere et corrumpere conabantur.

contra agente S. Ignatio,

24 *Multiplices artes tandem suum sortitæ sunt effectum* (4), *et Bulgari, ait Gulielmus Bibliothecarius in Vita Adriani II* (5), per Orientales Constantinopolitanosque donis ac promissionibus persuasi, Græcos sacerdotes, juxta quod Grimoaldus episcopus (*ab Adriano Papa ad Bulgaros missus*) qui ab his se repulsum fatetur, suscipientes, nostros ejiciunt. *Promiserat quidem, antequam hæc fierent, S.* Ignatius, *se* his præsumptionibus contra decorem Sedis apostolicæ implicandum *non fore* (*supra num.* 16); *sed generalibus usus verbis, non videtur Sanctus obligare se in speciali quæstione de Bulgaris voluisse, aut etiam postmodum meliora edoctum se ratus, a priori sententia recessit. Id certum est, Sanctum nostrum, remotis sacerdotibus, Roma missis, ordinasse Bulgarorum episcopum Theophylactum : de quo facto graviter conquestus est Adrianus Papa in epistola ad imperatores, data* IV *idus Novembris, indictione* V *seu anno* 872 (6) : Favore, *inquit,* vestro frater et coepiscopus noster Ignatius in Bulgarorum regione consecrare præsumpsit antistitem, unde mirati sumus; et quia a pia intentione vestra retro reversi sitis, admodum obstupuimus. Verumtamen saltem nunc jam dictum reverendissimum præsulem ab illius regionis dispositione salubribus monitis, quæsumus, coercete : alioquin nec ipse canonicam effugiet ultionem, nec ii, qui præsulatus vel alterius officii sibi nomen illic usurpant, cum excommunicatione, qua jam tenentur adstricti, etiam proprii gradus jactura carebunt. *Brevi post scriptam epistolam vita functus est Adrianus II; ejusque successor Joannes VIII non destitit vehementer urgere restitutionem diœcesis Bulgarorum patriarchatui Romano : misit enim ad Basilium imperatorem Eugenium Ostiensem et Paulum Anconitanum episcopos, cum epistolis ad Michaelem, Bulgarorum regem* (7), *ad Petrum comitem, qui ejusdem Michaelis legatione in aula CPolitana fungebatur* (8), *ad ipsum imperatorem Basilium* (9), *dein ad S.* Ignatium *ac ad episcopos et clericos græcos, quos Bulgariæ diœceseos invasores appellet. Sed de his postremis epistolis paulo latius.* D E

propterea a Joanne Pp. reprehenso,

25 *Imprimis in epistola ad episcopos et clericos græcos* (10); *Joannes Papa eisdem exprobrat, quod* calcata conscientia terminos æternos, a patribus positos, transtulerint et in alienam messem judicii falcem miserint, in Illyrici provincias... Quia igitur contra sacras multipliciter egisse regulas deprehenduntur, excommunicavit eos et sunt excommunicati. Quisquis ex illis intra triginta dierum spatium cognitæ hujus apostolicæ sanctionis omni Bulgarica regione non cedens, in ea quamlibet ordinationem vel dispositionem patrare ultra prædictum spatium obstinate præsumpserit; Sanctorum Patrum auctoritate domnique apostolici judicii sententia proprio careat officio, nonnisi resipiscens pœnam evasurus aut veniam aliquo modo speraturus. *Non minus severe dictus Joannes Papa cum S.* Ignatio *agit. Incipit autem epistolam suam* (11) *dicendo, tertio jam commoneri* Ignatium, *et in memoriam revocatis beneficiis a Sede apostolica eidem collatis, præcipit, ut* strenuos viros in regionem Bulgarorum dirigat, qui per totam patriam peragrantes, quoscumque illic repererint, qui ab ipso Ignatio aut a subjectis ejus consecrationis munus accepisse dicuntur, sine quavis dilatione reducant : ita ut intra triginta dierum spatium nullus episcopus, nullus omnino clericus, qui tuæ, inquit, ordinationis, imo inordinationis sunt, intra omnes Bulgarum fines inveniatur. Non enim patimur, eos, quos ibidem tu illicite constituisti, quos et ab apostolica esse jam Sede hujus rei gratia constat excommunicatos, errore suæ prævaricationis corda novorum Domini famulorum inficere; quos videlicet in fide instructionis manu plantavimus et aqua salutaris fontis doctrinarum rigavimus, atque horum F

(1) Migne. Patrol. tom. LXXVII, col. 558 — (2) Cfr Pagii Crit. Baron. an. 730 § XI. — (3) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 275. — (4) Ibid. col. 971 et seq. — (5) Migne. Patrol. tom. CXXVIII, col. 1395. — (6) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 1174. — (7) Labbe, tom. IX. Conc. col. 59 et 62. — (8) Ibid. col. 61. — (9) Ibid. col. 66. — (10) Ibid. col. 65. — (11) Ibid. col. 63.

auctori

A auctori Deo ad incrementum spiritus dandum, ut sit ipse in omnibus primatum tenens, obtulimus. Porro si intra triginta intervalla dierum omnes, quos vel tu vel episcopi tui consecrasse in aliquo gradu putantur Ecclesiæ, totius regionis Bulgaricæ terminis non eduxeris, et temetipsum ab omni ecclesiastico illius jure diœceseos non subduxeris, tamdiu sancto corpore et pretioso sanguine Domini nostri Jesu Christi post duos menses, a die numerandos, qua hujus epistolæ tomum acceperis, esto privatus, quamdiu his obstinatus decretis nostris minime obedientiæ colla submiseris. Jam vero si pertinaciter in hac indisciplinatione atque pervasione permanseris, et quotquot illic vel illi vel tu consecrasse videris, foras illinc minus expuleris, Omnipotentis Dei judicio et Beatorum Apostolorum principum auctoritate, nostræque mediocritatis sententia, omni patriarchatus esto dignitate, quam favore nostro receperas, alienus et exsors, nullo penitus summi sacerdotii privilegio præditus vel potitus.

sed semper resistente ;

26 *In citatis hactenus epistolis duo animadvertenda occurrunt. Nempe omnes epistolæ scriptæ feruntur mense Aprili, die* XVI, *indictione* XI, *quæ cum anno vulgari* 878 *concurrit. Supra autem num.* 9 *ostendimus obitum S. Ignatii anno* 877 *illigandum esse : quapropter aliquem in indictione notanda errorem irrepsisse suspicamur, quoniam, ut animadvertunt Chronologi Mauro-benedictini* (1), *sæpissime indictiones fallunt. Vix autem admittere possum, Joannem Papam, medio mense Aprili anni* 878 *scribentem, ignorasse Sancti nostri mortem, quæ mense Octobri præcedenti acciderat; erat quidem commeatus CPolitanus, hiberno præsertim tempore, difficilis; non crediderim tamen semestre spatium itineri faciendo fuisse necessarium, nisi quid cursoribus præter ordinem accidisset. Alterum notatu dignum id est, quod Joannes S.* Ignatio *minetur amissionem patriarchalis dignitatis, cujus, si obedire recusat, exsors futurus est. Diximus supra num.* 21, *patriarchicum jus primo a Romanis Pontificibus sedi CPolitanæ tributum fuisse sæculo* XIII *sub Innocentio III. Verum si verba Nicolai I, citata supra num* 18, *attenderimus, facilis erit responsio. Iste enim Pontifex in responsione sua* XCII *ad Consulta Bulgarorum, non omnem antistiti CPolitano abrogat patriarchæ dignitatem, sed ejus cathedram negat esse apostolicam, seu ab Apostolis institutam, quapropter docet eam non esse* tantæ auctoritatis, *sicut Romana, Alexandrina et Antiochena, dein favore principum potius quam Ecclesiæ auctoritate patriarcham ejus pontificem appellari. Primatum tamen CPolitanæ sedis non detrectabant Romani pontifices, id solum vetabant, ne termini antiqui moverentur, et quæ rata habuerat Nicæna synodus destruerentur, videlicet, ne episcopi CPolitani transilirent antiquos et apostolicos patriarchas et secundum a Romano Pontifice thronum in hierarchia ecclesiastica usurparent. Itaque Joannes Papa dum indirecte S.* Ignatium *patriarcham fatetur, nullatenus contrarius est constitutis majorum suorum.*

C

27 *In eo igitur erat S.* Ignatius, *quando obiit, ut quam proxime intorqueretur in illum sententiæ et damnationis pontificiæ fulmen. Sed, ut supra num.* 11 *diximus, ea est indoles controversiarum, ad jurisdictionem ecclesiasticam spectantium, ut salva utriusque partis litigantis sanctitate, magnis animorum motibus quandoque agitentur. Continuis documentis monstravimus supra, Dardaniam seu Bulgariam regionem ad patriarchatum Romanum perpetuo attinuisse: sed S.* Ignatius *sciens, græcos sacerdotes, quorum proinde ordinatio e græco fonte derivanda esset, inter Bulgaros sacro ministerio vacare, credebat sui esse officii gentem, quam græci sacerdotes ad fidem catholicam traduxerant et hactenus excolebant, sub sua retinere jurisdictione, facileque persuadere sibi poterat, Romanum Pontificem, falsis quorumdam relationibus deceptum, injuste sibi tribuere voluisse, quod ad suum patriarchatum non pertinebat. Et vero istiusmodi controversias inter sanctissimos viros exarsisse, frequens in historia exemplum demonstrat. Pro monasterii Fuldensis jurisdictione acriter certarunt SS. Lullus et Sturmius* (2): *pro sede sua Eboracensi in Anglia S. Wilfridus non graves solum lites, sed acerbas persecutiones sustinuit a SS. Theodoro et Brithwaldo, Cantuariensibus archiepiscopis* (3). *Litis principium erat divisio Ecclesiæ Eboracensis, a S. Wilfrido administratæ, quam S. Theodorus in ternos episcopatus dispertitam volebat: resistebat S. Wilfridus, et interposita ad sedem apostolicam appellatione, vicit Romæ causam suam. Sed sedi suæ restitutus, ecce alium Sanctum, elapso vix quinquennio, adversarium experitur, nempe S. Brithwaldum, S. Theodori in sede Cantuariensi successorem, qui, instigante Northumbrorum rege, Alfrido, Sanctum de sede sua iterum deponit, ita ut Wilfridus iterato Romanum Pontificem adire coactus fuerit. Coluntur hi Sancti, Wilfridus die* XXIV *Aprilis* (4), *Theodorus,* XIX *Septembris* (5) *et Brithwaldus* IX *Januarii* (6).

AUCTORE J. V. H.

quin ejus sanctitati officiat resistentia

28 *Etiam Sanctos in ejus generis quæstionibus quandoque decipi, illustre præbet exemplum S. Bernardus. Gulielmus enim, nepos ex sorore, Stephani Anglorum regis et thesaurarius Ecclesiæ Eboracensis, concordibus suffragiis electus fuerat ejusdem Ecclesiæ archiepiscopus. Sed S. Bernardus, motus querelis abbatum et aliorum, hanc electionem vocat simpliciter intrusionem, intrusumque maledictum dicit, variis præterea epistolis Cœlestinum II, Eugenium III ac Cardinales urget, ut tantum scandalum amoveant* (7): *Gulielmum appellat* (8) publice infamatum, ante judicem accusatum, nec purgatum, imo et convictum, et sic consecratum: *suaque opera efficit, ut Henricus Murdachus in locum dejecti Wilhelmi cathedræ Eboracensi imponeretur. Mortuo post decennium, ut vult Godwinus* (9), *post octennium secundum Alfordum ad annum* 1145 § 16 (10), *post sexennium secundum Monasticon Anglicanum* (11), *Henrico Murdacho, Gulielmus sedi Eboracensi restituitur, et ab Anastasio Pp. IV, ejus olim patrono, pallium recipit* (12). *Dum diuturnam controversiam pervolvimus, quis non suspicetur, Guliel-*

ut variis exemplis monstratur.

E

F

(1) L'art de vérif. les dates, tom. I, pag. XIV. — (2) Act. SS. tom. VII Octob., pag. 1063. — (3) Act. SS. tom. III April., pag. 300 et 307. — (4) Ibid. pag. 292. — (5) Ibid. tom. VI Sept., pag. 55. — (6) Ibid. tom. I Januar., pag. 597. — (7) Migne. Patrol. tom. CCXXXV, col. 422. — (8) Ibid. col. 231. — (9) De Præsul. Angl. Archiep. Eborac. pag. 32. — (10) Annal. Eccl. Angl. tom. IV, Part. II, pag. 37. — (11) Tom. VIII, pag. 1172. — (12) Alford. Annal. tom. IV, Part. II, pag. 63.

mum

AUCTORE J. V. H.

mum istum virum esse mediocris saltem virtutis nec ejuscemodi sanctitatis, ut inter cœlites publica veneratione colatur? Et tamen majores nostri ad diem VIII *Junii*(1) *ejus Acta proferunt, ex quibus patet, S. Gulielmum ante et post mortem miraculis gloriosum exstitisse, et publico cultu per Angliæ Ecclesias fuisse gavisum. Hactenus dicta sufficienter demonstrant, istiusmodi disceptationes neutrius litigantis partis sanctitati officere : unde mirandum non est, S.* Ignatium, *non obstante ejus resistentia, Sanctis, publice colendis, in Romano Martyrologio accensitum fuisse.*

Qua occasione de cultu

29 *Jam sæpe in Actis Sanctorum elucidandis tales occurrunt viri, qui in aliqua peculiari aut gente aut Ecclesia ecclesiastico cultu decorati, prima fronte suspecti hæresis aut schismatis videntur. Quapropter opportunam occasionem nactis operæ pretium fuerit de iis breviter disserere. In Joanne III, episcopo Comensi ad diem* XX *Octobris* (2) *et Octaviano, pariter Comensi ad præsentem diem* (3) *monstratum fuit, illos verisimillime schismati Aquilejensi implicatos, dies obiisse suos. Id frequentius etiam occurrit* B *in Kalendariis et Menologiis Ecclesiarum Orientalium, in quibus recensentur Sancti, de quorum catholica communione dubitari potest. Quod quidem tamquam impedimentum gravissimum habebat Antonius Possevinus noster* (4), *quin umquam Russia Ecclesiæ gremio reciperetur : non enim facile Sanctos sibi surripi pateretur. Sed hæc dixit Possevinus scrupulosius quam verius : quem egregie confutavit Papebrochius noster in Præfatione ad Ephemerides Græco-Moschas* (5). *Enimvero videmus aliquando homines bona fide schismati aut schismaticis adhærentes, etiam miraculis illustrari. Refert Cardinalis Baronius, harum rerum peritissimus, in suis Annalibus ad annum* 1036 § VII, *monachis Cassinensibus, quorum abbas schismati Petri Leonis, seu pseudopapæ sub nomine Anacleti II contra Innocentium II involutus erat, januas ecclesiæ prodigiose apertas fuisse. Miraculo allato sequentia subnectit verba Cardinalis :* At dicet aliquis : Si schismatici erant hi, quomodo miraculo illo apertæ sunt eis spontanee fores ecclesiæ? Dicam breviter, non simul ac abbas vel episcopus aliquis C schismaticus est, necesse est, omnes sibi subditos pariter esse schismaticos, sed illos tantum qui certo sciunt suum errare præsulem : cæteros autem non peccare, qui persuabilibus rationibus putant, ipsum recta incedere via et se verum sequi pastorem : nec tanta inest ipsis doctrina, vel adeo explorata rerum gestarum cognitio, nec facultas exquirendi, cujus sint potiora jura, hosque sua ipsorum bona conscientia reddi crimine liberos. *Addit Papebrochius* (6) : Si hoc valet in tam conjunctis quam sunt cum suo abbate monachi; quanto id magis valere debuit in Moschis, qui lingua moribusque diversissimi a Græcis, plerumque nec sciebant, conjuncti an sejuncti essent Latini et Græci inter se. *Quæ hic de Moschis seu Russis dicitur, pari jure ad gentes Orientales traduci potest.*

Sanctorum, Kalendariis Orientalibus

30 *Dein sicut monachi Cassinenses ab abbate suo, quem schismaticum esse ignorabant, et ut verum pastorem sequebantur cum fructu recipiebant Sacramenta, sic quoque homines rerum ignari et bonæ conscientiæ in partibus Orientis. Controvertitur quidem inter theologos, an homo catholicus possit accipere sacramenta a presbytero aut episcopo, quem certo scit hæresi aut schismati implicatum* (7) ; *neque hujus loci censeo de hac quæstione disputare : sed alia omnino causa est pro illis, qui bona conscientia presbyterum aut episcopum suum, quem ut verum pastorem sequuntur, adeunt et ab eo petunt et accipiunt Sacramenta : pro talibus enim habetur saltem titulus, ut theologi loquuntur,* existimatus *seu qui a fidelibus adesse reputatur. Recipiunt igitur legitima Sacramenta, id est, uberrima sanctitatis subsidia, quorum ope summas virtutes acquirere, adeoque, si Deo placuerit miraculis clarescere possunt. Quia proin aliquis post exortum schisma vixit et Beatorum Catalogo adscriptus est, non continuo expungendus videtur. Et certe quoties in Conciliis actum fuit de concordia inter latinam et orientales Ecclesias, controversæ quæstiones propositæ et compositæ fuerunt, quin unquam* E *tractatum fuerit de reformando kalendario aut officio Sanctorum liturgico. Neque id aut oblivioni aut negligentiæ deputandum est. Nam in Concilio Florentino facta pace inter latinos et græcos, latini de variis ritibus cum græcis collocuti sunt : v. g. de aqua ferventi, calici infusa; de unctione mortuorum etc.* (8). *Quum itaque altum fuerit de cultu sanctorum silentium, existimandum est, Patres Florentinos Græcis suos reliquisse Sanctos : valebat certe tunc Regula juris* 43 *in* 6° Qui tacet, consentire videtur : *multo magis tolerare dicendus est, qui tacuit, quando loqui poterat.*

præsertim Moschis, inscriptorum, agitur.

31 *Tandem notum est et testatur Prosper Lambertini in Opere de Beatificatione et Canonizatione Sanctorum lib.* I *cap.* 10 *num.* 1 *ad Alexandrum usque III seu ad medium sæculum* XII, *episcopalem jurisdictionem beatificandi jure proprio et sine subjectione summi Pontificis auctoritati perstitisse. Quam autem episcopis latinis tribuimus potestatem, orientalibus episcopis denegare non possumus, ut et ipsi cultum personis, sanctitate illustribus, decreverint. In istiusmodi decretis ferendis,* F *quemadmodum episcopi latini errare potuerunt, ita et græci. Nihilominus sedes apostolica hujusmodi cultum ratum sæpe habet, et talis approbatio* beatificatio æquipollens *dicitur, quæ nullatenus sententia infallibilis est : nam ut habet laudatus Prosp. Lambertini lib.* I *cap.* 42 *num.* 9. Litteris apostolicis, *cultum permittentibus,* de more inseritur clausula : Salva tamen in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. *Quæ clausula adjecta ostendit,* Pontifices re vera cognoscere, judicium, cultum permittens, nec esse infallibile nec ad fidem pertinens : quum sacræ Congregationi liberum relinquant, nihil obstante approbatione indulgente ac approbante, novis supervenientibus fundamentis, ab eodem recedere. Uno verbo judicium, in beatificatione æquipollente intercedens, innititur famæ, innititur antiquitati, innititur, ut plurimum,

(1) Act. SS. tom. II Junii, pag. 136. — (2) Act. SS. tom. VIII Octob., pag. 903. — (3) Supra. — (4) De Rebus Moscovit. in libro Moscovia, pag. 7. Edit. 1587. — (5) Act. SS. tom. I Maji, pag. III et seqq. — (6) Ibid. pag. IV. — (7) Cfr Arcadius De Concord. Eccles. Orient. et Occid. Lib. IV, cap. 5. Carô. Soglia Instit. jur. Can. Part II, lib. III, cap. 2, § 235. — (8) Labbe, tom. XIII, col. 523.

A fundamentis seu indultis cultus, quidem non sine magna ratione, attamen causa judiciali jure non cognita factis. *Quod si hæc ita sunt de defunctis, æquipollenter beatificatis, quid arbitrabimur de tot aliis, quorum cultus origo plane incerta est et continuatio numquam probata fuit Sanctæ sedi? Certe Baronius ad an.* 1027 § XII *credidit inter eos non solum esse posse, sed reapse esse aut aliquando fuisse; qui cœlitum honores nullo modo mereantur* (1). *Atque hæc optimo jure tolerat benignissima mater Ecclesia Romana etiam in diœcesibus latinis: quid itaque minus patiens erit in tolerandis, si qui sunt, nævis apud Orientales.*

Cessit tandem Bulgaria sedi CP.

32 *Sed, ut unde digressi sumus, redeamus, mortuo S.* Ignatio, *non destitit Papa Joannes urgere restitutionem Bulgariæ patriarchatui Romano: in ipsis enim literis, quibus Photium CPolitanæ Ecclesiæ præficit, eidem significat* (2): Diœcesim nostram Bulgariam, quam apostolicæ recordationis, sanctissimique domini Papæ Nicolai certamine sedes apostolica recepit, ac Hadriani, æque beatissimi præsulis tempore possederat, summa
B nobis celeritate restitui volumus, et de cætero omnem ordinationem ecclesiasticam ab Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsulibus in eadem diœcesi Bulgarica, auctoritate apostolica amputamus: ipsos autem ordinatos ibidem episcopos et omnes alios inferioris ordinis clericos, ut inde se subtrahant, et ab invasione Bulgaricæ nostræ diœcesis se omnino compescant, decertare procures. *Dum apostolicas literas græce ederet Photius, multa immutavit et omisit; inter cætera in hac institutionis suæ epistola delevit prorsus, quæ ad Bulgaricam diœcesin spectabant. Nec minus fortiter institit Joannes Papa tum apud CPolitanos imperatores, tum apud Bulgarorum regem Michaelem, ut sua Ecclesiæ Romanæ jura sarta tecta manerent. Et imperatores quidem videntur petitioni pontificiæ acquievisse; quandoquidem Joannes eisdem grates multas referat,* quia, *inquit* (3), Bulgarorum diœcesim pro amore nostro gratanti animo Sancto Petro, ut justum erat, permiseritis habere. *Fluctavit autem inter utramque partem Michael, rex Bul-*
C *garorum; nam, ut constat ex Joannis Papæ epistola* (4), *promiserat se Romam legatos missurum; sed fidem non liberavit suam Michael, quoniam neglectæ promissionis arguit eumdem altera epistola Joannes* (5). *Atque demum, conniventibus forsan Romanis Pontificibus, ad sedem CPolitanam derivata est jurisdictio patriarchalis in Bulgariam.*

(1) Cfr Act. SS. tom. VIII Octob., pag. 373. — (2) Labbe, tom. IX, Conc. col. 143. — (3) Ibid. col. 181. — (4) Ibid. col. 206. — (5) Labbe, tom. IX, Conc. col. 212.

NICETA AUCTORE COÆVO.

VITA S. IGNATII,

PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI,

Auctore Niceta, seu Davide Paphlagone coævo, ex tom. VIII Conciliorum Philippi Labbe, S. J.

PROLOGUS.

PROLOGUS.

Præclarum juxta et salutare est, quum cæterorum quidem Sanctorum omnium res in vita gestas exponere et enarrare, posterisque sæculis vitæ documenta, pariterque ad virtutem incitamenta tradere; tum vero maxime eorum, qui fuere prædíti venerando pontificatu, quique suæ vitæ splendore acerbum adversarium ad gravissimam provocarunt invidiam, et cum invicta laborum omnium pa- E
tientia, animique magnitudine fortitudinem contra insectatorem eximiam declararunt. Quod si autem eosdem ad extremam et nostram ætatem proprius accedere contingat, tum vero multo maxime præ cunctis memorandi omnique laude prædicandi sunt, ut qui propter temporum vicinitatem multo magis Ecclesiæ prodesse possint. Quod enim pervetustum est, longisque temporum intervallis remotum, etsi fidem propter scribentis auctoritatem mereatur, desperatur tamen a plerisque studium imitandi, ut qui putent, illis majorum nostrorum sæculis multo promptius fuisse quam nostris cum virtute vivere. Quæ vero nostra memoria recte facta creduntur, illa multo acrius, opinor, piorum mentes ad virtutis decus æmulandum inflammant *a*. *a*
Quapropter ingens me desiderium animi impulit ad causam hanc sive certamen oratione prosequendum, duceque et adjutore Deo, Spiritu veritatis, ostendendum nescientibus, qui vir Ignatius, qualisque et quantus hic antistes et regiæ pastor urbis in vitæ suæ ratione fuerit. Ignatius, inquam, iste qui ævo quidem F
posterior, nostra ætate floruit, prioribus tamen illis venerandis pontificibus nihil vel fide vel confessione vel decertatione pro justitia, laudeve pietatis erga Deum concessit. Hujus ego totum vitæ cursum dum ab ipso exordio ad exitum usque singulari cura exigo, rerum de illo apud nos testatissimarum veritatem sive fama sive scripto acceptarum, sine ulla affectus indulgentia et fraude expono, certo mihi persuadeo futurum, ut primum, teste ipsa vivente ac per se subsistente veritate, æqua perscribam; deinde nubem annorum utcumque multorum intercapedine concretam, animosque tenebris ignorantiæ involventem, discutiam dissipemque: ut qui veritatem penitus perspicere volent, æquitatis et virtutis culto-
rem vere nosse, celebrare laudibus, æmularique possint; malitiæ vero et improbitatis architectum jure detestari. Sed hinc jam nobis est exordiendum.

NICETA AUCTORE COÆVO.

CAPUT PRIMUM.

Sancti illustres natales; infortunia; monachatus et presbyteratus.

S. Ignatius, *avo et patre augustis*

Beatissimus hic et divinus antistes Ignatius Constantinopolim in terris patriam habuit, hanc, inquam, totius ditionis et imperii præclarissimam regiam: parentes vero Michaelem imperatorem et Procopiam imperatricem, nobilissimos et religiosissimos principes *b*. Atque Michael quidem Theophylacto patricio, splendidissimo viro, natus; Procopia vero a Nicephoro, pio imperatore, procreata est. Nicephoro porro ad cœleste imperium evocato *c*, et Stauracio filio, quum regnum exiguo tempore administrasset, extincto *d*, Michael hic, Nicephori gener, ut dictum est, mortuo Nicephoro, quum inter palatinos (nam curopalates erat *e*) principem locum teneret, auspice Deo, senatusque decreto imperii sceptra suscepit. Cujus ego religionem in Deum, omniaque virtutis ornamenta iis narranda relinquo, qui res ab illo gestas sigillatim persequi volent. Nobis ad decus illius memorandum sufficiat morum lenitas et clementia, quam minime fucatam factis ipsis declaravit. Etenim quum non toto biennio imperium sanctissime administrasset, Leoni Armeno, per tyrannidem invadenti *f*, libens volensque cessit, quamvis ipse præfecturam exercitus in Oriente illi prius commisisset. Expeditionem tamen quum in Bulgaros *g* suscepisset, ibi per insidias defectionem molienti, sponte beatus ille imperium concessit, seseque ab omni fastu, bellisque civilibus atque invidia regni subduxit, ratus multo sibi reique publicæ commodiorem utilioremque voluntariam regni abdicationem et pacem, ut qui paci veræ natus esset, fore. Decedit ergo ex urbe cum tota familia, atque in Principes insulas *h* secedit; ibique vitam monasticam cum conjuge et liberis, non cultu tantum corporis, sed reipsa degit, causa sua supremo numini relicta.

natus,

2 Beato huic Michaeli omnique admiratione prosequendo, qui terrarum regna cœlestibus permutavit, quini omnino liberi fuisse perhibentur: muliebris stirpis gemini, Georgo prima natuque maxima, minima Theophano, quæ virginitatis laude per omnem vitam custodita, feliciter obierunt: tres vero stirpis virilis, Theophylactus, Stauracius, Nicetas; quorum natu maximus Theophylactus et Stauracius diademate imperii insigniti sunt; sed Stauracius admodum adolescens ante patris abdicationem mortem oppetiit; Theophylactus autem una cum parentibus tunc in monachum attonsus, Eustratius est appellatus *i*. Nicetam, primum decennem, ab avo Nicephoro hicanatorum domesticum ajunt creatum *k*, cujus gratia munus illud primo institutum: quatuordecim vero annos factus, terrestri simul cum bonis parentibus regia relicta, et ipse monachum induit et Ignatius est cognominatus *l*.

quum omnia in republica,

3 Leo igitur, illa infausti nominis fera, quum, quam conceperat, peperisset iniquitatem, occupato per vim ac tyrannidem imperio, nullam omnia spectantis oculi rationem habuit, neque beatorum exsulum reveritus est modestiam et æquitatem, immemorque erat omnium beneficiorum, quibus beati illi indignum exornarant: a quo improbæ mentis artibus illecti erant adeo, ut imperator regiorum illum liberorum in sacra baptismatis tinctione sponsorem et patrinum designaret. Sed nihil horum immitem illius ferocemque animum potuit flectere. Etenim in exsilium amandatos, alterum ab altero separavit, singulis suam insulam assignavit, firma custodia circumsepsit. Filiis porro virilitatem ademit, membrorum castratione plectens, plus quam inhumanus et crudelis. Hinc sane, quum tam impia imperii jecisset fundamenta, vitam, exitu, principiis respondente, finiit. Impiam enim invisamque Deo Iconomachorum sectam, ab impio illo Leone *m* quondam meditatam et a Constantino, Leonis filio, patre etiam deteriore *n*, corroboratam, sed divina providentia per sanctam septimam Synodum *o* pie rectequesopitam ac sublatam, invisus draco, distortusque veritatis interpres conatus revocare, contra orthodoxæ pietatis propugnaculum, Nicephorum *p*, inquam, religionis tunc antistitem ac urbis imperantis patriarcham, erectus, illum minis juxta ac blanditiis oppugnat. Sed quum multo firmiorem, quam sperarat, experiretur, vi tyrannica de throno deturbatum ad dexteriorem Steni *q*, id est angusti freti regionem, in monasterium quoddam importunus ejecit (quum Ecclesiam apostolice per novennium curasset) ubi beatus ille, septenis denis annis in præclara confessione exactis, ad Deum migravit.

et Ecclesia permiscebantur

4 In throno vero Constantinopolitano Theodotum quemdam *r*, profanis moribus ac negotiis innutritum, atque omnis doctrinæ et liberalis disciplinæ prorsus expertem (hoc tamen uno, quod Christianos calumniantis Iconomachorum hæreseos æmulator haberetur) clericum factum profanissimus collocavit. Hinc sæva crudelique piorum vexatione instituta, juxta vias suas, stipendia peccati, mortem accepit*. Nam intra et paulo plus septennium regia potestate illi præcisa *s*, in mediis Dei Matris templi (quod in palatio Pharum nuncupant *t*) adytis, infelix, ritu canis, gladiis confectus est. Ita, quam tanta contentione impietatis sementem fecit, hanc quoque laborum suorum messem collegit. Etenim Michael Balbus, excubitorum tum præfectus, de affectato regno delatus et in custodiam datus, a commilitonibus suis et sociis conjurationis, qui clericorum habitum ementiti, clam summo mane palatium ingressi, tyrannum occiderunt, extemplo imperator est consalutatus: qui tyrannum concisum atque in saccum conjectum, in insula Prota *u*, sine ullo apparatu, contemptim sepeliri præcepit, liberosque castrari et tonderi: uti scriptura teste, conversus sit labor ejus in caput ejus, ac in ejus verticem iniquitas ejus descenderit *.

* Rom. VI, 23.

* Ps. VI, 17.

per Iconomachos,

5 Michael porro Amorianus patria, sectaque Sabbatianus *v*, sceptris imperii per novennium et semestre tractatis, rectæ religionis curam gessit nullam; subinde tamen veræ pietatis studiosis vim attulit. Theodoto, quem Cassiteram appellitabant, exstincto, Michael Antonium,

A Antonium, cognomento Byrsodepsam, jam Pergæ metropolitam, et hæreseos participem, tunc cessantem, accersit, urbisque regiæ patriarcham pronuntiat. Secundum Michaelem Theophilus, Michaelis filius *w*, sceptris potitus annos tredecim imperavit; cætera non malus, æquitatis quoque propugnator. Sed in sacrarum imaginum insectatione nullo retro Iconomachorum inferior habebatur, credebaturque : id vero maxime Joannis, quem Antonio patriarcham suffecerat, impulsu fecisse.

w

monachum induit,

6 In hoc rerum statu quum res et civiles et ecclesiasticæ versarentur, Ecclesia catholica totos triginta annos periculis innumerabilibus et ærumnis, cædibusque conflictata, quum impii sancta profanis pedibus conculcarent, et sacra pollutis manibus contrectarent, Nicetas sive Ignatius, velut generosissimus in domo Domini surculus plantatus, et in atriis monasticæ vitæ educatus, nec ei, qui ipsum plantaverat, infructuosus, nec ad speciem foliis tantum copiosis, ut maledicta illa ficulnea*, hoc est, indumentis nihil boni continentibus visendus; sed qui secus cœlestium aquarum decursus et uberrimos Spiritus Sancti fontes situs, et Vetus omne Testamentum Novumque totum meditatus, Sanctorum Patrum monumentis studiose addictus, illorum et facta imitando et contemplationes mente revolvendo, totumque interiorem hominem saginando confirmatus, dulcissimos virtutis fructus Deo progignebat *x*. Primum itaque temperantiam in abstinendo, studium in vigilando, psalmis canendis, quando id jubebatur, precandoque proferebat: adde callos in genibus, lachrymas, pectoris planctus, linguæ continentiam, verberumque tolerantiam, a pædagogo tetrico pravique judicii homine inflictorum, qui illum ut Iconomachis gratificaretur, dure admodum educavit. Ad hæc lenitatem, animique demissionem, ergaque omnem fraternitatem, quæ secundum Deum est, obsequium. Hisce primum rebus factisque dum Beatus exercetur, hisce in studiis versatur, et præclare se componit, ordine cum ipsis annis et corpore succrescente, puerilem ætatem ducens ad C perfectiora confirmabatur. Deinceps vero perfectiores Deo procreat fructus, fidem, inquam, spem et charitatem : fidem perfectam ex perfecta ac tota mente Deo perfecto offerens; fidem sinceram, spem, quæ non confunditur; charitatem non fictam, ex puro corde erga Deum et proximum, ex præcepto recte institutam.

* Matth. XXI, 19

B

x

virtutibusque excultus, abbas

7 Hos virtutis fructus dum sacer hic Ignatius producit, atque in his recte factorum studiis a teneris usque annis tempus omne collocat ; quo Deum impii ad iracundiam provocabant, ipse ad omnem religionis laudem conscendebat. Patre enim et pædagogo e vita sublatis, statim fratrum sibi animarumque cura et præfectura commissa, in ipso muneris exordio ostendit, quæ Sancti Spiritus vis deinceps ex se esset effulsura. Adeo quippe frequentibus concionibus, sapientibusque cohortationibus suorum mentes pascebat, semperque ad virentia Dei pascua deducebat, uti mirifice cresceret in illo gratiæ et spiritualis magisterii donum, adeoque augeret suis institutionibus ovile Christi, ut illud nec unus jam locus, nec una domus caperet, sed quaterna illius studio cœnobia excitarentur, constituerenturque; ita ut singulis sua commoda essent domicilia, sacrumque instrumentum *y*, cæteraque ad usum monasterii necessaria. Omnia denique decenti, ipsisque convenienti apparatu suscepta cura, magnus ille instruebat componebatque. Docebantur autem omnes ab illo magistro et parente, imprimis ipsorum esse Deum laudibus celebrare et orationi vacare; deinde uti singuli sua ministeria obirent, omniaque ad Dei laudem et gloriam referrent. Itaque Plate et Hyatros ac Terebynthus, quas Principes appellant insulas *z*, illius cura et studio inhabitatæ, in ædes sacras et monachorum domicilia sunt conversæ. Nam e regione harum in continente ad mare situm, hoc, inquam, eximium magni cœlitum principis Michaelis cœnobium in fine vitæ postremum condidit *aa*, Deoque initiavit; cujus nobilitatem templi, magnificentiam et claritatem, eximium splendorem, et ornatum omnem ac majestatem (quando pro dignitate a me exprimi nullo modo potest) ego spectantium oculis permitto, simulque ad reliqua illius vitæ acta exponenda progredior.

y

z

aa

E

et presbyter ad omnium solatium

8 Iis ergo Sanctus, Deo probatus, Spiritus Sancti decreto, sanctorumque pontificum, eorum, inquam, qui pro vera pietate pugnabant, extremaque omnia patiebantur, sententia, sacro presbyterii honore insignitur manu Basilii *bb*, qui sacræ Parcorum Ecclesiæ episcopus, pro sacrarum imaginum cultu casibus innumeris gravissimisque ærumnis conflictabatur. Hujus, inquam, Basilii manu spectabili, vi autem ac virtute sanctissimi Spiritus, primum quidem lector, sive sacrarum literarum præco sanctus, dein hypodiaconus, tum diaconus ac sacerdos lege et ordine ecclesiasticorum graduum consecratur *cc*. Studebat vero hoc perpetuo, ut largitori gratiæ talentum, multiplici fœnore auctum, redderet, neque per socordiam defoderet *. Ut autem dum in cœnobio viveret, sua pietate studioque multos traxit; ita per sacerdotium iterum innumerum numerum infantium baptismate abluens, Deo consignavit. Perdiu enim hæretica caligine, velut densa nocte, et tyrannide mercenariorum incumbente, omnes prope mortales, qui Constantinopoli rectam fidem defendebant, quique Bithyniæ oppida colebant, alii alios Ignatium laudibus prædicando excitabant, suosque liberos ad illum deducebant, precabanturque, ut ab illo baptizarentur, Deoque initiarentur. Et erat hunc videre, tamquam aliquem e primis Christi discipulis, quum ad se adventantes alacriter, ut a Christo missos, exciperet atque institueret : qui quidem documenta illius ita arripiebant, dum doceret singulos et hortaretur, ut sinceram et catholicam religionem propugnarent, atque hæreticorum perversitatem et insaniam averarentur, omnesque se ab omni mentis et corporis labe repurgarent, ac virtutis omnis et temperantiæ honestatisque laudem procurarent. Hæc et his similia parentes edocebat, horumque liberos, prius rite institutos, Deo per aquam et Spiritum Sanctum consecrabat *dd*.

bb

cc

* Matth. XXV, 24

F

dd ordinatur.

9 Et gravis quidem tum et vehemens Ecclesiam tempestas, et res sacras acerba divexatio

NICETA AUCTORE CO-EVO.

vexatio premebat, quicumque pro Christi imagine ob prototypum sibi periclitandum putaverunt. Tranquillus vero et serenus omnibus, tempestate jactatis, portus a suprema numinis dextera sacer hic Ignatius destinatus erat, et domus ejus tota. Ecquis enim pro pietate decertantium, malorum ærumnarumque suarum refrigerium ab eo non percepit? Quis in custodiam datus, quis in exsilium ejectus, quis vinculis et fame cruciatus, ab eo non est relevatus, necessariisque auxiliis liberaliter instructus? Nam quicumque tyrannorum vim et rapinas patiebantur, suisque bonis ac fortunis exuebantur, omniumque rerum inopia conflictabantur, præsertim sacri religiosique viri, nullum aliud vitæ et ærumnarum perfugium habebant, quam eximium hunc Ignatium, parentemque Ignatii, Procopiam, ac sororem, quæ ævum in multos annos propagabant, adeoque benigne hilariterque opes effundebant, Deique misericordiam æmulabantur, ut verissime de illis sacrum illud oraculum proditum expletumque videretur * : Tota enim quodammodo die miserabantur et commodabant, et semen eorum in benedictione erat. Atqui is quidem hunc in modum una cum athletis Christi propugnabat, cum dolentibus dolebat, cum afflictis afflictus sustinebat, egentibus opem suggerebat : in precandi studio assiduus, et in Eucharistia et Communione panis et Sanctorum necessitatibus secundum Apostolum communicans *, sic ad majora pro virtute certamina sese comparabat : hæc signa gratiæ, in futuro patriarchatu exerendæ, spectantibus prodebat, ut ingens ille in virtutis palæstra, Theophanes, prodigiis et miraculis illustris *ee*, ille, inquam, Sigriani seu Agriani cœnobii conditor, olim peregre ad se advenienti beato illi tum adolescenti, tamquam patriarchæ, manu dextera porrecta, jam tum bene sit precatus.

* Ps. XXXVI, 26

* Rom. XII, 13

ee

ANNOTATA.

a *Ex hisce et sequentibus verbis prodit auctor Nicetas, se coævum esse viro, cujus biographiam aggressus est. Cfr Commentarii prævii numm.* 1 *et* 5.

C b *Michael, Curopalates, dictus ab avo Rhangabe, regnare cœpit, ait Theophanes in sua chronographia* (1) *anno æræ, qua utitur, Alexandrinæ* 6304, *Christi vero* 811 mensis Octobris die secundo, indictione quinta, feria hebdomadis quinta, *quæ notæ omnes recte concurrunt; dummodo animadvertatur, tum annus Alexandrinus, tum indictio exordium habere ab autumno* (2).

c *Qui hic dicitur pius imperator* εὐσεβὴς βασιλευς *Nicephorus, propter avaritiam et crudelitatem exosus erat universo imperio, Theophane teste* (3), *utpote qui* crudelissimos quosque antecessores suos avaritia, libidine et barbarica prorsus sævitia superarit. *Ab aliquibus vero, quemadmodum et a Niceta nostro, laudatur; quod ideo factum censet Carolus Lebeau in Historia Byzantina* (4), *quia Iconomachorum errores et scelera non innovavit, sed Ecclesiam in pace reliquit.*

d *Amphibologice hic loquitur Nicetas, quasi primum demortuo Stauracio, imperium adiisset Michael.* Σταυρακιον, *inquit, Nicetas,* ὀλιγιστον χρονον ἐπιβιωσαντος τῃ βασιλειᾳ και αὐτου μετανασταντος : *quæ verba indicare possunt, Stauracium, vel in purpura mortuum, vel depositæ purpuræ brevi tempore superstitem fuisse : Id, credo, fecerit Nicetas ad avertendam invidiam a Michaele, S.* Ignatii *patre. Rem narrat Theophanes* (5) : Mensis Octobris die primo, sub vesperam, Stauracius Stephanum domesticum, ad se accersitum, interrogavit, quanam via Michaelem, ex sorore sibi levirum, oculis quantocius orbandum, domo posset extrahere? Quod ille quum ob circumstipantium vires, tum ob incommodam horæ tempestatem, tum denique ob munitissimum domus ejus situm, haud fieri posse responderet, Stauracius eum deprecatus est, ne ista ulli revelaret. Ille verbis, ad suadendum compositis, a cura hujusmodi alienum esse rogat : mox per totam noctem in tectis Hippodromi locis, collectis residuorum agminum reliquiis, eorum duces, Michaelem renuntiaturos imperatorem, illo convocavit. Senatus insuper, palatium diluculo conveniens, imperii potestatem ei committendam decrevit, prout sequentibus declarabitur. Nicephorus autem patriarcha cautionem, propria manu scriptam, a Michaele exegit, quod ipse rectam fidem defensurus, manusque, a christianorum effundendo sanguine alienas, servaturus esset, hominesque ex sacro clericorum ordine, vel monachos, cæterosque omnes, in ecclesiasticum catalogum relatos, verberibus vel injuriis minime læsurus...(6). Stauracius autem, imperatoris alterius audita designatione, detonsis illico capillis, monasticum habitum, Simeone monacho, ejus consanguineo, illum conferente, induit, et patriarchæ opem interpellavit... (7). Stauracius, ulcere ex lethali plaga, quam in dorsi spina acceperat, irritato, adeo ut nullus ob fœtorem ad eum propius accedere posset, vita tandem excessit mensis Januarii die undecimo, quinta indictione, quum juxta quorumdam sensum menses duos dies sex imperium tenuisset : *nempe a* XXV *Julii ad* I *Octobris. Ex hactenus recitatis apertum est, Stauracium viventem purpura exutum fuisse et dum privatam, imo monasticam, vitam ageret, obiisse* (8).

D

E

F

e *Principale aulæ CPolitanæ erat officium Curopalatæ, quod Gretserus explicat in Annotationibus ad Codinum de officialibus aulæ CPolitanæ* (9); *quod etiam demonstratur ex eo, quod imperatoris et gener et levir istud administrari. Cfr Du Cange Glossar. med. lat. v°* Cura 5.

f *Theophanes in sua Chronographia dicit* (10) : *Leonem V, a patria Armenum dictum,* die Julii mensis undecima, indictione sexta, feria secunda, in magnæ ecclesiæ ambone a Nicephoro patriarcha coronatum fuisse : *id est anno vulgari* 813, *quo sub litera dominicali B feria secunda cum die undecima Julii concurrebat : ita ut Michael imperium administrarit anno uno, mensibus novem et diebus decem.*

g *Minime bellicosus fuisse videtur Michael imperator, qui, ut narrat Theophanes* (11), *ante*

(1) Scriptt. Byzant. pag. 768. Edit. Bonn. — (2) L'art de vérif. les dates, pag. XI et XII, Edit. Paris. 1770. — (3) Theoph. Chronog. pag. 765. — (4) Hist. du Bas-Emp. tom. XIV, pag. 193 et seq. Edit. Paris. 1770. — (5) Scriptt. Byzant. Theoph. pag. 767. — (6) Ibid. pag. 768. — (7) Ibid. pag. 771. — (8) Cfr Lebeau. Hist. du Bas-Emp. tom. XIV, pag. 259 et seqq. — (9) Scriptt. Byzant. Codin. pag. 184. — (10) Ibid. Theoph. pag. 784. — (11) Ibid. pag. 781.

omnem

A *omnem dimicationem* fuga elapsus versus urbem pedem retulit, et militares ordines eorumque ductores maledictis incessens, imperii potestate sese abdicaturum, dato jurejurando, pollicitus est, ac Leoni (*Armeno*), patricio et orientalium duci, ceu viro pietate conspicuo et militari virtute præstanti et jam reipublicæ administrandæ idoneo, confestim aperuit consilium: sed eo dignitatem admittere recusante, thematum regendorum potestate ipsi relicta, Junii die vigesimo quarto imperantem urbem repetiit : ac imperium quidem deponere, aliumque principem in thronum subrogare meditatus, ab uxore et proceribus, summam post eum in administranda re publica potestatem adeptis, consilium exsequi non est permissus. Sane Nicephorus sanctissimus patriarcha, propositis assentiebatur, quum nimirum, si eo pacto novus imperator designaretur, ipse Michael et liberi ejus incolumes facile erant salvandi. Interea duces militaresque copiæ omnes de imperatoris fuga certiores factæ, ab ejuscemodi homine imperari non amplius ferendum ratæ, consilio inter se inito,
B Leonem, orientalium ducem, bono publico consuleret et christianam rempublicam erigeret, rogaverunt. Ille ruinam imperii imminentem et barbarorum, qui vix reprimi possent, violentas excursiones mente perpendens, fideique, erga imperatores servandæ, suique ipsius a fraudis labe immunem custodiendi studiosus, aliquo tempore substitit et pro viribus dignitati admittendæ moras opposuit. At quum hostem magnis itineribus ad urbem contendere animadvertit, a patriarcha Nicephoro, quem de recta sua in Deum fide certiorem fecit, ut ex ipsius nutu, et ejus prece comite, projectum colligat imperium, per literas expetiit. Tum vero ducibus et universis agminibus stipatus, in tribunalium, ante urbem positum, conscendens, legitimus Romanorum imperator salutatur, medioque jam die CPoleos porta, quæ Chryse dicitur, ingressus in regiam se confert. Michael, Leonis designatione audita, cum Procopia et liberis in oratorium, quod ad forum est, confugiens, capillis detonsis, una cum suis monasticum
C habitum induit. *Postera luce, id est, die* XI *Julii anni* 813 *Leo Armenus a Nicephoro patriarcha coronatus fuit. Hæ depromptæ laudes Leonis ex Theophane coævo, qui, inter Sanctos relatus, colitur die* XII *Martii* (1), *cum veritate historica non concurrunt : sed dixerit ista Theophanes, sive ut ferociorem animum Leonis mulceret, sive quia secretas ejus machinationes ignoraret. Etenim scimus, Leonem Armenum furores iconomachorum renovasse : et quantum spectat ad ejus in assumendo sceptro integritatem, ea tanta non est, ut laudem aliquam mereatur. Siquidem fides adhibeatur Theophani Continuato* (2), *quum Michael imperator intra imperii fines continere exercitum constituisset, Leo eidem suasit, ut hostem ipse aggrederetur : bello inferendo præfectus Leo,* prima ipsa congressione terga vertens fugam capessivit; *unde strages maxima romanorum secuta est : exinde Leo,* commodum nactus tempus, militares alas irritavit et maledicta quædam in imperatorem jactare eos coegit : « Haud e re, » ajebat, « ut quod fabula est, leonum agmen cervus ducat; qui videlicet modo, arrepta fuga, in uxoris sinum concesserit, nobis in castris relictis, quos hostes vastitate consumant. » Vixdum in eum modum socios affatus peroraverat, quum res eventu succedit, sparsis in omnem castrorum ambitum garrulis assentatorum vocibus ac concursu, quos ille ejusdem fere tenoris sermones habuerat: postremum actutum secuta acclamatio, ejusdemque diei pars modicissima eumdem privatum simul et imperatorem adspexit. *Idem scriptor deinde insinuat* (3), *Leonem vixdum cruentas manus a Michaele et familia abstinuisse.*

h *Insulæ Principum tres nominantur infra num.* 7, *videlicet Plate, Hyatros et Terebinthus, jacent in Propontide* (Mer de Marmara) *e regione CPoleos orientem versus. Cfr Atlantem historicum Sprunner Tab.* LXII.

i *Solemnis tunc erat monachum induturis, mutatio nominis, quæ adhuc in multis utriusque sexus ordinibus in more apud nos posita est. Michael quidem imperator Athanasii sibi nomen imposuit* (4) : *Theophylactus Eustratius cognominatus fuit; dum Nicetas filiorum minimus* (*nam Stauracius ante cladem familiæ obierat*) Ignatii *nomen assumpsit. Animadvertit porro Jacobus Sciommari in Vita S. Bartholomæi, abbatis* IV *Cryptæ Ferratæ* (5), *quosdam consuevisse in adoptione novi nominis, istud eadem litera occepisse; sic S. Nilus junior in sæculo vocabatur Nicolaus, S. Bartholomæus in baptismate Basilii nomen acceperat. Verum hic mos sæculi* X *in Oriente non invaluerat, quum videamus nostrum* Ignatium *in sæculo Nicetam appellatum fuisse.* E

k Ἰκανατοι, *secundum Glossarium mediæ græcitatis h. v., milites sunt ad custodiam imperatoris et palatii deputati, quasi milites palatini. Cfr Ans. Bandurii notas ad librum Constantini Porphyrogeniti de administrando imperio cap.* 50 (6). *Annumerabantur primariis militibus totius exercitus, eorumque dux, qualis erat* Ignatius *noster, principibus militiæ accensebatur.*

l *Cfr Commentarii prævii num.* 7, *ex quo manifestum fiet, S.* Ignatium *anno* 808 *Icanatorum præfectum creatum, et anno* 813 *vestem monasticam assumpsisse.* F

m *Leo Isauricus, qui sacris imaginibus bellum immane indixit, regnare cœpit anno* 717, *defunctus anno* 741.

n *Constantinus, Copronymus dictus, Leonis Isaurici filius et heres, crudelitate patrem superavit; anno* 775 *vita functus, odium sacrarum imaginum successoribus fere omnibus legavit, adeo ut brevissimis induciis bellum impium centum viginti quinque annis duraverit.*

o *Septima seu Nicæna* II *synodus celebrata fuit anno* 787 *a die* XXIV *Septembris ad* XXIII *Octobris; in ea per legatos suos præsedit S. Adrianus Pp. I.*

p *S. Nicephorus, in cujus Acta ad* XIII *Martii commentatus est noster Henschenius* (7), *sedem CPolitanam ab anno* 806 *ad* 815 *occupavit, obiit exsul nono relegationis suæ anno* (8).

q *Stenum seu Angustum fretum ea est pars*

(1) Act. SS. tom. II Mart., pag. 213. — (2) Scriptt. Byzant. Theoph. Cont. pag. 14 et seqq. — (3) Ibid. pag. 19. — (4) Ibid. pag. 20. — (5) Nota XIII, pag. 78. — (6) Scriptt. Byzant. Constant. Porph. tom. III, pag. 283. — (7) Act. SS. tom. II Mart., pag. 293. — (8) Cfr Gulielm. Cuper. Hist. Chron. Patriarc. CP. tom. I Aug., pag. 103*.

Bosphori,

NICETA AUCTORE COÆVO.

Bosphori, quæ ab urbe CPolitana ad Pontum Euxinum excurrit, ut adnotant nostri ad diem XIV *Septembris in Commentario de S. Joanne Chrysostomo num.* 641 (1).

r *S. Nicephori extrusi successores fuere tres hæretici ab anno* 815 *ad* 842, *nempe Theodotus, de quo biographus noster, Antonius, cognomento Byrsodepsas et Joannes VII seu Jannes, quorum perditissimos mores describit Gulielmus Cuperus noster in sua Historia Chronologica patriarcharum CP.* (2).

s *Leo Armenus a die* XI *Julii* 813 *ad diem* XXIV *Decembris* 820, *adeoque septem annis, mensibus quinque et quatuordecim diebus regnavit. Ejus necem late prosequitur continuator Theophanis* (3) : Jam primo, *inquit*, dilucescebat, simulatque Michael (*Leonis postea successor, sed jamjam igne perimendus*) adhærere sibi animo sordes, quas per Theoctistum, quem et postea Caniclii (*scriptoriæ purpuræ custodis*) dignitate ornavit, religiosorum virorum cuipiam velit aperire. Permisit imperator, ejusque rei licentiam fecit. Aitque Michael Theoctisto : « Sane conjuratis denuntia, cuncta
B me imperatori denuntiaturum, ni strenue quid molientes, ab hac me morte et carcere liberaveritis. » His porro auditis, conjurati tale quid consilii struunt. Moris erat, ut sacer clerus, non ut modo intra palatium (quod exinde eaque occasione inductum est), sed quisque secum domi maneret, tumque incunte tertia vigilia ad eburneam portam congregaretur, redditurus Domino Deo matutinas laudes. Hisce clericis conjurati se commiscentes, pugionibus subter axillas occultatis, quum per tenebras et sacerdotales amictus latuissent, una libere ingressi, inque imo quodam obscuro loco subsidentes, signum exspectabant. Hymno itaque persoluto, quum imperator, haud procul a cantoribus constitutus, uti crebro solebat, illud moduli inceptasset : « Sprevere summi cuncta amore principis » (erat enim ex indole canora voce, eaque divinis modulandis laudibus ejus ætatis cunctos mortales suaviore vincebat), confertim insiliunt, primoque impetu ac aggressione in cleri præfecto decepti sunt, sive quod is corpore imperC ratori perquam similis erat, sive quod caput simili tegumento obduxerat : quum enim per hyemis aspera ingens frigus rigeret, eodem ambo tegumento illud tolerabant, acutissimo nimirum pileo caput contegentes. Sed is quidem, pileo capiti detracto, ostensa calvitie, facile salutem captavit. Leo autem, in altaris penetrale se ipse subducens, irrito conatu præsidium quærit : tueri se ille tamen conabatur : quapropter thuribuli catena, vel, ut alii perhibent, divina cruce arrepta, invasorum impetum propulsare studebat. Verum ii, non singuli, sed facto cuneo, irruentes, vulnera infligebant, quum sic quoque ille se ulcisceretur crucisque ope gladiorum ictus depelleret : tandem vero bestiæ in morem undequaque petitus fatiscit; quando et, desperata salute, unum quempiam procera statura, nec giganti absimilem, ictum inferentem videns, per gratiam, in templo habitantem, adjuravit, palamque obtestatus est, ut parceret. Erat is D Crambonitarum stirpe oriundus; ad quem ille, « non sacramentorum istud, inquit, sed cædium tempus est, » ac insuper per divinam ipse gratiam jurans, manum ejus adverso vulnere percussit tanta vi, ut non solum a clavicula eam penitus amputaverit, sed et crucis cornu dissectum procul dissiluerit. Simul quoque alius quispiam, ejus abscisso capite, truncum corpus reliquit. Hunc vitæ finem sortitus est Leo.

t *Templum Deiparæ Phari, erat secundum Cangium* (4), *oratorium domesticum imperatorum, intra ambitum magni palatii CPolitani ædificatum : unde porro Phari nomen, incertum : aliis id de Deipara quasi stella interpretantibus, aliis autem, quod ad pharum palatii ædes constructa fuerit.*

u *Prota una ex Principibus Insulis, de quibus supra annot.* h.

v *Amorium erat urbs episcopalis Phrygiæ Salutaris seu Magnæ* (5). *Sabbatianorum porro error in eo erat, ut reprobarent sanctificationem diei dominicæ, ab Apostolis introductam, et* E *more judaico Sabbathum cultu religioso retinerent* (6).

w *Michael, cognomento Balbus, annis octo, mensibus circiter novem imperium tenuit, vita functus die* III *Octobris* 829 : *ei successit Theophilus, ejus filius, qui obiit* XX *Januarii* 842, *adeoque annis duodecim, mensibus tribus et octodecim diebus sceptra tenuit; quum itaque biographus noster eidem annos regni tredecim adscribit, de incompletis intelligendum est.*

x *Totus hic textus, ut satis liquet, per accommodationem, ex Psalmo primo desumptus est.*

y *Nomine sacri instrumenti,* των ιερων σκευων, *venit universa supellex liturgica, adeoque vasa, vestes et ornamenta altarium. Hisce servandis præpositus erat cimeliorum ecclesiæ custos,* σκευοφυλαξ : *cujus officium erat, teste Allatio de Consensu utriusque Ecclesiæ lib.* III, *cap.* 8, § 6 (7), quum sacrum antistes facit, ante sceuophylacium stare, et si quid ex sceuophylacio opus fuerit, sive vas, sive liber, sive candela, sive vestis, sive aliud exhibere. *Cfr Du Cange. Glossarium mediæ græcitatis v°* Σκευοφυλαξ. F

z *De istis insulis egimus supra annotato* h.

aa *Varia nomina consequenter sortitum est istud monasterium; nam* Ανατελλοντος *seu Orientis, dein* Αρχιστρατεγου *seu ducis, nempe Angelorum, tandem* Σατυρου *seu Satyri. De eo agit Cangius in CPoli christiana* (8). *Situm erat in littore Asiano Propontidis ex adverso urbis regiæ. Cfr Atlantem historicum Spruner tab.* LXII.

bb *Basilius, Pareorum episcopus, colitur apud græcos die* XII *Aprilis, sub quo de eo agunt nostri* (9) *et Menæa.*

cc *In Ecclesia latina, ut satis notum est, septem sunt ordines, videlicet quinque minores et tres majores : at in Ecclesia græca sunt solum quinque : quamvis, ut hic videre est, quatuor nempe lectoris, subdiaconi, diaconi et presbyteri enumerentur. Omittitur enim Ordo minor* Deputati *seu* Ceroferarii (10).

(1) Act. SS. tom. IV Sept., pag. 530. — (2) Ibid. tom. I Aug., pag. 103* et seqq. — (3) Scriptt. Byzant. Theophanes Continuat. pag. 38. — (4) CPolis Christ. pag. 95. — (5) Cfr Act. SS. tom. I Mart., pag. 457 et Cellar. tom. II, pag. 128. Edit. Lips. 1773. — (6) Cfr Dictionn. des Hérésies v°. *Sabbatiens.* — (7) Pag. 1029. Edit. Colon. 1648. — (8) Pag. 189. — (9) Act. SS. tom. II April., pag. 95, Cfr Le Quien. Or. Christ. tom. I, col. 788. — (10) Cfr Morin. De Sacr. Ordinat. pag. 66, Edit. Antv. 1695.

A dd *Quamvis S.* Ignatius, *abbas et monachus, baptismum conferre potuerit ob vigentem passim hæresim, quæ plerosque presbyteros inficiebat; animadvertendum tamen est olim, ut dicit Edmundus Martene* (1), hujusmodi privilegium quibusdam monachorum ecclesiis, etiam ab initio, propter apostolicum vitæ illorum institutum et reverentiam, quam ex populis exigebat virtus sanctitatis eorum, indultum fuisse, certissimum est. *Plura deinde laudatus Martene affert exempla istiusmodi concessionis.*

ee *De S. Theophane abbate et Confessore agunt nostri ad diem* XII *Martii* (2).

CAPUT II.

S. Ignatius sedem CP. conscendit, quam magnis virtutibus illustrat; graviter reprehendit Bardam cæsarem, qui illum ad abdicationem cogere tentat; recusat Sanctus cedere loco suo.

B

Re catholica melius constituta,

Optimis igitur hisce studiis præclare occupato Ignatio, Theophilus decedit, totumque imperium in Theodoram, matronarum religiosissimam præstantissimamque et christianissimam imperatricem, Michael filio admodum adhuc tenero, devolvitur *a*. Hinc inimica sacrarum imaginum secta conquiescit: sanctificatio autem Ecclesiæ Sanctæ efflorescit. Hinc Joannes, imo infausti nominis Jannes (quem Lecanomantin seu magnum dictitabant *b*, a quo Theophilus in errorem actus creditur) sede Constantinopolitana, ipsoque sacerdotio merito spoliatur: erigitur autem cornu salutis populo Dei, Methodius, vere bonus christiani gregis pastor, veræque doctrinæ Ecclesiæ verus magister *c*; qui multis antea pro sanctarum imaginum defensione laboribus et periculis defunctus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ præficitur Dei nutu et imperatricis opera. Exauctoratis ergo omnibus et dissipatis, qui hæreseos labe infecti C erant, novam Ecclesiam condit, sacerdotes et episcopos in suæ rectæ fidei fundamento collocat. Etenim hæreticis (uti etiam antea sub Tarasio, sacro divinoque pastore et pia Irene *d*) sectam suam damnantibus et veniam impetrantibus, atque iterum ad hæreseos perniciem prolabentibus, Nicephorus vir eximius *e* adhuc superstes, et hic Methodius, divinitus decreta illorum exstirpatione, virique divini Joannicii *f* impulsu in omnes hæreticos declarata, rectam adhuc viam incedere quærentibus, veritatis tramitem ostendit. Sed quum Ecclesiam Dei optime sanctissimeque per quadriennium rexisset ad Deum sempiterna potiturus pace abiit.

a

b

c

d

e

f

S. Ignatius, post Methodium,

11 Multis vero tum ad Ecclesiæ administrationem designatis, aliisque alias ob causas voto frustratis, uti destinata Dei sententia staret, Ignatius, sanctissimus presbyter, quum per multos annos sacerdotii muneribus magna cum laude perfunctus esset, bonumque sibi in multa auctoritate et in Jesum Christum fide jam gradum extruxisset, ac propterea omnium ore celebraretur, quantumvis dignitatis magnitudinem refugiens, vi tamen Sancti Spiritus et antistitum auctoritate et sententia, honore sacro dignissimus judicatus, in imperantis urbis sacra sede collocatur, lucernaque candelabro imponitur, quum ante omnium episcoporum et populi sententias imperatrix ad Joannicium anachoretam consultum misisset, ecquemnam hoc patriarchatus honore dignum, per Dominum cognosceret; Ignatium eximius ille Joannicius divinitus pronuntiavit *g*. Atque ita bonus pastor per ostium in ovile ovium ingressus, oves proprias vocabat nominatim, quas ex noxiis et pestiferis herbis omnique hæretica peste et exitio ereptas, ad immortalia semperque virentia rectæ fidei justitiæque pascua deducebat inducebatque. Ipse vero tum ab omni crimine abhorrebat, tum in omne præsertim virtutum principalium et æquitatis studium incumbens, ad perfectæ pietatis culmen enitebatur. Prudentia namque illi curæ erat, non ut opulentiam sibi, humanamque gloriam et voluptates conquireret; sed ut Dei voluntatem sanctam, bene placentem et perfectam, in spiritu recti judicii bene intelligeret et sequeretur. Fortitudo vero erat ipsi, ne umquam servituti peccato succumberet, sed liber esset, et dominaretur optimatibus, atque ex Apostoli præscripto*, peccantem acriter castigaret, et hoc sæpe coram omnibus, nec servili modo se subjiceret, ut et cæteri, inquit, in officio per timorem contineantur.

NICETA AUCTORE COÆVO.

g

E

* I Tim. V, 20

Ecclesiæ CP. præficitur;

12 Temperantiam autem non tantum in corpore coluit suo, quam a teneris annis adeo laboribus sudoribusque perfecte est assecutus, ut sensum omnem, omnesque cupiditates corporis noxias penitus extinxerit. Non ergo his tantum finibus temperantiæ splendorem circumclusit, sed Ecclesiam suam totam, morum et doctrinæ suæ gravitate assiduitateque, ad eam provexit honestatem et verecundiam, ut inter ejus familiares ne nomen quidem fornicationis vel cujuspiam impuritatis audiretur. Perinde enim ut ipse vias Domini rectas ambulabat, ita sponsam Domini F optimus paranymphus per inculpatam vitæ semitam deducebat. Jam ut fuerit justi tenax quid dicam? Quum ita rigide justitiam servarit, ut illius causa non raro ab iniquis æquitatis arbitris reprehenderetur, pastorque vere mitis ac divinæ imitator justitiæ asperrime condemnaretur. Etenim non in civilibus tantum rebus, sed multo magis in ecclesiasticis disceptationibus et judiciis facile agnoscebatur ad veritatis æquitatisque momentum lancemque propendere; contra vero mendacium et quamlibet injustitiam vehementissime severissimeque insectari. Nec erga plebejos tantum et viliores, in quos, si quid peccent, cuivis facilis et libera est censura; sed adversus principes etiam magistratus et dynastas, ipsosque imperatores, ardor ac divina dicendi libertas antistitis elucebat: quod mea nunc declarat oratio *h*.

h

sed Bardas, augustæ frater, graviter reprehensus,

13 Bardam illum, quem, uti scio, nostis omnes, Theodoræ, bonæ principis, non bonum,

(1) De Antiq. Eccl. ritib. tom. I, pag. 5, Edit. Venet. 1783.—

(2) Act. SS. tom. II Mart., pag. 216.

sed

NICETA AUCTORE COÆVO.

sed sævum admodum et crudelem fuisse fratrem *i*. Quamquam enim in rerum civilium administratione egregius industriusque esset, rei tamen divinæ atque ecclesiasticæ nemo illum umquam commodum dixit, ut qui nurus suæ amore ita fureret, ut ejus rei fama totam urbem peragraret : nec inter plebem tantum hæreret, sed ad patriarchæ quoque aures facti indignitas deferretur. Quid ergo patriarcha ? Non hominis dignitatem reveritus, facinus silentio pressit; sed ex lege arguit reprehenditque, et hortatus est, ne, salute neglecta, animam suam perditum iret, sed fœdum et enorme scelus expiaret. Ille tamen non modo se ab improbitate sua non abstinuit, sed ipso Epiphaniæ die festo in ædem sacram, Eucharistiæ mysteria percepturus, impudenter est progressus. Quid hic patriarcha ? A sacris arcet, indignum eum judicans corporis dominici participatione *k*. Ille vero diro percitus oestro furit, suumque in exitium armatus, se gladium in antistitis viscera defixurum minitatur. Sed Ignatius contra comminatur, Deum invocans, qui potens esset gladium in illum convertere. Hinc offensionum prima origo: hinc fons ecclesiasticæ perturbationis : hinc gravi Bardas ira odioque concepto, ac altius in pectus demisso, omnem, ut dicitur, rudentem contra Ignatium movebat, ut eum apud imperatorem criminaretur.

i

k

B

variis artibus patriarcham adigere conatur.

14 Patricius tum erat Bardas et scholarum domesticus *l*, sibique totam imperii administrationem, utpote avunculus Michaelis, vindicabat. Hic aggressus aliquando adolescentem, verbisque insidiosis captans: Quid, inquit, Domine, imperium matri et sororibus permittis? Atqui non es amplius infans ævique immaturus; imo, inquit, et jam, uxore ducta, virum agis; debes ergo imposterum virilem animum gerere. Itaque a patriarcha accersito matrem et sorores tonderi velarique jube. Ut enim deinceps solus cum procreandis a te liberis imperes, et numini cœlesti placet et nobis æquissimum videtur. Accersit ergo illico venerandum patriarcham. Est enim inconstans et mutabilis adolescentia, facileque vana spe effertur : quod si potentiæ quoque fastigium accedat, major etiam est illius levitas, majoremque in amentiam et casum sæpenumero labitur . Tunc igitur Michael corruptelarum morumque depravatorum, et vero magis impietatum suarum principio posito; Matrem, inquit, meam sororesque, e vestigio arreptas, attonde et religiosa velatas veste vitæ religiosæ addicito *m*. At libere patriarcha : Hoc, inquit, a me fieri nefas : nam Ecclesiæ gubernacula sedemque sacram quum susciperem, fidem jurejurando meam per scriptum adstrinxi, numquam me imperio vestro insidias positurum, vel consilium ejuscemodi agitaturum. Et vero nunc, quod reginarum est facinus, quæve in illis causa, ut majestas vestra adversus eas talia machinetur?

l

C

m

ut sede se sua abdicet

15 Hæc memorantem patriarcham Bardas reum majestatis postulavit, et coram imperatore Gebobasileutum *n* (seu Gebonis pseudo-imperatorii generis similem) per convicium vocavit. Erat Gebo hic stolidus maleque sanus homo, qui proximis diebus Dyrrachio venerat, veste quidem ecclesiastica indutus, se vero pro filio Theodoræ augustæ ex alio viro gerebat, cui non pauci ex plebe velut regnaturo adhærebant: tunc vero in insula Oxia seu Acuta *o*, firma custodia tenebatur. Patriarcha ergo propterea Michaeli suspectus, statim ad ecclesiam se recepit. Michael vero extemplo matrem cum sororibus in Cariani ædes *p* detrusam deportari tonderique imperat. Nec multo post ipsum quoque patriarcham Ignatium depellit, atque in insulam Terebinthum ejecit; eodemque die Gebonem illum ex Acuta in Principes transfert, et cruribus brachiisque præcisis, oculisque erutis, interficit, ratus se hac occasione ultum ire patriarcham. Necdum triduum a patriarchæ discessu fluxerat, quum adsunt, qui putabantur inter episcopos primarii, chirographum sive libellum abdicationis ob præsentium temporum iniquitatem ab eo petentes. Et quinam hi? Qui antea illi per scriptum juraverant, se prius supremam Trinitatis majestatem negaturos, quam sine canonica damnationis sententia pastorem suum exauctorari passuros. Verum ii, re infecta, reverterunt. Intra paucos autem dies patricii, judicumque clarissimi cum iisdem episcopis egressi, omnibus machinis et pollicitationibus comminationibusque compellebant, ut episcopatu se abdicaret, si in apertum nollet committere se periculum. Sed non minus firmus immotusque stetit, quam maritima cautes, altis in terram fixa radicibus, fluctuum insultibus nihil cedens. Ergo quum non haberent, unde illum læderent, nulla per eum data causa, cujus rationem reddere non posset, nudo, quod ajunt, capite, perfrictaque fronte ad omne fas nefasque descenderunt.

D

o

p

E

quod recusat S. Ignatius,

16 Et Dominus quidem noster Jesus Christus, utpote Deus verus et veri Patris soboles, non solum qua Deus est æternus, omnia, antequam sint, prævidit, sed etiam quia homo pro nobis factus, deificata sua mente omnia præsciens : *Necesse est,* inquit*, *ut veniant scandala: væ autem illi, per quem scandalum venit.* Omnium ergo sectarum, quæ a divina Christi in humanitate præsentia ad hodiernum usque diem in Ecclesias cum pernicie irrepserunt, auctores, velut scandalorum duces, digni sunt, qui primi malum, quod Christus minatur, participent. Sed non minus opinor, ii, qui nostro ævo maligne egerunt, quam illi prisci et decantatissimi hæresiarchæ, cœlestis iram vindictamque numinis sentient, ut qui innumerabilium offensionum et malorum toti terrarum orbi sint auctores. Neque enim propterea justorum albo adscribentur, quod rectis scilicet dogmatibus et scriptionibus innumeris Deum fateri videantur: sed idcirco damnabuntur, quod, ut est in sacris paginis*, Deum factis ipsis negarint, abominabiles facti et contumaces et ad omne opus bonum reprobi. Nec quia personam pietatis, vultumque religionis ementiti, agunt omnia efficiuntque, ut justi ab hominibus putentur, ideo sunt justi apud occultorum cognitorem et judicem Deum: sed quod nervo pietatis eliso, mores ad Euangelii præcepta non conformarint, quod amore sui cæci, avaritiæ et voluptatibus, ambitionique venumdati et emancipati, innocentes omni genere injuriarum, perjuriorum, cruciatuum, insidiarum et maleficiorum opprimentes, optime compositum

F

* Matth. XVIII, 7

* Tit. I, 16

A tum Ecclesiæ statum perturbarint, everterintque: rem autem divinam, nomenque et sacra sanctæ Ecclesiæ tot impietatibus et flagitiis contaminarint, polluerint, profanarint, ut periculum sit (pene dicam) ne pietatis mysterium in verbis nudis potius, quam in rebus ac veritate consistere videatur; idcirco justissimam damnationis, a Deo ferendæ, sententiam incurrent.

ratus, id in detrimentum Ecclesiæ vergere.

17 Horum porro malorum omnium stirps et radix, primaque causa et certissima exstitit is, qui a principio homicida fuit: qui, quod a bono defecit omnis, maleficii artifex effectus, hodieque non cessat venenum in eos suum eructare, quos omnibus sæculis ad id hauriendum paratos habet: eoque largius latiusque virus suum diffundit, quanto ad rem suam aptiores offendit. Permittuntur autem tales sæpe rerum potiri, terrarumque imperiis extolli, ut ex multorum cordibus,

* Luc. II, 35 quemadmodum est in divinis oraculis*, revelentur cogitationes; utque triticum a paleis secernatur, et justus igne molestiarum, velut

B aurum in fornace, coquatur, cœlestibus thesauris reservetur; rejiciaturque, quidquid, ut scoria, adulterinum est, et cœlesti regno indignum. Atque his, opinor, nemo contradicet eorum, qui pietatem colunt. Sed videamus porro, quæ deinceps B. Ignatio acciderunt, quantaque mala veterator ac hostis sanctorum virorum adversus latentem in illo fidem ac virtutem, per suos administros, malitia sua machinatus sit. At vero quum intelligam, me singillatim omnia percensere non posse, rebusque tantis parem non fore, oratione ad res præcipuas enarrandas conversa, nudam rei veritatem ubique studiose persecutus, pro mea virili curabo, uti ne quid rerum, quæ sint memoria dignæ, prætermittam.

ANNOTATA.

a *Michaeli Balbo,* III *Octobris* 829 *defuncto, successit filius Theophilus, cujus indolem paucis verbis ad vivum depinxit continuator Theophanis* (1): Justitiæ, *inquit,* severus cultor exstitit, cunctisque malis sui terrorem; bonis

C admirationem injecit: his quidem, quod malis infestus justusque erat, illis, quod gravem atque austerum præferebat. Sed non potuit omnibus vitiis carere; quamobrem fidei quidem in Deum inque ejus castissimam matrem, ut ajebat, sancte adhærebat: sed et impuræ venerabiles imagines impugnantium hæresi, a majoribus acceptæ addictus erat, eaque ratione religiosam sanctamque turbavit plebem, variique generis malis afflixit; nec quamdiu imperii habenas moderatus est, quiete eam agere permisit: unde etiam congruentem hanc a Deo mercedem retulit, ut nihil præclari facinoris in bellis ediderit, sed victus semper, nec, ut decet imperatorem, ex majestate domum redierit. *Theophilus annis* XII, *mensibus* III *et* XVIII *diebus regnavit, vita functus die* XX *Januarii* 842: *eique successit filius Michael, triennis sub tutela matris suæ Theodoræ, ut scribit continuator* (2), τριτον ἐτος διανυων ἀφ' οὑ εἰς τον βιον προηχθη τῃ μητρι αὐτου Θεωδωρᾳ. *Unde suspicor vitio typothetæ, invertentis perperam notam numeralem* 9, *legi Michaelem natum anno* 836, *quum anno* 839 *in lucem editus fuit, siquidem, moriente patre Theophilo anno* 842, *trimulus dicatur. Theodora, summam rerum adepta, cultum sacrarum imaginum restituit, et, pulso Janne, patriarcha hæretico, S. Methodium cathedræ CPolitanæ imposuit.*

NICETA AUCTORE COÆVO.

b *Continuator Theophanis exponit, qua ratione Jannes seu Joannes depositus fuerit sequenti modo* (3): *Constantinus* patriarchæ denuntiat, plures undique viros, pietate spectabiles, monachos item convenientes supplicationem Augustis obtulisse, ut omni colendas veneratione imagines restitui jubeat. Si igitur ita confitearis, hisque consentias, Dei ecclesia vetus ornamentum recipiat: sin autem hæsitas nec recte sentis, relicta sede ac urbe, in suburbanum tuum tantisper recede, dum sancti patres una tecum conveniant: his enim in promptu est, ut judicio tecum contendant ac disputent, maleque de imaginibus loquenti ac sentienti, quod sanioris mentis sit, suadeant. Erat Jannes in patriarchalium ædium triclinio, quod Thessalum vocant, in lectulo jacens, quum ad eum E regia mandata perlata sunt; moxque auditis animo perculsus, unum hoc respondit, se de his probe deliberaturum; idque locutus mandatorum latorem dimisit. Ac dicto citius, arrepta in manus lanceola, ventris venas secat, ex quibus, effluente sanguinis copia, exterrendum vulgus ac miseratione tangendum sciebat, mortem vero aut periculum aliud nullum sibi creandum timebat. Confestim ergo tumultuantium clamor ac vociferatio ecclesiam circumstrepere, quin et ipsas regias aures ante reditum ipsius drungarii (*militum præfecti, Constantini*) occupare, patriarcham imperatricis jussu interfectum esse. Missus itaque Bardas patricius, qui rumores istos diligenter inquireret, vulnera, de industria inflicta, sensim deprehendit: nec fabula coargutionis lucem effugit, quum famuli delatores essent et incisoria venarum instrumenta seu scalpella in medium proferrent. Exinde igitur nulla cujusquam miseratione, ut qui talis reus criminis suæque ipsius animæ insidiator deprehensus esset, expellitur, ejectusque F miser ecclesia, in suburbanum suum, dictum Psichæ, relegatur. Inducitur vero is, qui multis laboribus ac ærumnis integram et illibatam virtutem conservaverat, ac cui ex diuturno, ut natum est, carceris pædore atque fœtore pili defluxerant, cui Dei nutu ac Theodoræ Augustu assensu Ecclesiæ gubernatio clavusque debebatur, is erat magnus invictusque Ecclesiæ defensor Methodius.

c *De S. Methodio, patriarcha CPolitano, egerunt nostri sub die* XIV *Junii* (4).

d *Acta S. Tarasii, patriarchæ CPolitani, habent nostri die* XXV *Februarii, quo colitur* (5). *Irene imperante, coacta fuit Synodus Nicæna Secunda, OEcumenica Septima, anno* 787, *qua Iconomachorum error damnatus fuit, sed brevi, ut præsens Vita ostendit, recruduit perfidia.*

e *De S. Nicephoro patriarcha egimus supra cap.* I *annotato* p.

f *S. Joannicii, abbatis in Bithynia, memoriam agit Martyrologium Romanum die* IV *No-*

(1) Scriptt. Byzant. Theophanes Cont. pag. 86. — (2) Ibid. pag. 148. — (3) Ibid. pag. 150. — (4) Act. SS. tom. II Jun., pag. 960. — (5) Ibid. tom. III Febr., pag. 572.

vembris,

NICETA AUCTORE COÆVO.

vembris, quo ejus Acta dabuntur. Cfr Papebrochium in Ephemeridibus Græco-Moschis (1), *Assemanum in Kalendario Ecclesiæ universæ* (2) *et Hagiologum Butler sub* IV *Novembris.*

g *Secundum Alb. Butler S. Joannicius mortuus dicitur die* IV *Novembris* 845; *et recte quidem, si vere ipse Sanctus prædixerit, quod* non multum tempus post suum decessum viveret Methodius. Qua quidem in re non fuit falsus. Tertio enim die postquam hæc dixisset, (erat vero tertius Novembris) D. Joannicius spiritu migrat ad Deum; Methodius autem octavo mense post illius decessum excessit ex hac vita XIV Junii. *Si vera narrat Vita S. Joannicii, quæ ex Pagio Crit. Baronii ad annum* 847 § XVIII *exscribo, consequitur illum non potuisse consilio suo conferre ad promovendum S.* Ignatium *ad sedem CPolitanam, quandoquidem ante S. Methodium octo mensibus mortuus referatur. Quapropter censet Pagius, errasse biographum S. Joannicii; prævalere enim merito debet auctoritas Nicetæ scriptoris coævi, quem et omnes græci secuti sunt. Cæterum hæc quæstio retractanda erit ad* IV *Novembris, quo etiam dabitur, ut promisit Papebrochius, Vita hujus Sancti, hactenus inedita* (3).

B

h *Divisio virtutum moralium in quatuor Cardinales, prudentiam, fortitudinem, justitiam et temperantiam a stoicis derivata est, ut testantur S. Hieronymus epist.* LXVI *al.* XXVI (4) *et S. Augustinus oper. imperfect. contra Julian. c.* XXXVI (5) : *quos reliqui patres et theologi secuti sunt. Ita ut deinceps Ecclesia in indagandis virtutibus eorum, quos cultu publico illustrare vult, inquirat primum quidem in virtutes theologales fidei, spei et charitatis, ac dein in virtutes cardinales, quæ, si in aliquo servo Dei egregiæ ostensæ fuerint, demonstrant eumdem apicem christianæ perfectionis adeptum fuisse.*

i *Bardæ ingenium paucis describit continuator Theophanis his verbis* (6) : Bardas nullo fixus munere, alias ex aliis continue dignitates, profusa principis largitate, mutabat, haud secus ac juvenis quidam superbus ac ambitiosus vario ad luxuriam cultu mutat vestes. Mutata itaque functione ad cæsaris dignitatem

C gloriamque ascendit, quum Michael nulla alia reipublicæ cura teneretur, quam ut theatris ludisque circensibus vacaret... Ita Bardas nepotis curam agebat, cui nec vita, ut par est, in votis esse debuisset, nisi a servili vitæ hoc instituto illum avocaret. Interim tamen negotia publica administrabat, ac sibi ipse imperium animo destinabat, cujus quandoque sibi ipse compos fore videretur. Cæterum hæc quidem in futurum illi reposita. Interim vero sæcularis ac profanæ sapientiæ cura suscepta; quum jam plura lustra humaniores literæ imperatorum barbarie ac inscitia obsolevissent, ac prope exstinctæ essent, mathematicarum disciplinarum scholis ad Magnauram constitutis, magnifice rursus florere ac velut repubescere eam fecit. Nec tamen hoc Bardæ facinus quamquam summam præferret honestatem, gloriaque celeberrimum esset, ejus noxas D reliquas eluere valuit. *Refert dein in decursu suæ Historiæ Continuator, quomodo et Theodoram, Michaelis matrem e palatio exturbarit et reliquos optimates, sibi suspectos, variis artibus e medio tulerit.*

k *S. Basilius, epistola* CLX *al.* CXCVII *ad Diodorum* (7), *monstrat impedimentum affinitatis vim suam semper in Ecclesia christiana habuisse, imo et sub lege Mosaica viguisse. Vide quoque canonem* II *Concilii Neocæsariensis anni* 314 *aut* 315 (8). *Nurus, quacum fœde vixit Bardas, videtur fuisse vidua; hæc enim habet Leo Grammaticus in Chronographia* (9) : Michael (*imperator*) Antigonum, Bardæ filium, creat scholarum domesticum : alteri vero filio locata conjuge, cujus nomine male audiebat, supremi ducis in occidentalia themata dignitatem confert, qui etiam ibi vitam finiit. *Cæterum, ut nuru potiretur, legitimam uxorem repudiaverat Bardas, ut testatur Cedrenus in Historiarum Compendio* (10).

l *Generatim vox* domesticus *præfecturam aliquam indicabat. Scholarum porro domesticus,* Δομεστικος των σχολων, *erat præfectus militiæ* E *palatinæ, adeoque vir primariæ dignitatis. Cfr Du Cange. Glossar. med. græc. v°* Δομεστικος.

m *Eodem, quo S.* Ignatius *vixit, sæculo frequens erat inclusio et attonsio in monasterio eorum, qui cæterum pœnitentiæ publicæ subjiciendi judicabantur. Erat nempe monasterium carcer honestior quidem, sed simul securior, utpote ex quo nemo nisi de consensu utriusque potestatis dimitti poterat. Quocirca in Syntagmate Alphabetico Canonum Matthæi monachi sive Blastaris lit. M cap.* XV (11) *legitur :* Conceditur cuivis christiano, etiamsi graviter deliquerit, statum monasticum ingredi, qui vitam quidem pœnitentialem accurate nobis representat : nam velut columna quædam pœnitentiam externo habitu, victu, moribusque exprimit, atque nosmet ejus semper memores præstat. Neque vero aut delictorum multitudo, aut etiam magnitudo desperationem nobis creet : neque modus vivendi cuique obstet, quominus hunc tam gratum Deo scopum attingat : dixit enim Salvator noster. « Illum, qui ad me venit, neutiquam ejiciam F foras. » *Joan.* VI, 37. *Capitularia sæculi* IX, *ut testatur Benedictus collector, lib.* II, *cap.* 71 (12), *habent de incestis et parricidis, ut* aut monasterium petant, aut, si foris remanere voluerint, tempora pœnitentiæ secundum canones pleniter exsolvant (13). *Atque hinc fit, ut S.* Ignatius *imperatori non objecerit, invitas mulieres non posse tonderi; sed responderit, nullius criminis convictas non licere sibi perpetuæ pœnitentiæ addicere, utpote quod summa esset injuria. Porro, ut habent Genesius* (14) *aliique, Theodora,* dejecta honoribus, quos pares habuerat cum filio, ex palatio cum filiabus removetur, atque in monasterio, Gastria (15) dicto, collocatur, et ad monasticum statum redigitur.

n *Quam futilis fuerit istiusmodi accusatio, inde liquet, quod scriptores rerum Byzantina-*

(1) Act. SS. tom. I Maji., pag. 4. — (2) Kalend. tom. V, pag. 335. — (3) Act. SS. tom. I Maji., pag. L. — (4) Migne. Patrol. tom. XXII, col. 640. — (5) Ibid. tom. XLIV, col. 1063. — (6) Scriptt. Byzant. Theophanes Cont. pag. 184. — (7) Oper. tom. III, pag. 249. Edit. Paris. 1730. — (8) Labbe, tom. I, Conc. col. 1484. — (9) Scriptt. Byzant. Leo Gramm. pag. 238. — (10) Ibid. Georg. Cedren. pag. 172. — (11) Pandorf. Conc. Eccl. græc. tom. II, Part. II, pag. 187. Edit. Oxon. 1672. — (12) Pertz. Monum. Germ. Legum, tom. I, Part. II, pag. 77. — (13) Cfr Migne. Patrol. tom. XCIX, col. 191 ; et Binterim. Denkwürd, tom. V, Part. III, pag. 139 et seqq. — (14) Genes. Reg. Lib. IV, pag. 90. — (15) Cfr Du Cange. CPolis Christ. Lib. IV, pag. 156.

rum

A *rum quotquot nancisci potui (legi autem plerosque, Continuatorem Theophanis, Cedrenum, Glycam, Zonaram, Ephræmium, Constantinum Porphyrogenetum, Manassen, Genesium, Leonem Grammaticum) nuspiam mentionem facere de isto Gebone. Unde conjicere licet, stolidum istum virum, excitasse in quibusdam ex infima plebe, commotionem quamdam, facili negotio sedatam, quæque virum gravem, qualis erat S.* Ignatius, *in suas partes inclinare non poterat. Cæterum de S. Theodora augusta agunt nostri ad diem* XI *Februarii* (1); *ibique dicitur augustam non alios, quam ex Theophilo imperatore suscepisse liberos* (2).

o *Oxia seu Acuta est insula Insulis Principum adjacens.*

p *Carianum, ut notat Car. Du Cange* (3), *erat simul palatium, gerocomium et monasterium, in loco amœnissimo situm, quod ædificaverat, Theophilus imperator Michaelis pater, in gratiam filiarum suarum : optima igitur datur ratio, cur in has ædes matrem et sorores relegarit Michael.*

B

CAPUT III.

Photius vi et dolo sedem CP. usurpat; S. Ignatium persequitur, et Romanum Pontificem decipere tentat.

Photius laicus, omni genere literarum imbutus,

Postquam igitur administri regii sæpe tentata re, non potuerunt flectere Ignatium ad id, quod inique petebant, suam illo dignitatem fortiter et constanter tuente, a se ipsi consilium de cætero petiverunt: rebusque inter se diu agitatis, omnemque in partem versatis, tandem Photium, protospatharium et primum a secretis, *a* patriarcham urbis regiæ designant: hominem sane minime obscurum et ignobilem, sed claris et illustribus oriundum natalibus, rerumque civilium et politicarum usu, prudentiaque et scientia clarissimum. Grammaticæ enim literaturæ et carminis pangendi, dicendique laude, quin et philosophiæ et medecinæ et omnium prope liberalium disciplinarum externarum studio cognitioneque tantopere florebat, ut ævi sui facile princeps haberetur, imo et cum veteribus jam certare posset. Omnia quippe in illo concurrerant, aptitudo quædam et naturæ vis ac felicitas, studium, opes, quibus sibi librorum omnium maximam copiam comparabat; et, quod præ cunctis, gloriæ laudisque cupido, qua incensus totas noctes, ut lectioni assidue vacaret, ducebat insomnes. Quoniam vero sacrum etiam (quod utinam numquam fuisset) thronum Ecclesiæ conscensurus erat; sacra quoque et ecclesiastica volumina studiose cœpit lectitare. Verum, ut Theologi Nazianzeni ritu loquar *b*, quod sane ipsius sapientia indignum fuit, ignorationem ignoravit. Noluit enim animadvertere, quoniam *si quis vult sapiens fieri in hoc mundo, stultus sit, ut sapiens fiat**. Neque viam modestiæ et submissionis ingressus est, qua ad cœlestem gratiam veramque sapientiam pervenitur; neque, deposito fastu, voluit converti et fieri ut parvulus propter regnum Dei, juxta Domini vocem*: neque animam et mentem altius fodere et omni subjectione dimittere, ut jubet Dominus, per abjectionem humilioremque semitam; atque ita per affectuum mortificationem petræ Christo conjungi et super ipsum inconcussum fidei fundamentum ponere et piis operibus seipsum domicilium sapientiæ constituere.

a

C

b

* I Cor. III, 18

NICETA AUCTORE COÆVO.

* Matth. XVIII, 3.

19 Nihil horum huic venit in mentem, alia omnia cogitabat; fragili et arenoso vanæ profanæque sapientiæ fundamento et insolentiæ, non secundum Christum doctrinæ, cor suum mentemque confirmans, vanis hominum laudibus et plausibus inflatus, elatusque inani gloria, per ipsam inimicæ Dei superbiæ se conjunxit, ex quo omnis impietatis, omniumque offensionum materiam edoctus est. Ergo jactis sacerdotii sui improbandis fundamentis, extrema initiis consentanea sortitus est. Nec enim repudiavit Ecclesiam, tamquam a profanis magistratibus profane et sacrilege sibi demandatam; neque velut alteri viro nuptam, sibi per adulterium desponderi veritus est: sed contra potius exsultabundus, avide impudenterque in illius complexum ruit, alienamque tamquam propriam palam arrogavit; sua infamia et dedecore gloriabatur et laudabatur in iniquitate sua: intraque sex non amplius dies, manibus hominum initiatus, concupitam Ecclesiæ cathedram invasit. Eratque vere cernere, ut fertur adagio, extemporalem fictitiumque seu personatum Sanctum. Nam primo die monachus ex laico *c*, altero lector, tum hypodiaconus, ac diaconus et presbyter *d*; sexto deinde, qui fuit Christi natalis, et ipse sacrum conscendens tribunal, pacem populo, nihil vera pace dignum cogitans *e*, nuntiavit *f*. Erat huic auctor et initiator in omnibus Gregorius ille, cognomento Asbesta, quem Syracusanum olim pontificem fuisse ferunt *g*, tum Constantinopoli de maleficiis reum factum et jam Romæ, quod contra canones peccasset, exauctoratum. Hunc Ignatius, quum esset patriarcha consecrandus, ne initiationi suæ interesset, admonuit, donec per otium causa ipsius diligenter cognosceretur. Quod patriarchæ inter initia factum multi, quamvis juste factum, reprehenderunt.

sedem CP.

E

c

d

e f

g

F

20 Hinc, o quis ex his paucis verbis ortam cladem illam et noctem explicet? Quis turbas et factiones, litesque et improbitatem illius probi Siculi dicendo assequatur? Simul ac enim ejus rei nuntium accepit, non se philosophum ostendit, et infamiam suam prudenter dedecusque contexit; sed cereos, de Ignatii consecratione acceptos *h*, abjecit, et impudentissimo ore innocentem coram universa Ecclesia fœdissime conviciatus, lupum pro pastore substitui furiose clamitavit. Quem et Petrus, Sardorum episcopus, cognomento Miser *i*, et Eulampius Apameæ *k* aliique e clero obscuriores, se ipsos ab Ecclesia sine causa sejungentes, secuti sunt. Undecim igitur ipsis annis *l* Ignatius a recepta primum sede Constantinopolitana, omni ratione conatus, omnique verborum humanitate et liberalitate

impie et fraudulenter usurpat;

h

i k

l

(1) Act. SS. tom. II Febr., pag. 554. — (2) Ibid. pag. 557. Cfr Lebeau. Hist. du Bas-Emp. Lib. LXX, § 37. — (3) CPolis Christ. Lib. II, pag. 133 et lib. IV, pag. 154 et 166.

NICETA AUCTORE COÆVO.

beralitate adhibita, numquam tamen potuit Asbestæ improbitatem exstinguere *m*. Etenim potentiorum limina terebat, apud omnes virum nullam ob culpam criminabatur et acerbe conviciis proscindebat, et Sanctum exsecratus, ne christiani quidem nomine dignabatur. Præsertim vero Photio ejusque asseclis gratissimus et honoratissimus, magnus quidam homo Dei credebatur. Quare ab eodem Photius primum est initiatus: qui hominis auctoritate inductus, totum ex illo adversus insontem Ignatium furorem hausit, perinde quasi ad hoc ipsum patriarcha esset consecratus, ut omnibus consiliis modisque omnibus innoxium iret perditum; sic pugnabat, ut illum sacerdotio non tantum privaret, sed vita etiam, si posset, exueret. Licet essent ab eo per metropolitas suos, a quibus est receptus, exacta chirographa, ut paternum Ignatio honorem tribueret, omniaque ex ejus voluntate gereret, nec ulla in re molestus esset; ipse tamen vix post duos a creatione sua menses, juramento suo violato, primum
B Ignatii familiares conjecit in vincula, dirisque flagris et plagis multavit; deinde rursus blanditus, muneraque et honores pollicitus, chirographa petiit et omnibus modis studuit adversus Ignatium exilii causam reperire. Quumque nihil horum, quæ ipse cupiebat, inveniret, sceleratо Bardæ, perque Bardam Michaeli levissimo suggerit, ut mittat, qui in Ignatium, velut imperio insidiantem, severe inquirant.

S. Ignatium *persequitur*,

21 Ergo crudeles præfecti, atrocesque satellites extemplo Terebinthum petunt, omniaque genera quæstionum instruunt et famulos Ignatii tormentis omnibus excruciant. Post-
Ps. LXIII,7. quam vero defecerunt scrutantes scrutinia*, nec quidquam deprehenderunt, quo jure in illum animadverterent, aperto scelere in eum grassantur. Arreptum enim virum sanctum et suos Hieriam *n* traduxerunt, atque Ignatium vinctum stabulo caprario incluserunt. Inde ad ea loca transferunt, quæ Prometi *o* dicebantur; ubi Leo ille, cognomento Lalaco, Numerorum Domesticus *p*, tam immaniter colaphis genas illius cecidit, ut sacratissimo
C seni duos molares, excuteret dentes: dein vectibus geminis, latronum instar, pedes strinxerunt, angustoque conclusum ergastulo, duobus dumtaxat pueris administris illi concessis, reliquerunt. Tota autem vis hæc et vexatio eo pertinebat, ut Ignatius abdicationis libellum scriberet, sponteque throno patriarchali cederet. Sed Ignatius, quum lupum in gregem atrociter grassari cerneret, quantum poterat, impetum reprimebat. Elapsis autem haud multis inde diebus, in Numera *q* deductum, in carcere catenis onerant: dein Augusto mense appetente, in navigium conjectum Mitylenem *r* deportant. Porro eos, qui habebantur ejus familiares et amici, immanissimis cruciamentis plagisque lethalibus afficiebant; quos autem humanissime tractabant, exsilio multabant; Blasioque chartophylaci *s* ob fidem et dicendi libertatem linguam detruncarunt. Ignatio porro Mitylenæ commorante, Photius, ecclesia malignantium, sibi affinium, coacta, absentis Ignatii in ipso gloriosissimorum Apostolorum templo exauctorationem pronuntiat: nec pronuntiat tantum, sed anathemate Ignatium ferit damnatque, et damnatum idem accusator, idem judex proclamat *t*. Qui quos factioni suæ studere, factisque insanis accinere ac decretis subscribere videbat, hos vero inter intimos amicos et symmystas habuit: qui autem ejus amentia offendebantur, factaque (ut qui sincero officio forent) non probabant, prætorio et vinculis pessime acceptos tradebat.

D

et Romano Pontifici fucum facere tentat.

22 Multis igitur mussitantibus, improbaque Photii acta damnantibus, imo et ipsa factorum suorum conscientia reclamante, Photius consilium improbum magis quam sapiens capit. Non enim bono malum, sed malum malo sanare, minorique malo majus addere cogitat. Nam ut virtutis viam ingressi, per bona opera, quasi per gradus, ad Deum nituntur; ita improbi, relicto recto tramite, per opera mala auctori malitiæ copulantur, sceleque scelere cumulare non desistunt, donec in profundum malefactorum suorum præcipites agantur. Legationem ergo et ille Romam Veterem destinat, et a Nicolao Papa *u* legatos petit, qui in speciem quidem collapsam Ecclesiæ disciplinam emendent et damnatæ Iconomachorum sectæ reliquias penitus exstinguant; revera autem, ut Romanæ Ecclesiæ auctoritate Ignatii depositionem firmaret, testatioremque redderet. Legat ergo Theophilum, Amorii episcopum *v*, et Samuelem, qui ad illum diem Chonarum antistes, Laodiceno subjectus, archiepiscopi honore dignatus est a Photio *w*. Per quos egregius ille non veritus est ad Pontificem maximum mendacia perscribere: Ignatium, senio et morbo confectum, corporisque invaletudine laborantem, se munere abdicasse, suaque in insula et cœnobio commorari, et a principibus populoque et tota Ecclesia omni honore et officiis coli. Pontifex, legatis exceptis, rerum, Constantinopoli gestarum, ignarus, duos legatos Zachariam et Rhodoaldum episcopos *x* ablegat.

t

u

v

w

x

ANNOTATA.

F

a *Photius, illustri loco ortus, siquidem imperatoriam familiam affinitate per Sergium, fratrem suum, maritum Irenes, quam Curopalates apud Baronium ad an.* 855 § LI *filiam Theodoræ, Continuator Theophanis* (1) *ejusdem sororem dicit, attingebat, præcellenti versutoque ingenio, quod dein scientiis sacris et profanis summo labore excoluerat, erat ornatus. Quum autem Bardas, imperatoris avunculus, Photium, protosphatarium et secretarium, hominem hactenus laicum, ad thronum CPolitanum promovere vellet, dolis malis usus est ad trahendos in suam sententiam episcopos. Rem narrat, continuator Theophanis* (2) : Quia vero nonnulli episcopi adversabantur, jusque in eo, (Ignatio, *immaniter habito*) profligatum et pessumdatum objectabant, quidquid denique contingeret, nullum alium se recepturos minabantur, quin imo ab Ecclesia scissum iri. Hinc rerum turbationes veritus Bardas hos quoque dolo et vulpina arte circumveniendos censuit. Sin-

(1) Scriptt. Byzant. Cont. Theoph. pag. 173. — (2) Ibid. pag. 194.

gulos

A gulos itaque seorsim ac clanculum ad se accersens, non exiguum aliquid aut spernendum tum pollicebatur aut dabat, dummodo ab Ignatio deficerent, sed ipsum thronum CPolitanum. Cunctos vero cedentes, gloriæque ambitu superatos, ita ut nemo boni jurisque causa refragaretur, demum admonuit, impleturum quidem imperatorem pollicitationes suas, illis tamen servandum, quod decori, honestique ratio poscebat, ita ut non statim, quum accerserentur, oblata acciperent, « quo et ipse, inquit, imperator vestræ virtutis, supra modum admirator exsistat. » Sic itaque singulis seorsum ad Michaelem vocatis auctor est, ne confestim in dignitatem involent. Atque hi quidem solo nutu interrogati et abnuentes ipsi se imprudentes prodiderunt; gloriæ enim amore superati virtutis fecere jacturam; nec gloriam sunt assecuti, quod non rite exque honesti ratione, sed insidiose, Ignatii causam deseruerant. Sic itaque humanum quid se passos ostendentibus, inque eum modum deceptis, Photio, viro
B sapientiæ laude claro, sæculari militia ac dignitate secretariorum principi CPolitanam sedem tribuit.

b *Alludit biographus ad Orationem Gregorii Nazianzeni* XXVIII, *alias* XXXVI § 28 (1), *in qua agens Sanctus de cognitione Dei, dicit eum ab homine comprehendi non posse; quum homo ne se ipsum quidem aut visibilem naturam perfecte cognoscat, adeoque multo minus substantiam spiritualem perfectissimam, quæ est Deus : quumque hæc expossuisset orator, hisce verbis concludit :* Cæterum ducem potius fidem, quam rationem sequamur, si modo ingenii tui imbecillitatem in propinquioribus (*id est, in naturalibus*) didicisti, rationisque id esse cognovisti, ut quænam sunt ea, quæ rationis humanæ captum excedant, cognoscas : ne alioqui prorsus terrenus sis, rebisque terrenis immersus, ipsam quoque ignorantiam tuam ignorans.

c *Apud græcos in more positum est, ut non nisi monachi ad episcopatus gradum promoverentur* (2) : *quod derivandum est ex græcorum presbyterorum licentia habendi uxores, quod*
C *canones Ecclesiæ græcæ episcopis minime permittunt* (3). *Hinc factum credo, quod Photius, hactenus laicus, militari præfectura et civili officio insignitus, monachum prius induerit. Tres autem sunt, ut docet Jacobus Goarius in suo Euchologio* (4), *monasticæ vitæ gradus penes græcos; ita et tria sunt vestium genera, triplici solemnitatis precumque ritu suscipienda : quapropter et in tres distinguuntur status, in* ἀρχαρίους *seu* incipientium, μικροσχήμους *seu* proficientium *et* μεγαλοσχήμους *seu* perfectorum. *Posteriorem tamen vestium distinctionem improbavit S. Theodorus Studita* (*cujus Acta ad diem* XII *Novembris dabuntur*) *in suo testamento, quod legere est apud Baronium ad annum* 826 § LVII, non dabis, *inquit,* parvum habitum, quem vocant, postea veluti magnum. Unus est enim habitus, sicut et baptisma, quemadmodum in more fuit Sanctorum Patrum. *An porro Photius duplicem hunc habitum una die induerit, dijudicare non licet : id certum videtur, nihil eidem defuisse, quod ab externa solemnitate prodesse poterat.*

d *Quum apud latinos septem ab ostiaratu ad presbyteratum numerentur ordines ; Ecclesia vero græca quinque solum ordines recenset, nempe Lectoris seu Cantoris,* Ἀναγνώστου ἢ ψαλτου, *Deputati seu Cereferarii* Δεποτατου ἢ Κηροορου (*quem ordinem omisit biographus noster, forsitan quia Photius utrumque acceperat*) *Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri* (5).

e *Post lectam Epistolam, ait Goarius* (6), *pacem populo precatur sacerdos vel episcopus; quod græci vocant* εἰρηνευειν του ἀποστολον : *apud latinos, uti satis novimus, episcoporum est pacem apprecari, dum presbyteri salutant populum, dicendo :* Dominus vobiscum.

f *Interstitia, seu stata intervalla in collatione diversorum ordinum, servanda erant in Ecclesia græca, ut constat ex Concilio Sardicensi, canone* X *apud græcos* (7), XIII *apud latinos* (8). *Sed nempe tempus Photium premebat; si enim ordinationem suam per intervalla temporum protelasset, timendum ei erat, ne aut imperatoris imminueretur favor, aut, quod ambitioni periculosius erat, ipsi viri ecclesiastici, Ecclesiarum antistites et præsertim Romanus Pontifex suas technas eluderent. Hunc ipsum canonem Sardicensem Photio objicit S. Nicolaus I, monstratque in Oriente receptum fuisse, simulque etiam aliis decretis ecclesiasticam disciplinam in hac parte sartam tectam servatam non fuisse* (9). *Nihilominus ordinationem suam præcipitem excusabat Photius exemplis Nectarii ac SS. Tarasii et Ambrosii, qui e laicali conditione ad episcopatum evecti fuerant! Sed reponit Pontifex, hos viros vacuas sedes occupasse, dum Photius, deturbato episcopo legitimo, alienam sedem invaserit; dein ostendit has electiones præter canones propter necessitatem Ecclesiarum esse factas.* Ecce, *inquit concludendo* (10), propter necessitatem et inopiam clericorum Nectarius; ecce propter ecclesiastica dogmata et hæreticorum expugnationem, qui venerandas imagines deponere præsumpserunt, Tarasius; ecce per miraculorum signa Ambrosius ad regendas Ecclesias promoti sunt. De vobis autem, quibus perplu- F
res auctoritates conciliorum resistunt, quid aliud sentiendum, nisi inopinatam a vobis consuetudinem adolevisse credendum. Et secundum Sanctorum Patrum sententiam, non solum quia ex laicali ordine contra canonicas auctoritates ad regendam CPolitanam Ecclesiam subito transvolastis, sed etiam, quia, vivente viro et incolumi persistente (videlicet religiosissimo Ignatio patriarcha) cathedram illius, scilicet CPolitanam Ecclesiam, ut mœchus, surripuistis et invadere præsumpsistis... Quod vero dicitis, neque Sardicense concilium, neque decretalia vos habere sanctorum pontificum, non facile nobis facultas credendi tribuitur; maxime quum Sardicense Concilium, quod penes vos in vestris regionibus actum est, et omnis Ecclesia recipit; qua ratione convenerat, ut hoc Sancta CPolitana Ecclesia

(1) Nazianz. Oper. tom. I, pag. 519. Edit. Paris. 1778.—(2) Act. SS. tom. VII Maji, Append. pag. 702. — (3) Justinian. Novell. CXXIII, cap. 29. — (4) Pag. 472 et 488. Cfr Morin. De Sacris Eccl. Ordinat. Part. II, pag. 197. — (5) Cfr Goar. Euchol. pag. 233 et seqq. et Morin. de Sacris Ordinat. Part. III, pag. 12. — (6) Euchol. pag. 129. — (7) Labbe tom. II, Conc. col. 635. — (8) Ibid. col. 647. Cfr Thomassin. Discipl. Eccl. Part. I, Lib. II, cap. 36. — (9) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 1022. — (10) Ibid. col. 1033.

NICETA AUCTORE COÆVO.

abjiceret et (ut dignum est) non retineret? *Propriis igitur armis Photianam ambitionem jugulat S. Nicolaus I.*

g *Gregorius, ait Rocchus Pirrus in Sicilia Sacra, lib.* III *notit.* II (1), *cognomento Asbesta, genere siculus, anno* 845 *circiter Syracusanam Ecclesiam regebat. Dicit porro laudatus Pirrus, Gregorium post aliquot annos in Concilio CP., ab* Ignatio *celebrato, motum depositumque e suo honoris gradu, probasse id judicium, causa diligenter cognita, Benedictum Pp. III. Celebratum concilium CP. notat Philippus Labbe anno* 854 (2), *nempe sub Leone Pp. IV, ut dicit Nicolaus in epistola ad Michaelem imperatorem* (3) : *sed hanc sententiam confirmasse non videtur sedes apostolica; dicit enim Nicolaus de Gregorio agens* (4) : Qui a fratre et comministro nostro Ignatio, et a synodo, quæ sub ipso erat, depositus est, et, ut apostolica sedes in ejus damnatione consentiret, ab ipso consacerdote nostro postulata est. Sed decessores mei beatæ memoriæ Leo ac Benedictus sedis apostolicæ moderamina servantes, noluerunt sic unam partem audiri, ut aliæ parti nihil B reservarent : unius quippe mediator non est. Quamobrem interim depositio ipsius a sede apostolica, remansit infirma. Quumque idem Gregorius per legatum suæ partis, Zachariam nomine, sedem agnovisset apostolicam in sua depositione nullatenus consensisse, non gratias egit, non a cœptis in jam dictum fratrem nostrum sævientibus contumeliis conquievit, *etc. Quamvis hisce verbis clare pateat, sententiam, in Gregorium prolatam, et ipsa judicis reservatione et damnati appellatione elisam fuisse, nihilominus in eadem epistola idem Nicolaus habet Gregorium tamquam* canonice ac synodice depositum et anathematizatum, *quod ægre cum superioribus componi posse videtur. Improbans enim ordinationem Photii per Gregorium celebratam, dicit* (5) : Gregorius ergo, qui canonice ac synodice depositus et anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius a Gregorio percepit nisi quantum Gregorius habuit : nihil autem habuit, nihil dedit : *nempe quantum spectat ad* C *jurisdictionem et ad liberum ministerium ordinis episcopalis, nam characterem acceperat per ordinationem etiam illicitam* (6). *Hæc autem duo, scilicet ut Gregorius Asbesta sit depositus et non depositus, omnino videntur pugnare. Solvit probabili modo quæstionem Nicetas, biographus noster : nam refert, Asbestam, quo tempore S.* Ignatius *consecrandus erat, adeoque antequam ab eo condemnari posset, jam Romæ, quod contra canones peccasset, exauctoratum fuisse.* Ἠδη και ὑπο της των Ρωμαιων ἐκκλησιας, ὡς παρα κανονας πραξαντα, καθῃρημενον. *Hinc deduco, et Asbestam Gregorium sede sua Syracusana ejectum fuisse judicio Ecclesiæ Romanæ, ad quam Sicilia pertinebat* (7), *et CPoli novis criminibus vetera cumulasse: unde iterato damnatus fuit a S.* Ignatio, *ut non solum sede caret sua, sed etiam gradu suo solemni judicio* D *dejiceretur; ita ut judicio sedis apostolicæ fuisset depositus, et altera sententia S.* Ignatii *solemni ritu degradatus.*

h *Cereos a patriarcha CPolitano consecrando missos fuisse ad honoratiores, liquet ex textu. Ritus videtur derivandus ex eo, quod, ut habet Simeon Thessalonicensis, citatus a Goario* (8), *patriarchæ fax præferretur, quæ gratiæ splendorem in pontifice manifestat. Hic honor* solis imperatoribus, *ait idem,* ac patriarchis per gratiam Sancti Spiritus ex antiqua consuetudine concessus est. *Hunc honorem S. Joanni Chrysostomo, ab exilio redeunti, redditum fuisse, legimus apud Theodoretum, lib.* V, *Hist. Eccles. cap.* 34 (9) : Occurrerunt enim, cereis facibus accensis universi.

i *Non videtur alia re notus* Petrus, cognomento Miser, ὁ λεγομενος Δειλαιος, *quam persona, quam egit in Photiana tragœdia* (10) *et naufragio, quo periit in sinu Dalmatico, quando legatione pro Photio ad Romanum Pontificem fungebatur, ut infra num.* 42 *docet biographus.*

k *Neque plura neque meliora, quam de Petro Sardensi, noscuntur de hoc episcopo Apameæ ad* E *Meandrum* (11).

l *In Commentario prævio num.* 8 *monstravimus undecim annis, a Niceta relatis, addendos esse menses quatuor et dies viginti quatuor.*

m *Non immerito initium diri schismatis in Gregorium Asbestam refundunt Philippus Labbe* (12) *et Card. Baronius ad annum* 854 § VIII.

n *Duplex est in Bosphoro Hieron, quod etiam Hieria,* Ἱερεια *vocatur, utrumque in littore Asiatico situm. Unum quidem ad septemtrionem CPoleos, ubi erat templum Michaelis Archangeli* (13) : *alterum e regione ejusdem situm, in quo erat palatium cæsareum* (14), *ut monstrat Spruneri Atlas Historicus, Tab.* LXII *et docet Procopius in Hist. Arcana cap.* XIV. Majorem anni, *inquit,* partem in maritima suburbana, præsertim in Heræum secedebat (*Theodora, Justiniani conjux*) magno servitiorum incommodo. *In quem locum Nicolaus Alemannus adnotat, Procopium* uti maluisse prisca ejus loci nomine, Ἡραιον *Heræum, dum alii* Ἱερειαν *scribant* (15). *In utro autem loco S.* Ignatius *detentus fuerit, nobis definire non licet.* F

o Loca Prometi, τα Προμηθου, *mihi incognita; nisi tamen sint, quæ apud alios* τα Προμοτου *dicuntur, in littore Chalcedonico* (16), *adeoque e regione CPoleos : ita ut fieri possit, ut ipsa Prometi fuerint vicina Hieriæ, si tamen istic S.* Ignatius *inclusus fuerit. Simeon Magister in suis Annalibus* (17) *eumdem locum vocat* τα Προμουντου, Promunti ædes.

p *Leo Lalaco dicitur domesticus Numerorum, seu præfectus cohortis palatinæ* (18) : *num forte præfectus carceris, de quo paulo infra? Baronius tamen ad annum* 858 § LII *eumdem vocat* Sacrarum Largitionum domesticum *seu comitem; quod officium omnino alienum a militari præfectura erat, siquidem ejus scribæ militia literata appellabantur* (19).

(1) Grævius. Antiq. Sicil. tom. II, col. 593. — (2) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 133. — (3) Ibid. col. 338. — (4) Ibid. l. c. — (5) Ibid. col. 335. — (6) Cfr Tournely De Sacram. Ord. Art. VI, pag. 310. Edit. Paris 1729. — (7) Cfr Rocc. Pirrum. Sicil. Sacra. Disquisit. I, cap. I et seq. Apud Grævium. Ant. Sicil. tom. II, pag. 2 et seqq. — (8) Euchol. pag. 315. — (9) Theod. Oper. tom. III, pag. 1074. Edit. Halens. 1771. — (10) Cfr Le Quien. Oriens Christ. tom. I, col. 863. — (11) Ibid. col. 657. — (12) Tom. VIII, Conc. col. 133. — (13) Du Cange. CPolis Christ. Part. II, pag. 187. — (14) Scriptt. Byzant. Procop. tom. III, pag. 93. Edit. Bonn. — (15) Ibid. pag. 431. — (16) Du Cange. CPolis Christ. Part. II, pag. 186. — (17) Scriptt. Byzant. ap. Cont. Theophan. pag. 668. — (18) Cfr Du Cange. Gloss. med. græcit. v°. Νουμερα. — (19) Pancirolus. Notit. Imp. Orient. pag. 125. Edit. Gener. 1623.

q Numera

A q Numera *carcer erat CPoli* (1) : *apud Theophanis Continuatorem lib.* IV, *cap.* 22 *legimus Irenen, viduam fratris Photii, mensis cujusque initio consuevisse ire* ad eos qui vincti in Chalce, in Prætorio et Numeris tenerentur (2). *Eodem modo Simeon magister Numera carcerem vocat* (3).

r *Mitylene urbs insulæ Lesbi, in mare Ægæo a qua et insula hodie nomen mutuatur,* Metelin (4).

s *Chartophylax quintam a patriarcha in Ecclesia CPolitana tenebat dignitatem et quidem maximam; siquidem, teste Codino in libro de Officiis Ecclesiæ CP, cap.* I (5) tabulas habet chartaceas, ad jura ecclesiastica pertinentes et est judex omnium causarum ecclesiasticarum et controversiis matrimonialibus cognoscendis ac dirimendis præsidet : quin et in cæteris clericorum litibus judex est, tamquam dextera patriarchæ manus.

t *Descriptam habemus pseudosynodum Photianam in collectione Conciliorum* (6). *In Zonaræ autem præfatione inscribitur :* Sancta et magna prima et secunda synodus CPolitana, B in templo Sanctorum et gloriosissimorum Apostolorum congregata. Apud eos ergo, qui hanc inscriptionem legunt, dubitatio exoritur, qua ratione, una quum sit, prima et secunda hæc synodus nuncupetur. *Explicat dein Zonaras, inter orthodoxos et adversæ factionis homines acerbam fuisse disceptationem, quæ ad sanguinis effusionem conventum funestavit. Propterea post temporis intervallum novus conventus habitus fuit : et ob patres, bis convocatos, duplex synodus nominatur. Hæc quidem Zonaras. Ast Metrophanes, Smyrnensis metropolita, coævus rebus gestis* (7), *rem aliter exponit in epistola, data ad Manuelem patricium, quæ inseritur in epistola synodali Concilii œcumenici* VIII, *directa ad Adrianum Pp. II* (8). *Dicit imprimis, Photium non ab episcopis per suffragia designatum ex lege et ritu Ecclesiæ, sed ab uno dumtaxat Barda cæsare intrusum. Quapropter omnes episcopi, communi sententiam illum rejicientes, multis diebus in sententia perstiterunt. Ecce prima synodus.* Dein, *pergit Metrophanes,* sensim per fraudem pene omnes defecerunt, præter quinque, inter quos et ego C numerabar. Atque ut animadvertimus, rudiorem episcoporum gregem esse corruptum, illum saltem chirographo suo Ecclesiæ nostræ filium esse declarandum, et communioni sanctissimi patriarchæ reddendum existimavimus, ut hac etiam ratione a patriarchæ decreto non videremur alieni, qui sanxerat, ut ex nostra in Christo Ecclesia esset, qui patriarcha constitueretur. Ergo quum, præsentibus nobis, ille chirographo suo contestatus esset, se Ignatium pro inculpato patriarcha habiturum, neque se quidquam contra illum dicturum aut dici ab alio passurum, ab invitis nobis, quum per vim principum urgeremur, Photius est receptus. (*En secunda synodus.*) Qui paulo post et suum ipsius chirographum abstulit, et Ignatium depositione multavit. *Græcum textum alio modo reddit Baronius ad* 870 § XLVI, *quo rei gestæ aliam omnino imaginem exhibet, quam operæ pretium credimus huc proferre.* Dein vero omnes fere paulatim defecerunt, exceptis quinque, inter quos ipse fui. Atque quum primum vidimus universam episcoporum multitudinem corruptam, operæ pretium fore duximus, nostra etiam manu scripta assensione Photium nostræ Christi Ecclesiæ filium declarare, et sanctissimi ejus præsulis Ignatii socium et collegam, ut hoc pacto Bardæ edicta nullo modo refragari deprehenderemur. Edixerat enim ille ut nostræ Christi Ecclesiæ patriarcham constitueremus, licet coram nobis sua scripserit manu, se Ignatium ab omni culpa immunem patriarcham existimare, nec umquam adversus illum aliquid se dicturum. Si quis vero dicat, Photium fuisse admissum patriarchæ collegam : admissus certe fuit Photius a nobis tamen invitis, vi quidem et ejus qui imperabat imperio. Qui paulo post quod sua manu chirographum scripserat, ipse etiam delevit et Ignatium deposuit. *Facile perspicit lector, quanta sit inter utramque versionem diversitas. Quod rem nostram spectat, duo sunt præsertim inter sese maxime dissimilia : nempe Photium redditum simpliciter communioni S.* Ignatii; E *dum alia versio eumdem socium et collegam constituit : alterum est, jussu S.* Ignatii *e clero CPolitano patriarcham assumendum esse, quando istiusmodi mandatum adscribit. Ante omnia græca verba in medium adducamus :* Και ὡς εἰδομεν το ἀγελαιον πληθος των ἐπισκοπων ὑποφθαρεν, ὡηθημεν δειν κἀν δι'ἰδιοχειρου ὁμολογιας τεκνον αὐτον ἀποφηναι της ἐν Χριστῳ καθ' ἡμας ἐκκλησιας, και του ταυτης ἀρχιερεως ἁγιοτατου κοινωνον, ἱνα και ὁυτω προς την ἐκεινου διαταξιν μηδαμως εὑρεθωμεν διαφωνησαντες · ἠν γαρ θεσπισας, ἐκ της ἐν Χριστῳ καθ' ἡμας ἐκκλησιας ψηφισασθαι πατριαρχην. *Quæ verba ad literam reddimus :* Et quum videremus, rudiorum turbam episcoporum esse omnino corruptam, duximus oportere, ut propriæ manus confessione filius nostræ in Christo Ecclesiæ, et socius sanctissimi archiepiscopi ejusdem Ecclesiæ (seu in communione cum archiepiscopo) declararetur : ut tali modo de ejus mandato nullatenus dissidentes inveniremur : jusserat enim ex nostra in Christo Ecclesia patriarcham esse eligendum. *Videt lector totam quæstionem versari imprimis circa vim vocis* κοινωνον, *quæ potest significare* partiF cipem patriarchæ, *adeoque socium et collegam ejus, aut communicantem patriarchæ. Et vere derivata a* κοινος *plerumque communionem ecclesiasticam, quæ in unitate SS. Eucharistiæ et oratione constituebatur, significabat, ut Glossarium mediæ græcitatis abunde testatur, neque nuspiam reperi pro associatione ad aliquam dignitatem. Nihilominus censeo, hanc vocem* κοινωνον *probabiliter interpretari nos posse, imo et debere pro consortio dignitatis patriarchalis, uti hodie diceremus pro coadjutoria cum futura successione. Ratio, quæ me impellit, est ipsa inutilitas actus, si de sola communione laica ageretur, neque Metrophanes prætendere debebat id a se invito exactum fuisse; patriarcham Photium volebat Bardas, adeoque id erat aliquatenus etiam ab invitis faciendum : associando autem Photium S.* Ignatio *et sua huic manebat dignitas et illi tradebatur, cum certa spe conscendendi aliquando throni patriarchalis,*

(1) Gloss. med. græcit. v°. Νουμερα. — (2) Scriptt. Byzant. Cont. Theoph. pag. 175. Edit. Bonn. — (3) Ibid. pag. 668. — (4) Baudrand. Dict. geogr. h. v. — (5) Scriptt. Byzant. Codin. de Off. pag. 4. Edit. Bonn. — (6) Labbe tom. VIII, Conc. col. 1511. — (7) Le Quien. Or. Christ. tom. I, col, 743. — (8) Labbe tom. VIII, Conc. col. 1386.

jam

NICETA AUCTORE COÆVO.

jam præsens officii episcopalis ministerium : hac ratione utrique parti satisfactum iri existimabat. Unde consortium dignitatis per vocem modestiorem κοινωνον *admittendum censemus, eoque maxime, quod statim subnectat, patriarcham e gremio Ecclesiæ CPolitanæ, cujus filius erat Photius, suffragiis episcoporum eligendum fuisse : si enim ante de sola communione ecclesiastica actum fuisset, non videtur, quomodo hæc inter se quadrarent. Quod ad alteram diversitatem attinet, cujus nempe mandato obsecutum se esse confitetur Metrophanes, an* Ignatii *patriarchæ, an Bardæ cæsaris : facile solvitur, admissa nostra conjectura et versione Baroniana, de cætero non valde accurata; certe successorem aut consortem dignitatis suæ nullatenus volebat* Ignatius; *igitur mandatum electionis a Barda derivandum est. Ex contextu vero grammaticali superiorum verborum nihil concludere licet, quum nunc de* Ignatio *patriarcha, nunc de Barda cæsare agat. Atque de his satis.*

u *Epistolam Photii, ad S. Nicolaum Pp. I missam, e codice bibliothecæ Columnensis Romæ publici juris fecit Baronius ad annum* 861 § XXXIV : *eamdemque accuratius exhibet græce Card. Ang. Majus in sua Nova Bibliotheca* (1).

v *Theophilus, unice hac nefaria legatione notus, erat episcopus Amorii, civitatis Phrygiæ Salutaris, qua est Galatiæ contermina* (2).

w *Samuel, Chonarum episcopus, titulo archiepiscopi, qui tamen metropolitæ dignitate inferior est* (3), *a Photio donatus est. Dicit porro Michael Le Quien* (4) *eumdem Samuelem metropolitam inter restitutores Photii sedisse. Cæterum Chonas, in urbem Phrygiæ Paccatianæ, translata fuit sedes Colossensis* (5).

x *De Rhodoaldo seu, ut scribit Anastasius Bibliothecarius, Rhadualdo* (6) *Portuensi et Zacharia Anagnino* (7) *agit laudatus Anastasius in Vita S. Nicolai I.* Pontifex summus, *inquit* (8), imperatoris (*Michaelis*) adhuc pessimæ cogitationis ignarus, duos episcopos illuc (*CP.*) Radualdum scilicet et Zachariam direxit. Præcipiens, ut quidquid de sacris imaginibus quæstio afferret, synodice definirent, et ipsius Ignatii patriarchæ, Photiique neophyti causam solemniter inquirerent tantum, et sibi renuntiarent. Qui sancti pontificis parvipendentes statuta, quæ vel quanta, pecunia illic corrupti, more Vitalis atque Meseni, peregerint, inferius succincte percurram. *Paulo igitur infra sic habet* (9) : *Nicolaus* e latere suo duos episcopos Radualdum, sicut prædictum est, Portuensem et Zacharium Anagninum, quos idoneos ad hoc opus esse putavit, direxit, præcipiens et mandans eis, ut causam electionis ipsius Ignatii et subrogationis Photii solummodo inquirerent et sibi renuntiarent; et interim Photii neophyti communionem vitarent, quousque revertentes certum de omnibus responsum reddere studuissent. Illi autem abeuntes, quod in mandatis acceperant, contemnentes, non solum Photio neophyto contra sibi interdictam sententiam communicaverunt, sed etiam, corrupti muneribus, ipsi et consecrationi ejus favendo, convocata generali synodo, eumdem virum Ignatium patriarcham denuo deposuerunt. *Tantam perfidiam indignatus Nicolaus, Rodoaldum et Zachariam deposuit in Synodo Romana anni* 863 : *Zachariam quidem,* qui, *ait Anastasius* (10), aderat, sacerdotali gradu, imo ecclesiastica communione privavit, eo quod in pluribus apostolica interdicta excessisse inventus est. Et Rodoaldi episcopi causa, quem postea cum sancta Synodo pariter Papa pius mandata ejus etiam in Galliis violantem et excommunicationem frangentem, judiciumque canonicum subterfugientem damnavit, suspensa est.

CAPUT IV.

Photius, corruptis legatis pontificiis, conciliabulum cogit, in quo S. Ignatius deponitur, ac dein multimode torquetur ; Nicolaus Papa acta Photii rescindit, sed Michael, imperator impius, a Photio decipitur.

S. Ignatius, *in insula Terebintho relegatus.*

Interea athleta Christi, semestri Mitylenæ exacto, ab exilio redit: redit autem voluntate principum restitutus insulæ Terebintho, non tam honori, quieti et solatio, quam ignominiæ, vexationi, majorique afflictioni. Quanta enim inimicus in eo malignatus sit, quantasque ærumnas Nicetas, regiæ classis drungarius *a*, cognomento Oryphas, quantas item contumelias, ut Photio et principibus gratificaretur, irrogarit, quæ oratio assequatur? Quis singillatim impetum, convicia, verbera, tormenta, quæ ille in familiares illius cruenta manu exercuit, exponat? Accessit et alia sancto viro calamitas. Ea tempestate Rhossi, atrocissima gens scytharum *b* a Ponto Euxino ad Stenum *c*, excursione facta, omnem circa regionem, omnia monasteria deprædati sunt: insulanorum quoque Byzantinorum *d* per populationem vasa omnia diripuerunt, argentum abstulerunt, captos ad unum omnes trucidarunt. Ipsius denique patriarchæ cœnobia, barbarico furore incursantes, tota supellectili direpta, spoliarunt, duosque supra viginti ex familiarissimis captos, in uno navigii trochanteri *e* omnes securibus trucidarunt. Quas ille clades, quum accepisset, unicam hanc in ore vocem semper habuit: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est** et quæ sequuntur. Ita gratias agens et orationi assidue intentus, a Deo judicium et auxilium, nullam a principibus salutem exspectans, implorabat. Nam illi, ubi hunc tantis oppressum malis et ærumnis audivissent, tantum abest, ut dolerent, vel afflictum solarentur, sed moleste etiam ferrent, eum non cum domesticis suis barbarica vi captum interiisse, non magis læti de interemptis, quam tristes de salute justi viventis. Quod mirum videri non debet ; mens enim, omni charitate destituta odioque penitus imbuta, velut igne subjecto consumpta, ejus, quem odit, exitium, unicum putat mali sui levamentum.

* Job. I, 21.

(1) Labbe tom. IV, pag. 50 et seq. — (2) Cfr Le Quien. Or. Christ. tom. I, col. 853. — (3) Cfr Du Cange. gloss. med. græc. v°. Ἀρχιεπισκοπος — (4) Or. Christ. tom. I, col. 816. — (5) Ibid. l. c. — (6) Cfr Ughelli. Ital. sacr. tom. I, col. 112. — (7) Cfr Ibid. col. 308. — (8) Migne, Patrol. tom. CXXVIII Anast., col. 1362. — (9) Ibid. col. 1366. — (10) Ibid. col. 1367.

NICETA AUCTORE COÆVO.

frustra ad conciliabulum

24 Nec multum temporis fluxit, et rursus conciliabula, rursus principum et pontificum adversus Sanctum conventicula. Atque Ignatius quidem in ædibus Poseos *f* morabatur insidiosasque contra se machinationes observabat. Photius autem cum sua factione et missis ab Urbe Pontificis legatis, sacram Apostolorum ædem occupabat. Aderant imperatores, aderant et principes cuncti, totaque prope civitas confluxerat. Frequentes ergo quum adessent, primum Baanem præpositum, cognomento Angoram, aliosque nonnullos ex vilioribus Romanis, apocrisiarios ad Ignatium destinant. Qui coram Ignatio : magna, inquiunt, et sacra Synodus te citat. Quamprimum ergo ades, causam de objectis tibi sive veris sive falsis criminibus dicturus. Hic Beatus : Agite, inquit, obsecro, quomodo veniam? An ut episcopus, an sacerdos, an monachus? Illi hærentes : nunc, inquiunt, abimus, cras ad te certa relaturi. Postridie igitur iidem reversi : legati, inquiunt, Veteris Romæ, Rhodoaldus et Zacharias *g*, per nos indignos hæc nuntiant tibi, uti sine mora ad sanctam et œcumenicam synodum adsis, ut tua conscientia tibi dictat. Ergo Ignatius extemplo sacrum patriarchæ ornatum indutus, cum episcopis et clero, magnaque monachorum frequentia, civiumque concursu et comitatu, viam pedes ingressus, quum ad ædem S. Gregorii Theologi *h*, ubi crux in media publica via marmoreæ columnæ imposita est, venisset, Joannes patricius, Coxes nuncupatus, illi occurrit, seque ab imperatore missum dicit, ac nisi privata et usitata monachi veste prodiret, ei capitis periculum et supplicium imminere. Paret vir sanctus, synodoque sistitur. Apponunt duos supra septuaginta perjuros testes, quos jam olim impios omnes subornarant, gregarios juxta ac senatorios, quorum dux erat Leo patricius, cognomento Creticus, et secundum illum Theodotacius item patricius, cui et perjurii pretium magistri dignitas delata est.

f

g

B

h

Photianum citatur:

25 His reliquos ex unoquoque gradu sorteque vel deterrimos adjunxerunt; neque hos tantum, sed quos Dibaptistas *i* appellitant hæreticos. Atque, ut ita dicam, ex omni hominum fæce et colluvie turpissimos quosque et nequissimos, auro dignitatumque pollicitationibus inductos, singillatim produxerunt, qui jurati testarentur, Ignatium, qui patriarcha jam fuerat annos prope duodecim, non rite et ordine creatum, cathedram occupasse. Quid vero stolidi horum judices, *in quorum manibus iniquitates sunt et dextera eorum repleta est muneribus* ?* Quid contra perjurium hoc decreverunt? Tricesimum subito canonem subjiciunt, qui sic habet *k* : Si quis episcopus, sæcularibus potestatibus usus, per ipsos Ecclesiam obtineat, deponatur. Quod autem sequitur in eodem capite : ut et omnes communicantes cum illo etc., fraudulenti malitiose tacuerunt. Oportebat enim, siquidem pro sanctione apostolica propugnabant, non partem, sed totum canonem observare ; et si accusationem admisissent, ut Ignatium, ita ab illo initiatos et cum illo communicantes exauctorare : sicque in operibus manuum suarum peccatores manifeste deprehensi essent. Contra jus autem fasque decernentes, hoc pronuntiarunt tantum, quod pro ipsis ad evertendum Ignatium, ab illis sine causa læsum, faciebat : quod autem sequitur in canone, quo illi ipsi eidem subjiciuntur censuræ, dissimularunt : id quod illis tacentibus opportune patriarcha ipse succlamavit. O improbitatem, o stuporem ! Quis enim ignorat Ignatium episcoporum omnium calculis et totius populi applausu legitime canoniceque creatum fuisse? Ipsum autem Photium potius ab exsecrato Barda, et sæcularibus armatum principibus, contra leges, magisque per tyrannidem quam ecclesiasticam viam, thronum, invasisse? Sed non cognoverunt, neque intellexerunt, qui in avaritiæ et ambitionis tenebris ambulant, se iisdem, consiliorum laqueis, quos aliis paraverant, comprehendi.

i

C

* Ps. XXV, 10.

k

et sacrilege exauctoratum

26 Post longam ergo verborum altercationem, laborem et cunctationem, sola præpotentia furibunde utentes, præter jus fasque omne, pontificali cultu pannoso et sordenti primum induunt, rursusque postea a tergo exuunt *l*. Erat autem hypodiaconus quidam, Procopius nomine, ab Ecclesia ejectus, quippe quem mente insanum, moribusque profanum patriarcha non ita pridem gradu moverat. Hic primus, ablato a patriarcha pallio, vesteque reliqua sacra, istud solemne proclamabat : Indignus. Zacharias et Rhodoaldus, nonnullique alii nefarii homines idem vociferantes, impio decreto suffragabantur. Quos tamen omnes brevi cœlestis vindicta consecuta est, quum illos sancti vatis Zachariæ falx illa jure optimo demessuit *m*. Photius autem quo pacto suam adversus insontem occultam aliter iram universo orbi proderet, seipsumque longissime a pacifico mitique pastore Jesu abesse ostenderet ; quam res ejuscemodi machinando, justoque viro injurias tantas irrogando? Hoc judicium nemo fuit, qui non reprehenderet, atque indignitatem rei, aut potius immanitatem non aversaretur. Neque enim illi soli, qui rectam rationem sequebantur, sed ipsius quoque Photii propinqui et familiares ad hanc rerum gestarum infamiam ingemiscebant, augurabanturque, hanc omnem improbitatem in ipsius olim iniqui judicis caput et exitium redundaturum. Quid vero ille? An homines est reveritus? An timuit Deum, qui diligit justitiam et judicium, iramque ex illo tempore posuit? Minime vero. Quinimo odium odio, invidiam invidia, scelus scelere cumulans, Ignatium omni ratione vique conabatur non tantum pessumdare, sed, quod est atrocius, veluti noxium, ultimoque supplicio dignum e medio tollere. Itaque tunc, ut cœperant, exauctoratum, publicoque præconio damnatum, immanissimis scelestissimisque hominibus excruciandum tradidere, quoad sua manu suæ ipsius abdicationi subscriberet. Ergo illum colaphis plectunt, misereque divexant; et quum frigore prope contabesceret, unica tantum tunicula indutum macerant, urunt atque discruciant. Quumque binas illum hebdomadas in carcere tenuissent; extrema prope fame conficiebant *n*. Imo et Copronymi sepulchrum seu arcam conscendere cogebant, in eaque collocato ingentia a pedibus saxa suspendebant, sæpe marmoris acumine sedem concussam atterebant. Hæc et his plura

l

m

F

n

NICETA AUCTORE COÆVO.

plura tormenta, sannas, contumeliasque impium semen, ut sic loquar, et impia progenies viro sanctissimo dictis factisque, et stolidus ille Theodorus et Gorgonites Joannes et Nicolaus Theoduli Scutelopsis irrogabant.

omnibus modis vexant,

27 Ergo post cruciamenta, quibus Christi Confessorem afflixerant, post comminationes, post catenas et compedes venerandis pedibus injectas, post alapas, et postquam eum ad formam crucis in faciem super marmore prostratum ac distentum, tota nocte vinctum insuper torsissent, atque tumbæ impositum tota insequenti nocte cruciassent, tandemque solutum humi projecissent fodicassentque, ut sanguine etiam terram purpuraret; post hæc, inquam, omnia, quum adhuc modice spiraret, (urgebatur enim et alvi solutioris profluvio) tum insanus Theodorus, sacra viri manu per vim arrepta, chartaque subjecta, quasi per illum crucem impressit, allatamque Photio porrexit. Qui signo accepto, sua ipse manu subscripsit : « Ignatius indignus Constantinopolitanus confiteor, me non lege et suffra-
B giis creatum, Ecclesiæ thronum invasisse, neque his annis rite et sancte Ecclesiam rexisse, sed tyrannidem exercuisse. » Hoc falso chirographo ad imperatorem misso, vir sanctus custodia est solutus, maternisque in ædibus Poscos paululum a tot ærumnis respirabat. Sed enim hostis non desiit fraudes animo versari, pessimaque adversus innocentem consilia coquere. Itaque suggerit imperatoribus, ut Ignatius ad ædem Apostolorum reductus, primum exauctorationem suam ipse publice pro ambone legat, atque sibi ipse anathema dicat : deinde o crudele consilium, o singularem immanitatem! ambo illi effodere lumina, manumque præcedere illa furia meditabatur. Tam altum impii odium conceperant, ut divinæ vindictæ rationem ducerent nullam : aberat omnis Dei metus, et quidam diaboli furor illos agitabat.

ejusque necem meditantur:

28 Pentecostes sancta dies complebatur, quum ecce tibi armatorum manus domicilium, in quo degebat, corona præter omnem exspectationem repente cingit. Vir sanctus ubi animadvertit se peti et parricidæ Esau
C furorem sensit, consilium contra temporum improbitatem opportunum, suaque sapientia et Spiritu Sancto ejus rectore dignum capit. Quodnam illud? Vilem a servis sæcularem sumit vestem, geminasque sportas humeris, una a pertica suspensas, bajuli ritu gestans, deceptis per noctem custodibus, uno comitatus Cypriano discipulo suo, profugit, iter
o p ingressus per embolum *o* ad Sybaiticum *p*, saucio et afflicto pectore, velut alter David, quum profugeret a facie Saul. Enimvero per tenebras eunti divinitus occurrit vir, augusta admodum facie decorus, coma barbaque decenter promissa, veste candida, niveoque vectus equo, quasi Blachernas *q* tenderet. Ignotus autem ille vir, quum propter luminis inopiam eum videre clare non posset, nihilosecius, quisquis ille erat, divino Spiritu impulsus, pronuntiavit : « Deus, inquit, et sanctissima Dei Mater, sacratissime domine,
q te et comites tuos tueatur. » Quam vocem ille quum tamquam oraculum, e cœlo missum, accepisset, et loco itinerarii subsidii, quasi viaticum sibi datum putaret, multo alacrius iter carpebat : et tenui illo ac servili D habitu ignotus, navigium conscendit, et Principes, Præconesum, alias Propontidis insulas *r*, aliam ex alia permutando, per solitudines in montibus et speluncis, cavernisque *r* terræ, ut cum Apostolo loquar *, absconditus errabat, egenus, afflictus, angustiatus, victumque, mendicabuli instar, a piis christianis emendicabat. At Photius, amissa, quam spe devorarat, præda, omnia cœnobia, urbemque totam ac suburbia vestigabat, sicubi velut igne evanidum reperiret titionem. Quum ergo nihil eorum, quæ cupiebat, succederet, procurato edicto regio, Orypham illum cum sex navibus cursoribus ad cuncta loca maritima, cunctasque insulas lustrandas amandat, uti quocumque loco deprehensum, velut perturbatorem eversoremque imperii, de medio tolleret.

* Hebr. XI, 38.

sed fuga se Sanctus persecutoribus subducit.

29 Itaque venatici illi canes quum sæpius et pluribus in locis in Ignatium ipsum incidissent, servili tunicula decepti non agnoverunt : quin et ipsum alias medios transeuntem quæritantes, velut Assyrii cæcitate percussi *, non senserunt. Abierunt ergo, * Reg. VI, 18. quod est in paræmia, ut frustrati præda hiantes lupi. Ignatius, persolutis Salvatori pro tutela votis, per multas tribulationes ad regnum cœlorum contendebat. Atque illi quidem hæc agebant. Quid vero hæc illis molientibus, longanimis, justus et fortis Deus, qui non irascitur per singulos dies *, an diutius * Ps. VII, 12. extremas has malorum ærumnas potuit dissimulare? Minime vero. Augusto enim mense instante, tremoribus horrificis Constantinopolis quatiebatur ; ædes nutabant omnes, omniaque mortalium pectora metu palpitabant : omnesque horrore mortis occupati clamabant, unicam esse causam terræ motus, injuriam et sacrilegium in patriarcham Ignatium commissum. Urbe autem totos quadraginta dies continuo tremente, usque adeo ferocia et immanitas illorum mitigata est, ut ipsi principes publice jurejurando contestarentur, neque fugam sacro illi exsuli, nec hospiti exsulis, apud quem delituisset, fraudi futuram; sed absolutum crimine, innocentemque pronuntiatum, sine cujusquam mole- F stia in suo cœnobio secure permansurum. Quod quum Christi athleta accepisset, Petronæ se patricio, materno imperatoris avunculo, aperit : qui reliquiariam thecam *s*, quæ e sinu *s* imperatoris pendebat, pro pignore allatam, tradit patriarchæ. Quo ille ad collum suspenso, ad Bardam, accedit, qui ad patriarcham : Quid, inquit, fugitivi more de loco in locum profugus oberras? Cui Ignatius : Christus, inquit, rex noster et Salvator præcepit : * *Si persequentur vos in una civitate, fugite in aliam.* * Matth. X, 23. Victus innocentia et virtute viri Bardas, innoxium liberumque in monasterim remitti suum jubet. Statimque moveri terra desiit, et Bulgari providentia Dei, fame urgente, muneribusque ab imperatore deliniti, armis positis, cœlestis baptismatis unda sunt lustrati *t*. *t*

Nicolaus, acta suorum legatorum reprobat:

30 Legati quoque pontificii, a Photio dono blande corrupti, Romam redierunt. Quos Nicolaus Pontifex de patriarcha Ignatio interrogatos et severe inquisitos, quum suis illos verbis captos convicisset, illos sicariæ potius factionis, quam legitimæ synodi præsides egisse, perpetua

A perpetua exauctoratione damnatos, anathemate percussit. Nec legatos tantum, sed ipsum quoque Photium tyrannum et adulterum pronuntiat, et legitimæ synodi sententia totius Ecclesiæ suæ anathemate ferit deponitque, ipsum a Maximo Cynico, qui Gregorio Theologo insultans, Ecclesiam turbis omnibus permiscuit, nihil differre declarat. Quare illum, ut scandalorum auctorem, et ab illo consecratos, apostolica auctoritate, veluti conjuratos, eidem sententiæ subjicit *u*. Nec his contentus, asseclas illius ipsumque imperatorem cum senatu ejus omni a cœtu fidelium excludit. Quæ Nicolaus quum divino zelo inflammatus egisset, æquissimam judicii sententiam ad Orientis patriarchas transmisit. Per idem fere tempus ingens in ædibus Sophiarum incendium exstitit *v;* nec quantam vicinis calamitatem, quantumque exitium attulerit, dicendo explicari potest. Quæ tamen res eos, qui perverse agere decreverant, ad meliorem mentem non reduxit, sed ex apostolico oraculo *, in pejus proficiebant, errantes et in errorem mittentes. Bardas enim, imperium affectans, primum curopalates *w*, mox cæsar renuntiatus, imperatoris, sororis filii, stultitia abutebatur, seipsumque omnis intemperantiæ, effusæque libidinis mancipium prodebat. Michael vero, animo juvenilibus desideriis corrupto, rem divinam pro fabula seu ludibrio ducebat, ludibrium ipse factus omnis fœditatis et peccati, ipsiusque peccati patris. Etenim homunciones quosdam impurissimos et profanissimos, et scurras, divini quidem Spiritus cœlestisque gratiæ omnino expertes, pessimis autem dæmonum artibus instructissimos, sacrilege impudenterque sacerdotes et antistites ad Ecclesiæ profanam imitationem dementissimus consecravit, illisque Theophilum quemdam protospatharium, scurram et mimum, interque profanos profanissimum, patriarcham præfecit, risum sibi et cachinnum improbum detestandus et deridendus quæritans *x*. Per quæ oblationi sanctæ fiebat injuria, nomen vero Dei, contumeliis affectum, inter gentes blasphemabatur.

u

v

2 Tim. III, 13

w

x

Michael, imperator impius,

31 Sed Michael tantopere infamia hac gloriabatur, ut nec publice quidem hæc erubesceret jactare : Mihi Theophilus, cæsari Photius, christianis Ignatius est patriarcha. In hoc amentiæ dicam, impietatis potius? tandem chaos est devolutus. Ita sacrilegus ille scurra, ut dixi, Theophilus, exserta sua petulantia aulas lambens regias, nefandis sceleribus, lascivia et facetiis, turpissima imitatione, per contemptum rerum divinarum, mysteria et sacramenta traducebat et illudebat; quod ne gentes quidem, quamvis impiæ, ausæ sunt aliquando. Quæ Photius, quum coram se geri cerneret, rem indignissimam nec reprehendit, nec restitit impietati, neque, quod res divina ludibrio haberetur, verbum ullum contra seu grave seu leve edidit. Quod mirum videri non debet : erat enim mercenarius opilio, non germanus pastor; quocirca illi de pereunte grege cura nulla : ad hæc duo tantum toto pectore intentus; alterum, ut iis, qui rerum potiri videbantur, blandiendo, modisque omnibus gratificando et obsequendo, patriarchatum sibi firmaret; alterum, ut Ignatium, si qua ratione fieri posset, etiam vita exueret. Atque hæc ita se habere, nec esse verba inania, facta ipsa clamant: ecquis enim, technis illius auditis, atrocem animum non illico perspexit.

NICETA AUCTORE COÆVO.

a Photiofalsis literis decipitur.

32 Nam die quapiam advena quidam, prius ignotus omnibus, monachi habitu indutus, Eustratius nomine, recta ad patriarchium properabat, ingressusque, binas literas fictas, coram omnibus promptas, porrigebat : quas quidem sapientissimus iste Photius per dolum excogitarat, ut postmodum manifeste patuit : alteras, Ignatii nomine ad Nicolaum Pontificem datas, quibus statum patriarchatus sui immutatum et injurias imperatoris exponebat, quas ajebat Pontificem ne aspicere quidem voluisse, ac proinde a se reportatas : alteras, a Nicolao ad ipsum Photium missas, quibus purgabat priorem inter Photium et Pontificem dissensionem et charitatem communionemque in reliquum tempus stabiliebat. Has ille turbarum artifex arreptas e vestigio imperatori et cæsari tradit, contraque innocentem egregie mentiendo principes accendit : Vestram, inquit, majestatem Ignatius ad exteras etiam gentes traducit, vestrique imperii potentiam improbissimus calumniator in crimen vocat. Qui tametsi justam haberet causam, tamen vita illi jure adimeretur, dum hæc in vestram serenitatem machinatur. Sed en, inquit, testes perfidiæ literas, et fidem dictis faciant, quæ nobis nihil obfuere, sed profuere; quum Papa rei veritatem sit edoctus et inter nos amicitiam confirmaverit. Sed indignum judicavi, vestram majestatem per illum adeo conculcari. Hæc sycophanta Photius. Accersitur satellitium : Ignatius, per calumniam circumventus, arcta custodia servatur, inquiritur acriter, et quæstiones, an ita se res habeat, exercentur. Adductus quoque in medium tabellarius ille, jubetur indicare, a quo literas ad Nicolaum Pontificem acceperit. Tabellarius a Cypriano illo, Ignatii discipulo, prius se literas et viaticum accepisse, respondet. Sed quum nec Cyprianum, etiam toto mense ad vestigandum dato, ostendere posset, nec quemquam ex Ignatii comitatu nosse videretur, fraude deprehensa, loris a cæsare acerrime est multatus : pro quo liberando etsi omnia faceret Photius, nihil tamen profecit. Tandem, ut solaretur hominem, lictorum præfectum creavit. Hac Photii perfidia detecta nemo fuit qui improbas has artes non indignissime ferret.

E

F

ANNOTATA.

a *Drungarius,* Δρουγγαριος, *in genere præfecturam, maxime militarem, significat; hic autem habemus adjunctum,* του βασιλικου στολου δρουγγαριος, regiæ classis drungarius *seu* præfectus. *Cfr Du Cange Glos. med. Græc. v°* Δρογγαριος.

b *Rossi, scriptoribus Byzantinis hactenus incogniti, tunc primum incursionibus innotuere. Imo ipsum Rossorum nomen tunc primum assumptum fuit, si fidem habeamus Carolo Lebeau in Historia Orientali lib.* LXX § 52 (1) *et*

(1) Hist. du Bas-Empire, tom. XV, pag. 99. Edit. Paris 1773.

NICETA AUCTORE COÆVO.

Karamsin in Historia Rossiæ T. I, cap. 4 (1). *Et vero quotquot de hac prima Rossorum expeditione agunt Scriptores Byzantini, populi nomen, tamquam aliquid novi, signant* Ρως, *ut biographus noster hoc loco:* Κατ' ἐκεινον τον καιρον το μιαιφονωτατον των Σκυθων ἐθνος, οἱ λεγομενοι Ρως, δια του Ἐξεινου Ποντου προσκεχωρηκοτες (2): Circa hoc tempus atrocissima Schytarum gens, dicta Ros, per Pontum Euxinum venit. *Leo Diaconus in Historia imperatorum, lib.* IV *cap.* 6 (3) *dicit genti etiam Tauroscytharum nomen fuisse:* Καλοκυρην... ἐς τους Ταυροσκυθας ἐξεπεμψεν, οὺς ἡ κοινη διαλεκτος Ρως εἰωθεν ὀνομαξειν : Kalocyrem... ad Tauroscythas, quos vulgaris lingua Rossos nominare consuevit, misit *Michael imperator. Tauroscytharum appellationem inditam genti a Græcis credo, quia, quum primum terras imperii invaserunt, ex Chersonneso Taurica* (*hodie* Crimæa) *per Pontum Euxinum venerunt. Cæterum historicus Karamsim Rossorum urbem principem Kioviam dicit* (4), *ad Borysthenem* (*hodie* Dnieper) *sitam, quam vi et armis suam fecerunt duo fratres Ascold et Dir. Hi pertæsi regiminis Rorici, reguli Novogrodensis* (*hodie* Novogorod), *meridiem versus profecti, captaque Kiovia, Rossorum nomen assumpserunt, et ad Pontum usque Euxinum imperii sui limites dilatarunt; ex quo deinde edocti imbecillitatem græcanici imperii, arma in imperatores CP. verterunt. Post breve autem tempus fidem christianam amplexi sunt: eorum conversionem enarrat Baronius ad annum* 863 § XLI *et Pagius in Critica Baronii ad annum* 861 § VII (5).

B

c Stenum, *ait Bandurius in Animadversionibus in Constantini Porphyrogeneti de administrando imperio* (6), nuncuparunt primum græci totum illud maris fretum, quod Byzantium inter et Pontum interjacet, quod quidem trecentis plus minus stadiis in longitudinem patet. Deinde vero scriptores recentiores Stenum pro ipso Steni littore usurparunt : proinde Europæum illud littus, a capite portus Ceratini, ubi exstitit monasterium S. Mamantis (*nempe ad occidentalem partem urbis*), ad ostia Ponti Euxini, Stenum dictum fuit: et hac quidem nomenclatura donatur is potissimum maritimus tractus, qui supra Galatam ad freti caput urbi objacet. Cæterum a Steno Stenitas dictos nautas, qui supra Stenum chelandia seu alia navigia ducebant, tradit Porphyrogenetus. *Hactenus Bandurius, cui concinunt Cangius* (7) *et Joan. Stiltingus noster in Commentario ad Acta S. Joannis Chrysostomi die* XIV *Septembris num.* 641 (8).

C

d *Quoniam quidem in Steno freto insulæ nullæ sunt, necesse est, ut Rossi hunc tractum prætervavigaverint, quatenus insulas Principes, CPoli vicinas, vastare potuerint.*

e *Significationem* trochanteris navigii, τροχαντηρι πλοιου *nuspiam reperi: credo autem significare* Tabulatum navis, *quatenus* τροχαντηρ *derivetur a* τρεχω, curro, discurro, *et in navibus nullus est ad discurrendum expeditior locus, quam ipsum ejus tabulatum: quod quidem ex eo etiam confirmari videtur, quod ad monstrandam Rossorum crudelitatem in exemplum adducat, viginti hominum in uno navigii trochanteri trucidationem. Julius Pollux in suo Onomastico varias partes navis describens lib.* I *cap.* 9 *et Joan. Schefferus in libris* IV *de Militia navali apud Polenum in supplemento Thesauri Antiquitatum Romanarum et Græcarum nullam hujus vocis mentionem faciunt* (9).

D

f *Posis ædes erat a Constantino V et Irene matre sæculo præcedenti constructa* (10). *Ignotus videtur hodie situs; sed ex biographo nostro habemus, S.* Ignatium, *ex Posi ad ecclesiam SS. Apostolorum, procedentem, transiisse ante templum S. Gregorii Theologi seu Nazianzeni* (11).

g *De Rodoaldo et Zacharia egimus in annotato* x *capitis præcedentis.*

h *De S. Gregorio Theologo seu Nazianzeno commentati sunt nostri ad diem* IX *Maji* (12).

i *Dibaptistarum*, Διβαπτιστων, *nomen nuspiam mihi hactenus occurrit: interpretor autem sectam bis baptizantium seu anabaptistarum. Scimus autem, non solum Donatistas in Africa, sed et Eunomianos in Oriente docuisse, eos, qui suæ sectæ aggregabantur, iterati baptismatis sacrilegium subire debuisse. Id constat clarissime ex l.* 58 *Codicis Theodosiani de Hæreticis* (XVI. 5), *qua fisco addicuntur domus Eunomianorum clericorum, in quibus* nefarios conventus habitos vel iteratum baptisma claruit (13). *Fieri autem potuit, ut secta, sæculo quinto maxime agitata, tamen ad sæculum usque* IX *in angulis urbis maximæ delituerit et propagata hactenus fuerit.*

E

k *Canon hic citatus Apostolorum est, et est hujuscemodi tenoris:* Si quis episcopus, sæcularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur ac segregetur, et omnes, qui illi communicant. *Variant autem diversæ collectiones circa numerum canonis. Beveregius* (14) *illum, sicut et biographus noster, dicit trigesimum: Philippus Labbe Græcam collectionem exhibens* (15) *reponit eumdem vigesimo nono loco et tandem secundum interpretationem Dionysii Exigui, qui, græcis octoginta quatuor canones compilantibus, solum quinquaginta congessit, dictum canonem trigesimum primum habet* (16): *Cæterum græcus textus sic sonat:* Εἰ τις ἐπισκοπος κοσμικοις ἀρχουσι χρησαμενος, δι' αὐτων ἐγκρατης γενηται ἐκκλησιας, καθαιρεισθω, και οἱ κοινωνουντες αὐτῳ παντες. *Si quidem igitur S.* Ignatius *per abusum sæcularis potestatis in sedem CP. intrusus fuerat, oportebat depositionis et excommunicationis pœna plecti omnes communicantes cum illo. Ast tali ratione solus stetisset Photius, quum omnes episcopi S.* Ignatio *communicassent: proinde astute canonem in fine truncavit.*

F

l *Paulo aliter græcus textus hunc locum habet; nempe S.* Ignatium pannoso et sordido primum, post pontificali cultu indutum Ἐνδυουσι τουτον ἱματια διερρωγοτα και ρυπωντα, και την ἱερατικην στολην περιβαλοντες κ. τ. λ. *Ritum formalis degradationis apud Græcos non mihi occurrit; nihilominus episcopos et presbyteros sacris exutos fuisse vestibus exemplum nobis præbet Concilium CPolitanum* III, *œcumenicum* VI, *actione* VIII; *quum enim Macarius, An-*

(1) Hist. de Russie, tom. I, pag. 145. — (2) Cfr Scriptt. Byzant. Cedren. Hist. pag. 173. Theophan. Cont. pag. 196. Sym. magist. Ibid. pag. 674. Edit. Bonn. — (3) Ibid. Leo Diac. pag. 63. — (4) Hist. de Russie, tom. I, pag. 145. — (5) Etudes Théol. tom. II, pag. 133. — (6) Scriptt. Byzant. Const. Phorph. tom. III, pag. 376. Edit. Bonn. — (7) CP. Christ. Part. II, pag. 167. — (8) Act. SS. tom. IV Sept., pag, 530. — (9) Tom. V, pag. 754 et seqq. — (10) Cfr Du Cange. CP. Christ. Part. I, pag. 177. — (11) Ibid. Part. II, pag. 125. — (12) Act. SS. tom. II Maji, pag. 369 et seqq. — (13) Cfr l. 7, Cod. Theod. Ne sanct. baptisma iter. (XVI. 6). — (14) Pandect. Canon. tom. I, pag. 18. — (15) Tom. I, Conc. col. 47. — (16) Ibid. col. 50.

tiochiæ

A *tiochiæ Magnæ archiepiscopus, duplicem in Christo voluntatem negaret, exclamavit Synodus universa* (1): Hæreticum seipsum manifeste demonstravit : novo Dioscoro anathema : hujusmodi deponatur; novum Dioscorum foras mitte; novo Apollinario malos annos; merito ab episcopatu alienetur; nudetur circumposito ei pallio. Et denudato eo, atque in medio astante, una cum Stephano, ejus discipulo etc. *Habemus hic non simplicem depositionis sententiam, a judice prolatam, sed veri nominis degradationem, cujus duplicem formulam nobis præbet Edm. Martene. De antiquis Eccl. rit. lib.* III *cap.* 2 (2). *Hic porro* a tergo ἐκ των ὀπισθεν, *contemptus causa, exutum fuisse Sanctum nostrum.*

m *Figuram falcis vellentis messem Sacra Scriptura Joelis* III, 13 *Apocalysis* XIV 14 *et seqq. exhibet; sed in Zacharia nihil occurrit, quod aliquo modo ad istiusmodi figuram referri possit. Unde errasse hic sive librarium sive ipsum biographum suspicor.*

n *Continuator Theophanis* (3), *Georgius Cedrenus* (4), *aliique circumstantias quasdam narrata*
B *tæ vexationi addunt, quas operæ pretium est huc adducere.* Traditur, (*inquit Continuator Theophanis*) a Barda Ignatius carceri, eique immani funestissimoque: fuit ille in Sanctorum Apostolorum delubro, non in magna ac venerabili Apostolorum æde, sed ubi dicuntur sepulchra et exstant. Ibi in quodam sepulchro includentes, quod Copronymi fuerat; (*jussu quippe ipsius Michaelis Constantini Copronymi corpus e sepulchro ejectum fuerat* (5)) geluque ac frigore (pistillo, quod proverbio dicitur, nudiorem,) conficiendum in ejus superioribus statuentes, in ea incommoda morbosque, qui eam aeris intemperiem sequi solent, ipsum conjecerunt, dysenteriam scilicet, intestinorumque gelu frigorisque exsuperantia per ventrem dejectionem, indeque acerbam mortem: ac plane ex custodum immanitate et sævitia ea exstinctus esset (erant illi, Joannes Gorgonites, et Nicolaus Scuteloptes, et Theodorus Morus), nisi quis miseratione tactus (Constantinus scilicet Armeniacus), illis tum per cibi sumendi occasionem absentibus, eum
C inde dimisisset; modicoque vino ac pane, necnon levi quodam fomento nonnihil dolorem mitigasset. Ubi autem Bardas sat eum pœnarum dedisse, existimavit, in insulam Mitylenem eum relegat.

o *Embolus, id est Porticus, forsan secretior, aut saltem minus custodita. Cfr Du Cange Glossar. med. græcit.* v° Ἐμβόλοι.

p Hujus loci, *inquit Du Cange* (6), meminit Nicetas Paphlago in Vita S. Ignatii. *Nec plura adjicit, ex quibus locus propius indicari queat.*

q *Blachernæ erant simul templum et palatium, in extremo urbis septemtrione sitæ* (7).

r *Propontis mare inter Pontum Euxinum et Ægeum interjacet, hodie* Mer de Marmara. *Præconesus ejusdem maris insula juxta Cyzicum urbem, versus littus Asiaticum.*

s *De pia consuetudine deferendi Sanctorum Reliquias, e collo suspensas, late agit Joan. Chrysost. Trombelli De cultu Sanctorum. Dissert.* VII *cap.* 54 (8).

t *De Bulgaricæ conversionis tempore et aliis adjunctis tractat Pagius Crit. Baronii ad annum* 844 § II *et* 861 § X *et seq.*

u *Hujus rei mentionem injicit S. Nicolaus Pp. I in epistola* VIII *ad Michaelem imperatorem. Quum Pontifex, adductis variis exemplis, monstrasset, penes Romanam sedem jus esse cognoscendi de causis episcoporum, addit* (9): Cæterum ut calamum ad CPolitanos præsules specialiter extendamus, aut numquam omnino, aut certe vix horum aliquis sine consensu Romani Pontificis reperitur ejectus, qui tamen hactenus inter depositos annumeretur, et non ab hæreticis vel tyrannis pulsus aut interemptus commemoretur. Denique, ut ex his paucos connumeremus, nonne Maximus, postquam multum a Damaso Papa (sicut ejus ad diversos epistolæ missæ indicant) laboratum est, CPoli pulsus est? Nonne Nestorius, nonne Acacius, nonne Anthimus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, sedis apostolicæ discurrentibus consultationibus ac decretis, E
ejecti sunt? Cur ergo, quum ita sit, in solo Ignatio Petri memoriam despicere ac oblivioni tradere studuistis, nisi quia pro voto cuncta facere voluistis, constituentes Synodum Ephesinæ Secundæ crudelitate consimilem?

v *Jam egimus de dignitate Curopalatis cap.* I *Annot.* c.

w *Ædes Sophiarum confundendæ non sunt cum templo primario S. Sophiæ; quam confusionem juvabat Raderi versio, dicentis* in ædibus Sophiæ incendium exstitisse: *ast græcus textus nomen Sophiæ plurali numero exhibet:* Ἐμπρησμος μεγας σφοδρα εἰς τας Σοφιας γενομενος : incendium magnum valde factum est in Sophiis. *Erant autem Sophiæ portus, olim a Juliano dictus, quem purgatum, palatiis exornavit, Justinus II imperator et ab uxore Sophia Sophiarum portum nuncupavit* (10). *Eatenus igitur erravit Can. Jager in Historia Photii, quando dicit incendio tum læsum fuisse templum S. Sophiæ* (11).

x *Ineptam et sacrilegam stoliditatem Michaelis imperatoris ad vivum depingit Georgius Cedrenus in Historiarum Compendio. Erat in* F
Bosphoro ad præcavendas improvisas barbarorum irruptiones constitutus ignium ordo, qui accensi ex locorum ordine periculum imminens indicabant. Igitur, hac, *inquit Cedrenus* (12), obtinente consuetudine, accidit aliquando ut, dum Michael equis, ad fanum Mamantis agendis, se parat, ignis a pharo ederetur. Quem ut vidit imperator, timens, ne aurigatio sua non spectaretur diligenter, animis spectatorum adverso indicio perculsis, in tantum venit metum, quantus in periculo de vita constitutos invadere posset. Tantum abfuit, ut eum in theatro sese ostentandi puderet! Atque adeo, ne quo adversarum rerum indicio animi hominum ad spectandum fierent languidiores, ignem ex speculis, urbi vicinis, in posterum edi vetuit. Rursus (oportet enim vecordiam ejus magis illustrare) quum alio tempore in

(1) Labbe, tom. VI, Conc. col. 757. — (2) Edit. Venet. 1773, tom. II, pag. 318 — (3) Scriptt. Byzant. Cont. Theoph. pag. 193. Edit. Bonn. — (4) Ibid. Cedren. pag. 172. — (5) Ibid. Leo gram. pag. 248. — (6) CPolis Christ. tom. I, pag. 178. — (7) Cfr Spruner. Atlas Histor. tab. LIX. — (8) Tom. II, pag. 267. — (9) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 309. — (10) Scriptt. Byzant. Cedren. tom. I, pag. 685. Edit. Bonn. Cfr Du Cange CPolis Christ. Part. I, pag. 58 et seq. — (11) Histoire de Photius, pag. 90. Edit. Lovan. 1845. — (12) Scriptt. Byzant. Georg. Cedr. pag. 174. Edit. Bonn.

curru

NICETA AUCTORE COÆVO.

curru consedisset, jamque equi essent carceribus emittendi, erat ipse Veneto (*cæruleo*) habitu indutus, prasino (*viridi*) logotheta dromi, Constantinus, albo Cheilas, rusio (*roseo*) Crasas, nuntius allatus fuit, Amarem, Metilenæ præfectum, graviter populari Asiam, jamque ad Malagina pervenisse et imminere magnum malum. Eum nuntium protonotarius mœstus imperatori indicat, simul literas domestici scholarum exhibens. Tum imperator torvo eum et titanico intuitus vultu « quomodo, inquit, ausus es, sceleste, mihi, tam necessario certamine occupato, istis de rebus interturbare? Quum in hoc unum incumberem, ut eum, qui medium tenet, in lævam partem avertam, de quo mihi totum hoc certamen est. » Tanta fuit ejus dementia! Neque vero hoc tantum vitio laborans, ab aliis indecoris rebus abstinuit; sed præterea immoderate modestiam sectans, et imperatoris personæ conveniente gravitate excidit. Occurrit aliquando mulierculæ, cujus filium e sacro susceperat lavacro, e balneo redeunti et situlam manibus gestanti: ibi equo descendens
B senatoriæ dignitatis viros, qui ipsum comitabantur, ad palatium abire jubet; ipse cum impuris et libidinosis homuncionibus, quos sibi adsciverat, mulierculam secutus, situlam e manibus ejus aufert, et « bono, ait, animo sis, o mulier, neque domo tua accipe, qui furfuraceum jus appeto et asbestotyrum. » Quum ad hæc verba diriguisset muliercula, ut cui ad convivium nihil esset parati; Michael dicto citius sindonem, quam e balneo adhuc madentem illa ferebat, mappæ loco in solo stravit, ereptaque mulieri clave, imperator ipse convivatoris, coqui, mensam ponentis et structoris, munus obivit. Peracto eo convivio, pedes lento incessu palatium repetiit, magnæ stoliditatis et fastus damnans priores imperatores, qui elegantiæ studuissent. Hæc igitur cum juste invisum omnibus faciebant. Id vero etiam justas adversum eum iras concitabat, facinus deterrimum, quod gregem habebat secum cinædorum et ad omnem turpitudinem paratorum hominum: quos in honore ille habens, ut rebus sacris
C illuderet, vestibus eos sacerdotalibus, auro intextis, amiciebat et humeralibus, cogebat turpiter et impure sacras actiones æmulari. Principem istiusmodi gregis Gryllum (*Nicetas habet, Theophilum*) patriarchæ nomine ornabat, reliquos duodecim metropolitarum, se ipsum quoque unum pontificum et coloniæ præsidem appellabat. Quum cantandum erat peragendis mysteriis, citharam adhibebat, modo sensim eam tangentes, ut subtilem ederet vocem, modo ut magnum sonitum exhiberet, sicut in sacrificiis sacerdotes contenta voce cantant. Aurea etiam et baccata gemmis vasa habebant; ea aceto et sinapi implebant et communicantibus impertiebant, hoc modo impolluta deridentes mysteria. Hic cœtus aliquando beato patriarchæ obviam est factus, quum is supplicationis causa cum clericorum pompa procederet: quem ut conspexit Gryllus, audacter admodum et impudenter, absque ulla cunctatione, exemplum suum reliquis sequentibus, veste diducta, pulsare citharam contentius cœpit, et sanctis D hominibus obscœne convicia facere. Michael porro matrem Theodoram, adhuc in palatio degentem, aliquando ad se vocavit, quasi fausta ei precaturo Ignatio patriarcha, quem adesse finxerat. Ut ergo sanctissima mulier venit et religiose in solum se prostravit, quum impurus Gryllus eatenus barbam occultasset, Gryllus surgens crepitum ventris emisit et quædam ore suo digna blateravit. Theodora, facinus hoc ægerrime ferens, detestata filium, vaticinataque est eum divinam indignationem brevi sensurum: sed fieri non poterat, ut semel a recta via aversus corrigeretur. *Contra istiusmodi profanationem egisse videtur Concilium œcumenicum* VIII, *quando Actione* IX *pœnam inflixit iis, qui, quamvis laici,* vestirentur superhumeralibus et facerent, quantum putatur, ea quæ sunt sacerdotum (1): *erant ii Spatharii, Marinus, Basilius et Georgius, super quos orationem fuderat Theophilus protospatharius, et hac ratione simulacrum ordinationis exercuerat.*

E

CAPUT V.

Photius familiares S. Ignatii ad suas partes trahere conatur; occiditur Bardas cæsar; Photius Nicolaum Papam exauctorat; Michael imperator occiditur.

Photius multis donis a

Agebatur non multo post sacer Ascensionis Christi dies anniversarius *a*, quum sub vesperam terra tanto motu, quanto numquam ante, cœpit contremiscere, neque tota insequenti nocte cessavit: et obscurus quidam fragor ac mugitus, e terra marique ingens editus, hominum pectora ita metu fregit, ut pene dissolverentur. Justini quoque statua *b*, a genibus convulsa concidit. Tum Basilius, Cretensis antea episcopus *c*, Agarenis *d* autem, Cretam invadentibus, Thessalonicam translatus, ausus, non sine Photii, tum cathedram Constantinopolitanam occupantis, infamia, ipse F Michaelem adit, eumque partim admonentis auctoritate, partim docentis, a tam impia et sacrilega rerum sacrarum inimica imitatione et irrisione dehortatur: inde enim numinis iram accendi affirmabat. Qua reprehensione Michael, gravissime offensus, colaphis atrocissimis venerando seni dentes stirpitus excussit, tergumque flagris ita laniavit, ut nihil propius factum sit, quam ut inter tormenta animam redderet. De quo nihil sollicitus erat mercenarius opilio; quin ipse paulatim sacrilegiis istis pariter oblectabatur, et una cum impuris histrionibus pueroque consuescebat et comessabatur, neque ab eorum consuetudine et ludibrio procul aberat. Verum ejus cura omnis ad Ignatium opprimendum vertebatur: avebat enim aliquid adversus illum audire et pruriebant illi aures. Ubi, etiam casu, in calumniatorem illius incidebat, qui vel tenuem de illo obviamve calumniam spargeret, hunc vere mox in album amicorum

b

c d

(1) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 1120.

suorum

A suorum referebat, magnaque cum voluptate obtrectantem audiebat. Nihil quippe ita capit animos, invidia odioque occupatos, quam sinistra de eo, quem oderint, narratio. Itaque per familiares et subjectos Ignatii, quotquot ex iis poterat donis et honoribus eblandiri, sibique obnoxios reddere, semper investigabat, contraque animam justi causam quærebat.

S. Ignatii familiares ad se allicit,

34 Ex quibus Ignatius, ille S. Ignatii discipulus, erat; qui, ut Demas olim * , sæculum diligens, ad Photii castra transiit, et aliquandiu præfectus cœnobiorum Propontidis, tum

* 2 Tim. IV, 9.

e ab illo metropolita Hierapolis *e* creatus est. Qui, ut beneficium compensaret: Mirari subit, inquit, domine, quonam pacto tantum Ignatii delictum facinusque vel ignores vel omnino negligas. Nam in media insulæ platea ædes

f sacra quadraginta Martyrum *f* est excitata, junctum vero est illi Dei Matris oratorium, cujus aram Rhussi nuper, quum insulam depopularentur, everterunt, quam instauravit Ignatius et reposuit. Quid hic Photius? an

B culpam aut parvam aut nullam ratus, subticuit? An leve turbarum incendium hanc ob causam excitavit? Nequaquam vero : sed rem apud imperatorem, velut immane et inexpiabile facinus, exaggerabat: atque consilio cum factione sua communicato, Amphilochium Cy-

g h zizi *g* et Theodorum Patrarum *h* metropolitas, quin et Pantaleonem senatorem, cognomento Bothrum, in insulam ablegat, qui sacrilegis manibus sanctam illam aulam disturbent. Mandarat insuper Photius, ut ara, ad littus maris deportata, quadragies unda tingeretur,

i atque ita demum reducta reponeretur *i*. Quid te, mi homo, non demiremur? Sed summa me perversitatis tuæ indignitas, quamvis invitum et alienum, cogit te conviciis proscindere. Quid igitur primum, quid postremum subsannemus? Animine tui stuporem, an mentis perversæ pravitatem? Invidentiæ magnitudinem, an studium ambitiosæ improbitatis? Hæccine te docet diuturna literarum meditatio et vigilatæ noctes, codicumque prope innumerabilium copia? Legentium item et disputantium vicissitudo, proque eruditionis

C laude assidua concertatio? Istosne tibi fructus, ex literis capiendos, veteris novæque legis tabulæ, sapientum profanorum dicta, sanctorumque patrum decreta proponunt, ut persequaris hominem inopem et mendicum, et spiritu ac corde compunctum quæras ad mactandum? Non satiarunt implacabilem animi tui furorem tyrannica de throno dejectio, illicitæ depositiones, iniquissimæ proscriptiones, compedes et vincula, infinita exsilia, calumniæ, ærumnæ, vexationes, quibus ipsum abluisti? Revera autem quantis eum abluisti, tantis teipsum inquinasti.

ut eum magis magisque affligere possit :

35 Nec his contentus, insuper fontem ipsum fluminis altercando studes exhaurire, et ab ipso absolutum numine condemnare, modisque indignissimis circumventum, veluti reum noxiumque, perdere : ut hoc stultissimo consilio possis scelerum tuorum judicium declinare, perinde quasi rebus humanis nullus præsideat Deus, aut ille suo tempore non sit unicuique redditurus secundum opera sua. Ego vero arbitror te quoque in die visi-

* Ps. XLIX, 16.

tationis tuæ a Deo dicente auditurum* : *Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum,* et quæ deinceps in sacra pagina sequuntur. Equidem melius actum iri censeo cum homine imperitissimo, omnisque literaturæ et disciplinæ experte, si cum pura conscientia inculpatam vitam degat, quam cum eo, qui omnia divinæ ac humanæ sapientiæ oracula ore volvat jactetque, longisque verborum ambagibus laudatus, adversus alterum exitialem tamen foveat voluntatem. Et tu, audita magni Basilii sententia, nihil reformidas, quum de quopiam admirabundus dixit *k*, nullum ex omnibus totius orbis hæresiarchis, qui fuere quam plures, ausum fuisse resecrare præter Eustathium Ancyrogalatam, cujus nefarium scelus synodus Gangrensis exponit *l*. Sed ob hæc sapientissimus noster Photius non modo nullo pudore suffundebatur, sed magnifice se etiam ostentabat, ratus ex honore id suo dignitateque fore, si qua nova et ab ecclesiastica disciplina aliena excogitaret. Atque ita quidem se gerebat Photius.

NICETA AUCTORE COÆVO

k

l

Bardas cæsar, frustra visione horribili territus.

36 Sed a me per somnum Bardæ cæsari objecta species (neque enim fas est) silentio præteriri non debet. Quamvis enim multa a negotiis, per diem actis et cogitatis, causam trahant, nec pauca a dæmonibus per imagines subjiciantur; est tamen, quum etiam a bonis Angelis jussu Dei suggeruntur præsertim regibus et magistratibus, quamvis impiis. Nam spiritus prophetiæ vim suam, sive ad ipsorum principum sive illis subditorum salutem, novit sæpe exercere: id quod Pharaoni et Nabuchodonosori accidisse didicimus. Ita Bardas cæsar familiarem suum certumque amicum, Philotheum, quondam Genicorum logothetam *m*, perturbatissimus accersivit. Multumque anhelans : Mi Philothee, inquit, somnium vidi, quod omnia ossa mea contrivit, omnesque corporis nervos dissolvit. Hac nocte enim videbar tamquam in publica pompa cum imperatore ad magnam basilicam prodire, videreque Archangelorum effigies per aperturas superiores et inferiores in templum respicere: et quum ad ambonem *n* venissemus, spectati sunt velut duo cubicularii severi ac truces; quorum alter ipsum imperatorem vinctum capiens, ad dexterum latus tractum, e suggestu *o* velut noxium damnatumque pellebat: alter vero me pari modo sinistrorsum abducebat. Et dum repente circumspicio, animadverto in throno patriarchali adyti *p* virum, principi Apostolorum Petro simillimum, geminosque illi assistentes, sane formidandos, qui præpositorum *q* dignitatem præ se ferebant. Ad sedentis porro genua cerno Ignatium supplicem, multisque lacrymis perfusum, adeo ut ipse quoque Petrus, Ignatii vicem miseratus, ingemuerit. Porro Ignatius clamitabat : Claviger cœlestis regni et petra, super quam Christus Deus Ecclesiam suam firmavit, siquidem novisti, quam inique mecum actum sit, solare afflictissimam senectam meam.

m

n

F

o

p

q

S. Ignatium adhuc persequens, occiditur :

37 Cui B. Petrus : Ostende vexatorem tuum, et Deus faciet cum tentatione proventum. Et conversus Ignatius manu me indicabat : et hic, inquit, plus omnibus me afflixit, ut quem nulla satietas mei cruciandi ceperit. Tum qui in throno considebat, quum annuisset illi, qui ad dexteram assistebat, educta sicula,

NICETA AUCTORE COÆVO.

sicula, *r* palam, omnibus audientibus, sententiam pronuntiavit. Hunc, inquit, invisum Deo Bardam prehende, et foris in atrio frustatim concide. Extemplo ergo ad supplicium abreptus, vidi quod et imperatori minaci manu diceret : Exspecta, impie fili. Atque ita visus sum re vera concidi. Hæc cæsari attonito et cum lacrymis narranti, Philotheus *s:* Parce, inquit, domine, infelicissimo seni, et ad Dei tribunal respiciens, eum neque jure neque injuria lædas. Sed Bardas neque sic voluit intelligere, ut bene ageret; sed formidandis hisce comminationibus oblivione sepultis, properavit peccata sua adimplere, ut justam Dei vindictam in se concitaret. Statim quippe, ipso solemnis jejunii exordio, Leonem illum, cognomento Ptaolemen, cognatum Photii, cum satellitio in insulam mittit, adeoque arcte custodiri præcipit Ignatium, ut ne sacris quidem operari posset, nec cuiquam copiam fieret illius conveniendi, nec illi exeundi. Quum ad tertium mensem ita circumclusus mansisset, somnii prædictio maturabatur; B Michaele namque expeditione in Cretam suscipiente, Bardas cum illo jam ad locum, qui Hortorum dicitur progressus, quod insidias imperatori struere diceretur (cœlesti nempe vindicta illum prosequente) ultimas Deo pœnas exsolvit, gladiisque miserandum in modum membratim est dissectus *t*. Tam infami letho exstinctus est, ut ipsius quoque familiarissimus in eum invehcretur, quamvis ab eo summis beneficiis affectus, patriarchatus dignitatem accepisset. Sed hunc ille vivum quidem mirifice colebat, suumque quasi vitæ præsidem omnibus præconiis efferebat : percmpto vero, palinodiam cecinit, ac velut exsecrandum quoddam piaculum, dignum tali morte, dictitabat. Hoc ingenio improbus ille veterator et sophista fuit, ut semper foro et tempori, principumque studiis obsequeretur. Qui enim cœlesti spiritu ductuque, fide destitutus, non agitur, et spes suas in mortalibus sitas habet, quum vitioso putrique fundamento mente nitatur, tandem inconstans et perfidus in omnes deprehenditur : potentium palpator, calumniator vero pauperum, qui id C unum studet, ut placeat potentibus, ne dignitate spolietur.

Photius autem Nicolaum Papam exauctorat.

38 Imperator tum repente, converso itinere, Constantinopolim repetit. Erat autem Pentecoste, et Basilium patricium, cubiculi sacri præfectum, cæsarem, imposito stemmate *u*, renuntiat. Sed versutus Photius, plurima in Nicolaum Pontificem moliens, quum operam lusisset, imperatori, multis verbis incitato, fit auctor cogendæ synodi, qua Nicolaus Pontifex, eadem sententia in illum lata, quam nuper ille in Photium tulerat, exauctoretur. Evocat ergo præclarus ille Photius episcopos omnes, sibi subjectos, aliosque nonnullos fœdos et sordidos homunciones, quasi patriarcharum Orientis legatos, conciliabulumque instituit, et exauctorationem, ut putabat, atque anathema, nullo nixum fulcro, in Nicolaum Papam pronuntiat. Regem quoque Lodoechum et Engelbergam reginam *v* sollicitat, et imperatores illos Constantinopoli proclamandos esse pollicetur, si operam navarent ad impium suum conatum exsequendum, et virum justum ex Ecclesia sua exigendum. Iis vero dicto citius pollicentibus, frustra stultus stultitiam suam ostentabat. Hinc subscriptiones et vota hominum sacrorum et profanorum, metropolitarum et patriciorum : vana omnia, omnia fabulis theatralibus ineptiora. Nam, quæ illi a puero adhæserat, arrogans sui existimatio, eadem illum ad summam insolentiam, extremamque dementiam evectum adducebat, ut talia tam audenter impudenterque auderet. D

Michael imperator occiditur.

39 His ille omnibus procuratis, insana et sacrilega conciliabuli sui Acta per Zachariam Cophum, a se Chalcedonensem metropolitam creatum *w*, Theodorum, translatum a Caria ad Laodicensem episcopatum *x*, in Italiam transmisit. Ipse vero insitum adversus sanctum virum odium alebat, ac quotquot ex ejus germanis, aut spuriis potius, sectatoribus poterat, furtim ad se trahebat, dignitatibusque vesaniæ suæ illiciebat, per quos innocentis calcanco insidiabatur. Sed enim spe frustrabatur, quod beatus ille jam extra omnem esset alcam calumniarum : Photius autem in E operibus manuum suarum malignans capiebatur. Quum enim dubius hæreret, ad quem tandem summa imperii esset perventura, subinde apud Michaelem carpebat Basilium, et vicissim apud Basilium obtrectabat Michaeli, ratus, amborum se ita amicitiam sibi comparaturum; dum erga utrumque benevolentiam simularet, ut uter tandem ex illis solus imperium obtineret, illum sibi devinctissimum haberet. Atqui non probavit se Basilio, qui admodum veteratoris illius strophis offendebatur. Nec ita multo post ipse Michael ad sancti Mamantis Martyris *y* ædem per insidias mactatur, merito dignoque suæ amentiæ, sceleris et impietatis fato perfunctus, quum imperium una cum matre annos quindecim, menses octo, solus novem prope annos administrasset : quumque malum fecisset in conspectu Ecclesiæ Dei, periit *z*. Initio autem indictionis primæ, nono kal. Octobris, Basilius, regia occupata, imperator est consalutatus : qui, missis ad revocandum ex itinere Zachariam, illum e media via retraxit. F Posteroque die, quam renuntiatus erat imperator, Photium, de throno deturbatum, in cœnobium quoddam, Scepen *aa* appellatum, ejicit : postridieque Eliam, splendidissimum regiæ classis drungarium, cum dromone regio *bb*, seu celoce, ad sanctissimum patriarcham ex insula Constantinopolim ea, qua par est, honoris pompa reducendum mittit; qui illum tantisper in paternis ædibus ejus, quas Mangana *cc* appellant, collocat.

w *x* *y* *z* *aa* *bb* *cc*

ANNOTATA.

a *Siquidem Baronius in suis Annalibus anno* 862 § I *terræ motum accidisse ferat, Ascensio Domini in diem* XXVIII *Maji incidit; nempe anno litera dominicali* D *signato et paschate die* XIX *aprilis celebrato.*

b *Justini II statua in portu Sophiano* (*vide cap.* IV *Annotato* W) *constituta erat* (1).

c *Hunc Basilium, episcopum Cretensem et*

(1) Scriptt. Byzant. Codinus de Signis, pag. 49. Edit. Bonn. Cfr Du Cange. CPolis Christ. Part. I, pag. 148.

Thessalonicensem

A *Thessalonicensem colunt Græci die* 1 *Februarii, sub qua de eo tractarunt nostri* (1).

d *Agareni iidem videnter ac Saraceni: gens ferox, de qua scribit Sozomenus lib.* VI *Hist. cap.* 38 (2) : Hæc gens, *ait,* ab Ismaele, Abraham filio, originem ducens, appellationem quoque accepit; eosque antiqui ab auctore generis Ismaelitas vocarunt. Verum ut probrum adulterinæ originis declinarent, et ignobilitatem Agar matris Ismaelis, quæ serva erat, abolerent, ipsi se Saracenos nominarunt, quasi ex Sara conjuge Abrahami orti essent. *Hanc etymologiam minus probat Henschenius noster in Vita S. Moysis ad diem* 1 *Februarii* (3), *eamque derivat ab urbe Arabiæ Saraca; ante Scenitæ, quatenus tabernacula incolerent, dicti. Sunt, tandem, qui Saracenorum vocem a Persico idiomate deducunt,* Sara-nischyn, *id est,* incolæ deserti, *qua appellatione hodiedum etiam Persæ omnes vocant populos nomades* (4).

e *Thomas iste, factus desertione sua Hierapolitanus metropolita, subscripsit deinde, ait Michael Le Quien* (5), *Concilio œcumenico* VIII, *damnanti Photium, ac denuo ventosus restitutioni ejusdem in sede CPolitana.* B

f *Horum Martyrum Acta exhibent nostri ad diem, quo apud latinos coluntur,* X *Martii : id autem animadvertendum, nostros mentionem non facere hujus templi inter ea, quæ apud Græcos excitata dicuntur* (6).

g *Amphilochius, Cyzico Nicæam translatus fuit, quando Nicephorus, qui Concilio* VIII *subscripserat, e Nicæna sede a Photio deturbatus fuit. Sed brevi post obiit Amphilochius, successorem nactus Gregorium Asbestam, primarium Photii patronum* (7) *et ordinatorem. Cfr supra cap.* III. *Annotatum* g.

h *De hoc Theodoro, dicto Santabareno, latius loquitur infra num.* 60 *biographus Nicetas ; impurus monachus, Photio urgente, Patrarum Veterum, Peloponesi civitatis metropolita constitutus, non inficete* Urbis, quam nemo conspiceret Ἀφαντοπολεως, *episcopus dicebatur* (8).

i *Istiusmodi ritus reconciliationis non meminit Euchologium Græcorum, restitutio altaris sive moti sive violati sola oratione episcopi peragitur* (9). *Alius codex diverso modo rem exhibet; nempe ut ara, quam S.* Ignatius *restituerat, in mare ageretur et alia ejus constitueretur loco.* Ἐνετειλατο δε προς τῳ ἀιγαλῳ της θαλασσης καταγαγειν και αλλην καθιδρυσαι (10). C

k *Alludit biographus ad locum S. Basilii, quo in epistola, data ad Theodotum Nicopolitanum, ordine* CXXX *al.* CXCVI (11), *reprehendit Eustathium Ancyranum seu Sebastenum, quasi, scelere inaudito, rite ordinatos clericos denuo ordinasset.*

l *Concilium Gangrense varios errores Eustathii damnavit ; attamen nullo verbo attingit iterationem ordinationis clericalis* (12). *Proinde biographi nostri verba intelligenda sunt, quatenus Eustathius, variorum errorum a Gangrensibus patribus convictus, nullam mereatur fidem. Cæterum luculenter de hoc concilio et Eustathio tractavit Remig. Ceillier* (13).

m *Genicorum logotheta,* Λογοθετης Γενικος, του γενικου, των γενικων (*Cfr Du Cange, Glossar. med. Græc. V°* Λογοθετης). *Genicorum logotheta, ut habet idem Cangius* (14), *erat præfectus ærarii publici, in quod referebantur collecta ex tributis et vectigalibus, id est, fiscalia, quæ in patrimonio principis non sunt, et quæ* sacræ largitiones *appellabantur : atque hinc derivandum officium* comitis sacrarum largitionum. Comes *porro* rerum privatorum *is erat qui patrimonialia bona principis procurabat.*

n *Ambo est pulpitum ad legenda epistolam et euangelium; in latere ecclesiæ ad cornu euangelii constitutus erat, si quidem Durandus, a Cangio citatus, dicat, ambonem habere orientem sinistrorsum, dextrorsum vero occidentem et quoniam altare ingredientibus orientem versus erat, oportebat ambonem ad cornu euangelii seu septemtrionem versus collocari. Vide Du Cange. Glossarium med. latinitatis V°* Ambo (15). *Quia tamen, ut patet ex initio narrationis res peracta exhibetur in* magna basilica, *id est in æde primaria S. Sophiæ, ambo in media ecclesia constitutus erat, ut monstrat Ichnographia templi Sophiani in capite Partis II CPolis christianæ.* E

o *Suggestum dixi, quod græce* Σολεα *vel* Σωλεα *dicitur; in templo Sophiano locus est inter chorum et navim ecclesiæ, uno alterove gradu reliquo ædis sacræ pavimento eductior. Cfr Reiskii Commentar. ad Const. Porphyrogen. de Cæremoniis Aul. C. P.* (16).

p *Thronus patriarchalis adyti est græce :* το συνθρονον του ἀδυτου ; ἀδυτον, *idem quod sacrarium seu, ut apud latinos vulgo dicitur, chorus.* Το συνθρονον *definit Ducange, V°* Θρονος, sacerdotum et Ecclesiæ ministrorum, sacra facientium, subsellia, mediam in bematis concha sacram mensam ambientia, in quorum medio, retro ipsum altare, eminet patriarchæ vel episcopi sedes ac thronus excelsior.

q *Præpositi,* Πραιποσιτοι, *in media græcitate dicebantur passim illi, qui intimis palatii officiis fungebantur, ut multis exemplis ostendit Ducange h. v.*

r *Sicula, græce* μικρα μαχαιρα. *Num alludit biographus ad falcem quam Zachariæ tribuerat? Supra, cap. præc. Annot.* m. F

s *Raderus introducit huc Theophilum : perperam. Paulo supra refert biographus Bardam Cæsarem narrasse visionem suam Philotheo, genicorum logothetam; textus autem græcus Theophilum non memorat, sed, absoluta cæsaris narratione, pergit :* προς ὁν ἐκεινος... ειπε, ad quem (*cæsarem*) ille (*Philotheus*) dixit : *Quamvis porro* Philothei *et* Theophili *nomina iisdem elementis constent, ex consuetudine tamen diversa sunt; quapropter nomen Philothei textui latino restituimus.*

t *Bardæ Cæsaris necem describit continuator Theophanis, monstratque non plane deletam fuisse visionis memoriam* (17). *Narrato Bardæ somnio quod, ait,* veritas fuit; destinabat Bardas in Cretenses una cum Michaele, assumptis omnibus copiis, expeditionem suscipere. Ve-

(1) Act. SS. tom. I Februar., pag. 242. — (2) Euseb. et alior. Hist. tom. II, pag. 700. Edit. Mogunt. 1677. — (3) Act. SS. tom. I Februar., pag. 43, num. 3. — (4) Ritter. Erdkunde, tom. XII, pag. 230. — (5) Oriens Christ. tom. I, col. 836. — (6) Act. SS. tom. II Mart., pag. 14. — (7) Or. Christ. tom. I, col. 646. — (8) Ibid. tom. II. col. 179. — (9) Goar. Euchol. pag. 614 et seqq. — (10) Cfr Labbe, tom. VIII, Conc. col, 1217. — (11) Basil. Oper. tom. III, pag. 222. Edit. Paris 1730. — (12) Labbe, tom. II. Conc. col. 413 et seqq. — (13) Hist. génér. des Ant. Sacrés, tom. IV, pag. 734 et seqq. — (14) CPolis Christ. Part. I, pag. 153. — (15) Cfr Du Cange. CPolis Christ. Part. II, pag. 67. — (16) Scriptt. Byzant. Constant. Porphyr. tom. II, pag. 104. Edit. Bonn. — (17) Ibid. Theoph. Cont. pag. 204.

niens

NICETA AUCTORE COÆVO.

niens itaque ad sanctissimæ Dominæ nostræ, Dei Genitricis, ædem, quam Hodegi vocant, se suaque commendaturus ac quasi vale dicturus, prælucentibus facibus, ingressus est : In ipsis vero ædis penetralibus excussa subito ejus chlamys maximorum malorum præsagium dedit. Idem pridie quam ex urbe discesserat, sive ipse ultro sive jam futuræ rei urgente fato, convocatos amicos ac convivio acceptos monuit, suæ in illos amicitiæ memores essent, ac veluti e vita migraturus, eis legata distribuit..... Cœpta ergo expeditione, quum in Thracensium regionem, in locum, cui Cepi nomen (*idem ac Horti in textu latino*) pervenissent, qui priores locum occupassent, tentoria certatim ac diligenti opera figebant. In his accidit, sive id dedita opera sive per ministrorum imprudentiam, ut Michaelis tentorium humili planoque loco expanderetur, Cæsaris autem in quodam tumulo, pauloque editiori loco : hoc ita factum, ceu oblatum quoddam ac lucrum insperatum arripientes, qui Michaeli adversus cæsarem obtrectabant, viro calumniabantur, eique insidias struebant.

B Ingens tamen cæsaris potentia inimicos turbabat et ad audendum facinus segniores reddebat. *Fit ergo conjuratio, quæ suos patiebatur terrores.* Veritus itaque Michael ne inter has moras, re detecta, gladium in se traheret, per quemdam fidissimum conjuratos confirmat, bonaque et honores pollicitus, animos audentiores facit : ac sane parum abfuit, quin cæsar periculo tutus abiret, necemque evaderet : tanto scilicet metu conjurati perculsi erant, sicque animi languebant. Verum iterum misso nuntio, Michael Basilio accubitori (*postea imperatori*) significat, in novaculæ acie constitutam rei necessitatem esse, desperare se vitam, ad Bardæ necem se cito instruat. Quibus auditis Basilius, deque imperatoris salute sollicitus, timorem conjuratis excutit, hisque verbis « O audacem fortemque animum » mox alacres reddidit et ad certamen facinusque aggrediendum impulit. Bardas, eos strictis gladiis in se irruere contuens, terrore perculsus præsentique vitæ animadverso discrimine, ad imperatoris se pedes abjicit :

C haud tamen fieri poterat, ut mortem effugeret. Statim ergo inde avulsum membratim concidunt, mensis Aprilis vigesima prima, indictione quarta decima : *id est anno vulgari* 866, *non vero sequenti, ut vult Baronius ad annum* 867 § LXXVII, *quem refutat Pagius ad eumdem annum* § VII. *Quoniam porro hoc anno* 866 *pascha in diem* VII *Aprilis, adeoque caput magni jejunii in initium Februarii, consequitur, trimestrem S.* Ignatii *vexationem de tribus mensibus incompletis esse intelligendum.*

u *Dies pentecostes, qua Basilius Macedo* στεμμα *seu imperatoriam coronam accepit, incidebat hoc anno, signato litera dominicali* F, *in diem* XXVI *Maji.*

v *Photius occasionem arripuit controversiæ, motæ inter Nicolaum Pontificem et Lotharium, Lotharingiæ regem, ut Gallos ad suas partes alliceret. Agitabatur enim tunc gravissima quæstio de repudatione Theutbergæ reginæ et alteris nuptiis Lotharii cum Valdrada, quas, probatas quibusdam episcopis Galliarum, omnino damnabat Nicolaus Pontifex* (1). *In suam sententiam traxerat Lotharius universam familiam regiam, adeoque et Ludovicum II imperatorem, ex Lothario imperatore Ludovicii Pii nepotem et uxorem ejus Ingebergam: Ludovicus, ad gratificandum Lothario, Romam occupavit et vim inferre pontifici cogitabat, quando, variis afflictus calamitatibus, pacem cum Nicolao conciliavit, quod anno* 864 *contigit* (2). *Usus opportunitate seminandi discordias, sperabat Photius, oblatis etiam Ludovico Orientis regnis, exauctorationem Romani pontificis sese exsecuturum. Cæterum omni, quo poterat, præsidio usurpatam dignitatem, muniebat Photius. Dum sedem ipse teneret CPolitanam, imperium orientis in occidentales principes transferre satagebat: tantæ præterea erat crudelitatis, ut Adrianus, Papa II ei exprobraverit, quod* exsilia et varia tormentorum genera, mortem præterea Christi sacerdotibus aliisque fidelibus intulerit, ita ut Diocletianum immanitate superarit (3). *Anastasius Bibliothecarius longam accusationem contra Photium texuit, et præter ejus in adversarios crudelem persecutionem, etiam varias artes explicat; quibus scelestus ille firmamenta sedis suæ conquirebat.* Alios, *inquit* (4), quidem privatione honorum ac dignitatum, alios vero proscriptione facultatum damnat; hos exsilio longo et carceribus relegat, illos tormentis diversis afficit; atque ut breviter omnia comprehendantur, nulla professio, sexus vel ætas ab eo impunita describitur, nisi consors suæ communionis inventa..... Iste falsarius falsorum excessuum adversus insontem, absentem et invictum, mendacem codicem compilat, mille circiter antistitum subscriptiones falsas inserit, sibi nemine prorsus consentiente vel conscribente ex illa numerosa episcoporum multitudine, nisi uno et viginti præsulibus..... Cæterum construit et aliam technam hic perversorum dogmatum cultor et persuadet imperatori præcipere, neminem testamentum facere, vel per alterius, nisi Photii manus, suas eleemosynas erogare. Quod non ob aliud adinvenit inventor malorum, nisi ut quum acciperet et erogaret substantias divitum, proprias a minus curiosis erogasse putaretur, ac per hoc quasi dapsilis et munificus amaretur : simul etiam, ut saltem per hoc omnes ei coacti communicarent, quandoquidem conspicerent, nec ipsa se animarum suarum remedia (*id est eleemosynas*) posse, nisi per manus ejus, saltem in ipso mortis articulo positos, operari. Præterea et aliud iniquitatis suæ retiaculum, quo mentes simplicium caperet, texens, quotquot ad exteriorem ab eo disciplinam instruendi veniebant; proprio scripto spondere cogebat, se secundum fidem Photii de cætero crediturus, quasi duæ fides essent, una scilicet Christi, et altera Photii.

D

E

F

w *Zacharias Cophos, seu Surdus aut male sanus* (*utrumque enim Cophos significat*) *bis sedem Chalcedonensem occupavit : nempe Basilius, a Photio ejectus, sedem suam, Basilio Macedone imperante recuperavit ; sed, mortuo S.* Ignatio, *restitutus Photius amicum suum Cophum Chalcedone redintegravit* (5).

x *Theodori hujus mentionem facit Michael*

(1) Cfr Longueval. Hist. de l'Egl. Gall. tom. VII, pag. 303. Edit. Paris, 1826. — (2) Muratori. Annal. d'Ital. tom. V, pag. 62. Edit. 1762. — (3) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 1342. — (4) Ibid. col. 964. — (5) Le Quien.Or. Christ. tom. I, col. 605.

Le

A *Le Quien in episcopis Laodiceæ provinciæ Phrygiæ Pacatianæ, dicitque illum ægre in Synodo CP.* VIII *sedem retinuisse suam* (1). *Tamquam Cariæ metropolita Stauropoli, olim Aphrodisiade appellata, sedebat* (2). *De Theodoro isto S.* Ignatius *ipse testatur, in epistola ad Adrianum Papam, eumdem diu fidelem exstitisse, sed tandem Photio, propter immensa tormenta, quæ sibi resistentibus inferebat, consensisse* (3).

y *Tria sunt CPoli monumenta S. Mamantis, cujus nominis bini Martyres CPolitani occurrunt* (4), *scilicet Ecclesia S. Mamantis et Basilisci* ἐν τοις Δαρειου, *quorum festum* XXIX *Julii celebratur* (5); *monasterium suburbanum virorum* (6); *et tandem juxta monasterium, palatium, quo imperatores propter situs amœnitatem crebro secedebant* (7) : *atque in palatio occisum fuisse tradit nobis continuator Theophanis, ut in Annotato sequenti ostendemus.*

z *Occasionem neci suæ Michael imperator dedit, quando, creato cæsare Basilicino quodam, imperatoriæ celocis remige, in frequenti senatu dixit, pœnitere se Basilium cæsarem creasse* (8). Factum hoc, *pergit Continuator,* ac verba exitii
B Michaelis origo exstiterunt. Istud sic dictum, omnium aures circumsonans, nimium cunctis stuporem injecit, et ut vox omnibus hæreret, fecit, quod fabulosorum more Gigantum satos Michael quotidie imperatores ederet. Inde itaque auctum in Basilium odium, ac ignis instar, vehementiori flamma exarsit, hoc scilicet ejus fomento et causa, quod una se cum ejus sodalibus vitiis dedere non pateretur, nec illorum effreni licentiæ morem gereret. In tantam enim sæpius dementiam, vino obrutus ac per ebrietatem, Michael erumpebat, ut absurda quædam, modumque omnem injuriæ excedentia, præciperet, atque alii aures, alii nares, alii denique caput amputandum juberet : ac nisi viri quidam, misericordia moti, negligenda putassent ac in crastinum distulissent, ea Michaeli quandoque revocanda sperantes, ac fore, ut is eorum aliqua pœnitudine duceretur (quod et contingebat), plane periissent quotquot illi aderant, inque aula assidui ac domestici erant. Quin et parum abfuit, ne et ipse Basilius pari involveretur exitio, illius
C ebrii petulantiæ non raro factus ludibrio. Sustinebat tamen, ac tandem aliquando quadam ducendum pœnitentia Michaelem, existimabat. Verum fieri non poterat, utjam a prima ætate, haud secus ac currus rota, inflexus, quidquid accidisset, nativam pristinamque rectitudinem reciperet. Itaque atrociores adversus Basilium structæ insidiæ : in eo autem illæ positæ, ut inter venandum, specie quidem feriendi feram, revera autem configendo Basilio satellitum quidem hastam conciliaret. Consilium hoc is ipse, qui mandatum acceperat hastamque vibrarat, in vitæ exitu constitutus suamet confessione cunctis manifestum fecit. Ac hastam quidem misit, a Basilio tamen aberravit. In hunc modum servatus Basilius, in proximum vitæ discrimen adductus, Deo, qui mortem calcavit, salutis illi auctore. Hæc itaque cunctis prodita et palam facta gladii in eum acuendi causa exstiterunt. Ne enim Basilium (uti nuper cæsarem et antea Theoctistum) tristi nece sublatum conspicerent, sive senatusconsulto sive Basilii amicorum consilio (unum enim ac commune omnibus impendebat exitium) ab imperatoris ipsis excubitoribus in Sancti Martyris Mamantis palatio neci traditur, die XXIV Septembris, indictione prima, anni 6376, hora noctis tertia : *id est anno vulgari* 867. Regnavit cum Theodora matre sua annos quatuordecim, solus undecim, posteaque adlecto Basilio, annum unum, menses tres. *Vitium irrepsit in annis, quibus solus regnavit Michael, qui fuere solum decem, ita ut universum imperii tempus annos viginti quinque aliquot mensibus excedat. Eadem breviter narrat Georgius Cedrenus; sed errorem Continuatoris corrigit in eo quod Michaeli, soli regnanti, tribuat annos undecim, in quibus est annus Basilii cæsaris* (9).

aa *Situm monasterii Scepensis, in quod relegatus fuit Photius, omnino ignoramus : imo idem monasterium ignorasse se insinuat aliquo modo Nicetas biographus, dum dicit* quoddam monasterium, *græce :* ἐν μοναστηριῳ τινι καλουμενῳ Σκεπῃ. E

bb *Jam supra dedimus significationem Drungarii seu præfecti. Dromon autem est navis oblonga, quæ facile fluctus secat. Du Cange. Glossarium med. græc. v°* Δρομιον.

cc *Palatium Manganorum seu simpliciter, Mangana, exstructum legitur a Basilio Macedone : sed perperam, ut claret ex nostro textu; quum potius domus paterna S. Ignatii exstiterit; proinde a Michaele Sancti nostri parente ædificatum existimat Cangius* (10), *quamvis a Macedone instaurari potuerit.*

CAPUT VI.

Mortuo Michaeli succedit imperator Basilius, qui Photium ejicit, et S. Ignatium in sedem suam, coacta œcumenica synodo CPoli, reponit : S. Ignatius clerum et populum instruit.

F

Basilius, malis dolis Photii detectis

Ut vero improbæ artes omnes contra virum sanctum omnibus pateant, qui apprehendit sapientes in astutia eorum *, et consilium pravorum dissipat, ille etiam imperatori injecit eam mentem, ut ad Photium mitteret, juberetque, omnia, quæ a patriarchio sumpsisset, manu sua scripta, quam primum sibi transmitti. Sed pejerabat ille, nihil se ex patriarchio secum accepisse, eo quod urgeretur ad discessum. Dum hæc ad Baanem præpositum dicerentur, famuli præpositi a tumultuantibus inter se Photii servis septem saccos refertos, plumboque signatos *a,* in proximum arundinetum condendos, ferri animadverterunt, manuque injecta ereptos ad imperatorem deportant. Et dum resignant, duo volumina, auro argentoque bracteata, sericoque extrorsum velata, introrsum vero eleganter et scite literis

* Job. V, 13

a

(1) Le Quien. Or. Christ. tom. I. col. 796. — (2) Ibid. col. 900. — (3) Ibid. col. 901. — (4) Act. SS. tom. III Jul., pag. 303 et tom. VII Jul., pag. 149 — (5) Du Cange CP. Christ. Part. II, pag. 128. — (6) Ibid. pag. 185. — (7) Ibid. pag. 174. — (8) Scriptt. Byzant. Theoph. Cont. pag. 208. Edit. Bonn. — (9) Scriptt. Byzant. Georg. Cedren. Hist. tom. II, pag. 182. Edit. Bonn. — (10) CP. Christ. Part. I, pag. 133.

NICETA AUCTORE COÆVO.

venustis exarata reperiunt. Alterum continebat actiones septem synodicas contra Ignatium, quæ nec sunt, nec fuerunt umquam celebratæ, sed gratis astuta dumtaxat mente confictæ. In quarum singulis initiis, manu ipsius Syracusani Asbestæ (egregie enim, ad cumulum reor malorum, et pingendi artificium didicerat) coloribus artificiosis expressus erat Ignatius. O rabiosum furorem! O furiosam rabiem! cui nihil addi possit. Atque in prima quidem actione raptatum et verberatum Ignatium effinxit, supraque caput inscripsit: Diabolus. Numquid non maledicti exhorrescitis atrocitatem? Sed non est, quod miremini : nam si patrem familias appellarunt Beelzebub, domesticos ejus quomodo appellarent? * In altera actione, sputis fœdatum, magnaque vi tractum efformavit, cum hoc elogio : Principium peccati. * In tertia, de throno deturbatum, cum hoc titulo : Filius perditionis. * In quarta, vinculis colligatum et exterminatum, itaque inscriptum : Avaritia Simonis Magi. * In quinta collari furca inclusum, cum hac calumnia : Qui se extollit super omne id, quod dicitur aut colitur Deus. * In sexta depinxit quasi jam damnatum, cum dicto : Abominatio desolationis. * In septima et ultima finxit raptatum, capiteque multatum et inscriptio erat : Antichristus.

* Matth. X, 25

* Mich. I, 13

* II Thessal. II, 3

* Act. VIII, 13

* II Thessal. II, 4

* Dan. IX, 27

libellisque falsis deprehensis,

41 Quæ ego per veritatem sine pudore neque pronuntio, neque in mentem revoco : ob eamdemque causam sciatis, velim, me silentio præteriturum fuisse, nisi viderem horum auctores auctorumque asseclas hæc non solum non erubescere, sed in his palam etiam gloriari : Photioque sanctitatis opinionem falso tribuere. Sed verax ille non mentitur, qui dixit : *Impius quum in profundum malorum venerit, contemnit* * : sed sequitur cum ignominia et opprobrium. Juraverunt per timorem Domini et gloriam fortitudinis ejus, qui in sacrilegarum actionum illarum lectione adfuerunt, duo supra quinquaginta capita ad B. Ignatii calumniam perscripta fuisse, omnium opinione falsa, et ex impia potius quam furiosa mente conficta. Relinquebant et in singulis accusationibus versum, ad finem vacuum, ut si quem, laqueo dignum, donorum et dignitatum largitione irretissent, mendacio is subscribendo haberet locum. Et hæc quidem alter continebat diaboli liber. Alter vero synodicus in Nicolaum, Pontificem Romanum, tela torquebat, omnisque generis calumnias et atrocia maledicta in illius sancti viri exauctorationem et damnationem complectebatur, impie et tragico prope modo concinnatus, sane ipse quoque dictantis stygii doctoris magisterio et Photii ministerio dignus. Hos libros, quum impudens bis accurate describendos curasset, supradictis Zachariæ et Theodoro, cum singularibus laudum encomiis, multisque ac splendidissimis muneribus ad reges Franciæ deferendos dedit, ut hi Nicolaum Pontificem, velut exauctoratum, de throno deturbarent *b* : duos vero alios penes se retinuit. Hæc quatuor volumina imperator erepta, prius ad senatum totamque Ecclesiam palam detulit : atque ita omnes Photii machinationes et impiam conscientiam omnium oculis totique reipublicæ spectandam proposuit. Quibus visis et auditis, attoniti omnes obstupuerunt, non solum propter perversam sophistæ mentem, versutamque verbositatem, sed etiam ob incredibilem Dei patientiam et diuturnam vindictæ dilationem. Hosce libros, ad œcumenicam postea synodum delatos, auctorique præsenti in faciem obtrusos, igni tradiderunt.

* Prov. XVIII, 3

C

b

D

Ignatium *CPolim reducit,*

42 Tunc vero Basilius imperator adductum in Magnauræ palatium *c* Ignatium, silentio indicto, multis laudibus cohonestavit. Dies erat dominica, tertia et vigesima Novembris, qua etiam prius in exsilium pulsus erat, qui Dei præsidio et clementia completam completorum novem annorum ex virtutis certamine lauream adeptus, Ecclesiæ suæ throno restituitur *d*: et lampas magis accensa, clarior quam antea, candelabro imponitur: pastorque rursus oves agnoscit suas, et a suis vicissim ovibus clarius agnoscitur. Ergo, tota quasi urbe exsultante, illumque ad templum ascendentem a tergo et fronte prosequente, lætitiaque gestiente, quum per sacrum puteum *e* ad superiora templi duceretur, dextera porta ingredientem ordo patricius occursans venerabundus excepit: et tunc sacra liturgia pro more peragebatur. Nec par est, ut sacrum omen, quod in ingressu Ignatii accidit, prætermittamus. Intrantem namque Ignatium populus quidem supplex venerabatur, sacerdos vero in adytis oblationem Deo faciens, clamabat: Gratias agamus Domino; et mox populus respondebat: Dignum et justum est *f*. Ita sacer Ignatius, bonis ominibus throno suo receptus, et gubernaculis Ecclesiæ resumptis, arcet a sacris non Photium tantum et omnes ab illo initiatos, sed omnes etiam illius sectatores cum illo communicantes: precatur insuper imperatorem, ut œcumenicam synodum cogat, qua omnia Ecclesiæ vulnera sananda arbitrabatur. Extemplo igitur Joannes, Pergæ episcopus *g*, Ignatii in omnibus casibus et ærumnis comes, et malorum omnium, quantum in ipso erat, socius: ex Photii vero factione Petrus, Sardiensis episcopus *h*, ad Nicolaum Pontificem legati mittuntur, quibus allegatur Basilius, cognomento Pinacas, qui spatharii dignitatem obtinebat: usique sunt gemino dromone, quum solverent. Sed Petrus, qui Dilæus, hoc est, Miser appellabatur, in Dalmatico sinu *i* periclitatus, miser naufragio periit. Joannes vero cum Basilio incolumis evasit, et, Nicolao, jam vita functo, Hadrianum Papam invenit *k*. Nec diu cunctati, Pontificis vicarii Constantinopolim venerunt, Stephanus et Donatus episcopi, Marino, ex septem diaconis adjuncto. Ex Orientis vero patriarchiis (imperatore principem Syriæ donis et literis propitiante) Josephus archidiaconus et syncellus ex Ægypto, legatus Michaelis, patriarchæ Alexandrini *l*; Thomas, metropolita Tyri *m*, vicarius Michaelis, patriarchæ Antiocheni Syriæ *n*, Elias presbyter et syncellus vicem Theodosii, patriarchæ Hierosolymitani *o*, explebat. Hi omnes præsentes fuerunt cum sanctissimo patriarcha Ignatio Constantinopolitano, et episcopis duodenis, perpetuis in omni fortuna et ærumnis sociis: qui ad dexteram, ubi locus catechumenorum est, templi, quod a Sapientia nomen Sophiæ accepit, assidente Basilio imperatore, præsiderunt.

c

d

E

e

f

g

h

F

i

k

l

m

n

o

o

eumdemque, coacta œcumenica synodo, in pristinam sedem reponit,

43 Propositis ergo venerandis vivificæ crucis lignis, sanctis Euangeliis explicatis, præsente etiam sacro senatu, primum quidem missæ ab Hadriano, Veteris Romæ Pontifice, et patriarcharum ex Oriente literæ ex ordine lectæ, omnem sacro jure requisitum ordinem, fidem, innocentiam, integritatemque legatorum, necnon jus et auctoritatem mittentium declarabant. Deinde postero die, sacerdotes et antistites omnes, qui a Methodio et Ignatio, sanctissimis patriarchis, consecrati erant, artibusque et insidiis, omnique genere tormentorum ad Photii communionem abrepti erant, libellis pœnitentiæ porrectis, cum lacrymis supplices ad sanctæ synodi pedes procubuerunt; et deprecatu imperatoris, quod vim passi essent, de sententia legatorum Pontificis Romani venia dignati, præscriptum sibi epitimium seu pœnam susceperunt: perindeque ac alii inculpati, episcoporum locum et sedem receperunt *p*.

p

Photius vero damnatur;

q

B

44 Deinceps illa synodus, per episcopos duos supra centum celebrata *q*, omnia ordine decenterque, et ratione optima ex legum canonicorumque decretorum præscripto dicendo agendoque, reum Photium, quamvis reluctantem, præsentem adesse cogit. Et severe illi objiciunt consilia exitialia, adversus Ignatium inita, et factam præter rationem insana mente depositionem: mendacia item, et calumnias, aliaque omnia, quæ clam adversus Nicolaum Pontificem fuerat molitus. Deinde quærunt ex eo, quid respondeat ad illam olim Romæ latam contra se damnationis sententiam. Quum obmutesceret*, quod nullam criminum suorum veram defensionem reperiret; a legatis Romanis, ipsoque imperatore et toto senatu admonitus, ut veniam precaretur, et saltem tamquam laicus ad fidelium communionem reciperetur, superbo et contumaci animo consilium penitus repudiavit *r*. Ergo communi omnium et æquissimo judicio damnatur, abdicatur, atque anathemate percellitur, veluti violator et adulter, maximarumque calamitatum et infinitarum offensionum ac scandalorum in Ecclesia Dei auctor: et pronuntiat synodus juxta Nicolai Papæ sententiam, qua primum Photius maturo cum judicio, canonica seu synodali fuerat depositione damnatus. Subscripsere episcopi depositioni calamis, non nudo atramento, sed, quod penitus contremiscas, (ut eos, qui rem norant, asseverantes audivi) ipso Salvatoris sanguine tinctis *s*. Ita, inquam, demum Photium exauctorarunt damnaruntque, unaque omnes, ab illo sacris initiatos.

* quum vero ille respondisset, se nihil habere, quod dicat

r

C

s

sed, auctore judice, mollius,

45 Hic ego mihi synodum jure quodam modo reprehensurus videor, reprehendam autem, etsi fortasse audacius, hoc ipsum judicium. Actiones enim omnes et definitos in ea canones, perinde ac in aliis septem œcumenicis synodis, ita in hac quoque, ut sanctos et a Spiritu Sancto dictatos valde probo et admitto. Hoc tantum in hac octava non laudo; non quod (ut aliqui censent) gravius commota, durius in reos decreverit; sed contra potius reprehendenda forsitan sit apud æquum arbitrum, quod multo clementius, quam oportebat, judicarit, habita nempe personarum aliqua ratione, non ex lege apostolica sincere lata sententia. Trigesimus canon adhibendus erat, quo innocentem Ignatium Photius sycophanta ante damnarat, quasi per sæcularem potestatem invasisset Ecclesiam *t*. Eo magis nunc urgendus erat, ut qui non Dei, non sacerdotum suffragio, sed incredibili gloriæ et ambitionis furore correptus, per sæcularem potestatem vi tyrannica thronum occupasset. Hanc ille ob causam et præterea quod ab exauctorato se consecrari voluerit, de gradu deturbandus erat, omnesque secundum apostolicam sanctionem, qui cum illo communicabant; nec oportuit eos Deo, Deique judicio clementiores esse et sacrosancti Spiritus decretum antiquare. Hæc quippe illorum indulgentia omnia susdeque egit *u*. Hoc judicium dici non potest quantum offenderit, quantorumque causam præbuerit malorum. Persuasum enim habeo, si tunc ex Apostolorum et canonum auctoritate sententiam rite et in auctorem schismatis et offensionum et in totam ejus factionem, cum illo communicantem, omnibus exauctoratis, tulissent, futurum fuisse, ut omnis ab Ecclesia impietas in posterum excluderetur. Sed quemadmodum ante, divino Tarasio patriarcha, in synodo, contra Iconomachos celebrata, quum indulgentius, quam ex præscripto justitiæ, hæreticos tractassent, illi, arrepta occasione, impietatem suam multo magis confirmarunt *v*: ita nunc, synodo hac remissius agente, et ex affectione ac contra apostolicum canonem sententiam ferente, malitia rursus contra Ecclesiam invenit locum. Nam per homines antea corruptos explosus et per ejectos, ante ejus familiares, damnatus, postliminio recurrens, rursus patriarchæ thronum per vim invasit, sacrisque legibus et apostolicis sanctionibus clusis, traditionibus omnibus ecclesiasticis proculcatis, quum omnes in sua testimonia et chirographa perjuros et crucis conculcatores, ut ipse erat, fieri coegisset, et extrema primis deteriora fecisset; omnium conscientias inquinavit et profanavit.

NICETA AUCTORE COÆVO.

t

u

E

v

nempe non simul depositis ejus asseclis

46 Atque id in hac synodo desideratur, ut ego sentio, quod et lapsi ad communionem recepti et lupus, præter ipsius expectationem, in ovile est admissus. Quod et quidam ex signis, tempore illo visis, sapienter conjecerunt. Nondum enim hac synodo celebrata, sed adhuc sperata, bubalos quosdam, aliunde huc adductos, perque mediam viam actos, repente furor corripuit, aliisque alio ruentibus, unus recta adversus magnam ecclesiam delatus, irrupit, atque ad ambonem usque currendo hora dici nona pervenit, qui rem æstimare scientibus visus est malus esse nuntius. Sed majus isto argumentum erat terrificus plane, qui eadem tempestate nono Januarii accidit, terræ tremor, quo multa templa, plurimæ porticus, et ædificia conciderunt: hominum ac jumentorum tanta strages edita est, quanta verbis exprimi nullis potest. Quin et ipsum Sophiæ augustum Dei templum multis in partibus concussum, nisi cura singularis principum antevertisset, ruinæ periculum adiisset. Atque hæc ante synodum evenere. Post synodum vero, mense Octobri ineunte, repente tantus venit turbo, tantaque ingruit procella, ut multa templa, multaque palatia, atque ipsius etiam patriarchii plumbeum tectum, instar membranæ convolutum, in terram

F

NICETA AUCTORE COÆVO.

ram dejecerit : imo et obelisci in hippodromo tetragoni, ex perpetuo lapide facti, pinea ærea magni ponderis, capiti imposita, procul ejecta et elisa est. Nec vana profecto hæc, quæ tum acciderunt, fuere prodigia, sed futuri motus et perturbationis, a machinatore turbarum dæmone, Ecclesiæ impendentis, aperta signa et argumenta. Quæ fortasse evenissent numquam, si causam Photii synodus ex decreto apostolico, ut est dictum, decrevisset. Enimvero hæc patriarchæ Ignatii gloriæ labem nullam aspergunt, quod non esset illi auctoritas agendi, quæ vellet : Romanis enim judicandi secundum antiquam ecclesiasticam traditionem potestatem permittebat. Quin et ipsa synodus tantopere non volebat iis, qui cum Photio, quamvis inviti et coacti, communicarant, indulgere, quantopere simplicitas, ne dicam levitas, imperatoris, victa nempe hominum precibus et laudibus inflata humanis, atque sub clementiæ colore perfecta Dei æquitate penitus destituta. Atque hæc ita gesta sunt.

porro S. Ignatius, *in sede sua restitutus,*

47 Magnus porro Ignatius, denuo gubernaculis Ecclesiæ admotus, vel sua sponte cæcutientibus ostendit, quam frustra hostis contra se gloriatus sit. Peritius enim quodammodo, sanctiusque et securius, quam antea, Ecclesiam administravit; ut qui multis et diuturnis variisque casibus et ærumnis usum regendi majorem sibi comparasset. Incorrupte enim, nullaque personarum habita ratione, jus dicebat : singularem curam in consecrationibus adhibebat : injuria oppressis ferebat auxilium, afflictos solabatur, egentes sublevabat, corumque inopiam sua ope, ut poterat, hilariter recreabat : infirmos fide aut etiam corpore confirmabat et solabatur : pusillanimes Spiritus Sancti gratia ad spem per doctrinam erigebat. Denique omnibus omnia
I Cor. IX, 22. factus *, pro viribus studebat omnes in visceribus Jesu Christi lucrifacere. Geminas semper propositas habebat vias : alteram, qua recta per puras et assiduas preces tendebat ad Deum; alteram ad Ecclesiæ suæ ædificationem et profectum referebat. Verum eadem simul opera utrumque recte administrabat,
C non perfunctorie, vel, ut nonnulli, oscitanter, sed accurate et decenter a prima juventa ad ultimam usque senectam sacris operabatur; atque in omnibus templis et laudatissimæ Dei matri et divinis Apostolis, Martyribusque, gestienti corde, cum ea, qua par erat ac divinam decebat majestatem, pietate panegyres, diesque festos agitabat.

populum sibi commissum sedulo

48 Tam pie vero et religiose, Spiritu nempe Sancto illum complente, rem divinam faciebat, ut in ipso altari videre essent aperta Spiritus Sancti præsentiæ argumenta. Videbatur enim panis divinis penitus immutatus, totusque, velut cœlestis carbo, gratiæ radios spargere cœlestis flammæ. Crucis quoque signum, quod aræ desuper imminebat, sæpe placide concuti cernebatur, quum sacra hostia extollebatur, Sancti Spiritus videlicet significans obumbrationem : sed ipso die Paschæ adeo vehementer commotum est, ut presbyteri et episcopi omnes, maxime ii, qui ex aliis patriarchiis aderant, mysterio perculsi, ingenti voce diutius numen laudibus celebrarint. Ita sacerdos magnus sacrificium intemeratum perfecta plenaque fide offerebat, Deoque per illud propitiato, populi salutem, ut sacerdoti par erat, operabatur. Eos porro, qui ad illum accedebant, hujuscemodi documentis erudiebat. *Attendite* *, inquit, *vobis fratres, et videte quomodo caute ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes; et nolite fieri imprudentes, sed intelligentes voluntatem Dei.* Et *, *Nolite conformari huic sæculo, sed transformamini*, secundum Apostolum *, *renovatione mentis vestræ; ut probetis vos, et sciatis, quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta; et quæ vocatio fidei vestræ et spei in Christo Jesu, Domino nostro.* Sit lucerna cordis vestri semper ardens Spiritu Sancto, pura, sincera, liquida et splendida, ut illa illuminetur tota anima vestra. Sit vobis mens semper intenta ad Dominum, simplex et recta, cujus unicus labor sit et studium, unicusque et primarius finis propositus, summi boni contemplatio. Ad illud, inquam, natura sua verum germanumque bonum mens vestra sit conversa semper, et in illo vivat, moveatur et sit *; in illo illuminetur, bonaque reddatur : illi, quoad ejus fieri potest, similis efficiatur et deificetur.

D

* Ephes. V, 15.

* Rom. XII, 2.

* Ephes. IV, 23.

* Act. XVII, 28.

E

a vitiis avocabat

49 Ita enim animo, supra naturam omnem seu corpoream seu intelligentem elevato, mentem nostram in sanctissimæ Trinitatis majestate, quæ sola inexplicabilis, abscondita, supraque naturam evecta omnem per se est exsistitque, stabilicmus. Sicuti vero unam Patris et Filii et Spiritus Sancti naturam divinitatis, ita potentiam, operationem, gloriam et magnificentiam profiteamur et credamus : unum autem divinissimæ Trinitatis intemporaneum, cointemporaneum Patri Verbum, ab oculorum acie remotum, a corporis concretione purum, ejusdem ac Patris essentiæ, potentiæ ejusdem : hunc ipsum scientes hominis quoque filium secundum nostram naturam ex immaculata Dei Matre natum; unum quidem persona, gemina porro natura, operatione, voluntate, prædicemus : atque his rerum divinarum et theologicarum meditationibus penitus occupati, sacrarumque literarum studiis repurgati, atque assidua oratione lustrati, contemptis humanis rebus, curas inanes negligamus, F neque nos fœdis cupiditatibus submittamus, neque ad cogitationes stultas prolabamur. Omnis ferina iracundia, omne desiderium, a ratione alienum, a nobis excludatur : imo ira telum sit nobis in peccatum, peccatique auctorem : cupiditas autem, ad verum germanumque bonum translata, ad præcepta Domini custodienda nobis adjutrix fiat. Hæc documenta, dilecti, primum quidem a prophetis, dein a præstantibus Christi discipulis et evangelistis, tum vero a patribus sive sanctis doctoribus accepta, imo per unum et eumdem Spiritum dictata, variisque modis prædicata, ne contemnamus, nec segniter et ignave exsequamur, sed acriter et studiose virtutis opus persequamur : ut benignitate in egentes et fide a peccatis expiati, charitate perfecta ac submissione sincera, ab omnibus animæ et corporis inquinamentis defæcati, secundum Dei voluntatem ambulantes, regno supremi Patris in Christo Jesu digni habeamur.

et ad omnes excitabat

50 Omnes ergo animi vitiositates et malitiæ

A tiæ fibras elidamus, ut puris ad purissimum nobis pateat accessus. Perniciosam ventris ingluviem, veluti pestem virtutis et omnis fontem impietatis, procul habeamus : illius loco temperantiam, veluti diploidem, induamus; temperantiam, inquam, beatarum mentium sociam, cœlitum contubernalem, cœlestiumque deliciarum ac voluptatum conciliatricem et pignus. Fornicatio autem ne nominetur quidem in nobis, ut non solum opere et facto, sed ne cogitationum quidem impurarum monstris inquinemur. Totis proinde viribus, omnique connixu et summa animi humilitate, precibusque elementa luxuriæ eradamus, cœnosamque impuritatis scaturiginem et voluptatis focum, intemperantiæ suscitabulum idolum cordis obscœnissimum evertamus vel minuamus. Sic enim in nobis continentiæ decus efflorescet, sanctumque et spiritalem sponsum ad nos pie sancteque attrahemus. Avaritiam et studium habendi non secus ac idololatriam refugiamus : idem enim sunt, ut
* I Tim. VI, 10. lex Apostoli docet *, quando pecuniam appe-
B tentes, a fide aberrarunt, seipsosque inseruerunt doloribus multis. Quum ergo nobis fidem salutarem tollat, multasque vitæ calamitates pariat, quomodo non omni ope erit fugienda et exsecranda ei, qui nolit mercis instar animam vendere? Quapropter si conversatio no-
* Philipp. III, 20. stra in cœlis est *, si cœlum cogitamus, atque ad vitam immortalem ac salutem sempiternam aspiramus, habentes victum et vestitum,
* I Tim. VI, 8. his contenti simus *. Sic enim probe instructos expedite arduum virtutis clivum juvabit superare, haud ignaros, ut ales, humi retibus implicata, ad cœlum eniti non potest, ita, perinde fieri nullo modo posse, ut is qui copiis et opibus fortunarum devinctus est, expedite callem, ad cœlum ducentem, decurrat. Iram vero, ut insaniæ affinem, ignominiæ parentem, malique dæmonis scintillationem, remis velisque fugiamus, ne hoc olim incendio absorbeamur. Sed affectemus mansuetudinem, animi æquitatem, patientiam. Nam hæc sunt vera clementiæ Jesu symbola : et hæc ille supremus præcipit. Omnia enim propemodum Christi domini præcepta continent le-
C nitatis et mansuetudinis, atque in tolerandis malis patientiæ documenta, per quæ et caput omnium virtutum rite constituitur acquiriturque charitas.

virtutes. 51 Mœrorem autem et acediam detestemur, ut quæ viam paliuris obsepiant claudantque. Abjiciamus mœrorem, qui fit propter rerum fluxarum non acquisitarum defectum, qui premit mentem et urit animum, adeoque divexat et affligit, ut non possit in sinceri gaudii largitorem intueri, ad ipsumque in Spiritus Sancti gaudio evolare. Abjiciamus tædium velut pravi mœroris fœtum, ignaviæ parentem et socium desperationis, solutum, remissum, atque ad omnia divina præcepta, operaque bona minus idoneum. Imo vero illam pœnitentiæ matrem, quæ Deo placet, tristitiam induamus, plenam compunctionis, cœlestique gaudio delibutam : induamus alacritatem, diligentiam omnemque cultum virtutis: simus spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, in oratione perseverantes * ; ut possimus vanam et exsecratam gloriam, atque hac multo deteriorem superbiam, caput scelerum, principales diaboli filias in Christo Jesu superare : dum per summam animi demissionem, versutum veteratorem vanæ laudis explodimus et conculcamus, vitiorumque omnium reginam, superbiam, in fide et virtute Dei prosternimus ac elidimus : atque ita totam vitiorum animi sentinam exhaurientes, positis omnibus noxiis affectibus, mentis integritatem sanctam et auctorem integritatis, Deum, pure induemus. Sicque omni virtutum ornatu excultos, dilectus Dei Unigenitus nos diliget, et ad nos cum Patre veniet, ut promisit * , et * Joan. XIV mansionem apud nos faciet. Hujuscemodi monitis divinus noster Ignatius, hujuscemodi præceptis et documentis utebatur; et separatim quidem sermonibus actione firmatis, religiosos et semotos a turbis viros, ut actioni magis deditos, alliciebat, amoremque religiosæ disciplinæ in illis incendebat. Seorsim etiam divitibus præcepta vivendi dabat, ne E magnifice et superbe sentirent, neque fluxis rebus et incertis fortunis fiderent : principibus, ne fastu turgerent, humilioresque contemnerent. Sigillatim etiam sacerdotes et antistites ipse maximus antistes divinarum et ecclesiasticarum institutionum cognitione erudiebat. Denique per id omne, quod agebat et docebat, cœlestem legem ac præcepta proponebat.

NICETA AUCTORE COÆVO.

* Rom. XII, 11

ANNOTATA.

a *Non solum diplomata, sed quamcumque supellectilem plumbo signabant veteres, ut liquet ex textu nostro; cujus quidem rei varia affert exempla Du Cange Glossarium med. græcit. v°* Μολυβδος. *Secundum materiam vero, ex qua istiusmodi signacula conficiebantur, erant* Χρυσοβουλλον, *quando aurum;* Μολυβδοβουλλον, *quando plumbum; et* Κηροβουλλον *quando cera adhibebatur. Du Cange. Glossar. med. græcit. v°* Βουλλα (1).

b *Monstravimus supra cap.* v *Annotato* v *causam fiduciæ, quam in reges Franciæ reponebat Photius.* F

c *Erat Magnaura palatium cæsareum, a Constantino M. exstructum, etiam Hebdomum dictum, ad muros septentrionales urbis* (2).

d *In Commentario prævio num.* 8 *monstravimus, errorem irrepsisse in numerum annorum, quibus exsulavit S.* Ignatius; *et pro* ἐννεα, δεκα, *id est, pro novem legendum esse decem.*

e *Sacer Puteus,* Ἁγιον Φρεαρ, *locus erat in templo Sophiano bemati et amboni proximus : nomen deducunt quidam a puteo, apud quem Christus cum Samaritana sermonem habuit* (*Joan.* IV, 5), *quique CPolim translatus dicitur: sed melius alii appellationem derivant a pictura mulieris Samaritanæ, ibidem posita* (3).

f *Hæ voces, ut satis notum, in Missa latina habentur initio præfationis canonis : eædem, eodem loco et tempore recitantur in Missa græca, nisi quod chorus addat quædam, nempe :* Dignum et justum est adorare Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, Trinitatem consub-

(1) Cfr Nouveau Traité de Diplomatique, tom. IV, pag. 18 et seqq. Atlas, tab. LIX. — (3) Du Cange. CP. Christ. Part. II, pag. 69. — (2) Du Cange. CP. Christ. Part. I, pag. 127. Spruner. Histor.

NICETA AUCTORE COÆVO.

stantialem et individuam (1). *Atque ex hac utriusque Ecclesiæ concordia, recte arguit Jacob. Goar, Ordinis S. Dominici, antiquissimam istiusmodi precandi formulam* (2).

g *Joannes, hujus nominis secundus, interfuit synodo generali* VIII, *et subscripsit actione* X : Joannes, misericordia Dei, metropolita Pergæ (3), *primariæ civitatis Pamphyliæ Secundæ: idem actione* I (4) *vocatur :* Joannes, Deo amantissimus metropolita Silei. *Nam unum eumdemque fuisse metropolitam Perges et Silei, manifestum fit ex epistola* Ignatii *nostri ad Nicolaum Papam, actione* III *recitata* (5) : Misimus, *inquit*, debite Joannem, beatissimum et sanctissimum metropolitam Silæi, verum Dei cultorem et divino intellectu repletum, qui etiam per totos novem annos pro verbo veritatis cum nobisipsis persecutionem et mala cætera passus est. *Et hic ipse Joannes in Synodo Romana, quæ in Concilio CPolitano lecta est actione* VII, *subscripsit hisce verbis* (6): Joannes archiepiscopus Pergæ Pamphiliæ, apocrisiarius sanctissimi Ignatii, patriarchæ B CPoleos locum et personam ejus retinens et totius sanctæ Synodi, quæ sub ipso, propositis sententiis conscripsi et subscripsi manu propria.

h *Petrus, Sardensis civitatis, Lydiæ quondam capitis, metropolita fautor Photii, misere periit in mari, quando, restituto, non vero, ut habet Michael Le Quien* (7), destituto S. Ignatio, *legatione pro Photio ad Nicolaum Papam functurus erat.*

i *Exstat in Gestis Concilii CPolitani, actione* IX (8), *epistola Michaelis, patriarchæ Alexandrini, ad Basilium imperatorem data, qua fatetur se hactenus non accurate cognovisse quæstionem, inter* Ignatium *et Photium ventilatam* (9). *Hic tamen non levis occurrit difficultas. Sollerius noster in chronologica Historia patriarcharum Alexandrinorum* (10), *quem sequitur Euseb. Renaudot in Historia patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum* (11), *omittit hunc Michaelem aut tempus ejus episcopatus male ordinat. Ex testimonio Nicetæ coævi et Actis Concilii œcumenici* VIII *certum est, anno* 869, *quo dicta synodus celebrata fuit,* C *Michaelem catholicum rexisse Alexandrinam Ecclesiam. Jam vero Sollerius, qui seriem patriarcharum catholicorum texere, ut ipse in capite lucubrationis scribit, satagit, duplicem ponit Michaelem, nempe hujus nominis secundum, qui anno* 851, *adeoque diu ante Concilium CP. obiit; et ejusdem nominis tertium, qui mense Aprili* 870 *ordinatus dicitur* (12); *inter utrumque medius est post Cosmam II, Sanutius, qui ab anno* 859 *ad mensem Aprilem* 870 *sedem Alexandrinam occupavit* (13). *Sed Sanutius iste inter patriarchas Jacobitas, id est, heterodoxos numerandus est: ita ut in alterutro Michaele patriarcha error lucubrationi Sollerianæ obrepserit, et in altero episcopatus tempus producendum aut in altero retrotrahendum sit. Posterius autem malumus, quia si Michaelis III initium uno alterove anno prævertimus, habemus eumdem potuisse Josephum archidiaconum ad synodum* D *CP. delegare et inter catholicos patriarchas locum obtinere suum.*

m *Thomas, uti habet Mich. Le Quien* (14), *vicarius patriarchæ Antiocheni, erat episcopus Beryti in Phœnicia, sed postmodum Tyrensis episcopus est factus, quando in synodo Photiana pœnitentiæ libellum obtulit, quo veniam de actis, contra Photium in* VIII *synodo commissis, petiit. An hæc recte, dubitare licet : quandoquidem Nicetas noster, Photio infensus, Thomæ promotionem nec laudasset nec certe sine censura prævertisset* (15). *Quamquam nec prævertisse dicendus sit Nicetas noster, quoniam in Actis Concilii œcumenici* VIII *Thomas jam Tyri episcopus vocetur a patriarcha Hierosolymitano* (16) : Cum quo, *inquit, (scilicet Helia suo vicario)* et sanctissimum Thomam princeps Saracenorum destinavit, præsulatu fungentem urbis Tyri, qui sedis est Antiochiæ.

n *Memoria labitur Nicetas biographus, quando patriarcham Antiochenum Michaelem vocat; sedem hanc tunc obtinebat Nicolaus, ut constat ex Libello Synodico* (17).

o *De Theodosio, qui etiam Theodorus, patriarcha Hierosolymitano, agunt nostri* (18) *et Michael Le Quien* (19). E

p *Synodi indulgentiam erga lapsos episcopos acriter carpit Nicetas biographus infra num.* 45, *eidemque posteriora mala attribuit. Id tamen animadvertendum est, ipsum S.* Ignatium *præ cæteris auctorem indulgentiæ fuisse* (20), *imo, dissoluta synodo, idem ad Adrianum Papam recurrit, ut pleniorem indulgentiam impertiri liceret.* Rogamus, *inquit,* (21), nunc terminari et disponi perfecte ac integre scribi ad humilitatem nostram de his lectoribus, qui tonsi sunt a Photii manus impositione, qui quum sint pene innumerabilis multitudinis in universis regionibus et civitatibus, Ecclesiæ postulant ex necessitate aliorum fieri sacerdotalem provectum : ut cognoscamus etiam et super hac re vestram voluntatem atque decretum certissime et manifestissime, utrum sint digni promoveri ad majores sacerdotii gradus, an non sint: dubium enim hoc tantum dimiserunt (*nempe legati pontificii, synodi* VIII *præsides*). Et adhuc postulamus etiam de in- F timo filio nostro et fortissimo veritatis agonista, Paulo videlicet chartophylace, ut si est possibilis in eum dispensationis aliqua ratio, recipiat dignitatem episcopatus, quemadmodum et antea in litteris nostris efflagitavimus. *Petit deinde restitutionem Theodori, metropolitæ Cariæ, a se ordinati, sed qui dein in partes Photii deflexerat. Ex hisce videmus S.* Ignatium, *etiamsi patriarcham, illicitum existimasse relaxare canones, quos solus Romanus Pontifex solvere poterat.*

q *Subscripserunt Concilio œcumenico* VIII, *celebrato CPoli a die* V *Octobris* 869 *ad diem* XXVIII *Februarii* 870, *episcopi centum decem* (22); *ita ut pro* ἑκατον δυο, *centum duo legendum sit* ἑκατον δεκα *centum decem. Hujus Synodi Acta passim exstant in Collectionibus*

(1) Goar. Euchолog. pag. 75. — (2) Ibid. pag. 135. — (3) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 1157. — (4) Ibid. col. 978. — (5) Ibid. col. 1010. — (6) Ibid. col. 1095. — (7) Or. Christ. tom. I, col. 863. — (8) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 1111. — (9) Cfr Or. Christ. tom. II, col. 470. — (10) Act. SS. tom. V Jun., pag. 87*. — (11) Hsitor. patriarch, Aiex. pag. 294. — (12) Act. SS. tom. V Jun., pag. 87*. — (13) Ibid. pag. 88*. — (14) Or. Christ. tom. II, col. 810 et 820. — (15) Cfr Allatius. de Synodo Photiana pag. 112. — (16) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 987. — (17) Ibid. col. 1310 et seq. Cfr Act. SS. tom. IV Jul., Hist. Chron. patriarch. Antioch. pag. 122, et Le Quien. Or. Christ. tom. II, col. 747. — (18) Act. SS. tom. III Maji, Hist. Chronol. patriarch. Hieros. pag. XLI. — (19) Or. Christ. tom. III, col. 370. — (20) Cfr Labbe, tom. VIII, Conc. col. 1119. — (21) Ibid. col. 1172. — (22) Ibid. col. 1156.

Conciliorum ;

A *Conciliorum; latina quidem auctore Anastasio Biblothecario, qui præsens interfuit* (1), *græca autem, sed abbreviata, cum versione Matthæi Raderi* (2).

r *Quum ad quæstiones patrum in actione quinta diutius tacuisset Photius, timeretque silentii sui periculum, tandem dixit* (3) : Vocem meam, etiam me tacente, Deus audit. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Per silentium non effugies manifestiorem damnationem. Photius dixit : Nec Jesus tacendo evasit damnationem. Sanctissimi vicarii apostolicarum sedium dixerunt : Non dignum est nos responsum tibi reddere de hujuscemodi locutione, quoniam iis, quæ Domini Nostri Jesu Christi sunt, assimilasti, quæ tua sunt. Nulla autem communicatio lucis ad tenebras, neque participatio justitiæ ad iniquitatem, nec conventio Christi ad Belial, neque consensus templo Dei cum idolis. *Istiusmodi verbis Photius vafrum et superbum animum obtegebat : quum vero urgeretur, ut decreta concilii aut acciperet aut refutaret, silentium obstinatum criminationibus certis objectabat.*

B s *Franciscus Pagi in Breviario Pontificum Romanorum sub Theodoro Papa dicit* (4) : Hic ritus calamo, in calice tincto Sanguine Domini, loco atramenti, peculiaris fuit græcorum, a Theodoro tamen Papa, licet hujus facti Anastasius mentionem non fecerit, in damnatione Pyrrhi usurpatus. *Citat deinde quod factum est in Concilio* VIII. *Porro pergit laudatus Pagi :* Nihil in ea, velut Dominici Sanguinis abusione, irreverentia gravius peccatum a præfatis Theodoro, patribusque CPolitanis fuit, *uti nec a Basilio, quum voluit secum Dominici Corporis particulam sepeliri* (5). *Idem narrat S. Gregorius M. lib.* II *Dial. cap.* 24 (6), *fecisse S. Benedictum, qui adolescentem monachum posito cum reverentia super ejus pectore Corpore Domini sepeliri jussit. Observat etiam Edmundus Martene lib.* I *de Antiquis Ecclesiæ Ritibus cap.* 5, *art.* 4 (7) *in solemni ecclesiarum dedicatione tres portiones, ex Dominico Corpore detractas, cum calce et smalta inclusas fuisse. Tandem hic mos in Occidentem traductus fuit : narrat Steph. Baluzius in Notis ad Agobar-*
C *dum* (8), *pacem inter Carolum Calvum, et Bernardum, comitem Tolosanum, sancitam fuisse* cum sanguine Eucharistico (9). *De hoc calicis usu tractat Joan. Bapt. Thiers in Tractatu de Superstitionibus* (10).

t *Jam supra, cap.* IV, *annot.* k *diximus collectionem canonum apostolicorum tum in numero tum in ordine diversam esse in Ecclesia latina et græca. Sic quoque hoc loco, trigesimus canon in collectione latina pœnas infligit episcopo, simoniace promoto* (11), *quod ad rem biographi non facit : e contrario canon trigesimus, vel potius vigesimus nonus, in collectione græca, et Photium et omnes ejus asseclas damnat :* Si quis, *inquit* (12), episcopus, sæcularibus principibus usus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur et segregetur, et omnes qui illi communicant.

u *Quam deplorat biographus noster indulgentiam Patrum Concilii CP, explicat paulo infra, dum dicit hac indulgentia viam stratam fuisse, ut Photius, mortuo S.* Ignatio, *denuo cathedram CP. occuparit. Cfr dicta supra Annot.* p.

NICETA AUCTORE COÆVO.

v *Tarasius, cujus Acta exhibent nostri sub die* XXV *Februarii* (13), *auctor videtur fuisse indulgentiæ, episcopis iconomachis impensæ. Nam in synodo Nicæna* II, *actione* I, *quum hi episcopi culpam suam fidei professione publica utcumque eluissent, Tarasius dixit* (14) : Videtur vobis, ut recipiant sedes suas... Sancta Synodus dixit : Placet omnibus nobis. *Et hac ratione episcopi, ab hæresi reversi, suas recuperarunt sedes.*

CAPUT VII.

S. Ignatii pius obitus, sepultura et miracula; Photius, dolo sedem CPolitanam iterum adeptus, novis turbis Ecclesiam involvit.

E

Pie et sancte S. Ignatius

Quum jam ad extremam ultimamque senectam vergeret, cupiebat dissolvi, multorumque laborum ac morborum, atque adeo tot ærumnarum finem exspectabat, quem tandem etiam est consecutus. Nam spe certa futuræ consequendæ præsentem vitam ponit, turbarumque motus et invidiæ, odiique et insectationis infelicium ac impiorum evadit, atque in pace in idipsum dormit ac requiescit, inque manus Domini commendat spiritum. Apponitur ad Sanctos Sanctus, ad hierarchas magnus hierarcha, ad Confessores Confessor, ad magnos patres certamine fatigatus. Enimvero par est, ut, quo pacto de statione vitæ decesserit, exponamus. Jacebat Sanctus extremum ægrumque trahens spiritum, dum et ipse, ut magnus ille *a*, a cœlesti choro exspectaretur. Jam vocis instrumenta prope tota conciderant, vitalisque aura defecerat, omnesque artus exanimati erant, ipsa denique anima non nisi profectionem spectabat. Quum ecce tibi minister pro ritu Ecclesiæ summa nocte, ingenti voce illud solemne : Jube, domne, F benedicere, intonat et proclamat : et Beatus sensim manu ora signans, modiceque veneranda labia motans, voce intermortua, quam ægre, qui proximi stabant, percipiebant; quærit, cujus ea die memoria Sancti celebretur. Jacobi, inquiunt, domine, Fratris Domini, amici tui *b*. Imo, respondet cum compunctione magna Beatus, domini mei. Cæterum valete. Tum ait : Benedictus Deus noster omni tempore, et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen. Simulque cum hymno et gratiarum actione animam emisit, mortalemque vitam reliquit. Statim igitur non tam funus, quam vitam curant (postquam enim ad vitam translatus fuit, vita et fuit et mansit) : illumque sacro patriarchæ ornatu ex more vestiunt domestici, et venerandum Jacobi, fratris Domini, superhumerale *c* illi induunt, quod

a

b

c

(1) Labbe, tom. VIII, Conc. col. 961. — (2) Ibid. col. 1278. — (3) Ibid. col. 1039. — (4) Tom. I, pag. 324. Edit. Venet. 1730. — (5) d'Acheri Spicil. tom. I, pag. 139. Edit. Paris. 1723. — (6) Oper. tom. II, col. 256. Edit. Paris. 1705. — (7) Pag. 354. Edit. Venet. 1783. — (8) Migne Patrol. tom. CIV, col. 310. — (9) Cfr Mabillon. De re Diplom. pag. 170. — (10) Traités des Superst. tom. II, pag. 228. — (11) Labbe, tom. I, Conc. col. 50. — (12) Ibid. col. 31. — (13) Act. SS. tom. III Februar., pag. 572. — (14) Labbe, tom. VII, Conc. col. 62.

NICETA AUCTORE COÆVO.

ante aliquot annos Hierosolymis illi missum, tanta veneratione prosecutus est, ac si ipsum Jacobum Apostolum, et primum in eo pontificem spectaret. Hoc propterea voluit, ut in eo sepeliretur.

die XXIII Octobris obit,

53 Et sane illo ipso die, memoriæ S. Jacobi sacro, ipse quoque Ignatius ex hac vita die tertia supra vigesimam Octobris ad Dominum migravit, certo admodum indicio familiaritatis cum fratre Domini et migrationis ad illum accepto. Atque sic quidem sacrum illud et venerabile pignus, sancte et religiose ad funus compositum, ligneo sarcophago clauditur, atque ad ædem magnæ Sapientiæ Dei deportatum, dignis et honorificis exsequiis decoratur. Tanta vero pietas populum incesserat, ut et feretri, in quo jacebat, fragmenta, Reliquiarum instar, distraxerit et velum, quo tectus erat, in partes mille discerptum, sacri pignoris loco, inter pios sit divisum. Quum ergo corpus ægre e manibus populi esset ereptum, ad nobilem magni Martyris Menæ ædem *d* pervenit; ibique aliquandiu depositum, sacris quoque hymnis honorifice, ut par erat, est exceptum. In quo loco binæ fœminæ, a malis occupatæ dæmonibus, horrendumque exagitatæ, solo tumbæ contactu, spectante universo cœtu, liberatæ, certissimam sanitatem sunt consecutæ; quæ et ingentes Deo magna voce gratias persolverunt. Hinc vero quum familiares nobilem hunc Reliquiarum thesaurum navi imposuissent, mareque jam ante vehementer intumuisset, et violenti noti procella fluctus decumanos tolleret, qui navigationem impedituri viderentur, simul ac sacra arca navim attigit, mirum quid dominica virtute est factum : nam magno illo antistite procellam invisibiliter increpante, fluctibus leniter cadentibus, placida aura mare constitit.

d

B

et in templo S Michaelis sepultus,

54 Ergo curatores funeris serenatum mare, dominum laudantes, trajiciunt, atque in nobile templum cœlestis militiæ principis atque Archangeli *e* ædificatorem illius Ignatium et cultorem deportans, atque ad dexteram ædis partem magna cum veneratione, marmoreo conditum tumulo, reponunt; morborum nempe variorum medicam quasi officinam, ubi et spiritus infesti pelluntur, omnisque generis ægri, ut compendio dicam, a morbis tum corporis tum animi, quum tumulo admoventur, potenter curantur. Ita vir Dei, in terra multis ærumnis conflictatus, et tamquam aurum in fornace probatus, atque ita dignus Deo exhibitus, cœlestem beatitudinem et honorem in excelsis, quo fruuntur Sancti, consecutus est. Stulte ergo egerunt tenebræ, lumen persecutæ, quod numquam apprehenderunt : imo tanto magis profuerunt persequendo, quanto magis illud a se vexari putaverunt. Nam dum persequerentur lumen, ut captum conculcarent, et inde illi insultarent, lucem quidem a se quam longissime repulerunt, illamque vel nolentes tanto propius summo bono admoverunt, quanto se magis cum malo extremo deterrimis suis consiliis conjunxerunt.

e

C

miraculis plurimis claret;

55 Ergo Ignatius, iterum patriarcha, decennio præfuit; tricennio autem, pauloque amplius, universe magnus antistes solium tenuit : et octogenarius in pace ad magnum illum Pontificem Christum est profectus *f*. Porro quot et quantis illum Deus signis ac prodigiis celebrarit, ac celebrare semper in illo celebratus Dominus non desinat, non est hujus instituti et operis, sed historiæ et justi voluminis labor. Ego de multis pauca (nam singula persequi infinitum sit) quæ tamen Dei gratiam et ipsius fidem mediocriter declarent, compendio exponam. Puer octennis, summum novennis, morbo perculsus, ac totus repente fractus, non solum usum linguæ et aurium amiserat, sed membris omnibus captus, a suisque gestatus, ad communem credentium, sacramque curationum officinam, ad Sancti, inquam, patris tumulum projicitur; quartoque die Sancti auxilio dignatus, confestim suis insistens vestigiis, consurrexit; portaque, sua manu aperta, sanus integerque egressus, obviis quibusque loquebatur et audiebat, immensas Deo gratias agens et Sancti enarrans miracula. Alius invidia, reor, cacodæmonis epilepsia vehementer correptus, os fœde distorserat, et naturali vocis sonitu orbatus erat, ut miserabile juxta ac triste spectaculum oculis proponeretur. Hic firmissima fide opem Sancti implorans, per nocturnam speciem videt Ignatium, manu clavem gestantem, et ori suo admoventem, ac vertentem, quasi januam aperiret, ad se dicere : Nostin' qui sim? Quod quum negaret, postea audivisse ab illo Ignatium esse patriarcham. Et ecce jam nunc, inquit, es curatus. Postea experrectus, adeo salvum et incolumem se reperit, ut ne vestigium quidem in se morbi deprehenderet.

D

E

f

dysenteriam, aridítatem, sterilitatem curat,

56 Alius item, dysenteria laborans, jam in extremis erat, et a medicis conclamatus; qui tamen ut Sancti opem e longinquo plena fide implorabat: spectat hunc, per somnum sibi assistentem, bonoque animo esse jubentem; et illico siccata alvus constitit, cibique appetentia reversa, hominem perfectæ restituit incolumitati. Fœmina quoque, nupta viro triumque liberorum parens, aridis semper et siccis erat papillis, ita ut statim partus suos cogeretur alienis nutricibus alendos committere: donec propinquis venit in mentem, ut ad Sanctum properarent. Ubi, absterso e Sancti viri coma liquore et recens enixæ ad sorbendum propinato, subito tanta lactis copia redundare visa est, ut plus quam fuerit necesse, papillæ lactis suppeditarent. Atque id non ei soli, sed alteri quoque, eodem naturæ morbo laboranti, narratur accidisse, quæ pariter, ex eodem cæsariei illius desumpto liquore, sanitatem recuperavit. Alia nobilis item et illustris matrona, quæ nobili viro in matrimonium collocata, pluribus annis infœcunda sterilisque erat, mariti fide, ad cineres viri sancti procumbentis, oleoque sancto inde uxori allato, atque ex fide allito, illa, magno pontifice suppliciter invocato, fœcunda subito reddita, prolem edidit numerosam.

F

liberat Siciliam :

57 Enimvero non ii dumtaxat, qui sacram complexi tumbam, hæc miracula sunt experti; peregrinis etiam et ultima terrarum incolentibus Deo plenus pater adest imploratus. Cujus rei amplissimus testis est prætor Siciliæ, qui id sanctissime juratus affirmavit. In Agarenos *g*, Siciliam invadentes, pugnaturus, quum ingenti cura et pavore angeretur, magnum Ignatium in auxilium ardentibus votis invocat. Qui, inquit prætor, manifestus in aere,

g

A aere, velut in albo insidens equo, me monuit, ut in dexteram partem flecterem agmen, illicoque gloriam Dei me visurum. Quod quum præfectus, Musilices nomine, fecisset, ingenti
h prælio devictos hostes cepit *h*. Quo pacto vero et istius fœminæ mirabilem casum, mirabilioremque in illam Sancti beneficentiam reticebimus? Quæ quum marem ferret utero, et jam doloribus, partus proximis urgeretur, puer in pedes editur, et hærens progredi amplius non potest, parturienti interim acutissimi intolerandique cruciatus augentur. Quumque jam res in eo esset, ut fœmina simul cum puero interiret, medici vulnerarii adsunt, ut
i fœtum, membratim divisum *i*, extrahant. Sed meliori providentia numinis, magnum nostrum miraculorum patratorem in memoriam revocant. Et forte quidam e præsentibus minimam ex Reliquiis veli illius partem, in funeris cura ante populis fidelibus distributi, profert, Ignatiique ope implorata, ad ventrem admovet; fœminaque tacta solum, infans in caput versus, indeque salvus et incolumis
B editus, Ignatius a parentibus, ut ab ipso nomine sibi imposito rediret in memoriam miraculi, a patriarcha perpetrati, est appellatus. Et hoc cur apostolicis illis prodigiis inferius ducatur? Quid Petri et Pauli virtuti cedit? Vis enim Spiritus Sancti in illis efficiebat, ut sudaria et semicinctia illorum ingentia signa ederent. Hæc eadem modo per apostolicum hunc virum, vere deiferum, effecit, ut velamenta feretri, quæ sacras illas Reliquias tantum contigerant, compedesque ferreæ, quibus impii homines sacros illius pedes presserant, non minora ad Dei laudem, fideliumque salutem fecisse credantur.

puniuntur, qui sepulcro insultant,

58 Mitto dicere, quot renum doloribus confectos toto animo rogatus curarit: quot elephantiacos seu leprosos absterserit, quot cæcos illuminarit; fractos et jacentes erexerit; et qua manibus, qua pedibus aridos restituerit. Præterco febrientes, aut a malis spiritibus tortos, quos sanarit, hodieque sanet, ac per veneranda vincula omnes prope morbos, omnesque ægritudines pellat curetque eorum omnium, qui sincera fide ad sacrum illius tu-
C mulum confugiunt. Neque sane, quamvis volens, possim omnia dicendo percensere. Unum tamen illud miraculum adjungentes, pauca ex iis, quæ post viri sancti mortem evenisse narrantur, historiæ adjiciemus. Etenim quo pacto Lydi illius sacellarii *k* facinus
k silentio prætereamus? Qui ab impudente Photio submissus, in cœnobium venit, ut ægros omnes, ad sepulcrum illius supplicantes, conviciis et flagris exigeret. Quo facto scelus addidit sceleri: terram enim proximam sacræ tumbæ alte jubet effodi, in speciem quidem, quasi ingentem auri vim patriarcha illic condiderit; reipsa tamen, ut sacris ossibus contumeliam irrogaret: adeo animum hominis furiosum invidia occuparat, ut ne post mortem quidem Ignatii ab illo cesserit. Simul ac enim hoc ille verbo impie edixerat, vindicta numinis impium prosecuta est: hic dumtaxat Dei patientia se diutius continere non potuit, sed e vestigio plagam inflixit. Ergo superbus ille, horrendum boans, et tamquam victima, infra supraque sanguine diffluens, domumque delatus, elinguis intra quatriduum, a Deo punitus, exspiravit. Hæ sunt rerum, a patre nostro gestarum, narrationes; hæ boni pastoris prærogativæ; ita beatissimus ille, dum in terris ageret, se quam sanctissime religiosissimeque gessit, rebus omnibus ad Dei laudem et Ecclesiæ ædificationem relatis: et per mortem ad Deum profectus, nobis apud illum salutaris juxta ac utilissimus est patronus, ut qui Deo præsens citra ullum medium interpellat pro nobis *l*.

l

Photius autem, imperatoris simplicitate

59 Quid autem is, qui dicitur Photius? An judicium, de se rite factum, est veritus, atque impia consilia abjecit? An sub potenti manu Dei humiliatus, divinæ se deinceps voluntati commisit? Vel an, improbis machinationibus non abdicatis, moderatior tamen et æquior est redditus? Nequaquam. Toto illo decennali exsilio infinitas technas adversus Sanctum molitus est. Et quum illum irretire aut capere nullo modo posset, imperatoris animum sibi conciliare tentat. Ergo artibus omnibus strophisque adhibitis, reperit viam, qua imperatoris simplicitatem levitatemque caperet, et vide, quam probabilem, et ipsius ingenio
E dignam. Observatis enim nominibus singulorum, ipsius, inquam, imperatoris Basilii et Eudociæ Augustæ conjugis, liberorumque Constantini, Leonis, Alexandri, Stephani, ex primis singulorum nominum literis compositis componendæ fraudis occasionem arripit. Historiam enim, sive genealogiam, quæ nusquam est aut fuit, contexens, Tiridatem, illum inclytum Armeniæ regem, qui Sancti Gregorii Martyris *m* ævo imperitavit, stirpis caput fingit. Ex illo, nominibus pro arbitratu excogitatis, gentem deducit, et alios ex aliis fabulosa narratione condit: quando demum ad parentem Basilii pervenit, scripsit, nasciturum ex eo talem plane virum, qualis erat Basilius, eique nomen esse Beclas; quem omnium retro regum felicissime et diutissime regnaturum vaticinatur. Innumera insuper mendacia, quibus auditorem delectari sciebat, in librum suum concenturiat, et literis Alexandrinis *n* in vetustissima charta, ad ipsam antiquitatis speciem expressis, conscribit, atque theca seu tegumento, ex antiquissimo codice detracto, vestit, atque in illa F nobili bibliotheca palatii clam reponit.

m

n

abusus, sedem CPolitanam recuperat;

60 Fidus illi in hac scena et fabula erat administer Theophanes, palatinus ea tempestate clericus, habensque apud imperatorem eruditionis opinionem, ac postmodum ob improbæ operæ pretium, episcopus Cæsareæ Cappadociæ creatus *o*. Hic commentitium hunc libellum, in bibliotheca, uti dictum est, repostum, opportuno tempore extrahit, imperatorique librum, velut cæteris omnibus admirabiliorem et arcanis refertiorem, exhibet; simulatque, neque se, neque mortalium quemquam ejus mysteria, præter unum Photium, assequi posse. Ergo extemplo ad Photium mittitur: prætexit ille, nulli posse arcanum illud, nisi soli imperatori committi, de quo illud ipsum perscriptum esset. Quid igitur? capitur imperatoris facilitas hac fabula, et cum Photio in gratiam redit. Solent enim faustæ, quamvis vanissimæ, prædicationes excelsam et gloriæ appetentiorem indolem eludere et enervare, penitusque in suam potestatem redigere. Hæc inter Basilium et Pho-

o

NICETA AUCTORE COÆVO.

tium origo familiaritatis: hinc Ecclesiæ tranquillus status, funditus eversus: hæc primæ turbæ et dissensionis redintegratio. Hinc assiduus in palatio Photius benevolentiam imperatoris furtim conciliabat, et demum suis præstigiis et morum illecebris totum sibi virum vindicavit. Exstitit mox et alia necessitudinis occasio: Theodorus ille, habitu vesteque in speciem monachus, sed omnium improborum improbissimus et versutorum versutissimus, Santabarenus, inquam, de quo, opinor, audivistis omnes. Hunc nescio quomodo repertum (nam pares, ut dicitur, cum paribus facile congregantur) ut virum, singulari sanctitate, præscientia, rerumque futurarum cognitione pollentissimum, (quibus tamen virtutibus non solum caruit omnibus, sed contra, ut ajunt, magicis præstigiis, et ariolandi, conjectandi, incantandi, animasque evocandi artibus insignis habebatur) hunc, inquam, imperatori sistit, immensisque celebratum laudibus commendat. Quumque jam imperatore intimo et familiarissimo uteretur,
B Photius per eum patriarchæ Ignatio insidiatur, sedemque amissam occulte recuperare conatur, sibique denuo reditum sacrilege comparat. Quod tamen ubi fore difficile sensit, aperte, ut in sacerdotium restitueretur, a viro Sancto omni ope contendit.

licet ante a S. Ignatio repulsus;

61 Sed patriarcha, canonum legumque ecclesiasticarum observantissimus, tametsi vehementer sollicitatus, illum tamen haud admisit, nec grassanti lupo reditum ad Christi caulam indulsit, ne secum ipse pugnaret, suisque contradiceret subscriptionibus, et ipse sua dignitate decideret. Nam a synodo, non modo provinciali sed generali, exauctoratum, imo nec ab initio legitime sedem sacram adeptum, sine majori et amplioris auctoritatis synodo non posse absolvi contendebat. At Photius, canonibus legibusque contemptis, ultroque sibi sacerdotio denuo arro-
p gato, sedebat in regia, Magnaura dicta *p*, constituens exarchos et sacros ordines conferens. Nam quidquid ad Ecclesiæ contumeliam, virique sancti afflictionem, suumque ipsius exitium spectabat, sacrilege profanissimus
C audebat: adeo imperatoris simplicitate, imo longa Dei patientia et pœnitentiæ exspectatione abusus homo ambitiosus pessimique exempli, postquam palatinos quoque sibi conciliasset et ad partes traduxisset suas, latente intus scelere, multo quam ante magis apertiusque prodito, multoque magis quam ante vi sæcularis potestatis comparata, non toto, quam Ignatius obierat, triduo elapso, tribunal patriarchale, revocata pristina, parricidali et tyrannica mente, occupavit: et furore adversus Sanctum renovato, cunctos illius domesticos ac servos custodiis, verberibus, exsiliis, aliisque intolerandis malis et ærumnis oppressit. Provectioni vero illius, contra leges et sanctiones ecclesiasticas factæ, quicumque repugnabant, hos mille artibus expugnavit. Alios quippe muneribus et honoribus permulcendo, vel sedium episcopalium permutationibus, ad societatem et communionem attraxit. Alios primum criminationibus, inauditisque calumniis traducendo, graviterque lancinando persecutus est, quos tamen mox, si se ad ejus partes adjunxissent, causa tota ventis permissa, absolvit. Ita qui modo illi D sacrilegus erat, is eidem mox symmista et comminister fiebat. Qui prius fur, adulter, et profanus ab illo juratissimo probabatur, ille mox eidem magnus et venerandus sacrorum antistes habebatur.

cathedram adeptus, malis artibus

62 Quos autem in sententia firmos, suam communionem penitus aversari videbat (aversabantur autem omnes, qui vere christiani erant, quique persuasum habebant, se cum eo, qui a sancta et œcumenica synodo rite sancteque damnatus esset et depositus, sine summo salutis periculo et exitio communicare non posse; neque cum illo in unum Christi corpus coalescere, qui millies venerandam Christi crucem pedibus conculcasset, aliosque omnes per chirographa, vi extorta, conculcare coegisset) hos, inquam, omnes, quotquot vinculis flagrisque frangere non poterat, affini suo, Leoni, cognomento Catacalo, biglæ *q*, seu vigiliarum præfecto, quam ipse *q* ad hanc dignitatem evexerat, homini sævissimo immanissimoque tradebat. Qui, ut se de beneficio gratum exhiberet, missos ad se cunE ctos, (ut brevi carnificinam illam comprehendam) Liciniana quadam immanitate excruciabat. Ex quibus multos, pro veritate ad necem usque propugnantes, sustulit: plures tamen, intolerandis victos tormentis, præclari muneris loco, mittenti remittebat. Quis, per Deum immortalem, temporis hujus tempestatem et iniquitatem; imo quis tortuosi illius draconis insidias et machinationes dicendo assequatur? Multos veterator ille perjura lingua calumniatus, aut per falsas criminationes exauctorans, mox ut cum eo rursus communicabant, commendatos restituebat, et nonnumquam ad majores dignitates transferebat. Dein si quis iterum vesana illius communione offensus, ab illo deficeret, hunc rursus damnabat; et si damnatus cederet, mox admittebat. Tanta gloriæ dominationisque siti æstuabat, ut illius causa per furiosam ambitionem leges divinas, jura omnia, sacraque permisceret.

omnes ad partes suas attrahere satagebat,

63 In primis autem hoc agebat, ut ordinationes patriarchæ transmutaret, atque ab eo damnatos sedibus restitueret. Sed quum id imperatori non probaretur, en quid tentavit. F Consecratos a sancto Ignatio resecrare conatur; quod quum æque parum succederet, omnesque indignissime ferrent, ac exsecrarentur, ne ita quidem defecit iniquitas. Humeralibus et orariis et aliis status sacerdotalis coemptis insignibus, secreto preces super ea quasdam (si tamen preces et non potius diræ exsecrationes appellandæ sunt) pronuntiabat; sicque ea singulis loco muneris largitionisque dabat. Atque ut peccatum fieret supra modum peccans*, ubique jurisjurandi sacra- *Rom. VII,13.
menta, ubique chirographa exigebat, sive initiaret, sive honores et dignitates ecclesiasticas conferret, sive episcopatus permutaret. Quibuscumque demum se beneficium præstare censebat, hos sibi obstringebat, et testatissimis chirographis exactis sibi cavebat, ubique suam dumtaxat gloriam affectando, novisque rebus studendo. Neque Dei nutu vel providentia sibi bene fore umquam credebat, aut sperabat; sed per multiplex ingenium suum seu artificium, imo maleficium, sese communiebat. Atque ita totum Ecclesiæ statum

A tum permiscebat, omniumque mortalium animos pessimis exemplis offendebat, et impiis artibus suis, ut nomen Christi blasphemaretur, efficiebat.

et contra jus et fas

64 Ergo ubi iterum patriarchatum invasit, Theodorum illum (quem ipse exsul Patrarum metropolitam creavit *r*, quem quidam facete Aphantopolis, hoc est, nuspiam exstantis civitatis metropolitam nuncupabant) hunc, inquam, Theodorum ad Joannem Papam *s* apocrisiarium destinavit. Per quem scripsit, se, per vim a tota Ecclesia totaque republica coactum, tribunal sacrum denuo perinvitum conscendisse. Atque ut mendacium, in epistola scriptum, stabiliret, per Petrum secretarium, qui postea ob figmenta Sardium pontifex præmii loco dictus est *t*, omnium metropolitarum signa furatur; adeoque ipsos sibi metropolitas suffuratur, ignaros se libello subscripsisse, quum arcanam fundi emptionem prætendisset. Tantus ille et tam insignis fraudum omnium et nequitiarum artifex erat! Sed qua ratione taciti causam Euphemiani illius, Euchaitarum episcopi, dissimulabimus, cujus episcopatum propter vicinitatem Santabarenus appetebat? Hunc ergo episcopatu cedere cogit, et illi Santabarenum sufficit. Neque id tantum, sed episcopatus etiam, quoscumque ille expetebat, vicinis metropolitis ereptos, huic donat; neque hisce contentus, eumdem juxta se protothronum constituit. Præterea Nicephoro, Nicææ metropolitæ, per vim abdicato, orphanotrophii curam et tutelam committit: Amphilochium vero, Cyzici præsulem, Nicæam transfert; cui mox exstincto Gregorium Syracusanum subrogat; quem et ipsum mox sublatum hujuscemodi Photius epitaphiis exornavit, ut magnis illum patribus vita et virtute æquarit: nec id aliam ob causam, quam quod infelix linguam suam sicut novaculam acuerit in Sanctum Ignatium usque in finem *u*.

r

s

t

B

u

omnia permiscebat.

65 Has et his multo plures ac deteriores ob causas venit ira Dei super filios diffidentiæ. Subito namque imperatori filius et charissimus et natu maximus, Constantinus, est ereptus *v*: quem audax Photius, in gratiam imperatoris, in Sanctorum censum sua auctoritate retulit, et templis cœnobiisque, ad aucupandum humanam gratiam, colere non est veritus. Dein etiam magna Syracusanorum civitas horrenda clade periit: insulaque omnis et cuncta oppida et agri hostili manu fœde etiamnum hodie vastantur, diripiuntur et pessumdantur *w*, nullo ex iis, qui rem sacram administrare videntur, Deum precibus placante: sed ut scriptum est*: *Facti sumus sicut oves errantes sine pastore*. Etenim inveterata tempore iniquitas, multisque exemplis corroborata, in legem abiit iis, qui nolunt legem, et mores corrupti in naturam quodammodo prævaricatorum invaserunt, et tali modi iram Dei in se provocaverunt impii. Enimvero singillatim percensere omnia, quæ innovata et impie gesta sunt a Photio, architecto et magistro hypocritarum et hostium crucis, et ab omnibus successoribus et sociis ambitionis suæ, justæ est opus historiæ, non hujus loci argumentum.

v

C

w

* Matth. IX, 36.

66 Nos vero infinitam Dei patientiam et clementiam memorantes, Dominum universorum deprecemur, ut nos, a sorte eorum, qui tot scandalorum, offensionum et dissensionum pessimis suis cupiditatibus auctores exstiterunt, ereptos, sortis Sanctorum, qui per fidem et charitatem Dei, humilitatem et mansuetudinem, regno et sacerdotio sancto Dei, qui Sanctorum caput est omnium, sunt dignati, nos quoque precibus intemeratæ purissimæque Dei Genitricis, selectorum cœlitum, Angelorum, gloriosissimorum Apostolorum, nobilissimorum Martyrum, Sanctorumque omnium, et cum hisce omnibus, sancti patris Ignatii, patriarchæ Constantinopolitani, novi confessoris et Sancti, consortes efficiat, in Christo Jesu Domino nostro: cui laus, honor, adoratio cum æterno Patre, pariterque æterno et vivificante ipsius Spiritu, nunc et semper, et in omnes omnium sæculorum æternitates. Amen.

ANNOTATA.

a *Hæc verba desumpta sunt ex S. Gregorii Nazianzeni oratione funebri in S. Basilium Magnum, num.* 79 (1). *Græce eadem sunt verba, quæ tamen Maurino-Benedictini paulo immutata latine reddunt, nempe :* Jacebat ille extremos spiritus ducens, atque a cœlesti choro, ad quem jampridem oculorum aciem intendebat, expetitus. *Photio machinante, S.* Ignatio *vitam abstulisse Basilium imperatorem scribunt Stylianus, episcopus Neocæsareæ Euphratesiæ et alii ad Stephanum Papam V his verbis* (2) : *Basilius* in palatio contubernalem Photium habebat, ut Photius magis esset patriarcha, quam Ignatius ipse, licet in patriarchali sede ipse Ignatius resideret. Quapropter, ut supra diximus, ordinationes habebat, et ita imperatorem adversus Ignatium irritavit, ut ei vitam male abstulerit. Qui quum ita male fuisset mortuus, statim Photius ejusdem sedem occupavit. *Ne vel verbo Nicetas, biographus noster, violentam S.* Ignatii *fuisse mortem insinuat, certe non taciturus, si tantum facinus suboluisset. Imo Nicetas causam mortis ponit senectam, morbos, ærumnas, adeoque causam naturalem; si proinde aliquid violenti intervenerit, fuerit venenum, quod tardius innotuit.*

E

F

b *Etiam hodie, ut testantur Menæa, in Ecclesia Græca celebratur festivitas S. Martyris et Apostoli Jacobi, fratris Dei,* Ἀδελφοθέου. *De eo egerunt nostri ad diem, quo colitur apud latinos,* 1 *Maji* (3).

c Superhumerale, *græce* ἐπωμις, *duplicem apud græcos habet significationem, ut monstrat Glossarium mediæ græcitatis verbo* ἐπωμις : *significat enim tum scapulare monachale, tum stolam, quæ humeris sacerdotis imponitur. Videtur autem totum hominem circumvestiisse: quoniam in laudato Glossario legitur, Moyses abbas, indutus* ἐπομιδα, totus candidus ὁλολευκος, *apparuisse. Cæterum superhumerale S. Jacobi donatum acceperat S.* Ignatius *a Theodosio, patriarcha Hierosolymitano, ut constat ex hujus epistola, actione* 1 *concilii* VIII *recitata* (4) :

(1) Greg. Naz. Oper. tom. I, pag. 830. Edit. Paris 1778. — (2) Labbe, tom. IX, Conc. col. 371. Cfr Jager. Hist. de Photius, pag. 260. Edit. Lovan. 1845. — (3) Act. SS. tom. I Maji, pag. 18 et seqq. — (4) Labbe, tom. VIII Conc. col. 987.

Præterea,

NICETA AUCTORE COÆVO.

Præterea, *inquit Theodosius patriarcha,* sperans penes sacratissimam et solertissimam affectionem tuam (*scilicet S.* Ignatii) impetrare, quæ cordi sunt, poderem et superhumerale cum mitra, pontificalem stolam S. Jacobi Apostoli et Fratris Domini et primi archiepiscoporum, quam antecessores mei patriarchæ circumamicti, semper in Sancta Sanctorum ingrediebantur, sacerdotio fungentes.. Quæ et ipse ego indutus sum, eadem gerens tuo desiderabili et honorando mihi capiti, ex amore et dilectionis copia transmisi. *Quamvis nostri luculenter de hujus S. Jacobi Reliquiis agant, nullam de sacris vestimentis mentionem injiciunt* (1).

d *S. Menæ templum situm erat ad Propontidem, in parte meridionali Urbis Geminus est autem Menas, uterque Martyr et Ægyptius: alter die* XI *Novembris, alter vero die* X *Decembris Martyrologio Romano inscribitur. Utri vero templum erectum fuit, ambigendum non videtur; quum Kalendarium Ecclesiæ CPolitanæ, a Stephano Morcelli editum* (2), *unum tantum Menam proferat ad diem* XI *Novembris, qui* B *Cotyæi in Phrygia, ubi militabat, sub Diocletiano martyrii lauream adeptus est. Fallitur proinde Carolus Du Cange, quando Menam, CPoli cultum, et Alexandrinum et die* X *Decembris cultum dicit* (3). *Minus porro felix est laudatus Morcelli, dum post Cangium, etiam Baronium erroris arguit, quasi et hic in Mena falsus esset. En verba in notis ad Martyrologium Romanum ad* X *Decembris:* Alius hic Mennas, ab eo, de quo supra III idus (XI) Novembris: licet nonnulli hunc Mennam, illum esse dicant. Hujus corpus translatum est CPolim, in cujus honorem Justinianus basilicam excitavit, ut Procopius de ædificiis Justiniani imp. libro primo testatur. *Facile perspicitur allucinationem latere in pronomine* hujus, *ad quem ex duobus referendum sit. Omissis subtilitatibus grammaticorum, mens Baronii fuit, indicare Menam Martyrem cultum* XI *Novembris, quandoquidem in Breviario Romano legitur hunc CPolim fuisse translatum. Cæterum, quum, teste Procopio* (4), *Justinianus ædificaverit ædem* in Hebdomo Menæ et Menæo Martyri- C bus, *scilicet ex altera omnino Urbis parte, versus septemtrionem, oportet, ut alterum fuerit templum binis Martyribus erectum: nam templum S. Menæ, quo corpus S.* Ignatii *delatum fuit, in meridie, ut diximus, ad magnum palatium jacet et a Constantino M., Jovi antea aut Neptuno sacrum, S. Menæ dedicatum fuit* (5).

e *S. Michaelis monasterium, quod Orientis dicitur, et postmodum a S. Satyro nomen accepit, trans mare in littore asiatico situm erat ad Propontidem. Prius erat palatium, Theophanoni, viduæ Stauracii augusti, a Michaele, S.* Ignatii *patre, ædificatum, quod ipsa dein in monasterium convertit. Unde liquet ratio cur Sancto nostro fundatio tribuatur* (6).

f *De ætate et tempore episcopatus S.* Ignatii *egimus in Commentario prævio numm.* 7 *et seqq.*

g *Agareni iidem sunt ac Saraceni; quatenus ab Agar, Ismaelis matre, id nomen aliqui derivent, non est hujus loci inquirere. Supra in Annotatis ad caput* V *littera* d *egimus de nomi-* D *nis etymologia.*

h *Quamvis varia fortuna Siculi contra Sarracenos hac tempestate pugnaverint, hujus quidem victoriæ nullum certum vestigium reperio apud scriptores historiæ Sarracenico-Siculæ, quos consulere potui. Thomas Fazellus, decade* II, *lib.* VI, *cap.* I (7) *loquitur de victoria, a Leone Apostypa relata, quæ, si tempus spectes, rei nostræ accommodari potest; sed quum idem Leo proditionis arguatur, vix credi potest victoriam prodigiose partam fuisse. En verba, quæ Fazellus ex Joanne Scylitza latine reddidit* (8): Basilius (*Macedo*) Nasarem, bello clarum, contra Saracenos, qui Græciam populabantur, magna classe instructum, destinavit. Is, quum hostes victos fugatosque Peloponeso expulisset, in Italiam contra eosdem venit. Ubi cum Procopio protovestiaro et Leone Apostypa, terrestrium copiarum ducibus, junctis viribus, classem Saracenorum, quæ tum ex Africa eo trajecerat, vicit fugavitque, et plura Calabriæ et Apuliæ oppida, multasque arces, hostium præsidiis munitas, recepit: partaque victoria, CPolim repetiit. Quo discedente, quum Procopius et Leo contra Saracenos fortiter pugnarent, et Leo, qui dextro E classis cornu præerat, victor evasisset, Procopio, qui sinistrum ductabat, succumbenti, ob veteris invidiæ ac pristini odii memoriam, quum posset, non succurrit. Quocirca licet ille strenue se defenderet, tandem occubuit. At quum Leo sui sceleris immanitatem novo aliquo facinore apud Basilium abolere vellet, Tarentum, urbem a Saracenis occupatam, magna vi cepit diripuitque. Non tamen Basilius ea fortuna adduci potuit, quin tanti sceleris debitas pœnas victori irrogaret, eoque non solum cum præfectura privavit, sed et in exilium perpetuum misit. *Hactenus Fazellus ex Scylitza. Difficultatem facessit non solum fœda perfidia; sed etiam quod in Niceta nostro præfectus dicatur Musilices, quamvis hic inferioris ordinis præfectus dici forsan possit.*

i *Fœtus viventis abortum inferre, etiam ad salvandam matrem, sicut a Niceta sine censura proponitur, omnibus theologis, qui de disciplinis moralibus scripserunt, consentientibus, est pec-* F *catum gravissimum contra* V *Decalogi præceptum* (9).

k *Sacellarius,* Σακελλαριος *dignitas erat palatina, habebatque custodiam sacelli seu fisci imperatorii. Cfr Du Cange Glossar. mediæ græcitatis et mediæ latinitatis h. v.*

l *Hic explicit Vita S.* Ignatii, *ut satis constat ex conclusione: quæ enim sequuntur, ad Photium pertinent ejusque usurpationem. Nihilominus a Niceta biographo adjecta fuere, quum ipse paulo superius dicat,* quæ post viri sancti mortem evenisse narrantur, historiæ se adjecturum.

m *S. Gregorius episcopus, qui Armenos ad fidem convertit et baptizavit, Illuminator seu* Φωστηρ *appellatus fuit; quatenus baptizati* illuminati, φωτισμενοι, *dicebantur* (10). *Martyr vocatur, quamvis in pace quieverit; supplicium enim subierat ex se mortiferum,*

(1) Act. SS. tom. I Maji, pag. 27 et seqq. — (2) Morcelli. Kalend. CP. tom. I, pag. 222. — (3) CP. Christ. tom. II, pag. 128. — (4) Scriptt. Byzant. Procop. tom. III, pag. 201. — (5) Morcelli. Kalend, tom. I. pag. 122. — (6) Du Cange. CP. Christ. tom. II, pag. 189, Spruner. Hist. Atlas, tab. LXII. — (7) Grævius. Thes. Antiquit. Siciliæ. tom. IV, pag. 473. — (8) Cfr Narbone Bibliograp. Sicula. tom. I, pag. 170. — (9) S. Alph. Liguori, Theol. moral. tom. IV, pag. 196. Edit. Modoet. 1827. — (10) Morcelli. Kalend. CP. tom. I, pag. 170.

ex quo

A *ex quo ereptus fuit miraculo, ut ejus Acta habent, a nostris data sub die* XXX *Septembris* (1).

n *Hujus nominis literas non reperi apud illos, qui de re diplomatica agunt : attamen Bernardus de Montfaucon in sua Palæographia Græca variis in locis* (2) *dicit, characterem græcum, quo Ægyptii uti solent,* forma literarum diversum *esse et* peregrinitatis notam ferre : Alexandriam *quoque fuisse* elegantissimæ græcæ scriptionis officinam, *ac* sub imperio Romano, scribendi librosque conficiendi arte diu palmam tulisse Alexandriam. *Hac ratione commode quidem explicantur* litteræ Alexandrinæ, *quæ in textu nostro occurrunt; verum non facile perspicitur, cur* unus Photius, *ut paulo infra dicitur, libri* mysteria assequi posse *dicatur : licet enim peregrinum quid redoleret character Ægyptiorum, tanta tamen non erat literarum diversitas, ut literatus quispiam librum enucleare non valeret. Quapropter suspicor, legendum esse hic loci literis* Armenis *pro* Alexandrinis. *Idem narrat ad verbum fere Simeon Magister in Annalibus de Basilio Macedone, num.* 7 (3).

B o *Theophanes, hujus nominis Primus, a Photio sedi Cæsareensi in Cappadocia impositus, eo etiam amandato, in cathedra sua permansit, et Stephanum, Photii successorem, consecravit, quatenus esset Protothronus, et deficiente pontifice Heracleæ in Thracia, ad ipsum istiusmodi ordinatio spectaret* (4).

p *De Magnaura palatio imperatorio late agit Carolus Du Cange* (5) : *situm erat in extrema Urbe septemtrionem versus.*

q Βιγλα, *Vigiliæ seu excubiæ vox est e latino detorta : litera consonanti V deficienti in græco suppletur per B.*

r *De Theodoro Santabareno cfr quæ habet Michael Le Quien* (6), *et quæ diximus supra cap.* v *Annot.* h.

s *Ob Photii restitutionem graviter carpitur Joannes Papa VIII a Baronio in Annalibus ad annum* 879 § v, quasi ab eunucho et semiviro victus, non vir, sed esset fœmina potius nuncupandus ; *atque hinc natam existimat fabulam Joannæ papissæ. Sed Pagius in sua Critica ad eumdem annum* 879 § x *Joannem Papam excu-*
C *sat, quatenus propter pacis et unitatis ecclesiasticæ bonum decessorum suorum et synodi œcumenicæ decreta, ut ipse dicit, relaxavit. Cæterum Theodorum aprocrisiarium, id est responsalem seu legatum Romam misit Photius, qualemcumque professionem fidei emissurum, quia fixum erat, instrumenta Romana pro libitu deinde truncare, alterare, interpolare.*

t *Petrus iste, Sardium episcopus, periit in sinu Dalmatico, quum legatione pro Photio ad Nicolaum Papam fungeretur, ut dicitur supra num.* 42 : *et uti adnotavimus ad hunc locum annot.* i. *Proinde labitur Nicetas biographus, quando narrat hunc Petrum, mortuo S.* Ignatio, *id est, decem post annis, metropolitarum omnium sigilla suffurari potuisse : id ab alio quodam Photii secretario actitatum fuerit. Nam sigillorum furtum ad anteriora tempora, quibus sub Michaele Photius CPolitanam sedem occupabat, referri nullatenus potest; quum intra decennium solidum multi metropolitæ verisimiliter vita functi sint.*

u *De Nicephoro, Amphilochio et Gregorio Asbesta seu Syracusano conferantur ea quæ habet Mich. Le Quien* (7).

v Constantinus, *ait Cedrenus* (8), filiorum Basilii natu maximus, febri absumptus est, ineffabilem patri luctum relinquens. *Obitum accidisse oportuit anno* 879, *quum Joannes* E *Papa epistolam* datam mense Augusto, die XVI, indictione duodecima (9), *id est hoc eodem anno, inscribat* Serenissimis, dilectis filiis nostris spiritualibus et Deo charis Basilio, Leoni et Alexandro imperatoribus et æternis augustis, *omisso nempe nomine Constantini natu maximi.*

w *Pagius Critica in Baronium ad annum* 878 § XVI *dicit Syracusas a Saracenis excisas fuisse die* XXI *Maji anni* 878 : *et quod ad diem spectat, recte quidem, quum eumdem indicet testis oculatus Theodosius monachus* (10) : *sed infeliciter annum excidii omisit signare. Ex Niceta porro nostro habemus, Constantinum, Basilii filium natu maximum, ante excidium Syracusanum mortuum : dicit enim Nicetas :* Dein etiam Λυτικα δε και magna Syracusa *etc.; id est post mortem Constantini, quod cæterum etiam demonstrat consequentia sermonis. Quoniam igitur secundum Pagium Constantinus diem suum obiit anno* 879, *consequitur Syracusas direptas fuisse aut eodem anno, si primo vere defunctus est, aut anno primum sequenti,* F 880, *si tardius mori contigerit. Posteriorem opinionem sectatur Octavius Cajetanus in Animadversionibus ad Vitas Sanctorum Siculorum* (11).

(1) Act. SS. tom. VIII Septemb., pag. 295 et seqq. Cfr Le Quien. Or. Christ. tom. I, col. 1371. — (2) Palæogr. pag. 113,256, 311 et seq. — (3) Post. Theophan. continuatum. pag. 689. Edit. Bonn. 1838. — (4) Le Quien. Or. Christ. tom. I, col. 381. — (5) CP. Christ. tom. I. pag. 127. Spruner. Hist. Atlas, tab. LIX. — (6) Or. Christ. tom. II, col. 179. — (7) Ibid. tom. I, col. 646 et 757. — (8) Striptt. Byzant. Cedren. tom. II, pag. 243. Edit. Bonn. — (9) Labbe, tom. IX, Conc. col. 134. Cfr Pagii Crit. ad an. 879 § XI. — (10) Cajetan. Vitæ SS. Siculorum. tom. II, pag. 274. — (11) Ibid. Animad. pag. 103.

DE

A D

DE B. HERIFRIDO,

EPISCOPO AUTISSIODORENSI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

ANNO 909. § **Unicus. Beati elogia ac Vita, a coævo conscripta; ex Armoricana familia oriundus, nascitur Carnoti; in palatio regio ad litteras informatur; partes regis in electionibus episcoporum: bona Ecclesiæ Autissiodorensi subtracta, agente episcopo, restituuntur.**

Vestigia cultus antiqui;

Quæ suaserunt rationes, ut B. Humbaldo Autissiodorensi episcopo, ad diem XX *Octobris locus daretur in nostris Actis Sanctorum, eædem faciunt, ut ejus decessori B.* Herifrido *parem cultum deferamus. Imprimis* B *Sanctis Ecclesiæ Gallicanæ accensum vult Autissiodorensem antistitem* Herefridum, *Castellanus in suo Martyrologio, gallica lingua conscripto, his verbis, quæ latina reddo:* Autissiodori, Venerabilis Herifridi, episcopi, omnibus virtutibus ornati, et miraculis admirandi, ut dicit Robertus a S. Mariano (1). *In antiquo Martyrologio, ab Edm. Martene in Collectione Amplissima edito, ad sæculum* XI *pertinente* (2), *et simul Necrologium continente sub die* IV *kal. Septembris, post recensita Sanctorum nomina, legitur* (3): Ipsa die, ordinatio domni Herefridi, qui dedit fratribus ad refectionem ipsius dici faciendam Artaldum villam et in Lindriaco mansum unum, et in Capillaco mansum alterum et molendinum subtus murum. In Nativitate vero S. Mariæ, quando sedit primum in cathedra episcopali, dedit fratribus ecclesiam Bacernæ et Lindriacum et Lupinum, necnon Lognicum. Gimiliacum autem dedit in Natali S. Clementis. *Ad diem* X *vero kal. Novembris idem Martyrologium habet* (4): Obiit domnus Herefridus episcopus, pater piissimus, qui dedit medietatem Malliaci ad refectionem fratribus exhibendam: C *ac repetit dein fundationes alias, superius relatas. Præterea Castellanus in citato jam Martyrologii loco addit, B.* Herifridi *imaginem cum titulo Sancti depictam esse in sacello S. Sebastiani ecclesiæ cathedralis. Pictura ista, circa annum* 1545 *exposita, monstrat anteriorem esse famam sanctitatis B.* Herefridi, *adeoque efficit, ut ejus qualiscumque cultus ad casum exceptum bullæ Urbani VIII pertineat, ut monstravit collega ad diem* XX *Octobris in Actis S. Humbaldi, pariter episcopi Autissiodorensis, pro quo eædem prorsus, ac pro nostro B.* Herefrido, *rationes militant* (5).

Vita, a coævo conscripta;

2 *Vita, quam infra edimus suis pro more nostro distinctam numeris, ab æquali aut subæquali conscripta, ex Historia episcoporum Autissiodorensium apud Phil. Labbe in Nova Bibliotheca Manuscripta T.* I *deprompta est. Et quidem non diu post obitum lucubratam fuisse hanc scriptionem, testis nobis est Frodo, dicens,* Autissiodorensis Ecclesiæ non ignobilem consuetudinem esse, quam cito de sæculo migrat ejus episcopus, illico terminum vitæ, sedis introitum, ac præcipue bene gesta ipsius conscribere (6). *Atque hanc consuetudinem, quæ certe circa finem sæculi undecimi vigebat, etiam valuisse initio sæculi præcedentis, ostendit B.* Herifridi *vita, in qua scriptor dicit num.* 2: Qualiter vixerit, et quam nobilem se normamque virtutum omnibus præbuerit, plus supersunt, qui hæc luce clarius norunt. *Quum igitur scriptor adstruendo B.* Herefridi *virtutes ad superstites provocet, quasi plures adhuc testes adessent, dubium esse non potest, quin vel ipse eadem coram viderit, aut saltem ab idoneis testibus didicerit. Biographum autem B.* Herifridi *fuisse B. Hericum, Autissiodorensem S. Germani monachum* (7), *conjicere aliquatenus licet ex eo, quod eadem locutio satis notabilis in epistola dedicatoria ad Carolum Calvum, quæ certi Herici est, et in Vita edenda occurrit. Etenim in epistola ad Carolum dicit* (8), felicem fore rempublicam, si vel philosopharentur reges vel philosophi regnarent. *Atqui biographus num.* 1 *de eodem Carolo agens:* Felices, *inquit,* exstitere res mundi, quia et rex philosophabatur, et philosophus regni moderabatur habenas. *Quæ conjectura etiam roboratur* F *non solum ex Herici monachatu Autissiodorensi, sed præsertim ex ipsa Historia episcoporum Autissiodorensium, quæ cap.* 39 *habet* (9), *sedente Wala episcopo, qui annis septem B.* Herifridum *præcessit,* duo luminaria Collegii *Autissiodorensis* Reinogalam et Alagum, collaborante Herico theosopho simul monacho, gesta præsulum istius sedis compendiose atque commatice elucubratis paginis indidisse. *Et certe ratio temporis non obstat, quominus Hericus, qui scriptoribus Gestorum collaboravit juvenis, etiam B.* Herifrido *superstes, ejus Acta testis oculatus litteris consignarit.*

patria Carnotum,

3 *B.* Herifridus, *ut habet Vita num.* 1, natione Carnotensis, *patrem habuit Herefridum* ex nobilissima Armoricani tractus prosapia derivatum. *Nomine Tractus Armoricani veniebant sæculis etiam* VI *et* VII *non solum Britannia Gallica, seu Lugdunensis tertia, sed etiam duplex Aquitania, provinciæ Senonensis, et*

(1) Martyrol. univ. pag. 987. — (2) Cfr Act. SS. tom. VIII Octob., pag. 329. — (3) Ampliss. Collect. tom. VI, col. 718. — (4) Ibid. col. 726. — (5) Act. SS. tom. VIII Octob., pag. 996. — (6) Nov. Bibl. mss. tom. I, pag. 454. — (7) Act. SS. tom. IV Jun., pag. 239. — (8) Ibid. tom. VII Jul., pag. 221. — (9) Nov. Bibl. tom. I, pag. 434.

secunda

A *secunda Lugdunensis, ut monstratum fuit in Commentario historico SS. Ursulæ et Sociarum* (1). *Sed istiusmodi divisio ad rem militarem spectabat : nihilominus aliquando etiam in narrationibus, si ita loqui liceat, togatis adhibebatur. Sic SS. Basolus et Eligius Lemovicini, ex partibus* Armoricanis *orti referuntur* (2). *Utrum autem B.* Herifridi *pater Armoricanus dicitur, quatenus ad Senonensem provinciam, sub qua est Carnotum, pertineret, vehementer dubito : quoniam sæculo* x, *quo hæc scripta sunt, divisio militaris oblitterata erat. Dein Gauterius, postea Aurelianensis episcopus, et Beati consanguineus, dicitur* S. Martini Turonensis alumnus; *Britanniam itaque Gallicam proxime attingebat. Quapropter censeo, patrem B.* Herifridi *Armoricanum dici, quia ex Britannia Gallica ortum ducebat. Quum igitur parentum, Carnotum incolentium, origo Armoricana seu Britannica recenseatur, verisimile est, eosdem non ita diu, Britannia Minore relicta, Carnoti consedisse, quando eorum filius, B.* Herifridus, *lucem aspexit. Si enim multo*

B *anterior fuisset illorum immigratio, ejus memoria lapsu temporis diuturnioris oblitterata probabiliter fuisset. Quod si monumenta historica consulamus, reperiemus, Britanniam Armoricam circa annum* 843 *maximis calamitatibus oppressam fuisse. Tunc intestina bella exarserunt inter factiones, quæ aut proprium regem sibi volebant, aut patriam Galliæ regno obligatam contendebant : tunc quoque Normanni Galliæ universæ imminebant, sed præcipue oram maritimam vastabant* (3). *Sic ex Fragmento historiæ coævo videmus,* Lambertum, comitatum Nam-neticum impudenter invadentem, militibus distribuisse, scilicet Gunferio nepoti suo regionem Herbadillam (*Herbauge*), Reinerio Metallicam (*Mauge*) et Girardo Theofalgiam (*Tifauges*) ; quæ omnia illis hereditario jure concessit (4). *Luctuosam Armoricæ conditionem vivis coloribus describunt patres Concilii Tullensis, anno* 859 *celebrati, in epistola sua synodali* ad Britones, propter scelera sua excommunicatos, *qua monstrant nihil sanctum genti fuisse* (5). *Atque isto circiter tempore parentes B.* Herefridi, *ut patriæ suæ calamitates effu-*

C *gerent, ad interiorem Galliam emigrasse censemus :* nobiles *quidem* genere, *inquit biographus noster num.* 1, *sed* nobiliores *erant* sanctitate, *ac maluerunt, relicta patria infelici, sibi Deoque in tranquilliori regione vacare.*

origo familiæ Armorica ;

4 *Est et alterum, quod mihi suadet, familiam B.* Herefridi *in interiorem Galliam isto circiter tempore immigrasse : nempe, ut habet biographus num.* 2, *Gauterio, episcopo Aurelianensi,* ex cujus processerat progenie, *procurante, ad imperatoris aulam directum fuisse* Herefridum *nostrum. Antequam vero Aurelianensem cathedram adipisceretur Gauterius, fuerat S.* Martini Turonensis alumnus (6) ; *adeoque ad metropolim pertinebat, sub qua Armorica universa constituta erat. Ast eo ipso tempore desciscebant Britones a Turonensi metropolita et proprium sibi constituerant archiepiscopum Dolensem : proptereaque Tullense jam citatum concilium anni* 859 *canone* VIII *habet* (7) : Ad episcopos Britonum, qui se contra auctoritatem a metropoli sua moliuntur discindere, synodus litteras secundum auctoritatem sacram direxit, quatenus ad suam metropolim redeant, eique debito jure se subdant, nec a canonica et episcopali communione se segregent. *In epistola autem synodali, ad episcopos Britonum directa, monentur,* metropolitano suo competentem reverentiam eos debere, ita ut præter ejus præsentiam aut consensum, nullus in regione canonice possit ordinari episcopus, nec illos generale aliquid sine ejus consensu posse sancire (8). *Existimo autem Gauterium, Turonis educatum, noluisse schismati Armorico adhærere, et in Galliam confugisse, quo secum adduxit familiam: nam non ita diu post nepotem suum Gauterium ad Senonensem* (9), *et consanguineum B.* Herefridum *ad Autissiodorensem cathedram promotum vidit. Est et tandem tertium, quod familiæ B.* Herefridi *migrationem suadere potuit : nam in eadem epistola synodali injungitur episcopis Britonum, ut Salamoni,* qui Britannorum tenebat regionem, *inter alia suggereret,* quanto animæ suæ periculo Britannorum E dominationem invaserit, quum domno nostro regi Carolo fidelitatem prius juraverit (10). *Multiplici itaque ratione explicatur, quomodo familia Armoricana interiorem Galliam petere potuerit, hinc scilicet schismate impellente, illinc urgente fidelitate regi jurata.*

in schola palatina, tunc florenti,

5 *Porro Carnoti, ut loquitur biographus num.* 2, aliquantisper liberalibus institutus studiis, ut in eum literalis scientia concurreret, domino Gauterio, sanctæ Aurelianensis Ecclesiæ episcopo, id procurante, ex cujus processerat progenie, ad supradicti imperatoris famulatum serviturus dirigitur. *Gauterius anno circiter* 867 *Agio episcopo in sede Aurelianensi successit. Quum itaque isto episcopo procurante ad aulam regiam admissus fuerit B.* Herefridus, *id post annum* 867 *accidere debuit : quumque præterea beati viri accessus ad aulam contigerit, postquam Carnoti* aliquantisper liberalibus institutus studiis *fuisset, ac proin adolescentiæ annos vix egressus esset, satis verisimile est, B.* Herefridum *tunc vicenarium fuisse : unde eumdem natum circa an-* F *num* 850 *habebimus : adeoque anno ætatis trigesimo septimo, Christi* 887, *episcopus factus, prope sexagenarius, anno* 909, *obiit. Porro celebris valde erat schola palatina sub imperatore Carolo Calvo, utpote quæ primariis literarum et scientiarum magistris floreret, et liberalium disciplinarum cultum, Normannicis vastationibus vexatum, ad pristinum honorem restituere satageret* (11). *Id luculenter confirmat Hericus, monachus Autissidorensis, in epistola ad Carolum Calvum, quam Vitæ metricæ S. Germani Autissiodorensis præmisit, quamque ediderunt nostri in ejusdem Actis* (12). Ita namque, *ait,* spretis cæteris, in eam mundi partem, quam vestra potestas complectitur, universa optimarum artium studia confluxerunt, ut verisimile habeam, jamdudum eas humanæ perosas inertiæ, terris penitus excessisse, nisi vestræ integritatis amplitudine tenerentur; in qua

AUCTORE J. V. H.

(1) Act. SS. tom. IX Octob., pag. 108. — (2) D. Bouquet. Rec. tom. III, pag. 463 et 532. — (3) Bouquet. scriptt. rer. Gall. tom. VIII, pag. 46. — (4) Ibid. tom. VII, pag. 47. — (5) Labbe, tom. VIII Conc. col. 696. — (6) Gall. Christ. tom. VIII, col. 1426. — (7) Labbe, tom. VIII Conc. col. 678. — (8) Ibid. col. 696. — (9) Gall. Christ. tom. VIII, pag. 1426. — (10) Labbe, col. 696. — (11) Hist. lit. de la Fr. tom. IV, pag. 224. — (12) Act. SS. tom. VII Jul., pag. 222.

etiam

AUCTORE J. V. H.

etiam unicum suæ professionis culmen ac fastigium (ut palam eminet) mirabiliter collocarunt. Hinc est, quod, quum sit perantiqua sententia, « Silent leges inter arma ; » hæc tamen tam belli quam pacis tempore, apud vos plurimum semper obtinent dignitatis. Ita ut merito vocitetur schola palatium, cujus apex non minus scholaribus quam militaribus consuescit quotidie disciplinis.

informatus, a rege

6 *Scholam autem palatinam episcoporum seminarium fuisse, multiplicia ostendunt exempla* (1). *Quamvis enim clero et populo viduatæ Ecclesiæ in eligendo novo pastore suæ non undequaque periissent partes, maximas tamen obtinebat rex, ut satis constat ex can.* VII *Concilii* III *Valentini, anno* 855 *celebrati, qui habet* (2) : Quia indiscussi et inexaminati, scientiæque literarum pene ignari, minusque apostolicæ præceptioni appropinquantes, peccatis nostris agentibus, per civitates episcopi ordinantur ; qua occasione maxime vigor ecclesiasticus deperit ; placuit, ut si quando alicujus civitatis episcopus a vocatione Domini decesserit, a gloriosissimo principe supplicando
B postuletur, ut canonicam electionem clero et populo ipsius civitatis permittere dignetur. Atque ita aut in clero aut in diœcesi certe ipsa, vel, si opus sit, in vicinia ipsius probata et officio digna persona quæratur, quæ inventa consensu totius cleri et populi ad honorem civitati ipsi præficiatur. Sed et si a servitio pii principis nostri aliquis clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur episcopus, timore casto sollicite examinetur, primum cujus vitæ sit, deinde cujus scientiæ : et vigore ecclesiastico sub oculis Omnipotentis Dei agat metropolitanus in hac parte, episcopis, sicut Dei ministris, adjutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ et pompis sæculi turbidus, et simoniaca hæresi pollutus, humilibus et mundis membris Christi, Ecclesiæque ipsius superponatur episcopus : nec præsumat illiteratum et cupiditate nimia cæcatum, redditurus facti sui rationem, populo Dei præficere. Si necessarium idem metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, ut indebito honorem, bonis tantum debitum,
C tradat ; instruat populum, informet clerum, potius adire clementiam imperialem, et ipse cum coepiscopis, quibus valuerit modis, adeat, ut Ecclesiam Dei gloriosus imperator digno honoret ministro. Si autem turpiter, cupiditate quacumque victus, aut aliquo munere deceptus, tantum opus negligenter et ægre fuerit exsecutus, judicia omnia cernentis Dei se incurrere non dubitet, sed et sententia fratrum se noverit esse culpandum.

episcopus Autissiodorensis Ecclesiæ destinatur,

7 *En igitur norma, qua in Galliis sæculo nono episcoporum fiebat electio. Imprimis scilicet petebatur a rege liberæ electionis licentia, quæ videtur plerumque concessa, nisi quis clericus palatinus, rege consentiente, se offerret ad episcopatum adeundum. Tunc quidem ab metropolitano et reliquis provinciæ episcopis exploranda erant, vitæ integritas, literarum doctrina, inquirendum etiam erat, an malis artibus tanto ministerio se obtrusisset. Quod si minus idoneus aut etiam indignus repertus fuisset, adeundus erat rex ipse sive per legatos* D *sive per ipsum metropolitanum, ut alterum rex suggereret, qui digne fungi posset officio episcopali. Ad hanc normam celebrata fere fuit B.* Herifridi *electio in episcopum Autissiodorensem.* Interea, *ait biographus num.* 2, urbis Autissiodorensis in unum collocata cleri et plebis congerie, de eligendo pastore consilium quæritur, atque ad regiæ magnificentiæ aures nuntius percito dirigitur : nec mora, rex, audito antistitis obitu, omni cupiditatis ardore deposito, divina præordinante clementia, consilio aulæ regiæ procerum, acclamantibus cunctis, domino Herefrido, cum summa reverentia nominando, pastoralem confert baculum, atque ad Senonensem urbem dirigit ordinandum. Quem divinissimus archipontifex Gauterius cum summo honore excipiens, consensu cleri et plebis, illuc hujus rei gratia confluentis ; festivitate Sancti Joannis... in Nigello cœnobio ordinavit, et cum summa exsultatione in hanc sedem inthronizavit. *Qui tunc, scilicet anno* 887, *in Gallis regnabat rex, erat Carolus Crassus, Ludovici* E *Pii ex Ludovico Germanico nepos. B.* Herefridi *secundum commendationem regiam electio facta est a clero et populo, Senonas ad hoc convocato, quam probarunt etiam episcopi provinciæ ad normam canonis supra citati.*

et canonice eligitur ac consecratur ;

8 *Ordinatus fuit B.* Herefridus *in festo Decollationis S. Joannis Baptistæ, seu die* XXIX *Augusti, qui anno* 887 *in feriam* III *incidebat. Quæ autem causa fuerit, ut episcopalis illa consecratio facta fuerit in Nigello monasterio Trecensis diœcesis* (*Nesle-la-Reposte, in districtu Sparnacensi, hodie in episcopatu Catalaunensi*) *ignorare se dicit Joannes Lebeuf in sua Historia diœcesis Autissiodorensis : conjectat vero, aut officium quoddam ecclesiasticum Nigelli peragendum fuisse, aut, Normannis circa Icaunam fluvium infestis, tutiorem consecrationi locum Nigellum exhibuisse, aut tandem Trecensem episcopum, qui consecrationi cooperari debebat, morbo impeditum, istic substitisse* (3). *Quod si ita fuerit, satis est causæ, cur consecratio B.* Herifridi *Nigelli in diœcesi Trecensi celebrata fuerit. Addit dein biographus : Galterius* cum summa exsultatione in F hanc sedem inthronizavit *B.* Herefridum : *scilicet, ut habet kalendarium vetus Autissiodorense* (4), in Nativitate B. Mariæ sedit primum in cathedra episcopali. *Ab hac porro die* VIII *Septembris computandum est tempus episcopatus B.* Herifridi : vixit, *ait biographus, num.* I. in episcopatu annos XXII, mensem unum, dies XVI. *Quod si ab* VIII *Septembris ad diem emortualem,* XXIII *Octobris, calculum instituamus, intervallum mensis unius et dierum* XVI *reperiemus. Sed aliam temporis rationem iniit scriptor Historiæ episcoporum Autissiodorensium, quando in B.* Herefridi *decessore, Vribaldo seu Wibaudo, qui obiit* IV *id.* (XII) *Maji, dicit* (5) : Mansit Ecclesia absque pontifice menses III, dies XVII : *etenim a die* XII *Maji ad* XXIX *Augusti, qua episcopalem consecrationem accepit antistes noster, sunt accurate menses tres et dies septemdecim. Unde liquet tempus episcopatus quandoque ab ipsa consecratione, quandoque ab inthronizatione desumi.*

(1) Hist. lit. de la Fr. tom. IV, pag. 223. — (2) Labbe, tom. VIII, col. 138. — (3) Mémoires concern. l'hist. d'Aux. tom. I, pag. 212. Edit. Paris. 1848. — (4) Martene. Ampl. Collect. tom. VI, col. 718. — (5) Labbe, Nov. Biblioth. tom. I, pag. 433.

9 Quam

bona, suæ Ecclesiæ subtracta,

9 *Qualiter deinceps, inquit biographus num.* 2, vixerit *B.* Herifridus, et quam nobilem se normamque virtutum omnibus præbuerit, plus supersunt, qui hæc luce clarius norunt. *Quibus ex verbis deducere licet, beatum virum sanctissime episcopali officio perfunctum fuisse. Nihilominus Joannes Lebeuf, quasi mirabundus, animadvertit, beatum antistitem tempore pontificatus annorum* XXII *unico interfuisse concilio, scilicet Magdunensi ad Ligerim* (Meun-sur-Loire, Départ du Loiret), *in diœcesi Aurelianensi* (1). *Verum inter annum* 887, *quo episcopus consecratus est, et annum quo obiit,* 909, *præter Magdunense, nullum in provincia Senonensi occurrit concilium, cui præsens adesse debuerit. Quod dein Synodo Remensi anni* 893, *quamvis satis vicinæ non interfuerit, ratio probabilis est, quod Fulco, Remensis archiepiscopus, in eo consessu Carolum Simplicem ad regnum promoverit et unxerit in regem : dum e contrario Gualterius Senonensis Odonem Francorum regem anno* 888 *diademate cinxisset* (2). *Satis igitur verisimile est, B.* Herefridum *aut*
B *noluisse, aut non potuisse a suo metropolitano desciscere, adeoque a conventu Remensi abstinere debuisse. Est altera Synodus Remensis anno* 900 *habita, in qua anathemate perculsi fuerunt interfectores Fulconis archiepiscopi : sed præter Rotomagensem archiepiscopum soli episcopi Remensis provinciæ synodo adstiterunt* (3). *Reliqua autem concilia, hoc temporis intervallo per Gallias celebrata, in remotis provinciis convocata fuerunt, ad quæ proinde vexatissimo sæculo accedere vetabatur. Ex hoc igitur capite, nihil occurrit, unde quidpiam negligentiæ aut vecordiæ famæ B.* Herefridi *aspergatur.*

obtentis regiis literis, quæ

10 *Ad id autem præcipue B.* Herefridus *pontificatus sui tempore incubuit, ut vastatam Ecclesiam suam instauraret, et bona, iniquitate hominum distracta, restituta haberet. Initio, ut videtur, sui episcopatus Autissiodorensis* civitas, *inquit biographus num.* 3, improvise flammis exusta, penitus versa est in cineres tantum et rudera. *Quapropter B.* Herefridus hoc animo induxit suo, numquam sibi aliquid facturum habitaculum, donec ædes Dei in pristinum redigerentur statum. Quas, parvo contentus
C tuguriolo, mox reædificari cœpit, et funditus eas opere mirifico exornavit. *Incendii itaque calamitatem eatenus reparavit, quatenus successori suo solæ ædes episcopales reficiendæ superfuerint. Cæterum templum cathedrale, a B.* Herefrido *instauratum, centum viginti post annis denuo conflagravit; quod Hugo Cabilonensis, episcopus Autissiodorensis,* cœpit majore ambitu ac cryptarum curvaturis quadris lapidibus certatim reædificare (4). *Ac in tali statu matrix ecclesia permansit, donec Gulielmus II, episcopus Autissiodorensis, anno* 1215 *novum ædificium adorsus est.* Eo *scilicet* tempore, *habet Historia episcoporum* (5), circa novas ecclesiarum structuras passim fervebat devotio populorum. Videns itaque episcopus ecclesiam suam Autissiodorensem structuræ antiquæ minusque compositæ sqallore ac senio laborare, aliis circumquaque capita sua extollentibus mira specie venustatis, eam disposuit nova structura et studioso peritorum in arte cæmentaria artificio decorare, ne cæteris specie studiove penitus impar esset. *Addit scriptor, Gulielmum primo anno* circiter septingentas libras de proprio præter oblationes fidelium et præter jurisdictionis suæ proventus, quos ad hoc ab initio deputaverat, in sumptus ejusdem operis erogasse. *Quæ pecunia, si hodierna moneta æstimatur, efficiet pro primo anno circiter* 80,000 *francorum, ac dein in singulas hebdomadas francos* 1,137 (6). *Ac tantis expensis constructa est ædes cathedralis, quæ hodie visitur.*

AUCTORE J. V. H.

partim citantur,

11 *Præter curam instaurandi sacras ædes, igne destructas, ad id etiam incubuit B.* Herefridus, *ut Autissiodorensi* sedi subtracta beneficia, solerti cura, summaque vigilantia, regalibus præceptis ac apostoliciis privilegiis sancita, suo loco restitueret, *ut habet biographus num.* 3, *additque :* Ex quibus Malliaci cum suis adjacentiis medietatem ad concinnanda luminaria contulit, alteram canonicis ad refectionem die obitus sui præparandam concessit. Crevennum etiam villam et Narciacum ac Novicum cum suis appendiciis E
sibi suisque successoribus perpetuo servitura, diu multumque laborans, impetravit. *Enimvero horum prædiorum chartæ hactenus servatæ fuerunt. De Malliaco quidem est diploma Caroli Simplicis, referens* (7), qualiter Herefridus, venerabilis Autissiodorensis Ecclesiæ episcopus quædam præcepta imperatorum et regum... obtulit obtutibus nostris, in quibus continebatur, quemadmodum ipsi antecessores nostri quasdam res, in pago Autissiodorensi consistentes, hoc est Malliacum cum omnibus appendeneiis suis, situm super Icaunæ fluvium, olim injuste a præfata Ecclesia abstractum, juste et rationabiliter reddidissent. *Quapropter* sancimus, ut sicut in illo continetur præcepto, ita et deinceps per hanc nostram succedentibus temporibus auctoritatem firmum et inconvulsum permaneat, nullo umquam successorum nostrorum id irrumpente... Actum pridie idus Martii, indict. v, anno x regnante Carolo gloriosissimo rege, redintegrante v. Actum compendio palatio, in Christi nomine feliciter. Amen. *Scilicet mortuo Odone, qui* F
partem Galliæ regio titulo gubernarat, die III *Januarii* 898, *universæ Franciæ proceres, Carolum regem salutarunt, atque hinc fit, ut annus vulgaris* 902, *quo diploma fuit datum, quintus esset ab redingrato regno Franciæ.*

restituit.

12 *Quoad autem Crevennum villam, eam jam biennio ante Ecclesiæ restitutam voluerat idem Carolus rex, ut constat ex ejus diplomate, in quo dicit* (8) : Notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet atque futuris, quoniam nos de æterna cogitantes remuneratione et gloriosi avi nostri, piæ memoriæ Caroli imperatoris ac genitoris nostri domni Hludovici regis animarum remedio, quamdam villam, quæ vocatur Crevennus, sitam in pago Autissidorensi super fluvium Icaunæ, per deprecationem dilecti carissimi nostri Richardi, venerabilis comitis,

(1) Mém. tom. I, pag. 218. — (2) Gall. Christ. tom. XII, col. 28. — (3) Labbe, tom. IX, Conc. col. 481. — (4) Labbe, Nov. Bib. tom. I, pag. 450. Lebeuf. tom. I, pag. 255. — (5) Labbe, pag. 490. Lebeuf. pag. 376. — (6) Mém. prés. par divers sav. à l'Acad. des Inscr. et Belles-Lettres. tom. I, pag. 273. — (7) Lebeuf. Hist. d'Auxerre, tom. IV, pag. 26. — (8) Martene. Ampliss. Collect. tom. I, col. 256.

AUCTORE J. V. H.

sanctæ matri ecclesiæ Autissiderensi, in honore beatissimi Christi Martyris Stephani fundatæ, atque rectori ejus Herifrido, dilecto ac venerabili nobis episcopo, reddimus et restauramus, atque perpetualiter confirmamus. Ipsa autem villa eidem matri ecclesiæ olim abstracta, propter vestituram nonas et decimas persolvere hospitali ipsius annis singulis visa est. Unde hoc nostræ celsitudinis præceptum fieri jussimus, ac præfato venerabili episcopo Herifrido dedimus; per quod præfatam villam Crevennum cum omnibus integritatibus et appendiciis suis... præfatæ Ecclesiæ memoratus pontifex ac successores ipsius jure firmissimo perpetualiter teneant atque possideant, sicut alias res ipsius Ecclesiæ, nemine inquietante. Sed et successores nostros obnixe poscimus, ut hanc nostram restaurationem congruo in futurum loco convenientes ob amorem Dei, Sanctique Stephani ratam et stabilem esse permittant, sicut sua statuta stabilia manere desiderant... Datum anno VIII regnante Domno Karolo gloriosissimo rege, redintegrante tertio. Actum Compendio palatio. *Qui citantur in diplomate Carolus imperator et Ludovicus rex, avus et pater Caroli, sunt Carolus Calvus et Ludovicus Balbus, e quibus Carolus Simplex proxime descendit. Atque hæc sunt quæ in Actis B.* Herifridi *illustranda habuimus: reliqua in ipsa Vita annotabimus. Sedit porro annis* XXII, *mense* I, *diebus* XVI, *adeoque Autissiodorum ingressus die* VIII *Septembris* 887, *diem suum obiit die* XXIII *Octobris* 909, *quem annum in capite hujus Commentarii signavimus.*

B

VITA B. HERIFRIDI,

EPISCOPI AUTISSIODORENSIS,

Ex Historia episcoporum Autissiodorensium, tom. I Novæ Bibliothecæ Mss. Phil. Labbe.

C

B. Herifridus, *Carnotinatus,*

Herifridus, natione Carnotensis, vixit gloriose in episcopatu annos XXII, mensem I, dies XVI *a*. Hic vir nobilissimus qualiter hanc suscepit dignitatem, qualis in pontificatu, qualis et ante fuerit, non allegare litteris, indecentissimum est. Eo siquidem tempore Carolus, nulli virtute secundus, totius orbis gubernabat imperium; quo hospite *, felices exstitere res mundi, quia et rex philosophabatur, et philosophus regni moderabatur habenas *b*; nam licet in diversa, utpote regum omnium potentissimus, extenderetur animus, liberalium artium ferulas a palatio numquam videret* deesse, sed regiæ dignitatis aulam totius sapientiæ gymnasium mirareris exsistere *c*. Ad hunc locum quique nobiles et regni optimates discendi gratia humani et ecclesiastici habitus soboles destinabant; certi utriusque disciplinæ dogma oppido refulgere. Inter alios denique superbi sanguinis juvenes, inibi exsultantibus animis confluentes, aderat præfatus vir, ex nobilissima Armoricani tractus prosapia derivatus *d*, Herifridus nomine, morum sanctitate probatissimus, vultu et conversatione angelicus, ardens in humanis tenebris divinæ contemplationis radius. Hujus pater Herifridus nominatus est, mater vero Hisemberga est nuncupata: nobiles genere, nobiliores sanctitate: qui licet forent conjugati sæculo, erat tamen in cœlestibus illorum conversatio; qui præfatam prolem tenere diligentes, Omnipotentis et Beatæ Mariæ servitio tradiderunt: in Carnotensi urbe, unde et ipsi oriundi erant, ingenti gratulatione eum tonsorantes *e*.

a

* sospite ?

b

* voluit ?

c

d

e

2 Ibi aliquantisper liberalibus institutus studiis, ut in eum literalis scientia concurreret, domino Gauterio, sanctæ Aurelianensis Ecclesiæ episcopo, id procurante, ex cujus processerat progenie, ad supradicti imperatoris famulatum serviturus dirigitur *f*. Illic plene Scripturarum perscrutans paginas, senioris hic * inhæsit servitio, ut numquam ab ejus vellet præsentia discedere, numquam ab ecclesiasticis negotiis separari. Interea urbis Autissiodorensis in unum collocata cleri et plebis congerie, de eligendo pastore consilium quæritur; atque ad regiæ magnificentiæ aures nuntius percito dirigitur: nec mora, rex, audito antistitis obitu *g*, omni cupiditatis ardore deposito, divina præordinante clementia, consilio aulæ regiæ procerum, acclamantibus cunctis, domino Herifrido, cum summa reverentia nominando, pastoralem confert baculum, atque ad Senonensem urbem dirigit ordinandum. Quem divinissimus archipontifex Gauterius *h*, cum summo honore excipiens, consensu cleri et plebis, illuc hujus rei gratia confluentis, festivitate S. Joannis, qua capite præciso cœlestibus est insinuatus sacrariis *i*, in Nigello cœnobio *k* ordinavit, et cum summa exsultatione in hanc sedem inthronizavit *l*. Ubi qualiter vixerit, et quam nobilem se normamque virtutum omnibus præbuerit, plus supersunt, qui hæc luce clarius norunt. Et quoniam hostis humani generis adversus justos amplius fraudis suæ pervigil tendit muscipulas, diversa huic viro apostolico ingessit tentamina, ut a veritatis tramite exorbitantem ad sua male suadens verteret consilia.

in schola palatina educatur; episcopus factus,

f

* sic?

E

g

F

3 Nam civitas, improvise flammis exusta, penitus versa est in cineres tantum et rudera. His ita gestis, carus Domini Herifridus hoc animo induxit, suo, numquam sibi aliquod facturum in urbe habitaculum, donec ædes Dei, ecclesia scilicet Beatæ semper Virginis Mariæ ac Sancti Joannis, simulque Primi Martyris Stephani in pristinum redigerentur statum *m*. Quas, parvo contentus tuguriolo, mox reædificare cœpit, et funditus eas opere mirifico exornavit. In hujusmodi studio usque ad vitæ terminum permansit. Sicque, ecclesiis nobiliter restructis, antecessorum suorum domos condere mors infelix prohibuit. Multa denique præfatæ sedi subtracta erant beneficia, quæ solerti cura, summaque vigilantia, regalibus præceptis ac apostolicis privilegiis sancita, suo loco restituit. Ex quibus Malliaci *n* cum suis adjacentiis medietatem altari ad concinnanda luminaria contulit, alteram canonicis ac refectionem, die obitus sui præparandam, concessit. Crevennum etiam villam et

civitatem incendio vastatam, instaurat,

m

n

n

o et Narciacum ac Novicum *o*, cum suis appendenciis sibi suisque successoribus perpetuo servitura, diu multumque laborans, impetravit. Artadum denique et in Capilliaco mansum
p q unum, in Lindriaco alium *p*, et farinarium *q*, quod est secus murum urbis, ad parandum in die ordinationis suæ edulium fratribus concessit. Oratorium sane beatissimi Clementis, quod est in eadem urbe, flammis exustum,
r restauravit *r*, eique per deprecationem He-
s rimberti, qui his jure beneficiario utebatur *s*, Chimiliacum villam cum ecclesia Sancti Andreæ, quæ est in Gurgiaco, attribuit, præcepto
t confirmans regio *t*. Eodem pacto, ut idem Herimbertus, ecclesiæ sibi commissæ fidelissimus filius, qui omnium ecclesiarum restaurationi post prælibatum pontificem insudavit, eisdem rebus adhuc vivens frueretur, unusque post illum, quem eligeret propinquus, sicque necessaria præfato ministrarent oratorio, et die festivitatis Sancti Clementis Martyris *v* congruum canonicis impertirent pastum,
v quatenus ipsius apud Deum Omnipotentem interventu, cui angelicis etiam manibus in
B mari præparata est domus, criminum fluctibus exoneratam ad æternæ quietis portum suæ virtutis anchora introduceret, et clementiæ suæ sinu jugiter confoveret. Idque domini
w Gauterii Archimandritæ *w*, suæque diœceseos pontificum auctoritate in perpetuum durabile
x sanxit. In Arbrico *x* quoque mansa quatuor altari ecclesiæ S. Stephani in archiclavi dominio condonavit, in Senonico etiam pago et
y comitatu apud Nocrolium villam *y* supra fluvium Ichaunæ mansa videlicet XXXVI et tertiam partem mansi, quod quondam fuit beneficium Aganonis, cum alodio in Pomerio villa supra
z fluvium Orosæ *z*, quod Wlfagius S. Stephano dedit ad restaurandum ecclesiæ ipsius Mar-
aa tyris fabricam, in ministerio archiclavi *aa* contulit : eo tamen tenore ut et villam et alodium jam dictus Wlfagius ac filius ejus Anseisus teneant et in censu XV solidos archiclavo persolvant : illis vero mortuis, cædem res in ministerium redeant archiclavi. Innumera quippe sunt sanctitatis ejus insignia, quæ penitus narrari carnalis lingua minime
C sufficiet.

mirabiliter podagra, *a* 4 Nunc siquidem beatum virum, de Christo jugiter ruminantem, ægritudo podagricæ passionis subito invasit, chiragræ etiam, ac omnium in corpore artuum languor ingens, qua diu multumque gravatus est molestia : sed tamen animus a divina meditatione numquam vacabat. Beatæ semper Virginis Mariæ, ac Sancti Joannis, dominicæ Incarnationis prævii, necnon etiam domini Stephani suffragiis jugiter se efflagitans relevari. Quadam autem die validissimus tumor pedibus ejus sese ingessit, adeo ut sapiendi et mandendi
* vetaret ? facultatem ei penitus velaret *. Tum subito corvus, ales cadaverum amica, oblita propriæ
bb naturæ, partem stanni, qua fuerat cocleare *bb* coopertum, ore patulo arripuit, et ante episcopi fenestram, juxta quam cubitabat, projecit; quæ stanni particula ante præsulem allata est : quam pontifex arripiens, invocato Domini nomine, fidensque se meritis S. Stephani posse sanari, stannum pedibus superposuit, moxque dolor abcessit. Nec mirum : si hæc avis Domini imperio malagma pedibus sancti viri contulit, quæ etiam Heliæ famem carnis edulio refecit. Aliquandiu præterea desiderans uti colloquio domini Rithveri, Augustæ Tricorum episcopi *cc*, villarem supra
cc fluvium Ichaunæ adiit, quo præfatus pontifex alacriter obvius processit, ubi mutuis se confoventes amplexibus, longam de religione protulere sententiam. Erat autem fons, delicabiles ebulliens aquas *dd*, quas vir magnifi-
dd cus, Herifridus episcopus, intuens, lagenam fictilem, eadem lympha plenam, deferri jussit; equoque insidens, et facto desuper Crucis signo, vas accepit. Ast equus ferocissimus, lagenam super se sentiens, exsilivit, sicque vas, ut plenum fuerat, solo tenus projecit : mira res : vas enim, ut plenum fuerat, ac si manibus leniter deponeretur, super tellurem resedit, et aquas in se, ne vergerentur, retinuit. Mirati sunt omnes, qui aderant. Idem quoque lympham ad se demum reportari jussit, et nomen Domini benedicens, sufficientissime hausit, suoque coepiscopo et reliquis hoc admirantibus bibendum dedit. Hoc meritum fuisse pontificis Herifridi et E
domini Rithuei nemo, sanum sapiens, dubitet. Cæterum post longa inter se affamina et dulcia inter Sanctos oscula, quique redierunt ad sua.

aliisque infirmitatibus liberatur; 5 Quumque ad civitatis mœnia dominus Herifridus redire disponeret, deprecatus est ejus magnificentiam Hermembertus illi fidelissimus, quo in ecclesiam sancti Andreæ, quæ est in Gurgiaco, ea nocte moraturus secederet; cui id, quod petebat, concessit; ubi ea die moratus est. Quumque eas, quæ pontificem decebant, præfatus Hermembertus præpararet, repente febrium vapore sic accensus est, ut nihil nisi fervorem sentiret. Quod Herifridus gloriosus aspiciens, invocato nomine Domini, ne amplius hanc sentiret molestiam, per eumdem Dominum interdixit, moxque dolor omnis in eo conquievit: deinde cibo sumpto, nox ruit, et præscriptus præsul cubitum perrexit. Igitur Omnipotens Deus, sicut secretorum scrutator est incircumscriptus, ita etiam servos suos diversis occulte examinavit generibus. Namque, ut se habet humana fragilitas, propter tantum sibi collaF
tum munus ne se præsul extolleret, æstus, quos sua obtestatione et merito ab alterius corpore submovit, ad proprias vires justa Dei sententia retorsit; quippe qui lætus et incolumis thoro membra intempestæ noctis silentio locaverat, a somno excitatus, ingentem febrium dolorem in toto corpore sensit: qua ægritudine percussus, ad S. Andreæ ecclesiam pernici gressu confugit, ibique, quod residuum noctis fuerat, Domino supplicans, peregit ; dehinc, illucescente die, sacra Missarum solemnia celebraturus accingitur, quo, hausto a divino fonte consilio, Corporis et Sanguinis Domini libamen sumeret, ut ejus virtute cuncta infirmitatis infestatio conquiesceret. Quod divina virtus petenti non denegans*: illico enim, ut redemptionis nostræ
* denegavit? donum inæstimabile ore sumpsit, febrium calor, ac si numquam in eo fuisset, exstinctus est.

in alios beneficus. 6 Illud præterea non omittendum, quod et in sede pontificali et in locis circumpositis divulgatum novimus: asserunt enim hi, qui illius tempore scholaribus studiis insistebant, quod

AUCTORE ANONYMO AUTISSIODORENSI.

quod si mane ejus benedictione, aut saltem præsentia frui mererentur, omnem, ne eo die virgis aut baculo cæderentur, exclusam esse formidinem *ee*. Omnibus quippe omnia factus est: senes enim ad potiora suo invitabat exemplo, juvenes placido, ne desiperent, corrigebat eloquio; adolescentes pietatis summæ sustentabat gremio; divites, ut sua Domino largirentur, seque divitiarum dispensatores, non dominos, constitutos esse, reminiscerentur, jugi studio informabat; pauperibus etiam, velut hilaris dator, sua minime negabat, nam clericos, stipe et vestibus indigentes, quamdiu aderat, secum, ut filios, reficiebat, cunctaque necessaria subministrabat: alicubi quoque proficiscens, nominatim singulos, quos necessitas urgebat, propter canonicum victum jugiter diario, donec rediret, ministris alere præcipiebat. Hujus erat studii, hujus sollicitudinis, ut de ovili dominico nullam ovem lupi, jugiter insidiantis, morsus laceraret; sed ut bonus pastor gregem, sibi creditum, jejunando, pernoctando, orando jugiter defendebat.

ee

condito pio testamento, in pace quiescit.

7 Dum talia aguntur, omnipotentissima dispositrix et moderatrix æquissima Dei virtus, Deique sapientia famuli sui meritum probare non distulit: nam prolixus languor compagem corporis graviter dissolvere cœpit; ita ut nullum membrum suo valeret jungi* officio. Nec tamen sic a Dei sui cessabat obsequio: lingua enim tantum incolumis, laudes Domini personabat, ejusque mentem divinarum scripturarum meditatio confovebat; utque in futuro salutari hostia, quæ Christus est, non indigeret, ipse in præsenti hostia viva fiebat, usus egregii prædicatoris Pauli exemplo dicentis: « Ego jam immolor et tempus meæ resolutionis instat »*. Fidenter dici potest, quia ad suum Omnipotens Deus invitabat collegium, cujus in terris positus sectabatur exemplum. Tristabatur clerus, lugubri mœroris pallio obsitus, ac pastoris benedictione indigens, eumque diutino languore fatigari suspirans, lamentabatur. Præsul autem, ut vicinum sensit appropinquare exitum, sciens, non posse, quod deliberaverat, proficere*, summam denariorum, quam ad hoc collegerat, dispertivit. Triginta scilicet libras ad faciendam ante altare S. Stephani tabulam: viginti quoque ad ornanda Beatæ Mariæ, beatique Joannis altaria. Reminiscens, ecclesiam S. Eusebii penitus esse destructam dedit in Loconvaco villa mansa duo et dimidium, in Ceriaco similiter, in Aqua Niolo tertiam partem mansi *ff*, medietatem altari conferens, alteram canonicis ejusdem loci largiens; idque longe ante mortem coepiscoporum suorum manibus perpetuo duraturum firmavit: reliqua omnia canonicis, suisque erogavit fidelibus. « Nudus, inquiens, more Sancti Job, egressus sum ex utero matris meæ, nudus et revertar illuc. »* Omnibus enim membris emortuis, sola in ore lingua palpitans Domino confitebatur. Quid plura? Tandem ægritudo, per artus diffusa, ad vitalia rediit. Convenit illic copiosa civitatis multitudo: occurrunt omnes benedictionis munera implorantes; aderat clerus ejulans, et pro exitu animæ psalmos decantans; moxque, præparatis cineribus et superjecto cilicio, ut virum decet christicolam, se desuper extendi jussit; sicque cum aliis grates Domino persolvens, et sanctæ Crucis signo se cunctosque, qui aderant, muniens, felici transitu migravit ad Dominum, sepultusque est honorifice ante altare semper Virginis Mariæ intra urbis mœnia *gg* cui vivens perpetuo se devoverat serviturum. D

* fungi?

* 2 Tim. IV, 6

* perficere?

ff

* Job. I, 21

gg

ANNOTATA.

a *Tempus pontificatus B.* Herefridi, *ut jam animadvertimus Commentarii prævii num.* 8, *currit a festo Nativitatis B. Mariæ seu die* VIII *Septembris anni* 887 *et desinit in diem* XXIII *Octobris* 909, *qua ratione accurate habemus episcopatus annos* XXII, *mensem* I *et dies* XVI. *Licet enim die* XXIX *Augusti, in festo Decollationis S. Joannis Baptistæ, ordinatus fuerit, sedis tamen Autissiodorensis possessionem primum die* VIII *Septembris sequenti adiit.*

b *Carolus, de quo hic agitur, quasi* totius orbis gubernaret imperium, *cognomen habet, Calvus, prius partem Franciæ ab anno* 840, *dein totam ab anno* 870, *ac tandem Romanum imperium ab anno* 875 *varia fortuna administravit, defunctus anno* 877, *die* VI *Octobris. Ad tempora igitur Caroli Calvi revocanda est B.* Herifridi *admissio ad scholam palatinam.* E

c *Utrum scholæ palatinæ initia dederint academiæ Parisiensi, medio ævo celeberrimæ, disputant eruditi* (1). *Et quidem, quoniam sub prima et secunda stirpe regum Francorum ambulatoria erat aula regia, schola palatina ipsam aulam sequebatur: unde verisimile non videtur, ex palatio prodiisse Parisiensem academiam; sed potius ad exemplum palatii, scholas publicas Parisiis erectas fuisse, quæ dein ad tantam celebritatem excreverunt* (2). *Cæterum scholas publicas Parisiis sub Carolo Calvo floruisse monstrat epistola Nicolai Pp. I, qua regem laudat, quod* in regno suo, et specialiter Parisiis bonarum artium studia, prædecessorum suorum cura stabilita, repullulent (3).

d *Qua ratione familia Armoricana ad interiorem Franciam confugere illa tempestate potuerit, utcumque indicavimus Commentarii prævii num.* 3 *et* 4. F

e *Licet ex se tonsura ecclesiastica necessitatem permanendi in statu clericali non imponeret, erat tamen initiatio quædam, qua quis Ecclesiæ mancipabatur, dicente S. Isidoro Hispalensi lib.* II *de Offic. cap.* 4 (4) : Tonsuræ ecclesiasticæ usus a Nazaræis, ni fallor, exortus est (Num. VI, 18). Prius crine servato, denuo post vitæ magnæ continentiam devotione completam, caput radebant, et capillos in igne sacrificii ponere jubebantur, scilicet, ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Horum ergo exemplo usus ab Apostolis introductus est, ut hi qui divinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei, crine præciso, innoventur.

f *Gauterius, seu Galterius aut Walterius ab anno* 867 *aut* 868 *saltem ad annum* 891 *sedem Aurelianensem occupavit. B.* Herefridi *consanguineus, Walterii Senonensis archiepiscopi patruus,*

(1) Hist. de la Fr. Litt. tom. III, pag. 424, tom. IV, pag. 10. — (2) Cfr Labineau. Hist. de la ville de Paris, tom. I, pag. 71. — (3) Mém. de l'acad. des Inscript. tom. XV, pag. 659. — (4) Migne, Patrol. tom. LXXXIII, col. 779.

A *truus, videtur plurimum contulisse ad illustrandam familiam suam* (1).

g *Vribaldus seu Wibaudus, B.* Herefridi *prædecessor, obiit, post annos* VII, *mensem unum et dies* VIII *pontificatus,* IV *id.* (XII) *Maji* 909 : *ita ut vacaverit cathedra Autissiodorensis menses tres, dies* XVII *usque ad diem* XXIX *Augusti, qua consecratus fuit B.* Herefridus.

h *Gauterius seu Walterius I sedem archiepiscopalem Senonensem a die* IV *non.* (II) *Aprilis* 887 *ad* III *id.* (XIII) *Julii* 923 *tenuit* (2).

i *Festum Decollationis S. Joannis Baptistæ in diem* XXIX *Augusti incidit : anno ordinationis B.* Herefridi 887 *dies ista erat feria* III.

k *Nigellum monasterium, aliter Nigella Abscondita* (Nesle-la-Reposte, département de la Marne, arrondissement d'Epernay) *olim ad Trecensem, hodie ad Catalaunensem diœcesim spectat : monasterium erat Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Vitoni* (3). *Cur autem in aliena diœcesi celebrata fuerit B.* Herefridi *ordinatio, conjecturis quibusdam utcumque explicuimus, secuti Autissiodorensem historiographum Lebeuf. Cfr Commentarii præv. num.* 8.

B l *Inthronizationem istam die* VIII *Septembris, seu die undecimo ab ordinatione factam fuisse monstravimus Commentarii præv. num.* 8.

m Ædes Dei, *ut loquitur biographus, non simplici, sed triplici constabat Autissiodori ecclesia, scilicet S. Mariæ, S. Joannis Baptistæ et S. Stephani : ut liquet ex tabula topographica, Historiæ Autissiodorensi adjecta* (4). *Atque* consuetudinis *olim fuisse, ut ædes cathedrales tres constituerint ecclesiæ affirmat D. Quantin in sua recentiori editione Historiæ Autissiodorensis, a Joanne Lebeuf conscriptæ* (5). *Quid habeat veritatis istiusmodi consuetudo, non ausim pronuntiare. Id quidem verum pro aliquibus ecclesiis cathedralibus, v. g. pro Parisiensi, quæ olim tres habebat ecclesias, nempe B. Mariæ, S. Stephani et S. Joannis, quæ postrema erat baptismalis* (6). *Frequentius occurrit duplex ecclesia, scilicet ipsa cathedralis et baptisterium juxta eamdem positum : id etiamnum videtur Romæ ad ædem Lateranensem, Florentiæ ad metropolitanam etc. Verum tertiam ecclesiam invenire, facile non est : adeoque quod* plerumque *non invenitur, licet* quandoque *occurrat, ad* consuetudinem *revocari non potest.*

C n *Duplex est circa Autissiodorum Malliacum* (Mailly-le-Château et Mailly-la-Ville) : *utrumque ad sinistram ripam Icaunæ fluvii* (Yonne), *tribusque chiliometris invicem distant : sæculo* IX *unus erat verisimiliter locus, qui, multiplicato populo, duplicatus fuit.*

o *Crevennum, oppidulum non indecorum* (*gallice* Cravant *aut* Crevant) *quindecim chiliometris Autissiodoro distans : Narciacum* (Narcy) *in polyptycho Autissioderensi anni* 1535 *censetur in archipresbyteratu Varziacensi* (Varzy) (7). *Novicum* (*probabiliter* Neuvy). *Sed hujus nominis villæ duæ sunt : altera in hodierna diœcesi Nivernensi, ad quam etiam spectat Narciacum; et altera in districtu Tornodorensi* (arrondissement de Tonnerre) *dicta* Neuvy-le-Sautour : *utra vero a biographo indicetur, non est, quod definiam.*

p *Artadum gallice reddit Joan. Lebeuf* Arté, *quem locum Polyptychum citatum aut lexica topographica non indicant* (8) : *Capilliacum interpretatur laudatus Lebeuf* Chouilly, *hodie in diœcesi Catalaunensi, donec, ait, inveniatur locus aptior* (9) : *Lindriacum* (Lindry) *in hodierna diœcesi Senonensi, archidiaconatu Autissiodorensi.*

q *Farinarium, secundum Cangii Glossarium, est molendinum, quo, frumento molito, farina conficitur.*

r *Oratorium S. Clementis in duplici Polyptycho anni* 1535 *et* 1648 *designatur, quasi situm* juxta *capitulum ecclesiæ Autissiodorensis* (10).

s *Herimbertum presbyterum dixit Joan. Lebeuf, quem laicum censent editores ejus Historiæ* (11). *Prior sententia mihi magis arridet : quamvis enim non dicatur aperte clericali militiæ adscriptus, id omnino constat ex biographo nostro et fidelissimum fuisse sui episcopi et omnem operam suam impendisse ecclesiis instaurandis, quatenus* omnium ecclesiarum restaurationi insudaverit : *quæ meo judicio clericum magis quam laicum indicant.*

t *Chimiliacum est* (Chemilly, dép. Yonne, E
arrondissement de Tonnerre), *in hodierna diœcesi Senonensi. Gurgiacum vero est hodie* Gurgy, *villa septem chiliometris Autissiodoro distans.*

v *Festum S. Clementis Papæ et Martyris die* XXIII *Novembris celebratur.*

w *Plerumque vox Archimandrita supremum præfectum monachorum significat : aliquoties tamen etiam pro archiepiscopo sumitur, ut variis exemplis docet Cangius in suo Glossario ad h. v.*

x *Arbricum interpretatur Joan. Lebeuf* Esbri, *juxta Aponiacum* (12).

y *Noerolium laudatus Joan. Lebeuf conjectando quoque interpretatur* Nolon (13).

z *Villam Pomerium* Pommeraye *et fluvium Orosam* Oreuse *gallice reddit Joan. Lebeuf, quin propius locum, nisi quod ultra Senonas situm assignet* (14).

aa *Archiclavus est dignitas ecclesiæ, quæ postmodum* thesaurarii *nomen assumpsit. Cfr Du Cange h. v.*

bb *Cochlear aut Cochlea turrim altam significat, quatenus ad ejus fastigium per circulum orbemque conscendatur. Cfr Du Cange h. v. Summitas autem istiusmodi turris plumbo aut stanno ad pluvias arcendas cooperiebatur.* F

cc *Rithverus, in Gallia Christiana Rieveus* (15), *Trecensem sedem circa finem sæculi noni occupavit : pro qua controversiam videtur habuisse cum metropolitano suo Gauterio Senonensi; quippe qui alium in cathedram Trecensem intrudere moliebatur : sed Formosus Papa jus Rithveri sartum tectum servavit.*

dd *Suspicatur Joan. Lebeuf indicari Appogniacum* (Appoigny) *villam, octo chiliometris ab Autissiodoro septemtrionem versus distantem. Est enim ibidem fons aquæ ferruginosæ, adeoque salutaris.*

ee *Simile quid refertur de S. Aniano, Aurelianensi episcopo, cujus Acta ad diem* XVII *No-*

(1) Gall. Christ. tom. VIII, col. 1426. — (2) Ibid. tom. XII, col. 28. — (3) Ibid. col. 535. — (4) Hist. d'Auxerre, tom. III, pag. 14. — (5) Ibid. tom. I, pag. 185. n. — (6) Lebeuf. Hist. de la ville et dioc. de Paris, tom. I, pag. 6 et 19. Guerard. Paris sous Philippe-le-Bel. pag. 397. — (7) Lebeuf. Hist. d'Aux. tom. IV, pag. 310. — (8) Ibid. tom. I, pag. 215. — (9) Ibid. l. c. — (10) Ibid. tom. IV, pag. 305. Pouillé d'Auxerre, pag. 16. — (11) Hist. d'Aux. tom. I, pag. 214. — (12) Ibid. l. c. — (13) Ibid. l. c. — (14) Ibid. l. c. — (15) Tom. XII, col. 493.

vembris

AUCTORE ANONYMO AUTISSIODORENSI.

vembris illustrabuntur; qui enim scholares hujus Sancti antistitis Reliquias visitassent, ista die pœnas debitas effugiebant (1).

ff *Ecclesia S. Eusebii, prius extra, postmodum intra Autissiodorum sita, erat et est hactenus parochialis. Loconvacum* (*Joan. Lebeuf scribit Loconnacum*) *est hodierna villa* Leugny, XIX *chiliometris ab Autissiodoro distans : Ceriacum vero* (*Joan. Lebeuf Terincum*) *est villa* Cerin *sub parochia* Chevannes, VII *chiliometris Autissiodoro distante : tandem Aqua Niolo* (*laudato Lebeuf Aquinolium*) Avigneau *seu* Avignol *villa* IX *chiliometris ab Autissiodoro distat.* D

gg *Joan. Lebeuf dicit, B.* Herefridum *secundum esse Autissiodorensem episcopum, qui intra civitatem sepulturam nactus fuerit. Ast dubito, an accurate id dicatur : etenim si tabulam topographicam, quam in ejus Historia exhibet* (2), *adeamus, videmus ad undecimum usque sæculum, adeoque centum ab obitu beati antistitis annis, ecclesiam B. Mariæ extra mœnia civitatis fuisse : unde et ei nomen* Notre-Dame-la-dehors *adhæsit.*

(1) D. Bouquet. Rec. des Hist. de Fr. tom. X, pag. 110. — (2) Hist. d'Aux, tom. III, pag. 14.

DE S. ELFLEDA SEU ETHELFLEDA VIDUA,

GLASTONIÆ IN ANGLIA,

J. V. H. E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

CIRC. MED. SÆC. X.

§ Unicus. Distinctio ab homonymis; ejus memoria apud hagiologos; regia prosapia; ætas; S. Dunstanus a calumnia vindicatur.

S. Elfleda, *ab homonymis distincta,*

Tres hujus nominis coluntur in Anglia Sanctæ (1) : *Elfleda Virgo, abbatissa monasterii Streneshalæ, cujus Acta ediderunt nostri ad diem* VIII *Februarii* (2) : *Elfleda Virgo, filia Eduardi Senioris, de qua agetur die, quo colitur,* XXIX *Octobris; tertia vero* Elfleda *Vidua recensetur ab Alfordo in Indice Sanctorum Angliæ sub die* XIII *Aprilis* (3) ; *ast secundum alterum Martyrologium Anglicanum, ejus festivitas ad sequentem diem* XIV *Aprilis memoratur* (4). *Verum licet hæc ita se habeant, omittenda tamen ad diem* XIII *Aprilis censuerunt majores nostri Acta sanctæ matronæ, aut saltem rejicienda ad diem* XIX *Maji, quo de S. Dunstano agendum erat* (5) : *quo denuo die tacendum sibi arbitrati sunt, quia* eam in antiquioribus Fastis necdum inscriptam legerant (6). *Aderant tamen fasti Ecclesiæ Wintoniensis. Nam Auctarium Usuardi Altempsianum, ad Ecclesiam Wintoniensem olim pertinuisse, ostendit Sollerius noster in sua Præfatione, Usuardo præfixa num.* 253 : *quum ad diem* XXX *Octobris recenseatur* ordinatio sanctissimi antistitis atque patroni NOSTRI Swithini, *episcopi Wintoniensis* (7). *Porro Auctarium habet ad* XXIII *Octobris :* Eodem die Sanctæ Ethelfledæ reginæ. *Et certe Alfordus et Martyrologus Anglus eo vecordiæ non processerunt, ut pro libitu inter Sanctos Angliæ recensuerint personas, quæ in antiquioribus Fastis consignatas non repererint. Cæterum illa, quæ de sanctæ matronæ rebus gestis narrant biographi S. Dunstani, ejusmodi sunt, ut magnam ingerant opinionem sanctimoniæ. Deinde sæculo* XVI *abolita avita per maximam Angliæ partem religione, multa perierint necessario documenta, præsertim ad Sanctorum cultum spectantia. Tandem quod in capite singulorum tomorum protestamur, valeat hic: nec quisquam plus fidei tribuat scriptis nostris* C *quam quæ debetur historiæ, ab hominibus errori obnoxiis conscriptæ. Quapropter opportunum censemus, hunc qualemcumque hiatum claudere hodierna die, qua S.* Elfledæ *memoria in quibusdam Auctariis Usuardi renovatur.*

vidua fuit regii sanguinis,

2 *Etenim S.* Elfledam *sub hac die* XXIII *Octobris memorant Usuardi Auctaria Grevenianum et Altempsianum et Castellanus. Vario modo Sanctæ nomen scribitur : Grevenus quidem minus recte, illam* Ethelfredam *dicit; Altempsianus Codex et Martyrologium Anglicanum* Ethelfledam; *Castellanus* Edeldredem; *Alfordus autem* Elfledam, *contracto scilicet* Ethel *in* El; *quod linguis teutonicis nativum est. Sic in flandrico nostro idiomate* Edel *in* Eel, Neder *in* Neer *etc. contrahimus. Adeo ut* Ethelfleda *et* Elfleda *unum idemque, alterum altero contractius, sit nomen. Ab hisce autem nominis formis* F *omnino deflectit Osbernus, S. Dunstani biographus, dum Sanctam nostram* Elgivam *appellat* (8) : *nam de una eademque persona agere utrumque S. Dunstani biographum, ipsa series narrationis et quæ specialiter narrantur, demonstrant. Arturus a Monasterio in suo Gynecæo his verbis Sanctam annuntiat ad diem* XIII *Aprilis :* In Anglia, Sanctæ Elflidæ, Virginis, quæ et illustrata divinæ virtutis signis, vitam sanctissimam morte felicissima consummavit. *Quo in elogio mendosa est qualitas Virginis, S. Elfledæ attributa; quum in Vita S. Dunstani coæva clare indicetur fuisse Vidua, quippe quæ* post amissum virum vitam ducere vidualem pro virium qualitate desiderabat. *Quamquam id aliquatenus excusari posse videatur, quum in quibusdam liturgiis peculiaribus omnes Sanctæ sub Virginibus, tamquam a dignioribus sumpto nomine, recenseantur. Sic in Litaniis quadragesimalibus Breviarii*

(1) Cfr Ind. SS. Angl. ad calcem, tom. III, Annal. Eccles. Anglic. Alfordi. — (2) Act. SS. tom. II Febr., pag. 178. — (3) Alford. Ind. SS. v°. *Elfleda.* — (4) British Martyrol. pag. 65. — (5) Act. SS. tom. II Apr., pag. 103. — (6) Ibid. tom. IV Maj., pag. 330. — (7) Mart. Usuardi Præf. pag. LXIII. Cfr Act. SS. tom. I Julii, pag. 321. — (8) Ibid. pag. 363.

Abendonensis

A *Abendonensis inter Virgines computantur* (1) : *SS. Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, Margareta, Regina Scotorum. Quod pariter in aliis Litaniis ejusdem liturgiæ occurrit.*

non tamen regina,

3 *Præterea citata Auctaria Usuardi S.* Elfledæ *nomini qualitatem* Reginæ *addunt. Et quidem illam regio ortam fuisse sanguine, habemus ex biographis : ast reginam veri nominis, seu proprio aut conjugis titulo fuisse, nulla nos monumenta docent. Ratio chronologica satis suaderet, Ethelfledam, conjugem Ethelredi, Merciorum comitis, quæ defuncto marito, Merciis imperavit, huc venire posse, imo quum in ejus aula, teste Willielmo Malmesburiensi* (2), *educatus fuerit Athelstanus, quem S.* Elfleda *nostra lauto convivio excepit Glastoniæ, pondus aliquod huic opinationi accedere videtur. Verum Ethelfleda, Ethelredi conjux, curis regni immortua, sepelitur Glocestriæ anno, ut habent Chronologi Benedictini* (3), 918, *ut vero Joan. Lingard* (4), 920 : *adeoque solido quinquennio antequam S. Dunstanus nasceretur. Ex quo liquido consequitur, Ethelfledam Merciam nullatenus cum nostra S.* Elfleda *confundi posse. Quamvis* B *autem S.* Elfledæ *nullum maritum, regio diademate redimitum assignare possimus, non est tamen, cur reginæ titulum eidem abjudicemus. Etenim antiquorum tempore reginæ appellabantur, omnes fœminæ, regio sanguine procreatæ : exempla multiplicia istiusmodi consuetudinis profert Cangius in suo Glossario v°* Regina ; *ac inter alia,* Matildis genere regina *conjux Gigonis comitis de Albone, sæculo* XI *florentis, quæ ex Anglia oriunda erat* (5), *recensetur. Merito itaque pro more istius ætatis reginæ titulus S.* Elfledæ, *quam scriptor coævus* regali ex progenie ortam *scribit, attribuitur.*

cujus gesta referunt biographi S. Dunstani :

4 *Quæ de S.* Elfleda *scimus, derivanda sunt ex Actis S. Dunstani, primum abbatis Glastoniensis, dein Wigorniensis episcopi, ac tandem primatis Cantuariensis, datis ad diem* XIX *Maji* (6). *Duplicem autem Vitam ediderunt ac illustrarunt nostri : alteram coævam, a teste oculato conscriptam* (7), *alteram ab Osberno Cantuariensi, sæculi* XI *scriptore, concinnatam* (8). *Ex utraque vero Vita constat, S.* Elfledam, *utpote quæ S. Dunstano, adhuc Glastoniensi abbate, conscientiæ* C *suæ arbitro ad mortem usque uteretur, ante annum* 957, *qua hic Wigorniensis episcopus consecratus est, diem suam supremam clausisse. Ex altera porro parte, scimus a sancta matrona convivio exceptum fuisse Athelstanum, Glastonienses Reliquias visitantem, qui anno* 940 *vita functus est. Imo, ut infra ostendetur, sancta matrona regem anno* 929, *Dunstano vix quinquenni, Glastoniæ excepit. Nam S. Dunstanus, imperante Athelstano, qui regnare cœpit anno* 925, *natus* (9), *vix quinquennis fuit, quando rex iste Glastoniam visitavit. Quapropter minus accurate locutus est Osbernus biographus, quando num.* 1 *dicit, fama S. Dunstani, tum, ut maxime, annos* V *nati, excitam fuisse S.* Elfledam, *ut illum conveniret.* Quæ cum ex ore illius verbum audisset, adeo delectata est vitæ æternæ dulcedine, ut ulterius neque domum repetere neque loco discedere, sed cum beato Dunstano manere, vivere, mori deligeret. Proinde habitationem sibi in affinitate sacri templi constituens *etc. Itaque causa immigrationis Glastoniensis, judice Osberno, S.* Elfledæ *fuerit sanctimonia B. Dunstani, annos, ut diximus,* V *nati : quod quidem nemo sine idoneo teste admittet. Et quidem prior vita, a teste oculato conscripta, nihil simile habet : quin potius insinuat, ante ipsum monachatum S. Dunstani, S.* Elfledam *jam Glastoniam incoluisse; qui locus tempore adolescentiæ S. Dunstani desertus nullatenus erat. Nam sermo fit in ejus Vita priori de quodam Glastoniensis ecclesiæ diacono Wulfredo, quondam S. Dunstani, adhuc inter Deum et sæculum claudicantis,* prælato et familiari amatore (10).

AUCTORE J. V. H.

S. Elfledæ ætas

5 *Sed enim moriens iste diaconus Dunstano adhuc sæculari apparuit, deditque signum suæ apparitionis, sepulturam Glastoniæ eligendam a* magistro et sacerdote *S.* Elfledæ, *tunc, ut series sermonis indicat, eumdem locum incolentis. En verba* (11) : Contigit, *autem* iisdem temporibus (*deliberante scilicet S. Dunstano de alterutro statu accipiendo*) quemdam Glastoniensis ecclesiæ diaconem, nomine Wulfredum, mortem subiisse temporalem : qui E B. Dunstano, tempore dum viveret, prælatus pariter extitit et familiaris amator. Hic ergo non admodum longo tempore post discessum apparuit ei gaudens, multa de cœlestibus incognita, insuper etiam omnem seriem vitæ suæ, suæque futuræ ætatis, et eventuum bonorum malorumve fata definiens. Auditis vero beatus vir tantis mysteriorum luminibus, talibusque inevitabilibus vitæ suæ casibus, ait in excessu mentis positus : Si quæ certo relatu affirmas, vera sunt, et credenda, unde cognoscam? Quibus signis patulæ demonstrationis illa mihi patebunt? At ille duxit eum in atrium templi, quo corpora defunctorum humata quiescunt ; digitoque demonstravit australi ecclesiæ parte locum inconvulsum, et dixit : Quia hæc, quæ tibi retuli, vera sunt, evidenter scito, quia hoc in loco ante triduum presbyter quidam sepelietur, et nondum infirmatur : corpusculum vero ejus ab occidentali parte templi præsentis tumulandum deferetur. Ad hanc visionis vocem Beatus expergefactus Dunstanus, postque horam primam dici, memor miræ revelationis, cum quibus- F dam in prænotatum sibi spiritualiter cœmeterii locum venit; necnon accipiens lapidem unum jactabilem, in eum projecit, hocque addidit : Si vera sunt, quæ in somnis vidi, quidam presbyter hic ante triduum debet humari. Porro recedentibus illis, venit cujusdam Æthelfledæ, nobilissimæ ac religiosissimæ matronæ, magister et sacerdos cum alio sociorum contubernio, et obtinuit sibi inter aliqua eloquiorum famina eumdem locum in sepulturam, dicens : Cum mortuus fuero, hic, precor, sepelite me. Erat siquidem ipse multorum testimonio adhuc in corpore sanus. Sed cum inde post paucum abiissent, gravi morbo finitimæ vitæ sarcinatus est; deinde in nocte futura extremum spiritum Christo Domino commendavit, et ante triduum in ipso suæ electionis loco, qui B. Dunstano prius assignatus fuerat, sepultus est.

6 *Præterea quamvis S. Dunstanus pristinum* *ex biographorum verbis*

(1) Fol. v°. lxx. VIII. — (2) Savil. script. fol. 27. — (3) L'art. de vérif. les dates. — (4) History of England, tom. I, pag 128. Edit. Paris. 1840. — (5) Bourchenu. Hist. du Dauphiné, tom. II, pag. 375. Editio secund. — (6) Act. SS. tom. IV Maji, pag. 344. — (7) Ibid. l. c. — (8) Ibid. l. c. — (9) Ibid. pag. 347. — (10) Ibid. pag. 349. — (11) Ibid. l. c.

splendorem,

AUCTORE J. V. H.

splendorem, calamitate temporum obscuratum, restituerit monasterio Glastoniensi; remanserat tamen loci memoria celebris. Cujus rei testem habemus Athelstanum regem ab anno 925 *ad* 940 (1) : *hic enim, ut loquitur prior Vita num.* 2, causa precaminum Glastoniam venit, *et* post precum Missarumque celebrationes, *a S.* Elfleda *lauto convivio excipitur. Supponamus, si lubet, Athelstanum Glastoniam visitasse ultimo regni sui anno seu* 940 : *adhuc attigerit S. Dunstanus ætatem quindecim annorum, adeoque is tunc non erat, qui matronam religiosissimam ad suun colloquium alliceret. Cæterum certiora habemus ex Matthæo Westmonasteriensi, quem ex Alfordo ad annum* 929 § 2 *cito :* Anno, *inquit,* gratiæ nongentesimo vigesimo nono Æthelstanus Reliquias Sanctorum regni sui orationis gratia, petere decernens, Glastoniæ cœnobium imprimis petivit devotus. *Enimvero tunc vix quinquennis erat S. Dunstanus. Opportune itaque Alfordus l. c., statum monasterii Glastoniensis describens :* Erat, *inquit,* locus ille a monachis, qui plura sæcula ibi
B vixerant, fere derelictus : Hiberni aliquot, puerorum eruditioni operam dantes, monasterii rudera incolebant. Antiqua tamen cœnobii sanctitas obliterari non poterat. Unde qui secretius vivere et cœlo se parari studebant, locum illum silentio et quieti suæ elegerant (2). *Inter eos autem, qui solitudinis quietem Glastoniæ sibi procurabant, recolenda venit S.* Elfleda : *quin ullo indicio definire valeamus, quo tempore sanctius id vitæ genus occeperit. Certi si aliquo monumento indigitaretur sanctæ maritus, ejusque obitus; esset argumentum, quo accuratius S.* Elfledæ *chronotaxis ordinari posset. Id tamen maneat inconcussum, Sanctam matronam diu ante S. Dunstani monachatum Glastoniam incoluisse.*

utcumque definitur :

7 *Senectute bona defunctam fuisse S.* Elfledam, *satis indicant verba Osberni biographi dicentis num.* 1 Innixa manibus suorum ad hominem Dei (*Dunstanum*) accessit, sanctissimo illius colloquio perfrui desiderans. *Sed vix e propinquo definiri potest annus Sanctæ emortualis. Id scimus, S. Dunstanum Glastoniæ constitutum fuisse abbatem anno* 944, *ut patet*
C *ex diplomate S. Edmundi I regis et Martyris, edito ab Alfordo ad an.* 944 § IV, *et ad annum usque* 955 *monasterio præfuisse, teste Alfordo ad dictum annum* § XI : *adeo ut inter hos terminos annus emortualis S.* Elfledæ *constituendus sit. Proinde rejicienda omnino est opinatio Martyrologii Anglicani statuentis, anno* 936 *obiisse Sanctam* (*Alford ad h. a.* § V) : *tunc enim vix undecim annorum ætatem S. Dunstanus attigisset, quod cum rebus gestis Sanctæ matronæ nullatenus componi potest. Quapropter Alfordus in annum* 947, *ut ibidem habetur* § XVI, *vitam Sanctæ prorogat. Si suam sententiam aliquo documento confirmasset scriptor eruditus, eam libentes amplecteremur : sed prodigii instar habendum est, mulierem religiosam, ætate provectam, quæ hactenus conscientiæ suæ arbitris non caruerat, tantum statim fiduciæ tribuisse juveni licet sanctissimo, ast* XXII *annorum nato, ut omnia sua seque ipsa in ejus arbitrium posuerit. Propterea cre-*
D *derem, mortem S.* Elfledæ *verius post, quam ante annum quinquagesimum sæculi* X *contigisse. Proinde quum liber sit opinandi terminus, in capite hujus Commentarii malui Sanctæ obitum circa medium sæculum* X *adscribere.*

ejusque posterioris magistri,

8 *Atque hæc fere sunt, quæ de S.* Elfleda *dicenda habemus. Opportunum tamen judicamus, quoniam tam frequens nobis de S. Dunstano sermo fuit, diluere criminationem a nostris in Actis ad* XIX *Maji non excusatam et a quibusdam acatholicis S. Dunstano objectam, quasi perfido machinamento adversarios suos in ruinam præcipitasset. Rem narrat Willielmus Malmesburiensis, de Gestis regum Anglorum lib.* II, *cap.* 9 (3), *ex quo judicari poterit, quantæ fidei sit accusatio :* Defuncto Eadgaro, clerici, quondam ab ecclesiis expulsi, rediviva prælia suscitarunt dicentes, ingens esse et miserabile dedecus, ut novus advena veteres colonos migrare compelleret; hoc nec Deo gratum putari, qui veterem habitationem concessisset, nec alicui probo homini, qui sibi timere posset, quod aliis pro judicio accidisse cerneret. Ea de re in clamores et iras E
surrectum, et ad Dunstanum perrectum est, præcipue proceribus, ut laicorum est, succlamantibus præjudicium, quod clerici passi fuerant injuste, leniori concilio succidi debere. Nam et unus eorum Elferius omnia pene monasteria, quæ reverendissimus Æthelwoldus monachus et Wentanus episcopus construxerat in provincia Merciorum, magna usus insolentia, evertit. Itaque frequenti synodo coacta, primum Wentoniam ventum. Quis ibi fuerit finis certaminis, aliæ literæ docent dominicam imaginem expresse locutam clericos eorumque fautores confudisse : sed adhuc non sedatis animis, Calnæ consilium indictum : ubi cum in cœnaculo, absente propter ætatem rege, considentibus totius Angliæ senatoribus, magno conflictu et controversia res ageretur, et validissimum illum murum Ecclesiæ, Dunstanum dico, multorum convitiorum jacula impeterent, nec quaterent, suas partes cujuscumque ordinis viris summo studio tuentibus, solarium totum repente cum axibus et trabibus dissiluit et concidit, omnibus ad terram elisis, solus Dunstanus, stans F
super unam trabem, quæ superstes erat, evasit probe. Reliqui vel exanimati vel perpetui languoris compede detenti. Hoc miraculum archiepiscopo exhibuit pacem de clericis, omnibus Anglis tunc et deinceps in ejus sententiam concedentibus.

S. Dunstani quasi fraude doloque

9 *En historia : nunc interpretationes acatholicorum consideremus. Gulielmus Parker, pater hodiernæ Ecclesiæ Anglicanæ, primus ut videtur, dixit ruinam Calnensem* humana fraude et ope diabolica carere non potuisse (4). *David Hume in sua Historia Angliæ cap.* II *rem sequenti modo interpretatur :* Terribilius fuit miraculum, in tertia synodo factum. Nam tabulatam loci, in quem conventum fuerat, subito præceps ruit, et plerique præsentium aut vulnerati aut occisi fuerunt. Observatum fuit, quod Dunstanus curaverat regem ista die a conventu abesse, et sedes archiepiscopalis posita fuerat in unica trabe, quæ

(1) Chron. Anglo-Saxon. Post Bedæ Hist. Anglic. pag. 374 et 377. Edit. Londin. 1849. — (2) Cfr Lanigan. Eccles. Hist. of Irel. tom. I, pag. 329. — (3) Ap. Savil. Rer. Anglic. Scriptt. fol. v°. 33. — (4) Ap. Lingard. Antiq. de l'Egl. Anglo-Saxonne, pag. 517. Edit. Paris. 1828,

immota

A immota permansit. Sed quin ulla exsurgeret fraudis suspicio, interpretati sunt facti circumstantias, quasi manifestam divinæ potestatis intercessionem, suis amicis favere volentis. *Hæc scriptor, qui dein ad calcem paginæ animadversionem subnectit :* Quoties, *inquit,* similes narrationes apud antiquos scriptores occurrunt, alterutrum judicandum est: vel posteriores monachos talia portenta effinxisse, vel si coævi sunt, eadem dolose præparasse, ut vili plebi fucum facerent. *Hisce criminationibus calculum suum adjicit Sharon Turner in sua Historia Anglosaxonum, atque ad accusationem firmandam ex Osberno biographo sequentia allegat* (1) : Et his quidem adversariis viventibus, cessatum est a contentionibus, quousque per successionem filiorum prior discordia renovata est. Qui abeuntes, et iniquitatis suæ defensorem, Heornelmum, Scotorum pontificem, assumentes, hominem videlicet tam ingenio quam loquacitate insuperabilem, ad hominem Dei in villam, quæ vocatur Kalne, tendunt; turgenti spiritu scandalum proponunt. Dunstanus autem, longo quidem senio B et magnis Ecclesiæ laboribus effractus, jam præter orationem omnia post tergum posuerat. Attamen pars iniqua, divino quondam miraculo victa, ne nunc de adipiscenda gloriaretur victoria, hoc in hostes responsionis jaculum vibrat : Quoniam, inquit, tanto tempore elapso, calumniæ ansam non prætendistis, nunc autem senescentem me ac taciturnitati operam dantem antiquis querelis deservire contenditis : fateor, vincere vos nolo : Ecclesiæ suæ causam Christo judici committo. Dixit, et quod dixit, irati Dei censura firmavit. Mox etenim concussa domus, cœnaculum sub pedibus solutum, hostes solo præcipitati, ac ruentium trabium pondere oppressi. Ubi vero cum suis Sanctus accubitabat, ibi nulla ruinæ suffusio fiebat.

adversarios perdidisset,

10 *Hactenus Osbernus : cui, referenti S. Dunstani sermonem, omnem fidem, collata etiam aliorum biographorum auctoritate, adhibendam esse contendit citatus Turner* (2). *Porro ex Osberni narratione sequens construit argumentum ad calcem lib.* VI, *cap.* 7 (3). *Sermo Dun-* C *stani insinuat, illum in exspectatione fuisse alicujus eventus extraordinarii, qui opinioni suæ faveret : ipsa dein sua suorumque conservatio ejusmodi est, ut Dunstanus præscire debuerit, quod futurum erat; adeoque calamitas repentina fortuito casui adscribi non possit. Talis autem præscientia aut miraculo aut fraudi adscribi debet : nam ruina solarii, in quo adversarii consistebant, immota remanente ea parte occupata a Dunstano suisque, impedit, quominus naturali accidenti ruina tribuatur : sed ipse ejus sermo tribuit præscientiam, quæ scriptori auctoritatem præbet, ut Dunstanum præparati et perpetrati sceleris reum traducat.* Personal foresight, which warrants an historian for connecting him with the planning and with the perpetration of the crime. *Cur vero, judice Turnero, seposito casu fortuito, crimen S. Dunstano impingendum sit, hæc est : quia nulla fides danda est monachis narrantibus miracula : quod dein allatis exemplis catholicorum hagiographorum, imo S. Gregorii Magni confirmat. Remanet itaque, ut Calnensis ruina, quæ Angliæ optimates fere omnes oppressit, unius Dunstani sceleri imputanda sit. Atque hinc consequens fit, ut acatholici magis magisque exosam habeant catholicam Ecclesiam, jubentem venerari viros scelestissimos.*

AUCTORE J. V. H.

a criminationibus

11 *Sed imprimis Turnerus manu nimis levi discutit casum fortuitum, quasi contrarium insinuaret S. Dunstani allocutio, nempe illum prævidisse ruinam solarii et calamitatem adversariorum. Verum sermonem S. Dunstani perscrutanti nulla occurrit prævisio futuri. Senex, laboribus fractus, solitudinis quietem sectans, recusat verborum pugnas redintegrare;* fateor, *inquit,* vincere vos nolo : Ecclesiæ suæ causam Christo judici committo. *Hisce verbis nullatenus indicatur, S. Dunstanus præscius futuræ ruinæ, ut hæc casui fortuito adscribi non possit. Potuit etiam ad Christum judicem provocare, ut sæpe fit ab ignaris futuri, S. Dunstanus : adeoque quum incertum maneat, utrum præscius an inscius hæc verba protulerit, Turneri argumentatio, seponentis casum fortuitum, nullatenus stringit. Quod vero præsens non* E *fuerit rex, quasi consulto eum abesse curasset S. Dunstanus, id denuo gratis affirmatur, nullo adducto idoneo teste. Certe Malmesburiensis, num.* 8 *citatus, dicit regem absentem fuisse* propter ætatem. *Dein data etiam fraude, a Dunstano parata, nulla causa erat, ut rex cum magnatibus comitiis non interesset : siquidem Dunstanus cum suis sese paratis insidiis exemerit, potuisset et regem præsentem salvum servare; imo siquidem auctore Dunstano omnia sceleri essent parata adversariis, sibi autem certa salus, rex calamitatem necessario effugere debuisset : nihil certe impediebat, imo omnia suadebant ut rex juxta Dunstanum, certo salvum, constitueretur. Nihil itaque suspicionis esse potest in absentia regis, quam tamen Turnerus ut invidiosam traducere conatur.*

acatholicorum,

12 *Tandem inter se non conveniunt Malmesburiensis et Osbernus. Ille enim* solum Dunstanum, stantem super unam trabem, quæ superstes erat, evasisse probe : *ast Osbernus affirmat, Dustanum* cum suis *calamitatem effugisse, adeoque non* una, *sed plures trabes immotas perstitisse. Utra lectio præferenda sit,* F *inquiri posset. Turnerus Osbernianam præfert; neque inficias ibo. Querelæ prolatæ fuerunt in publicis regni comitiis, quæ, teste Turnero lib.* VIII *cap.* 6 (4) *ex clero et liberis viris constabant, inter quos certe erant amici aliquot Dunstani. Si igitur Dunstanus, non solus, sed cum suis periculum evasit; hi necessario præmonendi fuerunt, ne partem solarii ruinosam occuparent, adeoque machinati facinoris conscii et complices fuerunt. Videat porro Turnerus, quomodo hæc conspiratio cum vera, non dicam religione, sed naturali probitate consistant, et quam atram inurat infamiæ notam Anglosaxonibus majoribus suis, quorum pars non modica ad tantum scelus tantamque ruinam manus admovit. Quod si ad discutiendas istiusmodi difficultates, accipiatur lectio Malmesburiensis, docentis,* solum Dunstanum, stantem super unam trabem, *salvum fuisse, in difficultates, nullatenus minores, impingimus; scilicet Dunstanum simul cum inimicis etiam amicos per-*

(1) Act. SS. tom. IV Maj., pag. 372. — (2) Hist. of the Anglo-Sax. tom. II, pag. 175. Edit. Paris 1840. — (3) Ibid. pag. 176. — (4) Hist. of the Anglo-Sax. tom. III, pag. 130.

AUCTORE J. V. H.

didisse; ac propriam salutem in ancipiti posuisse, utpote quæ ab unica trabe, reliquis omnibus ruentibus, penderet. Certe hujusmodi argutiis hominem vulgarem criminari auderet nemo. Quo igitur jure licet infamiæ notam inurere viro, quem per sex continua sæcula venerati sunt quotquot de illo egerunt? An, quia episcopus institutum monasticum per Angliam propagavit, ruina Calnensis nec casui fortuito nec miraculo attribui potest? Certe dolum aut facinorosas machinas ignorarunt Centuriatores Magdeburgenses, qui dicunt magicis præstigiis et diabolica clementia Dunstanum id effecisse (1): *absurda videbatur humana ope præparata strages; et ut Deum vitarent, dæmonem adhibuerunt. Cæterum idem argumentum tractarunt Joannes Lingard in antiquitatibus Ecclesiæ Anglo-saxonicæ* (2) *et Carolus Butler in epistolis apologeticis* (3), *qui, si lubet, adiri possunt.*

statum quæstionis mutantium.

13 *Causa porro simultatis ac discordiæ, quæ inter S. Dunstanum ac adversarios exardescebat, fuit, quod clerus sæcularis, suis sedibus expulsus, quas monachi occuparunt, corruptissimis esset moribus, et in destructionem perniciemque fideles ageret. Ut tanto malo occurreretur, Dunstanus aliique episcopi, muniti pontificia et regia auctoritate, rejectis clericis malis, monachos in ecclesias introduxerunt. Ast aliam controversiæ indunt faciem acatholici scriptores. Dicunt scilicet, quæstionem fuisse, utrum clerici, in sacris ordinibus constituti, legitimo frui possent conjugio; an vero cælibem vitam perpetuo agere deberent. Verum nullo antiquo, idoneo testimonio docemur, hujusmodi quæstionem fuisse propositam et ad trutinam revocatam, adeoque in alterutram partem decisam fuisse. E contrario multa apud antiquos sunt documenta, quæ ostendunt, in clero sæculari maximam tunc fuisse et morum corruptelam et disciplinæ ignorantiam* (4). *Cujus rei testem habemus omni exceptione Majorem, Joannem Pp.* XIII *qui scribit ad Edgarum regem* (5): Quare, rex inclyte ac fili carissime, quod vestra excellentia per fratrem et coepiscopum nostrum Dunstanum ab hac apostolica sede, cui licet immeriti præsidemus, exposcit, omnibus modis concedimus: auctoritate apostolica sancientes, ut de monasterio in Wintonia civitate, in honorem Sanctæ Trinitatis et beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli constructo, quod vetus, differentia illius, quod juxta est, cœnobii, cognominatur, canonici, domino episcopo et omnibus fidei catholicæ cultoribus ex patentibus culparum suarum turpitudinibus odibiles, et in eisdem secundum impœnitens cor eorum inverecunde perdurantes, cum suo præposito, utpote vasa diaboli, ejiciantur. Et sicut vestra sublimitas desiderat, dilectissimus frater et coepiscopus noster Ethelwaldus, regularibus disciplinis apprime imbutus, monachorum, secundum præcepta regulæ viventium, gregem enutriat, eisque inibi perpetuam mansionem statuat. Illeque eorum vitam ita sanctitatis moribus exornet, ut, pastore ad laboris præmium vocato, non aliunde quam ex illa congregatione alter in locum regiminis succedat. *Circa idem tempus, seu sæculo* IX *desinente, Fulco, Remensis archiepiscopus, ut habet Flodoardus Historiæ Ecclesiæ Remensis lib.* IV *cap.* 5 (6), *congratulatur Alfredi, regi Anglorum, quem Albradum appellat,* quod perversissimam sectam, paganicis erroribus exortam, et in illa gente tunc usque relictam verbi mucrone satageret amputare. Quæ secta suggerere videbatur, episcopis et presbyteris subintroductas habere mulieres; ad propinquas quoque generis sui, quisque vellet, accedere; insuper et sacratas Deo fœminas incestare; et uxorem habens, concubinam simul habere. *Hæ nempe doctrinæ et morum corruptelæ diuturno tempore Danicæ vastationis inoleverant, nec ullam spem emendationis reliquerant, nisi sæculari clero regularis succederet. Quod S. Dunstanus magno totius Angliæ emolumento perfecit: inde iræ: quia sacrum cœlibatum servavit sartum tectumque, et adulterinas clericorum nuptias exstirpavit.*

acta vindicantur.

14 *Hactenus de S. Dunstano. Ex cujus Actis extrahimus ea, quæ de S.* Elfleda *referuntur. Porro S. Dunstani binas habemus Vitas: unam ab anonymo, presbytero monacho, teste non solum coævo, sed oculato; alterum ab Osberno, Cantuariensi monacho, sæculi* XI *scriptore. Sed quem anonymum dixerunt nostri testem oculatum* (7), *hunc Bridferthum appellat Mabillonius in suis Annalibus, lib.* L *num.* 1 *et quidem Ramesiensem fuisse monachum asserit, cui assensit Remigius Ceillier* (8). *Verum quidem est, hujus biographi nomen habere initialem literam* B: *sed quod ultra est, conjectura est, ut notat Henr. Wharton in Anglia Sacra* (9): *Vitæ, inquit, S. Dunstani auctorem* fuisse Bridferthum, monachum Ramesiensem, Abbonis discipulum, Mabillonius conjicit. Bridferthum quidem Baleus laudat, et Dunstano coævum fuisse refert: Vitam autem Dunstani ab illo scriptam nequaquam memorat. *Enimvero sola conjectura nixum Mabillonium fuisse, existimo, quia nullo argumento sententiam suam firmat, non omissurus, si aliquod habuisset. Cæterum pro re nostra non magni momenti est quæstio, quum sufficiat scivisse biographum rerum narratarum testem, utpote qui,* quæ vel ipsemet vidit, vel audivit, enodet (10). *Par est Osberni fides, qui testem oculatum, in iis, quæ de S.* Elfleda *refert, presse sequitur.*

VITA PRIOR

S. ELFLEDÆ VIDUÆ,

AUCTORE MONACHO ANONYMO,

Extracta ex Vita S. Dunstani in Actis Sanctorum tom. IV Maji.

S. Elfleda *matrona regia.*

Erat quædam prædives matrona, regali ex progenie orta, sed strictis nodis divinæ religionis innexa *a*, cujus nomen brevi mentionis attactu nuper contigimus *b*. Hæc post amis-

a

b

(1) Tom. X, col. 455. Edit. Basil. 1567. — (2) Antiq. de l'Egl. Anglo-Sax. pag. 515. Edit. Paris. 1828. — (3) Migne, Démonstrations évang. tom. XII, col. 230. — (4) Lingard. Antiq. pag. 464. — (5) Migne, Patrol. tom. CXXXV, col. 985. — (6) Ibid. col. 278. — (7) Act. SS. tom. IV Maj., pag. 544. — (8) Hist. Gen. des Aut. Eccles. tom. XX, pag. 94. — (9) Tom. II, Præf. pag. IX. — (10) Act. SS. tom. IV Maj., pag. 344.

sum

A sum virum, vitam ducere vidualem pro virium qualitate desiderans, casulas sibi commanendi in affinitate sacri templi ad plagam occidentalem constituit, ut pro regni cœlestis desiderio ibidem Domino Jesu Christo die noctuque non desisteret famulari. Huic vero semper beatus adhærebat Dunstanus, qui hanc præ cæteris modis mirabilibus adamavit, ejusque, causa religionis simul etiam propinquitatis, egestatem sublevavit *c*. Non est autem nostræ possibilitatis enarrare per singula verborum eloquia, qualem vel quantam se in divinis præpararet obsequiis. Dominus tamen, omnium inspector secretorum, tam in ultimis metæ suæ temporibus, quam etiam dum in hoc mundo deguit, cujus esset meriti declaravit.

Athelstanum regem convivio excipit;

2 Hæc igitur omne semen regium, de quo ipsa nobilitatis originem duxit, intimo caritatis ardore dilexit: ideoque, gratia dulcedinis, de suis sæpe rebus regibus ministravit. Ex hac ergo pia consuetudine glorioso regi Æthelstano *d*, prandium, quod potuit, obvia præparavit; quia hunc, causa precaminum, Glastoniam *e* venisse præscivit *f*. Scientes vero ministrationis regiæ provisores, quod dedisset rex nepti suæ *g* divertendi ad se promissam, venerunt die præcedenti ad videndum, si omnia paratuum ministeria habilia fuissent, vel apta. Et conspectis omnibus dixerunt ad illam: Universam ministrationis sufficientiam habes, si tibi medonis liquor *h* non defuèrit. At illa: Non patiatur Domina mea Sancta Mater Domini mei Jesu Christi Maria, ut ille mihi vel quid in regia dignitate deficiat. Et hæc dicens, antiquam Dei Genitricis ecclesiam quantocius intravit *i*, seseque rogatura prostravit, diu deposcens superni Regis opulentissimum sibi adesse supplementum, ad augendam regis ministrationem. Quid ergo? Venit rex, stipatus multo comitatu, ad tempus præfinitum; et post precum Missarumque celebrationes, lætus invitatum introivit ad prandium. Et tunc quidem in primo propinatu exhausere illud vas medonis ad unius palmulæ mensuram: et sic postea, Deo augente et Beata promerente matrona, nil minuens substitit, pincernis, ut assolet in regalibus conviviis, cornibus scissis *k* aliisque indiscretæ quantitatis vasibus totum diem propinantibus. Quod dum mirabile factum rex ipse relatu ministrantium audisset, ait mente immutatus ad suos: Peccavimus, nimis hanc famulam Dei superfluitate multitudinis nostræ aggravantes. Et surgens, salutata nepte, subit viam suam.

sub Dunstano in virtutibus proficit,

4 Cœpit autem hæc famula Dei, transacto beati certaminis cursu, proximante jam fine ex humano jure graviter infirmari: cui B. Dunstanus causam providendi solers exhibuit, et quasi propriam matrem unice custodivit. Contigit autem, his impedientibus curis, ipsum horis vespertinalibus abesse, et cum psallentibus more solito non fuisse catervis: ipso tamen finiti diei crepusculo, cum se sequentibus scholasticis, ibat ad jam obseratam ecclesiam, ut tardatum compleret Officium. Et dum foris ante ostium ecclesiæ psallendi gratia staret, vidit eminus ex orientis cœli climatibus prorumpentem niveam columbam, mira pulchritudine et nova specie renitentem. Erant vero extremitates alarum suarum igni scintillanti consimiles, ex quibus volatus fulminei, ictuantibus pennis, sparsim fundebantur per aera; quæ ad beatæ matronæ atria celeri meatu convolavit. Beatus autem Dunstanus, infirmæ amicæ non immemor, continuo, perpletis psalmodiis, regressus est; et veniens audivit illam intra suorum septa velaminum *l*, seriis sermonibus, quasi cum quodam familiari amico, per vices verborum sermocinantem. Accessit ergo humane ad considentes ancillulas, observatrices dominæ suæ; et mirans, cum quo loqueretur, interrogat. At illæ se nescire dixerunt. Sed antequam tu, inquiunt, venires, immensi splendoris jubar totum hoc cubiculum rutilando replevit: et postea cessante lumine, ipsa, ut ipse nunc audis, loqui erga loquentem non cessavit.

et sancte obit.

5 Tunc quidem paulatim et ipse spectando resedit, donec illa quodammodo a loquela quiesceret. Et dum ea etiam ab eloquio quievisset, mox ad illam, rejectis velaminum anfractibus, intravit, et cum quo loqueretur, ipsam familiariter interrogavit. At illa dixit ad eum: Tu quoque illum, antequam huc venires, venientem vidisti, et nunc cum quo sim locuta, interrogas? Ipse enim mecum loquebatur, qui tibi psallenti, dum stabas ante ostium ecclesiæ, apparuit, qui et mihi modo omnem exitus mei rationem per ordinem nuntiavit. Vobis tamen amicis meis non est admodum necesse contristari de me, quoniam mihi morienti Dei mei misericordia obviavit, et paradisi gaudia misericorditer intrare concedet. Tibi autem quasi singularis amicæ ministro, id operis impono, ut tu quoque mane mature mihi facias balneas *m* accelerare, et funerea vestimenta, quæ mecum sum habitura, præparare, postque corporis lavationem Missas celebrare, et mox tempore participationis sacri Sanguinis Corporisque Domini Nostri Jesu Christi communionem accipere, ut sic eodem momento viam universæ nationis, Domino ducente, incedam. Quod ille instantissime, parens in omnibus beatæ matronæ præceptis, ne ultimam prævisionis suæ custodiam, tædio quoque tarditatis submissam, torpenti curæ committeret, adimplevit. Sed et illa quod sibi de se in nocte, hoc in die futurum erat ostensum, ordine, quo prædixerat certissime, complevit: ita, inquam, ut post Missæ mysterium, post saluberrimum Eucharistiæ gustum, ipsa pariter cum finita Missa vitam felicem in Domino Jesu Christo finiret.

Tunc prævisor ovans animam cum sorte propinqua
Commisit Domino, tumulans sub honore cadaver,
Et sua dat Sanctis, sicut antea ipsa volebat,
Corpore dum vixit. Sed et assecla liber abibat,
Optans hoc, Domini requiescat ut in suavitate.

ANNOTATA.

a *S.* Elfledam *voto solemni perpetuæ castitatis sese obstrinxisse, quamvis extra monasterium degeret, hæc verba indicant. Certe velamen perpetuæ castitatis etiam viduis imponebatur, ut liquet exemplo Richildis, viduæ Caroli Calvi regis, quam Fulco, Remensis archiepiscopus, hortatur,*

AUCTORE J. V. H.

hortatur, ut velamen quod assumpserat viduitatis incorruptum servare studeret (1).

b *Scilicet numero præcedenti narraverat biographus, S. Dunstano, adhuc inter religionem et sæculum claudicanti, apparuisse suum olim magistrum, nuper defunctum, qui futura ei revelavit. Ut porro supernæ apparitionis certus esset, S. Dunstanus, signum petiit, datumque fuit; scilicet, in loco, sepulturis hactenus non destinato, ante triduum tumulandum fore presbyterum, qui nondum infirmaretur : uti retulimus in Commentario prævio num.* 5. *Hanc vero* Æthelfledam *eamdem esse ac S.* Elfledam *nostram monstravimus num.* 2 *Commentarii prævii.*

c *Si sensum, ut vulgo dicimus, grammaticalem sectemur, dicendum esset, S. Dunstanum S.* Elfledæ egestatem sublevasse. *Ast quæ sequuntur contrarium indicant; nempe Dunstani pauperiem a S.* Elfleda *mitigatam fuisse. Erat enim, ut dicitur,* prædives matrona, *quæ de suo regales epulas instruebat : cujus adeo egestas sublevanda non erat.*

B d *Æthelstanus regnum totius Angliæ occupavit ab anno* 924 *ad* 940.

e *Glastonia, celeberrimum olim Ordinis S. Benedicti in hodierno comitatu Somersettensi monasterium, cujus hodie reliquiæ adhuc magnificæ exstant* (2). *Celebrem fuisse pietatis locum ab antiquissimis temporibus, monstrat Athelstani,* causa precaminum *Glastoniam adventus. Nam, moriente rege isto, sextum decimum ætatis annum agebat S. Dunstanus, adeoque loci sanctitas, quam a Josepho ab Arimathea derivant, Dunstano longe antiquior est. Eninvero medias inter bellorum vastationes perseverarunt viri aliqui; a quibus ipse S. Dunstanus litterarum elementa didicit* (3).

f *Quod præsciverit S.* Elfleda *adventum regis Athelstani, prodigio non est adscribendum; quum paulo infra legamus, regem cognatæ suæ* dedisse divertendi ad se promissam : *ac pridie adventus regii, inspexisse aulicos, an omnia essent rite composita.*

g *Vox* neptis *cognatam interpretamur, seu consobrinam aut patruelem. Cfr Du Cange Glossarium v°* Nepos. *Etenim S.* Elfleda, *matrona*
C *grandæva Athelstanum, vita functum anno ætatis quadragesimo sexto, neque avum neque patruum habuit.*

h Medo (*Cfr Du Cange h. v.*) *est potio, melle condita, gallice* hydromel.

i *Hunc locum correctum vult Henschenius noster, quem S. Petro dedicatum dicit* (4) : *posterioribus quidem temporibus ecclesia Glastoniensis patronum nacta est principem Apostolorum; verum ab initio nomine Sanctæ Mariæ censebatur, ut constat ex carta Inæ regis, anni* 725, *qua vult, ut* omnes terræ et loca et possessiones Beatæ Mariæ Glasteyæ sint quietæ (5). *Certe in sigillo monasterii Glastoniensis, edito ad calcem voluminis primi Monastici Anglicani, media stat B. Maria inter SS. Catharinam et Margaritam : ac in scuto ejusdem area sinistra refert imaginem ejusdem Deiparæ* (6).

k *Veteres cornibus, non raro magnificentissime ornatis, usos fuisse compotationis causa, satis notum est* (7). *Sed non facile explicatu est,* D *quid velit biographus, quando dicit cornua potatoria fuisse* scissa : *nisi forsan intelligatur cornu, in parte tenuiori apertum, in crassiori clausum, ex quo proinde facile liquor in minora vasa infundi potest. Secabantur quidem istiusmodi cornua, sed nullatenus potationis causa. Sic, ut exemplum domesticum afferamus de monasterio Glastoniensi, refert Wilhelmus Malmesburiensis, de Edgaro rege* (8) : Ubi ergo generali assensu pontificum, abbatum, optimatumque suorum hæc privilegia ipsi loco conferre disposuit, lituum proprium, ebore decentissime formatum auroque decoratum, super altare Sanctæ Dei Genitricis posuit; ipsiusque donatione eidem Sanctæ Dei Genitrici ac suis monachis ea perpetualiter possidenda attribuit. Eumdemque lituum mox in sui præsentia fecit secari in medium, ne eum cuiquam dare vel vendere posset quilibet abbatum sequentium : præcipiens partem illius servari in loca ad jam dictæ donationis testimonium. *In Archeologia Britannica quæritur* (9), *an vox* loca *significet* arcam, sera clausam, *anglice* a lock, *an vero* E *legendum sit* in loco, *scilicet in ipso monasterio servandam esse partem litui secti. Nihil nostra interest. Unum hic habemus, quandoque cornua fuisse dissecta, quorum pars aliqua utrinque servabatur in testimonium pacti conventi. Sic quoque apud Wormium in Monumentis Danicis* (10) *legitur :* Fissum cornu arripit Galeatus heros : *sed cornu istud est instrumentum musicum, ut monstrant sequentia, scilicet ex inflatione dissiluisse frontem.*

l *Velamina ista interpretandum censeo illa vela, quæ interiores cubilium fores occludebant, quemadmodum in magnatum domibus adhuc videmus.*

m *Balneæ, quas petit S.* Elfleda, *lavando suo corpori erant parandæ. Ipse S. Dunstanus in sua Concordia Regulari* (11) *vult, ut* exempto homine, lavetur corpus a quibus jussum fuerit : lotum induatur mundis vestimentis. *Id ipsum fieri sibi petiit sancta matrona.*

(1) Migne, Patrol. tom. CXXXV, col. 278. — (2) Cfr Monast. Anglic. tom. I, pag. 1. — (3) Cfr Ibid. pag. 2 et seq. — (4) Tom. IV Maj., pag. 352. — (5) Reyner. Apostol. Bened. n Angl. pag. 43. — (6) Mon. Angl. tom. I, pag. 1. — (7) Archeol. Brit. tom. III, pag. 1 et seqq. — (8) Savil. Scriptt. fol. v°. 31. — (9) Tom. III, pag. 3. — (10) Pag. 381. — (11) Migne, Patrol. tom. CXXXVII, col. 500.

ALTERA VITA

S. ELFLEDÆ VIDUÆ, F

AUCTORE OSBERNO, MONACHO CANTUARIENSI,

Extracta ex Vita S. Dunstani in Actis Sanctorum tom. IV Maji, collata cum editionibus Mabillonii et Whartoni a. *a*

Fama nominis ejus (*Dunstani*) universam percurrit regionem, quæ ad visendum hominem Dei omnium corda accendit. Omnis ætas, uterque sexus, clarus et ignobilis, tenuis et pecuniosus, privatus et cum potestate, omnes omnino Dunstanum loquuntur, sapientiam prædicant, virtutem magnificant. Mulier quædam, nomine Elgive *b* *, regali exorta progenie, *S.* Elfleda *S. Dunstanum magistrum habet;*

b
* Elgifu *M*
Ettellgifu *W*

nie,

A nie, magnarum divitiarum, quæ omne semen regium materno semper affectu dilexerat, foverat, nutriverat, innixa manibus suorum ad hominem Dei accessit, sanctissimo illius
c colloquio perfrui desiderans *c*. Quæ cum ex ore illius verbum audierat, adeo delectata est vitæ æternæ dulcedine, ut ulterius neque domum repetere, neque loco discedere, sed cum Beato Dunstano manere, vivere, mori deligeret. Proinde habitationem sibi in affinitate sacri templi constituens, audiendo verbo Dei sedulo adesse, famelicis stipem dare, vestem algentibus, ipsa multæ continentiæ operam dare, prorsus ad omne opus justitiæ promptissima existere. Circa venerationem Beatæ Virginis Mariæ ita fervens erat, ut in templo illius quam plures sacri Ordinis viros locaret, quibus ipsa quæcumque necessaria forent, sua liberalitate exhiberet. Qua in re in tantum apud eamdem Virginem ejus merita valuere, ut si quando, necessitate coacta, quidpiam postularet, vix aliqua intercedente morula, ab eadem susciperet.

Athelstanum excipit;

2 Ut enim sine tædio legentium aliquantulam ab incepto digressionem faciam (neque enim a re, quam tenemus, multum deviat) dum quodam tempore præfatus rex (*Athelstanus*), propter loci religionem Glastoniam venisset, illa veterem servare volens consuetudinem, qua regibus ministrare solebat, orat eumdem, ut ad se divertat, prandium, quod sibi paraverat, dignanter suscipiat. Quod rex non sine verecundia annuens (non enim ignorabat, quid in pauperes Christi ipsa expenderet) præcepit regiæ ministrationis provisoribus, ut scirent, si omnia commode ac moderate parata fuissent. Illi autem, circumspectis omnibus, abunde omnia esse renuntiant, si ejus tantummodo potus, qui mellis et myrti aspergine conficitur, sufficientiam haberent. Quibus illa : Non patiatur, inquit, Domina mea, Mater Domini mei Jesu Christi, Maria, ut in omnibus rebus, quæ regiam decent magnificentiam, deesse quidpiam valeat. Et accurrens in templum beatissimæ Virginis, rogat per ejus largifluam bonitatem augeri, quod in regali ministerio minus videbatur
C haberi. Sedit itaque rex, multo stipatus satellite; hauriunt ministri modicum illud confecti liquoris; ita vasculum permansit imminutum, ut mulieris Sareptanæ vel hydriam farinæ vel lecythum olei putares. Denique tota die de vasculo hauriunt, tota nihilominus die inexhaustum reperiunt *d*. Ad quod
d factum rex, mente immutatus : Peccavimus, ait, nimis in famulam Dei, multitudinis nostræ superfluitate eam aggravantes. Ita dixit : post dictum faciem avertit : via qua cœpit, profectus est.

morti proxima, bona sua

3 Sed jam, ut id quod instituimus, attingamus, transacto laborum suorum glorioso certamine, gravi corporis infirmitate cœpit hæc eadem laborare. Ad quam dum mœrens pater Dunstanus intraret, post uberrimas alterutrarum lacrymarum inundationes, post humillimam piæ confessionis devotionem, post dulcissimam de beata spe et adventu Domini Salvatoris consolationem, hortatur illam, ut nudam se ab omni mundana specie faciat, ne in transeunte quidquam suum princeps mundi inveniat. Cui illa, Neminem, inquit, in mundo, sicut te, carissimum habeo; propterea quod te præcipuum salutis meæ auctorem scio, salvo eo, quod Deum omnipotentem totius bonitatis principatum tenere credo. Illum ergo rerum mearum heredem facio, te vero hereditatis tutorem constituo, ut quidquid illum cognoveris velle, tui arbitrii sit effectui mancipare. Quod B. Dunstanus audiens et, quamvis invitus, ejus voluntati morem gerere volens, universas gazas ejus, quæ in rebus mobilibus superesse poterant, extemplo pauperibus erogabat; cætera autem ad ecclesiarum sublevationem reservabat.

AUCTORE OSBERNO.

piis causis legat, et sancte moritur

4 Tum sol vergebat ad occasum, et Dunstanus, nocturnas fugiens tenebras, ad suum remeat ergastulum. Et ecce dum ostium ecclesiæ psallendo præteriret, erectis ad cœlum oculis, omnipotentis Dei Patris et Filii coæternum Spiritum, in columbæ specie videt descendentem, cujus corpus omni candore nitidius, alarum vero remigia scintillantis ignis splendorem per aera spargebant. Quam ille tunc vere beatus, pia mentis aviditate contemplatus, penetrale illud morientis matronæ subintrantem conspicit. Concite igitur, E unde venerat, regressus, videt domum divini splendoris fulgore splendescere, audit fœminam, intra septa oppansi veli gratias agentem; miratur colloquium, ac dicendi finem patiens auditor exspectat. Deinde, levato (velo) *, * *W* penetrale subintrat; stelliferi illius nomen requirit, nuntium interrogat. Illa excellenti quadam gratia vultus perfusa, modeste arridens, ait : Tu stelliferum, antequam huc venires, vidisti, et nunc, cui sum locuta, interrogas? Ipse est, qui tibi, ad ostium ecclesiæ psallenti apparuit, qui et me, de pavore imminentis mortis conterritam, visitationis suæ gratia consolari dignatus est : annuntio itaque omnibus amicis meis, tristandum de morte mea non esse, quoniam morientem me æternæ vitæ claritas suscipiet. Tibi autem carissimo ac singulari amico uberes gratias refero, propterea quod tuis semper instructa admonitionibus et adjuta orationibus, ecce ad Deum vado. Unum tibi et ultimum, si ausim dicere, facio præceptum, ut summo diluculo sacri Sanguinis * ac Dominici Corporis parti- * unguinis *M.* cipem me facias, quatenus vivificis munita *W.* mysteriis *e*, non confundar in porta, dum ibi *e* fuero inimicis meis locuta. Cujus imperio venerabilis pater Dunstanus annuens, abiit : mane juxta condictum rediit, itaque omnia peregit, ut finita fere Missa, cum ipsa Corpus et Sanguinem Christi suscepisset, animam pariter Christo tradidisset. Quæ honorifice in ecclesia B. Mariæ sepulta, Dunstanus, cum de illius tum etiam de sui ipsius patrimonio sollicitus (nam uterque parens obierat, nec præter eum alium heredem reliquerat) primo quidem eamdem ecclesiam vicinioribus terris, quæ in omni patrimonio erant, muneravit; cæteros vero fundandis quinque monasteriis, pro situ terrarum ab invicem sejunctis, reservavit. Quæ monasteria sequentium regum temporibus in tantum per ejus industriam aucta sunt, ut singulis complurium monachorum turbæ inessent, qui omnes secundum Regulam, ab eodem patre institutam, viverent.

ANNOTATA.

AUCTORE OSBERNO.

ANNOTATA.

a *Vitam ab Osberno conscriptam, qualem exhibent nostra Acta Sanctorum ad diem* XIX *Maji, hic edimus; collatam tamen cum editionibus Mabilloniana et Whartoniana, quæ posterior, annotatis quibusdam, in Ecclesiam catholicam invidiosis, inspergitur, quæque, prout occurrent emendabimus. Variantes lectiones, Mabillonii quidem littera M, Whartoni littera W signabimus.*

b *Hanc* Elgivam, *seu quocumque alio nomine veniat, eamdem esse ac S.* Elfledam, *non est, quod dubitemus inspicientes reliquam narrationem, quæ omnimode cum circumstantiis, a biographo coævo relatis, convenit. Sed B.* Elfledæ *cum B. Dunstano occursus Whartono ansam præbet criminandi utriusque Sancti conversationem.* Nondum, *inquit* (1), in Ecclesia exoleverat turpissima fœminarum συνεισακτων consuetudo. *Sed insulse Osberni textui appingit Whartonus notam. Nam certe diu antequam clarescerat S. Dunstanus, Glastoniam, pietatis causa, incolebat S.* Elfleda, *et istuc eamdem anno* 929, *quando quadriennis erat S. Dunstanus, convenit Athelstanus rex, ut num.* 6 *Commentarii monstravimus. Dein ipsa Osberni relatio ostendit S. Dunstanum, cum hac matrona nullatenus habitasse : vel morti proximam S. Dunstanus, ut infra dicitur num.* 4, nocturnas fugiens tenebras *reliquit, ut* ad suum remearet ergastulum, *idque satis dissitum; quandoquidem in reditu* ostium ecclesiæ præterire *debuit. Quid ergo? S. Dunstanus* B. Elfledæ *morituræ præstitit, quod præstare debent presbyteri catholici, ni officio suo desint, nempe Ecclesiæ Sacramenta ministravit : quin propterea ulla* συνεισακτων *seu subintroductarum mulier suspicio inter fideles oriatur. Addit dein Whartonus :* Præclarum illius (*consuetudinis*) exemplum in Aldhelmo, episcopo Shireburnensi supra habuimus. *Scilicet Wilhelmus Malmesburiensis in Vita hujus Sancti refert* (2), *illum carnales expertum illecebras* consortium fœminarum non repudiasse, ut cæteri qui ex opportunitate timent prolabi: *addit tamen biographus :* neque fas est credi, sanctum virum aliter fecisse, quam docuit, aliter vixisse, quam dixit, *scilicet in binis libris, quos de Virginitate scripsit. Cæterum si vera scripsit Malmesburiensis, dicimus: istiusmodi victorias admirationem, nullatenus imitationem provocare debent. Similia habet Bollandus noster in Actis S. Roberti de Arbrissello ad diem* XXV *Februarii* (3).

c *Jam sæpius diximus, S.* Elfledam *diu ante S. Dunstani monachatum Glastoniam incoluisse. Cfr Commentarii num.* 6. *In fine tamen vitæ suæ arbitrum conscientiæ rerumque suarum habuisse, non est dubium.*

d *Et in hunc locum jaculum suum vibrat Whartonus :* Idem, *ait* (4), miraculum Historia Abendoniensis ab Ethelwoldo abbate confectum refert. Sic solent mendaces monachi in confingendis miraculis alter alterum exscribere. *Quia igitur miraculum plus vice simplici occurrit, ideo confictum dicendum erit : ergo quoniam secundum Euangelium Christus verisimiliter bis panem et pisces, prodigiose multiplicavit, plures a morte suscitavit, ista miracula conficta erunt! Quod Deus ad orationem servorum suorum semel operatus est, id denuo operari potest : quin fraudis dolique crimen impingatur.*

e *Pro voce* Sanguinis *habent Mabillonius et Whartonus* Unguinis, *id est, sacramentum Extremæ Unctionis. Denuo in hunc textum infarcit Whartonus sequentem notam* (5) : Nil de Extrema Unctione, ægrotæ data, Bridferthus (*seu monachus coævus*) : solam Corporis et Sanguinis Christi communionem, ab ea perceptam, commemorat. *Quid sibi velit sugillator, non clare perspicitur. Etenim quicumque non plane peregrinus est in rebus historicis, optime novit, saltem sæculo, quo hæc scripta sunt,* X, *in usu fuisse Extremam Unctionem infirmis ministrare. Adsunt monumenta quamplurima, quæ in libris theologicis passim occurrunt. Sufficiat hic aliqua indicasse, ex ipsis scriptoribus Anglis deprompta. Ven. Beda, commentans verba epistolæ S. Jacobi* V, 14 Infirmatur quis in vobis *etc. docet* (6) : Hoc et Apostolos fecisse, in Euangelio legimus, et nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris et oratione comitante sanentur. *S. Egbertus, Eboracensis archiepiscopus. Ven. Bedæ æqualis, in suis Excerptionibus num.* XXI (7), *injungit,* ut secundum definitionem sanctorum Patrum, si quis infirmatur, a sacerdotibus olco sanctificato cum orationibus diligenter ungatur. *Et ne dicatur in desuetudinem abiisse apud Anglos Extrema Unctio, Ælfricus, qui initio sæculi* XI, *seu aliquot annis post S. Dunstanum, sedem Cantuariensem occupavit, canone* XXXII *jubet* (8) : Habebit etiam presbyter consecratum oleum duplex : hoc infantibus, id ægrotis paratum; et ægrotos semper unget jacentes. *Quæ quum ita sint, quid argumenti negantibus sacramentum Extremæ Unctionis accrescit, quod Bridferthus seu monachus coævus in Vita supra allata tacuerit de hoc sacramento administrato? Quid si vel omisisset S. Dunstanus istud administrare? Salva immotaque staret Ecclesiæ catholicæ doctrina. Sed nihil nobis suadet omisisse erga S.* Elfledam *ea, quæ ipse in sua Concordia Regulari cap.* XII *præscribit, ut scilicet infirmus, ingravescente morbo, sacra unctione muniatur* (9).

(1) Angl. Sacr. tom. II, pag. 97. — (2) Ibid. pag. 13. Act. SS. tom. VI Maji, pag. 81. — (3) Act. SS. tom. III Febr., pag. 601. Cfr Mabillon. Act. SS. Ord. S. Bened. Sæc. IV, tom. I, pag. 730. — (4) Angl. Sac. tom. II, pag. 98. — (5) Ibid. pag. 99. — (6) Migne, Patrol. tom. XCIII, col. 39. — (7) Ibid. tom. LXXXIX, col. 382. — (8) Ibid. tom. CXXXIX, col. 1475. — (9) Ibid. tom. CXXXVII, col. 500.

A D

DE S. RUMONO, EPISC. ET CONF.,

CULTO TAVESTOCKII IN DEVONIA,

SYLLOGE HISTORICA.

V. D. B.

§ Unicus. Tavestochiensis abbatiæ origo et fata. Translatio S. Rumoni, episcopi Hiberni; ejus cultus.

ANTE ANNUM CMLXI. *S.* Rumonus, *olim cultus die 4 Januarii et in fastis Anglicanis ad diem 23 Octobris memoratus,*

B *Alfordus, qui et Griffith* (1), *agens de exordiis monasterii Tavestochiensis, monet S.* Rumonum *episcopum, hujus loci patronum, memorari in suo Martyrologio ad diem quartam Januarii; idemque post eum repetiit Cressius* (2). *Quod quum ignorarint decessores nostri, (nam anno tantum* 1663 *tertius Alfordi tomus, quo illa continentur, in lucem prodiit) omiserunt de eo dicere ad dictam diem. Ast nunc occasio est implendæ illius lacunæ, quandoquidem scriptor anonymus Memorabilium pietatis Britannicæ* (3) *præsenti die anglice perhibeat* Tavestochii in Devonia *factam esse* commemorationem S. Rumoni episcopi, cujus corpus olim in illius abbatiæ templo servabatur et qui illius loci patronus erat. *Nemo tamen sibi in animum inducat hanc diem olim in S.* Rumoni *honorem festive celebratam fuisse; sed quod dies hæc vacua futura esset, eo contulit martyrologus anonymus commemorationes tum illius sancti viri, tum S. Columbæ et S. Ywii; qui omnes aliis diebus ante invectam religionis immutationem colebantur. Utut id est, captanda est occasio illustrandi beati illius episcopi quantum per documentorum penuriam licebit.*

olim servatus fuit in monasterio Tavestochiensi.

2 *Gulielmus Malmesburiensis, qui sub annum* 1142 *obiit et innumera de historia Anglicana documenta posteris reliquit, ubi de episcopis Cridiensibus dixit et Exoniensibus, quorum sedes in Domnonia erant, his pergit verbis* (4) : Est in Domnonia cœnobium monachorum juxta Tau fluvium, quod Tavistoh vocatur;
C quod per Ordgarum, comitem Domnoniensem, patrem Elfridæ, quæ fuit uxor regis Edgari, surgendi exordium, per Livingum episcopum crescendi accepit auspicium; locus amœnus opportunitate nemorum, captura piscium, ecclesiæ congruente fabrica, fluvialibus rivis per officinas monachorum decurrentibus; qui, suo impetu effusi, quidquid invenerint superfluum, portant in exitum. Rumonus sanctus ibi prædicatur et jacet episcopus, pulchritudine decoratus scrinii; ubi nulla scriptorum fides assistit opinioni. Quod non solum ibi, sed in multis locis Angliæ invenies violentia hostilitatis abolitam omnem gestorum notitiam, nuda sanctorum nomina, et si quæ modo prætendunt miracula sciri. Cernitur in eodem monasterio sepulcrum Ordgari; spectaculoque ducitur enormitas mausolei filii ejus. Edulfus hic vocatus est, giganteæ molis et immanis roboris : *plura dein Gulielmus hujus roboris et molis profert testimonia, quæ tam mirabilia sunt ut vix fidem non superent. Sed pleraque illa paulo enucleatius in præsenti sylloge exponenda sunt.*

3 *Consentiunt scriptores Angli* (5) *id cœnobium ab Ordgaro, Devoniæ comite, anno* 961 *conditum fuisse; præivit Matthæus Westmonasteriensis his verbis* (6) : Anno gratiæ DCCCCLXI Ordgarus comes cœnobium apud Thavistoke in Devonia construxit et illud religiosis monachis replevit. Erat autem comes Ordgarus pater Ælfdrithæ, reginæ regis Eadgari, ex qua genuit Æthelredum, postea regem Anglorum; *scilicet post crudelem S. Eduardi martyris necem, quem Edgarus rex ex priori uxore Ethelfleda susceperat et quem noverca ejus, illa ipsa Ælfdritha, de medio sustulit, ad filium suum regium diadema translatura. Ab anno* 961 *recedere non ausim, licet Annales Tavischochienses* (7) *cœnobii initium referant ad annum* 981; *etenim ex Historia fundationis* (8), *quod antiquius documentum est, constat* temporibus bonæ memoriæ nobilissimi ac strenuissimi regis Edgari *monasterium virile illic* factum esse in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ; *præterea anno* 981 *tamdiu jam stabat abbatia, ut tum mater et frater fundatoris (quemadmodum continuo videbitur) ibidem jam sepulti essent. Errarunt autem Malmesburiensis et Westmonasteriensis, quum Ordgaro tribuerunt ædificati Tavestochiensis monasterii laudem. Hæc enim debetur ejus fratri (non filio) Edulfo* F *seu Odulpho, ut constat non solum ex fundationis historia, quæ post Ethelredi II, anno* 1016 *vita functi, obitum conscripta est* (9), *verum etiam ex diplomate, quod ille idem Ethelredus anno* 981 *pro libertate illius asceterii dedit* (10). *Sic enim in eo loquitur:* Ego Æthelred... a quodam milite avunculo videlicet meo, qui... nobili Ordulf pollens floret onomate, humili devotione compunctus,... benevolus cœperat ut arcisterium, cui notabile et Tavistoce fulget vocabulum, ubi mater ejus fraterque, ava videlicet mea et avunculus, cæterique nostræ posteritatis prosapies mausoleis somate tumulati,... ut ibi loco celebri Domino nostro Jesu Christo ejusque genetrici semperque virgini Mariæ dedicato, monachos non seculares, sed regulares, in omnibus sanctæ regulæ obtemperantes præceptis, licenter constitueret, fiscisque

Id monasterium fundatum fuit, non anno 981. *sed* 961, *ab Odulfo, non autem ab Ordgaro, duce Devoniæ aut Cornubiæ;*

(1) Annales ecclesiæ Anglicanæ, ad an. 961, num. 2. — (2) The Church-history of England, pag. 861. — (3) A memorial of ancient british piety, pag. 148, London, 1761. — (4) De gestis pontif. Angl. lib. II, ap. Migne, Patrologia latina, tom. CLXXIX, col. 1548. — (5) Alfordus, Annal. eccl. Angl. ad an. 961, num. 1; Cressy, The church-history of England, pag. 861; Cfr Monasticum Angl. Nov., tom. II, pag. 489. — (6) Cfr Monast. Angl. Nov., tom. II, pag. 493. — (7) Ibid. pag. 489. — (8) Ibid. pag. 494. — (9) Ibid. pag. cit. — (10) Ibid. pag. 495.

naturalibus

AUCTORE V. D. B.

naturalibus devotus locupletaret. *Sed vix aut ne vix quidem absoluta erat Tavestochiensis fabrica, quum Dani, qui jam ab anno* 975, *quo B. Edgarus rex obierat, liberius deprædationem exercebant, Tavestochiense cœnobium delerunt. Simeon Dunelmensis videlicet ad annum* 997, *ubi Cornubiam et Domnoniam a Danis vastatam pluribus docet, addit in fine* (1) : Ad hæc etiam Ordulfi, Domnoniæ primatis, monasterium, quod Tavistoce nominatur, combussit *exercitus Danorum;* ingenti præda onustus ad naves repedavit; eodemque in loco hiemavit. *Sed mirum nil ea de re in historia fundationis legi, quamquam multa ibi occurrant de Danorum ausis atque ipsa pecuniæ ratio signetur, quam quotannis pro danegeldo solvere debebant Tavestochienses.*

incrementum accepit, non a Leofwino Dorcestriensi, sed a Livingo Cridiensi episcopo.

4 *Utut id est, incrementum accepit monasterium per Livingum episcopum, quem Cressius* (2) *arbitratus est eumdem fuisse ac Leofwinum, Dorcestriensem episcopum, quem scripsit Godwinus* (3) *anno* 959 *seu biennio ante Tavestochiensem fundationem vita esse functum; sed erravit Godwinus, quum nunc jam constet Leofwinum illum usque ad annum* 974 *vixisse* (4) ;
B *ita ut omnino absurda non videatur Cressii sententia. Temporibus illis in vivis quoque erat Livingus, qui et Ethelstanus, Wellensis episcopus, et anno* 1002 *ad sedem Cantuariensem translatus* (5). *Adeoque quum Wellensis diœcesis non ita longe ab Exoniensi distaret, fieri potuit ut hic Livingus insignis benefactor fuerit Tavestochii. Verumtamen, licet hæc ita se habeant, neque Wellensem, neque Dorcestriensem episcopum cogitavit Malmesburiensis, sed alium omnino. Nam paulo ante de Livingo agens, qui ex monacho Wintoniensi abbas Tavestochiensis factus erat, atque inde episcopalem sedem Cridiensem, et simul postea Cornubiensem et Wigorniensem occuparat* (6), *in hæc verba desinit* (7) : Humatus est Tavestokiæ, quo loci multa spectabilia contulerat, tantamque sui gratiam apud monachos locaverat, ut hodieque XV graduum psalmos continuata per successores consuetudine pro ejus decantent quiete. *Melius itaque dixit Dugdalius* (8) *Livingum Exoniensem præsulem insignem illum fuisse Tavestochii benefactorem, nisi quod Cridiensis sedes*
C *a successore solum, scilicet Leofrico, Exoniam translata fuerit* (9).

Eo delatum fuisse videtur sancti Rumoni *corpus post annum* 1061. *Eremita vixerat sanctus episcopus,*

5 *Quum neque rex Ethelredus in suo libertatis diplomate, neque vetustus auctor fundationis monasterii, quem sub annum* 1016 *scripsisse jam monuimus, ullam faciant S.* Rumoni *corporis mentionem, pronum est credere non statim ab initio illuc advectum fuisse. Cavendum tamen ne hæc translatio nimis sero facta habeatur, quum Lelandus, qui incredibili diligentia monasteriorum ms. codices lustravit et præcipua ex illis excerpsit loca, doceat* Ordulphum, ducem Cornubiæ, transtulisse ossa Rumoni Tavestochiam (10); *eaque illic jam quievisse in scrinio ante finem sæculi* XI *ex certo, quod postea dabimus, testimonio liquet. Ex eodem Lelando novimus ea pauca, quæ de S.* Rumoni *gestis supersunt; nam jam pridem Vitam periisse, si umquam exstitit, supra ex Guilielmi* D *Malmesburiensis ore accepimus. Habet itaque Lelandus* (11) : Rumonus genere fuit Scotus Hiberniensis. Nemea sylva in Cornubia plenissima olim ferarum. S. Rumonus faciebat sibi oratorium in sylva Nemæa. Falemutha. *Quibus apparet, nisi mea me fallat interpretatio, S.* Rumonum *patriam habuisse Hiberniam; ex ea post susceptum episcopatum venisse in Cornubiam, atque ibi in silva Nemæa, quæ prope Falemutham erat, oratorium sibi fecisse; in quo eum sanctissime suos degisse dies, et post mortem* (*prout moris fere erat eremitarum*) *sepultum fuisse, donec Odulphus, qui et Edulphus et Ordulphus, Cornubiæ dux, curarit Tavestochiense suum cœnobium ejus ossibus honestandum.*

qui diversus censendus est a S. Rumondo, Clonardensi præsule, in silva Nemæa prope Falmouth in Cornubia australi.

6 *Hinc imprimis colligi potest a vero aberrasse Danielem Lysons* (12), *quum S.* Rumonum *genere Wallensem fuisse scripsit, nedum eum recensuerit inter sanctos qui, Hiberni natione, dein in Cornubia culti fuere* (13). *Verum, quamquam in dubium revocandum non sit quin Scotus Hibernus fuerit S.* Rumonus, *is tamen parum aut nihil notus fuisse videtur popularibus. Re quidem vera in Catalogo insignium virorum, qui sæculo* X *Hiberniam virtutibus suis ornarunt, venit primo loco* (14) *B.* Rumondus *seu* Rumoldus, Cathasacii filius, episcopus de Cluain-Eraird *, dives et egregia sapientiæ * Clonard. arca, qui diem clausit extremum anno salutis 919 (*immo* 920) *et cujus etiam meminit Lanigan* (15). *Verum hic nec Hibernia exiisse, neque ecclesiasticos honores adeptus fuisse videtur. Multo itaque verisimilius est S.* Rumonum *ex eo fuisse episcoporum Scotorum genere, qui, nullam certam habentes sedem, hac illac discurrebant juxta primævum fere apostolorum morem; multo tempore inter Hibernos, ab abbate Hiensi dependentes, usitatum* (16) , *postquam alibi in desuetudinem abierat et ecclesiasticis præceptis fuerat vetitus. Quod vero Falemuthæ vicinia illo ævo silva fuit, in qua solitarius vixit S.* Rumonus, *nil mirandum est; quum olim universa Cornubia* (*valles potissimum*) *nemoribus contecta fuerit* (17); *et quidem Falemutha, quæ nunc insigne oppidum est * et optima * Falmouth navium statio, ineunte sæculo* XVII *vix ullas habebat domos et viculus erat paræciæ S. Budoci,* F *a qua sæculo tantum* XVII *exeunte separata fuit* (18) ; *quin etiam in mappa chorographica quæ, Henrico VIII rege, confecta est et a Daniele Lysons edita* (19), *oppidi Falemuthæ nulla adhuc cernuntur indicia, sed plures in vicinia sylvæ aut silvarum reliquiæ.*

Scrinium ejus seu feretrum adhibitum ad confirmanda pacta conventa;

7 *Tavestochium translato S.* Rumono *multus honor haberi cœptus est.* Pulchritudine scrinii *eum* decoratum *fuisse supra nos docuit Malmesburiensis. Porro quum olim moris esset sanctorum reliquias adhibere in firmamentum pactorum aliarumque id genus rerum, S.* Rumoni *quoque scrinium aliquando in hunc finem usurpatum fuisse invenimus. Quum enim nonnulli contenderent manerium de Wlurintuna regium dominium esse et nequaquam Tavestochiense, voluit Gulielmus II seu Rufus, Angliæ rex,*

(1) Twysden, Scriptores Decem, col. 163. — (2). The church-history of England, pag. 861. — (3) De præsulibus Angliæ, pag. 337. — (4) Monast. Angl. Nov., tom. VIII, pag. 1266. — (5) Cfr Godwin, pag. 415, et Wharton, Anglia sacra, tom. II, pag. 683. — (6) Godwin, pag. 455. — (7) Ap. Migne, Patrologia, tom. CLXXIX, col. 1547. — (8) Monast. Angl. Nov. tom. II, pag. 493. — (9) Godwin, pag. 455. — (10) Collectanea, tom. IV, pag. 152. — (11) Ibid. loc. cit. — (12) Magna Britannia, vol. III, Cornwall, pag. XXXII. — (13) Ibid. pag. seq. — (14) Ap. Colgan, Acta SS. pag. 107. — (15) An ecclesiastical history of Ireland, tom. III, pag. 368. — (16) Cfr Reeves, The life of S[t] Columba, pag. 341. — (17) Lysons, Magna Britannia, Cornwall, pag. CLXXXIII. — (18) Ibid. pag. 99 et seqq.; Cfr pag. 47. — (19) Ibid. loc. cit.

anno

A *anno* 1092 *de hac calumnia placitum celebrare; in quo, ubi partes audierat, Tavestochio manerium adjudicavit idque iterum Guimundo abbati tradidit, addens in confecto diplomate* (1) : Hoc sciant omnes quod rex per cultellum eburneum, quod in manu tenuit et abbati porrexit, hoc donum peregit apud curiam... Qui quidem cultellus jacet in feretro sancti Rumoni; in cujus manubrio inseritur talis scriptura : + EGO WILLIELMVS REX DEDI DEO ET SANCTÆ MARIÆ DE TAVISTOC TERRAM WLERINTVN. *Non intra fines unius Cornubiæ seu Devoniæ continuit se* S. Rumoni *corporis fama; sed universam Angliam pervagata esse videtur. Certe in ms. Saxonico, quo catalogus continetur sanctorum, in Anglia quiescentium, et qui post annum* 1058 *conscriptus est, recensetur S.* Rumon, episcopus, Tavestochii (2).

item ejus altare; exeunte sæculo XII habetur patronus secundarius monasterii, et aliquando fere solus.

8 *Altare quoque erat Tavestochii, quod nomen S.* Rumoni *habebat, quia forte ei apponebatur sanctissimi episcopi scrinium. Hoc quoque usurpabatur ad confirmanda pacta conventa, ut Bartholomæus Iscanus, qui anno* 1161 *Exoniensem episcopatum accepit et annos dein viginti tres tenuit* (3), *testis est. In charta enim publica, quam de decimis de Sully* dedit, declarat Richardum de Wicha* donationem *illarum decimarum* super altare beati Rumoni Tavistochiæ per librum evangeliorum manu propria obtulisse in præsentia B[*alduini, ab anno fere* 1174 *ad* 1183] abbatis, et conventus ejusdem loci et multorum aliorum. *Ad hoc usque ævum in nullis antiquis documentis occurrit S.* Rumoni *nomen, tamquam monasterii patroni, sed unius B. Mariæ Virginis, cui locum ab initio dicatum fuisse perhibet rex Æthelredus in diplomate anni* 981. *Verum in bulla, qua Cœlestinus Papa III anno* 1193 *Tavestochiense cœnobium a jurisdictione episcoporum Exoniensium exemit, patronus secundarius jam habetur S.* Rumonus. *Legitur quippe ibidem* (4): Monasterium de Tavistoch, quod in honore beatæ Mariæ et sancti Rumoni confessoris ædificatum esse dinoscitur, sub ejusdem beatæ Mariæ et Sancti Rumoni confessoris, et sanctæ Romanæ ecclesiæ, cujus juris existit,
C tutela et proprietate tantum manere censemus; *et inferius* (5): Ad indicium autem hujus a sede apostolica perceptæ libertatis tres aureos pro monasterio beatæ Mariæ et sancti Rumoni, confessoris prælibati, nobis nostrisque successoribus annis singulis exsolvetis. *Postea, si recte observavi, numquam amplius in diplomatibus Tavestochiensibus, in Monastico Anglicano novo editis, legitur B. Mariæ Virginis nomen, quin S.* Rumoni *additum sit; quin etiam in charta donationis, qua Joannes d'Abernon de Bradeford* 28 die Maji, anno regni Edwardi tertii, a conquestu Angliæ vigesimo sexto et Franciæ tertio decimo, *seu Christi* 1352, *contulit Tavestochiensibus manerium de Wyke, Ricardus vocatur* abbas monasterii S. Rumoni de Tavystok (6); *ita ut aliquando in communi usu prævaluisse videatur solum sancti illius viri nomen: egregium utique testimonium quantum illic floreret S.* Rumoni *cultus. Verumtamen ad finem usque in conventus sigillo impressa mansit B. Mariæ Virginis imago* (7), *neque umquam admissa fuit S.* Rumoni *effigies.*

* Iles de Scilly.

AUCTORE V. D. B.

9 *Jam ineunte sæculo* XII *valde celebre fuerit oportet S.* Rumoni *festum, quippe quod nundinas adjunctas haberet. Eas concesserat Henricus I; ex cujus diplomate sequentia excerpsimus* (8): Et concedo, sicut per aliam cartam concessi, mercatum esse omni die Veneris in villa de Tavistoch, et nundinas ad festum sancti Rumoni per tres dies; et prohibeo ne aliquis emptor sive venditor thelonium suum ibi retineat, qui illud in vicinis burgis vel civitatibus meis juste dare debeat. *Tempore Eduardi I regis hæc jura et alia multa in controversiam venerunt* (9). Abbas *itaque* de Tavistok summonitus fuit ad respondendum domino regi... quo waranto clamat habere... mercatum et nundinas in Tavistok sine licentia domini regis vel prædecessorum suorum regum Angliæ... Quoad mercatum et nundinas dicit quod ipse et omnes prædecessores sui abbates ejusdem loci habuerunt prædictum mer- E
catum et nundinas in manerio de Tavistok a tempore quo non extat memoria. Et hoc petit quod inquiratur per patriam... Et juratores dicunt super sacramentum suum quod prædictus abbas et omnes prædecessores sui a tempore, a quo non extat memoria, semper usi sunt prædictis mercato et nundinis apud Tavistok. *Tunc itaque abolita illa non fuerunt; quin etiam Eduardus III inspexit Henrici I diploma, quo mercatus et nundinarum jus Tavestochiensibus concesserat, idque denuo confirmavit* (10). *Verum, quum veneratio sanctorum ab Anglis inter abominandas superstitiones relata est, non potuere hæ nundinæ non dijungi a festo S.* Rumoni; *adeoque nunc celebrantur diebus* 17 *Januarii,* 6 *Maji,* 9 *Septembris,* 10 *Octobris et* 11 *Decembris; ipse hebdomadarius mercatus in sabbatum translatus est* (11).

Ineunte sæculo XII instituuntur ad ejus festum nundinæ triduanæ.

Fata maxime varia Tavestochiensis abbatiæ.

10 *Quoniam autem S.* Rumoni *cultus eadem fere habuit fata ac Tavestochiense monasterium, hanc demum concludemus syllogen, paucis indicantes quæ abbatiæ fortuna fuerit. Licet itaque Cœlestinus Papa III, declarans Tavestochium juris sanctæ Romanæ ecclesiæ esse, et,* F
censu assignato annuo, id sub tutelam et protectionem sanctæ sedis suscipiens, absque ulla controversia eximisset a jurisdictione Exoniensis præsulis (12), *continuæ fere fuere de hac exemptione lites et jurgia; ita ut sæpius coacti fuerint Tavestochienses abbates ejus auctoritatem agnoscere* (13). *Sed anno* 1517, *die* 18 *Septembris, novam bullam hac super re dedit Leo Papa X* Ricardo, abbati Tavistoc, eximens abbatiam Tavistoc a jurisdictione quorumcumque archiepiscoporum, episcoporum etc. ipsamque sedi Romanæ immediate subjiciens (14); *sed neque hanc constitutionem inviolatam servare voluit Exoniensis episcopus* (15). *Jam ante Henricus VI anno regni sui* 36, *Christi* 1457, *licentiam concesserat* (16) Johanni Denyngton, abbati domus et ecclesiæ beatæ Mariæ sanctique Rumoni de Tavystoke, quod ipse penes

(1) Mon. Angl. Nov. tom. II, pag. 497. — (2) A memorial of ancient british piety, pag. 287. — (3) Mon. Angl. tom. II, pag. 515. — (4) Ibid. pag. 498. — (5) Ibid. pag. 499. — (6) Ibid. pag. 501. — (7) Ibid. pag. 493. — (8) Ibid. pag. 496. — (9) Ibid. pag. 502. — (10) Ibid. pag. 496. — (11) Cfr Carlisle, An topogr, dict, of England and Cornwall, v°. *Tavistock.* — (12) Cfr Decretalis Bonifacii VIII *si papa,* de privilegiis, in sexto, cap. 10, (lib. V, tit. 7.) — (13) Monast. Angl. Nov., tom. II, pag. 491 et 492. — (14) Ibid, pag. 492. — (15) Ibid. pag. cit. — (16) Ibid. pag. 502.

AUCTORE V. D. B.

dominum summum pontificem modernum papam prosequi possit et habere licentiam utendi mitra, sandaliis et aliis insignibus pontificalibus et benedicendi in missarum solempniis et gratiis dicendis eisdem auctoritate et modis, quibus aliquis episcopus utitur; *atque ita inter mitratas abbatias locum obtinuit Tavestochium. Neque hic stetit hujus asceterii gloria. Contulit Henricus anno regni sui quinto, Christi* 1513, *Ricardo Banham abbati ejusque successoribus insignem gratiam ut deinceps essent* de spiritualibus et religiosis dominis parliamenti *regii; atque id a se fieri testatur* ob specialem devotionem, quam ad beatam Virginem Mariam, Matrem Christi, sanctumque Rumonem, in quorum honore abbatia de Tavystoke, quæ de fundatione nobilium progenitorum *suorum,* quondam regum Angliæ, et *suo ipsiusmet* patronatu, dedicata existit, gerit et habet (1). *Sed viginti quinque annis post ita in devotione sua refrixerat idem rex ut coegerit Joannem Peryn, ultimum abbatem, duodecim monachos et octo fratres conversos abbatiam in suas manus resignare, in singula capita constituens annuum censum* (2). *Reditus tum erant* 902 *libræ et aliquot solidi. Anno ejusdem regis* 31 *accepit Joannes Russel monasterii ædes, burgum et oppidum Tavestochiensia* (3). *Oppidum satis floret; de abbatia supersunt ædificia aliquot, pleraque ruinam trahentia; templum vero deletum est* (4). D

(1) Monast. Angl. Nov. tom. II, pag. 503. — (2) Ibid. pag. cit. —(3) Ibid. pag. 492.—(4) Ibid. pag. cit. et Carlisle, v° *Tavistock.*

DE S. ALLUCIO, CONFESSORE,

B E

IN DIOECESI PISCIENSI, IN ETRURIA,

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ Unicus. Sancti cultus antiquus; descriptio territorii Pisciensis; canones, qui de hospitali S. Allucii agunt; equites S. Joannis Hierosolymitani hospitalem domum occupant.

ANNO 1134. *Ostenditur antiquitas cultus S.* Allucio *exhibiti*

Quamvis nullum, quod sciam, Martyrologium, sive universale sive locale, de S. Allucio *mentionem faciat, non est tamen, quod de ejus cultu aut sanctitate dubitemus; quum ejus antiquissimus cultus, ut infra ostendemus, extra omnem controversiam positus sit. Cæsar Franciotti, qui copiose scripsit de Sanctis Lucensibus, altum quoque de B.* Allucio *tenet silentium. Sed licet arctos inter limites circumscripta sit Sancti nostri veneratio, tamen nemo, qui de eo sermonem habet, hæret in tribuendo eidem Sancti titulo, qui cæterum ei adhæsit statim post mortem, ut clare ostendunt monumenta infra edenda. Hæc autem Daniel Papebrochius noster olim a Francisco Maria Florentinio, Lucensi medico, acceperat, qui inter hagiographos non infimi subsellii locum occupat ob Martyrologium, vulgo Hieronymianum dictum, melius tamen, ipso judice, Gregorianum appellatum, quod non solum accurate edidit, sed notis copiosissime illustravit. Acta S.* Allucii, *a nobis exhibenda, continentur in instrumento publico, confecto jussu Gulielmi Lucensis episcopi, anno* 1344; *sed inter eadem reperitur documentum, quo constat corpus S.* Allucii *triginta octo annis post obitum elevatum et honoratiori loco repositum fuisse. Quum autem præter dictum instrumentum, vix quidpiam occurrat, quo Acta illustrari queant, longiori commentario supersedere possemus, contenti, ut feret textus, notas quasdam pro opportunitate addere; nisi ipse locus, qui Sancto nostro et natalis et emortualis fuit, commentatione quadam indigeret, et accrescens per annorum cursum Sancti cultus esset explicandus.* C

in Pisciensi territorio,

2 *Domus hospitalis, in qua S.* Allucius *sepultus fuit et cujus nomen refert, jacet in territorio Pisciensi, plerisque lectoribus ignoto. Dictum territorium, medium inter civitates Pistoriensem et Lucensem, ad hanc diœcesim, ut documenia infra ostendent, pertinebat. Franciscus Orlendinus, in suo Orbe sacro et profano, ex Ughello* (1) *aliisque, regionem optime describit his verbis* (2): Piscia inter primaria Etruriæ Annonariæ (*id est, quæ olim alendo imperatori et exercitui destinata erat* (3),) oppida locum obtinet. Sita est in Via Claudia, ad Apennini montis radices ad occidentalem plagam, collibus, montibusque amœnissimis cincta, theatri gratam exhibens speciem. Media sedet Lucam inter et Pistorium XII, a Florentia vero metropoli XXX millia passuum distans. Piscia amnis eam alluit secatque per medium decurrens, a quo recens nomen accepisse fertur. Quamquam autem id nominis recens impositum sit, oppidum tamen ipsum ex reliquiis antiqui Fani Martis, cujus vestigia haud procul inde monstrantur, emersisse, ex majorum traditione velut per manus accepta, incolæ existimant. *Quam deinde tra-* F

(1) Ital. Sacr. tom. III, col. 763 et seqq. — (2) Orbis sac. et prof. tom. III, pag. 1322 et seqq. — (3) Cfr Gothofred. Cod. Theodos. tom. IV, pag. 13.

ditionem

A *ditionem variis argumentis confirmare nititur Orlendinus, qui porro pergens:* Ager, *inquit,* Pisciensis, triginta milliaribus circumscribitur, in valles duas dissectus, quarum una ad Occidentem (*imo magis ad septentrionem*) Ariana seu Riana dicitur, ab aquarum rivulis frequentissimis, quibus alluitur: altera vero ad meridiem, a flumine, quod per illam interlabitur, Nebulæ nuncupatur.

quod simul cum domo 3 *Pisciensis ecclesia, initio plebaniæ titulo decorata, et S. Mariæ Majori dicata ad diœcesim Lucensem, ut diximus, spectabat usque ad annum* 1519, *quo die* XV *Aprilis, ut gratias referret suo datario Balthasari Turini Pisciensi, Leo X plebaniam S. Mariæ Majoris in collegiatam insignem erexit, ejusque præpositum ac capitulum immediate sedi apostolicæ subjecit. Quapropter altera bulla, data* XXIII *Septembris ejusdem anni, mandavit episcopo Pistoriensi, ut plebanum Laurentium Cecchi mitteret in possessionem præposituræ recens creatæ, Pisciensem plebaniam in collegiatam insignem erexit, aut fortassis collapsam instauravit. Vi prioris*

B *bullæ istius, quam Ughellus publici juris fecit* (1) *conceditur præposito ecclesiæ Pisciensis* 1° *usus* mitræ, etiam gemmis et laminis aureis ornata, dalmaticæ, chirothecarum, etiam gemmis ornatarum, sandaliorum, et annuli et baculi et aliorum pontificalium insignium: 2° *facultas elargiendi indulgentiam centum dierum et decem quadragenarum utriusque sexus fidelibus, quoties vere pœnitentes celebrationi missarum et divinorum officiorum interfuerint:* 3° *facultas benedicendi vestes sacras et consecrandi virgines:* 4° *collatio tonsuræ et ordinum minorum scholaribus territorii :* 5° *absolutio per se vel per vicarios omnium peccatorum, etiam sedi apostolicæ reservatorum, et reconciliato ecclesiarum et cœmeteriorum pollutorum, aqua tamen ab aliquo antistite benedicta adhibenda:* 6° *potestas condendi statuta, quæ omnes fideles observare debebant; attamen ad id requirebatur consensus capituli; quod si, bis requisitum, dissentiret, solus præpositus condere et promulgare ea poterat. Ex hisce videmus territorium Pisciense sua sibi propria jurisdictione sub immediata protectione sedis*

C *apostolicæ usum fuisse, omniaque necessaria ad regimen ecclesiasticum habuisse præpositum Pisciensem, una excepta majorum ordinum collatione, quæ, teste Ughello* (2), *requirenda erat ab episcopo Pistoriensi, aut ab ejus capitulo, si sedes vacaret. Tandem Benedictus XIII, die* XVII *Martii* 1727 *ecclesiam Pisciensem erexit in cathedralem et diœcesim assignavit ejus territorium: quæ ecclesia hactenus perseverat episcopalis. Nam Pius VII variis temporibus ejusdem ecclesiæ canonicos, vestibus violaceis, privigelio candelæ accensæ et cruce aurea decoravit* (3).

hospitali S. Allucii 4 *Porro territorium Pisciense satis amplum est, utpote quod ecclesias septuaginta tres complectatur, variaque habeat utriusque sexus monasteria, nosocomia et xenodochia* (4) : *inter quæ illustre est hospitalis domus S.* Allucii, *quæ posita est in Valle Nebulæ, infra districtum Uzzani, ut constat ex documento, servato in archivo Florentino, in quo legitur instrumentum, cujus clausula est:* Actum in ecclesia S. Allucii, posita in territorio Uzzani, provinciæ Vallis Nebulæ... Anno nativitatis Domini 1329, die XVII Junii (5). *Dicitur præterea in Vita infra edenda num.* 6 *Sanctum* ad honorem Christi, omniumque Sanctorum et pauperum refectionem hospitale de Campo Loano, quod in suo tempore destructum erat, reædificasse. *Campus Loanus, quem Vincentius Fregianelli in Historia S.* Allucii *italice vocat* Campo *aut* Campugliano, *ubi hospitalem suam domum reædificavit, hodie dicitur* gli Alberghi, *seu S.* Pietro in Campo *propter vicinam hujus S. Apostoli ecclesiam, meridiem versus tribus circiter chiliometris, ut ex mappa Attilii Zuceagni-Orlandini in Chorographia Italiæ constat, Piscia distat* (6). *Verum non ita multis post obitum S.* Allucii *annis, ab hoc Sancto nomen S.* Allucii *domui adhæsit. In ista autem hospitali domo videtur Sanctus collegisse personas utriusque sexus, quæ obsequium voluntarium pauperibus et peregrinis exhibebant, et in unum compegisse corpus, unde, ut mox ostendemus,* fratres S. Allucii *dicti sunt.*

AUCTORE J. V. H.

ex variis instrumentis, præsertim

5 *Quæ vero rationes fratres S.* Allucii *moverint, ut, nemini hactenus obnoxii, militibus S. Sepulcri sese submitterent, ignoramus. Vincentius Fregianelli in Vita Italica S.* Allucii (7) *suspicatur amorem omnimodæ libertatis in causa fuisse. Erant nempe illis controversiæ cum plebano Pisciensi, quas ut amputarent potius quam solverent, jugum militum S. Sepulcri subiere. Paulo tamen post et hujus militiæ pertæsi, donationem suam irritari petierunt. Ast petitionem eorum rejecit Innocentius Pp. III, quoniam contra se propriam turpitudinem perjurii, excommunicationis et doli allegantes, admittendi non erant. Vult tamen Pontifex ut per istiusmodi donationem* nullum præjudicium generetur diœcesano episcopo aut plebano de Piscia. *Decursu temporis equites S. Sepulcri in unum corpus cum equitibus S. Joannis Baptistæ seu Melitensibus coaluerunt. En vero quæ, ad fratres S.* Allucii *spectantia, reperimus in corpore juris canonici: nam c.* 8 *de Donat.* (III, 24.) *hæc legimus responsa ab Innocentio III, anno* 1213 : Inter dilectos filios hospitalarios Sancti Sepulchri ac fratres hospitalis S. Allucii super eodem hospitali quæstione suborta, quum F iidem hospitalarii super possessorio, quod semel et iterum, ex causis tamen dissimilibus, intentarunt, contrariam sententiam reportassent; deinde ad petitorium recurrentes, proponere curarunt. Quod quum G. quondam Rector et fratres ac patroni ejusdem hospitalis, habito communi consilio deliberassent, hospitale ipsum hospitalariis supponere supradictis, commiserunt in hoc tribus procuratoribus vices suas, communiter statuentes, ut quod per ipsos fieret, acceptarent: qui cum eisdem taliter statuerunt, ut ad ipsum hospitale aliqui mitterentur, qui eorum nomine acciperent assignationem ipsius. Quum autem duos illuc de suis fratribus transmisissent, ipsi donationem et assignationem hospitalis tam a magistro, quam a supradictis procuratoribus et aliis ejusdem domus fratribus receperunt. Procurator autem partis alterius ex adverso respondit, quod prædicta donatio

(1) Ital. Sacr. tom. III, col. 765. — (2) Ibid. col. 289. — (3) Novaes. Sommi Pontif. tom. XIII, pag. 118. Moroni. Diz. d'Erud. v° *Piscia.* — (4) Lami. Eccles. Flor. monum. tom. I, pag. 519. — (5) Ibid. pag. 367. — (6) Repetti. Dizion. geogr. della Toscana v° *S. Allucio.* — (7) Istor. di Sant'Alluc. pag. 61.

debebat

AUCTORE J. V. H.

debebat non immerito retractari; quoniam, multis ex fratribus inconsultis, a prædicto rectore ac paucioribus fratribus excommunicatis et perjuris, de re litigiosa in fraudem plebani de Piscia, qui super eodem hospitali moverat quæstionem, fuerat celebrata.

ex duobus capitibus

6 Et hæc omnia proponebat sufficienter per dispositiones testium productorum. Ad hæc parte altera multipliciter respondente, hinc inde fuit aliquandiu disputatum. Attendentes igitur, quod fratres et patroni S. Allucii pro se, imo potius contra se, turpitudinem allegabant, videlicet perjurium, excommunicationem et fraudem, non utique contra ipsos, sed ab ipsis commissam, et intelligentes donationem, ab eis hospitalariis factam, puram ac simplicem exstitisse; quia non deceptoribus, sed deceptis jura subveniunt; unde per ea quæ superius proposita sunt, se contra factum proprium legitime defendere non valebant, hospitale prædictum cum pertinentiis suis hospitalariis Sancti Sepulchri adjudicare curavimus. Ita quod per hanc sententiam diœcesano episcopo et plebano de
B Piscia nullum præjudicium generatur: quum res, inter alios acta, non debeat aliis præjudicium generare. *Quandoquidem in ipsa decretali Innocentii III jus suum tum episcopo Lucensi, tum plebano de Piscia reservatum fuerit, recruduit controversia inter hospitalarios Sancti Sepulchri et supra dictum plebanum, ut nos docet ejusdem Pontificis decretalis anni* 1214, *quæ habetur c.* 9 *de arbitris* (I, 43.). *Id autem animadvertendum est, hospitalarios, quibus domus S.* Allucii *addicebatur, in præsenti decretali vocari hospitalarios* S. Joannis, *dum in altera de* S. Sepulchro *nuncupabantur. Certe sæculo* XIII *distinctæ erant militiæ S. Joannis et S. Sepulchri, quæ ab Innocentio VIII, anno* 1489 *in unum corpus redactæ fuerunt* (1); *proinde supponendum non est, errorem aliquem in posteriorem decretalem irrepsisse; utpote quæ, Innocentio VIII recentior, in omnibus codicibus non reperiretur. Quapropter, quoniam aliud mihi non occurrit, censeo patronos hospitalis S.* Allucii, *relictis fratribus S. Sepulchri, cum equitibus S. Joannis seu Hierosolymitanis rem*
C *transegisse. En verba Decretalis.*

e corpore juris Canonici

7 Per tuas (*nempe archiepiscopi Pisani, Lotharii Rosarii, ab* 1209 *ad* 1216 *sedentis* (2)) litteras intimasti, quod quum super exsecutione arbitrii, quod inter hospitalarios S. Joannis et plebanum de Piscia super hospitali S. Allucii latum erat, a nobis litteras accepisses, partibus in tua præsentia constitutis, hospitalarii a te exsecutionem arbitrii postulabant, asserentes, illud debere observari, pro eo, quod procurator plebani sponte in arbitros, juramento interposito, compromisit: quoniam dicebant, compromittendi et transigendi super eodem negotio (arbitrium) recepisse. Plebanus proposuit, ad causam tractandam procuratori dedit generale mandatum, non tamen ei mandavit, ut sine speciali mandato compromittere posset vel transigere super eo. Et præterea procurator jam dictus de assensu canonicorum suorum non fuerat institutus; et ideo dicebat, arbitrium non valere: præsertim quum procurator fines mandati excesserit; et arbitrium fuerit per D
unum clericum et duos laicos promulgatum, licet ipsi de assensu Genuensis archiepiscopi, cui causa commissa fuerat, arbitrium protulissent. Unde quum super his dubietas fuisset orta, per apostolicæ sedis oraculum doceri petiisti, qualiter super negotio isto tibi sit procedendum. Super quo fraternitati tuæ respondemus, quod si ex parte plebani arbitrium receptum fuerit, indistincte ratum haberi debet, ac per hoc juxta tenorem mandati apostolici exsecutioni mandari. Si vero receptum non fuerit, refert, utrum fuerit vel non, de observando ipsum pœna statuta.

desumptis, illustratur.

8 Et quidem si pœna apposita fuit, agi potest ad pœnam; at si nulla statuta fuerit, sed simpliciter fuit, quod staretur sententiæ compromissum, procurator ad interesse poterit conveniri, quia juramento suo seipsum personaliter, non ecclesiam poterat obligare. Quod autem a duobus laicis et uno clerico dicitur esse prolatum, nequaquam obviare videtur, quum auctoritate dicti archiepiscopi factum sit, cui causa, de qua dicitur
E compromissum, fuerat delegata. *Ab instituto nostro alienum est, operose omnes juris anfractus investigare, qui citatum canonem exasperant. Unum dixisse sufficiat, ab illo tempore equites Hierosolymitanos S. Joannis Hospitale S.* Allucii *occupasse, ejusque administrationem capessivisse. Et vero eques Franciscus Antellensis anno* 1616, *ut habent notæ Danielis Papebrochii nostri, corpus S.* Allucii *altari majori ecclesiæ imposuit cum hac inscriptione.* OSSA BEATI ALLUCII EX ANTIQUO MONUMENTO IN NOVUM TRANSLATA ANNO SALUTIS MDCXVI. FRANCISCUS ANTELLENSES, EQUES HIEROSOLYMITANUS ET D. JACOBI IN CAMPO CORBOLINI COMMENDATARIUS, EX ANTIQUO MONUMENTO IN NOVUM B. ALLUTII TRANSLATIS OSSIBUS, ALTARE INSTAURAVIT ANNO SALUTIS MDCXVI.

Annis XLVIII *ab obitu Sancti corpus,*

9 *Hæc scripseramus, quum intermedio amicissimo et actuosissimo fautore nostro, Doctore Petro Cernazai Utinensi, illmus et revmus episcopus Pisciensis D. Joannes Benini communicata nobiscum voluit documenta, ad S.* Allucium *pertinentia; in quibus reperire fuit schedulis Papebrochianis et correctiora et abundantiora :* F
utrique proin, quemadmodum et aliis operam conferentibus suam, et præsertim R. D. Professori Felici Gialdini maximas, quas debemus, habemus gratias. Porro quum constet, S. Allucium, *ut paulo infra monstrabimus anno* 1134 *defunctum, non ante annum* 1182 *in decentiorem locum translatum fuisse, concludit Vincentius Fregianelli* (3), *eumdem in communi cœmeterio indistincte cum aliis sepultum fuisse. Quod eatenus quidem verum puto, quatenus, in communi cœmeterio compositus, locum tamen obtinuerit insignem, ex quo erui potuerit quadraginta post annis : nam ut post quinquaginta circiter annos cadaver aliquod inveniri potuerit, omnino necessarium est, ut locus sepulturæ quam accuratissime notatus fuerit. Id autem inscriptio, in ipso sancti tumulo reperta, habet :* ✠ ANNO DOMINI MCXXXIV, DECIMO CALENDAS NOVEMBRIS BEATUS ALLUCIUS MIGRAVIT AD CHRISTUM; ET MILLESIMO CENTESIMO OCTUAGESIMO SECUNDO, IN DIE B. QUIRICI REVELATUM EST CORPUS EJUS,

(1) Lunig. Codex Ital. diplomat. tom. IV, col. 1485. Cfr Paoli. Dell'Orig. del sac. Ordine di S. Giovanni. pag. 42 et Diction. des Ordres Relig. v° *Sepulcre*, tom. III, col. 525. — (2) Ughell. Ital. Sacr. tom. III, col. 421. — (3) Stor. di S. Alluc. pag. 65.

SEPTIMOQUE

A SEPTIMOQUE CALENDAS AUGUSTI HOC LOCO RECONDITUM. *Laudatus Fregianelli dicit* (1), æquivocum *esse vocem* revelatum, *quia apud scriptores ecclesiasticos passim significat manifestationem rei absconditæ ope cujusdam miraculi : dum apud scriptores profanos aliud non est, quam detectio rei occultæ, per remotionem veli, quo operiebatur. Non videtur autem vox* revelatum *accipienda in priori sensu, quum intra spatium quadraginta octo annorum verisimile non sit omnino expunctam fuisse S.* Allucii *memoriam : quod si prodigium aliquod intercessisset, rem mirabilem non tacuissent scriptores. Altero igitur sensu interpretari nos oportet revelationem, nempe S.* Allucii *corpus, e tumulo extractum, elevatum, et omnium oculis exhibitum fuisse.*

decentiori loco compositum, 10 *Nam spatio undecim dierum, nempe ad diem S. Quirici, seu secundum Kalendaria Etrusca a die* XVI *Julii ad septimam kal. Augusti seu* XXVI *Julii ossa S.* Allucii *ex obscuri tumuli quasi carcere liberata cunctis apparuerunt, debito deinceps honore habenda. Nihilominus quamvis tunc inceptus cultus, deinceps continuatus fuerit, tamen quum bellis et vastationibus Etruria conquassaretur, etiam memoria Sancti nostri denuo obscurata fuit : præsertim quando anno* 1281 *Piscia destructa fuit, ut testantur Annales Lucenses Ptolomæi, episcopi Torcellensis, his verbis* (2) : Eo tempore (*scilicet anno* 1281) Lucenses congregaverunt exercitum contra Pisciam et ipsam expugnaverunt, ac vi prælii intraverunt terram, ipsamque combusserunt ad impetum Lucensis populi, qui refrænari non poterat. Causam autem combustionis ferunt fuisse, quia se subjecerunt cancellario imperatoris Rodulfi, cui subjici non debebant, nisi appareret confirmatio ejusdem per summum pontificem. Eodem anno totonderunt Bugianum in muris, quia Pisciatinis videbantur favere in rebellione. *Est autem Bugianum oppidulum juxta Pisciam fluvium; hodie vocatur* Borgo a Bugiano *in Valle Nebulæ* (3). *Unusquisque intelligit, quoniam incendia impetu populari excitata fuerunt, neque domibus neque templis, ut habent monumenta Pisciensia, parcitum fuisse; et corpus S.* Allucii
C *sub ruinis aliquamdiu delituisse; unde ejus memoria paulatim evanuit.*

aliquamdiu, vigente licet ejus memoria, delituit : 11 *Verum quamvis sepulcrum S.* Allucii *aliquo annorum spatio occultum jacuerit, ipsius tamen Sancti memoria non periit. Nam videmus legatos Pisciæ et aliorum oppidorum anno* 1329 *convenisse ad S.* Allucii *ecclesiam, ut de pace cum Florentina republica tractarent, sive istam ecclesiam non attigerit incendium Lucensium anni* 1281, *sive eamdem denuo instaurarit pia populi liberalitas. De ista conciliata pace agit Joannes Villani in sua Historia Florentina lib.* X, *cap.* 135 (4). *Piscienses, inquit, ut tandem post diuturna bella et multa damna, quietem nanciscerentur, convenerunt cum Florentinis, ut oblivione delerentur offensiones, utrinque commissæ; ut Florentinorum amicos aut inimicos Piscienses etiam suos amicos aut inimicos haberent; ut a Florentinis peteretur belli dux, qui Pisciensem militiam regeret. Hisce legibus pax sancita fuit, et quidem, ut diximus in ecclesia S.* Allucii, *quo legati convenerant, ut nos docet Vincent. Fregianelli in Sancti Vita* (5). *Quamvis igitur ignoraretur Sancti sepulcrum, tamen ut communem populi totius domum habebant ejus ecclesiam, in qua acta publica, solemnitatem quamdam habentia, celebrari oportebat.* AUCTORE J. V. H.

donec anno 1344 denuo inventum, 12 *Ast non ita diu post pacem cum Florentinis conciliatam, seu anno* 1344, *denuo inventum fuit S.* Allucii *corpus; et hujus quidem inventionis habemus instrumentum, quod, quoniam Vitam Sancti continet, infra edemus, notisque, ubi opus erit, illustrare conabimur. In eo instrumento formulam habemus processus instituendi circa Reliquias Sanctorum, nuper inventas. Imo quis accusare forsan posset Gulielmum, Lucensem episcopum, quasi sibi usurpasset jus, sedi apostolicæ reservatum. Etenim Alexander Pp. III cap.* I *de Reliq. et venerat. Sanctor.* (III, 45) *quibusdam exprobrat, quod* hominem quemdam, in potatione et ebrietate occisum, quasi Sanctum (more infidelium) venerantur : cum vix pro talibus, ebrietatibus peremptis, Ecclesia orare permittat : dicit enim Apostolus : « Ebriosi regnum Dei non possidebunt. » Illum ergo non præsumatis de cætero colere; cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari. *Innocentius III in Concilio Lateranensi IV, qui canon in corpore juris sequitur canonem Alexandri III mox citatum, dicit expresse : Reliquias* inventas de novo nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. *Difficultati respondet Vinc. Fregianelli, acta episcopi Lucensis non excessisse limites juris, quod habebant episcopi istius ætatis, quia Reliquias quidem recognovit, sed Officii et Missæ celebrationem, quæ indicia erant canonizationis æquipollentis, non præscripsit.*

et ab episcopo Lucensi recognitum, 13 *Addit dein testem Papebrochium nostrum, citatum a Prosp. Lambertinio, de Serv. Dei canoniz. et beatif. lib.* I, *cap.* 10, *num* 8, *docentem decretum Alexandri non adeo rigide servasse episcopos, nec putasse sublatam sibi facultatem circa inferioris ordinis cultum. Verum non censeo ad istiusmodi regulam æstimandum esse processum, ab episcopo Lucensi institutum. Extra controversiam posita erat* F *sanctitatis fama, qua S.* Allucius *publice gaudebat, quam etiam Innocentius III aliquatenus sanciverat suis decretalibus epistolis numm.* 5 *et seqq. citatis. Unde episcopus Lucensis non aliud fecisse videtur, quam inquirere in veritatem Reliquiarum S.* Allucii, *in hospitali domo repertarum : quod quidem jus ad ordinariam potestatem episcoporum etiam hodie pertinet. Id fecit accurate Gulielmus episcopus, quod faciendum præscripsit Concilium Tridentinum sess.* XXV *de invocatione Sanctorum. Scilicet* statuit sancta Synodus... nulla admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati et pietati consentanea judicaverit. *Tali ratione processit in causa inventionis corporis S. Eutropii primi episcopi Xantonensis* (Saintes) *Reverendissimus episcopus Rupellensis* (La Rochelle)

(1) Muratori. Scriptt. tom. XI, col. 1293. Cfr Annali d'Ital. tom. VII, pag. 436. — (2) Repetti, Dizion. geogr. della Toscana. v° *Borgo a Bugiano.* — (3) Muratori. Scriptt. col.. 685. — (4) Pag. 69. — (5) Pag. 81.

D.

AUCTORE J. V. H.

D. Clemens Villecourt, nunc Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, qui decreto suo diei VI *Septembris* 1845 *veras declaravit Reliquias S. Eutropii, inventas in crypta ecclesiæ olim cathedralis Xantonensis, postquam omnia præstitisset, quæ a Concilio Tridentino præscripta sunt* (1). *Hæc eadem eodem jure fecit Gulielmus, episcopus Lucensis : in utroque casu, agebatur de Sancto cujus memoria a sæculis in veneratione erat : adeoque nulla exsurgebat dubitatio de alterutrius cultu, quæ auctoritatem Romani Pontificis requireret, ut, quantum ad S.* Allucium *spectat, monstrabunt instrumenta infra edenda.*

magno deinceps in honore habitum fuit.

14 *Non immoramur itaque hisce instrumentis, quibus constat corpus S.* Allucii *anno* 1344 *elevatum, in magno deinceps honore habitum fuisse. Anno* 1616 *eques Melitensis, Franciscus Antellensis novum monumentum S.* Allucio *erexit, ejusque altare instauravit, ut docet inscriptio num.* 8 *allata. Quamvis autem talis Sancto exhiberetur veneratio, isto tamen cultu liturgico carebat, quo præcipue Sanctos honorare consuevimus, scilicet Officio et Missa. Utrumque tandem concessit Clemens Pp. XIII anno* 1764 *die* XXIV *Septembris*, ad enixas, *ut dicitur*, preces rev̄mi episcopi, ejusque capituli, necnon magistratus civitatis Pisciensis, *ut possit quotannis* die XXIII Octobris ab utroque clero ejusdem civitatis et diœcesis celebrari festum B. Allucii cum Officio et Missa de communi Confessorum non Pontificum cum oratione et lectionibus propriis, a sua sanctitate approbatis sub duplici minori. *Anno dein* 1818 *die* XXVIII *Februarii S. Rituum Congregatio approbavit et in Officio canonico recitari permisit Hymnum proprium in honorem S.* Allucii, *qui ad Vesperas recitatur :* Huc e sidereis : *a doctore Grossi Pisciensi, ut scribit ad nos R. D. Felix Gialdini, compositus. Tandem anno* 1851 *die* VI *Junii Pius IX, feliciter regnans, concessit, ut sub ritu duplicis majoris totum proprium Officium et Missa celebraretur, ut constat ex decreto, quod recitamus.*

B

S. Allucii *cultum, Clemente XIII, jam probatum,*

15 Piscien. Quum rev̄mus Piscien. episcopus propriis, ac communibus sibi commissi cleri votis satisfacturus, constituerit ampliori semper cultu prosequi S. Dorotheam V. M. Patr. Præcip. B. Allucium C. Pisciensem, ac S. Polychronium Ep. M. Patr. min. princip., sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifice maximo nonnulla propria exhibuit enunciatorum cælitum Officiis et Missis addenda, ut de apostolica benignitate singula approbare dignaretur, memoratoque clero suo concedere. Sanctitas sua, attentis expositis, aliisque rationum momentis animum suum moventibus, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis secretario, benigne annuit juxta preces episcopi oratoris, adeo ut in natalitiis eorumdem Sanctorum Officia cum Missis esse valeant, uti superiori in exemplari correcta et emendata adnotantur ; servatis tamen in omnibus Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6 Junii 1851. A. Card. Lambruschini S. R. C. P., J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

C

Pius IX Missa propria,

16 *Missa propria præcipue in eo est, ut laudet S.* Allucii *caritatem erga proximum : atque hinc Epistola ex S. Paulo ad Hebræos cap.* XIII *in qua laudatur hospitalitas, cura vinctorum et laborantium ; Evangelium autem ex Joannis cap.* XV, *in quo Christus dilectionem commendat desumpta sunt. Orationes porro sunt sequentes : Collecta :* Omnipotens Deus, qui Beatum Allucium eximia erga infirmos charitate gloriosum effecisti, concede, quæsumus, ut ejus meritis et intercessione ab omni mentis et corporis infirmitate liberati, cælestis gloriæ consortes fieri mereamur. Per Dominum. *Secreta :* Hostias, Domine, quas excelsæ majestati tuæ dicamus, benignus assume, ut Beati Allucii Confessoris tui charitatem sectantes in terris, ad te, qui charitas es, pervenire mereamur in cælis. Per Dominum. *Postcommunio :* Quæsumus, Domine Deus noster, ut æterna nobis præmia conferat, qua pasti sumus, mensa cælestis, quæ Beati Allucii Confessoris tui vitam etiam aluit temporalem. Per Dominum.

D

et hymnis ad vesperas

17 *En porro Hymnus qui ad Vesperas in honorem S.* Allucii *recitatur, quique a doctore Grossi Pisciensi compositus fuit :*

Huc e sidereis, inclyte, sedibus
Alluci, o placidum, nunc age, verticem
Deflectas, merito dum Tibi concinit
Sacrum plebs pia canticum.
Præsens excipias vota precantium
Ante aram posito poplite civium,
Communis stabili quos Tibi patria
Jungit fœdere, poscimus.
Tu lapsis columen, tu pater orphanis
Pro Christo fereris, certaque pauperum
Spes, et præsidium quos dape recreas,
Et quos comiter allicis.
Noctes interea pervigil exigis
Intentus precibus, viscera debitis
Et fraudas epulis, pane beatius
Vivens angelico satur.
Per te vel triplici novimus advenas
Usos hospitio, pluraque temporis
Jamdudum vitio lapsa volubilis
Passim templa resurgere.
Per te nec studiis, neve laboribus
Parcentem, solidæ pacis ut arbitrum
Quæcumque irruerunt urbibus Italis
Tolli jurgia sensimus.
At quis multiplices carmine perbrevi
Virtutes memoret? Quisve recenseat
Quæ sint pro meritis addita singulis
Jam nunc præmia cælitus?
Tu solus potis es, qui frueris datis,
Et septus rutilis ignibus emicas ;
Hinc semper valido fac, bone, supplices
Cives præsidio juves.
Sit Patri ac Genito gloria, Flamini
Sit Sancto parilis laus, honor et decus,
Qui regnat pariter cum Patre, et unico
Gnato perpetuum Deus. Amen.

E

F

et ad Laudes adauxit.

19 *Ad Laudes : hymnus iste repertus fuit inter poemata P. Reghensani Barnabitæ :*

Gestiat quisquis celebrare cantu
Pauperum patrem, columenque rerum,
Patriæ magnum decus, orphanorum
Dulce levamen.
Te duce, Alluci, domus ampla egenis
Languidis morbo patuit per agros,
Te duce effulsit pietas, et almæ
Fœdera pacis.
Æsuris sedem tibi sæpe cessit,

(1) Cfr Recueil des procédures, part. II, pag. 73.

Piscia

A Piscia et parvis tenuatus undis,
Sæpe te expavit tremefactus Arnus
Mira patrantem.
Fulgida augustam subiere formam
Templa te propter, scelera exularunt,
Nulla et Hetruscas agitavit urbes
Ira furorque.
Dura captivis cecidere vincla,
Otium fessi, miseri salutem,
Per te et optatam veniam impetrarunt
Crimine sontes.
Semper infirmis famulatus ægris
Lætus, et nullos renuens labores
Nocte consurgens operam dedisti
Omnibus aptam.
Sæpe te propter celebrata fulsit
Charitas; angor, metus atque egestas
Cessit a nobis, rediitque dulcis
Copia rerum.
Laus sit æternæ Triadi perennis,
Quæ Virum magnis meritis onustum
Inter excelsas Superum cohortes
Arce locavit. Amen.

Anno 1793 20 *Tandem quum Leopoldus I Austriacus, fratrem suum Josephum II imperatorem imitatus, multas innovationes, in Etruriam induxisset, ac inter alia etiam ecclesias, ut rebatur, non necessarias suppressisset, etiam domum hospitalem S.* Allucii, *licet ad Ordinem Melitensem pertineret, sors mala attigit. Oportuit igitur Sancti nostri venerabiles exuvias alio transferri, ut docet nos sequens instrumentum, quod ex italico in latinum versum lectori coram exhibemus.* In nomine Domini. Amen. Anno Domini Nostri Jesu Christi 1793, indictione XI, hac die XXIV Augusti Pio VI Pontifice Romano et Ferdinando III, regio principe Hungariæ et Bohemiæ, archiduce Austriæ, magno duce Etruriæ feliciter regnantibus, factum et publicatum est præsens instrumentum in civitate Piscia et in ejusdem palatio episcopali: præsentibus ibidem nobilibus viris, Vincentio, filio quondam equitis Caroli Serponti, Ludovico Andrea, filio quondam equitis Stephani Cecchi, Nicolao, filio quondam domini Angeli Simoni et Michaele Angelo, filio quondam domini Joannis Dominici Cheti, Pisciensibus et testibus rogatis. Quoniam in antiquissima ecclesiæ tituli SS. Lucæ Euangelistæ et Herculani Martyris, juxta quam erecta fuit hospitalis domus, nominata S. Allucii, posita in plebania, nunc cathedrali Pisciensi, ut constat ex c. 9 Per tuas de Arbitris etc. Inter dilectos filios 8 de Donationibus, sita in communitate Uzzanensi, et hodie pertinens ad commendam Campi Corbolini sacræ Religionis Ierosolymitanæ, supra altari ejusdem domus hospitalis exsistit urna in qua reconditæ sunt insignes Reliquiæ B. Allucii Confessoris, qui clarus virtutibus et miraculis migravit ad Dominum die XXIII Octobris 1134.

C

abolita ecclesia S. Allucii, 21 Hæ porro Reliquiæ statim post mortem venerationi populi expositæ, aliquandiu injuria temporum dein ignoratæ, mandato D. Gulielmi Dulcini, tunc episcopi Lucensis, sub cujus diœcesi tunc erat dicta ecclesia, fuerunt conquisitæ et inventæ in eadem ecclesia, et a dicto antistite recognitæ, solemniter approbatæ et pristinæ venerationi fidelium expositæ, instituta festivitate speciali in die obitus et in translatione dictarum Reliquiarum, cum indulgentia episcopali quadraginta dierum, concessa visitantibus dictam ecclesiam, tam in die obitus quam translationis, prout constat ex legitimo instrumento inventionis corporis dicti Beati diei XIV Junii 1344, quod asservatur in Cancellaria Curiæ archiepiscopalis Lucensis in libro vel involucro actorum, signato num. XV. Cultum autem hunc antiquissimum reddidit celebriorem summus Pontifex Clemens XIII, qui decreto apostolico, a S. Rituum Congregatione die XXIV Septembris 1764 expedito, approbavit lectiones proprias, ab utroque clero hujus Pisciensis diœcesis recitandas. Et quum XI Septembris 1710 instaret illustrissimus D. Carolus Ricci, commendator dictæ Commendæ Campi Corbolini, ut sacræ exuviæ in decentiorem urnam reponerentur, et in acta referrentur, secundum indicem a prælaudato D. commendatore Ricci exhibitum, sequentia: duo scapuli, duo humeri seu ossa superiora brachii, duo ulnæ seu radii et ossa inferiora brachii, varia ossicula componentia manum, duo ilii seu ossa lateris, duo femora seu ossa coxæ, duo rotuli genu, varia ossicula componentia pedem, caput Sancti, prout in indice describitur: ut dictæ exuviæ recognoscerentur, approbarentur et debite communirentur ab illustrissimo ac reverendissimo D. Paulo Antonio Pesenti, tunc præposito Pisciensi, ac dicta urna vitta alba circumligata tribus sigillis clauderetur: prout revera factum est, ut constat ex Fasciculo recognitionum SS. Reliquiarum, qui asservatur in archivo episcopali Pisciensi.

AUCTORE J. V. H.

E

Sancti exuviæ ad ecclesiam cathedralem Pisciensem

22 Quum vero occasione suppressionis dictæ ecclesiæ S. Allucii, instaret D. eques commendatarius et receptor dictæ commendæ, secundum mandatum supremum, contentum in epistola encyclica Secretariæ regiæ, data VIII Novembris 1785, ut, dicta ecclesia spectante ad commendam Corbolinam, de suo quatenus receptoris, et procuratorum illustrissimi equitis de Requesens consensu, possessoris dictæ commendæ, dicta urna cum sacris ossibus S. Allucii, in ea contentis, committerentur illustrissimo ac reverendissimo D. Francisco Vincenti, episcopo Pisciensi; quæ tamquam depositum a dicto antistite admissa fuit. Institerunt dein reverendissimum capitulum ecclesiæ cathedralis Pisciensis et magistratus urbanus ejusdem civitatis, ut dictæ sacræ exuviæ ponerentur in dicta ecclesia cathedrali; quæ instantia relata ad Regiam celsitudinem, ipsa per secretariæ regiæ litteras, datas XII Februarii 1786 consensit, ut insignes istæ Reliquiæ secundum desiderium dictorum capituli et magistratus collocarentur in dicta æde cathedrali. Quoniam porro eædem Reliquiæ componendæ erant supra altari SS. Rosarii dictæ cathedralis, decretum fuit, ut nova urna, quam decentissima conficeretur, in qua omnia sacra ossa, indicata, ut supra, et extracta ex urna antiqua et composita et recognita, secundum eum modum, quem Ill. et Revmus D. episcopus præscripserat, nempe ut nova urna, ligamine ex serico rubro circumcincta sedecim locis Sigillo Revmi episcopi muniatur ac in ea legitimum sacrarum Reliquiarum omniumque hactenus factorum

F

AUCTORE J. V. H.

rum instrumentum reponatur. Et quoniam nunc deveniendum est ad actualem traditionem præfatarum Reliquiarum, Revmo capitulo faciendam; hinc est, quod constitutus coram me et supradictis DD. testibus (præsentibus quoque Revmis canonicis et clericis sæpe dictæ ecclesiæ cathedralis in aula episcopali, ubi decenter exposita erat dicta urna) Revmus D. archidiaconus Ferruccius Ferucci, Vicarius generalis Pisciensis, tamquam delegatus Illmi et Revmi D. episcopi ejusdem civitatis, idem Revmus D. Vicarius generalis nomine supradicto tradidit et tradit Revmo capitulo Cathedrali Pisciensis et pro eo Revmis DD. archipresbytero Joachimo Parigini et Decano Joanni Bianucci, deputatis dicti Revmi capituli per capitularem deliberationem de die IX Aprilis currentis anni, acceptantibus dictam urnam, sigillatam, prout supra, in qua repositæ sunt sacræ Reliquiæ S. Allucii, ut, prævia processione solemni a palatio episcopali ad ecclesiam cathedralem et expositione per integrum diem in altari majori dictæ cathedralis, una
B cum Officio festivo istius translationis secundum ritus Sanctæ matris Ecclesiæ, reponatur in altari SS. Rosarii sub imagine dicti altaris, loco ad id præparato, quatenus dictæ sacræ Reliquiæ a populo fideli possint coli ad gloriam Dei et honorem dicti Sancti. In quorum fidem etc. Franciscus Antonius Sorini Notarius.

solemni pompa translatæ fuerunt.

23 *Translatio corporis S.* Allucii *hic relata, quemadmodum ea, quam infra edemus anno* 1344 *factam, fuere celebratæ mense Augusto: nihilominus annua memoria feria* II *post dominicam Quinquagesimæ recolitur: qua die eadem Missa dicitur, quæ in ipso festo* XXIII *Octobris, una excepta Collecta, quæ est sequens:* Deus, cujus providentia Sanctorum tuorum ossa custodit, ut unum ex his non conteratur; concede propitius, ut qui Beati Allucii Confessoris tui translationem agimus, ipsius precibus et exemplis ad cælestem patriam transferri mereamur. Per Dominum. *Ast antequam anno* 1851 *Pius IX cultum S.* Allucii *amplificasset, alia ejusdem translationis erat Collecta,*
C *quam nobis exhibent Officia propria Sanctorum Magni ducatus Etruriæ, anno* 1837 *Florentiæ typis excusa, scilicet:* Adesto, Domine, supplicationibus nostris, quas in Beati Allucii Confessoris tui annua translatione lætificas; et concede propitius, ut cujus translationem colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum. *Antiquæ imagines S.* Allucii *non exstant; quæ anno* 1344, *ut ex num.* 5 *Commentarii prævii patet, erant, hospitali domo ad usus profanos redacta, perierunt. Nihilominus ad fovendam fidelium pietatem, qui miro modo istiusmodi adminiculis juvantur, æri incisa fuit qualiscumque Sancti effigies, qua exhibetur ut vir mediæ ætatis, barbatus, veste laica, fere ut passim pingitur Ven. Benedictus Labre, minus tamen pannosa, indutus. Quod tandem ad Acta edenda spectat, non est quod eorum auctoritatem aut sinceritatem demonstremus, quum ipsa, ut lectori patet, ex suapte indole fidem sibi adstruant.*

—

D

VITA ET TRANSLATIO

S. ALLUCII CONFESSORIS,

Ex ms. Francisci Mariæ Florentini medici Lucensis, collato cum apographo Pisciensi.

CAPUT PRIMUM.

Corporis inventio; delegatio episcopi Lucensis ad inquirendam veritatem.

De inventis S. Allucii *Reliquiis,*

E

In nomine Domini. Amen. Continetur in quodam libro antiquo, pluribus in locis vetustate consumpto, in quo non adest superscriptio, sed solum adest signum hoc modo, videlicet T 1344, cooperto charta hædina descripta, exsistente in archivio curiæ episcopalis Lucensis, inter cætera ad folium 4.

Anno nativitatis dominicæ 1344, indict. XII, die IV Junii. Coram venerabili in Christo patre et domino fratre Gulielmo *a*, Dei et Apostolicæ sedis gratia episcopo Lucensi, in castro montis Topai * constitutus providus vir fr. Petrus, rector hospitalis S. Allucii *b* plebis Pisciæ hujus diœcesis *c*, exposuit, quod dum ipse nuper una cum quibusdam honestis * exsisteret in ecclesia hospitalis prædicti, deliberaverunt inter se de Reliquiis S. Allucii prædicti perquirere : quum audivissent alias a fide dignis, quod ibi erant et fuerant dudum a fidelibus in illis partibus veneratæ. Unde volentes * se ad altare dictæ ecclesiæ, ibi juxta viderunt loculum, in quo S. Allucii Reliquias esse firmiter arbitrati fuerunt. Quem loculum * discooperientes, qui erat arca lapidea, viderunt dictas sacras Reliquias, quas non fuerunt ausi tangere sine consilio D. episcopi præfati; et ideo supplices occurrerunt* eidem R. P. et D. episcopo supradicto, quod sibi consulere et mandare dignaretur, quid in præmissis observare haberent. Qui Reverendus in Christo pater et dominus hujus Lucensis Dei et apostolicæ gratia Ecclesiæ episcopus, volens libenter, ut decet, laudes curiæ sanctæ * exaltare; sed propter hoc non discedens a semita juris *d*, commisit vener. Viro Fr. Paulo Lapo *, Ordinis Prædicatorum, lectori in philosophia, quod ipse iret ad dictum locum et de præmissis ab expertis perquireret veritatem per litteras infrascriptæ continentiæ *e* et tenoris videlicet :

a

* *P.* Topori Tauparii

b

c

* *P. add.* clericis

* *an* voltantes *id est* vertentes ?

* *P.* locum

* *P.* supplicaverunt

* *P.* viri sancti

d

* *P.* Lapi

e

fit relatio ad episcopum Lucensem,

2 Fr Guilielmus, Dei et Apostolicæ sedis gratia Lucanus episcopus, dilecto nobis in Christo Fratri Paulo Lapo, ord. Prædicatorum, lectori in Filosophia, salutem in Dominum Jesum Christum. His diebus nova gaudiosa, aures mentis nostræ excitantia, ad nos pervenerunt, qualiter Deus, qui in Sanctis suis mirabilis semper exsistit, nec sinit sub modio lucem, diu absconditam, sed de tenebris lumen splendescere jubet, in plebanatu Piscia,

A Piscia, loco qui dicitur hospitale S. Allucii, abscondita produxit in lucem. Nam corpus Sancti, cujus titulo idem hospitale insignitum noscitur, modo mirabiliter propalavit, ut venerantibus merita ejusdem Sancti increscat spirituale gaudium mentibus fidelium, temporalia, vilia succedant, et æterni meriti præmia consequantur. Verum quia de Reliquiis et veneratione Sanctorum sacræ sanctiones Patrum formam nobis præbent, et qualiter, ubi dubium ventilatur, pastores et prælati formam datam sequi coguntur : hinc est, quod de tua prudentia et experientia confidentes, tibi committimus et mandamus, quod ad dictum hospitale accedens, convocatis tecum discretis fidelibus, de quibus tibi videbitur, ad dictum locum diligenter de veritate sanctarum Reliquiarum (ut pie creditur) inventarum, et quidquid inveniri sive per memoriam antiquorum, sive per scripturam et alia quæque signa nobis repræsentes, ut juxta formam debitam, nobisque a sanctis patribus assignatam, tanti patroni merita exaltantes,
B mereamur ipsum patronum et intercessorem nobis et toti illi patriæ vindicare, quod totis visceribus desideramus ad laudem dicti Sancti, patrocinium nostrum et laudem Dei ad perfectionem deducere. Datum in Castro nostro Topari *f* anno nativitatis Domini 1344, indictione XII, die 25 Junii.

f

qui committit inquisitionem fr. Paulo, Ord. Præd

3 Postquam commissionem fr. Paulus, commissarius prædictus *, reversus ab exsequendo contenta in commissione prædicta supradicto R. P. ac D. Episcopo Lucensi retulit, se vigore supradictæ * commissionis, in se factæ, ivisse ad terram de Piscia et hospitale S. Allucii supradictum, et ibi quæsivisse * de prædictis et se invenisse prout et sicut in instrumento, quod exinde confici se fecisse asseruit manu ser Nicolai ser Bondi publicum et authenticum : quod instrumentum ipsi D. episcopo dedit et consignavit, cujus quidem tenor talis est, videlicet : In nomine Domini. Amen. Religiosus vir Fr. Paulus Lapi, de Ordine FF. Prædicatorum,
C lector in philosophia, ex commissione in se * facta per R. D. Fr. Guglielmum, Dei gratia episcopum Lucanum, super inquisitione Reliquiarum, ut dicebatur, S. Allucii, cujus nomine intitulatum noscitur hospitale de Campo, Lucanæ diœcesis, plebatus * de Piscia, ut de ipsius commissione et mandato contineri vidi ego notarius infrascriptus in litteris, per dictum D. episcopum transmissis, et ejus sigilli impressione munitis : tenor quarum talis est, videlicet : Fr Gulielmus etc., *ut supra*.

reperitur integrum

4 Qui fr. Paulus veniens Pisciam vigore dictæ commissionis, volens plenius de prædictis informari, et contentis in litteris suæ commissionis, habita informatione solemni cum pluribus fide dignis personis et maxime antiquis dictæ terræ, de veritate sanctarum Reliquiarum, ut dicebatur, inventarum dicti S. Allucii, fuit ad locum et ecclesiam dicti hospitalis, convocato discretorum numero fidelium aliquali, ibique S. Spiritus gratia invocata, a quo corda fidelium diriguntur, invenit infrascripta scripta*, testificantia Reliquias venerabilis vitæ viri S. Allucii in præ-

* *P.* add. die XXX Junii
* *P.* suprascriptæ
* *P.* perquisivisse
* *P.* eo
* *P.* plebanatus
* *P.* signia

dicta ecclesia dicti hospitalis integraliter contineri : imprimis vidit unam arcam lapideam ex parte sinistra dictæ ecclesiæ, qua aperta, invenit duas capsulas ligneas, quasi novas, ejusdem quantitatis, et quamlibet cum sua clavi desuper posita, firmatas * cum tuppis *g*, quæ claves et tuppæ rubiginosæ erant et antiquæ et inusitatæ formæ. Item invenit duas ampullas vitreas inusitatæ formæ, plenas plus quam ad dimidium aqua clara et limpida ; et invenit lapidem marmoreum seu tabulam, scripturam sequentem de verbo ad verbum clare, plane et apertissime continentem :

EX INSTRUMENTO PUBLICO.

* *P.* firmanter *g*

5 + ANNO DOMINI MILLESIMO CENTESIMO TRIGESIMO QUARTO *h*, DECIMO KALENDAS NOVEMBRIS B. ALLUCIUS MIGRAVIT AD CHRISTUM; ET MILLESIMO CENTESIMO OCTUAGESIMO SECUNDO, IN DIE S. QUIRICI *i* REVELATUM EST CORPUS EJUS, SEPTIMOQUE KALENDAS AUGUSTI HOC IN LOCO RECONDITUM. Apertisque dictis capsulis, qualibet cum sua clavi, invenit in prima in quodam panno lineo, seu toballiola * alba *k* et penitus incorrupta ossa : videlicet caput cum maxilla inferiori, uno osse crurium, duobus aliis
E ossis * de spatula et pectore et duobus grossioribus brachiorum et uno graciliori unius brachiorum dictorum. In alia vero capsa invenit reliqua ossa a prædictis, quæ ad formationem corporis unius hominis perfecte et integre requiruntur, involuta in quadam toballiola, multum antiquitate corrupta * et quodam panno parvo serico cum quadam cruce parvula de panno albo, desuper consuta *l*. Item invenit supra prædictam arcam directe in pariete dictæ ecclesiæ picturam * ex antiquissimis figuris imaginem dicti S. Allucii, cum aliquali historia vitæ suæ. Item invenit dictum hospitale ab eo tempore, cujus memoria non exsistit, nominatum * vocabulo S. Allucii. Item invenit in annali *m* dictæ ecclesiæ de Piscia, quod decima kal. Novembris S. Alluccius, rector hospitalis de Campo *, tempore cujus Deus exaltavit locum illum. Hæc autem omnia inventa fuerunt per dictum fr. Paulum in ecclesia dicti hospitalis et etiam in plebe Pisciæ, coram me notario et testibus infrascriptis, videlicet, D. Francisco plebano plebis S. Mariæ de Piscia, fr. Petro, rectore dicti hospitalis, Nuccio Bui*, Cantuccio Bonti, Junctino Vannis, Facino Vannis, Nardino Nacchi, Vannino Nicolucci, Bindo Marchi, Guido Cei, Beato Cantucci * , Joanne Purrinelli *, Dei *n* Catucci, et Ceccho Mei de Piscia, testibus ad hoc vocatis atque rogatis, sub anno nativitatis Domini 1344, indict. XII, die XXVII Junii.

Sancti corpus.

h

i

* *P.* tabellicia

k

F

* *P.* ossibus

* *P. omit.* corrupta

l

* *an.* picturatam?

* *P. add.* sæpius

m

* *Add.* obierit

* *P.* Turi

* *P.* Catucci
* *P.* Puccinelli

n

ANNOTATA.

a *Gulielmus, cognomento Dulcinus de Monte Albano, Ordinis Prædicatorum, sedem Lucensem tenuit ab anno* 1330 *ad* 1349, *in optimis præsulibus numeratus* (1).

b *Licet vulgo Sanctus noster scribatur* Allucius, *tamen sæpius in eo, quod exhibemus, instrumento etiam* Alluccius *dicitur: retinuimus, quoties occurrit, hunc scribendi modum.*

c *In Commentario prævio num.* 3 *diximus,*

(1) Ughelli. Ital. Sacr. tom. I, col. 823.

EX INSTRUMENTO PUBLICO.

quomodo Pisciense territorium, initio Lucensis diœcesis, dein Nullius, tandem episcopale factum est, erecta ecclesia collegiata S. Mariæ Majoris in cathedralem. Ejus territorium describit Joannes Lami (1).

d *Innocentius III in concilio Lateranensi* IV *cap.* 62, *quod in corpore juris clauditur sub c.* 2 *de Reliquiis et Venerat. Sanct.* (III, 45) *legitur, sequentem canonem promulgavit:* Quum ex eo quod quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales et eas passim ostendunt, christianæ religioni detractum sit sæpius : ne in posterum detrahatur, præsenti decreto statuimus, ut antiquæ Reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati vero non permittant eos, qui ad eorum ecclesias causa venerationis accedunt; variis figmentis aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit. *In casu nostro non agebatur de* inventis de novo *Reliquiis, quandoquidem*
B *sciebatur corpus S.* Allucii *in ecclesia domus hospitalis quiescere; adeoque recursus ad Romanum Pontificem non erat necessarius. Sed quoniam aperienda erat capsa et revelandum corpus sanctum, prælati Lucensis officium erat, inquirere ne* figmento *aliquo aut* falso documento *deciperentur fideles : quapropter vices suas delegat fr. Paulo Lapi, Ordinis Prædicatorum. Cfr quæ diximus num.* 12 *Commentarii prævii.*

e *In discurrendo per Acta nostra quandoque occurrent membra, quæ medica manu indigent. Sufficiet plerumque probabile remedium in margine indicasse.*

f *Mons Toparius seu Tauparius, in quo erat parochia præcipua SS. Stephani et Joannis Euang., varias sub se habens ecclesias minores, ad episcopatum Lucensem pertinuisse docet nos Joan. Lami* (2). *Hodie tamen Samminiatensis est diœcesis : hujus loci frequens fit mentio, quando de definiendis limitibus inter episcopatum Pisanum et Lucensem sermo est* (3). *Vulgo dicitur* Montopoli (4).

C g Tuppæ *vox italica eadem ac* sera, *qua arcæ et capsæ claudi solent. Operæ pretium fuerit animadvertisse hac seras et claves non solum rubiginosas fuisse, sed etiam anno* 1344 antiquæ et inusitatæ formæ, *quæ monstrant antiquitatem cultus.*

h *In apographo, quod inter schedas Bollandianas reliquit Papebrochius noster, scribitur iterato S.* Allucius *obiisse anno* 1164, *hoc numeris arabicis, hoc totidem verbis expressit. Sed obstant monumenta Pisciensia, et Joannes Lami in suis S. Ecclesiæ Florentinæ monumentis* (5) : *quæ sine ambagibus obitum Sancti nostri anno* 1134 *illigant : ut dubium omne merito excludant.*

i *S. Quiricus, de quo sermo est, videtur ille, qui adhuc puer, cum matre sua Julitta Tarsi in Cilicia passus est, cujus meminit Martyrologium Romanum hodiernum, die* XVI *Junii, sub qua de utroque commentati sunt nostri majores* (6), *eorumque cultum in Græcia, Gallia et Hispania* D *explicarunt. Sed siluerunt de Italia, quæ tamen regio dictorum Sanctorum cultui devotissima fuit, ut patet ex multis, sub eorum invocatione erectis templis. Certe in brevi tractu Pisciensi Joannes Lami in Indice ecclesiarum, tres numerat ecclesias S. Quirici, quum in reliqua diœcesi Lucensi sex aliæ numerentur* (7). *Quod vero ad diem spectat, qua S. Quiricus colitur in Italia, illa incidit in idus* (XV) *Julii, ut habent calendaria tum apud Joannem Lami* (8), *tum apud Franc. Ant. Zaccariam* (9). *Ex quibus conficitur, quod corpus S.* Allucii *idibus, id est die* XV *Julii revelatum seu detectum, septimo kal. Augusti seu* XXVI *Julii denuo reconditum fuerit.*

k *Toballiola, idem quod Mappula, vox adhibetur apud Mabillonium in Ordine Romano* (10).

l *Parvula crux ex panno albo super toballiola consuta, videtur Vincentio Fregianelli* (11) *insigne fuisse Fratrum, hospitali domui inservientium. Nam ab obitu Sancti seu ab anno* 1134 *ad* 1182 *nullum exstat indicium, quod corpus S.* Allucii *motum fuerit, adeoque, quum illa* E *ætate necdum xenodochium S.* Allucii *fratribus Pisanis S. Sepulchri donatum fuisset, videtur illa crux pro habitu istius communitatis habenda. Sic eodem tempore milites seu hospitalarii S. Joannis Baptistæ, postmodum Melitenses dicti, Teutonici et Templarii cruces, suis vestibus assutas, gestabant : Melitenses quidem albas* (12), *nigras Teutonici* (13), *Templarii rubras* (14).

m Annale *apud Cangium, Glossarium med. et inf. latinitatis, h. v., varias habet significationes ; in textu nostro significat Acta publica alicujus ecclesiæ seu monasterii per ordinem temporum digesta.*

n *Medio ævo, imo et hodie in aliquibus partibus Italiæ, singula singulis erant absque cognomine gentilitio nomina, ut videre est in nominibus hic recitatis, quorum alterum patrem ejus, de quo sermo est, indicat. Unde non raro enascebatur gravis difficultas in definiendis consanguinitatis et affinitatis gradibus, quando dubium aliquod circa validitatem matrimonii emergebat. In sacro baptismate nomina imponi consuevisse, antiquissima docet historia* (15). *Sed id* F *animadversione dignum, quod incommunicabile nomen Dei hominibus imponeretur : cujus quidem usus testimonia profert sæpe laudatus Joan. Lami in* Deo Neri (16) *et in* Deo Ajuti (17).

CAPUT II.

Vita S. Allucii; approbatio ejus Reliquiarum.

Vita antiqua

Item retulit se invenisse Legendam de Vita et quibusdam miraculis dicti S. Alluccii, quam, in chartula pecuria *a* scriptam, eidem *a* D. episcopo præsentavit, cujus tenor talis est, videlicet: Incipit Vita B. Allucci Confessoris.

(1) Eccles. Florent. monum. tom. I, pag. 519. — (2) Ibid. pag. 515. — (3) Ibid. pag. 352, 383 et Cfr Deliciæ Erudit. tom. VI. Part. I, pag. 247. — (4) Ripetti. Dizion. Geograf. della Toscana, h. v. — (5) Tom. I, pag. 306. — (6) Act. SS. tom. III Junii, pag. 17 et seqq. — (7) Cfr Lami. Eccl. Florent. monum. tom. III, Index Eccles v°. *Quiricus*. — (8) Ibid. tom. IV, pag. 66. — (9) Excurs. lit. pag. 299, 356 et 376. — (10) Mus. Ital. tom. II, pag. 332. — (11) Istor. de S. Alluc. pag. 75. — (12) Migne, Dict. des Ordres relig. tom. II, col. 834. — (13) Ibid. tom. III, col. 647. — (14) Ibid. col. 614. — (15) Cfr Martene. De Antiq. Eccl. Rit. Lib. I. cap. I, art. 10. — (16) Eccl. Flor. monum. tom. II, pag. 1082. — (17) Ibid. pag. 1207.

In

A In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Alluccius, servus Dei, pauperum Christi sollicitus procurator, ad honorem Christi, omniumque Sanctorum, et pauperum refe-
* *P.* Campoliano ctionem hospitale de Campo Loano *, quod in suo tempore destructum erat, reædificavit; ibique ecclesiam in honorem S. Lucæ Euan-
b c gelistæ *b*, Sanctique Herculani Martyris *c* constituit, multosque fratres, qui pro Dei amore prædia vel uxores atque filios cætera-
d e que sua bona cunctaque dimittentes, in eodem hospitio recepit *d*. In monte Albano *e*, magna in eremo sito, ecclesiam aliam in honorem S. Bartholomæi et S. Clementis et S. Columbani et aliorum Sanctorum, cum
* *P.* suo summo * desiderio magnoque labore ordinare curavit ad honorem hospitalis et pauperum sustentationem, quod in supradicto monte perfecerat. Juxta Arnum etiam in strata publica, aliud hospitale constituit, in quo multi pauperes quotidie reficiuntur; juxta quod hospitale fluvius erat magnus, ubi multi peregrini periclitabantur : ipse vero ad epi-
* *P.* pergens scopum Florentinum ferens * litteras, ut pontem ibi ædificaret, invenit nobilem cum... *f*
f in partibus illis exsistentes, qui de navigio et hominum transitu plura lucrabantur, pontem ibi ædificari non permittebant. Ipse vero Alluccius homines illos suis dulcibus et blandis verbis mollificans, sedavit; et pontem ibi ædificari permiserunt. Unde ipse institutor
g et principium pontis 'Arni fuit *g* : et revera Alluccius vocatus fuit, quia ejus vita et conversatione plures homines sibi advexit vel
* adduxit allexit *. Et ejus vita et conversatio per totam Tusciam et per maximam Lombardiæ partem, necnon per Marchiam, et etiam usque ad Ravennam atque Venetiam, et usque ad Anconam mirabiliter est divulgata.

miraculis plurimis 7 Ab ipso enim suæ puericiæ ortu pro pascendis vaccis et bobus in locum, ubi dici-
h tur Turettum *h* iverat : ipse vero herbas virentes, ubi vaccas et boves pasceret petens, inundatio aquarum maxima cum turbinibus et tonitruis est secuta. Unde omnes rivuli ita sunt pleni, ut ad propriam domum nec ad aliam minime valuit revertere : quare latibu-
* *P. add.* et lum petens *, ad quamdam arborem confugiens, omnes vaccæ et boves eumdem, ut patrem, sunt secuti; et ibi juxta arborem Alluccius jacens, omnes circulum juxta eum fecere : et per totam noctem juxta eum usque ad diem jacuere. Pater vero suus, Homo-Dei nomine, et alii familiares eum et bestias mane quærentes, juxta quamdam arborem eum et bestias in modum circuli post eum morantes,
* *P.* pro et nullam læsionem præ * aqua habentes et siccam terram, ac si nil pluviæ advenisset, invenerunt, et cum magno gaudio ad hospitale reversi sunt; quia filius perierat et inventus est; et ab hac die in antea totam hospitalis
i administrationem ei tradiderunt *i*. Ubi multa per eum Deus miracula ostendere dignatus est. Erat enim pater pauperum, consolator orphanorum et viduarum; quidquid enim invenire poterat, pauperibus diligentissime et cum magna reverentia tribuebat.

ac multiplici beneficio 8 Quodam tempore pacem inter Ravennam
k et Faventiam composuit *k* ; Venetiæ ultra quadraginta homines, vinctos in carceribus, liberavit. Quodam vero tempore, fame imminente, mulier cum duobus filiis suis ad B. Alluccium venit, cui et dixit : Domine pater, consolator orphanorum, ego cum filiis meis fame crucior, et quid cum filiis meis comedam, habere vel invenire nequaquam possum. Unde tuam pietatem suppliciter deprecor, quatenus super tantam * indigentiam
* *P.* suprascriptam benignus respicias, et manum misericordiæ tuæ in nobis ostendas. Quo audito, ejus miseriæ et filiorum suorum compatiens, administratorem columbina voce vocans, ut ipsis subveniret, dixit. Ipse vero quam aspere respondens, nihil panis, nisi Starium *l* milii
l dixit se habere. Cui Alluccius dixit : Frater mi, Deus est retributor omnium bonorum : da secundum quod habes, et Deus miserebitur nostri : potens est enim Deus multiplicare nobis victum, qui pavit Israelis filios in deserto, et qui quinque panibus et duobus piscibus quinque millia homines * satiavit.
* *P.* hominum Ipse vero ministrans quam violenter *, ad
* *P.* quam molestus arcam pergens, ut eis panem daret, arcam usque ad summum, ubi panis non erat nisi sextarium, plenam invenit. Quare * magno
* *P.* quam tripudio ad Allucium revertens, hæc ei nuntiavit; qui gratias ingentes Deo retulit, fidem et suam auxit, ei præcepit secundum quod Deus nimium * multiplicaverat, pauperibus
* *P. An* milium? largius impenderet.

9 Oculos cuidam, novitus* *m* deorbato suis
in omnes illustris : scelcribus, misericordiam B. Allucio petiit,
* *P.* noviter? qui oculos erutos recepit, et unde abstracti
m fuerant, reposuit, et lumen, ut prius, recepit.
n Quamdam etiam de Fregnano *n*, ubi dicitur
* *P.* Fenarium fœnariam *, a dæmonibus vexatam, in Christi nomine liberavit; quæ postea, quousque vixit, Deo et hospitali B. Alluccii servivit. Quadam die Faventiam ire disponens, quum Alpes transitaret, latrones ibi invenit, qui multos jam expoliaverant et vulneraverant, qui B. Alluccium cum duobus suis videntes, insultum fecerunt in eum * : qui latrones, statim com-
* *P.* eos punctí arma deposuerunt et in terram se projecerunt et misericordiam de malefactis suis ei petierunt. Qui consolationis * verba eis
* *P.* consolatoria contulit, et eos ad Dominum convertit : et illi munuscula sua ei tradiderunt, et nihil mali alicui inferre promiserunt. Secunda et quarta
F et sexta feria semper jejunabat, carnem et sanguinem, caseum et ovum non comedebat. Septem quadragesimas, quibus numquam comedit, jejunavit; et omni die corpus Christi
o et sanguinem accipiebat *o;* et episcopus
p Lucensis, Benedictus nomine *p*, et ulterius priores quidam Lucenses per totam unam quadragesimam eum habuerunt, et eum non comedisse testati sunt. Quamdam vero Fra-
q xillam nomine, de monte Calvioli *q*, contractam sanavit; et Finintende * de Castro Monte
* *P.* Semintende Murli *r*, similiter contractum sanavit : et alium
r Lucensem, Ugolinum, filium Pauli, de porta S. Gervasii sanavit : Costæ lumen unius oculi, quem amiserat, restituit; et sic semper postea in hospitali fuit. Ciuzus * etiam post transitum
* *P.* Cirolus B. Allucii in somnis eum vidit, qui tanto desiderio, ut eum videret, accensus est, quod ad ejus sepulchrum ipse perrexit, et ut eum videret, ibi foveam fecit; sed ad ejus visionem minime pertingere potuit. Sed malitia hoc et non pro bono animo illud facere voluit : omnibus membris contractis, officium linguæ perdidit,

EX INSTRUMENTO PUBLICO.

EX INSTRUMENTO PUBLICO.

didit, et sic mortuus est. Rusticus etiam, post obitum suum, uno latere contractus est, et sic ad hospitale pervenit, ubi servire promisit; et sic per misericordiam Dei et meritis B. Alluccii liberatus est. Duo viri Senenses ad ejus sepulchrum non videntes ducti fuerunt, et sic meritis B. Alluccii liberati * sunt.

* *P.* illuminati *episcopus, auditis viris peritis,*

10 Quæ omnia et singula suprascriptus in Christo pater ac D. Guilielmus, Dei et apostolicæ Sedis gratia Lucæ episcopus, vidit, legit et diligenter intellexit; et quia tempore prædictæ relationis, sibi factæ per dictum Fr. Paulum, moram et residentiam contrahebat in castro suo ipsius * de Montopere *s*, ubi * non poterat sine difficultate habere copiam peritorum, cum quibus deliberare posset, quid super præmissis esset agendum, vidit * super his supersedendum esse, donec Lucam accederet. Qui dum fuisset Lucæ, quam primum potuit, convocata copia * juris canonici, divini videlicet et humani, quorum nomina et etiam dignitates sunt hæc, videlicet : D. Nicolaus, presbyter * Lucensis, juris canonici peritus; D. Ciatus de Antelmonellis *, archidiaconus Lucensis et plebanus S. Macarii; D. Geus de Podio canonicus, rector ecclesiæ de Matracia *; D. Joannes de Serbano *, canonicus Lucensis et plebanus de Sexto; D. Joannes Motronus, canonicus Lucensis et rector ecclesiæ de Aquilea; D. Bonajuncta Baldinelli, canonicus Lucensis et rector ecclesiæ S. Petri Samaldi; D. Andreas de Tuderto, decretorum doctor, prior ecclesiæ S. Joannis et Reparatæ, et vicarius ejusdem D. episcopi *t*, D. Guido Corbi, doctor, canonicus dictæ ecclesiæ; D. Bonamore de Corelia; D. Donatus, prior ecclesiæ S. Paulini; D. Joannes de Pisis, prior ecclesiæ S. Mariæ Ferio portam *; D. Joannes de Fridiano *, canonicus dictæ ecclesiæ, juris peritus *; Fr. Gratianus, conventus fratrum Prædicatorum de Luca; Fr. Opiso, guardianus * Frum Minorum de Luca; D. Andreas, abbas de Cantignano; Fr. Robertus, prior * FF. Eremitarum, D. Lapus, prior ecclesiæ S. Petri majoris; prior et socius conventus Frum Carmelitarum, rectores ecclesiæ S. Sensii *; D. Geraldus, prior ecclesiæ de Tosignano *; presbyter Benedictus, rector ecclesiæ S. Mariæ in Via; presb. Magidlus ecclesiæ S. Bartholomæi de Gallo; et plures alii rectores ecclesiarum Lucensis civitatis et diœcesis : in sala palatii episcopalis Lucæ coram se eis publice et patenter exposuit narrata et petita per prædictum Fr. Petrum Rectorem hospitalis S. Alluccii supradicti : petens ab eis, quod deliberatione præhabita, infra se sibi consulerent, quid per eum super præmissis esset agendum.

* *P. add.* episcopi *s*
* *P.* unde
* *P.* providit
* *P. add.* peritorum
* *P.* archipresbyter
* *P.* Antelmonellis
* *P.* Matraia
* *P.* Sorbano
t
* *P.* Foris portam
* *P.* de S. Frediano
* *P. addit* prior et
* *P.* Guardianus et fr. Opito
* *P.* prior et fr. Robertus.
* *P. add.* fr. Vita praceptor hospitalis de Malonotte; Rectores ecclesiæ S. Petri Cigoli
* *P.* Fassignano

Reliquias veras pronuntiat,

11 Infra quos primus surrexit venerabilis vir D. archipresbyter supradictus *u* *, et petiit, relationes, factas per dictum Fr. Paulum publice recitari, ut omnes instructi deliberatius * responderent. Et tunc ego notarius infrascriptus, de mandato dicti R. P. Domini mei, prædictas relationes, factas per dictum Fr. Paulum ipsi D. episcopo, publice, cunctis audientibus, legi clare et aperte : unde omnes intellexerunt plenissime. Propter quod D. archipresbyter, canonici juris peritus, iterato surrexit, et probando per jura canonica, humana videlicet et divina, quæ patenter allegavit, eidem D. episcopo aperte consuluit, D sanctas Reliquias prædictas * S. Alluccii a fidelibus venerari debere, eisque honorem impendere : et denuo surrexit R. vir D. Andreas, decretorum doctor præfatus, ejusdem D. episcopi vicarius, et confirmando dicta per dictum D. archipresbyterum, et alia sua * ad probandum præmissa induxit, per quæ manifeste patuit, prædictum D. episcopum debere, imo teneri ad venerandum dictas sanctas Reliquias. Et sic per ordinem omnibus præfatis interrogatis, omnes unanimiter consenserunt in dicto prædictorum; excepto venerabili viro, D. Joanne canonico ecclesiæ S. Fridiani Luc.; qui super prædictis differendum esse usque ad crastinum, ut plenaria deliberatio sumeretur, consuluit. Ex quo ejus dicto idem R. P. Dominus episcopus in sequentem diem consilium prædictum habendum distulit, et rogans mandavit eis, quod summo mane adessent in eodem loco, in prædictis sibi consilium daturi, si forte Deus, qui illuminat corda ... aliud quid sibi * videre contingat.

* *P. add.* dicti
* *P.* jura
* *P.* sit *et cultui publico exponendas :*

12 Die vero sequenti, quæ fuit ... Augusti in eodem loco omnes prædicti fuerunt, et etiam vener. vir D. ..... prior ecclesiæ S. Michaelis Lucensis, canonici juris peritus; D. Fr. ..... plebanus ..... de Piscia et prudentissimus vir D. Hopici * de Camaioze, juris peritus, coram prædicto P. D. Lucano episcopo. Coram quibus ego notarius supradictus prædicta omnia etiam de mandato Domini mei legi publice et aperte, cunctis intelligentibus. Qui juris periti prædicti omnes unanimi concordia consuluerunt D. episcopo, quod quum præfatæ Reliquiæ S. Alluccii essent antiquæ, et antiquitus veneratæ pro sanctis, licet ad præsens inventæ fuerint, quia latuerunt malitia temporis, faciendo ipsis Reliquiis sanctis honorem impendere, a fidelibus christianis venerandæ mandentur, et dies transitus B. Alluccii, qui fuit x kal. Novembris solemnizetur et solemniter celebretur : et quod idem D. episcopus suas indulgentias, quas jus ei * concedit, exhibeat hujusmodi Reliquias venerantibus. In qua quidem sententia omnes prædicti, nemine discordante, fuerunt. Et ideo præfatus D. episcopus de consensu et consilio sui capituli supradicti * et supradictorum prælatorum et rectorum ecclesiarum Lucensis civitatis et diœcesis, sedens pro tribunali, invocato prius fideliter nomine Dei omnipotentis, et facto venerabili signo * crucis D. F. Petro, rectori hospitalis S. Alluccii prædicti, in sua præsentia constituto, consuluit, quod dictæ Reliquiæ S. Alluccii præfati per eum et alios fideles christianos possint et debeant venerari pro Sanctis.

* *P.* Hospito
* *P.* sibi
P. supra-scripti
* *P. add.* sanctæ

13 Quæ Reliquiæ positæ sunt in ecclesia hospitalis prædicti S. Alluccii, sicut * et quomodo in relatione supradicta per dictum Fr. Paulum, de quaque Fr. Paulus fieri fecit supradictum publicum instrumentum, plenius continetur : et concedens licentiam dicto D. Fr. Petro, rectori hospitalis prædicti, ad hæc præsenti et audienti, quod dictas SS, Reliquias possit et sibi liceat de dicto loco, ubi inventæ sunt, si maluerit et sibi visum fuerit, transmutare, et ad alium locum, dum tamen non extra suam diœcesim, magis honorabilem pro honore Sancti prædicti *. Indulsit et nunc, prout ex tunc, omnibus

indulgentias XL dierum impertit.
* *P. omitt.* sicut
* *P. add.* transferre

A omnibus et singulis, qui ad ipsam ecclesiam accesserint, singulis deinceps in perpetuum, in die translationis fiendæ de dictis Reliquiis, et in die migrationis ejus ad Christum, qui fuit decimo kalend. Novembris, et per octava, dictarum dierum dumtaxat, vere pœnitentibus et confessis et ex causa devotionis, qui ob reverentiam Dei et dicti Sancti de suis bonis aliquid dicto hospitali contulerint, de Dei omnipotentis et gloriosæ et beatæ Mariæ Virginis Matris ejus auxilio, ac BB. Petri et Pauli Apo-
v stolorum ejus et B. Martini, patroni sui *v*, meritis confidens, XL dies de injunctis pœnitentiis in Domino relaxavit. Acta sunt hæc omnia, videlicet consilium petitum per dictum D. episcopum, et datum per supradictum clerum dicto D. episcopo, et per ipsum D. episcopum dicto Fr. Paulo et supradicta indulgentia per eumdem D. episcopum concessa, Lucæ, in palatio Lucensi episcopali, coram Raymundo Bunii
* *P.* fr. de Monte Albano et Ser * Joanne Michaelis de
* *P.* Roberti Pampilonia et Fr. Petro Boterti * et Ser Rossecio, canonico Pisciæ, testibus ad hoc vocatis, anno Nativitatis Domini 1344, indictione XII,
B die XXVI Augusti, pontificatus D. Clementis Papæ III, anno III.

ANNOTATA.

a *Membranam seu chartam pergamenam* carta pecora *dicunt Itali : atque hinc venit* chartula pecuria, *quatenus Vita S.* Allucii *in membrana exarata fuerit.*

b *S. Lucæ euangelistæ Acta, sub die* XVIII *Octobris, dedimus* (1).

c *Plures sunt hujus nominis Martyres in Italia : crediderim tamen, S. Herculanum, cui sacra est ecclesia, a S.* Allucio *instaurata, esse episcopum et Martyrem Perusinum, S. Herculanum, cujus Acta dederunt nostri sub die* I *Martii* (2); *quia et vicinior est locus martyrii et celebrior est cultus.*

d *Hæc verba monstrant, fratres, a S.* Allucio *coadunatos, in justum coaluisse monasterium : quandoquidem, quos in suum recipiebat hospitium, debebant* prædia vel uxores atque filios, cæteraque sua bona cunctaque dimittere. *Quæ*
C *absolutissima terrenarum rerum demissio verissimam religiosæ paupertatis imaginem refert. Cfr Annot.* I *capitis præcedentis.*

e Mons Albanus, *cujus nominis plura sunt per Etruriam loca, hic est ramus Apennini per Pistoriensem tractum extensus, ejus cacumina altissima Petra Marina et S.* Allucii *dicuntur. Tribus fere milliaribus a summitate montis* S. Allucii (Torre de S. Allucio) *in parte orientalis Montis Albani est castellum, nomine* Tizzana, *cujus ecclesia titulum gerit S. Bartholomæi, sed hisce in partibus nulla mihi occurrit ecclesia, quæ simul cum S. Bartholomæo patronos haberet SS. Clementem et Columbanum : forsan patroni secundarii non nominantur in titulo ecclesiæ* (3). *Mihi tamen satis placet opinio, quæ facit S.* Allucium *fundatorem ecclesiæ Tizzanensis. Agerquidam situs in Monte Albano debebat olim episcopo Florentino* XV *annuos parvos florenos* (4). *Quoniam Mons Albanus ad diœcesim Pistoriensem pertinet, et nomen istud aliis etiam locis commune sit, non ausim affirmare unum eumdemque locum esse et qui ecclesiam a Sancto nostro fundatam haberet, et qui pensionem annuam Florentino episcopo deberet solvere.*

f *Desiderantur aliqua verba, forsan* cum sociis *aut* fratribus : *quamquam et tunc manca est locutio, quum pro* exsistentes *legendum esset* exsistens, *et quæ sequuntur in numero singulari ponenda essent.*

g *Pontem, a S.* Allucio *ædificatum, dicit Placidus Puccinelli nomen Sancti constructoris retinuisse. Ast Vincentius Fregianelli negat ullum documentum hactenus repertum fuisse, quod istiusmodi assertionem confirmet. Existimat autem, hunc pontem eodem exstitisse loco, quo nunc Pons Signianus* (Ponte a Signa) *constitutus est : quia scilicet non alius pons in decursu Arni per diœcesim Florentinam Florentiam usque umquam fuit* (5). *Emmanuel Ripetti in suo Lexico geographico pontem aliquem medio sæculo* XIII *ibidem exstitisse docet* (6) : *nisi vitium sit typothetæ, ponentis* XIII *pro* XII, *patet ex Actis nostris pontem Signianum toto sæculo antiquiorem esse. Sæpius destructus, sæpius instauratus, etiam anno* 1836 *novo opere constructus fuit* (7). *Apud Dominicum Manni exhibe-* E
tur communitatis Signianæ Sigillum, representans pontem septem arcuum, cum inscriptione : Sigillum communis de Signia (8).

h *Hunc locum italice* Torretto *vocat Vinc. Fregianelli, ubi erat suo tempore seu anno* 1797, *conventus FF. Minorum Capuccinorum* (9) : *hodie* Turricchio *appellatur, adjacetque Campuliano, loco natali Sancti nostri* (10). *Quod quidem optime cohæret cum reliquis circumstantiis, secundum quas S.* Allucius *narratur fuisse* in puericitiæ ortu, *quando extra solum natale* pro pascendis vaccis et bobus *missus non fuerit.*

i *Si verba, prout sonant, accipiantur, dicendum est, domum natalem S.* Allucii *esse ipsum hospitale, quod, ut numero superiori dicitur,* destructum reædificavit : *imo a patre, Homine-Dei, initium aliquod instaurationi datum fuerit. Alioquin, prout fluit oratio, reducendus erat filius cum armento suo ad domum paternam : aut igitur mutila est phrasis, aut admittendum est, jam tum aliquod hospitali domui, cujus administratio deinceps Sancto nostro commissa* F
est, initium fuisse. Hic loci addamus, S. Allucium *damos suas hospitales non tam pro infirmis aut senibus, in eadem domo permanentibus, quam pro peregrinis et pauperibus fundasse. Muratori in suis Antiquitatibus Italiæ Dissert.* XXXVII *monstrat, id moris medio ævo fuisse,* hospitales hasce ædes in peregrinorum commodum atque subsidium condere, ubi fluvii sine ponte, et juga montium a viatoribus superanda erant... Quum ferreis illis temporibus rariores, quam nunc, in altis montibus numerarentur domus, et contra ibi inhospiti saltus et sylvæ abundarent, infelices peregrini nullum hospitium illic nacti in via, coacti fuissent sub dio, ferisque expositi noctem ducere, ac non leve discrimen vitæ subire. Rursus ad flumina pontibus destituta, si quando ex pluvia nivibusque solutis intumesceret fluvius, consistendum erat viatoribus, atque idcirco christiana misericordia *suadebat,*

(1) Act. SS. tom. VIII Octob., pag. 282. — (2) Ibid. tom. I Mart., pag. 47. — (3) Ripetti. Dizion. della Tosc. V°. *Albano* (*Monte*) et *Tizzana.* — (4) Lami. Eccl. Flor. monum. tom. II, pag. 862. — (5) Istor. de S. All. pag. 31. — (6) Dizion. geogr. v°. *Ponte a Signa.* — (7) Ibid. l. c. — (8) Sigilli antich. tom. II, pag. 113. — (9) Istor. de S. All. pag. 16. — (10) Ripetti. v°. *Turrichio.*

ut

AUCTORE. J. V. H.

ut in loco difficili præsidium pararetur (1). *Hinc etiam fiebat, ut istiusmodi hospitalarii militiam sæcularem sectarentur, quatenus armis suis grassantes latrones cohiberent : unde decursu temporis potius milites aut equites, quam hospitalarii vulgo appellati sunt.*

k *Frequentissima erant in priori medietate sæculi* XII, *quo S.* Allucius *floruit, bella inter Faventinos et Ravennates, quin tamen sciatur pax aliquando composita fuisse. Tolosanus, canonicus Faventinus, qui bene longum Chronicon civitatis suæ texuit, nullo verbo attingit, pacem aliquam inter bellantes conciliatam fuisse; dum e contrario continuata inter utramque civitatem bella recenset. Hoc unum habet cap.* XXIX *sui chronici* (2) : Anno a Nativitate Domini MCXXXVII videntes Faventini et Imolenses quod in antea se a prædictis civitatibus (*scilicet Bononia et Ravenna*) se non possent tueri commode, exclusis Ravennatibus, cum Bononiensibus pacem fecerunt; ita scilicet, quod Faventini et Bononienses civitatem et comitatum Imolæ deberent communiter tenere, et ecclesiæ Bononiensi darentur duo
B pallia, sicut et Faventinæ. *Hæc pallia, ut animadvertit Mittarelli* (3), *annis singulis offerenda erant vel ex lino vel ex holoserico, variisque usibus inserviebant* (4) : *ut videre est apud Car. Du Cange v°* Pallium *et* Palla. *Quamvis autem nos lateat hujus pacis conciliatio, fieri potest, ut pro Ravennatibus Bononienses substituendi sint, aut etiam agatur de gratia, circa annum* 1140 *impertita a Gualterio, Ravennate archiepiscopo, canonicis Faventibus, qua eosdem* restituit pristinis officiis et dignitatibus (5).

l Starium, sextarium *aut* sistarium, *gallice* sétier, *flandrice* sister *vel* sester *est mensura granorum. Apud Florentinos starium æneum habebat pondus* XL *librarum*, *ut constat ex transactione quadam anni* 1236 *inter canonicos S. Mariæ* (*quæ ecclesia dein Carmelitis Florentinis data fuit* (6)) *et Raynaldum, S. Mariæ de Paterno rectorem* (7).

m *Censeo legendum* noviter, *quatenus aliquis in pœnam scelerum recenter orbatus oculis, ad Sanctum recurrens lumen amissum recuperaverit.*

C n Fregnanum, *quod etiam* Frignianum *et* Frinianum *dicitur, locus est in plebatu* (*nobis quasi decanatu*) *S. Joannis Baptistæ Montis Rapuli, diœcesis Florentinæ: qui locus* Monte Rappuli *aut etiam* Monte Trappoli *nuncupatur* (8) : *ast patronus Ecclesiæ indicatur S. Joannes Evangelista.*

o *Ex hisce verbis manifestum est, S.* Allucium *sacerdotem non fuisse, sed laicum; quandoquidem pro quotidiana communione, celebrationem Missæ quotidianam retulisset biographus. Quamvis perceptio Corporis et Sanguinis Christi pro communione sub una tantum specie apud auctores accipiatur; non est tamen quod de una specie communionem Sancti interpretamur, nam sæculo* XII *quo vixit erant ecclesiæ, in quibus binæ species fidelibus præbebantur. Certe S. Thomas, annis* 140 *S. Allucio junior* III *Part. quæst.* 80 *art.* 12 *monstrat legem communionis sub una tantum specie in multis ecclesiis* D *necdum viguisse.* Quia crevit, *ait,* multitudo populi Christiani, in qua continentur senes et juvenes et parvuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus sacramenti adhibent, ideo provide in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur. *Animadvertamus, S. Thomam solum agere de* quibusdam Ecclesiis, *in quibus usus communionis sub utraque specie abolitus fuit. Enimvero primum sæculo* XIII, *et quidem ad finem vergente, lex communionis sub una specie panis per totam Ecclesiam latinam prævaluit* (9). *Satis sit hic indicasse canonem* III *de communione sub utraque specie Conc. Trid. Sess.* XXI, *quo Ecclesia docet,* totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem sub una specie panis contineri. *Quod vero spectat ad quotidianam ejus communionem, ea signat summam ejus sanctimoniam: nam ut dicit S. Bonaventura lib.* II *de Profectu religiosorum cap.* 77 (10): Sicut ægrotantibus non potest una forma servari in E dandis medecinis corporis, propter diversitatem complexionum, aut loci, aut temporis aut diætæ, vel aliarum considerationum, pro quibus aut rarius aut sæpius, aut majori aut minori quantitate, eadem medecina datur, ita et de medecina spirituali, quæ est corpus Christi, intelligendum. Mundanis enim curis occupati rarius possunt se ad illud recipiendum expedire, quam illi qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti: et alii magis, alii minus sunt circumspecti in custodia vitæ suæ et morum, et conscientiæ suæ puritate. Alii etiam ardentiori desiderio trahuntur ad illius salutaris cibi perceptionem : alii vero quodammodo terrentur, quum deberent accedere; et nisi conscientia urgeret, et consuetudo religionis induceret, vel timor majoris elongationis a Deo impelleret, valde raro accederent ad illud mirificum sacramentum. Vix tamen aliquis ita religiosus esse videtur et sanctus, exceptis sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque, vel ratio plus suadeat, infirmitas superF veniens, vel singulariter festivitas solemnis, vel inusitatus devotionis fervor et intemperata desiderii sitis sit pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. *Qui plura, eaque ex theologica ratione deducta scire cupit de quotidiana laicorum communione, consulat Tractatum de Eucharistia Card. Joan. de Lugo. Disput.* XVII.

p *Benedictus, Lucensis episcopus, ab anno* 1118 *ad* 1127 *sedem obtinuit* (11).

q Montem Calvioli, *interpretor Montem Calvuli, in Valle Arni inferiore ad ripam ejus dexteram* (12) : *Italis dicitur* Monte Calvoli, Monte Calvi, *hodie in diœcesi Samminiatensi.*

r *Mons Murlus,* Montemurlo *habet ecclesiam baptismalem in diœcesi Pistoriensi* (13).

s Montopere *eumdem locum arbitror, qui supra cap.* I *Annot.* f Mons Taupiarius *dictus fuit.*

(1) Antichita. d'Ital. tom. III, col. 576. Edit. Mediol. 1740. — (2) Mittarelli. Rer. Favent. Scriptt. col. 33. — (3) Ibid. col. 199. — (4) Ibid. col. 600. — (5) Ibid. col. 427. — (6) Eccl. Flor. monum. tom. II, pag. 1016. — (7) Ibid. pag. 1019. — (8) Ibid. pag. 843. Cfr Ripetti: Dizion. v°. *Monte Rappoli.* — (9) Cfr Moroni. Diz. di Erudiz. eccles. v°. *Communione.* — (10) Oper. tom. VII, pag. 651. Edit. Rom. 1596. — (11) Ughelli. Ital. sac. tom. I, col. 818. — (12) Lami. Eccl. Florent. monum. tom. III, Index geograph. Cfr Ripetti. v°. *Monte Calvoli.* — (13) Lami. Ibid. l. c. Ripetti v°. *Monte Murlo.*

t *Videmus*

A t *Videmus plures canonicos Ecclesiæ Lucensis, simul esse rectores plebium, etiam extra urbem positarum: hic mos usque ad tempus Concilii Tridentini viguisse, patet ex eo, quod Congregatio Romana Interpretum dicti Concilii sæpius interrogata, utro in loco residere deberet, qui præbendam canonicalem et beneficium parochiale simul possideret, responderit, residendi obligationem urgere magis parochum, quam canonicum. Unum responsum proferam ex epistolis Julii Poggiani, Congregationi ab epistolis. Poggiani epistolas, olim ab Antonio Maria Gratiano collectas, novis curis edidit Hieronymus Longomarsinus, Societatis Jesu. Inter varias harum epistolarum utilitates, illa spernenda non est, quod Poggianus primus fuerit secretarius Congregationis Concilii, apud quem proin solutio variarum difficultatum quærenda est. Epistola porro Congregationis directa est ad Cardinalem Lotharingiæ, archiepiscopum Rhemensem et data* v *kal. Novembris* 1564, *adeoque tunc, quando a conclusa synodo Tridentina nondum integer annus elapsus erat. Sic vero sonat* (1) : Canonici Virdunenses, exposi-
B tis per supplicem libellum difficultatibus ac periculis, in quibus assidue versantur ob imminentem in bona fortunasque suas effrenatam hæreticorum cupiditatem, si decreto Concilii Tridentini de parochialibus sibi parendum sit, præsertim imminutis propter bella superiorum temporum præbendarum fructibus, se necessariis sumptibus sufficere non posse, affirmant. Quare a sanctissimo Domino nostro auxilium tali suo tempore petierunt. Petitio autem hæc est, ne Canonici Virdunenses, qui parochialem in ista diœcesi vel ejus finibus habeant, in canonicatu residentes, ac præposito suæ parochiali idoneo ac illi populo accepto sacerdote, modo ipsi tertio quoque mense visitent, quam obtinent, parochiam, in parochia cogantur residere: neve ea propterea privari possint, aut ejus fructibus. Itaque, iis cognitis, ejus sanctitas jussit, me ad amplitudinem vestram illustrissimam literas dare, quibus pro amplissimo isto, cui præest, officii munere, tota de re sententiam et voluntatem ejus exquirerem. De quo etiam scripsi ad episcopum Virdunensem, simulque ab eo petii, me ut doceret de his omnibus, an illa sic se habeant, ut canonici exposuerunt; et an ita longe absint a cathedralibus parochiales, ut utriusque officii munere fungi non possint, et an ita multi sint, qui parochialibus præsunt, ut, si in illis potius resideant, quod ratio videtur postulare, in cathedrali divinus cultus magnum detrimentum accipiat; et quanti omnino sint annui præbendarum et parochialium fructus. Quamobrem rogo amplitudinem vestram illustrissimam, me ut tota de hac ratione velit admonere. *Deinceps Poggianus constanter ad similes quæstiones respondit, canonicos, etiam Cathedralis ecclesiæ, debere, omissa cathedrali, in parochiis residere. Sed tandem hæ miseriæ cessarunt, quando exsecutioni mandata fuerunt Concilii Tridentini decreta, prohibentia pluralitatem beneficiorum incompatibilium.* AUCTORE J. V. H.

u *Nulla in prædictis mentio fit alicujus archipresbyteri: quapropter credo hunc* archipresbyterum prædictum *eumdem esse ac Ciatum de Antelmonellis, qui dicitur num. sup.* archidiaconus Lucensis et plebanus S. Macarii. *Itaque in alterutro titulo scribendo lapsus calami accidit.* E

v *Ecclesia cathedralis Lucensis olim S. Martino Confessori sacra fuit; atque hinc patronus dicitur; quamvis jam Alexander II, olim Anselmus Badagius anno* 1060 *quum episcopatum Lucensem administraret, eamdem ecclesiam, a fundamentis refectam, sanctissimo Crucifixo, quem* Vultum Sanctum *appellant, dedicasset; videtur tamen titulum S. Martini simul retinuisse. Hic Pontifex multis privilegiis Lucensem Ecclesiam, quam etiam Papa retinuit, illustravit: episcopo sacrum pallium et crucem archiepiscopalem, canonicis mitras concessit* (2). *Tandem Benedictus XIII anno* 1726 *cathedralem ecclesiam archiepiscopalem, nulla tamen ei attributa suffraganea, fecit* (3).

(1) Tom. I, pag. 339. — (2) Ughelli. Ital. sac. tom. I, col. 791, 808 et 820. — (3) Orlendin. Orb. sac. et prof. tom. III, pag. 1031.

C F

DE B. BERTRANDO,

ABBATE GRANDIS SILVÆ IN OCCITANIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

ANNO 1149. § **Unicus. Cultus certus; Vita monastica in Grandi-Silva; ejusdem monasterii associatio Ordini Cisterciensi.**

In variis Ephemeridibus variis diebus B. Bertrandus, *inscriptus,*

Ad hanc diem XXIII *Octobris Menologium Cisterciense Chrysostomi Henriquez de S.* Bertrando, *quem Bernardum appellat, sequens texit elogium :* In Grandi-Silva depositio Beati Bernardi monachi, magnarum virtutum viri : qui postquam miro humilitatis et sanctitatis exemplo omnibus præluxisset, gloriosissimasque visiones, extra sensus factus, contemplatus fuisset, plenus meritis ad cœlos evolavit. *Gabriel Bucelinus in suo Menologio Benedictino sub die* XX *Novembris refert :* In Grandi-Silva Sancti Bertrandi abbatis. Fuit Bertrandus admirandæ prorsus sanctitatis fulgore conspicuus, eoque Galliæ universæ, dum

AUCTORE J. V. H.

dum viveret, notus. « Erat enim, » inquit Vitæ scriptor, « velut sidus quoddam splendissimum inter Cistercienses stellas, quarum numero et pulchritudine Ecclesia decorabatur micans et lucens. » Profuit non suis solum, sed et circumjacenti undique provinciæ, quam exemplo suo Christo lucratus, plurimos e cœno vitiorum vindicavit. Tanta autem in vita virtutum et miraculorum gloria effulsit, ut a morte Sanctorum Albo adscribi meruerit. *Antonius de Heredia in suo Hagiologio Sanctorum Ordinis S. Benedicti, hispanice conscripto, sub die* XXIII *Octobris eadem habet, additque* S. Bertrandum *infirmorum curam diligentissimam gessisse, eorumque sordes etiam fastidiosissimas magno cum amore tersisse* (1). *Hagiologium quoque, germanice a monacho Donabergensi* (Donawerth) *concinnatum, sub die* XX *Novembris elogium Sancti conscribit, in quo id habet speciale, quod ad finitimos populos excurreret, ut verbum Dei prædicaret* (2). *Ex his satis liquet, incertam fuisse hisce martyrologis diem sive cultus sive obitus : quamvis ex Vita a monacho coævo conscripta, habeamus*
B S. Bertrandum *decessisse die* V *id.* (XI) *Julii, feria secunda, anno* 1149, *littera dominicali B signato; adeoque feria* II *cum die* XI *Julii anno isto accurate convenit. Hæc tamen minime officiunt cultui B.* Bertrandi, *cujus nomen inter præcipuos Sanctos Ordinis Cisterciensis recensetur in codice ms. Seminarii Brugensis sub num.* 131.

die XI Julii defunctus,

2 *Quam infra edimus,* S. Bertrandi *Vita a monacho Grandi-Silvensi, ut paulo supra diximus, coævo, composita est; et in Annalibus Ordinis S. Benedicti a Mabillonio conservata* (3). *Hanc scriptionem ineditam dicunt continuatores Historiæ litterariæ Franciæ* (4) ; *contrarium dixerant Benedictini decessores; nempe Vitam editam fuisse a Mabillonio in suis Annalibus, et a Bollandianis sociis in tomo primo Julii* (5) : *sed in hoc errant; nam nuspiam aliqua de B.* Bertrando *Grandi-Silvensi mentio occurrit. Errant quoque dum diem emortualem* III *Julii* 1149 *assignant, quasi legissent* V *nonas pro* V *idus Julii. Tandem in visionibus, a biographo relatis, nihil fidem humanam superat;*
C *quum videantur magis ægri, sed pii, somnia, ut legenti manifestum fit. Et quidem scriptorem monachum in Grandi-Silva fuisse, monstrant repetitæ formulæ, quibus Sanctum appellat patrem suum : sic in ipso initio dicit :* Ad Dei omnipotentis honorem tradatur memoriæ id, quod de reverentissimo et de venerabili patre nostro Bertrando tempore mortis ejus paucis est ab ipso reseratum. *Quam dein patris qualitatem in decursu scriptionis sæpe repetit, ut dubium non sit, monachum Grandi-Silvensem esse lucubrationis auctorem. Quod autem scriptor sit coævus rebus, quas narrat, manifestum ex verbis, num.* 4 *relatis; scilicet :* Appropinquante autem hora mortis ejus, congregati fratres circa eum (erat autem nox, puto, plus quam media) jamque ut nobis pro certo videbatur, certis indiciis exanime facto, psallentibus fratribus, oculos suos aperuit, etc. *Aderat igitur moribundo scriptor : merito proin num.* I *dicit; quod narrandum suscepit, esse* mendacio vacuum, veritatis plenum, cunctis sine dubi- D
tatione credendum. *Fidem etiam suam adstruit auctor, quando vix ullum refert miraculum, omnemque narrationem suam intra visiones aliquas, quales Sancti frequenter habent, concludit : imo dolendum sane est, res gestas* S. Bertrandi *vix attingi, ac potius supremam Sancti viri infirmitatem enarrari.*

abbas Grandis-Silvæ,

3 *Grandis-Silva monasterium, sub primo abbate Stephano Ordini et Regulæ S. Benedicti adscriptum, dein sub B.* Bertrando, *hujus successore, institutum Cisterciense accepit, fundatum fuit a B. Gerardo de Salis circa initium sæculi* XII. *Quia vero de B. Gerardo nulla apud nostros, quamvis cultum publicum obtinuerit, mentio facta fuit ad diem obitus,* XII *kal. Aprilis, quæ scimus, Appendicis loco Actis S.* Bertrandi *subnectemus.* Decem, *ait Gallia Christiana* (6), a Tolosa et Monte-Albano (*Montauban*) et ab ora Garumnæ sinistra una tantum distans, Grandis-Silva conditur ineunte duodecimo sæculo, puta anno 1114, a B. Gerardo de Salis. *Olim diœcesis Tolosanæ, nunc intra fines episcopatus Montis-Albani, quatenus ad partitionem Tarni et Garumnæ* (Département de E
Tarn-et-Garonne) *pertineat, clauditur. Et quidem Grandis-Silva monasterium ante annum* 1117 *fundatum fuisse, antiqua documenta monstrant. Nam anno* 1118 *erant jam ibidem fratres, quibus fundus donatur, ut docet nos instrumentum, quo* mense Januario *anni* 1116, (*secundum nostram temporis rationem, annum a kalendis Januarii inchoantium anni* 1117) *Oliverius de Bessens ejusque uxor Algardis,* concedunt in perpetuum sine omni retinemento, Domino Deo et Beatæ Mariæ Grandis-Silvæ et Gerardo de Salis et fratribus ejusdem loci, tam futuris quam præsentibus, quamdam partem de Grandi-Silva (7). *Donationem paulo post, Amelius, episcopus Tolosanus ab anno* 1106 *ad* 1139 (8), consilio clericorum suorum religiosissimo magistro Geraldo de Salis ejusque discipulis concedit et episcopali auctoritate firmat quidquid ipsi a fidelibus Dei acquisierunt, et deinceps acquirere poterunt..... ad hoc quidem, ut ad honorem Dei et Virginis Mariæ et Sanctæ Mariæ Magdalenæ ecclesiam et mansiones ibi ædificent... Quam F
concessionem hac conditione facit Amelius, ut ad honorem Dei Regulam B. Benedicti teneant more Cisterciensium.

quod monasterium, prius Benedictinum,

4 *A primæva igitur fundatione sua, id est saltem ab anno* 1117, *Grandis-Silva, Regulam S. Benedicti* more Cisterciensium *observare debuit : quin tamen propterea Ordini Cisterciensi a dicto anno jam accensenda sit. Id enim serius, seu circa annum* 1147 *factum fuisse, infra monstrabimus. Nempe quum circa initium sæculi duodecimi Cisterciensis institutio bonum Christi odorem late sparsisset, plurima monasteria pure Benedictina Regulam ita reformarunt secundum usum et consuetudinem Cisterciensem, ut tamen sui juris remanerent, neque ullo obedientiæ aut subjectionis vinculo erga abbatem aliquem Cisterciensem tenerentur. Id plurimis exemplis monstrant editores amplissimæ Collectionis ab Edmundo Martene et Ursino Durand editæ, in sua Præfatione ad tomum*

(1) Vidas de santos de la Relig. de San Benito. tom. IV, pag. 140. — (2) Kirchen-Kalender aller HH. Ord. S. Bened. tom. II, pag. 265. — (3) Annal. Ben. tom. IV, pag. 701. — (4) Tom. XIV, pag. 630. — (5) Tom. XII, pag. 439. — (6) Tom. XIII, col. 127. — (7) Ibid. Instrum. col. 15. — (8) Ibid. col. 14.

sextum.

A *sextum. Sic anno* 1120 *fundatum est cœnobium S. Mariæ Absiæ in diœcesi Pictaviensi,* secundum Regulam S. Benedicti et institutum patrum probatissimorum, Cisterciensium monachorum a magistro venerabili Giraudo (1) : *ad finem tamen usque monasterium istud sub Regula et Ordine S. Benedicti perseveravit. Idem colligere licet ex Bulla Lucii II pro monasterio Fontis-Dulcis diœcesis olim Santonensis in Gallia, Cisterciensi Ordini numquam unito, in qua observanda Pontificis verba* (2) : Consuetudines, ad religionis atque humilitatis observantiam ab eo, qui præest et fratribus, similiter secundum S. Benedicti Regulam et Cisterciensium fratrum ordinem in monasterio vestro et aliis subjectis Ecclesiis institutas, nullus archiepiscopus sua auctoritate infringere aut immutare præsumat. *Sic quoque Radulfus de Coageshale et ipse Cisterciensis, in Chronico Anglicano apud Martene* (3) : Ea tempestate, *inquit*, exstitit quidam abbas non longe ab Urbe Roma, Ordinis Cisterciensis, sed Cisterciensibus minime subjectus. *Manifestum igitur est, more Cisterciensium vivere,*
B *aut ad eorum consuetudines reformari, omnino diversum esse ab obedientia, subjectione ac societate Ordinis Cisterciensis : adeoque, licet Grandis-Silva in ipso fundationis limine* Regulam S. Benedicti tenuerit more Cisterciensium, *propterea tamen ab isto tempore, seu ab anno* 1118 *Ordini Cisterciensi minime associata fuit* (4). *Inquirendum itaque remanet, quo anno monasterium istud Cisterciensibus unitum fuerit.*

dein Ordini Cisterciensi 5 *Satis constat, triginta circiter post annis id accidisse; sed quo accurate anno, variant eruditi. Edm. Martene Grandem-Silvam Cisterciensi Ordini adscriptam existimat anno* 1143 *sub finem pontificatus Innocentii II,* VIII *kal. Octobris ejusdem anni defuncti. Quod quidem ait* (5), *collegisse se ex ejusdem pontificis rescripto, ad episcopum Tolosanum dato occasione abbatis monasterii Caduini, qui abbas, Ordinis a Geraldo de Salis instituti pater, querelam ad sedem apostolicam detulerat de recusata sibi obedientia ab abbate Grandis-Silvæ, id est B.* Bertrando *nostro. Tolosano igitur episcopo his verbis respondet Innocentius :* Adversus
C abbatem et fratres Grandis-Silvæ gravem querelam accepimus, quod Caduinensi Ecclesiæ subjectionem et debitam subtrahunt obedientiam. Quod si verum est, per apostolica tibi scripta mandamus atque præcipimus, quatenus ipsos ad obedientiam præfatæ Ecclesiæ redire districte commoneas. Si vero te audire noluerint, de ipsis tamquam de inobedientibus plenam justitiam facias. *Ut igitur Caduini jugum certius excuterent, arbitratur laudatus Edm. Martene, Grandi-Silvenses sub Cistercii jurisdictionem confugisse. Ut porro hæc conjectura valeat, certo constare debet, Innocentii II rescriptum apostolicum ad annum* 1143 *pertinere. Conjecturæ autem videtur obstare auctoritas Galliæ Christianæ, litteras pontificias consignantis ad annum* 1133 (6) ; *quoniam instrumenta secundum eorum chronotaxin ordinans, Innocentii rescriptum sub anno* 1133 *refert, medium scilicet inter annos* 1130 *et* 1138, *ut inspicienti librum manifestum est* (7). *Utri itaque anno* 1133 *aut* 1143 *tribuenda sit Pontificis epistola, inquirendum est.* AUCTORE J. V. H.

associatum fuit, 6 *Imprimis certum est utroque anno Innocentium Papam, sæpe profugum, Romæ præsentem fuisse. Etenim anno* 1133, *pridie nonas Junii in basilica Lateranensi imperatorem coronavit Lotharium* (8) : *anno autem* 1143 *Romæ toto tempore versatus diem suum obiit* VIII *kal. Octobris* (9). *Quamvis hactenus æqua sit lanx inter annum utrumque; sententia tamen laudati Edmundi Martene præferenda ex eo videtur capite, quod bulla solemnis, a novem etiam Cardinalibus subscripta et data kal. Aprilis* 1142, *nullam subjectionis Grandisilvensium erga Caduinum monasterium faciat mentionem. In ea quidem* statuitur, ut ordo monasticus secundum B. Benedicti Regulam et institutionem fratrum Cisterciensium perpetuis in Grandi Silva temporibus inviolabiliter observetur: *simul tamen decernit Pontifex, ut* obeunte ejusdem loci abbate, nullus in Grandi-Silva qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur: sed, *inquit,* liceat vobis communi concilio vel parti concilii sanioris se- E
cundum Dei timorem et B. Benedicti Regulam absque ullius contradictione abbatem eligere (10). *Si igitur jam ab anno* 1133 *pontificio rescripto Caduinensi monasterio* subjectionem *et* debitam obedientiam *præstare debuissent Grandisilvenses, Innocentiana bulla eisdem liberam abbatum suorum electionem non tribuisset. Quod si bulla solemnis præcessit rescriptum, facile intelligitur, quomodo a Caduinensibus obreptionis vitio notata et pontificiæ trutinæ denuo subjecta fuerit; ac tandem Grandisilvenses ad obedientiam, Caduinensibus debitam compulsi fuerint. Quæ omnia rite procedunt, quando rescriptum sub anno* 1143 *ordinatur: simulque Grandi-Silvensibus via sternitur, ut excusso jugo Caduinensi, sese Cistercio associarent.*

agente S. Bernardo, 7 *Licet autem hæc ita se habeant, non consentimus tamen cum laudato Edm. Martene, statuente, anno* 1143 *Grandem-Silvam Claræ-valli associatam fuisse: quin magis censemus, id accidisse anno* 1146 *aut sequenti* (11). *Imprimis S. Bernardus Claravallensis ad Tolosates anno* 1147 *scribens:* Sit vobis, *inquit,* com- F
mendatus lator epistolæ venerabilis abbas Grandis-Silvæ et domus ejus, quæ et nostra est, nuper nobis et nostro Ordini ab ipso tradita, et Ecclesiæ Claræ-Vallis specialiter associata. Ostendite nobis in ipso et in sanctis, qui cum eo sunt, quantum profeceritis ex nostra admonitione in operibus misericordiæ; et date in eis experimentum vestræ caritatis et devotionis, quam habetis erga nos. Quidquid illis feceritis, mihi factum reputate. *Quum itaque dicat S. Bernardus, Grandem-Silvam* nuper, *id est aut ipso anno scriptæ epistolæ* 1147 *aut paulo ante, associatam fuisse Claravalli, nullatenus admittenda est sententia Edmundi Martene, associationem ad annum* 1143 *referentis. Etenim solido quadriennio Bernardinam epistolam associatio præcessisset: neque hanc ignorare potuissent Tolosani, præsertim*

(1) Ampliss. Coll. tom. VI, pag. XXVII. — (2) Ibid. pag. XXVIII. — (3) Ibid. tom. V, col. 838. — (4) Ibid. tom. VI Præf. pag. XXVII. — (5) Ibid. pag. XXVIII. — (6) Tom. XIII, Instr. col. 17. — (7) Ibid. l. c. — (8) Ciaccon. Vitæ Rom. Pontt. et Cardd. tom. I, col. 974. — (9) Ibid. col. 976. — (10) Gall. Christ. tom. XIII, Instr. col. 18 et seq. — (11) Migne, Patrol. tom. CLXXII, col. 437.

AUCTORE J. V. H.

post prædicationem, a S. Bernardo in ipsa eorum civitate factam. Verum quidem est, Grandem-Silvam Ordini Cisterciensi unitam dici anno 1144, *ut ad hunc annum notat Ang. Manrique num.* 1 *ex Chronographia Ordinis: nihilominus, quamvis gravissima sit hujus documenti auctoritas, ut notavit in Actis BB. Gaufridi et Sociorum ad diem* XX *Octobris collega noster* (1), *tanta non est, ut eam nemo prætergredi audeat: nam ipse laudatus Manrique associationem Grandis-Silvæ ad annum* 1147, *ut ibidem cap.* 14 *num.* 2 *adnotat, reponit. Non tamen probanda mihi videntur, quæ refert istiusmodi mutationis rationum momenta; scilicet relaxationem disciplinæ regularis; etenim non a longo tempore fundatum monasterium fœdam vitiorum imaginem exhibuisse, verisimile non est. Causam mutationis Grandis-Silvensis libenter admitto fuisse S. Bernardi prædicationem et vitæ sanctissimæ exempla, quæ monachos probos impulerit, ut ad majorem sanctitatem eniterentur.*

circa an. 1147

8 *Ad annum igitur* 1148 *aut præcedentem* B *referre malo, quæ Manrique etiam sub eodem anno narrat, cap.* 14 *num.* 4: Unicum, *inquit,* omnium fratrum *Grandi-Silvensium* consilium fuit, abbatem suum ad Claram-Vallem mittere, qui se, qui domum, qui cunctos ejus monachos Cistercio traderet, sub Bernardi et successorum illius visitatione. Bernardus itaque (nam id abbati nomen) ad Bernardum transmissus, comiterque atque pro gravitate viri reverenter susceptus a Sancto Patre: in Claræ-Vallis capitulo prostratus, mutato habitu, promisit obedientiam, seque et illustrem Grandis-Silvæ domum, ex tunc jam illustriorem, Cistercio tradidit, insignes dein viros producturam. *Propter hanc cum Clara-Vallensi monasterio associationem, in laudata jam epistola S. Bernardus scribit ad Tolosatas:* Ostendite nobis in ipso (*abbate* Bertrando) et Sanctis, qui cum eo sunt, quantum profeceritis ex nostra admonitione in operibus misericordiæ, et date in eis experimentum vestræ caritatis et devotionis, quam habetis erga nos. Quidquid illis feceritis, mihi factum reputate. C Gratia Dei et pax sit vobiscum. Amen. *Exinde multis latifundiis auctum est monasterium Grandi-Silvense, et brevi tempore quatuor ad nova monasteria fundanda deduxit colonias.*

dein mater monasterii Fontis Frigidi,

9 *Prima igitur filia Grandis-Silvæ fuit monasterium Fontis Frigidi* (Fontfroide), *olim diœcesis Narbonensis, hodie Carcassonensis* (Dépt. de l'Aude). *Plerique eruditi dicunt anno* 1097 *incepisse, adeoque ætate Grandem-Silvam, anno* 1114, *ut diximus supra num.* 3 *inchoatam, superasse* (2). *Istius quidem assertionis suæ nullum adducunt testimonium idoneum; quin et Gallia Christiana contrarium potius innuit, referens bullam Innocentii II, quæ cœnobio Grandi-Silvensi confirmat* in pago Narbonensi locum fontis Frigidi cum decimis et primitiis et omnibus pertinentiis suis, quem Aimericus (3), vicecomes Narbonensis ad ædificandam ibi abbatiam pro redemptione animæ suæ prædicto abbati (Bertrando) et fratribus in perpetuum contulit. *Porro in Vita infra edenda num.* 1 *S.* Bertrandum *Grandem-Silvam per* viginti et eo amplius annos *rexisse legimus, quum et mortuus sit anno Christi* 1149; *constat igitur eum vix ante annum* 1128 *aut* 1129 D *pedum abbatiale accepisse: proin quoque constat Fontem Frigidum ante alterutrum annum* B. Bertrando, *tamquam abbati Grandis-Silvæ, ab Aimerico Narbonensi conferri non potuisse. Verum quidem est, in Catalogo abbatum Fontis Frigidi recenseri primum, Bernardum nomine, qui anno* 1118 *innotescit ex instrumento emptionis una cum monachis suis factæ* (4): *sed dicendum mihi videtur, aut cogitatum suum Bernardum istum, fundos ementem, non perfecisse, aut perfectum deseruisse. Nam post solidum tandem decennium, fundus Fontis Frigidi conceditur B.* Bertrando ad ædificandam ibi abbatiam, *quam, si tentamen Bernardi successisset, reddidisset inutilem; quoniam monasterium jam constructum fuisset.*

cujus mentio habetur in corpore Decretalium

10 *Quapropter Aug. Manrique in suis Annalibus ad annum* 1145 *cap.* 10 *num.* 9 *dubitando dicit, Fontem Frigidum Grandi-Silva antiquiorem esse:* forte, *inquit,* antiquior sub nigro habitu, *id est, Benedictino. Paulo infra sub anno* 1147 *cap.* 19 *num.* 11 *Fontem Frigidum Cisterciensibus associatum fuisse* sub hoc ipso anno simul cum Grandi-Silva sive paulo post. *Jongelinus in Notitia abbatiarum Ordinis Cisterciensis sub num.* 110 *ad annum* 1145 *refert associationem Fontis Frigidi cum Ordine Cisterciensi; dum anno præcedenti Grandem-Silvam album Cistertii habitum assumpsisse num.* 105 *asserat* (5). *Ex hoc Fontis Frigidi monasterio prodiit Jacobus Furnus seu Furnerius, qui primum abbas, dein Cardinalis tituli S. Priscæ, ac tandem summus Pontifex, nomine Benedictus XII, Ecclesiam Dei sancte gubernavit. Neque omittendum videtur, monasterium Fontis Frigidi tribus vicibus in jure canonico citari. Primum quidem abbati Cisterciensi R. et P. monachis Fontis Frigidi cap.* 26 *de Elect.* (1, 6) *mandat Innocentius Pp. III ut cancellarium Mascuron, qui scienter indignum ad episcopatum elegerat, ab officio præposituræ Ecclesiæ Tolosanæ amoveant, quia nempe tali actione beneficiis ecclesiasticis indignum se fecerat. Alter locus est cap.* 4 *de suppl. neglig. prælat.* (1, 10), *in quo idem Innocentius mandat R.* F *monacho et Sedis Apostolicæ legato, ut beneficia ecclesiastica indebite collata, si quidem idoneis personis assignata fuerint, de patientia Sedis apostolicæ permittantur possideri. Tertius tandem textus est cap.* XVIII *de accusat.* (V, 1), *in quo P. et R. monachis Fontis Frigidi committit, ut sedulo inquirant, tamquam Sedis apostolicæ legati, in accusationem adversus episcopum Agathensem publice prolatam, et si eum graviter culpabilem repererint, ab administratione Ecclesiæ Agathensis removeri curent.*

similiter et Calertii,

11 *Incertus hæret Manrique de altera filia Grandis-Silvæ Calertio, cujus situm et filiationem ignorare videtur ad annum* 1148 *cap.* XVI, *num.* 11 : Calers, *inquit,* sive Calerium aut Calersium, dubia domus, de qua nihil certum possim dicere, nisi quod tamen in genesi Ecclesiarum Claravallensium Calers sive Calerium scriptum lego. *Hujus domus initia felicius explicavit Gallia Christiana, proferens chartam, qua constat* (6) anno MCLVII Incarnationis dominicæ Willelmum Petri et Aymericum et

(1) Act. SS. tom. VIII Octob., pag. 1021. — (2) Gall. Christ. tom. V, col. 198. Vaissette. Hist. du Languedoc. tom. II, pag. 448. — (3) Gall. Christ. l. c. — (4) Ibid. l. c. — (5) Notit. abbat. pag. 61 et 62. — (6) Tom. XIII, Instr. col. 156.

Ademarum

AUCTORE J. V. H.

A Ademarum fratres donasse Deo et S. Mariæ et Bertrando, abbati Grandis-Silvæ et monachis, ibidem Deo servientibus, tam præsentibus quam futuris, pro redemptione peccaminum suorum, totam terram, quæ est inter Combam de Goyre et condominam Rossanellam et usque ad rivum Calertii cultam et incultam. *Paulo infra additur, abbatem* Bertrandum *et monachos Grandis-Silvæ* hoc ipso anno eodem loco cœnobium construxisse. *Nullum itaque dubium superest circa locum, tempus et filiationem monasterii Calertii, quod olim ad diœcesim Rivensem* (Rieux), *spectabat, nunc Tolosana continetur. Tertia filia Grandis-Silvæ, nata tamen post B.* Bertrandi *obitum, est Candelium, nunc et olim in diœcesi Albiensi. Ejus fundatio ad annum* 1150 *referenda est ex charta donationis, qua Raimundus de Monteacuto de consensu uxoris suæ, Guirandus Bec et Gulielmus de Grava donant pro remedio animæ suæ Alexandro, abbati Grandis-Silvæ, qui B.* Bertrando *successit, et ejusdem loci monachis* quidquid habent in loco de Candelio; *ex qua donatione monasterium excrevit* (1).

atque Vallis-Laureæ in Hispania,

12 *Ex monasterio Grandis-Silvæ prodiit quoque post mortem, ut videtur, B.* Bertrandi *cœnobium Hispanicum Vallis-laureæ seu Valdaureæ, quod aliquanto serius nomen Sanctarum Crucium assumpsit. Ang. Manrique ad annum* 1151 *cap.* VI, *num.* 1 *causam fundationis refert occisionem archiepiscopi Tarraconensis, a Gulielmo Raymundo de Moncada patratam; ad quam expiandam jussit Eugenius Pp. III* inter alia, ut cœnobium Ordinis Cisterciensis, in quo pro sacrilegio perpetrato, floreret religio, et juge Deo obsequium pro injuria sacerdotio illata, exhiberetur. *Ast istiusmodi assertio omnino videtur erronea. Etenim Hispani scriptores passim rejiciunt talem fundationis causam. Certe aliquis Gulielmus Raymundus de Moncada proditorie occidit archiepiscopum Tarraconensem, Berengarium Vilademuls; sed id ad annum* 1194 *refert Mariana noster in sua Historia Hispaniæ lib.* XI, *cap.* 18, *ante quem annum certe fundatum fuit cœnobium Valdaurense. Seriem archiepiscoporum Tarraconensium orditur Jacobus Finestres Benedictinus: ab anno* 1149 *ad* 1163 *cathedram occupavit*
C *Bernardus Tort, quem subsecuti sunt Hugo de Cervellone et Gulielmus Torrosa, quos tandem excepit Berengarius Vilademuls, a Moncada interfectus* (2). *Quapropter Franciscus Diego Ordinis Prædicatorum in sua Historia comitum Barcinonensium dicit, inter duos ejusdem nominis Moncadas confusionem esse ortam, natumque errorem* (3). *Sed quid dicendum de bulla Eugenii III, de qua mentionem facit Manrique? Etenim si exstet pœna, exstiterit delictum. Equidem amplissimam collectionem epistolarum Eugenii percurri; sed istiusmodi bullæ, quam nemo citat, nullum reperi vestigium: donec igitur afferatur, sequimur posteriorem opinionem.*

quæ etiam Sanctarum Crucium dicitur:

13 *Quam opinionem amplectitur etiam Petrus de Marca in sua Marca Hispanica* (4) : Eodem anno, *inquit, scilicet* 1151, mense Decembri, initium hoc modo accepit monasterium Sanctarum Crucium, situm in confinio Tarraconensis et Barcinonensis diœcesium. Gulielmus Raymundi dapifer et filii ejus Gulielmus, Raymundus et Berengarius dederunt abbati Grandis-Silvæ (*Alexandro, B.* Bertrandi *successori*) Ordinis Cisterciensis, quod in diœcesi Tolosana situm est, quasdam terras in monte Cerdaniolensi ad construendum monasterium in honore Beatæ Mariæ Virginis. Erat tum in monasterio Grandis-Silvæ Guillelmus de Montepessulano, qui paucis ante annis possessiones suas abdicaverat et in filios transtulerat (5), ut monachorum Cisterciensium institutum in eo monasterio arriperet. Hunc ergo futurum abbatem cum duodecim monachis et tribus fratribus conversis in locum, a dapifero datum, misit abbas Grandis-Silvæ : isque locus tum vocatus est monasterium Beatæ Mariæ Vallis-laureæ..... Mutatus est deinde locus monasterii sub initio pontificatus Alexandri III (*ergo circa annum* 1160) in locum vocitatum ad Sanctas Cruces in agro Montisacuti, quem monachis propterea VI id. Augusti anni 1160 dederunt Giraldus Alemandi, Geral-
E dus de Jorba, et Gulielmus de Monteacuto... Falsa ergo, quæ vulgo traduntur de exordiis istius monasterii, nimirum illud exstructum fuisse in expiationem gravis delicti. *Filiationi Grandis-Silvæ renuntiavit monasterium Sanctarum Crucium, quando congregationi Hispano-Cisterciensi associatum fuit. Atque hæ sunt filiæ Ecclesiæ Grandis-Silvæ.*

sed tandem in commendam.

14 *Magnam igitur Cisterciensi Ordini gloriam, magnum Ecclesiæ emolumentum contulit Grandis-Silvæ fundatio et faustum initium. Sed, ut in rebus humanis plerumque accidit, paulatim primitivus Religionis fervor intepuit, præsertim ex frequentibus in Aquitania bellis Gallos inter et Anglos, ac omnium maxime ex abbatibus, ut vulgo dicitur, commendatariis,* ex quorum, *ait Concil. Trid. Sess.* XXV, *cap.* 21 *de Reg.*, administratione, *monasteria* non levia passa fuerunt tam in spiritualibus quam in temporalibus detrimenta. *Etenim a sæculo* XV *ultra trientem progresso, istiusmodi abbates habere cœpit Grandis-Silva et per integrum fere sæculum una familia hereditario quasi jure*
F *possedit monasterium, ut videre est in Galliæ Christianæ Catalogo abbatum Grandi-Silvensium* (6). *Post Fredericum Lante della Rovere S. R. E. Cardinalem a Benedicto XIV creatum die* IX *Septembris* 1743 (7), *vi resignationis successit ejus cognatus de Veris, auditor Rotæ Romanæ, qui et ipse cessit Ludovico de Crillon, inter cujus manus pedum abbatiale Grandi-Silvense temporum calamitate confractum est* (8).

monasterio funestam abit Grandis-Silva:

15 *Id tamen fatendum est, sæculo præsertim decimo octavo satis pacifice convenisse inter abbates commendatarios et Cistercienses monachos Grandis-Silvæ. Erant olim gravia dissidia, quoniam istiusmodi abbates parcissime præbebant monachis victui necessaria. Sed anno* 1761 *omnes monasterii reditus cessit cardinalis Lante monachis, eo pacto, ut quotannis vicena millena librarum gallicarum, undequaque integra et libera, abbati solverentur. Conventioni stare*

(1) Hist. du Lang. tom. II Pr. col. 528. — (2) Hist. Poblet. tom. I, pag. 234. Cfr Marca Hisp. col. 738, ubi Conc. Tarrac, anni 1180 citatur. — (3) Hist. de los Conde de Barcel. pag. 218. Cfr De la Paña Cataluñ. illustr. tom. I, pag. 357. — (4) Col. 502. — (5) D'Aigrefeuille Hist. de Montpel. tom. I, pag. 28. tom. II, pag. 38. — (6) Tom. XIII, col. 129 et seqq. — (7) Moroni. Dizion. de sac. Erud. v°. *Lante.* — (8) Jouglar. monogr. de Grand-Selve. Mém. de la Soc. d'Archéol. du midi de la France, tom. VII, pag. 192.

noluit

AUCTORE J. V. H.

noluit abbas Lud. de Crillon (1) : *quod facile intelligitur ; ista enim tempestate, seu inter annos* 1760 *et* 1780, *cultiores, adeoque feraciores erant agri, pedetentim vero decrescebat auri argentique ac proin pecuniæ valor: unde fieri potuit, ut monasterii facultates æqua lance olim divisæ, temporis lapsu accrescerent monachis, commendatario dilaberentur. Continuatæ discordiæ et perpetuarum litium seminarium erant hujusmodi divisiones: neque magnopere curandum sibi existimabant monachi agrorum culturam, quum probe scirent non sibi, sed alienis labores profuturos. Id etiam habebat incommodi commendatoriorum abusus, quod abbates regulares, quando mensam locupletem separatam habent, in suis monasteriis assidue residentes, reditus suos in ipsis locis expendunt; unde et benefici plerumque habentur : dum commendatarii fructus perceptos semper fere alibi, quandoque scandalose dispertiunt. Sed commendarum consuetudo tam altas jam sæculo* XVI *egerat radices, ut Concilium Tridentinum Sess.* XXV, *cap.* 21 *de Reg. optasse magis quam mandasse videatur*
B *earum abolitionem; quamvis non defuerint patres, qui decretum de commendis, ut ajebat Nicol. Psalmæus, Virdunensis episcopus* (2), *tamquam indignum tanto consessu, prorsus rejiciendum arbitrabantur, et innovandum potius, quod alias statutum fuit in Concilio Lateranensi quinto, secundum bullam Leonis X* (3). *Sed prævaluit usus, donec communi calamitate pleraque absorpta fuerunt.*

donec anno 1790,

16 *Hæc eadem calamitas monasterium Grandem-Silvam penitus abolevit* (4). *Etenim mense Maji anni* 1790 *magistratus Bulliacensis* (Bouillac) *confecit inventarium omnium rerum mobilium monasterii. Ast malevoli, plerumque olim famuli, in vulgus sparserunt, monachos pretiosiora quæque abscondisse, et sic spoliatam esse rempublicam. Re ad superiorem magistratum districtus Granatensis delata, die* XIII *Novembris ejusdem anni nova inquisitio facta, et primo quidem mobilia, in inventario consignata, intacta repererunt; dein per plures etiam dies omnes domus angulos scrutatis nihil occurrit, quod calumniam contestaretur. Itaque monachis reliquerunt supellectilem domesticam et sacram :*
C *cætera vero omnia, aurum, argentum, lapides pretiosos nationi, ut tunc dicebatur, reservata voluerunt. Interea Grandisilvenses consuetis officiis quiete vacabant, quando certiores facti sunt, omnia bona mobilia et immobilia fisco reipublicæ addicta, venum exponenda. Quum igitur die* XIII *Februarii* 1791, *commissarius, militibus stipatus, omnem supellectilem ablaturus, adventasset, Grandisilvenses, ne jure suo cedere viderentur, omnes domus aditus occluserunt. Quum tandem portæ jamjam perfringendæ essent, quini vel seni monachi e porta laterali prodierunt, contestati nomine communitatis suæ, se paratos extrema quæque pati potius, quam consensum quemcumque præbere alienationi aut profanationi supellectilis sacræ: quod si vi agere vellet commissarius, ære campano convocaturos vicinos, ut suum sibi jus sartum tectumque conservaretur. Hisce quidem minis cessit tunc commissarius : sed tamen non diuturna fuit Grandisilvensium quies.*

subhastatis ejus bonis,

17 *Etenim sequenti mense Martio subhastatione omnium bonorum monasterii indicta, monachi dispersi fuerunt, alii ministerio sacro, alii publicæ instructioni operam suam impensuri. Ipsa autem supellex sacra et profana Grandi-Silvæ publice distracta fuit* (5). *Spolia opima retulerunt vicinæ ecclesiæ; nam ara major ornat templum de* Savenez, *ara S. Bernardi Bulliacense, B. Mariæ Virginis cum pictura Annuntiationis Marianæ S. Crucis, exedræ Bellomontense* (6). *Prædia vero et immobilia quæcumque pretio centum millium librarum gallicarum, moneta cartacea* (Assignats) *probabiliter solvendorum, empta fuerunt a judice quodam Tolosano, qui dein tribunali Parisiensi, horribili et cruento præsedit* (7). *Hic porro cum sociis ejusdem furfuris altaria, clathros, exedras chori sub hasta vendidit: sed illæsæ servabantur ædes fere universæ; donec anno* VII *æræ gallicæ* (*anno vulgari* 1799) *monasterium, claustrum et capitulum suffossa fuerunt : dein ipsa ecclesia, postquam impio ritu Deæ Rationi bacchanalium istorum tempore litatum fuisset, anno* XI (*vulgari* 1802) *destructa fuit. Ita demum omnia devastata fuerunt, ut nullum sui* E *vestigium reliquerit celebre Grandisilvæ monasterium, et cum poeta dicere liceat: Ipsæ periere ruinæ* (8). *Fortunam cœnobii Grandisilvensis prolixius solito exposuimus, tum quia gloriam B.* Bertrandi *attingit, tum ut aliqua memoria extremæ calamitatis celeberrimi ascæterii superstes maneat. Paulatim istiusmodi monumentorum memoria obliteratur : quæ hactenus retulimus, debemus cl. viro Jouglar, academico Tolosano, qui petente pro nobis R. D. Lanousque, Virdunensi parocho, hæc nobiscum benigne communicavit: utrique gratias habemus maximas. Utinam similibus adjumentis labores nostri hagiographi frequenter sublevari possint! Facili, sed utili, opera universalis Monastici lineamenta saltem traderemus.*

ipsa ejus vestigia deleta fuerunt.

18 *De B.* Bertrando *nihil magnopere dicendum habemus. Unum addendum videtur; scilicet, verba sunt Menologii Cisterciensis ad diem* XX *Novembris,* monachos suos ad omnem pietatis et virtutis rationem informasse et divini verbi semina per circumjacentem regionem uberrimo cum fructu passim sparsisse. *Quamvis autem*
F *sacri ad externos exerciti ministerii nullam mentionem faciat Vita, non dubitamus tamen, quin verum sit Menologii supra laudati elogium: nam alumnus B. Gerardi de Salis, magistrum imitatus fuerit in zelo animarum, qui maximus fuit, ut liquebit ex Vita Gerardi, instar Appendicis hisce Actis subnectenda. Eadem habent auctores Galliæ Christianæ, quum dicunt* (9), divini verbi eximium præconem Bertrandum totam hanc regionem suis prædicationibus illustravisse. *Errant autem, quando beati viri obitum in annum* 1148 *consignandum opinantur : quoniam ex Vita coæva certum est, illum die* XI *Julii* 1149 *vitam clausisse suam. Mirum videbitur, Benedictinos scriptores ignorasse, quæ eorum præcipuus auctor, Joannes Mabillon, tradiderat : an forsan postrema grandis operis volumina oscitantiori calamo compilata fuerunt? Cultum liturgicum testantur iidem scriptores : additque Menologium Cisterciense ad diem* XX *Novembris speciales* Antiphonas

(1) Jouglar. monogr. de Grand-Silve. Mém. de la Soc. d'Archéol. du midi de la France, tom. VII, pag. 194. — (2) Hugo. Sacr. Antiq. monum. tom. I, pag. 408. — (3) Labbe, tom. XIV Conc. col. 221. — (4) Mém. d'Archéol. du midi de la France. tom. VII, pag. 222 et seqq. — (5) Ibid. pag. 233. — (6) Ibid. pag. 234. — (7) Ibid. pag. 233. — (8) Ibid. pag. 334. — (9) Tom. XIII, col. 130.

A phonas et Collectam in Grandi-Silva exstare, *quas libenter, si coram haberemus, hic exhiberemus. Pereuntibus enim locis, in quibus beati viri colebantur, perit paulatim eorum memoria. Hodie si paucula monasteria in citeriori Europa excipiantur, vix alia exsistit liturgia localis, quam ecclesiarum cathedralium, quæ multis Sanctorum officiis oneranda esset, ut suus esset Sanctis, qui diœcesim illustrarunt, honor: atque hinc temperandæ videntur illorum querelæ, qui dolent obliterari quodammodo Officium feriale : nihil enim religioni et pietati decrescit cultu publico eorum virorum, qui non solum magnam patriæ affuderunt gloriam, sed eamdem etiam beneficiis cumularunt.*

De felici obitu Bertrandi, abbatis Grandis-Silvæ et de visis cœlestibus, post ejus mortem in ipsius monasterio factis,

AUCTORE ANONYMO COÆVO.

B *Ex ms. Aureæ Vallis apud Mabillon. Annal. tom. VI.*

Sincere narrat scriptor quædam

Ad Dei omnipotentis honorem tradatur memoriæ id, quod de reverendissimo et de venerabili patre nostro Bertrando tempore mortis ejus paucis est ab ipso reseratum. Erit enim, ut confidimus, per gratiam Christi dignum præsentibus, posteris profuturum, utile multis, mendacio vacuum, veritatis plenum, cunctis sine dubitatione credendum. Qui prædictus et venerabilis Pater quum per viginti et eo amplius annos Grandis-Silvæ rexisset Ecclesiam *a*, gloriosum perficiens cursum, multis filiorum suorum Domino jam præmissis, feliciter pervenit ad palmam, et bravium supernæ vocationis, diu multumque desideratum, Christo largiente, percepit. Quique etiam, qualis conversationis et sanctitatis fuerit, intimatur.

a

de virtutibus,

2 Fuit enim animi simplicitate incomparabilis, cordis munditia præclarus, abstinentia præditus, mansuetudine et lenitate cunctis amabilis, patientia fortis, caritate præcipuus,

C humilitati deditus, et, ut sic concludam, in his omnibus aliisque virtutibus Dei amicus inventus est. Igitur ante unum diem mortis suæ quibusdam inquirentibus se fratribus, quatenus, si aliquando aliquam familiaritatis gratiam coram Deo meruisset, pie ipsis reseraret; humiliter interrogantibus tale dedit responsum : Non sum illius meriti, ut finem meum aliquando rescire potuissem. Sed quum prædicti fratres petitioni suæ humiliter insisterent, tandem instantia eorum compulsus, hoc modo respondit, dicens, fuisse sibi non minimum studium in initio conversionis suæ, quatenus Euangelia per singulos dies sancta meditatione percurreret, omnique puritate vitam suam custodiret in tantum, ut nullus coram ipso verba sæcularium, salutationes parentum, narrationes somniorum referre præsumeret. Qua sancta observatione ad hoc usque profecit, ut ad invocationem nominis Domini Jesu facile imbres proffluerent lacrymarum. Quo in tempore apparuit ei beata et gloriosa Virgo Maria, sed quo ordine et quomodo ignotum habemus. Ipsoque tempore tantam gratiam in conspectu Domini meruit invenire, ut adhuc mortali corpore degens, Dominum Jesum videre meruerit. Referebat enim, quia quum in loco moraretur, vocabulo Tuscio *b*, ubi prædictæ visionis meruit gratiam, essetque in conventu fratrum, et vespertina solemnia ageret, vidisse se Dominum adstantem sibi ante faciem suam. Quumque nimium miraretur, vidit ipsum Dominum Jesum coram unumquemque transire : æstimabat autem Vir sanctus, quod transeuntem Dominum unusquisque videret. Psalmus autem, quem cantabant, erat « In exitu. » *

AUCTORE ANONYMO COÆVO.

b

* Ps. CXIII

rebus gestis B. Bertrandi

3 Postquam pastoralis curæ onus suscepit, et Ecclesiam Grandis-Silvæ suscepit regendam, prioris studii amicam sibi quietem omnino ex toto retinere nequivit. Multis itaque necessitatibus, angustiis, tribulationibus, in eodem loco insurgentibus, locum mutare loco optimum duxit, suspicatus, in eodem loco fieri et esse semper religionis detrimentum propter impietatem et stultitiam hominum, circa se habitantium. Quapropter de eodem loco discedens, Siciliam usque maximo cum labore devenit : ubi divinam clementiam E implorans, quatenus eum in omne beneplacitum voluntatis suæ dirigeret, ostendit ei Dominus locum et loci qualitatem, in quo venturus erat. Quo quum pervenisset, eo modo locum esse invenit, sicut sibi ostensum fuerat. Conversusque ad Dominum, ut ei ostendere dignaretur beneplacitum voluntatis suæ, ostendit ei Dominus, eum in illo loco minime posse permanere; sed ad alium locum inesse migraturum, locumque et loci qualitatem, sicut prius, ostendit illi. Ubi quum pervenisset, sicut sibi ostensum fuerat, invenit. Evolutis autem duobus annis, ex quo abbatiam egressus fuerat, astiterunt ei per somnium duo monachi sui, quos in abbatia cum aliis reliquerat, et librum Job tenebant coram eo dicentes, eum multas tentationes et turbationes esse passurum. Quumque hæc Vir sanctus fratribus retulisset, ait : Ago gratias Deo, quod sicut prædixit mihi, ita passus sum. Post hæc ad propriam ecclesiam regressus quum tribulationibus, angustiis ac necessitatibus undique angustiaretur, et ob hoc auxi- F lium Dei imploraret, ostendebat ei Dominus, a se semper auxilium adfuturum, et quod de omni tribulatione eum liberaret.

et præsertim de sancto

4 Præterea dicebat, se multoties corde arenti et frigido ad sanctum altare accessisse ad sacra mysteria peragenda, et inter ipsa sacrosancta mysteria sibi Dominum Jesum apparuisse aliquando, ubi dicitur in Canone : « Hoc est Corpus meum; » aliquando vero in fractione corporis Christi videbatur illi, Dominum proximum sibi fieri, ut ipsi videretur ab illo osculum sibi dari. Interrogatus vero, quomodo et in quali corpore Dominus Jesus ab ipso videretur, respondit, « in corpore glorificato. » Asserebat quoque se frequenter, dum per viam ambularet, et Christi misericordiam deprecaretur, dum oculos ad cœlum attolleret, vidisse cœlestia, et quod maxima claritas de cœlestibus ad se usque veniebat. Ista omnia, quæ dicta sunt, sanctus Pater noster non ante sciscitantibus reseravit, quousque fidem dederunt se super hoc nulli hominum, quamdiu ipse viveret, locuturos. Appropinquante

AUCTORE ANONYMO COÆVO. *c*

propinquante autem hora mortis ejus, congregati fratres circa eum (erat autem nox, puto, plus quam media *c*) jamque, ut nobis pro certo videbatur, certis indiciis eo exanime facto, psallentibus fratribus oculos suos aperuit : o quam gratis oculis, vultu lætissimo et serenissimo astantes respexit!

ejus obitu

5 Ante duos menses dormitionis suæ, quum gravi molestia febrium urgeretur, retulit, quod nocte per somnium apparuit ei gloriosa et perpetuo Virgo Maria cum glorioso sanctissimoque conventu ad mensam residens : quumque ingressus fuisset coram ea, B. Dei Genitrix et piissima Virgo Maria invitare cœpit eum ad mensam, ille vero se indignum tali invitatione testabatur. Sequenti nocte quum nec plene dormiret, nec penitus vigilāret, retulit, hujusmodi se vidisse visionem, dicens : Vidi, inquit, tali in loco Dominum Jesum talem, sicut ipse est pius, dulcis atque misericors, erantque quam plurimæ mansiunculæ ibi, sed vacuæ : admirans itaque, sicut ipse postmodum retulit, audivit Dominum
B dicentem atque præcipientem sibi : Loquere. At ille, Domine, ait, quid loquar aut unde, quum sim nescius et ignorans, quid dicam? Cui Dominus : Tantummodo loquere, ego te instruam, quid dicas. Hinc autem loqueris, absinthium nomen ejus. Post hæc, sicut ipse referebat, mansiunculæ illæ multimode hominibus replebantur, quæ mansiunculæ circa claustrum et ecclesiam videbantur.

ac sepultura:

6 Anno igitur dominicæ Incarnationis MCXLIX corporali molestia prægravatus, ad diem vocationis pervenit extremum : et quia veraciter scriptum est, dicente Domino : « Glorificantes me glorificabo; » ideo Vir sanctus tempore mortis suæ meruit honorari a Domino. Nam abbatem longinquum et alterius provinciæ, sed ejusdem religionis, tunc ei Dominus misit ad ejus obsequium sepulturæ, quum propinqui et vicini abbates omnes deessent. Ingressum itaque ad se prædictum et venerabilem virum sic affatus est : Ideo te misit Dominus, ut obsequium mihi exhibeas sepulturæ. Quam verum in hoc dixeris, venerabilis Pater, rei exitus approbavit : nam in morte tua et obsequium ministri et officium tibi exhi-
C buit sacerdotis. Te enim defunctum exspoliavit, lavit, extersit et induit; et Domino animam, terræ corpus ore proprio commendavit. Obiit
d autem sanctus Pater v idus Julii, feria II *d*. Prædictus itaque et venerabilis abbas post obitum sanctissimi Viri quum se sopori didisset, vidit hujusmodi visionem. Quinto idus enim, ut ipse postmodum referebat, greges ovium venientes ingrediebantur per viridarii loca, et admirans hæsitabat, quid sibi vellent ovium greges; et audivit vocem dicentem sibi : Oves istæ, quas vides, homines sunt, et Abbas ipsorum duxit eas. Vere quorum curam vivus gesserat, non minus post mortem suam eorum se curam gerere Homo, Christo amabilis multis modis evidenter ostendit.

post mortem suis filiis,

7 Denique postquam sanctissimus Pater et Pastor migravit ad Dominum, antiquus hostis quorumdam fratrum corda corrupit et subvertit : sed ad hoc, quod volebat et sicut volebat perducere statim, omnino nequivit. Et alios quidem ordinem deserere, et alios ad ordinem remissiorem declinare suasit : sed calliditas hujusmodi latere non potuit; tamen præventa D posse suum omnino non perdidit. Nam unus ex his, quos in cordis pravitate seduxerat, habitu monachum, inter manus et de manu seniorum, causam conquirentium, callida seductione subtraxit et fugere persuasit. Sed angustia circumclusus, longius abire nequivit : nam post biduum veniam petivit, ad monasterium rediit. Interea misericors Deus, calliditatibus obvians inimici, ei pietatem suam opposuit, et vas gloriæ nominis sui de vasis captivitatis misericorditer præparavit. Die itaque undecimo post excessum sanctissimi Patris, unus ex his, quos calliditas inimici circumvenerat, adhuc in cella probationis degens, quum post horam nonam labori se, sicut est consuetudinis, cum aliis præparasset, ante lectum suum resedit; et cunctis exeuntibus, ipse solus manens et remanens, omnibus stuporem incussit; sed neque se vocantibus ullum responsum reddere voluit. Perturbati et contriti, propius accedentes, et nomine proprio sæpius inclamantes, quum nullum ab eo responsum acciperent, nec in eo aliquem motum nisi vix aspicere possent, priori e E fratribus indicaverunt, et cum morti propinquum nuntiaverunt. Quo quum pervenissent, mirabiliter nimis in quodam inæstimabili mentis excessu corporalia cuncta transscendens, paulatim excessit in tantum, ut cunctis aperte claresceret, tactum et visum corporalem cum omnino procul dubio amisisse : nam quamdiu in excessu fuit, manus inflexibiles et ad cœlum erectas tenuit, faciem et oculos ad Deum sæpe elevans.

in vocatione sancta nutantibus, adest :

8 Quumque, præsentibus cunctis, sic cum gemitu loqueretur, « Domine, » inquit, « Domine, » et diutius hæc diceret, interrogatus ab eis, utrum domnum Abbatem videret; « Audio, » inquit, vel sicut quibusdam visum fuit, sic respondit : « Audio illum. » Post hæc per spatia et moras vix aliquid loquebatur. Hæc tamen post primam interrogationem sic locutus est : « Domine, inquit, Bertranne, Domine Bertranne; et post paulum : Domine, inquit, sancte Bertranne. Quæ postquam diutius dixit, tacuit. Post
F hæc nunc, Dominum Jesum, nunc ejus gloriosam Genitricem cum fletu et lacrymis sæpius invocabat, et sic loquebatur : » « Domine Jesu, non sum dignus ego peccator, non sum dignus : non sum, inquit, Domine Jesu, non sum dignus. » Deinde post aliquantulum spatium sic locutus est : « Non dixi, Domine Jesu, non dixi. » Ad ultimum vero, cunctis audientibus atque videntibus, dulci et clara voce respondit : « Deo gratias. » Et quasi de gravi somno evigilans, apertis oculis supplicans, circumstantes respexit. Interrogantibus itaque ubi fuisset, respondit : « In gloria. » Vidisti, inquiunt, domnum Abbatem? « Vidi, inquit, et cohortatur vos multum! » Iterum interrogantes : « Vidisti, inquiunt, Dominum Jesum? Vidi, » inquit. Iterum, sicut prius interrogantes eum, si dominum Abbatem vidisset? hujusmodi recipiunt : « Vidi, inquit, et cohortatur vos multum, et roncinatur vos apud Deum multum. Mandavit itaque vobis de Ordine et Religione, ut curetis et teneatis, et ipse erit ductor vester ante Deum. Quod si feceritis,

mandat

A mandat vobis et hoc, quia ubi ipse est, et vos pervenietis. « Dicunt ei iterum : Vidisti Dei Genitricem? » Vidi, inquit, et roncinatur vos multum coram Domino. Quomodo, inquiunt, aut qualiter vidisti domnum Abbatem? Splendidum, inquit, ipsum indutum sicut ad Missam, et multitudo, quæ cum ipso erat, albis erat induta et dulciter psallentes pergebant. Cognovisti, inquiunt, aliquem in ipsis? Nullum, inquit, cognovi præter ipsum. Dicunt ei : Nihil aliud mandat nobis, domnus Abbas? Nihil, inquit, nisi tantum de Ordine. Ad quid, inquiunt, respondisti, Deo Gratias? Qui respondit : Præcepto. Dicunt ei : Quali præcepto? » Sed jam plenissime ad se reversus, qui hæc viderat; nihil amplius de his, quæ viderat, ulli hominum voluit indicare. Quumque prior præcepto obedientiæ putaret, se posse eum constringere, quatenus cuncta, quæ viderat, reseraret, ille timorem Domini opposuit. « Timeo, inquit, offensam Domini mei, si amplius dixero. » Iterum, iterumque interrogantes, si aliquid amplius ipsis domnus Abbas mandaret; respondit : « Tantum, B inquit, de Ordine, ut custodiatis. » Post hæc is, qui viderat, viribus corporis destitutus satis admodum ægrotavit. De hinc vero die octavo, quum in ecclesia advenisset, cum cæteris laudes Domino redditurus, et jam psalmus ille caneretur, « Attendite, populo meus, legem * *e*, » post inæstimabilem odoris fragrantiam nimium admirans, subito et immobilis vidit domnum Abbatem, transeuntem per medium chorum et hoc in prima visione dixit, quia multi de Ordine et monasterio recessissent, nisi domnus abbas retinuisset. Nam ipse domnus abbas retinet vos, et hunc, qui fugerat, ipse reduxit. Nam et ego discedere volui, sed domnus Abbas retinuit me. » Hæc miranda quidem sunt, sed mirandis amplius miranda succedunt, mendacio quidem vacua; sed tamen veritate plena.

Ps. LXXVII, 1 *e*

tyroni cuidam 9 Beatæ memoriæ Bertrandus, abbas Grandis-Silvæ, quorum vivus, ut supra dictum est, curam gesserat, eorum post mortem suam cuidam novitio apparuit. Eodem quoque anno similiter alii novitio non minus gloriosus se C manifestavit. Quum idem novitius, matutinis in infirmitorio cantatis cum duobus sociis suis fratribus, in eodem vigilias celebrantibus, ad stratum proprium rediisset, subito audivit ostium domus necessariæ vehementer concuti, ac si ingredientium turba premeretur : latrones esse credidit, loqui voluit, sed tamen distulit, et silere apud se omnino statuit. Qui vero ingrediebantur, domum interiorem replentes, ad exteriorem, ubi idem jacebat, exire cœperunt : sed antequam in exteriori domo exirent, idem novitius, ut eorum præsumpsit adventum, et quos latrones esse credidit, malignos spiritus esse cognovit; cœpit anxiari, tremere, pallescere, nimio frigore adstringi. Socios sonitu vocavit et candelam porrexit, lumen petiit, et, quantum potuit, in lecto surrexit. Quare socii sui ita conturbati, pallescere, anxiari videntes, ecclesiam accurrerunt, et abbati et fratribus quibusdam, qui cum eo ecclesiam tunc ingressi sunt, quod socius eorum moreretur, nuntiaverunt. Currunt festini, et eum non mortuum, sed pene mortuum invenerunt, nimioque frigore et pallore constrictum. Vocant nomen ejus ingeminando, non tamen ab ipso ullum potuerunt habere responsum : si dominicum corpus suscipere vellet, requirunt, eisque annuit, se suscipere velle. Quod quum fuisset allatum, voce tunc recepta, locutus est. Interrogatus, Redemptorem et Salvatorem ipsum confessus est, crucem adoravit, Christi corpus suscepit, et a timore suo recreatus est. Tamen adhuc domum esse plenam dæmonibus clamabat, et a præsentia ipsorum formidabat. Interrogatus, quid sibi vellent dæmones, « Unum, inquit, hominem hinc abstrahere volunt. Et dicebat : O miser, o miser! qui ad Deum venerat, nunc a Deo vult separari. » Hæc et hujusmodi dicens, cœpit magis magisque pavere, præsentiam dæmonum ferre non sustinens.

AUCTORE ANONYMO COÆVO.

apparet habitu 10 Sed ad aspersionem aquæ benedictæ eos fugisse testatus est, et per domum necessariam *f*, per quam intraverant, egressi sunt domum. Circumstantes autem ostium domus, magnum strepitum concitaverunt, quem etiam alius novitius audiens, satis exterritus est. Sed qui hæc videbat, magis timebat; ut E ostium clauderetur, clamare cœpit. Aspersione vero aquæ benedictæ et divina virtute fugatis dæmonibus, siluit et quievit. Post paululum vero locutus est, admirans quoque, « quomodo, ait, nunc ascendunt duo Angeli in cœlum. » Inter hæc cœperunt oculi ejus deficere, vultus quoque cœpit in pallore mutari. Pallore enim vultus et tactu venæ, aspectuque oculorum se mori signabat. Abbas cum monachis aderat, omnes novitium circumstabant, eumque mori existimabant. Nec mora, oculi ejus venustiores sunt redditi, faciesque hilarior, et omnium circumstantium oculis facta est gratiosa, corporalem visum atque auditum omnino amittens. Sublimiter namque et mirabiliter in exstasi raptus, oculisque sursum intentis, dulcisonum carmen audire se dixit *g*. Læta quidem atque jucunda, nec minus miranda sunt, quæ sequuntur. Et satis admirans : « Quam præclaram Dominam video, inquit, o quam ornate cantat. » Paululum siluit : deinde dixit : « Ave, gratia plena. » Quo dicto, siluit : et post cum admiratione F dixit : « Nunc video Dominam nostram, deinde Mariam et ubi? illam video in cœlis, et, quam ornate cantat quemdam hymnum Beata Dei Genitrix! » Ista videlicet hoc modo narrabat, non tamen continue, sed aliquantulum silentii moram interponebat; tamen uno modo, quia nunc parum, nunc amplius silendo tacebat. Modicum siluit, et quem hymnum cantaret Beata Dei Genitrix, aperuit, dicens : « Ave maris stella. » Siluit parumper, postque admirans, ait : « Bene ornate cantat, et, o quam dulcis est hymnus iste. » Aliquandiu quievit; et deinde dixit : « Modo est in tertio versu. Quievit paululum, et ait : » Monstrate eam mihi, et, o quam ornate cantat! » Quo dicto tacuit. Postea dixit : « Modo consummavit hymnum Beata Virgo Maria. » Quando ista dicebat, quis dicat gaudium, quod faciebat, et vultus ipsius gratitudinem, oculorum venustatem? Nam et præ gaudio flebat, et circumstantes præ gaudio flere cogebat.

f

g

et ritu 11 Quando autem loquebatur, inscius hoc faciebat, nec præsentes attendens, nec ad interrogata

AUCTORE ANONYMO COÆVO.

rogata respondens; nam omnino erat in exstasi raptus. Ut autem præsentes ex parte agnoscere possent ea, quæ in spiritu ipse videbat, nonnulla more suo ipse inscius dicebat. Sunt autem talia, quæ ipse dixit, qualia quæ subsequens sermo narrabit. « Video, inquit, cruciculam parvulam valde perpulchram, et quidam bonus homo tenet ipsam. » Modicum siluit, deinde dixit: « Sanctus abbas Bertrandus, o quantum gaudet atque lætatur. » Quanta jucunditas et exsultatio tunc præsentibus fuit! Abbas quoque in prædecessoris sui laudem versus dixit: « Eja, novitii, eja precamini exorate S. Bertrandum. » Et o cum quanta devotione cœpit exhortari omnes, qui aderant, in gloriam prædecessoris sui! Qui autem ista videbat, ait: « O quam pulchrum collegium! o quam pulchra societas! » Paulisper tacens, hoc quoque dixit: « Sui fratres de Grandi-Silva sunt cum illo. » Modicum síluit, deinde ait: « Sui fratres, inquiens, de Grandi-Silva sunt cum nostro abbate et collegium Clarævallis. » Admirans quoque, « quam magnum gaudium, inquit, potest
B habere Claravallis! » Ad modicum tacuit, postque ait: « Modo induitur, et, o quam pulchra sunt vestimenta ista! » Quo dicto, siluit. Deinde « quam ordinate, ait, incipit iste bonus homo, Gloria in excelsis Deo! Quievit tacens, subsecutusque adjunxit, » et in terra, « ingeminans, » pax, inquit, hominibus. Quo dicto siluit. Sed utinam sicut verba, sic et gaudium posset referre, grataque suspiria. Nam vere gaudebat, vere gaudebat, et præ gaudio flebat. Diu tacuit, totus in exstasi raptus, beatorum spirituum laudibus intentus, per moras et spatia laudum, quas audiebat, quædam et parva nonnulla in ore suo dicebat, et ait: « Cum Spiritu Sancto; » quod quum adstantes audissent, angelici hymni ultima esse dixerunt. Modico spatio quievit, et postea dixit: « Quam ornate, inquit, puer quidam incipit Epistolam. » Ad hæc circumstantes nimium admirati, Missam esse dixerunt; sed, ut verum fatear, Christo teste, tantæ dignitatis sunt ista, ut numquam aut vix humano sermone digne eloqui possint.

solemniter

12 Verumtamen, ne forte nebula oblivionis utilitati multorum ista abscondantur, Deo donante, pauperculus sermo exhortationis percurrat cætera. Itaque quum dixisset, quam ornate incipit quidam puer Epistolam, subjunxit: « Ab initio; » quo dicto tacuit usque circa Epistolæ finem: et ait: « Et in plenitudine » et cum admiratione hæc repetens: « Et in plenitudine, inquit, Sanctorum. » Temperato usus silentio, dixit: « Adorate Dominum. » Quod quum adstantes audissent, et ultima Responsi istud esse dixissent, in voce exsultationis et admirationis iterum dixit: « Quam ornate incipiunt duo boni homines, Alleluia. » Modicum siluit, deinde ait: « Nunc dicunt versum: et ait: « Vidimus Dominum » et cum ingenti exsultatione istud repetens, « Vidimus, inquit, Dominum mo... cujus finem, tacuit. Hoc modo retulit, « adorate Dominum : » deinde dixit: « Alleluia. » Admiransque, « Quam ornate, inquit, incipit quidam bonus homo Euangelium. » Quo dicto, tacuit, et cum lætitia iterum dixit: « Liber; » quod præ gaudio repetens: « Liber, inquit, generationis. Temperate siluit, D dein dixit: « Qui fuit Deus. » Quo dicto tácuit: et post Euangelii finem sic locutus ait : « Modo osculatur bonus homo librum. » Paulisper tacuit, deinde dixit: « O quam speciosum thuribulum! » Post modicum iterum dixit: « O quam ornatum thuribulum! » Ista quum diceret, quis referat gaudium, quo ipse gaudebat? Et vero supra humanum modum facies ejus erat jucunda, grati oculi sursum erecti, et lacrymis faciem rigans, grata suspiria emittebat. Qui vero adstabant, gaudenti congaudentes, simul præ gaudio flebant.

13 Facta sunt, non ficta; vera, non falsa; *celebrantis.* credi possunt, ratione comprehendi non possunt: et, Christo teste, mendacio carent, veritate plena. Et, o Christi ineffabilis bonitas et immensa pietas, quæ quum unum ad ineffabilia contemplanda sustulit, ipso mediante, ut ita dicam, mentes eorum, qui ad ædes cœlestes sublevantur. Nam mediante eo, qui hæc videret, ipsius ineffabilis Missæ beatorum spirituum participes se esse factos, ac si superis animabus sanctis interessent, gavisi sunt. E Sed ad narrationem suam sermo recurrat. Postquam enim dixit, qui hæc videbat, « quam ornatum thuribulum! » Temperato usus silentio, secutus adjunxit: « Per omnia: » et moderate tacens, dixit: « Sanctus, Sanctus, Sanctus. » Quievit et tacuit: deinde cum gaudio ait: « Benedictus, qui venit » et in voce exsultationis id ipsum ingeminans, dixit: « Benedictus, qui venit in nomine Domini. » Quo dicto, quievit et tacuit usque ad « Pater noster. » Temperatoque usus silentio, ait: « Agnus Dei. » Quod iterum tertio repetens, secutus adjunxit : « Dona nobis pacem. » Quod quum dixisset, modico facto silentio, admirans ait: « Nunc serviunt duo Angeli, duas tenentes ampullas. » Post hæc quum dixisset, « Dominus vobiscum » et in voce exsultationis adjunxit: « Ite, missa est. » Magnifice gavisi sunt, qui adstabant, beatis spiritibus vocem jungentes, lætati sunt, et lætantes respondendo dixerunt: « Deo gratias. » Post quæ omnia, qui hæc videbat, dixit: « Benedictus Dei Filius: » temperatoque usus silentio, ait : « Modo exutus F est. etc.

ANNOTATA.

a *Quum, ut biographus habet infra num.* 6, *B. Bertrandus diem suum anno* 1149 *clauserit, consequitur ex regimine* viginti et eo amplius annorum, *non diu ante annum* 1129 *gubernacula Grandi-Silvensia capessivisse.*

b *Tuscio videtur initio fuisse monasterium duplex, virorum scilicet et fœminarum. Et virorum quidem fuisse, monastica monstrat professio in eo suscepta a Grimoardo, B. Giraldi fratre, ut habet hujus Vita num.* 15 : *ibidem quoque num.* 12 *dicitur fundatum Tutionem* ad monialium religionem, *ita ut Tutio esset* mater et caput *Ordinis Fontis-Ebraldi. Brevi tamen post tempore solis Virginibus cessit monasterium; cujus mentionem nullam facit Gallia Christiana, agens de provincia Burdigalensi.*

c *Hæc verba, quæ rei gestæ etiam horam assignant, ostendunt testem oculatum, qui certus de substantialibus, aliquantulum dubius hæret in accidentalibus.*

d *Anno*

A d *Anno* 1149, *signato littera dominicali* B, *feria* II *incidebat in* V *id., diem* XI *Julii.*

e *Hæc ad amussim conveniunt inter se. Nam dies undecimus post excessum Beati viri, incidit in feriam quintam, similiter et octavus post hunc diem: quo ad Matutinum canitur hic citatus psalmus:* « *Attendite, populo meus, legem.* »

f Domus necessaria, *id est, latrina.*

g *Quæ deinceps ad finem usque narrantur, nihil mihi videntur habere prodigii. Etenim allucinationes magis sunt mentis perturbatæ. Animus, occupatus plerumque exercitiis monasticis, hæc coram exhiberi sibi imaginatur: nam quæ animo plerumque observantur sano, hæc sæpe ægroto obtruduntur. Juveni, nam novitius dicitur, ritus sacri novum quid, adeoque extraordinarium, objiciebant; quo factum fuit, ut mente alta reposta haberet: nec mirum proin eadem febricitanti occurrisse, et quasi ex ordine enarrata fuisse.* AUCTORE J. V. H.

DE B. GIRALDO DE SALIS, CONFESSORE,

CASTELLARIIS IN DIOECESI PICTAVIENSI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. V. H.

B

ANNO MCXX. § Unicus. Beati cultus antiquus; Vita conscripta a monacho Castellariensi; ætas; fundatio novem monasteriorum. E

B. Giraldi cultus certus:

De B. Giraldo *de Salis nullus, quem sciam, martyrologus mentionem fecit: atque hinc factum censeo, ejusdem, die* XX *Aprilis* 1120 *defuncti, memoriam a majoribus nostris omissam fuisse, quoniam nec inter Prætermissos aut in alium diem Rejectos nomen ejus occurrit. Non credimus tamen ei locum in Actis Sanctorum esse denegandum, quia signa cultus evidentissima adsunt; scilicet solemnis corporis translatio, num.* 33 *Vitæ infra edendæ relata, et elevatio supra terram, repositio capitis in vasculo deaurato, ac tandem costa sacri corporis, seorsim servata, quæ, ut habetur num.* 42 *diebus dominicis* ad capellam sancti Geraldi *fidelibus populis, illic vigilantibus, deportabatur. Ad hanc porro diem ponimus B.* Giraldi *Acta, quatenus magister fuerit B. Bertrandi, cujus memoria etiam, ut supra ostendimus, hac die a quibusdam hagiologis, quamvis minus recte, celebratur. Neque istiusmodi prætermissiones vitio verti debent decessoribus nostris: agitur enim semper de Beatis, quorum cultus inter angustissimos fines circumscriptus fuerit: ad quorum proinde notitiam devenire non poterant, nisi specialiter admonerentur: quod frequentissime negligi, nostra nos quotidiana experientia docet. Et nos quidem præteriisset B.* Giraldi *memoria, nisi felici nexu nobis discipulus magistrum indicasset.*

C

Vita, ab anonymo Cisterciensi conscripta;

2 *Vitam S.* Giraldi, *infra edendam, habemus satis prolixam et accurate scriptam; si tamen expungis nævos aliquos chronologicos et quæ narrat de Caduinensi monasterio num.* 22, *quasi sex post fundationem annis jam a norma regulari exorbitasset. Hæc tamen σφαλματα faciunt, ut scriptor duobus fere sæculis a* Giraldo *nostro distare videatur: etenim octoginta circiter a fundatione annis Caduinum a recto tramite deflexit, nempe tempore Innocentii III, ut constat ex hujus Regestis lib.* I, *epist.* 146, *quæ data fuit* VI *id. Maji* 1198 (1). *Quum itaque tantum erraverit biographus in causa Caduinensi; omnino verisimile evadit, scripsisse circa finem sæculi* XIII, *ut notat Edm. Martene in capite Vitæ* (2). *Ex altera tamen parte adeo accurate describit, quæ pertinent ad Castellariense asceterium, ut monumenta coæva coram habuisse et studiose fuisse scrutatum ambigendum non sit: unde sponte quasi sua nascitur conjectura, biographum Castellariensem monachum fuisse: quam suo etiam calculo probat Edmundus Martene* (3), *atque etiam admittimus. Si itaque nævos, ex male ordinata chronotaxi natos, corrigas, tota narratio recte procedit, et res gestæ veritate nituntur. Cæterum affectat biographus stylum suum verbis similiter desinentibus, quod legenti facile occurret; atque hinc frequenter fit, ut phrases suos adscitis verbis vestiat: unum tamen non selectum, sed arreptum in turba huc adducam ex num.* 7 :

F

Pallidus erat et macilentus, carnem spiritui [subjiciebat,
Parcius, quam necesse esset, seminecis artu- [bus indulgebat;
Corporis et mentis perpetua rutilavit virgini- [tate,
Et mira se armavit asperitate;
Omnes sensus corporis sic erant mortificati
Ut in mortem vitiorum viderentur conjurati.

Beatus in Petragoricis nascitur

3 Giraldus, *quem biographus passim* Giraudum *aut* Gyrandum *appellat*, ortus est, *ait*, de Petragoricensi territorio, in vico, cui vocabulum est Salis. *Duplex est autem hujus nominis vicus in Petragoricis; uter est locus natalis beati viri non facile quis definierit. Unus ab altero, si mappas Cassinianas consulis,* XXVII *fere chiliometris distat; alter in Bergeracensi districtu* (arrondissement Bergerac), *alter in Sarlatensi* (arrond. de Sarlat) *situs. Quoniam tamen vicus Bergeracensis, multo propius monasterio S. Aviti adjacet, hunc beato nostro natalem existimamus. Dicit enim biographus*

(1) Migne, Patrol. tom. CCXIV, col. 128. — (2) Ampliss. coll. tom. VI, col. 990. — (3) Ibid. l. c.

AUCTORE J. V. H.

num. 4 puerum Giraudum Domino oblatum, suscepisse habitum regularis canonici in monasterio S. Aviti. Non longe erat monasterium illud a villa Salis et a domo parentum. *Ast S. Aviti loca quinque in Petragoricis inspicienti vel obiter Atlantem Cassinianum occurrunt, nempe S. Avitus Dominorum,* S. Avit le Senieur, *S. Avitus de Riperia,* S. Avit Rivière, *S. Avitus Leydensis,* S. Avit de Leyde, *S. Avitus Villariensis,* S. Avit Villars *et S. Avitus* de Gravemeyrus: *quin autem hic agatur de S. Avito Dominorum dubium esse non potest; nam istic aliquando exstitit collegium canonicorum, ut constat ex Actis S. Aviti Eremitæ ad diem* XVII *Septembris* (1) *et diuturna fuit controversia, utrum sæcularium an regularium esset. Tandem anno* 1292 *decisum fuit, esse collegium sæculare* (2). *Constat tamen ex hac Vita S.* Giraldi, *collegium fuisse canonicorum regularium, quum aperte dicat biographus noster, Sanctum induisse* habitum canonici regularis in monasterio S. Aviti, *quod post medium sæculum undecimum accidisse existimo. Porro Villa S. Aviti Dominorum quatuor chiliometris a villa Salis Bergeracensi distat: unde verisimillimum evadit, hanc villam fuisse S.* Giraldo *natalem.*

B

circa annum 1070;

4 *Tempus mortis, scilicet annum* 1120 *cognoscimus, sed ignoramus quo tempore in lucem prodierit B.* Giraldus: *adeoque quot annis vixerit. Conjectare tamen licet ad senium usque non produxisse vitam: nam discipulus fuit S. Roberti de Arbrissello, anno* 1117 *defuncti* (3), *qui ipse ad decrepitam ætatem pervenisse non videtur: quoniam supremo morbo imminente, ut habet ejus biographus coævus* (4), ad populos, qui ejus prædicationem avide desiderabant, et desiderantes multis precibus postulabant, pergebat: *quod laboris genus virum indicat robustæ adhuc valetudinis, adeoque nec senio fractum. Ex altera parte B.* Giraldus, *qui magistro suo tribus solum annis supervixit, dicitur in Vita sua num.* 3 *et* 4, *adhuc puerum fuisse, quando B. Roberto discipulum se dedit.* Excitatus, *inquit biographus noster,* Giraudus puer præconio tanti viri, festinavit apud eum inveniri, ut sub tanta ferula posset maturius erudiri... Suscipiens autem senex puerum, cum devotione et alacritate animi per dies aliquot notas faciebat parvulo vias Domini: *tandem eodem Roberto hortatore, habitum canonici regularis B.* Giraldus *in monasterio S. Aviti suscepit. Ex hisce conjecto, B. Robertum, septuagenarium fere, B.* Giraldum *quinquagenarium obiisse: qua conjectura admissa chronotaxis commode procedit. Robertus quidem inter annos Christi* 1040 *et* 1050 *natus* (*Historia liter. Franciæ habet annum* 1047 (5)), *anno* 1117 *sat virium habebat, ut ministerio apostolico operam suam impendere posset: B. vero* Giraldus, *circa annum* 1070 *in lucem editus, aliquandiu sub magisterio B. Roberti versari potuit. Simodeste accipiantur supra citata verba* pueri *et* senis, *quæ magis indicant utriusque annorum differentiam, quam alterutrius ætatem senilem et puerilem, omnia bene fluunt.*

C

juvenis canonicis regularibus adscriptus;

5 *B. Robertus, non contentus vitam suam apostolico ministerio, impendere, etiam socios in partem laboris associavit.* Visum est, *inquit ejus biographus, Baldricus, Dolensis episcopus* (6), illi, multos debere colligere, ipsisque dare manducare, ne forte deficerent in via; quidam enim ex iis de longinquo venerant. Vocati autem sunt collecti illi, Regulares, qui more primitivæ Ecclesiæ vivere satagebant regulariter. Factum est igitur examen illud, advolans de mundi lenocinio, canonicorum congregatio. *Hujus consilii primus effectus fuit fundatio S. Mariæ de Rota in Bosco prope Credonium* (Craon dép. Mayenne), *quæ ad finem usque permansit canonicorum S. Augustini. Postmodum tamen Fontem Ebraldi* (Fontévraud), *quatenus saltem ad fœminas spectat, sub Regula S. Benedicti instituit* (7). *Pari modo B.* Giraldus *et ipse canonicus regularis, monasteria, quæ instituit, sub Regula S. Benedicti fundavit, quæ dein ad Observantiam Cisterciensem transierunt. Presse quoque magistrum suum Robertum secutus est B.* Giraldus: *etenim si ea quæ in Vita infra danda numm.* 7 *et* 8 *cum Roberti austeritate, quam Baldricus Dolensis exposuit, conferantur, facile cernitur, discipulus magistri sui imaginem accuratissime exhibuisse. Baldricus quidem B. Robertum depingit* (8), cilicio indutum, lectisternium præter humum vix noscentem, vinum omnino, cibosque lautos et saginatos nescientem. *Quæ omnia ad amussim B.* Giraldo *communia erant; his adde prædicationis instantia, et in B.* Giraldo *nostro B. Robertum expressum invenies.*

D

E

novem monasteria,

6 *Ut magister suus, B. Robertus, sic B.* Giraldus *plurima fundavit cœnobia, ad quæ confugiebant ab eo conversi. B.* Giraldi *biographus num.* 12 multi, *inquit,* conversi ad Dominum per ejus ministerium, cœperunt ei offerre possessiones et prædia ad construenda cœnobia, fundavitque septem monasteria pro viris, duo pro fœminis. Nominavit autem Caduinum primum, Grandis-Silvam secundum, Dalonem tertium, Bornetum, quartum, Alodia quintum; Absiam Gatiniæ sextum, Castellaria septimum... Alia duo nominavit Tutionem et Bibionem ad monialium regionem*. *Chronicum S. Maxentii, vulgo Malleaçense dictum, et in annum Christi* 1134 *desinens, adeoque coævum, plures fundationes B.* Giraldo *adscribit: Sic enim habet* (9): Anno millesimo centesimo vigesimo Giraudus de Sala obiit... Eodem tempore inchoata sunt plurima cœnobia de institutione Giraudi de Sala. In territorio Tolosæ est unum cœnobium in honore S. Mariæ, quod vocatur Major Silva, ubi primus abbas fuit Stephanus. In pago Agennensi est aliud cœnobium, vocatum Gundum*, in honore S. Mariæ, ubi primus abbas fuit Bernardus. In territorio Petracoricæ civitatis est alterum, quod vocatur Cadunense* in honore B. Mariæ, ubi primus abbas fuit Helias. In pago Engolismensi et aliud, quod vocatur Bornet, similiter dedicatum, ubi primus abbas fuit Willelmus. Est aliud in territorio civitatis Pictavæ, quod vocatur Alodus*, ubi primus abbas fuit Petrus, et post Giraudus. In territorio Santonensi Fons Dulcis et aliud est, quod vocatur Tenale*, ambo abbates Willelmi vocati: Item aliud, quod Absida* vocatur, ubi Petrus primus abbas fuit. Est et aliud quoque, quod

F

* religionem ?

* Gondon

* Cadouin

* Les Alleuds

* La Tenaille

* L'Asie

(1) Act. SS. tom. III Sept., pag. 360. — (2) Ibid. pag. 361. — (3) Ibid. tom. III Feb., pag. 593. — (4) Ibid. pag. 612. — (5) Tom. X, pag. 153. — (6) Act. SS. tom. III Febr., pag. 605. — (7) H. Nicquet. Hist. de Fontevraud, pag. 242. — (8) Act. SS. tom. III Febr., pag. 605. — (9) Labbe, Nov. Biblioth. mss. tom. II, pag. 213.

Castellarium

A Castellarium nuncupatur, ubi primus abbas Aimericus. In nemore Gastinensi est aliud ad S. Benedictum de Pino* vocatum, ubi primus abbas Guillelmus fuit. Aliud est in nemore, Bonæ Vallis* nomine. In pago Lemovicino est aliud, Dalum* vocatum, ubi primus Rogerius abbas fuit. Est aliud cœnobium Castrensis*, ubi primus abbas fuit Guillelmus. Est alia domus Dei in Lemovicensi pago, quæ vocatur Castalensis, ubi prior Goffredus primus fuit. Alia quoque domus Dei, Corbasim vocata, S. Mariæ et S. Nicolao sacrata, ubi prior Bernardus primus fuit. *Hactenus Chronicum Malleacense.*

* S. Benoit du Pin.
* Bonnevaux
* Dalon
* Chatres

quamvis plura indicet chronicum Malleacense,

7 *Quamvis scriptoris testimonium, quatenus coævi, præferendum biographo S.* Geraldi, *ducentis fere post annis scribenti, videatur: hujus tamen potiorem rationem habendam censemus, qui indubie coram habuit documenta antiqua, nulli errori obnoxia. Malleacensis quidem duo monasteria puellaria, Tutionem et Bibionem omisit, et Beato nostro tribuit fundationem cœnobiorum, aliis adscribendam. Etenim catalogo biographi sequentes Malleacensis fundationes addidit : Fontis-Dulcis, Gondonii, Tenaliæ, S. Benedicti de Pinu, Bonæ-Vallis, Castrensis, prioratuum Castaliensis et Corbasini. Porro nullo certo argumento constat, ullum ex istis* B *monasteriis auctorem habuisse B.* Giraldum *de Salis. Quod imprimis spectat ad Fontem-Dulcem, Mabillonius in suis Annalibus lib.* LXXII *num.* 17 *dicit:* Monasterii originem Chronicon Malleacense S. Gerardo de Salis, domestica vero loci monumenta Willelmo de Concampo tribuunt. *Quam in rem in sua Appendice sub* § LXXXI *adducit diplomata fundationis* (1). *Recte igitur monasterium istud biographus e suo Catalogo expunxit. De Gondonio non est, quod dicam, quum, ut scribit Gallia Christiana* (2), omnia illius monumenta perierint. *Attamen Angelus Manriquez in Annalibus Cisterciensibus ad annum* 1123 *cap.* 4 *num.* 8 *sine ambage dicit Gundum seu Gondonium fuisse filiam Caduini, et ad lineam Pontiniacensem pertinere. Pari modo originem Caduino debet Bona Vallis et cum eo lineæ Pontiniacensi adscripta fuit* (3), *quod idem testatur Ang. Manriquez ad annum* 1120 *cap.* I *num.* I.

in variis diœcesibus fundat:

8 *Porro Tenalia, quæ numquam transiit ad Cistercienses, sed semper Ordinis S. Benedicti permansit, originem suam Fonti-Dulci debet, ut nos docent monumenta Galliæ Christianæ* (4). *Idem dicere licet de Monasterio S. Benedicti de Pinu, quod Gallia Christiana S. Mariæ de Pinu appellat* (5): *nam auctor et primus abbas hujus cœnobii fuit Gulielmus, qui, ut loquitur charta concordiæ* (6), religiosiorem vitam ducere volens, a canonicis *S. Hilarii Pictaviensis ipse canonicus obtinuit* locum quemdam, qui dicitur Ferraria *ea lege, ut singulis annis* libram unam thuris B. Hilario persolvendam ferrent *ac preces pro defunctis canonicis funderent monachi. Ex his satis liquide constat initium cœnobii deberi Gulielmo, olim canonico, post monacho, quin aliqua B.* Giraldi *mentio fiat. Castrensis autem abbatia in Petragoricis, si fidem tribuimus Joanni Dupuy minoritæ, jam ante annum* 1081 *fundata fuit, quando scilicet B.* Giraldus *factus erat annorum undecim. Remanent duo prioratus: Corbasim,* domus S. Mariæ et S. Nicolao sacrata, *cujus mentionem nuspiam reperi. Castalensis contra in diœcesi Lemovicina, vulgo* Le Chalar (7), *prioratus origo mihi similiter ignota est. Sed esto, utrumque locum fundarit B.* Giraldus, *biographi fidem non inficeret, quoniam de iis cœnobiis egisse credendus est, quæ in justa monasteria excreverunt: prioratus autem sunt potius monasteriorum rudimenta, quæ facile a scriptore omitti potuerunt.*

AUCTORE J. V. H.

9 *Manet igitur, a B.* Giraldo *septem virorum et duo fœminarum monasteria fundata fuisse, prout ab ejus biographo enumerata sunt: scilicet, ut habet num.* 12 *Vitæ,* Caduinum primum, Grandis-Silva secundum, Dalo tertium, Bornetum quartum, Alodia quintum, Absia Gatiniæ sextum, Castellaria septimum. *Quibus addenda sunt duo monasteria puellaria, Tutio et Bibio. Ex hisce verbis oritur imprimis quæstio, an enumerata monasteria virorum ordine chronologico hic describantur. Certum quidem est Castellaria fuisse ultimam fundationem* E *B. Geraldi,* anno, *inquit biographus num.* 23, millesimo centesimo decimo nono factam: *nam quod constituta jam Castellaria, ut ibidem dicitur,* locum Absiæ de eremitario abbatiam constituerit *B.* Giraldus, *non indicat posteriorem esse Absiensem fundationem Castellariensi, ipse etiam vir sanctus eremiticam coluit vitam, adeoque et eremitoria in decursu erigere potuit, in monastica dein instituta mutata. Dein quam attigimus in B. Bertrandi actis controversia num.* 6 *monstrat, Caduino primatum quemdam super Grandi-Silva obtigisse. Ex quo mihi satis verisimile est, si Castellaria excipias ordine chronologico monasteria a biographo recenseri. Existimo tamen prius fœminarum quam virorum monasteria instituta fuisse: idque satis certum videtur pro Tutione. Nam ejus fratres Grimoardus et Fulco adhuc juvenes erant, quippe qui, ut loquitur biographus num.* 13, de scholis ad propria facerent reditum, *quando eorum frater* Giraldus *jam* Tutionensis, *ut ibidem dicitur, vulgo appellabatur. Dein paulo supra, num.* 12, Tutio mater et magistra Ordinis, Fons-Ebraldi vero filia Tutionis, quod observatum est aliquan- F tum temporis, donec propter aquæ penuriam Tutionenses compulsæ sunt mutare domicilium et intrare Fontis-Ebraldi monasterium. Ex tunc irritatum est, quod statuerat pater; et mater filia, filia vero facta est mater. *Scimus autem fundatum Fontem-Ebraldi anno* 1100 *aut* 1101, *id affirmat chronicum Malleacense seu S. Maxentii scribens* (8): Eodem anno (1000), Rotbertus magister cœpit dignosci apud nos et incepit locum Fontis-Evrardi* ædificare, et * Ebraldi fratres et monachos adunare in pluribus locis, qui sub disciplina sua religiose vivunt, et tenent Ordinem, eo vivente et mortuo apud Tucum etc. *Num Tucum idem sit cum Tutione, non ausim dicere: sed id elucet Tutionis fundationem præcessisse Fontebraldensem, nec primatum amisisse nisi* propter aquæ penuriam: *unde initia Tutionis ad sæculum* XI *referenda sunt. Tutio* (le Tusson, Dép. de la Charente) *in diœcesi Engolismensi, perstitit sub Ordine*

scilicet, parthenones Tutionem et Bibionem;

(1) Annal. tom. V, pag. 532 et 651. — (2) Tom. II, col. 951. — (3) Ibid. col. 1360. — (4) Ibid. col. 1121 et Instrum. col. 484. — (5) Ibid. col. 1350. — (6) Ibid. Instrum. col. 378. — (7) Le Long. Bibl. hist. de Fr. tom. IV, num. 13422. — (8) D. Bouquet. Rec. des Hist. de Fr. tom. XII, pag. 404.

Fontis-

AUCTORE J. V. H.

Fontis-Ebraldensis, in archipresbyteratu, inquit Mabillonius lib. LXXII *Annal.* § 42, *Ruffiacensi. Unde errant quidam, dubitantes, utri diœcesi Santonensi aut Engolismensi adscribant* (1). *Quod ad Bibionem spectat nullam ejus mentionem uspiam inveni, atque adeo parthenonem interiisse existimo.*

virorum Caduinum,

10 *Atque hæ sunt fundationes S.* Giraldi: *ex quibus etiam argui potest, quæ fuerit apostolicorum laborum circumscriptio: omnia enim monasteria, si Grandem-Silvam ad Tolosanam pertinentem excipias, intra provincias Bituricensem et Burdigalensem continentur. Nunc ad singula cœnobia deveniamus. Caduinum monasterium hodie Petrocorensis diœcesis, præ omnibus reliquis primum ponit biographus noster supra citatus, nec immerito : quippe quod anno* 1113, *secundum Chronicum Malleacense* (2), *inchoatum, anno* 1115 *jam a* Giraldo *nostro ad monasterii formam redactum erat, ut docet nos instrumentum datum* B. Benedicti die festiva, quinto idus (XI) Julii, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo quinto (3); *in eo enim* Robertus de Arbecello concedit et
B irrevocabiliter tribuit nullo pacto, nisi solo caritativæ germanitatis amore retento, domino Gerardo de Salis, venerabili magistro, socio suo, inter necessarios amicissimo, ejusque filiis, imo conservis, tam extemporaneis quam successuris utrumque locum, in Silva Cadunensi situm,... quem ipse Gerardus cum suis commilitonibus acquisierat et acquisitam ædificaverat. *Non ita diu post Caduinum Cisterciensi Ordini adjunctum fuit; filia scilicet Pontiniaci, cujus abbas Hugo illuc misit Henricum monachum suum, anno, inquit Gallia Christiana* (4), 1116: *ast Angelus Manrique in suis Annalibus Cisterciensibus sub anno* 1120 *cap.* I *num.* I, *Cisterciensem associationem ad annum* 1120 *refert. Arbitramur, Galliæ Christianæ, fontibus historicis viciniori credendum esse quam Annalibus Cisterciensibus; præsertim quum Ang. Manrique fateatur ibidem, sibi adhuc* fundatores ignotos *esse, quos certo recenset Gallia Christiana. Cæterum in computandis annis alicujus fundationis monasticæ, ejusque exordio signando, multiplices sunt variantium opinionum causæ, indicatæ ad diem* XX *Octobris in*
C *Actis BB. Gaufridi et Serlonis, quas lector, si lubuerit, adibit* (5). *Caduini religiose asservabatur Sacrum Christi Sudarium. Monasterium abbati suo commendatario annue quinque millia librarum Gallicarum referebat.*

Grandem-Silvam et Dalonem,

11 *De secundo monasterio, a B.* Giraldo *fundato, Grandi-Silva, non est quod pluribus agamus; quum quæ scimus, in Actis S. Bertrandi exposuerimus. Tertium itaque monasterium est Dalonum seu Dalona, in diœcesi Lemovicensi : et quidem agi cœptum est de ejus fundatione anno* 1114, *quando* Giraldus *noster locum agrestem in donum accepit, ut docet liber fundationis Dalonensis* (6) : *verum licet donatio celebrata fuerit dicto anno, non videtur continuo erectum cœnobium; nam donationi, ut ibidem dicitur, intercessit monachus quidam Turturiacensis, Constantinus nomine,* locum Dalonis in sua pertinentia constitutum calumnians: episcopus *autem Lemovicensis* querimoniam ejus indiscussam præteriri non D ferens, jussit, ut vicini senes in medium deducerentur, et si vidissent vel audissent, utrum eorum eremum istam aliquando quis hominum incoluisset, ab eo coram omnibus requirerentur. *Requisiti senes, responderunt,* eremum istam retroactis temporibus solitudinem hactenus permansisse... Verumtamen quamdam eremi particulam retulerunt quemdam rusticum, Robertum de Lage nomine, jam pridem coluisse, et decimam prædicto monacho tradidisse. *Atque hinc querela decimatorum, quam Robertus rusticus redimere debuit pretio* triginta solidorum et sex nummorum. *Hisce demum omnibus absolutis, donatio perfecta fuit. Satis igitur manifestum fit, inter donationem fundi et monasterii erectionem tempus aliquod fluxisse : quapropter etiamsi Dalonensis donatio omnes alias fundationes B.* Giraldi *præcessisset, nullatenus sequeretur, Dalonum ante Caduini et Grandis-Silvæ constitutionem ad justi monasterii formam redactum fuisse. Dalonum Ordini Cisterciensi anno* 1120 *adscriptum dicit Ang. Manrique ad hunc annum cap.* 3, *num.* 7; *multis opibus accrevisse intra breve tempus videtur : nam quum Dalonenses conquesti fuissent apud Alexandrum Pp. III, ut habetur in Decretalibus c.* 9 *de decimis* (III, 30), *quod monachi Ursitenses* decimas auferre conarentur, *respondet Pontifex, ut inter se pacifice* super decimis componant. Nam, *inquit,* quando Romana Ecclesia Ordini vestro privilegia de decimis dederat, ita erant raræ E abbatiæ vestri Ordinis, quod exinde nulli poterat de jure scandalum suboriri: sed nunc in tantum augmentatæ sunt, ac possessionibus auctæ, quod multi viri ecclesiastici de vobis apud nos querelam sæpe proponunt. *Hoc monasterium, sicut pleraque alia, commendatariis traditum, multum decrevit, et abbati suo libros annuos* 1500 *referebat.*

Bornetum,

12 *Quarta S.* Giraldi *fundatio fuit Bornetum, olim et nunc diœcesis Engolismensis : ejus initium chronicum Malleacense ad annum* 1113 *reponit :* Anno, *inquit* (7), MCXIII Giraudus de Sala monasteria duo Cadonio et Bornet incepit. *Ex his autem verbis neutiquam deducere*
F *licet, jam ab anno* 1113 *constitutum fuisse Bornetense monasterium. Nam, ut supra monstravimus de Caduino agentes, non continuo incepta fundatio ad justi monasterii constitutionem attingit, quum pro Caduino biennium ab ejus initiis ad perfectionem operis intercurrerit. Imo si instrumento, in Gallia Christiana edito* (8), *fidem adhibemus, anno primum* 1125 *ultima manus Borneto imposita fuit.* Anno Domini MCCCCII in mense Decembris, nos Guillelmus, episcopus Engolismensis, vidimus, tenuimus, palpavimus et perlegimus fundationem monasterii de Borneto, quod fundavit anno Domini MCXXV, Honorio secundo in Urbe præsidente, dominus Geraldus episcopus Engolismensis, S. R. E. legatus et in quodam Chartario fundationis supradicti monasterii habebatur. Et ut diligentiori cura monasterium ipsum ab Engolismensi episcopo foveatur et tueatur, dilectus filius noster Helias, primus ejusdem monasterii abbas, cum con-

(1) Cfr Annuaire histor. de Fr. année 1838, pag. 83 et 215. — (2) D'Achery. Spicil. tom. III, pag. 475. — (3) D. Bouquet. Rec. des Hist. de Fr. tom. XII, pag. 405. — (4) Tom. II, col. 1538. — (5) Act. SS. tom. VIII Octob., pag. 1020. — (6) Gall. Christ. tom. II, Instrum. col. 201. — (7) D. Bouquet. Rec. des Hist. de Fr. tom. XII, pag. 405. — (8) Tom. II, col. 1051.

silio

A silio fratrum suorum, mihi Gerardo Engolismensi episcopo meisque successoribus episcopis cessit quartam partem libræ incensi, singulis annis reddendam. *Qui chartam inspexit ratam habuit Guillelmus, hujus nominis sextus, sedem Engolismensem tenuit ab anno* 1391 *ad* 1415 (1) : *et qui fundasse dicitur episcopus Gerardus seu Giraldus de Blavia, hujus nominis secundus, ab anno* 1101 *ad* 1136 (2). *Ut porro instrumentum istud cum chronico Malleacensi conveniat, dicendum est, Bornetum, a B.* Giraldo *anno* 1113 *inchoatum, et eodem duce, ab aliquot fratribus jam excultum, demum anno* 1125 *perfectam formam accepisse : adeoque qui primus dicitur abbas Guillelmus, ut habet chronicum Malleacense, supra num.* 6, *esse inferioris subsellii præpositum. Cæterum Manrique et Jongelinus nuspiam agunt de Borneto, quatenus ad Cisterciensem Ordinem pertineat, quod tamen affirmat Gallia Christiana* (3). *Communem calamitatem subiit Bornetum, commendatariis traditum, quibus annuatim quatuor millia librarum reddebat.*

Alodia, 13 *Sequitur quintum monasterium, a B.* Giraldo *fundatum, quod biographus noster vocat Alodia : cujus quidem nominis duplex est cœnobium : scilicet Virginum in diœcesi Lemovicensi; virorum, de quo nobis sermo, in Pictaviensi : utrumque in Ordine Benedictino ad finem usque perseveravit. Pictaviense asceterium B. Mariæ de Allodiis* (Lez Alleux, Dép. des Deux-Sèvres) *a B.* Giraldo, *sed incerto tempore, fundatum fuit : nuspiam de ejus fundationis tempore quidquam inveni, præter ea, quæ ex Chronico Malleacensi supra retulimus. Abbatem autem post Petrum et Giraudum habuit Grimoardum, B.* Giraldi *nostri fratrem, qui ex priore Castellariorum hanc abbatiam deinde rexit, donec* 1140 *Pictaviensis episcopus electus fuit. Quam electionem aliquandiu suspensam habuit Ludovicus VII : quamobrem S. Bernardus epistolam* 342 *dedit ad Joslenum, Suessionensem episcopum, regio lateri adhærentem, ut Burdegalensem archiepiscopum, qui* electam pari Pictaviensium pace et voto et voce personam canonica libertate consecraverat, apud regem excuset (4). Electionem
C Grimoardi laudavit Innocentius II, datis duabus epistolis, altera ad clerum et populum, altera ad ipsum Grimoardum, qua eumdem hortatur, ut in his quæ ad episcopale officium pertinent, semetipsum satagat laudabiliter exercere, opus faciat euangelistæ, ministerium suum impleat : subditos vero suos paternis affectibus diligat; et ut commissa sibi a Deo Ecclesia sub sua providentia tam spiritualiter quam temporaliter augeatur, intenta animi vigilantia studeat providere : possessiones quoque et bona ipsius episcopatus, quæ distracta vel illicite alienata esse noscuntur, cum omni diligentia recuperare laboret (5). *Hoc quoque monasterium absorbuit commenda : cujus vix rudera reliqua erant anno* 1726, *quo Benedictinus Beaunier librum suum monasticum edidit* (6). *Interea commendatario remanebat census annuus secundum mox laudatum scriptorem librarum* 1200, *secundum alios* 4000 (7).

AUCTORE J. V. H.

14 *Sexta fundatio Beati nostri est monasterium Absia, quod biographus num.* 6 *dicit* Gatiniæ, *chronicum Malleacense in* nemore Gastinensi *ponit. Duplex est autem pagus Gastinensis seu Wastinensis : alter notior sub civitate Senonensi* (*vulgo* Le Gatinois) (8), *qui inter civitates Aurelianensem Parisiensem interjacet : alter vero in Pictonibus, a Cl. Guerard omissus* (9), *quem recenset Hadrian. Valesius in Notitia Galliarum sub verbo Pictones* (10). *In hoc minori pago sub paga majori Pictonico, est Absia : olim Rupellensis, hodie Pictaviensis diœcesis. Initium monasterii refert ejus chartarium his verbis* (11) : Anno ab Incarnatione Domini MCXX, epacta XVIII, concurrente IV, indictione XIII, fundatum est cœnobium S. Mariæ Absiæ in primam abbatiam pagi Pictaviensis secundum Regulam S. Benedicti et institutum patrum, probatissimorum monachorum Cisterciensium, a magistro venerabili Giraudeo *, cooperante gratia Spiritus Sancti * Giraudo
in magna gloria, et auctoritate virorum religiosorum, scilicet, venerabilis Guillelmi Gisleberti et abbatis Cadunii et abbatis Borneti E
et aliorum multorum, tam religiosorum quam clericorum, nobilium personarum. Et sub una die, scilicet VIII idus Aprilis, feria tertia ante Palmas, primus abbas et clerici insimul sexdecim, in monastico habitu consecrati sunt : qui videlicet magister Giraudus, postquam discipulum suum, præfatum religiosum valde virum et per omnia bonis moribus instructum, fratribus sibi commissis abbatem ordinasset; ut ei mos erat libere abbatias instruere, locum hunc liberum illis tradens, domibus et necessariis rebus optime ad serviendum Deo magna jam ex parte exstructum, ut verum regem Christum super se semper caput haberent, monuit; ut in virtute Sancti Spiritus secundum propositum supra dictum viverent, præcipiendo rogavit. *Abbatia Ordinis S. Benedicti commendatario suo libras* 2000 *reddebat.*

Absia,

Castellaria. 15 *Septima tandem beati viri* Giraldi *fundatio fuit cœnobium Castellaria : quod quidem ante Absiam fundatum videtur, licet ultimo loco positum, quatenus ibidem diem suum clausit. Nam, ut num. præcedenti monstravimus ex* F
chartario Absia initium sumpsit anno 1120 : *ast Castellariense monasterium, secundum biographum num.* 23, circa festum S. Bartholomæi *seu* XXIV *Augusti* anno Domini millesimo centesimo decimo nono. *Idem quoque monstrat reliqua narratio : quum enim Absiam peteret B.* Giraldus, ut de eremitario abbatiam constitueret, *id est, ut initium daret justo cœnobio, jam suam regularem formam habebant Castellaria; quandoquidem fratribus promisit, se,* expleto Absiæ opere, venturum *ad eorum monasterium. Quod quidem præstitit, quando Absiæ in infirmitate constitutus, Castellariaque delatus, ibidem semper ægrotus, vitam finivit suam. Non videtur autem verisimile, supremo morbo laborantem novæ fundationi insudasse beatum virum. Quamvis autem Absiam anno* 1120, *Castellaria anno præcedenti,* 1119, *fundata habeamus, adeoque de alterutrius prioritate dubium nul-*

(1) Gall. Christ. Tom. II, col. 1016. — (2) Ibid. col. 995. — (3) Cfr Mabillon. Annal. lib. LXXII, § 63. — (4) Migne, Patrol. tom. CLXXXII, col. 546. — (5) Gall. Christ. tom. II, col. 1175. — (6) Recueil des archevêchés, tom. I, pag. 169. — (7) Ibid. l. c. Migne, Dict. de géogr. eccles. tom. I, col. 701. — (8) Guérard. Essai sur les divisions des Gaules, pag. 146. — (9) Ibid. pag. 153. — (10) Pag. 449. — (11) Gall. Christ. tom. II, col. 1380.

lum

AUCTORE J. V. H.

lum superesse videatur; nihilominus biographus num. 27 *Castellaria dicit* locorum suorum novissimum, pauperrimum et, quantum ad tectum, vilissimum. *Quæ verba biographi, rerum Castellariensium scientissimi, ita interpretor, ut licet fundatio Castellariorum anterior sit in mutatione vitæ eremiticæ cum monastica, tamen ipsa loca regularia imperfecta reliquerit moriens B.* Giraldus, *perficienda post obitum : quod etiam indicat vox* omnium pauperrimum *monasterium. Confirmatur etiam ex num.* 29, *quo dicitur* in diebus Emerici *seu Aimerici* fratres factos monachos et ipsum primum abbatem loci. *Ad annum usque* 1121, *quo Aimericus cœpit, necdum perfectionem acceperant Castellaria, quamvis rudimenta justi monasterii a B.* Giraldo *jacta fuissent. Castellaria* (Les Châtelliers, dép. des Deux-Sèvres, arrond. de Niort) *etiamnum ad diœcesim Pictaviensem pertinet, fuitque Ordinis Cisterciensis, et lineæ Claravallensis, ab anno* 1128, *ut monstrat Ang. Manrique ad eumdem annum cap.* VI, *num.* 6. *Commendatario obveniebant duodecim millia librarum Gallicarum. Coronidis loco apponere*
B *liceat, quam late sese extenderet commendarum usus : universim in Gallia præter Ordines mendicantes, erant monasteria dotata* 1644, *ex quibus commendata, adeoque sæcularibus distribuenda, erant numero* 1214 : *contra virorum monasteria sub abbatibus regularibus erant* 114: *prioratuum similiter regularium ignoratur numerus* (1).

VITA

B. GIRALDI DE SALIS,

scripta ab auctore anonymo, Castellariensi, ut videtur, monacho circa finem sæculi XIII,

EX MS. CASTELLARIENSI,

Apud Edm. Martene Amplissim.
C *Collect. tom. VI.*

CAPUT PRIMUM.

Beati natales; litterarum studium; canonicatus regularis; vita eremitica; prædicationes in diœcesi Pictaviensi.

B. Giraldus, *in agro Petrocoriensi nobilibus parentibus natus, a*

Giraudus igitur noster ortus est de Petragoricensi territorio, in vico, cui vocabulum est Salis, et hæc fuit tanto viro terra natalis *a :* ibi natus et alitus est per multum temporis, in medio perversæ nationis, bellicosæ ac ferocis. Cæterum de natali cervicositate non plus traxit aliquid tale, quam pisces maris de materno sale. Fulco dicebatur ejus pater, Adeardis mater : ambo inclyti ac locupletati, generosi et famosi juxta nomen magnorum, qui sunt in medio hujus maris magni et spatiosi; D ambo milites ex conditione, christiani professione, religiosi devotione, de quibus sermo grandis restat ad interpretandum : sed usque ad ordinem prosecutoris duximus reservandum. Præclari igitur parentes præclaras tres soboles, quia præclara tria luminaria, præclare genuerunt, omnes futuros ad eremum, Giraudum vocantes primum, Grimoardum secundum, Fulconem novissimum. Sed usque ad tempus sustinendo de duobus ultimis fratribus, Giraudus sic a quodam commendatus est in versibus :

Giraudus gente generosus, corpore, mente,
Petragoræ pago fulsit, quia lucis imago.

Ingeniosus itaque puer Giraudus magnæ spei et laudabilis indolis, litterarum studiis traditus est a parentibus erudiendus in scholis. Erat enim primogenitus in multis fratribus *b,* *b*
et ante eos traditus est artibus liberalibus; quibus non multo post fratrem sequi ad scholas fuit maximæ curæ; unicuique secundum tempus suæ genituræ. Domi timere Deum et abstinere ab omni peccato docebat eos devo-
E tissima mater : in scholis disciplinam et scientiam monebat eos sedulus magister, in quibus omnibus supra cunctos coætaneos suos enituerunt in brevi, non tantum eruditione linguæ magistræ, quantum unctione Spiritus Sancti.

hortante B. Roberto de Arbrisello,

2 Religiosus itaque puer Giraudus, compe-riens in animo mundum positum in maligno, utpote quia domus ardet et ignis instat a tergo, cœpit secundum sapientiam, congruentem ætati tam teneræ, revolvere in corde de logica illa singulari et unica, quæ mortis non timet ergo : et post multos cogitationum accusantium aut defendentium circuitus, sacra illustris pueri deliberavit infantia, demum petere deserta vel eremum : fecissetque desiderio satis, si teneritudo non obstitisset ætatis. Animus tamen cum Martino aut circa ecclesias aut circa abbatias semper intentus, adhuc in ætate tenella meditabatur, mire in benedictionibus dulcedinis præventus : quod postmodum exsolvit devotus, tunc rei probavit eventus. Et vidit, quod esset bonum et coram Deo acceptum : apposuitque mittere manum ad ara-
F trum, quatenus aptus regno Dei declinaret finaliter baratrum damnationis.

canonicorum regularium c

3 Erat in diebus illis Robertus d'Arbrissel quidam, vir spectabilis conversatione, et omni venerabilis acceptatione *c :* hujus religio munda et immaculata erat coram Deo et omni populo, sollicitum se custodire ab hoc sæculo nequam. Is ergo de caducis et transitoriis curans parum, ex zelo cordis sui solum salutem sitiebat animarum, et circuiens per villas et castella de domibus paternis abstrahebat Christo virgines, alliciens ad spiritualia connubia, sicut fecisse legerat Beatum Hilarium de propria filia. Inter multas vero operationes spirituales instituerat ferventer Fontis-Ebraldi locum et moniales. Erat fervens spiritu, et edoctus viam Domini, loquebatur ea, quæ sunt Christi Jesu. Stupebant autem omnes audientes, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ de saliva ejus egrediebantur. Excitatus Giraudus puer præconio tanti viri, festi-

(1) Migne, Dict. de géogr. eccles. tom. I, col. 743.

navit

A navit apud eum inveniri, ut sub tanta ferula posset maturius erudiri. In quo facto consilium videtur habuisse Spiritus almifici, dicentis per os Ecclesiastici * « Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris habere timorem Domini. »

* Eccli. XXXVII, 15

habitum suscipit;

4 Suscipiens autem senex puerum cum devotione et alacritate animi, per dies aliquot notas faciebat parvulo vias Domini : qui dum adolesceret, et eremum tenderet ulteriorem, videns pater in juvene tam intensum fervorem, persuadere cœpit ei religionem laxiorem, et coegit renitentem. Suscepit ergo de consilio Roberti puer Giraudus, Domino oblatus, habitum regularis canonici in monasterio

d Sancti Aviti *d*. Non longe erat monasterium illud a villa de Salis et a domo parentum, placuitque ambobus commodari Domino prædilectum talentum. Quo tenerius tantæ opinionis sobolem diligebant, eo amplius de ejus conversione gaudebant. Ubi sunt, qui carnaliter amantes filios suos, plorant inexorabiliter mortuos mundo, ut vivant Christo? « Nolite

Jerem. XXII, 10. flere super mortuum, ait Jeremias *, neque lugeatis super eum fletu, plangite eum, qui egreditur a Deo, scilicet per peccatum, quia non revertitur ultra, non videbit terram nativitatis suæ. » Parentes Giraudi, divino mancipati servitio, gaudebant, non fletibus tabescebant, sicut et cæteri qui spem non habent.

sancteque vivit, 5 Ingressus est Giraudus cœnobium cum virginitatis odore, referto sincero pectore spiritu mansuetudinis, virtutum multiplici flore. Mira illi erga canonicos reverentia et patientia, subjectio et humilitas : ultra humanum modum et infantiæ metas vivebat in congregatione justorum, ordinabiliter sibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo; velox ad audiendum et ad bona, tardus ad irascendum, et ad mala, summe verecundus ac circumspiciendus et ad verba; non circumquaque prospicere, non curiose per visibile quodlibet evagari : non oculos effrontes super singulos collocare; non sanctæ Regulæ Augustini iota aut apicem præterire, non mandatis divinis vel seniorum contraire, non in elusionem disciplinæ subterfugium, ut assolet, aliquando reperire : non

C evanescere in cogitationes, non velle haberi in ostentatione, non in admiratione. Erat in puero justitia gratuita, per quam reddebat omnibus debita, Deo timorem, superioribus honorem, coæqualibus amorem, spiritui proprio fervorem, pudorem et decorem, corpori candorem et mœrorem. Quis umquam vidit vel audivit columbam simplicissimam, virtutem verecundissimam aut respicere attonite, aut ridere excusse, aut cachinnare convitiose, aut loqui otiose? Talibus virtutum fulgoribus coram Deo et Angelis radiosus erat, et apud socios flagranter gratiosus. Et coegerunt gradatim eum ad Ordines ascendere usque ad diaconatum : nam ex trepidatione et humilitate cordis semper abhorruit presbyteratum, dicens se nolle augere reatum.

diaconus factus, in eremo 6 Giraudus sic habitans per longum tempus extra formam sæculi, in medio regularis populi, ut ad virilem pervenit ætatem, cogitavit addere fortiora ad ea, quæ fuerant parvuli. Visitaverat pluries in illo temporis intervallo Robertum, religiosum et famosum magistrum suum, et biberat de purissimo ejus pectore nobile Spiritus Sancti templum, et vixerat, ut ab eo didicerat, sacri præceptoris ad exemplum. Ad ipsum ergo rediit Spiritus Sancti consilio, a quo exierat, tum quia eum sitiebat audire licentius, tum quia prædicando populis mereri volebat cumulatius, tum quia eremi cultor optabat, latiora declinans, degere angustius : sancta quippe rusticitas prodest sibi soli, sed docta caritas proximo et sibi. Ardebat in claustro, sed non lucebat mundo periclitanti, quia non erat in loco lucendi : videbat messem multam, sed operariorum paucitatem et mercedis ubertatem. Egressus est igitur, ut copiosiora sibi vindicaret merita : de paupere canonico factus pauperior eremita, et secundum Dei manum bonam secum ampliare cœpit Dei cultum et religionis gentem et locum. Ex tunc mutati sunt vestes et cibi, ex tunc sollicitius et arctius vacare Deo et sibi cœpit *e*.

e

mire austerus victu

7 Imprimis totus erat in cilicio, totus in cruce et martyrio; restrictus fuit in cibo et in potu, et victu et vestitu, paucis minimisque contentus. Pallidus erat et macilentus, carnem spiritui subjiciebat, parcius, quam necesse esset, seminecis artubus indulgebat, corporis et mentis perpetua rutilavit virginitate et mira se armavit asperitate : omnes sensus corporis sic erant mortificati, ut in mortem vitiorum viderentur conjurati. Omnibus diebus vitæ suæ, æstate et hyeme, sanus et æger, semel et non plus comedebat : languens et incolumis cilicium ad carnem gerebat, semper ad occasum solis solvebat jejunium : pane arcto et aqua brevi cum modico legumine perficiebat prandium; panis hordeaceus quanto nigrior, tanto sibi carior, et quanto albior, tanto sordidior. Vix sal et ovum tangebat aut caseolum, vix quandoque pisciculum. Delicata gulæ, quia improperando negabat, et inter cœnandum sua fletibus ora rigabat : in pulmentis leguminis admiscebat aquæ frigidæ vel vini liquorem, ut omnem adnullaret saporem. Sæpius intactas epulas misit egenis, sæpe esuriens ministravit plenis vino, quod erat bibiturus ad horam, per infusionem aquæ tollebat colorem, dulcorem et saporem. Semper vini virtutem sic enervabat,

F quia purum bibere crimen reputabat immane. Suadebatur ei aliquando contrarium, sed non persuadebatur; dicebat enim : Adam ejectus est de paradiso comedendo, et redire nos oportet abstinendo.

et vestitu 8 In discretis temporibus cilicium et cappa fuerunt illi indumenta, cappa grossa, rudis et vilis, in sui novitate asperis et hirsutis insita pilis. Habens alimenta et quibus tegeretur, his contentus erat. Nullam corpori laxans, sæpe novam pauperibus tribuit, quum a quoquam sibi collata fuisset, quia veste nova vestiri erubuisset. Munditia, vilitas ei placuit; paupertas sibi semper, sordes numquam ; superfluitatem vel gloriæ ostentationem fugiens, solam recipiebat necessitatem vel exilem naturæ sustentationem. Quid dicam sustentationem an detestationem? Utrumque si dixero, non me pœnitebit; veritatem enim dicam. De Johanne Baptista dicitur, quod venit nec manducans, nec bibens, plane nec vestiens. Hic autem frigidus et madidus, jejuna et nuda membra deferens ultra humanam consuetudinem,

AUCTORE CISTERCIENSI ANONYMO.

nem, dapes supernas et æternas concupiscentias sitiebat, Angelorumque dulcedinem. Vivat, qui voluerit, ut manducet : Giraudus manducabat, ut viveret. Solum tempus perditum reputabat, quod in sumendis cibis et potibus expendebat : pellibus vervecis contra frigoris instantiam corpus algidum tegebat nonnumquam, pelliceis numquam.

contemplationi vacat;

9 Et quoniam mundo erat penitus crucifixus, totus rapiebatur supra sidera fixus, pectore suspirans ab imo, divina revolvebat in animo. Ex compassione mortis Domini et peccatoris populi, necnon ob prolongationem miseriæ, dilationem cœlestis patriæ cum Maria Magdalena ad pedes Jesu lacrymabatur quotidie. O quoties totas noctes ducens pervigiles in oratione coram te, Domine Jesu bone, totus a se alienatus et in sagena tua tractus, sæpe Angelorum penetrabat concentus, incerta et occulta tuæ sapientiæ multoties manifestasti contemplanti, visiones et conceptiones inspirasti meditanti, aperuisti ei sensum copiosiorem in intelligentia Scripturarum, reseratione figurarum, scala et manuductione creaturarum? Quidquid enim aliis tribuere solet studiorum exercitatio et meditatio in lege Domini, hoc Spiritus tuus suggerebat ei, et erat, juxta quod scriptum est, docibilis Dei, quercuum et fagorum magisterio didicit, quia omnis creatura clamat : Deus me fecit.

B

et dein prædicationi sub Petro episcopo Pictaviensi.

10 Giraudo itaque scientiæ innatæ, acquisitæ et infusæ, triplici acumine vigente, irruit in eum Spiritus Domini repente, ut prædicando portaret nomen Jesu coram omni natione et gente. Lucebat ut carbonculus, ardebat ut caminus, fulgebat ut sidus, redolebat ut nardus, ex zelo caritatis calido, acuto, mobili, fervido et superebulliente; coarctabat cum spiritus uteri sui, nec conceptum sermonem poterat continere. Disseminabat ergo luculenter et eleganter verbum Dei per universam regionem, et laxabat prudenter retia in capturam per varios actus. Erat ob lucrum animarum omnibus omnia factus, replens eundo patriam, euangelistæ faciebat opus, nec erat, qui se absconderet a calore ejus. Benevolos instruebat, discolos arguebat, nulli palpans et adulans parcebat, pro omnibus orabat, omnibus debita reddebat, non ætatem discernebat, non sexum, non fortunam; non conditionem, non personam : summopere et tota diligentia operam impendebat, quomodo et qui non sapiebant, saperent; et qui non sapiebant, desiperent; et qui desipuerant, resipiscerent; gaudebat cum gaudentibus etc.

C

ram dat lissimam.

11 Audita sunt Giraudi præconia longe lateque, et celebri sermone vulgata in episcoporum et prælatorum audientia. Primus dominus Petrus, Pictaviensis episcopus *f*, vir vita et scientia præclarus, dextram dedit ei interminabilis caritatis, committens ei vices suas et ordinariæ auctoritatis *g*. Similem auctoritatem quam plures episcopi commiserunt ei, dare legem vitæ et disciplinæ, et seminare semen sanctum in populo Dei. Optime enim noverant spiritu ferventem, non talentis incubantem, sed lucris inhiantem. Et ecce solito vehementius linguæ sarculo cœpit evellere, destruere, disperdere et dissipare, ædificare, plantare et renovare, factitans prava in directa, et aspera in vias planas. Exsultabat ut gigas ad discurrendum per terras et vicos, urbes et castella parare Domino plebem perfectam. Irascebatur vitiis, nec palpabat; afficiebatur personis, quas amabat, accendebat gelidos, inflammabat tepidos, pungebat improbos, stimulabat pigros, hebetes acuebat : in arguendo libere, non noverat metuere. Diceres ignem urentem in consumendo vepres vitiorum, securim et asciam in dejiciendo supercilia superborum. Explicabat peccatorum seriem et originem, prohibitiones et mandata, ut docti essent, quid deberent agere, quid cavere. Post hæc more bonæ volucris ad latebras et ad nidum revertebatur in idipsum. Beati sunt, qui te audierunt et in amicitia tua decorati sunt.

D

f

g

ANNOTATA.

a *De loco natali* Salis *egimus Commentarii prævii num.* 3.

E

b *Hic et passim occurrunt centones e sacra scriptura, in sensu accommodato accipienda : nec semper feliciter. Christum hisce verbis, alio autem prorsus sensu indicat Apostolus Rom.* VIII, 29 *dicens :* Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.

c *De B. Roberto de Arbrissello egerunt nostri, die, quo colitur,* XXV *Februarii* (1).

d *De cœnobio S. Aviti actum fuit Commentarii prævii num.* 3.

e *Licebat olim monachis ex canone* 26 *Concilii Triburiensis anni* 895 (2) pro lucro animæ vel animarum a suo monasterio exire et in aliud intrare, consentientibus episcopo, abbate et fratribus : *hac facultate debito modo fuisse usum B.* Giraldum *nostrum, non est, quod dubitemus. Eadem licentia perstabat etiam sæculo* XII : *quandoquidem Innocentius III c.* 18 *de Regular.* (III, 31) *dicit :* Monachus, postquam a prælato suo transeundi *ad aliam Religionem* licentiam postulaverit, ex lege privata (quæ publicæ præjudicat) absolutus, libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione prælati : quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Quum etiam Romanus Pontifex, qui supremam in Ecclesia obtinet potestatem, archiepiscopis et episcopis, cedendi licentiam ex justa causa petentibus sine difficultate concedat. Quocirca noverint universi, quibus hujusmodi privilegium est concessum, se ad concedendam licentiam transeundi taliter postulantibus de jure teneri : quia sicut subditus a prælato cum humilitate et puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur; sic profecto prælatus subdito sine difficultate et pravitate qualibet, debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum. *Privilegium, de quo agit Innocentius Papa, in eo erat, ut quibusdam monachis et canonicis, nec non Hospitalariis et Templariis concessum fuerit,* ut postquam ali-

F

(1) Act. SS. tom. III Feb., pag. 593. — (2) Labbe, tom. IX, Conc. col. 454.

quis

A quis professus fuerit apud eos, ad alium locum non possit, ipsis invitis arctioris etiam vitæ obtenta transire. *Operæ pretium fuerit decretalem epistolam, prout in jure continetur, cum ea, quæ in ejus Regestis lib.* XI *epist.* 178 *reperitur* (1), *conferre.*

f *Petrus, hujus nominis secundus, Pictaviensem sedem ab anno* 1087 *ad* 1115 *occupavit* (2). *Impense fovebat monachos : unde Ivo Carnotensis ipsi exprobrabat, quod clericorum ordini injuriam inferret, eosque monachis subjugare studeret* (3).

g *Hic imaginem quamdam vicariorum, qui vulgo dicuntur generales, habemus : quamvis ista tempestate id genus officii apud episcopos nondum exsisteret.*

CAPUT II.

Varia construit monasteria; parentes et fratres ad vitam monasticam traducit; miraculis claret.

B *Varia monasteria construit;*

Interea multi conversi ad Dominum per ejus ministerium, cœperunt ei offerre, possessiones et prædia ad construenda cœnobia, fundavitque septem monasteria pro viris, duo pro fœminis. Nominavit autem Caduinum primum, Grandis-Silvam secundum, Dalonem tertium, Bornetum quartum, Alodia quintum, Absiam Gatiniæ sextum, Castellaria septimum : ibi sepultus est et requiescit in corpore, apud superos in anima; sicut dicitur, ab omni opere, quod patrarat, die septima requievit. Alia duo nominavit Tutionem et Bibionem ad monialium religionem *a*. In Tutione introduxit et inclusit moniales pater devotissimus, et cum eo sacratissimus ejus præceptor dominus Robertus, cujus supra meminimus : instituitque Tutionem esse matrem et caput ordinis : Fontem-Ebraldi vero filiam Tutionis; quod observatum est per aliquantum temporis, donec propter aquæ penuriam Tutionenses compulsæ sunt mutare domicilium et intrare Fontis-Ebraldi monasterium *b*. Ex tunc C irritatum est, quod statuerat pater, et mater filia, filia vero facta est mater. In Bibione vero præ cæteris locis animæ fundatoris complacuit, quia locus ipse pauperrimus fuit; frequentius locum frequentabat, crebrius ibi Deo festa celebrabat. Tot fundata per ejus industriam loca sancta fuerunt, quorum nonnulla jam alia genuerunt, et matres filiarum fieri meruerunt *c*. In quibus omnibus instituit in victu et vestitu modum vivendi ad unguem secundum Regulam S. Benedicti : nihil minui, nihil superaddi, nihil iterari, nihil omitti præceptorum, nihil converti vetitorum, nec supra cogi, nec citra cohiberi. Sed jam ad historiam veniamus.

a

b

c

fratres a periculo liberat;

13 Quodam tempore fratres uterini Giraudi, Grimoaldus et Fulco de scholis ad propria faciebant reditum, et necesse erat per Charantonis fluvium *d* transitum habere : ex opposita vero parte fluminis sine nauta et remige stabat navis. Traductorem navis exspectarunt diutissime, sed adveniente nullo, flere cœperunt amarissime. Flentibus illis et conquerentibus, advenit eis homo quidam, facie ignotus, et salutatis eis ex more, ex eis sciscitabatur, unde essent : De Petragoricensi pago, inquiunt, ad quem et tendimus, et domini Giraudi Tutionensis, a quo paulo ante discessimus, fratres sumus. Quumque hoc dicerent, subito navis a portu soluta est. Quod videntes duo fratres, timuerunt amplius, verentes, ne propter aquæ impetum navis descenderet inferius, et habere non possent ulterius : sed Dei pietas longe egit aliter; nam navis per medium alveum habuit rectum iter et ad eos usque celeriter. Quod ut ignotus homo vidit, stupescens, ait : Vere, vere, ut apparet, o pueri, diligit vos Deus omnipotens : ingredimini nunc navem, et ducam vos usque ad ripam. Revera, sicut promisit, sic per aquam nimiam pueros transvexit. Egressi de navi virum illum ulterius non viderunt; sed in viam suam lætantes abierunt, unde et psalmos cantaverunt et ad suos usque incolumes pervenerunt. Hoc multis audientibus Giraudus narrare consueverat, quia in spiritu in iis omnibus interfuerat, et de se virtutem exisse E senserat. Sed jam tempus est, ut quod de parentibus et duobus fratribus Giraudi promiseramus, exsolvam.

d

AUCTORE CISTERCIENSI ANONYMO.

parentes ad monasticam vitam attrahit

14 Fulco ergo, pater Giraudi, modo asper modo lenis secundum exigentiam temporis, postquam vixerat in populo, per consilium filii vale fecit sæculo. Quum enim ageret in extremis, suscepit Religionis habitum et post crementum meritorum pervenit adhuc juvenis ad obitum, et beato, ut credimus, fine cum Domino requiescens, mortuus est adolescens *e*. Mater vero, viduata tanto compare, consilio Giraudi monialis facta, habitum meruit immutare, et ut confessa est mater filiis, dum adhuc esset in hac vita, excepto solo filiorum patre, omnino viro permansit incognita. Clara conversatio duorum omnibus considerantibus esse potest speculum et exemplar morum.

e

sicut et fratres, Grimoaldum

15 Grimoaldus autem, deposito sæculi habitu, professus est cum capellanita apud Tustonium *f*, inde translatus, factus est prior apud Castellarium, et post mortem fratris electus est abbas Allodiensium; inde compulsus assumptus est ad Pictaviensis urbis pontificium *g*. O Deus omnipotens, quam grave damnum! Non vixit in cathedra illa per annum, quid ibi gesserit, dicere non possum, quia raptus est, ne malitia mutaret illius intellectum, aut quia tanto viro dignus non erat mundus : qui si durasset peramplius, fructificasset uberius, carnem abundantius domuisset. Sæpius potestatus est, se malle fore leprosum, quam abbatem; exsulem vel martyrem, quam præsulem. Quumque ageret in extremis, ter vidit regem cœlorum, semel Mariam, Christi Domini Genitricem : nam pluries ante viderat apparentem, audieratque loquentem. Transiit autem sexto kalendas Augusti, sepultus apud moniales Fontis-Ebraldi. Cui sepulturæ, Domino concurrere faciente, interfuerunt tres archiepiscopi Burdegalensis, Rhemensis et Turonensis : tres episcopi Suessionensis, Meldensis et Noviomensis : legatus unus, scilicet dominus Gau- F

f

g

(1) Migne, Patrol. tom. CCXV, col. 1491. — (2) Gall. Christ. tom. II, col. 1167. — (3) Migne, Patrol. tom. CLXII, col. 48.

AUCTORE CISTERCIENSI ANONYMO. *et Fulconem* : *h*

fridus, episcopus Carnotensis, et cum plebibus innumerabilibus consul Andegavensis.

16 Fulco vero, novissimus filiorum, eremiticum habitum suscepit apud Boscavium *h*, et beato fine quiescens, pervenit ad bravium post decursi in bonis actibus longi itineris spatium; non debebat vir ramificatus a tam gloriosa propagine in aliquo degenerare, sed in viam parentum et fratrum fortiter ambulare. Sepultus est in capitulo Boscavii, ubi erat de primis loci illius pauperibus eremitis, et ibi jacuit temporibus aliquantis. Post multum vero temporis ad tantæ sanctitatis reverentiam honorificentius translatum est corpus ejus in ecclesiam, et dum levaretur, inventus est integer et illæsus, ac caro carens carie, nec vestimenta sunt attrita, quasi sepultus fuisset externa* die; quod adspicientes stupore circumdati sunt assistentes. Fuerunt qui de panniculis et commissuris illis aliquid sibi scinderent, et in bursis pie retinerent. Quumque in diversorio sequestrati, scissuras illas vellent tollere pro Reliquiis, nihil invenerunt omnes viri Reliquiarum in bursis suis; a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris. Hæc fuerunt parentum et filiorum gloriosa præconia. Jam nunc ad Giraudi insignia redeamus.

* hesterna

B

monialibus Fontis-Ebraldi tonsuram suadet :

17 Giraudo igitur prædicante regnum Dei et dicta fratris confirmante, contigit dum ad moniales Fontis-Ebraldi prædicationis gratia declinaret, ingressusque capitulum vidit in mulieribus illis Deo et Angelis abominabile monstrum. Nam crinium suorum tortura et circumdatura, more meretricis phaleras et manticas prætendebat posterius, cornua anterius. Inspectis ergo cornutis illis rationabilibus bestiis, cœpit primo eas attrahere blanditiis; sciebat namque, generosum esse hominis animum, ut ducatur potius quam trahatur: et solitariam prius aggressus est abbatissam, sciens, quod alias facilius vindicaret per ipsam, nec facile membra præstarent dissensum, ubi capitis præambulum viderent consensum. Domina, inquit, abbatissa, unum munusculum peto a vobis, quæso, ne negaveritis. Assensit abbatissa, in idipsum

C

assensæ sunt et reliquæ omnes. Mox exercens linguam, quam in talibus satis habebat disertam, edidit eis apostolicam formam, mulieribus impositam: « Non in tortis, inquit, crinibus aut circumdatura auri et argenti : »* et incipiens ab hac scriptura Petri Apostoli; volo, inquit, ut singulæ detis mihi in continenti omnes capillos capitis vestri. Quomodo tolerandum est in sanctimoniali fœmina, quod Apostolus damnat in sæculari matrona ? Spiritu Sancto suscitante et per os Giraudi suggerente, tondentur universæ repente ; et pro lege deinceps statuitur, ut a nulla moniali in posterum coma nutriatur *i*.

* I Timoth. II, 9. I Petr. III, 3

i

fama sanctitatis crescente, *k*

18 Post tanta Giraudi præconia libet insererere Guillelmi, Pictaviensis episcopi *k*, et eremicolarum abbatum testimonia. Vitam, inquiunt, religiosissimi ac famosissimi viri Giraudi tangimus summatim, non seriatim exponimus: epistolam succingimus, non historiam teximus. Puer ingressus est cœnobium, inde migravit ad eremum : sublimiter degebat in cœnobio, sublimius vixit in eremo; excellenter religionem inchoavit, excellentius terminavit. Non Ægypti ollas, non Sodomæ flammas, non argenti auras, non vanitates respexit et insanias falsas. Ascensiones in corde suo disposuit, de virtute in virtutem ascendit, ad supremum tecti pervenit, canticum Graduum intonavit. Vestis ejus erat cilicium, potus aqua, legumen prandium, vita ejus crux et martyrium: nec æger nec incolumis cilicio carebat, nec æger nec incolumis nisi semel comedebat; in omnibus gestis suis Hilarionem redolebat, Antonium præsentabat, immo Christus in eo vivebat. Totus ardebat, et alios accendebat : nunc Joannes in eremo, nunc Paulus in publico, faciebat et dicebat; super montem excelsum ascenderat, unde Sion euangelizabat; multos inflammavit, multos ad eremum convocavit, multa loca ædificavit, in quibus normam Beati Benedicti usque ad minimum iota servandam ordinavit. Quid plura? Christum amavit, Christum prædicavit, Christum imitatus, ad Christum evolavit. Si quid tamen rubiginis aurum contraxit, vel imperfectum margarita, vestris purgetur beneficiis, orationibus et lacrymis. Si hoc non est ei necessarium, sed evolavit ad Christum, oratio vestra revertetur in sinum vestrum.

D

E

miraculis claret: liberatione discipuli, conversione impudicæ mulieris, l

19 Erat in Periculo maris *l* quidam Giraudi discipulus, et cadens in mare, opprimebatur fluctibus. In articulo naufragii illius magistri meminit, magistrum advocavit. Mox illo clamante, apparuit ei vir reverendi habitus, dicens benigne : Quem invocasti, ecce adsum. Et continuo liberatus a tempestatis voragine, reperit se in litore. Erat irretractabilis consuetudo euangelizanti per provinciam viro Dei, quod in quacumque villa, qui primus invitaret eum ad hospitium, annueret ei. Quadam die villam Sancti Maxentii erat intraturus, populo illi, sicut et cæteris gentibus, verbum vitæ prædicaturus. Sed fatua mulier, illo die invitans Sanctum in sua, incertum est autem, quid appetebat in viro, thorum scilicet an marsupium, sperans, se aliquid accepturam ab eo. Giraudus, ut audivit, venturum se esse spopondit. Novissime vero veniunt et reliquæ personæ honestæ, invitantes Sanctum,

F

sed renuit omnibus, dicens, se esse ab una fœmina jam præventum : et ut cognovit a dicentibus, quia lubrica esset et nominis non boni: Sinite, inquit, sinite, possibile est Deo, etiam potius per me converti, quam per eam me perverti. Sermone peracto meridie, juxta condictum Giraudus subintravit mulieris discolæ tectum : post prandium et cœnam, clauso die, venitur ad lectum. At mulier, capta laqueo oculorum suorum, visa elegantia viri, accessit ad thorum, inverecunde dicens ei: Date, inquit, locum, et in latus vos vertite, et ad dormiendum vobiscum me recipite. Est ita, inquit Sanctus ? Revera, ait illa, oportet me dormire vobiscum; idcirco enim introduxi vos in locum istum. Et ille, recedite, inquit, paululum et ad tempus, donec me præparaverim ad hoc opus. Erat autem caminus accensus in domo, et carbones multi ardentes in loco. Expandit ergo Sanctus prunas per atrium, et desuper extendit proprium pallium, sicque in hunc locum cubavit in medium, et advocata impudica hospita, exorsus est ita: Jam si nunc vultis hic mecum quiescite,

A scite, et usque in mane mecum dormite. Cernens improba meretrix, confunditur et compungitur, pedibus Sancti provolvitur, mutatur et tondetur, atque in Fonte-Ebraldi recipienda perducitur *m*.

m exstinctione incendii:

20 Multi quorum Deus tetigerat corda, fuerunt hospites Giraudi per mundum, qui dum prædicaret, præbuerunt hospitium; dum domificaret, impenderunt adjutorium. Inter cæteros fuit unus, cui Giraudi præstitum est meritis tale beneficentiæ munus. Ardebat villa, discurrebat favilla: flante aura, non erat spes, quo salvaretur aliqua domus in illa. Videns ille bonus hospes, humanum deesse consilium, divinum rogitabat adesse patrocinium : Giraude, inquit, hospes bone, commendo tibi domum meam, ne flammas ingredi patiaris in eam. Dicto citius flamma fugiens abiit et recessit, et domus integra et illæsa remansit : flamma autem diffusa est super domos vicinas, et grassata incendit a dextris et sinistris ; domum vero hospitis omnino non tetigit ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiam intulit. B

ANNOTATA.

a *De fundatione horum monasteriorum actum fuit Commentarii prævii num.* 6 *et seqq.*

b *Ex hoc textu deduximus Commentarii num.* 9 *Tutionem antiquiorem esse monasterio Fontis-Ebraldi, anno* 1100 *fundato, adeoque ad sæculum* XI *pertinere.*

c *Monstravimus Commentarii prævii num.* 7 *varia cœnobia ex fundatis a B.* Giraldo *monasteriis prodiisse, quæ Chronicon Malleacense perperam beato viro sine intermedio tribuit.*

d *Charanto* la Charente *fluvius, qui pagum Engolismensem percurrit, et apud Santones in Oceanum influit.*

e *Fulco, pater B.* Giraldi, in extremis, *ut dicit biographus,* suscepit Religionis habitum: *istiusmodi conversi a sæculo dicebantur* monachi ad succurendum. Ad hoc, *ait Joan. Mabillon* (1), usque tempus, *seu ad sæculum undecimum,* mos obtinebat, ut sæculares homines, in extremis positi, habitum monasticum in-
C duerentur, cum eo, ut, si revaluissent, monasticæ professioni obnoxii remanerent. *Quam in rem citat S. Petrum Damiani in Opusculo* XVI *cap.* 2 (2), *quod perperam dicit Opusculum* XV.

f *Tustonium idem est ac Tuscio monasterium, quod propterea diximus in Annotato ad Vitam S. Bertrandi, signato littera* b, *fuisse duplex, virorum scilicet et fœminarum.* Capellanita *idem ac Capellanus, presbyter, qui alteri ab obsequiis sacris adest.*

g *Mortuo Gulielmo II prid. non. Octobris* 1140, *sedem Pictaviensem invasit Petrus de Chastelerault, hujus nominis* III, *vir nobilis quidem genere, sed ambitiosus. Hoc ipso autem tempore episcopus consecratus fuit Grimoardus dominica Septuagesimæ, die* XXVI *Januarii, qui dies anno* 1141 *congruit: obiit autem* VI *kal. Augusti anni* 1142 (3). *Itaque in sede Pictaviensi pontifex fuit Grimoardus mensibus octodecim.*

h *Boscavium seu Boscum Cavum,* Boschaud, *in diœcesi Petrocoriensi, conditum dicitur anno* 1154 (4). *Sed id de justo monasterio intelligendum est: nam Fulco, B.* Giraldi *frater non videtur ad Ordinem Cisterciensem pertinuisse, sed inter eremitas vitam finiisse. Boscavium sæculo* XVI *commendatum fuit, et in ruinam abiit. Nam, ut habet Gallia Christiana* (5), cœnobium ab hæreticis, commendatariis abbatibus atque a toparchis de Puyguillem omnino direptum fuit. AUCTORE CISTERCIENSI ANONYMO.

i *Olim apud Occidentales universim mos non erat, ut Virgines Deo sacræ tonderentur; sed sponsarum ritu, quasi Christo nuptæ, crinem solutum gerebant. Tondebantur virgines lapsæ, ut constat ex concilio Germanico anni* 742. *can.* 6 (6), *quo* nonnis velatis *et in crimen fornicationis lapsis, præter alias pœnas,* rasura omnium capillorum capitis *imponitur. Ast* moris est, *inquit S. Hieronymus epist.* CXLVII *ad Sabinianum* (7), in Ægypti et Syriæ monasteriis, ut tam virgo quam vidua, quæ se Deo voverint, et sæculo renuntiantes, omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum. *Ne tamen servatum capillitium aut vanitatem aut socordiam redoleat,* E *monet S. Augustinus in epistola* CCXI, *alias* CIX, *ad sanctimoniales* (8), ne capillos ex ulla parte nudos habeant, nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria. *Cæterum hodierna monastica disciplina omnia capillamenta monialibus interdicit. Atque idem in Regula Fontis-Ebraldi servandum præscribebatur : nam* § XVI *dicitur* (9): Ut numquam sinant crescere capillos suos, sed tribus vicibus in anno radent illos novacula, sive forcipibus tandant* * tondeant
per totum usque ad testam*. *Itaque dum B.* Gi- * cutem
raldus *apud moniales Fontis-Ebraldi egit, aut jam a primæva Regula deflexerant, quod in rerum novitate verisimile non est, aut ipse potius Beatus noster condendi statuti auctor fuit.*

k *Gulielmus I sedem Pictaviensem occupavit ab anno* 1117 *ad* 1123 (10).

l *Periculum maris est monasterium S. Michaelis* (Mont-Saint-Michel) *in diœcesi olim Abrincensi, nunc Constantiensi* (Dép. de la Manche) *in confinio Britonum et Normannorum. In Periculo maris appellatur, quia bis qualibet die uno fere chiliometro fluctibus maris undi-* F *que cingitur; ita ut incauti et ignari æstus maritimi, si qui forte deprehensi fuerint, opprimantur nec mortem possint evadere* (11). *Similis casus periculum fecit B.* Giraldi *discipulus, cujus ope ereptus narratur.*

m *Talis tentatio, quæ sola fuga plerumque evitari debet, beatum virum præmonitum se exposuisse, temerarium dicendum foret : nisi, ut eventus postmodum monstravit, Spiritu Dei actus haberetur.*

(1) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. VI, part. II. Præf. pag. LXI. — (2) Migne, Patrol. tom. CXLV, col. 367. — (3) Gall. Christ. tom. II, col. 1173. — (4) Ibid. col. 1506. — (5) Ibid. l. c. — (6) Labbe VI, Conc. col. 1535. — (7) Migne, Patrol. tom. XXII, col. 1199. — (8) Ibid. tom. XXXIII, col. 961. — (9) Ibid. tom. CLXII, col. 1079. — (10) Gall. Christ. tom. II, col. 1171. — (11) Ibid. tom. XI, col. 511.

CAPUT III.

AUCTORE CISTERCIENSI ANONYMO.

CAPUT III.

Post fundatum monasterium Castellariorum, Beatus, graviter infirmus, illuc defertur; sancte obit ibidem et sepelitur.

S. Bernardo Claravallensi

Dilatabatur Religio Cisterciensis diebus illis, et a comite Campaniæ fundatum est cœnobium Clarævallis. Ibi ordinatus est Beatus Bernardus in abbatem primarium, et clarissime ac singulariter triginta novem annis Clarævallis rexit monasterium. Singulariter enim effulsit in Ecclesia Sancta Dei, et post Apostolos ingenio ac stilo, facundia ac efficacia, disciplina vitæ et doctrina scientiæ, opere et sermone, virtutibus morum ac jubare miraculorum, nullus in orbe secundus ei. Ipse fuit, per quem patuit doctrina sophiæ, præco Dei, doctor fidei, citharista Mariæ. Iste est Bernardus, cujus videre
B faciem totus desiderabat mundus. Ipsius erat potissima cura salus animarum, conversio peccatorum, fundatio abbatiarum, dilatatio religiosorum. Hac de causa circuivit mare et aridam, et universam pene nationem, donec deveniret provinciam Burdegalensem et Narbonensem. Hac occasione Bernardus et Giraudus viderunt se mutuo et facti sunt deinceps cor unum et anima una in Christo, glutino caritatis et potuerunt esse contemporanei sex annis vel septennio *a*. Quum enim Bernardus abbatizaverit anno Domini millesimo centesimo decimo quarto, et Giraudus obierit anno Domini millesimo centesimo vigesimo, constat verum esse quod diximus de contemporaneitatis termino.

a

traditur, sed falso, fuisse familiaris :

22 Non minus adhæsit alius alio, quam ferrum adamanti; non minus vidit et agnovit alium unus, quam se duo Cherubim mutuo obumbrantia propitiatorium. Si videres Giraudum, deducentem hospitem sanctum et introducentem in monasteriorum suorum nidulo, diceres redivivum David, deducentem arcam fœderis Domini in jubilo. Illustres itaque viri
C Bernardus et Giraudus, in unum congregati, simul veniunt Caduinum : Ordini enim Cisterciensi volebat Giraudus incorporare monasterium, juxta Bernardi magisterium; sed viri habitatores illius loci, filii Belial, non dominicis sed epicuricis inclusi ovilibus, propter novitatem ritus, vilitatem habitus et asperitatem victus, penitus abhorrentes jugum Ordinis, illo in tempore Sanctum Dei remiserunt vacuum et sine honore, dicentes corde, etsi non ore : Bernarde recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Et apposuerunt adhuc Sancto peccare, roncinum, quo vehebatur, cauda truncare: nondum enim visitaverat Caduinenses oriens ex alto, sicut postmodum, quando conversi sunt sub Pontiniaco. Bernardo ergo de finibus illis egrediente, et pedum suorum pulverem in testimonium illis excutiente, Giraudus consolabatur eum blande. Venite, inquit, recedamus ab his civibus in nomine Domini, et dabo vobis domum meliorem, tantum ne moveamini. Non enim vos abjecerunt, sed me. Dicebat autem Grandissilvam. Revera sicut dixit, sic factum est. Nam Grandissilvæ incolæ receperunt Bernardum D sicut Angelum Dei, et in obedientia perpetua se subdiderunt ei. O Deus omnipotens! quanta fecit servus tuus in regionibus illis, quanta audivimus et cognovimus ea et patres nostri etc. Ibi pater sanctus de sexta quasi parte unius hostiæ, tamquam singulus integram hostiam perciperet, totum conventum de Corona clementer communicavit; ibi viride folium potenter exsiccavit, ibi insultantem de grossitie colli equi sui prudenter confutavit. Omnibus Giraudus interfuit, vidit et audivit, et ad virtutem stupuit *b*. Sed jam ad Pictaviam stylo redeamus. *b*

post fundationem Castellariensem

23 Post dies illos Petrus Duvar, unus de discipulis Giraudi, venit in burgum S. Maxentii *c* diebus quadragesimalis jejunii, et quibusdam honestioribus, caritate eum detinentibus, retulit, quod venerabilis Guillelmus episcopus domino Giraudo magistro suo totam diœcesim suam exposuit et obtulit ad currendum et ædificandum religionis locum, quo congruit, et ipse libenter annueret et adjutorium impenderet. Quumque diversi diversa, et illa ediceE rent loca, demum quidam intulit Castellaria, utpote pratis et silvis, aquis et fossatis et vastis solitudinibus abundantia *d*. Adductus ad locum, discipulus venit, et vidit probavitque, quod audierat, rediensque ad magistrum exposuit, quod viderat. Excitus Giraudus his sermonibus, mense Majo devenit ad burgum, sermonem fecit ad populum, videre Castellaria exivit in crastinum, et ea die primus in terra illa primum meruit accipere donum, et sic reversus est, unde fecerat exitum. Circa vero Baptistæ natalitia Petrum Duvar cum duobus aliis discipulis ad locum excolendum destinavit, et circa festum S. Bartholomæi ad consolationem eorum dominum Giraudum, virum justum et pium, eis mittens, in priorem ordinavit. Facta autem sunt hæc omnia anno Domini millesimo centesimo decimo nono *e*. Quodam die quum Giraudus secus Castellaria transiret, et locum Absiæ peteret *f*, ut ibi, sicut in multis jam locis fecerat, de eremitario abbatiam constitueret, fratres illa vice non visitavit, ut consueverat, mandavitF que fratribus, ne transitum ejus ægre ferrent, sed, expleto Absiæ opere, eum venturum, veracius exspectarent. Clerici enim Absienses, sicut et Castellarienses erant et eremitæ, Domino famulantes in puritate vitæ. Absiam itaque pervenit, et quæ circa fratres desideraverat, devote complevit. *d* *e* *f*

graviter infirmus,

24 Interea Dominus tyronem suum tam emeritum, et virtutum ac operum numerositate refertum, volens remunerare, triticumque purgatum septuplum in horrea cœlorum congregare, per febrem nuntium, voluit evocare. Repente cœpit infirmari, et cum eo fratres sunt infirmati : decubuit lecto, et vicissim universi cum eo. Quis non tanto patri infirmanti non coinfirmaretur? Ipse tamen sciebat, quid de eo Deus esset facturus, cæteri nesciebant. Exierat sermo inter fratres, quod magister ista vice non moritur. Sibi placentia imaginabantur, et ex abundantia cordis loquebantur : cæterum Dominus aliter disposuerat. Giraudus igitur sciens, quæ futura erant super eum, recogitansque quid Castellariensibus promiserat, per seipsum tractare cœpit de

A de promisso inter discipulos, quos ad hoc convocaverat in unum. Qui omnes voce consuluerunt unanimi, competentius, sive viveret sive moreretur, eum esse Castellariis, quam alibi.

illuc defertur; 25 Filius ergo veritatis, nolens irritare promissionis eloquium, accersiri sibi fecit dominum terræ, qui tunc aderat, nomine Tirolium, porrexitque ejus preces in ejus sinum; et adjuravit per Dominum, ne eum dimitteret in regione hominum Gastinensium, sed transferret Castellariis, intra concessionis suæ, coram testibus factæ, dominium. Accepto mandato, mane facto, Matutinis nondum finitis, Tirolius electis rectoribus in gestatorio feretri Giraudum eduxit, atque discipulis Castellariensibus dominica in Passione gaudenter induxit *g*. Qui veniens tanta fuit infirmitate gravatus, ut dominica Palmarum ad processionem fratrum non posset incedere, nisi bajulatus. Corpore deficiens, mente fortior erat et potens. Quumque languor ingravesceret, dissenteriaque deficeret, atque in omnibus Deo gratias ageret, die Paschæ portari se a discipulis in oratorium fecit. Ibi Christi confessor Deo confitens et B diu mœrens, signum crucis adoravit, Dominique corpore et sanguine egressum suum roboravit; factusque ad horam in excessu mentis et evanescens Domino circumstantibus ait in latino : Volucres video. Illis non intelligentibus et sciscitantibus, quænam essent volucres visæ, bonæ an malæ : subjunxit verus Israelita : Visitare me venit Dominus Jesus Christus et cum eo Petrus Pictaviensis episcopus et dominus Robertus, eruditor meus. O Virum incomparabilem, qui in die mortis non est derelictus a Domino! Virum, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, et per seipsum deducere et introducere cum Angelis in imperio.

g

et fratres hortatus, 26 Inter hæc Giraudus, cognoscens, quia moreretur, fratres, qui aderant, rogavit sollicite, ut sui memorarentur : Regulam præceptoris almifici, B. Benedicti, admonuit suscipere, et per sanctam obedientiam adjunxit tenere. Quid plura? De locis suis ac fratribus diligenter ordinavit, amicos et hospites Deo pro eis supplicans, commendavit : ne se aliter C quam pauperes fratres sepelirent, vel ad sui tumulum vigilare aliquos sinerent, imperavit; sicque bajulatus ad lectum remeavit. Interea fratres ei suaserunt, sed non persuaserunt, ut aliquid ovi aut casei gustaret in adjutorium suæ infirmitatis, seu præcipue ob reverentiam paschalis solemnitatis. At ille, quasi indignans onerosis consiliariis, ait illis : Ah, ah, miseri, quia talia consulere præsumpsistis : et ego præcipio vobis, ne aliquid tale comedatis. Mansit ergo illo die et secundo vivus in medio populi sui, disputans et suadens de regno Dei, qui linguis hominum et Angelorum loqueretur. Vix explicari sufficeret, cum quantis lamentis ad seipsum, hortamentis ad populum, oblectamentis ad Dominum devenit ad extremum vitæ terminum, imo ad initium, secundum illud Salomonicum : « Consummatus homo tunc incipit. » Nunc ascendebat ad Dominum cum Moyse, dicens ei : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos acquisiisti ministerio meo. » Nunc descendebat ad populum suum cum Apostolo dicens : In disciplina, quam suscepistis, perseverate, fratres, quia hæc est via, et non est alia super terram. Cantabant fratres, sanctum Pascha celebrantes : Giraudus etsi non cantabat, non plorabat tamen; quid enim ploraret, qui veri phase, id est transitus ducebatur ad solemnitatem? At quoniam ea, quæ de ipso erant, finem habent (testamentum enim hujus mundi, « morte morieris ») dicamus, quin potius lugeamus tanti patris pretiosum obitum : musica siquidem in luctu importuna narratio.

sancte obit : 27 Anno igitur gratiæ millesimo centesimo vigesimo, duodecimo kalendas Maji, id est, vigesimo Aprilis, feria tertia post pascha, valde diluculo, Giraudus, plenus dierum et virtutum, inter manus discipulorum migravit ex hoc sæculo, primusque suorum appositus est populo, imponens eis singulis, qui aderant, manus et salutans eos, inter verba orationis ultimum Deo reddidit spiritum. Mox per singulos illius albæ septimanæ dies, una vox discipulorum lamentantium, unus concursus non vocatorum populorum, virorum ac mulierum, simul in unum divitum et pauperum, nobilium et ignobilium, irruentium et se et suos tanto patri commendare desiderantium : E qui videre vel tangere tantam sanctitatem poterat, beatus erat. Adfuit dominus Guillelmus secundus, Adelenius nomine, Pictaviensis episcopus *h*, inconsolabiliter flens et ejulans *h* et ex præcordiis clamans : Ostendite mihi dominum meum, ostendite mihi dominum meum : et ita intuens eum ita vilibus panniculis laneis involutum : Auferte, inquit, ista hinc, et induite illum secundum clericatus sui diaconatum. Factumque est ita, et factum est in die octavo Paschæ sepelierunt corpus Giraudi in Castellariis, locorum suorum novissimo, pauperrimo et, quantum ad tectum, vilissimo, sed religioso, in B. Mariæ oratorio, a latere altaris sinistro.

in ejus sepultura tres apparent 28 Dum sepeliretur Giraudus a ministris in oratorio, erat populus foris expectans horam exsequiarum : et apparuerunt illis tres cruces miræ pulchritudinis, super oratorium pendentes in aere : quas non omnes videre meruerunt, sed quibus datum est. Quæ tam diu manserunt, quamdiu exsequiæ duraverunt; et qui videbant, mirabantur, nec aspectu satiabantur. F Media cæteris amplior et excellentior erat rubicunda; duæ reliquæ ad similitudinem iridis, una viridis, altera candida. Quid inter hæc, fratres animadvertitis? Magnum portentum, abditumque sacramentum : significatur quoddam divinum et a mundanorum corde peregrinum : excellens, ni fallor, meritum servuli, qui tanto et tam privilegiato signo meruit a Domino decorari. Quum enim crux a cruciatu dicatur, omnis amor crux est, quando desiderat hoc quod assequi non potest. Tres ergo cruces, Dei et sui et proximi dilectiones. Purpurea crucifixit eum Domino per amorem transitoriæ asperitatis; nivea, sibi per electionem virginitatis; sed cærulea proximo per ædificationem utilitatis, instruendo de credendis et agendis. Unde Rabanus super Esther : Per virorem fidei et candorem castitatis construitur fundamentum humilitatis. Quidam ternarium crucis referunt ad peccatores, quibus compatiebatur propter offensam Dei, metum inferni et metum cœli. Alii ad sæculum proprium, cui crucifixus erat, quoad

AUCTORE CISTERCIENSI ANONYMO.

quoad divitias, delicias et honores. Reliqui ad Dominum Christum, post quem languebat ex crucis recordatione, ex miseriæ duratione et gloriæ dilatione.

cruces portentosæ.

29 Aliter ipse Sanctus crucium mysterium exposuit. Qui episcopo Grimoaldo, fratri suo dormienti, post mortem apparuit *i*. A Giraudo ergo, per visionem sibi apparente, quadam de re, quam facere cogitabat, consilium petiit : sed ne facere deberet, terrendo prohibuit. Post hoc sciscitabatur frater fratrem, vivens triumphantem, dicens : Magister, est veraciter credendum, quod cruces visæ sint ad exsequias vestras? Cui ipse respondit : Vere et absque ulla dubitatione credendum est, quod viderint eas quidam, quibus datum, sed non omnes : ostendit namque Dominus, quanta dilectione virtutem sanctæ Crucis agnoverim : apparuerunt autem ibi tres cruces diversi coloris, quarum una viridis, secunda purpurea, tertia candida : prima quidem signavit abstinentiam carnis, secunda martyrium cordis, tertia gloriam æternæ beatitudinis. Et hæc dicta de crucibus sufficiant. Sepulto corpore et signato monumento in veteribus Castellariis, jacuit ibi decem-septem mensibus cum duabus hebdomadis. Nam ex tunc translatis fratribus in loco, quo nunc degunt, translata est gleba sanctissima cum conventu anno gratiæ millesimo centesimo vigesimo primo, sexta kalendas Octobris, corpus Giraudi incorruptum et integrum delatum est de loco primo, et sarcophago bituminato reconditum est, ubi est abbatia modo; oratorio tamen petrino nondum inchoato vel ædificio aliquo lapideo *k*. Hoc anno, undecimo scilicet kalendas Novembris, Giraudus prior decessit, cique Emericus Petragoricensis in regimine successit *l*. In diebus istius fratres facti sunt monachi et ipse primus abbas hujus loci. Demum anno gratiæ millesimo centesimo vigesimo nono, adjuvante fratres et exsultante tota vicinia, circa corpus sanctum inchoata est petrina ecclesia; perfecta est autem anno trigesimo septimo et anno gratiæ millesimo centesimo quinquagesimo sexto dedicata a Chalone, Pictaviensi pontifice *m*, Adriano summo antistite, Ludovico in Gallia regnante, assistente domno Emerico primo abbate, pleno dierum, divitiis, gloria, gaudio et honore. Sed jam nunc applicemus calamum ad ea, quæ gessit, et revelata sunt per Giraudum post obitum.

i

k

l

m

B C

ANNOTATA.

a *S. Bernardum et B.* Giraldum *eatenus coævos fuisse, quatenus eodem tempore vixerint, extra omnem controversiam est. Etenim S. Bernardus Cistercium anno* 1113 *ingressus eodem tempore cum* Giraldo *nostro, anno* 1120 *defuncto, vixit.*

b Vivente, *ait Edm. Martene in nota ad hunc locum* (1), Giraldo, S. Bernardus nullam fecit fundationem in provincia Burdigalensi et Narbonensi, sed nec nisi diu post Giraldi mortem : quapropter quæ hoc et sequenti numero ab auctore referuntur, ex falsa traditione desumpta sunt. *Accuratissimam certe habemus S. Bernardi Vitam, in qua varia ejus itinera et fundationes multiplices describuntur; quin tamen ullo indicio significetur S. Bernardus aut Aquitaniam ante annum* 1120 *peragrasse, aut vel per socios monachos monasterium aliquod ædificasse iis in partibus.*

c *Burgum Sancti Maxentii* (St Maixent, Dép. des Deux-Sèvres) *etiamnum ad Pictaviensem diœcesin pertinet : ab eo Castellaria sex fere chiliometris septentrionem versus distant.*

d *De fundatione Castellariensis monasterii egimus Commentarii prævii num.* 15.

e *Ex temporis serie, particulatim descripta, manifestum omnino est, biographo, binis licet sæculis posteriori, præluxisse documenta accuratissima, præsertim circa Castellariensem fundationem, de quo monasterio plura in decursu narrationis refert.*

f *De Absia monasterio egimus Commentarii prævii num.* 14.

g *Anno* 1120, *duodecimo kal. Maji seu* XX *Aprilis, feria tertia paschalis solemnitatis, obiit Beatus noster, ut infra num.* 27 *dicitur : et hic quidem computus ad amussim exactus est. Itaque dominica Passionis, qua Beatus Castellaria translatus est, incidit in diem* IV *Aprilis.*

h *Errat biographus noster in isto Gulielmo, quem Adelenum cognominat, seu, ut habet Gallia Christiana* (2), *Adelelmum : hic enim anno primum* 1124, *adeoque quatuor ab obitu B.* Giraldi *annis, Pictaviensem cathedram conscendit* (3). *Qui igitur Sepulturæ Beati nostri interfuit, Gulielmus, est Adelelmi prædecessor, hujus nominis primus, qui eamdem sedem a* 1117 *ad* 1123 *occupavit* (4) : *et institutionis Fontis-Ebraldensis fautor fuit.*

i *Ut supra vidimus Annotato* g *ad caput* II *Grimoaldus, frater B.* Giraldi *cathedram Pictaviensem a die* XXVI *Januarii* 1141 *ad* XXVII *Augusti* 1142 *gubernavit. Siquidem Grimoaldo jam episcopo apparuerit, plus quam anni viginti inter crucium apparitionem et interpretationem cucurrerunt.*

k *A die* XX *Aprilis* 1120, *quo obiit B.* Giraldus *ad* VI *kal. Octobris seu* XXVI *Septembris currunt menses septemdecim et* dies sex : *itaque error est in* duabus hebdomadis.

l *Chalo seu Calo Pictaviensem sedem duobus tantum annis et mensibus decem tenuit, ab anno* 1155 *ad finem anni* 1157 (5).

D E F

CAPUT IV.

Varia miracula post Beati obitum ejus intercessione patrata.

Bernardum eremitam monet officii; a

Piscator quidam, Evrardus nomine cum Bernardo, primo eremita Plumbi *a* habitatore, degebat, victum et vestitum manu, arte, navi et rete quærebat. Subiit animum dormientis nocturnis horis, quod madescentia retia non expansa reliquerat foris. Exsiliit e lecto illa hora, pendentia expandit retia sine mora, circumspicit lunam et sidera, polum et æthera, serena et clara rutilare, nec canem aut gallum aut strepitum aliquem resonare; sed leniter lambentibus litora fluctibus, applaudere tran-

(1) Ampliss. Col. tom. VI, col. 999. — (2) Tom. II, col. 1171. — (3) Ibid. col. 1172. — (4) Ibid. col. 1171. — (5) Ibid. col. 1178.

quillum

A quillum mare. Et dum aspicit in visu noctis, ecce processio nive candidior innumerabilium senum et juvenum apparet Evrardo, ambulans super aquas maris, quasi tendens versus partes S. Michaelis. Post primos emergunt alii et post alios semper scaturiunt novi, nec tantus aut talis grex visus est alibi. His decursis, vir venerabilis canitiei et habitus, totus quasi divinus et athanaticus, semotus ab illis et per mare gradiens sicco vestigio assistens Evrardo dicens salutato : Valetne Bernardus, habitator loci diuturnus? Valet, inquit. Surrexitne ad Matutinas? Nondum, inquit. Vade, ait, et dic ei ex parte nostra : Modicum fermentum totam massam corrumpit; item transgressor unius factus est omnium reus. Defunctorum servitia minus plene peragis et peregisti, quæ nisi restitueris cum multo fœnore, bona multa perdes congregata in omni tempore; quod defraudasti, cito restitue, quia jam rumpere tentat Atropos filum mortis tuæ. His auditis, ait Evrardus : Ecquis es, domine? Ego sum, inquit, Giraudus de Tutione. Dixit, et illico
B socios insequitur pede sicco. Tandem pulsata et prædicata hora canonica frater Bernardus audit et agnoscit, quid ex parte magistri denuntiat Evrardus : errata cum fletibus limat et corrigit, et, quod minus egerat, restituit, non tepidus neque tardus, et complens vitam in languoris cruciamine : non diu vixit, sicut Sanctus prædixerat.

abbati, regiminis pertæso, obtinet a Deo mortem :

31 Consueverunt abbates vicini illius regionis in honorem Giraudi annuatim concurrere ad festum sanctæ suæ depositionis. Inter cæteros semel adfuit vir venerabilis et per omnia laudabilis, Dominus Joannes de Calencio, primus abbas Boscavii, qui regimen illud susceperat, quasi duceretur ad mortem martyrii *b*. Venerat ad festum tanti patroni, sed et valefacere curabat inflexibiliter imposito regimini, nec in hoc cujusquam acquiescere volebat persuasioni. Expletis, quæ pertinebant ad diem festum, instabat iste, ut absolveretur : sed pater abbas omnino dissentiens, perstabat, ut ad Boscavium reverteretur. Volebat filius præcise remanere, volebat pater obnixe filium remeare. Dum inter utrumque
C vis amica necteretur in hunc modum, Giraudus interpellatur arbiter : dissolvit perplexionis nodum. Nam accedens ad monumentum Sancti Boscaviensis abbas, sursum cor in æthere fixit, atque fide plena, devoto pectore, lacrymis fusis, patri communi dixit : Sancte Giraude, ad cujus sto monumentum, da mihi non posse reverti ad Boscavii conventum; sed qui omnia potes a domino, fac me remanere tecum in omnem eventum. Dicto citius febre corripitur ignota; gratias agit Deo mente devota; patrono Giraudo persolvit vota. Mox lecto prosternitur, adstantibus jocus esse videtur ; sed ille non se rediturum ad propria, sed morituram die tertia pollicetur. Quærunt fratres, unde sit certus : respondit, quia Giraudi patrocinio immutabiliter in talibus est expertus. Quid plura? Confitetur, ungitur, communicatur, fraterna reconciliatio petitur die tertia defungitur, et primus abbatum in capitulo Castellariensi sepelitur. Sicut fratres audierunt, sic viderunt, et de nocte pariter et de die. Sed jam, omissis, quæ scripsit antiquitas, ad nostra tempora veniendum.

AUCTORE CISTERCIENSI ANONYMO.

nova Castellariis erigitur ecclesia,

32 Jacuit ergo Giraudus et in ecclesia illa lapidea a sinistris altaris sub lapide marmoreo clausus in sarcophago petrino, fortiter sigillato et bituminato, centum viginti octo annis usque ad tempora clarissimi et religione conspicuissimi ac prudentissimi viri domini Thomæ abbatis *c*. Ipse anno gratiæ millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, in purificatione B. Mariæ, suscepit regimen abbatiæ, et apposuit cor suum inhærere Domino et Giraudo servo ejus : propter quod apposuit erga eum cor suum Dominus, et benedixit coronæ annorum suorum et in temporalibus et in spiritualibus, sicut benedixit domui Ægyptii propter Joseph. Et cogitavit abbas Thomas secundum manum Dei bonam secum augmentari in duobus cultum divinum, scilicet in ampliando Castellariensis templi gentem et locum, et in elevando in sublime a terra Giraudi corpus ad ædificationem hominum. Durum siquidem et intolerabile videbatur abbati, in communi humilitate terrenorum viscerum sordis et pulveris ossamenta deprimi tanti viri, quem collocaverat Dominus in ex-
E celsis cum principibus, cum principibus populi sui. Et sicut concepit, sic et exsecutus est, et de templo.

et denuo corpus Beati transfertur :

33 Anno itaque Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, regiminis autem sui vigesimo *d*, tempore paschali, abbas Thomas, adjunctis secretioribus fratribus, fodit in altum usque ad sepulcrum : et gavisus est vehementer, quum invenisset, licet cum difficultate, desideratum thesaurum : et pannis holosericis, ut decuit ossa involuta et munda servavit honorifice, donec thecam pro corpore, vas pro capite fabricasset : quod et factum est. Nam caput posuit in vasculo deaurato, corpus vero in feretro marmoreo in modum arcæ fabricatum et super columnas sex lapideas sursum elevato *e*, in eodem loco, ubi prius jacuerat sub pavimento. Factumque est grande miraculum in die illa. Nam pretioso corpore collocato et operculo ad rectius submittendum per cordas elevato omnes funiculi præter unum rupti sunt subito, et assistentium manus, quasi sine pondere et læsura, operculum lapideum tantæ molis statuerunt
F in loco debito. Mirabatur artifex, quod tantam molem tam paucorum manus et humerus in aere sustinuit, nec eam læsit etiam in modico neque contristavit.

ejus convitiatores puniuntur.

34 Aliud quoque audivimus gestum, relatione dignum. Quum prædictus Sancti tumulus initiatus esset in fieri, Thomas venit abbas, quotidie vehementius instabat operi, rogitans, decenter, artificialiter et velociter compleri. Idipsum et faciebat socius suus architectus operis, nomine Colinus de Saliso. Erat ibi unus de collegis Colini, filius Belial, id est, absque jugo, qui tot admonitionibus indignatus est præ fastidio, et non veritus est verbis improbis despumare convitia in Sanctum, et non impune nec ad sapientiam ei : Pro nescio, quo, inquit, Giraudo, quem vultis sanctificare, Deo invito, oportet nos accelerare plus solito. Quum has et hujusmodi blasphemias in virum sanctum evomeret, increpavit eum socius, ut taceret, alioquin cerebrum ejus effunderet. In ipsa nocte erat Colinus dormiens in cubili suo, et apparuit ei sanctus Giraudus,

AUCTORE CISTERCIENSI ANONYMO.

Giraudus, dicens continuo : Numquam te intromittas de injuriarum mearum ultione, quia potens est Deus punire æmulos meos, quoties voluero, gravi animadversione. His dictis, Giraudus disparuit, et blasphemum mox infirmitas lethalis arripuit; qui inde non convaluit, sed horrenda morte peccatum blasphemiæ luit. Simile cuidam accidit Partiniaco *f*, quum Sancto Dei convitiaretur ore maledico. Ibant enim ex more quidam Partiniacenses sabbatis ad B. Giraudi Vigilias : et iste miser, constitutus in via, irrogabat et peregrinis injurias, et Giraudo blasphemias : nec impune : in ipsa nocte blasphemus febre corripitur peracuta, mors expectatur in continenti secutura; nulla hora noctis quieta est vel secura. Mane facto, sacerdos accersitur, viaticum petitur, confessio permittitur; confessor ex more hortatur, confessus tandem externæ * blasphemiæ recordatur. Quid plura? Veniam cum lacrymis deprecatur, emendandum se pollicetur; et, quod si eum oculo clemente respexerit, peregrinus ejus et servus erit in perpetuum, chorda in collo visitaturus sanctum, tamquam meruisset suspendium. Mira res : qui paulo ante secundum causas inferiores descendebat in interitum, nunc per virtutem Giraudi certificationis experitur antidotum. Infra paucos dies veniens ad Sancti sepulcrum, resti in collo secundum promissionis votum; et qui paulo ante merita Giraudi sibi soli vix sufficere, et nulli alii valere dogmatizaverat impudenter, amodo Christi amicum cunctis annuntiat præpotenter.

f

* hesternæ

B

Apparet monacho Castellariensi :

35 Erat frater Guillelmus Desjuvre monachus Castellariensis et magister pauperis hospitii, senior bonæ vitæ et laudabilis testimonii. Quadam die, cæteris dormientibus, dum pergeret ad ecclesiam, monachum ignotum reverendi vultus et habitus obviam habuit, dixitque ignotus domestico : « Benedicite, » illi non respondenti, « Dominus; » quia nec erat abbas nec prior conventus *g*, ait ignotus protinus : « Ne loqui timueris, sed abbatem ex parte mea salutabis et sic ei intimabis : Quod potes, facito, et de reliquo sollicitudinem abbatiæ derelinquito mihi : ego namque pro te ante Deum vigilo, qui locum et gentem protego sub meo azilo. » His auditis dixit notus incognito : Quisnam es tu? Et ille. Quis ego sum, tu nescis modo, scies autem postea. Exiens sequebatur eum, donec ingressum ecclesiam videret intrare Giraudi mausoleum : et tunc cognovit, quia B. Giraudum vidisset, qui hæc et illa sibi dixisset.

g

C

ad ejus sepulcrum multi sanantur ;

36 Interim dum hæc circa Giraudum agebantur, per abbatis Thomæ operam ecclesia prima in longum, latum et altum in dies augebatur : et perfectum est omne conceptum renovationis opus; et positus est Giraudo retro altare majus post ciborium ex transverso collocationis venerabilior locus. Ibi ergo de lateribus aquilonis Giraudus post altare in recto diametro ad orientem translatus est, qui et permanet usque in præsentem diem. Anno Domini millesimo centesimo septuagesimo septimo, Agnetis secundo *h*, perfecta est circa Giraudum ecclesia renovata et ab archiepiscopo Burdigalensium Simone *i* rite dedicata; in qua per Giraudi merita febricitantes refrigerantur, cæci illuminantur, claudi consolidantur, surdi aperiuntur, muti loquuntur, dæmoniaci serenantur, guttosi mitigantur, frenetici et epileptici reducuntur, blasphemi benignantur, tumidi desiccantur, paralytici confortantur, morituri præservantur, mortui spiritualiter suscitantur. Libet nunc inserere pauca de multis, aliqua de universis. In parochia de Marcheisi *k* homo quispiam claudicabat uno pede, nec nisi super baculum, quem vulgo potentiam vocant *l*, poterat incedere. Hic habebat in eadem vicinia virum alium, qui neptim abbatis cujusdam Castellariensis duxerat in conjugium. Compassus ille passionibus convicini, quadam die inter familiaria colloquia dixit illi : Est quidam sanctus, nomine Giraudus, sepultus in Castellariis, quem si devote visitando requisieris, ab incommodo tuo salvus eris : et ego in pignus et obsidem me tibi constituo, quod requisitus, patrocinio non deerit tuo. Quid plura? Oportet eum credere, qui discit, sicut philosophus in Elenchis dicit. Credidit homo sermoni, quem collega suus dixerat, et votum emisit. In crastino, via arrepta, claudus et obses ambo pervenerunt ad locum, visitaverunt Sancti monumentum, æger convaluit ad perfectum, et dimisit ibi potentiæ vehiculum in testimonii documentum, licet duobus annis portasset incommodum.

D

h

i

k

l

E

lapsu conquassati, incolumes evadunt ;

37 Alio tempore Petrum, cognomento Abrenuntio, necessitas revarciendi tectum, supra pinnaculum sutrini statuit; qui, casu contingente, in immane præcipitium subito totus ruit, illisitque ad terram caput ejus tam valide, ut lapidem prægrandem, super quem corruit, plus quam dimidium pedem cogeret terræ viscera subintrare. Ingemuit ipsius Petri pater, qui casu adfuit, et ait : Sancte Giraude, tibi commendo filium meum : sancte Giraude, tibi, etc. Mirum auditu, sed verum gestu, vel dictu vel eventu. Sic conquassatus artifex ponitur in lectisternium, gestatur ad hospitium, experitur Giraudi beneficium : sanus et incolumis infra paucos dies revertitur ad consummandum inchoatum artificium. A Domino factum est istud etc. Joanni, cognomento Margnac, carpentario contigit simile constituto in campanilis cacumine. Quum enim plures fabri lignarii campanam minorem in sede sua collocarent iste unus, incaute stabilitus, e medio omnium prolapsus est ad ima, stetitque ruina ante majus altare usque ad pavimenti novissima. Qui dum præceps rueret, invocabat Virginem Mariam et Giraudum servum Dei : id ipsum et cæteri omnes conclamantes et compatientes ei. In tanti casus fractione non remansit in vertice cadentis caro vel pilus, cutis vel capillus : diceres, esse caput excoriatæ bestiæ, nec aliud quam interitus sperabatur ipsa die. Quid plura? Ultra opinionem adstantium et vanam spem quam plurium, evasit homo illa vice carnis interitum per B. Giraudi preces et meritum : in conspectu mirantium stabat homo, quem ruina prostraverat; vivebat vir, quem fractura necaverat. Vidi ego hominem postea, cui post evulsionem recollocaverant medici corium cum capillis, et aliquod præteritæ læsionis vestigium perpendere non poteram in illis.

F

lectus Beati ab igne servatus,

38 In veteribus quoque Castellariis in capella

A pella lapidea, in qua Giraudus jacuit primitus, crebra miracula fiunt divinitus. Nocturna per vices ibi radicare * videntur et coruscare luminaria, ita quod resplendet hortus inde et loci adjacentis colonia; accensa etiam ibi lampas cernitur aliquando sine ministerio humano. Est ibi lectus ligneus cum stramine et linteis, in quo, ut dicunt, Giraudus exspiravit, quem Deus in medio flammarum sine incendio illæsum conservavit meritis servi sui. Quum enim subitum infortunium vehementi conflagratione totam capellam illam perimeret, in tantum, ut etiam tectum et laquearia flamma consumeret, lectus et altare cum ornamentis suis evaserunt, ita quod nec odorem ignis habuerint. Tantam siquidem virtutem super quatuor elementa servo suo Deus contulit, quod rebus ejus nulla creatura, eo invito, molestiam intulit : sed ignis in hoc incendio, aer in trinæ crucis indicio, aqua in fratrum navigio, terra in duplici præcipitio, voluntati ejus per omnia se obtulit. Sed nec cœlum vel quinta essentia ejus se ministerio
B subtraxit, quando volucres cœli et tales volucres moriturus aspexit. Duos etiam infantulos, ut circumstantibus apparebat, emortuos suscitavit in facie bajulorum : ut ei deservire mereatur trina rerum machina, cœlestium, terrestrium et infernorum : et ad pleniorem dictorum fidem, duæ camisiæ puerorum usque hodie pendent ibidem.

* radiare?

dementes sanæ m

39 Conivadæ in Archesio *m*, demens et frenetica admodum erat fœmina, adeo ut in stagna sese præcipitaret et in flumina. Hauserat in lucidis intervallis aliquam vel exilem de Giraudo memoriam, et quasi a cunabulis noverat abbatiam. Quodam die, ducente fanaticam impetu sui spiritus, subiit animum ejus ingredi abbatiam a parte muri, fluvio contigui, et accedere visa ad murum; quum id non liceret nisi per stagnum medium, usque ad collum præcipitem se dedit in fluvium. Viderunt miseram homines, non secus quidpiam operis actitantes, et missa longa pertica, tandem extraxerunt eam miserentes : sciscitantibus, quid quærebat, respondit, quod per ruinam maceriæ S. Giraudum adire cupiebat.
C Et porrecta sibi misericordiæ dextra, ducentes eam ad cappellam S. Giraudi, solitariam statuerunt intra : ipsi vero consideraverunt et inspexerunt finem rei extra. At illa, viso grabato, in quo levita sanctus obierat, manus injecit, et stramen cum omnibus pertinentiis foras ejecit : et nescio, quo occulto prodigio sub Sancti cubili sancto inventi sunt coluber tortuosus et bufo : quibus ejectis, et refecto fœmina lecto, ab illa die et deinceps perfecte compos mentis effecta est et ex toto. Simile accidit cuidam militi, Petro de Ambierre nomine, qui insaniam et alienationem mentis incurrerat ex vehementia amoris unius fœminæ. Hunc soror compassa, in cubile ex abrupto projecit et ligari fecit. Sed post duos menses, fracto jugo, ruptisque vinculis, aufu-
n git usque Mirabellum *n*, et ibi abigebat muscas de furnariis circumducendo flabellum. Inde hauriebat per vices lucidorum intervallorum, interpolationes diversorum sanctuariorum, prosequens peregrinationes. Tandem applicans Castellariis equos, et lanceam vibrans, habentem in ferro pileum filtreum, quærebat, ubi esset militum hospitium, et impingebat in ostia et macerias portarum per medium monasterium. Facta cœna cœpit furere vehementius a vino, intrans completorium et clamoribus improbis illudens psallentibus Domino. Eadem nocte tentus est et ligatus a suis : siluit, excepto quod exarando cum quinipulo *o*, parietes, per hospitium irruit. Mane facto, aliquantulum serenatus, orationes fratrum et Reliquias Sanctorum humiliter petiit; capite nudato, pedibus et cruribus reverenter adiit sanctuarium Reliquiarum, in oscula ruit, et usque hodie perfecte convaluit. Sed venit abbas Thomas verens, ne ex visis motus, relaberetur in amentiam, quadrigam duci jussit illa nocte ad proximam grangiam. In crastino revertentes ad propria, gratias egerunt abbati, quod modo dominus eorum Giraudi meritis valedixisset infirmitati.

AUCTORE CISTERCIENSI ANONYMO.

o

menti restituti.

40 Erat in partibus illis misera mulier, multorum mater filiorum, quorum unus dementiam diuturnam incurrerat, more lunaticorum. Per omnes sanctorum famosas memorias mater filium ob salutem circumduxerat; donec
E per Dominam nostram de Cella, per sanctum Theobaldum, tandem ad S. Maxentium applicuerat *p*. Quumque filius sine sensu permaneret sicut prius, juravit mater, quod non circumduceret ulterius. Audivit hoc, quæ aderat pauper muliercula, et Giraudi cognoverat præconizanda miracula, quæ accedens propius : Ne, inquit, ita loquamini, et ad S. Giraudum, hic propinquum proficiscamini, et pro certo sancti virtutem experiemini. En ipse stat in vestro itinere, et ego vos introducam usque in ejus nemore. Sic dictum est, sic factum est. Quum autem mater cum filio appropinquavit nemori, torqueri cœpit patiens furia atrociori, solutisque casu, quibus contingebatur, vinculis, versitans per devia, tandem fessus et compos resedit in via sub arbore. Post hæc lentius cum uno filiorum mater perveniens ad locum, vidit filium quietum et cogitantem secum, vidit et gavisa est multum : Quomodo, inquit, est tibi, fili, et quid actum est tecum? Et filius ad matrem : Quidam sanctus, Giraudus nomine, sanavit me perfecte, sequimini me, et ego ad ejus ec-
F clesiam vos ducam directe. Quid plura? præcedente filio et sequente matre, venitur ad ecclesiam; nec a dextris nec a sinistris obliquatur a via : gratiarum referuntur actiones, et sic gaudentes revertuntur in patriam.

p

familia epileptica; q

41 Est una famosa progenies in Chavigniaco *q*, a qua singulæ ramificatæ personæ visitare solent Sanctum Dei cum muneribus semel in anno. Tempore aliquo illius prosapiæ juvenes et virgines, senes cum junioribus annuatim videmus occurrere cum oblationibus, et sub sibilo auræ tenuis intelleximus ab aliquibus, quod si non apparerent in conspectu Giraudi semel in anno, suis temporibus morbum caducum sustinerent singulis mensibus, vel potius horrendis interirent cruciatibus. Giraudus, quondam cursor abbatis Thomæ, uxorem habebat et parvulos, quorum unus vento vel veneno toto vultu inflatus, subito perdidisse putabatur oculos. Ignara mater filii, quid agere deberet super eum, residuum duxit oculos suos dirigere ad eum : deficiebat consilium humanum, et ex totis præcordiis

AUCTORE CISTERCIENSI ANONYMO.

suis se convertit ad divinum. Spe concepta salutis, ad abbatiam S. Giraudi opitulatione sanatum reduxit : ut enim puer aspersus est et potatus latice sacræ ablutionis, mox depulsus est omnis dolor inflationis.

febricitans

42 Costa Giraudi, in vasculo sequestrata, honorifice conservatur; quæ diebus dominicis ad capellam S. Giraudi fidelibus populis illic vigilantibus deportatur. Quodam die lata et relata ac deposita incaute, furata est a quodam monacho hospite, qui, ut præsumitur, pedem excutere sitiebat de Religionis limite *r*. Mox una sententia majorum excommunicationum, una cura filiorum, supellectilem proscrutantium, una confusio latronum se occultantium. Nam in tanto facinore latro principaliter habuit complicum patrocinia, sicut rei probavit eventus per intenta jurgia. Quumque intellexissent, sigillatim et per singulos fiendum scrutinium, videns latro nihil suæ industriæ prævalere latibulum, costam abscondit in choro super stallorum vehiculum. Ibi post multos circuitus, cum exsultatione universæ domus costa inventa est, et in B locum suum restituta. Fuerunt, qui dicerent, quod costam latro extra monasterium efferre pluries voluit, sed Giraudi virtute obstante, non valuit. Duo viri fratres de S. Maxentio, venationis egressi gratia, applicuerunt in B. Giraudi nemore, quorum unus urebatur quotidianæ febris ardore. Is a longo tempore fuerat Sancti peregrinus et offerebat ei quatuor numismatum munus. Ingressus ergo capellam in illa hora, obtulit quatuor denarios pro redemptione, et quintum ex devotione. Quo facto, exivit continuo quasi tristis et mire cogitativus. Notavit hoc monachus, qui forte aderat, et sciscitabatur ab eo, quidnam sibi contigerat : et ut cognovit febricitantem, horamque accessionis exspectantem, ait illi : Dormite, inquit, paululum in grabato Sancti et ibi requiescite ; et ego vobis promitto, quod inde surgetis cum perfecta sospitate. Compulit eum oppido facere, quod hortabatur precibus violentis : et post somnum reliquit eum febris juxta verbum pollicentis. Benedictus, inquit, S. Giraudus a Filio Mariæ, et benedicta hora, qua vestræ obtemperavi prudentiæ; quia numquam fui ita sanus, sicut C sum hodie. His dictis cum fratre laudans et gaudens, ad propria remeavit.

et epilepticus

43 Adolescens quidam sacerdos, de versus Chavigniacum, venerat semel ad abbatiam, ut visitaret B. Giraudi memoriam. Erat enim epilepticus vel caducus miserabiliter, sicut uni nostrorum aperuit lacrymabiliter. Introductus ergo monasterium et compunctus corde præ tædio vitæ nimium, de medio circumstantium virum venerabilem dominum Guillelmum, quondam abbatem Boscavii *s*, traxit ad secretum colloquium et confessus est ei totum spiritum suum per ordinem, incommodique sui non negavit originem, horroremque et magnitudinem : asseruit quoque mortem sibi magis esse caram, quam vitam ducere tam amaram : et adjecit : Audivi Sanctum vestrum pie solere patrocinari epilepticorum miseriis; ostendite mihi, quæso, aliquid de ejus reverendis Reliquiis. Et monachus, Revera, inquit, solent hujusmodi patientes D has osculari Reliquias et in capella veteri nocturnas excubare vigilias, et sic reverti compotes ad domos proprias. Credidit homo sermoni, quem monachus dixit, et quod audierat, implere efficaciter in animo fixit. Reverenter osculatus est Reliquias, quia jejunus, et obtulit devotionis munus : nocte sequenti cum lacrymis vigilavit; mane facto, costam devotus adoravit; et amplius non reversus, sanus in patriam remeavit. Non omisit ex omnibus, quas audierat, observantiis verbum vel syllabam, iota vel apicem; propter quod manum Giraudi per manum Dei bonam secum sensit adjutricem.

ambustus, pristinæ valetudini redditi.

44 Dominus Guillelmus Figace, vir religiosus, mansuetus ac timoratus, de Claravalle semel exierat, gratia visitandi Pictaviæ Religionem, habens in comitatu alium monachum, nomine Guillelmum Britonem. In via, qua ambulabant, nocte ignis non exstinctus per incuriam servitorum, omnem propinquam materiam consumsit, et pedem Guillelmi dormientis exussit. Augebatur in dies doloris E acerbitas proficiscenti, qui non succensendum censet rem naturalem patienti. Fuerunt, qui dicerent sacro pedem igne *t* succensum propter tetram horroris caliginem, et angoris valetudinem, qui crescere videbatur in immensum. Sic tandem applicuit Castellariis : ubi fideliter imbutus est de Giraudi virtutibus fulgidis, gloriosisque prodigiis. Qui spe concepta, in crastino visitavit Sancti mausoleum. Ex tunc secundum dies antiquos convaluit ad perfectum, intrans cum suis, ambulans et exsiliens et laudans Deum. Benedictus Dominus, qui non deseruit locum et gentem Castellariensium, sed tantum ac talem nobis credidit civem Sanctorum et domesticum suum. Regina Saba hausit in Salomone sapientiam : Heliseus in Helia, et Judæi in Romanis potentiam : Esther in Assuero clementiam : Timotheus in Paulo sanctimoniam : Bersellai Galaadites in David misericordiam : Angeli in Christo lætitiam : sed nobis omnia ista fiant prædulcis et perillustris præsentia Giraudi, per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, cum quo vivit et regnat F Deus in unitate Spiritus Sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

t

ANNOTATA.

a *Plumbus* (Plomb), *de quo agitur est hactenus paræcia ruralis olim Abrincensis, hodie Constantiensis diœcesis, sex fere chiliometris Abrincis Septemtrionem versus distans, super rivulum cognominem. Atque de isto loco agi, monstrat tum vicinitas maris, tum præsertim mentio S.* Michaelis *seu monasterii in Periculo maris, de quo locuti jam sumus supra Annotato* 1 *capitis II.*

b *De Boscavio seu Bosco-Cavo vide Annotatum* h *capitis II. Silet Gallia Christiana de isto Joanne de Calencio primo abbate : et seriem inchoat a Bertrando, qui anno* 1330 *controversiam quamdam componit* (1).

c *Thomas, sextus ab Aimerico abbas Castellariensis, ab anno* 1248 *ad annum saltem, quo*

(1) Gall. Christ. tom. II, col. 1506.

templum

A *templum Castellariense absolvit*, 1277, *pedum abbatiale tenuit* (1).

d *Hic manifestus est error aut in anno vulgari aut in anno regiminis : nam anno* 1248, *ut supra vidimus, Castellaria cœpit regere, nec verisimile est, ab ipso statim initio hæc molitum fuisse Thomam abbatem : adeoque in anno vulgari videtur errasse amanuensis, et ponendum esse annum millesimum ducentesimum sexagesimum septimum, qui cum vigesimo regiminis recte concurrit.*

e *In Pictaviensi præsertim tractu, istis sæculis mos erat sarcophagos super columnas lapideas erigere ; quin tamen istiusmodi elevatio indicium esset sanctitatis aut cultus* (2).

f *Partiniacum* (Parthenais) *etiamnum in diœcesi Pictaviensi, sexdecim fere chiliometris Castellariis distat : eapropter sabbato peregrini Beatum adibant, sequenti die aut feria II domum redituri.*

g *Credo hic alludi ad caput* XLII *Regulæ S. Benedicti, quo silentium indicitur post Completorium, excepta necessitate aut jussione abbatis : quapropter dicitur, Guillelmus monachus*
B *non respondisse, quia ignotus nullum magistratum regularem gerere videbatur.*

h *Id est die* XXVIII *Januarii.*

i *Simon de Rupe-Cavardi* (Rochechouart) *sedem Burdegalensem occupavit ab* 1275 *ad* 1279 *aut* 1280 (3).

k *Marcheisum, vicus mihi incognitus : in tractibus Pictaviensi et Petrocorensi accurrunt nomina* Marçays *et* Marquais, *quæ parochiam in textu expressam indicare possunt.*

l *Potentia est fulcrum subalare, gallice* potence, béquille.

m *Et Conivada et Archisium ignota mihi sunt loca : videntur tamen monasterio contigua, siquidem fœmina* a cunabilis noverat abbatiam *et intrare volebat* a parte muri, fluvio *contigui. Atlas Cassinianus mappa signata* 12 *F nullam similium nominum mentionem facit, quæ juxta Castellaria locum et silvam S.* Giraldi *designat.*

n *Hujus nominis plura sunt loca in Gallia, varie scripta :* Mirabel, Mirbel, Mirabeau, Mirebeau. *In diœcesi hodierna Pictaviensi est regio quædam Mirabellesium* le Mirebalais *appellata, cujus caput est parochia* Mirebeau, *quæ forsan Petro amenti refugium præbere potuit.*

o Quinipilus, *idem, ait Glossarium, ac* Canipulus, *est ensis brevior aut cultellus : unde Gallica vox* canif.

p *Domina nostra de Cella* (Notre-Dame de la Celle) *monasterium in diœcesi Pictaviensi. De S. Maxentio alibi actum est. Ast major est difficultas in S. Theobaldo. Hic eremita Vicentinus in Italia variis in locis Galliæ colebatur : sed si lexica topographica consulimus, ejus cultus Gallia Septemtrionali et Orientali continebatur ; ut cæterum Acta ejus ad diem* XXX *Junii illustrata monstrant* (4). *Est in hodierna diœcesi Lingonensi, districtu Calvimontano* (Chaumont) *parochia nomine* St-Thiébault, *olim prioratus Ordinis S. Benedicti, quum autem mater dicatur* per omnes famosas memorias filium ob salutem circumduxisse, *fieri potuit, ut etiam ad Lingonensem diœcesim peregrinata fuerit.*

q *Chavigniacum, quamvis hujusmodi nominis varia sint loca, quæ gallice* Chavigny *appellantur, censemus tamen hic* Chavenay *indicari, locum in diœcesi Pictaviensi, districtu Laudunensi* (Loudun). E

r *Non infrequens erat medio ævo sacrarum Reliquiarum ablatio, cujus exemplum habemus in monachis, qui clam abstulisse dicuntur corpora SS. Benedicti et Scholasticæ, et in Galliam transtulisse* (5). *Hinc monachus apostata, fugam meditatus, potuit sperare se gratiam initurum eorum, apud quos Reliquias deponeret.*

s *De Boscavio, seu Bosco-Cavo egimus supra Annotato* h *capitis II.*

t *Ignis sacer, etiam divinus et S. Antonii vocatus, grassabatur per Galliam sæculis* XI *et* XII. *Morbum describit Claber ; quem ex Theophilo Raynaudo excipio* (6), *his verbis :* Consumpsit quidam mortifer ardor multos, tam de magnatibus quam de mediocribus atque infimis populi, quosdam vero, truncatis membrorum partibus, reservavit ad futurorum exemplum.

(1) Gall. Christ. tom. II, col. 1349. — (2) Murcier. Sépultures chrét. en Fr. pag. 40. — (3) Gall. Christ. tom. II, col. 826. —
C

(4) Act. SS. tom. V Jun., pag. 589. — (5) Cfr Reynaud. Hagiol. Lugdun. pag. 543. — (6) Ibid. pag. 368.

F

A D

DE S. JOANNE DE CAPISTRANO,

CONFESSORE ORDINIS FF. MINORUM,

B E

VILLACKI IN PANNONIA,

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

ANNO MCCCCLVI.

§ I. Sancti elogia in Martyrologiis Romano et Franciscano; Vitæ compendium; biographi.

Inter plurimos Sanctos Regularis Observantiæ insignis est

C *Incepta sæculo* XIV *ac consolidata Ordinis FF. Minorum S. Francisci reformatio, vulgo Observantium dicta, auctore præsertim Paulo Fulginate, ut narrat Waddingus ad annum* 1368 § X (1), *annitentibus imprimis S. Bernardino Senensi, et, cujus Acta hodie edimus,* S. Joanne de Capistrano, *mire, sæculo præsertim* XV, *effloruit, non solum eminentis sanctitatis, sed et scientiæ ac ministerii apostolici gloria. Eo enim sæculo, præter laudatos sanctos viros Bernardinum et* Joannem Capistranum, *quorum alter hodie, alter die* XX *Maji Martyrologio Romano inscribitur, numerat hæc reformatio, seu Observantia Regularis, inter Sanctos, ab universa Ecclesia Dei reverenter colendos, SS. Petrum Regalatum die* XIII *Maji, Didacum, die* XIII *Novembris ac Jacobum Picenum die* XXVIII *ejusdem mensis. Varii autem sunt, quibus cultum ecclesiasticum, consentiente Ecclesia, impendere licet ut ex Franciscano Martyrologio constat: BB. Matthæus de Agrigento,* XXVIII *Januarii; Antonius de Stronconio* VI *Februarii; Marcus de Monte Gallo* XXVIII *Martii, Angelus a Clavasio,* XII *Aprilis; Jacobus Illyricus seu de Bitecto* XXVII *ejusdem mensis; Archangelus a Calatafimo* V *Julii; Simon a Lipnica,* XVIII *Julii; Joannes de Dukla,* XIX *Julii; Petrus de Molleano,* XIII *Augusti; Bernardinus a Feltria,* XXVIII *Septembris; Bernardinus a Fossa* VII *Novembris; Gabriel Ferretti Anconitanus* XIV *Novembris.*

S. Joannes Capistranus, *in Martyrologiis laudatus;*

2 *Horum omnium, si S. Bernardinum Senensem, cujus discipulus fuit, excipias, antesignanus fuit S.* Joannes de Capistrano, *quem promiscue secundum opportunitatem et* Joannem *et* Capistranum *appellabimus. Ejus elogium hisce verbis facit Martyrologium Romanum:* Apud Vilackum in Pannonia, Sancti Joannis de Capistrano Confessoris Ordinis Minorum, vitæ sanctitate et zelo catholicæ fidei propagandæ illustris, qui Taurinum arcem, validissimo Turcarum exercitu profligato, suis precibus et miraculis ab obsidione liberavit. *Martyrologium Franciscanum, omissa liberatione Taurinensi, enucleatius virtutes et labores explicat:* Apud Willackum in Pannonia, Sancti Joannis a Capistrano Confessoris, Ordinis Minorum, qui eruditione et vitæ sanctitate clarissimus, innumeros gentiles, judæos, hæreticos atque schismaticos reduxit ad catholicam fidem, et maximis pro Ecclesia perfunctus laboribus, quievit in Domino, miraculis in vita et post mortem celeberrimus, quem Alexander Octavus, Pontifex Maximus, Sanctorum fastis adscripsit.

F

cujusque Vitæ compendium

3 *Quandoquidem multa et varia de S. Joanne*

(1) Annal. Min. tom. VIII, pag. 209. Edit. Rom. 1733.

AUCTORE J. V. H.

Capistrano dicenda sunt, utile fore credimus, lectori exhibere synopsim Vitæ, quam Lucas Waddingus in suo libro de Scriptoribus Minorum adumbravit. Joannes Capistranus, sive a Capistrano, Brutiorum oppido, haud longe ab Aquila Marsorum urbe, nobili genere natus, anno millesimo trecentesimo octuagesimo quinto, Sancti Bernardini Senensis discipulus, socius, et in regimine exorientis Regularis Observantiæ successor, bis generalis vicarius, magistrum intrepide et viriliter defendit, adjuvitque in promovendo latriæ cultu nominis Jesu. Deinde ut sexto post mortem anno in Sanctorum numero referretur, obtinuit. Pusillam et humilem, parvis et despicabilibus initiis succrescentem Observantium familiam, multis impetitam adversariorum telis, verbo et opere potenter defendit, in multasque provincias longe lateque propagavit, data potissimum norma regiminis et doctrinæ. Eugenio Quarto, Nicolao Quinto et Callisto Tertio magno fuit adjutorio in reformandis hominum moribus, et fugandis e multis provinciis hæreticis, commissa sibi generalis
B inquisitoris fidei potestate. Octoginta sex loca Fratricellorum, in Italiæ perniciem incredibili numero coalescentium, in Piceno et Campania combussit. In Florentinorum Patrum consessu velut sol quidam refulsit. Fridericus Tertius, imperator, misso Æneæ Silvio, obtinuit a Nicolao Quinto, ut in Germaniam mitteretur, populos docturus, et principes ad unionem et bellum contra Turcas excitaturus. Ex omnibus civitatibus et oppidis clerus et magistratus, sed et ipsi reges et aulici obviam procedebant, cum Reliquiis et Crucis vexillo, tamquam Angelum reverenter susceпturi, cantantes et passim repetentes: « Benedictus, qui venit in nomine Domini. » In Bohemia, Moravia, Silesia Hussitas, illorum fautorem et antesignanum, Joannem Rochezanam, pseudoarchiepiscopum Pragensem, repressit. Adamitas, turpissimum et obscœnissimum hæreticorum genus, in insulis lascivientium, penitus exstinxit. In Hungaria, Polonia, Bohemia, Germania, Austria præsertim, varias hæreticorum sectas calamo, verbo, in-
C quisitoris auctoritate, qua fungebatur, perpetuo insectatus, plurimos ad Christi fidem convertit. Judæos nullo modo consistere passus, eorum coercuit usuras: plusquam quadraginta millia infidelium et schismaticorum Ecclesiæ catholicæ aggregavit.

ex Bibliotheca Waddingi exhibetur.

4 Turcarum imperatorem magna classe et ducentorum ferme millium exercitu, Europæ imperium sibi promittentem, fortissimamque Albæ Regalis in Hungaria arcem, munitissimum Christianorum propugnaculum, obsidentem, collecta crucesignatorum et rusticorum copia, captis tormentis bellicis et impedimentis, turpi fuga profligavit. In cujus rei memoriam Callistus Tertius, octavo idus Augusti, quo tantæ victoriæ nuntium accepit, celebrari jussit festum Transfigurationis. Sexaginta annorum provectus ætate, quotidie ac fere sine intermissione prædicabat, concurrentibus undique ad audiendum centenis hominum millibus. Atque usque adeo omnes movebantur, ut fœminæ abusum in ornatu, viri ludorum instrumenta per omnes ferme D civitates in unum contulerint, constructaque ingenti pyra sub dio concremarint. Tanta fuit hominis fama et sanctitudo, ut omnes illius temporis scriptores eum maximis celebrent encomiis, Æneas Silvius, Flavius Blondus, Cardinalis Cusanus, Hermannus Scheydelius, abbas Trithemius: et Gregorius XV miraculis et meritis erga sedem Apostolicam celeberrimum, Beatorum adscripserit catalogo. Nos ortum, vitam, gesta et mortem per quartum, quintum et sextum tomum Annalium distribuimus. Factis præclaris vitæque sanctimoniæ, doctrinæ etiam accessit eminentia, theologiæ et juris utriusque peritus, multa scripsit; in quibus prudentia in rebus decernendis et sapientia in elucidandis utrinque elucent. *Quæ Waddingus dicit gesta S.* Joannis Capistrani *distributa in tomos Annalium* IV, V *et* VI, *hæc in Annalium secunda, qua utimur, editione per tomos* IX, X, XI, XII *et* XIII *dispertita sunt.*

Copiosius de eo scripserunt quatuor ejus Socii: Nicolaus de Fara,

5 *Præter laudatos a Waddingo auctores, varii alii de* Joanne Capistrano *scripserunt. Nam ut omittamus aut hagiographos Ordinis Minorum, qui omnes Sanctos et Beatos sodales suos complexi sunt; aut historiographos, qui originem et incrementa Ordinis sunt prosecuti: S.* Joannis Capistrani *Vitam conscripserunt imprimis tres ejus socii, testes oculati gestorum; quibus proinde fides denegari non potest, maxime quum sint viri propter morum gravitatem et integritatem summe commendabiles et pleraque eorum dicta testimonio, ut postmodum monstrabimus, exterorum hominum confirmentur. Tres igitur Sancti* Joannis *biographi, non solum coævi, sed socii individui sunt Nicolaus Tellus de Fara, Christophorus de Varisio et Hieronymus Utinensis. Et quidem Nicolaus de Fara, præter Vitam a se concinnatam, scripsit etiam duas epistolas, in quarum altera, directa ad fratres suos provinciæ Tusciæ, opera et miracula, Viennæ a S.* Capistrano *patrata, enarrat: eamdem in decursu hujus Commentarii dabimus. Quod ad alteram spectat, referentem prælium et victoriam de Turcis relatam eam nuspiam reperi; sed hæc eadem a Nicolao in Vita S.* Capistrani *luculenter repetuntur, ut lacunam deficientis* F *epistolæ implere possint.* Rudi quidem, *ait Hermann* (1), sincero tamen perscribit stylo... omnia ejus scripta ab omni suspicione debent esse aliena; nam credibile non est, virum tam religiosum cum gravi suæ conscientiæ onere, Capistrani vanis ultra debitum voluisse laudibus studere. Hic postmodum, in Italiam redux, anno 1477 factus fuit provincialis vicarius in provincia S. Bernardini, *in Vestinis* (2).

Christophorus de Varisio,

6 *Christophorus de Varisio, alter Sancti nostri biographus, ordinatiorem meo judicio conscripsit Vitam S.* Capistrani. *Fuit Christophorus, teste Hermanno* (3), ex præclarioribus Capistrani sociis, qui ex Italia in Germaniam pergentem fuerunt comitati. Iste ob virtutum excellentiam et agendi suavitatem provinciæ Bohemiæ et aliarum, tunc adhuc conjunctarum, Wratislaviæ in Silesia sub S. Capistrano anno 1453 electus fuit in provincialem vicarium, quoniam tunc nondum Observantium

(1) Capistran. triumphans. pag. 629. — (2) Cfr Wadding. Annal. tom. XIV, pag. 178. — (3) Capistran. triumph. pag. 627.

superiores

AUCTORE J. V. II.

A superiores vocabantur ministri, quum Ordo a Conventualibus non esset divisus, nec esset conveniens, quod provinciæ viderentur bicipites habere præsides. Hic vir ita his nationibus afficiebatur, ut statuerit cum iisdem usque ad mortem perseverare. Verum quum in capitulo generali, Mantuæ celebrato anno 1468, statutum fuit, ut provincia Austriæ, Bohemiæ et Poloniæ in tres divideretur, si ita summo Pontifici visum fuerit, atque quum viris doctis et in regimine expertis abundarent, ipsimet ex suis nationalibus, remissis Italis, vicarios elegerunt. *Dum gubernacula istarum nationum remitteret Christophorus, regimen suum clausit pulcherrima epistola, qua ab omnibus et singulis veniam, flexis genibus, humillime petit, declarans insuper se intendere visitare Terram Sanctam, in qua Salvator noster pro peccatis nostris mortuus est, et ibidem vitam in pace terminare suam,* nisi Deus, *inquit* (1), in cujus manu viæ hominis positæ sunt, aliud de me decreverit. *Utrum Christophorus, quod intendebat, impleverit, nobis non constat. Obiit Mediolani anno* 1491 (2).

B *Cæterum licet ordinatiorem dixerim Vitam, a Christophoro elaboratam, non est tamen, cur lucubrationem Nicolai de Fara respuamus, præsertim quum hic varia habeat, quæ apud Christophorum non reperiuntur.*

Hieronymus Utinensis et Petrus de Sopronio:

7 *Quamvis Hieronymus Utinensis inter socios* S. Capistrani *a Waddingo* (3) *non recenseatur, non est tamen dubium, quin et ipse Sanctum in itinere Hungarico comitatus fuerit, id testante Joanne Tagliacotio, in epistola, quam post obitum Sancti viri scripsit, et infra edemus, his verbis:* Hunc felicem obitum multo ornatius, multoque politius sciret describere venerabilis ille frater, Hieronymus Utinensis vir siquidem in dicendi genere præclarus, qui quemadmodum patrem beatum incolumem sua lingua suoque scribendi stilo politissimo decoravit, ita cunctis caritatis obsequiis suo sinu, suisque brachiis ipsum infirmum indefesse fovit atque nutrivit. *Eædem laudes scribendi eleganter impenduntur Hieronymo etiam ab aliis; quamvis aliorum biographorum stilus præferendus videatur, quorum scribendi modus mihi*

C *simplicior et facilior appareat. Nihilominus ne quid desit eorum, quæ hactenus inedita delituere, prelo dabimus, prout correctum nobis obtingit exemplar, Hieronymi lucubrationem, præsertim quum presse sequens Nicolai de Fara vestigia, aliquando hunc elucidare possit. Est etiam quartus* S. Capistrani *socius, qui aliquid elaboravit in honorem magistri sui, Petrus Suproniensis, quem Waddingus cum cæteris Sancti viri sociis dicit virum* religiosum et doctum (4): *opellam suam* Præconiationem *inscripsit; et vero est laudum effusio, quæ suspicionis quidpiam movere posset, nisi aliunde de meritis* S. Joannis Capistrani *abunde constaret. Tandem Waddingus conservavit nobis epistolam, in fine mutilam, scriptam ad S. Jacobum de Marchia, a Joanne Tagliacotio de supremo morbo* S. Joannis Capistrani, *quam in decursu hujus Commentarii* § XXXIII *dabimus. Evocatus a Sancto viro ex Italia, eum, contra Turcas pergentem, in parva navicula comitatus est, per cujus accessum innumerus Mahometanis apparuit exercitus, quo perterriti et clamoribus* S. Capistrani *dejecti, fuga sibi consuluerunt* (5). *Fuit dein a Calixto III in Hungariam missus ad perquirenda Sancti miracula: quam missionem secundo ei injunxit anno* 1459 *Pius II.*

præter hos. Lud. de Monte Corvino Laur. Massonus, Joan-Bapt. Barberius,

8 *Sed præter hos coævos, etiam posterioribus sæculis fuerunt, qui gesta* S. Joannis Capistrani *illustrarunt, maxime quia numquam interruptus fuit labor ejus canonizationis promovendæ, præsertim sub Leone X, Gregorio XV et Alexandro VIII, ut infra latius explicabitur. Certe anno* 1523, *seu paulo post obitum Leonis X, prodiit typis Vindobonensibus Vita* S. Joannis Capistrani, *forma, ut vulgo dicitur in Quarto: sed hunc librum, diu et undique quæsitum, hactenus reperiri non potuit. Aliam Vitam Neapoli edidit anno* 1589, *fr. Ludovicus Cœlestinus de Monte Corvino seu Leone, qui in continuatione Annalium Waddingi sub anno* 1590 (6) *vir doctus appellatur. Hujus Vitæ, qua caremus, mentionem facit alius Sancti biographus, Salvator Massonius Aquilanus, qui gesta Sancti italico sermone exposuit anno* 1677 : *licet hinc inde, forsan vitio typothetæ, minus accuratus* E *sit, habet tamen varia, quæ frustra apud alios quæsieris, quæque in hoc Commentario summæ nobis erunt utilitatis. Id singulare habet liber, quod dedicatus fuerit Urbano VIII a Laurentio Bernardo Massoni, puero septenni, qui, avi sui lucubrationem obtulit Pontifici. Joannes Baptista Barberius, Romanus, duplicem Vitam edidit, latine quidem anno* 1662, *italice vero, anno, quo Sanctus solemni ritu canonizatus fuit ab Alexandro VIII,* 1690 : *ad hoc, ni fallor, stimulatus multiplicibus miraculis et beneficiis, a Sancto tum sibi tum familiæ suæ collatis. Barberii narratio ad omnes numeros absoluta est; et si quid in infra dicendis de eo occurret, magis ad complementum rerum gestarum, quam ad earumdem castigationem pertinebit.*

Euseb. Gonzalez, Amandus Hermann,

9 *Eusebius Gonzalez Ordinis Minorum de Observantia in suo Chronico Seraphico, hispanice conscripto, bene longam Vitam* S. Joannis Capistrani *texuit: nam in referendis ejus gestis paginas* 211 *formæ, quæ vulgariter in folio appellatur, insumpsit. Usus aliorum laboribus, utpote qui anno* 1774 *scripserit, historiam Sancti universam nitide, diligenter et abun-* F *danter complexus est* (7). *Sed omnium copiosissime de* S. Joanne *egit Amandus Hermann, Ordinis Minorum Observantiæ, Bohemiæ exprovincialis, quandoquidem volumen majoris formæ* 840 *paginarum impleverit sub titulo:* Capistranus triumphans, seu Historia fundamentalis de Sancto Joanne Capistrano. *In hoc libro reperire est præcipua documenta, quæ res gestas Sancti explicare et illustrare possunt. Profecto occurrunt in initio singulorum fere capitum præfationes, a locis communibus plerumque deductæ, carmina frequentia, quibus ipsa narratio languescit. Verum hi nævi ejuscemodi sunt, ut nullatenus utilitati totius operis quidpiam decrescat. Id autem gravius, meo judicio, operi, certe erudito, objici potest, quod consequentem Vitæ totius narrationem non exhibeat; sed secundum variarum virtutum species lucubrationem suam dispertiat: unde necesse est, ut earumdem rerum repetitiones, quatenus variis virtutibus occasionem exerendi*

(1) Capistran. triumph. pag. 627. — (2) Wadd. Ann. tom. XIV, pag. 498. — (3) Annal. tom. XII, pag. 8. — (4) Ibid. pag. 80. — (5) Hermann. Capistr. pag. 630. — (6) Annal, tom. XXII, pag. 317. — (7) Gonzalez. Chron. Serafica. Part. V, pag. I et seqq.

se

AUCTORE J. V. H.

se præbent, sæpe recurrant; adeoque et lector non satis clare historicam gestorum seriem et nexum perspiciat. Idem vero censuit scriptor : quapropter in fine operis sui subjunxit Chronotaxim Vitæ S. Joannis Capistrani, *quam per annos singulos evolvit* (1). *Severior tamen est crisis Justi Fontanini, qui in suo Codice Canonizationum* (2) *dicit, Hermanni librum* nihil, si bene meminerit, singulare habere, quod copiose non exstat in Annalibus Lucæ Waddingi. *Varia enim habet Hermannus, quorum nullum, ut legenti manifestum est, apud Waddingum exstat vestigium, et hujus narrationem sæpe complet. Fefellit igitur Fontaninum, virum doctissimum, in hac re memoria; cui quidem in disciplinis historicis, vix umquam unice credendum est.*

Crechia, Petr. Hermanus, Mich. Sintrel

10 *Præter Amandum Hermann laudatum, alii ejusdem nationis Germanicæ operam suam contulerunt, ut gloria S.* Capistrani *latius propagaretur inter gentiles suos : et id quidem jure merito : licet enim varias Europæ regiones pro negotiis Ecclesiæ procurandis obierit, nulla*
B *tamen gens tantum debet* Joanni Capistrano, *quantum Germanica ; quandoquidem Sancto præsertim debeat, et compositum fuisse cruce signatorum exercitum, et Turcam, Germaniæ impendentem, fugatum fuisse. Et vero suis non defuisse partibus Germaniam, monstrat zelus, quo causam ejus canonizationis, quæ per annis fere 250 ventilata fuit, constanter promovit, monstrant etiam libri, de ejus virtutibus conscripti. Jam supra diximus, Viennæ editam fuisse Sancti nostri Vitam anno 1523 : ac deinceps non defuerunt, qui laudes ejus prædicarent. Sic anno 1691 prodiit Græciæ in Styria germanice* Descriptio vitæ, virtutum et miraculorum Sancti Patris Joannis Capistrani (3). *Viennæ Austriæ dedit anno 1754 auctor Crechia librum formæ majoris sub titulo :* Insignis Thaumaturgus D. Joannes Capistranus. *Sed nec postremis hisce temporibus obliterata est Sancti inter Germanos memoria. Nam Monachii in Bavaria Petrus Hermanus anno 1844 Sancti nostri Vitam, germanice edidit; eodem quoque idiomate idem præstitit Augustæ Vindelicorum anno 1847 Michael Sintrel. Ita ut grata permaneat Germania Sancto tutelari, qui eam ab*
C *atroci tyrannide olim immunem servavit.*

Minorita onymus ga.

11 *Neque Belgium gloriæ S.* Capistrani *oblitum est ; nam coram habeo Synopsim Vitæ, flandrice conscriptam et prelo datam anno 1758 a quodam Minore anonymo, qui etiam refert sub invocatione Sancti erectam confraternitatem, ut infra docebimus, Vexilliferorum civitatis Antverpiensis. Quod ad Galliam spectat, ignoro an aliquid speciale sive ante sive post canonizationem ad promovendam S.* Capistrani *gloriam præstiterit. Waddingus quidem docet, Arthurum a Monasterio Vitam Sancti compendiose Gallico sermone scripsisse* (4) ; *sed hujus lucubrationis in specie non meminit laudatus Waddingus in sua Bibliotheca V°* Arthurus, *quapropter credo hanc qualemcumque Vitam reperiri inter eas, quas Floribus Sanctorum Ribadineyræ addidit* (5). *Quod minus mirandum est, quoniam aliquot ab obitu Sancti annis incepit rivalitas, inter regnum Francicum et Austriacum per sæ-* D *cula ardens. Certe jam ab anno* 1542 *Franciscus I, rex Galliæ, fœdus cum Turcis pepigerat, quod pactum perstabat sub Ludovico XIV, sub quo Alexander VIII anno* 1690 *cælestes honores S.* Joanni *decernendos ab omnibus fidelibus esse pronuntiavit. Id certe conferre quidpiam potuit, ut Fratres Minores modestius sese gererent in promulganda Sancti gloria. Huc etiam facit, quod anno* 1690 *vix dum compositæ essent graviores controversiæ, sub Innocentio XI, anno* 1689 *mortuo, excitatæ. Inter tot autem monumenta rerum a S.* Joanne *gestarum eos solos biographos edendos ex integro selegimus, qui fuerunt Sancto coævi et laborum socii, et hactenus inediti delituerunt; alios autem scriptores solum elucidationis causa adhibebimus; memores enim sumus consilii, a principio hujus operis constanter servati, quo Acta Sanctorum, ut in fronte singulorum tomorum scribitur, damus* ex latinis et græcis aliorumque gentium monumentis, servata primigenia veterum scriptorum phrasi. *Hæc tamen omnia ita præstanda sunt, ut ipsa Sancti alicujus Acta completam omnique ex parte* E *absolutam ejus imaginem referant. Hæc iis dicta sunto, qui censent res cæterum notas et omnium manibus aliquando tritas, a nobis omittendas fuisse* (6). *Porro imminente Viennæ Austriæ Turca, Innocentius XI anno* 1683 *jusserat, ut ad avertendum tantum malum, præter alias supplicationes, in templo Aracœlitano Romæ publicæ venerationi exponeretur super altari maximo effigies S.* Joannis Capistrani *cum luminibus, diu noctuque ardentibus* (7) *et parta victoria, festum SS. Nominis Mariæ, quotannis Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem Virginis celebrandum instituit, ut legere est in Breviario Romano. Quæ hactenus de biographis S.* Capistrani *commentati sumus, maxima ex parte debemus benevolentiæ et amicitiæ viri insignis, doctoris Petri Cernazay Utinensis, qui, donec vixit, nullis sive laboribus sive sumptibus pepercit, ut operi Bollandiano utilissimas suppetias feret. Deus ipse per Sanctorum intercessionem sit merces ejus magna nimis!*

§ II. Locus Sancti natalis; parentes; annus et dies nativitatis; gesta in juventute. F

Natus Capistrani

Capistranum, oppidum in Aprutio Ulteriori regni Neapolitani, diœcesis, si mappam ecclesiasticam in Atlante historico Sprunneri num. LXX *consulo, Aquilanæ, solum natale et cognomen S.* Joanni *præbuit. Joannes Bapt. Barberius in Vita italice scripta dicit* (8), *Capistranum ad diœcesim Sulmonensem spectasse. Verum quidem est Capistranum ad Aprutium Ulterius, teste citato Barberio, pertinere, Sulmonam autem, juxta Orlendium* (9), *ad Citerius. Nihilominus constans est scriptorum sententia, bulla canonizationis confirmata, Capistranum oppidum intra diœcesim Sulmonensem, licet propter abbatiam S. Petri ejus territorium sit, ut vulgo*

(1) Hermann. Capistran. triumph. pag. 830 et seqq. — (2) Pag. 564. — (3) Memoranda Paraphrasis, id est : Denckwürdige Beschreibung von dem Leben, Tugende und Wunderwerken des H. Vatters Joannis Capistrani. in 4°. — (4) Wadd. Ann. tom. XII, pag. 418. — (5) Cfr Bibl. Minor. v°. *Arthurus*. — (6) Crf Journ. de Brux. 1860. — (7) Hermann. Capistr. triumph. pag. 732. — (8) Pag. I. — (9) Orbis sac. et prof. tom. IV, pag. 1824.

dicitur,

AUCTORE J. V. II.

A *dicitur,* nullius, *contineri* (1) *Bulla quidem Canonizationis aperte dicit* (2) : Capistrani, Marsorum oppido, in agro Aquilano, inque episcopatu Sulmonensi ortus est Joannes. *Sic utcumque explicatur error, qui in Sprunnerianam mappam irrepsit. Cæterum est locus non ignobilis,* muro, *ait Hermann* (3), et arce circumdatus, *qui, teste Henrico Bacci* (4), *olim familias* CXLII, *tunc vero, quando auctor scribebat, anno* 1629, *familias* CXCIII *capiebat. Anno* 1447 *ipse S.* Joannes *suis prædicationibus concives Capistranenses excitavit ad ædificandum fratribus suis conventum, qui indicio columbarum, post volatum quiescentium, constitutus est in loco, a conjuge comitis Celani concesso* (5), *ut infra pluribus explicabimus.*

parentibus nobilibus quidem,

13 *Parentes, omnium consensu, S.* Joannes *nactus est nobiles. Christophorus a Varisio in Vita edenda num.* I. De quo, *ait* (*oppido Capistrano*) parentes Beati Patris nostri, Fratris Joannis, moribus et vita et parentela perspicui, originem traxerunt. *Ast recentiores omnes referunt, patrem* Capistrani *alienigenam fuisse,*

B *qui cum Ludovico Andegavensi, filio Joannis II, regis Galliæ, in regnum Neapolitanum armatus venerat. Causam belli, late Ludovicus Muratori in suis Annalibus Italiæ sub anno* 1382 *expositam* (6), *paucis indicamus. Joanna, regina Neapolitana, ad partes Clementis VII, a cardinalibus, Urbano VI rebellibus, electi, deflexerat. Quapropter Urbanus VI, tamquam supremus regni dominus, reginæ exauctoratæ substituerat Carolum Dyrrachinum : sed Joanna regina, condito testamento datisque publicis litteris, heredem regni sui instituerat Ludovicum Andegavensem. Uterque igitur rivalis, collectis copiis, jura sua defendere satagebat. Paulatim tamen deferbuit belli ardor, et uterque partem regni occupavit ac heredibus reliquit. Pater autem S.* Joannis *ab omnibus perhibetur, quasi partes Ludovici Andegavensis secutus fuerit, quamvis ipse gente fuerit Germanus. Attamen Thomas Cataneo* (7) *vult, invitis, ut ipse fatetur, plerisque aliis, patrem S.* Joannis *Gallum credere, quia opinatur Gallorum exercitum ex Gallis coaluisse. Et certe Andagavensem ex popularibus suis copias conscripsisse extra du-*

C *bium est : quin consequens tamen fiat, virum natione Germanum adlegi non potuisse : præsertim quum illa ipsa tempestate Lando quidam, comes Germanicus, multos conterraneos secum haberet milites, qui nunc huic, nunc illi parti, secundum spem majoris pecuniæ, adhærebant* (8). *Imo hoc ipso tempore Joannes quidam Theotonicus inter duces Ludovici Andegavensis numeratur* (9).

sed incertum; an pater Teutonicus fuerit, aut parte Andegavensi adhæserit ;

14 *Ratio itaque, a Cataneo allegata, non satis idonea videtur, ut negemus patrem S.* Capistrani *Germanum gente fuisse, et Germaniam patriam parenti Sancti nostri libenter assignamus. Verum alius nos pungit scrupulus : videlicet an dictus pater Ludovicum Andegavensem secutus fuerit. Quamvis enim Germanus miles Gallica signa sectari potuerit; tamen multo plures Germani in exercitu Caroli Dyrrachini fuerunt. Nam cum magnis Hungarorum copiis Dyrrachinus Verona Neapolim venit, et sine dubio ex Hungaria per Germanicas provincias in Italiam tendens, Germanum militem sibi adlegit* (10). *Et hactenus æqua lance utraque opinio se librat. Verum si attendimus, S.* Joannem *nostrum, aliquot post annis, summam apud Ladislaum regem, Caroli Dyrrachini filium, invenisse gratiam, satis propendeo in sententiam, qua* Capistrani *pater parti Dyrrachinæ annumerandus diceretur. Nempe Ladislaus, memor obsequii, a parente præstiti, filium pro patre remunerari voluerit. Si contra* Capistrani *pater factioni Andegavensi adhæsisset; non sat facile nobis persuademus, Ladislaum, contra morem regum, immemorem injuriæ, olim impactæ, filium inimici sui,* Joannem, *adhuc juvenem, tantis honoribus, quos infra exponemus, cumulasse. Unde mihi verisimilior est sententia, patrem S.* Joannis Capistrani *et germanum natione fuisse, et partes Caroli Dyrrachini secutum. Et quidem utri factioni, quæ Neapolitanum regnum dividebat, adhæserit S.* Capistrani *pater, nullus coævorum manifestat : posteriores autem biographi, legentes hanc militiam tempore belli Andegavensis accidisse, facile eam Andegavensi duci adscripserunt.*

E

nomen patris germanicam originem indicat,

15 *Aliud produnt iidem biographi; nempe patrem Sancti nostri nomen* Her *seu* Hera *gentilitium habuisse* (11). Her *germanice, quemadmodum et flandrice, significat* Dominus : *fieri potuit, ut unus alterque commilito, ex Germania accitus, herum suum tali titulo compellaret, qui titulus, italicis auribus forsan insuetus, quasi nomen gentilitium familiæ acceptus fuit. Cæterum et id nomen, familiis quibusdam inditum, adhuc retineri, non diffitemur : quapropter si quis nomen* Her *patri S.* Joannis *gentilitium fuisse defendere velit, non repugnabimus. Porro nomen matris Sancti nostri nemo prodidit : omnes tradunt, illam ortu Capistranensem fuisse et genere nobilem, ejus morum integritatem uno ore laudant; cujus indicium est, quod, mortuo marito, et* Joanne *nostro infantili eloquentia suadente continentiam, ipsa in viduitate sancta permansit usque ad mortem. Cataneus dicit* Joannem sexennem *patre fuisse orbatum* (12) ; *Christophorus de Varisio num.* I, *habet :* Qui dum adhuc puerulus esset, patre, viam universæ carnis ingresso, orbatus, matri F superstiti, quasi jam se futurum prædicatorem euangelicum indicaret, cœpit continentiam vidualem prædicare. *Sunt biographi, qui scribunt, Sanctum ante mortem patris Perusiam studiorum causam fuisse amandatum* (13) : *verum id non convenit cum dictis Christophori num.* 1 : Traditur dehinc (*id est post persuasum matri statum vidualem*) artibus liberalibus imbuendus, in quibus super omnes coætaneos suos adeo brevi tempore profecit, ut omnes de ejus subtili ingenio mirarentur. Postmodum ad civitatem Perusinam, ut in ea juri pontificio pariter et civili studeret, destinatur. *Certe neque hæc super coætaneos eminentia, neque omnium admiratio puero sexenni obtigisse credendum est, atque coævi testimonium abunde docet litteras* Joannem *Capistrani, jus utrumque Perusiæ addidicisse.*

(1) Giustiniani. Dizionar. del regno di Napoli. v°. *Capistrano.* Et Lubin. Notit. Abbat. Ital. pag. 79. — (2) Just. Fontanin. Codex canoniz. pag. 538. — (3) Capistr. triumph. pag. 3. — (4) Brevis descript. regni Neap. Apud. Grævium. Ther. antiquit. Ital. tom. IX, vol. I, pag. 113. — (5) Wadding. Ann. tom. XI, pag. 312. — (6) Annali. d'Ital. tom. VIII, pag. 390. Edit. Monœc. 1763. — (7) Vita di S. Giov. di Capistrano, pag. 2. — (8) Muratori. Annal. d'Ital. tom. VIII, pag. 286. — (9) Murat. Scriptt. rerum. Ital. tom. XXI, col. 44. — (10) Murat. Annal. tom. VIII, pag. 383. — (11) Masson. Vita, pag. 4, Barber, Vit. Ital. pag. 2. — (12) Vita pag. 2. Barber. Vit. ital. pag. 3. — (13) Masson. pag. 4.

AUCTORE J. V. H.

ejusque posteritas Capistrani perseverat.

16 *Cataneus dicit paulo post patrem etiam matrem S.* Capistrani *obiisse* (1) : *non satis accurate. Nam ipse Sanctus, narrans, ut infra ostendemus, suæ Vitæ mutationem, dicit se reddidisse dotem, matrimonio suo paratam,* matri suæ. *Erat autem tunc annorum triginta. Idem agens de patre suo, refert illum varios filios, præter* Joannem, *generasse. Quod cæterum indicant verba Cœlestini Ludovici di Monte Corvini, citata a Massonio* (2) : Inter alios filios habuit pater hunc beatum Joannem : *verba italica latine reddo. Et paulo infra laudatus Massonius refert* (3), *mortuo S.* Capistrano, *familiam ejus remansisse, eamque adeo multiplicatam fuisse, ut repleat hodie* (*id est anno* 1627) *terram Capistranensem, sumpto cognomine* Del Tedesco *in memoriam sui auctoris Germani seu Teutonici, quod nomen italicum* Tedesco *indicat. Addit vero Massonius* (4) : Quamvis autem non omnes eamdem domum, in qua S. Joannes natus est, quæque adhuc exsistit, incolant, conservatur tamen hactenus aliqua supellex istorum temporum, quæ, tamquam usui Sancti olim deputata, ab incolis Reliquiarum instar
B habetur. *Quod si vera sint Massonii asserta,* (*et civem Aquilanum, Capistrano conterminum, fugere non potuerunt*) *omnino verisimile est, S.* Joannem *habuisse fratres, qui familiam propagarunt : nec alia ratione explicari potest Capistranensis traditio circa familiam* del Tedesco, *quasi ex patre S.* Joannis *prognatam, adeoque Sancto cognatam. Veruntamen Hyacinthus Sbaralea in Supplemento Bibliothecæ Waddingi dicit Sanctum* ex nobili Chiolorum familia ortum (5), *quin tamen assertionem suam veram esse, ostendet.*

Anno 1386, 17 *Circa annum et diem, quo natus est S.* Joannes Capistranus, *variant scriptores : quorum proinde sententias exponemus. Henricus Sedulius, Ordinis Minorum, in sua Historia Seraphica* (6), *censet Sanctum anno Christi* 1393 *lucem aspexisse. Idque monstrare nititur ex eo, quod Sanctus* septuagenarius *anno* 1456 *obierit : sed admissa ætate septuagenaria, quam allegatis testimoniis firmat ipse Sedulius, jam non ultimam decadem sæculi quarti decimi, sed ad penultimam, pertinere debet S.* Joannis *annus natalis :*
C *neque prætendi potest hallucinati Sedulii errorem esse typothetæ ; tum quia ipse manifeste conatur opinionem dicentium, Sanctum anno* 1383 *aut* 1385 *natum fuisse, refellere, tum quia sermonem suum his verbis concludit* (7) : *atque adeo* natus est anno 1393 circiter, non 1383. *Satis igitur constat, ipsa rationum momenta, a Sedulio adducta, Sedulii opinationem funditus destruere. Salvator vero Massonius annum Sancti natalem anno* 1365 *consignat, dicens* (8) : Ad lucem hujus mundi venit Beatus Pater anno redemptionis nostræ 1365 die xxv Junii, die sabbathi, hora xxi diei, *id est secundum horologium vulgare, hora circiter quinta vespertina. De die natali agemus infra ; sed quod ad annum spectat, omnino labitur in errorem : nam S.* Capistranus, *nonagenarius fuisset, quando arduum cruciatæ prædicandæ et dirigendæ munus suscepisset : quod nullus certe biographorum tacuisset et miraculi instar habendum esset, beatum virum in decrepita ætate laboriosissimam missionem et* D *suscepisse et perfecisse. Cæterum errorem typographicum libenter admitto : nam annus* 1365, *signatus littera dominicali E, habebat diem* xxv *Junii incidentem in feriam quartam hebdomadis.*

die XXIV Junii, ipso Capistrano

18 *Vero propriora habent, qui dicunt, Sanctum anno* 1385 *natum esse* (9). *Idem censuerat Waddingus sub hoc anno* (10) : *sed dein mutata sententia ; annum natalem sequentem statuit, videlicet* 1386, *quando de Sancti obitu egit* (11). *Utraque sententia satis firmum habet fundamentum. Scilicet quandoquidem apud omnes certum indubitatumque sit, S.* Capistranum *diem supremum obiisse* xxiii *Octobris anni* 1456, *opinantibus pro anno natali* 1385 *favet inscriptio sepulcralis, quæ sic habet* (12) : Vixit annos xxxci, menses iii, dies xxii. *Ex quo consequitur, illum natum esse die* ii *Julii* 1385. *Verum omnes, quotquot vidi, diem ejus natalem in festo nativitatis S. Joannis Baptistæ, etiam illi qui, probabilius errore calami, diem* xxv *Junii assignant, reponunt. Censeo itaque, tanti faciendam non esse inscriptionem sepulcralem, tardius* E *tumulo impositam ; et standum esse testimonio ipsius S.* Capistrani, *qui in epistola, scripta ad Marcum Bononiensem, vicarium generalem, Judemburgo kalendis Maji* 1455 *dicit :* In festo nativitatis S. Joannis Baptistæ intrabo septuagesimum annum ; in festo B. P. N. Francisci intrabo quadragesimum in Religione. *Hæc verba citant Amandus Hermann* (13) *et Lucas Waddingus* (14) : *sed damno nostro, contenti hisce verbis, reliquam epistolam omittunt : nec eamdem apud alios scriptores reperire mihi contigit.*

id testante.

19 *Verum integræ istius epistolæ exhibitio ad curiositatem magis, quam ad fidem faceret ; quum Waddingi et Hermanni fidem nemo facile elevet, aut falsos illos esse in legenda epistola suspicetur. Adeoque ex fragmento supracitato habemus S.* Capistranum *anno* 1455 *in festo nativitatis S. Joannis Baptistæ, seu die* xxiv *Junii, annum ætatis sexagesimum nonum complevisse, et septuagesimum inchoasse : proindeque et anno sequenti, qui fuit Sancto emortualis, septuagesimum complevisse, cui si addamus menses tres et dies* xxx *non completos, attingi-* F *mus diem* xxiii *Octobris anni* 1456. *Ex quibus conficitur Sanctus die* xxiv *Junii anni* 1386 *primam lucem aspexisse. Sepulcro itaque inscribi debuisset :* Vixit annos lxx, menses iii, dies xxx. *Quod vero non ponatur quatuor mensibus supra, annos septuaginta vixisse, ratio est, quod dies trigesimus, quo obiit, dies completus non fuit, quapropter quartum mensem, deficientibus aliquot horis, non complevit. Waddingus autem, qui ortum S.* Joannis *ad annum Christi* 1385 *consignaverat* (15), *motus testimonio supracitato, errorem suum correxit, dum sub anno* 1456 *sancti viri obitum referret* (16). *Cæterum quum, ut supra monstravimus, inscriptio sepulcralis vitio non careat in enumerandis diebus, nulla idonea occurrit ratio, ut defendamus, sine errore annos ætatis sculptos fuisse, præsertim quum numeri inusitato satis more sculpti sunt; nempe* xxxci *pro* lxxi : *quamquam ex schedis,*

(1) Vita pag. 3. Barber. Vit. ital. pag. 3. — (2) Masson. Vit. pag. 4. — (3) Ibid. pag. 5. — (4) Ibid. l. c. — (5) Pag. 401. — (6) Pag. 393 et 416. — (7) Masson. Vit. l. c. — (8) Vita pag. 4. — (9) Catan. Vit. pag. 2. Barber. Vit. lat. pag. 2. Vit. ital. pag. 1. Hermann. pag. 7. — (10) Annal. tom. IX, pag. 68. — (11) Ibid. tom. XII, pag. 405. — (12) Hermann. pag. 6. Wadding. tom. XII, pag. 413. — (13) Pag. 7. — (14) Annal. tom. XII, pag. 405. — (15) Ibid. tom. IX, pag. 67. — (16) Ibid. tom. XII, pag. 405.

nuper

A *nuper ex Hungaria ad nos a P. Colmanno Rosti transmissis, insculptum dicitur:* VIXIT ANNOS LXX, MENSES III, DIES XXII. *Ita ut error solum in numerandis diebus exsisteret. Sed testimonium ipsius Sancti omni exceptione est majus, nec cuicumque alteri cedere debet.*

Perusiæ studet legibus

20 *Quo tempore S.* Joannes Capistranus *juveniles annos agebat, missus fuit, absolutis studiis humanioribus, Perusiam, quæ studio legum florebat. In ea enim academia, anno, ut notat Raynaldus* § XVII, 1308 *a Clemente V fundata, et anno, teste eodem scriptore* § XLV, 1321 *a Joanne XXII amplificata, adjectis videlicet disciplinis medicis et philosophicis,* Capistranus *noster egregios doctores utriusque juris nactus est. Certe ipse* Capistranus, *ut refert Salvator Massonius* (1), *testatur se audivisse Petrum de Ubaldis, celeberrimum legum interpretem. Sic parte tertia Speculi Clericorum hæc verba, quæ ex Massonio cito, habet* (2) : Illustrissimus doctor meus, Dominus Petrus de Ubaldis de Perusio, germanus illustrissimi et famosissimi doctoris, domini Baldi, nec non et do-

B mini Angeli de Perusio. *Eodem quoque modo in Defensorio Tertii Ordinis S. Francisci citat magistrum suum Petrum de Ubaldis his verbis* (3) : Mei eximii illustrisque doctoris, Petri de Ubaldis de Perusio, germani illustrium et clarissimorumque doctorum D. Baldi et D. Angeli de Perusio, vestigia secutus. *Ac tandem* (4) : Illustris, inquit, et famosissimus dominus doctor meus D. Petrus de Ubaldis de Perusio in suo tractatu canonicatus episcopalis. *Petro de Ubaldis adjungit Barberius fratrem ejus, Angelum, tamquam S.* Capistrani *doctorem* (5). *Et hunc summi nominis virum fuisse, testatur consultatio ejus in lite, ventilata inter Theodorum, Marchionem Montis Ferrati et Amadeum, comitem Sabaudiæ, ut videre est in Historia Montis Ferrati Benvenuti de S. Georgio, apud Muratorium* (6). *Porro Hyacinthus Vincioli Perusinus, apud Dominicum Manni* (7), *agens de celebrioribus jurisconsultis in suo opere :* Ad imperialium constitutionum libros IV Observationes, *de hisce refert sequentia :* Baldus Perusinus, ex Ubaldorum familia, Angelum et Petrum habuit fratres, itidem jurisprudentia

C celebres : et scripta unusquisque eorum plura reliquerunt. *In sigillo, ibidem exhibito, videre est Ubaldorum arma gentilitia.*

sub optimis magistris

21 *Ex hisce videmus, S.* Capistrano *celeberrimum obtigisse juris doctorem, et quamvis Baldi celebrior videatur fama, aliorum tamen fratrum laus apud posteros obliterata non fuit. Imo ipsum Baldum aliquando Perusiæ leges interpretatum fuisse, ex laudato Mannio habemus, docente, Baldum Perusia Ticinum a Joanne Galeatio de Vice-Comitibus anno* 1391 *evocatum fuisse* (8). *Unde consequitur Sanctum nostrum, tunc temporis septennem, Baldi discipulum non fuisse. Nam S.* Capistranus *addiscendo juri utrique decennium impendit, ut habet ejus biographus Christophorus de Varisio num.* 1 : Ad civitatem, *inquit,* Perusinam, ut in ea juri pontificio pariter et civili studeret, destinatur. Mansit ibidem decem ferme annos, et in tantum facultati illi operam dedit, ut omnes, consilio indigentes, dimissis doctoribus, non mediocriter famosis, ad eum pro consilio recurrerent. *Atque hæc, absoluto decennali legum cursu, contigisse arbitramur; qua opinatione nihil nos laudis Sancto detrahere putamus. Nam, ut ex num.* 16 *elicere est, annos natus triginta Minorum habitum suscepit, adeoque hæc supra ipsos scientiæ magistros eminentia, civium favore juveni necdum tricenario concessa, tantæ est gloriæ, ut majorem ambire velle, instar miraculi habendum esset. Quapropter concursus civium ad* Capistrani *exquirenda consilia in hoc credimus incidisse tempus, quando jam a Ladislao rege administrandæ reipublicæ admotus fuerat.*

AUCTORE J. V. II.

22 *Jam supra num.* 14 *animadvertimus,* *summa cum laude;* *benevolentiam,* Capistrano *a Ladislao rege impensam, aliquod fundamentum præbere opinioni, qua pater Sancti Carolo Dyrrachino magis, quam Ludovico Andegavensi adhæsisse dicendus esset, adeoque biographos ita esse explicandos, ut quando dicunt, patrem S.* Joannis *cum Ludovico Andegavensi Neapolim venisse, id ita intelligendum sit, quatenus Andegavensis irruptio occasionem dederit, ut miles,* E *etiam Germanicus conscriberetur a Carolo rege adversus Ludovicum: quo sensu verissimum est, patrem S.* Joannis Capistrani, *virum Teutonicum, cum Ludovico Andegavensi Neapolim descendisse, eo tamen consilio, ut Ludovicum a regno arceret, et jus Caroli sartum tectum servaret. Hac ratione facilius capimus, quomodo regis benevolentiam acquisiverit* Capistranus, *quando patrem in filio, cæterum egregio, remunerare rex intenderit. Porro explicandum restat, quo tempore et quomodo Ladislaus rex* Joannem *nostrum ad administrandam rempublicam Perusiæ, quæ est civitas juris pontificii, adhibere potuerit. Sæpe Ladislaus, vario obtentu, Romam occupavit : sed Perusinum ejus regimen in tale incidere debet tempus, quod cum chronotaxi vitæ S.* Capistrani *conciliari possit. Nullum autem aptius tempus invenimus, quam annus vulgaris* 1412, *ætatis* Joannis *nostri* XXVII. *Etenim, ut sub hoc anno* § III *scribit Raynaldus* (9), *die* XV *Junii inter Joannem XXIII et Ladislaum Neapolitanum compositum fœdus fuit, quo inter alias pactiones Ladislao oppignorabantur civitates Asculum, Viterbium, Perusia,* F *Beneventum, donec ipsi Joannes XXIII solveret ducenta ac viginti aureorum millia : quæ pecunia juxta hodiernam monetam* 48,000,000 *francos efficeret* (10).

unde a Ladislao rege judex

23 *Atque ad hoc fere tempus revocanda putamus initia capessendæ reipublicæ, quam suscepit* Capistranus *noster. Etenim istud tempus multo citius statui non potest, tum propter decennale ejus graviarum disciplinarum studium, tum propter ætatem minorennem; neque vero multo tardius, quia, ut monstrabimus infra, anno currentis sæculi* XVI *institutum Franciscanum amplexo tempus aliquod concedendum est, tum ut regis Ladislai familiaritatem captaret, tum ut per varios gradus ad summa regni officia ascenderet. Statuto autem anno* 1412 *tamquam initio gratiæ apud regem conciliatæ, solidum habemus quadriennium, simulque ætatem* Joannis *talem, ut nemo miretur eum regimini civitatum et juri dicendo præpositum fuisse.*

(1) Vita pag. 7. — (2) Ibid. l. c. — (3) Ibid. l. c. — (4) Ibid. l. c. — (5) Barber. Vit. ital. pag. 4. — (6) Scriptt. tom. XXIII, col. 657. — (7) Osservaz. sopra i sigilli antich. tom. VII, pag. 69. — (8) Ibid. pag. 76. — (9) Annal. Baron. continuat. tom. VIII, pag. 344. Edit. Luc. 1752. — (10) Acad. des Inscript. et Belles-Lettres, mém. de savants étr. tom. I, pag. 278.

Neque

AUCTORE J. V. H.

Neque vitio Capistrano *nostro vertendum est, quod jussu regis sui civitatem Perusinam, quæ erat ditionis pontificiæ, rexerit. Ex dictis manifestum est, hanc civitatem oppignoratione temporarie, attamen legitime, Ladislao regi cessisse : adeoque hominem Aprutinum, ortu suo coronæ Neapolitanæ obligatum, potuisse innoxie judicis officium obire. Quamvis autem regi serviret, omnium judicio perfidissimo et profligatissimo, ipse tamen* Joannes, *ut testatur Christophorus biographus num.* 2 tanta sapientia et prudentia omnia peragebat, tanta maturitate cuncta disponebat, tanta severitate justitiæ malos puniebat, tanta denique clementia bonos fovebat, ut circumquaque fama ejus divulgaretur, et in dies regi carior et familiarior efficeretur.

constituitur. 24 *Incorruptum justitiæ studium ostendit* Capistranus, *quando Perusiæ judicis officio fungebatur. Factum ex Waddingo refero* (1) : Obtulit ei quidam vir potens magnum auri pondus, si capitalem ferret sententiam in quemdam suum inimicum, sub Joannis jurisdictione vinctum, et in ejus subselliis judicandum : B quod si aliter faceret, minas mortis adjecit. At ille intrepidus solam justitiam et veritatem præ oculis habens, non solum in hominem sententiam mortis non tulit, verum, comperta veritate, insontem declaravit. *Refertur quoque a Salvatore Massonio, qui illud se in adolescentia sua a senibus narratum testatur* (2), *quod nempe judici* Capistrano *non raro incumberet damnare accusatos, non confessos, ad torturam : verum extorta tali ratione reorum confessio dubia et incerta illi videbatur. Quam dubitationem ut aliquando discuteret, tale iniit consilium. Ipse* Capistranus *secreto ad equile descendit, et clam omnibus ephippium aufert et secretissime abscondit. Post agazonem suum vocat, et ut equum sternat, injungit. Famulus, brevi redux, lamentatur ephippium ablatum : herus eum furti accusat, post multas minas, instructa lite, torturæ applicari jubet. Tormenta aliquandiu innocens sustinet, sed crescente dolore, famulus confitetur se furem, ephippium, in loco quodam occultum, designat : sed quum minime istic reperiretur, denuo tormentis exC agitatur, ac demum fatetur se cuidam nominato pro tanta pecunia ephippium vendidisse.* Capistranus, *hac experientia edoctus, resarcito damno illato, pœnitens facti atrocis, statuit sibi deinceps a talibus adminiculis detegendi criminis abstinendum.*

§ III. Mirabilis Sancti vocatio ad Ordinem FF. Minorum.

Rerum humanarum *Ad altiores continuo eluctabatur honoris gradus* Capistranus, *jamque pactis sponsalibus cum divite et nobili puella Perusina, totum se rebus mundanis dedere cogitabat, quando repente alios induit animos, et humili Sancti Francisci instituto nomen dedit. Salvator Massonius docet varios varias adduxisse causas tantæ conversionis; quæ quidem inter se minime pugnant; sed recte inter se conveniunt; imo et* D *convenire debent, quum omnes causæ istiusmodi mutationis et veræ, et suapte natura tales sint, ut vanitatem rerum terrenarum homini cordato indigitent. Igitur causam assumpti habitus Minorum indicat Paris de Puteo seu Del Pozzo, celeber jurisconsultus, qui ab anno* 1413 *ad* 1493 *vixit* (3), *in suo tractatu* de syndicatu, in verbo, sequitur modo notabilis quæstio num. 3 *his verbis, quæ ex laudato Massonio refero* (4) : Et volo, lector, quod habeas unum memorabile dignum in simili. Rex Ladislaus inquiri facit unum comitem regni et filium de proditione : et facto processu per judices magnæ curiæ Vicariæ, inter quos erat unus judicum, tunc* frater Joannes de Capistrano, qui retulit * nunc? regi, quod comes erat in pœna decapitationis, tamen filius erat innocens et liberandus. Jussit propterea rex comitem decapitari ; et filium non decapitari, sed sententialiter ficte condemnari ad mortem, deinde ad supplicium duci cum patre, et, decapitato patre, liberari. Et hoc facto ; decapitato patre, filius præ timore pene illico mortuus est. Propter quod E frater Joannes de Capistrano, tunc sæcularis et judex magnæ curiæ existens, conscientia motus, quod innocentem condemnaverat, quia ex causa condemnationis mortuus fuerat ; adivit regem et renuntiavit officio, nolens amplius servire dominis temporalibus, sed Deo : et intravit Religionem mendicantium S. Francisci, et fuit vir magnæ religionis et miræ sanctitatis, ut in diebus nostris intelleximus et vidimus. *Hactenus Paris de Puteo.*

tum ex injustitia hominum, 26 *Hæc eadem ex citato Paride narrat Joan. Vincentius Ciarlanti in suis Monumentis Samnii, additque nomen Comitis fuisse, Ladislaus Artus, Comes S. Agathæ* (5). *Thomas Catanæus, in Vita S.* Joannis (6), *tragœdiam, jam satis atrocem, novis, nec alibi, quod sciam, reperiendis circumstantiis adornat. Videlicet Ladislaum regem voluisse filii unici necem, ut feudum derelictum, nempe S. Agathæ comitatum, ad jus regium postliminio devolveretur. Ne vero injusta damnatione infamiam nomini suo inureret, adhibuit* Capistranum, *virum justum et probum, cujus sententia, licet severa, ab omnibus admitteretur. Sed* Capistrano *recusante, tanto sceleri* F *adminiculare ; rex, sperans, ficta condemnatione et mortis simulacro mortem, etiam sine gladio, filio comitis subsecuturam, adhibendam præcipit simulationem, quæ, ut vidimus, funestum exitum sortita est. S.* Capistranus *autem, pœnitentia motus, nemine conscio Neapoli exiit : sed rex, facti pœnitentiam sive profitens sive fingens, judicem Curiæ denuo allexit conferendo eidem novam ac supremam dignitatem, præfecturam scilicet omnium judiciorum regni. Hæc Cataneus, qui fontem, ex quo hæc hausit, non indicat. Equidem credo, similes eventus, quemadmodum et num.* 24 *narratum torturæ experimentum, disposuisse* Joannis *nostri animum ad meliora et tutiora capessenda consilia : verum, nisi fallat nos reliqua vitæ series, nequaquam eum sine ambagibus ad induendum S. Francisci habitum, ut mox videbimus, induxit subitum facinus.*

tum ex propria calamitate, 27 *Etenim in hoc conveniunt omnes coævi*

(1) Annal. tom. IX, pag. 68. Cfr. Barber. Vita ital. pag. 6. — (2) Vita pag. 7. — (3) Cfr Biogr. Univ. supplément v° *Pozzo.* — (4) Vita pag. 9 et seq. — (5) Mém. histor. del Sannio. pag. 410. — (6) Vit. ital. pag. 7.

biographi,

A *biographi, occasionem mutandæ vitæ proximam a captivitate Perusina et visionibus mirabilibus in ea habitis, derivandam esse. Inquirendum porro est in tempus istius captivitatis, in causam ac tandem in modum, quo ex eadem elapsus est, ut ad Ordinem S. Francisci confugeret. Waddingus, erronee accessum S.* Capistrani *ad Ordinem cum anno 1414 componens, causam captivitatis hisce verbis exponit* (1): Ladislai, regis Siculi, partes secutus, Perusinos apud quos studuisse et jus dixisse diximus, habuit invisos. Voluerunt illi injustum regis jugum excutere et ad Pontificis Romani obedientiam redire; atque hinc nati bellorum tumultus, quos ut compesceret, dum strenue laborat Joannes, a Perusinis extra urbem capitur, et Brufam (oppidum est quarto ab urbe lapide) ductus, duro carceri mancipatur. Ibi diu jacuerat inglorius, qui imperiose gloriari solebat. Sperabat ille se vel pretio redimendum, vel prece liberandum a Ladislao rege, sed frustra: multis enim mensibus in carceris squalore oportuit mereri. *Animadvertendum imprimis Ladislaum regem initio augusti (aliis aliam diem signantibus) anni 1414 supremum diem obiisse* (2), *eique successisse summo populi applausu sororem Joannam, hujus nominis* II (3). *Dein moriens Ladislaus universas regni partes pacatas reliquit; nam mense Martio ejusdem anni fœdus cum Florentinis pepigerat, et initio julii Perusiæ versabatur, castra dein juxta Narniam metatus; quando paucis post diebus, infami morbo laborans, Neapoli redux moritur* (4). *Ex quibus satis manifestum est, moriente Ladislao in pace, qualem agitatissima hæc tempora ferebant, universum regnum compositum fuisse.*

quam carcere durissimo

28 *Ex hisce consequitur, mea sententia, captivitatem S.* Capistrani, *vivente Ladislao rege, non accidisse, qui certe passus non fuisset, fidelissimum et amicissimum ministrum fœdo carcere detineri tunc, quando Perusiæ agens inclusum Brufano castro liberari nullo negotio potuisset. Dein illa tempestate non agebatur pro Perusinis de* injusto regis jugo excutiendo et ad Pontificis Romani obedientiam redeundo, *ut dicit Waddingus; nam legitima erat in Perusinos jurisdictio Ladislai, utpote quam, ut*
C *supra num.* 22 *diximus, titulo oppignorationis obtinebat, et, ut monstrat Chronicon Eugubinum, rebus hisce coævum* (5), *die* XIX *Julii 1415 Perusini acclamarunt dominum suum Braccium de Montone, et primum mense Septembri 1424, mortuo Braccio, Perusia ad obedientiam Pontificis, Martini V, rediit* (6). *Quoniam igitur captivitas* Joannis *nostri in tempus Ladislai regis non incidit, quum omnia tranquille procederent; reponenda est potius in illud tempus quando respublica Perusina variis factionibus commovebatur; quod in citato Chronico Eugubino legitur primo semestri anni 1416 accidisse, quum intestina bella in comitatu Perusino exarserunt* (7): *quo nempe tempore inter Malatestas et Ariminenses ex una, et Braccium ex altera parte armis agebatur, adeoque et* Joannes, *qui negotia reginæ suæ, Joannæ Neapolitanæ, tuebatur, aliarum factionum incurrit iras, et, insidiis structis, captus vinculisque constrictus fuit, ineunte aut currente priori semestri anni 1416.*

AUCTORE J. V. H.

inclusus patitur, pertæsus,

29 *Et certe posito isto anno captivitatis, tempus est sufficiens, ut reliqua, a biographis narrata, rite consequantur; nempe aliquot mensium captivitas: tentata fuga, ac tandem redemptio concessa, ut Sanctus habitum Minorum assumere posset. Quæ quidem omnia egregie confirmantur testimonio ipsius S.* Joannis Capistrani, *quod conservavit nobis Salvator Massonius, prout illud scripserat Jacobus de Franchis, civis Aquilanus hisce verbis* (8): Dignum et justum est, atque conveniens de B. Patre Joanne de Capistrano nunc dicere et proferre sermonem suum. Sed primum rogo vos omnes legentes aut audientes, ut verba ista accipiatis cum illa simplicitate et veritate, cum qua dico: quia non quæro hominum gloriam; Deus testis est: neque ad hoc loquar, ut humanas amicitias habeamus, sed ut æterna fruamur lætitia. In conscientia animæ meæ veritas hæc est. Dicam ego quidquid de B. Fratre Joanne de Capistrano mihi locutus est; et quando me et uxorem meam induit Tertio Ordine S. Francisci, 1447, die XVII mensis Januarii, in festo S. Antonii*, in horto S. Christophori civitatis Pennæ ista omnia dixit et narravit, et quia vulgariter recitavit, quomodo et quando affectus* fuit Frater, vulgari sermone scribam de verbo ad verbum omnia verba sua, videlicet dicendo. *Narrationem suam idiomate italico prosequitur Jacobus de Franchis, nos vero ejus verba latina facimus.*

E

* abbatis

* effectus?

et, apparente S. Francisco confirmatus,

30 Domine Jacobe, scis quomodo per fr. Antonium Tagliacotium ad me Aquilam scripsisti, ut venire vellem ad oppidum Pennæ, quia tu et uxor tua volebatis relinquere mundum, tu quidem Minor, uxor vero tua Monialis esse; et in eadem epistola multa alia retulisti, de quibus certus fuisti nemini, nisi mihi et portitori, fuisse quidpiam manifestatum, quamvis, fili mi, monuissem te in ponte S. Antonii de Tocco, me dubitare de ista re, quia uxor tua recusatura erat consensum, ut postea evenit. Nunc autem dico tibi, me venisse, ut aliquid boni operarer, et utrumque vestivi habitu Tertii Ordinis S. Francisci, in quo plurimi fuerunt Sancti. Enitere observare F
Regulam, et persta firmus in vocatione tua; et volo tibi dicere quando et quomodo per gratiam Dei factus sum Frater. Anno 1416 rediturus eram in patriam meam Capistranum, ad conquirendum pecuniam, ineundo matrimonio necessariam *; quamvis essem juris licentiatus; et eram annorum circiter triginta. *Italicum habet:* per denari per lo nostro convento, *ad litteram:* pro pecunia pro nostro conventu: *certe hic non agit Sanctus de conventu aliquo monachorum, utpote cujus cogitationes quam longissime tunc temporis ab istiusmodi consilio aberant: sed potius conventione matrimoniali, de qua paulo infra agit, et quam vox italica etiam significat, ut videre est in Lexico Italico-Gallicum Alberti.*

* per denari pro nostro conventu

soluto etiam redemptionis pretio,

31 Accidit autem, quod Potestas Perusiæ discederet a civitate, et quia diu distulit reditum, elegerunt me Perusini ejus vicarium. Unusquisque me dominum Joannem appella-

(1) Annal. tom. IX, pag. 358. — (2) Muratori. Annal. d'Ital. tom. IX, pag. 71. — (3) Ibid. pag. 72. — (4) Ibid. l. c. — (5) Muratori. Scriptt. tom. XXI, col. 958. — (6) Ibid. col. 962, — (7) Ibid. col. 958. — (8) Vita pag. 26.

AUCTORE J. V. H.

bat, et inter alia gloriabar in cæsarie mea, quæ erat quasi filis aureis contexta, et ad morem patriæ meæ calamistrata, ita ut pulchram formam exhiberet. Ego vero (*Jacobus de Franchis*) reposui: Quomodo, pater, alione more Capistrani quam Aquilæ cæsaries ornatur? Et dixit: Verum quidem est, me natum Capistrani; ast pater erat baro ultramontanus, qui venit cum duce Avenionensi (*Andegavensi*) et ducta uxore Capistrani me et alios, sicut Deo placuit, filios procreavit. Istis temporibus exorto bello inter Malatestas et Perusinos, fui missus ad componendam pacem, et ad quamdam turrim adveniens, ferramento quadraginta duarum librarum constricti fuere pedes mei, nec aliud nutrimentum mihi concessum fuit, quam parum panis et aquæ. In tanto infortunio constitutus, incepi cogitare de possibilitate vitandæ mortis, et altitudinem turris supputavi. Forte habebam stragulam toralem, quam, deficiente cultello, dentibus discerpsi in lora: quæ colligata, adjuncto etiam caputio (*insigne doctorale interpretor, Gallice* Chaperon, *quod ex sinistro humero magistrorum pendebat*) a solo adhuc distabant, quanta est altitudo S. Christophori. *Non agitur hic de statua S. Christophori, vulgo colossæa, sed de ædificio conventus Pennensis, in cujus horto erat colloquium.*

B

Ordinem Minorum,

32 Hoc func ad pinnam muri firmato, descendere, prout melius potui cœpi, sed resoluto caputio, in terram decidi, fractoque pede, procedere ultra non potui; imo collidentium ferramentorum strepitu excitati custodes, denuo captus fui, et in infimam turrim, ubi aqua media crura attingebat, præcipitatus, et catena ferrea per medium corpus ita constrictus fui, ut erectus in pedibus stare cogerer, insuper et diurnum frustulum panis et paululum aquæ solum præbebatur. Post triduum, deficientibus viribus, obdormivi; quando dormiturienti videbatur mihi magnus strepitus excitari, et expergefactus vidi radium solis, totam turrim illuminantem, et levando caput ad gratias Deo agendas, vidi Minorem stigmatizatum in pedibus, qui quum illum brachiis complecti voluissem, disparuit, et reclinato capite inveni me rasum, prout nunc me vides. Manifeste cognovi, hunc Minorem fuisse S. P. N. Franciscum. Perspexi tandem esse Dei voluntatem, ut mundum relinquerem et illi soli servirem. Quapropter statim petii liberationem meam, quam redemi pretio quadringentorum ducatorum, *quæ pecunia hodierna moneta summam circiter fr.* 160,000 *efficeret* (1): *enormis redemptio virum signat primarium, quod cæterum reliqua historia istiusmodi liberationis apertius demonstrabit.*

C

relicta sponsa,

33 Statim jussi vendi omnes meos libros et vestimenta quæ habebam; et Capistranum redux, quia erat mihi sponsa jurata, eidem ratum fixumque consilium relinquendi mundum et Deo serviendi aperui, et illa, meis precibus inducta promisit se nuptiis, renuntiaturam; sed decepta dein, nupsit duobus aliis et tandem lepra infecta fuit. Reddidi tum illi tum matri meæ pretium dotis: omnibus persolutis, quod supererat, dedi pauperibus Jesu Christi. Perusiam vero rediens cinxi caput meum mitra, in qua omnia peccata vitæ meæ inscripta erant, et præpostere equitavi in asino, ut hunc miserum et fallacem mundum confunderem. Tali modo equitando per vias Perusinas, pueri certatim in me projiciebant lutum et lapides, omnesque me amentem credebant, et isto opprobrio onustus adivi Fratres, ut vestem eorum assumerem. Sit benedicta ista dies! Credo me fuisse illo tempore annorum triginta, et nunc annis triginta et uno Minorita sum. Dignetur Deus nos semper facere suam voluntatem. *Hactenus italicum, pergit laudatus Jacobus latine sequenti modo:* Item postquam me et uxorem meam induit tertio Ordine S. Francisci, recessit B. Pater, et ivit Capistranum, ibique post tempus infirmavit. Ego autem, istis temporibus rediens Aquilam, visitavi ipsum, prout decet et pertinet, confortans eum ad sanctitatem, dixique: Nescimus voluntatem Dei, Deus dedit nobis corpus S. Bernardini, dabit etiam corpus tuum pro nostra salute.

D

ingredi statuit:

34 Respondit B. Pater et dixit: Ego non morior in istis partibus. Tunc ego replicavi dicendo: Cum fiducia loquar, Pater, tua paternitas bene scit, quod S. Bernardinus fuit Senensis, et mortuus est Aquilæ, fortasse tu morieris Senis. Coram omnibus fratribus dixit et narravit: Ego non moriar in Italia. Et multa alia dixit, quæ propter brevitatem tacco. Unde vere convenit sibi prout dicit Matthæus*: « Omnia bene fecit, surdos fecit audire et mutos loqui? » Item convenit sibi dictum Jesu Christi, quod dixit Apostolis*: « Euntes in universum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ. » Etiam dictum Prophetæ sibi convenit*: « In omnem terram exivit sonus eorum, et in finem orbis terræ verba eorum. » Item convenit dictum Ecclesiastici*: « Quasi stella matutina in medio nebulæ. » Missus est homo cui nomen erat Joannes. Convenit etiam dictum Ecclesiastici*: « Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est. » *Hactenus Jacobus de Franchis.*

* Marc. VII, 37.

* Marc. XVI, 15.

* Ps. XVIII,5.

* Eccli. L, 6.

* Eccli. XLV, 1.

et vere ingreditur:

35 *Quanvis jure merito habeamus tamquam verissimam narrationem a Jacobo de Franchis nobis conservatam, utpote quæ ex propria confessione S.* Capistrani *prodeat; dicendum tamen est varias circumstantias intermedias, brevitatis causa, omissas fuisse. Unum tamen est, quod ab aliis passim relatum, vix cum narratione S.* Capistrani *conciliari potest. Videlicet, ut narrat Amandus Hermann* (2), *aliis biographis concinentibus* (3), ingeniosa inventione sibi ipsi factus est liberator, nullo advertente custode, constrictus compedibus, evasit ex carcere. Ast libertas hæc non diu perseveravit. Nam dum per agros et compita vagaretur, quæreretque locum, ubi vinculis se exsolveret, ferramenta de pedibus decutiendo, resonantibus ictibus, ab agricola, in illa vicinia commorante, animadversus fuit, qui ingentem excitans clamorem, insinuavit profugum: hinc certificata potestate publica, Joannes, præmisso satellitio, iterum captus, ad carce-

(1) Mém. de l'Acad. des Inscript. et Belles-Lettres, mém. de savants étr. tom. I, pag. 298. — (2) Capistr. triumph. pag. 15. — (3) Wadding. Ann. tom. IX, pag. 358. Cataneo Vita, pag. 14. Barber. Vit. lat. pag. 6. Vit. ital. pag. 12.

rem

A rem reductus, fortioribus constringendus ferris, ut ad libertatem tanto magis aspiraret Christi... Post Joannes ad carcerem fuit reductus,... pœnæ fuerunt duplicatæ et aggravatæ, atque in turrim arcis Brufæ inclusus, compedibus quadraginta duarum librarum constrictus... Ad hæc forinsecus custodibus bene erat vallatus, et intrinsecus fame cruciatus in corpore; nam ad vitæ sustentationem parum panis et aquæ, vix ad sufficientiam subministrabatur illi.

de quo consilio 36 *Hæc narratio eatenus ornamentis vestita est, quatenus vagationem per agros adjungit. Ipse certe* Capistranus *asserit omnem spem fugæ sibi præclusam fuisse ex eo, quod ex lapsu fregerit pedem,* neque ultra procedere *potuerit. Clamorem ruricolæ, custodes excitantis, tacet Sanctus: satis probabiliter; etenim talem fugam moliuntur plerique noctis tempore, quando a solis vigiliis militaribus cavere debent fugitivi. Adeoque verisimile non est, ruricolam aliquem, turbulenta illa ætate, noctis tempore domo egressum, videre et cognoscere potuisse fugitivum.*
B *Quapropter verisimiliorem arbitramur narrationem Jacobi de Franchis, etiamsi ex ipso ore* Capistrani *non procederet. Neque duplicem fugam, unam per agros, alteram ad pedem castri facile admittimus: nam post priorem fugam, de qua agunt plures biographi, in arcta custodia ita vallatus fuit custodibus, et arctatus in victu, ut omnes fugiendi viæ præcluderentur. Neque altera fuga post fractum pedem admitti potest, tum quia catena ferrea, ut ipse Sanctus narrat, constrictus movere se neque ad sedendum poterat, tum maxime, quia post triduum de redemptione agens, eam paucis post diebus consecutus est. Omnino igitur standum est, narrationi ipsius S.* Capistrani *et eliminanda sunt ea omnia adjuncta, quæ cum Sancti relatione consistere non possunt.*

varii varia, 37 *Quoad reliquas conversionis circumstantias, hæ facile, mea sententia cum dictis Capistrani conciliari possunt. Joannes Baptista Barberius, cum quo etiam reliqui consentiunt* (1), *conversionem hisce verbis refert* (2): In eadem turri (*Brufæ*) juxta ipsius piam ac quotidianam consuetudinem Deiparæ Virginis ac immaculatæ Mariæ Officium recitanti (*vel potius post recitationem* obdormiscenti) vir quidam, Ordinis Minorum habitu indutus, nec non cœlesti lucidissimoque splendore circumdatus, in aere apparens, sic eum allocutus est: « Quid stas, quid moraris, quid præstolaris, superbe? Dei monitis obsequere et internis vocibus acquiesce. » Cui Joannes horrens, « quid vult Dominus, ut faciam? Ad quem ille: Nonne vides, quid Deus de te facere statuit? Nonne cernis habitum istum, quem defero? hunc suscipe, mundum, quem fallacissimum probasti, relinque et Religionem ingredere. » Ad quæ mœstus Joannes, « Durus, ait, est hic sermo: in claustro vivere et libertatem perpetuo abdicari; numquam ego de his jam cogitavi: attamen Deo præcipienti obsequendum erit. » Et sic cœlesti lucidaque disparente visione, solita tenebrarum carceris rediit obscuritas; ubi post nonnullas mentis et corporis agitationes, confusione repleto, corpori quietem aliquantulum indulgenti, fuit ipsi manu cœlesti caput mirabiliter more Franciscanorum religioso detonsum, quod quum experrectus persensisset: « Durum, inquit, contra stimulum calcitrare*. Dominus ipse est Deus, omnia quæcumque voluit, fecit*. Mirabilis facta est scientia ejus, ex me confortata est, et non potero ad eam, nihil hic amplius sperandum... » Et totum Deo ac Divo Francisco firmum se obtulit.

AUCTORE J. V. H.

* Act. IX, 5
* Ps. CXIII,11

satis inter se convenientia

38 *Hæc, ut dixi, satis conveniunt cum narratione ipsius S.* Capistrani: *præsertim si attendimus verba, quibus suam conversionem refert. Etenim post visionem S. Francisci, post rasam mirabili modo cæsariem, addit:* Perspexi tandem, *id est post iteratas monitiones,* esse Dei voluntatem, ut mundum relinquerem, *et reliqua, quæ legi possunt supra num.* 32. *Quapropter assentimur Christophoro de Varisio, particulatim eamdem conversionem referenti num.* 5: Nondum tamen, *inquit, post apparitionem S. Francisci,* ex præmissis visionibus, quid circa se ageretur, intelligens, a mundi blanditiis animum revocaverat, aut ad Religionis ingressum quoquo modo mentem declinaverat: quia vere difficile est, eos, qui se E divitiis et honoribus subjecerunt, ab ipsis amplius quam violentia maxima resilire. Tertio itaque quum se sopori dedisset, nihilque prius de quacumque Religione cogitasset, volens clementissimus Deus per evidens signum eum ad Religionem adducere, disposuit, ut de vertice ipsius dormientis capilli deciderent, ita quod, vertice capillis privata, coronam ad instar Fratrum Minorum gerere videbatur: quam postea toto tempore vitæ suæ, in Religione exsistens, in signum miraculi semper habuit: nec novacula ad radendam coronam, manu Dei dispositam, ullo tempore, dum viveret, fuit necessaria.

scripsere.

39 Qui dum a somno evigilans, capillis pulcherrimis, in quibus antea, tamquam decorus juvenis, magnam consolationem habuerat, in vertice in modum coronæ se privatum sentiret; prima facie quasi indignatus, in similia verba prorupit: « Quum nullum affectum ad Religionem habeam, miror de te, Omnipotens Deus, quod me invitum religiosum facere proponas... » Quum ergo divinam F voluntatem paulatim agnosceret, Spiritu Sancto inflammatus, continuo voluntatem suam voluntati divinæ toto corde copulavit; et ad ingrediendum Ordinem Beati Francisci de Observantia mentem suam totaliter inclinavit. *Luctam igitur, brevem quidem, sed vehementem, S.* Capistranum, *antequam Deo vocanti obtemperaret, expertum fuisse, his verbis biographi coævi docemur: dum ipse Sanctus de sua conversione agens, diversos animi motus uno verbo indigitat magis quam evolvit: quin tamen narrationi Christophori coævi contradicat. Ut itaque summatim omnia complectamur, S.* Capistranus, *duro carcere detentus, omnique fugæ spe præclusa, cœlitus illuminatur, et post vanos conatus ad effugiendum Deum vocantem, tandem divinæ se voluntati humiliter submittit, et arduum S. Francisci institutum, tunc præsertim austeritate florens, amplectitur.*

(1) Hermann. pag. 16. Catanco Vita ital. pag. 16. — (2) Vit. lat. pag. 7.

§ IV.

AUCTORE J. V. H.

§ IV. Ingressus in Ordinem Seraphicum; prima Sancti sub magistro S. Bernardino Senensi ministeria.

Quia Ordinem Minorum ingredi profitetur

Quemadmodum, *ut supra ostendimus*, S. Capistranus *carptim narravit suam ad Religionem S. Francisci conversionem, sic et paucis expedivit suam e carcere liberationem. Quæ tamen, ut videre est supra num.* 32, *multa pecunia redempta fuit, et initio dolum aliquem præ se ferre videbatur. Waddingus sub anno* 1414 *satis perturbate actorum seriem refert, inquiens* (1) : *Post conversionem* mittens ad fratres strictioris Observantiæ, in cœnobio Montis extra Perusium degentes, rogavit, ut quam primum pauperem habitum transmitterent. Ferunt duo fratres, sed dare renuunt homini, in carcere constituto. Ex quodam veteri pallio ipse sibi religiosam vestem effinxit, et tandem, numerata pecunia, libertate donatur. B *Eadem fere habent Benedictus Mazzara in Legendario Franciscano* (2) *et Thomas Cataneo in Vita S.* Joannis (3). *Ast alio modo reliqui, quos coram habemus, biographi rem gestam exponunt : sic Christophorus num.* 7 *dicit :* Exinde, *nempe statuto ingressu in Ordinem FF. Minorum,* totis præcordiis modum omnem excogitare cœpit, quomodo tam sanctum propositum, quod, Deo inspirante, firmiter in mente conceperat, adimpleret. Qui tandem custodem carceris ad se vocans, cum precibus, quibus valuit, rogare cœpit, ut sibi pannum griseum, quo indui solent Fratres de Observantia Sancti Francisci, forfices, filum et acum ad carcerem deferret, promittens ei omnia et plura restituturum, si Deus eum a carcere liberaret.

liberatur a Perusinis

41 Annuit ejus voluntati carceris custos, qui eum propter virtutes suas maxime diligebat, et res postulatas sine mora ei ad carcerem detulit. Quibus susceptis, sibi ipsi, prout melius scivit et potuit, habitum præparavit, et exutis sæculi vestibus quibus indutus erat, C cum maxima devotione illacrymatus, habitum, quem, Spiritu Sancto decretante, præparaverat, induit..... Hæc illis, qui eum in vinculis detinebant, audientibus, subridentes, similia verba proferre cœperunt : Novimus nequitias et astutias cordis ejus *etc. Verum non post multum tempus inimici* Capistrani *aliquid veri et sinceri in ejus consilio inesse suspicati, ejus agendi rationem e proximo scrutantur, quibus* Joannes *dicit :* Facite fratres aliquos de Observantia, qui harum rerum experientiam habent, ad me venire, in quibus et vos fiduciam habeatis, et illi vos an fictitia an vera sit vocatio mea, plenius informabunt. *Igitur* vocatur non parvæ æstimationis frater de Observantia, moribus et vita venerabilis; *qui intelligens, mutationem illam mirificam non fictitiam esse sed verissimam, eos, qui vinctum detinebant adiens :* Nolite, *inquit,* in aliquo dubitare, quia in veritate, toto corde, sine simulatione aliqua conversus est, intendens omnino, despectis mundi et carnis deliciis, Domino in Ordine nostro fideliter militare. Et si vultis, pro ipso me obsidem habete, donec quo fine negotium terminetur inspiciatis (4). *His dictis acquieverunt* Joannis *inimici, et numerata pecunia redemptum dimiserunt. Hæc Christophorus de Varisio.* D

e vinculis;

42 *Quæ narratio aptioribus nexibus compacta est, quam quæ a Waddingo traditur. Etenim in Waddingiana relatione non satis capitur, quomodo ante liberationis tractatum, duo fratres Minores ad incarceratum, severissime custoditum, admissi fuerint, quomodo potuerint intra turrim inferre habitum, quo homo astutus, ut judicio inimicorum erat* Capistranus, *abuti potuisset ad fugam captandam : quin isti fratres, vocati a* Capistrano, *quibus hujus incarceratio ignota esse non poterat, quique adeo sciebant habitum religiosum incarceratis concedi non posse, satis, ne nimium dicam, insolentes sunt, quando habitum deferunt, quem denegaturos se certo sciunt. Censeo itaque narrationem Christophori coævi omnino præferendam esse, utpote quæ optime cum circumstantiis quadret : quod si quis repulsam hanc retinere voluerit, non* E *equidem repugnabo, dummodo post liberationem, medio intervallo, quando res suas domesticas componebat Sanctus, et vere repulsam ab Observantibus passus est, ista repulsa prodeat.*

et dimissa sponsa,

43 *Ex iis, quæ supra numm.* 29 *et seqq. dedimus, scimus S.* Capistranum *alicui puellæ Perusinæ ratione tractatus matrimonialis obligatum fuisse. In eo consentiunt omnes, puellam virginem dimissam fuisse. Sed dubitari potest, utrum ante captivitatem fuerit matrimonium verum, an simplicia sponsalia. Ut vidimus supra num.* 33 *in confessione facta ab ipso sancto viro, illum habuisse* sponsam juratam. *Italicum habet* (5) : E perche teneva la mia moglie giurata, *ad litteram debuissem vertere :* Et quia habebam mihi mulierem juratam, *sed malui hactenus rem indefinitam relinquere, quandoquidem et sponsa recte de uxore intelligi potest. Verum ut dicam, quid sentio, matrimonium per verba, ut theologi loquuntur, de præsenti contractum fuit, sed non consummatum. Etenim ex Sancti confessione novimus, post conversionem tum sponsæ tum matri redditam fuisse dotem, quæ ordinarie non datur ante matrimonium* F *ratum. Attamen matrimonium consummatum non fuisse, ex eo liquet, quod sine consensu sponsæ, imo, ut ex Christophoro num.* 13 *et seq. patet, ipsa omnibus viribus repugnante, statum religiosum amplexus sit : quod quidem, si matrimonium consummatione fuisset completum, nulla ratione, quod ad vinculum spectat, dissolvi potuisset, et consentiens uxor pari castitatis voto obstricta mansisset, ut docent canones, et in specie c.* 7 *de Convers. conjug.* (III, 32), *in quo legimus :* Cæterum quia licet a præfato viro desponsata fuit; adhuc tamen (sicut asserit) ab ipso est incognita, mandamus, quatenus si prædictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, et eadem ad Religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat, ipsam a sententia, qua tenetur, absolvas; ita quod si ad Religionem transierit, uterque restituat alteri, quod ab eo noscitur accepisse.

(1) Annal. tom. IX, pag. 359. — (2) Legend. Franciscano tom. X. pag. 298. — (3) Cataneo. Vit. pag. 18. — (4) Cfr Barber. Vit. ital. pag. 15 et seq. Hermann Capistr. triumph. pag. 17. — (5) Masson. Vit. pag. 29.

A accepisse. *Quibus verbis quæstio de nuptiis S.* Capistrani *solvitur: sive enim solum sponsalia cum puella Perusina, sive verum matrimonium contraxerit; id certum est apud omnes, ratum matrimonium numquam consummasse* Joannem, *adeoque ingressum in Ordinem Minorum, ipsa licet obnitente, licitum et laudabilem fuisse.*

an. 1416 44 *Similiter ex supra allata Sancti relatione num* 30 *habemus, eum anno* 1416 *habitum Minorum assumpsisse : quod accurate congruit cum epistola, scripta Judemburgo ad Marcum Bononiensem, quam citavimus supra num.* 18, *et cujus ope annum Sancti natalem stabilivimus. Quemadmodum enim monstravimus, illum anno* 1455 *factum annorum sexaginta novem die* XXIV *Junii, in festo S. Joannis Baptistæ, ita invenimus tunc annos triginta novem Religionis habuisse* IV *Octobris, in festo S. Francisci: atque adeo defunctum* XXIII *Octobris* 1456, *complevisse ætatis annos septuaginta, Religionis vero quadraginta: quo calculo devenimus ad annum* 1416 *assumpti habitus Minorum. Perperam igitur*

B *Waddingus sub anno* 1414 *statuit ingressum Sancti nostri in Ordinem Minorum.* Illustrissimus, *inquit* (1), splendor hoc anno nostro accessit sodalitio, admisso in contubernium præclarissimo Joanne Capistranensi. *Quandoquidem Waddingus ex auctoritate epistolæ Judemburgensis correxit annum Sancti natalem* (2), *debuisset pari modo, ingressum in Ordinem Minorum ad annum usque* 1416 *prorogare. Gravius fallitur Amandus Hermann* (3), *quando dicit,* Capistranum *ad Seraphicam Religionem amplectendum promotum fuisse* morte Ladislai regis, quæ, *ait,* contigit anno 1413. *Duplex hic est error, Ladislaum anno* 1413 *obiisse, quum id ad annum sequentem* 1414 *referendum sit* (4) : *ac dein hujus obitu* Joannem *nostrum ad Religionem impulsum fuisse, nam, ut supra num.* 28 *monstravimus, sat diu post Ladislai mortem conversio accidit, et causæ ejus proximæ nullam cum istiusmodi morte connexionem habent; quamvis non negemus et hanc potuisse menti ejus, multa revolventi, obversari. Ex hactenus dictis concludere nobis licet, S.* Capistranum *anno vulgari* 1416 *carceris afflictionem subiisse, et paucis interjectis*

C *mensibus, die* IV *Octobris ejusdem anni habitum seraphicum assumpsisse. Unde et corrigendus Joan. Bapt. Barberius, qui Religionem ingressum dicit S.* Joannem *anno* 1415 : *quod quidem tempus mysterio non carere asserit* (5). *Hæc ipsa ad Ordinem Minorum admissio difficultatibus suis non caruit.*

post varia experimenta 45 *Nam, inquit Waddingus* (6), in patriam reversus, venditis, quæ possidebat, relicta virgine nobili sibi desponsata, et in pauperes facultatibus distributis, rediit Perusium, fratresque prædicti cœnobii (nempe Montis extra Perusiam) rogavit, ut sodalem admitterent. Marcus Bergomensis, ædis præfectus, probe hominem noscens, tentandum judicavit, ne forte levitate animi aut passione duceretur, præcepitque ut vectus asello, sordida veste, redimitus tempora mitra chartacea, peccatis rubricata, urbem circuiret. *Christophorus biographus, hæc referens num.* 11, *nullam facit mentionem, quasi id genus opprobrii S.* Capistranus *jussu Marci præfecti assumpsisset: sed quum causa liberationis, saltem facilioris, dicatur fuisse firmum propositum induendæ vestis seraphicæ; nullum dubium est, quin* Joannes *e carcere liber, omnia dein sua ex voluntate præsidum composuerit. Adeoque verisimile non est, rem adeo extraordinariam sine conscientia superioris suscepisse; cujus præterea erat hominem, repente et mirabiliter ad meliora conversum, probare, et experimentum facere, utrum, quo ducebatur, Spiritus ex Deo esset. Sui victor* Capistranus, *Perusinas vias perambulavit, et probatione facta, humilem habitum S. Francisci induit : nec hic stetit tentatio; nam, ut habet Waddingus* (7), bis tamquam insanus et emotæ mentis dimissus, aliquoties innocenter flagellatus, frequenter absque noxa reprehensus, ebullienti aqua in faciem aspersus summa patientia omnia tolerabat *ab Honofrio de Seggiano, fratre laico pio, austero,* coram plectente obmutescebat et contumeliis lacessitus, nullum impatientiæ prætulit signum.

in Ordinem admittitur : 46 *Tantis experimentis probatus S.* Capistranus, *ad professionem receptus fuit, quam emisisse arbitramur infra octavam S. Francisci Assisiatis anni* 1417. *Nam, inquit Christophorus num.* 18, adveniente professionis tempore, quia juxta seraphici Patris Francisci Regulam, finito probationis tempore, novitii, qui laudabiliter in anno novitiatus vixerunt, recipiendi sunt ad professionem, rogare cœpit Domini servus humiliter Fratres, coram eis genuflectens, et lacrimas abundantissime fundens, ut cum ad professionem recipere dignarentur. *Quum itaque nihil deesset Sancto, ut laudabiliter in anno novitiatus vixisse dicendus esset, nullum est dubium quin secundum Regulam professus fuerit sua vota; et quoniam in festo S. Francisci,* IV *Octobris* 1416, *habitum Minorum induerit, infra octavam ejusdem Sancti, post annum integrum tyrocinii, anno sequenti professionem solemnem illigamus. Amandus Hermann dicit* (8), tempore novitiatus Joannis Capistrani inchoatum et promulgatum fuisse concilium Constantiense : *Sed perperam; nam concilium istud sumpsit initium* XVI *Novembris anni* 1414, *adeoque* F *biennio fere ante ingressum Sancti in Religionem; quod si porro promulgationem dicti concilii intelligat, quasi esset conclusum, errat : nam electo die* XI *Novembris* 1417 *Martino V, concilium in pace dimissum fuit die* XXII *Aprilis* 1418: *id est, quando S.* Capistranus, *ordinatus aliquot post professionem mensibus diaconus, prædicationis euangelicæ officium jam susceperat. Istiusmodi allucinationes passum Hermannum suspicor, quia inter utrumque Joannem* Capistranum *nempe et Huss hærisiarcham* antithesin, *ut ipse vocat, introducere, invita, ut vulgo dicitur Minerva, intendebat* (9).

sub magisterio S. Bernardini 47 *Post professionem suam S.* Capistranus *disciplinarum theologicarum magistrum habuit S. Bernardinum Senensem, de quo egerunt nostri sub die* XX *Maji* (10). *Crediderim porro magisterium istud ad annum* 1418 *referendum : neque citius, quia tyrocinium S.* Capistrani *annum* 1417 *fere totum occupavit, scilicet usque*

(1) Annal. tom. IX, pag. 358. — (2) Ibid. tom. XII, pag. 405. — (3) Capistr. triumph. pag. 17. — (4) Muratori. Ann. tom. IX, pag. 71. — (5) Cfr Vit. ital. pag. 21 et 130. — (6) Annal. tom. IX, pag. 359. — (7) Ibid. l. c. — (8) Capistr. triumph. pag 24. — (9) Ibid. pag. 26. — (10) Act. SS. tom. V Maji, pag. 257*.

AUCTORE J. V. H.

post IV *Octobris : sed neque multo tardius; nam anno* 1419 *aut* 1420 *videmus S. Bernardinum varias Italiæ regiones deinceps prædicando discurrentem* (1), *ac etiam ipse* Capistranus, *vix diaconus ordinatus, ad verbi Dei prædicationem jam incumbit. Nihilominus ex hac brevi* Capistrani *nostri cum S. Bernardino commoratione intima amicitia, undecumque sancta, nata, etiam communicatione laborum accrevit, quatenus S. Bernardinus magnam et eximiam de Sancto nostro opinionem concepit, fovit et, data occasione, manifestavit; et vicissim* Capistranus *magistrum suum, viventem quidem strenue contra adversarios defendit, et mortuum sua præsertim opera ad summos sanctimoniæ honores, nempe ad canonizationem, promovit. Eusebius Gonzalez dicit S. Bernardinum tunc cathedram theologiæ occupasse* (2) : *et vero quum, ut habet Barberius* (3), *intra unum annum disciplinas theologicas ita addidicerit Sanctus, ut magister haberetur, tempus istud solitudini, litteris et scientiis necessariæ impensum fuisse facile nobis persuademus. Quod vero tanto temporis compendio usus fuerit S.* Joannes, *præter gratiam* B *quamdam specialem, a B. Virgine impertitam, emolumento etiam erant ad theologicam eruditionem acquirendam studia tum philosophica, tum præsertim juridica utriusque fori, in quibus sanctus vir excellebat. Adeoque vere dictum existimamus testimonium Bernardini magistri de S.* Capistrano (4) : In quo alter diu noctuque vigilans laborat, Joannes dormiens apprehendit.

ad theologiam informatus, ministerium

48 *Absit autem ut S. Bernardini magisterium intra angustos unius anni terminos constringamus : id solum, ut supra insinuavimus, fixum maneat, S.* Capistranum *S. Bernardino magistro usum fuisse, antequam hic curriculum prædicationum euangelicarum, quæ ad obitum usque interruptæ non fuerunt, ingrederetur. Sed sancta necessitudo, quæ utrumque intime conjunxit, vix unius anni spatio coalescere potuit : quapropter omnino consentimus Waddingo dicenti* (5) : Joannes, dirigente Deo, nactus Sanctum Bernardinum, virum omni opinione majorem, tanto magistro plurimum profecit, ab hoc sole trahens colores omnium C virtutum. Assiduus comes ejus fuit et auditor, a quo magnam hausit sapientiam et sanctitatem (6). *Neque diutius Ordinis prælati tantum lumen sub modio delitescere passi sunt. Positus autem super candelabrum, brevi tantam lucem sparsit, ut Pontificis etiam oculos perstrinxerit; cujus quidem rei luculentum nobis testimonium præbent litteræ Jordani Ursini, episcopi cardinalis Albanensis, S. R. E. Pœnitentiarii* (7), *sequentis tenoris* (8) : Jordanus, miseratione divina episcopus Albanensis religioso viro fratri Joanni de Capistrano, presbytero professo Ordinis Fratrum Minorum. Grata tuæ devotionis obsequia et sollicita cura, quibus erga Christi fideles et pauperes et pœnitentes, qui ad te undique confluunt indefesse, et te quotidie occupant, non immerito deposcunt, ut apostolicæ sedis munificentia se exhibeat erga te liberalem. Hac igitur consideratione inducti et per hoc tuam volentes honorare personam, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, auctoritate Domini D Papæ, cujus pœnitentiariæ curam gerimus, et de ejus speciali et expresso mandato, super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, discretioni tuæ committimus, quatenus tibi, et uni alteri dumtaxat, idoneo et discreto presbytero, professo dicti Ordinis, per te eligendo, liceat confessiones quorumcumque hominum utriusque sexus, ad te et eumdem tuum socium ad confitendum venientium, audire, ipsosque a casibus et peccatis, episcopis dumtaxat reservatis, absolvere et eorum cuilibet pœnitentiam salutarem, juxta qualitatis excessum, injungere : quodque si quibus ob præmissa ad satisfactionem tenentur obnoxii, satisfaciant competenter. Præsentes inde tibi litteras, nostro sigillatas sigillo, in testimonium duximus tibi concedendas. Datum Romæ, apud SS. Apostolos, V idus Julii, Domini Martini Papæ V anno VIII.

apostolicum exercere incipit.

49 *Annus Martini V octavus, die* XI *Novembris complendus, signat annum vulgarem* 1425 ; *adeoque novennio in Religione necdum absoluto,* Joannes *jam tanta gaudebat fama, ut ad eum Christi fideles* undique confluerent ; *unde quoque necessarium fiebat, ut ampliori præ cæteris facultate absolvendi frueretur. Quam famam ex ministerio apostolico, quod jam ante exercuerat, derivandam existimamus; ac proinde ad annum circiter* 1420, *quo ipse S. Bernardinus præcipue florere cœpit, quando et comes ejus, ut superiori numero dictum est, assiduus fuit, referendum est. Id etiam notatu dignum in litteris Jordani Cardinalis occurrit, quod tum S.* Joanni Capistrano *tum socio, per eum eligendo, facultas concedatur absolvendi pœnitentes* a casibus et peccatis, episcopis dumtaxat reservatis. *Quod ambiguum quid sonat; nempe utrum facultas ad solos papales, an ad episcopales solos casus limitetur: nam voces,* episcopis dumtaxat reservatis, *intelligi possunt, quasi, concessis casibus papalibus, episcoporum potestas non attingeretur. Quapropter inquirendum est, quid facultatis in similibus circumstantiis Romani Pontifices istius ævi impertiri consueverunt. Ipse porro Waddingus, ne longius excurram, exempla exhibet, quibus manifestum fit, casus papales reservatos mansisse, dum laxa-* F *rentur reservationes episcopales. Sic anno* 1410 *Gregorius XII concedit Joanni Polono et aliis fratribus Ordinis Minorum facultatem absolvendi quoscumque Ruthenos, Lithuanos et Tartaros* a reatibus laicalium homicidiorum, nec non a peccatis suis omnibus... nisi talia fuerint, propter quæ necessario sit sedes apostolica adeunda (9). *Similiter anno* 1426 *Martinus V S. Jacobum de Marchia munit privilegio apostolico, quatenus hæreticos in gremium Ecclesiæ recipere, eisque absolutionem impendere valeat,* nisi talia forent, propter quæ sedes apostolica esset merito consulenda (10). *Ex quibus omnino liquet, in hisce facultatibus casus papales reservatos perstitisse: unde et S.* Capistrano *concessam solum fuisse potestatem absolvendi a casibus, episcopis reservatis, censemus.*

(1) Act. SS. tom. V Maji, pag. 260*, num. 12. — (2) Cronica. seraf. tom. V, pag. 28. — (3) Vit. ital. pag. 27. — (4) Barber. Vit. lat. pag. 17. — (5) Annal. tom. X, pag. 90. — (6) Hermann. Capistr. triumph. pag. 30. — (7) Cfr Ciacon. Vitæ Pontt. et Cardd. tom. II, col. 719. — (8) Annal. tom. X, pag. 91. — (9) Ibid. tom. IX, pag. 341. — (10) Ibid. tom. X, pag. 103.

§ V.

A

§ V. Apostolici labores S. Joannis Capistrani per Italiam.

In suos §§ dispertito reliquo commentario.

Quamvis consultissimum sit in nostris Commentariis historicis sectari ordinem temporis, hæc tamen est actorum S. Joannis Capistrani *conditio, ut propter ministeriorum et laborum varietatem, ipsa chronotaxis, obstinatius servata, confusionem potius quam claritatem affunderet. Quapropter satius existimo res gestas Sancti nostri per varios articulos secundum varietatem munerum dividere, et in plures pro more §§ dispertiri: poterit deinde lectori exhiberi totius actæ vitæ chronotaxis, quæ seriem rerum gestarum uno obtutu quis complectetur. Igitur agemus 1° de S.* Joannis Capistrani *prædicatione per varias Italiæ provincias: 2° de iis, quæ præstitit pro defensione, propagatione et illustratione Ordinis Minorum de Observantia: 3° de exstirpatione perniciosissimæ sectæ Fraticellorum: 4° de legationibus obitis per Galliam et Germaniam: 5° per Moraviam: 6° per*

B *Bohemiam: 7° per Poloniam: 8° per Austriam: 9° per Hungariam: 10° de ejus obitu: 11° de ejus scriptis. Hacce divisione utitur Christophorus de Varisio, biographus coævus, qui omnium ordinatissime res gestas Sancti prosecutus est. Auspicamur itaque a prædicatione Italica.*

Particulatim exponitur tempus quo incipit,

51 *Non satis clare nobis constat, quo accurate tempore S.* Capistranus *prædicationes suas inceperit: neque diu in solitudine delituisse ex hactenus dictis liquet. Certe ipse Sanctus in Apologia sua adversus Rokyczanum, ad principes Bohemiæ directa, quam exhibet Amandus Hermann, aperte dicit* (1), *se* tota Italia, Flandria, Francia, Burgundia, Alemannia jam triginta sex annos continuo euangelizasse: *et paulo infra, sibi* sexaginta sex annorum esse ætatem: *ex his habemus epistolam apologeticam anno* 1452 *fuisse scriptam a* Joanne *nostro, nato* 1386 *et habitum Seraphicum anno* 1416 (*ut supra vidimus*) *induto. Sed etiam consequitur, si verba ejus ad literam interpretamur, statim ab ipso in Religionem ingressu prædicationes suas occepisse, quod cum reliqua narra-*

C *tione vitæ nullatenus concordat. Nam certe infra annum tyrocinii concionatorem non egit* Capistranus, *humillimis impensus officiis domesticis: post tyrocinium aliqua mora concedenda est, tum ut theologicis imbueretur disciplinis, tum ut sacris ordinibus initiaretur, quum primo post susceptum diaconatum cathedræ euangelicæ admoveri cœpit. Emollienda igitur sunt Sancti verba eo sensu, quod jam a triginta sex annis, operam posuerit in prædicatione verbi divini, sive debitam supellectilem colligendo sive ipsum concionandi officium exercendo. Et vero hæc verborum interpretatio undequaque quadrat cum scopo, quem Sanctus in sua sibi Apologia præstituerat: videlicet, homini,* pro veritate fidei, pro religione, pro justitia, pro vitiis exstirpandis et virtutibus plantandis certanti (2) *probra objici posse: sed satis ipsi esse, quod hæ calumniæ a variis provinciis, in quibus per annos* XXXVI *euangelizavit, refellantur; quod certe efficitur, quando per aliquot annos in Italia solitarius sine reprehensione egit.*

AUCTORE J. V. H.

et modus quem in suis prædicationibus tenet

52 *Quamquam igitur prædicationis curriculum S.* Capistranum *ab ipso suo tyrocinio inchoasse negemus, ipsa tamen rerum gestarum connexio demonstrat, non multo post susceptos sacros Ordines prædicationis officium eidem injunctum fuisse. Describit porro Joan. Cochlæus in sua Historia Hussitica, ex Historia Friderici III, ab Ænea Sylvio conscripta* (3), *quam ex Waddingo cito* (4), *vitæ tenorem, quem in prædicatione Germanica* Joannes *observavit, cuique non absimilem Italicam existimo.* Qui eum, *inquit,* Norimbergæ (*erat enim Cochlæus ex agro Norimbergensi* (5)) viderunt, affirmabant, hominem fuisse corpore pusillum, aridum, exhaustum, sola cute, nervisque et ossibus compactum; lætum tamen, et in labore fortem et strenuum, sine intermissione singulis diebus prædicantem, atque altas materias, profundasque sententias declarantem. Vitæ ejus institutum in hunc modum fuisse, describunt. Vestitus dormire, ante lucem surgere, Matutinum, Laudes, Primam et Tertiam orare, divina deinde celebrare. His peractis, ad populum latine sermonem pronuntiare, eum postea per interpretem populo exponere: finito sermone, ad cœnobium sui Ordinis redire. Sexta et Nona completis, infirmos visere, diu apud eos morari, manus omnibus imponere: birretum S. Bernardini et in linteo cruorem, quem illi mortuo e naribus fluxisse ferunt, singulis ægrotantibus admovere, precari supplex pro omnibus.

E

per Italiam;

53 Exin cœnare, deinde his, qui ad se accedebant, audientiam præbere; mox Vesperas dicere, et, iis completis, ad ægrotos reverti, atque cum his usque ad noctem se exercere: demum Completorio et aliis delectis precibus expletis, corpus quieti dare, quod sane minimum erat, et somno ferme nihil indulsit; ad revisendos Sacræ Scripturæ codices, pusillum temporis furari. Ingens profecto et per divinam gratiam infatigabilis in modico illo corpore virtus regnabat, quam nec labor nec ætas frangere potuit. Et talis erat ejus pronuntiatio, ut etiam non intelligentes ad lacrymas et vitæ emendationem provocaret. *Si igitur ex*

F *hac descriptione eliminamus, quæ solo germanico nativa sunt, nempe concionem latinam, per interpretem teutonice reddendam, et durante S. Bernardini Senensis, vita, ejus birreti ac cruoris porrectionem, non dubito, quin eamdem agendi rationem servaverit S.* Capistranus *statim ab initio sui ministerii apostolici: præsertim quum quam proxime imitatus fuerit magistrum suum, S. Bernardinum, de quo apud Waddingum legimus* (6), illum nullum tempus absque fructu elabi permisisse, neque tantillum otio commodasse. Sed, *pergit,* vel orabat, vel sermones texebat, vel libros scribebat, quorum magna copia Senis religiose servatur, aut audiendis proximorum indigentiis intendebat. Post gallicinium cum Apostolo Petro hominum peccata deflebat, et exoriente sole, cum Magdalena resurgentem e sepulcro quærebat Salvatorem. Quotidie una hora secretis vacabat devotionibus, quo tempore nulli ad eum pa-

(1) Capistr. triumph. pag. 377. — (2) Ibid. l. c. — (3) Annal. tom. XII, pag. 87. — (4) Danes, Not. temp. pag. 475. — (5) Ap. Kollar. Analect. Monum. omnis ævi. tom. II, col. 178. — (6) Annal. tom. X, pag. 117.

tebat

AUCTORE J. V. H.

tebat accessus, deinde omnium exspectationi faciebat satis, erga omnes pius, erga omnes misericors et benignus. *Hæc S. Bernardinus, hæc quoque ejus discipulus, S.* Joannes Capistranus *exercebat.*

præsertim Senis et Utinæ,

54 *Prima porro ministerii apostolici palæstra fuisse videtur Senarum civitas, quo a S. Bernardino missus fuit. Id testantur biographi* (1). *Amandus Hermann, in chronotaxi dicens S.* Capistranum *ab anno* 1416 *ad* 1424 *privatam vitam duxisse* (2), *necessario prædicationem Senensem in annum* XXIV *sæculi decimi quinti transfert. Cui chronologiæ nullatenus assentiri possum, tum quia jam anno sequenti singularem absolvendi a casibus reservatis, ut supra num.* 48 *ostendi, obtinuit facultatem, tum quia verisimile non videtur, quod Ordinis præsides, decurso infra annum theologiæ stadio, (vide supra num.* 47) *qua ratione annum* XIX *labentis sæculi attingimus, per solidum quinquennium* Joannem, *ad opus euangelicum optime instructum, voluerint abscondere. Satius igitur existimamus Senensem prædicationem ad annum* 1420 *affigere; quatenus per unum alterumve annum* B *S. Bernardini in peregrinationibus et prædicationibus socius, tum demum propriis, ut vulgo dicitur, alis volare inceperit. Difficile autem foret Sanctum sequi in variis prædicationibus, quas continuo fecit percurrendo Italiam universam a finibus Siciliæ usque ad fauces Alpinas. Istiusmodi laborum vestigia exstant fortassis etiamnum in variis Italicarum civitatum documentis, sed a biographis neglectis, neque a nobis ullo modo investigandis. Sic amicissimus nobis cl. doctor Petrus Cernazai suis ad nos datis litteris* V *Julii* 1853 *ostendit ex libris rationum municipalium S.* Capistranum, *S. Jacobum Picenum et B. Bernardinum Feltriensem, Utinæ aliquando concionatos fuisse, siquidem expensa hac occasione pecunia in rationem adducatur.*

Ansani,

55 *Sed quoniam istiusmodi locales prædicationes, plerumque accessorie, occasione alicujus prodigii, allegantur, eas omittere coacti sumus, contenti narratione eorum laborum, qui sui memoriam ampliorem reliquerunt. Waddingus anno* 1430 *fundatum dicit conventum Minorum a S.* Joanne *Ansani seu Lanciani, in civi*C *tate archiepiscopali Aprutii* (3), *et quidem sub titulo S. Angeli de Pace,* in memoriam constitutæ a se pacis inter Ansani et Ortonæ civitates hostiliter ac crudeliter se invicem infestantes. *Ea enim tempestate Italia universa frequentissimis et atrocissimis vexabatur factionibus, nec ulla erat fere civitas, quæ aut alteri civitati vicinæ funesta non erat, aut in qua cives inter se vindictam internecinam non exercebant. Ut autem istiusmodi odia cruenta, in succedentes generationes sæpe propagata, componerentur, non solum mira dexteritate opus erat, sed etiam auctoritate tanta, ut commoti civium animi dicenti acquiescerent. Quas dotes vir religiosus, cæterum humilis et pauper, vix obtinebit, nisi sit et sanctimonia insignis et dicendi copia efficacissimus. Eodem modo Sanctus odia sanguinolenta, quæ inter Reatinos et Catalicenses exarserant, sua facundia et præsertim stupendo miraculo restinxit. Miraculum refert Christophorus biographus num.* 51 (4).

56 *Eximiam vero famam S.* Capistrani *intra* D *et reliquo regno Neapolitano,*
Italiam brevi propagatam fuisse, monstrat diploma Joannæ II, reginæ Neapolitanæ, quo Sanctum instituit inquisitorem contra Judæos cum plenitudine potestatis, quatenus multa facerent legibus contraria, ac in specie usuris populum christianum premerent: atque grave id munus Joanna fideli suo, Capistrano *committit,* confisa, *inquit,* de tua devotione et caritate, qui, sicut plurium fide dignorum relatibus et scripturis percepimus, ac visu et auribus propriis vidimus et palpavimus, verbo et opere imitaris vestigia Jesu Christi, ex cujus etiam ore bonum sementum seri et meliorem fructum colligi, speramus in Domino (5). *Diploma istud datum fuit in* Castro Aversæ, III mensis Maji, anno Domini 1427 (6). *Quoniam tamen tum a Waddingo* (7), *tum a Massonio* (8) *citatur, quasi extractum e registro Joannæ II anni* 1423, *hoc ita intelligendum existimo, quod inceptus epistolarum codex, vulgo Registrum dictus, anno* 1423, *reliquas deinceps regales ordinationes, adeoque et diploma anni* 1427, *complectatur. Verum ex hoc etiam diplomate liquet,* E *quanta jam facundiæ, zeli et virtutum fama floreret S.* Capistranus, *quando undecimo a suo in Religionem ingressu, tam gravem provinciam ei committebatur.*

57 *Refert Amandus Hermann* (9), *Sanctum Ve-* *Veronæ,*
ronæ prædicasse anno 1427, *anno sequenti cathedram euangelicam ei destinatam fuisse Ferrariæ, sub ipso tempore, quo istic celebranda erat œcumenica synodus, tum adversus schismaticos Basileenses, tum pro concordia Græcorum cum Ecclesia Romana: die* X *Januarii habita est prima sessio hujus synodi, quæ octava ejusdem mensis convenerat. S.* Capistranus *huc invitatus fuerat, sed, infirmitate cogente, binis epistolis apud episcopum Ferrariensem, B. Joannem de Tossiniano, se excusaverat, qui die* XI *Januarii Sancto respondet sequenti epistola* (10): Reverendo in Christo Patri ac religioso viro, Fr. Joanni de Capistrano, Ordinis Minorum, uti meo patri colendissimo, Veronæ. Reverende in Christo Pater et Domine mi, post commendationes etc. Hodie redditæ sunt mihi duæ litteræ vestræ, et super eadem materia aliæ litteræ reverendissimi in Christo Patris et domini mei, do- F
mini Cardinalis Bononiensis, quibus tum quia non multum necessarium videbatur, tum quia adeo eram occupatus in præparatione multorum pro susceptione duorum pralatorum, qui repentino irruerunt adventu, nullum temporis spatium otio dabatur, aut quieti. Nunc itaque, ut cor nostrum liberum et quietum reddam ab eo, quem sustinet, agone, caritati vestræ mentem meam aperio, et quod sentio patiendo, compatiens primum ac dolens de ægritudine vestra et molestiis quibuscumque, suadeo vobis, ut quiescatis et carnis curam agatis diligenter in necessitate, quam nemo umquam, teste Apostolo, odio habuit, sufficienter reparetis deperditas vires, sitis potentes et validi ad tolerandos labores in Christi ministerio et cultu religionis, nobis nequaquam molestum erit patienter exspectare convalescentiam vestram.

58 Interim, dante Deo, per alium supplebi- *Ferrariæ,*

(1) Barber. Vit. Ital. pag. 28. Gonzalez. Chron. tom. V, pag. 32. Catan. Vit. pag. 38. — (2) Capistr. triump. pag. 831. — (3) Annal. tom. X, pag. 172. — (4) Cfr Barber. Vit. ital. pag. 31 et seq. — (5) Wadding. Ann. tom. X, pag. 566. — (6) Ibid. pag. 568. — (7) Ibid. pag. 566. — (8) Vit. pag. 60. — (9) Capistr. triumph. pag. 55. — (10) Ibid. l. c.

tur

A tur satis commode in ministerio verbi, imo molestissimum mihi foret, quod paternitas vestra se periculo exponeret. Excusatum vos sufficienter reddam apud illustrissimum D. Leonellum, et pro humanitate sua, non dubito, suscipiet excusationem vestram. Quum fueritis valetudini restituti, venietis ad agendum utiliter cum aliis Patribus negotium universalis ecclesiæ, et docendum plebem istam. Concilium Dei gratia hic Ferrariæ suæ continuationis die octavo præsentis initium suscepit, die vero decima feliciter eadem gratia celebrata est prima sessio. Orate, precor, ut prosperos successus et lætum exitum sortiatur. Adventus Græcorum in dies, ac sanctissimi Domini nostri celeriter exspectatur. Oro caritatem vestram, ut me commendatum habeatis reverendissimo in Christo Patri et domino meo præcipuo, quem sincere colo et ex corde veneror ac diligo, Domino cardinali dignissimo. In Chrito Domino feliciter valeat P. V. et læta gaudeat sospitate. Ex Feraria XI Januarii 1438.

Hujus epistolæ scriptor Joannes Tossinianus inter Beatos computatur, ejusque Acta dederunt
B *nostri majores ad diem* XXIV *Julii* (1), *Ferrariensem cathedram, ex Jesuatorum Ordine assumptus, tenuit ab anno* 1431 *ad* 1446 (2). *Cardinalis vero Bononiensis, de quo mentionem facit epistola, non alius est, quam Antonius Corarius, ex fratre nepos Gregorii XII, qui a patruo suo episcopus Bononiensis anno* 1407 *et sequenti S. R. E. cardinalis creatus fuit: propter sedem, quamvis numquam aditam, ei nomen Cardinalis Bononiensis inhæsit* (3). *Erat quoque abbas commendatarius abbatiæ S. Zenonis Veronensis diœcesis* (4): *unde factum est, ut tunc Cardinalis Bononiensis Veronæ ageret* (5). *Cæterum frequens erat Sancti nostri cum eodem Cardinali epistolare commercium, summumque ejus desiderium* Joannem *semel videndi, antequam ex hoc mundo, jam in senectute constitutus, discederet* (6). *Quod itaque B. Tossinianus S.* Capistranum *interpretem adhibeat apud Cardinalem Antonium Corarium, id ad frequentes ultro citroque datas litteras referri etiam potest.*

Tridenti, 59 *Quam plangit, S.* Capistrani *infirmitatem B. Tossinianus, ea illius labores apostolicos non*
C *diutius interrupit. Etenim Alexander, episcopus Tridentinus, gente Polonus ex ducibus Mazoviæ, qui Tridentinam Ecclesiam ab anno* 1424 *ad* 1444 *qua episcopus, qua administrator, retinuit* (7), *quum vellet remedium opportunum afferre civitati, cujus mala omninodam ruinam minabantur, S.* Capistranum *mense Junio ejusdem anni advocavit literis benignissimis:* Honorabili, *inquit* (8), ac religioso Patri F. Joanni de Capistrano, sincero nobis in Christo dilecto. Venerabilis ac religiose Pater, in Christo sincere dilecte, relatu veridico percepimus, vos ad veniendum huc ad nostram civitatem, et verbum Dei populo proponendum et prædicandum fore inclinatum; quod tanto magis grate audivimus, quanto vestram honestatem ad id faciendum magis idoneam fide dignorum, vestri notitiam habentium, testimonio non ignoramus, et huic nostro populo id magis videmus expedire. Venite igitur confiden-

(1) Act. SS. tom. V Jul., pag. 783 et seqq. — (2) Ughell. Ital. Sacr. tom. II, col. 551. — (3) Ibid. col. 29. — (4) Ciacon. Vit. Pontt. et Cardd. tom. II, col. 765. — (5) Mazzara. Legend. Francesc. tom. X, pag. 300. — (6) Wadding. Annal. tom. XI, pag. 13. — (7) Ughell. Ital. Sacr. tom. V, col. 633 et seqq. — (8) Hermann. Capistr. triumph. pag. 56. — (9) Ibid. pag. 58. Cfr Barber. Vit. lat. pag. 41.

ter, et sitientes agros hujus agrestis soli principali rore cœlestis verbi, spe mercedis æternæ, curetis irrigare, in quo illum (qui discipulos suos in mundum universum ire et omni creaturæ Euangelium prædicare jussit; quin non solum uni civitati verbum salutis, sed pluribus hinc inde discurrens, et ovem deperditam reperire salvareque quærens, euangelizare curavit) imitabimini; et sui vasis electionis, Apostoli Pauli (cujus sollicitudo quotidiana non unius, sed omnium Ecclesiarum erat) vestigia sequamini commendanda. Nos vero ad hoc, quod vestra sancta intentio finem consequi commodius valeat præoptatum, favores vobis dare, dante Domino, volumus opportunos. Datum Tridenti in castro nostro Boni Consilii, die III Junii anno Domini 1438. AUCTORE J. V. H.

60 *Vocanti episcopo Alexandro non segniter annuit S.* Capistranus : *sed mediocri animarum, ut videtur, fructu agrum ingratum excoluit. Id satis aperte significat epistola, ab antistite mense Octobri ejusdem anni conscripta, qua populi sui pervicaciam utcumque excusare, et egregium operarium consolari, rationibus undique quæsitis, nititur : imo ipse intricatus epistolæ stylus anxietatem episcopi manifestat. En epistolam, prout in Amando Hermann legitur* (9) : Venerabili et religioso, tamquam Patri dilecto, domino Joanni de Capistrano, Ordinis Minorum, sacræ theologiæ professori. Venerabilis et religiose, tamquam Pater dilecte, relatibus fide dignorum intelligentes, vos, tamquam virum, vita et scientia perfectum, verbo sanæ doctrinæ et exemplo bonæ vitæ, populum civitatis nostræ ad pacem (sine qua pacis auctor minime coli potest) et caritatem mutuam (sine qua Deo placere impossibile est) obedientiamque (quæ cunctis holocaustis præfertur et sine qua Deo placere nullus valet) humilitatemque (præter quam aliæ virtutes non subsistunt) et cæteras virtutes et mores optimos assidue, fervide et prudenter inducere, et in via salutis conari collocare, lætati sumus in his, quæ dicta sunt nobis, Deoque deorum et Domino dominantium grates et laudum præconia de dono nobis et populo, nobis subjecto, divinitus concesso, in humili- F
tate spiritus persolvimus copiose, in sua clementia confidentes, quod ea, quæ per te cœpit, perficere dignabitur gratiose; vepribus et spinis discordiarum et odiorum ac superbiæ, et exinde provenientibus rebellionis et inobedientiæ, aliisque vitiorum seminibus, quæ inimicus homo in agro dominico superseminavit, evulsis, triticum, præfatis vitiis eradicatis, oppositarum virtutum et probitatum crescere multiplicarique faciet in immensum. *invitante Alexandro episcopo,*

61 Quod ut eveniat persuadere populo ipsi sæpe placeat, ut se reddant verbo Dei dignos, nec veluti porci conculcent margaritas, nec sine semine verbi Dei, sicut Sodoma, exsistant, et Gomorræ similes efficiantur; sed magis studeant esse ex Deo, et non ex suo adversario Satana, attento, quod veritas ipsa per se ipsam testetur quod « qui ex Deo est, verba Dei audit, » et propterea hi, qui verba Dei audire *minori cum fructu,*

dedignantur,

AUCTORE J. V. H.

dedignantur, non ex Deo sed ex diabolo sunt. Nec vos, vir bone, a publicationibus verbi divini retrahat aut tabescere faciat audientium aut parvitas aut cervicis durities; nam, ut nostis, sacra tradunt eloquia, hominem nonaginta novem in deserto oves dimisisse, et unam duntaxat ovem deperditam quæsiisse : lapidem, etiam duritie non obstante, parva licet stilla, non vi, sed assiduitate stillandi, cavare cernitur ab experto, sicque verisimile est, saltem vos in aliquibus fructum facere, licet duris. Ignita enim sunt verba Dei; quæ per vos propalantur eloquia, et quantumcumque ferrea hominum corda sufficiunt emollire; nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia : et si fructus non sequeretur in materia subjecta audientium, non tamen meritum deficiet in efficiente et verbum divinum propinante. Quinimo quemadmodum oratio in sinum orantis, eo, pro quo oratur, inhabili exsistente, convertitur; sic prædicationis meritum, auditorum ineptitudine in prædicantem revertitur, quoad fructum, ita ei retributore omnium bonorum concedente, qui
B præmiis exuberantibus ipsum prædicantem faciet gratulari : quibus vos ille, in cujus vinea laboratis in domo patris sui, in qua mansiones multæ sunt, abundare faciet gaudiose, a nobisque et cunctis, ad quorum labores vestri, quos in vinea Domini Sabaoth facitis, notitiam pervenerint, laudes immortales reportabitis et gratias; ac Altissimum in his vestris operibus per cunctorum ora glorificari faciatis; apud cujus clementiam, et nos et populus nobis subjectus per orationes vestras commendamur, affectuosis suspiriis deprecamur; paratiad vobis, Ordinique et monasterio vestris quæque grata et accepta exhibere. Datum in Castro nostro Novo, die XIII Octobris anno Domini 1438.

nisi forsan inter clericos;

62 *Joannes Bapt. Barberius asserit tamen, ingentem apud Tridentinos collegisse animarum messem S.* Capistranum (1); *quod quidem etiam Thomas Cataneo affirmat, quasi id ex epistolis antistitis Tridentini constaret* (2). *Verum satis liquet ex supra citatis litteris, fructum qualemcumque exstitisse, ast certe non tantum, ut dici possit, civitatem Tridentinam aliam induisse,*
C *correctis publice moribus, faciem. Nihilominus fructum, de quo agunt Barberius et Cataneo, forsan relatus fuerit tardius, quando mense Aprili anni* 1439 *interfuit synodo diœcesanæ Tridentinæ, in qua tractatum ad clerum habuit, qui est inter ejus opera sub titulo :* Speculum Clericorum seu sermo habitus ad clerum in Tridentina synodo diœcesana anno 1439, die XXII Aprilis coram Alexandro, duce Mazoviæ, episcopo Tridentino. *Hujus quidem synodi nullam mentionem invenio in synodographis seu Germanis seu Italis. Quamvis autem S.* Capistranus *cum variis Ordinis Minorum viris, quorum præcipuos enumerat Waddingus* (3), *Concilio Florentino fuerit præsens, nihil impedit, quominus Sanctus die* XXII *Aprilis* 1439 *Tridentinæ quoque synodo adstiterit. Nam* prima *Sessio Florentina celebrata fuit die* VIII *Octobris* 1438 (4), postrema *vero die* XXIV *Martii* 1439 (5)*: unde manifestum est, satis temporis Sancto superfuisse, ut, relicta Florentia, Tridentum sese conferret, magnumque ex* D *suis circa clerum Tridentinum laboribus, emolumentum capere posset; imo nihil obstat, ut tempus aliquod excolendo agro Tridentino impenderit, et uberiores fructus retulerit. Tali ratione conciliari possunt et epistola Alexandri episcopi et assertio biographorum, quæ prima fronte non facile conciliantur.*

in patria Capistrano,

63 *Uti supra diximus, difficile est, apostolicum virum, ubique Verbum Dei seminantem, prosequi : propterea tamen negligenda non sunt prædicationum ejus per regiones italicas vestigia. In patria certe sua, Capistrano, prædicavit* Joannes *anno* 1447, *eo successu, ut cives conventum Ordinis habere voluerint. Fundationis historiam exponit Waddingus* (6) *: quam infra, ubi de ejus pro Ordine laboribus agemus, latius prosequemur. Quum porro anno* 1451 *ad imperatorem Fridericum III in Germaniam properaret, biduo in territorio Brixiensi moratum sanctum virum* tanta, *ait Amandus Hermann* (7), hominum multitudo excepit, sicque circumvenit, ut ultra viginta millia numerarentur in campis, quæ abeuntem dimittere noluerunt, E
donec prædicantem audirent et benedicentem viderent. *Verba ad populum fecit,* et e suggestu descendens, ductus ad multitudinem languentium, ultra viginti perfecte sanavit. Præeunte fama, ingenti populi magistratusque applausu exceptus est in ipsa urbe Brixiensi : sed quum prædicare vellet, nec tantam multitudinem, non solum ex oppidis vicinis, verum etiam ex agro Cremonensi, Mediolanensi et Bergomensi illuc confluentem, capere posset amplissima urbis platea, ad campum apertum extra portam S. Apollonii progredi oportuit. Convenerunt ultra centum viginti quinque millia auditorum, sive potius majori ex parte inspectorum, quibus sufficiebat saltem a longe vidisse, vel prætereuntis vestem attigisse. *Hæc ex Amando Hermann. Juverit hic animadvertisse, auditorum numerum, centena millia excedentem, imminuendum copiose nobis videri : tum quia agitatissimum bellicis motibus et morbis pestiferis ævum nequaquam multiplicando populo favebat, tum, quia, concessa etiam tanta hominum copia, ea erat ista tempestate viarum conditio, ut accessus ad de-* F
finitum locum non undecumque facilis esset. Præterea in numerandis plebis alicujus turbis, experientia docente, facile irrepit error, plerumque in exaggerationem excurrens : hodie, quum sit tanta migrandi e loco ad locum commoditas, viæ undecumque lapide et ferro stratæ, vix umquam definito tempore ad locum quemdam conveniunt centena millia hominum. Hæc explicatius evolvenda censui, quia in Vita S. Capistrani *frequenter istiusmodi numerorum excessus deprehenditur.*

Brixiæ,

64 *Apposite ad ea, quæ dicta sunt de numero auditorum, occurrit hæc ipsa narratio de prædicatione Brixiensi S.* Joannis Capistrani, *facta ab auctore synchrono Christophoro de Soldo, qui scripsit italico idiomate Memorabilia de Bello Veneto ab anno* 1437 *ad annum* 1468 (8) *: ipse Christophorus æqualem se temporis, de quo scribit, ostendit, quando agens de S.* Capistrani *concione dicit, (verba ejus italica latine reddo)*

(1) Vit. ital. pag. 60. — (2) Vit. pag. 81. Cfr Wadding. Annal. tom. XI, pag. 34. — (3) Annal. tom. XI, pag. 29. — (4) Labbe, tom. XIII Conc. col. 34. — (5) Ibid. col. 382. — (6) Wadding. Annal. pag. 312. — (7) Capistr. triumph. pag. 61. Cfr Wadding. tom. XI, Annal. tom. XII, pag. 79. — (8) Muratori. Scriptt. Ital. tom. XXI, col. 790.

A *reddo*) (1) : Et scitote, me scribentem hæc esse testem fide dignum; nam huic prædicationi præsens *aderam etc. Quæ igitur narrat de prædicatione S.* Capistrani, *Brixiæ anno* 1451 *facta, coram audivit et vidit. Seriem hujus prædicationis, quantum possum, accurate quidem, non tamen de verbo ad verbum, ex italico latine reddam* (2) : Die IX Februarii 1451 venit in hanc civitatem Frater quidam, Joannes de Capistrano Ordinis S. Francisci de Observantia; et qua die advenit, occurrerunt illi obviam cives facile trecenti equites, rectores civitatis, et fœminæ pedestres : advenit autem per viam S. Euphemiæ (*quæ Verona Brixiam ducit*). Quando ad S. Salvatoris pervenit, videbatur exercitus magnus peditum ac equitum. Neque mirandum, rectores et populum civitatis, tam majores quam minores, obviam isti Fratri processisse, nam præcedente fama eorum, quæ Patavii, Vicentiæ, Veronæ, ac in ipsa Romana Urbe gesserat, ferebatur Sanctus et præcellens verbi divini præco, et miracula operatus, qui sanabat infirmos, ceu cæcos et aridos ac mortuos suscitabat etc. Propter
B istiusmodi famam motus erat in universa provincia; et magistratus providit abundantiori annonæ pro toto illo tempore, quo Sanctus vir Brixiæ moraturus erat.

cum magno fructu, 65 Insuper præcepit, ut officinæ et tabernæ clausæ manerent, ut sumptu publico tum ipse quum centum alii alerentur et varia alia præpararentur. Suggestus in foro publico collocatus fuit. Feria IV, die X Februarii, tribus jam ante solis ortum horis, plus decem millibus hominum convenerant; unde conjicere licet, quanta esset diurno tempore confluentium multitudo, qui non tam ad audiendum, quam ad videndum accurrebant. Rectores nostri cum ingenti civium turba deduxerunt illum ex conventu S. Apollonii ad forum, stipatum quinquaginta apparitoribus, viris primi subsellii, e quorum numero quatuor, erant equites, aureis calcaribus insignes, ne videlicet a populo opprimeretur; unusquisque enim eum tangere, aut etiam laciniam habitus abrumpere, quasi S. Petrus fuisset, quærebat : magno itaque labore illa die ad
C suggestum deductus fuit. Finita prædicatione, comitati sunt Sanctum ad xenodochium majus, ipsi paratum, in quo cives eum moraturum credebant. Sed nuspiam quam in suo S. Apollonii conventu habitare voluit. Deinceps noluit prædicare in foro, tantæ multitudinis, ut ipsi videbatur, incapaci : ac proin suggestum in emporium novum arcis transferre jussit, ubi feriis quinta, sexta et sabbathi concionem ad populum habuit. Intra hosce tres dies tanta concurrit populi multitudo, ut omnes in stuporem raperentur : numerus languentium ex variis morbis, intra istud triduum confluentium ad bis mille ascendisse æstimatus fuit. Quotidie bonus iste Frater impendebat se ad illorum sanationem, signando illorum frontes signo crucis in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et invocando S. Bernardinum, cujus pileolum manu gestabat, istoque instrumento, mediante gratia Jesu Christi omnipotentis et ipsius Joannis sanctitate, insignia fiebant prodigia.

AUCTORE J. V. H. *ut scribit*

66 Porro in prædicatione ista triduana annuntiavit populo, se ostentaturum die dominica proxima pileolum S. Bernardini universo populo : et partim propter ostensionem pileoli, partim propter miraculorum famam (quæ longe plura narrabantur, quam reipsa erant) tanta fuit hominum frequentia Brixiæ, ut ex teritorio Brixiensi quatuor ex quinque homines undique confluxerint. Multi quoque ex regionibus Bergomensi, Abduensi (*Geradabba*), Laudensi, Cremensi, Cremonensi et Mantuana, imo et ex Germania, ista dominica die, quæ fuit XIV Februarii 1451, Brixiam venerunt : et ita non solum emporium novum, sed omnia loca, ex quibus conspectus patebat, impleverunt, ut dictus frater ad suggestum pervenire non potuisset, nisi ipsi urbis rectores et cives primarii eumdem illuc deduxissent. Juxta suggestum erectum erat tribunal, in quo magistratus et nobiliores consederunt. Quando ascendit suggestum, valde miratus est stupendam turbam hominum æstimabatur illa die numerus audientium ad... hominum. *Damnose pro quæstione, quam trutinamus excidit aut a scriptore omissus est numerus auditorum. Verum considerantibus omnes auditores aut in solo emporio aut in ejusdem prospectibus constitisse, difficile persuadebitur, ultra quinquaginta aut sexaginta millia emporium capere potuisse : etenim spatiosissimæ jam est amplitudinis locus, vel triginta millium hominum capax. Cæterum extraordinariam confluxisse populorum frequentiam, monstrant, tum quæ jam dicta sunt, tum quæ sequuntur.* E

testis oculatus, 67 Et scitote, me, hæc scribentem, esse testem fide dignum : nam huic prædicationi præsens, putabam elegisse me locum commodum et tutum; sed superveniente plebe, tam conferta erat hominum turba, ut, nisi me amici multi adjuvissent, et super capita trajicientes densæ turbæ eripuissent, fuissem suffocatus : neque ego solus in tanto periculo constitutus fui, sed multi etiam alii, qui vix non perierunt. Isto mane monstravit pileolum S. Bernardini, quem quum monstraret, populus misericordiam Dei inclamavit : tantus erat populi clamor, ut cœlum rumpi videretur. Absoluta prædicatione, veste S. Francisci in- F
duit quinquaginta milites, quos Veronæ converterat : quo facto, ipse ad S. Apollonii conventum, aliorum unusquisque ad propriam domum reversi sunt. Sequenti feria secunda, die XV Februarii, in festo SS. Faustini et Jovitæ (*qui sunt urbis Brixiensis Sancti tutelares*) prædicavit : feria tertia ante solis ortum Mantuam profectus est, et Mantua Venetias; qua in urbe per totam Quadragesimam prædicavit : eaque absoluta, ad imperatorem in Germaniam abiit. *Christophori de Soldo narrationem dedimus fuse, non tamen ita ut verba verbis redderemus, quia consilium nostrum erat, relatione hominis extranei æstimatam facere biographorum Sancti historiam.*

Vicentiæ etc. 68 *Eodem anno* 1451, *Vicentinos, Veronenses, Patavinos et Mantuanos excoluisse S.* Capistranum, *testantur miracula,* a publicis, *ait Waddingus* (3), notariis diligenter conscripta. *Veneti quoque a Pontifice Nicolao V impetrarunt, ut qudragesimales conciones, apud ipsos haberet.*

(1) Muratori. Scriptt. Ital. tom. XXI. col. 867. — (2) Ibid. col. 866. — (3) Ibid. l. c.

Dux

AUCTORE J. V. H.

Dux quoque Mediolanensis, summis votis apud Pontificem contenderat, ut et illas adiret provincias S. Joannes; *quam in rem pontificium obtinuerat diploma, sed serius advectum, quam ut effectum sortiretur suum, S.* Capistrano *jam mense Aprili in Germaniam profecto. Id nihilominus hic dandum existimamus, utpote quod ad gloriam sancti viri non parum conferat : quapropter et Waddingus, ex quo illud exscribimus, edendum censuit. Videlicet* (1) : Dilecto filio Joanni de Capistrano Ordinis Minorum. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Quum nobilis vir, dilectus filius Franciscus Sfortia, dux Mediolani, ac populus Mediolanensis, totaque Liguria ex ore tuo Dei verbum audire desideret, quod nobis admodum placuit audivisse, quum indubie speremus populos illos, tuis prædicationibus et monitis imbutos, viam salutis electuros esse; caritatem tuam hortamur in Domino, ut postpositis omnibus, te ad iter quamprimum dirigas; nam quum tempus quadragesimæ elapsum sit, nulla te occupatio detinere potest, ut credimus, quæ mentem tuam a tam salubri opere B possit avertere. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x Maji 1451, pontificatus nostri anno v. *Sed ut paulo supra diximus, epistola pontificia S.* Capistranum *attigit, jam in Germania constitutum. Unde suspicatur Waddingus* (2) *litteras apostolicas fuisse concessas, ut Mediolanensium* precibus videretur acquiescere, licet *Pontifex* hominem in Germaniam destinarit. *Atque fere sunt quæ de prædicatione italica dicenda habemus.*

§ VI Legationes pro sede apostolica obitæ.

Ab Eugenio IV simul cum S. Laurentio Justiniano

S. Joannes Capistranus *non solum prædicando per Italiam verbum Dei, ut supra ostendimus, aut Ordinem suum defendendo et propagando, ut infra latius explicabimus, Ecclesiæ Dei strenuam navavit operam : sed insuper variis pro sede apostolica legationibus functus est, quæ hic, tacentibus ut plurimum biographis coævis, necessario exponendæ sunt, ut tanto* C *magis ejus in Ecclesiam sanctam merita et magna apud Deum gloria elucescat. Vexabatur illo tempore Venetiis Ordo Pauperum Christi, qui vulgo Jesuati vocabantur, olim a S. Joanne Columbini fundatus, et gravissimæ criminationes ad aures Eugenii Papæ IV pervenerant. Missus est igitur a Pontifice* Joannes *noster simul cum S. Laurentio Justiniano* examinaturus, *inquit Waddingus* (3), scandala et errores, quæ malignorum invidia fingebat in Jesuatorum sodalitate grassari et libellum quemdam, ab iisdem inscriptum « Speculum simplicium animarum. » *Diploma pontificium, S.* Capistrano *honorificentissimum exhibet laudatus annalista* (4) : Venerabili episcopo Castellano (*episcopatus iste a Nicolao V anno* 1451 *in titulum patriarchatus Veneti fuit erectus*) ac dilecto filio Joanni de Capistrano etc. Ad ea, quæ pacem et quietem populorum, conservationem quoque famæ et æstimationis bonorum respiciunt, libenter intendimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Dudum siquidem, D quum, non sine magna animi nostri displicentia, ad nostram notitiam pervenisset, aliqua Venetiis, ac in tua Castellana diœcesi contigisse, ex quibus nonnullarum personarum utriusque sexus, tam ecclesiasticarum quam sæcularium fama et opinio graviter denigratur, pro quorum quidem pleniori informatione veritatis, tu, frater episcope, ut accepimus, diligentibus super his habitis processibus, sollicite intendisti; neque tamen, ut nobis delatum est, præter plebanum quemdam, ea, quæ objiciebatur, hæresis labe aliquos alios infectos reperire potuisti; nihilominus tamen non parva personas hujusmodi, licet insontes et innoxias, ut asseritur, famæ et æstimationis earumdem jactura prosequitur, quæ etiam in dies, ut dicitur, vehementius invalescit.

delegatus in causa Jesuatorum,

70 Nos igitur, qui ex debito pastoralis officii et scandalis obviare, et ne boni et innocentes famæ ipsorum detrimento mulctentur, quantum cum Deo possumus, procurare debemus, horum consideratione inducti, dilectum filium Joannem de Capistrano supra memoratum ad fraternitatem tuam duximus cum præsentibus dirigendum, eique commisimus et mandavimus, quatenus eodem tibi assistente, vos simul de hujusmodi excessibus et personis diligenter inquirere et investigare curetis : perutile enim fore, et negotio hujusmodi conveniens esse putamus, virum vitæ sanctimonia, famæ integritate, scientia litterarum et doctrina præstantem, tibi in hac re associare, cujus consilio et auctoritate, veritate comperta, et excessus hujusmodi corrigere, bonos atque innoxios, si qui ob hanc causam notati sunt, eorum famæ et æstimationi reddere et restituere possitis. Nos enim vobis de hujusmodi excessibus inquirendi, atque eorum occasione incarcerandi, puniendi, corrigendi et emendandi; innoxios autem atque indebite infamia notatos, ad famam et honores restituendi et in statum pristinum reponendi; excommunicatos seu irregularitatis vinculo hujusmodi ex causis irretitos absolvendi et liberandi, omniaque alia et singula faciendi et exsequendi, quæ in prædictis et circa præ- F dicta necessaria fuerint, seu etiam opportuna : contradictores etc. invocato etc. plenam et liberam damus et concedimus, auctoritate apostolica, tenore presentium, facultatem. Vos igitur negotium hujusmodi sic sollicite et diligenter amplectimini, ut ex vestris bonis et proficuis operibus, post æterna præmia, apud nos et sedem apostolicam non immerito commendari possitis. Datum Bononiæ anno etc. 1437, v idus Augusti, pont. etc. anno VII.

E

quos B. Joannes Tossinianus defendit,

71 *B. Joannes Tossinianus, de quo jam supra num.* 58 *locuti sumus, quum ex Jesuatorum Ordine ad Ferrariensem cathedram assumptus fuisset, in tanto periculo fratres suos, Jesuatos Venetos, non deseruit. Nam pro veteri cum S.* Joanne Capistrano *amicitia, precibus et litteris urgebat, ut religiosæ sodalitatis famæ consuleretur. Litterarum fragmentum exhibet Waddingus* (5), *quod et nos damus, utile ad*

(1) Capistr. triumph. pag. 61. Cfr Wadding. Annal. tom. XII, pag. 80. — (2) Annal. tom. XII, pag. 79. — (3) Ibid. tom. XI, pag. 13. — (4) Ibid. l. c. — (5) Annal. tom. XI, pag. 14.

qualemcumque

A *qualemcumque dilucidationem quæstionis.* De libro, *scribit,* miror valde, quod si in illo sunt errores, de quibus dicitur, quod per plures servos Dei legatur, nec percipiant tam manifestos errores. Nam de pauperibus Jesuatis, cum quibus meam duxi vitam fere per viginti quinque annos, testificor vobis coram Deo, quod ipsi judicio meo sunt boni viri et recte ambulant in via Dei juxta doctrinam euangelicam et apostolicam et traditiones Patrum. Numquam aliquid sensi inter eos erroris, sed fidelissimi sunt, tenentes pure et simpliciter totum, quod tenet Sancta Mater Ecclesia, subjecti et obedientes prælatis Ecclesiarum, et maxime Romano Pontifici et constitutionibus Ecclesiæ, communicantes persæpe sacramentis, sicut cæteri fideles. Mores suos habent honestissimos, nec aliter aliis dogmatizant nisi honestatem et illibatissimam castitatem. Fortasse aliquæ mortificationes fuerunt alias factæ in societate illa, quæ videbantur habere inhonestatem, et familiaritas habita fuit sub obtentu religionis et spiritualitatis cum non-
B nullis et devotis mulieribus, ex qua conversatione auditu audivi, exorta fuisse exinde scandala: sed, dante Deo, a multo tempore citra res est optime reformata. Tantum est, quod nihil tale numquam factum fuit tempore meo; sed omnia per Dei gratiam directa sub religiosis moribus bene composita. Si quid scru-
* III, 17. I. puli de societate illa habuit P. V. de materia « c. 1 de relig. dom. in 6* » et « ne nimiam* »
* III, 36. XI. etc. cum in similibus aut de quovis alio confido, dante Deo, vobis ad plenum satisfacere, si quando dabitur, me eamdem Paternitatem posse ore ad os alloqui. Committo eos caritati vestræ, orans eamdem, ut vitam innocentium a latrantium et calumniantium faucibus eripiat. Valeat P. V. R. feliciter in Christo Domino, cui me ex corde committo. Ex Ferraria III Septembris 1437. Filius ac servus P. V. Joannes episcopus Ferrariensis.

eosdem ab omni culpa 72 *Ex hac epistola liquet, quæ fuerint ab adversariis objecta crimina Jesuatis: erant scilicet tunc omnia suspicionis plena propter grassantes per universam Italiam errores Fraticellorum, adversus quos, ut infra monstrabi-*
C *mus, S.* Capistranus *severam exercebat censuram. Forsan suspicio excrevit, quod, ut constat ex Vita fundatoris Pauperes vocarentur* (1) *et Venetiis in loco dicto,* Societate Pauperum *domicilium, unde et cognomen manavit, statuerunt* (2). *Cæterum Jesuatis favebat S. Laurentius Justinianus, utpote qui et cœmeterium fratribus construi anno* 1434, *et eorum sacellum consecrari anno* 1436 *permisit* (3). *Ipse porro B. Joannes Tossinianus non videtur undecumque certus de accusationibus, Jesuatis impactis: suspicatur enim afficta crimina obtendi, ut via suppressioni Ordinis sternatur; atque ideo citat binas decretales, quarum prior, ex libro sexto deprompta, et posterior e compilatione Gregorii IX, prohibent multiplicationem Ordinum regularium: sub qua quidem prohibitione censendum videbatur institutum Jesuatorum, fundatum circa annum* 1360 (4); *adeoque post concilium Lateranse* IV *anni* 1215 *et Lugdunenso* II *anni* 1274, *in quibus dictæ decreta-*
les latæ fuerunt. Verum, ut eventus probavit, AUCTORE J. V. H.
vere delatæ fuerant ad Papam Eugenium graves quærelæ, quæ, ipso fatente B. Tossiniano, aliquatenus veræ erant; licet jam ab annis abrogatæ.

liberos 73 *Indagarunt igitur duo sanctissimi viri, Laurentius Justinianus et* Joannes de Capistrano *vitam et mores Jesuatorum, et post Severam inquisitionem certiores facti sunt, nihil in instituto Jesuatorum reperiri, quod non undecumque cum regula veri et boni conveniret. Quapropter S. Laurentius Justinianus sequens edidit decretum, quod ex Waddingo, ut reliqua hactenus, cito* (5): Laurentius Justinianus, Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Castellanus. Condignum arbitramur veritati testimonium dare pro his maxime, quorum vita et religio perfecta sunt, et continui in domo Dei labores, eos commendatos facere. Sane quum honesti et religiosi viri, fratres vulgari vocabulo Jesuati nominati, quorumdam fuerint detractionibus infamati, quod videlicet in conversatione eorum suspiciosis moribus et reprehensibilibus uterentur, ad nos et ad venerabilem dominum
E fr. Joannem de Capistrano, Ordinis Minorum, hæreticæ pravitatis inquisitorem, hujusmodi rumore delato, voluimus nos ambo de veritate informationem luculentam suscipere, et optimorum religiosorum, apud nos conversantium et quamplurium aliorum informatione et testimonio fide digno comperimus, ipsos, videlicet Jesuatos, nulla suspicionis labe respersos, quinimo perfectos in sua societate mores retinere, et in omnibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ moribus consentaneos et concordes esse, ac ipsius instituta devote servare et in omnibus sectari.

pronuntiat: 74 Quare ne facile in posterum detractionibus hujusmodi facultas libera tribuatur, volentes præfatorum religiosorum famæ et honestati consulere, decernimus eorum laudabiles mores et vitam præsentium tenore declarare, ut et ipsi quietius Domino nostro Jesu Christo in posterum valeant famulari, et eorum religiosa conversatio nostro testimonio facilius elucescat. In quorum fidem præsentes nostras litteras fieri jussimus, et secreti sigilli munimine roborari mandavimus. Actum Venetiis,
F in episcopali palatio Castellano, anno 1437, indictione XV, die II mensis Octobris, pontificatus sanctissimi Domini nostri Eugenii, divina providentia Papæ IV, anno VII. *Cuperem equidem tractare de calumniis in Ordinem Pauperum Christi, seu, ut vulgo dicebantur, Jesuatorum impactis: sed desunt mihi apologiæ, pro Jesuatis conscriptæ, nec quidquam reperi circa libellum,* speculum simplicium animarum *inscriptum. Ipse certe B. Tossinianus videtur ignorasse opusculum, quum neque idem probet aut improbet: sed simpliciter dicit, mirari se valde, quod si in illo sunt errores, quales proferuntur, nemo legentium illos perspexerit: adeoque controversiam de libello quasi in medio relinquit. Cæterum Vitam S. Joannis Colombini illa, quam edidere nostri ad diem* XXXI *Julii* (6), *antiquiorem exhibet Joannes Mansi in suis Appendicibus ad Baluzii Miscellanea, additque Jesuatorum Regulam, hactenus ineditam* (7):

(1) Bulla Martini V. Act. SS. tom. VII Jul., pag. 348. — (2) Cornelius. Eccles. Venit. tom. V, pag. 220. — (3) Ibid. pag. 221 et seq. — (4) Moroni. Dizion. d'Erud. eccles. v°, *Gesuati.* Encyclop. Cathol. Dict. des Ord. rel. v°. *Jesuates.* — (5) Annal. tom. XI, pag. 15. — (6) Act. SS. tom. VI Jul., pag. 354. — (7) Baluz. Miscell. tom. IV, pag. 566 et 571. Edit. Luc. 1764.

AUCTORE J. V. H.

in qua certe nihil invenitur, quod non undecumque cum fide catholica congruat; et quum porro, ut laudatus Mansi ostendit, eadem Regula circa annum 1426 *approbata fuerit* (1), *verisimile nullatenus est, istos viros intra decennium tam longe a sua institutione declinasse, ut atroces calumniæ aliquod fundamentum habuerint.*

adversus schisma Basileense

75 *Episcopi, Basileæ congregati eo audaciæ processerant, ut in conventu suo* XXXIV, *celebrato* VII *kal. Julii* 1439 *Eugenium Pp. IV declararint* Romano pontificio ipso jure privatum, *inhibuerintque,* ne deinceps pro Papa vel Romano Pontifice se gereret (2): *et ultro progressi, ordinatis* XXXI *electoribus* (3), *Amedeum, Sabaudiæ ducem, summum Pontificem die* V *Novembris ejusdem anni constituerunt, assumpto nomine Felicis V* (4). *Nostri instituti non est hanc tragœdiam latius evolvere: sufficiat animadvertisse, nullum tunc quidem Basileæ adfuisse Romani Pontificis legatum, contra morem hactenus observatum in conciliis œcumenicis, quando sedes Romana erat plena. Nam Constantiensis synodus inter plures pontifices dubios ad controversiam dirimendam convocata fuerat.*

B *Dein conventus ille acephalus triginta novem prælatis, e quibus solum octo episcopi erant, constabat* (5); *dum ex altera parte Florentiæ una cum legitimo suo capite, Eugenio Pp. IV, stabant Ecclesiæ latinæ et græcæ, præter alios prælatos, episcopi facile septuaginta* (6). *Nihilominus respublica ecclesiastica in horrendum schisma vergebat, eo magis timendum, quod, christianitate universa, et præsertim Italia bellis undique turbata, principes pro suo quique commodo et emolumento alterutri parti faverent, et novissima Ecclesiæ fierent pejora prioribus. Ut autem tantis malis imminentibus occurreret Eugenius Papa, conciliatorem pacis et concordiæ adhibere voluit* Capistranum *nostrum. Itaque illum misit legatum suum ad Mediolanensem ducem, Philippum Mariam de Vicecomitibus, quem verebatur, ne in partes antipapæ abiret. Fuerat enim Philippus Maria Eugenio Pontifici olim infensus, quocum inimicitias habuerat, circumscriptas tamen intra civilium ac profanarum rerum limites: atque hinc futurus pseudopapæ Felicis V sectator conjectabatur.*

principes multos,

76 *Multam quippe spem in eo reposuerat Felix, Philippi Mariæ socer, quem, ut scribit Franciscus Philaelphus, a Raynaldo sub anno* 1439 § VII (7) *citatus,* eo consilio atque mente rem tantam (*supremum pontificatum*) admisisse fatentur omnes, quod minime futurum dubitasset, ut se gener hic quam cupidissime sequeretur..... Sed Philippus Maria nulla necessitudine, nullis precibus, nulla ingentissimorum munerum ac præmiorum spe induci potuit; ut amantissimo et bene merenti socero in hanc diem obsequeretur: intelligit enim primam sibi necessitudinem esse cum Deo, nec plus cuiquam debere, quam Deo, nec ulla esse munera aut præmia, cum virtute Deoque comparanda. *Scripta est hæc Philaelphi epistola* XVI *kal. Julii anni* 1440. *Et vero ipse Eugenius Papa datis ad Philippum Mariam litteris die* XXI *Februarii anno pontificatus sui* VIII, *id est anno vulgari* 1439 *gratulatur ei constantiam in retinenda unitate communionis catholicæ et obedientia erga legitimum Romanum pontificem* (8). *Ex his manifestum fit, non satis accurate locutum fuisse Waddingum, quando sub anno* 1440 § II (9) *dicit, opera S.* Capistrani ducem Mediolanensem, Philippum Mariam, alioquin Eugenio infensum et Burgundum Philippum alterum cum aliis multis Felicianæ parti detractos et Eugenianæ adjunctos *fuisse. Hæc quidem omnia erronea sunt: neque enim tunc, quando Basileenses Felicem suum extulerunt, infensus erat Philippus Maria Eugenio Pontifici; neque partes Felicis umquam secutus est; neque tandem Philippus, Burgundionum dux, vulgo Bonus appellatus, umquam factioni Felicianæ adhæsit.*

D

præsertim Philippum Bonum, Burgundiæ ducem,

77 *Nam quod ad Philippum Burgundum attinet; certum est, Eugenium Papam summas laudes illi tribuisse in epistola scripta nonis Septembris* 1439 *ad Carolum VII, Francorum regem, in qua eum exemplo Philippi provocat ad parem Romanæ Ecclesiæ servandam obedientiam.* Rem, *inquit* (10), dignam magna laude nuper egit dilectus filius, nobilis vir, Philippus, dux Burgundiæ, consanguineus tuus, qui per suas patentes litteras præcepit sub gravibus pœnis in suis dominiis, ne ullis litteris illius sceleratissimæ conventiculæ aliquis obediret, aut ad sua dominia illas auderet deferre. *Et biduo ante datas litteras, scilicet die* II *Septembris, alteram epistolam scripserat idem Pontifex ad ipsum Philippum* (11), *qua eumdem meritis laudibus cumulat, quod fidelis Ecclesiæ Dei perstiterit:* Continua, *ait,* igitur, sicut cœpisti, suscipiens scutum protectionis unitatis Ecclesiæ et defensionis nostræ auctoritatis adversus obstinatam perfidiam eorum, qui, ut aperte vides, Ecclesiam Dei sibi lacerandam et scindendam sumpserunt. *Hortatur tandem, ut apud reges et principes,* potissimum apud carissimum filium nostrum, Carolum, Francorum regem illustrem, *agat, ne quidpiam proficiat Basileensium malignitas. Atque in fidelitate erga Romanam Ecclesiam perseverasse Philippum, testatur scriptor Historiæ Burgundiæ, Benedictinus Plancher* (12), *monstratque ex eo, quod quum* F *anno* 1443 *Philippus cum Ludovico Sabaudo, filio Amedei seu Felicis V, fœdus iniisset, Ludovicus die* X *Julii ejusdem anni tabulis publicis testatur, dicto fœdere, nullatenus derogari obedientiæ, quam tum ipse Philippus tum ejus provinciæ et subditi profitentur, atque eam in suo robore perstare* (13). *Missio itaque S.* Capistrani *ad duces Mediolanensem et Burgundum non indicat in alterutro defectionem a legitimo Pontifice, Eugenio IV; sed magis voluntatem utriusque confirmandi in re bene cœpta, quæ fortassis ex collisione pugnantium inter se emolumentorum turbari potuisset.*

E

et probabiliter Siculos præmunit:

78 *Initio anni* 1444 *S.* Capistranum *habuisse a sede Apostolica missionem quamdam peragendam in Sicilia, testatur ipsemet in Vita S. Bernardini his verbis, quæ ex Waddingo refero* (14): Quum felicem S. Bernardini obi-

(1) Baluz. Miscell. tom. IV, pag. 566. Edit. Luc. 1764. — (2) Labbe Conc. tom. XII, col. 619. — (3) Ibid. col. 634. — (4) Ibid. col. 636 et seqq. — (5) Longueval. Hist. de l'Egl. Gall. tom. XX, pag. 388. Edit. Paris. 1827. — (6) Labbe Conc. tom. XIII, col. 518. — (7) Continuat. Bar. tom. VIII, pag. 343. — (8) Ibid. pag. 302. — (9) Annal. tom. XI, pag. 97. — (10) Raynald. Cant. Baron. tom. VIII, pag. 314. — (11) Ibid. pag. 315. — (12) Hist. de Bourgogne. tom. IV, pag. 252. — (13) Ibid. Preuv. pag. CLXXII. — (14) Annal. tom. XI, pag. 202.

tum,

AUCTORE J. V. H.

A tum, in insula Siciliæ tunc exsistens, ex mandato sanctæ memoriæ Eugenii Papæ IV, sensissem, ad Aquilanam civitatem pergens festinanter, *etc. S. Bernardinus autem obiit die* XX *Maji* 1444; *adeoque* Joannes, *legatione apostolica fungens in Sicilia quando patris ac amici sui Bernardini mors ei innotuit, circa initium ejusdem anni in istam insulam navigare debuit. Quid porro a Pontifice in mandatis habuerit, silent, quos consulere potui, auctores. Verum conjectura undecumque probabili dicere licet, Basileense schisma causam legationi dedisse. Etenim Alphonsus, Aragonum rex, in locum filii a Joanna II Neapolitana adoptatus, jus, sibi hac ratione quæsitum, adversus Renatum Andegavensem nitebatur defendere, ac propterea beneficium investiturœ a Romano Pontifice contendebat obtinere. Diu obstitit Eugenius; proindeque intricatam controversiam cum pseudopapa Felice Alphonsus componere in procinctu erat; quando Papa Eugenius ad eum misit Cardinalem Aquilejensem, Ludovicum Mediorotam, qui inter Eugenium et Alphonsum æquis conditionibus pacem conciliavit die* XIV *Junii* 1443 (1). *Missus itaque fuerit S.* Capistranus *in Neapolitanum regnum sive ut consilio Cardinalem Mediorotam adjuvaret, sive ut, compositis dissidiis, res ecclesiasticas per Siciliam ordinaret. Id certum est, sanctum virum primis mensibus anni* 1444 *in Sicilia fuisse, quin negemus, maximam partem anni præcedentis negotio absolvendo impensam fuisse. Unum tamen animadvertamus, Barberium* (2), *quem sequitur Amandus Hermann* (3), *non satis accurate loqui, quando* Capistranum *nobis exhibet, Panormi cum rege Alphonso agentem. Nam quantum assequi licet ex Hieronymo Zurita, tantis negotiorum impedimentis involutus fuit rex Alphonsus, ut de reliquenda terra firma ne cogitare quidem potuerit* (4). *Quæ igitur Barberius refert de honoribus, S.* Capistrano *exhibitis, interpretari nos oportet de regis vicario; quin exinde aliquid de laude, S.* Capistrani *humilitati debita, detractum velimus.*

adversus Judæos quoque inquisitor a Nicolao V constitutus,

79 *Accusabantur illa tempestate Judæi variorum criminum, in quæ exardescebat* Capistrani *nostri zelus. Nam licet vulgo admitterentur Judæi intra civitates christianas, tanquam testes mortis ac sepulturæ Domini nostri, adeoque et ejusdem resurrectionis, illorum tamen vivendi modus quibusdam legibus circumscribebatur: quas summis lineamentis adumbrat biographus Sancti Christophorus de Varisio num.* 32: *nempe prohibebantur Judæi blasphemare nomen Christi, ejus Genitricis et aliorum Sanctorum, usuras a christianis exigere: vicissim christianis interdictum erat, a Judæis medecinas recipere, communibus uti balneis cum iisdem, et his similia. Ista quidem frequentissime tum a Pontificibus tum a principibus præscripta fuerant, sed semper incassum. Quapropter Nicolaus Papa V, Eugenii IV successor, anno primo pontificatus sui, constitutione apostolica, data* IX *kal. Julii* 1447 *decreta, jam sæpius promulgata, renovat, sed ut dicit* (5) : Quia parum est jura condere, nisi per aliquem executioni debitæ demandentur, dilectum filium, Fr. Joannem de Capistrano, Ordinis Minorum professorem, omnium prædictorum exsecutorem auctoritate apostolica deputamus, instituimus et ordinamus; concedentes eidem plenam et liberam potestatem, tam per se ipsum, quam per idoneos religiosos sui Ordinis vel alterius, per eumdem, quum sibi visum fuerit, deputandos, inquirendi, admonendi, exhortandi et sollicitandi principes ac prælatos et dominos tam ecclesiasticos quam sæculares prædictos, ut omnia et singula prædicta faciant diligentius observari.

Gamalielem rabinum convertit.

80 *Jam supra num.* 56 *vidimus, Sanctum virum idem munus in regno Neapolitano, jussu Joannæ reginæ, obiisse. Quamvis id ministerii genus magis ad coercitionem mali, quam ad promotionem boni institutum sit; ea tamen dexteritate et moderatione impositum officium exercuit S.* Capistranus, *ut simul devios ac errantes ad ovile Christi reducere conaretur. Tali ratione anno jubilari* 1450, *quum jam Urbem relicturus erat, provocatus a rabino ad disputationem de vera religione certamen non renuit : sed Deo fisus, hominem ex adversario sectatorem fecit Christi. Historiam refert inter* E *alios biographos Thomas Cataneo* (6). *Erat homo ille, cæterum doctus et acutus, audacior factus ex ampla notitia textus hebraici, cujus ope præfidebat, nullo negotio doctores Christianos superaturum se disputando. Condicta die, palæstram ingrediuntur S.* Capistranus *et rabinus, cui nomen Gamaliel, cum aliis quadraginta judæis. Gamaliel disputationem occepit commentando multos textus Veteris Testamenti, quos in laudem suæ sectæ et in opprobrium christianæ religionis subtilissime detorquebat. Jam victoriam sibi augurabantur judæi; quando* Joannes *noster, paucis verbis rationes, a Gamaliele prolatas, discutiens, monstrare cœpit, uni Deo placere posse unam religionem; quæ adeo talibus indiciis splendescere debet, ut ab omnibus facile agnosci possit; id enim ad justitiam et misericordiam Dei pertinere. Devenit posthac vir sanctus ad monstrandum rationum momenta, quæ merito suadent veram esse christianam religionem : idque præstitit tanta verborum vi ac efficacia, ut tum ipsum rabinum Gamalielem, tum ejus socios quadraginta coegerit victas veritati manus dare et jugo Christi colla subdere. Ipse* F *S.* Capistranus *eos sacro baptismo initiavit religioni christianæ, in qua deinde usque ad obitum fideles perseverarunt.*

§ VII. Initia reformationis, vulgo Observantium dictæ.

Observantium tenue initium.

R*eformatio Ordinis S. Francisci, quæ vulgo Observantium vocatur, anno* 1368 *incepta, lenta initio incrementa habuit.* Numerus, *inquit Waddingus ad annum* 1415 (7), fratrum, per omnia cœnobiola dispersorum, erat exiguus, neque sufficiebat ministerio domestico. Inter ducentos circiter paucissimi erant sacerdotes, ita ut in ædiculis Reatinis (tribus numero), alternis vicibus unus sacra perageret, et in nocte Nativitatis Dominicæ primam Missam Græcii, secundam ad Fontem Columbæ, tertiam in Podio celebraret. Pauci etiam

(1) Zurita. Annal. de Aragon, tom. III, fol. 280. — (2) Vit. ital. pag. 74. — (3) Capistr. triumph. pag. 269. — (4) Cfr Annal. de Aragon, tom. III, fol. 287 et seq. — (5) Wadding. Annal. tom. XI, pag. 282. — (6) Vita ital. pag. 109. — (7) Annal. tom. IX, pag. 382.

erant

AUCTORE J. V. H.

erant docti ante adventum quatuor cœlestium præconum, Bernardini Senensis, Joannis Capistranensis, Alberti a Sartiano et Jacobi Piceni. Hi cultum, regiminis normam et litterarum studium invexerunt. Primi satores instituti, viri abjecti, humiles, rerum agendarum et scientiæ expertes, in solitudinibus, cavernis et eremitoriis a mundo semoti, non tam alienas quam suas curabant animas, rerum cœlestium contemplationi et pietati incessanter addicti. *Similem primorum Observantium imaginem depingit sancti nostri biographus, Nicolaus de Fara num* 17. *Ad annum usque* 1415, *seu per annos quadraginta septem videtur reformatio Observantium in solo arbitrio Ministri generalis Ordinis S. Francisci stetisse : quapropter eorumdem res, utcumque tranquille, sed timide, procedebant, quum non paucos, eosque potentes, experirentur in ipso Ordine adversarios.*

in concilio Constantiensi

82 *Ast dicto anno* 1415 *concilium Constantiense, sessione sua* XIX, die IX Kal. Octobris, sede apostolica vacante (1), *decretum edidit, quo Observantium reformatio regimini et arbitrio ministri generalis subtrahebatur. Etenim guardiani et fratres quorumdam conventuum Galliæ supplicarunt Patribus Constantiensibus* (2), *quatenus de opportuno remedio eis providerent, ad removenda impedimenta, quæ strictæ Observantiæ adversabantur et ex quibus scandala pullulabant. Itaque concilium decernit, fratres prædictorum conventuum posse, in sua quilibet provincia,* eligere de sua stricta Observantia unum fratrem idoneum, quem, in scriptis ministro illius provinciæ præsentatum, ipsum dictus minister infra triduum post hujusmodi præsentationem suum vicarium constituere debeat, ad ipsos regendum in solidum loco et vice ejus, et eis providendum in omnibus quibuscumque et ipsis modis, quibus ipse minister provincialis etiam providere posset; ita quod de ipsorum fratrum regimine in nullo possint se intromittere dicti provinciales vel custodes, sed ad ipsos vicarios cura et correctio eorum omnino pertineat : excepto, quod ad suæ superioritatis cognitionem minister provincialis ipsos possit, si voluerit, visitare in propria persona, et tunc punire de consensu majorum et discretorum conventus, in quo fiet hæc visitatio, quidquid punitione dignum repererit : quem si constituere renuerit modo prædicto, ex tunc constitutio ejusdem præsentati ad vicarium ministri generalis, inferius annotatum, devolvatur et pertineat absolute. Qui quidem vicarii hujusmodi trium provincialium (*nempe Franciæ, Burgundiæ et Turonum*) possint et debeant una cum fratribus discretis, sibi subditis, forma solita in electionibus Ordinis servata, insimul eligere inter se unum alium fratrem, ad hoc sufficientem et idoneum pro eorumdem vicariorum correctione et totius strictæ hujus Observantiæ in prædictis provinciis meliori regimine; quem per eos in scriptis ministro generali Ordinis, qui erit pro tempore, humiliter præsentatum, ipsum minister super illos suum vicarium constituere infra triduum post illam præsentationem benigne debeat et caritative: alioquin, ipso triduo transacto, sit et habeatur vicarius ipsius generalis, auctoritate ipsius sacri concilii constitutus.

nacti tum proprios superiores,

83 *Sequitur dein constitutio Nicolai Rudolphi in vicarium generalem auctoritate ipsius concilii, additis iisdem clausulis, quibus administratio totius reformationis ad vicarium generalem, sic electum, pertinere declaratur. Insuper statuit concilium,* quod omnes et singuli conventus prædictarum provinciarum, quoties majori vel saniori parti fratrum, in eis exsistentium, placuerit, ad hanc strictam Observantiam se reducere et vicariis antedictis se subdere, hoc libere facere possint. *Eadem facultas singulis fratribus conceditur,* contradictione cujuscumque non obstante; *ita tamen, ut fratres et conventus, exceptis conventibus, quos specialiter nominat decretum, possint remanere* immediate sub cura ministrorum provincialium. *Etiam* quilibet provincialis minister provinciarum præmissarum (*nempe Franciæ, Burgundiæ et Turonum*) vicario generali sæpedicto pro præsenti duos conventus in sua provincia fideliter assignare debet, aptos ad manendum, munitos libris et aliis rebus pro cultu divino, quoties ab eodem vicario per litteras aut alias in suo principali capitulo fuerit requisitus. *Tandem prohibetur tam provincialibus quam aliis quibuscumque, ne fratres Observantiæ de conventibus, quos incolunt, expellant, aut illorum mobilia alio deportent, quod si factum fuerit* a quindecim mensibus citra violenter, *ad restitutionem obligentur : vicissim interdicitur fratribus Observantiæ, ne alios* fratres ejusdem Ordinis aut eleemosynas aut oblationes *sibi* dandas impedire *audeant.*

et singulare nomen,

84 *Petrus Van den Haute in Breviario historico Ordinis Minorum* (3) *dicit, nomen Observantium reformatis adhæsisse* per decretum Concilii generalis Constantiensis de IX kal. Octobris 1415; *est scilicet id ipsum decretum, hactenus citatum. Sed Waddingus, idem exhibens* (4), *negat tunc primum reformatos id nominis sortitos, seu* ab hoc decreto initium et fundamentum habuisse nomen, « regularis Observantiæ » (5). *Uter a vero aberret, operosius non inquiram. Unum animadvertam, Petrum Van den Haute particulatius videri omnia scrutatum, idque asserere, postquam jam sententiam manifestasset suam Waddingus : deinde neque hunc, contra ac eodem loco facit, circa varios errores, ullam suæ negationis allegare rationem. Attamen negandum non censemus, jam præcedenti tempore, quando de Ordinis reformatione agebatur,* Observantiæ *et* Observantium *nomen quandoque prolatum fuisse; siquidem id solum intendebant reformatores eorumque sequaces, ut Ordo ad primævam Regulæ suæ Observantiam reduceretur : sed Waddingus, simplici negatione contentus, nullo argumento monstrat, ante tempora Concilii Constantiensis nomen Observantiæ adhibitum fuisse, tamquam singularem denominationem, alicui divisioni Ordinis Minorum propriam. Cæterum credo, decretum Constantiense esse primum documentum, quo Observantium reformatio arctiorem Ordinis compagem disrupit; et nativo proprioque jure uti cœpit. Antiquius quidem instrumentum reperire se existimat Michael Angelus a Neapoli in Chronologia histo-*

(1) Labbe, tom. XII Conc. col. 169. — (2) Ibid. col. 166 et seqq. — (3) Pag. 101. — (4) Annal. tom. IX, pag. 371. — (5) Ibid. pag. 375.

rico-

A *rico-legalis Ordinis FF. Minorum* (1) *in bulia quadam Gregorii XI, concedente indulgentiam plenariam habitantibus in variis locis, sub obedientia Paulutii Fulginatis : sed de istiusmodi bulla altum est apud Waddingum in suo Regesto pontificio silentium, quamvis ipse minime taceat litteras indulgentiarum, quando occurrunt. Exemplo sint indulgentiæ centum dierum, quas Gregorius XI concessit visitantibus ecclesiam Stronconii* (2), *quæ ad reformatos pertinebat* (3). *Præterea, posita etiam indulgentiarum concessione, facta Paulutio ejusque sociis, nullatenus indicatur reformatio in unum separatumque a reliquo Ordine corpus coaluisse, regimenque utcumque proprium habuisse. Quapropter, nisi alia ostendantur monumenta, decretum Constantiense habendum videtur tamquam primum, quo reformati seu Observantes jurisdictioni directæ prælatorum Ordinis subtrahuntur.*

tum separationem a reliquo Ordine,

85 *Quamvis autem proprii regiminis initium Observantes Synodo Constantiensi in acceptis referre debeant; id tamen animadvertendum restat, libertatem Constantiensem intra Galliam*
B *fuisse circumscriptam. Sed, ait Waddingus* (4), placere cœpit ubique religiosum regularis Observantiæ institutum, Constantiensis concilii auctoritate confirmatum, et laudabili sectatorum conversatione confirmatum, ut omnes omnium regionum urbes et oppida ultro eos ad se vocarent et domicilia construerent. *Ex eo enim tempore majora cœpit incrementa Observantium reformatio, et ad varias provincias propagata fuit. Sic Martinus V, adhuc Constantiæ agens*, x *kal. Aprilis, anno* I *seu* 1418, *petente Gandavensi magistratu, concedit ut conventus Observantium in dicta civitate constituatur* (5) : *id tamen adnotandum est, Gandavum scribi in diœcesi Trajectensi seu Ultrajectina, ad quam numquam spectavit, et ejus Ecclesiæ antistitem dici Fredericum, qui vere illa tempestate Ultrajecti sedit* (6) : *dum e contrario Gandensis civitas, aut saltem illa pars, in qua conventus Minorum jacebat, ad Tornacensem diœcesim, quam tunc Joannes V de Thoisy regebat* (7), *pertineret. Gravissimus itaque in rescriptum pontificium irrepserit er-*
C *ror, necesse est. Paulo serius idem Martinus V, Bernæ diœcesis Lausannensis agens, ad petitionem Piponis de Ozera, comitis Themesiensis, episcopo Quinque-ecclesiensi in Hungaria injungit, ut curet conventum pro Fratribus Observantiæ construi* (8).

latius se

86 *Tandem die* XXII *Septembris ejusdem anni, Martinus Papa reformationi Observantium indulsit, ut, petentibus Christi fidelibus, conventus sui instituti construere possent. En ipsa Constitutio* (9) : Dilectis filiis ministro et fratribus Ordinis Minorum, de Observantia nuncupatis. Promptum et benevolum libenter illis favorem impendimus, in quorum habetur desideriis, ut sub Religionis habitu devote Domino famulantes, mereantur gloriam perpetuæ claritatis. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nonnulli partium diversarum Christi fideles, ad vos, vestrumque statum et Religionem, omnium charismatum datore incitante Domino, singulare gerentes affectionis adminiculum, et per hujusmodi Religionis propagationem et vestras manus suos in cœlestibus thesauros recondi satagentes, nonnulla ad illos legitime spectantia loca vobis, pro vestris, seu aliquorum ex fratribus Ordinis vestri usu et habitatione, pia largitione dare et assignare proponunt; vosque in tribus saltem ex locis eisdem, præfatorum et aliorum fidelium concurrentibus suffragiis et obventionibus, domos cum ecclesiis, cœmeteriis, campanilibus, campanis, hortalitiis et aliis officinis etc. Quare pro parte vestra nobis humiliter fuit supplicatum, ut vobis loca a fidelibus eisdem recipiendi, necnon illis domos cum ecclesiis etc. hujusmodi construendi et ædificandi, sive construi et ædificari faciendi, licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur etc. hujusmodi quoque supplicationibus inclinati, vobis loca ab eisdem Christi fidelibus, illa dare et assignare volentibus, recipiendi, ac in eis pro præfatis usu et habitatione domos cum ecclesiis etc. et aliis officinis hujusmodi construendi et ædificandi, ac construi et ædificari faciendi, ut præfertur, plenam et liberam, E auctoritate apostolica, tenore præsentium, licentiam elargimur. Et insuper fratribus Ordinis hujusmodi, quos in eisdem construendis domibus pro tempore morari sive residere continget, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus etc., præfato Ordini, ac aliis domibus per sedem præfatam et alias quomodolibet concessis, uti, gaudere libere et licite valeant, eadem auctoritate concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii Papæ VIII etc. cæterisque contrariis quibuscumque. Jure tamen Ordinariorum ac parochialium etc. in omnibus semper salvo. Nulli ergo etc. Datum Seturiæ, Taurinensis diœcesis, XV kal. Octobris, anno I : *id est,* XVII *Septembris* 1418.

AUCTORE J. V. H.

87 *Hæc tamen, quantumcumque utilia, manca* *diffundere cæperunt;*
tamen erant, quoniam hactenus sub regi-
mine prælatorum Ordinis non sine multiplici impedimento vivebant reformati Observantes. Angelus quidem Salvettus, minister Ordinis in capitulo generali, Forolivii anno 1421 *celebrato, electus, vicarium eodem anno in provincia Tu-* F *sciæ et S. Francisci super familiam Observantium constituit S. Bernardinum Senensem* (10) : Sed Familia, *ait Mich. Angelus a Neapoli* (11), Observantiæ adeo temporibus subcreverat, quod ex præcepto et ordinatione Domini Martini Papæ V, generalis ipse minister (*Salvettus*), nec non et Fr. Antonius de Massa, ejus successor, super ipsam familiam plures vicarios instituerunt. Nam in duabus supradictis (quæ pluribus annis simul sub uno capite steterunt) institutus fuit S. Bernardinus Senensis præfatus; in provincia vero Marchiæ et cæteris, singuli vicarii instituti fuerunt. *Quamvis itaque istiusmodi vicariorum institutiones utilissimæ essent ad fovendum succrescentis familiæ fervorem, pendebant tamen unice ab arbitrio unius hominis, qui et ipse per frequentes electiones et obitum frequenter mutabatur, quin et institutos a se Observantiæ præsides pro nutu et voluntate*

(1) Tom. I, pag. 98. — (2) Wadding. Annal. tom. IX, pag. 397. — (3) Ibid. tom. VIII, pag. 299. — (4) Ibid. tom. X, pag. 18. — (5) Ibid pag. 290. — (6) Gall. Christ. ant. tom. I, pag. 849. — (7) Gall. Christ. Nov. tom. III, col. 230. — (8) Wadding. Ann. tom. X, pag. 291. — (9) Ibid. pag. 297. — (10) Chronol. hist. ord. Minor. pag. 97. — (11) Ibid. l. c.

abrogare,

AUCTORE J. V. H.

abrogare, nullo substituto successore, poterat; atque ita Observantium res in incerto posita erant. Dolebat insuper Ordo a corpore suo avelli familiam virorum, doctrinæ pariter et sanctitatis fama præstantium.

frustra obnitentibus

88 *Ad hæc fere tempora referenda videtur procella, quæ ruinam familiæ Observantium minitabatur. Etenim Michael Ang. a Neapoli* (1) *sub vicariatu Angeli de Civitella, qui tertius S. Bernardino Senensi, adeoque ab anno* 1427 *ad* 1430, *successit, reponit controversiam.* Fr. Nicolaus de Uzzano, post triennium S. Bernardini, vicarius fuit institutus; post quem successit Fr. Angelus de Civitella, comitatus Aretii. Quo tempore apud Martinum V Fratres familiæ (*Observantium*) a Conventualibus, tamquam hæresis suspecti, incusantur. *Thomas Cataneo in Vita Sancti nostri annum* 1429 *assignat* (2). *Atque hæc epocha etiam videtur tenenda, nempe circa annum* 1430; *tum quia in capitulo generali istius anni, abrogatus fuit, Ordine universo in unam Regulæ interpretationem conveniente, peculiarium vicariorum magistratus, tum quia Martinus V, apud* B *quem causa acta est initio anni sequentis, nempe die* XX *Februarii* 1431 *diem suum obiit. Quæ vero Observantibus impacta erat hæresis criminatio, errorem Fratricellorum fuisse existimo: nam, ut infra videbimus, nidum suum in Piceno posuerant, et sese propter externam quamdam austeritatem genuinos S. Francisci filios esse gloriabantur. Jam anno* 1374, *ut narrat Waddingus* (3), ficta religione, mentita paupertate, et fallaci hypocrisis larva, quum egregiam conciliassent in populo opinionem, insultare modis omnibus cœperunt Franciscanis, ea in urbe (*Perusiæ*) degentibus, objicientes eis vel ampliores ædes, vel molliores vestes, vel cibos lautiores, quam arcta a S. Francisco præscripta paupertas videretur permittere. Atque eo usque horum pervenit temeritas et insolentia, ut pertranseuntibus Fratribus, quorum industria vel sudoriola ad collum paterent, in ipsis plateis manus injicerent, extractoque linteo, coram populo interrogarent, an hæc illa vitæ Franciscanæ austeritas? Aut an secundum Francisci Regulam hæc liceret gestare? His aliisque modis ita exprobrabant Minoribus, vere a prima Ordinis semita non parum de- C clinantibus, ut solos se S. Francisci sectatores apud rudem plebem ostentarint, et Minoritas in tantum deduxerint populi contemptum, ut in publicum prodire aliquando timerent.

Conventualibus.

89 *Quoniam vero Observantes publice profitebantur voluntatem observandi sine mitigatione Regulam S. Francisci, adeoque ejus in habitu austeritatem, et in rerum usu paupertatem omnimodam; fieri non poterat, quin oblique perstringeretur aliorum vivendi ratio, qui rigorem Regulæ multiplici modo relaxaverant: imo fieri non potuit, ut Observantes, nacti occasionem deprædicandi suæ reformationis merita; alios Minoritas, eorumque laxitatem non insectati fuerint. Ex quo deinde facile enascebantur dissensiones, in apertum aut occultum bellum erumpentes: ex quo porro sequebantur accusationes mutuæ, in quibus aliquando criminationibus non parcebatur. Atque hinc factum existimo, ut Minoritæ quidam, rati in suam ignominiam vergere Observantium severiorem* D *disciplinam, eosdem cum Fratricellis confunderent, aut confundere se simularent. Dein id etiam animadvertendum est, homines, grassante aliquo errore, facile suspicionem propter qualemcumque in dictis factisve affinitatem in alios impingere. Sic quando sæculo* XVI *ardentissime vexabatur quæstio Protestantium Paulus IV, ut narrat in Historia Concilii Tridentini lib.* XIV, *cap,* 2 *et* 15 *Cardinalis Pallavicinus, suspectos habuit vel inter purpuratos patres Polum et Moronum, atque hunc in castello S. Angeli incarceratum voluit, in eoque permansit, donec a Pauli successore, Pio IV, discussis omnibus criminationibus, fidei integerrimæ inventus, e carcere solutus fuit. Sic non ita pridem, quum Socialistarum et Communistarum fœdæ doctrinæ populos totius Europæ agitarent, episcopo quodam, erigente ex titulis clericalibus commune pro clero ærarium, vir quidam socialismum et communismum subodoratus est. Quamvis nihil magis naturale sit, quam ut corpora quæcumque habeant ærarium commune, ex quo membra sustineantur; et præ-* E *cipue in Ecclesia Dei jam ab ipsis ejus cunabilis ex fundo quodam communi clerus aleretur.*

§ VIII. S. Joannes suscipit defensionem reformationis.

Coram Martino V Observantium

Sed quocumque tandem modo criminationes in Observantium vivendi modum enatæ sunt, tamen ad aures Martini V Pontificis pervenerunt. Quapropter Papa mandat Observantibus Italiæ, ut personaliter omnes Romæ compareant, eisque pro carcere, lite pendente, conventum S. Francisci trans Tyberim assignat. Prompte, *ait Joannes Baptista Barberius in Vita Sancti italica* (4), obedierunt religiosi viri, et in loco assignato constituti, attoniti et incerti rei novitate fuerunt, maxime quia securi puritatis et conscientiæ suæ, indagare non valebant tantæ et tam repentinæ calamitatis originem. Interea divinæ se voluntati accommodantes, continuis apud Deum precibus instabant, quarum ope mitigabant animi motus et sollicitudinem, quæ illos, ut facile F credere est, torquebant. Cum iisdem inclusus quoque erat S. Joannes de Capistrano, quasi dux istius militiæ bene ordinatæ, et in medium prodiens, hilari vultu in hæc verba prorupit: « Filii, Fratres et Patres, non est dubium, nos in hoc sancto loco esse inclusos ex manifesta voluntate supremi nostri pastoris: sed quoniam hactenus divinari non potuerit origo tam repentini et inexpectati præcepti, aliud nobis remedium non superest, quam ut causam nostram omni fervore Deo commendare perseveremus; si enim nos agamus tamquam filii, ipse, tamquam pater, benigne aget nobiscum: et hoc quidem præcipuum et ad cœlum spectat. Quantum vero ad causas secundarias et humanas pertinet; mea est opinio, ut e nobis seligatur unus, cui cura defensionis instituti committatur, nempe ad obviandum confusioni, quæ sponte sua ex varietate opinionum nascitur. »

causam

91 Placuit omnibus prudentissimum Joan-

(1) Chronol. hist. Ord. Minor. pag. 97. — (2) Vita ital. pag. 93. — (3) Annal. tom. VIII, pag. 299. — (4) Pap. 42 et seq. Cfr Gonzalez. Chron. de S. Franç. tom. V, pag. 42.

nis

A nis consilium; et bene animati, rati virum ad rem arduam tractandam magis idoneum se non reperturos, unanimiter Joannem exsecutorem consilii acclamarunt. Interea non desistebat adversarius (*ex Ordine olim ad episcopatum assumptus*) exaggerare crimina et insusurrare auribus Pontificis, et tam subtiles attulit rationes, ut eum tandem induxerit ad causam, quo citius expediretur, tribus Cardinalibus committendam. Convenientibus igitur Cardinalibus ad locum aptum et tantæ multitudinis capacem, comparuerunt religiosi accusati, mansueti ut columbæ, et hactenus ignari rei, propter quam vocabantur. Prælatus accusator, conscensa cathedra ornata, rationes tam graves et tam subtiles, licet erroneas, male fundatas et fallaces, adduxit per tres horas solidas, ut Cardinales attoniti, stupefacti et confusione oppleti, tot tantisque argumentis remanerent. Postquam lupus, ovina pelle vestitus, e cathedra descendisset; ad pedes sacri triumviratus accessit Joannes, ut nomine omnium sodalium, suas
B deduceret rationes, quatenus, utriusque partis libratis argumentis, prudenter ac compendiose suam sibi efformarent opinionem, et in hac ipsa sessione decretoriam sententiam edicere valerent; quandoquidem ipsa quæstio limpida est, neque instrumentorum inspectione neque diuturno labore indiget. Sed nimium pertæsi controversiæ Cardinales, responderunt esse horam prandii, adeoque se abire velle.

strenue 92 Verum animo non cecidit Joannes, quin imo pro justitia et veritate factus constantissimus, reposuit, modeste tamen et humiliter, implorare se Cardinalium clementiam, ut, quandoquidem inedia audientibus prolixam et mendacem adversarii orationem molesta non fuisset, dignarentur concedere tempus ad retorquenda breviter argumenta et impropera ab adversario adducta : hoc scilicet non amarum, sed dulce fore illorum gustui. Placuit cardinalibus sermo, et data libera loquendi facultate, resumpsit imprimis Joannes verbotenus omnia argumenta adversarii, cum omnibus et singulis ejus propositionibus,
C conclusionibus et argumentis : eaque omnia tanta facilitate, gratia, dexteritate et scientia refutavit; ut et falsitatis calumniæque convinceretur prælatus accusator, et judices suspicerent tantam memoriæ tenacitatem, præsertim quum Joannes imparatus de quæstionibus, ante non prævisis, disserere cogeretur. Simul etiam judices omni criminis suspicione liberarunt Fratres et, utrique parte indicto perpetuo silentio, allaborarunt conciliandæ paci, quam toto animo Joannes, compositis dissidiis, exoptabat. *Hactenus Barberius, qui narrationem suam ex Nicolao de Fara biographo coævo et teste oculato num.* 18 *et seq. deprompsit. Neque Waddingus, qui ad Observantes professione spectabat, tacitus ista præteriit: nam sub anno* 1429 *dicit* (1) : Insurrexerunt hoc anno aliqui ex patribus Ordinis in familiam Observantum, ægre ferentes in multis locis eos corpore Religionis paulatim avelli, institutis propriis vicariis. Graviter eos accusarunt Romæ, eaque objecerunt, quibus diluendis diem Pontifex dixit, et judices instituit tres Cardinales. Vocati in judicium concionatores multi et qui potiores erant in congregatione, actoremque egit episcopus quidam ipsius instituti, laxioris vitæ olim sectator, multis objectis criminibus. Diluit universa Joannes Capistranensis, suscepto in se patrocinio innocentum, eaque facundia dixit, ut omnes oblectarit. Conspicati judices, adversos affectus has suggessisse accusationes, conati sunt dissidentes conciliare, et Jordanus Cardinalis Ursinus, Ordinis protector, ad prandium episcopum et Capistranum invitavit.

AUCTORE J. V. H.

93 *Pergit autem Waddingus* (2) : Excitarunt hæc Pontificis animum ad concordiam et unionem Ordinis meditandam, quam etiam summe cupiebat Capistranus, auctorque fuit, ut, vocatis omnibus ad plenissima comitia, prius ageretur de tollendis laxioris vitæ corruptelis, deinde arctissimo fraternitatis, uniusque regiminis nexu conjungerentur. Probantibus hæc præcipuis Ordinis Patribus et S. R. E. Cardinalibus, in pleno consistorio statuit Pontifex, ut omnes convenirent ad Aram Cœli in Urbe anno sequenti, quantumvis prius indicta fuerint comitia Leodii ; dein, mutato consilio, celebrari jussit Assisii... Quia vero minister generalis, Antonius de Massa, laxatis habenis regiminis, magnam administrabat causam Observantibus segregandi se a communitate Religionis, adjunxit ei Pontifex socium, vicaria potestate, fr. Gulielmum Casalensem, provinciæ Januæ, in sacra theologia magistrum et in Romana curia procuratorem generalem, sine cujus consilio et assensu non liceret quidpiam innovare usque ad futura comitia generalia. *Igitur Martinus V bulla data* III *kal. Maji* (XXIX *Aprilis*) *anno* XIII *pontificatus seu vulgari anno* 1430, *convocavit capitulum generale Ordinis,* ut juxta, *inquit,* desiderium cordis nostri debita in dicto Ordine reformatio fieret, quæ Deo accepta, et nobis grata et ipsi Ordini conveniens existat, et christiano populo fructuosa (3). *Mutato dein capituli loco et die, festo Pentecostes et conventui Aracœlitano substituit Assisium et diem Sanctæ Trinitatis, incidentem illo anno in* XI *Junii : præter generalem* F *ipsum ministrum aliosque officiales et electores, speciatim admittendos decernit vicarios conventuum Observantium provinciarum Franciæ et Turoniæ* (4), *qui nempe, secundum decretum Constantiense* (*supra num.* 82) *regimen proprium, a communi administratione prælatorum Ordinis segregatum, obtinuerant.*

agit Sanctus, et capitulo generali

94 *Comitiis generalibus adfuisse S.* Joannem Capistranum *certum est; constat enim abunde ex iis quæ infra dicentur. Id vero dubium, utrum ex delegatione Ordinis, an ex vocatione Cardinalis præsidis capituli. Non probaverat hactenus vir Sanctus divisionem Ordinis. Nam, ut ait ejus biographus Christophorus a Varisio num.* 62, cœpit in illo principio, antequam veritatem per experientiam agnosceret, contrarius esse et molestus illis Fratribus, qui bullam divisionis impetraverant : in Italia siquidem erant etiam Fratres de Observantia, sed sub jurisdictione ministrorum cum maximis tribulationibus et impedimentis permanebant.

interest :

(1) Annal. tom. X, pag. 141. — (2) Ibid. l. c. — (3) Ibid. pag. 147 et seq. — (4) Ibid. pag. 148.

AUCTORE J. V. H.

nebant. Unde modos omnes exquirens, per quos et unionem et reformationem in toto Ordine inducere posset, Martinum Summum Pontificem adiit; cui relaxationem et divisionem Ordinis et pericula, quæ ex ipsis sequi possent, ad plenum reseravit, humiliter ab eo postulans, ut his malis Sanctitas sua providere dignaretur; quatenus et Regula ab omnibus in Ordine servaretur et unio inter Fratres haberetur. Cujus petitioni, tamquam sanctæ et rationabili, Papa condescendens, cuidam reverendissimo Cardinali (*is fuit Joannes Cervantes tituli S. Petri ad Vincula* (1)) causam commisit, mandans, ut prælatos Ordinis congregaret et de reformatione et unione Ordinis provideret; dans eis super præmissis omnem jurisdictionem et potestatem. *Quoniam autem plerisque Minoribus invidiosa erat Ordinis divisio, fieri profecto potuit, ut Ordinis prælati* Joannem *nostrum ad comitia delegarint, rati ejus consilio et opera discuti posse, quod imminebat instituto Franciscano, schisma. Ast altera ex parte idem Christophorus affirmat, dum de*
B *præmissis tractaretur, adeoque jam inchoata essent comitia, a legato* vocatum fuisse fr. Joannem de Capistrano et districte ad obedientiam ei injunxisse, quatenus ea, quæ pro præmissis necessaria sibi videbantur, solerter describere vellet.

et ipso consiliario.

93 *Adfuit igitur alterutro ex titulo comitiis* S. Joannes, *et ita adfuit, ut præcipuorum negotiorum auctor et promotor exstiterit. Cardinalis enim, præses capituli, ejus potissimum consilio et opera utebatur ad controversias componendas. Deposito propter laxiorem vitam, remissum regimen et supinam socordiam (verba sunt Waddingi* (2)*) Antonio de Massa, omnium suffragiis electus fuit minister generalis totius Ordinis Fr. Gulielmus de Casali.* Vir erat, *inquit Waddingus* (3), doctus, facundus et pius, victu religiosus, incessu gravis, in regimine prudens, industria et experientia huic muneri idoneus, uti annis ferme tredecim, quibus præfuit, comprobavit. His accessit, quod Observantum familiam valde semper dilexerit et frequenti beneficiorum obsequio sibi devinxerit. Unde factum, ut facilius Cardi-
C nalis præses inductus sit ad tollendos universos Observantum vicarios, illique lubentius se immediato ministri generalis regimini commiserint et Ordinis adhæserint communitati. *Hanc universi Ordinis communionem voluisse* S. Capistranum, *testatur nobis Christophorus a Varisio, num. superiori citatus; adeoque et efficaciter eidem alloborasse cum Cardinali præside nullum est dubium; præsertim quum Cardinalis* Joanni *nostro curam commiserit definiendæ quam accuratissime reformationis, sub qua consenserunt Observantes perseverare in communione regulari cum reliquis Fratribus ejusdem Ordinis. Opus non est hasce constitutiones, a* S. Capistrano *conscriptas et a Cardinali approbatas, hic exponere; qui eas cognoscere voluerit, adeat Waddingum* (4) *et Michaelem Angelum a Neapoli* (5). *Constitutiones Martinianæ, ut dicit Waddingus* (6), *appellatæ fuerunt, quatenus sub Martino Papa et Martini auctoritate compositæ et litteris munitæ fuerunt.*

96 Has autem, *dicitur in calce earumdem,* constitutiones et reformationes per nos, Joannem Cardinalem legatum et reformatorem præfatum, auctoritate apostolica factas et ordinatas, alta et intelligibili voce, in pleno capitulo, ad sonum campanæ, ut moris est, congregata etiam multitudine copiosa Fratrum ejusdem Ordinis, propterea ibidem existentium, de verbo ad verbum per organum venerabilis et religiosi viri fr. Joannis de Capistrano, ejusdem Ordinis professoris, legi et publicari fecimus, et ad perpetuam rei memoriam per Generalem ministrum, custodes, discretos, et omnes ac quoscumque Fratres et religiosos dicti Ordinis præsentes, absentes et futuros, in omnibus et per omnia, prout superius late scripta sunt, sub pœnis, in iisdem contentis, inviolabiliter teneri et observari mandavimus, et per præsentes mandamus. Post quarum quidem constitutionum, reformationum et ordinationum publicationem et lecturam, omnes et singuli ministri, custodes, discreti et alii, in dicto capitulo existentes, tam nominibus suis propriis, quam E
suorum conventuum et Fratrum præsentium et futurorum, dictis constitutionibus, ordinationibus et reformationibus, tamquam legitime, juste et sancte factis et ordinatis, non coacti neque circumventi, libere et sponte, sine contradictione aliqua in pleno capitulo acquieverunt, et in eisdem ac eorum singulis, in omnibus et per omnia consenserunt, alta et intelligibili voce unanimiter clamando et dicendo: « Consentimus in eisdem, in omnibus et per omnia; et volumus stare et vivere et mori in dicto Ordine nostro sancte, fraternaliter, secundum constitutiones et reformationes prædictas. In quorum fidem et testimonium, etc. Anno a Nativitate Domini 1430, indictione VIII, die vero XXI mensis Junii, pontificatus præfati D. N. Papæ XIII, præsentibus, etc. Anno et indictione supradictis, die vero XXII ejusdem mensis venerabilis et religiosus vir, D. fr. Gulielmus de Casali, electus in generalem, præstitit juramentum in forma, de verbo ad verbum, prout erat in quodam parvo libro Constitutionum antiquarum dicti Ordinis. Et insuper juravit ad sancta Dei Euangelia, ma- F
nibus suis corporaliter tacta, tenere et servare omnes et singulas Constitutiones et reformationes, noviter in præfato Capitulo per reverendissimum P. D. Cardinalem legatum factas et publicatas, in omnibus et per omnia, sine aliqua contradictione, ut in eisdem plenius continetur: et quod numquam procurabit per se, neque per interpositam personam, revocationem dictarum constitutionum, neque alicujus earum; imo eas servabit, et servari faciet in futurum, quantum in eo fuerit, sub pœna perjurii. Juravit insuper non impetrare revocationem dictarum Constitutionum, nec absolutionem hujusmodi juramenti in toto vel in parte; nec tali revocatione vel absolutione uti, quamvis sibi motu proprio concedatur, præsentibus supra scriptis testibus, etc.

D *conduntur constitutiones Martinianæ;*

97 *Hæc prolixius exponenda esse censuimus, quia quanta firmioribus promissis et juramentis corroborata videbantur, tanto citius dilapsa*

quibusque brevi intervallo irritatis,

(1) Wadding. Annal. tom. X. pag. 148. — (2) Ibid. pag. 149. — (3) Ibid. l. c. — (4) Ibid. pag. 150 et seqq. — (5) Chronol. hist. legal. Ord. S. Franc. pag. 90 et seqq. — (6) Annal. tom. X, pag. 150.

sunt.

A *sunt. Nam, ut narrat Waddingus* (1), non prius dissoluta comitia, quam maturius expensis Constitutionibus, cœperint pœnitere plerique ex Fratribus et in suas partes alios convocare, qui demum interpellarunt legatum, ut a præstito sacramento vellet absolutos. Ne laquearet animas, propositi minus tenaces, jusjurandum relaxavit : pro firmiori tamen decretorum executione ipsum conditorem, Capistranensem, socium adjunxit generali ministro, cujus impulsu et consilio secundum hos canones Ordo universus reformaretur. Ita terminato capitulo et demissis electoribus, generalis minister cum suo collaterali Capistranensi cœperunt multa corrigere, discursus inutiles et vagationes imminuere, proprietatem eradicare, pretiosa alienare, superflua resecare, curiosas vestes et caputia abscindere, aliaque hujusmodi restituendæ Religioni munia præstare. At cito in ministro deferbuit zelus et fervor. *Et quidem tam cito deferbuit ministri fervor, ut mense post præstitum solemniter juramentum, quod supra retulimus, sequenti, nempe* VI *kal. Augusti* (XXVII *Julii*) *ejusdem anni et mitigatæ fuerint a Martino Papa Constitutiones capituli et ipse generalis absolutus fuerit a vinculo juramenti præstiti* (2). *Sed mortuo die* XXI *Februarii anni sequentis seu* 1431 *Martino V, electus die* III *Martii Gabriel Condolmerius, sub nomine Eugenii IV mitigationes et absolutionem, instante S.* Capistrano, *irritavit et revocavit* (3). Ante aliquot *nempe* menses, *ait Waddingus* (4), Gabrieli prædixerat honorem hunc Joannes Capistranensis, quem summopere diligebat. Profecturus enim in regionem longinquam vale dicto Gabrieli, summa reverentia pedes osculatus est. Rei novitate excitus Cardinalis, interrogavit, cur ita præter morem fecerit, antea solitus manum dumtaxat osculari? Respondit Joannes, se venerari sacram illam, cœlo cognatam, neque quam in eo videbat, dignitatem, amplius visurum nisi in supremo Ecclesiæ fastigio.

petit ab Eugenio IV,

98 Tertio ab electionis die, *nempe* VI *Martii,* dum Eugenio congratulaturus accedit, colloquium hoc propheticum Pontifex ei in mentem reduxit, promisitque veterem amicitiam
C majori fore lucro fovendam. Id solum se cupere dixit Capistranus, ut Regularis Observantiæ familiam paterno amplexaretur affectu, atque in pristinum restitueret statum, quem habebat ante celebrata comitia generalia Assisii, anno proxime elapso. *In hac narratione quædam observanda occurrunt. Imprimis Waddingus nullo verbo indicat, quo loco seu in qua civitate hæc prophetica verba elocutus fuerit* S. Joannes: *ast Joan. Bapt. Barberius in Vita Sancti italica dicit, id Senis accidisse* (5), *in Vita vero latina, Bononiæ* (6). *Et quidem ut latine accuratius quam italice scripserit Barberius, facit, quod Gabriel Condulmerius vix per solidum annum Senensem cathedram tenuerit, videlicet ab anno* 1407 *ad* 1408, *civibus parum gratus* (7): *adeoque verisimile non videtur, moram postmodum anno* 1430, *quo prædictio facta est, in civitate parum amica protraxisse. E contrario autem idem Gabriel sub pontificatu Martini V legationis munus obiit Bononiæ, e qua, ait Ciacconius* (8), veniens, mortuo haud multo post Martino V, e XIV Cardinalibus, qui tunc in conclavi apud Minervam aderant, Pontifex creatur. *Ex quibus verbis deducendum est,* S. Joannem *Gabrieli Legato pontificatum Bononiæ prædixisse. Alterum est, quod Waddingus dicat, sanctum hæc prædixisse* profecturum in regionem longinquam; *Barberius vero in Vita italica* regionem mediocriter longinquam (9), *in Vita autem latina vago modo* regiones nonnullas *indicat* (10). *Et vero si per longinquam regionem textus Waddingiani provincias ultramarinas aut ultramontanas intelligere quis voluerit, is certo errabit, quum tempus, tanti itineris inter prædictionem et eventum sufficiens, non intercurrerit; præsertim quum et pridie mortis Martini V Romæ exstiterit, Pontificem allocutus, dixeritque, ut habet Chrystophorus num.* 89: « *Non videbit lucem sequentis auroræ,* » *satis constat hyemali tempore Sanctum exteram quamdam provinciam non visitasse.*

AUCTORE J. V. H.

apud quem plurimum valebat,

99 *Porro quamquam summa esset Eugenii Papæ erga* Joannem *benevolentia, non tamen statim ejus petitioni acquievit: noluit enim consentire in restitutionem vicariorum, qui singulariter Observantes regerent, sed abrogatis mitigatione et absolutione, a Martino V concessis* (11), *universum Ordinem ad statum et concordiam, prout in comitiis generalibus anni* 1430 *erant, redigere tentavit. Sed iste conatus suo caruit effectu. Etenim anno* 1432 IV *kal. Maji mitigationes Martinianas admisit, et absolutionem, ab eodem Pontifice datam, ratam habuit: sed simul non indulsit solum, ut a suis regerentur vicariis Observantes, verum ut generale ipsi inter se soli capitulum Bononiæ celebrarent, in quo negotia novellæ familiæ tractarentur ejusque constitueretur administratio* (12). Insuper, *ait Franciscus Gonzaga* (13), et voluit, ut Beatus Pater Joannes Capistranus ex apostolica auctoritate commissariatus munere super prædictos omnes patres ac fratres Observantes fungeretur. Quod et summo omnium illorum applausu per integrum septennium, ab anno scilicet 1431 usque ad annum 1438 fecit... Videbatur generalis minister per id tempus nihil minus ab Observantum necessitatibus curare: quamobrem Beatus Pater Joannes Capistranus præfatum Patrem Sanctissimum ac summum Pontificem, F
Eugenium IV, Florentiæ tunc in Hetruria agentem, cui ob vitæ sanctitatem, gravissimos mores, atque dicendi facundiam gratissimus erat, quam humillime convenit, secumque de multis, Franciscanum nitorem concernentibus, præcipue vero de periculosis Minoriticæ Regulæ transgressionibus, de sui Ordinis reformatione, deque recta gubernandi forma disseruit, illique obnixe per Deum, perque omnia sancta supplicavit, ut si pauperculo zelotypoque gregi, in veram suæ Regulæ observantiam inhianti, prospectum ex injuncta pastorali cura affectaret, unum aliquem probum patrem instituere dignaretur, qui universæ Cismontanæ familiæ Observanti ex apostolica auctoritate ita præesset, præferreturque, ut in uno tantum vel altero casu tum ipse tum sibi creditus grex generali ministro subesset.

ut statum Observantium

100 Quod sibi fidere vellet, oblaturum se

(1) Annal. tom. X, pag. 161. — (2) Ibid. pag. 162. et seqq. — (3) Ibid. pag. 178. — (4) Ibid. pag. 177. — (5) Pag. 52. — (6) Pag. 36. — (7) Ughelli. Ital. Sacr. tom. III, col. 570. — (8) Hist. Pontt. et Cardd. tom. II, col. 868. — (9) Pag. 52. — (10) Pag. 36. — (11) Wadding. Annal. tom. X, pag, 178. — (12) Ibid. pag. 179. — (13) De Orig. Relig. Seraph. pag. 12.

AUCTORE J. V. H.

quidem suæ Beatitudini virum, tanto munere dignum, venerabilem videlicet Patrem Bernardinum de Senis, quem quacumque exceptione multo majorem judicaret, pollicitus est. Cujus honestæ persuasioni morem gerens summus ipse Pontifex, reverendissimo Patri Fr. Gulielmo de Casali, totius Ordinis generali ministro, præcepit, ut e vestigio præfatum Patrem Bernardinum de Senis suum commissarium sive vicarium generalem cum plenaria potestate supra omnes Fratres Citramontanos, regularis Observantiæ alumnos, instituerent, cujus præceptis illi parerent, dictisque audirent. *Cuperem equidem vel summa lineamenta eorum, quæ in primo hoc capitulo Observantium gesta sunt, utpote cujus præcipuus auctor fuit sanctus noster* Joannes Capistranus, *adumbrare. Sed, quos coram habeo, tum Sancti tum Ordinis historici nihil speciatim aut particulatim referunt. Waddingus* (1): Fratribus, *inquit*, Observantibus, ut maturiori consilio et communibus suffragiis, quæ suæ stabiliendæ et propagandæ disciplinæ magis conducerent, diligenter examinarent, facultatem indulsit
B (Eugenius IV), comitia generalia separatim a patribus Conventualibus Bononiæ, circa festum Pentecostes, ad S. Paulum celebrandi et constituendi sibi sui instituti vicarios, quales ante capitulum Assisii deligebant. *Ast Waddingus ne verbo quidem indicat, utrum Observantes indulgentia pontificia usi fuerint. Quod tamen affirmat Mich. Angelus a Neapoli, addens exstare adhucdum in loco Capistrani duo brevia, a Romano Pontifice ad patres ipsius familiæ, in capitulo congregatos, transmissa* (2), *quin vel breviter earumdem litterarum tenorem indicet.*

confirmet; 101 *Eodem tempore, quo Eugenius Papa Observantibus facultatem conveniendi in generale capitulum faciebat, delegit sibi suoque speciali obsequio deputavit ex Observantium familia* sex, *inquit Waddingus* (3), viros graves, in lege Dei eruditos et in rebus agendis peritos, quorum opera uti posset in negotiis arduis et magnis, quæ cogitabat, ut Ecclesiam ab hæreticorum erroribus, indicto concilio, et Orientis christianos a Turcarum tyrannide, conscripto milite, præmuniret. Restitutis vicariis et redacto ad formam pristinam regimine delecti sunt in Pon-
C tificis obsequium Joannes Capistranensis, Jacobus Primadicius Bononiensis, Jacobus Picenus e Monte Prandono, Albertus Sartianentis Etruscus, Bartholomæus Yanentis Umber et Ludovicus Bononiensis; viri utique docti, et qui egregiam posuerunt operam Pontificis pio studio promovendo. *Mirum videbitur inter sex viros primarios, e familia Observantium assumptos, ad obsequium Pontificis, S. Bernardinum, totius instituti præcipuum columen ac in specie* S. Joannis Capistrani, *qui eumdem præcipuo honore et amore colebat, non annumerari. In eo certe elucebant omnes animi et corporis dotes, ad tantum ministerium necessariæ: causam tamen omissionis non invenio. Waddingus quidem* (4) *seviratum designatum fuisse,* restitutis vicariis *provinciarum; adeoque si constaret, S. Bernardinum gubernandæ alicui provinciæ præfectum fuisse, ratio aperta pateret, quia nempe ad Pontificis obsequium deputandi erant* D *viri expediti, negotiis Ordinis gerendis nullatenus implicati. Sed legenti Vitam S. Bernardini tum apud majores nostros ad diem* xx *Maji* (5) *tum recentiorem Amedei de Venetia* (6) *nullum vicariatus provincialis vestigium occurrit. Forsan (nam conjecturis utcumque indulgere cogimur) seminando per totam Italiam verbo Dei impensus, non sine magno animarum detrimento a tam fructifero ministerio ad alia negotia, maxime licet momentosa, avelli potuisset.*

ipse dein sub S. Bernardino 102 *Occasione S. Bernardini alia movetur quæstio: nempe utrum S. Bernardinus, an S.* Joannes Capistranus *fuerit primus Vicarius generalis Observantium* (7): *de quo quidem disputant inter se Observantes. Dominicus de Gubernatis in suo Orbe Seraphico* (8) *contendit S.* Joannem Capistranum *fuisse primum vicarium generalem Observantiæ, anno* 1443 *creatum; hac ductus ratione, quod Antonius de Rusconibus, minister generalis,* statim *post electionem suam* rigoroso Pontificis præcepto adactus, B. Joannem de Capistrano in Cismontanis, et Joannem Mauberti pro Ultramontanis deputaverit in Observantia vicarios generales, quos Eugenius Pontificia auctoritate confirmavit (9): *quasi non per omnia similis fuisset S. Bernardini electio et institutio ad idem officium,* E *anno* 1438 *facta. Habendus certe esset S.* Joannes *tanquam primus vicarius, si vicariatus iste fuisset officium aut prælatura perpetua in familia Observantium, aut saltem in ipso S.* Capistrano. *Sed Antonius officium confert* ad Capitulum usque proximum generale (10) *seu ad triennium. Quod vero adspectat* rigorosum Eugenii præceptum, *cujus auctoritate Sanctus noster ad vicariatum generalem promotus fuit, dubium non est et idem in promotione S. Bernardini exstitisse, urgente imprimis Eugenium S.* Capistrano, *qui certo certius præceptum pontificium obtinuit, ut Gulielmus de Casali gubernaculis Observantiæ S. Bernardinum admoveret, quemadmodum ipse postea ab Antonio de Rusconibus admotus fuit. Conferantur, si lubet, utriusque ministri generalis litteræ, et statim utriusque institutionis similitudo apparebit* (11). *Aut igitur S. Bernardinus Senensis dicendus est primus vicarius generalis, ut censet Mich.* F *Angelus a Neapoli* (12), *aut neuter, quum uterque sub iisdem rerum et personarum circumstantiis officium acceperit et procuraverit; primatusque iste deferendus erit Jacobo de Primaditiis Bononiensi, quando scilicet, anno* 1446, *Eugenius Papa separavit Observantes a Conventualibus et potestatem fecit utrique familiæ suos sibi eligendi præfectos generales. Cujus tamen opinionis, quam nemo hactenus protulit, patronum me nullatenus profiteor; imo cum laudato supra Mich. Angelo a Neapoli censeo S. Bernardinum fuisse primum vicarium generalem Observantium, cui adjutor et successor post quinquennium datus fuit S.* Joannes Capistranus.

totius familiæ curam gerit. 103 *Etenim anno* 1441 *S. Bernardinus Senensis, curis oppressus et senecta gravatus, licet solum sexagenarius, diplomate fultus pontificio, diei* x *Novembris* 1440 (13), Joannem *nostrum in partem laborum adscivit et visi-*

(1) Annal. tom. X, pag. 179. — (2) Chronol. Ord. S. Franc. pag. 98. — (3) Annal. tom. X, pag. 179. — (4) Ibid. l. c. — (5) Act. SS. tom. V Maji., pag. 257*. — (6) Vita di S. Bernardino de Siena, dal. P. F. Amadio Maria da Venezia. Venet. 1744. — (7) Cfr Euseb. Gonzalez. Chron. Seraph. tom. V, pag. 51. — (8) Tom. I, pag. 300. — (9) Ibid. l. c. — (10) Wadding. Annal. tom. XI, pag. 177. — (11) Ibid. pag. 31 et 176. — (12) Chronol. Seraph. pag. 99. — (13) Wadding. Annal. tom. XI, pag. 100.

tatorem

A *tatorem ac commissarium instituit Fratrum regularis Observantiæ in provinciis Januensi, Mediolanensi et Bononiensi, datis litteris in cœnobio Capriolæ prope Senas, die* XIV *Februarii* 1441 (1). *Voluerat scilicet S. Bernardinus onus, humeris jam fatiscentibus gravius, deponere, atque a Pontifice Eugenio absolutionem petiverat. Sed Pontifex veritus, ut ipse dicit* (2), *Observantium* familiæ naufragium, si relictis aut relaxatis gubernaculis, regularis disciplinæ rigor solveretur, *Sanctum adhortatur, imo injungit et mandat, ut* pietatis studium in præfatam familiam, ejusque omnes et singulos, ac omnia et singula loca, intra Italiam constituta, juxta officium ei creditum exercere pergat, nihil adhortationis, nihil disciplinæ, quod ad hujus sanctæ Religionis conservationem et incrementum pertineret, prætermittens. *Quia tamen, inquit Pontifex,* cura hujusmodi familiæ ampla esse dignoscitur, pro meliori et expeditiori incumbentium provisione unum sibi coadjutorem, instituendum et removendum ad nutum *concedit facultatem. Constitutus S.* Ca-
B pistranus *S. Bernardini coadjutor, satis intelligitur reliquisse Gulielmum de Casali, cujus erat socius : rupto enim fœdere, quo in unum cœtum convenerant Conventuales et Observantes, quod, ut supra vidimus vix anno perstitit, curam totius Ordinis demittere debuit Sanctus noster et ad solos Observantes suam restringere sollicitudinem. Cæterum fieri non poterat, ut S.* Capistranus *et socius ministri generalis, faventis mitigationibus Regulæ et coadjutor S. Bernardini, profitentis et promoventis accuratam totius Regulæ observationem, duobus dominis diu servire potuerit.*

§ IX. S. Joannes Capistranus constituitur Vicarius Generalis Observantium.

Electo e Conventualibus ministro generali,

C *Defuncto sub initium anni* 1442, *nempe die* II *Februarii, Gulielmo de Casali, generali ministro* (3), *Vicariatum generalem Ordinis simul cum officio præsidendi capitulo, in annum sequentem Patavii indicto, contulit Eugenius Papa in Albertum Sartianensem. Etenim cupiebat Pontifex hunc in ministrum generalem assumi, utpote quem judicabat aptissimum ad diversas Ordinis partes in unum corpus coagmentandas : inter Conventuales multis annis conversatus, ad Observantes dein transiverat, apud quos vitam duxerat undequaque laudabilem. Repugnabant autem Conventuales virum sibi præponi, e novella familia eductum et rigidioris disciplinæ exactorem : itaque elegerunt Antonium de Rusconibus, Novocomensem, doctrina non minus quam genere illustrem. Waddingus dicit* turbulentam *fuisse* electionem (4), *neque prorsus dissentire videntur Conventuales; siquidem in opere, exhibente imagines* Generalium Minorum Conventualium, *ad effigiem Antonii legitur electus,* composito tamen gravi dissidio, inter eosdem Fratres suborto : *quæ verba satis conveniunt cum Waddingianis. Nihilominus,* delatam, *ait Waddingus* (5), ad Pontificem electionem, etsi dis-

(1) Wadding. Annal. tom. XI, pag. 137. — (2) Ibid. pag. 100. — (3) Ibid. pag. 136. — (4) Ibid. pag. 176. — (5) Ibid. l. c.

plicuerit, confirmavit tamen, ne Philippum Mariam, ducem Mediolanensem, paulo ante reconciliatum, offenderet, si subditum sibi, nobili natum familia, a suis consodalibus electum, gravi famæ injuria rejiceret. Jussit porro, ut familiam Observantum ipsis regendam committeret, et in duas partes divisam, citra montes traderet Joanni Capistrano, ultra Joanni Mauberto. *Hinc conventum est, sequestribus Cardinalibus Morinensi, Firmano, Tarentino et Cumano, de mensura potestatis, hujusmodi vicariis tradendæ : quibus quæstionibus compositis, Eugenius Papa dedit bullam, in qua commissam ab Antonio de Rusconibus utrique vicario Cis- et Ultramontano potestatem, mutatis mutandis continetur, et est tenoris sequentis.*

AUCTORE J. V. H.

per literas apostolicas

105 Ad perpetuam rei memoriam. Fratrum Ordinis Minorum, in vinea Domini Sabaoth Altissimo jugiter famulantium, merita promerentur, ut eis in his, quæ divini cultus et religionis ac regularis Observantiæ augmentum respiciunt, præcipuos favores et specialia præsidia, quantum cum Deo possumus, impendamus. Sane pridem ex nostra dispositione dilectus filius Antonius de Rusconibus, E
sacræ theologiæ professor et generalis minister ipsius Ordinis, ex certis rationabilibusque causis, animum nostrum suumque moventibus, dilectos filios Joannem de Capistrano domorum, locorum, et conventuum Citramontanorum, necnon Joannem de Mauberto ejusdem Ordinis professores, domorum, locorum et conventuum omnium et singulorum Ultramontanarum partium dicti Ordinis, sub sacro Observantiæ nomine constitutarum, vicarios generales fecit, constituit et deputavit, prout in litteris dicti generalis ministri plenius continetur, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, et talis est : « In Christo sibi caris-
« simo Fr. Joanni de Capistrano, Ordinis
« Minorum, provinciæ Pennensis, Fr. Anto-
« nius de Rusconibus, sacræ theologiæ magi-
« ster ac totius ejusdem Ordinis Fratrum
« Minorum generalis minister et servus, sa-
« lutem et pacem in Domino sempiternam.
« Quum pridem, videlicet idus Julii San-
« ctissimus Dominus noster Eugenius Papa IV
« de salute et conservatione Fratrum in de-
« bita obedientia, ac regulari, quam voverunt, F
« Observantia, considerans, mihi, quum man-
« dare posset, sua benignitate suaserit, assi-
« stentibus sibi RR. PP. S. R. E. Cardinalibus,
« videlicet Tarentino, Cumano, Morinensi et
« Firmano, nec non R. P. D. Joanne Siculo,
« abbate S. Pauli de Urbe et quam plurimis
« reverendis ministris, ac venerabilibus sacræ
« theologiæ magistris et aliis probatissimis
« Fratribus dicti Ordinis, quatenus, conside-
« rata multitudine Fratrum et diversitate vi-
« rorum, pro bono regimine et gubernatione
« ac manutentione et augmento omnium et
« singulorum, præsentium et futurorum in
« conventibus, domibus vel locis devotis ejus-
« dem Ordinis, qui de Observantia nuncu-
« pantur, præsertim in partibus Cismontanis
« commorantium, vicarium unum generalem
« constituerem, cum plenaria facultate et au-
« ctoritate in omnibus provinciis Citramonta-
« nis, ad quam generalatus officii, cui indi-

« gnus

AUCTORE J. V. H.

« gnus præfectus sum, auctoritas se extendit,
« ad te nomine proprio expresso, oculum
« mentis suæ direxerit.

et ministri generalis

106 « Hinc est, quod ego, ut teneor, suasionem hujusmodi, et omnem aliam suæ « Sanctitatis pro mandato accipiens, cupiensque mandatis apostolicis obedire, ac etiam « inspecta tuæ vitæ sinceritate, morum gravitate, sufficientia multa, prudentia circumspecta, discretione præcipua, ferventi caritate ad bonam Ordinis reformationem, in « commissis fidelitate, in exequendis promptitudine, in regendis ac ad meliorem frugem reducendis Fratribus aptitudine, tua « denique multiplici probitate, quibus omnibus te insigniter decoravit Altissimus, nihilominus confisus in Domino, communicato « etiam consilio cum plerisque ministris et « sacræ paginæ professoribus et aliis probis « nostri Ordinis Fratribus, qui reverenter hoc « sanctum S. D. Nostri propositum laudarunt, « et institutioni de te fiendæ consensum præ« buerunt : Te meum vicarium generalem in « omnibus et singulis provinciis, ac vicariis
B « et eorum conventibus ac locis partium Ci« tramontanarum super omnes Fratres, de « Observantia nuncupatos, præsentes et fu« turos ad capitulum usque proximum gene« rale, instituo et institutum denuntio per « præsentes; committens tibi plenarie vices « meas et dans tibi liberam auctoritatem et « potestatem ac omnimodam facultatem meam « super omnes et singulos dictos Fratres, in « præfatis Citramontanis partibus commoran« tes ac commoraturos, tam in capitibus quam « in membris visitandi, publice et private « vocandi, citandi, inquirendi, examinandi, « procedendi, judicandi, admonendi, termi« nandi, decidendi, sententiandi, approbandi, « reprobandi, corrigendi, arctandi, detinendi, « puniendi, carcerandi, a carceribus libe« randi, ad actus legitimos restituendi, Fra« tres provinciarum et vicariarum hujusmodi « collocandi et commutandi, expellendi et « revocandi : Fratres, de Ultramontanis par« tibus cum bona licentia venientes reci« piendi; apostatas omnes, ad Ordinem re« dire volentes, cum pœnitentia, quæ tibi
C « videbitur injungenda, reducendi et acce« ptandi : Fratres Conventuales, dummodo « suis ministris non sint rebelles et ab eis « licentiam petierint, ac pœnitentiam non ef« fugiant delictorum, veraciter cupientes ad « meliorem frugem se transferre et vivere re« gulariter, recipiendi.

constituitur S. Joannes

107 « Officiales et prælatos quoslibet, tibi « subjectos, quum opus fuerit aut casus exe« gerit, privandi, absolvendi, deponendi et « restituendi, vel alios loco eorum, si tibi « videbitur, instituendi, de consensu tamen « Fratrum eorumdem locorum in quibus hu« jusmodi officiales aut prælati existunt, vel « saltem majoris partis eorumdem : Fratres, « conventus, domos et loca prædicta præ« sentia pariter et futura, tibi subjecta, infor« mandi et reformandi : absque socio vel sine « licentia de Ultramontanis partibus venien« tes puniendi; et quos noveris habiles ac ido« neos etiam ad sacros Ordines usque ad sa« cerdotium inclusive promoveri faciendi, ad « confessionis et prædicationis officia promo« vendos et promotos, si tibi videbitur, pri- D
« vandi et suspendendi : omnes vel singulos « Fratres hujusmodi ab omnibus peccatis suis, « pœnis spiritualibus vel temporalibus, excom« municationibus, suspensionibus, transgres« sionibus Regulæ et statutorum, casibus, ir« regularitatibus et censuris, mihi concessis « vel reservatis, libere absolvendi, liberandi, « dispensandi, quoties opus fuerit : te quoque « ab hujusmodi absolvi, liberari et dispensari « faciendi etc. quoties tibi videbitur oportere: « ad omnes provincias et vicarios Ordinis si« militer, quoties et quando tibi visum fuerit, « et ad meam præsentiam ac Romanam cu« riam accedendi et mittendi : fugientes a sæ« culo et quoscumque volentes Deo in nostro « Ordine deservire, tam pro laicis quam pro « clericis ad habitum et professionem nostræ « Religionis recipiendi : gratias, a me conces« sas eisdem Fratribus vel in posterum conce« dendas, si tales, quod absit, concessi aut in « posterum concedere contigerit, per quas ab « Observantia regulari distraherentur Fratres « hujusmodi, aut quæ scandalum in regimine E
« tibi commisso parerent, haberi volo pro in« fectis : contradictores quoslibet et rebelles « per censuram ecclesiasticam et alia juris et « dicti Ordinis remedia etc. per invocatio« nem brachii ecclesiastici vel sæcularis, si « opus fuerit, compescendi : congregationes « in provinciis et vicariis omnibus tibi sub« jectis, sive pro electione vicariorum, sive « pro aliis utilibus negotiis et occurrentibus « opportunis faciendi, sive fieri faciendi, pe« tita tamen licentia a ministro illius provin« ciæ, in quo hujusmodi congregationem fieri « contigerit, ipsam celebrandi et faciendi, « quoties per vicarium ipsius ministri eam« dem fieri contigerit.

cum amplissima potestate

108 « Proviso, quod vicarii a Fratribus pro« vinciarum, seu pro tempore eligendi, præ« sententur ministris earumdem, qui ministri « infra triduum teneantur eosdem confirmare; « ac etiam quod guardiani, quoties eosdem ab « ipsis Fratribus eligi contigerit, more con« sucto a ministris provinciarum præsenten« tur, et in tabula definitionis capitulorum « describantur : congregationem insuper ge- F
« neralem omnium provinciarum et vicaria« rum tibi, ut præmittitur, subjectarum, de « licentia tamen mei, qui ex nunc me ad hoc « tibi propitium et favorabilem exhibeo, aut « alterius ministri generalis, si quem huju« modi tempore durante, fieri contigerit, « congregandi et faciendi : et generaliter et « specialiter omnia alia et singula in spiri« tualibus et temporalibus, circa conventus, « Fratres et loca hujusmodi faciendi, gerendi, « exercendi, ordinandi, disponendi, admini« strandi et statuendi, quæ ego ipse facere « possem, si personaliter interessem : quæ « omnia præsentibus haberi volo pro suffi« cienter expressis et declaratis. Easdem in« super auctoritates et gratias, potestates et « facultates, per me tibi concessas, vel earum « partem aliis Fratribus, quos ad hoc judicave« ris idoneos, super quo tuam onero conscien« tiam, committendi vel concedendi; nec non « per ipsos tuos commissarios mitti et concedi « faciendi, quum tibi opportunum videbitur. »

109 « Mandans propterea omnibus et sin« gulis

Vicarius generalis;

« gulis Fratribus, in præfatis Citramontanis « partibus commorantibus aut commoraturis, « prælatis et subditis, ad mandatum obedientiæ salutaris, in virtute Spiritus Sancti, quatenus, omni appellatione postposita, quam « nullo modo facere liceat, toto tempore dicti « tui vicariatus officii, tibi, tamquam personæ « meæ, in omnibus et per omnia firmissime « et humiliter pareant et intendant : et nullo « colore vel causa quæsitis, possint ipsi Fratres ad fugiendam pœnam excommunicationis et carceris ac privationis officiorum « et omnium actuum legitimorum latæ sententiæ, aut ad subterfugiendum correctionem, examinationem, reformationem, et « tuam sive vicariorum, tibi subditorum, « obedientiam, ad conventus et loca, tuæ curæ « non commissa, confugere; neque, si jam « confugerint, vel deinceps confugere contingeret, ministri, custodes, guardiani seu « quicumque alii Fratres, tibi non subditi, « cujuscumque conditionis, gradus et dignitatis existerent, sub pœna privationis officii « sui et excommunicationis latæ sententiæ et B « privationis omnium actuum legitimorum, « minime audeant illos recipere aut forte receptos, vel in posterum, quod absit recipiendos, retinere contra tuum velle, vel « vicariorum, tibi, ut præmittitur, subjectorum. Nolentes propterea, quod aliquis me « inferior etc. quacumque dignitate et auctoritate præfulgeat, de cura et regimine ac « gubernatione omnium Fratrum, tibi, ut « præmittitur, in Citramontanis partibus subditorum, durante tempore præfati vicariatus tui, in aliquo te quomodolibet impedire, « aut te aut quibus commiseris, inquietare, « seu quovis modo molestare præsumat, sub « pœnis et censuris prælibatis. Reservata tamen mihi potestate, te et alios vicarios et « subditos, quoties casus exegerit, et opportunum videbitur, personaliter dumtaxat « visitandi, corrigendi, puniendi et alia faciendi, quæ circa hujusmodi videbuntur « opportuna; salvo, quod contra te, nonnisi « de consensu vicariorum, ad aliquam pœnam, saltem gravem, procedere non intendo, C « non tamen similiter contra alios earumdem « partium. Non intendo tamen per concessionem hujusmodi, quod tu aut Fratres præ« fati, de Observantia nuncupati, loca Conventualium possis seu possint recipere. Tu vero « tam diligenter, tam provide et sollicite ac « vigilanter studeas præfatum vicariatus offi« cium exercere, ut, præter æternæ vitæ « præmia, valeas apud Sanctam Sedem apo« stolicam, me et totum Ordinem merito « commendari. Vale in Domino Jesu et ora « pro me. Datum Senis, die XIII Julii anno « Domini 1443. »

etiam pro monialibus S. Claræ:


110 Nos igitur salubrem et necessariam et plurimum fructuosam ipsi Ordini et Observantiæ Regulari dispositionem, a prædicto generali ministro de dicto Joanne de Capistrano factam, attendentes, ac ipsam apostolicis favoribus et præsidiis stabilire cupientes, vicariatus hujusmodi constitutionem et deputationem, de prædicto Joanne de Capistrano factam, ut præmittitur, motu proprio, non ad ipsius Joannis vel alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia, supplendo omnes et singulos defectus, si qui intervenerint in eisdem auctoritate apostolica confirmamus et approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis et communitionis infringere etc. Datum Senis, anno Incarnationis Domini 1443, kalendis Augusti, pontificatus nostri anno XIII. *Quia tamen minister generalis in supra citatis litteris nullam faciebat mentionem de monasteriis et monialibus S. Claræ, adhærentibus Observantiæ Regulari, aliis litteris, datis* VIII *Augusti ejusdem anni hunc defectum supplet, ac S.* Capistrano *eamdem potestatem tribuit in istiusmodi moniales, earumque monasteria, ac eam, quam eidem in Fratres et eorum loca contulerat; ita ut esset etiam monialium vicarius generalis cum plenitudine potestatis* (1). *Sed ante istiusmodi delegationem, jam erat pro monialibus S. Claræ commissarius generalis* Joannes *noster. Cujus rei luculentissimum habemus testimonium in epistola, ad* E *S. Coletam, monialium Clarissarum reformatricem, data Bisuntii die* VIII *Novembris* 1442, *qua tam ipsi S. Coletæ, quam ejus confessario Fr. Petro de Vallibus concedit, ut possint eligere unum vel plures fratres Observantiæ, in visitatores conventuum, jam erectorum aut in posternum erigendorum. Imitamentum hujus epistolæ eo lubentius infra damus, quod et subscriptionem manus propriæ Sancti nostri habeat et directa sit ad S. Coletam, quæ, ut omnes norunt, Gandavi diem suum obiit. Dicitur tamen, S.* Capistranus *aliquantum mitigatam voluisse primævam Regulam S. Claræ* (2). *En epistolam ligno incisam cujus autographum exstat in thesauro Reliquiarum conventus Gandavensis, apud FF. Minores Observantiæ, quorum benevolentiæ transsumptum debemus. Ipsas litteras ante dabimus formis ordinariis.* Christo Deo devotæ Sorori Coletæ Ordinis Sanctæ Claræ in Sponso Virginum nostræ carissimæ filiæ frater Joannes de Capistrano Ordinis Minorum a Sede apostolica et a reverendissimo patre vicario generali in provinciis Cismontanis commissarius salutem et pacem in Domino sempiternam. Cupiens F paterno affectu te in Domino consolari omnes gracias a reverendissimis patribus ministris generalibus tibi et confessori tuo fratri Petro de Vallibus, necnon confessoribus conventuum sororum per te ædificatorum et eciam ædificandorum concessas et approbatas per præsentes ratifico et confirmo, ac ratificatas et confirmatas præsentium tenore decerno : insuper tibi et tuo dicto confessori eodem tenore concedo quod unum nostri Ordinis fratrem probatæ vitæ et boni testimonii, vel plures nominare possitis pro officio visitationis exercendæ tam super sorores dictorum conventuum quam super fratres in dictis conventibus degentes; cui vel quibus sic nominato vel nominatis præsentium tenore eamdem facultatem et potestatem concedo et per præsentes concessa denuntio, quam præfati generales ministri visitatoribus prædictorum conventuum alias concesserunt, mandans per obedientiam salutarem fratri vel fratribus sic nominato vel nominatis, ut officium visita-

(1) Wadding. Annal. tom. XI, pag. 179. — (2) Melloni. Atti et mem. di S. Caterina da Bologna. pag. 229. not. II.

tionis

AUCTORE J. V. H.

tionis reverenter suscipiant et susceptum diligenter ac devote exerceant. Vale in Christo Jesu et ora pro me. Datum Bisuntii die VIII mensis Novembris anno Domini M° CCCC° XLII° fr. Johannes. D



et conventum Aram Cœli accipit.

111 *Acceptis vicariatus litteris* S. Capistranus *commissum sibi munus, quo difficilius, eo diligentius exercere cœpit, omnes provincias visitans, vitia eradicans, ad virtutes omnes excitans, bonos præmio, malos pœna afficiens, et quod efficacissimum est, subditos vitæ suæ integerrimæ exemplo ad accuratam suscepti instituti observantiam cogens. Ipso porro anno, quo officium vicarii generalis Observantium occepit Sanctus noster, Eugenius Papa in locum Aramcœli, præcipuum Fratrum Minorum in Urbe conventum, amotis conventualibus, Observantes induxit, datis diplomatibus, quæ apud Waddingum in Regesto Pontificio legi possunt* (1); *commisitque protectionem dicti conventus senatori et conservatoribus Urbis* (2). Accepta, *pergit Waddingus* (3), possessione, B. Joannes Capistranus ædes C resarcivit, templum polivit, suis concionibus celebravit, lapsam disciplinam restauravit; et vocatis ex aliis provinciis viris doctis et religiosis, in vertice romanæ majestatis (*id est in capitolio, supra quod Aracœli exstructa est*) eminentem speculam contra Ordinis adversarios constituit atque supra excelsum candelabrum clarissimam sui instituti lucernam accendit. Ex præcipuis nationibus patres aliquot discretos constituit, qui et suæ gentis negotia curarent, et adventantibus satisfacerent conterraneis. Duos deputavit commissarios, qui duarum familiarum ultra et citra montes res pertractarent, præscriptis unicuique rebus et terminis suæ commissionis. Ab illo tempore prudentissima hæc rerum dispositio perduravit, summo utriusque familiæ consensu; atque hinc origo sumenda est bipartitæ auctoritatis inter Observantes, quam prius integram exercebat solus procurator generalis. Cuncta hæc rata habuit et commendavit Eugenius Pontifex. *Petrus Van den Haute in suo Breviario Historico Ordinis Minorum dicit* (4), *ante annum* 1517 *nec nomen nec rem fuisse commissarii: sed tunc exortam hanc dignitatem, quando, totius corporis Religionis generali ministro instituto, alternatim ex Cis- et Ultramontana familia, pro illa, quæ ista vice ministrum generalem non habebat, eligebatur commissarius generalis, qui illam regeret, tamquam prælatus ordinarius, sed ministro generali subjectus, ac illius vices gerens. Verum hæc inter se nomine magis quam re pugnant. Nam Petrus Van den Haute, dum hæc dicit, agit de novo quodam officio, creato anno* 1517, *et paulo infra agens de hac ipsa ordinatione* S. Capistrani, *affirmat pro qualibet familia fuisse* generalem curiæ officialem cum titulo commissarii: inde ergo, *ait*, Observantes habuerunt suos procuratores et agentes, licet aliter nominarentur (5). F

§ X. Conventualium conatus, ut Observantes sibi subjiciantur, repellit S. Capistranus.

Capitulum Observantium celebrat;

E*lapso fere sui vicariatus triennio,* S. Capistranus *convocavit Romam in conventum Aracœlitanum capitulum generale Observantium, in die, ait Waddingus,* Pentecostes, *hoc anno* 1446 *in diem* v *Junii incidentis. Eo in capitulo quod separatim a conventualibus celebrari permiserat Eugenius Papa* (6), S. Joannes *vicariatum suum deposuit, et coram Pontifice, qui omnibus actis capitularibus interesse voluit, electus fuit vicarius generalis Jacobus de Primaditiis Bononiensis, vir doctrina, pietate et miraculis illustris* (7). *Caverat autem Pontifex, ne Antonius de Rusconibus et conventuales, qui et ipsi sub idem tempus capitulum generale ad*

(1) Wadding. Annal. tom. XI, pag. 478 et 380 — (2) Ibid. l. c. — (3) Ibid. pag. 244. — (4) Pag. 238. — (5) Brev. hist. pag. 246. — (6) Wadding. Annal. tom. XI, pag. 251. — (7) Ibid. pag. 254.

Montem

A *Montem Pessulanum in Gallia celebrabant*, de Fratrum de Observantia regimine ullatenus se intromitterent, nisi eo modo, quo fuerat Senis concorditer ordinatum, *ut diximus supra numm.* 104 *et seqq.* (1). *Nihilominus Antonius, minister generalis, noluit Primaditium, ab Observantium familia electum, confirmare, quia, ut asserebat, capitulum sua auctoritate convocari, ipsoque præsente celebrari debuisset. Ægre tulit hujusmodi argutias Pontifex, utpote qui Primaditii electionem auctoritate apostolica confirmavisset litteris datis pridie non.* (VI) *Maji a Waddingo exhibitis* (2). *Sed hæ ipsæ litteræ sua non carent difficultate, quam ab historiographis Ordinis Minorum solutam non invenio. Nempe quoniam Eugenius electionem Primaditii confirmat* VI *Maji, jam ergo capitulum illa die celebrabatur : ast altera ex parte, teste Waddingo aliisque* (3), *idem capitulum convenisse dicitur* sub festum Pentecostes, *eo anno in diem* V *Junii incidentis, adeoque toto ante mense Eugenius ratam habuisset electionem, non tam factam, quam faciendam. Censeo itaque expungendum festum Pentecostes, et substituendum*
B *initium Maji tamquam principium capituli, in conventu Aracœlitano celebrandi : errorem vero derivatum censeo ex more, quo consueverant et consuescunt Minores habere festa pentecostalia tamquam dies specialiter deputatos ad comitia sua celebranda : atque hinc factum existimo, ut scriptores, quum viderent capitulum generale mense Majo congregatum, id ad festum Pentecostes ex more, erronee tamen, traduxerint. Similem errorem redarguit Waddingus in celebratione capituli sequentis seu anni* 1449, *ut infra num.* 115 *monstrabimus.*

electionem Nicolai V prædicit;

113 *Tempore triennalis regiminis Jacobi Primaditii obiit Eugenius, scilicet die* XXIII *Februarii* 1447 ; *quo tempore S.* Joannes Capistranus *Aquilæ in Vestinis agebat. Cum fratre autem Nicolao Teutonico pensum sacerdotale persolvens, quum ex pia consuetudine ac summa erga sedem apostolicam reverentia, Officio divino adderet collectam ordinariam pro Papa, ad illa tamen verba :* famulum tuum Eugenium, *subrogavit nomen* Nicolai *seu Thomæ de Sarzana : quatenus videlicet spiritu prophetico vir*
C *sanctus prævideret et prædiceret, futurum Pontificem appellandum fore Nicolaum. Etenim intervallo dierum duodecim, seu a die* XXIII *Februarii quo obiit Eugenius, ad* VI *Martii, quo Nicolaus electus fuit, fieri non potuit, ut Aquilæ, in civitate* LX *milliaribus* (4) *Roma distante, uterque eventus simul ignoraretur; certe isto* XII *dierum intervallo, prius innotuit obitus Eugenii, quam electio Nicolai ; ac proinde ista mutatio in oratione supracitata brevi post Eugenii obitum tempore, probabilius ipsa die* XXIII *Februarii, accidit. Sed summum pontificatum ipsi Thomæ præsignaverat S.* Joannes : *quum enim ad Thomam, sedi Bononiensi* V *kal. Decembris* 1445 *admotum* (5), *gratulaturus accederet, nihil simile cogitanti dixit vir sanctus :* « *Ad cardinalatum curris, et ad pontificatum festinas.* » *Rubore suffusus episcopus, ut vana istiusmodi præsagia omitteret, admonuit. Cui* Capistranus : « *Secundum nomen tuum, ita et fides tua : Thomam te nunc exhibes, sed cito cum nomine exues incredulitatem.* » *Atque dein hæc ipsa verba in litteris, ad Pontificem Nicolaum datis, in memoriam revocavit. Et vere præfidens videbatur vaticinium, ut qui intra menses admodum quatuordecim ex canonico Bononiensi ad summi pontificatus apicem ascenderet : veram tamen prophetiam probavit eventus : die* XXVII *Novembris* 1445 *creatus episcopus, die* VI *Martii* 1447 *electus fuit summus Pontifex Thomas de Sarzana sub nomine Nicolai V.*

AUCTORE J. V. H.

studia literaria promovet;

114 *Statim porro ab inito vicariatus sui officio voluit Sanctus, ut studia literarum inter Observantes florerent : ac propterea in Constitutionibus, anno* 1443 *editis, præscripsit* (6), omnibus vicariis, suæ curæ commissis, in quibuslibet partibus Cismontanis, quatenus, habita notitia (*de voluntate Pontificis et Cardinalium*), quam citius poterunt, quilibet vicarius in sua provincia determinet unum vel plura loca juxta possibilitatem et aptitudinem Fratrum provinciæ, in qua vel in quibus locentur Fratres idonei ad docendum pariter et discendum, qui proficere valeant, nedum in primitivis scientiis (*litteris humanioribus et philosophia*), sed etiam in sacra pagina, Deo duce. Et E
hoc cum affectu et sine dissimulatione fieri debeat per quemlibet prædictorum, ad meritum obedientiæ salutaris : ut tam prædicatores quam confessores, sine defectu et errore, ad Dei gloriam et animarum salutem, eorum officium valeant exercere : alias erit in præjudicium conscientiarum vestrarum, si quemquam promoveritis ad officia prælibata, nisi idoneum et sufficientem. Vicarii quoque et guardiani non occupent nec occupari permittant Fratres idoneos ad discendum, neque in scribendo * neque in aliis laboritiis, nisi in quantum inevitabilis necessitas suaderet. *Non sine quorumdam obmurmurationibus recepta est Sancti nostri ordinatio; utpote qui timerent, ne per scientiam et eruditionem periret aurea simplicitas et humilitas vera. Sed vanum hunc fuisse timorem monstrant plurimi viri e familia Observantium doctrina non minus quam sanctitate illustres, qui ab ipso Ordinis principio ad usque nostra tempora floruerunt. Ad discutiendas istiusmodi difficultates specialem Sanctus lucubravit tractatum* de promovendo studio F
inter Minores Observantes. *Cæterum quandoquidem, ut docet S. Bonaventura in Determinationibus Quæstionum circa Regulam S. Francisci, Quæst.* II (7), *Fratres Minores* ex apostolicæ Sedis missione *prædicationis opera et confessionis fidelibus impendant, concludit S. Doctor necessitatem studii litterarum, quæ optime, ut monstrat experientia, cum simplicitate et humilitate conciliari potest* (8). *Quidquid itaque sit de controversia, olim inter Armandum de Rancé et Joannem Mabillon agitata, hæc nullatenus studia litteraria Ordinum Mendicantium attingit.*

* *id est* transscribendo

iterum vicarius generalis,

115 *Jacobus Primaditius, absoluto fere anno* 1449 *vicariatus sui triennio, capitulum Observantium convocavit in conventum Nemoris de Mugello, locum S. Francisco olim concessum, et ob desertionem Conventualium ad Observantes devolutum* (9). *Id autem in celebrando capitulo singulare contigit. Morbo suo per dies* XV *impeditis comitiis, ne Cosmas Me-*

(1) Wadding. Annal. tom. XI, pag. 254. — (2) Ibid. pag. 255. — (3) M. Ang. a Neap. chronol. Ord. Min. pag. 114. — (4) Cfr La Martinière. Dict. geogr. v° *Aquila.* — (5) Ughelli. Ital. Sac. tom. II, col. 34. — (6) M. Ang. a Neap. chronol. Ord. Minor. pag. 106. — (7) Operum. tom. VII, pag. 356. — (8) Cfr Wadding. Ann. tom. XI, pag. 223. — (9) Gonzag. Orig. Seraph. pag. 230.

diceus,

AUCTORE J. V. H.

diceus, cujus expensis convenerant, gravaretur; petiit Primaditius Vicarius, ut liceret Fratribus per castella proximasque villas sibi in posterum necessaria quærere. Ast Cosmas bono animo jussit esse Fratres, se nempe curaturum, ne quidpiam, durantibus etiam ad longius tempus comitiis, alicui deesset (1). *Tandem die* XVIII *Maji* 1449, *dominica* V *post pascha, non vero ut habent, ait Waddingus* (2), *Marianus et Marcus, sub festum Pentecostes, electus fuit iterum vicarius generalis familiæ Cismontanæ S.* Joannes Capistranus. *Prævertisse existimo Observantes suorum comitiorum initia, ne Conventuales, eodem tempore suum capitulum celebrantes, impedimentum aliquod electioni objicere possent. Electionem S.* Capistrani *confirmavit Papa Nicolaus, sexto post die, datis litteris* XXIII *Maji ejusdem anni ad Antonium de Rusconibus, ministrum generalem, sequentis tenoris* (3) : Dilecto filio Antonio etc. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Profecturus ad capitulum dilectus filius Fr. Joannes de Capistrano ad præsentiam nostram se contulit, et, ut nobis enuntiavit, se vicarium electum fore ac publicatum, ipsum, attenta suæ præsenti vitæ honestate ac religionis observantia, auctoritate nostra confirmavimus et pro confirmato haberi debere decernimus. Tu erga illum benigne fac et grate suscipias, sibique favori et præsidio, nostro intuitu et suis benemeritis, esse velis in omnibus, quæ ad eum et cæteros de Observantia spectant, si nobis rem gratam cupis efficere, ac eumdem confirmes : nam quo illi te favorabiliorem præstabis, eo nobis gratius futurum existimes : si vero contra fieret, quod non credimus, tanto uberiorem assistentiam et favorem consequetur a nobis. Datum Spoleti die XXIII Maji, pontificatus nostri anno III.

B

fratres suos, fraudis accusatos,

116 *Florentiam igitur, qua in civitate circa festum Pentecostes, illo anno* 1449 *in ipsas kalendas junias incidentis, capitulum generale Ordinis celebrabat Antonius de Rusconibus, minister generalis, adiit S.* Joannes Capistranus. *Et quidem Antonius ratam habuit electionem* Capistrani *in vicarium generalem : sed simul capitulares ægre admodum ferebant, familiam, numero, sanctitate, principum favore et opinione populorum illustrem, e gremio suo divelli : adeoque viis omnibus tentandum sibi existimabant, ut hæc divisio, Eugeniana præsertim bulla, quam numm.* 105 *et seqq. attulimus enata et confirmata, tandem tolleretur. Conventualium conatibus favebant quoque non pauci inter Observantes, severioris disciplinæ et arctioris paupertatis pertæsi. Prætendebant scilicet, Regulam S. Francisci exigere, ut omnes Fratres haberent ministrum generalem, cui tenerentur obedire. Quasi vero ad sedem apostolicam non pertineret dispensare in iis omnibus, quæ ab eadem auctoritatem suam mutuata sunt : hoc est nempe, ut recte animadvertit Waddingus* (4), excolare culicem et camelum glutire * : *nisi itaque S. Francisci Regula extollatur supra canones universalis Ecclesiæ, denegari non potest Pontifici potestas relaxandæ Regulæ Franciscanæ, utpote qui possit, omnibus fatentibus, leges ecclesiasticas solvere, secundum opportunitatem personarum et temporum. Quamvis autem Conventualium tentamina tunc inania fuerint, nihilominus fraternitatis vinculum solvi cœpit, non quidem in Cismontana, cui præerat S.* Capistranus, *familia, sed in Ultromontana : nam eodem anno,* XIII *kal. Decembris, Nicolaus V ad petitionem Joannis de S. Anna, ministri provinciæ Castellæ in Hispania, concessit, ut Observantes qui vellent, sub ejus jurisdictionem redire possent. Similes fere litteras idem Pontifex dederat jam pridie kal. Septembris* 1447 *pro provincia Turonensi in Gallia* (5).

C

D

117 *Erat id pro Observantium familia vulnus, in reliqua membra vitium paulatim inserturum, ut monstrat Waddingus ad annum* 1454 (6). *Sed maxime damnosæ Observantiæ erant rationes, quibus concessio Castellana innitebatur. Etenim Nicolaus Papa in sua bulla dicebat, Eugenium prædecessorem suum,* sinistra, ut verisimiliter creditur, informatione circumventum, *Observantes jurisdictioni ministrorum subtraxisse; conventus et fratres de Observantia* simulate et contra eorum mentem et libertatem, ut sententias, censuras et pœnas, in litteris Eugenii contentas evitarent, vicariis de Observantia, non sine suarum scrupulo conscientiarum obedivisse (7). *S.* Capistranum *fugere non poterat, quantum vulnus Observantiæ infligeretur per istiusmodi insinuationes, facileque prævidebat ex hac libertate, prætextu conscientiæ vestita, regularem disciplinam enervatum iri. Quapropter, ut malum imminens a familia sua averteret, jussit* Capistranus *fratres suos orationi et jejunio instare. Præ omnibus ferventissime Deum deprecatus est Franciscus a Papia, cui apparuit Christus, et mœrentem consolatus, dixit* (8) : « *Ut quid propter ista turbaris? Cur tantopere commoveris? Cujus est hoc opus? Cujus familia? Nonne mea? Ego prosperabo et crescere faciam in gentem magnam, quæ præ multitudine numerari non poterit. Quis e tot diversisque nationibus sodalitium hoc coagmentavit? Quis adeo brevi tempore, tot contradicentibus, multiplicavit? Ego feci, ego ab inimicis defendam. Qui vos conturbant, non facient impune : ab hac vita resilientes pœnitebit, sed perseverantes bene habebunt; pro desertoribus alios substituam, qui eorum coronas suscipiant. » Hisce verbis ipse S.* Capistranus *confortatus, Pontificem adiit, artes adversariorum detexit, contra calumnias obarmavit : idque tandem obtinuit, ut Eugeniana bulla suo in robore in Cismontanis perstaret.*

E

F

defendit,

et Ultramontanos

118 *Neque sua Ultramontanæ familiæ consilia desiderari patiebatur* Capistranus. *Mortuo enim istius familiæ Vicario generali, Joanne Pieroche seu Mauberto, die* XXIV 1450, *Athi in Hannonia* (9), *Theodorico Aurigæ, provinciæ Franciæ vicario, commisit Pontifex curam convocandi et regendi capitulum generale, quod Barcinonem ad diem Pentecostes, anno* 1451 *in* XIII *Junii incidentis, convenit. Monuit autem S.* Capistranus *patres Ultramontanos, ut prudenter eligerent, datis litteris, quas ex Waddingo subjicimus* (10) : Reverendis in Christo dilectis patribus et fratribus Regularis Observantiæ, in capitulo generali Barcinone congregandis. Reverendi in Christo patres, præ-

* Matth. XXIII, 24

(1) Gonzag. Orig. Seraph. pag. 231. — (2) Ann. tom. XII, pag. 28. — (3) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 29. — (4) Annal. tom. XII, pag. 31. — (5) Ibid. tom. XI, pag. 290. — (6) Ibid. pag. 212. — (7) Ibid. pag. 33. — (8) Ibid. pag. 31. — (9) Ann. tom. XII, pag. 63. Cfr Raissii Auctar. SS. Belg. ad XXIV Aug. — (10) Ann. tom. XII, pag. 109.

ceptoresque

A ceptoresque mei præcipui, gratiam salutarem et pacem in Domino sempiternam. Intellecto superiori tempore obitu recolendæ semperque venerandæ memoriæ communis patris nostri fr. Joannis de Mauberto, ut debui, non potui non condolere, tum propter suarum virtutum præstantiam et vitæ sanctimoniam, tum propter communem utilitatem, qua privati sumus. Equidem ad summam mihi censeo accidisse mœstitiam, tanto patre nos esse orbatos, qui communis pater, pastor ovium euangelicarum, dux magnæ sortis exercitus Christi optimus exstiterat: ejus sane obitus tantam mihi contulit molestiam et dolorem, quod nesciam, quid gravius, quid difficilius, quidve acerbius potuisset afferri. Quamquam, quum me ipsum recolligerem, et naturam ac humanarum rerum fragilitatem contemplarer, ratio ipsa facile minuit et delinivit dolorem meum: tum vero maxime, quandoquidem illum non obiisse, verum potius revixisse et ad amœna paradisi spatia evolasse; non solum persuadeo, sed certior sum. Sed de his hactenus.

ad bonam electionem Vicarii

119 Et ne noster nimium protrahatur sermo, venio ad ea, de quibus necessarius sermo habendus est. Certior factus sum fide digna relatione, colendissimi patres, institutum atque sancitum esse, ut generale capitulum vestrum Barcinone, futuro festo Pentecostes omnino celebretur, pro novo patre novoque pastore eligendo, quod tantam mihi attulit lætitiam et jucunditatem, ut id contra omnem pristinum dolorem consoletur. Sed animadvertite, quæso, patres, vobis eligendum esse virum utique bonum, integrum, pium, eruditum, expertum atque sanctum; nam sic omnis ratio persuadet, ut, quales estis, talem pastorem eligatis. Spiritus Sanctus vobis, illum invocantibus, concedat pacificum virum, qui unanimes vos gubernet; clementem, qui errata fragiliter remittat, et possit compati infirmitatibus subditorum; prudentemque, qui regenda omnia optimo et maturo consilio regat; justum denique, qui obstinatos zelo tuendæ ac servandæ Religionis percutiat. Vos autem velim esse intentissi-
C mos, ut eligendus ardentissimus sit zelator totius nostræ familiæ, quæ Observantiæ sibi nomen vindicat, adhæreatque semper voluntati fratrum in Italia, adeo ut semper uno animo unoque corde, tum factis tum opere vos una nobiscum sitis. Admoneatur autem ut de omnibus occurrentibus, quæ ad dedecus vel incommodum aliquo pacto totius nostræ familiæ accidere possent, reddat nos Italicos diligentissime certiores, ut nos propinquiores curiæ Romanæ valeamus de remedio opportuno providere. Inveniet sane omnes nos semper paratissimos ad vota et ad utriusque familiæ defensionem et tutelam.

faciendam hortatur.

120 Hæc quidem omnia si recte feceritis, optimi patres, reflorescet utraque familia, ædificabitur sæculum, lætabitur Ecclesia, congaudebunt Angeli, congratulabitur Christus, collætabitur sancta et invidua Trinitas unus Deus; illa quoque Mater Domini pudicissima, ut de B. Francisco nihil dicam, in cujus pio gremio nostra Religio coaluit et excrevit, jucundo præsidio vobis aderit, ut Euangelium Filii, quod ante professi estis, tanta fautrice adjuti, sine macula calumniæ observetis. Erigite itaque animos, amplissimi patres, et pariter imploremus merita vetustissima patrum, excitemus gratiam majorum nostrorum; præsidio quorum adsit sanctæ vestræ congregationi pulcherrima caritas, quam persuadet religio; adsit pax, quam natura ipsa proclamat; adsit concordia, quam christianum nomen sublimiter edocet; adsit veritas, quæ suis viribus nixa, omni tempore superat, vincit et triumphat; adsit denique unitas, quam parit Ecclesia; quam præbet gratia, quam tribuit Christi Domini ac Dei nostri summa benevolentia; ut pastorem utique religiosissimum et sanctum eligere possitis, ut vobis utilitati et præsidio, nobisque commodo et jucunditati sit futurus. Valete in Christo Jesu, et me vestris sacris orationibus quam diligenter commendate, meque utimini arbitratu vestro, dum mihi vita comes. Venetiis XIII Aprilis 1451. Vester, etsi inutilis, fidelis tamen coadjutor et servus, fr. Joannes
E de Capistrano, manu propria. *Optime, ut videtur, cecidit electio in capituli præsidem, Theodoricum Aurigum, qui commissarium suum pro natione Hispanica instituit Alphonsum Boroxium; cujus labore et industria confirmata fuit Regularis Observantia in regnis Hispaniarum* (1).

AUCTORE J. V. H.

§ XI. Varios Sanctus fundat conventus Observantium in Italia; et Tertium Ordinem in tutelam suscipit.

Conventus Capistranensis

Adolescentem Observantium familiam S. Joannes Capistranus *non solum rexit sua prudentia et ab adversariorum obtrectationibus, quæ etiam, ipso in Germania exsistente, vehementius creverunt, vindicavit; sed præterea domiciliorum multiplicatione promovit. Ut omittamus fundatos per Germaniam conventus, de quibus infra agemus, hic loci tantum eos conventus et monialium asceteria referemus, de quibus per Annales suos agit Lucas Waddingus, ad cujus narrationem vix quidpiam adjiciunt Sancti biographi aut historici Ordinis. Primus conventus, quem a S.* Capistrano *fundatum novimus et de quo supra num.* 63 *nos acturos promisimus, est Capistranensis. Etenim Sancti prædicatione excitati ejus cives, statuerunt construere asceterium, posteris etiam profuturum: quumque ambigeretur de loco, Sanctus, qui in aperto aere prædicabat, dixit, conventum ædificandum eo loco, quo columbæ, tunc super audientium capita volitantes, requiescerent. Et hæ post vagum incertumque volatum, tandem in agrum substiterunt juxta vetus castrum, quod ad comites Celani pertinebat. Istic ergo ære publico, comitibus Celani fundum concedentibus, exstructum est*
F *cœnobium, in eoque sacellum, S.* Capistrani *titulo postmodum insigne, in cujus thesauro hactenus conservantur, ejus scripturæ, jocalia seu vasa sacra et diplomata pontificia. In Registro secundi ejus vicariatus reperiuntur pacta*

(1) Cfr Wadding. Ann. tom. XII, pag. 110 et 542.

AUCTORE J. V. H.

conventa cum opificibus, conventum fabricaturis, ejus manu scripta die XXV *Julii* 1449 (1). *Hisce adjicit. Waddingus præcipuam partem instrumenti, quod Cobella seu Jacoba, Celani comitissa, dedit, quodque summum ejus erga sanctum virum affectum indicat. Idem et nos ex Waddingo hisce actis inserimus* (2).

fundatur a Comitissa Celani;

122 Cobella de Celano, comitissa Celani etc. omnibus Christi fidelibus salutem æternam et sinceram in Domino voluntatem. Immensa Dei nostri beneficia mente perspicua recensentes, quas, quales et quantas gratiarum actiones debitas Altissimo referamus, nec mens nostra debilis concipere potest, nec lingua proferre, nec manus articulus designare; quum tot et tanta jam pristinis vetustissimisque temporibus retroactis, nostris magnificis excellentissimisque antecessoribus dona contulit successive, nobisque pariter hac nostra ætate fragili munera non mediocria præstitit dignative, nostramque personam ac statum a multiplicibus periculis et discriminibus dignatus est, iteratis et frequentibus vicibus, non nostris meritis, sed ejus exuberantissima bonitate liberare. Quare ad bonorum cunctorum temporalium et spiritualium largitorem nostræ mentis oculum elevantes, nostrique ingenii aciem pro viribus erigentes, obnoxias nos ipsas recognoscimus et strictius obligatas; avide cupientes, si non pares et condignas, quales debemus et tenemur, saltem impares et imbecilles cunctis diebus vitæ nostræ gratiarum actiones reddere immortales juxta pusillam nostram valetudinem et virtutem ; et quas per nos ipsas condignas laudes exsolvere non valemus, per suos devotos famulos, suoque cultui dedicatos anhelamus perpetuis temporibus explicari; ferventi desiderio intendentes, ad hæc possibiliter opem ferre, curam gerere, operam præstare, nec non consilium æquanimiter et auxilium exhibere, optantes bona temporalia in æterna præmia commutare.

ad preces S. Capistrani;

123 Unde ad perpetuam rei memoriam, universis et singulis Christi fidelibus, ad quos præsentes nostræ patentes litteræ et præsens authenticum privilegium pervenerit in futurum, harum serie notum facimus et testamur, quod de licentia, beneplacito et liberalissima voluntate magnifici et excellentis domini consortis nostri, D. Leonelli Acclozemora, comitis Celani, strenuissimi militis et armorum capitanei etc. Venerabilis in Christo pater et fidelissimus orator noster ac sollicitus promotor ad exercitium virtuosum, atque prædicator et exhortator noster ferventissimus et devotus ad capessendam gloriam sempiternam, fr. Joannes de Capistrano, Ordinis Minorum, suffultus auctoritate apostolica, nobis evidenter patefacta, recepit seu recipi fecit quemdam novum locum sub vocabulo seraphici Christi Confessoris, B. Francisci, sub cujus vexillo et Ordine ipse idem fr. Joannes, in Observantia Regulari professus, exhibet Altissimo famulatum, et ad quem gloriosissimum Christi Confessorem, B. Franciscum, devotionem præcipuam gerimus cordialem, in pertinentiis terræ nostræ Capistrani, in loco ubi dicitur Palumbara, apud monticulum Castri Veteris, ubi fertur, serenissimum olim regem Desiderium fecisse bastitam, ad debellandum perfidos infideles et Sarracenos, inhabitantes in antiqua civitate, quæ Fidena tunc temporis dicebatur. Nos itaque ad prosecutionem et perfectionem dicti loci, ecclesiæ et domorum cum necessariis et congruentibus officinis, ad usum et habitationem Fratrum dicti Ordinis, qui de Observantia nuncupantur, ad divinum cultum perpetuo exhibendum, omnem nostræ auctoritatis plenitudinem offerentes, permutationes, donationes et concessiones, seu quaslibet et quoslibet nuncupandas alienationes, hinc inde factas, pro dicto loco ædificando per homines dictæ terræ nostræ Capistrani, prædicto fr. Joanni vel alteri cuicumque personæ directas et collatas, recipienti pro Ordine et Fratribus antedictis, ferventiori devotione accensæ et animosius animatæ acceptamus, confirmamus, approbamus et omnibus modo, jure, via et forma, quibus melius possumus roboramus: et ex certa nostra scientia et amplissima liberalitate nostri pectoris, totum et quidquid ad jurisdictionem nostram pertinet et ad nostræ curiæ jura spectat et contingit aut posset quomodolibet pertinere, sive ratione tertiariæ ex alienatione rerum nobilium et feudalium, sive quibuscumque aliis rationibus et causis, prædicto fr. Joanni recipienti, ut supra, concedimus, donamus, cedimus, tradimus et integraliter ac plenarie relaxamus, etc. Datum in castro nostro Galliani, anno 1447 die 1 mensis Decembris, XI indictione.

Aquilæ;

124 *Vicinum Capistrano monasterium fundavit S.* Joannes *anno eodem, nempe* 1447 : *quum enim in civitate Aquilana verbum Dei seminasset, eum inter cætera fructum tulit, ut Virgines tertii Ordinis S. Francisci, jamjam Regulam S. Augustini sub regimine FF. Prædicatorum solemniter professuræ, mutato consilio, et de licentia eorum, quorum intererat, arctiorem Regulam S. Claræ assumpserint* (3). *Eam autem assignationem parthenonis* (*nam fundatio ex testamento jam sub Clemente VI, id est ab integro fere sæculo exsistebat*) *Sancto nostro præcipue esse tribuendam monstrat bulla Nicolai V, monasterio concessa, in qua dicuntur istæ fœminæ* in congregatione satis honeste, caste, laudabiliter et devote, aliquæ etiam ex eis sinceritatis et virginalis pudoris integritate vixisse, ad perfectiorem statum, ac frugem melioris necnon arctioris vitæ aspirantes, consiliis et prædicationibus dilecti filii, fr. Joannis de Capistrano, Ordinis Fratrum Minorum, professoris, inductas, primam Regulam S. Claræ profiteri, et in illo perpetuo Altissimo famulari ferventius concupiscere. *Ac dictum monasterium sic erectum regimini et gubernationi Vicarii Fratrum Ordinis Minorum de Observantia provinciæ Pennensis subjicitur* (4). *Anno porro sequenti, nempe* 1448, *dum S.* Capistranus *ultro citroque ab Urbe ad Aprutios, ad promovendam causam canonizationis S. Bernardini discurreret, conventum Fratrum de Observantia, Ursiniæ seu Orsoniæ* (Orsogna) *in Aprutio Citeriori, ære oppidanorum ædificandum sub titulo B. Virginis Annuntiatæ,*

(1) Wadding. Ann. tom. XI, pag. 312. — (2) Ibid. l. c. — (3) Ibid. pag. 322. — (4) Ibid. pag. 513.

admisit

A *admisit* (1). *Eodem circiter tempore in oppido Campli diœcesis Aprutinæ* (Teramo) *in Aprutio Ulteriori, Sanctus noster conventum Fratrum accepit, imo de licentia Pontificis Maximi, civibus Camplensibus, fundando novo conventui imparibus, concessum fuit, ut quamdam vineam, ad ipsos pertinentem, venderent, cujus pretium construendo asceterio insumeretur. De hac fundatione exstat bulla Nicolai V, in qua expresse dicitur, S.* Joannes Capistranus *habere auctoritatem ad fundandos conventus, quamvis tunc quidem vicarii generalis officium non teneret* (2).

Trojæ 125 *Idem Sanctus noster, iterum vicarius generalis, anno* 1449, *in mandatis dedit Joanni de Monte Alcino, vicario Provinciæ S. Angeli, ut curaret ædificationem conventus Trojæ, quæ civitas est episcopalis in hodierna provincia Capitanatæ, olim Apuliæ Dauniæ* (3). *Eodem quoque anno S.* Joannes *a capitulo generali Nemoris Romam rediens, rogavit Marianum Senensem, J. U. doctorem, ut in loco Senæ Longæ, quod oppidum Tusciæ est, conventum ædificatum vellet: annuit Marianus, conventus erectus, mutato priori titulo S. Mariæ de Monte*
B *Balbino, S. Bernardini nomen assumpsit* (4). *Quum autem plurimæ civitates conventus Fratrum de Observantia sibi expeterent, atque grave quandoque esset pro eorum singulis indultum Romanum exspectare, Nicolaus V, sibi gratulatus Observantiæ propagationem, concessit Sancto nostro, ut in viginti locis conventus erigendi facultatem expeditam haberet. Bullam, Sancto inscriptam exhibemus ex Waddingo* (5): Dilecto filio Joanni de Capistrano, Ordinis Minorum, de Observantia nuncupatorum, professori. Inter ecclesiasticos ordines, in domo Domini militantes, id ex benedictione cœlesti Ordini tuo et illius Fratribus magis adscribitur, ut efficax testatur experientia rerum, quod ubicumque degunt, populos ad salutis gratiam evocant, sibi proficientes per vitæ meritum, et aliis nihilominus per exemplum. Quum itaque, sicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, sæpe contingat, nonnullos Christi fideles ex devotione, quam ad dictum Ordinem habent, tuisque sermonibus allici ad terrena in cœlestia commutandum etc.
C loca quædam pro usu et habitatione tui Ordinis fratrum fundarent construerent, etc. Nos igitur etc. tibi, necnon pro tempore exsistentibus quarumcumque provinciarum, juxta morem Fratrum Minorum, de Observantia nuncupatorum, Vicariis, viginti loca, ubicumque consistentia, cum ecclesia, campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis, si tibi aut illis alias canonice consignentur, vel in locis ad id congruentibus et honestis, vobis per eosdem Christi fideles forsitan assignandis domibus, ecclesiis cum campanilibus et officinis hujusmodi fundari, construi et ædificari faciendi ac recipiendi et perpetuo retinendi, diœcesanorum etc. minime requisita etc. concedimus facultatem. Et insuper universis et singulis dicti Ordinis Fratribus, quos in locis hujusmodi pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis indulgentiis etc. uti etc. valeant etc. concedimus: jure etc. salvo. Nonobstantibus fel. rec. Bonifacii VIII etc. Nulli ergo, etc. Datum Fabriani, Camerin. Diœc. anno Incarnationis dominicæ 1449, pridie id. Octobris, anno III.

AUCTORE J. V. II.

in insula Creta; 126 *Quamvis autem illimitata videatur pontificia concessio viginti conventuum, ut ubicumque construi possint; restringenda tamen est ad familiam cismontanam, quam tunc regebat S.* Capistranus, *et ad quam solam ejus se extendebat jurisdictio. Probabiliter vi istius indulti, in insula Creta, reformatus fuit, petentibus civibus et rem urgente Francisco Dandulo, Sancti familiari et amico, conventus Minoriticus, quem Waddingus, tam in textu quam in margine, in oppido* Cylei *constituit: erronee, vitio forsan typothetæ* (6). *Nam Cyleum oppidum in Creta insula reperire non est: sed est oppidum* Cytæum, *ut recte scribit Gonzaga* (7), *quod Cellarius in suis mappis medium inter Orientem et Occidentem in limbo septemtrionali; D'Anville autem in mappa, pro Historia antiqua Caroli Rollin confecta, Orientem versus in eodem limbo ponit. Hæc inter geographos diversitas derivanda est, ex eo quod antiquiores male Cytæum oppidum cum urbe*
E *Candia, vere in media insula constituta, confuderint. Ast Cytæum oppidum est hodierna Sethia, ut videre est in Atlante historico Spruneriano* (8). *Quod vero Cytæensis conventus idem habeatur ac Candiensis, monstrat Gonzaga laudatus dicens:* conventus Cytæi (vulgo Candia): *non ignorabat certe Gonzaga, qua in urbe situs esset conventus, quem tam ipse, quam Waddingus, signant commodissimum Observantibus, illuc in itinere Hierosolymitano ultro citroque appellentibus. Dein, teste Joanne Cotavico in suo Itinerario Hierosolymitano* (9), *Candiæ est insignis S. Francisci basilica,* cui adjunctum est Minoritarum monasterium peramplum: *atqui uterque historicus Franciscanus, Gonzaga et Waddingus, dicunt conventum Cytæensem titulum S. Francisci gessisse: unde dubium non est, hos scriptores Candiensi civitati nomen Cytæi perperam affinxisse. Retinuit tamen Candiensis conventus aliqua annua legata, præter morem Observantiæ: sed hujusmodi moderationis ratio est, quod Fratres alioquin difficulter vitam sustinere possent, inter*
F *græcos schismaticos parum amicos, et optimates latinos, potiori anni parte in suis villis rusticari solitos* (10).

Perusiæ, 127 *Franciscus a Saxoferrato in mandatis acceperat a Cardinali Firmano, Ordinis Minorum protectore, ut moniales Ordinis S. Claræ, præsertim provinciæ S. Antonii, quæ republica Veneta olim fere claudebatur, ad pristinam disciplinam regularem revocaret: atque hinc factum est, ut dictus Franciscus, cooperante imprimis S.* Capistrano, *monasterium Perusinum Montis Lucis reformaret. Quod effectum est, regimine a Conventualibus ad Observantes translato. Quæ tamen moniales reformationem admittere recusarunt, in alias domos Conventualium dispersæ fuerunt. Quapropter, ut suus esset justo monasterio numerus virginum, et moniales, reformationem amplectentes, haberent vitæ novæ instructionem et exemplum, e monasterio Fulginate S. Luciæ eductæ fuerunt Perusiam sorores viginti quatuor, die* XXII *De-*

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 11. — (2) Ibid. pag. 11 et 510. — (3) Ibid. pag. 39. — (4) Ibid. l. c. — (5) Ibid. pag. 523. — (6) Ibid. pag. 67. — (7) De Orig. Seraph. pag. 439. — (8) Cfr Tab. LXI, LXII. — (9) Pag. 67. — (10) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 67.

cembris

AUCTORE J. V. H.

cembris 1449, *una cum, Margarita Sulmonensi abbatissæ munere functura. Brevi in tantum crevit in hoc monasterio rigor disciplinæ et sanctitatis fama, ut ex eo prodierint plures, quæ ad fundanda aut reformanda, monasteria Eugubinum, Aretinum, Biturgiense et Montisfalcense evocatæ, aliis sororibus rependerunt, quod ipsæ a Fulginatibus acceperant beneficium* (1).

promovet Tertium Ordinem

128 *Nec minus naviter Sanctus promovit Tertium Ordinem S. Francisci, quem et defendit, edito libro, quem inscripsit :* Defensorium Tertii Ordinis, a S. Francisco instituti (2). *Eumdem Ordinem, ut omnes fideles Christo lucrifaceret, per Germaniam, Poloniam et Silesiam S.* Capistranus *mirifice propagavit. Multæ exstant, teste Waddingo* (3), *a variis ejusdem Ordinis ad S.* Capistranum *datæ litteræ, quibus Sanctum consulunt circa negotia sua ; unas proferam, Cracovia scriptas, ex Waddingo* (4) : Reverendissimo in Christo patri fr. Joanni de Capistrano, hæreticæ pravitatis inquisitori, unicæ spei nostræ et consolatori. Humillima subjectione cum debita obedientia et reverentia jugiter præambula, Reverendissime in
B Christo, imo sancte pater, et consolatio nostra spiritualis, lumenque unicum oculorum nostrorum. Pia vestra paternitas scire non abnuat, quod hæc sancta congregatio Fratrum et Sororum Pœnitentium de tertia Regula Seraphici Patris nostri Francisci, quam Dominus omnipotens in regno Poloniæ ignito sui verbi eloquio per V. P. innovare, plantare, erigere et seminare dignatus est, dignatur pariter imbre suorum inaccessibilium charismatum irrigare ; et quanto ulterius, tanto plus et melius, ipso Domino cooperante, crescit et augetur, spectabilis et religiosi patris et fratris Ladislai de Ordine Minorum, guardiani conventus S. Bernardini, visitatoris dictæ nostræ congregationis, salubribus suffulta præsidiis et documentis vitæ commendabilis pariter et exemplis, cui pro tantis favoribus, laboribus curis, huic nostro Ordini per ipsum adhibitis et in futuro adhibendis, in conspectu piæ V. P. æquas et condignas gratiarum actiones impendere non valemus. Attamen V. P. super eodem patre, nobis relicto in
C refugium et solatium singulare simul, et illi grates, utcumque vestris et illius meritis impares impendimus, Deum pro felici statu vestro et illius voce concinna, votoque concordi imprecantes, quippe ad nostrorum nemo potest addere plenitudinem gaudiorum, quoties vita fausta vestra auditibus nostris percipitur insonare, quia vivere vestrum nostrum vivere et lucrum, et dissolvi vestrum nostrum reputamus, etc. Valeat V. R. P. sana, læta et prospera. Datum Cracoviæ, ipso die SS. Fabiani et Sebastiani Martyrum (xx *Januarii*) anno 1455. fr. Bartholomæus, indignus Fratrum et Sororum pœnitentium Ordinis S. Francisci minister.

in Germania et Polonia;

129 *Ladislaum, de quo in epistola agitur, Hungarum appellat Waddingus, eumque, peritum regularis disciplinæ magistrum, Guardianum dicit a S.* Capistrano *præfectum conventus Cracoviensis anno* 1453 (5). *Hactenus quidem recte : sed errat, quando sub anno* 1462 *hunc* D *Ladislaum Hungarum eumdem facit cum suo homonymo, B. Ladislao de Gielnow* (6) *cujus Acta dederunt nostri ad diem* IV *Maji* (7), *quamvis in Martyrologio Franciscano et in ejusdem Ordinis Breviario, ejus festivitas ad diem* XXII *Octobris habeatur. Hunc errorem eo utcumque corrigit, sub anno* 1505 *referens obitum B. Ladislai de Gielnow* (8) : Gonzaga, *inquit,* et alii confundunt hunc (*Ladislaum de Gielnow*) cum Ladislao Hungaro, quem diximus a B. Joanne Capistrano constitutum Cracoviæ guardianum. Ille extra, hic intra Poloniam Minoritis connumeratus est : ille ante adventum Capistrani in Poloniam veteranus miles guardianum egerat in conventibus Cosleo et Bitono in Silesia ; hic sub illud tempus studebat in academia Cracoviæ. *Cæterum B. Ladislaus Gielnovius anno* 1440 *natus* (9), *in Ordinem Minorum* I *Augusti* 1462 *admissus* (10), *magnam consuetudinem cum S.* Capistrano *habere juvenis non potuit, neque quindennis præpositus Fratribus octoginta regendis fuit : obiit autem anno* 1505, *cultumque ejus immemorialem ratum habuit et amplificavit Benedictus XIV, ut videre in Breviario Franciscano. S.* Capistrano *debetur quoque erectio templi magnifici, quod Aquilani tumulando corpori S. Bernardini Senensis ædificaverunt. Nam, sepulto apud Conventuales S. Bernardino, custodes constituti fuerunt Observantes ; verum his molestum erat in alienis ædibus habitare, in angustissimo sacello sacras obire functiones, propterea decreverunt Observantes custodiam sacri corporis Conventualibus permittere. Consilio obstitit magistratus Aquilanus, statuitque insigne sacellum intra eamdem ecclesiam Conventualium fabricare. Dum hæc molirentur Aquilani, supervenerunt S.* Capistrani *litteræ Cracovia anno* 1554 *scriptæ, quibus eis in memoriam revocat constitutionem olim factam de ædificanda æde magnifica, sub invocatione S. Bernardini dedicanda : in quam operam dicit se quinque millia aureorum ab Alphonso, Neapolitano rege, impertrasse, reliquam pecuniam a civibus, S. Bernardino maxime obstrictis, conferendam esse.* Capistrani *epistolæ vim suam addidit concionando S. Jacobus Picenus :* F *et ædificium anno* 1454 *inchoatum accepit complementum suum anno* 1472 (11).

§ XII. Fundationes conventuum in Germania et Polonia.

In Austria fundat Sanctus

D*um tam strenue S.* Capistranus, *in Polonia constitutus, ageret pro ædificando templo sui Ordinis in civitate Aquilana, indefesse laborabat ad propagandam familiam suam in regionibus septemtrionalibus, in quibus ex mandato pontificio, ab anno* 1451, *ut infra monstrabimus, versabatur. Vigilius Greiderer, qui accuratam conscripsit historiam Germaniæ Franciscanæ, docet nos, S.* Capistranum *primum fuisse qui Observantiam Regularem in Austriam introduxit* (12). Probe, *inquit,* scio quod Eugenius IV anno 1436, VIII kal. Septembris, bulla « Sacræ Religionis (13), » S. Jacobo de Mar-

(1) Wa.lding. Ann. tom. XII, pag. 43. — (2) Wadding. Scriptt. Ord. Min. pag. 197, — (3) Annal. tom. XII, pag. 309. — (4) Ibid. l. c. — (5) Ibid. pag. 164. — (6) Ibid. tom. XIII, pag. 269. — (7) Act. SS. tom. I Maji., pag. 560 et seqq. — (8) Annal. tom. XV, pag. 303. — (9) Act. SS. tom. I, Maji, pag. 562. — (10) Ibid. pag. 567. — (11) Cfr Wadding. Ann. tom. XII, pag. 218 et tom. XIV, pag. 8. — (12) Germ. Franc. tom. I, pag. 271. — (13) Cfr Wadding. Ann. tom. X, pag. 273.

chia

A chia (*seu Piceno*) copiam elargitus sit, tres conventus in Austria acceptandi et Fratres de Observantia in eosdem inducendi : at nullum vestigium apparet, hunc favorem effectu suo potitum esse. Primus hac in re honor S. Joanni de Capistrano, anno 1451 in Carinthia, Styria et Austria appulso, competit, quem Fridericus III imperator per suos legatos a Nicolao V petiit, et, Alberto, Austriæ duce suam opem adjungente, circa initium anni 1451 obtinuit, ut varias controversias, inter catholicos principes ferventes, compesceret, et hæresi Hussitarum, sese de die in diem magis diffundenti, frontem opponeret. *Peracto Venetiis paschate, illo anno ultimam sedem, diem* XXV *Aprilis, nacto, iter Germanicum, de quo plura infra dicemus, arripuit et die* II *Junii, ut constat ex epistola Nicolai de Fara, alio loco exhibenda, Neostadium intravit vir Dei, familiæ Cismontanæ vicarius generalis et commissarius pontificius. Mox Viennam Austriæ appulsus, ita civitatem universam suis concionibus commovit, ut non solum fœminæ vana et lasciva*
B *ornamenta fecerint missa, sed induxerit etiam multos adolescentes ad valedicendum mundo, ex quibus plures per alios Ordines dispertivit, quinquaginta vero suo retinuit instituto.*

conventus: Viennensem; 131 *Pro hisce novellis plantis excolendis Fridericus imperator S.* Capistrano *obtulit, quem vellet in civitate Viennensi, locum. Sanctus vero, ne magnæ urbis impedimenta cursum incipientium retardarent, selegit in civitatis pomœrio locum solitarium, quem sorores Tertii Ordinis hactenus incolebant: his alio translatis, ipse humile S. Theobaldi domicilium die* XXII *Julii* 1451 *cum sociis occupavit, ac novi conventus Guardianum instituit Hieronymum Mediolanensem, tyronum autem magistrum Michaelem Siculum* (1). *Gonzaga in hoc a reliquis historicis abludit, quod dicat, Viennense tyrocinium a septem candidatis occepisse:* Septem, *inquit* (2), Austriacos bonæ exspectationis juvenes Minoritico habitu induit, cæterorumque Franciscanorum catalogo adscripsit. *Unde istos solum septem invenerit Gonzaga, non facile divinarim. Qui enim numerum tyronum exprimunt, de quinquagenario conveniunt* (3) : *alii*
C *vero* (4) *nullum numerum allegantes, insinuant tamen initium tyrocinii fuisse numerosum :* Tantam, *ait Thomas Cataneo,* benedictionem infudit Deus huic primo conventui, per S. Capistranum fundato, ut intra brevissimum tempus numerus eorum, qui se sub vexillo S. Francisci militaturos spoponderunt, ad ducentos ascenderit. *Sunt etiam nonnulli, qui scribunt, Michaelem Siculum fuisse primum conventus Viennensis Guardianum, Hieronymum autem Mediolanensem vicarium et novitiorum informatorem* (5) : *sed Vigilius Greiderer, qui passim Waddingum ad verbum exscribit, in eo ab antesignano dissentiens, videtur monumenta aut propius inspexisse, aut habuisse abundantiora* (6). *In hoc autem sunt unanimes, ut Viennensem conventum habeant tamquam primum, quem Observantium familia in Germania acceperit : et quamvis pro Italis Ultramontana sit Germania, tamen quatenus provincia Austriæ a S.* Joanne de Capistrano, *vicario generali familiæ Cismontanæ fundata fuit, ad hanc quoque diem perpetuo spectavit.* AUCTORE J. V. H.

Claustro-neoburgensem; 132 *Non diu post fundatum Viennensem conventum, inchoatus fuit Claustroneoburgensis. Est autem Claustroneoburgum* (*germanis* Klosterneuburg) *oppidum Austriæ uno et medio milliari germanico, occidentem versus Vienna distans* (7). *Istic olim erat parthenon virginum canonicarum, sed sæculo* XV *derelictus, cujus bona ad canonicos ejusdem professionis devoluta erant. Igitur quum illuc venisset S.* Capistranus, *præpositus, petentibus civibus, aream ædificando conventui Observantibus cessit. Decanus Passaviensis, sede vacante, ratam habuit donationem sequentibus litteris* (8) : Udalricus Burchardus, Dei gratia Ecclesiæ Pataviensis decanus etc. religioso, in Christo nobis sincere dilecto fr. Joanni de Capistrano Ord. FF. Minorum Seraphici Confessoris S. Francisci salutem et sinceram in Domino caritatem. Quum ex relatione vestra suscepimus, certam aream, situatam in Novemburga Claustrali, quam olim inhabitare consueverant E
sanctimoniales, ab eisdem derelictam et desertam, ita quod nullus in eadem appareat habitator, dictam aream et relictum locum per præpositum et conventum monasterii Novemburgensis fuisse et esse vobis et vestris fratribus, sub Regula B. Francisci dictis de Observantia, ad inhabitandum concessum, in eodemque Deo perpetuo famulari : nos, quantum in nobis est, concessionem ipsam, ut præfertur, auctoritate ordinaria, qua ad præsens, sede episcopali vacante, fungimur, approbamus, ratificamus et in Dei nomine confirmamus harum testimonio litterarum. Datum Pataviæ die XXII Decembris an. 1451. *In horto ejusdem conventus exstant hodiedum, ait Vig. Greiderer* (9), *duo horologia solaria, duro lapide incisa, ab ipso Sancto, ut dicitur, confecta.*

Brunensem; 133 *Ejusdem, imo majoris, antiquitatis est conventus Brunensis. Inter urbes Moraviæ primum sibi post Olomucium locum sibi vindicat Bruna, fluviis Swarta et Zitta, prope eam se commiscentibus, affusa.* Fratribus Minoribus, *ait Vig. Greiderer* (10), de Observantia viam F
aperuit S. Joannes Capistranus, Moraviam virtutibus et miraculis irradians, qui anno 1451, circa festum SS. App. Simonis et Judæ (XXVIII *Octobris*), Brunæ, in suburbio ante portam judaicam districtum pro conventu erigendo suscepit, ac eum, partim ex publicis, partim ex privatis civium facultatibus conditum, S. Bernardino Senensi dicavit. Inter benefactores Fratrum haud ultimi censentur piscatores Brunenses, a S. Joanne Capistrano litteris beneficis, quæ Filiantia vocari amant, beati redditi. Sanctus vir muro civitatis SS. Nomen Jesu incidi fecit, vaticinans, civitatem tamdiu a nullo hoste fore subigendam, quamdiu hoc Nomen in præfato loco oculis obvium sit.... Cella, quam S. Joannes de Capistrano aliquando in hoc conventu frequentavit, successu temporis in sacellum mutata fuit, ex quo prospectus ad Nomen Jesu, muro

(1) Greider. Germ. Franc. tom. I, pag. 414. — (2) Orig. Seraph. pag. 448. — (3) Greiderer. l. c. Wadding. Annal. tom. XII, pag. 83. Gonzalez. Hist. S. Franc. tom. V, pag. 87. Barber. Vit. lat. pag. 93. — (4) Catanco Vit. ital. pag. 116. Barber. Vit. ital. pag. 111. — (5) Wadding. tom. XII, pag. 83. — (6) Germ. Franc, tom. I, pag. 414, not. *n*. — (7) Marian. Vidler. gesch. der Osterklerisey. Part. IV, tom. VIII, pag. 415. — (8) Greider. Germ. Fr. tom. I, pag. 320. — (9) Ibid. l. c. — (10) Ibid. pag. 637.

illitum,

AUCTORE J. V. H.

illitum, patuit. *Hæc aliquatenus recte se habent; dum tamen nobis non fingamus Sanctum die* XXVIII *Octobris, seu circa festum SS. Apostolorum Simonis et Judæ, Brunæ constitisse. Id enim stare non potest cum narratione Christophori de Varisio, testis oculati, qui Moravicam prædicationem ita ordinat, ut singulorum locorum et dierum res gestas particulatim describat. Hic porro, num.* 138 *Vitæ infra edendæ, Sanctum virum a die* XVIII *Octobris usque ad* XXX *ejusdem mensis constituit in Krummau* (*Kromlow*), quæ, *inquit*, civitas est Domini de Rosis (*Rosemberg*) et est de Bohemia. *Sunt vero hujus nominis oppida duo, alterum in Moravia, Brunæ adjacens, in Bohemia alterum, ad Moldavum fluvium : de posteriori manifeste agit laudatus Christophorus, qui proin errare nec quod ad locum nec quod tempus spectat, potuit; maxime quum narrationem suam adeo partitam, non tam ex memoria, quam ex quotidianis notis desumere debuit. Si itaque circa festum SS. Apostolorum Simonis et Judæ conventum Brunensem acceperit, id præstiterit necesse est, in Bohemia consistens, neutiquam autem quasi*
B *Brunæ præsens. Cæterum ipse vagus indicandi modus*, circa festum, *satis indicat, periisse instrumentum fundationis.*

anthippolytanum;

134 *Ex Annalibus Zwetlensibus, a Vig. Greiderer citatis* (1), *legitur a S.* Capistrano sui Ordinis monasteria tria in Austria fuisse fundata : unum ad S. Hippolyti, alterum Loysii, tertium Engenburgi, quorum fundationem infra annum 1451, quo primo venit in Austriam, vel anno 1456, quo obiit, factam fuisse, ipsa ratio dictat. *Accuratius definiri tempus harum fundationum vix potest, quum monumenta coæva plerumque perierint, hæresi, bello et incendio destructa* (2). *In fundatione Santhippolytana* (*germanice* S. Polten), VIII *milliaribus occidentem versus Vienna distat oppidum, id animadvertendum occurrit, quod Udalricus a Nusdorf, episcopus Passaviensis, ab anno* 1451 *ad* 1479 (3), *sub cujus jurisdictione oppidum Santhippolytanum tunc erat* (*nam nunc est civitas episcopalis*), *simul cum præposito canonicorum regularium S. Augustini querelas Romam detulerit; episcopus quidem quasi Observantes sine ejus consensu*
C *novam fundationem auspicati fuissent; præpositus, quasi eadem fundatio jura parochialia læsisset. Et episcopus sat facile acquievit Observantibus, qui usi fuerant bulla Eugenii IV, concedente facultatem erigendi, ordinariis etiam non consentientibus* (4), *viginti conventus, inter quos et Santhippolytanus erat: imo idem Udalricus Observantibus paucis ante obitum mensibus concessit fundum, ad Ecclesiam Passaviensem pertinentem* (5). *Ast gravior fuit controversia cum præposito canonicorum circa jura porochialia, iterato Romam delata, quam diremit anno* 1460 *Cardinalis Bessarion, tunc in Germania legatus* (6) : *hujus controversiæ non meminit Albertus de Maderna, quamvis fundationem conventus referat* (7). *Ast posteriora tempora tranquilliora fuerunt, quum anno* 1643 *præpositus instaurationi ejusdem conventus munificentissime cooperatus fuerit* (8).

oysiensem;

135 *Loysium* (*germanice* Loys *et* Langenloys) *a fluvio cognomine oppidum est novem milliaribus germanicis Vienna versus occidentem distans. Portæ majori Ecclesiæ, a S. Bernardino dictæ, sculpta est inscriptio:* Hoc monasterium per eleemosynam benefactorum B. P. Capistranus ædificavit. *Benefactores præcipui referuntur sutores et laniones* (9). *Quod ad Egemburgum pertinet, tertia incerti temporis fundatio, oppidum est novem milliaribus germanicis Viennæ versus occidentem septemtrionalem distans. S.* Capistranum *illic fuisse die* X *Octobris* 1451 *monstrat ejus epistola Egemburga ad Aquilanos data, quam exhibet Waddingus* (10). *Quamvis autem tunc agitari potuerit consilium exstruendi Observantibus conventus, tamen suum sortitum non est effectum ante annum* 1460, *quo, translata ad Templariorum ædem parochia, ipsum parochiale templum una cum domo ruinosa Fratribus adscriptum fuit : ad quem fundum accesserunt deinceps aliæ domus et horti, justo conventui sufficientes. Ecclesia, titulo B. M. V. Purificatæ dedicata, vulgo ex hac nuncupatione B. Maria de Candellariis audit : ejusque sigillum exhibet eamdem B. Vir-*
E *ginem, dextera Filium suum, sinistra candelam gestantem. Canonia Claustro-Neoburgensis et collegium Viennense Societatis Jesu censum, quotannis pendendum remiserunt Fratribus; canonia quidem sub onere trium Missarum, Societas vero cum cautione, quamdiu a Fratribus alienatum non fuerit* (11).

quibus fundationibus imprimis

136 *Porro tam felix fuit progressus Observantiæ Regularis in Austria et provinciis conterminis, ut Nicolaus Papa jam incunte anno* 1452 *istos conventus jusserit in unam coalescere provinciam, bulla data pridie non. Martias anni* 1451, *id est anni* 1452, *quoniam sub isto pontificatu initium anni a die* XXV *Martii ordiebatur. Hisce litteris apostolicis laudat Pontifex Observantes* (12), *quod* abdicatis mundanis illecebris, cum additione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino in humilitatis spiritu exhibeant famulatum : *quod insuper* salubria laborum studia pro augmento fidei orthodoxæ impendant, incessanter in ipsius fidei hostium partibus, non absque suarum periculo personarum prædicando. *Laudat dein Pontifex* Joannem *nostrum ejusque Fratres, per quorum* F prædicationes quam plurimi, etiam nobiles et potentes laici et ecclesiastici, divina illustrati gratia, errores (*Hussitarum*) de ipsorum cordibus penitus deponentes, quod sancta Romana tenet et profitetur Ecclesia, profitentur et tenent; ac quidem ex eis, majori orthodoxæ fidei et etiam religionis zelo accensi, habitum susceperunt ac professionem Ordinis (*Observantium*) emiserunt. *Unde factum est, ut* prædictus Joannes, apostolica auctoritate suffultus, in Austriam, Styriæ (*cujus loco perperam Istriam iterato intrudit Waddingus* (13)) et Moraviæ partibus nonnulla Fratrum loca, conventus ac domos receperit, spereturque verisimiliter, quod per ipsorum Fratrum vitæ sanctimoniam, fidei fervorem et assiduas prædicationes non modo errantes ab ipsorum erroribus ad veritatis lucem reduci, sed etiam quam plures ex eis ad bonorum imitationem

(1) Germ. Franciscan. tom. I, pag. 322. — (2) Cfr ibid. pag. 318, 322 et 324. — (3) Hund. metrop. Salisb. tom. I, pag. 216. — (4) Cfr Wadding. Ann. tom. XI, pag. 472. — (5) Greid. Germ. Fr. tom. I, pag. 318. — (6) Ibid. pag. 317. — (7) Hist. Canon. S. Hipp. tom. II, pag. 252. — (8) Ibid. pag. 399. — (9) Greid. Germ. Fr. tom. I, pag. 322. — (10) Ann. tom. XII, pag. 99. — (11) Greid. Germ. Fr. tom. I, pag. 324. — (12) Ibid. pag. 272. — (13) Ann. tom. XII, pag. 136.

poterunt

poterunt incitari. *Quapropter Pontifex erigit dictos conventus et alios imposterum erigendos in vicariam provincialem, sub jurisdictione vicarii generalis familiæ Cismontanæ. Interea eodem anno* 1452, *die* XXVII *Maji, incidente in vigiliam Pentecostes, Marcus Bononiensis electus fuerat vicarius generalis* (1), *qui pro nova Austriæ provincia suum commissarium instituit* S. Capistranum, *eoque impedito, Gabrielem de Verona, qui paulo post vicarius provincialis electus fuit* (2).

Nicolaus V favet,

137 *Quam late et quam velociter Observantium familiam propagaverit* S. Capistranus, *monstrat altera bulla ejusdem Nicolai Papæ, data* IV *non. Maji* 1453. *Etenim sanctus vir Pontifici exposuit* (3), *in Bohemiæ, Austriæ et Moraviæ provinciis* quam plurimos litteratissimos viros diversis temporibus, et ultimo circa diem S. Stephani, proxime decursum, quam plures magistros et baccalaureos in theologia, ac clericos numero sexaginta quinque vel circiter, terrena totaliter abnegantes, et Jesum Christum Salvatorem nostrum in mendicitate imitari volentes, ad habitum Ordinis seu Religionis S. Francisci se recepisse, pluresque alios, devotione inductos, recipi ferventer exoptare, quos ob locorum regularium defectum acceptare non poterat. *Igitur* S. Capistranus *petit, ut sibi potestas fiat accipiendi et erigendi in dictis provinciis earumque confinibus conventus Fratrum ac etiam occupandi conventus Conventualium* inhabitatos vel quasi. *Unde Pontifex petitam gratiam concedit, ut nullo determinato numero domos erigere possit, sub hac sola limitatione, quantum* necessariæ et opportunæ sint, super quo ejus conscientiam oneratam *declarat. Hanc tamen concessionem fecit Nicolaus Papa ea lege, ut nova provincia ad Cismontanam familiam Observantium pertineret.*

sicut et aliis per Germaniam conventibus :

138 *Neque intra hasce solum provincias* S. Capistrani *zelus propagandi sui instituti circumscriptus fuit. Nam Schedelii Chronicum, in annum* 1460 *desinens, adeoque coævum, habet* (4) : Item eodem anno (1452) venit ad partes Alemanniæ quidam frater religiosus de Ordine, nomine Joannes de Capistrano, natione Italicus, cum multis fratribus ejusdem Ordinis de Observantia. Hic per omnem terram Theutonicorum prædicando discurrit, habens auctoritatem prædicandi ubique a prædicto Papa Nicolao, fecitque quædam prodigia apud infirmos. Idem prædicavit in Vienna, et ibidem instituit Fratres Minores sub Observantia ad S. Tiboldum extra muros Viennæ. Item idem Capistranus instituit eumdem Ordinem in Amberg, ubi prius nullum claustrum fuit. Idem jussit et præcepit, ubicumque prædicavit, comburere omnes aleas et chartas una cum taxillis : unde in civitate Ratisponensi et Nurembergensi, ubi tunc prædicavit, magna multitudo alearum, chartarum et taxillorum fuit combusta; sic fieri fecit in plerisque locis. *Aliquam difficultatem facessunt verba, quibus Amberga sine claustro exhibetur; quia, antiqua documenta, a Vigilio Greiderer allegata, ostendunt, sæculo jam præcedenti fuisse eo loci conventum Minorum : adeoque Chronici verba interpretari nos oportet, tunc temporis Conventuales desertum dereliquisse conventum suum; quod si hæc interpretatio licet probabilis, minus arrideat, dicendum erit hactenus Ambergæ nullum fuisse claustrum Observantium, quod quidem satis insulsum videtur, quando sermo est, de novella plantatione, nunc primum in Germania emergente.*

in Polonia fundantur conventus : Cracoviensis

139 *Ex Germania vir Dei tandem in Poloniam devenit, quo jam ab anno* 1451 *a Sbigneo Olieschniça cardinali et episcopo Cracoviensi per litteras, quas inter alios refert Joannes Dlugoss, ejusdem cardinalis secretarius et familiaris, in sua Historia Polonica* (5). *Verum anno primum* LIII *ejusdem sæculi huc appellere potuit* S. Capistranus. Feria III, *inquit laudatus scriptor* (6), *imo fer.* IV, *anno* 1453 *littera dominicali G signato* in die S. Augustini (XXVIII *Augusti*) Cracoviam ingrediuntur (*legati Poloniæ cum* S. Capistrano): itum autem est præfato beato viro obviam, non solum ab omnibus ordinibus, sed et sacerdotes universi urbis Cracoviensis, cum magistratibus, processionibus sacris et vexillis, obviam illi profecti sunt... Centum et amplius personæ (*Waddingus habet* CXXX (7)) sacram Religionem suam ingressæ sunt. Sbigneus, cardinalis et episcopus Cracoviensis, locum in Stradomia (suburbio Cracoviensi) pro conventu et monasterio Fratrum Joannis Capistrani de Observantia, in area Germani sui, Joannis de Olieschniça, palatini Sandomiriensis, erexit; et, constructa ecclesia lignea, illam in die Nativitatis S. Mariæ Virginis (VIII *Septembris*) in honorem S. Bernardini, omnibus processionibus totius urbis, ipsum Cardinalem et Fratres conducentibus, consecravit, quæ post biennium, sumptibus ejusdem Cardinalis, coctili muro ornata est. Tanta fuit civitatis Cracoviensis et universi populi Polonici caritas erga illos, ut egredientem et personis propriis et uberibus lacrymis, omnes ordines et omnis status homines ad longissimum spatium extra portam, aliqui ad duo milliaria prosequerentur. *Ex hoc deinceps conventu prodeuntes Minores Observantes institutum suum per universam Poloniam mirabiliter propagarunt* (8).

et Varsaviensis

140 *Relationi Dlugossi addit Waddingus* (9), *inter candidatos, habitu seraphico indutos a* S. Capistrano, *fuisse multos baccalaureos et magistros universitatis Cracoviensis et aliquos nobilitate et divitiis insignes, quibus formam vitæ monstravit ipse Sanctus, quandoquidem, ut animadvertit laudatus Dlugossus* (10), *Cracoviæ mansit* a die S. Augustini usque ad quintum decimum diem mensis Maji *anni sequentis. Quoniam multis aliis curis detinebatur, guardianum novo conventui, qui octoginta incolas computabat, præfecit Ladislaum Hungarum, quem supra num.* 129 *ab ejus homonymo B. Ladislao de Gielnow distinximus. Incredibile etiam quibusdam videbitur, Sanctus die* XXVIII *Augusti, in festo S. Augustini Cracoviam ingressus, intervallo duodecim dierum non solum obtinuisse conventum, sed eumdem ita apparasse, ut die* VIII *Septembris consecrari potuerit ecclesia. Sed*

(1) Ann. tom. XII, pag. 145. — (2) Greid. Germ. Fr. tom. I, pag. 274. — (3) Ibid. l. c. — (4) Oeffel. Rer. Boic. Scriptt. tom. I, pag. 394. — (5) Tom. II. col. 75. Edit. Lips. 1712. — (6) Ibid. pag. 121. (7) — Annal. tom. XII, pag. 164. — (8) Cfr Greid. Germ. Fr. tom. I, pag. 281. — (9) Annal. tom. XII, pag. 164. — (10) Hist. Polon. tom. II, col. 122.

ut

AUCTORE J. V. H.

ut ex Dlugosso supra citato habemus, tam ecclesia quam conventus ex lignis compaginata fuere, et quidem rudi labore, ut satis insinuat Waddingus, dicens (1), ecclesiam ligneam sub invocatione S. Bernardini RAPTIM erectam: *circa quod ædificium adjecta fuerunt tuguria, pariter lignea, quæ habitationi Fratrum, donec firmior ædes excitaretur, sufficiebant. Sancto quoque nostro debetur fundatio conventus S. Annæ Varsaviæ, quem Anna, Masoviæ ducissa, allecta concionibus et virtutibus ejus, quas coram Cracoviæ audierat et inspexerat, sumptibus suis a fundamento excitavit* (2).

in Moravia, Olomucensis;

141 *Eodem anno* 1453 *initium datum est conventui Olomucensi. Videlicet anno* 1451 *Olomucii, in urbe principe Moraviæ, jam prædicaverat S.* Capistranus, *magnumque sui desiderium reliquerat, quin tunc quidem de constituendis istic Fratribus suis cogitasse videretur. Ast illuc reversus anno* 1453, *locum recepit, olim extra mœnia, postea, ampliata urbe, intra muros conclusum. Cives Olumucenses ære suo conventum et ecclesiam construxerunt : et quamvis ex mente S.* Capistrani
B *ecclesia titulum S. Bernardini præferre debebat, tamen quum anno* 1468 *Laurentius Rovezella, episcopus Ferrariensis et Sedis apostolicæ nuntius*(3), *eam consecravit, titulum posuit immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis et S. Bernardini* (4). *In eo autem errant Waddingus* (5), *aliique, quos citat Vigilius Greiderer, quod duplicem Olumucii ponant Observantium conventum, alterum ab immaculata Conceptione, a S. Bernardino alterum, quum ex ipso dedicationis instrumento constet, unum eumdemque conventum duplicem tulisse titulum, æque, ut videtur, vulgarem; ita ut conventus nunc ab immaculata Conceptione, nunc a S. Bernardino promiscue appellaretur. Errori ansam præbuisse potuit, quod Olumucensis conventus, olim extra, nunc intra civitatis mœnia constitutus, varium diversumque locum occupasse videatur, adeoque necessarium erat, ut duplex conventus fundatus a S.* Capistrano *diceretur. Sed, ut testatur laudatus Vig. Greiderer* (6), *de fundatione Olomucensi duplici, altum est in monumentis Bohemicis silentium, nec secundi alicujus conventus Observantium vestigium reperire est.*

in Silesia,

142 *Observantium familiæ viam etiam stravit S.* Capistranus *in Silesiam, quando anno eodem* 1453 *Wratislaviam* (Breslau) *adveniens, omnium plausu et veneratione exceptus fuit. Die* XIII *Februarii ejusdem anni, seu, ut habet Christophorus de Varisio num.* 160, feria tertia, id est, ultima die carnisprivii, *quæ accurata sunt, paschate incidente illo anno, littera G notato, in diem* I *Aprilis. Fundum dedit capitulum Wratislaviense, in quo cœnobium primo ligneum, triginta, quos Sanctus secum adduxerat, fratrum capax. Ne autem successu temporis lites molestæ orirentur, Petrus II Novak, Wratislaviensis episcopus, sequentes litteras dedit* (7) : In nomine Domini, amen. Petrus, Dei gratia episcopus Wratislaviensis, ad perpetuam rei memoriam. Tenore præsentium universis recognoscimus has nostras litteras inspecturis, lecturis et audituris, quod in nostra præsentia constituti venerabiles viri et domini Conradus Rehnberg archidiaconus et Andreas Sorka nostræ Vratislaviensis Ec- D
clesiæ canonicus, plebanus ecclesiæ parochialis S. Mauritii extra muros Vratislavienses, frater in Christo nobis dilectus Joannes Capistranus, et ibidem pro se et suis ac successorum suorum nominibus, non vi, dolo aut metu inducti, sed sponte et libere, matura deliberatione præhabita, pura, irrevocabili ac perpetua donatione cesserunt, dederunt ac perpetuo resignarunt venerabili et Deo devoto P. fr. Joanni de Capistrano, Ordinis sacrati et Seraphici Confessoris Jesu Christi, Beati Francisci de Observantia, auctoritate sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Nicolai, divina providentia Papæ V, ad perpetuum Dei cultum exsequendum, monasterium S. Bernardini novæ plantationis, extra muros Vratislavienses, in terminis, limitibus dictæ parochialis ecclesiæ S. Mauritii situm, et ædificatum pro usu et habitatione Fratrum, qui de Observantia nuncupantur, juxta tenorem litterarum apostolicarum, per suam paternitatem reverendissimam exhibitarum : recipienti (ut hæc et alia in instrumento publico donationis, assignationis et introductionis per nos E
et honestos ac circumspectos dominos consules civitatis Vratislaviensis jam pridem factorum, quantum ad nos et dictos dominos consules pertinebat, continentur et sunt expressa) omne jus in primitiis, oblationibus et aliis quibuscumque censibus, proventibus, obventionibus et emolumentis constitutum, quod eis aut alteri ipsorum et eorum successoribus nomine et occasione dicti archidiaconatus et ecclesiæ parochialis S. Mauritii inde et supra domibus, hortis et areis universis et singulis, super quibus ædificatum et plantatum exsistit, aut extendi et in futurum ædificari poterit monasterium memoratum, competiit aut competere poterit quomodolibet in futurum, nullo penitus dempto; omnia et singula pura in Fratres monasterii jam dicti et eorum successores, nec non in monasterium memoratum et conventum ejusdem perpetuo transfundendo, libertando et quitando ac ex integro absolvendo eosdem a juribus supra dictis renuntiatis.

Wratislaviensis,

143 Nihilominus hinc inde pro se ac nostrorum legitimis successoribus circa præmissa et quodlibet præmissorum, omnibus et singulis exceptionibus, defensionibus, privilegiis, beneficiis et auxiliis utriusque juris canonici et civilis, generalibus et specialibus, restitutionis in integrum, non in ecclesiam conversis etc. et aliis quibuscumque, per quæ et quas præmissa donatio, cessio, transfusio, libertatio et plena præmissorum jurium absolutio possint in toto ac in parte, in capitulis clausulis, articulis et punctis infringi, impugnari seu quomodolibet annullari : quibus omnibus et singulis de venerabilium virorum, dominorum capituli Ecclesiæ nostræ Vratislaviensis longo tractu *, prævio consensu et * tractatu?
voluntate ac beneplacito intercedentibus, auctoritatem nostram ordinariam præsentibus interponimus, pariter et requisiti perpetuis temporibus duraturis. In cujus fidem et evidentiam certiorem has nostras litteras, tam nostro, quam capituli nostri, necnon dictorum

(1) Ann. tom. XII, pag. 164. — (2) Greid. Germ. Fr. tom. I, pag. 282. — (3) Ital. Sacr. tom. II, col. 553. — (4) Greid. Germ. Fr. tom. I, pag. 616. — (5) Ann. tom. XII, pag. 185. — (6) Germ. Fr. tom. I, pag. 616. — (7) Ibid. pag. 810.

dominorum

A dominorum Conradi archidiaconi et Andreæ Sorka plebani ecclesiæ S. Mauritii, extra muros Vratislavienses, sigillis majoribus jussimus communiri. Actum et datum Vratislaviæ in capitulo majori, quod circa dictam nostram Ecclesiam Vratislaviensem post festum BB. Cantii, Cantiani et Cantianillæ Martyrum, id est, die ultima Maji, quod annua revolutione celebrari consuevit, anno 1453. Præsentibus ibidem venerabilibus legalibus et egregiis viris D. magistro Francisco Woitsdorff, sacri juris canonici doctore, scholastico, magistro Nicola Tempilfeld de Brega S. theologiæ professore, cantore, Andrea Sorka, Georgio Octavio magistris, Joanne Stock medicinæ, Nicolao Wolff decretorum doctoribus, Hieronymo Beckensloer, Joanne de Bladen, Joanne Steynkeler, Joanne Pasisterith, Joanne Schefeler, magistris, Petro Wartenberg doctore, Paulo Gleycuitz licentiato in decretis, Balthasare de Paulacve, artium liberalium magistro, Andrea Wayner, S. theologiæ professore, et Nicolao Teynanni, magistro in artibus, prælatis et
B canonicis Ecclesiæ nostræ Vratislaviensis, ad sonum magnæ campanæ capitulariter congregatis, fratribus in Christo Jesu Salvatore nobis sincere dilectis, testibus, ad præmissa fide dignissimis.

non sine magna controversia.

144 *Quod autem istiusmodi fundationes via tam facili et plana progrederentur, tribuendum imprimis erat virtutibus et prædicationibus S.* Capistrani, *sed aderat simul auctoritas Romani Pontificis, qui instituto Observantium quam maxime favebat, ut monstravimus ex bulla Nicolai Pp. V, cujus compendium dedimus num.* 136. *Porro Wratislaviensis conventus a quibusdam, quos tamen non citat Vig. Greiderer* (1), *fundatus dicitur anno* 1452. *Sed perperam: nam imprimis ex Chronicis Silesiæ coævis constat S.* Capistranum *Wratislaviam appulisse mense Februarii* 1453 (2), *quod etiam confirmatur a Christophoro de Varisio, dicente, Sanctum advenisse* feria tertia, id est, ultima die carnis privii, *seu, ut habet Sigismundus Rositzius coævus,* die XIII Februarii (3), *quæ dierum notæ in solum annum* 1453 *conveniunt. Dein laudatus Christophorus, individuus Sancti co-*
C *mes, numm.* 143 *et seqq., per singulos dies a* II *Januarii ad mensem Martium* 1452 *itinerarium S.* Capistrani *accurate describit, ex quo manifestum est, Sanctum isto temporis intervallo, Silesiacos fines nullatenus attigisse. Manet igitur inconcussum, conventus Wratislaviensis S. Bernardini fundationem ad annum* 1453 *revocandam esse: cujus fata posteriora enarrat ex parte laudatus Vig. Greiderer* (4) *et opus germanicum, cui titulus: Auctarium ad descriptionem Silesiæ* (5). *Auctor videtur acatholicus, adeoque ad trutinam examinandæ essent criminationes quædam Observantibus impactæ; præsertim quum hic ipse conventus dein Lutheri asseclis adjudicatus fuerit. Sed ante Lutheri rebellionem jam controversia occeperat; quando nempe Observantes conati sunt, sub jurisdictionem suam cogere Conventuales, ad S. Jacobi incolas: quo ex dissidio occasionem na-*

(1) Germ. Fr. tom. I, pag. 811. — (2) Sommersberg. Scriptt. Sil. tom. I, pag. 84, tom. II, pag. 175 et 331. — (3) Sommersb. tom. I. pag. 84. — (4) Germ. Fr. tom. I, pag. 812. — (5) Beyträge zur Bescreibung von Schlesien. tom. XI, pag. 207 et seqq. — (6) Cfr Beyträge. et Greid. l. c. — (7) Henet. Silesiograph. Urbes et Opp. pag. 400. — (8) Greid. tom. I, pag. 647.

ctus magistratus Wratislaviensis, voluit utrumque conventum in unam coalescere communitatem, ad S. Jacobi constituendam. Utrinque decreto magistratus repugnatum est; et Observantes, relicta Wratislavia, clam discesserunt, non redituri, nisi post multorum annorum absentiam et quidem in alio fundo, a civitate donato, in quo ecclesia sub titulo S. Antonii Patavini ædificata fuit (6). AUCTORE J. V. H.

Oppaviensis;

145 *Eodem quo incepit conventus Wratislaviensis anno, initium datum est conventui Oppaviensi. Est autem Oppavia* (*germ.* Troppau) *urbs princeps hodiernæ Silesiæ Austriacæ ad Morœ in Oppam confluvium* (7). *Cives Oppavienses, excitati a duce suo Gulielmo jam anno* 1451 *in festo S. Matthæi Apostoli,* XXI *Septembris, instrumento publico pro se et posteris suis promiserant unum aut plures procuratores constituturos, qui Fratrum necessitatibus consulerent,* ut *nempe hi* divinum cultum ferventius exercere valerent, occupationibus omnibus extraneis omnino abjectis (8). *Id instrumentum non solum probavit Joannes XII, dictus Haz, episcopus Olomucensis* (9), *sed litteris publicis indul-*
E *gentiam* XL *dierum concessit,* omnibus Christi fidelibus utriusque status et sexus, suæ jurisdictioni subjectis, et aliis omnibus Christi fidelibus quibuscumque, qui pro sustentatione dictorum Fratrum pauperum alimenta, seu pro fabrica eorumdem oratorii et cœnobii ministraverint, ac manus porrexerint adjutrices, toties quoties ea fecerint. Datum et actum Olomutz, anno Domini 1452, penultima die mensis Januarii (10). *Idem episcopus S.* Capistrano *per omnia favit, eumque ab omni semper injuria vindicavit* (11). *Unde concurrente utraque potestate, opemque opportunam conferentibus civibus, brevi in justum monasterium, S. Barbaræ dicatum, excrevit ista fundatio: ut in eo jam anno* 1474 *comitia provincialia celebrari potuerint* (12).

in Austria Enzerstorffiensis.

146 *Anno* 1454 *Udalricus, comes Cilliensis, quem in bello Turcico inimicum et rivalem Joannis Hunyadis,* Capistrano *amicissimi, repericmus, voluit Sancti familiam fovere construendo conventum in oppido suæ ditionis Enzerstorff. Porro hujus nominis varia per Austriam sunt loca* (13): *ut vero ab homonymis*
F *locis distinguatur, Enzerstorff ad Montem* (*Germ.* Enzerstorff am Gebirge) *appellatus, duobus milliaribus Vienna distat. Comes fundum ac in eo ædes quasdam assignavit pro ædificando istic conventu: sed hisce initiis repagulum posuit parochus Modlingensis, tantasque Fratribus molestias intulit, ut de loco deserendo S.* Capistranum *consulendum duxerint, et ab hoc responsum, ut abirent, retulerint. Id ægerrime passus est Udalricus comes, per litteras apud B. Patrem institit, ut perseverantiam fratribus injungeret. Quod* si, *inquit* (14), aliqua fuerint obstacula, possumus eadem per Dei gratiam penitus amovere et dicto monasterio de quiete bene providere, tuam erga nos amicitiam specialem et solitam ostendite, pro qua nos ad beneplacita vestra habere etiam poteritis paratissimos. Datum Viennæ fer. II post do-

(9) Pilarz. Morav. Hist. tom. II, pag. 171. — (10) Greid. tom. I, pag. 648. — (11) Pilarz. Morav. Hist. tom. II, pag. 171. — (12) Greid. tom. I, pag. 648. — (13) Marian. a SS. sacr. als Fidler. geschicht der Osterr. Klerisey, tom. VIII, pag. 387. — (14) Greid. tom. I, pag. 350.

AUCTORE J. V. H.

minicam in ramis Palmarum (XXXI *Martii*) anno 1455. *Epistola pro voto cessit, et jussu S.* Capistrani *in Enzerstorff Observantes, accedente confirmatione Ladislai, regis Hungariæ ac Bohemiæ et ducis Austriæ, perstiterunt. Ipsum cœnobium, mortuo sine filiis Udalrico comite, ab ejus heredibus, laxatis latifundiis, adauctum fuit. Feldperga quoque, oppidum novem milliaribus Vienna dissitum suum debet Observantium conventum S.* Joanni Capistrano : *olim Conventualium erat cœnobium, quod ipsi Sancto sponte et libere tradiderunt* (1). *Habebat similiter Judemburgum, civitas Styriæ, conventum Minorum, sed pauperculum et a paucissimis Conventualibus inhabitatum, quem, instante Friderico cæsare apud ministrum generalem Ordinis, Jacobum de Mozanica, Observantibus permiserunt Conventuales, fundos et prædia obtinuerunt communitates lanionum et sutorum, qui deinceps in Obervantes benefici permanserunt* (2). *Sanctum autem Judemburgi versatum fuisse aliquandiu, habemus ex variis ejus epistolis, Judemburgo datis. Palmarem attulimus supra*
B *num.* 18, *ex qua tempus nativitatis et ingressus in Religionem accurate investigare potuimus. Atque hi sunt laborum fructus, quos S.* Capistranus *in promovendo Observantium familia instituto collegit.*

§ XIII. Omni ope et consilio satagit, S. Joannes avertere pericula, novellæ reformationi imminentia.

Nicolao Papa suboffenso Observantibus,

Dum curis promovendi instituti sui et obeundæ legationis, quam Nicolaus ei commiserat, quamque infra explicabimus, totum se S. Joannes Capistranus *impenderet, non quiescebant adversarii Observantium.* Quum enim, *inquit Waddingus* (3), Nicolaus Pontifex pio pacis studio, sed deteriori consilio, sublatis censuris, ab Eugenio latis in eos, qui, spretis suis Observantiæ superioribus, ad Conventuales transirent, et in illos, qui transeuntes recipierent aut retinerent, liberam fecisset transeundi potestatem, passim et ubique hujus-
C modi recursus fiebant et discursus. Si quidem dum errantes corripere tentarent prælati, ut supplicium declinarent subditi, fugiebant ad Conventuales, a quibus benigne recepti, bene habebant, atque ut amplius allicerentur, laici ad clericatum, clerici ad sacerdotium, sacerdotes, etsi immeriti, ad honores et præfecturas assumebantur. Deinde multis ex his in cœnobiis aliquot collocatis, novum quoddam vitæ reformatæ genus sub omnimoda superiorum Conventualium potestate componebant. Rursum Observantibus hos in populo præferebant, quippe quos absque aliqua Regulæ offensione religiose sub prælatis legitimis vivere divulgabant, illos vero bullarum privilegiis a vera superiorum obedientia deviare. Demum facilius et liberius Conventuales ad Observantum domicilia et consortia accedebant, quorum assiduo commercio et laxiori consuetudine molliuscule spiritus fervor tepescebat et paupertatis rigor sensim decrescebat. His aliisque inde exorientibus malis D excitatus Capistranus, omnia, datis litteris ad Pontificem, distincte recensuit, digneque ponderavit, rogans, ut tantis obviaret incommodis, in integrum suo robori restitutis bullis Eugenianis. Mox ad Cardinalem Firmanum, Ordinis protectorem, Observantibus palam adversum, Conventualibus propitium... pro suo zelo aliquanto ardentiorem, et pro ea, qua apud omnes pollebat, auctoritate, audentiorem dedit epistolam, objectis his, quæ in religiosum commisit institutum.

patrocinium quærit Sanctus apud Cardinales

148 *Rem eruditioni hagiographicæ gratam et utilem præstitisset Waddingus, si ipsam epistolam coram exhibuisset. Cæterum non videtur, S.* Capistranus *magnopere offendisse Cardinalem Firmanum : nam, quæ exstant epistolæ posteriores, ostendunt satis, beatum virum magnam et iniisse et retinuisse apud Cardinalem gratiam. Erat autem Cardinalis, vulgo Firmanus, ab episcopatu ejus nominis, quem administravit, dictus, Dominicus Capranica, nobilis Romanus : mortuo Cardinali Cæsarini in protectione Ordinis Seraphici substitutus fuit. De hoc viro loquitur Mainardus Geminianensis,* E *S. Antonini biographus, qui inter hujus Sancti amicos recenset,* Dominicum præcipue Firmanum, virum virtute præstantem et caritate magnum, qui celebre sanctitatis et integritatis nomen posteris reliquit (4). *Magnificam satis, quam sibi Romæ in regione Columnæ ædificaverat domum, locuplete bibliotheca instructam, moriens gymnasium informandis adolescentibus esse voluit : ex quo dein Collegium Capranicense, hactenus Romæ florens, processit* (5). *Quod ad S.* Capistranum *spectat, Angelus, episcopus Asculanus, postea Reatinus et Cardinalis, Firmani frater germanus, testatur,* se bonæ memoriæ germanum suum sæpe ac sæpissime ea verba referentem audivisse, non putare se alterum in Religione B. Francisci per sua tempora vidisse, quem fr. Joanni de Capistrano vel sanctimonia et vitæ perfectione, vel verbi Dei ministratione efficaciori præferendum arbitraretur. Omitto, *inquit,* infinitas ejus laudes, quas recensere longum esset ac fastidiosum, et imprimis supervacuum apud illos præsertim, qui gratiæ et
F virtutis divinæ, in sanctum virum collatæ atque infusæ, longe melius conscii sunt, quam ego. *Quod itaque nævi fuerit in dicta epistola, si Cardinalis dignitatem pensemus, hoc delevit Firmani amicitia et magna de* Joanne *nostro sanctitatis opinio* (6).

et imperatorem,

149 *Verum suis fratrumque suorum industriis non contentus S.* Capistranus, *omnium provinciarum vicariis serio et diffuse scripsit, ut tanto rerum discrimini occurrerent, et principes auxiliatores adhiberent. Ipse certe imperatorem adiit, ab eoque litteras impetravit ad Nicolaum Papam, quibus periculum imminens averteretur. En epistolam Friderici imperatoris, prout illam in Annalibus suis refert Waddingus* (7) : Beatissimo Patri etc. Nicolao Papæ V. Beatissime Pater, Domine noster reverendissime, quam laudabilis sit, quantumque fructum attulerit christianæ religioni novella plantatio Fratrum Minorum, qui de

(1) Greid. tom. I, pag. 358. — (2) Ibid. pag. 326. — (3) Ann. tom. XII, pag. 212. — (4) Cfr Act. SS. tom. I Maji, pag. 315 et 316. — (5) Ciacc. Vitæ Pontt. et Cardd. tom. II, col. 859. — (6) Hermann. Capistr. triumph. pag. 650. — (7) Tom. XII, pag. 262.

Observantia

A Observantia S. Francisci nominantur, nec B. V. latet, nec vestri antecessores ignoraverunt. Nam quum gratissima essent in conspectu sanctæ sedis apostolicæ hujus plantationis opera, congruum ac necessarium existimaverunt vestri prædecessores hanc fructiferam et Deo acceptam vineam vallo ac fossa munire, circumdare sepibus, et omni præsidio tueri, ne posset illam aper de silva exterminare. Fuerunt attentissimi super hunc gregem Romani Præsules, modisque omnibus cavere studuerunt, ne veras Francisci caulas lupi rapaces ingrederentur, aut inde oves abducerent. Dederunt igitur huic plantationi multa privilegia, præbuerunt litteras apostolicas, miræ protectionis et digni favoris plenas. Quumque magna multitudo Fratrum ejusdem Ordinis, non tamen ejusdem vitæ, qui Conventuales appellantur, ab institutis ac vera Regula B. Francisci fundatoris non modice declinassent, vellent tamen totum Ordinem regere, ac ex ipsis ministrum eligere, qui Religionem universam suo nutu regeret;
B provida vestrorum antecessorum ordinatione cautum fuit, iis, qui de Observantia dicerentur, quique verum iter sui magistri sequerentur, fratribus, generalem vicarium concedi, qui hujus devotæ familiæ curam gereret, neque Conventualium Fratrum imperio quovis modo posset impediri. Placuit etiam antecessori vestro sanctæ memoriæ Eugenio IV decretum interponere, ne quis ex Observantibus Fratribus ad Conventuales migrare posset, anathemate in eos promulgato, qui hoc attentare præsumerent. Fuit igitur hæc novella plantatio in hæc usque tempora pacifica, nullo seditionum turbine agitata, famulata est Deo in caritate non ficta.

qui ad Pontificem 150 Extendit palmites suos in universam terram, manipulos in arcam Domini multiplices attulit; multum hæc sancta familia sub divo Bernardino Senensi, quem V. B. cœlestibus Sanctorum adscripsit ordinibus, ampliata est; multum etiam sub venerabili ac mundissimæ vitæ patre et optimo prædicatore fr. Joanne de Capistrano crevit atque profecit. Omittimus, quæ in Italia, quæve in cæteris
C regionibus per Fratres hujus plantationis geruntur, quos ubique viam Dei in veritate docere non ambigimus. In hac certe Germania nostra fr. Joannes ipse et qui cum sequuntur, plus utilitatis attulerunt, quam nostris possit litteris exponi : etenim quum prædicet hic vir Dei assidue, quum vitia fulminet, virtutes extollat, mortalesque omnes ad pœnitentiam evocet; neque quidquam sit, quod in ejus aut sermonibus aut actibus reprehendi possit, sintque omnia opera ejus digna laude; non facile dixerimus, in quanto tum populorum tum principum favore ac devotione nostræ nationis hæc familia teneatur, cujus in dies augeri supposita et opera pietatis crescere animadvertimus. Sed accepimus novissime, S. V. ex instigatione Conventualium dicti Ordinis, Eugenii antedicti decretum seu bullam ac ejus effectum suspendisse, et alia nonnulla privilegia eidem generali concessisse, quæ Fratres Observantes ad obedientiam Conventualium reducere ac trahere vi-

AUCTORE J. V. H.

dentur. Credimus equidem S. V. quæcumque agit, ad utilitatem reipublicæ convertere, neque sine magno consilio ac matura deliberatione suæ mentis conceptum efferre : hoc tamen, instantibus dictis Conventualibus, per S. V. super Eugenii decreto factum dicitur. Gravissimum et insupportabile, ut intelligimus, Fratribus de Observantia videtur, familiamque illam omnino pessumdat, nec possibile creditur, eam durare posse, nisi V. S. consilium mutet, et quæ vestrorum antecessorum provida meditatione statuta sunt, iis cursum esse decernat, confoveatque suos filios, et apostolico munimine tueatur. Cogitantes igitur indignum esse, eos, qui pro Regula suscepta et jurata vitam ducunt, neque a dextris neque a sinistris declinant, iis subjici et obedire compelli, qui longe a limitibus vitæ, quam professi sunt, abierunt. Affecti quoque huic novellæ et salutiferæ plantationi, cujus profectum et augmentum magnopere cupimus, ejus autem ruinam veluti christiano populo damnosissimam formidamus, S. V. obnixe exoratam *, eique sincero et ardentissimo supplicamus affectu, quatenus Eugenii decretum in suum pristinum valorem reducentes, ac privilegia et indulta quæcumque Fratrum, de Observantia vocatorum, confirmantes, indemnitati et stabilitati Regulæ ipsorum ac familiæ providere et opportune consulere dignemini. Id erit nobis pro singulari et amplissimo munere, et apud omnes peræque gentes V. S. commendabitur, qui frugiferam et acceptam Deo familiam in protectionem et tutelam acceperit. Datum ex Nova Civitate die x Januarii 1455.

* exoramus?

et ad Cardinalem Firmanum scribit;

151 *Epistolæ ad Pontificem addidit imperator alteras litteras ad Cardinalem Firmanum, protectorem Ordinis Minorum, ut ipse quoque Observantium incolumitati consuleret* (1) : Reverendissimo Patri etc. Cardinali Firmano etc. Reverendissime pater et amice noster carissime. Scribimus S. D. N. Papæ super quodam negotio, concernente Fratres S. Francisci, qui de Observantia nuncupantur : intellexinus enim, quamdam bullam fel. rec. Eugenii Papæ IV, in favorem dictorum Fratrum concessam, novissime per sedem apostolicam sive revocatam sive suspensam esse. Quæ res præfatis Fratribus multum nocumenti affert, ac familiam eorum penitus dissipare videtur. Quum autem V. R. P., sicut accepimus, totius Ordinis Fratrum Minorum protectrix exsistat, ad eamque potissimum pertineat de felici statu et utili progressu ejus cogitare, statuimus et vestræ dignationi circa idem scribere. Rogamus igitur et attente petimus, quatenus apud S. D. N. scripta nostra promovere, familiam hanc de Observantia commendatam habere, privilegia ejus confovere et omni conatu sibi assistere velitis; quando nihil est, quod ex ejus operibus nisi fructiferum exeat, et christiano populo salubre. In eo autem faciet nobis R. V. P. singularissimam complacentiam, et Deo rem gratissimam et christianæ plebi utilem et acceptam. Datum ex Nova Civitate die x Januarii 1455. *Quibus petitionibus, ut sua perstaret auctoritas, Cæsar in mandatis dedit Henrico Senfleben, suo apud Ponti-*
F

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 264.

ficem

AUCTORE J. V. H.

ficem oratori, ut sedulo cum Joanne Carvajal Hispano, a titulo suæ ecclesiæ Cardinalis diacono S. Angeli dicto, ageret, et epistolam Cæsaream, ad Pontificem datam, cum eodem communicaret.

Æneas Sylvius Sanctum

152 *Simul Æneas Sylvius, qui Senensis episcopus, pro Pontifice legationem apud Cæsarem obibat, urgentissime causæ Observantium patrocinatus est, et ad Cardinalem Firmanum, Ordinis protectorem, litteras dedit, adeo honorificas tum S.* Capistrano *tum universæ ejus familiæ, ut merito locum suum in hoc Commentario sibi vindicent. Sunt vero tenoris sequentis* (1) : Reverendissime Pater et Domine mi colendissime, post humilem recommendationem. Quamvis scribente Cæsare ac negotia Fratrum B. Francisci de Observantia commendante, modestius fuerit me silere ; quia tamen ob memoriam divi Bernardini, conterranei mei, huic familiæ singulariter afficior, nequeo me comprimere ; cogor assistere sanctæ familiæ, neque patrocinia mea his negare possum, qui non me solum, sed omnes Christi
B fideles suis orationibus ac piis operibus adjuvant. Utinam esset in me auxilii copia, et aliquid posset patrocinium meum, profecto nihil his Dei servis denegarem ; nam etsi sum ipse peccator et iniquitate circumdatus, diligo tamen eos, quorum vitam castam mundamque video ; quia quanto minus est in me virtutis, tanto eos juvare attentius debeo, quorum probitas in aperto est, ut si nequeam meis actibus Deo placere, horum saltem commendationibus reddar acceptus. Sicut enim pavidi et pusillanimes in prælio sæculari milites fortium virorum virtute salvantur, ita et in B. Petri navicula prudentes ac animosi nautæ vecordes atque ignavos servant remiges. Facit hoc Religio B. Francisci, quæ apud Observantes habetur : hæc enim veluti lectissima militum manus undique christianorum lustrat exercitum : nunc istam nunc illam partem tuetur, arcet insidias, impetum frangit hostium ; semper armata, semper in vigilia, semper in negotio est, nobis ut otium pariat.

datis literis

153 Scimus quantum sub Bernardino Se-
C nensi, jam supernæ Hierusalem curiæ, hæc Religio Ecclesiæ catholicæ profuerit, quantumque modo sub fr. Joanne de Capistrano utilitatis attulerit. Et quid hæc Religio aliud agit, quam quæ jubere novimus Euangelium? Sentes ac tribulos ex agro dominico divellit, semen bonum seminat, zizaniam ac lolium sarculo veritatis præcidit ; exterminat avaritiam, pellit libidines, fulminat illecebras, voluptates strangulat, ambitiones et odia fugat, ignaviæ ac socordiæ stimulum adigit ; et aperiens in Ecclesia diebus singulis os suum, pœnitentiam suadet, et viam Domini in veritate docet. Hæc sunt opera Fratrum, qui de Observantia nuncupantur. Nescio, cui hæc non placeant. Credo, quæ non sunt omnino præcisa ab Ecclesia membra, omnibus horum gratam esse conversationem ; nec me dubium habet, quin sancta sedes apostolica iis Christi militibus afficiatur ; nam et Romani præsules quam plurima huic familiæ privilegia contulerunt, quibus ab infestationibus hostium perseveraret illæsa. Sed audio, novissimis D diebus nonnihil suggestum esse B. P. nostro, Papæ Nicolao V adversus hujusmodi sacram sanctamque congregationem : fertur enim, Sanctitatem suam litteras Eugenii prædecessoris sui, quæ in favorem horum de Observantia Fratrum emanarunt, seu revocasse seu suspendisse ; quod minime fecisset, nisi, ut ajunt, sinistre de conversatione horum Fratrum fuisset instructus. Perniciosa res est lingua fallax et subdola, multumque damni sæpe in communi affert : sed magna vis veritatis, quæ contra omnes insidias facile per se ipsam emergit. Vita horum Fratrum in aperto est : non potest civitas abscondi supra montem posita ; est hæc familia quasi lucerna ardens supra candelabrum, quæ domum Domini, hoc est, Ecclesiam, miro splendore irradiat. Venit adversus eam jam princeps hujus mundi, et nihil habet in illa ; fundata est domus supra firmam petram, nihil est, quod in eam valeant aquilones. At quamvis creditur cœlestis imperatoris sustentata manu neque timeat versutias serpentinas, cupit tamen ejus auxilio communiri, qui locum magni E Dei tenet in terris ; nam etsi domus dirui ipsa, si demergi B. Francisci navicula nequeat, possunt tamen ex inquilinis sive ex nautis nonnulli periclitari, neque omnino tuta est, nisi apostolicæ sedis præsidio muniatur.

in proposito confirmat :

154 Meum nihil est de alto judicio sacri senatus censere, aut de prima sede quidquam dicere, cujus opera judicare in terris mortalium nemo potest. Non tamen errare me putaverim, si apud dignationem vestram animi mei secretum aperuerim, et quid ex usu crediderim, sapientiæ vestræ palam fecerim : nam et hoc jurasse memini me facturum, quum sacris pontificalibus initiarer. Ego, ut aperte loquar cum vestra dignatione, vehementer timeo, ne novitas hæc scandalum pariat, si Fratres de Observantia ad Conventuales migrare permittuntur : hoc enim imprimis non intelligo licitum esse : « Vovete et reddite » scriptum scimus, servanda, quæ sanæ mentis promittunt puberes. Claudenda est porta, quæ ducit ad interitum, aperienda, F quæ monstrat vitam. Sunt præterea, ut fama est, supra viginti millia Fratrum, qui de Observantia dicuntur ; tota Christianitas his plena est : non est leve tantam offendere multitudinem, incautum est cum iis contendere. Quod si dicatur, multo plures esse Conventuales, doctrinamque horum perspicaciorem videri, prædicationes quoque in omnibus urbibus audiri : nihil moveor ; parum prodest sermo, cui vita contraria est, neque scientia sine sapientia proficit. Monasteria Conventualium comminui ac ruere cernimus, Observantum augentur et florent ; his principum aures patent, neque pontifices aut alii prælati iis adversantur. Nihil enim ab his parochialium jura læduntur, subsidio plebanis, non oneri sunt : Conventuales autem nunc offertoria cupiunt, nunc de jure sepulcrali contendunt ; ob quas res acceptiores omni populo sunt Observantes quam Conventuales. Taceo de vita dispari, quæ ipso nomine designatur.

(1) Wadding. Annal. tom. XII, pag. 264.

Mihi

A Mihi profecto non videtur, Romanum Pontificem hanc familiam contristari debere. Et quoniam vestra dignatio protectionem Ordinis Minorum in se suscepit, præsumpsi hæc sibi scribere. Intelligetis ex litteris Cæsaris animum ejus : utile censeo provideri. Fr. Joannes homo Dei est: populi Germaniæ quasi prophetam eum habent; posset, quum vellet, elevato digito magnam turbam facere. Sentio ex iis, quæ penes eum sunt, ægre sibi esse, quod de bulla Eugenii fertur. Sed homo sapiens spem vultu simulat ; premit altum corde dolorem ; quamvis scio constantiam ejus immobilem, neque timendum esse, quæ semper apostolicæ sedis dignitatem ac eminentiam prædicavit, retrocedere linguam. Decet tamen summi Pontificis providentiam iis benefacere eosque consolari, qui de Romana Ecclesia sunt bene meriti. Qualem esse hunc patrem Joannem cum suis Fratribus, nemo, qui sapiat, inficias ibit . Hæc bona venia dixisse voluerim : vestra dignatio, quæ libera voce dico, in partem recipiat meliorem, meque suo more commendatum habeat. Ex Nova
B Civitate, die x Januarii 1455.

mortuo Nicolao, successor Calixtus III

155 *Verum omnes hæ curæ atque industriæ ad sartum tectum servandum Observantium institutum effectu caruerunt suo. Nam hæ litteræ vix Romam attigerant, quum Nicolaus Pp. V diem suum obiit* XXIV *Martii* 1455. *Ejus successor Calixtus III, electus fuit* VIII *Aprilis sequentis. Audita ejus assumptione, olim a S. Vincentio Ferrerio prædicta* (1), S. Capistranus *Judemburgo litteras gratulatorias ad Pontificem dedit Kalendis Maji, quibus incitat ejus zelum ad fortiter gerendum adversus Turcas bellum, commendatque ei* obnixe et quanta potest, efficacia, Religionem Seraphici patriarchæ Francisci, quam maxime Fratres, qui de Observantia nuncupantur (2). *Cui respondet Pontifex per breve, datum sub annulo piscatoris, die* XX *Julii* 1455, *gratissimum sibi fore coram videre* Capistranum, *nihilominus* considerantes, *inquit* (3), *quam salutares fructus istis in locis per te Deus* poterit operari, quodque ad intentionem nostram parandæ expeditionis in Turcas, ad quam indefesso
C studio intendimus, permaxime conducit, te istic esse, opusque inceptum ferventer continuare, ideo devotionem tuam hortamur, dilecte fili, et in virtute sanctæ obedientiæ tibi per præsentes mandamus, ut donec aliud a nobis in mandatis habueris, ex isto inclito regno Hungariæ (*ad quod, promulgato per Calixtum in Turcas bello, se contulerat* (4)) et locis infidelibus proximis, ubi utilior esse possis, nullo modo discedas, sed monendo, prædicando et exhortando tam prælatos, quam principes sæculares et regni præfati barones, populosque istos, S. Petri devotos, omnia privatim et publice opereris gratia cœlitus tibi data, quæ ad conservationem fidei christianæ et eversionem infidelium conducere arbitraris. *Simili modo Pontifex alias litteras ad* Capistranum *direxit,* VIII *id. Decembris ejusdem anni, quibus prædecessorum suorum facultates olim concessas confirmat et innovat : etiam illas, quæ ad propagationem familiæ Observantium pertinebant* (5).

156 *Eodem tamen tempore in id incumbebat Calixtus Pontifex, ut controversias, inter Conventuales et Observantes continuo motas, tandem componeret. Quapropter litteras die* XXIX *Julii* 1455 *ad Baptistam de Levanto, Vicarium generalem Cismontanum Observantium dedit, quibus mandabat, ut ipse cum vicariis Cismontanarum provinciarum et aliis Fratribus idoneis conveniret ad capitulum in conventu S. Francisci in civitate Assisiensi, et ibidem simul cum Ordinis ministro generali et aliis Conventualibus, ad id vocatis, de pace et concordia universi Ordinis tractarent* (6). *Aliquot post mensibus Callixtus bullam dedit* XVI *kal. Novembris* (XVII *Octobris*) *ad prælatos cæterosque Conventuales, qua eisdem præcipit, ut* omni gratia, metu et cæteris animi passionibus procul amotis, *serio cum Observantibus deliberent de puritate Regulæ restituenda et redintegranda concordia* (7). *Ad hunc conventum, qui decretorius videbatur,* Capistranum *nostrum vocaverat Baptista de Levanto, ut personaliter tantis malis, quæ Observantibus imminebant, opportunum repagulum objiceret; pro summa* E *enim, qua apud omnes valebat, auctoritate sperabatur Sanctus remedium aliquod inventurus. Ast respondit, publica rei christianæ negotia prævalere peculiaris instituti controversiis : erat enim tunc totus in conscribendo cruciatorum exercitu adversus communem christiani nominis hostem : cæterum sibi, annis gravi et laboribus fracto, integrum non esse ex ultima Hungaria Romam magnis itineribus contendere. Nihilominus pro conversatione familiæ Observantium, quod potuit, præstitit : nam et ipse humillimas ad Pontificem scripsit litteras, et curavit, ut tum ipse imperator et tum prælati et proceres Hungariæ, suam exhiberent pro Observantibus intercessionem* (8).

AUCTORE J. V. H. *pro conventualibus quæstionem*

157 *Et* S. Capistranus *quidem die* XXIII *Septembris* 1455 *ex Chanadiensi Ecclesia* (9), *quam* ultimam Christianitatis, *utpote quæ* a Turcis perfidissimis distet milliaribus ad plus quatuordecim, *appellat, porrexit epistolam; in qua dicit se a Fratribus accepisse litteras,* plenas mœroribus lacrymis et singultibus, atque suspiriis et angustiis, eo quod ad sinistram F æmulorum informationem sua Sanctitas inclinata videretur ad irritandum Observantium salutifera decreta, communi etiam concordia et consensu generalium atque provincialium ministrorum, cognita causa, tradita et concessa. *Nihilominus Sanctus* a Domino Jesu Christo putabit decisum, quidquid in his et in aliis quibuscumque Sua Sanctitas enodabit, confisus in Pontificis conscientia et sanctitate, justitia et æquitate ac potestatis plenitudine, quod divinum cultum et sanctæ catholicæ fidei mysteria dilatare potius intendat, quam minuere. *Ad cardinalem Firmanum, apertius scripsit* Capistranus. *In principio ægre ferebat, se excluso, rem gravissimam concordiæ inter religiosos suæ curæ commissos, tractari, solique S. Jacobo de Marchia arduum negotium concreditum fuisse : unde homo, calamitatis impendentis conscius, segnius concordiam promovebat . Quapropter S. Jacobus professus est, omnino in votis sibi esse, ut ipse apud Ponti-*

ad tempus decidit.

(1) Act. SS. tom. I April., pag. 499 — (2) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 246 et seqq. — (3) Ibid. pag. 248. — (4) Ibid. pag. 245. — (5) Ibid. pag. 251. — (6) Ibid. pag. 267. — (7) Ibid. pag. 268. — (8) Ibid. pag. 281. — (9) Ibid. l. c.

ficem

AUCTORE J. V. II.

ficem negotium perageret, ac pacis et concordiæ leges, a se conscriptas, Papæ commendaret (1). *Scripsit igitur S.* Capistranus *ad Firmanum* (2), sibi persuaderi non posse, quod, dum vixerit Cardinalis, non interponat se usque ad ultimum spiritum pro defensione et conservatione, necnon et augmento familiæ de Observantia, tamquam verus sincerusque protector familiæ. *Rogat etiam,* ut causam Observantium ita suscipiat coram Pontifice, ut falsis suggestionibus hic non acquiescat. *Vexatam quæstionem tandem solvit utcumque Calixtus Papa per suam bullam, datam* IV *non. Februarii* 1455 (3), *id est,* 1456, *quoniam Calixto annus a die* XXV *Martii sequentis ordiebatur. Obedivit certe, sicut professus fuerat, mandato pontificio S.* Capistranus. *Nihilominus etiam moribundus spem fovebat, aliquando constitutionem Calixtinam revocandam fore : id testatur nobis Joannes Tagliacotius, qui de Sancti extremo morbo et obitu commentarios conscripsit, quos infra dabimus : in iis enim habetur apud Waddingum* (4) : Prædixit familiam nostram, tunc bullam Calixti servantem, ad bullas
B Eugenianas redituram. Prædixit Fratres Hungaros solum propter bullam Calixti a familia decessuros : laudabat tamen bullam Calixti. *Ad generalem Ordinis historiam pertinet, hæc latius evolvere : indicasse sufficiat, S.* Capistrani *prophetiæ veritatem eventu comprobatam fuisse.*

§ XIV. De cultu sanctissimi Nominis Jesu, a S. Bernardino Senensi propagato, et a S. Joanne Capistrano a calumniis vindicato; de procurata canonizatione ejusdem S. Bernardini.

Cultus, SSmo Nomini Jesu

C *Inter cæteras utilitates, quas S.* Joannes de Capistrano *novellæ Observantium familiæ procuravit, non ultimum sibi locum vindicat S. Bernardini, temere accusati, suscepta defensio, ejusque post mortem procurata canonizatio et cultus promotio. Scilicet, ut ait Waddingus, sub anno* 1427 (5), Bernardinus Senensis, guardianum agens Fesularum, Florentiæ primum ad effugandas varias corruptelas juramentorum et irreverentiæ erga sanctissimum Jesu Christi nomen, firmiusque cordibus imprimendum, quo potuit studio et sermonis conatu cœpit ejus laudes celebrare, et populos ad divinæ vocis venerationem excitare. Deinde discurrens per alias civitates, hoc anno (1427) sermones quadragesimales habebat Viterbii, et sub finem concionum, quod alibi etiam fecerat, populo tabellam spectandam reverenter et religiose proponebat, in qua pictum erat litteris aureis sacratissimum Jesu nomen, solis radiis undecumque circumdatum, idque populus, flexis genibus, devotissime adorabat. *De sanctissimi Nominis cultu, per S. Bernardinum innovato hisce verbis, quæ ex Amando Herman cito* (6), *scribit S. Antoninus :* Eo tempore quidam fuit Ordinis Minorum, fr. Bernardinus nomine, Senensis natione, venerabilis vitæ et famæ præclaræ egregius prædicator. D Quotidie post Missarum celebrationem populis prædicabat, discurrens per civitates et oppida Tusciæ et Lombardiæ et ducatus Spoletani; et cum tanta gratia, ut ecclesias et plateas audientibus impleret, et fructum plurimum Deo offerret ex verbi semine, per eum sparso. Hic quemdam scilicet mellifluum adinvenit modum, ut creditur, pia intentione : ut scilicet mellifluum nomen Jesu, quasi oblitteratum, in cordibus fidelium incalesceret. Nam pictum vel sculptum in magna tabula ornata populo ostensum, faciebat adorare. Hoc etsi simplicibus videretur devotionem afferre, sapientes arbitrabantur idololatriam, vel saltem ad superstitionem tendere; quum populi magis venerarentur illas litteras, quam significatum per eas, scilicet Jesum Christum.

a S. Bernardino delatus,

159 Imitati sunt eum aliqui prædicatores Ordinis Minorum, tales tabulas cum illo nomine in processionibus ferentes et cruci, quæ de more antefertur, præferentes. Hinc ortæ sunt magnæ in populis contentiones, aliis E factum commendantibus, aliis reprobantibus; quum etiam aliqua ad exaltationem illius nominis prædicando Bernardinus proferret, quæ veritati non videbantur inniti. Demum ad curiam Romanam citatus super his fuit. Et Martinus Papa, habita prius solemni per magistros et prælatos discussione materiæ et rationis, adinventione illa, ut superstitiosa et periculosa ostensa, prohibuit illud amplius fieri, nec populis sic ostendi. Quod Bernardinus, filius obedientiæ, humiliter mandatum acceptavit et integre observavit. *Quoniam S. Antoninus in citato textu dicit, sapientiores quosdam in veneratione tabulæ, Jesu nomine insignis,* idololatriam vel saltem superstitionem *quamdam subodoratos fuisse, hæc calumnia imprimis diluenda est. Ipse certe S. Bernardinus eamdem repellit, quando in sermone feriæ* II *post Dominicam sextam, seu Palmarum dicit (verba Sancti ex Amadeo de Venetia ejus biographo recito)* (7) : Crede ergo tu, o devote et fidelis, quod omnis virtus bene operandi inclusa sit in virtuosa nomine Jesu, in tantum, ut quemadmodum adoras Jesum in F carne, ita tu debes nomen Jesu adorare : non dico sculpturam vel colorem, sed saporem; non signum, sed significatum, quia nomen Jesu tibi significat Salvatorem, Redemptorem et Filium Dei. *Paulo infra agens de strenis, quas patrini recens baptizatorum fasciis insinuare consueverant, hortatur illos, ut profanorum munusculorum loco, numismata aurea vel argentea, nomine Jesu signata, darent :* ut, *inquit,* infantulus super se ex devotione portet, et non quia sit de argento vel auro, sed propter virtutem illi nomini insitam : et puer veniens in dies discretionis possit comprehendere devotionem nominis Jesu, et de illo continuo recordari ad instar picturarum, repræsentantium nobis B. Virginem vel alios Sanctos, quæ picturæ solum fiunt ob memoriam ipsorum Sanctorum.

relativus est;

160 *Ex mente itaque S. Bernardini Senensis cultus, sanctissimo nomini Jesu exhibitus erat relativus, quatenus honoratur propter ipsum,*

(1) Wadding. Annal. tom. XII, pag. 281. — (2) Ibid. pag. 283. — (3) Ibid. pag. 423. — (4) Tom. XII, pag. 399. — (5) Ann. tom. X, pag. 113. — (6) Capistr. triumph. pag. 91. — (7) Vita di S. Bernardin. da Siena, pag. 324.

quem

A *quem in memoriam revocat, Jesum Christum, Dominum nostrum. Cornelius a Lapide, commentans in verba S. Pauli ad Philippenses* II, 10. In nomine Jesu omne genu flectatur, *dicit :* Dupliciter coli potest nomen Jesu, æque ac imago quælibet. Est enim ipsum quasi imago et repræsentatio rei nominatæ, sive personæ, quæ nomine hoc significatur. Prior modus est, si mens feratur non in nomen, sed in Christum, nomine repræsentatum ; et tunc proprie et primario colitur Christus, æque ac honor imaginis, ut imaginis, fertur in prototypum. Posterior, si ipsum nomen veneremur in se, ob respectum tamen, quem habet ad rem nominatam : sic enim aliquis ei honor debetur. Potest enim res, quæ ad religiosum alicujus cultùm refertur, aliquo etiâm modo ipsamet coli, propter id, ad quod refertur vel quod repræsentat. Sic enim osculamur ipsas imagines Christi et Sanctorum, eo quod sint ipsorum imagines. *Quam in rem adducit ex jure canonico exemplum, quod mirifice ad quæstionem nostram*
B *spectat, scilicet canonem* 2 *de immunit. eccles. in* 6 (III, 23), *quo concilium œcumenicum Lugdunense II, anno* 1274 *celebratum, præscribens, ut humilis et devotus sit in ecclesias ingressus, dicit :* Convenientes ibidem, nomen illud, quod est super omne nomen a quo aliud sub cœlo non est datum hominibus, in quo salvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Jesu Christi, qui salvum faciet populum suum a peccatis eorum, exhibitione reverentiæ specialis attollant, et quod generaliter scribitur, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, singuli singulariter in seipsis implentes (præcipue dum aguntur Missarum sacra mysteria) gloriosum illud nomen, quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur.

et radicem habet suam

161 Sed cur, *ait Molanus* (1), inter tot nomina Salvatoris nostri istud præ reliquis ita in honore est, non solum in pictura et festi institutione, sed et dum nominatur? Dum enim nominatur Jesus, externum reverentiæ signum exhibemus flectendo genua aut caput aperiendo, dum vero Deus nomina-
C tur, nil tale fit. Hujus ratio est, quod Jesus sit proprium nomen Christi, qui salutem nostram et redemptionem est operatus, qui liberavit nos ab æterna perditione et gratiam promeruit perveniendi ad vitam æternam. De illo ergo beneficio, quod longe maximum est inter omnia, quæ Deus nobis præstitit, agimus gratias Deo, quando honoramus nomen Jesu, quia illud nomen clare ob oculos ponit illud beneficium ; quum Jesus non sit aliud, quam Salvator, ut Angelus ait (Matth. I, 21) : « Vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » *Hactenus Molanus. Ven. Beda, commentans in verba Lucæ* II, 21 Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur, *post datam hujus nominis interpretationem, addit* (2) : Cujus sacrosancti nominis non tantum etymologia, sed et ipse, quem litteris comprehendit, numerus perpetuæ nostræ salutis mysteria redolet. *Ostendit dein græcas litteras* Ἰησοῦς *efficere numerum* 888, *seu ter octo, videlicet simplum, decuplum, centuplum, seu, ut ipse Beda ostendit, numerum et rem undequaque ad perfectionis fastigium assurgentem.*

AUCTORE J. V. H.

in remotissima antiquitate ;

162 *Istiusmodi vero litterarum et numerorum combinationes Ven. Beda longe antiquiores sunt, utpote quas apud primævos patres reperire est. Certe Epistola Catholica, quæ passim S. Barnabæ Apostolo tribuitur, adeoque sæculo primo prodiit, jam tales calculos exhibet. Ex siglis græcis* IH *et* T *probare conatur efficaciam circumcisionis ex fide in Messiam venturum derivandam esse, nec quidquam sine Christo prodesse.* Discite igitur, *inquit* (3), filii de omnibus abunde. Abrahamus, qui primus dedit circumcisionem, in spiritu prospiciens in Filium (*lege* Jesum *cum Oxoniensibus editoribus, Menardo, Davisio etc.*) circumcidit, accepto trium litterarum documento : narrat enim Scriptura, quod Abrahamus viros e domo sua decem et octo et trecentos circum- E
cidit. (*Pugnavit quidem Abraham cum vernaculis* CCCXVIII *contra quinque reges, Genes.* XIV, 14 ; *an vero iidem, nemine dempto aut addito, circumcisi fuerint, non tradit scriptura.*) Quæ ergo illi in hoc data est cognitio? Discite: primo, decem et octo ; dein trecentos. Decem autem et octo exprimuntur per III, I decem, H octo ; habes Jesus nomen ; quia vero crux in figura littera T, quæ designat numerum CCC, habitura erat gratiam, ideo ait et trecentos. Ostendit itaque Jesum in duabus litteris et crucem in tertia. Scit hoc, qui insitum donum doctrinæ suæ posuit in nobis. Nemo magis germanum a me accepit sermonem ; sed scio vos dignos esse. *Ad hos trecentos octodecim vernaculos frequenter alluserunt patres, quum auctoritatem Concilii Nicæni I, totidem episcopis constantis, adstruebant. Lege S. Ambrosium in Prologo ad libros de Fide ad Gratianum num.* 5 (4) ; *S. Liberium Papam, epistola ad episcopos, universos* (5). *S. Hilarium in libro de Synodis num.* 86 (6), *etc. Paschasium Diaconum in Præfatione librorum de Spi-*
ritu Sancto (7) *etc. Iste numerus patrum Nicæ-* F
norum tam vulgaris erat, ut eodem concilium Nicænum sine ambagibus indicaretur. En lapis sepulcralis ex Aringhio, lib. I, *cap.* 26 (8).

HIC REQUIESCIT IN PACE DOMNO BONUTA
QUÆ VIXIT ANNOS XXXX ET D. MENNA
QUI VIXIT AN... E(*t*) (*h*)ABEAT ANATHEMA
A JUDA SI QUIS ALTERUM (*h*)OMINE(*m*) SUPER
POSUER... ANATHEMA (*h*)ABEAS(*t*) DA (id est *ab* (9)
TRICENTI(*s*)
DECEM ET OCTO PATRIARCHÆ (*is*) QUI CANONES
EXPOSUERUNT ET DA SANCTA (*is*) CHRISTI
EUANGELIA.

ut patet ex antiquissimis Patribus ;

163 *Post apostolicos patres, inter quos merito S. Barnabam annumeramus, citandus nobis occurrit Clemens Alexandrinus, sæculi* II *scriptor, qui libro* IV *Stromatum* (10) *epistolam Barnabæ exscripsisse quodammodo videtur.* Quemadmodum ergo in astronomia habemus exemplum

(1) De sacr. Imag. pag. 233. Edit. Lovan. 1771. — (2) Migne, Patrol. tom. XCII, Oper. Bened. col. 338. — (3) Epist. Cathol. num. 9, pag. 28. Edit. Clerici. — (4) Migne, Patrol. tom. XVI, op. S. Ambros. col. 529. — (5) Ibid. tom. VIII, Ep. Liber. col. 1384. — (6) Ibid. tom. X, Hilarii oper. col. 538. — (7) Ibid. tom. LXII, Pasch. oper. col. 9. — (8) Rom. subterr. tom. I, pag. 89. — (9) Muratori. Antiq. med. ævi. Dissert. XXXII, tom. II, col. 989. Edit. Mediol. 1739. — (10) Clem. oper. pag. 656. Edit. Paris. 1641.

Abraham,

AUCTORE J. V. H.

Abraham, ita etiam in arithmetica eumdem Abraham. Quum enim audiisset, abductum fuisse Loth captivum, trecentis vernaculis suis numeratis, hostes aggressus, vincit maximum eorum numerum. Dicunt ergo dominici quidem signi typum, quod ad figuram attinet, esse elementum, quod significat trecentos (*nempe* ι, *figura crucis, græce trecentos indicat*). Ἰῶτα autem et Ἧτα significare nomen salutare. Significatur ergo, Abrahæ domesticos et ei conjunctos, quod ad salutem attinet, quia ad signum et nomen Domini confugerunt, et superasse eos, qui ipsos abducebant in captivitatem et plurimas gentes infideles, quæ eos sequebantur. *Istiusmodi litterarum compositiones facile multiplicari possent; norunt enim, qui Breviario Romano utuntur, quam frequens sit numerabilium combinationum apud SS. Patres usus; quin et nonnullos reperire est, qui hujusmodi argumentandi modum tamquam insipidum et puerilem traducant. Verum ad id ratiocinii genus, vel inviti, coacti fuere Patres; scilicet judæis,*
B *hæreticis et quibusdam philosophis, eo abutentibus, ut christianam veritatem subverterent. Quapropter ipse mox citatus Clemens, antequam interpretationem nominis Jesu exponeret, agit de hac litterarum et numerorum combinatione, apud adversarios frequenti, et subjungit* (1) : Quibus enim improbe et malitiose utuntur ii, qui suam operam ponunt in hæresibus, iis recte utetur is, qui est cognitione præditus. *Atque ex hisce hostium molitionibus, derivandus est usus combinationum tum litterarum tum numerorum.*

sed sæculo XV

164 *Hujus porro loci non est, pluribus documentis monstrare, quanta in veneratione a primis Ecclesiæ sæculis esset hoc* Sacrosanctum, *ut Beda loquitur,* Jesu nomen, *quod etiam succedentes sibi Ecclesiæ Doctores summo cultu prosecuti sunt. Sed quo tempore S. Bernardinus Senensis cultum sanctissimi nominis Jesu populis deprædicare cæpit, docuitque eidem honorem exhibendum, non solum devotionis ardor deferbuerat, sed ipsa antiquæ pietatis officia obsoleta videbantur. Quin et Sancti adversarii eo devenerant, ut iis, qui in domibus*
C *suis hoc gloriosum nomen, sive scriptum, sive pictum retinerent, absolutionem sacramentalem denegarent. Imo quum FF. Minores ostiatim pro more suo victum quæritarent, inclamabat plebecula :* Foras Jesu (2). *Sic et Poggius in epistola ad Franciscum Barbarum, equitem Venetum eruditissimum, quam citat Amadeus de Venetia in Vita S. Bernardini* (3), *laudat Barbarum, quod in suis scriptis nomen Christi cum nomine Jesu conjungat.* Jam tandem, *inquit,* gaudeo te esse christianum, relicta illa Jesuitate, quam adscribebas principiis litterarum tuarum. Animadverti quidem te descivisse ab eorum impudentia, qui nomini Jesu soli inhærentes, novam hæresis sectam moliebantur, gloriamque in amplificatione ejus nominis quærebant apud vulgus et rudem plebem, cujus muneribus anhelant. Sed tu, ut decet virum non solum doctum, sed sapientem, Jesum et Christum conjungens, non disjungis verba, quæ sejungi non pos- D
sunt. *Ex his satis patet, insolitum quid, adeoque novum fuisse sæculo quinto decimo venerationem et invocationem sanctissimi nominis Jesu, et quosdam in isto cultu quidpiam erroris suboluisse.*

obsoletus fuisse videtur :

165 *Quod quidem merito mirum videri debet, quum S. Bernardus tantis encomiis nomen istud cumularit, speciatim in sermone* XV *in Cantica* (4); *et S. Bonaventura non solum speciale opusculum* de Laude melliflui nominis Jesu *conscripserit, sed ejusdem monogrammate, tamquam scuto gentilitio usus fuisse fertur* (5). *Nihilominus ad præcavenda malevolorum dicteria, Martinus V, ut narrat Spondanus in Continuatione Annalium Cæsaris Baronii ad annum* 1419 § v, *jussit picturæ nominis Jesu imaginem Crucifixi appingere : atque hinc derivatus usus dicitur imponendæ in media littera* H *crucis, in hac forma* H̄. *Laudatus Spondanus l. c., citans Sigonium, originem istiusmodi picturarum derivandam dicit, ex consilio dato cuidam opifici, qui conquestus est apud S. Bernardinum, quod, abrogatis ludorum* E
et alearum instrumentis, quæ pingere consueverat, jam non haberet, unde familiam aleret. Hoc autem a sancto viro tulit remedium; nempe ut deinceps pingeret in circulo radiato nomen Jesu, secundum exemplar, quod sua manu formavit S. Bernardinus. Res pro voto cecidit, et, confluentibus undique ad emendam imaginem, longe majores inde pecunias, quam ex chartis et tabellis lusoriis, retulit opifex. Historiam vere narrat Sigonius in suo commentario de episcopis Bononiensibus lib. IV *sub anno* 1423 (6) : *ast nullo modo aut verbo, contra ac dicit Spondanus, insinuat, id consilium S. Bernardini dedisse originem istiusmodi picturis.*

excurrit sermo

166 *Hactenus dicta, quemadmodum et infra dicenda, convenientius in Commentario ad Acta S. Bernardini Senensis posita fuissent, quandoquidem hæc magis ex obliquo sanctum nostrum* Joannem *tangunt : verum quum pleraque omissa fuerint in commentario Bernardiniano* (7), *ejusque Appendice* (8) *ea huc tractanda veniunt; quatenus Sanctus noster præcipuus exstitit vindex doctrinæ et sanctitatis magistri*
F *sui, S. Bernardini Senensis. Quapropter ad monstrandum, S. Bernardinum, ejusque vindicem* S. Joannem Capistranum *nihil novi, quasi ex penu sua, deprompsisse, otiosum non erit in siglas, quibus ab primis Ecclesiæ temporibus usque ad sæcula recentiora nomen Jesu signabatur, inquirere. Qui quidem labor tanto commodior mihi accidit, quod liceat mihi documenta delibare ex opere, hactenus manuscripto, unius ex collegis meis. Porro jam vidimus supra num.* 162, *digramma* IH *a primo Ecclesiæ sæculo, nempe a S. Barnaba adhibitum fuisse : adeoque apud Mamachium occurrit id digramma, signatum in lapide annulari* (9). *Sigla I, e sola prima nominis Jesu littera constans, antiquitate par aut saltem suppar est. De eo sæpe agit Clemens Alexandrinus : sic Pædagogo, lib.* II (10) : Numquid, *ait,* decachordum psalterium Verbum Jesum significat, qui manifestatur elemento decadis? *Et lib.* VI *Stromatum* (11) : Et in summa, deca-

(1) Clem. Oper. pag. 656. Edit. Paris. 1641. — (2) Hermann. Capistr. pag. 91. — (3) Pag. 223. — (4) Migne, Patrol. tom. CLXXXIV, col. 74. — (5) Prodrom. ad oper. omnia S. Bonavent. col. 748. Edit. Bassan. 1767. — (6) Sigonii oper. tom. III, col. 468. Edit. Mediol. 1733. — (7) Act. SS. tom. V Maj., pag. 257*. — (8) Ibid. tom. VII Maj., pag. 825. — (9) Orig. Christ. tom. III, pag. 23. Tab. II. — (10) Pag. 165. — (11) Pag. 687.

logus

A logus per elementum Ἰῶτα significat nomen beatum, Jesum, qui est Verbum, ostendens. *Similia circa primum elementum nominis Jesu proferunt S. Epiphanius, Hæresi L numm.* 1 *et* 3 (1), *et S. Methodius, Tyri episcopus, in Convivio Virginum, sermone* VII (2). *Ex hisce veterum testimoniis satis manifestum est, monogramma* I *pro nomine Dei Salvatoris nostri olim usurpatum fuisse : hactenus tamen hoc monogramma seorsim ab aliis signis repertum non videtur ; nam quæ apud Aringhium in veste S. Marcellini signatur littera* I, *vicinam habet* H *notatam in indumento S. Pollionis* (3), *ita ut digramma efficiat* IH : *contra cum* X, *nomen Christi exprimente, aliquando occurrit, sive separatim* I. X *sive transversim* ☧. *Ast idem monogramma* I *frequentissimi est usus in tribus multiplici vocabulo compositis dictionibus, videlicet* IXΘΥΣ, D. N. J. C. *De siglis* IXΘYC, *chrisimo* ☧, *cruce monogrammatica* ✠ *et similibus, licet satis prope ad argumentum nostrum pertineant, dicere omittimus, quum recentius Joannes Baptista de Rossi, archeologus romanus, admirabili eruditione et cura de iis dixerit in tomo III et IV Spicilegii Solesmensis et in appendice ad dissertationem Caroli Vercellone de Bibliis Vaticanis Alexandrinis.*

B

in varias siglas

167 *Est et digramma* IC *in græcorum monetis satis frequens, quod tamen ante tempora Michaelis Rhangabe hactenus repertum non est* (4). *Unde nata est inter eruditos quæstio, utrum sit antiquius trigramma* IHC *seu* IHΣ, *an digramma* IC. *Digramma primum medio ævo enatum esse, contendunt Alexius Pellicia* (5) *et Antonius Binterim* (6) : *quia Michaele Rhangabe antiquius non est, dum trigramma in anterioribus numismatis reperitur. Nihilominus pro antiquitate digrammatis facere videtur græcorum mos imprimendi pani consecrando crucem æquilateralem, supra cujus brachiis scribitur utrinque* IC, XC, *infra autem hinc* N, *inde* K ; *nempe* NiKa, Jesus Christus vincit. *Quæ formæ, quoniam ad liturgiam pertinent, non facile mutantur, maxime apud Orientales, rituum suorum retinentissimos. Cæterum qui plura de hoc Sigillo, quod græci* Σφραγιδα *appellant, videre cupit, adeat Sirmundum de Azymo et Fermentato, Goarem in Euchologio Græcorum, Renaudot in Collectione Liturgiarum Orientalium, Martene de Antiquis Ecclesiæ Ritibus, Claudium De Vert in Explicatione litterali et historica cæremoniarum Ecclesiæ. Sigla* IC *utuntur quoque græco-slavi, ut constat ex picturis, quas edidit Papebrochius in capite Tomi* I *Maji de Actis Sanctorum. Hæc omnia abunde ostendunt, digramma* IC, *etiamsi ex Ecclesia primæva non prodiret, habere tamen sat remotam antiquitatem.*

C

quibus SSmum nomen Jesu

168 *Verum in monetis antiquior est usus trigrammatis* IHC *seu* IHΣ, *quod jam sub Justiniano II, qui initio sæculi* VIII *floruit, reperitur, et quidem sub hac forma, qua recentiora trigrammata explicabimus,* IHS CRISTUS REX REGNANTIUM (7) ; *qua in scriptione videmus mixtas litterarum tum majorum tum minorum formas. Antiquissimum, quod quidem hactenus noscatur, monumentum, glorioso isto trigrammate insignitum, est onyx annularis, rudi satis opere elaboratum, in quo Petrus, supra mare ambulans, a Christo attollitur, inscribitur vero duplici trigrammate nempe* IHC et IHC (8) : *sculptura vero refert historiam, a S. Matthæo* XIV, 28 *relatam. Id porro in digrammate allato animadvertendum est, superinductam lineam indicare siglam, quatenus absint aliquot litteræ. Et quidem* I *et* H *nullam creant difficultatem, utpote quæ sint binæ primæ litteræ nominis Jesu : sed sigma* Σ, *quod hic pro more græcorum* C *scribitur, potest esse vel media vel ultima littera* IHCOYC. *Quod vero littera C postremum elementum nominis designet, ex eo manifestum fit, quod non raro postremum* C *per casus immutetur : ita ut in genitivo, dativo et vocativo scribatur* IHV *seu* IHY, *in accusativo* IHN. *Quod si animadvertissent quidam, non insulse confecissent ex glorioso trigammate siglam* IHS Jesus hominum Salvator *et hisce probrosiores interpretationes. Postremi elementi per singulos casus immutandi ratio suam mutuat auctoritatem ab antiquis monumentis :* E *etenim in Kalendario marmoreo sæculi* IX, *Neapoli reperto, ad diem* XXV *Decembris legitur :* NT (*natalis*) DNI NRI IHU XPI (9) *et quemadmodum facile est Christi nomen in sigla* XPC *per varios casus deductum reperire, ita idem in Jesu nomine accidit.*

AUCTORE J. V. H.

antiquitus

169 *Ex iis quæ diximus, constat S. Bernardinum, quando cœpit sanctissimum Jesu nomen laudibus cumulare, ejusque promovere venerationem, nihil novi in Ecclesiam Dei induxisse. Id solum animadvertendum est, Sanctum picturam suam formis gothicis effinxisse ; unde et* ητα *græcum litteram latinam* h *exhibet,* ꝧ *cujus hasta longior decussata crucem facit,* IhS : *sed quod gravius est, siglæ Bernardinianæ, quantum monstrant ectypa* (10), *primum elementum est* y ; *quod procedere existimo ex male intellecta sigla, jam ænigmatis instar sæculo nono, ut constat ex epistola Amalarii Metensis ad Jeremiam Senonensem* (11), *qua rationem exquirit, cur* Jesu nomen per aspirationem *scribatur ; ipsique videtur, quoniam* græci his notis I. C. conscribunt illud nomen et legunt IHCOYC, oportere scribi per I et H et C, sive S, quod legimus Jhesus. *Respondet Jeremias, litteras græcas sat accurate enucleans, scribendum esse* Jhesus, *quin aspirationis ullam reddat rationem* (12). *Unde mirum non est, Amalarium ad Jonam probabiliter Aurelianensem episcopum, recurrisse, quem interrogavit,* quibus notis inferius figuratis rectius videatur pingi nomen Jesu IHC an IHS : *respondet vero Jonas :* Sicut X et P græcis litteris et alia qualicumque latina convenienti scribitur nomen Christi, ita I et H, addita convenienti latina scribitur IHS (13). *Convenientem litteram latinam, autumo illam, quæ per varios casus declinatur aut flectitur. Societas Jesu in Sigillo Ordinis constanter retinuit et retinet idem trigramma, quod exhibuerunt majores nostri in Commentario ad*

F

(1) Orig. Christ. tom. I, pag. 419 et seqq. — (2) Biblioth. Max. Patt. Lugdun. tom. III, pag. 688. — (3) Rom. subterr. tom. I, pag. 229. — (4) Cfr Du Cange. Fam. Byzant. tom. XV, Corp. Hist. Byz. tom. I, 108. Edit. Venet. — (5) De Christ. Eccles. Politia, tom. III, part. I, pag. 276. — (6) Denkwürd. tom. II, part. I, pag. 361. — (7) Fam. Byz. pag. 99. Edit. Venet. Cfr Eckhel. Doctr. numar. Vet. tom. VII, part. II, pag. 228. Edit. Vienn. 1828. — (8) Aringhi. Rom. subterr. tom. II, pag. 244. — (9) Mai. Vet. Scriptt. Collect. tom. V, pag. 65. — (10) Hermann. Capistr. pag. 102 Amadens. Vit. di S. Bernardino in imagine ad caput libri et ad pag. 129, 172 et 179. — (11) Migne, Patrol. tom. CV col. 1333. — (12) Ibid. l. c. — (13) Ibid. l. c.

AUCTORE J. V. H.

Acta S. Ignatii fundatoris, sub die XXXI *Julii* (1), *sub hac forma* IhS, *quam S. Ignatius adhibuit.*

recentiusque

170 *Abunde monstravimus nihil novi aut insueti excogitasse S. Bernardinum, quando sanctissimum Jesu sculpi aut pingi jussit, eidemque debitum honorem adhibendum docuit.* Quia vero, *ait Waddingus* (2), malignorum hominum sæva importunitas numquam otiosa est; sed edaci percita livore innocentibus comparat laqueos et insidias, multi... eum audiebant, ut capientes in sermone, accusationem struere possent et apud summum Pontificem deferre. Adnotarunt tandem et collegerunt calumniose quædam sanctissimi nominis Jesu encomia, secus, ajebant, prolata, quam fidei catholicæ norma præscribat. Adjunctis etiam falsis commentis et a se excogitatis interpretationibus, vocatisque suæ sequelæ testibus, hoc anno (1427) in hæresis discrimen coram Martino Pontifice magno ardore et dolosis artibus vocarunt. Ille, ad hæc commotus, statim Bernardinum Viterbio Romam accersivit, atque hic promptissime
B præcepto obsecutus, intermissis concionibus, in Urbem venit, frequentissimo tamen ob reverentiam doctrinæ populo insequente. Ad suos pedes prostratum Pontifex acriter excepit, et, si quidem ita res se haberet, uti fuit narrata, dixit, gravi diluendam esse supplicio, et tamquam temerario ecclesiastæ, novæque hæresis magistro interdixit sacris concionibus et tabella exponenda, jussitque ne Urbe excederet, donec seria rei indagine, quid factum sit, aperte constaret. Interea multi viri docti et S. theologiæ magistri, præsertim ex Ordine Prædicatorum et Eremitarum S. Augustini, in omnes libros ejus et sermones, quos ex divinis libris collegerat, accurate inquisierunt, et, instituto solemni consessu, injunctum est delatoribus, ut delatæ hæresis convincerent, Bernardino, ut objecta diluceret.

exprimebatur;

171 Aliquot sui instituti viri in partem venerunt, suo consodali auxiliaturi: sed omnium antesignanus fuit Joannes Capistranus, Bernardini discipulus et socius, cui provinciam hanc præ reliquis Fratres com-
C mendarunt. Prædicabat ille Neapoli, reginæ Joannæ summe carus..... Dimisso sacro ministerio, Aquilam abiit; suas schedas et scripta allaturus, ubi accuratissima characterum forma et radiorum splendore Jesu nomen in pulchra tabella depingi curavit, et multis comitatus civibus Aquilanis, Romam advolavit. Ad Urbis januam, erecta in hastam tabula, præcessit ille vexillarius, sequebaturque multitudo magna advenarum et romanorum, cantantium et psallentium laudes sanctissimo nomini: « quo nil canitur suavius, nil auditur « jucundius, nil cogitatur dulcius: quippe « mel est in ore, in aure melos, in corde « jubilus, ad cujus lumen nubilum omne « diffugit, redit serenum. » Igitur, explicato vexillo et ducto agmine, veluti victoriæ prænuntius, ad certamen processit; et per mediam Urbem incedens, pio crescente undique exercitu, ad Vaticanum, ipso indicti congressus die, pervenit. Tanta populi conspirantis pietate commotus Pontifex, consessum in alium distulit diem, et Capistrano facultatem D fecit pro Bernardino dicendi. Inito certamine in basilica Principis Apostolorum, multi multa objecerunt, variisque argumentationibus, sacris canonibus et Scripturis adversa dixerunt: sed Bernardino ad singula respondente, et pro eodem docte declamante Capistrano, Pontifex probe animadvertit, omnem illam accusationem, odio et livore conflatam; quippe neque in verbis neque in scriptis quidquam deprehensum est, quod a recta regula deviaret. Postridie ergo ad se vocatum copiosissima impertiit benedictione, amplamque fecit copiam libere circumquaque prædicandi verbum Dei, dulcissimumque nomen Jesu populis ostentandi.

cujus cultus renovatus fuit

172 Ut vero in Urbe publice illius appareret innocentia, ubi gravis præcessit ignominia, jussit Pontifex, ut in honorem sacratissimi nominis publice totius cleri fieret supplicatio, in sublime erecto vexillo, depictis hujus vocis characteribus: ex quo tempore templorum foribus, domorum frontibus et postibus cœpit afligi, crevitque ubique tum erga sacratissi-
E mum nomen, tum erga sanctissimum præconem veneratio. *Gratum fuisset lectori vel compendiose exhibere disputationem, coram Martino Papa habitam, ex qua haurire potuissemus accusationes, adversus S. Bernardinum ejusque discipulos prolatas: sed quæ in solemni disputatione prolatæ fuerunt tum objectiones tum responsa hactenus latuerunt: ita ut Amandus Hermann, ut hunc historiæ hiatum utcumque sarciret, suo marte composuerit dialogum inter* Capistranum *et Antigenium, in quo retulit, quæ ipsi ad rem facere videbantur. Quæ quidem omittenda sunt nobis, monumenta præsertim coæva quærentibus. Ast in hoc conveniunt satis scriptores, controversiam intra crimen idolatriæ, de quo ex Cornelio a Lapide supra num.* 160 *egimus, circumscriptam fuisse* (3). *Docuimus supra num.* 65, *Martinum Papam, ad avertendam qualemcumque suspicionem jussisse, ut crucis aut crucifixi imago siglæ appingeretur. Neque porro ab antiquitate abhorret, quod S. Bernardinus siglam* IHS *circulo radiato inscripserit; quum præter alia monumenta, exstent monetæ, in quibus tum sigla* X *sub* F *Gratiano* (4), *tum crux in corona sive quercea sive laurea sub Theodosio juniore cælata sunt* (5): *itaque ut neque ista veneratio, divino nomini adhibita, novitatem aliquam redoleat.*

a S. Bernardino;

173 *Quamvis autem post probatam S. Bernardini doctrinam et decretos impensosque sanctissimo Jesu nomini publice honores, composita lis videri deberet, non quieverunt tamen adversarii: sed, mortuo Martino Papa, novas machinas sub Eugenio IV moliti sunt. Etenim quum anno* 1432, *ut refert Waddingus* (6), *S. Bernardinus Bononiæ verbum Dei prædicasset et pro more SS. Jesu nomen laudibus extulisset, clerus et populus super iconem præcipui altaris, acceptam a sancto viro tabulam honorifice reposuerunt. Ast Ludovicus Pisanus, fidei inquisitor, jussit sanctum nomen eradi, et ne opus ornamentumque egregium, a Bononiensibus confectum, deformaretur, eraso Jesu nomini substitui jussit imaginem Christi crucifixi. Res illa male habuit inquisitorem, quandoquidem, abrogato ejus de-*

(1) Act. SS. tom. VII Jul., pag. 532. — (2) Annal. tom. X, pag. 114. — (3) Barber. Vit. Ital. pag. 37. — (4) Du Cange. Fam. Byz. pag. 44. — (5) Ibid. pag. 52. — (6) Ann. tom. X, pag. 187.

creto

A *creto, præceperit Pontifex, ut super tabellam crucifixi deleta sigla rescriberetur. Aliam igitur artem exquisierunt adversarii, scilicet per Michaelem, plebanum S. Adalberti Pragensem contra S. Bernardinum et ejus fautores procedi, et causam coram Joanne a Casa Nova, Ordinis Prædicatorum, recens ad cardinalatum assumpto, introduci curarunt, ut, inscio Pontifice, sine strepitu ac forma judicii lis dirimetur. Res hactenus belle procedebat : verum ut hæc rescivit Pontifex, datis litteris* VII *id. Januarii* 1432, *causam ad se evocavit* (1). *Quare summis laudibus cumulato S. Bernardino*, ad scrinium pectoris sui *causam evocat, quoniam ait, eamdem* esse de majoribus : *et ipsum Bernardinum a citatione liberat, quatenus* salutiferis prædicationibus et aliis divinis obsequiis eo liberius intendat, quo fuerit ab antedictis odiosis impugnationibus absolutus. *Ab Eugenio repulsi adversarii, ad Concilium Basileense, facto jam schismate, recurrerunt, ac in eo* (2) deferente, *ait Augustinus Patricius, canonicus Senensis in Historia Concilii Basileensis cap.* 79,
B Bartholomæo ex Ordine Eremitarum S. Augustini, actum est de cultu tabellæ nominis Jesu, quem Fr. Bernardinus Senensis, qui postea inter Sanctos relatus est, introduxerat. *Cardinali Arelatensi asserente, abstinuisse Bernardinum ab hujusmodi cultu post prohibitionem Martini Papæ,* res indiscussa est et dimissa. *Ast falso prohibitionem prætendisse Arelatensem, ex iis, quæ diximus, manifestum est.*

quem dein ad canonizationem promovit

174 *In hac porro tam fastidiose prolongata controversia S.* Capistranum *magistro suo Bernardino fidelem fuisse commilitonem, monstrat ejus post mortem Bernardini ardor, ut Sanctorum Catalogo adscriberetur, ejusque deinde cultus ubicumque promoveretur. Biographi S.* Capistrani *prolixe agunt de ejus in procuranda magistri sui canonizatione studio ; ut superfluum sit hic eadem recudere. Per sex continuos annos, id est ab anno S. Bernardini emortuali,* 1444 *usque ad* 1450 *operi allaboravit. Christophorus a Varisio num.* 82 *ponit septem annos huic operi impensos fuisse, quod librariorum incuriæ adscribendum puto, quum a die* XX *Maji* 1444, *quo obiit S. Bernardinus, ad* XXIV *ejusdem mensis* 1450,
C *quo solemni ritu canonizatus fuit, supra sexennium quatuor solum dies excedant, adeo ut ne in septimum quidem annum labor S.* Capistrani *prorogatus recte dici possit. Et quidem promotorem causæ præcipuum fuisse, constat ex documentis, quorum unum alterumque fragmentum nobis servavit Salvator Massonius* (3) : *sic legitur :* Anno, indictione et pontificatu, quibus supra, die vero sabbati, XIV mensis Junii in primo claustro conventus Aracœli Romæ, ven. et rel. vir Fr. Joannes de Capistrano, Ordinis Minorum de Observantia in infrascripta causa inquisitionis vitæ et miraculorum Bernardini promotor assertus *etc. Annus autem conditi instrumenti, adeoque et indictio ac pontificatus eruitur ex eo, quod dies sabbati, incidens in* XIV *Junii, requirat litteram dominicalem E, quæ ad solum annum* 1449 *pertinet, quum nullus annus alius inter* 1444 *et* 1450 *hac littera signetur : atque hinc liquet legendum esse :* anno 1449, indictione XII, III pontificatus Nicolai V.

strenue S. Capistranus.

175 *Verum promotoris officium tunc quidem non incepit ; nam apud laudatum Massonium* (4) *habetur epistola cujusdam Leonardi Senensis, data* VIII *Maji* 1446, *qua interrogatus* de origine, vita et moribus ante Religionis ingressum *Bernardini, transmittit ad S.* Capistranum *quæ* ex quam pluribus notissimis sociis, fide dignis et ætate coætaneis beato viro, de ortu, pueritia, adolescentia et juventute percepit. *In hac vero causa promovenda non defuerunt sancto viro adversarii : nimium etenim S. Bernardini doctrinam insectati fuerant, ut sine contradictione eum publico fidelium cultui proponi paterentur. Unde tot et tanta causæ canonizationis objiciebantur obstacula, ut res quandoque plane desperata videretur ; et quum ipsum Pontificem aliquando e multorum susurris et oblocutionibus incertum persentisceret, sese obtulerit, ut, tum se et S. Bernardini corpore in ignem injectis, miraculo novo sanctitatis magistri sui experimentum fieret : ea tamen lege, ut si flamma tam ipsum* Capistranum *quam S. Bernardini corpus consumeret, id propriis suis peccatis, illæsa manente magistri sui sanctitate, attribueretur. Conditionem non admisit Nicolaus Pontifex, sed in lacrymas solutus,* E *majorem deinceps de sanctimonia ipsius* Capistrani *concepit opinionem* (5). *Vicit tandem S.* Capistrani *constantia, rem etiam urgentibus Alphonso, Aragoniæ rege, cujus litteras exhibet Waddingus* (6), *aliisque principibus et civitatibus Senensi atque Aquilana et anno jubilæi* 1450, *in die Pentecostes,* XXIV *Maji, adstantibus ter mille octingentis Minoritis, solemni apparatu in templo Vaticano, Nicolaus V S. Bernardinum cœlitibus adnumeravit. Curavit deinceps S.* Capistranus, *ut quam plurima dedicarentur templa, altaria erigerentur sub invocatione magistri : jam supra agentes de studio Sancti nostri in amplificanda Observantium familia, ostendimus multa ab eo erecta templa in S. Bernardini honorem, et infra in decursu hujus Commentarii alia nobis occurrent exempla.*

§ XV. Agit S. Joannes contra Fratricellos.

Fratricellorum sectam, sæc. XIII natam

Ad merita erga Ordinem suum adjecit cumulum S. Joannes de Capistrano, *quando nullo loco consistere passus est fœdam Fratricellorum, qui sæculo* XIII *nati, se veros S. Francisci filios et alumnos apud ignarum vulgus jactabant, sectam. Etenim multi, externa specie decepti, Fratres Minores cum istis circulatoribus confundebant ; unde propalata Fratricellorum turpitudo et falsa doctrina in ipsum Minorum Ordinem redundabat. Quapropter laudi adscribit Waddingus* (7), *B.* Joannem a Capistrano *et B. Jacobum a Marchia, Minoritas, apostolicos inquisitores, ultimas Fratricellorum reliquias delevisse. Hanc sectam ita describit Joannes Bapt. Pigna, quem ex continuatione Annalium Baronii sub anno* 1317 § LVI *exscribo :* Fraterculorum, *inquit,* ea labes fuit Anabaptistarum, omnia ad communitatem revocantium, non præesse imperio, non rem facere aut civilia ulla munera suscipere, satis dignum christiana pietate existimans. Hi quantum Ferrariensium Annales produnt, virgines, nuptas, viduasque lectissimas instar

(1) Annal. tom. X, pag. 189. — (2) Labbe, tom. XIII, Conc. col. 1561. — (3) Vit. ital. pag. 139. — (4) Ibid. l. c. — (5) Ibid. pag. 141. — (6) Annal. tom. XII, pag. 1. — (7) Annal. tom. VI, pag. 289.

sacerdotum

AUCTORE J. V. II.

sacerdotum sacris initiabant, quibuscum antistites sine ullo discrimine coibant. Partus, primum in lucem editus (scelestum atque inauditæ feritatis commentum!) statim, coacto cœtu in sublime jactabatur, singulis ab sese rejicientibus, quoad extremum spiritum exhalaret: cujus in manus venisset in ipso fugientis animulæ articulo, is pontifex sacrabatur. *Fratricellorum porro sectam late propagatam fuisse monstrat bulla Joannis XXII, data* XIV *kal. Martii anni* 1331 *apud Baronium* § IV, *qua dicitur, quod* nonnulli profanæ multitudinis, qui vulgariter Fratricelli, seu Fratres de paupere vita, aut Bizochi, sive Beghini nuncupantur, in partibus Italiæ, necnon in insula Siciliæ, comitatu Provinciæ, Narbonensi et Tolosana civitatibus et diœcesibus ac provinciis, aliisque cismarinis partibus contra sacros canones habitum novæ Religionis etc. præsumpserint. *Propterea Pontifex sub excommunicationis pœna talem statum et habitum prohibet.*

et sæc. XV late

177 *Verum, spretis pontificis decretis, pullulavit secta, altioresque continuo radices egit.*

B *Quo vero tempore hos hæreticos insectari cœpit* S. Joannes Capistranus, *in Piceno maxime grassabantur. S. Jacobus de Marchia eosdem non solum verbo confutare aggressus, sed et scripto, cujus fragmenta aliqua nobis tradit Waddingus* (1), *quæ monstrant quales essent sæculo* XV *Fratricelli. Imprimis eis exprobrat Sanctus dissimulationes vestium, quibus se modo religiosos, modo sæculares mentiebantur.* Ex vobis, *inquit,* aliqui incedunt tamquam eremitæ, aliqui tamquam Tertii Ordinis S. Francisci professores, uti modo incedebat Fr. Matthæus, vester episcopus, captus et detentus in curia Domini Nostri Papæ Nicolai V. Alii incedunt veluti sæculares cum pileis et caligis, cum lanceis equitantes; alii portant claves et merces viles ad vendendum, alii peregrinorum more domos penetrant simplicium et corda inhabitantium evertunt (2). *Exponit dein, quomodo arctissimam paupertatem mentientes, aliorum tamen opulentiæ inhiarent.* Quum ante annos viginti quatuor prædicarem in castris Melioratæ et Massalii, et diruta fuissent propter vestrum scelus, inveni, quod ad petionem vestram,

C Gulielmus, nobilis castri Melioratæ, qui se gerebat pro imperatore christianorum, et dominus Raynaldus hæreticus, sacerdos sæcularis, qui se gerebat pro Papa, habebant triginta duo centenaria ducatorum ad requisitionem horum Fratricellorum. Et dum Braccius de Montone prædaretur Recinetenses, prædictus Gulielmus emit ex illa præda quingentos boves. Quum autem porrigeret pecunias: Hæ sunt, ait, pauperculorum fratrum S. Francisci; putans et sperans ex pietate et commiseratione pretium condonaturum. At, inquit Braccius, propterea accipiam, ut pauperes faciam, qui nihil debent possidere et summam nobis venditant paupertatem. Multas enim pecunias exportabant e Tuscia, corradentes viduas et mulierculas : et quamvis aliis deprædicent caritatem et pecuniæ contemptum, per viginti quatuor annos, quibus ipsis prædico et adversor, non inveni quod eorum sutores par calceorum donaverint, neque reliqui artifices quidpiam alieui pauperi pro Dei amore erogaverint. D

præsertim per Italiam propagatam.

178 *Schisma ab Ecclesia Romana eisdem exprobrat hisce verbis:* Quum sanctissimus Dominus Noster Papa Nicolaus V anno MCCCCXLIX de mense Novembri misisset venerabilem patrem Fr. Joannem de Capistrano et me, ut reduceremus illa castra hæretica Majoreti sive Melioratæ, Massalii, Podii et Meruli ad gremium Ecclesiæ, uti reduximus; postquam abjuraverunt in manibus nostris, invenimus hos stultos et insanos characteres, fusos in campana castri Majoreti : « Anno Domini MCCCXIX, « tempore fratris Gabrielis, episcopi Philadel- « phiæ, pastoris universalis, Fratrumque Mi- « norum ministri generalis. Christus, Maria, « Franciscus. » Papa vester hoc se vocabat nomine pastorem Philadelphiæ ecclesiæ, quam vocabatis universalem et ultimam ecclesiam christianorum. *De Fratricellorum vitiis hæc subdit :* Testor coram Deo veritatem, quam multa inquisitione tot annorum contra vestros sectatores comprobavi, ingentem in vobis vitiorum reperiri colluviem, atque in villis et oppidis, dum homines versantur in agris co- E lendis, uxoribus et filiabus corum vestros operari horribilia. *Ad hæc adjiciebant alia scelera :* Prædicatores, *inquit,* qui in vos invehuntur, continuo procuratis e medio tollere. Quingentos ducatos misistis quibusdam, ut interficerent Fr. Joannem de Capistrano; et ducentos alios, ut me trucidarent in Majorata, quorum unus hæc revelavit Fr. Joanni de Esculo, meo confessario : alios centum quinquaginta aureos dedistis cuidam de S. Natolia, ut me occideret, dum prædicarem in urbe Reatina; et pœnitentia ductus venit Fabrianum, et habuit absolutionem a D. Cardinale Firmano, summo pœnitentiario et a me. Profecto peculiari providentia frequenter liberavit me Deus e manibus satellitum vestrorum. *Similes doctrinæ etiam alias regiones inficiebant : in Miscellaneis Baluzii legimus processum, instructum adversus Gulielmum de Hildenissem et Ægidium Cantoris a Cardinale Petro de Alliaco, episcopo Cameracensi, anno* 1411 (3), *in quo iidem errores occurrunt, grassantes præsertim in villa, ut dicitur, Bruxellensi.*

quæ horrendos

179 *Qui vero hæc monumenta aliaque percurrit, mirabitur forsan, tanta severitate cum Fratricellis, ejusdemque doctrinæ consortibus actum fuisse, ut igne et ferro extirpandi æstimarentur, adhiberenturque monachi, præsertim Fratres Minores, ad sectam exscindendam. Sed, quoniam Fratricelli se passim Fratres Minores mentiebantur cum universi Ordinis infamia, facile intelligitur, Minorum præsertim interfuisse, perniciosissimam sectam delere: qui dein perpenderit doctrinas, in plebem sparsas, facile perspiciet, rem publicam civilem non minus quam ecclesiasticam hæreticorum istorum placitis convelli, eaque præsertim ad actionem spectare. Unde fiebat, ut ipsa societatis humanæ fundamenta non labefactarentur modo, sed penitus destruentur. Etenim quæ docebant Fratricelli, quæque ipsi ab anterioribus hæreticis accepta, posteris tradebant, exhibent systema quod hodie Socialismum et Communismum vocamus, nova quidem nomina, sed errores antiqui. Compendium doctrinæ Fratricellorum*

(1) Annal. tom. XI, pag. 104. Cfr Baluzii. Miscell. tom. II, pag. 595 et seqq. Edit. Luc. 1761. — (2) Cfr bulla Joannis XXII ap. Wadding. Ann. tom. VI, pag. 289. — (3) Miscell. Bal. tom. II, pag. 289. Edit. Luc. 1761.

describit

A *describit nobis Thomas Cataneus, S.* Joannis Capistrani *biographus, iisque coloribus descriptionem suam adumbrat, ut quis scriptorem recentissimum legere sibi videatur, quum tamen jam anno* 1691 *typis excusus fuerit liber. Ex italico idiomate latina reddimus, quantum possumus, accuratissime ejus verba* (1).

spargebat 180 Sæculo XIII ad finem vergente, Hermannus quidem, incertæ patriæ, vulgo Italus appellatus, pauper, sed amicus deliciarum, quæ vix regem decerent, statuit reliquam vitam intra sterilis inanisque desiderii limites non circumscribere, sed omni industria et arte ad hoc, quod sors negaverat, eluctari. Trutinatis libratisque æqua lance variis consiliis, intellexit aliud in rerum suarum conditione non superesse remedium, quam dissimulationem et hypocrisim, quæ imbellium solet esse instrumentum, licet quandoque a potentioribus adhibitum, quando aut viribus deficiunt aut timent infamiam. Inter varias dissimulandi artes eam maluit, quæ omnium esset investigatu et detectu difficillima, nempe quæ
B esset veritati et bonitati quam simillima. Assumpto igitur pœnitentis austero habitu, cum duobus hominum generibus amicitiam contraxit, cum scelestis et simplicibus, his obnoxiis, illis amicis deceptioni. Ac attente perpendens istorum hominum, tam inter se discrepantium conditionem, inter utrosque quamdam necessitudinis vinculum detexit. Etenim sceleratis dicebat, illos fore damnandos non quidem propter opera, sed propter fidem; nam actus sensuum, quos vulgus, politica magis quam catholica lege territum, fornicationes et adulteria appellabat, non esse peccata, nisi credantur peccata. Quod autem istiusmodi facinora mala non essent, sectatoribus suis persuadebat, docendo hæc esse opera undequaque conformia primario præcepto Dei imposito non solum hominibus sed omnibus creaturis, adeoque necessario, quod tollere non poterat alia quæcumque lex abrogatoria aut restrictiva : id porro præceptum erat. « Crescite et multiplicamini. » Hæc lex insculpta est omni creaturæ, quæ fœcundatur amore mutuo ad perpetuandam speciem suam.
C Matrimonium autem, prout inter legum angustias circumscribitur, nihil aliud est, quam summa quædam tyrannis, usu hactenus tolerabilis, sed ratione carens, a regibus et potentioribus inducta, ut, exclusis pauperibus, filii sui soli habeant bonorum suorum heredes.

circa ipsa humanæ societatis 181 Sed immane est scelus, terram, datam omnibus Adæ filiis, quosdam sibi usurpare, expulsis aliis et natura æqualibus et ingenio præstantioribus. Cur igitur dominium electione non eliminetur? Et postquam aliquandiu unus bona tenuerit, cur alteri eadem non conferantur, ut tali ratione successu temporis terrena substantia, quasi per omnium manus translata, omnes fruantur? Justitia omnibus sanctius servaretur, unoquoque prævidente se olim forsan judicandum fore ab eo, cui injuriam intulerit. Quod si matrimonium ad hoc institutum fuit, ut in una familia persisteret dominatio tyrannica; igitur est contrarium legi naturæ, nec minus proin contraria est bonorum proprietas. Si terra est omnibus commune bonum, cujus omnes debent esse participes : cur non est communitas virorum et mulierum? Nam magis, Deus Creator, coaptavit viro mulierem, et mulieri virum, quam terram alterutri sexui. Si vero omnes rei vilis, qualis est terra, domini simus, nec quisquam rationaliter dicere potest, hic ager meus est, quomodo id umquam vel vir de muliere, vel de viro mulier dicere poterit? Manifestum igitur est fornicationes, adulteria et his similia non esse peccata. Qua porro ratione et ipsi credunt, ac credendo ipsi se suo errore reos constituunt coram Deo; unde pœnas æternas incurrunt, et conscientiæ torquentur stimulis, quibus amarescunt licitæ cæterum voluptates. Pergerent itaque in suo vivendi modo, sed a dubiis caverent sibi, obdurarent animos contra omnes conscientiæ stimulos per veram fidem in Deum, qui aliquando illos illuminabit et in summa mentis quiete constituet.

AUCTORE J. V. H.

fundamenta 182 Monebat insuper Hermannus suos sequaces, ne turbarentur ex iis, quæ videbant et audiebant in contrarium. Imprimis enim nobiles et divites loquebantur pro filiis suis, quibus pecunias corradunt et prædia prædiis
E cumulant : dein multi sunt timentes Deum, qui clam faciunt, quod possunt et quantum leges civiles sinunt, ut legem divinam adimpleant et perveniant ad aurcam libertatem mentis et corporis, de quo hactenus locutus fuerat. Post voce lacrymabili et sono, ut ita dicam, ascetico, dicebat sperare se numerum magnum piorum hominum conscripturum, unde tandem vera Ecclesia Dei fieret visibilis super terra, quæ hactenus præ timore persecutionum delituerat : se multoties divinum efflagitasse lumen, et nunc demum sibi inesse fixum ratumque consilium, ut, brachio Moysis armatus, populum electum servituti tot Pharaonum eriperet. Hæc summatim docebat sceleratos scelestus ille, suisque comprobabat exemplis, ac simplicioribus etiam insinuabat : ita ut tam facinorosi quam rudes unam eamdemque ex istiusmodi doctrina deducerent consequentiam, nempe, sub lege euangelica omnia debere esse communia, sicut in Ecclesia nascente possessiones et bona in communi erant posita. Dein nascebantur consequentiæ
F variæ secundum personarum conditionem. Nam facinorosi concludebant : ergo porro facere possumus, quod fecimus hactenus : Simpliciores vero : ergo fieri potest, quod hactenus factum non est.

errores, 183 Quia tamen difficulter recipiebatur doctrina, tam opposita veritati, nec Hermani auditores, quantumcumque diceret, ut vera et opere complenda tam subito caperent, astute subnectebat bonorum communitatem novam esse non re, sed nomine : nempe aliud nihil esse quam doctrinam Christi et Apostolorum circa paupertatem euangelicam; et multiplici discursu astute exaggerebat perfectionem novæ legis, quatenus in sola renuntiatione omnimodi dominii et proprietatis consisteret: unde sponte sua enascebatur doctrina de communitate omnium rerum. Reliquum erat, ut abstergeret etiam a suorum animis timorem legum civilium et principum: quapropter pro more omnium hæreticorum, qui excusso Ecclesiæ jugo, potestates terrenas proculcant, docebat inter Christianos nomen potestatis

(1) Vita ital. pag. 40.

politicæ,

AUCTORE. J. V. H.

politicæ, sive rex sit sive respublica, esse fœtum gentilismi, sub quo unus multis dominabatur, et fidei christianæ miserabilem futuram sortem, quamdiu istiusmodi abusus et corruptela vigerent. Sed concludebat, nunc advenisse tempus, ut paupertas euangelica, qualis a Deo tradita est, classicum sonet et sibi milites conscribat omnes nationes orbis : consilium quidem istud suas passurum esse in principio difficultates : sed posteaquam gentes veritatem percepissent, gustassentque auream libertatem fruendi rebus omnibus, facili negotio rem bene eventuram. Interea tamen silentio premerent ista divina dogmata, ne divulgata periculum crearent ecclesiæ jamjam parturienti : Deumque brevi occasionem præbiturum prodeundi in publicum et in acie aperta canendæ victoriæ : facerent interim secreto, quod ab omnibus publice fieri optarent.

una cum S. Jacobo de Marchia

184 *Ab anno igitur* 1297, *ut habet citatus hactenus Cataneus* (1), *serpserat fœda pestis, quando Martinus V, certior factus, Fratricellos in Piceno delitescere suaque falsa dogmata spargere, jussit, ut SS.* Joannes Capistranus *et Jacobus de Marchia in istiusmodi hæreticos inquirerent, eorumque sectam exstirparent.* Apostolica, *inquit* (2), sedes vigilantissime attendere debet, ne lupus rapax mille artes nocendi habens, innocuas oves, quas decipere exquisitis fallaciis continue molitur, ad puteum perditionis adducat; sed deviæ ad gregem dominicum redeuntes, viam veritatis agnoscant. Quum itaque, sicut fide digna relatione plurimorum nobis displicenter innotuit, in plerisque mundi partibus quædam secta hæreticorum, nefandi scilicet Fratricelli, « della opinione » vulgariter nuncupati, operante satore zizaniæ, proh dolor! eruperit, pestiferum virus evomens, simplices animas suis tendiculis et palliatis coloribus, sub prætextu simulatæ sanctitatis, illaqueando decepit, illas æterno satagens igni transmittere consumendas : nos huic veneno hæresis nefariæ et labi pestiferæ, quod exstingui supremis affectibus anhelamus, salubri remedio occurrere cupientes, et ne hujusmodi morbus inficiens excrescat ulterius, sed, cooperante Domino, radicitus
C passim evellatur, salubriter providere volentes, ac sperantes, quod tu (Joannes Capistrane), quem, ut accepimus testimoniis fide dignis, constantia fidei, religionis zelo, vitæ munditia et aliis multiplicum virtutum meritis Altissimus insignivit, per tuæ prudentiæ et sollicitudinis studium, labem hujusmodi exstirpare et orthodoxæ fidei fructuosos palmites transplantare conaberis. *Facultatem dein amplissimam inquisitoris concedit, ita ut procedere possit non solum contra singulares personas* cujuscumque dignitatis, gradus, ordinis, conditionis vel præeminentiæ, *sed etiam contra* universitates, communitates et municipia in quibuscumque Italiæ partibus; *quibus concessionibus addit potestatem subdelegandi viros idoneos et subdelegatos revocandi. Data est bulla* VI *kal. Junii, pontificatus anno* IX, *seu vulgari* 1426.

institutus S. Capistranus quæsitor

185 *Paulo tardius, id est,* V *id. Octobris similes litteras dedit Pontifex ad S. Jacobum de Marchia; sed subdelegandi potestas restricta fuit, ut solum quatuor socios, atque hos ex* D *Ordine Minorum assumendos, subdelegare potuerit, quin facultas ei data fuerit eosdem revocandi* (3). *Ex quibus conjicere licet S.* Capistranum *præcipuum fuisse contra Fratricellos inquisitorem : præsertim quum S. Jacobi ministerium maxime ad prædicationem et absolutionem redeuntium ad veram fidem spectaret. Aliquo post tempore, scilicet anno* 1430, *Jordanus, Albanensis et Antonius Portuensis, ambo episcopi Cardinales, commissarii Pontificis contra omne genus hæreticorum, auctoritatem suam Sancto nostro communicaverunt, qua fultus multa præstitit ad exstirpationem hæresium, tunc grassantium* (4). *Cardinales, recensita imprimis bulla Martini V supra allata, facultatem concedunt inquirendi, præter Fratricellos,* contra hæreticos et alios a fide catholica devios quoquo modo, *idque non solum* in Romana, Marchiæ Anconitanæ et ducatus Spoletani provinciis, *sed etiam* per quaslibet alias mundi partes et climata, ubicumque tales esse et morari cognoverit. *Missionem contra Fratricellos renovarunt subsequentes Pontifices,* E *usque ad Calixtum III, sub quo diem suum obiit S.* Capistranus : *Eugenius quidem IV anno* 1432 *kal. Martii* (5), *Nicolaus V anno* 1447, V *non. Julii* (6), *Martini prædecessoris sui litteras confirmarunt. Non ita liquide constat de Calixto III, qui, recenter ad pontificatum assumptus, petente ipso* Capistrano *renovari sibi litteras Nicolai V,* quæ visæ *sunt* magis utiles et necessariæ *ad* divinum cultum (7), *concessit ad triennium facultates amplissimas absolvendi a peccatis quibusdam enorminibus et privilegium occupandi viginti conventus in partibus Austriæ, Bohemiæ et Moraviæ* (8). *Cæterum nullo verbo attingit officium inquisitoris; unde satis dubium videretur, Sanctum sub Calixto Papa hoc exercuisse. Verum hujus ministerii, sub dicto Calixto obiti, testem habemus luculentissimum, Christophorum de Varisio, qui num.* 35 *dicit :* Videntes summi Pontifices, Martinus V, Eugenius IV, Nicolaus V et Calixtus III, ipsum tam ferventer et diligenter in causa fidei agere et hæreticos exstirpare, in toto orbe generalem hæreticorum inquisitorem constituerunt, et privilegiis, ad hujus- F modi officium necessariis, munierunt.

maxima ex parte exstinguit.

186 *Porro quam strenue ac fructuose S.* Capistranus *omnes officii gravissimi partes sustineret, explicat laudatus Christophorus numero mox citato :* Agebat, *inquit,* solers injunctum sibi officium : et licet omnes hæreses summopere insequeretur, tres tamen, principaliter suis temporibus invalescentes, scilicet hæresim Fratricellorum de opinione, hæresim Bohemorum et hæresim Græcorum insecutus est. Fuerunt tempore Joannis XXII, dum persequi videretur Ordinem FF. Minorum, quasdam contra illum constitutiones faciendo, et decretalem, « Exiit, qui seminat » (9), in libro 6 Decretalium positam, in aliquibus dictis revocando, necnon altissimæ paupertati, ut eis videbatur, derogando, quidam Fratres, qui ab Ecclesia recesserunt, dicentes, Joannem Papam, hæreticum esse, et ideo privatum esse papatu; et cœperunt alios multos ad hanc opinionem inducere et aliqua loca

(1) Vit. ital. pag. 44. — (2) Wadding. Ann. tom. X, pag. 101. — (3) Ibid. pag. 103. — (4) Ibid. pag. 166. — (5) Ibid. pag. 191. — (6) Ibid. tom. XI, pag. 280. — (7) Ibid. tom. XII, pag. 250. — (8) Ibid. pag. 251. — (9) C. 3 de verb. signif. in 6 (v.12).

subterranea

A subterranea fabricare... Hos, inquam, Fratricellos valide persecutus est : ubicumque noverat, eos moram trahere, illuc festinus properabat. Multa eorum loca, in quibus habitabant, destruxit, multos effugavit, multos ad veritatem fidei convertit, et multi obstinati, qui converti noluerunt, igne cremati sunt. Et licet aliqui potentes hac hæresi tenerentur, nulli tamen parcebat. Unde circa Romam, magnam quamdam dominam, quæ erat de domo Columna, quæ domus potentissima est, sine timore carceravit, et ad revocandos errores suos coegit. Propter hoc erant et inimicissimi, et modos omnes, quibus possent eum morti tradere, perquirebant; sed semper ei Dominus, pro cujus veritate pugnabat, astitit, nec eum in aliquo offendi permisit. Quadam vice, dum per quemdam solitarium locum ambulare deberet, intelligentes hoc hæretici, insidias ei paraverunt. Quod ignorans servus Dei, forte ut ei liberius orare liceret, per longum spatium socios præcedebat. Conspicientes hæretici ipsum solum
B ambulantem, nec tamen quis esset, cognoscentes, ad eum accedunt, et ubi sit Fr. Joannes de Capistrano, furiose perquirunt. Ad quam vocem prima facie territus, postea in Domino plenam fiduciam habens, eligens magis mori quam mentiri, alta voce, exemplo Christi : Ego sum, respondit. Cujus virtute ipsi insidiatores adeo fuerunt attoniti, quod nihil contra eum facere potuerunt. Interim venerunt socii, qui retro manserant; et ligantes eos ad civitatem proximam deduxerunt, ubi debitas pro malis pœnas persolverunt. Non cessavit ergo hanc pestiferam sectam persequi, quousque pauci ex eis remanserunt. *Atque hi ipsi paucis post annis sub Paulo II ad unitatem Ecclesiæ redierunt* (1).

§ XVI. In variis civitatibus Germaniæ prædicatoris munus obit Sanctus Joannes.

Prædicat S. Capistranus

Jam anno 1442 *Antonius de Rotehan, episcopus Bambergensis, S.* Joannem de Capistrano *invitaverat, ut commissum sibi populum verbo salutis erudiret. Ut vero diœcesanos spe lucri spiritualis alliceret, indulgentiam* XL *dierum auditoribus proposuit, litteris datis feria* IV *post Divisionem Apostolorum, seu post* XV *Julii, quo celebratur: atque adeo epistola scripta fuit die* XXII *Julii, quum ipsa Divisio Apostolorum, illo anno, littera dominicali D signato, in feriam* IV *incideret. Litteræ autem sunt sequentis tenoris* (2) : Antonius, Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Bambergensis. Pridem accepimus, qualiter venerabilis in Christo et religiosus Fr. Joannes de Capistrano, Ordinis FF. Minorum, perillustraturus sit civitatem et diœcesim nostras Bambergenses, ibique verbum Dei seminare proponat. Cupientes igitur ut, Christi fideles tanto libentius, causa devotionis, ad eumdem confluant, quanto se dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint refectos; omnibus christiani nominis subditis nostris, vere pœnitentibus et confessis, qui sermonibus seu prædicationibus ipsius fratris ac Missis ejusdem interfuerint in civitate et diœcesi nostris, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, nec non Sanctorum Kiliani et Georgii Martyrum, Henrici Confessoris, et Radegondis * Virginis, Ecclesiæ nostræ Bambergensis patronorum, auctoritate et meritis confisi, pro qualibet vice, auctoritate nostra ordinaria, quadraginta dies indulgentiarum, de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In quorum testimonium præmissorum, sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Bambergæ, fer. IV post Divisionem Apostolorum, anno 1442.

AUCTORE J. V. H.

*Kunegundis, sponsæ S. Henrici.

188 *Joannes Bapt. Barberius in Vita S.* Capistrani, *italice edita* (3), *supponit Sanctum tunc Bambergæ prædicasse, quando instituta per provincias Ultramontanas visitatione, reditum in Italiam parabat. Sed videntur hæc cum chronotaxi non satis cohærere. Nam, mense Julio, in finem vergente, expectabatur* Capistranus *Bambergæ, ut fidem faciunt litteræ Antonii episcopi mox citatæ; ast primum initio Septembris Albertus Sartianensis, vicarius generalis, ad provincias Turoniæ, Franciæ, Burgundiæ, Angliæ et Hiberniæ visitatorem destinavit S.* Joannem (4) : *qui quidem, si post istiusmodi visitationes, plurium saltem mensium moram necessario requirentes, Bambergam prædicaturus venerit, non intelligitur, qua ratione Antonius episcopus tot mensibus adventum sancti viri prævenerit, et quidem cum periculo oblivionis in populo suo. Quapropter, deficientibus documentis certis, censemus, S.* Capistranum *primum adiisse Bambergam, antequam se ad visitandas provincias Ultramontanas accinxerit : tali modo recte Antonius episcopus populum suum media fere æstate anni* 1442 *convocavit, et Albertus Sartianensis litteras visitationis ipsis kalendis Septembris ejusdem anni dedit, quas dein Eugenius IV confirmavit et ampliavit kalendis Decembris dicti anni* 1442 (5). *Atque adeo Bambergensis prædicatio visitationem provinciarum Ultramontanarum præcessisse videtur. Æmilianus Ussermann in sua Historia episcopatus Bambergensis dicit* (6), *se in enarrandis gestis Antonii parcum esse debere,* ob defectum documento-
F rum, quæ partim Bohemici et rusticorum tumultus, partim vorax flammæ pessumdedere. *Operæ pretium tamen fuisset, S.* Capistrani *prædicationem, instante episcopo factam, exhibere, tamquam indicium curæ spiritualis, quam populo suo impendebat Antonius.*

Bambergæ;

189 *Eodem circiter tempore, anno seu* 1442 *seu* 1443 *sanctus vir colloquium habuit cum Philippo Bono, Burgundiæ duce, ut retineret eum in obedientia Eugenii IV* (*cfr supra num.* 77). *Tanta vero erat S.* Capistrani *fama, ut Philippi conjux, quam tertiis nuptiis duxerat, Isabella Portugalliæ,* placari, *inquit Waddingus* (7), non potuerit, nisi magnis itineribus accederet, aspectu consolaretur et infantulo filio bene precaretur. *Non constat nobis, quo loco S.* Joannes *Philippum ducem convenerit, utrum in Italia, an in Gallia; unde conjicere non licet, quis locus designandus sit colloquio ejus cum Isabella Portugalliæ : si tamen in Burgundia occurrit*

Burgundiæ ducem adit:

(1) Raynaldi Ann. Ecc. ad an. 1467. § XV et Moroni. Dizion. ar. Di Erudiz. v°. *Fratricelli.* tom. XXVII, pag. 234. — (2) Wadding. Ann. tom. XI, pag. 162. — (3) Pag. 72. — (4) Ibid. pag. 139. — (5) Ibid. pag. 160. — (6) Episcopat. Bamberg. pag. 201. — (7) Annal. tom. XI, pag. 97.

Philippo

AUCTORE J. V. H.

Philippo duci Capistranus, *vix mihi dubium, quin in Belgium usque*, magnis *nempe* itineribus, *prosecutus fuerit Isabellam; cujus dein filio bene precatus est, nempe Carolo, dicto dein Audaci, qui ex Isabella natus erat die* x *Novembris* 1433 (1); *adeoque tunc novennis aut decennis erat. Fatendum tamen est, hanc chronotaxin non undecumque firmari: nam quum Basileenses patres die* xxv *Junii* 1439 *deposuissent Papam Eugenium IV, eique Amedeum, Sabaudiæ ducem, sub nomine Felicis V, confirmata ejus electione die* xvii *Novembris ejusdem anni, substituissent* (2), *videretur Eugenius satis tarde* Capistranum *in Gallias ad præoccupandos schismaticos ablegasse. Verum Eugenius Papa jam ante tum epistolis tum legationibus egerat, ante hunc annum: et quum ex altera parte Sanctus noster anno primum* 1442 *in Gallias visitator sui Ordinis destinatus fuerit, hac usus occasione Eugenius videtur ad confirmandos principes et populos in obedientia erga Sedem apostolicam. Quapropter, licet incerti, Francicum iter in annum* 1442 *consignari malumus.*

cum aliquot sociis in Austriam venit;

190 *Tandem anno* 1451 *S.* Joannes Capistranus *Italiam reliquit non rediturus. Scilicet ut docet nos Waddingus* (3), Fridericus imperator (*hujus nominis III*), missis ad Pontificem Nicolaum legatis, de gravissimis imperii rebus acturis, oravit ad se mitti Joannem Capistranum, virum æque doctum ac sanctum, cujus fama longe lateque diffusa, magnam indidit spem, illius præsentia et consilio felicius posse terminari varias principum controversias, et facilius ejus doctrina ac sanctitate restituendam fidem orthodoxam Bohemis vicinisque provinciis, in quibus denuo magno impetu repullulabat hæresis perniciosa Hussitarum. Inter legatos potissimus Æneas Sylvius paulo ante a Tergestino ad Senensem episcopatum translatus, et postea ad cardinalatum ac summum pontificatum evectus, hoc a Pontifice, Alberto, Austriæ duce, cæsaris fratre auxiliante, impetravit sub hujus anni (1451) principio. *Bzovius ad annum* 1450 *refert Sancti nostri iter Alemannicum, sed perperam: Christophorus a Varisio, Sancti biographus et itineris socius, qui singulorum dierum gesta per ordinem consignavit, dicit num.* 115 : Anno
C Domini mccccli, post festum Paschæ recessit a civitate Venetiarum, in qua per Quadragesimam præcedentem prædicaverat cum patratione multorum prodigiorum. *Assumpsit autem secum socios duodecim, septem scilicet sacerdotes et laicos quinque: nempe Gabrielem de Verona, postea Cardinalem, Hieronymum de Mediolano, Nicolaum de Fara, Petrum de Sopronio, Bernardum de Mutina, Valentinum de Tuscia, presbyteros; laicos autem, Bernardum de Neapoli, Paulum de Ferraria, Joannem de Camplo, Michaelem de Perusia, et Joannem de Austria. Hos quidem ipse Christophorus num.* 116 *enumerat. Waddingus a Christophoro aliquantum abludit* (4): *omittit enim Valentinum de Tuscia, qui infirmitate impeditus, Italia excedere non potuit, ut refert Christophorus ipse septimus sacerdos. Sed fratribus laicis adjungit Waddingus Ambrosium Aquilanum* (5), *quem si adnumeremus, jam S.* Capistranus *tredecim habuerit socios, non duodecim, ut expresse adnotat. Hunc vero Ambrosium præsentem fuisse morti S.* Capistrani, *scimus ex epistola Joannis Tagliacotii infra edenda* (6): *unde paulo tardius advenerit in Germaniam Ambrosius Aquilanus.* D

ejusque adventum celebrat

191 *Æneas Sylvius in Historia Friderici III imperatoris narrat* (7), *cæsaris legatos*, quum plurimorum vocibus commendatum (Capistranum) accepissent, quem virum doctum et apostolicæ vitæ sectatorem rumor asserebat, litteras Nicolai Pontificis ad eum impetrasse, quibus in Austriam illi iter mandatur : ibi ex arbitrio cæsaris monasteria Minorum aberrantia reformet, pacemque populis prædicet et viam vitæ in veritate doceat. *Et paulo infra* (8) : Per idem tempus (1451) Johannes de Capistrano ex apostolica jussione Theutoniam ingressus est, ac per Carinthiam et Stiriam venit in Austriam. Cui sacerdotes et plebes cum Sanctorum Reliquiis obviarunt, eumque velut apostolicæ Sedis legatum, ut veritatis prædicatorem, ut magnum aliquem prophetam, ut Dei nuntium susceperunt, et quasi vel Petrus vel Paulus aut alius Apostolorum illac E iter faceret, omnes accolæ montium descendere, Johanni occurrere, vestimentorum ejus fimbrias avide contingere, ægrotos et male habentes ante pedes ejus afferre; e quibus plerosque sanitati redditos rumor fuit. Moratus est autem in Nova Civitate (*Wienerisch-Neustadt*) diebus aliquot, viam Domini prædicans, mortalesque omnes ad pœnitentiam vocans. Interea magna miraculorum fama Viennam opplevit : advenisse Cæsaream (sic enim Novam Civitatem nonnulli vocitant) sanctum virum, Dei Apostolum, qui morbos pellat, qui viam Dei in veritate doceat, qui pecuniam spernat, honores fugiat, abstinentia vivat. Concurrunt tumultuantes ad eum plebes, nec se tamdiu victuras putant, donec visere hominem queant : majores natu et principes civitatis ad eum legantur, qui eum Viennam adducant. Timebant enim neve retro in Italiam cederet, vel in Ungariam alio itinere, posthabita Vienna, proficisceretur : quam rem sibi jacturæ magnæ probrique loco ducebant.

summis laudibus

192 Invitatus autem Johannes, Viennam petit. Tantus undique populi motus fit, tantus concursus, ut nulla capax multitudinis platea inveniatur. Quacumque transitus illi est, viri ac mulieres impetum faciunt, premere alter alterum, intueri virum, lacrymas lætitiæ devotionisque mittere, levare ad cœlum manus, benedicere venienti, laudare mittentem, tangere, osculari, qui prope sunt, vestimenta; veluti cœlo missum et Angelum Dei respicere. Apud Minores deinde sui Ordinis, non suæ vitæ Fratres (*id est Conventuales*) exceptus est. Ibi cibaria suisque comitibus publicitus ministrata sunt. *Explicat dein Æneas vitæ modum, quem Sanctus in Germania tenuit: ast hunc jam supra num.* 52 *exposuimus, ut hic repeti necesse non sit. Dein subnectit laudatus scriptor* (9) : Sic homo quasi cœlestem vitam in terris agere, immaculatam, absque sorde, absque peccato : ausim dicere absque peccato, quamvis nonnulli gloriosum hominum jacta-

(1) Anselm. Hist. Général. de la mais. de France, tom. I. pag. 245. — (2) Labbe, tom. XII Conc. col. 619 et 636. — (3) Annal. tom. XII, pag. 78. — (4) Ibid. pag. 80. — (5) Ibid. l. c. — (6) Ibid. pag. 394. — (7) Kollar. Analect. Vindobon. tom. II, col. 176. — (8) Ibid. col. 177. — (9) Ibid. col. 179.

toremque

A toremque sui, ex rumoribus accepisse mercedem dicerent, quibus placere magis, quam Deo, studeret. Sed sunt iniqui judices, qui non in melius, quæ occulta sunt, interpretantur; quando, quæ patent, omnia bona vident. Cur virum calumnientur, qui longam vitam in paupertate vixit? Qui multos annos docendo plebem absumpsit, in abstinentia, in laboribus, in humilitate perseverans, ac opera verbis æquans? Qui nihil hujus mundi appetivit, qui nulli fuit injurius, sed secundum hoc suis cultoribus ipse reliquit? Parva fuerit merces tantis laboribus laus humana. Stultus est, qui propter rumusculos hominum suum corpus affligit, suumque genium fraudat. Ego sanctum et justum hominem, qui calcavit avaritiam, libidinem subegit, honores sæculi fugit, qui contra injuriam atque iram patientiam objecit, qui fovendis pauperibus studiosum se præbuit, qui nullum superbiæ fomitem ostendit, sola fiducia futurorum teneri arbitror, retributionemque thesauri cœlestis exspectare, ac
* II Cor. I, 12 cum Paulo dicere * : « Gloria nostra hæc est
B « testimonium conscientiæ nostræ, et de cæ-
« tero reposita est mihi corona justitiæ, quam
« reddat mihi in illum diem justus judex. »

Æneas Sylvius, dein Pontifex Pius II;

193 Indicavit autem hoc perpetua hominis lætitia; quem nemo mœstum vidit, sed vultu semper eodem, ut de Socrate tradit antiquitas. Sciebat enim, mortali se culpa liberum, bonis se operibus intentum, exspectabat dissolvi et esse cum Christo. Quod si mundi gloriam quæreret, sciret se Deo non esse acceptum; videreturque sæpe tristior, conscientiæ stimulis actus. Nam qui laudes sectantur humanas, ex alieno pendentes arbitrio, sæpe decepti, mœrent : soli sunt servi Dei, qui perpetua quiete et animi tranquillitate fruuntur. Qualem esse Johannem, minime dubitaverim; quem pusillum corpore Viennæ vidimus, ætate senecta, annos, ut ipse ajebat, quinque et sexaginta natum : siccum, aridum, exhaustum, sola cute, nervisque et ossibus compactum, lætum tamen et in labore fortem, sine intermissione singulis diebus prædicantem, altas atque profundas materias absolventem, doctis ac rudibus satisfacientem auribus,
C mentes demulcentem, ad fœdus, quo voluit, impellentem. Ad cujus sermonem dietim viginti et triginta hominum millia conveniebant : majorique ipsum attentione, quamvis non intelligerent, quam interpretem audiebant : quum mos esset totum sermonem latinis verbis pronuntiare, deinde locum interpretandi facere. At hic, postquam novum sui Ordinis cœnobium erexit, in Moraviam profectus est etc. *Hæc eo lubentius ex Ænea Sylvio, coævo et teste oculato, adduximus, quo efficacius refutatur judicium ejusdem Æneæ ac aliorum, vanæ gloriæ accusantium S.* Capistranum, *quia narrans victoriam ad Taurinum arcem partam, nullo verbo attigit Joannem Hunyadem, exercitus christiani ducem : unde non pauci, inter quos et laudatus Æneas Sylvius, deducebant, ideo* Capistranum *tacuisse de Hunyade, ut sibi soli victoriæ honorem adscriberet. Quod quidem judicium latius, quando de hac ipsa victoria scribemus, confutabimus.*

AUCTORE J. V. H.

turbata bellis republica christiana,

194 *Quo vero tempore Nicolaus Papa S.* Joannem de Capistrano *in Germaniam ablegabat, maximæ imminebant populo christiano calamitates, infligendæ per Turcas Mahumetanos, qui christianæ religioni ruinam minabantur. Hoc ipso anno* 1451 *Mahumetes II, defuncto Amurathe patre, gladium internecionis accinxerat, nihilque minus intendebat, quam ut in primario templo S. Petri ad Vaticanum equile, ut dictitabat, constitueret suum et caballi sui præsepe in summo templi altari invenirent. Jam proximus CPolitanam urbem appetebat. Excitus tantis periculis Nicolaus Papa, principes christianos convocare satagebat, ut, unitis viribus, communique consilio, tantam cladem a christianitate averterent, et perfidum hostem in extremas oras agerent. Sed sapientissimo consilio obstabant imprimis continuata bella tum principum inter se, tum populorum adversus principes : unde accidebat, ut inermes quodammodo populi facilem se prædam hosti potentissimo offerrent. Certabant tunc quidem in Aquitania Angli cum Gallis, in Anglia Scoti cum Anglis, duæ Burgundiæ cum Gandavensibus in Belgio. Tantus* E *ab iis fusus est christianus sanguis, ut qui in his prœliis cæsi sunt, Turcicum imperii evertere potuissent; nam in uno prœlio ad Gaveram viginti millia et eo amplius Gandavensium cæsa sunt* (1). *Neque pacatius se res in Germania, Turcis proxima, habebant; in Austria optimates plurimi a Frederico III dissidebant* (2); *Hungari et Bohemi Ladislaum regem suum, infantem vix duodennem, repetebant, bellumque, nisi traderetur, imperatori intentabant* (3). *Ex quibus omnibus facile intelligitur, cur Nicolaus Pontifex, ut Turcicum jugum a populo christiano averteret, conciliare principes et populos inter se sategerit, virumque sibi elegerit, qui, verbo et opere potens, intricatas controversias componere valeret. Diximus enim supra num.* 190 *duplicem fuisse concreditam S.* Joanni Capistrano *missionem, scilicet terminandi varias principum controversias et devios ad unitatem catholicam reducendi : priorem quidem procurationem maxime per Germaniam exsecutus est; posteriorem autem in Moravia et Bohemia, Hussitarum erroribus infectis.*

in variis civitatibus verbum Dei annuntiat.

195 *Primaria tamen S.* Capistrani *cura erat, resarcire damna, quæ per hæresim passa erat fides catholica : quapropter in Bohemiam, Hussitarum quasi arcem, festinare cogitabat. Sed viris Bohemiæ principalibus ingressum Sancti impedientibus, circuivit magnam Germaniæ partem et in plurimis civitatibus pro more suo verbum Dei prædicavit.* Circuivit, *ait Chronicum Magdeburgense subæquale apud Meibomium* (4), per terram (*Germanicam*), quia non potuit habere salvum conductum ad Bohemiam, et fuit Erfordt, Nuenborg, Hallis; et in Magdeburgo venit in octava S. Francisci et solenniter introductus ab archiepiscopo et toto clero et populo, et prædicavit in Novo Foro in latino, interprete vulgarizante ad populum : et fecit comburi aleas publice et multa alia vanitatis instrumenta et illicitos ornatus mulierum et recessit dominica ante Galli (XVI *Octobris*) versus Cerbest (*Zerbst*) Wittemberg, Leipzig, Meissen, Camentz, Budissen,

(1) Raynald. Continuat. Baronii ad an. 1453 § I. — (2) Chron. Matth. Döring. apud. Mencken. tom. III, col. 18. — (3) Hist. Fred. III, ap. Kollar. Analect. Vindob. tom. II, col. 185 et 206. — (4) Rer. German. tom. II, pag. 362.

AUCTORE J. V. H.

Gorlitz, Buslare et ubique prædicavit, et fuit concursus ubique populorum, et cum Reliquiis S. Bernardi (*imo Bernardini*) miracula fecit, eas super capita infirmorum ponendo, pauca tantum, et intravit Hungariam. *Hisce civitatibus addit monachus Pirnensis, apud Menckenium* (1), *Halberstadium et Augustam Vindelicorum. Similia referunt eorumdem temporum Chronica. Sed, hæresi Lutherana per Germaniam propagata, qui scripserunt hujus sectæ viri, non sine opprobrio de S.* Capistrano *mentionem injiciunt. Instar omnium sit Achilles Gassarus in Annalibus Augustanis apud eumdem Menckenium :* Johannes Capistranus, minorita Italicus, ut versipellis ita confidentissimus, quum neque veteres Waldenses, neque novos Hussitas ad Romanæ Sedis gremium, inter cives nostros penitus posset abducere convertereque, ne nihil effecisse pœnitentia dignum videretur, vehicula picta, fritilla, alveolas, aleas, quarum mille quingentas fuisse constat, et chartas lusorias in episcopalis palatii arce, publico rogo, plus quam histrionica gravitate, combussit. *Quæ jam de S.* Capistrano *diximus, quæque porro de rebus ejus gestis dicturi etiam sumus, satis monstrant, vanum solatium Sancto quærendum non fuisse, ut opera non pœnitenda, etiam extra Hussitarum reconciliationem, promeret : tum quia ipsorum Hussitarum multa millia ad unitatem redegit, tum quia gravissimam utrique reipublicæ perniciem inferebant lusus aleatorii, quorum proinde exstirpatione consulebat S.* Capistranus *honori, integritati et fortunæ familiarum. Satius igitur facturos nos esse, arbitramur, edendo hic loci epistolam Nicolai de Fara, qua agendi rationem magistri sui,* Capistrani, *mira simplicitate exponit : eamdem ex Waddingo § sequenti damus* (2).

B

§ XVII. Iter Germanicum describit fr. Nicolaus de Fara, testis oculatus; discutiuntur adversus Sanctum quorumdam dicteria.

Iter Germanicum describpturus

Reverendis in Christo Patribus, fr. Ludovico de Senis, vicario, guardianis cæterisque fratribus provinciæ Tusciæ, fr. Nicolaus de Fara de Capistrano, Minorum minimus, salutem plurimam dicit in Domino. Si valetis, bene est, nos omnes valemus. Jubet ipsa vestra singularis benevolentia, colendissimi Patres, ut pro meo officio certiores vos efficere debeam de rebus magnis, stupendis et admirandis, quas excelsus Deus noster quotidie per sanctum seniorem nostrum operatur; ut cognoscatis, quam ipse optimus Deus dives sit in omnes, quam misericors, pius et clemens, quam liberalissimus et munificentissimus maximorum munerum largitor novissime diebus istis inveniatur, non solum apud Italos, sed etiam apud Alemannos, Moldavos, Boemos et Hungaros; quam ut nostram imprimis, ac omnem christianam religionem inexplicabilibus miraculis, signis et prodigiis ornet, decoret et illustret. Id enim, etsi libenter facio pro communi omnium lætitia, tamen quia rem grandem et perdifficilem aggredi videor, non possum non vereri; imo, ut verum fatear, incredibiliter erubesco, tantam rei majestatem nuda et exili oratione complecti. Quippe hujusce rei tanta est magnitudo, ut illa quidem non litteras, sed libellum permagnum requirere videatur. Quod quum frequenter ipse mente revolvo, magis magisque molestia afficior, et præsertim quum id nulla verborum dignitate, nulloque eloquentiæ splendore a me posse tractari facile censeam : quandoquidem nulla prorsus est in me dicendi facultas, neque otium, quod rei magnitudo postulat, præstatur. Verumtamen quum eruditissimos viros, extemporarie dicentes, sæpenumero longe ab ornatu verborum sententiarumque evagari viderim, harum litterarum inscientiam minus moleste fero, meamque in dicendo rusticitatem, otium, quod non datur, et ipsa rei magnitudo non parum excusabit. D

Nicolaus, excusat ruditatem suam;

197 Sed quid verbis insisto multis? Indigetne hoc tam magnificum, tam excellens, tamque illustre opus verborum pompa, orationis adjumentis? Quum illud non humanitus, sed divinitus fuisse profectum nemo dubitet : nam profecto tanta est ejus munificentia et gloria, ut si etiam nudo eloquio explicetur, semper et a præsentibus et posteris ejus sit colenda venerandaque memoria; tunc enim res gesta perpolitis verbis adornari solet, quando per se ipsa parva est. Mihi autem offertur dicendi campus non modo ornatissimus, sed amplissimus, ita ut difficilius sit, rem omnem veram exprimere, quam ad ornandam orationem meam aliquid ficti addere, quo uberior, luculentior, illustriorque videatur. Et ne sermo protrahatur, de re ipsa dicere incipiam. Non vereor, optimi Patres, si omnia magnifica gesta ex decessu Venetiarum usque ad ingressum Alemanniæ vobis enarrare voluero, longiorem me esse sermonem habiturum; sed quum illis plenas jam vos habere aures persuadeam, non ad illa, sed ad ea, quæ in Alemannia acta sunt, meum sermonem convertam. E

dein exponit, quo jubilo

198 Proficiscentibus nobis, Reverendi Patres, ad has Alemanniæ partes, ut quædam apostolica admonita absolveremus, quamprimum omnis populus commotus est, et tamquam a Spiritu Sancto inflammatus et edoctus, tanta cum honorificentia sanctum seniorem nostrum amplexus est, ut vel nullos vel paucos, ex Italia in hanc patriam ingressos, majori honore aut triumpho susceptos fuisse, omnium sit sententia. Magnificavit enim illum Dominus Deus noster apud Alemannos, Moldavos, Boemos, et Hungaros multis miraculis, signis et prodigiis; et ita magnificavit, ut jam non homo mortalis, sed tamquam cœlestis Angelus a cunctis summa cum veneratione habeatur, extollatur ac prædicetur. Currunt equidem omnes fere populi Alemannorum, Boemorum, Moldavorum et Hungarorum post eum; et tamquam amentes præ nimia devotione effecti, non modo ducentis et trecentis milliaribus remoti, sed etiam quadringentis, quingentis proficiscuntur. Occurrunt illi ornatissimæ processiones, cum crucibus, reliquiis, vexillis, luminaribus, suavissimisque F

(1) Scriptt. Rer. Germ. tom. II, col. 1518. — (2) Annal. tom. XII, pag. 84 et seqq.

A vissimisque hymnis et canticis ; pulsantur campanæ et organa, ornantur viæ herbis et suavissimis floribus; et beatum se quisque putat, qui illius vestimenti fimbriam tangere et osculari potest. Quid dicam de confluentibus undique populis ad contemplandum ipsum communem patrem, tamquam cœleste oraculum: quum etiam nonnumquam centum millia, nonnumquam centum quinquaginta millia hominum conspiciamus ; ut taceam sacratissimam illam diem Corporis Christi, qua creditur procul dubio hac in inclyta urbe Viennensi trecenta millia hominum fuisse? Intersunt etiam prædicationi nonnumquam sexaginta, nonnumquam octuaginta millia, nonnumquam centum millia : quamquam si omnes intelligere et audire possent, nullus inveniretur campus, qui illos capere posset præ hominum nimia frequentia et magnitudine. Quid de infirmorum multitudine dicam, quum aliquando tria millia, aliquando quatuor millia et quinque millia sint pariter exspectantes ab ipso Patre benedici, ac illius meritis et intercessione optimam valetudinem adipisci.

passim a toto populo 199 Clamant sæpenumero omnes ad Deum omnipotentem, invocant misericordiam et clementiam, implorant gratiam tam magnis, crebris infractisque vocibus, ut non modo tenera, sed etiam marmorea corda mollirentur. Provocant enim aliquando communem Patrem ad tam incredibilem planctum, ut præ nimia lacrymarum affluentia semivivus videatur. Quis istorum populorum summam devotionem et fidem explicare posset; quum omnis locus, apud quem moram trahimus, dies et noctes multitudine copiosa circumvalletur? Non equidem famem, non sitim, neque præ lecto frigidam timent habere humum : est enim eorum fides adeo magna, ut fateatur communis ipse Pater, se fidem numquam invenisse majorem. Audent etiam et mortuos deferre, ut cæteros, variis etiam infirmitatum generibus affectos, silentio prætermittam : non enim fervor et devotio decrescit, sed continue crescit et augmentatur. Numquam enim a tempore Apostolorum usque in hodiernam diem, tanta populorum commotio
C audita est. Hæc assertio non solum est mea, sed omnium illorum, qui longe sunt me doctiores, quorum scientiæ plurimum adhæreo, imo magnopere laudo et commendo . Sed quorsum pergo? Video, colendissimi Patres, longo me sermone deduci, si omnia gesta per seriem texere voluero. Verum quia nullum fere otium relinquitur, ad miraculorum pelagus accedamus, ut uberes fructus sancti senioris nostri, quam præstantes, quam divini sint, intelligamus. Tantum itaque loca, ubi miracula facta sunt, et miraculorum numerum explicemus.

præsertim propter miracula, 200 Relicta Italia, optimi Patres, summa cum gloria et Dei magnificentia, transeuntibusque nobis apud Pontiam, villam permagnam, in confinibus Italiæ sitam, quædam puella cæca visum, quidam mutus et surdus loquelam et auditum, quædam clauda gressus recuperavit. Sed qua laude prosequar, quæ gesta Villaci sunt, ubi ultra triginta miracula excellentissima facta fuisse duorum dierum numero nemo inficiatur? Ibi enim cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, et muti loquuntur. Illud tamen memoria dignum est, quod quatuordecim in sedibus delati, contracti manibus et pedibus, immobilesque omnino per se domum propriis pedibus abierunt sani et incolumes, laudantes et magnificantes Deum. Quid de oppido domini episcopi Gurgiensis dicam, quum ibidem duodecim miracula gesta fuisse, nemo dubitet? Quid Frisacum, Judiburgam atque nonnulla oppida loquar, in quibus Dominus multa signa ostendit, quorum nullum scribere valuimus propter summam hominum frequentiam et festinum discessum? Nec minori laude commemoranda esse videntur sexaginta quatuor miracula, facta in Civitate Nova, octo dierum numero, ubi illustrissimum Romanorum regem invenimus. AUCTORE J. V. H.

in via et Viennæ 201 Præter hæc omnia, illud summa laude, gloria et magnificentia celebrandum est, quod viginti octo dierum numero, quibus usque nunc hic Viennæ fuimus, ducenta jam miracula fuisse gesta, nemo non vidit. Quid secundam feriam Pentecostes loquar, qua viginti infirmos sanos et incolumes abeuntes
E conspeximus , prædicante Patre Dominica Pentecostes? Eodem namque die, quum nullum miraculum apparuisset, his verbis communis Pater usus est : « Ecce totus ipse fessus sum, et nihil hodie factum . » Ego vero respondi : « Nulla te, Pater, teneat admiratio, voluit forte Dominus tuam patientiam experiri. » Omnes enim nos in summam admirationem veneramus, eo quod propter diei solemnitatem multa signa videre sperabamus, ille vero increpans incredulitatem nostram, sic ait : « O homines modicæ fidei, quid suspicamini? Crastina quidem die videbitis gloriam et magnificentiam magni Dei : non dubitetis. » O vox aurea! O verbum propheticum, non humana conjectura, sed cœlitus profectum! Die autem sequenti, ut prædixi, viginti miracula, ut ipse nobis prædixerat, nostris oculis vidimus, et nostris manibus contrectavimus. Quotidie nova miracula videmus : jam unum libellum confeci ex miraculis gestis. Tota Hungaria usque ad fines Turcarum commota est, ut taceam omnem Alemanniam, Boemiam et Moldaviam ; est F enim hujuscemodi commotio, res inaudita. Tantus est fœtor, ut nisi à vento opprimeretur, qui continue hac in urbe regnat, ut facile mihi persuadeam, hanc inclytam urbem non potuisse epidimiam vitare, sed a continuo vento omnis fœtor expellitur. Numerus infirmorum est jam inenarrabilis, qui undique confluunt, ac si ad jubileum proficiscerentur. Ducenta enim miracula facta esse non parum est in viginti octo dierum spatio hic Viennæ, et jam sunt trecenta viginti miracula, quæ in Alemannia nostris manibus annotavimus : ut taceam multa, quæ scribere nequivimus.

patrata, 202 Silendum nequaquam videtur, quid Deus operatus fuerit ad confirmationem istorum miraculorum hisce diebus. Quidam baro, quum nullo pacto hæc miracula vere esse, credere vellet, convertit se ad canem suum cæcum, et ait : « Tunc credam miracula, quæ referuntur, quando iste meus canis visum assequetur. » O res mirabilis et stupenda! Subito, his verbis dictis, aperti sunt oculi canis, et ipse cæcus effectus est. Quidam etiam alius

AUCTORE J. V. H.

alius detractor et incredulus, quum contra ista miracula diceret, gravi morte correptus est. Quidam alius a cane est interfectus; quidam alius a curru oppressus, quum miracula ista repellere conarentur : ista enim sunt signa pergrandium rerum futurarum. Quid igitur magnificentius? Quid præstantius? Quid admirabilius? Quid divinius dici, audiri, intelligi, excogitarique posset? Magna et stupenda in Italia superiore tempore gesta fuisse, non inficior; sed si consideretur diligenter tam parvus dierum numerus, quibus hæc facta sunt, profecto istorum miraculorum magnitudo cæteris præstat; reportatque sibi nomen inclytum et gloriosum. Cantate itaque, Patres et Fratres mei colendissimi, canticum novum, cantate Domino omnis terra, jubilate et exultate, et cum Alemannis, Boemis, Moldavinis et Hungaris iterum atque iterum cantate et dicite : « Benedictus, qui venit in nomine Domini, » sicut ipsi dicunt, quum ei obviam veniunt et agite gratias immortales optimo Deo nostro, pro sancto seniori nostro imprimis, et pro omnibus ejus sociis incessanter orate. B

excepti fuerint.

203 Et quia communis Pater divina revelatione est certificatus, ut versus Boemiam debeat proficisci ad exstirpandas illas scelestas hæreses, quibus plurimi sunt alligati : ea de re illuc cito nostros gressus dirigemus : dicit enim, nos præsto fore visuros mirabiliora et præstantiora, quam usque nunc acta sint. Decrevit namque numquam redire in Italiam, nisi ex præcepto sanctissimi Domini Papæ cogatur. Præterea volo vos certiores fieri de his, quæ in modum propheticum idem Pater noster protulit : « Si qui Fratrum per litteras apostolicas operam dederint, ut in Italiam redeam, judicium Dei non effugient, si tam magnum Dei honorem et animarum fructum impedierint. » Quare, optimi mei Patres, rogo vos magnopere, ut nullam operam penitus detis, ut ipse ad Italiam cogatur reverti. Construuntur insuper multæ ecclesiæ et capellæ in honorem Sancti Patris nostri Bernardini, quem quidem sanctus senior ita magnificavit et magnificat, ut mirabile dictu sit. Omnem C miraculorum suorum gloriam S. Bernardino attribuit, vult enim ut omnia sustentacula, dimissa ab infirmis sanatis, ponantur et appendantur in circuitu capellæ S. Bernardini. Et aliud addam : nulla est religio Obervantium vel Conventualium, quæ non cupiat benedictionem Patris accipere. Multi infirmi de Observantia S. Dominici sunt mirifice valetudinem assecuti. Principes et barones, cæterique nobiles, non minori devotione et veneratione Patrem amplectuntur, quam cæteri infirmi. Et ut jam finem dicendi faciam, si quæ errata sunt, Patres, pro singularibus studiis vestris, atque illustrissimis moribus munificentissime demittatis. Vos vero interim et corporis, et, quod præstantius est, animæ bonæ valetudini operam detis, mei profecto semper memores in orationibus vestris; qua quidem re nihil gratius, nihil mihi jucundius potest obtingere. Valete in Christo Jesu et pro me iterum orate. Ex inclyta urbe Viennensi, XXIV Julii, 1451.

(1) Mencken. Scriptt. Rer. Germ. tom. III, in Præf. § I. — (2) Ibid. col. 19.

dicteria Mathiæ Dôring

204 *Hactenus Nicolaus de Fara, sancti viri biographus et rerum ab eo gestarum oculatus testis. Non defuerunt tamen vel inter Minores, qui* Capistrani *famam et miraculorum gloriam arroderent. Matthias Dœringius, minister provincialis Saxoniæ, Conventualis* (1), *vir liberioris ingenii et probabiliter Observantibus minus amicus, hæc de Sancto nostro scribit* (2) : Fr. Johannes de Capistrano, missus ad regnum Bohemiæ, primo quidem fervens ad martyrium, post recusavit intrare, nisi haberet salvum conductum. Johannes autem Rokenczan hærisiarcha scribendo asseruit et prædicando, quod esset præcursor antechristi. Ipse namque circuendo Bohemiam, nunc in Austria, nunc Bavaria, nunc Saxonia, Thuringia, Slesia, nunc Polonia, nunc Moravia prædicavit per interpretem; male contentus, sicubi cum multo tumultu processionis non recipiebatur. Et quantumcumque videbatur contemptum mundi cum suis, tamquam religiosis, observationibus prætendere; exquisitos tamen cibos et meliora vina expetere, applausus hominum et eorum concursus procurare, cursores præconizantes præmittere et de factis multis et E magnis miraculis per fratrem Johannem præfatum fimbriam magnificare soliti erant. Sicque prætensus apparuit, ut verbum sibi contrarium patienter ferre non posset. Et ut videretur coram hominibus, in locis profanis, ad hoc in foro civitatum cum multo apparatu præparatis, ubi tamen ecclesiarum solemnium et monasteriorum erat numerus, Missas celebrare consueverat, nec in aliquo loco, nisi multum exaltato et ornato, prædicabat. Ordinavit etiam in singulis civitatibus loca, in quibus ægrotantes... horam convenirent, quos tunc visitavit : et si quis contractus vel claudus ex confidentia, orta ex rumore præmissorum, se putavit melius stare, illum procedere socii sui compulerunt, clamantes et magno cum tumultu populum ad clamandum « Jhesus » provocantes : tulerunt eorum baculos et sustentacula, suspendentes ea in ecclesia coram imagine Sancti Bernardini. Fama tamen erat, quod sic curati, recidivantes baculos, ut plurimum, repetierunt. Hic recepit multos ad suam familiam, et loca pro con- F struendis monasteriis, de Observantia nuncupandis, pro illis recolligendis petiit a dominis et communitatibus; et obtinuit in provincia Saxoniæ et aliarum magnam turbationem.

adversus S. Capistranum,

105 *Atque hæc quidem invidiose scripta fuisse, nemo facile inficiabitur. Exardescebat tunc maxime gravissima inter Conventuales et Observantes contentio; hisce omni ope allaborantibus, ut S. Francisci Regula ad primævam puritatem redigeretur, contranitentibus illis. Unde pronum erat, sinistre interpretari quodcumque ab alterutra litigantium parte fiebat, et suspectum habere, si quid in alterutrius laudem prædicaretur. Ad Conventualium familiam pertinebat Matthias Dœring, et quam ipse signat in fine textus Saxoniæ et aliarum provinciarum* turbationem magnam, *aliud non erat, quam quod S.* Capistranus *ejusque socii satagebant introducere totius Ordinis renovationem, Conventualibus passim exosam. Tria porro præsertim Sancto nostro Matthias vitio vertit. Imprimis*

eum,

A *eum, quasi martyrii cupiditatem prius mentitum, postea tamen profectionem Bohemicam refugisse, nisi securitas publicis litteris, seu salvo conducto, ei adpromissa fuisset : alterum magno apparatu voluisse in civitatibus recipi, et majori ornatu sacris operari ac prædicare : ac tandem fabulosas sæpe fuisse, quæ passim inter ejus miracula, sanationes narrabantur. Quod ad primum attinet, falsa est accusatio : constat enim ex litteris Rockyczanæ, pseudo-euangelistæ Bohemorum, datis sabbato ante* festum Exaltationis Sanctæ Crucis, *id est, die* XI *Septembris* 1451, *oblatum fuisse S.* Capistrano *colloquium, habendum in una ex tribus civitatibus, in Trebonia Moraviensi, Broda Teutonica et Pellitz monasterio, additque Rockyczana* (1) : Nec ullus periclitationis pavor vestrum ascendat in cor; quoniam intendo gratia divina, sæculari quoque brachio suffultus, tutissimos, imo et sufficientissimos vestra pro tuenda vita, salvos conductos fideliter ordinare. *Die* XX *Septembris acceptat S.* Capistranus *colloquium propositum, simulque gratias agit, quod*
B *salvos conductus pro tuenda ejus vita Rockyczana se ordinaturum insinuat* (2). *Imo quum postmodum Crumlovium designatum ad diem* XXVIII *Octobris fuisset, præsens adstitit* Capistranus, *ut constat ex Christophoro biographo num.* 138 : *ast, ut infra explicabimus, Rockyczana non comparuit. Dein Montanistarum, ut habet Baronius ad annum* 250 § XII *et seqq., iisque cognatorum Marcionitarum error fuit, ita martyrii cupidos esse, ut se tormentis sponte offerrent : adeoque S.* Capistranus, *etsi desiderio arderet martyrii, negligere non potuerat illa prudentiæ subsidia, quæ offerebantur sive ab adversariis, sive a patronis suis : alioquin notam temeritatis merito incurrisset.*

allegata S. Bernardi Vita

206 *Secundum accusationis caput a Dœringio prolatum, est apparatus et ornatus, quo vir Dei a populo recipiebatur et verba faciens audiebatur. Et profecto, si Sanctus industria et arte ambivisset populares honores, non vacaret culpa : ast si sponte delatos honores acceperit, plane non perspicitur, in quo peccaverit. Dœringii autem calumniam Æneas Sylvius, citatus supra num.* 192, *refutavit; quum dixisset, nonnullos*
C gloriosum hominem jactatoremque sui habuisse; *subjungit :* sed sunt iniqui judices, qui non in melius, quæ occulta sunt interpretantur, quando quæ patent, omnia bona vident : *ac in laudes Sancti excurrens, inter cætera testatur, illum* nullum superbiæ fomitem ostendisse. *Ac certe majoris auctoritatis est testimonium Sylvii, testis oculati, nec alterutri factioni Franciscanæ addicti, quam Conventualis Dœringii, qui* Capistrani *res gestas ex auditu quandoque sinistro didicerat. Cæterum tributi sancto viro honores novi non sunt : adest nobis Vita S. Bernardi Claravallensis, a Gunfrido, Sancti notario, elucubrata, quam legere est in Opere nostro ad diem* XX *Augusti* (3) : *In ea autem videmus* (4), Anglorum reginam Mathildem tantum *S. Bernardo* exhibuisse devotionis affectum, ut venienti Bononiam (*ad mare*) extra urbem cum populo pedes occurrerit, gravida tamen ipsa multumque gravis. *Pariter quoque* ingredienti urbem Trevirensium servo Christi EX MORE obviam ruit populus universus (5). *Nemo dixerit, S. Bernardum artibus quibusdam hos concursus provocasse, quum viderit plurimis miraculis populorum devotionem remuneratam legit. Atqui id ipsum in* Capistrano *nostro mirari licet : tanta est inter S. Bernardum et* Capistranum *vitæ similitudo, ut alter alteri opem ferre et opportunam responsionem præbere videatur.*

AUCTORE J. V. H.

confutantur

207 *Sic quoque legimus, S. Bernardum solemnes receptiones fugere quidem voluisse,* sed raro id potuisse (6), *et Coloniæ Agrippinæ, qua in civitate, ut verbis Dœringii utar,* ecclesiarum solemnium et monasteriorum erat numerus, in platea *sermonem habuisse,* eo quod ecclesia populum capere non sustineret (7). *Multitudinem sanatorum etiam Vita S. Bernardi exhibet : quum enim in territorio Autissiodorensi* febricitantium multitudo, sicut ubique solebant, a Dei homine panem peterent benedictum, Girardus quidem clericus ex castro, cui nomen est Clamiceium (*Clamecy, in agro Nivernensi*) male sciolus et subsannans fidem populi blasphemabat. In ipsis autem verbis
E blasphemiæ, gravissima febre correptus, usque Autissiodorum abeuntem sequi coactus est virum Dei, et pœnitentiam agens apud eum, ipsam, cui detraxerat, obtinuit benedictionem. Tam multis vero gustata ejusmodi benedictio reddidit sanitatem, ut solius Dei, cujus hæc virtute fiebant, posset notitia comprehendi (8). *Alia plura ex biographis, S. Bernardo coævis et testibus gestorum oculatis, congerere possemus, quæ lector purius ad ipsos fontes ebibet. Hæc ideo delibavimus, ut constet, quanta sit inter utrumque Sanctum similitudo adeoque quod uni objicitur, in alterum etiam redundet. Cæterum Dœringius ipse se suis conficit verbis : nam admissa etiam, quod fama referente, narrat, curatos recidivantes baculos,* ut plurimum, *repetivisse; consequitur tamen, aliquos fuisse valetudini redditos, adeoque aliqua miracula S.* Capistranum *operatum fuisse : atqui etiam unicum miraculum sufficiebat, ut fidem suæ doctrinæ adstrueret Sanctus : præsertim quum et cæcis visum, mutis auditum et loquelam dederit, quæ prodigia e receptis denuo baculis non infringuntur. Sed de his jam satis.* F

§ XVIII. Acta S. Joannis Capistrani adversus Hussitas.

Exponuntur Hussitarum

S*pecialem, ut jam diximus, missionem habebat a Romano Pontifice S.* Joannes Capistranus, *ut reduceret ad unitatem fidei catholicæ hæreticos, qui tunc per Bohemiam regionesque finitimas grassabantur et sacra æque ac profana sus deque vertebant. Bohemorum seu Hussitarum errores paucis perstringit scriptor Chronici abbatum Saganensium in Silesia* (9) : Fuerunt, *inquit,* errores eorum præcipui : primus, quod clerici, instar apostolorum, in paupertate vivere deberent; quod laicis, præcipue nobilibus non parum acceptum fuit; unde gaudebant de nacta opportunitate et occasione clericos et monachos possessionibus et bonis eorum spoliandi. Secundo docuerunt, quod

(1) Wadding. tom. XII, pag. 92. — (2) Ibid. pag. 93 et seq. — (3) Act. SS. tom. IV Aug., pag. 295 et seqq. — (4) Ibid. pag. 306. — (5) Ibid. pag. 314. — (6) Ibid. pag. 339. — (7) Ibid. pag. 340. — (8) Ibid. pag. 311. — (9) Stenzel. Scriptt. Rer. Silesiæ. tom. I, pag. 284.

AUCTORE J. V. H.

quilibet posset prædicare more Apostolorum, dicentes, verbum Dei non esse alligatum. Tertio dixerunt, quod quilibet quemlibet posset arguere de mortali, juxta istud Salvatoris: « Si peccaverit in te frater tuus » etc. Quarto, de communione vulgarium sub utraque specie. Quinto, communionem sub utraque specie de necessitate salutis asseruerunt, quod tamen nulla sacra Scriptura, sane intellecta, probatur. Sed quia, ut dicit Philosophus primo philosophicorum, parvus error in principio, magnus erit in fine; ex his supra memoratis erroribus innumeros quodammodo alios (ex pravato tamquam ramis a trunco prodeuntibus) inciderunt. Negabant namque confessionem sacramentalem fore de necessitate salutis : negabant purgatorium post hanc vitam; et dixerunt inania esse suffragia, quæ fiunt pro defunctis : item negabant indulgentias : dicebant omnes simoniacos, qui juxta ritum Ecclesiæ in sacrorum ministratione darent vel acciperent quidquam, vel pro suffragiis animarum : item offertoria, decimas et oblationes presbyteris dare inhibebant : item Sanctos honorare, et obsecrationes ad eos dirigere, otiosum et superstitiosum esse asserebant, quum alios juvare nequirent : item imagines Sanctorum exsecrabantur, nec aliquam reverentiam eis exhibendam dicebant, nec etiam Reliquiis Sanctorum.

B

errores,

209 Item de solemnitatibus in Missa et aliis Sacramentis nihil esse curandum; sed in Missa solam consecrationem sufficere : item asserebant, soli Deo obediendum fore : item quod auctoritas Papæ se non amplius extendat, quam alterius presbyteri : item quod nec Papæ nec alicui alteri prælato sit obediendum, si malus sit : item dicebant, quod qui possit corpus et sanguinem consecrare, posset etiam alia sacramenta ministrare et opera episcopalia exercere : item quod corpus Christi et sanguis a jejunis et non jejunis posset indifferenter meritorie suscipi : item horas canonicas dicere non sit necessarium, nec peccarent clerici eas omittendo. Ecce parva scintilla quantam silvam incendit. Et quia nullus regum regni Bohemiæ ab initio hujus
C hæresis usque ad hanc diem, videlicet annum 1489, fuit, qui quidquam efficaciter pro exstirpatione hujusmodi errorum fecerit, sed potius fautores et protectores, ut plerumque, pestifera hæc gens habuit, præcipue Georgium de Podebrath, qui primum tempore Ladislai multo tempore gubernator, post cujus obitum rex ab ipsis Bohemis electus et habitus, multum eamdem hæresim fovit, promovit et ampliavit, ideo homines terræ illius et non minus marchionatus Moraviæ in infinitos errores inciderunt, ut etiam unusquisque, quacumque hæresi aut errore deceptus, et depravatus ac ab aliis terris et regnis depulsus, libere sedem suam in quacumque maluerit, civitate, oppido aut villa (paucis civitatibus demptis) nemine requirente, cujus sit sectæ vel erroris, ponat, et suam sine contradictione cujuscumque teneat et observet. *Nisi ex ipso Chronico haberemus, hæc scripta fuisse anno* 1489, *adeoque triginta fere ante Lutherum annis, crederemus facile a penu Lutherana pleraque deprompta fuisse, auctoremque Hussitarum hæresim ad imaginem recentioris hæresis effinxisse. Ast simul animadvertere licet, Hussitas Luthero viam stravisse, et errorum sementi germanicas terras præparatas fuisse.* D

210 *Animadvertere quoque juvat, istiusmodi doctrinas non solum rempublicam ecclesiasticam, sed et civilem appetere; etenim si* soli Deo obediendum sit, *consequitur, usurpatam qualemcumque potestatem, sive ecclesiastica sit sive civilis, vanas esse leges humanas, quatenus sunt injuste latæ: adeoque, doctrinas istas ad apertam rebellionem spectare. Quum deinde clerus universus suis sit spoliandus bonis, nulli in sacris actionibus ritus observandi, nullus honor sacris imaginibus aut Sanctorum Reliquiis adhibendus, imo unicuique, nulla facta conditionis, ætatis aut sexus distinctione, liberum sit publice, quam voluerit, proferre doctrinam aut opinionem, imo quemcumque arguere de peccato : manifestum est hujuscemodi errores universam hominum societatem convellere, nec propugnari aut promoveri posse, quin homines, inter se dissentientes, in apertam luctam prorumpant. Atque hinc nata sunt bella ista internecina, quibus Bohemia universa et finitimæ regiones per multorum annorum curriculum funestatæ fuerunt. Qua ratione plane elucidatur, cur principes sæculares perversas doctrinas in regnis suis consistere passi non sint, sed errorum promotores, ut reipublicæ tam civilis quam ecclesiasticæ hostes manifestos habuerint, et suppliciis affecerint. Nulla siquidem humana societas stare potest, nisi tutari se possit ab iis, qui ejus fundamentum labefactant : atque doctrinæ Hussitarum, supra expositæ, eo deducebant, ut nullus esset sive rex sive sacerdos, qui populum regere valeret, et unusquisque pro arbitrio et libidine suas actiones, nullo ad alios habito respectu, dirigeret : unde humanæ societatis vinculum omnino disrumpi necesse erat.* E

utrique reip. perniciosissimi;

211 *Ad hæc errorum monstra profliganda* S. Joannes Capistranus, *auctoritate apostolica munitus, destinatus fuerat a Nicolao Papa V. Legitimam missionem confirmabant et urgebant voces cœlitus delapsæ, quibus profectio ad Bohemos intimabatur. Itaque sub finem Julii,* F *anni* 1451, *impetrata a cæsare venia, in Bohemiam contendit, et ante omnia ipsam regni et erroris metropolim, Pragam, adoriri statuit. Sed accessum prohibuerunt Joannes Rockyczana, pseudoepiscopus et Georgius de Podjebrach, qui regni Bohemici, pro Ladislao, rege minorenni, gubernacula tenebat. Nihilominus, ut vidimus supra num.* 205, *ne detrectare certamen videretur Rockyczana, tria proposuit colloquii loca, Treboniam Moraviensem, Brodam Teutonicam et monasterium Pellitz* (1). *Sed ex causa nobis ignota, nullus horum locorum disputationi habendæ placuit : et tandem conventum est, ut ad diem festum SS. Apostolorum Simonis et Judæ,* XXVIII *Octobris congressus Crumlovii haberetur. Est autem Crumlovium* (Bömisch Krummau) *civitas principalis familiæ nobilissimæ de Schwarzenberg, in circulo Budwicensi* (2). *Istic, teste Christophoro de Varisio num.* 138 *et seq. adfuit vir Dei saltem a die* XVIII *Octobris ad* XIV *Novembris, quin Roc-*

quos ut confutaret,

(1) Wadding. Annal. tom. XII, pag. 92 et seq. — (2) Schaller. Topogr. des Königr. Böhmen. tom. XIII, pag. 164.

kyczana

A *kyczana comparuerit : edixerat enim Georgius Podiebrathius, ne alicubi locorum* Capistranus *reciperetur; quod si tamen Crumlovium adventaret, ab omnibus, veluti publicæ pacis turbator vitaretur* (1) : *addit porro Waddingus* (2) : Rosembergius (*dynasta Crumlovii catholicus*) primus fuit, qui periculi Capistranum admonuit. Ergo is locum, disputationi designatum, adire recusavit. Hic Rockyzana apud suos triumphabundus, in absentem invectus, convitiis plenas litteras ad Capistranum vulgavit, quibus famam illius et existimationem deprimeret.

colloquium cum Rockyczana

212 *Errare videtur Waddingus, insinuans,* S. Capistranum *refugisse disputationem Crumloviensem; quandoquidem, ut ex Christophoro num.* 205 *ostendimus , per mensem fere integrum ibidem perstiterit, dici non potest* Capistranum locum , disputationi designatum adire recusasse. *Verum quidem est, Rockyczanam litteris ad* Capistranum *datis collationem circa communionem laicam sub utraque specie acceptam proposuisse,* ut sic, *inquit* (3), oppo-
B sitis juxta se positis, quid sit veritatis et plebium salutis clarius elucescat. *Proinde trinam disputandi palæstram proponit Sancto nostro, Treboniam Moraviensem, Brodam Teutonicam et Pellitz monasterium. Hisce litteris, die* XI *Septembris* 1451 *scriptis, respondet* Capistranus *novem post diebus, seu* XX *Septembris, dicens* (4) : Quod in concilio sacrosancto Basileensi humeros supposueris ad labores, rimatus sum et discussi et sæpe vidi, necnon et post tuum discessum decretum sacri Basileensis concilii, in tali causa declaratum, quod authentica decisione te suscepisse indubitanter autumo. Quid autem sit veritatis, quidve salutis necessario observandum, et ibidem et in decreto sacri Constantiensis concilii te sæpenumero puto legisse. Collationem autem tecum habendam, prompto animo, hilarique vultu ac læto corde affectuosissime opto pariter et sollicito. De loco vero, die, modo et personis, interventuris in actis, oro te, ut patrem amandum, in Christi veritate colendum, non te pigeat aliquos ex tuis interim destinare, cum quibus tractare possim et
C concludere de prædictis. Veni enim de longe satis ab Urbe Roma et ultra, circuiens usque Olomucium. Locus est igitur determinandus communis, idoneus, accommodus et securus pro quibuscumque adventuris in actu, in quo divinæ sapientiæ irradiante fulgore, manifesta fiat et clara notitia veritatis et via salutis cunctis Christi fidelibus illucescat.

incassum petit S. Capistranus;

213 *Ex iis litteris videmus, S.* Capistranum *non admisisse ullum e tribus locis, a Rockyczana designatis, sed voluisse, ut denuo collatis consiliis de loco, die et modo disputationis habendæ decerneretur. Ac tum quidem Crumlovium propositum et utrinque acceptum fuisse existimo: quo sanctus vir se contulit, ibique a die* XVIII *Octobris ad* XIV *Novembris, ut mox ostendimus, constitit : adeoque dicta die* XXVIII *Octobris disputationem celebratam non fuisse, non* Capistrani, *sed Rockyczanæ vitium fuit : qui scilicet Podjebrachio, Bohemiæ gubernatori, auctor fuit, ut decretum ederet, quo accessus ad* Capistranum, *si forte Crumlovium veniret, tam-*

AUCTORE J. V. H.

quam publicæ pacis hostem, vetabatur (5). *Sequuntur dein verba Waddingi, num.* 211 *allata, quæ secundum dicta corrigenda sunt, ut certe ex hoc capite nihil sit, cur Rockyczana triumphum canere potuerit, quum ex adverso S.* Capistranus *aciem tenuerit, Crumlovii agens usque ad* XIV *Novembris. Quod vero tanta cum reverentia loquatur Sanctus de concilio Basileensi, animadvertat lector, agere illum de isto tempore, quo Patres Basileenses adhuc in communione cum sede apostolica persistebant; qua ratione sanctus vir sibi conciliare Bohemorum, Basileensibus faventium, animos satagebat : adeo ut doctrinam de communione laica sub utraque specie tamquam falsam rejicerent, atque communicandi modum, in potestate Ecclesiæ positum esse agnoscerent* (6).

et spe ingrediendi Bohemiam amissa.

214 *Quum igitur spes ingrediendi Bohemiam, gentemque illam catholicæ unitati aggregandi sanctum virum falleret, cœpit regiones vicinas circuire, ut populos Hussitarum erroribus infectos, sanaret. Quapropter, ut refert Amandus Hermann* (7), *quum* Capistranus non valeret directa via Pragam tendere, circa confinia suum carpebat iter et me- E
dium faciendo circulum, qui ab oriente in Bohemiam penetrare fuit prohibitus, ab occidente est ingressus. Nam Bruna exiens V Octobris, venit in villam Drasoff, XI milliaribus a Bruna, et die X ac sequentibus in Egenburgum Austriæ alios (*Hussitas*) coadunavit, a die XVIII in Crumlovio, præsente D. Ulrico, viro principe, catholicorum patrono, multos nobiles, populares innumeros ad viam veritatis reduxit; donec Egram pervenit. In Friberg, die XXIV Februarii, et civitate Missinensi a die XVIII Martii, et a XXV ejusdem mensis usque ad principium Junii in civitate Pontensi regni Bohemiæ miro fructu eumdem subiisse laborem comperio, multis millibus ad castra catholicorum transmissis et fidelium gregi aggregatis. Præter urbem Pontensem, etiam attigisse Tachovium, Pilsnam, Cadanam attestatur Dubravius (8); et traditione firmatur, qua creditur, fontem illum, qui est penes sacellum XIV Auxiliatorum, benedixisse. *Quibus itinerationibus si addimus profectionem ejus in Silesiam, clare videtur* F
sanctus vir fines universæ Bohemiæ ambivisse, et quasi præmuniisse omnes vias, ne erroris incendium latius propagaretur.

in Moravia præsertim

215 *Hasce autem peregrinationes apostolicas suo non caruisse fructu testatur ipse Sanctus in sua ad Universitatem Viennensem epistola, quam refert Waddingus* (9) : Postquam, *inquit,* Moraviam sum ingressus, præstantissimi magistri et doctores, ut debui semper pro viribus contra Bohemorum damnatas hæreses egi; neque minis neque aliquo timore umquam a prædicationis officio destiti, sed palam locutus, omni, quo valui, studio, ad repellendam illorum damnabilem opinionem, qui dicunt, necessarium esse ad salutem sub utraque specie communicare , me contuli. Quo factum est, ut non solum multi barones, nobiles, sed et sacerdotes ad plus quam quatuor millia meis in manibus Hussitarum errores abjuraverint, præter alios conversos, qui sub ipsorum baronum conversorum do-

(1) Wadd. Ann. tom. XII, pag. 94. — (2) Ibid. l. c. — (3) Ibid. pag. 92. — (4) Ibid. pag. 93. — (5) Ibid. pag. 94. — (6) Cfr Labbe, tom. XII, col. 100 et tom. XIII, col. 1541. — (7) Capistr. Triumph. pag. 365. — (8) Rer. Bohemic. pag. 237. — (9) Annal. tom. XII, pag. 88.

AUCTORE J. V. H.

minio degunt. *Quod vero spectat ad minas et terrores, S.* Joanni *injecta, refert Barberius cap.* XXV (1), *insidias paratas fuisse itineranti solitario : quum enim orationis liberioris causa, sese sociis subduxisset, repente sicarii aliqui e latebris prosiliunt, virum sanctum undique circumcingunt et feroci vultu quærunt, quis sit ille fr.* Capistranus : *respondet Sanctus, se esse virum, quem quærebant : qua simplici voce terrefacti, siluere, et, dimisso captivo suo, abiere, unde venerant. Minæ etiam vituperiis cumulabantur, ut* Joannis *existimatio et auctoritas in populo aut tolleretur, aut saltem minueretur. Borotinus quidam, unus e præcipuis Rockyczanæ asseclis, publicis litteris traduxit S.* Capistranum, ut monachum melancholicum, hypocritam, perfidum contemptorem conciliorum, prævaricatorem Euangelii (2).

Hussitas

216 *Respondit S.* Capistranus (3) : Non curo de tua detractione et latratu tuo contra me, quod mendaciis decipiam populos : quia jam per Dei gratiam mea doctrina nedum per Italiam, sed etiam per Franciam, Alemanniam et per Hispaniam et alias mundi partes B cum vita et moribus ita nota est, non in angulis, sed in plateis publicis et in solemnissimis urbibus studiorum, quod tua etiam susurratio laus potius, et tua laus juxta tua proposita dedecus esset et infamia. In aliis litteris tuis me innuisti et incognitum temerarie et ineptissime melancholicum judicasti ; attamen sum naturaliter sanguineus et cholericus. Quippe hoc te non docuit Aristoteles neque Plato, quod invisum hominem, vel etiam in imagine figuratum et incognita physionomia, præsumas judicare. Nunc me vero monachum appellare non pudet ; quum tamen me numquam videris monachum, neque sim : sed Frater Minor Ordinis S. Francisci, cui a sacrosancta Romana Ecclesia injunctum officium prædicandi, et in omni terrarum orbe contra omnes hæreses inquirendi et procedendi ; tum etiam tamquam apostolico commissario et universali inquisitori hæreticæ pravitatis. *Hussitarum tamen vituperia non impediebant fructum, quem e suis laboribus carpebat S.* Capistranus : *prima die Augu-* C *sti* 1451 *Brunæ in Moravia ad communionem Ecclesiæ admisit provinciæ camerarium, de quo in transsumpto publico notarii hæc referuntur apud Waddingum* (4) : Magnificus dominus Benedictus, vulgariter nuncupatus Benescio, baro in marchionatu Moraviæ, ejusdemque provinciæ camerarius, confessus est coram populorum multitudine copiosa, assistente reverendissimo D. G. episcopo Nicopolensi dignissimo et suffraganeo reverendissimi patris et domini episcopi Olomucensis, et recognovit se adhæsisse superstitioni Bohemorum et erroribus Hussitarum, credendo, favendo et defendendo eorum hæreses in scissuram sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, et in rebellionem obedientiæ et perversionem ritus ecclesiastici in communione sub utraque specie, et quandoque in deducendo gentes armorum in subsidium eorumdem Bohemorum, et in offensionem catholicorum ; et se in prædictis errasse et super iis corde contrito et humiliato absolutionem et pœni- D tentiam requisivit publice et palam in platea publica Brunensi, genuflexus coram R. P. fr. Joanne de Capistrano, hæreticæ pravitatis inquisitore, et prædictas et omnes alias hæreses, quocumque alio nomine censeantur, abjuravit, et postea in camera residentiæ ejusdem R. P. fr. Joannis promisit et juravit ad sancta Dei Euangelia, corporaliter manu tactis Scripturis, se deinceps perpetuo servaturum sanctam, illibatam et immaculatam fidem catholicam, quam sacrosancta Romana Ecclesia tenet, prædicat et docet, et promisit se perpetuo victurum sub obedientia, devotione et reverentia ejusdem sanctæ Matris Ecclesiæ. Supradictus autem R. P. fr. Joannes, recepto juramento ab antefato barone, absolvit eum auctoritate sanctissimi domini nostri Nicolai Papæ V, præsentibus, etc. Et paulo post ejusdem baronis conjugem, consanguineos et universam familiam, copiosam satis, communioni fidelium aggregavit.

insectatur, et multos convertit,

217 *Sancto quoque nostro adscribit Æneas Sylvius conversionem cujusdam optimatis Moravi, cujus filius non diu post ad cathedram Olomucensem assumptus fuit* (5). *Is erat Wenceslaus Boskowitz, aliter de Czernahora sive Schwarzenberg dictus, quo conciliatore ac sequestro disputationis locum et diem, ut supra num.* 213 *diximus, designata fuere* (6). *Huic filius erat Protasius, qui morte sublato Bohuslao de Zwola, episcopus Olomucensis anno* 1458 *electus fuit, cathedramque ad annum usque* 1482 *tenuit* (7). *Lectori rem gratam nos exhibituros credimus, exscribendo hic loci formam absolutionis, quam S.* Capistranus *scriptam recenter conversis dabat, quæ sequentis est tenoris* (8) : Universis et singulis Christi fidelibus, tam prælatis quam subditis, ecclesiasticis et temporalibus, ad quos præsentium series pervenerit, fr. Joannes de Capistrano, Ordinis Minorum minimus et indignus, hæreticæ pravitatis inquisitor ex institutione et commissione sanctissimi D. N. Nicolai Papæ V, ad superiores commendationem humilem et devotam, et ad reliquos omnes salutem et pacem in Domino sempiternam. Noveritis per præsentes, qualiter N. N., præstito prius ju- F ramento, corporaliter manu tactis Scripturis sacris, abjuravit et abnegavit omnes hæreses Wicleffitarum et Hussitarum, et aliorum quorumcumque hæresiarcharum et hæreticorum, quibus per annos plurimos adhæsit, promittens ad Sancta Dei Euangelia, toto tempore vitæ suæ stare mandatis Ecclesiæ, vivere sub obedientia sedis apostolicæ et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ. Quamobrem quia sponte venit, auctoritate ejusdem Sanctissimi D. N. Nicolai Papæ V et officii mihi commissi, imposita sibi obedientia salutari, absolvi eum ab omni excommunicatione et ab omnibus censuris ecclesiasticis, quas prædictis de causis incurrerat, et restitui eum ad honores, dignitates, officia, beneficia, status et gradus, quæ et quos prius obtinuerat, et pia benignitate recepi eumdem ad unionem, reincorporationem, reintegrationem et reconciliationem cum unico mystico Christi cor-

(1) Vit. ital. pag. 119. — (2) Capistr. triumph. pag. 367. — (3) Ibid. pag. 369. — (4) Annal. tom. XII. pag. 88. — (5) Æn. Sylv. Oper. pag. 414. Edit. Basil. — (6) Wadding. Annal. tom. XII, pag. 94. — (7) Pilarz. Morav. Hist. tom. II, pag. 173 et seqq. — (8) Wadding. Annal. tom. XII, pag. 89.

pore

A pore et unica sacrosancta Romana et universali Ecclesia catholica militante, recepique ipsum ad participationem omnium bonorum et meritorum totius populi Christiani, pro quanto juste, catholice et recte vixerit. Unde ad fidem et testimonium prædictorum has præsentes litteras, solito pendente sigillo munitas, fieri jussi, meaque propria manu subsignavi. Commendans eum omnibus et singulis Christi fidelibus in visceribus caritatis, mandansque nihilominus sub ecclesiasticis censuris, ne prædictis ex causis quisquam eidem N. molestiam aliquam inferre præsumat. Datum, etc.

§ XIX. Continuantur acta S. Joannis Capistrani adversus Hussitas.

In Basileensi synodo

Quoniam interiorem Bohemiam, præsertimque iniquitatis sedem, urbem principem Pragam, attingere datum non erat S. Capistrano, *non*
B *solum finitimas provincias, hæreses exstirpans obivit, sed omni ope sategit imprimis, ut errorum radices evelleret, prætextus destrueret, quibus non raro obvolvuntur et simplicibus fucum faciunt. Bohemi, ut perversas suas opiniones defenderent, utebantur et abutebantur concessionibus quibusdam, synodo Basileensi extortis, et quæ vulgo* Compactata *dicebantur. Quæ ut abolerentur, plurimum laboravit. Erant enim, ait Amandus Herman* (1), argumentum et unicum scutum, quo se contra S. Joannis Capistrani prædicationem defendebat Rockyczana cum suis asseclis. *Compactatorum originem referunt laudatus Amandus* (2) *et Adolphus Pilarz in sua Historia Moraviæ* (3). *Legati scilicet Bohemiæ, Basileam missi, a patribus petierunt quosdam articulos, quibus concessis, ad unitatem redituros se spondebant Bohemi. Per dies itaque quinquaginta acerrime de iis articulis Basileæ disputatum fuit : quum tamen Bohemi, licet accurate convicti, pertinaciter suas defenderent opinationes, et abitum, re infecta, in patriam adornarent, miserunt Basileenses Pragam suos oratores, qui cum Bohemis de concordiæ legibus convenirent.*
C *Sed inane hactenus tentamen cecidit; donec tandem, flagitante imperatore Sigismundo, Basileensium oratores sub certa verborum formula consenserunt :* quæ *quidem, ait Cochlæus Historia Hussitarum lib.* VII (4), ultima die Novembris (1433) constituta fuit, *sed* non potuit in effectum perduci : quia Thaboritæ et Orphani, aliique hæretici, qui Pilznam obsidebant, in eam consentire nolebant. Post triennium vero (adeoque anno 1436) Iglaviæ coram Sigismundo imperatore, communi omni Hussitarum consensu acceptata, sigillisque publicis corroborata est. Tenor autem illius concordiæ, quam vulgo Compactata vocant, Pragæ conceptus, sic habet.

articuli quidam probati fuerant,

219 In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Hæc quæ infrascripta sunt, per gratiam Sancti Spiritus concordata sunt inter legatos sacri concilii Basileensis et generalem congregationem inclyti regni Bohemiæ et marchionatus Moraviæ, in civitate Pragensi. Primo, dicta congregatio nomine dictorum regni et marchionatus, et pro ipso regno et marchionatu, omnibus et singulis eorumdem, qui sunt de parte ipsorum, recipient et acceptabunt et facient bonam et firmam et perpetuam pacem et ecclesiasticam unitatem, quam profitebuntur et firmabunt debito modo. Quo facto, dicti legati, auctoritate dicti sacri concilii, admittent et recipient dictam pacem et unitatem, et pronuntiabunt pacem generalem universi populi christiani cum incolis et habitatoribus dictorum regni et marchionatus : tollent omnes sententias censuræ et plenariam abolitionem facient : et mandabunt universis et singulis Christi fidelibus, quod nemo deinceps dictum regnum et marchionatum propter præterita infamare præsumat; nec ipsa aut eorum incolas invadere aut offendere, sed eis christianam pacem observent, ipsosque tamquam fratres eorum, sanctæ videlicet matris Ecclesiæ filios reverentes et obedientes habeant, et firma dilectione contractent.

AUCTORE J. V. H.

220 Circa materiam primi articuli, quem ambasiatores dictorum regni et marchionatus obtulerunt sacro concilio sub hac forma : « Quod communio divinissimæ Eucharistiæ E utilis et salubris, sub utraque specie, scilicet panis et vini, universis Christi fidelibus in regno Bohemiæ et marchionatu Moraviæ, et locis, eis in hac parte adhærentium constitutis, per sacerdotes libere ministretur. » Est hoc modo concordatum. Quod dictis Bohemis et Moravis, suscipientibus ecclesiasticam unitatem et pacem, realiter et cum effectu et in omnibus aliis, quam in usu communionis utriusque speciei, fidei et ritui universalis Ecclesiæ conformibus; et illi et illæ, qui talem usum habent, communicabunt sub duplici specie, cum auctoritate Domini nostri Jesu Christi et Ecclesiæ sponsæ ejus. Et articulus ille in sacro consilio discutietur, quoad materiam de præcepto ad plenum, et videbitur, quid circa illum articulum pro veritate catholica sit tenendum, et agendum pro utilitate et salute populi christiani : et omnibus mature et digeste pertractatis, nihilominus si in desiderio habendi dictam communionem sub duplici specie perseveraverint, hoc eorum ambasiatoribus indicantibus, sacrum concilium F sacerdotibus dictorum regni et marchionatus communicandi sub utraque specie populum, eas videlicet personas, quæ in annis discretionis constitutæ, reverenter et devote postulaverint, facultatem in Domino pro eorum utilitate et salute largietur. Hoc semper observato, quod sacerdotes sic communicantibus semper dicant, quod ipsi debeant firmiter credere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum; sed sub qualibet specie est integer et totus Christus. Ac legati sacri concilii per suas litteras, auctoritate sacri concilii, mandabunt universis et singulis, cujuscumque gradus aut conditionis exsistant, ut dictis Bohemis et Moravis, utentibus dicta communione sub duplici specie, nemo audeat improperare, aut eorum famæ aut honori detrahere, et hoc idem faciet sacrum concilium, quando concessionem libertationis faciet memoratam.

vulgo Compactata dicti,

221 Circa materiam trium articulorum *quorum concessione*

(1) Capistr. triumph. pag. 358. — (2) Ibid. pag. 359. — (3) Tom. II, pag. 33 et seq. Cfr Joan. Cochlæus. Histor. Hussit. lib. VII et Stenzel. Scriptt. Rer. Siles. tom. I, pag. 312. — (4) Cochl. pag. 270.

AUCTORE J. V. H.

sequentium per præfatos legatos sacri concilii dictum est in forma sequenti. Quoniam circa doctrinam catholicæ veritatis, sic sobrie et caute incedendum est, maxime a sacro concilio generali, ut veritas declaretur verbis, sic ordinate conceptis, ut nulli sit in futurum offendiculum, ubi possit impingere et habere occasionem erroris, et, ut verbis utamur B. Isidori, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat : circa materiam de cohibitione et correptione peccatorum, in quo posuistis articulum super his verbis : « Omnia peccata mortalia, et præsertim publica, per eos, quorum interest, rationabiliter et secundum legem Dei cohibeantur, corrigantur et eliminentur. » Ecce verbum, « per eos, quorum interest » nimis est generale et posset esse offendiculum. Et juxta Scripturæ sententiam, non debemus ponere offendiculum ante cæcum * : et claudendæ sunt fossæ, ne bos vicini ibi lædatur *; et omnis talis occasio tollenda est. Dicimus ergo, quod secundum Sacræ Scripturæ sententiam, sanctorum documenta Doctorum, sic catholice est tenendum : quod omnia peccata mortalia, præsertim publica, quantum rationabiliter fieri potest, secundum legem Dei et Sanctorum Patrum instituta, sunt cohibenda, corripienda et eliminanda : potestas autem puniendi criminosos, non ad privatas personas, sed ad eos tantummodo pertinet, qui jurisdictionem habent in eos fori, distinctione juris et justitiæ ordine observatis. Circa materiam de prædicatione verbi Dei, in qua posuistis articulum hoc tenore : « Quod verbum Dei a sacerdotibus Domini et levitis idoneis libere ac fideliter prædicetur. » Ne ex verbo « libere » sumeretur occasio vagæ et dispendiosæ libertatis, quam nec vos (ut sæpe dixistis) intenditis, circumstantionandum est: dicimusque, quod secundum Sacræ Scripturæ sententiam, sanctorumque documenta Doctorum, sic catholice tenendum est : quod verbum Dei a sacerdotibus Domini et levitis ad hoc idoneis, et per superiores (ad quos pertinet) approbatis et missis, libere, non tamen passim, sed ordinate et fideliter prædicetur, salva auctoritate Pontificis, qui est præordinator in cunctis, juxta Sanctorum Patrum instituta.

* Levit. XIX, 14

* Deut. XXII, 1

B

C

Hussitæ

222 Circa materiam ultimi articuli, sub his verbis expressis : « Non licet clero, tempore legis gratiæ, super bonis temporalibus sæculariter domininari. » Meminimus, quod dum in sacro concilio super hoc disputatio ageretur publica et solemnis, ille, qui ad disputandum per sacrum concilium exstitit deputatus, duas conclusiones posuit sub his verbis : Prima, quod clerici, non religiosi, seu qui voto se ad hoc non obligarunt, licite possunt habere et possidere quæcumque bona temporalia, hereditates paternas et aliorum, si eis relinquantur, et alia bona, juste acquisita ex causa donationis, vel alterius liciti contractus, vel arte licita. Secunda, quod Ecclesia potest licite habere et possidere bona temporalia, mobilia et immobilia, domos, prædia, villas, oppida, castra, civitates, et in eis habere privatum et civile dominium. Ille siquidem ex vestris ambasiatoribus, qui disputabat, concessit easdem, dicens, illas sensui sui articuli, bene intellecto, non contradicere; quum ipse articulum suum intellexerit de dominio civili, formaliter intellecto. Ex quo et aliis satis posset intelligi, quod verba, « sæculariter dominari, » in præinserto articulo posita, ad aliquem specialem dominandi modum vel usum videantur referri. Sed quoniam doctrina Ecclesiæ non est verbis ambiguis pertractanda, sed plane; propterea illud, quod secundum legem Dei et sanctorum documenta Doctorum catholice tenendum est, duximus exprimendum : videlicet duas præmissas conclusiones esse veras, quodque ecclesiastici viri bona Ecclesiæ (quorum sunt administratores) debent fideliter administrare, juxta sanctorum Patrum instituta : ipsaque bona ab aliis injuste non debent detineri vel occupari. Dicta vero congregatio declarationem dictorum trium articulorum, quæ veritati Sacræ Scripturæ innititur, suscipit et accipit.

D

ad unitatem Ecclesiæ reducendi sperabantur:

223 Verum quia circa ipsorum trium articulorum materias nonnullis videtur, abusus plures et deordinationes aliquas currere, est intentionis ipsius congregationis, quod super reformatione dictorum abusuum et deordinationum intendit in sacro concilio per suos ambasiatores instantiam et sollicitudinem adhibere : et quod si quæ, etiam singulares personæ, tales reformationes vellent in sacro concilio promovere modo debito et honesto, quod hoc eis liceat et sit concessa facultas. Præfatis vero legatis sacri concilii hoc placuit, quoniam sacrum concilium ad morum reformationem intendit, et vult (præstante Domino) studium et sollicitudinem adhibere : ipsique legati, quum omnem bonam reformationem in Ecclesia Dei fieri, toto desiderio cupiant, ad omnia, quæ bonam reformationem Ecclesiæ concernunt, adjutores et cooperatores esse volunt et pollicentur. Tandem postquam, per Dei gratiam, pro causis fidei cessabit omne bellum et erit pax bona, pro cujus conservatione debet adhiberi omnis diligentia, videtur valde expediens, quod etiam pro causis aliis, non concernentibus fidem, si quas habent cum circumstantibus vicinis, cessent omnes partes ab omni via facti, et de ipsis controversiis per dietas placiti vel alias in sacro concilio vel extra, concordia, amicabili compositione vel judicio terminentur. Pro firmitate et observantia pacis, per dictos legatos sacri concilii dabitur omnino firma et procurabitur bulla concilii et mandata ipsius sacri concilii ad omnes principes et communitates circumstantes, et alia, quæ necessaria fuerint et opportuna. Pro parte vero dictorum regni et marchionatus, dabuntur litteræ cum sigillis firmis et munimentis opportunis: procurabitur pax et servari mandabitur, et omnia alia fient, quæ pro observatione dictæ pacis et unitatis necessaria fuerint et opportuna. Concordata et firmata fuerunt præmissa et supra scripta per plures magistros et sacerdotes, a generali congregatione regni Bohemiæ et marchionatus Moraviæ deputatos, ipsius congregationis nomine et mandato speciali; inter supra nominatos dominos legatos sacri concilii parte ex una et dictam generalem congregationem parte ex altera, et per manuum stipulationem parte ex utraque, cum verbali promissione, super præmissis facta. In civitate Pragensi, in collegio, quod dicitur collegium

E

F

A collegium Caroli, anno Domini MCCCCXXXIII, indictione XII, mensis Novembris die ultima, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, D. Eugenii, divina providentia Papæ IV, anno III, præsentibus ad hæc providis et honestis viris, etc.

sed iisdem concessione Basileensi abutentibus,

224 *Hæc satis prolixe exponenda fuerunt, quia sæpe de Compactatis Basileensibus sermo occurrit in controversiis* Capistranum *inter et Bohemos, vulgoque nominantur magis quam evolvuntur. Videmus quoque, Basileenses timide rejecisse articulos Pragenses, et evasisse potius disputationem quam quæsivisse. Acriter tamen de hisce articulis in ipsa synodo Basileensi disceptatum fuerat: ægre usum calicis admisere patres: et theologi graviter et severe de tribus reliquis articulis dixerunt, quos optimis argumentis singillatim refutarunt Joannes de Ragusio, Ordinis Prædicatorum, Ægidius Carlerius, decanus Cameracensis et Henricus Kalteisen, Ordinis pariter Prædicatorum, quorum tractatus potius quam sermones servavit nobis Philippus Labbe* (1). *Verum quidem est Compactata Basileensia, sane intellecta, a norma ecclesiasticæ disciplinæ non deviare : sed, ut fere*
B *fit, quando cum rebellibus transigitur, in deteriorem partem detorta erant Basileensium verba, ipsaque indulgentia ex timore derivata credebatur : unde accidit, ut malum succrescens non tam exciderit, quam foverit, Bohemis nempe patrum benignitate abutentibus, ad errores suos tuendum et latius propagandum. Tales Compactatorum consequentias Bohemis exprobrat Nicolaus de Cusa, Cardinalis S. Petri ad Vincula, episcopus Brixinensis et Nicolai V ad Bohemos legatus* (2), *in epistola, Ratisbonæ data die* XXVII *Junii* 1452 *apud Cochlæum* (3) : Nec, *inquit,* quemquam moveat, quod quum oratores tunc Basileensis concilii de pace Ecclesiæ Pragæ tractarent, ad compactiones deventum sit. Nam experimento compertum est, modum illum integram pacem et unitatem cum S. Romana Ecclesia non effecisse..... Parvi facite omnia quæ ipsi (*Hussitæ*) de Compactionibus ingerunt : nam ad illorum sciolorum confusionem Deus illas sic fieri permisit. Neque religiosus fr. Joannes de Capi-
C strano, vir utique zelum Dei habens cum scientia, nec alius quisquam asserit, Compactiones hæresim in se continere; sed constanter negatur, in eis talia concedi, quæ vobis falso suggeruntur. *Monstrat dein legatus Compactata ab Hussitis male servata fuisse; unde concludit,* compactiones nihil singularitatis Bohemis præstare; sed solum confusionem eorum, qui sua præsumptione seducti, alios seduxerunt, exprimere, ut ore suo judicentur.

resistit S. Capistranus;

225 *Adversus S.* Capistranum, *qui apostolicæ legationis minister et socius esse debebat, variis artibus incitarant quidam Cardinalem Cusanum, accusantes scilicet Sanctum virum quasi Compactata ut hæretica damnaret, pacem cum Bohemis suis contra eos invectivis impediret: ex quo suboffensus* Capistrano *Cusanus erat. Quare ex Ponte regni Bohemiæ ad Cardinalem Sanctus litteras dedit, die* XVII *Maji* 1452, *quibus monstrat, grandia enascitura damna universo populo christiano, si Compactata comprobentur;*

AUCTORE J. V. H.

quoniam, præsertim ex pravitate interpretantium, fomentum subministratura erant hæreticis. Scribit itaque Sanctus vir (4) : Unde sciens cum pertinacissimis hæreticis non esse contendendum, nolui in dietam (*Ratisbonensem*), nisi certo quodam modo consentire..... Qui V. R. Dominationi persuadent, ut sub utraque specie communionem laicis concedatis, erroribus jam consentiunt illorum asserentium, damnatos esse omnes, qui non sub utraque specie communicarunt et nunc non communicant..... Ecce nunc ex Praga statuerunt ex nostris clamoribus et scripturis velle servare Compactata, palliantes se propter hoc, ne hæretici censeantur, et ad Ratisbonam se venturos asserunt sub vestra sponsione, quia intenditis eis concedere Compactata et ultra; quod mihi credibile non videtur, quum nec fel. recordationis Martinus, nec Eugenius, nec S. D. N. id egerint usque in hanc diem. Si hoc se clypeo et galea protegere potuerint, exemplum erit cæteris christianis peragendi similia, et se rebellandi contra obedientiam et decreta sanctæ Matris Ecclesiæ et insurgendi in prælatos, sicut ipsi jam per annos E plurimos infida, ferali et immani severitate fecerunt. Præsument etenim catholici, se non debere esse pejoris conditionis, quam Bohemi; unde si Bohemi talia bona pacta ab Ecclesia susceperint, et nos, dicent, paria obtinebimus vel majora : nostri namque prædecessores ecclesias dotaverunt, ad nos igitur pertinent ista bona. Videte, Domine, et diligenter attendite, ne per hanc viam Pragam acquirere computetis, et christiani populi totum residuum amittatis. Scio, quid loquor, quid audiverim a nonnullis magni ponderis hominibus. Dirigat Altissimus causam suam : neque iniquitas mea, neque peccatum meum : « Innocens ego sum a sanguine omnium vestrum, » dixit Apostolus * . Excusavi con- * Act. XX, 26
scientiam meam, et excusabo apud Deum et homines..... Nescio quos susurrones audire vos delectet, adulantes vos fictis mellitisque sermonibus, venenum aspidum insanabile continentibus, intrinsecus obtutatum, ut suis falsis suggestionibus et promissis V. R. D. inducere moliantur ad concedendum eis com- F
munionem sub utraque specie, et bona ecclesiastica et cætera quæ requirunt, in denigrationem et dedecus apostolicæ sedis, ac vilipendium et contemptum ecclesiasticæ dignitatis. Vere contra vos agitis, si talia concedetis. Audivi ex ore vestro in Urbe, quod non acceptastis capellum pro genuflexionibus ante pedes, sed ut quidquam arduum in Ecclesia Dei agere valeretis.

monstratque, Compactata,

226 *Quam de Compactatis Basileensibus habebat opinionem, etiam coram Bohemis professus est S.* Capistranus. *Etenim impedito ejus ad Pragensem civitatem accessu artibus tum Rockyczanæ pseudo-euangelistæ, tum Georgii Podjebradii gubernatoris et tutoris regni Bohemiæ, ad conventum magnatum Bohemiæ scripsit epistolam bene longam verno, ut videtur, tempore anni* 1452, *qua grassantes per regnum errores refutat, omnesque hortatur, ut redeant ad unitatem Ecclesiæ. Epistolam integram, utpote quam Amandus Herman ex Javoriensi archivo extra-*

(1) Tom. XII Conc. tom. XII, col. 1013 et seqq. — (2) Ciacc. Vitæ Pontt. et Cardd. tom. II, col. 974. — (3) Hist. Huss. pag. 384 et seqq. — (4) Wadding, Ann. tom. XII, pag. 129.

xisse

AUCTORE J. V. H.

xisse se dicit (1), *adeoque minus notam lubentes daremus, sed tot scatet librariorum mendis, ut plurimis in locis rectum verborum sensum minime assequi potuerimus : ideoque ex Cochlæo, qui aliqua fragmenta dedit* (2), *compendium exhibemus. In principio petit, ut barones et nobiles velint audire alteram partem, neque graventur inspicere, quot quantaque mala Bohemiæ intulerit Hussitarum hæresis. Dein Compactata impugnat hisce verbis* (3) : Si qui cum Compactatis se excusare voluerint, legant libellum, ad Rockyczanam destinatum; ubi diffuse habetur declaratio non solum Compactatorum, sed omnium suarum vanarum opinionum, quibus populos allicere conatur ad communicandum sub utraque specie, vi vel precibus vel falsissimis suasionibus. Qui quidem libellus, si diligenter a vestris magnificentiis examinatus et perlectus fuerit, facile intelligetis, Compactata esse magis in deducus et confusionem Rockyczanæ, quam in laudem et defensionem. Quorum quidem Compactatorum numquam ipse exstiterit observator, sed perfidissimus persecutor. Compactata namque
B non omnibus concedunt indifferenter communicare sub utraque specie, sed conditionatim et distincte, ut clare in illis apparet. Licentiam quidem permiserunt, servatis servandis : sed quantum servata sunt, quæ in Compactatis continentur, vos ipsos in testes adduco.

ab Hussitis perperam explicata

227 *Pergit deinceps sanctus vir in eadem epistola diluere, quæ adversum illum calumniabantur hæretici.* Ad reliqua, *inquit* (4), quæ in me Rockyczana mugit, falsc quidem, noster libellus sufficientissime respondet : quamquam nimis grave mihi esset ad singula, quæ stulti et malevoli contra me dicunt, respondere, et quæ maxime ad quasdam litteras, per totam Bohemiam divulgatas, quas, nescio qui perditi homines et mendaces mihi adscribunt. In quibus dicitur, quod ego me jactitaverim habere spiritum prophetiæ, sed et multa alia,
* idiotismus italicus quæ, ut vulgo dicitur, os furni non diceret * : quæ profecto, teste Deo, numquam a me neque prolata, neque dicta, neque scripta fuerunt. Sed animadvertant obtrectatores mei, tantum me eorum susurrationes æstimare, quantum
C lutum, quod meis pedibus calco. Satis mihi est a sapientibus commendari : sed etiam mihi est, quod mea opera in manibus peritissimorum virorum versentur, qui multo melius de mea doctrina valent, quam Rockyczana, judicare. Qui si totum populum christianum et catholicum, sub cœlo exsistentem, maledicere et hæreticari non erubescit, omnes inimicos suos appellans, multo magis Joannem de Capistrano : cui si omnes sapientes benedicunt, pro levitate et stultitia existimabitur, si unus iniquus stultus senex maledixerit. Non improborum calumniæ æstimandæ sunt ab iis, qui pro veritate, fide, religione, pro justitia, pro vitiis exstirpandis et virtutibus plantandis certant. Quisque pro suo arbitrio in alium dicere potest, si placet. Satis mihi est, quod infamiam, quam in me conjecit Rockyczana, tota Italia, Flandria, Francia, Burgundia, Alemania, in quibus jam xxxvi annos continuo euangelizavi, refellant. Ut taceam Angliam, Hispaniam, Portugalliam, Cataloniam, Dalmatiam, Hungariam, Poloniam, quibus quidem omni- D
bus regnis ac regibus et principibus eorumdem, si non facie, fama tamen, notus sum.

in detrimentum vergere religionis,

228 *Laudes, sibi tributas, opponit porro* Capistranus *contumeliis adversarii sui* : O Rockyczana, hominum infelicissime! dicis me profugum seductorem et antechristum, qui notus sum omnibus. O magnifici et excellentes barones, Rockyczana est oculosior toto populo catholico, ac omnibus universitatibus studiorum infrascriptis; putat se doctiorem et oculosiorem, scilicet Romana, Neapolis, Senarum, Perusii, Florentiæ, Ferrariæ, Bononiæ, Paduæ, Papiæ, in quibus quidem per tot annorum curricula verbum Dei prædicavi, in quibus mea doctrina non hæreticata, non damnata, sed laudata et approbata est : ut silentio præteream multas clarissimas urbes, in quarum singulis non pauciores sunt doctores et doctissimi viri, quam in qualibet universitate de prædictis. Et bellua insensata, tu me seductorem appellabas! Dicturus es forte, remota testimonia adduco, quæ hic mihi suf-
E fragari non possunt. Si quis remotis et longinquis non credit, credat propinquis et vicinis. An forte, quum essem advena, et Alemanna lingua omnino privatus, ab inclyta civitate Viennensi summa cum honorificentia susceptus fui a suis clarissimis doctoribus et magistris, quorum doctrinæ reliquiis Rockyczana plurimum indiget. Mea doctrina, per continuos quinquaginta dies ibidem seminata, non hæreticata fuit, sed summopere commendata : ubi tanta exstitit populorum conventio, quanta nec audita, nec visa est a diebus nostris. O bellua tu insensata, tu me profugum appellare non erubescis et sortilegum. At quum essem alienigena et facie incognitus, in civitate Olomucensi, quodam die dominico (sicut omnium fuit judicium) nostris prædicationibus centum millia personarum tunc interfuerunt. O bellua et lingua viperea! tu me profugum prædicas? Numquid ab omnibus Australibus, Olomucensibus, Brunensibus, Znaimensibus, magnificis dominis de Rosis, Pataviensibus, Ratisbonensibus, Egrensibus; ab illustrissimis, excellentissimis principi-
bus, D. Ludovico, duce Bavariæ, D. Alberto, F
D. Joanne, marchionibus Brandeburgensibus, atque ab illustriss. et excell. D. principe Friderico, duce Saxoniæ, atque ab omnibus et singulis civitatibus eorumdem principum, apud quos transitum feci, tanta cum honorificentia fui susceptus, quanta nemo religiosus hac nostra ætate habitus est? O maledicta lingua! tu me profugum et seductorem nuncupas, cui sexaginta sex annorum est ætas.

nihilque præter animarum salutem se quærere:

229 *Non est dissimulandum, sanctum virum primo obtutu videri et late se in propriam effundere laudem, et asperioribus verbis adversarium insectari. Verum quoad priorem criminationem, ipse Sanctus eamdem diluit, dum apologiam suam prosecutus, dicit* (5) : Adhuc pro sua consuetudine Rockyczana est in me murmuraturus, quod hæc omnia in meam laudem et jactantiam dixi, et quod omnes supra nominati fuerint cæci et decepti. Qui me nec laudo, nec extollo; sed laudo, extollo, magnifico Creatorem meum, Deum omnipotentem,

(1) Capistr. triumph. pag. 371. — (2) Hist. Hussit. pag. 373. — (3) Ibid. pag. 376. — (4) Ibid. l. c. — (5) Capistr. triumph. pag. 377.

A omnipotentem, qui pro sua ineffabili clementia et misericordia elegit minima, ut quæque fortia confundat : agoque divinæ suæ majestati inexplicabiles gratias, atque semper sum habiturus, qui me apud exteras gentes nullis meis meritis notum fecit : ut agnoscat Rockyczana et cæci Bohemi (quorum animarum salutem, veluti meam, optavi in veritate et absque simulatione, teste Deo) Fr. Joannem de Capistrano, non seductorem, non sortilegum, non profugum, non antichristum; sed nuntium et apostolicum commissarium, atque hæreticæ pravitatis generalem inquisitorem constitutum non solum a sanctissimo D. Nicolao Papa V, sed a felicis memoriæ Martino et Eugenio, quemadmodum bullæ authenticæ, quæ apud me sunt, testantur. Non enim, præstantissimi domini, ad hoc vestrum regnum profectus sum, nisi propter vestram salutem, pacem et tranquillitatem totius regni. Si quidem honorem quæsivissem, divertissem utique ad serenissimum regem Poloniæ, ad Hungariam, Alemanniam et Italiam,
B a quibus summis precibus invitatus sum : lata et ampla sunt mihi christianitatis regna, ita ut opus mihi non sit, nisi pro communi vestra salute hujusmodi sufferre. *Epistolam claudit* S. Capistranus *protestando, quæcumque dixerit,* ex fonte caritatis et benevolentiæ *processisse.*

quo etiam ex capite excusatur

230 *Verum, quod cupiebat, responsum non tulit sanctus vir : sed tale accepit epistolium, quod, ait Amandus Hermann* (1), ob reverentiam ejus nec Waddingus nec Sedulius voluerunt adducere. *Ast nobis minime supprimenda videtur Bohemorum epistola exprobatoria, præsertim quum et excusandæ* Capistrani *acerbitati viam nobis sternat, et cæterum utile est, ad crisim circa Sanctorum Acta exercendam, intelligere, quid adversarii Sanctis objecerint. Cochlæus exhibet epistolam sequentis tenoris* (2): Religioso viro, Fr. Joanni de Capistrano, nunc in civitate Ponti demoranti, Georgius de Cunstat et de Podiebrat, gubernator, consiliumque regni Bohemiæ. Religiose vir, tua parte nobis oblata epistola, magis (ut videtur) libelli, quam epistolæ vicem continet : minime religiosi viri redolet naturam : quæ, salva pace,
C tam venenosis exstat contexta sententiis, ut vix ab histrionum moribus valeat discrepare. Certe si auctoritate apostolica, quam in hac parte habere te jactitas, hæc tibi licere prætendis, multum Sanctitatis ipsius pietas tuo præsumitur sensui dissona, imo totaliter apparet contraria, quæ paterna semper amoris viscera solita est exhibere. Namque dato, quod ipse venerabilis vir, magister Joannes de Rockyczan metas in aliquo utcumque excessisset, quod tamen non credimus nec videmus; nihilominus aptius nos ubique aggredi religiosi decrevisse viri debuisset prudentia; et non sic animo invadere turbulento : sciens, quod sermo durus suscitat furorem. Tragico enim quodam more, Capistrane, boatuque et ore ampullato tu, monache, necnon obtrectatione tua, Joannes, consueta, qua contra doctores nostros fidelissimos tam crudeliter et inaniter invehis, aures nostræ tinniunt etc.

231 *Utrinque, ut videmus, dure et acerbe scriptum dictumque est : et mirabitur quis, tantas vituperationes ex calamo viri sanctissimi fluxisse. Certe nostro sæculo, politiori et forsan maligniori, istiusmodi contumeliæ dedecerent virum, non dicam, sanctum, sed cordatum quemlibet, et plerumque id genus dicteriorum scribiturientibus infimæ notæ relinquitur. Ast sæculo* XV, *antequam humaniores litteræ, hactenus satis neglectæ, ingenia cicurare incepissent, vix ulla erat controversia, aliquantulum ardentior, in qua contumeliis, non tam in personas, quam in earum errores aut vitia conjectis, parcebatur. Et certe ipse S.* Capistranus, *antequam Rockyczanam ejusque asseclas severissime tractaret, cum omnimoda mansuetudine ac humilitate tum ad Rockyczanam tum ad Podiebradum scripsit* (3). *Sed quum videret, vanos esse omnes reconciliationis conatus, zelo domus Dei incitatus, ut ab aliis periculum averteret, severe egit cum iis, qui erant hæreseos capita. Neque hac in re deviavit S.* Capistranus *a norma agendi aliorum virorum, sanctitate et doctrina illustrium. Legantur S. Hieronymi libri contra Jovinianum et Vigilantium, hæreticos, quibus liquet acerrime S. Doctorem errantes redarguisse : verum quidem est, Gulielmum Cave traducere sanctum, tamquam* præfervidi et impotentis animi, *sed Hieronymum excusat Erasmus, ut videre est, apud nostros majores ad diem* XXX *Septembris in Commentario Actorum S. Hieronymi num.* 1298 *et seqq.* (4). *Et qui passim adducitur exemplar mansuetudinis et lenitatis, S. Augustinus, is certe non erat, qui sola doctrina hæreticos, præsertim obstinatos, illuminatos vellet; sed severitatem in eorum reductione quandoque exercendam esse, palam profitebatur. Sic in epistola ad Vincentium, episcopum Rogatianum, ordine* XCIII, *alias* XLVIII (5) *agens de legibus imperialibus, contra hæreticos latis :* si, *ait,* terrerentur, et non docerentur, improba quasi dominatio videretur. Rursus si docerentur, et non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati, ad capessendam viam salutis pigrius moverentur. *Finit autem prolixam epistolam his verbis, quæ Sancto nostro* Capistrano, *recte applicantur, utpote qui semper se paratum exhibuerit ad suscipiendos ab hæresi reduces, in spiritu lenitatis* (6) : Habes epistolam prolixiorem fortasse, quam velles. Esset
F autem multo brevior si te tantum in respondendo cogitarem : nunc vero etiamsi tibi nihil prosit, non puto nihil eis profuturam, qui eam legere cum Dei timore et sine personarum acceptione curaverint. *Ast S.* Capistrano *Pragam aut interiorem Bohemiam adire non licuit : quæ deinceps per solidos quinquaginta annos bellis civilibus et externis agitata et vastata fuit.*

auctore J. V. II. Sancti in scribendo acerbitas.

§ XX. Gesta S. Joan. Capistrani in Silelesia, præsertim Wratislaviæ.

Wratislavia expellit S. Capistranus

Quoniam quidem tantis votis expetitam Bohemiam S. Capistranus *obstinate occlusam experiebatur, alio curas suas convertit : et imprimis Silesiam, infecto regno finitimam, adire consti-*

(1) Capistr. triumph. pag. 379. — (2) Hist. Huss. pag. 378. — (3) Cfr Wadding. Ann. tom. XII, pag. 93 et 121. — (4) Act. SS. tom. VIII Sept., pag. 677. Cfr Prosp. Lambertini. de beatif. et Canon. SS. lib. III, c. 41, num. 5. — (5) Migne. Patrol. tom. XXXIII, col. 322. Cfr Baron. Ann. Ecc. an. 420, § XI. — (6) Ibid. col. 347.

tuit.

AUCTORE J. V. H.

tuit. Nullibi, *ait Waddingus* (1), majores tulit fructus, aut honorificentius fuit susceptus, quam in urbe Vratislaviensi, Silesiæ præcipua. Hoc anno (1452) in ejus occursum tota suis sedibus evulsa, visa est proficisci : clerus universus et magistratus, omnisque populus cum exsultatione advenientem suscepit, et docentem audivit. Nihil hic pravum, quod non correxerit, nihil injustum, quod non æquaverit, nihil jubebat, quod non protinus fieret, obedientibus cunctis ejus doctrinæ, tamquam divinæ. *Waddingus in hoc errare videtur, quod iter Silesiacum, adeoque ingressum in Vratislaviensem civitatem ad annum* 1452 *referat, qui magis ad annum sequentem pertinet. Christophorus de Varisio, qui ut jam diximus, gesta Sancti singillatim per unumquemque diem recenset, anno* 1453 *illigat prædicationem Vratislaviensem. Etenim num.* 160 *habet,* S. Capistranum *Lignitium advenisse die* x *Februarii, anni* 1453 : *nam num. præc. dixerat biographus festa natalitia anno* 1452 *Dresdæ celebrata fuisse. Dein, interpositis quibusdam aliis locis, dicit Sanctum in Lignitz die* x *Februarii infirmos curasse, et pergit:* De Lignitz, peragratis nonnullis aliis civitatibus, in via occurrentibus, venit tandem ad Vratislaviam, magnificam et inclytam civitatem, tertia feria, id est, ultima die carnisprivii. *Anno autem* 1453, *signato littera dominicali G, paschate in diem primam Aprilis incidente, ultima dies carnisprivii, seu pridiana Cinerum, quæ cum* XIII *Februarii concurrit, Vratislaviam ingressus est. Nec movere nos debet, quod a* x *ejusdem mensis* nonnullas alias civitates, in via occurrentes, *peragraverit; nam Lignitium Vratislavia novem milliaribus Germanicis distat, quod certe spatium, quam commodissime, intra triduum confici potuit.*

reliquias Hussitarum;

233 *Sanctus vir Vratislaviæ remansit usque ad finem Augusti ejusdem anni, tum ut fundaret, solidaretque conventum Ordinis sui, tum vires, longo et gravi morbo contritas, reficeret. Addit biographus num.* 161 : Ipsa civitas inter omnes Alemaniæ civitates semper maximam devotionem habuit ad Patrem, dum viveret, et etiam post mortem usque hodie perseverat. C Pater etiam inter alias civitates ipsam maxime diligebat, et dicebat eam suam. Insuper propter sermones Patris, ipsa sola noluit adhærere Georgio de Podjebrath, hæretico regi Bohemiæ, nisi prius constaret de ejus conversione, quod catholicus verus declararetur per apostolicam Sedem. S. Capistrano *tamen adveniente, suam Hussitarum factionem habebant Vratislavienses : nam, ut refert Waddingus* (2), *quidam Hussitæ et ficti catholici funebri pompa ad Sanctum adduxerunt feretrum, in quo, simulata morte, jacebat adolescens, rogantes, ut ejus precibus ad vitam revocaretur. Ille cœlitus edoctus perfidiam, respondit : « Habeat portionem cum mortuis in æternum. » Hussitæ Sancti verba deridentes : « Ecce, dicebant, hominis sanctitatem : abiit, fugit, quia non valet defunctum resuscitare : nunc ergo videbitis, in hoc nostro cœtu haberi sanctiores. Jubent ergo ex suis aliquem, ut spiritum vitalem infundat. Quum itaque subornator ad loculum accessisset, Petrumque (erat id adolescenti nomen) surgere* D *imperasset, repertus est Petrus vere mortuus. Quo portento stupefacti plerique, ad sanctum virum veniam petituri accurrunt, quam et obtinuerunt, missis tamen Romam duobus facti auctoribus præcipuis, tum ut Dei magnalia testarentur, tum ut sceleris indulgentiam obtinerent.*

judæorum audaciam

234 *Severe etiam egit S.* Capistranus *contra Judæos, quorum crimina, quatenus esset inquisitor fidei, persequebatur et brachio sæculari reos convictosque addicebat. Mutuum ingensque, vel ab ipsis ævi christiani primordiis, exarserat odium christianos inter et judæos : frequentes erant, nascente christiana religione, judæorum accusationes, et sæpe, ipsis auctoribus, recrudescebat in christianos persecutio, ut videri aliquatenus potest in Commentario nostro historico de S. Florentino, episcopo Trevirensi ad diem* XVII *Octobris* (3). *Ast vices luculentas medio ævo rependerunt judæis christiani. Obviæ sunt in historiis omnium fere provinciarum christianitatis, judæorum expulsiones, spoliationes et quandoque interneciones : frequens* E *erat pontificum intercessio, ne gens, plerisque exosa, omnino deleretur* (4). *Interea non cessabant gravissimæ adversus judæos criminationes, et enormium præsertim usurarum rei convictique ab omnibus habebantur. Jam, ut monstravimus supra num.* 56 Joannes *noster a regina Neapolitana constitutus fuerat inquisitor adversus judæos : in Germania horrenda scelera, sacrilegia nefanda eis exprobrabantur. Non sane dicam hæc omnia fuisse vera : sed istiusmodi criminum late et inconcusse dominabatur opinio. Neque jure exigi potest a viro, etiam sancto, cordato et prudenti, ut, quæ universaliter vigebat, opinionem ipse flocci faceret, ejusque falsitatem aut exaggerationem ipse unus perspiceret. Novimus, quam generalis esset sententia de multitudine sagarum, quamque severe in eas animadverteretur; attamen Fridericus Spee, Societatis nostræ sacerdos, propria experientia edoctus, falso plerumque istiusmodi fœminas accusatas, tortas et damnatas fuisse, scripsit in opusculo sub titulo :* Cautio criminalis seu de processibus contra sagas, *in quo ostendit, frequentissimos, imo fere perpetuos,* F *fuisse judicum errores. An vere tale quid in judæos commissum fuerit, non facile pronuntiabo, quum textus, a Sixto Senensi, olim judæo, postmodum alumno Ordinis S. Dominici, in Bibliotheca Sancta allegatos* (5), *tales sint ut odium internecinum quum apertissime manifestent. Atque hac ratione explicatur severitas, a S.* Joanne Capistrano *adhibita, in persequendis judæis* (6).

reprimit;

235 *Gravissima certe erant, de quibus accusabantur, judæorum scelera.* Judæis, *ait Waddingus* (7), vendiderat quidam rusticus hostias sacratas novem, quas illi linteo superpositas virgulis cædebant, irrisorie repetentes : « Hic est Deus Christianorum. » Atqui ita vere esse, ille demonstravit, emisso ex formulis copioso sanguine, qui linteum intinxit. Re patefacta, pro inquisitoris munere plurimos comprehendit, torturæ subdidit, crimenque fassos, flammis subjecit (*id*

(1) Annal. tom. XII, pag. 142. — (2) Ibid. l. c. — (3) Act. SS. tom. VIII Octob., pag. 23. — (4) Cfr Michaud. Hist. de Croisad. Lib. XIX, tom. VIII, pag. 134. Edit. Bruxell. 1841. Journ. hist. et litt. Liége an. 1840, tom. VII, pag. 586. — (5) Pag. 144. Edit. Lugd. 1575. — (6) Journ. hist. et litt. tom. VII, pag. 70 et 443. — (7) Annal. tom. XII, pag. 142.

est,

A *est, convictos tradidit brachio sæculari puniendos secundum leges*). Dum hæc agerentur, accessit mulier, ab hebraismo conversa, narravitque, se vidisse ab aliis hebræis projectam in ignem sacram hostiam ter resiliisse illæsam, conversamque tunc vetulam, quæ protinus Deum verum confessa, reverenter adoravit, indignati judæi occiderunt et in obscuro angulo sepelierunt. Insuper dixit furatos puerulum christianum ; optimis cibis impinguasse, et dein in cado, inter clavorum aculeos volutatum, occidisse; sanguinem sacrificasse et ad propinquas synagogas misisse; corpusculum in penetralibus ædium condidisse. *Missis, qui rei veritatem inquirerent, inventa sunt corpora, distribuitque tamquam Martyrum Reliquias* Capistranus. *Combusti sunt rusticus et judæi quadraginta unus, scelerum participes : reliqui extra regis Ladislai dominium acti in exsilium. Munus tamen inquisitoris, consentiente, imo et petente Petro Noach aut Novack, Vratislaviensi episcopo, exercuit* Capistranus, *ut constat ex ejusdem litteris ad Sanctum datis* feria quinta ante festum
B S. Viti, anno 1453, *id est, die* XIV *Junii : quibus rogat* (1), quatenus, assumptis venerabilibus viris, dominis capituli Ecclesiæ Wratislaviensis, casum venerandissimi et præcolendi Sacramenti Corporis Domini nostri Jesu Christi examinare et remediis salutarioribus dignetur terminare, ne ex ejus indecisa dilatione contrarium quidquam dici, aut scandalum valeat suscitari, in gratam complacentiam, bonis gentibus impendendam.

plures per Silesiam fundat conventus,

236 *Intra Wratislaviam tamen sese non continuit S.* Capistrani *ardor in seminando Dei verbo et Ordine suo propagando : imo antequam Wratislaviam adventaret Sanctus, civitatem Saganam inviserat, die* x *Januarii* 1453 : *quod quam verum sit, si tempus definitum spectes, non facile dixerim. Etenim Christophorus biographus iter Lipsia Vratislaviam num.* 159 *et seq. describens, varias a Dresda civitates, ubi natalitia festa celebrata fuerant, urbes recensens, nullo verbo Saganum indicat, non omissurus probabiliter, si Sanctus ibidem, qui referuntur, fructus retulisset, istiusmodi*
C *narrationem. Ast Amandus Hermann, qui adventum S.* Capistrani *adnotat* (2), *citat Chronicon Saganense, quod si cœvum sit, merito omnia dubia tollere debet : præsertim quum Sanctus Dresda Vratislaviam proficiscens, Sagano transire certe potuerit, si forsan propter viarum facilitatem non debuerit. Istic pro more suo concionatus est, Georgio quodam, sui Ordinis sodali, interprete : plurimos quoque infirmos pristinæ sanitati restituit, aleas et id genus ludorum sustulit, variosque tam virorum, quam mulierum ornatus, maxime in capillitiis, quæ mire cincinnata erant, ad antiquam modestiam correxit. In eadem Silesiæ provincia est quoque Oppolium* (Oppeln), *ubi dux Bernardus, S.* Capistrani *intuitu, conventum fundavit, ut constat litteris ejusdem Bernardi, datis in festo S. Urbani, seu* XXV *Maji, anni* 1455 : *quam fundationem referendam censemus ad annos anteriores; etenim dux scribit* (3), *se intellexisse ex nobili Conrado Clavaro placuisse* Capistrano *monasterium Oppoliense : jam igitur ædificatum stabat : credit etiam dux*, memoria *Sancti* non excidisse, quod pridem scripserat, petens ut *monasterium* vellet acceptare et suscipere : *unde quoque datur intelligere, jam aliquo ante tempore de hoc negotio actum fuisse : quod proinde commode ad illos annos, quibus Sanctus in Silesia versatus est, nempe* 1453 *aut* 1454 *spectare potest. Et certe Oppaviensem conventum tunc initia sua habuisse, monstravimus supra num.* 145. *Ad idem tempus referenda est fundatio conventus Leobschicensis. Est autem Leobschicium* (*germanice* Lubschitz) *oppidum ducatus Carnoviensis, nundinis frumentariis olim celebratissimum, utpote quod territorio admodum fertili cingitur* (4). *Et vero circa annum* 1454 *cœnobium initium, saltem pro Fratribus de Observantia habuisse, testis est regestum S.* Capistrani, *ab ejus secretario conscriptum, in quo sub anno* 1454 *legimus* (5) : Loca provinciæ Austriæ et Bohemiæ, recepta cum auctoritate R. P. fr. Joannis de Capistrano : Vienna, locus S. Theobaldi sive S. Bernardini, Novumburgum S. Jacobi, Brunæ S. Bernardini, Olomucii S. Bernar- E
dini, Wratislaviæ S. Bernardini, Cracoviæ S. Bernardini, Varsoviæ S. Bernardini, Betlem, Coslæ, Oppaviæ, Clupsicii, Leobschicii, Jamnicii, Engendorffii, Veltpergii, Judembergæ.

AUCTORE J. V. H.

inter quos eminet Wratislaviensis,

237 *Cæterum præcipuus, ut videtur, vel ab initio fuit conventus Vratislaviensis, utpote in quo celebrata fuere sub ipso S.* Joanne Capistrano *anno* 1454 *comitia provincialia* (6). *Hanc urbem etiam selectam fuisse existimo, quia S. Viri erat amantissima, unde sperabatur annona pro sustentandis tot Fratribus abundantior. Amicitiæ solidæ testes habemus litteras civium Vratislaviensium, quas recitat Waddingus sub anno* 1454 (7) : Religiosissimo ac venerabilissimo in Christo Patri fr. Joanni de Capistrano etc. præceptori suo colendissimo, seipsos cum humili recommendatione ad omnia mandatorum beneplacita semper paratos. Religiosissime, reverendissimeque Pater. Noverit paternitas vestra, quod nuntius, qui cum litteris vestris perrexit ad Pragam, nuper Sabbatho rediens Vratislaviam, attulit F
litteras duas, P. V. directas, quas hic colligatas, mittimus. Dein significamus P. V. quod post lamentabilem recessum vestrum a fidelibus oviculis Christi hujus urbis, ipsi sicut boni discipuli hactenus non cessaverunt lacrymando gemere; sed veluti post benignum patrem suspirant orphani, post fidelissimum pastorem balant agnelli, et post liberalem benefactorem querulantur egeni : ita revera lamentantur adhuc fideles, vestro doctrinali magisterio subjecti, inquientes gemebundi : cur nos, pater, deseruistis, aut quibus nos desolatos reliquistis? Timemus enim, ne, vobis absente, invadant gregem Christi lupi rapaces; quoniam in tempore tribulationis conspicimus, nos fore derelictos. Audivimus tamen verbum solatiosum nobis, ad moderationem mœstitiæ a P. V. promissum : videlicet, quod etsi P. V. absentaret se a nobis corporaliter, mentali tamen favore et paterna

(1) Ann. tom. XII, pag. 165. — (2) Capistr. triumph. pag. 436. — (3) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 304. — (4) Heneb. Silesiogr. cap. VII, pag. 267, — (5) Hermann. Capistr. triumph. pag. 204. — (6) Greiderer. Germ. Francisc. tom. I, pag. 812. — (7) Ann. tom. XII, pag. 209.

dilectione

AUCTORE J. V. H.

dilectione velit nobis adesse : eatenus precamur obnixis precibus V. P. quatenus etsi jam non pluviis doctrinarum vocalium nos pascere poterit, saltem tamen quandoque paucis scripturis litterarum, quasi stillis, nos recreare per gratissimam consolationem, et ex paterna benignitate confortare gratiose velitis, præsertim pro avisamentis contra machinationes infidelium hæreticorum, si quas perceperit V. P. contra nos eos velle callide struere insidias dolosas, vel etiam instantias manifestas. Ex quibus vestris salubribus præmonitionibus constantius sinceriusque agere poterimus, sicut et, Christo auxiliante, fideliter agere intendimus, in quo nobis fiduciam præcipuam et V. P. sinceram caritatem exhibetis, imo et internæ dilectionis signum, quod lacrymæ, verbis valedictionis et benedictionis vestræ commixtæ, palam testabantur, in nobis renovetis. Cupimus V. P. feliciter valere pro defensione fidei catholicæ per tempora diuturna. Ex Vratislavia in die S. Mariæ Magdalenæ (XXII *Julii*) anno 1454.

qua in civitate infirmus diuturnam moram traxit.

238 *Quæ demum pro Vratislaviensi civitate egit S.* Capistranus, *compendiose exhibet Amandus Hermann* (1), *nisi quod, forsan vitio typothetæ, ingressum sancti viri in diem* XV *pro* XIII *Februarii* 1453 *consignaverit. Introductus solemni ritu in majorem seu Cathedralem ecclesiam S. Joannis, post gratias Deo actas et orationem, habitam a Gaspare Weigel, gratias vicissim clero et populo reddidit, ac universis bene precatus est. Postera die, quæ erat dies Cinerum, in ecclesia S. Elisabethæ, ac deinceps in foro Salis, populi undique accurrentis capacissimo, latine, fratre sui Ordinis, Friderico nomine, ejus verba excipiente et interpretante, sermonem habuit. Principium conventui datum fuit initio Quadragesimæ, qui raptim ædificatus fuit : quoniam in vigilia B. V. Mariæ Annuntiatæ, id est,* XXIV *Martii, erecto choro reliquæ ecclesiæ partes in Dominica Quasimodo, id est,* VIII *Aprilis, constructæ fuere. Primam hanc fundationem rudem et extemporalem fuisse conjicimus; eo nempe modo, quo Cracoviensis conventus erectionem exposuimus supra num.* 140. *Fructus prædicationis præcipui fuere, exstirpatio vigentis hæresis Hussitarum, et combustio* C *supellectilis lusoriæ ac mundi muliebris, quatenus hæc ad multiplex peccatum homines passim provocaret. Dominica Jubilate, seu tertia post pascha, isto anno, die* XXII *Aprilis, ad S. Vincentii ædem, quæ est abbatia Ordinis Præmonstratensis, occasione anniversarii dedicationis istius ecclesiæ* (2) *et ostensionis Reliquiarum, ad frequentissimum populum concionem habuit. Quo etiam die, duobusque sequentibus ad populum, et fer.* VI *sequenti, seu* XXVII *Aprilis clausis januis ad clerum universum sæcularem et regularem verba salutis direxit. Biduo post, in Dominica Cantate seu* IV *post pascha,* XXIX *Aprilis una cum Petro Novak episcopo Nissam, insigne Silesiæ oppidum, se contulit; unde æger et languens vigilia pentecostes,* XIX *Maji, Vratislaviam relatus, curare corpus debuit usque ad diem* XXI *Augusti ejusdem anni, quo cum Oratoribus regis Poloniæ Cracoviam abiit, istic incola usque ad vigiliam Virginis assumptæ anni sequentis, seu* 1454, *quo post biduum, seu in festo S. Arnulfi,* XVI *Augusti abiturus,* D *populo universo ultimum valedixit.*

§ XXI. Gesta S. Joannis Capistrani in Polonia.

Casimirus rex per litteras

Vix germanicas terras attigerat S. Capistranus, *quum ejus præsentiam expetierunt Poloni. Etenim qui tunc solium Polonicum obtinebat, Casimirus IV, datis litteris anno* 1451, *feria* III *in vigilia Nativitatis Sanctæ Mariæ, Sanctum invitavit in Poloniam et ad ejus excitandam diligentiam* (3), *laudat imprimis Romani Pontificis consilium, qui abunde favorem suum* in nationes Slavanicas effudisse cognoscitur, dum pro gentis Boemicæ reductione, quæ in regionem dissimilitudinis abiens, varia hæresum dogmata sectabatur, virum olim sibi cognitum et probatum, divina mente et stupendis operibus insignem (*Capistranum*) transmisit. *Itaque rogat, ne gravetur Sanctus in regnum suum declinare :* est, *inquit,* regnum Poloniæ, E tenaci fide catholicam religionem observans; est et ducatus Lithuaniæ, cujus populus genitor noster, clarissimæ memoriæ Vladislaus, Poloniæ rex christianissimus, ab idolorum cultura ad unius veri Dei agnitionem reduxit. Utriusque dominii nostri populus magnopere te gestit videre, et tuam præsentiam summo desiderio et summa prece exoptat. Sunt præterea nobis terræ Russiæ latissimæ, quæ etsi fidem profiteantur christianam, in sectam tamen Græcorum dudum pertracta sunt et illorum ritum pertractant atque custodiunt : nec tanto tempore, quod earum lapsum et ab Ecclesia latina scissionem secutum est, a caligine cæremoniarum suarum (quamvis in multis conciliis fuissent interpositi labores) poterant abstrahi aut avelli. Hi omnes uno spiritu te interpellant, ut non despicias visitare illos, ut aggregari in sinum unitatis Ecclesiæ Sanctæ Dei per te possint. Exstant multi, qui sola fama nominis tui pellecti, renuntiare veteri sectæ et ritui, et ingredi viam, quam monstraveris, repromittunt. Si te Boemorum sollicitat reductio, ut pro illo- F rum salute omnes adversitates et pericula subire, dulce fuerit; multo magis Ruthenorum te moveat devotio. Nam etsi utraque gens caligine erroris velata sit, Ruthenorum tamen faciliorem reductionem tibi ex multis respectibus persuadeas : quoniam natio boni cupida est, simplex, rudis et omnis mundanæ doctrinæ expers, quæ errores suos debili oppositione tuetur; nec illos nisi consuetudo quædam et ingenitus illius ritus amor, in quo nutriti sunt, recognoscere summi Pontificis auctoritatem et unitatem fidei vetat. Dissolves tamen omnes hos nodos et uno sole operum et meritorum tuorum, inveteratam dissipabis et secabis caliginem.

Sanctum in Poloniam invitat,

240 Veniat caritati tuæ in mentem Apostolorum, quorum vestigia imitaris, exemplum et forma, quorum nonnulli plures lustrarunt regiones, serendo veritatem Euangelii et doctrinam Christi, ut aliquos lucrifacerent. Tu certus quodammodo de præmio laborum tuo-

(1) Capistr. triumph. pag. 430. — (2) Stenzel. Scriptt. Siles. tom. II, pag. 145. — (3) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 98

rum,

A rum, venire pro salute multorum populorum, quorum conversio ex te pendet, non fastidias. Cogita, quantas animas inferes cœlo, si adveneris; quantas detineri a Sathana permittas, si venire differas. Accingere igitur, vir optime, ad negotium istud, ad quod te vox multorum nationum vocat, ad quod et nos tuam caritatem precibus nostris invitamus. Persuadet hoc caritati tuæ professio tua, persuadet zelus animarum, compellit amor fidei et caritas: Deus ipse, residens in excelsis, mandat et imperat. Pro festo S. Michaelis proximo *, tam regni nostri Poloniæ, quam ducatus magni Lithuaniæ prælati et barones parlamentum celebraturi sunt, res arduas et magni momenti, quæ bellum aut pacem secum trahunt, discussuri. Precamur te, ut Omnipotentem Deum singulari prece orare velis, ut gratia Spiritus Sancti corda prælatorum et baronum nostrorum visitet, eorumque mentes et corda conciliet, ut concordi et unanimi voto negotia regni et ducatus ordinent, conficiant et decernant. Datum in Grodek, fer. III, in vigilia Nativitatis S. Mariæ, anno Domini B 1451.

* XXIX Septembris

quod iter, initio impeditum,

241 *Non potuit quidem illo tempore S.* Capistranus, *missus a Pontifice ad Fridericum cæsarem, ut dissidia Bohemica componeret, obsecundare desiderio regis Poloniæ. Ast quo tempore hæc scribimus, Ruthenis hodiernis, inter primates rerum politicarum in Christianitate sedentibus, quam optabile foret hodie, ut sanctus vir, relictis Bohemis, labores suos laborumque fructus ad conversionem gentis Rossiacæ impendisset. Ludit nempe divina providentia in orbe et sua novit tempora et momenta, quæ ut quam celerrime adveniant, ex corde cum Ecclesia catholica precamur. Quamvis porro rex Casimirus iter Polonicum S.* Capistrani, *summis etiam precibus urgendo, obtinere non potuerit; non destitit tamen istud novis petitionibus sollicitare. Eodem fere tempore ad Sanctum scripsit Cardinalis Sbigneus Olesnicius, episcopus Cracoviensis, quem Ciacconius vocat* (1), virum religiosissimum, pupillorum et viduarum patronum, in egenos liberalem, Ecclesiæ vindicem et defensorem acerrimum, reipublicæ C studiosissimum, minarum ac periculorum contemptorem. *Talem decebat virum cum Sancto agere, ut laboranti Poloniæ manum admovere vellet. Certe Cardinalis datis litteris die* XV *Aprilis* 1452 *significat se jam alteras scripsisse, quibus et promissionem veniendi elicuerat. Quapropter* repeto, *inquit* (2), promissum: multa enim concurrunt, quæ mihi et verba et animum subministrant : benigna et suavis responsio, propitia et clemens repromissio tua, non mihi solum, sed et serenissimo principi, D. Casimiro, regi Poloniæ facta, summi Pontificis Nicolai Pp. V jussio, tuæ caritati mea instantia scripta, et pridem mihi litteris ex Urbe significata. *Conqueritur dein Cardinalis, quod,* neglecta Polonia, quæ primum adventum ejus suis et regalibus litteris subnixa, exspectavit, Misniam adierit : *ast sperat, brevi sanctum virum præsentia lætificaturum omnes.*

tandem suscipitur;

242 *Ipse Casimirus rex, iteratis litteris S.* Capistranum *expetiit, et ut potentius eum in Poloniam attraheret, dicit se in eo esse, ut conventum Fratrum de Observantia fundet, et jam ecclesiam quamdam assignasse, inchoando conventui opportunam.* Hac quoque, *pergit rex* (3), consideratione iterum et magnopere exposcimus adventum vestrum, quo et dicti Fratres (*jam Cracoviæ morantes*) pro ampliori perfectione vestro instituerentur exemplo et populus regni nostri prædicti gratiarum et consolationum spiritualium, quas misericors Deus per vos tam abunde dignatur operari, se etiam gauderet esse participem. *Data fuit epistola Cracoviæ* fer. VI inter octavas Visitationis B. Mariæ, *id est die* VII *Julii* 1452. *Quantumcumque cuperet vir sanctus regi et cardinali facere satis, tamen ne tunc quidem, alio avocatus, ut exponit Waddingus* (4), *in Poloniam digredi potuit. Sed tandem anno* 1453 *certiorem spem fecit futuri adventus, ut liquet ex epistola laudati cardinalis Sbignei, quam Waddingus recudit* (5). *Etenim, quamvis duplicibus* Capistrani *litteris omnis dubitandi ratio de futura in Poloniam profectione discussa esset, timebat tamen cardinalis,* ne casu aliquo impediretur: E *ast* rumor, qui ad eum perlatus est, Capistranum vicinam civitatem Vratislaviensem diœcesis suæ ingressum esse, etiam reliquum suspicionis exclusit. *Imo Sbigneus, qui post festa paschalia cogitaverat se in interiorem diœcesis suæ partem transferre, subsistere statuit Cracoviæ, missurus in occursum ejus qui de viatico et reliquis ad iter necessariis provideat. Data legitur epistola* die XXVIII Martii, *adeoque isto anno fer.* IV *Majoris Hebdomadis. Nihilominus S.* Capistrani *Cracoviam profectio usque ad mensem Augusti anni* 1453 *procrastinata fuit. Cujus procrastinationis causa forsan fuerit matrimonium, inter Casimirum regem et Elisabetham, Alberti Austriaci filiam illo tempore Vratislaviæ conciliandum. Certe Joannes Duglossus, tunc canonicus Cracoviensis, post electus Leopolitanus in Galicia archiepiscopus, a cardinale Sbigneo deputatus, ut S.* Capistranum *Cracoviam deduceret, scribit in sua Historia Polonica lib.* XIII (6) : Rebus matrimonii consummatis, legati Poloniæ Cracoviam revertuntur, ducentes secum in comitiva Joannem F de Capistrano, fratrem Ordinis Minorum, virum excellentis sanctitatis; et feria tertia, in die S. Augustini (XXVIII *Augusti*) Cracoviam ingrediuntur.

AUCTORE J. V. H.

Cracoviæ ingenticum fructu prædicat,

243 Itum autem est, *pergit Dlugossus,* præfato beato viro obviam non solum ab omnibus ordinibus, sed et sacerdotes universi urbis Cracoviensis, cum magistratibus, processionibus sacris et vexillis, obviam illi profecti sunt : civesque, mares et fœminæ, suscepturi illum ad duo milliaria gregatim effluxerant. Obviam illi effusa fere universa civitate, Casimirus quoque rex cum Sophia regina, genitrice sua et Sbigneus cardinalis et episcopus Cracoviensis cum magno numero totius militiæ et cleri, in campo ante Clepars eum excipiunt, et cum magno triumpho in civitatem introducunt. Magna fuit de ejus adventu cleri et populi exsultatio, unde et omnis sexus in obviam sui fuit effusus. Pro mansione sua domus

(1) Vitæ Pont. et Cardd. tom. II, col. 910. — (2) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 138. — (3) Ibid. pag. 140. — (4) Ibid. l. c. — (5) Ibid. pag. 162. — (6) Hist. Polon. tom. II, col. 121. Edit. Lips. 1712.

AUCTORE J. V. H.

Georgii Sworcz, in circulo Cracoviensi, consignata est; et circa ecclesiam Adalberti thronus factus, in quo quolibet die, antequam intensa frigora advenirent, lecta Missa, verbum Dei in latino, more suo, spatio duarum horarum, populo vulgari audiente et nullam nauseam sumente, prædicavit : ea prudentia, eloquentia atque doctrina præditus, ut mente atque lingua cœlesti loqui videretur : prædicatioque sua aliis duabus horis in vulgari resumpta est : sic quatuor horis continuis, quolibet die, duravit prædicatio. Ubi vero gelua ad nives adveniunt, in ecclesiam S. Mariæ Virginis, prope sacrarium, thronus collocatus est, et pro die qualibet, prædicatio, primum latina, deinde in vulgari lingua, continuata. Mansit autem in civitate Cracoviensi a die S. Augustini usque ad quindecimum diem Maji, sub quo tempore magnam multitudinem infirmorum, cæcorum, claudorum, aridorum et aliis languoribus oppressorum, inspectante populo, curavit. Propter quod universum regnum Poloniæ, sed et de vicinis provinciis, maxima hominum multitudo et ad curandas B necessitates et infirmitates suas, et ad videndum verbum Dei, confluebant. Centum et amplius personæ sacram Religionem suam ingressæ sunt. *Hactenus Dlugossus.*

et matrimonio regio

244 *Similia habet alius historicus Poloniæ subæqualis, Martinus Cromerus, qui in priori parte sæculi* XVI *floruit. Hic, quum de nuptiis Casimiri regis cum Elisabetha Austriaca ageret scripsit* (1) : Contentio inter archiepiscopum (*Gesnensem Petrum Sprowski*) et Sbigneum cardinalem fuit de nuptiali ceremonia, uter ejus administer esse deberet : quod ille archiepiscopus et primas, et hic cardinalis et Cracoviensis episcopus, ubi hæc agebantur, esset. Re diu agitata, convenit tandem, ut Joanni Capistrano eum honorem deferrent. Erat autem is Italus non ignobilis, de sodalitio Franciscanorum, qui se Observantes et Bernardinianos appellant, doctrina, facundia et sanctimonia vitæ pollens usque adeo, ut multis miraculis eam comprobaret. Susceperat autem peregrinationem, Boemorum, maxime ad rectam religionem reducendorum, C gratia : et quum in ea re apud Boemos non multum profecisset, a Sbigneo cardinali accitus, anno superiori (1453) Cracoviam, effusa obviam omni pene civitate cum sacerdotibus et episcopo atque ipso etiam rege et regina, advenerat. Et posita in foro, ac deinde hiberno tempore in æde Virginis Matris cathedra, quotidie per interpretem ad populum conciones habebat, et multos ægrotos divina virtute sanabat : auctorque fuit Sbigneo, ut cœnobium, omnium primum in Polonia, suo sodalitio sub arce ad australem portam urbis conderet. Huic ergo tunc datum est negotium novos conjuges ritu solemni conjungendi. Sed quum is neque Polonicam neque Germanicam linguam calleret, ac Sbigneo muneris ejus functionem adjudicaret; Sbigneus, utriusque linguæ peritus, cedente archiepiscopo, id peregit. Archiepiscopus vero, sacris operatis, novam reginam inunxit et diademate cinxit. *Recte animadvertit Amandus Hermann* (2), *aliquantulum variare inter se scriptores, alios* D *ipsum* Joannem *nostrum, alios Sbigneum cardinalem dedisse benedictionem nuptialem asserentes.*

benedictionem nuptialem impertiisse dicitur:

245 *Etenim laudatus Hermann refert, contentionem inter archiepiscopum primatem et cardinalem episcopum loci compositam fuisse a rege hisce verbis : « Itaque hic pater* (Capistranus *præsens*) *mihi conferat, quod vos propter vestram discordiam conferre detrectatis. » Et sic sribunt chronica Minorum Poloniæ; ita ut revera S.* Capistranus *sponsos conjunxerit, sed Sbigneo cardinale, utriusque linguæ perito, interprete. Verum alii chronographi Poloni benedictionis nuptialis ministerium uni cardinali Sbigneo adscribunt, eo nempe sensu, quem Cromerus citatus exponit, nempe ut demandatam sacram functionem S.* Capistranus, *ipso archiepiscopo primate consentiente, fautori suo Sbigneo detulerit. Equidem id verius existimo : videtur enim omnino dedecere, ut cardinalis episcopus in propria diœcesi, inspectante nobilitate et populo universo, vices capellani inferioris subsellii egerit coram aliquo religioso, sancto quidem et miraculis probato, ast tamen* E *simplici presbytero. Neque ipse S.* Capistranus *tam humile ministerium a Cardinali exhiberi sibi, neque ad id honoris fastigium, quo excelsius vix cogitari potest, extolli se passus fuisset. Quin et* Capistrani *adversarii, sæpe conquesti de fastu quodam, sibi arrogato tam in ingressu civitatum quam in prædicationis modo* (*cfr supra num.* 204) *non tacuissent ceremoniam, præter omnem ordinem celebratam, in qua* Capistranus *duos sibi quasi coadjutores adjunxisset archiepiscopum primatem Poloniæ et episcopum, galeo cardinalium donatum. Quapropter censemus, veriorem eorum opinionem, qui dicunt, Sbigneum cardinalem benedictionem sponsis, Casimiro regi et Elisabethæ impertiisse. Ex hoc porro connubio exstitit secundo genitus filius, S. Casimirus, cujus Acta dederunt majores nostri ad diem* IV *Martii* (3).

grassantemque Hussitarum hæresim

246 *Quo autem tempore in Polonia degebat S.* Capistranus, *non neglexit, quæ sui erant muneris contra Hussitas. Erat quidam doctor medecinæ, Paulus Pragensis, a Rockyczana, ut videtur, in Poloniam missus, tum ut sancto* F *viro insidias strueret, tum ut ejus in prædicando auctoritatem labefactaret. Ast insidias prævenit S.* Capistranus, *et Hussitarum exploratorem, pro munere inquisitoris, quo fungebatur, comprehendit, et capturæ suæ monuit Sbigneum episcopum urbis, Sandomiriæ tunc agentem* (4). *Laudavit plurimum* Capistrani *zelum Sbigneus, et datis Sandomiria,* XXII *Januarii* 1454 *litteris, dicit* (5) : Commendandus est plurimum zelus vester in hæresium exstirpatione pro debito officii vestri, hactenus in captione magistri Pauli de Praga demonstratus. Percrebuerat siquidem in regno Poloniæ et civitate Cracoviensi præfatum magistrum Paulum hæreticis Boemiæ favisse, et ex Vratislavia quasdam litteras Rockyczano hæresiarchæ et aliis sectatoribus suis in contumeliam fidei sanctæ scripsisse, et ex Vratislavia clandestine fugisse, quemadmodum et V. P. me suis certificat litteris. Aperta itaque fuisset via alicui

(1) De reb. Polon. pag. 523. Edit. Basil. 1558. — (2) Capistr. triumph. pag. 461. — (3) Act. SS. tom. I Mart., pag. 337. — (4) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 194. — (5) Ibid. l. c.

magno

A magno scandalo, si vir ipse, tam notorie erroneus et infamis, in civitate Cracoviensi fuisset toleratus; præsertim ex quo erroribus suis non contentus, in doctrinam et prædicationem V. P. improperiis utebatur : quum non solum meo, sed etiam aliorum prudentum et doctorum judicio, doctrina et prædicatio vestra non aliud resonet, nisi plantationem morum et virtutum, et hæresum vitiorumque exstirpationem, nec ab aliquo sanæ mentis corripi possit.

exstinguit. 247 Cessit itaque mihi in magnam gratitudinem præfati magistri Pauli captivitas, quam etiam in V. P. absentia, solo superiori rumore commotus, ego eram pro debito pontificali facturus. Scribo itaque venerabili Paulo, vicario Scabo et voladario meo, ut pro custodia præfati detenti diligentiam faciant operosam, ne arte, dolo vel ingenio ergastulum evadat. Ingredi autem Cracoviam infra dies paucos proposui, ubi in hac causa omnis assistentia mea V. P. pro honore et favore fidei sanctæ non deerit, nec poterit ipse detentus quibuscumque intercessionibus uti, ut
B judicium de illo justum non fiat, juxta vestram et aliorum doctorum sententiam et decretum, dante Domino, exsequendum. Datum Sandomiriæ, XXII mensis Januarii, 1454. *Sed quando vir sanctus operam suam impendebat, ut hæreses ex Polonia eliminaret, mittebat fratres suos in Prussiam et Rasciæ, quæ ad septemtrionem Serviæ jacet, provinciam, ut populos in fide catholica retineret et ad meliorem frugem reduceret. Ipse vero Pragam, ad arcem Hussiticæ superstitionis, anhelabat* (1), *quod tamen illi attingere datum non fuit. Interea ingens illi struebatur calumnia, quasi nempe Casimiro regi auctor fuisset, ut pro Prussis, sese coronæ Polonicæ dedentibus, staret, et bellum equitibus Teutonicis, qui regionem occupabant, inferret, quam calumniam § sequenti ad trutinam revocabimus.*

§ XXII. Diluitur accusatio, quasi S. Joannes Capistranus, dum omnia pacem inter Christianos suaderent, auctor belli inter Poloniæ regem et equites Teutonicos exstitisset.

C

Belli Prutheni-nici, Ut *in fine § præcedentis diximus, accusatus fuit S.* Capistranus, *quasi suasisset Casimiro regi, ut bellum Ordini Teutonico seu Crucigerorum inferret. Ad diluendam calumniam necessarium est controversiam altius repetere ; quin consilii nostri sit, rerum gestarum seriem universam exponere ; suffecerit summa lineamenta adumbrasse. Anno itaque* 1440, *secunda dominica Quadragesimæ, seu* XXI *Februarii, convenerant Elbingam, civitatem Prussiæ occidentalis, non procul a mari Baltico jacentem, nobiles et legati civitatum quarumdam; sed pauciores, quam sperarant, numero, novum indixerunt conventum in vicinam civitatem Mariæ Werdam ad dominicam Passionis, seu* XIII *Martii. Quo die, communi consilio statuerunt conferre vires suas et facultates ad allevanda gravamina quæ illos premebant* (2). *Displicuit certe equitibus Teutonicis, dominis Prussiæ, importuna petitio, et, ut fere fit in Ordinibus militaribus, invito aut saltem tacente supremo Ordinis magistro, Paulo de Rusdorf, brevi res ad arma spectavit, et bella privata exarserunt* (3). *Insuper inhiabant prædæ opimæ Poloni, utpote quibus per Prussiam latus aperiebatur accessus ad mare Balticum et ad civitates maritimas, emporia opulenta, adeoque pro Polonica reipublica incrementum virium et divitiarum. Ut tantis malis viam occluderet Ludovicus de Erlichshausen, qui post Conradum homonymum suum Paulo de Rusdorf, magister Ordinis Teutonici anno* 1450 *successerat* (4), *ad sedem apostolicam recurrit, ut Pontifex rebelles ad debitam obedientiam reduceret : et vero circa finem ejusdem anni misit Nicolaus V legatum Ludovicum, Silvensem in Lusitania episcopum* (5). *Hic autem, convocatis Elbingam partibus, frustra conatus est controversias, aliis alios criminantibus componere.*

AUCTORE J. V. H.

cujus origo refertur, 249 *Demum in tantum efferbuit contentio, ut Prutheni* (*consulto utor hac voce, ne cum Borussis hodiernis, sub monarchia domus Brandeburgicæ viventibus, confundantur*) *supremo magistro se paratos exhibuerint ad respondendum de criminibus, sibi objectis, non solum coram Papa, sed etiam coram alio quocumque principe. Ad hæc excanduit Ludovicus supremus magister, reposuitque se quoque stare judicio Ecclesiæ : caverent autem ne, despecta ecclesiastica sententia, excommunicationis pœnas incurrerent. Dum vero hæc Elbingæ agerentur, Prutheni veriti, ne magister imperatoris tutelam invocaret, eumdem præoccupaverunt : et obtento a Friderico cæsare diplomate die* VIII *Februarii* 1451 *confœderationem suam ratam retulerunt* (6). *Atque ita, re infecta, legatus abire coactus fuit.* Scripsit *itaque* magnis cum interminationibus, *ait Gaspar Schutzius* (7), Papa Nicolaus tam ad Ludovicum magistrum, quam ad episcopum Warmiensem ; magistrum quidem objurgans, quod legatum sacrosanctæ sedis ex Prussia, re infecta, improbabili exemplo dimisisset, neque in rebelles subditos, ethnicis etiam deteriores, animadvertisset, ex quo suspicari liceret, ipsum ejus conspirationis fautorem esse : mandans itidem severius, nisi hostis Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis apostata haberi velit, ut in posterum mandatis ejus accuratius pareret. *Nihilominus perseverarunt Prutheni in sua confœderatione, et quum controversiarum arbiter constitutus fuisset imperator Fridericus, ipsi imperiale judicium recusarunt, ac tandem die* IV *Februarii, seu fer.* II *post Purificationem S. Mariæ, anno* 1454 *Prutheni confœderatim issam faciunt obedientiam, Ordini Teutonico debitam; ac post bimestre spatium, nempe die* XV *Aprilis renuntiationem suam confirmant ac Coronæ Polonicæ sese dedunt ac subjiciunt* (8).

F

250 *In hoc rerum statu Casimirus, rex Poloniæ, veritus, verene an ficte, ne Prussia ad alios finitimos principes in detrimentum reipublicæ Polonicæ deveniret, confœderatos admisit* (9); *bellum in Ordinem Teutonicum, spretis pactis,*

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 195. — (2) Hist. de l'Ord. Teuton. tom. V, pag. 509 et seqq. — (3) Ibid. pag. 527. — (4) Ibid. tom. VI, pag. 56. — (5) Ibid. pag. 61. — (6) Ibid. pag. 63 et seq. — (7) Ibid. pag. 69. — (8) Georgisch. Regesta. tom. II, col. 1164. — (9) Hist. de l'Ord. Teuton. tom. VI, pag. 114.

quæ

AUCTORE J. V. H.

quæ octo ante menses solemni juramento firmaverat (1), *indixit* (2). *Nostri instituti non est, variam belli diuturni fortunam enarrare : sufficit nobis, controversiæ initia ita exposuisse, ut lector, aliquo saltem modo, judicare valeat, utra ex parte staret justa causa belli; adeoque quam culpandus esset S.* Joannes Capistranus, *si, ipso instigante, controversia ad sanguinem usque devenisset. Originem istiusmodi accusationis derivatam existimo ex auctoritate, qua apud Casimirum regem gaudebat, et proin ex conjectura, qua censebatur rex nihil, inconsulto* Joanne, *facturum fuisse. Certum est ipso Dlugosso coævo, et, plus quam par erat, Polonis favente* (3), *in consultatione, habita de admittenda aut rejicienda Pruthenorum deditione, multum variasse sententias; cardinalem Sbigneum et Joannem Vladislaviensem episcopos, qui soli, quantum ex Dlugosso conjici potest, ecclesiastici in consilio præsentes fuerunt, dissuasisse regi, ut consensum deditioni impertiret : sed plurium suffragia contrarium elicuerunt* (4). *Quoniam itaque S.* Capistranus *intimus erat Sbigneo cardinali amicus, juxta conjecturam, circa Casimirum regem supra expositam, concludendum foret, Sanctum Cardinali auctorem fuisse dissuadendæ deditionis : contraria itaque eliduntur, nec ex amicitia tum Casimiri regis tum Sbignei cardinalis in alterutram sententiam* Capistrani *concludere licet : remanet igitur ut inquiramus, in quam tandem sententiam consenserit S.* Capistranus.

B

auctor aut suasor fuisse S. Capistranus *negatur, ut fidem facit*

251 *Et quidem solis conjecturis, licet probabilibus et fundatis, calumniam diluere non vacat. Capta quidem a Turcis anno superiori, id est,* 1453, *CPoli, ad hoc collineavit statim Nicolaus Pp. V omnem operam suam, ut pace inter christianos principes conciliata, collatis armis, Turcâ ex Europa ablegaretur : certum proinde est, pro nota S.* Capistrani *erga Sedem apostolicam obedientia, eum neutiquam favere potuisse bello, inter Polonos et Teutonicos exorto, adeoque, si quid præstitit, id solum sategisse dicendum est, ut pax firma et sincera inter partes litigantes constitueretur. Quamvis conjectura ejus sit indolis, ut, deficiente omni alio argumento, sufficere abunde videatur, ad omnem enervandam accusationem; habemus tamen literarum monumenta, quæ rem certam faciunt. Nam habenda erat in die SS. Philippi et Jacobi Apostolorum, seu ipsis kalendis Maji,* conventio, *ut ait Dlugossus* (5), *generalis: itaque S.* Capistranus IV *kal. ipsius mensis litteras Cracovia ad regem dedit, quibus eum ad justitiam et pacem colendam quam efficacissime hortabatur.* Non est, *inquit* (6), fidelis servuli, diligentis amici utile consilium regibus vel principi substrahere. Nec ego fidelissimus vestræ majestatis cultor abstineo ab exhibitione sani saluberrimique consilii, Deo grati, vestræ saluti proficui, necnon et honori, gloriosæque famæ vestri nominis, tam præsentibus quam posteris reliquendæ, feliciter accommodi, ut christiani nominis dignitas non torpescat, nec vestræ sacræ majestatis decus regalis culminis diminutionem aliquam patiatur.

C

252 Ecce post adventum vestri servuli ad conspectum gloriæ vestræ, corona sublimitatis vestræ magnificata est, et exaltata tua celsitudo creditur multipliciter, tum ex parentela felicis tui conjugii, tum ex ampliatione tui dominii in septuaginta civitatibus et ultra, in oppidis et villis innumeris, et nomen tuum divulgatum est per regiones plurimas, propinquas pariter et longinquas. Crevit cedrus tui viridarii in altitudine valida et pervenit usque ad cœlum et potestas tua in fines terræ. Animadvertere digneris ergo, serenissime rex, quod solus Deus excelsus, Rex regum et Dominus dominantium cuncta hominum regna sua manu constringit, et cuicumque voluerit, illa dispensat. Sint igiter tuæ majestatis oculi ad cœlum erecti et ad Deum intenti, pervigiles atque cernui in obedientia mandatorum ejus: quoniam non substrahit personam cujusquam Dominus, nec verebitur magnitudinem alicujus; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et omnes æqualiter juxta merita vel demerita judicabit. Supplico igitur reverentia quanta possum, non moleste feras consilium, quod impendo : digneris christianum nomen amplecti, et quod continet, observare : inimicos autem crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt, non exaltes; nec in christianos sæviendi licentiam conferas indecenter: privilegia, inconsulte jam de facto concessa, et injuste sibi tradita revoca, et ad juris communis formam redige: ne forte irascatur Dominus et dissipet consilia principum et pereant de via justa, regnaque transferat ad extraneos correctores. Hæc pro meæ conscientiæ volui excusatione transmittere, de tuæ majestatis benignitate confisus, ut mentem potius, quam verborum folia, legas, et fructus libentius, quam flores, in cistulam tui pectoris condas ad Dei gloriam, tuam propriam salutem æternam ac tuorum clientulorum et submissorum profectum continuum, hominis utriusque felicitatem, in prosperum tuorum regimen populorum. Valere, feliciterque vivere te cupio in æternum. Ex tua inclyta civitate Cracoviensi, 1454, mensis Aprilis die XXVIII, calamo currente velociter. Humilis servus et sacellanus, Fr. Joannes de Capistrano.

epistola, ab eo scripta ad regem

E

F

253 *Hæc epistola, ad regem delata eo accurate tempore, quo conventio generalis ad paciscendum deditionem celebranda erat, certe eamdem ea, qua par erat, modestia reprobabat. Porro quum paulo serius accusatio ad aures Nicolai Pontificis pervenisset, S.* Capistranus *litteris, ad eumdem Francofordia datis* XIII *Octobris ejusdem anni, conqueritur de Joanne Lutko, regis Poloniæ oratore, quasi* (7) suo consilio serenissimus rex Poloniæ agressus fuerit Prussiam, quod salva pace cujuscumque dicentis nusquam verum exstitit, quin potius totum oppositum. Nam, *inquit,* præsentibus reverendissimo D. Cardinali Cracoviensi, duobus archiepiscopis, duobusque episcopis et aliis consiliariis dicti regis ego consului, quod ad judicium V. S. causam ipsam produceret; et ipse dictus rex, tamquam perpetua pace juramento ligatus, se mediatorem offerret ad reconciliandum subditos cum suis dominis Cru-

et ad Pontificem.

(1) Hist. de l'Ord. Teut. tom. VI, pag. 121. — (2) Ibid. pag. 120. — (3) Ibid. tom. V, pag. 442. — (4) Hist. Polon. col. 131. — (5) Ibid. col. 145. — (6) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 196. — (7) Ibid. pag. 197.

ciferis.

A ciferis. Sed consilium meum non tenuit, sicut nec de privilegiis Judæorum, quorum copiam V. S. transmisi cum aliis libellis contra hæreses Rockyczani et sequacium. Scio, quod propria non quæro, sed Dei gloriam et salutem animarum. *Gliscebat interea rumor invidiosus, et per Germaniam circumlatus ad archiepiscopum etiam Moguntinum pervenerat. Quapropter ad Moguntinum scripsit S.* Capistranus *Passavia, die* XXVI *Novembris* 1454, *famam vagari, se ab archiepiscopo incarceratum, ægre ex mandato Pontificis libertatem obtinuisse : rogat itaque eum vir sanctus, ut dignetur apud optimates et prælatos imperii, præsertim Saxoniæ et Bavariæ, testatum facere ejus innocentiam et suam benevolentiam* (1). *Atque sic purgata manet imposita Sancto calumnia.*

Capitur CP., 254 *Interea dum pro finibus regni amplificandis digladiant principes christiani, iique in primis, quibus summum erat periculum, universæ christianitati ruinam minabatur hostis potentissimus, partis victoriis, exercituque, triumphis assueto, superbus, Mahometes II, qui*
B *anno* 1451 *patri Amurathi successerat. Is tertio imperii sui anno, CPoli potitus est.* Quum Amurathes ad Croiam (*hodie Turcis* Eski-Serad, *oppidum Albaniæ superioris* (2)) ut res, *inquit Bonfinius* (3) , altiuscule repetatur, in obsidione gravi morbo corriperetur, Adrianopolim transvectus, anno salutis MCCCCL, diem obiit. Mahumetes, ejus filius, ex Othomanni genere septimus rex, Turcarum imperium suscepit : patre majoribusque suis rebus bellicis, animi magnitudine , ingenii feritate, consilio, calliditate et gestarum gloria longe præstantior. Potitus regno, quum longe majore regnandi cupiditate æstuaret, cum despote et Palæologo imperatore pacem fecit. Mox in Asiam trajecit, et in Carmanum, Iconii tyrannum, castra movit; quem semestri fere bello, magnos in Asia tumultus excitantem, profligavit. Pacata provincia, ut grandia cœpta, quæ mente conceperat, prosequeretur, se cum exercitu in Europam revocavit , et initam cum imperatore despoteque pacem violare cœpit : Euripidis dicta secutus, a
C Julio Cæsare sæpius usurpata, Licere jus quandoque imperandi gratia violare. Imprimis, uti belli semina sereret et Byzantium simul obsideret, ad Bosphorum Euxinum geminas utrinque arces statuit, miraque celeritate perfecit, ut urbi Pontum et Mœotim obstrueret : omniaque auxilia non modo a Pannoniis et Mysiis, sed ab universa denique Scythia prohiberet. Imperator, ne sociarum sibi aditus provinciarum obstrueretur, primum litteris, dein legatis queri cœperat : at nihilo segnius cœpta ille prosequi, obaudire querimonias, multa dissimulare, purgare se quandoque, et nonnulla causari : demum Palæologum , graviter lacessitum , aperto marte petit. Confestimque ex Asia et Europa, quas poterat copias et auxilia coegit, haud inscius, quantæ urbis obsidionem moliretur..... *Mahumetes* urbe, tertio sui regni anno, et quinquagesimo obsidionis die , potitus, magna cæde grassatur, cuncta diripit, omnis ætas et uterque sexus nulla hostili injuria caruit. Polluta et incestata omnia, et templa quidem studio longe majore : patratis nulla piaculis accessio fieri potuit. Palæologus Constantinus, ab Helena genitus, ut honestius occumberet, inter confertissimos hostes dimicans, cæsus est et solo paludamento agnitus. Urbs igitur, quadringentesimo quinquagesimo tertio salutis anno supra millesimum, exacto Romano, non sine maximo christianæ reipublicæ luctu, barbarum et profanum imperium subivit.

AUCTORE J. V. H.

et Turca universæ Christianitati,

255 Ad Constantinopolitani excidii nuntium, omnium fidelium animi consternantur, et præcipue finitimorum, qui instantem propius ruinam intuebantur. Nicolaus, Pontifex maximus, studiorum parens et catholicæ plebis pastor pientissimus, quum Pannoniis admodum Mysiisque timeret, quibus amissis, jam de christiana republica actum esse rebatur, sacrosanctæ militiæ saluberrimum promulgavit edictum, quo quidem omnes, qui sanctissimæ crucis tesseram in Turcas ultro sumerent, gratuitaque stipendia facerent, in- E
tegra delictorum omnium immunitate donavit. Quin et Joannem Capistranum, e Samnitibus editum, ac divi Francisci sacris initiatum, præterea virum sanctissimum, et ad excitandos ad id populos dicendi copia et vitæ probitate nimis idoneum, in Alamannos, Ungaros, Polonosque miserat, qui ad salutarem expeditionem sacris declamationibus homines hortaretur. *Hactenus Bonfinius, quem ideo citandum duximus, ut sacræ, quam obeundam habuit S.* Joannes Capistranus, *missionis perspicua constaret lectori ratio. Græcis tamen non defuerunt monita, ut impendentem calamitatem averterent, et per unitatem ecclesiasticam certius et potentius præsidium ab Occidentalibus obtinerent. Id inter alios præstitit Nicolaus V, qui epistola sua, data* V *id. Octobris* 1451, *spiritu quodam prophetico triennium conversioni Græcorum, eorumque cum Ecclesia Romana reconciliatione præstituit, quo elapso, ficulneam infructuosam exscindendam prænuntiavit. Has litteras, ad Constantinum Palælogum directas, exhibet Odoricus Raynaldus in Continuatione Baronii sub anno* 1451 § II. Si saniore, *porro* F
pergit, usus consilio cum proceribus tuis et populo CPolitano decretum unionis amplexaberis, habebis nos et venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales cum universa occidentali Ecclesia honori tuo et statui semper intentos. Sin autem unionis decretum cum populo suscipere recusaveris, compelles nos ad ea providenda, quibus et saluti vestræ et honori nostro pariter provideatur. *Similia græcis prædixerat Bessarion ipse Græcus in oratione, habita anno* 1439, *cap.* IX (4) : Quis enim, *ait,* nescit, quod solum nobis relictum refugium erat latinorum amicitia et unio cum eis futura, hac re sperantibus et nos ipsos tueri posse et hostes devincere? Quodque hoc solum hostes deterrebat et ejus contra nos furorem refrenabat? Quare si nunc privabimur, quo fugiemus? Quinam nostræ calamitatis finis erit? Quis malorum exitus?

256 *Sed vane omnia tentata fuerunt: persti-*

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 197. — (2) Hofmann. Erdbeschreib. tom. II, pag. 3474. — (3) Rer. Hungar. pag. 486. Edit. Francof. 1581. — (4) Labbe, tom. XIII, Conc. col. 451.

terunt

AUCTORE J. V. H. *cui proin pax summe necessaria erat,*

terunt Græci in sua obstinatione, et extrema eis supervenit calamitas. Quamvis porro hæc hostibus Ecclesiæ accidissent, nihilominus Occidens universus ad tantam cladem ingemuit, ac intellexit, se quoque hac calamitate labefactari. Imprimis Pontifex Nicolaus, qui etiam ante captam CP. classem instruxerat, cæteraque auxilia paraverat, ut monstrat Odoricus Raynaldus ad annum 1453 § II *et* III, *principes christianos ad pacem inter se conciliandam, et arma in communem hostem vertenda adhortatus, bullam etiam dedit prid. kal. Octobris, ejusdem anni, apud Raynaldum* § IX, *in qua, expositis calamitatibus, universæ christianitati imminentibus, et, nisi cito et strenue occurratur, certo futuris, adjurat reges et principes* in vim professionis, factæ in sacri susceptione baptismatis, *ut ad defensionem christianæ religionis et fidei accurrant, declarat etiam esse* cuilibet de necessitate salutis, *ut omnes* in vim fidei suæ *defensioni religionis* omnibus viribus et toto potentatu suo fortiter et perseveranter assistant. *Ast quum ad ea conficienda opus sit ingenti pecuniæ vi, præscribit imprimis, ut omnes fructus, ad cameram apostolicam de quibuscumque beneficiis provenientes,* huic sancto operi totaliter, integraliter et sine aliqua diminutione serventur. *Eodem dein modo, intentata in fraudatores excommunicationis pœna, omnibus Cardinalibus et prælatis curiæ Romanæ præscribit integram decimam de omnibus quibuscumque beneficiis. Demum eadem decima, sub eadem pœna, gravat omnia omnino beneficia majora et minora, curata et non curata, sæcularia et regularia, quocumque censeantur nomine. Tandem interdicit sub pœnis gravissimis, ne commeatus aut arma hostibus afferantur, ac obtestatur omnes, ut pacem generalem, aut saltem treugam, observent.*

imminet. 257 *Neque segnior Nicolao fuit Calixtus Pp. III, qui* VI *id. Aprilis* 1455 *electus, statim solemni se voto obstrinxit, omnem se adhibiturum operam, ut Turcarum gens aut deleatur aut convertatur. Voti formulam exscripsit Waddingus, ex quo eamdem mutuamur* (1) : Ego Calixtus, Papa III, promitto et voveo sanctissimæ Trinitati, Patri, Filio et Spiritui Sancto, Dei Genitrici semper Virgini, Sanctis Apostolis Petro et Paulo, totique curiæ cœlesti, quod etiam ad effusionem sanguinis proprii, si opus fuerit, dabo operam et adhibebo omnem diligentiam, quantum potero, juxta consilium venerabilium Fratrum meorum, pro recuperatione civitatis Constantinopolitanæ, quæ heu! peccatis hominum exigentibus, nostris temporibus occupata et eversa est per Jesu Christi Salvatoris nostri inimicum, filium diaboli, Mahometum et Turcarum dominum; pro liberatione dein captivorum Christianorum, necnon ad exaltationem fidei orthodoxæ, ad exterminationem diabolicæ sectæ reprobi perfidique Mahometi in partibus orientalibus, ubi maxime lumen fidei occubuit. Quod si oblitus fuero tui, Hierusalem, oblivioni detur dextera mea, et adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, et si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Euangelia. *Non inferiores verbis votisque conatus suos reliquerunt ambo Pontifices Nicolaus V et Calixtus III; nuntiisque ad omnes christianos principes destinatis, classicum adversus communem reipublicæ christianæ hostem cecinerunt : inter legatos vero apostolicos primarium sibi locum vindicat S.* Joannes Capistranus, *ut* § *sequenti exponemus.*

§ XXIII. Principes Christianos accendit S. Joannes Capistranus ad bellum sacrum contra Turcas suscipiendum.

Literis, ad S. Capistranum *datis,*

Quum, *ut supra exposuimus, bellum, quasi civile, fureret inter Casimirum, Poloniæ regem et Ordinem Teutonicum, Cardinalis Cracoviensis Sbigneus litteras ad S.* Capistranum *Cracovia,* XVI *Augusti,* 1454 *dat, in quibus, exposito belli Pruthenici statu, pergit dicens* (2) : Pridem ex Hungaria certum nuntium, ad serenissimum regem nostrum et ad nos missum, excepimus, cujus non relatione tantum, sed etiam litteris prælatorum et baronum Hungariæ certificamur, quod Turcarum imperator cum quadringintis millibus pugnantium in terram Rasciæ et confinia Hungariæ descendit, et castra Albam regalem, Suaderono, Olubecz, sita supra vadum Danubii, obsidione vallavit. Nec solum terrestri exercitu contentus, etiam classem, quo terribilior obsessis appareat, in undis Danubii posuit. Habita fuit per Hungaros in Segedino ad providendum huic periculoso malo dieta, et post multas deliberationes ratio iniri non potuit, qua posset tantæ multitudini resisti viribus Hungarorum, superioribus bellis languidis et exhaustis. Decreverunt itaque præstolari aliquorum regum et principum sperata subsidia, quæ illis promissa asserunt, et interim obsidionem castrorum prædictorum utcumque perferre : proprio enim milite conserere cum Turca manus judicant impossibile. Supplicant quoque magnis instantiis regi nostro, ut eorum angustiæ ferat opem, ne, ipsis victis, Turcas vicinos habere cogatur. Jam nunc domini Hungari melius experiri discereque incipiunt, quanta bona ex domino Vladislao rege acceperant, et quantum fines eorum creverant, eo vivente, et quam formidolosi erant Turcis solo nomine regis, et quantum nunc spreti et in periculum adducti ejus morte et occasu.

Sbigneus, cardinalis Cracoviensis,

259 Esset quidem res permaxime salubris et necessaria, regem nostrum ferre fidei sanctæ et ipsis opem : ad quod ego cum pluribus aliis animum suæ serenitatis multiplicibus respectibus instauro et accendo. Neque enim laude regni hujus et gentis ejus circumscripta *, alium regem exstare video, qui terrestri exercitu res fidei et catholicorum contra Turcas posset et facilius et fortius adjuvare; quum non solum gentes regni et dominiorum suorum, Polonos, Lithuanos, Ruthenos, Valachos, sed etiam Tartarorum robur posset in resistentiam Turcarum traducere, et ad minus de ducentis millibus exercitum conficere, nisi res Prussiæ,

* circumspecta?

(1) Ann. tom. XII, pag. 245. — (2) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 201.

quibus

A quibus omnis actio sua impedita est, eum detinerent. Neque enim jam licet, rebus Prussiæ imperfectis, obsidionem castri Marienboren solvere, neque terram Prussiæ sine firmissimo exercituali præsidio relinquere; quoniam et magister cum illis, qui inclusi sunt, solutus, et cæteri auxiliatores subditis et fidelibus D. nostri regis gravissima inferre non omitterent bella, postquam intelligerent, eum externis bellis esse occupatum. Despotus Rasciæ cum uxore et filiis, primoribusque suis terras suas Albaniæ et Rasciæ deserens, in Hungariam cum omni supellectili venit, expresse Hungaris denuntians, potentiæ Turcarum suis viribus resisti non posse; et vel eum terrasque suas et dominia sua ab invasione hostili tueantur, aut eum Turcis deditionem facere, æquo animo ferant. Itaque si sanctissimus D. noster res fidei et catholicorum salvas esse velit, pacem imprimis in Prussia provideat, et ad consurgendum contra Turcas regem nostrum, misso sibi pecuniali subsidio, quo possit Tartaros, suapte natura Turcis infestos, in sui subsidium accersere, animet et inducat :
B in administrando etenim et gerendo bello contra Turcas, Tartaras gentes, quas habet orbis robustissimas, primo ordine, primaque acie Turcis opponeret rex, ut canibus canes vinceret, quum Turcæ sint viribus multo inferiores : deinde cum vivaci et integro exercitu in fessos et diminutos Turcas irrueret, residuam eorum potentiam cum Dei adjutorio superaturus.

et Æneas Sylvius

260 *Profecto ad debellandam frangendamque Turcarum potentiam et imminentia pericula avertenda, necessaria erat ante omnia vera sinceraque concordia christianorum principum, ex qua dein armorum contra communem hostem societas coalesceret. Sed summa pernicies, omnibus impendens, odia exstinguere non valebat. Quantis bellis intricata essent omnia fere christianitatis regna, veris coloribus depingit epist.* CXXVII *Æneas Sylvius, qui tunc in Germania agebat.* Christianitas, *ait* (1), nullum habet caput, cui parere omnes velint : neque summo sacerdoti neque imperatori, quæ sua sunt, dantur. Nulla reverentia, nulla obedientia est:
C tamquam ficta nomina, picta capita sint, ita Papam imperatoremque respicimus. Suum quæque civitas regem habet; tot sunt principes, quot domus. Quomodo tot capitibus, quot regunt christianum orbem, arma sumere suadebis? (Age, dicito,) concurrere in bellum cunctos reges? Cui ducatum dabis? Quis ordo in exercitu erit? Quæ disciplina militaris? Quæ obedientia? Quis pascet tantum populum? Quis intelliget varias linguas, quis reget diversos mores? Quis Anglicos amicabit Gallicis, quis Januenses conjunget Aragonensibus, quis Teutones, Hungaris, Bohemisque conciliabit? Si paucos contra Turcos ducis, facile succumbes; si multos, confunderis : undique sunt angustiæ. Perge ultra, atque inspice christianitatis vultum. Pacata, inquis, Italia est, facile adversus exteros arma sumet, domi quieta. Nescio, quam quieta; inter regem Aragonum et Januenses, adhuc belli reliquiæ manent (2): nec Januenses hi sunt, qui contra Turcos pugnaturi credantur, quibus tributa pendere dicuntur. Veneti cum Turcis fœdus percussere (3) : et quamvis ajunt, se sumpturos arma pro nostra fide, si cæteri christiani bellum Turcis indicant; quis hanc conditionem implebit? Vocare nunc, rogare atque excitare Venetos oportebit, qui cæteros imitati essent, si pax eis cum Turco non esset. Quid cum Italis facies, quando duæ navales potentiæ, et quidem majores, desunt? Rex Aragonum, quamvis est potentissimus et ad commune bonum ardens, haud quaquam solus bellum navale contra Turcos agitabit. Summi Pontificis quanta sit classis, non ignoras (4). Deficit igitur nobis altera belli pars. Nam quum terra marique vexare Turcos, propositum esset, deficientibus Italis, nihil est, quod de maritimo bello speremus. Patebit Asianis Hellespontus : et si terra bellum geratur, infinitas ex Asia copias in Græciam Turci traducent.

AUCTORE J. V. H.

261 In Hispania nosti, quam multi sunt reges, potentia, regimine, voluntate et opinione dispares : neque illi, in extremo jacentes occidenti ad septemtrionem trahendi sunt : estque quod agant cum Granatensibus domi (5). Rex Franciæ, etsi toto regno pepulit hostem, marinas tamen oras inquietas habet, nec militem extra regnum audebit mittere, dum classes, ex Anglia repentinas, timet (6) : Anglici nihil aliud animo gerunt, quam ut repulsam ex Francia vindicent. Scoti, Dani, Sueci, Norwegii, in ultimis orbis oris siti, nihil est, quod extra domum queant. Teutones, inter se divisi, nulla ex parte cohærent : civitates cum principibus dissident; et ipsi inter se principes nullo concordiæ vinculo tenentur. Suitenses cum ducibus Austriæ vetus odium tenent (7) : comes Palatinus archiepiscopo Moguntino infestus est (8) : ducatus Lutzelburgensis inter regem Bohemiæ et ducem Burgundiæ litigiosus pendet, quamvis sunt ad Kalendas usque Novembris in eam rem induciæ (9). Duces Saxoniæ de sexaginta castellis cum Bohemis litem habent. Vratislavienses, requisiti per Bohemiæ regem, homagium facere recusarunt, nisi ad se rex
F proficiscatur. Prutheni, qui Religioni S. Mariæ Teutonicorum subjecti fuerunt, excusso priori jugo, ad regem Poloniæ defecerunt (10) : is nunc regionem ingressus, cum conjuge sacramenta fidelitatis accipit. Lignicenses, quos Ladislaus rex gubernatori dederat, subire jugum recusant : nec Pudwicenses * parere domino de Rosis voluntarii sunt, quamvis dono regis ad eum pertineant. In Austria nihil quieti est : baronem Eichzinger dominantem spernunt, civitates amant, seditiones frequentes aguntur (11) : Wancho Bohemus cum duobus millibus latronum regionem longe lateque vexat : in Vienna crebra fiunt incendia, nec auctores in famam veniunt. In Hungaria prælati et barones infensi sunt Joanni Vaivodæ, qui quondam gubernator fuit, nunc capitanei nomen tenet, regnique

Sanctum hortantur, E

* Budwicenses?

(1) Oper. pag. 656. Edit. Basil. — (2) Muratori. Annal. d'Ital. tom. IX, pag. 260. Edit. Monœc. — (3) Ibid. l. c. Istor. Veneziani, tom. I. Sabellic. pag. 708. — (4) Ibid. l. c. — (5) Mariana. Hist. de Espań. Lib. XXII, cap. 10, tom. VII, pag. 267. Edit. Valent. 1791. — (6) Daniel. Hist. de France, tom. VIII, pag. 77. Edit. Amstel. 1742. — (7) Anal. Vindob. tom. II, pag. 117. — (8) Joannis. Rer. Mogunt. tom. I, pag. 766. — (9) Bertholet. Hist. du Luxembourg, tom. VII, pag. 462. — (10) Cfr supra num. 249. — (11) Cfr Æn. Sylv. Hist. Frider. III, apud Koller. Analect. tom. II, col. 195.

maximam

AUCTORE J. V. H.

maximam partem occupat. Giskra Bohemus, investitus a rege de territorio Sepusion in Hungaria, ad possessionem venire per Joannem impeditur. Despotus Rasciæ, quamvis Turcis unitus putetur, auxilia regis Hungariæ petit, et Turcos asserit bello paratos (1). Nihil tamen ad hæc Hungari moventur; sed habituri potius inducias sive concordiam cum hoste, quam moturi bellum creduntur. Ede nunc in tanta rerum varietate, quid sperandum aut timendum sit. *Epistolam scripsit Æneas ex Nova Civitate die* v *Julii*, 1454 : *nam qui notatur annus* 1444 *vitio typothetæ irrepsit.*

ut operam suam conferat

262 *Præter institutum esset in prolixiorem commentarium excurrere ad monstrandum, quam veræ essent difficultates, in conciliando omnium principum christianorum fœdere occurrentes; propterea in calce paginæ adnotavimus auctores aliquot, qui idem testatum faciunt. Quod vero ad annum pertinet scriptæ epistolæ, is alius esse non potest, quam* 1454 : *nam illo anno exspirabant induciæ inter regem Bohemiæ et Burgundiæ ducem, ut docet nos supra indicata Historia ducatus Luxemburgensis Joannis Bertholet* (2) : *adeoque huic anno illiganda est epistola citata Æneæ Sylvii. Quam autem eo adduximus, ut intelligatur, quam gravis et impedita fuerit legatio, S.* Capistrano *a Pontifice Nicolao commissa* (3). *Imprimis comitia imperii indicta fuerant in diem S. Michaelis,* XXIX *Septembris* 1454; *atque ut illuc se conferret vir sanctus, summis precibus flagitat Æneas Sylvius, ut constat ex ejus litteris, datis* XXVI *Julii ejusdem anni, quas ex Waddingo citamus* (4). *Imprimis diluit paucis verbis Æneas accusationem impactam, quasi male de* Capistrano *locutus fuisset, profiteturque se semper eumdem magni fecisse : ac dein propius ad negotia accedit.* Scis, *inquit,* quo vulnere nostro tempore christianitas percussa est in Græcia. Nunc dieta tenenda est Francfordiæ ad festum S. Michaelis; ibi tota Germania convocata est, actura de modo tuendæ fidei nostræ, vindicandique Salvatoris nostri injurias. Ibi ego te magnopere esse cuperem, ut torpentes excitares animos tua vivaci facundia. Nam quod

C Pragam ire possis, somnium est, et te decipiunt, qui aliter suadent. Tua præsentia in Francfordia esset supra modum utilis; nec ego suaderem te ire in Hungariam prædicaturum crucem Christi adversus Turcas : Hungari enim nihil aggredientur adversus illos, nisi et cæteros christianos concurrere intelligant. Ideo maxime instandum est, ut Francfordiensis dieta bonum habeat exitum. Id puto futurum, si tu illic aderis. Ego, ut arbitror, nomine cæsaris eo pergam, nisi mutetur opinio.

Francfordiæ et alibi

263 *Annuit petitioni S.* Capistranus, *et ad Æneam rescripsit se Francofordiæ affuturum, ut satis constat ex altera epistola ejusdem Æneæ, data* XXVI *Augusti* 1454 (5) : Gratissimæ et jucundissimæ fuerunt mihi litteræ vestræ paternitatis reverendæ, atque optimæ, quibus intellexi, suasiones meas de petenda Francfordensi dieta in vestro conspectu placuisse. Puto, vestrum iter non erit inutile, et Dominus noster sanctissimus, ut arbitror, complacentiam habebit. Unum volo dixisse, quamvis Minervam docere videor: invenietis in via nonnullos principes, qui, quum erunt vestro sermone requisiti Francfordiam petere ac reipublicæ consulere, negligentiam suam sub umbra imperatoris excusabunt, dicentes, non esse quidquam boni sperandum in dieta fieri, quia non sit futurus imperator. His, oro vestram sapientiam, toto conatu resistat : nam cæsar, quamvis non ibit illuc urgentibus causis, tamen mittet legatos ac præsidentes cum plenissimo mandato, nec ex latere suo quidquam deerit : et si principes convenerint, qui sunt propinqui, res poterunt honestum exitum habere. Illud autem existimo plurimum conducere, ut, si fieri possit, marchio Albertus * in conventu adsit, qui est activus princeps, et multum eloquentia potest, essetque hic meo judicio is, qui dux belli præ cæteris eligi deberet : est enim providus in consulendo, celer in agendo, fortis in periculis, et in omni re expertus. Non dico nunc plura : commendo me orationibus vestris, quarum me dignum fieri expeto.

D

** Brandeburgensis*

E

ad pacem, maxime tunc periclitantem,

264 *Quem porro eventum nacta sunt comitia Francofordiensia, exponit ipse S.* Capistranus *in sua epistola, ad Nicolaum Pontificem Francofordia die* XXVIII *Octobris* 1454 *data; adeoque uno fere post inchoata comitia mense. Rationem primum reddit, cur festino gradu Olomucio Francofordiam perrexerit, et laudata Æneæ Sylvii, oratoris cæsarei prudentia et sollicitudine, exponit principes Germaniæ, cæterum* tepidos, *imo* frigescentes, *ægre tulisse tardum nuntii apostolici adventum, eumque, nempe Joannem, Papiensem episcopum* (6), *cardinalatus honore insignitum non fuisse* (7). *Ast tandem* per Dei gratiam et ante ipsius legati vestri adventum, et post obtrectatoribus ipsis sic satisfactum est, ut, me legente in populo copias bullarum Cruciatæ (quum plumbatas habere non potuerim), diligentia, sollicitudo singularis, et sancta V. S. provisio ab omnibus fuerint summis laudibus commendatæ. Hæc autem non recito, B. P., ut velim teneri quid grande hic a me factum fuisse, sed ut intelligat V. B. continuam fidelitatem erga se meam, meque prætermisisse cuncta, ut debellationi tanti hostis Christi fideique nostræ vilis ipse intendam. Et certe, B. P., omittenda sunt omnia, et huic validissimo hosti, qui christianum nomen delere protinus jurejurando pollicitus est, tantummodo insistendum : nam quum apud multos appareat, in præsenti dieta magna fuisse conclusa, mihi vero aut nihil aut parum boni conclusum exstitisse visum est. Et advertat, obsecro, S. V. hi dietam tertiam apud Novam Civitatem ad festum Purificationis Virginis statuerunt; quo fit, ut ante mensem Augusti proximum, sicut germani principes mihi ipsi testati sunt, nullum posse Hungaris præstari subsidium, sitque prius a Turca depopulata vel expugnata Hungaria, quam Teutonum præmissus exercitus in Germania congregatus.

F

inter christianos principes

265 Interea quid Hungari facient? Exspectabiturne primo subjici Turcis, quam secum

(1) Cfr supra num. 259. — (2) Hist. du Luxemb. tom. VII, pag. 462. — (3) Barber. Vit. ital. pag. 138. — (4) Ann. tom. XII, pag. 202. — (5) Ibid. pag. 203. — (6) Cfr Raynaldi. Cont. ad an. 1454 § II. — (7) Wadding. Ann. tom. X II, pag. 203.

pro

A pro sui conservatione pacisci? Multi multa dicunt; sed oratores Hungarorum his diebus pluries mecum conquesti, his verbis usi sunt: « Quod potuimus, acceptare licuit; sed septuaginta millia expeditorum hominum ad minus vere proximo a Teutonibus subsidium sperabamus. » Si ergo tarditate præstandi subsidii inter Hungaros et Turcas pax vel treuga fiat; væ tibi, Italia; væ tibi, o Roma! Et quamquam verum sit, oratores Hungarorum hic promisisse, novas treugas cum Turcis nullatenus inituros fore; id tamen se servaturos mihi declaravere, si fuerit illis expediens sufficiensque auxilium contributum. Necessarium igitur est, B. P., si guerram vultis habere longinquam, et christianum defensare populum, dietam hanc in Nova Civitate breviari, ut in kalendis venturi Maji ad altius Germanus exercitus Hungarorum exercitui sit unitus. Præterea dubitant aliqui Germani principes, S. V. huic expeditioni contra Turcam non esse ferventem, allegantes maxime, R. D. episcopum Papiensem (qui certe inter B hos principes egregie peroravit, et bene se gessit in adventu huc suo) S. V. faciem non vidisse; quasi pro quadam re levi, seu V. S. excusatione illum miserit ad dietam. Sed maximum horum dubium est, nullum ab Italis terrestrem vel marinum exercitum fieri, et quum exercitum Germani fecerint, ab Italis non deludi. Generalis namque clades christiano populo comminatur, cujus pater et princeps V. S. est, rationem Deo pro nobis omnibus redditura.

conciliandam; 266 Ego enim, etsi consumptus senio, cui potestas auri et argenti non est, pro hac magnificentia nominis Christi, pro conservatione fidei, pro V. S. honore, constitui vitam exponere, proprium effundere sanguinem : et cras abscedens hinc, serenissimum imperatorem, Deo duce, adibo, eum, quoad potero, expergefacturus, infestaturus, propulsaturus; quum ad tanti hostis expugnationem, peramplissimam nationem Alemanniæ majorem duodecim equitum, trigintaque millium peditum decuerit exercitum obtulisse. Deinde ad Hungariam proficiscar, a rege, consilio et prin- C cipibus Hungarorum reiteratis precibus requisitus, saltem ut coerceam illos, si potero, ne repentini cum Turca novum fœdus ineant. Quod si plumbatam cruciatæ bullam penes me habuissem, aut alias de V. S. voluntate super hujusmodi re fuissem doctior factus, grandi bono majus forte bonum, concedente Domino, addere potuissem. Sed de omnibus fiat voluntas Dei. Vestræ igitur Sanctitatis erit et orationibus et litteris Hungaros consolari; hos Germanos principes, communitatesque ad expeditionem hujusmodi commonere sollicitos, ac serenissimum imperatorem quotidianis exhortationibus nuntiisque sensatissimis diligentiorem efficere. Nam, P. B., omnes principes, omnes domini, totus mundus generaliter dicit : « Quomodo volumus contra Turcam proprios sudores, propria nostra bona, panem filiorum nostrorum exponere, quandoquidem summus Pontifex in turribus, in grossis muris, in calce et lapidibus thesaurum S. Petri expendit, quem in defensionem sanctæ fidei deberet expendere? » Sed quid responderim publice et private, quid respondeam (quamquam nullam super hoc excusationem acceptent) scit Deus et anima mea. Hæc omnia pro conscientia mea, pro honore V. S. eidem significasse volui, ut de veritate informata, possit honori suo, ac tantæ necessitati, calamitatibusque populi sui consultius providere.

AUCTORE J. V. H.

267 *Eodem fere tempore, nempe* IV *Octobris ejusdem anni, quo hæc ad Nicolaum Pontificem scribebat, ad Philippum, Burgundiæ ducem, litteras dabat S.* Capistranus, *quibus ejus fidei ardorem paratumque ad sacra bella animum quam maxime laudabat.* Admirari, *ait* (1), non desino ingenuam ac virilem constantiam serenissimæ D. V., qui in majori discrimine se ardentiorem atque præstantiorem in dies magis liberalissime offerre non cessat. *Hortatur dein, ut in suscepto consilio perseveret, et nobilem palmam domui suæ præripi non patiatur. Idem alteris litteris, eodem, ut videtur, tempore datis, inculcat, Turcarum imperatorem,* cum quadringentis millibus Rasciæ terram jam in- E vasisse, erecta cervice, putantem christianæ religionis nomen prorsus exstinguere (2). *Et paucis interjectis, addit Sanctus :* Totius christianæ religionis salus, post Deum, a te dependet : in te oculi omnium sperant, qui Turcarum ictibus modo percutiuntur, abs te solum certum exspectant auxilium : tu solus christianissimum in præsentiarum tibi vindicas nomen. Stude igitur, ut de hac tanta exspectatione neminem fallat opinio. Quid enim Deo acceptius, quidve tibi salutarius esse poterit, quam liberare fideles a tam perfida oppressione, quamque esse causa, ut tam immensa animarum multitudo a faucibus Satanæ eruatur per auxilium tuum, quas Salvator noster non hircorum aut vitulorum, sed pretiosissimo sanguine suo turpissima crucis morte redemit? Hoc erit salutare semen thesauri tui, qui in cœlis seretur, qui in immensum fructificabit, qui servabitur in æternum, qui denique inter Angelorum Sanctorumque agmina coronatum te statuet. Hæc erit gloria, qua nullis sæculis carebis : hæc laus ingens, quam omni posteritati tuæ relinques : hoc F perpetuum erit tuum atque tuorum ornamentum et decus, quod omnium superiorum regum et principum, qui adversus infideles pugnare constantissime consueverunt, memoriam oblitteratam resuscitabit, quodque et Deo gratum acceptumque futurum est, ut nihil acceptius, nihilque gratius excogitari possit.

quare Sanctus apud varios principes, maxime apud Philippum,

268 *Et merito quidem hoc laudis et adhortationis encomio utebatur S.* Capistranus *ad Philippum, Burgundiæ ducem, cognomento Bonum, scribens. Erat enim illa tempestate, ut epistola sua* CXXVII, *data* V *Julii* 1454, *testatur Æneas Sylvius* (3), unus super omnes laudandus princeps Philippus, Burgundiæ dux; qui etsi esset Britannico bello implicatus; vocatus tamen ad conventum, qui pro salute populi christiani erat indictus, noluit excusari, noluit reipublicæ deesse : congregationem, quæ commune bonum tractare videbatur, sua præsentia noluit esse privatam. Venit igitur

Burgundiæ ducem, instat;

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 205. — (2) Ibid. pag. 207. — (3) Oper. pag. 655.

AUCTORE J. V. H.

Ratisbonam, iturumque se contra Turcos in persona propria pollicitus est, si vel Cæsar vel rex Hungariæ vel alius magnus princeps exercitum duceret; sin minus, missurum, si quas posset, copias : neque his in rebus excusatum se habere voluit, nisi tale sibi superveniret impedimentum, quod tota christianitas legitimum reputaret. Quis hunc satis commendare principem posset? Nemo inter christianos, cui minus timendi sunt Turci et infideles cæteri, quam duci Burgundiæ. Nemo tamen est, qui pro depulsandis atque comprimendis hostibus fidei sollicitior eo reperiatur. Unde ista mens homini? Non cupido rapiendi hunc trahit, cui sunt opes infinitæ : non spes ulla voluptatum, quibus frui victores putant, qui est etiam ævo provectior : et si dilicias amet, nusquam majores, quam domi reperiat: non augendi dominii ratio, qui se novit in Græcia aut Asia nequaquam regnare posse. Sed est hic religiosus princeps, amat Ecclesiam matrem suam : cupit fidei nostræ consultum esse, dolet, quum audit, christianum
B nomen blasphemari : miseretur infelicibus animis, qui dietenus in captivitate a barbaris rapiuntur.

qui vicissim omnem operam

269 Pudet eum ignominiæ, quam Turci nobis inferunt est enim nobilis animus, non potest mens, alto sanguine nata, non alta meditari : nihil turpe ferre potest generosus spiritus. Videt se dono Dei amplissimis et populosissimis regionibus præfectum, multisque beneficiis cumulatum ; non vult ingratus videri : recognoscit munera in se divina esse quam plurima; vult pro sua facultate vices redderc. Meminit Joannis patris sui, quem Turci pugnantem pro fide catholica captivarunt. Cupit ulcisci paternum vulnus, imitarique majorum suorum vestigia, quos pro fide orthodoxa constat fuisse ardentissimos. Hujus igitur opera factum est, quod in conventu Ratisbonensi nonnulli articuli conciperentur, quorum ego copiam rectoribus nostræ urbis feci. Nec me dubium tenet, quin tu illorum notitiam habeas. Nam et illustri dominio Venetorum, apud quod nunc moram trahis, articuli per suos legatos hujuscemodi
C missi sunt; quorum si fiat exsecutio, nihil erit nostræ religioni timendum. Cæsar, hujusce rei cupidus, novum apud Franckfordiam concilium indixit : id futurum est III kal. Octobris. Cæsar aut eo se, curiamque suam transferet, aut præsidentes, plena potestate suffultos, mittet, neque negligetur, quantum in se erit, conventus. *Hactenus Æneas Sylvius. Et vero Philippus dux ordinem equestrem Velleris Aurei instituerat Brugis Flandrorum, anno* 1430, ad summi, *ut ipse dicit in suo diplomate* (1), atque omnipotentis Dei, Creatoris ac Redemptoris nostri, laudem et gloriam, atque venerationem Sanctissimæ Virginis ejus Matris, honoremque divi Andreæ Apostoli et Martyris inclyti, et ad fidei nostræ christianæ sanctæque Ecclesiæ tutamen atque exaltationem, virtutumque ac morum ingenuorum excitationem atque augmentum. *Adeo ut Philippus equestris Ordinis sui institutione eo col-* D *lineasse videatur, ut essent viri, quibus summæ curæ esset, Ecclesiam Christi et tutare et propagare.*

promittit et præstat.

270 *Quando propior imminebat, capta CPoli, universæ christianitati calamitas, Philippus Insulas Flandrorum ad ornatissimam festivitatem, ludosque equestres convocavit nobiles suos: et die* XVII *Februarii* 1454 *tam ipse quam reliqui nobiles, concepto expressis verbis voto, promiserunt, res suas, vitamque ipsam profundere ad delendam Turcicam gentem* (2). *D. Plancher in sua Burgundiæ Historia non videtur, satis presse momenta chronologica observasse, quando Insulanam solemnitatem sub anno, ut in capite paginæ notat* 1453 *ordinat* (3) : *quamvis enim Oliverius de Marca hunc annum indicet* (4), *notandum est, quod curreret usque ad* XXV *Martii vel ad pascha, adeoque ad sequentem annum, more nostro, pertinet festivitas. Dein idem D. Plancher indicare videtur, votum ducis e comitiis Francofordiensibus manasse* (5); *perperam quidem, quoniam hæc comitia in* III *kal. Octobris* 1454 *indicta fuere, uti habemus ex* E *epistola Æneæ Sylvii, num. præcedenti citata : proinde votum Philippus ejusque nobiles septem jam mensibus emiserant. Id quidem verum est, Philippum votum suum sub ea cautione edidisse, quatenus regi Galliæ Carolo VII placeret, et provinciæ Burgundicæ pace fruerentur, ut habet citatus Oliverius de Marca* (6). *Ægre primum rex Carolus consensit, tum quia rex Galliæ, supremus nullique obnoxius est, adeoque decretis comitiorum imperii, qualia erant Francofordiensia, obligari non potest; ac dein quod ad decimam spectat, ab omnibus ex concessione Romani Pontificis exigendam, juris Gallicani habebatur, decimas, rege invito, colligi non posse. Nihilominus rex tum ex zelo catholicæ fidei tutandæ tum pro sua cum Philippo duce amicitia, concedit, ut et milites pro bello sacro conscribantur, et decimæ solvantur* (7). *Singulæ quoque provinciæ symbolam pro bello contulerunt: ducatus Burgundiæ sexaginta millia librarum sancivit, quæ pecunia, quoniam medio sæculo* XV *valebat ut unum ad triginta* (8), *summam* 1,800,000 *francorum hodierna die efficeret. Ab* F *Artesiis petita fuerant quinquaginta tria millia librarum, consenserunt autem comitia in quadraginta tria millia. Clerus quoque Belgicus symbolam suam ad promovendum bellum sacrum contulit, ut constat ex diplomate, quo Callistus III Philippo duci concedit, ut possit percipere plenam et integram decimam ab omnibus beneficiis sæcularibus et regularibus, exemptis et non exemptis : dux vero petentibus comitiis Flandriæ, propter damna, ex bellis exorta, decimam mitigavit* (9), *et exsecutionem concessæ decimæ commisit Joanni Clerici, abbati Ninoviensi* (10) *et Paulo de Rota* (De la Roe), *tamquam subcollectioribus, ut constat ex redditione receptorum, facta die* XII *Septembris* 1460, *quæ in archivo regni conservatur sub num.* 16,100. *Quamvis autem in hisce instrumentis solum agatur de Flandriæ parte, quæ ad Cameracensem diœcesim pertinebat, dubium non est, bulla*

(1) Katschutnig. Vellus Aureum, pag. 18. — (2) Plancher. Hist. de Bourg. tom. IV, pag. 283. Olivier de la Marche. Collect. des mém. de l'hist. de Fr. I série, tom. III, pag. 489. Collect. des Chron. Belg. tom. VIII, pag. 173. — (3) Pag. 285. — (4) Pag. 489. — (5) Pag. 285. — (6) Oliv. de la Marcha, pag. 489. — (7) Plancher. pag. 285 et seq. Preuv. pag. CCXVI. — (8) Mém étrang. de l'Acad. des Inscrip. et Belles-Lett. tom. I, pag. 273. — (9) Invent. des Archives de la Belg. tom. III, pag. 98. — (10) De Smet. Corp. chron. Flandr. tom. II, pag. 76.

papali,

A *papali, sese extendente ad omnes provincias principatus Philippi Boni, ducis Burgundia, quin similis decimæ perceptio per universum Belgium et Burgundiam coacta fuerit. Dicta porro decima pro minore parte Flandriæ, longe maxima ejus parte ad diœcesim Tornacensem spectante, protulit libras parisienses septingentas viginti sex, solidos, seu, ut habet instrumentum, virlandros aut stuferos novemdecim, et denarios sex : quæ quidem pecunia secundum hodiernam nostram monetam, efficit circiter fr.* 27,051 (1). *Ingenti, quem moliebatur, bellico apparatui cumulum addebat Philippi ducis nostri, flagrans pietas in loca Terræ Sanctæ. In Bullario Terræ Sanctæ exstant litteræ apostolicæ Nicolai V, sub plumbo datæ* VI *kal. Augusti* 1448 (2), *qua eidem conceditur multis cum laudibus, ut ecclesiam S. Mariæ in Bethleem, fatiscentem, reparare possit. Idem testamento suo jusserat, ut, intestinis ad S. Donatiani Brugis reconditis, cor suum in ecclesia S. Sepulcri Jerosolymæ componeretur. Quod exsequi studuit ejus heres, Carolus Audax, quando cor,* multis, *ait Quæresmius* (3), nobilibus comitantibus Jero-
B solymam delatum fuit, datis Fratribus Minoribus ibidem regiis muneribus : nam qui ea loca vivens semper cordi habuit, suæ dilectionis argumenta etiam in morte manifestavit. *Tandem ut magis magisque glisceret ardor bellicus in Turcas, cœperunt tunc spargi folia, quæ vulgo dicuntur volantia, quibus christiani periculorum, ab hostibus fidei imminentium, commonefiebant. Tales erat opella, germanicis typis edita sub titulo :* Mahnung der Christenheit wider die Türken : *Monitum christianis contra Turcas. Libellus hic Bambergæ typis Pfister anno* 1455 *prodiit ac Philippo duci inscribitur. Quæ si vera sint, origines typographicæ duobus annis anticipandæ sunt, quum plerumque anno* 1457 *illigantur* (4).

§ XXIV. Spe confœderationis inter Christianos principes adversus Turcam fallente, S. Joannes Capistranus in Hungariam se confert.

C

Post Francfordiensia comitia, nova

In Francofordiensibus comitiis multa, *ait Christophorus a Varisio num.* 171, *S.* Capistranus fecit pro causa fidei. *Nihilominus, quod maxime optabat Nicolaus Papa, ut nempe principes christiani universi, collatis armis, Turcicam potentiam infringerent, felicem exitum sortitum omni ex parte non est. Igitur in diem* II *Februarii* 1455, *festum Purificationis B. V. novus conventus indictus fuit* (5), *habendus in Nova Civitate* (Wienerisch-Neustadt), *chiliometris* LIII *Vienna meridiem versus distante, ubi erat antiquum palatium principale. Quapropter S.* Joannes *noster Viennam advenerat, circa festa, ut videtur, Natalitia : nam Waddingus ordine præpostero exhibet epistolam Æneæ Sylvii, qua S.* Capistrano *gratulatur imprimis felicem in Viennensi civitate ingressum* (6); *sed nullam epistolæ subnectit notam chronologicam, quam subministrat nobis codex Florentinus bibliothecæ Mediceæ, scilicet pridie kal. Januarii* 1455 (7). *Post gratulationem igitur pergit Æneas* (8) : Non sum sine magno metu, ne ruant ædificia nostra, quæ apud Francofordiam ereximus. Titubant, ut video, mentes principum, torpent reges, languent populi : navicula piscatoris, grandioribus elisa procellis in medio mari pene demergitur; flant hinc illinc contrarii venti, scinduntur vela, frangitur malus, carina dehiscit, nulla remigibus cura, neque magistro spes salutis esse videtur. Omnes, quasi attoniti, tempestati cedimus. Opus igitur erit sermone tuo, calcari tuo, igne tuo, excitandi, urgendi, incendendi sumus, nisi compellimur benefacere, nostropte ingenio nihil est, quod de republica cogitemus, atque utinam vel compulsi, aliquando vigilemus. Aderunt hic, nisi fallor, ex Alemannia, ex Boemia, ex Hungaria multi proceres : ex Italia quoque, atque ex ipsa Gallia nonnulli adventarunt : agetur tuendæ religionis nostræ negotium; quæ mediata sunt, quæ conclusa sunt Francofordiæ, in manus recipientur.

AUCTORE J. V. H.

convocantur in Novam Civitatem,

272 *Quæ vero impedimenta præsertim obsunt, ne confœderatio omnium principum et coalescat et incrementa capiat, designat Æneas eadem epistola* (9) : Si timidos et discordes populi nostri duces inveneris, tunc tuo fungeris officio, tunc sine cessatione clamabis, ac quasi tuba exaltabis vocem tuam : accusabis ignaviam, superbiam criminaberis, avaritiam deteF staberis : hæc sunt enim tres perniciosissimæ pestes, quæ religionem nostram Turcorum gladio pene subjiciunt. Quod si humiles, si solertes, si liberales essemus, exercitum facile cogeremus, qui nedum Turcorum, sed omnium infidelium potis esset audaciam proterere. *Non ita diu post hanc epistolam, alteram scribit ad Sanctum nostrum Æneas, scilicet die* VIII *Februarii* 1455, *qua nuntiat* (10), *archiepiscopum Trevirensem* (11) cum plerisque oratoribus principum exspectare reditum cæsaris, qui hodie venturus creditur ex Gretz (Gratz, *urbe principe Styriæ*) : gubernator Hungariæ cum plerisque prælatis ac baronibus infra decem aut duodecim dies huc venturus speratur. *Tandem ex rerum et personarum adjunctis conjicit Æneas* parum fieri posse *ante dominicam primam Quadragesimæ, hoc anno in diem* XXIII *Februarii incidentem. Videtur interea S.* Capistranus *exquisivisse ex Ænea, utrum in Novam Civitatem se conferret, an contra Viennæ consisteret. Cui quæstioni respondet Sylvius die* XII *Februarii* (12), *semper gratam fore cæsareæ majestati S.* Capistrani *præsentiam; quia tamen adhuc pauci convenerunt,* suadet imperatoria sublimitas, ut, quum primum Boemi venerint, huc gressus suos dirigat, ac sermonibus suis principes et plebes ad ea, quæ Dei sunt, dirigat.

quæ, ut ex monumentis patet,

273 *Ad hanc epistolam, cujus notam chronologicam omisit Waddingus* (13), *quamque ex Bandinio damus, nempe* Vienna ultima Februarii 1455 (14), *respondet S.* Capistranus, rumorem esse, conventum ipsum Viennam translatum iri, quum non videatur in Civitate Nova omnes principes cum oratoribus hospitari posse pro

(1) Mém. des Assoc. étrang. de l'Acad. des Inscript. et Bell.-Lett. tom. I, pag. 275. — (2) Bullar. tom. V, pag. 57. — (3) Elucidator. Ter. Sanctæ, tom. II, pag. 483. Cfr Mislin. Les lieux SS. tom. II, pag. 241. — (4) Messager des Sciences hist. anni 1841, pag. 423. — (5) Cfr supra, num. 264. — (6) Ann. tom. XII, pag. 240. — (7) Bandini. Bibl. Med. Codd. latt. tom. II, pag. 667. — (8) Ann. pag. 241. — (9) Ibid. l. c. — (10) Ibid. pag. 239. — (11) Cfr Gesta Trevir. tom. II, pag. 334. Edit. Trevir. 1838. — (12) Ibid. pag. 240. — (13) Ibid. l. c. — (14) Biblioth. Médic. Codd. latt. col. 663.

commodo

AUCTORE J. V. H.

commodo suo. *Petit proinde, certo edoceri quid factu opus sit : interea nuntiat adventum Viennæ Ladislai regis, gubernatoris Bohemiæ, et plurium baronum; ex Hungaria solus episcopus Varadiensis, ast exspectari, incerto tamen tempore, cæteros. In fine epistolæ subnectit,* quæritare nonnullos Boemorum, summas preces divo cæsari porrigere, quibus favorem et gratiam suam impetrent, ut ad S. D. N. litteras, summo studio petentes confirmationem nefandi hæresiarchæ, Rochizanæ, in archiepiscopum Pragensem, dirigat : et hoc pacto fieri posse unionem Ecclesiæ. *Sed irriti ceciderunt Bohemorum conatus : nam ab anno fere* 1421, *deposito Conrado Westphalo, ad annum* 1561, *quo Antonius de Muglitz electus fuit, archiepiscopalis Pragensis sedes exstincta videbatur : medio tempore Ecclesiam Pragensem vicario nomine rexerunt viginti, sibi succedentes administratores* (1). *Nihilominus Hussitæ pertinaciter Rockyczanæ sepulcro,* quod, *ait Balbinus* (2), ego confractum vidi, *infulas et pedum pastorale insculpi curarunt.*

propter principum dissidia

274 *Convenerunt interea in Novam Civitatem non tam principes, quam eorum oratores; quandoquidem, ut refert Raynaldus ad annum* 1455 § 1, *qui in conventu dignitate eminebant, erant Jacobus, archiepiscopus Trevirensis, et Albertus, marchio Baruthensis e domo Brandeburgica. Aderat quoque Joannes, legatus sedis apostolicæ, quem erronee Tullensem episcopum vocat Raynaldus, quum, ut ipse paulo infra notat, hujus sedis episcopus esset Gulielmus du Fillatre, qui ab anno* 1449 *ad* 1460 *hanc tenuit. Errori itaque sive scriptoris sive typothetæ substituendus verus legati titulus, scilicet episcopi Ticinensis sive Papiensis; habet enim Italia Sacra* (3), *Joannem Castillioneum, Mediolanensem, prius episcopum Constantiensem in Normannia, dein anno* 1454, v *non. Octobris, cathedræ Ticinensi impositum, legatione functum fuisse ad Fridericum imperatorem, ad concitandas gentes adversus Turcas. Quem porro effectum habuit conventus, in Nova Civitate celebratus, docet epistola Æneæ Sylvii ad Joannem de Carvajal, Cardinalem diaconum S. Angeli data, quam apud Raynaldum ad annum* 1455 § 1 *lego :* In Nova Civitate, anno MCDLV in conventu coram cæsare, quum principes et legati, qui aderant ad rem inchoandam, vocarentur, primum contentio orta est de præsidentia. Trevirensis archiepiscopus primum a dextris cæsaris locum volebat, et post eum alii electorum legati; episcopus, Papæ legatus, primum locum sibi deberi ajebat, et orator Alphonsi regis supra oratores electorum. Ibi commemoratum est, in curia Romana debitum honorem non esse Germanis datum, quando et vicecancellarius ante Romanorum regem sedere sit ausus, et regi Hungariæ, cui inter reges quartus est locus, sit locus inter ultimos Cardinales datus : et ipsi electores nequaquam inter Cardinales accepti.

C

effectum non sortiuntur:

275 *Hisce itaque tricis cæremonialibus aliquandiu implicatus conventus, tandem ad negotia devenit; etenim epistolam suam prosecutus Æneas :* Bohemi, *inquit,* et Hungari in dies exspectabantur. Orator Alphonsi regis asseruit, regem suum ad id bellum promptissimum esse, jamque classem habere paratam : Trevirensis et aliorum oratores se plenius consulturos, et demum ea facturos, quæ veros christianos decerent. Affirmarunt Burgundi, quod alias promiserunt, ducem scilicet suum in propria persona pro Christo militaturum. Civitatum postea legati admissi, omnia se facturos promisere : et numero XXIV fuere, et pro aliis quoque mandatum habuerunt. Sed quum obitus Pontificis Nicolai nuntiatus est, hæc expeditio ad annum sequentem dilata est. *Nicolao defuncto successit die* VIII *Aprilis* 1455 *Calixtus III, qui, emisso voto, quod supra num.* 257 *dedimus, se suaque dedit ad bellum sacrum conficiendum.* Capistranus *noster die* 1 *Maji gratulatus imprimis Calixto summum pontificatum, adhortatur eum, ut christianitati laboranti omnem operam omnesque facultates impendat.* Vere, *ait* (4), puto, gratius esset Petro et Deo acceptius, quod in hac evidenti necessitate, fideique periculo ornamenta basilicæ Salvatoris et Apostolorum Petri et Pauli conflarentur et distraherentur pro tuitione christianæ religionis, quam si omnes ecclesiæ Urbis et Orbis, turres et palatia fabricarentur auro mundo et componerentur lapidibus pretiosis. *Indicat aliquatenus Sanctus, quæ Calixti decessori, Nicolao V, objecta fuisse videntur. Is enim morti proximus ad convocatos Cardinales sermonem habuit, in qua se de ædificiorum multitudine et magnificentia excusat.* Nunc, *inquit, ut habet ejus biographus, Jannotius Manettus* (5), ad diluenda ædificationum nostrarum objecta venimus. *Dein multis verbis explicat rationes, quibus adductus fuit, ut varia ædificia construeret : nempe ipsam majestatem urbis pontificalis, quæ populis tanto est venerabilior, quanto magnificentior; ac dein tuitionem et securitatem Pontificis populique Romani. Hujusmodi pecuniarum profusionem minus probabat forsan S.* Capistranus, *qui urgentiorem populi christiani necessitatem coram spectabat, adeoque ad eam allevandam novum Pontificem Calixtum incitabat.*

D

E

S. Capistranus *Pontifici:*

276 *Eo vero efficacius opem sedis apostolicæ implorabat vir sanctus, quo magis torperent sæcularium principum animi.* Nam, *ait* (6), his in partibus nulla est cura nec sollicitudo : satis laboravit reverendiss. D. episcopus Papiensis, valde insudavit reverendiss. D. Senensis, mei autem labores et pericula taceantur. De Polonia, de Boemia, de Moravia, de Austria, de Bavaria ad Ratisponensem, deinde ad Francofordiensem dietam, ad Viennam, ad dietam Novæ Civitatis in præsentia sacri imperatoris * : ad ultimum conclusum est, quod pro præsenti anno nihil fieri potest, sed anno futuro ad festum Ascensionis Domini se dicunt velle parare..... o Pater beatissime, miserere lacrymis et singultibus et gemitibus populorum et Græcorum et Rascianorum, qui Dei forte judicio disponente sive permittente propter eorum errores et schismata, in prædam ducti et venumdati sunt tamquam bruta animalia : miserere puellis virginibus, nuptis, viduis, orphanis et pupillis; miserere Italiæ et omni populo christiano : tolle moras, ne

F

* *supple,* conventum est

(1) Balbin. Miscell. hist. Bohem. Lib. VI, part. II, pag. 62 et seqq. Richard. Biblioth. sac. v°. *Prague.* — (2) Balbin. Ibid. pag. 67, — (3) Tom. I, col. 1102. — (4) Wadding. tom. XII, pag. 247. — (5) Muratori. Scriptt. tom. III, part. II, col. 949. — (6) Wadding. tom. XII, pag. 247.

tarditate

A tarditate providentiæ nos etiam par occupet interitus, quasi tempestas ingruens ad perniciem et ruinam. Utinam ego pusillus et inutilis possem me, non dico clypeum vel thoracem, sed bavatum * vel quid minus sub pedibus equorum, pro Christo pugnantium, supponere et conculcari. Sæpe quippe postulatus sum et frequentius requisitus per serenissimum D. regem, cæterosque principes et prælatos tam ecclesiasticos quam sæculares Hungariam Rasciamque petere, cum exhortatione D. imperatoris et reverendorum dominorum legatorum apostolicorum, Papiensis et Senensis, cum instantissimis et efficacissimis litteris DD. Despoti Rasciani et Joannis Huniad, gubernatoris Hungariæ, cæterorumque baronum, quibus me iturum pollicitus sum, nisi a S. Sede apostolica aliud susceperim in mandatis. Sum itaque nunc in itinere progressurus Budam ante festum Pentecostes (*hoc anno in diem* XXV *Maji incidentis*). Caniculus igitur et vermiculus T. B. me submitto pedibus T. S., ut de vita et morte pusillæ
B miseriæ meæ disponat ad nutum, et mea inutili servitute utatur ad libitum voluntatis..... Ex oppido Judimburgi, provinciæ Austriæ, 1455 die Apostolorum Philippi et Jacobi (1 *Maji*).

* fimus

paratum se offert,

277 *Quum autem ad quæcumque paratum sese exhiberet S.* Capistranus, *ut cladem a Christiano populo averteret, nec apud principes eum reperiret fidei ardorem, qui necessarius fuisset ad milites commeatusque præparandos, sanctus vir in Hungariam, cui præ cæteris Europæ provinciis e proximo imminebat ruina, se conferre cogitabat. Dionysius, Cardinalis archiepiscopus Strigoniensis, litteris, ad Sanctum datis in festo S. Bernardini seu die* XX *Maji, id est, fer.* III *ante Pentecosten, gratulatur eidem faustum in Hungariam adventum* (1), *simulque petit, ut* gressus ad Strigonium dirigere sine longa mora velit, quoniam summum gaudium erit tibi posse mutua conversatione et consolatione gaudere. *Aliquot post diebus, nempe fer.* VI *ante festum SSmæ Trinitatis, seu die Maji* XXX, *rogat S.* Capistranum, *ut moram faciat in Oppido Jaurino, quia* notabilis
C prælatorum, baronum et procerum regni frequentia in facienda conventione in facto ipsius regni habebitur (2). *Nec minori veneratione Sanctum coluit Ladislaus de Hedervara, episcopus Agriensis* (3), *qui feria* IV *post festum S. Stephani regis, id est die* V *Septembris* 1455 *Sancto commendat cognatum suum, Joannem, filium bani de Lossoucz* (4), nebulis oculorum caliginosorum infectum... quatenus pro ejusdem debilitatis perfecta medela et refocillatione sui visus dignetur Deum, omnium artificem, deprecari, ut sua omnipotentia, præmissis meritis et intercessionibus, ejusque orationibus mediantibus; id, quod obstat removeat, quod deficit, suppleat, visumque restauret et perfectæ sanitatis beneficio eumdem restituat. *Rogat dein, ut quamprimum visitare velit Ecclesiam suam,* prout, *ait,* pridem supplicavi. *Etenim tribus ante mensibus, id est, fer.* VI *post festivitatem vivifici Corporis Domini, seu die* VI *Junii, scribit Ladislaus episcopus* (5): De multorum narratione sanctitatis vestræ devotionem fines hujus inclyti regni Hungariæ in Christi nomine subintrasse, et usque Jaurinum verbum Salvatoris seminando, lætus audivi, ab indeque etiam circumvicinas partes ejusdem regni et loca insignia, ut populus pabulo sanctæ prædicationis et exemplo instruatur, invisere, *petit igitur episcopus, ut* Joannes *Agriam, quæ a S. Stephano, rege apostolico, fundata,* inter alias Ecclesias cathedrales post metropolitanam sanctam Strigoniensem Ecclesiam minor non est, *accedere dignetur.*

AUCTORE J. V. H.

ut, petentibus Hungariæ episcopis,

278 *In suam etiam diœcesim virum sanctum vocabat Petrus, episcopus Chanadiensis; misso scilicet Ecclesiæ suæ archidiacono, qui adventum sollicitaret: et interjecto paucorum dierum spatio, nova epistola, novoque delegato nuntio, canonico Ecclesiæ suæ, institit: utque efficacius urgeret, dicit, se* in domo sua propria prope latus ecclesiæ S. Georgii hospitium bonum *tam pro ipso* Capistrano, *quam ejus fratribus* disponere et ordinare fecisse (6). *Joannes quoque de Hunyad, comes Bistricensis, quem ducem exercitus christiani adversus Turcas brevi videbimus,* Joannem *nostrum ad se vocat in Hunyad, tum ut commodius colloqui possint, tum quia pestilentia locum inficiebat. Castrum enim Hunyad aere maligno videbatur vitiatum; quandoquidem Joannis Hunyadis uxor urgentissimis litteris multiplicatisque nuntiis Sanctum interpellabat huc se conferre, ut nurum suam, comitis Ciliæ filiam febre pestifera laborantem, curaret. Verum, quo tot tantisque precibus vocabatur, venire nequivit Sanctus: utpote cujus præsentia, altera ex parte necessaria esset Budæ, ad quam primarii viri utriusque status ad deliberandum de republica convocati fuerant. Budensis conventus fructum existimo, epistolam, ab Ordinibus Hungariæ datam ad Calixtum Papam, qua eidem exponunt miserabilem reipublicæ statum et assumptionem ad supremum pontificatum eidem gratulantur: data est die* XXI *Julii* 1455. Quantum, *ajunt* (7), nunc et quam extreme præsidio S. V. ærumnosa christianorum conditio indigeat, tametsi B. V. attentionem non lateat, amplius tamen ex iis, quæ legatus apostolicæ sedis ex conventu Novæ Civitatis novissime retulit, intelligere F potest: ubi post damnum opportuni temporis et spes deceptas hoc solum actum est, ut hostis noster nihil actum lætaretur.

E

eo se conf

279 *De comitiis, in Nova Civitate habitis, severius, quam ipse S.* Capistranus, *loquuntur. Erant nempe Hungari, quibus proxime impendebat malum: quapropter addunt* (8): Accedit huc recens casus calamitatis christianæ, qui necessitati communi sublevandæ ampliorem causam adjicit. Hostis Turcus, mox ut didicit, perperam ivisse præconia de viribus et armis christianorum commovendis, apparatus omnes tam concitatæ quam coemptæ potentiæ, quos ad resistendum paraverat, contulit ad nocendum. Itaque invasit de novo ducatum Rasciæ in ea parte, quæ apud vulgum Scithrycha nominatur, ubi solito more prædæ et rapinis vacans, demum, opportunitate accepta, arcem et oppidum, Novaborda appellatum, obsidione constrinxit: oppido primum facile capto, postea arce ipsa insultibus et tormentis

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 257. — (2) Ibid. l. c. — (3) Schmith. Episc. Agriens. tom. II. pag. 68. — (4) Ibid. pag. 258. — (5) Ibid. pag. 257. — (6) Ibid. pag. 258 et seq. — (7) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 254. — (8) Ibid. l. c.

pulsata,

AUCTORE J. V. H.

pulsata, paulo tardius potitus est. Misit deinde, ad oppugnandas cæteras arces, paratque totum ducatum illum in deditionem accipere. Quæ res profecto, etsi relatione tam brevi parva videri possit, grande tamen revera vulnus ex ea suscepimus. Hæc erat arx caput illius patriæ: hæc certe patria, nutrix et robur status ducalis in Rascia, solo fertilis, fructibus copiosa, minerarum auri et argenti quam maxime ferax. Noverat hostis ipse præcipuum illum durantis defensionis nostræ nervum; noverat et suæ impugnationis contrarium obicem, quem callide cognitum mox præcedere et cassare properaverit. Is igitur casus, priorum cumulo oppositus, quid quantumve a S. V. pectore commiserationis exigat, eidem æstimandum relinquimus, quæ religiosi et paterni cordis sui judicio prius flecti cœpit ad pietatis commercia, quam rogari.

ut constat ex literis,

280 In hoc dumtaxat uno B. V. sollicitudinem cum filiali confidentia admonentes, ut in prosecutione voti sui salutiferi, opportunitatem concessi adhuc temporis non negligat, nec opinetur, fortificato latius hoste, similem B præsenti commoditatem exsurgendi redituram: nam sicut nemo est apud nos modo, qui Europam adhuc liberari posse non judicet; ita post paululum nemo futurus est, qui judicet. Nos interim solita constantia, quantum nobis erit possibile, parabimus vires omnes ad conservationem nostram, deliberamusque S. V. beneficia, etiam cum damnosa mora nostra exspectare. Habemus inter has exspectationis angustias confortatorem idoneum, venerabilem Fr. Joannem de Capistrano, Ordinis Minorum, qui, peragratis multis partibus Alemanniæ, adierat Poloniam, inde per Silesiam ac Moraviam iterato regressus, in Austriam concessit, tandem ad has partes, clarus ubique in fidei zelo, clarus in doctrina, apud nos vero pro conditione rerum nostrarum exhortationibus necessariis clarissimus. Hujus sermonibus recreamur, hujus devotione reficimur, hujus denique merito familiam totam Ordinis illius, hactenus nobis caram, de cætero cariorem amplectimur. Utilis est statui nostro, opportunus spei, nec minus gerendis C rebus quam maxime necessarius: hunc sua virtute S. V. favore dignum, nos singuli testimonio denuntiamus digniorem, in eoque et cum eo totam illam familiam, quoad omnem ejus profectum B. V. devotissime commendamus. *Epistolæ subscripserunt primarii regni Hungariæ episcopi et optimates,* cæterique prælati et barones ac proceres regni Hungariæ, primum Jaurini, nunc Budæ congregati.

communi nomine

281 *Episcoporum subscripta nomina sunt, Dionysii, Cardinalis archiepiscopi Strigoniensis, Raphaelis, Colocensis archiepiscopi, Ladislai, Agriensis, et Joannis Varadiensis episcoporum. Quæ causa fuerit, ut inter tot Hungariæ episcopos, quatuor solum ad Pontificem epistolæ subscripserint, non facile divinaverit quispiam. Attamen S.* Capistranus *in litteris, uno ante mense datis, aliquid causæ aperit, cur forsan segniores aliqui in conveniendo fuerint.* Non sine, *inquit* (1), invidia fuit et murmure, quod in cœtu tantorum dominorum aliquibus minoribus ex parte T. S. præsentatæ sint litteræ, et potissimis fere ejusdem regni datæ non sint, D episcopo Quinque-Ecclesiensi, episcopo Varadiensi, et quibusdam dignoribus regni baronibus. *Quoniam tamen episcopum Varadiensem, qui omissus a Pontifice videbatur, inter epistolæ communis subscriptores apparet, censemus hanc qualemcumque negligentiam causæ christianæ non magnopere nocuisse; præsertim quum Sanctus in eadem epistola asserat, comitia quam optime procedere. Adjungit* (2), *civitatem Rasciæ Habordam, quam Hungari supra Novabordam appellarunt, captam tradidisse Turcæ auri et argenti fodinas,* quæ domino suo annuatim, ut ferunt, centum et viginti millia ducatorum reddebant. *Dein Pontifici evolvit* Capistranus *rationem, qua christianitati periclitanti consuli posset: nempe Joannes Hunyades, Hungariæ gubernator* se obtulit suis sumptibus et expensis positurum in armis et exercitu decem millia equitum, suo arbitrio electorum. *Ladislaus quoque rex Hungariæ pro reliquo regno viginti equitum millia, despotus Rasciæ,* quamvis valde damnificatus *decem millia promittebant. Dein a Pontifice viginti millia equitum, a rege Aragonum et civitatibus Italiæ decem pariter millia* E *petebantur: quibus dux Burgundiæ conjungere cogitabat viginti millia partim equitum, partim peditum.* Sic omnibus computatis, *ait* Capistranus, essent centum millia; confidit ipse Joannes (*Hunyades*) intra tres menses tantum conflictum contra Turcum inferre, quod in Europa locus non erit, ubi reclinare valeat caput; maxime quum ipse ad unguem cognoscat potentiam Turcorum, cæterorumque infidelium, atque medullitus intelligat cum hujusmodi rationem bellandi.

ad Pontificem datis.

282 Proinde in præsentia omnium istorum dominorum et baronum hoc asseruit hodie, quod cum tanto numero armatorum speraret etiam recuperare Hierosolymam, nec peteret stipendia pro prædictis equitibus, nisi pro tribus mensibus. Expediret equidem, quod S. T. aliquem Cardinalem destinaret ad partes istas, tamquam præsidentem tali exercitui cum sufficienti pecuniarum summa: vel si T. S. rem hanc committere videatur R. D. Cardinali Strigoniensi, quum virtute, providentia et consilio plurimum valeat, bene, ut reor, F consultum esset. Obtulit insuper se ipse Joannes*, si omnino bellatores sint, non pueri, * Hunyad sed viri strenui et in armis experti, ad persequendum Christi hostes idonei, per annum et annos, si opus esset, cum tali exercitu perseverare, nec alia stipendia requirere, confidens, quod de bonis et dominiis ipsius Turcæ conquireret, quod talem exercitum etiam ipsius Turcæ stipendiis communiret. Tali igitur modo, serenissimum regem Aragonum per mare decertando, et ipsum Joannem per terram, firma spes esse posset, et recuperandi deperdita et acquirendi dominium debitum principibus christianis, nec non et possidendi divitias infidelium cum ampla dilatatione sanctæ catholicæ fidei orthodoxæ ad æternam gloriam et immortalem T. S. nominis laudem et memoriam sempiternam. *Epistolam dedit Sanctus* ex Jaurino, oppido regni Hungariæ, XXI Junii 1455: *adeoque Budensis conventus; ex quo scripserunt Hungariæ magnates, unius mensis*

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 232. — (2) Ibid. pag. 233.

spati

A *spatio et Jaurini et Budæ sedit; atque hinc rationem habemus, cur dixerint* (*supra num.* 280), primum Jaurini nunc Budæ congregati.

AUCTORE J. V. H.

§ XXV. Labores S. Capistrani per Hungariam et finitimas provincias; conscriptio militum pro bello sacro.

Prædicat Sanctus Temeswarii.

Inter medias tamen curas provocandi reges et populos ad bellum sacrum, non negligebat S. Capistranus *ministerium verbi et animarum salutem. Quum enim belli initium in annum sequentem prorogatum fuisset, ipse Hungariam, præsertim qua parte fines Turcicos contingebat, percurrere cœpit, tum ut apud multos labefactatam fidem catholicam restitueret, tum ut corrigeret depravatos populi mores. Soluto cœtu Budensi, Temesvarium et Lippam, adjacentem Marusio flumini, abiit. Est Temesvarium sedes episcopalis diœcesis Csanadinæ, eoque circa* B *medium Septembrem appulsus videtur Sanctus. Ardebant Lippenses cives audire S.* Capistranum *prædicantem, eaque illecebra eum inescare studuerunt, qua optime sciebant eum esse alliciendum; nempe multiplices futuras conversiones fidei et morum, si illuc conferret sese. Itaque feria* V *ante festum S. Matthæi Apostoli, seu die* XVIII *Septembris* 1455 *sequentem dirigunt epistolam* (1): Reverendissimo in Christo patri, D. Joanni de Capistrano, domino et patri honorando, Orationes, in Domino debitas pro vestra salute et vita. Reverendissime in Christo pater et domine noster honorande. Quia his diebus certissime audivimus, ut venerabilis V. P. ad oppidum Themesvar pergere, et nos, quasi exsules, a prædicatione ipsius V. P. relinquere prætendat; tamen nos adventum V. P. lætanter animo exsultanti expectavimus, tamquam patris nostri honorandissimi; possumusque notificare eidem V. P., quomodo in medio nostri multi pagani, schismatici et increduli exsistunt, quos ipsa V. P. potest ad fidem convertere; licet nos univer- C saliter personali præsentia ad V. P. ire non postpendimus, et ire non omittimus: (*distat nempe Lippa quinque milliaribus germanicis Temesvario*): sed tamen ipsos incredulos nobiscum ducere non possumus, quos nos ad fidem christianitatis converti optaremus, et sermonem ejusdem V. P. audire desideraremus.

et Lippæ;

284 *Et vero suos effectus sortitum fuisse sancti viri adventum, testatur Waddingus dicens* (2), *ingentem collegisse messem inter Valachos schismaticos, quos tam Temeswarii quam Lippæ et in propinquis oppidis ad veram fidem reduxit: præsertim quum, auctoritate regia fultus, extra provinciam ablegasset gentis archidiaconum Petrum et pseudopresbyteros, qui neque baptismum neque dogmata Ecclesiæ Romanæ admittentes, hanc gentem impie seducebant. Attraxit imprimis ad catholicam fidem Petrum, Waiwodam seu ducem Moldaviæ* (3); *cujus dein opera schisma in ista provincia oppressum fuit* (4). *Ut autem vera fides efficacius prædicaretur, operi evangelico per Valachiam præfecit S.* Capistranus *Joannem de Gezth guardianum Thuissinensem, in Transilvania Fr. Michaelem Siculum; serioque egit tum cum episcopo Transilvaniæ et cum Waradini domino, ut Jobagionum* (*genus erat silvestrium hominum, quod per Bosniam, Croatiam finitimasque provincias diffundebatur*) *conversionem curarent. Quod vero omnium maximi erat momenti, perfecit vir sanctus, quando Valachorum pseudoepiscopum, nomine Joannem de Capha, vulgo Wladicam dictum, summæ apud populares suos auctoritatis, ad Ecclesiam reduxit. Etenim a Joanne Hunyade captus, custodiæ S.* Capistrani *commissus fuit, qui eum, diligenter examinatum et in fide instructum, Romam misit, absolvendum et pristino honori restituendum* (5).

schismaticos ad Ecclesiam reducit;

285 *Joannes nempe Hunyades, litteris datis in festo S. Dorotheæ seu die* VI *Februarii* 1456 *Castellanis Castrorum Solymus, Hunyad et Deura et eorum vices gerentibus, jusserat* (6), *ut* omnes presbyteros Valachorum, per Wladicam ordinatos, et in terris suis exsistentes, comperta prius legitima comprobatione et ve- E ritate, quod per dictum Wladicam in presbyteros ordinati sint, et ante hoc presbyteri non fuerunt, qui ad prædicationem et salubrem admonitionem religiosi fratris Michaelis Zekel fidem suscipere noluerint, de bonis suis expellant et ejiciant, tales presbyteros in præsentiam dicti fratris Michaelis adducere faciant propria in persona. *Aliquot scilicet ante diebus ipse Wladica, jussu Joannis Hunyadis, captus fuerat, uti habemus ex ejus epistola, ad S.* Capistranum *data ex Themeswar festo S. Antonii seu die* XVII *Januarii ejusdem anni.* Die, *inquit* (7), hesterna ille perfidus Wladica est adductus captus in hunc locum, libenter vero ipsum post vestram paternitatem misissem, sed equi sui erant fessi, et etiam ignoramus, ad quem locum ipsum ad V. P. mittere debeamus. Ideo petimus V. P. diligenter, quatenus mox, visis præsentibus, velitis nobis rescribere, ad quem locum ipsum mittamus ad vos, quia, prout nos assecuravimus V. P., peramplius ipsum in isto regno permanere non permittemus. *Quod vero Antonius, cujus festivitas supra indicatur, sit Eremita,* XVII *Januarii cultus et non Patavinus Ordinis Minorum,* XIII *Junii quotannis celebrandus, liquet et epistola sequenti data ab eodem Joanne Hunyade* dominico proximo post festum S. Vincentii Martyris (8), *seu* XXIV *Januarii* 1456, *qua Ambetusio Camerario suo, præcipit, ut Wladicam captum custodiat* juxta instructionem fratris Bartholomæi.

286 *Adductum Wladicam Fr. Bartholomæus brevi tradidisse videtur S.* Capistrano, *qui eumdem in fide instruxit et Ecclesiæ adjunxit, ut habet epistola, ad Cardinalem Firmanum data Buda,* XV *Aprilis,* 1456, *quam hic subjicimus* (9): Ea mea semper fiducia, ut in necessitatibus ad V. R. D. confugiam. Præsentium latorem idcirco commendatum facio, ut V. R. D. ope et opera gratiam a S. D. N. obtineat. Nam quum esset princeps schismaticorum et hæresiarcha inter Valachos infideles, sub umbra illius foverentur schismata et errores plurimi in infimis partibus regni Hungariæ, disponente Domino, illuminatus est, et ad me ductus, sponte

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 260. — (2) Ibid. l. c. — (3) Ibid. l. c. — (4) Ibid. pag. 315. — (5) Ibid. pag. 315 et seq. — (6) Ibid. pag. 316. — (7) Ibid. l. c. — (8) Ibid. l. c. — (9) Ibid. l. c.

abjuravit

AUCTORE J. V. H.

abjuravit omnes errores et schismata, submittens se obedientiæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ: et quondam se gerebat pro episcopo, sed neque cognoscebat sanctæ sedis apostolicæ veritatem, neque ab ea confirmatus, consecrabat Valachos suo modo. Ego autem, quum examinarem eum longo tempore in omnibus sacramentis Ecclesiæ et articulis fidei et pertinentibus ad salutem errare et penitus deviare comperi. Apertis autem januis veritatis et lucis, quum se in malo statu cum omnibus suis esse cognosceret, petiit baptizari. Quod curavi fieri, et baptizatus est ad cautelam secundum formam juris. Quamobrem necesse est, ut auctoritate sanctæ Sedis apostolicæ restituatur ad dignitates. Ea de re V. R. D. commissum facio: quam Christus Jesus largissimo ævo tueri dignetur, ad conservationem fidei catholicæ et pauperculæ familiæ nostræ, quam V. R. D. unice commendo. *Rem ex voto successit: nam Wladica, cum auctoritate Roma redux, ad conversionem suorum popularium multum allaboravit, et ad decem millia hominum sub obedientiam sedis apostolicæ re-*
B *dacta sunt. Eo dein processerunt, ut presbyteros ritus Romani et Minores aliquot a S.* Capistrano *sibi mitti postulaverint* (1). *Verum felix ille animorum status paulatim intepuisse videtur. Legimus enim in Historia Societatis nostræ* (2), *anno* 1611 *patres nostros in Valachiam e Camenecensi collegio excurrisse, et reperisse* miserabilem Valachorum inscitiam, maxime sacerdotum. *Adeo verum est, plantata ama sanctissimis viris fidem, continuo rigandam, et orandum, ut Deus ipse incrementum dare dignetur.*

rogatus ab aëpo Colocensi,

287 *Porro ut excubias magis ex propinquo adversus christiani nominis hostem ageret S.* Capistranus, *enixe ejus adventum efflagitabat archiepiscopus Colocensis et Vacciensis, Raphael Herczegh de Zekckio. Etenim Colocensi diœcesi e proximo imminebat Turca; quapropter cupiebat archiepiscopus, ut vir sanctus, tamquam certissimum præsidium, adesset.* Sæpe, *inquit* (3), suppliciter rogavimus, ut P. V. vellet hanc nostram Ecclesiam Bacchiensem visitare, ubi multum animarum fructum colligere posset, et de propinquo invigilare, ne
C repente Turcæ invadant has terras christianorum. His octo diebus sitibundi præstolamur adventum V. P. et hac spe commoti populi circumvicini huc in tanto numero convolarunt, ut jam desint victualia, et ob annonæ caritatem possit rationabiliter timeri, ne fame multi pereant. Oramus itaque instantissime, ne amplius differre velit gratiam hanc, quam toto affectu petimus et avide exspectamus. Datum in Apathy fer. II in die festo S. Crucis. *Festum istud est Inventionis S. Crucis, dies* III *Maji, qui anno* 1456, *littera dominicali* C *signato, in feriam secundam incidebat. Cæterum quum laudatus episcopus iterato Sancti viri adventum urgeat propter easdem rationes, atque hæc epistola scripta sit* ex Bacchia die Sabbati, vesperis Pentecostes (4), *id est* XV *Maji, satis manifestum est, festum S. Crucis de ejusdem Inventione, die* III *Maji occurrente, non vero de Exaltatione, quæ* XIV *Septembris, isto anno feria tertia oc-* D *currit, esse intelligendum. Promittit cæterum hisce secundis litteris Raphael archiepiscopus,* multum fructum allaturum et innumeros excitaturum ad crucem sacram suscipiendam et animose pergendum contra fidei christianæ adversarios. *Hujus epistolæ subscriptio utilis cæterum est, ad cognoscendum episcopum, cujus nomen ignoravit Mathias Bel in suo episcopologio Colocensi et Vacciensi. Etenim agens de Antistitibus Colocensibus, divinando dicit, Petrum de Rozgon post annum* 1435 *cathedram occupasse, et tenuisse, nisi interpontificium fuerit, usque ad annum* 1464 (5) : *verum opportune Raphael hiatum hunc suo episcopatu complet. Similiter in episcopis Vacciensibus laudatus scriptor lacunam habet ab anno* 1435 *ad* 1458; *quia nempe nomina episcoporum,* eruta e diplomatibus non sunt (6). *Quas igitur ex Waddingo attulimus, epistolæ monstrant, ad annum usque* 1456 *Raphaelem Vacciensem sedem occupasse.*

eumdem adire non potuit,

288 *Videtur autem S.* Capistranum, *licet omnium votis expetitum, non potuisse flagitanti* E *episcopo et populo statim morem gerere: nam Franciscus de Oddis, episcopus Assisiensis* (7), (*quem perperam Julium vocat Amandus Hermann* (8)) *qui tunc temporis Cardinali Sancti Angeli, legato pro bello sacro a latere assistebat, integro fere post mense, nempe die* XIV *Junii, ex suburbio Petrovaradini scribens, dicit* (9) : Credo V. P. jam scire, Reverendissimum D. Legatum me huc misisse, et missionis causam tibi manifestam esse, et proinde nihil circa hæc immorandum censeo. D. archiepiscopus Colocensis instantissime mecum egit per litteras et nuntios, ut persuaderem V. P. quatenus omnino illuc se transferret. Ego humiliter rogo, ut tanti viri et optimi prælati votis satisfaciat; et si opus fuerit, ego V. P. illuc comitabor. Ad hæc, quæso, quamprimum rescribe. Me tuis orationibus ex corde commendo, paratus continue ad vestra beneplacita, quem Deus ad commune reip. christianæ bonum conservare dignetur. Ex suburbio Petrovaradini, XIV Junii, R. V. P. filius, episcopus Assisii. *Aliquot post diebus, scilicet* XIX *Junii, idem episcopus instat, ut petente plebano* F *suburbii Petrovaradini, velit descendere ad tres civitates et reliquas villas, quæ sunt sub dominio abbatiæ S. Mariæ Bellifontis, et* proponere eis vel una tantum vice verbum Dei (10). *Hæc abbatia, etiam B. M. V. in valle Unta appellata, Danubio adjacet, prope Petrovaradinum, ut monstrat mappa ecclesiastica regni Hungariæ in Atlante Spruneriano. Circa idem tempus, videlicet fer.* VI *post Ascensionem Domini, seu die* VII *Maji, Magistratus Siklosiensis, quam civitatem, in diœcesi Quinquecclesiensi, Waddingus perperam Saklas vocat* (11), *invitat S.* Capistranum, *ut apud populares suos, periculo quam proximos, seminare verbum Dei dignetur.*

instante legato, ut Viennam rediret;

289 *Verum hisce invitamentis, viro Sancto potentissimis, vix acquiescere potuit; etenim Cardinalis legatus, die* II *Junii sequentes ad eum dedit litteras, quibus in Germaniam revocabatur* (12) : Etsi sanctissimus Dominus V. P.

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 317. — (2) Hist. soc. Jesu. Part. V, tom. II, pag. 417. — (3) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 329. — (4) Ibid. pag. 330. — (5) Bel. Notit. Hung. tom. III, pag. 553. — (6) Ibid. pag. 118. — (7) Ital. sacr. tom. I, col. 482. — (8) Capistr. triumph. pag. 518. — (9) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 330. — (10) Ibid. l. c. — (11) Ann. tom. XII, pag. 331. Cfr Hermann. pag. 519. — (12) Ibid. l. c.

scripserit,

A scripserit, ne ab Hungariæ partibus, durante magno hoc christianitatis periculo, discederet, ego quidem credo, suæ sanctitatis intentionem esse, ut illuc versetur circumspectio vestra, ubi majora detrimenta hosti et potiora compendia fidei possitis conferre. Pro certo novi, quod utile satis et proficuum erit, si V. P. velit Viennam ad imperatorem proficisci, quia celerius et in majori numero mittet suum exercitum Germanorum. Ego vellem, si fieri posset, te habere in pluribus locis, quia novi, quantum valeas et possis apud omnes, et quantum fructum V. P. possit ubique facere. Dignetur, obsecro, me quamprimum monere, an possit ad imperatorem ire, et quantum crevit numerus cruce signatorum. Omnipotens Deus V. P. conservare dignetur ad opus sanctum euangelistæ, in quod vos segregavit. Mitto V. P. copiam litterarum Scanderbeck, ex quibus percipiet, quibus copiis et machinis se præparet ad resistendum Turcico furori. Vale, ex Buda II Junii. *Verum consilio repetendi Viennam intercessit Joannes Huniades, et statutum fuit, ut S.* Capistranus
B *Hungariam non desereret. Scribit enim Cardinalis legatus ad Huniadem* (1) : Quantum ad venerabilem patrem Joannem de Capistrano attinet, nos decrevimus eum rogare, ut iret ad imperatorem, apud quem nunc sunt duo Austriæ duces et alii proceres, et sperabamus, quod eos induceret ad multa faciendum pro negotio fidei. Sed quia vestræ illustri dominationi videtur contrarium expedire, scribimus eidem patri, ut secundum vestrum desiderium et consilium faciat. Nos judicavimus, quod non erat adeo necessaria illius præsentia in partibus inferioribus Hungariæ, credentes, quod ibidem Hungari facile possent ad bellum vel auctoritate vestra, vel proprio incommodo et Turcarum timore excitari; et propterea non curabamus, quod ibidem laboraret; majorem ab eo sperantes fructum apud imperatorem. Sed nunc vestræ dispositioni condescendimus, et eum vestro judicio committimus. Quia igitur nos pridie ad dictum patrem litteras dedimus per peculiarem cursorem, quem ad hoc solum conduximus, et hodie nobis epi-
C stolam restituit, quia eum illic non invenit, dignetur vestra illustris dom. ei litteras inclusas mittere, et nos, quantum est ex nostra parte, faciemus, ut ibique vobis assistat. Ex Buda, XV Junii, ea ipsa hora, qua vestras recepimus.

cui consilio intercessit Joannes Huniades,

290 *Dum interim omnia ad bellum spectabant, et* Joannes *noster militem crucis impositione conscribebat, ipse* Joannes *epistolam dedit ad Calixtum III, qua missionis Hungaricæ rationem reddit* (2) : Perabunde his præteritis diebus mihi declaravit R. D. S. Angeli dignissimus Cardinalis, a sede apostolica Legatus, quanta dilectione et affectu tua beatitudo, Pater Sancte, in die tuæ per Spiritum Sanctum assumptionis, illo præsente et audiente, quatenus commiserat, ut ad gaudium mihi scriberetur; quod et per fratres meos illo tempore mihi significatum fuerat. Exultavit inde spiritus meus, quum Christum Domini, desideratum cunctis gentibus, assumptum intellexi, eum præcipue nostra ætate necessarium, cujus ardens pro fide Catholica desiderium jam pridem noveram. Ea me siquidem fides et devotio compellebat, ut audens et libens unico in terris Christo meo semper occurrentia intimarem. Feceram sedulus; et post quinque litteras, quum exspectata consolatione privatum ac vel minima me indignum responsione conspicerem, satis me quidam mœror afficiebat. Ecce mœrenti et laboranti mihi in metus * christianorum, a Turcis sex milliaria distanti, traditum est prima Decembris a sanctissimo meo breve, datum XX Julii, quod me summo et ineffabili complevit gaudio et lætitia. Præcipisti, Pater Sancte, ne sine T. B. speciali mandato ab Hungariæ regno et ab infidelium circumvicinis partibus me absentarem. Dantur mihi interea a R. D. Legato litteræ, vocantes ad præsentiam suam Budæ : pareo a remotis per frigora, nives, glacies et ventos festinans, Budamque ante suæ R. D. adventum appuli. Præstolor exspectatum, et demum una cum serenissimo rege sexto Februarii reverenter suspexi. Hic vero quanta de benignitate, pietate ac sanctitate
E T. B. necnon de ardenti desiderio, sancto voto, ac divina siquidem intentione mecum retulerit, alias enodabo. Dantur mihi postea a tua clementissima Beatitudine duo brevia, unum VI Februarii, X Novembris datum; alterum XXII Februarii datum cum bulla plumbea, concessiones, mihi per prædecessores T. S. indultas confirmante et roborante. Quanta hisce rebus sim completus jucunditate, tum ob ardentem in populum, T. S. creditum, caritatem, tum ob singularem in me indignum, servum suum inutilem, sed fidelem, ineffabilem dilectionem, qua me tam pie et paterne alloqueris, P. B. tum ob confirmatas gratias, tum denique ob conservationem pauperculæ familiæ S. Francisci, nequeo, P. B., nequeo, inquam, fari. Et hæc me sola cura mordet, hæc angit sollicitudo, quod his tantis pro rebus unde referam gratiarum actiones non habeo, nec sola cogitatione concipere valeo : qualescumque tamen possum, ingentes refero et immortales.

AUCTORE J. V. H.

* metas?

fultus etiam mandato Pontificis.

291 Laborat indefesse R. D. Legatus et mirum in modum pro religione christiana. Ego autem, etsi prius laborabam, eo nunc ardentius operabor, quo certior a tua sum factus Sanctitate de re jam cœpta et causa nullatenus postponenda. Acceperunt quam plures et prælati et barones signum vivificæ crucis, de inferioribus multitudo, et in dies plures signamus. Ego omni devotione adjecta crucem, a T. S. benedictam per manus R. D. Legati suscepi, susceptamque usque ad effusionem sanguinis, etsi centies per diem opus fuerit, servabo. Ex Buda XXIV Martii 1456. *Crux belli sacri initio erat rubra, postea, ut variæ inter nationes distinguerentur, diversi coloris* (3). *Quia igitur ab ipso Pontifice missam crucem suscepit S.* Capistranus *et bellum sacrum potenter promovit, plerumque depingitur. Sanctus tum crucem in pectore gerens, tum vexillum, cruce insignitum, gestans : nempe quia, vexillo præeunte, Sanctus ubique cum crucesignatis in pugna adversus Turcas, ut narrat Joannes Tagliacotius, infra citandus*

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 331. — (2) Ibid. pag. 322. — (3) Cfr Encyclop. Cathol. tom. XVIII, Dict. des Croisades, v°. *Croix.*

AUCTORE J. V. H.

num. 322, *apparuit. Scribit porro Eusebius Gonzalez crucem, a Pontifice ad* Joannem *missam et a Cardinali Legato in dextero humero affixam, fuisse coloris coccinei* (1). *Porro tradit Amandus Hermann* (2), *contigisse hanc susceptionem crucis Dominica* I *Quadragesimæ seu die* XIV *Februarii* 1456 : *ac deinceps ubique bellum sacrum promulgavit Sanctus, crucemque petentium humeris ritu solemni, sacris vestibus indutus, affigebat, monens unumquemque, ut sibi assisteret, quandocumque fuisset vocatus. Quo autem tempore S.* Capistranus *ad opus belli sacri parandi totus incumbebat, Ludovicus Scarampi, Cardinalis et patriarcha Aquilejensis* (3), *a Calixto Papa præfectus fuerat classi, in Turcas mittendæ : litteris igitur, ex Urbe datis* XXVI *Aprilis* 1456 (4) *hortatur Sanctum, ut, quandoquidem jam magna pars navium in Tyberim deducta, quamprimum in hostem per mare Mediterraneum dirigenda sit,* sicut hactenus fecit, omni diligentia et studio curet principes et reges ad necessarium et meritorium hoc bellum excitare, eosque exhortari; ut, depositis odiis et dissensionibus, contra communem Christiani nominis hostem accingantur; ita ut in tempore debito cum expeditione maritima sint parati.

B

qui et ipse omnia ad bellum parabat

292 *Eadem fere scribit Calixtus III litteris datis* IV *Maji ejusdem anni, classemque, jamjam maritimæ expeditioni paratam, annuntiat.* Continuo, *inquit* (5), testimonio dilecti filii Joannis, S. Angeli diaconi Cardinalis, nostri et apostolicæ Sedis Legati, intelleximus, quanta diligentia incumbas non solum ad solerter juvandum munus legationis sibi injunctæ, sed cætera perficienda, quæ conducere ad sanctum hoc opus fidei existimas. Quod certo, etsi ita esse nobis persuadebamus, tamen hujusmodi tuus zelus nostram in te dilectionem adauxit; et quamvis tibi et cuique christiano hæc communis cura sit debita, nihilominus devotioni tuæ gratias agimus, teque hortamur, ut, quemadmodum cœpisti, sine intermissione prosequaris, causam hanc Dei viriliter adjuvans. Habes autem duces laborum tuorum legatos istic nostros, qui fervori tuo plurimum fidunt, et quibus adni-
C tentibus sperandum est, cum gratia Dei, per vos simul fructus salutares esse consecuturos. Itaque instate pro viribus et certate certamen hoc bonum, quod vobis Deus proposuit, ut demum coronam gloriæ mereamini accipere. Et quia novit devotio tua, quanti existimandum sit robur Hungaricum, et quale esse consueverit in hujusmodi casibus, ideo cura, dilecte fili, ut opera, exhortationibusque tuis præstetur Christianitati obsequium hoc beneplacitum, quo certe nullum esse tibi gloriosius aut majoris apud Deum meriti poterit. Nos autem in præparanda classe vigili cura intendimus, quam absque crastinatione indubie in mari poni jussimus et ponemus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris IV Maji 1456, pontificatus nostri anno II.

—

(1) Chron. Seraf. tom. V, pag. 129. — (2) Capistr. triump. pag. 527. — (3) De Rubeis. Monum. Aquilej. col. 1054. — (4) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 323. — (5) Ibid. pag. 334.

D

§ XXVI. Plena de Turcis victoria ad Nanderalbam seu Belgradum precibus et opera S. Joannis Capistrani refertur.

Calixtus III publicas per totum orbem præscribit preces,

Quamvis multa magnaque pro defensione populi christiani molirentur Romani Pontifices, ii, quos operis adjutores assumpserant, torpescebant tamen sæculares principes plerique, et, ut jam supra num. 254 *diximus, inter se maximas fovebant dissensiones. Interea Mahumetes II, infensissimus Christianitatis hostis, devictis Græcis, interiorem Europam aggredi constituit, bellumque in Hungariam transtulit. Libratis autem humano modulo utrinque pugnantium viribus, conclamatum de re christiana videbatur : verum animo non cecidit Calixtus Pontifex, et postquam omnia humana subsidia, quantum in ipso erat, comparasset, præcipuum belli robur in Dei adjutorio quærendum edixit. Quapropter* III *kal. Julias* 1456, *seu ipsa festa die SS. Apostolorum Petri et Pauli bullam dedit* E ad ecclesiasticas personas ubilibet per orbem christianum constitutas (6), *in qua fideles monendos docet, ut vitia, flagelli causas, emendent, et ad orationem confugiant : ac imprimis, ut sacerdotes omnes celebrantes specialem collectam recitent pro contritione paganorum,* et dein ut omnis populus cujuscumque sexus et generis orationum et indulgentiarum hujusmodi particeps esse possit, præcipit et mandat, ut in singulis ecclesiis quarumcumque civitatum, terrarum et locorum, inter nonas et vesperas, videlicet ante pulsationem vesperarum seu ei propinquæ saltem per intervallum mediæ horæ, singulis diebus tribus vicibus una campana vel plures sonorose, ut bene audiantur, pulsentur, quemadmodum pro Angelica Salutatione de sero pulsari consuevit. *Atque hinc factum est, ut huic pulsationi nomen campanæ Turcicæ,* Turkenklok *adhæserit. Insuper præscripsit Pontifex, ut singulis primis dominicis cujusque mensis, supplicationes solemnes cum clero et populo instituerentur.*

quarum præsertim ope relata est victoria,

294 *Plus profuere fusæ ad Deum preces, quam arma operose, in hostem parata; etenim quotquot de victoria scripserunt, miraculi instar habuerunt, quod hostis immanissimus, triumphis superbus, militumque suorum numero et arte præpotens, levi manu stupenda strage devictus sit. Ut porro devitemus earumdem rerum frequentiorem repetitionem, inter auctores tres præcipue seligimus, quorum narratio explicatior est, nempe Antonium Bonfinium, qui initio sæculi* XVI *florens, et ipse quæ gesta sunt vidit, utpote natus anno* 1427 (7), *et a testibus oculatis frequentissimis didicit. Huic subjungimus Joannem Tagliacotium, Ordinis Minorum, qui Sancto adstitit et pugnanti et brevi post morienti. Non minoris auctoritatis est narratio Nicolai de Fara, qui et ipse socius S.* Capistrani *fuit; quoniam tamen Vitam Sancti edimus, peculiarem ejus de victoria relationem consulto omittimus. Quantum ad Æneam Sylvium spectat, multipliciter jam a nobis laudatum, repe-*

(6) Apud Raynaldi. Continuat. Baron. ad an. 1456, § XIX. — (7) Biogr. univ. v°. *Bonfini.*

rimus

A *rimus compendiose relatam victoriam, quam ejus verbis, prout occurrunt in Vita Friderici III imperatoris, ab ipso conscriptam* (1), *ante alios referemus*. Mahumetes, *inquit*, congregatis ingentibus copiis, ex Thracia per Tribalos (*Bulgaros*) in Hungariam properavit centum quinquaginta millia pugnatorum in ejus exercitu fuisse, tradunt. Inflatus opinione sui, tantoque tumens exercitu non dubitavit, Hungaria brevi devicta... Italiam terrestri itinere petere. Sed parva urbs conatus ejus retinuit : Taurinum appellavere majores, Belgradum Galli, Hungari Nanderalbam, Germani Griechisch-Weissemburg, ad confluentes Danubii Saviquesitam.

quam compendiose describit Æneas Sylvius:

295 Hanc primum oppugnare Mahumetes statuit, propter opportunitatem transeundi fluminis. Johannes Capistranus, Ordinis Minorum professor, vitæ sanctimonia clarus, per idem tempus Hungaros in arma publicis sermonibus excitabat, qui ubi appropinquare Turcos accepit, nihil moratus, in Albam se contulit, haud parvam cruce signatorum multitudinem secum adducens. Johannes quoque Huniades, contracta raptim militia, eo profectus est. Cardinalis * Budæ remoratus est, copias ampliores cogens. Rex *, ubi adventum Turcorum certum esse cognovit, nec vires sufficientes Hungaris esse, quæ tantam vim ferre possent, nihil fidens Hungaris, quorum mobiles animos norat, neque satis tutum manere Budæ arbitratus, sub specie venationis Buda egressus, in Austriam rediit. Interea Turcus, apud Albam castra metatus, summis viribus eam partem oppugnare cœpit, qua planus aditus fuit, locatisque tormentis æneis, prioris muri magnam partem disjecit. Vacuum haud parvum spatium intus erat usque ad alterum murum ; ibi cruce signati diu pugnaverunt, tandemque hostem repulere: sed, instante imperatore urgenteque, iterum irruptio facta est, iterumque repulsi sunt; adeoque cruce signatorum impetus invaluit, ut non contenti defendisse muros, hostem in castra rejecerint. Fugiebant Turci ex proposito, ut extra oppidum longe protractos christianos aciem immitterent, quæ reditum in urbem prohiberent; exin a fronte et a tergo egressos invaderent.

* Legatus
* Ladislaus

C Furentes cruce signati, ac victoria exsultantes, in quod præcipitarentur discrimen, non advertebant. Vidit ex muris Capistranus transversam hostium aciem, insidiasque cognoscens, revocare suos cœpit. Quum parum audiretur, præceps in pugnam dilabitur, atque inter duos acies telaque volantia currens, clamoribus ac signis cruce signatos redire coegit, qui vocem Huniadi nullatenus audiebant. Fraudati magna spe Turci in castra redierunt. Pugnatum est a vesperis usque in vesperas: multi ex utraque parte cecidere; plurimi ex Turcis, et ii quidem præstantiores. De cæsis hostibus varia sententia est; quidam supra xx millia cecidisse tradiderunt, alii ad summum IV millia cæsa tradunt. Quod nobis infra verum esse videtur: neque enim in tanto exercitu ea videri clades potuisset; majus damnum abire Mahumetem coegit. *Hactenus Æneas.*

luculentius Bonfinius;

296 *Luculentior est, quam subnectimus, Antonii Bonfinii narratio, quam ex Rerum Hungaricarum Decade* III, *libro* VIII *mutuamur* (2).

(1) Kollar. Analect. Vindebon. tom. II, col. 460. — (2) Rerum. Hungar. Decades, pag. 487. Edit. Francofurt. 1581.

AUCTORE J. V. H.

Mahumetes, græcorum imperio nimis elatus, spes multo majores concipit, suas vires emensus, navali bello se Italis inferiorem esse non ignorat, a sollicitanda mentem amovet Italia: se terra præpotentem intelligit; Illyricum et Dalmatiam, regulis obnoxiam et in pagos parvaque oppida diffusam, quotidianis incursionibus et labefactari et facile capi posse intelligit: despotem* tantum, Ungarumque veretur, quum auro militeque utrumque præpollere sentiat. Quos si expugnare contingat, audacius reliqua adoriri posse retur. Itaque superiorem prius Mysiam ingressus, fodinas argenti, quæ despotis erant, occupare nititur : Novum montem, Trepciam et Prifren ejus oppida, argenti metallorumque feracissima, obsidet et expugnat. Despotes graviter angitur, quod ejus viribus obstare non potest; et opimi proventus, pretiosaque sibi vectigalia intercepta sunt, in munitiora se castella recipit et Ungariæ vicina, ut sua cum Ungaris mala communicet, quos propugnatores optimos sæpius esse noverat. Differuntur mox usquequaque rumores, Turcam ad Albam Græcam, quam Belgradum nunc dicunt, in dies castra moturum. Maximam fortunæ successum audaciam addidisse, ni occurratur, cuncta propediem ruitura, neque ullam ab hoste veniam tolerabilemve conditionem sperari posse: Constantinopolitanam cladem, omnibus exemplo esse.

* Rasciæ

E

nempe Turcæ, victoria feroces,

297 Corvinus autem, qui ad protegendas inferioris Ungariæ oras regia auctoritate constitutus erat, et in puero rege ac pernicioso Comite *, parum sperare poterat, in tanto tumultu, neque animo excidit, neque consilio defuit. Imprimis Capistranum ad hanc obsidionem sibi collegam adsciscit; ut alter humanis, divinis alter viribus niteretur: consulit, quid potissimum videatur agendum. Ille bono animo esse jubet, quando non mediocrem cruce signatorum exercitum e Germania se conflasse fatetur. Quamvis hæc gens, Ungarico ab antiquo sit infesta bello, in communi tamen causa et necessitate, minime defuturam arbitratur: quin et totam se Ungariam, post CPolitanam captivitatem, in Turcas concitasse gloriatur. Interim Corvinum cætera, quæ ex usu belli sunt, curare jubet: hæc se in tempore auxilia daturum pollicetur; demum ad hanc capessendæ immortalitatis occasionem incendit. Is veteranos omnes et alios spectatæ virtutis milites cogit, classem mira celeritate in Danubio parat: quando Turcam quoque multa in Ponto * navigia parasse mandasseque, per exploratores acceperat, ut Istrum * propediem subirent, et, ubi castra esse senserint, ibi consisterent. Calixtus Pontifex, qui Nicolao successerat, imminentis periculi non ignarus, Joannem, S. Angeli Cardinalem, virum sapientia et magnanimitate præstantem, in Germaniam Pannoniamque miserat, ut septemtrionalis plagæ gentes, quantum in se foret, in dirum hostem concitaret. Interim rumor affertur, Mahumetem, superato Hemo, per Triballos et Istrum centum et quinquaginta millia hominum ad obsidendam Albam ducere. In summa rerum omnium trepidatione versatur Ungaria. Corvinus

* Ciliensi

F

* Euxino

* Danubium

et

AUCTORE. J. V. H.

et Capistranus, forti animo cum suo uterque exercitu, ad protegendam Albam properant: classem, commeatibus militibusque oneratam deducunt: Cardinalis Budæ substitit, ut apud regem cætera curaret. Ladislaus et Ciliæ comes, audito Turcarum adventu, usque adeo consternati sunt, ut, simulata venatione, Buda egressi, Viennam continuo se receperint: quin et Budinam arcem omni præsidio destitutam reliquere, quæ diebus circiter triginta etiam hosti patuit.

Albam obsident, * XIII Junii

298 A Turcis interim Alba obsidetur, quod idibus Junii * accidisse ferunt. Urbs est in angulo sita, ubi Danubio Savus illabitur: a septemtrione Danubio, ab occasu vero Savo abluitur. Arx monti præsidet, loco et arte munitissima: ad radices montis civitas in amnis utriusque ripas effunditur; crasso muro, confluentibus obfirmata, a continente duplici vallo, fossa, mœnibusque munitur. Mahumetes in duo castra exercitum dividit: altera præter Savum, quibus Bassæus Asiæ, altera præter Danubium, quibus ipse præerat, rite
B locat. In suis castris tormenta tunc bellica a fronte disponit, locum vallo fossaque circumvenit, ne eruptionibus hostium foret obnoxius: reliquam multitudinem per campos effundit, quæ omnia complere videbatur. Quum a continente continuatis fere castris urbem obsedisset, ne quid efferri inferrique posset, Savum et Danubium classe compleverat. Quum expugnatio civitatis insanam machinarum magnitudinem postularet, ac illæ ob itineris difficultatem facile trahi non possent, hoc barbarus animus commento usus est; machinas diffregit, antequam iter iniret, ut in levia frusta redactæ, facilius per ardua loca veherentur: mox ubi in superiorem Mysiam ventum est, ad Chrysonicum statim e conflato ære instauravit. Quas quum urbi propius admovisset, et munitionibus, quibus opus erat, obfirmasset, mox oppugnationem adoritur; quatit die noctuque mœnia, nihil oppidanis otii jam indulget. Corvinus et Capistranus urbem acerrime dudum obsessam esse, sentiunt; classem, Ungaris cruce signatisque completam, secundo amne deducunt, ut Albanam arcem,
C aqua terraque obsessam, facto impetu ingrediantur. Quum appropinquavere, urbem assiduo quati, arcem, jactis in altum lapidibus, sublidi, regionem, sulphureo late fumo caligantem, perpetuas servare tenebras conspicantur.

quom, destructa Turcarum classe,

299 Sociorum miseratione correpti, qui acerrima obsidione torquebantur, animos ingentes sane concipiunt et ad certamen irritantur. Trecenti e Polonis erant, qui religionis ardentissimæ gratia, sumpta crucis tessera, stipendia faciebant; item Germanorum ingens numerus, qui sacram expeditionem ultro susceperant, et certatim utrique obsessis accurrendum esse censebant. Tormentorum crepitus æneorum ad Segedinum usque exaudiebantur. Quare instructa classe, terrestribusque copiis in aciem eductis, secundo amne descendunt. Mahumetes, his occurrere ausus, suam classem opponit, ne quid laboranti civitati afferant subsidii. Collatis in Danubio signis, fluvialis pugna conseritur. Effertur immensus utrinque clamor, et crepitantium fragore tormentorum Danubius intonat, ac utriusque classis gravitate subD gemit: christiana, in quadratum agmen effusa, ripam utramque legebat: in ripis quadrata cataphractorum equitum agmina utrumque classis cornu protegebant, in dextro Corvinus, Capistranus in lævo præsidere. Hic a prora crucifixum amplexus ac supplex, ad salutare prælium suos hortari, promittere divinam opem et profanis hostibus maledicere. Corvinus acerrime pugnare, ac exemplo suo ad pugnam Ungaros incendere, jubere, ut remis incumbant, et, suffragante Danubio, cominus dimicent. Quod ubi factum est, mutuis navigia catenis utrinque colligant. Corvinus in prætoriam navim insilit, sequuntur socii, ensem late ducunt, Turcasque saucios seminecesque in Danubium deturbant: idem reliqui faciunt. Fervens ubique colluctatio cernebatur, multi utrinque cadunt, et quum dira se omnes cæde competerent, cruore Danubium totum inficiunt. Quum secundi amnis subsidio nostri niterentur, Turcarum classem inclinant, cæduntque: illi obstanti fluvio cedere coacti, proras avertunt: multa inter
E fugiendum intercepta navigia, undisque demersa, cæteri ad suorum præsidia confugere. Corvinus, fusa fugataque classe, quum Albæ appropinquasset, eam reserat, urbemque ingreditur, quam armis, militibus, commeatibusque complet, saucios ægrosque oppidanos educit, arci supplementum suggerit validissimum: obsessorum animos recenti victoria instaurat, et ad propugnandam civitatem, una cum Capistrano, viro sanctissimo, omnes hortatur.

partaque terrestri victoria,

300 Mahumetes ad nuntium profligatæ classis: Quamvis gravius, inquit, nostro tamen voto omnino potiemur. Quod e classe superfuit, incendi jussit; atque obstinatissimum ad expugnandam urbem animum intendit. Quum paterni sibi amici retulissent, Amurathem olim septem in Albana obsidione menses trivisse, ac irrito tandem conatu abiisse; multis paternos manes probris affecit, et ante quintumdecimum se diem urbe potiturum gloriatus est. Basseus forte aderat Asiaticus, hic ut glorioso principi magis assentaretur, certam imminere victoriam pollicetur, quando F
Byzantium ipse vi ceperit, veteri arte ac munitione quaque maxima præditum: neque ab Ungaris validius muniri, magisque strenue protegi, quam a Græcis oppida soleant; quibus non immerito, non solum eloquii sapientiæque verum etiam disciplinæ gloria suo jure tribuitur: præterea multæ dirutæ turres, completæ fossæ et jam æquata solo mœnia forent; proinde haudquaquam diffidendum esse affirmabat. Mahumetes, his verbis accensus, in sequenti die omnes arma sumere jubet; ac veluti decreverat, numquam cessare constituit, donec Alba potiatur. In tot ordines digerit exercitum, ut perpetuum prælium continuare, et ita fessas subinde acies instaurare possit, uti, nulla quiete data, oppidani deficere cogerentur.

Deo confisi christiani,

301 Sacer divo Sixto erat ille dies, octavo idus Augusti, quo deturbatis dudum propugnaculis, ruderibusque completa fossa, et obrutis patentibusque mœnibus, hostes in occasu solis urbem adoriuntur. Obstant oppidani, et quum completos innumera multitudine

A tudine campos ab arce prospectarent, constrataque late mœnia cernerent, salutem desperare cogebantur. Nulla major spes et consolatio succurrebat, quam, desperata corporum salute, pulcherrime mori. Joannes cum divi Francisci collegio crucigeros ad salutarem pugnam hortatur, et servatoris nostri crucem amplexatus ac supplex, Dei præsentiam opemque pollicetur. Illi appetere magis, quam formidare gloriosam mortem visi, ad pugnamque promptissimi, Turcis occurrunt. Unum his oberat, quod animo potius, quam corpore armati erant. Gladiis tantum et lanceis obnitebantur, pauci se galea et thorace protexerant. Dira nimis et cruenta supra murorum ruinam pugna conseritur, summa vi utrinque pugnatur. Hostilis clamor, tympana classicaque cœlum sonitu et fragore complebant. Rudera magna cæde fœdantur, quando illi vi ingredi, rejicere isti connituntur. Corvinus, ubique laboraretur accurrens, nunc verbis, nunc factis omnibus opem suggerit : timidis et ignavis inclamat corripitque, strenuos
B extollit, fortissimos quosque commendat et hortatur, ut urbem hanc, christianæ reipublicæ propugnaculum, fortissime tueantur : sciant sibi cum his rem esse, quos toties olim profligarint, vicerint et ad internecionem sæpe ceciderint, et in Danubio tot superiore pugna confecerint : non deesse divinum auxilium, Jesu Christi præsentiam, sub cujus nomine, ductu, auspiciis dimicatur. Mox cum globo veteranorum instructus, usquequaque discursare, instaurare ordines, pro fessis validos, vivos pro mortuis, pro sauciis integros, pro inermis armatos, veluti opus erat, sufficere : quandoque, ubi plurimum laborari sentiebat, succurrere, inter confertissimos sese hostes inserere, ingressos rejicere hostes, et imperatoris militisque optimi officium præstare.

Turcis frustra obnitentibus,

302 Contra Mahumetes a tergo suis instare, grandia militibus præmia polliceri, retrocedentes revocare in ordinem, et quandoque falcato ense cædere, orare, ut strenue pugnent, exclamans, eam jam urbem captum iri et suos intra penetrasse ; proinde ut, facto
C magno agmine, progrederentur, hortari. Variante diu fortuna, pugnatum est, quando Turcæ sæpe in urbem penetrarunt, et a Christianis non sine magna utrinque cæde rejecti. Supra cadavera, murorumque ruinas diu, nutante ancipitique victoria, dimicatum : et hinc veluti spes utrinque surgebat, ita extremis indefessisque viribus pugnabatur. Sæpe Turcæ cum maximo impetu in urbem irruperant, sæpe etiam rejecti, arridente subinde Marte, instaurato cuneo, amissam obstinatissime victoriam repetebant. Itaque quum pari spe utrinque pugnaretur, Mahumetes præsentaneum consilium init, quam validissimo potest, agmine in urbem irrumpere, pertinacissimeque tenere. Quod si nequeat, hinc rejectum, fugam simulare, qua oppidanos allectos in campos educat, mox erumpente a tergo dimissa equitum multitudine, reditum intercipiat, uti a tergo et a fronte Christiana gens juxta cædatur. Quare validissimum agmen instaurat. Superata mortuorum strue, quæ in ruinis excreverat, in civitatem, inclinatis oppidanis, irrumpit : penetrat in forum, et in medio foro prælium redintegratur. E Turcis plerique in forum signa inferunt, altis nonnulli turribus vexilla regis deponere conantur, quæ adhuc in mœnibus integre superfuerant. Subeuntem cum vexillo Turcam memorant, qui ut signa sui regis, ad irritandos in urbem sociorum animos, qui nondum intro penetrarant, pinnaculo turris imponeret, et ad exanimandos Christianos Ungarica deturbaret, turrim altissimam repente subit : hunc Ungarus illico subsequitur ; et antequam patria signa deponeret, cum hoste in turris fastigio colluctatur : quum alio modo id prohibere non posset, se cum Turca, quem apprehensarat, ex altissimo vertice præcipitem dedit. AUCTORE J. V. H.

sub ducatu Capistrani *et Hunyadis*

303 Corvinus, in summum periculum adductam urbem conspicatus, accito Michaele Zilagio, avunculo suo, et Ladislao Canisa, item Sebastiano Rosgonio, cæterisque fortissimis proceribus Ungarorum, ab arce ruens in forum, Turcas inclinat : hi tanto furore congrediuntur, ut multis in platea vicisque cæsis, extra mœnia extemplo rejecerint. Crucigeri E divina se ope adjutos rati, adauctis animis, extra mœnia prodeunt, et in hostes sæva cæde grassantur. Mahumetes, ubi se iterum iterumque rejectum esse cernit, extemplo fugam simulat, et plane terga vertit, ac eos educit. Instant a tergo crucigeri et arridente victoria pellecti, pertinaciter insequuntur. Jamque ad Bassei Asiatici castra pervenerant, quæ in Savi ripa collocarat ; Capistranus, prospectis ab arce Mahumetis insidiis, confestim suos exclamat, ut retro cedant. Quum præ strepitu et tumultu magno exaudiri non posset, a tergo receptui signa dat : contra illi, victoriæ intenti, nihil exaudiunt, hostilia castra adoriuntur et incendunt. Pater cum sacerdotum collegio illuc per medios enses ab arce decurrit, revocatque. Mahumetes, qui ad machinarum bellicarum munitiones confugerat, quum Bassei castra cremari diripique respiceret, cum equitatu, quem a tergo reliquerat, ut reditum oppidanis obstrueret, eo succurrere contendit. Ad hæc jam dies inclinabat. Corvinus, desertas a Mahumete munitiones et bellica tormenta conspicatus, cum sociis ex urbe F prorumpens, repente capit : machinas æneas, adacto mox clavo, partim obstruit, inutilesque reddit, partim in hostes convertit, intenditque. Turca, rejectis a castris crucigeris, qui, a Capistrano revocati, facile cesserant, ad munitiones redit ; eas a Corvino occupatas comperit. Quum, instante crepusculo, recuperandi gratia prælium instauraret, obversas in se machinas invenit ; a quibus quum gravissime socii læderentur, ingruente nocte, se in posteriora castra, non sine fœda fuga, recepit. Alii pectore saucium sub papilla, in castra pedem retulisse memorant.

liberant.

304 Corvinus, munitionibus potitus, eas incendit. Quum, adurgente nocte, machinas æneas exportare non posset, occlusis foraminibus, irritas præstitit ; victorque ac ovans in urbem rediit. Turca, ut se ab urbe sæpe rejectum et asiaticis castris ac munitionibus exutum conspicatur, intempesta nocte versus Macedoniam iter intendit. Referunt nonnulli, eum, a sagitta saucium seminecemque in castra relatum, aliquantisper jacuisse : Turcas

ad

AUCTORE J. V. H.

ad Sarnon oppidum, motis hinc castris, imperatorem transtulisse, veritos, ne intercedente ipsius morte, postero die ad interitum cæderentur. Ad Sarnum quum ille aliquantulum respirasset, de belli exitu fuisse percunctatum : quum illi respondissent, Basseum Asiaticum et cunctos fere proceres oppetiisse, magnam partem exercitus esse cæsam, Kurkutoam, prætorianarum cohortium præfectum, sub mœnibus fuisse trucidatum, itemque munitiones omnes ab hoste captos : ad hæc hominem, ut ajunt, usque adeo ingemuisse, ut venenum, præ vitæ molestia, propinari sibi jusserit; quod quum amici recusarent, timidum et demissum, incensis castris, turpem arripuisse fugam : neque tam elato animo venisse, quam consternatus abiit : et qui se Terrorem Orbis edixerat appellari, a parva manu fusum fugatumque fuisse. Basseum Asiæ, cui Caraciæ nomen erat, ad munitiones paucis ante diebus ab urbe ictum, obiisse plerique ferunt. Sexto igitur et quadragesimo obsidionis die, divina potius quam humana ope urbs Albana Turcarum manibus liberata.

B Quamquam multi utrinque cecidissent, plurimi tamen e Turcis occubuere : multi quadraginta hostium millia periisse prodidere, viginti millia nonnulli, nec desunt, qui quatuor tantum millia fuisse affirmant. Sed quanta illa clades fuerit, potentissimi regis fuga testatur. Turcæ quoque ingentem et incredibilem fuisse, nequaquam diffitentur; quin et eorum ex se plures, quam christianorum manu eo die cæsos fuisse asseverant; quia multa mortuorum corpora sine vulnere comperta fuere, quæ divina potius, quam humana vi cecidisse reputabantur. Capistranus et Corvinus, insigni victoria potiti, per se uterque ad Calixtum Pontificem de hoc bello scripsere : suis uterque litteris tam clari facinoris gloriam sibi vindicare nititur, quum alter mentionen alterius minime fecerit. Præstantes nimirum viri potius se regnis, quam debita laude defraudari patiuntur. Verum quum duo duces, alter oratione, manu alter strenue dimicarit, idcirco hoc sanctissimo viro plerique factum arbitrantur, ut in eo prælio divinæ potius, quam

C humanæ vires, quod Turcæ non inficiantur, enituisse viderentur. Prælium id atrox et inauditum fuit, quando horis quatuor et viginti, sine intermissione ulla, pugnatum fuisse tradunt.

aliquot Bonfinii errores indicentur.

305 *Bonfinius in hac sua narratione Corvinum, seu Joannem Hunyadem extollit præcipue, eumque exhibet, quasi primarium; imo unicum partæ victoriæ opificem. Alii e contrario principalem partem S.* Capistrano *adscribunt, quatenus non solum oratione, sed et consilio manuque triumphum pepererit. S.* Capistrani *socii, rei gestæ testes oculati, plus tribuunt Sancto, quam Corvino : et licet propter Ordinis consortium partiales quibusdam videri possint, dubium tamen non est, ducatum Crucesignatorum, qui potenter hosti vincendo allaboraverunt, ad* Capistranum *pertinuisse. Dein Bonfinius, quamvis coævus, præsens tamen prælio non fuit; et quæ narrat a testibus magis didicit, quam ipse coram aspexit. Atque hinc in aliquos errores incidit : v. g. quando dicit num.* 301 *decretoriam pugnam accidisse in festo S. Sixti, seu* D VI *Augusti : quo die nuntius victoriæ,* XXII *Julii partæ, Romam advenit. Dein non satis sibi constant, quæ scribit num. superiori, obsidionem scilicet quadraginta et sex diebus durasse. Etenim initium obsidionis ponit num.* 298 idibus Junii *seu* XIII *ejusdem mensis, a quo si computemus dies sex et quadraginta ad* XXVIII *Julii devenimus, qui nec cum* VI *Augusti, quo Bonfinius victoriam ponit, nec* XXII *Julii, quo vere fuit pugnatum, concordat. Si igitur quidem obsidio idibus Junii cœpta,* XI *kal. Augusti soluta fuit cæde Turcarum, dicendum erit,* quadragesimo obsidionis die *Albam liberatam fuisse.*

§ XXVII. Victoriam de Turcis relatam narrare incipit Joannes Tagliacotius, S. Joannis Capistrani socius et rei gestæ testis oculatus.

Ad S. Jacobum de Marchia

Joannes Tagliacotius, Ordinis Minorum professor et individuus S. Capistrani *socius, cujus obitum pium late, ut infra exhibebimus, descripsit, ad S. Jacobum de Marchia seu Picenum retulit epistola, in fine mutila, victoriam Albanam, cujus ipse etiam testis oculatus fuit. Res Hungaricas aliquantum altius repetit; sed narrationem suam tot circumstantiis vestit, ut lectori grave futurum non judicemus, epistolam, qualem servavit Waddingus integram coram evolvere. S. Jacobus Picenus a Calixto Papa eo tempore missus fuerat in Marchiam Anconitanam vicinasque provincias, ut populos excitaret ad bellum sacrum re manuque promovendum* (1). *Consulto itaque ad ejus acuendam diligentiam augendamque lætitiam illustris victoriæ narrationem ad Jacobum transmittit Tagliacotius.* Etsi, *inquit* (2), non ignorem, optime senior, Vestram Paternitatem, omni doctrinæ ornamento completam, meo rudissimo calamo non indigere, quum de vestra doctrina accipiant universi; tamen quia vestra natura ac venerabilis senectus eo lætior ac ferventior redditur, quo Dei magnalia, præsentique tempore gesta inaudita crebrius legit vel audit, statui V. P. utcumque exarare et scribere illius mirabilis F victoriæ, Dei gratia habitæ de Turcis, seriem : videlicet initium, processum pariter et exitum : quæ quidem in inclyto regno Hungariæ habita est apud Castrum Nanderalbæ, sub vexillo sanctissimæ Crucis, cum acclamatione nominis Jesu tempore cruciatæ, cujus victoriæ triumphus soli immortali Deo attribuitur majori ex parte, et meritis ac ferventissimis laboribus et orationibus beatissimi viri, Fr. Joannis de Capistrano Ordinis Minorum, tunc ex commissione sanctæ Sedis apostolicæ omnium crucesignatorum in dicto regno ducis ac capitanei ; assistentibus favoribus et præsidiis illustris domini D. Joannis de Hunyad, præfati Hungariæ regni gubernatoris et magnifici D. Michaelis Sylagis, Nanderalbensis castri diligentissimi castellani.

scribit Joan. Tagliacotius,

307 Sed licet, devotissime Pater, multo ornatius atque seriosius hoc alii agere possunt, quia tamen hoc a me V. P. postulat, quia cum eodem beatissimo viro, divina disponente cle-

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 324. — (2) Ibid. pag. 340.

mentia

A mentia et V. P. impellente, tunc me stare contigit, vere et sincere hoc referam, nulli verborum blandienti venustati inhærens, sed solius historiæ veritatem simplicibus verbis describens. Instillet mihi peccatori Deus ipse clementissimus rorem gratiæ suæ, ut quæ oculis vidi et manibus contrectavi, valeam digne, conscientiose ac veridice referre, ut et his, quæ dicturus sum coram Deo, sanctum et terribile nomen Jesu magnificetur, fideles, in illud ardentius accendantur, beatissimi P. fr. Joannis devotio, zelus atque fervor, et obedientia ergo sacrosanctam Romanam Ecclesiam celebris reddatur. Accipe igitur, optime senior, prædictæ victoriæ seriem, et quum ipsam perceperis, populis tua solita ferventissima voce publica illam pronuntia.

S. Capistranum *divinitus in Hungariam directum,*

308 Quum anno Domini MCCCLIV de mense Novembris ipse beatus Pater cum sociis post Francfordiensem dietam Norimbergæ vehementer in magno fuisset dubitationis agone, quonam se prædicaturus conferret, aut ubi magis christiano populo proficere posset, nocte
B sequenti, quum post matutinum, oratione præmissa, se sopori dedisset, vidit mortem suam non sub sanguinis effusione, sed sub sanguineo labore futuram; nam miro modo ad martyrium fervebat. Quum vero celebrando ibi die sequenti attente oraret, cuperetque scire, quonam proficisci deberet, audivit varias in ecclesia voces resonare: « In Hungariam, in Hungariam; » et dum prædicaret in platea ante majorem ecclesiam, idem in aere sæpius audiebat. Sic ex dubio surgens, decrevit secundum voluntatem Domini in Hungariam proficisci. Seminato itaque verbo Dei per Alemanniam et ibidem plantata familia Observantiæ regularis, et reductis ad unitatem Ecclesiæ Romanæ quasi sexdecim millibus hæreticorum Hussitarum in Bohemia, et mirabilibus fructibus in Polonia, Domino concedente, peractis, de mense Maji anni sequentis MCCCCLV advolavit in Hungariam, cujus natio statim in ipsius ingressu mirum in modum commota est. Recipiebatur ab omnibus tamquam alter apostolus; et licet ipse, honorum despector, sæpissime declinaret a via, mutaretque sui accessus
C vel recessus propositum, licet etiam ex quadam honestissima delusione præfixum diem non servaret vel horam, quibus exspectantes populi suo desiderio frustrarentur et ipse ab hujusmodi honoribus fieret alienus; nihilominus quod homo tacebat seu abscondebat, Deus promebat: nam in ipsis ingressibus clerus, solemniter ornatus, Cardinales, archiepiscopi, episcopi, abbates et ecclesiarum prælati cum Reliquiis sæpenumero et cum Sacramento Eucharistiæ, non sine multis luminaribus ac populis utriusque sexus cum ramis arborum, candelis accensis, sonantibus campanis, humilitatis amatori obviam venientes, cum maximis honoribus, cantibus, atque fletibus eum introducebant. Principes, barones, nobiles atque plebeji eum summopore diligebant et honorabant, quorum tanta multitudo confluebat ad eum, ut non nisi latissimi campi, aut maxima platea eos capere valerent.

ut saluti populi consuleret,

309 Quum proponeret eis verbum, a remotissimis partibus populi venientes, non ut ad sermonem unius horæ, sed tamquam ad maximam indulgentiam catervatim currere videbantur. Nec mirum, quum gustata colloquii sui dulcedine et puritate sermonis, et doctrina salutari percepta, nec non miraculorum claritudine apertissime visa, omnes in ejus admirationem verterentur. Fulminabat contra vitia, virtutesque inserebat; clarus atque gratus in omnibus erat cunctis principibus, et beatum se putabat, qui vel modicum cum illo staret, vel cum eo loqui aut eum audire potuisset. Semper tamen in hujusmodi honoribus, sibi invito exhibitis, humilis corde dicebat: « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini da gloriam. » Et quum tunc rex abesset a regno, essetque ipsius regni gubernator et defensor illustris D. Joannes de Hunyad, tantam iste devotionem pariter et amorem concepit in ipsum virum Dei, fr. Joannem de Capistrano, ut quæcumque essent pro regno tractanda tam in secretis, quam in publicis dietis, ipse cum aliis baronibus hunc vocabant, admittebant, proferebantque, nihil sine suo consilio agere volentes. Post multos suæ ferventissimæ prædicationis sudores, post uberrimos fructus, per Hungariam mirifice perpetratos, favore ipsius D. Joannis contulit E
se ad partes, Transilvanos, ad Valachos, Russianos schismaticos et Patarenos; ex quibus per spatium trium mensium undecim millia sua prædicatione, suscepto baptismo, ad unitatem et obedientiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ reducta sunt. Quorum etiam magistrum et fautorem, post combustionem habitationis suæ in Hunyad et suorum bonorum direptionem, sua disputatione convictum publice coram baronibus et prælatis, in forma Ecclesiæ Romanæ Budæ baptizavit de assensu R. D. Legati.

et sumpta cruce, alios

310 Crucem, sibi missam a S. D. N. Papa Calixto III per manus R. D. Legati, Cardinalis S. Angeli a latere MCCCCLVI, die XIV Februarii, videlicet prima dominica Quadragesimæ cum maxima devotione et uberrima lacrymarum effusione, post sermonem Budæ suscepit, prædicansque cruciatam et crucem distribuendam, tam per breve apostolicum, quam per concessionem ipsius D. Cardinalis cum plenaria auctoritate contra Christi inimicos alacriter assumpsit, paratus mori propter il- F
lum, qui pro humano genere in cruce mori dignatus est. Nam licet præscivisset, se martyrii corona sanguinis effusione privandum, nitebatur tamen animam suam pro suis amicis ponere et martyrii aureolam per labores adipisci. Crucis assumptionem Hungaris prædicabat, eamque illorum humeris solemniter, paramentis indutus, indefessus affigebat, et cruce signatos, ad propria remittebat, monens, ut sibi assisterent, quandocumque essent vocati. Fiunt interea rumores per regnum, ac divulgatur, Turcas ad castrum Nanderalbæ classe et terrestri exercitu mira potentia venturos, ut, eo habito, possent alias christianorum partes occupare. Id crebris litteris et nuntiis a D. Michaele, ejusdem castri castellano, B. Patri nuntiatur. Illud castrum erat regni finitimum et principalis porta ad Hungariam, cinctum aquis Savæ et Danubii, pergrandium fluminum ad duo latera. Quod quidem castrum Turcæ semper conati sunt ab Hungaris auferre, ut liber per illud ad Hungariam eis pateret introitus et exitus. Festinat

B.

AUCTORE J. V. H.

B. Pater Hungaros ad crucem invitare, eis crucem imponere, eorum mentibus crucis memoriam imprimere et contra Turcas arma levare. Sicque factum est, ut per spatium fere quinque mensium maximam crucesignatorum multitudinem sua ac suorum prædicatione conquisiverit. Quum autem tam litteris, quam nuntiis illustris D. Joannis et D. Michaelis certior factus esset, quod Turcæ cum mira potentia appropinquassent et castrum ipsum vacuum defensoribus invenissent, sollicitarentque domini, ut, omissa prædicatione, quam citius posset, cum crucesignatis festinaret ad defensionem ipsius castri, alioquin in brevi Turcæ illo potirentur; vehementi fervore pariter et sanctissimo zelo repletus est.

cruce signaret,

311 Advocat, quos potuit, crucesignatos, disponit naviculas, quærit victualia, animat christianos, prænuntiat futurum periculum totius christianitatis : sicque, omissis sermonibus, cum his navibus et cum paucis crucesignatis versus ipsum castrum, in nomine Domini, navigio descendere cœpit, non sine mœstitia cordis. Considerabat enim validam
B Turcarum potentiam et immanitatem; videbat succurrentium paucitatem et inaptitudinem. Nemo erat in Hungaria, qui contra Turcas arma sumeret; rex, baronesque domi sedebant; D. Joannes in oppido Carim cum sua familia consistebat, inde galeas Turcarum impediturus, ne transirent, nec periculum imminens novam moram patiebatur; stabatque beatus capitaneus, aliunde jucundus, quod sui martyrii tempus advenisset, attamen mœstus, quod, omnibus dormientibus, Turcæ vigilabant ad excidium christianitatis et ad confusionem nominis Jesu Christi. Flebat ruinas christianæ religionis, lamentabatur christianorum, et præcipue Hungarorum, destructionem, dicens : « Jam tribulatio proxima est, et non est, qui adjuvet. » Quem Deus ipse consolari volens, complevit eum gaudio atque lætitia, futura sibi miro modo prædicens. Quum enim Pater ipse cum tanta defendentium paucitate per Danubium descendendo ad oppidum Petrovaridini sic mœstus deveniret, celebraretque ibidem attentissime orans, ut
C Deus causam suam tueri dignaretur, et quod christianorum ingratitudines non attenderet, visum est sibi, celebranti manibus junctis, oculisque clausis, quod quædam sagitta, cœlitus emissa, velociter ante eum super altari mitteretur, in qua litteris aureis sic legebatur : « Ne timeas, Joannes, sed securus, ut cœpisti, descende ac propera, quia in virtute nominis mei et sanctissimæ crucis victoriam de Turcis obtinebis. » Quibus exhilaratus Pater, abjecit mœstitiam, terrorem amovit, neque ex tunc tristis aut mœstus visus est. Quam mirabilem visionem publice in sermonibus prædicando publicavit, suo confessario apertius revelavit, fratribus sæpenumero eos confortans, in mensa recitabat. Qua de re mœsti lætitiam sumentes, ad sequendum tam animosum conductorem sese accingunt, secum parati in carcerem et in mortem ire.

securumque victoriæ,

312 Cujus visionis lætitia percepta, et ex ea futurorum certitudine declarata, reliquis, qui crucem non habebant, fratribus in humeris ipse Pater suis manibus affixit, et omnia tam altaris, quam sacerdotis paramenta rubea cruce insignivit, vexillum quoque figura D
S. Bernardini prius munitum sive depictum cum cruce optime disposuit, dicens : « Ex quo in crucis virtute crucis inimici confundi atque conteri debent, omnia, ad usum nobis concessa, crucis charactere sint insignita, sæpius illud replicans : Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » Sicque sollicitatus a castellanis ad castrum præfatum properat cum crucesignatis, cum quinque naviculis, non paucis etiam per terram proficiscentibus; ad quem tam castellani, quam cives, a longe videntes, signis lætitiæ in castro ostensis, obviam sibi venerunt, ac ipsum cum dictis crucesignatis gaudiose in castrum ipsum, vexillo præcedente, secunda die Julii, videlicet in festo Visitationis introduxerunt. Jam ex suo adventu gaudent omnes, qui in tristitia maxima fuerant : jam timidis dies lætitiæ advenit : jam, eo præsente, a Turcis non timent : jam lætos dies ducunt, qui tristes habuerunt. Veniunt interea nuntii, Turcas jam prope esse nuntiantes. Ill. D. Joannes gubernator, quum esset in oppido Ca- E
rim, quod est ad littus Danubii, distans a Nanderalba quatuor milliaribus Hungaricis, infra ipsum castrum, adversabatur Turcarum galeis, ne ascendendo transirent, nuntiatque beato Patri, ut ex personis, quas ipse secum duxerat, partem in castro dimitteret, partem ad eum descendendo conduceret; nam ipse D. Joannes neminem præter suam familiam tunc habebat. At Pater D. Joanni morem gerere volens, decrevit castra disposita ad eum descendere; sic quod eodem die, quo intravit, celebrata Missa, et sermone exhortatorio, ad custodiam, fidelitatem, utilitatem et ad martyrium facto, post refectionem cum tribus navibus, crucesignatis onustis, versus D. Joannem descendere se præparat. D. autem Michael Castellanus, sciens, Turcas tam per terram, quam per aquam cito apparituros, rogat Patrem, ne recedat; in Danubio enim obvios fore Turcas, dicebat, et magis eum utilem in castro quam in aqua esse. Sed ipse, volens D. Joanni satisfacere et obsequi, erga quem miro modo afficiebatur, cœpit descen-
dere, jam sui corporis pro honore Dei et au- F
gmento fidei catholicæ pericula contemnens. Jam ferventius solito martyrium sitiebat.

ad debellandas ingentes

313 Sed Deus ipsum ad sui honorem et magnificentiam conservare disposuit, factaque est manus Domini super eum; nam quum circa horam vespertinam aer lucidissimus ac clarissimus esset, solque vehementius suo calore et æstu incenderet, et Danubius flueret quietissimus, aer densissimis obruitur nubibus, sol obscuratur, flant validissimi venti, turbatur ac commovetur Danubius, tonitrua resonant, pluvia densatur, et tanta obscuritas, ut unus alterum in eadem navi se non videntes, ad littus conducerentur inviti. Quibus ad terram deductis, mox serenitas rediit et tranquillitas in Danubio, uti prius, facta est. Et ecce illico Turcarum galeæ locum occupant, unde Patrem beatum tam valida tempestas repulerat. Quid aliud est putandum et censendum, Reverende Senior, nisi quod Deus omnipotens fidelissimum servum suum ad conflictum et contritionem Turcarum virtute nominis Jesu, sub vexillo crucis, reservare

A vare voluerit? Non enim permisit Deus, ut illa caro, adeo laboribus, vigiliis et abstinentiis fatigata, esset per martyrium sanguinis, sed per incendium mentis laureata, et ipse martyr desiderio, post gloriosam victoriam spiritum Deo, plenus meritis, in pace redderet, et expers coronæ martyrii non esset. Liber autem a manibus Turcarum, castrum nocte repetiit. Mane autem sequenti, scilicet tertia die mensis, ecce Turcarum exercitus apparere cœpit: ex quibus nonnulli, ab ipso exercitu amoti, vicinos castro hinc inde discurrendo se fecerunt, quasi vellent christianos irritare. Quos quum ipse Pater videret, miro modo incensus, ajebat : « Eamus ad eos, quis me vult sequi? » et similia : non autem invenit sequentem se, illa fiducia ac desiderio martyrii plenus.

Turcarum vires,

314 Quarta vero die a remotis castrum obsidere conspiciunt, sicque in paucis diebus omnis Turcarum potentia ibi locata est : numquam enim, ut ex ipsis didicimus, ita potentialiter, ita astute, ita fortiter aliquem locum, B sicut istum*, Turcæ invaserunt : nam centum sexaginta millia, multi autem dicunt, ducenta millia Turcarum bellantium de electioribus et fortioribus illuc convenerunt, secum camelos et animalia alia innumera, machinis bellicis onusta, ducentes. Illic pixides, scopetas et spingardas numerare nemo potuisset, nec bombardas maximas, quibus similes numquam visæ sunt, quæ non solum castrum, sed altissimos montes, ut pulveres, contrivissent. Viginti duæ præsertim erant, quarum unaquæque fere XXVII pedum in longitudine erat, quas non sine maximis ingeniis et expensis illuc Turcæ deduxerunt; de minutis, quæ transferri poterant, non erat numerus. Detulerant etiam et septem alias machinas, quibus miro modo maximos et rotundos lapides in altum ad interficiendum homines die noctuque sine intermissione tam in castro, quam in civitate projiciebant, quarum lapides tam horribiles, licet inter homines, strictissime stantes, et in domibus, hominibus plenis, sæpissime caderent, numquam tamen præter unicam mulierem occiderunt. Quod C puto non parvum fuisse miraculum, quum nocturno tempore ab illis nullo modo possent caveri; tempore autem diurno, audito strepitu permaximo, seu facto signo in majori turri cum campanella, personæ, mansiones egredientes, segregatimque stantes, respiciebant in aere lapides, qui ex vehementissimo impulsu per grande milliare italicum in altum jactabantur, qui etiam, quum ad dictam terram caderent, deglutiebantur a terra, nec amplius videbantur. Munitiones tantæ et tam diversæ, ab eis deferebantur, ut his plura loca replerentur. Maxime prægrandis erat inter eos ecclesia, distans a castro uno milliari italico, quæ ferebatur S. Mariæ Magdalenæ. Ista vero ecclesia pulveribus bombardarum, funibus grossissimis, ferramentis, et omnibus, quæ ad expugnandum necessaria ducebantur, repleta erat : tentoria altissima, prægrandia et miro ac pulcherrimo modo disposita, quæ tanta erant, ut potius illa maxima terra nubibus cooperta, quam tentoriis plena judicaretur. Vexilla incomprehensibilia, magna, alta et varia, ac diversa secundum conditiones et dignitates Turcarum. Insignia autem magna domini Turcarum mediam lunam habebant in campo viridi. Animalia continue ducebantur ex Turcia, Bassia et ex Bosna, onusta sagittis, arcubus et victualibus; nam abundabant camelis, bobus et bufalis. Animalia exiliora ligna portabant. Currus ænei, ferrei atque lignei, quibus cum maximo ingenio maximas bombardas traxerunt, numero comprehendi non potuissent.

milites christianos

315 Tubæ et alia sonorum instrumenta innumera erant. Illuc prægrandes libros, cæremonias eorum continentes, pannos et alia ad eorum diabolicum sacrificium concernentia portaverant. Molæ ad granum terendum, clibani ad panem decoquendum, vasa diversa, ad eorum usum spectantia, infinita erant : quæ omnia ex iis multo plura, non uno, sed pluribus diebus, non sine maximis laboribus illuc adduxerunt. Canes etiam ad christianorum carnem vorandam, fœminas CMXXX formosas ad eorum virtutem effœminandam advectasse, relatu verissimo audivimus. Equites, pedites, fossores, magistri bombardarum nobiliores et potentiores ex omni dominio Turcarum illic erant electi. Vice-imperator, qui E cum primis exercitibus venerat, principes ac proceres illic constituebantur cum tanto apparatu, ut non ad obsidendum castrum illud, sed ad expugnandam Hungariam et alia regna tamquam victores se conferentes*. Audivimus enim ex illis, qui fugerunt ad nos, ipsum maximum Turcarum imperatorem per suum prophetam Mahometh et per salutem suam jurasse, se ad duos menses, capta Hungaria, Budæ cœnam habiturum; nesciens, quod omnia, quæ portare fecerat, ad utilitatem et triumphum christianorum, ad Turcarum autem excidium et confusionem erant cessura. Sicque Turcarum castra locantur non valde remota a castro Belgradi.

* *supple* videntur.

dirigeret et animaret.

316 Imperator autem ipsorum eminenti loco constituitur, quem circumdant atque vallant pro sua custodia cum tentoriis et vexillis quinque millia Janiserorum, quos italice « Provisionati » vocamus; qui nobiliores, fortiores, electiores et intimiores ac fideliores ipsi erant. Per aquas etiam ascendentes, sexaginta quatuor F galeas cum multis scaphis et naviculis in servitium galearum deducebant, quæ a D. Joanne nec ab aliis in transitu oppidi Carim impediri poterant; in quibus galeis homines diversæ linguæ, variæque nationis in bello navali exercitati erant. In his multitudo armorum, vestimentorum et rerum pretiosarum servata manebat; quarum quidem galearum fabricatio mirabilis erat et nova, quæ artificiose ad impugnandum et expugnandum dispositæ, non ut ligna, sed ut velocissimæ sagittæ per aquas volabant. Inter quas quædam aliis major ac velocior apparebat : in hac tantum singuli nobiliores et astutiores cum multis armis et vexillis stabant; hæc siquidem aliis audacior erat, et ad illudendum sive insultandum christianis sæpenumero juxta levitatem currens per modicum apparebat : hæc denique omnium aliarum imperatrix et gubernatrix exstabat. Sed ut brevius dicam, quidquid ad expugnandum ipsum castrum et occupandam Hungariam Turcarum astutia a multis temporibus poterat excogitare, illuc tam per terram, quam per

AUCTORE J. V. H.

aquam infideles contulerunt. Sed quia exercitus terrestris nondum loca firmaverat, stabant ipsæ galeæ remotæ a civitate.

§ XXVIII. Describit Joan. Tagliacotius victoriam de Turcis navalem, et cruce signatorum mores integerrimos.

Relictis in castro Albano quibusdam Fratribus,

Imperator autem populi Dei crucesignatus, ipse beatus Pater Fr. Joannes, quum videret jam castrum obsessum, et Turcas plures dietim advenientes ac se parantes ad expugnationem castri, ut, eo obtento, valerent Hungariam occupare, considerans eorum potentiam et ingenia tam per aquam, quam per terram, necnon crucesignatorum defendentium paucitatem, decrevit eos, quos ubique cruce signaverat, accersere. Sicque quarta die mensis ipsius, celebrata Missa, et sermone publice facto exhortatorio ad custodiam et ad virilem defensionem et resistentiam, assumptis secum quatuor
B fratribus, videlicet FF. Georgio et Francisco Hungaris, Alexandro de Ragusio et Ambrosio Aquilano, reliquis in castro dimissis cum benedictione et exhortatione ad martyrium et ad opera misericordiæ et pietatis; inde ad Petrovaradinum navigio sociatus duabus navibus D. castellani non sine maximo periculo se velociter contulit, prius dicens castellanis : « Ne timeatis, sed resistite fortiter, quia, Domino favente, in brevi temporis spatio tantam crucesignatorum multitudinem advocabo, quod Turcæ magnopere stupebunt. » Deinde nobis mandavit ac persuasit, ut ad martyrium nos, si daretur occasio, præpararemus; dabat tamen optimam spem boni successus, et quod insisteremus operibus misericordiæ : « Audite confessiones, sedate discordias, curate vulneratos et infirmos, sepelite mortuos, prædicate resistentiam et fortitudinem : vos autem, sacerdotes, cavete, ne aliquem Turcarum percutiatis, nec ad percutiendum sive ad occidendum lapides aut sagittas, sive etiam arma aliis ministretis
C nec paretis. Arma hæc vestra contra inimicos crucis Christi sint, orationes, sacrificia, opera misericordiæ ac Sacramentorum administratio. Fratribus vero laicis ego non pono regulam, aut aliter mando, nisi quantum Deus eis inspirabit. » Sed hic etiam nota, senior amantissime, zelum ipsius sanctissimi Patris erga animarum salutem. Quum enim ad dictum oppidum pro congregandis hominibus ascendendo audiret, ex quadam villa, non multum remota a Danubio, homines a facie Turcarum aufugisse, spiritu divino inspirante, contradicentibus nautis (nam magnus timor de Turcis proximis erat) ad illam villam divertit : qua circumspecta ac perlustrata, invenit quamdam puellulam, filiam schismatici ibi oblivione relictam, quam ipse, animarum zelator, accipiens secum per navem, ad Sala-
Salankemen? hamen deportavit et spiritualem patrem et matrem adinvenit, quibus alendam tradidit et suo tempore maritandam.

318 Quum autem intrepidus et sollicitus capitaneus Dei esset in Petrovaradino, nuntiat D. gubernatori excidium et periculum totius christianæ religionis, rogans eum, ut tanto discrimini pro amore Dei et fidei catholicæ, ac pro honore suo velit assistere. Qui quidem dominus post transitum galearum Turcarum recesserat ex oppido Carim, manebatque cum sua solita et honorabili familia in quadam secura planitie : qui licet semper fuit fidei catholicæ maximus propugnator, et acerrimus regni Hungariæ defensor ac gubernator; quia tamen apud regiam majestatem exosus redditus fuerat, falseque criminatus, quia nullus, etiam de baronibus regni, ad tam imminens et magnum periculum movebatur, quia sciebat, tantam Turcarum potentiam ab inermibus crucesignatis non posse superari, tum etiam quia seipsum credere nolebat crucesignatis : huic rei assistere renuebat, licet maximi doloris aculeis pungeretur, quia Turcæ per Nanderalbam ad Hungariam introirent. Nam hoc castrum, licet pertineret ad regnum Hungariæ, erat tamen sub ipsius custodia, ipseque dominus * præfecerat eidem castro D. Michae- * Corvinus
lem et D. Joannem Bastidam. Pulsatus tamen litteris et nuntiis ac precibus, venit ad beatum
E Patrem, quem miro modo honorabat et amabat : post multa verba, quæ scribere longum esset, tandem, omnibus postpositis, causam defensionis assumpsit : conveneruntque pariter ut tam homines crucesignati, quam naviculæ, quæ possent haberi, ad Salankemen congregarentur, et ipse beatissimus Pater scribit litteras, mittit fratres, admonet barones, prælatos rogat, ut, quotquot habent, crucesignatos mittant, ac ipsi veniant. Ipse etiam personaliter contulit se Bachiam ad reverendissimum D. Raphaelem archiepiscopum, cum sollicitans, eique dixit imminens periculum. Admonentur crucesignati, præcipitur sub excommunicationis pœna, ut omnes ad Salankemen conveniant. Datur eis spes victoriæ, datur et desiderium martyrii, sicque fama per totum regnum diffunditur.

S. Capistranus Huniadem ad suscipiendum bellum animat,

legatus quoque apostolicus omnia ordinat;

319 Reverendissimus D. Legatus descensu-
rus ad defensionem prædicti castri, disponit
F arma, advocat crucesignatos : Budæ tunc moram trahebat; animat familiam suam contra Turcas, invenitque victualia; sicque paratus descendere, præmittit D. episcopum Assisii ad Petrovaradinum, ut ex ipso de occurrentibus fiat certior, nuntietque ipsius in brevi descensum. Jam incipiunt crucesignati ad locum præsignatum convenire, jam pauperes excitantur, divites ac nobiles domi sedent; fama undique volat, litteræ crebræ mittuntur; et Pater ipse, zelo defensionis accensus, et tam solemne periculum in christianos videns, neque comedendi, neque bibendi, neque etiam dormiendi curam habebat. D. autem Joannes ad exhortationem ipsius Patris naviculas advocat, et sic per decem dies viciniores adveniunt crucesignati. Interea Turcæ potentissime castrum obsederunt, disponuntur maximæ bombardæ in trina locatione, ut ex tali dispositione quilibet murorum solo æquaretur. Inter eas locantur bombardæ communes ac majores ad majorum custodiam et defensionem; expugnantur turres, propugnacula dejiciuntur et per spatium decem dierum ferme omnes muri castri solo æquati sunt : restabant tamen turres interiores castri; nam terribiles lapides in una percussione maximam

A mam partem murorum quantumcumque difficilem destruebant. Ac ita ipsæ majores dispositæ et locatæ erant, ut quamlibet earum solus puer ad libitum vertisset. Horum omnium magistri erant Itali, Alemanni, Hungari, Bosnenses et Sclavi. Isti erant doctissimi et electi ad recte percutiendum cum eis, tamquam cum balistis; nec deerant, qui portarent cum maximis corbibus saxa, nec qui de his rotundos disponerent lapides : alii pulveres, alii ignem ministrabant; fecerantque ante ea maximam terræ congeriem, ut tam projicientes, quam stantes, a castri bombardis minime læderentur, qui magistri tam nocturno tempore, quam diurno, in projiciendo laborabant.

ac tandem quum omnia desperata viderentur,

320 Nos autem etsi in die ad signum campanellæ ad lamas*, sive ad testudines sub arcubus ostiorum, portarum atque fenestrarum confugeremus, in nocte tamen divinæ dispositioni nos committebamus, exspectantes martyrium, et gladium aut lapides Turcarum super nos. Tunc, Pater reverende, confessioni et fletui insistebamus, tunc spirituali locu-

B tioni, tunc sacrificiis, tunc orationibus, tunc peccatorum nostrorum contritioni operam dabamus, tunc strictum silentium servabatur. O sacrum tempus! o dies plenos spirituali mœstitia! Erat tamen castellanus boni animi, sperabatque præsidium utriusque Joannis, veniensque frequenter ad nos : « Ne timeatis, » ajebat. Et quum semel in ecclesia, quæ erat in castro, ego celebrarem, essemque in præcinctu communionis, ecce maximus lapis majoris bombardæ Turcarum percussit tectum ipsius ecclesiæ, ex quo homines, foras fugientes, me solum reliquerunt. Postea, acceptis omnibus paramentis, ad eos confugi; et tunc in palatio ereximus altare, et ibi fiebant sacrificia et orationes. Sola per Danubium spes restabat. Interea beatissimo Patre congregationi cruce signatorum insistente, ecce galeæ Turcarum impetuosissime ac velocissime a latere Danubii ascendentes, transitum Danubii occupant; sicque spes præsidii et subventionis adimitur; neque amplius beati Patris neque D. Joannis auxi-

C lium exspectatur. Etsi vero nos ad martyrium unanimiter dispositi essemus, eramus omnes in maxima mœstitia. Erat jam tam in castro, quam in civitate, pestis valida et penuria maxima, neque ei alimentum per Danubium poterat portari. Galeæ vero sparguntur per Danubium, ostendunt lætitiam, adhærent littoribus, descendunt ex iis homines, jam secant frumenta, excutiunt paleas, purgant triticum, onerant ex eo scaphas, portantque illud ad castra; sicque paucis diebus omnes campi, Danubio juncti, tritico, avena, hordeoque, quibus pleni erant, evacuantur; quæ omnia ex castro aperte videbantur. Post hoc galeæ firmant se super castrum ad unum milliare Italicum, juxta quamdam villam,

* Semlinum

quæ appellatur Semly* : hæc siquidem villa, ut apparet, magna civitas fuerat : nunc autem ex incendio Turcarum superiore tempore in villam redacta est.

unus ictus lapidis, fortuito emissus,

321 Destitutum jam erat castrum omni humano subsidio : ex his galeis nonnullæ crebro descendebant adversus castrum, sive potius civitatem, et aliquando naviculæ civium obsistentes cum eis pugnam capiebant. Sed veniens semel illa ornatissima galea, de qua supra tactum est, plena vexillis, sonis et nobilibus Turcis, et cum eorum actibus ridens christianos, quasi dicerent : « Jam estis in nostris manibus, jam Deus vester non potest vos juvare, jam evadere non potestis, jam Hungaria est nostra » etc. O Deus omnipotens! quidam terribilissimus lapis, e majoribus bombardis exiens, ac castrum et civitatem transcendens, præter voluntatem emittentis, decidit super illam illudentium ac jactantium galeam, quæ mox, nemine evadente, partim submersa est, partim submergenda confracta super aquas natabat. At præsto fuerunt cives, qui ad eam navigantes, omnia vexilla, vestimenta et ea quæ tam cito submersa non fuerant, interfectis iis, qui vivebant, rapuerunt. Quem lapidem, honorande Pater, per manus Domini, qui se spernentes non sustinet, emissum fuisse puto. Audiens autem pius Pater, castrum bombardis horribiliter expugnari, et magis ac magis Turcarum animos immanissimos contra illud accendi; audiens etiam, galeas ipsum jam transitum tenere, nec esse E aditum ad castrum, nec posse alimenta, obsessis terris, mitti, neque præsidium dari, nec etiam eis subveniri, nisi prius, Turcarum galeis fugatis ex Danubio, transitum recuperarent, consulit D. Joanni, eum sollicitans, ut quotquot naviculas e vicinis partibus posset habere, in Salankemen faceret adunari, cui etiam ipse dominus prius vacaverat. Illico factum est; nam in paucis diebus, quasi ducentæ naviculæ, ad usum hominum deputatæ, illuc conductæ sunt; quæ, multis magistris adhibitis, ad impugnandum et propugnandum extemplo cum assibus* sunt * asscribus? dispositæ. Replentur arculæ sagittis, balistis, scopettis atque pixidibus : congeruntur saxa, fiunt propugnacula, victualia immittuntur, et electis ac fortibus cruce signatis replentur. Quibus præco Dei post exhortationem, prius factam ad defensionem fidei christianæ et plenariam remissionem omnium peccatorum et ad martyrium, non aliud, quam Nomen Jesu invocandum et acclamandum, tam in aqua, quam in terra, præcepit.

F

ingentem Turcarum classem

322 Monent utrique Joannes nocturno tempore, non sine periculo Turcarum, castellanos fer. IV proxime futura, videlicet die XIV mensis, quot possent, naves parent atque disponant, et quum ipsos descendentes ad talem locum viderint, etiam ipsi cum dictis navibus ascendant. Qui confestim quadraginta naviculas coaptant, et eas solum civibus tribuunt gubernandas : nam licet hujusmodi cives sint schismatici, sunt tamen inimicissimi Turcis, et ab eis magis, quam ab aliis, Turcæ timent : sunt etiam doctissimi sagittarii, nec terga vertunt. Istis igitur dictæ naves completæ fuerunt. Ipse autem D. Joannes, quia non confidens in tali navicularum apparatu, tam superiorum, quam inferiorum, disponit unam maximam navem, quasi rectricem, conservatricem et coadjutricem omnium aliarum, replens eam armis, plumbis, munitionibus et personis suæ familiæ. In hac tota spes posita erat, in hac confidentia et omnis securitas ponebatur. Quibus omnibus dispositis, quum dies statuta advenisset, superiores

AUCTORE J. V. H.

res naviculæ, sic armatæ, versus Turcas animose descendere incipiunt : post quas non remote ducitur navis magna, custos, protectrix et auxiliatrix. Præcedit Pater, patronus crucesignatorum, secus Danubium; inde omnibus pro confidentia ingerenda visibilis apparet. Petrus autem, nobilis vir, vexillum ipsius alacriter ferebat. Ipse vero D. Joannes remotus cum nonnullis equitibus ad custodiam navicularum per terram descendebat : quas quum Turcæ vidissent, irridentes illas, strinxerunt se, et, in modum pontis fortissimi, firmaverunt se invicem colligentes, parantque se ad resistendum, credentes illas omnino lucrari. Naviculæ autem civitatis, visis superioribus, jam rite, celeriter et animose ascendere cœperunt. Jam fremente intra se Patre athleta et Nomen Jesu invocante, incipiunt christiani bellum. D. autem Joannes potenter et astute advertebat, ne subsidium ex castris Turcarum ad galeas mitteretur, aut ne Turcæ, de aqua saltantes, terram occuparent, aut etiam ne per terram evaderent. Resistunt Turcæ christianis, nec unus ab altero solvitur.

B

destruere cœpit,

323 Pater beatus, ad littus manens, crucem vexilli in faciem ipsorum dirigebat, quasi diceret : « Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ: » discurrens hinc inde in modum robustissimi juvenis, et invocans sanctissimum Nomen Jesu. Supervenientibus autem ex civitate navibus quadraginta, undique Turcæ vallantur, undique naviculis cinguntur, undique etiam ab eisdem molestantur : quibus solutis et involuntarie ab invicem separatis, jam veniunt ad manus. Resonant maximi strepitus, scopettæ et pixides utrinque exploduntur, voces ac clamores ad cœlum dantur, ensibus et gladiis ac lapidibus sese mutuo percutiunt ; beatissimo Patre orante manibus junctis, ac oculis ad cœlum elevatis, ut ipse Deus causam suam tueri dignaretur, invocando Nomen Jesu in auxilium christianorum. Oratio etiam in castro fiebat assidue. Solvuntur Turcarum galeæ, sparguntur per Danubium, impetuntur balistis, arcubus atque spingardis, sicque per

C

spatium quinque horarum duravit bellum tam atrox in flumine. Quid multis immoror? Finito bello, visæ sunt tres magnæ Turcarum galeæ suffocatæ cum personis, quatuor captæ cum omnibus munitionibus et ornamentis eorum : reliquæ autem galeæ remigantes velociter descenderunt ad locum, ubi prius steterant, personis fere omnibus vulneratis ad mortem. Suffocati sunt Turcæ ultra quingentos : quæ autem superfuerunt galeæ, ita debilitatæ fuerunt, quod numquam amplius christianis obesse, nec Turcis prodesse potuerunt. Præter ea, quæ hic christiani lucrati sunt, duo nobilissima vestimenta, longa usque ad talum, et artificiose ad pugnandum disposita, a quodam ex cruciferis beato Patri præsentata fuerunt, quæ adveniente reverendissimo domino Legato, sibi dono dederat. Hic inter alios duo nobilissimi Turcæ juvenes ad Patrem beatum ducti fuerunt, qui postquam neque persuasionibus, neque precibus, neque blanditiis, neque etiam minis baptismum voluerunt, missi sunt ad D. Joannem, quasi pro triumpho victoriæ, quos quum ipse acerrimus Turcarum inimicus vidisset, jussit ante se decapitari. Cui domino quum diceretur : « Carcere ac vinculis afflictos aliquot diebus teneamus eos, forte baptizabuntur : » ait illico : « Decapitetis eos, et postea baptizetis. » Illi autem Turcæ contendentes ac dicentes, se velle opinionem majorum tenere, mox capitis abscissione mortui sunt, et feris ac avibus vorandi in campo remotissimo derelicti. Nemo tamen dominum de crudelitate criminetur, sed potius de zelo fidei catholicæ et de inimicitia contra offendentes christianam religionem laudandus est. Quod autem eos dixerit baptizandos post mortem, irrisive dixit ipse : ut enim sciebat duritiam Turcarum, eosque numquam convertendos, et illud « baptizetis eos, » erat quasi diceret, abscissis capitibus, submergatis eos in Danubio. Hæc dixerim, optime Pater, ad excusationem magnifici D. Joannis.

D

copiaque annonæ et machinarum christianos locupletavit.

324 Ut ad historiam redeam, sic, Domino favente, recuperatus est Danubius. Jam spes datur obsessis, jam lætantur, qui in tristitia fuerant, jam jubilant, qui mœsti manebant, jam parum obsessi bombardas timent, jam ruinæ murorum castri reparari debebant, jam pluunt victualia, jam tritica et vina descendunt, jam spes evasionis advenit; sicque tam civitas, quam castrum, signa lætitiæ ostendunt, Turcis tristantibus. Et hic, Pater optime, nota, quod volens omnipotens Deus ostendere, sua manu, et non humana industria fieri hanc gloriosam victoriam, in Danubio habitam, sua permissione factum est, ut illa navis tam magna et artificiose parata, et in qua tota humana spes posita erat, potius quam in naviculis pauperum, jam incepto bello, ex imprudentia accensis pulveribus bombardarum, tota combusta est. Non desistunt interea Turcæ ab expugnatione castri, sed multo ardentius solito, diu noctuque festinant ad ruinam murorum et turrium ; et vexilla illa, Turcis capta, quibus ipse D. Michael per circuitum murorum castrum cinxerat et ornaverat in conspectu Turcarum, ad eorum audaciam comprimendam, ictibus bombardarum lacerata deciderant et conculcata jacebant. Parant jam

F

lignamina Turcæ, paleas portant, fimum cineresque componunt, coacervant lapides, arbustaque cumulant, ut fossata, quæ magna et lata erant, valeant replere, ac, fossatis repletis, liberum aditum ad castrum habeant. « Sed non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. » Bombardæ etiam, ut dictum est, super trina locatione locatæ ac vallatæ fossis, ac terrarum cumulis sic firmatæ ac custoditæ tenebantur, ut totius, ut ita dicam, mundi viribus ab eis violenter non potuissent auferri. Ut illuc redeam, unde diverticulum feci, Pater optime, facta in aqua hac victoria, non sine maxima lætitia intrantes utrique Joannes, vident castrum, vident murorum ruinam, considerant Turcarum immanitatem et propositum; et ad exhortationem Patris accingitur Joannes ad reparationem; repletur fortitudine, animatur ad verbum Patris.

Liberato Danubio, cruce signati partim in urbe,

325 Sed eo die, quo intraverunt, quum videret ipse D. Joannes nonnullos Turcarum circa castrum deambulare, quasi vellent irritare

A tare christianos ad certamen, mandat ipse dominus aliquos ex sua familia armari ac cum eis bellare: inter quos quidam de intimioribus ipsius, nomine Forcas, veniens ad Patrem, petivit benedictionem, quia vellet ex præcepto domini sui cum Turcis bellare. Pater dixit sibi: « Es tu confessus et communicatus? » dicenti: « Ita, » benedixit. At ille exiens et strenue se habens, interfecit nonnullos Turcas, tandem et ipse fuit interfectus, cujus mors nimium fuit domino suo molesta. Dixi hæc, Pater, quia nonnulli veritatis inimici ausi sunt dicere, illum ex præcepto beati Patris ad pugnandum cum Turcis castrum exivisse. Omnes autem, qui erant in castro, ex præsentia tam D. Joannis, quam beati Patris gaudio magno perfusi manebant. Ipse vero dominus, emissis omnibus crucesignatis, qui in castro fuerant, alios recentes intromisit : vulneratos autem et infirmos ad superiores civitates curandos pie destinavit, et navigio deferri fecit. Pater fratres suis verbis consolatus est, simulque cum ipsis brevem ac levem collationem sumpsit.
B Reddidit mœstis lætitiam, pavidis securitatem et dubiis certitudinem; et animatis ac instructis omnibus, sicut prius fecerat, me secum ducens, quem inspiciebat forte debiliorem omnibus, ad locum de Semly, ubi victoria facta fuit, concitus remeavit. In hoc siquidem loco crucesignati convenire debebant; in hoc Pater suum tentorium fixit, in hoc ipse D. Joannes, reparatis muris, constituebatur: et est iste locus circa Danubium, circa castrum, et ad conspectum Turcarum obsidentium. Sed ea nocte lapis majoris bombardæ cecidit in stramine, in quo manens in castro semper in nocte quiescere solitus eram. Quid? forte ipse Pater, præscius futurorum, me propterea eduxerat? Non dubito; quod si illic fuissem, ex illo lapide procul dubio occubuissem. O immanissimi Turcæ, cur prius illum lapidem non projecistis, ut mihi corpus contrivisset! O Pater beatissime, cur me illic stare non permisisti, ut amplius Creatorem meum non offendissem.

partim extra eamdem disponuntur;

326 Manebat autem bonus Pater in dicto loco advocans, exspectans et recipiens crucesignatos, jam undique, etiam a remotis partibus, advenientes, quia beato Patri, et non alteri, obediebant, tamquam eorum capitaneo, imo tamquam vicario Jesu Christi. Nec mirum; nam ad ejus prædicationes et monitiones excitati, crucem ab eo sumpserant, secum in carcerem et in mortem ire sibi polliciti; et quia eum videbant inter homines evangelicam vitam ducere, super infirmos mira prodigia facere, vitam suam pro Christo ponere, quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram, pro regni liberatione indefesse laborare, propterea omnes ei obedire affectabant, et ut apostolum, sibi cœlitus missum, miro modo diligebant et timebant. Ipse enim erat omnium crucesignatorum rector, judex, dux, capitaneus et imperator. Sane hic, dulcissime Pater, advertendum est, quod ex litteris, nuntiis et rumoribus omnes crucesignati commoti, properabant ad beatum Patrem, in præfato loco constitutum, miro, devoto et ferventi modo venientes : non turmatim omnes, sed ex singulis patriis et locis illuc adventabant singulæ turmæ, suum vexillum præferentes. Vexilla autem ab uno latere crucis signum ab altero Beatorum Francisci, aut Antonii, aut Ludovici, aut Bernardini figuras habebant, ut ex hac innueretur, ab illis eos crucesignatos collectos esse, qui Ordinis erant Minorum; aut ut intelligeretur, illam cruciatam solum pauperum, et non divitum esse, et capitaneum eorum pauperem: vel hoc faciebant, ut conformarent se cum vexillo Patris eorum, vel ut horum Sanctorum patrociniis sub eorum vexillis juvari mererentur. Nec deerant cuilibet turmæ varia sonorum instrumenta ad animos excitandum: ibi tubæ, ibi cornua, ibi tympana, ibi cytharæ, ibi campanellæ, ibi sonorum strepitus, resonantes potius ad alliciendum animalia, quam homines. Patri autem duo tubicines ex mandato D. Joannis erant; iis enim instrumentis ipsi vigiles, solliciti ac læti reddebantur; nec prius se locabant, nisi prius ante beatum Patrem, ostensione facta in modum processionis, et recepta benedictione ab eo, locus ac deputata mansio eis ab ipso patrono populorum deputaretur: qui etiam ita læti, ita jucundi, ita ferventes veniebant, ut E
non ad bellandum cum Turcis ferissimis, sed ad convivia celebranda currere viderentur: sicque per novem dies undique venientes, sexaginta millia crucesignatorum coadunata sunt.

AUCTORE J. V. H.

et christianis virtutibus

327 Qui omnes in Hungaria tam per ipsum beatum Patrem, quam per socios suos Hungaros crucesignati fuerant, licet inter eos essent nonnulli Alemanni, Poloni, Sclavi et Bosnenses. Quibus nulla erat otiositas, nulla mollities, nulla impudicitia: non ibi ebrietas, non commessatio, non inhonestas, non concubinarium fœminarum; non ibi verborum vanitas, non ludus, non furta, non rapina; non de absentibus detractio, non murmuratio, non susurratio, non contumelia inter eos erat: sed ibi devotio, ibi oratio, ibi Missarum frequentia; nam licet ad Missam beati Patris plures convenirent, quælibet tamen turma suum sacerdotem sæcularem vel religiosum habebat, a quo sacramenta crebro recipiebat. Erant etiam complures sacerdotes et religiosi crucesignati, frequenter Missas et divina officia cantantes. Ibi jejunium, ibi fidei firmi- F
tate crebra silentia, ibi de proprio sanguine Christi amore fundendo firma propositio, ibi Nominis Jesu frequens proclamatio. Pietas inter eos summa erat: nonnulli, quibus jam victus deerat, mendicitate et eleemosinis abunde vivebant: magna inter eos erat patientia, magna pax, magna concordia : summam omnes habebant obedientiam, nam licet non nisi Patri beato obtemperarent, inter se mutuo unus alteri ex caritate obediebat. Pater autem si ad aquam, ad ignem, eos misisset, ut novitii religiosorum sine tristitia paruissent: et ut ipsorum promptam obedientiam breviter dicam, Patre clamante, omnes clamabant; Patre sive manibus elevatis, sive in modum crucis extensis manente et orante, sic ipsi faciebant: Patre erigente vexillum, omnes vexilla sua erigebant: Patre ambulante, et ipsi ambulabant: omnes tamen vexillum ipsius beati Patris concorditer sequebantur. Rigor etiam justitiæ servabatur permaximus, nec aliquod delictum impunitum abibat: licet quælibet turma sive populus

AUCTORE J. V. H.

populus suum præfectum haberet, omnes causæ ad ipsum Patrem, tamquam ad communem judicem, deferebantur. Si quis tamen eorum publice grave facinus aliquod commisisset, communi judicio publice mulctabatur, ut aliis præberetur exemplum.

egregie se exercent.

328 Quidam ex eis quum nummum furaretur, mox, inscio Patre, fuit sibi abscissa auris dextera. Alteri, quum, recuperato passu Danubii, clam venderet panes carius solito, mox ut ad notitiam venit crucesignatorum, omnes panes illius in Danubium projecti sunt; et nisi ego cum quodam alio fratre, Georgio nuncupato, illic adfuissimus, fuisset et ipse submersus : fuit tamen diversis flagellis verberatus. Nolebant quidquam crucesignati inter eos committi, quo a divino cultu amoverentur, dicentes : « Venimus ad sanguinem fundendum, habemusque conductorem sanctum, justum et pium, et debemus talia mala perpetrare? » Erant et mirabilis caritatis erga Deum, quia pro suo honore vitam deponere parati erant. Ex quibus illud
B Ecclesiastici verificatum ostenditur : « Secundum judicem populi, sic et ministri, et qualis est rector civitatis, tales et habitantes
* Eccli. X, 2. in ea * . » Quum autem fere sexaginta millia crucesignatorum advenissent, prædicabat eis vir Dei viam salutis, hortabatur ad martyrium, ad constantiam et ad defensionem christianæ religionis : ac sub voce præconis imperavit omnibus, ut sive venirent, sive recederent, sive percuterent, sive percuterentur, Nomen Jesu frequenter invocarent, affirmans, non esse in aliquo alio salutem : præcepit cum inimicis Christi viriliter pugnare, nec insistere rapinis aut spoliis. « Propellite, » dicebat, « Turcas : non sinite ab eis christianitatem occupari : facile vincimur, si spoliis insistimus; superabimur a Turcis, si propter rapinam eos insequamur. Si propter fidem bellamus, dabit illos Deus in manibus nostris, et cuncta eorum bona nostra erunt : propter Christum viriliter pugnate, et videbitis auxilium Domini super nos. Illis superatis, quæcumque contra nos detulerint, possidebimus : estote fortes in bello et pugnate cum antiquo
C serpente, et accipietis regnum æternum. Confiteamini peccata vestra : summus Pontifex dat vobis omnium peccatorum plenariam remissionem. O filii mei et devotissimi Hungari, o pauperes ad Turciam, ad Turciam. » Monebat insuper eos, ne aliquem nisi Turcas molestarent, dicens : « Quicumque nobiscum etiam contra Turcas assistere volunt, amici nostri sunt, Rasciani schismatici, Valachi, judæi, hæretici, et quicumque infideles nobiscum in hac tempestate esse volunt, eos amicitia complectamur. Nunc contra Turcas, contra Turcas pugnandum est. » Sicque Pater, hæreticæ pravitatis generalis inquisitor, licet hujusmodi hominum perversorum semper fuerit acerrimus persecutor, exstirpator et confusor; eos tamen, qui contra Turcas arma sumebant, nolebat tunc aliqua molestia conturbari, faciebat eos sæpissime acclamare Nomen Jesu. Hæc omnia in latissimo campo fiebant, Turcis ex castris et obsidione spectantibus et audientibus.

D

§ XXIX. Joan. Tagliacotius varias industrias describit, quibus S. Joannes Capistranus cruce signatos animat, et exponit imminentem civitatis ruinam.

Pauci nobiles cruce signati;

Notandum insuper, quod licet hoc in loco tam copiosus populus conveniret, nullus de baronibus illic comparuit præter illustrem et præclarum D. Joannem, gubernatorem regni, ut dictum est, cum sua familia. Nondum exercitum instauraverat (testor Deum et Angelos ejus, quod non mentior in prædictis); licet cum eodem tunc temporis aliqui de suis subditis et vassallis ac nobilibus manerent; sed ipse cum suo consilio et auxilio loco omnium aliorum satisfecit. Astitit et ille magnificus baro D. Joannes de Borogh, comes perpetuus de Castillis et banus Machoviensis, necnon comitatuum de Orban et Posega co-
E mes; hic enim ratione banatus illuc adventavit cum nonnullis equitibus ; erat enim Nanderalba sub banatu suo : hic magnum fervorem ostendebat, vir sani consilii et optimæ discretionis ac devotionis. De nobilibus et clientibus, etsi multi essent crucis charactere insigniti, quia mos est in Hungaria eos sub eorum dominis ad militiam proficisci, non venientibus dominis, nullus eorum venit, sed, ut sanius dicam, perpauci comparuerunt. Sed omnes, qui convenerant, erant populares, rustici, pauperes, sacerdotes, clerici scholares, studentes, monachi, fratres diversæ religionis mendicantes, personæ tertii Ordinis S. Francisci, eremitæ, inter quos pauca arma vidisses. Non equos, nisi pro deferendis victualibus, non lanceas ibi vidimus, nisi apud eos, qui loricis se operirent. Videbantur tamquam David armatus contra Goliath; abundabant gladiis, fustibus, fundis, baculis, sicut pastores : erant inter eos balistæ, arcus, scopettæ, spingardæ, plumbatæ, uncini ferrei ad rapiendum. O si vidisses quemdam priorem Ordinis Eremitarum cum
F septem fratribus sui conventus, qui, zelo fidei et amore martyrii flagrantes, plicato habitu, accincti gladiis, galeis protecti cum scuto ad humeros, quomodo currebant ad martyrium, præ devotione flevisses. Quorum omnium Pater ipse beatus, ut sæpe dictum est, erat ductor et rector, ut alter Moyses, ut alter Josue.

S. Capistranus ignes

330 Non cessabant interea Turcæ ab expugnatione castri, sed timere incipiebant, sicut ex ipsismet postea didiceram, quando ex castris videbant tot crucesignatos, quos non paucos aut pauperes, non inermes, sed totum mundum, omnibus armis præfulgidum et munitum, illic adunatum se vidisse putaverunt; Patrem etiam ipsum arbitrabantur totius mundi imperatorem. O Deus! quanto jam tunc timore concutiebantur! Ideo festinabant ad destructionem castri, prætendebantque lætitiam aliquando ad terrorem christianorum. Quodam sero, ut christianos terrerent, crebros et maximos ignes sparsim in castris fecerunt, indicantes ex hoc, jam castri muris destructis, se victoriam habituros. Alia nocte capitaneus

A capitaneus Dei in castris suis plures ignes accendi jubet; populi autem obedientes tam copiosos et varios ignes fecerunt, ut tota illa magna planities christianorum unicus et maximus ignis appareret. Ajebat namque vir Dei, conversus ad maximum Turcam : « Igne nos, maxime canis, terrere voluisti; igne cremaberis, igne expelleris et fugaberis. » Quasi præscius futurorum ita dicebat, sicque confortabat populum ac persuadebat omnibus, ne Turcarum imperatorem, sed maximum canem dicerent, ægre ferens, si alio, quam tali nomine nuncuparetur. Sequenti sero audiuntur in castris Turcarum varia instrumenta sonorum pulsari, ac tantam ab eis lætitiam fieri, ut potius victuri quam vincendi existimarentur. At ipse cruciferorum imperator, sancta invidia accensus, imperat voce præconis, ut quicumque haberet instrumenta ad sonandum sive ad terrendum, post mediam noctem sonent, terreant usque ad diem, et qui instrumentis carerent, scuta baculis et lapidibus validissime percutiendo, ingentissimum et pavidissimum strepitum
B facerent. Lucescente die, omnes, erectis vexillis, in conspectu Turcarum gaudio lætitiaque exsultarunt; sicque totam noctem insomnem ducentes, non tantulus populus, sed universus mundus cum diversis et variis instrumentorum sonis et strepitibus ibi adesse visus est. Itaque sonantibus tibicinibus, alii cantant, alii clamant, alii choreas ducunt, alii ad cœlum manus cum clamore elevant, alii saltant, sicque faciendo minuunt audaciam Turcis, pavorem incutiunt.

per universa castra accendi jubet;

331 Sicque talia multi Turcæ videntes et audientes fugiebant, dicentes : « Recedamus, quia ecce totus mundus in auxilium venit christianorum; et, ut videmus, nostram derident potentiam. » At ille immanissimus canis, magis ac magis ira furiaque in christianos accensus, ardentius solito jubet continuari bombardas, festinatque montes terræ castro æquare, imperat subterraneas fieri cavernas, et congregata pro fossatis replendis juxta fossata trahi atque deferri, ut, his statuta die fossatis repletis, plano gressu liber eis ad
C castrum pateret ingressus. Hic animadvertendum est, quod his undecim diebus, quibus post victoriam navalem in hoc loco beatus Pater cum crucesignatis, ut dictum est, permansit, crebro castrum ingrediebatur, emittebat e castro debiles, pusillanimes, infirmos, vulneratos et pauperes; si qui autem mortui erant, sepeliri faciebat : introducebatque novos, animosos, robustos et constantes crucesignatos, quos D. Michaeli commendabat. Quibus, ut prioribus, custodiam castri, martyrium et constantiam prædicabat, monefaciens eos, ut castellanis obedirent, et, sic disposito castro, ad exercitum remeabat. Quale autem exercitium in castris habuit, facile perpendi potest ex hoc, quod cibum jam non sumebat; si quando causa quiescendi jacere volebat, nuda terra lassato corpusculo lectus erat : si sitiebat, aut vinum calidissimum ex sole cum aqua turbida et fœtenti bibebat, aut ipsam puram aquam. Somnum non capiebat; et quum esset septuagenarius, in laboribus, in vigiliis, in malis sufferendis erat robustissimus juvenis. Modo intrabat, modo exibat castrum; modo docebat, modo monebat; modo hortabatur, modo corrigebat, modo etiam imperabat : suique officii erat tam castrum, quam etiam castra populorum custodire; ponens custodias, faciens fieri vigilias et mittens exploratores : labores, sudores, occupationes et curas tantas habebat, ut nullus ita robustus, præsertim hisce diebus, inventus est, qui cum eo perseverare posset; non quidem equites eum in tantis laboribus sequi poterant; fortissimi et assuetissimi laboribus deficiebant. Quid plus? D. Joannes Gubernator, videns eum in tantis laboribus occupatum, et quod ei cura omnium incumbebat, meliorem, quem habebat, equum illi dono dedit, qui adeo suo assiduo labore fatigatus est iis paucis diebus, ut in medio populorum, non sine maxima admiratione omnium et compassione, decoriatus exstitit; et quum jam ex assiduo labore remissius se debuisset habere, in dies magis ac magis fortior apparebat. Missas singulis diebus cum Collectis : « Ne despicias populum tuum, Domine » etc. ut in Missali pro Quacumque
E tribulatione ; aut : « Hostium nostrorum, quæsumus, Domine, elide superbiam, » etc. ut ibidem contra Persecutores et male agentos; aut : « Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu » etc., ut ibidem contra Paganos, quotidie celebrabat, hortans populum, ut prius. O Patrem, senio jam confectum, indefessissimum! O beatum virum, omni honore et reverentia prosequendum! O athletam Christi, nullo labore victum! Licet enim ætate reficiebaris, continuis tamen laboribus numquam senuisti : in te caritas, in te spes et fiducia permaxima; in te fides inexplicabilis, in te zelus martyrii, in te fervor ille accensissimus indicibiliter vigebat.

terrentur quidem belli duces,

332 Stabat et ill. D. Joannes cum D. Michaele; et quidquid ex machinis Turcarum nocte ruebat, in die reparabat. In tentorio suo assidue pernoctabat, laborabatque indefesse pro castri conservatione; et quotquot crucesignatis pro defensione castri indigebat, aut per se aut per nuntium beato Patri intimabat. Pater assumptis defensoribus, per Danubium aut per portam posteriorem castri ad castrum F deducebat, talique modo castrum illis diebus servabat. Qui D. Joannes, licet ruinas murorum non desineret reparare, tam ipse, quam D. Michael, credebant, castrum in brevi ad manus inimicorum deventurum, idque nuntiant beato Patri : qui sciens, quæ ventura erant, procurabat ab eis auferre timorem et tribuere eis spem victoriæ et liberationis, hortans insuper eos ad reparationem, dicens : « Non timeatis, magnifici Domini, potens est Deus liberare populum suum, » et similia. Notandum est hic, quod reverendissimus Legatus his diebus litteras dedit ad utrumque Joannem ex Buda, nuntians, ne aliquo modo consererent bellum cum Turcis; ipse enim in brevi descenderet cum valida manu, motus ex hoc, quod tantus populus inermis et inusitatus ad bellum illic congregatus diceretur : timebat enim, ne omnes in manus Turcarum devenirent. Rationabile et opportunum visum, ut talis descensus cito fieret et manum validam afferret. Ex hoc Legati præcepto aliqui detractores beatissimi Patris arguunt, ipsum

AUCTORE J. V. H.

AUCTORE J. V. H.

ipsum fuisse inobedientem ex hoc, quia divino impulsu bellum gessit cum Turcis. O si crucesignati victi fuissent, quid hujusmodi æmuli contra ipsum dixissent? Tales non attendunt, quod solum ex industria, oratione, prædicatione, incitatione et laboribus tanti Patris tota christianitas liberata est. Certe obediebat R. D. Legato, tamquam summo Pontifici; sed quia fuit a Deo impulsus et a Turcis provocatus, ideo, ut mox dicetur, gessit bellum contra illos.

dum muri Albenses solo æquantur,

333 Sed ecce jam omnia mœnia solo æquata sunt, jam turris illa maxima et quasi plumbea per medium scissa est, in qua manebant vigiles et in qua signa fiebant ad evitationem bombardarum. At quia ex alia turri maximum

* Turcam

canem * cum quodam cornu verba formando quidam deridebat, et ex ea nonnulla damna castris Turcarum fiebant (nam, me præsente, tribus ictibus bombardæ quidam sacerdos, capellanus castri, septem Turcas interemit) jam crudelissimi Turcæ castrum expugnare cum tota eorum potentia statuunt. Jam præconizatur, ut primis intrantibus maxima dona

B tribuantur, secundis et tertiis et sic gradatim, idque cito se facturos deliberant; videbant enim, dietim exercitum christianorum multiplicari, et, ut dictum est, videbatur eis, quod totus mundus illic contra eos veniret. Sic se omnes accingunt, ut sequenti die, in vigilia S. Magdalenæ id fiat. Jam bombardæ et pixides silebant, jam per castra discurrebant solliciti. His visis et consideratis, D. Joannes, regni et catholicæ fidei fidelissimus propugnator, omissa murorum reparatione, nimium fatigatus, de nocte venit ad beatum Patrem, dicens : « Ecce, Pater, victi sumus, succumbimus omnino Turcis : jam pluries de ipsis triumphum victoriæ reportavi, et quidem aliquoties non ex multitudine armatorum, non ex fortitudine bellantium, sed diligentia, industria et astutia eos contrivi, scioque mores eorum in re militari. Nunc autem nullum ingenium, nulla industria, nullaque astutia contra eos mihi est; neque offendendi neque defendendi argumentum mihi restat. Quod potui, feci; nunc omnino deficio, nec est via castrum amplius defendendi : jam castrum

C non potest amplius reparari, jam muri omnes et turres destructæ sunt, jam Turcis aditus patet; nos pauci sumus ad tantam multitudinem, et inexpertos homines habemus, inermes, pauperes et debiles ac timidos : barones non conveniunt : quid nos amplius possumus? » Cui Pater consolationis : ait : « Ne timeas, magnifice domine, potens est Deus cum paucis et inermibus Turcarum potentiam superare, castrum defendere et inimicos suos confundere. »

sed Capistranus *proximam liberationem promittit,*

334 Voluit Deus, hæc dixisse magnificum dominum, ut futurum et excellens miraculum clarius, certius et mirabilius mortalium mentibus appareret, et ea, quæ dextera Dei factura erat, non humanæ, sed divinæ potentiæ adscriberentur. Ille autem castrum amplius non intravit, sed in ea nonnulli de sua familia pro defensione manebant. Ajebat namque ipse dominus : « Cras omnino castrum non erit nostrum, sed Turcæ illo potientur. » His Pater auditis, lætus e contra ajebat D. Joanni : « Ne timeas, imo erit nostrum, erit nostrum » sæpius replicando, « causa Dei agitur, nomen Christi defenditur : sum certus, quod Deus D causam suam tuebitur. » O confidentissimum Patrem! Quis illum laudibus non efferat et præconiis? Verumtamen advocavit e foris quatuor millia ex crucesignatis, qui fortiores, animosiores, fideliores et amantiores videbantur : quos recensitos, suo vexillo præeunte, ad castrum introduxit. Illi vero ita læti beati viri vexillum sequebantur, ut non ad eorum sanguinem effundendum et moriendum, sed tamquam ad epulas invitati famelici ire videbantur, vel ad maximas divitias obtinendas. Quos quum Pater intromisisset, lætantur omnes, et castrum et civitas signa lætitiæ libenter ostendunt. Timebant tamen permaxime omnes. Pater autem omnibus, ut solebat, exhortationem facit ad sollicitam custodiam, ad martyrium, ad defensionem, ad constantiam et ad fidelitatem; et emisit debiles, vulneratos, pusillanimes et inutiles; infirmos autem ad superiores civitates curandos, ut prius fecerat, transmisit : restantibus vero nonnisi Nomen Jesu invocare et acclamare præcepit, prædicens eis, in hujus sanctissimi E Nominis virtute christianos de Turcis omnino victoriam habituros. D. autem Michaelem castellanum omni, qua valuit, exhortatione ad prædicta animavit, commendans ei crucesignatos, ac dicens, ut eis loca defensionis statueret et assignaret. Erat autem ipse D. Michael vir strenuus et armis exercitatus, animosus et bellicosus, qui tum ratione regni, tum ratione D. Joannis gubernatoris, cui attinebat (nam uxor ipsius Joannis, videlicet D. Elisabeth, soror carnalis est Michaelis) tum etiam ratione sui honoris et famæ, acerrimus castri propugnator et defensor erat.

militesque christianos intrepidos

335 Erat etiam ibi, ut dictum est, D. Joannes de Gest, nobilissimus miles, et expertissimus in castris defendendis, vir quidem ingenio, astutia et sagacitate præclarus. Fratres autem ibi quinque reliquit, quibus, ut prius, Pater præcepit, ut instarent operibus misericordiæ et reciperent martyrium, si Deo placeret; quia jam instabat tempus coronæ. Quibus omnibus rite dispositis et benedictione data tam castro, quam ibi exsistentibus, ac publice et alte facta acclamatione Nominis Jesu, vexillo præ- F eunte, ad exercitum christianorum, in eadem planitie commorantem securus et jucundus rediit, spem habens in eo, qui in se confidentes non confundit. Quo die complures mulieres de civitate ad castrum se contulerunt, præsertim potiores et virgines, ne simul cum aliis in prædam aut in raptum darentur : tutius judicantes in castro esse, quam in civitate, tum ratione crucesignatorum, tum ratione fratrum, tum etiam quia non credebant castrum, quod tantis defensoribus a Patre munitum erat, faciliter in manus Turcarum deventurum. Nemo miretur, optime senior, quod beatus Pater in castro illa nocte remanere noluit, nam exercitum maximum habebat, nulli, nisi sibi, obedientem. Attendebat ex iis, qui foris erant, dare præsidium intrinsecus pugnantibus, si opus esset. Et quia exercitus erat inordinatus et ignarus, continuo rectore ac directore indigebat, ne si quid litigii inter eos oriretur, eo absente, cui, ut dictum est, omnes tantum deferebant, in scandalum cruciatæ redundaret. Præterea pugnantibus

A gnantibus in castro spiritu et oratione, exterioribus vero corporali præsentia; illos oratione juvans, hos præceptis suavissimis corrigens et terrens, dicebatque assidue: « Salvum fac populum tuum, Domine, » etc. Circa vero horam tertiam ipsius vigiliæ Turcæ, generalem pugnam pro castro capiendo commissuri, secundum morem ipsorum præmittunt orationem, funduntque preces eorum diabolico Mahomet. Per spatium itaque non permodicum, pulsatis prius variis sonorum instrumentis, altissime vociferantur, ut potius mugitus boum, quam vox hominum crederetur. Sed fit e contra cantus laudum in castris christianorum cum acclamatione Nominis Jesu: vexillis erectis fit et in castro altissima vociferatio, disponunturque cruciati super ruinas murorum, accingentes se ad prælium, parati vitam pro Christo ponere, nec ab assignatis locis abire, donec aut mortem pro Christo obirent, aut castrum liberum ab hostibus viderent.

in oppugnantes Turcas

B 336 Et ecce circa horam vespertinam ejusdem diei turmatim Turcæ cum magnis clamoribus irruentes, appropinquant castro, tamquam leones rugientes, parati ad prædam: alii fasces lignaminum, alii stramina, alii terram, alii fimum, alii cineres in fossata projiciunt, alii asseres lignaque jactant; nonnulli etiam per cavernas subterraneas venientes, ut lupi rapaces, famelici, ad murorum ruinas adventabant; sicque et replere fossata et ad illa venire atque descendere satagebant. At crucesignati pro muro constanter manebant, sollicitante castellano, pixidibus, bombardis, scopettis, balistis ac sagittis Turcas vulnerabant, interficiebantque. Sed a Turcis fossata fere usque ad medium replentur; non tamen æqualiter pugnam circa ruinas murorum Turcæ incunt, ut formicæ, in fossatis stantes, quæ enumerari non potuissent, sagittant, scopetizant; alii lapides, alii saxa manibus projiciunt; alii terras fodiunt, alii cavernas latentes faciunt, alii ruinis trabes inclinant, alii ascendere nituntur; alii lanceis, alii jaculis, alii ensibus terribilibus christianos percutiunt: sed et sagittarii, remotius stantes, ve-

C nenosas sagittas jacere non desistebant, alii duas, alii tres sagittas in qualibet vice et unico arcu miro modo jacientes, adeo quod aer sagittis condensari videbatur; sicque usque ad primam horam noctis atrociter pugnando castrum intrare contendunt, ex quibus multi interempti, multique vulnerati a christianis fuerunt.

precibus et jussis dirigit.

337 Christianorum autem, licet ipsi essent in muris et propugnaculis castri, pauci tunc occiderunt; supereminebant enim Turcis et solum lapidibus eos obruebant. Quibus amotis, non sine maximo eorum damno iterum irruerunt, et alii undique strictius castrum cingentes, durius et acrius cum christianis pugnantes, post multorum cædem intrarunt castrum: sed crucesignati, invocato Nomine Jesu, irruerunt in eos vehementer, per quos, multis etiam interemptis, confuse repulsi sunt. Clamor inter eos pugnantes erat maximus: exteriores namque nomen diaboli Mahomet, interiores nomen Jesu Christi acclamabant. Stabat ipse Pater cum cæteris crucesignatis, orans et dicens: « Salvum fac populum tuum, Domine, » et similia: stabant et populi cum eo orantes. D. autem Joannes, ut dictum est, castrum amittendum omnino credebat, et revera humano judicio amitti debebat. Tentant et tertio circa mediam noctem ipsius beatissimæ Magdalenæ: veniunt universi cum variis instrumentis et machinis, vallant undique castrum, acerrimam incipiunt pugnam, mortem non timent, et impugnantium jam infinitus erat numerus. Resistunt christicolæ, qui et percuti et mori pro Christo affectabant, Turcas repellunt, Turcas lapidibus frangunt et perimere non desistunt. Juvabantur vicissim: sed et mulieres (non fœminæ, sed leænæ videbantur) accinctæ et quodam virili more honeste utentes, viris pugnantibus sagittas, lapides et alias machinas bellicas ministrabant, animum viris tribuebant defendendi pariter et offendendi; vulneratos ex muris ad interiora castra trahebant, ferra sagittarum ex vulneribus manibus et dentibus extrahentes, exercitatæ diu in tali arte belligerandi apparebant; quæ etiam, non more fœmineo incedere, sed volare per castellum satagebant; nec mirum « perche la necessita fa buoni fanti: » necessitas facit bonos milites. Nam in tali exercitio pudicitiam, castitatem et virginitatem earum defendebant. E

§ XXX. Narrat Tagliacotius, parta victoria, tandem liberatam Nanderalbensem civitatem.

Muris exterioribus per Turcas jam occupatis,

Sed jam christicolæ, continuo pugnantes, amplius resistere non possunt: jam labore, vigiliis et percussionibus fatigati et afflicti, ex quibus etiam nonnulli erant mortui, et omnes redduntur debiliores: sicque Turcæ turmatim, licet multi percuterentur, morerenturque, castrum sive planitiem primi castri intrare incipiunt et illam occupare, licet cum difficultate. Hic notandum, illud castrum Nanderalbæ esse tripartitum: primum continet magnum circuitum et planitiem, hic sunt casæ habitabiles complurium nobilium. Hujus primi castri muri destructi erant, et quum de hoc sit aditus sive descensus ad civitatem et aditus ad alia duo castra interiora, et sine quo nemo alia posset occupare; hoc Turcæ potiri conabantur, hoc intrare, hujus planitiem occupare. Secundum est minus, sed apprime vallatum a latere primi magnis fossatis et difficillimis turribus et propugnaculis munitum, ad quod de majori planitie non est aditus nisi per unicam portam et per pontem elevabilem. De hoc secundo est aditus ad tertium multo minus, sed difficillimum; in hoc est illa turris, quæ vocatur « Noli timere » de qua supra dictum est. In hoc sunt regiæ mansiones; in hoc sunt munitiones, tamquam in loco munitissimo; hic sunt fenestræ altissimæ versus civitatem; hic est porta posterior, per quam descendi potest ad civitatem et Danubium intrari: hic libri beati Patris, hic Reliquiæ, hic majores bombardæ: per hanc portam, occupatis castellis, possunt homines salvari: per hanc obsessis in civitate possunt præsidia immitti: hic stabant fratres, hic omnia servabantur. Muri primi majoris castri penitus solo

F

 æquabantur;

AUCTORE J. V. H.

æquabantur ; licet aliquæ turrium particulæ adhuc restarent minandæ; turres aliorum castrorum, licet ex ictibus bombardarum valde læsæ fuissent, non tamen ceciderant.

christiani ferro

339 Hanc primam planitiem jam Turcæ turmatim intrabant cum maxima cæde et percussione ipsorum. Christiani vero non propter hoc loca, eis designata, relinquebant, sed licet remissius solito se haberent, non cessabant in hoc introitu magnum de Turcis facere macellum, maximamque stragem. Jam sunt in castri exterioris planitie ferè septingenti Turcæ, qui juvabantur a supervenientibus : jamjam castrum se habere credunt, jam super diversas murorum ruinas figunt banderia ; jam evocant exteriores, jam validissime clamant, christicolis de locis non recedentibus, qui viriliter resistunt, pugnam restaurant, impediuntque pro viribus Turcis introitum. Quod videntes D. Michael, dictique nobiles simul et homines D. Joannis, omnibus bonis, quæ erant in castro interiori, in navibus positis, se ipsos per portam posteriorem castri minoris salvare satagunt, et Danubium
B intrant; et quibus janua exeundi non patebat, per altissimas fenestras se ipsos sponte præcipitabant. Mulieres ex planitie exteriori illuc laboriose confugerant, resolutis crinibus, dicentes : « Heu Turcas fugimus, et Turcarum ad manus jam advenimus. » Fratres vero, genibus flexis, facieque operta orando, martyrii coronam exspectabant: sicque castrum tam interius, quam exterius, soli crucesignati possidebant et tuebantur. Multiplicabantur tamen Turcæ in primo castro, licet multi a crucesignatis in ipso ingressu occiderentur. D. autem Joannes audiens, jam Turcas castrum intrasse, et ex hoc jam ipsum esse derelictum, concitus ac mœstus dicit beato Patri : « Heu jam castrum derelictum est, jam Turcæ, ut ego semper dixi, possident illud. » Pater autem eum confortans, ac silentio ab eo recedens, iterum multa millia cruciferorum elegit, ac illos secum ducens, in castrum per portam posteriorem intromisit, animans eos ad constantiam etc. Quo facto, illico ad exercitum rediens, omnes ad expeditionem
C posuit, ac eos vigilare et orare præcepit; ipse autem oratione vocali et mentali causam Dei ipsi Deo sollicite commendabat.

et igne interiora propugnacula defendunt,

340 Quum autem Turcæ jam in ipsa primi castri planitie multiplicati essent, viderentque castrum ipsum solum ab inermi populo possideri, credentes jam primum ab eis occupatum, irruunt in pontem, qui non erat elevatus, ut secundum castrum possent occupare; nam alia via, quam per pontem, ad illud ire non poterant. Adsunt et crucesignati interiores, maxime illi, quos ipse Pater paulo ante introduxerat, fortissime eis resistentes. Illi autem crucesignati, qui per circuitum primi castri erant, firmi manebant, percussioni et neci Turcarum insistentes. In hoc siquidem pontis ingressu acerrima pugna commissa est, maximusque conflictus. Quum autem circa auroram crucesignati, qui in circuitu castri exterioris erant, viderent et audirent, acerrimam pugnam fieri in ponte, et jam maximam Turcarum multitudinem esse in planitie, et jam fossata Turcis plenissima viderent, cresceretque festinanter numerus intrantium, ac pro hoc timerent, non posse eis amplius ob- D
sistere; a Spiritu sancto edocti, arripiunt innumeros lignaminum, virgarum, viminum et aliorum combustibilium fasciculos, sulphureo igne accensos, et ignitos super Turcas, tam in fossatis stantes, quam per ruinas ascendentes, pariter, quasi unita manu, projiciunt, ac si omnes fasciculos unica manu tenuissent. O Deus omnipotens! Nullus potuit fugere, a facie ignis: omnes qui erant in fossatis, qui enumerari minime potuissent, igne consumpti sunt, nec unus eorum vivus remansit. Qui descensuri erant ad fossata, omnes pavidi retro cesserunt: qui autem in castro erant, et qui pontem occupare acerrima illa pugna nitebantur, videntes se, maximi ignis flammis undique vallatos, dimissa pugna, castrum egredi cum maximo clamore satagebant: qui, quum timore et quadam cæcitate percussi, et confusione pleni, crederent se evasuros et de muris saltare, prosiliebant in ignem, consumptique ibidem remanebant: reliqui vero, qui talem saltum facere pertimescebant, a crucesignatis in planitie primi castri trucidati sunt. E
Qui autem adhuc in fossata non descenderant, et qui diabolica instrumenta intrantibus ministrabant, mugitus ad cœlum dantes, ad loca bombardarum, tamquam ad arcem tutissimam, currendo se contulerunt.

Turcas repellunt

341 Quibus visis, jam omnia Turcarum castra tristitia complentur, eorum conteritur audacia, superbiaque dejicitur : jam non desunt, qui dicant inter eos : « Recedamus quia Deus christianorum pugnat pro eis. » Jam non cantant, jam non vociferantur, jam tubæ et alia sonorum instrumenta non audiuntur. O Pater senior, unde putamus, illum ignem advenisse, nisi de sinu magni Dei, ad intercessionem beati Patris, qui sine intermissione orabat una cum populo, ut Deus tueretur causam suam et salvaret populum suum? O gloriosa Maria Magdalena, quis te non credat in adjutorium christianorum super ruinas murorum ad ignem projiciendum non adfuisse? quis dubitet te illius causam defendisse, a quo tanta meruisti recipere beneficia. Hanc tam gloriosam castri liberationem et victoriam navalem, quæ præter omnem humani sensus prudentiam et ra- F
tionem Deus fecit, reverende senior, nonnisi meritis ipsius beatissimi Patris omnes debent adscribere, cujus felici prudentia, solertia, cura, persuasione, confidentia et ferventissima oratione, actum est, ut tam Hungaria, quam aliæ nationes christianorum a manibus Turcarum liberarentur : nam si ipsum castrum ad ipsorum manus devenisset, primo Hungariam, deinde alias nationes procul dubio occupassent. Fit maxima lætitia in castro, et in castris christianorum : redeunt, qui castrum reliquerant; Michael animum resumpsit, et alii novam induunt constantiam et fortitudinem : jam exsultant, qui in tristitia fuerant; jam mulieres, timore solutæ, lætantur; fratres vero Deo gratias agunt.

cum magna illorum, et sua minima jactura

342 Lucescente autem clarius die, apparent Turcæ combusti simul et trucidati, apparet cruor, undique sparsus, fossataque cadaverum cumulis plena videntur, et in minimo spatio multos, igne consumptos, vidisses, nec præ multitudine cadaverum liber transitus sive aditus erat. Hic potentiores, hic audaciores

A audaciores Turcæ profecto occubuerunt. Christianorum autem vix sexaginta coronam martyrii pro Christo adepti sunt; multo plures vulnerati et percussi exstiterunt; nec mirum, nec tam acerrime, tam constanter, tamque indefesse cum Turcis pugnaverunt inermes et inscii, nisi quantum desuper ministrabatur. Quod si omnes interfecti fuissent, nulli sanæ mentis mirum esse deberet : ipsi enim muri, ipsi turres, ipsa propugnacula castri erant*. O Pater, si vidisses multitudinem sagittarum, quas ab ineunte pugna Turcæ ad castrum tam artificiose projecerant! Tota illa magna exterioris castri planities adeo sagittis plena erat, quod non nisi super sagittas pedes ponerentur; et tam fœminæ, quam viri, eas colligentes, fasciculos non paucos faciebant, velut in copioso arundineto parvæ arundines colligi et ligari solent. Muri sive ruina murorum tanta sagittarum confictione et tanta densitate pleni erant, ut studiose id factum esse, putasses : trabes, et asseres et alia lignamina supereminentia ericii videbantur. Taceo de aliis bellicis
B machinis, quæ numerari non poterant. Habes hic, ven. Pater, seriem liberationis castri, et victoriam, in eo divinitus, factam, licet prolixius, quam forte desiderabas; multa tamen omitto; solum illa perstringo, quæ omni dubio carent, et quæ ab aliis varie et confuse referri solent, ut, amputato fastidio, habeat V. P., quod a me postulavit.

*adde: destructa

Capistranus, *invito Huniade,*

343 Jam autem ad aliam victoriam venio : in tertia, extra castrum in maximo campo, victoria, multo mirabiliori, quam in primis duabus, Dei omnipotentia apparebit, ostendetur virtus sanctissimi Nominis Jesu et sanctissimæ Crucis, et quantum ipsi Deo fuerit acceptus fidelissimus servus ejus, beatus Joannes sæpe dictus, cujus ministerio, jubente Deo, hæc omnia facta sunt. Sed hic notandum primo, quod post castri liberationem optimus gubernator et defensor regni Joannes, ne gloria verteretur in confusionem, jubet D. Michaeli, ne aliquem castrum exire et contra Turcas ire permittat; jubet et nautas, sub pœna capitis, ne per Danubium aut per Savam aliquem transvehant; timens ne tam magna
C populorum multitudo inermis et indocta a furiosissimis Turcis, jam in rabiem et desperationem conversis, perderetur, credens etiam, Turcas iterum ad castrum expugnandum venturos. Admonitus D. Michael circa custodiam castri, indutus lorica cum duobus viris quadam navicula nunc per Danubium, nunc per Savam vectabatur : exspectabat enim, quonam fine hæc clauderentur. Venit interea beatissimus capitaneus, suo præeunte vexillo, cum omni exercitu crucesignatorum, cum omnibus vexillis elevatis, non sine variis sonis, strepitibus, altissimis acclamationibus Nominis Jesu; constituuntur omnes in campo juxta Savam et Danubium, præcise ubi Sava intrat Danubium. Illic figuntur vexilla, acclamatur in Turcas. Terror maximus invasit Turcas. Videntur interea extra castrum forte crucesignati, arculis sagittisque muniti, contra quos irruit maxima Turcarum multitudo equestris cum lanceis protensis. Illi autem super quodam terrarum acervo stantes, tensis arcubus, Turcas sagittis replebant : at illi terga vertentes, ictibus sagittarum confossi, cum confusione suos repetebant. Alii, idem tentantes, ad acclamationem Nominis Jesu, quæ fiebat a beatissimo Patre, omnibus respondentibus, aut cadebant de equis, aut ex eorum manibus lanceæ laxabantur, aut equi sese ad terram sub eis prostrabant : nec mirum quum ad hoc Nomen omne genu flectatur secundum Apostolum. Pater optime, hujus sanctissimi Nominis tanta erat acclamatio, ut ad vocem ipsius beati Patris omnes simul respondentes, tonitru facere viderentur.

AUCTORE J. V. H.

cruce signatos in hostem adducit

344 Exeunt et complures alii, inscio castellano, qui licet Turcis approquinquarent, non tamen lædebantur, sed securi ante Turcarum oculos deambulare videbantur. Quos intrepide egredientes, ac sic ante arma Turcarum illæsos manentes, licet homines apparuerint, alii judicarunt illos fuisse Angelos, indicantes christianis victoriam de Turcis reportandam, ac eosdem allicientes illo die ad pugnam. Beatus autem Pater, rector populi Dei, prædicta prospectans, licet mirum in modum ferveret ad martyrium, revocabat illos, videns præparari a Turcis insidias. Sed quum nihil E proficeret, dixit : « Hæc est dies illa victoriæ, quam exspectamus; transeamus et ascendamus : et ne timeatis populum Dei inimicum. » Quid aliud putandum censemus, optime Pater, nisi vocem illam divinitus sibi factam, quam Gedeon audivit, videlicet : « Dominus tecum, virorum fortissime, vade et in hac fortitudine et fiducia liberabis Israel, » id est, populum christianorum, « de manu Madian » id est magni Turcæ. Qui quum ex paucitate et imperitia pugnantium humiliter dubitaret, audivit. « Ne timeas, ego ero tecum et percuties Madian, quasi virum unum. » Sicque assumptis secum duobus fratribus et nobili viro Petro vexillifero, navicula per duos nautas ad aliam partem fluminis Savæ, in qua Turcæ manebant, Pater fecit se deportari. Hinc stupendissimum miraculum notandum est : quum enim ipse solus cum duobus fratribus, videlicet Fr. Joanne de Tagliacotio et Fr. Ambrosio Aquilano per parvam transirent naviculam, visum est Turcis immumeram armatorum multitudinem contra eos transisse, quum in rei veritate essent solum sex per- F sonæ, videlicet, Pater cum duobus fratribus et vexillifero et duobus nautis; licet multi fratres in eodem loco essent, nullus tamen tunc cum Patre transivit : ibi erat præfatus frater Alexander de Ragusio.

et cæso ingenti Turcarum numero,

345 Quum autem, ut præfertur transisset, incipit cum supradictis fratribus et vexillifero de flumine ad fossata castri ascendere pedes, jejunus, imo plures dies exiguo cibo nutritus, fessus labore; nam tota nocte hinc inde discurrerat : compressus vigilia; multis enim diebus et noctibus neque cibum, nisi sicut puerulus, neque quidquam quietis sumpserat. Hora erat quasi sexta, quem quum vidissent, qui extra castrum manebant, et qui primo exiverant, mox læti, tamquam ad Patrem, currunt. Quod quum vidissent, qui erant in castro, licet exitus propter præceptum eis non pateret, nonnulli tamen per ruinas, aliqui per foramina murorum, aliqui subtus portam ad beatum Patrem se conferebant : sicque multi ipsi Patri junguntur. Qui primo ad fossata accedens, vidit mirabilia, quæ tam in nocte, quam

AUCTORE J. V. H.

quam in mane facta sunt : vidit cadavera Turcarum innumera, quæ combusta per fossata jacebant, adhuc igne non exstincto. Consideravit maximum periculum, quod nocte præcedente tota christianitas evaserat, et junctis manibus et oculis sursum elevatis, magnificabat Deum, sibi gratias referendo, et sæpe dicebat : « Qui dedit incipere, dabit et perficere. » Constituitur demum inter castrum seu fossata castri et bombardas ; quem quum Turcæ viderent, magis ac magis timere videbantur, stringentes se ad loca mansionum et ad ipsorum imperatorem et ad bombardas, parantque se ad defendendum, si forte christiani vellent aut eos invadere, aut bombardas ab eis auferre. Accipiunt arma, scopettas disponunt, pixidesque coaptant. Continue tamen crescebat numerus crucesignatorum, ad Patrem venientium, nec poterant retineri, quin quasi duo millia ex ipsis Patri juncta sint : et quum tunc ipse nullum haberet interpretem, quidam venerabilis sacerdos crucesignatus, nomine Paulus, canonicus majoris ecclesiæ Albæ Regalis, ipsi Patri interpres
B fuit. Iste, quum diu habuisset devotionem erga Patrem, in ista tempestate numquam a latere ejus recessit.

solvitur obsidio,

346 Quum autem ipse Pater, ductor exercitus Dei, prædictam crucesignatorum multitudinem sibi junctam videret, sciens, quod non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est, vexillo præcedente, ad primam bombardarum stationem, lento gradu pedester, sustentatus baculo quodam, in quo designatum est Nomen Jesu (quo quidem baculo, tam in equitando, quam in peditando beatus senex utebatur) fatigatus ex tam diutino labore et vigilia continua, discooperto capite cano, fortissime acclamando Nomen Jesu, primus ire cœpit. Quem sequebantur forte mille homines crucesignati, quos quum Turcæ, qui ad primas stabant, viderent et audirent, territi, inde recedentes, ad secundas confugerunt ; sicque primæ bombardæ obtentæ sunt et captæ. Quæ visæ, in admirationem et lætitiam omnium conversæ sunt. Si quis tunc vidisset beatum Patrem lætitia plenum,
C jucundum et exaltantem, o quis potuisset harum valorem digno pretio æstimare ! Certe si nihil præter has primas de bonis Turcarum fuisset acquisitum, ad magnum honorem et lucrum cessisset inclyto regno Hungariæ. Quibus occupatis, ad has ipse Turcarum spoliator indefessus proficiscitur. Similiter Turcæ, non valentes Nomen Jesu, neque Patrem, neque vexillum sufferre, sine resistentia secundas cum omnibus attinentiis relinquentes, ad tertias se contulerunt.

fugantur Turcæ,

347 Pater autem, similis leoni factus in operibus suis, post ingentis lætitiæ signa, præ oculis Turcarum ostensa, ad tertias, quæ diversis munita erant custodiis, proficiscitur, in quarum statione pro earum custodia pixides et varia machinamenta servata erant ; eratque hæc statio undique fossis, vallo et terrarum congerie fortissime circumscripta. At ipse capitaneus intrepidus, advocatis pluribus, ad direptionem et lucra animans, vexillo præeunte, cum clamore valido Nominis Jesu, ad tertias tendit. Quem quum Turcæ D miseri viderent sine resistentia, obstrusis foraminibus cum clavis ferreis, vociferantes, ac si sibi maledicerent, relictis bombardis et multis aliis, quæ scribi non possent, ad eorum imperatorem lamentabiles redierunt. O Sanctum et terribile Nomen Jesu Christi ! O Patrem senem et inermen, omnis sanctitatis gratia amantissimum ! O crucis virtutem admirabilem, cujus charactere tam ipse Pater beatus, quam cæteri cum eo stantes et vexillum insigniti erant ! O Sanctissimum Bernardinum, cujus imago in eodem vexillo depicta, nomen Jesu sua manu Turcis ostendebat, terrebatque ! Penset hic V. P. quanta fuerit lætitia ipsi beato Patri, quanta fuerit Turcis mœstitia, quanta confusio, quantumve damnum, de quo etiam magis inferius disseretur. Sed hic jam præcipue notandum est, quod quum Turcæ sint animosissimi et bellicosi, nullique cedere volentes ex eorum contumaci superbia, cogebantur tamen a facie beati Patris fugere, eo quod, secundum quod ipsimet postea fassi sunt, videbatur eis, quod a facie ipsius viri tam lucidi ac radiantes radii E solis exirent, et in facie eorum repercuterent, quod nullatenus sufferre valerent ; sed neque vexillum, quod eis plenum radiis solis apparebat : ideo a facie beati Patris aufugiebant. Aliqui tamen, piissime Pater, variant circa hanc captionem bombardarum ; nam aliqui dicunt, ut hic posui, videlicet Turcas de una ad aliam bombardarum stationem fugientes, ex singulis divisim fuisse expulsos, ut dictum est. Alii dicunt, quod quum Turcæ vidissent, Patrem cum infinita armatorum multitudine flumen contra eos transire, ac ipsum, juxta fossata stantem, eos invasurum cum tanta multitudine, vexillo erecto, quum in veritate adhuc non essent duo millia, omnes simul territi... *Reliqua desiderantur.*

et spolia opima referuntur

348 *Damnum mutilatæ epistolæ resarcire potest bulla Calixti III data kalendis Decembris ad regem Æthiopiæ, ut et ipsum ad bellum sacrum animaret.* In ea *quidem, ait Pontifex* (1), pugna Turcorum circiter viginti quatuor millia cæsa, totidem in fuga defecerunt, sese mutuo occidentes : castra incensa, bombar- F dæ captæ circiter trecentæ, balistarum innumerabilis copia, machinæ ad navigia per montes traducenda, instrumenta fabricata ad populos transvadandum, signa militaria, et ex sexaginta quatuor navigiis, quæ super Danubio retinebat, viginti capta apud nostros sunt. Ipse vero Turcus, modo dux tanti exercitus, re male gesta, necdum superbiæ modum statuens, quum ad Sophiam urbem pervenisset, in rabiem versus, quamplures ex propinquis suis sine causa sua manu peremit. Quidam vero despotus in provincia Serviæ, nostris gentibus adhærens, multos exploratores misit, qui diligenter perquirerent, ubi Turcus ipse sese recepisset, multisque ex illis redeuntibus, idemque referentibus, nihil certi de illius vita compertum esse potuit. Opinamur, vel ipsum cæsum ; vel forte perterritum, in aliquas latebras se recepisse. Id tametsi multi referant, non tamen litteris dilecti filii nostri Joannis de Capi-

(1) Raynaldi Cont. Baron. ad an. 1456, § XLVII.

strano,

A strano, Ordinis Minorum professoris, qui omnibus rebus interfuit, facti sumus certiores. *Postrema Pontificis verba ita interpretari nos oportet, quasi ad hoc usque tempus Calixto non constaret de sorte imperatoris Turcarum : id enim ex epistola S.* Capistrani, *infra citanda, concludere necesse est. Imo Joannes de Thwrocz, Hungarus coœvus, in Chronica suæ gentis, quam ad annum* 1464 *perduxit, incertus hæret, quid de Mahumete II post stragem Nanderalbensem actum sit. En verba* (1) : Qualiter autem Cæsar ipse (*magnus Turca*) profundis ejusdem noctis sub tenebris, castro de sub eodem, fuga lapsus sit, pro comperto habet dicere nemo : ad laudem tamen Dei et cæsaris ejusdem confusionem sufficit, quod cunctis bellicis spoliatus apparatibus, omnibusque machinis et cæteris tormentorum generibus, quas et quæ illuc advexerat, relictis, immensam suæ gentis post cædem propriam in patriam rediit. Sed et in posterum hujus castri memoria, per quempiam sui in præsentia facta, grata ei fuit numquam.
B Quidam tamen de ejusdem cæsaris fuga ita dixere : quod videlicet ipse cæsar, fervente atrociori bello, dum suos ad certamen cogeret, sagitta in pectore fuisset vulneratus, cecidissetque mox semivivus; ac sui eum rapientes, inter manus ad tentoria detulissent, *etc. Ex hisce liquet, diu incertam remansisse sortem Mahumetis II; adeoque Calixtum nihil certi haurire potuisse ex litteris S.* Capistrani.

§ XXXI. Confutatur calumnia vanæ gloriæ, S. Joanni Capistrano impacta.

Objecta vanæ gloriæ accusatio S. Capistrano

C *Venimus nunc ad capitalem criminationem,* S. Capistrano *objectam a multis, præsertim ab promotore fidei, dum de Sancti canonizatione quæstio haberetur. Nempe accusatur, quasi, omisso Joannis Huniadis nomine in epistola, ad Calixtum Papam ipso die victoriæ Nanderalbensis scripta, uni sibi triumphi gloriam arrogare tentasset. Prosper Lambertini, seu Benedictus XIV, in suo opere de beatificatione et canonizatione Sanctorum lib.* II *cap.* 42 *num.* I, *adducit Æneam Sylvium, postmodum summum Pontificem, nomine Pium II, qui occasione victoriæ, a christianis adversus Turcas reportatæ, hæc scribit in libro de Europa cap.* VIII (2): Auctores victoriæ tres Joannes habiti ; legatus Cardinalis (*Joannes de Carvajal*), cujus auspicio res gesta est, Huniades et Capistranus, qui prælio interfuere. Verum neque Capistranus Huniadis, neque idem Capistrani Huniades mentionem fecere in eis litteris, quas de obtenta victoria, sive ad Romanum Pontificem, sive amicos scripsere : per suum quisque ministerium Deum dedisse christianis victoriam affirmavit. Avarissima honoris humana mens : facilius regnum et opes, quam gloriam partitur. Potuit Capistranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem subigere; gloriam vero spernere non potuit. Dicat forsitan aliquis, non suum illi honorem curæ fuisse, sed Dei; qui per pauperes et inermes rem christianam salvare voluerit : cedimus huic assertioni, quamvis et Huniades ministrum se victoriæ, non auctorem dixerit. *Idem judicium protulit Æneas in sua Historia Bohemica cap.* LXV (3) : Huniadis, *ait,* et Capistranus huic bello interfuere, uterque rem gestam scripsit; neque alter alterius mentionem fecit; alteruter solidam sibi rei gestæ laudem usurpavit. Ingens dulcedo gloriæ, facilius contemnenda dicitur, quam contemnitur : spreverat Capistranus sæculi pompas, fugerat delicias, calcaverat avaritiam, libidinem subegerat; contemnere gloriam non potuit.

AUCTORE J. V. H.

350 Fuerunt hæc, *ait Prosper Lambertini l. c.,* strenue a Petro Francisco de Rubeis, olim Fidei promotore, opposita dum agebatur de fama sanctitatis tum Dei servi, nunc Sancti Joannis de Capistrano. A postulatoribus responderi potuisset, Pium Papam II nequaquam existimasse, dicti viri sanctitati substantiale aliquod præjudicium fuisse allatum ex prædictis, quas fecerat, animadversionibus. *Citat dein Æneæ librum, Historiam rerum ubique gestarum cap.* I, *in quo dicitur :* Paucis post diebus obiit Joannes Capistranus, inter divos ex hominum opinione relatus : *quibus ex verbis monstratur, sanctitatis famæ detractum non fuisse apud Æneam, ex eo, quod Sanctus noster aliquid gloriæ in victoria Nanderalbensi sibi adscripserit. Ut verum fatear textum citato loco indicatum non reperi : neque ad excusandum, si quid est nævi, S.* Capistranum *undequaque aptus mihi videtur : quamvis enim ex communi opinione Sanctis adnumerandus esset, fieri potuit, ut curiosiores indagatores talem quandoque culpam inveniant, quæ licet vulgus lateat, tamen solemnem canonizationem merito impedire debet. Mallem igitur ex Æneæ scriptis alium producere textum, quem supra num.* 192 *citavimus, ex quo manifestum fit, scriptorem judicium pristinum omnino emolliisse :* Quamvis, *inquit,* nonnulli gloriosum hominem jactatoremque sui ex rumoribus accepisse mercedem dicerent, quibus placere magis, quam Deo studeret. Sed sunt iniqui judices, qui non in melius, quæ occulta sunt, interpretantur; quando quæ patent, omnia bona vident. *Hisce videlicet verbis delet omnino Æneas, quæ temere alibi scripserat, quæque, Æneа duce, alii rescripserunt. Cæterum causæ Capistranianæ postulatores alium adhibuerunt modum ad detergendam labem, Sancto inspersam : nempe allegando ipsam epistolam, causam et fundamentum totius criminationis, in qua Joannes Huniades appellatur* Turcarum terror et fortissimus christianorum propugnator; *quæ laudes abunde indicant nihil invidiæ in animo Sancti viri insedisse. Ipse dein Calixtus in bulla, anno* 1457 *edita, quum solemniori ritu festum Transfigurationis Christi celebrandum indiceret, in memoriam partæ victoriæ Nanderalbensi, dicit, partam* (*victoriam*), præsente pariter quondam Joanne de Capistrano, Ordinis FF. Minorum professore, viro optimo, et meritorum apud Deum et homines eximio, et nomen Christi Jesu, in quo salus nostra consistit.

ab Æneа Sylvio, renovata a Fidei promotore,

E

F

(1) Schwandtner. Scriptt. Rer. Hung. tom. I, pag. 272. — (2) Opera. pag. 403. Edit. Basil. — (3) Ibid. pag. 138.

AUCTORE J. V. H.

sistit, fiducialiter et assidue cum omni populo circumsepto, voce unanimi invocante. *Atque hinc concludit laudatus Prosper Lambertini,* non obstare, nec obstare debere sanctitati aut famæ sanctitatis alicujus servi Dei, si aliqua de eo ab auctore, licet gravi, scripta fuerint.

refellitur imprimis ex epistola ipsius Sancti

351 *Sed hæc omnia enucleatius evolvenda sunt : proindeque ante omnia producendæ sunt epistolæ, quæ causam accusationis dederunt. Igitur ipso die partæ victoriæ* Capistranus *sequentes ad Calixtum misit litteras* (1) : Beatissime Pater, post pedum oscula beatorum, gaudium et exsultationem. Gloria in altissimis Deo, a cujus misericordia provenit, quod non sumus consumpti : in tanta enim eramus tribulatione atque in tantis angustiis constituti, ut omnes putaverint non posse amplius resisti Turcarum potentiæ : atque ipse dux Huniades, revera Turcarum terror et fortissimus christianorum propugnator, judicaverit deserendum esse castrum Nanderalbæ. Ita enim fortiter et incessanter expugnabant arcem ferissimi Mahumetani, et tot machinis muros diruebant, B adeoque terribiliter contra nostros pugnabant, ut jam vires nostræ defecerint, et præcipui milites fuerint consternati. Sed in medio tribulationis vivificavit nos Dominus; nam ex urbe expulsi, quum dolose recederent fortissimi inimici, ut nostris exeuntibus pararent insidias, etsi D. Huniades jusserit, ne ullus ex nostris militibus castrum exiret; non curaverunt tamen de præcepto ejus crucesignati, sed irruentes in hostes, in magno se posuerunt periculo. Ego vero minimus V. S. servus, quum illos ex muris revocare non possem, in campum prodivi, et hinc inde discurrens, modo revocabam, modo animabam, modo disponebam, ne ab inimicis circumdarentur. Et tandem Dominus, qui tam bene salvare potest in paucis, quam in multis, dedit nobis misericorditer victoriam, et fugere fecit immanissimum Turcarum exercitum, et nostri omnia illorum obtinuerunt tormenta et machinas diabolicas, quibus totam christianitatem putabant sibi subjicere. Exsultet ergo V. S. in Domino et offerre illi jubeat laudem, C gloriam et honorem, quia fecit mirabilia magna solus. Non ego inermis et inutilis servus, aut pauperes et rudes crucesignati, V. S. servi, potuimus nostris viribus hæc facere. Deus Dominus exercituum fecit hæc omnia: illi gloria in sæculorum. Hæc scribo breviter et raptim, defessus, rediens ex pugna; cito scripturus magis distincte, quæ facta sunt in particulari. Ex Nanderalba, in festo S. Mariæ Magdalenæ, ipso die gloriosissimæ victoriæ.

et Huniadis,

352 *Joannes Huniades non quidem ad Calixtum Papam epistolam suam direxit, sed ad regem suum. Scripta est* Sabbato proximo ante festum B. Jacobi Apostoli, *anno* 1456, *signato littera dominicali C, adeoque die* XXIV *Julii, seu biduo post partam victoriam. Est vero tenoris sequentis* (2) : Serenissimo principi et domino D. Ladislao, Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. regi, Austriæ quoque et Styriæ duci, necnon Moraviæ marchioni, domino nostro gratiosissimo, eximiæ vestræ serenitatis fidelis procurator, Joannes de Hunyad, comes Bistricensis. Serenissime princeps, domine noster gratiosissime, post servitiorum meorum humillimam recommendationem. Perprius etiam scripsisse recolimus, quomodo et qualiter imperator Turcorum cum qualibus injuriis hoc castrum Nandoralbense obsederat, ut numquam talia ingenia oculi hominis viderint, nec animus hominis cogitare potuisset. In tantum enim castrum vestræ serenitatis cum bombardis destruere fecit, usque ad terram simul cum fossato, quod ipsum castrum non possum dicere castrum, sed campum. Nos enim cum nostro proprio capite fuimus in ipso castro ab initio et etiam tempore expugnationis, et nunc sumus. Tandem acto * et destructo ipso castro, ipse imperator Turcorum post horam vespertinam, feria quarta *, incipiens circa ipsum castrum pugnam manualem, vulgo sturmam *, incepit in tantum, ut per totam noctem, et feria quinta usque ad horam prandii duraverit, ita ut duabus vicibus cum ipsis Turcis in ipso castro, facie ad faciem, pugnaverimus, sicut in uno campo propter factionem et destructionem E muri, quos semper vicimus, Deo concedente. Tandem contra ipsos Turcos, Deo auxiliante, extra irruimus et insurreximus, quod ipsum imperatorem Turcorum de sub castro prædicto et campo ejecerimus, tamquam debellatum; etiam quod bombardas suas, Deo concedente, obtinuerimus : cum ipso quoque feria quinta ante sero pugnam habuimus. Tandem ipse imperator Turcorum de nocte confuse et cum magna verecundia abinde in fugam se convertit. D

* fracto?

* XXI Julii

* sturm, storm, assultus.

qui Deo refert victoriam,

353 Itaque numquam alias imperator Turcorum in tanta destructione fuit, sicut nunc est, et in tanta verecundia, quod in chronicis non legitur. Sciat etiam vestra serenitas, quod major pars peditum suorum est debellata; alii etiam capitales et principales homines sui manserunt sub hoc castro interfecti. In hominibus et familiaribus magnum damnum habemus per ipsos inimicos. Pro eo ita sciat vestra serenitas, quod ad præsens ipse imperator Turcarum tam maxime est destructus et confusus, ut si contra ipsum insurgerent christiani, prout motum erat, ex tunc, Deo con- F cedente, totum regnum Turciæ obtinere possent valde leviter, quia omnem suam potentiam amisit sub hoc castro. Perprius enim ante prædictam pugnam, cum galeris pugnam habuimus in aqua; ex quibus galeris quam plures obtinuimus : quæ enim ex ipsis remanserunt, dum contra ipsas, prædicta feria quinta, pugnaturi videbamur, mox sese in fugam converterunt, et de eisdem salientes, igne comburi fecerunt. Licet etiam vestra serenitas omnibus scripserit, exercitualiter penes nos pro defensione regni vestræ serenitatis venire; sciat tamen vestra serenitas, quatenus penes nos solum fuerunt homines crucesignati et Joannes de Korogh*. Proinde petimus vestram serenitatem diligenter, quatenus velit mittere unum servum fidelem et certum hominem Teutonem, qui videat destructionem et factionem castri prædicti vestræ serenitatis, deque ipso quoque castro vestra serenitas nos informet, quid sumus de eo facturi, quia

* Borogh ?

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 371. — (2) Pray. Annal. regum Hung. tom. III, pag. 180.

non

A non possumus dicere esse castrum. Nos quoque prompti et parati sumus illam fidelitatem vestræ serenitatis observare, quam promisimus et nunc promittimus. Datum in Nandoralba, sabbatho proximo ante festum B. Jacobi Apostoli, anno Domini MCCCCLVI, *die* XXIV *Julii*.

per cruce signatos partam

354 *En duæ epistolæ, fundamentum criminationis Æneæ Sylvii, quem dein multi secuti sunt, ita ut plerisque res confecta videatur* (1). *Equidem in neutra epistola captationem inanis gloriæ deprehendo. Quod ad* Capistranum *spectat, victoriam, instar miraculi habet, eamque Deo refert acceptam. Dicit quidem desperasse Huniadem, ipsum nempe revera Turcarum terrorem et fortissimum christianorum propugnatorem, sed id facit, ut monstret, victoriam non humana ope, sed Dei auxilio relatam fuisse. Certe S.* Capistranus *ne vel minimam gloriæ particulam sibi vindicat. Huniades expresse scribit,* penes ipsum solum fuisse homines crucesignatos, *adeoque iisdem post Deum victoriam deberi. Ipsa vero eruptio crucesignatorum extra castrum, quam severissime prohibuerat*
B *Huniades, decretoria fuit : sed eamdem nec ordinavit* Capistranus *nec probavit : sed, ut dicit, quum crucesignati præceptum Huniadis* non curarent, *ipse eos imprimis revocare tentavit, quod quum minus succederet, tunc in campum* prodivit, *et ex necessitate factus imperator, quod potuit, præstitit ad malum avertendum et præcavendum ab insidiis structis. Ipse etiam Æneas, ut monstravimus supra num.* 295, *fatetur, Sanctum conatum fuisse crucesignatos ex acie revocare; sed quod factum erat, impedire nequivisse. Forsan sincerior esse potuisset Huniades fatendo, se invito, crucesignatos extra castrum in Turcas erupisse : sed id fatetur* Capistranus, *adeo ut omnis gloria in Deum, victoriæ auctorem redundet : imo laudat Huniadis prudentiam, eruptionem impedientis, quoniam paratas sciebat insidias. Dein non aliud in sua epistola retulit S.* Capistranus, *quam quod Joannes Tagliacotius scripsit litteris, supra relatis ad S. Jacobum Picenum, quibus certe omnis triumphi gloria soli Deo adscribitur. Tandem nihil invidiæ inter* Capistranum *et Huniadem fuisse, habemus ex relatione mortis Huniadis, cui fideliter ad exitum*
C *usque adstitit Sanctus noster, ut infra latius ostendemus. Quod porro neuter aliquid dicat de Joanne Carvajal, Cardinali Legato, criminandum non est : ipse enim procul, scilicet Budæ, agebat : si quid humani victoria habuit, ab impetu crucesignatorum repetendum est, qui profecto nulla ratione Cardinali Legato attribui potest. Ex hisce constat, Æneam Sylvium audiendum non esse, quando sive* Capistrani, *sive Huniadis inanem gloriam criminatur.*

alteris ad Pontificem litteris,

355 *Simile judicium, recitatis utrisque litteris, protulit Georgius Pray in Annalibus regum Hungariæ* (2). Non video, *inquit,* quid ea in re Capistrano fraudi esse possit, quando disertis verbis, manifesto numinis auxilio eam victoriam adscribit, et Hunyadis crebro, nec sine laude, qua præstantissimus vir ornari poterat, meminerit; ac uterque communicatis inter se consiliis, ad regem pontificemque non modo belli initia ac progressionem, sed etiam exitum bona fide diligenterque, ut narratum est, perscripserit. De Cardinali autem nullam fieri mentionem, mirum videri non debet, quod ad eum, qui belli tempore Budæ excubarat, nulla gestarum rerum pars omnino attineret. *Intimæ amicitiæ, quæ utrumque Joannem conjunxit, testimonium suppeditat altera ad Calixtum Papam S.* Capistrani *data epistola, in qua particulatius victoriæ Nanderalbensis fructus recenset* (3) : Beatissime Pater, ad pedum oscula beatorum, obedientiam humillimam et devotam usque ad mortem crucis et supplicii sævissimi cujuscumque. Quia ubi aliquid deficit, locum habet jus supplementi; ideo quod non potui primo aspectu comprehendere in die gloriosæ victoriæ D. N. Jesu Christi, auctoritate V. S. et ministerio paucorum, certe vivificæ crucis charactere insignitorum, divinitus nobis præstitæ, postea tamen habita clariori notitia, etsi indescriptibilia sint, machinæ, instrumenta, et terribilia ingenia, quæ paraverant, currus ad deferendas bombardas, rotæ ferreæ, rotæ ligneæ ad transferendum naves et cymbas per montes et colles, ad transvadandum gentes, ad spolia regni Hungariæ, E
quod tamen Deus eis non permisit : ecce tamen ea, quæ sigillatim describi possunt, nunc suppleo, non vacans ornatui, sed simplici veritati. Nam ubi dixi, multa millia ex eis interempta sunt, illustr. D. despotus, qui licet cum nostra fide non concordet, secundum intentionem tamen V. S. conveniens contra Turcas, nobiscum est, nuntiavit pridie reverendiss. D. Legato et mihi, quod ultra viginti quatuor millia in die belli nece perierunt : et a certo tenere se asserit, quod totidem et ultra in itinere defecerunt, semetipsos inter se trucidantes, sicut tempore Gedeonis; et non nisi divino judicio ipse princeps Turcarum cum suis intimioribus, qui remanserant, bellatoribus, postquam ad Sophiam stupida fuga devenit, intendens suos ministros, qui supererant, compescere, ne ultra pertransirent, manu propria et suorum carnificum plurimos interemit.

quibus particulatius victoriam

356 Superaddit etiam ipse despotus, quod principalis Vayvoda, vices gerens ipsius damnatissimi Mahumetis, magni Turcæ, qui præsidebat in Scythia, ubi est auri fodina, quæ F
erat, et de jure pertinet ad ipsum despotum, capite minutus sit gladio ipse et uxor ejus ab his, qui jure subesse dicuntur despoto : tenent tamen adhuc sui castellani quinque castra, quæ auxiliante Domino, recuperare sperat, favore tamen et præsidio V. S. et R. D. lateralis vestri Legati. Ultra hæc etiam nuntiat ipse despotus, quod quum quadraginta exploratores miserit, ad exquirendum, quid de immanissimo Turca acciderit, quum jam quarta pars redierit, et omnes testantur quod omnem diligentiam adhibuerint, nihil certi de sua vita percipere potuerunt; ex quo ipse despotus vehementer opinatur, ipsum esse mortuum : utinam ita sit! Scripseram, B. P., quod in primo nostro congressu quadraginta quatuor galeas numeraveram, et ita fuit : sed postea, clariori veritate comperta, sexaginta quatuor reperimus numeratas; ex quibus penes nos adhuc viginti septem reservantur, computatis parvis cum magnis. De multitu-

(1) Michaud. Hist. des Crois. tom. IX, pag. 14 et seq. Edit. Brux. 1841. — (2) Tom III, pag. 183. — (3) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 372.

dine

AUCTORE J. V. H.

dine autem exercitus armatorum, etsi multi asserant, quod fuerunt centum viginti millia; reverendiss. tamen D. Legatus, postquam discursum habuit una mecum pro majori parte spatii, in quo malignantium exercitus locabatur, judicavit, quod verisimiliter centum quinquaginta millia esse potuissent in signis tantorum castrorum. Scripseram in secundis litteris de triginta duabus bombardis, quia tunc plures non videram, postea tamen omnibus computatis parvis cum magnis, ultra trecentas reperimus, et de pixidibus, quæ manu exploduntur, et in partibus nostris vocantur scopettæ, de repertis numerum non habemus, quia multæ occultatæ sunt. Pater B., quia Justiniana lex dictat: « Nihil videtur actum, quum aliquid superest agendum; » idcirco ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis populi christiani: ecce nunc tempus implendi desiderium V. S. ut progrediamur, nedum ad recuperandam Græciam et Europam, sed ad recuperandam Terram sanctam Hierusalem: quod Deus omnipotens præstabit faciliter, si a concepto sancto desiderio V. S.
B non cessabit. Hoc unum piissimum a piissima V. S. et in fide zelantissimo R. D. Legato vestro benigne concedatur, ut tantummodo de Italia duodecim, vel decem millia saltem, equitum, armatorum more Italico vestris stipendiis transmittatis: qui si per sex continuos menses cum vestris devotis filiis crucesignatis et cum istis illustribus principibus, prælatis et baronibus hujus regni Hungariæ nobiscum in exercitu perseveraverint, speramus tantum de bonis paganorum acquirere, quod abunde in posterum per tres continuos annos aliis expensis non indigebimus, sed eorum spoliis omnes nostros exercitus implebimus abundanter.

describit Capistranus,

357 Ecce idem D. despotus vehementer affirmat, quod magis in præsentiarum augmentare possimus fidem christianam, paganosque deprimere cum decem millibus bellatorum, quam aliis temporibus cum triginta millia quivissemus. Ecce accedunt ad hoc desiderium R. D. Legati ardenter omnes isti, qui pro Christi nomine et pro obedientia V. S. ac de-
C vota reverentia, crucis vivificæ characterem suscipiunt. Etsi vero ita placuerit Altissimo, quod de medio sustulerit a nobis illustrissimæ memoriæ pugilem invictum, sanctæ fidei catholicæ hostibus formidabilem defensorem, D. Joannem de Hunyad, ex hac jam vita delapsum XI mensis hujus ex peste, substituit tamen nobis non imparem sibi virum, Nicolaum de Huylack, sub cujus dominatu valido et potenti ipse idem Joannes cum quinque vel sex equis suam militiam inchoavit. Est namque idem ipse Nicolaus princeps illustris, in magnificentia excellens, in consilio providus, in gerendis cautus, virilis animi, in fide fervens, in V. S. obedientia humilis, sui honoris æmulator et magni zeli, potens in opere et sermone, qui inter alios principes, prælatos et barones hujus regni de principalioribus reputatur, et de eo gerunt magnam exspectationem, et famam laudabilem sibi attribuunt universi, secundum quod officium in hoc regno hereditarie possidet in banatu. Nunc ergo, Pater Beatissime, sollicitandi sunt de novo D
reges et principes christiani: dum fornax ebullit, coagulandum est aurum; dum debilis est hostis et fervor viget in populo christiano, excitanda sunt arma bellica contra perfidos infideles. Vestra igitur Sanctitas jam ad beneplacitum imperet, quid agendum. Quam dignetur Altissimus conservare Ecclesiæ suæ Sanctæ per tempora longiora. Ex Salankemen MCCCCLVI, XVII Augusti. *Et ex hac epistola elucescit mira Sancti nostri humilitas: nullo vel levissimo verbo indicat, se in victoria habuisse partem qualemcumque; ac similiter iterum laudat Joannem Huniadem, cujus obitum notum facit Pontifici. Habemus igitur in hisce litteris novum argumentum, quo monstretur in animo viri sanctissimi non delituisse aliquem sive superbiæ sive invidiæ sensum. Quod porro luculentius ostendetur, quando de obitu Joannis Huniades num.* 366 *agemus.*

nihil sibi gloriæ arrogat.

358 *Et vero ipse Calixtus Pontifex, respon-*
dens ad litteras, a Capistrano *missas, non tam*
ex hujus, quam ex Legatorum suorum relatione
didicisse se dicit, quantam in Nanderalbensi E
victoria partem habuerit Sanctus. Hæc enim
habet (1): Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Non dubitamus, quin ad consequendam hanc gloriosam contra Turcos victoriam devotio tua verbo ac opere magnum adjumentum præstiterit: sic enim ex relatione multorum, et imprimis Legatorum nostrorum, quos illic habemus, sæpe intelleximus. Quare quum Deo omnipotenti, largitori tanti muneris sempiternas gratias habeamus, tuum quoque in hoc fervens studium merito commendamus, cujus opera et animi fidelium ad resistendum sunt confirmati, et cætera facta sunt, quæ privatim et publice profuerunt. Habebis horum benefactorum tuorum verum remuneratorem Deum, cui hæc fiunt, nosque tanti operis numquam erimus immemores. Hortamur autem devotionem tuam, et ex corde requirimus, ut constanter in incœpto perseveres, et nunc maxime ad communem salutem suscites spiritum tuum; quum Redemptor noster misertus populi sui præbuit se ducem victoriæ, datque amplissimam facultatem renovandi in his partibus nominis sui F
sancti, unde illud barbarorum impietas sustulerat: nec cesses dies et noctes assistere dilecto filio nostro Joanni, S. Angeli diacono cardinali, apostolicæ sedis Legato, ac sancta opera ejus zelo tuo juvare; hortari gratia Christi, tibi cœlitus data, prælatos, barones, nobiles ac totius regni Hungariæ populos, ut sequantur crucem Jesu Christi, quam ad vos misimus, instent hosti jam victo ac perturbato, offerantque Altissimo plenum perfectumque hoc sacrificium, quod tale factum est, ut pariturum sit regno prædicto et cunctis fidelibus perpetuam securitatem. Nos autem sine intermissione operamur, quod possumus, jamque ad orientales partes ab ultima die Maji elapsi, ut antea obtulimus, Legatum cum classe nostra emisimus, qui navigationem prosequitur, daturus terrestri exercitui summam prosequendæ victoriæ occasionem. Hortamur quoque in dies per litteras et nuntios nostros omnes principes et potentatus fideles,

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 374.

qui

A qui ubique aliquid posse videntur, ut, ex quo Deus iter salutis aperuit, exsurgant potenter ad conterendum penitus infidele genus : in quo, dilecte fili, cooperare nobiscum, quod potes. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno MCCCCLVI, VIII kal. Septembris (XXV *Augusti*) pontificatus nostri anno II.

Calixtus Papa, innovato festo Transfigurationis

359 *Aliis dein litteris, datis* XVI *kal. Octobris* (XVI *Septembris*) *Pontifex potestatem S.* Capistrani circa spiritualia ampliat, *simulque aliqua in mandatis dat pro* nobili viro, comite Joanni Vayvoda, *seu Huniade, cujus hactenus mortem ignorabat* (1). *Ut porro portentosæ victoriæ perennis exstaret in Ecclesia memoria, Papa Calixtus instituit, seu potius innovavit festum Transfigurationis, celebrandum in toto orbe die* VI *Augusti, quo nuntium victoriæ accepit. Bullam institutionis refert Raynaldus in continuatione Annalium Baronii ad annum* 1457 § LXXIII. *Ast in hoc variant scriptores, quod aliqui primævam ipsius festi institutionem, alii ritum solummodo solemniorem festi, jam ante instituti, Calixto adscribant. Waddingus va-*
B *riis argumentis evincere conatur, festivitatem ipsam a Calixto occepisse, et si qui citantur scriptores, Calixto antiquiores, eosdem interpolatos pronuntiat* (2). *Verum Edmundus Martene in suo Tractatu de Antiqua Ecclesiæ Disciplina in divinis celebrandis officiis* (3), *longe antiquiorem Calixto hanc festivitatem monstrat,* tum ex Eldephonsi episcopi libello (4), ex quo habemus, olim tres die Transfigurationis dominicæ Missas in Hispaniarum Ecclesiis celebratas, perinde ac in Natali Domini, præceptamque fuisse omnibus christianis illa die communionem: tum ex Wandelberti Martyrologio, ubi de eadem solemnitate agitur his versibus: « Idibus octavis mortem passuri crucemque Christi sancta caro ætheream dedit ante fi- [guram. » Præterea in vetusto Missali insignis Ecclesiæ Turonensis, ante annos 800 manu exarato, reperitur idem festum cum Missa « In vigilia Transfigurationis. » Sed et Petrus Venerabilis in Statutis de festo Transfigurationis loquitur, tamquam de festo antiquo, et passim cum summa solemnitate celebrato: nam postquam
C statuit, ut eodem modo recolatur, quo Purificationis B. Mariæ festum; rationem sui statuti reddens, quia, inquit, « nulli alii diei solemnitati inferior dignitas, et antiquus et modernus multarum per orbem Ecclesiarum usus, quæ non minore, quam Epiphaniam et Ascensionem Domini honore jam dictæ Transfigurationis memoriam recolant (5). » Unde præposterus omnino videtur zelus Pothonis, Prumiensis presbyteri, qui in libro III de Domo Dei improbat celebrationem festorum SS. Trinitatis, Transfigurationis et Conceptionis B. Mariæ (6). Transfigurationis porro solemnitas non solum apud Latinos celebris exstitit, sed etiam apud Græcos, utpote cujus mentionem faciunt eorum Menologium hac die et constitutio Emmanuelis imperatoris, quæ reperitur apud Theodorum Balsamonem in Nomocanone Photii Tit. VII cap. I. *Hactenus Edm. Martene.*

AUCTORE J. V. H. *in victoriæ monumentum, principes ad bellum sacrum excitat.*

360 *Insuper Calixtus Papa ratus, tempus advenisse confringendæ Turcicæ potentiæ, omnes principes christianos hortatus est, ut, compositis domesticis discordiis, conjunctisque viribus, in communem christianitatis hostem irruerent, et Ecclesiam Dei ab omni deinceps metu liberarent. Verum torpebant omnes fere christiani principes, neque auxilium aliquod efficax magnopere exspectandum erat. Exarserant inter Fridericum imperatorem et Ladislaum, Hungariæ regem, inimicitiæ; quia videlicet Ladislaus rex ex cæsaris tutela vi et dolo subductus fuerat, et in apertum bellum prorupisset controversia, ni Calixtus, anathemate intentato, eos ad pacem qualemcumque adegisset. Querebantur insuper Ecclesiæ Germanicæ jura sua læsa, et Moguntinus archiepiscopus (is erat Theodoricus de Erbach) ægre ferens ab eo subsidiariam pecuniam pro bello sacro cogi, ausus est a Pontifice ad futurum concilium provocare* (7). *In Gallia nihilo melius res procedebant, ut queritur Calixtus :* Ex ipso,, *inquit* (8), regno Franciæ quod præcipuum est inter christianos, parum vel nihil fructus sentitur; neque crucesignari, E
imo nec prædicatam cruciatam, sed solum, ut ajunt, de decima colligenda dolemus et vehementer dolemus. *Quin et ipsam decimarum collectionem favore regio non magnopere fultam fuisse, habemus ex iis, quæ supra diximus num.* 270, *de decimis Burgundicis* (9). *Angliam agitabant et turbabant nimis factiones domesticæ Lancastriensium et Eboracensium, ut inde adjutorium aliquod sperare liceret* (10). *Hispania suos habebat Sarracenos seu Mauros, quibus necdum plene debellatis, alio mittere suos milites non poterat. Lusitania tamen exercitum in Italiam destinaverat, sed obstantibus Italicarum civitatum motibus, domum suos milites revocare coacta fuit* (11). *Non est, ut hæc omnia latius evolvamus, quoniam ad Acta S.* Joannis Capistrani *non pertinent, utpote quæ post ejus obitum acciderint. Unum sufficiat addidisse ad monstrandum socordiam christianorum principum, nempe eo devenisse Pium II, Calixti III successorem, ut, ad sartam tactamque conservandam fidem catholicam, consilium inierit convertendi Mahumetum II ad Christum, et in epistola bene longa, demonstrata inanitate Co-* F
rani, christianæ religionis veritatem ostendit, eique promittit imperium felix, diuturnum, lateque propagatum. Epistolam integram exhibet Raynaldus sub anno 1461 § XLIV. *Sed de his satis.*

§ XXXII. Obitus Joannis Huniadis seu Corvini, cui assistit S. Joannes Capistranus.

Spes, ex victoriæ conceptas, obitus

Ingentes spes, quas, ut mox vidimus, principum vecordia fefellit, excitaverat parta ad Nanderalbam victoria : quæ tamen ipsæ brevi elanguere obitu utriusque ducis, videlicet Joannis Huniadis seu Corvini et Joannis Capistrani. *Et quidem Huniades diem suum clausit* XI *Augusti, contracto lethali morbo ex barbarorum*

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag, 374. — (2) Ibid. pag. 378. et seq. — (3) Pag. 575. Edit. Lugd. 1706. — (4) Migne. Patrol. tom. CVI, col. 886. — (5) Ibid. tom. CLXXXIX, col. 1027. — (6) Biblioth. max. Patt. tom. XXI, pag. 502. — (7) Raynald. Cont. Baron. an. 1456 § XL. — (8) Ibid. § XLIII. — (9) Cfr Hist. de l'Egl. Gall. tom. XXI, pag. 23. Edit. Paris. 1827. — (10) Lingard. Hist. d'Anglet. tom. V, pag. 184 et seqq. Edit. Lovan. 1828. — (11) Mariana. Hist. de Espan. tom. VII, pag. 310. Edit. Valent. 1791.

 cadaveribus,

AUCTORE J. V. H.

cadaveribus, quæ intolerabilem ac pestiferum exhalabant fœtorem. Ejus obitum describit Bonfinius, Rer. Hungaricarum Decade III, *lib.* VIII (1): Ne quid, *ait*, utriusque ducis felicitati posset adjici, ne multis quidem post diebus, divina utrumque benignitas non modo mortali, sed cœlesti quoque gloria donavit. At Corvinus id prius assecutus est, quippe qui longo intolerabilique labore belli defatigatus, in æstuantissimam febrem incidit, qua paucis diebus absumptus est. Medicorum jussu, quorum adminicula cuncta irrita fuere, in Semlyn oppidum amici contulere; ubi cœli benignitate se corpusque multo facilius a languore redimeret. Aderant filii duo, Ladislaus, feroci animo et robusto corpore juvenis, et Mathias, adolescens divino ingenio et præstanti indole præditus; item cognatorum et amicorum numerus non mediocris. Capistranus a latere non discessit. Sævit ipsa febris in dies, et nulla medica arte sævitiam remittit: desperatur viri salus et medicorum eluditur opera. Capistranus demum Corvinum hortatur, ut quando divinæ fortasse tempus vocationis in- B staret, testamentum edat, humana disponat, saluti consulat, et, quæ ad animi emigrationem pertinent, veluti sacra munia jubent, cuncta paret, ne minus nunc, quum opus est, quam olim industrius et prudens sibi esse videretur.

imprimis Joan. Huniadis intercepit,

362 Arrisit ad hæc vir ille fortissimus, et pia patris consilia commendavit, se tamen cuncta multo antehac disposuisse, respondit: ignavum et imprudentem illum reputavit, qui ad extremum vitæ, ut sui compos præ formidine mortis nemo esse posset, officia ista distulerit. « Ne me, » inquit, « velim usque adeo incautum et imprudentem, Capistrane, putes, ut quæ probe suades, hæc ad mortis agonem et tempus emigrationis ipse distulerim: multo ante hæc cuncta constitui; jam diu, quæ ad emigrandum facerent, comparavi; testamentum diu condidi, et quid liberis et

* !!!

amicis, quid diis immortalibus * legandum sit, sat bene, ni fallor, pro facultatum copia provisum existimo. Curam salutemque animi mei nequaquam liberis delegandam esse censui: pro facultate nonnulla templa fundavi, erogavi in pauperes, quæ humanitas et pieta- C tis ratio jusserat: et ad peragendum, quod instat, iter, viaticum quoque mihi comparatum, firma constansque fides, et spes ingens: item et tot accepta pro fide orthodoxa vulnera laboresque, et præsertim divina mihi toties explorata benignitas et præsentia me sperare jubet: haud inscium, Corvinum, in hac misera vita mortalium tot insidiis petitum, tot periculis et tempestatibus agitatum, felicem demum quietem inventurum. Id unum me angit, et cruciat, quod pro temporis angustia nondum profusæ in me divinæ beneficentiæ satisfacere licuit. Verum in hoc Jesu Christi servatoris exuberans clementia pietasque succurrit, quippe qui sine animi versura a me satisfieri patietur. Totam vitam sub ejus ductu auspiciisque militavi; quamquam stipendia gratuita facerem, multo plus tamen rependit in vita, quam merita postularent: fidelissimi veterani fidem dux ille non deseret.

qui, assistente sibi Capistrano,

363 Vos autem, filii amicique carissimi, hujusce me vitæ miseriis exauctorari, æquo D animo, quæso, patiamini: fluxa hic et caduca sunt omnia; nihil est, quod quidquam præter umbram habet boni. Militavimus hic satis superque; militiæ præmia apud superos exigemus, ea quidem commoda a divina liberalitate consequemur, quæ sunt perpetuo duratura. Si recte sapitis et stolida mortalium caritas vos non fallit interturbatque, fortunæ meæ fidendum esse magis, quam miserandum reputabitis. Dux ille præpotens gratissimusque, sub cujus auspiciis sacra stipendia feci, veterani sui labores miseratus, militiæ vacationem indulget; et quæ diu proposuit, nunc emerito magna præmia tribuet: proinde hunc necessitatis abitum patientissime tolerate. Si quid abituro muneris in hac pompa et emissione Corvino tribuendum esse censetis, quod sit gratissimum futurum, vestigia, dulces filii, paterna sectamini, cum paterna virtute, gloriaque certate; experiamini, si superare liceat, quod mihi per mortem interceptum est: Turcarum bellum continuate conficiteque. Id firmum, constans et gloriosum existimate, quod E honestatem foveat et pietatem, atque Deo gratissimum reputetis. In divino cultu et religione persistite; et, quod mihi assequi non licuit, deleti Turcarum nominis gloriam comparate. Ne indignum quidem et indecorum est, studiorum militiæque paternæ, juxta atque legatarum fortunarum hereditatem accipere. Idque imprimis precor, ne degenerando per negligentiam et ignaviam paternum nomen dehonestare videamini. Te imprimis facere jubeo, Mathia dulcissime, qui natu quo minor es, eo melius bona indoles de te sperare cogit. Proinde valete omnes, Corvini memores: tu quoque, Capistrane, vale; pro salute nostra, pias preces effunde, supplicaque; et quando sub eodem imperatore meruimus, ad accipienda mecum stipendia properato. »

filiosque ad omnem virtutem hortatus,

364 Quum hæc dixisset, præsentibus liberis, dato osculo, benedixit, amicis circum collacrymantibus commendavit, omniumque dexteras apprensavit. Exoravit mox eos, imprimisque Capistranum, ut in proximam divæ Genitricis ædem ad rem sacram faciendam se deferrent; et quum Eucharistiam accepturus esset, Do- F minum ad servum, quod indignum erat, venire minime paterentur, sed ipsum in ædem ad Dominum introducerent. Translatus in templum et sacris operatis accepta Eucharistia, placatisque extemplo numinibus, animam efflavit; perpetuum quoque sui desiderium Hungaris reliquit. Diem igitur obiit salutis anno quadragintesimo quinquagesimo sexto supra millesimum, quarto idus Septembris*. Corpus, sicut legarat, in Transylvaniam delatum, et in æde, quam in Alba Julia* fundarat, magnifico funere sepultum. Vir fuit statura sane corporis mediocri, magno capite, crispis crinibus, castaneæ colore subnitentibus; oculi fuere magni, serenus obtutus, suffulva facies et venusta; aspectus usque adeo pulcher et jucundus, ut singularem præferret gratiam, et tacitam sibi reverentiam postularet: cuncta membra corporis inter se ita consentiebant, ut nihil posset elegantius exoptari; corporis demum animique viribus æque pollens. O feli-

* *imo* III idus augusti

* Karlsburg

(1) Pag. 491. Edit. Francof. 1581.

cem

A cem virum! cui cum singulari virtute vivere, ac summa gloria mori datum est. Dum vixit ab omni periculo Pannoniam, christianamque rempublicam liberavit. Quare, promulgata morte, non immerito per universam Hungariam ab omni ætate ac utroque sexu est diu publice deploratus. Aliqui propugnatorem fortissimum, milites invictissimum imperatorem, omnes patriæ patrem certatim lugendo ingeminabant. Quod sibi benificiis Hungaros immortalibus obstrinxerit, et quantum amoris et gratiæ præ gestarum rerum gloria sibi conciliarit rei exitus ostendit : quippe quum post Ladislai regis interitum, Mathiam, ejus filium, regio haudquaquam genere natum, et adhuc puerum ac rerum impotem, omnes una voce regem exclamarint.

piissime diem suum clausit, die XI *Augusti*

365 Quum adhuc animam ageret, Capistranus ingemuit : « Invideo » inquit, « Corvine, morti tuæ, qui, consummato quoque præstantissimi ducis officio, et fuso fugatoque hoste, quem Terrorem orbis appellabant, ne qua tua felicitas labe inficeretur, extemplo ad superos evolas, et amplissima utriusque vitæ gloria
B potiris. O nos miseros, qui remansimus! quibus, si quid nominis recenti victoria partum est, superstibus facile id fortunæ inconstantia periclitari potest. Utinam te subsequi sit mihi fato datum, ut qui pariter sub cœlesti imperatore meruimus, una quoque in cœlis triumpharemus. » Mahumetem, ajunt, ad nuntium Corvini mortis confestim oculos humi defixisse, et conversum in lacrymas, dixisse, neminem umquam a mundi principio, illi sub aliquo principe fuisse merito ac jure sibi indolendum, cui tantam ex accepta clade turpitudinem amplius ulcisci non liceret. Viri fatum universa deploravit Europa. Calixtus, audita morte, non parum lacrymarum effudit; solemnia quoque justa in divi Petri basilica christianæ fidei defensori persolvit. *Hucusque Bonfinius, qui, nisi error typothetæ obrepserit, certe fallitur, dum dicit Joannem Corvinum* quarto idus Septembris *diem obiisse : nam ex epistola S.* Capistrani, *data* XVII *augusti, quam supra dedimus, num.* 357, *affirmat* D. Joannem de Hunyad ex hac vita jam delapsum XI hujus
C ex peste. *Nihilominus Joannes de Thwrocz, in Chronica Hungarorum cap.* 56 (1) *habet,* obiisse *Corvinum* millesimo dominicæ Incarnationis simulque quadringintesimo quinquagesimo sexto anno virgine suo æthereo solem hospitante in cubili, *id est quando sol est in signo zodiacali Virginis, seu a die* XXI *augusti ad* XXI *septembris, adeoque, quoniam agitur de idibus, qui in priorem medietatem mensis incidunt, obitus Corvini mensi septembris assignandus esset. Similiter in templo Brassoviæ seu Coronensi in Transylvania, parieti notatum est* (2) : 1456
*IV idus Joannes Huniades x Septembris * moritur, similiter Capistranus. *Verum quamvis hæc videantur satis firma, evanescunt legenti epistolam S.* Capistrani, *scriptam die* XVII *Augusti : nisi enim erratam dicamus diem scriptæ epistolæ, perstat* Joannis *nostri inconcussa auctoritas. Quominus porro in subscriptionem epistolæ errorem irrepsisse dicamus, obstant verba S.* Capistrani *dicentis num.* 355, quod non potui primo comprehendere in die gloriosæ victoriæ..... postea habita clariori notitia..... nunc suppleo ; *adeoque non exspectarit Sanctus per dies quinquaginta* (*a* XXII *Julii ad* X *Septembris*) *ut supplementum daret ; quando large sufficiebant dies viginti septem* (*a* XXII *Julii ad* XVII *Augusti*), *ut omnimodam rerum gestarum notitiam acquirere posset. Tandem Joannes Tagliacotius, Sancti socius ad mortem usque, in epistola de obitu sancti viri, infra danda, dicit num.* 386 *S.* Capistranum *die* I *Septembris ex Salankemen in Vilack esse profectum, atque istic usque ad mortem permansisse : adeoque ex utroque hoc capite, non est a mense augusti dimovenda epistola S.* Capistrani; *ac proinde tenendum est, Joannem Corvinum die* XI *augusti obiisse.*

AUCTORE J. V. H.

366 *Reliqui autem historici coævi unanimes sunt in exponendo luctu, quem S.* Capistranus *in morte Huniadis expressit : unde denuo conficitur, quam longe abfuerit a Sancti animo omnis invidia aut inanis gloriæ circa Nanderalbensem victoriam captatio. Dein tales tribuisse defuncto amico laudes scribitur, quæ omnem livoris cujuscumque suspicionem omnino diluunt. Joannes de Thwrocz, qui librum chronicæ Hungarorum obtulit cancellario regis Mathiæ Corvini, Joannis filii* (3), *dicit* (4) : Quum fr. Johannes de Capistrano ultimis respiraminibus laborantem (*Huniadem*) intuitus est; post illius recommendationem Deo factam, hoc flebile carmen dixisse fertur : « Salve aureola cœli, cecidisti corona regni: exstincta est lucerna orbis. Heu corruptum est speculum id, quod inspicere sperabamus. Nunc tu, devicto inimico, regnas cum Deo, et triumphas cum Angelis, o bone Johannes. » *Profecto si quocumque ex capite suspectus fuisset de invidia S.* Capistranus, *Thwroczius, Hungarus, patriæ amantissimus, vel verbo aliquo ambitionem viri sugillasset : unde datur intelligere nihil simile menti coævorum insedisse. Petrus quoque Ranzanus, qui funeri, Romæ pro Corvino celebrato, interfuit, eadem verba a* Capistrano *prolata recitat* (5), *nisi quod pronuntiata dicat post mortem, dum Thwroczius ea ante mortem ponat. Tandem quanta esset inter utrumque, Joannem Huniadem et* Capistranum *amicitia, ipse Huniades testatum fecit, quando sanctum*
F *nostrum præcipuum sibi in mortis articulo hortatorem habere voluit.*

summo luctu Capistrani.

E

367 *Huniadi duo fuerunt filii superstites, Ladislaus et Mathias :* alter, *ait Bonfinius Decade* III *lib.* VIII (6), qui natu major erat, militari disciplina et virtute præstans, item singulari honestate et magnanimitate præditus erat : alter vero minor, ad majora fortasse, quam pater, natus esse videbatur : patri demum uterque similis, ne minima quidem in re a paterna virtute degenerans. Sed uter aut longiore vita aut majore gloria functurus esset, Capistranus, veluti divinitus afflatus, optime augeratus est. Nam quum eum Corvinus aditurus, utrumque secum filium duceret, Capistranus Mathiam semper sibi ad dexteram, ad sinistram Ladislaum majorem natu collocabat : admiratur hujusce rei pater insolentiam, causamque sciscitatur : respondet ille, haud ab re id a se fieri; quando alter immatura morte præreptus emergere

Duorum Huniadis filiorum natu major,

(1) Schwantner. Scriptt. Rer. Hung. tom. I, pag. 274. — (2) Ibid. pag. 886. — (3) Cfr ibid. pag. 39. — (4) Ibid. pag. 274 — (5) Ibid. pag. 389. — (6) Rer. Hungar. Decades, pag. 493.

non

AUCTORE J. V. H.

non poterit; alter Hungariæ regnum sortietur, virtute ac gloria cum Alexandro certabit et christianæ plebis propugnator erit acerrimus; cui, si diu vivere licuit, omnes orbis principes sui admiratione conficiet. *Quam vere et accurate utriusque Corvini filii sortem præviderit S.* Capistranus *eventus brevi tempore comprobavit. Nam, defuncto anno* 1457 (1), *Ladislao rege, Mathias, Joannis Huniadis filius, die* XXIV *Januarii anni sequentis rex Hungariæ eligitur, et ad annum usque* 1490 *regnavit, nulli sui temporis principi secundus. Ladislaus autem natu major, immatura, ut prædixerat, morte obiit. Nam quum gravia olim inter Joannem Huniadem et Ulricum, Celiæ comitem, qui lateri Ladislai regis adhærebat, intercessissent odia, mortuo Huniade patre, ad filios transierunt ac tandem utramque familiam cruentarunt. Nempe Ladislaus rex post liberatam Nanderalbam in Hungaria una cum comite Celiæ redux, Futakum, oppidum in agro Bachiensi situm, adiit, atque istuc frequentissimum conventum indixit.*

Ladislaus, Ulricum Cilensem,

368 Ladislaus (*Corvinus*), *ait Bonfinius* (2), qui Albanam arcem et inferioris Hungariæ oras eadem, qua pater, potestate tenebat, ubi regem appropinquasse sensit, ad Futacum non sine validissimo equitatu obviam cucurrit, ne quid ab inimico mali pateretur. Excipitur a rege grato vultu, auditque eum ad Albam propediem esse venturum, ut hostium spolia et castrorum vestigia recognoscat. Hic etiam, ut sibi caveat, admonetur a multis, quos regis consilia non latebant, ac edocetur, a Ciliæ comite regis animum infestum sibi redditum : regem idcirco Albam venire cum Alamannorum crucigerorum manu, ut, ejecto ipso, protegendam illis arcem tribuat, omnia oppida, præfecturas et magistratus, qui in manu sunt Hungarorum, his exactis, Alemannis committat; atque illud potissimum peragat, ut Corvini liberis paternam omnem abroget potestatem : Ulricum demum malorum omnium esse auctorem. Perturbatur his dictis misere Ladislaus ; tamen pro virili sua odium dissimulat et sese coercet. Communicat hæc amicis, Hungarorumque proceC ribus, quibus infensum comitem intelligebat, et ad quos hæc pertinere senserat. Commoventur nihilosecius illi, et inimicum ex occasione omnino perdendum esse censent. Ad Albam tandem pervenitur, quam validissimo Ladislaus præsidio tenebat: adventanti arcem regi patefacit, ipsum purpuratis et togatis excipit; reliquis vero armatis, qui circiter quatuor millia fuerant, portas obcludit; præsidiarios admonet, diu noctuque clandestina arma non deserant, ne quid ab Alamannis, sibi infensis, detrimenti patiantur. Claves arcis ad regem defert, atque « Accipe, » inquit, « rex optime, tuæ arcis claves, quam tanto sudore ac sanguine pater dudum meus e Turcarum faucibus asseruit, liberavitque. Quantæ molis id fuerit, mors insecuta testatur. »

structis insidiis,

369 « Satis equidem majestati tuæ ac universo orbi paternam virtutem, fidem et integritatem spectatam esse puto : nos qui ex eo superfuimus, ne degeneres videamur, non minus paternæ virtutis ac fidei, quam cæterorum bonorum heredes esse studemus. Invidia clam apud te nos Ulricus oppugnat, princeps clementissime, et non modo dignitate, sed vita, si liceat, nos exuere conatur. Proinde si nemini inimicove nostro claves daturus non es, accipe; quando nos ipsi et hæc omnia tua sunt. Si invidi obtrectatoris consilio ac libidini auscultaturus, te, rex, quæso et obtestor, ne Corvinam prolem, quæ suo jure mortalium cuique fidelium, tibique imprimis commendata esse debet, præter fas et æquum, tam cito dehonestandam esse censeas. Me igitur, ut par est, majestati tuæ semper pariturum, sed paterno numquam inimico cessurum esse, scito. » Rex extemplo primum recipere claves, arcem curare, paternum munus gerere et bono esse animo jubet. Dum mora illic trahitur, comes Ciliæ regem in Ladislaum irritare, sollicitare cuncta non desinit. Ob non admissam in arcem armatorum multitudinem, audax Ladislai facinus criminatur. Quotidianis contra juvenis criminibus irritatur, de interficiendo comite pa- E ternos amicos consulit; imprimis Joannem Vetesium, episcopum Varadiensem, Corvini quondam consiliarium, qui deinde a Mathia rege ad Strigoniensem archiepiscopatum evectus est. Is, religionis gratia, ne cædis auctor haberetur, se, ut id fiat, nequaquam suadere; si factum foret, improbare non posse respondit : trucidandum inimicum cæteri suadent. Verum detectæ recentiores insidiæ destinatum facinus maturarunt.

occidit;

370 Ladislaus gnatam palatini comitis, e nobilissimo Gararum gerere nati, nuper desponsarat : Ulrico despotis filia uxor erat. Ad despotem is dudum litteras scripserat, post ubi cum rege Albam applicuerit, se duos propediem globulos esse missurum, quibus optime sibi ludere licebit : in his amborum Corvini filiorum capita pollicebatur. Intercipiuntur a pueris Ladislai literæ, quæ ad dominum relatæ ac perlectæ sunt. Forte rex a sacris aberat, et proceres eo die, qui divo Martino sacer erat*, in abdito conclavi senatum habebant. Comes, mali conscius, eo vocatus, anne prodiret, aliquandiu hæsitavit; F mox loricata tunica munitus, antequam prodeat. Ladislaus tunc, litteris incensus, occurrit, ac, postulato colloquio, proditorem ostentatis litteris exclamat, qui patri quondam necem, nunc filiis indigne moliatur; infensum quoque sibi regem fecerit : suppliciorum jam diem venisse ingeminat. Nonnulli comitem prius Ladislaum probris lacessisse, dicunt; et quod prætorianas cohortes in arcem non admiserit, ejus audaciam admodum incusasse. Illud plane constat, Ulricum, arrepto ex armigeri manu gladio, in Ladislai caput eum contorsisse, Ladislaum, objecta repente manu, in vertice simul et digitis vulnus accepisse. Oborto confestim clamore, Hungaros irrupisse, et comitem, acerrime reluctantem, multisque confossum vulneribus, obtruncasse. *Aliquandiu dissimulavit Ladislaus rex, quam sibi cæde Ulrici irrogatam existimabat, injuriam: imo Ladislao et Mathiæ, Corvini filiis, instantissime supplicantibus,* ut patratæ cædis venia,

* XI Novembris

(1) Raynaldi Cont. Baron. an. 1457 § XVI. — (2) Rer. Hungar. pag. 494.

ut

A ut dudum promiserat, donaretur, gravi asseveratione, cum juramento, super Eucharistiam sancte et reverenter inito, omnes injurias ac inimicitias, ex Ulrici morte conceptas, remisit, ambos fratres adoptavit, ac Elisabetham (*Corvinorum matrem*) pientissimæ parentis loco se semper habiturum esse recepit (1).

et ipse dein a rege

371 *Prudens matrona Elisabeth filiis consilium dederat, ne umquam simul regiam adirent: verita scilicet inconstantem regis animum, et ne ambobus una calamitate attritis, Corvina familia omnino deleretur. Sapientissimum matris consilium sprevere juvenes, et ambo simul in regiam admissi, carcere includuntur.* Tertio die, *inquit Bonfinius* (2), Ladislaus, capitali sententia mulctandus, prætori traditur; et inclinante jam sole, prælato pullo lugubrique vexillo, in plateam, revinctis post tergum manibus, educitur, quæ ante Sigismundi palatia late diffunditur, dimissis crinibus, arduo capite, et aurea veste, quam fortasse a rege acceperat, incedens, ad necem prodit : huc et illuc gemebundam plebem impavidus inspicit.

B Quum ad locum, morti præstitutum, processisset, lictorem crines colligere jubet : mox pauca pro sui purgatione locutus, et genua flectere jussus, paruit : nullumque trepidationis umquam indicium prætulit. Præco, qui damnatorum facinora ex more publicat, nihil aliud, impetrato silentio, enunciavit, nisi, reges tales pœnas e perfidis infidelibusque suis exigere oportere. Lictor a prætore gladium in cervicem formosissimi juvenis stringere jussus, commiseratione ac metu juxta correptus, ictus tres intulit, et nondum caput absciderat, imo ne lethali quidem vulnere læsus erat : constanter generosus ille juvenis tria in cervice vulnera acceperat. Sed quum ad tertium procubuisset, mox vi magna erectus deorum hominum que justitiam appellat, se non ultra a lictore petendum exclamat; quartum lictori ex lege interdictum esse; miraculum pro læso innocentiæ numine intercessisse. Ad hæc nonnulli proceres, qui e Sigismundi palatio, præsidente rege, spectabant, et Ladislai necem anhelabant, lictorem increpitant, ense cervi-

C cem repetere jubent. Quare vix quinto ictu obtruncatur infelix, annos natus quatuor de triginta : seu viginti sex. *Eadem fere habent Joannes de Thworcz* (3), *Petrus Ranzanus* (4) *et Æneas Sylvius* (5).

capite plexus.

372 *Optime quidem conveniunt auctores citati in omnibus circumstantiis, mortem Ladislai Corvini comitantibus : unum est, in quo differunt; nempe circa diem quo hæc contigerit. Bonfinius mox relatus dicit* idibus Martii, *seu die mensis* XV, *captum Ladislaum et* tertio *post* die, *id est sive* XVII *aut* XVIII *Martii* mulctandum prætori traditum *fuisse. Ast Joannes de Thworcz stylo quidem fucato, dicit* (6) : Geminis igitur fratribus, curiæ regiæ intra ambitum exsistentibus, tempus instabat, dum scilicet quadragesimale jejunium se observantes suum devexerat prope ad medium, feria secunda proximo post dominicam « Oculi » claro solis radio illustrata, meridiem constituerat : *id est, Corvini in captivitatem redacti fuerunt feria secunda post dominicam tertiam Quadragesimæ seu, quoniam anno* 1457, *notato littera dominicali B, pascha incidebat in* XVII *Aprilis, die* XXI *Martii, adeoque Ladislaus Corvinus capite plexus fuit die* XXIII *aut* XXIV *Martii. Tandem Chronologi Benedictini, eumdem morte mulctatum die* VIII *Martii scribunt* (7) : *nisi tamen vitio typothetæ* VIII *pro* XVIII *Martii positum fuerit, quo casu Benedictini cum Bonfinio convenirent; quod quidem satis probabile censeo. Itaque duplex remanet sententia, atque inter Thwrczium et Bonfinium, uter verum dixerit, discernendum est. Equidem in Thworczium propendeo, quia non solum coævus, quemadmodum Bonfinius, fuit, sed quia insuper in ipsa Hungaria scribens, faciliorem habuit accessum ad monumenta patria : dein quia abundantiori verborum ambitu indigitavit, captivitatem tunc incidisse quando quadragesimale jejunium jam medium cursum teneret; imo si diem decollationis inspicimus, feriam nempe* IV *vel* V *hebdomadis tertiæ, quam proxime mediam quadragesimam habemus. Filius Huniadis natu minor, mortuo Ladislao rege, anno* 1458 *Hungariæ rex fuit, defunctus anno* 1490. E

AUCTORE J. V. H.

§ XXXIII. Joannes Tagliacotius initia supremi morbi S. Joannis Capistrani exponit.

Omnium lucu-lentissime morbum

Capistranus, *ait Bonfinius* (8), defuncto Corvino, numquam amplius ridere visus est; veluti qui sub iisdem auspiciis militasset, et insigni victoriæ potitus, triumphante collega, ipse debito triumpho fraudaretur. Noctes aliquot insomnes exegit, inter contemplandum cum Deo sæpe conquestus, quare cum collega sibi obire non liceret. In languorem subinde corporis incidit, quem ex illius dolore contraxerat : elusis medicorum adminiculis, ad triumphandum accitus, paucis post diebus in Domino obdormivit : ad Vilachum, in Sirmiensi agro, in divi Francisci æde collegioque sepultus est. Inter deos, ex hominum opinione relatus, quotidianis in humana auxilia votis invocatur, miracula, templo affixa, F magnitudinem numinis plane testantur. *Jam superius indigitavi profanarum vocum usum indecorum, nempe ne catholico more Sanctos diceret viros virtutibus christianis insignes, eosdem deos appellat : id est scilicet puram latinitatem fere ad blasphemiam usque affectare. Præter Bonfinium, referunt pium S.* Capistrani *obitum ejus biographi, infra edendi. Sed omnium accuratissime hæc omnia descripsit Joannes Tagliacotius, qui Sancto socius in Hungaria, eidem morienti adfuit. Oportuisset forsan ejus textui hinc inde pro more nostro aliquas adnotationes adnectere : sed quoniam similia in Vitis edendis occurrunt, consulto abstinuimus, contenti aliquas voces, interpretationis gratia in margine adscribere : adeoque prolixam epistolam, ad S. Jacobum Picenum datam Florentia die* X *Februarii* 1461, *distinctam non solum suis numeris, sed et* §§, *seriatim exhibemus. Waddingum exscribimus* (9).

(1) Rer. Hungar. pag. 497. — (2) Ibid. pag. 498. — (3) Schwantner. Rer. Hung. tom. I, pag. 279. — (4) Ibid. pag. 392. — (5) Oper. pag. 140. Edit. Basil. — (6) Schwantner. tom. I, pag. 279. — (7) L'art de vérif. les dates, tom. II, pag. 58. — (8) Rer. Hung. pag. 494. — (9) Annal. tom. XII, pag. 384.

AUCTORE J. V. H. *S.* Capistrani *ad S. Jacobum de Marchiæ scribens*

374 Reverendo in Christo patri et optimo seniori, fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum probatissimo, ac divini verbi prædicatori præclarissimo, Frater Joannes de Tagliacotio, ejusdem Ordinis minimus et indignus commendationem tam humilem quam devotam et promptam obedientiam. Admirabilem ac stupendam de Turcis victoriam, divinitus habitam per merita et opera beatissimi viri, fratris Joannis de Capistrano, Reverende Pater, stylo veraci, sed infimo, ad mandatum tuæ paternitatis prosecutus, pollicitus sum juxta tuum piissimum desiderium ejusdem beatissimi patris felicem exitum ex hoc mundo ad cœlum verius, quam ab aliis dici possit, etiam tuæ paternitati perstringere. Non enim parvæ detractionis contra divinam bonitatem reus esse convincitur, qui divina mysteria, quum possit promere, silentio præterire videtur. Hinc Raphael Angelus ad Tobiam *: « Opera Dei revelare et confiteri honorificum esse » ajebat: hinc etiam psalmographus canendo dicebat:* « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. » Cupiens igitur T. P. morem gerere, et a nonnullis utriusque sexus devotorum fidelium sæpenumero requisitus, imo compulsus, ut ipse ego qui, divina disponente clementia, hujus præclarissimi viri ac fidelissimi servi Dei mirabilium laborum felicissimum finem propriis oculis conspexi, et omnibus et singulis ipsius finalibus actibus interfui, debeam suæ infirmitatis primordia, successum, transitumque ex hoc mundo ad Patrem luminum, currenti et indubio calamo pro gloria ipsius et ad posterorum exemplum describere, præsertim quum in his omnibus Deus ipse laudetur magnificeturque, qui suos famulos sibi servire et usque in finem facit perseverare.

* Tob. XII, 7.

* Ps. IX, 2.

B

Joan. Tagliacotius exponit;

375 Accedit quod quum a Rev. P. fr. Marco Bononiensi, generali vicario, beatissimus pater ex Cracovia litteris peteret, ut ego cum fratre Ambrosio Aquilano ad eum ex nativa nostra provincia conciti veniremus, et fratres pro quibusdam legitimis causis vellent nostrum differre accessum, tu, Pater, animasti fratres, ut nos sine dilatione ad eumdem Beatum Patrem mitterent; dicens: « Hi erunt, qui claudent oculos Patri nostro fratri Joanni, et libros suos ad suam provinciam reportabunt.» Quibus verbis, a te Aquilæ dictis, mox ad eum per obedientiam nos ire adstricti sumus; quæ verba, ut patet, vim prophetiæ habere visa sunt. Sed hæc narrare et recensere mea prohibent demerita. Timeo equidem, ne illud mihi divinitus dicatur*: « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum. Tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones meos retrorsum. » Negat hoc inscitia mea, qua timeo, ne hanc rem meus potius attenuet, quam explicet sermo. Exstant et qui hunc Beatum Patrem melius me noverunt, et qui ejusdem singula opera plenius enarrare sciunt. Sed hunc felicem obitum multo ornatius, multoque politius sciret describere venerabilis ille frater Hieronymus Utinensis, vir siquidem in dicendi genere præclarus, qui quemadmodum Patrem beatum incolumem sua lingua suoque scribendi stilo politissimo decoravit, ita cunctis caritatis obsequiis suo sinu suisque brachiis ipsum infirmum indefesse fovit atque nutrivit. Ad hos quippe potius, quam ad me, hujus beatissimi famuli Domini totius vitæ decursum et mortem ac mirabilia prodigiorum signa, ad ejus meritorum invocationem facta, exarare spectat. Quibus tamen silentibus, hoc onus aggredior, conscientiæ stimulo punctus, a qua præallectus, et a multis, ut dictum est, sæpenumero rogatus atque compulsus. Ad quod utique faciendum summum invoco opificem, qui suos servos, sibi jugiter ac feliciter servientes, in vita claros, in morte clariores, et post humanæ conditionis debitum clarissimos efficit, reddit et ostendit.

C

Ps. XLIX, 16.

D

morbum supremum, a ciborum fastidio

376 Beatus igitur iste Sanctus ac fortissimus Dei athleta, mirificis et quidem innumeris operum meritis locupletatus, ut passionum et patientiæ meritis locupletior fieret, divina disponente clementia, diutinæ ac gravissimæ infirmitatis est molestia circumfusus. Nec mirum: nam licet senio defectus esset, et a suæ conversionis primordiis cunctis passionum molestiis ferventissime corpus suum exposuisset, ac illud incredibili labore, abstinentia, vigilia, jejunioque continuo spiritui subdidisset et tenuisset, priusquam tamen Crucem assumpsit et Cruciatam prædicandam a summo Pontifice Calixto III per Reverendiss. D. Cardinalem S. Angeli accepit, tantis passionibus et laboribus hinc inde discurrendo, prædicando, crucesignando, commonendo, se ipsum condidit, dedicavit, ut præ admiratione oculi mentesque omnium in ipsum converterentur. Hinc nonnulli Sanctum, alii Apostolum Dei, alii Angelum cœlitus, emissum appellabant. Illo autem tempore, quo immanissimi atque potentissimi Turcæ castrum Nanderalbense obsessum tenuerunt, militarem industriam induens, in laboribus fortissimus juvenis apparebat. Nam quum esset crucesignatorum rector, dux atque imperator, ad eumque defendendi castrum ipsum causa præcipue deferretur, nec alteri quam sibi soli ipsi crucesignati obtemperarent, numquam quiescebat, labores subibat inæstimabiles, modo eques, modo pedes, sudoribus plenus, jejunus, infatigabilis die noctuque per castra christianorum velociter discurrebat. Si quando, ut cibum sumeret, a sociis alliceretur, ajebat *: « Alium habeo cibum manducare, quem vos nescitis. » Nam ibi sua mens, suum desiderium, suumque omne studium locaverat, ut Christi fidem posset servare immunem, castrum defendere, Turcas confundere, ac regnum Hungariæ illæsum custodire.

E

F

* Joan. IV, 32

exortum, vigiliis

377 Quum autem ex necessitate sumere cibum urgeretur, panis durissimus ipsi cibus erat et mensa nuda humus: non ibi calida fercula, non recens aut frigidum vinum, non carnes, quas semper abhorruerat, apponebantur, nec varia cibaria parabantur; et licet septuagenarius esset, indigeretque, ut moris est senum, liquidi aut calidi cibi, sua mira abstinentiæ virtute superabat. Nam etsi semel in die aliis temporibus cibo tenui reficeretur, et in nocte post orationem et studium brevem caperet somnum, hoc tamen tempore aliquando tres dies sine alicujus cibi et poculi adminiculo transigebat, noctes ducebat insomnes. Me adstante, coram pluribus audientibus, quum sollicitaret illustrem D. Joannem de

de Hunyad ad causæ defensionem, dixit, quod in septemdecim diebus et totidem noctibus, quibus Turcæ illic steterant, vix septem horas dormierat. Suos socios, licet juvenes, omnes defatigavit, et laboribus superavit: jam nemo fortium sæcularium poterat resistere, jam fortissimum ac velocissimum equum, sibi ab eodem domino donatum, mortuum omnes admirabantur. Calores intentissimi, frigora, sol per diem, luna per noctem, inquietudo continua, assidua occupatio, labor indefessus, suæ infirmitatis causa fuere. In trino etiam conflictu, quo Turcarum potentia tam in aqua quam in terra succubuit, multo laboriosius solito se fatigavit: ad ipsum namque spectabat in castrum crucesignatos introducere, ipsos gubernare, ipsis imperare, ipsosque tam intus quam foris ordinare. Hic Nomen Jesu altissime proclamando magnificabat; hic non nisi hoc sanctissimum Nomen a christicolis invocari jusserat.

et laboribus aggravatum,

378 In his omnibus diebus, quibus se incredibilibus laboribus exposuit, numquam tristis visus est; certam namque judicabat victoriam de Turcis reportandam. Qui quum persuaderetur, ut barbam, quam prolixam ferebat, radi permitteret, nequaquam, ajebat; nisi post victoriam me radi permittam. Os suum adeo pulveribus plenum erat, ut replicatis vicibus vix, variis remediis adhibitis, purgari valebat. Linguæ quoque ejus adeo ipsi pulveres tenaciter inhæserant, ut eam cultello radere oporteret: similiter et palatum præ multis pulveribus nigrum atque obscurum et quidem fœtens jam devenerat; ex quo nullius cibi aut poculi, sicut non desiderium, ita nec naturalem saporem degustabat. Panni quoque præ sua continua occupatione, præque loci ineptitudine nec lavari nec mutari sibi poterant, defluentes sudores minime sudario abstergi valebant. Jam cutis ossibus hærebat, jam præ nimiis solis ardoribus erat nigrefactus. Invaluerat tamen tantum martyrii desiderium, ut quamquam esset certus, se non per sanguinis effusionem hunc mundum relicturum, flagrabat tamen anxio desiderio vitam suam in ipsis laboribus finire, ut si persecutorum gladio juxta suum intensum desiderium anima non auferretur, martyrii tamen præmio non careret.

in mortem resolvendum divinitus cognoscit.

379 Fuerat quippe sibi in Nurimburgensi civitate revelatum, quod in brevi, non per martyrium sanguinis, sed per martyrii desiderium in Hungaria vitam finiret. Ipsum divina clementia illæsum servabat; nam neque pericula, neque tempestas Danubii intrepido nocuerunt; non bombardæ, non sagittæ, neque scopetta, neque tela Turcarum, quæ undique in eum congerebantur, ipsum vicinum Turcis in fronte exercitus positum, et in altum super quodam terrarum acervo inter ultimam bombardarum locationem et Turcas manentem, interficere potuerunt. Et quamquam ob nimium ejus fervorem, tamquam signum ad sagittas, ante Turcarum oculos maneret, modo clamando Nomen Jesu, modo oculos manusque elevando, nullius tamen ictum passus est, sed neque ejus elevatum vexillum. In eo verificatum est illud*: « Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamavit ad me et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. » Et licet per illud temporis spatium, quo Turcarum obsidio efferbuerat, pater ipse beatus dictis et multo pluribus laboribus, anxietatibus, occupationibus, variisque passionum molestiis et angustiis afficeretur, nocte illa cum die sequenti, in qua victor exstitit, tanta ac talia passus est, ut nemo dubitare possit, hunc beatissimum virum martyrii corona laureatum. Post felicem illam victoriam, habitam in prædicto castro, in die Sanctissimæ Magdalenæ, sexta die mensis Augusti immediate sequentis, cœpit beatus pater vi febrium et variis lassati corpusculi doloribus in eodem castro laborare ac destitui. Quo tempore illic residebat R. D. Legatus, Cardinalis S. Angeli, ægrotabatque peste ibidem illust. D. Joannes de Hunyad, qui postea die XI ejusdem mensis suæ clarissimæ vitæ diem clausit extremum. Aderat et D. Joannes, episcopus Varadiensis, D. Michael Sylagy ejusdem castri dignissimus castellanus, et multi alii proceres, qui tantum illic fœtorem ferre non poterant. Nam post ingentem illam stragem, ex cadaveribus mortuorum horrenda abominabilisque molestia invaluit, ut nemo vix esset, qui ex hac non infirmaretur. Ut de me ipso loquar, quum ex mandato D. Legati pro mensura castrametationum capienda, ad evitandum fœtorem per illam magnam planitiem, ubi Turcæ cecideranf, transeundo extra castrum cum fratre Alexandro de Ragusio eques proficiscerer, tantus me fœtoris horror invasit, tantaque abominatio ex conspectu cadaverum, illic jacentium, me absorbuit, ut non sine multiplici et pœnoso vomitu, vix vivus currendo ad castrum remearem.

* P. XC, 14

ingruente pestilentia,

380 Jam campus ille magnus nocte feris, dieque rapacissimis atque innumerabilibus volucribus plenus erat. Hæc omnia, Reverende Senior, scripsi tamquam præambula ægrotationis beatissimi patris. Quumque ipse beatus vir sic infirmaretur, ut vix aliquid sumere posset pro sustentatione naturæ, non cessabat fervore fidei plenus ab operibus pietatis: modo cum D. Legato, modo cum aliis de fide defendenda, de Turcis penitus exstirpandis sermonem habebat. Visitabat etiam D. Joannem, die noctuque baculo sustentatus, suaque visitatione ipsum mirum in modum confortabat, quem omnium, qua potuit verborum efficacia, ad bene moriendum induxit. Quem enim beatus pater dilexerat sanum, multo magis diligebat infirmum; adeo quod, licet et ipse infirmus esset et debilis, caritatis et amicitiæ officia erga prædictum dominum non dimittebat. Quum autem molestis sui corporis angeretur doloribus, dicebat cum Apostolo*: « Cupio dissolvi et esse cum Christo. » Et quamquam variis per singula ejus membra pœnalibus angustiis diffusis, in dies corporeis viribus destitueretur, spiritu fortis et fervidus proponebat, ut alter patriarcha Franciscus, pro fide catholica, proque peccatorum conversione ingentia se facturum; sitiens mirum in modum ad martyrii palmam consequendam, miro desiderio ad humilitatis redire primordia, et corpus,

* Philipp. I, 23.

AUCTORE J. V. H.

pus, tantis laboribus consumptum, ad pristinas vires pietatis et ad humilitatis officia revocare studens, verus Beati Francisci factus imitator. Quumque ex horrendo fœtore, et ex corrupto aere pene omnes illic infirmarentur, suadente D. Legato, ad locum, qui Simly dicitur, cum ipso se contulit. Iste locus est, ubi crucesignati, ante victoriam convenientes, morabantur, et prope quem in Danubio de Galeis Turcarum victoria habita fuerat ; in quo licet homines prius habitarent, et esset civitas non parva, ex incendio tamen Turcarum destructa, in villam parvam redacta est, a qua etiam hac eadem tempestate homines a facie Turcarum aufugerant. Hic aliqui tam ex Fratribus quam ex familiaribus D. Legati ægrotare cœperunt : hic tanta loci incommoditas erat et ineptitudo, ut si quis vidisset beatum virum, senem, infirmum, debilem, acutissimis febribus laborantem, ac nihil degustantem, maxima fuisset admiratione perfusus. Nam pro lecto nuda humus, pro cervicali lapis vel lignum,
B pro stramine tapetum super lapides erat, ac pro tegumento mantellus. Et quum hic locus, ob ruinæ vetustatem desertus, et undique apertus esset, factus est pater socius murium, serpentium, lacertarum atque muscarum, noctesque ducebat insomnes, dies in molestia totius corporis transigebat : et licet a primordiis suæ conversionis corpus suum omni abstinentiæ lege frenasset, maximamque et pene incredibilem tam in cibo quam in potu sanus temperantiam servasset; hujus tamen infirmitatis tempore vix aliquid pro sustentatione admittere volebat; cui si quando ipse Legatus aliquid, in suo tentorio præparatum, misisset, mox illud ob reverentiam paululum gustans, sociis impertiebatur.

Fratrum saluti prospicit,

381 Videns autem D. Legatus jam ex suis famulis aliquos ex infirmitate decubantes, et alios mœrore confectos, timens, ne ipse in tali loco ægrotaret, persuasit beato Patri, ut

* Salankemen

ad civitatem Calanchemen * pro recuperanda sanitate et pro majori loci commoditate se conferrent. Sicque pariter ad dictam civitatem ascenderunt; Legatus in majori ecclesia,
C Pater autem beatus in domo plebani divertentes. Hic tum pius Pater, licet ægrotus, quia aliquos socios habebat infirmos, aliquos sanos, decrevit omnium saluti providere. Nam licet aliquando plures, aliquando pauciores haberet, tunc tamen duodecim socii sibi erant: ex quibus Hieronymum Utinensem, Bernardum Mutinensem et Ambrosium Aquilanum, juncto eis fratre Vito Viennensi, pro eorum servitio, ad locum de Aconya sanandos transmisit: fratres Georgium de Patavia et Laurentium de Transilvania cum libris Budam navigio ascendere fecit : fratres Conradum de Bavaria et Epiphanium de Styria cum aliquibus fratribus Hungaris ad locum de Vilak ire præcepit, illic eum exspectaturis: fratrem Franciscum Hungarum, tunc interpretem, Alexandrum Ragusiensem et me secum retinuit. O piissimum patrem! Infirmus erat graviter, et alios, ne infirmarentur, curabat, alios vero infirmos studebat liberare.

uno ex Italis, Tagliacotio, secum retento.

382 Ex hac civitate litteras ad Papam secundas dedit, in quibus continebatur verus Turcarum numerus interfectorum, et damna Turcis illata, ac bona eis ablata in victoria D prælibata ; nuntiavit et mortem D. Joannis de Hunyad, ac promovit et magnifecit apud eumdem summum Pontificem illustrem D. Nicolaum de Vilak, quem alterum Joannem de Hunyad pro fide catholica fore sperabat tam zelo, quam potentia et industria. Mandabat namque iste dominus cum maximo exercitu ad limites Hungariæ, Turcas, si vellent appropinquare, impugnaturus; quem etiam beatus pater verbo et litteris ad causam fidei et ad defensionem christianæ religionis capessendam sæpenumero animaverat invitaveratque. Aliquando demum graviori, aliquando vero leviori dolore premebatur, et molestabatur tamen assidue a variis et acutissimis febribus. Nullum præter me missum Italicum habebat, qui quum et aliquali infirmitate molestarer, et joci seu solatii gratia sibi dicerem, ut sicut alios, me etiam ad recuperandam sanitatem destinaret; mihi in partem deducto dixit non sine lacrymis : « Fili, noli me derelinquere : solus sum, et neminem præter te habeo Italicum, qui mihi, forte morituro, assistat, et qui claudat oculos meos, et curet libros, mihi E concessos, ad provinciam reportandos: sed patienter me sustine, et mihi assiste. Si sanus evadam, Budam simul ascendemus pro colligendis animabus. » Hæc et his similia vir beatus ajebat, nesciens adhuc mortem sibi fore vicinam. Nam licet certum haberet, se in Hungaria sine sanguinis effusione moriturum, ignorabat tamen suæ infirmitatis eventum.

§ XXXIV. S. Joannes Capistranus infirmus remediis caret; Vilakum abit; a rege Hungariæ visitatur.

Sepulturam suam curat,

Non solum autem mihi, sed omnibus sibi assistentibus sæpenumero repetebat, si moreretur, cadaver suum sepeliendum in loco Vilak: cui quum semel dicerem, alia loca esse proximiora, in quibus dignius ac commodius posset sepeliri, dicebat, locum de Vilak esse inter schismaticos et juxta Turcas, ac captum F contra generalem Fratrum voluntatem: « scioque, ajebat, nonnullos fratres dixisse, hunc locum tenendum, quousque ego starem in hoc regno. Sepultis igitur ibi ossibus meis, Fratres locum illum non dimittent, sicque Fratres illic commorantes, erunt in lucem et in conversionem populorum. » Posset etiam dici, beatum Patrem talia dixisse, ut tam D. Nicolaus, quam alii proceres circumadjacentes, ex sua sepultura ad fidei catholicæ causam defendendam et pacem inter se servandam magis ac magis animarentur. Ego autem potius arbitror, hæc beatum virum dixisse, ut sicut vivus mundi honores pro posse aspernabatur, ita mortuus ac sepultus inter schismaticos et infideles omni penitus honore careret. Ex quibus etiam facile perpendi potest, hoc ipsius beatissimi Patris fuisse desiderium, ut quæ in ipsum viventem Turcæ et alii infideles, Domino prohibente, facere nequiverunt, saltem in ipsum mortuum ad libitum exercerent. Nemo hunc virum beatissimum de sepulturæ electione judicare præsumat,

A præsumat, quum et nonnullos Sanctorum tam Veteris quam Novi Testamenti ob aliquam rationabilem causam, vel divinio instinctu id ipsum fecisse legamus. Nam quum alias inter Fratres de sepulturis sive de sepeliendis Fratribus coram eo sermo fieret, ajebat de se vir Deo plenus : « Corpus istud perditionis vellem per terram trahi et immundissimo loco sepeliri omni confusione dignissimum. » O beatum virum, humilitate plenum, superbiam omnem abhorrentem ! Atque ita Deus eum ante mortem et post mortem exaltavit, ut vere de ipso dici posset : « Qui se humiliat, exaltabitur *. »

* Matth. XXIII, 12 *infirmus remediis destituitur:*

384 Ad cumulum autem meritorum, etsi excrescentibus passionibus nimium angeretur, nulla tamen remedia medicorum poterant inveniri (caret enim Hungaria medicis, abhorret et medecinas) cum mirabili patientia propter Christum omnia sustinebat, servabatque tam in cibo quam in potu mirabilem abstinentiam. Qui quum precibus et persuasionibus alliceretur, ut carnis cujusdam pulli, optime præparati, paululum comederet, mox ut ad
B satisfactionem rogantis illam degustavit, ut venenum reliquam deposuit; nam quum sanus carnes comedere solitus non esset, infirmus etiam illas abhorrebat. Rigorem autem justitiæ cum omni misericordia sic tenebat, ut correcta offensa, omnino offendentis persona nesciretur. Nam quum hic quædam fratris noxa ad eum deferretur, mox, nescientibus sociis, et quidem quantumcumque familiaribus, fratrem delinquentem clam districtissime corripuit. Hunc correctionis modum prælatus semper egregie servaverat; atque adeo delinquentes miro modo erga eum afficiebantur. Ingenti etiam desiderio detinebatur ad D. Nicolaum proficisci, in metis Hungariæ versus Bosnam exercitualiter se habentem, more quodam elephantis contra infideles ardentius solito animabatur. Post aliquot dies, viribus paululum utcumque resumptis, suadente sibi D. Legato, ad præfatum D. Nicolaum pariter cum D. Legato ire decrevit. Cui quum ipse contradicerem : « Ne facies hoc, pater; videmus enim te ex diutina infirmitate gravatum et adeo extenuatum, ut stare non possis. »
C His et similibus a suo proposito ipsum amovere conati sumus, allegantes pericula mortis, longitudinem itineris, patriam ac viam infidelibus plenam, calores intensissimos, penuriam victualium, sociorum displicentiam et eorumdem infirmitatem et pulveres pestiferos. Sed respondebat fervidus Dei famulus, hoc sibi Deum inspirasse. « Conscientia, ajebat, me urgente, et Legato suadente, ire me omnino oportet. Utinam in itinere, in hoc opere Dei, in hoc exercitio obirem ! Venite, filii, et sociate me, Deus enim nos sua gratia tuebitur. » Qui quum versus eumdem Dominum ire cœpit, non infirmus, non extenuatus, non quidem labore et infirmitate collapsum corpus habens videbatur; sed juvenis militaris et quidem industriosus, sanus, recens ac fortis et expeditus cunctis apparebat, adeo ut nullus nostrum, quantumcumque velocissimo in equo ad eum pertingere valeret; non enim ipsum equus, sed zelus fidei et martyrii desiderium ferebat. In hoc siquidem itinere perpauco cibo contentus est *, a solitis passionibus paululum relevatus.

* erat ?

385 Et quum in hac via inter schismaticos et infideles conversaremur, tanto in eum amore ac reverentia ipsi movebantur, ut ad eum videndum, clausis casellis, dimissisque laboribus, catervatim concurrerent, et alieni a pietate aliqui eleemosynas, aliqui habitationes eorum tam sibi, quam sociis offerrebant. Quibus pius Pater non sinebat a discolis damna inferri; sed si quando aliqui prætereuntes pullos aut animalia pro pabulo abstulissent, mox beatus Pater aut reddi, aut pecunia eis satis fieri jubebat, prædicabatque eis viam salutis, et pabulum salutare eis refundebat. Quum autem per quatuor dies ad prælibatum Dominum tam Legatus, quam ipse vir Dei pervenissent, eum multis rationibus ac persuasionibus ad causam fidei capessendam ac defendendam simul induxerunt; præcipue tamen ipse beatus diserte aperuit, quanta a Deo, a Summo Pontifice et ab hominibus animæ, vitæ et famæ suæ gratia refunderetur; et tandem omnia ipse dominus se pro posse facturum repromisit. Qui quum eos honorabiliter excepisset, post multa colloquia, E
ut ad suam civitatem de Vylak pro sanitatis munere obtinendo se conferrent, instanter rogavit. Erat enim et ipse D. Legatus aliquali infirmitate affectus : præcipue tamen ipse D. Nicolaus flagrabat desiderio, ut saltem ipse beatus Pater, cui plurimum afficiebatur pro sua devotione et sanctitate ad Vylak proficisceretur, ut ibi vel sanus evaderet, vel, Domino permittente, mortuus jaceret. Quod utique desiderium desiderio ipsius beatissimi consentaneum erat.

AUCTORE J. V. H. *in summa apud omnes veneratione erat,*

386 Licet enim ipse vir Dei summo studio, summaque reverentia a cunctis coleretur, ipse tamen D. Nicolaus eum Sanctum tenebat et appellabat. Non mirum ergo, si civitatem suam ipsius præsentia et sepultura decorari affectabat. Cui Pater acquievit. Mane autem sequenti ipse D. Nicolaus cum suo exercitu illuc recessurus, missis litteris ad Vylak, quibus significabat, Patrem beatum illuc de proximo iturum, venit ad eum pro benedictione petenda; qui ad eum exire noluit, nec eum intromitti jussit, donec Officium, quod cum socio persolvebat, complevisset. Nos autem F
assistentes timebamus, ne tantus dominus aut ipsius magni proceres, qui foris equis insidentes patienter exspectabant, discretum Patrem de indiscretione culparent. Absoluto tamen Officio, non quidem tersim, sed tractim ac morose, sicut sui moris erat, exiens ad prædictum dominum, dixit : « Hactenus cum Deo Officium dicendo locutus sum, ideo non exivi ad tuam dominationem; nunc autem cum tua magnificentia ad libitum loquar. » Quæ quidem verba tam ipsi domino, quam cæteris audientibus in admirationem fuerunt et in ædificationem, et benedictione accepta, post aliqua verba, ad invicem habita, dominus recessit : quo die tam D. Legatus, quam Pater sanctus versus Vylak iter dirigentes, 1 die Septembris civitatem intraverunt. Legatus in domo plebani, Pater autem in loco Fratrum de Observantia, quem ipse ante victoriam ceperat, cui Beatæ Virginis vocabulum est, diverterunt.

præcipue autem apud Nicolaum, Vilaki dynastam,

387 Gavisa est ex hoc mirum in modum tota civitas, gaudio permaximo perfusi sunt

AUCTORE J. V. H. *qui Sanctum in suum castrum transfert;*

Fratres, beatum Patrem jam habentes, de tantis periculis egressum, licet ipsum haberent infirmum. Sciens autem D. Nicolaus, D. Legatum et beatum Patrem ad suam civitatem, juxta votum suum, se contulisse, non multo post et ipse, dimisso exercitu, eamdem intravit, non tam ut eos honorifice in sua terra exciperet, quam Patrem ipsum beatum ægrotum in sua civitate summo studio curandum retineret : aut, si ipsum, volente Deo, obire contingeret, digno honore ac venerabiliter sepeliret. Nam, ut solum de regno Hungariæ loquar, licet alii magnifici barones in suis terris hunc beatum virum vivum habere desiderarent et mortuum, hic tamen dominus ob præcipuam, quam in eum conceperat, devotionem et singularem amorem, in sua civitate aut infirmum aut mortuum servare merito conabatur. Sciebat namque quodam fidei et devotionis dono illustratus, per eum superstitem, Domino jubente, posse adhuc ingentia fieri, et per eumdem defunctum christianam fidem amplius confirmari ; suis meritis et precibus ipsum cum re sua adjuvari et protegi; necnon certum habebat, hujus tanti sanctissimi viri sepulcro per omnem christianitatem suum nomen efferendum, suumque dominium ampliandum, atque multipliciter decorandum. Cujus quidem magnifici domini jam præcessit beati Patris retinendi desiderium. Nam quum adhuc ægrotaret beatus Pater in Salankemen, et ascenderent Fratres navigio versus Budam cum libris et aliis rebus, ad usum Fratrum pertinentibus, quamprimum navicula secus Vylak visa est, prænoniti cives jussu ipsius domini, ad illam armati concurrerunt, credentes, in illa corpus beati Patris mortui sive morituri deferri. Qui quum Fratribus non crederent, arreptis gladiis et ensibus evaginatis, omnia diligentissime revolverunt. Ut ad propositum redeam, D. Nicolaus, humanitatis beneficiis eis exhibitis, admonuit suum vicarium, videlicet D. Laurentium, ut tam infirmo quam sano Patri necessaria ad libitum ministraret, vigilaretque attentissime, ne infirmum Patrem alio transferri pateretur : similiter si obiret, nec extra civitatem ipsius corpus efferri permitteret, sed mortuo solemnes exsequias celebraret. Quibus rite ac secrete dispositis, post longam cum beato Patre confabulationem, benedictione capta, concitus ac lætus ad exercitum remeavit.

ubi S. Capistranus, *intensissimæ devotioni vacans*

388 Quum autem vir beatus ad locum desideratum, disponente divina clementia, pervenisset, maxima fuit consolatione repletus : qui licet adhuc variis febribus, et quidem continuis affligeretur, et, fatiscentibus membris, maximo afficeretur dolore, quum remissius infirmi ac senes soleant vivere, ipse in dies spiritu fortior ac ferventior exsistebat. Missas namque a primordiis suæ infirmitatis aut dicere aut audire nitebatur : si quando ob debilitatem celebrare, maxime in Vylak non posset, ad ecclesiam veniens, manu alterius, lacrymosis oculis devotissime communicabat. Numquam in sua infirmitate divinum dimisit Officium : si quando circa vitæ suæ terminum, illud non potuisset exsolvere, ipso jubente ac attente audiente, coram se illud dici faciebat. Nonnumquam simul cum Fratribus in hac infirmitate et pro eorum solamine ad mensam communem comedere solebat. Non cessabat a colloquiis divinis, non etiam a correctione : nam quum semel quidam in suum prælatum coram Fratribus peccasset, mox ut ad eum hoc delatum, ipso jubente, se ipsum frater, dicta culpa coram Fratribus in refectorio, disciplinavit, aliosque de aliis excessibus punivit. O justissimum Patrem! certus erat mori, et justitiæ rigorem misericorditer usque ad mortem servavit.

et mortis præscius,

389 Transitum suum longe ante præscivit ac prædixit : nam nocte sequente post Nativitatem Virginis Mariæ oranti revelatum exstitit, se omnino ex hac infirmitate moriturum, quod sæpenumero tam Fratribus quam sæcularibus viris revelavit. Lætabatur nimium, quod, deposito corporis onere, mundum juberetur relinquere. Maximo demum perfundebatur dolore, quod sanguinem suum ac vitam pro Christi amore non fudisset, dicebatque frequenter : « Heu mihi, heu mihi, heu mihi! quia incolatus meus prolongatus fuit, et quia longo meo frustratus sum desiderio. » Quum autem quis sibi diceret : « Adhuc forte tuum complebitur desiderium, alias bis vel ter fuisti oleo sancto inunctus. Hei mihi! Hæc mea ultima est infirmitas. Cur hoc mihi negatum, mori pro Christo? Toties inter infideles in bello morti expositus, et evasi, ut nunc tamquam iners in lecto sine gladio moriar persecutoris? » Gaudebat tamen, terminum suæ vitæ advenisse; et licet, ut dictum est, alias sibi fuerat a Domino revelatum, se in proximo sine sanguinis effusione moriturum, assidue tamen Deum precabatur, ut ipse martyrii merito dignus efficeretur, dabatque pro posse operam, ut gladiis impiorum occumberet. Sed quod iniqui in eum facere non poterant, longa molestia, atque multiplex infirmitas fecit : nam per totum mensem Septembrem, licet baculo sustentatus incederet, tanta eum invasit ægritudo, ut quisquis in eum respiceret, præ compassione commoveretur.

visitatur a Ladislao rege

390 Eodem tempore serenissimus rex Ladislaus, audita beati Patris infirmitate, descendendo per Danubium, eum bis cum multis principibus, dominis et prælatis visitavit; cui Pater sic debilis, utcumque valuit, obviam se fecit, sed secunda vice de strato non valens exsurgere, eum, in cellulam venientem, ad fidei causam defendendam et ad bene beateque vivendum attente commonuit, aperiens ei, se ex illa infirmitate omnimodo moriturum. Quod audiens rex, maximo mœrore perfusus est, similiter et barones; et post verba consolatoria ab illo exeuntes, osculata manu, lacrymis omnes perfundebantur, ac recedentes, alii dicebant : « O regnum desolatum! » Alii : « O nos miseros! Quid faciemus sine Patre sancto? » Alii : « Magis ab hoc viro solo juvabamur, quam ab infinitis millibus armatorum. » Et similia ad invicem sæpius replicabant. Rex autem non solum suum medicum assistere jussit, verum etiam eidem, etsi totum regnum exponi deberet, affatim ministrari præcepit : sic et D. Legatus suum medicum cum omnibus necessariis sibi mederi fecit. Qui diligenti cura solertique studio, variis remediis dulcibusque blanditiis, eum ab infirmitate relevare conabantur. Quibus ipse

continuo

A continuo dicebat : « Facite quidquid vultis, dicite quidquid placet; obediam vobis pro posse, sed hæc est mea ultima infirmitas, et ex hac me moriturum procul dubio scitote. »

et a variis fratribus,

391 Sed et ipse Laurentius, locum tenens D. Nicolai, accurate omnia disponebat, cuncta, quæ fiebant aut dicebantur, diligenter attendens : civitas autem quæcumque noverat opportuna, Fratribus impertiebatur. Crebrescente hujus infirmitatis fama, aut veniunt aut mittunt magnifici barones nobilesque ad eum visitandum, ac etiam dignissimæ ac devotissimæ dominæ electuaria, confectiones et cibaria pretiosa ad eum a longe pia devotione mittebant. Ipse beatus Pater aut missa renuebat, aut ea accepta aliis distribuebat, horum nihil penitus gustans. Venit et R. P. fr. Stephanus de Vassan, provinciæ Hungariæ tunc dignissimus vicarius, vere ipsius Patris optimus filius, et olim ejusdem socius fidelissimus : qui quum post aliquot dies conventus aliquot visitare vellet, et cito se rediturum speraret, nec Patrem adeo cito crederet moriturum, petiit ipsius benedictionem : cui ille : B « Si recedis, non me videbis amplius in carne mortali viventem. » Qui dum talia verba parvipenderet, et in eo nulla morituri signa hominis apparerent, post duos dies sui itineris mortuum Patrem dolenter audivit, sicque retrogredi coactus est. Astiterunt ei aliquot patres et fratres Hungariæ, cum omni veneratione et caritate sibi servientes.

quos, fractis licet viribus, omnes,

392 Continua autem vi febrium æstuavit, laboravitque maximis totius corporis doloribus, continuum fluxum passus per totum mensem septembrem : adeo vero vis hujusmodi fluxus invaluit, ut vix crederetur ad diem quintum perventurus. Erat tamen in eo eadem mentis tranquillitas, idem fervor, eadem devotio, idem zelus fervens continue ad Dei nominis honorem et salutem animarum et christianæ religionis augmentum. Tanta etiam auctoritas fulgebat in eo, ut licet sibi mortem cerneret imminentem, infirmos tamen, ad eum venientes, aut etiam deductos, sua sacra manu signabat, et quotquot tangebat, aut sanos aut melius habentes dimittebat. Quan- C tæ autem sanctitatis fuerit hic vir beatus, facile perpendi potest, quod quum eodem tempore esset sibi nuntiatum, dilectum ac gratum socium suum, fratrem Ambrosium Aquilanum in loco de Achya in extremis laborantem, ac, loquela amissa, ad ultimum devenisse, mox illa nocte in stratu suo genuflexus, astantibus cum lacrymis, pro eo oravit, et ita factum est, ut illo temporis momento, quo oratio ab eo fusa est, mox infirmus, quinque milliaribus distans, restituta loquela, a mortis dominio liber evaserit, sicut ego ipse eodem mane, assumpto socio, ad eumdem currens reperi : nam quem mortuum jacentem in feretro invenire credidi, manducantem et incolumem vidi. O vere beatum virum! Ad mortem ipse properabat, et tam præsentes quam absentes tangendo aut orando a languoribus et a mortis vinculis liberabat.

præsertim itineris ex Italia socios,

393 Quo tempore rediit ad eum venerabilis ille Hieronymus Utinensis, omni religiositate et litterarum sufficientia præclarus, sanus quidem et integer, et quum eodem tempore tertiana febre ego ipse laborarem, debilisque incederem, caritate plenus me ad eumdem locum transmisit. Sed quum non libenter eum dimitterem, non quod ego eum crederem moriturum ex illa infirmitate, sed quod timerem, me ab illo absentem moriturum, pius Pater mihi ait : « Vade securus, quia quum vitæ meæ vicinus terminus advenerit, te revocabo. » O piissimum virum! quis te non fleat? quis te non desideret? quis tuæ pietatis ac caritatis viscera poterit oblivisci? Heu mihi miserrimo! heu mihi ingrato! heu mihi peccatori! Licet enim ab ipsius beati Patris conversionis initio, alii multa et quodam modo infinita miranda opera, suis meritis suisque precibus a divina clementia facta, conspexerint, mea tamen pravitas in parvo temporis curriculo multa ad Dei gloriam, divina disponente voluntate, vidit, quæ omnia sua opera gloriosa approbant et confirmant, et quum his paucis vitæ diebus proficere deberem, adeo deficio, quod propriæ salutis videor oblivisci. Spes tamen mea est Deus, qui neminem, ad se euntem, abjicit aut confundit.

AUCTORE J. V. H.

amantissime complectebatur.

394 Quum autem beatus Pater scit tam me quam prædictum Ambrosium recuperasse corporis sanitatem, et jam suæ mortis diem cerneret adfuturum, ex dicto loco de Achya in festo Seraphici Patris Francisci ad se nos vocavit; quo tempore litteras receperat ex Italia, multa sibi grata continentes. Inter quas quidem litteras, erant illæ suavissimæ et admiratione refertæ venerabilis P. Bernardini Aquilani, tunc provinciæ S. Bernardini dignissimi vicarii, continentes felicem obitum beati fratris Philippi Aquilani, qui de mense Maji, proximo præcedentis, in civitate Sulmonæ feliciter migravit ad Christum. Has quidem litteras præ amoris ac devotionis dulcedine modo legebat, modo osculabatur, modo legi et exponi tam populo quam clero faciebat. Nonnullis etiam nobilium provinciarum illarum copiam mitti jussit; nec umquam illas legebat, quin lacrymis perfunderetur, dicens : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! » Hunc beatum fratrem, licet multis laudum præconiis ipse pius Pater efferret, hoc tamen singulare de eo mihi secrete dicebat : « Multa sibi merita frater Philippus F cumulavit, præcipue ob fidem et continuam custodiam castitatis et victoriam, quam obtinuerat de bello carnis. Fuerat enim, quoad vixit, miro modo stimulo carnis pulsatus, de quo, divina gratia adjuvante, victor evaserat : Deus enim non hominem, qui carnis illecebras patitur, abhorret, sed eum, qui desideria carnis sequitur et suæ voluntatis.

§ XXXV. Ingravescit S. Joannis Capistrani infirmitas; fratres suos ad regularem observantiam hortatur; proxime ad mortem se præparat.

Ingravescente morbo Capistrani,

Quum autem ipse beatus certitudinaliter mortem suam de proximo imminere sibi videret, corpus suum mirum in modum optabat passionibus exponi, ut, palea conculcata atque excussa, granum purum summi regis in horreo

AUCTORE J. V. H.

horreo valeat collocari. Duplicantur sibi febres, fluxus inferbuit permaximus, adeo ut, quum jam ipse nihil sumeret, attenuato corpusculo et sanguine continuo profluente, dolores etiam creverunt per singula membra intensissimi. Tussis accesserat adeo horribilis et tam magna, ut compassione audientes commoverentur. Jam cibum nullum, jam potum tenuissimum et raro sumebat; nullius etiam soporis aut dormitionis quietem capere poterat. Testes sunt patres Hungariæ, qui sibi tunc assistebant : testes sunt venerabiles PP. et FF. Hieronymus Utinensis, Epiphanius Alemanus, Ambrosius Aquilanus, Victor de Vienna et complures alii; præcipue tamen D. Laurentius, qui cuncta, quæ fiebant, curiose spectabat. Testis est conscientia mea, si qua est, quod in omnibus supradictis passionibus, doloribus, angustiis, anxietatibus, tormentis et corporalibus pœnis hujus beatissimi viri non solum illas non abhorruit, sed potius invalescere cupiebat ac invitabat, si qua esset durior, advenire. Imperturbabilis erat animi, perfectissimæque patientiæ, et eadem
B vox, idem sensus, idem intellectus, eadem mentis tranquillitas ac jucunditas, idem ferventissimus Dei et animarum salutis zelus inerat, sicut prius et eo amplius, quo se minus supervicturum certo sciebat : dulcia verba, mitis conversatio, mirabilis discretio, paternalis amor, maxima patientia, incredibilis abstinentia, locutio expedita atque sensata omnes sibi assistentes afficiebant.

aliqui sperant,

396 Et ut verum fatear, Pater reverende, licet ex tantis talibusque continuis passionibus ipsum patientissimum virum taliter diminutum, afflictum et minui et affligi durius continue videremus, considerantes, quæ superius posita sunt et multa alia, quæ scribi non possent, nullo pacto poteramus adduci, ut his temporibus ipsum moriturum crederemus : mirabamur tamen, ipsum sæpe replicare obitum suum de proximo affuturum. Sed quum hæc verba, « Heu mihi, » replicaret, et ego, mente infirmus, sibi dicerem, quare toties illud diceret; respondit patiens et jucundus senior : « Heu mihi, quia peccavi nimis » etc.
C Legebat litteras sibi missas, dictabat responsa vel propria manu subscribebat. Et si qui ad eum visitandum admittebantur, facta eis correctione dulcissima, lætos ad propria remittebat. Et sciens vir sanctus jam resolutionis tempus advenire, quadam die suos fecit socios, qui illic erant, accersiri, quorum singulis post dulcia verba, vascula quædam sive alveolos, confectionibus et electuariis plena, distribuit, quæ a compluribus nobilium virorum et mulierum, audita sua infirmitate, sibi fuerant transmissa, de quibus numquam gustaverat, dicens : « Hoc sit vobis signum, quod vobis sanis ac liberis evadentibus, solus ego in brevi moriar. »

aliqui desperant protrahendam vitam;

397 Cujus verba licet nobis essent tamquam verba Apostoli et licet talem distributionem miraremur, non tamen ipsum obire credebamus, et maxima inter nos erat disceptatio. Aliqui enim dicebant : « Ipse jam ad nihilum ex fluxu devenit; » aliqui : « Restaurabitur, nam perspicaciori nunc sensu viget, quam prius; » aliqui : « Jam cutis ossibus hæret » : sicque varia opinione stabamus, sed plures ipsum obiturum juxta sua verba credebant. D Ego autem miser eum adhuc ex hac liberum infirmitate supervicturum, arbitrabar. Erat alter Paulus in suarum gloriatione infirmitatum, et alter Job in earumdem tolerantia. Itaque numquam verbum alicui moleste dicere, numquam unicum visus est actum agere turbationis, ut solent infirmi, sed animo imperturbabili in cunctis suis passionibus permanebat. Die autem S. Lucæ Euangelistæ, me accersito, clam se in proximo moriturum prædixit, conatusque est verbis, quibus potuit, omne a me dubium amovere, ac, præsente Fr. Epiphanio, suam dexteram ponens super humeros meos, dixit : « O Fili, quid de te post mortem meam erit? » Illa verba mihi in corde infixa fuerunt. Post dulcem admonitionem, mihi singulariter factam, de perseverantia et caritate, de cura sociorum et patientia, ac diligentia in reportandis libris, jussit omnes Fratres ad eum convenire. Quibus post dulcem sermonem, post exhortationem ad honorem et timorem Dei, et ad observantiam regularem, genuflexus in stratu, prout poterat, se culpabilem accusavit, non sine maxi-
E mis lacrymis Fratrum precibus ac P. Guardiani pœnitentiæ se commisit.

ipse vero extrema sacramenta piissime petit,

398 Erat pro tunc illius loci guardianus venerabilis P. Fr. Michael a S. Dionysio, vicarius Fr. Michael Claudus, vir utique timens Deum, quibus etiam dixit, sui corporis pondus in proximo deponendum, commendans eis illum locum, simul et socios suos; dixitque se omnia sacramenta ecclesiastica recepturum. Quibus quidem Fratribus egressis, multa disposuit, statuens et commonefaciens, quatenus omnia sacramenta in nuda humo vellet simul die sequenti recipere; sic enim jussit Fratres admoneri. Facta ergo dignissima præparatione, mihi generaliter et specialiter tanta contritione, tantaque tenaci memoria confessus est, ut non præterita, sed præsentia, imo præ oculis suis minutissima delicta habuisse videretur. O quis vidisset hunc beatum virum, omni sanctitate præclarum, senem septuagenarium, solam cutem aridis ossibus cohærentem, diutina infirmitate tabescentem, cujus
F corpus tam labore quam molestia jam collapsum erat, genuflexum atque prostratum, manibus junctis, capite discooperto tundere pectus, continuasque lacrymas effundere! O quis audisset eum, etiam minuta quæque memorantem, singulaque commissa pariter et omissa tam ardenti intellectu, tamque efficaci voce et verbo coram Deo cum omnibus et singulis circumstantiis sacramentaliter recitantem! Quem quum ex compassione ad sedendum invitarem, et quodam modo adstringere vellem, nullo pacto hoc se facturum ajebat; eratque tam humilis accusator sui, ut alter David in sua confessione videretur : sed testor Deum et cunctos Angelos ejus, quod licet se maximum peccatorum existimaret, nullius tamen noxæ mortalis aculeo, post Religionis ingressum, pungebatur, neque eum aliqua mortalis culpa fœdaverat.

simulque indulgentiam papalem

399 Hoc tamen maxime dolebat, eum pro Christo non fuisse martyrium consecutum, nec plura egisse, quæ per eum ad honorem Dei et salutem animarum fieri potuissent : quum in veritate per quadraginta annos, ex quibus

A quibus Deo servire cœpit, tanta per eum in diversis mundi climatibus, Deo favente, facta sunt, ut post Apostolos similem illi non legamus. Et quamquam nullius pœnitentiæ, nulliusque absolutionis beneficio indigeret, voluit tamen, accepta pœnitentia salutari, sibi etiam tam papalis quam D. Legati absolutionis munus impendi. Ego autem præ lacrymis vix id perficere poteram, nec peccatis plenus sanctum verticem tangere audebam. Hæc in crastino dicti festi fiebant. Qua confessione peracta, in eodem loco, videlicet in terra, orationi se dedit et quidem supplex atque prostratus, parans se ad Communionem. Interea pro Communione fienda, in eadem cella paratur mensa altaris; pulsatur, jubente guardiano, campanella refectorii, conveniunt ad ecclesiam Fratres, obstruuntur cunctæ portæ conventus, ne sæculares irruentes, sacrum hoc officium impedirent; solum D. Laurentius, qui, suo domino jubente, omnibus et singulis interfuit, admittitur.

quæ cum maxima devotione recipit,

400 Et omnibus, ut moris est, paratis, ecce circa horam Tertiarum, P. Guardianus, indutus vestibus, huic rei convenientibus, et Fratres omnes, qui erant circiter triginta, veniunt cum sacratissimo Corpore Domini et cum sacramento Extremæ Unctionis : quibus Pater, aliis sustentatus, obviam reverenter processit, dicendo : « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum » et sæpius replicando similia non sine lacrymis abundantissimis. Quibus sacramentis locatis in mensa, antequam amplius procederetur, iterum Pater sanctus genuflexus dixit, culpam suam, petiit veniam, rogavit, ut tantis sacramentis dignus efficeretur, petiit pro se orari, dixitque in proximo vitæ terminum imminere. Ex hoc postulavit, ut, datis sibi sacramentis, dicerent Officium Commendationis animæ, usque ad « Proficiscere, anima christiana, ex hoc mundo, » addens : « Quum fuero in agone mortis, vel quum me sensero ad extremum vitæ devenire, vos faciam advocari. » Demum profunde adorans sacramentum Eucharistiæ, in lacrymas resolvitur fletu amarissimo; nunc se cruce signat, nunc crucem osculatur, nunc
C os, nunc pectus debili manu contundit, nunc etiam sacramento, nunc cruci loquebatur, peccatorem se maximum accusans. O Patrem sanctissimum! O armarium sanctitatis! Vir fuerat ab ingressu Religionis semper et rectus et timens Deum, et recedens a malo, ut alter Job; permanserat immobilis in Dei timore, ut alter Tobias, fuerat vir justus atque præfectus, ambulans cum Deo, faciensque omnia quæcumque præceperat ei Deus, ut alter Noe; et se tamen maximum peccatorem proclamabat. O humilitatem profundissimam! Sciebat namque hic beatus vir, bonarum mentium esse, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.

et sanctis operibus

401 Quibus verbis tanti Patris, quibus fletibus, qua compunctione, qua etiam humilitate omnes pariter adstantes in lacrymas conversi sunt, adeo ut vix illud Officium facere possent. Tandem incipiunt : aliqui legunt, aliqui psalmizant, alii alia parant, aliqui fletibus singultibusque replentur, Patrem sanctum venerabiliter admirantes. Post hæc venitur ad sacramentum Extremæ Unctionis, quod mira et quidem incredibili reverentia, humilitate profundissima, abundanti lacrymarum effusione ac composita corporis aptitudine recepit. Nam præmissa solita Confessione, et cruce pluries amplexata atque deosculata, ac sibi a compluribus fratrum absolutionum beneficiis impensis, tantæ sanctitatis visus est, ut nihil supra. Qui quum esset præ nimia ac diutina et quidem acerrima infirmitate malleatus et quassatus, se ipsum in omnibus coaptans, his sacramentis muniri ardenter affectabat. Si quis eum vidisset denudatum, profecto vidisset alterum Hieronymum, alterum Joannem Baptistam, solam carnis superficiem cum ossibus habentem. AUCTORE J. V. H.

se ad agonem disponit;

402 Demum, ut ipse poposcerat, incipiunt Fratres Litanias pro animæ Commendatione, humili Patre devotissime prostrato, et ad finem usque pie respondente. In hac sacramentorum receptione tanta beati Patris devotio, tantaque compunctio cum profluvio lacrymarum visa est, ut lingua minime valeat explicari : tantum acumen et perspicuitas intellectus, tantaque omnium sensuum in eo vigebat vivacitas, ut, quamquam esset penitus
E corpore diminutus atque exhaustus, in hujusmodi officio non videbatur infirmus : nam mira mentis jucunditate repletus, una cum aliis aut dicebat aut respondebat, adeo ut tam in Litaniis, quam in aliis, non ipse infirmus, sed unus de sanis circumstantibus in dicendo, respondendo atque male prolata corrigendo videbatur. O quis peccatorum sarcina oneratus hoc attenta mente non penset, talem ac tantum virum, innumeris bonorum operum meritis refertum, justum, pium et sanctum, cum tanta cordis ac corporis devotione, contritione et attentione divina sacramenta recepisse.

tum fratres suos

403 Reclinatur postea aliorum manibus in stratu, remanet lætus ac placatus, sæpius repetens : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace etc., » ut alter Simeon justus et timoratus : nec ob tam vivacem claramque vocem et sermonem expeditum de hujusmodi morte in nobis cessabat dubitatio. Nam hæc solum tria mortem arguebant, videlicet, ipsius de morte crebra prædictio, nulla cibi aut potus degustatio, et vehementissimi fluxus continua- F
tio : cuncta autem alia ipsius argumenta non morituri, sed victuri hominis apparebant. A receptione autem sacramentorum usque ad obitum ejus quinque defluxerunt dies, in quibus quidem ab eodem multa mirifice facta simul ac dicta sunt, quæ nullo pacto sunt silentio prætermittenda. Nam infra præfatum spatium singuli Fratres, ad eum venientes, et se culpabiles eidem reddentes, gratis ab eo cum osculatione manus benedictionibus muniebantur, præcipue tamen socii, sibi assistentes, ac sibi servientes, suis benedictionibus et muneribus, quibus poterat, replevit. Venerabili Fr. Hieronymo Utinensi, quem infirmus habuerat servitorem gratissimum, solemnes litteras merito concessit, dignissimis facultatibus prærogativisque refertas; dedit etiam ei eodem modo, quo sibi licebat, Bibliam aut alium codicem, quem vellet : alteri suos calceos petenti et indigenti donavit : alteri librum, alteri pannos : nonnullis etiam obedientiam, qua ad provinciam suam S. Bernardini redire deberent, dedit : me sociorum suorum

AUCTORE J. V. H.

suorum guardianum usque ad completam obedientiam instituens.

ad observantiam regularem conservandam animat:

404 Quos omnes sui sermonis dulcedine confortabat, tamquam alter Matathias dicens: « Vos ergo, filii confortamini et viriliter agite in lege sancta, in Regula, quam Domino Deo nostro et beatissimo Patri nostro Francisco observare promisistis; in ipsa gloriosi eritis. » Et sæpius similia replicabat. Demum libros, sibi accommodatos, reddi jussit : libros, epistolas et opuscula, hæresim Boemorum continentia, in provincia Austriæ dimitti voluit; libros autem et quæ ad usum ipsius tam a Sede apostolica quam ab Ordine habuerat, ad provinciam nativam et ad locum Capistrani, sicut moris est in Ordine Minorum, voluit reportari : similiter bullas, gratias, facultates, ac brevia apostolica et opuscula, quæ ipse ediderat. Taceat hic detractor ipsius sancti Patris, si ex hujusmodi concessione, distributione, remissione et dispositione ipsum temerarie judicare præsumat; quum tam a Sede apostolica quam ab Ordine hujusmodi ordinandi ac disponendi plenam habuit facultatem. Præterea R. P. Fr. Baptista de Levanto, pro tunc generalis Vicarius, fecerat ipsum suum commissarium, mittens sibi pro reverentia cartam albam cum subscriptione propriæ manus. Deinde non est censendum, hunc virum, tanta sanctitate fulgentem, in extremis suæ vitæ egisse contra conscientiam. Demum nonnumquam sancti viri ex instinctu Spiritus Sancti id agunt, quæ aliis facere non liceret.

B

libros, ex Italia allatos, restitui curat;

405 Mihi fecit litteras obedientiales et satis gratiosas, mandans, ut eos libros ad provinciam nativam, una cum Fr. Ambrosio Aquilano deferre deberem; et quidem per viam Austriæ et per Viennam deberem me conferre : primo ut illam provinciam, quam ipse plantaverat, venerabilibus patribus fratribus Gabrieli Veronensi, pro tunc provinciæ vicario, Christophoro Varisio commendarem, tamquam suis indefessis coadjutoribus et fidelibus sociis : secundo, ut ab eisdem pro ipsis libris deferendis favorem et auxilium suo nomine captarem. Scripsit etiam efficacem epistolam ad spectabilem D. Simonem Picktel Viennensem, sibi devotione maxima affectum, ut sua opera, suaque industria eosdem libros Venetias mittere dignaretur. Tertio voluit nos per Austriam ad Italiam redire, ut aliquibus libris, contra hæresim Boemorum, de quibus supra, Viennæ demissis, nonnullos ad Italiam deferendos cum aliis reportaremus : maximo enim detinebatur desiderio, ut dicti libri ad locum Capistrani deferrentur. Quem quidem locum, sua opera captum et suo labore inceptum, ædificaverat illa illustris et devotissima D. comitissa Celani, ipsius Patris carissima in Christo filia, et totius familiæ nostræ præcipua benefactrix. In quo quidem loco, eodem anno, ipsa domina, per litteras beati Patris admonita, fecerat ædificari amplam et pulchram librariam pro libris, illuc deferendis, quod, non dubito, id divino spiritu factum : nam illo anno, quo domina præfata litteris Patris pulsata est, et libraria facta, Pater est defunctus sæculo, et libri per tam longum terrarum spatium delati sunt, atque in eadem ornate locati. Nolo etiam V. P. silentio præterire miram ipsius beati Patris diligentiam

C

circa hos libros remittendos : nam quum, aliis libris per Fr. Georgium Pataviensem Budam transmissis, septem duntaxat volumina penes se teneret, tanta cura tantaque solertia circa hos transmittendos usus est, ut licet esset nullius vigoris et mortem sibi vicinam sentiret, tapetum tamen, quo ipse usus fuerat in pulpitis, in stratu fecit supponi, hos libros cum illo involutos fune suis manibus colligavit, ac sic seorsum locatos cum aliis ad eamdem provinciam transferri jussit. Quis talia prospiciens, illum in proximo moriturum dixisset? Sed attenta memoria retineat quæ sequuntur.

D

supremamque benedictionem Fratribus,

406 Paulatim se ad ultimum vitæ venire prospiciens, sentiensque sibi jam caligari oculos, benedixit universæ Christianitati et Religionibus, præcipuæ familiæ nostræ; quod quum ego non animadvertissem, die ante suum transitum genuflexus ante eum, adstante fr. Epiphanio de Styria, non sine crebris lacrymis petii ab eo veniam, recognovi me culpabilem in eum exstitisse; qui manum extendens, verbis consolatoriis me summe confortavit ac benedixit, similis Isaac factus. Demum quum eum rogarem, ut Fratribus benediceret; dixit : « Fili, heri illis benedixi, et iterum benedicam. » Me enim absente, alias benedictiones die præterita tam Fratribus quam populis impertierat ; sed tunc non paucis lacrymis irrigatus erigens se, utcumque poterat, christianitati benedixit, cui maxime compatiebatur ; videbat enim sibi multa mala imminere, quod sæpius dixerat. Videbat et regnum Hungariæ multa pericula incursurum : illis tamen miro cordis desiderio benedixit, junctisque manibus orabat ad Dominum, ut sancta fides catholica servaretur immunis. Demum totam Religionem Fratrum Minorum, præcipue tamen familiam FF. Observantiæ, lacrymosis oculis, mellifluis benedictionibus replevit, quasi singulas Italiæ provincias nominando, sua manu crucem faciendo, non immemor provinciæ suæ nativæ, necnon provinciarum Austriæ, Boemiæ, Poloniæ, quas ipse in Observantia regulari plantaverat. Benedixit et Fratribus tam præsentibus quam absentibus, tam viventibus quam defunctis, tam præsentibus quam futuris; præcipue quos sua prædicatione, seu inductione, sive etiam quos sua manu ad Ordinem receperat, multiplicis benedictionis munere fulcivit.

E

F

et Ordinis fautoribus impertit.

407 Benedixit cunctis familiæ nostræ benefactoribus et fautoribus, multos, ut sibi proponebantur, nominando : a qua quidem benedictione non fuerunt expertes conterranei sui, non etiam Aquilani, quos adeo amaverat, ut usque ad exitum illorum memor fuerit. Nec ab hujusmodi benedictione fuit aliena illa religiosissima et illustrissima D. Cobella, Celani comitissa; non equidem et filii sui. Quæ quidem magnifica domina ab ineunte ætate nonnulla adversa perpessa, consiliis ipsius beati viri inhærens, ab omnibus suis adversitatum molestiis fuit aliena, quæ sicut hunc beatum virum, in carne viventem, in præcipuum patrem habebat et totius vitæ consultorem, ita nunc ipsum, in cœlis regnantem, habet advocatum singularem. In hac siquidem benedictionum datione præcipue inclusit suos benefactores,

A factores, peculiares suos fautores, coadjutores, benevolos, amicos, attinentes, tam qui præsentis vitæ munere fruerentur, quam hi, qui ex hac vita migrarunt. Benedixit et omnibus sororibus S. Claræ, regulariter viventibus in monasteriis, præcipue tamen hac hora fuit memor monasterii Eucharistiæ Aquilani, quod ipse non sine labore statuerat. Hunc locum maxime semper amaverat, in quo manu sua quatuordecim sorores incluserat, tamquam lapides fundamenti. Demum adauctum est præfatum monasterium, ut in parvo temporis spatio sua oratione suoque favore ad numerum sexagenarium illæ sanctæ moniales devenerint, omni sanctitate præstantes. A qua etiam benedictione non fuerunt aliena monasteria Tertii Ordinis, tam ab ipso quam ab aliis fundata; præcipue benedixit monasterium S. Elisabeth, quod ipse in civitate Aquilæ statuerat. Demum omnibus personis Ordinis, tam in monasteriis quam in eorum domibus degentibus, manu et ore benedixit. Quibus quidem benedictionibus multos alios inclusit nominatim. Sed ut verum fatear, stabam ego
B genuflexus ante eum non sine lacrymarum effusione, et quotquot ego sibi proponebam aut nominabam, toto cordis affectu similiter benedicebat.

§ XXXVI. Varia variis prædicit S. Joannes Capistranus; sanctissime obit; magnus ad ejus corpus fit populi concursus.

Multa de Bohemia et Hungaria,

Veniam autem ad quasdam prædictiones: licet iste sanctus in omni vita sua prophetiæ spiritu apertissime fulserit, ut alibi dicetur, et sicut venerabiles socii, quos ante habuerat, veridice referunt; in hoc vitæ tamen suæ termino multa prædixit, de quibus omnibus et singulis immemorem me esse confiteor. Sed quædam postquam verificata sunt, mihi ad memoriam rediere. Prædixit prius mortem suam in Hungaria, et ad illum locum de Vylak profectionem non sine uberrimo fructu: prædixit illum locum de Vylak, situm inter schismaticos et infideles, ad maximum profectum fidei catholicæ futurum. Prædixit, quum de Bohemia loqueretur, post mortem suam nonnulla loca inter illos hæreticos capienda, et multos Hussitarum ab hæresi convertendos. Prædixit, omnes socios tunc infirmos, se moriente, convalituros. Prædixit familiam nostram, tunc bullam Calixti servantem, ad bullas Eugenii redituram. Prædixit, Fratres Hungaros solum propter bullam Calixti a familia discessuros; laudabat tamen bullam Calixti. Plangebat amarissime excidium christianæ religionis; plangebat et inertiam christianorum: prædixit partem christianitatis a Turcis occupandam, et compatiens regno Hungariæ sæpius dicebat: « Væ regno Hungariæ. »

multa de specialibus personis prædicit:

409 Prædixit quemdam suum socium a familia separandum et ad episcopatus dignitatem assumendum. Iste fuit Alexander de Ragusio, qui licet tunc ab hoc proposito esset alienus, factus est, et nunc etiam est, episcopus Scardonensis. Prædixit illustri D. comiti Ciliæ, quod caveret sibi; quod non faciens, fuit interfectus a D. Ladislao, filio illustris D. Joannis de Hunyad, in castro Nanderalbensi. Prædixit nobis, ad Italiam redituris, totum iter nostrum, et quod inveniremus Fratres in capitulo in provincia, et libri salvi portarentur: et licet ob aliquas causas aliter, quam ipse dixerit, agere vellemus, omnino non potuimus, imo, nobis non procurantibus, quidquid ipse nobis prædixit, procul dubio verificatum exstitit. Prædixit, venerabilem P. Fr. Nicolaum de Fara post mortem suam illuc venturum; qui licet a nobis esset longinquus, septima tamen die post mortem suam illuc cum fr. Francisco Placentino adventavit, et quem vivum videre cupiebant, mortuum conspexerunt. Multa alia in hac sua infirmitate, divino spiritu motus, beatus Pater prædixit, quorum aliqua adimpleta prorsus visa sunt, aliqua vero adimplenda timentur. Sed hoc silendum non videtur; pluries enim consociis ajebat, magnam sibi post mortem persecutionem inferendam, et quidem ab illis, qui eum viventem diligere E videbantur.

morituriens disciplinam regularem gravi monito commendat;

410 Prædicta omnia, R. P., vario testimonio et firmissimo juramento tam a me quam a consociis muniri possunt. Jam ad illa veniendum est, quæ post prædicta pro conservatione familiæ nostræ die ante obitum dixit, et scribi fecit. Nam post benedictiones prælibatas commendans Deo familiam nostram, et familiam tam Sororum S. Claræ, quam continentium, vertens faciem ad me dixit, tria esse, quæ Religionem nostram conservant, tenent et gratam Deo faciunt, videlicet: « Zelus religionis, fervor caritatis, et rigor correctionis. » Quæ dulcissima verba, ipso jubente, scripta per Fr. Epiphanium de Stiria, vigilem ipsius custodem et ministrum, dari sibi fecit, et ipsemet legit, et postea dixit: « Hæc servanda sunt in familia nostra, hæc tenenda in monasteriis; ego excuso conscientiam meam: dicite vicariis nomine meo: hæc vicario Austriæ, filio meo Fr. Gabrieli Veronensi, hæc sæpius cunctis Fratribus enarrate. » Ex quibus omnibus facile perpendi F potest, hunc beatissimum virum persimilem Jacob patriarchæ fuisse, qui moriturus extendens manum in filios, hæc tria peregit: nam filiis benedixit, instruxit, et futura eis prædixit. Hæc tria beatum Patrem fecisse certum est. Manum autem extendit, quando mihi dixit. « Quid erit de te, fili Fr. Joannes? » Compluribus etiam Fratribus manum porrexit; Fr. Georgium, qui mox est custos diligens sui sepulcri, dulciter amplexatus est. Sic Venerabilem Petrum de Sopronio, sic et P. Vicarium, cui abeunti dixit: « Fili, tu me non videbis amplius etc. » O Patrem sanctissimum! O vere virum admirabilem et admirandum! O zelatorem non solum nostræ familiæ, sed et cunctorum fidelium usque ad mortem! Quis te non magnificet? Quis tibi gratiarum actiones non reddat? Quis te non habeat ante Deum intercessorem?

tandem convocatis fratribus,

411 Quum autem hæc et multa alia nimium admiranda, quæ memoria deficiente, scribere non valeo nec scio, circa eum facta fuissent, et jam venisset dies, in qua transire deberet

ex

AUCTORE J. V. H.

ex hoc mundo ad gloriam sempiternam, condignam pro suis laboribus et meritis cumulatis recepturus mercedem, quum semper in eo intellectus integerrimus viguisset, volens, juxta promissa, ad complendam animæ suæ commendationem Fratres advocari, mihi dixit : « Dic P. Guardiano, quod faciat campanellam refectorii pulsari, ut Fratres coadunentur, et congregati Commendationem animæ prosequantur. » Quum mihi hoc non videretur, et dicerem, hoc non esse pro tunc necessarium : « Vade, inquit, fac, quod dixi. » Licet enim jam ego eum ex illa infirmitate obiturum credidissem juxta præmissa, non tamen illo die, sed neque illis diebus. Sic Fr. Hieronymus, sic Fr. Ambrosius, sic et omnes alii consocii, neque patres illius loci hoc opinabantur. Veniunt tamen omnes : quibus coadunatis ante omnes dixit, se illo die omnino moriturum. Steterat novem dies sine alicujus cibi aut poculi degustatione; petebat tamen julep propinari, quod inveniri non poterat, neque confici. Commendavit se Fratribus et
B eos confortavit plurimis verbis : commendavit eis socios, sicut fecerat et locum illum, dicens : « Demum, pater guardiane et vos alii Fratres, Fr. Joannes, socius meus, vellet hunc habitum, quo induor, ad Italiam reportare; ego prohibui sibi, sic rogo V. P., ut in isto habitu mortuum, cum eodem me sepeliatis : nam iste habitus fuit mihi missus ex Italia, in ipso est crux, quam sanctissimus Pp. Calixtus mihi misit, quam D. Legatus sua manu in ipso apposuit, cum quo Cruciatam prædicavi, cum quo, Domino annuente, et cum vexillo sanctissimæ Crucis Turcarum potentia fuit contrita a potenti dextera Dei. Prosequamini nunc Commendationem animæ. » Sed dicebant Fratres : « Pater, scimus te non moriturum, sed tuæ paternitatis voluntas adimplebitur. » Sicque circumdant stratum, Patre beatissimo attentissime stante; accenduntur candelæ, incipitur a P. Guardiano : « Proficiscere, anima christiana etc., » quo non correcte legente, dicebat beatus Pater : « Accipe nostrum Breviarium, ibi est tale Officium bene correctum. » Quo recepto a P. Guardiano, Pater beatus simul cum astantibus respondebat.

Commendationibus animæ factis

412 Stabat prædictus D. Laurentius, omnium, quæ fiebant, tacitus speculator, non tam ut devotionem ex his conciperet, quam ut raperet corpus post mortem, mandata domini sui, videlicet Nicolai antedicti, accurate perfecturus. Portæ conventus clausæ ac servatæ erant; nihilominus nonnulli sæcularium in conventum opera et industria ipsius Laurentii et aliquorum fratrum intromissi. Exeunt Fratres cellulam, Patre beato sensato manente et loquente, cum quo remanent prædicti fratres, Hieronymus et Epiphanius. Ego autem dubius et tristis cum fr. Ambrosio in cella manens, de his, quæ occurrebant, loquebar. Interea beatus Pater nunc se ad crucem vertebat, nunc oculos levabat ad cœlum, nunc apertis, nunc clausis brachiis, manebat. Quumque sic usque ad horam vespertinam perseverasset, qua jam hora caligaverant oculi, illico vocati, ad eum currimus, cujus labia movebantur, et loquebatur adeo submisse, quod vox ejus penitus non audiebatur : nunc hunc, nunc illum, nunc fr. Hieronymum, nunc fr. Vitum, nunc fr. Epiphanium, D
nunc fr. Ambrosium pio ac lacrymabili vultu intuebatur. Ego autem appropinquans sibi, cum lacrymis dixi : « Pater, non intelligimus, quid velis. Quid vis, Pater, quid vis? Quid possumus facere? » Ille autem manum suam nunc capiti, nunc pectori, nunc linguæ, nunc ori apponebat.

sanctissimam animam

413 Interea iterum Fratres conveniunt, qui non erant in cantandis Vesperis occupati : præcipue P. Guardianus, fr. Lucas, socius P. Vicarii, qui sibi præcipue servierat; et videntes beatum Patrem, sic manentem, et sua manu talia innuentem, licet nonnulli voluissent interpretari, sibi vel caput, vel pectus, sive etiam stomachum dolere, in diversis occupationibus circa eum occupabantur. Ille fricabat caput, ille humeros, ille pannos calefaciebat, alter vero manus demulcebat: ego autem existimabam, quod hoc faceret, ut depositus in terra exspiraret: sed tum dolore affectus, tum ne ob aliquam læsionem Pater citius exhalaret, tacui. Omnes tamen postea intelligunt, ex frequenti manuum indicio, E
Patrem fore illa hora transiturum. Accenduntur iterum candelæ, aliqui Fratrum ascendunt, aliqui sinu, aliqui manu, aliqui ore eum fovere conantur : reliqui stratum circumeunt. Resumitur recommendatio animæ, quæ quum, flentibus omnibus, diceretur, spectante D. Laurentio, beatus Pater vertit faciem ad cœlum, jungit manus, fit lætus, fixus sursum respiciebat, et videbatur, quasi vocatus vellet ire. Ego autem miser ad pedes stabam, et rigans ora lacrymis, mecum tacitus, repetebam illud, quod discipuli B. Martini dicebant: « Quid faciemus, Pater? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. » Flebam mortem tanti Patris, flebam et duritiem meam: nonnulli illic oculos habebant, ubi Pater tam fixe respiciebat.

Deo Creatori reddit:

414 Creditum procul dubio exstitit, advenisse Christum, pro quo mori tam ardenter ipse beatus affectaverat, beatum Franciscum, cujus vestigia tam ferventer secutus fuerat, et S. Bernardinum, quem vivum et mortuum tam alte, tam diffuse, tam gloriose prædicaverat, magnificaveratque. Commendatione finita, vel quasi circa finem, spiritus ille sacer, relicto F
corpore, feliciter migravit ad cœlum, ore clauso et oculis apertis remanentibus. Quod quum ex pulchra suæ faciei venustate Fratres non perpenderent (nullum enim signum mortui hominis apparebat) existimantes, eum adhuc spiritum habere, volebant iterum Commendationem resumere : accurrens autem Fr. Hieronymus clausit sibi oculos, ego similiter manu tremebunda comprimens supercilia et oculos, tamquam firmum habui ipsum exspirasse, idque ipsum contrectando clare omnes viderunt : et quum adhuc junctis manibus permaneret, alter Paulus Eremita videbatur. Quo viso, omnes in luctum conversi fuimus : aliqui dicebant : « O solem obscuratum! » Aliqui : « Cecidit de cœlo Ecclesiæ stella magna, cecidit columna Religionis. » Aliqui : « Cecidit corona capitis nostri etc. Jam infideles, hæretici et schismatici lætantur, » et similia. Hora erat vigesima prima, die sabbathi, cantantibus Fratribus Vesperas; et sic, volente Domino factum est, ut illo mense, illo hebdomade die, et quasi eadem hora, quibus obiit

A obiit sanctus patriarcha Franciscus, transivit et hic vir beatus Joannes, ipsius perfectus imitator. Gaude, senior optime, tales tuos præmisisse consocios ad parandum tibi locum. Gaudeat sancta mater Ecclesia, fidelissimum filium in cœlis habere locatum. Gaudeat et triplex Ordo S. Francisci, talem et tantum in terra habuisse patrem, ducem, rectorem, fautorem et prælatum, et nunc in cœlis eumdem habere intercessorem et advocatum.

ad cujus obitus nuntium

415 Quo viso D. Laurentius, quod jam ordinaverat ejus dominus, conatus est exercere: nam illi, qui latebant in conventu, irruunt volentes illud corpus de manibus Fratrum auferre, nec, ut moris est, lavari permittebant. Tandem vix opera Fratrum factum est, ut illud sacrum pignus lavari paterentur; nec potuit fieri sine ipsis; nam volebant procul dubio adstare. Exuitur sanctum corpus; quo exuto, apparent dumtaxat ossa, pellibus involuta. Quisquis eum vidisset, non ibi carnes, non sanguinem, non interiora illic est dixis-
B set, sed pulcher in facie, pulcher in oculis, pulcher in naribus apparebat. Quis eum Martyrem, et plusquam Martyrem negare audeat? Quum de ejusdem laudum præconiis scripsero, quod, Domino volente, faciam, ejusdem gestis præclaris, undique dispersis recollectis, efficaciam et veritatem omnium Sanctorum et Angelorum eum habuisse, liquido ostendam. Quum autem lavabatur, si dici potest, corpus, magis enim compaginatio fuit ossium, aliqui cordam, aliqui tunicam, aliqui manutergia sive nasotergia subtrahebant; nam Fr. Ambrosius cuidam, currenti cum tunica, abstulit eamdem e manibus. Quo utcumque peracto, cum silentio defertur tabernaculum illud per occultam viam ad ecclesiam, ad cujus custodiam deputantur sexaginta quatuor cives, et quidem potiores civitatis.

concurrit civitas universa;

416 Sed interea commovetur civitas tota: tentant homines in locum irruere, ascendunt muros simul et tecta, tentant frangere portas. Tabernaculum autem illud locatur juxta altare; post cujus locationem, antequam ec-
C clesia pandatur, apprehendit nos tribulatio maxima, et qui ante fautores et amici exstiterant, facti sunt nobis molesti pariter et infesti, de quo alias dictum. Post consignationem omnium, quæ ad beatum Patrem spectaverant, illo eodem sero incipiunt pulsare campanas, ac sic per septem dies solemnes exsequiæ solemnesque ceremoniæ celebratæ fuerunt. Illud tamen sacrum corporis tabernaculum, ob timorem, non fuit delatum per civitatem, ut fuerat statutum; timebatur enim, ne, si sic fieret, ex nimia et inordinata Hungarorum devotione corpus illud penitus laceraretur, aut homines mutuo sese interficerent. Sed sic honoribus eximiis in ecclesia locatum, maxima custodia custoditur. Quo audito, tam rex, quam prælati et barones, tunc in Futhak ad dietam exeuntes, maximo dolore afficiuntur; similiter et reverendissimus D. Legatus, qui erat ibidem. Post septimum autem diem, mandante Legato, fuit tumulatum illud pignus. Quo die rediens D. Nicolaus gaudet et tristatur; nam, quod optaverat, habebat; et corpus, quod magnifice cupiebat sepelire, indebite sepultum videbat. Illico fecit illud exhumari, sicque locavit illud honorifice; nam illud misit in quamdam capsam ferream, septem clavibus munitam, in pulcherrima capella in ecclesia ejusdem loci.

AUCTORE J. V. II.

ac sepulcrum miraculis fit gloriosum.

417 Transiit autem hic beatissimus Pater anno Domini MCCCCLVI, die autem XXIII Octobris, hora vigesima prima, die sabbatho; sepultus et humatus feria sexta proxime sequenti. Post cujus transitum illic cœpit coruscare miraculis, adeo ut ad ejus sepulcrum, tamquam ad sepulcrum Apostoli, undique populi confluant: nec mirum, nam per merita istius Sancti post suum obitum, variæ febres variique dolores et diversæ infirmitates fugatæ; patientes sanguinis fluxum, apostemata, plagas et ulcera curati: rupti et morbo caduco laborantes, paralytici, aridi, contracti, hydropici, obsessi, amentes, claudi, surdi, cæci et muti liberati sunt: mulieres, a periculo partus liberatæ, facilitatem pariendi habuerunt. Multi etiam liberati sunt a variis periculis et damnis, nonnulli a periculo mortis: agoni-
E zantes et in extremis laborantes mox sani evaserunt: et quod his omnibus majus est, duo mortui ad merita ipsius Sancti vivificati sunt et vivunt, utrique Joannes. Quinque etiam penitus mortui, aut visitato sepulcro, aut emisso voto per suos, apertissime per hunc beatum virum suscitati sunt. Quæ quidem miracula, tam in Hungaria quam in Italia, divina clementia per merita hujus sancti viri operata est.

Narrata verissima esse, juramento affirmat scriptor.

418 Penset ergo V. P. venerande senior, quantæ hic consocius tuæ paternitatis et nostræ familiæ Pater fuerit sanctitatis. Cuncta ac singula in hac epistola, currenti calamo exarata, coram Deo et Angelis vere commemoravi. Testem invoco Deum, qui perdit omnes, qui loquuntur mendacium: testes sunt Angeli, testes sunt omnes Sancti et Sanctæ Dei, præcipue Virgo Maria, B. Franciscus et gloriosissima Maria Magdalena, præcipua mea advocata, quod in his omnibus et singulis, quæ vidi et manibus contrectavi, prout posita sunt, verifica sunt, omni prorsus dubio carentia. Imo confiteor minus dixisse: multa *plura * multo?
intervenerunt, quæ ob laborantem memoriam evanuerunt. Hæc autem scripta sunt, ut tam V. P. quam alii, qui eum sanctum virum in terris merito exaltare desiderant, habeant veræ laudis materiam. Rogo tam V. P. quam alios, ad quorum manus hujusmodi epistola devenerit, ne forte incongruitatem generalem emendando, illos terminos immutando, aliquid immutent de substantia prædictorum: velim tamen cuncta, quæ hic posui, legi, audiri, corrigi, emendari et ampliari vel diminui ab illis, qui dictis interfuerunt. Licet ego miser aliqua ex his ab eis audiverim, atque, divina operante clementia, plura, quam hic narraverim, vidi, et contemplatus conatusque sum mei pectoris armariolo illa recondere, ut postea valerem enarrare ad gloriam et laudem nominis Jesu Christi et omnium Sanctorum ejus, ad confirmationem fidei catholicæ, ad magnificentiam et exaltationem nostræ sacratissimæ Religionis, et ad imitationem nostram, nec non ad accendendam, ampliandam et confirmandam devotionem erga ipsum bea-

 tissimum

AUCTORE J. V. H.

tissimum Patrem Fr. Joannem de Capistrano; cujus precibus et meritis una cum suffragiis T. P. merear de commissis conteri, et de committendis perseveranter custodiri. Valeat V. P. quam Deus conservet, et faciat videre canonizationem præfati beati Patris. Ex Florentia, MCCCCLXI, die X Februarii. *De variis porro obitus circumstantiis, quemadmodum de loco sepulturæ* S. Capistrani *agemus latius tum in Annotatis ad Vitam Sancti, tum in decursu Commentarii. Nunc ad acta post ejus mortem properamus.*

§ XXXVII. Statim post mortem S. Joannis Capistrani rex et principes Hungariæ instant pro ejus canonizatione.

Sparso S. Capistrani *mortis rumore,*

Sparso rumori de S. Joannis Capistrani *obitu, fratres, per diversa loca constituti, credere primum noluerunt; quia nimia videbatur universo orbi calamitas : ast brevi omnem dubitationem sustulit epistola encyclica Baptistæ Levantini,* B *vicarii generalis familiæ Observantum, data ad omnes vicarios provinciales, sequentis tenoris* (1) : Vehementer doleo, quod tibi dolendi litteræ meæ materiam ministrabunt : gravis enim et tristis nuntius tibi sum dicturus, quæ nec ego narrare, nec tu velles audire. At oportet, ut dicam et te certissimum reddam, nostri Ordinis coronam et gloriam, R. P. Fr. Joannem de Capistrano novissimis temporibus ex hac vita migrasse, seu placide in Domino requievisse, quemadmodum ab ipsis ejus sociis accepi. Ejus sacratissimum corpus in Huilach, Hungariæ civitate apertissime constat esse depositum, sub quinque seris aut clavibus diligenter munitum. Die autem XXIII Octobris decessit. Te itaque moneo et instantissime deprecor, ut a cunctis fratribus, sororibus et dominabus, in tua provincia degentibus, ejus exsequiarum officium solemne facias diligentissime celebrari. Hæc autem tibi adeo serio commendo, non quia putaverim, eum hujusmodi suffragiis aut auxilio indigere, sed ut ea, quæ ad nos spectant, fideliter exsequamur. Vale. Ex loco S. Mariæ de Angelis extra Mediolanum, nonis Februarii 1457.

C

crebrescentibus ad ejus sepulcrum miraculis,

420 *Statim autem ab obitu Deus sancti viri sepulcrum, crebris patratis miraculis, reddidit gloriosum : cœlitumque honores brevi post mortem tempore decreti fuissent, si vixisset Nicolaus V, cui notissima beati viri erat sanctitas, sæpe professus id se facturum, si suo tempore mortalitatem deponeret* S. Capistranus (2). *Et quidem non sine bonorum admiratione honorem hunc nonnisi post annos 244 consequi potuit. Obstabat initio Cardinalis S. Angeli Legatus, quem, inquit Waddingus* (3), male habuit in epistolis Capistrani, ad Calixtum missis, suum nomen reticeri, eique (Capistrano) soli socios cecinisse triumphum. Temerarium dixit, qui cæca et incomposita ex castris eruptione, quasi jacta alea, rem christianam in summum traxerit discrimen : inanis gloriæ cupidum, qui rei felicius quam prudentius peractæ palmam gestiebat, et consortis impatiens, profligati hostis sibi soli gloriam adscribebat : iracun- D dum, qui asperis verbis auditores e rostris exulcerabat, et sibi adversantes impatienter excipiebat. Hæc passim inculcabat, Capistranum magnificantibus objiciebat; et quamdiu in Germania hæsit, miraculis scribendis obstitit et canonizationem retardavit. *Carvajalii Cardinalis accusationes paulo propius inspiciendæ sunt, ut videamus, quam infirmo nitantur fundamento. Atque imprimis quod pertinet ad inanis gloriæ captationem,* S. Capistrano *objectam, jam criminationem refutavimus supra numm.* 349, 357 *et* 366 : *ac in specie, quasi* Capistranus *nomen Cardinalis Legati consulto omisisset, refellitur ex epistola, ad Calixtum data ex Salankemen* XVII *Augusti, quam supra numm.* 355 *et seq. retulimus, in qua nihil non bene et honorifice de Cardinali scribit.*

invito etiam legato Carvajalio,

421 *Cæterum, inquit Waddingus* (4), *ex supra relatis patet,* non tam temere, quam invitum Capistranum ad castra processisse, nec pugnam crucesignatis, sed receptum inclamasse. In acie tamen constitutis eam indidit Dominus fortitudinem et hostibus formidi- E nem, ut felicius quam sperari possit, gloriosa obtigerit victoria. Porro ille retulit Calixto victoriam sincero brevique epistolio, quod factum est absque ulla Cardinalis injuria, de quo nihil tunc referendum erat, qui procul a periculo Budæ hærebat, et, nonnisi re gesta et parta victoria, Belgradum advenit. Quod vero aliquando iratus sit Capistranus, non id vitio tribuendum : non enim iracundia, sed iracundiæ gradus, aut causa injusta, culpæ loco habenda est (5). Non quod irascimur, sed quare aut quantum irascimur, diligenter expendendum est. Capistranus eam habuit auctoritatem in populo, ut doctrinæ salutari obaudientes et piis consiliis obsequi nolentes, aut in peccatis sordescentes, juxta Apostoli instructionem arguerit, increparit, acriter objurgarit : « Amando corripiebat, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi (6). » Quod demum sibi adversantes impatienter exceperit unum illud exemplum est rei, asperius cum hæresiarcha Rochyczana transactæ. Quis Dei causam acturus, patienter ferret iniqui seductoris venenosas insidias, contra or- F thodoxam doctrinam insanos errores, et contra Ecclesiæ ministros impudentes calumnias? Demus postremo, humana fragilitate leve aliquod vitium traxisse, aut imperfectioni fuisse subjectum, non id sanctitatem eliminat, sed exercet. Paucos invenies Sanctos, etiam eximia virtute pollentes, et cedris Libani comparatos, qui tentationum motibus non moveantur, vel graviori impetu admissi peccati non flectantur et ad ima incurventur. « Divinæ pietatis dispensatione ita permittitur, ut mens, proficiens ad virtutem justitiæ, sua melius infirmitate firmetur. Obtenebrantur stellæ caligine noctis *; et sancti viri, licet magnis * Job. III, 9 jam virtutibus resplendeant, habent tamen de culpæ obscuritate, quod feriant. Et licet magna jam vitæ claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, velut quasdam noctis reliquias, nolentes trahunt (7). »

viro cæterum

422 *Porro hæc Carvajalii Cardinalis obsi-*

(1) Wadding. Annal. tom. XIII, pag. 1. — (2) Ibid. tom. XII, pag. 415. — (3) Ibid. pag. 416. — (4) Ibid. l. c. — (5) Cfr S. Thomas 22, q. 158, art. 1. — (6) August. serm. LXXXII, al. XVI cap. 3. Cfr Migne. Patrol. tom. XXXVIII, col. 507. — (7) Greg. Magn. Lib. IV, moral. cap. 22. Patrol. tom. LXXV, col. 658.

stentia

A *stentia non diu nocuit initio canonizationis S.* Capistrani : *nam S. Jacobus Picenus, qui anno* 1457 *in Hungariam a Calixto missus, Budæ prædicabat, puellam, a nativitate cæcam, quam S.* Capistranus *suo attactu sanaverat, in mediam concionem produxit : quumque coram rege, legato et reliqua turba professa esset miraculum, quod multi præterea testificati sunt; notarium archiepiscopi Strigoniensis, istic præsentem, rogavit, ut verba puellæ scriptis exciperet, et denuo coram archiepiscopo et deinde coram legato examinaret. Ita factum: et tertio interrogata, coram regni baronibus constanter eadem repetivit* (1). *Insuper eodem Waddingo teste* (2), primus processus compactus est ea, qua decessit urbe, anno 1460, cujus exemplar servatur in bibliotheca regia Parisiensi; secundus factus est in eadem civitate anno 1461, in quo ea tantum habentur miracula, quæ illo patravit anno a vigilia Pentecostes usque ad Nativitatem Virginis Mariæ. Tertius factus Budæ auctoritate apostolica sub annum 1465 in quo referuntur omnia ejus mirabilia, tum in vita, tum post mortem usque ad illud tem-
B pus patrata. *Igitur nec decennium ab obitu S.* Capistrani *elapsum erat, quando jam terni processus confecti fuerant. Paulo serius, id est sub Sixto IV, qui pontificatum tenuit ab anno* 1471 *ad* 1484 *processus* quartus, reliquis major, ingentem habet cumulum miraculorum, per varia capita distributum. Quintus, in variis Hungariæ partibus auctoritate Leonis X factus ab episcopis Quinque-ecclesiensi et Sirmiensi et ab abbate de Gethlo, diœcesis Quinque-ecclesiensis. Tandem *relationem omnium gestorum, pergit laudatus Waddingus* (3), et rationum allegationem doctam more juridico pro canonizatione impetranda fecit Leoni X quidam jurisconsultus, instar illius, pro canonizando S. Bonaventura a Joan. Francisco de Pavinis compositæ. Eam distinxit in fundamenta seu articulos sexdecim, quos hic exscribo. « Primum, inquit, ipsius Beati Patris ad Religionem Ordinis Mendicantium S. Francisci mirabilis dicetur conversio cum illius præcipuo fervore. Secundum, doctrina sacra cum multitudine librorum. Ter-
C tium, contemptus dignitatum mundanarum et ecclesiasticarum. Quartum, superexcellentes virtutes et merita ejus insignia. Quintum, regimen sanctum ejus cum regularis Observantiæ familiæ liberatione. Sextum, patientia in persecutionibus propter zelum Dei. Septimum, labores multi, mores casti et actus strenui etc. Octavum, multa gloria, quam fecit Dominus cum eo etc. Nonum, sufficientia in operibus caritatis et innocentiæ. Decimum, fama celebris beatitudinis ejus et mors pretiosa. Undecimum, multiplex supplicantium instantia. Duodecimum, maxima temporum mora, studiose exspectata. Tertium decimum, diligentissima solemnis inquisitio habita. Quartum decimum, devotio pia populorum ad eum, semper excrescens. Quintum decimum, multiplex fructus, subsecutus in Ecclesia catholica. Sextum decimum, multorum verorum miraculorum coruscatio diuturna. »

optimo, 423 *Quamvis autem Cardinalis S. Angeli seu Carvajalius, ipsis, quæ canonizationi objiciebat, impedimentis, aliquid humani se passum ostenderet, erat tamen et ipse vir sanctitate morum et zelo catholicæ fidei conspicuus. De eo scribit Ciacconius* (4) : Sexennium iis in locis (*Germaniæ et Hungariæ*), sub cœlo insalubri et inter gentem illam legatione functus, in castris sæpe versatus, hostium irruptionibus, militibus, sua diligentia cruce insignitis, obviam processit, numquam desertus a suis, se ipsum numquam deseruit. Frigorum vis illi dentes ademit, aliisque multis molestiis afflictus, omnia pro Christo æquo alacrique animo pertulit, vir doctrina ac sanctimonia insignis, magni consilii, acerrimus semper hæresum oppugnator, tota vita integritatis et continentiæ laude præstans. In legationibus, quæ, teste Cardinali Papiensi, triginta duæ illi ab Ecclesia commissæ fuerunt, Romanorum Pontificum non solum præceptis, sed votis obtemperavit; plurimas composuit paces; cardinalitii Ordinis libertatem, quibusdam in locis amissam, restituit. Pontificii legati auctoritatem retinuit, ac prompto animo exercuit; magnis beneficiis populos affecit, de omnibus optime meritus est: et quum multas regiones E peragrasset, magna semper pertractasset, nihil præter casti sacerdotis gloriam in privatas intulit ædes.... Habitabat ædibus modicis apud templum S. Marcelli, nulla aulæorum aut vestis stragulæ vanitate : familiæ quoque is erat cultus atque modestia, ut in ea sancti senis disciplina facile videretur. Jejuniis semper intentus, subsidia inopibus larga manu suppeditavit; plures sacras ædes restauravit; patrocinia labentibus tenuiorum causis fortissime præstitit. Hilaritatem semper coluit, quæ tanta ac tam continua in eo fuit, ut non minus oblectare pia festivitate homines, quam adjuvare videretur. Vere dignus Ecclesiæ et sancto Dei famulatu, quem ætas hæc priscis illis nascentis Ecclesiæ patribus sine injuria æquare potest. *Qui igitur in Carvajalio Cardinali nævus fuit, hunc delevit facile totius vitæ integritas.*

instituuntur processus pro canonizatione.

424 *Cæterum ipso in Germania, quam anno* 1461 *reliquit, agente, FF. Minores non solum instruendis processibus pro canonizatione* S. Capistrani, *quod in vasta regione sine magno strepitu peragi poterat, occupati fuerunt, sed anno jam* 1459, *Pio II, Calixti successore favente, apertius pro canonizatione instare cœperunt. Ipse Pontifex, inquit Waddingus* (5), F in Germaniam, et adjacentia Poloniæ, Bohemiæ et Hungariæ regna, in quibus tot miranda opera patrasse dicebatur, mittendum judicavit virum probum, qui vitæ, doctrinæ et miraculorum integra referret monumenta. Delectus est huic muneri Joannes a Tagliacotio, Capistrani olim socius, potissimarum rerum, ab eo gestarum, testis oculatus, in longinquis illis regionibus optime versatus. Negotio facilius peragendo et apud imperatorem, reges et principes imperii promovendo, intercessores ille adhibuit plurimos Italiæ prælatos, pridem Capistrano familiares, et nobiles quasque civitates, in quibus prædicavit. *Et continuo exhibet Waddingus epistolas Angeli Capranica, episcopi Reatini et urbis Bononiensis pro Romana Ecclesia legati* (6),

(1) Annal. tom. XIII, pag. 5. — (2) Ibid. tom. XII, pag. 414. — (3) Ibid. l. c. — (4) Vit. RR. Pontt. et Card. tom. II, col. 925. et seqq. — (5) Ann. tom. XIII. pag. 123. — (6) Ibid. l. c.

Francisci

AUCTORE J. V. H.

Francisci de Monaldensibus, episcopi et principis Asculani (1), *Antianorum et Consulum Bononiensium* (2), *Antianorum et communis populi Asculani* (3), *deputatorum civitatis regiæ Paduæ* (4), *Provisorum et deputatorum reipublicæ Tarvisinæ* (5); *quæ omnes in unum collimant, ut virtutes sancti viri magnificent, imo plerœque se testes ejus sanctitatis profitentur. Superfluum censemus, hasce litteras in medium proferre, quas ad verbum recitat Waddingus locis supra citatis.*

quam petunt principes,

425 *Similiter principes, antistites et urbes Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ et Poloniæ litteras ad Pium Pontificem dederunt, quibus enixis precibus petebant, ut S.* Capistranum *in album Sanctorum inferret. Litteras, ait Waddingus* (6), dederunt ferendas cuidam Minoritæ, viro gravi et docto, qui obiit in itinere, uti alias indicavi (7), easque sub mortem commendavit generoso militi Assisiati, qui ex Germania redibat. Ille domi reposuit, pauloque post in Germaniam rediit, ubi decessit. Filii nepotes, suspicantes, sacrum quid tot chartis schedis et pergamenis contineri, capsulam, qua claudebantur, decenter reposuerunt, donec ego ea in urbe per aliquot hærens dies et Ordinis monumenta perquirens, percepi, in domo illa scripturas multas, rem nostram concernentes, asservari. Accessi, rogavi domicilii virum, ut apud se neglectas, mihi forte opportunas, ostenderet. Fecit ille perquam benigne, et capsulam tradidit libenter. Summa lætitia conspexi, quas hic produco litteras, ad Pium Pontificem directas, pergameno exaratas, magnis mirisque sigillis obsignatas; et dum aliquas resero, omnes video ad eum canonizandi Capistrani scopum collimare. Urbano VIII Pontifici, multis cardinalibus, virisque principibus ostendi, quibus valde placuit communem illarum regionum opinionem circa Capistrani sanctitatem conspicere, jusseruntque in commodum tempus reservari, aliquando fortassis effectum habituras. *Juvat allegare aliquas epistolas, quibus ostenditur non solum sanctitatis opinio, quæ de* Joanne *nostro ubique vigebat, sed etiam fidei zelus, quæ varias civitates, nunc hæresi obnoxias, animabat.*

B

et Ordo Seraphicus,

426 *Jam initio anni* 1459 *Stephanus de Wassan, Vicarius Observantium in provincia Hungariæ, ad Cobellam, Celani comitissam, litteras dedit, quibus ejus in procuranda Sancti canonizatione diligentiam acueret. Revocat imprimis memoriam sanctarum mulierum, quæ circa sepulturam Domini erant sollicitæ, ac dein pergit* (8) : Hic Pater beatus, zelo fidei christianæ accensus, ac pro salute animarum affectus, quum diversorum perlustraret orbium climata, aderam et ego in comitatu ipsius minimus et indignus, cui assistens memini sæpenumero vestræ magnificentiæ litteras dulcissimas, propria manu conscriptas, omni cum honore eidem Patri beato fuisse delatas, quibus Pater ipse consolatus, se continere non poterat, quin vicariæ caritatis indicium verbotenus ostenderet, sciens, quia quæcumque scripta sunt, ad ipsius consolationem scripta sunt in epistola vestra, et nonnisi ex fervore bonæ voluntatis et illibatæ caritatis processerunt. Hic itaque Pater beatus sublatus est jam sæculo huic nequam, stola immortalitatis perpetuo coronandus, quo adhuc in carne mortali vivente, si ejus meritis et precibus tota mentis nostræ devotione omni cum fiducia nos commendavimus, ipsius intercessione salvari cupientes, quanto magis eidem nos committere debemus, quem pie credimus provectum ante conspectum gloriæ magni Dei et gloria et honore coronatum, cujus etiam principatus ita confirmatus est, ut omnes, in necessitatibus constituti, ad se confugientes, patrocinium sentiant suorum meritorum et precum? Quod signorum probant opera mirifica. Nam ad ejus invocationem cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, et multi a diversis infirmitatibus liberantur. Beatus igitur qui non fuerit scandalizatus in Patre isto beato. Si itaque, domina magnifica, hunc Patrem beatum in vita sua tanta mentis devotione dilexistis, eadem mortuum diligatis ac studio humanitatis prosequamini. Instate, laborate et operam diligenter apponite pro ipsius canonizatione, illamque promovete et pro viribus accelerate. Ingratus quisque esse potest, qui beneficium tardus aut fatigatus impendit; qui utique tarde fecit, diu noluit..... Ex loco nostro de Zalard, XXI Januarii 1459.

D

E

in specie autem Mathias,

427 *Mathias, Huniadis filius, qui loco defuncti Ladislai anno* 1458 *rex electus fuerat, ad omnes principes orthodoxæ fidei in Italia litteras dedit ad promovendam S.* Capistrani *canonizationem; quas quidem eo lubentius exhibemus, quo clarius monstrent nihil invidiæ inter patrem ejus, Joannem Huniadem et Sanctum nostrum intercessisse; et Mathiam partæ victoriæ gloriam sine ambagibus in* Capistranum *refudisse. En litteræ* (9) : Mathias, Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. universis et singulis orthodoxæ fidei principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, antianis, prioribus, judicibus, ac civitatum et communitatum rectoribus, præsentes visuris vel audituris, salutem et prosperos ad vota successus. Nos, qui Dominum laudare jubemur per prophetam in Sanctis ejus, dignum et rectæ rationi imo debitum esse arbitramur, ut laudemus pro nostro possibilitatis modulo specialiori quadam devotione omnipotentem Deum in iis, quæ operari dignatus est, maxime temporibus nostris, in hac nostra ætate per servum suum bonæ memoriæ fr. Joannem de Capistrano, FF. Minorum, de Observantia nuncupatorum, quem veluti mundissimum et integerrimæ vitæ speculum, et virum sanctissimæ conversationis, ipse Deus gloriosus pro nostra et regni nostri gloria, tamquam alterum quemdam Apostolum nobis dedit. Nam vir iste beatus, natale solum deserens, dum pro colligendis animabus diversas mundi plagas, seminans ubique tam ferventissime quam devote verbum Dei, perlustrare statuisset; post multos sanctæ prædicationis sudores, tandem divino nutu, ut non ambigimus, seipsum contulit in hoc regnum, cujus maximam partem in animi sui potius, quam corporis robore tenuit, ipse, tamquam robustissimus juvenis circuivit prædicans ubique, sine intermissione docens de

F

(1) Annal. tom. XIII, pag. 124. — (2) Ibid. pag. 125. — (3) Ibid. l. c. — (4) Ibid. pag. 126. — (5) Ibid. l. c. — (6) Ibid. pag. 216. — (7) Ibid. tom. XII, pag. 415. — (8) Wadd. Ann. tom. XIII, pag. 128. — (9) Ibid. pag. 157.

regno

A regno Dei. Et quia id, quod docuit verbo, monstravit exemplo, vitaque ejus et conversatio non discrepavit a doctrina ejus, statim in ipso suo ingressu, ejus sanctitatis fama diversas implevit partes dicti regni nostri; et tam desiderabilis ab omnibus habebatur, ut beatissimum se putaret, qui eum aut videre vel ipsius colloquio consolari potuisset.

rex Hungariæ, cujus literæ

428 Tanta continue de diversis ipsius regni nostri partibus confluebat ad eum non solum populi, verum etiam prælatorum et baronum ac nobilium multitudo, ut quum proponeret ipsis verbum Dei, non eos nisi campestris vel latissima plateæ planities capere valebat: omnes enim, qui habebant infirmos, ducebant illos ad eum, prout plurimi fideles nostri multos, qui taliter ducti fuerant, recepta gratia sanitatis ad propria cum lætitia remeasse testantur. Sed vir iste hæc et similia non suis, sed beatissimi Bernardini, cujus ipse birretum et sanctas Reliquias secum portabat, et super infirmorum capita ponebat, meritis, ob odium vanæ gloriæ, cujus B pulveribus fœdari abnuebat, adscribere pro sua humilitate solebat. Non defuit huic viro fervens desiderium martyrii, in suo sanguine laureandi, si non defuisset persecutor, qui in ejus sanguinem sævire voluisset, vel permissione divina potuisset. Sanctæ crucis signum a reverendissimo Joanne Cardinali S. Angeli, sanctæ sedis apostolicæ Legati, suscepit: quo suscepto, crucesignatus ipse crucem prædicare cœpit, et parvo temporis spatio magnam crucesignatorum multitudinem sua prædicatione conquisivit, illorumque animos ad excipiendum formidandum valde sævissimorum Turcarum, inimicorum crucis Christi, impetum, non solum audaces, verum etiam ut leones, impetuosissime irruentes in prædam, audentes fecit.

Sancto perhonorificæ,

429 Et quum castrum finitimum dicti nostri regni, Nanderalbam, Turcarum maxima multitudo infinitis pixidibus ac bombardis, et omnibus ingeniis bellicis, quæ ad expugnandum ipsum castrum infidelium astutiæ potuerunt excogitare, illic conjectis, obsedisset, C cum illustri principe, piæ memoriæ nostro domino et genitore Joanne de Hunyad, ipse beatus Pater, pro fide catholica mori paratus, in ipsum castrum, tam valide obsessum, cum crucesignatis introivit. Jam ex ea parte, qua bellum tam atrox acrius inferbuerat, murus exterioris castri, per ingenia bellica destructus, sic terræ adæquabatur, fossata quoque ita repleta erant, ut libere introitus et exitus Turcis pateret, jamque in ipsa externa planitie castri bis pugna commissa fuerat; quum exercitus Christi ad exhortationem beati viri in acclamatione Nominis Jesu, quod bellicum et militare signum ab ipso beato viro susceperat in bello acclamando, audacter et in maximo animi potius, quam virium robore, fide magis pugnaturus, quam ferro, irruit in hostes; tum ipse beatus Joannes, stans in loco eminentiori, ut in omnium manibus miles Christi pugnaret, omnes ad pugnam sua exhortatione valenter pugnare provocabat. Quid immoremur? Post multos tam acerrimi belli sudores contritus exercitus Sathanæ, a facie militum Christi versus in fugam, cum magna ignominia post ingentem stragem, relictis omnibus pixidibus, bombardis, machinis et aliis bellicis ingeniis, confusus nocte recessit. Parta ergo tandem gloriosa contra hostes victoria ab inermi populo Christi (si inermem dicamus populum, quem Christi fides præclare armaverat) castrum ipsum liberum evasit ab hostibus. Hanc victoriam tam insignem meritis ipsius beati viri adscribendam quis dubitet? Postremo vir plenus bonis operibus, pro hac transitoria et caduca vitam accepit, ut non ambigimus, sine fine mansuram, animum cœlo, corpus terræ commendans. Post cujus felicem transitum, infinita illa miracula et prodigia, quæ ad invocationem nominis ipsius beati Joannis et ad ejus sepulcrum delatis, vel saltem per votum aliquod, pro ipsius honore emissum, languidis etiam usque modo, prout nonnullorum fidelium nostrorum fida testimonia nos faciunt certiores, ad declarandum sui famuli meritum et gloriam operari non cessat omnipotens Deus, clare demonstrant, sanctissimam E ipsius beati viri animam, in Sanctorum collegium assumptam, lætitia perfusam sempiterna. Et quia dignum arbitrati sumus, illum ab omnibus honorari in terris, quem Omnipotens sic exaltavit in cœlis, post felicem nostram electionem ad apicem regiæ dignitatis, divinitus factam, nobis semper præcipue curæ fuit, ut pro tanti et tam integerrimæ vitæ viri canonizatione apud sanctissimum Dominum nostrum summum Pontificem instaremus: quod et indubie fecissemus, si disturbia regni nostri, quibus illud hactenus diversimode quassatum exstitit, nos ab hoc sancto proposito non impedivissent. Oramus dictis disturbiis finem imponere, quo, Domino concedente, pro ejusdem beati viri canonizatione, ut est in proposito, omnino insistemus. Hortamur autem vos, o Christiani Italiæ principes, ut huic sanctissimæ rei velitis esse tanto favorabiles, quanto sedi apostolicæ estis propinquiores. Datum Budæ, hac die XXII mensis Martii anno Domini 1460.

AUCTORE J. V. H.

sicut et illæ a Nicolao de Vilak

430 *Eodem circiter tempore, nempe in Dominica Passionis, qua ad introitum cantatur* Judica me, XXX *Martii, id est paschate in diem* XIII *Aprilis incidente, Nicolas de Huylak, similes litteras ad omnes principes, ad urgendam canonizationem S.* Capistrani *direxit; in quibus, compendiose enarratis ejus meritis, dicit* (1): Post prædicta et multa alia, ab eodem mirifice perpetrata, pluribus meritis in dicta civitate nostra de Huylak, ut semper optavit, feliciter migravit a sæculo. Post cujus felicem obitum confestim signa apparere cœperunt, et adeo usque in hodiernum diem creverunt, ut ad suum sanctissimum sepulcrum, tamquam ad sepulcrum Apostoli, undique populi confluerent; de quibus miraculis non parvum registrum factum est. Non desinit Deus omnipotens operari miracula per servum suum fidelissimum, de quibus miraculis, licet nostrorum fidelium veridica relatione certitudinem habeamus, vidimus etiam propriis oculis nonnullos, variis languoribus detentos, ob merita

(1) Wadd. Ann. tom. XIII, pag. 160.

ipsius

AUCTORE J. V. H.

ipsius beati liberatos. Audivimus etiam, serenissimum regem nostrum coram multis baronibus et nobilibus dixisse, ipsum fuisse liberum de carceribus et electum in regem, emisso voto ad ipsum beatum Patrem. Nos quoque in persona nostra multiplicem ipsius beati viri gratiam experti sumus : nam quum maximam capitis nostri vertiginem pateremur, mox ut quodam panniculo, quod fuerat ad usum ipsius viri Dei, caput cinctum fuit, infirmitas omnis abscessit... Nunc autem disponemus, ut tam serenissimus dominus meus rex, quam etiam et nos, speciales et notabiles legatos ad sanctissimum D. N. Papam et ad collegium Cardinalium pro hac causa destinemus.

ad omnes principes datæ, recitantur.

431 *Principis sui Nicolai litteras suo testimonio corroborarunt cives Vilackenses, quando sub die* IX *Aprilis* 1460 *scribunt* (1): Nos quidem, qui jugem in hac nostra civitate moram trahimus, istorum, quæ Altissimus per beati viri merita operari non cessat, prodigiorum et miraculorum veri testes esse valemus: quandoquidem ex diversis partibus, longe propeque positis, hinc inde populum innumerum B turmatim ad ipsius beati viri sepulcrum conspicimus; inter quos alios a cæcitate ad lumen clare videndum concernimus, alios a surditate curatos, alios a mutitate sanatos, alios ab impotentia ambulandi recto gressui restitutos, alios paralysi plene liberatos, quosdam vero contractos et aridos integræ sanitati restitutos, plurimos a dæmonibus liberatos, in extremis quoque laborantes et agonizantes a faucibus mortis erutos, cæterosque quoque, quibus spes vivendi perierat et mortui fuerant, emisso pro ipsis voto ad ipsum beatum Joannem, incolumes rediisse, jam toties experti sumus et experimur incessanter. Multa nihilominus alia sunt, quæ longum foret calamo enarrare, quæ apud nos registrata tenentur in monasterio Virginis gloriosæ apud FF. Minores, quorum veritas nobis clara est et manifesta. *Joannes Bapt. Barberius in Vita latina S.* Joannis Capistrani *edidit instrumentum, publica auctoritate confectum, in quo multa omnis generis miracula referuntur: utrum vero Vilackenses in citata epistola alludant ad hoc* C *documentum, mihi certo non constat, præsertim quum in eo narrentur miracula, quæ aliquot diebus post scriptam epistolam acciderunt. Crediderim tamen agi de hoc eodem instrumento, tum quia mensem Aprilis* 1460, *quo epistola conscripta fuit, non excedit, tum quia in proœmio eædem fere, quæ in epistola, verborum formæ adhibentur. Instrumentum ipsum Vitis Sancti infra edendis subnectemus.*

§ XXXVIII. Recitantur litteræ, a principibus et civitatibus Germaniæ datæ, quibus canonizatio S. Joannis Capistrani urgetur.

Ad Pontificem scribunt, Fridericus III imperator

Quem ceperant in procuranda cononizatione S. Capistrani *primatum tum rex tum populus Hungariæ, brevi subsecuti sunt alii principes et civitates. Fridericus III imperator die* XXIV *Octobris* 1461 *ad Pium II litteras dedit, quibus* D *eamdem causam urgebat. Scribit* (2): Sanctissimo in Christo Patri et Domino D. Pio II, divina providentia sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, D. N. reverendissimo. Beatissime Pater, Domine reverendissime, Religiosi fratres Gabriel de Verona, cæterique Ordinis Minorum, de Observantia communiter nuncupatorum, in terris nostris hereditariis constituti, doctrinam fructiferam, morum quoque et beatæ vitæ conversationem bonæ memoriæ fr. Joannis de Capistrano, ejusdem Ordinis, dum vixit, professi, quos dudum laudabiles novimus ab experto, nobis ad memoriam sinceris affectibus reducentes, tanto nos erga illum amoris fervore accendere, ut quem viventem in sæculo libenter colebamus, et nunc mortuum, quantum decuerit, ex intimis desideramus venerari. Quum itaque, beatissime Pater, præfatum fr. Joannem de Capistrano, nedum in vita solum, verum et ab humanis exutum claruisse, et coruscare miraculis et prodigiis fama exclamat, ut arbitramur, merito benigne consideranda: San- E ctitatem vestram ea, qua possumus, veneratione obsecramus, quatenus, si negotium canonizationis illius apud S. V. et S. sedem apostolicam agitari forsitan contigerit, etiam harum precum nostrarum intuitu, processus, in hujusmodi observari solitos, citius instituere, favorabili ex solita beatitudinis vestræ clementia, rem ipsam committere ac dirigere mandare dignetur; adeo ut nostram in his sentiamus exauditam affectionem ; ne inter alios forsitan, in hac re petituros, reputemur posteriores, nobis ad exauditionem gratissimam pro singulari beneficio recognoscendam. Datum XXIV Octobris 1461.

varii Germaniæ principes et episcopi,

433 *Eadem die Fridericus ad omnes Germaniæ principes et civitates epistolam misit, qua eos adhortatur* (3), quatenus pro Dei honore et pro tam venerandi viri ac operis hujusmodi pietate, proposito ejus favores impendere velint. *Hortanti imperatori, qui easdem litteras denuo anno sequenti ad Papam destinavit, aures præbuerunt benignas et similes ad Pontificem dederunt litteras ex Ratisbona Joannes et Sigismundus fratres, palatini Rheni et Bavariæ* F *duces* (4); *Rupertus, Comes palatinus Rheni, Bavariæ dux et administrator Ecclesiæ Ratisbonensis* (5); *Albertus, marchio Brandeburgensis et burggravius Nurimbergensis* (6); *Conradus, dux Silesiæ* (7); *Andreas Odruvasch, palatinus Leopoliensis* (8); *Petrus, Cardinalis episcopus Augustensis* (9); *episcopi Cracoviensis* (10), *Olomucensis* (11), *Misnensis* (12), *et Eystetensis* (13), *Castellani Cracoviensis* (14), *et Landensis* (15); *nec suas partes neglexerunt Germaniæ oppida, in quibus Sanctus ministerium sacrum olim obierat. Ut brevitati consulamus, præcipue epistolas referemus scriptas ab iis civitatibus, quæ medio post sæculo a fide catholica desciverunt. Doctores et magistri Universitatis Lipsiensis* in crastino S. Bartholomæi, *id est die* XXV *Augusti* 1462 *hanc epistolam ad Pium Papam dederunt* (16): Cum humillima obedientia ac devotissima reverentia seipsos ad pedum oscula beatorum. Beatissime Pater et Domine

(1) Wadd. Ann. tom. XIII, pag. 161. — (2) Ibid. pag. 188. — (3) Ibid. pag. 189. — (4) Ibid. pag. 217. — (5) Ibid. l. c. — (6) Ibid. pag. 218. — (7) Ibid. l. c. — (8) Ibid. pag. 219. — (9) Ibid. l. c. — (10) Ibid. pag. 220. — (11) Ibid. pag. 221. — (12) Ibid. pag. 222. — (13) Ibid. pag. 223. — (14) Ibid. l. c. — (15) Ibid. pag. 224. — (16) Ibid. pag. 228.

clementissime

A clementissime. Quoniam litteris hortatoriis Cæsareæ majestatis, nobis nuper exhibitis, quidam fratres Ordinis S. Francisci, qui de Observantia nuncupantur, ex parte vicarii eorum generalis nobis devotis rogatibus supplicarunt, ut de vita et conversatione devotissimi quondam fratris felicis memoriæ Joannis de Capistrano, Ordinis ejusdem, quantum experientialiter et veraciter nobis constaret, litteratorie fidele perhibere testimonium dignaremur, coram V. S. suo tempore producendum:

academia 434 Nos tam sanctæ intentioni, tam pio desiderio favorabiliter annuentes, ea, quæ diligenti investigationis indagine de eodem eximio viro nobis cognita fuere, memoriter recollegimus, pura ac simplici narratione his nostris litteris recitamus. Constat enim nobis, quod postquam idem vir venerabilis ante aliquot annos in Alemannia circumeundo et loca varia circumlustrando, suis prædicationibus et doctrinis multos, in via morum obliquis anfractibus gradientes, ad christianæ vitæ rectitudinem reflectere sategisset, etiam ad * Leipsig nos in oppidum Liptzk * personaliter declinavit: ubi ultra integrum mensem continue perseverans, devoto quodam atque efficaci placidoque exhortationis genere evangelicam atque apostolicam dissereret veritatem, nunc arguendo, nunc obsecrando, nunc increpando, jam etiam blando, jam rigido, jam compunctivo, semper omnibus grato, numquam infructuoso hortatu, nonnulla theologicæ veritatis abdita reserando, quasdam etiam christianæ conversationis regulas, juxta sacrorum canonum instituta, limpidius declarando: sana doctrina, sobrio sermone concionatus est ad utriusque status populum, attentione devotissima suspensum, et ad sui exhortationem non mediocriter emendatum. Nam hujusmodi suis exhortationibus allecti, infra breve tempus ex nobis plus quam septuaginta scholares et magistri, postpositis hujus mundi phaleramentis, suæ Religionis habitum assumpserunt. Commune etiam vulgus, suis admonitionibus compunctum, multas ludorum, hactenus consuetorum, levitates,
C multas etiam solatiorum obscœnitates protinus postergavit. Nec mirum; quoniam bonæ vitæ exemplaritas et jucundæ elocutionis celebritas, quæ in ipso secundum omnium existimationem splendide viguerunt, facilius et efficacius, juxta psalmistam, voci suæ vocem dedere virtutis.

et magistratus Lipsiensis 435 Hac igitur gratia duplici, insuper et miraculorum gloria, de quibus fama divulgata est, et multi apud nos asserunt experientiam se habere, idem religiosissimus Pater, copioso Dei munere prædituS, existimatione plurimorum sanctitatis titulo insigniri meruit adhuc vivens; et ideo miris eum laudibus etiam ad sidera sustulerunt; nec modo dubitant, ipsum pro suis tam strenuis laboribus et tantæ sollicitudinis opera supernæ beatitudinis bravium meruisse. Hæc itaque nostra et aliorum testimonia, Beatissime Pater, S. V. ponderet et examinet diligenter, et ut justus et unicus pater familias in domo militantis Ecclesiæ penset et judicet, quid et quantum mercedis tribuendum sit sic tam inclyto operario, qui in vinea Domini Sabaoth tanto tempore, tam operose, tam fructuose et fideliter pro diurno denario laboravit, ut sic ei, quod suum est, secundum legem justitiæ tribuatur. Et Dominus Jesus Deus noster vestram dignetur sanctitatem in statu prospero et tranquillo et longævo tempore feliciter conservare. Datum in oppido Liptzk anno Domini 1462 in crastino S. Bartholomæi, rectoratus sub sigillo. *A quinquaginta fere annis erecta fuerat academia Lipsiensis a Friderico Bellicoso, Thuringiæ Landgravio et Saxoniæ duce; quam erectionem confirmavit Alexander V Pisis die* v *id. Septemb.* 1409 (1). *Pridie similes ad Pium Papam dederat magistratus Lipsiensis litteras, quibus eadem referuntur, quæ academia recensuerat: unum tamen explicatius dicit, nempe inter septuaginta, quos Ordini aggregavit S.* Capistranus, *fuisse* alios magisterii honore, alios sanguinis claritate, alios divitiarum abundantia et corporis alios claruisse proceritate (2). *Magistratus Magdeburgensis epistolam Lipsiensem,* mutatis, *ait Waddingus* (3), mutandis *exscripsit, die* II *Septembris ejusdem anni.* E

436 *Dresdenses similiter testati sunt, S.* Capistranum *sanctitatis et miraculorum splendore dignum haberi, ut in catalogum Sanctorum referatur.* Quia, *inquiunt* (4), magnorum facta, bonorumque laudes et merita perpetuo non condecet silentio prætermitti, ut ipsa relatione continua in eorum testimonium et cæteris in exemplum fama veriloqua prædicet in remotis; hinc est, quod singulari benevolentia ac consideratione præhabita super venerando patre ac devoto fratre Joanne de Capistrano, Ordinis Minorum, de Observantia nominatorum, secundum suorum morum virtuosorum exigentiam, vitæ laudabilis, famæ redolentis, commendabilisque conversationis, dum in humanis agebat, ipsum fuisse attestamur: præsertim laborum suorum assiduitas aliquandiu nobiscum moram trahendo claruit, dum per verbi divini effusionem, qua plurima bona fructificavit, multitudinem populi ad viam virtutis reduxit, a malis consuetudinibus et enormitatibus compescuit, a taxillorum ludis et hujusmodi similibus va- F
nitatibus nocivis semovit, et divino servitio condecenter adaptavit; verum etiam plurimis miraculis resplenduit. Cujus quidem honorandi fratris Joannis de Capistrano celebris vitæ famam ad V. S. pedes eo ferventius cupimus pervenire. Quorum singulorum respectu una cum aliis oppidis, fidem orthodoxam confitentibus, quæ, sicut clare didicimus, apud V. S. precibus flagitant humilibus, quibus possunt, pro illius canonizatione, ut catalogo inscribatur Sanctorum, nos pariter preces devotas ante pedes beatos dirigimus, quatenus ad Dei laudem, suæque Genitricis, suorum Sanctorum honorem, necnon totius militantis Ecclesiæ incrementum, vestræ sanctissimæ paternitatis sempiternam memoriam, canonizationi et sanctitati tanti præfati patris intendere, ac juxta permagnam sapientiam vestræ clementiæ, cui hanc rem relinquimus, orationes nostras favorose exaudire vestra clementia non dedignetur. Quam Rex altissimus

AUCTORE J. V. H.

civitas Dresdensis.

(1) Cfr Georgisch. Regesta. sub. ann. 1409, num. 50. Luce. Europäeſch. Helikon, pag. 660. — (2) Wadd. Ann. tom. XIII, pag. 238. — (3) Ibid. pag. 239. — (4) Ibid. pag. 233.

AUCTORE J. V. H.

confortet et felicibus successibus faciat abundare. Datum Dresdz die IX mensis Augusti anno Domini 1462.

Lubanenses et Hallenses

437 *Consules et jurati oppidi Lubanensis, ad instantiam, ajunt* (1), *fratrum Ordinis Minorum provinciæ Saxoniæ, similes preces Pontifici porrexerunt, quibus testantur, illum* in civitate sua, funditus vigintiquinque vicibus per damnatam hæresim Hussitarum desolata, notorie et manifeste Lubaniæ et aliis civitatibus circa jacentibus laudabiliter conversatum esse; docenteque experientia, quam plurima signa apud infirmos et fragiles in medio multorum, post invocationem Nominis Jesu Christi Domini nostri, et Sancti Patris Bernardini operatum esse. Et specialiter, *ajunt*, in civitate nostra Lubanensi, unum vicarium ecclesiæ Ordinis Minorum, apud nos pro tunc super sustentaculis ambulantem, Deo propitio, restituit sanitati... Datum anno 1462, v die mensis Septembris. *Magistratus Hallensis, diœcesis Magdeburgensis, explicatius evolvit, quantos vir Dei pro universa Saxonia labores sustinuerit.* Omnipotens Deus, *inquiunt*, qui verbo
B cuncta creavit, cujus potentiæ nihil est difficile, mirabilia sua in dicto tam præclaro viro tam excellenter ostendit, ut tota Saxonia ad instar vernantium florum nidore suavissimo, velutique Christi odore fragrantissimo, longe lateque repleretur. Clamat tota Saxonia, hunc Deo et hominibus dilectum fuisse, vita austerum, moribus maturum, scientia præclarum, imo totius christianæ religionis exemplar præfulgidum. Idem nos vidimus, hoc testamur: nam post plurima periculosaque viarum discrimina propter Bohemorum insidias, quos ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ unionem conatus est reducere, salvo sibi, ut fertur, negato conductu per damnatæ memoriæ hominem, Joannem de Rockensano, multis heu! erroribus fermentatum, ejusque sectatores a fide devios, ne in vacuum cucurrisset, semen verbi Dei non sine fructu per Thuringiam, Misnam, Saxoniam, aliaque vicina sparsit loca. Tandem etiam ad nostrum divertit oppidum, nobisque ex piissimo pectoris sui arcano largiter doctrinam salutarem euangelicæ
C et apostolicæ veritatis miro conatu, zelo fervido, modestaque eloquentia et prudentia disserere non piguit: nam utriusque sexus copiosissimum gregem longe lateque, etiam de remotis mundi terminis confluentem, divina illustratus gratia, a contemptu mundi evocavit, et ad amorem cœlestium, regulas et normas, expositiones, quibus id conarentur, pervigili cura provocavit: plurimos insuper abusus ab omni statu abstulit, ludorumque levitates et muliercularum curiositates, vanosque ornatus, ac alias turpitudines, morumque anfractus apud nos penitus enervavit. Insuper et nota dignum egit, quod usurarum tam judæorum, quam etiam christianorum vorago, contractusque divinis non consentanei legibus, penitus apud nos in exilium sunt relati. Nam perfida hac judæorum gente, dum legibus hujusmodi divinis subdi nollet, penitus radicitusque a nobis avulsa, dicta vitia cum suis auctoribus procul a nobis exi- D
stunt repudiata. Multi insuper ob frugem vitæ melioris, sæculo repudium dantes, Ordini Religionis dicti Patris apud nos se junxerunt. Et revera firmissime credimus et nullatenus hæsitamus, nequaquam tam præclara dicti Patris gesta, humana duntaxat peracta industria, si doctor internus, unctioque divina eumdem non docuisset. Asserunt insuper quamplures, quamvis id non viderimus, qualiter singulari munere Altissimus, signis et prodigiis cooperantibus, ejusdem tam pii Patris sermones confirmaverit... Datum Hallis anno Domini 1462, VI die mensis Septembris.

Wratislavienses, aliique;

438 *Similis tenoris litteras ad Pontificem dedere civitates Noviforensis* (2), *Brunensis* (3), *Nissensis* (4), *Wratislaviensis, quæ id habet speciale* (5): Tacemus, *inquiunt*, de multis pulcherrimis ecclesiis et claustris, per eum contra hæreticam pravitatem exstructis, in quibus divinum augens honorem, catholicæ fidei non debile posuit fundamentum. Nec nobis dubium, imo mundum non nescire credimus, quantis miraculis in vita fulsit, quæ imo
E tota ejus vita Sanctitatem vestram minime latentes, verius testimonium suæ sanctitatis proponunt. Inter cætera tamen, ne tanti viri sanctitatem taceamus, unum recitamus: dum apud nos esset, pluribus præcedentibus annis, ut vetus propheta, omne quod jam civitati et nobis accidit, ad punctum prædixit, quod in scriptis redigere longum esset, et suæ sanctitatis non modicum esse testimonium putamus, de quo Vratislaviensis plebs hodie gaudet, et suæ spei anchoram tamquam in prophetiam stabilivit. *Olomucenses porro his verbis ejus miracula testantur* (6): Quem etiam S. V. ob insignia ipsius merita, non solum in vita, sed jam ab humanis exutum, magnis miraculis et prodigiis plurimis in locis clarescere scientes, non sufficimus recommendare... Extant aperta miracula, apud nos quum aliquando moraretur, per ipsum, ut præmittitur, acta, quæ clarissimis testimoniis, si opportunum fuerit, apud S. V. liquide patebunt. *Atque hisce subnectendæ veniunt similes epistolæ civitatum Misnensis* (7), *Ossahatzensis* (8), *Haynensis* (9), *Turgaviensis* (10),
F *Wittembergensis* (11), *Grymmensis* (12), *Ezcellustensis* (13), *Magdeburgensis* (14), *Hallensis* (15), *Lewenburgensis* (16), *Arnstetensis* (17), *Coburgensis* (18), *Nurembergensis* (19), *Bambergensis* (20), *Ratisbonensis* (21), *Augustanæ* (22), *Cracoviensis* (23), *Cosensis* (24), *Uscowensis* (25), *et Gobilini* (26).

et decennio tardius

439 *Verum omnes istæ epistolæ, circa finem anni* 1462 *aut principium sequentis scriptæ ad Pii II Pontificis manus non devenerunt: neglectæ delationis causas supra num.* 425 *attulimus. Quamvis autem mora in promovenda causa canonizationis injecta videretur, non cessabant tamen aliqui ferventiores eamdem urgere. Sic quum anno* 1472 *Turcæ denuo Hungariæ imminerent, quippe qui autumnali tempore, nemine resistente, magnam partem Hungariæ orientalis vexaverant* (27), *Elisabeth, mater Mathiæ Corvini, Hungariæ regis, sequentem*

(1) Wadd. Ann. tom. XIII, pag. 239. — (2) Ibid. pag. 225. — (3) Ibid. pag. 226. — (4) Ibid. pag. 227. — (5) Ibid. l. c. — (6) Ibid. pag. 228. — (7) Ibid. pag. 234. — (8) Ibid. l. c. — (9) Ibid. pag. 235. — (10) Ibid. pag. 236. — (11) Ibid. l. c. — (12) Ibid. l. c. — (13) Ibid. pag. 238. — (14) Ibid. l. c. — (15) Ibid. pag. 239. — (16) Ibid. pag. 241. — (17) Ibid. l. c. — (18) Ibid. pag. 242. — (19) Ibid. l. c. — (20) Ibid. pag. 243. — (21) Ibid. l. c. — (22) Ibid. pag. 244. — (23) Ibid. pag. 245. — (24) Ibid. pag. 246. — (25) Ibid. pag. 247. — (26) Ibid. l. c. — (27) Timon. Epitom. chron. rer. Hung. pag. 83.

epistolam

A *epistolam ad Sixtum IV Pontificem direxit* (1) : Beatissime Pater et Domine noster clementissime, post S. V. pedum oscula beatorum. Non latet Sanctitatem vestram, notitiam fr. Joannis Capistrani, quondam eximii prædicatoris, laudabili et celebri memoria dignam haberi. Hic enim vir vivens, in toto orbe christiano celeberrimus, ut præco euangelicus, varias mundi partes tam christianorum, quam schismaticorum et hæreticorum euangelizando verbum Dei pertransiit, et a fide alienos ad sinceram fidem quamplurimos suis reduxit sermonibus : signis etiam nonnullis claruit adhuc vivens et adversus crucis Christi inimicos, Turcos sævissimos, cum populo vulgari proficiscens, populi turmas ad viriliter pro fide catholica pugnandum assiduis exhortationibus animavit, ut intrepide et audenter contra validissimum Turcorum exercitum se opponerent, ita ut quidam de ipsis christianis, depositis armis se munientibus, solis ensibus seu gladiis manibus arreptis, fortissimas exercitus Turcorum acies intrepidi penetrarent et cædem
B maximam in exercitu paganorum confligendo efficerent, nec se timebant morti tradere pro Christo nomine ad exhortationem viri præfati: ubi parta gloriosa victoria, et inimicorum fugata grandissima multitudine, lucrum reportatum fuit ex spoliis paganorum non minimum : quibus ipse fr. Joannes, infirmitate correptus, victoriosa simul et gloriosa morte debitum solvit humanitatis.

Elisabeth, Mathiæ regis mater.

440 Hic etsi ex hoc mundo migravit, tamen quasi vivens adhuc, etiam post mortem, crebris miraculis coruscans, populorum turmis per impensa eis beneficia assidue prædicat; cujus canonizationem et ad catalogum Sanctorum per V. S. adscriptionem universa christianorum numerositas, non solum regni Hungariæ, verum etiam aliorum regnorum christianorum populi affectu permaximo desiderant. Sed et nos cum filio nostro, illustri rege Mathia, idipsum a S. V. perfici, maximo desiderio optamus. Quapropter eidem S. V. humillimis precibus supplicamus, quatenus more sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignetur S. V. aliquibus catholicis prælatis Ecclesiarum
C istius desideratæ rei inchoationem committere; qui, examinatione facta et reperta veritate, S. V. valeant plenius informare de his, quæ ad canonizationem hujusmodi necessario requiruntur. Quibus rite repertis et approbatis, rogamus adhuc instantius S. V. cum omni prorsus cordis affectu, ut præfatum virum, quem gens christiana proclamat esse beatum et sanctum, etiam S. V. celebri adscriptione in catalogo Sanctorum eumdum in toto orbe christiano divulgare dignetur, tamquam vere Sanctum ab omnibus venerandum. In qua re, beatissime pater, domine clementissime, grandis revera honor Dei erit: venerabitur enim et coletur ipse Deus in Sancto suo, si canonizatus fuerit, ab omnibus cultu devotissimo, et christianus populus in fidei catholicæ sinceritate per hoc plurimum firmabitur et stabilietur; et nihilominus gens schismaticorum, quorum inibi, ubi corpus beati viri jacet tumulatum, maxima et circumquaque multitudo per hoc vel, vocante Deo, convertatur, vel saltem in suis erroribus ruborem incurret, et sacræ christianæ fidei honorem veritati præstabit. Insuper nobis et regno Hungariæ in hoc opere canonizationis rem valde utilem S. V. efficiet, et apostolicæ largitionis gratissimum munus eadem Sanctitas benigne conferet, quam rem per S. V. impleri et perfici indubie confidimus et speramus. Non deerunt autem, beatissime pater, ex hoc regno etiam adjutoria, quæ ad hujusmodi opus necessario requiruntur. Altissimus conservet S. V. diu feliciterque pro regimine Ecclesiæ suæ sacrosanctæ. Datum Veteri Budæ, VIII die mensis Augusti, anno Domini 1473.

AUCTORE J. V. H.

§ XXXIX. Retardatus per longum tempus S. Joannis Capistrani cultus tandem a Leone X et Gregorio XV permittitur.

Procrastinati longo tempore cultus

Supra num 425 *hujus Commentarii rationem dedimus, cur tot epistolæ, canonizationem S.* Capistrani *instantissime petentes, nullum sint sortitæ effectum. Amandus Hermann, Sancti biographus, quasi veritus, ne in canonizando beato viro mora aliquid detrimenti ejus famæ afferret, monstrat* (2), *S. Bonaventuram* ducentis et octo annis a sua morte primo fuisse canonizatum, utpote quum doctor iste fuerit amplissimæ Religionis caput, academiæ Parisiensis doctor, S. R. E. cardinalis, de sede Apostolica in concilio Lugdunensi optime meritus, adeo ab omnium excidit memoria, adeo obscure jacuit, ut neque sui instituti professores, neque consodales, magistri Parisienses, neque collegæ Cardinales, neque demum Pontifices Maximi, et præsertim ille vere maximus, Gregorius X, a Bonaventura ad summum celsitudinis fastigium designatus et per quem vicissim reciproco affectu ille in tantam gloriam excrevit, sub quo ex hac vita decessit, ejus procurandæ canonizationi se accinxerint, quem tamen aliunde virtutum meritis et miraculorum signis facile judicare poterant cœlestibus conregnare. *Quam sanctitatis famam,* F *statim a morte S. Bonaventuræ coruscantem, luculenter explicat auctor coævus in Brevi Nota eorum, quæ in Concilio Lugdunensi acta sunt* (3) : Eodem, *ait*, anno (1274) et mense (*Julio*) die dominico, XV ejusdem, hora matutinali, obiit claræ memoriæ fr. Bonaventura, Albanensis episcopus, qui fuit homo eminentis scientiæ et eloquentiæ, vir quidem sanctitate præcipuus, vita, commiseratione * ac moribus ex- * conversa-tione? cellentissimis decoratus, benignus, affabilis, pius et misericors, virtutibus plenus, Deo et hominibus dilectus, qui sepultus est ipso die dominico in loco FF. Minorum Lugduni, cujus exsequiis interfuit Dominus Papa cum omnibus prælatis, qui erant in concilio et tota curia. *Sanctitati igitur S.* Capistrani *nocere non debet tardior canonizatio, quæ nullam labem gloriæ S. Bonaventuræ impegit.*

S. Capistrani *variæ causæ allegantur:*

442 *Cæterum retardationis varii varias afferunt causas. Amandus Hermann præcipuam habet defectus pecuniæ, ad canonizationem necessariæ:*

(1) Wadd. Ann. tom. XIV, pag. 72. — (2) Capistr. triumph. pag. 749. — (3) Labbe, tom. XI, part. I Conc. col. 960.

AUCTORE J. V. H.

cessariæ: quæ continuo bello Turcico absorbebatur; unde, *ait* (1), Sanctorum canonizationi non tantum attendebatur, quum expensæ collectæ et ipsa sacra suppellex ecclesiarum pro belli nervo colligendo distrahenda foret. *Quam in rem affert diploma Ludovici, Hungariæ regis,* datum feria v proxima ante festum Nativitatis B. Joannis Baptistæ (XXI *Junii*) 1524, *quo confitetur, se ex indultu Clementis VII levasse inter alia pecuniam, datam* ab illustrissimo quondam Laurentio de Vylack, duce Bosniæ, ad canonizationem religiosi quondam fratris Joannis de Capistrano; *simulque promittit, se dictam pecuniam, finita expeditione, redditurum. Num porro pecunia restituta aliquando fuerit, vehementer dubitamus, si vera sunt, quæ laudatus Hermann paulo infra refert; videlicet Innocentium XI, quum deessent subsidia,* primos mille scutos Romanos, eleemosynæ loco, elargitum fuisse, *ad quos deinceps accesserunt aliæ pecuniæ, quibus canonizatio perfici tandem potuit. Jam supra numm.* 419 *et seqq. expositæ et refutatæ fuerunt objectiones, causæ* Capistrani *oppositæ.*

tandem Leo X, 443 *Quamvis autem virorum, cæterum gravissimorum, insimulationes, alibi jam confutatæ, causam canonizationis* Capistrani *retardarint, tandem vicerunt devotorum pia studia, et initium cultus, beato viro deferendi, factum est in loco natali, Capistrano. Cujus rei testes habemus litteras Cardinalis Bernardi Tarlati, vulgo ab oppido originis Bibiena, Florentinæ diœcesis, cognominati Bibiena, sequentis tenoris* (2) : Bernardus, divina miseratione S. Mariæ in porticu diaconus Cardinalis de Bibiena, universis et singulis præsentes litteras inspecturis attestamur fidemque facimus, sanctissimum Dominum nostrum Leonem X, Pontificem maximum, superiori anno, in die S. Silvestri indulsisse, quum quidem præsentes ipsi essemus, supplicante id Fr. Christophoro Foroliviensi, Ordinis de Observantia vicario generali, ut in diœcesi territorioque Capistrani celebrari possit festum B. Joannis de Capistrano, attenta maxima devotione, qua populi erga præfatum Beatum afficiuuntur; ita quidem, ut illius ipsius festi celebritati imputari objicique nihil possit. Quod quidem festum celebrari debeat ad diem
C XXIII Octobris tam a fratribus ipsis, quam a clericis etiam sæcularibus, aliisque, qui volent, in diœcesi territorioque Capistrani, et hoc futuris perpetuis temporibus; contradictores quoscumque sub excommunicationis latæ sententiæ pœna compescendo. In quorum fidem præsentes manu propria subscriptas fieri et nostri sigilli jussimus approbatione muniri. Datum Romæ in palatio apostolico, die IV Octobris 1515, pontificatus S. D. N. Leonis divina providentia Papæ X anno III.

et post hunc S. Rituum Congregatio

444 *Cultum beati viri auxit dein Gregorius XV, qui concessionem, Capistranensibus olim factam, ad universum Ordinem S. Francisci utriusque sexus extendit: imprimis quidem per decretum S. Congregationis Rituum, approbatum a Gregorio XV, ut testatur Cardinalis Franciscus Maria a Monte his verbis* (3) : Quum a fel. record. Leone Papa X anno 1514 (*imo anno* 1515, *quandoquidem omnes codices ferant annum III pontificatus, qui die* XI *Martii* 1513 *initium sumpsit*) indultum fuerit, ut die XXIII Octobris festum B. Joannis de Capi- D
strano in diœcesi ac territorio ipsius Capistrani ab omnibus celebrari posset, Sacra Rituum Congregatio, visa de mandato S. D. N. prædicta concessione, instante R. P. Fr. Benigno Genuensi, Ordinis S. Francisci ministro generali, si eidem sanctitati placuerit, censuit prædictam gratiam ad omnes tam fratres quam moniales totius ejusdem Ordinis, quoad Officium sub ritu duplici de Communi Confessorum non pontificum, in prædicta die recitandum; quoad Missam vero, etiam ad sæculares quoscumque in ecclesiis FF. S. Francisci celebrantium extendi posse. Idem vero Sanctissimus, audita per nos S. Congregationis inclinatione, decretum supradictum apostolicæ auctoritatis plenitudine comprobavit. Quum enim beati viri quotidie in populo christiano cultus et virtutum ipsius augescat veneratio, par etiam est, ut quæ ipsas sequitur virtutes gloria pariter ac veneratio propagetur. Franciscus Maria Card a Monte. Locus † sigilli. Jo. Bapt. Rinuccinus secret.

cujus decretum approbat Gregorius XV,

445 *Decretum istud, datum* XVI *Julii* 1622, *suis litteris sub annulo piscatoris confirmavit Gregorius sub his verbis* (4): Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam. Domini nostri Jesu Christi, qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in cœlis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, ex injuncto nobis desuper pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis. Quamobrem fidelium quorumlibet, præsertim vero sub suavis religionis jugo Altissimo famulantium votis, quæ peculiarem servorum hujusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum ministri generalis et fratrum Reformatorum Ordinis S. Francisci nobis nuper expositum fuit, quod alias a fel. recor. Leone Papa X, prædecessore nostro, anno MDXV indultum fuit, ut die XXIII Octobris festum B. Joannis de Capistrano in diœcesi et in territorio ipsius Capistrani ab omnibus celebrari posset. Quum autem, sicut eadem petitio subjungebat, fratres præ- F
dicti pro eo, quem erga ipsum beatum Joannem gerunt, devotionis affectu, ac ad augendam Christi fidelium erga illum devotionem, concessionem Leonis prædecessoris hujusmodi per nos ut infra extendi summopere desiderent; nos eorumdem fratrum votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ exsistunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus, eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, a quibus concessio Leonis prædeces-

(1) Capistr. triumph. pag. 750. — (2) Wadd. Ann. tom. XII, pag. 417. — (3) Barber. vit. lat. pag. 179. — (4) Wadd. Ann. tom. XII, pag. 417.

soris

A soris hujusmodi de mandato nostro visa fuit, consilio, concessionem eamdem ad omnes tam fratres quam moniales totius Ordinis S. Francisci, quoad Officium de Communi Confessoris non pontificis in prædicta die recitandum : quoad Missam vero etiam ad sæculares quoscumque, in ecclesiis fratrum Ordinis S. Francisci celebrantes, apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo extendimus et ampliamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die x Septembris 1622, pontificatus nostri anno II. Scipio Card. S. Susannæ.

permittitur cultus publicus;

446 *Ex hisce decretis Leonis et Gregorii manifestum est, formalem beatificationem in causa S.* Joannis Capistrani *non intervenisse : sed ejus cultum fuisse, ut vulgo dicitur in similibus processibus,* casum exceptum, *quatenus, ut ait Prosper Lambertini lib.* II *De servorum Dei beatificat. et canoniz. cap.* XVII, *num.* 1, *pro Sancto nostro haberentur diplomata pontificia, permittentia, ut supra vidimus, ejus cultum.* B *Atqui hinc nata est nova difficultas, quam, ut dicit laudatus Lambertini lib.* I, *cap.* XXXII, *num.* 3. *Prosper Bottinius, archiepiscopus Myrensis et fidei promotor proposuit in causa canonizationis Sancti nostri; nempe tuto in causa, quæ per viam casus excepti processerat, non posse deveniri ad canonizationem, quum scilicet duorum tantum miraculorum tertii generis approbatio accessisset. Ast S. Rituum Congregatio in causa S.* Joannis de Capistrano *censuit, decreto edito die* XIII *Junii* 1679 *sufficere, etiam in casu excepto, duo miracula, quia ex sententia doctorum, innixa canoni* 52 *de testib. et attest.* (II, 20) *binarius numerus pluralitatem facit, adeoque quum citatus canon agat de inquirendo in* vitam et miracula, *duo miracula sufficiunt ad confirmandam sanctitatem alicujus servi Dei, adeoque ad deferendos eidem honores canonizationis.*

hymnus cum Collecta subjungitur.

447 *Porro ex illis decretis cultus* Joannis *nostri majora incrementa cœpit. Ejus sodales* hymnum, *ait Waddingus* (1), breviusculum *ejus honore frequenter decantabant, cui, teste Barberio* (2), *collecta seu oratio subnectebatur; utrumque damus :*

C O Christi miles inclyte,
Joannes voce et opere
Diebus his novissimis
Clarus apparuisti.
Tu cruce Turcas fugas,
Tu cruce morbos sanas,
Tu cruce cunctos juvas
Dux quibus fuisti.
Implora nobis veniam
Ac fidei constantiam,
Christi legis custodiam
Quem vere dilexisti.

℣ Ora pro nobis beate Joannes a Capistrano,
℟ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
Oremus. Deus, qui Ecclesiam tuam beati Joannis a Capistrano meritis et doctrina mirabiliter sublimasti et per eum de perfidis tyrannis in virtute sanctissimi Nominis Jesu fideles tuos triumphare fecisti, præsta quæsumus, ut de inimicis nostris ejus intercessione prævalentes in terris, præmiari cum ipso mereamur in cœlis. Per eumdem Dominum.

(1) Ann. tom. XII, pag. 420. — (2) Vit. Ital. pag. 231. — (3) Cfr Ciac. Vit. Rom. Pontt. et Cardd. tom. IV, col. 749. — (4) Vit. lat. Part. II, pag. 181.

AUCTORE J. V. H.

§ XL. Jul. Cæsar Fagnanus, advocatus consistorialis, pro canonizatione B. Joannis Capistrani coram Alexandro Pp. VII orationem habet.

Coram Alexandro Pp. VII Jul. Cæsar Fagnanus

Quem ad totum Ordinem S. Francisci extenderat Gregorius XV, S. Joannis Capistrani *cultus novos stimulos addidit, ut tandem ejus canonizatio procuraretur. Joannes Bapt. Barberius in Vita Sancti, latine conscripta, refert orationem habitam in consistorio publico, quando galero rubro Alexander Pp. VII decoravit Paschalem de Aragona, Cardinalem creatum die* V *Aprilis* 1660 (3). *Orationem pronuntiavit Julius Cæsar Fagnanus, consistorialis aulæ advocatus, eamque hic ex Barberio exhibemus* (4) : Suarum virtutum luce conspicuus, spectatissimis illustrium meritorum titulis venit coram Sanctitate Tua, beatissime Pater, venit fortis- E simus Christi athleta, Seraphici Ordinis decus, hæreticorum domitor, infidelium terror, christianæ reip. propugnator B. Joannes de Capistrano; venit non tam natalium splendore, quam rerum gestarum gloria, et totius vitæ cursu sanctissime actæ admirabilis; venit et cum maxime inclyta provinciarum Germaniæ bellicæ tempestatis procellas aspicit, hunc ipsum in se olim tuenda, atque hostibus propulsandis strenuissimum bellatorem inermem recordatur et memorat; venit, nec alieno fortasse tempore, ut a maximo Ecclesiæ catholicæ duce miles invictissimus coronetur.

exponit, S. Capistranum, artu nobilem,

449 Oppidum est in veteri Samnio ad caput Aterni fluminis, Capistranum appellant, quod, ut alia desint, quæ minime desunt, unus satis illustrat et nobilitat Capistranus, qui nec ignorari nomen patitur, et mansurum famæ decus in longinquas late oras, et in omnem posteritatis memoriam extendit. In eo siquidem oppido, parentibus in primis nobilibus, et fortunæ bonis luculenter instructis, sed pietate maxime concordiaque conspicuis, anno christianæ salutis 1385 vitæ lucem sortitus F est Joannes, lucem orbi daturus nesciam occasus; Capistranensi matre, patre Germano, qui in comitatu Andegavensium ducis in Italiam cum venisset, Capistrani sedem ac domicilium collocaverat, uxore indidem ducta liberisque susceptis. Sed vix ille ingredi per ætatem, vix prima verborum tentamenta conari poterat, cum altæ heroicæque, et ad magna properantis indolis illustria emicuere prodigia; ita quibus informari artibus puerilis ætas ad humanitatem solet, diligenter excultus, ante annos mature sapiens, Italicas Athenas, ad optimarum disciplinarum emporium nobilissimum, ad augustam Etruscorum academiam, Perusiam venit; ubi quæ statim et quanta studendi vigilandique sedulitas, qualis illa laborandi conficiendique negotii, et quam perpetuo ferme decennio, semper invicta constantia? Diu noctuque accubuus, assiduus, indefessus, contumax ad quantam brevi utriusque juris, et omnis encyclopediæ gloriam,

primis

AUCTORE J. V. H.

primis ubique par sapientibus, evectus est? et quanta simul, quod præcipuum et primum est, honestas morum, consuetudinis humanitas, sermonum comitas, quantus amor pietatis, quanta integritas vitæ, innocentia?

per summas calamitates

450 Sed Deus bone, ut sunt absconditæ humanis intellectibus, et imperscrutabiles viæ tuæ, ut diversa a cogitationibus nostris consilia tua? Dejicis et attollis, imo tunc maxime attollis, cum maxime dejicis, tunc sanas cum feris, mederis cum vulneras, et bonorum malorumque causas sub contraria specie occultari plerumque jubes. Ecce tibi, ut fit, nescio quæ Perusiæ rixa, sive illa popularis seditio, sive inter nobilitatem et plebem tumultus fuerit. Pacandis animis caduceator eloquentia, et authoritate præcellens, reconciliandæ gratiæ Joannes dum studet, ipse prope subditur reus, arctam in custodiam conjicitur, pro gratia invidiam, pro beneficio sustinere coactus contumeliam; sed mox de turbido quanta serenitas, de tempestate quanta tranquillitas? Nactus in ergastulo lucem, in captivitate triumphum, senatorios in vinculis annulos, imperialia in compedibus
B coronamenta, et torques; nusquam apparuit, quam inter apparitores illustrior, nullibi vel melius didicit, vel religiosius humanæ divinæque sapientiæ litavit, quam cum procul a libris, a doctoribus procul in obscuro carcerum clausus vinctusque delituit.

mirabiliter conversum,

451 Abiit, excussis vinculis, corpore animoque liber, in veram libertatem iturus filiorum Dei, sublimis et alacer sui jam compos, et sibi redditus patriam revisit, sed non eo consilio quod plerique faciunt, ut secessum desidem, otiumque molle captaret, ut segniter, et jucunde uni viveret sibi, ut rebus domesticis procurandis, amplificandisque curam intenderet, sed ut vale ultimum cognatis, et affinibus, ipsique adeo patriæ, et mundo diceret, et quicquid erat agrorum, et penatum, et fœnoris subita licitatione divenditum, collecto pretio, elargiretur in pauperes, seque terrenis negotiis omnibus exsolutum, cœlitibus totum manciparet. Inde Perusiam ille quidem continenter, ad notam, et dilectam sapientiæ suæ palestram, sed quali facie et quantum mutatus ab illo? Veste pannosus et lacer, crine
C impexus, et sordidus, cultu humilis, incessu verecundus, factusque undique ad imitationem stultitiæ, asello insidens, galericulo papiraceo caput intectus omnium in se oculos admirationemque convertit. Talis nimirum habitus decebat eum, qui veterem hominem exuerat cum actibus suis, et peregrinus a cœtu mortalium hospitari quærebat in superis.

Ordini Seraphico nomen dedisse;

452 Et quidem hospitari subito cœpit, cum in religiosam D. Francisci familiam est cooptatus, ut non humanam, sed angelicam plane vitam agere in eo societatis consortio videretur, sui contemptor egregius, abjectissima quæque ministeria studiosissime consectans, asperrimo cultu, tenuissimo victu, levissimo somno, cui ciliciis, jejuniis, vigiliis, verberibus macerare corpus, atterere vires, deservire infirmis, assidere languentibus, solatia afflictis opemque ferre, incendi affectibus, diffluere lacrimis, precationibus pariter studiisque vacare, et tota mente abalienatis sensibus in Deum abripi, maxima et unica voluptas erat. Sed quamquam ille benevolentiam sui et venerationem apud omnes, quibus aut novisse D de facie, aut de fama audivisse datum, facile promeruerat, et factus omnia omnibus observabatur et colebatur ab omnibus, tamen nescio quo arctiori necessitudinis et familiaritatis vinculo D. Bernardino Senensi ut comes et discipulus et imitator adstringi, et adhærere perpetuo visus est, ut pro socio et magistro suo Joannes acriter quoque pugnaret, et calumniatores adeo coercuerit aliquando, ut calumniam ipsam everterit funditus, jusseritque in admirationem stuporemque concedere.

in eoque uberes, præsertim

453 Ita et cœlo teste, illustri sane prodigio, spectante populo, utriusque sanctitas est comprobata; nam quod Senensi, idem Capistrano palam est contigisse, ut super utriusque verticem, dum Aquilæ in foro concionarentur de laudibus Virginis, per meridiem stella visa sit ejaculari radios ipso meridiano sole, prope dixerim, clariores. Sed frustra pro egregiis in Romanam Ecclesiam meritis, tot heroicis conspicuum virtutibus virum sanctissimum Eugenius Pontifex voluit Aquilanis, et Reatinis episcopum dare; siquidem ille me- E mor, quod in re simili usurpare familiari dicto consuevisse præceptorem suum Bernardinum compererat, nolle se respondit, cui Dominus totum, qua latissime patet, mundum ad disseminandum Euangelium suum attribuerat, unius regionis, aut populi angustis terminis coerceri, ut Socrate melior, non ille Atticus, aut Romanus, sed mundanus civis, aut verius cœlestis diceretur. Ita dissitas late oras et fama nominis, et admiratione virtutis implevit, ita in omnem terram fructus ejus exivit, uberrima ubique facta annona divini verbi, multisque adeo pro re catholica legationibus, ac militaribus veluti expeditionibus egregie, et feliciter functus, victor nobilis triumphavit.

in Europa Transalpina,

454 Nam ut illa sileamus, cum delegatus est in hæreticos fratricellos, cum ad Philippum Burgundiæ ducem ad tollendum schisma est missus, cum ab Eugenio quarto generalis inquisitor, et vicarius generalis sui Ordinis est renuntiatus, e longe plurimis saltem aliquid ad breve narrationis compendium perstringendum est. Minabatur ingenio ferox, elatusque successu rerum, expugnato Bizantio F imperii capite, Mahumetes, quidquid erat christiani nominis victore exercitu profligatum absumptum iri, vastataque Ungaria, Illiricisque perdomitis, quos jam animo devoraverat, nihil neque in Germania, neque in Italia, adeoque Europa tota nihil reliquum pietati et religioni fore, quo minus universa miserrimæ inundationis pelago obruta mergerentur, et fuissent mersa haud dubie, nisi ut Angelus pacis, et nuncius apostolicus accurrisset B. Joannes. Ille igitur in Germaniam, assumpto in societatem sacræ expeditionis Jacobo Picente, commissarius a Romano hierarcha delegatur, qui ad Padum cum venisset, nec copia portitoris daretur ad trajiciendum, quam speciosi pedes essent euangelizantium bona, præclaro miraculo Deus ostendit, cum, expanso super undas pallio, amnem cum comitibus transire fecit incolumes; advenienti in Austriam, tamquam salutari et benefico suo numini, videre erat provolantes obviam in gratulationem, et venerationem effusos populos, et cum populis dynastas, cum dynastis sacerdotes.

455 Aderat

speciatim in Germania, et Polonia,

455 Aderat concionanti spiritus Domini, qui loquebatur in homine, aderatque omnis ordinis multitudo innumera, tantoque cum emolumento animarum, ut abjuratis pravarum opinionum erroribus, ad Ecclesiæ corpus catervatim et certatim quotidie redirent. Hinc amplissimæ illæ regiones novo prædicationis et sanctitatis lumine illustratæ ad euangelii lucem patuere; hinc Casimiro rege supplicibus literis expetente, in Poloniam venit, ibique incredibili cum plausu exceptus, quot ille hominum millia ad saniorem frugem docendo, agendoque revocavit, cum ad tantæ sanctimoniæ famam non exspectata vi vocis, solo aspectu, tam multi ad pœnitentiam voluntariam accurrerent, et sua sponte resipiscerent? Ut mirum esse non debeat, si fundare in illis provinciis tot templa, suique Ordinis tot cœnobia potuerit, si nobiles Polonos equites in sacram militiam secum abducere, qui omnium imperabat animis, et in omnium amoribus erat.

et omnium maxime in Hungaria protulisse;

456 Sed jam Ungariæ ultimum imminebat periculum, urgente valido cum exercitu centum et quinquaginta millium armatorum Mahumete. Igitur Joannes accitu Friderici imp. et delegatione Callisti Summi Pontificis Viennam redit, acceptaque ab eodem cruce, qua uteretur pro militari vexillo, ingentia suis concionibus cogit agmina ad octuoginta millia cruce signatorum, ubique impulsor, hortator, antesignanus, ductor et ardore pugnam ciere si non manu, suosque in hostem accendere oratione, quasi alter Josue, et spiritu Capistranus. Joannes Corvinus comes Bistricensis, auctore Cæsare, impulsoribus adeoque adjuctoribus et auspicibus Joanne et Jacobo, tutandæ Ungariæ propulsandique belli curam suscipit. Obsidetur a Turcis Alba, pugnæ acriter pugnantur, impressiones fiunt, eruptiones, impetus, Corvini manu, Capistrani consiliis, vocibus, precationibus sustentata res, soluta obsidio, fugatus hostis, parta victoria; et in una Ungaria trepidationi et discrimini et excidio exempta christiana resp. universa; ut merito et supplicationes pro gratiarum actione Callistus Pontifex Ecclesiæ in-
C dixerit, et solemnem ad posteros diem annua recolendum celebritate mandaverit. At matura jam cœlo virtus, meritis cumulatiorem quam annis, et triumphales victorem laureæ reposcebant in superos. Corvinus gloriæ plenus, nec multo post B. Joannes cum ingenti populorum luctu, velut accitus ad palmam, obdormivit in Domino, et septiduo toto solemnibus datis exequiis, in ferrea urna quinque obsignata clavibus conditum corpus, quod post multos annos incorruptum et molle, ab hæreticis in Danubium projectum, non procul Vienna repertum est.

ac tandem laboribus, scriptis,

457 Hanc tam laboriosæ vitæ rationem, et per aspera quæque exercitæ, intuentibus vix credibile videatur, ut homo Dei rebus ullis aliis tam impense vacaverit. Nam magnum est, ita ætatem traducere, ut qua opera, qua prudentia præsentibus prosis, nec illud fortasse minus, in longum ævum beneficia extendere et de omni benemereri posteritate. Quæ quidem ipsa cum præclara sint etiam divisa, quanto magis conjuncta putandum est, cum indefesso labore tot curis unus idemque sufficiat, ut prodigii simile sit, et facere, et scribere unum potuisse tam multa. Et sane cum in B. Capistrano tot longinquas obitas peregrinationes, tot itinerum difficultates exantlatas, tantum vigiliarum in supernarum rerum meditatione consumptum, audiamus, maceratumque ac prope enectum per inedias, cilicia et verberum lanienas, corpusculum tantum temporis indultum concionibus, animisque subigendis orco, asserendis cœlo, quæ illa demum subseciva horarum spacia possumus intelligere, lucubrandis libris, implendisque paginis esse relicta? et tamen quam non pauca, quam varia, quam omni referta sapientia divini ingenii monumenta circumferuntur?

AUCTORE J. V. H.

et miraculis clarum,

458 De censuris, de usuris, et contractibus, de casibus, et de pœnis injungendis, de pœnis inferni et purgatorii, de matrimonio, de restitutione, de illustranda conscientia, de dignitate ecclesiastica, de Conceptione B. V., de cupiditate, de Passione Christi, contra Hussitas, in Regulam fratrum Minorum, epistolæ, et tot alia, ut suo jure vir religiosissimus potens E
opere et sermone, et canonista egregius nominetur, et passim hominem a Deo missum, et præcipuæ in re catholica authoritatis appellent; principibus intime carum, imperatoribus, regibus maxime venerabilem, et ejus in omni vita, quæ omnem superet fidem, austeritatis et innocentiæ, ut novum Christi Apostolum, novum ubique Angelum, magnis quidem sed veris elogiis, et certantibus animorum affectibus, linguarum plausibus prosequantur. Neque vero ille, sive dum in terris ageret, sive postquam est translatus in superos ad consortia beatorum, clarissimis miraculorum prodigiis clarere unquam destitit, et si quo in alio divini operis potentia post Apostolorum tempora sese ostendit, et mirabilis Deus semper in Sanctis suis, in uno maxime olim enituit, enitetque ad præsens Capistrano, qui et prophetico spiritu vaticinatus est plurima, eaque patravit, quæ non nisi divinitus possunt fieri, quorum quis inire numerum queat, et quot per illum ægri salutem, auditum surdi, muti loquelam, visum cæci receperint, recen-
sere, cum quod miraculorum est maximum, F
vel octo numerentur ii, quos letho ereptos, reduxit in vitam.

dignum videri, qui Sanctorum Catalogo inscribatur.

459 Quæ quidem omnia superstiti adhuc, et in humanis agenti Capistrano venerationem colligere tantam potuere, et sanctimoniæ famam ubique tantam, ut Nicolaus V. Pontifex palam testatus sit aliquando, si, se regnante, mortem obiret Capistranus, eum se non dubitaturum, quin statim aris templisque et divinis donatum honoribus adscriptumque sanctorum catalogo promulgaret. Sed quod præstare Nicolaus V non potuit, Leo X in parte reddidit, decrevitque celebritates annuas solemni ritu, et complaudente cœlo, terrisque gratulantibus, in classem retulit beatorum; præcipua tamen gloria nostrorum temporum felicitati reservata est, beatissime Pater, ut tu supremam manum tanto operi imponas, et virum tanta virtutum laude spectabilem, in Divorum Album referas, et venerandum Ecclesiæ proponas, teque popularis Bernardini memoria sic subeat, et quando tam arcta illa conjunctio animorum fuit, quando

AUCTORE J. V. H.

quando par ambobus laurea inter cœlestes obvenit, ad altaria quoque ac delubra par inter homines cultus accedat, sitque illa inter præcipuas beatissimi Pontificatus tui laus, augere sanctorum numerum, religionis terminos amplificare, populorum pietati ac saluti omni cura studioque consulere. Sic igitur existima, Beatissime Pater, auctorem et comprecatorem huc e cœlo adesse D. Bernardinum Senensem, teque precibus obtestari fervidissimis, ne discipulum et comitem et socium et adjutorem suum B. Joannem hoc jam olim debito sanctitatis titulo, tot insignibus præcellentem meritis, carere diutius patiare, pro quo supplices Cæsar, omnesque Germaniæ, et Poloniæ proceres, atque iterum Franciscana familia, ac tot dynastæ, qui humiliter hoc a te petunt, et sanctissimis tuis pedibus advoluti, oraculum Pontificiæ vocis exspectant. Responsum Sanctiss. D. N. D. Alexandri VII Pont. Max. Sacrorum rituum Congregatio audiat, et referat.

B

§ XLI. Innocentius XI declarat tuto procedi posse ad canonizationem B. Joannis Capistrani; et referuntur miracula, a S. Rituum Congregatione probata.

Innocentius XI decernit,

Quæ coram Alexandro VII acta fuerant in causa canonizationis S. Joannis de Capistrano, *effectum sortita sunt suum. Etenim idem Pontifex, decreto* XVII *Januarii* 1663, *declaravit, beatum virum exercuisse virtutes theologales et morales* in gradu heroico. *Cujus quidem decreti luculentissimum habemus testimonium in decreto Innocentii XI, dato* XIII *Junii* 1679, *quo decernit Pontifex tuto procedi posse ad canonizationem his verbis:* Aprutina, seu Sulmonen. Canonizationis beati Joannis a Capistrano Ordinis Minorum S. Francisci Regularis Observantiæ. Reassumpta causa canonizationis beati Joannis a Capistrano Ordinis Minorum S. Francisci Regularis Observantiæ, mediante commissione manu fel. rec. Innocentii X, signata C in Congregatione Sacro Rituum habita die II Maji 1650, in statu, et terminis, quibus reperiebatur, in vim decretorum san. mem. Urbani VIII superventorum; et constito ex processibus auctoritate apostolica confectis de illorum validitate, virtutibus theologalibus et moralibus in gradu heroico prædicti Beati coram fel. rec. Alexandro VII, die 17 Januarii 1663.

tuto procedi posse ad canonizationem B. Capistrani:

461 Ex iisque pluribus discussis miraculis tum in vita, tum post obitum, præter publicam ac celeberrimam famam, duo in processibus novissimis Sulmonensi et Romano deducta, tanquam concludentissime probata per san. mem. Clementem X, die 14 Julii 1675, fuerunt comprobata, nempe quintum in personam Ignatii Bracci de Setia a faucibus mortis illico liberati. Et sextum, in personam Bernardini Michaelis ex oppido Cervariæ per octo menses corpore impediti, et viribus destituti, ope dicti Beati ad pristinam sanitatem confestim pariter restituti. Expletis tandem, D quæ in hujusmodi Beatorum causis exigunt præfata decreta Urbani VIII, per eminentiss. D. Cardinalem Alterium, in ejusdem causa ponentem, proposito in eadem Sacra Congregatione generali Sacr. Rituum habita coram Sanctiss. D. nostro Innocentio Papa XI, die 20 Decembris 1678, dubio, an stantibus supra narratis Sanctitas Sua tuto possit devenire ad solemnem dicti Beati canonizationem, et re mature discussa, omnes tam consultores, quam eminentissimi domini Cardinales, Sacris iidem Ritibus præpositi, unanimi voto censuerunt, Sanctitatem Suam quandocunque sibi libuerit, tuto posse ad solemnem ejusdem beati Joannis a Capistrano canonizationem, juxta sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum, et sacrorum canonum dispositionem, devenire, eumque definire Sanctum cum Deo regnantem, atque universali Ecclesiæ proponere colendum, et venerandum. Sanctissimus vero, rei gravitate ita exposcente, divinam explorare voluntatem, decrevit precibus, et suffragiis. Quibus peractis Sanctitas Sua iterum E auditis archiepiscopo Myrensi promotore fidei, et secretario ipsius Sacræ Congregationis, nedum sensum ejusdem Sacræ Congregationis confirmavit et approbavit, sed etiam hujusmodi ultimum, et finale decretum solemnis canonizationis prædicti Beati expediri mandavit. Die 13 Junii 1679. Cæsar Card. Fachenettus. Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congreg. secr.

deficientibus ipsis canonizationis Actis,

462 *Enucleatius aliquantum hæc explicat Amandus Hermann, eaque tanto lubentius adducimus, quanto magis nos doleat ipsis Actis canonizationis nos carere.* Sancta illa, *inquit* (1), in cœlis regnans anima (Capistrani), ubi invocabatur, non desinebat miras impetrare supplicibus gratias, ita quod fama illius per Italiam magis magisque cresceret: quibus debite examinatis et præsentatis, Urbanus VIII Pontifex edidit litteras remissoriales et compulsoriales ad formandum processum « de fama » in curia Romana et civitate Sulmonensi juxta regulas et decreta, a S. Congregatione Rituum præscripta, quoniam alio modo virtutes ipsius heroicæ probari nequibant; quum tunc quasi F duo fluxissent sæcula a felici de hoc mundo Capistrani transitu ad æternam gloriam; quibus exacte et rigorose peractis et anno 1625 finitis, atque a S. Congregatione recognitis, tamquam rectis et validis, tunc Sanctitas Sua negotium commisit sacro tribunali sub titulo Rotæ Romanæ; ubi a tribus senioribus auditoribus, DD. Coccino, Pirovano et Manzanedo omnia et singula Acta fuerunt ventilata et discussa, et relatione facta cum approbatione tam virtutum quam miraculorum, tam in vita quam post mortem, magnam percepit Urbanus satisfactionem, gaudio repletus et jubilo; ast mors interveniens omnes intercidit cogitatus. Urbano successit Innocentius X: hic æquali cum zelo ordinavit, ut sine intermissione causa tam sancta prosequeretur, quod absque nova approbatione S. Congregationis fieri nequibat: quare etiam ab illa fuit reassumpta cum bono principio et fine usque ad nostra tempora protracto. Cur autem tanti hujus

(1) Capistr. triumph. pag. 756.

Sancti

A Sancti canonizatio fuerit prolongata et dilata, jam dixi, ex suavi Dei contigisse providentia, qui suis temporibus generi humano congruas exhibet medecinas, ita etiam convenientes Ecclesiæ constituit advocatos.

compendio 463 Adveniente autem momento temporis, a Patre cœlesti constituto, quo divina providentia constituerat S. Capistranum coram mundo universo glorificare, suavissimo disposuit modo, ut oppidum Capistranum, quoad dominium temporale et spirituale transferretur ad serenissimam domum Medicæam, magnorum ducum Florentinorum, qui semper virtutes et miracula hujus viri fuerunt venerati. Tunc eminentiss. D. Carolus de eadem domo, S. R. E. æterna memoria dignissimus Cardinalis, ad majores suos oculos convertens, atque sublimia Capistrani de Ecclesia Dei merita altius ponderans, contulit cum P. Bartholomæo Pettoranno, nostri Ordinis professo reformato et D. Bernardino Barberio, regis catholici in partibus Italiæ agente, insinuando ipsis, se omni cooperaturum conatu, viribus-
B que pro posse concursurum, si processus canonizationis reassumeretur ad optatum consequendum finem. In agentia ista successit postea Joannes Bapt. Barberius, nepos prioris tamquam patrui : hic apud eumdem Cardinalem plurimum valens, ab eodem assecuratus fuit de particulari commissione, a se facta domino comiti Montanti, quæ familia S. Francisco montem Alverniæ pro inhabitatione concesserat, tunc pro serenissima domo Medicæa ad Romanam curiam residenti, ut pro apotheosi Capistraneo, in omni loco et tempore, officia et efficaces interponat recommendationes, assumendo semper pro consilio et directione præfatum Joannem Baptistam Barberium, qui per viginti quinque annos causam S. Capistrani fideliter, ferventer et efficaciter, non parcendo ullis sumptibus, nec laboribus cedendo vel oppositionibus, egit, usque dum plausibiliter anno 1690 perfecit.

exhibetur 464 Hoc ut ordinate referam, sciendum, Urbano VIII, Innocentium X, et huic successisse in pontificatu Alexandrum VII de familia Chigiana Senensi, nomine Fabium, coram
C quo eminentissimus D. Cardinalis Palotta anno 1657 proposuit in negotio Capistranensis canonizationis hoc dubium : « Utrum posset ad ulteriora procedi, » eo quod illustrissimus D. Petrus Franciscus de Rossis, promotor fidei, opposuerit Capistranum fuisse præsumptuosum, temerarium et iracundum, et ut talem statim post mortem a D. Joanne Cardinali S. Angeli, cognomento Carvajalio et in Hungaria Legato apostolico, redargutum, prout ipsemet Waddingus, celebris auctor Ordinis in suis Annalibus attestatur (1). Quæ materia quum valde delicata fuerit, pro tunc decretavit « rationem habendam fore in fine causæ, » id est, causam canonizationis prosequendam, quoniam in fine illius magis maturari et ventilari poterunt puncta et S. Joannis merita. Tunc suscitavit (ut D. Barberius ipsemet sibi applicat) spiritum pueri junioris (2), qui non sine particuliari Dei instinctu defensionem hujus Sancti generosius suscepit, et tamquam advocatus insinuavit, se humiliter debito loco et modo, suppliciter postulando, quatenus non modo in fine, sed in principio hæc examinarentur et dissolverentur objecta. Et ad primum libellum porrectum sua sanctitas clementissime indulsit postulatis, superaddendo paternum et pastorale monitum : « Ut in hoc negotio vires suas extendat, quum aliud non desideraret, quam canonizare Capistranum ; » in cujus rei testimonium sanctissimam adducit Trinitatem. Nec miror, quoniam jam olim, tam Eugenius IV, quam Nicolaus V eum se canonizaturos, si illorum decessisset temporibus, asseverarunt. AUCTORE J. V. H.

series processuum, 465 Habito igitur gratioso hoc pontificio assensu non dubito, quin solide oppositiones diluerit factas, quas breviter quidem insinuat in suo opere, et affectassem easdem habere per extensum, ut viderem, quantum differam ab illo in mea retorsione, sect. xxx producta : quas enim conspexi rationes, minus deducit, quam ego : suppono tamen amplius et fusius in corpore processus fuisse factum; quamvis mea opinione longioribus objecta non egeant refutationibus. Quare etiam, attentis rationi-
E bus a Barberio et aliis productis, Sacra Congregatio anno 1662, die XVII Septembris amplissimum hoc edidit decretum in causa canonizationis : « Posse procedi ad ulteriora, et nihil constare contra Capistrani famam sanctitatis. » Sub eodem Alexandro VII, anno 1663, die XVII Januarii, eadem S. Congregatio ultimos duos processus dixit, esse validos et bonos, ac proinde eodem anno et die XXV Septembris decretatum fuit et resolutum, Capistrani virtutes, tam theologicas, quam morales, fuisse in gradu heroico, prout Cardinalis Franciotti, loco absentis Cardinalis Pallotta, proposuit. Exhibitis porro aliquibus miraculis antiquis, responsum fuit anno 1664, die X Julii, illas probas se solis non esse sufficientes, absque tamen omni præjudicio publicæ vocis et notoriæ famæ ipsorum. Quare D. procurator Joannes Bapt. Barberius, volens susceptum in se negotium finire, perrexit Aprutium et inde Setium, oppidum in Campania Romana, ubi audiverat, duo recenter contigisse miracula, de quibus, ut plenius fuit informatus, supplices iterum porrexit preces S. Congregationi
F pro novis litteris remissorialibus, quæ benignissime sibi fuerunt concessæ, earum virtute processus desuper formati, ad Pontificem Clementem X per Cardinalem Altierium delati et approbati anno 1676, die XIV Julii. *Hactenus Amandus Hermann, qui citat dein decretum Innocentii X, quod in capite hujus § dedimus.*

ac referuntur bina miracula; 466 *Porro, ut manifestum est ex ipso citato decreto, Clemens X duo probavit miracula, quæ operæ pretium est hic referre. Prius hisce verbis refert laudatus Hermann* (3): Anno Dimini 1649 Ignatius Bracci, chirurgus a Setio Terraccinæ diœcesis, quum ad ultimum vitæ suæ pervenisset, transactis diebus quindecim malignæ febris, adjunctis acerbissimis et incessantibus capitis et renum doloribus, susceptione sacramentorum Ecclesiæ se munivit; quo peracto, loquelam perdidit: unde medicus, cujus nomen erat Marcus Aurelius Cimaroli, videns infirmi incapacitatem ad alia restaurativa et antidota suscipienda, licentiam accepit, quum

(1) Tom. XII, pag. 1. — (2) Barber. Vit. Ital. pag. 237. — (3) Capistr. triumph. pag. 724. Cfr Barber. Vit. Ital. pag. 249.

etiam

AUCTORE J. V. H.

etiam curæ, antecedenter factæ, pretiotissima medicamenta frustranea fuisse comperisset. Qua de causa infirmi soror, nomine Cæsarea, P. Angelum Lantusca, reformatum et conventus S. Francisci guardianum, curavit vocari, ut ad ultimum vitæ suæ agonem religiosa pietate assisteret. Veniens autem prædictus religiosus, obviavit ipsi medicus, qui sciens ad assistendum semivivum ipsum pergere, rogavit, ut veloci curreret gressu, ne propter moram mortuum reperiat, sicut ipsemet guardianus in suo adventu expertus fuit.

sanationis Ignatii

467 *Quum in agone jam positus esset, nihilominus voluit ipsi aliquod auxilium præstare; accepit particulam tunicæ Beati Joannis, exhortando* infirmum ad plenam in suis (*ejus*) meritis fiduciam habendam, tamquam ad illum qui paulo antea manifesto miraculo sororem suam Cæsaream a continua vertigine, et canonicum Rossi de Setia a faucibus mortis liberaverat, alta voce ipsum interrogans, utrum in patrocinio dicti Sancti fiduciam habeat; cui respondit, quod sic, per signum ter ipsi manum constringendo. Tunc prænominatus pater supra caput Reliquiam posuit, devote dicens: « Super ægros manus imponent, et bene habebunt, Deus, intercedente B. Joanne de Capistrano liberet te ab omni malo, in nomine Patris etc. » In hoc actu Ignatius oculos clausit, ac si ab ista mortali vita transire vellet; ast aperiens violento motu proprios oculos, articulata voce prorupit, dicens: « Pater, ego sum sanus factus » et cœlum intuendo vivaci corde exclamavit, dicens; « Vobis gratias ago, o mi gloriose S. Joannes, quod mihi impetraveritis integram sanitatem; » sicut in re fuit. Nam in eodem instanti supra lectum se posuit, induensque se propriis vestimentis, deinde absque intervallo, quasi moræ impatiens, ad publicam cucurrit viam, ut tale evidens miraculum omnibus patefaceret, quod circa horam XXIII (id est, unam horam ante solis occasum) contigit. Die vero immediate sequenti mane, una cum sorore, amicis, aliisque sanguine et familiaritate junctis, ad ecclesiam S. Francisci se contulit, ut liberatori Capistrano
B gratias ageret: eratque in dicta ecclesia ejus benedicta imago depicta, ad quam quamvis unum fortissimum milliare distaret, tamen nudis pedibus, non utens baculo, perrexit, peragens imposterum sua omnia cum omni facilitate.

Bracci,

468 *Huic miraculo alterum, eidem Ignatio a B.* Joanne *exhibitum, refert Joannes Bapt. Barberius, cujus verba latine reddimus* (1): Cui (*narrationi præcedentis miraculi*) subjungo firma conscientia et cum juramento, quod quum anno 1664 antequam formaretur processus præcedentis miraculi, me Setiam contulissem ad indagandum factum, invenerim Ignatium viribus imparem itineri suscipiendo, ac proin inhabilem ad se conferendum Romam, ut ibidem miraculum in se factum examinaretur, quippe cui supervenerat maxima renum relaxatio, ex qua proveniebant et urina sanguinolenta et atrocissimi dolores, quoties sive pedes sive eques violenter se movebat. Jam a mensibus aliquot hæc patiebatur: unde illi persuadere nullo modo potui, ut mecum D veniret, nec valuere ullæ preces, aut oblata lectica, cujus ope sine sui defatigatione se moveret: constanter enim reponebat, non debere se summo periculo exponere. Unde suavori, quo potui, modo exprobavi et ingratum ejus animum et modicam fidem, quatenus Beatus, qui illum ante annos tredecim (*imo quindecim ab anno* 1649 *ad* 1664) e faucibus mortis eripuerat, posset illi facile iter præbere et a præsenti morbo liberare. Hisce verbis Deo placuit illum esse persuasum; et fidem mihi suam obligavit, se intra biduum exsecuturum, quod promittebat. Promissis suis stetit, et solus eques iter perfecit: ad domum meam recto tramite advenientem cum omni affectu excepi, et inter mutuos amplexus magno animi affectu exclamavit: « Vivat, vivat gloriosus noster Capistranus; quoniam numquam antehac a juventute mea tam facile et tam prosperum expertus sum iter, sicut hodiernum, licet in ætate quinquaginta quinque annorum constitutus, et gravi morbo vexatus sine ullo dolore aut incommodo, quasi numquam infir- E mitatem passus fuissem, longinquam peregrinationem confeci. » Et reipsa intra quinos aut senos dies, quibus apud me commoratus est, numquam corporeæ afflictionis dedit signum. *Hæc Barberius.*

ac Bernardini bubulci,

469 *Alterum miraculum in causa canonizationis S.* Capistrani *productum et S. Rituum Congregationi ac Pontifici probatum, refert laudatus Barberius* (2): Anno 1656 Bernardinus, filius Michaelis, bubulcus terræ Corvaræ prope Capistranum, a latronibus gravissime percussus, et immaniter ad arborem alligatus, ut facilius boves, quibus campum arabat, furarentur. Tantus fuit ejus terror et pavor, conjunctus cum dolore atrocissimo confracti corporis, ut a malignis spiritibus obsessus videretur. Remansit istic miser aliquo temporis spatio, mortuo magis quam viventi similis, donec a popularibus suis, illac transeuntibus, et a vinculis solutus et domum suam relatus, morituriens in lecto depositus fuit: ubi anno integro permansit, privatus usu inferiorum partium, quæ omni motu et sensu carebant. Sæpius quidem tentavit cum aliorum auxilio pedibus in- F sistere suis, ac quasi ex cera formati flectebantur. Infra duodecim, quibus infirmitas duravit, menses, evidentissima dedit obsessionis signa, præcipue in solemnioribus festivitatibus, in quibus ululatus, mugitus ac clamores edebat horribiles: accedebat quoque ingens dolor tum ex motu quasi serpentino aridorum pedum et coxarum, tum ex febribus, sine intermissione continuis. Interim vana fuerunt omnia medicamenta adhibita, donec aliorum consilio persuasus, ut toto corde ad Joannem thaumaturgum recurreret: quod præstitit emittendo votum, sed ejus aditurum Capistrani sacellum: neque tunc, emisso voto, aliquod solamen expertus est; nihilominus statuit tertio die præsens votum adimplere.

a S. Congregatione probata.

470 Positus itaque in equo, quatuor hinc inde assistentibus viris, vix ecclesiæ januam attigit, quum humani generis hostis, supremas vires exerens, adeo Bernardinum turbavit, ut incondite clamans ac manibus obnitens,

(1) Vit. Ital. pag. 251. — (2) Ibid. pag. 252.

introire

A introire in locum sacrum recusaret : unde quatuor prædictis sociis multum laborandum fuit, ut in ecclesiam introduceretur. Istic vero religiosi prodigiosum Capistrani pileum infirmo imposuerunt, qui magis quam hactenus lamentabatur, ac prostratus terram ore et unguibus per spatium unius Credo cantati terebat. Apertis dein duobus sacrariis, in quibus Sancti Reliquiæ perpetuo custodiuntur, illico sine motu quasi mortuus remansit, ac eo in statu duabus horis perseveravit : dein repente excitatus se ipse facile et firmiter in pedes erexit, ac jucunde læteque exclamavit : « Tibi gratias ago et esto benedictus in æternum, o mi gloriose Joannes, quoniam me sentio omnino liberatum. » Quo audito, obstupuerunt circumstantes et in ejus accurrentes adjutorium, id recusavit, simul admonens ne propius accederent, ut miraculum tam clarum et manifestum non interrumperetur. Ad confirmationem porro eorum, quæ dixit, gratiis Deo et liberatori suo actis, suppedaneum altaris osculatus est, et, salutatis sacris Reli-
B quiis, solus, nemine adjuvante, ex ecclesia exivit, et pariter cum omni agilitate equum conscendens, domum reversus est : ac die sequenti ad gloriam Dei pristinum officium exercuit, quasi numquam tam funestum et crudelem casum expertus fuisset.

§ XLII. Intercessione S. Joannis Capistrani parta anno 1683 de Turcis victoria a Joanne Sobieskio, Poloniæ rege.

Intercedente S. Capistrano, ab Innocentio XI invocato,

Innocentius XI declaraverat, ut supra num. 460 *diximus, tuto deveniri posse ad canonizationem* B. Joannis Capistrani : *eamdemque ipse perfecisset, nisi continuæ infirmitates et ingravescens ætas consilio suo obstitissent. Et quidem quum anno* 1683 *Cara-Mustapha, supremus Sultani minister, superata Hungaria, Vindobonam, Austriæ caput, obsidione cingeret, atque summæ calamitates universo christiano populo imminerent, laudatus Pontifex, ratus potentissimum*
C *præsidium ab eo exspectandum fore, qui olim ardentissime adversus Turcas dimicaverat, jussit, ut in altari majori celebris templi Aracœlitani Romæ exponeretur publicæ venerationi imago* S. Capistrani, *igne multiplici diurno æque ac nocturno collustrata; ut etiam populus Romanus ad invocandum beatum patronum excitaretur, plenariam peccatorum indulgentiam iis concessit, qui per intercessionem beati viri misericordiam Dei implorarent : præcipuum tamen supplicium in festo B. Virginis, in cœlos assumptæ, celebratum fuit* (1). *Et vero paucis post diebus, nempe* XII *Septembris exercitus christianus, duce præsertim Joanne Sobieskio, Poloniæ rege, insignem de Turcis reportavit victoriam : ad cujus perennem memoriam idem Innocentius XI festum sanctissimi Nominis Mariæ, quotannis dominica infra octavam Nativitatis ejusdem Virginis celebrandum, instituit, ut legere est in Breviario Romano.*

magna a Sobieskio, Poloniæ rege,

472 *Quam quidem victoriam ejusque fructus uberrimos optime describit, qui victoriæ auctor præcipuus habetur, rex Joannes, litteris, datis ad conjugem suam Mariam postera die parti triumphi. Hasce quidem hic dandas, latine redditas, arbitramur, quoniam luculentissime evolvunt tum reipublicæ christianæ summum periculum, tum absolutissimam populi christiani liberationem* (2) : Sit nomen Domini benedictum, qui dedit christianis victoriam, dedit tantum triumphum, quantum nulla ante ætas vidit. Omnia tormenta bellica, castra universa et infinita prope rerum copia nobis obvenerunt : murorum propugnacula et agri circumjacentes cadaveribus oppleta sunt, ac quod reliquum est hostium, fugit consternatum. Nostri continuo camelos, mulos, boves et oves adducunt : accurrunt quoque multi transfugæ, plerumque apostatæ, armis equisque optime instructi. Demum tam subita, tam prodigiosa fuit victoria, ut tam in urbe quam in castris adhuc trepidarent, incerti, an hostes redituri repente non essent; postquam etiam bellicam supellectilem ad decies centena millia florenorum nobis dereliquerunt. Hac nocte spectavi coram rem, quam jam diu videre E
cupiebam : nostri pulverem pyrium variis in locis incenderunt, ac tanta fuit commotio, ut judicium universale advenisse crederetur, nemo tamen læsus fuit : hoc experimento didici, qua ratione nubes formantur : id nihilominus calamitatis habuit, quod ultra quinies centena millia florenorum deperdita fuerint.

AUCTORE J. V. H.

parta, ut ipse scribit,

473 Visirus, veste, qua tegebatur et equo, cui insidebat, contentus, reliqua dereliquit mihi heredi, cui omnia obvenerunt. Quum in prima fronte exercitus pugnarem et visirum propellerem, occurrit mihi domesticus famulus, qui me in ejus introduxit tentoria, quæ tanta erant, ut amplitudinem urbis Varsaviensis aut Leopolitanæ æquarent : omnia imprimis ornamenta et insignia mihi cepi : ast vexillum præcipuum, quod Mahumetes * ejus fidei et virtuti crediderat, ad sanctissimum Dominum per cursorem Talenti transmisi. Nostra insuper sunt magnifica tentoria, equi primarii, et millia crepundia pretiosissima. Necdum omnia vidi, ast longe superant ea, quæ Kotzimi cepimus : quatuor vel quinque pharetræ, carbunculis et F
saphiris exornatæ, millenis ducatis constant. Non itaque, amantissima, improperabis mihi, quod mulieres Tartaræ solent, quando mariti sine manubiis redeunt, me generosum non esse militem, quandoquidem nihil prædæ attulerim; qui enim hostem a fronte non aggreditur, nihil manubiarum capere potest. Mihi quoque obtigit visiri equus paratus. Ipsum vero quam proxime persecuti sunt; ejusque vicarius aliique præcipui duces occisi fuerunt. Milites nostri multos gladios, auro ornatos, manubias retulerunt. Nox insectationem hostium intercepit : maxime quia Turcæ etiam fugiendo fortissime dimicabant, et agmine optime instructo recedebant. Soli Jenisseri (*Janissaires*), in vallo obsidionali quasi neglecti, in ore gladii perierunt. Tanta vero fuerat Turcarum elatio et confidentia, ut, divisa acie, alii in apertum campum adversus nos dimicarent, alii interea urbem Vindobonensem cominus oppugnarent. Et certo abunde eis

* hujus nominis IV

(1) Barber. Vit. Ital. pag. 234. — (2) Salvandy. Hist. de Pologne. tom. II, pag. 135. Edit. Brux. 1841.

AUCTORE J. V. H.

erat, quo utrinque pugnarent : nam præter Tartaros, æstimo trecenta millia Turcarum in armis stetisse; sunt qui totidem tentoria numerasse se, dixerunt : ast tantus militum numerus omnem fidem excedit : equidem centum millia tentoriorum fuisse, facile concesserim; nam tria immensa castra occupabant. Duabus noctibus et die integra omnia depræ-dationi prostabant : ipsi ex urbe cives præ-dabundi accurrerunt, et constat, illos annonam octiduanam secum asportasse.

victoria;

474 Turcæ multos christianos captivos in sua fuga dereliquerunt, præsertim mulieres, eas scilicet, quas trucidare non potuerunt : multæ itaque occubuere, sed et plurimæ, solum vulneratæ, poterunt valetudini restitui. Vidi heri infantulum trimulum, facie decorum, cujus caput per os diffissum erat. Ceperat in palatio imperiali visirus struthionem vivum, cui fugiens caput amputari jussit, ne christiani recuperarent. Particulatim describi non possunt, quam exquisito luxu ejus tabernacula opplerentur; erant nempe istic balnea, horti fontibus exornati, leporaria, imo
B et psittacus, quem milites nostri aucupati capere non potuerunt. Urbem hodie circumspexi, ad quinos dies resistendo imparem : palatium imperiale glandibus est confossum, pendentes propugnaculorum ruinæ horrende imminent. Milites omnes, quod suum erant, egregie et fortiter præstiterunt, victoriam Deo et nobis adscribunt. Ubi hostis terga vertere cœpit (conflictum acerrimum in fronte visiri ego dirigebam) equitatus reliquus ad dexterum cornu, sinistro et medio jamjam otiantibus, advolavit : accurrere principes Bavarus et Wadeckensis aliique, et me amplectabantur, osculabantur, duces manus pedesque prensabant, reliqui mihi, regi suo strenuo, acclamabant. Externi voci meæ magis quam ipsi Poloni obediebant.

cujus fructus fuerunt urbis Viennensis liberatio.

475 Hoc mane primum Lotharingus et Saxo, qui heri, in extremo sinistro cornu constituti, adesse non potuerant, me salutatum venerunt : aliquot Husserorum (*Hussards*) turmas, sub duce Lubomirsky, stabuli comite, eis dederam. Urbis præfectus,
C Stahrembergius, et ipse me hodie invisit : omnes me amplectabantur, et servatorem imperii proclamabant : in duabus, quas adivi, ecclesiis populus manus, pedes, vestes osculabantur, ac in fervidissimas prorupissent acclamationes, nisi imperatoris ministros timuissent : quædam nihilominus populi caterva « vivat rex » acclamavit, quod iniquo supercilio accepere imperatorii. Quapropter pransus apud urbis præfectum, statim, relicta urbe, populo comitante, ad castra reversus sum. Stahrembergius minus bene cum urbano magistratu videtur convenire, utpote quem apud me nec nominare dignatus est. Imperator me monuit se uno milliari a castris adesse..... Sed ecce dies illucescit, claudenda est epistola, nec scriptioni vacare, nec tuo frui colloquio amplius licet.

et spolia opima;

476 Multi e nostris in prælio ceciderunt : duos præcipue amissos dolemus, de quibus ad te referet N. Dupont. Inter exteros princeps Croyus occisus, ejus frater graviter vulneratus est, quidam etiam alii optimates perierunt. P. Avianus me millies in jubilo cordis osculatus est, ac candidam columbam, super exercitu christiano volitantem, vidisse se dixit. Hodie in Hungariam, hostem insectaturi, procedimus, comites se principes promisere electores. Magnum certe est Dei beneficium, cui honor et gloria nunc et semper. Ut primum visirus desperare victoriam cœpit, convocatis filiis, amare flevit; ac Tartarorum duci « Si potes, inquit, salva me. » Cui respondit Tartarus : « Novimus Poloniæ regem, quem repellere non valemus, ideo fuga nobis consulamus. » Ingentes sunt calores æstivi, quos potu continuo vix temperare possumus. Denuo annona castrensis detegitur : ut vere nesciam, quid tandem commeatus hosti remanserit, unde bellum redintegrare possit : tandem quindecim bellica tormenta in fuga dereliquerunt. Hæc epistola optima est partæ victoriæ relatio, quam publici juris facere licet, dummodo adjungatur, esse epistolam regis ad reginam. Bavarus et Saxo me quocumque secuturos professi sunt. Per duo
E milliaria celerrimo gressu equitandum erit, ut tetrum occisorum hominum, equorum et camelorum odorem effugiamus. Ad regem Galliæ scripsi, cui primo, tamquam regi christianissimo, danda erat notitia partæ victoriæ et salutis christianitatis. Abest imperator quindecim passuum millibus; secundo Danubio lente descendit, et intelligo, forsan ne in formulas aulicorum rituum impingat, eum meo conspectu minime lætari. Vindobonam properat; ut solemni cæremonia Deo gratias agat, propterea cedo loco : etenim odi istiusmodi ritus aulicos, quibus ad fastidium usque satiatus sum. Filius noster quam maxime virum se præbuit.

minorem victoriæ partem Joanni Sobieskio

477 *Citata epistola satis monstrat, Sobieskium suboffensum fuisse imperatori Leopoldo I et Austriacis : et quidem jam tunc partæ victoriæ gloriam a rege Poloniæ ad Carolum Lotharingum traducere probabiliter aliqui tentabant. Carolus Franc. Palma, episcopus Colophoniensis in partibus infidelium, ita rem gestam narrat ut triumphi laudes in Lotharingum refundendæ videantur.* Adfuit, *ait* (1), interea in
F obsessæ (*Viennensis*) urbis auxilium Joannes III Sobieszki, rex Poloniæ, cum viginti sex Polonorum millibus, quem Innocentius XI, Pontifex domui Austriacæ addictissimus, eo feliciter consiliis suis pertraxerat, ut misso nuntio fœderibus Gallicis, arctissimam cum Leopoldo cæsare inierit amicitiam. Venere etiam sub idem tempus Saxoniæ et Bavariæ electores, multique alii Romani imperii duces atque principes suis cum copiis, quorum omnium accessione christianorum exercitus ad septuaginta armatorum millia excreverat. Itaque Carolus Lotharingus, habito cum cæteris principibus militari consilio, nihil porro exspectandum ratus, die XII Septembris hostes, nihil minus quam prælium exspectantes, totis viribus aggressus fuit. Post plurium horarum certamen, Turcæ, multis suorum millibus desideratis, relictis castris et impedimentis omnibus, in effusam fugam abiere.

attribuunt

478 Initium hoc Leopoldi Magni victoria-

(1) Notit. Hungar. tom. III, pag. 362.

rum

scriptores Austriaci:

rum eo lætius fuit, quo magis inexspectatum: ut intelligas, Deum eo potissimum tempore opitulari, quo humana præsidia omnia abesse videntur. Accepto tam illustris victoriæ nuntio, Cæsar Lincio, quo se universa cum familia interea receperat, Viennam rediit; tum ut cladis vestigia suismet intueretur oculis, tum vero ut principibus, qui sibi tam prompte suppetias tulerant, debitas coram ageret gratias, præsertim autem Joanni, regi Poloniæ, qui Cæsari per eam occasionem, remotis arbitris, familiarius colloqui, prioraque fœdera novis additis pactis innovare constabilireque cupiebat. Quo tempore non levis inter aulæ ministros exorta fuit disceptatio de modo, quo Leopoldus, salva sua Romani imperatoris dignitate, Polonum regem, ad se venientem, deberet accipere. Quum diversa diversis suadentibus, Cæsar ambiguus animo hæreret, quæstionis decisio ad Carolum Lotharingum delata fuit: is, tam levi de re a gravissimis viris eo temporis articulo disceptari ægre ferens, reposuit, illud quam maxime convenire, ut
B Cæsar in Joannis regis, velut amici optimi, amplexus rueret, sicque gratitudinem suam eidem testaretur. *Eodem fere modo Joannis Sobieskii gloriam obliterat Hermanus Meynert in Historia Statuum Austriacorum* (1): *fructus autem victoriæ enumerat viginti millia boum et jumentorum, ovium decem millia, sextaria* (malter) *tritici centum millia, cum ingenti copia annonæ, quæ omnia milites, corradendis monilibus et pecunia occupati, civibus Viennensibus rapienda reliquerunt: unde factum est, ut plurimorum res domestica, fame et peste labefactata, in integrum restituta fuerit* (2).

sed potiorem sibi

479 *Insigni victoriæ portentum successit, publicis litteris consignatum, quod refert Joan. Baptista Barberius in Vita S.* Capistrani (3), *et Amandus Hermann latine nobis servavit* (4): Notum sit omnibus et singulis qualiter die quarto Octobris præterlapsi anni 1683 in quodam eremitorio, dedicato seraphico patri S. Francisco, non procul distante a Scheisheim, diœcesis Frisingensis, ubi dum a religiosis vesperæ cum pientissima solemnitate et interventu frequentissimi populi et fide celebrarentur, cum omnium admiratione et
C stupore sequens contigit prodigium. Erat ibi expositum magnificum simulacrum, seu, ut planius loquamur, statua lignea gloriosissimi B. Joannis de Capistrano, quæ in basi firmata erat vectibus ferreis; una manu imaginem Christi crucifixi, altera vexillum, sanctissimo Jesu Nomine insignitum, sustinebat, ea scilicet forma et modo, quo vivens ad Belgradum christianos contra communem hostem animaverat. Hæc porro statua visa est, nullo opere humano adjuvante, ad alteram partem, id est ab Occidente ad Orientem se vertere, figendo beatam faciem suam versus Hungariam; ac duabus circiter horis in isto situ perstitit, donec, duobus robustissimis vocatis opificibus, magno labore ad pristinum statum reducta fuit. Quo prodigio significatur, quod sicut beatissimus Joannes in vita sua numquam laborare desiit pro Christo, et speciatim præstitit sese indefessum Hungariæ propugnatorem, sic placuit divinæ bonitati hoc portento monstrare, esse hunc Beatum unicum patronum armorum imperii et Poloniæ: quod quidem ad amussim docet experientia, ut patet ex prodigiosa liberatione Vindobonensi, et ex auxilio, mirabiliter Polonis præstito, quando ad Strigonium, summo versantibus in periculo Polonis, Deus, patrocinante Capistrano, succurrit, Turcis nempe sine ulla militari causa turpi fugæ se committentibus.

AUCTORE J. V. H.

portento vindicat

480 Insuper quum nostri recuperarent Barcanum, Turcæ, ponte mirabiliter rupto, partim submersi, partim armis trucidati fuerunt, ut plusquam decem millia perierint. Quæ quidem sufficiunt ad ostendendam Dei misericordiam et continuatam protectionem magni tutelaris Capistrani; quibus tantum honor et gloria. Monachii IV Octobris 1684. Ego Joannes Ren, electoralis consiliarius ecclesiasticus, sacellanus aulæ primarius, nec non apostolica auctoritate insignitus, pro rei veritate seriem scripsi, pluribus spectabilibus juratis ac sufficientibus testimoniis, lingua Alemannica legitime collectis, munitam, legi, subscripsi meoque solito proprio ac publico protonotariatus signo firmavi, die XIII Octobris anno 1684. Locus Sigilli. Ego Joannes Paulus Gazin J. U. D. et imperialis notariatus auctoritate munitus, pro rei veritate seriem præfatam scripsi, pluribus spectabilibus juratis testimoniis munitam, vidi, subscripsi, meoque solito ac publico signo firmavi, die XIII Octobris anno 1684. Locus Sigilli. Ego Joannes Josephus Wigularis, liber baro de et in Weialis, serenissimi electoris Bavariæ camerarius et a consiliis aulicis, testor, hanc relationem de statua B. Joannis de Capistrano esse a communi fama verificatam. Locus Sigilli. *Attamen ipse, qui portentum refert, citatus Hermann, fatetur,* factum nonnullos impugnasse et nunc quoque sentire, potuisse hoc naturaliter contigisse: *ast, inquit,* mei propositi non est discutere facta, sed narrare gesta. *Nobis certe gratissimum esset portentum ad trutinam vocare, indagando exempli causa, an statua ligamentis ferreis basi affixa erat, ut sua quasi sponte, seu levi aliquo motu in transversum volvi non posset. Sed desunt nobis argumentorum elementa.* F

S. Capistranus.

481 *Amandus Hermann refert* (5), *Innocentium XI, hisce et similibus portentis promotum, firmissimam habuisse voluntatem, ut B.* Capistrano *Sanctorum honores solemni ritu deferret: et quia ex decreto Congregationis Rituum, ante ipsam canonizationem ecclesiæ Vaticanæ S. Petri consignari mille scuta romana (circiter fr.* 5,400) *debent, ne ex hac causa* Capistrani *apotheosis languesceret, ipse Pontifex, inspecta familiæ Observantium penuria, ex proprio thesauro necessariam pecuniam supplevit. Apertius etiam suam erga Beatum virum existimationem idem Pontifex declaravit, quando causæ procurator, Joannes Bapt. Barberius, eum rogavit, ut hunc supernæ Jerusalem civem gloriosum, talem etiam coram militanti Ecclesia pronuntiaret, et quia impediente corporis infirmitate, prolixiores sacræ canonizationis ritus perficere non posset, hi, ad exemplum antecessorum suorum, in compendium contraherentur; benigne*

(1) Geschichte Oesterreichs. tom. V, Part. II, pag. 274. — (2) Ibid. pag. 277. — (3) Vit. Ital. pag. 235. — (4) Capistr. triumph. pag. 533. (5) Capistr. triumph. pag. 760.

reposuit

AUCTORE J. V. H.

reposuit venerabilis Pontifex, suam esse maximam animi propensionem, ut tandem cœlitum honores sancto viro solemniter decernerentur; nam, inquit, si major gloria a nostra militante Jerusalem dari posset, hæc ex omnibus capitibus deberetur Joanni Capistrano: *verum canonizationis ritum ad successorem aliquando devolvendum asseruit. Interea Pontifex, qui sæpe et libenter cum promotore fidei de eo negotio tractabat, tenerum erga Beatum ostendebat affectum, et manifestabat, summopere se dolere, quod infirma valetudo perficiendo ritui canonizationis obstaret: ipse vero interea Beati imaginem constanter in interiori cubiculo retinuit et magna coluit pietate.*

§ XLIII. Canonizationis S. Joannis Capistrani, ab Alexandro VIII celebratæ, bullam edit Benedictus XIII; alteraque subnectitur, quæ edita non fuit.

Canonizationis, ab Alexandro VIII factæ,

Innocentio XI, die XII *Augusti* 1689 *defuncto, successit die* VI *Octobris ejusdem anni Alexander VIII, qui canonizationem B.* Joannis de Capistrano *ritu solemni tandem perfecit. Quoniam autem tribus cum medio mensibus solemnitati vix superstes fuit, bullam canonizationis ipse non edidit, quam conficiendam reliquit Benedicto XIII qui anno* 1724, *pridie non. Junias constitutionem dedit, quam ex Codice canonizationum Justi Fontanini* (1) *subnectimus:* Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit et convenit æquitati, ut quæ Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea ob ejusdem Pontificis obitum literæ apostolicæ de his conscriptæ non fuerint, suum tandem consequantur effectum. A largitore omnium bonorum in summo Ecclesiæ fastigio constitutus, felicis recordationis antecessor noster, Alexander Papa VIII,
C pro sua pastorali vigilantia illud unum præ omnibus sibi incumbere animadvertit, ut pro domo Israel speculatoris officium impendens, populos sibi commissos duceret in vias Domini. Hoc autem se præstiturum putavit, si ex ritu et disciplina S. R. E. recognitis et comprobatis eorum virtutibus, qui vitæ sanctimonia cæteris antea præluxerant, pietatis ardorem eo magis in Christi fidelium cordibus accenderet, quo vitam, a viris justis pie actam, in universa Ecclesia luculentius spectandam aperiret. Itaque cum aliis Dei servis, qui moribus vere christianis jamdudum venerandi habebantur, Johannem a Capistrano, Ordinis Fratrum Minorum Beati Francisci, qui a regulari Observantia nuncupantur, multis magnisque virtutibus et signis percelebrem, rite in Sanctorum canonem sibi referendum, existimavit.

bullam edit Benedictus XIII

483 Capistrani, Marsorum oppido, in agro Aquilano, inque episcopatu Sulmonensi, ortus est Johannes anno Christi Domini millesimo trecentesimo octogesimo quinto. In gymnasio Perusino christianis et liberalibus D disciplinis instructus, aliquando rempublicam gessit; sed postea Dei monitu ad sanctius ministerium vocatus in eadem civitate Ordinem Fratrum Minorum B. Francisci, qui a Regulari Observantia nuncupantur, ab se ferventissimis votis expetitum, quamvis repulsus, durisque et publicis quoque experimentis probatus, maxime alacris amplexus est anno Christi Domini millesimo quadringentesimo decimo quarto. In divinis literis magistro usus est Beato Confessore Bernardino Senensi, quem pro sacratissimo Nomine Jesu calumniis traductum, coram piæ memoriæ antecessore nostro Martino Papa V in basilica Beati Petri, principis Apostolorum, strenue defendit, eumdemque ipse et sodalis Jacobus a Marchia per inclytæ recordationis decessorem nostrum, Nicolaum V in Sanctorum Confessorum canonem postea referendum curavit, uterque deinceps in eumdem Sanctorum canonem, et Jacobus quidem a nobis quamprimum, favente Domino, referendus. Johannis doctrinæ, asperrimæ pœnitentiæ et sanctitatis fama in dies crescente, ad multas variasque provin- E cias, Italiam, Germaniam, Sarmatiam, Pannoniam, christianos mores, disciplinamque verbo et scriptis, quæ plurima edidit, instauraturus, ab antecessoribus nostris, Romanis Pontificibus, ablegatur.

in qua Pontifex, compendiose recensita vita,

484 Idem, quem diximus, Martinus V ad compescendam verbo et scriptis Fraticellorum sectam illum cum Jacobo a Marchia inquisitorem instituit; de quibus Johannem, feliciter triumphantem, contra omnes hæreticos generalem inquisitorem creat: Reatinos et finitimos populos, inter se odiis armisque certantes, eloquii suavitate componit. In terris S. R. E. citra Pharum, Johanna II regina flagitante, judaici fœnoris pravam licentiam evellit. Decessorum nostrorum, Martini dormitionem, piæque memoriæ Eugenii IV successionem prædicit, a quo pro magnis Ecclesiæ negotiis ad Insubres, Siculos et alios mittitur. Recusato Aquilano episcopatu, munus prædicandi Euangelium obire non cessat, inque plenario Florentinorum patrum conventu, velut sol quidam fulget; Romæ judæorum synagogæ magi- F strum cum quadraginta sectatoribus ad veritatis professionem reducit. Ut hæreticos in sinum Ecclesiæ et principum animos in concordiam redigat, Friderico III imperatore postulante, in Germaniæ partes a prædicto Nicolao V mittitur.

et enarratis pro Ecclesia laboribus,

485 In Germania, Bohemia, Sarmatia et Pannonia sexennali peregrinatione Hussitis, Adamitis, Taboritis, Ebræisque innumeris, ad christianam veritatem doctrinæ, sanctitatis et miraculorum luce conversis, Dei gloriam mirifice auget. Ægros quamplurimos sanat, mortuos suscitat, multis loquelam restituit. Denique totam christianorum rempublicam periclitantem ab immanissimo Turcarum tyranno defensurus, se pro domo Israel murum opponit, dum piæ memoriæ decessor noster, Calistus Papa III, Johanne potissimum deprecante, christianorum militum, signo crucis illustrium, expeditionem in Turcas, Europæ incubantes, decernit: statimque, Johanne Pannoniam, Transilvaniam, Moldaviam, Va-

(1) Pag. 538.

lachiam

A lachiam instar fulguris pervolante, septuaginta millia christianorum conscribuntur, crucisque vexillum, ipso, parma fidei protecto, præferente, de centum et viginti millibus hostium, toto orbe mirante, victoria reportatur: cujus nuntio, Romam allato, octavo idus Augusti, idem Calistus ejus diei memoriæ solemnia Transfigurationis Christi Domini perpetuo consecravit.

monstrat, diu a multis

486 Johannes, his atque aliis, sempiterna memoria dignissimis, præclare gestis, ex corporis fatigatione lethali morbo contracto, Villacum, Pannoniæ inferioris oppidum in agro Sirmiensi defertur, ubi a Ladislao rege, aliisque viris principibus visitatur, sanctisque Ecclesiæ sacramentis maxima religione susceptis, et multis, quæ superventura erant, prænuntiatis, principes viros, Ladislaum regem, Mathiam Corvinum, aliosque ad tuendam religionem christianam hortatus, vir apostolicus et voluntate Martyr, pie in Domino obiit anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, decimo kalendas
B novembres. Defuncto triduanæ exsequiæ in Pannonia, Germania atque Italia universa persolvuntur. Post obitum æque ac in vita multis magnisque miraculis claruit. Pro eo in Sanctorum canonem referendo ad sedem apostolicam undique scriptum est: ab Italiæ civitatibus, Bononia, Patavio, Tarvisio, Asculo. Fridericus III Augustus et Casimirus, Poloniæ rex, a Pio II, felicis memoriæ antecessore nostro, id postulaverunt: qui quidem Pius, adhuc Æneas Silvius, perinsignium Johannis virtutum locuples testis, eodem Friderico III rogante, illum a Nicolao V in Germaniam mittendum impetraverat. Ad hæc Johannes et Sigismundus, comites palatini ad Rhenum, Rupertus, dux Bavariæ, Albertus marchio Brandeburgicus, Conradus, dux Silesiæ, Petrus, S. R. E. tituli S. Vitalis presbyter cardinalis, Augustanus nuncupatus, in universa Germania apostolicæ sedis legatus, episcopi Misnensis, Eystettensis, aliique, Mathias rex et Elisabetha Pannoniæ regina, plurimæque illarum partium civitates ab apostolica sede idem poposcerunt.

petitam canonizationem:

487 Quare tot tantisque viri Dei præconiis, una voce ad sanctam Romanam Ecclesiam undique allatis et confluentibus, permotus felicis memoriæ antecessor noster, Leo Papa X, per Bernardum, S. R. E. diaconum cardinalem S. Mariæ in Porticu, Bibienam nuncupatum, concessit anno salutis millesimo quingentesimo decimo quinto, ut Johannis piæ dormitionis dies festus perpetuis futuris temporibus a clero sæculari et regulari apud Capistranenses quotannis celebraretur. Postmodum alius decessor noster felicis quoque memoriæ, Gregorius Papa XV Beatorum fastis Johannem adscripsit, inque ejus die natali Officium duplex et sacrosanctum Missæ sacrificium in ejusdem honorem toti Ordini Regularis Observantiæ Beati Francisci et sæculari etiam clero in dicti Ordinis ecclesiis celebrari permisit. Mox sub piæ memoriæ alio antecessore nostro, Urbano VIII, eximiis et multis viri Dei virtutibus et miraculis ad apostolicarum constitutionum ritus et canones in examen vocatis, atque omnium approbatione et præconio receptis, etiam sub felicis memoriæ antecessoribus nostris Romanis Pontificibus, Innocentio X, Alexandro VII et Clemente X, tandem a Sanctæ memoriæ decessore itidem nostro, Innocentio XI, de beato viro in Sanctorum canonem referendo sancitum est, repetitis precibus id etiam postulantibus illustris memoriæ Leopoldo, electo Romanorum imperatore, Carolo II, Hispaniarum rege, et Cosmo III, in Etruria sibi subjecta magno duce.

AUCTORE J. V. H.

per Innocentium XI decretam,

488 Quum autem re infecta, idem Innocentius, jubente Domino, ex hac vita pie migrasset, felicis memoriæ Alexander Papa VIII, eidem suffectus, ex Romanorum Pontificum auctoritate, ritualibus constitutionibus, canonibus et decretis rite servatis, de Johanne Sanctorum canoni adscribendo provide cogitavit. Quare decimo septimo kalendas novembres, anno salutis millesimo sexcentesimo nonagesimo, sui pontificatus secundo, in sacrosanctam Beati Petri, principis Apostolorum, basilicam summa celebritate totius Ecclesiæ Romanæ profectus est: ubi semel, iterum et tertio in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscorum et episcoporum, E
iteratis pro Johanne in Sanctorum canonem referendo ad Deum precibus, unanimi omnium acclamatione et suffragio, post gratiam Paracliti Spiritus summa religione invocatam, idem Alexander VIII auctoritate Domini nostri Jesu Christi et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ad honorem Sanctæ et individuæ Trinitatis, exaltationem fidei catholicæ et christiani nominis amplificationem, Beatum Johannem a Capistrano, Ordinis Fratrum Minorum B. Francisci, a Regulari Observantia nuncupatorum, de cujus virtutum et prodigiorum magnitudine cumulate constiterat, una cum aliis Beatis viris, Laurentio Justiniano, Confessore et pontifice, Johanne a S. Facundo, Johanne de Deo et Paschale Baylon, Confessoribus non pontificibus, Sanctum Confessorem esse decrevit, et definivit, in Sanctorum Confessorum catalogum et canonem retulit, eumdemque imposterum in tota Ecclesia, tamquam vere Sanctum, colendum, invocandum, honorandumque sancivit; ad ejus honorem sacras ædes atque altaria, F
in quibus sacrosanctum Missæ sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari, et quotannis decimo kalendas novembres, quo die vir sanctus obdormivit in Domino, illius memoriam, ut Sancti Confessoris non pontificis, pie recoli posse pronuntiavit.

ab Alexandro VIII consummatam,

489 Mox Deum Patrem æternum, regemque gloriæ Christum Dominum, ejus sempiternum Filium, Sanctumque Paraclitum Spiritum, in trinis personis unum Deum et Dominum, Alexander magna religione veneratus, et peculiari oratione per Johannis Confessoris merita precatus, cum ejus et cæterorum commemoratione ad aram maximam super confessionem B. Petri solemnem Missam celebravit, universis Christi fidelibus, qui aderant tantæ cæremoniæ, plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem largitus. Ne vero de hujusmodi Alexandri Papæ VIII decreto apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, concessione cæterisque præmissis, propterea quod ab eodem aut ab ejus successoribus Innocentio XII, Clemente XI et Innocentio XIII, piæ

AUCTORE J. V. H.

piæ memoriæ Romanis Pontificibus, antecessoribus nostris, de more literæ decretales conscriptæ non fuerint, deinceps umquam possit quomodolibet hæsitari, nos, qui, meritis licet imparibus, disponente Domino, in cathedra B. Petri iisdem successimus, volumus et apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, cæteraque, hactenus recensita, a jam dicto die decimo septimo kalendas novembres anni millesimi sexcentesimi nonagesimi suum undequaque et plenarium consequantur effectum, ac si ab eodem Alexandro Papa VIII literæ decretales revera eadem die conscriptæ et de more promulgatæ fuissent, ut superius enarratur.

nunc solemni ritu

490 Volumus autem, ut præsentes literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, cæteraque præmissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur. Præterea quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ad quæ opus esset, afferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis B impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ, in dignitate ecclesiastica constitutæ, munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contingeret. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo. † Ego Benedictus catholicæ Ecclesiæ episcopus.

cum subscriptionibus Cardin. præsentium promulgari

491 *Sequuntur dein nomina Cardinalium, quæ, omissis crucibus titulorum vacantium et absentium Cardinalium, subnectimus :* † Ego Franciscus, episcopus Prænestinus, Cardinalis Barberinus. † Ego Laurentius, episcopus C Tusculanus, Cardinalis Corsinus. † Ego Joseph, tituli S. Praxedis, presbyter Cardinalis Sacripantes. † Ego Philippus Antonius, tituli S. Cæciliæ, presbyter Cardinalis Gualterius. † Ego Ludovicus, tituli S. Silvestri in capite, presbyter Cardinalis Picus de Mirandula. † Ego Antonius Felix, tituli S. Balbinæ, presbyter Cardinalis Zondadarius. † Ego Petrus Marcellinus, tituli S. Joannis ante Portam Latinam, presbyter Cardinalis Corradinus. † Ego Melchior, tituli S. Mariæ Angelorum, presbyter Cardinalis de Polignac. † Ego Bernardinus, tituli S. Petri in Monte aureo, presbyter Cardinalis Scottus. † Ego Georgius, tituli S. Agnetis, presbyter Cardinalis Spinula. † Ego Ludovicus, tituli S. Priscæ, presbyter Cardinalis Belluga et Moncada. † Ego Joseph, tituli S. Susannæ, presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda. † Ego Joannes Baptista, tituli S. Stephani in Monte Cœlio, presbyter Cardinalis Salernus. † Ego Alvarus, tituli S. Bartholomæi in insula, presbyter Cardinalis Cienfuegos. † Ego Joannes Baptista, tituli S. Matthæi D in Merulana, presbyter Cardinalis de Alteriis. † Ego Vincentius, tituli S. Onuphrii, presbyter Cardinalis Petra. † Ego Prosper, tituli S. Chrysogoni, presbyter Cardinalis Marifuscus. † Ego Nicolaus, tituli S. Mariæ in Domnica, presbyter Cardinalis Coscia. † Ego Benedictus, S. Mariæ in Via lata, diaconus Cardinalis Pamphilius. † Ego Joseph Renatus, S. Georgii in Velabro, diaconus Cardinalis Imperialis. † Ego Laurentius, S. Agathæ ad Montes, diaconus Cardinalis de Alteriis. † Ego Carolus, S. Angeli in Foro piscium, diaconus Cardinalis Columna. † Ego Curtius, S. Eustachii, diaconus Cardinalis Origus. † Ego Fabius, SS. Viti et Modesti, diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius. † Ego Carolus, S. Mariæ de Aquiro, diaconus Cardinalis de Marinis. † Ego Julius, S. Hadriani, diaconus Cardinalis Alberonus. † Ego Alexander, S. Mariæ in Cosmedin, diaconus Cardinalis Albanus. † Ego Nicolaus, S. Mariæ de Rotunda, diaconus Cardinalis Judice. P. Cardinalis prodatarius. F. Oliverius. Visa de Curia J. archiepiscopus Ancyranus. L. Marinettus. Registrata in se- E cretaria Brevium.

Eruditionis gratia

492 *Præter hanc bullam, authentice editam et promulgatam, alteram ad instantiam Ordinis Seraphici conscripserat peculiaris cœtus, jussu Innocentii XII, qui proxime Alexandro VIII successerat, congregatus. Hic porro cœtus ex Cardinalibus Casanata et Colloredo, ac ex prælatis Bottinio, Inghirami et Sacripante coaluerat. Forma ejus multipliciter deviat a bulla Benedicti XIII, superius data; quapropter eamdem, prout legitur apud Amandum Hermann, huc transferendum censuimus* (1), *omissis solum formulis consuetis, quæ in utraque scriptura communia sunt. Est vero tenoris sequentis :* Rationi congruit *etc.* Dudum siquidem felicis recordationis Alexander Papa VIII, prædecessor noster, pia secum meditatione recogitans speciem, decorem Ecclesiæ militantis, cujus structura, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, mira illorum pretiosorum lapidum varietate refulget, quos Pater omnipotens ante mundi constitutionem elegerat conformes fieri imaginis ejusdem Jesu Christi filii sui, ut F esset primogenitus in multis fratribus : indeque simili meditatione pertransiens ad ineffabilem divinæ largitatis abundantiam, quæ ad Ecclesiæ præsentem utilitatem et decorem electis hujusmodi gratiam per Spiritum Sanctum mirabiliter distribuit, data unicuique manifestatione Spiritus. Alii quippe, juxta Apostolum datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum : alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii interpretatio sermonum.

subnectitur altera bulla, quæ probata non fuit :

493 Quumque hæc omnia, ut Apostolus prosequitur, operetur unus et idem Spiritus, dividens singulis, prout vult, magna idem prædecessor exultavit lætitia, sibi ipsi et Ecclesiæ, suo tunc commissæ regimini gratulatus, quando ex legitimis processibus comperiit, affluentia cœlestium charismatum dona collata fuisse fideli Dei servo Joanni a Capi-

(1) Capistr. triumph. pag. 765.

strano,

A strano, qui potens opere, scriptis et sermone, nedum tamquam electus et præfulgidus lapis, eximiarum virtutum et insignium miraculorum splendoribus venustam Ecclesiæ decoravit structuram, sed tamquam civitas munita, columna ferrea et murus æreus, regibus, principibus, sacerdotibus et populo datus apparuit; deplorandisque temporibus provide simul et feliciter oppositus ad pestiferas hæreses reprimendas, perniciosissimum schisma compescendum, excrescentem Turcarum tyrannidem propulsandam, gliscentium vitiorum et dissidiorum vim retundendam, collabentem vitæ et morum disciplinam restaurandam ac caritatem, quæ tunc valde friguerat, roborandam. Tanto igitur viro debitum idem prædecessor ratus humanæ venerationis obsequium, ut illius sapientiam narrarent populi et laudem ejus nuntiaret Ecclesia, eumdem solemnis canonizationis decreto inter sanctos Confessores adscripsit, animo ex tunc revolvens, illius vitam, virtutes et miracula, actionumque seriem summatim exponere, suisque apostolicis literis ad perpetuam rei memoriam corroboB rare. Quod quum ipse, morte præventus, explere nequiverit, nos, qui eidem in onere et honore, inscrutabili æternæ sapientiæ arcano, successimus, hujusmodi narrationem, ex memoratis Actis desumptam, præsentibus nostris literis, in hunc, qui sequitur, modum supplere decrevimus.

in ea quoque recensetur ejus ortus;

494 Capistrani, quod est oppidum regni Neapolitani sub diœcesi Sulmonensi, natus est Dei servus ex catholicis et honestis parentibus, septimo kalendas Julii, anno a partu Virginis millesimo trecentesimo octogesimo quinto, ablutusque fuit aqua baptismatis, et procedente tempore sacramento chrismatis confirmatus. Indolem, ad magna properantem, sortitus fuit, et ab ineunte ætate specimen futuræ sanctitatis ostendit. Nondum literas didicerat, et morum magister factus, viduæ matri, ut, spretis secundis nuptiis, Deo magis addicta esset, continentiam suasit. Pie educatus, et in ecclesiarum frequentatione, Sanctorumque veneratione assiduus, eam vivendi rationem assumpsit, ut singularem in ea C ætate pietatem et prudentiam præ se ferret. Docili itidem ingenio, et præstanti memoria præditus, liberalium artium studiis feliciter emensis, canonici et civilis juris prudentiæ sedulam operam in Perusina universitate navavit, in qua meruit doctoratus laurea insigniri. A studiis, quibus coætaneos omnes facile superaverat, ad magistratus et præfecturas evocatus, justitiam cum pietate, severitatem cum clementia, jurisdictionem cum moderatione tali copulavit harmonia, ut populorum, quorum præfuit regimini, justus judex et amans pater insimul effectus, eorumdem et Ladislai, utriusque Siciliæ regis, præcipuum amorem, summamque existimationem sibi conciliaverit.

vocatio ad Ordinem Seraphicum;

495 Verum æterna sapientia et lux vera, quæ illuminat omnem hominem, nolens, virum hunc, sublimi prædestinatum ministerio, negotiis et officiis sæcularibus diutius detineri, super servum suum, ad tenebras humanarum vicissitudinum et calamitatum reflectentem, præfulgido lumine suæ claritatis infulsit, eumque, uberi gratiæ suæ dono præventum, ad perfectam et apostolicam vivendi normam mirabili quodam et speciali modo evocavit, ut tamquam lucerna, igne divinæ caritatis accensa, et super excelsum Ecclesiæ candelabrum collocata, tenebras infidelitatis et vitiorum expelleret, ac radios catholicæ veritatis et eximiæ sanctitatis longe lateque diffunderet. Ab ipso hujusmodi vocationis initio evidenter apparuit, quod gratia Dei erga eum vacua non fuit : ut cum Apostolis dicere valeret : « Ecce relinquimus omnia; » dominicum illud consilium secutus : « Vade, vende, quæ habes et da pauperibus, » ut sic justitia ejus maneret in sæculum sæculi. Gnarus autem non sufficere, quod cuncta reliquisset, nisi etiam Dominum sequeretur, quod proprie Apostolorum est atque credentium, sibi optimam partem vitæ regularis inter Fratres S. Francisci Minores, de Observantia nuncupatos, elegit.

AUCTORE J. V. H.

publica humilitatis

496 Cupiens vero excelsam fabricam virtutum in religiosa vita construere, de fundamento prius cogitavit humilitatis, cujus studio ostentui haberi volens Perusiæ, ut, ubi E magno honore præfulserat, majori irrideretur contemptu, circuivit civitatem veste pannosus et lacer, crine impexus et sordidus, aspectu humilis et verecundus, factusque undique ad imitationem stultitiæ asello insidens, gestansque galericulum papyraceum, in quo sua peccata descripserat : omnium, qui illum in gradu dignitatis prænoverant, vel admirationem vel irrisionem excitavit. Vere tamen sapiens ad Deum, et inter ejus filios computatus, quando apud homines haberi voluit in derisum et in similitudinem improperii. Sic in spiritu humilitatis et in animo contrito veterem hominem exspolians, renovavit spiritum mentis suæ, induitque novum hominem, novumque habitum dictorum Fratrum Minorum, quorum religiosæ familiæ, trigesimum ætatis suæ annum agens, nomen dedit in conventu S. Francisci de Observantia ejusdem civitatis, ac, anno probationis expleto, non sine sui et confratrum ingenti gaudio professionem emisit, sacris deinde ordinibus initiatus. Haustu novæ dulcedinis superfusus, exinde amarum eo magis censuit, quidquid calix aureus Baby- F lonis propinat; divinoque inebriatus amore, totus impulsu mentis ferebatur in Deum, ejusque honorem zelatus, æmulabatur charismata meliora, quibus pergens de virtute in virtutem, religiosæ perfectionis metam attigit, et tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, uberes et egregios virtutum suarum fructus jugiter dedit tempore suo.

professio;

497 Inchoatum enim in sæculari statu humilitatis exercitium ardentius prosequens, in regulari B. Francisci disciplina, super hujus virtutis basi principaliter innixa, in abjectissimis religionis officiis se exercebat, humanas laudes fugiebat, nihil magis quam sui contemptum desiderans : opera autem, quorum plausus impedire non poterat, divinæ tribuebat majestati, ingeminans cum Propheta : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Et, « Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. » Vel cum Apostolo : « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, tamquam

AUCTORE J. V. H.

quam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. » Hinc procedebant sui ipsius, uti magni peccatoris, vilipendium, præclara erga proximum mansuetudo, summa erga Ecclesiæ prælatos reverentia ac mirabilis honorum et dignitatum contemptus, et tunc maxime, quando Aquilanam et Reatinam infulas recusavit. Carnem ne exsurgeret in spiritum, jugi abstinentia et austera afflictatione cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigens, semel in die modico tantum pane et aqua, quandoque autem vino admodum diluto, reficiebatur. Humi super nudas tabulas brevem carpebat somnum, reliqua nocte in studiis et orationibus traducta. Nudis pedibus semper incessit, calepodiis in senecta tantum assumptis. Rudi itidem veste, frequentibus et incommodis itineribus, incessantibus laboribus, dirisque flagellationibus, ciliciis, aliisque macerationibus corpus suum ita castigavit, et in servitutem redegit, ut in illo, ad ossa, nervos et pellem exsiccato et exinanito, carnalis concupiscentiæ ardor accendi numquam potuerit;
B sed de hoste domestico, districtæ mortificationis nexibus alligato, semper spiritus triumphaverit. Qui autem carnem suam ita subegerat, spiritum quoque suavi regularis obedientiæ jugo suppositum semper servavit : in cujus comprobationem illud unum narrasse sufficiat, quod ut ei, qui sibi præerat, pareret, pannum ex aqua bulliente manibus incunctanter extraxit, nullam tamen passus læsionem, ut exinde appareret præclaræ obedientiæ virtutis simul exemplum et retributio.

pietas et caritas;

498 Istis munitus præsidiis, viam justorum sine offensione cucurrit, legibusque honestatis, modestiæ et pietatis semper servatis, nihil in ejus verbis aut gestis apparebat, quod pietatem et ædificationem non redoleret; quin in cunctis morum suavitate et maturitate compositus, ac sanctitatem spirans, conversantium et audientium, imo dumtaxat respicientium animos ad amorem virtutis et pœnitentiam usque ad lacrymas attrahebat. Caritatis amore succensus, licet corpore detineretur in terra, animo versari videbatur in cœlo : hinc intimus cordis affectus, quo effun-
C debatur in preces, et rapido mentis excessus, quo ferebatur in Deum, in divinarum rerum fideique mysteriorum, præsertim vero Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Mortis, Resurrectionis et Ascensionis Domini nostri Jesu Christi meditatione defixus : hinc fervidus amoris ardor, quo suaviter rapiebatur in Deum, quum sacrosanctum Missæ sacrificium perageret, vel ineffabile Eucharistiæ Sacramentum aliis ministraret : hinc erga Beatissimam Virginem, cujus fuit visione recreatus, eximia devotio et veneratio : hinc Dei cultus, plurimis ecclesiis et cœnobiis, Joannis opera constructis, mirabiliter adauctus : hinc, aliis omissis, desiderium, quo flagrabat, pro Christo Domino ejusque fide subeundi martyrium. Simili in proximum caritatis impulsu omnibus omnia factus, nulla prætermisit hujusmodi dilectionis officia, ut animarum et corporum saluti et solatio itendidem prospiceret. Nam præter animarum conversiones, et uberes euangelicæ prædicationis fructus, inferius relatos, intellexit super egenos et pauperes, quos cibo, potu, vestitu et hospitio recipiendos curavit. Fuerunt ei in præcipuis deliciis D
spiritualia simul et corporalia præstita ægrotis servitia, eorumdem quoque commodo nonnullis, ipso adnitente, erectis et ampliatis xenodochiis. Dissidentibus pace, carcere detentis libertate, defunctis suffragio, ac cunctis ope orationum, lacrymarum, afflictationum, aliorumque piorum operum, quæ pro animarum salute jugiter Deo offerebat, præsto fuit.

pro canonizando S. Bernardino labores;

499 Cæterum qui omnes in visceribus gerebat caritatis, parem quoque gratiam rependit S. Bernardino Senensi, suo magistro et socio, cui viventi, sicut in omni officiorum genere fuit obedientissimus et obsequentissimus, ita eidem defuncto non sine magnis laboribus solemnis canonizationis honorem procuravit; illiusque spiritum vel similem, uti dignus discipulus, fuit imitatus, vel etiam duplicem, quasi alter Elias, assecutus. Servum quoque suum fidelem et apprime prudentem, constitutum fuisse a Domino super familiam suam, plura, etiam vicarii generalis, officia, in Religione præfatorum Fratrum Minorum ab eo laudabiliter acta, comprobarunt : illius- E
que singularem rerum gerendarum prudentiam, prosperosque in Domino exinde perceptos fructus, bene etiam norunt illorum temporum imperator, reges et principes, quoties illius operam et consilium adhibuerunt; tum Romani Pontifices, prædecessores nostri, quoties eidem ardua inquisitoris, visitatoris, reformatoris, commissarii et nuntii apostolici munera cum amplissimis facultatibus delegarunt. Nec minor fuit illius sapientia, et omnigena, præsertim vero sacra, ejus eruditio, quam ejus conciones, disputationes et opera jugiter demonstrant, et plurima tum in sæculo tum in Religione editorum ab ipso librorum monumenta abunde testantur.

animarum zelus

500 Præ cæteris autem peculiari omnipotentis Dei providentia difficillimis illis temporibus Beatus iste datus non obscure dignoscitur, ut, spiritu apostolico ductus, cathedras pestilentiæ dissiparet, nimis excrescentem et ad longe majora properantem Turcarum tyrannidem retunderet, catholicam religionem propagaret et mores, malitia temporum depravatos, emendaret. Dissipavit enim nefa- F
riam sectam hæreticorum, Fratricellorum nuncupatorum, quæ pestiferum virus evomens, simplices animas suis tendiculis et palliatis coloribus, sub prætextu simulatæ sanctitatis, illaqueando decipiebat : illamque iterum atque iterum repullulantem seu excrescentem profligavit. Perfidiam quoque Hebræorum compescuit, quando a piæ memoriæ Martino V, Eugenio IV et Nicolao V, prædecessoribus nostris, hæreticæ pravitatis inquisitor constitutus et confirmatus, in eos, ex præfatis hæreticis et Hebræis vel relapsos vel Christi leges et Romanorum Pontificum decreta perperam contemnentes, quos magna caritate in horreum Sanctæ Ecclesiæ congregare non potuit, simili justitia et zelo animadvertit. Hujusmodi pariter et aliorum hæreticorum, schismaticorum et saracenorum, non in Italia solum, sed in Germania et adjacentibus regionibus oppugnator acerrimus, et contra eos pariter apostolica auctoritate inquisitor, nihil reliquit intactum, ut quos sinu excipere non valuerat caritatis, opere, scriptis

AUCTORE J. V. H.

A ptis et sermone expugnaret, eorumque falsa dogmata confutaret. Quando autem iidem disputationis certamen adoriri sunt ausi, seu effugere non valuerunt; seu mira Joannis virtute et pari illorum confusione convicti fuerunt, non valentes resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur per os ejus. Nec minus sedulam et salubrem operam reprimendo schismati eorum, qui Basileæ post translationem et dissolutionem Basileensis concilii, a memorato Eugenio prædecessore factam, sub nomine generalis concilii remanserant, Dei servus contulit, et tunc præcipue quum Burgundiæ duci, ad quem fuerat a præfato Eugenio prædecessore ablegatus, feliciter suasit, ne pseudo-pontificis Amadei, sed ejusdem Eugenii veri Pontificis partibus adhæreret.

præsertim in Hungaria,

501 More etiam Sanctorum, qui, teste Apostolo, per fidem fortes facti sunt in bello, et castra verterunt exterorum, pauper hic et inermis religiosus ac senex, verumtamen indutus loricam fidei, et vexillo crucis armatus, Turcas, fidelium cervicibus insultantes, et ex-
B trema christianæ reipublicæ minantes, profligavit, præliando prælium Domini, qui per fidelem servum suum in eosdem Turcas effudit iram suam. Quum enim ingenio ferox ac Byzantii expugnatione, imperiique Orientalis adjectione insolenter elatus Mahometes, Turcarum tyrannus, Pannoniam animo devoraret, et quidquid christiani nominis esset, absumptum iri minaretur, tumido huic et alioquin irreparabili torrenti refrenando æterna Dei providentia datus occurrit humilis ejus servus, qui gloriari renuens, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, sub ejusdem crucis vexillo, quod a recolendæ memoriæ Calixto III, etiam prædecessore nostro, per manus apostolici legati receperat, plurimos cruce signatos tum concionibus, tum literis, tum etiam nuntiis collegit. Licet autem horum aliorumque militum numerus innumerabili et victori præfati Mahometis, cujus etiam præsentia urgebat, exercitui longe impar exsisteret, Johannes tamen, ubique impulsor, hortator, antesignanus et ductor, in vivam spem sub præsidio Domini exercituum et vexillo crucis erectus,
C non formidavit a facie Turcarum, in sua feritate confidentium. Obsidetur Alba Græca, pugnæ acriter pugnantur, impressiones fiunt, aggressiones, eruptiones, impetus : sed Capistrani consiliis, vocibus et precibus substentata res est, soluta obsidio, fugatus hostis, parta victoria, et per solam Albæ Græcæ liberationem trepidationi, discrimini et excidio exempta christiana respublica universa.

et in reformando Ordine regulari;

502 Simili zelo fidei propagationis accensus, Italia, Germania, Polonia, Russia, Hungaria, Transylvania, Valachia et Moldavia, magno labore parique fructu peragratis, fidelis Dei servus innumerabiles schismaticos et quam plurium sectarum hæreticos, Hebræumque synagogæ magistrum, publica disputatione hic in Urbe convictum, cum multis ejusdem perfidiæ asseclis ad lucem, quæ Christus est, ejusque orthodoxam fidem sub Sanctæ Matris Ecclesiæ unitate mira facilitate et felicitate, gratia Sancti Spiritus operante, convertit. Emendandis denique et reformandis moribus, malitia temporum depravatis, sua præcipua studia attente convertens, agrum dominicum, vepribus abundantem et quasi silvescentem, salubriter expurgavit, ac caritatis instauratione ad bonam frugem reduxit. Vitæ enim regularis censuram, in Ordine Minorum relaxatam, restituit, ac restitutam sartam tectamque fortiter suaviterque servavit : monasterium monialium S. Gulielmi Ordinis S. Claræ extra muros Ferrariæ, moribus deformatum, ne ejus relaxatio ibidem mox celebrandi concilii oculos offenderet, ad pristinam revocavit disciplinam; Judæorum usuras, illorumque cum christianis commercia et convictus compescuit; vestitus, ludos et muliebres vanitates abegit, illorumque instrumenta, populis ea ultro in ignem projicientibus, non semel publice concremata conspexit : perniciosis dissidiis evulsis, mutuam invexit caritatem : gliscentibus vitiis virtutes, nequitiæ pietatem, infidelitati Dei cultum et Nominis Jesu venerationem cum ingenti animarum lucro et profectu subrogavit.

tandem omnium laudibus clarus,

503 Et quoniam qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum, talis profecto dici debet Johannes, qui semina bonæ operationis præmittens, uberes fructus E spatio quadraginta annorum peractæ prædicationis collegit. Ejus sermo efficax, et quasi facula ardens pertinaces animos confudit, duros emollivit, devios reduxit, rudes erudivit, dubios confirmavit, tepidos accendit, bonos perfecit. Parvuli petierunt panem, nec defuit, qui frangeret eis. Civitates, provinciæ, populi, imperator, reges et principes Dei servum euangelizantem certatim ad sese invitabant, qui ut innumerabili audientium multitudini satisfaceret, non in ecclesiis solum, sed quam pluries in plateis campisque apertis munus prædicationis astringebatur obire. Multifariam itaque mirificavit Dominus etiam viventem Sanctum suum, ut qui insignium virtutum et meritorum excellentia præfulserat, miraculorum quoque nitore et particulari prophetiæ dono claresceret : adeoque invaluit hujusmodi sanctitatis, virtutum, charismatum et miraculorum constans et communis opinio, ut memorati prædecessores nostri præter illius operam, in arduis salubriter adhibitam, in pluribus eorum literis condi- F gnam et honorificam ejusdem mentionem peregerint : itidemque claræ memoriæ Fridericus III imperator, Casimirus, Poloniæ rex, S. R. E. Cardinales, antistites, principes et magnates, quanto Dei servum venerarentur honore et devotione, verbo, scriptis et opere quam pluries propalaverint; populi quoque, ut illum tamquam Apostolum viderent, audirent, colerent et ab ipso sanarentur, undique confluxerint, eique etiam processionibus, aliisque plausibus et honoribus obviam iverint.

obit Villaci :

504 Tandem vitæ hujus curriculo feliciter emenso, advenit acceptabile tempus, quo B. Johannes, qui ad Deum fortem, vivum diu sitiverat, veniret et appareret ante faciem ejusdem, post gloriosa certamina coronam justitiæ recepturus : diuturna enim febre correptus, de proxima obdormitione certior efficitur, et ad extrema redactus, Ecclesiæ sacramentis intima et præclara devotione munitus, mentis semper compos, suaviter obdormivit in Domino Villaci in Carinthia * , die vigesima

* *imo* Hungaria

AUCTORE J. V. H.

tertia Octobris, anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Hujusmodi morte vulgata, ingens populi multitudo confluxit, ac septemdialibus exsequiis, peculiari solemnitate et maxima confluentium devotione celebratis, cadaver capsa ferrea, quinque clavibus munita, reconditum, in claustro Beatissimæ Virginis Mariæ apud Fratres Minores tumulatum fuit, quod abinde annis molle ac tractabile repertum fuit. Fama præfatæ sanctitatis et populorum devotione percrebrescentibus, felicis recordationis Leo Papa X, similiter prædecessor noster, ut festum B. Joannis in oppido et territorio Capistrani, die vigesima tertia Octobris ab omnibus celebrari posset, indulsit, et hujusmodi indultum ejusdem recordationis Gregorius Papa XV, etiam prædecessor noster, de S. R. E. Cardinalium, sacris Ritibus præpositorum, consilio ad omnes tam Fratres quam moniales totius Ordinis S. Francisci, quoad Officium de Communi Confessorum non pontificum prædicta die recitandum, quo vero ad Missam etiam ad sæculares quoscumqne, in ecclesiis
B dictorum Fratrum celebrantes, per suas in forma Brevis die decima Decembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo desuper expeditas litteras, apostolica auctoritate perpetuo extendit et ampliavit.

variisque processibus institutis,

505 Annuente postmodum similis recordationis Urbano Papa VIII, pariter prædecessore nostro, præter antiquiora documenta, alii processus, super fama virtutum et miraculorum servi Dei tam in curia Romana quam in diœcesi Sulmonensi apostolica auctoritate confecti fuere anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, quibus per tres causarum palatii apostolici auditores, nimirum Joan. Baptistam Covinum, Philippum Pirovenum et Alphonsum Manzanedum accurate recognitis et discussis, fuit per eosdem compilata et eidem prædecessori facta de iis, quæ in dictis processibus continebantur, distincta et opportuna relatio. Promulgatis interim notoriis ejusdem Urbani prædecessoris decretis, prævia particulari commissione, manu recolendæ memoriæ Innocentii X etiam prædecessoris signata, in Congregatione dicta sacris
C Ritibus præpositorum Cardinalium habita die undecima Maji anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo causa hujus canonizationis reassumpta fuit in statu et terminis, in quibus illa reperiebatur. Quæ sane congregatio postquam sub die septima Septembris anno millesimo sexcentesimo sexagesimo responderet, posse ad ulteriora procedi, et sub die decima septima Januarii anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio constare de validitate dictorum processuum, die vigesima septima Septembris ejusdem anni coram similis memoriæ Alexandro Papa VII etiam prædecessore nostro, auditis consultoribus, censuit, constare de virtutibus tam theologalibus quam cardinalibus, et posse ad ulteriora procedi.

probantur miracula;

506 Remanebat itaque miraculorum, ad intercessionem servi Dei patratorum, approbatio, quorum in ejus vita et post mortem publica quidem et celeberrima fama, multipliciter suffulta invaluerat, sed desiderata eorumdum majori et legitima probatione, bini iterum, pariterque Romanus et Sulmonensis, simili D auctoritate apostolica confecti fuerunt processus: disputatoque dubio die vigesima secunda Junii anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, « an constaret de validitate hujusmodi novorum processuum et de relevantia quoad sex miracula, in eis deducta; » præfati S. R. E. Cardinales, iisdem sacris Ritibus præpositi, auditis prius consultoribus, censuerunt, constare de duobus ex dictis miraculis: quinto nimirum in personam Ignatii Bracci de Setia, a faucibus mortis illico liberati; et sexto in personam Bernardini Michaelis ex oppido Cervariæ, per octo menses corpore impediti et viribus destituti, ope dicti B. Joannis ad pristinam sanitatem restituti, si piæ memoriæ Clementi Papæ X, similiter prædecessori nostro, placuisset. Qui die septima Julii ejusdem anni, audita relatione dilectorum filiorum, promotoris fidei et secretarii præfatæ congregationis, hujusmodi sensum ejusdem Congregationis approbavit et confirmavit.

et canonizatio decernitur,

507 Expletis tandem omnibus, quæ in hujusmodi Beatorum causis exigunt præfata dicti Urbani prædecessoris decreta, factaque causæ hujusmodi relatione per venerabilem fratrem nostrum Paulutium, nunc episcopum Sabinensem, tunc vero basilicæ XII Apostolorum presbyterum cardinalem, de Alteriis nuncupatum, in congregatione generali, coram sanctæ memoriæ Innocentio Papa XI, etiam prædecessore nostro, cum interventu consultorum habita die vigesima Decembris anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo, et proposito tunc dubio; « An stantibus supra narratis, posset ad ejusdem B. Joannis canonizationem tuto solemniter quandocumque et ad expeditionem decreti finalis procedi; » auditoque prius in voce et scriptis prædicto fidei promotore et re mature discussa, tam consultores quam Cardinales præfati unanimi voto censuerunt, eumdem Innocentium prædecessorem, quandocumque sibi libuisset, tuto posse ad solemnem dicti Beati canonizationem, juxta præfata S. R. E. ritum et sacrorum canonum instituta devenire, eumque definire Sanctum, cum Deo F regnantem, atque universali Ecclesiæ proponere colendum et venerandum. Quum vero idem Innocentius prædecessor, rei gravitate exposcente, divinam voluntatem explorare decrevisset precibus et suffragiis, iis propterea peractis, iterumque præfatis promotore et secretario auditis, die decima tertia Junii anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo nono memoratum ejusdem congregationis sensum confirmavit et approbavit, quum ultimum et finale decretum solemnis canonizationis hujusmodi expediri mandavit.

cujus ritum solemnem Alexander VIII,

508 Interea præfato Innocentio prædecessore viam universæ carnis ingresso, ultima manu huic cononizationis negotio nondum admota, quum post plurimas et enixas preces, anteacto et præsenti hoc sæculo Sanctæ Sedi porrectas a pluribus regibus, antistitibus, principibus et magnatibus, aliæ similes preces a carissimo in Christo filio nostro Leopoldo, Romanorum rege in imperatorem electo, et a dilecto filio nobili viro Cosmo III, Etruriæ sibi subjectæ magno duce, nec non ab Ordine

A Ordine S. Francisci D. Alexandro VIII, prædicti Innocentii successori, nostro prædecessori, porrectæ fuissent, ac subinde venerabilis frater noster, tunc suus, Alderanus, episcopus Ostiensis dictæ S. R. E. Cardinalis, Cybo nuncupatus, præfatæ congregationis præfectus, in consistorio ipsius Alexandri prædecessoris secreto, habito die vigesima tertia Augusti anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo summam processus, suamque et aliorum collegarum suorum dictæ S. R. E. cardinalium, eisdem sacris Ritibus præpositorum, sententiam exposuisset, cæterique in eodem consistorio præsentes Cardinales ei unanimi suffragio adhæsissent, et postea in alio publico consistorio, coacto die quinta Septembris ejusdem anni, quo præter Cardinales præfatos, etiam patriarchæ, archiepiscopi et episcopi, in Urbe commorantes, et dilecti filii Romanæ curiæ prælati, ipsiusque Alexandri prædecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius Urbanus Spretus, nostræ, tunc suæ, consistorialis aulæ advocatus, de vita, virtutibus et miraculis dicti
B B. Joannis de Capistrano verba fecisset, et nomine præfatorum Romanorum regis, in imperatorem electi, magni sibi subjectæ Etruriæ ducis et Ordinis S. Francisci supplices deprecationes pro ejusdem canonizatione detulisset; idem Alexander prædecessor grates aures humillimis hujusmodi precibus præbuit, quibus supremus in Ecclesia Dei canonizationis honor decerni optabatur eidem Beato Joanni, quem sicut noverat heroicis insignitum virtutibus et in arduo hoc mortalis vitæ agone eximias de se ipso adversus potestatem tenebrarum victorias reportasse, ita dignum, ut ad populorum imitationem et normam, coronam perfecti decoris jure merito reciperet in terris.

invocato Spiritu S. et requisito consilio

509 Quia vero tantum judicium proferri rite nequibat, nisi prius ejus invocaretur auxilium, qui est rex gloriæ et una cum Sanctis et electis suis in æternum regnat in cœlis, omnes idcirco et singulos fideles idem Alexander prædecessor tunc fuit hortatus impense, ut orationibus, jejuniis, eleemosynis,
C aliisque pietatis christianæ operibus a sole, qui numquam occidit, inaccessæ lucis radios suppliciter illi implorare contenderent, quo discussis humanæ intelligentiæ latebris, scrutari et adimplere valeret divinum beneplacitum. Quin imo ad rem tanti momenti accuratissime decernendam, eorumdem venerabilium fratrum suorum dictæ S. R. E. cardinalium, necnon patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, tunc in Urbe commorantium, sententias in alio consistorio semipublico se exquisiturum esse præmonuit. Congregato igitur die vigesima quinta dicti mensis Septembris eodem semipublico consistorio, ad hunc effectum indicto, præsentibus etiam nostris, tunc suis, et sedis apostolicæ notariis, necnon palatii apostolici auditoribus, memorati Cardinales, patriarchæ, archiepiscopi et episcopi in unam eamdemque sententiam convenientes, ad solemnem B. Joannis de Capistrano canonizationem procedi posse, suffragiis existimarunt.

510 Quorum unanimi consensu audito, quum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, præfatæ S. R. E. antiqua consuetudine, ac memoratorum dicti Urbani prædecessoris decretorum præscripto, agenda et observanda erant, idem Alexander prædecessor decimo septimo kalendas Novembris anno mox elapso millesimo sexcentesimo nonagesimo, pontificatus sui secundo, in sacrosancta B. Petri, Apostolorum principis basilica, quo solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, prædictæ S. R. E. Cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis dictæ Romanæ curiæ prælatis, officialibus et familiaribus suis, clero sæculari et regulari et maxima populi frequentia mane convenerat, iteratis primo, secundo et tertio pro canonizationis decreto petitionibus per dilectum filium nostrum, tunc suum, Petrum, S. Laurentii in Damaso diaconum cardinalem, Otthobonum nuncupatum, nomine præfati Leopoldi, Romanorum regis, in imperatorem electi, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces et post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam, ad honorem sanctissimæ et individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ et christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac sua, matura deliberatione præhabita et divina ope sæpius implorata, nec non de præfatorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, tunc in Urbe exsistentium consilio, B. Joannem de Capistrano una cum BB. Laurentio Justiniano, Joanne a S. Facundo, Joanne de Deo ac Paschale Baylon, Sanctum esse decrevit et definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens ab universali Ecclesia quolibet anno die vigesima tertia Octobris, qua idem B. Joannes de Capistrano obdormivit in Domino, memoriam ipsius inter Sanctos Confessores non pontifices pia devotione recoli debere in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. *Quæ sequuntur, sunt clausulæ ordinariæ.*

AUCTORE J. V. H. *perfecit.*

E

F

§ XLIV. De titulo Apostoli, S. Joanni Capistrano quæsito.

Joan. Baptista Barberius,

Joannes Baptista Barberius, non contentus canonizationis honoribus, patrono suo S. Joanni Capistrano *delatis, tentavit porro, eumdem novo titulo condecorare, quatenus decreto apostolico etiam Apostolus appellaretur. Quam in rem libellum supplicem Innocentio XII obtulit. Libellum eo lubentius, huc transferimus, quod simul exhibeat omnium a* Joanne *gestorum* ἀνακεφαλαίωσιν. *Est autem tenoris sequentis* (1): Beatissime Pater, expositio merito facta anno elapso gloriosissimi Joannis a Capistrano ad cultum universalem cum tantum suspirata et applausa canonizatione, causavit jubilum et devotionem talem in cordibus fidelium absque exceptione gradus, conditionis et sexus, ut non desistendo eum acclamare novum Apostolum veri Dei,

(1) Capistr. triumph. pag. 775.

supplicetur

AUCTORE J. V. H.

supplicetur eamdem ob causam humiliter vestræ Sanctitati, ad concedendum illi titulum « Apostoli Europæ, » eo magis, quod talis prærogativa justissime ei competat ob sequentes irrefragabiles rationes.

ab Innocentio XII

512 Quod ejus prodigiosa vita sit vere et realiter compositum excellentissimorum miraculorum et mirabilium magnalium, quæ mediantibus suis Sanctis Apostolis operata fuit in terris Omnipotentia divina; quod aperte testatur inter alios scriptores classicos Flavius Blondus in regione XII Italiæ illustratæ sequenti tenore : « Capistranum, oppidum Apuliæ, viro nunc ornatur celeberrimo, Joanne Capistraneo, Seraphici Ordinis, quem decorat alumno, miraculis et quidem frequentibus, quod post Apostolorum tempora rarum ac prope inauditum fuit, in vita coruscante. » Et discurrendo S. Augustinus supra potestatem, datam ab Altissimo suis Apostolis, dixit ex sua profundissima scientia : « Dedit Dominus potestatem Apostolis super naturam, ut eam curarent, super dæmones, ut eos everterent, super elementa, ut ipsa immutarent, et super mortem, ut eam contemnerent. » Iisdem prærogativis et donis fuit in superlativo gradu dotatus Capistranus, ita ut si tractetur de excedentibus vires cunctas humanæ naturæ, vel ejus defectibus, cum ipsiusmet admiratione abunde suppletis, ab effectibus mirabilibus ipsius infinitorum miraculorum potest et debet quisque contentari, quum præscindendo ab innumerabilibus cæcis, mutis, surdis et claudis restitutis, triginta et plures mortuos secundum approbatam relationem Matthæi Raderi revocaverit ad novam vitam : « Illud addam : expressum legi numerum de curatis partim mortuis et partim morituris, ex illis ad officia vitæ revocatos supra triginta; ex his aures apertas surdis tercentum septuaginta, ora mutis triginta sex, oculos centum viginti tribus, vitia pedum vel articulorum correcta, seu tristi podagra seu cruciabili chiragra seu turpi claudicatione laborarent, nongentos viginti, aliorum morborum numerum nullum iniri posse. »

B

petit, ut, perpensis vitæ serie,

513 Imo præterquam quod resuscitaverit unam quatriduanam, fecit insuper lingua soluta et belle articulata voce loqui lactentem infantulum duorum mensium, ut Joannes Regularis discurrendo in Chronicis Belgicis sub anno 1452 de similibus et aliis miraculis perceptis generose dicere potuerit : « Reliquiis, quas secum detulit, singulorum capita tangens, plurimos infirmorum sanavit, quacumque infirmitate detineretur:... Quæ omnia Erfordiæ, in Nurnberg et Hall prosecuti, fieri conspeximus et mirati sumus; quia numquam talia in libris sanctis legimus. » Si agitur de prædominio absoluto super iniquum serpentem, non solum liberavit quemcumque obsessum, esto quam crudeliter fuisset vexatus; sed præcipiendo quoque in fervore spiritus omnibus spiritibus tartareis ascendere et adorare dignissimum Nomen Jesu, ecce in ictu oculi ad conspectum centum et viginti millium personarum subito sunt illud exsecuti conformiter ad explicationem Waddingi in suis Annalibus (1) : « Aquilæ in Vestinis dignis efferebat laudibus Jesu sanctissimum Nomen Capistranus Angelis celebrandum, hominibus venerandum et dæmonibus tremendum. Utque centum viginti millium hominum cœtus videret, quam potens et efficax esset contra malignos spiritus, in virtute prædicti Nominis præcepit, ut adessent, et coram omnibus divinum verbum, in tabella depictum, adorarent. Ecce in ictu oculi variis formis bestiarum apparuerunt frementes et ululantes dæmones innumeri, inclinataque cervice facta reverentia, evanuerunt. »

D

rebus gestis præclaris,

514 Quantum concernit obedientiam exhibitam sibi ab elementis, ultra quod sua potenti dextra in instanti pluribus vicibus disperserit nubes et tempestuosas procellas sedaverit, fecit quoque hic novus Moyses decrescere aquas profundissimas fluminis Siliani, trajiciendo eumdem passu libero et veloci, comitantibus duodecim sociis et jumento, libris onerato; hæc sunt verba præcisa inter reliquos supranominati Waddingi (2) : « Profundum transiturus fluvium Silianum prope Tarvisium, quum inhumanus portitor absque naulo trajicere nollet, paululum a sociorum conspectu se substraxit oraturus; dein S. Bernardini habitum, sacculo eductum, super aquas extendit. Res mira! statim aquæ minui et vada præbere cœperunt, ita ut vix medium tibiæ attigerint, positisque in opposita parte Capistrano, sociis et asino, qui sarcinulas ferebat, ad pristinam mensuram in altum creverunt. Circa contemptum propriæ vitæ, mortisque periculum ob omnimodam gloriam Creatoris ita anhelabat martyrium Capistranus, quod nihil timendo venena, insidias, insultus, his omnibus expositam tenuit illam quadraginta annorum et mensium curriculo, omni momento citra respectum humanum pro defensione sanctæ fidei et fidei Christi propagatione; in cujus contestationem veritatis in hæc verba prorupit in una sua litera Calixtus III : « Te invictum Dei præconem, et jam in vita fere Martyrem in Domino deprecamur. » Et ponderans matura cum consideratione B. Jacobus de Marchia quam maxime arduos conatus et imminentia discrimina, quibus semper magnus reparator Joannes subjectus exsistebat, minime potuit se continere, quin ei compatiendo scripserit : « Martyr ante tempus, gratia Domini nostri Jesu Christi et pax in te multiplicetur..... labores multos et angustias plurimas te ferre non dubito : compatior equidem senectuti tuæ, annis multis sub multorum annorum jugo supositæ.

E

F

tum pro suo Ordine,
* *adde* Apostoli

515 Quum igitur significatum seu etymologica definitio * aliud non sit, quam nuntius et legatus summi Dei, ex omni capite S. Joannes Capistranus legatus et nuntius est intitulandus; quum quasi alter Saulus, specialiter irradiantibus divinis splendoribus, mediante Seraphino et ejus antesignano Francisco Assisiate, sit vocatus a suprema majestate, ut repararet naufragantem Ecclesiam militantem. Ad hoc in signum unius perfecti prædominii curavit ei invisibiliter formari in vertice coronam ad modum Fratrum Minorum de Observantia, absque eo quod ei numquam per totam

(1) Wadding. Ann. tom. XII, pag. 409. — (2) Ibid. l. c.

A vitam fuerit renovata. Abhinc fuit perpetuo adhibitus pro servitiis S. Sedis a tribus Christi vicariis adversus innumeros perturbatores et apertos hostes ejusdem : nempe a Martino V destinatus extitit inquisitor ad destructionem Fratricellorum in variis partibus Italiæ; ab Eugenio IV directus ad multa regna et quamplurimas provincias Europæ ad reuniendum jam manifeste divisum catholicum gregem, seductum a maledicto conciliabulo Basileensi, postquam adstitisset concilio Florentino et imposuisset frenum Hebræis in toto regno Neapolitano; et demum transmissus a Nicolao V in partes ultramontanas, tamquam balsamus paradisi, ad opponendum se tantæ varietati hæreticorum, opprimentium nostram sanctissimam legem, numquam defatigatus fuit aut quievit spatio quinque annorum, donec totaliter exstinctam conspiceret flammam infernalem. Ad hoc efficiendum subministravit gratiam et fortitudinem talem benignissimus Dominus, quod ubi numquam antecedenter sufficiebant arma colligatorum principum
B imperii et cruciata ipsa Martini V ad eos comprimendos, Capistranus sanctus facile per signum, suæ pientissimæ fidei viva subjugaverit voce, ita ut ob tam eximia facinora fuerit jam ab omnibus appellatus Apostolus, magnus propheta, Angelus cœli, et nuntius Dei, iterumque placuit Calixto III alio simili et idoneo titulo eum approbare in forma quæ sequitur : « Hortamur devotionem tuam..... quum Redemptor noster, misertus populi sui, præbuit te ducem victoriæ, datque amplissimam facultatem renovandi in his partibus Nominis sancti sui. »

tum pro Ecclesia Dei,

516 Dictæ septemtrionales regiones consistebant in Germania, Bavaria, Suevia, Thuringia, Saxonia, Austria, Bosnia, Bohemia, Hungaria, Polonia, Russia et aliis vastissimis provinciis, quas expurgavit admirabili conversione infinitarum animarum : cuncta testatur Maracius in sua Bibliotheca Mariana pag. 13 : « Joannes Capistranus, Ordinis Minorum, natione Italus, ex nobili familia natus, vir eruditione et sanctitate clarissimus, innumerorum gentilium, judæorum, hæreticorum et schismati-
C corum reductor. » Et quod semper a singulis nomine Apostoli veneratus sit Capistranus, attestatur etiam Papa Pius II in epistola, directa ad Sanctum, ubi ex sua innata ingenuitate hæc inserit : « Videbit te libenti animo majestas imperatoria, ac velut Apostolum Christi veneranter amplexabitur. » Idem scribens Cardinali Firmano, protectori Ordinis Seraphici, contestatur talem sequenti dignissimo encomio : « Fr. Joannes de Capistrano homo Dei est, populi Germaniæ quasi Prophetam eum habent; posset, quum vellet, elevato digito magnam turbam facere. » Postmodum in suis Chronicis concludit ipsissimus Pontifex Maximus, dicens : « Per idem tempus Joannes de Capistrano venit in Austriam, cui sacerdotes et plebes cum Sanctorum Reliquiis obviavere, eumque ut magnum aliquem Prophetam, ut Dei nuntium susceperunt, et quasi vel Petrus vel Paulus illac iter faceret..... Sic homo quasi cœlestem vitam in terris agere, immaculatam absque labe, absque sorde, absque peccato, quem Viennæ vidimus ætate senecta » etc.

AUCTORE J. V. H. *in reducendis hæreticis,*

517 Virtute horum rationabiliter proruperunt pluribus vicibus Eugenius IV et Nicolaus V. « Si Capistranus decederet temporibus nostris, illico Sanctorum Catalogo adscriberemus illum : » et hoc ob immaculatam et purissimam ejus vitam, in qua adimplevit omnes partes fidelissimi nuntii regis supremi, quando reddidit suæ majestati obedientem et devotum orbem integrum, eodemque temporis intervallo superbiam consternavit Othomannicam ante Belgradum sola insigni potentissimi Nominis Jesu, ad cujus invocationem cernebantur legiones Angelorum, pro nobis belligerantium, super quod portentum in suis antiquis Gallicis Annalibus disseruit Nicolaus Gilles : « Et dictus Capistranus addebat animum christianis, ita ut Turcæ dixerint, tantam armorum multitudinem se esse secutam, quod nullus ipsorum audebat retrospicere, quum tamen illos nemo insequeretur præter Angelos. Pariter Paulus Langius in Chronicis Citizensibus posteritati transmisit sub anno 1456 : » Turcarum circiter centum millia interfecti sunt prope Taurinum oppidum, quod nostra ætate
E Albam vocant, ad confluentes Danubii Savique situm, et id factum est a christianis crucesignatis, Joanne Capistrano, pugnantibus christicolis imaginem crucifixi ostendente et clamante : O Deus! o Jesu! ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, veni in adjutorium plebi tuæ. » Pro omni majore probatione attestatur S. Antoninus, archiepiscopus Florentinus, in tertia parte Chronicæ tit. XII, cap. 14, § 1 : « Christianæ cohortis duce dignissimo..... præsente quoque venerabili religioso fratre Joanne de Capistrano Ordinis Minorum, viro optimo et meritis apud Deum et homines eximio, Nomine Domini nostri Jesu Christi, in quo salus nostra consistit, fiducialiter et assidue ab omni populo circumspecto, voce unanimi invocato, vexillo quoque sanctissimæ Crucis cum magnis clamoribus et lacrymis elevato ad cœlum, unde ineffabile advenit auxilium » etc.

et sancta fide promovenda.

518 Unde si in præmium similium heroicorum factorum et conversionum, quam plurimi digne inserti et registrati sunt in Martyrologio Romano ac a Spondano relati, et per indultum apostolicum vocantur Apostoli illarum par-
F tium, quas eorum quisque obivit, proficue serendo verbum Dei, ita perpensis multo majoribus meritis magni missionarii Capistrani (cum obsequio et reverentia tamen debita loquendo) videtur, ipsam rerum gratitudinem et debitum requirere, ut ipse quoque agnoscatur dignus titulo Apostoli Europæ, quum magna regna et provinciæ integræ per ipsum ad fidem conversæ sint, prout aptissime disseruit S. Joannes Chrysostomus : « Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum et perpetua confessio gratiarum; » ut ille vicissim tanto plus obligetur ad protegendam in futurum sanctam Ecclesiam, quemadmodum experti sumus summo cum applausu hisce retro annis in obsidione Viennensi.

Apostoli titulus conferatur :

519 Nec dicatur, quod alteri titulus Apostoli non competat, nisi primis solis introductoribus sanctissimæ fidei ad partes incognitas, illiusque ignorantes : nam jam declaratum fuit oppositum, sicut probabitur suo loco et tempore, probatque ab experientia et doctissimis rationibus ipsemet sapientissimus Capistranus

AUCTORE J. V. H.

stranus in uno suorum tractatuum intitulato « De auctoritate Papæ. » Ne discedam a fundamentalissima ratione, attendamus manifestissimam differentiam, quæ intercedit inter derivatam et naturalem ineptiam, vel melius ignorantiam crassam idolatriæ et maledictam pravitatem hæretici obstinati et perversi, qui haud ob alium finem apostatavit a primitiva matre sancta Ecclesia, quam ut excuteret jugum ab ejus tam bene ordinata norma et expleret consequenter, laxatis habenis, effrenatam concupiscentiam atque magis magisque irrefrenabilem ambitionem, tamquam educatricem omnis exsecrabilis vitii et detestabilis falsitatis, quæ potens est suscitare infernalis hydra; quum certum sit ad imprimendum obfuscatis et tenebris obductis mentibus ethnicorum cognitionem veri Dei, proponendo etiam eodem tempore perspectam insubsistentiam et caducitatem falsorum deorum, concurisse potius instinctum naturalem, primo lumine sibi illucescente, nec minore; nec illo, quam de infinito numero Sanctorum

* *locus obscurus*

Martyrum et Confessorum referatur*; quos inter S. Cyprianus ex ethnico et mago evasit in magnum defensorem Christi, quam primum sibi discooperta fuit impotentia idolorum. S. Chrysanthus ex simplici lectione sancti Euangelii immediate abjuravit falsos deos, quem secuta fuit uxor, audiens explicationem, super illud factam ab eodem S. Chrysantho. Fortunatus Clodovæus ab efficacibus rationibus, adductis a S. Clotilda, fecit se sacro regenerationis lavacro ablui cum integro suo regno. S. Eustachius, intuens supra caput cervi Christi crucem, amplexus est unanimiter cum uxore et filiis veram fidem Verbi incarnati. *Huc etiam adducit scriptor SS. Josaphat, Dionysium et Martinum facili negotio ad fidem conversos. Ac dein pergit.*

quia difficilior hæreticorum

520 Verum ex adverso hæreticum a jam gustatis lasciviis abstrahere, evenit multo magis arduum, quam valeat sibi effingere creatura mundana, ut experientia nos docuit ex maledictis seductoribus et pertinacissimis hæresiarchis Calvinistarum, Lutheranorum, Arianorum, Jacobellianorum, Nestorianorum, Hussitarum, Taboritarum, Patarenorum, Adamitarum et aliis ejusmodi oppressoribus Ecclesiæ sanctæ, de quorum perfidia, si bene trutinetur, justissime potest edici cum S. Anselmo : « Majus miraculum existimo, quum Deus voluntati desertam reddit rectitudinem, quam quum mortuo vitam reddit amissam. » Et tamen repudiatis ab Adamitis (quum sermo de iis sit) diabolicis sordibus, induxit eos potentissimus Capistranus ad sese subjiciendum sine mora miti jugo sacrosancti matrimonii et ad agnoscendum unanimiter cum reliquis requisitis pro unico et legitimo pastore summum Pontificem Romanum.

C

quam infidelium conversio;

521 Nihilominus si hæc omnia hactenus adducta, non videntur sufficientia pro annumerando inter Apostolos nostri temporis Capistrano, quum præfatus titulus conveniat nulli, nisi privilegiatis Apostolis, ex quibus cuilibet a Redemptore determinatæ erant provinciæ, ut ubivis terrarum annuntiaretur sanctissima et euangelica doctrina, idem suppleat misericordissimus Deus, a quo ad conversionem duorum specialium regnorum articulata divina voce expresse missus est sibi dilectus et recentissimus Apostolus Joannes; ut plenis buccis Euangelista repeti possit : « Fuit homo missus a Deo, cui nomen Joannes; » quod negari nullo modo potest. Quapropter animadvertens ipse in urbe imperiali seu Austriaca Neostadii seu Urbe Nova, mirabilem morum mutationem; neque judicans progredi ulterius, antequam prius orasset Dominum, a cujus nutu semper desiderabat totam pendere vitam, cordintime obsecravit, ut sibi manifestare dignaretur, ad quam magis indigam partem pro salute Sanctæ Ecclesiæ se vertere deberet; nec tardavit divina bonitas manifestare suam voluntatem, quando cœlesti oraculo ad modum resonantis tubæ respondit : « Ad Bohemos, ad Bohemos abi. » Quod etiam exsecutus est absque minima tergiversatione. D

quia tum verbis

522 Terminata in regno Bohemiæ sibi commissa missione, transiens in reditu Norimbergam, recommendatis in sacrificio altaris suis necessitatibus, mox insudavit prædicationi : ecce ex improviso luculenter intellexit a supremo Domino, quod non ibi, verum in Hungaria maxima celeritate ipsum desideret; ex auditis illis e cœlo reboantibus verbis : « In Hungariam, in Hungariam perge, et noli amplius morari. » Quum ob hoc non destitisset ab inchoato discursu Joannes, sensit se aliis similibus vocibus cum iteratis impulsibus stimulari acclamantibus : « Quid agis, quid agis, cur non petis Hungariam? Finem impone et ambula. » Unde nullo modo resistere potens violentiæ cœlesti, petiit, ut ita dicam, quasi volando Hungariam, ubi ad quantum magnificentiæ gradum exaltata fuerit ipsius mirabilis vita, morum exemplaritas, amoris divini ardor et conversio hæreticorum, singula diffuse referuntur in admirabili ejus Vita, in lucem recenter edita, ut cuivis innotescat omnipotentia absolutissimi Domini; ita ut sicut semper suum fidelissimum heroldum præceptive mittendum ob animarum, sibi rebellantium, salutem judicavit opportunum, ita præcepit non se absentare tempore tam extremæ necessitatis a conclamato fortalitio Belgrado, dato sibi sacrosancto et irrevocabili promisso : « Esto constans, Joannes, et noli timere, quia in virtute sanctissimi Nominis mei et crucis meæ victoriam procul dubio de Turcis obtinebis. » Prout etiam contigit, quando quasi alter Gedeon solis tribus millibus invalidorum militum facile in fugam vertit formidabiles exercitus adversarii Ottomannici cum strage centum et plurium millium. E F

et miraculis.

523 Et ubi pro duce a Deo concessa fuit columna ignea, et tribus regibus Magis lucidissima stella, similibus quoque portentis voluit piissimus Dominus manifestare universo, vere esse Joannem suum nuntium ad infectas et miserabiles partes ultramontanas, juxta sequentem relationem Waddingi et ipsiusmet prodigiosissimi Capistrani. Primo itaque dicit Waddingus : « Accepta itaque benedictione apostolica et commissarii pontificii, generalisque inquisitoris potestate, ut susceptum onus facilius subiret et felicius perageret, Assisium abiit, sanctissimæ Virginis opem eo loco imploraturus, in quo ipsius

A ipsius institutor Franciscus ejusdem Deiparæ meritis concepit ac peperit Spiritum euangelicæ veritatis. Supplicatione peracta, postquam e loco paululum progressus est, a summo cœlo egressio ejus ad insignem magnamque hanc missionem probari visa est : luce namque mirifica circumfusus, usque ad medium milliare totus radiis coruscans, processit; ita præmonstrante Deo, lucem euangelicam ad longinquas nationes doctrina, virtute et vitæ sanctimonia copiose delaturum. » Sequitur relatio, facta ab ipso Capistrano et registrata ab eodem Waddingo : « In platea Aquilana, astante multitudine populorum, hora videlicet inter tertiam et sextam, ibidem apparuit stella præfulgida; in quam aspicientes qui aderant, alter alterum excitabat : nec tamen eam tunc ego ipse, qui indignus thalamo præsidens, etiam de B. Virgine prædicabam... Quum non haberem de apparitione dictæ stellæ notitiam, per relationem fide dignam, de commotione astantium admiratus, quid intra se quærerent, perscrutabar, quum
B stellam supra caput aspicere non valerem; tunc mihi indicaverunt apparentiam ejusdem stellæ, quæ super caput S. Bernardini coruscaverat, ibidem evidentissime declaratam. Quum caput erexissem, eamdem stellam limpidissime conspexi, Deo gratias agens et confidens ex divina bonitate et Virginis benedictæ præsidiis me felicem successum et lætum effectum in canonizatione sancti Dei viri infallibiliter obtenturum. Itaque factum est, Domino disponente, ut mane sequenti ex Aquila ad Sanctam Romanam Ecclesiam gressus dirigens, præfatam stellam, tamquam ducem itineris et comitem pluries in itinere non ego solus aspexerim, sed quam plures socii, qui mecum erant. »

tum scriptis libris

524 Adeoque si Sancti primitivi Apostoli, ut diffunderent per totum orbem fidem catholicam non contentabantur prædicare viva voce in provinciis, sibi assignatis, etiam quivis volebat specialiter notificare eam per literas regionibus magis distantibus et extraneis, ut mortalium nemo posset umquam objicere ejus ignorantiam, secundum dicta
C Prophetæ : « In omnem terram exivit sonus
* Ps. XVIII, 5. eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*» Cum pari zelo et fervore spiritus concupivit novus Apostolus Joannes omnibus ostendere unicam et veram viam æternæ salutis, quando præscindendo a quotidianis concionibus, per triginta novem annos proclamatis, ad expurgandam totaliter Europam a sacrilegiis, imo lasciviis et ipsa iniquitate peccati, quadraginta octo essentialissimos tractatus reliquit posteritati, ut ad regulam illorum adimpleretur lex divina, ultra considerabilem numerum sanorum consiliorum et epistolarum vere apostolicarum, concernentium interesse publicum christianæ religionis et necessitatem privatam conscientiarum, sicut ex sequenti epistola, directa ad regem Angliæ possunt concipi omnes aliæ, provenientes ab ejus sublimi doctrina et sanctitate, de quibus tractans in quarto libro suæ chronicæ Marcus Ulyssiponensis, plenus admiratione, effatus est : « Nemo ipso Romanæ Curiæ acceptior, nemo canonici civilisque juris peritior, nullus memoria tenacior, atque in defatigando corpore sibi similis nemo, nullus ipso in hæreticis, schismaticisque insequendis aut ardentior aut fortior aut efficacior, nullus ipsi aut in fide aut in opere aut in miraculorum virtute superior et avidior martyrii atque in animarum procuranda salute ferventior. »

AUCTORE J. V. H.

525 *Dicit porro Amandus Hermann, se epistolam ad regem Angliæ non relaturum, quia eamdem supra ediderat* (1); *et nos ab eadem huc transferenda supersedemus, utpote quam alibi damus ex Waddingo* (2). *Pergit autem Barberius:* Quantum autem fuerit proficuus tam uni quam alteri sexui in liberando ex qualibuscumque tendiculis hostis infernalis, nempe vanitatibus superfluis mulieres, viros ab illicitis detentionibus ample describit Albertus Crantzius in libro de sua Metropoli cap. 49, ita discurrendo: « Post duos annos venit ex Italia religiosus pater Joannes de Capistrano..... Commovit usque adeo populum, ut omnia vana ludorum genera, scaccos, aleas, quidquid id generis est, conferret in forum, fœ-
E minæ thoralia et structuras capitis et alia redimicula vana uno igne, inspectante populo, concremaret. » Quum ergo ista sint egregia facinora, a Deo operata in persona novelli Apostoli Capistrani, mediantibus quibus intuemur ad unam vicem horridam hyemem iniquitatum, immutatam in floridum ver paradisi, cum tanto quidem stupore spectatorum, quod quivis illorum hæc cupiat æternæ memoriæ mandari, ut tam nobilis fama nulla umquam deleretur oblivione, uti historiæ graviores, ad finem prænominatæ Vitæ conscriptæ abunde testantur. Supplicatur denuo sua Sanctitas, ut se reflectat ex paterna pietate et rècta justitia super materias tam conspicuas et dignas; quæ si fuerint sua limpida mente et purissimo corde ponderatæ, speramus absque dubio consequi perfectam gratiam ad majorem gloriam Dei, exaltationem sanctæ Ecclesiæ et tranquillitatem sedis apostolicæ, quum pro iisdem sine fine laboraverit iste pugil indefessus, quemadmodum singulis innotescit. Joannes Baptista Barberius. Revisa : Andreas Pierius, subpromotor fidei.

de Ecclesia optime meritus est.

F

526 *Annuente summo Pontifice, quæstio:* An titulus Apostoli Capistrano sit concedendus, *sacræ Rituum congregationi proposita fuit. Duo præsertim videtur opposuisse fidei promotor, quandoquidem duas solum difficultates discutit Joannes Bapt. Barberius, nempe titulum Apostoli, aliis Sanctis collatum, minuere reverentiam, debitam duodecim Apostolis Christi, et istiusmodi titulum solum competere posse iis, qui primi lucem euangelicam in aliquam regionem intulerunt. Et quod ad priorem difficultatem attinet, facili negotio ostendit Barberius* (3), *titulum Apostoli vel ab ipso Paulo datum fuisse iis, qui intra duodenarium numerum non recensebantur : sic Philipp. II,* 25 *scribit.* Necessarium autem existimavi, Epaphroditum, fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem Apostolum et ministrum necessitatis meæ mittere ad vos. *Conferatur, si lubet, commentarius Cornelii a Lapide in hunc textum. Cæterum titulo Apostoli jam decora-*

Ast quæstio, ad S. Congregationen Rituum delata,

(1) Capistr. triumph. pag. 424. — (2) Annal. tom. XII, pag. 210. — (3) Capistr. triumph. pag. 783.

rat,

AUCTORE J. V. H.

rat Ecclesia, salva duodecim Apostolis reverentia debita, varios Sanctos, ut liquet ex Martyrologio Romano. Videlicet legitur sub die VIII *Januarii :* Apud Noricos Sancti Severini abbatis, qui apud eam gentem Euangelium propagavit, et Noricorum dictus est Apostolus etc. *Die* V *Junii :* Sancti Bonifacii, episcopi Moguntini, qui de Anglia Romam veniens et a Gregorio Secundo in Germaniam missus, ut fidem Christi illis gentibus euangelizaret; quum maximam multitudinem, præsertim Frisonum, christianæ religioni subjugasset, Germanorum Apostolus meruit appellari *etc. Die* XXIV *Septembris :* In Pannonia, Sancti Gerardi, episcopi et Martyris, Hungarorum Apostoli nuncupati, patricii Veneti, qui primus patriam nobili martyrio illustravit. *Die* III *Decembris :* In Sanciano, Sinarum insula, Sancti Francisci Xaverii, e societate Jesu, Indiarum Apostoli, gentium conversione, donis et miraculis clari etc.

hactenus solutionem non habuit.

B 527 *Præter hos citat Barberius aliquos Sanctos, Apostoli titulo insignitos, licet primi non fuerint, qui Euangelium Christi regionibus intulerunt : nempe S. Gregorium Magnum, Anglorum Apostolum dictum, quamvis Britannia sub Lucio Papa seu medio sæculo tertio fidem jam recepisset : S. Audomarum, quia religionem christianam, prope destructam, apud Tarvanenses instauravit : S. Suitbertum similiter, quia collapsam apud Boructarios aliosque finitimos fidem restituit. Hactenus tamen Congregatio Rituum, cui causa cognoscenda demandata fuerat, nullum responsum dedit. Neque id mirum; quum titulus* Apostoli Europæ *S.* Capistrano *tribuendus, ambitiosior videtur : multæ enim sunt Europæ provinciæ, quæ laborum Sancti, saltem cominus, participes non fuerunt. Quod si, deleta Europæ appellatione, ad provinciam quamdam restringatur S.* Capistrani *apostolatus, nullam invenio aliam quam Bohemiam, e qua hæresim Hussitarum exstirpare conatus est : et re vera multum quidem operatus est Sanctus noster in reducenda Hussitarum multitudine ad gremium Ecclesiæ catholicæ : verum non facile quis dixerit, exstirpatam fuisse hæresim, quam Rockyczana, pseudoepi-*

C *scopus Pragensis ad finem usque vitæ, id est, ad annum* 1470 (1) *sartam tectam servavit. Præterea nullum hactenus allegari potest exemplum collati tituli Apostoli, quando Sanctus aliquis provinciam aliquam ab hæresi ad catholicam fidem traduxit. Divinans igitur dico, Apostoli titulum propter rationes allatas S.* Capistrano *tributum non fuisse.*

§ XLV. De Corpore et aliis Reliquiis S. Joannis Capistrani.

Corpus S. Capistrani, *Villaki*

Villakum, quod etiam Ui-lak vel Illok dicitur, oppidum est in dextera Danubii ripa situm, 3400 *incolis frequens et caput comitatus Sirmiensis* (2). *Istic diem suum obiisse, ac sepulcrum nactum fuisse, supra num.* 416 *indicavimus. Scilicet Nicolaus, Villaki toparcha, ut habet Waddingus* (3), *curavit ut corpus, nobili theca bene munitum, in peculiari collocaretur sacello,* D *et perpetuo nocte diuque coram tumulo collucerent funalia; ubi hoc insculptum epitaphium :*

Hic tumulus servat præclara laude Joannem.
Gente Capistrana, fidei defensor et auctor,
Ecclesiæ tutor, Christi tuba, tum Ordinis ar- [dens
Fautor, in Orbe decus, tum veri cultor et [æqui
Et vitæ speculum, doctrinæ maximus index,
Laudibus innumeris jam possidet astra beatus.

VIXIT ANNOS XXXCI, MENSES III, DIES XXII (*Jam supra ostendinus numm.* 18 *et* 19, *ætatem Sancti, tardius tumulo inscriptam, erroneam esse et legendum esse*) : VIXIT ANNOS XXXC. MENSES III, DIES XXX.

sepultum;

529 *Porro dicit Waddingus* (4) : Honorifice in prædicto sacello Villakæ per multos annos jacuerat (*corpus S.* Joannis de Capistrano), crescente semper populi devotione. Capta per Turcas Urbe (*probabiliter anno* 1526 (5)), corpus in locum alterum comitatus Zakmariensis * in finibus Transilvaniæ translatum est, dein Zolasium *: atque, obrepente in oppidum hæresi, infectoque loci domino, prius male habitum et illusum, deinde projectum in puteum ipsius cœnobii, ingesto magno lapidum acervo, destructo etiam conventu. Ita tradunt Hungari et confirmat Nicolaus Isthuanfus in Historia Hungarica (6). Postquam enim Francisci Perenii, viri principis, Catharinæ conjugis et liberorum captionem in arce Zolosii, rerumque omnium direptionem per milites Ferdinandi regis enarrat, subjungit : « Fuere, qui existimarent, Franciscum ab irato numine ea calamitate merito punitum, quod corpus Capistrani, sanctitate celebratum, capto per Turcas Sirmio, a monachis in Zolosiano monasterio reconditum, direpto eo, pulsisque monachis aut cæsis, confractum et indignis modis profanatum, in profundum puteum projici jussisset. » Atque hinc minus credibile redditur, quod aliqui comminiscuntur, Turcas, capta Villaka, ductum cum honore corpus reverenter apud se retinere, neque pretio ullo, quantumvis per oratores, ad hoc ipsum CPolim missos, rogarentur, reddere voluisse, dicentes, adhuc se F timere ab homine, per quem tantam cladem acceperunt, et malle in sua potestate honorifice habitum ab injuriis continere, quam inimicis tradere, qui in suam perniciem concitarent. Neque illud reputo probabilius, quod scribit Rodulphus, ante paucos annos corpus, ab hæreticis in Danubium projectum, Illoci non longe a Vienna repertum fuisse. Quod si ita est, qui fieri posset, ut adeo diligenter per longa temporum intervalla a suis consodalibus, piisque viris conquisitum, inveniri non posset, aut saltem sciri, quo terrarum loco delitescat? Et qui apud Turcas reverenter coli confingunt, ut quid toto hoc annorum spatio venerationis locum non indigitant ? Atque illud vulgaris tantum pietatis loco repono, quod aliqui Hungarorum adscribunt traditioni : tunc scilicet universam Hungariam a christianis recuperandam, quum Capistrani corpus apparuerit.

* *Imo* Szatmarinensis
* *id est :* Na gyszôlôs

(1) Dubravii. Rer. Bohemic. Histor. pag. 250. — (2) Guibert. Diction. Geogr. v°. *Illoc.* — (3) Ann. Min. tom. XII, pag. 413. — (4) Ibid. pag. 414. — (5) Cfr Timon. Epitome. Rer. Hung. pag. 117. — (6) Lib. XX. Hist. de reb. Ungar. pag. 384. Edit. Colon. 1622.

deinSzolosium translatum,

530 *Waddingus merito rejicit opinationem eorum, qui censent Illoci prope Viennam conservari corpus S.* Capistrani: *videtur enim inniti opinio in eo, quod ignoraverint Illocum et Villakum unum eumdemque locum fuisse: adeoque quum legerent nunc Villaki, nunc Illoci sepulturam habuisse Sanctum, duo diversa loca indicata crediderunt. In comitatu Szatmarinensi, quo primum delatum fuit Sancti corpus, est etiam locus cui nomen Ui-lak seu Illocum* (1): *adeoque est istic per aliquod tempus quiescere potuere sacræ exuviæ: sed quomodo Illocum prope Viennam somniati fuerint, non capio: nullum enim hujus nominis sive oppidum sive villulam, quantum aut lexica aut mappas geographicas consulere potui, juxta Viennam aut etiam in Austria reperire est. Quod porro ad translationem corporis S.* Capistrani *Villako seu Illoco Szolosium spectat, eamdem confirmat Joannes Bapt. Trsztyanski noster in Topographia Hungariæ his verbis* (2): Szolosini (qui præcipuus *comitatus Ugocsiensis, versus Poloniam siti* locus est) ad arcem Kanko percelebre Priniana gens asceterium D. Francisci
B filiis excitarat; sed rasit illud dudum hæresis, interemptis, qui illud tunc incolebant, cœnobitis. Evenit hoc paulo post Turcam, Sirmio potitum. Eodem in tumultu Szemlino allatas istuc esse perhibent argentea in cista venerandas D. Joannis Capistrani exuvias, quæ injectæ sunt cum templi cimeliis in puteum, quum religiosam domum armis impetebant Calviniani. Ingenti nisu ac singulari studio perquirebat thesaurum hunc Austriaca sacri illius Ordinis provincia post pactam a Leopoldo M. cum Turcis pacem: verum irritus fuit conatus, quod immanes ruinarum strues evolvi nequirent. Id Calvinianorum iterata confessione teneri scribit Ladislaus Turoczius, quod sæpe heterodoxis illis visæ sint ad vetus asceterii templum splendidæ collustratorum magna luce monachorum supplicationes, quibus non admiratione solum, sed metu quoque impleti sunt; quin tamen vel isto perstricti lumine tenebras errorum excutiant.

deperditum];

531 *Citata Topographia Hungariæ typis ex-*
C *cusa fuit anno* 1750; *adeoque ad hoc usque tempus nihil certi habebatur de corpore S.* Joannis Capistrani, *et res in eodem prorsus statu erant, quo easdem describit Ambrosius Podiebradsky, senex septuagenaris Ordinis Minorum, in litteris datis ad provincialem suum.* Anno, *inquit* (3), 1672, dum provinciam nostram sanctissimi Salvatoris Hungariæ reformatam, mihi concreditam, visitassem, et dudum antea de corpore S. Capistrani audivissem, nimirum dum in Vylack (facta victoria gloriosissima contra Turcas ad Albam Græcam) infirmus devenisset, ibique ulteriori infirmitate pressus, exspirasset, ne tali corpore et thesauro Ordo privaretur, ob metum Turcarum, ubique circa dictum locum Vylack, ubi sepultum fuit, vastantium, translatum erat ad confinia Transilvaniæ, ad oppidum Nagy-Szöllös dictum, quia sic Hungarice scribitur. In quo oppido, dum illuc pervenissem, inveni unum monticulum mediocrem, olim arce et monasterio nostri Ordinis adornatum, ubi moder-
nis temporibus meræ vineæ exstant. In hoc monte conspexi sat amplum et profundum fontem, qui tam monasterio quam arci per medium desuper divisus, inservierat, quia simul in parva distantia monasterium et arx erant ædificata. Sciscitando igitur a familia Perianorum magnificorum, ibidem inhabitantium, illorum quatuor, per quam familiam olim omnes nostri fratres erant, tamquam ab hæreticis, mactati, an aliquid audierint de corpore S. Capistrani, dum nostri fratres omnes erant mactati, quo corpus hujus Sancti, ibidem in monasterio jam dudum depositum, devenisset; affirmarunt, uti a suis prædecessoribus habuerunt, tale corpus in illum altum, magnum et latum puteum projectum, una cum corporibus aliorum patrum et fratrum fuisse: an omnium Deus novit. His auditis, montem visitavi una cum aliis patribus, ibidem in oppido degentibus, et aliquot Calvinianis sæcularibus: præcipue ibat nobiscum quidam Calvinista chirurgus, qui residentiæ inservierat.

AUCTORE J. V. H.

532 Dum ad montem et fontem pervenissemus, facta omnibus exhortatione, unanimiter omnes fontem, ruderibus et lapidibus oppletum, cœpimus evacuare, et quo ulterius et profundius deveniebamus, omnes odorem admirabilem sentiebamus, mussitando ad invicem: Hic erit corpus S. Capistrani. Interim noster Calvinista chirurgus residentiæ et servitor, nihil quæ nos ad invicem dicebamus, intelligendo, prorupit in hæc verba Hungarico idiomate: Patres, sentio talem odorem, quem in mea vita non sensi. Ad quem ego: Sileas, tantum magis ejicias. Altera et tertia die similiter fecimus. Dum autem discessum paraveram, rogavi prædictos Perinianos magnificos, quorum aliqui sat misere cum paucis subditis vixere, exhortando eos, siquidem per eorum familiam prædecessorum tanta strages et persecutio in catholicos, præcipue in nostros fratres et corpus Sancti facta est, et supponendo tam miseri et egeni magnifici modernis temporibus facti, velint nobis hanc gratiam præstare, et ad evacuandum fontem patri præsidenti auxilium quilibet vestrorum unum subditum aliquando dare: certo scitote, quod F
modo depressi estis, Deus vos per merita Sancti hujus et sociorum ejus exaltabit. Promiserunt et aliquantulum laborarunt: sed inopinata insurrectione Calvinistica, præsidentem, qui generalis lector erat Joannes Franciscus Szegedi, horrende vulnerarunt, nudum ad densissimas spinas, una cum suo socio, projecerunt et vix in vivis reliquerunt. Qui locus postea multis annis inhabitabilis, nisi iterum modo ibidem ab aliquot paucis annis habitant, et cum timore et tremore aliquibus paucis catholicis inserviunt. Hic ultimo notandum est, quod prædictus mediocris mons, in quo simul arx et monasterium erat, vocatur Kanko, et oppidum ut supra, Nagy-Szölös. Fr. Ambrosius Podiebradsky, provinciæ senior, LXXIV annorum completorum.

nec hactenus

533 *Quod porro ab anno* 1750, *quo suam Topographiam Hungariæ scripsit Joannes Bapt. Trsztyanszki, ad hanc usque diem repertum fuerit* S. Joannis Capistrani *corpus, nullum*

certo inventum:

(1) Cfr Atlantem. Europæ Phil. Vander Mælen. Tab. LVI. — (2) Pag. 590. — (3) Hermann. Capistr. triump. pag. 790.

AUCTORE J. V. H.

nos docet instrumentum authenticum: adeoque fallitur Alb. Butler dum ad diem XXIII *Octobris dicit:* Capto a Turcis Villako, alio translatum fuit Sancti corpus: dein Lutherani (*vidimus supra legendum*, Calviniani) direpta ejus capsa, corpus in Danubium projecerunt, quod feliciter ex fluctibus exemptum, ad hanc usque diem custoditur. *Istiusmodi erroris causam repono in eo, quod apud quosdam legatur, S.* Capistrani *corpus Illoki seu Illoci tumulatum fuisse, ut jam supra num.* 528 *animadvertimus, et quum plerique nescirent, unum idemque oppidum esse Villakum et Illokum et e contrario pro diversis sumerent locis, inde fabula enata est, exuvias Sancti Villako Illocum translatas hodiedum etiam conservari: quod quam a vero absonum sit, supra e monumentis domesticis monstravimus.*

licet cum aliqua verisimilitudine

534 *Ex hactenus dictis omnino constat corpus S.* Joannis Capistrani *ad medium usque sæculum proxime præterlapsum delituisse. Nostri proinde instituti fuit sedulo inquirere, an nihil posterioribus hisce annis illuxerit, quo occultus thesaurus detegi posset. Ex schedis, nuper ab Hungaria ad nos transmissis benevolentia Patrum nostrorum, videmus, anno* 1803 *editam fuisse* Synopsim de vita S. Joannis Capistrani *et adhucdum latitare corpus sancti viri; quamvis antiquissima traditio, in Sirmio vigens, ferat, homines,* XC *annorum ætatem excedentes et ante medium sæculum* XVIII *vita functos, a progenitoribus accepisse, quod corpus S.* Joannis Capistrani tam in Szabacs quam Belgradi viderint et osculati fuerint; *utpote quod* ad monachos ritus græci non unitos devenerit, redemptum a Turcis pretio enormi. *Ast hujus traditionis origo valde remota est, quatenus commode ad sæculum* XVI *referri possit. Deinde alii alibi sepulcrum Sancti conservatum volunt: ex qua opininantium diversitate, augetur etiam dubiorum obscuritas.*

in Valachia Minori,

535 *Verumtamen sunt, qui putant Biztrizcii, quod est Valachiæ oppidum, in sinistra Danubii ripa situm, corpus S.* Joannis *etiamnum in græcorum monachorum cœnobio asservari. Id enim habet* Protocollum provinciæ S. Francisci Bulgarico-Valachicæ, an. 1851 cum provincia Capistrana unitæ. *Corpus a Turcis redemptum fuit per nobilem, Barkul appellatum, qui illud in monasterio Bistricensi collocavit sub nomine S. Gligori Decapoleos, Gregorii Decapolitæ, ut nempe videretur corpus esse alicujus Sancti, e Græcia oriundi. Istius Gregorii memoria in Martyrologio Romano sub die* XX *Novembris celebratur. Varia autem sunt argumenta, quæ ostendunt corpus, Bistricii religiose servatum, non græci esse alicujus Sancti sed latini. Imprimis corpus, hactenus incorruptum, barba caret, et habet cæsariem more Franciscanorum rasam, dum græci sive sacerdotes sive monachi et barbam et capillos nutriunt: et ne catholici cognoscerent, ad se pertinere corpus, archiepiscopus schismaticus jussit caput pileolo serico, debite sigillato, obtegi: sed frustra; nam plurimi catholici jam ante viderant tonsuram monachalem. Dein in eodem, quo est sepulcrum, sacello, habetur pictura viri, habitu Minoritico induti; quæ quidem imago plerumque velata est: attamen ante annos tres monachus græcus hanc discooperuit P. Ottoni Smeiczer, obtestatus ne eum proderet. Intra sepulcrum est altera imago, habitum FF. Minorum similiter exhibens; et quidem manus dextra est instar benedicentis, e sinistra vera fascia defluit, in qua nomen Sancti inscribi debuisset, sed nullum est literarum in ea vestigium.*

nempe Bistricii,

536 *Præterea est in vulgus et apud monachos sparsa opinio, Sanctum esse quemdam catholicum Ordinis Minorum; imo episcopus Rebnicensis ritus græci, interrogatus a ministro provinciali de vitæ genere Sancti, cujus corpus religiose servabant, respondit, hunc Italiam, Siciliam, Germaniam, Poloniam, multasque alias regiones peragrasse; quæ omnia accurate* Joanni *nostro conveniunt. Quin et laudatus P. Provincialis, e quo hæc omnia depromimus, addit:* Ex toto episcopi *Rebnicensis* discursu adverti, illis minime deesse notitiam Sancti illius, dummodo manifestandi voluntas non deesset. *Valachia Minor, in qua est Bistricium, olim a S.* Capistrano *non solum apostolico fervore et doctrina, sed et signis ac miraculis ad gremium catholicæ Ecclesiæ reducta fuit, quapropter, ait laudatus scriptor,* divina dispositione factum est, quod corpus illius, incolis ab unione deficientibus, in testimonium perfidiæ suæ ad has devenerit partes, ut vel sic fidem venerentur catholicam, dum catholici Sancti corpus scienter venerantur. *Quiescit porro sacrum corpus ab annis fere* CCXL *in Bistricensi monasterio; et licet ab isto tempore Turcæ et Tartari ferro et igne Valachiam sæpius pessum dederint, claustrum tamen illud una cum templo ab omni hostili incursu semper permansit illæsum.*

jacere propter corporis incorruptionem, et habitum Franciscanum,

537 *Citatum Protocollum dat etiam descriptionem arcæ, in qua inclusum jacet sacrum corpus. Est scilicet longitudinis quinque pedum, ex ligno cypressino: intus holoserico undique vestita, exterius vero argento partim deaurato, partim bene polito obducta. Cooperculum autem convexum occupat imago Sancti in habitu, ut supra diximus, Franciscano, quæ sicut reliquæ figuræ non est argento incisa, sed fabri malleo excusa; dextera dat benedictionem et sinistra tenet fasciam defluentem, in qua nomen incidi debuisset. Ad caput Sancti est imago Crucifixi, Matris dolorosæ et S. Joannis: ad pedes exhibetur princeps Michael cum uxore et prole, quatenus ipse circa annum* 1593 *pretiosam arcam recondendo sacro corpori donavit. Arca clauditur sera deaurata, quæ clavi aurea aperitur. Jacet corpus quatuor velis involutum: primum est rubri coloris cum aureis floribus; secundum flavi; tertium quasi viridis; quartum albi coloris; ejusdem materiæ et coloris albi est pileolus, qui usque ad collum descendit et infra mentum constringitur, sigillo episcopali obsignatus. In toto corpore nihil nudi est præter manus nigrescentes, sub quarum tamen nigredine albicans pellis apparet: articuli digitorum una cum ungibus et pelle cohærent, pedes apparent sub velaminibus elevati cum digitis; quæ omnia monstrant, ossa omnia debite coagmentata permansisse. Non tamen ita certe definiri potest, an ossa pelle hactenus vestita maneant, quum, ut dictum est, præter manus omnia velata sint.*

in arca pretiosa, quæ describitur,

538 *Super pectore est imago B. Mariæ Virginis æri incisa, more germanico efformata, marginata, vitro obtecta et ornata quatuor vel quinque nummis aureis, non admodum antiquis. Insuper*

AUCTORE J. V. H.

A *Insuper super pectore jacet quoque crucicula argentea, catholicorum more sculpta, qua sacerdos græcus in fronte signat accedentes ad sacrum sepulcrum. In eodem servatur quoque instrumentum emptionis, quo banus Barkul testatur, se hoc corpus a Turcis redemisse, qui illud ex Hungaria attulerant. Observatu tandem dignum est, quod Minorum Ordo nullum corpus incorruptum alicujus Sancti perdiderit, quam S.* Joannis Capistrani, *quod postquam Villaci sepultum fuit, disparuit, et hactenus nullo certo indicio detegi potuit, quorsum devenerit. Addit etiam hodiernus custos sepulcri, monachus septuagenarius, se, dum nocturnas excubias in ecclesia acturus, templum ingreditur, sæpius vidisse juxta Sancti arcam viros, Franciscano habitu vestitos, laudes divinas cantantes, sed subito evanuisse.*

dici possit. 539 *Præterea, ut habet sæpe laudatum Protocollum, sacrum corpus plures principes summi Valachiæ visitarunt. Imprimis Michael II, dictus Fortis, donator arcæ supra descriptæ, pietatis causa una cum conjuge Bistricium se*
B *contulit. Sed in ipso itinere nuntius venit a principe Moldaviæ, petens suppetias contra Tartaros provinciæ suæ imminentes. Non sine dolore piam peregrinationem interrupit Michael princeps, et cum festinatione in auxilium Moldavorum, missa interim Bistricium uxore sua, accurrit. Parta victoria, non immemor propositi in perpetuum pietatis suæ monumentum erexit magnificam, quam supra descripsimus, arcam. Postea anno* 1735 *princeps Valachiæ, Constantinus Maurocordatus, grassante per Valachiam peste, jussit sacrum corpus Bukurestinum* (Bucharest) *transferri: episcopus Rebnicensis et nobiles Minoris Valachiæ omni ope istiusmodi translationem impedire conati sunt. Episcopus obedire se simulans, per suos Calugeros seu monachos in vulgus sparsit, quod sacrum corpus nulla vi levari potuerit. Res melius processit mense Aprili anno* 1765: *nempe quum princeps Stephanus Rakovicza, precibus consortis suæ verisimiliter inductus, strictissimum episcopo Rebnicensi mandatum dedisset, ut Sancti exuviæ Bukurestinum transferrentur. Repugnabat quidem et nunc episcopus, et, licet omnium*
C *animi essent consternati, timore perculsus, mandato obsecutus est. Itaque clerum universum convocavit, triduanas preces indixit, et solemni ritu, succollantibus presbyteris et monachis sacrum pignus, extra Bistricium fecit. Rebnicium adventantes, clerus populusque magno plausu et precibus excepit: triduana denuo statione peracta, transmissoque fluvio Alutha, die* XVII *Maji sacrum corpus Bukurestinum advenit. Præsto erant princeps cum aulicis suis, archiepiscopus cum multitudine presbyterorum et monachorum, et plebs innumerabilis, qui omnes summa celebritate corpus Sancti ad ecclesiam S. Georgii deportarunt. Aliquot post diebus jussit princeps, ut caput, quod obvolutum et obsignatum erat, detegeretur. Videntes autem, Sanctum habere coronam et esse imberbem, inferius vestimentum esse ad morem Franciscanum confectum, non valde magnum eidem honorem habuerunt, imo et græci et Valachi promiscue dicebant: Iste Sanctus catholicorum est, ex istis Baratz, id est, ait scriptor, ex nostris fratribus. Barat hungarice significat Amicus, et passim accipitur pro Mendicantibus. Post aliquot septimanas corpus ad suam pristinam sedem reportatum est. Hæc quidem de corpore sancto, Bistricii quiescente: quæ quamvis certa undequaque non sint, talem nihilominus præ se ferunt veritatis speciem, ut ampliorem, si fieri possit, indagationem provocare debeant.*

Capistrani et Romæ sunt ejus scripturæ ac biretum,

540 *Quamvis igitur hactenus desint Reliquiæ corporis S.* Capistrani, *supersunt tamen alia, quibus in vita usus est Sanctus, quæque merito Reliquiarum instar in veneratione habentur. Imprimis Capistrani, in natali solo, intra ecclesiam conventus, a Cobella, Celani comitissa, fundati insigne est sacellum, Sancto dicatum, in quo servatur ejus imago, miraculis, præsertim circa energumenos, insignis; ibique in arcula servantur diligenter ejus scripturæ, jocalia et pontificia diplomata* (1). *Romæ pariter apud Joannem Bapt. Barberium, procuratorem in causa canonizationis Sancti nostri, asservabatur Sancti mitrella seu biretinum, quo calvitiem suam protegebat. Nempe dictam mitrellam,* E *ab Ordine Observantium dono acceperat Barberius, et supra aurum et gemmas æstimabat; cujus ope multis infirmis sanitas reddita fuit. Singulare in domo dicti Barberii accidit miraculum, quod ex Legendario Seraphico P. fr. Benedicti Mazzara latine reddimus* (2). *Maluissemus certe id ex Vita, ab ipso Barberio conscripta, eruere: verum quod habemus coram exemplar in hac parte mutilum est: quapropter textum laudati Mazzara afferimus.*

cujus attactu fœmina,

541 *Fœmina quædam, nomine Laura Camilli quinquagenaria, Viterbio oriunda, initio mensis Februarii* 1679 *e scala decem circiter graduum retrorsum cecidit. Casus tam horrendus fuit, ut spatio viginti quatuor horarum exanimis jacuerit. Tertio post die ad nosocomium Lateranense delata, febri acuta, ingenti capitis dolore ac stomacho, ab omni cibo abhorrenti, laborabat, nec proderant opportuna remedia; quando extremis sacramentis refecta, eatenus post bimestre spatium convaluit, quatenus ex nosocomio dimissa famulatum apud laudatum Barberium adire potuerit. Interea non cessabant capitis dolores, qui quidem subsidebant, quando adhi-* F *bebatur medecina: sed Laura, pertæsa remediorum, eadem obstinate recusabat, unde et malum recruduit; ita ut initio Julii ejusdem anni nihil cibi ferret stomachus, sanguis nigerrimus ex ore et naso erumperet, corpus, ingenti onere gravatum flecteretur, nec suum deinceps ministerium pedes, quasi irretiti, præberent. Tandem* XXIX *Julii exhaustis viribus, gemebunda jacebat. Auxilium inclamat: accurrunt domestici, eamque reperiunt distortis horrende oculis, ore spumante, sine loquela atrociter ululantem. Qui primus vocatus advenit pharmacopola, Franciscus Bottonus, extrema quæque præsagiebat, quoniam nullius remedii capax esset stomachus. Circa auroram ægram invisit Aloysius Ventura chirurgus, cui se socium brevi adjunxit Dominicus Piconius, medicus peritissimus. Quum porro ex tentatis medicamentis nihil salutare experti fuissent, edixere in sua non esse potestate mortuos ad vitam revocare. Ut tamen instanti Barberio, ne intentatum ali-*

(1) Wadd. Annal. Min. tom. XI, pag. 312. — (2) Legendario. Francesc. Octob. pag. 333.

quid

AUCTORE J. V. H.

quid relinquerent, facerent satis, venam multiformiter inciderunt, sed incassum omnia. Quapropter Piconius, aliquot post horis reversus, pronuntiavit, omnem prorsus salutis spem esse sublatam : vocatur igitur parochus, qui impertita Lauræ extrema unctione, testatus est, se numquam tam funestum vidisse casum, idemque tum frater valetudinario Aracœlitano præfectus, tum patres, ex instituto S. Camilli de Lellis infirmis ministrantes, asseruerunt.

jam animam agens,

542 *Dum hæc audiret Barberius, potentiora, id est, cœlestia subsidia adhibenda esse duxit. Domesticis itaque dixit, quandoquidem nulla spes humana superesset, recurrendum esse ad patrocinium B.* Joannis Capistrani; *recitarent proinde quinquies Orationem dominicam et Angelicam salutationem in memoriam quinque ultimorum, quos Sanctus super terra transegit, annorum cum Responsorio et Oratione consueta : dein duo fila tenuiora ex habitu Sancti extracta et in aquam immissa sorbenda ægræ tradiderunt : illico dolores et spasmi cessarunt, suavisque obrepsit somnus, quem circumstantes agoniam interpretabantur. Ast mane facto, ad Lauram* B *accessit Barberius mœstus, eamque in lecto erectam, et dulci serenoque vultu dicentem reperit : Quid causæ est, domine Joannes, quod mœstus videaris? Interrogata a Barberio, respondit : Mecum quidem bene est, Deo sint laudes et Sancto gratiæ : volo induere vestimenta, ut quæ officii mei in domo sunt, peragam. Quod tamen Barberius impedivit, obtendens, necdum esse horam surgendi. Quum postea ad fœminam, quæ moribundæ tota nocte assederat, descendisset, hæc dixit : Vere magnus et prodigiosus est B.* Joannes : *quoniam Laura tota nocte suaviter dormivit, quin aliquid doloris aut spasmi senserit : imo expergefacta, sedit erecta et voluit, ut exstincto lumine, et ego ipsa in lectum concederem : potum petiit et suis ipsa manibus sitim restinxit.*

perfecte sanata fuit :

543 *Dum hæc narraret fœmina, tota vestita et lætabunda comparuit Laura : Barberio hæc omnia somnium videbantur. Tandem certus miraculi exclamavit : O Deus! quis sum ego, ut tanto me digneris beneficio! B.* Joannes, *dulcis patrone, quomodo umquam rependam tantos* C *favores. Vox miraculum inclamantis non solum domesticos, sed et vicinos excitavit, qui omnes propere accurrerunt, et cum stupore audierunt Lauram, Dei et S.* Capistrani *beneficium extollentem. Eodem temporis momento supervenit medicus Pitonius, qui, priusquam e rheda descenderet, quæsivit, num adhuc in vivis esset Laura? Et quum audivisset vivere, e rheda se proripuit, et mirabundus vidit fœminam vivam vegetamque, atque facete interrogavit, quid novi ex altero mundo retulisset. Cui reposuit mulier : Idem et ego a te quærere possem, utpote quæ numquam ibidem fuerim. Ast nescio, cur me in lectum compellant perfecte sanam et cibi appetentem. Medicus, explorata vena, exclamavit : Mirabilis Deus in Sanctis suis. Vehementer gaudeo, Lauram deinceps nullius medici ope indigere. Idem testati sunt parochus et chirurgus, qui dein B.* Joannem Capistranum, *ut specialem sibi patronum, perpetuo habuerunt.*

Alia sancti Reliquiæ

544 *Præcipuæ tamen Reliquiæ in Moravia et adjacentibus regionibus asservantur. Brunæ, quæ est hodie totius Moraviæ princeps civitas,* D *in ecclesiastica supellectili Fratrum de Observantia servatur pallium, tunica et pars cilicii S.* Capistrani, *et quamvis hæc, petentibus tum sæcularibus, tum clericis, sæpius concisa fuerint, superest tamen pars notabilis, quæ sæpe ut potens medecina adhibetur* (1). *Exstabat olim Brunæ domus, quæ in jus monasterii Wilehradensis, Ordinis Cisterciensis transiit : in ea autem, quoniam proprium conventum non haberet, aliquandiu moratus S.* Capistranus; *tamquam hospitalitatis tesseram, suis ipse manibus depinxit antiquo charactere sanctissimum Jesu Nomen, radiante corona cinctum. Domus variis dominis obtigit, quorum plerique, aliquando lutherana lue infecti, ignorabant monumentum, calce iterum iterumque oblitum : ast tandem vir quidam nobilis, Sartorius nomine, imaginem detexit, atque deinceps curavit, ut septimanis singulis ab hora tertia pomeridiana feriæ quintæ ad eamdem horam sabbathi lampas continuo arderet. Quum postmodum ad Wilehradenses monachos domus obtigisset, impensior cultus sanctissimo Nomini exhibitus fuit : nimirum anno* 1694 E *Bernardus, Wilehradensis abbas, elegantissimum erexit sacellum, in quo pro altaris icone inservit id ipsum sanctissimum Nomen, radiis coruscans; in parietibus autem et fornice historia Sancti nostri depicta est* (2). *Similes picturas possidet altera urbs primaria Moraviæ, Olomucium, sede metropolitana insignis. Amandus Hermann, ex quo omnia fere exscribimus, quaternas enumerat : primam supra portam urbis, qua ad conventum Observantium exibatur, quæ postea in lapide fuit excisa,* et, *ait,* etiamnum perseverat decenter renovatum. *Altera pictura exstat in curia, ponderi publico destinata : tertia in domo civis senatorii, nomine Scebasta, qui ante illam nutrit lampadem continuo ardentem : quarta demum est supra portam domus civicæ, sed absque speciali veneratione* (3). *Alter quoque calix, quo Sanctus sacra persolvit, servatur in conventu Claustro-Neoburgensi prope Viennam* (4).

in partibus transalpinis.

545 *Neque suo thesauro fraudatur Polonia. Nam, ut scribit Waddingus* (5), Posnaniæ in majori Polonia, apud Minores Observantes, vulgariter Bernardinos nuncupatos, monstratur vexillum, cum quo vir sanctus ad bellum F illud Turcicum processit. Exstant hucusque et cum reverentia asservantur duo ejusdem pileoli, alter gemmis ornatus apud eosdem patres in cœnobio Samboriensi in Russia, alter cum aliis ejusdem Reliquiis apud patres Societatis in supradicta urbe Posnaniæ. Rursus apud eosdem Minoritas Samborienses est libellus pergamenus, compaginis et characteris vetusti, ita inscriptus : « Ista passio Domini nostri Jesu Christi est breviter compilata a me Capistrano secundum authenticos doctores. » Concionis thema est : « Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum et quæremus eum tecum. » Aliqua etiam illius opuscula avide versant et diligenter custodiunt patres Poloni, utpote de Primatu Petri, de Bello Spirituali, de Temporibus et Persecutione Antichristi atque de Fine mundi. Omnia ferme ejus opera habentur manuscripta Capistrani, aliquando, Deo dante, aliquali nostra opera in lucem proditura.

(1) Hermann. Capistr. triumph. pag. 799. — (2) Ibid. pag. 802. — (3) Ibid. pag. 804. — (4) Germ. Francisc. tom. I, pag. 321. — (5) Ann. Min. tom. XII, pag. 419.

§ XLVI.

A

§ XLVI. De Scriptis S. Joannis Capistrani.

Multa Sancti scripta quæ enumerantur,

Jam itaque acclivi gressu devolvimur ad merita literaria S. Joannis Capistrani, *et ad enumeranda ejus scripta accingimur. Ducem imprimis sequimur Lucam Waddingum, qui in libro cui titulus :* Scriptores Ordinis Minorum, *verbo* Joannes Capistranus *opera Sancti recenset; sunt vero hæc :* 1 de Electione Papæ; 2 Tractatus de dignitate Ecclesiæ ad Nicolaum V; 3 Contra Hussitas, liber unus; 4 de Auctoritate Papæ et Concilii; 5 de Religione; 6 de Sanguine Christi; 7 de Paupertate Christi; 8 de Casibus Papæ reservatis; 9 de Modo et Forma executionis Testamenti; 10 de Instructione seu Directione simplicium sacerdotum; 11 Speculum clericorum, seu Sermo habitus ad clerum in Tridentina synodo diœcesana, anno 1439, die XXII aprilis coram Alexandro, duce Mazoviæ, episcopo Tridentino; 12 Defensorium Tertii
B Ordinis, a S. Francisco instituti; 13 de Excommunicationibus ipso jure latis; 14 de Usu cujuscumque ornatu; 15 de Ornatu mulierum; 16 de Matrimonio; 17 de Excommunicatione; 18 de Canone pœnitentiali; 19 Speculum conscientiæ; 20 de Judicio universali et Antichristo ac de Bello spirituali; 21 de Usuris et Contractibus; 22 de Blasphemia et Perjurio; 23 de Restitutionibus et Contractibus; 24 de Confessione facienda proprio sacerdoti; 25 de Censuris; 26 de Casibus et Pœnis injungendis; 27 de Pœnis inferni et purgatorii; 28 de Cupiditate et Avaritia, libri tres; 29 de Passione Domini; 30 de Processione Spiritus Sancti; 31 de Conceptione Beatissimæ Mariæ Virginis; 32 Commentarius in Regulam Minorum; 33 Tractatus contra Philippum Berbegallum, pontificias declarationes in Regulam Minorum respuentem, et novitates perniciosas in Ordinem advehentem; 34 Alter tractatus contra Rochizanam; 35 Tractatus seu Concionatoriæ Expositiones super illud Isaiæ cap. VII « Ecce Virgo concipiet etc. »; 36 Interrogatorium; 37 Liber alter de Casibus conscientiæ; 38 Tra-
C ctatus contra Judæos et hæreticos; 39 Tractatus, cui titulus : Canones extracti e corpore juris; 40 Compendium Resolutionum super totum corpus Decretalium; 41 Quæstio : an omne mendacium peccatum; 42 Tractatus super Apocalypsim; 43 Sermones dominicales et festivi; 44 Animadversiones circa sacrosanctum Missæ sacrificium; 45 Tractatus sive Sermo ad studentes; 46 Epistolæ multæ ad Summos Pontifices, Cardinales, Ecclesiarum antistites, reges et principes, aliasque personas.

hactenus anecdota,

547 *Dolendum sane est, opera S.* Joannis Capistrani *hactenus in unum corpus collecta et publici juris facta non fuisse. Id quidem facturum se promiserat Lucas Waddingus num.* 545 *allegatus : sed anno* 1657 *defunctus, promissum præstare nequivit. Ex Bibliotheca Sicula Antonini Mongitore habemus* (1), *Joannem Antonium Sessa, e Minorum Observantium familia* prælo parasse S. Joannis de Capistrano, Ordinis Minorum Observantium, opera omnia, diuturno labore viginti annorum collecta, notis illustrata et in tomos XVII digesta. *Vixit autem Sessa usque in sæculum octavum decimum : nam Bibliothecæ Siculæ tomus alter typis excusus fuit anno* 1714, *et auctor Antoninus Mongitore dicit* (2) : Vivit Romæ vir æterna laude dignus, in Urbe et Orbe notissimus, magna veneratione prosequutus, literariis laboribus in catholicæ Ecclesiæ obsequium addictus. *Sed natus Sessa anno* 1640, *septuaginta quatuor annos factus, paratum opus prælo subjicere non valuit. Imo tot curis collecta et illustrata S.* Joannis Capistrani *opera vicissitudine probabiliter temporum deperdita, non ita pridem denuo reperta fuerunt. Hæc enim ad communem amicum D. Petrum Cernazai Utinensem Paulus Beorchia Societatis nostræ presbyter, Roma die* X *Maji* 1855. S. Joannis de Capistrano monumenta inventa nuper sunt et in Romano Ara Cœli conventu Minorum Observantium asportata religiose servantur : suntque ea ipsa, quæ P. Joan. Antonius Sessa Panormitanus collegerat initio sæculi XVIII et edere statuerat : habentque omnia approbationem Rmi P. magi- E
stri sacri palatii, ut typis mandari possint sive in Urbe sive extra Urbem. Quod ut aliquando tandem fiat, optandum summopere est. Primo volumini desunt in fine paginæ XX; sed quum sint de opere, ni fallor, jam typis edito, facile suppleri poterunt. Porro opera hic collecta, partim sunt jam typis edita, partim vero hucusque inedita; non quidem autographa, sed sincera quidem; quum nulla ratio sit dubitandi de diligentia studio et fide laudati P. Joan. Antonii Sessa Panormitani, qui illa collegit. De eo agit Sbaralea in Additionibus ad Waddingi Bibliothecam Scriptorum Franciscanorum.

AUCTORE J. V. H.

548 *Laudatus igitur Joan. Antonius Sessa, qui intra* XVII *volumina collegerat S.* Capistrani *opera, ea in quinque tomos excudenda constituerat, quorum elenchum hic subjicimus, quia in Waddingiano catalogo desunt aliqua opuscula et vicissim adducit quædam Waddingus, quæ, nisi alio censeantur titulo, apud Sessa desiderantur. Universæ compilationi præfixus erat titulus :* Sancti Joannis de Capistrano, Ordinis Minorum Observantium S. Francisci opera F
omnia elucubratione P. Joannis Antonii de Panormo sacerdotis ejusdem Ordinis. Tom. Primus. 1 de Auctoritate Papæ et Ecclesiæ seu Concilii. 2 De Electione Papæ. 3 De Dignitate Papæ ad Nicolaum V. 4 Speculum clericorum. 5 De Instructione simplicium sacerdotum. 6 Interrogatorium confessorum. 7 Animadversiones circa SS. Missæ sacrificium. 8 De Ecclesiastica censura. *De hoc opusculo mentionem non fecisse videtur Waddingus.* 9 De Excommunicationibus. *An idem quod recenset Waddingus supra sub num.* 13 De Excommunicationibus ipso jure latis? 10 De Casibus Papæ reservatis : *et hoc opusculum deest in Waddingo.* 11 De Canone pœnitentiali. 12 De Pœnitentiis et Remissionibus, *deest in Waddingo.* 13 De Casibus et Pœnis injungendis. Hæc omnia comprehenduntur tribus voluminibus mss. in 4° paginis 700 circiter singulis.

typis paravit Joan. Antonius Sessa,

549 Tom. Secundus. 14 De Vita et honestate clericorum super III Decretalium. *Deest in*

sex tomis distinguenda;

(1) Append. pag. 21. — (2) Ibid. l. c.

Waddingo.

AUCTORE J. V. H.

Waddingo. 15 De Avaritia super v Decretalium. *Waddingus habet num.* 28. De Cupiditate et Avaritia libros tres; *num iidem sint cum Sessiano tractatu, merito dubitari potest, nam paulo infra Sessa aliud opus recenset,* contra Cupiditatem. 16 De Usuris et Contractibus. 17 Contra Cupiditatem, *forsan unum alterumque tomum efficit tractatus Waddingiani, mox allegati,* De Cupiditate et Avaritia. 18 In Extrav. Joannis XXII 1 de Verbor. Signif. contra Berbegallum. 19 Defensorium Tertii Ordinis. 20 Consultationes Canonico-legales. *Num idem ac apud Waddingum num.* 40 : Compendium Resolutionum super totum corpus Decretalium? 21 De Quarta Canonica. *Deest in Waddingo.* 22 De Forma executionis testamenti. 23 De Matrimonio per modum consilii. *Deesse videtur in Waddingo istud opusculum quum infra recenseat Sessa tractatum* De Matrimonio. Tomus hic secundus tribus voluminibus mss. ut supra constat. *Tom. Tertius.* 24 Speculum conscientiæ. 25 De Pœnitentia singulariter seu de Virtute sacramenti Pœnitentiæ. *Deest in Waddingo.* 26 De Confessione facienda proprio sacerdoti. 27 Quæstio : an omne mendacium sit peccatum. 28 De Matrimonio. *Duplex igitur opusculum de hoc sacramento habemus, quum Waddingus unicum recenseat.* 29 De Consanguinitate et Affinitate. *Deest in Waddingo.* Tomus hic tertius similiter tribus voluminibus mss. ut supra constat.

B

et animadversionibus illustranda:

550 *Tom. Quartus.* 30 De Jejunio. *Deest in Waddingo.* 31 De Usu cujuscumque ornatus. 32 De Ornatu mulierum. 33 De Blasphemia. 34 De Perjurio. *Waddingus sub num.* 22 *hos duos tractatus in unum opus coagmentat.* 35 De Judicio universali. 36 De Antechristo. 37 De Bello spirituali. *Hæc tria quasi unum tractatum Waddingus sub num.* 20 *exhibet.* 38 De Inferno, *idem censuerim, ac Waddingianum sub num.* 27. 38 De Pœnis Inferni et Purgatorii. 39 Apostilla supra Apocalypsim B. Joannis Apostoli. Tomus hic quartus quatuor voluminibus ut supra constat. *Tom. Quintus.* 40 De Sanguine Christi pretioso. 41 De Paupertate Christi. 42 De Utraque Conceptione B. Mariæ semper Virginis. 43 Contra Hussitas et Rochezanam. 44 De veritate Fidei *addit Waddingus num.* 34 *scriptum tractatum* contra Rochezanam. 45 Contra Judæos *addit Waddingus num.* 38 et hæreticos. 46 De Religione. 47 Vita S. Bernardini Senensis. *Deest in Waddingo.* 48 Prolusio seu Sermo ad studentes. 49 Alia ad amatores Sapientiæ. *Deest in Waddingo, quemadmodum et sequens.* 50 De promovendo studio inter Minores Observantes. 51 Epistolæ missivæ et responsivæ ad Summos Pontifices, Cardinales et principes numero LXXIV et aliæ II ad privatos. *Certum est plures fuisse epistolas S.* Capistrani, *præsertim ad privatos scriptas, quæ hactenus delitescunt; imo in decursu hujus Commentarii varios citavimus.* 52 Sequuntur quædam fragmenta prædicabilia, quæ nobis suppeditant archivium et reliquiarium nostri conventus Capistrani, quibus utebatur auctor pro temporis varietate. Constat Tomus hic quintus tribus voluminibus mss. ut supra. *Tomum, ut videtur, præliminarem conflare debebat tum Vita S.* Joannis de Capistrano *ab ipso Joan. Antonio Sessa compilata cum ampla collectione testimoniorum de S.* Joanne de Capistrano. *Est codex ms. paginarum circiter* 600. *Cui subnectitur Vita* Joannis de Capistrano, *descripta a quatuor sociis ejusdem; videlicet Nicolao de Fara, Hieronymo de Utino, Christophoro de Varisio et Petro de Sopronio. Codex ms. paginarum circiter* 300.

C

D

quæ videtur inter Waddingum et Sessa

551 *Notavimus supra Antonium Sessa sub num.* 47 *recensuisse* Vitam S. Bernardini Senensis, *quam abesse diximus a Catalogo Waddingiano. Porro propter auctoritatem seu taciturnitatem Waddingi abjudicatur passim S.* Capistrano *Vita S. Bernardini. Sic majores nostri in Commentario prævio ejus Actorum, ad diem* XX *Maji num.* 6 (1), *ex silentio tum Nicolai de Fara biographi, tum Henrici Willot et præsertim Lucæ Waddingi, arguunt S.* Capistranum *magistri sui Vitam non scripsisse. Similiter Amadeus Maria de Venetia, Ordinis Observantium S. Francisci, anno* 1744 *accuratissime italice composuit Vitam S. Bernardini, multis notis illustratam, in cujus præfatione eorumdem scriptorum silentio nixus et Bollandistarum auctoritate confirmatus, similiter Sancto nostro dictam Vitam adjudicat. Nihilominus laudatus Joan. Antonius Sessa supra sub num.* 47 *inter sincera opera S.* Capistrani *hanc Vitam reponit: quoniam autem penes nos non est aliud, quam nudus elenchus, inquirere non possumus in rationes, ob quas laudatus Sessa inter genuina scripta lucubrationem recensuerit. Cæterum secundum notam manu amicissimi nostri doctoris Cernazai exemplari Vitæ S. Bernardini adscripta, dicitur Leonardus dei Benevoglienti Senensis, petente S.* Capistrano, *scripsisse Vitam S. Bernardini; sed ut habet Ildephonsus a S. Aloysio, Leonardus anno* 1446, *id est biennio a morte Sancti, solum descripsit Vitam ab ejus nativitate usque ad ingressum in Ordinem Minorum, qua tamquam normam usus est S.* Capistranus, *ut totam historiam compleret. Hac ratione conjicere licet, quomodo inter duos auctores coævos incerta remanserit scriptio.*

E

diversitas, utcumque explicatur:

552 *Id quoque animadvertendum est, ab elencho Sessiano abesse quædam opera, quæ Sancto adscribit Waddingus. Hic inter alia habet sub num.* 23 *tractatus* de Restitutionibus et Contractibus, *sub num.* 25 de Censuris, *sub num.* 29 de Passione Domini, *sub num.* 30 de Processione Spiritus Sancti, *sub num.* 35 Expositiones concionatorias super illud Isaiæ VII « Ecce Virgo concipiet. » *Nos latent autem rationes, ob quas hos tractatus eliminatos videmus ex Elencho Sessiano : maxime quum istiusmodi tractatus delitescere non videantur sub alio titulo. Similiter omisit Sessa* Commentarium in Regulam Minorum, *a Waddingo sub num.* 32 *allegatum : certe non temere processit Waddingus, quandoquidem subnectat :* Habeo ms. italice. *Neque mirabitur quis, Joannem nostrum unum e primis, qui reformationem Ordinis Minorum susceperunt, simulque hujus reformationis per varias Europæ provincias propagatorem diligentissimum et per aliquod tempus totius reformationis generalem superiorem, commentarium scripsisse in Regulam, quam totis viribus instauratam non cupiebat modo, sed multorum annorum indefesso labore procurabat. Supra*

F

(1) Act. SS. tom. V Maji, pag. 259 *

A *num.* 549 *adnotavimus, aliquot opera variis probabiliter titulis in Waddingiano et Sessiano Catalogis proferri, quamvis eadem videantur; quapropter ea inter omissa a Sessa recensere nolumus.*

simulque recensentur typis edita opera,

553 *Quamvis autem multa* S. Capistrani Opera *adhuc manu solum scripta in bibliothecis delitescant, aliqua tamen publicam lucem aspexere. Nam ut habet Possevinus noster in Apparatu Sacro* (1) *inter Tractatus juris, Venetiis, anno* 1584 *excusos,* exstant, ait, ipsius Joannis a Capistrano liber de Canone pœnitentiali, T. XIV, fol. 395; de Excommunicatione, ibidem fol. 388; de Matrimonio per modum Consilii T. IX, fol. 77; de Potestate Papæ et Concilii T. XIII, part. I, fol. 32; Speculum conscientiæ T. I, fol. 323. *Seorsim vero edita fuere opera aliqua ; nam Antonius Ferrarius Venetiis anno* 1580 *typis suis excudit:* De Auctoritate Papæ et Concilii contra Basileenses qui concilio suo subjectum volebant Romanum Pontificem *et Gregorio XIII dedicavit: Dein* Speculum cleri, *quod Ferdinando Medicæo, Cardinali protectori Ordinis Minorum, inscripsit: ac tandem*
B *tertium opus,* Defensorium Tertii Ordinis *nuncupavit Joanni a Calusio, provinciæ S. Bernardini ministro. Petrus vero Dehuchinus Venetiis quoque anno* 1583 *quatuor opuscula :* de Judicio universali, de Antichristo, de Bello spirituali, ac de Usuris et contractibus *publici juris fecit* (2). *Præterea in bibliotheca Collegii Romani alia, teste Paulo Beorchia nostro, supersunt typis excusa opera, scilicet* contra Berbegallum, de Pœnitentiis et Remissionibus, de Vita et honestate clericorum, de Matrimonio. *Ex his patet, utilem posiurum operam illum, qui aliquando paratum Joan. Antonii Sessa editionem in lucem produceret.*

eliminatis, quæ falso attribuuntur.

554 *Tribuuntur insuper S.* Joanni Capistrano *alia scripta, quæ ipsius non sunt : citat Waddingus.* 1 De Originibus urbium, civitatum et oppidorum totius mundi. 2 De Archiepiscopatibus et Episcopatibus. 3 De Origine Religionum militarium pro fide Jesu Christi et Ecclesiæ Romanæ defensione. 4 De vera Donatione Constantini imperatoris. 5 De Vitis Sanctorum et Rebus Ecclesiæ. Sed hæc, *ait*
C *Waddingus,* spuria sunt et conficta ab insigni mendaciorum architecto, qui sub Gregorio XIII tot imposturas et fraudes, quibus historiam omnem vitiabat, fidemque bonorum scriptorum enervabat, pœna luit capitali. *Erat hic Alphonsus Ciccarelli, medicus Umber; cujus fraudes et fictiones non solum historiam vitiabant, sed etiam in detrimentum familiarum vergebant : nam falsis exhibitis instrumentis, occasionem præbebat alienas fortunas invadendi, illustriumque familiarum nomen conspurcandi : unde merita secundum jus vigens, pœna capitali imposturas luere debuit* (3). *In Ciccarellium scripsit Leo Allatius opusculum, quo caremus, sub titulo :* Animadversiones in antiquitatum Etruscarum fragmenta, ab Inghiramio edita. *Hieronymus Tiraboschi, ut habet Biographia universalis supra citata, peculiarem conscripserat Commentarium de Ciccarellio ejusque fatis, qui tamen hactenus delitescit. Atque de Scriptis S.* Joannis Capistrani *satis sunto.*

555 *Coronidis loco apponimus exercitium pium, quod in honorem Sancti nostri variis in locis, præsertim in Italia, fieri consuevit. Joan. Baptista Barberius Capistranianæ pietatis promotor ardentissimus, instituit primum inter domesticos parietes, ac dein in publicam utilitatem produxit, religionem nempe quinque sabbathorum in honorem S.* Joannis Capistrani, *quia nempe die sabbathi obiit vir sanctus et quinque annis, nempe ab* 1451 *ad* 1456 *in regionibus septemtrionalibus tum pro reductione hæreticorum ac schismaticorum, tum pro debellandis fidei hostibus Turcis ingenti ardore allaboravit : hæc religio in eo sita est, ut quinque continuis sabbathis quis SS. Sacramenta recipiat, et quinies Orationem dominicam, Salutationem Angelicam et consuetam doxologiam recitet* (4). *Atque has exercitationes pias Deus quandoque prodigiis et beneficiis cumulavit, ut narrat Amandus Hermann* (5). *Antverpiæ quoque, quando mense Julio anni* 1691 *celebrabatur festum canonizationis S.* Joannis Capistrani, *vexilliferi civitatis* (*vulgo* Alpheren *dicti*) *in unum consilium coalescentes, sodalitatem quamdam, solis vexilliferis eorumque uxoribus et liberis coagmentatam,* E *sub patrocinio S.* Joannis Capistrani *in ecclesia FF. Minorum Observantium instituerunt. Hæc confraternitas, ab episcopo Antverpiensi erecta, et plurimis indulgentiis ab Innocentio XII ditata, præsertim commendabat vitam vere christianam, et specialem pietatem erga S.* Joannem Capistranum, *cujus honorem et gloriam procurare debebant, maxime contribuendo splendori ejus festivitatis annue celebrandæ. Nunc gradum facimus ad edendas Vitas authenticas Sancti, hactenus ineditas, prout eas ex codicibus habemus.*

AUCTORE J. V. H.

Instituitur Antverpiæ in Sancti honorem confraternitas.

VITA CLARISSIMI VIRI

FRATRIS

JOANNIS DE CAPISTRANO,

Feliciter incipit, per Fratrem Nicolaum de Fara socium ejusdem. *a*

a

Ex ms. Aracœlitano.

PROLOGUS *b*.

b

Collabentem ferme Dei civitatem in hoc peregrinanti sæculo, etsi plerique *c* magni ac excellentes Christi præcones summo studio, summaque cura, veluti columnæ fulserint *, solidissimisque coroboraverint fundamentis, Joannes tamen Capistranensis inter hos divinos consules non infimus exstitisse videtur. Per quem misericors et miserator Dominus Deus noster, *qui facit mirabilia magna solus* *, quique veluti cœlum syderibus, Ecclesiam Sanctam suam sanctissimis ornat viris, antiquæ suæ misericordiæ recordatus, *quia visitavit nos oriens ex alto* *: no-

c

* fulcierint *W*

* Ps. LXXI, 20.

* Luc. I, 78.

(1) Pag. 833. — (2) Oudin. de Script. eccles. tom. III, col. 2460. — (3) Biograph. Univ. v°. *Ciccarelli.* — (4) Hermann. Capistr. triumph. pag. 810. — (5) Ibid. pag. 811.

vissime

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

vissime tam munifico, tamque præclaro benedictionis et gratiæ munere suam plebem, in peccatorum tenebris sedentem, illustrare, insignire ac locupletare dignatus est, ut in hoc uno clarissimo Christi præcone hæc nostra florentissima ætas queat in omni genere laudis et gloriæ cum vetustate contendere. Fuit enim hic Joannes natura, virtute, doctrina, sanctimonia tam excellens, tamque præclarus, ut se amplissimum munus * adeptum existimare possit, qui suis oculis, talem ac tantum virum potuerit intueri, in quo prisca illa illorum nostrorum majorum, qui jure * beati appellati sunt, recta sanctaque bene beateque vivendi ratio eluxit. Hic ille est, qui in divinis humanisque educatus studiis, non sermone modo verum etiam vita * subjectos instituit, atque concinnavit, qui se omnibus omnis virtutis * exemplar formulamque proposuit ex vivendi norma doctrinæ testimonium habens * quique veluti stella matutina in medio nebulæ, primum Italis illuxit, demum * Germanis, Boæmis, Polonis et Ungaris sicut sol resplenduit, instituens christianos populos ad regna Dei, sermone assiduo, invictoque labore, languores sanans, pellensque demonia virtute magna indutus ex alto, inclita nempe cœli proles, immensum Italis * decus, clarissimum nostri sæculi sidus, Ungarorum felix robur et gaudium, gloria quidem magna Minorum; Turcarum terror, invictus pugil, et murus christianorum.

* Dei donum *W*

* vere *W*

* verum et vitæ exemplo *W*

* composuit; qui omnibus totius veritatis *W*

* advehens *W*

* *addit.* mox

* Italiæ *W*

CAPUT PRIMUM.

De ejus ortu et sæculari conversatione; de vocatione et admissione ad Ordinem Seraphicum.

Nascitur Capistrani, *et eximie educatur; d*

Aprutinæ sane telluris alumnus in oppido Capistrani *d* claris parentibus natus, plus Capistrano et suæ genti nominis famæ et dignitatis incomparabiliter attulit quam assumpserit; statura quoque etsi recta, et mediocri, consilio tamen altus, virtuteque excelsus fuit. Vox clara; sermo purus; lingua diserta; ingenio acutissimus; capillo canus, ac barba; capite calvus; fronte crispus; vultu rubicundus, et serenus; corpore robustus; venusta facie; aspectu venerandus; longioribus brachiis ad genu usque protensis, eximiarum magnarumque virtutum operationem præsignans atque præfigurans. Bonarum proinde artium studiis ab ineunte ætate parentum opera dedicatus fuit, et optimis moribus imbutus et educatus, lætus et alacer semper fere inventus, oleo divinæ lætitiæ maxime perunctus; dilectus Deo, acceptus hominibus, celeberrimus orbe. Ubi autem grammaticæ rhetoricæque in paternis laribus adolescens adeptus est, quantum illa patiebatur ætas, Perusium mittitur, qui magno ac excellenti ingenio pollens, tam magnam juris civilis et pontificii scientiam sibi in brevi comparavit, ut inter suos coætaneos non modo princeps omnium haberetur, verum etiam et doctrinæ merito atque præstantia ad solemnia insignia promoveri posset doctoratus: ad cujus gradum non evehi decreverat, nisi prius et militiæ dignitatem accepisset, labentis sæculi vanitate lusus, sæpe civitatum et oppidorum regimini præfectus est, in jure civili licentiatus: in quibus quidem magistratibus, etsi avidus honoris et dignitatis, ut nihil prorsus præter humanam laudem et gloriam sibi cuperet vindicare, dilectorum mundi cæca consuetudine.

3 Nulli tamen unquam injuriam fecit, nullam unquam injustitiam; administravit, quinimo æquissimi juris bilantiam tenens, nec delinquentes reliquit impunitos, nec innocentes et innoxios a malis vexari permisit: spernebat pecuniam, renuebat munera, faciem cujuspiam potentis pro veritate, pro justitia, pro Deo suo non pertimescebat. Semel namque auri pondus a quodam nobili et potente Perusino sibi offerebatur, si in quemdam civem præter justitiam accusatum et incarceratum, capitalem sententiam ferre polliceretur; quodque si facere recusaret, gladii animadversione se plectendum fore cito non dubitaret. At Joannes constantia solidus, judicio rectus, animo intrepidus, nedum in captivum non tulit sententiam mortis, sed Deum magis timens quam hominem, sententiam statim libertatis promulgavit. Erat enim hic Joannes Ladislao, Siciliæ Regi, magnopere charus, adeoque illi morem gerere studebat, ut per justitiam et æquitatem continuo sibi creditos populos illi redderet cariores. Humanitate autem, prudentia, temperantia, fortitudine, munificentiaque ita præditus fuit, ut omnium animos ad sui benevolentiam traheret atque impelleret, pius in bonos, severus in impios. Eo namque præsidente et imperante, fures et latrones timore perterriti, omnes abscedebant, respublica quoque tanta pace et quiete potiebatur, ut se felicem arbitraretur, quisquis sub ejus justissimo regimine degeret.

variis magistratibus pie functus,

4 Dum igitur christianæ pacis vinculum in agro Perusino solveretur, totaque provincia bellorum impetu premeretur; præter spem a quodam exsule clari ordinis Perusino adversæ partis inopinato casu extra Perusiam urbem capitur *e;* Brufam oppidum *f* ducitur, carceribus recluditur, die noctuque compedibus tenetur. Captivus autem fugam meditatur, et a nemine credens videri, per turrim se præcipitat, cursitat, effugit, et latitat, circumspectat fugam, tandem, ut potest, prosequitur; vires præstat pavor, spesque consequendæ libertatis; compedibus manus opem tulere: et credens jam evitasse Caribdim, incidit in Scyllam. Nam impedimento compedum arreptum celer non valens continuare iter, iterum captus ad carcerem reducitur ab agricola quodam visus et validissimo clamore manifestatus. Divina igitur dispositione in fortioribus custodiis detrusus, nulla amplius spe fretus captiundæ fugæ, cum diri carceris pondere premeretur, *clamavit ad Dominum, et exaudivit eum, et de omnibus tribulationibus suis liberavit eum* *. Nam deambulanti illi in loco carceris compedibus vinculato, et Officium pudicissimæ gloriosissimæque Virginis Mariæ persolventi, apparuit in aere vir quidam, Franciscanorum habitu indutus, ita eum increpando

in carcerem a Perusinis

* Ps. XXXIII, 6

A crepando alloquens : Quid stas, quid moraris, quid præstolaris superbe? Cui Joannes ingenti terrore percussus: quid me, inquit, vult facere Dominus? Ad quem ille: Nonne vides, quid Deus de te facere statuit? Nonne cernis habitum istum, quem defero? Hunc suscipe, mundum relinque, Religionem ingredere.

inclusus, et mirabili visione admonitus,

5 At Joannes in pii patris gratiam se recipiens vocantis, licet moleste ferret Religionis claustra subire et apparentis vox, ultra quod credi possit, sibi dura et acerba videretur, respondit tamen : Faciam, quod jubet Dominus, et hortaris, postquam ita est Dei voluntas. Et concito gradu properans, ut illius pedes teneret, et amplexaretur, e vestigio disparuit ab oculis ejus, nec eum amplius potuit videre: visumque proinde est sibi orbem quasi totum caligine obumbratum aspicere, et in medio tenebrarum lucis quemdam radium permanere, ad quam quidem lucem multi populi, multæque gentes confluebant. Hunc enim virum, qui sibi apparuerat, Beatum Franciscum
B extitisse, semper putavit et credidit. Populos autem, ad lucem confluentes, Italos, Germanos, Bohemos, Ungaros, Valachos, Transsilvanos, Ruscianos, Sclavosque extitisse, nemo inficiari potest : radius vero lucis ipse profecto fuit Joannes, qui cœlesti doctrina illustratus, mirificisque ac stupendis miraculorum fulgoribus adornatus, memoratis nationibus emicuit.

tandem gratiæ obsecundans, Franciscanum Ordinem ingredi statuit:

6 Nec immerito redarguitur, qui tam grande miraculum Dei potentissima manu in se paulo ante perpetratum, parvi fecerat et despexerat. Nam nocte cum dormitaret, crinibus non rasis, sed evulsis, coronam more Franciscanorum invenit in se, non manu factam hominis, sed summi artificis. Qui non solum Dei mysterium non est admiratus, et perscrutatus, sed sæculi cæco amore allectus in magnum animi furorem est conversus, et concitatus. Dicebat enim : velletne Deus, ut Religionem adirem? velletne forte ut sacerdotii titulo insignirer? Num monachali induar habitu? Durus profecto est mihi sermo, respuit mens, abhorret conditio, nunquam id denique facere statuo.
C Et prorumpens magis ac magis in iram et blasphemiam, Numquam, inquit, clericus fiam; numquam tam acerbum tamque displicibile aggrediar opus. Verum qui vocem noluerat audire benigne invitantis, mox delapsa visione, jussum mandatumque non præteriit dure aspereque corripientis. Hic digitus Dei et mutatio dexteræ Excelsi. Mittens namque protinus, ut potuit, ad Francisci legitimos filios, qui Perusii degebant, rogat non mediocri prece ad se habitum mitti. Interea ex quodam mantello vestem ad instar habitus Minorum suis manibus parat, ut vel sic præcipientis expleat mandatum. Veniunt tandem ad eum duo fratres, habitum deferentes, nec audent induere carceratum, quandoquidem sacra Religio hominem non recipit, nisi liberum : sed ipsemet se ipsum vestiens, quoad vita comes fuerit, servare Regulam Beati Francisci voto pollicitus est. Quo fit, ut qui cor totum dedicaverat mundo, jam illud summo studio consecrare festinet Christo. Jam lacrimas amaras fundunt oculi, qui vanitatibus sæculi in Creatoris offensam fuerant plurimum delectati;

jam psalmos, divinasque cantilenas persolvit decantatque lingua, quæ de rebus caducis mundi delectabiliter consueverat loqui; omnis mentis cogitatio jam tendit in cœlum, quæ prius tota versabatur in sæculo : Christum jam inchoat sequi in manibus hominum, qui prius captivus tenebatur in manibus dæmonum. Hic enim partialis *g* maximus erat, *g*
tantumque optabat Ladislao, Siciliæ Regi, placere, ut Deo suo non multum magni faceret displicere : renuntiat diabolo, adhæret Christo, mutatur homo interior, quandoquidem homo totus mutatur exterior, et de sua liberatione magis atque magis inde sollicitus, data certa pecunia, optatæ tandem restituitur libertati.

experimentum ejus humilitatis sumitur,

7 Adeptus itaque libertatem Joannes, Perusium regreditur, et relicta uxore nobili ac prædivite virgine sibi desponsata, sed non carnali copula conjuncta *h*, relictis patrimonii *h*
juribus, relictis amicis et cognatis, vale dicens omnibus quondam sibi pretiosis, his solutis laqueis, satque mundana dulcedine illusus, trigesimo vitæ suæ anno in loco E
Sancti Francisci in monte lætissima jucundissimaque mente se recepit. Ubi autem præsidentis præsentiam adiit, sine temporis dilatione, supernæ patriæ amore accensus, supplex recipi rogat, atque vestiri. Fratres autem considerantes hominis non mediocrem facultatem, quandoquidem tum doctrinæ præstantia, tum præfecturæ prius habitæ dignitate omnibus notissimus erat, ut magis ac magis sæculum calcaret, diabolum superaret, vomitum abhorreret, sæculi pompis et honoribus intimis præcordiis renuntiaret, fieretque totus mortuus mundo, qui magnus celeberrimusque Christi præco erat futurus, non nisi probatum eum suscipere decreverunt. Mittunt itaque illum ad civitatem despectum, et mitra de papiro, ubi omnia sua conscripserat peccata, coronatum; fingit sapiens se contemptum velut adolescentulum, ac prope insanum, proficiscitur ingrediturque urbem, sordidis ac lugubribus vestimentis indutus; patet omnibus spectaculum, et ubi illustriori nomine et honoribus ampliori gloria fulsit, ibi manifestiorem se intrepidus præbuit. O, inquam, fatui- F
tatem sanctam, quæ in sapientiam mutatur sempiternam ! circuit plateam nobilium, ubi more studentium Italorum perspicacissimum ingenium exercuerat suum : conspicitur a studentibus et doctoribus jurisperitus sic confusus et a plerisque derisus : pergit sic coronatus corona confusibili, ut corona in cœlis coronaretur immarcescibili : maximum se peccatorem ac scelestum se, cunctorum criminum reum, se quolibet supplicio accusans fatetur, ut inter sanctorum et angelorum agmina excusatus excipiatur : voce hominum non magni facit contemni, ut Christi voce possit extolli; despici non curat in terris, ut laudari bene mereatur in cœlis.

quod mirabiliter sustinet;

8 Concursus tandem undique fit civium, mirantur plerique hominem : et quidam insanum, quidam autem altius sapientes Spiritu Dei ebrium arbitrantur, laudant, prædicant, compunguntur : mulieres vero, ad fenestras confluentes, rigatis genis lacrimis, flebiles voces dabant, « amens effectus est, sensu caret, » ajebant. Debellato itaque in hunc

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

modum hoc mortali sæculo, subactoque hoc memorabili humilitatis exemplo communi hoste, ad locum fratrum lætus et victor revertitur, et spretus a guardiano, non serio sed ficte, ut hominis constantiam magis magisque probaret, licentiatus non recedebat, redargutus non se excusabat, ingredi locum non permissus, nusquam ire clamabat, sed genuflexus ac supplex mira quadam humilitate recipi, vestirique pulsat, instat precibus, impetrat lacrimis. Exceptus ergo a fratre Marco Bergomensi *i*, viro probatissimo, curæ traditur rigidi austerique præceptoris, ut spirituali imbuatur doctrina multifarie multisque modis, velut argentum in fornace probatur, egreditur vas purissimum et sanctificatione plenum. In Christi autem schola apprime eruditus, tanta vitæ perfectione primo anno fulsit, ut multa opera egerit perfectorum. Nam a cunctis arte quadam laudabili reprehensus, juste vel injuste, sibi semper culpam adscripsit, contumeliis et opprobriis ab omnibus sæpe lacessitus, numquam ad aliquod impatientiæ signum prorupit. Prælatis, ut Christo, semper obedivit, paupertatem, et lilium castitatis, ut pupillam oculi, diligentissime servavit. Prima quoque vice, qua in religione corpus sumpsit Dominicum, tribus diebus cibum nullum suscepit.

i

B

ac tandem inter Fratres tyro admittitur;

9 Quid plura? In humilibus fratrum servitiis primus, in officio divino sollicitus, in oratione sedulus, in vigilia non piger, humilis in verbo, parcus in cibo, temperatissimus in potu, ut alter Paulus ad religionem tractus, ut princeps Apostolorum Petrus ad sequendum Christum vocatus, denique ad grandia semper perficienda paratus, infirmus enim semel, et a medicis prorsus diffisus, munitus omnibus ecclesiasticis Sacramentis, ubi audivit guardianum præcipientem, ut carnis porcinæ frustum non parvum comederet, fisus in obedientiæ viribus, statim, peracto mandato, fuit miraculose optimam valetudinem consecutus, ita ut qui vita presto * discedere putabatur, mox de lecto surgens sanus et incolumis abierit, quo voluit. Similiter et ovum bulliens præceptoris jussu comedens, præter naturæ jura caloris nullam sensit læsionem : adde quod dum iterum ex more panni loti a novitiis lavarentur, nemoque præ nimio calore illos contingere auderet, lotus facie manu præceptoris, quodam panno ex lixivio calidissimo extracto, etiam nullum ignis passus est ardorem, et ubi exusta decoctaque facie debuit apparere, nullum penitus combustionis signum quoquo pacto præ se tulit *k*.

* *vox italica* statim

C

k

et professione in Ordinem cooptatur,

10 Neque defuit antiquus hostis, qui hujus acerrimam pœnitentiam impedire non tentarit. Nam novellus tyro cum sacristiæ officium, institutione majoris, diligentissime gereret, ac in ipsa sacristia nocte oraret, corpusque suum spiritui subdendo pœnitentiales psalmos cum disciplina devotissime personaret, adfuit illi diabolus pavendo sonitu et rumore, ut vel sic timorem ingerens, ab oratione et disciplina amoveret psallentem; cui fortissimus Christi miles dixit : Quidquid permittit in me Dominus, exerce; agere in me poteris nihil, nisi quod divinæ placitum fuerit voluntati. Et constantissime in disciplina et psalmorum decantatione perseverans, confusus et devictus diabolus abscessit. Hæc sunt Joannis, insignis Christi tyronis, prima jacta eximiarum virtutum optima semina, quæ frugiferam uberrimamque segetem liquido indicant futuram, quia *non potest arbor bona nisi fructus bonos facere* * : hæc nempe sui spiritualis ædificii, maximi et altissimi, erigendi inconcussa solidissimaque fundamenta, quæ non modo splendorem et decorem interioris hospitii Christo Domino præparant, sed et rerum maximarum, ab eo gerendarum, imaginem præ se ferunt pulcherrimam. Hunc ergo, cæteris et quidem multis et mirandis omissis, quæ adhuc longiorem dicendi ordinem expostulare videntur, novæ suæ militiæ finem imponentes, ad enarranda fortissima mirificaque Joannis gesta jam accedamus, et videamus et cognoscamus, quos multos, optimos et suavissimos fructus granum frumenti reddiderit mortuum.

D

* Matt. VII, 17.

ANNOTATA.

E

a *De Nicolao de Fara, socio et biographo S.* Joannis de Capistrano *egimus in Commentario prævio num.* 5.

b *Pro more nostro, has, quas edimus, Vitas, alio modo distribuimus, quam in codicibus mss. habentur : videlicet capitibus prolixioribus dispertimur universam lucubrationem. Ne tamen lector primæva distributione privetur, eamdem, quod et pro aliis Vitis præstabimus, exhibemus : ut uno quasi obtutu utraque habeatur capitum distinctio :*

I
- CAPUT I De ejus corporis dispositione et sæculari conversatione.
- « II De ejus conversione et vocatione ad Ordinem, mirabiliter facta.
- « III De modo receptionis ad Ordinem, quam præclara jecerit perfectionis fundamenta in principio sui novitiatus.

II
- « IV De ejus vitæ institutione et pœnitentiæ austeritate.
- « V De præclaris operibus confectis, et acumine intellectus, deque profundissimæ ejus memoriæ thesauro, et quomodo Francisci familiam semel ab imminentissimo excidio mirifice liberat.

F

III
- « VI De accuratissima paupertatis observantia et castitatis et custodia sui ipsius.
- « VII De causis maximis, ei a quatuor summis Pontificibus commissis et suæ obedientiæ maximis et pulcherrimis fructibus.

IV
- « VIII De obedientia irrationabilium creaturarum ei exhibita, et dæmonum.
- « IX De quotidiana Missæ celebratione, et quam miranda in ea ostenderit Deus.
- « X De efficacia suæ prædicationis et mirabilibus fructibus ejus, et unde principium novæ Francisci familiæ.

CAPUT

A

V
Caput xi De pietate in pauperes et gratia summa, quam habuit ad pacificandos principes et populos.
« xii De magnitudine ejus fidei et excellenti gratia faciendi miracula, sibi divinitus concessa.

VI
« xiii De ejus studio singulari orationis et spiritu prophetico, sibi mirabiliter a Domino collato.
« xiv De egregia singularique gratia regendi subditos, sibi divinitus collata et de S. Bernardini canonizatione.

VII
« xv De ultionibus, quas fecit Deus contra suæ doctrinæ detractores.
« xvi De accessu ad Alemaniam et Bohemiam, et quanta his in regionibus magnalia fecerit.

B

VIII
« xvii De insignioribus progressibus apud Polonos.
« xviii De accessu ad imperatorem et ad Ungariam, et de cruciata ibidem prædicata, et de adventu Turcarum, et quomodo primum fuerunt victi in Danubio apud Belgradum.

IX
« xix De secundo conflictu Turcarum, noctu facto, apud mœnia Belgradi.
« xx De ultima victoria obtenta de Turcis in planitie extra Belgradum, relictis fere centum machinis.

X
« xxi De ejus felici transitu, et quomodo fuit sibi divinitus ultimus terminus mortis revelatus, propter quod deferri voluit Wilak.

C XI
« xxii De miraculis patratis post obitum et primo de multis paraliticis, mutis et cæcis liberatis, deque aliis infirmitatibus malis a plerisque fugatis.

XII
« xxiii De quibusdam mortuis resuscitatis et multis aliis miraculis.

XIII
« xxiv De nonnullis aliis signis et prodigiis, etiam post Joannis dormitionem patratis.
« xxv De ultione divina, ostensa in quemdam religiosum, ejus detractorem, et munere sanitatis, a viro Dei illico ei impetrato et consequente, qui contritus resiliit.

c *Exordium illud, a Waddingo relatum* (1), *paulo aliter sonat, nempe :* Laborantem in hoc peregrinationis sæculo Dei civitatem et ferme collabentem, quamvis *etc. Quæ vero breviores sunt variantes lectiones, easdem in margine adnotabimus, signatas littera* W.

d *Est Capistranum oppidum in Apulia, juxta Lexicon topographicum regni Neapolitani* (2).

e *Est Perusium seu Perusia urbs, caput Umbriæ, antiquissima Etruscorum civitas, est hodie sedes episcopi, quam occupat hodie, qui olim Belgio nostro nuntius apostolicus fuit, eminentissimus S. R. E. Cardinalis Joachim Pecci, qui operis nostri fautor perpetuo fuit. Porro captivitatem et liberationem S.* Capistrani *exposuimus in Commentario prævio numm.* 25 *et seqq.*

f *Brufa, oppidum in provincia et delegatione Perusina, incolarum* 1400 *capax, in valle amœna et frugifera situm, quod colles, vinetis et olivetis abundantes, habet, inter Perusiam et Assisium* (3).

g Partialis *vox infimæ latinitatis, qua significatur homo alicujus partis seu factionis studiosus, qualis erat S.* Capistranus *in obsequium Ladislai regis. Cfr Du Cange Glossarium med. et inf. latinitatis v°* Partialitas.

h *In Commentario prævio num.* 43 *rationes attulimus, quibus persuademur, verum ratumque, licet non consummatum, contraxisse matrimonium Sanctum, quod aliquo modo confirmat biographus dicens, reliquisse* uxorem, *non vero* sponsam. E

i *De Marco Bergomensi scribit Waddingus* (4) : Inter hos (*Observantes*) connumerandus frater Marcus Bergomensis, vir multiplici eruditione clarus in sæculo, initiatus in cœnobio Montis Perusii, qui alios multos illius urbis academicos ad hanc vitam sectandam suo exemplo allexit. Annis multis eo in loco vixit, et tandem miraculis clarus decessit.

k *Rem portentosam clarius explicat Christophorus a Varisio infra dandus, scilicet num.* 17 *dicens :* Dum panni aliqui lavandi essent per novitios, ut moris est; stabant in circuitu novitii, nec pannos contingere præsumebant, quia aqua præ nimia caliditate stridebat. Accedens laicus (Capistrani *præceptor*) et Spiritu Dei, ut credendum est, edoctus, et aliis novitiis in pace dimissis, hunc solum verbis molestat, vocans eum pigrum, somnolentum et negligentem. Dein pannum calidissimum accipiens, in faciem ejus projecit. Cujus caliditatem et combustionem sentiens, coram magistro humiliter genuflexit, credens totam F faciem excoriatam esse et lumen oculorum perdidisse : sed propter meritum humilitatis et patientiæ nullum prorsus in eo signum combustionis apparuit.

CAPUT II.

De ejus vitæ ratione; de ejus scientia; et suscepta defensione Ordinis Minorum.

Ad sacros Ordines promovetur;

Flos igitur pulcherrimus, et omnium gratiarum odore redolentissimus, Joannes Capistranensis, in agro Minorum exortus, defluxo novitiatus anno, jactis maximis sanctimoniæ fundamentis, ad solemnem professionem, omnium sententia benemeritus, suscipitur : decursisque admodum paucis mensibus ad

(1) Ann. Min. tom. IX, pag. 67. — (2) Scacco. Dizionar. geograf. di Napoli, v°. *Capestrano.* — (3) Rampoldi. Corograf. dell'Ital. v°. *Brufa.* — (4) Ann. Min. tom. IX, pag. 60.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

sacros Ordines promovetur. Diaconus autem effectus, Christi præco statim, ante susceptum sacerdotium, designatur: *et ne aliis prædicans, ipse reprobus efficeretur*, ubi degendæ vitæ liberior sibi fuit tributa potestas, crebris disciplinis, *et jejuniis castigans corpus suum et in servitutem redigens* arctissimam vitam semper duxit. Nam nudis pedibus, calopodiis *a* tantum contentus, ad senectam usque perrexit, licet in sua juventute septem fere annis discalceatus incesserit. Equum vel asinum nunquam equitavit, nisi postquam ad ingravescentem pervenit ætatem, et licet, dum comes esset semel B. *b* ministri pro totius Ordinis reformatione, equitare compulsus fuerit, post tamen quadrimestre, finem imposuit hujusmodi labori, qui vacuus fructu reddebatur, nulla sequente Ordinis reformatione. Humili vilique habitu semper vestivit, circulum ligneum et cilicium multo tempore die ac nocte ad nudam carnem deferens, in lecto plumæ nunquam dormire voluit, oblatum autem in domibus sæcularium, peregre dum evangelizando proficisceretur, usque ad paleas evacuari semper jussit.

a

b

B

vitamque agit quam maxime austeram;

12 Carnes nunquam nisi aliquando, magna ægritudine affectus, coactus tamen a sociis comedit, et quamquam quibusdam mensibus, eo senescente, Eugenii Papæ mandato edere cogeretur, parum nihilominus sumebat, sicque fuit cito ab illo mandato absolutus, ut triginta sex annos illum numquam carnes comedisse asserere valeamus. Vinum ita limphatum bibebat, ut potius aqua, quam vinum, ab aliis censeretur degustatum : non enim ad voluptatem, sed ad reficiendas vires, voluptatum domitor, vivendi tantum traxit rationem; medicinam numquam sumpsit corporalem, licet multis infirmitatibus sæpenumero afficeretur. Tres quadragesimas, in beatissimi Francisci Regula expressas *c*, nec gravi ægritudine pressus, nec peregrinationis magnitudine lassus, nullo umquam tempore solvit, quoad spiritum reddidit cœlo. Et cum sibi ipsi esset rigidissimus, cunctis tamen bene esse semper cupiebat. Sopori quidem tribus vel quatuor horis se dabat, licet sæpius duabus : C postea matutinale Officium cum socio, mira mentis attentione et decora nimis pronuntiatione, cum honore et dignitate persolvebat, et quamquam multis et arduis negotiis sæpe præpeditu., nulla tamen tam grandis occupatio illi obtingere potuit, nulla sollicitudo, nulla temporis brevitas, nulla honestatis ratio, quæ ab instituto perorandi modo eum revocare valuerit; fitque proinde mea sententia, ut nemo diligentius, nemo accuratius divinum Officium dixerit, quam hic divinus Joannes dicebat. Officium autem Mortuorum, beatissimæ Virginis Mariæ, Psalmosque Pœnitentiales, Benedictamque *d*, quæ omnia multum frequentare consueverat, si quando utilioribus occupatus, etiam in festis duplicibus omisisset, postea in itinere positus pluries atque pluries replicabat. Cibum per omne tempus vitæ suæ, mane parce sumebat cum cæteris : et si quando longiore itinere nimis fessus fuisset, parva admodum libatione contentus, sero lassum corpusculum reficiebat. Hac sane gratia maxima præstabat, ut tantum vigilaret, quantum vellet, siquidem una vel duabus horis dormire statuisset, mox, illis decursis, D nullo excitante, surrexisset : et omnis vitæ ejus actio aut in lectione aut prædicatione aut in oratione aut in dandis consiliis versabatur : et cum multis egregiisque eximiisque virtutibus esset excultus, ita ut omnem perfectionis gradum videretur adeptus; beatiorem tamen se neminem vidi, qui otium in negotio et negotium in otio semper habuerit.

c

d

studio sacrarum litterarum

13 In lege Domini semper fuit animus ejus, et in lege ejus assidua meditatio sua, quamobrem repertus est, *ut lignum quod plantatur secus decursus aquarum, quod fructum suum dat in tempore suo**. Nam sanctos libros legens, tenacissimaque memoria eos tenens, ita in divinis scripturis doctus supra humanam opinionem evasit et peritus, ut non modo, et quotidiana prædicatione, qua christianos populos prope quadraginta annos fructuosissime aluit et educavit, sed in plerisque libellis et tractatibus, quos in sancta Dei Ecclesia reliquit amplissimos et plene gustantibus suavissimos, effusis omni cum copia divinis scripturis, veluti magnus inundans et E exuperans fluvius legentibus appareat. Multa certe præclara, multaque perutilia perite scripsit et graviter, qui excellente non minus doctrinæ quam prædicationis munere locuples fuit. Omnia namque firma, omnia librata, omnia examinata disseruit, et ex sacris fontibus hausit. In manibus sunt præclara opera ejus. Nam opus insigne et mirabile de Ecclesiæ dignitate edidit, Summo Pontifici Nicolao V intitulatum, ubi quidquid in laudem, robur, et tutelam Ecclesiaticæ potestatis dici vel scribi fere possit, et doctissime conjecit et firmissimis sanctorum Patrum fundamentis et sententiis munivit. Quod adeo ipsi summo Romano Pastori placuisse constat, ut ducentos aureos famulo Dei Joanni donaverit, librariis suo arbitratu distribuendos. Ad servandam insuper conscientiam aliud grande nimis opus orthodoxis confecit, ubi tantam rerum varietatem, et conscientiæ casuum eruditionem et doctrinam effudit, ut viridarium florentissimum credas, omniumque ad animæ salutem conferat. De usuris et contractibus usurarum etiam amplissimum tractatum composuit su- F per *c. omnis utriusque s.*, ac in ipso canonico jure multa perutilia item confecit: inter quæ, tractatus aureus extat, quem Clericorum Speculum voluit appellari, de Censuris, de Inferno, de Judicio, de Confessione, de Blasphemia, deque innumeris rerum generibus, et virtutum laudatione et vitiorum detestatione.

* Ps. 1, 3

adjutus, multa scripsit,

14 Non dicam prædicationes, sed libellos constat edidisse: ut non per annum, sed per annos et annos quisque semper res possit prædicare novas. Libellos præterea acutissimos in Rochyzanum et multos Bohemos hæreticos, in Berbagallum Hispanum, in Vratislavienses hebræos et judæos, in tutelam tertii Ordinis Minorum, quos longum esset enumerare, item divino quodam spiritu conscripsit *e:* de cujus ore, ob excellentis ingenii *e* acumen, quo mirifice præstabat, tanta scripturarum ubertas fluebat et decisius instruebat, ut de quacumque re sibi proposita, quæ maxime ad jus civile vel canonicum pertineret, statim probatissimam ferret sententiam. Erant enim

A enim hujus Dei famuli verba tantæ auctoritatis tam apud sæculares quam religiosos, ut, suscepto ab eo consilio, cujuslibet conscientia sine ulla hæsitatione lucida et serena statim remaneret. Nec dedignabantur magni et peritissimi doctores ab illo consilia expetere; sed ad hunc, veluti orbis oraculum et veritatis eximium et singularem doctorem, cuncti utriusque ordinis in causis arduis et dubiis confluebant: nec mirum, si tantum divinarum et humanarum scripturarum lumen consecutus fuerat. Quippe cum nocte dormiens crateram argenteam vini de manu gloriosissimæ Virginis Mariæ (cujus devotissimus semper fuit) sibi apparentis et propinantis dicebat bibisse.

in rebus gravissimis

15 Quo factum proinde est, ut, licet multa et varia tum coram tum scriptis in plerisque orbis partibus consilia fidelibus dederit, numquam tamen verbum aliquando protulit, quod revocare sibi necesse fuerit. Quin imo ipse potius magnorum doctorum sententias minus rectas sæpe improbavit et diluit, de
B veritatis luce requisitus. Nam semel centum et decem doctores, rogatu Nicolai Marchionis Estensis, matrimonium inter illustrem Franciscum Sfortiam filium, et D. Blancam Philippi Mariæ Mediolanensium ducis unicam filiam, multis pollicitationibus et scripturis contractum, dirimi; et Leonello Marchionis filio in legitimam uxorem sociari posse asserebant. At magnus jurista Joannes, quid sentiret requisitus, uno tractatu prius edito, in omnes contrariam sententiam dedit, atque firmavit, et ita firmavit, ut dux ipse, Blancæ
f genitor, nusquam ab eo discedere voluerit *f*. Memoria præterea quis Joanne Capistranensi tenacior? Scientia juris civilis, et pontificii, quis locupletior? In divinis codicibus quis doctior? Omitto quatuor Evangeliorum volumina, taceo Doctoris Gentium epistolas et canonicas, quæ omnia memoriter recitare potuisset. Sileo testamentum vetus et novum, sacras leges, sacrosque canones, quorum tantam familiaritatem habebat, ut nesciam quis sibi certe par potuisset inveniri.

consiliarius adhibetur:

16 At aliqua brevissime attingam, quæ et divinum ingenium, et incomparabilem memoriæ ejus thesaurum nobis aperte indicant et demonstrant. Alphonsus Magnus, rex Aragonum, post obitum Joannæ secundæ, Reginæ Siciliæ, cum terra marique copiosissimum conflaret exercitum, ut regnum Siciliæ, quod jure dicebat suum, suæ ditioni vindicaret; ab Eugenio Papa Joannes ad Regem mittitur, injustum bellum dissuasurus. Cum autem Capuam se contulisset, ubi Faventinus princeps tunc aderat, et interrogatus de belli justitia, æquum nequaquam respondisset; accersiti sunt duodecim doctores, qui Dei famulum rationibus et argumentis convincant, talia proferentem. His igitur in unum convenientibus, cum omnes tribus et quatuor argumentis arguissent; tandem apostolicus orator, qui singula in armariolo suæ memoriæ recondiderat, in eum deducta, prius per ordinem reassumpsit, deinde ad singula respondens, omnia peritissime destruxit, et fortissime con-
g futavit *g*. Erat enim ita ei recens memoria, et tenax apprehensio scripturarum, quas legerat, ut repertus sit tempore Martini Quinti Romæ in campo floreo evangelizans quadringentas conclusiones semel in una concione prædicasse.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

17 Miranda certe quæ diximus, sed mirabiliora quæ subnectemus. Martino Quinto in Petri sede sedente, accusantur Francisci Filii quod novitates in sancta Dei Ecclesia periculosas pariant. Advocantur Romam centum quinquaginta Patres novæ Francisci familiæ. Conveniunt omnes in loco Sancti Francisci trans Tiberim, non sine timore stant sine pastore oves, extra Francisci caulam formidantes lupi opera abduci. Nondum enim modernus regendi, vivendique modus ab Apostolica sede concessus fuerat, majora namque capita ex Observantium grege non præficiebantur. Spem ergo (vocati) vultu simulant, premunt altum corde dolorem. Cum autem, sic suspensis mentibus, vocari præstolarentur, ingnorantes causam tantæ congregationis, surgit in medium Divinus Joannes, qui tali oratione patrum conventum allocutus est: Viri Patres et Fratres, hunc in locum summi Pontificis mandato nos accersitos fore, nemi-
E nem vestrum latet; ad quid autem vocati sumus, prorsus ignoramus; parva enim res non videtur, pro qua tantus Patrum cœtus hic collectus est; sed grandis, sed periculosa nimis, ubi de nostra salute agetur. Mea ergo sententia, eligendus est aliquis nostrum, qui, si opus fuerit, nomine omnium sit responsurus. Nunc autem perspicite, quem præficere debeatis. Et cum omnibus sapientissimus sermo vehementer placuisset, in Joannem ad responsa danda aptissimum convenerunt.

et novellam Observantium familiam,

potenter oppugnatam,

18 Una itaque dierum, accersitis fratribus in locum, ubi tres Domini Cardinales aderant a maximo Pastore constituti, surrexit in medium quidam episcopus, Francisci veste vestitus, sed ejus sequendæ viæ parum amicus, qui, in sublimi ornatissimaque cathedra pestilentiæ sedens, armatus et accinctus per tres antea menses ad expugnandam delendamque prorsus a terræ facie Christi dilectam familiam, tam grandia, tam enormia, tamque scelesta facinora in Dei servos per tres horas eructavit, (falsa tamen omnia, et ab omni veritate prorsus aliena), ut nequando impu-
F dentius vel turpius audiri queat vel effari; conatus est enim omnium hæresum, quæ hactenus in christiana religione pullulaverant, causas explicare, illationem tandem faciens, qua sicut multæ perniciosæ hæreses quorumdam novitatibus fuerunt exortæ; ita novitate horum fratrum, nudis pedibus incedentium, humili veste indutorum, et pecuniam non contrectantium, nisi resipiscerent, in sancta Dei Ecclesia erant ob hæc aliæ pullulandæ et excrescendæ; ruinam et eversionem omnimodam hujus novi templi viribus dein, quibus valuit, suadens.

docte et viriliter a calumniis vindicat.

19 At Joannes, verbo et opere spectatissimus, et sapientiæ multæ sacrarum litterarum alumnus, cum omnia et singula maledicta tenacissima memoria perstrinxisset, genuflectens cum cæteris, humili audiri prece deposcit. Et quoniam peractæ orationis magnitudo non mediocrem molestiam attulerat, dixerunt illi sacri senatores: Hora jam est prandii, abeamus; et respondente Dei famulo, nequaquam horam fuisse prandii, quando

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

quando tot et tantis maledictis in insontem Christi familiam benignum auditum præbuerant, dicendi libera licentia concessa est. Qui ab orantis episcopi exordio incipiens, divino quodam spiritu omnia et singula argumenta reassumpsit, omnes conclusiones et sententias cum summa omnium laude et admiratione replicavit. Demum, respondere inchoante ad prima deducta, et adversarium episcopum fortissimo sacrarum scripturarum mucrone percutiente, atque maxima cum facilitate et eruditione omnia confutante et refellente, stupefacti et admirati de viri Dei mira sapientia et scientia, omnes illi sacri mundi cardines, cognoscentes falso criminari dilectam familiam Christi, silentium imposuerunt, pacemque inter utramque partem confecerunt. Francisci autem legitimi filii gaudentes et exultantes ad propria rediere, magni Joannis Capistranensis lingua liberati. Ipse vero Dei famulus et ipsa die, in signum vere confectæ pacis, una cum episcopo, Domini de *h* Ursinis, tunc Religionis Protectoris *h*, hospes
B factus est atque conviva. O vere virum mirabilem! o maximum Dei servum! o dignissimum Francisci filium! Quis te magna veneratione suscipiat, attollat dignitate, locet alto sublimique fastigio? Qui collabentem Francisci domum erexisti, qui veritatem et innocentiam supplantari non permisisti, quique nos omnes a tanto periculo summa cum tua gloria liberasti. Tibi igitur magnas laudes canimus, tibi ingentes gratias habemus, tibi perpetuis sæculis nos omnes devinctos confitemur. Quid enim hoc triumpho speciosius? quid hoc certamine, et congressu excellentius? Quid tandem his meritis tuis, inveniri posse pulchrius dicam? Dicam certe liberius adhuc et apertius, quæ de præclarissimis gestis tuis sentio, quorum pauca jam attigisse profiteor. Nunc ergo ad præstantiora et altiora nos conferentes, et emissæ professionis vota principaliora examinantes paulisper, Joannem intueamur cum suis publicis et privatis hostibus viriliter et strenue dimicantem.

ANNOTATA.

C

a Calopodium *apud Du Cange Glossar. med. lat. h. v. significat calceum ligneum, aut saltem cujus pars inferior lignea est: apud Fratres Minores est calceamenti genus, quo, superiori parte pedis nuda remanente, inferior ligno seu corio protegitur contra viarum asperitatem.*

b *Ita legitur in apographo nostro: atque aliquid vitii subesse suspicor: scimus S.* Capistranum *vicarium Observantium fuisse sub ministro generali, Antonio de Rusconibus anno* 1443 (1), *et reformationem tentasse in Ordine universo, quod, ut biographus noster refert, irrito conatu molitus est: hinc censeo initiali literæ* B *sustituendam literam* A. *Neque hac litera* B *indigitatus videtur S. Bernardinus Senensis, cujus etiam socius et adjutor fuit S.* Capistranus (2), *quando vicariatum generalem Observantium administrabat: quoniam nempe quæ apud Nicolaum biographum sequuntur, non satis quadrant cum gestis S. Bernardini: videlicet, laborem* vacuum fructu reddi- D
tum, nulla sequente Ordinis reformatione, *quod Observantibus, in omni spiritus fervore viventibus, nullatenus convenit.*

c *Waddingus exponens Regulam Fratrum Minorum refert cap.* 2 (3): Jejunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino; et qui nolunt, non sint adstricti, sed aliam usque ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur, nisi sexta feria, jejunare: tempore vero manifestæ necessitatis non teneantur fratres jejunio corporali. *Trinam igitur hic habemus quadragesimam; primam scilicet et tertiam in honorem Nativitatis et Resurrectionis Domini, utraque est strictæ obligationis: tertia autem ab Epiphania ad Quadragesimam ecclesiasticam, est consilii, non vero præcepti. Triplex hoc jejunium accuratissime servavit S.* Capistranus. *S. Franciscus novem celebrabat quadragesimas, quas enumerat Waddingus* (4). E

d *Waddingus* (5) *hanc vocem interpretatur* Nocturnum B. Virginis: *quamquam id obscurum videatur; nam paulo ante biographus inter preces, a Sancto frequentatas, enumerat Officium* Beatissimæ Virginis Mariæ. *P. Victor. Al. Fabriani, societatis nostræ sacerdos, cui præter alia multa debeo, textum hunc emendatiorem, dicit, se audivisse a pluribus Franciscanis hac voce significari* quamdam quadragesimam. *Non equidem repugno: attamen satis mire tot precibus intercalatur jejunium.*

e *De S.* Capistrani *scriptis egimus in Commentarii prævii toto* § XLVI.

f *Ex quo puncto pendeat dissensio inter S.* Capistranum *et jurisconsultos circa matrimonium Francisci Sfortiæ et Blanchæ Mariæ, filiæ naturalis Philippi Mariæ Vicecomitis, Mediolanensium ducis, non dixerim. Multi quidem historici de isto matrimonio, ejusque difficultatibus agunt, sed nemo quod sciam, ipsum nodum disputationis explicuit aut indicavit. Ipse* Joannes *noster quæstionem resolvit in suo tractatu de Matrimonio, quod typis excusum fuit* F
T. IX *inter Tractatus Juris, Venetiis editos; sed hoc libro caremus. Joseph Ripamontius in sua Historia urbis Mediolani lib.* IV (6) *dilatarum nuptiarum causas aliquas, prætermissis arcanis, indicat, dicens,* defecisse a Philippo Maria Franciscum Sfortiam, causæque, *ait,* defectionis magnæ et arcanæ quædam ferebantur. Notissima illa et celeberrima sermonibus hominum fuit, quod Nicolaum Piccininum, Sfortiæ inimicum, Philippus Maria nimium extulisset; atque occultiore susurro mussitabatur simul illud, quod Vicecomes et Sfortia, jam pater et filius, gener et socer, adoptionis et sponsalium jure nuncupati, vincula ea caritatis incitamenta irarum sibi invicem fecissent. Quum enim Philippus Maria Franciscum admiratione virtutis (nisi fortasse metu) in nomen familiamque Vicecomitum adoptasset, eique Blancam filiam despondisset; gravium atque quotidianarum offensionum utraque

(1) Ang. de Neapoli. Chronolog. Historico-legalis Ord. Min. tom. I, pag. 102. Wadding. Ann. tom. X, pag. 161. — (2) Cfr Ibid. tom. XI, pag. 137. — (3) Ibid. tom. II, pag. 65. — (4) Ibid. pag. 86. — (5) Ibid. tom. XII, pag. 294. — (6) Ap. Grævium. Thesaur. Antiq. Ital. tom. II, part. I, col. 606.

ea

A ea necessitudo materiam præbebat ; indignante Sfortia, quod gener et successor heresque destinatus, procul a domo, procul ab aulæ limine haberetur, nec tempus matrimonii veniret umquam; et potiores interim alii essent haud alia scilicet commendatione, quam odio ipsius et æmulatu. Philippus Maria vicissim suas habebat causas expostulandi gravissime et conquerendi, sive culpa erat in filio aliqua, sive, quum nulla esset, fingebatur suspicione patris, æmulorum arte, vel etiam, innoxius, ut plerique credidere, juvenis peccare nonnihil et peccando lædere seipsum cogebatur ob ea ipsa, queis lædi sese expostulabat. *Ratum itaque, ut vulgo dicitur erat matrimonium Francisci et Blancæ, si quidem nomina generi, soceri, heredisque intercurrunt; sed consummatum non erat, quoniam Franciscus querebatur,* tempus matrimonii venire numquam. *Quum nempe Philippus Maria, dux Mediolanensis, legitimam prolem non haberet, varii optimates ejus hereditati inhiabant* (1) ; *quorum spes ut præcideret, filiam suam cum*
B *hereditate collocavit in matrimonium Francisco Sfortia; quod secundum Annales Forilivienses accidit die* XXV *Octobris* 1441, Cremona et Pontremulo concessis pro mulieris dote (2). *Errat igitur Henr. Sanclementius in episcopologio Cremonensi, quando nuptias illas in annum* 1463 *rejicit* (3).

g *Joanna, ut habet Odoricus Raynaldus, Annalium Baronii continuator, ad ann.* 1435 § XII, *decessit e vitam eodem anno,* ærumnis ob excitatos ab Antonio Ursino, principe Tarentino, motus, senioque confecta, die purificatæ Deiparæ Virgini sacro... Post cujus obitum Neapolitani regni jura ad sedem apostolicam spectabant... Neque Alfonsus, rex Aragonum, jure ad illud aspirare poterat, quum ejus adoptio, primum inique facta, tum juste rescissa fuisset : nec Renatus (*Andegavensis*), sive Joannæ testamentum, quo relinquebatur heres, verum esset, vel, ut nonnulli scribunt, adulterinum, jure nitebatur; neque enim Joanna fiduciarium regnum aliis legibus transfundere in alios poterat, quam quibus ipsa accepisset. *Hæc Raynaldus. Nihilominus competitor uterque*
C *bello se parabat, varia deinceps fortuna gesto; ita ut* Joannis *nostri legatio parum profuerit; donec tandem Eugenius Papa anno* 1443 *Neapolitanum regnum Alfonso Aragoni, jam maxima ejus parte potito, contulerit. Bullam investituræ refert Raynaldus sub anno* 1443 § VI. *Cæterum quæ a biographo narrantur, testantur, quod unum volebat, tenacissimam Sancti memoriam.*

h *Hic erat Jordanus de Ursinis, qui a Bonifacio IX ad cathedram Neapolitanam promotus, sacram purpuram dein ab Innocentio VII pridie idus Junii* 1405 *accepit : fuit protector Ordinis Seraphici, obiit* XXIX *Maji* 1439 (4).

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

CAPUT III.

De ejus virtutibus; de quatuor summorum Pontificum in eum fiducia.

In summa et purissima paupertate victitans,

Dilectus Deo et hominibus Joannes, cujus memoria in benedictione est, in Christi penuria se glorians, ut cœlestes thesauros sibi mercaretur, tanto studio paupertatem complexus est in omni vita sua, ut non modo plerumque naturæ viribus necessaria denegarit, verum etiam extrema aliquando vix ministraverit: parcus enim cibus, insipidusque potus, adeo ejus corpusculum macilentum et exsangue reddebat, ut ejus familiares comites, suam quotidianam continentiam contemplantes, sæpe admirarentur, quo pacto vitam posset transigere suam. Et licet sancta paupertas in omnibus suis actionibus majorem in modum semper illuxerit, celibem tamen vitam E actitans, mundissimus ex omni opere suo, in rerum abundantia temperantiam, et in penuria invictam patientiam servans, quem sicut nulla vitiavit libidinosa cupiditas, ita nec fœdavit sordida paupertas: cujus pietatis viscera sic in pauperes Christi fuere effusa, ut quidquam in mensa superfuisset, egenis et mendicis semper tribui et elargiri mandarit, nolens quidquam in crastinum reservari. Quo factum est, ut affluentibus eo copiosioribus eleemosinis ante ejus hospitium, dum sacri fluenta Evangelii disseminando peregre proficisceretur, magnam pauperum turbam discumbentem sæpenumero aluerit, illud crebro repetens: Si pauci paucis, si multi multis affluimus bonis. Fiebatque proinde, ut fidissimam in Domino fiduciam habens, nihil minus, quam de crastino cogitaret, sicque suis extremis necessitatibus divinam clementiam sensit providentem, ut inter sanctissimos et acceptissimos Dei amicos, velut verus Evangelici expletor eloquii, his tantum duobus miraculis, quæ subduntur, dignissime possit annumerari.

mirabiliter quandoque sustentatur:

21 Semel Dei famulus Roma Neapolim ibat, cumque allacrymante nimis cœlo ipse cum suis sociis ad quoddam hospitium in campestri, apud publicam viam situm, madefactus totus pervenisset, nec quicquam ad edendum ei esset, conversus ad hospitem dixit illi : Ministra nobis quæso omnia necessaria, deque tuo non cures præmio. Nam forte quispiam Mediolano ad nos sero veniet, qui pro nobis tibi satisfacturus erit. O propheticam vocem, o divinam provisionem! En sero festinus tabellarius Mediolano veniens applicat, litterarum fascem sancto viro obsignat, omniaque pro refectione accepta sua pecunia libentissime persolvit. Quodam hyemali tempore magni Regis servus Joannes Bononia Florentiam cum suis sociis proficiscebatur, quos præcedens nives eis frangebat, cumque iter non mediocri labore prosequeretur, obvium quemdam habuit, non-

(1) Muratori. Annal. d'Ital. tom. IX, pag. 192. — (2) Scriptt. Rer. Ital. tom. XXII, col. 221. — (3) Series Critico-Chronol. Epp. Cremon. pag. 147. — (4) Ciaccon. Vit. Rom. Pontt. et Cardd. tom. II, col. 719. Cfr Moroni. Dizion. d'Erudiz. eccles. v°. *Orsini.*

nullos

A UCTORE NICOLAO DE FARA.

nullos conditissimos panes ad se deferentem; quos cum ei obtulisset, sic ab ejus oculis evanuit, ut nec unde venisset, nec quo abiisset, amplius visus fuerit.

castitatem summa cura servat:

22 Quanto autem studio thesaurum impretiabilis pudicitiæ sibi comparaverit, difficile profecto dictu est. Nam inedia, algore, siti, vigilia, disciplina, cilicio carnem suam, cum vitiis et concupiscentiis crucifigens, tanta sensuum venustate fulgebat, ut omnis sanctimoniæ et honestatis exemplar quoddam singulare videretur, cujus cor sicut radiis fulgoris Christi per continuam ejus meditationem illustrabatur; ita spiritualem lætitiam in omnibus sensibus præ se ferebat et decorem, quibus adeo hic homo Dei præstabat, ut inter multos religiosos existens facie incognitus, ab exteris visus, nemine docente, statim cognosceretur. Qui sicut cæteras virtutes summo cum labore adeptus fuit, ita illibatæ castitatis gloriam summo cum triumpho certaminis sibi vindicavit. Semel enim vehementissime tentatus, cum nec oratione, nec jejunio, nec
B disciplina hostem posset profligare, flammamque libidinis extinguere, in locum illum, ubi æstivo tempore fratrum tunicæ purgantur et excutiuntur, se immergens, per longum temporis intervallum pulicibus totus coopertus, immobilis tam diu ibi nudus permansit, donec perfectam sentiret se de adversario victoriam consecutum: fierique cibus pulicum non horruit, ne cibus fieret ignis et dæmonis. Quid referam de novo bellandi genere, quo inclitus sui victor in suos domesticos hostes usus est? Nam cum ardentissimis voluptatis flammis aliquando ureretur, multaque spiritualia remedia esset expertus, sanitatemque nullam sua ægritudo inveniret, Christi Jesu amoris flamma succensus, ut castitatem immaculatam sibi custodiret, in propria carne non solum bis terque, sed pluries atque pluries accensam facem extinxit, ignem igne superavit, hostem hosteque subegit. Viderunt hujus sævissimi belli præclara in carne decocta signa multi ex fratribus. Vidi et ego hæc narrans meis oculis sanctarum cicatricum imitanda vestigia. Quid tandem de totius ejus vitæ honestate loquar? Quando nulli
C carnis voluptati animum dedit, quando otiosa verba et murmurationes, ut virus, semper abhorruit, quando solus cum sola numquam nisi in propatulo visus est loqui. Vas suum possidens in sanctificatione et honore. Nemo quidem de propria uxore, sicut hic de servanda pudicitia studiosus fuit; omne vitium excludens ab anima sua, ut virtutibus omnibus repleretur.

curat reformationem Ordinis Seraphici;

23 Sed qua digna laude promptissimam ad suos majores obedientiam prosequemur? Quo eloquentiæ splendore summam vigilantiam in commissis declarabimus? Quibus tandem triumphis celeritatem in conficiendo, mansuetudinem in agendo, sapientiam in consulendo, prudentiam in disponendo celebrabimus? Ab obedientiæ sane levissimo suavissimoque jugo non modo nunquam se subtraxit, sed voluntate et voce majorum suorum omni tempore morem gessit. Quot ingentes labores, quot discrimina, quot mortis pericula pertulerit, ut arduas sibi commissas causas expleret, testis est in primis omnis Ordo Minorum, cujus negotia dum Martini Papæ mandato in D Generali Capitulo, Assisii celebrato, de communi reformatione ageretur, diligentissime et sapientissime pertractavit; et ita pertractavit, ut constitutiones, quas nos Martinianas appellamus, omnem bene vivendi rationem et disciplinam continentes, ipse confecerit, et Ministrum Generalem Guglielmum de Casali, qui juramento totum Ordinem, jam collapsum, reformare pollicitus fuerat, et ab ipso juramento numquam quærere solutionem: licet nihil servaverit, nonnullis mensibus comitatus fuerit, ut vel sic omnes ad bene beateque vivendum verbo et exemplo induceret *a*. *a*

varias lustrat et provincias;

24 Testis est universa Franciscanorum nova progenies, quam veluti frugiferam et Deo acceptissimam vineam, vallo et fossa munivit, ac multorum apostolicorum privilegiorum, ab eo impetratorum, sepibus circumdedit, quam non modo per Italiam, Alemaniam, Galliam, Bohemiam, Poloniam et Ungariam dilatavit et ampliavit, sed bene multis summis et maximis periculis de manibus quærentium animam ejus æque grandi labore liberaE vit et illæsam servavit. Testis est Gallia, ubi tempore schismatis Basileensis, juxta Eugenii Papæ jussa, multa sibi Ecclesiæ et Ordinis negotia commissa accuratissime et laboriosissime complevit *b*. Testis est Philippus, illustris Burgundorum rex *c*, qui hunc ab Eugenio ad se missum, ne schismati Antipapæ Amedei de Sabaudia *d* adhæreret, orantem et prædicantem audivit, quique, in Eugenii obedientia a Joanne confirmatus, tantam fidem tantamque devotionem erga eum tunc concepit, ut pro maximo munere duxisset, illum revisisse in dominio suo. Testis est Alphonsus magnus, rex Aragonum, apud quem Eugenii mandato altissimas Ecclesiæ causas sæpenumero peroravit *e*. Testis est iterum Gallia, *ubi ab his qui sanam doctrinam non sustinebant*, quosque Religionis institutum dedecoraverat, bis veneno potatus fuit, licet Christi clementia liberatus, ad majora reservatus. *b* *c* *d* *e*

Fratricellos exterminat;

25 Testis est Italia, quæ tum in Marchia Anconitana tum in agro Romano perniciosissima hæresi Fratricellorum *f*, quos de opinione vocant, turpissime fœdata erat, hujus F opera et studio purgata est: quorum quidem hæreticorum triginta sex loca combussit, quosdam relapsos igne cremari fecit, nonnullos autem ad Ecclesiæ sanctæ sinum juramento adduxit, plerosque vero adjumento celeberrimi viri fratris Jacobi de Marchia *g* quem unice semper dilexit, in Græciam pepulit *h;* et quamquam illorum impietas sæpenumero Dei servum interimere tentaverit, Christi tamen munitus protectione, inter medias paratas insidias transiens, semper illæsus est servatus: tantaque semel in quodam nemore Marchiæ Anconitanæ, dum a magna satellitum turma observaretur, aquarum emersit altissima inundantia et tempestatum, ut, nemine arma sumere volente, Christi servus, præcedentibus per magnum spatium sociis, cum solus remansisset, incolumis evaserit, neci firmissima sententia dandus. *f* *g* *h*

res ecclesiasticas Venetiis componit;

26 Testis est omnis Venetorum populus, ubi animæ simplicis exortam pestiferam hæresim, Eugenio Papæ mandante, grandi labore extirpavit *i*. Testis est Federicus, modernus Cæsar, *i*

A Cæsar, qui hunc a Nicolao Papa impetratum ingenti gaudio excepit, et non modo evangelizantem sæpenumero voluit audire, sed in rebus maximis tuendæ ortodoxæ fidei habere
k consulentem *k*. Testis est Bohemia, testis est Moravia, quæ, Hussitarum damnatissima hæresi infectæ, hujus industria et sapientia circiter duodecim millia hæreticorum ad sanctæ Ecclesiæ Romanæ obedientiam reductos con-
l spexerunt. Testis est Roma Gagellum *l*, Romanæ synagogæ magistrum, disputatione convictum, ad Fidei lumen traxit, et cum eo quadraginta alii Judæi ad Christum verum Pastorem conversi sunt. Testis est Valacchia et Russia in quarum oris supra decem millia schismaticorum, non bene baptizatorum, baptizari fecit, et fidei veritati coaptavit.

Hungariæ periclitanti, 27 Testis est Ungaria, quæ cum validissimo ac potentissimo Turcarum exercitu terra Danubioque premeretur, Calixti Papæ institutione et obedientia crucem adversus Mahumetum, sævissimum Christianorum hostem, divino Joanne fortissimo spiritu prædicante, et
B cruciatorum copias mira sollicitudine congregante, ac ejusdem Crucis signo se intus et extra signante et muniente, et proprio in habitu illud gestante et circumferente, tanquam regis altissimi et Domini exercituum strenuus primipilus et signifer insignis ; non subsistens, sed præiens, et non dicens ite, sed venite, zelans rem publicam magis quam propriam vitam, inimicis Crucis Christi hostibus audacter se ipsum objiciens, et spiritus sui robore, ac dilectionis fervore extenuante, classicoque suæ vocis, populum labentem et cominus cum hoste validissimo ac satellitibus Leviathan propugnantem et dimicantem animabat, corroborabat, et confortabat: adeo quod tunc castrum Belgradi opinatissimum et munitissimum, utpote arcem et asylum illius regni et quasi antemurale christianitatis, in confinibus Turcarum situatum, respectum magnum hosti de se faciens, armis ac machinis bellicis validoque exercitu circumvallatum et obsessum et fere jam ab eo expugnatum et obtentum, defendit, recuperavit, et ne penitus in ditionem illius deveniret,
C sudore suo magno ac strenuo perfecit opere *m*.

m profligatis Turcis, 28 Debellato itaque hoste, et turpiter de subcastro profugato, ac confracta illius virtute et potentia, per eum (utpote *cujus a dextris Dominus confregit in die iræ suæ reges* *) ca-
* Psal. CIX, 7 strensibus peculiis, armis et machinis bellicis, in quibus hostis confidebat, derelictis et obtritis, quasi amens confusibiliter aufugit et evasit, sicque patriæ et genti illi jucunditatem et lætitiam attulit, et sibi gloriam non parvam comparavit, cujus apud eamdem gentem ob tam præclarum facinus memoria in benedictione est et erit in sempiternum. Quamobrem præfatus Calistus Papa hujuscemodi celebris victoriæ diem, ut observandam et venerandam ab omnibus Christi fidelibus decerneret, et illustratam non solum præclara Domini Transfiguratione, sed et ipsa, de qua loquimur, victoria gloriosa, ipsa eadem die a Deo Optimo, a quo salus omnium extitit populorum, data, pro referenda inde omnipotenti Deo gratia, ipsam illustriorem magisque celebrem reddere institueret et committeret, sub

ritu majoris festi duplicis, dehinc in Ecclesia Dei celebrandam, et venerandam instituit et ordinavit *n*. De his præfata Ungaria testimonium perhibens, nulla regum, nullaque principum ope, sed tantum Dei auxilio, et hujus Domini famuli opera et virtute confessa est, se fuisse liberatam. AUCTORE NICOLAO DE FARA. *n*

29 Testis est potentissimus Ladislaus rex Ungarorum, et Bohemorum, et illustris Nicolaus alias Vayvoda Transilvanus, qui inter primores regni Ungariæ primus semper habitus est et tandem ad sublimitatem regiam evectus, diademateque regali decoratus et insignitus exstitit *o*. In cujus domini regia (quippe in sede ejus propria de Vuilak) divus Joannes obdormivit in Domino, et ibidem in æde præcelsæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, regiæ ipsius de Vuilak vicina et fundata, apud Fratres Minores sui Ordinis dietim miraculis coruscans, glorioso sepulchro requiescit in pace. Qui ambo libera voce in conspectu præstantissimi D. Cardinalis Sancti Angeli apostolici legati, Ungarorum gentem de Turcarum manibus opera et industria Joannis Capistranensis erutam exstitisse professi sunt *p*. Testes denique sunt hujus sanctissimi viri obedientiæ quatuor summi Pontifices Martinus, scilicet Eugenius, Nicolaus, et Calistus qui populum sanctum Dei, eis creditum, huic innumeris et amplissimis indultis et privilegiis commisere, apud quos tanta fuit ejus existimatio et opinio, ut vel nulli, vel pauci invenirentur, qui verius et excellentius vindicarent apud eos nomen sanctitatis. *succurrit, eamdemque omnimode liberat:* *o* *p*

30 Nam Martinus hunc primo in toto terrarum orbe generalem hæreticæ pravitatis inquisitorem designavit : Eugenius autem non modo confirmavit, sed tot et tanta illi concessit, et in Judæos, et in hæreticos, atque pro christianarum animarum salute et religionis dilatatione et incremento, ut alterum Papam illum crederes. Voluit quippe eum aliquando Ecclesiæ Reatinæ et Aquilanæ pastorem præficere, sed Franciscana humilitate indutus, ut pluribus prodesset, maluit renuere pontificalem dignitatem, quam toti orbi prædicationis subtrahere ministerium. Dicebat enim se nolle in tam parvis oris recludi, cui
F ad disseminandum Dei verbum totius mundi latissimum Dominus dedisset campum. Nicolaus vero quanta benevolentia, et devotione hunc prosecutus fuerit, non modo ex largissimarum gratiarum concessione, sed et suorum verborum verissimo testimonio liquido constat. Qui tam magna tamque sublimia de viro Dei sentiebat, ut diceret, interloquens de illo : Si obierit hic tempore meo, sanctorum catalogo eum adscribam. Qua tanta fide in eum concepta factum est, ut sua magis, quam aliorum prece, allectus fuerit ad canonizandum Sanctum Bernardinum *q*. Nec mirum : quippe qui meminerat, cum episcopus Bononiensis fuisset præfectus, eum cito ad summum apostolatus apicem sublimandum sibi prophetico ore prædixisse. *Pontifices, Eugenius IV, Nicolaus V* *q*

31 Calistus quoque non minori fide et devotione hunc complexus est, qui in minoribus existens, non solum sua familiaritate eum mirifice donavit, sed ad celsitudinem apostolatus assumptus, et in Turcas cruciatam prædicandam injunxit, et suorum præ- *et Calixtus III maximi Sanctum fecerunt.*
decessorum

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

decessorum privilegia confirmavit *r*, atque multis familiaribus litteris eum dignum effecit. Quem sicut in vita magnopere dilexit, ita post obitum in eo maxime privilegio, quod de officii Dominicæ Transfigurationis institutione condidit, maximis et summis laudibus eum ornat, prælibatam victoriam de Turcis apud Belgradum magnifice factam sibi attribuens, et Joanni *s*. Pius insuper modernus Pontifex, dum in imperiali esset aula, quantum hunc Domini famulum amaverit et coluerit, quidque de eximiis ejus virtutibus senserit, et suo elegantissimo libello hujus ætatis historiarum patere potest, ubi non modo maximis et incredibilibus eum laudibus attollit, dum præclaras res suas in Germania gestas magna dicendi copia, summaque eloquentia enarrat; sed in plerisque epistolis, ad Nicolaum Papam, et ad Firmanum, et Sancti Angeli Cardinales destinatis, ultra quod meo possit exili explicari sermone, laudat, prædicat, et effert, cujus consiliis ita Joannes semper obtemperavit, ut præscium suæ amplissimæ dignitatis illum existimares.

r

s

B

ANNOTATA.

a *Hæc eadem explicatius tradidimus in Commentarii prævii num.* 95 *et seqq.*

b *Vide Commentarii prævii num.* 75.

c *Philippus Bonus dux fuit, non vero rex, Burgundiæ et Brabantiæ; quamvis imperii magnitudine ac populorum frequentia et divitiis multos reges antecelleret. Ad Concilium Basileense legatos suos et episcopos misit* (1) : *ast Eugenium IV verum legitimumque, rejecto Felice antipapa, habuit* (2) : *imo quum eo ipso tempore fœdus renovaret cum Ludovico Sabaudo, Felicis antipapæ filio, anno* 1443, *expressis verbis cautum fuit, confœderationem nullatenus extendere sese ad res ecclesiasticas, aut ad mutationem obedientiæ, Pontifici debitæ* (3).

d *Amedeus VIII, Sabaudiæ dux, dictus (sat immerito) Pacificus, quum quinquagenario major, eremiticam vitam amplexus fuisset, anno* 1439, *die* v *Novembris a Basileensibus patribus, tandem, deposito Eugenio Papa IV, in apertum schisma ruentibus, Pontifex electus fuit : quam dignitatem reluctans et lacrymabundus acceptasse dicitur* (4). *Toto decennio duravit funestum schisma, quod tandem sua prudentia et benignitate extinxit Nicolaus V, concedendo duci Amedeo, seu Felici antipapæ cardinalatum Sabinensem, cum præeminentia supra reliquos Cardinales, et legatione seu vicariatu perpetuo in terris Sabaudiæ, Helvetiæ et aliis Germaniæ tractibus; pariter Cardinales, a Felice creatos, suos et Romanæ Ecclesiæ futuros sancivit Nicolaus Pontifex* (5). *Vidi anno* 1824 *ejus pontificiam supellectilem adhuc conservatam in monasterio Agaunensi S. Mauritii in Valesia. Cfr Commentarii prævii num.* 77.

C

e *Indicavimus in capite præcedenti Annotato* g, *quæ erant inter Eugenium Papam et Alfonsum Aragonem controversiæ, quibus componendis adhibitum legimus nostrum* Capistranum.

D

f *Cfr quæ exposuimus de S.* Capistrani *in exstirpandis Fratricellis industria, Commentarii prævii* § xv.

g *De S. Jacobo de Marchia, seu Piceno agemus ad diem* xxviii *Novembris, quo Martyrologio Romano accensetur, a Benedicto XIII Sanctorum Catalogo inscriptus.*

h *Fratricelli ejecti in Græcia aliquandiu delituere.*

i *Vide Commentarii prævii numm.* 71 *et seqq.*

k *De adventu Sancti in Germaniam egimus Commentarii prævii num.* 190 *et seq.*

l *Eadem refert Waddingus* (6) ; *sed magistrum judæum, ad fidem conversum, vocat Gamalielem. Amand. Hermann suo marte dialogum confecit, quo judæorum errores confutantur* (7). *Quoniam vero hæc conversio accidit paulo prius quam, canonizato S. Bernardino Senensi, ex Urbe discederet S.* Capistranus, *ea anno* 1450, *annectenda est* (8).

m Belgradum, *aliis* Alba græca, Alba Bulgarica *urbs est olim munitissima, ad confluentiam Savi et Danubii, caput Serviæ; quæ provincia a jugo Ottomannico liberata fuit anno* 1835 (9). *Istius Urbis liberationem, cooperante S.* Capistrano, *factam late descripsit Joannes Tagliacotius in Commentarii prævii §§* xxvii *et seqq.*

E

n *Festum Transfigurationis Domini a Calixto III institutum non fuit, utpote quod sæculo decimo tertio, teste Gulielmo Durando in suo Rationali lib.* vii *cap.* 22 (10), *celebraretur in festo S. Sixti, seu die* vi *Augusti. Ast sæculo præcedenti, Potho Prumiensis, qui tunc floruit* (11), *lib.* iii *de Statu Domus Dei* (12) : Miramur, *inquit,* ergo satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam monasteriis mutare colorem optimum, novas quasdam inducendo celebritates. Numquid patribus doctiores aut devotiores sumus? Superba mente præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Neque vero nos in hujusmodi aliquid invenire possumus, quod illorum quiverit diligentiam præteriisse. Quæ igitur ratio hæc festa celebranda nobis induxit? Festum videlicet Sanctæ Trinitatis, festum Transfigurationis Domini : additur his a quibusdam, quod magis absurdum videtur, festum quoque Conceptionis Sanctæ Mariæ. *Est tamen quod miremur, Wandelbertum, sæculo nono et ipsum diaconum ac monachum Prumiensem, in suo Martyrologio metrico sub die* vi *Augusti scripsisse* (13) :

F

Idibus octonis * mortem passura crucemque
Christi Sancta caro ætheream dedit ante fi-
[guram.

* viii idus Augusti.

Ex quibus liquet novum non fuisse Prumiæ, sed obsoletum, festum Transfigurationis dominicæ. Albanus Butler ad diem vi *Augusti, dicit celebratum id festum Romæ jam fuisse sæculo* v, *quam in rem adducit sermonem S. Leonis Magni : verum hic sermo dicitur S. Leoni* perperam attributus (14). *Sed antiquior est ista celebritas in Ecclesia Orientali, ut monstrat Steph.*

(1) Plancher. Hist. de Bourg. tom. IV, pag. 175. — (2) Ibid. pag. 252. — (3) Preuv. pag. clxxii. — (4) Muratori. Annal. d'Ital. tom. IX, pag. 179 et seq. — (5) Ibid. pag. 231. — (6) Annal. Min. tom. XII, pag. 64. — (7) Capistr. triumph. pag 249. — (8) Wadd. Annal. tom. XII, pag. 51. — (9) Cfr Guibert. Diction. Geograph. v°. *Belgrade* et *Servie.* — (10) Fol. v°. 271. Edit. Lugdun. 1551. — (11) Fabric. Glossar. med. et inf. latinit. v°. *Potho.* — (12) Biblioth. Max. Patt. tom. XXI, pag. 502. — (13) D'Achery. Spicil. tom. II, pag. 5. Edit. Paris. 1723. — (14) Migne. Patrol. tom. LIV, S. Leonis Oper. col. 520.

Morcelli

A *Morcelli in Kalendario CPolitano sæculi* VIII (1); *quoniam habet et vigiliam et continuatam octo dierum solemnitatem* (2). *Id ergo præstitit Calixtus Pp. III, ut festum, quod apud Orientales et antiquissimum et celeberrimum erat, et apud varios Occidentales seu latinos frequentabatur, solemnius et ab omnibus celebraretur* (3).

o *Errat hic Nicolaus de Fara biographus, et Nicolaum de Vilak cum Mathia Corvino, Joannis Huniadis filio, qui, defuncto Ladislao, rex Hungariæ electus et coronatus fuit, confundit. Erat tamen, teste Carolo Palma* (4), *Nicolaus de Vilak, wayvoda Transilvaniæ, vir et militiæ peritus, et multis cum Joanne Huniade relatis olim de Turcis victoriis clarus : ast simul, ut habet Bonfinius* (5), *Corvinæ familiæ infensus et infestus.*

p *Ladislao, Hungariæ regi, cujus ditio ab ingenti calamitate liberabatur, victoriam, de Turcis relatam, gratissimam accidisse, non est, quod dubitemus : eamdem S.* Capistrano *adscripsisse nullum nobis documentum monstrat : unde credo aliquid erroris Nicolao biographo, jam in*
B *Nicolao de Vilak allucinato, obrepsisse et Ladislao regi subrogandum esse ejus successorem Mathiam Corvinum, qui revera ad principes Italiæ dedit literas die* XXII *Martii* 1460 (6), *in quibus scribit inter alia, ut causa canonizationis urgeretur :* Hanc victoriam tam insignem meritis ipsius beati viri (Capistrani) adscribendam quis dubitet? *Sic et Nicolaus de Vilak :* Turcarum, *inquit* (7), potentiam sub vexillo crucis et S. Bernardini, cum valido clamore Nominis Jesu Christi inermis confregit atque prostravit.

q *Quæ præstiterit S.* Capistranus *in procuranda canonizatione S. Bernardini Senensis, ostendimus in Commentarii prævii num.* 174.

r *Utramque epistolam, a Calixto III ad* Capistranum *datam, exhibet Waddingus* (8).

s *Sensus est victoriam tributam fuisse S.* Capistrano *et Joanni Huniadi : id etiam constat ex bulla, instituente festum solemne Transfigurationis dominicæ, apud Raynaldum ad ann.* 1457 § LXXVII, *quæ post Deum specialem mentionem facit* Joannis Vayvodæ celebris memoriæ, fidei catholicæ acerrimi defensoris, *et* Joannis de
C Capistrano, Ordinis fratrum Minorum professoris, viri optimi et meritorum apud Deum et homines eximii.

CAPUT IV.

De variis miraculis; de ejus imperio in dæmones; de ejus prædicationibus.

Imperat tempestati Tiburе,

a

Probatam igitur obedientiam Joannis ad Deum et suos majores non tantum homines, sed etiam irrationabilia suo modo laudant et confitentur mirificam. Nam Tiburtino populo in horto Minorum *a* semel viro Dei evangelizante, cum cicadarum cantu nimium sua prædicatio præpediretur, verus Trinitatis cultor sic eas affatus est : In Spiritus Sancti, inquit, virtute vobis præcipio, ut obmutescentes, me prædicare sinatis. Mira certe res et celebri memoria digna, facto præcepto, quasi rationabiles creaturæ sui Creatoris fidelissimo servo obedientes, e vestigio siluerunt, nec unicam vocem amplius dederunt, quoad finem Dei verbum clausum est : expleta autem prædicatione, cantandi licentiam Dei famulo illis tribuente, omnes, ut hactenus, indesinenter cantare cœperunt, omni plebe Tiburtina præsente. Alio quoque tempore, simili etiam miraculo, Lancianensis populus *b* lætatus est. Servo Domini, ante ecclesiam sancti Angeli prædicante, ubi cum ex frequenti exitu et ingressu per templi fenestram cantantes et garrientes hirundines multum prædicationem perturbarent, jussæ ut silerent, et firmæ persisterent, illico obticuerunt et steterunt quousque divina prædicatio consummata fuit.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

b

nocivis animalibus Lanciani et Anguloni

33 Neque silentio præteribimus, quod divina virtus in Angulono *c*, regio oppido, per Christi ministrum operata est. Nam manu Domini facta super illius loci incolas, tanta murium in agris eorum exorta est multitudo et frequentia, ut blada *d* singulorum prorsus devastaret, et omnium arborum radices corroderet. Quod Domini flagellum moleste ægreque populo ferente, institutæ sunt a Dei famulo processiones, et præmissa confessione ad percipiendum Dominici Corporis sacramentum; omnis plebs suasa est et inducta : quibus peractis, effusa oratione per divinum Joannem, cessaverunt pericula, perierunt mures, multitudoque eorum maxima fossis sepulta est, ne sanus aer illorum fœtore corrumperetur. Et ut sanctimonia prædicantis magis atque magis illis patesceret, doctrinaque ejus majori adhuc miraculo comprobaretur, prædicante divino Joanne extra oppidum, contigit, ut bos quidam a longe currendo versus populum, verbum Dei audientem, veniret; qui cornu suo prægnantem quamdam mulierem feriens, et per secretum naturæ locum elevans post tergum potenter projecit : quam cum astantes populi mortuam omnes censerent, vocatus est Dei famulus, ut sua oratione defunctæ subveniat. Qui cum pro mortua orasset, et ut surgeret in Christi nomine præcepisset, statim fœmina (quod dictu mira-
F bile est) sana surrexit, et non modo vitam, qua omnium sententia privata putabatur, sed optimam valetudinem consecuta est, et puellam incolumem enixa, quæ adhuc hodie supervivit.

c

d

pluviæ in Valle Tellina,

34 Neque prætereundum censeo hujus Domini famuli eximiam virtutem et sanctitatem, quæ et cœlo violentiam fecit. Nam in valle Telina *e*, quæ in Longobardiæ partibus sita est, in oppido quod Morgenum* *f* vocant, cum Christi servus prædicaret, cœperunt semel densari nubes, et aer obscurari. Populus autem licet futuram formidaret pluviam, nemo tamen aviditate audiendi verbum Dei abscedebat e campo, ubi Evangelii fluenta effundebantur. At amicus Altissimi Joannes, timens ne populus ob vicinam pluviam recederet, una cum adstantibus brevem orationem effudit ad Dominum, et ecce circumquaque cum plueret, intactus penitus remansit locus prædica-

e

*Morbegno?

f

(1) Kalend. CPolit. tom. II, pag. 230. — (2) Ibid. pag. 188. — (3) Augusti. Denkwurdigk. der. Christi. Archaologie. tom. III, pag. 292. — (4) Notit. regni. Hung. tom. II, pag. 321. — (5) Rer. Hungaric. pag. 498. — (6) Wadding. Ann. tom. XIII, pag. 157. — (7) Ibid. pag. 159. — (8) Ibid. tom. XII, pag. 248 et 251.

tionis,

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

tionis, ita ut nec gutta super solum illud caderet : populo vero discedente, facies terræ aquarum inundatione madefacta extra circulum magnopere reperta est. Qui tanta novitate miraculi stupefacti et admirati, tanta devotione virum Dei deinde prosecuti sunt, ut velut alterum Apostolum venerarentur, et ejus pallium retinerent, per quod Altissimus multa beneficia præstat fidelibus suis.

Varadini; 35 Alio quoque tempore cum in civitate Varadini Ungarica, coram antistite et innumera populorum multitudine evangelizaret, supervenit tanta pluviæ inundatio, ut omnes madefierent. Hi autem cum interrogati fuissent a Christi præcone, si recedere vel persistere voluissent, unaque voce respondissent, à prædicatione nullo modo se discessuros, inducti sunt omnes ad Deum exorandum : cum quibus cum Dei famulus orasset, illico cessavit pluvia, disparuerunt nebulæ, solque, ut prius, splendidissimus refulsit. Per id quidem tempus, divo Joanne in eadem urbe coram dicto episcopo prædicante, multisque
B prælatis et populis, contigit, ut quidam passer ita familiariter et domestice inter brachia evangelizantis volaret, ut capi omnino per eum valeret; subrisit homo Dei, et ad volandum avem provocavit, quæ cum circa pulpitum volitaret ab eo vocata in suis brachiis secundo se locavit. Demum in episcopi gremio, non sine omnium admiratione, se posuit.

dæmones Aquilæ 36 Huic etiam et dæmones parere compulsi sunt, et vocati respondere. Nam in platea majori urbis Aquilanæ *g*, ubi primum sua prædicatio magnopere floruit, cum de excellentia et potentia gloriosissimi Nominis Domini Jesu Christi quodam tempore prædicaret, validissimaque voce dæmones omnes vocaret, visi sunt, et auditi multi ei respondentes, quidam ut oves, quidam ut ursi, quidam ut lupi, quidam ut leones, quidam aliarum bestiarum more terribilibus vocibus, et nutibus mugientes et frementes non solum præsentes, sed in remotis agentes. Vidit hoc excellens singulareque miraculum omnis Aquilanus populus : viderunt hoc inauditum spectaculum prope centum millia hominum, qui ad cœleste pa-
C bulum suscipiendum convenerant ex convicinis regionibus. Silendum nequaquam videtur, quod in Guardia Greli *h*, regio oppido, gestum esse constat, sempiterna memoria celebrandum. Nam ibi divo Joanne, cum magna populorum circumstantium frequentia prædicante, illata est ei quædam mulier, multo tempore a dæmone vexata et oppressa; pro cujus liberatione cum orationem devotissimam effudisset, in Christi virtute dæmoni mandavit, ut ab illa exiret; et obsessæ fœminæ, ut spueret; quæ cum lumbricam nudam nigram et longam expuisset, statim conversa est in materiam quamdam quadram, ad instar magni taxilli nigri. At Dei servus sciens dæmonem esse, nasitergio alligans, extra cellæ fenestram suspendit. Cumque tandem abire vellet, vanitatesque illius populi comburere decrevisset, cartas scilicet, tabularia, taxillos, larvas, fucosque capillos mulierum, et his similia, ex quibus spectaculum magnum paratum erat, recordatus pendentis ad fenestram dæmonis, jussit eum afferri, qui in ignem semel et bis projectus illico, ut serpens sibilando et in altum volitans, videntibus cunctis, exiliit, tertio D in ignem, mandante Domini famulo, pulsus, consumptus est, ut stipula; qui adeo suo horrendo fœtore nares populi complevit, ut omnibus summo fuerit stupori et admirationi, qui aderant.

et Venetiis; 37 Venetiis, insuper, Joanne actu prædicante in templo Minorum, delata est ei quædam mulier, longo tempore ab hoste vexata : quæ cum violenter introduceretur, clamare terribiliter cœpit : Væ mihi, dicens, hodie propter te, Capistrane. A qua cum in virtute Nominis Jesu Christi Domini nostri dæmonem ejecisset, cecidit fœmina quasi semiviva, exurgens autem velut a somno liberata, peroptime ad propria rediit. Altera vero die ad Domini famulum rediens, vix cognoscebatur, quæ quantum antea nutibus, gestibus, voce adspectuque videbatur terribili, tantum postea venusta, devota, et bene composita apparebat. O inquam virum ineffabilem! ad cujus præceptum cicadæ parent, hirundines obediunt, mures moriuntur, mortua mulier suscitatur, cœlum famulatur, dæmones apta voce respon- E dent vocati; quibus tantum hic homo Dei terrori fuit, ut vel rare, vel numquam quisquam obsessus eum adiit, quin liberatus non abierit. Longum esset singula recensere, et arduum nimis cuncta per hunc patrata miracula brevi narratione complecti, quæ si omnia conscribantur, magnum voluminis corpus conficere necesse sit. Bene itaque æquoque jure omnia sibi parent, qui Domino suo semper paruit, contemptor sui, calcator mundi, terror dæmonum, pavor infidelium.

in Missa celebranda constantia, 38 Multa quidem sunt divi Joannis Capistranensis, omni laude et prædicatione dignissimi, præclara ornamenta; sed illud summa admiratione habendum censeo, quod de ejus quotidiana sacræ Missæ oblatione vidimus et cognovimus. Nam pro se et dilectis populis orans ad placandum in omnes divinam Majestatem, corpore sanus, Missam singulis diebus celebrabat, quam nec algoris formidine, nec hyemis magnitudine deterritus, aliquando omittebat, cum tamen populi bene vestiti, et pellicibus tecti in Alemaniæ, Poloniæ et Un-
gariæ frigidissima aura, præ algoris rabie ad F eam ascultandam vix possent perseverare. Tantam enim in Poloniæ regno frigoris acerbitatem sumus experti, ut licet vinum et aquam et calicem calefaceremus, non in Missæ exordio, sed statim post offertorium, celebrante divino Joanne, omnia simul ministraremus, constringentes calicem panno calidissimo, tamen eum vix a congelatione servare sacramentum possemus, nec ob hoc senior sanctus cum summo omnium stupore a quotidiana celebratione discooperto capite cessabat.

in qua supernо lumine illustrabatur; 39 Quippe cum in ea non modo gustarit sæpissime, quam suavis sit Dominus, sed tanta spiritus sancti gratia et celeritate aliquando illustrabatur, ut et futura luculenter prævideret, et absentia quasi præsentia liquido intelligeret. Nam in loco Nemoris Mustelli *i*, in agro sito Florentino, cum generale capitulum celebraretur, in Missa certior factus fuit, ipsum præficiendum esse ministrum generalem totius familiæ Cismontanæ ; quam electionem de se factam nequaquam acceptasset, nisi Domini voluntatem per revelationem *i*

A lationem accepisset : similiter expeditionem in Turcas ut caperet, dum Nurembergæ celebraret *k*, per revelationem etiam didicit. Et ut de multis unum tantum commemorem, illud immensa laude et gloria perpetuis sæculis celebrandum videtur, quod in Ungaria huic almo viro celebranti contigisse refertur. Nam tempore quo Belgradum, modo præmisso Turcarum potentissima manu obsidebatur, ubi et ipse Dei famulus erat obsessus, commonefactus est ab illo fortissimo Christianorum N * in ripa ultra Danubium adversus Turcarum classem pugnante, ut, relicto Belgrado, de quo quasi jam actum esse omnino credebat, apud se tutum rediret, eo quod arbitrabatur, hostium sævitiam remissiorem fieri debere eo absente, quam præsente, ob eas cruciatorum maximas copias quas in illos grandi studio provocaverat, cui divinus * Joannes talia verba respondit : Rogabimus Omnipotentem Deum, ut suam, de hoc, quod a nobis petis, patefaciat voluntatem. Cumque sæpius orasset, et nec ex motu mentis, nec exteriori aliquo signo intelligere valeret, quid Deo B gratius acceptiusve esset, stare vel abire : tandem cum divina in sacra mensa offerret, sagitta cœlo delapsa in medio aræ ante oculos servi altissimi apparet his aureis verbis insignita et circumscripta : « Esto constans, Joannes. » Qua divina visione, et præceptione confortatus, intelligens de hoste jam de proximo paratum esse triumphum, firmus postea et intrepidus cæteros exhortando permansit. O certe virum mirabilem et sanctimonia maxima perfulgidum! ad nostra illustranda tempora cœlitus mortalibus donatum, cui in sacro altari salutarem hostiam offerenti, sagitta de cœlo mittitur, constantia litteris aureis suadetur, felixque de Turcis victoria nuntiatur.

k

* *sic ms. Fortasse* Duce

* sic ms.

magno cum fructu prædicat;

40 Insignis Domini famulus Joannes, ubi primum a suis majoribus Christi præco designatus fuit, ita infatigabiliter ad erudiendam Christi plebem prope quadraginta annos omnem operam dedit, ut nullo otio torpere aliquando sit visus; discretissimus in silentio, prudentissimus atque fructuosissimus in C verbo, plus habens bonæ et perfectæ actionis, quam eloquentis et phaleratæ prædicationis. Hic vere *fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes,* qui rectas vias fecit in deserto, pariter et obliquas direxit, quique non modo Italis, sed et multis aliis nationibus ducatum rectum præbuit sequendæ immortalitatis. Hic alter Paulus, qui gladio verbi Dei, sanæ doctrinæ contradicentes, fortiter percutere potuit, et obedientes saluberrime instituere, portans triumphale Nomen Domini nostri Jesu Christi coram regibus, principibus et gentibus. Hic alter Angelus, a solis ortu ascendens, qui æternum evangelium innumeris populis prædicavit, qui innumeros hæreticos, schismaticos, judæos et peccatores ad Christum, verum Pastorem, convertit, qui Francisci Religionem non solum quoad primam, sed quoad secundam et tertiam Regulam plus cæteris auxit, erexit, dilatavit.

Observantium familiam,

41 Nam provinciam Sancti Bernardini, quæ decem et octo nunc decoratur locis, antequam Italiam exiret, fere totam per se confecit; et plantavit provinciam Austriæ; et provinciam Bohemiæ, ubi prope viginti quinque modo sunt loca, in quibus octingenti servi Dei nunc degunt, ipse cum venerabilis vitæ viris fratre scilicet Gabriele Veronensi *l*, et fratre Christophoro Varisiensi *m*, ejus dilectissimis coadjuctoribus, infra paucos admodum annos, a primo lapide erexit et ampliavit. In provinciis autem Galliæ, Saxoniæ, Argentinæ et Ungariæ, multorum item locorum auctor ipse fuit. Denique in Italia pariter ea quæ commemoravimus multa, et alia loca cœpit atque construi fecit. Ita ut vix ulla sit in Ordine provincia, quæ ab eo magnum religionis non susceperit incrementum. Eo namque tempore, quo hic vir Dei sacram Franciscanorum adiit Religionem, tam exiguus numerus extabat eorum, qui professionem servarent suam, ut incredibile dictu videatur, quo pacto tam cito hæc novella Francisci sit aucta plantatio.

l

m

42 Nempe in Italia, ut divinus Joannes *hactenus pu-* dicere solebat, ducenti Observantium degebant, quando ipse ingressus est Religionem, loca vero circiter triginta, tamen ita pauci inhabitabant, ut tribus unus satisfaceret sa- E cerdos. De illis dicimus tribus, quæ in agro Reatino sunt sita, pauci quidem erant numero, sed pauciores qui scientia et doctrina præstarent, parvi * et abjecti in conspectu hominum, sed magni et accepti in conspectu Dei, utpote qui magna parte ignari extabant litterarum, spiritu tamen Domini et sancta ejus operatione minime carebant, religione insignes, fide præcipui, paupertate divites, charitate ferventes, castitate nitidi, orationi super modum instantes, seque humillima subjectione superantes, vultu mortificati, pedibus discalceati, humillimo habitu omnes vestiti, demissi, pavidi, trementes, exsangues, Deo dilecti, mundo abjecti, egentes *multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes et omnia possidentes n**. Hi quidem a viro optimo, et religiosissimo fratre Paulucio Fulginensi *o*, non tam religione, quam genere clarissimo duxere principium.

sillam,

* humiles *W*

* II Cor. VI, 10.

n

o

43 Hic namque Paulucius, cum multis va- *amplificat,* riisque impedimentis avocaretur, quominus Deo posset servire, affectus innumeris injuriis, et opprobriis sauciatus, quippe qui mul- F tas et prope judiciales persecutiones pro justitia, pro veritate, pro religione, pro Deo suo, proque servanda Francisci Regula pertulit; opera tandem dominorum Fulginensium, quibus affinitate erat conjunctus, licentiam cum uno socio ac locum Bruliam *p*, qui inter Camerinum et Fulginium situs est, ubi arbitratu suo suam posset transigere vitam, a Generali Ordinis Ministro impetravit. Ibi enim multo tempore religiosissimam vitam ducens multos filios in Domino parturivit, quos Christi imitatores, verosque Francisci filios, exemplo magis quam doctrina effecit. Erat enim laicus. Horum igitur sanctæ et pudicæ vitæ sanctissimo odore allecti multi quidem hinc inde cucurrerunt post Christum, ejus jugum leve et suave (relictis omnibus, quæ habebant) amplectentes. Qui omnes passim extendentes alas suas, bonorum præsidio, ad capienda loca conversi sunt. Hæc sane prima acies multos egregios et singulares habuit viros, sed Beato Bernardino præstantiorem neminem, hic enim doctrina locuples, genere nobilis,

p

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

bilis, sanctimonia præcipuus, candoreque virginitatis præfulgidus, ad prædicationis officium erectus, cum septem prædicasset annis, numquam populis gratus, acceptusque fuit, quin evangelizandi gratia diffisus, cogitavit aliquando prædicationis officium dimittere, et sibi soli vacare. Verum enim vero, decurso septennio, apertum est ei populorum ostium, munus donatum prædicandi, concursus ad sanctas suas prædicationes undique fit gentium.

præsertim concionibus habitis:

44 Cumque ad Mediolanensem urbem se contulisset, ubi primum sua prædicatio florere cœpit, Joannes Capistranensis sæculo eripitur, fit præco Dei, Francisci filius, Christique discipulus; qui postquam fluenta Evangelii cœpit disseminare, tum sua, tum Bernardini, tum et fratrum Alberti Sarthianensis, *q*, Jacobi de Marchia *r*, Antonii de Bitonto, et complurium aliorum prædicatione quos nimis longum esset enumerare, multi nobiles, multi studentes, multique doctores ad Religionem se contulerunt : ex quibus nonulli acceptissimi et fructuosissimi evaserunt prædicatores. His nimirum tantam evangelizandi gratiam, tantamque populorum audientiam elargitus est Dominus, ut Italia tota sub eorum pedibus strata videretur, completumque in eis, sicut in Apostolis, illud propheticum conspexerimus *subjecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris* * . Nec mirum si hæc nova Francisci familia orbem fere totum complexa sit, suosque usque ad ultimos terræ limites extenderet palmites, quæ tam cœlestibus fuit fœcundata Patribus, et tam præclaris insignita consulibus, qui in omni sapientia et doctrina florentes, non modo omnem Italiam, horrendorum scelerum sentibus et tribulis obrutam, sed jam fere omnes Christianitatis oras optimis et christianissimis moribus et doctrinæ præceptis composuerint et illuminaverint. Quorum et plerique post dormitionem multis signis, multisque prodigiis coruscarunt.

q r

B

* Ps. xlvi, 3

quarum ope multiplex hominum genus

45 Horum tamen omnium, nemo Joanne Capistranensi fratribus acceptior, Romanæ curiæ nemo gratiosior, in jure civili et canonico nullus doctior, memoria nullus tenacior, corpore laboriosior, in hæreticos et schismaticos, Judæosque nullus ardentior; in Religionis dilatatione nullus studiosior, in miraculorum perpetratione nullus potentior, in tuendo Religionem nullus aptior, in martyrii desiderio nullus cupidior, in sanctitatis fama nullus clarior est inventus. Quo factum est, ut in multis Italiæ provinciis, invitus, maximos et summos honores susceperit, tantusque fuerit ad suas prædicationes concursus populorum, ut Apostolorum tempora in eo floruisse cognoscamus. Ad ingressum quidem ejus civitates omnes et oppida commovebantur, turmatim ad suas prædicationes confluentes, hinc etenim litteris, hinc oratoribus a populis accersiebatur, ac per apostolica mandata, a maximis et potentissimis viris impetrata, sæpe plebibus prædicare cogebatur; sermo autem Domini erat in eo efficax et vivus, et non in humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute Spiritus Sancti, annuntiabat omnibus regnum Dei, *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* * Qui licet sanctitatis

C

* Marc. xvi, 19.

nomine celeberrimus omnibus Italiæ populis gratus, carusque magnopere esset; Aquilanis, tamen Senensibus, Aretinis, Florentinis, Venetis, Patavinis, Tarvisinis, Vicentinis, Veronensibus, Mediolanensibus, Brixiensibus, Mantuanis, Utinensibus gratior, et acceptior, supra humanam opinionem fuit; hi enim, et qui in regno Siciliæ incolunt populi, hunc tam honorifice, tamque avide suscipiebant et audiebant, ut eorum amplissimæ plateæ, latissimique campi hominibus sæpe replerentur, qui ad audiendum verbum Dei confluebant; ita ut aliquando viginti millia, aliquando triginta millia, aliquando quadraginta millia, aliquando supra centum millia hominum suæ prædicationi interessent.

D

ad veram fidem et christianam vitam traduxit.

46 Devotio autem populorum tanta fuit erga hunc Dei famulum, ut sæpe de loco ad locum duci non valeret propter eorum multitudinem, qui ut aliquid suorum vestimentorum haberent et mantellum et habitum sibi incidere præsumebant. Brixiæ namque ultimo anno, quo Italia egressus est, tanta et civitatis et convicinorum populorum multitudo, eo prædicante convenit in eo amplissimo campo, qui est apud portam Sanctæ Apolloniæ, et mensurata loci magnitudine, cum in platea urbis communi præ nimia populi multitudine Dei famulus prædicare nullo pacto posset, uni prædicationi centum et viginti sex millia hominum verissime affuisse conspexerimus *s*. Qui non modo ex Brixiensi sed ex Cremonensi, Bergomensi, Mediolanensi agro convenerant. Neque enim quisque vocem ejus audire valebat, sed sat eis videbatur, hominem Dei vel vidisse, vel tetigisse, arbores namque in propinquis hortis oneratæ hominibus stabant, et cum earum rami sæpe præ multitudine ascendentium frangerentur, et ex his caderent multi; nemo tamen eorum ob casum lædebatur, sed statim incolumes et læti surgentes, famulum Domini vel audire vel saltem videre quærebant. Simili quidem devotione Vicentini, Veronenses, Tarvisini, Patavini et Mantuani hunc eodem anno prosecuti sunt: apud quos per Domini famulum multa etiam patrata sunt signa et prodigia, quorum nonnulla Vicentiæ et Veronæ gesta, manu publici notarii fuerunt examinata et conscripta *t*. Florentinique adeo huic afficiebantur, ut præ nimia multitudine irruentium populorum, volentium eum vel tangere vel osculari, per urbem amicus Altissimi incedere nequiret, nisi vel accensis facibus, vel in medio quatuor lignorum, vel multitudine armatorum munitus et protectus. Hos itaque honores, hasque populorum commotiones, vas ipse humilitatis, Joannes, crebro certe declinavit, crebroque certe subterfugit, furtim ac laudabili quadam arte se nocte subtrahens plebibus. Quando autem nec prohibere nec effugere poterat, cum Propheta sæpe dicebat : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* *

E

s

F

t

* Ps. cxiii, 9.

—

ANNOTATA.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

ANNOTATA.

a *Benedictinis quibusdam monialibus, populo exosis, suffecti fuerunt Tibure* (Tivoli) *Fratres Minores,* anno, *ait Gonzaga* (1), a Seraphici Patris morte XXV ex Alexandri IV decreto : *conventus hic S. Mariæ Majori sacer, a conventualibus ad Observantes transiit ex concessione Pii II. Quoniam quidem Alexander IV S. Petri cathedram conscendit circa finem anni* 1254, *adeoque aut circa finem anni sequentis et forsan in decursu anni* 1256 *decretum pro Minoribus Tiburtinis dederit, teste scilicet eodem Gonzaga l. c., consequens est ut dicta fundatio in annum* XXIX *aut* XXX *a Seraphici Patris,* IV *Octobris* 1226 *defuncti, obitu inciderit.*

b *Lancianum, antiquis Romanis* Anxanum, *civitas est metropolitana, in Aprutio Citeriori regni Neapolitani sita.*

c *Angulonum est hodie* Anglona, *civitas olim episcopalis in provincia Basilicata regni Neapolitani; terræ motibus destructa, episcopi sedes anno* 1544 *translata fuit Tursium* (2) : *subest metropolitanæ Ecclesiæ Acheruntinæ.*

d Bladum *juxta Glossarium Cangii omne genus tritici : unde eadem significatione italica vox* Biada, *gallica* Bled.

e Vallis Tellina, *etiam hodiedum ad regnum Lombardo-Venetum pertinens, adjacet Rhætiæ meridiem versus.*

f *Nullum hujus nominis oppidum in Valle Tellina reperio : errorem suspicor, ut scribendum sit* Morbenium, Morbegno, *juxta Abduæ* (Adda) *fluvium.*

g *Aquilæ, in civitate Aprutii Ulterioris, jacet hactenus corpus S. Bernardini Senensis, in cujus honorem templum magnificum erigi curavit S.* Capistranus (3). *Pro magistri sui Bernardini amore, magni semper fecit Sanctus Aquilanam civitatem eo circiter loco sitam, ubi olim Amiternum.*

h Guardia Greli, *oppidum Aprutii Citerioris* 6000 *incolarum.*

i Nemus Mustelli *scribit codex : sed indubie perperam, pro* Nemus Mugelli; *est scilicet conventus jam, ut scribit Gonzaga* (4), *ab anno* 1212 *S. Francisco collatus; a Conventualibus ad Observantes translatus fuit : in eo celebrata fuerunt anno* 1449 *comitia generalia Observantium Cismontanæ familiæ, in quibus vicarius generalis electus fuit S.* Capistranus.

k *Id accidit anno* 1454 (5).

l *Gabriel Veronensis, in legatione Germanica et Hungarica S.* Capistrani *socius, summis variisque in Ordine officiis functus, anno* 1473 *Transilvanus, sub archiepiscopo Colocensi* (6), *anno* 1475 *Agriensis episcopus* (7), *et demum anno* 1478 *a Sixto IV Cardinalis creatus fuit* (8). *Veronensis passim appellatur, sed proprie Mutinensis dicendus est. Scilicet ad tempus susceptæ purpuræ genus reticuit, ut narrat Waddingus* (9), quod in hunc modum, dum Bononiam, in Urbem venturus, pertransiret et a Joanne Bentivolio, viro primario reciperetur hospitio, opportune retexuit. Erat tunc in eadem domo Nicolaus, comes Rangonius, gener Bentivolii, comitis Guidonis Rangonii apud Mutinenses illustris, filius. Hunc, nihil tale scientem neque a longe suspicantem, adorsus Gabriel et amplexus, fratrem appellavit, eodem parente utrumque genitum indicavit. Exhilarati Nicolaus, qui fratrem, Joannes, qui affinem, filiæ fratrium inopinato nacti sunt tanta dignitate conspicuum, qui fieri possit, avide interrogarunt. Revelavit ille occultum patris crimen dicens, illum in agro Veronensi adolescentulam ruricolam ad illicitum concubitum allexisse, ex quo se progenitum, apud matrem, genitore pecunias submittente, adolevisse. *In purpura vixit Gabriel usque ad annum* 1486, *sepultus fuit in ecclesia Aracœlitana* (10).

m *De Christophoro Varisiensi egimus Commentarii prævii num.* 6.

n *Waddingus, hæc ex Nicolao Farensi referens* (11), *paulo aliter exscribit : en ejus textus :* Patres nostri pauci erant numero, humiles et abjecti in conspectu hominum, sed magni et accepti in conspectu Dei, religione insignes, fide præcipui, paupertate divites, sub humilibus et pauperculis habitaculis degentes, caritate ferventes, castitate nitidi, orationi supra modum instantes, crebro jejunantes, vilia comedentes, æmula humilitate se invicem superantes, facie sqallidi, pedibus nudi, pannosi, dimissi, pavidi, trementes, exsangues, egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes et omnia possidentes, sola paupertate locupletes.

o *Paulucius Fulginas, aliis Paulus de Trincis seu Trinciis, auctor reformationis Seraphicæ, quæ vulgo de Observantia dicitur, obiit* XVII *Septembris* 1390. *Ejus res gestas descripsit Waddingus* (12). *A quibusdam inter Beatos Ordinis recensetur; sed, ut notant nostri* (13), *hactenus cultum non habet, ut liquet ex Martyrologio Romano-Seraphico, edito anno* 1847 *typis Hanicquianis. Attamen Dorius, qui Trincianæ familiæ historiam denso satis volumine descripsit, Pauli imaginem exhibet, capite ad Beatorum morem irradiato, cum suscriptione:* B. Paulus de Trincis Fulginat. (14).

p *De conventu Bruliano scribit Waddingus* (15), *Joannem de Vallibus anno* 1334 *obtinuisse a ministro generali* asperrimum locum de Pisquia sive Bruliano, ad collem Floridum et Serravallem, provinciæ S. Francisci, custodiæ Spoletanæ, inter Fulgineum et Camerinum, ubi cum fratribus sibi adhærentibus vixit in regulari observantia. *Gonzaga e contrario fundationem Bruliani tribuit Nicolao de Trincis, ex fratre Pauli nepote* (16), *quum Waddingus docet conventum* exstructum sumptibus piorum virorum prædicti oppidi, *id est Bruliani* (17).

q *Albertum Sarthianensem, die* XV *Augusti* 1450 *defunctum* (18), *constanter tum in Opere tum in Indice Beatum appellat, ast ejus nomen Martyrologium Romano-Seraphicum omittit.*

r *Jam diximus supra, agendum esse de S. Jacobo de Marchia ad diem* XXVIII *Novembris.*

(1) De Origine Seraph. Relig. pag. 181. — (2) Rampoldi. Corograf. dell'Ital. v°. *Anglona.* — (3) Ibid. pag. 409. — (4) Ibid. pag. 231. — (5) Hermann. Capistr. triumph. pag. 407. — (6) Wadding. Ann. tom. XIV, pag. 46. — (7) Ibid. pag. 133. — (8) Ibid. pag. 213. — (9) Ibid. l. c. — (10) Ibid. pag. 214. — (11) Ann. Min. tom. IX, pag. 382. — (12) Ibid. tom. VIII, pag. 9 et 174; tom. VIII, pag. 104, 109 et 210, tom. IX, pag. 90 et seqq. — (13) Act. SS. tom. IV Sept. pag. 464. — (14) Durante Dorio. Istoria della Famigl. Trinci. ad pag. 278. — (15) Act. SS. tom. VII, pag. 168. — (16) De Orig. Seraph. pag. 160. — (17) Ann. Min. tom. VII, pag. 174. — (18) Ibid. tom. XII, pag. 63.

s *De*

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

s *De exaggerato nonnumquam auditorum numero egimus Commentarii prævii num.* 63 *et seqq.*

t *Horum monumentorum nullum quidem habemus apographum : cæterum quæ aliunde habemus, quæque ipsius socii, testes oculati, retulerunt testimonia, abunde supplent, quæ ex documentis Vicentinis aut Veronensibus recenseri possent ad fidem ejus miraculis adstruendam.*

CAPUT V.

De ejus pietatis et pacis studio; de magnitudine et potentia fidei.

Proximo compatiens,

Ardentissimam autem ejus charitatem, qua omnes complectebatur, sermo certe non explicat : perspecta enim est omnibus sui animi intima compassio, qua ad Christi pauperes ferebatur, quibus non solum ad relevandas B eorum inopias, calamitates et pressuras, sed ad erigenda construendaque nova domicilia maximo adjumento et incitamento fuit. Nam in Aquilana urbe hospitale insigne et opulentissimum construi fecit. Hospitali autem sanctæ Mariæ *alla Scala,* quod Veronæ celebratissimum est *a,* uno consilio fœcundissimo, quod *a* in suum favorem multis lucubrationibus edidit, duodecim millia ducatorum aureorum acquisivit *b*. Si præter justitiam pauperes et *b* incarceratos male tractatos audivit, mox principibus et sæcularibus potestatibus, quibus ipse semper carissimus fuit, pro eorum liberatione libentissime supplicavit; si bona pau- *c* perum dirimi *c,* si viduas, si orphanos, si pupillos opprimi ad ejus aures perventum fuit, scutum justitiæ et innocentiæ semper se opposuit et fecit.

in ejus utilitatem

48 Et in his religionis et pietatis operibus perquam sedulus et officiosus fuit non tantum erga gentes suæ patriæ, sed erga omnes miserabiles personas et ægros, maxime domesticos fidei. Nam et in Ungaria constitutus, et perambulans et evangelizans, inter vitæ suæ C instituta, curam de infirmis (motus tenerrima compassione, et viscerosa pietate erga eos) specialem habuit. Et item hanc laudabilem consuetudinem habebat, ut singulis diebus, more boni et pii medici, bis in die, completis prius divinis officiis et celebrata Missa, post habitum ad populum per interpretem sermonem, postque completas horas canonicas, sextam videlicet et nonam, infirmos visitaret, non perfunctorie pertransiens, sed diu apud illos moram trahens; ac manus omnibus imponens, biretoque sancti Bernardini, quam penes se habebat *d,* eos contingens, deprecabatur Dominum supplex pro omnibus. Deinde *d* cœnabat, et interea ad se accedentibus audientiam benignam præbebat, moxque, completis vesperis, ad ægrotos revertebatur, materna viscera gerens eis, operamque suam impendens et cum his usque ad noctem occupatus, dehinc, ut erat officiosus, ad alia officiosa se convertebat, et sic diem piis et sanctis exercitiis concludens quieti tantisper corpusculum suum dabat.

se totum expendebat;

49 O lucerna! lucerna, inquam, splendens super candelabrum sanctum, cujus lumen su- D per terminos terræ, quandoquidem ad Ungaros usque dilatatione pervenit. Quod enim lumen agit e natura sui, nempe quia habet communicabilitatem in sui diffusione, semper enim generando se multiplicat, donec totum replet hemispherium, hoc egit jubar præfulgidum, vitæ cœlestis vir, opere diffundens lumen suum per dilatationem boni operis et pietatis. Tunc enim in genere moris unumquodque perfectum est, cum bonum cognoscitur, cognitum habetur, habitum dilatatur, et ad alios diffunditur. Sed de his satis : ut a diverticulo repetatur fabulatio sancta, redeamus, unde digressi sumus, et calamo metiamur reliqua ipsius pietatis ac sanctitatis opera. Quot gladio animadvertendos, et perpetuis vinculis affligendos iste liberavit? Quot hostes et sibi mutuo adversantes effecit amicos? Quot oppida, quotve urbes intestinis discordiis laborantes, ad pacis servanda perpetua fœdera reduxit? Quot intestina bella compressit? Inveterata odia extinxit, rixas fugavit, seditiones compescuit, pacis, amicitiæ, concordiæ et E benevolentiæ sanctum semen seminavit? Aquilanam namque urbem ab ira et furore Alphonsi Magni, regis Aragonum, qui, maximo exercitu conflato, ad illam delendam sese accinxerat, auctore divo Joanne meminimus; liberatam urbem Sulmontinam *e,* diuturnis intestinis di- *e* scordiis agitatam, hujus Dei servi opera usque ad ejus dormitionem vidimus pacatam.

et inter se dissidentes

50 Ortonenses et Lancianenses populos, multis bellis, et injuriis lacessitos, hujus item studio et industria cognovimus ad pacis oscu- *f* lum eductos. In cujus sanctæ concordiæ testimonium cœptus est locus apud Lancianum, quem Joannes sanctum Angelum de Pace voluit appellari. Quo tempore Ortonenses *f* miraculum non parvum videre meruerunt, quod subnectitur. Cum enim de componenda pace ageretur, et finem optatum quorumdam impedimento adipisci Joannis labor nequiret, dum ante Ecclesiam sancti Thomæ evangelizaret, dixit omni adstanti populo: Canis est quidem, qui pacem quam vobis suademus, confici non permittit: hunc quidem canem omnes vestris oculis videbitis. Quibus verbis F dictis, et niger canis affuit, qui per medium populi audientis verbum Dei currens, acclamantibus omnibus præ nimio stupore, Misericordia, Misericordia, ita statim evanuit, ut nec unde venisset, nec quo abiisset, quisquam scire potuerit.

ad pacem composuit,

51 Urbem insuper Reatinam *g*, post quadringentorum hominum necem, et multa *g* commissa bella, hujus Domini famuli opera non ignoramus cum Cantalicio concordatam ; utque hi populi memorabili lætati sunt miraculo brevissime enarremus. Dum enim pacis tractatus haberentur, quidam de Civitate Ducali *h* a quodum partiali capite crudelis- *h* sime cæditur. Inflictum autem vulnus ita magnum erat, ut et cerebrum crinibus obvolutum, et scissa ossa cunctis aperte paterent. Cumque medicorum auxilia nulla suppeterent, et spes nulla de vita relinqueretur humana, vocatus est Joannes, pacis mediator, qui amaritudine totus confectus, ad ægrotum cum accessisset, crines primum a cerebro separat, manibusque propriis insanabile constringit vulnus,

A vulnus, deinde fusa oratione dicit vulnerato : « In Christi Jesu Nomine surge, et esto sanus. » Mirabile certe dictu, evasit sanus et incolumis, qui omnium judicio citissime moriturus credebatur; sicque consolidata sunt divisa fractaque ossa, atque caro bene sanata, ut solum vestigium remaneret cicatricis. Quo stupendo miraculo viso, adeo viscera omnium ad servandam pacem sunt commota, ut tranquilla quies et benevolentia sit postea multo tempore inter illos subsecuta. Tantam enim huic cœlesti viro contulit Deus gratiam uniendi placandique discordes, ut plus ipse simplici verbo effecerit, quam plerique resonantibus concionibus.

odiaque privata restinxit:

52 Omitto reliqua, quæ magnum voluminis corpus facile non explicat, et ne longior nimis nostra evadat narratio, gratiæ hujusmodi sibi divinitus collatæ exemplum unum declaret magnitudinem. Tres fuere in Apuliæ partibus adolescentes, quorum unus undecimum, alter quintumdecimum, tertius vero decimum octavum attigerat annum: his igitur ludendi causa in campis convenientibus,

* *adde* senior vel provectior

locutus est * ad socios, « eligendus est unus nostrum, qui cæteris præsit, nunc ergo decernite, quem eligere debeatis. » Illis autem eum in dominum præficientibus dixit : « Ego quidem vestra sententia jam præesse debeo, vos autem mihi parere debetis; » et conversus ad juniorem, diabolico spiritu ductus, de scelestissimo innominabili vitio eum requirebat. At ille tantum abhorrens facinus assentire nequaquam decrevit, sed cum crebris adulationibus suaderi flectique non posset, morte a sociis, omni bestia sævioribus, affectus est. Qui aperientes Martyris corpus (sic æquo jure dicere audeo) viscera primo extraxerunt, quibus in spinis glomeratis, hepar tollentes, coxerunt et cum domum rediissent, casu inciderunt in interfecti pueri patrem cui et dixerunt : « Est nobis bonum hepar coctum, vis nobiscum tabernam adire et illud jam comedemus? » Quo annuente, pergunt pariter omnes : ubi autem ad mensam perveniunt, inscius pater de hepate comedit filii : finita autem collatione dicunt ei : « Quod edisti, hepar

C scito tui fuisse nati; » Quibus dictis, celerrimo cursu fugientes, statim abierunt. Pater autem, dictis non facile credens, percunctatus de valetudine filii, tandem mortuum et jugulatum fuisse ab illis comperit, ac ejus viscera inter spinas conglomerata. Hunc itaque Beatissimus Joannes cum illic evangelizaret, ita divino verbo ad pietatem et misericordiam flexit et induxit, ut tam gravi injuria, tamque irrecuperabili damno læsum cum suis hostibus (quod dictu mirabile est) reconciliarit et ad sanctum pacis osculum conduxerit.

fide nixus, miracula patravit

53 Fide autem plenus ita profecto fuit, ut vetustissimis illis beatissimis patribus illum comparare minime vereamur. Nam hic præter ea miracula, quæ incidenter superius enarravimus, in monte Tusculo puerum mortuum suscitavit. Cobellam, Celani comitissam, a physicis diffisam, a mortis faucibus eripuit. Civem quemdam Aquilanum, qui desperatus, de conventus Minorum fenestra altissima se præcipitaverat, confractum et fere mortuum liberavit. Puellam in Alemania quatriduanam vitæ restituit. Ut sileam multos cæcos, qui-

bus visum tribuit, multos claudos, quibus gressum impetravit, multos surdos, quibus auditum præbuit, multos mutos quibus loquelam reddidit, afflictos plerosque, et variis ægritudinibus detentos, quibus bonam valetudinem contulit. Quæ quidem miracula ideo silentio hoc in loco prætereamus, tum quia Joannis detractores ea Sancto adscribant Bernardino, quandoquidem ad tactum suarum Reliquiarum multa, etsi non omnia, facta fuisse contendant, tum quia, ne longiori oratione lectorem fastidiosum molestumque reddamus. Ad enarranda, quæ post ipsius dormitionem gesta sunt, jam festinamus, quibus sole clarius patere poterit, quam multum desipiunt, qui ita de divo Joanne sapiunt. AUCTORE NICOLAO DE FARA.

puellam mortuam a triduo

54 At ne mirabilem quatriduanæ puellæ resurrectionem omnino prætereamus, quo pacto id gestum sit, brevissime demonstremus. Viennæ, quæ Provinciæ Austriæ suprema civitas est, quam majores nostri Flaviam dixerunt, clarissimo Christi præcone, Joanne, cum incredibili populorum frequentia evangelizante, puella trium annorum cum dimidio, nomine Catharina *i*, unica matris filia, in villa quadam, quæ ab oppido, quod dicunt Lach *k*, duobus milliaribus Alemanis distat, a sua genitrice, vocata Clara, Petri sartoris uxore, amittitur. Duobus autem diebus apud amicos et cognatos quæsita, nequaquam invenitur. Suffocata autem ab hauriente aquam avunculo de puteo extrahitur, atque afflictæ matri defuncta præsentatur. Quam ut primum vidit, dixit germano suo : Audivi, frater, hisce diebus venisse Viennam quemdam sanctum virum Italicum per quem Omnipotens Deus multa operatur miracula, rogo te, ut hanc defunctam puellam illuc deferamus. Spero enim, quod ille eam nobis vivam restituet. *i* *k*

resuscitavit;

55 Quo annuente, currum ascendentes, Viennam pariter pergunt, quartaque die a suffocatione, sancto viro post Missæ celebrationem in altaris scabello, stipatam in ecclesia Minorum multitudinem populi, evacuari expectanti, ut inde in campum, qui est ante templum, ad prædicandum exiret, puellam mortuam coopertam obtulerunt; quam cum F tetigisset et benedixisset una cum cæteris infirmis, qui altari propinquare poterant, ad evangelizandum statim se contulit : nihil expectans seu expetens, si quid gratiæ et beneficii cuiquam ægrotantium Dominus elargitus fuisset. Nam mane infirmorum visitationi, nisi completa prædicatione, nequaquam vacabat; sed tantum ut devotioni eorum responderet, quos in via evitare non valebat, benedicendo simpliciter tangebat. Mater autem secedens, ad quoddam altare sancti Bernardini, puellam, quam in ulnis tenebat, discooperuit, eamque vivam invenit; quod stupendissimum miraculum, ut factum vidit, clamare fortiter cœpit, sed non audita. Quippe cum multi populi vi pressuræ similiter clamarent, omnesque ad capienda loca properarent, ad propria læta nimis cum filio resuscitata et germano revertitur.

Viennæ Austriæ multos

56 Nos vero Viennæ nihil de hoc mirabili signo facto scivimus, sed cum in provinciam Moraviæ proficisceremur, transeuntes per memoratum oppidum Lach, cum parum ibi-

58 dem

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

dem sisteremus, illud primum didicimus a primatibus illius oppidi, demum a genitrice suscitatæ puellæ, quæ precibus sancti senioris, illuc cum filia ab illis oppidanis fuerat accersita : curiose namque a plerisque examinata semper idem asseruit, idemque per ordinem semper affirmavit. Erat quidem puella ipsa miræ pulchritudinis et gravitatis, ita ut non rustici, sed principis filia videretur; cujus venustatem singularem ego admiratus, interrogavi genitricem, si hujusmodi elegantiæ per antea exstitisset; respondit nequaquam, sed eam pulchriorem, venustioremque post resurrectionem evasisse. Quantæ itaque virtutis magnus iste Christi præco extiterit, quantisque splenduerit testimoniis sanctitatis, etsi ex jam dictis satis demonstratum sit; unum tamen miraculum, multis miraculis cumulatum, quod nostris oculis vidimus adhuc adjiciemus, in inclyta civitate Viennensi a Dei famulo patratum, per id quidem tempus, quo dicta defuncta puella ad vitam rediit. Adveniente itaque festo Pentecostes cum maxima et prope incredibilis populorum frequentia ex circum adjacentibus regnis et provinciis advenisset ad audiendum Verbum Dei, supervenit etiam magna infirmorum copia, oratione viri Dei liberari sperantium; et cum hora vespertina more solito ab eo fuissent visitati, nemo illorum liberatus est. Quidam autem ex sociis videntes, tam celeberrimam diem sine signis et prodigiis defluxisse, nullumque ægrotantium sanatum abiisse, cœperunt murmurare : quibus Domini famulus dixit : « *O modicæ fidei quare dubitastis* * ! Crastina enim die videbitis gloriam Dei. » Postera vero die, peracta prædicatione, cum tetigisset nonnullos infirmos, sex illorum mirifice sanati ad propria rediere, ex quibus tres fuerant lumine privati, unus surdus, et alter membris destitutus; quorum miraculorum tantus rumor per civitatem insonuit, ut hora vespertina nullus locus in Minorum conventu reperiretur, qui male habentibus non repletus esset.

B

* Matt. XIV, 31

concurrente magna multitudine infirmorum,

57 Liberatis itaque nonnullis ex multitudine, quæ erat in cœmiterio et in superiori et inferiori claustro, venit tandem ad ecclesiam; quam ut vidit infirmis plenam, non confidens præ nimia multitudine singulos tactu solari, biretum habens in manibus Sancti Bernardini, cœpit eos benedicere, ut vel sic in pace dimitterentur, et jam fessus ad cellam rediret. At illi contemplantes vultum ejus, sicut vultum Angeli, desiderantes tangi manibus sancti viri, altissimis vocibus veniam implorabant, plorabant quidem præ nimia devotione omnes, et vir Deo plenus Joannes benedictionibus eos replebat. Factus est autem planctus adeo magnus in omni multitudine, ut Spiritus Sancti gratia omnes accensi viderentur, et cum infractis vocibus, magis atque magis cresceret planctus, lacrymis Dei servus nimis resolutus, vix domum rediit quasi semivivus. In ipsa quidem lacrymarum effusione, multi de suis infirmitatibus convaluerunt et ad propria lætissimi, Deum in famulo suo glorificantes redierunt.

sanavit;

58 Nocte autem sequenti, turba magna populi in ecclesia excubuit in lacrymis, oratione et devotione exspectantes mane Dei famulum videre. Interrogatus quoque vir sanctus a sociis, quid faciendum, quia plena hominibus ecclesia nocte tota remansisset, respondebat illis: Ille consoletur, qui, ut venirent, invitavit et provocavit. Huic etiam miraculo simile vidimus in agro Brixiensi, apud Pratum Albuinum *l*, ubi nostri degunt fratres. Ubi cum ultra viginti millia hominum nocte ex convicinis regionibus convenissent ad audiendum verbum Dei, tam excelsus clamor plorantis populi factus est, ut ad lacrymas Dei famulus vehementissime concitatus, coactus sit per magnum spatium prædicationem dimittere. Qua quidem completa, visitavit ægrotantes, quorum supra viginti, divina sibi assistente virtute, magnifice liberavit, et lætos ad propria dimisit. Ac ne putemus ea meritis Beati Bernardini tantum facta extitisse et non suis : similia ante dormitionem Bernardini per illum Dominum operatum fuisse, in plerisque Italiæ partibus, non est qui inficiari possit. Nam hic, vivente adhuc in hoc sæculo Beato Bernardino, multa signa et prodigia fecit.

D

l

E

quod quoque in Italia præstitit.

59 Inter quæ illud numeratur mirabile nimis, quod post triennium ab ingressu religionis patravit. Semel enim cum amicus Altissimi per claustrum loci deambularet, obvium quemdam amentem habuit, cui intimis compatiens præcordiis, suum biretum dedit, atque ejus capiti suis manibus imposuit, quod ut ille accepit, mox divinam virtutem sentiens bonam, rectam et validam mentem adeptus est et sanitati restitutus. Alio quoque tempore in Apuliæ partibus, dum quidam Aromatarius per multos annos tam gravi ægritudine afficeretur, qui nec per se moveri, nec in lecto potuisset volvi, delatus est ad ecclesiam, per quam Dei famulus erat transiturus; quem ut vidit homo divinus sic miserabiliter contractum, et viribus omnino destitutum, dixit ad eum : « Quid est hoc, paupercule? » Qui cum omnem languorem suum per ordinem explicasset, cum lacrymis se Christi famulo devotissime commendavit. Cui Joannes dixit : « Si voluntate divina decretum esset, ut semper ita infirmus permaneres ex animo assentires? » Ad quem ille : « Utique, Pater. » Tunc evangelicus præco adjecit : « quam gratiam jam animus optat tuus? » Et ille : « Ut saltem ad ecclesiam, et ad apothecam pergere queam. » Ad quem Dei famulus : « Confide in Domino, quia et longe majorem gratiam consequeris. » Et apprehensa ejus dextera, statim erexit, sanavitque eum, qui continue suis pedibus libere incedens, sic incolumis evasit, ut diceret se etiam illa hora posse duo milliaria veloci cursu peragere.

F

ANNOTATA.

a *Anno* 1329 *Martinus Scaliger, ut scribit Hieronymus Della Corte* (1), *Servis Mariæ dedit locum ad construendum ecclesiam, quæ S. Maria della Scala appellata fuit. Hanc donationem ad annum* 1324 *reponit Joan. Bapt. da Persico* (2).

(1) Istor. di Verona. tom. II. pag. 13. — (2) Descriz. di Verona. tom. I. pag. 210.

Forsan,

A *Forsan, ut habet Persico, Canis Grandis, Mastini patruus, locum primo dedit, quem dein suis ædificiis adornavit nepos. Cæterum eo sensu locus S. Mariæ della Scala dicendus est* hospitale, *quo hospitio excipit suos religiosos; nam nosocomium aut xenodochium aliquando fuisse, nuspiam reperi.*

b *Ista duodecim millia ducatorum aureorum in recentiori parte sæculi* XV *habent valorem hodiernum trigesies majorem, seu* 360,000, *id est circiter fr.* 3,900,000 (1): *etenim libræ* 4,000 *æquivalent hodiernis francis* 120,000. *Vehementer dubito, an Fr. Nicolaus de Fara deceptus non fuerit, aut ejus scripta male transsumpta: tantam pecuniæ vim uni loco obvenisse vix admitti potest.*

c *Hunc locum corruptum, censeo, et legendum æstimo :* Si bona pauperum diripi.

d *Birretum, apud Car. Du Cange Glossarium mediæ latinitatis h. v., interpretatur capitis tegmen ad capitis formam strictum : quo forsan S. Bernardinus ob senium et infirmitates utebatur, ne capitium regulare offenderet magis quam foveret. In Vita S. Bernardini, ab Amadeo*
B *de Venetia concinnata, leguntur, similia birreta servari in conventu S. Spiritus Regii Lepidi (in hodierno statu Mutinensi), et in conventu vicino lacui Perusino* (2).

e *Sulmona, cui unita est Ecclesia Valvensis, sedes est episcopalis, S. Sedi immediate subjecta, in Aprutio Ulteriori regni Neapolitani* (3); *jacet illa in diœcesi oppidum Capistranum, natale Sancti nostri* Joannis.

f *Ortona ad mare Adriaticum, civitas episcopalis in Aprutio Citeriori regni Neapolitani, sub archiepiscopo Lancianensi, qui Ortonensis Ecclesiæ perpetuus est administrator. In ecclesia cathedrali asservatur corpus S. Thomæ Apostoli* (4).

g *Reate* (*italis* Rieti) *civitas episcopalis, S. Sedi immediate subjecta, in Umbria, in antiqua regione Sabinorum* (5).

h *Civitas Ducalis, in Aprutio Ulteriori ad Velinum fluvium sita, quatuor leucis Reate, cujus episcopo subdita erat, sita, proprium aliquando habuit episcopum, donec anno* 1818 *a Pio VII unita fuit Ecclesiæ Aquilanæ* (6).

C i Lach *interpretor* Laha, *oppidum in finibus Austriæ versus Moraviam; quoniam infra num.* 56 *dicit biographus : quum Vienna* in provinciam Moraviæ proficisceremur, transeuntes per memoratum oppidum Lach; *etc. Nullum porro aliud oppidum hujus nominis, medium inter Viennam et Moraviam reperio. Laha autem cum littera* h *fortiter more germanico aspirata, Nicolao biographo, homini Italo facile Lach sonare potuit. Est quidem* Lach, Laak, Bischofs-Laak, Locopolis, *oppidum Illyriæ versus Carinthiam, quod olim ad episcopalem mensam Frisingensem pertinebat* (7); *sed quod in Moraviam abeuntibus occurrere non poterat.*

k *Perperam Waddingus dicit, puellam, e mortuis suscitatam, habuisse matrem Catharinam* (8); *quum noster biographus, testis oculatus, puellam Catharinam, matrem Claram vocet.*

l *Pratalbuinum oppidum, a Brixia, ait Gonzaga* (9), XX *et a Cremona* XIV *tantum milliaribus distat : Fratrum conventus ad Franciscanam provinciam Brixiensem pertinet, in quo aluntur abunde* XXII *fratres, quia, teste laudato scriptore, solum fertile omnino est, ejus inquilini Fratres ingenti amore prosequuntur.*

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

CAPUT VI.

De studio orationis; de dono prophetiæ; de ratione gubernandi subditos.

Oratione illustratus, multa prædicit; sponsæ,

Ad hæc autem et ad omnia ejus perficienda opera studium summum et singulare habuit orationis; qui sicut probatum habitum ad omnium virtutum cultum semper habuisse inventus est, ita continuæ orationis arma se induisse est compertus, in æternorum contemplatione cor suum semper præoccupatum tenens, et a sæculi hujus illecebris mundissi-
E mam pudicissimamque mentem sibi præservans. Qui etsi orationibus vocalibus conditionem suam semper efferre nequiret, divinis tamen meditationibus alere et saginare continuo studuit animum ejus, medullatum corporis et animæ sacrificium Deo suo offerens. Quo factum est, ut invictum spiritum ab oratione vocali vel mentali non relaxans, in tantam Dei sui notionem et contubernium, et amicitiam venerit, ut prophetiæ spiritum nactus, multa mirabilia abdita panderet, et futura multa prævidendo prædiceret. Hic est enim, qui circa initium conversionis suæ, sponsæ suæ, ingressum religionis suadens, de horribili Dei flagello, super eam venturo, comminatus est, nisi perpetuo voto virginitatem suam Domino suo consecraret, tantum immortali copulanda sponso. Quæ sancti sponsi nequaquam exhortatione suasa, mortali tandem conjuncta sponso, horrendissima lepra percussa est. Hic est, qui Martini Papæ aulam exiens, fulgur de cœlo cadens vidit, ubi legit « non videbit lucem surgentis auroræ » * : propter quod, ut presto * factum est, ipsum Romanum Pontificem moriturum liquido cognovit.

* Job. III, 9.
* brevi post.

Martino V,

61 Hic est, cui oranti ante altare in loco nostro sancti Angeli in Aquiliæ *a* partibus, terra visa est erigi et cœlum flecti. Hic est qui assumptionem Eugenii ad apostolatus celsitudinem pluribus mensibus ante præscivit, illique, adhuc episcopo Senensi *b*, prophetico ore intimavit. Nam semel dum eum visitasset, pro ea incredibili familiaritate, quam secum habebat, valedicens in longinquam regionem abiturus, in terram procidit, deosculatusque est pedes ejus. Quamobrem admiratus episcopus valde, interrogavit Domini famulum, quare sic fecisset, respondit : Non credo amplius te videre, nisi Romanum Pontificem. Hic est insuper, qui missus ab Eugenio Papa ad Alphonsum, Aragonum regem, navale bellum cum Januensibus apud urbem Caietanam ha-

a

b

(1) Mém. de l'Acad. des Inscrip. et Belles Lettres, tom. I, savants étrang. Leber. Appréciation de la fortune privée au moyen-âge, pag. 275. — (2) Vita di S. Bernardino da Sienna, pag. 278. — (3) Moroni. Dizionar. di Erudiz. eccles. v°. *Sulmona.* — (4) Ibid. v°. *Ortona.* — (5) Ibid. v°. *Rieti.* — (6) Ibid. v°. *Civita Ducale.* — (7) Marianus. Austria sacra. Part. III, vol. V, pag. 181. — (8) Ann. Min. tom. XII, pag. 82. — (9) De Orig. Seraph. Relig. pag. 493.

biturum

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

biturum, dissuadens, captivitatem suam ac omnis suæ militiæ vaticinio prædixit. « Ne, inquit, precor, domine rex, bellum capias, capieris nempe tu cum omnibus principibus tuis, ni meis acquiescas consiliis. » Quæ rex ipse non sequens, ad bellum properans, statim succubuit, Januensiumque præda factus est. Et sic homo Dei prædixerat de Aragonensi classe : Januensium enim minor virtus felicissimam victoriam reportavit *c*.

c

Eugenio IV,

62 Hic enim est, qui dormitionem Eugenii uno anno antequam obiret, præscivit, eamque hoc ordine ipsi Romano Pontifici indicavit. Cum enim pro canonizatione sancti Bernardini supplicasset, respondissetque summus Pontifex, se illo anno Nicolaum de Tolentino *d*, altero vero Bernardinum canonizaturum his verbis apostolicum pastorem affatus est : « Alius enim veniet post te, beatissime Pater, qui beatum Bernardinum canonizabit, » sicuti factum est. Successor namque suus, Nicolaus, sequenti anno creatus, anno Jubilei, die celeberrima Pentecostes *e*, Romæ in ecclesia beati Petri, maxima ac incredibili honorificentia et frequentia prælatorum, ac omnis B nationis, quæ sub cœlo est, sanctum Bernardinum colendum, venerandumque cunctis Ecclesiis denunciavit atque mandavit. Hic est, qui in loco nostro apud Burgum Sancti Sepulchri *f*, expleta prædicatione in laudem et gloriam beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, in die Assumptionis ejus, in mensa sedens, cœlestis illius tubæ fratris Alberti Sarthianensis *g* beatam animam ad cœlos recto tramite migrare vidit. Ita namque lætissima angelica facie quadam, me et compluribus fratribus præsentibus, in cœlum suspiciens affatus est : « Video, inquit, animam unius fratris nostri ad cœlum evolare, en vadit, en properat, sæpe replicans. » Cumque statim in Romandiolam proficisceremur, certiores facti sumus, eloquentissimum et clarissimum illum virum Sarthianensem, qui et multis miraculis claruit, Mediolani ipsa die Assumptionis animam cœlo reddidisse.

d

e

f

g

Nicolao V,

63 Hic est insuper, qui, defuncto Eugenio Papa, Aquilanis evangelizans, assumptionem C Nicolai ad summum apostolatus apicem duobus modis vaticinatus est *h*. Nam et populo prædicans, sæpenumero inter disserendum Nicolaum universalis Ecclesiæ Pastorem designatum esse denunciavit: et sociis, quandoquidem secum divinum officium persolventibus, post Salve Regina, orationem illam : « Deus omnium fidelium Pastor et Rector famulum tuum Nicolaum, quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti » etc. palam prænuntiavit.

h

pericula reip. christianæ,

64 Neque tacebimus mirabilem visionem, quam Ungaris evangelizans vidit, quamque D. Dominico de Capranica *i*, dignissimo Cardinali Firmano, Religionis protectori, manu propria significavit : cujus veritas, ut magis elucescat, ipsius Joannis verba per ordinem sunt ponenda; « deterrebat me, inquit, aliquantulum mens ambigua, si describerem, an silerem : vicit tandem zelus antiquæ confidentiæ *k*, quam secure gessi in R. V. D. potius exprimere quam supprimere, quod vidissem, in festo sancti Bartholomæi, anno præsenti; in Alba regali prædicans multis militibus christicolis, interprete, quod edixeram, declarante, de propinquis periculis fidei D christianæ. Vidi quatuor flumina invicem decertantia, quorum primum ab oriente, secundum ab occidente, tertium a meridie, quartum vero a septemtrione, et quodlibet nitebatur in mari magno cum impetu fluere et refluere. In refluxu vero quodlibet violenter agebat, ut aquam totius pelagi secum traheret : vicit postremo flumen occiduum. Quid hæc velint, attendite; quid spiritus indicet, propulsate. Hac die, in festo sacrorum Stigmatum seraphici sancti Francisci, nostri inclyti Patriarchæ, dum interpres exponeret, quod a me prius audierat de impressione signaculorum Christi Jesu, vidit servulus tuus in cœlo prælium magnum inter solem et lunam, et stellas; luna et stellæ, contra solem irruentes, victoriam referebant. Stupefactus et admiratus, quid hæc vellent, ignorans, audivi, sol a luna superatus est, *judicia Dei abyssus multa!* * tamquam attonitus deplorabam, quod non esset astrologus hoc decernens. Iterum vox intonuit spiritualis : *Incomprohensibilia sunt judicia Dei :* abyssus abyssum invocat.* Iterum explorabam et conclusionem hanc percepi. Major serviet minori, et finis properat : nec amplius quicquam. » Hæc ille, cujus est condere et enodare.

* Psal. xxxv,6

* Rom. xi, 33
* Psal. xli, 8.

i

summasque calamitates,

65 Præter hæc, et aliud adjicimus, quod multi ex fratribus ex ejus ore audierunt, mortalibus nullo modo silendum. Cum Dei servus Joannes in Oppido Temesvar *l*, quod in Ungariæ plaga situm est, triduo gradum sisteret, semelque cubaret, solo fratre Hieronymo Utinensi ejus scriba comite *m*, singultibus non parvis dormientem Hieronymum excitat, quem bonus socius suspirantem ab imo pectore sentiens, curiosus observat; ingeminat planctum senior sanctus, et crescente cordis mœrore, crescit raucus quidam in gutture murmur amarior *n*. Riget Hieronymus conjectans quidnam adversi contigerit : in vocem prorumpit fletus. Requiritur a comite quænam mœstitia premat; plangebat Dei famulus; cui Hieronymus : Quid incommodi accidit, Pater? Quo nihil respondente, sed tantum singultus, lacrymas et amarissimum planctum augmentante, accersiuntur fratres, qui intuentes eum, lacrymarum rivulis undique perfusum, quæritant, admirantur, consolantur. At Dei famulus, miserabilem prosequens luctum, acuta voce clamitat, « Miserere, miserere, Domine Deus clemens, miserere populo redempto pretiosissimo sanguine tuo. Miserere per vulnera tua, miserere per Crucem tuam; » et singula novissimæ passionis mysteria recensens diu « miserere » clamare non cessavit, respirantem demum præstolantur importuni, quænam molestiæ tristitiæque ratio, quibus compulsus, ait : « Etsi senex et decrepitus septuaginta unius annorum videtur * forte delirare, hæc tamen sub oculis Divinæ Majestatis vera sunt. Tot enim adversa, tot infortunia, tot et tantas calamitates et angustias mundum quassaturas in uno brevi momento contemplabar, quot et quanta ab initio non fuere, et omnibus his indicio eventus erit, sed minime, inquit, vobis excidant verba mea. » Quæ quidem prophetica vox, quam clare, quamque aperte maxima ex parte fuerit expleta, et quotidie adimpleatur, ex his, quæ post dormitionem

l

m

n

F

* videor?

Joannis

A Joannis gesta sunt, quæque geruntur, constat. Quæ an ridicula et pro deliramentis sint habenda, edixerunt experti. Dicant qui sentiunt, dicant Ungari, dicant Anglici, dicant Itali, dicant et Germani.

necem comitis Celiæ,

66 Nam post Domini famuli gloriosum obitum, qui eodem anno subsecutus est, magnus ille comes Celiæ a Ladislao, filio Joannis Huniadi, ad Belgradum, volens occidere, occiditur *n*. Pro cujus ultione Ladislaus ipse, a Ladislao, Ungarorum et Bohemorum rege, Budæ capite truncatur; septuaginta millium Cruciatorum exercitus, in Turcos coadunatus et collectus, ad propria cum omnium ingenti dolore licentiatur. Ladislaus mortem timens, ab Ungaris fugit; a Bohemis honorifice excipitur. In Urbe sua Pragensi a quibusdam baronibus miserabiliter interimitur *o*. Post quadraginta dies a famuli domini dormitione, in festo Sanctæ Barbaræ *p*, undecima noctis hora, in toto Siciliæ regno fundamenta terræ contremuerunt. Civitates multæ, oppida, castella et arces corruerunt et dissipatæ sunt, ac super sexaginta millia hominum uno fere momento mortui sunt *q*. Sequenti anno peste crudelissima Italus et Alamanus populus percutitur *r*. Postea Calixtus Papa Alphonsusque, potentissimus Aragonum Rex, moritur *s*. Rex Francorum et Anglorum mundo eripitur *t*. Incendium maximum bellorum in Italia, Almania, Ungaria, Anglia, Hispania, et Aragonia conflatur. Multi principes, multique magnates e vita discedunt, mutantur dominia, crescit livor, regnandique libido; filius in patrem, pater in filium, germanus in germanum arma sumunt: premit valida fames Siciliæ regnum, dantur quæque pretiosa pro cibo ad refocillandam animam.

n
o
p
q
r
s
t

pestem in Aprutio,

67 Post quinquennium a dormitione Beati Joannis, fiunt iterum magni terræmotus in Aprutina provincia: nulla tamen crudelius creditur quam Aquilana plaga *v*. Regnum tamen totum bellorum impetu ita miserabiliter premitur et conteritur, ut non possint de eo, nisi luctus carmina decantari. Nam intus pavor, gladius foris, pestis et fames intrinsecus. Quis enim explicet quot et quantos consumpsit fames, devoravit gladius, pestisque deglutivit, et nunc, dum hæc scribuntur, deglutit? Periit jam certe hoc anno et in hac Aprutina provincia medietas populi in his præsertim locis, ubi corruptus aer viguit, sicque plenos manipulos mors repentina et furibunda continuo metit justorum et impiorum, ut et nullum hominum genus impune evadat: et cum hæc et complura alia mala gesta sunt, quæ calamus non facile explicat, nondum tamen finis advenit, sed quotidie novæ clades, novæque strages et ruinæ christianorum nuntiantur, ut sic propheticus beatissimi Joannis Capistranensis sermo adimpleatur, qui (ut superius meminimus) ideo hos miserrimos eventus vehementer defleverat, quia, Christo revelante, prænoverat, illos omnino in christianam plebem futuros.

v

C

propriam mortem in Hungaria:

68 Neque eum latuit sui corporis domicilium, quod antequam Italia egrederetur, regnum Ungariæ prædixit esse futurum. Neque ignoravit uberrimos fructus, quos sua prædicatio in Germania erat paritura; sed illos Venetis evangelizans cum in loco Artiniæ *w*, confratres et filios suos exhortaretur ad bene beateque vivendum, lacrymis præ nimio spirituali gaudio perfusus, declaravit: « Majora, inquit, operabitur adhuc Dominus per unum membrum istius Religionis, quam a tempore Beatissimi parentis nostri Francisci fecerit, usque in hodiernum diem. » Et prævidens ingentem illam persecutionem, quam quidam, qui exierunt a nobis, sed non fuerunt de nostris, in creditas sibi oves excitaturi erant, lacrymosis oculis adjecit: « Væ homini illi, qui Dei familiam fuerit persecutus. » Neque enim nescivit Venetorum extinctam devotionem, quam vaticinatus est omnino post medium quadragesimæ reviviscendam, aquæ, inquit, multæ non potuerunt extinguere charitatem, et dolentibus sociis, illum dimisisse devotissimos Liguriæ populos, ad indevotamque gentem Venetorum venisse, quæ de audiendo verbum Dei parum curare videbatur, dixit: « Inducias fecit nobiscum Dominus usque ad medium quadragesimæ; frangentur postea, treguæ *x*. » Sic factum est.

w

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

x

Venetiis signa facit,

69 Nam loquente uno puero muto per tactum manus ejus, ea præcise die Jovis, quæ quadragesimam mediat, et liberato in conspectu populi, sequenti secunda feria, quodam manibus et pedibus contracto, qui de merceria *y* in sede delatus fuerat, cui neque gradiendi neque manus aperiendi vel movendi facultas ulla erat, lacrymantibus præ summa devotione adstantibus cunctis populis, tantus ad suas prædicationes Venetorum plebis concursus factus est, ut ad prædicandum in amplissimum campum Sancti Pauli egredi sibi necesse fuerit, et sic aquæ multæ Venetorum, uti prædixerat, non potuerunt extinguere ardentissimam charitatem ejus; quæ tam magnam devotionis flammam enixa est, ut nec ubi servari posset illæsus a pressura irruentium populorum, volentium eum tangere, vel osculari, nisi manu forti et accuratissima opera quorundam officialium, quos ad custodiam ejus personæ statuerat illustrissimum dominium Venetum. Quid multa? Tanta enim fuit in hoc clarissimo viro bonitas et innocentia, tanta mentis sinceritas et puritas, tanta animi mansuetudo et perfectio, orationisque vis tanta, et * quoties se ipsum ad devotionem excitasset, statim lacrymarum effunderet imbres; et eorum, quæ vel facturus esset vel scire percuperet, aut per revelationem, aut per aliquam apparitionem, aut per Spiritus Sancti infusionem intelligeret Dei voluntatem.

y

* ut?

et obitum Nicolai Papæ prænoscit:

70 Semel quidem dum Romæ prædicaret, audiens vocem exclamantis devotissimæ fœminæ, quæ nimio divini amoris ardore succensa, se ipsam continere non poterat, intelligensque cordis secreta, et quid in brevi de ea facturus esset Dominus, coram omni multitudine dixit ad eam. « O mulier præsto te præpara domum redituram, quia omnino morieris. » Quæ cum viri Dei jussa complevisset, læta nimis mox migravit ad Dominum. Dormitionem etiam Nicolai Papæ, dum apud cæsaream moraretur majestatem, in Nova Civitate, episcopo Papiensi, apostolico in Germania legato, prædixit *z*. De qua cum legatus ipse per tabellarios certior factus esset, dixit: « Nunc vere scio, fratrem Joannem spiritum habere

z

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

habere prophetiæ. » Longum esset singula ab eo præstita enarrare, et arduum nimis singulas revelationes depromere, quandoquidem nemo scit*, qui ejus familiaritate vel parum usus fuerit, qui vel in se, vel in alio non dedicerit, experientia magistra, Dei servum Joannem propheticum possedisse spiritum, et singularem vaticinandi gratiam habuisse.

* sit?

gubernaculis Ordinis admotus,

71 Gubernacula Religionis regenda Dei famulo sæpe commissa, ita sapienter, ita prudenter gessit, ut nemo melius, nemo utilius Francisci novam prolem eo rexerit, conservaverit, foveritque. Maximis enim Dei nostri muneribus instructus atque præditus, ecclesiasticis prælatis adeo gratus acceptusque fuit, ut ad propellendam vel vulpinam calliditatem vel diabolicam astutiam quorumdam, verum Religionis propositum et institutum supplantare, evertere et abolere summo studio quærentium, summa semper præsidia et adjumenta postulata invenerit. Illo namque super gregem suum vigilante, nulla luporum rabies, insidiantium calumnia, nullave excogitata improborum hominum malitia aliquando nocere potuit. Quin imo sagittæ eorum factæ
B
* Ps. LXIII, 8
sunt plagæ eorum, * et vexatio incrementum semper attulit Religioni. Columbina profecto simplicitate sic vir iste sanctus in omni vitæ ratione vestitus fuit, ut in gerendis gubernaculis Religionis nulla serpentina sapientia careret, idem ubique apparens, severum et rigidum vivendi genus, quod ab initio suæ conversionis sibi delegerat, numquam solvens, studensque plus amari a subjectis quam timeri, et re magis quam verbis, illorum mentes ad vitæ perfectionem instruere. Qui sane nullam in consiliis imprudentiam, nullam in cogitatu stultitiam, in verbo inconstantiam, in re gerenda ignaviam, in moribus corruptionem, in potestate elationem, in adversitate dejectionem, in felicitate honoris vel vanæ laudis ostentationem visus est exhibuisse.

omnibus carus est,

72 Cujus eximiæ virtutis et sanctimoniæ vitæ tam præclaram tamque insignem imaginem confratres sui attendentes, si fieri potuisset, semper generalem pastorem Religioni præfecissent. Quippe cum in tuendo ampliandoque illam, nullum aptiorem, nullumque
C
potentiorem eo aliquando invenerint, cui adessent omnia affluenter, quæ ad verum, dignumque pastorem pertinere viderentur. Illo enim præsidente, omnes summa pace, summaque quiete potiebantur; illo loquente, omnes suæ Religioni adversantes mutescebant. Illo denique pugnante consilio et sapientia, prudentia, auctoritate et bonitate, præcipui Religionis, justitiæ et veritatis hostes semper victi fuere. Vivens autem sanctus Bernardinus in hac mortali carne, etsi innocens et sine macula, calumniatus et accusatus sæpe, tamen divi Joannis lingua, summo cum honore, fuit ab omni sorde falsæ criminationis liberatus et purgatus. Notatus quidem et accusatus de hæresi pro his maxime prædicationibus, quas de excellentia, et potentia Nominis Jesu, ejusque sculptura ad christianos populos habuerat, a nullo fortius adjutus et defensatus, quam a Joanne, fuit : sæpe enim pro Bernardini tutela disputavit; sæpe pro eo ad ignem se obligavit, sæpeque maxi-
aa
mis periculis pro illo se objectavit *aa*.

et mire Ordinem propagat;

73 Hi quidem fuerunt duæ florentissimæ olivæ, et duo luminaria magna lucentia ante Dominum, qui maxima morum et doctrinæ documenta ubique diffundentes, orbem terrarum illuminaverunt, qui perfectionis viam, jam obliteratam, renovaverunt, qui Francisci eversam fere domum erexerunt, qui tandem lucis exempla omnibus exhibentes, innumerabiles perituras animas ad cœlorum felicia regna provexerunt. Hi profecto inclyti exstitere principes et duces Francisci novelli exercitus, quorum *sonus in omnem terram exivit, et in fines orbis terræ verba eorum* * egressa
* Ps. XVIII, 4.
sunt. Bernardinus autem, aliquando Joannis prælatus, Joannes Bernardini discipulus et comes. Nam ut prædicandi modum disceret Joannes, Bernardinum uno anno secutus est. Ille pacem prædicabat, iste pacem inter discordes conficiebat. Amabant enim mutuo se vehementer nimis, et revoluto triennio, ut plurimum, alter alteri imperabat. Ubi autem Joannes intellexerit, beatum Bernardinum, sibi subjectum, obiisse corruscareque miraculis, mox Aquilam profectus est, et sacrum pignus honorifice collocari fecit, in capsaque
E
ferrea, ferreis catenis munita, recludi atque miracula diligentissima examinatione conscribi; quorum magnitudinem, ut vidit et efficaciam, canonizationem ejus apud Eugenium, Romanum Pontificem, primum promovit, et ut alii principes, et populi eam promoverent, grandi solertique studio incitavit. Verum ne in vacuum laboraret, cum per confratrum suorum orationes Domini beneplacitum expostulasset, ipseque vehementissime omnipotentem Deum obsecravisset, apparuit ei Senis in quadam cella oranti Bernardinus sanctus, et ad prosequendum sanctum inchoatum opus multum animavit, replens eum incredibili consolatione. Eo quidem tempore, quo hæc agebantur, ingressus est quidam ex sociis cellam viri Dei, cui et dixit : « Dominus tibi parcat, frater, nunc ego cum Sancto Bernardino sermonem habebam. »

canonizationem S. Bernardini

74 Quamobrem excessiva quadam in eum devotione accensus, ita postea sollicite, ita ferventer, ita demum instanter et Eugenium et Nicolaum Papam propulsavit, ut designari
F
quosdam episcopos fecerit ad examinandum miracula, quæ multis in locis de Sancto Bernardino referebantur. Qui quidem episcopi circumeuntes una cum viro Dei multas civitates, oppida et castella, duos processus solemnes primo confecerunt. Postremo D. Angelus de Capranica tunc episcopus Estulanus *bb* *, nunc autem tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem dignissimus Cardinalis, virtute insignis, fama celebris, sanctitateque præcipuus, peracto tertio processu, cum varia loca, comite viro Dei, perlustrasset, singularemque de Bernardini examinatis jam miraculis relationem Pontifici Nicolao fecisset, tandem post indicibiles Joannis labores, sexto anno ab ejus sancta dormitione, viri Dei opera, Sanctus Bernardinus Beatorum Catalogo conscriptus est Romæ anno Jubilei, celebrantibus fratribus generale capitulum totius Ordinis, utriusque familiæ in sacro conventu Aræ-Cœli *cc*.

bb
* Asculanus

cc summa industria procurat.

75 In ipsa autem miraculorum examinatione, visis quibusdam miraculis manu Joannis patratis, quæ vir Dei Sancto ascribebat Bernardino,

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

A Bernardino, ea memoratus D. Cardinalis, nequaquam Beati Bernardini miraculis annumerari permisit; sed cum Bernardinum maximo Pontifici canonizatione dignissimum asseruisset, et Domini famulum Capistranensem Joannem, adhuc in terris conversantem, hujusmodi singulari præstantique titulo benemeritum constantissime professus est. Per hos quidem annos, quibus pro obtinenda Bernardini canonizatione tantopere laborabat, contigit, ut frater Thomas de Florentia, vir quidem maximæ virtutis et sanctitatis, in urbe Reatina

dd moreretur *dd*; per cujus merita, et invocationem cum multa signa, et prodigia fierent, timens, ne Beati Bernardini canonizatio vel impediretur, vel nimis retardaretur, præcepit illi in virtute sanctæ obedientiæ, eo quod vicariatus generalis officio fungeretur, ut nulla amplius miracula faceret, qui sicut promptissimam obedientiam in hac vita sibi exhibuerat, ita in cœlestibus regnans, mox sibi viro Dei Joanne mandante (quod dictu mirabile est) a perpetratione destitit miraculorum, qui, ut meminimus, multis antea signis et prodi-

B giis coruscaverat.

Sancti verbis refragantes

76 Quantæ autem virtutis hujus viri Dei verba extiterint, quantamque ultionem exercuerit Dominus in eos, qui de servi sui integritate maligne locuti sunt, ex his advertere possumus ultionibus, quas nonnulli (ut indubitatissimum est) experti sunt. Vir quidam fuit, quem magna dignitas decoravit, cui non credenti miracula Sancti Bernardini, et a viro Dei, illa suadente, petenti, mortuum septuaginta horas, sibi probari debere, aliter nullo pacto fidem dictis adhibituro, talia Joannes respondit : « Resurrectio Christi per quadraginta horas probatur vera ; si alicujus mortui vera resurrectio dici non potest, quia post septuaginta horas non probatur facta, constat, Christi resurrectionem veram non fuisse, quod impium esse asserere, nemo est qui inficiatur fidelium. » Et in spiritus fervore adjecit, ter illi dicens, « Cave a judicio Dei. » At incredulus ille minantis vocem non formidans, non post multos dies, equo cadente,

ee oppressus, suum diem clausit extremum *ee*.

C Alio quoque tempore murmurantibus de illo, cuidam petulanti sacerdoti et cuidam lascivæ mulieri, in ampla urbe Germaniæ, quam vocant Ratisbonam, contigit, ut cum alter ab execranda ludi cupiditate didicisset præcipue scelera quædam oriri solere, moleste ægreque acerbum sermonem ferens, quandoquidem in ludis totus mersus erat; negat prorsus tot capitalia ludo posse oriri peccata, neque ab hoc animi sui libidinem velle minuere, cum sit ludere vitæ solatium et ingenii acumen. Altera vero dum vanitates mulierum et adulterinos intelligeret capillos damnari, insana mente gravius veritati officiosa detrahit; ecce duo, veritatem mutuo pessumdantes, sequenti nocte eodem momento subitanea morte corruerunt. Reliqui autem timore correcti, quæque ludicra suppellectilia, procacesque muliebres illecebras obsignarunt, omniaque igni publice concremata sunt.

a Deo puniuntur.

77 Alio etiam tempore, quo servus Dei in Urbe Cracoviensi evangelizabat, quæ in Polo-

niæ regno sita est, cum ludi multa instrumenta ad virum sanctum portarentur comburenda, contigit, ut camini fuligo copiosa, igne accensa, magnam ignis flammam in domicilio, quo Joannes collocatus fuerat, emitteret. Quod ut vidit quidam æmulus, detestari cœpit populum credentem, ludum tam magnum esse peccatum; et existimans, domum illam omnino comburendam, pro eo quia tabularia ibidem servabantur, igni annihilanda, et populus dictis sancti senioris nimis esse pronum ad credendum, eodem die domum propriam combustam fere totam vidit, domicilio famuli Domini illæso prorsus et intacto remanente. Quamobrem desinendum est omnino obtrectatoribus hunc sanctum virum maledicere, vel carpere, quem Christus benedixit, et tanta gratiarum ubertate explevit. Quin imo admonendi sunt et invitandi, ut laudent et benedicant, ne sicut vestimentum, ita per tempus ipsi deficiant, et, ut lanam, comedat eos tinea. Ille namque divinas virtutes annuntiabit hominibus, qui magnifice Dominum in servis suis voluerit laudari, colique. Laude- E
mus et nos famulum Domini, humilem, pium, et sanctum, quem sæpenumero vidimus honores fugientem, et in faciem laudatum nonnumquam lacrymantem; laudemus, inquam, virum omni virtute præstantem, affectus suos bene regentem, et animo suo peroptime et rectissime imperantem. Narrabo ego omnibus, Deum colentibus, quanta in Germania per servum suum Joannem ostensa sunt diebus vitæ meæ. Præbete itaque, obsecro, adhuc pias aures, qui hæc lecturi estis, et intelligite, quantum magnus et excelsus Deus noster in fidelissimo servo suo Joanne magnificandus, laudandusque sit.

ANNOTATA.

a *Quamvis multi sint hujus nominis conventus, existimo agi de conventu S. Angeli Lanciani seu Ansani, qua in civitate S.* Capistranus, *conciliata pace inter Ortonenses et Lancianenses, Ansanensi senatu petente, conventum fundavit sub titulo S. Angeli de Pace* (1).

b *Memoria labitur hic Nicolaus biographus :* F *nam Gabriel Condolmerius, postmodum Papa Eugenius IV, vix anno integro sedem Senensem, ab anno* 1407 *ad* 1408 *episcopus tenuit* (2) : *isto vero tempore S.* Capistranus, *sæculo adhucdum deditus, spiritum propheticum non habuit, seraphicam Religionem anno* 1416 *primum secutus. Cfr Commentarii prævii numm.* 44 *et* 98.

c *Eugenius IV, devoluto per obitum Joannæ reginæ ad Ecclesiam Romanam regno Neapolitano, bulla, data* IV *idus Junii* 1435, *cavit, ne quispiam principum dictum regnum sibi arrogaret, sed arbitrium Sedis Apostolicæ exspectaret. Sed, inquit Raynaldus ad hunc annum* § XIV, sprevit Alfonsus Eugenii imperia; nam, Capua suorum sectatorum insidiis jam intercepta, ursit Cajetæ obsidionem; sed repente ipsius res ex summo prosperitatis culmine præcipites lapsæ sunt: submisit enim Cajetanis Philippus Maria, Mediolanensis dux, subsidiariam Genuensium classem, quæ navali prælio Aragonium fudit tanta felicitate, ut Alphonsus

(1) Gonzag. De Orig. Seraph. Rel. pag. 412. — (2) Ughelli. Ital. sacr. tom. III, col. 570.

ipse

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

ipse una cum rege Navarræ et Henrico principe plurimisque proceribus captus sit. *Victoriæ suæ Philippus Maria certiores facit Patres Basileenses, per litteras, datas* xx *Augusti* 1435 (1).

d *S. Nicolaus Tolentinas canonizatus fuit ab Eugenio IV feria* II *Pentecostes, nonis Junii* 1446 : *ejus Acta dederunt nostri ad diem, quo colitur,* x *Septembris* (2).

e *S. Bernardino Senensi solemnes Sanctorum honores detulit Nicolaus V anno* 1450 *die* XXIV *Maji, quæ erat dominica Pentecostes. Ejus Acta ediderunt nostri sub die, quo ejus festum celebratur,* xx *Maji* (3) : *bulla canonizationis reperitur apud Justum Fontaninum* (4).

f *Burgum Sancti Sepulcri, civitas Etruriæ haud procul Aretio, quam sede episcopali ornavit Leo X anno* 1515 : *quibusdam est antiqua Biturgia Etrusca* (5).

g *De Alberto Sarthianensi diximus supra in Annotatis ad caput* IV, *litera* p.

h *Nicolaus V electus fuit die* VI *Martii* 1447 : *de ejus electione egimus Commentarii prævii num.* 113.

B i *De Cardinali Dominico Capranica agunt Ciacconi* (6) *et Moroni* (7) : *natus anno* 1400 *obiit anno* 1458; *dicebatur Cardinalis Firmanus, quia Firmanæ ecclesiæ administrationem habebat.*

k *Waddingus* (8), *citans epistolam S.* Capistrani, *ad Cardinalem Capranica die* XVIII *Septembris* 1455 *datam, paulo aliter quædam profert, videlicet :* Deterrebat me quantululum mens ambigua, si describerem an silerem; vicit tandem zelus atque confidentia, quam secure diu gessi in V. R. D. potius exprimere quam supprimere, quod vidissem in festo S. Bartholomæi (XXIV *Augusti*) anno præsenti in Alba Regali prædicans multis millibus Christocolis, interprete, quod edixeram, declarante, de proximis periculis fidei christianæ *etc. Biographus legit* militibus christicolis : *alterutrum, ut lubet, admitti potest : etenim si multis millibus prædicavit Sanctus, certe milites passim erant ejus auditores, ad bellum sacrum conscripti : si milites legamus, ii numerosi jam aliquot millia complectebantur.*

l Temeswar, *caput provinciæ Hungaricæ, quæ*
C *a Temesio flumine nomen sortitur suum, civitas episcopalis sub Colozcensi metropoli, ad fluvium Bega sita.*

m *De Hieronymo Utinensi, Sancti socio, egimus Commentarii prævii num.* 7.

n *Scilicet inter Joannem Huniadem, comitem Bistricensem, et Ulricum, comitem Ciliæ, graves diuturnæque exarserant inimicitiæ. Ladislaus, Huniadis filius, patrem vindicaturus, Ulricum occidit, in festo S. Martini, die* XI *Novembris anni* 1456 : *ipse vero Ladislaus, jussu regis, capite truncatur* (9).

o Ladislaus rex, *inquit Timon* (10), delicium humani generis appellatus, florentissimo ævo (*annos scilicet* XVII *natus*) XXIII Novembris 1457 exstinguitur; dum Austriaci, Bohemi et Ungari, albis equis insidentes, sponsam illi quærerent in Gallia.

p *Festum S. Barbaræ in diem* IV *Decembris* D
occurrit; adeoque a XXIII *Octobris ad* IV *Decembris sunt dies* quadraginta tres; *quod si demas utrumque diem extremum, quatenus dimidiatos, sunt tamen dies* quadraginta unus : *igitur minus accurate computum suum instituit biographus.*

q *De hoc terræ motu, quem in diem quintum Decembris* 1456 *reponit, agit Muratori in Annalibus Italiæ* (11), *dicitque, Brundusium, Beneventum, Asculum, Avellinum, multasque alias civitates, oppida, castella, ecclesias fuisse eversas, in sola civitate Neapolitana hominum viginti millia periisse, majorem calamitatem numquam istud regnum subiisse* (12).

r *Pestem anno* 1457 *continuasse scribit Muratorius* (13), *magnamque hominum multitudinem rapuisse : unde factum est, ut quidam Joannes Baptista Ordinis Prædicatorum, barbatus et nudipes, Placentiæ publice prædixerit, finem mundi instare certissime, anno* 1460 *consummandum.*

s *Rex Alphonsus* XXVIII *Junii, Calixtus Papa III* VI *Augusti* 1458 *obiere.*

t *Carolus VII, Francorum rex* XXII *Julii* 1461 E
obiit : ast Henricus VI, qui Anglis imperabat, multo serius, id est anno 1471, *necatus fuit : ast anno* 1460 *a rebellibus victus, vix magni nominis umbram retinuit; quo sensu dicere potuit, biographus, eum* mundo fuisse ereptum.

v *De qua speciali* plaga *agat biographus, non facile quis dixerit : certum est ex chronicis Bononiensibus, anno* 1461 *factiones, quæ de regno Neapolitano decertabant, castra sua in territorio Aquilano posuisse, et signa contulisse, ex quo magna strages secuta est* (14).

w *Ex dictis liquet, eo loco fuisse conventum fratrum Minorum : verum suspicor male scriptum nomen, utpote quod inter loca Minorum, a Gonzaga recensita, non reperiatur : est quidem conventus, Arzignani, sed is primum anno* 1494 *fundatus* (15); *adeoque a Nicolao designari non potuit.*

x Treuga *sunt inducie sive ad pacem componendam, sive ad stragem interrumpendam. Vide hanc vocem apud Cangium Glossarium mediæ latinitatis.*

y Merceria *apud laudatum mox Cangium est uxor ejus, qui minutas merces divendit, quique* F
Mercerius *appellatur. Hic tamen ipsum locum, in quo istiusmodi merces venales exponebantur, interpretor.*

z *Papiensis episcopus erat Joannes Castilioneus Mediolanensis, a Constantiensi in Normannia sede ad Papiensem anno* 1454 *translatus : obiit Cardinalis anno* 1460 XVIII *kal. Maji* (16).

aa *De hac controversia late egimus toto* § XIV.

bb *Angelus Capranica, dominici Cardinalis, de quo supra annotato* I, *primum Sipontinus, post Asculanus episcopus; cathedram Reatinam anno* 1450 *aut sequenti conscendit; Cardinalis a Pio II anno* 1460 *creatus, obiit* 1478 (17).

cc *In hoc capitulo minister generalis creatus fuit Angelus Serpetri Perusinus, qui vicarium suum generalem Citramontanum constituit S.* Capistranum (18).

(1) Labbe, tom. XII Conc. col. 991. — (2) Act. SS. tom. III Sept. pag. 636. — (3) Ibid. tom. V Maji, pag. 257 et tom. VII Maji, pag. 821. — (4) Codex Constitt. pag. 164. — (5) Moroni. Dizion. di Erud. Eccles. v°. *Borgo San Sepulcro.* — (6) Vit. Rom. Pontt. et Cardd. tom. II, col. 832. — (7) Moroni. Dizion. v°. *Capranica.* — (8) Ann. Min. tom. XII, pag. 283. — (9) Timon. Epitom. Chronol. Hungar. pag. 73. — (10) Ibid. l. c. — (11) Ann. d'Ital. tom. IX, pag. 261. — (12) Ibid. pag. 264. — (13) Cfr Chronica di Bologna ap. Muratori. Scriptt. tom. XVIII, col. 722. — (14) Muratori. Scriptt. tom. XVIII, col. 738. — (15) De Orig. Seraph. Rel. pag. 312. — (16) Ughelli. Ital. sacr. tom. I, col. 1102. — (17) Ciaccon. Vit. Rom. Pontt. et Cardd. tom. II, col. 1035. — (18) Wadd. Annal. tom. XII, pag. 63.

A dd *De isto B. Thoma agetur ad diem* XXXI *Octobris, utpote cujus cultus probatus fuerit a Clemente XIV, uti constat ex Martyrologio Romano-Seraphico. De illo late agit Waddingus in suis Annalibus* (1).

ee *Waddingus rem paulo aliter narrat* (2) : *scilicet quasi incredulus ab ipso* Capistrano *exegisset novum miraculum in confirmationem eorum, quæ a S. Bernardino patrata fuerant : quem in sensum incredulus Sancto nostro dicit :* Ne quidquam tibi credam, nisi illud feceris experimentum, ut per septuaginta saltem horas defunctum revoces ad vitam. *Ast ex responsione S.* Capistrani *liquido constat, incredulum petiisse ab eo, ut probaret, veram fuisse resurrectionem mortuorum, quæ intercedente S. Bernardino, dicebatur evenisse, non per miraculum, a* Capistrano *patrandum, sed per mortuum, ad vitam a S. Bernardino revocatum post horas septuaginta. Quam in rem optime respondet Sanctus exemplo Resurrectionis dominicæ.*

B

CAPUT VII.

Iter Germanicum et Polonicum; ac miracula in eo patrata.

Friderico Cæsare invitante,

a

b

c

d

C

e

Foro-Julio.

f

in Germaniam proficiscitur S. Capistranus,

Celebre itaque, ac gloriosum Joannis nomen cum ad Friderici Cæsaris notitiam pervenisset *a*, venissentque Romam Eneas Silvius, Senensis episcopus *b*, nunc maximus summusque Romanus Pontifex, et Cæsaris germanus, Albertus, illustris Austriæ dux *c*, impetraverunt a Nicolao summo Pontifice, Cæsaris nomine, ut servus Domini imperatoriam adiret majestatem; qui etsi antea ad evangelizandum Ungaris proficisci decrevisset, missus tamen a Papa in Germaniam, antequam in Ungariam ingrederetur, libentius accessit. Cum igitur Venetiis suas prædicationes consumasset, ubi tota quadragesima, apostolico præcepto coactus est, prædicare, perlustrata verbo Dei nobiliori parte Provinciæ Forlivii *d*, cum multis signis et prodigiis, atque incredibili omnium illorum populorum devotione et frequentia, Villacum, primum Alemanniæ oppidum satis populosum, in itinere, quod ducit ad Austriam, se contulit *e*. Qui tum ob apicem sanctitatis ejus, tum ob miraculorum præclaram famam, in Forlivio * et Alemaniæ confinibus factorum, magna lætitia, magnoque honore a Villacensibus susceptus, divina operante gratia, supra viginti infirmos prima die, qua prædicare cœpit, cum interprete, latino utens eloquio, mirifice liberavit *f*.

79 Vigebat enim ibi quædam generalis ægritudo, qua homines illi ita viribus in omnibus membris destituebantur, ut nemo ad virum Dei nisi delatus proficisci potuisset. Quorum cum quatuordecim suis pedibus ad propria rediissent, lætissimi ab hujusmodi pestifero morbo liberati, dimissis grabatis vel sedibus, quibus ferebantur, illuminatique duo extitissent, qui lumen cœli videre non poterant, atque unus surdus, alter podagrosus, nec non et duo manibus et pedibus contracti pedesque ipsos in modum crucis transversos habentes ; et quidam vicarius cathedralis ecclesiæ, qui, gutta percussus, divina multo tempore celebrare non poterat, optimam valetudinem de suis infirmitatibus consecuti fuissent, tanta ibi accensa est erga virum Dei devotionis flamma, ut alter Apostolus ab illis crederetur.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

80 Quo rumore per vicinas regiones diffuso, adeo divini Joannis apud Carinthios, Stirios, et Australes celebris opinio crevit, ut inde multi populi cum ornatissimis processionibus ei accurrerent, ad Cæsarem proficiscenti, cantantes et dicentes: « Benedictus qui venit in nomine Domini. » Ibi autem imperatoriam visitavit Majestatem, ab eadem imprimis, et a Ladislao, Ungarorum et Bohemorum Rege *g* atque ab omnibus principibus, et baronibus eorum, ut Angelus Dei visus est et auditus, locatus egregie, honoratus magnifice et frequentissima procerum visitatione et populorum ad prædicationes conventu. Qui cum multum per id tempus orationi se dedisset, petens a Domino, ut viam suam secundum suum beneplacitum dirigeret, tandem per revelationem divinam didicit, ut in Bohemiæ regnum iret, ingentia ibi ad Orthodoxæ Fidei exaltationem facturus.

per Carinthiam et Styriam,

g

E

81 Consummatis itaque nonnullis prædicationibus, in Nova Civitate *h* apud Cæsarem cum nonnullis signis et prodigiis, tum Cæsaris, tum Viennensium oratorum precibus advocatus, Viennam profectus est; quæ una est de formosioribus, et famosioribus Germaniæ civitatibus, litterarum et divinarum artium florentissimum gymnasium habens, ad quam et Cæsar ipse accedere voluit, et Christi servum sæpenumero audire. Ubi quantum Joannes profecerit, quam honorifice habitus et lætanter exceptus fuerit, difficile profecto enarrare est. Nam ibi religiosum locum pro suis fratribus recepit, ubi postea centum decem et octo commorati sumus *i;* ibi studentes, baccalaureos, et doctores multos ad divinas religiones concitavit, nonnullosque Francisci veste suis manibus vestivit. Ibi populum quinquaginta diebus cœlesti doctrina aluit ; ibi summo cum omnium gaudio et stupore multorum miraculorum gloria claruit, ibique sæpe confluentibus Ungaris, Moravis, Australibus, et Bavaris, non modo amplissima communis platea hominibus stipabatur tota, sed civitas ipsa ita replebatur, ut jubileum celebrari crederes. Qua gloriosa de eo per omnem Germaniam fama volitante, cum ad probandam Bohemorum et Moravorum reductionem, eorum, inquam, qui Hussitarum hæresi maculati, a Romani Pontificis obedientia recesserant, in Moraviam et Bohemiam se contulisset, ac perinde, licet cum maximis et summis vitæ periculis, magna hæreticorum tam baronum et nobilium, quam plebium conversione facta, Bavariam, Misnam, Thuringiam, Saxoniam, Silesiam, Poloniam, Franconiam, Sueviamque quatuor annis perlustrasset, tanta celebritate adeunti procedebant obviabantque populi omnes, abeuntemque comitabatur omnis ætas, ut apostolum Dei haud magis venerati fuissent.

ibique multis miraculis claret :

h

i

F

(1) Tom. XI, pag. 292. — (2) Ibid. pag. 412.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

et a principibus, prælatis et populo

82 Nam hunc reges, hunc principes, hunc populi, hunc nationes tum crebris litteris, tum nuntiis, tum oratoribus et ornatissimis legationibus avidissime accersebant, hunc denique, ad eos proficiscentem, non modo inclyti reges et clarissimi sæculares principes, sed ecclesiastici prælati ac omnis clerus et religiosorum cœtus cum crucibus, vexillis, Reliquiis, hymnis et canticis spiritualibus, pulsantibus campanis et organis, ineffabili pietate, gaudio et veneratione excipiebant, et ad cathedrales ecclesias conducebant, ubi cantando *Te Deum laudamus*, susceptaque a viro Dei benedictione, comitabantur eum usque ad præparatum domicilium, et in sua lætissimi revertebantur, agentes maximas gratias Deo, quia in suis terris et civitatibus tam cœlestem nuntium visere meruissent. Postera autem die inchoabat populo prædicare verbum Dei præco Christi, nec ulla dies præteriisset apud illos manens, qua cœlesti pabulo eos non refecisset. Et licet latinus sermo in longum temporis spatium protraheretur, sæpe hyemali tempore, in publicis plateis, avidissimi tamen
B omnes videre et auscultare famulum Dei, per quatuor et quinque horas in nivibus et frigoribus libentissime stabant, quoad interpres declarasset, quod Joannes prius latine edixerat.

ingenti gaudio suscipitur;

83 Infirmos et male habentes, quos vel in ecclesiis, vel in publicis plateis collocabant, vir Dei fere singulis diebus circa horam vespertinam visitabat, præmissa oratione, et quoties egredi domum voluisset, nobilibus et egregiis viris comitabatur, ab illis tamque eundo quam redeundo, ut oculi pupilla servabatur. In Bohemia vero et Moravia manu forti semper ducebatur catholicorum, ne in hæreticorum potestatem deveniret; qui minis et terroribus orthodoxos, illum suscipientes, adeo perturbabant, ut servum Domini de multis locis pepulerint et fugaverint. Et quamquam omnes Alemanni, Bohemi, et Moravii principes, prælati, magnates et populi, eos dico, qui catholicam profitentur fidem, hunc veluti cœlo delapsum susceperint atque dilexerint, Brinnenses *k* tamen, Olomucenses *k*
Znoymenses, Domini De Rosis *l*, Patavienses, *l*
C Egrenses, Norimbergenses, Ambergenses, Magdeburgenses, Lipsienses, Vratislavienses, Australes, Bavari, Misnenses, Corlinenses, Silesitæque fere populi omnes, Ludovicus dux Bavariæ *m*, Joannes et Albertus marchiones *m*
Brandeburgenses *n*, Fridericus et Guglielmus *n*
duces Saxoniæ *o*, episcopique Burgiensis, *o*
quo devotiorem nescio, quem in terris pudicissima habeat Maria *p*, Eystatensis *q*, *p q*
Magdeburgensis *r*, qui et primas est Germaniæ, *r*
Vratislaviensis *s*, Bamburgensis *t* et Olomu- *s t*
censis *v* splendidius et honorificentius, Monacenses, Augustenses, Francfordienses, et Herbipolenses maximi, et potentes populi, licet non eo processionum splendore et fastu occurrerint, non minorem nihilominus devotionem ad audiendum verbum Dei ostenderunt et frequentiam. Tanta enim populorum commotio in tota Germania sanctimoniæ ejus vitæ et miraculorum testimonio per divum Joannem facta est, ut sæpenumero quinquaginta millia, sæpenumero sexaginta millia, sæpenumero supra centum millia hominum, *w*
Erphordiæ maxime, conspeximus *w*.

cum magno religionis incremento prædicat:

84 Signa insuper, et prodigia, ut superius commemoravimus, in omni fere civitate et oppido, ubi vel parum pedem fixerit multa facta sunt, quæ a plerisque sæcularibus fuerunt examinata et conscripta, quæque nullus inficiari potest, nisi aut invidus, aut malevolus extiterit. Templa præterea et religiosa loca tot et tanta in memoratis regionibus hic mirificus Christi præco ædificari curavit, ut summum divini cultus, et christianæ fidei incrementum omnibus sit maximæ et incredibili admirationi; qui licet, recusantibus Bohemis, metropolitanam illam Pragensem urbem adire nequiverit, in ea tamen locum catuli sui, ut prædixerat, ceperunt ante ejus dormitionem. Multitudinem autem vanitatum, tabulariorum, taxillorum, vehiculorum, et aliorum ludorum pestifera instrumenta, quæ in Germania ipsa vulcano tradidit, non est mei ingenii explicare. Nam cum vidissem, Norimbergæ sex magnos currus, tabulariis plenos, ad commune forum duci, ubi etiam supra septuaginta vehicula depicta, quibus, ab equis hyeme per civitatem traductis, voluptatis E
causa, multa scelera perpetrabantur, etiam igne, spectantibus cunctis, consumpta sunt, putavi præ nimia multitudine in tota Italia tot inveniri non posse.

in Poloniam quoque,

85 Quid dicam de maxima juvenum turba, quos ad Christi obsequium his in oris allexit et traxit? Cum enim ille de mortis memoria in universa terra Lipsiensi ardentissime prædicasset, adeo animos omnium ad mundi contemptum provocavit, ut centum et viginti studentes ad varias religiones infra paucos dies se contulerint, quorum prope sexaginta ipse Francisci veste vestivit, vestissetque plures, ni locorum idoneorum penuria prohibuisset. Quid de urbe Vratislaviensi loquar? ubi, constructo templo in honorem sancti Bernardini, eo loco supra sexaginta fratres collocavit, quos sua prædicatione e sæculo eduxit *x*. *x*
Quid tandem de urbe Cracoviensi? ex qua prope centum et triginta studentes extraxit, et ad Franciscanorum cœtum induxit, quorum prope octuaginta in novo loco sancti Bernardini, ibidem recepto, summo omnium gaudio, dimisit, qui postea non solum in Poloniæ re- F
gno multa religiosa loca construxerunt, sed etiam in Leopoli, quod est in Russia famosum oppidum *y*, Tartaris vicinum locum, *y*
plantaverunt, qui pro linguarum variis generibus ibi degentibus magnum est lumen Catholicæ fidei.

pergit, et Cracoviæ multos ad Ordinem allicit,

86 Eam quidem Cracoviensem urbem studentium et doctorum multitudine refertam, cum rogatu inclyti Casimiri, Polonorum regis *z*, vir Dei accessisset, non solum omnis *z*
populus et clerus atque studentium et doctorum cœtus omnis ei cum ornatissima processione occurrit; sed rex ipse cum regina matre sua et Sbigneo, dignissimo Cardinali Cracoviensi *aa* obviam extra civitatis mœnia factus *aa*
est : qui tanta devotione tantaque benevolentia eum complexus est, ut novem menses illum retinuerit ad erudiendam Polonicam gentem, cui tum miraculis, quæ per eum Dominus operari dignatus est, quorum supra centum examinata et annotata fuisse constat per D. Nicolaum Cracoviensem, juris pontificii doctorem eximium, tum quotidianis prædicationibus,

A dicationibus, novem illic mensibus factis, quod doctis admirationem non mediocrem attulit et stuporem adeo gratus acceptusque fuit, ut alterum Apostolum his visum fuisse credas. Inde tandem, combustis multis ludorum instrumentis, discedens, multitudine plorantis populi stipatus, et a sancto illo viro Cardinali, cujus magna laus est in Polonia, in ædificandis ecclesiis nutriendisque Christi pauperibus et alendis, invitus comitatus, perlustratis multis oppidis, in Vratislaviensem urbem rediit.

Wratislaviæ in judæos, sacrilegio convictos,

87 Hæc est enim illa pulcherrima et devotissima civitas, in qua uberrimos fructus ejus prædicatio bis jam produxerat, quæ faciem ejus videre et contemplari non poterat satiari, quæque, quasi ex sua sede evulsa, in ejus occursum tanto omnis ætatis et sexus gaudio et plausu tertio venit, ut videretur nunquam illum aspexisse, cum tamen bis antea summa et incredibili honorificentia suscepit. Ibi enim quam grande quamve excellens de Eucharistiæ sacramento miraculum contigerit, breviter eloB quamur. Rusticus quidam fuit in villa, non multum a Vratislaviensi urbe remota, qui pecunia corruptus, novem consecratas hostias de pixide furatus, judæis Vratislaviensibus vendidit. Quas seniores judæorum super pannum lineum ponentes, singuli virgas habentes impurissimis et scelestissimis manibus percusserunt dicentes : « Hic est Deus christianorum hic (sæpius replicando), est Deus christianorum. » Quod tantum nefas cum perpetraretur, cœpit in tanta copia miraculosus sanguis de hostiis emanare, ut pannus ille lineus magna ex parte tinctus redderetur, et ut scelus ad lucem venit (quod diu celatum esse, divina justitia non pertulit), statim captivatæ sunt omnes judæorum familiæ, quorum nonnulli, auctore divo Joanne, jure officii generalis inquisitoris, quo fungebatur, cum ad torturam positi fuissent, sicut expressimus, verissime miraculum fuisse affirmarunt.

severe animadvertit.

88 Hæc dum agerentur venit ad sanctum seniorem quædam mulier christiana, quæ hactenus exstiterat judæa, dicens : « memini, C inquit, dum adhuc essem in judaismo sex annorum, vidisse multos judæos ad ignem non parvum congregatos, deferrique quamdam hostiam consecratam, quam quidam furati fuerant, ea enim ludibrio in medio ignis projecta est, sed in nulla ex sua parte læsa statim miraculose exivit; secundo et tertio similiter in ignem conjecta integerrima de igne exilivit. Quod stupendissimum et admirabile prodigium, ut factum vidit quædam vetula, in terram illico procidens adoravit eam, et dixit : « Credo te, Domine, Deum esse, Salvatorem meum esse, et Messiam, quem exspectamus, te tota mente adoro, teque ex toto corde veneror, et colo Christum Jesum Dominum meum. » Judæi autem hæc ægre ferentes, illam baculis statim interfecerunt, et in tali domus angulo sepelierunt. Addens se, et vidisse puerum christianum, furtim sublatum clam a Judæis, deliciose nutritum et impinguatum, in cado magno, multitudine clavorum undique transfixo et perforato, positum, tam diuque inter densa clavorum acumina confossum et laceratum, donec beatum emisisset spiritum; cujus sanguinem in sacrificium judæi obtulerunt, et ad alias vicinas synagogas miserunt : corpus vero pueri sanctum in tali parte domus sepulturæ dederunt. Cujus reliquiis, ut devota fœmina docuerat, repertis, quas meis oculis vidi in manibus sancti senioris, factum est, ut consilio Joannis, ad Ladislaum, regem Ungarorum et Bohemorum, magna peritia digesto transmisso, sancitum fuerit per regem, ut omnes filii judæorum a septennio citra baptizarentur et a christianis nutrirentur *bb;* reperti autem in crimine, una cum rustico christiano, igni traderentur : cæteri vero extra regia dominia in perpetuum exilium destinarentur. Combusti itaque fuerunt unus et quadraginta. Magister autem synagogæ se ipsum nocte strangulavit, et ad simile faciendum omnes animavit; rex quoque bona omnium accepit, imitatus Albertum patrem clarissimum, Romanorum regem, qui pro simili scelere in provincia Austriæ duo millia Judæorum, una die unoque domicilio inclusorum, comburi fecerat. *bb*

In Moraviæ prædicat.

89 Consummatis tandem nonnullis prædicationibus in urbe Vratislaviensi, non sine ingenti dolore illius populi, Joannes, ascendens in provinciam Moraviæ rediit, et in urbe Olomucensi nonnullas prædicationes peregit : ubi cum miracula, alias ibidem gesta per eum, hæreticos calumniatos fuisse, comperisset, dixit : « Si quis hic adest, qui superiori tempore, dum vobis evangelizarem minus sanitatis æger accepisset, surgat, et testimonium perhibeat veritati. » Et ecce surrexit, viro Dei prædicante, coram omnium multitudine, quidam dicens : « Infirmus eram quando hic Pater nobis alias prædicavit et ita ægritudine affectus, et viribus pedum destitutus, ut per me ipsum incedere non valerem; delatus autem ad eum et sua manu tactus et signatus, statim sanus factus fui et solus abii, quo volui. » Id enim Dei famulus ideo fieri voluit, ut hæreticorum calumniæ veritatis testimonio amputarentur et pia eorum, qui per eum ad fidei unitatem redierant, pectora in veritate orthodoxa et Romani Pontificis obedientia magis firmarentur, Hussitarum erroribus nullo unquam tempore amplius adhæsura.

F

Summa ejus humilitas.

90 Erat enim hic vir Dei in humilitatis abysso fixus et fundatus, ut omnia sua opera, quæ humanam laudem et commendationem sibi adscriberent, divinæ majestati attribueret, sæpe cum Apostolo ingeminans : « Non quia sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, tamquam ex nobis, sed sufficientia ex Deo est. » * Cujus quidem humilitatis magnitudinem, licet vilis vestis, contemptus, crebræ lacrimæ, honorum fuga, dignitatum renunciatio, summa reverentia in Ecclesiæ prælatos, suavissimaque humanitate in omnes officia satis superque declarent; unum tamen singulare exemplum adjiciemus, quod eam virtutem in eo excellentissime extitisse liquido manifestabit. Semel quidem, dum humilis Dei servus a Nicolao de Stella, armorum imperatore, quinque patibulo suspensos impetrasset posse deponere et sepulturæ tradere, abhorrereque cœpisset mortuorum horribilem aspectum, se ipsum vincens, alterum suspensorum strictissime in spiritus fervore complexus, caput totum in ejus ventrem immisit : qui nullo prorsus fœtore

* II Cor. III, 5

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

fœtore læsus, tanto statim odore suavitatis repletus est, quanto magis ex multorum aromatum fragrantia repleri potuisset, et ubi humanum debuit sentire fœtorem, ibi divinam maximam sensit ex sui profundissima humilitate consolationem. O vere divinum et apostolicum virum, cui apud exteras gentes tantus impenditur honor, signorum et prodigiorum amplissima divinitus præstatur potestas, dilatationis novæ Franciscanorum prolis, hæreticorum et judæorum explantationis ex alto summa conceditur gratia, suavitatisque incredibilis in cadaveris amplexu donatur maximus odor.

ANNOTATA.

a *Fridericus III imperator anno* 1440 *electus, obiit* XIX *Augusti* 1493 : *illi passim exprobrant historici ignaviam et avaritiam.*

b *Æneas Silvius Bartholomæus Piccolomini, ex illustri Senensi familia, primum Friderici Cæsaris secretarius et apud varios principes orator, anno* 1447 *Tergestinus episcopus, dein* B *anno* 1450 *Senensis et anno* 1456 *Cardinalis, mortuo Calixto III successit* XIX *Augusti* 1458 : *sedem Romanam rexit ad diem obitus,* XIV *Augusti* 1464 (1).

c *Albertus, Friderici Cæsaris frater, primus videtur titulum* Archiducis *Austriæ assumpsisse : filius erat Ernesti Ferrei* (2).

d *Forlivium habet codex manuscriptus, sed vitiose : tum quia hujus nominis provincia non habebatur ; tum quia Venetiis in Austriam proficiscentibus occurrit imprimis provincia Fori-Julii* (le Frioul), *cujus urbs primaria est Utina. Paulo infra denuo occurrit Forlivium, quod* in confinibus Almaniæ *habetur, adeoque Forum Julii indicat.*

e *Villacum hoc non est confundendum cum ejus hononymo, loco emortuali Sancti nostri. Villacum, de quo in textu, est oppidum Superioris Carinthiæ, versus exordia Dravi fluvii situm : euntibus autem in Austriam necessarius est per Carinthiam transitus.*

f *Prædicandi ratio S.* Capistrani *hæc erat, ut ipse quidem latino sermone ad populum* C *dicens, uteretur, sed haberetur alius e fratribus, qui dein vulgari lingua verba redderet. Id constanter fecisse Sanctum tum in Germania, tum in Bohemia et Ungaria Nicolaus et reliqui biographi sæpius, quod semel animadvertisse sat est, indicarunt.*

g *Ladislaus, dictus Posthumus, quia post patris Alberti obitum natus est, regiam coronam primum anno* 1453 *cinxit. Nam sibi Fridericus Cæsar regnum Hungariæ arrogare constituerat, proptereaque Ladislaum, adhuc in infantia hærentem, honesta captivitate detinebat; donec ab Hungaris coactus, regem restituit* (3). *Quum itaque anno* 1451 *apud Cæsarem admissus fuit S.* Capistranus, *Ladislaum quidem, sed necdum regem, adire potuit.*

h *Multa hujus nominis sunt oppida ; de quo hic agitur est Civitas Nova* (*Wienerisch-Neustadt*) *decem fere leucis gallicis secundum mappas Vienna meridiem versus distans : initium sumpsit anno* 1192; *et frequenter sæculo* XV *imperatorum aula fuit.* D

i *Originem conventus Observantium Viennensis his verbis describit Vigilius Greiderer* (4) : Friderico III imperatore solum pro conventu offerente, S. Theobaldi locum, extra mœnia structum... selegit (*S. Capistranus*): qui (*locus*) ex jussu Augusti (sororibus alio cum facultatibus decentius translatis) anno 1451 die XXII Julii traditus fuit. Exin ex impensis Cæsaris, accedente populi adjutorio, cœnobium amplius SS. Theobaldo et Bernardino sacrum excitatum est; cujus incolæ brevi ad numerum centenarium et post aliquot annos ad ducentesimum excreverunt..... Solimanno, Turcarum imperatore, immanem pugnatorum numerum anno 1529 Viennæ admovente, conventus a christiano milite, ne hostibus in præsidium fieret, dirutus, ab Ottomannis supervenientibus, fratribus, qui in eo remanserant, trucidatis, in mense Septembri in cineres redactus et quasi funditus demolitus fuit. *Anno tandem* 1589 *stabilem sedem nacti sunt Observantes in vacuo monasterio S. Hieronymi* (5). E

k *Satis nota sunt hæc populorum nomina pleraque, ut explicatione topographica non indigeant. Znoyma* (Znaim) *est oppidum Moraviæ incolarum fere* 5,000. *De Corlinensibus quid dicam nescio : est quidem in Pomerania oppidum Korlinum nomine, quo tamen S.* Capistranum *devenisse non facile admisero, quum de mediis populis nullus sermo fiat. Forsan* Koblinienses *legendum est, in eo scilicet oppido est conventus Observantiæ, anno* 1456 *inchoatus* (6).

l *Domini de Rosis, seu familia Rosembergica illustrissima est : ejus specimen aliquod præbet Bohuslaus Balbinus in suis Miscellaneis historicis de regno Bohemiæ* (7), *dicitque de Wilhelmo Rosemburgico, qui sæculo* XVI *floruit, illum intra mensis spatium viginti armatorum millia in aciem facile producere potuisse.*

m *Ludovicus, de quo loquitur biographus, videtur esse Dux Bavaro-Landishutanus, qui ex Henrico et Margarita, Alberti Austrii filia, natus est anno* 1417 *et vivere desiit anno* 1479 (8).

n *Albertus anno* 1469 *gubernacula suscepit,* F *quæ dein anno* 1486 *filio suo Joanni dimisit. Ast de hoc Joanne, nato anno* 1455, *agi hic loci non potest : est vero sermo de Joanne, dicto Alchimista, filio Friderici Nuremburgici* (*ex quo hodierna domus Borussica originem ducit*); *quoniam autem scientiis discendis nimis deditus erat, cogente patre, jure primogenituræ cessit, et obscurus vixit ad annum usque* 1464. *De isto igitur Joanne loquitur biographus noster* (9).

o *Fridericus, Saxoniæ dux, natus* 1411, *obiit* 1464; *fratrem habuit tertio genitum, qui uxorem duxit Annam, filiam Alberti imperatoris : vita functus anno* 1482 (10).

p *Quis sit iste episcopatus Burgiensis, non divinarim : quum nullum hujus nominis exstat in tota Germania episcopatus.*

q *Ab anno* 1445 *ad* 1464 *cathedram Eichstadiensem occupavit Joannes III ab Eych, vir pius et zelator animarum* (11).

(1) Moroni. Dizion. d'Erud. Eccles. v°. *Pio II.* — (2) Hergott. General Austriac. tom. I, pag. 225 et 227. — (3) Timon. Notit. Hung. pag. 72. Ignat. Fessler. Geschichte der Ungerm. tom. IV, pag. 751. — (4) German. Francisc. tom. I, pag. 301. — (5) Ibid. pag. 303. (6) Ibid. tom. I, pag. 282. — (7) Tom. I. Part. I, pag. 90. — (8) Adelzreitter. Annal. Boic. Part. II, col. 173 et 192. — (9) L'art. de vérif. les dates, tom. III, pag. 526 et seq. — (10) Ibid. pag. 414. — (11) Falckenstein. Antiquit. Nordgav. tom. I, pag. 203.

r *Fridericus III*

A r *Fridericus III a Beichlingem sedem Magdeburgensem ab anno* 1445 *ad* 1464 *tenuit, pius et operibus pœnitentiæ deditus, primus titulum Primatis Germaniæ, quam dignitatem jam a longo tempore habebant decessores, nomini suo adjunxit* (1).

s *Wratislaviensis episcopus erat Petrus Novag, qui ab anno* 1447 *ad* 1456 *sedem tenuit : licet multis litibus implicitus a malevolis, in meliorem tamen statum Ecclesiam redegit* (2).

t *Antonius de Rotehan seu de Rotenheim episcopus Bambergensis fuit ab anno* 1432 *ad* 1459 : *videtur alchimiæ studio, cætera probus, fuisse deditus* (3).

v *Paulus Miglitius obiit anno* 1450, *coadjutorem habuit Joannem, præpositum Olmucensem, qui quadriennio decessori superstes fuit, adeoque S.* Capistranum *colere potuit* (4). *Alii, qui etiam familiæ nomen edunt, scilicet Haz, dicunt vita functum* XXIX *Maji* 1454 *ac etiam fuisse Sancti nostri fautorem præcipuum* (5).

w *Erfordia* Erfurth *oppidum celebre tam in temporalibus quam in spiritualibus archiepi-*
B *scopo electori Moguntino obnoxium, hodie est urbs primaria provinciæ Saxonicæ regni Borussiæ. Habebat universitatem anno* 1392 *fundatam, anno* 1810 *exstinctam* (6). *Quod ad numerum auditorum spectat, quem exaggerasse putamus biographus, vide num.* 63 *Commentarii prævii.*

x *Conventus Wratislaviensis, a S.* Capistrano *fundatus perstitit usque ad annum* 1522, *quo Fratres a Lutheranis ejecti fuerunt : tandem anno* 1679, *derelicto legitimis tabulis veteri monasterio, novum intra mœnia civitatis, sub titulo S. Antonii construi cœpit. De his late agit Vig. Greiderer* (7).

y *Leopolis,* Lemberg, *caput olim Russiæ rubræ, nunc vero regni Galitiæ, sub corona Austriaca : ea in urbe habebant Observantes conventum primarium, a Gabriele de Verona fundatum, vivente, ut patet ex textu, S.* Capistrano ; *unde admitti non potest, quod insinuat Vigilius Greiderer,* abs dubio *incepisse anno* 1465 (8).

z *Casimirus IV, electus anno* 1445, *obiit* 1492; *ejus nuptiis benedixit S.* Capistranus.

aa *Sbigneus Olynitz, creatus Cardinalis ab Eugenio IV anno* 1439, *postea ad partes anti-*
C *papæ Felicis V deflexit, aut saltem inter duas partes medius stetit : cæterum pius, fortis, in pauperes effusus, obiit anno* 1455 (9).

bb *Docent passim theologi, parvulos, invitis parentibus infidelibus, præter mortis articulum, baptizandos non esse; quia si institutionis christianæ causa potestati parentum eripiantur, est manifesta injuria; quoniam jure naturali potestatem habent in filios : si vero parentibus post baptisma reddantur, manifestum et certum est apostasiæ periculum* (10). *Excipitur tamen casus, quo parvuli sint a parentibus sive jure sive injuria separati, et christianis educandi traduntur* (11). *Imo juxta Joannem Voet, dissolvitur patria potestas per exilium patris, maxime in Germania, ubi exilium deportationi æquiparatur* (12). *Atqui talis est casus, a biographo expositus, quandoquidem decreto Ladislai regis terris Bohemis et Hungaricis omnes Judæi, septennio majores, interdicti perpetuo fuerunt.*

(1) L'art. de vérif. les dates, tom. III, pag. 526. — (2) Stenzel. Scriptt. Rer. Silesiac. tom. I, pag. 169. — (3) Ussermann. Episcopat. Bamberg. pag. 201. — (4) Richard. Biblioth. sacrée v°. *Olmutz.* — (5) Pilartz. Moraviæ. Hist. tom. II, pag. 171. — (6) Gilbert. Dict. Géograph. v°. *Erfurt.* — (7) German. Francisc. tom. I, pag. 812. — (8) Ibid. tom. I, pag. 282. — (9) Ciaccon. Vitæ Rom. Pontt. et Cardd. tom. II, col. 910. Moroni. Dizion. v°. *Olynitz.* — (10) Sylvius. Comment. in III part. S. Thom. tom. IV, pag. 259. Edit. Antv. 1714. — (11) Ibid. pag. 260. — (12) Comment. ad Pandect. Lib. I, tit. VII § 9.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

CAPUT VIII.

Iter Hungaricum ; promulgatio belli sacri ; victoria navalis.

Adversus Turcas, christianitati imminentes,

Postquam igitur Christi præco, mirificus Joannes, in provinciis Austriæ, Bohemiæ et Poloniæ magnum religiosorum cœtum ad divinum cultum coadunavit, locaque plurima eis auxit, tum Eneæ Silvii, tunc imperialis secretarii, exhortatione, tum Constantinopolitanæ miserandæ cladis nunciatæ dolore provocatus et compulsus *a*, conventum christianorum principum, Francfordiæ designatum, ex Moravia discedens, per maxima et latissima terrarum spatia laboriosissime adiit *b:* ubi cum omnium animos ad tuendam fidem, et ad ulciscendam injuriam, quam pro amissione Constantinopolitanæ urbis Turcarum grandis victoria christianæ reipublicæ attulerat, ardentissimis prædicationibus per aliquot dies excitasset et inflammasset, sperans illos eas maximas * et summas copias in Turcas conflaturos, quas Ungari polliciti fuerant, in Austriam e vestigio descendit, ad Ungaros animandum, sicut per revelationem a Domino Nurimbergæ *c* acceperat, postea profecturus. Multi enim principes, multique christianorum potentissimi populi adversus Turcas se pugnaturos spoponderant.

a

b

E

* et *deest in Waddingo*

c

torpentibus principibus christianis,

92 Verum cum designata esset altera dieta apud Cæsaream Majestatem, tum pro præficiendo exercitus imperatore, tum pro componenda inter Christicolas pace, ut, domo pacata relicta, libentius omnes arma capesserent; ad eandem Dei famulus Eneæ Silvii, tunc Senensis episcopi, nunc autem Romani Pontificis summi, litteris admonitus, se contulit ex Vienna, ubi secundo, cum summa omnium lætitia et acceptatione, per multos dies sanctum semen verbi Dei seminaverat, sed ut cognovit, antiqui hostis opera, expeditionem jam institutam in Turcas præpediri : cum non modo in rebus maximis tractandis tuendæ fidei, sed in ipso modo sedendi, ut quisnam primum, quis secundum apud Cæsarem locum esset habiturus, concordare nequiverint, non auditus, qui * illud evangelium in medium protulerat : « Qui major esset inter eos, fieret sicut minor * ; » de omni opere christianorum principum fere desperatus, recepto et reducto prius rogatu Cæsaris conventu Iudimburgæ *d*, ad Ungaros quam primum transivit; Valachiæ, Transilvaniæ, Rasciæque *e* limites perlustravit. Quem cum ii populi multa signa et prodigia facientem vidissent, veluti Angelum Dei Christique Apostolum incredibilibus honoribus, ingentibusque apparatibus ubique exceperunt.

F

* *forsan* quia

* Luc. XXII, 29

d

e

S. Capistranus *populos excitat*

93 Ibi quidem innumeros populos ad audiendum verbum Dei ex remotissimis oris confluentes, ibi stipatos amplissimos campos gentibus, ibi ornatissimas processiones, ibi

plebes,

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

plebes, ibi proceres, ibi prælatos, ibi religiosos et clericos, ei summa cum lætitia et veneratione occurrentes, vidisses, spiritualia cantica, dulcissima melodia, resonantes. Et quamquam Alemani, Poloni, et Bohemi et Moravi, qui catholicam profitentur fidem, hunc summa honorificentia susceperint; non minore tamen devotione et honore et Ungari exceperunt, omnes illum sanctum, omnes illum beatum Patrem appellantes et prædicantes. Per id quidem tempus Mahometh Bey Turcarum imperator, inflatus grandi victoria et extrema ruina Græcorum, ex campanis Costantinopolitanis machinas ingentes construxit, et innumerabilia bellica instrumenta confecit, classem potentissimam per Danubium traducendam, exercitumque terrestrem maximum et copiosissimum conflavit. Quem cum Ungari cognovissent, adversus eos pugnaturum, pro colligendis copiis multas dietas celebrarunt, quibus divus Joannes, impiger certe excitator, affuit, licet, imminente excidii tanto periculo, nulla adjumenta, B nullaque præsidia majores natu attulerint miseris, præter illustres viros Joannem Hunyad
f regni gubernatorem *f* cujus filius Mathias
g in regali nunc Ungariæ sedet solio *g* et Joan-
h nem de Rorogh *h*, qui perpetuus vocitatur comes et hi quidem cum pauca admodum militum manu comparuerunt.

et accepta Cruce,

94 Ubi autem Beatissimus Joannes intellexit, Cardinalem Sancti Angeli, Apostolicum
i legatum *i*, Budam venisse, illuc se statim contulit, et per ejus manus et Christi Crucem, a Calixto Papa transmissam, et prædicandæ cruciatæ auctoritatem, per apostolicas litte-
k ras sibi creditam, accepit *k*. Hac itaque die,
l quæ fuit prima Dominica quadragesimæ *l*, apostolica suscepta potestate, quasi altisona tuba exaltare incipiens vocem suam, ad Crucem accipiendam, seque imitandum, maximam christianorum infra paucos menses turbam allexit et incitavit; et eo fortius incitavit, quoad tuendam orthodoxam fidem, cœlum ipsum, quasi binis cœlestibus tubis, de mense Junii per multos dies suo modo ante Turcarum adventum clamavit: binis enim appa- C rentibus cometis, una ante auroram quæ præ sui magnitudine omnes orbis nationes terruit, altera post solis occasum, quæ etiam similem
m mortis umbram præferre videbatur *m*, cœpit Dei famulus bonæ esse spei, quandoquidem, Christo revelante illas, fortissimam victoriam de Turcis præmonstrare cognovit.

eos hortatur, ut pro fide pugnent:

95 Quamobrem omnes exhortabatur, et singulis palam prædicabat. « Nolite timere, pusillus grex, nolite contremiscere. Dabit quidem Deus nobis optatam victoriam de inimicis nostris, quam præcurrentia astra designant omnino futuram. » Accelerante itaque Turcarum imperatore versus Ungaros, festinat Joannes ad tutelam christianæ reipublicæ, hinc litteris, hinc nuntiis crucesignatos convocare, ipseque cum nonnullis Belgradum, ad cujus expugnationem Turcæ se præparaverant, navigavit, magno honore, incredibilique lætitia susceptus. Nam Turcæ III Julii Belgradum primo a longe, deinde, ubi omnis applicavit multitudo, terra Danubioque propinquius obsederunt. Erat quidem illorum exercitus centum et viginti millium bellatorum, equis, camelis, machinis, curribus, opi- D bus, auro et argento affatim instructus. Classis autem in Danubii flumine sexaginta quatuor triremes, quas, usitatiori vocabulo Galleas appellamus, habebat, exceptis aliis minoribus navigiis.

et victoriam navalem refert.

96 Ubi autem Domini servus Belgradum obsessum vidit, ad constantiam primo adhortatus est omnes, deinde Salankemen *n* navi-
n gavit, ut cum cruciatorum exercitu rediturus Belgradum liberaret. Ubi cum paucis admodum diebus prædicasset, assistente sibi illustri regio gubernatore Joanne Hunyad, potentissima et copiosissima crucesignatorum classis parata est. Qua statim in Turcarum classem irruente, cruciati adeo viriliter et strenue divo Joanne in Danubii ripa orante et validissima voce acclamante, « Jesu, Jesu, » pugnantibus etiam Belgradensibus, dimicarunt, ut infra quinque horas omnem Turcarum classem expugnarent. Ibi enim maxima cædes facta est Turcarum, multique in ore gladii dati sunt. Tres triremes in aquis periere, quatuor in christianorum potestatem E devenerunt. Reliquæ autem tam atroci bello propulsæ sunt, ut christicolis nunquam amplius obesse potuerint. Paraverat quidem illustrissimus gubernator regni navem quamdam pergrandem, multis propugnaculis munitam, in qua omnis christianorum spes locata videbatur. At ipso belli sævissimo congressu, imprudentia quorundam, igne in machinarum pulveribus cadente, et plerosque miserabiliter, comburente et lædente, multitudo in ea designata cruciatorum, egredi coacta est. Ut daretur intelligi, felicem illam victoriam, non humana sed divina potius virtute christicolis fuisse concessam; et licet statim novis recentibusque intromissis bellatoribus reintegrata ad pristinum statum extiterit, communis tamen omnibus victoriæ triumphus fuit.

Belgradum ingressus,

97 Profligatis itaque ex Danubio Turcis, ingressus est Belgradum senior sanctus, plaudentibus præ gaudio cunctis, qui, emissis vulneratis et debilibus omnibus, novos recentesque bellatores intromisit. Mane autem cum ad viriliter resistendum populum dulcissimis adhortatus fuisset eloquiis, in castra rediit, F quæ apud Danubium posita sunt. Ibi enim sexaginta millia cruciatorum convenerunt et cum eis multi sacerdotes et religiosi, qui sacramenta illis ministrabant divina. Inermes tamen fere omnes erant, quibus autem inerant corporis vires arcum et pharetram, et scutum gestabant. Gaudet Dei famulus, cruciatorum tanta multitudine visa, et lætissima facie complectitur omnes, parent cuncti ejus imperio, negantque se alium habere ducem præter Joannem Capistranensem devotissimæ gentes. Et quamquam princeps bello, christianorumque exercitui præfectus esset fortissimus Turcarum debellator et malleus, Joannes Hunyad, nihil tamen gerendis rebus consulere, nullas instaurare acies, sine Dei famulo valebat.

denuo christianos animat

98 Porro tanta Ungarica gens Joannis Capistranensis auspicio ducebatur, et non modo robustissimi juvenes, quibus ebullit sanguis, et maturus labor solet esse jucundior, sed senes et ætate gravescente confecti, hunc ducem, hunc imperatorem sequebantur, secum pro Christo morituri aut victuri. Ipse vero

A vero Dei servus instantia quotidiana sacris orationibus, et hostiis incumbens, omnes pro Christo, pro propria, proque communi omnium salute ad propellendos hostes magna animi virtute incredibilique spiritus fervore animabat et impellebat; docens eos nec rapinis nec spoliis inhiare, sed ante pugnam orationi, devotioni, confessioni, sacrique viatici susceptioni vacare, rectissimo incorruptoque animo pugnare. Instituerat enim gloriosissimum Nomen illud Jesu crebro ab omnibus christicolis acclamandum in Crucis hostes, nec aliud, sive in castris, sive in bello nisi Jesu Jesu per christianorum ora volitandum.

et ante conflictum sacramentis reficit;

99 Erant autem Joannis verba apud illos tantæ æstimationis et opinionis, ut singuli quasi de Christi ore illa summa devotione et observantia suscipere viderentur. Omnibus quidem unica vox extabat, sacrum inclytumque martyrium cum eo libentissime suscepturos *, nec a suo latere usque ad sanguinis effusionem quoquo pacto discessuros* : quandoquidem ad opus, sane omni laude omnique gloria dignum, atque cœlesti ingentique præmio destinatum, eorum animos suasos et concitatos intelligebant: fiebatque proinde, manente obsidione, ut multi, præmissa confessione sumptoque sacro viatico, benedictionem, flexis genibus, a viro Dei susciperent, et ad pugnam Christi amore accensi, proficiscerentur, ac gloriosa inclytaque morte occumberent. Quorum capita Turci præcidentes, lanceisque fixa in altum tollentes in terrorem spectaculumque christianorum apud Belgradi vallum ferebant.

* *W.* suscepturi
* *W.* discessuri

et quum omnes desperarent,

100 Quid multa? æquatis solo primi castelli mœniis, fractis eversisque magna ex parte turribus per ingentes machinas, regius gubernator ad eum nocte venit, incredibili timore perculsus: « Victique sumus *, inquit, Pater, in Turcarum potestatem castellum cito venturum est, jam ingrediendi aditus patet hostibus. Nos ad tantam multitudinem inexpertos et inermes bellatores habemus. » Cui Christi servus, magis in Domino, quam in homine confidens, dixit: « Ne formidet animus tuus, Domine, quia Dominus erit nobiscum, qui potens est subigere et enervare nostros hostes. » Tunc illustrissimus gubernator: « Crastina, inquit, die castellum non erit nostrum. » « Nequaquam, respondit Dei famulus, erit quidem nostrum et illud non auferetur a nobis. » Adveniente itaque vigilia
C *o* Magdalenæ *o*, facta prius oratione more legis spurcissimi Mahumethis circa horam vespertinam, Turcæ pugnam ineunt cum christianis, atque impetu maximo facto, castellum primum ingredi contendunt, fit atrox cruentissimaque cædes, replentur a Turcis fossata, pugnatur utrinque pro viribus ad primam usque noctis horam. Potitur primis mœniis grandis Turcarum virtus, et ut cœlum nives et nubes pluviam, ita hostium Christi arcus dabant sagittarum multitudinem. O sævissimum belli genus! o Dei manum omnipotentem, o clementiam Salvatoris immensam, neminem unquam derelinquentem ad se toto corde confugientem!

* *W.* Victi sumus

101 Circa noctis medium, vallante totum castellum omni Turcarum multitudine, committitur pugna crudelissima, obtinetur tota planities primi castelli a Turcis, perveniturque usque ad pontem secundi, quod magnis vallatur fossatis, et difficillimis turribus et propugnaculis. Turcæ autem non advertentes, multos adhuc christianos remansisse in circuitu primi, irruentes in pontem, non elevatum stantem, castellum secundum, fortius primo, intrare satagunt. Qui autem remanserant in primis mœniis, ignitos lignorum fasces in fossata immittunt, quæ Turcis plena erant, castellum ingredi contendentibus. Turcæ itaque, flammis undique vallatos se conspicientes, in fugam se vertunt, sed egredi non valentes, aut igne consumebantur, aut a tergo a christianis, per pontem exeuntibus, gladio interficiebantur. Pugnatum est enim fortissime usque mane. Turcarum autem tam magna cædes facta est, ut undique effusus sanguis conspiceretur, et in fossis permulta cadavera Turcarum apparerent; quorum tanta erat multitudo, ut christianis liber transeundi aditus non esset: christianorum vero, pro quibus Dominus mirabiliter ea nocte, orante E
divo Joanne, et vehementer « Jesu, Jesu » acclamante, pugnavit, vix sexaginta occubuerunt *p*.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

a secundo castello, jam undique cincto, Turcas repellit,

p

et tandem christiani,

102 Illuscescente itaque die, divus Joannes castra omnia posuit apud flumen Savæ, et in loco, ubi Danubio jungitur. Nam Belgradum, quod Nanderalbam Ungari vocant, quod et latini Albagrecam dixerunt, his duobus fluminibus cingitur *q*, tria castella habens, unum *q*
alteri conjunctum. Sola jam aqua Savæ inter Turcarum christianorumque copias mediat. Videns autem senior sanctus quosdam admodum paucos crucesignatos in Turcas irruisse, et multitudinem hostium magnam viriliter repulisse, ad martyrium flagrans, irruente in se Spiritu Sancto : « Hæc est, inquit, illa dies, quam exspectabamus, transeamus » : et non annuente Joanne Vuayvoda sæpe rogato, quandoquidem pœnæ capitali subjiceretur quisquis contra ejus præceptum Savam transiisset, jussit omnem christianum exercitum Savam Christi servus transire, nec servatum est humanum præceptum, ubi prævaluit divinum; timebat enim regius gubernator, ne victoria, nocte F
obtenta, verteretur in calamitatem in die, et in planitie sub Turcarum equorum pedibus inermem pedestrem exercitum conculcandum; ob eamque rationem mandaverat, ne ulli de cætero liceret cum hostibus bellum inire, permittente Domino, ut vel sic in divo Joanne virtus magis claresceret Christi.

invito etiam Joanne Huniade, in Turcas

* *W.* quos

103 Transivit itaque ad vocem famuli Dei omnis christianorum exercitus, remanente illustri Joanne Vuayvoda in Danubio, quem * nulla prohibitio tenere potuit. Ubi autem christiani pugnare cœperunt, machinarum stationes, statim Turcæ, terga vertentes, reliquerunt; ac simul sese in castris constrinxerunt ingenti dolore, et pavore correpti. Divus vero Joannes Capistranensis, ut vidit omnes machinas in christianorum potestatem devenisse, magno repletus gaudio, in Crucis hostes ardentior animosiorque redditur. Acclamatur sæpe per eum mellifluum, potentissimumque illud Nomen Jesu, et respondentibus circumquaque omnibus christicolis, ita hujusmodi vox cœlo potenter volitabat, ut regio illa tota

contremiscere

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

contremiscere videretur. Erigit tandem suorum commilitonum animos Domini famulus, dulcissima oratione sua. Adhortatur omnes ad fidei defensionem, dicebatque illis : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. * Occurrite inimicis crucis Christi. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere *. » Sicque his et aliis similibus verbis, ex scripturis, quibus majorem in modum affluebat, multorum corda ad pugnam excitabat et animabat, ut non ad bellum, sed ad nuptias pergere viderentur.

* 2 Cor. VI, 2.

* Matt. x, 28

irruunt, et Nomen Jesu inclamant,

104 Congressus itaque sævissimus fit per sex horas continuus *; vim potentissimam inferunt feroces hostes : certatur utrinque pro viribus; Dei autem famulus, ut alter Josue cum suis bellatoribus, procedebat baculo substentatus, in cujus summitate erat Thau, quo eos animosiores, audacioresque redderet; qui dum semel consocii sui instantia, repetitis vicibus *, ex ipsis mortis faucibus revocaretur : « Ne vadas Pater, ne vadas Pater; * neci dederis. » Ad martyrium aspirans, « ad hoc veni respondebat : qui vult fugere, fugiat. » Et ut in manibus omnium pugnaret, oratione voceque fortissima Jesu Nomen invocando et clamando, ut alter Moyses, pro Dei populo divinum interpellabat auxilium. Et cum undique sagittæ volitarent, multosque necarent et lætaliter vulnerarent, eum tamen Christi protectione munitum, illæsum, intactumque semper reliquerunt. Fit tandem Turcarum cruentissima cædes, omnibus christicolis Jesu * acclamantibus, terga vertunt hostes, christianis, Deo pro eis pugnante, mirifice prævalentibus, cedunt inglorii, qui cum centum et viginti millibus venerant gloriosi : fortissima enim cæde percussi, terroreque ingentissimo, incessabili acclamatione Nominis Jesu consternati, dissolutis castris, relictis * viginti quatuor millibus interfectis, relictis multis maximis machinis et bellicis instrumentis, mirabili artificio extructis, in fugam se turpissime dantes, per viam, qua læti venerant, mœsti cum centum et amplius vulneratorum curribus ad propria rediere. Et qui omne Romanum imperium suæ ditioni subigere arbitrabantur, novem diebus præ nimio timore pedem non fixerunt.

* *W.* vocibus
* *W. addit* ne te ultro :

B

* *W. repetit* Jesu

* relictisque *W.*

C

hostesque cœlitus territos,

105 Tantus namque terror eos invaserat, ut timentes ne facies terræ in eorum oculis periret, nihil præter fugam cogitarent *. Videbatur quippe illis maximas militum copias a tergo sentire, cum revera nullus christianorum planitiem, ubi atrocissimum bellum commissum est, postremum egressus fuerit. Neque in bello totus christianus exercitus fuit, sed vix * quinque millia, et, ut quidam affirmant, tria millia extitere, qui victoriam fecerunt. Quis igitur audivit unquam bellum tale, aut quis vidit huic simile? ut pauci admodum agricolæ, fossores et aratores fere inermes, tam grandem, tam fortem, tamque copiosum exercitum effugarent, multitudinem tantam interimerent, copiamque tantam vulnerarent. Multi quidem ex nobilioribus Turcarum ceciderunt. Imperator autem * eorum, in latere sinistro cuspide * percussus, præ nimio doloris rabie, dentibus stridebat suis, hujusmodi * lamentationes ingeminabat. « Me profecto non marchio, non dux, non princeps, non rex, non cæsar, sed ruricolæ, aratores terræ, et fossores, vilissimum hominum genus, profligavere. » Sciebat namque Vladislaum, Ungarorum et Bohemorum potentissimum regem, ex Australi sede non discessisse, Joannem Vuaivodam suos fortissimos milites domum * dimisisse et solum cum sua familia in auxilium Belgradi venisse, sed tantum Joannis Capistranensis opera rusticos incultos * in eum arma sumpsisse, quos facillime superare posse firmissima sententia credebat.

* *W.* juxta

* *W. addit* etiam.
* *W.* scopeto
* *W.* hujusmodique

D

* *W.* domi

* *W.* multos

ingenti strage et bellici apparatus

106 Imo necato Græcorum imperatore, subactis Græcis, victaque Constantinopoli, Constantinopoli hæc tam insigni, tamque excelsa urbe per christianorum ignaviam male defensa, luciferina superbia elatus, omnem meridianam, occidentalemque plagam domitare et sibi subjugare nequaquam diffidebat. At invictissimus imperator, Christus Jesus Dominus noster, qui cum suis fidelibus usque ad sæculi consummationem semper esse pollicitus fuit, qui *pro Petro rogavit, ut non deficeret fides sua* *, quique semper exaudit voces pie clamantium ad se, non passus Ecclesiæ suæ sanctæ dominari barbaras nationes, non Italorum, non Gallorum, non Germanorum * robustissima militia, sed sola invocatione excellentissimi sui Nominis, opera et industria fidelissimi servi sui Joannis, Mahumethis, atrocissimi cruentissimique * Christiani nominis hostis, superbiam contrivit, salvans populum suum, per * Nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.

* Luc. XXII, 32.

E

* *W. addit* non Romanorum

* *W.* crudelissimique

* *W.* propter

ruina afficiunt

107 Joanni autem breve martyrium denegavit, ne Ungaria * interiret : coronam tamen Martyrii non abstulit; quippe qui periculis, qui missilibus, qui sagittis innumeris inter congredientes cuneos, mori pro Christo cupiens, ultro sæpenumero se objectavit, quique in tota illa Belgradi obsidione numquam sibi pepercit, in celerrimis discursibus, in solis ardoribus, in noctibus insomnibus, in siti, fame et laboribus adeo multis, ut tenue corpusculum, plusquam dici possit, exhauserit. Hæc enim felicissima gloriosissimaque victoria, de Turcis, auctore divo Joanne, et nullo alio, dicant quid velint, millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo *r* Mariæ Magdalenæ natalitio obtenta divinitus, per Ungaros fuit; qua die Joannes Hispanus, Cardinalis Sancti Angeli, Apostolicus legatus, Buda discessit; Belgradumque tandem perveniens, cruciatorum castra, pecuniæ inopia soluta invenit. Quæ licet per eum, adjumento famuli Dei, reintegrata postea fuerint, morte tamen tum Joannis Vuaiwodæ, quæ vigesima die subsecuta est post victoriam *s*, tum Joannis Capistranensis, qui inde ad tres menses spiritum cœlo reddidit, tum etiam Comitis Ciliæ, qui Belgradi a Ladislao filio Joannis Vuaivodæ gladio occisus est *t*, iterum dissoluta fuere, nec unquam secreto Dei judicio Belgradum præteriere *v*.

* *W.* Hungarica gens

r

s

t

v

—

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Conventus Francofordiensis celebratus fuit mense Octobri* 1454, *ut constat ex epistola* S. Capistrani, *ad Nicolaum Papam data die* XXVIII *Octobris* (1). *Convocatus porro fuerat,* ut, *ait Waddingus l. c.,* delectus militum fieret et belli altrices pecuniæ stabilirentur. Hic tandem conventum est, sed vario et instabili principum suffragio, aversisque a Pontifice et imperatore animis, quos dicebant aurum corradere, non bellum gerere velle; unde utrique maledicere, legatos eorum contemnere, Burgundos irridere, qui proni ad expeditionem videbantur. *Cæterum quam divisi essent principes, quam agitata Europa universa, ad vivum depingit Æneas Sylvius,* (*apud Raynaldum ad annum* 1454 § IV) *tunc cæsaris Francofurti orator. Memoriam Nicolai V a calumnia vindicat Franciscus Philelphus in epistola gratulatoria, Callixto III* XI *kal. Martias* 1456 *inscripta, quam recitat Raynaldus ad annum* 1455 § XV.

B b *De laboribus* S. Capistrani, *pro republica christiana exantlatis, late egimus in Commentario prævio* § XXIII *et seq.*

c *Apographum nostrum habet revelationem factam* Hurimbergæ : *sed perperam vitio calami; nam Joannes Tagliacotius, quem in Commentarii prævii num.* 308 *retulimus, aperte dicit, id Norimbergæ mense Novembri* 1454, *quum rediret a comitiis Francofordiensibus, accidisse.*

d *De recepto Judemburgensi conventu, hæc habet Waddingus* (2): In provincia Austriæ et custodia Stiriæ habebant Patres Conventuales cœnobium Judemburgæ pauperculum et pauculorum fratrum domicilium. Fridericus imperator, cupiens habere in terris suis hereditariis conventum aliquem Fratrum Observantium, vocato Austriæ ministro suum exposuit desiderium et utrinque convenerunt, ut domus Judemburgensis eis tradetur. *Transactionem ratum habuere tum minister generalis Ordinis, tum Romanus Pontifex. Est autem Judemburgum oppidum ad Muhrum fluvium situm,* 1500 *incolarum capax* (3).

e *Rascia, sic dicta a fluvio Rasca per eam*
C *labente, qui in Moravam majorem influit, regio est septemtrionalis Serviæ : urbes præcipuæ Alba Græca* (*Belgradum*), *Semendria* (4).

f *Joannes Huniad, etiam Corvinus appellatus; initio sæculi* XV *natus, anno* 1454 *die* XXV *Januarii constituitur a Ladislao rege* capitaneus generalis exercitus (5): *jam etiam jure perpetuo comes Bistricensis creatus fuerat. Brevi post partam, de qua biographus noster loquitur, victoriam, moritur, ut infra indicabitur.*

g *Mathias Huniades, Joannis filius, sublato e vivis* XXIII *Novembris* 1457 *Ladislao rege, die* XXIV *Januarii anni sequentis rex eligitur, regnumque per annos quadraginta duos gloriose tenuit.*

h *Hoc nomen varie scribitur; nam præter* Rorogh, *ut habet hic, alibi scribit biographus* Korog (6), *Joannes Tagliacotius, forsan rectius,* Borogh (7). *Si istius Joannis nomen est gentilitium, non est, quod divinemus : si vero sit nomen loci, nullum istiusmodi in Hungaria reperi. Forsan legendum est* Bodrogh, *castellum, cujus, ait Bonbardius* (8), nec rudera novit ætas nostra, *quodque nomen dedit comitatui, cujus non undique certi sunt limites* (9). *Joannes de Borogh, qui solus in armis adversus Turcas cum Huniade processit, vocatur a laudato Tagliacotio, Commentarii prævii num.* 329 (10), comes perpetuus de Castellis et banus Machoviensis, necnon comitatuum de Orban et de Posega comes; hic enim ratione banatus illuc adventavit cum nonnullis equitibus; erat Nanderalba sub banatu suo.

i *Joannes Carvajal Hispanus, ab Eugenio IV anno* 1446, *licet episcopus Palentinus, diaconus Cardinalis S. Angeli creatus, obiit anno* 1469 (11).

k *De hac Crucis impositione et prædicandi belli sacri auctoritate agit Joan. Tagliacotius Commentarii prævii num.* 310.

l *Anno* 1456 *bissextili, paschate in diem* XXVIII *Martii occurente, dominica prima Quadragesimæ in* XIV *Februarii incidit.*

m *Cometa, qui anno* 1456 *populos terruit,*
E *videtur idem, qui vulgo ab Edmundo Halley Anglo suum sortitur nomen* (12).

n *Salankemen oppidum est fere medium inter Petrovaradinum et Belgradum, ad Danubium situm : in mappis topographicis reperitur, in quibus* Salarkement, Szalarkement *Salankamen scribitur. Plerumque perperam scripta sunt locorum nomina, unde ea in lexicis, quæ coram habeo, videre non potui.*

o *Id est* XXI *Julii.*

p *Magnum Chronicum Belgicum, rei gestæ coævum, hisce verbis victoriam christianorum refert* (13) : Victoria miraculosa cœlitus datur christianis in Ungaria trans Danubium contra Turcam, qui perdidit multos et fugit turpiter, timore hostium perculsus, dum nemo eum persequitur. Sola manus Domini terruit eum in die S. Sixti (*imo in die S. Magdalenæ*), ubi S. Joannes de Capistrano præsens fuit ibi et provocavit populum trepidantem ad persequendum infideles fugientes; et facta est ultio magna. Dixerunt ipsi Turcæ, tam immensum numerum armigerorum a se visum, ut
F vix auderent post tergum respicere; ideo, relictis omnibus fugisse. Fuerunt vero sancti Angeli. *Hinc videre est, victoriam soli Deo tributam passim fuisse.*

q *Belgradum, sive Albam Græcam ad confluentem Savum in Danubium situm quidem est : sed urbs inter utrumque fluvium media non jacet; habet Danubium ad septemtrionem, ad orientem Savum, ut liquet ex tabulis geographicis.*

r *Biographus victoriam Belgradensem anno* 1457 *illigat, quod infra num.* 111 *repetit dicendo* S. Joannem *obiisse* sabbatho, vigesima tertia Octobris 1457. *Mendosam esse lectionem anni* LVII *sæculi* XV, *sive ipsi biographo sive ejus librario adscribatur, vel ex eo patet, quod isto anno* LVII *sabbathum cum vigesima tertia Octobris non concurrat. Dein omnes alii biographi cœvi annum Sancti emortualem* 1456 *statuunt; quod etiam confirmatur bulla Calixti III, insti-*

(1) Wadd. Ann. tom. XII, pag. 202 et 205. — (2) Ibid. pag. 305. — (3) Gilbert. Dict. géogr. v°. *Judenburg.* — (4) Baudrand. Lexicon. géogr. v°. *Rascia.* — (5) Goldast. Constit. impp. tom. III, pag. 479. Cfr Timon. Notit. Rer. Hung. pag. 72. — (6) Wadd. Ann. tom. XII, pag. 363. — (7) Ibid. pag. 352. — (8) Topogr. Hung. pag. 534. — (9) Ibid. l. c. — (10) Wadd. Ann. tom. XII, pag. 352. — (11) Moroni. Dizion. v°. *Carvajal.* — (12) Cfr Biogr. Univ. v°. *Halley.* Migne. Encyclop. Theol. Dict. d'Astronomie, col. 342. — (13) Pistorius. Rer. Germ. Scriptt. tom. III, pag. 416.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

tuentis festum Transfigurationis Domini data VIII *idus* (*die* VI) *Augusti* 1457 *apud Raynaldum* 1457, *in qua* § LXXVII *Sanctus noster inter mortuos recensetur : victoriæ* præsente QUONDAM Joanne de Capistrano.

s *Obiit Joannes Huniades die* XI *Augusti ex peste, ut scribit S.* Capistranus *ad Calixtum Papam ex Salankemen* XVII *Augusti* 1456, *apud Raynaldum an.* 1456 § LII : *quod si demas aut diem partæ victoriæ aut diem mortis, accurate intercurrunt dies viginti; qua etiam ratione tribus mensibus ab eadem victoria distat dies obitus S.* Capistrani, *ut paulo infra dicit biographus.*

t *Udalricus, comes Ciliæ* (*Cilley*) *a Ladislao rege gubernator regni Joanni Huniade defuncto substitutus, primum amicitiam cum ejus filiis simulaverat, et quod magis erat, Ladislaum natu majorem in filium adoptaverat : interea liberorum Huniadis necem moliebatur* (1). *Huniades autem, secreto conscii insidiarum, quæ ipsis struebantur, scelestas machinas prævertendas rati, in festo S. Martini, die* XI *Novembris* 1456, *sub obtentu negotiorum tractandorum Udalricum in domum alliciunt, et multis vulneribus inflictis occidunt* (2). *Dissimulatum aliquandiu facinus rex tandem, die* XVI *Martii anni sequentis, Ladislaum capite plectendo ultus est* (3).

v *Mancus videtur sensus : forsan scriptum erat* præteriere, *aut quid simile, quo significetur, crucesignatos deinceps Belgradum numquam attigisse.*

CAPUT IX.

De Sancti obitu; de quibusdam miraculis, post mortem patratis.

Die VI augusti febrimaligna correptus,

Divus itaque Joannes, christianæ fidei defensor, infideliumque ingens pavor et terror, profligatis Turcis, liberatisque Ungaris, febribus, irrevocabili fluxu VIII idus Augusti torqueri acriter cœpit *a*. Quam ægritudinem, *a* nimiis laboribus comparatam, laudans et magnificans Deum, septuaginta octo dies *b*, patientissimo certe pertulit animo, et licet hactenus dissolvi apprime affectasset et esse cum Christo, sæpe illud propheticum ingeminans : « Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. * » Cupiebat tamen pro orthodoxæ fidei exaltatione adhuc aliquantulum supervivere, ad expeditionem ad Christi hostes destruendum semper aspirans, decernensque potius in castris, vel in bello obire, quam a sancto proposito resilire. A qua quidem sententia, etiam propositis multarum miseriarum incommodis, numquam sui socii eum revocare potuerunt, quoad usque natalis gloriosæ Virginis dies *c* de sua dormitione divinum oraculum certiorem fecit. *c*

b

* Ps. CXIX, 5

instare sibi mortem cœlitus cognoscit,

109 Ut autem per revelationem cognovit, ex illa ægritudine se ex hac luce discessurum; in æterna tabernacula suscipiendus, deferri

B

voluit ad Conventum Minorum in Wilak, quem ad regularem Observantiam non mediocri labore reduxerat, ut vel sic, ipso ibi moriente, ullo umquam tempore Observantes fratres illum non relinquerent, locusque ille, nullis sæculis laude divina esset cariturus, ubi tam pretiosus sui corporis thesaurus erat collocandus *d*. Ibi enim visitatus est a Ladislao rege, principibusque suis, qui Ungarorum gentem de Turcarum manibus eripuerat splendidissima stella sæculi nostri, Scripturarum armarium, Minorum omnium perpulchra corona : spes enim unica, et Germanicarum nationum in eo locata fiducia altum premebat dolorem, affligebatque animum, qui præripiebatur; et quandoquidem ob sui devotionem incredibilem christianorum exercitum intuebatur continuo ad se venire; ideo cum sancto Martino, sæpe dicebat. « Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. » D

d

interferventissimas preces,

110 Deflebat autem nimium miseros eventus, quos prævidebat procul dubio futuros. Ob idque divinam indulgentiam, profluentibus lacrymis, interpellabat sedulus : « Parce, inquiens, Domine, parce populo tuo et ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Miserere Domine, miserere nostri, miserere christiano populo, redempto pretiosissimo sanguine tuo. Domine Deus benignus et misericors non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis*. » Sicque lacrymis futuras pressuras redimere conabatur mens sacra, perenni studio supernis conjuncta, ut mole corporis pressa, nullo pacto otiosa videri potuerit, sed solatium ejus erat divinis laudibus vacare, missas attentissime auscultare, confessiones frequentare, sanctissime communicare. E

* Ps. CI, 1.

et SS. Sacramentis receptis

111 Et postremo stipendia vitæ flagitans, jam solvi se gavisus, confiteri novissime, communicare, perungi et animam Deo committi, non in strato, non in mollibus, non in deliciis, sed in pavimento voluit; nihil minus quam cæteri, pro se ipso deprecans : « Sancta Maria, ora pro me, Sancte Abraam ora pro me, » et cætera referens, plaudentibus et elevatis vicissitudine * manibus cum dignitate et reverentia cunctis adstantibus attentior, et ita attentior ut minus bene proferentem, ac barbarizantem *e* hebdomadarium sæpius corriperet et emendaret. Sabbato itaque vigesima tertia Octobris 1457 cum omnes confratres devotosque Ordinis atque suos, per orbem dispersos, multis divinis benedictionibus replesset, dispositis cunctis erga socios suos necessariis, dum primum vesperis daretur signum, perfecte mentis compos ac sensu vivax, fratrem Hieronymum Utinensem, cujus relationem in hoc viri Dei transitu magna ex parte imitamur, nutu vocans auxilii ferendi gratia, sedere voluit, et inclinans ad pectus suum titubans caput, suaviter ore sensim aperto inter illius ulnas exanime corpus reliquit, plenus dierum * et operibus bonis. F

* vicissim

e

** melius* diebus *placide moritur : ac sepulcro mandatur.*

112 Cujus transitus fama totum perlustrans oppidum, adeo populum omnem commovit, ut turmatim festinantibus cunctis beatum

(1) Fessler. Geschichte der Ungern. tom. IV, pag. 847. — (2) Ibid. pag. 852. — (3) Ibid. pag. 861.

videre

A videre corpus, fratribus periculo fit in longum producere funus. Defertur itaque ad ecclesiam, quo plebs omnis collacrymans accurrerat. Exsequiis * solemnibus, hymnis, laudibus, dignisque honoribus, singuli, pro cujusque dignitate, complent. Servatur in medio chori, undique ardentibus faculis, et luminum copia, alternatis excubiis et callida cura timore suffurandi, inhumatum per aliquot dies, clauditur postremo arca ferreis laminis circumsepta, catenis clavibusque munita, beatum illud corpus, molle, flexibile, ac per omnia tractabile. Quod ad octavam diem nos veluti pretiosissimum thesaurum videntes, et præ summa devotione osculantes, atque multis lacrymis respergentes, ita etiam flexibile, tractabile et nullum prorsus habens malum odorem invenimus, ut vivere quodammodo videretur.

* *melius* exsequias

statim post mortem miraculis

113 Ubi autem spiritum Deo reddidit, statim miraculorum gloria florere cœpit: ut qui forma justitiæ, veritatis tuba, perfectionis norma, virtutumque et charismatum domicilium, extiterat in vita, miraculorum etiam fulgor fieret
B in cœlestibus regnans. Nam quem Dominus tantis signis et prodigiis hac in peregrinatione illustrem effecerat, illustriorem reddere voluit post dormitionem cum Angelis et Sanctis suis in supernis habitantem, quorum miraculorum magnitudinem etsi magnum voluminis corpus non facile explicet, reliqua tamen ex his, propinquorum juramento diligenter examinata, quæ ad nostram notitiam pervenerunt ex registro civium Vuilak, ad id per magnificum et illustrem virum D. Nicolaum Waivodam specialiter deputatorum, extracta brevius, quo poterimus ad Dei laudem, et Joannis sanctæ vitæ insigne testimonium in medium afferamus *f*.

f

clarescit,

114 Cum igitur de more cœlestis viri corpus in publicum prolatum esset, conflueretque passim populus videndi osculandique illius causa, ducta est Elisabeth filia Balthasar pellificis de Vuilack collo et capite paralytica, et tres annos penitus cæca, quæ manus sacras defuncti osculata, statim divini Joannis virtute, et visum recepit et a paralysi exstitit liberata, quemadmodum ejus genitor coram
g designatis testibus juramento firmavit *g*. Petrus, Leep dictus, de Vuilak filium habens quinque annorum, sævissimum ulcus ita patientem, ut bibere nec edere aliquid valeret : emisso voto visitandi tumulum viri Dei, illoque adimpleto, ipsum filium sanum et incolumem recepit. Helena, mater Joannis lapicidæ de Vuilak, unius manus et unius pedis officio destituta, facto voto accedendi ad sepulcrum ejus, divina ope, Joannis merito donante, optimam valetudinem statim adepta est. Filium Michaelis, Tegzis dicti, de Vuilak, quinque annorum, qui febre tertiana per medium annum, et postea quotidiana, ita affectus fuerat, ut nec bibere, nec comedere valens, morti vicinus censeretur, parentum precibus invocatus a faucibus mortis eripuit.

imprimis Villaki; maxime * *B.* Pholach

115 Filia Antonii, Portolab * nuncupati, de Vuilak pestilentico morbo adeo gravata jacebat, ut nulla spes relinqueretur humana recuperandæ sanitatis, quæ dum delata fuisset ad tumulum beati viri, subito annihilato et dissipato apostemate, ad propria sana et incolumis remeavit. Nec minore laude memorandum videtur, quod Laurentium, Pap dictum, civem utique de Vuilak, constat cum ultra annum cæcus exstitisset et contractus, ita ut, nisi sustentaculorum adjumento, ostium domus egredi non posset, audito tantorum gestorum rumore, Beati Patris auxilium cum voto invocasse, invocatoque illico valetudini restitutum fuisse *h*. Et ut illius dona uberiora apparerent, Margarita, uxor Martini de Vuilak, filium habens parvulum, a caduco morbo vexatum, mox ut illum flexis genibus et lacrymis ad sancti viri tumulum ferre devovit, incolumem accepit, cujus nulla spes erat recuperandæ sanitatis.

h

diversorum morborum

116 Præter hæc, et illud est memorabile, quod Barbaræ, uxori Balthasar pellificis de Vuilak, contigit, quæ per annum incredibilem dentium dolorem et validam in collo paralysim passa, ita ut nec caput erigere, nec collum vertere valeret ; emisso ad tumulum proficiscendi beatissimi Joannis voto, statim optimam valetudinem recepit. Qua vero laude prosequar, quod in filio cujusdam Georgii, E
nobilis genere, dicti Scheurak, magnum et singulare liberationis signum ostendit, quem, in extremis agonizantem, beatissimus hic vir, precibus matris interpellatus, quæ ad ejus tumulum venit, ita adjuvit, ut rediens genitrix domum, sanum et incolumem invenerit filium, quem in Athya Villa, non multum a Vuilak distante *i*, reliquerat semivivum.

i

curatione : claudi, cæci,

117 Quid uxorem Pauli pellificis de Futhack *k* loquar? Quid Gasparem, filium Valentini Pasga de Chitel * *l*, qui omnes caducum morbum patientes, alterum per decem annos, alterum a juventute sua, vexatos, emisso voto adeundi sepulcrum sancti viri, ope illius peroptime liberatos ratum est? Quid Valentinum, Zabo dictum, de Vuifalun * *m*, lumine oculorum tres annos ob quamdam ægritudinem privatum, etiam, invocato demum illo, recte illuminatum conspexerunt? Quid aliam Elizabeth, Petri Zebeer * de Zegedino *n* uxorem, claudam miserabiliter ab uno pede ultra annum, adjuvante utique illo, liberatam? Quid insuper Benedictum, filium Georgii, Vuzear * dicti, de Vorves * *o*, qui talem infirmitatem patiebatur, ut naturæ secreta per urinalem viam egrederentur, quique, cum laboraret in extremis, facto voto per genetricem deferendi illum ad tumulum famuli Dei, mox bonam valetudinem consecutus est?

k

* *B.* Ghitel *l*

* *B.* Wifalu *m*

* *B.* Ezeleer *n*

* *B.* Huza

* *B.* Vornes *o*

surdi,

118 At claudis, cæcis et agonizantibus illum opem attulisse non satis est, surdis etiam et mutis constat, ut loquerentur et viderent, dedisse. Nam Georgium de Bede, virum utique nobilem, septem et decem annos penitus, surdum, nihilque audientem, nisi nutu interveniente, hujus sanctissimi viri sanatum extitisse, emisso ad eum voto, per totam provinciam Bachiensem percelebre est. Stephanum insuper Sergyartho de Bodizrenthmiiklos, qui cæcus, mutus et surdus cum quatuor annos extitisset, facto voto adeundi sepulcrum viri Dei, sanatum constat in via, dum ad persolvendum votum deferretur, sicque lingua illius resoluta fuit, aperti oculi, et auditus integre restitutus, ut plenam de omnibus gratiam impetrarit. Nec tacendum videtur, quod Nicolao, filio Mathiæ Lede de Keniieres, notum est

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

est accidisse. Qui cum in nemore incideret ligna, quadam repentina infirmitate præventus, loquelam amisit, et per quatuor hebdomadas, nec pedibus ambulare, nec manus vel brachia flectere, imo nec cibum, nec potum per idem tempus sumere valens, ad patris votum et lacrymas, beatissimi Joannis patrocinio, incolumitati est optime redditus, ita ut, qui clauso ore, et strictis dentibus stabat, tantum stillatione alicujus nutritus liquoris, mox, emisso voto ad tumulum servi Dei, liber ab omni ægritudine evaserit. Quorum prodigiorum vulgatissimam famam animadvertens Dorothea, uxor Emerici institoris de Themeswar *p*, fide et animo recto cum supra annum quibusdam pelliculis contectos oculos habuisset, ita ut per tres menses, multis adhibitis remediis, nihil prorsus videret, emisso voto adeundi beati viri tumulum, e vestigio clarissime illuminata fuit.

p

febricitantes

119 Febricitantibus autem, deque vita jam desperatis optatam valetudinem etiam liquido constat attulisse. Nam Margaritham, uxorem Benedicti de Chika prope Bachiam *q*, vehementissimis tertianis febribus, et quartanis supra modum et annum tortam, et Scolasticam, uxorem Petri de Zelenus, longis et lethalibus febribus agitatam, tribusque mensibus adeo tumefactam, ut omnis spes sublata esset recuperandæ sanitatis, suppliciter invocatus, magnifice liberavit. Mathiam, filium Benedicti Zongo * de Karom *, decem annorum, ab ineunte ætate caduco morbo affectum, ita ut consumptus, jam propinquus esset morti, ad patris votum perfecte restituit sanitati. Benedictum, dicti Mathiæ genitorem, gravissima ægritudine pressum, caputque ita inflatum habentem, ut aperiendi oculos nulla sibi esset facultas, ab omni infirmitate exoratus eripuit. Blasius, filius Petri institoris de Zegedino, a nativitate manibus et pedibus contractus, et retrorsum curvatus, ita ut, tanquam aridum lignum, nec flectere, nec extendere quoquo pacto se posset, extenso pectore, apertisque oculis, sursum fixis, jacens, osque clausum tenens, adeo ut vix violenter valeret aperire ad sumendum lac, imo per dies sexdecim mammam sugere non valens, continuoque deficiens, et spe vitæ privatus, quippe qui putrefactus tum ex curvatione sub brachiis, tum ex conglobatione manuum et pedum erat, hujus sancti viri cœlesti virtute ad patris votum integerrima sanitate potitus est.

q

* *B.* Hongo
* *B.* Hazam

C

morti proximi,
* *B.* Hames.

120 Quid, multa? Laurentium, filium Joannis, Nemes * appellati, de Zegedino, jam agonizantem, ita ut jam discerni non posset, utrum viveret, vel obiisset, parentum lacrymis et voto vitæ restituit, sed ipso emisso voto nequaquam persoluto, post nonnullos dies mirabiliter puer recidivavit, graviori ægritudine affectus, atque ita vehementibus febribus vexatus, ut vitalis in eo non sentiretur spiritus; quam negligentiam parentes lacrymis multis et voti persolutione statim redimentes, filiumque ad sacrum pignus celeriter deferentes, concupitam a viro Dei gratiam feliciter impetrarunt, itaque qui mœsti ad sacrum Joannis tumulum venerant, læti et perjucundi ad propria cum liberato filio rediere. Cui miraculo simile manifestum est contigisse Joanni, filio Stephani Bakardi * de Zegedino, qui viribus omnibus per octo dies destitutus, nec loqui, nec vocem emittere valens, ad matris votum, intercessione beatissimi Joannis optimam valetudinem est consecutus. Silendum etiam non videtur excellens munus quod Margarithæ, uxori Augustini Czepheci de Pocha *, tribus milliaribus civitate Waradiensi *r* distante, divus Joannes contulit, quæ septem annos nisi super manus et genua periculando incedere non valens, nec manibus comedere suis, emisso voto, statim gradiendi facultatem bonam accepit, ita ut suis pedibus libere servi Domini tumulum adierit.

* *B.* Bukor

D

* *B.* Pochaji

r

contracti,

121 Neque tacebimus filium Nicolai Kadasi de Vuilak, ab ægritudine, quam dicunt lupam, seu canem *s*, liberatum, et Joannem, filium Andreæ de Naghfalwa, caduco morbo miserabiliter afflictum, mirifice erutum. Neque Barnabam, filium Valentini Pathakii * de Villa Zeutes *, silentio præteribimus, quem a quarta die nativitatis suæ usque ad decimam jacentem prope emortuum, ita ut nec plangere, nec mutas voces seu minutas reddere, nec ubera matris sugere valeret, sanum et incolumem vir Dei ad parentum vota erexit, et qui utrum e vita excessisset vel viveret cognosci non poterat, delatus ad sacrum Joannis pignus mox bene convaluit et revixit. Non Annam, uxorem Simonis sutoris de Vuilak, etiam obticebimus, quam, supra tres menses brachiis et pedibus viribus destitutam ex puerperio, cui neque movendi, neque vertendi, neque sedendi erat facultas, sed ab aliis deferebatur, delatam ad ejus sepulcrum mirifice adivit, ita ut in crastinum rediens libera et sana ab omnibus cognosceretur. Non filium memorati Simonis, quem, in uno pede contractum, rogatus idem paternis precibus, votoque suppliciter invocatus, apud ejus tumulum sanavit. Non Adrianum, filium Michaelis de Sisigh *, quem miserabilem plagam et tumefactionem in facie patientem, adeo ut illius oculi videri non possent, ad matris votum curatum esse, omnibus illius villæ incolis notissimum fuit.

s

* *B.* Patalei
* *B.* Theudes

E

* *B.* Tysligh

epilepsia laborantes,

122 Non Bartholomeum, filium Demetrii de Peczki, quem caduco morbo laborantem, per octo dies mammas sugere non valentem, beatissimi Joannis ope invocata per matrem, pristinæ sanitati redditum esse nemo non vidit. Non Petrum filium Heliæ Redzzek * de Siisigh *, ad matris preces et vota a mortalibus per eum febribus liberatum, cui nulla amplius spes erat de vita. Non Dionysium, filium Jacobi Thoth de Fannuslaun *, a quatuordecim annis in fatuitate agentem, et ita viribus destitutum, ut extensus super manus et pedes, tribus serperet annis, gradiendi nullam habens facultatem, quem ad votum matris, et preces viro Dei porrectas, liberum evasisse, multi viderunt. Non Magdalenam, filiam Blasii * sutoris de villa supradicta, acutissimas febres ultra annum passam, quam propinquorum illius excitatus precibus, paulatim sanavit, sed ubi suis pedibus ad tumulum beati viri incedere valuit, suum votum persolvens, pristinæ sanitati integre restituta est.

* *B.* Redurh
* *B.* Fisigah
* *B.* Januffalva
* *B.* Basilii

hydropici,
* *B.* Bricevii

123 Non Helenam, uxorem Brivii * de Vuilak, per annum oculorum lumine privatam, et

A et hydropisis morbo miserabiliter languescentem, quæ cum devotissime tumulum beatissimi Patris adiisset, ab eo optimam liberationis gratiam sortita est. Nec Elisabeth, uxorem
* *B.* Vuraji Georgii Vsaii * de Schitoleze, quinque annis caduco morbo vexatam. Non Catharinam, fi-
* *B.* Piissrii liam Michaelis Piilki * de Siisigh, ætatis XIII annorum, aliquando quartanas, aliquando quotidianas febres cum vehementi dentium stridore supra sex menses passam. Non Ursulam, filiam Cosmæ de Siisigh, duobus annis quartanis febribus tortam. Non parvulum
* *B.* Nemethi filium Georgii Kalmar de Kemethi * , non multum a Vuilak villa distante, fere emortuum. Non Mathæum, Osvaldi filium de
t Pesth, ex opposito Vuilak *t*, curvatum dextrum brachium adeo habentem, ut erigendi illud ad os nusquam ei esset facultas : non eumdem postea ob gravem quamdam ægritudinem duobus mensibus cæcum factum. Non
* *B.* Raatz Catharinam, filiam Michaelis Raakz * de villa
* *B.* Zheuutes Thanevus * , per tres menses pergere non valentem : quibus omnibus ad vota parentum
B integræ sospitatis munus Beatissimus Joannes impetravit.

amentes, 124 Sed qua digna laude celebrabimus, quod uxori memorati Mathæi Osvaldi de Pesth contigisse clarum est? Quæ, adstantium judicio, ob quamdam ægritudinem nullo pacto mortem in brevi evasura, sancto oleo jam uncta, facto pro ea voto ad tumulum Beati viri, mox convaluit et pristinæ fuit incolumitati restituta. Quid insuper ejus filium Joannem, amentem factum ex quadam infirmitate, loquar? Quid alterum filium Emericum, adeo magnam lupæ plagam in ore habentem, ut in maxillam digitus immitti potuisset? Quid eumdem puerum, graviori ægritudine interveniente, auditum amittentem? Quibus famulus Domini sanitatem peroptimam largitus est; et a patre invocatus, ut tertium filium, Petrum, in morte agonizantem, facto voto deferendi illum ad tumulum ejus, vitæ mox restituerit, qui nec in crastinum supervicturus sperabatur. Nonne et Helenam, uxorem Joannis Co-
* Loflhi kii * civis de Vuilak, pestilentico morbo, visu,
C auditu carentem, et loquendi facultate privactam, sudario, quo tectum fuit Beati viri corpus, antequam fuisset tumulatum, se devotissime tergentem et lacrymis osculantem, iste integre liberavit?

aliique varie afflicti sanitati restituuntur. 125 Nonne Elisabeth, uxorem Nicolai sartoris de Vuilak, in morte agonizantem, et candelam accensam in manu tenentem, adstantium omnium sententia ad horam supervicturam, quorumdam suasione viro Dei se devoventem, a mortis faucibus mox eripuit? Ita ut perfecte sanata, in crastinum emissum votum resolvere inchoaret. Nonne dictæ Helenæ filium, longo tempore febricitantem et nullo remedio sanari valentem, ad matris votum incolumitati restituit? Nonne etiam Agatham, filiam memoratæ dominæ, per triduum freneticam jacentem et semivivam, sine intellectu inania loquentem, ad matris preces et votum curavit? Eamdemque Helenam, vehementissimum dentium dolorem patientem, tribus diebus nihil gustantem, quietis locum non invenientem, seque sancto viro apud ejus tumulum commendantem, sanam statim effecit? Elisa-
* *B.* Vueres beth, filiæ Joannis Vuerenus * de Vuilak, per annum terribilibus febribus agitatæ, et ad extremum jam perventæ, atque quasi emortuæ, tribus vicibus ad sepulcrum divini Joannis, a matre voto delatæ, optimam incolumitatem contulit. Agathæ, uxori Gregorii pellificis de Harsam prope Vuilak, ob quamdam plagam apostematis in pede dextro, super manus et pedes gradienti, emisso voto adeundi tumulum ejus, munus liberationis donavit. Michaelemque, filium Stephani de Bacuh * , in extremis laborantem, ad votum * *B.* Banchii patris mirifice adjuvit; et qui infirmus per mensem jacuerat, sanus peroptime evasit, et una cum patre beati viri tumulum suis pedibus visitavit.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

ANNOTATA.

a *Febres hasce pestilentes fuisse, aperte dicit Joannes Tagliacotius in epistola ad S. Jacobum Picenum, quam in Commentario prævio dedimus: in ea scilicet num.* 380 : Quum, *inquit*, ex horrendo fœtore et ex corrupto aere pene omnes infirmarentur, suadente D. Legato, ad E
locum qui Semly dicitur, cum ipso se contulit. *Semly interpretor Semlinum, in adversa Savi ripa oppidum, inter utrumque fluvium Danubium et Savum ad confluentes situm.*

b *Ab* VIII *id. Augusti, seu die sexta ejusdem mensis usque ad* XXIII *Octobris sunt accurate dies* LXXVIII, *prout annotat biographus.*

c *Satis notum, festum Nativitatis B. Mariæ Virginis die* VIII *Septembris celebrari.*

d *Monstravimus in Commentario prævio num.* 528 *Vilakum subiisse jugum Turcicum et corpus S.* Capistrani *hactenus delitescere, numquam forsan inveniendum.*

e Barbarizare *est barbare loqui, scribere, aut pronuntiare aut etiam agere. Cfr Cangii Glossarium in Supplemento. Manuum plausus, quem paulo supra refert biographus, ita intelligendus est, ut significetur, Sanctus quandoque manus junxisse, quandoque etiam v. g. easdem ad cœlum elevando, disjunxisse, ut ferventer orantibus accidere solet.*

f *Instrumentum, publica auctoritate confectum, continens miracula, post S.* Capistrani *obitum Vilaki patrata, edidit Joan. Bapt. Bar-* F
berius post Vitam Sancti latinam anno 1662. *Id typis excudere supra num.* 431 *promiseramus; quoniam vero Nicolaus eadem refert, actum denuo agendum non arbitramur. Ex instrumento hinc inde aliqua decerpemus : hic autem proœmium ponimus sequentis tenoris :* Noverint universi, ad quos præsentia scripta devenerint, quatenus nos judex et jurati civitatis Wylak, ac etiam cives ejusdem, sub felici dominio et protectione magnifici domini nostri Nicolai de Wylak, Waywodæ Transilvani, constituti : notum facimus et testamur, quod beatæ memoriæ olim venerabilis pater Fr. Joannes de Capistrano, Italicus, Ordinis Observantiæ Fratrum Minorum, post multa et strenua opera, ab eodem per diversas mundi partes perpetrata, post multa laborum suorum merita, post prædicationem cruciatæ in hoc regno Ungariæ, post debellationem Turcarum, in hoc Nanderalbensi castro divinitus factam, ipso cruce signatorum capitaneo ac ductore cum vexillo crucis et cum acclamatione sanctissimi Nominis Jesu, assistente ei bonæ memoriæ

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

memoriæ magnifico domino et illustrissimo principe, domino Joanne de Huniad, olim gubernatore regni Ungariæ et vero fidei catholicæ protectore, in prædicta civitate apud nos immeritos ex hac vita plenus meritis, cruce signatus ac gloriosus feliciter migravit ad cœlum, ibique requiescit in ecclesia S. Mariæ apud Fratres de Observantia ejusdem Ordinis, quos ipse talia, sibi divino Spiritu revelante, prævidens, illic ante ipsius obitum introduxerat. Obiit autem anno 1456, die Octobris XXIII, hora vero XXI (*id est circa horam mediam tertiam pomeridianam*) die sabbati, pontificatus sanctissimi domini Callisti Papæ tertii, anno primo (*imo, anno secundo*), Legato vero Germaniæ et Ungariæ reverendissimo domino D. Joanne Cardinali S. Angeli, regnante Ungariæ Bohemiæque Ladislao rege. Quod autem prædictus vir Domini apud nos quiescere voluit, nonnisi divinitus factum esse arbitramur; nam quum hæc civitas Turcarum feritati vicina exsistat, sitque Schismaticis et Patarenis undique vallata, dignatus est omnipotens Deus illic servum suum constituere ac locare, ubi
B sicut vivens fuit infidelium persecutor et Turcarum debellator, ita eorumdem mortuus sit perpetuus terror : nos autem tantam in eum devotionem et devotam fiduciam habemus, ut propter eum nihil ab infidelibus timeamus. Nam quum superioribus diebus, tota patria spoliata rebus et personis et igne consumpta, ad nostram civitatem Turcæ devenirent, invenirentque nos dispersos propter vindemias, nihil nobis nocere potuerunt, sed civitate intacta dimissa, timidi, ad sua fugientes, redierunt; quod non nisi meritis et intercessione istius beati viri fratris Joannis adscribendum putamus. Post cujus felicem obitum illico ante tumulationem apparere cœperunt miracula, ad quæ non solum universa civitas nostra cum adjacentibus partibus commota est; sed a remotis confluebant populi ad ejus sepulcrum, et adeo catervatim, ut non ad ipsum Beatum, sed ad alterum Apostolum currere viderentur. Nos autem talia videntes, consideranteque continuum populorum concursum et miram signorum coruscationem, certificati de hujus viri prodigiis post annum cum
C dimidio, multis interea neglectis, scibendum ac notandum duximus miracula, quæ postmodum ad intercessionem et merita ipsius Beati fierent; ne tam a Deo quam ab hominibus de tam solemni dono, fidei christianæ collato, ut ingrati notaremur. Deputamus ergo nos cives, de mandato et voluntate egregiorum virorum vicebanorum, marchionensium et judicis curiæ, vices prædicti magnifici domini nostri D. Nicolai gerentium, aliquos cives bonæ famæ et conscientiæ, bonique testimonii super auditione et examinatione ac testificatione miraculorum futurorum; dantes eis omnimodam facultatem tam ex parte curiæ quam civitatis, et illam auctoritatem, quam tam curia quam civitas dare potest. Hi autem sunt Guido Italicus de Aretio notarius et civis in Wylak, Michael Gaphar mercator et litteratus, et Bartholomæus Arcupa sive arcuum magister : qui diligenter jussa complentes, quæsita veritate cum juramento firmata, multis adhibitis testibus, miracula, quæ obvenerunt et quæ D
usque in hodiernum diem ad ipsius beati viri merita fiunt, conscripserunt atque scribunt. *Desinit proœmium obtestando omnes, ut canonizationi allaborent, quapropter et Vilakenses mittunt ad omnes exemplar instrumenti legitime confecti. Dicunt autem, se consilium scribendi iniisse octodecim ab obitu S.* Capistrani *mensibus, adeoque finiente mense Aprili* 1458; *ultra vero annum* 1460 *instrumentum non excurrit.*

g *Nicolaus biographus in miraculis referendis coram certe habuit instrumentum Vilakense : nam eodem plerumque ordine sanationes refert, et non raro iisdem fere verbis. Id speciale habet instrumentum, quod mentionem faciat præstiti juramenti et sæpe testes miraculi adducat.*

h *Aliquid vitii scribenti obrepsisse dubium non est : sensus certe est :* Nec minore laude memorandum videtur, quod de Laurentio, Pap dicto, cive utique de Wylak constat : cum ultra annum *etc. Instrumentum Vilakense sic sonat* (1) : Laurentius, Papa dictus, de Vuilak, de platea piscatorum præstitit juramentum coram testibus deputatis una cum Emerito * Dobas de eadem platea et Michaele piscatore, Petro Baconi et Jacobo piscatore cum uxore sua, Elisabeth, et etiam tota platea piscatorum scit, et testificatur ipse Laurentius, qui ultra annum ita fuit paralysim passus, quod devenit contractus totaliter in pedibus et in oculis, et ultra annum ita fuit destructus et obcæcatus, quod etiam partem domus suæ nesciebat exire sine ductore, et duci non poterat nisi per sustentacula. Emisso voto ad sepulcrum beati Patris, immediate sanitati optimæ restitutus est et absque sustentaculis ambulat, quocumque vult et sine ductore, et simul cum aliis artem piscatoris exercet.

* Emerico?

i Athya *est villa non longe Vilako occidentem versus sita, ut constat ex mappa quæ bellum Russo-Turcicum anni* 1788 *exhibet.*

k Futhak, *villa Hungariæ, in altera ripa Danubii ad orientem Vilaki sita.*

l Chitel *seu* Ghitel *nec in lexicis nec in mappis invenire, præsertim quum mihi desit lexicon Hungariæ, licuit.*

m Vifalu *seu* Uffalu *neque lexica neque map-* F
pæ ostendunt.

n Zegedinum *seu* Szegedin *Hungariæ oppidum, ubi in Tibiscum influit fluvius Maros.*

o *Neque hunc locum reperire potui. Quoties vero minora loca, quæ notitia indigerent, silens prætereo, interpretetur lector, me non invenisse.*

p Themeswar *seu* Temesvaradinum *civitas ad Begam fluvium in solo palustri, sedes est episcopi latini Czanadiensis.*

q *Hæc clarius habet instrumentum apud Barberium* (2), *scilicet :* Margarita, uxor Benedicti Sardonis de Chica prope Bachiam in distantia quatuor milliarium a Wilak *etc. Est autem* Bachia *seu* Bacs *urbs episcopalis, cujus sedes hodie Coloczensi unita est.*

r *Hujus nominis variæ sunt urbes Hungariæ : Petrovaradinum, quod vix tribus milliaribus, Varadinum in comitatu Biharensi, quod triginta quatuor, et Varadinum Magnum quod triginta milliaribus Vilako distat : inter hæc duo posteriora seligat lector.*

s Lupa, *apud Cangium* Lupus, *est carci-*

(1) Pag. 6. — (2) Pag. 14.

A *noma seu cancer, morbus plerumque gravissimus.*
t Pest *est villula ex opposita ripa Danubii, versus septemtrionem, ut constat ex mappa, exhibente Theatrum belli Russo-Turcici, incepti anno* 1786 *et ad annum* 1791 *continuati.*

CAPUT X.

Continuatur relatio miraculorum.

A morte suscitati, Petrus Viida,

At et multis mortuis restituisse vitam, non ignoramus. Nam etsi supra duodecim, parentum juramento, constet, hunc divum Joannem a mortis faucibus liberasse; septem tamen in præsentiarum ad fidelium consolationem in medium adducemus, et explicabimus. Inter quos Petrus, filius Clementis Viida de Chazar, extitit primus. Hic enim cum caduco morbo pluribus diebus die ac nocte vexatus fuisset, tresque dies mammas sugere non valuisset, audito miraculorum
B beatissimi Joannis rumore, defertur a parentibus ad ejus tumulum. Cum autem ad primam plateam de Vuiilak pervenissent, puerum pannis involutum mortuum, infrigidatum, et denigratum inveniunt. Quod cum vidisset mater, viro suo maximo fletu dixit: « Revertamur, et sepeliamus eum, quia defunctus est. » Et palpantes iterum puerum, auresque, nares et cætera membra constringentes, mortuum omnino judicant. Pater vero, fide et animo erectus, « portemus, inquit, eum ad tumulum hujus sancti viri; potens est quidem Deus per ejus merita illum nobis reddere vivum. » Et euntes maxima cum devotione cœperunt circuire sepulcrum, facta autem trina circuitione, puer in omni sanitate revixit pulcher, recens, et delectabilis *a*.

a Laurentius Benukius,

127 Andreas proinde, filius Laurentii Benukii, per sex annos caducum morbum passus, singulis mensibus cum a quinta feria usque ad diem dominicam, vindemiarum tempore, validius solito opprimeretur, contigit, ut quadam die Dominica in matris brachiis expirasset. Quamobrem misit filiam suam in
C campum post patrem, ut ad sepeliendum filium rediret. Interim autem lacrymis multis divinum auxilium implorat, ut divini Joannis intercessione, filius sibi restituatur vivus, qui jam frigidus erat et nigrefactus. Mirabile certe dictu, fusa oratione, cœpit albescere puer et oscitare, manusque movere, et antequam pater rediret, et vitam adeptus est, et bonam de pristina ægritudine sanitatem. Filia insuper Nicolai de Petheno, cum ab hora vespertina usque ad matutinam mortua jacuisset, voto et lacrymis matris vitam nacta est, beatissimi Joannis intercessione invocata mirifice opitulante.

filius Joannis de Borogh, filia Barnabæ de Hozzunbach;

128 Puerum et filium generosæ Dominæ Elisabeth, relictæ magnifici D. Joannis de Borogh, perpetui Comitis de Castellis, de milii fovea mortuum omnino extractum, vitæ, invocatus vir sanctus a patre cum voto visitandi sepulcrum ejus, pristinæ magnifice restituit; sic dictæ comitissæ testimonio com-

b
* *B.* Hozyungax

probatur *b*. Filia item Barnabæ de Hozzunbach *, distante a Vuilak decem milliaribus Italicis, quæ a die præcedenti usque ad horam missarum functa jacuerat, delata per genitricem ad sepulcrum Beati viri, divina gratia, Joannis virtute interveniente, spiritum vitæ suscepit. Hæc enim, cum ob hominum nimiam pressuram in capellam introduci mane non potuisset, ubi sacrum pignus requiescit, extra collocata est pannis involuta, vita omnino privata: hora autem vesperarum posita est juxta sepulcrum, ut sancti intercessione ad vitam restitueretur. Dictis autem vesperis, orante continuo pro ea matre, et devotissime illam beatissimo Joanni commendante, cœpit puella calefieri et moveri, sicque statim suscitata est, et recens effecta *c*.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

c

varii e faucibus mortis erepti;

d

129 Filium item Pauli, nobilis genere, ad votum patris, defunctum potius quam vivum, a mortis faucibus liberavit *d*. Catharinam insuper, filiam Gregorii Castellani de Vuilak, quæ defuncta etiam credita est, ad matris votum et lacrymas a morte suscitavit. Sed qua laude prosequar Blasium, Horogh * dictum, et Fabianum de Buda, quorum alter vehementissimo intestino dolore præventus, ceciderat quasi mortuus sine loquela et sine colore
E jacens: alter in tali vitæ extremitate constitutus, ut facta sibi animæ commendatione, accensisque de more candelis, non nisi spiritum exhalare expectaretur. Facto voto pro Fabiano a suis, et a Blesio pro se ipso, meditatione interna ambo Joannis patrocinio liberi, et incolumes mox evaserunt. Quid uxorem nobilis Lucæ Advigam, filiam cujusdam nobilis Nicolai de Addam, et Ladislaum, filium Joannis institoris de Themeswar, jam in mortis articulo agonizantes, loquar? qui nulla vivendi spe freti, ad propinquorum vota a mortis januis eruti sunt *f*?

* *B.* Thokax

f

alii

130 Quid Ladislaum, virum nobilem de Bancha, ægritudinem quamdam horribilem decem mensibus patientem, quam dicunt lupam, a qua paulatim ejus caro vorabatur, cuique nullum adhiberi poterat remedium *g*? Quid Nicolaum Volachum * de Villa Jubogh *, pestilentico morbo adeo affectum in parte sinistra in humeris, ut ex ejus inflatione et in gutture et in pectore usque ad supercilia videretur deperditus? Quid Dorotheam, filiam Stephani de Rees *, per septem hebdomadas, ut truncum immobilem jacentem, sine visu
F tamen quindecim diebus. Quid Catharinam, uxorem Laurentii sutoris de Zytzegh *, quinque mensibus gravissima ægritudine cruciatam, et ita in manibus et pedibus viribus destitutam, ut nec volvendi, nec sedendi, nec ambulandi ulla esset facultas. Quid Ursulam, uxorem Andreæ Hathas de Korusko *, a cingulo infra aridam effectam, et viribus destitutam, adeo ut per quatuor menses nec verti posset, nec lectum egredi, nec ab aliis deferri? Quid Helenam, uxorem quondam Jacobi de Varadino, ambobus pedibus contractam, ita ut nullo modo per quinque menses incedere posset vel se movere genibus, nisi delata? Quid Ladislaum Bagar * de Zegedino, supra quadraginta annos morbo caduco aliquando tribus, aliquando quatuor, aliquando quinque vicibus, in die tortum? Quos omnes, tum ad propinquorum tum ad ipsorum vota adeundi tumulum ejus, beatissimus Joannes a suis infirmitatibus potenter liberavit et optimæ valetudini restituit.

g

* *B.* Walactum
* *B.* Tubaji
* *B.* Rees
* *B.* Sybzeegh
* *B.* Bathas de Curitha
* *B.* Bogar

131 Quid

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

131 Quid insuper Claram, uxorem Stephani de Gara *, per medium annum cæcam penitus effectam? Quæ manu ducta mariti ad sepulcrum beati viri, fassa est, ab ea caligines oculorum et tenebras adeo discessisse, ut videretur quasi sibi lucidam stellam videre in primo circuitu tumuli; secundo autem magis illuminata est; tertio tandem circumiens plenum videndi munus sortita est. Cujus miraculi novitate adeo populus gavisus est Vuilak, ut difficile profecto dictu sit. Quid præterea eloquar Catharinam, Galli Soka * in Pesth ex opposito Vuilak, uno oculo cæcam per tres hebdomadas, cui voventi visitare tumulum beati viri, post trinam circuitionem clarissimum lumen Joannes invocatus reddidit. Quid Stephanum, nobilem genere, septem milliaribus a Vuilak distantem, quem octo annos gravissimam ægritudinem adeo patientem, ut inflatus corpore, nec se movere, nec ambulare valeret, nisi delatus ab aliis extitisset? Quid alium nobilem de Enoch * cæcum utroque oculo, ob quamdam ægritudinem effectum? Quid Ursulam, uxorem Galli Banchi; caduco B morbo decem annis vexatam? Quid Laurentius de Nagheer, filium, vehementissimas quartanas febres per annum patientem? quibus optimam valetudinem exoratus contulit.

a multiplici
* *B.* Baray
* *B.* Gallisotta
* *B.* Riich

132 Quid Margaritam, uxorem Nicolai Parvi, de villa Kerezthuur *, manibus et pedibus aridam, lumineque oculorum jam fere ob hujusmodi infirmitatem privatam? Quid Fabianum Keever *, de platea Kyssevvas *, jam ex vehementi pectoris dolore agonizantem, et frenesi laborantem. Quid ipsius Fabiani filium, Nicolaum, terribili morbo caduco adeo afflictum, ut ex magna gutturis et faciei tumefactione ejus oculi duo ova viderentur, quos Joannes divina ope, cum voto visitandi sepulcrum ejus suppliciter invocatus, constat fuisse liberatos. Nec prætereundum quoquo pacto videtur, quod in Mathia, filio Lucæ Zugia de Zatha, gestum est. Nam hic, per medium annum gravissime caduco morbo die noctuque vexatus, sicque consumptus, ut brachia et pedes dissiccati apparerent, nulloque pacto flecti posset aut curvari, os autem ita clausum erat, ut C etiam gladio disjungi non valeret, sed lactis vel vini vel aquæ stillicidio per tres menses nutritus est, collum vero ita jam incurvatum erat, ad scapulas constrictum et putrefactum, et continua squamæ sive saniei emissione, ut puer in extremis laboraret, quem lacrymis deferre ad beati viri tumulum parentes devoventes, absoluto voto, cum bis sepulcrum circuissent, mox sanum in omnibus suis membris acceperunt, et qui etiam loqui non poterat, statim pisces ad comedendum petiit *h*.

* *B.* Heroztum
* *B.* Licwer
* *B.* Nislonezas

133 Ac idem singulare munus consecutus est Lazarus, filius Petri Cherenuk * de Lenlazlo *, qui cum ab ejus nativitate febres passus fuisset et caducum morbum quatuor mensibus, nullaque jam esset, ex vicinorum sententia, spes consequendæ sanitatis, parentum voto adeundi cum eo et imagine cerea tumulum beatissimi Joannis emisso, statim sanus factus est ab omnibus infirmitatibus, qui etiam lumen unius oculi jam amiserat. Quid multa? Elizabeth, uxorem Ægidii Altansi de Zopor *, de salute diffisam, Barbaram filiam Valentini Saghas de Ciien * in mortis articulo constitutam, quæ per integram hebdomadam ob quamdam ovi corticis susceptam puellari insipientia particulam, nec matris ubera sugere, nec aliud quicquam deglutire valuerat. Lucam, filium Joannis Magni de Chee *, sinistro pede miserabiliter contractum, super manusque et pedes gradientem. Agatham, uxorem Ladislai Heut de villa Bodogazzontheteke *, horribilem in dextro ubere vulnus habentem, et remedium ullum humanum non invenientem liberavit. Blasii Sakezi de Fyzeegh filiam, uno oculo orbatam, sanavit. Philippum, filium Joannis sellatoris, ad propinquorum vota et lacrymas valetudini restituit, qui omnium sententia citissime erat neci dandus. Et ut ejus uberiora dona apparerent, Elizabeth, relictam Nicolai Zeeleb * de Vuilak, ab ejus ægritudinis voragine fere consumptam, quam lupam vocant, optime sanitati reddidit; et quæ emortua jacebat, et per quindecim dies numquam fuerat locuta, emisso voto in corde suo adeundi sepulcrum beati viri Joannis, mox sanata est, et in omnibus membris consolidata. E

* *B.* Antalfii de Zepor
* *B.* Saghisas de Gyen
* *B.* Ehed
* *B.* Heus de Sadogazzontalek
* *B.* Zeles

h *liberati.*
* *B.* Turuz
* *B.* de platea S. Ladislai

ANNOTATA.

a *Refert hoc miraculum Joan. Bapt. Barberius ad calcem Vitæ latinæ in instrumento authentico* (1) : *et præter nominatos testes, dicitur prodigium recitatum fuisse* coram toto populo in ambone, ubi fuerunt ultra duodecim millia personarum, replicatisque vicibus jurejurando *narrarunt parentes gratiam, filio suo factam. Quod porro Nicolaus biographus duodecim mortuos ad vitam revocatos dicat, id ita intelligendum, quatenus tres solum commemoret instrumentum Vilakense : sed quoniam biographus post confectum instrumentum scripsit, fieri potest, ut et alia et alibi miracula intercessione S.* Capistrani *patrata fuerint.*

b *Instrumentum Vilakense refert hoc miraculum sequentibus verbis :* Omnibus Christi fidelibus tam ecclesiasticis quam sæcularibus præsentes litteras nostras inspecturis, Elisa- F beth, relicta quondam magnifici domini Joannis de Borogh, comitis perpetui de Castellis et bani Mathomensis, necnon comitatuum de Orban et Bosena comitis (2), et Gaspar filius ejus salutem et sinceræ caritatis affectum. Nos notum facimus et testamur ad confirmandam B. Joannis de Capistrano gloriam, quod certa relatione percepta, quidam familiaris noster et in exercitu, quem fecimus contra Turcas, exsistens, quemdam parvulum suum in quamdam profundam cavernam sive fossam, milio impletam, misit, qui parvulus immediate præ vapore ipsius milii suffocatus fuit, adeo quod nemo in eodem per spatium duarum horarum cum dimidia spiritum viventem sentire potuit; pro quo extrahendo quemdam hominem per funem in ipsam foveam misit, qui similiter de ipsa vix extrahi potuit. Videns tunc idem familiaris noster dictum parvulum suum e medio sublatum esse, invocando Nomen Domini nostri Jesu Christi, recurrit ad merita beatissimi viri,

(1) Vita lat. Instrum. pag. 18. — (2) Cfr supra, cap. VIII, Annot. *h.* et Instrum. pag. 79.

A Fr. Joannis, se devoto astringendo visitare suum sepulcrum : et statim, adstante multa hominum copia, suspirium maximum dedit, quem citius de caverna extractum omnipotens Deus ob merita beatissimi viri vitæ reddidit pristinæ. *Differt instrumentum a Nicolai biographi narratione in eo, quod Nicolaus dicat, suscitatum fuisse filium Elisabethæ de Borogh; instrumentum autem, miraculum refert ad filium cujusdam familiaris dictæ Elisabethæ. Cæterum asphixiæ simile est malum; unde, quantum liquet, de prodigio non satis constat.*

c *Hoc prodigium refert instrumentum iisdem fere verbis* (1).

d *Hanc sanationem refert instrumentum, insinuando, puerum anniculum, mortuo quam vivo similiorem, tamen adhuc vixisse* (2); *quapropter dicit* convaluisse, sanatum *fuisse puerulum.*

e *Cfr Instrumentum* (3) : *miraculum accidit die* XXIV *Octobris, scilicet* sequenti nocte post diem obitus B. Patris anni 1454, *imo* 1456.

f *Cfr Instrumentum secundum ordinem narrationis* (4).

B g *Cfr Instrumentum, quod paulo aliter profert nomina : scilicet, nobilem Ladislaum Bumhii testatum fuisse curationem suam coram variis testibus, in specie coram Anna, uxore nobilis viri* Nicolai de Banchii (5).

h *Cfr Instrumentum* (6).

CAPUT XI.

De nonnullis aliis signis et prodigiis etiam post Joannis dormitionem patratis.

Helenæ contracta;

Jam vero quid hujus sanctissimi viri meritis ad propellendas a multorum corporibus plerasque alias infirmitates divina valuerit virtus, brevius, quo valuerimus, demonstremus. Nam Helenam, uxorem Stephani Hispan de Symelchen, cum in puerperio ambæ ei manus contractæ et inflatæ ac miserabiliter curvatæ extitissent, nullamque valetudinem per tres
C annos recepissent, facto voto visitandi præsentiam beati Joannis, dum adhuc viveret, statim convaluisse magna ex parte constat, et quæ non potuit visitare in terris conversantem, sepulcrum in cœlestibus regnantis adiens, ab omni sua infirmitate libera facta est, ita ut cujus digiti ariditatem et contractionem invenerant, flexibiles et vivaces evaserint. Valentinum de Zegedino per annum gravissima ægritudine adeo affectum, ut nisi aliorum adjumento in lecto volvi non posset, et sanguinis fluxum incessanter patientem, a quo nullo humano auxilio poterat liberari, ope beati viri invocata cum voto adeundi sepulcrum ejus, valetudinem optimam adeptum fuisse percelebre quidem est.

dæmoniaci;

135 Dæmones etiam hujus mirabilem virtutem declarant, dum ab eo pulsi Nicolaum
* *B.* Solanum Slavum *, carpentarium, habentem dæmonia in Vuilak, quem quindecim annis vexaverant, coacti sunt dimittere, quam primum ad sepulcrum beati viri proficisci devoverit. Nec minori laude celebrandum videtur grande munus liberationis, quod Agnes, uxor Nicolai Rusa de Batha *, ad suorum vota nacta est. Hæc enim, cum per annum a dæmone vexata extitisset, delata in curru ad tumulum viri Dei, cœpit terribiliter clamare, « nolo, nolo ire aliquo pacto ad sepulcrum illius monachi; » et sic talia sæpius replicando tantum strepitum et impetum fecit, ut in plano campo currus penitus dirumperetur et frangeretur. Tunc mulier naturali voce clamavit cum lacrymis dicens : « En liberata sum per Dei gratiam et illius beati patris, fratris Joannis; » et ostendit eis pedis digitum, unde exiverat dæmon, in quo vestigium parvi apparebat vulneris, de quo sanguinis cruor effluebat. Fuerunt nihilominus omnes ad tumulum beati viri sua vota solventes, lætissimique ad propria cum liberata fœmina redeuntes.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

* *B.* Bathaka

136 Pariendi etiam gratiam Susannæ, uxori *puerperio periclitans,*
Blasii nobilis ex oppido Vuilak, concessit invocatus. Nam hæc bina vice abortum passa, exeuntibus fœtibus modo naturæ contrario, id est per pedes, ipsisque natis sine baptismo E
morientibus, simili in periculo tertio laborans, cum magna devotione beato viro se commendasset, mox infans ingressus est maternum uterum et egressus est, naturæ modum servans, qui pedes jam extra miserat. Quantum autem præsidio, et adjumento affuerit multis aliis cæcis et mutis, caducumque morbum patientibus, atque in mortis articulo constitutis, testis est Stephanus Serghyartho de Bodyzemthmyklos *, qui cum per quatuor annos, cæcus, mutus et surdus fuisset, emisso voto visitandi tumulum hominis Dei, mox mirificam impetravit gratiam : nam cuma suis duceretur Vuilak, in itinere resoluta est lingua ejus, apertæque sunt aures, apertique sunt oculi, ita ut perfecte liber a suis infirmitatibus evaserit. Testis est Catharina, uxor Ladislai Roboz de Candentz, cujus filia parvula fuit uno anno prorsus lumine unius oculi privata, quam, ut deferre ad sepulcrum beati viri devovit, statim accepit liberatam. Testis est Valentinus, clericus de Temeswar, utroque oculo cæcus multoque tempore, et quartanis F
febribus affectus, qui statim, ut votum emisit adeundi Joannis sacrum pignus, ab utraque sua infirmitate liber factus est.

* *B.* Bodczentimelos

137 Testis est quidam de Varadino, qui *mutus, epilepsia,*
Roma rediens cum maxima comitiva, præter spem amisit loquelam et brachium, quod contractum fuerat factum, relictusque apud Quinque Ecclesias a sociis *a* : concitatus verbis *a*
P. Valentini, canonici majoris ecclesiæ, magistrique in artibus, ut se beato Joanni commendaret, et voto astringeret; qui cum id fecisset, statim loquendi gratiam adeptus est, brachio remanente sibi infirmo, sed, ut a memorato sacerdote suasus est ad proficiscendum Vuilak, si vellet brachii valetudinem amissam recuperare, subito, persoluto voto, apud sacrum pignus sanus factus est. Testis est Catharina, filia jam dicti Blasii Curci * *b;* quæ * *B.* Hursii
caduco morbo jam fere consumpta, cum laboraret in extremis, ita ut funeri præparatæ es- *b*

(1) Barber post vit. Ital. pag. 80. — (2) Ibid. pag. 66. — (3) Ibid. pag. 68. — (4) Ibid. pag. 76, 69 et 68. — (5) Ibid. pag. 34. — (6) Ibid. pag. 43.

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

sent candelæ, emisso voto deferendi eam ad præsentiam beati viri, adhuc in terris conversantis per matrem, statim oculos aperuit et infra paucos dies sanitatis optimum munus suscepit; sicut propinqui, postea ad visitandum illius sepulcrum venientes, professi sunt cum gratiarum actione et magna populi exultatione.

sanguinis fluxu laborantes, * *B.* Helye de Kyralgen

138 Testes sunt, uxor Joannis Haclii de Kyralgour * prope Zegedinum, et puella quædam, filia cujusdam nobilis de Buda, nec non et Simon, filius Margaritæ relictæ de Athya, quæ ad parentum vota a caduco morbo vehementer vexatæ, mirificam liberationem consecutæ sunt. Nam et prima non solum caducum morbum per xx annos passa fuerat, sed ex ipso morbo paralysim in omnibus suis membris incurrerat. Secunda autem continuo sanguinis fluxu: tertia vero caduco morbo septies infra diem et noctem torquebantur. Testes sunt nobilis domina Helena, uxor cujusdam nobilis viri de Erdevid *, et Elias de Lichot *, quorum filios, in procinctu mortis constitutos, ad ipsorum parentum vota et lacrymas, beatissimus Joannes ad vitam revocavit exoratus. Testes sunt etiam Demetrius Hemeth * de Hibot*, et Egidius de Athiia, in mortis articulo agonizantes, quos, emisso per preces voto visitandi sepulcrum ejus, statim de mortis faucibus erutos, nemo non vidit. Testis est insuper Margarita, uxor Fabiani, de quadam villa * prope Apathi, quæ quindecim annos destituta pedibus, audiens beati viri gloriosa miracula, mox ut ad sacrum pignus accedere devovit, aliqualiter convalere cœpit: at cum pervenisset et tumulum circuisset, magna voce magnaque lætitia dixit: Vere jam ad propria currendo valeo remeare.

* *B.* Erdoch
* *B.* Lythot V

B

* *B.* Nemeth
* *B.* Lythot

membris destitutus; *c*

139 Testis etiam est Blasius, filius Mathiæ de villa, quam dicunt Kuun, diœcesis Chanadiensis *c*; qui cum fere per annum non potuisset de lecto surgere, omnibus membris destitutus, paulatim deficiebat, nulloque remedio sibi poterat subvenire: audiens ergo splendidissimam viri Dei famam, ob maxima signa, quæ fiebant apud sepulcrum ejus, concepit erga eum summam devotionem, sed

C non audebat se constringere voto, quandoquidem egrediendi lectum nulla sibi aderat facultas: eo itaque dormiente, apparuit ei in somnis vir sanctus dicens: « Si vis, Blasi, de tua ægritudine liberari, fac votum venire ad tumulum meum. » Qui licet adire diffideret ob itineris longitudinem, distabat enim viginti milliaribus ab Vuilak, mox tamen ut devovit ad illud ire, statim mirifice convaluit.

* *B.* Agatha
* *B.* Adan
* *B.* Theret de Vasxapu

140 Quid proinde dicam de Adviga *, filia nobilis viri Nicolai de Adon *, et quid de Blasio Theret de Vuaskapuu *? Quid de Fabiano de Buda? qui in mortis agone constituti, intercessione viri Dei ad eorum vota vitæ restituti sunt. Quid illud item, quo uxor, cujusdam Lucæ genere nobilis, pari ægritudine mortisque periculo laborans, pari etiam ope liberata est. Quid vero illud quod Paulo sacerdoti, cappellano in Kaniisa *, accidit? Nonne magnum, et memoratu dignum videtur, quem, quinque annos lecto jacentem, intestino apostemate affectum, ita ut sine aliorum adjumento se non posset in aliud vertere latus, apud Beati viri tumulum cer-

* *B.* Kavisa

* *B.add.* Senthgeurgh.

tum est, illico convaluisse? Parumne etiam D esse arbitremur, quod filius Michaelis, de platea piscatorum, in Vuilak undecim mensibus manibus et pedibus contractus, ad parentum vota incolumis, Joannis invocata ope, evaserit? Dignum proinde laude maxima videtur, quod in Helena de Posega, uxore Jacobi de Vuilak, gestum esse constat. Quæ duos annos surda, ubi delata ad sacrum pignus fuit, mox optimum auditum recepit, sed quorsum pergo? Nonne Rusinam filiam N. de Rerezthum, et duos natos Emerici de villa, quam dicunt Illye, diœcesis Bacchiensis, jam morti, omnium judicio qui aderant, vicinos a mortis faucibus eripuit? Demetrium de Vuilak, piscatorem in Athiia * carcere reclusum, et pedibus cippis fortissime vinculatum, atque in Danubii flumen projiciendum, potentissime invocatus liberavit. * *B.* Achia

multique alii curantur: * *B.* Huith

141 Neque silentio præteribimus Jacobum, filium Nicolai de Durth *, qui ex hac luce discessurus in brevi, parentum voto deferendi illum ad sepulcrum viri Dei, quam primum vitæ incolumitati restituit: non Margaritham, Nicolai de Chiika * prope Bachiam, quinque annos caduco morbo affectam: non Demetrium, Sacerdotem de Zagrabia *d* ab ignis incendio circumdatum; quos divina, Joannis interventu, ope liberatos, nemo non vidit. Nam cum Nandor Alba undique comburetur, volens hic sacerdos domum egredi suam, conspiciensque se omni ex parte flammis vallatum, ita ut, flante in eum valido vento, nihil exspectaret præter mortem, ut primum, flexis genibus, devovit se iturum ad beati viri tumulum, cessavit ventus, et licet totum oppidum fuerit combustum, domicilium tamen suum cum summa omnium admiratione illæsum intactumque remansit. Quid multa numero alia, quamquam pauca hæc, quæ juramentis et testibus firmata et examinata certiora accipere volui, scripserim, fieri ab eo mira et incredibilia referuntur; pleraque namque alia adhuc in manibus sunt, quæ calamus conticescit, ne fastidium legentibus nimium rei faciat magnitudo. * *B.* Eyga

d

Joannis *obtrectatores puniuntur:*

142 Et ut Joannis nostri æmuli, si qui sunt, per ea quæ gesta sunt post mortem, credant verissima extitisse, quæ gessit, dum adhuc in terris peregrinaretur, consulantque vitæ suæ, qui de viri sanctimonia obloquuntur; unius detractoris exemplum hic describemus, in quem amore servi divina exarsit ultio, ut ne sic jam ad calcem et nos perveniamus, qui diutius fortassis, quam arbitramur, locuti fuimus. Procurante itaque viro Dei Joanne eodem anno, quo debitum humanæ carnis persolvit, conventum Minorum Vuylak, jam fere dissipatum, ad regularem statum revocare, ut vel sic, Domino inspirante suo, corpori domicilium præpararet, ubi legitimi Francisci parentis degerent filii; adversabatur majorem in modum sancto operi, quidam religiosus de genere Franciscanorum; qui cum custos illi præesset custodiæ *e*, parum de Deo confidens, cultores in vinea Domini conducere recusabat, victus extremam formidans penuriam; coactus tamen apostolica auctoritate, qua Domini famulus erat suffultus, agrum Domini omnino excolere murmurat, obloquitur de Joannis sanctitate. Sed non longo post tempore,

e

A tempore, ut spiritum reddidit cœlo Senior Beatus, corripitur ille divina ultione, acerba scilicet anhelitus pressura, attractusque pene suffocatur, et de salute desperans, omnino subit in mentem cœlestium donorum gratia, quæ Joannis meritis fide postulantibus elargitur : contritusque et supplex, edito visitandi sepulcrum voto, mox ab ipsis mortis faucibus ad bonam valetudinem revocatur, male dicti impetrans veniam, salvus, et de Saulo factus est Paulus, veniens ad tumulum hominis Dei, qui detrahebat sibi, adorans reverenter vestigia pedum suorum *f*.

f totius scriptionis

143 Ex quibus omnibus, quæ pro nostri ingenioli parvitate descripsimus, animadvertere liquido jam possumus, sanctimoniæ Joannis excellentiam et quam severus fuerit in pœnitentia ad calcandas illecebras passionum, moribus admirabilis, consilio altus, virtute conspicuus, doctrinæ maximus index, Fidei tutor, Religionis auctor, caritate dives, hæresum summus expugnator, fide præcipuus, pudicitia nitidissimus, Christi spiritu
B plenus, paupertate locuplex, in commisso fidelis, miraculorum fulgor, Minorum singulare decus et ornamentum, vita clarus, morte clarior, beatitudineque clarissimus: profecto cum demonstratum jam sit, hunc divum Joannem non modo in vita, sed post dormitionem claudos, contractos, et aridos sanasse a paralysi, et caduco morbo liberasse, cæcos illuminasse, a carceribus eruisse, a multis periculis præservasse, pariendi facilitatem præbuisse, mutis et surdis auditum et sermonem contulisse, in articulo mortis constitutos ad vitam revocasse, mortuos multos suscitasse, innumerosque languores fugasse.

conclusio.

144 Quæ omnia, etsi magna miraque sint, majora tamen et præstantiora fuisse, quæ sua prædicatione vivens gesserit nemo dubitaverit, ut divinarum sanctarum Religionum tot loca auxisse et construxisse, christianum cultum confirmasse, populos et principes ad pacem et amorem inflammasse, a vitiis et sceleribus revocasse, dignitates et honores sprevisse, tot perituras animas verborum ac vitæ suæ testimonio servasse: Ungarosque a Turcis
C liberasse. Nam ea pluris facio, quam surdis auditum, mutis linguæ usum, mortuisque vitam reddidisse. Accipe itaque, Pater Sanctissime, hanc tui qualemcumque laudationem, quam comes quondam tui itineris Nicolaus, in tuorum præclarissimorum gestorum memoriam cudit, suis quidem viribus imparem, et pro summis maximisque meritis tuis exilem ac minimam. Et benigno præsidio in terris peregrinantem, a peccato serva, ut ille tandem, per te me excipiat, qui te ad cœlestia regna pervexit. Amen.

Explicit vita Beati Joannis de Capistrano per fratrem Nicolaum de Fara, ejus socium, descripta.

ANNOTATA.

a *Quinque Ecclesiæ* (Fünfkirchen *germanice*, Pécs *hungarice*) *civitas episcopalis sub metropoli Strigoniensi* (1).

b *Scilicet num. præcedenti actum est de Suzanna, uxore* Blasii nobilis ex oppido Wilak, *quæ intercessione S.* Capistrani *feliciter partum edidit; ac propterea hic loci habetur* jam dicti Blasii. *Id omnino constat ex Instrumento Vilakensi* (2).

AUCTORE NICOLAO DE FARA.

c *Instrumentum Vilakense habet perperam* (3) : Blasius, filius Mathiæ, de villa cujus diœcesis Ehiapodiensis. *Melius noster codex :* Blasius... de villa, quam dicunt Kuun, diœcesis Chanadiensis. *Quamvis autem istius villæ, sicut fere omnium villarum Hungariæ, ignotus sit mihi situs, sive quia manca sunt, quibus utor, lexica et mappæ, sive quia ex variantibus lectionibus in margine annotatis, male scripta sunt loca; id tamen habemus, villam pertinere ad episcopatum Chanadiensem* (*Hung.* Csanad) : *est civitas ad Marisium fluvium sita sub metropoli Colocensi : dum sub nomine Ehiapodii nulla per Hungariam occurrit diœcesis.*

d Zagrabia (*hung.* Agram) *civitas episcopalis sub metropoli Colocensi* (4).

e *Custodiæ in Ordine Minorum vocantur plerumque illæ provinciæ Seraphicæ partes, quæ reguntur ab uno, qua prælato ordinario, sed subjecto ministro provinciali* (5).

E

f *Matthæus Raderus in Bavaria Sancta compendiose enumerat S.* Capistrani *miracula hisce verbis* (6) : Expressum legi numerum de curatis partim mortuis, partim morituris. Ex illis, ad officia vitæ revocatos supra xxx : ex his aures apertas surdis CCCLXX; ora mutis XXXVI; oculos CXXIII; vitia pedum vel articulorum correcta, seu tristi podagra, seu cruciabili chiragra, seu turpi claudicatione laborarent CMXX; aliorum morborum nullum numerum iniri potuisse.

VITA

S. JOANNIS DE CAPISTRANO,

Scripta a Fr. Hieronymo de Utino, ex ms. Aracœlitano.

Incipit Epistola proœmialis, quæ mittitur a vicario provinciæ Sancti Antonii fratri Hyeronimo ad componendam Vitam S. Senioris nostri Joannis de Capistrano. Secunda vero Epistola capit totam vitam, articulatam tamen per rubricas in capitula ad facilius inveniendum. F

Epistola Petri Mauroceni ad Hier. Utinensem

Optimo viro religioso, ac venerabili patri Hieronymo de Utino *a*, Frater Petrus Mauroceno provinciæ Sancti Antonii vicarius immeritus *b*, S. P. D. Cupienti mihi, imo sitienti aliquid litterarum tuarum, opportune se nobis obtulit, Frater Joannes, portitor librorum sanctissimi Senioris nostri, quem cum e vestigio offendissem, munus litterarum tuarum, si forte adesset, petii mihi dari. Scripserat au-

a
b

(1) Guibert. Dict. geogr. v°. *Fünfkirchen.* — (2) Ap. Barber. post vit. lat. pag. 55. — (3) Ibid. pag. 62. — (4) Guibert v°. *Agram.* (5) Van den Haute. Brevier. hist. Ord. Min. pag. 285. — (6) Tom. I, pag. 308.

tem

AUCTORE HIERONYMO UTINENSI.

tem superioribus ad me diebus R. Pater Vicarius, frater Gabriel pro mutua benevolentia paucis verbis, tum eo maxime, quia tu amplissimas ac lucubratissimas in causa mihi optatissima demandares. Exspectabam itaque a te in morte tanti Patris, quem alterum non vidimus, historiam accipere: facile enim et viri auctoritas et scribentis facundia, et rerum copia hæc pollicebantur; verum cum in medium deductum est parvum volumen litterarum, et ante ipsarum reserationem, jam, dico, me fallit spes. Avidissimus tamen iterum atque iterum legens contemplor, si forte aliæ obsignatæ dirigerentur, nulla est mentio. Patienter me objurgantem, imo amantem feres. Non te fugit, multa legisti, tanta forte celebritas ac gloria, non quanta ab eis gesta magnifica emanarunt, sed magis quanta fuit in scribendo dignitas. Ornamenta enim scriptorum viris illustribus afferre consueverunt eam dignitatem mortuisque, et faciunt sidera micantia cœlo. Te igitur hortor, ut pro vetere consuetudine bonorum, non patiaris
B virum, cœlo datum, dicere (uti licet) in terris obmutescere. Te decet iste labor; te bonorum consuetudo invitat, amicitia nostra hæc maximo in munere sibi dari petit. Quod si currentem forte excitarem, da veniam: stimulavit conscientiam, ne si tacerem, in posterum dignissimas luerem pœnas. Rapidissime hæc scripta sunt. Non ut elegantiam sapiant, sed ut amori et conscientiæ paream, terminus scribendi constitutus est in prandiolo. Vale optime Pater. Ex loco S. Blasii prope Vicentiam die 28 Martii 1457.

Hieronymi responsum, quo Vitam S. Capistrani offert.

2 Venerando Patri Fratri Petro Mauroceno, Frater Hyeronimus de Utino humilem ac devotam commendationem. Rogarunt me suaves litteræ tuæ, percolende Pater, ut ad te de viro religioso, sed inquam divino, defuncto seniore nostro, olim facile Minorum principe, litteras darem. Honesta poscenti libens tibi facerem satis modo, si mihi responderent, et ingenii facultas, et copia dicendi; sed cum ad ingenioli mei exiguitatem me refero, mox equidem perhorresco, cum plane cognoscam præstantis amplitudinem viri, toto fere ter-
C rarum orbe celebrem admirabilemque, vix posse laudari satis et admirari. Quid enim insulsus imbecillis et aridus ego audebo, siquidem parerem minime diserto inter satyros monenti poetæ:

* vestris
* aptam
* Horat. de art. poet. V. 38

Sumite materiam verbis, qui scribitis æquam*
Viribus * et versate diu, quid ferre recusent
Quid valeant humeri * .

Quare, Pater optime, non exilitate mea, sed ornatissimi cujusvis oratoris facundissimique peritia pariter et eloquentia viri ad divinas tanti patris laudes recensendas opus est. De cujus profecto singularissimis virtutibus, etsi plurima essent dicta, sano indicio, longe tamen plura forent dicenda; verum ne me tuis meritis ingratum, laboremque fugientem accuses, satius esse duxi, pro modulo meo tuis votis morem gerere, quam paucula quædam iners silentio præterire, ut saltem ex paucis his, pro tua innata virtute, solita prudentia, ac inveniendi facilitate, multa queas excogitare.

D

CAPUT I *c.*

c

De civitate et prosapia Sancti; de studio virtutum ac litterarum in habitu sæculari; de ejus in Religionem ingressu.

S. Capistrani *locus natalis;*

Est in primis satis probata veritas, ut arbor bona fructus bonos faciat: quoniam de spinis uvas, vel de tribulis colligi ficus insolens est *. Quo fit ut plerumque generis honestas propaginem proferre soleat ingenuam: quantum enim virtutis et honestatis conferat posteris vera nobilitas, in Joanne satis exploratum est. Qui cum Capistrano, oppido cæteris ejus* agri tum situ, tum amœnitate loci non in- ‹ ejusdem?
feriori, foret oriundus, plurimum a nobili priscorum lare dignitatis et honestatis traxit: verum, tua bona venia, Capistranum, dixerim, plus tibi decoris et nominis Joannes attulit, quam Joanni contuleris: quod cum non E
inter prima terrarum loca clarum teneres titulum, factum est Joannis virtute, quo passim per orbem frequentius nomineris. Sed nec abs te defuit virtus. Nam et ab ineunte ætate non infimorum studio parentum sub pædagogo optimis educatus institutis, ob ingenii solers acumen et innatam memoriam, usque adeo liberalibus profecit disciplinis, ut omnibus firmum relinqueretur argumentum, Joannem in virum perfectum evadere debere. Cujus rei neminem fefellit exitus; at hujuscemodi ætatis egregia, quæ bonis profecta sunt radicibus, tametsi memoriæ tradenda forent, singula tamen recensere non est sententia; ne sermo prolixior fastidium pariat. Fecerunt itaque decor quidam spectabilis, teneræque venustas indolis, nec non et morum gravitas ornatum adolescentulum, atque omnibus perjucundum, et ita perjucundum, ut de se sit meritum latum. *Gratior est pulchro veniens e corpore virtus.*

* Matth. VII, 16

adolescentia,

4 Quam rem nonnumquam inter loquendum ipse memorabatur pater, asserens: « Tam innato quodam pudore, quam parentum timore, quam eram moribus imbutus bonis! quandoquidem si qua percipiebam, quæ ad honestatem vitæ minus pertinerent, adeo exsecrabar, ut odio vitiosi sermonis, perfusus rubore, quam primum in fugam converterer. » Hæc pudici profecto, decorique fuerant indicia animi. Ineunte tandem adolescentia, post artium primordia, majorum suasu, civilibus operam dedit, ubi quantum scientiæ brevi comparaverit, frequentior solicitudo demonstravit. Nam inter coævos intelligentiæ palmam cum teneret, adipiscendæ laudis gloria, quemadmodum is ipse prædicabat, tantopere dies et noctes incumbebat studiis, ut merito jureque optimo studentium princeps haberetur. Qua de re factum est, ut nedum auditorum plurimi, verum etiam doctores consilium exposcendi gratia, sæpius eum adire minus erubescerent.

F

reip. gerendæ admotus;

5 Hinc itaque tam diu crevit integritas viri, ut regendis populis civitatibusque cum omni laude et admiratione præficeretur. Qui præ magno servandæ justitiæ zelo, acquirendique

AUCTORE HIERONYMO UTINENSI. *Ordinem Minorum ingredi, constituit.*

A rendique nominis gloria, velut cæca solet humanæ laudis ambitio appetere, tanta proposuit gerendis in rebus uti severitate, quo nec suorum cuique, nec ipsi sibi pro æquitate parcendum statueret. Quam rem nec surda præteribat aure. Sed quid divini sententia consilii statuerit, advertendum est diligenter. Dum enim in sublimi fastu, stabilique gradu gloriosus fixisse pedem arbitraretur, contra inopinata sors, dissipans hominum consilia, factiones in civitate suscitat, insurgit turba, furit, pars altera cedit, reum mortis civitatis rectorem clamat, captivat furor insanus, vincit, carcerat manicis pedibusque * stringit : detrusus carcere, jacet inglorius, qui imperiose gloriari solebat; opprobriis, improperiis, injuriis a mutuis et subalternantibus lacessitus vigilibus, qui vicissim exprobrabant, impingebant, angebant. Perferens attamen, lætabatur Joannes magnanimus, tunc ab Aragonum rege præfectus, pro gloria servatæ in dominum fidei, quacumque, vel turpi, morte, occumbere.

* *forsan* compedibusque

civium odium incurrit, et incarceratur;

6 At ubi sedavit populi furentis impetum dierum intercapedo, diminutis turbarum vigiliis, suggessit animi industria, nacta temporis opportunitatem, utcumque tetrum evadere carcerem. Successit optata sors, quæ protinus indulsit eum per turrim repere, atque ex alto, nemine teste, præcipitari. Dedit vires timor, compedibus manibus * opem tulere, serpit, cursitat, effugit, latitat, cirumspectat fugam, prosequitur; sed proh Deum immortalem! En invisus agricola per devia fugientem, ac pedum obstaculo laborantem, cernit, continuo suspicatur, vinctum adhuc cognoscit, exclamat: « Heu accurrite, accurrite, effugit oppressor patriæ nostræ, proditor factionis. » Obriguit illico miser Joannes, cujus animum injuria succendit, arreptoque fossario *d*, impiger ruricolam impetit, comminans: « Nisi sileas, rusticorum nequissime, hic te morti tradam. » Subticuit trepidus ille, juratque cogenti rem nemini pandere.

* *sic in mss. Fortasse hic est sensus:* compedibus manus etc.

d

et tandem libertate potitus

7 Abiit celer hic viam suam, evolat ille ad civitatem, captivi fugam proclamans, insurgit manus, furens subsequitur gradu concito C hærentem vepribus, lassum tandem comperiunt: captivant insanientes, reducunt, teterrimo carcere decludunt, arctioribus gravioribusque vinctum compedibus. « Clamavit ad Dominum cum tribularetur et de necessitatibus eripuit * » jam desperantem. Surripuit enim Omnipotens regiæ potestati altam Joannis fidem, majestati suæ præstandam, ut quod pro inani facere decreverat, pro sempiterna efficeret gloria; dilectum ea de re sibique comparem Seraphicum Franciscum, quem militiæ suæ donaverat signis, ob amoris indicium præcipui, summo demisit olimpo ad jacentem in tenebris, qui radiis æternæ lucis domum tenebrosam oppido fecit illustrem. Tristemque Joannem expergiscens Franciscus: « Me propediem liberandus sequaris, inquit, hic digitus Dei est et mutatio dexteræ excelsi. » Mansuescit ferox leo: et ut agnus se dedens, ne quicquam renititur, liberalique fide suæ connumerandus militiæ se dedicavit, quamdiu peregrinaretur. Pacatis igitur, Deo auctore, tumultuantibus populis, libertati Joannes donatur.

* Ps. CVI, 6

8 Et ut militiæ promissa exequatur, datur sibi coronæ stipendium. Nam carceris diri pondere compressus, decumbit, et calvitium, ad instar coronæ, deferentem polliciti memorem fecit. Quod intelligens plenius, et desponsatam sibi nobilem prædivitemque virginem, et omnia patrimonii jura, nec non et quævis sæculi blandimenta penitus abdicans, velut adolescentulum se contemptum, ac prope insanum finxit: ac ea de re amplam sibi mitram in qua se scelestum, se cunctorum criminum reum, se quolibet supplicio dignum accusaret, paravit. Quam capiti mox adjiciens, sordidis ac lugubribus vestimentis indutus, ubi clarius nomen ejus et dignitatis amplior gloria fulsit, ad plateam civitatis sub solis ortu intrepidus, inverecundus tendit: condescendensque ad angulum quempiam prætereuntibus singulis, accurrentibusque ad concionem a mane usque ad vesperam se spectaculum præbuit. Quibus autem mens insanior erat, quem spiritus impleverat, derisere, illusere amentem, dixere fatuum: sed immobilem E constantiam infracti animi videre, cognoscere admirari opere pretium fuit. Consummatis denique miseriis, ad legitimos vocantis Seraphici Patris filios læto animo se recepit. Qui precibus ejus victi, hominem, trigesimum ætatis annum habentem, ad regularem Observantiam gaudentes assumpsere.

ANNOTATA.

a *De Hieronymo Utinensi egimus Commentarii prævii num.* 7 : *ac inter præcipuos familiares* S. Capistrani *eum resenset Joannes Tagliacotius in epistola, quam de sancti viri obitu dedit ad S. Jacobum de Marchia, a nobis in Commentario exhibita, in qua num.* 393 *Hieronymus dicitur* omni religiositate et litterarum sufficientia præclarus, *et infra num.* 402 *refert, Sanctum* Hieronymo Utinensi, quem infirmus habuerat servitorem gratissimum, solemnes litteras merito concessisse, dignissimis facultatibus, prærogativisque refertas; dedisse etiam eidem eo modo, quo sibi licebat, Bibliam aut alium codicem, quem vellet.

b *Petrus Maurocenus, provinciæ S. Antonii* F *seu Venetæ minister, subscripsit articulis Observantum, quibus concordia inter Conventuales et Observantes conciliabatur* (1). *Inter viros, doctrina florentes, recensetur a Waddingo* (2), Petrus Maurocenus, nobilis Venetus provinciæ S. Antonii, qui hoc anno (1461) perfunctus est vicariatu Dalmatino. *Sub annum porro* 1475 *eumdem dicit Waddingus* (3) *commissarium Brixiensem, a quo provincia Brixiensis exordium sumpsit.*

c *Pro more apponimus Ordinem capitum, prout ab Hieronymo distributa fuerunt, quæque ad pauciora contrahimus : est vero sequens :*

PROLOGUS.

I
- CAPUT I De civitate et prosapia Sancti et studio virtutum ac litterarum in habitu sæculari.
- « II De zelo justitiæ Sancti in rigoroso regimine civitatis, et ejus incarceratione et fuga a carcere.

(1) Wadd. Ann. tom. XII, pag. 277. — (2) Ibid. tom. XIII, pag. 193. — (3) Ibid. tom. XIV, pag. 126.

CAPUT

AUCTORE HIERONYMO UTINENSI.

CAPUT III De Sancti reductione ad carcerem, et miraculosa conversione ad Ordinem in apparitione S. Francisci.
I « IV De abdicatione spontanea, ac omni renuntiatione, et confusibili fuga ad Ordinem.
« V De anno probationis et ineffabili fructu ac constantia prædicationis ejus post professionem.
« VI De studio orationis et diligentia dicendi Officium.
« VII De studio lectionis, et prudentia in consiliis dandis, et numero Bohemorum conversorum.
« VIII De ingressu ejus, miraculose antea ostenso, ad Ungariam et numero Valachorum et aliorum infidelium, ad fidem Christi conversorum.
II
B « IX De assumptione humilis prædicationis Cruciatæ, et confluentia ac fervore populi ad eumdem.
« X De obsidione castri Belgradi, numeroque apparatu Turcarum ac machinarum et sancti Senioris subventione.
« XI De desiderio martyrii in persecutione Turcarum, cum fugam darent.
« XII De gravissimis languoribus et compassione cordiali fidelium populorum.
« XIII De planctu super quadam visione, divinitus viro Dei revelata.
« XIV De transitu suæ mortis et fratrum mirabili lamento et extollentia excellentissimarum virtutum ejus.
III « XV De exsequiis septem dierum, et corpore condito ac conservato.
C « XVI De oblocutionibus et detractionibus Patris post mortem.
« XVII De plagis divinæ ultionis in detractores et post mortem.
« XVIII Conclusio operis.

d *Fossarium seu Fossorium est ligo ad fodiendum. Cfr Cangii Glossar. h. v.*

CAPUT II.

De ejus vivendi modo in Religione; de ingressu in Hungariam et obsidione Bellogradiensi.

pro-egu- Navigans ergo in portu perfectionis, quam pie, quam honeste, quam prudenter, quam religiose, quam denique sancte se gesserit, haud facile dictu. Nam cum talia in primis D jecisset virtutum semina, quæ messem optimam futuram prædicerent, non injuria, graves per id tempus Ordinis patres a cæteris novellis singularem voluere; qui neque probationis signis, neque mortificationum experientia, neque postremo disciplinarum asperitate, quemadmodum fieri assolet, sed venerabili quadam in eum mansuetudine usi sunt. Limpidius quippe contuebantur ipsum ineffabilem vanitatum suique contemptorem, perspicuum humilitatis imitatorem, ac acerrimum voluptatum domitorem. Professo tandem sacri præconium Evangelii committitur accuratius, ubi quantopere errantibus affuerit, non est ingenii mei docere. Exortum namque fuit lumen in tenebris, quod veritatis callem, Christi doctrinam, apostolicam vitam demonstravit, edocuit, servavit. Quisnam, ut ille, nostris emicuit sæculis, qui tot uberrimos in Ecclesia Dei fructus produxit? Quis christianam religionem cumulatius auxit? Quis Ordinem abundantius ampliavit? Quis pro sacrosancta Romana Ecclesia, pro veritate, pro E fide, pro æquitate, pro animarum salute fidelius certavit? Quis tandem gloriosius nomen ob plenas virtutes, et peculiaria laudum pignora sibi merito vindicavit?

austeram ducit vitam. 10 Fateantur æmuli necesse est, pusillum statura, altum consilio, celsum virtute, munere et gratia divina refertum, vel raro sui similem vel forsitan invenisse neminem; sed sepositis in præsentiarum plurimis celebri memoria dignis, summis labiis parvula quædam libabo, quæ sibi non parvo cesserunt ornamento, cæterisque ad gloriam Christi Jesu salutari emolumento. Postquam paracletus superna gratia vocatum ignivit ad religionis cultum, quis mensuram rectitudinis æquo vivendi fine consultius, constantius, modestius, æquius prosequutus est? Nam cum dignitatem rebus non ex opinione, sed ex earum natura constituerat, idem ubique erat, prout rerum tum et temporum necessitas postulabat. Non enim dicentis auctoritas ab æquo movere potuit, quem facilis credulitas non seduxit, sed magna beneque vivendi fiducia liberum fecit animum, intrepidumque, F potissime criminis expertem: qui idcirco scelestis pro veritate odiosus, præsertim infidelibus errantibusque instantem toties necem nullibi formidavit; audaciam enim irreprehensibilis vitæ conscientia præstitit: quapropter cœlibem vitam nulla vitiabat cupiditas, quem non ad voluptatem, sed ad reficiendas vires traxit vivendi ratio. Nulla ideo fuit paupertas immunda, nulla parsimonia languida, nulla simplicitas sordida, nulla tandem exiguitas angusta, unde severi animi modestia suorum fugacem*, aliorumque * austerum? vitiorum honestum correctorem effecit. Quocirca recto gradu pertransiens, humanæ societatis æquam consuetudinem eo usque sequutus est, ut omnibus prodesse, nulli nocere, nocentes prohibere, prohibentes justa deprimere, deprimentes iniqua diligere, extollere, complecti, invariabile sibi studium fuerit.

in oratione assiduus; 11 At quorsum evadam? cum omnis ejus vitæ versaretur actio, aut in oratione aut sermone, aut lectione, aut piis actionibus et præclaris. Neque mihi persuadere velim, se beatiorem

A beatiorem vidisse, qui otium in negotio, et negotium in otio semper habuit. Laudatur enim orandi cura, quæ sibi præ cunctis mortalibus communi judicio cordi fuit, et ut prætergrediar tacitus ingentem illam cœlestis patriæ contemplationem, hoc tamen memorandum est, cultum divinum cæteris semper negotiis prætulisse. Fuit quidem vehementior cura et attentior auris ad verborum integritatem, et prolationis rectitudinem in persolvendo *, sed ita persolvendo, ut neque negotium, neque sollicitudo, neque temporis brevitas, neque honesta ratio quæpiam, ab instituto perorandi modo suis, quoad fieri potuerit, temporibus illum posset revocare. Neque potuit quævis urgens necessitas, posthabitis divinis laudibus, lassum corpus vel minimo cibo, potuque reficere. Neque vulgare judicabam exemplar in sene, vel sospite vel ægroto, quod numquam libaminis nec liquoris, vel medelæ quidquam, numquam puram, loturam os, aquam, insalutata Virgine gloriosa cum solita benedictione, hausisset.

B Quod et jam vitæ extremum agens, deficiente jam officio linguæ, ut valebat, bleso et anxio ore cum manus elevatione numquam omisit.

in scientiis excolendis indefessus,

12 Diuturnitatem vero studiorum suorum non est brevis orationis promere, quibus longam adjecit vigilantiam. Non enim quidquid residuum erat momenti vacuum sinebat: quinimo vitæ necessaria demere solitus est, ut plus temporis pergratæ lectioni commodaret. Ex cara librorum suppellectili nimirum tantum suavitatis et solatii capiebat, ut in dandis consiliis, gerendisque rebus plane constaret operæ fructus. Admirabatur itaque mirum in modum gentium frequentia, tam parvo capitulo tantum salis conditum esse, ut variis hominum sententiis, casibusque diversis perfecta responsa darentur, nullatenus refellenda; hinc ejuscemodi vigiliarum fructus digna prodibant opuscula. Quæ quidem usque adeo perdulcia sunt plene gustantibus, ut vix satis inde saturari valeant; hinc præterea recondita docebant sermones uberes et profundi, qui rectas in deserto semitas faciebant; pariter et

C obliquas, non exquisite, sed fructuose dirigebant. Testatur enim Italia omnis, testatur Gallia, testantur Alemaniæ partes, testatur Bohemia, ubi nefandissimorum hæreticorum circiter duodecim millia damnatas Hussitarum hæreses, rejectis erroribus, ad abjurandum perduxit, ac sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ salutari gremio coaptavit; testatur etiam ardens Polonia etc.

post multos exantlatos labores, in Hungariam

13 Testatur denique ejus lucidissima opera devota Ungaria, quam, Venetiis constitutus, prophetico prædixit oraculo, domicilium corporis sui futuram cui, quam affuerit eventus, probavit *a*. Nam cum haud dubium sit, gentem petulantem Cererique Bacchoque nimium invigilare, justitiæ et æquitatis decorem minus servare, bonos mores ad corruptelam vertere; adeo severus, et acer in vitia surrexit, ut plerumque effrenorum habenas cohiberet. Et quid modestum, quid æquum, quid sit imitandum intelligerent, observarent, exequerentur. Ea propter tanta expectatio passim facta est, ut etiam Ungaris convicinæ regiones Sanctum Patrem, sic enim appellabatur, ut Apostolum præstolarentur. Cui denique proficiscenti ad Ungariæ metas, et Christi fidem, et veritatis lumen permagna auctoritate nuncianti, usque adeo tunc inter Valachos, tum Rascianos, cæterosque schismaticos, cooperatus est digitus Dei, ut ex his longe plures decem millibus ad orthodoxam fidem suis hortationibus allexerit, quos ex infidelibus Christi baptismate renatos, catholicos fieri minime neglexit.

AUCTORE HIERONYMO UTINENSI.

mittitur ad bellum sacrum

14 Interea vero dum abundantius lux veritatis tenebris præcelleret, unde fructus uberiores ad bene beateque vivendum provenerant, e regione descendens ad Ungariam, ab Apostolica Sede Legatus, Sancti Angeli Cardinalis, ad prædicandum in Turcas, sævissimos hostes, Crucem, Capistranum advocat, et merito: nam sancti Patris auspicio tota fere gens Ungariæ ducebatur. Itinere longo tandem adventanti, Apostolicæ Sedis imperio, promulganda creditur cruciata, quam ad martyrium flagrans, animo læto, senior admisit. At ubi promulgare ferventior cœpit, divino siquidem præsagio, atque præcurrentibus astris, cometæ potissimum, turmas gentium undique confluere, E duceque sancto Patro et mori et vivere unica vox erat; commune christianæ gentis, excidium in medium crebro ferebatur: commiserans senior, futurorum malorum divina revelatione præscius: « Expergiscite omnes vehementer, ad consulendum malis, repetens quam sæpissime quadam ingenua pietate: Utinam superventuræ christianis pressuræ in hoc misero corpore terminarentur omnes; et periculo capitis mei humanum genus salvum fieret! »

prædicandum, et multos, licet infimæ conditionis,

15 Sed proh dolor! accelerante nimium Maumeth Bey, cruentissimo Turcarum imperatore, valida, fortique manu, Nanderalbam castrum, Ungariæ januam munitissimam, invadit audacia. Nuntiat senior hinc litteris, inde festinantissimis tabellariis, ut cruce signati, et quorum interest, non tantum inclyti regni, verum etiam totius christianæ reipublicæ, periculo nihil morentur adesse. Nam hostis infensissimus tanto apparatu, tot bellicis instrumentis, tot bellatorum copiis properat munitus, ut de nobis actum videatur esse. F Ad hanc excelsam vocem impigræ infimorum turmæ, sed potentum vel nemo vel pauci, concitantur, et ita concitantur, ut indubie cœlestis ignis incendio alter alterum commoverit. Minime quidem potuerunt inhiberi, quominus impotentes, invalidi, cum senibus juvenes ad sanctum Patrem pro Christo morituri secum, aut victuri, etiam insalutatis domesticis, festinaverint, proh Deum immensum! quam affatim arsit ignis! ne quicquam matres Ungarorumque uxores, Persarum fœminis Astracis * bello fuerunt inferiores *b*; timentes enim communi saluti, filios unicos, virosque, dato viatico, in complexus et oscula, profusis lacrymis ubertim, ruentes, properare satagunt contra Crucis blasphemos, impelluntque; hi vero alacres, imperturbato animo, emicant.

* Arsacis *b*

conscriptos in aciem produxit;

16 Quid multa? Conveniunt copiæ sub Crucis vexillo, velut inermes, sed quibus inerant corporis vires, arcum, pharetram cum scuto gestantes, sub ductu sancti Patris militaturi. Gaudet senior, et læto vultu complectitur omnes:

AUCTORE HIERONYMO UTINENSI.

omnes : ejus imperio incunctanter parent, negantque se alium habere ducem gentes indomitæ. Quamquam princeps bello, christianique ductor exercitus, præficeretur ille magnanimus Turcarum debellator, Joannes de Huniade, a cujus procul dubio strenua virtute, industria, consilio, periculis egregrie consultum est; nihil tamen gerendis rebus consulere, nullas instaurare acies absque senioris opera valebat. Quid multis immoror? Castello sagax hostis, terrestri solo centum viginti millibus expeditorum, Danubio sexaginta quatuor triremibus, haud numeratis minoribus navigiis, potenter insidiatur, vim infert, suggestisque diris prope trecentis machinis cæterisque bellorum instrumentis, expugnat; corruunt turres, multis priscorum ejus bellis illæsæ, solo æquantur mœnia, certatur utrinque pro viribus, cæde cruentissima potiuntur castro Turci, arce tamen servata.

insignemque victoriam consequitur.

17 O insolitum belli genus! o manum omnipotentem! o fidem christianam! Quis nostris audivit sæculis ardentissimos, callidissimos, expertissimos pugnatores ab inermibus fere ruricolis, ab aratoribus, ab humilibus pastoribus summo dedecore superari, propelli, et profligari? cedunt inglorii, qui bis oppido potiti sunt gloriosi, terga dant castro, qui Orientem subjecere, consternati fugam amant, qui nomine pariter et re universum fere terrarum orbem fugant, hanc nobis Maria Magdalena, quæ septem dæmonia vicit suo natalitio victoriam, humano quidem ingenio perditam, cœlitus imploravit *c*. Profligatis igitur inimicis, veniam indulget sibi fatigatus senior, qui ad extremum usque spiritum numquam sibi pepercit in celerrimis discursibus, in solis ardoribus, in tenebris insomnibus, in siti, fame et calamitatibus multis, quibus proh nimis tenue corpusculum penitus exhausit. Negavit hic autem Domini manus martyrii palmam seniori, quam pridem concupitam cum inter congredientes cuneos assequi peroptaret, consulto se periculis, jaculis, missilibus, innumeris sagittis exponebat, quæ plurimos dum læderent, necarent, lætaliter vulnerarent, illæsum intactumque circumflantes reliquere. Præcedebat nonnumquam audacter omnibus prior, ut poterat cum baculo festinus, quo christianos audaciores redderet. Qui dum sæpenumero, consociorum instantia, ex ipsis mortis faucibus revocaretur repetitis vocibus : « Non vadas, Pater, non vadas, Pater, neci dederis * : ad hoc, veni, » respondebat.

B

c

C

* *add.* te non

ANNOTATA.

a *Non facilis horum verborum, quæ tamen in codice manuscripto accurate leguntur, est interpretatio : librarii oscitantiam subrepsisse suspicor, et legendum censeo :* Cui, quem asseruit, eventus probavit. *Nempe quatenus eventus probavit prophetico oraculo eventus, eo sensu, quo dicimus* probare alicui fidem suam.

b *Post Alexandri Magni mortem, Arsaces Bactrianus, devicto Seleuco Nicanore, regnum Persarum suum fecit, filiisque et posteris reliquit hereditarium; unde ejus successores Arsaces et Arsacides appellati sunt* (1). *Quando id evenerit, ut fœminæ Persicæ tanto ardore pro patria se devoverint, non facile dixerim; nisi forsan, quando Crassus bellum Parthis intulit, uti narrat Bizarus* (2).

c *S. Mariæ Magdalenæ intercessio allegatur, quia, ut alibi diximus, in ejus festivitate, die* XXII *Julii, parta fuit victoria.*

(1) Bizarus, Rer. Persic. hist. pag. 81. — (2) Ibid. pag. 85.

CAPUT III.

De supremo morbo, obitu et sepultura.

Gravissimo morbo afflictus

Negavit, inquam omnipotens, breve martyrium; ast acerba valetudine, nimiis laboribus comparata, ipsum VIII idus Augusti visitare cœpit: diuturnis enim febribus, irrevocabilique fluxu dies sexaginta octo *a* incessanter tortus est : his perinde succedentibus hæmoroidarum gravedine, lapilli et arenarum dolore, ilium aculeis, femorumque longiturna fractura. Quæ cuncta laudans semper et glorificans Deum, atque suis assignans demeritis, magno toleravit animo. Et quamquam graviter ægrotaret, ad expeditionem tamen hujuscemodi in hostes fidei semper aspiravit, decernens prorsus, vel in castris vel in bello pro Christo mortem oppetere, a qua quidem sententia, propositis miseriarum incommodis, ejus animum revocare nequaquam valebamus: quoad usque natalis gloriosæ Virginis die, de dormitione divinum oraculum certiorem fecit *b*. Qui jamjam colligens constitutos terminos, qui præteriri nequeunt, lætus arbitrio divino nixus est.

a

E

b

S. Capistranus, *orat pro populo.*

19 Unica tamen altum premebat animum pietas: quod cum non parvo intueretur adjumento se fore christianæ religioni, omnisque spes Germanicarum nationum, ad tuendam catholicam rempublicam, in eo locata fuisset, e medio sufferebatur, sæpe cum Martino sentiens. « Domine si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem, fiat tamen voluntas tua. » Deflebat nimium eventus miseros, quos novit aliquando futuros. Ob hoc enim misericordem Deum, profluentibus lacrymis interpellabat sedulus, inquiens : « Parce Domine, parce populo tuo et ne des hereditatem tuam in opprobium, ut dominentur eis nationes. Miserere Domine, miserere nostri. Miserere populo tuo christiano, quem tuo pretioso sanguine redemisti. Domine Deus benignus et misericors, non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. » Et breviter hujuscemodi Scripturarum pias preces, quibus affatim exuberabat, imis præcordiis Deo placando lacrymosus offerebat.

F

et magnas calamitates

20 Nec mirum : nam cum crebro divinarum revelationum particeps fieret, unam dumtaxat impræsentiarum explicari non sit alienum. Proficiscentibus nobis a remotis partibus Transilvanis, Budam ad Apostolicæ sedis Legatum, præcipua ratio quæpiam obviavit : idibus Januarii * sistere gradum in oppido Temeswar ad triduum necesse fuit. Senior

* VI Januarii

A vigil nimium, interdum curis solutus, sibi quietem indulgere solebat, cubat, me solo comite, e regione pedum ejus me sterno, opprimit me somnus levis: patrem, qui semper spiritualibus innitebatur, puto dormiturum ; an dormitet an nepiatur * ignoro: paulo post, vel leviter soporatus ego suspirantem ab imo pectore sentio, singultus cum lacrymis affluenter emittentem observo, ingeminat, et, crescente cordis mœrore, crescit quidam raucus in gutture murmur amarior. Rigeo conjecturans quidnam adversi acciderit, et tamen noto; in vocem prorupit planctus, prosilio sciscitans, quænam calamitas premit? Deflet, et rursus: « Causam doloris enarra, obsecro, Pater? » Lamentatur; currens fratres advoco festinare accelerantes, « heu quid est. » Contuemur lacrymis undique perfusum, quæritamus, contrectamus, consolamur; miserabilem prosequitur luctum aucta voce clamitans: « Miserere, miserere, miserere, Domine Deus clemens, miserere populo redempto pretiosissimo sanguine tuo, miserere per vulnera tua,
B miserere per Crucem Sanctam tuam, miserere per mortem tuam. » Et singula novissimæ passionis mysteria recensens, diu Miserere clamavit. Respirantem demum præstolamur importuni: Quænam molestiæ tristitiæque ratio?

** sic in mss. forte* sopiatur

prædicit :

21 Importunis compulsus ait: « Etsi senex et decrepitus septuaginta unius annorum, judicer fortiter * delirare ; hæc tamen sub oculis divinæ majestatis necessaria sunt; tot enim adversa, tot infortunia, tot et tantas calamitates angustiasve mundum quassaturas uno brevi momento contemplabar, quot et quantæ ab initio non fuere, et omnibus his indicio eventus erit, sed minime vobis excidant verba mea? » Nihil tunc pendimus inconsiderati, verum enimvero quæ postea gesta sunt, quæque geruntur, an ridicula et pro deliramentis sint habenda, edisserant experti, quorum posteritati plana malorum monimenta extabunt *. Significavit namque Deus interdum servo suo Joanni, quæ oportet fieri cito, sed de his satis. Ob hoc enim lacrymis afficiebatur, futuras pressuras redimere mens sacra, perrenni studio conjuncta super-
C nis et salutaribus hostiis, cumulatius intenta. Non enim mole corporis pressus, potuit otiosus videri sacer animus, sed solatium ejus erat divinis laudibus vacare, missas attentius auscultare, confessiones frequentare, sanctissime communicare *c*.

** an* forsitan?

** Mala ex hæresibus sæculi XVI?*

c

tandem Sacramentis munitus,

22 Et postremo stipendia vitæ flagitans, jam solvi se gavisus, confiteri novissime, communicare, perungi, et animam Deo committi, non in strato, non in mollibus, non in deliciis, sed pavimento voluit; nihilominus quam cæteri, pro se ipso deprecans « Sancta Maria ora pro me, Sancte Abraham ora pro me, » et cætera referens, plaudentibus et elevatis ordinata vicissitudine manibus cum dignitate et reverentia, cunctis astantibus attentior, et ita attentior, ut minus bene proferentem ac barbarizantem hebdomadarium sæpius corriperet, emendaretque. Superfuit nobis post hæc dies septem, uno dumtaxat ovi vitello ac tribus uvarum granis confotus. Sabbato igitur, quo seraphicus Pater, dum primum vesperis daretur signum, perfecte mentis compos ac sensu vivax, me nutu vocans, auxilii ferendi gratia, sedere voluit, et inclinans ad pectus meum titubans caput, suaviter, ore sensim aperto, inter ulnas mihi exanime corpus reliquit. Heu diem amarum, heu lacrymabilem horam, heu lamentabile tempus! Quod putas illud saxeum cor a profluvio lacrymarum abstinuit? Ejulabant Fratres, lamentabantur Fratres, beatum corpus deosculabantur Fratres, quod tametsi recens antea pulcherrimum, formosumque fuerit, ab cujus scilicet ore, ut privatim sic et publice tamquam ab angelica facie contuentes prætendebant *, longe tamen exhaustum pulchrius et formosius, et, ut arridens, videbatur.

** pendebant?*

sancte obit :

23 Querebamur singuli celeberrimo patre orbati, singulares titulos commemorantes. « Nos miseros, deflens unus inquit, quo pacto cecidit Ordinis corona, quæ præ cunctis veram Religionem ornavit, ad cultum divinum cultores et agros multiplicavit, ad bene beateque vivendum omnes zelavit. » Succedebat alter : « Quis ille quadragesimum religionis superavit annum, æque ut hic, quis eo numquam existens perseverantior? Et eo recto et inof-
E fenso pede pergente honestior? » Sed narrat tertius : « Quisnam Ecclesiam Dei tam dilexit ferventer? tam tutatus constanter? tam auxit incunctanter. » « Verum faris, inquit alius, sed quis mortalium immaculatam præbuit Deo fidem? Capistranus. » Quis judæos, hæreticos, schismaticos fere innumeros perduxit ad fidem? Capistranus. Quis Deum abundantius prædicavit, Deum unum et Christi fidem? Capistranus. « Hunc mihi dicendi locum dari, quæso, proximus petit, septuagesimo primo potitum anno, statura pusillum, viribus robustum, ingenio promptum, studiis deditum, laboribus indefessum, moribus compositum, sanctimonia probatum, sui similem profecto vidi neminem. Probe laus fert quidem vitæ sanctimoniam. Nam in humanis unico cibo dietim refectum fuisse, continuo jejunasse, carnes sibi abdicasse, purum vinum non bibisse, in plumis numquam jacuisse, parce comedisse, plurimum laborasse non humani sed angilici muneris esse reor. »

ejus laudes domestici,

24 « Etsi cuncta meminisse fas sit, nonne præclarum esse constat, aliquis ait, Beatum Patrem, ut virtute cæteros, sic et dignitate præstitisse; qui cum austerus judicaretur, nedum majorum verbis obnoxius fuit, sed et cuique vel minimo ex sociis humilem se tradidit? » Inopiæ jura usque adeo observavit, ut vix necessaria vitæ ministraret, quo voluptates diligentius reprimeret. Nam impudici vel inhonesti animi vestigium de se nemo percepit aliquando. Quodque jam dicere libet, maceravit carnem, superque carnem diuturna horridi asperitate cilicii, ac nonnumquam, dum acrioribus urgeretur stimulis, advertite quæso, candenti ferro ipse sibi genitalia decoxit. « Plane, disserit alter, summo descendit olimpo, qui non tantum Deo meritis gratus, quantum divina gratitudine miraculis clarus. » Quem ea de re numquam videntes, solo sanctimoniæ testimonio amabant, appetebant, venerabantur. Hunc etenim reges, hunc principes, hunc Papa, hunc nationes cum litteris, cum nuntiis, ornatisque oratoribus avidi vocabant; et, ut eorum votis fieret satis, apostolicis mandatis impetrabant.

AUCTORE HIERONYMO UTINENSI. *et exteri deprædicant:*

25 Testes enim sunt acceptæ consuetudines summorum Pontificum romanorum, qui populum Dei sibi creditum, probo viro privilegiis, indultis et gratiis, commisere. Testes divi Cæsares, qui pro concordia, pro pace, pro summa Reipublicæ, pro amplitudine majestatis, pro imperii dignitate, magna gratia complectebantur. Testes inclyti reges, illustrissimi principes, clarissimi denique tam ecclesiastici, quam sæcularis fastigii magnates, qui ineffabili pietate, gaudio, veneratione servabant, admittebant, carum habebant. Quibus rebus erant testimonio solemni, processiones, apparatus ingentes, religiosa spectacula, et festi dies. Tanta nempe celebritate obviam adeunti procedebant, abeuntemque comitabantur omnis ætas, ut Apostolum Dei haud magis venerati fuissent. Sed quid verbis opus quispiam nuntiat. Brevis est dies ad celsa præconia et gloriosas virtutes dinumerandas.

corpus in tumulo claudi-tur

B 26 Jam transitus fama, facto celerior, totam perlustrans civitatem, omnes commovit, festinant semianimes turmatim, beatum videre corpus adeo sitientes, ut nobis sit periculo in longum producere funus. Curamus igitur, et perjucundum corpus ad ecclesiam deferimus, quo civitas omnis collacrymans accurrerat. Exsequiis solemnibus septem diebus studiosius cum hymnis, laudibus, dignisque honoribus : singuli pro cujusque dignitate complent chori medium, undique ardentibus faculis et luminum copia, alternatis excubiis, et calida vigilum cura, timore suffurandi corporis hosce dies inhumatum servavit. Postremo arca, ferreis laminis circumsepta, catenis et clavibus quinque munita, beatum illud corpus molle, flexibile, ac per omnia tractabile, ac si viveret, conditum clausit; et circumquaque sigillata, continet membra intrepida, hanc ornatum sepulcrum sustinet *d*, ubi signa et miracula gratiæ et dona Dei plurima in dies magis, magisque corruscant.

d

diluuntur objectæ in Sanctum

C 27 Sed quia invidetur præstanti florentique virtuti; non abest imperfecta mortalium cura, edaxque livor æmulorum, quibus minus pensi vel æquitatis inest. Criminantur enim susurrones, seniorem, quam satis est, laudis propriæ cupidum, hominemque subiracundum fuisse. Verum enimvero, nec quemque moveat non insolita labes, quoniam ab initio sæculorum invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, et eum sequuntur, qui ex parte ejus sunt; nec prudenti sensatoque viro novum hoc, ut et Capistranum, nequicquam nisi in laudibus Dei gloriantem, mordentes æmulentur, « quia si me persecuti sunt, et vos, inquit Veritas, persequentur. » Parendum quidni detractoribus quibus et ipse senior, morti proximus, ignoscens, ait palam : « Detrahent mihi nonnulli, et mordebunt improperantes, sed cum sit gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ; Domine parce illis obsecro. »

criminationes,

28 Sed cogitanti mihi venit in mentem, his sæculis nostris in modum gratulari, quia nobis attulere virum, cujus lumen coram hominibus lucere, ut viderent bona opera ejus, plane intuiti sumus; et ita sumus intuiti lucere, ut glorificarent Patrem, qui in cœlis est. Nec verendum est denigrari ab æmulis, D quem clarificavit lumen æternum. Eruantur maledicti, dissectentur, ipsis rumpantur ilia, et suis rumoribus, quod virtuti debent, vitio dent. Nam et irasci licet, et acrem et turbidum habere vultum et justitiam in inimicos, uti decet. Erigebatur etenim tantum senior bonus, quantum amabat : irascebatur justus et misericors peccatis, minime tamen odit quo extingueretur (ut asserebat) oculus caritatis. Fateor equidem malis nonnumquam succensum, bonis numquam. Tali namque ex sacra sententia non imputat Deus peccata sua, quia non fecit aliena, quia non approbavit negligentiam, quia non tacuit superbiam; quia in unitate veritatis permansit, quare desinant maledicere, quem Christus benedixit, et cum se dijudicaverint insontes, sontem damnent.

et ejus detractores

29 Animadvertant impensius, quæso, ne justi judicii plectantur ultione; quemadmodum in ampla Germaniæ civitate petulanti viro, lascivæque mulieri indubitatissimum est contigisse. Nam cum alter ab execranda E ludi cupiditate dissereret, præcipua scelera quædam oriri solere, ferens ægre durum sibi seniorem (nam totus in ludis mersus erat, detestando seniorem) negat penitus, tot capitalia crimina ludo posse oriri, neque propterea libidinem animi sui velle minuere, cum sit ludere vitæ solatium et ingenii acumen. Altera vero, dum mulierum nativos et adulterinos intelligeret fucos damnari, insana mente garriens, veritati officiosa detrahit. O judicia Dei abyssus multa, ecce duo mutuo veritatem pessumdantes sequenti nocte (miserere mei Deus) eodem momento subitanea morte corruerunt. Conterriti novitate reliqui, quæque ludibria * supellectilia procacesque mulieres illecebras seniori præsentavere, quæ vulcano publicæ commissa sunt continuo.

* ludicra?

severe puniuntur.

30 Quamobrem vitæ suæ consulant, qui de viro integerrimo maligna loquuntur, ne amore servi Dominus irascatur, quem in servis suis decuit laudari. Modum vobis non imponerem, si cuncta conarer pandere; solabor tamen beato viro deferentes exemplo detractionis cujuspiam, qui cum religiosus esset, et mi- F nus religiose ageret, novit aliquando, quæ servis Dei sit deferre. Zelans mirum in modum cultum divinum, senior nonnumquam cooptatus est, ut religiosum claustrum quodammodo suffocatum esset * ad laudem Dei et populi ædificationem celebrius. Repugnat loci præpositus, minus plene Deo confidens, cultores in vineam Domini conducere, inopiam formidans; coactus e studio senioris agrum Domini diligenter excolere, murmurat, obloquitur, non recte sentit : haud longo post tempore defungitur senior; divina correptus ultione detractor, acerba anhelitus pressura arctatus, pene suffocatur : desperat animo, subit in mentem cœlestium donorum gratia, quæ meritis beati Joannis senioris fide postulantibus elargitur : contritus et supplex, edito visitandi sepulcri voto, sine mora ab ipsis mortis faucibus erutus, uti, me teste, professus est, maledicti veniam impetravit salvus et ex Saulo Paulus factus est, et venerunt ad se, qui detrahebant sibi, et adoraverunt vestigia pedum suorum.

* *forte* erigeret

31 Habes

Epilogus. 31 Habes igitur, Pater observande, brevi tabella quædam de primis institutis, de consilio vitæ, de bono progressu, et de profectu otii, de peregrinationis fine senioris nostri Beati, quem in cœlis sanctum, licet appellare, festino exarata calamo. Neque sum inscius, quantam susceperim provinciam, qui rem, meis viribus imparem, imprudens aggressus sum, ut viri integritatem minuam, cujus equidem præclara gesta magna complerent volumina; malui tamen pro meo in te officio, etiam cum rei defectu, voto tuo aliquantisper satisfecisse, quam penitus insolens neglexisse. Tu vero, Pater optime, quod minus rectum factum est, refice : quodque diminutum pro tua singulari prudentia, maturitate, dicendique facilitate, restaura. Vale. Ex conventu nostro Sancti Theobaldi in suburbio Viennensi quinto
e decimo calend. Julii 1457 *e*.

ANNOTATA.

a *Si S.* Capistrani *morbus* VIII *id. seu die*
B VI *Augusti inceperit, ab hac die ad* XXIII *Octobris procedendo dies habemus omnino septuaginta novem. Forsan ita interpretari oportet Hieronymum biographum, ut valetudo die* VI *Augusti labascere, at sexaginta solum ante obitum diebus penitus ingravescere cœperit.*

b *Scilicet festivitas natalis S. Mariæ Virginis celebratur die* VIII *Septembris.*

c *Ex his aliisque textibus satis constat, Nicolaum de Fara aut ex Hieronymo Utinensi aut ex antiquiore lucubratione aliqua verbotenus deprompsisse. Conferantur, si lubet, postrema hæc verba cum iis, quæ Nicolaus habet supra num.* 110; *quæ infra num.* 26 *narrantur, cum num.* 122 *Nicolai; pœna, religioso detractori S.* Joannis *inflicta num.* 30, *cum eadem historia, a Nicolao num.* 142 *relata. Atque hinc, quum Hieronymi textus multis in locis obscurus sit, per Nicolai verba sæpenumero affectatas Utinensis obscuritates elucidare utcumque licebit.*

d *Textum, prout erat in codice, correxi, utpote qui nullum sensum contineat. Ita interpretor biographum :* arca circumquaque sigillata
C continet (sancti) membra intrepida, hanc (arcam) ornatum sepulcrum sustinet. *Quæ uncinis inclusa sunt, lucis causa, addidi.*

e *Initia conventus Viennensis ad S. Theobaldum dedimus supra in Annotato* I *capitis* VII *Vitæ, a Nicolao de Fara conscriptæ.*

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

VITA

S. JOANNIS A CAPISTRANO,

Scripta a Fr. Christophoro a Varisio, ex ms. Aracœlitano.

Joannis Christophori de Varisio, socii Beati Patris Joannis de Capistrano, in Vitam ejusdem,

PROLOGUS.

Epistola ad Fr. Gabrielem de Verona.

Venerando Patri Fratri Gabrieli de Verona, Ordinis Minorum, provinciarum Austriæ, Bohemiæ etc. vicario dignissimo Frater Christophorus de Varisio *a*, ejusdem Ordinis minimus et indignus promptam obedientiam et omnem
E subjectionem. Juxta P. V. desiderium, Deo auxiliante, Vitam et Gesta beati Patris nostri Fratris Joannis de Capistrano ad finem deduxi. Et quia ad hæc me insufficientem cognosco esse, cum tantæ sanctitatis vir requireret aliquem virum doctissimum, qui ejus gesta ordinato compositoque eloquio describeret, precor, ut singula perlegatis, ut si quid minus (ordinate?) aut minus bene positum invenietis, illud emendare et corrigere pro voluntatis vestræ arbitrio dignemini. Hunc autem ordinem, ut in processu videbitis, observavi : Primo, de ejus in sæculo conversatione. Secundo, de ejus ad Religionem conversione. Tertio, de novitiatus sui probatione. Quarto, de ejus professione et prædicatione. Quinto, de Judæorum, hæreticorum et schismaticorum persecutione. Sexto, de aliquorum miraculorum perpetratione. Septimo, de locorum et fratrum multiplicatione, et Sancti Bernardini canonizatione. Octavo, de multiplici sibi facta revelatione. Nono, de scientiæ irradiatione et multiplici dispositione et plurimo- F
rum opusculorum compositione. Decimo, de ejus ad Alemaniam missione, et provinciæ Austriæ inceptione, et miraculorum operatione. Undecimo, de ejus ad Ungariam ingressione, et Turcarum devictione, et felici ab hac vita migratione. Duodecimo, de ejus miraculorum post ejus obitum perpetratione *b*. *b*

CAPUT I.

Sancti natales; liberalis institutio; res gestæ in sæculo; ingressus in Ordinem Minorum.

Capistrani natus, pieque et liberaliter educatus,

Prope civitatem Aquilanam, in qua venerabile corpus Sancti Bernardini conditum est, quoddam oppidum munitissimum et decorum, nomine Capistranum, existit. De quo parentes beati Patris nostri Fratris Joannis, moribus, et vita et parentela perspicui, originem traxerunt,

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

runt, huncque in eodem oppido genuerunt et aluerunt. Qui dum adhuc puerulus esset, patre viam universæ carnis ingresso orbatus, matri superstiti, quasi jam se futurum prædicatorem euangelicum indicavit, cœpit continentiam vidualem prædicare, eamque blandis sermonibus, ne alium virum caperet, allicere. Traditur dehinc artibus liberalibus imbuendus; in quibus super omnes coetaneos suos adeo brevi tempore profecit, ut omnes de ejus subtili ingenio mirarentur. Postmodum ad civitatem Perusinam, ut in ea juri pontificio pariter et civili studeret, destinatur. Mansit ibidem decem ferme annos et in tantum facultati illi operam dedit, ut omnes, consilio indigentes, dimissis doctoribus non mediocriter famosis, ad eum pro consilio recurrerent. Fuisset autem doctoratus gradu in utroque jure sublimatus, sed adhuc quæ mundi sunt, id est, humanam gloriam desiderans, nolebat in jure doctorari, nisi et simul militaria insignia susciperet.

Perusinæ puellæ desponsatur;

2 Interim tamen puellam quamdam, forma et nobilitate præclaram, quæ in opulentissima hereditate paterna successura erat, desponsavit *c*. Arridensque ei fortuna eum carissimum et amicissimum regi illius regni in tantum fecit, ut ei civitates et castra non modicæ æstimationis committeret, et magna illi munera condonaret. Dum vero dictarum civitatum et oppidorum regimen ageret, tanta sapientia et prudentia omnia peragebat, tanta maturitate cuncta disponebat, tanta severitate justitiæ malos puniebat, tanta denique clementia bonos fovebat, ut circumquaque fama ejus divulgaretur, et in dies regi carior et familiarior efficeretur. A cunctis sibi prospere succedentibus honorabatur ab omnibus, ita ut felicem se crederet, qui ejus amicitia jungi posset : ex quibus mens ejus, ad mundum et mundi honores totaliter dedita, minus ad ea, quæ Dei sunt, intendebat; sed post ipsius mundi blanditias ambulans, hoc solum diu noctuque, qualiter secundum * regi suo terreno placeret, satagebat.

c

adde: sæculum

et quum omnia prospere succederent,

3 Inerat tamen ipsius præcordiis tanta ad pauperes et tribulatos miseratio, ut et illis juxta posse cum facultatibus suis suffragaretur, et dulcibus verbis consolaretur. Sed et zelus justitiæ adeo ipsum affecerat, ut ab eo nec prece, nec pretio, nec amore, nec odio ullo modo divelli posset. Propterea in civitatibus et oppidis sibi commissis tanta pax et securitas vigebat, ut unusquisque re sua secure potiretur, et, ut vulgo dici solet, cuicumque, etiam in manibus aurum portanti, iter tranquillum præberetur. Zelo enim justitiæ ejus latrones perterriti procul abscesserant, fures quoque et prædones necnon aliarum rerum invasores a patria exulaverat. Taceo cæteras ejus virtutes, quibus eum decoraverat Altissimus. Ita enim prudentia, temperantia, fortitudo, magnificentia, liberalitas et cæteræ virtutes juvenem illum adornaverant, ut si singulas enarrare velim, timeo quod sermo noster nimis in longum protendatur.

prævalente subito civili factione,

4 Volens igitur misericors Deus, qui sua ineffabili miseratione, mundum in singulis ætatibus per sanctos suos visitare non cessat, in hoc malo tempore, in quo jam omnium caritas refriguit, et in omni pene statu abundat iniquitas, hunc beatum virum quasi faculam ardentem et præconem evangelicum cuncto populo destinare; ut eum ab amore mundi, in quo totus involutus erat, retraheret, permisit in varias tentationes incidere; tribulationibus quoque et vexationibus, ut ex illis erudiretur, et intellectum serviendi Deo caperet, ipsum affecit. Sicque factum est, ut, paratis sibi insidiis ab æmulis tam regis, cui serviebat, quam suis, caperetur et in arctam custodiam manciparetur. Putabant enim se magnum thesaurum reperisse, dum tam præclarum virum, tantaque amicitia regi convinctum, in vinculis detinebant. Dum enim in vinculis detentus mundam mentem ad serviendum Deo inclinabat, sed continue per regis suffragia a vinculis liberari, et ad pristinos honores redire sperabat. At Deus misericordiarum, qui, modo tristibus modo lætis, electos suos ad serviendum sibi vocare non cessat; cernens, quod necdum per vincula mens ejus fuerat immutata, cœpit quibusdam revelationibus animos electi ejus in obsequium inclinare. D

in carcerem detruditur,

5 Quadam ergo vice, cum in amaritudine positus esset, diversaque, ut moris est hujusmodi virorum incarceratorum, cogitaret, apparuit sibi quidam, habitu fratrum Minorum indutus, in virum Dei oculos dirigens : quem cum intuitus fuisset tanta teneritudine cor ejus demollitum est, ut oculi ejus quasi in fluvium lacrymarum prorumperent, et de visceribus cordis ejus mugitus et suspiria non modica redundarent. Quis dubitet, fratrem illum Seraphicum Patrem Franciscum extitisse, qui de tanto magno Ordinis sui incremento, per hunc fiendo, gaudebat, et ideo ad ipsum consolandum, tamquam ad fidelem filium suum futurum, et diligentissimæ Regulæ suæ observatorem, a Deo missus advenerat. Eodemque quoque tempore, ut sibi videbatur, quidam radius solaris de rima carceris exibat, qui quodam modo totum mundum illuminare conspiciebatur. Hoc absque dubio significans, quod vir Dei futurus erat in lumen gentium, suaque mirifica vita, exemplis sanctitatis et præclara doctrina mundum illuminaturus esset. Nondum tamen ex præmissis visionibus, quid circa se ageretur intelligens, a mundi blanditiis animum revocaverat, aut ad Religionis ingressum, quoquo modo mentem declinaverat : quia vere difficile est eos, qui se divitiis et honoribus subjecerunt, ab ipsis amplius nisi violentia maxima resilire. F

in quo, cœlesti visione recreatus,

6 Tertio itaque cum se sopori dedisset, nihilque prius de quacumque Religione cogitasset, volens clementissimus Deus per evidens signum eum ad Religionem adducere, disposuit, ut de vertice ipsius dormientis capilli deciderent, ita quod, vertice capillis privata, coronam ad instar Fratrum Minorum gerere videbatur, quam postea toto tempore vitæ suæ, in religione existens, in signum miraculi semper habuit. Nec ei novacula ad radendam coronam, manu Dei dispositam, ullo tempore, dum viveret, fuit necessaria. Qui dum a somno evigilans, capillis pulcherrimis, in quibus antea, tamquam decorus juvenis, magnam consolationem habuerat, in vertice in modum coronæ se privatum sentiret : prima facie quasi indignatus, in similia verba prorupit : « Cum nullum affectum ad Religionem habeam,

habeam, miror de te, omnipotens Deus, quod me invitum religiosum facere proponas. » Nescio quid horum magis mirari debeamus, an scilicet Dominum tam dulciter vocantem, an servum tam fortiter renitentem; sed utrumque merito possumus admirari : scilicet nimiam clementiam Domini vocantis, qui ex hac grandi vocatione mundum illuminare decreverat, et maximam humilitatem servi renitentis, qui se divinis revelationibus judicabat indignum, nec facile hujusmodi visionibus, ad instar nonnullorum superborum, qui per ea decepti sunt, fidem adhibuit, sed docente Apostolo prius « probare voluit utrum ex Deo spiritus esset an non. » *

* 1 Joan. IV, 1.

ipse sibi vestem minoriticam consuit,

7 Cum ergo divinam vocationem paulatim agnoscens, Spiritu Sancto inflammatus continuo voluntatem suam voluntati divinæ toto corde copulavit: et ad ingrediendum Ordinem beati Francisci de Observantia mentem suam totaliter inclinavit. Exinde totis præcordiis modum omnem cogitare cœpit, quomodo tam sanctum propositum, quod, Deo inspirante, firmiter in mente conceperat, adimpleret. Qui tandem custodem carceris ad se vocans, eum precibus, quibus valuit, rogare cœpit, ut sibi pannum grisum, quo indui solent Fratres de Observantia Sancti Francisci, forfices, filum, et acum ad carcerem deferret, promittens ei omnia et plura restituturum, si Deus eum a carcere liberaret. Annuit ejus voluntati carceris custos, qui eum propter virtutes suas maxime diligebat, et res postulatas sine mora ei ad carcerem detulit. Quibus susceptis, sibi ipsi, prout melius scivit et potuit, habitum præparavit, et, exutis sæculi vestibus, quibus indutus erat, cum maxima devotione illacrymatus, habitum, quem, Spiritu Sancto decretante, præparaverat, induit: firmiter proponens in corde, se numquam illum amplius dimissurum, futurum se ex hoc judicans Seraphici Patris Francisci imitatorem verissimum, quem simili modo primum habitum sibi ipsi fecisse et imposuisse prædecessorum scriptis edocemur.

et aliquibus tamen fallaciam suspicantibus,

8 Hæc illis, qui eum in vinculis detinebant, audientibus, subridentes similia verba proferre cœperunt: « Novimus nequitias et astutias cordis ejus: in vanum laborat, credens per has malitias nos decipere, et per hujusmodi fictiones de manibus nostris effugere, multiplicabimus ei custodes et vincula, et videbimus, si machinationes suæ eum de potestate nostra poterunt liberare. » Referuntur hæc verba viro Dei, quibus auditis, mox totum ad orationem se dedit, et precibus, quibus valuit, causam suam Domino commendavit, dicens: « Tu Domine, qui hanc sanctam voluntatem in cor meum immittere dignatus es, dispone de me servo tuo, pro tuæ libito voluntatis, sive enim in carcere moriar, sive extra eum, tuus sum. Tibi duo minuta, quæ habui, id est corpus et animam, voluntarie obtuli, et quantum possum offero. Neque enim mihi ignotum est, quod cum me ad serviendum tibi perpetuo in hac religione devoverim, neque velle amplius, neque nolle adjacet; fiat ergo, altissime Deus, in singulis voluntas tua. »

sinceritas conversionis

9 Sed quia Deo erat cura de servo suo, non post multum temporis in corda eorum, qui ipsum detinebant, immisit, ut rei veritatem, an scilicet vere vel ficte in hoc negotio procederet, inquirerent. Accedentes itaque ad locum, in quo detinebatur, solerter ab eo indagare cœperunt, quare tanta fraudulentia, puta per religiosi habitus delationem, eos decipere niteretur, quibus ille: « Non ego vos decipio, neque umquam moris mei fuit simulare, sed aperte in omnibus rebus, per me gestis, procedere. » Addit quoque: « Facite Fratres aliquos de Observantia, qui harum rerum experientiam habent, ad me venire, in quibus et vos fiduciam habeatis, et illi vos an fictitia vel vera sit vocatio mea, plenius informabunt. » Vocatur interea non parvæ æstimationis Frater de Observantia, moribus et vita venerabilis, omnibusque qui eum noverant, propter ejus vitæ sanctimoniam gratissimus et acceptus: qui etiam servi Dei, dum adhuc sibi cuncta prospere succedebant, plenam notitiam habuerat. Veniens ad locum carceris et videns eum, nescio quo male facto habitu religionis indutum, subridens: « Qualem, inquit, domine Joannes, Religionis habitum assumpsistis? » Cui omnia, quæ circa eum manu Domini facta fuerant, et eo modo quo contigerant, a principio usque ad finem cum multis lacrymis plenarie reseravit. In testimonium quoque præmissorum, caput, sibi divinitus in vertice depilatum, in modum coronæ, etiam demonstravit.

AUCTORI CHRISTOPHORO A VARI

10 Intelligens religiosus ille Deo devotus, mutationem illam mirificam non fictitiam esse, sed verissimam, nec præfatas visiones fantasticas esse, sed divinas, mente non parum exhilaratus, eos qui vinctum eum detinebant festinanter adiit, et eis totius rei seriem per ordinem enarravit. Subintulit denique: « Nolite in aliquo dubitare, quia in veritate toto corde sine simulatione aliqua conversus est, intendens omnino, despectis mundi et carnis deliciis, Domino in Ordine nostro fideliter militare. Et si vultis, pro ipso me obsidem habete, donec, quo fine negotium terminetur, inspiciatis. Quod si verba mea vera fore non ambigitis, precor vos, ut amore Dei, et Ordinis nostri eum liberum dimittatis, quatenus sanctam et a Deo sibi inspiratam voluntatem suam exequi possit. » His auditis, emollita sunt corda eorum, et tam ipsius venerabilis fratris, quam servi Dei precibus acquiescentes, eum liberum dimiserunt. Reassumptis itaque prioribus vestibus, ad civitatem Perusinam, in qua omnium quasi notitiam habebat, cum dicto Fratre pervenit. Quem videntes domestici gaudio pariter et admiratione repleti, qualiter ex manibus hostium evasisset, sollicite perquirebant. Ad dictam autem civitatem ideo pervenit, non quod ei amplius de visendis amicis cura esset, cum mundum jam in mente sua totaliter conculcasset, sed ubi prius per dissolutiones suas superbiæ et vanitatis exempla præbuerat, per inauditam ad Deum conversionem et mundi abjectionem, exempla humilitatis præberet et sanctimoniæ.

a Fratre noreproba

11 Non post multos ergo dies virtute armatus ex alto, dum jam ad ingressum Ordinis totaliter esset dispositus, cupiens pro Nomine Jesu opprobriis et illusionibus saturari, omnia peccata sua, et multa plura, quam fecerat,

quaprop vinculis ratur:

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

rat, in quadam mitra depingi fecit, in ipsaque mitra descripsit: « Hic est ille malefactor, qui *omnia maleficia in hac mitra depicta* et multo majora perpetravit. » Quam sicut præfertur depictam et scriptam capiti suo ferventer imposuit, vilique subductum asello, per totam civitatem Perusinam deferri se fecit, mitram semper habens in capite, in qua omnibus, quæ fecerat peccata, patebant: illius nimirum profecto imitator, qui pro peccatis nostris coronam spineam in sanctissimo capite suo portare non erubuit. Quem cernentes, qui prius eum noverant, quidam in erubescentiam, qui ei amicitia jungebantur; quidam in risum, qui eum insanire putabant; quidam vero in amaras lacrymas, qui ejus conversionem perfecte intelligebant, movebantur. Pueri etiam, post eum festinantes, in eum lapides et lutum jaciebant, futurus revera verus beatissimi Patris nostri Francisci discipulus, qui in exordio conversionis suæ a pueris, eum insanum reputantibus, luto et saxis
d impetitus est. Sed et præcones sive sbiri *d*
B videntes tot et tanta scelera, quæ tamen non perpetraverat, in ipsius mitra depicta, eum ad judicium eduxerunt. Qui a judice interrogatus, an talia commisisset delicta, humiliter respondet: « Maximus sum peccatorum, et omnium tormentorum genera super fures, latrones, et homicidas ego promerui. » Cujus devotionis fervorem cum judex, et qui cum eo essent, cognovissent, ejus sanctissimam voluntatem, tamquam viri prudentes, laudaverunt, increpatisque præconibus, qui eum adduxerant, abire permiserunt.

et ad conventum FF. Minorum abit:

12 Saturatus igitur, ut præmissum est, tribulationibus, derisionibus et opprobriis, mundique pompa calcata, ad locum Fratrum Minorum de Observantia extra civitatem Perusinam
e positum, qui locus ad montem dicitur *e*, in quo et Beatus frater Egidius, socius Beati Francisci, multa miracula perpetrasse legitur, properavit. Ubi pedibus Fratrum advolutus, humillime supplicare cœpit, quatenus ei sacræ Religionis habitus donaretur, et in numero Fratrum poneretur. Cui Fratres (qui neminem blanditiis solent ad Religionis ingressum al-
C licere) jejunia, vigilias, orationes, disciplinas, pedum nuditatem, maximam rerum egestatem et cætera hujusmodi ad plenum declarantes: an talia paratus sit sustinere, interrogant. Quibus ille, mirabili ignis divini calore succensus, hilari vultu, voce jucunda, respondit: « Paratus sum non solum quæ dixistis, sed multo majora pro nomine illius, qui pro salute nostra in hunc mundum nasci, morique voluit, libenti animo usque ad diem mortis meæ sufferre. »

in quo cum maximo fervore

13 His auditis, fratres de ejus tam magno fervore plurimum consolati, rejectis vestibus sæcularibus, sacræ Religionis habitum cum magna devotione contulerunt, et militaribus armis insignem Christi militem effecerunt. Statim circumquaque fama diffunditur, divum Joannem de Capistrano religiosum effectum. Cujus rei causa, tota civitas, in admiratione posita, nihil aliud nisi de hoc celebri facto loqui videbatur. Sed et sponsa ejus, de qua supra narratum est, hoc intelligens, in multas erumpens lacrymas propter nimium amorem ejus, quo ipsum tenerrime diligebat, accurrit ad claustrum festina, et ut ei cum sponso suo, qui omnia dereliquerat, loqui liceat. Fratres gemitibus et lacrymosis vocibus interpellat: contradicunt Fratres, et hoc ei minime licere constanter affirmant. Sed tandem nimia mulieris importunitate ducti, confidentes nihilominus de Fratris constantia, sapientia et gravitate difficulter annuerunt, et, ut ei loqueretur, consenserunt. D

fundamenta futuræ

14 Quantas lacrymas, quam dulcia verba, quantas preces, ut eum a proposito revocaret, effuderit, qui legit, intelligat. Ipse vero, qui jam spiritum gustaverat, propter quem omnis caro desipuerat, nullo modo fractus aut mutatus extitit: sed benigna voce, demissis oculis, eam erudire cœpit, ut in virginitate persisteret, et Altissimo deserviret. Intelligens itaque, sponsum suum, supra firmissimam petram fundatum, nullatenus immutare posse, firma se sponsione astrinxit, numquam alium quempiam ducere velle in maritum. Cui ipse vindictam Dei super eam, si contra promissionem faceret, futuram prophetando prædixit; quod et factum est. Nam, more muliebri, instabilis effecta, priorisque sponsi penitus oblita, in sui damnationem alium superduxit, cum quo filiam habuit, quæ brevi tempore defuncta est. Ipsa vero, diutino languore correpta, finaliter, lepra invalescente, consumpta est. E

sanctimoniæ, per exercitium

15 Cœpit ergo famulus Christi in anno novitiatus viriliter agere, et novum hominem, demisso penitus vetere, induere. Et quia sciebat, deficiente fundamento, superædificari non posse; in ipso suæ conversionis exordio, ita se devotioni mancipavit, qua omnes fratres eum futurum magnæ sanctitatis virum prædicebant. Nam sæpius Christi Passionem in corde ruminans, maxillas, pectus, et terram lacrymis profundebat, et, quasi totaliter dissolvi vellet, maximis gemitibus suspirabat. Genitricem vero Dei magno nominabat affectu et eam cum Angelo Gabriele crebrius salutabat, sciens neminem absque auxilio Virginis gloriosæ ad palmam posse pertingere. Quantæ vero humilitatis et patientiæ fuerit ex paucis, quæ referam, luculenter clarere potest. Licet enim tantæ scientiæ, prudentiæ et sagacitatis, tantæque reputationis in sæculo fuerit, nihilominus Fratres, qui nemini, nostram Religionem intranti, parcere consueverunt, quin probent, F
an luteus vel argenteus sit, ut ipsum in humilitate fundarent sub regimine cujusdam fratris laici, magnæ austeritatis et sanctitatis viri, posuerunt *f*; qui diligentissimam curam circa *f*
eum agere cœpit, modos omnes exquirens, per quos eum humilem et patientem efficeret, et in religiosis moribus erudiret. Quotidie ergo eum increpabat, et novas ei pœnitentias imponebat. Nam aliquando disciplinas, aliquando jejunia, aliquando solum esum panis et aquæ potum, interdum, ut genuflexus in terra, coram fratribus, in mensa sedentibus, comederet, et alias hujusmodi mortificationes et pœnitentias injungebat.

humilitatis christianæ

16 Sed servus Christi, omnis sciolitatis et mundanæ sapientiæ oblitus, ita illi fratri laico in omnibus parebat, ac si vir magnæ litteraturæ vel minister generalis extitisset. Propter quod præmissa omnia, non solum gratanter et læto animo perficiebat, sed ut tales ei pœnitentiæ sæpius injungerentur, supplicabat. Quia, ut supra tactum est, vir magni consilii et prudentiæ vel scientiæ habebatur a civibus et

A et aliis, ad eum pro consilii venientibus, Fratres interdum negare non poterant, quin ipsis ejus præsentiam exhiberent: eis itaque post habita consilia recedentibus, frater ille laicus, ne fumus aliquis vanæ gloriæ mentem ejus invaderet, tamquam prudens medicus aggrediebatur, ipsum verbis agrestibus dicens : « O superbe, jam credis aliquod esse, cur non manebas in sæculo, si hujusmodi vanitates sequi volebas.» Et multa alia super ipsum clamando dicebat; genuflectebat pauper novitius, et humiliter caput inclinans, omnia patientissime sustinebat.

et austeritatis posuit. 17 Quadam vice dum validissimæ eum febres detinerent, nec sanari posset, cœpit frater ipse sorbitiunculam quamdam, quam adhuc ignitam, æstuantem et calidissimam ad discipulum ægrotantem detulit, et ut sic, tam ebullientem, ebibat, injungit. Quod ille perficere volens, et in sancta obedientia sperans, eam sic fumantem et calore stridentem ebibit. Mirabile certe dictu ! sorbitiuncula, sic per obedientiam accepta, nihil ei omnino nocuit, et febres totaliter effugavit. Dum vero interrogaretur, an

B illam bibere timuisset? « Credebam, inquit, quod et guttur, et linguam penitus comburere debuisset, sed de sancta obedientia confidens, illam, natura abhorrente, recepi. » Alia vice dum panni aliqui lavandi essent per novitios, ut moris est, stabant in circuitu novitii, nec pannos contingere præsumebant, quia aqua præ nimia caliditate stridebat. Accedens laicus ille et spiritu Dei, ut credendum est, edoctus et aliis novitiis in pace demissis, hunc solum verbis molestat, vocans eum pigrum, somnolentum et negligentem. Deinde pannum calidissimum accipiens, in faciem ejus projecit : cujus caliditatem et combustionem sentiens, coram magistro humiliter genuflexit, credens totam faciem excoriatam esse et lumen oculorum perdidisse, sed, propter meritum humilitatis et patientiæ, nullum prorsus in eo signum combustionis apparuit. Multiplicibus aliis modis per ipsum fratrem comprobatus, evidentissime quantæ sanctimoniæ futurus esset, demonstravit. De ipso fratre laico sæpe munero magistro suo referebat : Deo omnipotenti gratias ago, quod mihi de tali magistro

C providere dignatus est. Quia si mihi ita austerus non fuisset, numquam virtutem humilitatis et patientiæ acquirere potuissem. Hæc fuere Beati Patris aurea fundamenta, hæc columnæ marmoreæ, super quibus tam speciosum ædificium postmodum construxit.

ANNOTATA.

a *De Fr. Gabriele Veronensi jam egimus Annot.* 1 *ad cap.* IV *Vitæ, a Nicolao de Fara conscriptæ : de biographo Christophoro a Varisio egimus Commentarii prævii num.* 6.

b *Apponimus indicem capitum, prout Christophorus de Varisio Vitam, a se conscriptam, distribuit; quam distributionem pro more nostro ad pauciora capita redegimus.*

PROLOGUS.

I { Caput I De ejus in sæculo conversatione.
« II De B. Patris ad Religionem conversione.
« III De novitiatus ejus probatione.

II { Caput IV De ejus professione et prædicatione.

III { « V De Judæorum persecutione.
« VI De persecutione hæreticorum.
« VII De persecutione schismaticorum.

IV { « VIII De aliorum miraculorum perpetratione.
« IX De potestate super aquis.

V { « X Quantum pro Ordinis unione laboravit.
« XI Quantum sollicitus fuerit in prælatione pro Observantiæ augmento.

VI { « XII Quantum pro canonizatione S. Bernardini fatigaverit.
« XIII De multiplici beato Patri facta revelatione et futurorum reseratione.
« XIV Sequuntur aliæ visiones et revelationes.

VII { « XV De beati Patris scientiæ irradiatione.
« XVI De pluribus et gravibus disputationibus.
« XVII De nonnullorum opusculorum compositione.

VIII { « XVIII De beati Patris ad Alemaniam missione et mirandorum operatione.

IX { « XIX De inceptione provinciæ Austriæ.

X { « XX Prosequitur peregrinationes, augentur signa.

XI { « XXI De accessu ad dietam Ratisbonæ.
« XXII De receptione Fratrum et fundatione locorum.

XII { « XXIII De ingressu ad regnum Poloniæ.
« XIV Ad dietam Franckfordiensem contra Turcas.
« XXV De beati Patris in Ungariam ingressione.

XIII { « XXVI De Turcarum per ejus orationes destructione.
« XXVII De felici ab hac vita migratione.

XIV { « XXVIII De multorum miraculorum meritis beati Patris post ejus obitum perpetratione.
« XXIX De mortuis suscitatis.
« XXX De liberatis a mortis articulo sive periculo.

XV { « XXXI De contractis sanatis.
« XXXII De deficientibus in visu, auditu, loquela sanatis.
« XXXIII De patientibus morbum caducum.

XVI { « XXXIV De curatis ab aliis diversis infirmitatibus.
« XXXV De quibusdam aliis miraculis.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

E

F

c *Quære, si lubet, quæ de istiusmodi sponsalibus diximus Comment. prævii num.* 33.

d *Hoc vocabulo caret Cangii Glossarium mediæ et infimæ latinitatis. Jam aliquousque jus civitatis in Gallia obtinuit, ex Italia translatum : ubi significat virum, bono regimini sarto tectoque*

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

tectoque servando deputatum : Archer, Agent de police.

e *Conventum S. Francisci de Monte juxta Perusiam his verbis describit Gonzaga* (1) : Conventus hic, divo Patri Francisco sacer, in cujusdam montis jugulo, aliquantum a porta S. Angeli Perusinæ civitatis, situs est, in eoque LV Franciscani fratres Observantes commorantur. Subfuit tamen olim fratribus quibusdam, de Franciscana familia male sentientibus atque mordicus affirmantibus, eam juxta professionem factam ac solemne votum emissum minime vivere : quapropter Fratres de opinione Clavasina dicti sunt. Cum quibus beatus Pater Gentilis sive Paulutius Fulginas in arenam descendens, eos evidentissimis rationibus ac efficacissimis argumentis perstrinxit, atque palinodiam canere coegit. Qua etiam de causa, ipsis pulsis, hic locus præfato patri Paulutio ejusque Fratribus a Perusinis civibus, ex apostolica auctoritate, anno a partu Virgineo 1535 collatus fuit, et ab eo temporis Observanti familiæ deservit. *Hæc aliquantisper latius exscripsimus, quia vitio*
B *calami chronotaxin perturbat Gonzaga. Etenim Paulutius Fulginas obiit anno* 1390; *dein Waddingus anno* 1374 *illigat donationem conventus Montis Perusini* (2) : *ex quibus patet perperam scriptum fuisse annum* 1535 *initium fundationis fratrum de Observantia in Monte Perusino.*

f *Is* Capistrani *tyronis magister fuit Onufrius de Seggiano,* laicus, *inquit Waddingus* (3), pius, austerus, sed prudentissimus. *Cfr quæ habet Hieronymus Utinensis supra num.* 9.

CAPUT II.

De ejus professione et prædicatione.

nissa prosione regui,

Adveniente professionis tempore, quia juxta Seraphici Patris Francisci Regulam, finito probationis anno, novitii, qui laudabiliter in anno novitiatus vixerunt, recipiendi sunt ad professionem *a,* rogare cœpit Domini servus humiliter Fratres, coram eis genuflectens, et lacrymas abundantissime fundens, ut eum ad
C professionem recipere dignarentur; sed se nihilominus indignum asserens tanto Dei beneficio, eo maxime quia cum ipse maximus esset peccator, non merebatur in societate servorum Dei computari. Et quia bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est, de multis transgressionibus, in anno novitiatus commissis, puta de inobedientia, de negligentia, et cæteris multis se accusabat. Fratres vero, considerantes ejus profundissimam humilitatem, frequentes orationes, ingenium vivax, et ardens desiderium, eum non tam libenter, quam desideranter, ad professionem cum magno desiderio receperunt.

positis nos ascensionis in corde o,

19 Post professionem ex humili factus est humilior, ex devoto devotior, ex ferventi ferventissimus : frequenter enim scopebat domum, lavabat scutellas, serviebat Fratribus, et alias humilitatis opera verus Francisci et Antonii ac Bonaventuræ imitator exercebat. Igitur adveniente tempore, quo eum Dominus in vineam suam mittere decreverat, egressus est famulus Christi tamquam leo rugiens, et D quasi tuba cœlestis, vocem suam exaltans, annuntiavit juxta propheticum dictum universis populis scelera et peccata eorum, fervore maximo hinc inde circumiens; vitia fore devitanda, virtutes vero amplectendas, ex divinis Scripturis luculentissime demonstrabat. Sed verus Dei imitator, ne ejus sermo contemptibilis haberetur, non solum prædicabat, sed multo majora opera perfectionis peragebat.

annuntiare incipit verbum Dei

20 Unde diversas civitates, ut in illis divina eloquia funderet, continuo perlustrans non equo, non asino aut quovis alio utebatur jumento, sed solos libellos, ad usum sibi concessos, suis humeris imponebat, et circumquaque portabat; donec senio et arduis pro fide catholica præpeditus negotiis, necessitate cogente, aliter facere compulsus est. Post longos et ferventissimos sermones, licet ex motibus corporis et clamorosis vocibus, plurimum fatigatus, nihil tamen se fecisse reputans, capiebat sacculum suum, et cum socio ostiatim necessaria mendicabat, secutus Beatum Franciscum, qui ad mensam divitum E quandoque invitatus, panem tamen amore Dei, tamquam sibi gratiorem, mendicabat. Ambulabat nudis pedibus, nec, quantumque invalescente frigore, calceamenta portabat, cilicium quoque asperum per multos annos nudo corpusculo imposuit, sed et abstinentiam ejus et vitæ parcitatem quis enarrare valet?

pœnitentiam summam

21 Postquam Religionem ingressus est usque ad ejus obitum, numquam nisi semel in die comedit, et ea vice in modico cibo contentus erat, quod vix infanti sex annorum sufficiebat. Numquam carnibus usus est, nisi aut urgeret necessitas, aut cogeret obedientia. Timentes autem Fratres aliquando, eum præ nimiis laboribus, et debilitate deficere, supplicaverant interdum summo Pontifici, ut eum carnes manducare præciperet, quas in tanta parcitate et cordis amaritudine sumebat, ut illarum usus potius ad pœnitentiam, quam ad refectionem aliquam esse videretur. Propterea jejunia panis et aquæ, continuas disciplinas, et alias carnis macerationes faciebat, ex quibus domesticum hostem sub rationis freno ducebat, et carnem cogebat servire spiritui. F His namque abstinentiæ munitus angustiis, his armatus virtutibus, cum omni fiducia proponebat verbum Dei, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. * * Marc. XVI,20

cum zelo ardentissimo conjungens,

22 Nam virtute indutus ex alto, audiebatur ab omnibus, invitabatur a populis; beatam se reputabat illa civitas, quæ eum includere merebatur : propter quod aliquæ civitates a Papa, aliquæ a Protectore Ordinis eum, ut ad ipsas prædicaturus accederet, impetrabant. Confluebat undique populus ad ejus sermones, et sæpius in tanta multitudine, ut vix ecclesia aut platea aliqua eum capere posset. Nam sæpenumero quinquaginta millia, octoginta millia, centum millia, centum quinquaginta millia in ejus sermonibus computabantur, apotecæ, * abstinebant homines a laboribus ac si solemne aliquod festum ageretur. Si uberiores fructus, quos in horreo Domini congregavit, enarrare voluero, discurrens per omnes christianorum regiones, videbantur * *adde* claude-

licet

(1) Orig. Seraph. Relig. pag. 138. — (2) Ann. Min. tom. VIII, pag. 300. — (3) Ibid. tom. IX, pag. 359.

A licet per totam Italiam, per Franciam, per Almaniam, per Poloniam, per Ungariam, per Bohemiam etc., fateor imperitiam meam, quia non sufficio, et magni voluminis liber capere non posset: ubique capitales inimicos sermonibus, precibus, minis et modis aliis, quibus poterat, ad amicitiam deducebat.

pacem ac concordiam,

23 Et ut intelligatur quanta in concordandis inimicis erat sermonis ejus efficacia, accidit in quadam civitate Italiæ quoddam nefarium negotium, auditu horrendissimum. Duo pastores, ætate provecti, cum exarsissent in quemdam puerum, gregem custodientem, nec eis super innominabili vitio, « propter quod ira Dei in filios hominum venit diffidentiæ, » * consentire vellet; indignati illi, puerum cœperunt, interfecerunt, ventrem aperuerunt, et hepar cum corde et aliis intestinis recipientes, decoxerunt, et, inaudita rabie, a diabolo excæcati, patrem pueri, ut cum eis manducaret, invitaverunt. Comedit pauperculus pater ignoranter intestina filii, et illa fore bona et ad comedendum dulcia laudabat. Sed quia nihil B occultum, quod non reveletur, post comestionem aufugerunt sicarii illi. Non redeunte vero puero, hinc inde quæsitus, mortuus et evisceratus invenitur. Manifestatur delictum, et rumor non modicus intonuit.

* Ephes. v, 6.

injuriarum condonationem,

24 Quantus fuit dolor patri eo maxime, quia intestina filii comedit, quanta indignatio contra malignos istos, quanta denique iracundia universi populi contra eos, nullus sanæ mentis ambigere debet. Veniente vero sancto Dei ad civitatem illam, accedunt ad eum malefactores ipsi humiliter ei casum, qui acciderat, exponentes, quatenus eos cum patre pueri et cum tota civitate concordare vellet, offerentes se ad omnem pœnitentiam, et vitam suam omnino emendare promittentes. Obstupuit homo Dei, audito tam nefario delicto, eos vehementer reprehendit, nihilominus, pietate motus, ad pœnitentiam illos incitavit, misericordiam Dei magnam asseruit, et vires suas inter eos, et patrem interfecti pueri, necnon civitatem interponere promisit. Quid plura ita ferventer de pace, de dilectione inimicorum, de misericordia Dei, de extremo judicio præ- C dicavit, quod in præsentia totius populi, plorantibus omnibus, pater defuncti pueri dictos homicidas in signum pacis amplexatus est.

fugam vanitatum sæcularium,

25 Ubique ergo terrarum considerans, quod Dominus noster Jesus Christus, veniens in mundum, attulit pacem, recedens de mundo reliquit pacem, prædicans in mundo docuit pacem, inveteratas inimicitias ad pacem reduxit, et diutinos rancores ex cordibus hominum extirpavit. Hoc egit non solum in singularibus personis, sed etiam intestina bella, ex contrariis partibus orta, sedavit : civitates quoque, mutuo litigantes, amicas fecit: sic et civitatem Aquilanam, cui a potentissimo rege Aragonum excidium parabatur, suis precibus et laboribus a periculo liberavit. Non erant, sicut legitur de sancto Francisco, verba ejus inania nec risu digna, erant medullas cordis penetrantia : ideo multi obstinatissimi et indurati peccatores, de quibus nulla spes conversionis habebatur, ejus ignitis sermonibus pœnitentiæ subdebantur. Fures, latrones, usurarii, et rerum alienarum detentores in diversis mundi partibus, quod injuste tulerant, conscientia cogente, reddere festinabant. Similiter inhonestæ mulieres, relicto meretricio, aut nubebant, aut aliter Domino serviebant.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

et alearum

26 Tanto fervore et clamorosi vocibus contra aleatores et alios lusores exclamabat, quod quasi in omnibus civitatibus, in quibus prædicabat, congregabantur omnia tabularia, cartulæ, schachi, et aliorum ludorum inventiones; quibus congregatis et in cumulum reductis, jubebat Pater sanctus igne succendi in præsentia universi populi, ut sic diabolus, ludorum inventor, confunderetur, Deus glorificaretur, et homines a ludis arcerentur. Et quia hujusmodi actus Deo erat gratissimus, placuit majestati suæ quædam mirabilia in ipso actu demonstrare. In quadam civitate Italiæ dum præmissa ludorum instrumenta urerentur ad majorem diaboli confusionem, quædam turpissima dæmonis imago, cartæ papyreæ depicta, super comburendorum instrumentorum acervum posita erat, quam vehemens fumus, ex tabulariis exiens, in altitudinem aeris, cernentibus omnibus, elevavit, E quam in altum conscendere prospiciens, audientibus omnibus, mandavit dicens: « In virtute Domini nostri Jesu Christi præcipio tibi, ut ad locum, a quo recessisti, festine revertaris: non sit mora. » Et ecce coram omnibus imago ipsa, per rectam fumi lineam in ignem decidens, combusta est.

per Italiam, Germaniam et Poloniam prædicat;

27 Dum in quadam civitate Alemaniæ, nomine Ratisbona, de hac materia prædicaret, et populus turmatim ad incendium tabularia deferret, quidam sacerdos non parvæ æstimationis, invidia motus, cœpit viro Dei detrahere, et quosdam, quod stulte facerent, increpare. O judicia Dei! illa nocte qua detraxerat, mortuus inventus est. Prædicante Patre Beato in quadam civitate Poloniæ, nomine Cracovia, et portantibus (ut moris erat) hominibus instrumenta ludorum ad comburendum, accidit, ut a casu ignis egressus modicum de ista domo combureret, in qua congregata erant tabularia. Quod cernens quidam omnibus detrahere cœpit, asserens, hoc accidisse propter peccatum credulitatis, quia populus nimis faciliter credebat, ludum tam magnum F fore peccatum. Cessavit parvo tempore ignis ille, et eadem die domus detractoris quasi totaliter igne consumpta est. Alia in diversis mundi partibus hujusmodi signa visa sunt: sed præmissa recitata sufficiant. Unum tamen omittendum non est, quia propter ejus ferventissimas prædicationes contra lusores in diversis mundi civitatibus, contra omnium consensum, facta sunt statuta, gravibus pœnis roborata, ne quis publice ad aleas ludere præsumat. Ut lucidius lectores intelligant, quam vivus et efficax erat sermo, qui ex ore servi Dei Joannis procedebat; quantum Deo gratus existeret, censui silentio non præterire quædam facta mirifica, quæ in ejus sermonibus visa sunt.

Deo etiam per signa

28 Semel, dum in quadam civitate prædicaret, verbum ejus multitudine populorum audiente, super caput ejus tres aviculæ pulcherrimæ, alias in partibus illis incognitæ, in aere, ipso hoc ignorante, volitare cœperunt, nec inde recedebant. Admirans populus aviculas illas, alter alteri digito demonstra-

 bat.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

bat. Mirabatur divinus præco, quid hoc esset, et tandem super caput suum aspiciens, cum ingenti gaudio aviculas vidit, quæ protinus disparuerunt, nec usquam amplius visæ sunt. Alio tempore, laborante eo pro pace, inter Aquilanos et regem Aragonum reformanda, prædicaretque coram rege in civitate Tiburtina, cicadæ garrulæ adeo clamoribus instabant, quod non modicum impedimentum eloquio divino præstabant, quas ille cum fervore increpans, in Nomine Domini nostri Jesu Christi, ut tacerent imperabat; quo mandato obticuerunt omnes, nec aliqua amplius, durante sermone, audita est.

et prodigia

29 In partibus Lombardiæ, in valle Telina, *b* in quodam oppido, quod Morgobegnuum *b* dicitur, cum evangelizaret præco mirificus, et in circuitu multitudo populi congregata esset, cœperunt nubes densare et aer obscurari, et quando in campo prædicabat, cœpit populus futuram pluviam pertimescere. Nec tamen aviditate audiendi verbum Dei quisquam a loco recedebat. Quod videns una cum populo, B ad Deum brevem oratiunculam fudit, et ecce circumquaque pluvia cadit, et solum illud spatium, quod a Beato Patre et ejus auditoribus tegebatur, immune a pluvia mansit. Itaque nec minima aquæ gutta solum illud, neque quemquam audientium madidavit, ruentibus aquis extra circulum in rivulis præ nimia pluvia decurrentibus *c*. Tanguntur novitate miraculi stupefacti, tanta ad virum Dei devotione sunt astricti, quod eum (licet invitum) pallium, quod gestabat, pro memoriale ipsis relinquere coegerunt. Quod usque hodie cum magna devotione observant, et ex eo multa Dei beneficia meritis beati Joannis demonstrata sunt.

cooperante

30 Similiter in quadam civitate Ungariæ, *d* nomine Taurinum *d*, factum est cum prædicaret coram ipsius civitatis antistite et innumera multitudine populi, quam nulla ecclesia capere potuit, supervenit tantæ pluviæ inundatio, quod omnes adstantes madefiebant. Qui eos, an recedere vellent, interrogans; responderunt se velle unanimiter libenti animo pluviam sustinere. Hortatur ergo populum, C ut Deum oret et statim, dictis « Pater noster. Ave Maria: » et duabus collectis scilicet: « Deus qui corda fidelium » et pro serenitate aeris, immediate cessavit pluvia, et, disparentibus nebulis, sol, ut prius, immediate refulsit. Similia per Beatum Patrem nostrum Antonium leguntur facta. Eodem tempore in dicta civitate Taurinensi inter brachia ipsius prædicantis, coram episcopo et quampluribus aliis prælatis ac baronibus ac innumera populi multitudine, quidam passer advolavit ita domestice, quod per eum comprehendi potuisset. Subrisit Pater, et eum ad evolandum incitavit, qui circa ambonem volitans iterum ab eo vocatus inter ejus brachia secundo se collocavit; postea in gremio episcopi, admirantibus omnibus, se posuit. Si qua vero civitas sermones ejus contemnebat, aut se corrigere de vitiis non curabat, prædicante nuntio Dei futurum super ea judicium, non longo tempore civitas illa manus Dei sævientis evadebat.

31 Sed quam vera fuerint ejus eloquia, *servo suo* Joexperientia comprobat. Unde, cum in quadam anni. civitate Apuliæ populus obstinatus esset, nec ad sermones ejus in aliquo se corrigere vellet; tanta murium multitudine divino judicio in toto illo territorio crevit, quod omnia virentia et radices consumpsit. Recurrunt ad amicum Dei, qui prius negligentes fuerunt, emendare promittunt, et ut Deum pro eis exoret, humiliter exposcunt. Oravit Deum, ut plaga cessaret, et statim omnes mures mortui ceciderunt in tanta multitudine, quod quasi totam terram operierunt. Timent omnes ex tanta murium mortuorum multitudine infectionem aeris, sed vir Dei jubet fossas fieri, et in illas mures omnes sepeliri. Sicque factum est, quod qui prius verbis credere noluerunt, viso tantum miraculo, postmodum crediderunt. Quid ulterius immoror, si singula, quæ in ejus sermonibus acta sunt, narrare voluero. Timeo ex dicendorum nimietate tædium auditoribus generare, præmissa ergo devotis lectoribus sufficiant. Ex quibus quanta fuerit virtus verborum ejus, quantus fructus secutus E sit, elicere poterunt. Bene itaque Minister Generalis, frater Antonius de Pereto *e*, cum *e* esset Pontifex annis illius * de eo prophetavit. Qui, cum adhuc esset novitius, eum ad se vocans, et in eo considerans personæ elegantiam, zelum ferventissimum, scientiæ pulchritudinem, acumen intellectus dixit: « Si vixerit juvenis iste et perseveraverit, erit Ordinis nostri magna corona, speculum, et exemplar populi christiani. »

* Joan. XI, 51

ANNOTATA.

a *Commentarii prævii num.* 18 *monstravimus ex ipsius Sancti epistola, ingressum ejus ad diem* IV *Octobris seu ad festum S. Francisci esse referendum, adeoque ejus, absoluto novitiatu, professionem ad diem sequentem,* V *Octobris* 1417, *pertinere, quandoquidem anno* 1455 *scribit se ingressurum* in festo S. P. Francisci annum quadragesimum religionis.

b Morgobegnuum, Morbegno *interpretor, oppidulum in Valle Tellina ad regnum Lombardo-Venetum hodie pertinens.* F

c *Vexatissimus est textus biographi nostri; quapropter opportunum duco, eumdem per narrationem, a Waddingo factam, interpretari.* In Valle, *inquit* (1), Telina in finibus Lombardiæ ad oppidum Morgeni sermonem habuit ad populum in campis. Exorto repente ingenti turbine, condensatis nubibus, obscurato aere, tonitru frequenti, dum populus celeriter vellet elabi, vir Dei præcepit, ne abiret. Dicto obediens hæsit, concionem attente excepit, gravi in circuitu nimbo decidente. Absoluto sermone, reliquo madefacto et lutoso campo, tota cœtus area sicca remansit, neque quempiam auscultatorem tanta aquarum moles offendit. Tanto miraculo omnes stupefacti, plurimi in Lombardiam revertentem prosecuti sunt, et pio furto apud se retinuerunt ejus pallium, cujus attactu varia beneficia sunt consecuti. *Textum biographi nostri utcumque correximus: ferebat enim:* Itaque nec minima aquæ gutta solum illud, neque quem-

(1) Ann. Min. tom. XII, pag. 408.

quam

A quam audientium madidavit. Recentibus ipsis et extra circulum in rivulis præ nimia pluvia decurrentibus: *posuimus autem:* Itaque... madidavit, ruentibus aquis extra circulum in rivulis præ nimia pluvia decurrentibus.

d *Waddingus civitatem, in qua prædicavit S.* Capistranus *Varadinum dicit* (1): *Taurinam enim, de quo agit biographus est ipsa Nanderalba seu Bellogradum, ubi ipsum aliquo cum otio prædicasse nuspiam legimus. Quæ paulo infra de avicula referuntur, etiam Waddingus l. c. Varadinensi episcopo attribuit.*

e *Antonius Angelus a Pireto, seu de Perrecto, item de Birretis* (*variis enim nominibus apud scriptores venit*) *anno* 1405 *electus fuit minister generalis totius Ordinis Minorum* (2), *et in ministeriatu ad annum usque* 1421, *quo obiit, perseveravit* (3).

CAPUT III.

Gesta sancti contra judæos, hæreticos et schismaticos.

B

Judæos insectatur,

Ardens vir devotissimus zelo orthodoxæ fidei, licet, ut prænotatum est, omnium malorum et peccatorum exterminator esset, præcipue tamen contra tria genera hominum, scilicet judæos, hæreticos, et schismaticos excandescebat, ut aut eos ad fidem converteret, aut legibus subderet, aut penitus eradicaret. Considerans enim perfidissimos judæos, post alias eorum malitias, et durities cordis, jugiter mellifluum Nomen Domini nostri Jesu Christi, et gloriosæ Genitricis ejus Virginis Mariæ blasphemare, tanta super eos indignatione movebatur, quod eos, si possibilitas affuisset, a toto christianorum populo repulisset. Animadvertens tamen eos, inter christicolas positos, in testimonium mortis et sepulturæ Christi, dicente Salvatore, non præteribit generatio hæc donec omnia fiant, et ob hoc Ecclesiam ipsos, licet perfidos, sustinere circa vivendi normam, eis traditam, modis
C omnibus, quibus potuit, laboravit, ut statuta ecclesiastica, contra eos edita, in toto orbe terrarum servarentur. In ipsis vero statutis ecclesiasticis continetur et præcipitur districtius, quod ipsi judæi usuras exigere non possunt a christianis, quod christiani eorum familiaritatem vitare debent, quod non recipiant medicinas ab eis, quod non vadant ad eorum balnea etc., multa in decretis et decretalibus contenta, ultraque multa alia, per bullas publicas, in favorem christianorum contra Judæos impetravit.

urgetque latas de eis leges,

33 Quæ omnia præmissa in civitatibus, ad quas declinabat, non servari si conspiceret, et præcipue, si contra ea, sive per principes, sive per prælatos, sive civitates, sive per alios quoscumque privilegiatos fieri intelligeret, non attendens personas principum sive aliorum, sed zelo populi christiani armatus, contra principes, contra prælatos, contra cives exclamabat, et talia nullo modo fieri * declarabat. Et, si prædicatio publica non sufficiebat, per-

* *adde* posse

sonaliter principes et civitates adibat sæpenumero, et jam cum lacrymis eos rogans, ut christianos, baptismate Christi signatos, ab infidelibus judæis molestari non permitterent. Sic in diversis mundi partibus christianos quam plures, qui a judæis, præcipue per usurarum voraginem, vexabantur, ab eorum manibus eripuit, et diabolica illa privilegia, in Judæorum favorem edita, infringi obtinuit: sed in civitatibus, ad quas prædicaturus accedebat, si fuisset magna copia judæorum, libenter eis prædicabat, clarissimis documentis eis demonstrans, legem eorum et præconia Prophetarum in Christo completa esse, et illum Messiam, quem adhuc venturum expectant, advenisse; et ipsum esse Filium Dei verum, natum ex Virgine, ex eorum Scripturis evidentissime declarabat.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

et alios convertit, alios facinorosos puniri curat:

34 Cum aliquis autem judæus secum de veritate fidei conferre sive disputare cuperet, patienter, et benigne eum auscultabat, et ei post longos sermones veritatem fidei unicæ et orthodoxæ declarabat, et ob hoc multos ex eis in diversis regionibus, in fide christiana fundatos, ad baptismi gratiam perduxit: et maxime in civitate Romana, in qua principalem eorum Rabbi, sive magistrum, modo præmisso, baptizari fecit. Ex cujus exemplo plures alii, veritate comperta, relicto judaismo, ad Christum sunt conversi, sed, sicut prætactum est, judæos leges sibi traditas non servantes, aut christicolas aggravantes, indicibili fervore persequebatur: unde de multis civitatibus eos expelli, aut alias puniri fecit. In quadam civitate Slesiæ, quæ Vratislavia vocatur, quoddam horrendum facinus judæorum contra christianos invenit. Nam multi ex eis quemdam puerulum christianum rapientes, et in quodam loco secretissimo se absconden-
E tes, ipsum puerulum, diu tortum et afflictum, ut Deo sacrificium offerrent, tandem occiderunt, sicque occisum sepelierunt. Aderat tunc in hoc nefario scelere quædam puerula judæa, quæ postmodum divino intuitu, cum esset provectæ ætatis, christiana est effecta. Hæc accedens ad patrem, quod per judæos factum fuerat reseravit *a*. Mittit Pater pro *a*
consulibus civitatis, vocantur judæi, exami- F
nantur et torquentur, veritas panditur, et finaliter, in hoc scelere reperti culpabiles, qui quadraginta numero erant, cremantur igne. Alii vero omnes de civitate expulsi sunt. Igitur universi judæi, solo ejus nomine audito, vehementer pavebant. Aliquando ei præ timore munera offerebant, sed ipse subridens, ea capere nolebat ac recusabat.

hæreticos quoque,

35 Verum hæreticos eo magis, quam judæos, insequebatur, quod eos Ecclesiæ Dei plus nocere cognoscebat. Non cessabat, fidei christianæ zelantissimus, hæreticos in singulis provinciis inquirere; ex quibus alios admonebat, alios capiebat, aut captivabat, alios in fugam convertebat, et alios diversis pœnis afficiebat. Quod videntes summi Pontifices, Martinus V, Eugenius IV, Nicolaus V et Calixtus III, ipsum ulterius tam ferventer et diligenter in causa fidei agere, et hæreticos extirpare, in toto orbe generalem hæreticorum inquisitorem constituerunt, et privilegiis, ad

(1) Ann. Min. tom. XII, pag. 409. — (2) Wadd. Ann. tom. IX, pag. 267. — (3) Ibid. tom. X, pag. 52.

hujusmodi

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

hujusmodi officium necessariis, munierunt *b*. Agebat solers injunctum sibi officium : et licet omnes hæreses summopere insequeretur, tres tamen, principaliter suis temporibus invalescentes, scilicet hæresim Fratricellorum de Opinione, hæresim Bohemorum et hæresim Græcorum insecutus est. Fuerunt tempore Joannis vigesimi secundi, dum persequi videretur Ordinem Fratrum Minorum, quasdam contra illum constitutiones faciendo, et decretalem « Exiit, qui seminat, » in 6. libro decretalium positam, in aliquibus ejus dictis revocando; necnon altissimæ paupertati, ut eis videbatur, derogando, quidam fratres, qui ab Ecclesia recesserunt, dicentes, Joannem Papam hæreticum esse, et ideo privatum esse Papatu ; et cœperunt alios multos ad hanc opinionem inducere, et aliqua loca subterranea fabricare *c*.

b

c

Fratricellos,

36 Hi in brevi tempore multos sequaces habuerunt : et hic principalis eorum error erat et est, quia dicunt, nullum fuisse verum Papam post Joannem prædictum, et per consequens nullum esse legitimum episcopum aut prælatum in Ecclesia, et ideo ipsi cum eorum sequacibus eligunt Papam, ordinant episcopos et alios prælatos, et Ecclesiam in ipsis consistere fingunt. Asserunt etiam non licere ecclesiasticis prælatis aut clericis aliquid proprium possidere, et multa alia. Interim hæc erronea secta excreverat, quod quasi in principalioribus civitatibus Italiæ, quam plures hoc hæresi erant infecti. Ipsi quoque Fratricelli sic dicti aliqua loca acceperant, in quibus habitabant, portantes habitum monachalem et cucullatum, similem nostro in colore, sed nullam Regulam approbatam profitebantur. Hos, inquam, Fratricellos valide persecutus est : ubicumque noverat, eos moram trahere, illuc festinus properabat. Multa eorum loca, in quibus habitabant, destruxit, multos effugavit, multos ad veritatem fidei convertit, et multi obstinati, qui converti noluerunt, igne cremati sunt.

B

ex tota Italia ejecit:

37 Et licet aliqui potentes hac hæresi tenerentur, nulli tamen parcebat. Unde circa Romam magnam quamdam dominam, quæ erat de domo Columna, quæ domus potentissima est *d*, sine timore carceravit, et ad revocandum errores suos coegit. Propter hoc erant et inimicissimi, et modos omnes, quibus possent eum morti tradere, perquirebant ; sed semper ei Dominus, pro cujus veritate pugnabat astitit, nec eum in aliquo offendi permisit. Quadam vice, dum per quemdam solitarium locum ambulare deberet, intelligentes hoc hæretici, insidias ei paraverunt : quod ignorans servus Christi, forte ut ei liberius orare liceret, per longum spatium socios præcedebat. Conspicientes hæretici ipsum solum ambulantem, nec tamen quis esset cognoscentes, ad eum accedunt, et ubi sit frater Joannes de Capistrano, furiose perquirunt. Ad quam vocem prima facie territus, postea in Domino plenam fiduciam habens, eligens magis mori quam mentiri, alta voce exemplo Christi : « Ego sum, » respondit. Cujus vocis virtute ipsi insidiatores adeo fuerunt attoniti, quod nihil contra eum facere potuerunt. Interim venerunt socii, qui retro manserant, et ligantes eos, ad civitatem proximam deduxerunt, ubi debitas pro malis pœnas persolverunt. Non cessavit ergo hanc pestiferam sectam, persequi, quousque pauci ex eis remanserunt.

C

d

D

Hussitas

38 Quia Bohemorum malorum hæresis toti mundo nota est, super illam non multum me extendere curo ; hoc tamen sciendum est, quia eorum hæresis in duobus consistit principaliter. Primo quia asserunt de necessario salutis omnes christianos communicare debere sub utraque specie ; secundo quia dicunt, prælatos Ecclesiæ clericos et religiosos, non posse habere bona temporalia, et propter hoc omnes ecclesias spoliaverunt et destruxerunt, usque in hodiernum diem bona eorum detinent. Quantum contra ipsos exarserit et publice proclamaverit, cum adhuc esset in Italia, et postquam ad partes Bohemiæ pervenit et in aliis adjacentibus partibus, toti mundo cognitum est. Veniens enim ad partes Moraviæ ad civitatem, quæ Bruna dicitur, per nonnullos barones et prælatos monitus est, ut verbis mansuetis et mitibus de eorum erroribus prædicaret ; annuit Pater : sed postquam ad ambonem pervenit, facta manu Dei super eum, in virum alterum mutatus est. Cognovit quidem obstinationem eorum in spiritu, clamorosis vocibus eos hæreticos nominando, et eorum errores confutando, rationibus claris deducebat, quantæ sunt temeritatis et demen-

E

plures ad Ecclesiam reduxit :

tiæ qui hujusmodi hæreses amplexantur.

39 Cœperunt igitur quamplures omnes hæreses et præcipue quibus erant innexi, detestari, et abjurare coram populo. Inter quos quidam Baro, nomine Benesius de Cerno, una cum fratre suo extitit, de quo, quia magnæ æstimationis erat, corda fidelium catholicorum exultabant. Exinde ad aliam civitatem nomine Olmuts processit : ubi catholicos in fide firmavit, et hæreticos damnavit, multa miraculosa gessit, ex quibus catervatim veniebant hæretici, et in manibus suis publice abjurabant, sponsione firmissima promittentes, se amodo ritus omnes Romanæ Ecclesiæ servaturos. Venissent multo plures, nisi per gubernatorem Bohemiæ, qui illius sectæ principalis erat, qui postea in regem est assumptus *e*, sub pœnis gravissimis fuissent prohibiti. Recedens de Moravia, sub conductu cujusdam magni baronis, Domini de Rosis, *f*, intravit Bohemiam, et ibi multo plus invalescebat et confundebat hæreticos ; demonstrabantur divina virtute ipsius meritis miracula, fiebant dietim prodigia, multorum hæreticorum corda mollita sunt. Aliquando enim centum, aliquando ducenti, aliquando tercenti ad abjurandum hæreses venerant. Hæc acta sunt in partibus Bohemiæ scilicet in Cuipsiaco, *g*, in Ponte, et in partibus adjacentibus, puta in Moravia, in Misna, in Silesia.

e

F

f

g

alios recusantes aditum Pragensem

40 Audiens autem Papa Nicolaus V fructum maximum, quem in illis partibus faciebat, misso ad eum proprio nuntio, concessit sibi plenam auctoritatem in casibus papalibus, et licentiam dispensandi in irregularitatibus, nec non interessentibus ejus sermonibus, multos annos indulgentiarum elargitus est. Ex his dissecabantur corda Bohemorum hæreticorum, fremebant, ut apri, et stridebant dentibus in eum : quærebant eum interficere, sed non valebant, quia domini temporales, civitates, et omnes viri catholici, ut pupillam eum conservabant. Sed quod non potuerunt ei facere,

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

A facere, fecerunt ejus imagini. Ipsum namque suspensum per pedes, quandoque cum mulieribus, quandoque cum diabolis publice depinxerunt. Ultra hæc cantilenas derisorias de ipso cantabant sacerdotes eorum, ipsum fore antichristum, seductorem et diabolum incarnatum, in ambonibus prædicabant. Dum hæc referebantur viro Dei, subridebat, et ut Deus eis parceret, junctis manibus, exorabat. Scribebant ei longas epistolas, mendaciis plenas et injuriis, quibus strenue respondebat, ac mendaces eos fore et hæreticos demonstrabat. Nullis igitur fractus aut mutatus injuriis, perseverabat in assertione veritatis catholicæ, quærens omnes vias possibiles, per quas eos ab hæresibus et a potestate diaboli liberaret.

reducere sategit:

41 Unde hinc inde circuibat, rogans et supplicans, ut sibi liber aditus ad Pragam præberetur, de qua hæreses ortum habuerunt, et in qua dux eorum et patriarcha Rochizzana residebat *h*, prout adhuc inveteratus dierum majorum in præsenti moratur. Sed ipsi velle potius in civitate Pragensi intromittere centum millia dæmones, quam ipsum, procaciter

h

B responderunt. Videns ergo eos induratos et obstinatissimos, ac obsequio diaboli mancipatos considerans, Salvatorem in Evangelio dicentem : « Non effundas sermonem, ubi non est auditus. * Et iterum: Si non receperint vos in una civitate fugite in aliam » * *i* relictis eis in erroribus suis, maximo tamen cumulato fructu, tum propter eos qui abjuraverunt, tum propter stabilimentum fidelium, tum etiam propter extirpationem aliquorum errorum, licet non omnium in Bohemia, ad alias partes Ungariæ se transtulit. Prius tamen prophetando dixit : « Ex quo ego Pragam intrare non possum, brevi tempore catuli mei intrabunt. » Catulos appellans discipulos suos et eos quos ad Ordinem receperat. Sicque factum est; nam venerandus pater frater Gabriel de Verona, socius ejus dilectissimus, nunc vicarius provinciæ dignissimus, cum uno alio fratre italico, et venerabili patre Bonaventura de Bavaria, fratre Francisco de Bohemia, qui fuit miles in sæculo, nunc defuncto, nec non fratre Angelo de Stiria, et fratre Michaele de Russia, Pragam post breve tempus intravit, et locum Sancti Ambrosii pro usu fratrum nostrorum recepit.

* Eccli. xxxii, 6.
* Matth. x, 23

i

C

Græcorum etiam errores confutavit:
* *adde* eodem

42 Cum itaque ad Ungariam pervenisset, invenit ibi multos Græcorum erroribus hæresibusque involutos. Incepit modo *, quo in Bohemia, contra eos inclamare, et breviter per ejus sermones multi conversi sunt, multi expulsi, et multi captivati. Inter quos unum eorum episcopum captivari et incarcerari jussit, et ad veram fidem convertit, et nisi supervenissent Turcæ quibus fuit postea usque ad mortem occupatus, de quo infra dicturus sum, multo majorem fructum de eis indubie reportasset.

schisma, Basileæ ortum,

43 Nunc quomodo schismaticos universaliter oppugnavit, breviori quo potero modo, reserabo. Tempore felicis recordationis Eugenii IV, congregato Basileæ generali concilio, successu temporum per Eugenium ipsum revocatum est. A quo recedentibus Cardinalibus, uno excepto *k*, et aliis quasi omnibus principalibus prælatis, quidam parvæ æstimationis, et pauci numero remanserunt : ita quod non amplius concilium sed conciliabulum merito poterat appellari. Hi, nescio quo spiritu ducti, quemdam Amadeum, quondam Sabaudiæ ducem, relicto ducatu, vitam hæremiticam ducentem sive simulantem, in Papam temerarie elegerunt, cujus electio, quia potens erat, et multorum illustrium virorum, puta regis Franciæ, ducis Burgundiæ, ducis Mediolani etc. consanguinitatem habens, magnum schisma in Ecclesia generavit et Papam Eugenium una cum Cardinalibus non modicum perturbavit.

k

legatus apostolicus Eugenii IV

44 Cognoscens ergo Papa Eugenius quantæ prudentiæ, quantæ sagacitatis, quantæ scientiæ, quantæque virtutis Sanctus Joannes de Capistrano in toto populo christiano haberetur, ei per obedientiam injunxit, ut prius se ad ducem Mediolani, deinde ad partes Franciæ transferret, acturus quæ sibi Dei spiritus pro defensione sanctæ Ecclesiæ agenda suggereret. Veniens itaque Mediolanum ad ducem, in quo Romana Ecclesia plurimum periclitari timebatur, quia ipse dux filiam antipapæ duxerat in uxorem, tanta prudentia et spiritus virtute eum allocutus est, quod pro magna parte mentem ejus, ne Amadeo consentiret, immutavit : et non solum ipsum ducem, sed et ducissam, filiam Amadei, in indignationem patris sui vertit. Insuper in toto populo Mediolanensi ita ejus prædicationes fuerunt acceptæ, quod maximum de ipso populo fructum reportavit. Deinde ad partes Franciæ se conferens, potentissimum inter alios principes ducem Burgundiæ adiit : cui ita sapienter, ferventer et clare de dignitate Romanæ Ecclesiæ, et de unico Papa, et vero successore beati Petri, Eugenio et de maximo periculo schismatis peroravit, quod ipse dux insaniam Amadei detestatus est, et in nullo se velle ei consentire aut auxilium præbere promisit.

E

apud varios principes extinxit.

45 Tantam denique ad beatum virum dux et ducissa devotionem cœperunt, quod eum tamquam alium Apostolum, aut Angelum Domini reputaverunt. Oportuit quidem ipsum ad preces ducissæ per longissimam viam ambulare, ut filium ejus unicum benediceret, firmissime credens, ex benedictione tanti patris et amici Dei filium suum magnam in Domino consecuturum gratiam. Transiens tandem ad alias regiones et illarum dominos, Spiritu Sancto cooperante et virtutem præstante, ab eis quidquid postulabat obtinuit et contra antipapam strenue dimicavit. Maximum nihilominus lucrum animarum per ejus sermones, et vitæ sanctimoniam reportavit. Audiebatur ab omnibus, tamquam servus Altissimi, et a singulis honorabatur, tamquam legatus sacrosanctæ Sedis apostolicæ dignissimus, quapropter Amadeus antipapa cum sibi adhærentibus oportunitatem omnimodam exquirebat, qua aut eum expelleret, aut de terra eradicare valeret. Quadam die dum iter suum in causa sibi commissa perageret, obvios habuit contrarios et schismaticos, qui eum verbis contumeliæ invadentes, et multas minas inferentes, accepto proposito, perturbare credebant; quibus ipse benigne respondens, et errores, quibus tenebantur, eis insinuans, protegente se Domino, minas eorum securus evasit. Finita ergo legatione sibi commissa, et ad optatum finem deducta, lætus et gaudens ad partes Italiæ remeavit, et ab Eugenio Papa, qui eum miserat, honorifice susceptus est.

F

ANNOTATA.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

ANNOTATA.

a *Alibi jam monstravimus, judæos vel ab ipsis initiis christianæ religionis ad sanguinem usque exosos habuisse christianos* (1): *posteriori tempore accusati non raro fuerunt occisorum christianorum infantum : varia jam in opere nostro exstant monumenta, quæ monstrant, judæos hujus sceleris suspectos fuisse. Ea referemus, prout in serie actorum exhibentur. Itaque sub die* XXIV *Martii S. Simon, Tridenti anno* 1475 (2); *Joannettus, prope Sigeburgum in diœcesi Coloniensi incerto tempore sub eadem die* XXIV (3); *Gulielmus, Norwici in Anglia sub die* XXV *Martii anno* 1144 (4); *Richardus, Parisiis, sub eadem die, anno* 1179 (5); *Wernherus, Wesaliæ ad Rhenum, sub die* XIX *Aprilis anno* 1287 (6); *Albertus, in Polonia, sub die* XX *Aprilis, anno* 1598 (7); *huic passioni subnectuntur plura infanticidia per Poloniam patrata* (8); *Ludovicus, Ravenburgi in Suevia, sub die* XXX *Aprilis, anno* 1429 (9); *Andreas, prope*
B *OEnipontum* (Inspruck), *sub die* XII *Julii, anno* 1462 (10); *Hugo, Lincolniæ in Anglia, sub die* XXVII *Julii, anno* 1255 (11). *Raderus etiam in Bavaria Sancta profert alios pueros, a judæos occisos, scilicet Monachii anno* 1285 *puerum anonymum et anno* 1345 *Henricum* (12); *Ratisbonæ sex pueros anno* 1486 (13); *et in Palatinatu anno* 1540 *Michaelem* (14). *In Hispania Hieronymus Blanca in suo Rerum Aragonensium Commentario refert passionem pueri Dominici de Valle sub Jacobo I, rege Aragoniæ* (15); *in diœcesi Segobiensi, loco Sepulvedæ, idem accidisse refert Ferreras* (16).

b *Jam anno* 1430 *plenam potestatem inquisitoris per quaslibet mundi partes acceperat Capistranus, ut testatur Waddingus* (17).

c *Constitutio Nicolai III* « Exiit, qui seminat, » *reperitur in sexto decretalium cap.* III *de Verborum Signif.* (v, 12). *In ea autem decretali epistola dicitur*, Regula et vita Fratrum Minorum hæc est : scilicet Domini Nostri Jesu Christi Euangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate : *quæ quidem abdicatio proprii consistere paulo infra*
C *declaratur in eo, quod fratres tam in speciali quam in communi,* nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem : *addit dein,* quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum non tam in speciali, quam etiam in communi, propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus, viam perfectionis ostendens, verbo docuit et exemplo confirmavit, quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfecte vivere, per doctrinæ ac vitæ exempla in eos derivarunt. *Hanc constitutionem eum quoque in finem dederat Nicolaus Papa, ut confutaret quosdam dicentes,* quod taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes, tamquam homicidæ sui vel tentatores Dei vivendi discrimini se committant : sic enim se ipsos committunt divinæ Providentiæ in vivendo, ut viam non contemnant provisionis humanæ. D *Sed quam dederat Pontifex decretalem pro defensione universi Ordinis, hanc nefarie interpretati sunt quidam fratres, qui Spirituales dicebantur. Etenim docebunt,* Regulam Minorum, per B. Franciscum editam, esse vere et proprie illam euangelicam, quam Christus in seipso servavit et Apostolis imposuit et in Euangeliis suis conscribi fecit (18). *Unde fluebat consequentia, Regulam Minorum æque immutabilem esse ac Euangelium Christi, quoniam, ut dicebant,* Regula *S. Francisci erat vere et proprie idem et ipsum, quod Christi Euangelium* (19) : *quando igitur Papa aliquid in Regulam S. Francisci decernebat, negabat Euangelium et hæreticus fiebat* (20), *adeoque omnem auctoritatem ad regendam Ecclesiam Dei amittebat : nam, ajebant* (21), sol fidei et ecclesiastici regiminis factus est niger et quasi saccus de pilis porcorum et ferarum contextus (22). *Quum igitur Joannes XXII varios Spiritualium errores damnasset, eum, quatenus in fide apostatam, exauctorarunt, et in se solis Ecclesiam consistere, pertinaciter docuerunt* (23). E

d *Familia Columna adhuc hodie in ditione pontificia et regno Neapolitano floret : de ea Paulus Jovius, sæculo* XVI *jam dicebat* (24) : Columniæ gentis proceres ante sexcentos annos in Urbe Roma Latioque potentia atque opibus summum claritatis locum obtinuisse, ex Annalibus constat. *Ex ea familia prodiit Martinus V, qui S.* Capistrano *plurimum favit.*

e *Hic erat Georgius de Cunstadt, vulgo dictus Podiebradius, qui tempore Ladislai regis minorennis, regnum Bohemiæ tutoris nomine administravit; defuncto anno* 1458 *sine liberis Ladislao, eodem anno, annitentibus Hussitis, rex Bohemiæ salutatus fuit, et regnum tenuit ad annum usque* 1471.

f *Familia de Rosis seu Rosemberg etiam hodie est principalis in Austria.*

g *Satis dubie scriptum est in codice prius nomen loci, ut dici non possit, an* Cuipsiacum *aut* Aupsiacum *legi debeat : quoniam vero neutrum in topographia Bohemiæ reperio, otiose quærerem, utra sit bona lectio.* Pons *vero* (*germ.* Brück) *duplex est, in districtu Pilsnensi et Ellobogensi : uterque locus exiguus est, nec dixerim,* F *utri magis conveniat prædicatio Sancti nostri.*

h *Joannes de Rockyczana, cognomen suum a natali oppido in districtu Pilsnensi sortitus, pauperes habuit parentes, alienoque adjutorio ad litterarum studium promotus, brevi eloquentia adeo valuit, ut orator anno* 1432 *regni Bohemiæ ad Basileense concilium deputatus, anno* 1435, *renitente capitulo, a comitiis regni Ecclesiam Pragensem Hussitarum fautor regendam acceperit, quam tenuit ad mortem usque, anno* 1471 (25).

i *Quæ hic Scripturæ Sacræ verba afferuntur, tamquam ex Euangelio desumpta, partim habentur in libro Ecclesiastici, uti in margine notavimus.*

k *Cardinalis Ludovicus Alamandus, vulgo Arelatensis dictus, in schismate perseveravit, et exau-*

(1) Act. SS. tom. VIII Octob., pag. 23. — (2) Ibid. tom. III Mart., pag. 494. — (3) Ibid. pag. 502. — (4) Ibid. pag. 588. — (5) Ibid. pag. 591. — (6) Ibid. tom. II April. pag. 697. — (7) Ibid. pag. 835. — (8) Ibid. pag. 838. — (9) Ibid. tom. III April., pag. 978. — (10) Ibid. tom. III Jul., pag. 462. — (11) Ibid. tom. VI Jul., pag. 494. — (12) Tom. II, pag. 331 et 351. — (13) Tom. III, pag. 174. — (14) Ibid. pag. 179. — (15) Hisp. illustr. tom. III, pag. 657. — (16) Hist. d'Espag. tom. VII, pag. 228. — (17) Ann. Min. tom. X, pag. 166. — (18) Baluz. Miscell. tom. II, pag. 261. — (19) Ibid. l. c. — (20) Ibid. pag. 274. — (21) Ibid. pag. 262. — (22) Ibid. l. c. — (23) Christophe. Hist. de la Pap. au XIV siècle, tom. I, pag. 298. — (24) Vita Pompeji Columnæ Card. pag. 131. Oper. tom. II. — (25) Schaller. Topograh. des Kônigr. Bôhmen. tom. IX, pag. 79.

ctorationis

A *ctorationis Eugenii IV ac electionis pseudopontificis Felicis V, seu Amedei Sabaudi auctor fuit : quapropter Eugenius Papa Arelatensem cardinalatu et quibusvis aliis dignitatibus privatum declaravit Florentiæ anno* 1440 v *kal. Junii : exstat depositionis sententia apud Raynaldum anno* 1440 § III (1). *Nicolaus V, composita lite cun Amedeo, etiam Arelatensi ablatos honores et dignitates restituit anno* 1449 (2) : *sequenti porro anno in pace obiit mense Septembri* (3).

CAPUT IV.

De miraculorum perpetratione.

Maximum in dæmones exercet imperium:

Quia omnipotens Deus, qui Sanctos suos, non solum in cœlesti patria, sed etiam in vita præsenti, gloriosos facere dignatur, vidit fervorem maximum et fructus uberes, quos servus suus Joannes in horreo suo reportabat, decrevit eum toti mundo per aliqua evidentia signa celebrem ostendere. Et quia si omnia,
B quæ divina clementia per eum operata est, per singula describere vellem, nimis in longum sermo traheretur, et mihi ea in unum colligere impossibile esset: supplico devotis lectoribus, ut de infra notatis velint esse contenti. Sane quidem, ut a fide dignis scripta reperi et audivi, brevitate, quo potero, reserabo. Quamquam autem diversis et multis signis claruerit, præcipue tamen circa tria Deus eum mirabilem demonstravit, videlicet in arcendis dæmonibus, in sanandis corporibus, et in transvadendis fluminibus. Cum vir, Deo plenus, in majori platea Aquilanæ civitatis prædicaret, adstantibus, quasi sexaginta millibus personarum, et ibi esset multitudo languentium, et etiam multitudo non pauca dæmoniatorum, in ipsa prædicatione ad dæmoniatos convertens sermonem, cum maximo fervore clamavit, dicens: Respondete mihi, vos dæmoniati, in Nomine Jesu, trina vice dicendo. « O vocem virtuosissimam; o vocem terribilissimam; o vocem divinitus emissam! » ad quam non solum, qui erant præsentes devoti
C et sensati, sed etiam dæmoniati absentes, eadem hora et momento responderunt, sicubi fuerunt in comitatu existentes Aquilano, in
a comitatu Faliacozs-Celam *a*. Hoc testantur Aquilani, et dictorum comitatuum incolæ, supervenientes, qui conscientiose asserunt istam vocem fuisse auditam a dæmoniatis qui
b responderunt per XXVIII milliaria Italica *b*.

duæ mulieres Aquilæ et Venetiis,

47 Quædam mulier, nomine Valentina, de quodam castro, dicto Scampa *c*, horribiliter obsessa a malignis spiritibus, nullum poterat sibi invenire remedium, dicens verba terribilia, et actus exercens inhumanos. Audita fama beati Patris, qui tunc Aquilæ prædicabat, cum maximo labore et ingenio fuit ad eum deducta. Quæ cum præsentata esset, cœpit altissime et furibunde clamare, ac se ipsam totam discerpere et dilaniare; adeo ut vix a multis teneri posset; facto signo Crucis super eam, mox ad se rediens extitit liberata coram infinita hominum multitudine. In cujus liberationis signum, quemdam lapillum marmoreum ex proprio ore projecit, quem quidam magnificus vir, dominus Petrus De Caponichis, accipiens pluribus ex admiratione ostendit. Hic homo comes et miles existens, hujus miraculi testis est, testes sunt etiam consanguinei ipsius liberatæ et plures alii. Simile huic factum est Venetiis, in magno conventu Fratrum Minorum. Ubi dum continuo prædicaret, et Missam devote celebraret, quadam die circa medium quadragesimæ *d*, ipso missam celebrante, adducta est in ecclesiam quædam mulier, horribiliter obsessa. Quæ dum corpus Christi elevaretur, adeo clamorosis vocibus perstrepebat, quod omnes in ecclesia, quasi vocem dæmonis audientes, maxima formidine tenebantur. Finita Missa, jubet eam ad se duci, quam adductam, signo Crucis muniens, cœpit in altum saltare, faciem exterminare, spumam de ore mittere, et terribiliter clamare, nec poterat eam multitudo hominum detinere, quin in aerem saltaret: tandem divino nutu, expulso dæmone, quieta et sana remansit.

mulier et juvenis

48 Item quædam, nomine Margarita, uxor cujusdam Georgii de Larmera, cum esset annorum XIV, fuit a quibusdam maleficis, ita graviter eorum maleficiis, prestigiis et incantationibus molestata, ut nullo modo stare posset sine maximo tremore corporis. Gestus etiam aliquando faciens terribiles, cum ita stricte una manus claudebatur, quod nullus quantumcumque fortis illam posset aperire. Hæc per suos præsentata beato Patri, mox ut fuit ab eo signata, et tacta in capite, extitit perfectissime sanata, numquam amplius sentiens de præterita infirmitate molestiam. Aquilanus quidam, Zotz nuncupatus, ætatis annorum XI, vexatus a dæmone, ad hoc devenerat, ut incedens quasi amens, omnino se suspendere aut præcipitem dare attentaret: quod fecisset nisi a suis diu noctuque diligentissime fuisset custoditus. Qui cum maxima devotione, maximoque desiderio ad virum Dei Aquilæ fuisset deductus, tunc prædicantem, ac datus duobus fratribus, jubet in camera residentiæ beati Patris custodiri. Proficiscenti autem beato Patre ad locum sancti Juliani extra civitatem *e*, interea infirmus a suis custodibus derelictus, de quadam fenestra ipsius cameræ, altitudinis quasi passuum septem, se præcipitans, cecidit in via lapidea, ex quo casu factus est quasi exanimis, et omnibus membris, viribusque et spiritu destitutus, amittens omnino loquelam. Ad quod spectaculum multi ex vicina platea concurrerunt, admirantes, quod non esset mortuus. Imponitur feretro, portatur domum, plangitur quasi mortuus, funeraliaque parantur. Mittitur interea ad Patrem, qui multum tristis effectus, illico ex loco ad infirmum perrexit. Ante quem devotus genuflexit, oculos ad cœlum levavit ferventer, et lacrymabiliter pro infirmo orans, omnibus etiam qui aderant lacrymantibus, post paululum, pater lætus surgens, ter infirmum vocavit, ad cujus vocem infirmus respondens paulatim convalescere cœpit.

Aquilæ

49 Jubet deinde, ut se erigat, et de lecto surgat. O divinam in servo Dei bonitatem!

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

d

e

(1) Pagi. Breviar. hist. tom. IV, pag. 498. — (2) Ibid. tom. V, pag. 11. — (3) Hist. de l'Egl. Gall. tom. XX, pag. 463. Edit. Paris. 1827.

O famuli

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

O famuli Dei potentissimam sanctitatem! O divina opera in servis suis stupendissima! Erexit se illæsus, sanus, et sanatus, qui morti erat proximus, sensu, sanitate ac membris destitutus. Adjiciensque pater, ut de lecto prosiliret: O miraculum mirabile cumulatum! Ita de lecto saltavit, ac si non de infirmitate, sed quasi de somno recreatus, surrexisset: discurrens per domum recte et ordinate loquens; sicque omnis fantasia sive amentia cum aliis infirmitatibus ab eo penitus recessit, cum gaudio simulque cum admiratione totius civitatis. Sequentique mane suis pedibus ad ecclesiam sancti Francisci concitus veniens, devotissime audivit Missam viri Dei, qua audita, omnibus patuit, ipsum ab omnibus infirmitatibus mentis et corporis perfecte esse alienum, vixitque usque ad finem sanus sapiensque. Testatur hoc tota civitas Aquilana, testantur amici obsessi, testantur et Fratres, qui eum in prædicta camera custodiebant.

a dæmone liberantur:

B

50 Non minus a prædictis audivi recenseri, dum beatus Pater cuidam demoniato signum Crucis fecisset, ex ore ipsius demoniati rana exiliens, eum liberatum dimisit. Quam ranam hinc inde saltantem per Fratres socios apprehendi jussit, et in una petra eam ligari faciens, in quodam loco fecit observari. Sedebant in proximo tabularia, aleæ, et aliæ vanitates modo, quo supra ostensum est, comburenda. Jubet Pater ranam ligatam afferri, et in ignem jactari, quæ inde exiliens ignem evadere nitebatur. Jubet eam iterum in ignem projici, quæ mox in magnum fumum resoluta, et maximum fœtorem relinquens, demonstravit, se sub specie ranæ diabolum extitisse. His evidentissime patet, quomodo in arcendis dæmonibus claruerit.

Reate virum, capite vulneratum,

f

51 Sequitur nunc videre quomodo in sanandis corporibus gratia Dei tradita ei fuerit. Quod ut clarius pateat, primo, qualiter infirmitates capitis, et successive aliorum membrorum per ordinem, meritis ipsius, curatæ sunt, enodabo. Tempore quo ipse beatus vir, cum ingenti prædicat acceptatione Reate, accidit, ut quidam vir Manzania, de civitate Ducali *f*, ex sui imprudentia, ob quamdam commotionem, quæ erat inter cives et quosdam partiales, adeo fuit in capite percussus, ut ipsum caput in duas partes divideretur, apparente ab utraque parte cerebro ac defluente; desperatus est a medicis, et mors ad horam expectabatur. Commovetur tota civitas et ei magnum excidium parabatur. Nam divisa erat in duas partes, quarum una cum vulnerato, altera cum vulnerante tenebatur: sic magna effusio sanguinis indubie secuta fuisset. Audiens hoc vir Dei concitatus ad infirmum properavit, remisit cerebrum in partes, caput conjunxit, sicque qui morti proximus erat, derelictusque a medicis, ex frequenti visitatione et contrectatione patris sanus in brevi evasit, stupentibus omnibus civibus Reatinis, et aliis qui de hac re firmissimum testimonium perhibent. Propter quod miraculum pacati sunt cives, nec aliqua sanguinis effusio secuta est. Vixit vero homo ille usque ad decrepitam ætatem, semper agens Deo et Beato Patri Joanni de Capistrano gratias.

Aquilæ fœminam, graviter laborantem,

52 Lucia, uxor cujusdam nomine Patriarcha, de Aquila, gravissimo capitis dolore et nimia vertigine pressa, Romam profecta in anno Jubilei, quæ cum inter nimiam pressuram hominum pannis Beati Patris adhæret, et devote eos, illo inadvertente, deoscularetur, totaliter libera facta est, nihil amplius sentiens talis infirmitatis molestiam. Dum vir Dei vix adhuc tertium annum complevisset in Ordine, quadam vice per claustrum ambulans, obvium habuit quemdam mente captum, totaliter in capite destructum; cui nimia compassione compatiens, et in beneficiis Dei plene confidens, accessit ad eum, et biretum suum capiti ejus imponens, ad mentem rediit, et sanitati est restitutus. Cum homo Dei, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, in civitatem Brixiæ advenisset, tanta devotio ad ipsum erat, ut undique tamquam ad Apostolum Dei populorum turba concurreret; accurrit etiam languentium multitudo, quos per septem dies pius Pater visitans, multis sanitatis beneficium collatum est. D

Brixiæ cæcum, alibi mutos,

53 Septimo die reperit quemdam a nativitate cæcum, quem sua manu palpans, et ejus oculos fricans et liniens oravit, ut visum reciperet. E At ipse cæcus, mox ut fuit tactus illa manu benedicta, clare vidit, interrogatus a multis quomodo visum recepisset, respondebat, per merita Patris Joannis. Crevit devotio, aucta est populorum affluentia totius Lombardiæ. Blasius de Valle Ciciliana in Apruti *g*, annorum XIV, mutus per septem annos, adeo quod nihil posset exprimere, ductus est per parentes suos ad Patrem, tunc prædicantem in oppido, quod dicitur Rocca de Medio *h*, diœcesis Aquilanæ. Qui primum, ut facta oratione, consignatus est ab eo signo Crucis in lingua et in fronte, coram infinita hominum multitudine, facultatem et gratiam loquendi recepit, et sic postmodum locutus est, quod a nemine ipsum extitisse mutum, fuisset judicatus. Puer quidam, Jacobus nomine, filius cujusdam nomine Ciriaci Corivini de Capistrano, ætatis unius mensis rupturam habens talem, ut ad tres usque annos crescens, mirum in modum eum molestaret; nec ei aliquo remedio subveniri posset, delatus est per venerabilem dominum præpositum ad oratorium, ad Beatum Patrem, qui tunc Capistrani in domo re- F sidebat; statim ut fuit signatus, sanum præpositus eum recepit, sanumque restituit iis, qui eum attulerant, qui usque hodie sanus et integer perseverat.

g

h

Aquilæ et alibi claudos,

54 Andreas, Joannis Colæ de Aquila, annorum quatuor habens tredecim plagas, vermibus infectas a genu usque ad ilia, per septem menses continuos, ita claudus effectus est, ut ambulare omnino nequiret; delatus per parentes ad præsentiam Patris, ut eum benedicere dignaretur, humiliter rogaverunt. Qui extendens puerum in terra, et suis manibus loca tangens et benedicens, sanus effectus est. Quædam puella, nomine Maria, filia Benedicti Patroche de Pupleto *i*, Aquilanæ diœcesis, ætatis annorum octo, tam deformiter clauda est, ut usque ad verecundiam suorum claudicaret. Hæc missa ad Patrem, mox ut ab eo signata est et manibus contrectata, ab omni deformitate et clauditate liberata est. In civitate Brixiæ quidam Christophorus, dictus Zopetus, ætatis annorum viginti, a nativitate claudus, non valens sine ferulis ambulare,

i

tertio

A tertio signatus est a Patre, abjectis ferulis retro se, illico fuit liberatus, ambulans rectus, et sanus, et jubilans. Aliqui dicunt, quod volens ferulas projicere, cecidit, sed elevatus a Patre, quarto signatus in fronte cœpit velocius currere. Ita quod in magnum risum cum admiratione convertit adstantes.

Baruli paralyticum. k

55 In Apulia, in Terra Baruli, Tranensis diœcesis *k*, quidam vir aromatarius per multos annos tali infirmitate premebatur, ut nec per se moveri, nec etiam in lecto surgere nec volvi potuisset. Audito adventu beati Patris, tunc vicarii generalis, fecit se deferri et poni in ecclesia, unde erat transiturus. Quem videns sic contractum, motus misericordia, dixit ad eum, astante pressura gentium : « O paupercule quid est hoc? » Qui narrata ægritudine sua, se Patri cum lacrymis devotissime commendavit. Ad quem Pater : « Dic mihi, si Deus disposuisset, quod semper remaneres infirmus, eo modo, quo nunc es, esses contentus?» Et ille : « Utique, Pater. » Adjecit Pater, « Quam gratiam vis a Domino? » Et ille : « Ut ita con-
B valescerem, quod saltem ad ecclesiam, et ad meam apothecam possem quocumque ambulare. » Cui Pater : « Confide in Domino, quia magis habebis, quam desideras. » Et apprehensa ejus dextera, erexit eum. O rem stupendissimam! o miraculum omnibus manifestissimum ! illico suis pedibus stetit, et domum, ac si numquam aliquod malum habuisset, reversus est cunctis, qui aderant et qui ei obviabant, stupentibus. Ille vero omnibus dicebat : « In hac hora possum currere per duo milliaria. »

puerum febricitantem sanat :

56 Antonius, filius Petrarchæ de Aquila, cum esset annorum XII et per septem septimanas gravibus febribus teneretur, nec aliquo remedio sibi posset subveniri, ductus a matre sua, nomine Lucia, non sine magna difficultate ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Colle Medio, ubi tunc famulus Domini residebat, et cum præ nimia gentium pressura ad eum ire non posset dictus febricitans, cum magna devotione, ad consilium Patris, petiit se cooperiri mantello Patris, quem quidam frater Blasius de Bozano deferebat. Quo facto, puer convaluit, et febris discessit, vires redierunt priores, et
C cum colore pulcherrimo, liber ambulavit. Cui visum est, quod maximis compedibus exivisset, et ab illa hora in posterum numquam aliquid mali passus est. Nicolaus, notarius domini Rocha de Medio, Aquilanensis diœcesis, ex diutina et gravi infirmitate ita proximus erat morti, ut, amotis medicis, nihil aliud nisi de funeralibus et ejus sepultura ageretur. Quem attinentes, tamquam mortuum, deplorabant. Miserunt nihilominus ad virum Dei, qui tunc Aquilæ moram trahebat, ut dignaretur venire ad dictum infirmum, jam agonizantem, quem ipse semper dilexerat, ut, eo benedicto, impenderet et plenariam absolutionem, quam prius a sede apostolica impetraverat. Qui respondit non esse opus sua visitatione, quia non moreretur. Et hoc pluries replicavit, scilicet, quod non moreretur, dum eum pulsarent, ut veniret. Sicque factum est, ut ille, qui in proximo moriturus judicabatur ad horam, pristinæ redderetur sanitati. Ecce ergo quomodo in sanandis corporibus virtus divina refulsit.

57 Qualiter autem in fluminibus Deus eum mirabilem fecit, duobus miraculis demonstrabitur. Cum vir Dei de partibus Franciæ, ad quas ab Eugenio Papa Quarto propter schisma missus fuerat, ad ejus mandatum Romam reverteretur; applicaretque quodam sero ad Padum, fluvium nominatissimum in Italia, rogavit nautas, ut propter amorem Dei cito transducerent eum cum sociis, quibus iterum atque iterum rogatis, nec sine pecunia volentibus, illis derelictis ad alios venit, qui eumdem sermonem sibi responderunt. Jam sol occiderat et nox sequebatur. Cum pater, propter fluvium deambulans, non sine admiratione tantæ duritiei nautarum, pervenisset ad quemdam locum ubi in extremitate fluminis summitatem unius naviculæ, jam diu suffocatæ, conspexit. Spem habens in Domino descendit de asello, quo præ senectute et longitudine itineris utebatur, dicens ad tres socios quos secum ducebat : « Oremus, filii, ad Deum, qui potens est super aquas nos siccis pedibus deportare. » Et oratione facta, dicit ad eos : « Habetis fidem, et creditis mirabilia Dei, et vultis facere, quod ego faciam, et dicam? » Responderunt : « Habemus, credimus et volumus. »

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO. *in navicula penitus conquassata*

E

Padum trajicit;

58 His dictis, deponuntur sarcinæ, tollitur Capistrum aselli, ligatur summitas naviculæ, trahitur ad littus, non sine magno labore. Cumque scapha videretur penitus marcida, plena luto atque arena, et ita disjuncta, ut inter asseres faciliter posset immitti manus, accipiunt scutellam, quam pro usu in itinere solebant portare Fratres, evacuant naviculam, projiciunt lutum cum arena. Quo facto, magis ac magis fissuræ apparebant : jubet Pater naviculam in aquam mitti. O virum magnanimum! O virum insignem et omni laude dignissimum! Sic stetit scapha, ac si noviter facta et disposita cœlitus pro usu humano fuisset. Jubet igitur famulus Dei naviculam onerari, imponunt in eam sarcinas, asellum desuper ascendere faciunt, illa fixa stante, tamquam si rationem habuisset. Postremo et ipsi quatuor ascendunt, qui, mandante Patre, baculos, ad viam deputatos, accipientes, illis pro remigiis utuntur. Elevans autem oculos in cœlum, ac signo Crucis facto per tam amplissimum fluvium, per tam profundam ac F
velociter currentem aquam, sicco navigio ad aliam fluminis partem concite devenerunt : et depositis omnibus ad terram, navicula, quæ servo Dei pro ponte data fuerat, facto suo officio, iterum submersa est. O quis hic a lacrymis præ gaudio continere valebit; quis jam de sanctitate tanti viri dubitabit? Quis eum non prædicabit divino munere plenissimum; cui creaturæ etiam insensatæ in ejus obsequium, etiam divinitus tributum, obsequuntur et famulantur.

tempestate, mirabiliter in Danubio orta.

59 Non minus mirabile, quod præfato beato viro in Danubio ostendit clementia Salvatoris. Cum enim in subsidium Nandoralbensis castri cum multis Cruce signatis, secunda die Julii, anno Domini 1455, ivisset, et eadem die, ex illis accepta quadam multitudine, vellet cum tribus navibus descendere ad illum, qui christianæ fidei fuit semper maximus propugnator, dominum Joannem de Hunyad, gubernatorem regis Ungariæ et comitem Bistriciensem, qui servo Dei mirum in modum afficiebatur, qui in quodam oppido dicto Cominum moram tra-

 hebat,

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

hebat, insistens contra Turcas, qui cum multitudine galearum contra prædictum oppidum Nandoralbense ascendebant, exercitu terrestri per terram veniente. Circa horam vesperarum, ecce aer obscuratur, flant venti, turbatur Danubius cum pluvia ita densissima, ut unus alterum in mari minime videre valeret, et tanta tempestas secuta est, ut ipse Pater in terram descendere coactus est cum navibus, et subito facta est tranquillitas. Et ecce Turcæ occupant locum, unde Patrem tempestas repulerat. Ex quo sane datur intelligi, quod Deus omnipotens, qui fidelissimum servum suum in flumine Padi, per tranquillitatem, a faucibus rapidissimi fluminis eripuerat; in Danubio etiam, per tempestatem, a sævissimis Turcarum manibus liberavit : in illa ipsum reservans ad ædificationem multorum, in ista ad destructionem Turcarum. Voluit etiam Deus, ut illa caro, tantis laboribus, vigiliis, et abstinentiis fatigata, non per martyrium sanguinis, sed per desiderium mentis, post gloriosam victoriam martyrii desiderio spiritum Deo plenum redderet.

Turcarum manus evadit.

60 Potest itaque ex præmissis miraculis, licet paucis in comparatione omnium, quæ per beatum Patrem divina virtute facta sunt, intelligi, quantæ sanctitatis, quanti meriti fuerit apud Deum, quæ etiam miracula pro majori parte acta sunt, vivente sancto Bernardino *l*. Nec omittendum est, quod cum multa beatus Pater miracula, et alia quæcumque pro ædificatione populi in ambone recitaret; quidam ejus socius et confessor propter nimiam grossitiem et ruditatem suam, temerarie eum judicans ex aliqua vana gloria vel jactantia illa proferre, aliquando eum absolvere noluit in confessione, quod Pater patienter ferebat sciens se in hoc non esse culpabilem. Quodam etiam tempore, ægrotante beato Patre, quædam magna domina, similiter ægrotans, ipsum visitavit, firmissime credens ab infirmitate liberari, si benedictionem Patris percipere posset. Quæ statim, accepta benedictione, sanata est. Quod videns idem confessor, statim pœnitentia ductus, eo quod Patrem judicaverat, et eum absolvere noluerat, procidens C ad pedes Patris culpam suam dixit, et pœnitentiam egit et recepit.

l

ANNOTATA.

a *Tagliacotium,* Tagliacozzo, *oppidum Aprutii Ulterioris,* XVIII *milliaribus Italicis Aquila meridiem versus distans, incolas* 3,300 *habet* (1).

b *Celanum oppidum Aprutii Ulterioris, prope lacum Fucinum, trium millium hominum capax; Taliacotio decem milliaribus orientem versus distat* (2).

c *Scampa villa, ut videtur, juxta Aquilam.*

d *Venetiis S.* Capistranus *quadragesimam egit anno* 1451, *inde in Germaniam, petente Friderico III imperatore, profecturus* (3) : *isto igitur anno miraculum locum habuit.*

e *Locus Sancti Juliani in diœcesi Aquilana.*

f *Civitas Ducalis,* Citta *seu* Civita ducale, *urbs episcopalis, ab anno* 1818 *unita sedi Aquilanæ, in Aprutio Ulteriori, vix trium millium incolarum capax* (4).

g *In Aprutio Ulteriori invenio* Valsiciliana, D *amplus et uber districtus, in quo variæ sunt villæ* (5); *nec dubito, quin sit locus a biographo designatus.*

h *Rocca de Medio,* Rocca di Mezzo, *duplex hujus nominis in Aprutio Ulteriori est locus, unus nempe ad districtum Aquilanum, alterum ad Sandemetrianum pertinens* (6); *quoniam autem mihi Aquilanæ diœcesis limites ignoti sunt, uter locus hic intelligendus sit, definire non habeo.*

i *Nullum hujus nominis locum circa Aquilam reperio : ast in Aprutio Citeriori est oppidum, muris cinctum,* 1300 *incolas capiens, quod* Popoli *aut* Poppolo *appellatur* (7) : *ast ignotum mihi est, an ad diœcesim Aquilanam pertineat.*

k *Barulum,* Barletta, *portus ad mare Adriaticum et civitas episcopalis in Apulia, cum octodecim millibus incolarum* (8).

l *S.* Capistranus, *discipulus et amicus S. Bernardini, procurata summo studio ejusdem canonizatione, ubique ejus cultum omnimode propagavit : quapropter quæ patrabat discipulus miracula, intercessioni et Reliquiis Sancti magistri adscripta volebat, tum ut venerationem magistri extenderet, tum ut in sua se contineret humilitate. Ideo biographus hoc loco refert, etiam* vivente S. Bernardino, *adeoque non tam ex hujus, quam ex propriis meritis, S.* Capistranum *operatum esse miracula.* E

CAPUT V.

De ejus pro unitate Ordinis, et pro Observantiæ propagatione laboribus.

Summo studio imprimis

Jam quantum profectum in Ordine fecit, auxiliante Deo, demonstrandum est. Qui quidem faciliter cognosci poterit, si consideremus, quantum pro unione ipsius Ordinis laboravit, quantum sollicitus in prælatione fuerit, quantum familia Observantiæ, per ejus providentiam, profecerit, nec non quantum pro canonizatione sancti Bernardini, pro gloria F Dei, et ad honorem Ordinis se fatigaverit : quia quasi totus Ordo sancti Francisci corruperat viam suam, et vix reperiebatur, qui puritatem Regulæ observare vellet. Quidam autem Fratres in partibus Franciæ hoc intelligentes, et periculum animarum sibi imminens conspicientes, professionis suæ memores, cœperunt Regulam velle observare. Sed quia Cain semper persequebatur Abel, et Esau, Jacob, multas molestias a malis fratribus patiebantur, propter quos propositum suum implere nequibant. Unde Spiritu Sancto edocti, bullas a concilio Constantinensi, a Martino Papa V, et a concilio Basiliensi obtinuerunt, ut aliquos conventus reformare possent, aut in illis Regulam observare; ita quod neque minister, nec alii prælati Ordinis aliquam in eos jurisdictionem, exceptis aliquibus casibus, exercerent *a*.

a

62 Cernens igitur Pater, Ordinem divisum

(1) Rampoldi geograf. d'Ital. v°. *Tagliacozzo.* — (2) Ibid. v°. *Celano.* — (3) Wadd. Ann. tom. XII, pag. 79. — (4) Moroni. Dizion. d'Erudiz. Eccles. v°. *Civita-Ducale.* — (5) Rampoldi. v°. *Valsiciliana.* — (6) Ibid. v°. *Rocca di Mezzo.* — (7) Ibid. v°. *Popoli.* — (8) Ibid. v°. *Barletta.*

esse;

allaborat, ut conjunctis viribus
* Ps. CXXII, 1

esse; et mente revolvens, quantum sit bonum et quantum jucundum habitare fratres in unum, * cœpit scissuram matris suæ, sacrosanctæ Religionis et discordiam fratrum suorum immenso dolore deflere. Cœpit etiam in illo principio, antequam veritatem per experientiam agnosceret, contrarius esse et molestus illis Fratribus, qui bullam divisionis
b impetraverant *b*. In Italia siquidem erant etiam fratres de Observantia, sed sub jurisdictione ministrorum cum maximis tribulationibus et impedimentis permanebant. Unde modos omnes exquirens per quos et unionem et reformationem in toto Ordine inducere posset, Martinum summum Pontificem adiit, cui relaxationem et divisionem Ordinis et pericula, quæ ex ipsis sequi possent, ad plenum reseravit; humiliter ab eo postulans, ut his malis sanctitas sua providere dignaretur, quatenus, et Regula ab omnibus in Ordine servaretur, et unio inter fratres haberetur. Cujus petitioni, tamquam sanctæ et rationabili, Papa condescendens, cuidam reverendissimo Cardinali causam commisit, mandans, ut præ-
B latos Ordinis congregaret et de reformatione et unione Ordinis provideret : dans eis super præmissis omnem jurisdictionem, et potestatem *c*.

c
Minorum Ordo reformetur, et proponit

63 Exequitur ipse legatus mandatum apostolicum, prælatisque Ordinis, Assisii congregatis, de unione et reformatione Ordinis diligentissime pertractatur. Vocat interea legatus ipse fratrem Joannem de Capistrano, districte ad obedientiam ei injungens, quatenus ea quæ pro præmissis necessaria sibi videbantur, solerter describere vellet. Excogitans igitur zelantissimus Pater modum unum vivendi, omnibus communem, possibilem et facilem, a quo nullus excusari posset; quasdam Constitutiones, quæ hodie Martinianæ vocantur, composuit, et easdem legato præsentavit. Quas legatus ita rationabiles, claras, et possibiles inspiciens, illas coram omnibus Fratribus, insimul congregatis, alta et intelligibili voce legi præcepit. Quamplura placuerunt omnibus Fratribus, et omnes tam prælati, quam subditi, illas se velle servare promiserunt : minister quoque generalis se illas velle
C servare, et in toto Ordine juxta posse suum illas servare facere, sub maximis pœnis, et juramentis spopondit.

Constitutiones, quas omnes recipiunt;

64 Gaudet legatus, gaudet Pater beatus, gaudent et cæteri Fratres bonæ voluntatis, credentes, jam totum negotium esse completum, cum nondum esset inceptum. Quæ omnia, ut maturius, diligentius, et studiosius perficiantur, mandat legatus apostolicus ministro generali, ut fratrem Joannem de Capistrano pro socio recipiat, et in Ordine reformando juxta ipsius consilium se regat. Assentire ad hoc se simulat minister generalis, assentit et Pater, protestans tamen, quod si ministrum generalem simulate in hoc se habere agnosceret, ab eo quam citius recedere vellet. Redeunte itaque legato ad curiam, remansit Pater cum ministro generali, credens quod juxta jusjurandum et promissiones, coram D. legato factas, ad reformationem Ordinis intendere deberet. Incepit ergo Pater ipse, ministrum sequens, super hoc studiose invigilare. Unde forfices in manica portans, si aliquando videbat aliquos conventuales nimis difformia, ampla et longa capucia deferre clam accedebat, et illa præcidebat.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

65 Sed in brevi mentita est iniquitas sibi. Nam minister et alii ministri, qui tam ferventer coram legato apostolico constitutiones ipsas servare, et a subditis servari facere promiserant, primi ab eis recesserunt, et ne servarentur, impedierunt. Quod videns Pater, et animo pertractans, Ordinem non posse reformari, considerans nihilominus quod pauperculi fratres Observantes a Conventualibus molestias multas sustinerent, ex quibus in obsequio divino et observatione Regulæ plurimum impediebantur, doluit, se umquam contrarium fuisse illis Fratribus Franciæ, qui bullas a Conciliis, et a Papa pro eorum quieta vita impetraverant. Cogitabat tamen Pater diu noctuque, si forte viam aliquam reperire posset, per quam Ordo in vera Regulæ observantia posset uniri.

ministro generali vicarius et socius, frustra

66 Interea mortuo Martino, creatus Eugenius in Papam, qui magnam fidem ad servum Dei gerebat, et sæpe suis consiliis utebatur, cum quo cum semel dolenter de relaxatione et divisione Ordinis loqueretur, interroganti Eugenio quomodo posset reformare, respondit : si tria P. de ordine tolluntur, statim erit Ordo reformatus. Cui Eugenius subridens dixit : « Quid est frater Joannes? » Cui ille : « Per primum P., Pater beatissime, intelligo pueros, per secundum P., petulantiam, per tertium P., intelligo pecuniam. Si ergo de ordine tolluntur pueri, petulantia, et pecunia, subito erit reformatio in Ordine. » Cum igitur perquireret Papa Eugenius de reformatione ulteriori Ordinis, et a servo Dei didicisset, impedimenta reformationis hujusmodi in ministris, et principaliter in ministro generali consistere, cogitavit, bonum fore, si aliquis idoneus frater de Observantia minister generalis efficeretur.

reformationem tentat;
E

67 Moritur interim minister generalis *d*, et, beato Patre in remotis agente, commisit Eugenius vicariatum totius ordinis beatæ memoriæ fratri Alberto de Sarciano, viro magnæ sanctitatis et scientiæ ac in tota Italia nominatissimo: intendens, quod postmodum in F capitulo generali in ministrum generalem eligeretur *e*. Sed Deus sine quo non cadit folium de arbore, hanc sententiam in melius mutavit, ne unde reformatio sperabatur, fuisset subsequuta ruina : quia si dictus frater Albertus fuisset in ministrum generalem electus, et voluisset reformare conventus, ad quos reformandos recepisset meliores fratres de Observantia de locis suis, et nec sic conventus reformati fuissent et Observantia defecisset. Fuit igitur unus magister ex Conventualibus electus in ministrum generalem *f*.

post obitum ministri generalis
d
e
f

68 Videns itaque Pater, quia nihil proficeret, et quia fratres de Observantia per Conventuales multipliciter turbarentur, primo a Papa Eugenio obtinuit, ut per ministrum generalem fieret plenaria commissio alicui idoneo fratri de Observantia, super omnes fratres de Observantia: ita quod minister generalis nihil se de eis intromitteret. Facta est ergo commissio auctoritate Apostolica beato Patri Joanni de Capistrano, quæ provisio ad tempus duravit, postmodum pro majori quiete et pace

impetrat specialem vicarium pro Observantibus;

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

pace ipsorum Fratrum de Observanta obtinuit, quod vicarii provinciales in singulis provinciis constituerentur, et quod ipsi singulis tribus annis unum vicarium generalem sibi eligerent, qui præesset toti familiæ de Observantia, et quod nec minister generalis nec provinciales se intromitterent de fratribus de Observantia, nisi in aliquibus casibus, in bulla Eugenii expressis.

quo in officio, successor S. Bernardini,

69 Fuit ergo in primum vicarium generalem electus frater Bernardinus de Senis, qui nunc est Catalogo Sanctorum adscriptus, qui per tres annos officium vicariatus gloriose expedivit; et usque hodie familia nostra de Observantia sub hac provisione perseverat. Non igitur beatus Pater, ut aliqui maligni obloquuntur, aliquam divisionem in Ordine procuravit, sed omne studium, et omnem diligentiam adhibuit, ut Ordo uniretur, prout clare supra monstratum est. Finito vicariatu sancti Bernardini, post eum Pater noster eligitur, qui in illo triennio, hinc inde per omnes provincias discurrens, exhortabatur Fratres ad observandam Regulam Sancti Francisci,
B ad perseverandum in obsequio divino, ad dimicandum viriliter contra hostes omnium bonorum, scilicet carnem, mundum, et diabolum. Erat enim, sicut de sancto Antonio legitur, benignus in admonendis fratribus, severus in corripiendis, fecit etiam aliquas Constitutiones pro majori instructione Fratrum, in quibus consistit quasi medulla omnium Constitutionum Ordinis, et illas per omnes provincias destinavit.

Constitutiones Ordinis scribit; castitatem colit

* Rom. XII, 8

70 Cogitans namque verba Apostoli dicentis : Qui præest est in sollicitudine *; et illius memor sententiæ, quæ dicit : Non potest esse pastoris excusatio, cum lupus oves comedit, et pastor nescit. Vigilavit ergo attentius, et omnem sollicitudinem apposuit, ne quisquam etiam minimus de sibi subditis in diaboli laqueum incideret, aut alias a recta vivendi norma deviaret. Ex hoc noctes ducebat insomnes et gemitibus inenarrabilibus a Deo postulabat, ut ipsum cum sibi subditis regeret et gubernaret. Super omnia tamen sanctissimam castitatem, quæ corona et gloria
C est omnis Religionis, qua cessante, totum spirituale ædificium ruit, servandam fore verbo et exemplo monstravit. Tam honestæ siquidem erat conversationis, ut post ingressum Religionis nihil umquam, nec verbo, nec signo, nec opere inhoneste egerit. In hoc erat ejus principalis conatus, ut nitidissimam castitatem observaret. Interrogatus aliquando a Fratribus, quis fuisset major labor in Ordine, respondit: « In hoc majorem laborem habui, ut immundas cogitationes statim repellerem.» Cum adhuc in flore juventutis esset, et eum immundæ cogitationes impeterent, indicibili fervore succensus, faculas ardentes capiebat, et in corpore suo extinguebat: ita quod quamdiu vixit combustionis signa semper in ejus corpore apparuerunt, aliquando quiescentibus fratribus, ut carnem suam omnino redigeret in servitutem spiritus, se totum denudabat, et in illo loco, ubi fratres ab immunditiis vestes purgant, quod expuligatorium dicitur se extendebat, ut sic a vermibus tribulatus, se humiliaret et tentationes carnis evaderet.

71 Quadam die dum per viam ambularet, penes quam quidam noviter suspensus pendebat, cujus fœtorem sentiens, vehementer abhorruit, et nares claudere cœpit. Demum memor quod beatus Franciscus leprosos osculatus fuerat, volens se ipsum vincere, et carnem suam in servitutem redigere, cum fervore maximo, per scalam ad eum, qui in patibulo pendebat ascendens, eum, jam diu fœtentem, amplexatus est et osculatus. Cujus charitatem Deus, ex alto respiciens, fœtorem illum in odorem suavitatis immutavit, ita quod videbatur beato Patri non cadaver fœtidum, sed aromata suavissima pertractare. Alio quoque tempore, dum quidam de principaliori-bus aulæ Papæ Martini propter ejus demerita in quatuor partes dividi deberet, sequebatur eum piissimus Pater, modis omnibus, quibus poterat, ad patientiam eum inducens. Quo diviso suis mundis, et sanctissimis manibus viscera et intestina hinc inde dispersa recollegit, et charitate nimia succensus sepelivit.

per maximas mortificationes;

familiæ Observantum dilatandæ intentus,

72 Agebat, inquam, pius Pater officium suum diligenter et Fratribus, ad eum pro suis necessitatibus recurrentibus, non prælatum, sed servum, juxta Regulæ tenorem, se ostendit. Si quos tamen protervos, rebelles, aut sæculares scandalizantes, invenisset, relicto oleo, vinum super infundebat, ut vel per austeritatem eos revocare posset ; et si qui forte monitiones ejus et sancta documenta non audivissent, absque dubio judicia Dei in brevi experiebantur. Inter quos quidam famosissimus prædicator, dum verba contemneret Patris, et ei obedire nollet, brevi tempore post ruinam passus est, et toti mundo in fabulam datus. Hæc eadem in secunda electione sua in vicarium generalem, et multa ampliora perfecit.

domicilia Fratrum multiplicat

73 Quantum autem profecerit, et adaucta fuerit Observantia per ejus providens gubernium sive regimen, clare constabit, si multiplicationem fratrum, locorum et indulgentiarum sive privilegiorum, suo in tempore impetratorum, inspicere quis velit. Tempore enim quo beatus Pater Religionem ingressus est, paucissima loca de Observantia, et hinc inde dispersa reperiebantur. At postquam prædicare cœpit, diligentia et opera sancti F
Bernardini et ipsius, una cum sancto seniore adhuc superstite, fratre Jacobo de Marchia, ita multiplicata sunt in omnibus christianorum finibus, ut vix reperiatur provincia, in qua loca Fratrum Minorum de Observantia constructa non reperias. Nam ipse Pater non solum recepit fratres, verum etiam provincias de novo fundavit, sicut provinciam Pennensem, provinciam Austriæ, provinciam Bohemiæ, provinciam Poloniæ etc. de quibus infra sum dicturus.

in variis christianitatis provinciis

74 Recepit etiam loca in Francia, in Saxonia, in Argentina, in Ungaria et in aliis partibus mundi. Loca similiter monialium sanctæ Claræ de Observantia et Tertii Ordinis sancti Francisci *g*, cum aut pauca, aut nulla essent, *g*
in magnum numerum excreverunt. Sed et multitudo Fratrum ita toti mundo publica est, ut testimonio meo non indigeat. Currebant turmatim de civitate in civitatem mundum relinquentes, videntes signa et prodigia, quæ per eum quotidie fiebant. Unde aliquando viginti, aliquando triginta, aliquando quadraginta

A ginta coram omni populo ad Ordinem acceptabat. Ex quibus multi tam per sanctum Bernardinum, quam per ipsum, in viros, sanctitate, scientia et doctrina conspicuos, excreverunt.

multosque, sanctitate insignes, recipit;

75 Plures equidem ita sancte vixerunt, quod post eorum mortem miraculis etiam claruerunt, uti frater Franciscus de Papia, frater Gabriel de Ancona, frater Philippus de Aquila, frater Albertus de Sarciano cujus animam, dum Pater in remotis ageret, vidit ad paradisum deferri. Hic ad instar tubæ cœlestis totam Italiam suis gloriosis sermonibus illustravit, fuit etiam in terris infidelium, cupiens pro Nomine Jesu subire martyrium : sed, Deo aliter disponente, desiderium suum implere nequivit. Frater Nicolaus de Auximo, vir magnæ scientiæ, et tantæ sanctitatis et honestatis, quod omnes alios præcellere videbatur, et plura egregia opuscula compilavit *h*. Multa etiam alii Fratres, sanctitate præclari, prædicatores et doctores famosi in Ordine, diebus nostris claruerunt, quorum nomina, quia Deo et Angelis ejus nota sunt, in libro vitæ descripta, ad præsens nominare non curo.

h

B

privilegia pro Ordine obtinet,

76 Privilegia quoque, et beneficia apostolica, sollicitudine et diligentia beati Patris, familiæ multa extitere. Nam omnes Fratres auctoritate summorum Pontificum Eugenii, Calixti, Pii moderni in articulo mortis ab omnibus censuris et peccatis plenarie absolvuntur, ab ipsis quoque summis Pontificibus multa privilegia familiæ nostræ concessa sunt, quibus et ora æmulorum obturantur, et familia in pace servatur. Sed quot labores, quot calumnias, quot injurias pro defensione ipsorum privilegiorum passus sit, qui viderunt, testimonium perhibere possunt. O quoties eum lacrymantem et anxiatum inspeximus, cum cognosceret quicquam mali contra familiam attentari. Pro ipsa tuenda, non parcebat vigiliis, non laboribus, non jejuniis, non discursibus, non cuicumque periculo alio, sed se totum quodammodo eviscerabat, et corpus suum exponebat, ut familia in observantia permaneret, et de bono in melius proficeret.

eumque a calumniis vindicat.

77 In cujus defensione divina auxilia ei et miracula non defuerunt. Nam plures ministri generales, qui hanc familiam totaliter evertere et eradicare conabantur, divino judicio, quando jam intentum suum consequi sperabant, de medio sublati sunt. Quorum aliqui dum se morti proximos cernerent, stimulata conscientia de persecutione, familiæ nostræ facta, culpam dicere compulsi sunt. Exiverunt aliqui ex nobis, sed non fuerunt ex nobis; qui velut ingrati filii matrem suam, Observantiam, perimere conati sunt : sed, Deo protegente, ipsi confusi remanentes, familia victoriam reportavit. Ex quibus unus frater, Joannes Donzelli vocatus, magnæ reputationis et scientiæ, dum bullam, per Patrem pro defensione familiæ impetratam, infringere moliretur, repentina morte, cognita tamen prius, ut credo, culpa sua præventus est. Cujus obitum piissimus Pater ita lacyrmose deflevit, quod etiam alios ad plorandum induxit.

ANNOTATA.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

a *Initia reformationis Observantiæ exposuimus in Commentario prævio num.* 81 *et seqq.*

b *Mens S.* Capistrani *erat non partem Ordinis sed Ordinem universum reformare : quapropter necessarium erat, ut omnes Minores iisdem subessent prælatis : quando autem decursu temporis perspexit generalem reformationem impossibilem, tunc, ut habet biographus noster, separationi consensit.*

c *Cardinalis, a Martino V deputatus, fuit Joannes Cervantes, ut narrat Waddingus* (1).

d *Gulielmus de Casali anno* 1442 *diem suum obiit* (2).

e *Albertus de Sartiano per litteras apostolicas, datas anno* 1442 *die* XV *kal. Augusti institutus fuit vicarius generalis totius Ordinis* (3).

f *In comitiis generalibus Patavii anno* 1443 *electus fuit Antonius a Rusconibus,* doctrina et sanguine illustris, *ait Waddingus* (4).

g *Scripsit S.* Capistranus, *ut notavimus Commentarii prævii num.* 546, Defensorium Tertii Ordinis, a S. Francisco instituti. E

h *De his viris agit Waddingus : et quidem Philippum Aquilanum vocat* acerrimum vitiorum insectatorem, et meliorum charismatum diligentissimum æmulatorem, cujus meritis, divina opitulante gratia, plurima contingunt miracula (5) : *Alberti vero a Sarthiano Opera simul et Vitam speciali volumine edidit Romæ Patricius Duffy, Hibernus : tandem Nicolaum de Auximo scribit Albertus supra laudatus,* hominem religiosum et doctum et frugi ac sancta fama celebratissimum (6).

CAPUT VI.

De laboribus, pro canonizando S. Bernardino Senensi impensis; de dono prophetiæ.

Mortuo S. Bernardino Senensi,

Jam quantos labores, derisiones, et molestias pro canonizatione sancti Bernardini, socii sui, pertulerit, prout potero, brevitate verborum aperiam. Iter agente ipso sancto Bernardino versus Aquilam, ut ibi evangelizaret, cum jam civitati appropinquasset, ab ægritudine fluxus invasus est. Qua invalescente, vix ad civitatem pervenit, ubi infra paucos dies, in die scilicet Ascensionis, dum in Ecclesia cantaretur: « Pater manifestavi nomen tuum hominibus **a*, » felicem Deo reddidit spiritum. Cujus obitum civitas audiens, tota commota est. Ponitur corpus beatum in ecclesia, ad quod visitandum omnis populus convenit. Quidam etiam infirmi beato corpori appropinquantes, illud cum magna devotione et fide contigerunt; volens itaque Deus, quem in vita toti mundo fecerat clarum, in morte facere clariorem, multis infirmis, merita sancti Bernardini invocantibus, plenam sanitatem largitus est.

* Joan. XVII, 6 *a*

Aquilam accurrit,

79 Fama igitur tam stupendorum miraculorum ubique terrarum diffusa, etiam ad bea-

(1) Annal. Min. tom. X, pag. 148 et seq. — (2) Ibid. tom. XI, pag. 156. — (3) Ibid. pag. 157. — (4) Ibid. pag. 175. — (5) Ibid. pag. 182. — (6) Ibid. pag. 44.

tum

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

tum Patrem, tunc vicarium generalem, et in remotis agentem, pervenit. Qui hoc intelligens, gaudio et mœrore repletus est. Propter quod a lacrymis et suspiriis cessare non poterat. Interrogantibus Fratribus, cur tam amare fleret, cum tamen Deus sic eum magnificaret? Respondit: « Propterea non fleo, quia scio eum in cœlis esse, sed propter me et familiam, qui familiaritate et auxilio privati sumus. » Tandem, reassumpto spiritu, versus Aquilam iter festinus arripuit, ubi cum lacrymis visitato sancto pignore, et devote pertractato, fecit sermonem ad populum, eis firmissime promittens, quod infra certum dierum terminum multo majora prioribus essent visuri.

et testis miraculorum, statim

80 Expectabat infra terminum ipsum curiosius populus mirabilia a Patre promissa conspicere, sed, Deo ita faciente, nullam infra tempus id demonstratum est. Qua de re anxiatur Pater, spem nihilominus firmam habens in Domino, quod eum in tam sancto opere non relinqueret. Et ecce, in ultima die statuti termini aperit Deus manum misericordiæ suæ, apparent ejus beneficia, et miraculis miracula
B cumulantur. Quæ Pater oculis suis aspiciens, et diligenter corde ruminans, gratum fore Deo credens, quod causa canonizationis beati Bernardini proponeretur summo præsuli, Christi vicario, confortatis Aquilanis, et quasi de ipsa canonizatione certificatis, concito Romam gradu applicuit. Et Eugenium Papam visitavit, et ei miracula, quæ meritis beati Bernardini fiebant, reseravit, humiliter ab eo petens et supplicans, quatenus in hac pia causa favorem benevolum impertiri vellet, ut beatus Bernardinus Catalogo Sanctorum adscriberetur.

apud Eugenium IV urget ejus canonizationem,

81 Promisit præsul omnem favorem se præstiturum et in hoc diligenter acturum. Interim etiam scribuntur sanctitati suæ multiplices litteræ, tam a rege Aragonum, quam ab Aquilanis, in quibus hoc idem, quod Pater, postulabant. Fit ergo commissio tribus Cardinalibus, qui duos venerandos episcopos miserunt ad inquirendum, an vera essent miracula,
b quæ dicebantur *b*. In hoc tempore medio, moritur Eugenius et Nicolaus in Papam eligitur *c*:
C coram quo Pater canonizationis causam sollicitat. Qui prædecessorem suum imitatus, causam hanc tribus Cardinalibus delegavit, qui similiter duos episcopos pro miraculorum inquisitione miserunt. Deinde idem Nicolaus duos alios episcopos ad hujusmodi inquisitionem delegavit. Postremo, præmissis non contentus, unum alium specialem et conscientiosum episcopum misit : qui omnes una et concordi voce retulerunt magnalia Dei, quæ per servum suum Sanctum Bernardinum operabatur clementia Salvatoris.

et superatis impedimentis,

82 In his omnibus legationibus beatus Pater noster præsens extitit, qui nec ad horam, nec ad momentum quiescebat, sed totum ejus studium, tota vigilantia, totum desiderium in hoc ferebatur, ut canonizatio socii sui ad finem optatum duceretur. Nec putanda est hæc causa per unum vel duos annos durasse, sed per septem annos continuos, in quibus beatus Pater non habuit requiem. Sed modo ad curiam Romanam, modo ad exquirendum miracula, modo ad Cardinales, modo ad episcopos, modo ad alios discurrebat. Et quia omni
D piæ causæ diabolus, aut per se, aut per sequaces suos, insidiatur; non defuerunt oblocutores et contradictores, qui huic divino operi adversarentur, quorum aliqui fuerunt prælati Ecclesiæ, aliqui etiam mali fratres : ut impleretur dictum Apostoli : « Periculum in falsis fratribus.* » Et quot repulsas, quot exprobrationes, * II Cor. XI, 26
quot injurias sustinuit? Quoties desperaverunt Fratres, quod hujusmodi negotium non perficeretur : sed ipse semper constantissimus fuit, spem habens in Deo et in Sancto Bernardino, quod causam suam non relinqueret. Unde sæpe dicere consueverat : « Beate Bernardine, ora pro te. »

oblato se ipso vade,

83 Quadam vice, dum tot contradictiones et impedimenta conspiceret, zelo charitatis et fidei succensus, summo Pontifici dixit : « Accipite corpus beati Bernardini, et ipsum una mecum in ignem projicite, et si comburimur, peccatis meis attribuite, si autem illæsi servamur, voluntatem divinam intelligite. » Ad quæ verba Papa, et qui cum eo erant, nimium admirati, vix lacrymas continuerunt.

ac interdicta miraculorum facultate B. Thomæ de Florentia,

84 Eodem tempore quoddam solemne miraculum demonstratum est; dum Beatus Thomas de Florentia, frater laicus, vir magnæ sanctitatis et abstinentiæ, qui longo tempore ab infidelibus in carcere detentus fuerat, in civitate Reatina, quæ prope Aquilam sita est, feliciter obiisset. Clarebat quamplurimis miraculis; adeo quod multi infirmi, non valentes apud sepulcrum Beati Bernardini gratiam sanitatis obtinere, visitantes ipsum Beati Thomæ corpus, perfecte sanarentur. Timens beatus Pater noster Joannes, ne per ipsa miracula canonizatio Sancti Bernardini impediretur, quod jam in curia Romana vox insonuerat : « Ecce omnes Fratres de Observantia volunt facere miracula, » accessit ad sepulcrum ipsius Beati, eique, cum esset illo tempore vicarius generalis, talia verba dixit : « Beate Thoma, dum vivens semper fuisti obediens, nec umquam prælatorum jussibus contradixisti, in virtute igitur obedientiæ tibi præcipio, quatenus ab operatione miraculorum abstineas, ne canonizationem Beati Bernardini impedias. » O vere stupendum, et celebre miraculum! o vocem beati Patris admirabilem! Post F
ipsum præceptum cessavit a miraculis, nec amplius aliquod signum apud ipsius tumulum demonstratum est *d*.

d

tandem canonizationem obtinet:

85 Non cessavit ergo piissimus Pater, donec Beatus Bernardinus in anno jubilæi, quando erat major concursus populi ex omnibus mundi regionibus, in die sancto Pentecostes, solemnissime canonizatus est ad laudem et gloriam Dei, Beatæque Virginis, ad honorem et decus Ordinis, ad consolationem bonorum, ad confusionem vero malorum et æmulorum. Nec omittendum est, quod, dum Papa Nicolaus videret in servo Dei tantum zelum, simplicitatem, innocentiam, et fervorem dixit ei : « Quis pro canonizatione vestra laborabit, frater Joannes? » Cui humillimus frater respondit : « Peccator sum, et peccatoribus talia non debentur. » Episcopi quoque, qui mittebantur ad examinandum miracula Beati Bernardini, ex diutina conversatione, quam habebant cum servo Christi, considerantes ejus honestam conversationem, et vitam non humanam, sed divinam, et divina opera, quæ per

A per eum fiebant, aliquibus dixerant : « Nos volumus Domino nostro Papæ dicere, quod cum Beato Bernardino canonizetur et frater Joannes. »

supernis visionibus illustratus,

86 Fateor, me nullo modo posse, aut narrare, aut describere revelationes singulas, beato Patri factas ; sed sicut superius in recitatione miraculorum secundo descripsi ; ita et nunc hic viginti quatuor revelationes, sibi monstratas divinitus, referre propono; rogans devotos lectores, ut ex his elicere velint quomodo spiritus Dei, quæ ei futura revelavit, in corde ipsius habitabat. Primam revelationem habuit adhuc sæcularis existens. Qui dum in carcere detineretur, prout supra memoratum est, videbatur sibi quod totus mundus obscuritate maxima premeretur. Per fissuras autem carceris quidam radii solares, de carcere exeuntes, unde magna populi multitudo ad carcerem veniebat, ut vel saltem ex ipsis radiis, a carcere exeuntibus, lumen videret. Quæ visio bene completa est, suisque ferventissimis sermonibus, angelica vita et rimandis operibus
B mundum, jam senescentem, et peccatis pluribus offuscatum, quantum potuit, illuminavit.

cœlitus ad Ordinem Minorum vocatur;

87 Secundam visionem in iisdem carceribus habuit, quæ talis fuit post octo dies a prima, dum vigilaret, et devote Officium Beatæ Virginis exsolveret, super caput suum, quantum potuit levare manus, apparuit quidam in habitu fratrum Minorum, qui eum increpare cœpit : « Quare non proponeret, esse Frater Minor? » Non dubium, quod hic fuit Sanctus Franciscus, qui de ingressu talis filii ad Ordinem suum plurimum gaudebat. Et de his duabus revelationibus supra in principio legendæ positum est.

a B. V. refocillatur ;

88 Tertiam visionem habuit in loco nostro, extra Perusium posito, qui locus dicitur ad Montem. In eodem autem loco, dum adhuc esset novitius, et quadam vice dormiret, apparuit ei quædam pulcherrima mulier, habens candidissimum vestimentum, velut nix hyemali tempore : quæ habens craterem argenteum in manibus suis et læta atque jucunda facie appropinquans ei, porrexit ei bibere. Hæc nimirum mulier Beata Virgo extitit, quam
C semper maximo venerabatur affectu ; de qua cum legebat aut prædicabat, ita ex nimia devotione in lacrymas resolvebatur, quod vix verba poterat proferre. Non ergo dubium, quod ipsa Beatissima Virgo, quam tantum diligebat, sicut de suis uberibus creditur Beato Bernardino scientiam infudisse, ita, et huic servo suo gratiam prædicandi, et dubia solvendi in cratere argenteo ministravit. In omnibus necessitatibus ad eam recurrebat, et ipsa audire eum non tardabat. Quadam vice dum maxime ægrotaret, et se omnino moriturum crederet, levavit mentis oculos ad eam, devotione qua potuit, humiliter eam exorans, ut sibi veram peccatorum suorum contritionem ante mortem a Filio suo impetrare dignaretur. Non fit mora, et ecce inundantia sanguinis de naribus exivit, quod et veram contritionem peccatorum, et perfectam corporis sanitatem consecutum est.

prædicit obitum Martini V;

89 Quartam visionem habuit Romæ : dum enim prædicaret in ecclesia sanctæ Crucis raptus est extra semetipsum per longum temporis spatium, in quo raptu didicit obitum Martini, Papæ V esse vicinum. Vocans eum Martinus ipse, et quidnam in raptu illo habuerit, interrogans, dum sibi reserare nollet, timens ne eum perturbaret, tandem ab eo coactus, quod viderat, cum timore narravit. Quod et factum est. Nam in brevi moriens visionem non fantasticam, sed veram fuisse monstravit. Quintam visionem habuit de ipso Martino Papa : infra breve enim tempus ab eo recedens, aliqualiter ægrotante, cum pervenisset ad quemdam locum, non longe positum ad urbem, vidit fulgur velocissime de cœlo cadere. In quo legit : « non videbit lucem sequentis auroræ. » Quod et factum fuit, nam nocte sequenti obiit ante vel circa medium noctis.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

pontificatum Eugenio IV;

90 Sextam visionem habuit de assumptione Eugenii Papæ, in Papam : quia ipse Eugenius cum adhuc esset Episcopus Senensis magnam familiaritatem habuit cum viro Dei : adeoque eum visitabat sæpius, et ut moris sui erat, coram omnibus prælatis ecclesiasticis se humiliare, quando ab eo recedebat, ei manum osculabatur. Semel ergo dum ab eo licentiam peteret, volens ad quemdam locum remotum se transferre, impulsus a Spiritu, ad ejus procidit pedes, et eos osculatus est. Super quo stupefactus episcopus et cur hoc fecisset, interrogans, respondit : « Non credo amplius te videre nisi Papam. » Mortuo ergo Martino, eligitur in Papam Senensis episcopus, qui vocatus est Eugenius Quartus. Septimam visionem habuit in monte Sancti Angeli : cum enim quadam vice, pro aliquibus Ordinis negotiis ab Eugenio Papa mitteretur ad regem Aragonum, devenit ad quemdam locum, in monte Sancti Angeli nuncupatum ; ubi post prandium, redditis gratiis, in choro remanens, causam suam, pro qua mittebatur, fideliter Domino commendabat. Et ecce vidit quemdam parvulum fratrem, quem terra sursum levare, et cœlum ad suscipiendum eum se inclinare videbatur, cujus visionis mysterium, quia non intelligo, nec aliis declarare præsumo.
E

regi Aragonum cladem, Thomæ Sarzanensi,

91 Octavam visionem habuit de ipso rege Aragonum, dum ipse severissimus rex vellet insurgere contra Januenses, consuluit super hoc beatum Patrem in civitate Cajetæ. Qui
F non semel vel bis, sed sæpenumero ei suasit, ne faceret : quia futurum erat absque dubio suæ personæ periculum. Qui non attendens ad tanti Patris præsagia, volens propositum suum implere, a Januensibus in mare captus est, et pro triumpho traditus est duci Mediolanensium. Qui quidem rex in eumdem Patrem tantam recepit devotionem et dilectionem, ut quidquid ab eo peteret, statim obtineret. Nonam habuit de assumptione Nicolai ad Cardinalatum et Papatum ; dum enim vocaretur magister Thomas, et creatus esset episcopus Bononiensis, visitavit eum vir beatus, cui et dixit : « hodie episcopus Bononiensis electus es, congratulor, sed non remanebis sic : cardinalatui appropinquans et papatui festinans. » Ad quæ verba, dum rideret, et credere nollet, dixit Pater : « Thomas es tu ; nam Thomas durus fuit in credendo. » Infra duos annos dum Cardinalatum et Papatum fuisset consequutus, scripsit ei Pater : « Jam nosti, quia Thomas fuisti, dum credere noluisti. »

92 Decimam habuit de morte Eugenii, et electione

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

mortuo Eugenio, pontificatum

electione Nicolai, quæ talis fuit. Dicebat beatus Pater Officium in civitate Aquilana cum quodam socio, qui dicebatur frater Nicolaus Teutonicus. Finito Officio, cum juxta morem Fratrum diceret orationem pro Papa, scilicet: Deus omnium fidelium Pastor etc. nesciens de morte Eugenii, dicebat famulum tuum Eugenium etc. Cui Pater, dicas Nicolaum. Et ipse credens, quod Pater secum jocari vellet, dixit subridendo: Ego numquam ero Papa. Post dictas orationes, solatiando dixit Patri: Si ero Papa, faciam vos Cardinalem. Tunc Pater declaravit ei, quod Eugenius esset mortuus, et Nicolaus electus. Hæc eadem dixit mane populo in ambone, cum tamen sit distantia trium vel quatuor dietarum in Romam et Aquilam. Compertum est ergo, quia eadem die Eugenius esset mortuus, et Nicolaus electus : qui Nicolaus Papa cepit magnam fidem et devotionem ad Patrem, et multas gratias ei fecit.

episcopatum Aquilanum Amico;

B

93 Undecimam habuit in quodam eligendo in Episcopum Aquilanum. Fuit enim quidam de Roca de Medio, Aquilanæ diœcesis, qui vocabatur D. Amicus, et hic multum familiaris erat Patri. Cui semel prædixit, quod futurus erat Aquilanensis episcopus, quod in brevi tempore completum est; prout hodierna die episcopus ipse testatur *e*. Duodecimam habuit Romæ, de quadam muliere moritura. Cum enim prædicaret cum maximo hominum concursu, aderat in sermone quædam devota et honesta mulier, Tertii Ordinis sancti Francisci, quæ nimio ardore succensa, et ingenti capta devotione, se inter populum erexit et alta voce ad Patrem clamare cœpit. Ex cujus clamore populus in admirationem versus est. Famulus autem Dei, secreta cordis intelligens, et sciens quod super eam futurum esset, dixit ei: « O mulier cito domum rediens, præpara teipsam, quia omnino morieris. » Certe mirabilis Deus in servis suis, domum reversa, mox ut læto animo se ipsam præparavit, quievit in Domino.

e

obitum suum in Hungaria,

C

94 Tertiam decimam habuit Venetiis, cum siquidem ibi in quadragesima prædicaret cum ingenti acceptatione, et post Pascha venturus esset ad regem Romanorum, in partibus Austriæ commorantem, pluries sociis in mensa dixit: « Ungaria habebit ossa mea. » Sicque factum est. Nam ambulans per totam fere Alemaniam, Bohemiam, Poloniam, finaliter veniens ad Ungariam ibi defunctus est quadam in civitate, quæ dicitur Vuiilak. Quartam decimam habuit in Nova Civitate, ubi cum pervenisset ad regem Romanorum, et in dubio esset positus, quo iter suum dirigere deberet, certificatus fuit cum impulsu, quod iter suum versus Bohemiam extenderet, quia per ipsum bonus fructus animarum secutus esset. Sicque ad Bohemiam perrexit; et multi, relictis erroribus, conversi sunt, sicut in superioribus monstratum est.

sine proprii sanguinis effusione;

95 Quintam decimam habuit Nurembergæ, in conventu nostro, dum de dieta, quæ fuit celebrata Francfordiæ pro causa fidei, reversus fuisset. In magno erat dubitationis agone, quonam pro majori gloria Dei iturus esset. Super quod, ut moris sui erat, divinum voluit auxilium implorare. Unde injunxit sociis, ut quilibet eorum tria Pater Noster, et totidem Ave Maria dicerent in cruce, et ipse similiter oravit. Cum ergo se sopori dedisset, videbatur ei quod Missam celebraret, cumque consecrasset hostiam et elevasset, minister, accepto calice, vinum nondum consacratum effudit de calice, et dum Pater instaret, ut daretur sibi vinum pro sacrificio, minister porrexit sibi hostiam. Interim socius suus aperuit ostium, et ipse evigilavit, dixitque socio suo: « Parcat tibi Deus, quare non sivisti me finire Missam. » Hoc somnium interpretatus est ipse Pater: quod licet desideraret bibere calicem martyrii pro fide Christi; tamen ipse Christus non per effusionem sanguinis, sed ingens desiderium eum Martyrem suum facere decreverat. Et sic factum est, quia propter maximos labores, quos habuit contra Turcas, mortuus est quidem, sed non effudit sanguinem.

D

obitum Nicolai V;

96 Sextam decimam habuit eadem die in eodem loco, dum enim devote celebraret, et Deum obnixius exoraret, ut sibi clarius ostendere dignaretur viam, per quam ambulare deberet, visum est sibi in Missa, quam prius scilicet dum populo prædicaret, celebraverat, quod aer vocibus resonaret: « In Ungariam, in Ungariam, in Ungariam. » Et etiam sibi videbatur, quod quidam eum retardantem ad Ungariam impellerent, quibus visionibus certificatus, et totus exhilaratus, dixit sociis: « Jam iter nostrum est versus Ungariam. » Veniens igitur ad Ungariam mirabilia, ac omni admiratione dignissima, per divinam gratiam in paucis diebus operatus est, et postea quievit in pace, Martyr desiderio, prout infra loco suo dicetur. Decimam septimam habuit in Nova Civitate. Ubi dum apud imperatorem Fridericum constitutus esset, et ibi etiam esset quidam legatus Apostolicus, Dominus scilicet Papiensis. Dixit Pater eidem Legato: « Certifico vos, quod Papa Nicolaus est mortuus. » Infra breve ergo tempus venerunt nuntii, qui retulerunt, illo tempore Papam Nicolaum esse mortuum, quo Pater eum defunctum asseruerat. Unde miratus episcopus, dicebat: « Jam volo credere fratrem Joannem habere spiritum Prophetiæ

E

varias insuper visiones

f

97 Decimam octavam habuit simul, et decimam nonam in Ungaria, in Alba Regali, in quo solent reges Ungariæ coronari *f*. De quibus duabus visionibus ipse scripsit Dominico Cardinali Firmano, summo Pœnitentiario Papæ, et Protectori Ordinis nostri verba sua ad litteram, quæ talia sunt*: « Deterrebat aliquantulum mens ambigua, si scriberem an silerem, sicut tandem zelus antiquæ confidentiæ, quam secure gessi in V. R. D. potius exprimere, quam supprimere, quod vidissem in festo sancti Bartholomæi in anno præsenti, in Alba Regali prædicans multis militibus christicolis, interprete, quod edixeram, declarante, de propinquis periculis fidei Christianæ. Vidi quatuor flumina invicem decertantia, quorum primum ab oriente, secundum ab occidente, tertium a meridie, quartum vero a septemtrione, et quodlibet nitebatur in mari magno cum impetu fluere et refluere. In refluxu autem quodlibet violenter agebat, ut aquam totius pelagi traheret secum: vicit postremo occiduum. Quid hæc velint attendite. Quid spiritus indicet propulsate. »

* *adde* proferam

de futuris habet

98 Sequitur decima nona : « In festo Sacro-rum

A rum Stigmatum Seraphici Patris Francisci, nostri inclyti Patriarchæ, cum interpres exponeret, quod a me prius audierat, de impressione signaculorum Jesu Christi, vidit servulus tuus in cœlo prælium magnum inter solem et lunam, et stellas. Luna et stellæ, contra solem irruentes, victoriam deferebant. Stupefactus et admirans, quid hæc vellent, ignorans, audivi, sol a luna superatus est. Judicia Dei, abyssus multa tamquam attonitus deplorabam, quod non esset astrologus hæc discernens. Iterum vox intonuit spiritualis. « Incomprehensibilia sunt judicia Dei, abyssus abyssum invocat*, » iterum deplorabam et conclusionem hanc percepi, major serviret minori, et finis properat. Hæc illius, cujus est condere et enodare.

* Rom. XI, 33 et Ps. XLI, 8

circa christianitatem universam,

99 Vigesimam habuit in Ungaria. Nam cum esset apud episcopum Vacciensem, tria de proximo imminere mundo prædixit, videlicet : maximam humani sanguinis effusionem, maximorum ædificiorum subversionem, præcipuorum virorum defunctionem. Primum completum est in Turcarum occisione; secundum B in civitatum, oppidorum et terrarum multarum eversione in regno Siciliæ et alibi; tertium in magnorum virorum interitione, sicut fuit Gubernator Ungariæ, rex Ladislaus et cæteri. Vigesimam primam habuit etiam in Ungaria, in oppido, quod dicitur Zalonkæmen. Cum in via esset ad succurrendum castro Nandoralbensi, quod a Turcis in proximo obsidendum erat, duceretque secum paucos Cruce signatos, valde lentus et subtristis reddebatur præ paucitate Cruce signatorum. Celebrante ergo eo quodam mane, visum est ei, quod quædam sagitta, cœlitus emissa, in momento super altare appareret, in qua litteris aureis scriptum erat : « Ne timeas, Joannes, sed securus descende et constans esto : quia in virtute Crucis victoriam de Turcis reportabis. » Ex qua exhilaratus Pater, Cruce omnia sua insignivit, et victoriam de Turcis reportavit.

circa diem obitus sui,

100 Vigesimam secundam habuit de obitu suo. Eodem enim anno, quo mortuus est, scripsit V. P. fratri Gabrieli de Verona, vicario provinciæ Austriæ, et cuidam fratri Ita- C lico, quod si eum vivum videre volebant, ad eum, qui tunc Budæ prædicabat, descenderent. Qui dum descendere differrent, per duas alias litteras eos vocavit, eadem verba, ut prius, replicando. Insuper et litteris per nuntium addidit similia verba eis nuntiando. Descendentibus insuper ipsis, et a beato Patre cum magna charitate receptis, infra breve tempus feliciter migravit ad Dominum. Vigesimam tertiam habuit in aliquibus generalibus Ordinis, quibus nuntiavit in brevi morituros, si fratres de Observantia persequi tentarent. Cujus verba non advertentes et inobservantes, atrociter sævientes, infra tempus breve de medio sublati sunt : et præcipue frater Jacobus de Mozanica, cui cum humiliter et benigne scripsisset, ne fratribus Observantiæ, gravamen inferret, derisit ipse in præjudicium suum beati Patris monitionem, et super omnes molestior Observantibus extitit : sed infra paucos dies, cum esset acceptissimus omnibus, et crederet Observantiam jam destruxisse, repentina morte præventus est, Observantia in suo statu remanente.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

et circa Ordinem Minorum.

101 Vigesimam quartam habuit de reductione Observantiæ ad pristinum statum, et de confirmatione Bullarum Eugenii. Dum enim tempore prædicti fratris Jacobi, ministri generalis, familia Observantium multas pateretur conversiones et Bulla, quam ei dederat Papa Eugenius, fuisset immutata, flevit pius Pater, et a lacrymis cessare non potuit. Tandem ad se reversus, et in spiritu consolatus, dixit : Familia Observantiæ numquam in pace erit, donec Bulla Eugenii iterum confirmetur, et in brevi, Deo concedente, iterum confirmabitur. Mortuo ergo Calixto Papa, in brevi, qui Bullam ipsam immutaverat, electus est Papa Pius Secundus, qui Bullam Eugenii confirmavit, et familiam Observantium in statum pristinum reduxit,

ANNOTATA.

a *Obiit S. Bernardinus Senensis anno bissextili* 1444, *signato littera dominicali* ED, *paschate in diem* XII *Aprilis incurrente: fer.* IV *igitur in Vigilia Ascensionis Domini, erat dies* XX *Maji: in primis autem Vesperis solemnitatis cantantur verba, ex S. Joannis Euangelio desumpta, ad* Magnificat. E

b *Commissarii pontificii in causa canonizationis S. Bernardini fuerunt Cardinales Nicolaus tituli S. Marcelli, Gulielmus tituli S. Martini in Montibus presbyteri et Albertus tituli S. Eustachii diaconus* (1). *Iterato eadem causa, mortuo Eugenio IV, a Nicolao V commissa fuit Gulielmo d'Estouteville Gallo, Jacobo Ursino Neapolitano et Petro Barbo Veneto, Cardinalibus, qui curam conficiendi processus et testes audiendi demandarunt Antonio, episcopo Urbinati et Joanni episcopo Pennensi* (2).

c *Obiit Eugenius IV die* XXIII *Februarii* 1447; *ejusque successor Thomas de Sarzano, assumpto nomine Nicolai V, electus fuit die* VI *Martii ejusdem anni: qui anno jubilæi* 1450 *in die Pentecostes, seu* XXIV *Maji, astantibus ter mille octingentis Fratribus Minoribus, solemni ritu* F *B. Bernardinum in Catalogum Sanctorum intulit* (3).

d *De B. Thoma Florentino copiose agit Waddingus* (4). *Immemorialem ejus cultum probavit Clemens XIV, et in Martyrologio Seraphico sub die* XXXI *Octobris legitur sequens elogium:* Reate in Umbria natalis beati Thomæ a Florentia, qui una cum sancto Joanne a Capistrano in Palæstinam, mox in Æthiopiam cum fratre Alberto de Sarthiano et aliis fratribus profectus, ibique multa pro Christo ab infidelibus passus, tandem in Italiam redux, virtutibus et miraculorum fama clarus, quievit in pace : ejus immemorabilem cultum Clemens quartus decimus Pontifex Maximus ratum habuit.

e *Amicus Agni filius episcopatum Aquilanum administravit ab anno* 1431 *ad* 1472, *ante, scilicet anno* 1464, *Cardinalis a Paulo II creatus* (5).

(1) Wadd. Ann. tom. XI, pag. 233. — (2) Ibid. pag. 174. — (3) Ibid. tom. XII, pag. 51. — (4) Ibid. tom. XI, pag. 292 et seqq. — (5) Ital. sacr. tom I, col. 391 et seq.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

f *Alba Regalis*, Stuhlweissembourg, *civitas episcopalis Hungariæ sub metropoli Strigoniensi, incolas habet* XXII *millia. Locus olim per annos* D *regibus Hungariæ simul funeris et coronationis fuit* (1): *ast hodie Posonii passim diadema cingunt reges.*

CAPUT VII.

De ejus scientia et scriptis libris.

Scientia et litteris apprime instructus,

Jam beati Patris enarratis miraculis, et post divinas revelationes, sibi factas, quantæ scientiæ perspicuitate viguerit, quantas multiplices disputationes pro defensione veritatis fecerit, quanta præclara opera ad utilitatem fidelium ediderit, enarrandum est. Cum adhuc sæcularis esset, studens in universitate Perusina, adeo in utriusque juris canonici et civilis facultate profecit, ut omnibus mirabilis haberetur. Non dedignabantur doctores et alii universitatis studentes consilia et sententias
B ejus sequi. Sæculares quoque, dimissis doctoribus, in eorum causis pro consilio ad eum recurrebant, ipsius responsa ita vera et firma putantes, ac si a quovis jurisconsulto edita fuissent. In tantum enim ejus scientiæ fuerat opinio divulgata, quod etiam in anno novitiatus ipsum Fratres abscondere non poterant, quin ad importunas multorum sæcularium preces juberent eum consilia, quæ requirebant, illis sæpenumero communicare; sicut etiam superius declaratum est.

Scripturæ et theologiæ operam dat,

103 At postquam in Ordine professus est, spatiosum et amœnissimum Sacræ Scripturæ campum ingressus est, in quo tam continue, viriliter et sollicite laboravit, quod infra breve tempus multo plus, Spiritu Sancto virtutem præstante, perfecit, quam prius in jure profecerat. In Biblia siquidem ita certus et expertus erat, quod nihil celebratur in ea, quin sibi manifestum esset. Magistrum etiam Sententiarum, et omnes doctores Sacræ Scripturæ diligentissimo studio percurrit, nihilque quod ejus notitiam effugeret, per eos
C dicebatur. Exinde in toto orbe celeber habebatur, de diversis partibus ad eum pro consilio confluebant, nullus eo melius, nullus clarius dubia solvebat, nullus luculentius casus conscientiæ declarabat, nullus efficacius scrupulos de mente extirpabat.

et tum privatis consiliis,

104 Numquam etiam de eo compertum est, quod aut propter timorem, aut amorem, aut aliam quamcumque causam, veritatem suppresserit sive tacuerit. Loquens enim magnis et parvulis veritatis jaculis æque feriebat. Sive enim loqueretur prælatis Ecclesiæ, sive regibus, sive principibus, sive divitibus, sive pauperibus, omnibus veritatem aperiebat; nulla adulatio, nulla simulatio, nulla hypocrisis in verbis suis aut in gestibus deprehendi poterat. Vidimus eum aliquoties cum tanto fervore et caritate vitia aliquorum magnorum virorum reprehendere, quod etiam ad fletum eos provocabat. Non solum igitur sanctis operibus et angelica vita munitus, sed et divinarum Scripturarum scientia perfectissime imbutus, eructabat eloquia, Deo et D Angelis, sapientibus, et insipientibus acceptissima. A trigesimo quippe anno, quo Religionem ingressus est, post professionem suam ad septuagesimum primum, quo spiritum Deo reddidit, quasi quotidie, nisi fuisset aut arduis negotiis, aut infirmitate præventus, sermonem populo faciebat, imo quandoque febricitans, non propterea a prædicando cessabat.

tum publicis concionibus

105 Sermones autem suos ita æqua lance librabat, et tali studio ad limam rationis deducebat, quod licet in diversis mundi partibus prædicaverit, puta in tota Italia, in Francia, in Alemania, in diversis regnis et ducatibus et in multis universitatibus coram episcopis, coram doctoribus, numquam tamen in aliquo puncto aut in aliqua falsa quotatione *a* erasse probatus est: quia nimirum in allegationibus Sacræ Scripturæ et jurium abundabat. Fuerunt aliquando viri doctissimi, qui in admirationem inducti, singulas quotationes conscripserunt, et utrum bene allegasset diligenter conspexerunt, sed numquam eum
E errasse quisquam in veritate deprehendit. *a*

omnium saluti consulit;

106 Cum tanta faciei jucunditate et spiritus alacritate verbum Dei proponebat, quod non solum intelligentes verba sua, sed etiam non intelligentes, vultum suum, tamquam vultum Angeli, conspicientes, numquam in ejus sermone tædio afficiebantur. Plerumque dum prædicaret in Alemania, Bohemiæque, Poloniæ, et Ungariæ regnis illiterati et rustici, qui latinum non sciebant, similiter et mulieres, donec ipse loquebatur a sermone non recedebant, sed frequentius postquam interpres, quæ dixerat, populis exponebat, statim vidisses populum pro magna parte ad propria tendere ac remeare, quasi majorem devotionem in solo visu et gratioso aspectu Patris, quam in verbis cujuscumque interpretis habentes. Si quando nix vel pluvia de cœlo cadebat, non propterea fervens populus recedebat, sed usque ad finem verborum suorum perseverabat.

utrique etiam clero monita salutaria dat:

107 Quasi in omnibus principalibus civitatibus, ad quas declinabat, invitabatur ab episcopis et a clero, ut sermonem eis convenientem faceret. Ipse vero, exclusis sæcularibus, quia nescire debent laici, quid faciunt clerici, ita religiosis et clericis de eorum statu prædicabat, et maxime de honestate servanda, et de avaritia fugienda, cæteris virtutibus observandis, et vitiis fugiendis, et cum tanta verborum gravitate ac humilitate, nec non fervore spiritus, quod licet unumquemque juxta eorum statum argueret, et nullius vitia, quantumcumque magni, palparet, suscipiebant tamen omnes tam prælati quam subditi, tam senes quam juvenes, tam docti quam indocti, verba ejus tam benigno et grato animo, ac si non ab homine, sed ab Angelo prolata fuissent. Extra vero illos sermones, numquam, cum populo prædicabat, aliquid, quod in scandalum cleri vergere posset, narrabat.

mulieri concubinariæ sepulturam ecclesiasticam denegandam,

108 In ambonibus, quibus prædicabat, interdum fingebantur casus intricati; proponebantur quæstiones, quodammodo indissolubiles, quas omnes mox sine temporis dilatione solvebat :

(1) Gilbert. Dict. Géogr. v°. *Stuhlweissembourg.*

A solvebat : ita ut mirabilis sua scientia omnibus videretur. Multoties insuper pro defensione veritatis publice disputavit, et finaliter de adversariis victoriam reportabat. Cum semel in provincia sancti Angeli in terra *b*, quædam mulier concubinaria, quæ in loco sacrato sepeliri non debebat, per ignorantiam quorumdam in cœmiterio sepulta esset, et Patri inde transeunti hoc nunciatum esset, respondit, eam debere exhumari, et in loco profano sepeliri. Cujus sententia, quia molesta pluribus erat, qui prius forte eam in cœmiterio sepeliendam censuerunt; disputatio publica ordinata est, in qua Pater doctissimus, ita causam veritatis deduxit, ut, omnibus præsentibus et tacentibus, immo capitibus demissis, impudica mulier exhumata, in campum, ut bestia, projecta sit.

b

alii, injuste privatæ, reddendam, demonstrat;

109 Aliam, in civitate Aquilæ extra locum sacratum sepultam injuste, per universalem et publicam disputationem, licet in ipsa civitate sit maxima copia virorum doctorum, prudentissimus Pater fecit exhumari, et in loco sacro sepeliri, in ecclesia scilicet sancti Blasii ejusdem civitatis. Nemo ergo umquam, nisi invitus, cum eo disputabat : vigebat namque in eo mirabilis scientia, sale discretionis condita. Inerat etiam sibi sapientia et naturalis intellectus cum divinæ gratiæ infusione, propter quæ, ne ingratitudinis apud Deum reus esset, erat ubique veritatis amator et defensor et zelator honoris Domini, nec non conservator famæ proximorum. Cum enim tempore Martini Quinti, frater Bernardinus de Senis, tunc quidem prædicator ferventissimus, nunc autem Christi Confessor præclarus, in Urbe prædicaret, essentque sibi ab æmulis, invidia motis, aliqui articuli impositi, qui, ut ipsi asserebant, hæresim sapiebant : statuta est dies publicæ disputationis super eisdem.

B

S. Bernardinum ab accusatione hæreseos vindicat;

110 Interea quidam Romani dictos articulos ad Patrem fratrem Joannem de Capistrano, qui tunc temporis Reate prædicabat, miserunt, nuntiantes eidem diem disputationis statutam. Quorum articulorum principalis erat : quod frater Bernardinus idolatra esset, ex eo quod Nomen Jesus, in tabula depictum, portaret et a populo publice faceret adorari. Quod ut ad aures Patris devenit, videns injuriam christiani nominis et malitiam æmulorum, vilipendium prædicatorum, ac succurrere volens desiderio devotorum Ordinis nostri, licet ipse Bernardinus, divina gratia plenus, ac scientia doctus, confideret, se defensurum articulos, false sibi impositos; illico tamen zelo sui magistri, fratris Bernardini, cujus per multos dies discipulus et socius fuit, accensus, fecit fieri pulchram tabulam, in qua Nomen Jesu ornatissime fecit depingi, paravitque hastam, sive lanceam, et, assumptis sociis, omissa prædicatione, Romam advolavit.

C

cultum SSmi Nominis Jesu

111 Cumque statuto die disputationis, Pater venisset ad portam civitatis, tabulam, sic ornatam Nomine Jesu, in hasta ligavit, sicque ligatam in hasta, levavit in altum, concurrentibus civibus multis sicque : divina gratia fretus, et Nomine Jesu armatus, per publicam et majorem viam civitatis cum tali vexillo ad scalas palatii sancti Petri usque pervenit, sociis laudes decantantibus : ex quo admiratus est Papa, stupuerunt Cardinales, et tota civitas commota est. Differtur in crastinum disputatio, convenerunt æmuli, congregantur cives, prælati advocantur, ordinatur circulus, recitantur articuli, fiunt argumenta, ac Patri datur respondendi locus : omnes ad eum oculos vertunt, qui omnes elegantissime confutavit errores ac defensavit articulos, nec in tanta urbe inventus est, qui sententiis et conclusionibus doctissimi viri contradiceret. Erubescunt æmuli, veritate lucente. O inæstimabilem sancti Joannis sapientiam! o prudentiam zelantissimam! o charitatem ferventissimam!

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

defendit et promulgat;

112 Exinde præcipitur processio veneranda ad honorem Nominis Jesu, quod etiam in tabula depictum pro vexillo portabatur, ex tunc in ipsum Nomen in tantum devotio aucta est, ut in ecclesiis, in plateis, supra portas et ostia domorum honorifice ubique depingeretur, ut veneraretur. Non mirum ergo si beatus Pater suum magistrum, fratrem Bernardinum tanta diligentia adjuvit, per cujus gravissimos labores, præcedentibus miraculis, etiam ad canonizationem promovendus erat. Plures alios fratres, qui ab æmulis vexabantur, sapientissimus Pater defensavit, et per evidentia documenta contradictores plus velle sapere, quam oportet, demonstravit; et maxime in civitate Mediolanensi, in qua viget copia peritorum in omni scientia, dum quidam malevoli sermonibus beati Patris Alberti de Sarciano contradicerent, superveniens egregius Pater, ita clare latrantia ora conclusit, quod nullus amplius contradictor apparuit.

E

Acta concilii Basilcensis damnat;

113 In civitate Viennensi, dum prædicasset, concilium Basiliense præsumptuose egisse, eo quod Felicem Antipapam, vivente Eugenio vero Pontifice, eligere præsumpsisset; quidam universitatis principaliores doctores, hoc moleste ferentes, contra hoc publice disputare minabantur. Quod dum veridice Patri nuntiatum esset, iterum, quod dixerat, replicavit, et adeo rationibus et auctoritatibus verba sua firmavit, quod licet doctores prædictos ad disputandum invitaverit, nullus tamen, qui contrarium assereret, ausus est in publicum apparere. In partibus Burgundiæ, dum commissarius summi Præsulis Eugenii esset, minister illius provinciæ insolenter vivens, verbis ac monitionibus Patris acquiescere nolens, credebat per suam scientiam et argumenta sophistica manus Patris subterfugere, et errores suos defensare. Vocatus ergo per Patrem, cum magna comitiva fratrum et aliorum, arma ferentium, credens ex hoc Patrem debere terrere, venit. Sed intrepidus Pater scientiam, et arma ministri parvi pendens, eum errare convicit, et sic a ministeriatu, auctoritate summi Præsulis, deposuit.

F

multis licet negotiis implicatus, varios tamen conscribit libros.

114 Licet vero zelantissimus Pater quotidie prædicaret, et, sicut superius declaratum est, pro communi bono hinc inde discurrendo laboraret; nihil tamen se fecisse reputans, multos Tractatus ad utilitatem multorum composuit. Nam quemdam pulchrum tractatum de pœnis inferni et purgatorii composuit. Similiter plures tractatulos de casibus conscientiæ, tractatulos de pœnitentiis injungendis, de interrogationibus in confessione fiendis, tractatulos de restitutionibus et contractibus; pulchrum tractatum de excommunicationibus;

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

nicationibus; fecit librum de auctoritate Ecclesiæ subtilem, quem et Summo Pontifici præsentavit: scripsit de matrimoniis longum et utilissimum tractatum; composuit pulchrum tractatum contra hæreses Hussitarum; multas longas et egregias epistolas contra hæreticos et maxime contra Hussitas edidit; composuit quemdam devotissimum et copiosum tractatum de regimine clericorum, quem intitulavit Speculum clericorum, sermones sæpenumero, quos prædicavit populis. Fecit multa alia vigilanti studio et diligenti cura, quæ longum foret enumerare *c*. Sunt autem prædicta opera hinc inde per mundum a multis rescripta, et in pluribus librariis honorifice collocata. Cogitans siquidem amator Dei, oportere singulos de dispensatione temporis strictissimam reddere rationem, tanta dispensatione tempus disponebat, ut nec minimam ejus particulam absque fructu præteriret. Et ideo prædicando, orando, legendo, laborando, et tractatus supradictos componendo, in agro Domini vigilantissime insudabat.

B

ANNOTATA.

a Quotare *apud Cangium in Glossario med. et inf. latinitatis h. v. significat aliquem librum seu tractatum per capita et versiculos distinguere. In nostro autem textu,* quotatio, *quæ vox deest in citato Glossario, est accurate citare quo capite et quo versiculo aliquis locus sive S. Scripturæ, sive juris, sive theologiæ reperiri potest.*

b *Textus noster omittit nomen terræ, in qua id accidit. Cæterum provincia S. Angeli, quantum ex Francisco Gonzaga intelligi potest, in Aprutio, saltem ex parte, sita est* (1).

c *Quantum potuimus, late egimus de operibus et scriptis S.* Capistrani *toto* § XLVI *Commentarii prævii, quem, si lubet, adeat lector.*

CAPUT VIII.

Itinerarium in Germaniam, et miracula, in itinere patrata.

Invitante Friderico imperatore,

Post felicem et Deo gratissimam sancti Bernardini canonizationem, in anno Jubilei per Papam Nicolaum celebratam, cum beatus Pater vicariatus generalis officio fungeretur, ad partes Lombardiæ et Marchiæ Trevisanæ se transferens, in omnibus civitatibus, quas visitabat, inaudita et stupendissima miracula ex divina largitate, tum meritis sancti Bernardini, et tum ipsius beati Patris sanctitate, monstrabantur. Quorum rumor et novitas per omnes ferme mundi regiones cum omnium admiratione delata est. Horum certitudinem audiens serenissimus imperator, Fredericus, tunc rex Romanorum, misso domino Enea, Senensi episcopo, nunc Papa Pio, ad Nicolaum Papam Quintum, magnis rogatibus postulavit, ut vir Dei ad ejus præsentiam mitteretur. Scripsit ergo summus Pontifex beato Patri, ut celebrato festo Paschæ, versus partes Alemaniæ iter suum ad præsentiam regis Romanorum dirigeret. Igitur anno Domini MCCCCLI, post festum Paschæ recessit a civitate Venetiarum *a*, in qua per quadragesimam præcedentem prædicaverat, cum patratione multorum prodigiorum. *a*

assumptisque sociis duodecim;

116 Antequam vero de Italia recederet, duodecim Fratres, itineris sui socios, Christum imitatus, elegit: scilicet venerabilem Patrem Fratrem Gabrielem de Verona, Fratrem Hieronymum de Mediolano, Fratrem Nicolaum de Fara, hi tres fuerunt postmodum vicarii provinciarum effecti, Fratrem Petrum de Sopronio, Fratrem Bernardum de Mutina, Fratrem Valentinum de Tuscia, Fratrem Christophorum de Varisio sacerdotes, Fratrem Bernardum de Neapoli, Fratrem Paulum de Ferraria, Fratrem Joannem de Camplo, Fratrem Michaelem de Prussia *, et Fratrem Joannem de Austria laicos *b*, ex quibus duo, scilicet Frater Valentinus, et Christophorus, infirmitate preventi, in Italia remanserunt. Sed Frater Christophorus non multo post, adepta sanitate pristina, sequutus est Patrem, quem in Znayma prædicantem invenit. Verum quia mirabilia, Venetiis et in aliis civitatibus Italiæ perpetrata quam pluribus, diligentiori stilo et sermone conscripta sunt *c;* ego breviori modo quo potero, et summarie gesta per Patrem a recessu a Venetiis, usque ad ingressum in Ungaria, solum principaliores civitates, et non nomina singulorum oppidorum, et villarum recitare curabo, brevitatis gratia.

* Perusia

b

c

in Germaniam proficiscitur, ac Caprioli Utinæ

117 In Nomine igitur Domini nostri Jesu Christi, in cujus virtute fiunt signa et prodigia, et qui facit mirabilia magna solus, ingrediamur pelagus. Primo in civitate Capriolis *d* die XXII Aprilis MCCCCLI, quidam mutus a nativitate annorum XX pariter et surdus, et alter destitutus, cum croculis serpens, fuerunt sanati. In Portu Gruario *e*, die ultima Aprilis, unus contractus, unus paralyticus, una clauda cui elongata fuit tibia per medium palmum curati sunt. In castello Sancti Viti *f* die prima Maii quædam contracta a nativitate, tres claudi et duo muti et surdi a nativitate fratres fuerint sanati. In civitate Utinensi *g*, die IV Maii, quatuor contracti membris, una immobilis, unus mutus per duos annos, et una trahens post se pedem, sanantur. Ibidem quarta* die Maii quatuor claudi, sine sustentaculis non valentes ambulare, duo muti a nativitate, duo guttosi, et una habens faciem versam immobilem, ac etiam os tortum, sanati sunt. Ibidem VII die Maii quinque non valentes sine croculis ambulare, una habens pedes retractos, tres contracti membris et quasi immobiles, portati in grabatis duo, tertius vero in cathedra, unus cæcus ab uno oculo, una surda et muta a nativitate, liberati sunt. In civitate Austriæ Forijulii *h*, X Maii, unus per annum immobilis, tres claudi substentati croculis *i* et baculis, unus habens brachium immobile, et unus surdus per annos plurimos, optime fuerunt sanati.

d

e

f

g

quinta?

h

i

Clemone, Pontebæ,

118 In terra Clemonæ *k* XI Maii quædam surda per XII annos in via ad Clemonam sanatur. Ibidem die XII in claustro Minorum duo surdi et muti a nativitate ætatis virilis, XXXVI podagrosi, non valentes sine baculis ire, unus, vix splendorem habens ab uno oculo, et unus assideratus, et cruribus immobilis,

k

(1) Orig. Seraph. Relig. pag. 420 et seq.

sanantur.

A sanantur. Eodem die post prandium sex, non valentes sine baculis ire ex podagra et aliis languoribus, unus mutus et surdus a nativitate, unus caput nec brachium potens extendere, una cæca ab uno oculo, una habens manum attractam, liberati sunt. Ibidem XIII Maii tres claudi, et podagrosi, septem surdi, una non valens loqui, neque ambulare sine baculo, unus XII annorum a nativitate vix splendorem videns, mirabiliter fuerunt sanati. In villa Puntafil *l*, die XVII Maii, unus mutus et surdus a nativitate, una penitus cæca, nihil videns, et una clauda, relicto baculo, sanantur. In via quoque in canali multi sanati sunt, sed præ turba et multitudine, quæ undique confluebat, et etiam propter festinantiam itineris, scripti non fuerunt.

l

Villaci.

m

* XVIIII ?

119 In Villiaco *m*, XVIII* Maii, in vigilia sancti Bernardini, in eadem civitate exortus morbus inauditus, paucis diebus multos utriusque sexus extinxit : nam comedendo, bibendo, corizando, sive alia faciendo, subito cordis dolore correpti, omnibusque membris destituti, moribundi ad terram ruebant immobiles : et

B sic per aliquot horas sive dies, juxta robur complexionis, dolorose animas emittebant. Quorum plures in grabatis, et super cathedras semianimes adducti, domum reversi sunt cum gaudio. Ex quibus quatuordecim inter mares et fœminas, pro mortuis in morbo delati, propriis pedibus, acceptis crucis signo et de surgendo Patris præcepto, dimissis grabatis et cathedris, quæ adhuc in testimonium pendent in ecclesia Minorum, etiam currentes sunt reversi cum omnium adstantium incredibili fletu et stupore. Item duo cæci, unus surdus, unus podagrosus, unus attractus in manibus, alius attractus in manibus et pedibus, duo habentes pedes immobiles, in modum crucis transversos, optime fuerunt liberati. Ibidem XX Maii, in festo sancti Bernardini, vicarius ecclesiæ inutilis effectus ad celebrandum ex gutta, fuit optime sanatus. Quo viso miraculo, tanta fuit turbarum oppressio, ut vix Pater sanus cum sociis evaserit. Et ideo alia facta scribi non potuerunt.

Stroburgæ, Judemburgi

n

120 In Stroburga *n*, apud episcopum Gurcensem, vigesima tertia Maii, duo cæci, unus surdus, duo vel tres membris destituti ex morbo prænotato, una consumpta viribus ex diutino fluxu sanguinis, duo claudi, tres attracti et assiderati, una renum dolore quasi deficiens, diu noctuque permaxime gravata, sani abierunt. Apud intermedias civitates et

o p villas puta in Frisaco *o*, in Judemburgo *p*, fuerunt multa signa, sed propter itineris velocitatem notari non potuerunt, usque ad penultimam diem Maii, quo Pater Novam

q Civitatem *q* applicuit, gloriose et honorifice a serenissimo Romanorum rege, Frederico susceptus. In Nova Civitate ab ultimo die Maii, usque ad sextam Junii septem cæci, quorum unus a nativitate, sedecim surdi, decem et octo claudi, unus mutus et surdus a nativitate, septem attracti, alii in pedibus, alii in manibus, alii in utrisque, quatuor omnibus viribus destituti, et omnino immobiles, cum aliis multis, abierunt sani.

Viennæ, Austriæ

121 In Vienna, inclyta civitate, die nona Junii, tres cæci, quinque surdi, quatuor paralytici, non valentes ore, una omnino immobilis, una muta et surda per viginti annos, curati sunt. Ibidem, decima Junii, quatuor attracti, alii in pedibus, alii in manibus, sex claudi, quorum tibiæ tribus mirabiliter fuerunt elongatæ, duo surdi et muti a nativitate, unus cæcus, unus surdus, quinque omnibus membris destituti et omnino immobiles, sani abierunt. Ibidem, decima prima Junii, tres claudi, unus podagrosus, unus surdus, et unus cæcus ab uno oculo, sani facti sunt. Ibidem, decima secunda Junii, tres surdæ, una omnino immobilis, unus attractus in manibus, et una propter dolorem corporis destituta, sanantur. Ibidem, die tertia decima, in die Pentecostes, cum advenissent circa quatuor millia infirmorum, nec quidquam, memoria dignum, actum fuisset, contristatis quasi ex hoc Fratribus, Pater in fervore spiritus dixit : « Modicæ fidei quare dubitastis, ecce secure volo a canibus comedi, si cras non videbitis mirabilia et gloriam Dei. » Ibidem, die decima quarta Junii, quatuor cæci, quorum unus a nativitate, una surda, et unus membris destitutus; sex claudi, quorum uni elongata est tibia E permaxime, duo attracti; quinque portati, per se omnino immobiles, una hydropica, optime liberati sunt. Ibidem, die decima quinta Junii, una cæca penitus, duo membris destituti, sex claudi, quorum unus ferulas reliquit, et duobus fuerunt mirabiliter elongatæ tibiæ, et unus immobilis, sanantur. Ibidem, die decima sexta unus mutus et surdus a nativitate, quinque claudi, quorum unus reliquit ferulas, et alteri elongata est tibia multum, unus surdus, unus membris destitutus, una reptans sicut serpens, nec se erigere valens, fuerunt sanati.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

multa miracula variis

122 Ibidem, die decima septima, una cæca, una clauda, unus immobilis, una muta, et una obsessa, fuerunt liberati. Ibidem, die decima octava, duo destituti, unus in brachio, alter omnibus membris, unus surdus, tres claudi, relictis baculis, sanati sunt. Ibidem, die decima nona, tres, omnes destituti viribus, unus surdus, una podagrosa, unus claudus, non sine baculo incedens, omnino liberantur. Ibidem, die vigesima, in die Trinitatis, una surda et muta a nativitate, una cæca, et F quatuor surdi, septem membris destituti, duo pedibus tantum, duo pedibus et manibus, aliqua totaliter paralytica, unus claudus, nec sine baculo incedens, una attracta manibus, ita ut per magnam vim non possent aperiri, una paralytica, unus, qui a nativitate non minxit, nisi guttatim, et cum dolore, statim, sine læsione, urinam emisit in copia in ecclesia, et sic omnes fuerunt sanati.

successive diebus patrat;

123 Eadem die, quædam puella XVII annorum, omnibus jam destituta viribus, velut mortua, jacebat in terra, parentibus, et qui eam attulerant, de sepultura cogitantibus, quæ ad unicam vocem Patris dicentis : « Surge in Nomine Jesu, et ambula; » statim surrexit, et quasi de somno veniens, non de faucibus mortis, ambulare cœpit, et recenter currere. Ibidem, die vigesima prima, duæ cæcæ, una immobilis penitus, una in brachio destituta, continuis agitata doloribus, liberati fuerunt. Ibidem sequenti triduo tanta fuit multitudo infirmorum, quod non solum visitari non poterat, sed, occupatis omnibus angulis in conventu

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

ventu Minorum, vix Pater cum sociis cameras exire poterat, et ideo licet multi fuerunt sanati, tamen præ pressura, scribi non potuerunt.

quæ etiam in Lak r

124 Illis diebus, prope civitatem Lak *r*, in quadam villa dicta Hofflein, quædam mulier nomine Clara, uxor Petri sartoris, dum die sabbati pistaret panes circa meridiem, ejus filia, nomine Catharina, duorum annorum cum dimidio, cecidit in puteum, qui est in medio villæ, nemine vidente; in quo suffocata jacuit usque in secundam feriam. Quam dolorosa mater extractam, assumpto secum Laurentio fratre suo, Viennam adiit, portans secum defunctam filiam, nemine tamen hoc sciente. Cum vero venisset ad Patrem, nec ad eum propter nimiam pressuram venire posset, appropinquavit ei quantum potuit, a quo una cum filia mortua, accepta benedictione, et abscondita secedens ad capellam sancti Bernardini, et inspiciens faciem filiæ, eamque viventem intuens, præ nimio gaudio attonita, nihil dicens, ad propria remeavit, et quod accidit, omnibus enarravit.

renovantur.

125 Ibidem, die vigesima quinta, tres surdi, duæ cæcæ, una clauda, una ambulare nequiens sine baculo, sunt liberati. Ibidem, die vigesima sexta, una, penitus cæca quatuor annis, una clauda, liberantur. Ibidem, die vigesima septima, tres claudi, una cæca, liberi abierunt. Ibidem, die vigesima octava, duo surdi, unus baro claudus, una obsessa, sanantur. Ibidem, die vigesima nona, duæ cæcæ, una a nativitate annorum viginti, triginta sex surdi, duo claudi, unus attractus manibus et pedibus, unus assideratus et destitutus omnibus viribus, incolumes abierunt. Ibidem, die ultima junii, sex claudæ, una cæca, una attracta monstruose, duæ destitutæ viribus, sanantur. Ibidem, die secunda julii, quatuor surdi, unus cæcus, unus claudus, fuerunt liberati. Ibidem, die tertia, duo surdi, tres membris et viribus destituti, una cæca, una clauda, tres attracti manibus et pedibus, liberantur. Ibidem, die quarta, tres attractæ manibus et pedibus, duæ claudæ, quarum una erat curva et in una manu contracta, unus, qui anhe-
C litum habere non poterat, semianimis effectus, una membris et viribus destituta, sanantur. Ibidem, die sexta, tres surdi, unus cæcus, una viribus destituta, una clauda, una immobilis ex podagra, una paralytica membris, omnes sanati abierunt. Ibidem, die se-
s ptima, unus cancellarius curiæ Possonii *s*, totus inflatus a medio valde monstruose, statim pristinæ sanitati restituitur. Ibidem, die octava, una cæca et clauda, una attracta manibus et pedibus, una clauda fortiter, sanantur.

ANNOTATA.

a *Anno* 1451 *festum paschatis extremum limitem attingebat, scilicet diem* XXV *Aprilis : adeoque quum infra num.* 117 *legimus, S.* Capistranum *jam extra Venetias egisse die* XXII, *aut errorem quemdam obrepsisse in numero, aut Sanctum non absolvisse integram quadragesimam Venetiis, dicendum erit.*

b *Inter eos, quos sibi socios adlegit S.* Capi- D
stranus, *aliqui sunt non solum sanctitate, sed etiam litteris et rebus gestis insignes. Imprimis Gabriel de Verona, seu Rangoni, quem illegitime natum producit Waddingus* (1), *quum ejus parentes justo matrimonio junctos, exhibet Cajetanus Moroni in suo Lexico Eruditionis ecclesiasticæ* (2). *Ordinem Minorum Observantum ingressus, vicarius fuit provinciæ Austriæ, dein episcopus Albensis in Transylvania, Agriensis in Hungaria, tandem Cardinalis obiit Romæ anno* 1486, *sepultusque fuit in templo Aracœlitano FF. Minorum. De Nicolao Farensi* (3), *Christophoro de Varisio* (4), *Hieronymo Utinensi* (5) *ac Petro Soproniensi egimus in Commentario prævio num.* 5 *et seqq. De reliquis varia habet citatus Amandus Hermann in Capistrano triumphante* (6).

c *Quæ in Italia patrata sunt miracula,* diligentiori stylo et sermone conscripta *esse dicit biographus; sed hactenus, quantum scio, delitescunt.*

d *Supra Annotato* a *diximus, anno* 1451 *pascha occurrisse* XXV *Aprilis; adeoque, siquidem* E
biographus noster num. 115 post festum Paschæ recessisse a civitate Venetiarum *testetur, non bene sibi constat, quando jam in itinere germanico constitutum, Capriolum die* XV *Aprilis seu decem ante pascha diebus appellere facit. Dein Capriolum, in agro Brixiano ad lacum Sebinum* (Lago Iseo) *situm, videtur inspicienti mappam aliquam nimium a recto versus Austriam itinere deviare. Quapropter quæ Caprioli acta sunt, malo in hyemem, quando Brixiensibus prædicavit, ut narrat Waddingus* (7), *transferre, et memoria fefellisse Christophorum biographum mihi fingere : præsertim quoniam Christophorus, ut ipse dicit num. præc.* infirmitate præventus *paulo serius secutus sit Sanctum, ac proin pro istis initiis auritus magis quam ocularis testis fuerit.*

e *Portus Gruarii, oppidum regni Lombardo-Veneti,* 45 *chiliometris Africam versus* (Sud-Ouest) *Utina distans : est sedes episcopi Concordiensis.*

f *Hujus nominis varia in Lombardia sunt loca : putem hunc indicari, qui ad Limenem fluvium septemtrionem versus a Portu Gruarii* F
10 *circiter chiliometris distat, et Austriam ingredientibus occurrit.*

g *Utina* (Udine), *caput provinciæ Forojuliensis* (Friuli) *et sedes archiepiscopi, incolas capit viginti millia* (8).

h *Forum Julii* (Cividale, *olim* Octavianorum colonia) *caput quondam provinciæ, cui nomen indidit : quatuor incolarum millia continet* (9).

i Croculos *sustentacula interpretor : vox deest in Cangio, qui in Supplemento* Crocellam *habet baculum pastoralem episcoporum et abbatum. Teutonice* Kruck *seu* Kruk.

k Clemona, *perperam scripta vox,* Gemona, *seu ut habet Gonzaga,* Glemona: *locus provinciæ Forojuliensis, incolarum* 4500. *Quod autem hoc oppidum sit* Clemona *biographi nostri, non est quod dubitemus, quoniam secundum mappas topographicas, medium jacet inter Utinam et Puntafil seu Pontebam; quo* XVII *Maji, ut paulo infra dicitur, Sanctus se contulit. Gon-*

(1) Ann. tom. XIV, pag. 214. — (2) V°. *Rangoni Gabriele.* Cfr Hermann. Capistr. pag. 623. — (3) Ibid. pag. 629. — (4) Ibid. pag. 627. — (5) Ibid. pag. 631. — (6) Ibid. pag. 629 et seq. — (7) Ann. tom. XII, pag. 79. — (8) Rampoldi. Dizion. Geogr. v°. *Udine.* — (9) Ibid. v°. *Cividale.*

zaga

A zaga *in provincia S. Antonii seu Veneta agens de conventu Glemonensi, dicit fundatum anno* 1486 (1) : *ast biographus, qui scripsit vivente Pio II, adeoque inter annum* 1458 *et* 1464, *dicit miracula patrata fuisse* in claustro Minorum; *unde fundatio Gemonensis ad anteriora tempora pertinere debet.*

l *Puntafil, seu Pantafel, alias* Ponteba, *in extremo limite Lombardiæ et Carinthiæ, seu provinciæ Labacensis,* XXXV *chiliometris septemtrionem versus distat.*

m *Villiacum* (Villach) *oppidum Carinthiæ quinque millium incolarum, non confundendum cum Vilacko in Pannonia, loco emortuali S.* Capistrani.

n *Stroburga oppidum aut villa in mappis vel lexicis mihi non occurrit: videtur autem properanti S.* Capistrano *in Austriam locus medius jacuisse inter Villiacum et Frisaco, de quo infra. Ast episcopo Gurcensi* (Gurk) *locus erat Strasburgum, ad Gurcum fluvium, hic probabilius indicatum. Exstat apud Matth. Merian. topograph. Austriæ* (2) *descriptio et imago hujus*
B *castri. Istius temporis episcopus erat Joannes V, cognomento Schallermann, qui ab anno* 1436 *ad* 1453 *sedem tenuit: habuit sibi beneficum imperatorem Fridericum III, cujus præsentia in ipso episcopali palatio Strasburgiano* 1444 *recreatus fuit* (3).

o *Frisacum reperio in mappis* 40 *ferme chiliometris Villiaco septemtrionem versus distans.*

p *Judemburgum, oppidum Styriæ mille quingentorum incolarum* (4): *dicitur etiam* Judenwürg, Occisio judæorum, *quia anno* 1312 *christiani in festis natalitiis omnes judæos trucidarunt: videtur esse* Idunum *Romanorum* (5).

q *Hujus nominis variæ sunt civitates et oppida in Germania* (Neustadt): *in textu autem nostro agitur de Nova Civitate,* XXXV *chiliometris Vienna Austriæ distante, quapropter et Germanice* Wienerisch-Neustadt *appellatur. Nova Civitas vocatur, quia sæculo* XII *finiente ædificari cœpta, habebat palatium regium, in quo nunc est schola militaris.*

r *Hoflein prope Laak ad Tasam fluvium, secundum hodiernam divisionem, ad Moraviam pertinet, in extremo tamen limite Austriam versus.*
C s *Posonium* (Pressbourg) *urbs primaria Hungariæ, in qua habentur hodie regni comitia, residet primas archiepiscopus Strigoniensis* (Gran).

CAPUT IX.

De fundatione provinciæ Austriacæ Fratrum Minorum Observantiæ; et de miraculis, in Moravia patratis.

Fundato primo conventu Viennæ,

Interim, scilicet a nona Julii usque ad penultimam ejus, considerans zelantissimus Pater, quod in partibus Austriæ et in aliis circumjacentibus, nullus erat locus de Observantia, sed nec quid esset Observantia, noverant; videns denique, quod multi magistri et studentes notabiles cupiebant ejus esse discipuli, cœpit cogitare, magnum futurum lucrum animarum, ampliationem divini cultus, et honorem Ordinis, si aliquis locus de Observantia reciperetur. Alloquens igitur super hoc serenissimum regem Romanorum, Fredericum, et cives Viennenses, post multa loca, sibi per eos ostensa, placuit ei locus sancti Theobaldi pro habitatione fratrum de Observantia *a*, illumque, auctoritate apostolica fultus, recepit anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo de mense Julii. In quo quidem loco Sorores Tertii Ordinis beati Francisci prius habitabant, quæ, retentis omnibus earum possessionibus, ad alium locum translatæ sunt.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

a

multi ad Ordinem confluunt:

127 Cœperunt ergo post loci susceptionem, multi studentes confluere, et ingressum Ordinis humiliter petere. Igitur infra paucos dies, plures magistri baccalarii, et studentes et alii per Patrem cum magna devotione populi ad Ordinem recepti sunt. Et sic in nomine Domini Jesu Christi, hæc novella plantatio, provincia Austriæ et Bohemiæ incepta est. Infra istos dies scilicet a nona Julii, usque ad penultimam multa miracula monstrata E sunt, sed solum infra scripta notata reperi. Scilicet decem surdi, duo cæci, duæ destitutæ, sed una brachiis tantum, quatuor claudi, quorum unus cum extremitate, unus tantum digitorum auxilio incedens, terram attingebat, duo attracti, unus manibus tantum, duo immobiles, sed unus in pedibus tantum, quatuor non valentes ambulare sine baculis, et unus sine ferulis cum multis aliis, optime fuerunt liberati.

continuant ibidem miracula;

128 Inter quos, quædam, nomine Margharita, ex fontis bibitione maxime inflata, et nullo valens curari medicamine, ranas discolores gestabat in corpore, e quibus consumpta paulatim deficiebat: sed, signo Crucis a Patre suscepto, paulo post ranas, quas per quinquennium in ventre portaverat cum nimio dolore ac labore in magna quantitate per partes inferiores egessit, et virtute roborata, læta et sospes efficitur. Deinde recedens de Vienna Pater, et veniens ad Lak civitatem *b*, ibidem unus contractus membris, una transfixa in brachio cum cultello, una multum contracta in manibus, subito sanatur.

b

similiter Brunnæ c

129 In civitate Brunnæ *c*, die ultimo Julii, tres surdi, quinque claudi, quorum unus reliquit ferulas, tres manibus destituti, et alter in toto corpore semianimis, in grabato portatus, vicarius scilicet Ecclesiæ principalis, una immobilis, duo sine baculis non ambulantes, sanati sunt. Ibidem, eadem die, duæ destitutæ in manibus, unus claudus, et una contracta in manibus, una sine baculis non ambulans, liberati sunt. Ibidem prima die Augusti Gabriel, infans, Dorotheæ filius, de contracta * antiqua in Brunna, agonizans, a matre portatur: sed moram faciente Patre, accensis candelis, spirans adspicitur, et post hoc omni destitutus vigore, et pulsu cessante, a multitudine circumstantium mortuus judicatur. Tunc orante matre, et meritis sancti Bernardini, et beati Joannis, ut puer revivisceret, et post modicam moram, puer quasi excitatus a somno, hilarior apparet, qui prius mori credebatur. Unus brachio destitutus, quædam, in-

*contrada, platea?

(1) Orig. Seraph. Relig. pag. 312. — (2) Tom. I, pag. 59. — (3) Marianus Fidler. Austr. sacr. Part. III, tom. V, pag. 527 et seq. — (4) Cfr Merian. Top. Austriæ, tom. I, pag. 43. — (5) Mar. Fidler. Aust. sacr. Part. III, tom. V, pag. 122.

cedens

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

cedens pedibus revolutis monstruose, una clauda ex brevitate pedis, incolumes facti sunt.

a die ultima iulii

130 Ibidem, secunda augusti, quinque cæci, una totaliter membris destituta, duo claudi, optime fuerunt sanati. Ibidem, tertia augusti, una sine baculis ambulare nequiens, unus claudus, sanantur. Ibidem, quarta augusti, duo cæci, una tota destituta, una clauda, una ex longa infirmitate, in qua jacuit, debilissima, sanantur. Ibidem, quinta augusti, unus claudus, duæ surdæ, una cæca, una in brachio destituta, et unus, non ambulans sine ferulis, liberantur. Ibidem, sexta die, una cæca, unus surdus, duo claudi, quorum alter tantum in cacumine pedis incedebat, liberantur. Ibidem, die septima, quædam, Ludmilla nomine, pede plano ambulare non valens, sanatur. Ibidem die octava una attracta nimis in manibus, una surda, tertia ambulare non valens, in curru adducta, liberati fuerunt.

ad XV *augusti* 1451;

131 Ibidem, nona die, unus surdus, duo non valentes ire, unus portatus in curru, unus habens destitutam manum, tres claudi, una
B contracta in lecto portata, et quidam, habens pedem et genu retractum, mirabiliter sanantur. Ibidem, die decima, duæ paralyticæ, una brachio destituta, duæ cæcæ, quarum altera numquam vidit, et unus surdus, liberantur. Ibidem, die undecima, tres surdi, una cæca, quidam miro modo ambulans super calcaneum, sanati sunt. Ibidem, die decima sesunda, quidam, viribus omnibus penitus destitutus, portatus est in magna conca cum lecto, una cæca, unus podagrosus, et una surda, læti, recuperata sanitate, abierunt. Ibidem die tertia decima, una muta, et surda sex annis, et alia, non ambulans sine baculo, sanati sunt. Ibidem, die quarta decima, quatuor surdi, duæ cæcæ, unus septem annorum mutus natus et voces quidem videbatur attendere, sed nihil loqui poterat, sanati sunt. Ibidem, die quinta decima, in die Assumptionis beatæ Virginis, tredecim surdi per multos annos, optimum auditum receperunt: et hoc, ut confunderetur surditas Hussitarum, qui veritatem audire contemnebant. Ibi etiam recepit locum, quem inhabitant fratres, scilicet locum sancti Bernardini *d*.

d

Olomucii a XVIII *augusti*

e

f

132 In Oppido Vuyschau *e*, unus surdus et mutus a nativitate, duo non ambulantes sine baculis, et unus non sine clamore a nativitate audiens, sanantur. In civitate Olmutz *f*, die decima octava augusti, duo, sine ferulis ambulare non valentes, et tertius sine una non ambulans, et totus viribus destitutus, sanati sunt. Ibidem, die decima nona, duo surdi, unus podagrosus, vicarius scilicet Ecclesiæ cathedralis, et nihil ex inflatione in oculo uno videns, statim sanantur. Ibidem, die vigesima prima, tres surdi, quidam, qui numquam ambulavit, habens pedes in Crucis modum transversos, quorum unum numquam pro sui sustentatione in terram fixit, unus cæcus, una habens manum penitus aridam, et quædam, in manibus ita contracta, quod per magnam vim non poterat aperiri, sanitatem adepti sunt. Ibidem, die vigesima secunda Joannes de Carnonia paralyticus sanatur.

ad II *septembris*

133 Ibidem, die vigesima tertia, quinque cæci, una surda, tres viribus destituti, quorum unus lecto importatus est, una manibus D attracta, et unus sine baculo non vadens, sanantur, et unus ex voto venit pro continuo pectoris dolore, et sanatus est. Ibidem, die vigesima quarta, octo surdi, unus cæcus, sex claudi, quatuor non euntes sine baculis, unus mutus et surdus a nativitate, cœpit dicere: « Joannes; » et postmodum quidquid dicebatur ei et ipse dicebat, sanantur. Ibidem, vigesima quinta, una cæca, una surda ac muta, una destituta in brachio, duo claudi, duæ in singula manu attractæ, et una surda et muta a nativitate, octo habens annos, sanantur. Ibidem, die vigesima sexta, una cæca, quatuor surdæ et una clauda, liberantur.

multi curantur;

134 Ibidem, die vigesima septima, duo cæci, tres surdi, et unus mutus et surdus a nativitate, liberantur. Ibidem, die vigesima octava, tres surdi, unus claudus, duo destituti, unus in brachio, alter in omnibus membris, portatus in lecto, unus non vadens sine baculo, bonæ valetudini restituti sunt. Ibidem, die vigesima nona, tres surdi, duo viribus destituti, et duo non ambulantes sine baculo, E unus surdus et mutus, a nativitate numquam locutus verbum, licet voces audire videretur, sanantur. Ibidem, die trigesima, quædam cæca, duo surdi, quatuor claudi, una manu attracta, quatuor membris destituti, nec ambulantes sine ferulis et baculis, optimæ sanitati sunt restituti. Ibidem, die ultima augusti, unus surdus, duæ cæcæ, et una obsessa, curantur. Ibidem, die prima septembris, unus claudus, et una surda, liberantur. Ibidem, die secunda, duæ cæcæ, tres surdi, unus membris destitutus, et unus impotens ambulare sine baculo, sanantur.

denuo Brunnæ,

135 De Olmutz iterum reversus est ad Brunnam, et ibi, die octava septembris, duo cæci, una surda, unus in brachiis destitutus, et unus non vadens sine baculo, optime liberantur. Ibidem, die decima, duo surdi, una cæca, duo destituti in brachiis, una clauda, duo contracti, unus in tribus digitis manus, alter in toto brachio, sanantur. Ibidem, die undecima, unus cæcus penitus, et unus surdus, sanantur. Ibidem, die decima secunda, quædam clauda fortiter ab utroque latere; F ibidem, die decima sexta, una surda et una clauda ex utroque latere, sanantur. Ibidem, die vigesima, quidam annosus surdus optimum auditum recepit.

Znaimi a XXIII *septembris*

g

136 De Brunna ad Znaimum *g* perrexit, et ibi, die vigesima tertia septembris, duo surdi, duo non valentes ire nisi ab alio sustentati, una contracta manibus et pedibus, et immobilis effecta; quædam, nomine Dorothea, morti proxima, in lecto portatur, et, candelis accensis, custodita, quæ jam longa infirmitate erat quasi consumpta, tacta per Patrem, et ut surgeret, hortata, statim surgens et optime gradiens sibi ipsi et omnibus adstantibus in admirationem facta est, et sic omnes sanati sunt: ibidem, die vigesima quarta, tres surdi, et unus mutus per annum ex infirmitate, liberantur. Ibidem, die vigesima quinta, duo claudi, una obsessa a dæmoniis, unus surdus, unus viribus destitutus nec ambulare valens, sanitate gaudent. Ibidem, die vigesima septima, duæ surdæ, et unus qui a nativitate non ambulavit, fuerunt sanati. Ibidem, die vigesima

A vigesima octava, quatuor surdi, una membris destituta, in curru portata, et una sine baculo non gradiens, et una decem annorum surda et muta a nativitate, et in manibus contracta, liberantur.

ad V Octobris, 137 Ibidem, die prima Octobris, quatuor surdi, duo claudi, quorum alter non ibat sine magnis doloribus, sanantur. Ibidem, die secunda, quædam, omnibus viribus corporis destituta, et unus semimutus, impeditus in lingua et male loquens, sanitatem consequuntur. Ibidem die tertia tres surdi, et quartus semper gravissime audiens, unus sine baculo non incedens, unus decem annorum surdus et mutus a nativitate, optime liberantur. Ibidem, die quarta, in festo beati Patris nostri Francisci, duæ surdæ, unus per octo annos non valens levare brachium, nec manus ad os ponere, sanati sunt. Quidam, nomine Jacobus, hoc die de se testimonium reddidit, quod cum blasphemasset Sanctum Bernardinum et Patrem Joannem, tertia nocte excæcatus fuit in uno oculo, nocteque sequenti in
B somniis vidit beatum Patrem, sed tamen nullam gratiam consequutus est. Ibidem, die quinta, quidam habens manum aridam, nec aliquo modo claudere valens, ex contrectatione Patris statim clausit et libere movit.

quemadmodum et Egenburgi multi curantur. 138 De Znoyma ad Egenburgam gressus direxit, et ibi, die septima Octobris, triginta sex destituti in brachiis, unus claudus, unus penitus immobilis, sanantur. Ibidem, die octava, unus presbyter, sine baculo non vadens, una surda, duæ claudæ, una trahens post se pedem per terram, omnibus viribus destituta, sanantur. Ibidem, decima die, duo surdi, sex claudi, quorum tres a nativitate, una pedibus attracta, una quasi immobilis, viribus destituta, liberantur. Hoc die relatum est duos sacerdotes scilicet plebanum de Deesendorf, et dominum Joannem de Nihilspurg prædicasse, Patrem Joannem seductorem esse, nec ei fidem adhibendam sicut cani uni : et ideo unus, statim in adulterio deprehensus, per infamiam; alter gravi infirmitate per dolorem vindictam Dei consequuti sunt. Ibidem, die undecima, tres claudi, una surda, una infir-
C mitate consumpta, non valens sine baculo aliqualiter ire, sanati sunt.

ANNOTATA.

a *De conventu Viennensi ad S. Theobaldum egimus Commentarii prævii num.* 131.

b *Lak, seu* Laa, *aut* Laab, *oppidum in extremo limite septemtrionali Austriæ versus Moraviam, ad Tayam fluvium.*

c *Brunna* (Brunn) *urbs præcipua Moraviæ, episcopalis sub metropoli Olomutiensi, habet* 37,000 *incolarum.*

d *Conventus Brunnensis, in honorem S. Bernardini in suburbio Brunensi constructus fuit; ast eumdem anno* 1643, *ne Suecis, Brunnam obsidentibus, auxilio esset, solo æquavit magistratus. Anno dein* 1649 *indemnes fecit idem magistratus Fratres Observantes, concessione ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ et aliquot domorum, in quarum solo restitutus fuit conventus legitimus* (1).

e *Wischau* (Wischcovium) *oppidum Moraviæ cum incolis* 2300, XXV *chiliometris Brunna orientem versus distans.* AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

f *Olmutz* (Olomutium), *urbs primaria Moraviæ, sedes metropolitana cum suffraganea Ecclesia Brunnensi. Gilbert in suo Lexico geographico* (2) *dicit, etiam Wratislaviensem episcopatum sub metropoli Olomutiensi constitutum esse; sed perperam : nam juxta bullam Pii VII, datam* XVII *kal. Augusti* 1821 *Wratislaviensis Ecclesia est immediate Sedi apostolicæ subjecta* (3).

g *Znoima* (Znaim) *urbs regia Moraviæ ad Tayam fluvium,* LVI *chiliometris Brunna occidentem versus distans, incolas habet quinies mille.*

h *Egenburgum, oppidum Austriæ, Moraviæ conterminum, circiter* 1300 *incolas habet; in eo fundamenta conventus Observantiæ jecit S.* Capistranus, *qui anno* 1460 *perfectus est* (4).

CAPUT X.

De miraculis, præsertim in Bohemia patratis. E

Crumlovii, De Egenburga ivit ad Czunethel *a*, et ibi, die decima secunda Octobris, quædam monialis, viribus destituta, duæ puellæ claudæ, sanatæ sunt. De Czunethel ivit ad Krummau *b*, quæ civitas est domini de Rosis et est in Bohemia, et conduxerunt eum tres filii ipsius domini de Rosis, scilicet DD. Henricus, Joannes, et Judocus, qui nunc est episcopus Vratislaviensis *c*. In via autem, in quodam oppido, unus nobilis, per octo annos surdus, una a nativitate super extremitatibus digitorum pedum miserabiliter ambulans, fuerunt sanati. In Krummau, die decima octava Octobris, quædam, brachiis destituta, sanatur. Ibidem, decima nona, duo claudi, unus, sine baculo non vadens, et una cum digito pedis terram tantum attingens et sic super illis miserabiliter ambulans, sanati abierunt.

a *b* *c*

et locis vicinis, 140 Ibidem, die vigesima prima, quidam, nullo modo valens ambulare, pedibus videlicet destitutus, una surda, una in quatuor annis F fortiter clauda, sanantur : ibidem, die vigesima secunda, unus podagrosus non ambulans, una clauda, et una habens septem plagas in pedibus cum dolore continuo, optime sanati sunt : ibidem, die vigesima tertia, quatuor cæci, duo surdi, et unus ambulans in digitis tantum triginta annis, sanantur : ibidem, die vigesima quarta, duo cæci, unus surdus, duo claudi, et una, destituta membris, ambulare non valens, sanantur : ibidem, die vigesima quinta, quinque surdi, una clauda, portata in curru, una incedens pedibus revolutis, sanati sunt : eadem die, quidam sacerdos de villa Connotz *d* in fide sua retulit, quod cum quidam rusticus de ipsa villa sermonem in Cznuthel audisset, et cum post sermonem clamantem « Jesus et Maria » cum populo derisisset et blasphemasset, sequenti nocte in lecto suffocatus et mortuus inventus est, in magnum terrorem omnium, qui hoc audierunt. Ibidem, die penultima Octobris, unus claudus

d

(1) Greiderer. Germ. Francisc. tom. I, pag. 637. — (2) V^ca. *Breslau et Olmutz.* — (3) Schematism. des Bisth. Breslau, pag. XXVII, num. 1842. Cfr etiam Gerarch. della S. Chiesa pag. XIX, anni 1851. — (4) Greiderer. Germ. Fr. tom. I, pag. 324.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

cum doloribus continuis, unus surdus et unus cæcus ab uno oculo a nativitate, optime liberantur.

Pathoviæ

141 Ibidem, die ultima, unus surdus in curia domini de Rosis, unus sine baculo non vadens, et quædam clauda per viginti annos, et una in brachio dextro destituta et asside-rata, abierunt sani : ibidem, die decima quinta novembris, duo surdi, et unus qui non pote-rat erigere brachium, penitus destituti, facti sunt sani. Ibidem, die nona, quidam annorum viginti, surdus et mutus a nativitate, liberatus est : ibidem, die decima tertia, quidam anno-rum viginti, surdus et mutus a nativitate, pari modo sanatus : ibidem, die decima quarta, unus in brachio destitutus, nec illud levare valens, alter penitus surdus, optime sanan-
e tur. In Pathovia *e*, die vigesima novembris, una surda, et una clauda, ambulare non valens sine baculo, sanantur : plures alii obtinuerunt gratiam, sed tantus fuit populorum concur-sus, ut quoties Pater apparebat, etiam per tegulas ecclesiæ curreret, nullo æstimato pe-
B riculo. Benedicta sit Alemanorum devotio! ideo signari non potuerunt.

Ratisbonæ
f

142 In castello Wisihoffen *f*, die vigesima secunda novembris, unus surdus, unus clau-dus, et unus surdus et mutus a nativitate, optime fuerunt sanati. In Ratisbona duo surdi, quædam habens sinistram manum totaliter contractam, unus claudus, et unus destitutus, sine baculo non ambulans, liberati fuerunt : ibidem, vigesima sexta die novembris, tres surdi, duæ destitutæ et attractæ, prior in manibus tantum, altera etiam in pedibus, adeo quod si debuisset comburi, viribus suis non fecisset unum passum, hæc tacta libera-tur in pedibus tantum, sed paulo post oblata Patri, manus ejus, quæ per nullam vim ape-riri poterant, contrectans, statim extendit, crepitantibus nervis : et exinde præ lætitia lacrymans, cœpit eas aperire, claudere et mo-vere pro voluntate sua; et alia quæ ex infirmi-tate ire non poterat, sanantur : ibidem, die vigesima octava, duo destituti in singulis brachiis et duo non ambulantes, unus nullo modo, alter sine baculis, sanantur.

Egræ a fine no-vembris
g

143 De Ratisbona ivit ad Egram *g*, et in medio in una villa, una vetula penitus cæca oblata, transeunte Patre, accepta simplici be-nedictione, et tactis ejus oculis cum digitis, optimum lumen recepit : quo viso, quidam balistarius, qui intra se murmuraverat, credens talia non posse fieri per Patrem, totus perter-ritus et quasi exanguis effectus, coram omni populo culpam suam recognovit, et veniam petiit ac benedictionem recepit. In Egra, unus habens medium digitum manus viginti annis attractum, nulla umquam vi extentum, tactum manu Patris extendit, quasi ceram liquefactam, ut sibi videbatur; et unus, qui sine baculo ambulare non poterat, fuerunt sanati : ibidem, die octava decembris, duo surdi, unus cæcus, et claudus, et alia clauda, et una hydropica, non valens ire, liberati sunt : ibidem, die nona, una in brachiis destituta, una habens pedem valde tortum, nec planum valens in terram ponere, et una clauda, sanantur. Ibi-dem, die vigesima, unus cæcus, unus surdus, quinque claudi, unus attractus in manibus et pedibus, duo non valentes ambulare sine ba-culo, optime fuerunt liberati : ibidem, die D vigesima tertia, una cæca, duæ claudæ, libera-tæ sunt. Ibidem, in die Sancti Stephani protomartyris, unus civis, contractus in ma-nibus et pedibus, portatus in cathedra, libe-ratus fuit. In die Sancti Joannis, quidam nobilis podagrosus, dimissis ferulis, et alius sine baculo non vadens, sanati sunt.

ad finem Ja-nuarii 1452,

144 In die Innocentum, quædam clauda a nativitate annorum decem, et utraque parte claudicans, sanata est. In die Sancti Thomæ Martyris, una destituta in brachio, una surda, una clauda, optime liberantur. In die Circum-cisionis, una surda, una destituta in brachio, una clauda, duo non ambulantes, unus ali-quando et in brachio destitutus, et alter non sine baculo, sanantur. In octava Sancti Ste-phani, secunda januarii MCCCCLII, una surda, duo destituti, unus in brachio, alter totus, in curru delatus, una non ambulans sine bacu-lis, et una, cui per unam palmam alongata fuit tibia, cum omnium adstantium stupore, sanantur. In octava Sanctorum Innocentum, una clauda, una destituta in brachiis, unus E surdus a nativitate annorum undecim, sanan-tur : ibidem, die sexta januarii, in die scilicet Epiphaniæ, una clauda, unus destitutus bra-chiis, nec valens ultra os erigere manus, et unus surdus, curati mirabiliter fuerunt.

Hellinecii,
h

145 De Egra ivit ad oppidum Hellinetz *h*, in quo, prima februarii, una contracta non valens levare brachia, una clauda miserabili-ter, unus claudus, sanantur. Ibidem, secunda die, unus claudus, sine baculo non ambulans, duæ contractæ in uno brachio, non valentes extendere brachia, duo surdi, quorum unus cum dextra aure vix audiebat campanam, alius tardum habens auditum, sanantur. De Hel-sintz perrexit ad Zuitaniam *i:* ibidem, quarta *i* februarii, duæ claudæ, quarum prima a na-tivitate, unus surdus et una surda a nativi-tate, sanantur: ibidem, die sexta, quatuor claudi, quorum una a nativitate in utroque latere, unus surdus, ab aure dextra parum audiens, et unus claudus in utroque latere, sanantur: ibidem, die decima, unus surdus, et una quasi cæca in uno oculo, sanantur. Ibi-dem, die undecima, unus contractus in dex- F tro brachio, adeo ut cibum sumere non vale-ret, sanatus est: ibidem, die decima quarta, una clauda a nativitate in utroque latere sa-natur. Ibidem multa alia facta sunt, quæ non reperi signata.

Chemnicii
k

146 De Zuitania ivit ad Hemnitz *k*, et ibi, die decima septima februarii, una valde clauda, et una surda, sanantur. Ibidem, die decima octava, unus totaliter cæcus, et una contracta in uno brachio, una surda a nativi-tate, unus contractus in uno brachio liberan-tur: ibidem, die vigesima, una a nativitate clauda in utroque latere, una contracta in brachio, et alius similiter in uno brachio con-tractus, sanantur: ibidem, die vigesima prima una contracta in uno brachio et surda, et duo, frater scilicet et soror, gibbosi et contracti, sanati sunt. Ibidem, die vigesima secunda, dominus Franciscus, plebanus villæ Neurin-chen, adeo podagrosus, quod nec minimum passum facere valebat, delatus in curru, sa-natus est. De Hemnitz ivit ad Fribergam, et ibi, XVIII februarii *l*, unus claudus non ambu- *l*
lans

A lans sine baculo, et una quasi cæca, liberantur: ibidem, die secunda martii, una podagrosa, nullo modo incedere valens, liberatur: ibidem, die tertia, una miserabiliter clauda, sine baculo non ambulans, sanata est: ibidem, die quinta, duæ claudæ, quarum una a nativitate, et duo claudi, unus a nativitate, sanati sunt.

Misnæ
m

147 De Friberga ivit ad Misnam *m*, et ibi, die nona martii, unus cæcus totaliter, unus claudus, trahens summitatem pedis dextri per terram, et una clauda, sanantur: ibidem, die decima, unus claudus et una contracta, scilicet sine duobus baculis non ambulans, dimissis baculis, similiter unus surdus, et una surda, sanati sunt: ibidem, die undecima, unus claudus et viribus destitutus, et una ab utroque latere clauda, dimissis baculis, sanantur: ibidem, die duodecima, unus claudus habens pedes in modum crucis, et duæ contractæ, una in digitis alia in brachiis, sanantur. Ibidem, die tertia decima, una contracta in manibus et pedibus et penitus immobilis, ita ut in capisterio *n* portaretur, una surda, et una cæca, sanati sunt: ibidem, die quarta decima, duæ claudæ, quarum una a nativitate miserabiliter clauda, et unus de Ordine Cruciferorum *o*, penitus immobilis, delatus ad Patrem, sanati sunt: ibidem, die sexta decima, duo claudi, quorum unus sine baculo non ambulabat, et unus surdus. De Misna iterum reversus ad Fribergam et vigesima secunda martii unus totus podagrosus sanatur. De Friberga ivit ad quoddam oppidum, dictum Sayda *p*, et ibi, die vigesima tertia martii, duo surdi, una contracta in brachio dextro et unus podagrosus, sine baculo non vadens, dimisso baculo, liberantur.

n

o

p

in civitate Pontensi
q

148 De Sayda ivit ad civitatem Pontensem, in regno Bohemiæ *q*, et ibi vigesima sexta martii quinque claudi, quorum quatuor non ambulantes sine baculis, dimissis baculis, sanati sunt: ibidem, vigesima septima, unus podagrosus, nullo modo sine duobus baculis ambulans, et etiam manum erigere non valens, et unus claudus non ambulans sine baculo, liberati sunt: ibidem, die vigesima

C octava, una clauda, non valens tangere terram nisi cum summitate pedis, et non valens elevare brachia ultra caput, et una cæca, sanantur: ibidem, die vigesima nona, quatuor claudi, quorum duo non ambulant sine baculo, liberantur: ibidem, die ultima, tres claudi, quorum unus a nativitate, surda una et una contracta in manu, sanati sunt. Ibidem, die prima aprilis, una clauda liberata est. Ibidem, die quinta, quatuor claudi, non ambulantes sine baculis, una contracta in brachio, et una surda, liberantur: ibidem, die undecima, duæ claudæ, quarum una a nativitate, una immobilis septem annis portatur in curru, liberantur: ibidem, die decima tertia, quatuor claudæ, quarum una a nativitate, duo surdi, duæ contractæ, quælibet in brachio uno, sanati sunt: ibidem, die decima sexta, una immobilis portatur in brachiis ad Patrem, duo claudi, tres contracti in brachiis, liberati sunt: ibidem, die vigesima prima, unus duodecim annis claudus in utroque latere, dimisso baculo, sanatur.

multos infirmos curat.

149 Ibidem, die vigesima secunda, duo claudi, dimissis baculis, et unus surdus, liberantur: ibidem, die vigesima tertia maii, unus surdus octo annis, et unus claudus, non ambulans sine baculo, sanantur. Ibidem, Dominica infra octavam Ascensionis *r*, quidam sacerdos claudus, nullo modo ambulans sine baculo, liberatus est. Ibidem, in die Pentecostes, duæ surdæ, unus cæcus, et unus claudus, sine baculo non vadens, sanantur. Ibidem, die quarta junii, una contracta in uno brachio, liberatur. In ipsa civitate, cum esset vicarius generalis, et appropinquaret festum Pentecostes, memor bonitatis divinæ, per quam missus est Spiritus Sanctus in discipulos, coram fratribus, adstantibus brachiis in modum Crucis extensis, vertit se ad quatuor partes mundi, scilicet Orientem et Occidentem, Septemtrionem, et Meridiem dicens: « Vos estis mihi testes, quod omnes fideles, in omnibus mundi partibus existentes, ad nostram confraternitatem recipio, eisque, quantum possum, participationem omnium bonorum concedo. »

r

E

F

ANNOTATA.

a *Czunethel, nuspiam in finibus Egenburgi reperio: verum ad occidentem est Zwettel* 60 *chiliometris Egenburgo distans, cui adjacet abbatia Ordinis Cisterciensis : divinandum restat, utrum de tali loco sermonem habeat biographus.*

b *Duplex est Krummau,* (Cromlovium) *alterum in Bohemia, in Moravia alterum. Cromlovium Bohemicum hic intelligendum esse, patet, quia biographus aperte docet, esse civitatem in Bohemia. Hoc oppidum, ad circulum Budwicensem pertinens, erat olim familiæ de Rosis seu Rosembergicæ, ut monstrant varia monumenta sepulcralia, ibidem exsistentia* (1). *A domo Rosembergica transiit Cromlovium sub Rudolfo II imperatore ad jus familiæ Austriacæ* (2). *Est alterum Cromlovium, in Morovia oppidum, quod ad Lichtensteinios pertinere videtur* (3).

c *Judocus de Rosemberg ab anno* 1456 *ad* 1467 *sedem Wratislaviensem tenuit* (4).

d *Konnotz nuspiam invenio: nisi forte sit* Kaunitz, *quod etiam* Konicz *scribitur. Duplex est hujus nominis villa; in circulo Caurzimiensi et in circulo Czaslaviensi. Est etiam* Kanitz, *quod Cromlovio orientem versus adjacet.*

e *Pattovia* (Klattau, Gluttovia) *caput circuli cognominis, cujus fata luculenter describit Jaroslaus Schaller* (5).

f *Castellum in Wissihoffen seu Wissenhoffen in mappis et lexicis mihi non occurrit: medium jacere debet inter Klattoviam et Ratisbonam.*

g *Egra* (Eger, *Bohemice* Chebbe) *celebre oppidum Bohemiæ incolas habet circiter decem millia: historiam exhibet laudatus Schaller* (6).

h *Hellinetz oppidum divinare non ausim, quum nimium incerta sit lectio; paulo enim infra eumdem locum sub nomine* Helsintz *notatum invenio.*

i *Æque incognita mihi est Zuitania, nisi forte sit* Zwittau *in extremo limite occidentali Mora-*

(1) Schaller. Topogr. des Königr. Böhmen. tom. XIII, pag. 174 et seqq. — (2) Merian. Topogr. Bohemiæ. tom. II, pag. 22. — (3) Ibid. pag. 94. — (4) Stenzel. Scriptt. Siles. tom. I, pag. 169. — (5) Top. des Kön. Böhm. tom. XII, pag. 6. — (6) Ibid. tom. II, pag. 184.

viæ

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

viæ ad fluvium cognominem. Id difficultatis est, quod Zwittavia quadringentis fere chiliometris Egra distet: quod tamen aliquatenus dissolvitur ex eo, quod a die VI *Januarii ad* III *Februarii, ut habet biographus hoc loco, actorum Sancti nostri nullo est mentio.*

k *Puto legendum* Kamnitz, *oppidum in circulo Litomericensi* (Leutmeritz) (1).

l *Friberga* (Friedeberg) *nomen sat commune variis oppidis Germaniæ: est Friberga in districtu Lignicensi Silesiæ, et siquidem recte interpretatus sim Hemnicium biographi, Fribergam Silesiacam existimo designatam, quæ Kamnitzio centum chiliometris distat. Quia tamen Friberga Misnam ivit Sanctus, etiam Friberga Saxonica esse potest, oppidum* 30 *circiter chiliometris meridiem versus distans. Utrum hic loci intelligendum sit definire non valeo. Paulo infra legitur S.* Capistranus *Fribergæ miracula operatus* die XVIII februarii, *censeo ponendum* XXVIII februarii ; *quia Camnitzii adhuc versabatur* XXII februarii, *et dein Fribergæ moratus, post indicatum* diem XVIII februarii, *uno quasi saltu ad diem* II *Martii transitur.*

B m *Misna* (Meissen) *una a primariis Saxoniæ urbibus, ad Albim fluvium sita, olim civitas episcopalis, nunc porcellanorum vasorum fabrica insignis* (2).

n Capisterium *est vas purgandis seminibus aptum. In nostro autem textu id ipsum quidem significat; sed hoc instrumento, deficiente forte alio meliori, usi sunt homines, ut contractam ad Patrem ferrent.*

o *Cruciferorum triplex est ordo: scilicet in Italia, nunc suppressus; in Belgio, qui nunc renascitur; et in Bohemia, quæ vulgo cum Stella dicitur, quia præter crucem etiam stellam in habitu gestant. De hoc postremo sermonem hic institui, nullus dubito; præsertim quum Ordo iste non solum in Bohemia et Silesia exstiterit, sed excurrerit in Poloniam et Lithuaniam, ut testatur Bollandus noster* (3): *unde et in finibus Saxoniæ ante Lutherum cruciferos fuisse, verisimile est* (4).

p *Sayda oppidum Saxoniæ* 35 *chiliometris Friberga Saxonica distans, incendio anni* 1842 *fere destructum.*

C q *Triplex hujus nominis in Bohemia occurrit locus* (Brück): *duo in circulo Pilsnensi* (5), *et tertius in circulo Ellbogensi* (6). *Quis horum trium in textu indicetur, non est, quod dicam.*

r *Anno bissextili* 1452, *signato litteris dominicalibus BA, paschate in diem* IX *aprilis incidente, dominica infra octavam Ascensionis Domini currebat cum die* XXI *maji, Pentecostes vero cum* XXVIII *ejusdem mensis. Suspicor, aliquod vitium irrepsisse in numeris, a biographo allatis, quoniam ante dominicam Ascensionis seu* XXI *maji, jam egit de* XXI, XXII, XXIII *maji. Quod si post* XVI *maji num. præcedentis strictius ponamus intervallum, habebimus v. g.* XVIII, XIX, XX *Maji et omnia recte fluent.*

D

CAPUT XI.

De ejus miraculis in Germania.

Miracula operatur Ratisbonæ, Ambergæ

De Ponte vocatus est per Dominum Nicolaum de Cusa, cardinalem sancti Petri ad Vincula et legatum Apostolicum *a* ad dietam, quæ tenebatur Ratisbonæ cum Bohemis. Festinus recessit, et in septem diebus venit de Ponte ad Ratisbonam, et ibi, vigesima secunda die junii, duæ contractæ, una in brachiis et in gressu, alia immobilis, duo claudi, sanati sunt. Ibidem, die vigesima tertia, quædam contracta, non valens levare brachia usque ad os, sanata est. Ibidem, die vigesima quinta, duæ contractæ, quarum una immobilis, absque duobus baculis non ambulare valens, unus contractus in brachiis, unus claudus, non ambulans sine ferulis, et una clauda non ambulans sine baculo, una surda, unus claudus, dimisso baculo, sanantur. De Ratisbona ivit ad Ambergam *b*, et ibi, quarta die julii, unus claudus octo annis, nullo modo sine baculis ambulans, sanatur. Ibidem, die quinta, una surda viginti annis, et unus cæcus, liberantur. Ibidem, die undecima, quatuor surdi, quorum unus a nativitate mutus et surdus, et unus contractus in brachio dextro, sanati sunt. Et ibi recepit pulchrum locum ubi Fratres stant.

a

b

Eichstadii

151 De Amberga ivit ad Novum Forum *c* ad illustrem dominum Ottonem Ducem Bavariæ *d* et postea ad Eichstet *e*. Et in iis duabus civitatibus multa facta sunt miracula, sed, propter negligentiam scriptorum, illa notata non reperi: signa tamen ibi relicta sunt baculi. De Eichstet ivit ad Mellitam civitatem, scilicet Nurembergam *f*, et ibi vigesima julii unus contractus, portatus a quatuor, tres claudæ, quarum duæ sine baculis, tertia sine ferulis non ambulabant, et unus claudus ambulans cum ferulis et duo surdi sanantur: ibidem, die vigesima prima, quatuor claudæ, sine baculis non ambulantes, tres surdæ, et unus claudus, sine ullo baculo, et alius sine duobus, non ambulantes, sanati sunt: ibidem, die vigesima secunda, id est, in die Mariæ Magdalenæ, quatuor claudi, quorum tres sine ferulis non potuerunt ambulare, alius ambulans cum manibus ad terram et non valens erigere brachium, una cæca, una contracta, non exiens lectum, unus surdus et contractus in manibus, liberantur.

c
d
e

f

F

Norimbergæ

152 Ibidem, die vigesima tertia, duo claudi, quorum primus sine duabus ferulis, alius sine baculo non ambulabant, unus cæcus, unus surdus, una surda, liberati sunt : ibidem, die vigesima quinta, duæ surdæ, unus contractus in una manu, duo claudi, cum baculis ambulantes, una cæca et unus surdus, sanantur. Ibidem, die vigesima octava, una surda, per duodecim annos, sanata est: ibidem, die vigesima nona tres surdi, duæ cæcæ, quarum una a nativitate, quinque claudi, quorum duo sine ferulis, alter sine baculo non ambulabant,

(1) Top. des Kön. Böhm. tom. V, pag. 210. — (2) Schumann. Lexic. von Sachsen v°. *Meissen.* — (3) Act. SS. tom. I Mart., pag. 320. — (4) Migne. Dict. des Ord. relig. v°. *Croisier.* —

(5) Schaller. Top. Böhm. tom. IX, pag. 180 et 218. — (6) Ibid. tom. II, pag. 224.

unus

A unus surdus et una cæca in uno oculo, sanati sunt : ibidem, ultima die julii, quatuor surdæ, una clauda, omnino non ambulans, una cæca in uno oculo, et unus claudus, qui absque una ferula non ambulabat, liberantur.

a XXIII *julii ad* IX *augusti,* 153 Ibidem, prima die augusti, tres claudæ, ambulare non valentes, quarum una etiam erat in manibus contracta, et una surda, liberati sunt : ibidem, tertia die, duo surdi, unus claudus non ambulans sine duabus ferulis et duæ surdæ sanantur : ibidem, die sexta, tres claudæ, sine baculis non valentes ire, duæ contractæ, una in brachio, altera totaliter, portata in lecto, et duo surdi, sanati sunt : ibidem, die decima septima, unus cæcus, qui viginti annis non vidit, unus surdus, una clauda, duæ contractæ in manibus, quarum una etiam manum non poterat levare, et una cæca, liberantur. Ibidem, die decima nona, una clauda, sine una ferula ambulare non valens, unus claudus sine duabus, sanantur.

Bambergæ 154 De Nuremberga ad Bambergam *g* pervenit. Et ibidem, die decima quinta augusti, id est in solemnitate Gloriosæ Virginis Mariæ *h*, quinque claudi, quorum tres sine ferulis ambulare non poterant, duo sine una, unus cæcus in uno oculo, et una cæca a nativitate, liberantur. Ibidem, die decima sexta, tres claudi, unus sine duabus ferulis, alii sine baculis non ambulantes, duo surdi, unus cæcus, sanati sunt. Ibidem, die decima septima, unus mutus, duæ claudæ, una sine ferulis duabus, alia sine una non ambulantes, duo claudi, quorum primus sine duabus ferulis ambulare non poterat, unus surdus et unus cæcus a nativitate, liberantur. Ibidem, die decima nona, una contracta in ambabus manibus, unus contractus in uno brachio, una clauda cum duabus ferulis ambulans, et duo claudi ambulantes cum baculis sine ferulis, liberati sunt. Ibidem, die vigesima, duæ claudæ ambulantes cum duabus ferulis, et unus claudus similiter cum duabus ferulis ambulans, sanantur.

Coburgi, Erfordiæ, 155 De Bamberga ivit ad Coburgh *i*, et ibi, vigesima tertia augusti, una contracta in brachio uno, tres claudi, non sine ferulis
C duabus ambulantes, et una clauda, similiter duas ferulas portans, sanati sunt. Ibidem, die vigesima quarta, quatuor claudi, quorum duo cum duabus ferulis, tertius cum una, et alius cum baculo ambulantes, sanati sunt. De Coburgh ivit ad Arnesth *k*, ubi est locus noster de Observantia. Et ibi multa mirabilia facta sunt, sed non fuit, qui scriberet, signa tamen adhuc in ecclesia apparent. De Arnesth ad inclytam civitatem Erfordiam *l*, et ibi prima die septembris, duæ claudæ, et unus claudus cum una ferula ambulantes, sanati sunt. Ibidem, die secunda, duæ contractæ, una in pedibus, et alia in brachiis, una clauda et unus claudus, cum duabus ferulis ambulantes, sanati sunt. Ibidem, die tertia, una clauda cum baculo, et duo claudi, cum duabus ferulis ambulantes, sanantur. Ibidem, die quarta, unus surdus et unus claudus, cum una ferula ambulans, sanati sunt.

Jenæ 156 De Erfordia perrexit ad Jenas *m* ad illustrem principem ducem Wilhelmum, ducem Saxoniæ: et ibi, die sexta septembris, quatuor claudi, duo sine duabus ferulis, unus sine uno baculo, et alius sine duobus ambulare non valentes, duæ claudæ, una cum duabus ferulis, et alia cum baculo incedens, duæ contractæ, una in uno brachio, alia in duobus, duæ surdæ, et unus surdus, liberantur. Ibidem, die septima, duo claudi cum duabus ferulis, et una clauda, cum uno baculo ambulantes, duæ surdæ et unus cæcus in uno oculo, sanantur : ibidem, die octava, unus claudus, non nisi cum duobus baculis ambulans et unus surdus, sanati sunt. Ibidem, die nona, duæ claudæ, sine baculo non valentes ambulare, sanantur : ibidem, die decima, una clauda cum duabus ferulis, et unus claudus cum uno baculo ambulantes et unus contractus in dextro brachio liberati sunt : ibidem, die undecima, tres claudi, unus cum duabus ferulis, alius cum una, tertius per duodecim annos jacens in lecto, et sine ulla ferula non ambulans, sanantur. Ibidem, die duodecima, una contracta in brachio dextro, et unus sex annorum, qui numquam potuit aperire manum sinistram, sanati sunt. E

et multis aliis civitatibus. 157 Ibidem, die tertia decima, una clauda absque uno baculo, et duo claudi, quorum unus sine baculo ambulare non poterat, liberantur. Ibidem, die decima quarta, unus contractus in sinistra manu, unus surdus, una cæca in uno oculo, unus claudus, et una clauda, non ambulantes sine baculo, liberantur : ibidem, die decima quinta, duo claudi, quorum unus cum duabus ferulis, alter cum baculo ambulabant, et una contracta, quæ per quatuor annos non potuit genuflectere, sanantur. Ibidem, die decima sexta, unus surdus et una surda, sanati sunt. De Jenis iterum reversus est Erfordiam, de Erfordia ivit ad Mersberch. Deinde ad Halle *n*, deinde *n*
ad Magdeburgh, deinde ad Czernist *o;* post- *o*
modum ad Lipsk. Et in hac via, scilicet, ab Erfordia usque ad Lipsk *p* in prænominatis *p*
civitatibus, et in aliis pluribus, quorum nomina ignoro, multa miranda et præclarissima opera facta sunt, sed propter negligentiam et defectum scriptorum notata non reperi, baculi tamen et substentacula alia, in ecclesiis pen- F
dentia, demonstrant rei veritatem.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

ANNOTATA.

a *Nicolaus de Cusa, piscatoris filius, cognomen a loco natali* Kus, *qui in sinistra ripa Mosellæ e regione oppidi Bernstall situs, circiter* XXX *chiliometris orientem versus Treviris distat. A Nicolao Papa V anno* 1448 *Cardinalis tituli S. Petri ad Vincula creatus, multis legationibus apostolicis functus est : obiit Tuderti* (Todi) XI *Augusti* 1464 (1).

b Amberga (Amberg) *urbs primaria Palatinatus Superioris,* LX *chiliometris Ratisbona septemtrionem versus sitam. S.* Capistranus *fundavit in ea civitate conventum FF. Observantiæ, ac ibidem monstratur sacellum, in quo Sanctus celebrasse traditur* (2).

c *Novum Forum* (Neumarkt) *in Palatinatu Superiori, circiter* XX *chiliometris occidentem versus situm* (3).

d *Otto, dux Bavariæ, videtur esse Otto Mosba-*

(1) Moroni. Dizion. d'Erudiz. Eccles. v°. *Cusa.* — (2) Geogr. Lexicon von Bayern. v°. *Amberg.* — (3) Ibid. v°. *Neumarkt.*

censis,

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

censis, Ruperti seu Roberti imperatoris filius, cui in successione paterna obtigit Mosbach, Sinsheim, Kaiserwerth, aliaque, quæ Nicro et Rheno alluuntur, loca et castra. Electoratum Palatinum, tutoris nomine, pro filio fratris aliquandiu administravit (1). *Obiit anno* 1461 (2).

e *Eichstadium* (Eichstatt) *urbs episcopalis in hodierno regno Bavariæ, olim sub metropoli Moguntina, nunc sub Bambergensi.*

f *Cur Nuremberga* Mellita civitas *appellatur, non est, quod dicam; certo sub hoc nomine nuspiam apud geographos reperi. An forsan Christophorus biographus, qui Sancto socius peregrinationis fuit, dulci recordatione dictæ civitatis commotus, eamdem* Mellitam civitatem *vocavit? Cæterum Nuremberga apud antiquos Nora, Nora Bavarica appellabatur: estque hodie caput circuli cognominis.*

g Bamberga (Bamberg) *civitas olim episcopalis, hodie archiepiscopalis regni Bavariæ: quæ suffraganeos habet episcopos Eichstattensem, Wirceburgensem et Spirensem.*

h *Error in numero dierum obrepsisse videtur. Nam hic loci dicit biographus* die decima
B quinta augusti, id est in solemnitate gloriosæ Virginis Mariæ *infirmos a S.* Capistrano *curatos: ast num. præcedenti, moram suam protrahit Sanctus Nurinbergæ ad* usque decimam nonam augusti; *statim subnectitur:* De Nuremberga ad Bambergam perrexit, *adeoque si verba sectamur, ille ipse qui die* XIX *augusti Nurembergæ morabatur, tamen* XV *ejusdem mensis jam Bambergæ agebat. Recolenti vero totum numerum* 152 *occurrit, hiatum esse inter* VI *et* XVII *Augusti, quo nihil egisse Sanctus videtur: quod si singulis numeris* decem *decerpamus,* XVII *Augusti erit* VII *et ita porro, ac inter* IX *et* XV *Augusti commodum tempus nanciscimur pro itinere Bambergensi. Nuremberga Bamberga distat* XL *circiter chiliometris.*

i *Coburgum caput ducatus cognominis, ex cujus principali familia prodierunt principes hodierni Belgii nostri.*

k *Arnest interpretor* Arnstadt, *oppidum principatus Schwarzburg-Sonderhausen, tum quia nullum mihi occurrit in iis partibus oppidum, cujus nomen sit* Arnest, *tum quia, S.* Capi-
C strano, *eunti Coburgo Erfordiam, occurrere debuit Arnstadium.*

l *Erfordia* (Erfurt) *præcipua civitas Thuringiæ, hodie ad regnum Borussicum pertinet.*

m *Jenæ* (Jena), *urbs in magno ducatu Saxo-Weimarensi, quæ habet academiam celebratissimam.*

n *Merseburgum* (Marsi- *seu* Martisburgum) *in hodierna provincia Saxo-borussica, civitas olim episcopalis, cujus titulus, prævalente lutheranismo, extinctus est* (3). *Halle* (Hala Saxonica) *in regno Borussiæ hodierno: et ipsa habet academiam, studiosis frequentem. Magdeburgum, urbs olim archiepiscopalis, in hodierno regno Borussiæ, satis nota: archiepiscopum habuit S. Norbertum, ibidem defunctum anno* 1134.

o *Czernist, nomen incognitum, nisi* Zerbst, *oppidum in ducatu Anhaltino significet: et re ipsa eunti Magdeburgo Lipsiam transeundum est per dictum oppidum.*

p *Lipsia* (Leipzig) *regni Saxonici urbs, post Dresdam præcipua, academia et commercio, præsertim librario, celebris.*

D

CAPUT XII.

De fundatione conventuum; Sanctus Poloniam percurrit; Francofordiensibus comitiis interest; Hungariam ingreditur.

Lipsiæ miracula operatur,

Ad Lipsk autem veniens, est susceptus maxima cum devotione, præcipue autem ab alma universitate illa studentium omnium facultatum, et aliquoties, eorum devotione allectus, in eorum collegio majori, cathedra magistrali sublimatus, circumsedentibus magistris et studentibus in suo ordine, salutaria, ad salutem animarum spectantia monita maximo cum fervore dedit. Manens ergo ibidem longo tempore, faciens mirabilia, quæ etiam ex negligentia scriptorum non nisi summatim pauca scripta reperi, die ac mense *a* scilicet duodecim claudi, duæ contractæ, quarum una in
E grabato portata fuit, alia in uno brachio contracta, tres surdi, et quatuor surdæ, unus cæcus, unus magnam infirmitatem patiens, unus contractus, portatus in una gerula, unus in uno oculo cæcus, et quinque claudi, sanati sunt.

a

et conventum fundat;

159 Et ibidem multos magistros, baccalaureos, ac studentes variarum facultatum, et notabiles inclytosque viros ad Ordinem suscepit circa numerum septuaginta. Quorum ego a Lipsk usque ad Viennam aliquos duxi in magnis frigoribus cum jejunio quotidiano, forte XXIV, quorum nonnulli jam sunt mortui. Reliqui adhuc supersunt, scilicet Frater Jacobus de Glogovia, nunc guardianus Oppaviensis, Frater Bonaventura, nunc guardianus Lubsiensis, Frater Franciseus de Silesia, qui fuit primus receptus, nunc guardianus Sanctæ Radegundis, Frater Paulus Wisina, nunc guardianus Langniensis, Frater Christophorus de Pretin, et alii plures. Hospitatus ibidem in conventu Fratrum Minorum, qui Conventuales post recessum Patris se ipsos laudabiliter reformaverunt viventes secundum regulares F
institutiones ipsius exemplo, et exhortationibus inducti.

vicinas civitates visitat;

160 De Lipsk tandem recedens, secumque ducens novitios plurimos, licet etiam plurimos miserit ex Lipsk ante recessum suum ad partes superiores, Fratribus de Observantia educandos. Eodem ergo anno MCCCCLII, XX novembris, peragravit multas civitates, scilicet Crym, Torgo, Dreser, ibi nativitatem Domini excepimus, Hanitz, Cametz, Budissum, Corlicz, Lubanam, Lemburgh *b*. Et in istis civitatibus multa et stupenda demonstrata sunt opera Dei, sed propter intensum frigus, et scriptorum negligentiam, notata non fuerunt. In Coltheberg *c* die tertia februarii, duo claudi, una duobus annis non ambulans, et alius non ambulans nisi in summitate pedis, et una infirma per quatuor hebdomadas, sanantur: ibidem, die quarta, una contracta, non valens se inclinare et una * sanatæ sunt.

b

c

** quidpiam deest.*

161 De Holtherbergh venit ad Lignitz *d*, et

d

(1) Imhoff. Notit. Germ. imp. pag. 235. — (2) Tolner. Hist. Palat. pag. 74. — (3) Schumann. Lex. von Saxen. v°. *Marsiburg.*

ibi,

Lignitium quoque ibi, die decima februarii, duæ contractæ, una in manibus, similiter et alia, curatæ sunt. Duo claudi, et una clauda, multum distorte ambulans, sanantur. De Lignitz, peragratis nonnullis aliis civitatibus, in via occurentibus, venit tandem ad Vratislaviam, magnificam et inclytam civitatem, tertia feria, id est, ultima die carnisprivii *e*. Susceptus a Deo, et populo tam magnifice, ductus processionaliter ad ecclesiam cathedralem, ubi post ejus susceptionem ab episcopo *f* et clero, post longum sermonem, factum a quodam doctore, iterum reducitur tandem ad hospitium, sibi præparatum cum indicibili omnium gaudio. Ibidem, die ultima februarii, quædam nobilis virgo sex viginti annos nata, ita confracta a febribus, quod nullo modo ambulare posset, delata ad Patrem in lecto, una viginti annorum podagrosa et destituta viribus in grabato portata, claudus unus, qui sine ferulis ambulare non potuit, sanati sunt.

Wratislaviam, 162 Ibidem, die tertia martii, una muta, una cæca, una contracta in manibus, et unus claudus liberantur. Ibidem, die nona usque ad diem vigesimam, scilicet in festo sancti Benedicti *g*, duæ surdæ et duo surdi, quinque claudi et duo contracti, unus in toto latere dextro, alia in brachio, sanantur; similiter unus non valens spirare per nares, sanatus est. Ibidem a die vigesima usque ad finem* duo claudi, quorum unus dimissis baculis, duo contracti in manibus et pedibus, duæ claudæ, una cæca, unus graviter infirmus, duo surdi, una alia cæca, unus contractus in brachio, unus claudus, et una contracta in ambabus manibus, sanati sunt. Multa plura, in quadruplo numeranda, et præclara opera etiam patrata sunt in ipsa, quæ per negligentiam scriptorum non fuerunt signata. Propter quæ ipsa civitas inter omnes Almaniæ civitates semper maximam devotionem habuit ad Patrem, dum viveret, et etiam post mortem, et usque hodie perseverat. Pater etiam inter alias civitates ipsam maxime diligebat, et dicebat eam suam. Insuper propter sermones Patris ipsa sola noluit adhærere Georgio de Badbrath, hæretico regi Bohemiæ *h*, nisi prius constaret de ejus conversione, quod catholicus verus declararetur per apostolicam sedem.

ubi conventus FF. construitur; 163 In eadem etiam civitate vel suburbio ejus recepit locum, qui MCCCCLIII, in die parasceves *i*, conclusa prædicatione Passionis Domini in civitate per Patrem, et Jesu posito in sepulcro, deferendo ipsum sepulcrum per Fratres cum maxima comitiva populi civitatis et cleri processionaliter ordinati, solemniter traditus est, et susceptus ad laudem et gloriam Dei et sancti Bernardini, in cujus titulo est consecratus. In quo positi sunt novitii, in Lipsk et alibi per eum vestiti ducenti usque hodie, et proficientes in vita et Observantia regulari *k*. Quo in loco Domini cuidam vulnerato ad mortem, de cujus vita spes nulla erat promissus per alium amicum suum, scilicet quod si visitaret Ecclesiam sancti Bernardini sanitati pristinæ restitutus esset *l*.

in Poloniam migrat, 164 Tandem post longam et gravem infirmitatem, quam Pater passus est in dicta civitate, paulatim convalescens, vocatus est per serenissimum regem Poloniæ *m*, et Rev. Dominum Cardinalem, episcopum Cracoviensem, Sbigneum *n*, gressus suos versus Cracoviam civitatem dirigit *o*. Ibi anno Domini MCCCCLIII, die secunda septembris, duæ cæcæ decem annis, et alia a nativitate in uno oculo, tres claudæ, quarum una sine baculo non potuit ambulare, tres claudi, quorum duo sine baculis ambulare non poterant, et unus surdus, sanantur. Ibidem, die quinta, una contracta in pectore, tres cæcæ, quarum duæ in singulo oculo, quatuor claudi, quorum tres sine baculo non ambulabant, dimissis baculis, sanati sunt.

et Cracoviæ 165 Ibidem, die septima, unus surdus in aure, unus claudus, una clauda, et una surda, liberantur. Ibidem, die octava, duo cæci, quorum unus in uno oculo, et alter in ambobus, et etiam unus surdus, et unus mutus, una clauda cum baculo ambulans, et unus surdus a nativitate, liberati sunt: ibidem, die duodecima, duæ claudæ, quarum una sine baculo ambulare non potuit, una surda, duo claudi, unus, dimisso baculo, sanantur: ibidem, die decima quarta, duo claudi, dimissis baculis, sanati sunt: ibidem, die decima sexta, unus contractus in manibus et tibiis, unus cæcus et unus claudus, demisso baculo, et duæ claudæ, liberati sunt. Ibidem, die vigesima prima, duo surdi, unus in una aure, unus cæcus, duæ surdæ, quarum una a nativitate, et una contracta in manibus, sanantur.

a die II *septembris* 1453 166 Ibidem, die vigesima octava, tres cæcæ, tres surdæ, quarum una ab una aure, sanatæ sunt. Ibidem, ultima septembris, unus cæcus, duæ surdæ in singula aure, et unus claudus, dimisso baculo, sanantur, sive liberantur: ibidem, die tertia octobris, unus cæcus a nativitate, unus claudus, et una clauda, cum baculo ambulantes, liberati sunt: ibidem, die septima, duo surdi, sanantur: ibidem, die decima, duo claudi, quorum unus sine baculo non valebat ambulare, sanati sunt: ibidem, die duodecima, una surda, una cæca, et unus hydropicus, et unus contractus in brachio, scilicet sacerdos, qui per annum non potuit celebrare, sanati sunt: ibidem, die quarta decima unus claudus, una contracta in brachio, et una cæca, liberati sunt: ibidem, die decima octava, quatuor cæcæ, quarum una in uno oculo tantum, una surda, una clauda, quæ non potuit planare pedes, unus, qui non potuit ambulare, dimisso baculo, et unus infirmus, sanantur.

ad mensem februarii anni sequentis, 167 Ibidem, die decima nona, duæ cæcæ, una in uno oculo propter ignem, qui in illo ceciderat, et duæ sorores etiam cæcæ, sanatæ sunt: ibidem, die vigesima prima, a juventute unus parum videns et una, offensa in pede, liberantur: ibidem, die vigesima sexta, una cæca parum videns, et unus claudus, liberati sunt. Ibidem, die vigesima octava, una infirma, unus nobilis destitutus in brachio, et in uno oculo parum videns, et unus claudus, non valens sine baculo incedere, sanantur. Similiter et una clauda contracta in manibus. Ibidem, prima die novembris, duæ claudæ, una in uno pede; alia ab incunabulis, duæ cæcæ, una in uno oculo et alia in duobus curata est: quia tacuit et noluit laudem Deo dare, nocte sequenti magnus dolor et tumefactio oculorum eam invasit, sed vovens visitare ecclesiam sancti Bernardini sanata

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

multa miracula

nata est; et una surda similiter sanatur.

168 Ibidem, die quarta, unus surdus, non bene audiens, unus graviter infirmus, unus non valens ambulare, sanati sunt: ibidem, die septima, una cæca, una male verba proferens, unus viribus destitutus, liberantur: ibidem, die undecima, unus viribus destitutus, non valens ambulare, nec pedem ad terram ponere, una clauda, ambulans supra summitatem pedum, unus claudus, cum baculis ambulans, et alius, non valens ambulare sine baculo, liberati sunt: ibidem, die decima tertia, una clauda, duæ surdæ: ibidem, die vigesima prima, una decem et octo annorum surda a nativitate, liberantur: ibidem, nona die decembris, quædam mulier, dum esset sana et contemneret signum a Patre, cœpit dolere in oculis, et dum iterum contemneret, venit sibi inflatura ad modum nucis sub oculo, fecit votum Beato Bernardino, et curata est in oculo, sed remansit surda; postea, signata a Patre, sanata est: ibidem, die secunda mensis februarii, MCCCCLIV, quidam, habens magnum peccatum, non fuit ausus signari Reliquiis Sancti Bernardini,
B quia nolebat confiteri peccatum: unde recedens de Cracovia inflatus est toto corpore, ductus ergo in curru ad Patrem, et ab eo signatus, sanatus est.

patravit,

169 A secunda die februarii usque dum Pater stetit Cracoviæ infra scripta miracula notata reperi sine die et mense. Quædam mulier infatuata, percutiens homines, facto voto per fratrem suum ad Sanctum Bernardinum, et prius signata per Patrem, sanata est. Una inflata in gutture, una habens dolores in oculis, una inflata in collo, una tumefacta in oculis, unus surdus in una aure, unus non valens ambulare, unus cæcus, unus surdus, unus claudus, cum baculo ambulans, unus contractus in brachio, una non valens ambulare, una destituta in brachio, una obsessa a diabolis, horribiliter clamans, una cæca, una surda in una aure, una ambulans cum duobus baculis, una contracta in brachiis, una surda, unus surdus, unus contractus in uno brachio, domina Cracoviensis contracta in una manu, scilicet sinistra, una surda, una cæca
C in uno oculo, duæ contractæ, una in uno brachio, alia in manu, omnes sanati sunt.

et conventum FF. fundavit;

170 Multa alia signa facta sunt Cracoviæ, forte in septuplo, quæ hic propter defectum scriptorum signata non sunt. Multa etiam præclara et miranda miracula facta sunt, hinc inde in Polonia, Patre existente Cracoviæ, ad invocationem Sancti Bernardini. Nam plures mortui sunt resuscitati, plures a faucibus mortis liberati, plures cæci illuminati, carcerati liberati, et multa alia facta sunt, quæ narrare non curo, cum intentio mea sit solum illa referre, quæ per manus et ministerium Patris facta sunt. In hac inclyta etiam civitate recepit novum locum, sibi oblatum per dominum Sbigneum reverendissimum Cardinalem et episcopum Cracoviensem, cum solemni processione et immenso gaudio cleri et populi. Et ibi collocavit magistros, baccalaureos, studentes, et alios, quos ibi recepit ad Ordinem, numero forte centum triginta. In hac etiam civitate regem et reginam desponsavit, et
p alia plura laude digna egit *p*. De Cracovia ve-
q nit Bithohom *q*, et ibi duo claudi, non ambulantes sine baculo, quorum unus erat etiam D in manu contractus, et una clauda, sanantur. De Bithohom venit ad Oppel *r*; et ibi duo claudi, quorum unus sine duabus ferulis ambulare non valebat, sanati sunt. De Oppel venit ad Storlicz *s*, et ibi duo surdi quorum unus a nativitate, et una surda, liberati sunt. Deinde, peragratis multis civitatibus, venit ad Vratislaviam, ubi per multos dies stetit.

r

s

Francofordiam vocatus,

171 Postea accersitus per dominum Eneam, tunc episcopum Senensem et legatum apostolicum, nunc vero Papam Pium II, ad dietam, quæ Franckfordiæ celebrata est contra Turcas; pertransivit Silesiam, Moraviam, Austriam, partes Rheni, et, celebrata dieta, in qua multa fecit pro causa fidei *t*, habitis revelationibus, de quibus supra, ut iret ad Ungariam, iterum reversus est Viennam, et postea ivit ad Ungariam. In præmissis vero patriis et civitatibus, mirabilia et stupendissima gesta sunt, quæ propter negligentiam et pigritiam scriptorum (Deus parcat eis) notata non fuerunt, sed totus mundus, et etiam signa, in ecclesiis pendentia, testificantur veritatem. E
Hæc sunt quæ gloriosus, beatissimus et toto orbe venerabilis Pater, divina in se fulgente virtute, in his Germaniæ partibus mirabiliter egit. Verus medicus non solum animarum, sed etiam corporum.

t

virtutibus,

172 Nec mirum, si tanta per sanctissimas manus ejus monstrata sunt: quia omnipotens Deus charitati ardentissimæ ejus correspondebat. Cum enim mundissimus esset corpore, delicatissimus nihilominus propter nimiam compassionem, quam habebat in infirmos, cupiens omnes, si potuisset, sanitati restituere, non horrebat leprosos, non ulceribus plenos, non alios, quomodocumque deformes, sed eorum ulcera manibus contingebat, lippos oculos tergebat, digitos in aures surdorum immittebat. Et omnia pius Pater agebat, quæ poterat, ut infirmi sanarentur, licet jam esset decrepitus, et quotidie prædicaret et libros componeret, consuleret, et diversimode laboraret; nihilominus servus fidelis, non considerans æstus, non timens frigora, non pressuram populi, non irrisiones æmulorum, nimia charitate accensus, visitabat infirmos, tange- F
bat manibus et cum Reliquiis Sancti Bernardini, quas secum deferebat, devotissime signabat. Non sibi attribuebat miracula humillimus Pater, et prodigia quæ fiebant, sed meritis Sancti Bernardini, cujus biretum secum portabat, et cum eo ægrotos quoscumque signabat.

præsertim humilitate

173 Imitatus nimirum illum sanctum episcopum, de quo Gregorius refert in Dialogo, qui cum multis miraculis claresceret et ob hoc infirmi ad eum confluerent, accipiebat calceum prædecessoris sui, et cum illo tangens infirmos, dicebat, meritis eos ipsius prædecessoris sanatos; hoc modo sub prætextu calcei sanctitatem suam abscondere desiderans: cum tamen ipse Gregorius dicat, miracula non virtute calcei, sed propter humilitatem ipsius sancti episcopi fuisse facta *u*: sic profecto vir *u*
iste beatus, licet miracula meritis Sancti Bernardini attribueret, et cum bireto ipsius se abscondere niteretur, fiebant tamen mirabilia propter ipsius maximam fidem, ardentissimam charitatem, profundissimam humilitatem, et hoc sæpius claris indiciis demonstratum

A tum est. Nam sæpe infirmi, cum bireto Sancti Bernardini signati, nullum sanitatis consequebantur beneficium; sed postea revertentes et manibus Patris contrectati, sanabantur.

eminet: 174 Sicut enim supra tactum est, multa miracula ante mortem Sancti Bernardini per ipsum Beatum Patrem facta sunt. Nec hoc ideo scribo, quod intendo in aliquo Sancto Bernardino derogare, aut illi beatum Patrem nostrum præferre, cum jam ipse sit in cœlo et in terra canonizatus, sed ut veritatem referam, et unicuique quod suum est, tribuam. Novit totus mundus, quod Sanctus Bernardinus multos mortuos suscitavit, et in diversis mundi partibus multa mirabilia ipsius meritis et facta sunt, et quotidie fiunt. Noscat etiam, quod meritis beati Patris Joannis de Capistrano multa facta sunt, ipso vivente, et adhuc continue post mortem fiunt, ad laudem Domini Nostri Jesu Christi. Amen.

Vienna parat 175 Jam disponente Deo, laboribus fidelissimi sui Beati Joannis finem imponere, ei per plures revelationes, de quibus aliquæ supra

B sunt positæ, divinitus inspiravit, ut iter suum versus Ungariam dirigeret. Unde obediens Pater, voluntatem divinam adimplere cupiens, nec non per martyrium vitam suam finire desiderans, festinus de Francfordia, ubi fuerat in causa fidei dieta celebrata, Viennam advolavit. Ubi in loco Sancti Theobaldi et Bernardini, quem ipse receperat, moram trahens per plures hebdomadas cum filiis suis, quos ipse ad Ordinem assumpserat in maxima charitate et gaudio spirituali conversatus est. Deinde eos exhortans ad observantiam professionis nostræ et Regulæ, dicto matutinali Officio, pro themate verbum Apostoli cepit : « In

* Hebr. XII, 7 disciplina perseverate. » * Ex quo themate melliflua fundens, protraxit sermonem usque ad auroram, Regulam, observantiam morum ac ceremoniarum commendans omni efficacia spiritus, quo valuit : R. P. vicario provinciæ, Patri fratri Gabrieli de Verona commendans provinciam, qui et affuit, et fratribus, prophetico spiritu præventus, dixit : « Quia amplius non me visuri estis; » addens : « Scio enim quod post mortem meam aliqui venturi

C sunt afferentes aliquas doctrinas, constitutiones, et ceremonias, non credatis eis, non credatis eis; » addens etiam : « Si Angelus de cœlo venerit anathema sit. »

profectionem suam 176 Sicque illacrymantibus Patre beato, vicario provinciæ, fratribus singulis: quis cogitari valet, nisi pietate Christi perfusus, ultimum hoc et amarum vale. Cum ergo aurora quasi finem daret, genua flectens perfusus uberrimis lacrymis, pastor bonus, oves sigillatim gemebundas osculatus est, moxque Danubium ingressus Ungariam petiit. Venit

w igitur primum ad Taurinum *w*, ubi ab episcopo Taurinensi et universo clero et populo processionaliter, magna cum solemnitate, sicut in aliis civitatibus Alemaniam per universam, receptus est. Ut autem posteris nostris ad gloriam Dei et Ordinis honorem detur intellectus, cum quanta solemnitate Beatus Pater noster in omnibus partibus, ad quas declinabat, susceptus est, libet paulisper a materia discedere, et compendiose, prout possumus, declarare.

in Hungariam: 177 Nam in omnibus civitatibus, oppidis

terrarum, quasi supranotatis, ad quos declinabat, exibant clerus et populus, mares et fœminæ, juvenes et senes, cum magnis jubilis et canticis spiritualibus, beatum virum et Dei nuntium, tamquam alium Apostolum, introducentes, religiosi, sacerdotes sæculares, vestibus sacris induti, sacras Reliquias deferentes, cæterique clerici tamquam bonæ pecudes superpelliciis induti, post quos vulgus, quilibet in suis turmis se jungens, processionaliter devote cum melodia ac devotione ei occurrentes, susceperunt. Non dedignabantur præsules civitatum tanto Patri obviam ire, non alii prælati, non domini temporales, non cardinales, non reges et reginæ, sicut Cracoviæ factum est. Ubi serenissimus dominus rex Poloniæ et regina, et reverendissimus Cardinalis, ac universus clerus et populus per longum spatium humiliter ei obviaverunt. Alicubi vidisses scholares præcedere et suavissimos, more angelorum, cantus varie decantare. Alicubi omnes virgines, in unum congregatæ, aerem suavi melodia replebant.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

178 At ubi vir Beatus sic susceptus, civitates ingrederetur, memor verborum Christi, qui dicit: « Primum quærite regnum Dei, » primo ecclesiam visitabat cum universo clero et populo. Post cessationem laudantium in organis et musicis instrumentis, cæterorumque, ut præmissum est, facta reverentia primum, ac oratione brevi, sermonem, per ipsum factum secundum temporis consequentiam, absolvens cum gratiarum actione se a populo, quietis hospitium ac refectionem cum suis adibat. Quando vero domum egrediebatur altera die, et per omne tempus, qua moratus est, in aliqua civitate, congregabantur principaliores populi et cleri, eum conducentes etiam nonnumquam cum luminaribus, sive cum iret ad celebrandam Missam, sive ad prædicandum, sive ad infirmos visitandum, inter nonnumquam ab utroque latere eorum brachia cum omni reverentia deducentes, maxime tempore hyemali, et pluviali, sic et reducebatur.

ubique cum fructu

prædicat,

179 In his omnibus non extollebatur animus ejus, neque aliqua vana gloria aut reputatione propria efferebatur, sed de die in F diem humilior effectus, reddebat gloriam Deo, replicans cum Propheta frequentius versiculum: « Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam *. » Conjungens contemplationi: « Laudate Dominum omnes gentes et collaudate eum omnes populi *. » Sæpe etiam post tantos et tam multiplices honores susceptos, intrabat mox cubiculum, menteque revolvens fragilitatem suam et peccata, quæ in mundo aliquando commiserat, innumeras amarasque lacrymas effundebat, risum in planctum, gaudiumque in mœrorem vertit. Sed præter hæc quid pensare (taceo exprimere) poterit propter pericula viarum et latronum, hæreticorum, Hussitarum præcipue, salvum et mirificum conductum, quo de civitate in civitatem fuit associatus.

* Ps. CXIII, 9

* Ps. XVI, 1

confluente undique populi multitudine.

180 Vidisses namque in ejus recessu tantum fletum omnium, et planctum, ac si cujusque pater vel primogenitus obiisset. Nam juxta quantitatem gaudii in adventu, cumulabatur mœror in recessu tam amabilis Patris. Vidisses denique turmatim viros bellicos, co-

piose

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

piose et curiose ordinatos per suas acies exercitus, tam in equestribus quam in pedestribus armis suis bellicis instructos. Cum quibus pius Pater, suo insidens jumento, cum comitiva fratrum gradiebatur securus ad locum, ubi similis vel major apparatus suum præstolabatur adventum, a quibus gaudiose susceptus, licentiabantur priores, benedictione Patris recepta. Nonnulli tamen et communiter potiores, quasi non valentes satiari ejus præsentia, iter prosequentes usque in civitates proximas se receperunt. Hæc in regno Bohemiæ, et ejus confinibus, ut est Silesia, Moravia non immerito ad laudem Dei, et Ecclesiæ Romanæ studiosius per fideles, ad hæreticorum réprimendam temeritatem, frequentius Patri exhibita vidimus. Ad propositum autem nostrum redeuntes, postquam per dies aliquot Taurini evangelizavit, peragravit quasi totam Ungariam, omnes ipsius civitates visitando, *x* scilicet Albam Regalem *x*, in qua revelationes *y* supra memoratas habuit, Zegedinum *y*, Budam *z* etc., in quibus multa miracula, et stu- *z* B penda signa sunt facta, quæ non reperi notata.

ANNOTATA.

a *Nota, qua dies et mensis patratorum prodigiorum indicatur, sive ex oblivione sive ignorantia omittitur. Quoniam vero habemus ex num. præcedenti Sanctum Jenæ permansisse ad* XV *Septembris, ac dein varias civitates, Merseburgum, Hallam Saxonicam, Magdeburgum, Zerbstum obivisse, ac ibidem miracula operatum fuisse, saltem medium mensem peregrinationi impendisse existimare licet: adeoque initium moræ Lipsiensis ad kalendas Octobris revocare licet, quum ibidem perseveraverit, ut infra num.* 160 *dicitur ad diem* XX *Novembris, consequitur, medio temporis intervallo miracula hic recensita accidisse.*

b *Quæ hic indicantur, civitatum nomina, homini Italo plerumque barbare sonantia, passim male scripta sunt. Multiplicem tamen biographi errorem ope mapparum corrigere possumus. Etenim si S.* Capistrani *itinerarium* C *sequimur, invenimus illum* XX *Novembris* 1452 *Lipsiam reliquisse et contulisse se in Crym, quem locum* Grimma *oppidum Saxoniæ,* XXVIII *chiliometris Lipsia orientem versus distans. Hinc in Torgo,* Torgau, *oppidum munitissimum, quod* XXIV *chiliometris, septemtrionem versus, abest. Dreser,* Dresdam, *totius Saxoniæ caput interpretor, quo adverso fluvio Albi* (Elbe) *appellere potuit. Qui vero sequitur locus Hanitz seu Kanitz in mappa non occurrit; sed lexicographus Schumann varios hujus nominis recenset vicos, quorum unum in districtu Budissino situm* (1). *Sequitur Cametz, quod* Kamenz *credo, præsertim quum latine* Camentia *et* Camitium *scribatur* (2). *Habemus dein Bredissum, mihi* Budissum *seu* Budissa, Bautzen, *oppidum; hinc Corlitz, melius* Gorlitz, *Lubana* Luban *et tamdem Lemberg, rectius* Löwenberg. *Quandoquidem num. sequenti* 161 *dicitur Sanctus Dresda Lignitium in Silesia ivisse, consideranti aliquam mappam facile patebit, quæ indicavimus loca rectum iter exhibere Dresda* D *Lignitium.*

c *Coltheberg est* Goldberg, *Silesiæ oppidum, medium jacet inter Lowenbergum et Lignitium. Paulo infra num.* 161 *scribitur* Holterbergh.

d *Lignitium* Liegnitz, *una e primariis civitatibus Silesiæ, incolas habet* 11,000.

e *Annus* 1453, *signatus littera dominicali G, paschate in diem* I *Aprilis, habuit ultimam diem carnisprivii* XIV *Februarii.*

f *Ab anno* 1447 *ad* 1456 *sedem Wratislaviensem occupavit Petrus Novag, vir doctus et industrius* (3).

g *Existimo legendum* diem vigesimam primam, *qua festum S. Benedicti abbatis celebratur. Quod etiam legendum est paulo infra.*

h *Georgius de Badbrath, id est, Georgius Podiebrad, rex Bohemiæ anno* 1458 *electus, regnum tenuit usque ad annum, quo obiit,* 1471 : *Hussitas maxime fovit, utpote quorum auxilio regno potitus sit.*

i *Apographum nostrum habet annum* MCCCCLII, *erronee; nam supra num.* 160 *jam habuimus anni* MCCCCLII *diem* XX *Novembris: porro dies* E *parasceves occurrebat anno* 1453 *in diem* XXX *Martii. Cfr supra Annotat* e.

k *Commentarii prævii num.* 237 *egimus de fundatione et fortunis conventus Wratislaviensis FF. Minorum Observantiæ.*

l *Textum, undequaque luxatum, relinquimus; vix enim manum medicam pateretur. Cæterum satis manifestum est, virum, graviter vulneratum, invocato S. Bernardino et voto facto adeundæ ejusdem ecclesiæ, sanitati fuisse restitutum.*

m *Thronum Poloniæ Casimirus IV occupavit ab anno* 1445 *ad* 1492. *Ejus nuptiis cum Elisabetha Austriaca interfuit S.* Capistranus ; *et ex isto matrimonio prodiit S. Casimirus, cujus Acta dederunt nostri sub die* IV *Martii* (4).

n *Sbigneus Olesnicius, Cracoviensis episcopus, recusato galero rubro, quem miserat Eugenius IV, eumdem ab antipapa Felice Sabaudo admisisse videtur: ast Nicolaus V anno* 1449 *Sbigneum in suo gradu confirmavit. Alii vero affirmant, Sbigneum cardinalatum ab Eugenio IV acceptasse, imo legationis munus apud regem Poloniæ gessisse, ut ipsum in obedientia* F *Eugenii contineret. Id certe apud omnes constat, fuisse virum religiosissimum, pupillorum et viduarum patronum, in egenos liberalem, Ecclesiæ vindicem ac defensorem acerrimum* (5).

o *Cracovia* (Krakow) *urbs e primariis antiqui regni Poloniæ, hodie sub imperatore Austriæ.*

p *Scilicet, ut habet Ciaconius* (6), *contentio orta erat inter archiepiscopum Gnesnensem et Sbigneum Cardinalem, uter eorum ritum sacrum in matrimonio regio perageret: nempe quod ille archiepiscopus et primas, hic Cardinalis et Cracoviensis episcopus, ubi hæc agebantur, esset. Re diu agitata convenerunt,* ut, Joanni Capistrano Ordinis Minorum, tunc temporis Cracoviæ degenti, facundia et sanctitate vitæ pollenti, eum honorem deferrent.

q *Bithohom, locum, qui medius in itinere Cracovia Opoliam jacere debuit, non alium invenio quam oppidum* Beuthen, *etiam* Bytom, *in districtu Silesiæ Lignicensi.*

(1) Schumann. Lexik. von Sachsen, v°. *Kanitz.* — (2) Ibid. v°. *Kamentz.* — (3) Stenzel. Scriptt. rer. Siles. tom. I, pag. 169. — (4) Tom. I Martii, pag. 337 et seqq. — (5) Ciacon. Vitæ. Pontt. et Cardd. tom. II, col. 910. — (6) Ibid. col. 911.

r *Oppel*

A r *Oppel* (Oppeln, Opolia) *oppidum Silesiæ Borussicæ ad Viadrum* (Oder) *fluvium cum septem circiter millibus incolarum.*

s *Storlitz locum neque in mappis neque in lexicis reperio: ast medium invenio oppidum Strelitz inter Oppoliam et Beuthen: si autem hunc locum indigitat biographus, oportuit, ut S.* Capistranus *Oppolia illuc retrogressus fuerit, quod non videtur satis concordare cum agendi modo Sancti, vix umquam suos gressus repetentis.*

t *Waddingus sub anno* 1454 *refert* (1), *convenisse Germanorum concilium apud Francfordiam,* ut ibi delectus militum fieret et belli altrices pecuniæ stabilirentur. *Sed negotium minus prospere successit,* vario, *inquit Waddingus* (2), et instabili principum suffragio, aversisque a Pontifice et imperatore animis, quos dicebant aurum corradere, non bellum movere velle; unde utrique maledicere, legatos eorum contemnere, Burgundos irridere, qui proni ad expeditionem videbantur. Tandem Æneæ Sylvii facundia dicendique virtute, Capistrani assidua prædicatione atque ignito
B sermone, omnes in priorem belli gerendi ardorem rediere, renovato Ratisponensi decreto, promissoque Hungaris equitum decem millium, peditum triginta duorum auxilio. *Ex Waddingo attulimus Commentarii prævii num.* 267 *epistolas, scriptas tum ab Ænea Sylvio tum a S.* Capistrano.

u *Alludit biographus ad locum S. Gregorii lib.* I *Dial. cap.* 2 (3), *in quo narrat, Libertinum, præpositum Fundensis monasterii, Honorati prædecessoris sui,* quocumque ibat, semper caligulam in sinu portare consuevisse: *rogatus aliquando a muliere, ut exstinctum puerulum ad vitam revocaret: hæsit; timebat enim* ne inusitata præsumeret, *dolebat,* ne orbatæ mulieri non subveniret: *vicit tandem pietas:* caligulam de sinu protulit et super exstincti pueri pectus posuit: *ejusque oratione* anima pueri ad corpus rediit. *Satis patet Christophorum biographum, memoria lapsum, episcopum dixisse, qui præpositus erat monasterii.*

w *Taurinum seu, ut habet Ortelius in suo Theatro geographico, Taurunum h. v. est hodier-*
C *num Belgradum, vel secundum Martyrologium Romanum ad diem* XXIII *Octobris* Taurinum castrum. *Utrum porro hic Belgradum indicetur, mihi facit dubium, quod infra num.* 182 *Belgradum nominet* Nanderalbam *et satis mirum videatur uno quasi saltu Sanctum ad limitem extremum orientalem transivisse; imo post Taurinum indicatur num.* 179 *Sanctus visitasse Albam Regalem, Zegedinum, Budam. Verum quamvis ex hoc capite ambigua sit Taurinensis civitatis indicatio, ex altero tamen non video, quomodo aliter interpretari possimus hunc locum, qui habebat, ut textus noster habet, proprium episcopum. Certe non agitur de Taurino in Subalpinis, neque etiam de Tauriscis, qui hodiernam Styriam incolunt* (4), *quoniam proficiscens Vienna Hungariam versus, iter Styriacum regredi fuisset, non progredi. Quæ igitur obsunt, ne Taurinensem civitatem Belgradum interpretemur, dubia quidem sunt; non tanta tamen, quæ interpretationem respuendam adigant.*

x *Jam supra indicavimus cap.* VI *Annot.* f. *Albam Regalem esse civitatem Hungariæ, hodie* Stuhlweissembourg. AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

y *Zegedinum,* Szegedin, *una e præcipuis Hungariæ urbibus cum* 32 *millibus incolarum, ad confluentis Tibisci et Marisiæ* (Theiss *et* Maros).

z *Buda* (Budin, Ofen) *urbs caput regni Hungarici, quam Danubius ab urbe Pestho* (Pesth) *dividit.*

CAPUT XIII.

De Victoria Nanderalbensi et de felici Sancti Obitu.

Turcis Hungariam invadentibus,

Et quia inimicus crucis Christi, imperator Turcarum, cum magna potentia, juxta illud tempus, inclytum regnum Ungariæ navali bello et terrestri violenter invadebat, zelantissimus Pater fidei christianæ, licet jam esset decrepitus et incompos viribus, discurrebat tamen hinc inde prædicando Crucem contra E
Turcas cum fervore maximo, reducendo ad memoriam christianorum, quantum Salvator noster pro nobis passus est, quam gravia tormenta Martyres pro defensione christianæ fidei pertulerunt, quam multis miraculis vividissima et una fides Jesu Christi, extra quam non est salus, per omnes Sanctos roborata sit; insuper informabat, ut cogitarent quomodo canes illi, jugiter nomen Domini blasphemantes, fidem Christi derident, ecclesias destruunt, altaria sacra profanant, non abhorrentes, virgines super altaribus, Deo dicatis, deflorare, sanguinem christianorum truculenta rabie effundunt, eos in servitutem redigunt, fidem suam autem, a diabolico viro Mahometo eis traditam, spurcitiis et ignominiis plenam, extollunt, magnificant et exaltant.

christianos ad arma

182 His et aliis sermonibus multitudinem hominum tam nobilium, quam ignobilium, tam divitum, quam pauperum, ad defensionem catholicæ fidei animavit, eosque signaculo crucis Christi contra Turcas insignivit. Ipse quoque, verus amator Crucifixi et sanF
ctissimæ crucis ejus, licet eam semper fixam in corde haberet, nihilominus Crucem rubeam, per papam Calixtum sibi transmissam, a reverendissimo Domino cardinali sancti Angeli, Legato Ungariæ, reverenter et devote suscepit, et usque ad mortem habitui affixam, portavit *a*. Dicebat enim, ut, qui toto tempore *a*
vitæ suæ a die conversionis ejus crucem sequutus fuerat, et eam jugiter in corde detulerat, infinitasque lacrymas pro amore crucifixi Jesu effuderat, non nisi cum signaculo crucis vitam finiret. O quoties, cum prædicabat de Passione Christi coram omni populo tamquam parvulus flevit, et ad flendum totum populum induxit: similiter cum aliquid legebat, loquebatur, meditabatur de Passione Christi, a lacrymis se continere non poterat.

provocat S. Capistranus;

183 Multi insuper in partibus Alemaniæ, intelligentes beatum Patrem Crucem suscepisse et in partibus Ungariæ prædicare, exem-

(1) Ann. Minor. tom. XII, pag. 202. — (2) Ibid. l. c. — (3) Migne. Patrol. tom. LXXVII, Greg. M. Opera. tom. III, col. 160. — (4) Ortel. Theatr. geogr. v°. *Taurisci.*

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

plo ipsius animati et de sanctitate ipsius confisi, et ipsi Crucem receperunt, ad partes Ungariæ se quanto citius transferentes, non solum, ut contra Turcas pugnarent, sed ut videre possent Patrem, quem in eorum civitatibus mirabilia facere conspexerant. Dum hæc agerentur, Turcarum potentia in dies augebatur, invadebant oppida, devastabant villas, populum christianum abducebant, et velut pecora mactabant, flumina maxima,
b scilicet Danubium et Zavam *b,* potentissimis navibus et bene munitis occupaverant, ita quod aquam et terram, velut locustæ vel muscæ, cooperiebant. Et licet intentus eorum esset, non solum Ungariam, sed totam christianitatem occupare, conatum tamen tunc magnum, et impetum faciebant, ut castrum fortissimum et munitissimum Nandoralbæ
c occuparent *c;* quo habito, firmiter opinantes se faciliter aditum in totam Ungariam habituros.

imprimis Nanderalbam,

184 Circa ergo illud castrum figunt tentoria, disponunt machinas, conducunt naves, dirigunt acies, et cætera præparant pugnæ
B necessaria. At contra christiani, licet sine comparatione Turcis pauciores, quorum dux et capitaneus erat illustris vir et fidei christianæ propugnator, fortissimus dominus Joannes de Hunyad, comes Bistriciensis et
d gubernator regni Ungariæ *d,* in Deum tamen spem ponentes, et in Patris sanctitate confidentes, se, prout melius possunt, ad resistendum sævissimis Turcis disponunt. Omnes igitur ad Patrem confugiunt, qui tunc non longe a castro Nandoralbæ positus erat; ac quid facto opus sit, consilium ejus exquirunt, promittentes in omnibus suis consiliis velle acquiescere et jussiones ejus implere.

a Turcis obsessam.

185 Pater vero non hasta, nec clypeo, sed sermonibus optimis, armans eos, exhortabatur, ut in Dominum Jesum Christum spem ponerent, qui se promisit fidem suam usque ad finem defensurum. Nec terrerentur multitudine inimicorum, quia potens est Deus, ita salvare in paucis, sicut in multis. Et superinduxit exempla Sacræ Scripturæ, quam maxime exempla posita in libris Machabæorum,
C adjiciens : « O quam felices qui in hac pugna Christi morientur, quia statim ab Angelis cum Sanctis Martyribus, qui pro fide mortui sunt, coronabuntur. » His et aliis divinis eloquiis animatus populus christianus, sine omni timore ad bellum contra inimicos crucis Christi anhelabat.

omni conatu liberandam demonstrat;

186 Præparantur interea naves, ut velocius christiani ad succurrendum castro Nandoralbæ descendant, cum quibus et Pater omnino, ut dux exercitus, descendere disposuit. Intelligens tamen a referentibus, innumerabilem multitudinem Turcarum, et animadvertens christianorum paucitatem, tristis aliqualiter effectus est, timens, ne forte propter peccata populi christiani, victoriam Turcis a Deo, cujus judicia abyssus multa, tribuatur. Sed dum Missam celebraret, sicut supra notatum est, revelationem habuit, ut securus descenderet, quia victoriam de Turcis reportaret. Ascendens itaque lætus navim et proponens illa die cum cruce signatis applicare cuidam
e castro sive oppido, Cominum *e* nuncupato.

187 Sed ecce venti validissimi surgunt, obscuratur aer, turbatur Danubius, ita quod compulsi sunt christiani in terram descendere, quod ministerio Dei factum dignoscitur. Quia si Christiani illa die ad illud oppidum devenissent, fuissent omnes una cum Patre captivi Turcarum, qui eodem die illud obsederunt. Postquam igitur in terram descenderunt, serenatur aer, tranquillatur Danubius, et omnia in priorem statum reformantur : sicque, dimisso oppido illo, per rectam viam ad Nandoralbam descenderunt, quos intuentes habitatores castri, cum magno gaudio susceperunt, sperantes se ab eis et maxime propter merita Patris auxilium recepturos. Ingresso igitur Patre una cum militibus Christi castrum illud egregium, ascendit cum sociis ad superiora ipsius, et circumquaque respiciens, vidit Turcarum tentoria, terram replentia; prospicit eorum innumeram multitudinem, considerat bombardas et arma bellica; et elevans oculos in cœlum, ad Christum orabat : « Domine Jesu Christe, causa tua agitur, defende causam tuam. » Sero facto, inspiciens castra intuentur innumeram luminarium multitudi-
E nem, unusquique enim Turcarum jaculam ardentem in manibus gestabat, et, flexis in terram genibus, auxilium ducis et rectoris Mahometi postulabat.

cum crucesignatis illuc

descendit Sanctus,

188 Sed Pater Deum precabatur dicens : « Obsecro, Domine, allide fortitudinem et robur eorum, qui fidem Unigeniti Filii tui destruere moliuntur. » Mane facto, ecce Turcæ, sanguinem Christianorum avide sitientes, jungentes machinas machinis, et bombardis similiter multiplicatis innumeris, tam fortes enim erant machinæ et bombardæ, et tanta eorum multitudo, quod muri castri paulatim ruebant; ut jam ad capiendum ipsum se præpararent. Quod cernens Pater, voce magna multiplicabat Nomen « Jesu » et cæteros ad clamandum incitabat. Deinde cum magno fervore descendens de castro, cœpit baculum suum in quo signum Thau apparebat, et post se vocans Christi milites, id est cruce signatos, portam castri jussit aperire. Sed castellanus supra turrim castri, quæ adhuc remanserat, cuncta prospiciens et videns Turcarum robur, non intelligens autem mysterium Dei, F
de turri valida voce clamabat : « Non exeatis, Pater, nolite exire, quia omnes moriemini. »

et parta navali terrestrique victoria,

189 Interea dum hæc agerentur, serenissimus miles ille, magnus fidei propugnator, gubernator Ungariæ, sæpe dictus Joannes, navale bellum cum hostibus agebat, cujus audacia et divino auxilio suffragante, Turcarum classes, aliquæ submersæ, aliquæ combustæ, aliquæ captæ sunt. Exiens igitur Pater castrum cum paucis cruce signatis, tamquam alter Josue præcedebat populum, clamans quantum poterat : « Jesus, Jesus, Jesus; » et ubi amplius clamare non poterat, dicebat sociis suis, qui cum eo erant : « O Fratres clamate, imitamini me. » Interim sagittæ et lapides, a Turcis projecti, circa caput Patris volitabant, sed nihil ei nocere potuerunt. In virtute igitur Nominis Jesu Christi, versi sunt hostes in fugam, quos christiani animati prosequentes, infinitos ex eis occiderunt, alios fugaverunt, et alios captivos duxerunt. Sed et imperator eorum vulneratus, vix tandem effugere potuit. Munitiones eorum etiam, scilicet machinas,

machinas, bombardas, currus, equos christiani capientes ad castrum cum gaudio deduxerunt. Quidam vero ex Turcis captivi, dum interrogarentur, quare in fugam conversi sunt, cum tamen tam potentes essent, responderunt : « Quia aer plenus vocibus clamantibus Jesus videbatur. »

arcem liberat:

190 Cum in capitulo generali, celebrato in Monte Alvernæ, ego frater Cherubinus de Saxia hanc victoriam, divinitus a Patre factam, narrassem *f*, affuit quidam venerabilis Pater nostri Ordinis, prædicator famosus de provincia Calabriæ, qui confirmans omnia, hilari animo dixit: « Cum prædicarem viatoribus christianis in quadam civitate, Turcis subjecta, per quadragesimam, et quadam vice associatus christianis ibam per quemdam vicum, manu deferens baculum cum signo Thau, habui obvium insperate quemdam Turcum, qui mox, me intuitus, stetit, fremens dentibus turpissime; hi vero qui me associabant, locuti sunt ei lingua sua, quare ita fremeret dentibus? Respondit: « Iste est unus ex illis qui volitantes in aere cum talibus baculis nos in tanto exercitu in fugam ab Ungaria de castro Nandoralbæ verterunt. » Et iisdem Ven. Pater exposuit pie, quod Angeli Dei ministerialiter ex divina voluntate sic eis apparuerunt, rogans me multo sermone, ut narrarem aliis, ut hæc victoria communis foret pro honore optimi Dei et laude: et quia consonat historiæ dictæ. Nam possibile est, quod aliqui videntes in aere fratres cum baculis, alii vero ex virtute Nominis Jesu in fugam convertebantur. Habita est ergo hæc celebris et memoranda victoria in virtute Nominis Jesu per preces et orationes Beati Joannis de Capistrano, per intercessionem etiam Beatæ Mariæ Magdalenæ, cujus festum agebatur eodem die, anno Domini MCCCCLVI.

f

B

ultimum æger

191 Finito bello, et Turcis procul fugatis, propter immensos labores, curas et vigilias, et penurias, et alias tribulationes, quas sustinuit servus Christi, Joannes senex, exhaustis viribus naturalibus, ægrotare non mediocriter cœpit. Dixitque sociis: « Adhuc non sum certus, utrum hac ægritudine moriar, sed tali die certificabor. » Qua lucescente, certificavit socios suos, se esse moriturum. Et quia Fratres Ungari, tunc sub vicario nostro generali existentes, se difficiles reddebant in suscipiendo conventum in Vuilak, cum tamen super hoc haberent Bullas Apostolicas, jussit zelantissimus Pater, se ad ipsum conventum deferri, dicens: « Si in illo moriar, Fratres de Observantia amplius ipsum non dimittent. » O mirabilis fervor viri Dei, o immensus zelus, quem habuit ad Observantiam! Qui licet moriturus esset, cupiebat tamen adhuc istum etiam locum per ejus mortem in Observantia stabilire.

C

ad conventum Vuilack deferri se jussit;

192 Delatus ergo ad locum, in Vuilak positum, per plures dies valida fluxus ægritudine (qua et Sanctus Bernardinus obiit) laboravit: ita, ut nihil penitus retinere posset. Quam infirmitatem patientissime, semper Deo gratias agens, sustinuit: nec umquam ab oratione vacans, divinum officium, usquequo os aperire potuit, persolvit. Solebat quidem ipse beatissimus Pater, quoadusque in Ordine fuit, divinum Officium devotissime tractim et pontacute *g* dicere, nec umquam, propter aliquos labores aut alia negotia, visus est divinas laudes ad instar aliquorum transcurrendo dicere. Tandem, invalescente morbo, viribus corporis deficientibus, utcumque tamen * elevans, et super stropodio *h* sedens, unum de sociis, fratrem scilicet Hieronymum de Utino ad se trahens, et caput suum in ejus gremio reclinans perprius ecclesiasticis sacramentis munitus, devotissime felicem spiritum Creatori suo, cui fidelissime servivit, reddidit, plenus Spiritu Sancto ac bonis operibus, et martyrii palma coronatus; quia et si sanguinem in martyrio non effudit, propter tamen nimios labores, vigilias et tribulationes, quas in causa fidei contra Turcas passus est, gravem infirmitatem incurrit, de qua et mortuus est, quo fit, ut nullus sanæ mentis ambigat, eum martyrii cononam consequutum a Domino, qui non solum effusionem sanguinis, sed et desiderium martyrii et alias ad martyrium concurrentes causas pensat.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

* *adde* se *h*

ubi sancte obit,

193 Flebant vero adstantes Fratres pro obitu tanti Patris, lacrymosis vocibus dicentes : « Cur nos deseris Pater, aut cui nos desolatos relinquis. Quis jam familiam Observantiæ, quam tuis laboribus plantasti, fovisti, tuebitur? Quis pro nobis coram Papa et Cardinalibus respondebit? Quis amplius adversariis nostris resistet? » Hæc et similia verba Fratres in toto Ordine constituti, audita morte Beati Patris, referre potuerunt. Sed super omnes novissimi ejus filii, Fratres scilicet Austriæ, Bohemiæ, Poloniæ, tamquam juniores et auxilio tanti Patris plus cæteris indigi, deplorabant: de quibus Pater, tamquam de ultimo genitis, in ipsa ægritudine maximam habuit curam commendandi eos prælatis Ordinis et præcipue venerando Patri fratri Gabrieli de Verona, nunc provinciæ Austriæ, Poloniæ etc. vicario dignissimo. Cui et illo tempore, quo mortuus est, eadem scilicet nocte, in somnis apparens dixit: « Constituo te commissarium meum, et tribuo tibi omnem auctoritatem meam. » Erat autem tunc ipse Pater Gabriel in partibus Poloniæ: qui, audita post morte Patris, et facta computatione dierum, pro certo didicit, Patrem ea nocte mortuum esse, qua dictam visionem habuit.

E

ab omnibus ordinibus honoratus.

194 Sed et omnes prælati ecclesiastici, domini temporales, et civitates, quæ Patris notitiam habuerant, intelligentes ejus obitum, multum lamentum faciebant. Pro quo et in multis locis a quampluribus dominis prælatis, et civitatibus solemnes exequiæ celebratæ sunt; non quod putarent, eum talibus indigere, cum indubitanter omnes crederent eum in cœlis collocatum, sed in signum amoris et dilectionis, tamquam veri filii hæc agebant. Et merito quidem, quia ipse sanctus homo fuit verus omnium pater. Unde adhuc vivens Pater sanctus ab omnibus vocabatur. In communi enim dum diceretur: « Sanctus Pater hoc fecit, vel dixit; » de Fratre Joanne de Capistrano intelligebatur. Obiit ergo vir Dei, et communis omnium Pater Beatus, anno Domini MCCCCLVI, die vigesima tertia Octobris *i*.

i

ANNOTATA.

a *Jam alibi egimus de Cardinali S. Angeli, Joanne Carvajalio, Hispano.*

b *Savus, in Carniola ortus, maximam partem Styriæ*

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

Styriæ et Hungariæ percurrit et tandem prope Nanderalbam in Danubium influit.

c *Inspicienti mappam geographicam patet Nanderalbam seu Belgradum in dextera Danubii ripa ad confluentem Savum situm esse.*

d *In Commentario prævio num.* 281 *egimus de Joanne Huniade, qui brevi post partam victoriam et ante S.* Capistranum *vita functus est die* XI *Augusti* 1456 (1).

e *Est quidem in Hungaria, seu potius in Croatia, in comitatu Zagabriensi* (Agram), *villula hujus nominis, sed ad quam homo Vienna Nanderalbam properans occurrere non potuit. Dein ex textu habemus Cominum in alterutram ripam Danubii constitutum fuisse, ad quod navim applicare volebat S.* Capistranus : *hujus autem nominis castrum in mappis non reperi.*

f *Hic varius subest error : imprimis apud Waddingum isto temporis tractu nullum occurrit* capitulum generale, celebratum in Monte Alverniæ *sive Observantum sive Conventualium.* D *Est et alius error, probabilius librarii, quasi biographo nomen esset Cherubinus de Saxia : melius certe legeretur :* cum..... ego Fratri Cherubino de Saxia hanc victoriam... narrassem etc.

g *Vox abest a Glossario Cangiano : hic significat* accuratissime, punctualiter.

h *Stropodium seu Strapodium, culcitra straminea apud Cangium* v°. Strapodium.

i *Jam alibi, maxime ubi agitur de habitu corporis S.* Joannis Capistrani, *v. g. apud Nicolaum de Fara num.* 2, *voluissemus coram exhibere effigiem Sancti nostri : sed tardius ad nos ex Hungaria delata fuit. Habet porro imago subscriptionem:* VERA EFFIGIES IMAGINIS S. JOANNIS CAPISTRANI, QUÆ IN ECCLESIA FRATRUM MINORUM LOCI NATIVI PIE A FIDELIBUS COLITUR. *Jussimus tamen extendi vexillum, Nomine Jesu insigne, quod in prototypo mutilum erat, et appingi in pectore Crucem belli sacri, quæ deerat.*

B



E

C

F

CAPUT XIV.

Sancti sepultura; miracula ad ejus tumulum.

S. Capistranus, *iterato sepultus*

Mortuo Beato Patre, et corpore ejus inhumato jacente, cum jam inciperet aliquibus miraculis clarere, ecce diabolus, invidia motus, incitavit quemdam plebanum in Vuilak, qui prius ab Ordine nostro apostataverat; (et non mirum cum omnis apostata est persequutor sui Ordinis), ut scriberet cuidam Cardinali legato in partibus Ungariæ *a*, quomodo *a* Fratres corpus Beati Patris inhumatum tenerent, et eum pro sancto venerari faciebant.

(1) Fessler. Geschicte der Ungern. tom. IV, pag. 843.

Cujus

A Cujus scriptis, ipse Dominus Cardinalis provocatus, districte mandavit Fratribus, ut eum quam citius sepelirent. Cujus jussionem Fratres adimplentes, eligentes potius obedire quam sacrificare, eum dolenter sepelierunt. Audiens autem magnificus Dominus Nicolaus, Patrem sanctum in civitate sua Vuilak esse defunctum, cum in remotis esset, festinanter et ad civitatem suam gaudens de tam pretioso thesauro, quem sibi Dominus largitus fuerat, properavit. Ingressus autem civitatem ad locum Fratrum subito accessit, ardenti flagrans desiderio sanctum illud corpus intueri, tangere et osculari. Sed reperiens eum humatum, zelo honoris Dei et beati Patris accensus, cœpit Fratres arguere, quare tam sanctum pignus in terram posuissent. Cui rei seriem cum Fratres reserassent, mandavit famulis suis, ut sanctum corpus exhumarent, quod exhumatum cum reverentia magna per multos dies supra terram tentum est, ut illud omnes intueri valerent, aliqui etiam eum, præ nimia devotione contingebant, cujus membra ita
B mollia et ductibilia videbantur, ut non mortuus, sed dormiens credebatur.

*miraculis claruscere incipit: * adde* corpus

196 Elapsis postmodum diebus pluribus, positum est* in capsa ferrea, quatuor clavibus et seris obfirmata, et in quadam capella locatum, cum multis luminaribus die noctuque ardentibus. Cum autem magnificus Dominus Nicolaus prædictus ad præsentiam legati pervenisset, audacter ei locutus est : « Vos in Italia usurarios et malos frequenter homines supra ecclesiarum loca eminentiora tumulatis, et hunc servum Dei, qui tanta bona operatus est, contra justitiam sub terra sepelire jussistis: hoc in dominio meo nullo pacto sustinere propono. » Mansit igitur corpus Beatum honorifice conditum, ut tactum est, et statim multis cœpit clarere miraculis. Nam mortuis vita, cæcis visus, surdis auditus, infirmis sanitas meritis sancti pignoris reddebantur. Confluebat undique populus, et miracula miraculis addebantur. Quæ omnia si scribere vellem in magno volumine contineri non possent. Recitabo ergo aliqua ex eis; et ut in dicendis aliquis ordo servetur, sequen-
C tem modum servare studebo : primo de mortuis suscitatis, secundo de liberatis a mortis articulo, tertio de contractis sanatis, quarto de deficientibus in visu, auditu et loquela liberatis, quinto de patientibus morbum caducum, sexto de patientibus alias infirmitates, septimo de pluribus aliis miraculis *b* perpetratis.

b

mortui vitæ redditi; Petrus puer * Viida de Chazar *N.*

197 Primus ergo mortuus suscitatus est hoc modo. Quidam puer, nomine Petrus, filius Clementis Vuyda de Chosar *, per longum tempus die ac nocte caduco morbo maxime vexabatur, ut nec matris poterat sugere ubera, sed dietim deficiens morti potius erat proximus quam vitæ, de quo parentes quid facerent, ignorabant. Voverunt igitur filium ad tumulum famuli Dei, Fratris Joannis, deportare, involventesque vexatum in panniculis, cœpere pergere ad votum perficiendum; cum essent in prima platea civitatis Vuilak, mater sollicita de puero, et discooperiens reperit eum mortuum infrigidatum, et denigratum totaliter, ostendensque eum marito ait : « Revertamur in domum nostram, et sepelia-
mus eum, quia mortuus est. » Volentes autem certius agnoscere, utrum mortuus esset an non, stringebant puero manuum et pedum digitos, nares quoque et aures et omnia membra, et neque sensus aliquis neque vox apparebat. Unde mater pueri, Helena nomine, sollicitabat maritum, ut revertentes sepelirent mortuum suum. Cui maritus : « Profecto non revertar; quoniam Deus omnipotens potest nobis eum reddere per merita ipsius Beati Joannis. » Venerunt igitur ad sepulcrum viri Dei, et tribus vicibus cum puero, sic infrigidato, tumulum circumeuntes, in ultima circuitione puer revixit in omni sanitate, estque hodie puer recentissimus et sanus *c*.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

c

Andreas Brok,

198 Secundus hoc modo suscitatus est. Quidam, nomine Andreas, filius Laurentii Broki *, per sex annos patiens morbum caducum, quolibet anno quatuor diebus continuis, ita eum prædictus morbus vexavit die ac nocte, ut quarta die eum septies invaderet; ita quod in brachiis matris expirans moreretur. Quo viso, dolorosa mater mittens post patrem filii in campum, eique nuntians rei gestæ seriem, E ut, facta fovea, sepulturæ traderetur : sed antequam pater veniret, mater, stans super filii jam infrigidatum corpus, cum fletu et suspiriis invocavit Dominum, ut per merita viri Dei, Fratris Joannis, vivificaret filium. Quo facto mox filius denigratus cœpit albescere, cœpit oscitare, cœpit manus movere et ante adventum patris de campo, puer integre convaluit, nec in posterum aliquid mali passus est *d*.

* Benukii *N.* Behii *B.*

d

Catharina Crochi:

199 Tertius suscitatus est hoc modo. Quædam, nomine Catharina, Antonii Crochii de Capistrano, cum maximis doloribus peperit puerum penitus exanimem et mortuum. Cumque mulieres quamplurimæ, quæ convenerant, præ compassione lacrymarentur omnes genuflexæ, deinde ad merita Beati Joannis recurrerunt, dicentes corde et ore : « O Beate Joannes, tanta sunt miracula, quæ Deus per tua merita facit, fac, ut puer iste vivat, ut saltem baptizetur; » et dixerunt : « Pater noster. » Duo etiam Fratres, inde pro eleemosyna transeuntes, hoc videntes etiam ipsi ante ostium cum aliis præ compassione genuflexerunt, quo F facto, puer revixit et baptizatus est cum ingenti gaudio : vocatusque est Joannes et vivit recens et sanus ad honorem Dei et servi sui Joannis. Quartus hoc modo suscitatus est. Quædam, nomine Gemma, uxor Juvenalis Angelin de Capistrano, cum intolerabilibus doloribus angeretur, nec posset parere, mente devota Beato Joanni se commendavit, et peperit puerum totaliter mortuum et extinctum : ad preces vero mulierum, quæ illuc convenerant, ob merita Beati Joannis revixit, illa nocte baptizatur et vocatus est Joannes, et adhuc superstes et elegans infans vivit.

ab imminenti morte liberati.

200 Eorum vero, qui a mortis articulo liberati fuerunt, primus fuit, quidam filius cujusdam Georgii Henurek *, qui dicitur Turcus, qui, in extremis agens, morti erat proximus in Athya : pro quo mater anxia, concito gradu, ivit ad Vuilak, per milliare Ungariorum ad sepulcrum viri Dei, filium agonizantem relinquens: quo cum pervenisset, orationem fudit pro filio, et, domum reversa, filium, quem in extremis positum relinquerat, salvum

* Scheurak *N B.*

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

vum et incolumem reperit *e*. Secundus fuit quidam infantulus, noviter in luce editus, filius cujusdam Valentini de Thitheus *, habens os ita obstructum, ut novem diebus sugere ubera matris nequiret, essetque morti proximus; facto voto per matrem ad sepulcrum viri Dei, os infantis mox apertum est, et ubera sanatus suxit *f*. Tertia fuit quædam, nomine Catharina de Circo, prope Rachiam, in distantia quatuor milliarium a Vuilak, quæ per tres menses, ita oppressa fuit a febribus, inflata mirabiliter, ut nulla spes esset de ejus vita usque ad crastinum, quam mater devovens ad tumulum Beati Joannis, sanitati integræ mox restituta est *g*.

e

* Thytno *B*.

f

g

ex voto parentum,

201 Quarta fuit quædam parvula, filia cujusdam Heliæ, carnificis de Canmenez, * quæ patiens febres per duos annos continuos, morti jam erat vicina, nec sperabatur, vel modico temporis spatio supervictura, quam devovens pater deferre ad sepulcrum beati Patris, mox a febre liberata, integræ sanitati restituta est *h*. Quintus fuit quidam puer, Laurentius nomine, filius cujusdam Joannis Names de Zegedino, qui infirmitate nimia decumbens, in agone mortis constitutus erat, nec cognoscebatur, utrum vivus vel mortuus esset. Pro quo dolorosa mater, Elisabeth nomine, genuflectens et ad tumulum beati Joannis eum deferre promittens, mox puer recens et sanus effectus est anno Domini MCCCCLVIII, in festo Corporis Christi. Sed cum votum solvere neglexisset, ecce eodem anno, circa festum Assumptionis Beatæ Mariæ, puer graviori infirmitate perculsus, pene deficiebat. Pro quo pater et mater ejulantes pariterque genua flectentes, votum ipsum renovaverunt, puerumque mox sanatum ad beati Patris tumulum detulere, dicentes : « Non minus æstimamus, ac si beatus Joannes filium nostrum a mortuis suscitasset » *i*.

Vumant. B

h

B

i

plurimi infantes:

202 Sextus fuit puer quidam quinque annorum, nomine Joannes, filius Stephani Bacher * de Zegedino, qui infirmitate oppressus gravissima, per octo dies agonizans jacuit, et tamquam mortuus spumas ex ore emittebat, omnino factus insensibilis, nec in illis octo diebus aliquam vocem emisit. Pro quo mater ejus, Sophia nomine, votum emisit, quod deferret eum ad tumulum viri Dei. Mirabile certe: mox ut votum emisit, puer loqui cœpit, et eadem die sanus effectus est et incolumis *k*. Septimus fuit puerulus quidam undecim mensium, nomine Barnabas, filius Valentini Pataris, de villa Thythenus *, qui infirmitate gravissima tentus, quasi mortuus jacebat : ita ut nec vox ei erat, nec sugere ubera matris valeret; nihilque in eo appareret vivi hominis, sed potius mortuus ab omnibus judicabatur. Quem parentes, ad sepulcrum beati Joannis deferentes, mox in tantum convaluit, quod puer cœpit ubera matris palpitare manibus, eademque hora fuit plene sanatus *l*.

* Bahor *B*. Bakardus *N*.

C

k

* Pataleus de villa Theudes *B*

l

febribus correpti,

203 Octavus fuit puer quidam sex annorum, nomine Petrus, filius Heliæ Redenk, vocatus de Syzeagii, qui febres patiens validas per dies plurimos, amplius non sperabatur vivere. Pro quo parentes ejus, votum facientes ad beati Patris sepulcrum, illucque puerum portantes, mox integræ fuit sanitati restitutus *m*. Nonus fuit quidam puer trium annorum, nomine Petrus, filius Mathei de Pesth, ex opposito Vuilak, qui gravi infirmitate oppressus, agonizabat. Quod videns pater amaricatus, ad Deum suspirans ait : « O quam magna sunt peccata mea coram te, Domine, quia tanta permittis adversa venire super domum meam : sed rogo majestatem tuam, ut per merita sancti Joannis restituas mihi et hunc filium meum. » Per invocationem namque beati Patris multa alia beneficia prius receperat, sicut in sequentibus videbitur. Et voto se obligans, filium ad sepulcrum deferre, eum, sic agonizantem, juxta votum detulit, ubi puer mox sanitati restitutus est *n*.

m

D

n

in agonia constituti,

204 Decima fuit quædam mulier, uxor Nicolai sartoris, civis de Vuilak, quæ gravissima infirmitate vexata a festo sancti Georgii* usque ad festum sancti Jacobi*, jam loqui non poterat : in ultimoque vitæ articulo posita, agonizabat, et amplius supervictura non sperabatur. Mulieri sic agonizanti, data est candela accensa, more solito, in manibus; sed mox voto facto pro ea, et ipsa, mentis ratione utens, ad viri Dei convolavit merita et immediate sanitati restituta fuit. Et die sequenti sepulcrum beati Joannis gratias agens Domino, visitavit *o*. Undecimus fuit quidam puer quatuor annorum, Mathias nomine, filius cujusdam Lucæ Zucegaya, vocati de Zatha, qui patiens morbum caducum diu noctuque per totum medium annum totus erat consumptus, pedesque et brachia exsiccata fuerunt, et velut lignum aridum extenta ita manebant, ut curvari vel flecti minime valerent; palmæ vero manuum, ita ut aperiri non possent; os quoque ejus similiter clausum ita erat, ut non nisi cultello aperiretur per duodecim hebdomadas; nutriebatur autem puer cura materna de stillatione aquæ vel vini, vel brodii *p*, aut lactis in os ejus duodecim septimanis continuis, quibus nec vocem aliquam emisit.

* xxiii aprilis

* xxv julii

E

o

p

membris jam putrefacti,

205 Qui etiam collum vi infirmitatis ita habebat constrictum ad scapulas hærens, ut ex illa læsione et connexione collum et scapulæ putrescerent. Jamque puer in extremis agebat agonizans, quem parentes ad tumulum beati Joannis de Capistrano detulerunt cum devotione; illa vice aliqualiter convaluit, secundo vero rursus ibi portatus in festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli anno Domini MCCCCLVII, cum eoque sepulcrum viri Dei circumeuntes, mox sanitatem plenam puer est adeptus, et cœpit loqui, qui in XII hebdomadis verba non protulerat; et petiit a matre pisces ad comedendum. In omnibus autem peroptimam sanitatem fuit adeptus, ut nullius in eo infirmitatis vestigium appareret: et est puer usque hodie sanus et de eo hodie magnum gaudium habent parentes, et omnes, qui sic eum prius despectum in infirmitate viderunt *q*.

F

q

propter doloris vehementiam alienati,

206 Duodecimus fuit quidam, nomine Fabianus Keever *, nominatus de platea Kylkolonch *, in Vuilak, qui nimiam patiens corporis inflaturam, vi doloris frenesim incurrit, et mente alienatus est, cœpitque, uti proximus morti, agonizare. Pro quo uxor sua, nomine Helena, beatum Joannem, supplex facta, genibus flexis, et fusis lacrymis, exorabat, ut apud Dominum intercedere dignaretur, ne maritus ejus in agonia positus, moreretur.

* Licwer *B*.

* Nislonezas *B*.

Mox

A Mox vir convaluit, et juxta votum uxoris, pro se factum, Beati Joannis sepulcrum sanus visitavit, ac si numquam quid mali passus fuisset, quod per hebdomadas sustinuerat. Hujus Fabiani filius, Nicolaus nomine, ætatis annorum quatuor, a caduco morbo liberatus est facto voto pro eo ad sepulcrum Beati Joannis, nec quicquam læsionis postmodum passus est *r*. Tertius decimus fuit quidam puerulus, duorum annorum, nomine Lazarus, filius Petri Nerek *, in platea sancti Ladislai, in Vuilak, qui patiebatur febres quotidianas a sua nativitate, et morbum caducum a Nativitate Domini usque ad festum sancti Georgii *s*, et propter ægritudinem in uno oculo excæcatus est, necnon adeo maceratus et exsiccatus in toto corpore, ut nulla spes de ejus vita haberetur; in tantum, ut prohiberet maritus matrem pueri, Catharinam nomine, ne ejus curam gereret, ut citius moreretur. Ajebat enim matri : « Noli sollicita esse circa eum, ut citius moriatur (quia plus mortuus quam vivus reputabatur) noli ergo eum impedire. »

B Verum audientes miracula, quæ fiebant circa sepulcrum Beati Joannis, devoverunt filium suum illuc deferre cum cerea imagine; quo facto, mox puer convaluit et a caduco morbo liberatus est, visus quoque clarus restitutus est ei usque in hodiernum diem *t*.

207 Quarta decima fuit quædam, nomine Elisabeth, uxor cujusdam Egidii de Zopor, quæ quadam mirabili infirmitate ita vexabatur in corpore, ut xv diebus nec cibum sumeret nec potum : cujus vita erat ab omnibus desperata, et non amplius credebatur victura. Hæc, spe sumpta in Domino, devovit se Beati Joannis visitare sepulcrum, si convaleret ; quo facto, convaluit et sanata est ab omni infirmitate, venitque magnificans et gratias agens Domino *v*. Quinta decima fuit quædam, nomine Barbara, adhuc puella, filia cujusdam Valentini Baylyas de Elienn *, cui cum mater, Helena nomine, dedisset corticem ovi ad ludendum, particulam illius corticis in os projecit ; quæ intrans guttur, nec deglutiri poterat nec ejici. Vexabatur ergo puella, ubera matris per integram hebdomadam sugere non valens ;

C itaque agonizabat, facta nigra tamquam moritura, venientes etiam honestæ matronæ matrem puellæ consolabantur, ne se affligeret de morte pueri, ex quo remedium fieri posse non cernebatur via humana. Verum mater, anxia mente recurrens ad Beati Joannis sepulcrum, si sanitati redderetur; mirabile dictu, mox, voto facto, cortex ovi de ore puellæ exivit, et perfecte liberata est *w*.

208 Sexta decima fuit quædam, nomine Susanna, uxor nobilis viri Blasii Kirchii *, quæ cum bis abortivum peperisset, et fœtus ex utero non recte egrederetur, sed cum pedibus, ac si mortuus nasceretur; tertio in simili laborans periculo, Beato Joanni se commendavit, et eum invocavit, ut eam a tali periculo liberaret: mirabile certe, jam fœtus pedes emiserat, sed ut mox B. Patri mulier se commendavit, puer retrahit pedes et revolutus in ventre cum capite prior sanus exivit et integer natus, qui et vivit usque in præsentem diem. Alia quoque vice eadem nobilis domina Susanna, in periculo partus posita, cum haberet apud se quamdam tobaleam, qua corpus Sancti Joannis tersum fuerat defuncti post lotionem juxta morem Ordinis nostri, cum mulier ipsa anxiaretur in partu, hac tobalea se præcinxit et sine omni molestia peperit filium masculum, qui adhuc vivit puer recens *x*.

209 Decimus septimus fuit quidam puerulus duorum annorum, filius cujusdam nobilis de Erdenud *, qui cum in agone mortis existeret, voto facto pro eo per patrem ad sepulcrum Beati Joannis, mox sanitati restitutus est; imo tamquam de morte ad vitam suscitatus, cujus jam animæ exitus expectabatur *y*. Decimus octavus fuit quidam parvulus filius cujusdam Heliæ de Lithoth, qui cum in agone mortis esset, facto pro eo voto per patrem ad tumulum Beati Patris, mox sanitati perfecte restitutus est, et convaluit *z*. Decimus nonus fuit quidam, Demetrius nomine, de Litoth *, qui cum esset morti proximus, votum faciens viri Dei visitare sepulcrum, sanitati restitutus est *aa*. Vigesimus fuit quidam, Dionysius nomine, quatuor annorum, filius Jacobi de Lavilaya de Aquila, qui ex infirmitate pestis ad extremum veniens vitæ, adeo morti proximus

E erat, ut non nisi de funeralibus et sepultura ageretur: hic delatus a Patre in brachiis ad Fratres et signatus cum quibusdam panniculis, quibus Beatus Joannes utebatur, et ei commendatus, subito convaluit.

210 Vigesimus primus fuit puer quidam, nomine Parascensus, ætatis duorum annorum, filius Georgii Marcellarii de Aquila, qui cum more puerili gradiens et incedens per domum, cecidisset in quamdam pelvim, plenam aqua, satis magnæ portatæ *bb* pro pannis lavandis, staretque in ea, capite dimerso, non per modicum spatium, adeo quod jam totus dealbatus appareret, clamabat, accurrensque ejus matertera, nomine Martha, subito levavit eum, quo levato, inadvertente dicta Martha, iterum capite demerso cecidit in ipsam aquam. Mater vero sua, nomine Joanna, periculum mortis filii perpendens, anxia et genuflexa ac perfusa lacrymis recurrit ad merita Beati Joannis dicens: « O gloriose Beate Joannes de Capistrano, tibi commendo filium meum, orans te, ut Deus tibi concedere dignetur, ut filius meus nunc non submergatur, evadatque sa-

F nus. » Quo facto, et elevato puero, dixit puer: « Mater mea, non timeas, quia nihil mali habeo. » O rem omni admiratione dignissimam! sic stetit puer, ac si numquam aquam attigisset sanus et bene coloratus.

211 Vigesima secunda fuit quædam, Maria, nomine Angeluccia, Joannis Manicinæ de Aquila: cum esset quatuor annorum horribili infirmitate affecta erat, ut per sexum intestina emitteret. Ex quo devenerat ad talem vitæ extremitatem, ut omnino spiritum exhalare videretur. Quam intuens mater, jam revolutis oculis, et manu accensa candela, sicut mos est, genuflexit, cum lacrymis devotissime ad merita Beati Joannis recurrit, dicens: « O Beate Joannes per illas tuas sanctissimas prædicationes, quas faciebas, et per illos sanctissimos pedes tuos, quos, te inadvertente, aliquando sum osculata, et per tua sanctissima merita oro te, ut tua intercessione facias, ut filia mea, quam unicam habeo, nunc non moriatur, ne patiar tantum dolorem, et ego promitto depingere imaginem tuam pro mea

r

* Cherenuk *N.* Turuz *B.*

s

t *omnis cibi impatientes,*

v

* Saghas de Ciien *N.* Saghyas de Gyen *B.*

w *in partu laborantes,* * Hurtii *B.*

x

peste infecti,

* Erdevud *N.* Erdoch *B.*

y

z

* Lichot *N.*

aa

aquis suffocatus,

bb

intestinis corrupti curantur.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

devotione ante domum meam. » Quo cum lacrymis et tunsionibus dicto, subito quæ agonizabat, et pene mortua erat, convaluit, et perfecte liberata fuit ab instanti periculo mortis. Vigesimus tertius fuit quidam, nomine Franciscus, filius Joannis de Eselo, habitatoris in Aquila, qui cum infirmus esset tam gravi apostemate per novem dies, ut omnino morti proximus adjudicaretur, nec esset amplius spes de ejus vita; facto voto ad Beatum Joannem, subito a mortis faucibus ereptus, nec quidquam mali amplius eum deprehendit.

ANNOTATA.

a *Legatus ille erat Joannes Carvajalius, Cardinalis S. Angeli, cujus invidiam excitarat S.* Capistrani *victoria Nanderalbensis et ingens ejus fama ac in cruce signatos summa auctoritas.*

b *Magna pars miraculorum, hic citatorum, deprompta est ex documento Vilakensi, de quo jam egimus in Annotatis ad caput* IX *Vitæ, a Nicolao de Fara conscriptæ. Quæ sunt variantes lectiones in Nicolao, in margine sub sigla* N *indicabimus: in Barberii Instrumento miraculorum sigla* B.

c *Hoc miraculum refert Nicolaus biographus supra num.* 126 *et Barberium* (1).

d *Et illud habet Nicolaus sub num.* 127, *quemadmodum et Barberius* (2).

e *Cfr Nicolai Vitam num.* 116 (3).

f *Cfr Barberium* (4).

g *Cfr Nicolaum num.* 123, *et Barberium* (5), *qui patris nomen aliter profert, nempe* Michaelis Piissrii de Syligh.

h *Infanti apud Barberium nomen est Anna* (6). *Carnifex, juxta Cangium Glossar. med. et inf. latinitatis h. v. significat lanionem aut macellarium.*

i *Cfr Nicolaum num.* 120, *et Barberium* (7).

k *Cfr Nicolaum num.* 120, *et Barberium* (8).

l *Cfr Nicolaum num.* 121, *et Barberium* (9).

m *Cfr Nicolaum num.* 121, *et Barberium* (10).

n *Cfr Nicolaum num.* 124, *et Barberium* (11).

o *Cfr Nicolaum num.* 125, *et Barberium* (12). A festo S. Georgii usque ad festum S. Jacobi, *seu a die* XXIII *Aprilis ad* XXV *Julii, per dies nonaginta tres infirma jacuit uxor Nicolai sartoris.*

p *Brodum, juxta Cangium h. v., est jusculum carnium elixarum; unde eadam significatione est Italis* Brodo, *Gallis* Brouet.

q *Cfr Nicolaum num.* 133, *et Barberium* (13).

r *Cfr Nicolaum num.* 132, *et Barberium* (14).

s *A festis natalitiis ad festum S. Georgii, seu a* XXV *Decembris ad* XXIII *Aprilis, currunt dies centum viginti.*

t *Cfr Nicolaum num.* 133, *et Barberium* (15).

v *Cfr Nicolaum num.* 133, *et Barberium* (16).

w *Cfr Nicolaum num.* 133, *et Barberium* (17).

x *Cfr Nicolaum num.* 136, *et Barberium* (18).

y *Cfr Nicolaum num.* 138, *et Barberium* (19).

z *Cfr Nicolaum num.* 138, *et Barberium* (20).

aa *Cfr Nicolaum num.* 138 *et Barberium* (21).

bb *Textus noster habebat:* In quamdam plenam aqua, satis magnam portatam pro pannis *etc. Ut aliquem sensum verbis tribuerem, correxi:* In quamdam pelvim plenam aqua, satis magnæ portatæ, *seu capacitatis.*

D

CAPUT XV.

Contracti, cæci, muti, surdi, epileptici curati.

Contracti curati: Barbara, Margarita, Helena,

Primo igitur sanata est quædam domina Barbara, uxor Balthasaris pellificis in Vuilak, quæ cum passa esset per annum dentium intolerabilem dolorem, et vi paralysis collum ipsius immobile sive potius involubile esset redditum, votum emittens ad tumulum famuli Domini visitandum, mox ab omnibus his sanitatem recepit *a*. Secundo sanata est quædam, nomine Margharita, uxor Mathiæ dicti Contra, de Vuilak, quæ in uno pede percussa quodam apostemate, ita quod per duos menses contracta esset, nec omnino ambulare valeret, facto voto visitandi sepulcrum Beati Joannis, mox integræ sanitati restituta est *b*. Tertio sanata est quædam, nomine Helena, mater cujusdam Joannis lapicidæ de Vuilak, quæ quadam infirmitate pressa, E unius manus et unius pedis adjutorio fuit privata, ita ut nec manum nec pedem levare posset, sicque desolata per longum tempus jacuit. Emittens igitur votum visitandi Beati Patris sepulcrum, immediate sanitati integræ fuit restituta, et cœpit ambulare sanaque ad sepulcrum venit *c*.

a

b

c

Laurentius, filia Georgii Pap, Nicolaus,

213 Quartus sanatus est quidam Laurentius, Papa nominatus, habitans in Vuilak in platea Piscatorum. Qui cum jacuisset per annum et amplius, paralysim patiens, pedibus erat contractus, oculorumque luminibus sic orbatus, ut nil videret. Emittens igitur votum ad sepulcrum Beati Joannis, mox sanitatem recepit et absque baculorum adminiculis ambulat, et clare videt, et cum aliis piscatoribus artem piscatoriam exercet *d*. Quinto sanata est quædam puella parvula, filia Georgii Papa, dicti de Moho, quæ existens contracta, ita ut amplius non valeret, nisi in genibus manibusque gradiendo ambulare, voto emisso pro ea per parentes, quod eam deportarent ad sepulcrum Beati Patris, si sanitati restitueretur, mox sanitatem recepit *e*. Sextus sanatus est quidam Nicolaus, dictus Parvulus, de oppido Kazoin, qui existens contractus in pedibus et dorso, voto emisso visitare sepulcrum Beati Joannis, statim sanitatem adeptus est *f*.

d

e

f

Elisabeth, Benedictus Monos,
* Ezeleer *B.*

214 Septimo sanata est quædam, nomine Elisabeth, uxor Petri Zeleer *, de Zegedino, quæ contracta in uno pede ultra spatium unius anni, ita quod ambulare nequiret, facto voto visitandi corpus famuli Dei, continuo sanitatem in suo pede consecuta est *g*. Octavo sanatus est quidam, nomine Benedictus Monos, dictus de Erdeve, qui cum in festo Sancti Michaelis sederet ad mensam anno Domini MCCCCLVII, in hanc ceciderat infirmitatem, ut una pars corporis sui quasi tota aresceret, essentque unus pes et una manus quasi immobiles, atque os ipsius quasi una ex parte usque ad aures protensum, ac tractum sic

g

(1) Vita lat. Instrum. mirac. pag. 18. — (2) Ibid. pag. 33. — (3) Ibid. pag. 8 — (4) Ibid. pag. 11. — (5) Ibid. pag. 26. — (6) Ibid. pag. 15. — (7) Ibid. pag. 17. — (8) Ibid. pag. 19. — (9) Ibid. pag. 21. — (10) Ibid. pag. 24. — (11) Ibid. pag. 29. — (12) Ibid. pag. 31. — (13) Ibid. pag. 43. — (14) Ibid. pag. 45. — (15) Ibid. pag. 46. — (16) Ibid. pag. 47. — (17) Ibid. l. c. — (18) Ibid. pag. 55. — (19) Ibid. pag. 58. — (20) Ibid. pag. 59. — (21) Ibid. l. c.

turpiter

A turpiter erat, ut nil penitus loqui valeret : hic faciens votum intra se, quod sepulcrum Beati Joannis visitaret, mox os in locum rediit debitum, et loquendi libertatem, ut prius, plenariam recepit. In novembre ante festum Sanctæ Elisabeth ad tumulum Beati Patris duci se faciens, die crastino perfecte sanatus extitit, et ariditas ipsa penitus a suo corpore fugata est *h*.

h

Emericus, Blasius,

215 Nono sanus est quidam puerulus, Emericus nomine Zalon Kemen, qui a festo Nativitatis Beatæ Virginis anno Domini MCCCCLVI usque ad festum sancti Bartholomei anni sequentis *i*, habens pedes contractos, et velut aridum lignum effectus, nihil valebat ambulare: hic facto voto ad sepulcrum Beati Joannis, cum illuc ductus fuisset, continuo integram sanitatem recepit. Decimo sanatus est quidam puer, nomine Blasius, filius Petri institoris de Zegedino, qui ætatis suæ anno septimo tam valida percussus est infirmitate, ut manibus, pedibus contractus jaceret, et dorso curvatus retrorsum, et veluti truncatus,

i

B inflexibilis per omnia effectus erat, omninoque erat inutilis, nec spes de ejus vita ulla habebatur. Quem devoventes ad tumulum Beati Joannis deferre, mox sanitati existit restitutus, estque puer delectabilis ad videndum et tenetur quasi a morte resuscitatus a parentibus *k*.

k

Margarita, Anna,

* Czeplecci *B.*
* Pochaji *B.*

216 Undecimo sanata est quædam mulier Margarita, uxor cujusdam Augustini Cleplere * nominati, de villa Pochzai *, distante ab Vuilak XXXVII milliaribus ungaricis. Hæc gravi infirmitate percussa fuerat, ita impotens ad ambulandum effecta, ut septem annis integris non nisi manibus et pedibus serpendo, sicut pueri faciunt, gradiebatur, ad totius villæ notitiam : quæ facto voto veniendi ad tumulum Beati Joannis, sanitati taliter fuit restituta, ut sola peditando de tam longo spatio ad Beati Patris sepulcrum votum implens, veniret, manibus etiam sana, quas ad os declinare nequibat, sed aliorum manibus cibum sumebat *l*. Duodecimo sanata est quædam mulier, Anna nomine, uxor Simonis sutoris de Vuilak, quæ pariendo filium masculum, manibus et pedibus et toto corpore

l

C impotens fuerat in tantum effecta, ut movere se nequaquam nequiret et ambulare minime posset, et infantem lactare non valeret, sed aliæ eum nutrierunt. Hæc, facto voto, ad tumulum Beati Joannis se fecit deferre, ubi sic convaluit, quod die crastina, suis pedibus venit ad tumulum, integre sanata, quamquam quinque mensibus antea nihil ambulasset penitus, filius quoque mulieris hujus, qui uno pede contractus erat, facto voto pro eo, sanitati restitutus est *m*.

m

juvenis XIV *annorum, Matthæus, Catharina*

217 Tertio decimo sanatus est juvenis quidam annorum quatuordecim, filius Lazastlani de villa, quæ dicitur sanctus Joannes, vulgo Zentivan vocant, qui viribus totaliter sic erat destitutus per triennium, quod se nullo modo erigere poterat, sed extensis manibus, pedibus serpebat in terra, hic facto voto visitandi sepulcrum Beati Joannis, immediate erectus surrexit, et sine molestia ambulans, votum

n

implevit *n*. Quarto decimo sanatus est quidam Matthæus, filius Oswaldi de Pesth, trans Danubium in opposito Vuilak, qui cum haberet brachium dextrum ex infirmitate quadam ita obfirmatum et involubile, quod ori dextram manum applicare nequiret per duos menses, facto voto ad visitandum tumulum Beati Joannis, mox integre sanatus est *o*. Quinto decimo sanata est quædam puella, nomine Catharina annorum novem, filia cujusdam Michaelis * de villa Hanchuus *, quæ tribus mensibus ambulare nequiens, viribus omnibus destituta, statim ut mater ejus, Elisabeth nomine, pro ea ad sepulcrum Beati Joannis votum emisit, sanitati restituta est, et pedibus suis ad sepulcrum venit sana, gratias agens Deo *p*.

o

* *add. B.* Ratz
* Zbewtes *B.*

p

Ursula, Helena,

* Bathas de Cusstha *B.*

218 Sexto decimo sanata est quædam, Ursula nomine, uxor Andreæ de Achas de Otrainsch, * quæ cum per quatuor menses exsiccata fuisset, tamquam truncus immobilis, nec se posset de uno latere ad aliud propria virtute movere vel volvere, neque etiam ad opera naturæ ire, nisi ab aliis portata, in maxima angustia posita, Christum Jesum per merita Beati Joannis invocavit, ut pristinæ redderetur sanitati, ac sic cum devotione una cum matre sua, se ad sepulcrum Beati Patris devoverunt, et mox sanitati pristinæ ipsa Ursula restituta, cum matreque sua Helena gratias Deo egit *q*. Decimo septimo sanata fuit quædam vidua Helena, uxor cujusdam Jacobi de Varadino, quæ ambos pedes habens contractos, viribus jacebat omnino destituta sex mensibus, non valens penitus quidquam ambulare, nec egredi lectum, etiam manibus pedibusque serpendo, nisi per alios ducta : hæc faciens votum visitandi sepulcrum Beati Joannis, aliqualiter convaluit, ita ut sustentata duobus baculis paulisper ambularet, sed, voto persoluto, mox sanata est in tantum, ut currendo ambularet coram multitudine hominum sine sustentaculis *r*.

E

q

Lucas, Joannes, Stephanus,

* Ehed *B.*
Chæ *N.*

219 Decimo octavo sanatus est quidam puer, Lucas, filius Magni Joannis de Ched, * qui cum esset contractus in pede sinistro tam valde, ut vix cum pedica terram tangeret, non valens omnino erectus ambulare, sed manibus et pedibus in terra gradiens, facto voto per matrem et patrem ejus portandi eum ad sepulcrum Beati Joannis, continuo sanitati integræ restitutus est, perfecte ambulans *s*. Decimo nono sanatus est quidam, Joannes nomine Bentzefi, * de Hagorelgii * prope Posega, hic habens unum brachium exsiccatum, ita ut nullo modo flecti aut curvari posset, aut quovis modo manus ejus ad os duci, devote Patri Joanni se commendans, et ad ejus sepulcrum ire promittens, statim sanitati perfectæ restitutus est. Vigesimo sanatus est quidam Stephanus, filius Nicolai Zecgech, de Oncha, qui cum, infirmitate quadam faciente, contractus esset in una manu et in uno pede, ita ut illis in nullo uti posset, facto voto ad sepulcrum Beati Joannis, mox perfecte sanatus est *t*.

s

* Boncesii *B.*
* Nagyhulg *B.*

t

Margarita, Checa, Crisedia:

* Parvi *B.*
* Heroztum *B.*

220 Vigesimo primo sanata est quædam, nomine Margarita, uxor Nicolai Parut *, de Kerezthuut *, quæ habens manus aridas et pedes exsiccatos, oculisque clare videre nequiens, sed velut in quadam umbrosa nubecula visum dirigens, non cognoscebat res distincte, lingua ejus etiam erat impedita, ita ut balbutiendo verba formaret, hæc, in angustia magna constituta, voto se obligavit visitare

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

tare sepulcrum Beati Patris Joannis, adjiciens, quod, quocumque modo posset, votum adimplere curaret; veniensque juxta votum in festo Pentecostes anno Domini MCCCCLVIII ad sepulcrum, ibidem jacens, ac sepulcrum ipsius aliquoties circumiens, plene fuit ab omnibus prædictis impedimentis mox liberata, ad gaudium et lætitiam omnium ibi existentium *v*. Vigesimo secundo liberata est quædam, nomine Checha, uxor Matthei de Concia, de villa Sanctæ Luciæ et Offena *w*, quæ cum per quatuor menses ita arida et ab uno tantum latere ita immobilis effecta esset, ut nihil penitus operari aut exercere posset, nec sine maxima difficultate valeret comedere, veniens cum magna devotione ad videndum res quasdam, quæ ad usum fuerant Beati Joannis, et quæ, paucis diebus elapsis, fuerant Capistranum deportatæ ad locum Sancti Francisci, mox ut illas devote osculata est, et cum illis signata, perfectæ sanitati restituta est. Vigesimo tertio sanata est quædam virgo viginti annorum, nomine Crisedia, filia Joannis Teutoni, civis Aquilani, quæ cum de mense Aprilis anno Domini MCCCCLVIII maximum dolorem in dextro brachio pateretur, adeo ut timeret ipsius brachii ariditatem, emittens votum ad Beatum Joannem offerre ac suspendere ante ipsius imaginem sive figuram unam imaginem ceræ, illico sanata est, et numquam in dicto brachio postea quidquam mali sensit quæ ex devotione quam ex hoc miraculo concepit, ad ipsum Beatum singulis diebus dixit quinque « Pater noster » et totidem « Ave Maria. »

v

w

B

curati quoque Elisabeth cæca, Gregorius surdus,

221 Quidam Balthassar, pellifex de Vuilak, habens claudam filiam, nomine Elisabeth, paralyticam in collo et capite, tam valide vexatam, ut vi doloris etiam oculorum lumen amisisset per tres annos integros, ita ut nihil penitus videret, sed per sororem suam manu duceretur ad locum quemlibet: hæc ducta ad corpus Beati Joannis, nondum sepulturæ traditum, et devote deosculans manus defuncti, a paralysi mox liberata est et sanata, et amborum recepit lumen oculorum: reversa estque ad domum sola sine ductore, quæ prius manu ducebatur *y*. Nobilis quidam, Gregorius nomine, de villa Bede * vocata, ex quadam nimia infirmitate surdus fuit effectus, ut nil penitus audiret in ambabus auribus, sed si quid faciendum ei insinuabatur, manuum tantum indiciis, et quibusdam nutibus discere poterat: quam surditatem cum XVII annis passus esset continuis, venit cum devotione visitare sepulcrum Beati Joannis, et statim sanitatem plenam assequutus est ac beneficium auditus recepit *x*.

y

*Bete *B*.

x

Valentinus cæcus, alius mutus,
*Fabo *B*.
*Vifalu *B*.

222 Valentinus, Sabo * nominatus, de Vunifalu *, tribus annis continuis lumen sic amiserat oculorum, ut nihil penitus videret, nec valeret remedium aliquod invenire, facto voto visitandi sepulcrum Beati Joannis, et complens anno Domini MCCCCLVII, in festo Apostolorum Petri et Pauli, illico lumen recepit plene videns ƶ, Filius Mathiæ Zede de Keyeres *, Nicolaus nomine, in silva quadam existens, infirmitate gravi præventus, loquelam amiserat, et pedibus ambulare nequierat, contractus ergo jacebat per quatuor hebdomadas, nec cibum nec potum sumere nequiens, nec os valens aperire, stillicidiis brodiorum nutriebatur, quem pater ejus ad tumulum Beati Joannis deferre vovens, mox loquelam recuperavit, et sanitati integræ restitutus est *aa*. Quidam, nomine Matthæus, filius Oswaldi de Pest trans Danubium, in opposito Vuilak, quadam infirmitate gravissime pressus, visum perdiderat per duos menses: hic, facto voto ad tumulum Beati Patris Joannis, perfecte sanatus est *bb*.

ƶ

*Lede de Henieres *B*.

D

aa

bb

Mulier cæca, infans cocles
*Lolthi *B*.

223 Mulier quædam honesta, uxor Joannis, Lokii * nominati, civis in Vuilak, quodam morbo pestilentico percussa, in gravem incidit infirmitatem, ut in ea visum, auditum, loquelam amitteret. Hæc intra se recolens sudarium apud se esse, quo corpus Beati Joannis tactum fuerat, quod pro sua devotione mulier apud se tenebat, accipiensque illud sudarium, devote cœpit osculari, et secum illico in facie tergere, quod faciens, mox sanitati pristinæ restituta est, et visus, loquelæ, auditus beneficium recepit *cc*. Ladislaus infans trium annorum, filius Benedicti sutoris, de Keluud *, uno oculo duobus mensibus orbatus est, et cum eo amplius videre non potuit, et medicorum arte curari nequivit, nec quovis medicamine curare ipsam cæcitatem, causante quadam inflatura; pro quo faciens pater votum ad tumulum Beati Joannis, eumdemque illuc portans, mox ibi sanitati integræ est restitutus *dd*.

cc

*Hiuceliud *B*.

E

dd

Clara cæca, puella cocles,
*Baray *B*.

224 Clara quædam, uxor Stephani de Hara *, in comitatu Bachiensi, habitantis in villa quæ dicitur Sancta Catharina, amborum oculorum privata lumine per spatium medii anni, nil videbat. Hæc se vovens ad Beati Joannis sepulcrum, duci se fecit ad illud per manus mariti et filii sui, et circumiens semel sepulcrum, oculorum ipsius obscuritas abscessit, et videre cœpit; secundario vero circumiens rursus clarius vidit, magisque extitit illuminata, sed tertio rursus circumiens, integrum cepit amborum oculorum lumen, nullum habens omnino visus impedimentum, et rediit domum suam sine ductore, gratias agens Deo, et Beato Joanni *ee*. Catharina quædam, uxor Ladislai Kobloz *, habens filiam parvulam in uno oculo per integrum annum excæcatam, cum vovisset, illam deferre ad sepulcrum Beati Joannis, mox illuminata est *ff*.

ee

*Ezobonzii *B*.

F

ff

alia Catharina cocles, Blasius cæcus,
*Gallisotta *B*.

225 Alia, nomine Catharina, relicta cujusdam nomine Galli de Roca *, in comitatu Bachiensi, habens defectum in uno oculo per tredecim hebdomadas, ita quod nihil videret, cum vovisset visitare sepulcrum Beati Joannis, et tribus vicibus ipsum circumiisset, plene extitit uno oculo illuminata, omni macula disparente *gg*. Vir quidam nobilis, Blasius nomine, de Enoch, dum in vigilia Nativitatis Domini MCCCCLVIII cum familia sua circa mensam pranderet, repente incurrit infirmitatem oculorum, qua dietim crescente, factus fuit omnino nihil penitus videns, nec incedere valens sine ductore, etiam in domo propria. Hic, facto voto ad sepulcrum Beati Joannis, continuo clarum lumen oculorun consecutus est, venitque ad sepulcrum triginta milliaria Ungaricalia *hh*.

gg

hh

Stephanus cæcus, surdus et mutus, Antonius cæcus, Clara muta:
*Bodizentmelos *B*.

226 Stephanus quidam, Serggartho vocatus, de Bodizethniclos, * quatuor annis erat cæcus, surdus et mutus, quem devoventes sui portare ad sepulcrum Beati Joannis, dum votum

A tum complent, ipsum deducentes in ipso itinere perfectæ sanitati restitutus est, ut aperte videret, loqueretur perfecte, et sine omni impedimento planam haberet loquelam, estque modo sanus, qui olim ut truncus inutilis. Antonius Pasqua de Zazenths, de Aquila, ætatis vero LXV annorum, ab uno oculorum totaliter cæcus per tres menses, mox ut cum lacrymis quemdam panniculum, quem Beatus Pater in tergendis oculis habuerat, devote osculatus est, et cum eo signatus, perfecte est illuminatus et ita clare videt, ac si nihil mali ei accidisset. Quædam, nomine Clara, filia Jacobi de Cigno, de Aquila, ætatis annorum quadraginta, tali infirmitate depressa est, ut per septem septimanas omnino non loqueretur, nec tantum poterat se movere, ut manum ori apponeret. Hæc, ad instantiam suorum, in domo sua tacta et consignata cum quodam panniculo, qui fuerat ad usum Beati Patris, pristinæ sanitati restituta est, et ab omni infirmitate liberata, quam per tres menses passa est, per septem vero septimanas loquela prius privata fuerat.

liberati epileptici quatuor,
* Futak *B.*

227 Uxor Pauli pellificis, de oppido Tutal,* continuis annis quatuor patiens morbum caducum, venit tumulum Beati Joannis visitare, et a morbo prædicto plene extitit liberata *ii*.

ii
* Pasga de Ghitel *B.*

Gaspar, filius Valentini Pasge, de Titel, * a juventute sua morbum caducum patiens, cum votum fecisset velle visitare sepulcrum Beati

kk

Joannis, mox liberatus est *kk*. Filius Benedicti Zongo, de Covonz, ætatis decem annorum, patiens morbum caducum a juventute tam valide, ut jam morti putaretur propinquus, nec ullo posset remedio juvari, facto voto pro eo ad sepulcrum Beati Patris, perfectæ fuit

ll

sanitati restitutus *ll*. Filius cujusdam Andreæ de Magna Villa, Joannes nomine, patiebatur morbum caducum, cadebatque quandoque in mense semel, quandoque infra octo dies, quandoque post triduum, faciens ore et oculis tam terribiles et horribiles actus et gestus, ut adstantes timerent et horrerent adspicere : hic faciens votum, quod quolibet anno visitaret sepulcrum beati Joannis, si ab ipso morbo meritis ipsius liberaretur : mirabile certe, post factum votum, ab illo die ita liberatus est,

mm

quod nil penitus haberet impedimenti *mm*.

Elizabeth, puerulus VIII *annorum.*
* Vuraji de Sabitolese *B.*

228 Elisabeth quædam, uxor Georgii Usay, de villa Sabrithoza * nominata, morbum caducum patiebatur per quinque annos, quæ in ultimo anno, scilicet in MCCCCLVIII, aliquando in hebdomada ter vel quater cadebat in terram, miserabiliterque vexabatur; hæc in carnisprivio dicti anni votum faciens visitandi sepulcrum Beati Joannis, mox a prædicto morbo plene fuit curata, et imaginem ceream

nn

secum detulit, veniens ad ipsum sepulcrum *nn*.

* Zeuceles *B.*

Puer quidam octo annorum, Franciscus nomine, filius Antonii de Zeuclenus, * morbum caducum continuo patiebatur, facto voto pro eo ad sepulcrum Beati Joannis, continuo liberatus est *oo*.

oo
Ladislaus, Joannes, et Ursula.

229 Ladislaus, Bogar dictus, de Segedino, a juventute per quadraginta annos morbum caducum tam horribiliter patiens, ut in una die ter vel quater, ac etiam quandoque quinquies caderet, a morbo ipso vexatus, frequenter etiam cadebat in aquam vel ignem : hic, audita fama miraculorum, quæ fiebant meritis Beati Joannis, voto se obligavit sepulcrum ejus visitare, et, incepto itinere, sanatus est de morbi ipsius vexatione *pp*. Et Joannes juvenis, filius Jacobi de Pustan Zentmichal, * patiens morbum caducum tribus annis continuis, facto voto Beati Patris sepulcrum visitandi, integram sanitatem adeptus est *qq*. Mulier quædam, Ursula nomine, uxor Galli de Banthia, per continuos quatuor annos morbum caducum patiens, in ultimo anno frequentius et gravius ab ipso morbo puniebatur et vexabatur, cadensque volutabatur horribiliter, hæc in mense Februarii anno MCCCCLVIII, faciens votum visitandi sepulcrum Beati Joannis, morbo ipso liberata est, nec quidquam mali postea passa est *rr*.

pp
* Putazenth michol *B.*

qq

rr

ANNOTATA.

a *Pleraque miracula, hic recitata, deprompta sunt ex instrumento Vilakensi, quod jam sæpius citavimus. Nicolaus de Fara biographus miraculum sanatæ Barbaræ retulit supra num.* 116 (1). E

b *Hoc miraculum omittit Nicolaus, recitat autem Barberius* (2).

c *Cfr Nicolaum num.* 114, *et Barberium* (3).

d *Cfr Nicolaum num.* 115, *et Barberium* (4).

e *Cfr Barberium* (5).

f *Cfr Barberium* (6).

g *Cfr Nicolaum num.* 117, *et Barberium* (7).

h *Cfr Barberium* (8).

i *Neuter refert hoc miraculum : a festo Nativitatis B. Virginis usque ad festum S. Bartholomæi anni sequentis, seu a die* VIII *Septembris usque ad* XXIV *Augusti habentur dies* 351.

k *Cfr Nicolaum num.* 119, *et Barberium* (9).

l *Cfr Barberium* (10); *qui ponit distantiam Vilako* XXX *solum milliaribus.*

m *Cfr Nicolaum num.* 121, *et Barberium* (11).

n *Varia est hic loci lectio Instrumenti Vilakensis, quam hic ex integro referimus* (12) : Barbara, uxor Jacobi Thoth de villa Januffalva, præstito juramento coram prædictis testibus, fassa est,... quod filius suus, nomine F
Dionysius, ætatis quatuordecim annorum, totaliter erat destitutus, quod serpebat extensus super manus et pedes, nec erigere se poterat, nisi ab aliis juvaretur, quam infirmitatem per triennium passus fuerat, sed, facto voto ad virum Dei per eam, immediate erectus est, sane et recte incedens sicut prius; hoc ipsemet juvenis rite dicebat, hoc etiam ad notitiam totius villæ S. Joannis *devenit. Cfr Nicolaum num.* 122.

o *Cfr Nicolaum num.* 123, *et Barberium* (13).

p *Cfr Nicolaum num.* 123, *et Barberium* (14).

q *Cfr Nicolaum num*, 130, *et Barberium* (15).

r *Cfr Nicolaum num.* 130, *et Barberium, qui dicit Helenam fuisse viduam Jacobi de Varadino* (16).

s *Cfr Nicolaum num.* 133, *et Barberium* (17).

t *Cfr Barberium* (18).

v *Cfr Barberium* (19). *Christophorus circum-*

(1) Cfr Barber. Vit. latin. Instrum. mirac. pag. 7. — (2) Ibid. pag. 8. — (3) Ibid. pag. 5. — (4) Ibid. pag. 6. — (5) Ibid. pag. 8. — (6) Ibid. pag. 9. — (7) Ibid. pag. 11. — (8) Ibid. pag. 13. — (9) Ibid. pag. 16. — (10) Ibid. pag. 20. — (11) Ibid. pag. 22. — (12) Ibid. pag. 24. — (13) Ibid. pag. 27. — (14) Ibid. pag. 30. — (15) Ibid. pag. 37. — (16) Ibid. pag. 39. — (17) Ibid. pag. 48. — (18) Ibid. pag. 56. — (19) Ibid. pag. 44.

stantiam

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

stantiam addit, in Instrumento Barberiano omissam : nempe Margaritam viri Dei sepulcrum visitasse in festo Pentecostes anno Domini MCCCCLVIII; *ex quo manifestum fit, Christophorum usum fuisse exemplari accuratiori.*

w *Sancta Lucia, appendix oppidi Montis Regalis in Aprutio Ulteriori sub diœcesi Teatina* (1); *quæ sequitur vox Offena in Lexicis topographicis Neapolitanis non occurrit*

x *Cfr Barberium* (2).
y *Cfr Barberium* (3).
z *Cfr Nicolaum num.* 117, *et Barberium* (4).
aa *Cfr Nicolaum num.* 118, *et Barberium* (5).
bb *Cfr Nicolaum num.* 123, *et Barberium* (6).
cc *Cfr Nicolaum num.* 124, *et Barberium* (7).
dd *Cfr Barberium* (8).
ee *Cfr Nicolaum num.* 131, *et Barberium* (9).
ff *Cfr Nicolaum num.* 136, *et Barberium* (10).
gg *Cfr Nicolaum num.* 131, *et Barberium* (11).
hh *Cfr Nicolaum num.* 136, *et Barberium* (12).
ii *Cfr Barberium* (13).
kk *Cfr Nicolaum num.* 117, *et Barberium* (14).
ll *Cfr Nicolaum num.* 119, *et Barberium* (15).
mm *Cfr Barberium* (16).
B nn *Cfr Nicolaum num.* 123, *et Barberium* (17).
oo *Cfr Barberium* (18).
pp *Cfr Nicolaum num.* 130, *et Barberium* (19).
qq *Cfr Barberium* (20).
rr *Cfr Nicolaum num.* 131, *et Barberium* (21).

CAPUT XVI.

De curatis a diversis infirmitatibus.

Curati, ulcerosi pueri,

Quidam puer quinque annorum, filius Petri Zeep. * de platea Renugethen, in Vuilak, quodam ulcere pessimo in gutture percussus, ita ut nec poculum aquæ deglutire posset, nec quidquam sumere, semel curatus, validius postmodum invasus fuit ab infirmitate prædicta; pro quo pater suus astrinxit se visitare sepulcrum Beati Joannis, quo completo, puer integræ sanitati restitutus fuit *a*. Quædam juvencula, filia cujusdam Antonii, Porkolab * nominati, de Vuilak apostemate pestilentico C percussa, ita ut timeretur morti proxima; sed parentes ejus, spem habentes et devotionem in meritis Beati Joannis, duxerunt eam ad tumulum Beati, statim ergo ut ibi extitit, apostema fuit annihilatum *b*. Puer quidam quinque annorum, filius cujusdam Michaelis, Tegzeo * nominati, in Vuilak, de platea Sancti Ladislai, patiens febrem tertianam per medium annum, qui ita viribus extitit destitutus, ut jam putaretur morti proximus, non valens aliquid sumere alimenti, nec quoquam ambulare, quem parentes ejus voverunt ad sepulcrum Beati Joannis, est continuo sanatus *c*.

herniosi Benedictus et Emericus,

231 Puer quidam, Benedictus nomine, filius cujusdam Georgii, Horozar nominati, de Vornes, tali premebatur infirmitate, quod secreta naturæ per urinæ meatum sibi egrederentur, essetque jam in extremis : pro quo, Helena, matre sua, faciente votum ad Beati Joannis sepulcrum, eo die ab omni infirmitate plene fuit liberatus *d*. Filius Emerici pellificis de Zegedino, Dominicus nomine, quadam gravissima pressus infirmitate, ita fuit pedum manuumque beneficio privatus, ut velut truncus immobilis jaceret, non valens de latere in latus se movere, nec cibum vel potum in os porrigere, sed aliorum manibus alebatur et levabatur a festo sancti Lucæ usque ad Nativitatem MCCCCLVII, quem Pater devovens ad sepulcrum Beati Joannis, paucis diebus sanitati restitutus est *e*. Emericus pellifex de Zegedino, habens rupturam tam gravem, ut nec limen domus propriæ posset exire, eo quod intestina ad genitalia * descenderent, ut nec quoquam sine stricto ligamine ire posset, voto se astringens ad tumulum Beati Joannis venire, in via positus, sanitatem integram obtinuit *f*.

Dorothea cæca, Margarita febricitans, puer cancerosus,

232 Dorothea quædam, uxor Emerici institoris de Themesvar, filia judicis civitatis, infirmitate gravi percussa ultra spatium anni unius, lumen amiserat oculorum, jamque ultimis tribus mensibus penitus nil videbat, nec medicorum arte curari poterat, quæ, voto se adstringens visitare sepulcrum Beati Joannis, mox illuminata est, nullum postea in oculis E sentiens impedimentum *g*. Margarita quædam, uxor Benedicti Sartoris, de Chicha, * prope Bachiam, in distantia quatuor milliarium a Vuilak, intentissimas febres tertianas ultra annum patiens, pene erat viribus consumpta, nec ullo poterat juvari medicamine, quæ devote vovens visitare sepulcrum Beati Joannis, mox fuit integre sanata *h*. Puerulus quidam, filius Nicolai, Zadori * nominati, de Vuilak, quadam plaga feroci, lupa scilicet vel cancro in pectore percussus est, ita quod per tres dies carnes ipsius a dicta infirmitate vorarentur, et infirmarentur, ac consummarentur, ita quod ex hac vita migrare crederetur. Unde pater et mater, nomine Dorothea, votum pro eo ad sepulcrum Beati Patris facientes, et promittentes unam ceream imaginem, una cum puero portare, si eorum sanaretur filius : mirabile certe! portatus puer cum cerea imagine ad sepulcrum, mox sanitatem integram recepit, ita quod nullum vestigium cicatricis prædictæ plagæ in ejus corpore remaneret *i*.

infans cœcus, Barbara et Catharina febricitantes,

233 Infantulus quidam, Adrianus nomine, unius anni et dimidii, filius Michaelis Lierze, * de villa Fulzergh, * per mensem patiens inflaturam tam grandem in facie, ut ejus oculi nullo modo videri valerent, facto voto pro ipso a patre et matre, Ursula nomine, ad Beati Joannis sepulcrum portatus est, et eodem die, oculi clari apparuerunt ac per dies paucos sanitati restitutus est *k*. Puella quædam, Barbara nomine, filia Valentini Maniaros, de Fissegh, sex menses patiens febres gravissimas, emisso voto visitandi sepulcrum viri Dei, statim eadem hora sanata est *l*. Puella quædam, Catharina, tredecim annorum, filia cujusdam Michaelis, Piski de Villa dicti *, passa febres quartanas, quandoque quotidianas, a mense septembris usque ad mensem aprilis, ducta per matrem, Scholasticam nomine, ad sepulcrum Beati Joannis sanatá est, et non amplius vi febrium molestata est *m*. Quidam puer, filius

* genua *B*.

* Sardonis de Chica *B*.

* Radosi *B*. Kadasi *N*.

* Gyars *B*.
* Tysligh *B*. Naghfalwa *N*.

* Pyssry de Syligh *B*. Pylki de Sysigh *N*.

* Leep *B*.

* Pholax *B*. Protolab *N*.

* Regsis *B*.

(1) Justiniani. Dizion. geogr. del regno de Napoli. v°. *Santalucia.* — (2) Instr. mirac. pag. 4. — (3) Ibid. pag. 9. — (4) Ibid. pag. 10. — (5) Ibid. pag. 10. — (6) Ibid. pag. 13. — (7) Ibid. pag. 28. — (8) Ibid. pag. 30. — (9) Ibid. pag. 38. — (10) Ibid. pag. 40. — (11) Ibid. pag. 56. — (12) Ibid. pag. 40. — (13) Ibid. pag. 57. — (14) Ibid. pag. 10. — (15) Ibid. pag. 15. — (16) Ibid. pag. 21. — (17) Ibid. pag. 26. — (18) Ibid. pag. 36. — (19) Ibid. pag. 39. — (20) Ibid. pag. 41. — (21) Ibid. pag. 42.

cujusdam

A cujusdam Matthei de Pesth, trans Danubium in opposito Vuilak, Emericus nomine, habens quamdam plagam in ore, quæ vulgo lupa vel cancer nuncupatur, quatuordecim diebus, ita quod cancro maxilla consumi videbatur: plaga vero ita magna erat, quod digitus immitti poterat, facto voto ad sepulcrum Beati Joannis, mox sanatus est *n*.

n

adolescens febricitans, Agatha et Ladislaus cancerosi

234 Quidam, adolescens quatuordecim annorum, de Vuilak, a diuturna febre concussus, dum votum pro eo factum fuisset ad sepulcrum Beati Joannis, sanatus est. Ejus quoque soror, Agatha nomine, a phrenesi et mentis insania sanata, facto pro ea voto *o*. Agatha quædam, uxor Georgii pellificis, de Harsan, prope Vuilak, apostemate quodam gravata pedis dextri, omnino amiserat virtutem, ut nullum illius pedis haberet juvamen, nec quovis modo ambulare valeret a festo Sancti Nicolai usque ad Nativitatem Domini, sed facto voto ad Beatum Joannem ejus sepulcrum visitare, mox sanata est *p*. Vir quidam nobilis, Ladislaus nomine, de villa Bathoe, * decem mensibus infirmitatem lupæ sive cancri penaliter patiens et curari nesciens, facto voto visitandi sepulcrum Beati Joannis et impleto, continuo sanatus est. Hic etiam Ladislaus ab infirmitate, quam patiebatur in una manu et uno pede, similiter voto facto, sanatus est *q*.

o

p

* Bumhii *B.* Bancha *N.*

B

q

Benedictus febricitans, Agatha plagis contecta,

235 Benedictus, quidam puer, filius Petri Joannis de Athya, patiens febres quotidianas a mense septembris usque ad mensem martii, totus erat consumptus, facto voto pro eo per matrem ad Beati Patris sepulcrum et impleto ibidem, sanitati integræ fuit restitutus, nec amplius a febribus vexatus est *r*. Agatha quædam, uxor Ladislai de Bodrogogzontelkon, * patiens in ubere dextro vulnus quoddam horribile per spatium decem annorum, nullo poterat juvari medicamine, sed diu noctuque cruor, sanies et immunditia fœtidissima ex illa effluebant plaga incurabili, propter quod mulier ipsa erat omnibus despecta, et sibimet et aliis importabilis. Hæc, in tanta anxietate posita, et velut cadaver horridum effecta, lacrymose venit visitare sepulcrum Beati Joannis, quo facto horrenda illa plaga integraliter sanata est, ipsaque veniens ad sepulcrum cum gaudio, omnibus hoc recitavit *s*.

r

* Sadogazontelek *B.* Bodogazzonthelek *N.*

C

s

similiter mulier Elisabeth,

236 Mulier quædam vidua, Elisabeth nomine, cujusdam Nicolai Zelesconniz, in Vuilak, tacta quadam plaga insanabili, lupa nuncupata, a cingulo infra in parte inferiori, tota erat ab ipsa plaga consumpta, fœtebatque nimium, nec aliquis ei appropinquare poterat. De qua plaga partes carnis putridæ, tamquam de pecore, per fœminas abscredebantur, quæ et ipsæ nimium horrebant ac timebant actum illum facere: dietim quoque hinc inde multæ foveæ fiebant in circuitu plagæ, sanie fluentes; apparebat etiam ipsa plaga tamquam fenestra quædam, ut inspiceretur in ea velut in quoddam vas apertum. Sic igitur mulier ipsa jacebat tamquam mortua, loqui non valens quindecim diebus, sensum tamen habens integrum. Cui devotæ mulieres persuadebant, ut Beato Joanni devote se ipsam commendaret, quæ intra se ipsam cum magno suspirio et devotione se recommendavit, et quibus poterat indiciis manuum et oculorum nutibus mulieribus suadentibus hoc ipsum demonstrabat. O mirabilis Deus! mox ut hoc fecit, alleviata est, et loqui cœpit, paucisque diebus omnis ejus plaga sanata est, nec minus indicant personæ, quæ eam noverant et ejus plagam, quam si resuscitata esset a mortuis *t*.

t

Helena, Valentinus contracti,

* Hyspan de Simelchem *B. N.*

237 Mulier quædam, Helena nomine, uxor Stephani Ysspan *, in Dimelchen, quadam infirmitate pressa, ut in puerperio ambas manus habebat contractas et inflatas et miserabiliter incurvatas, ut penitus nihil operari posset, nec puerum enixum quovis modo gubernare per tres annos integros. Hæc, vivente adhuc Beato Joanne, voverat præsentiam ejus visitare, sed nequivit. Post votum tamen tantum convaluit, ut omnia opera ejus manibus posset exercere, quamvis quamdam contractionem digitorum adhuc haberet. Post vero ejus sepulcrum devote visitans, perfecte sanata est, et digiti flexibiles facti sunt, et extenti et omnino liberati *v*. Valentinus quidam, Olas dictus, de Zegedino, infirmitate gravissima oppressus, nullo modo se poterat vertere, sed aliorum volvebatur auxilio, sanguinisque fluxum per idem tempus incessanter patiebatur, nec ullo poterat curari auxilio medicorum. Hic audiens ea, quæ apud sepulcrum Beati Joannis Deus operabatur, devotione devovit se sepulcrum visitare, si sanitas ei restitueretur. Mirum dictu, tertia die perfecte sanatus est, et sanus sepulcrum visitavit *w*.

v

E

w

Martinus et Barbara aridi,

238 Martinus quidam, de Vuylak, famulus provisoris curiæ magnifici domini Nicolai de Vuilak, sex mensibus ambulare non poterat, nec de lecto exire, nec in illo revolvi sine adjutorio alieno; siquidem a planta pedis usque ad verticem a parte sinistra totus erat destitutus viribus, factusque contractus: hic duorum baculorum adminiculo visitare tentavit Beati Joannis sepulcrum, minime tamen potuit; sed adjutorio aliorum illuc fuit perductus. Cumque esset ibi, tumulum circuit, aliis ipsum juvantibus, mox ergo sanitatem integram recepit, et sanus domum rediit, gaudens atque gratias agens et baculos, cum quibus nitebatur ambulare, super tumulum relinquens in testimonium adeptæ sanitatis *y*. Barbara quædam, uxor Galli de Zatha, in gravissimam incidens infirmitatem, nihil alimenti sumere poterat multis diebus, jacebatque in lecto, ut truncus, movere se non valens, usum quoque loquendi perdiderat duabus hebdomadibus: verum quia mente sana erat, intra se devote vovit Beato Joanni visitare sepulcrum, si non aliter, saltem cum manibus et genibus: quo facto, beneficium loquendi reaccepit et comedit, atque ita convaluit, ut quarto die per tria milliaria Ungarica ipsum sepulcrum visitaret, gratias agens Deo, et Beato Joanni *x*.

y

x

mulier hæmorrhoissa, Stephanus paralyticus

239 Catharina quædam, relicta Petri de Zegedino, per quatuor annos integros in infirmitate decubans gravissima, duobus etiam annis fluxum sanguinis patiens, totaliter erat consumpta, et viribus omnibus destituta, quæ etiam videndi et audiendi erat privata beneficio, nec se de latere in latus habebat aliquam facultatem movendi: hæc, cum esset in angustia posita, cum suspirio flebili Beatum Joannem invocavit, et promisit, si sanaretur, ejus sepulcrum visitare, quo facto, mox convaluit,

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

valuit, et, evolutis paucis diebus, integraliter sana, ipsum sepulcrum per XXXII milliaria Ungarica peditando visitavit ℵ. Stephanus quidam, nobilis vir, per octo annos integros quadam infirmitate detinebatur gravissima, in ultimo anno Domini MCCCCLVIII, circa Nativitatem Domini, validissime fuit inflatus in toto corpore, ut nec ambulare posset nec se de loco movere, adhibitisque diversis medicinis, nil proficiebat, sed magis gravabatur, et inflatura crescebat. Hic audiens de miraculis, quæ fiebant ad Beati Joannis tumulum, illuc se devovit iturum, si sanaretur. Quo facto, continuo convaluit, et integre sanatus est, ambulans quocumque libere, et nullum habens penitus signum inflaturæ prioris *aa*.

aa

puer febricitans, mulier paralytica, alia eundi impotens,

240 Puer quidam septem annorum, filius Laurentii Naclkeri *, patiens febres tertianas, per annum integrum, curari non poterat, sed dietim consumebatur: hunc devoventes parentes ejus ad sepulcrum Beati Joannis, voto completo, illico puer sanatus est, et sanus rediit domum, nec amplius febres passus est. Helena quædam, uxor Joannis fabri, de Zegedino, gravissima percussa infirmitate, omnibus viribus erat destituta, et omni fortitudine privata, ita ut nec manus levare quovis modo posset, nec se de latere in latus volvere sine adjutorio alieno; siquidem manus una, et pes unus, et pars totius corporis insensibilis erat, tamquam non habens vitam. Hæc, in angustiis posita, devovit Beati Joannis sepulcrum visitare et mox sanitati optatæ restituta est *bb*. Margarita quædam, uxor Fabiani, de villa, Zanthgierg * vocata, pedum suorum erat privata adjutorio per quinque annos, nec amplius jam habebat spem convalescendi; hæc audiens miranda, quæ circa sepulcrum Beati Joannis fiebant, devote vovit quocumque modo ejus sepulcrum visitare; quo facto, in tantum convaluit, ut quamvis non integre sana, sepulcrum tamen visitavit, ubi mox sanitatem tam integram est consecuta, ut cum magna lætitia coram multis diceret: « Jam ita sana sum, ut currendo valeam ad domum meam redire. » De quo magna existit æmulatio cum vociferatione Nominis Jesu usque ad sidera *cc*.

* Nagherii *B.* Nagheer *N.*

B

bb

* Sentgeurg *B.*

cc

Stephanus sacerdos cæcus, Agnes graviter vulnerata, Mauritia vidua

241 Vir quidam, honorabilis sacerdos, Stephanus nomine, plebanus Nagkerii, infirmitate gravatus per dies plurimos in oculis, ita erat infirmus, ut perpetuam cæcitatem timeret incurrere. Qui vovens Beato Joanni visitare sepulcrum, mox oculorum integram recepit sanitatem, et in toto corpore integerrimæ restitutus est sanitati. Domina Agnes, mulier conscientiosa, et tertii Ordinis de Observantia, degens in monasterio Sanctæ Elisabeth de Aquila, cum ex quadam superveniente necessitate festina incederet, accidit, ut percuteret pectus in uno ligneo palo inadvertenter adeo duro, ut una pectoris costa vehementer curvaretur. Ex quo, ita infirma facta est, ut superveniente quadam corporis totius inflatione mirabili, omnino crederet unum latus se amissuram: destituta omnibus membris, hæc commendans se Beato Joanni et devote emittens votum, facere depingi ipsius Beati imaginem, si a dicta infirmitate evaderet libera, mox integre et perfecte fuit liberata, nullum in posterum sentiens dolorem. Mauritia, relicta olim Benedicti Stephani de Aquila, per tres septimanas totaliter infirma, ut nec surgere, nec se movere posset quoque modo sine multorum adminiculis. Hæc commendans se Beato Joanni, erga quem devota semper fuit, et deosculans devote quosdam panniculos, quos ipse Beatus pro suo usu habuerat, ac cum eis signata, mox extitit perfecte sanata, et postmodum ambulavit, ac si numquam infirmata fuisset.

D

Lucia Joannes et Franciscus;

242 Lucia, uxor cujusdam magistri Joannis, artificis de Aquila, per duos menses quamdam maximam infirmitatem passa est, nec poterat sibi ope medicorum subveniri: hæc constringens se voto Beato Joanni, quod in die obitus sui reficeret tres pauperes, faceretque celebrare unam Missam, ac suum diem, ut diem dominicam, celebraret, statim ab omni infirmitate fuit liberata. Joannes Tricii de Paganica, civis Aquilanus, ab ilibus usque ad talum vehementissime per integrum annum cruciatus est intolerabili dolore, et sibi nullum remedium reperire valens, constrinxit se voto ad Beatum Joannem, quod si suis meritis liberaretur, suam imaginem faceret depingi in ecclesia Sanctæ Mariæ de Paganica, quæ est una de majoribus et potioribus ecclesiis Aquilanæ civitatis; quo facto, illico liberatus est, ut postea, scilicet die sequenti, absque aliquo dolore, quocumque vellet, incederet liber et sanus. Franciscus, filius Joannis de Estulo, Aquilæ habitantis, gravissimo et mortifico morbo pestilentiæ, sive pestifero, taliter per novem dies infirmatus est, ut non nisi mortuus judicaretur, pro quo facto voto per matrem ejus, Gentilenam nomine, ad Beatum Joannem illico convaluit, et a faucibus mortis extitit liberatus.

E

vas ruptum non dimittit liquorem; sanantur, puer fatuus,

243 Margarita quædam, uxor Martini sartoris de Vuylak, habens vas unum vini fratris sui in cellario suo, ipsius vasis omnes circuli, quibus ligabatur, rupti fuerunt, ita quod vinum abundanter effluebat, nec sperabatur, quod aliquid remaneret. Quod videns mulier, flexis genibus, Beatum Joannem invocavit, ut custodire dignaretur eam a damno: statim ergo vinum stetit, nec amplius effluxit, quousque mulier, vocato artifice, vas ipsum ligari fecit *dd*. Puer quidam undecim annorum, Thomas nomine, filius Michaelis, de Kosde * dicti, de villa Petzken, fuit infatuatus, intellectumque rationabilem omnino non habens, sed diebus octo continuis gestus mirabiles et brutales manibus et pedibus faciebat, ac collum mirabiliter torquebat, facto voto pro eo per parentes ad sepulcrum Beati Joannis, mox ei sanus sensus, sicut prius, restitutus est *ee*.

F

dd

* Dobos de Peren *B.*

ee

Agnes obsessa, Joannes epilepticus:

244 Mulier quædam, Agnes nomine, uxor Rusa de Bathka *, per unum annum obsessa vexabatur a dæmone, nec liberari poterat quorumvis auxilio, pro qua vir ipsius et Fratres votum emiserunt, quod eam ad sepulcrum Beati Joannis ducerent. Quod cum implere conarentur, ducebant ipsam in curru, et dum essent in quodam planissimo campo, mulier ipsa voce terribili et rauca clamare fortiter cœpit, dicens: « Nolo ire ad sepulcrum monachi, nolo ire. » Et hujusmodi verba dicendo, fecit strepitum et impetum, adeo quod currum in plano campo totaliter dirupit et confregit: quo facto, mulier ad sanum sensum rediens,

* Bathaka *B.* Batha *N.*

A rediens, gratias agendo clamavit, dicens : « Liberata sum gratia Dei et meritis Beati Patris. » Monstravitque in minoris pedis unius digito quoddam vulnus, ad instar lenticulæ unius, unde sanguis fluebat, et inde exisse dæmonium, mulier ipsa testabatur: nec amplius ipsam vexavit dæmon, indecumque exierit *ff*. Joannes, filius Christiflorelli de Balneo, Aquilanensis, annorum undecim a dæmone vexatus cum incredibili tremore, faciebat actus et gestus ita horribiles, ut abominabilis omnibus redderetur, et quasi morbum caducum habere videbatur. Hic ductus per patrem suum ad ecclesiam Sancti Francisci in Aquila, ac tactus cum quodam panniculo, quo Pater ipse Beatus ad oculos utebatur, illico liberatus est. Soror prædicti pueri, habens annorum novem ætatem, simili infirmitate et vexatione pressa per annum, tacta cum prædicto panniculo, cum admiratione omnium sana et incolumis evasit.

ff

testes miraculorum in Vilako adducuntur.

245 Quidam Bartholomæus de Brixia hoc patiebatur infortunium, quod quandocumque nascebatur ei filius ex uxore, postquam attingebat decimum quintum diem, illico moriebatur. Hic habens fratrem in Ordine, qui dicitur frater Andreas de Brixia, ei infortunium revelavit, qui compatiens fratri dixit : « Astringas te aliquo voto propter hoc Beato Joanni de Capistrano, cujus sanctitatem pridie novisti. » Interpositis autem paucis diebus, ipse Bartholomæus et ejus pater et fratres, ac uxor gravida concorditer voverunt, quod filius ejus, si superviveret, facerent eum per tres annos continuos deferre habitum Sancti Francisci: si vero esset filia, facerent depingere imaginem ipsius Beati Patris. Ecce non multo post habuit filium ex uxore sua pulchrum et alacrem, qui per gratiam Dei et merita ipsius Patris vivit rectus et sanus. Hæc suprascripta miracula quæ facta fuerunt in Vuilak apud sepulcrum Beati Joannis de Capistrano diligenter fuerunt examinata per viros conscientiosos et bonæ famæ cives in Vuilak: scilicet Guidonem Italicum de Aretio, Michaelem Zaffar, et Bartholomeum Arcupriar. Nam videns magnificus civitatis Vuilak dominus et patronus, quod Omnipotens Deus mirificabat servum suum per prodigia, disposuit optimos cives ad examinationem miraculorum, quæ quotidie fiebant, qui diligenter hoc pium opus executi sunt. Nec aliquod miraculum conscripserunt, nisi habitis plenis probationibus et receptis juramentis; et licet plures alii semper intervenerint, ipsi tamen tres numquam defuerunt.

C

Epilogus.

246 Miracula etiam, facta in Italia, diligentissime examinata sunt cum plenis attestationibus et juramentis, et conscripta veraciter. Sed ut evitarem nimiam prolixitatem, testes et juramenta, tam de miraculis factis, in Ungaria quam in Italia, prætermisi, præmissa autem miracula quæ facta sunt a die obitus, qui fuit anno Domini MCCCCLVI die XXIII Octobris usque MCCCCLIX, a quo quinquagesimo nono usque nunc, cum jam sumus in anno MCCCCLXIII prima die Aprilis, multa plura et magis stupenda patrata sunt, et quotidie meritis ipsius Beati fiunt, tam circa ejus sepulcrum ad quod visitandum, usque hodie de diversis partibus innumerabiles populi conveniunt, quam in aliis mundi partibus. Divino vero consilio factum esse non ambigo, quod Beatus Pater in Vuilak, in quo sunt judæi, hæretici, et schismatici, atque christiani sepultus est, ut ex hoc demonstraretur ipsum fuisse omnibus communem; christianis quidem eos ad fidem animando et confirmando, cæteris vero eos convertendo, et eorum errores atque perfidiam confutando. Decebat etiam ut, qui per ejus sanctissimas orationes Turcas devicerat, in opprobrium eorum non longe ab eis sepeliretur. Suscipe ergo, Pater Beate, quæso hoc munusculum, quod indignus discipulus et filius tuus tibi offert, et parce ignorantiæ et negligentiæ etc. Orare pro me, filio tuo, et his provinciis Austriæ, Moraviæ Bohemiæ, Ungariæ, Poloniæ, Silesiæ, Massoviæ, Stiriæ, Carinthiæ, quas de tuis laboribus fundasti, non desinas Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen. In vigilia Petri et Pauli 1489.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

E

ANNOTATA.

a *Confer Nicolaum de Fara biographum supra num.* 114, *et Barberium in Vita latina* (1). *Hic novum habemus argumentum, quo ostendi potest, Christophorum nostrum habuisse coram aliud exemplar Instrumenti Vilakensis, nempe non solum indicat, Petrum fuisse incolam Vilakensem, quod et Barberianum exemplar habet, sed addit, eumdem habitasse in* platea Renugethen.

b *Cfr Nicolaum num.* 115, *et Barberium* (2).

c *Cfr Barberium* (3).

d *Cfr Barberium* (4), *qui addit cognomen Georgii patris fuisse Horozar.*

e *Cfr Barberium* (5).

f *Cfr Barberium* (6).

g *Cfr Barberium* (7), *qui addit prodigium in festo S. Petri ad Vincula, seu die* 1 *Augusti,* 1458 *contigisse.*

h *Cfr Nicolaum num.* 119, *et Barberium* (8). F

i *Cfr Nicolaum num.* 121, *et Barberium* (9).

k *Cfr Nicolaum num.* 121, *et Barberium* (10).

l *Miraculum istud omittunt Nicolaus et Barberius.*

m *Cfr Nicolaum num.* 123, *et Barberium* (11).

n *Cfr Nicolaum num.* 124, *et Barberium* (12).

o *Cfr Barberium* (13), *qui sanatum puerum vocat Bartholomæum, ac eidem solum annos duodecim tribuit.*

p *Cfr Nicolaum num.* 125, *et Barberium* (14). *A festo S. Nicolai, die* VI *Decembris, usque ad Nativitatem Domini,* XXV *ejusdem mensis, currunt dies novemdecim : hæc infirmitatis duratio in Instrumento Vilakensi non occurrit.*

q *Cfr Nicolaum num.* 130, *et Barberium* (15).

r *Cfr Barberium* (16).

s *Cfr Nicolaum num.* 133, *et Barberium* (17).

t *Cfr Barberium* (18).

v *Cfr Nicolaum num.* 134, *et Barberium* (19).

(1) Instrum. Vilak. mirac. pag. 5. — (2) Ibid. l. c. — (3) Ibid. pag. 6. — (4) Ibid. pag. 11. — (5) Ibid. pag. 12. — (6) Ibid. pag. 89. — (7) Ibid. pag. 13. — (8) Ibid. pag. 14. — (9) Ibid. pag. 20. — (10) Ibid. pag. 23. — (11) Ibid. pag. 26. — (12) Ibid. pag. 29. — (13) Ibid. pag. 31. — (14) Ibid. pag. 33. — (15) Ibid. pag. 34. — (16) Ibid. pag. 38. — (17) Ibid. pag. 48. — (18) Ibid. pag. 49. — (19) Ibid. pag. 50.

AUCTORE CHRISTOPHORO A VARISIO.

w *Cfr Nicolaum num.* 134, *et Barberium* (1): *addit Christophorus, quod alii omittunt, cognomen Valentino fuisse Olas.*

x *Cfr Barberium* (2).

y *Cfr Barberium* (3).

z *Cfr Barberium* (4), *qui omittit circumstantiam itineris* XXXII *milliarium.*

aa *Cfr Nicolaum num.* 131, *et Barberium* (5).

bb *Cfr Barberium* (6).

cc *Cfr Barberium* (7).

dd *Cfr Barberium* (8).

ee *Cfr Barberium* (9).

ff *Cfr Nicolaum num.* 135, *et Barberium* (10).

APPENDIX.

Epistolæ aliquot S. Joannis Capistrani, ad familiam Rosembergicam directæ.

B *Jam extremæ paginæ Actorum S.* Joannis Capistrani *sub prelo sudabant, quando ad nos delata sunt apographa epistolarum Sancti ad illustrissimam familiam Rosembergicam seu de Rosis, de re catholica optime meritam, et quam magno propterea studio colebat vir sanctus. Easdem ex archivo suo Wittingaviano exscribi permisit celsissimus princeps Adolphus de Schwarzenberg. Tanto lubentius eas Actis adjicimus, quia gesta Sancti confirmant et elucidant. Singulis, ordine chronologico distributis, subnectemus annotationes quasdam, dicta illustrantes.*

Epistola I. 1 IHC. Magnifice et excellens domine, ac protector et benefactor mi singularissime! Humillima ac debita commendatione præmissa. Hodierna die, quam semper honoratam sum habiturus, redditæ sunt mihi litteræ dominationis tuæ, quæ quidem quantam lætitiam ac jucunditatem mihi attulerint nullo dicendi genere consequi possem, quandoquidem ita promptissimum, ita paratissimum ad me sub tui tutela suscipiendum te invenio. Non enim aliud expectabam, nisi quod in te

C omnes uno ore prædicant, efferunt et extollunt, christianissimum scilicet nomen, ut clarissimas et egregias virtutes tuas silentio præteream ceteras, quæ tot et tantæ sunt, ut verum fatear, difficile dictu esset, et licet cetera virtutum genera ad cujusvis principis ornamentum accedant, maximum decus tuum christiani nominis omnia vincit, superat et calcat. Placuisse excellenti dominationi tuæ litteras meas magnopere gratulor, sed illud longe magis gaudio me affecit incredibili, cum meum ad te accessum sollicitas ad liberandum tot millia animarum pereuntium, quæ quotidie sathanæ gutturi præda et cibus fiunt, quod firmissime assecuturus es; sum enim in Zwettl *a*, profecturusque crastina die post *a*
absolutam prædicationem Weytram *b*. Ibi *b*
namque expectabo quousque tua excellens dominatio pro me miserit. Si quidem feria quinta proxime futura tui ad me venerint, sexta feria sequenti iter versus Crumnaviam *c* *c*
arripiemus. De die tamen disponas pro arbitrio tuo, me autem semper ad veniendum paratis- D
simum invenient. Sed animadvertat dominatio tua, ut duo currus pro sociis et libris meis omnino mittantur, cum sine illis proficisci non valeamus. Plura scriberem, sed omnia ore ad os agemus, cum una tecum fuero, quod citissime erit, si tuos quam primum ad me mittere non gravaberis. Tua vero excellens dominatio interim magnanima erit et perjucunda, spero enim, quod ea assequemur, divina gratia opitulante, quæ ceteris negata fuerunt. Nam adest magnus et excelsus Deus noster suis admirandis et stupendis operibus. Nobis autem molestum minime sit adesse humano studio et ingenio. Responsivas litteras nullas adhuc accepi ab amico meo Rokyczano, causam ignoro. Certior enim factus sum, quod congregationem nonnullam baronum Bohemorum, quæ fit prope Olomutium, accessit non libenti animo, ni fallor. Disputationem, ut ex meis litteris intelligere potuisti, illi non denegavi, neque denegabo, dummodo congruitas loci tributa sit, et peritissimorum virorum pulchra corona. Scio et certus sum, quod pro E
sui animi obstinatione potius ille frangetur, qui *flecti possit. Ejus argumenta, rationes, et * quam?
ut verius dicam, cavillationes, auctoritates et, dicta facile refellemus. Sed ejus et mei censores astare vellem, ut secundum illorum sententiam meæ doctrinæ acquiesceret et consentiret. Non enim intendo secum garrulare, ut sæpe numero loyci (logici) faciunt, sed ut omnia a congruis et debitis judicibus determinentur. Omnis ignorantiæ et timoris locus a me remotus est, si mecum de congruo loco et de viris interventuris in actu convenire noluerit *d*. Nam hujusmodi actus non apud *d*
vulgares et indoctos viros, sed apud eos, quorum probata et authentica est sententia et auctoritas, fieri debet. Sed de iis hactenus, in quibus omnibus tuo optimo et fidelissimo consilio utar. Valeat excellens dominatio tua, quam Christus tueatur in æternum, et me, ut facis, sub tuo præsidio suscipe. Pro ea dignitate, quam merito reverendus pater dominus Jodocus filius tuus assecutus est, plurimum congratulor, agoque gratias immensas Deo Omnipotenti, qui illam sibi tribuit. Rogo vero, F
ut ad sublimiora illum tollat, qui ex innata bonitate et virtute omnia bona meretur. Iterum atque iterum vale, mi optime protector, et pro me cito mittere non immoraberis, qui jam tecum fuisse diu desideravi. Ex Czbettel (Zwettl) 12 Octobris 1451. Manu velocissima. Tuæ excellentis dominationis inutilis servus, licet orator fidelissimus, frater Joannes de Capistrano minorum minimus. *A tergo :* Magnifico et excellenti domino domino Ulrico de Rosenberg etc. suo protectori et præceptori singularissimo fidelissime et cito obsignentur.

ANNOTATA.

a *De oppido* Zwettel, *ubi insigne monasterium Ordinis Cisterciensis hactenus exsistit, mentionem etiam facit Christophorus a Varisio in Vita* S. Joannis *num.* 139 : *nomen tamen oppidi male scribit* Czunethel : *conjiciendo tamen di-*

ximus,

(1) Instrum. Vilak. mirac. pag. 51. — (2) Ibid. pag. 52. — (3) Ibid. l. c. —(4) Ibid. pag. 53. — (5) Ibid. pag. 43. — (6) Ibid. pag. 57. —(7) Ibid. pag. 59. — (8) Ibid. pag. 27. — (9) Ibid. pag. 24. — (10) Ibid. pag. 54.

A *ximus, Annotato* a *esse locum* Zwettel : *quam conjecturam undequaque confirmat præsens epistola. Nam Christophorus docet, S.* Capistranum die decima secunda Octobris, *qua ipse die ad Udalricum Rosembergicum scribit, in Zwettel miraculum operatum fuisse, atque hinc Krummau seu Crumlovium profectum fuisse. Ipse Sanctus locum scriptionis suæ indicat Czbettel. Nihil porro mirum, viros Italos in locis peregrinis scribendis sæpe sæpius allucinatos.*

b *Weytram est Weitra, oppidum eunti Zwettelio Crumlovium occurrens, ut patet ex mappis topographicis.*

c *De Crumlovio seu* Krummau *in Annotato* b *capitis* x *Vitæ Christophori a Varisio actum fuit.*

d *De hoc cum Joanne Rockyczana colloquio egimus in Commentarii prævii numm.* 211 *et seqq. Ex hac porro epistola constat, S.* Joannem Capistranum *nullatenus refugisse publicam cum Hussitarvm antistite disputationem.*

Epistola II.

a 2 Omnem in Domino et in Rosabella *a* salutem cum sincerissima caritate. Venerabilis ac dilectissime frater! Licet fraternitatis tuæ
B merita multifaria me tibi non immerito ferventissima caritate in immensum astringant, consolationis tamen tuæ scripta dulcissima, mihi nuperrime una cum Reliquiis sanctissimi confessoris Bernhardini prægratis ex Vienna delegata, non modicum fomenti continuo subministrant, adeo ut quoties illas intueor aut recolo, amoris reciproci nimirum scintilla non modica exardescit. Nec tamen eadem primum me moverunt, ut pro tuis successibus Deum orem, quam potius prima die tui recessus a me hoc ceperim studiosius exequi, orationes pro te Domino, utinam gratas, quotidie effundendo, nec de hoc contentus, sed et cunctos ordinaria mihi lege subjectos dudum edicto
* exhortatus ? publico ad idem faciendum sum exorsus*. Quamvis autem eadem scripta tua plurimum jucunditatis attulerint, multo tamen amplius in dies lætificat quotidiana novitatum fama percurrens, nedum de tuis successibus prosperis, de quibus sollicitus sum perquirere, sed et Dei magnificentia, quæ meritis ejusdem sanctissimi Bernhardini, tuoque devoto ministerio, mirifice clarere conspicitur. De his
C igitur ac singulis præmissis Deo ac fraternitati tuæ denique grates sincerissime refero condecentes, hortorque in Domino, quatenus receptum* Dei opus indefesse, ut facis, prosequaris. inceptum? Confortare in Domino et age viriliter pro Dei et Ecclesiæ suæ sanctæ honore, animarumque salute, confisus in illius præsidio in cujus nomine et virtute cepisti, quatenus centuplicato fructu proinde feliciter coronari merearis in regno illo æterno, quo una tecum tuis orationibus rogo suffultus, desiderio æstuo conregnare. Vale vir Dei, pugil Christi invicte, tuique pariter benevaleant. Datum in castro
b ecclesiæ in Strasburg *b* die sedecima mensis Octobris anno Domini 1451. Johannes
c Dei gratia Episcopus Gurcensis *c. A tergo.* Venerabili ac religioso in Christo fratri meo carissimo, fratri Johanni de Capistrano, generali ordinis Fratrum minorum de Observantia.

D

ANNOTATA.

a *Quid sibi velit hic loci* Rosabella *non facile dixerim. Rosa quidem est symbolum silentii seu secreti* (1)*; sed in tota epistola nihil occurrit, quod secretum requirat; dein dicendum esset simpliciter* sub rosa. *Putem tamen, episcopum alludere ad familiam Rosembergicam, quæ Rosam gerit in scuto gentilitio, præsertim quum illo ipso tempore, quo epistola scripta fuit, S.* Capistranus *in familia Rosembergica Crumlovii versaretur. Ita ut sensus sit, episcopum salutem dicere Fratri* Joanni *in Domino Deo et in familia Rosemburgica, a Deo destinata in salutem Bohemiæ. Porro ramus Bohemicus familiæ Rosembergicæ periit initio sæculi* XVII *morte Joachimi Udalrici, qui sine prole obiit die* XXIV *Januarii* 1604 (2).

b *De castro Strasburg actum fuit supra in Vita Christophori a Varisio cap.* VIII *Annotato* n.

c *Ibidem etiam nomen Joannis episcopi gentilitium et anni regiminis indicata fuere.*

Epistola III.

a 3 IHC. Beatissime Pater! *a* Ad osculanda vestigia sanctorum pedum. Caritas, quæ debita est omnibus Christi fidelibus, eo vehementius ad has comendatitias me coegit, quo de virtute integra illustris (hujus domini) cum magnificis et præstantissimis liberis certiorem famam apud me experientia fecit. Si enim cum omnium per ora volaret, illustrem et excellentem dominum Uldericum de Rosenberg eum esse, qui æstuanti Bohemorum perfidiæ, castra, terras, civitatesque insano impetu devastantium, jam modo per triginta sex annos nullo victus terrore restitisset, solusque inter latentes apparens, sese, castrorum et civitatum ruinas passus, usque ad effusionem proprii sanguinis verum Jesu Christi fidelem, et sacrosanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ legitimum filium indefesse proclamaret, omnium in se catholicorum provocavit affectus, omnesque eum benevolentia prosequerentur; quanto magis virtuti fieret mecum quisque debitor, omnique ejus honesto voto propitius et pro dignitate clemens, si per mensem cuique, quemadmodum mihi, cum apud ejus F
illustrem dominationem superioribus diebus secum pro reductione deviorum laborarem, et fidei et constantiæ tam parentis, quam liberorum experientia patesceret. Juste igitur coactus, licet non invitus, hunc fidei nostræ florem, si quid parvitas mea apud Sanctitatem tuam valet, beatitudini tuæ commendo ea commendatione, qua nulla possit esse major, ut videlicet cum ejus fidelissimi oratores apud Sanctitatem tuam fuerint, in omni tam gloriosi domini honestatis et pietatis voto eamdem propitiam sibi, et pro innata clementia, et pro mea commendatione persentiant, revertentesque sponte sua currentem et votorum compotem effectum, pro sanctæ fidei tutela magis ac magis ad augmenta virtutum concitare possint. Cui quicquid Sanctitas tua beneficiorum et gratiæ contulerit, mihi ipsi factum putabo, dummodo comendationem meam intelligat apud eamdem non fuisse vulgarem.

(1) Diction. de Trévoux, v°. *Rose.* — (2) Cfr Schmidl. Histor. prov. Bohem. Soc. Jesu. tom. II, pag. 371 et Balbinus. Miscell. Hist. Bohem. Decad. II.

Valeat

A Valeat beatitudo tua clementissima ad vota
b cœlorum. Ex Egra *b* in regno Bohemiæ die 10 Januarii, 1452. Væ S. clementiæ inutilis creatura Frater Johannes de Capistrano manu propria me subscripsi. *A tergo.* Sanctissimo Domino nostro Nicolao Papæ Quinto.

ANNOTATA.

a *Similem huic epistolam, eisdem conscriptam verbis, mutatis solum titulis, dedit S.* Capistranus, *die sequenti, seu* XI *Januarii, ad regem Franciæ, Carolum VII, quam propterea edendam non duximus. Quæ causa fuerit, ut Sanctus tam instanter res familiæ Rosembergicæ, tum apud Nicolaum Pontificem tum apud regem Carolum commendaverit, prorsus ignoro.*

b *Egræ toto mense januario substitisse S.* Capistranum, *habemus ex Christophoro biographo, capite* X *vitæ numm.* 143 *et* 144.

Epistola IV. 4 Magnifice et excellens domine! humili et devota recommendatione præmissa gratiam salutarem et pacem in Domino sempiternam! Ordi-
B naveram transmittere Magnificentiæ Vestræ multa nobis nuper occurrentia ex litteris virorum Pragensium, Bohemorum et confœderatorum cum eisdem
a *a*: sed celeritate itineris occupatus, hoc solum volui M. V. notum facere, quod heri sero a reverendissimo domino legato et ab illustrissimo domino duce Alberto Bavariæ et comite Reni, ut in dieta Ratisbonensi domi-
b nica post festum Viti et Modesti *b*, si Dei honorem et sanctæ Matris Ecclesiæ debitam obedientiam diligo, interesse non desinam: quod ni pro quadam adjuratione suscipio, tamquam si reputent meam ibi præsentiam opportunam. Festino igitur gressus ad eam, et vestram ibi spero adesse præsentiam, ut filii vestri domini Henrici cum domino venerabili decretorum doctore vestro Wenceslao, quem et mei nomine advisetis, ut nomina absolutorum in ea commissione per dominum plebanum vel per eundem dominum Wenceslaum secum deferat. Confido etenim, quod ibidem, Domino concedente, nostram conscientiam pro fidei veritate et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientia debita sufficientissime
C declarabimus, veniat aut non perfidissimus Rokyczana, quem ad hunc locum dietæ strictissime advocavi
c *c*. Nuntii festinantia silentio prætereo, quæ fratri Nicolao de Grezereginæ Vicario ministeriali Bohemiæ V. M. intimanda commisi. Valeat V. M. feliciter ad gaudia sempiterna. Ex Ponte regni Bohemiæ 1452 die 7 Junii festinanter. Vestræ M. D. inutilis servulus et orator Frater Johannes de Capistrano ordinis minorum manu propria me subscripsi. *A tergo.* Magnifico et excellenti domino, domino de Rosis, etc.

ANNOTATA.

a *Conjicio, Sanctum hic agere de motibus Hungaricis et Bohemicis : volebant nempe hæ gentes suum habere regem, quem imperator Fridericus reddere recusabat. Quapropter Hungari et Bohemi armis negotium transigendum censuerunt; et Civitatem Novam, præcipuam post Viennam urbem, obsidione cinxerunt. Unde* D *factum est, ut dein imperator juvenem Ladislaum, Hungariæ et Bohemiæ regem, confœderatis, inter quos eminebat Henricus Rosembergius, Udalrici filius, reddere coactus fuerit. Bellum brevibus verbis explicat Dubravius in sua Historia Bohemica lib.* XXVIII (1).

b *Festum sanctorum Viti et Modesti celebratur* XV *Junii : habemus porro ex Christophoro biographo num.* 150, de Ponte vocatum fuisse per dominum Nicolaum de Cusa, cardinalem S. Petri ad Vincula et legatum apostolicum ad dietam, quæ tenebatur Ratisbonæ cum Bohemis. *Festinus, itinere intra septem dies confecto, Ratisbonam advenisse videtur die* XXI *Junii, quandoquidem die* XXII *ejusdem mensis referuntur miracula ibidem patrata : permansit autem Ratisbonæ ad* IV *Julii, ut loquitur laudatus biographus. Cæterum conventus iste Ratisbonensis parum contulit ad pacem conciliandam cum Bohemis. Nam cardinalis Nicolaus Cusanus, legatus apostolicus, epistola data* XXVII *Junii* 1452 *Ratisbona ad Bohemos* (2), *docet eos debere omnimodam obedientiam præstare Ecclesiæ Romanæ* pure et simpliciter absque pacto E et conditione : *dein Compactata in se quidem* hæresim non continere; *sed dicit, ab omnibus* constanter negatur, in eis talia concedi, quæ Bohemis falso suggeruntur.

c *In Commentario prævio numm.* 211 *et seqq. monstravimus, S.* Capistranum *sedulo quæsivisse colloquium cum Rockyczana, sed non convenisse de loco, utrique parti tuto : quapropter Sanctus cupit, adversarium suum adesse comitiis Ratisbonensibus, pro concordia Bohemorum convocatis : absente enim capite Hussitarum, nihil stabile constitui poterat.*

Epistola V. 5 IHC. Magnifice et excellens domine domine ac benefactor et præceptor mi singularissime, humillima commendatione præmissa, gratiam salutarem et pacem in Domino sempiternam, cum omni officio obsequendi. Nullo dicendi genere consequi possem, quanto gaudio, quantaque lætitia fuerim hisce diebus affectus, audito, cum pacifico imperatoriæ majestatis consensu, felici adventu serenissimi regis Ladislai ad suam inclytam civitatem Viennensem *a*, uti vestra et mea desideria non *a* parum expostulabant, quemadmodum ipsi imperatoriæ majestati meis litteris superioribus diebus significaveram: quæ res tum mirificos fructus toti Ecclesiæ sanctæ Dei et populo ipsi christiano sit verisimiliter paritura. Nemo boni avidus est, qui huic tantæ novitati non debeat vehementer congratulari. Ego enim, ut per me dicam, ita lætor, gaudeo et exulto, ut nesciam, quid gratius, quidve jucundius hoc tempore facile mihi potuisset afferri; quandoquidem ea firmissima mihi spes est, eum divinitus nobis datum, ut liberet populum suum, in umbra mortis sedentem, quorum multi satanæ faucibus quotidie præda fuerint; revocetque devios ad unitatem christianæ religionis, a qua jam tot, abjecto obedientiæ jugo, miserabiliter discessere: ut plorandum sit tantarum animarum jacturam, illarum præsertim dico, quæ in medio nostri pereunt, hæretica labe fœdatæ, pro quarum salute consequenda, quia honor et regis et

(1) Rer. Bohem. Scriptt. pag. 234. — (2) Goldast. De regno Bohem. Append. col. 139.

vester

A vester agitur, aliqua ad vestram magnificam dominationem scribenda necessario censui, maxime cum didicerim veridica relatione celebrandam esse dietam Viennensem in die
b Martini *b* in qua et vestra M. D. causæ fidei, ni fallor, cum Bohemis agendæ, maximo adjumento maximoque præsidio adesse poterint, si voluerint. Voluerint quidem, dum ad eam rem tantum incitatum vos esse intelligam, ut nulla commendatione, sed sola recordatione indigeatis, quam, pro singulari vestra in me benevolentia, scio, non parvifacietis, si tamquam christianissimus dominus, ut hactenus semper cum summa laude fuistis, rei Bohemorum gravitatem diligenti studio pensare volueritis. Dubitabat enim M. D. regiam majestatem accepturam Bohemos ad suam obedientiam, aut nullam de fide mentionem facturam, aut quascumque voluerint pollicitationes præmissuram, quemadmodum miserabilis
c mundus agere consuevit *c*; non cogitans, quæ Dei sunt, sed quæ ad suum solum statum pertinere videantur. Primum quidem summopere laudo et approbo, ut, adepta illorum obedientia,
B causam fidei majori facilitate deinde componere queat. Secundum evangelium nemo verus christianus est, qui non damnet: nam si regia majestas illis, sibi obedientiam præstantibus, pollicita fuerit, numquam eos de fide molestare, neque molestari permittere, quæ spes de illorum reductione amplius excogitanda est? qui jam per 40 annos, non armis, non palpabilibus argumentis, non doctorum clarissimis sententiis, non divinarum rerum magnitudine flecti umquam potuerint, sed ad excusandas excusationes in punctis totum eorum studium contulerunt. Quis illos amplius humiliabit, qui suam causam regis armis tuebuntur et protegent? Equidem, si id factum fuerit, quod Deus avertat, non solum ad fidelium unitatem non redibunt, sed multos catholicos ex regio dominio ad eorum sectam suis diabolicis suggestionibus adducent, sacræ regiæ majestati, et vobis omnibus maculam magnam et notam ascripturi: loquor enim tamquam fidelis servus, adulatione uti nesciens, cum domino suo. Siqui-
C dem causam fidei in pectore maximi pontificis non dimiseritis, spondentes, quidquid illi petierint, gloriam et splendorem vestrum non parum denigrabitis, Deum ipsum Omnipotentem gravissime offensuri, tantumque dedecoris et infamiæ vobis vestra sponte allaturi, quantum M. D. vestra, quæ semper summa cum laude et christianæ religionis observantia vixit, numquam passa est: ut de statu domini regis in Bohemia nihil dicam, qui pro eorum infidelitate, absque ecclesiastica obedientia fundatus erit in arena. Cogitate igitur diligenter et maturo consilio vobis consulite. Non mundialis gloria vos moveat, ut cœlestem et perpetuam perdatis; non corpora lucremini hominum, ut eorum animarum perditionis causa sitis; non spe incerta seducamini, ut mala faciatis, ut eveniant bona, qui error erit pejor priore: sed offerentibus illis obedientiam regiæ majestati, ita acceptetis, ut nihil, quod ad fidem pertinere videatur, promittatis; quia si digitus illis ostendatur, totam manum suscipiunt, unico verbo millena addentes: quandoquidem ea se jactent a sancta sede apostolica obtinuisse, quæ D
numquam adepti sunt, allegantes Compactata, quæ numquam observarunt *d*; quo fit, ut *d*
nulla secum pactionis fœdera sint amplius componenda, sed si fideles haberi et reputari volunt, pure, et simpliciter obedientiæ sacrosanctæ romanæ Ecclesiæ colla submittant, cum sciat ipsa alma mater Ecclesia, quibus alimentis sui debeant nutriri filii. Si quidem de fide omnino tractare voluerint, sacra regia majestas ad maximum Pontificem, cui fidei causa spectat, illos remittat, in nullo verbo se obligatura, non tamquam medium inter utrasque partes componendæ unionis: ut de cetero, si in eorum antiqua obstinatione persistere voluerint, illorum reductio, evaginato gladio, merito aggredi possit ad ultionem hostium Ecclesiæ sanctæ Dei: cujus tutelam, si sua majestas, sicuti sui clarissimi majores, omni laude dignissimi, effecerit, magno et intrepido animo susceperit, quemadmodum eamdem facturam procul dubio speramus, non solum florentissimam illorum gloriam resuscitabit, sed eorum laudi et famæ ma-
E gnum addet splendorem, acquiretque sibi et posteris nomen æternum et immortale. Vestra autem M. D. si eam operam, quam peto et expostulo summam, Bohemorum consequendæ saluti dederit, tantum laudis et decoris est adeptura, ut nullis sæculis sit ea amplius caritura; quamobrem, si quid preces meæ valere potuerunt apud V. M. D. eamdem, omni instantia, qua valeo, rogo et obsecro, obtestorque in Domino, ut causam fidei, tamquam rem vestram, imo plus quam vestram, summo studio summaque diligentia commendatissimam suscipere velit, quodque ut faciatis, etiam atque etiam supplex quæso. Plura in hujusmodi re scribenda forent, quæ hoc in loco silentio prætereo, sed ea omnia a fratre Petro de Sopronio, harum ostensore *e* socio- *e*
que meo fidelissimo vestræ M. D. explicabuntur, cui rogo, ut * mihi ipsi fidem indubiam * *adde*: tamin omnibus et singulis meo nomine exponen- quam
dis adhibere velitis. Commendans me semper vestræ M. D., cui si quid carum, si quid gratum, si quid acceptum mea pusillitas efficere potest, illud omne debitum polliceor, F
munus mearum * quam libenter offerens. Valeat * *adde*: precum
M. D. vestra, quam Christus sempiterno dignetur tueri, et me, tamquam fidelissimo mancipio, vestro utimini arbitratu. Ex civitate Magdeburgensi *f* 15 Octobris, 1452. V. M. D. inutilis *f*
servus licet orator fidelissimus Frater Joannes de Capistrano manu propria me subscripsi. *A tergo*. Magnificis et excellentibus dominis, domino Ulrico de Rosenberg ac Henrico ejus filio, suis benefactoribus et præceptoribus colendissimis.

ANNOTATA.

a *Ladislaus Posthumus, quarto fere mense post obitum patris Alberti II imperatoris natus, jure hereditario regna Hungariæ et Bohemiæ obtinuit. Ad annum usque ætatis duodecimum sub tutela Friderici imperatoris latuit, quando Hungari et Bohemi regem suum repetierunt. Tergiversabatur Fridericus; sed tandem armis coactus, regem adolescentulum die* IV *Septembris* 1452 *commisit tutelæ Ulrici, comitis Ciliæ, puero*

A *puero avunculi* (1): *eo tamen pacto, ut Ladislaus* extra Viennam commoraretur, ut privatus (2). *Sed Ulricus,* ut erat, *inquit Æneas in Historia Friderici,* fidei parum tenax, Viennam cum puero perrexit, et ibi rex in morem triumphantis exceptus fuit *ingenti omnium exsultatione* (3). *De hoc, credo, adventu agit S.* Capistranus, *et ipse gratulatus istiusmodi initia, quæ tamen Æneæ Silvio aliisque probata minime fuerunt.*

b *Viennam ad comitia convenerunt tum principes tum oratores, ut docet nos Æneas supra laudatus, ad diem S. Martini seu* XI *Novembris* 1452 (4).

c *Coronandus rex Ladislaus juramento, quod legere est apud Goldastum Commentario de regno Bohemiæ* (5), *promisit statui ecclesiastico et sæculari ac populo universo servata velle* jura, libertates, præscriptiones, privilegia et consuetudines. *Quibus ex verbis deducebant Hussitarum fautores, etiam suæ hæresi favorem a rege esse impendendum. Id timuit* Capistranus, *neque temere: nam vix coronam cinxerat*
B *Ladislaus, quum eum admonuit Podjebradius promissorum* quorum, *ait Dubravius in sua Historia Bohemica* (6), non ultimum erat, de corroborando Rokyczani archiepiscopatu, *seu de imponendo sedi Pragensi Hussitarum antesignano.*

d *De Compactatis egimus in Commentario prævio numm.* 219 *et sqq.*

e *De Petro de Sopronio mentio facta est supra Commentarii prævii num.* 7.

f *In finibus Magdeburgensibus versatum fuisse mense Octobri S. Capistranum habemus ex biographo Christophoro num.* 157.

Epistola VI. 6 IHC. Magnifice et excellens domine, domine benefactorque mi singularissime, humili commendatione præmissa, gratiam salutarem et pacem in Domino sempiternam ac illud desiderare in terris, quod placeat in excelsis *a!* Dum præclara hactenus vestra gesta
a mente revolvo, quorum apud omnes catholicos solemnis celebratur memoria, mecum ipse plango, lacrymarum cordis non valens extinguere rivulum. Quis vestrum honorem diligens lacrymarum fontem non emittet? Quis a
C lamento potuit cessare permagno? Quis vestram audiens infelicitatem a suspiriis facile cessabit et gemitibus? O detestabilem pollicitationem! O facinus incredibile! O consilium sathanicum! Dominus et baro, natura generosus, homini vili et hæretico se submisit sua sponte, nemine cogente. Vir famosissimus homini infami factus est subditus; murus quondam catholicæ fidei hæreticorum tutelam suscepit, pater tantorum nobilissimorum filiorum, scutus invictus, timuit, ubi non fuit timor. O nomen præclarissimum constantissimæ domus de Rosenberg! quis te ad tantam evexit lucem? Nonne Deus? Numquid vobis, magnifice senior, semper summo præsidio et adjumento non adfuit divina majestas? Nonne vestræ senectuti sapientissimos dedit filios, qui vestros labores sufferrent, gubernarent regerentque dominium vestrum, protegerentque illud a faucibus draconis? Cur igitur absque vestrorum consilio filiorum confœderationem iniistis cum hæreticis, quos semper summo odio habuistis, quorum adhærentes falsos D
catholicos appellabatis, quorum caput famulum vestrum dignum non esse, exclamastis? O magnifice domine! quantam infamiam vobis adscripsistis, quantam inimicis vestris victoriam et lætitiam dedistis, quantumque decus a vestra domo abstulistis! Ubi antiqua illa gloria, quam per quadraginta annos cum tantis laboribus, vigiliis, sumptibus, sudoribus vestrum et vestrorum sanguinem effundendo, adeptus fuistis? Ubi laus, ubi honor, ubi splendor, ubi magnum nomen, ubi meritorum magnitudo apud Deum reservatorum? Omnia uno in puncto vano quodam timore periere et sepulta sunt. Prope erat filius vester magnificus Henricus, qui summa cum victoria vos liberasset, nec vis aliqua rationabilis vos cogebat. Jam victoria vobis parata erat, credite mihi! regem obtinueratis, finem hæresibus facile imponebatis, si confœderationem cum hæreticis non iniissetis, quæ nullo modo honeste fieri potuit. Dicat quis * velit: non vos ** adde* quod
ulla promissio adstringit, quin imo si centum millia sigillorum apposuissetis, vobis non E
licet observare, sed itaque de veritate declaratus debetis revocare, quod fecistis et promisistis, cum scriptum sit : « In malis promissis scinde fidem, in turpi voto muta decretum. » Sapientis est enim mutare consilium de malo in bonum, et de bono in melius. Si itaque rectam sapientiam imitari volueritis, dividite vos ab eis; sequimini vestigia christianorum. Nullum tibi erit dedecus, sed sempiterna laus, sempiternusque honor. Ecce omnes principes et civitates, totaque Alemania vos in ore habent dicentes : Cecidit prostrataque est gloria domus de Rosenberg absque ictu. Ast sola spes in vestris generosissimis filiis remansit, et quam maxime in magnifico domino Henrico, qui magnum apud omnes sibi vindicat nomen propter victoriam, quam de serenissimo rege Ladislao reportavit. Vestris enim filiis adhærere debetis relinquentes omnem confœderationem hæreticorum, cum nulla haberi possit quævis ficta aut palliata excusatio; et si totus mundus vellet se damnari, vos vestram salutem negligere
non debetis. Multas habetis excusationes san- F
ctissimas, quibus ab illorum liga discedere potestis. Primo quidem cum sitis declaratus de veritate, itaque litterarum ignarus : secundo, quod de dominio, jure ipso impedire vos non debetis propterea, quod illud in manibus filiorum renuntiastis, etiam me præsente *b:* tertio, quia cum rebellibus Ecclesiæ *b*
non licet fœdera inire: quarto, quia vos non debetis esse fautor hæreticorum: quinto, quia infamis essetis: sexto, quia illicita promissio non debet observari: septimo, quia dux ab omnibus catholicis reputabimini: octavo, quia non vultis esse excommunicatus: nono, quia vestrum catholicum et gloriosum nomen non vultis perdere: decimo, quia animam vestram non vultis tradere gehennæ, sed cœlo. Et sic cum his et multis aliis excusationibus ab illis vos dividere poteritis, etiamsi millia sigillorum appensa forent. Melius est, ut a paucis hæreticis maledicamini, quam a toto christianorum cœtu. Imo hoc

(1) Æn. Silvii. Hist. Frid. III, pag. 393. Analect. Vindobon. Kollarii. — (2) Dubravii. Hist. Bohem. lib. XXVIII, pag. 235. — (3) Pag. 396. — (4) Pag. 407. — (5) Tom. II, pag. 291. — (6) Lib. XXIX, pag. 237.

erit

A erit præclara laus vobis numquam defutura, ut exosus et inimicus dicamini hæreticorum: turpe est, ab illis laudari, vituperari autem honestum. Longior fiam, si omnia, quæ ad scribendum sese offeruntur, in hujusmodi re perscribere vellem. Finem itaque dicendi faciam commendans vobis honorem vestrum et animam vestram, rogansque, ut verba mea ex charitate, qua dicuntur, suscipiatis, is enim sum, qui adulatione uti nescio. Loquor tamquam servus fidelis cum domino suo. Vos autem, si vestrum honorem vestramque salutem amatis, is eritis, quales hactenus fuistis, murus scilicet sanctæ fidei catholicæ, et invictus scutus evectorque bonorum et corrector male factorum. Quod si summa cum diligentia feceritis, honorem vestrum recuperabitis, catholicis omnibus magnum afferetis gaudium, adversariis mœstitiam et dolorem augebitis, Deo rem charam et acceptissimam, mihi quoque vestro laudatori apud omnem populum nihil jucundius, nihilque gratius efficere poteritis, ut, qui vestras laudes sum in meis prædicationibus et litteris ubique persecutus, B mendax non judicer, sed verus laudator inveniar apud omnes. Hæc pauca festina manu incorrupte scripsisse volui, ut cognoscatis, me non esse vestri immemorem effectum. Litteras permagnas superioribus diebus ad vos misi per fratrem Petrum, quem ad Viennensem dietam transmisi cum fasce litterarum ad omnes potiores Ungariæ, Moraviæ et Austriæ, nec non ad regem, imperatorem et c suum germanum *c*. Ex litteris illis intelligere poteritis, quid mihi videatur esse faciendum a rege cum Bohemis. Ego admonitus per fratrem Gabrielem ad dietam illam accedere supersedi, cum didicerim, filium vestrum Henricum dixisse, non esse bonum, ut ad illam proficiscerer, quia Georgius, vocatus a rege, audiens me ibi adesse, venire recusabit. Si tamen me advocaverint, labores non recusabo. Interea hic evangelizabo, demum ad d illas sex civitates me transferam *d*. At si illos cives invenero timidos, ut nolint, ut puram Christi veritatem evangelizem, ad civitatem Vratislaviensem proficiscar. Valete in Do- C mino, et scribite aliquid, quod dolorem meum mitiget, quodque, ut faciatis etiam atque etiam obsecro. Ex civitate Lipciensi ipsa die e Ursulæ *e* 1452. V. M. D. inutilis servus licet fidelissimus orator, Frater Joannes de Capistrano manu propria me subscripsi. *A tergo.* Magnifico et excellenti domino domino Ulrico de Rosenberg, suo fautori et præceptori colendissimo.

ANNOTATA.

a *Expostulat S.* Capistranus *hac epistola cum Udalrico de Rosis seu de Rosemberg, quasi defecisset ab antiqua gloria et factioni hæreticæ adhæsisset. Expostulationis tamen fundamentum non plane liquet. Id scimus, Udalricum Rosembergium, teste Ænea Sylvio in sua Historia Bohemica cap.* LVII (1), *fuisse* hominem semper se tempori accommodantem : *proin fieri potest, ut comitiis regni, Pragæ initio mensis Maji* 1452 *celebratis, interfuerit, in quibus, ait Bohuslaus Balbinus in sua Epitome Rerum* D *Bohemicarum lib.* V, *cap.* III (2) octoginta barones, equites nonnulli ac civitates Georgium Podjebradium, gubernatorem regni jam ante constitutum, rursus ad annos duos proximos confirmant. *Si vero Rosembergius, jam ante missus, ut, excluso Ladislao Posthumo, sceptrum Bohemicum Alberto I, Bavariæ duci, offerret* (3), *Georgio gubernatori, Hussitarum fautori, adhæserit, facile cernitur, qua ex causa* S. Capistranus *acrem ad Udalricum Rosembergicum, hactenus rei catholicæ cum universa familia sua vindicem, dederit. Tandem exprobrat forsan vir sanctus Udalrico, quod consenserit quibusdam promissionibus, rei catholicæ instaurandæ minime faventibus, ut dictum fuit in Annotato* c *epistolæ superioris.*

b *Id etiam testatur Balbinus noster in sua Epitome Bohemica ex mss. duobus Rosensibus,* S. Capistranum id effecisse, *ut Udalricus* quietis ac pietatis studio *sese totum* daret : quare pater (*Udalricus*), vocatis tribus filiis, præsente B. Capistrano XIII Novembris 1451 valedixit curis omnibus, et gubernationem domus E Henrico, majori natu filio, commendavit (4). *Atque hinc concludit vir sanctus Udalricum non habuisse, ut vulgo dicitur, qualitatem, ut adhuc rempublicam capesseret; adeoque sua se sententia non obligari, proindeque esse revocandam.*

c *Is erat Albertus, dictus Prodigus, qui fratri suo, Friderico III imperatori, molestias multiplices facessivit* (5). *Obiit quadragenario major anno* 1463, *fundata, non tam suis quam fratris imperatoris sumptibus, academia Friburgensi in Brisgovia.*

d *Ex biographo Christophoro habemus, num.* 158, *Sanctum Lipsiæ* mansisse longo tempore, *scilicet a medio mense Septembri usque ad medium Novembrem. Quæ porro sint sex illæ civitates, quo se conferre vult, non dicam : id tamen certum,* XXII *Novembris* 1452 *visitasse varia oppida, quæ Christophorus nominat num* 160 : *Wratislaviam demum appulit ultima die carnisprivii, seu* XIV *Februarii* 1453, *ut notat Christophorus num.* 161.

e *Dies S. Ursulæ est* XXI *Octobris.*

7 IHC. Magnifice et excellens domine, do- *Epistola VII.*
mine benefactorque mi singularissime! Hu- F
millima commendatione præmissa, gratiam salutarem et pacem in Domino sempiternam. Hac hora redditæ sunt mihi litteræ vestræ ex Praga ; ex quarum lectione intellexi aut vos non esse bene informatum ab his, qui dicunt me accedere debere Viennam ad dietam Martini, aut nuntii, litteras regis nostri Ladislai serenissimi deferentes, nondum ad me pervenerunt *a*. Non vocatus, non accedam, vocatus, *a*
laborem non recusabo. Misi litteras summa cum copia ad omnes a maximo usque ad minimum misique et fratrem Petrum socium meum *b*, qui meas etiam ad vos longas litte- *b*
ras detulit, ex quibus facile intelligere potuistis, quid facto opus sit. Post hoc audito acerbo novo, quod per totam jam Alamaniam de vobis refertur, statim etiam longas ad vos litteras dare non distuli, molestiam animi mei exponens *c*, non propter me, sed propter *c*
gloriam nominis vestri, quæ satis apud omnes catholicos declinavit. Moderna nova, quæ

(1) Freher. Bohemic. Rer. Scriptt. pag. 178. — (2) Pag. 307 et seq. — (3) Freher. pag. 178. — (4) Pag. 507. — (5) Krafft. Hist. gén. de la mais. d'Autr. tom. I, pag. 190 et seq.

apud

A apud vos geruntur, et quæ dicitis non esse calamo exaranda, linguis omnium mihi quotidie nota fiunt; si quæ forte latent optarem de illis certior fieri, ut perspicerem, quid veritatis aut mendacii habeant, quod homines loquuntur. Jam superioribus litteris satis meam cordis afflictionem vobis aperui, qui
d nescio vobiscum palpitare *d*. Expecto enim consolari; sed consolatio non in terris reperitur vera, sed eam expectabo a Salvatore nostro Domino Jesu Christo, cujus ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam et congregabit triticum suum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Si in dieta Viennensi aderitis, tum obsecro, ut honorem vestrum recuperetis: quem facile assequemini, si mea superiora consilia, et quidem a fidelissimo et servitore et amico vestro profecta, non parvi facietis. Valeat magnificentia vestra ad gaudia sempiterna, fidelibus promissa ab eo, qui decipi non potest, quique summa veritas est. Ex Lipzk ipso die dominico post festum Omnium
e Sanctorum *e*, 1452. Vræ M. D. Fidelis servulus et orator Frater Joannes de Capistrano manu propria me subscripsi. *A tergo:* Magnifico et excellenti domino domino Ulricho de Rosenberg, etc., suo benefactori et præceptori colendissimo.

fautor noster præcipue! Humilem commen- D
dationem cum promptitudine obsequendi! Gaudio non parvo me replevit magnificus germanus vester, dominus Henricus, qui mihi retulit assumptionem vestram in præsulatum Vratislaviensem. Quæ res ut vobis sempiternæ laudi et gloriæ cedat, exopto. Nec dubito, cum Deus ita disposuit, ut hunc primum gradum haberetis, et ab hoc ad altiorem ascenderetis. Non dedignemini hoc beneficium Dei sumere, ut videamini non subterfugere dispositionem Dei; et quod gratum est omnibus vestris, tam regi quam ceteris, non renuatis, vos majorum vestrorum consilio semper innitamini. Postquam res ordine processerit, omnes præstare se poterunt ad temporis opportunitatem. Ibitis de virtute in virtutem. Meo quidem consilio non recusetis, quod Deus decernat, ut ad majora ex parvis vos dispositum comperiat. Spero, vos fidei nostræ magno additamento fore, et præstet divina bonitas *a*. *a*
Valeat R. P. vestra ad majora longissimo ævo. Ex Buda, ipsa die resurrectionis, 1456 *b*. R. V. *b*
P. servitor et orator fidelis frater Johannes de E
Capistrano, manu propria me subscripsi. *A tergo*. Reverendo in Christo patri et Domino domino Jodocho de Rosis, electo Vratislaviensi dignissimo commendatori, suo domino ac fautori præcipuo.

ANNOTATA.

a *Conventus Viennensis celebratus quidem fuit* (1), *præsentibus summis viris, quorum nomina ab Ænea Silvio in Historia Friderici III recensentur* (2): *abfuit autem S.* Capistranus, *qui toto fere mense Novembri istius anni in Saxonia versatus est, ut docet nos Christophorus biographus num.* 156 *et seq. Insonuerat forsan auribus ejus vox consiliariorum Cæsarianorum:* « *Qui se tractatibus non vocatus ingerit, aut stultus est, aut proditor* (3). »

b *Petrus nempe de Sopronio, de quo actum fuit Commentarii prævii num.* 7.

c *In memoriam Udalrici Rosembergii revocat præcedentem epistolam, datam* XXI *Octobris, eamque severis quibusdam verbis confirmat.*

C d Palpitare *idem hic loci ac* palpare, blandiri: *deest hic significatus in Glossario Cangii.*

e *Dies dominicus post festum Omnium Sanctorum anno* 1542 *erat dies* V *Novembris.*

Epistola VIII. 8 Reverende in Christo pater et domine,

(1) Fessler. Geschicte der Ungern. tom. IV, pag. 744. — (2) Kollar. Anal. Vindobon. tom. II, col. 437. — (3) Ibid. col. 410. —(4) Tom. II, pag. 116. — (5) Sommersberg. Siles Rer. Scriptt. tom. I, pag. 67.

ANNOTATA.

a *Spes de se a S.* Capistrano *conceptas non undequaque implevit Judocus, episcopus Wratislaviensis. Nam, ut habet Nic. Henel in sua Silesiographia renovata cap.* VIII (4) : Vir erat, ut corpore vasto et opimo, sic eloquentiæ, doctrinæ ac prudentiæ singularis, animi magni et liberalis, ac cætera quoque omni laude dignus; excepto quod crapulæ ac varietati eduliorum, quæ saccharo plerumque condienda curavit, intemperantius aliquando esset deditus... Postquam Georgium *Podjebradium* a Romana Ecclesia penitus descivisse, et Hussitarum religionem publice professum, comperit, tam consilia quam arma sua impavido pectore contra illum expedivit. *Electus die* VIII *Martii* 1456, *vivere desiit Nissæ die* XII F
Decembris 1467 (5).

b *Anno* 1456, *quo epistola scripta fuit, dies Resurrectionis seu Pascha incidebat in diem* XXVIII *Martii.*

A D

DE B. JULIANA DE BUSTO ARSITIO,

SORORE CONVERSA ABBATIÆ S. MARIÆ DE MONTE SUPRA VARESIUM IN PRISTINO DUCATU MEDIOLANENSI,

COMMENTARIUS HISTORICUS.

V. D. B

§ I. Cultus B. Julianæ; fontes historici; ortus; virginitatis propositum; persecutiones in domo paterna toleratæ; accessus ad Sacrum Montem.

ANNO MDI. *Promissa olim est ad hanc diem B.* Julianæ *Vita, quæ nunc die* 14 *Augusti colitur,*

Papebrochius ad diem sextam Aprilis quum B. Catharinæ Palantinæ, fundatricis monasterii S. Mariæ de Monte, sanctissimam Vitam illustraret, ubi venit ad eam partem quæ est de beatis sociabus B. Catharinæ, hæc ad locum, quo B. Julianæ *sepultura explicatur, annotavit* (1): Quomodo idem corpus anno 1650, 23 Octobris translatum solemnissime sit in alium locum, ubi posset etiam ab externis conspici et honorari, exindeque decretum ut, quoniam dies obitus festo Assumptæ Virginis impediatur, deinceps quarta dominica Octobris B. Julianæ sacra esset, dicemus ad dictam 23, quando de hac translatione agetur. *Horum itaque promissorum fides hoc volumine ad præsentem diem solvenda est; licet nunc beatæ virginis festum, ex quo tempore Clemens papa XIV ejus probavit cultum, die* 14 *Augusti agatur. Ad hanc porro diem in Supplemento Martyrologii Romani pro Eremitis S. Augustini, ex quo ordine erat pientissima monialis, hæc leguntur :* In monasterio sanctæ Mariæ Sacri Montis supra Varisium beatæ Julianæ a Busto Arsitio virginis ordinis nostri, invicta animi fortitudine, admirabili patientia et assidua cælestium contemplatione celebris.

et de cujus rebus gestis egerunt complures.

2 *Quum per decretum de die* 26 *Augusti anni* 1758 *coram sacra Congregatione Rituum introducta est causa confirmationis cultus B.* Julianæ *ejusque magistræ B. Catharinæ Palantinæ (utraque enim causa ad finem usque eamdem tenuit viam), pro more confectus est brevis commentarius de vita et cultu utriusque virginis : eo destitutos nos esse in limine confitemur; verum alia præsto nobis sunt documenta quibus hanc lacunam implere possumus. Habemus enim imprimis lectiones* II *Nocturni, in ejus festo recitandas ex decreto S. R. Congregationis : unde sine negotio colligere licet quæ in illo commentario explicata fuerint. Deinde Vitam ejusdem beatæ virginis tenemus, quam Petrus Augustinus Crespi, canonicus curatus ecclesiæ collegiatæ S. Joannis Baptistæ de Busto Arsitio collegit ex mss. codicibus Benedictæ Biumæ seu Bimiæ, primæ post fundatricem abbatissæ, et aliquandiu B.* Julianæ *præfectæ. Neque hæc solum scripta, quæ de manu coævæ et oculatæ testis sunt, adhibuit; verum alia etiam plura bonæ notæ. Quæ inter primo loco venit Historia originis B. Mariæ Virginis de Monte supra Varesium, quam anno* 1594 *typis Mediolanensibus* E *edidit Paulus Moriggia, fatiscentis Jesuatarum ordinis præclara columna, vir pietati natus ac literis; secundo loco occurrit ejusdem Sanctuarium civitatis et diœcesis Mediolanensis, in quo descripta sunt omnia corpora sancta et reliquiæ sacræ, quæ in ecclesiis dictæ civitatis conservantur; tertio loco obvium est ejusdem Summarium rerum mirabilium civitatis Mediolanensis, anno* 1602 *et* 1609 *typis expressum* (2); *quarto loco citatur ibidem Petri Antonii Crespii Castoldi, sacerdotis Mediolanensis, ex oppido Busto Arsitio oriundi, Insubria, in qua ea, quæ ab nascente Mediolani urbe usque ad annum* 1614 *in tota Gallia Cisalpina ac nonnullis aliis orbis partibus gesta sunt et quæ varii scripsere aut sparsis monumentis tradidere scriptores, in unum collecta referuntur; et quinto ejusdem Historia burgi Busti Arsitii; quæ ambæ scriptiones nondum videre lumen* (3). *Atque his tribus scriptis et Benedictæ Bimiæ commentariis ita non usus est Petrus Augustinus Crespius, ut hinc concinnam narrationem componeret; sed modo qualicumque ea inter se colligavit, verbotenus eadem recitans. Ipsum titulum ad imum marginem damus* (4). *Habemus demum in Historia Montis Varesii seu Vita B. Catharinæ de Palantia, quam ex italico Tettamantii* (5) *latinam fecit Papebrochius, brevem ipsius B.* Julianæ *Vitam. Alia pro re nata indicabimus.* F

Ejus Vitam prima scripsit ven. Bimia, ejus priorissa, cujus laudes breviter enarrantur.

3 *Quum autem Benedictæ Bimiæ commentarii fons fuerit, ex quo reliqua scripta tamquam totidem rivuli dimanarunt, operæ pretium fuerit hoc loco exhibere quæ de hac virgine perhibet Philippus Argelatius* (6) : In suburbio, *inquit,* oppidi Varisii, cui nomen Bimium Superius, orta est Aloysio Bimio patre Benedicta; quæ in ipso juventutis flore mundi oblectamenta despiciens, licet a nobilissimis adolescentibus ad nuptias expeteretur, clam parentibus ad Montem, Varisio imminentem, ubi Deiparæ Virgini dicatum templum magno populorum undique confluentium con-

(1) Acta SS. tom. I Aprilis, pag. 650 — (2) Argelati, Biblioth. Scriptt. Mediol. tom. II, col. 966 et seq. Cfr Pet. Aug. Crespi, pag. 33. — (3) Argelati, Op. cit. col. 502; cfr Pet. Aug. Crespi, pag. 34, 35 et passim. — (4) Vita della B. Giuliana da Busto Arsitio, vergine e monaca nel famoso monastero di S. Maria del Monte posto sopra Varese; cavata da manuscritti della vener. Benedetta Biuma, prima abbadessa doppo la beata Caterina, fondatrice di detto monastero, e da attri auttori degni di fede; scritta da Pietro Agostino Crespi, canonico curato della colleg. di S. Gio. Battista di detto Busto Arsitio. In Milano, per Dionisio Gariboldi, 1667. — (5) Historia del Sacro Monte sopra Varese, Milano, 1644. — (6) Bibliotheca scriptorum Mediolanensium, tom. II, col. 162.

AUCTORE V. D. B.

cursu frequentatur, secedens, beatis virginibus Catharinæ et Julianæ, ibidem Domino famulantibus, comitem se adjunxit, nihil verita saxorum et specus horrorem; in quo annos integros quinque cælestem potius quam mortalem vitam traduxit. Inde anno 1476 egressa, die 10 Augusti monasterium, in eo monte constructum, adiit, ibique sacro suscepto habitu, paulo post antistita communibus suffragiis constituitur. In eo munere mirum qua vigilantia creditas Christi sponsas custodierit, quibus curis cœnobii census auxerit, quibusque novis molitionibus ædes sacras ampliaverit. Cum autem plurimum eloquentia valeret, non solum monialibus, sed et laicis hominibus cælestibus monitis vitæ præcepta sæpe tradere consueverat. Eam quoad viveret Leo X pontifex maximus monasterii præfecturam tenere jussit, diplomate dato Romæ die 17 Martii 1513. Meritis tandem atque præclare gestis illustris, migravit in cælum die 19 Januarii 1519. Scripsit *La Vita della B. Giuliana monaca nel monistero di Sancta Maria sopra il Monte presso Varese*. Eam manuscriptam esse
B in Ambrosiana testatur Picinellus in Athenæo, pag. 78. Illam tamen ego non vidi. *Hactenus Argelatius. Quantam autem fidem mereatur Bimia ex hoc uno capite colligi potest. Confitetur scilicet ipsamet se triginta annos B.* Julianæ *fuisse sociam, diu in ejus dormivisse cella et multorum ejus arcanorum, quæ latebant alios, fuisse consciam; et dein protestatur se nihil dicturam, quod suis oculis non viderit, aut quod ex ipsiusmet non audiverit ore. Et certe mendacii suspecta esse nequit, quippe quæ tantopere suis virtutibus claruerit, ut a pluribus* beata *nuncupetur. Sed hæc sufficiant hoc loco : sponte sua de ea sæpius recurret infra sermo.*

Nascitur B. Juliana *anno 1427 ex ruricolis Cassinæ Pauperum prope Bustum Arsitium;*

4 *Porro beatam* Julianam *primum lucem vidisse anno* 1427 *consentiunt Moriggia et Petrus Antonius Crespius. Inter Bustum Majus seu Arsitium et Galeratam eam natam fuisse aperte tradit Bimia et Tettamantius; et quidem in mapalibus casisve, quas vulgo dein Cassinam Pauperum appellavere, addit Petrus Antonius Crespius. At Tettamantius, qui anno* 1655 *Historiam suam Montis Sacri edidit, monet alios*
C *fuisse qui eam Cassinæ Vergheranæ ortam esse sentirent. Disputavit sub idem tempus eadem de re Petrus Augustinus Crespius contenditque natalem ejus locum certissime priorem fuisse vicum seu Cassinam Pauperum quoniam inter Bustum Arsitium et Galeratam nullus alius tunc habitabatur; atque olim vicum hunc, Bustiensibus finibus contentum, ex tribus tantum constitisse casis; reliquas vero, quæ medio sæculo* XVII *cernebantur, recentiores esse, ut ex earum aspectu patebat. Hæc autem loca ad orientem hiemalem lacus Majoris sita sunt. Si enim Mediolano pergas ad sinum meridionalem istius lacus, priusquam Galeratam venias, transeundum tibi est per paræciam Castellantiam, vulgo* Castellanza; *unde si ad occasum sesquimilliarium deflectas, venis Bustum Arsitium* (1), *duodecim fere millibus incolarum nunc frequens et plura habens templa et oratoria; quæ inter ædes S. Bernardini in vico Cassinæ Pauperum* (2). *Inde orientem versus redeas oportet, ut per Castellantiæ viam itinere sex aut septem* D
milliariorum Galeratam attingas, oppidum plus quinquies mille hominum (3). *Quum ex dictis satis intellectum fuerit pauperes tantum agricolas in illo vico tunc temporis habitasse, dicendum non est B.* Julianæ *genus tenue fuisse et ignobile; cæterum aperte tradit Bimia* Julianæ *patrem rusticum fuisse. In brevi Sixti papæ* IV, *quod infra explicatius memorandum erit, dicitur* Juliana de Puresellis; *quod agnomen materni generis fuisse conjicit Petrus Augustinus Crespius; addens Petrum Antonium Crespium, qui ineunte sæculo* XVII *obiit, et alios senes sæpius affirmasse eam ex sanguine fuisse Bognoniorum, opulentæ olim inter Bustienses familiæ.*

quod virginitatis propositum violare nolit, multum patitur a parentibus; cogitat de adeundo Sacro Monte

5 *In paterna domo parum opis reperit B.* Juliana. *Pater enim, Tettamantii verbis utor,* filiam pridem assuetam delectari impense sacris frequentandis, divino verbo audiendo, Christique cruciatibus recolendis; assuetam etiam quadragesimas totas ducere in pane et aqua, interimque non minus quam alios domesticorum laborare; denique certam nullis
E mortalis sponsi nuptiis implicari; multimodis per totos decem annos exagitavit, ad hoc ut maritum consentiret admittere; quin immo aliquando in cubiculo clausam crudeliter in facie verberavit, unum illud satagens qua minis qua colaphis extorquere. *Hæc ad verbum fere desumpta sunt ex Bimiæ commentariis, nisi quod hæc, melior utique testis, dicat B.* Julianæ *pœnitentiam decem durasse annos, non autem patrem decem eam annos exagitasse; deinde non solum patrem in filiam fuisse crudelem, sed matrem etiam; quam aliquando, scilicet in cubiculo illo, octodecim colaphos ei impegisse : licet utrique parenti in iis omnibus, quæ salvis Dei juribus fieri poterant, semper ad parendum promptissima esset.* Post id certamen, *sic habet Petrus Augustinus Crespius, Bimiæ vestigia relegens,* in virginitate firmiter constituta et tota mente Christo sponso suo adhærens, omnigenarumque virtutum exercitium amplexa, omnium exemplar et speculum facta est. Dum domesticis occupationibus vacaret, mentem in Deo collectam servabat; et interdum ardentibus suspiriis rogabat Deum gra- F
tiam inveniendi securum habitaculum animæ suæ, in quo ei prorsus consecrata secure viveret. Sacer Mons ei maxime in votis et amoribus erat. *In eo enim jam a sæculo saltem decimo templum Deo consecratum exstabat, in quo ante hominum memoriam singulari veneratione colebatur atque etiamnum colitur B. Maria Virgo. Est tamen mons ille asper valde et sæculo* XV *erat fere inaccessus. Adjacet Varesio; ad quod oppidum ex Galerata itur via viginti circiter milliariorum, in septemtrionem vergente. Pyramidis formam habet, ita altus ut fastigium templi, ædificati in cacumine,* 662 *metris superius sit aquis lacus Majoris* (4). *Horridus tum erat ille locus adeoque vitæ solitariæ agendæ perquam opportunus.*

et interea asperrime vivit;

6 Audiverat autem B. Juliana, *sic pergit cum Bimia Crespius,* asperrimam illic pœnitentemque vitam ducere B. Catharinam. *Hæc autem, circa annum* 1437 *Palantiæ in diœcesi Novariensi nata, amissis parentibus et undecim*

(1) Guide de l'étranger dans la ville de Milan et dans le Milanais, tom. II, pag. 66. — (2) Milano sacro, 1855, pag. 166 et seqq. — (3) Ibid. pag. 95. — (4) Guide de l'étranger dans la ville de Milan et dans le Milanais, tom. II, pag. 223.

fratribus

A *fratribus et sororibus, prohibita monasterium Mediolani ingredi, die 24 Aprilis anni 1452, annos vix nata quindecim, Montem Sacrum conscenderat, ibique exstructo aut reparato suis manibus tuguriolo, ex Christi Domini patientis amore difficillimum vitæ genus auspicata erat. Quum de his itaque intellexisset aliquid B. Juliana,* noctu animo volvebat id genus solitariæ vitæ vere beatum esse, utpote expers mundi tribulationibus et securum portum animarum, salutis suæ procurandæ cupientium. Hanc beatitudinem ut consequeretur, amabat in mediis campis laborare; quod dum faceret sæpe oculos convertebat ad Sacrum Montem, secum sæpe dicens : Levavi oculos meos in montes, unde, ut spero, veniet aliquando auxilium mihi. Solebat etiam a paterna casa non procul abire, nisi a parentibus sociata; cavens sedulo ne lilium odoriferum virginitatis in se contaminaretur : sciebat enim ejus candorem nonnunquam hostilibus aggressionibus impie obscurari. Ut muliebri rerum novarum videndarum cupiditate vacua erat, sic moras trahebat numquam B in viis publicis, neque alienas ingrediebatur domos, explorans aliorum dicta et facta; sed recta pergebat ad ædes sacras, Deo ibidem pias suas preces oblatura. Interea sentiebat se in dies magis magisque amore Dei accendi et studebat summa diligentia cælestibus donis et gratiis respondere. Ea de causa sæpius quam ante orabat Deum et divina meditabatur; sacram Eucharistiam percipiebat frequentius; quadragesimæ et adventus tempore jejunabat, pane et aqua contenta; aliquando cubabat humi; cilicium gestabat et corpus flagellabat crebro; copiosas emittebat lacrymas et carnem adversus spiritum rebellantem domabat.

proficiscitur in Sacrum Montem cum fratre germano; pietas in itinere.

7 Interea intelligebat magnum animæ suæ periculum creari iniquitate patris; qui, quod matrimonio alicui, a se proposito, non consenserat, eam odio habebat. Sed interna voce a Deo monita est ut Sacrum Montem conscenderet, ubi divinæ suæ majestati cum habitante illic socia tranquillius famularetur. Vespere itaque ante S. Callisti, papæ et marty- C ris, festum (*agitur id die 14 Octobris et annus 1454 ex Tettamantii testimonio tunc currebat*) efflagitavit a parentibus, ut credere est, licentiam adeundi Sacri Montis et in fasciculum collegit res sibi carissimas. Postridie primo mane e somno evocavit fratrem germanum, qui eam ad Sacrum Montem comitaturus erat; secumque ferens modicam illam sarcinulam, citatis passibus se dedit in viam. Ut vero iter (quod ex suggestu, aliquando audiverat suaderi) spiritualibus exercitiis sanctificaret, sermones miscebat cum socio de fuga Dominæ Nostræ in Ægyptum et de aliis sacris historiis; atque ita ad montis clivum pervenerunt. Hic majori ardore ex spiritualibus illis colloquiis incensa, cœpit dicere de Christo Domino, Calvariæ montem cum crucis pondere ascendente; atque hæc fecit cum eo animi sensu, sine quo pium et virgineum pectus de his vix cogitare potest. Finitis his sermonibus, attigerunt Sacri Montis cacumen. Ingressa autem celebre templum, profunda corporis inclinatione primum venerata est sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, dein statuam B. M. Virginis, et devote cum fratre interfuit sacrosancto missæ sacrificio. Sacramentali etiam confessione peccata sua expiavit et eucharistico epulo animam refecit, Deo gratias agens de acceptis beneficiis et aliis deinceps accipiendis. Porro, ut finem fecit orandi, fratri suasit ut in vicinum hospitium secederet, cibum potumque sumpturus; ipsa vero, digresso fratre, ad eremitorium perrexit B. Catharinæ. *Paulo aliter hæc Tettamantius; in hoc maxime diversus quod narrat antea nihil scivisse B.* Julianam *de B. Catharina; domi eam instinctu interno monitam solummodo fuisse* Sacrum Montem adiret, ibi intellectura, ubi, quomodo et qua in societate deberet Christo famulari; *et in Monte* audivisse de B. Catharina, qualem et quam sanctam vitam illa in vicino ageret. *Sed a Crespio, Biniæ commentarios proxime sequente, discedere non ausim.*

AUCTORE V. D. B.

§ II. Viginti duos annos cum B. Catharina de Palantia vitam eremiticam sanctissime colit B. Juliana; dein fit soror conversa, vitam amplexa monasticam sub regula S. Augustini; virtutes ejus; orandi modus, dictus vestis B. Mariæ Virginis; pientissima mors.

E

Eremitorium, quod B. Catharina incolebat, caverna seu stabulum potius erat quam cubiculum, tribus brachiis altum et quinque largum, positumque e regione templi B. Mariæ Virginis (1). *Ut ad id venit B.* Juliana, januam pulsavit; et interrogata quid vellet, humiliter respondit : Domina mea, veni ad te in hunc locum, quia a patre meo multas accepi contumelias, verbera et colaphos, quod nubere noluerim, quippe quæ virginitatem meam obtuli Deo, cujus amore centenas mortes libenter subirem. Multum eum oravi ut me liberaret e manibus genitoris mei et demum F placuit ei mihi revelare, huc venirem, pœnitentiam tecum actura de meis erratis in solitudine. Quamobrem peto a te ut me in sociam aut servam tuam recipias, quatenus, a patris mei tyrannide liberata, virginem et puram me conservem sponso meo Jesu Christo. B. Catharina, audiens hæc pia et humilia dicta, intelligensque fervorem pauperculæ hujus puellæ, a Deo inspiratæ, respondit ei sequentia, quæ Bimia servavit, verba: Filia mea, consilium humanum non majorem auctoritatem habet quam quod Spiritus Sanctus tibi dat et omnibus qui cupiunt servire Christo, regi gloriæ. Necesse est ut te præpares tentationibus carnis, mundi et malignissimi dæmonii : non ut his consentias, sed quo melius possis eas evadere; et hoc fiet si, quidquid faciendum patiendumve tibi fuerit, in laudem vertas Jesu Christi, qui veniet in te expugnaturus tentationes illas; atque tu, eas sic sustinens viriliter cum bona patientia,

B. Juliana *sociam se offert B. Catharinæ de Palantia, a qua monetur et accipitur,*

(1) Riccardi, Storia dei Santuari più celebri, tom. II, pag. 41.

AUCTORE V. D. B.

consequeris coronam triumphalem gloriæ et cælestem victoriæ palmam.

9 Ubi audivit serva Dei præclaram hanc adhortationem, in exclamationes fere erumpens, dixit : Mater mea dulcissima, verba tua tam fervida sunt, et tantopere inflammarunt cor meum divino amore, ut ex totis præcordiis cupiam omni vitæ meæ tempore Christo Jesu servire in tua sancta societate. Precor itaque te, mater mea, per amorem Dei omnipotentis ut me non expellas ex tuo consortio et societate. Ad quæ reposuit B. Catharina : Vade, filia mea, et aliquantum ora, et dispone animum tuum, et dein redibis ad me. Recedens itaque B. Juliana rursum petiit a B. Catharina ut se non sineret ad mundum redire, id est ad natalem domum, ubi pater ejus adeo vehementer eam persequebatur ; et narravit ei tribulationes, flagra et persecutiones, quas a patre pertulerat. Tunc B. Catharina recordata est S. Julianæ, *martyris Nicomediensis, quæ die* 16 *Februarii colitur et quæ a patre, quod nubere nollet, etiam inclementissime* (*ut in ejus Passione legitur*) *habita fuit ;* et dixit :
B Filia mea, impugnationes quas pertulisti similes sunt impugnationibus, quas experta est S. Juliana; quare placet mihi te in societatem meam pro amore Dei recipere, et pro amore Dei et S. Julianæ ejus tibi nomen imponere. Quod et factum est ; *unde constet Julianæ nomen proprium seu genuinum non fuisse, sed adventitium. Nata tum erat B. Juliana annos viginti septem ; B. Catharina vero, quam matris et magistræ loco accipiebat, septemdecim tantum. Conveniunt de tempore Petrus Antonius Crespius, ex quo illa desumpsi, et Tettamantius.*

domum remittit fratrem solum; ipsa in Sacro Monte sancte vivit et peregrinis aquam submistrat.

10 Exhilarata supra quam dici potest, Juliana, *ait ille idem Tettamantius,* et ad suum regressa fratrem : Domum, inquit, solus redi: ego enim hic et domum et matrem reperi, cujus ductu spero animam salvam facere. *Pergit vero in hunc modum Petrus Augustinus Crespius:* Inclusa, aspera illa solitudine et ab importuno patris imperio libera, incepit majori adhuc alacritate Deo servire, proponens sibi ante oculos tamquam speculum magistræ suæ exempla, a quibus ne latum quidem unguem
C deflectebat. Et quum humilis esset corde, oculis modesta, discreta inter loquendum, facie pudore suffusa, in gressu omnibusque corporis motibus gravis, prodibat in publicum numquam, nisi quum juberetur pauperibus peregrinis, ad venerandam sacram Dominæ Nostræ statuam adventantibus, aquæ potum offerre. Quæ ubi narrat Bimia, addit eam plus ducentas noctes stetisse in collocutorio, ubi aqua porrigebatur, quin cubitum iret. Potuit itaque antiquus et astutissimus dæmon, pro invidia sua in ejus felicem et continuum progressum, occultis insidiis eam tentare atque etiam flagellare, sed nequaquam eam subvertere. *Atque hinc intelligitur quare in imagine B.* Julianæ, *quam medio sæculo* XVII *Agnellius fecit, et in qua ipse Mons sacer cum omnibus suis ædificiis exhibetur, cernere sit B.* Julianam *duobus peregrinis potum ex lagena fundentem: quod quum vestibus monasticis induta facere cernitur, non parum mirabile apparet in moniali Itala; sed tunc monialis nondum erat B.* Juliana, *neque sæculo*
D XV *clausuram regularem servabant pleræque moniales Italæ. Advertendum etiam tunc aquas per canales ex summo Sacro Monte nondum in omnes partes deductas fuisse, quibus nunc universus mons tamquam in hortum mutatus est* (1).

A B. Catharina, annos tantum nata septemdecim, instruitur de virtutum exercitio. Ejus humilitas, oratio, spiritus laboris,

11 Erat autem tunc, *ut vidimus,* B. Juliana annorum viginti septem ; quapropter, *ait Tettamantius, qui hunc locum nitidius explicat,* non judicavit expedire Catharina jacturam temporis facere in communicanda ipsi literarum scientia ; sed satis habuit Orationem Dominicam cum Salute Angelica dicendam ei præscribere et alias nonnullas quotidiani usus devotas precatiunculas eamdem edocere, tantos in hoc exercitio facientem progressus, ut sanctimoniæ non vulgaris spem magistræ suæ daret. Et vero erat Juliana proficiendi in spiritu cupidissima, ideoque sæpe Catharina supplex accidebat ad genua ut ne tæderet illam laboris ad suam instructionem necessarii, utque omnem Christo placendi rationem se vellet quam accuratissime docere. Igitur quadam die Catharina declaravit ei christianæ
E disciplinæ et perfectionis summam ea contineri, quam ipse Dominus Jesus nobis præscripsit, regula, dicens : Discite a me quia mitis sum et humilis corde : hac ergo via sequendum esse sponsum, siquidem progressum aliquem facere vellet. Atque ex ea hora tam serio id aggressa est Juliana, ut quidquid ageret diceretve, humilitatem saperet. Interrogata autem cujus libri lectione tam salutarem scientiam adeo plene esset adepta, respondebat, ejus solius libri, in quo caritas humilitasque non tam verbis quam exemplis legebantur descriptæ. *Ecce autem quid iisdem fere de rebus in scriptis reliquerit Bimia :* A prima pueritia orandi exercitium amplexa erat Juliana ; sed ex quo tempore religiosam vitam inierat, tantopere id amabat et in eo versabatur, ut frequentissime ei integras impenderet noctes; et post orationem operibus manualibus se dabat. Licet autem plures orationes memoriter sciret, numquam tamen omittebat Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione, *quæ id temporis aucta nondum erat postrema parte:* Sancta Maria, *sed desinebat in hæc verba:*
F Benedictus fructus ventris tui, *sive adderentur quædam in honorem Christi dicta, sive non.*

pœnitentiæ aliæque dotes, dum per viginti duos annos vitam eremiticam agit.

12 Atque aliquando, quum orationi fecisset finem, convertebat se paulo post ad meditationem, dicens orationem præcipuum esse auxilium adipiscendæ perfectionis. Erat præterea in ea singularis et eximia cibi, potus et somni temperantia. Cum ea fui per plus triginta Quadragesimas et Adventus Quadragenas (scilicet per plus triginta, Quadragesimis et Quadragenis simul numeratis), et numquam vidi eam vespertinam collationem facientem, ne una quidem sumpta balanitide *; adeoque * Marron
intra quadraginta quatuor annos, quos in benedicto hoc loco vixit, non putem eam umquam manducasse carnem, nisi bis tantum, nempe quum morbo aliquo tentaretur; præterea feriis quarta, sexta et sabbato singularum hebdomadum jejunabat semper, iisque diebus abstinebat plane ab ovis, butyro et caseo ; in pervigiliis autem festorum B. M. V. non secus

(1) Riccardi. Op. cit. tom. II, pag. 41, 42, 47 et 48.

ac

A ac in pervigiliis Natalis Domini, Ascensionis, Pentecostes, S. Michaelis et aliis multis intra annum jejunabat in pane et aqua. Neque his tamen impediebatur quin semper in utilibus aliquot exerceret se operibus, dicens : Qui non laborat, non manducet. Linguæ autem suæ tam diligenter invigilabat, ut eam in jocis deprehenderimus numquam, neque etiam in simulatione; et tanta puritate sua proferebat dicta, ut vix umquam verbum otiosum ex ejus ore elaberetur. *Brevioribus hæc complectitur Petrus Antonius Crespius suaque auctoritate confirmat:* Jejuniis, *inquiens,* dedita, in multa oratione frequens, humi cubans, cilicio induta, terque quotidie carnem flagellis macerans, annos viginti duos asperrimam sanctissimamque vitam duxit. *Sed quid Crespius viginti duos annos commemorat, Bimia quadraginta quatuor? Re quidem vera Crespius quoque tradit B.* Julianam *quadraginta quatuor, immo potius quadraginta sex annos in Sacro Monte vixisse, quippe qui tradat eam a B. Catharina* in sociam anno 1454 pridie idus Octobris exceptam fuisse benignissime, *ibique vita functam esse Alexandro* VI *summo pontifice et Ludovico* XII, *rege Francorum, dominante Mediolani; quibus indiciis annum* 1501 *indicatum voluit; sed intelligit viginti duos annos, quos B.* Juliana *et B. Catharina in eremo vixerunt, priusquam anno* 1476 *religiosam professionem fecerunt.*

Novæ accedunt sociæ, quæ cum BB. Catharina et Juliana *vitam monasticam amplectuntur; B.* Juliana *fuit solum soror conversa.*

13 *Verum priusquam perpetuis his vinculis se obligarent ambæ virgines, aliquot socias acceperunt. Die enim* 11 *Martii anni* 1471, *ut habet Tettamantius,* Benedicta Bimia, nobili prope Varesium loco et genere edita, in ipso suæ juventutis flore, tracta boni exempli odore, quem sanctæ illæ sociæ de se longe lateque fundebant, *eis se adjunxit.* Exemplum Benedictæ paulo post secuta est Francisca ejusdem familiæ ac nominis Bimia; denique eisdem se quintam adjunxit quædam Paula de Amurtiis de Busto. *Verum quum hæc societas religiosæ familiæ formam haberet, visum est nonnullis contra canones, quibus novarum religionum introductio vetatur, peccari; aliis contra iisque gravissimis viris sentientibus id vitæ genus licitum esse, dummodo pœnitentiæ gratia servaretur,* C *non autem attentatio esset novæ religionis. Et hæc certe recta sententia erat, quandoquidem vestigium non sit has eremicolas vota religiosa fecisse qualicumque modo publica. Verumtamen post visionem quamdam B. Catharinæ statuerunt intra se quinæ virgines eremiticam suam vitam in monasticam convertere. Vigebat tum in diœcesi Mediolanensi ordo eremitarum S. Ambrosii ad Nemus, ab anno* 1375 *S. Augustini sequens regulam et Ambrosianum Breviarium* (1). *Pro sua itaque in S. Ambrosium pietate petierunt Catharina et sociæ a Sixto papa IV hujus congregationis habitum, regulam ritusque assumere : quod per breve de die* 10 *Novembris anni* 1474 *concessit pontifex et Gasparinus de Porris, archipresbyter ecclesiæ S. Mariæ de Monte, die* 10 *Augusti anni* 1476 *exsecutioni dedit, quinas virgines generali confessione expiatas ad professionem admittens et suæ curæ et regimini subjiciens : nequaquam enim pendebat nova domus a fratribus S. Ambrosii ad Nemus. Ast hic animadvertendum omnino est tum ex Tettamantii, tum ex Petri Augustini Crespii testimonio constanter in libello supplici monialium et in brevi Sixti IV B.* Julianæ *nomen ultimo loco venire, licet omnium prima ad B. Catharinam accessisset. Jam pridem hujus rei causam indicavit Papebrochius in annotatis ad Vitam B. Catharinæ,* quia *scilicet* tamquam soror laïca inferiori in gradu cæteris ministrabat, a chori officiis libera. *Neque poterat aliter fieri, quum literarum plane rudis puella breviarium quotidie recitare aut cantare profecto non posset. Hinc, ut num.* 22 *et alibi videbitur, vocatur a ven. Bimia, secunda priorissa sua,* soror Juliana, *aliis monialibus* dominabus *appellatis. Porro prima priorissa electa est B. Catharina; sed viginti mensibus et tribus septimanis post, die scilicet sexta Aprilis anni* 1478, *pientissime obiit in Domino eique successit communibus suffragiis ven. Benedicta Bimia; sub cujus regimine mirum in modum aucta est res temporalis, maxime quod Gasparinus de Porris cæterique S. Mariæ de Monte canonici præbendas suas in novum institutum transtulerunt; neque minus crevit monialium numerus, quæ* E *anno* 1500 *quadraginta recensebantur. Hæc omnia vidit B.* Juliana, *prima B. Catharinæ socia et deinde ven. Bimiæ amor et deliciæ.*

AUCTORE V. D. B.

Ven. Bimiæ, per annos viginti tres B. Juliana *priorissæ, insigne de ejus virtutibus testimonium.*

14 *Hæc autem, quæ post professionem factam vixit cum ea annos adhuc viginti quinque, quorum viginti tres eam sub sua gubernatione habuit, ita de ea prosequitur :* Postquam B. Juliana religiosam vitam professa esset, ut antea semper fuerat obediens et pauper, sic quanto deinceps studio conaretur tria sua vota observare dici nequit. Quod enim ad paupertatem spectat, tantopere libera erat ab omni affectu erga res temporales, ut gloriaretur et beatam se æstimaret quod nihil in hoc mundo haberet. Quare dicebat : Nihil possideo in hac vita, neque possidere cupio : neque ipsa mea sum, quandoquidem me Christo tradidi et alienæ voluntati. Pudicitiam vero et castitatem cum Dei gratia semper servavit usque ad mortem; hanc secuta regulam ut asperæ pœnitentiæ, qua corpus affligebat, adderet studiosam fugam otii, diligentem modestiam oculorum, quos, ne hac et illac vagaretur suus conspectus, demissos tenebat, et F præterea orationem continuam, operibus manualibus intermixtam. Quod si aliquando concupiscentiæ ignis, penitus fere in ea extinctus, eam aliquantisper molestaret, subito (ut dicebat ipsamet) evanescebat, adhibita meditatione et recordatione passionis Jesu Christi. Inter cæteras autem ejus virtutes obedientia ejus admirabilis non solum erat, sed pene incredibilis : quum enim sciret Christum Patri suo obedientem fuisse usque ad mortem, mortem autem crucis, consilium inierat imitandi eum, tamquam ducem suum in hac virtute, quemadmodum in professione sua spoponderat. O quoties meismet oculis vidi B. Catharinam ei dantem licentiam comedendi alicujus cibi, et deinde, ut de eo gustarat, dicentem : Dimitte; nolo te de eo amplius manducare; atque ipsa absque ullo animi motu aut querela faciebat jussa!

15 Tanta vero erat in hac Dei serva caritas, ut vix umquam quidpiam ab ea peteretur quod

Ubi tunc esset chorus monialium.

(1) Saxius, Archiepiscoporum Mediolanensium series, tom. III, pag. 827 et 828.

continuo,

AUCTORE V. D. B.

continuo, si posset, non concederet; et quum propter penuriam nostram pauperes sublevare non possemus, dicebat : Sorores meæ, faciamus saltem eleemosynam spiritualem, etiamsi dicenda nobis esset ad Virginem Mariam centies millies Salutatio Angelica, ut opituletur pauperibus egenis, infirmis tribulatis et hominibus tentatis. Deus scit quoties ipsa sola hoc pietatis exercitio coluerit cælorum reginam; nam quum perbreve tempus dedisset quieti, surgebat noctu et pergebat ad ecclesiam ut religioni huic vacaret, dum ego misera et negligens in cella manerem; sed quum mane surgerem, inveniebam eam renidenti vultu in benedicta hac ecclesia. *Adhærebat enim monasterium templo publico; quæ res hic aliquantum explicanda videtur, quoniam, nisi id alicubi fiat, inferius ubi de translatione corporis B.* Julianæ *agetur, vix quidquam intelligetur. Porro in instrumento de miraculis B. Catharinæ de Palantia* (1) *hæc leguntur:* Repositum erat corpus dictæ dominæ Catharinæ super lobiam, ubi stant dictæ dominæ ad videndas missas in dicto monasterio, quæ lobia B est intra ecclesiam : lobia *vero* (*ne hæc vox impedimento sit*) *apud Mediolanenses idem sonat quod apud Florentinos* loggia (2), *et apud Gallos* loge, *a theutonico* laube, *id est* locus tectus (3); *literis* b, f, g, *sibi invicem substitui nequaquam repugnantibus* (4). *In qua vero templi parte lobia illa constructa esset, accipe ab Antonio Riccardi, qui non ita pridem res Sacri Montis breviter descripsit :* Monasterium, *inquit* (5), exstructum fuit prope basilicam B. Mariæ Virginis in apice Sacri Montis, in concavis scilicet antiquissimæ rupis, cujus extremis saxis omni ex parte, meridie excepta, cingitur et insuperabili inde clausura donatum est. Ecclesiam autem suam interiorem seu monasticam habet super portam majorem sanctuarii, e regione altaris maximi, cui nomen dedit B. Maria. Inde quasi ex alta porticula seu lobia adsunt moniales divinis officiis, quæ in Mariano templo fiunt, et piis suavibusque psalmodiis religiosum cultum funguntur, cælesti et terrestri ecclesiæ gratissimum. *Hæc ille; verum ad res B.* Julianæ *propius redeamus.*

B. Juliana *exemplo et stimulo est novitiis; quantum juvaretur meditatione de Passione et Vita Christi et quam constans esset in arrepto proposito.*

16 *Quum Benedicta Bimia successisset B. Catharinæ de Palantia in Montis Sacri prioratu, non parvum adjumentum reperit in B.* Juliana, *tum ut ipsa virtutis tramitem teneret, tum ut secundum ejus exempla instituerentur puellæ, quæ, beatæ nostræ virginis fama allectæ, sat magno numero ad novum monasterium confluebant.* Eas adhortabatur, *inquit ven. Bimia,* ad obedientiam, puritatem et mortificationem sensuum, proponens eis aliquando passionem Domini nostri Jesu Christi et omnia mysteria redemptionis nostræ; et ut hæc imitarentur et meditarentur, eas tam præclare monebat, ut auditrices ejus non possent non satis mirari ejus sermones. Ipsa vero exercitium meditandi passionem Christi Domini tanto faciebat fructu eaque animi attentione, quasi coram oculis corporis vidisset Domini sui dolores. Virgunculis autem illis commendabat præ reliquis virtutibus humilitatem; et suadebat eis ut eam amplecterentur, quoniam fundamentum est fabricæ spiritualis; quidquid D vero ipsa faciebat aut dicebat, maximæ humilitatis odore perfundebatur; adeoque interrogata aliquando a sacris illis virginibus quomodo per omnem vitæ suæ tempus studuisset ut Deo placere posset, respondit : In libro humilitatis et caritatis. Spatio viginti quinque annorum, quo sub regula vixit in monasterio, numquam (licet ad metam vitæ esset tam debilis ut vix pedibus consistere posset) intermisit primas suas mortificationes; et tantopere inter impugnandum infernum hostem ornata erat fide et constantia, ut Christus Dominus hanc suam sponsam auxerit multis donis et privilegiis; unde ante mortem et similiter postea splenduerit variis stupendisque virtutum signis. *Quas autem gratias et favores sibi in oratione concederet Deus, narrabat ipsamet ven. Bimiæ, priorissæ suæ; quemadmodum hæc id etiam testatum reliquit.*

Inducit novum orandi modum, dictum Vestem B. Mariæ; febri et morbo diabete afflicta, pie moritur die 15 Augusti anni 1501.

17 *Non aliis coloribus B.* Julianam *depinxit Tettamantius :* Numerabantur, *inquit,* anno sæculari quingentesimo religiosæ quadraginta, inter quas etiam tum vivebat Juliana, prima B. Catharinæ socia; cujus hoc pium inventum fuit, ut quovis anno ad centum millia Salutationes Angelicas adnumeraret, ad idem faciendum etiam alias sorores præeundo invitans; unde videtur dimanasse quod a Nativitate Deiparæ usque ad festum Purificationis ad certa horarum intervalla, multæ ejusmodi Salutationes recitentur a singulis, quæ denique ad prænotatum numerum attingant et vestem, ut ajunt, quamdam beatissimæ matri contexant. Notabatur in Juliana singularis sensuum orisque custodia, cum profundissima humilitate atque obedientia simplici : alia Spiritus Sancti dona, ut poterant celari facile, quia erant interna, ab ea sic occultabantur studiosissime, ne laudem ipsi humanam parerent. Tandem, *ait Petrus Augustinus Crespius*, placuit dilecto suo sponso Jesu Christo eam ex hujus mundi doloribus educere ad æternam paradisi quietem. Abrepta itaque fuit febri, cui accessit morbus, a medicis diabetes dictus. Visum proinde ei fuit, *ait ven. Bimia,* tempus instare resolutionis suæ; quamobrem petiit a rev. F patre confessario sanctissima ecclesiæ sacramenta cum indulgentia plenaria. Quæ postquam recepisset, cum magna humilitate et pietate, mansit quieta et pacifica usque ad noctem Assumptionis B. Mariæ Virginis; ita ut triginta continuos dies mente in cælum defixa fuerit, interea ita cibo parcens et potui, ut vere credamus eam hoc temporis spatio non manducasse pondus unius solidi et bibisse parum tantum electuarii et aquæ. Ultimo vitæ die voluit interesse missæ sacrificio; et vestibus suis semper tecta, requiescebat pro sua consuetudine super saccum, foliis arentibus fartum. Hanc semper servans constantiam et mentis elevationem, vocata demum fuit a sponso suo et B. Maria Virgine ad æterna gaudia et consolationem. Nocte itaque Assumptionis Virginis Mariæ voluit supra nudam humum collocari et paulo post cum magna melodia emisit spiritum die 15 Augusti

(1) Acta SS. tom. I Aprilis, pag. 632. — (2) Cfr Muratori, Dissertazioni sopra le antichità italiane, diss. XXIII, tom. I, pag. 211. — (3) Adelung, Grammatisch-kritisches Wörterbuch, v°. *Laube.* — (4) Cfr Acta SS. tom. IX Octobris, pag. 308. — (5) Storia dei Santuari più celebri di Maria Santissima, tom. II, pag. 42 et 43, Neapoli, 1846.

anni

A anni 1501. *Tettamantius ita de ejus morte disserit :* Ibi (*scilicet in nuda humo*) post horarum aliquot quietum silentium, manus oculosque in cælum attollens, et quasi cum aliquo diu amanterque desiderato suaviter colloquens, cælo animam reddidit, terræ autem corpus reliquit; quod inter lavandum juvenili redditum decori apparuit; *quam speciei immutationem literis quoque consignavit Bimia.*

§ III. Sepultura, translationes, festum, imagines antiquæ, cultus approbatio, lectiones propriæ.

Corpus, in communi monialium cœmeterio prius depositum, circa medium sæculum XVI *transfertur in chorum interiorem monialium; unde expensis Nicolaï Cid Hispani*

Ipsum tunc quidem *corpus, sic pergit Tettamantius,* licet suaviter fragrans (*quam fragrantiam testati sunt qui id sepelierunt, ut cum Bimia auctor est Petrus Augustinus Crespius*), communi est sepultura donatum *intra monasterium;* anno autem 1547, die 12 Februarii (*immo anno* 1549, *die* 21 *Februarii, juxta Crespium*) adhuc integrum atque palpabile inventum, translatum est ad chorum sanctimonialium *interiorem diversumque ab eo de quo dictum est num.* 15, ab iisque pie honoratur. *Hæc Tettamantius anno* 1644. *Sed paulo post aucta fuit veneratio, quæ centum fere annos illic B.* Julianæ *habita fuerat.* Jacebat, *inquit Petrus Augustinus Crespius, qui librum suum edidit anno* 1637, jacebat Julianæ corpus centum annos in choro ubi moniales officium divinum recitant, depositum in honestissimo sepulcro, elevato aliquantisper super terram et ornato lucidissimis crystallis, quando placuit Domino Nostro indere illustrissimo viro Nicolao Zid, consiliario regis Hispaniarum et procuratori generali rerum militarium, consilium valde pium. Hic enim, inter bellorum aliorumque curialium negotiorum impedimenta neque Dei, neque Sanctorum oblitus, applicuit animum ad ea proposita, quæ divina fuerint an humana nemo facile dixerit. Quasi enim pietas ejus explicuisset se in rebus heroicis et sublimibus gestis, posuit ipse sibi ob oculos Sacrum Montem supra Varesium, ubi noverat absconditum esse thesaurum in-
C finiti pretii, corpus scilicet B. Julianæ, virginis et monialis, quod illic jam centum fere et quinquaginta annos incorruptum jacebat et tractabile; et statuit nullis sumptibus parcere quo ita ordinarentur loca, ut sacrum id corpus repositum maneret in interiori templi clausura *seu monialium choro* et simul ab externis conspici posset, qui eo pietatis causa accederent. Atque in eo consilio tam constans fuit, ut, etiamsi a Mediolanensi agro procul esset positus (commorans nempe in civitate regia Matriti), numquam tamen id dimiserit; ne quidem inter mortis angustias. Cavit enim testamento ut de suo solverentur expensæ, necessariæ ad cogitatam translationem faciendam.

die 23 Octobris anni 1650 *solemnissime*

19 Venerandæ itaque matres, debitam adeptæ licentiam, non distulerunt multa magnificentia præparare hanc solemnitatem, quam commiserunt patri suo spirituali et Sacri Montis præposito, rerum gravissimarum expertissimo viro. Constituta fuit dies 23 Octobris anni 1650 (quæ dominica erat) ad celebrandam hanc actionem; quo commodius vicini populi ejus fierent participes. De ea in antecessum sparsus est quaquaversum rumor, et intra octiduum, quod celebritatem hanc præcessit, singulis diebus jucunde pulsatæ sunt campanæ, atque etiam nocte proxime ante festivitatem : neque defuere ignes artificiales et strepitosæ pulvere nitrato explosiones, quas vicini montes centies reddebant. Vix autem surgebat aurora, quando campanarum renovatus sonitus matutinum signum dedit; qui suavis concentus sæpius dein repetitus et interruptus fuit. Altaris autem apparatus ita erat : a summo venerabili templo usque ad superiores altaris gradus pendebat ditissimus popilio ex tela serica candida, idque ex utraque parte cingebat. Fimbriæ aureæ et argenteæ aliaque ornamenta, miti vento mota, circumcirca ludere videbantur; unde magis apparebant pretiosa candelabra argentea et reliquus ditissimus apparatus. Tela argentea candida vestita erat statua B. Mariæ Virginis, quo hæc quoque solemnitatis hujus jucunditatem participare videretur. Opportuno tempore pluvialibus albis sese in sacristia operierunt venera-
E biles domini præfectus, vicarius Sacri Montis, Joannes Baptista Negri, parochus *adjacentis vici* Velate et parochus S. Ambrosii (*qui vicus quoque in vicino est*), et cum ministris, turibula et naviculas ferentibus, et numeroso clero prodierunt usque ad monasterii portam; ubi a quatuor venerabilibus discretis monialibus excepti, ducti fuerunt ad chorum interiorem.

transfertur in chorum exteriorem monialium

20 Jacebat ibi panno serico undulato vestitum, pulcherrimo serto coronatum, liliumque maximi pretii manu gerens, corpus B. Julianæ, conditum in ornatissimo loculo; qui super altissimum feretrum, tapetibus Flandrensibus pretiosis coopertum et tela superindutum argentea candida, distincta ditissimis fimbriis variisque ornamentis, ad pavimentum usque pendentibus. Circumcirca stabant venerabiles matres, velo nigro subtili et ad pectus descendente tectæ, funalia accensa habentes manibus. Ingerebant omnium animis nescio quam pietatem, majestate plenam, sacræ exuviæ, conspersæ floribus; quibus præfectus et vicarius turis honores dederunt et quas duo parochi sustulerunt sub pretioso F baldachino, a quatuor monialibus sustentato; aderant et ministri cum fumosis turibulis et puellulæ, in angelicam formam indutæ, gravia manibus tenentes funalia; quæ sacra pompa, in ordinem disposita, in viam se dedit. Tunc organorum concentui solemnissimo initium factum est; campanæ integris motibus pulsatæ; tormenta sulfureo pulvere explosa, et hymnus *Veni, Creator* cantari cœptus. Qua via sacrum ivit agmen, ea tapetibus magni pretii et eximiis tabulis pictis aliisque opulentis ornatibus circumvestita erat; refectorium autem, qua etiam transitum est, tres arcus triumphales aliaque artificiosa decora habebat. Ventum dein ad locum, ubi mirabile surgebat altare : hoc enim supereminebat colossea statua Christi Domini, columnæ alligati. Porro altari huic impositum fuit sacrum corpus, et post orationes aliquot et breves psalmos, incenso ture honoratum; quibus peractis id iterum sustulerunt duo parochi; et venerabiles moniales processerunt denuo secundum priorem ordinem, hymnum *Te Deum*

AUCTORE V. D. B.

AUCTORE V. D. B.

Deum laudamus cantantes. Sic ventum est in dormitorium, ubi in ornatissimo altari repositus etiam est sanctissimus thesaurus. Dum autem e vicinis monialium cellulis suavissimi effluerent odores, renovatæ fuere ceremoniæ anteriores; et dein inter cantatum psalmum *Benedictus Dominus* delatum est sacrum corpus per alia exornata loca usque ad tertium altare, cui item beata capsa superimposita est et reliqui ritus peracti. Atque hinc demum asportatum est cæleste onus ad locum, in quo nunc etiam asservatur (*vide dicta num.* 15), in validissima capsa, ferramentis firmata; munita vero pellucidis crystallis et ornata mirabilem in modum laminis ex argento puro aliisque decoribus, atque ita disposita, quemadmodum dixi, ut intra clausuram maneat et simul foris facile honorari possit. His fine imposito, reductus fuit clerus a discretis monialibus ad monasterii portam et ad dominicalia missæ solemnia celebranda itum est. Hoc officio inter præclaros concentus musicos functus est præfectus; et de suggestu pater Capuccinus eleganti ad populum sermone
B laudavit B. Julianæ virginitatem, paupertatem et obedientiam; publiceque annuntiavit post absolutum incruentum sacrificium omnibus facultatem factum iri videndi et venerandi sacri corporis : uti etiam cum universorum gaudio et lætitia actum est. Statutum etiam fuit ut quotannis B. Julianæ festivitas celebraretur quarta dominica Octobris, quoniam propter occurrentem celebritatem assumptæ Mariæ in cælum agi non poterat ipsa die, qua benedicta illa virgo ad æternæ quietis gaudia in paradisum abiverat.

Joannis Jacobi Trivultii pia et grata in B. Julianam animi sensa;

21 *Ex his satis manifestum est B.* Julianæ *cultum statim post ejus mortem incepisse; cujus rei alia quoque præsto sunt argumenta. Voluit imprimis celeberrimus dux militaris Joannes Jacobus Trivultius venerationem suam erga B.* Julianam *testatam facere: quod in hunc modum narrat Tettamantius:* Magnus ille, *inquit,* Joannes Jacobus Trivultius haud diu post Julianæ mortem plurima sibi, prout illa prædixerat, evenisse testatus, voluit magnificum ei monumentum exstruendum curare : fecissetque,
C nisi piæ virgines, ejusmodi sepulcrorum ornatum paupertati suæ parum convenientem arbitratæ, rogassent ut impensas, in illud destinatas, converteret ad propylæum templi pro sua magnificentia exornandum : quod et factum cernitur. *Prædictiones tamen illas fecit B.* Juliana *non in apparitionibus post mortem, ut Tettamantii narrandi modo innuitur; sed coram, dum viveret, ut testis est Petrus Antonius Crespius, Tettamantio nonnihilo vetustior et in aliis etiam referendis adjunctis ab eo nonnihil recedens.* Spiritu prophetico, *ait ille,* plura magno Jacobo Trivultio prædixit ; et in primis victoriam quam gloriose reportavit. Ejus corpus in interiori monasterii sacello sepultum cum esset, Jacobus Trivultius, cui omnia ex ordine successerant, prout Christi famula prædixerat, nonnihil egit, ut sepulcrum extrueret tanta muliere dignum ; verum reliquæ virgines monasterii ab eo summis precibus exorarunt ut porticum extrueret a qua per primariam partem accessus esset ad D ecclesiam ; idque ea de causa a Trivultio contenderunt, quoniam sanctæ mulieris corpus in suo sacello, in quo etiam nunc pia devotione colitur, esse malebant quam alibi. *Valde difficile mihi est, non habenti* Historiam vitæ et gestorum Joannis Jacobi Trivultii, cognomine Magni, *quam anno* 1815 *duobus tomis edidit Rosminius, divinare quæ victoria illic intelligatur. Ab anno enim* 1465 *usque ad annum* 1518, *quo diem obiit, ita semper in castris versatus est ille miles ut jure merito jusserit sepulcro suo inscribi: HIC QVIESCIT QVI NVMQVAM QVIEVIT. Putem tamen agi de rebus, quas anno* 1499 *feliciter gessit, quum intra unius mensis spatium universum Mediolanensem ducatum Ludovici XII, Gallorum regis, ditioni armis et pollicitationibus subjecit* (1): *hæc scilicet proxime antecesserunt mortem B.* Julianæ *neque procul a monte Varesio contigerunt.*

prodigia per hujus intercessionem ante

22 Dicuntur etiam, *ait Tettamantius,* ad invocationem apparitionemve illius facta mirabilia quædam : *quo pertinent duo beneficia commemorata a venerabili Bimia.* Vir nobilis, *ait,* duas habebat filias, correptas morbo, quem mortalem esse dicebant medici. Qui quum magna veneratione prosequeretur sorem Julianam, eam pie oravit dixitque ei officium ejus esse apud Deum intercedere pro illarum curatione ; dein parum panni de ejus tunica sumpsit et collo applicuit utriusque suæ filiæ : quæ subito optime convaluerunt. Magister Bernardinus de Habiate, qui sororem Julianam sepeliverat, inciderat simul cum uxore sua in gravem infirmitatem, et ambo valebant pessime. Verum, ut postea nobis retulerunt, ipsa beata soror Juliana eis apparuit animumque addidit, brevi scilicet eos ab infirmitate fore liberos ; et sic factum est per gratiam Dei et dulcis Virginis Mariæ atque hujus devotissimæ virginis beatæ sororis Julianæ, cujus precibus et meritis, *addit Bimia,* optimo corde me semper commendo. *Quæ sequuntur, a Petro Antonio Crespio et Tettamantio et secundum eos a Petro Augustino Crespio referuntur. Miserat Carolus Imperator V in Longobardiam potentissimum* F *exercitum, qui mense novembri Mediolano potitus est ; quo indicio annus* 1521 *significatur, quum die* 19 *Novembris Columna et Piscarius, imperialium agminum duces, civitatem illam occupaverint* (2). *Porro milites aliquot, quaquaversum prædam quærentes, ut audiverunt quosdam sibi suggerentes in sepulcris Sacri Montis res summi pretii absconditas latere, eo se contulerunt ; atque unus, reliquis audacior, vi monasterium ingressus, sepulcrum B.* Julianæ *aperuit et stans super corpus unum pedem pectori, alterum faciei imposuit :* cujus rei etiamnum, *ait Petrus Augustinus Crespius,* vestigium, ori impressum, cernitur. *Sed ecce quod continuo contigit miraculum : manum movit cadaver, templum subito contremuit et mons ita concussus est ut videretur perversis illis viris brevi hiaturus eosque absorpturus vivos. Metu itaque conculsi, citissimis passibus sese hinc abripuerunt, millies maledicentes iis qui pessi-*

(1) Cfr La biographie universelle de Michaud, tom. XLVI, pag. 563 et de Sismondi, Histoire des républiques italiennes du moyen-âge, tom. IX, pag. 235 et seqq. Bruxelles, 1826. — (2) Cfr de Sismondi, tom. XI, pag. 138.

mum

A *mum sibi dederant consilium. Atque hæc ante factam solemnem corporis translationem accidisse leguntur.*

et post solemnem translationem facta

23 *Nonnulla quæ postea contigere narrat ad finem libelli sui Petrus Augustinus Crespius, hoc præmisso titulo :* Gratiæ quas (ut pium est credere) Deus operatus est meritis B. Julianæ, post ejus corporis translationem. D. Antonius Masinago, doctor physicus et medicus ordinarius monasterii Montis Sacri supra Varesium, fidem facit his verbis, *quæ ut fere reliqua ex italico idiomate in latinum vertenda fuere:* Quum soror Christina, monacha conversa monasterii Sacri Montis supra Varesium, per gravem infirmitatem ad vitæ extrema deducta esset, et viribus destituta ita jam luctaretur cum morte ut mihi aliisque eam videntibus brevi ad alteram vitam transitura haberetur, commendavit se B. Julianæ, ut ipsamet mihi dixit ; et statim cœpit denuo respirare, vires resumere et vigorem ; quo intra brevissimum temporis spatium ad pristinum statum et valetudinem redierit, licet anus
B jam sit, annos octoginta nata. Et quoniam hæc vera sunt, præsentem scriptionem confeci et firmavi propria manu hac die 26 Octobris anni 1650. Ego physicus Antonius Masinago, medicus in dicto monasterio, affirmo ut supra. *Quibus subdit Crespius ab eodem confirmatum fuisse et recognitum testimonium, eadem de re datum a Christophoro Zavadello, confessario ordinario monasterii.*

et in libro singulari descripta.

24 *Sed id unicum non fuit beneficium, divinitus per intercessionem B.* Julianæ *acceptum ; quin etiam compararunt sibi asceterii incolæ librum, cui insererent gratias aliaque quæ beatæ virgini in acceptis referenda viderentur. Reperit in eo sæpe memoratus Crespius sequentia, a presbytero Joanne Baptista Prandone, receptore (ita se nuncupat) ecclesiæ S. Mariæ in Monte. Prius est de die* 29 *Novembris anni* 1651*:* Petrus Franciscus Piatto, *inquit,* Varesii burgi incola, pergens Mediolanum, quum in vicum Carone venisset, æstu febris correptus est. Sed ut auxilium B. Julianæ invocavit, subito ad pristinam valetudinem rediit, quemadmodum ipse dixit et ita verum
C esse aperte professus, in præsentia R. D. præfecti ecclesiæ Sacri Montis et mea infrascripti ; et post me ipse cum juramento propria manu subscripsit. Ego presbyter Joannes Baptista Prandone, receptor dictæ ecclesiæ, fideliter scripsi quæ supra. *Posterius ita sonat :* Joannes Baptista Maderna, annos natus quinquaginta, habitans in Cassina S. Claræ extra portam Tosam prope Mediolanum quum annos multos fistulæ vitio laborasset, visitavit corpus B. Julianæ et subito improvisæ lætitiæ motu correptus, abiit inde sanus et salvus, quemadmodum quæ contigerunt accurate confessus est in præsentia M. R. D. præfecti ecclesiæ Sacri Montis, mea infrascripti et aliorum, et cum juramento testatus est, ut infra apparet et explicatur in tabella, prope benedictum corpus pendente. Ego Joannes Baptista Prandone receptor dictæ ecclesiæ scripsi fideliter quæ supra. Ego Joannes Baptista Maderna affirmo cum juramento.

AUCTORE V. D. B.

Imagines B. Julianæ;

25 *Multo antequam B.* Julianæ *ossa transferrentur, voluerant Bustienses, ejus populares, singularem honorem ei adhibere.* Patres nostri, *ait Petrus Augustinus Crespius, sub medium sæculum* XVII *scribens,* erexerunt ei statuam naturali corporis magnitudine in loculamento sub tribuna pulcri S. Mariæ templi, quod est in medio burgo. Monialis specie exhibetur B. Juliana ; et in stylobate exsculptis literis deauratis hæc leguntur : BEATA IVLIANA DE BVSTO. *Postquam autem per solemnem beatæ virginis exuviarum translationem vicinarum plebium pietas magis magisque excitata est, curatores Bustiensium pauperum et protectores bonorum Cassinæ, in qua B.* Juliana *in lucem edita est, boni consuluerunt, quo magis gratum animum de hac sua nativitate ei ostenderent, curare ut confieret nova ejus statua. Hæc die* 29 *Junii anni* 1655 *reposita est in Sacri Montis spelunca, in qua B. Catharinæ sculpta effigies etiam cernitur, et adjuncta lapidea tabula, aureis literis exsculptis hæc exhibente: BEATIS VIRGINIBVS CATHARINÆ DE PALANTIA ET IVLIANÆ DE BVSTO ARSITIO. Memini supra num.* 10 *imaginis B.* Julianæ *papyraceæ, factæ ab sculptore Agnellio, quam sub medium sæculum* XVII *ex Italia secum asportavit Papebrochius et quæ tunc temporis distribuebatur, quin potius vendebatur peregrinis, ad Sacrum Montem accedentibus. Atque hæc illa eadem ineunte hoc sæculo adhuc in usu erat* (1). *Ad imum marginem hæc impressa sunt verba* : B. Giuliana nel v. monastero di S^ta Maria Monte sopra Varese nata l'anno di N. Sal. MCCCCXXVII; se ne passo alla patria celeste l'anno 1501 alli 15 Agosto. *Non putem tunc aliquid simile in honorem B. Catharinæ de Palantia factum esse; et quantum video, B.* Julianæ *fama multo celebrior fuit et nomen magis placuit peregrinis quam magistræ ejus Catharinæ : cujus rei (ni fallor) causa est tum quod illa vivens curam peregrinorum habuit, tum quod ex vicinia oriunda erat.*

E

fortuna templi, monasterii et reliquiarum his ultimis sexaginta annis.

26 *Exeunte sæculo* XVIII *et ineunte* XIX *Sacer Mons, non secus ac reliqua Longobardia, fortunam maxime miseram expertus est. Quum enim has partes occuparunt Galli, pleraque monasteria aliaque pia loca ibidem aut destructa aut spoliata fuisse quis non lugens memoria*
F *recolat? Hæc sors obtigit Sacro Monti anno* 1797, *quo dispersæ moniales, pars supellectilis argenteæ templi distracta* (2) *et monasterium aliis usibus addictum est. Sancta tamen et laudabillima pertinacia locum qualemcumque ibidem sibi retinuerunt moniales; unde in Duce peregrinantium per Mediolanensem pagum* (3), *qui anno* 1805 *Mediolani prodiit, legitur monasterium visitantibus tunc patuisse adeoque in ejus parte hospitium publicum seu tabernam fuisse; verum simul in alia parte nonnullas residere moniales. Similia habet Carolus Amoretti, qui anno* 1814 *item Mediolani excudi jussit quartam editionem Itineris sui ad tres lacus* (4)*; ubi narrat tunc temporis duo hospitia in pristini monasterii ædibus erecta fuisse; in reliqua parte degisse suppressas moniales; per quas non fuisse impeditum quin viderentur BB. Catharinæ et* Julianæ *reliquiæ : unde colligere est moniales illas sibi retinuisse chorum et proxi-*

(1) Millin, Voyage dans le Milanais, tom. I, pag. 304. — (2) Riccardi, Storia dei Santuari più celebri, tom. II, pag. 45. — (3) Guide de l'étranger dans la ville de Milan et dans le Milanais, part. II, pag. 72. — (4) Viaggio da Milano ai tre laghi Maggiore, di Lugano e di Como, pag. 33.

AUCTORE V. D. B.

mam monasterii alam. Verum postquam imperatoris Austriaci auctoritas in his partibus anno 1814 *et sequenti restituta est, restitutum etiam ibidem fuit vetus monasterium : at quo anno id factum fuerit, non reperi. Celeberrimus viator Millin, qui anno* 1817 *Iter suum Mediolanense edidit, de Sacro Monte plura quidem tradit, sed altum silet de monasterio* (1) : *sed, ni fallor, Gallis illic adhuc dominantibus, Longobardiam peragravit ille auctor. Utut est, aliquot annis ante annum* 1830, *quo circiter Epimachus et Paschalis Artaria ediderunt novam Descriptionem Mediolani et viciniæ, pristinam suam sedem et jura plane recuperarant moniales, quemadmodum illo libro* (2) *traditur : ast ibi, uti etiam in aliis scriptionibus erratur, quum moniales illuc olim a S. Carolo Borromæo traductæ dicuntur ex Torno ad lacum Comensem. Eas nunc operam suam impendere christiano ritu educandis convictricibus et erudiendis Sacri Montis* (*quæ nunc parochia est*) *externis puellis ex Polyptychis Mediolanensibus annorum* 1840 *et* 1855 *colligo* (3) : *unde spes est eas*
B *denuo suppressum non iri a gubernio Pedemontensi, quod jam in illis partibus dominatur, dum hæc typis excuduntur. Ex libris, quorum titulos hoc numero retuli, satis liquet non tantum quam venerabilis sit hic locus, sed quod res admiratione vere dignas habeat. Verum meum non est de eis dicere.*

Cultus approbatio et lectiones propriæ.

27 *Superest ut lectiones II Nocturni, probatas a S. R. C. pro ordine S. Augustini, referamus. Initio scilicet hujus commentarii monuimus per decretum S. C. R. de die* 26 *Augusti anni* 1758 *introductam fuisse causam confirmationis cultus B.* Julianæ *et magistræ ejus B. Catharinæ; hic addendum felicem eam exitum habuisse primo anno pontificatus Clementis papæ XIV, qui die* 12 *Septembris anni* 1769 *cultum illum decreto publico ratum habuit. Eo aperta est via ordini eremitarum S. Augustini ut a S. R. C. obtineret licentiam celebrandæ ritu semiduplici ejus festivitatis : quæ ei data est per decretum, die* 11 *Augusti anni* 1770 *Clementi XIV probatum* (4), *et simul concessum ut sequentia in choro recitarentur :* LECTIO IV. Juliana, prope Bustum Arsitium in lucem edita,
C inter ipsa infantiæ primordia futuræ sanctitatis non obscura præbuit indicia : frequenter enim et ecclesiam adibat et avidissime audiebat verbum Dei; invictæ pariter fortitudinis D egregium specimen exhibuit, præferocis genitoris injurias et verbera constanter perferens, ne virginitatis propositum nubendo violaret. Hac de causa, germano comite, clam aufugit et, ut inviseret Beatam Catharinam de Pallantia, fama sanctitatis percelebrem, montem Varisium ascendit: ibi a Dei famula in sociam recepta et salutaribus monitis instructa, eximiæ perfectionis iter arripuit. Hinc singularis fuit ejus in cibo, potu ac somno sobrietas : flagris et cilicio corpus castigans, numquam otio vacavit. Veritatis amantissima, ficta verba summopere odio habuit : in pauperes vero præcipue, quorum necessitatibus pro viribus consulebat, peculiari caritate flagravit. LECTIO V. Solemni deinde professione emissa in monasterio, a beata Catharina sub regula sancti patris Augustini recens fundato, vota, a se Deo nuncupata, studio et cura singulari servavit præsertim [obedientiam], Christi exemplo proposito, ita ardenter excoluit ut hæc virtus admirabilis in ea fuerit. Precibus ita erat addicta ut, modica corpori concessa E quiete, orationi in ecclesia noctu etiam vacaret. In adversis patientissima fuit et nullum umquam iræ indicium ostendit, nisi dum agebatur de rebus iis, quæ Dei honori et gloriæ adversabantur. Licet autem tam insigni sanctitate Juliana præstaret, tamen exhibens se hilari et angelico vultu affabilem omnibus, in omni sermone humilitatis virtute morum suorum probitatem eximiam diligentissime celabat. LECTIO VI. Lethali tandem aggressa morbo cunctis ecclesiæ sacramentis muniri voluit et extrema etiam vitæ die ad Missæ sacrificium assistens, nocte Assumptionis beatæ Mariæ virginis humi (ut optaverat) strata, anno salutis millesimo quingentesimo primo migravit in cælum. Ab ejus obitu miracula nonnulla publicum ei cultum conciliarunt : quo postea comperto riteque probato, Clemens decimus quartus Julianam beatorum catalogo indulsit adscribi. ORATIO : Deus qui in dilecto Filio tuo eximium humano generi obedientiæ exemplum præbuisti : concede nobis, quæsumus, intercedente beata Juliana virgine tua, ut, quæ a te jussa cognovimus, implere cælesti F inspiratione valeamus. Per. *Reliqua de communi virginum. Missa* Dilexisti.

(1) Voyage dans le Milanais, tom. I, pag. 302 et seqq. — (2) Description de Milan et de ses environs, pag. 214. — (3) Milano Sacro, 1840, pag. 200; 1855, pag. 196. — (4) Novaës, Elementi della storia de' sommi Pontefici, edit. III, tom. XV, pag. 170 et 171.

DE

A D

APPENDIX.

DE FABULOSO S. MACARIO ROMANO,

QUI INVENTUS EST JUXTA PARADISUM, ET OLIM IN PATRIARCHATU CONSTANTINOPOLITANO CULTUS FUIT,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. V. D. B.

§ Unica. Gesta S. Macarii Romani fabulosa sunt. An ipsa persona sit fabulosa. Ejus cultus apud Græcos et Russos.

In opere Bollandiano non tantum quærendum de rerum, verum etiam personarum exsistentia;

Bollandiani operis scopum et finem non in enarrandis solummodo Sanctorum gestis, verum etiam in eorum historiis expendendis et rebus eorum omnibus expendendis esse positum quis ignorat? Hinc inquirendum non tantum nobis est in ea quæ sancti dixerint, egerint, passi fuerint, verum etiam cernendum an, qui sancti dicuntur, legitimum habeant cultum. Atque hic quotidianus fere noster labor est. Ast longius procedendum aliquando videtur et movenda nonnumquam (licet rarius) quæstio an qui sancti habentur, in natura rerum exstiterint; et quidem talis moles nunc nobis versanda est. Ecce autem quid rei sit. Qui S. Macarius *Romanus dicitur, ab antiquissimis temporibus in ecclesia orientali colitur die* 19 *Januarii aut* 23 *Octobris; sed ejus historia certissime maleferiatorum hominum fictio est: unde oritur dubium an qui gesta, quæ illa scriptione continentur, commenti sunt, similiter S.* Macarium, *cui ea attribuerunt, de cerebro suo protulerint.*

talis quæstio instituenda est de S. Macario *Romano.*

2 *Fac enim nobis obviam esse lucubrationem recentem qua tres viatores ponuntur narrantes se trajecisse mare et ivisse in Americam; in itinere autem naufragium fecisse et appulisse insulæ, in qua miranda multa viderint: scilicet antrum Æoli, occupatum a sedecim geniis, ventum in universas orbis partes spirantibus; fontes, alios fundentes vinum, alios lac; simias, curribus vectas aut insidentes equis et alia id genus prodigia; deinde a se inventum illic esse venerabilem senem, qui, quum eos fame pereuntes videret et frigore, amicissime eos exceperit, nutriverit et foverit; deinde eum sibi dixisse quomodo ipse aliquando, aerostatico folle vectus, ad hanc insulam venerit et magos et sagas, qui eam tenebant, ex ea expulerit; postquam autem hæc audissent et refecissent vires, se cecidisse ligna, construxisse navem eaque quam primum in Europam rediisse. Jam quæro, si narratiuncula hujus generis nobis objiceretur, quid statuendum videretur. Imprimis nemo dubitaret quin hæc plena esset fabulis et mendaciis; deinde incerti essemus utrum viatores illi vixerint, an vero non minus fabulosi sint quam quæ vidisse perhibentur miracula; et tertio demum, etiamsi constaret viatores illos vere vixisse et adhuc vivere, dubium superesset an viderint in illa* E *insula senem beneficum eo olim per aera delatum. Et (ni fallor) etiamsi illi viatores statuas de pecunia sua in ejus beneficiorum memoriam erigerent, parum fidei eis haberemus, nisi aliis testimoniis, multo melioribus, certum esset reapse in illa insula optimum senem degere, ad opitulandum naufragis semper promptum et paratum; etenim quamdiu illi testes defuerint, non imprudenter unicuique viro provido dicere licebit viatores illos æque comminisci potuisse hujus senis exsistentiam ac tot alia quæ fabricati sunt portenta.*

Hic Macarius, *idem non est ac qui laudatur a Palladio;*

3 *Jam vero quæ in S.* Macarii *Romani historia narrantur prodigia non minus incredibilia sunt quam Æoli antrum, rivi viniferi et lactiferi, simiæ equitantes et alia id genus. Deinde tres qui ad eum profecti dicuntur viatores alias omnino incogniti sunt; et tertio S.* Macarius *ille ex alio nullo testimonio innotuit. Atque hic obvium habemus Baronium, qui putavit S.* Macarium *Romanum eumdem esse ac Macarium illum, quem Palladius inter eos recenset, qui non procul a Roma visitarunt Opianum, aliis dictum Pinianum, olim S. Melaniæ Parvæ maritum, deinde triginta monachorum abbatem.* Ad eum, *inquit* (1), *scilicet ad Opianum* accessit vir proconsularis, nomine Pammachius, qui cum mundo renuntiasset, vitam egit optimam et suas opes partim quidem vivus dispersit, partim autem moriens reliquit pauperibus; similiter etiam quidam nomine Macarius ex vicaria; Constantius quoque, assessor præfectorum Italiæ : insignes viri et eruditissimi, qui pervenerunt ad summum pietatis et religionis; quos existimo adhuc nunc esse in carne, optimam instituendæ vitæ rationem exercentes beatamque vitam et nulli exitio obnoxiam exspectantes. *Hæc sub annum* 413 *Palladius : quæ nota temporis primum argumentum esto quod de alio hic agatur* Macario *quam de Romano; quum hic, ut ex dicendis patebit, ante inchoatum sæculum* IV *ascesim incepisse ferretur. Deinde Macarius Palladii, antequam monachus factus est, vicariam præfecturam gesserat; unde dicitur* Ma- F

(1) Historia Lausiaca, cap. 36, aliis 129, 130 et 132, ap. Rosweydum, Vitæ Patrum, pag. 775.

carius

AUCTORE V. D. B.

carius ex vicaria. *Jam vero vicariam præfecturam gerere omnino non potuit,* quum *vix* pueriles excessisset annos; *qua se fuisse ætate profitetur S.* Macarius *Romanus, quum, a patre ad nuptias impulsus, domo aufugit et in solitudinem abiit. Arbitratur itaque Rosweydus et (ni fallor) omnes ei jam consentiunt Macarium Palladii eumdem esse ac Macarium, cui Ruffinus inscripsit Apologiam pro Origene et ejusdem Principiorum versionem* (1), *seu etiam cui S. Paulinus Nolanus epistolam suam scripsit* XLIX, *alias* XXXVI; *de quo etiam meminit Gennadius cap.* 28 *Catalogi illustrium Ecclesiæ scriptorum et ad quem demum alludit S. Hieronymus in Apologia* II *contra Ruffinum* (2).

sed fabulosus ille vir, de quo S. Hieronymus in prologo Vitæ S. Pauli,

4 *Verum S.* Macarius *Romanus non solum plane incognitus est aliis omnibus scriptoribus (et tamen multos habemus qui sæculo* IV *et* V *insignium monachorum gesta et dicta collegerunt), sed inter fabulas a S. Hieronymo videtur fuisse relatus. Quum hic enim in Prologo Vitæ S. Pauli, primi eremitæ nuncupati, quæreret a quo monacho primum habitari cœperit eremus (quæ quæstio valde diversa est a dubitatione qui primum religiosam vitam coluerint), ex testimonio duorum discipulorum S. Antonii statuit hanc laudem S. Paulo eremitæ dandam esse. Sed continuo sibi objicit nonnullos alia jactitare; scilicet* subterraneo specu crinitum calcanco tenus hominem *ante S. Paulum ascesi eremiticæ dedisse operam,* et multa quæ persequi otiosum est incredibilia fingentes. Quorum, *sic prosequitur eruditissimus scriptor* (3), quia impudens mendacium fuit, ne refellenda quidem sententia videtur. *Quibus verbis negasse censendus est S. Hieronymus antiquum illum monachum exstitisse; quandoquidem aliter prorsus non valeret argumentum. Si enim voluisset tantum in subterraneo specu non degisse illum hominem, sed sub dio aut in tugurio; non fuisse calcaneo tenus crinitum, sed abscissis capillis et vestibus tectum; hinc prorsus non sequeretur eum ante S. Paulum non exstitisse. Contendit itaque sanctissimus vir universam historiam mendacium fuisse atque ipsum hominem numquam fuisse in vivis.*

B

ut recte sensit Papebrochius, Rosweydi et Henscheniijudicio relicto.

5 *Sed expendenda videntur quæ ad hunc locum notavit Rosweydus :* Talis, *inquit* (4), describitur S. Macarius Romanus hic post in ejus Vita : *Capilli capitis totum viri corpus operuerunt.* Sed ille S. Paulo Thebæo posterior : quia vixit post imperium Juliani, ut habetur in ejus Vita... Tali capillitio et S. Onuphrius infra in ejus Vita : *Cui tanta capillorum prolixitas erat ut corpus illius ipsorum diffusione tegeretur.* Hic etiam S. Paulo fuit posterior, cujus et probata Vita. Quare ad aliam aliquam de fictitio eremita fabulam D. Hieronymus hic respexerit : *quam sententiam calculo quoque suo probavit Henschenius* (5). *Contra pluribus locis contendit Papebrochius* (6) *S. Hieronymum illis verbis tamquam censoria virgo strinxisse S.* Macarii *Romani Vitam, adeoque vix in dubium vocari sinit quin reapse hæc S. Hieronymi mens fuerit. Equidem æstimo etiam rem ita esse : convenit enim spelunca subterranea, calcaneo tenus crinitus homo; incredibilia multa, mendacia impudentia; attamen fatendum est objectam a Rosweydo et Henschenio difficultatem seriam esse et nullatenus contemnendam. Etenim S. Paulus sub annum* 250 *in eremum secessit in eaque obiit anno* 342, *annos natus* 113; *S.* Macarius *autem in vivis repertus dicitur post Juliani Apostatæ cædem, anno Christi* 363 *peractam; et quum aliunde nuptiarum tempore, quas Romani ante annum ætatis decimum octavum inire non solebant, perhibeatur solitudinem petiisse, ut eam ante S. Paulum adiisse dici possit, statuendum est eum vixisse annos plus centum triginta unum aut duos. Maxima utique senectus et vix credibilis. Verum quum fabulatores illi probe nossent passim eremitas longissimam vitam vivere, certe deterriti non fuissent ab assignandis tot annis S.* Macario. *Sed nuspiam accurate perhibent quo tempore eremum ille intraverit aut quot vixerit annos; sed narrant tantum* ipsius capillos capitis ac barbæ fuisse candidos ut lac; præ senectute nimia oculos non fuisse apertos, eo quod supercilia eos cooperiebant; et cutem faciei ejus quasi pellem testudinis *fuisse. Quæ perpendens Rosweydus* (7) *fatetur S.* Macarium *cœvum esse potuisse S. Paulo; atque hinc forte etiam collegit S. Hieronymus fabulatorum illorum (qui id tamen nuspiam produnt) consilium fuisse ut S.* Macarius *haberetur ascesim incepisse ante medium sæculum* III.

D

E

Papebrochius dubitavit an S. Macarius *Romanus umquam fuisset in rerum natura;*

6 *Sententia itaque illa S. Hieronymi nixus Papebrochius in animadversionibus ad Ephemerides Græco-Moscas aperte in dubium vocat an ullus aliquis umquam exstiterit S.* Macarius *Romanus :* Si tamen vere fuit aliquis, *inquiens* (8); *et in Commentario de S. Pachomio seu potius in appendice de Pachomio Juniore longius etiam (si fieri possit) abiit* (9). *Et quoniam, ut continuo videbimus, Græci aliique Orientales, patriarchatui Constantinopolitano subditi, S.* Macarii *Romani memoriam quotannis festive recolunt die* 19 *Januarii aut* 23 *Octobris, atque hinc repeti potest argumentum, quo saltem suadeatur non præpropere procedendum esse in neganda illius sancti exsistentia et sanctimonia, hæc subdit :* Rosweydus, non ausus eam (*S.* Macarii *Vitam*) probare, excusat tamen quod passus sit ut ante fuerat impressa recudi, eo quod ad XXIII Octobris sumptam inde epitomen invenerit in Græcorum Menæis et locum exinde citatum in Decreto Gratiani. Sed in hoc minoris forsitan fecisset Menæa, si visis quot nos vidimus mss. synaxariis, ubique istiusmodi epitomen deesse cognovisset, adeoque novitium additamentum istud censeri posse æque ac alia : et ut plura synaxaria haberent eam, non aliud inde sequeretur quam antiquissimæ fabulæ (*scriptæ nempe ante annum* 380 *quo S. Hieronymus Vitam S. Pauli edidit*) antiquitus fidem habitam a Græcorum nonnullis. *Atque hæc ille.*

F

nil contra dubitavit Politus; sed rationes, quas affert,

7 *In aliam omnino sententiam concessit Alexander Politus, clericorum regularium Scholarum Piarum sodalitii alumnus; qui omnino non cogitans aut animo volvens an satis constet S.* Macarium *Romanum umquam de genere*

(1) Vitæ Patrum, pag. 231. — (2) Cfr Annotatum 197 Rosweydi in scripta S. Paulini, ap. Migne, Patrologia latina, tom. LXI, col. 898. — (3) Ap. Rosweydum, Vitæ Patrum, pag. 17. — (4) Ibid. pag. 22. — (5) Act. SS. tom. I Januarii, pag. 604. — (6) Ibid. tom. I Maji, Ephemerides Græco-Moscæ, pag. XII et XIII et tom. III Maji, pag. 359. — (7) Vitæ Patrum, pag. 22. — (8) Act. SS. tom. I Maji, pag. XII. — (9) Act. SS. tom. III Maji, pag. 358 et 359, num. 2 et 5.

humano

A *humano fuisse adeoque id unum quærens an cultus ejus sit legitimus, hæc scriptis mandavit* (1) : Macarium illum Romanum minime venerantur Latini. Liceat tamen per nos Græcis eum colere. Neque enim propterea quod multa de eo falsa et fabulosa in vulgus manarunt, in suspicione sanctimonia hominis ponenda : quo de tamquam ex beato Hieronymo illustre exstat testimonium apud Gratianum caussa 27, quæst. 2, cap. 26 : « Sponsi vero, « etiam inconsultis quas sibi desponsaverant, « exemplis et auctoritate probantur continen- « tiam posse servare. Ut enim refert beatus « Hieronymus, Macarius, præcipuus inter « Christi eremitas, celebrato nuptiarum con- « vivio, quum vespere thalamum esset ingres- « surus, ex urbe egrediens, transmarina petiit « et eremi solitudinem sibi elegit. » Atque ut Macarii Romani Vitam minime scripserit Hieronymus, tamen tanti apud nos est atque esse debet ecclesiæ Græcæ auctoritas, ut, quos Græci jam inde ab antiqua certaque memoria, probante, certe quidem non repugnante ecclesia Latina, sanctorum numero habent, eosdem B Latini loco omnino suo stare velint : quippe quum una sit ubique terrarum ac gentium catholica Christi ecclesia. Plerisque aliis sanctorum sua constat sanctitatis fides, tametsi eorum aliquando historiis nebulones multa παραδοξα atque incredibilia affinxerint. Elogium est illud Græcorum die 23 Octobris in sanctum Macarium Romanum :

Ἔρημον ἠγαπησας οἰκειν, Παμμακαρ,
Θεῷ ὁμιλειν καταμονας τῳ μονῳ.

plane vanæ sunt. 8 *Verum hæc valde levia sunt. Quis enim ignorat ab ecclesia Romana multa tolerari quin quidpiam hinc concludi possit? Alia profecto res est generalis cultus alicujus sancti, a pontifice Romano aut ab ecclesia catholica solemniter approbatus; alia cultus particularis, in singularibus aliquot tantum ecclesiis* (*qualis Constantinopolitana est*) *usitatus, maxime si absque prævio virtutum et miraculorum examine, sed vulgi fervore aut singularium virorum auctoritate introductus sit. Errorem subesse posse cultui huic particulari fatetur Benedictus XIV* (2); *et reapse sæpe subesse nonnullis locis ostensum* C *est in Annalibus ecclesiasticis Baronii et multo pluribus in Actis nostris sanctorum. Sed ut hæc evidentissima sunt, non diutius his immorandum est. Verumtamen dimittendus non est Politus absque nota, quod paulo ante citatum locum scripserit Papebrochium ad Ephemerides Græcas seu Græco-Moscas* arbitratum esse Macarium hunc Romanum eumdem esse atque Alexandrinum. *Tantum enim abest ut utrumque confuderit ut contra scripserit* Macarium *Romanum nudum ibidem pictum esse et villosum instar canis, ut his signis diversus esse indicaretur a Macariis, Alexandrino et Ægyptio dictis. Cæterum ea omnia, quæ S.* Macario *Romano adscribuntur, diversa sunt ab aliorum cognominum sanctorum gestis, ut cæcus eum ab iisdem distingueret; atque hac quoque de causa omittimus hanc partem, quum plane hoc loco inutilis sit.*

9 *Non multum itaque profecit Politus ad stabiliendam S.* Macarii *sanctimoniam, nedum ad confirmandam ejus exsistentiam. Contra probandus omnino non videtur Papebrochius, quum cultum S.* Macarii *Romani recentem esse persuadere conatus est. Non ita est. In Menologio enim Basilii Porphyrogeniti, ante annum* 984 *conscripto, ad diem* 19 *Januarii legitur* (3) : Eodem die commemoratio sanctorum patrum nostrorum Macarii Romani et alterius Macarii Ægyptii. Sanctus Macarius Romanus, a patre invitus uxorem ducere coactus, ea relicta, fugam arripere suæque saluti consulere constituit. Quare angelus Dei, statim eum assumens, ducem se illi præbuit et ad Paradisum usque perducens, in loco viginti milliaribus ab eo dissito collocavit : ubi tres illum monachi invenerunt, Theophilus, Sergius et Hyginus, quibus exposuit quæcumque viderat admirabilia et stupenda. Tandem decrepita ætate migravit ad Dominum. Alter vero sanctus Macarius *etc.*

AUCTORE V. D. B.

S. Macarii *cultus apud Græcos antiquus est, ut constat ex Menologio Basilii,*

10 *At liber ille ecclesiasticus non est, inquies. Re quidem vera menologia apud Græcos non amplius in usu sunt; sed olim in usu fuisse res certissima est. Suadet id enim imprimis locutio ubique obvia :* Τῃ αὐτῃ ἡμερᾳ μνημη του ἁγιου***; Eadem die commemoratio sancti N.; *quæ in hodiernis Menæis post odam sextam adhuc legitur. Deinde non unum Basilii Porphyrogeniti Menologium exstat; sed alia plura eamdem fere habent normam, maxime Sirmondianum, totum ex brevibus sanctorum elogiis constans. Tertio nil aliud est Menologium quam pars Menæorum, quæ profecto libri ecclesiastici sunt; quemadmodum Legendaria seu Passionalia Latinorum ad officium divinum itidem pertinebant; adeoque inter sanctorum encomia quæ in vulgatis Menæis leguntur et inter ea quæ Basiliano Menologio continentur, hoc unum est discrimen quod in Menæis sancti, quorum proprie festivitas agitur, longiorem Vitam ibidem habent, alii vero sancti, quorum commemoratio tantum fit, aliquanto breviorem; dum in Menologio ubique eadem brevitas servata est. Quarto liberum olim fuisse videtur alterutrum genus usurpare; nam inter Nanianos codices, quos illustravit Mingharellius, venit num.* CXC *codex chartaceus, scriptus sæculo* XVI *aut* XV, *continens commune Menæum Julii atque id speciale habens ut* plerorumque F sanctorum duo apponantur officia, alterum longius, brevius alterum. Breviori autem, *inquit illustrator* (4), plures versiculi iambici et unus hexameter præponitur : breve quoque elogium sancti, qui eo die colitur, ab eo quod in Basilii Menologio exstat, parum diversum additur. *Demum, ut auctoritas extrinseca respuenda non est, Menologia inter libros ecclesiasticos nil dubitans recenset Leo Allatius* (5); *cui tamen consentire non possum Menologia Græcorum non alia esse quam quæ Latinus* Martyrologia *aut* Calendaria *dixerit. Potius enim æquiparanda sunt lectionibus secundi Nocturni et tertiæ tertii Nocturni, quando commemoratio facienda est simplicis.*

qui liber vere liturgicus fuit.

11 *Utut id est, ex dictis constat jam sæculo* X *memoriam S.* Macarii *Romani Constantinopoli celebratam fuisse. Quod cœpisse fieri multo ante non ausim dicere, quoniam S.* Macarii *Romani*

Apud Russos etiam cultus fuit et verisimiliter colitur.

(1) Martyrologium Romanum, commentariis illustratum, Januarius ad d. 2, pag. 48. — (2) De servorum Dei beatif. et canoniz. lib. I, cap. XLII, num. 9 et 10. — (3) Menologium Græcorum, jussu Basilii imperatoris Græce olim editum, part. II, pag. 121. — (4) Græci codices manu scripti apud Nanios, patricios Venetos asservati, pag. 395. — (5) De libris ecclesiasticis Græcorum dissertationes duæ, edit. Fabricii, pag. 61 et seqq.

nomen

AUCTORE V. D. B.

nomen abest a Calendario Constantinopolitano, sæculo VIII *conscripto et a Morcellio egregiis curis edito. Crediderim tamen ineunte sæculo* X, *quum Russi certissime Calendarium et Officia Constantinopolitana acceperunt aut saltem quæ ante habebant inde auxerunt* (1), *S.* Macarii *Romani festum aut saltem commemorationem fuisse in usu. Jam enim sæpius diximus in Ephemeridibus Græco-moscis, quæ Papebrochius edidit, S.* Macarii *Romani nomen et effigiem (nudi scilicet et hirsuti viri formam) picta esse; et quidem ad diem* 19 *Januarii, ad quam ejus commemorationem et encomium in Basiliano Menologio scripta esse jam monuimus; dum in recentioribus Menæis, v. g. in iis, ex quibus Sirletus Menologium suum hausit et quibus Raderus, Viridarium Sanctorum suum scribens, et Rosweydus, Vitarum Patrum editionem parans, usi sunt, S.* Macarii *Romani historia non ad* 19 *Januarii, sed ad* 23 *Octobris legitur. Quando autem posteriori hoc die cœperit fieri de S.* Macario *Romano mentio in officio ecclesiastico quis dixerit? Id autem certum in novissimis Menæis, quæ anno* 1843 *et sequentibus lucem viderunt Venetiis, expunctam esse non tantum S.* Macarii *Romani historiam ad dies* 19 *Januarii et* 23 *Octobris, sed etiam omnem de eo memoriam.*

B

Quare hæc Vita in appendice excusa sit.

12 *Quod qui hanc editionem curarunt viderent meram fabulam hanc esse narrationem, certe idcirco ab eis omissa est. An vero crediderint ipsam S.* Macarii *Romani personam non magis fuisse in rerum natura quam Robinsonis Crusoë a Gallis celebrati, et domni Quijotte, apud Hispanos nominatissimi, apud me ambiguum est. Quod si quæratur mea sententia, aperte profitebor me nihil (ut satis jam dixi) reperisse quare crederem S.* Macarium *Romanum umquam inter homines recensitum fuisse. Atque hac quoque de causa commentarium de S.* Macario *Romano nolui excudi inter Vitas Sanctorum, sed in appendice ad diem* XXIII *Octobris : quam rationem etiam tenuit Papebrochius in edenda S. Pachomii Junioris Vita, quod non gesta tantum, sed etiam ille ipse Pachomius sibi fabulosus haberetur. Superest ut jam sequatur Vita S.* Macarii *Romani secundum editionem Rosweydi, quam ipse secundum antecedentes editiones Vitarum Patrum et ms. codicem Einhamensem paravit.*

C

VITA FABULOSA

S. MACARII ROMANI,

SERVI DEI,

Qui inventus est juxta Paradisum,

AUCTORIBUS

Theophilo, Sergio et Hygino *a*.

a

Theophilus, Sergius et Hyginus finguntur reperisse S. Macarium *juxta Paradisum et mirabile id iter narrare.*

Gloria et magnificentia Deo soli benignissimo, qui per innumerabilia miraculorum exempla nos tepidos et indignos quotidie invitat ad beatæ vitæ cælestis gaudia. Nos itaque miseri et humiles monachi Theophilus, Sergius et Hyginus, deprecamur vos omnes sanctissimos patres et fratres, ut accommodetis aures his, quæ vobis narraturi sumus de vita et conversatione Sanctissimi Macarii Romani, qui apparuit nobis prope Paradisum ad viginti milliaria. Et hoc rogamus, ut fidem dictis adhibeatis, qui quidem multo melius nobis fuisse credimus sub silentii portu innoxios remanere, quam falsitatis reos puniri. D

Dicuntur prius coluisse eremum in Mesopotamia sub Asclepione,

2 Igitur nos prætitulati fratres, Theophilus, Sergius et Hyginus, propitia divinitate abrenuntiantes sæculo, venimus ad monasterium, quod est in Mesopotamia Syriæ in medio duorum fluminum Tygris et Euphratis, in quo vir clarissimus Asclepion hegumenus *b* multorum extitit pater monachorum. Ibi denique conjungentes, a prænominato patre et omni cœtu fratrum gratanter suscepti, ac jugo regulæ colla submittentes, communi vita conversati sumus. *b*

dein Jerosolymam venisse, c

3 Factum est autem tempore longo post hæc, hora nona quadam die synaxi expleta *c*, accedentes ad Euphratis fluminis littus, consedimus ibi, et aliquamdiu inter nos de sustinentia et conversatione simul et labore servorum Dei disputatum est. Tunc mihi misero Theophilo venit in mentem cogitatio : et respondens, dixi fratribus meis Sergio et Hygino: Velle mihi adest, o fratres dilectissimi, cunctis vitæ meæ diebus ambulare *d*, [illoque ire, ubi cælum terræ se conjungit *e*. At illi : Te, inquiunt, frater Theophile, ut fratrem spiritalem semper habuimus, et priorem, et amodo nullatenus a te separabimur ; nobis enim verba tua placent : idcirco, ubi corde concepisti, perge ; et nos in vita et morte tecum erimus. Itaque surgentes de loco, intravimus monasterium : factaque vespera, omnique diurni officii oratione completa, ceteris quiescentibus clam monasterio egressi sumus. Post hæc vero decem et septem dies ambulantes, conjunximus Jerusalem *f*, et sanctam resurrectionem Jesu Christi et crucem adoravimus. Deinde exeuntes in Bethlehem, vidimus et salutavimus sanctum præsepe, ubi Christus nasci dignatus est, et ubi stella Magos adduxit, Christo munera deferentes : et vidimus locum mirabilem, ubi angelus cum multitudine exercitus cælestis, gloriam in altissimis Deo canebat : qui locus ad duo miliaria longe a Bethlehem situs est *g*. In montem quoque Oliveti ascendimus, et ipso loco sancto adoravimus, ubi Christus pedibus stetit, quando elevatus est, et a nube susceptus adscendit ad cælos. Exinde Jerusalem reversi adoravimus Deum, et consignantes nos *h* et commendantes Christo et sanctis ejus, exivimus non habentes jam animum et mentem in hoc sæculo. E *d* *e* F *f* *g* *h*

post in campum ubi Julianus apostata occisus est;

4 Igitur nos Christi comitante gratia, viam continuo aggredientes, ac quinquagesimo die fluminis Tygris alveum pertranseuntes, terram Persarum ingressi sumus, et venimus in campum magnum et planitiosum, vocabulo Assia, in quo martyr Christi Mercurius apostatam Julianum peremisse legitur *i*. Deinde civitatem Persidis, nomine Kitissefodo *k*, intrantes, in qua tres pueri Ananias, Azarias, Misael requiescunt, non longe a Babylone, *i* *k*

(1) Cfr Précis historiques, 1858, pag. 340 et 341.

A adoravimus ibi et in eodem loco manducantes, et Domino laudis hymnum offerentes, mansimus dies aliquot. Inde profecti post menses quatuor, pertransivimus Persidis regionem, et Indiæ terram sumus ingressi. Ingredientes vero domum quamdam, et neminem ibi habitatorem reperientes, duos ibidem fecimus dies. Et ecce tertia post hæc die, apparuerunt advenientes duo armati, vir et femina. Nos vero nimio terrore perterriti, surreximus, illisque obviam ire deliberavimus. Ipsi autem nos videntes, simul et exploratores esse credentes, concito gradu per viam, qua venerant, redierunt : post aliquantulum con-
l gregati, de suis quasi tria millia Æthiopes *l* advenerunt. Qui festinanter domum, in qua eramus orantes, vallo circumdantes, nosque cuncti aspicientes, per quatuor ejusdem domus angulos ignem copiosum applicuerunt, vivos nos cremare nitentes. Quod nos adspeximus, timore valido exterriti, Christum omnium Salvatorem invocavimus, et in medium illorum prosilivimus. Tunc ipsi lingua sua
B multum invicem murmurantes, diuque contra nos frendentes, cum neque nos illos, nec ipsi nos ullatenus intelligere possemus, comprehendentes nos, in obscuro clauserunt carcere. Sedentibus ergo nobis in tenebris, non erat qui panem vel aquam tribueret. Nos denique cum lacrymis omnipotentis Dei creatoris omnium misericordiam invocare haud omisimus. Facientibus autem nobis ibi dies aliquot, iterum congregati, cum nos fame, et siti exanimes credidissent, circumdederunt carcerem. Sed cum orantes nos adspexissent, aperientes januam eduxerunt nos : et cum multum inter se murmurantes loquerenter, novissime cum lignis agrestibus cædentes nos acriter de finibus suis ejecerunt ; et octoginta dies sine cibo explevimus, sicut testis est nobis Deus.

dein in terram Chananæorum;

5 Ejecti itaque a finibus illis, iter fecimus dies multos in orientem : et devenimus in locum admirabilem, et campum gloriosum, qui arboribus altissimis plenus, et mellifluis fructibus abundabat. Denique nos glorificantes et laudantes Deum, manducavimus dulcifluos fructus, et saturavimus nos valde. Itaque
C exeuntes inde, terram Chananæorum ingressi
m sumus, qui ab aliis Cynocephali *m* dicuntur : et videntes illos, in aspectu eorum valde mirati sumus; ipsi vero cum mulieribus suis et parvulis, subtus in petris habitantes, nos omnino non tetigerunt, Christi nos protegente gratia.

et pygmæorum,

6 Inde igitur profecti contra orientem, cum centum et decem dies, eos pertranseuntes, iter nostrum fecissemus : intravimus terram gen-
n tis, quæ nominatur Pichiti *n*: ipsa vero gens in statura et altitudine sua non plus quam mensuram unius cubiti habebat. Et videntes nos, timore perculsi fugerunt. Nos autem Deum collaudantes, qui de illorum manibus nos liberavit, cursum nostrum quotidie acceleravimus.

postmodum in locum bestiis plane occupatum.

7 Post hæc autem devenimus in montes altissimos terribilesque, ubi sol non intrat, nec arbor nec herba crescunt : ibi ergo serpentes innumerabiles, et dracones, et aspides, sed basiliscos, et viperas, et unicornes, et bubalos vidimus multos : alias quoque bestias mortiferas multas, et venenosa animalia, quorum nomina vel naturam penitus ignoramus. Dextera igitur Dei nos protegente, illæsi D pertransivimus illa : sed et sibilos draconum et serpentium per viginti continuos dies in auribus habuimus, et non nisi aures obturantes illa ferre quivimus.

Vident continua prodigia et absidam, scriptam ab Alexandro Magno, viæ indicem;

8 Interea in locum incidimus terribilem, rupes habentem asperrimas, in altum erectas, et in ima descendentes. Nos ergo septem dies ibi fecimus, ultra progredi non valentes. Septima autem post hæc die apparuit cervus ante nos ambulans rugiendo, quem surgentes secuti sumus. Iter autem facientes, multo majores invenimus ante nos rupes. Nos vero maximo cum labore et angustia exinde evasimus, et venimus in campum planum et magnum, in quo elephantorum magna multitudo stabat : et per medium illorum illæsi transivimus: post hæc itaque minime nobis apparuit via. Tunc nos cum lacrymis clementiam Domini invocantes, et per novem dies sine cibo per devia ambulantes, conjunximus tandem in locum planitie largum, qui fructibus plurimis abundabat. Jam ergo tenebræ densissimæ cuncta illa repleverant loca : nec ali-
E quid lucebat, sed nebulæ obscurissimæ erant. Tunc nos nimium turbati et afflicti, cadentes in terram, cum planctu valido orantes clamavimus ad Deum, et in eodem loco dies septem complevimus, non manducantes nec bibentes, nec lumen cæli videntes. Nobis autem valde afflictis, et in oratione persistentibus, post dies septem affuit columba, quæ nobis appropinquans, ac diu circa nos volitans, et pennulas fortiter percutiens, quasi ad ambulandum nos confortabat. Tunc nos Deo agentes gratias, surreximus : illaque præcedente, per devia iter fecimus : et ecce ante nos maximam invenimus absidam *o* in circuitu scriptam. *o*
Videntes vero scripturam illam, gavisi sumus, et collaudavimus Dominum. Hæc autem erat scriptura : « Absidam istam fecit Alexander Philippi Macedo imperator, quando persecutus est Darium regem Persarum. Qui terram hanc ingredi voluerit, ad manum sinistram vadat : ad dexteram enim terra invia, et rupibus et angustiis est plena. »

locum judicii et pœnarum, homines centum cubitorum,

9 Nos igitur ad lævam intrantes, ambulavimus dies multos. Et factum est post quadraginta dies, euntibus nobis, venit pessimus et intolerabilis fætor; ex quo velut exanimes effecti, et cadentes in terram, oravimus Dominum, ut jam clementer recipi juberet animas nostras. Post modicum vero surgentes a terra, adspeximus lacum magnum, et multitudinem serpentium in eo ignitorum : et ex ipso lacu exierunt voces, et audivimus ululatum et planctum magnum, quasi populi innumerabilis et de cælo vox sonuit, dicens: Locus iste judicii et pœnarum est, in quo cruciantur qui Christum negaverunt. Nos autem vocem hanc audientes, et pectora percutientes cum lacrymis et timore nimio ipsum transivimus lacum, et venimus inter montes duos altissimos, et in medio ipsorum apparuit nobis homo longa statura, quasi centum cubitorum, et ipse catenis constrictus æreis, toto ligatus erat corpore. Duæ autem catenæ de una corporis parte, in monte erant fixæ, et duæ in monte altero, et ignis maximus in circuitu ejus ex omni parte. Vox autem clamoris illius audiebatur, quasi per quadraginta miliaria. Qui ut nos

A nos vidit, plorans et ejulans fortissime exclamavit : crudeliter enim ab igne cremabatur.

mulierem draconе circumvolutam,

10 Cumque nos talia cerneremus, valde pertimuimus : et cooperientes facies, a longe ipsos transivimus montes : et ecce in alium continuo devenimus locum, ubi rupes multæ et profunditas magna erat. Ibi etiam quamdam vidimus feminam crinibus solutis stantem, toto corpore a maximo et terribili dracone involutam. Quandocumque ergo ad loquendum os suum aperire voluisset, caput suum draco confestim in os ejus mittens, linguam ipsius mordebat. Capilli autem hujus mulieris ad terram usque descendebant. Cumque in illam mirantes et pavidi adspiceremus, subito de ipsa profunditate vallis miserabiles audivimus voces, dicentes : Miserere nobis, miserere Christe, fili Dei altissimi. Nos itaque vehementer exterriti, ponentes genua in terram oravimus, dicentes cum lacrymis : Domine, qui nos creasti, tolle animas nostras, quoniam judicia tua oculi nostri viderunt in terra.

volatilia loquentia,

11 Surgentes autem, ingenti luctu, et mœrore simul et timore venimus in locum alium, in quo arbores multas et maximas vidimus, habentes similitudinem ficorum : in ramis autem ipsis volatilia multa, similia avibus cæli, voce humana fortiter clamabant, dicentia : Parce nobis, Domine, qui plasmasti nos; parce nobis, misericors : quia peccavimus ante faciem tuam super omnem terram. Nos autem oravimus, dicentes : Domine misericordissime, ostende nobis ista, quæ vidimus, miracula tua, quoniam ignoramus, quid sint. Venit ergo vox dicens : Non est vestrum nosse mysteria, quæ vidistis : viam pergite vestram.

quatuor viros cum gladio et igne viam munientes,

12 Inde igitur cum ingenti pavore egressi, devenimus ad locum honorabiliorem ac speciosissimum, in quo quatuor viri stabant, habentes figuras venerabiles, tamquam mira pulchritudine decoras, ut credi aut fari omnino facile vix possit : isti siquidem coronas aureas, gemmis et lapidibus honorifice compositas, in capitibus habebant, et in manibus palmas aureas gestabant. Ignis vero maximus terribilis ante illos, et spathas acutissimas ante se

C tenebant. Nos vero ista cernentes, ac valido perculsi timore, exclamavimus ad illos dicentes : Domini et servi Dei excelsi, miseremini nostri, ut spathæ et iste ignis nobis non prævaleant nocere. At illi respondentes nobis, dixerunt : Nolite timere, viam quam vobis Deus monstravit, ite securi : nos enim Dominus in isto posuit loco, ut viam hanc servaremus et custodiremus, usque in diem judicii, quando orbem terræ judicaturus adveniet.

ecclesiam crystallinam admirandam,

13 Hoc nos audientes a sanctis viris illis, ac de longe eos salutantes, pertransivimus locum ipsum : et per quadraginta continuos dies ambulavimus, nullum omnino cibum sumentes, aquam tantum bibentes. Ambulantibus ergo nobis, subito voces populi innumerabilis audivimus psallentium, et odor suavissimus quasi balsami optimi et pretiosissimi venit nobis, et sicut de mellis favo dulcissimo os nostrum indulcoravit. De suavissimo igitur odoris nectare, ac cælestis melodia cantilenæ sopor nos arripuit. Post modicum autem surgentes e somno, vidimus ante nos ecclesiam, mirabili ornatu decoratum, ac pretiosissimam, quæ tota quasi crystallina videbatur; in medio D autem ipsius ecclesiæ altare honorificum, et de altari aqua egrediebatur, quæ lactis candidissimi colorem habebat. Nos autem aquam ipsam in veritate lac speravimus. In circuitu vero fontis illius, stabant viri sancti et honorabiles, et cantabant canticum cæleste, id est, voces Cherubim. Nos autem hæc intuentes, timuimus valde; ipsa vero ecclesia a parte meridiana similitudinem habebat lapidis prasini pretiosi, a parte australi colorem sanguinis mundissimi prætendebat, a parte autem occidentali tota erat alba, instar lactis et nivis candidissimæ : stellæ super ipsam ecclesiam plus quam hujus mundi sidera lucebant, sol ibi septempliciter lucebat et calebat, quam in hujus terræ regione ; alpes et arbores omnes plus altæ et folia ac fructus plures et dulciores quam istius mundi arbores habebant : sed et aves cæli aliter resonabant, quam aves terræ istius : omnis autem terra ipsa duplices habebat colores, id est una facies alba erat ut nix, et alia rubicundissimis coloribus erat. Nos igitur stupentes, et in eodem loco adorantes, ac ipsos viros salutantes, cum timore E egressi, cæptum iter arripere festinavimus.

et homines cubitales.

14 Denique post hæc centum impleti sunt dies, ut Dominus testis est nobis, quod nullo refecti sumus cibo, aqua nos frequentius refocillantes : cum ecce subito euntibus nobis, venit populi innumerabilis multitudo virorum ac mulierum obviam, in unum conglobati : non autem inter illos longiorem, præterquam unius cubiti staturam, vidimus. Tunc miserabilis ego peccator Theophilus dixi fratribus meis Sergio et Hygino : Solventes capillos nostros, veniamus adversus eos, forsitan fugient a nobis, et liberabit nos Dominus de manibus illorum. Quod cum ipsis visum fuisset bonum, solutis fasciolis et capillis nostris, irruimus super eos repente, ipsi autem hoc cernentes confestim filios suos arripientes, stridentesque dentibus, citius aufugerunt omnes. Nos autem Dominum collaudavimus, qui eripuit nos : et transeuntes flumen, invenimus herbas candidas et albas, sicut lac, dulces velut mel, altas vero usque ad unum cubitum. Manducantes itaque de herbis mel- F lifluis, ac nos saturantes ex eis, gratiarum actiones creatori omnium obtulimus, qui nos per tanta servavit pericula, ac gratuita nos sua gratia nutriebat. Nos interea iter agentes per devia, subito semitam invenimus speciosam et cadentes in terram, adoravimus et collaudavimus Dominum misericordem, qui eam nobis demonstravit.]

Speluncam S. Macarii subeunt.

15 Igitur per dies plurimos ipsam viam sequentes, tandem ad speluncam pervenimus honorabilem. Tunc signaculo sanctæ crucis membris undique munitis, in eamdem ingressi sumus cryptam; sed nullum ibi invenientes habitatorem, diximus inter nos : Munditia hæc non est, nisi de manu hominis. Maneamus ergo hic, usque ad vesperum, et videre habebimus loci hujus habitatorem. His ergo dictis, una hora, utpote lassi, resedimus, et subito odore suavissimo perfusi, obdormivimus. Rursum igitur parvo intervallo excitati a somno, foras speluncam exivimus, et contra orientem respeximus : et ecce subito figuram hominis a longe properantis vidimus, cujus

A cujus capilli capitis, instar lactis candidissimi aut nivis, quasi in aera volantes, totum viri corpus operuerunt. Ipse autem mox, ut nos a longe respexit, semetipsum in terram projecit protinus, ac rursum elevans se, ad nos ita clamare cœpit : Si vos ex Deo estis, sanctæ Crucis signaculo munite vos, ad me usque properantes : sin autem ex diabolo, fugite a me Dei servo. Hæc eo dicente, tali voce affati sumus : Benedic nobis, Pater sancte, et noli turbari : quoniam et nos servi sumus Jesu Christi, Domini et Salvatoris nostri. Renuntiavimus siquidem sæculo huic vano, factique sumus monachi. Talia ut audivit, illico ad nos venit : et manus suas ad cælum elevans, diutius oravit : et surgens ab oratione capillos ab ore et facie sua tollens, benedixit nos, ac locutus est nobis. Ipsius vero capilli capitis ac barbæ erant candidi ut lac, faciesque ejus sicut vultus Angeli. Erat enim sicut lignum, secus aquarum decursus plantatum, et præ senectute nimia oculi ejus non aperiebantur, eo quod supercilia eos cooperiebant : ungulæ
B quoque manuum ejus ac pedum longæ nimis, barba vero et capilli corpus ejus omne circumdederunt : loquela illius exilis, et quasi de profunditate emissa : cutis faciei ejus quasi pellis testudinis *p*.

p qui eis dicit locum hunc distare viginti milliaria a Paradiso terrestri

16 Tunc ipse cum lacrymis ad nos exorsus est ita : Fratres mei benedicti, unde estis? vel unde huc advenistis? dicite nobis, qualiter se habeat genus humanum, vel quomodo fides Christianorum, et si Sarraceni vel Ethnici hactenus Christi populo persecutionem ingerunt *q*. Nos itaque ut interrogati sumus, ei per ordinem responsum dedimus, simul dicentes angustias et pericula, quæ per omnem passi sumus viam, et quia voluntas ac desiderium esset ire, ubi cælum terræ se jungit, aperuimus. Ipse autem ad hæc respondens ait : Filioli mei charissimi, audite me. Ab isto loco ultra ad paradisi loca non potest ire homo carne vestitus. Ego enim peccator exiguus, valde in hac etiam voluntate laboravi, cupiens ultra procedere, ut finem terræ ac poli cernere quivissem, sed nocte quadam adstitit mihi in visu Domini Angelus, dixitque ad me:
C Ne ultra procedas, neque Dominum tentare præsumas. Cui ego : Quam ob caussam, inquam, mi Domine, in antea pergere non licet? At ille : De isto, inquit, loco viginti sunt milliaria usque ad paradisum, ubi Adam et Eva in deliciis erant. Posuit denique Dominus ante eumdem paradisum cherubim cum ignea rhomphea atque volubili *r* ad custodiendum vitæ lignum : et habet a pedibus usque ad umbilicum similitudinem hominis, pectus sicut pectus leonis, manum sicut crystallum, habens gladium ut servet paradisum, ne aliquis illuc proximare valeat. Ego itaque hæc audiens ab Angelo, amplius non respondi, nec ultra procedere tentavi. Igitur ego Theophilus, et itineris mei socii ac fratres, ista a sancto audientes, prostrato omni corpore, collaudavimus Dominum et ipsum servum Christi salutavimus.

q

r

et se habere leones familiares, vespere cum eis synaxin facit.

17 Vespere autem facto, dixit nobis : Fratres mei dilectissimi, exite foras cellulam, et exspectate paululum : habeo enim leones duos, qui per diem foras ambulantes, sero ad me revertuntur *s;* ne ipsis subito venientibus,

s

mali aliquid patiamini ab eis. Nobis ergo cum D pavore paululum exeuntibus, leones rugiendo extemplo advenerunt, et ipsum sanctum Dei adoraverunt. Ipse vero, manus super eos ponens, ac colla demulcens, ait illis : Filioli mei, boni fratres tres de sæculo venerunt ad nos, ne faciatis illis malum. Continuo nos advocans, dixit : Fratres venite, et jam timere nolite. Nos vero cum pavore nimio intrantes, salutavimus illum, et vespertina synaxi celebrata, resedimus, glandes ac herbarum radices pro cibo sumentes, et aquam bibentes cum silentio. Mane autem facto, locuti sumus viro sancto, dicentes : Pater sancte et domine, obsecramus tuam beatitudinem ut conversationem tuam nobis enarres, et quomodo huc, aut unde venisti, et quo nomine voceris, edicito nobis.

18 At Sanctus nobis tale dedit responsum : Ego, inquit, mi amantissimi fratres et filii, Macarius vocor, in regali civitate natus et nutritus, filius viri Romani, qui inclytus fuit et in imperiali pollebat civitate *t*. Cum autem pueriles excessissem annos, me renuente ac nolente, pater meus desponsavit mihi uxorem, diemque statuit nuptiarum. Interea thalamo adornato, cum jam frequentia populi fuisset invitata, et sponsa sedente, pater meus hilarior effectus, cunctos invitatos hortatur ad voluptatem convivii. Omnibus autem, qui aderant, jocis ac saltationibus intentis, furtim exivi et domum viduæ cujusdam familiaris intravi, ac septem dies cum illa latitans permansi. Ipsa autem diebus singulis domum patris mei ingressa, audivit quæ de mea inquisitione loquebantur : et veniens, cuncta mihi replicans dixit. Pater autem meus cum me undique requirendo non inveniret, flevit amarissime, sed et mater, ac tota familia. Octava exinde die, id est, nocte dominica, mulierem illam salutavi, et egressus in publicam viam, inveni virum quemdam canitie venerabilem, quasi ad ambulandum paratum stantem. Quem adorans dixi : Quo pergere habes, senior sancte? At ille hilari vultu ad me conversus, dixit : Quo tu ire desideras, ego tecum ire dispono, eo quod itinera ipsa mihi oppido sunt cognita. Tunc ego confortatus, cœpi hominem sequi. Per domos vero exinde intrantes vicinas, per viam panem F rogavimus accipere, et accepimus. Per plurimos autem dies ambulantes, tandem pervenimus ad locum tormentorum, et intravimus angustias viarum omnium, unde vos venire dixistis. Cum ergo ad triginta milliaria prope lucum istum venissemus, quadam die sedentibus nobis, inter ipsa mutua colloquia repente socius meus disparuit. Tunc ego nimium turbatus, et quo me verterem ignarus, cadens in terram, plangebam validissime. Et ecce confestim sinemora is, qui ante disparuit cum magna claritate apparuit, et ita affatus est me : Noli turbari, dilectissime, ego enim sum angelus Raphael, in adjutorium tibi missus, qui te huc perduxi præcepto Altissimi. Dominus autem viam tuam prosperam fecit. Loca siquidem tenebrarum, loca tormentorum, loca pœnarum pertransisti, in lucem venisti, fontem aquæ vivæ et loca justorum vidisti : idcirco noli timere, sed surgens, viam tuam proficiscere. Quo dicto, rursus qui apparuit disparuit.

Postridie eis narrat se e nuptiis fugisse, ducem aliquando habuisse S. Raphaelem,

t

aliquando onagrum et signo crucis dissipasse

19 Ego vero, interea viribus receptis, surgens ambulare cœpi, et a longe onagrum intuitus, clamavi, dixique illi : Ave, per Christum, qui te creavit, ostende mihi viam, per quam ambulem : ipse autem concite occurrens, ingressus est ante me per semitam quamdam parvulam et angustam. Quem ego subsecutus sum, sicque duos complevimus dies, simul ambulantes. Die autem tertia aspeximus cervum miræ magnitudinis a longe. Quem onager videns et pertimescens, declinavit a me ; iterum ego solus relictus, angustiatus sum, viam omnino non habens. Tunc contra cervum clamans, dixi : Quia adjutorium mihi tulisti, per Deum te conjuro, semitam mihi ostende. Ad hanc vocem veluti animal domesticum ad me declinans, angustum ingressus ad callem, post tergum me semper adspiciens. Sic ergo tres insimul ambulavimus dies. Tum ecce quarta die immensum ac terribilem offendimus draconem, mediam distentum per viam. Quem ut cervus vidit, repente fuga elapsus evasit. Ego interim timore valido
B perculsus, in terram cecidi : deinde confortatus in Domino, surrexi : ac me signo sanctæ crucis muniens, ad draconem dixi : Deum omnipotentem time, et noli mihi nocere. Tunc ipse terribiliter de terra se erigens, humana me affatus est voce, dicens : Veni benedicte Domine, tu enim es servus Dei altissimi Macarius. Angelus autem sanctus Raphael, figuram et vultum tuum mihi demonstrans, præcepit concite, ut tibi occurrerem, atque perducerem in locum a Deo tibi præparatum. Ego itaque quarto hodie die te hic exspectavi, nihil omnino comedens. Hac vero nocte in nube lucidissima te sedentem adspexi, simul et vocem desuper audivi, dicentem mihi : Accelera, ut eripias Macarium servum Dei, qui adest, ut tibi prædixi. Quapropter surgens, sequere me, ne dubites, sed veni, et locum monstrabo tibi, ubi Dominum debeas collaudare. His ergo dictis, quasi vir juvenis apparuit, et mecum ad speluncam hanc usque pervenit. Cumque ingressi fuissemus, repente evanuit.

plura phantasmata; se vero specie muliebri deceptum fuisse a dæmone.

20 Tunc ego peccator in parte altera prospexi duos leonis catulos jacentes ; mater autem illorum juxta illos mortua jacebat. Quam ego foras ejiciens, sepelivi, et Dominum collaudans, glorificavi, qui tanta in me mirabilia fecit, et de tam gravibus angustiis liberavit; ipsos autem leunculos, frondes arborum decerpens ac illis porrigens, ut proprios enutrivi
u filios *u* ; sicque duos annos insimul quiete habitantes complevimus. Cum ecce post hæc laqueus diaboli, cujus numquam a servis Dei cessat invidia, affuit. Nam die quadam, hora quasi septima, e spelunca foras egressus, sole fervescente resedi : tunc subito subtile fasciolum
x *x* et oculis delectabile, juxta me in terra positum adspexi. Ego vero in memet ipso cogitans dixi : Unde in hac solitudine fasciolum? Æstimans tamen quia in veritate esset fasciolum, oblitusque ego miserrimus me signo crucis munire, quoniam quidem sacrosanctæ crucis signaculum omnem inimici enervat phantasiam, misi manum et levans fasciolum reportavi in speluncam. Altera nihilominus die egressus, calceos ⁊ femineos reperi jacentes in terra : sed nec tunc miser ego insi-
⁊ dias diaboli advertens, nec crucis vexillo me D muniens, calceos levavi, et in speluncam portans, fasciolo junxi. Tertia autem jam die iterum exiens, diabolum in decore vel specie mulieris, vestibus pretiosis indutæ, stantem inveni : ego vero miserabilis nec sic quidem laqueos inimici recordans, nec aliquomodo me signans, sed credens in veritate, quia mulier esset, ajo ad illam : Unde huc advenisti? aut quis te in hanc adduxit solitudinem ? Illa continuo flere amarissime cœpit. Tunc ego misellus, simul cum illa veluti compatiendo, valde ploravi. Post hæc respondens dixit : Ego miserrima, o pater sanctissime, filia sum viri Romani : quæ cum me invitam ac nolentem desponsasset juveni cuidam nobilissimo Romano, ac dies nuptiarum venirent, inter nuptias ipsas sponsus meus disparuit. Cumque turbati omnes, huc illucque eum inquirendo, turbarentur, ego gavisa effecta, clam exii : et nocte eadem iter arripiens, nec itineris ducem aliquo modo habens, per angusta montium ac vallium errando hucusque perveni. Hæc ego cum audissem, et omnia ita esse E credidissem, simul et sponsam meam fore sperans *aa* per manus apprehendi illam, et in *aa* hanc introduxi speluncam : lacrymæ vero ab ejus oculis nullatenus cessabant. Tunc ego miseriis et lacrymis ejus compatiens, et valde super eam dolens, sedere eam juxta me feci : similiter et glandes illi ad manducandum præbui ; non enim insidias diaboli intellexi, neque ullatenus crucis me signo munivi : sed similiter sedentes, diutius colloquia habuimus. Tunc cœpi quasi de labore nimio somno gravari : at illa manibus suis mea omnia membra mulcendo palpavit, et eo amplius somno gravatus sum. Quid morer ? Miser ego, qui antea numquam cum femina peccare consensi, in somnis me peccatum perpetrasse cognovi : nam subito expergefactus e somno, quasi cum femina discoopertum me in terra jacentem inveni; ipsa jam vero non apparuit.

Leones fugiunt et pœnitentiam agit Macarius, *sepultus in terra.*

21 Tunc infelix ego insidias diaboli sero advertens, foras speluncam citius exivi, et pectus feriens, ingentes lacrymas fudi. Ipsi interea leones, qui mecum aderant, meum intelligentes delictum, quantocius fugerunt a me. F Hæc autem cum cernerem, fugisse scilicet leones, cum luctu nimio ac dolore, cœpi Christi misericordiam devote invocare, quatenus et mihi pœnitentiæ normam ostenderet, ac leones ipsos redire juberet. Nec mora, clementissimus pater, qui me ad pœnitentiam servare voluit, illos confestim fecit redire leones, mecumque ingressi in hanc speluncam, humum pedibus suis ad unius staturam hominis aggerebant : ego autem hæc intelligens, collotenus ipsam intravi fossam, ipsis imperans leonibus, ut in eodem me sepelirent loco. Quod cum factum fuisset, annos tres sepultus in eadem fossa peregi. Interea ingenti pluvia descendente, rupta est spelunca desuper caput meum ubi stabam, et lucem vidi, et foras manus emittens, herbas quæ in circuitu super caput erant, decerpsi et comedi. Tribus itaque annis evolutis affuerunt, leones, et lumen circa me videntes, effodiebant humum, in qua me sepelierunt : ego quidem toto corpore sanus egressus sum, virtutem pristinam in me sentiens. Tunc glorificans Dominum meum

A meum Jesum Christum, exivi de spelunca, ponensque genua mea in terra, quadraginta dies et quadraginta noctes in eodem immobilis permansi loco, collaudans et obsecrans Deum, et gratiarum actiones offerens, qui tanta misericordiarum munera nobis peccatoribus jugiter præstat.

Christus ei apparet in spelunca.

22 His ergo completis diebus, respexi in speluncam, et ecce quatuor anguli ejusdem speluncæ, lumine cælesti resplenduerunt valde : et vidi Salvatorem Christum in schemate viri, quasi auream habentem in manibus virgam, ac dulcisona voce mirabilem cantum personantem ; vox autem illius vehemens et fortis, quasi mille hominum audiebatur. Cum vero jam melodiæ cælestis cantici explerentur, repente vox tribus vicibus insonuit, dicens: Amen, et in sempiternum amen. In ipsa igitur hora egressus a spelunca Salvator, scandebat ad æthera, et ecce continuo maxima ignis columna, quasi nubes valida, intravit speluncam et facta sunt tonitrua et immensæ coruscationes, et omnia cæli volatilia
B secundum proprias audivi voces canere, dicentia : Sanctus Sanctus Sanctus, Dominus Deus. Ego itaque dum hæc cernerem, simulque audirem, propter visionis magnitudinem territus valde sum, et in extasi raptus, cecidi in terram, et octo dies inde permansi, tunc namque intellexi, quia Salvator mundi Christus Dominus hanc ingressus speluncam benedixerit, illamque sanctificaverit. Tunc ego introgressus in eam, pro ignorantia propria ac negligentia, cœpi satisfacere, collaudans et glorificans Christum salvatorem ac redemptorem nostrum, et creatorem omnium, qui tanta me sustinuit patientia, et perduxit ad pœnitentiam et rursus talem mihi demonstravit clementiam. Quando autem hæc acta sunt, septem in hac spelunca, ætatis vero quadraginta annorum habebam. Ecce nunc vobis, velut filiis charissimis, omnem vitam meam in veritate enarravi. Vos ergo, si pugnas vel insidias maligni hostis sufferre potestis, considerate, et hic nobiscum manete : sin alias, ad monasterium, de quo egressi estis, revertimini, et Dominus sit in itinere vestro.

Tres peregrini, benedicti a S. Macario, *leonibus ducibus, revertuntur ad monasterium,*

23 Nos autem cum ista a sancto Dei audissemus , cadentes in terram , glorificavimus Dominum, qui facit mirabilia solus, et ad sanctum servumque Christi locuti sumus Macarium, dicentes : Pater beatissime Macari, ora pro nobis ad Dominum ut ad nostrum remeare possimus monasterium, atque conversationem tuam sanctam per omnes Christi ecclesias enarrare : credimus enim, quia Dominus idcirco nos perduxit ad te. Tunc senior diutius super nos orationem fudit, et fusa oratione, benedixit atque osculatus est nos omnes, et commendavit Christo, ut in pace dirigeret viam nostram; deinde tradidit nos leonibus illis, præcipiens eis, ut transducerent nos, quo usque loca tenebrarum pertransiremus , ubi pridem septem dies , et totidem noctes in tenebris jacuimus. Dimissi ergo a servo Christi sancto Macario, prospere ad absidam Alexandri pervenimus, ubi leones, salutantes nos, concito gradu reversi sunt ad servum Dei.

(1) Cfr Bulteau, Histoire monastique d'Orient, liv. II, chap. 16, pag. 336 et seqq. — (2) Ritter, Erbeschreibung, tom. XVII, pag. 1681; d'Anville, Géographie ancienne, tom. II, pag. 40. — (3) Ritter, tom. XVII, pag. 1667.

24 Igitur favente Christo Deo, sine angustia aliqua nostram ambulavimus viam , et introeuntes terram Persarum, venimus in campum mirabilem, qui dicitur Assia, ubi sanctus Mercurius interfecit apostatam Julianum, et ingressi denuo sumus civitatem Kitissefodo, in qua pueri tres requiescunt, non longe a Babylone. Post hæc Tigrim flumen pertranseuntes, quintodecimo die intravimus Jerusalem , et ad sepulcrum Domini nostri Jesu Christi, per cuncta loca Sancta Sanctorum orantes, gratiarum actiones Christo Salvatori omnium libavimus, qui nos sua gratia incolumes servavit euntes et redeuntes. Inde igitur egressi, veloci cursu ad nostrum pervenimus monasterium; et nostrum hegumenum, et fratres nostros omnes in pace et sospitate reperientes, per ordinem, quæ vidimus et audivimus mirabilia, et misericordias Domini, sed et vitam et conversationem beatissimi Macarii illis enarravimus. Quotquot autem hæc audiebant, laudabant et glorificabant, et hymnum dicebant Deo Patri omnipotenti, et Filio ejus unigenito , Domino ac Salvatori nostro, nec non et Spiritui vivificatori et illuminatori animarum nostrarum, qui trinus in personis, unaque Deitate nominatur, vivit et regnat ubique Deus benedictus et laudabilis, nunc et semper, per immortalia sæcula sæculorum. Amen. E

et fratribus quæ viderunt narrant.

ANNOTATA.

a *Ea nomina leguntur in Menologio Basiliano et in Menæis græcis. Editiones latinæ ante Rosweydum loco* Hygini *habebant* Thimum; *ms. Einhamense* Gunnum. *In Commentario prævio diximus terna illa nomina in historia literaria ignota esse; cæterum meræ larvæ sunt.*

b *Menæa :* Ἐκ της μονης του ἁγιου Ασκληπιου, *ex* sancti Asclepii cœnobio. *Theodoretus in Philotheo, cap.* XXV, *meminit Asclepii admirabilis monachi, decem stadiis a Cittica vico, ubi Zebinas sepultus et Polychronius ejus discipulus videtur vixisse. Sed quum illi ætate Theodoreti vixerint, antiquiorem aliquem Asclepium fuisse existimo, qui huic monasterio in Mesopotamia sito præfuerat; a quo et nomen accepit. Hactenus Rosweydus. Præterea Asclepius Theodoreti* F *versabatur non procul a Cyrrho seu Cyro* (1), *nunc* Choros *seu* Kûris (2), *duabus dietis ab Antiochia Syriæ ad septentrionem dissito, et nequaquam Mesopotamiæ seu Syriæ, immo Cyrresticæ finibus comprehenso; ager scilicet, quem incolebat, vicinus erat oppido Cirticæ seu Cittícæ (sic editiones Theodoreti latine; græce* Κιτταν *habent), alias ignoto, nisi sit præsens* Killis, *ad orientem* Choros *posita et olim* Ciliza *dicta* (3). *His itaque omissis, certissimum est jam medio sæculo* III *monasticam adeoque ipsam eremiticam vitam floruisse in Mesopotamia : de qua re non uno in loco dictum est in tomis* VIII *et* IX *Octobris.*

c *Hora nona, quæ æquinoctii tempore cum tertia nostra pomeridiana convenit, passim solvebatur jejunium. Hinc finiebatur ad hanc synaxis; aut si synaxis non esset, cessabant orationes et reddebantur libri. Vide de hac re Rosweydum in Onomastico Vitarum Patrum, verbo* Nona hora.

d *Omnia*

A d *Omnia hæc sequentia capita, inquit Rosweydus, quibus lunulas curavi præfigi (eadem nos uncis inclusimus), quæ stupendas continent peregrinationes, desunt Menæis. Existimo tamen fuisse in exemplari prototypo, ex quo Menæa suam de* Macario *historiam hauserunt; sed omissa in Menæis esse quod ad Vitam* Macarii *non spectarent. Certe Menæa horum trium sequentes peregrinationes satis his verbis insinuant :* Και της πορειας ἀρξαμενοι, ἀλλεπαλληλα ηὑρισκον δεινα · πη μεν ἐξ ανθρωπων, πη δε ἐκ θηριων θλιβομενοι, κακεχουμενοι και αὐτοις ἐστιν ὁτε της ἐκ των ἀγριων βοτανων τροφης στερουμενοι : iter auspicati, alia ex aliis mala experti sunt, modo ab hominibus, modo a feris illata, nonnumquam ab herbarum agrestium pastu retardati. *Quibus apparet Menæa paucis hæc peregrinantium incommoda, quæ aliquot sequentibus capitibus narrantur, exprimere.*

e *Fuit veterum multorum sententia, adnotat ad hunc locum Rosweydus, planam esse terram nec antipodes ullos esse; utque ita cœlum alicubi terræ jungeretur. Quin multi Paradisum certa terræ regione statuerunt sublimiore, ubi cœlum*
B *terræ jungitur. Alcimus Avitus lib.* I *de Genesi:*

Ergo ubi transmissis mundi caput incipit [Indis,
Quo perhibent terram confinia jungere cælo,
Lucus inaccessa cunctis mortalibus arce
Permanet.

Alios antiquos scriptores, similia sentientes, designatos vide in Kircmaieri tractatulo de Paradiso (1).

f *Phrasis istius sæculi; sic ante num.* 2 : Ibi denique conjungentes ; *sic post :* Conjunximus tandem, *id est, pervenimus. Ita Rosweydus; alia exempla vide apud Cangium, verbo* Conjungo; *respondet græco* ἀναζευγνυμι. *Annotat dein Rosweydus ex hoc loco et ex aliis, quæ in Onomastico ad verbum* peregrinatio *congessit, liquere quam frequens jam esset sæculo* IV *Hierosolymitana peregrinatio. Idem argumentum aliquot ab hinc annis singulari Commentario illustravit Ludovicus Lalanne* (2).

g *Valde animadvertendum sæculo* IV *jam singula loca accurate assignata fuisse, in quibus*
C *præcipuæ Christi vitæ partes et res eo pertinentes acciderunt. S. Hieronymus tum in Epitaphio Paulæ, tum in libro de Locis hebraïcis, et Beda libro* II *de Locis sanctis nuncupant hunc locum Ader seu turrim gregis et mille circiter passibus a Bethlehem esse dicunt. Quaresmius, qui eorum dicta refert, affirmat locum illum a Bethlehem distare unum milliare et amplius, in ejus plaga orientali in eminenti esse situm, spatiosum esse et pinguem maxime olivis. Non est dubitandum quin in* S. Macarii *Vita idem indicetur, licet duo milliaria a Bethlehem distare dicatur.*

h *Priscus ille itinerantium mos probe notandus. Cæterum quam assiduus esset usus signi crucis sat constat ex celebribus Tertulliani dictis de ea re.*

i *Joannes Malalas, qui sæculo* VI *aut* VII *vixisse videtur et in enarrando Juliani apostatæ bello Persico Magnum Carrensem et Eutychianum Cappadocem, ambos chronographos et ipsiusmet illius belli participes, duces habuit, hæc, ubi narravit duos Persas, se patriæ suæ proditores fingentes, ad Julianum, in Ctesiphontis planitie castrametatum, accessisse, deinde addit* (3) : Cum juramento sese in hoc obstrinxissent, imperator, dolis eorum delusus, ipse cum exercitu hos itineris duces secutus est. Mensis autem Desii sive Junii dies erat XXV, quum a transfugis hisce in locum desertum et aquis carentem per milliaria CL per errorem ducti invenerunt ibi mœnia quædam antiqua et collapsa urbis, olim Bubionis; villam etiam aliam, quæ, domicilia quædam adhuc stantia habens, deserta tamen fuit, nomine Asiam. Imperator hic, cum exercitu considens, castra posuit : sed nec militi cibum, nec jumentis pabulum in tam deserto loco invenire potuit. *Et pergit dein narrare secundum Magnum Carrensem postridie imperatorem, dum milites hortaretur, incerta manu vulneratum fuisse; ex quo vulnere proxima nocte obiisse. Chronicum Paschale seu Alexandri-*
E *num eum locum* Rasiam *appellat* (4) *aut* (*ut in aliquot codicibus*) Rassiam *vel* Radiam (5). *Sita autem illa fuit ultra ripam orientalem Tigris fluminis, inter* Eski *seu vetus* Bagdad *et præsens Bagdad, non procul ab oppido* Kafri, *et certe proxime vico,* Kafrisou *dicto in mappa Asiæ Turcicæ, quam Macdonaldus Kinner fecit et Guillelmus Heude auxit* (6). *Rivo proximum tunc fuisse Julianum testis est S. Gregorius Nazianzenus* (7). *Dubium præterea nullum est quin* Samara *seu* Samarrah *repræsentet castellum dictum* Sumere *secundum Ammianum* (8) *et* Σουμα *secundum Zosimum* (9), *et quo postridie Juliani mortis milites Romani, septentrionem*
* Nord-Ouest. *seu potius caurum* * *versus pergentes, accesserunt. In illa Macdonaldi mappa iter Romani exercitus, quanta accuratione fieri potuit, signatum est; idemque prosecutus est Ritter* (10) *juxta Ammiani Marcellini et Zosimi narrationes. Verum licet illa pars Tigris, cui Assia vicus et planities adjacet, probe cognita sit* (11), *planitiem illam ipsam a nemine descriptam invenio. Inde tamen non procul transivit*
F *anno* 1817 *Guilielmus Heude* (12). *De auctore necis Juliani maxime varia ab ipsismet ejus militibus circumlata sunt. Transfugæ dixere Persis eum a Romano aliquo milite in prælio occisum esse* (13), *et hunc rumorem fuisse in exercitu testatur Ammianus. Christianos hanc cædem patrasse vult Libanius* (14); *contra Eutropius* (15), *qui se huic expeditioni interfuisse perhibet, hostili manu interfectum fuisse Julianum affirmat; cui accedit Sextus Rufus* (16) hostium obvium equitem *pro trucidatore designans, et Sextus Aurelius Victor* (17) *unum ex hostibus et quidem fugientem; sed scriptores plures, etiam ethnici, aperte asserunt neminem fuisse inter Persas qui hanc sibi laudem tribueret. Hinc Zosimus* (18) *satis habet dixisse in ipso ardore prælii gladio eum vulneratum fuisse; et*

(1) Ap. Crenium, Fascis IV exercitationum philologico-historicarum, pag. 68. — (2) Des pelérinages en Terre-Sainte avant les Croisades, Paris, 1843. — (3) Chronographia, lib. XIII, edit. Bonn. pag. 331 et seq. — (4) Edit. Bonn. tom. I, pag. 551. — (5) Ead. edit. tom. II, pag. 387. — (6) Voyage de la côte de Malabar à Constantinople, traduit de l'anglais, Paris, 1820. — (7) Oratio in Julianum II, num. 14, col. 681. — (8) Res Gestæ, lib. XXV, cap. 6. — (9) Lib. III, cap. 30, edit. Bonn. pag. 166. — (10) Erdkunde, tom. X, pag. 137 et seqq. Cfr maxime pag. 157. — (11) Cfr Hœfer, Chaldie, Assyrie, Medie, Babylonie etc. pag. 372. — (12) Voyage de la côte de Malabar à Constantinople. pag. 268 et seqq. — (13) Amm. Marcell. XXV, cap. 6. — (14) Ap. Sozomenum, Hist. eccl. lib. VI, cap. 1, col. 1292, edit. Migne. — (15) Breviarium, lib. X, cap. 10. — (16) Breviarium, Ap. Haurisium, Scriptt. hist. Rom. latin. vett. tom. II, pag. 167. — (17) Epitome, cap. XLIII. — (18) Lib. III, cap. 29, pag. 164.

Ammianus

A *Ammianus Marcellinus incertum et subitum fuisse ictum. Verum Callistus, satelles imperatoris, qui ejus res gestas carmine heroico conscripsit bellumque id temporis confectum narravit, illum a dæmone transfixum commemorat* (1). *Alii contra a faceto quodam barbaro, alii a Sarraceno quodam hanc cædem peractam fuisse volebant* (2). *Ex quibus satis apparet illis nil certum fuisse de Juliani occisore : nec mirum; nam, ut Sextus Rufus auctor est, Julianus,* dum incautius per agmen errat, excito pulvere, ereptus e suorum conspectu, ab hostium obvio equite, conto per ilia actus, inguinum tenus vulneratus est. *Plurimis tamen, etiam inter ethnicos, persuasum fuit divini aliquid in hac occisione fuisse. Callistum paulo ante audivimus. Ammianus Marcellinus* (3) *noctu antequam imperator vulneratus est terrificam visionem oblatam fuisse commemorat. Rumor quoque increbuit et a Sozomeno* (4) *pro vero acceptus est alia visione territum fuisse quemdam ex Juliani necessariis, ex itinere in ecclesia dormientem. Præterea B. Julianum, cognomento Sabbam, e longinquo Juliani casum*
B *cognovisse auctor est Theodoretus* (5); *similiter Didymum, Alexandriæ versantem, Sozomenus* (6) *et Palladius* (7); *et demum S. Theodoro Tabennensi et Pammoni, abbate Arsenoïtarum, divinitus etiam innotuisse Juliani funus et ex eorum ore eamdem accepisse notitiam S. Athanasium scripto tradidit Ammon episcopus* (8). *Atque hæc tam firmis constant testimoniis ut nemo cordatus de his dubitare possit. Jam vero quum in Juliani cæde non communis tantum illa Dei providentia, sine qua unus passer non cadat super terram, consideranda sit, sed extraordinaria potius, qua res quasdam particulares singulariter procurat, non ausim ego negare S. Mercurium, qui sub Decio Cæsareæ in Cappadocia obiit et die 8 Novembris colitur, divinæ voluntatis ministrum fuisse. Non enim id narratur a solo fabulatore, S.* Macarii *Romani biographo; sed a Malala* (9) *quoque, a scriptore Chronici Paschalis* (10), *et* (*ut alios omittam*) *ab Helladio, S. Basilii Magni discipulo et successore. Audi enim S. Joannem Damascenum* (11) : Quod autem nova non sit imaginum
C inventio, sed antiqua, et sanctis eximiisque patribus nota et usitata, auscultes velim. Scriptum est in Vita B. Basilii, ab Helladio, ejus discipulo atque in sede episcopali successore, scripta, virum sanctum quondam adstitisse coram Dominæ nostræ imagine, in qua etiam Mercurii martyris laudatissimi figura depicta erat. Adstabat porro, supplicans ut Julianus, apostata impius, e medio tolleretur. Atque ex ea imagine quid eventurum esset didicit. Vidit quippe martyrem exiguum ad tempus ex oculis evanescentem ac ne multo post cruentum hostem tenentem : *ita ut hac visione nitatur narratio de Juliani cæde, quam nemo patrari vidit.*

k *Conjecit Rosweydus per* Kitissefodo *indicari Ctesiphontem, quæ reapse Persidis civitas erat in orientali Tigris ripa. Sed in universo hoc loco sibi non constare videtur auctor. Tres pueri sepulti fuerunt prope pristinam Babylo-* D
nem, quæ in ripa occidentali Euphrates, loco tunc Helleh *dicto, condita erat; ita ut hanc Babylonem eum intellexisse diceres. Sed quum ipse scriberet, nomen Babylonis datum jam fuerat Seleuciæ, quæ in ripa occidentali Tigridis e regione Ctesiphontis jacebat; quin etiam hinc jam translatum erat ad locum, nunc* Eski Bagdad *vocatum, aut ad alium huic vicinum, qui præsenti ævo* Babilia *vocatur* (12). *Quod autem illud aut propinquum oppidum Juliani atque etiam biographi tempore id nomen jam haberet, constat ex Joanne Malala* (13) *seu potius ex Magno et Eutychiano, ejus ducibus; qui quum narrassent Julianum usque ad Ctesiphontem victorem processisse, addunt eum dein destinasse Babylonem usque penetrare, itinere instituto septentrionem versus, ad orientalem Tigridis ripam. Porro, nisi dicas iter, significatum a biographo, ita instituendum fuisse ut prius trans Euphraten et Tigrim peteretur Persia et dein rediretur iterum per Tigrim et Euphraten ad pristinam Babylonem, atque hinc postea iterum per Euphraten et Tigrim iretur in Persiam,* E
dicendus est biographus per Babylonem intellexisse viciniam Eski Bagdad; *et quidem infra num.* 24 *Assiam, Kitissefodo et Babylonem in ripa orientali Tigris sita fuisse manifeste affirmat : ita ut dubitandum non sit quin ambas Babylones confuderit.*

l *Non omnium Indorum idem color; aliquot tribus ad Æthiopes accedunt.*

m *Ecce Chananæi Cynocephali dicuntur! Cynocephali maxime in Africa habitare perhibebantur. Simiarum genus videtur fuisse.*

n *Pygmæos intelligit, quos Indiæ populum esse credebant veteres, in extrema parte montium supra Astomos habitantes. Fuisse quoque in Caria, Thracia et aliis parum notis locis ferebatur olim etiam inter viros gravissimos.*

o *Ms. addit,* id est arcum. *Olim* absis *et* absida *æque erant in usu. Ita Rosweydus, cæterum ad Onomasticum suum remittens.*

p *Græce in Menæis paulo aliter procedit S.* Macarii *delineatio; sed idem plane est sensus, nisi quod de solis barbæ pilis, non autem de capillis capitis, dicitur eos ad pedes usque descendisse; contra non sola facies, sed totum* F
corpus simile fuisse dicitur pelli testudinis. Vide textum græcum apud Rosweydum.

q *Sic S. Paulus, qui primus eremita dicitur, interrogavit S. Antonium* (14) : Narra mihi, quæso, quomodo se habeat hominum genus; an in antiquis urbibus nova tecta consurgunt; quo mundus regatur imperio; an supersint aliqui, qui dæmonum errore rapiantur.

r *Ex Commentario Perierii nostri ad cap.* III *Genesis citat Rosweydus Theodoretum, Theodorum Heracleensem et Procopium Gazæum, qui in eadem opinione de custodibus Paradisi fuerint. Potuisset alios addere bene multos.*

s *Per diem foras ambulare dicuntur contra aliorum morem.* Leo, *ait Hieronymus in cap.* 2 *Nahum,* semper noctibus circuit. *Et Ps.* 103 : In ipsa (*nocte*) pertransibunt omnes bestiæ saltus.

(1) Ap. Socratem, Hist. eccl. lib. III, cap. 21, col. 433, edit. Migne. — (2) Cfr S. Gregorius Nazianz. Oratio II in Julianum, num. 13, tom. I Opp. col. 679, edit. Migne. — (3) Res Gestæ, lib. XXV, cap. 2. — (4) Hist. eccles. lib. VI, cap. 2, col. 1293. — (5) Hist. eccles. lib. III, cap. 24, pag. 143, edit. Valesii. — (6) Hist. eccles. lib. VI, cap. 2, col. 1296. — (7) Palladius in Lausiac. cap. IV, ap. Rosweydum, Vitt. Patt. pag. 711. — (8) Act. SS. tom. III Maji, pag. 336. — (9) Chronographia, pag. 332. — (10) Tom. I, pag. 332. — (11) De imaginibus Orat. I, Opp. tom. I, pag. 327. — (12) Ritter, Erdkunde, tom. X, pag. 213 et seqq. — (13) Chronographia, lib. XIII, pag. 322 et seqq. — (14) S. Hieronymus, Vita S. Pauli, cap. VIII, ap. Rosweydum, Vitæ Patrum, pag. 19.

t *Finguntur*

A t *Finguntur hæc omnia accidisse plus octoginta annis antequam Constantinus regiam sedem transtulisset Byzantium.*

u *Certe frondibus nutriri non potuere leunculi : sed quid has fabulas indicem?*

x Σουδαριον *græce in Menæis.*

z *Ms.* caligas; *nempe caligæ erant olim calceorum loco. Sic Act. cap.* 12: Calcea te caligas tuas. *Ita Rosweydus. Caligæ fere militum* D *erant, ad sandalia Capuccinorum proxime accedentes.*

aa *Jam secundo vox* sperare *venit loco* credere. *Apud ipsos classicos non uno sensu occurrit illa vox. Hic locus in Menæis græcis paulo alius est; sed quum etiam spurcus sit, nolim ei describendo inhærere.*

DIES

A D

DIES XXIV OCTOBRIS.

SANCTI QUI IX KAL. NOVEMBRIS COLUNTUR.

S. Crescius, S. Omnion, S. Emptius, S. Cerbonius, S. Pamphila, et socii, martyres in agro Magellano in Thuscia.

S. Severinus Tungrensis, conf.

S. Felix I, dictus Trevirensis, pont.

S. Felix, episc. Tubzocensis in Africa et martyr Venusii in Apulia.

B

S. Severus, S. Vitalis, S. Felix, S. Rogatus, S. Papirius, S. Victoria, S. Flavianus, S. Victor, martyres Nicomediæ.

S. Claudianus, S. Eutherius, S. Flavianus, S. Justus, S. Victor, martyres Hierapoli in Phrygia.

S. Proclus, conf. pont. Constantinopoli.

S. Evergislus, mart. et episc. Coloniensis.

C

S. Arethas, S. Reuma et socii IVMLII, martyres in civitate Nagran in Arabia.

S. Cadfarchus, conf. non pont. in Wallia septentrionali.

S. Senochus, qui et Enochus, presb. et abbas, in pago Turonensi.

S. Maglorius, conf. pont. in Armorica.

E

S. Martinus, abbas Vertavensis, in pagis Nannetensi et Pictavensi.

S. Ebregisus, episc. Trajectensis ad Mosam.

S. Martinus, qui et Marcius, solitarius in campania Romana.

S. Fromundus, episc. Constantiensis in Normannia.

S. Florentinus, conf. non pont. in pristina diœcesi Tullensi in Gallia.

S. Montana, virgo, in diœcesi Bituricensi et olim in Senonensi.

B. Arethas, monachus Cryptensis et B. Simon, episc. Vladimiriensis.

B. Joannes Angelus Porro, presb. conf. ex ord. servorum B. M. V. Mediolani.

F

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Rodæ in Hispania translatio S. Valerii, episcopi Cæsaraugustani et confessoris, facta anno 1651 : *hæc fere ad hanc diem Petrus Sainz de Baranda in Clavi Hispaniæ sacræ Floresii ex Lamberti Cæsaraugustani Theatro ecclesiarum Aragoniæ; in cujus operis tomo* II *et* IX *agitur de S. Valerio, uti etiam in tomo* XXX *Floresii Hispaniæ Sacræ et tomis* XV *et* XVI *Itineris litterarii Villænovæ. Atque ex his quidem fontibus plurimum aliquando augendus erit Commentarius, quem de sancto Valerio, Cæsaraugustano præsule, dedere olim decessores nostri sub die* XXVIII Januarii.

S. Amandi, confessoris, *meminit hac die, qui codicem Usuardinum D. du Cheval, signatum* c, *nominibus aliquot auxit. Is est S. Amandus, Trajectensis episcopus, de quo inter hesternos Prætermissos etiam agendum fuit. Utrobique autem hæc memoria fit propter corporis translationem, de qua dixerunt decessores nostri ad diem, quo præcipue is sanctus colitur,* VI Februarii.

S. Longinus, martyr Cæsareæ Cappadociæ, *laudatur hac die a Rabano et Notkero; eumdem hesterna die in pluribus aliis kalendariis et martyrologiis reperimus, et nonnulla de eo monuimus inter Prætermissos; alia in brevi Sylloge de SS. Severo et Dorotheo; cæterum remittentes lectorem ad diem, qua de duobus Longinis dixere decessores nostri,* XV Martii.

B. Ava *seu* Avia, *monialis et benefactrix asceterii Dononiensis in Hannonia, laudibus effertur hac die ab anonymo* (1) *Donauwerdensi monacho, scriptore kalendarii ecclesiastici ordinis*

(1) Kirchenkalender aller Heiligen welche unter der Regel des H. Benediktus gelebet haben, part. II, pag. 215.

A *ordinis S. Benedicti. De ea dixerunt decessores sub die, quo vere pertinet,* xxix Aprilis.

S. Joannis Damasceni *memoriam celebratam sub hac die repererunt decessores nostri in Horologio Græcorum, quod penes eos erat. De hoc sancto dictum est in opere nostro ad diem* vi Maji.

S. Renoberti, episcopi et confessoris, *olim fiebat hac die officium in diœcesi Bisuntina seu Vesuntionensi, ut mihi constat ex Breviario Bisuntino, anno* 1590 *jussu Ferdinandi a Rya archiepiscopi excuso. Orta illic est ea festivitas quod, irruentibus in Neustriam Danis, (Bajocensis enim episcopus fuit S. Renobertus seu Regnobertus,) Quingejum in Vesontionis finibus sacra ejus spolia translata diem* 24 *Octobris ipsa translatione insignem illic reddiderunt. Sed de his jam dixit Papebrochius ad diem qua præcipue colitur* xvi Maji.

S. Gilberti, *Ordinis Præmonstratensis confessoris et monasterii S. Mariæ ad Novemfontes in agro Claromontano abbatis, festum notatur hac die in supplemento Martyrologii Romani*
B *pro canonicis regularibus et proinde pro Ordine Præmonstratensi. De constituta ad præsentem diem illius beati viri festivitate ita disserit D. Georgius, Roggenburgensis abbas, in Ephemeridibus Hagiologicis Ordinis Præmonstratensis ad hanc diem :* Quam certum atque indubitatum est S. Gilbertum obiisse 6 Junii, tam disceptatur inter auctores, qua die natalis S. Godefridi (*lege Gilberti*) sit celebrandus. Ecclesia cathedralis Claramontana divino officio S. Gilberti celebrando assignat diem 6 Junii; Aubertus Miræus 4 Februarii adstruit. Andreas Saussayus et Chrysostomus Stella (*Van der Sterre*) 3 Octobris solemni et cultu et memoria venerandum esse decernunt S. Gilbertum. Alii ejus festum agendum esse existimant 24 Octobris, qua in agro Claromontensi, monasterio Novemfontium, anno 1615 miraculose inventum, religiose elevatum et honorificentissime in altari sacrum ejus corpus reconditum fuit; ut pluribus videre est apud Bollandistas ad 6 Junii, in Vita S. Gil-
C berti, cap. 3 per totum, et præsertim num. 18, pag. 766. Hanc porro de natali S. Gilberti promiscue celebrando discrepantiam differentiamve provido consilio sustulit capitulum generale, Præmonstrati anno 1738 celebratum, dum sessione viii ante finem lege perpetua valitura decernuit « Officium S. Gilberti, abbatis Ordinis « nostri, transferendum et celebrandum in « posterum esse die 24 Octobris, quo sacræ « ejus exuviæ sunt elevatæ. » Quæ translatio non solum a sede apostolica approbata, sed etiam indulgentiis, pro hac die tantum valituris, est ornata. *Cætera quæ ad S. Gilbertum spectant vide in opere nostro ad* vi Junii.

S. Sebastianæ, virginis et martyris Heracleæ in Thracia *commemoratio et laudatio hodie fit in majoribus Menæis Græcorum; verum quum ejusdem quoque mentio fiat in pluribus fastis ad diem* 7 *Junii, brevem syllogen ad hanc diem de ea exhibuit Henschenius* (1); *et quum postea in Bollandianum musæum* D *Messana delatum esset exemplar Actorum hujus virginis, novum plane laborem in se suscepit Janningus et in Supplemento ad mensem Junium Commentarium prævium dedit et textum græcum cum versione eorumdem Actorum. Quapropter amandamus lectorem ad ea quæ scripsere decessores nostri in opere nostro tum in serie dierum, tum in supplemento ad* vii Junii.

S. Radegundis reginæ *longum texitur sub hac die encomium in Viola Sanctorum; ejusque memoria etiam celebratur in Florario, quod penes decessores nostros erat. Verum hæc pro arbitrio collectorum utriusque illius operis factum est, quum beatissimæ Radegundis festum agatur die, ad quam ejus Vita illustrata est in Actis nostris,* xiii Augusti.

Apud Santones translatio sancti Viviani episcopi, cujus depositio solemnis, *ait Saussayus ad hanc diem in suo Martyrologio Gallicano,* est vigesima octava Augusti, *immo ea die, sub qua de eo egit Baronius in Martyrologio Romano et de eo tractarunt decessores nostri,* xxviii Augusti.

SS. Januarii *seu* Januariani, *presbyteri,* Fortu-
E nati *seu* Fortunatii *seu etiam* Fortunatiani, Septimi *seu* Septimii *seu etiam* Septimini, *lectorum, memoriam hodie facit Martyrologium Romanum: cui præiverant Romanum Parvum, Ado, Notkerus, Usuardus et alii, quasi illi martyres S. Felicis Tubzocensis socii fuissent; quin etiam aliqui S.* Audactum *adjiciunt. Verum Audactus ille socius est alius S. Felicis, quocum Romæ via Ostiensi colitur et in Actis nostris illustratus fuit die* xxx Augusti;

SS. vero Januarius, Fortunatus et Septiminus pertinent ad turmam duodecim fratrum Adrumetinorum, de quibus in Actis nostris fuit dictum ad diem i Septembris.

S. Fortunati cum sociis *festum inscriptum erat ad hanc diem in kalendario veteris Breviarii Ingolstadiensis, quemadmodum ab Henschenio annotatum reperio. Puto agi ibidem de eodem S. Fortunato iisdemque sociis, de quibus in Actis S. Felicis Tubzocensis plura quæsivimus et de quibus modo dixi in Prætermissis*
F *alios coli die* xxx Augusti, *alios die* i Septembris.

Apud S. Marcum, translatio sanctorum martyrum Senatoris et Viatoris, Cassiodori et Lucæ abbatis. *Ita in Martyrologio Florentino, edito anno* 1486; *quod nil aliud est quam Usuardi Martyrologium, additamentis aliquot auctum : similiter in auctario Usuardino, edito a Zaccaria* (2) *secundum codicem Pistoriensem. De his sanctis et de eorum cultu in oppido S. Marci actum est in opere nostro ad diem* xiv Septembris.

S. Raphaelis archangeli *festivitas in innumeris kalendariis, officiis propriis, et missalibus libris aliisque id genus scriptionibus annotatur; de eo, uti de reliquis angelis, actum est in opere nostro ad diem, qua S. Michael cum reliqua militia cœlesti potissimum colitur,* xxix Septembris.

SS. Marcianus, *immo* Martinianus, Saturianus, duo eorum fratres et S. Maxima, virgo, *qui omnes in persecutione Wandalica multa*

(1) Act. SS. tom. II Junii, pag. 36. — (2) Bibliotheca Pistoriensis, pag. 154.

pro

A *pro Christi divinitate asserenda exantlarunt, pluribus laudantur hac die in auctario Usuardi Bruxellensi; de eis diximus ad diem* XVI Octobris.

S. Hilarionis, monachi et eremitæ *et aliquandiu S. Antonii discipuli, laudes paucis ad hanc diem referuntur in Hagenoyensi Usuardi auctario, in quo sæpe sanctorum nomina pro libitu loco suo mota sunt. De beatissimo hoc viro egimus ad diem* XXI Octobris.

B. Jacobi, episcopi et martyris Antiocheni, de conventu sanctarum undecim millium virginum, *passio commemoratur hac die in editionibus Usuardi Lubeco-Coloniensi et Greveni. De S. Ursula et comitibus, deque etiam B. Jacobo, ex commentitiis titulis sepulcralibus emerso, satis superque diximus ad diem* XXI Octobris.

SS. Severum et Dorotheum, *ambos martyres, referunt hac die Rabanus, auctaria Usuardi Bruxellense et Grevenianum, et Galesinius; constituta eorum palæstra ab aliis Nicomediæ, ab aliis Hadrianopoli. Sunt autem iidem*
B *ac SS. Severus et Dorotheus, martyres Hadrianopolitani, de quibus secundum fastos Hieronymianos diximus hesterna die seu* XXIII Octobris.

S. Joannes Bonus, ordinis eremitarum S. Augustini, *qui Mantuæ maxime floruit et colitur, in Prætermissis sub die 1 Maji ad hanc aut proxime præcedentem rejectus est; de eo dictum est in opere nostro ad diem* XXII Octobris.

In territorio Ambianensi, sancti Domitii, episcopi et confessoris, *commemoratio fit hodierna die in Hagenoyensi Usuardi auctario; sed uno die iterum ibidem aberratur. Diximus de S. Domitio ad diem* XXIII Octobris.

B. Odæ, viduæ, festum *annuntiatur hodie in antiquis Breviariis Leodiensibus et in editionibus Usuardi Lubeco-Coloniensi et Greveni; de ea dictum est sub die, qua jam pridem festum repositum est,* XXIII Octobris.

In pago Pictaviensi, S. Benedicti confessoris *memoria hodie fit in Hagenoyensi Usuardi auctario, sæpissime a genuino die aberrante. De illo sancto vide nostrum Commentarium*
C *ad diem* XXIII Octobris.

Dedicationis sanctæ ecclesiæ Auriensis *festum annuntiat etiam hoc die Petrus Sainz de Baranda in sua Clavi Hispaniæ sacræ; hujus templi historiam qualemcumque dabit Joannes Muñoz de la Cueba, episcopus Ariensis, in Notitiis Historicis de templo suo cathedrali, sub annum* 1726 *Matriti excusis.*

Foro Cornelii, dedicatio majoris ecclesiæ; *ita Ferrarius in Catalogo generali sanctorum. Pro more talia inter Prætermissos indicamus, plura omittentes.*

Dedicationis ecclesiæ cathedralis Herbipolensis *natalis inscriptus est sub hoc die in Breviariis et Officiis propriis hujus diœcesis; ipsa vero res a Groppio aliisque Herbipolensibus historicis fuse enarratur; a nobis pro more in Prætermissis annotatur.*

Dedicatio altaris sanctorum confessorum Martini, Gregorii, Augustini, Benedicti, Hieronymi, Remigii, quod situm est in dextera parte superioris cryptæ: *ita legitur in Martyrologio Usuardi, cum additamentis ad usum* D *ecclesiæ Cameracensis, conscripto annis* 1144, 1145 *et* 1146. *Hæc et alia plura, quæ illo codice continentur, utilia esse possent ad illustrandam historiam illius ecclesiæ, ante annos plus sexaginta destructæ.*

S. Valerii martyris *festum ritu simplici peragendum hodie indicatur in Breviario Eborensi, quod anno* 1548 *jussu principis cardinalis Henrici, primi Eborensis archiepiscopi, castigatione maxima in lucem prodiit. Verum quis ille S. Valerius martyr? In supplemento Lusitanico ad Martyrologium Romanum nullus* Valerius *apparet; et quidem cultus illius S. Valerii evanuisse videtur, quum Eborenses Breviarium et Missale Romana admiserunt, proprios libros deponentes; certe ne umbra quidem S. Valerii apparet in Ordine recitandi officii divini quod pro anno* 1617 *ad usum clericorum Eborensium Thomas Alvarez, capellanus regius, disposuit; præterea Florez* (1), *ubi recenset sanctos, diœcesi Eborensi proprios, omittens S. Valerium, hæc tantum dat nomina: SS. Mancium, Vincentium,* E *Sabinam, Christetam et Liberatam seu Wilgefortem, omnes cultos pro martyribus; in ipso deinde Breviario Eborensi, quod supra indicabam, nullæ sunt lectiones propriæ; in Officiis propriis, quæ pro Lusitanorum usu probavit S. R. Congregatio, ne hilum quidem de S. Valerio videre est; in Clavi demum Hispaniæ sacræ, quam Petrus Sainz de Baranda paucis abhinc annis in lucem dedit et quæ potius Historiæ ecclesiæ Hispaniæ et Portugalliæ dux est quam Floresiani operis indiculus, ad diem quidem 24 Octobris venit S. Valerii festum; at hic martyr non fuit, sed confessor et episcopus Cæsaraugustanus; nec satis antiquum id festum est, quum ortum sit anno tantum* 1651, *quo ejus corpus iterum translatum est. Quum autem Valerii martyres plures sint numero, neque ulla appareat ratio, qua præsens ille ab aliis distinguatur, nil superest quam ut eum in Prætermissis relinquamus, donec nos aliqui bonæ voluntatis viri certa doceant.*

Item sancti Vitalis: *hæc verba sub hac die leguntur in auctariis Usuardinis Antverpiensi,* F *Maximo Lubecano, Ughelliano, Antverpiensi Maximo, Leydensi, Lovaniensi, Albergensi, Danico, Bruxellensi, Aquicinctino, Daveronensi, Florentino, in utraque editione Bellini et in omnibus editionibus Molani; Ultrajectinum autem auctarium habet:* Item natale sancti Vitalis; *et Hagenoyense:* Item sancti Vitalis martyris. *Contra Galesinius in Martyrologio suo, sanctæ Romanæ ecclesiæ usibus accommodato:* Hoc ipso die, sancti Vitalis etiam confessoris (*præcessit enim S. Martinus Vertavensis confessor*); *in notationibus autem ad calcem indicat Galesinius se hanc accepisse memoriam ex Martyrologio Romano, id est ex Bellini de Padua Usuardina editione. Canisius quoque seu potius Wallasserus* S. Vitalem confessorem *hodie etiam in Martyrologio suo Germanico nuncupat; et Ferrarius, secutus Galesinium, idem facit in Catalogo suo generali sanctorum. Atque ex hac recensione liquet in longe maxima parte co-*

(1) España sagrada, tom. XIV, pag. 116 et seqq.

A *dicum nudum Vitalis nomen apparere ; in uno Hagenoyensi, sub initium sæculi* XVI *scripto,* martyr *dicitur et ad finem ejusdem sæculi a Galesinio vocatur* confessor ; *exemplo procul dubio Petri de Natalibus, qui, medio sæculo* XV *florens, lib.* XI, *num.* 300 *Catalogi Sanctorum scripsit :* Vitalis confessor quievit in Christo IX kal. Novembris ; *ubi inter eos sanctos recensetur, de quibus Petrus nihil potuit invenire. An itaque de uno eodemque sancto hic agitur ; et si de uno, quis is demum est? Ut paucis dicam, quum nullus omnino cognoscatur S. Vitalis confessor, qui uspiam hac die colatur, quum locus cultus omittatur, quod in Sanctis confessoribus rarissime occurrit, ego putem temere adjectum fuisse* confessoris *titulum ; Vitalem autem illum martyrem Nicomediensem esse ; qui quum in pluribus Hieronymianis codicibus ad caput hodiernæ turmæ Nicomediensis referatur, inter Usuardina additamenta acceptus fuerit ex breviato aliquo Hieronymiano Martyrologio. Atque hanc jam pridem sententiam aperuit Sollerius in sua Usuardi editione ; cui præiverat Florentinius in annotatis ad Martyrologium Hieronymianum.*

B S. Martialis, *vulgo* S. Marsau, *abbatis in monasterio Pictavensi S. Hilarii, memoriam facit hac die Castellanus in Martyrologio suo universali. At quum hujus viri nomen in catalogis abbatum S. Hilarii non appareat idque tamen a scriptore, cujus accurationem nemo unquam satis laudavit, recenseatur, non parum solliciti fuimus. At frustra de eo quæsivimus per literas et in excusis libris. Restat itaque ut eum hoc loco prætereamus, donec aliquid tandem innotescat.*

S. Macrenii, episcopi et confessoris, *nomen hoc die occurrit in Usuardi Martyrologio, edito Florentiæ anno* 1486 *sub titulo Martyrologii Florentini. Sed id nomen non videtur recte expressum et positum pro* Maglorio ; *cujus commemoratio iisdem verbis refertur in Usuardinis auctariis, præmisso interdum habitationis loco,* in Britannia ; *aliquando loco quietis seu cultus,* Parisiis ; *aliquando omni designatione plane omissa.*

C S. Athanasius *signatur hac die post S. Aretham in Ephemeridibus græco-moschis Papebrochii* (1). *Exhibetur ibidem non veste metropolitica indutus, ut vult Papebrochius, sed potius patriarchali, ut recte animadvertit Assemanius* (2). *Vestis enim ista, (de mitra potissime loquor,) prorsus eadem est ac quacum ibidem picti sunt ad diem* 18 *Januarii S. Cyrillus, ad* 25 *Novembris S. Petrus, ambo patriarchæ Alexandrini et demum unus aut duo patriarchæ, qui interfuerunt senis conciliis, quorum ibidem imago exponitur ad diem* 16 *Julii. Verum tamen ad diem* 26 *Augusti, quo Russi Stretenicæ festum celebrant, id est obviationis imaginis B. M. V. Volodimeriensis, quæ anno* 1395 *in Moscoviam, a Tartaris invasam, felici eventu translata est* (3), *exhibetur Moscuensis metropolita eadem mitra redimitus ; atque nunc etiam simile capitis tegmen gerunt metropolitæ russi. Licet itaque ex hoc capite dubium aliquod nasci possit utrum in Ephemeridibus Papebrochianis patriarcha repræsentetur an metropolita, id aliunde facile solvi potest. In Sobornik seu synaxario diœcesis Kioviensis, quod anno* 1688 *ad decessores nostros misit P. Georgius David, Moscuæ missionarius, legitur ad præsentem diem :* Item S. P. Athanasii patriarchæ Constantinopolitani. *Similiter Kulekzynskius, cujus laudatissimum opus de ecclesia Ruthenica nuper novis curis iterum edidit P. Joannes Martinof, hæc inter animadversiones in Ephemerides Moscorum ad* 24 *Octobris tradidit* (4) *:* Martyri Arethæ subjungunt mei libri hac die Athanasium, patriarcham Constantinopolitanum, qui claruit circa annum 362. Hinc ipse non spectat ad sanctos Ruthenos, e quorum indice eradendus. Adest in Anthologio de eodem sancto troparium et contacium. Verum, *ut loquitur Assemanius* (5), ad annum 362 non Athanasius, sed Eudoxius patriarcha (*immo potius episcopus*) erat, idemque arianus : nullus autem Athanasius ecclesiæ Constantinopolitanæ patriarcha præfuit ante annum 1289. *Conjicit dein Assemanius hic laudari S. Athanasium, episcopum Tarsensem, ad diem* 22 *Augusti Kalendariis inscriptum ; sed quum hic neque patriarchali habitu pingendus esset, neque Constantinopolitanus dicendus, venit demum in eam sententiam S. Procli nomini crassissimo errore substitutum fuisse S. Athanasii nomen ; atque id ipsum jam pridem viderat Papebrochius, quippe qui ad latus Kioviensis Synaxarii manu sua scripserit S. Proclum, episcopum et passim patriarcham dictum Constantinopolitanum, sub S. Athanasii larva latere ; atque illum quidem hac die a græcis coli, hunc vero palam ignorari. Neque ego dubito hæc qualicumque meo calculo probare. In alio vero Synaxario slavico-latino, quod olim item ad decessores nostros delatum est, legitur sub hac die :* Arethas et Athanasius martyres, *titulo martyris S. Arethæ propter vicinitatem communicato cum S. Athanasio ; sed is error signandus, nequaquam autem mirandus, multo minus pluribus exagitandus est.*

In Hibernia, Daluath episcopi et confessoris : *hæc totidem verbis leguntur ad diem præsentem in auctario Usuardino Greveni. Putem eumdem esse virum ac Dalbach Cule Colla seu Cuil-Collaing in comitatu Corcagiensi, de quo pauca supra in Prætermissis ad diem* 23 *Octobris dixi. Certe* Daluath *facile emergere potuit ex* Dalbach ; *prætera dies proximi sunt.*

Aprum presbyterum et lectores Gyrum seu Cyrum et Vitalem, *de quibus in Passione S. Felicis Tubzocensis mentio fit, substituendos esse Januario, Fortunato et Septimio, qui una cum S. Felice in Martyrologio Romano ad hanc diem laudantur, monet Castellanus in annotato marginali apposito Martyrologio suo Universali ad illam memoriam. Verum in Commentario de S. Felice ostendimus nil omnino esse quo suadeatur Aprum, Gyrum et Vitalem secutos esse S. Felicem, multo minus martyrium fecisse ; sed simul conati sumus palam facere Januarium, Fortunatum et Septimium immerito intrusos esse in multa*

D E F

(1) Act. SS. tom. I Maji, pag. XLVII. — (2) Kalendarium ecclesiæ universæ, tom. V, pag. 316. — (3) Ibid. tom. VI, pag 543. — (4) Specimen ecclesiæ Ruthenicæ, pag. 100. — (5) Calendarium ecclesiæ universæ, tom. V, pag. 317.

S. Felicis

A *S. Felicis Passionis exemplaria et in longe plura martyrologia aliosque libros liturgicos.*

In Asia, beatæ Chrysophoræ, religiosæ feminæ, meritis præclaræ : *ita Arturus a Monasterio in Gynecæo ad hanc diem ; ubi in annotatis addit eam vocari sanctam feminam et sororem fidelissimam ; ad quam scripsisse epistolam S. Dionysium, Corinthiorum episcopum ; et cujus meminisse Eusebium libro* IV *Historiæ, capite* 23 *; Vincentium Belvacensem libro* X *Speculi historialis, cap.* 112 *; Petrum de Natalibus libro* IV *Catalogi Sanctorum, cap.* 37, *et Baronium tomo* II *Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi* 175, § 15. *Verum licet laudatissima sit Chrysophora, quum martyrium non fecerit et sæculo* II *vix alii quam martyres colerentur, statim post mortem non videtur publicos cœlitum honores nacta esse, neque postea meliorem assecuta sortem.*

Lenani *seu* Lonani Cluana Tibrindi *seu* Tibrinni, *id est* Lonani Cluan-Tibrinnensis, *memoria celębratur hac die in Martyrologio*
B *Tamlactensi, edito a R. D. Matthæo Kelly. In Martyrologio Dungallensi additur Cluain Tibrinne situm esse in* Cloin Cheallagh ; *sed neutram locorum appellationem, reperio in libris hibernicis, quos ad manum habeo. Hibernis tamen notus sit oportet vicus Cluana Tibrinni, nam in indice sanctorum, quem R. D. Kelly Martyrologio suo Tamlactensi addidit, traditur Cluana Tibrinni, vulgo* Cloontivrin *seu* Clontivrin *jacere in Fermonagh, comitatu Ultoniæ, circum lacum* Earn *notissimum posito. Alibi bis venit locus Cluana Tibrinni in Martyrologio Tamlactensi, scilicet ad* 9 *Martii, ubi legitur :* Colmani Cluana Tibrinni, *et ad* 13 *Martii, ubi hæc habes :* Colman Benedic Cluana Tibrinni. *Sed Colganus in Vitis sanctorum Hiberniæ, cl. v. D. Ua Birrinn, qui anno* 1849 *typis Dublinensibus edidit breves Vitas sanctorum Hiberniæ, et demum R. D. Matthæus Kelly, qui Martyrologio Tamlactensi parvas notitias sanctorum Hiberniæ, ad tres priores anni menses pertinentium, adjecit, omiserunt plane loqui ad dictas dies de ambobus Colmannis Cluan-*
C *Tibrinnensibus, si tamen duo sunt ; ita ut nil etiam de ipso loco habeant. S. Lenanum seu Lonanum non omnino intactum prætermisit Colganus* (1). *Ubi enim in Vita S. Fintani, abbatis de Cluain-Ednech* (Clonenagh *in comitatu Reginæ*), *qui die* 17 *Februarii colitur, obviam habuit* virum quemdam sanctum, nomine Lonanum, filium Catheni, *qui, quum aliquando convivium parasset S. Fintano, ex hujus ore audivit pugnam tunc temporis crudelissimam in remotis partibus Momoniensibus pugnari et suum armentarium eadem illa die miserrime in silvis periturum, (quæ et reapse facta esse leguntur ;) subjecit ad hunc locum hagiographus hibernus sequens annotatum* : De diversis hujus nominis (*scilicet Lonanis*) agunt Marianus, Maguir et Martyrologium Dungallense, et Martyrologium Tamlactense ; de Lonano, filio Darii, 7 Februarii ; de filio Laire, 24 Augusti ; de filio Talmuigh, 1 Novembris. Sed parentes diversi, ibi assignati, efficiunt quod præsens D
Lonanus inter eos annumerari non possit. Neque denique est S. Lonanus, discipulus S. Patricii, de quo iidem auctores 12 Novembris. Videtur ergo esse S. Lonanus, de quo agitur in Vita S. Finniani de Cluain-Eraird, cap. 12 ; de quo auctores supra citati 24 Octobris. *Ast quum die* 23 *Februarii ad S. Finnianum Clonardensem venit, mutata sententia, scripsit S. Lonanum, visitatum a S. Finniano, discipulum fuisse S. Patricii* (2). *Si quis itaque probet Colgani conjecturam, S. Lonanum Cluain-Tibrinnensem eumdem esse ac qui S. Fintanum convivio excepit, is adeat in opere nostro hujus S. Fintani Vitam (plura enim non novimus) ad diem* XVII Februarii.

Colmanus, mac *seu filius* Fiddicain, *memoratur hac die in Martyrologio Tamlactensi, et duo* Colmanni, *nullo indicio addito, recensentur in Martyrologio Dungallensi ; de his repetere tantum possum quæ pridie de alio Colmanno dixi in Prætermissis.*

Coëtus, *rarum nomen, legitur hodie in Martyrologio Tamlactensi atque etiam in Dungallensi ;* E
in quo posteriore additur fuisse episcopus. *Lumina majora dabunt forte aliquando hagiographi Hiberni.*

Findgani miec *seu filii* Airchinnigh o Domair *seu* Dhiamair, (*id est de Diamor seu Dymor in comitatu Midensi et in provincia seu natione Lageniæ,*) *memoria fit hac die in Martyrologio Tamlactensi ; in Dungallensi parentela omittitur. Licet autem hic sanctus tam accurate distinguatur, nequeo tamen pro consueta notitiarum Hibernicarum penuria eum non præterire.*

Eps Eoain o Chill Airthir, *id est* Joannes, episcopus de Chill Airthir, *legitur hac die in Martyrologio Tamlactensi et Dungallensi. In Vita tripartita S. Patricii venit inter clericos, qui Romam perrexisse dicuntur,* Lugacius, presbyter de Kill-Airthir *et unus ex S. Patricii discipulis* (3). *Hanc ecclesiam in Midia collocatam fuisse tradit Colganus* (4). *Divinandum proponit ille idem utrum episcopus iste Joannes, qui cum quadraginta novem sociis Roma in Hiberniam venit et quem secum*
F *retinuit S. Senanus in Inis-cara* (5), *idem sit ac S. Joannes noster, episcopus Kill-Airthirensis, an vero homonymus, Litmorensis episcopus, die* 13 *Novembris fastis Hibernicis inscriptus* (6). *Nemo, quem sciam, id ad hanc diem divinavit.*

Dalioba de Cuil-mic-Lurchare *et* Erca virgo, filia Sinilli de Miling *recensentur etiam hac die in Dungallensi Martyrologio. Quinam autem sint aliis detegendum relinquere cogor.*

B. Gerardum *seu* Gerbaldum, *qui, Carolo Magno imperante, ecclesiam Leodiensem rexit, inter cœlites refert Schönleben in Anno Sancto Habsburgo-Austriaco, innumerarum fabularum penu ; verum scriptores Leodienses, et multo minus ecclesia illum suum pastorem tantis non cumulat honoribus.*

Cistercii, B. Mansueti, qui moriens futuram ordinis propagationem S. P. N. Stephano, revelatione sibi facta, indicavit : *hæc minoribus typis expressa leguntur ad hanc diem*

(1) Act. SS. Hiberniæ, tom. I, pag. 351, num. X et XI, et pag. 354, num. 13. — (2) Ibid. pag. 394 et 398. — (3) Ap. Colganum, Trias Thaumaturga, pag. 130. — (4) Ibid. pag. 713. — (5) Act. SS. Hiberniæ, pag. 533. — (6) Ibid. pag. 539, not. 13.

in

in Kalendario seu Usuardi Martyrologio Cisterciensi et paulo fusius in Menologio Cisterciensi Henriquesii aliisque libris, quos modo in B. Bernardo citabo, cultum ecclesiasticum numquam videtur habuisse.

In Grandi Silva beati Bernardi monachi, magnarum virtutum viri : qui postquam miro humilitatis et sanctitatis exemplo omnibus præluxisset, gloriosissimasque visiones, extra sensus factus, contemplatus fuisset, plenus meritis ad cælos evolavit; *ita Henriquez ad hanc diem in Menologio Cisterciensi, plures in notis citans boni viri encomiastas. Similia tradunt Benedictus Cherle in Martyrologio Benedictino; Antonius de Heredia in Vitis Sanctorum ordinis S. Benedicti; Bucelinus in Menologio Benedictino aliique eamdem fere viam tenent. Verum ecclesiastici cultus vestigia non videntur exsistere; adeoque in Kalendario Cisterciensi seu Usuardi Martyrologio, ordinis Cisterciensis usui accommodato, minoribus typis ejus laudes celebrantur.*

In monasterio Gandersheimensi in Saxonia, sanctæ Gerburgæ, virginis et abbatissæ; *quæ Ludolfi Senioris, ducis Saxoniæ et cœnobii fundatoris, filia sanctissima dici meruit et miraculis post mortem, quæ anno* 883 *contigit, effulsisse, memoria celebratur hac die a Roberto Schindele in Supplemento ad Menologium Benedictinum Bucelini: qua occasione quæsivi quanta potui diligentia an ulla cultus ecclesiastici exsisterent vestigia; sed nulla omnino reperi: ita ut, quemadmodum Mabillonius in sæculo* IV *Benedictino et decessores nostri ad diem* 24 *Julii, quo a multis Benedictini instituti alumnis ejus natalis recolitur, ejus nomen in Prætermissorum catalogo relinquere debeam.*

B. Matrem Beatricem, abbatissam, *quæ fuit una ex primis monialibus congregationis Camaldulensis, debitis encomiis hodie effert Basilius Duverchius in Diario Camaldulensi. Cultus ecclesiastici indicia non apparent.*

Pinciis in Castella, B. Antonii a Guevara, *Mendonensis episcopi et Caroli V imperatoris aliquando confessarii, memoriam celebrat hac die Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano; verum laudatissimus vir honores ecclesiasticos adeptus non est.*

In territorio Eborensi, apud Montem Majorem Novum, in conventu B. Mariæ de Gratiis, B. Christophori Alcazaræ, confessoris, *natalem celebrat in Martyrologio Franciscano Arturus a Monasterio. Re quidem videtur a vicinis cultus fuisse et apud sepulcrum suum per Dei potentiam miracula operatus; verum quum simul claruisse videatur circa annum* 1541, *minus quam centum annis ante Urbani VIII decreta, cultus ejus supprimendus fuit neque hactenus a sancta sede fuit restitutus.*

Apud Castrum Florentinum in Etruria B. Donati a Ferraria, *qui circa annum* 1350 *claruit, laudes celebrat hac die Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano; verum ejus cultus, si quem umquam habuit, hactenus ecclesiæ probatus non est.*

Nazani in Terra Laboris, beati Stephani Molinæ, confessoris, *encomium facit hac die Arturus in sæpe dicto Martyrologio. Sed obiit vir ille anno* 1579; *neque novimus hactenus de eo cœlitibus adscribendo actum fuisse.*

In Apulia apud Vallem Asperam ad Tessam, beatarum Joannæ et Catharinæ a Vino, *sororum et tertiariarum, sanctitatem memorat hac die Arturus tum in Martyrologio Franciscano, tum in Gynecæo; sed neutra colitur honoribus publicis.*

B. Joannes Thaulerus, *ordinis Prædicatorum alumnus et rerum mysticarum scientissimus, fuse laudatur ad hanc diem in Sacro Diario Dominicano F. Dominici Mariæ Marchese, in Hagiologio Dominicano F. Emmanuelis de Lima, in breviori Sacro Diario Dominicano, Romæ et Bresciæ anno* 1758 *edito, et in aliis id genus libris. Verum, licet beatus vir præclaræ sanctitatis fuisse videatur, numquam tamen nactus fuisse videtur honores ecclesiasticos.*

Josephus Maria Avila, *mortuus anno* 1657,

Fervandus Ovalo, *mortuus anno* 1608,

Maria a Spiritu Sancto, *mortua anno* 1550,

et Maria a S. Antonia, *mortua anno* 1608, *laudantur hac die ab Emmanuele de Lima in Hagiologio Dominicano: ordinis enim Fratrum Prædicatorum fuerunt decora.*

Venetiis in Britannia Minori venerabilis memoria Armagilæ Nicolas, *vulgo* la bonne Armelle, *famulæ aliquando monialium Ursulinarum, apud quas, postquam pluribus dominis serviisset et die* 24 *Octobris anni* 1671 *in odore sanctitatis mortua esset, multo honore sepulta fuit. Ejus Vita sæpius edita est; epitomen inseruit R. D. Tresvaux Vitis Sanctorum Britanniæ* (1); *Castellanus in supplemento additionum Martyrologii universalis* (2) *venerabilem eam nuncupat; sed, licet statim post mortem privatim culta fuerit, publicos tamen honores numquam habuit, neque causa ejus canonizationis introducta umquam fuit.*

S. Candidæ, *martyris Romanæ, corpus hoc die in monasterium Cremifanense ipso anno ejus sæculari nongentesimo, Christi* 1677 *illatum est solemnissima pompa, comitantibus variis artificum tribubus, piarum congregationum sodalibus, ordinis Capucinorum religiosis, monachis Cremifanensibus cum suo aliisque ordinis ejusdem abbatibus et omnis generis nobilitate, facibus instructa ardentibus. In medio monachorum portabantur sacræ reliquiæ a quatuor diaconis in depicto et sericis velis circumdato pegmate. Corpus illud, e cœmeterio S. Cyriacæ erutum, P. Emerico Capucino donaverat anno* 1677 *illustrissimus dominus Aloysius Bevilacqua, tunc plenipotentiarius Innocentii papæ XI in comitiis Neomagensibus, pro pace inter principes christianos concilianda coactis; Emericus autem eodem anno, die* 14 *Octobris, illud ipsum sacrum corpus donavit reverendissimo domino Eremberto, prædicti monasterii abbati; hic vero solemni pompa, ut diximus, ipsum elevavit. Hæc annotata inveni in scheda de manu Sollerii nostri inter decessorum reliquias; sed pro more in Prætermissis colloco, donec doceatur quomodo S. Candidæ martyrium cœmeterii fossoribus innotuerit, an ex titulo sepulcrali, qualis est S. Hyacinthi,*

(1) Vies des SS. de Bretagne, tom. IV, pag. 373. — (2) Martyrologe universel, pag. 1008.

A *cinthi, a P. Marchio retectus* (1), *an ex apposito vase, non qualicumque, sed vere sanguinolento, qualis est lagena illa, exhibita a Boldettio* (2), *quæ palea obducta fuerat et inter claudendum tumulum versa; ita ut pars sanguinis effusa fuerit, pars collo vasis adhæserit. Id ubi traditum fuerit, quis vir cordatus, quum sciet in ipso tumulo scriptum fuisse S. Candidam vitam pro Christo posuisse; aut* sanguine tumulum maduisse, apparuisse cruoris triumphales notas; ossa omnia integra; sanguinis plurimum inventum esse; sanguinem collectum teneri, *quis, inquam, cum sancto Ambrosio* (3) *ea non appellet* signa convenientia, *et cum S. Gaudentio* (4) passionis testem?

S. Macarius, episcopus Tacu. Narratur de isto sancto quod multa miracula patravit; quod, quotiescumque ascendebat in cathedram ad prædicandum, scatebant lacrymæ et fluebant ex oculis ipsius. Et interrogatus fuit a discipulis ejus et dixit illis quod ipse videbat peccata populi tamquam oleum super aquam
B in vase supernatans. Et vidit Jesum Christum et angelos ostendentes mala opera uniuscujusque populi, immo ex populo, et dixerunt : Quare, o episcope, avertis oculos tuos a tuo populo et non increpas? Respondens dixit illi : Oportet ut episcopus cohibeat populum; et si audient, bene facient; sin autem, sanguis illius erit super caput eorum. De isto narratur quod fuit in exilium amandatus simul cum Dioscoro. Imperator misit ille fidem, scilicet professionem concilii Chalcedonensis, ad insulam, ubi in exilio morabatur; et noluit recipere professionem. Missus autem imperatoris interfecit eum. *Hæc ad verbum ex versione Martyrologii Coptorum, quod circa annum* 1633 *Romæ latine vertit Simon Moysis, Maronitæ et collegii suæ gentis alumnus. Martyrologii autem istius arabice conscripti a Michaele, episcopo Atribæ et Meligæ, breviarium ab Josepho Assemanio factum dedit quoque cardinalis Majus; unde apud eum* (5) *ad diem* 27 *mensis babeh seu Paophi, id est* 24 *Octobris legitur :* Requies sancti patris Macarii, episcopi
C Atakuæ in Ægypto, qui concilio Chalcedonensi una cum Dioscoro, patriarcha Alexandrino, interfuit; cumque eodem Gangras in exilium pulsus, inde Alexandriam clanculum profectus, Proterium archipresbyterum a subscribendo tomo Leonis papæ dehortatus est: quamobrem a legato imperatoris comprehensus calcibusque impetitus, martyrii Monophysitarum palmam obtinuit. *Non est quod moneam istam memoriam, quæ potius accusatio est, non integrum Michaelis episcopi opus esse, sed partim Assemanii aut Maji. In kalendario Æthiopico, edito a Ludolfo* (6), *fit ejusdem viri memoria; sed nudum nomen apparet : in kalendario autem Coptitarum, ab eodem in lucem dato* (7), *legitur :* Aba Macar (*in uno codice* Mahar), martyr, episcopus Kawi. *Imprimis Macarius ille diversus est a Macario, episcopo Cabassorum,* D *qui Dioscorum quidem ad concilium Chalcedonense secutus est, sed synodi definitioni et epistolæ S. Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum subscripsit; et dein Alexandriam cum tribus aliis episcopis transgressus, S. Proterium, archipresbyterum Antiochenum, Dioscoro in sede S. Marci substituendum curavit* (8). *Et quidem nonne Macarius, de quo hic in Prætermissis, ille est Macarius episcopus, in quem Dioscorus composuit encomium, asservatum inter codices copticos Romam advectos* (9)? *Certe quum multæ difficultates obstiterunt aliquandiu ne S. Proterius inthronizaretur, tempus non defuit quo Alexandriam advenerit Macarius; neque absurda spes ejus erat sese, a Dioscoro missum, forsan aliquid valiturum consiliis apud S. Proterium, quippe quem ipse Dioscorus ante discessum suum designaverat qui absentis sui locum et vices impleret. Sed restitisse S. Proterium et postea multa acerba a Thimotheo Æluro perpessum fuisse ex historia novimus. Interea autem, dum Marciani imperatoris jussu Ægypti præfectus acriter* E *urgeret novi patriarchæ electionem et monophysitarum contrarios retunderet impetus, nil mirum si male habitus fuerit Macarius ille episcopus, nullo alio consilio Alexandriam advectus quam ut impediret ne successor daretur Dioscoro. At cujus sedis Macarius ille episcopus fuit? Simon Moysis* Tacu *indicat; cardinalis Majus* Atakuæ, *Ludolfus* Kawi, *quam positum fuisse dicit in Ægypto superiori ad orientem Nili. Equidem, si hac in re audiendus sim, imprimis animadverto particulam præfixam* ta *ad ipsum nomen non ita pertinere ut hujus naturam aut significationem immutet : sic* Ταεμποτ *est idem locus qui* Sombat (10) ; Ταποθουκη, *idem quod* Αποθουκη, Boutidj *seu* Aboutidj (11), *etc., illudque* ta *videtur esse forma aliqua articuli definitivi feminini* te *seu* t; *ita ut v.g.* Ταδεννε *idem sit ac* palma *seu* palmæ, (le palmier *vel* les palmiers) *et* Ταδεννησι, palma *seu* palmæ Isidis. *Et sane, ut ne ab ipso vocabulo quo detinemur recedamus,* Κοου *reperitur et* Τκοου *et* Τκωου *ad significandam Antæopolim, civitatem Thebaidis primæ, vulgo dictam* Qaou *seu potius* F Kau-el-kebireh (12); *atque hanc significatam voluit Ludolfus pro Macarii sede. Verum ostendit Champollion* (13) *per* Τκοου *seu* Τκωου *designatam etiam fuisse civitatem, positam prope Alexandriam et nunc repræsentatam per vicum* Atku, *auctum verisimiliter articulo arabico* a : *quocum convenit* Atakua, *quæ apud Majum legitur. Præterea multo verisimilius est magnam necessitudinem fuisse Dioscoro cum vicino episcopo quam cum episcopo ex Thebaide. Atque hæc, licet fatear me divinando aliquantum progressum esse, paulo latius explicui, ne fragmenta illa qualiacumque historiæ ecclesiasticæ Orientis perirent. Non est quod dicam schismatico illi viro locum esse non posse alium in opere nostro quam in Prætermissis.*

(1) Monumenti delle arti christiane primitive, pag. 238 et seqq. — (2) Osservazioni sopra i cimeteri sacri di Roma, pag. 183. — (3) Class. I, epist. XXII, num. 2, ap. Migne, Patrologia, tom. XVI, col. 1019. — (4) Sermo in dedic. SS. XL martyrum, ap. Migne, Patrologia, tom. XX, col. 963. — (5) Scriptores veteres, tom. IV, part. II, pag. 98. — (6) Commentarius in historiam Æthiopicam, pag. 396. — (7) Ibid. pag. cit. — (8) Lequien, Oriens Christianus, tom. II, col. 566; Tillemont, Mémoires ecclésiastiques, tom. XV, pag. 744 et 745. — (9) Assemanius, Bibliotheca Orientalis, pag. 619, col. 1, § XVII. — (10) Quatremère de Quincy, Mémoires sur l'Egypte, tom. I, pag. 104. — (11) Ibid. pag. 342. — (12) L'Egypte sous les Pharaons, tom. I, pag. 271; tom. II, pag. 365 et 370. — (13) Ibid. tom. II, pag. 242.

Felicem

A Felicem Aptungitanum, *unum ex Donatistarum primipilis, scripsit Baronius loco S. Felicis Tubzocensis in primis editionibus Martyrologii Romani, etiam in iis quæ literis apostolicis ornatæ sunt. Errorem vidit, quum annotationes in idem Martyrologium collegit.*

Quadragenos sexque, triumpho, Romæ militia et sancto certamine claros *memorat hodie Wandelbertus in Martyrologio suo Metrico; pertinent ad diem sequentem* xxv Octobris.

S. Bonifacii I Papæ *memoria celebratur in kalendario Trevirensi sæculi* xiii, *edito ab Hontheimio in Prodromo historiæ Trevirensis, in antiquo Breviario Antverpiensi et in editionibus Adonis et Usuardi, quas Mosander et Grevenus pararunt, atque inde defluxit in Martyrologium Germanicum, dictum Canisii. De eo juxta Martyrologium Romanum dicendum potius est crastina die, id est* xxv Octobris.

S. Cletum, confessorem et diaconum, *cujus reliquiæ Tiburе in Latio coluntur, annuntiant hac die Ferrarius et Castellanus. De eo nonnulla dicta fuerunt in Commentario et*
B *Vita S. Petri, qui ejus discipulus fuisse traditur et ecclesiasticis colitur honoribus die* 30 *Augusti* (1); *alia minus felicia inter Prætermissos ad* 24 *Septembris, qua die ejus nomen Ferrarius etiam protulit : ibi enim dubitarunt decessores nostri an vere S. Cletus Tiburе coleretur. Res extra dubium est; et olim quidem ejus festum agebatur die* 24 *Octobris; nunc vero ob introductum festum S. Raphaelis, Directoriis seu ordinibus divini officii Tiburtinis, annorum* 1836, 1841 *et* 1843 *intelligo, die proxime sequenti, qua idcirco de eo dicemus, scilicet* xxv Octobris.

In pago Bituricensi sancti Dulcardi confessoris *memoria venit hodie errore unius diei in codice Usuardi Altempsiano. De eo agendum erit ad* xxv Octobris.

S. Fructuosum seu Fructum, *Segoviæ in Hispania maxime cultum, memorat hodie Tamayus in Martyrologio Hispanico. De eo potius dicendum est proximo die* xxv Octobris.

SS. Lucianus, Marcianus et Florus *laudantur hac die in codice Usuardino D. du Cheval, signato* C. *Error est duorum dierum; de eis*
C *agetur sub* xxvi Octobris.

In Hispania, sancti Bernardi, qui, ex primo abbate cœnobii de Sanctis Crucibus in Catalonia ordinis Cisterciensis episcopus Viquensis factus, spiritu apostolico plenus ac insignibus miraculis præclarus effulsit : *ita in supplemento Martyrologii Romani ad usum ordinis Cisterciensis; et similia in aliis fastis. Jam pridem in Prætermissis ad diem* 16 *Octobris diximus nos de eo acturos sub* xxvi Octobris.

S. Eucharium, *cultum in diœcesi Tullensi, celebrant hac die Ferrarius in Catalogo generali sanctorum et Saussayus in Martyrologio Gallicano. Ejus festum die* 20 *Octobris consignatum est in Breviario Tullensi, anno* 1749 *excuso. Verum quum ejus in Usuardinis additamentis et in Martyrologiis universali Castellani et in Parisiensi cardinalis de Noaliis, libris utique communioribus, festum signetur sub die* 27 *Octobris, jam in annotatis ad Passionem S. Eliphii, editam ad diem* 16 *Octobris, mo-* D *nuimus nos de S. Euchario dicturos esse ad diem* xxvii Octobris.

S. Noitburgis seu Northburgis, virginis Coloniensis, *hodie memoriam facit Ferrarius in Catalogo generali sanctorum, Saussayus in supplemento ad Martyrologium suum Gallicanum et Arturus a Monasterio in Gynecæo. Multo illustrior est hujus virginis cultus sub die, qua de ea dicemus,* xxxi Octobris.

In Scotia, sanctæ Maxentiæ virginis et martyris. In Territorio Bellovacensi, sanctæ Maxentiæ virginis et Barbantii ejus famuli. *Hæc Ferrarius in Catalogo generali sanctorum, bis eamdem annuntians sanctam, quæ natione Scotica fuisse fertur et apud Bellovacos martyrium passa. Verum de ea dicemus sub die, qua in plerisque fastis sacris occurrit atque etiam Bellovacis colitur,* xx Novembris.

Columbani monachi *nomen solus habet hac die Grevenus in suis ad Usuardum additamentis; sed simul ejusdem festum indicatur in veteribus Kalendariis, Stabulensi, Verdinensi,* E *Antverpiensi, Hibernico et Moguntino ; atque etiam in Vaticano, edito a Georgio post suum Adonem, ubi monachus et martyr dicitur, et in Mediolanensi I, ibidem excuso, ubi cum* episcopi *titulo venit. At in Breviario Moguntino, quod anno* 1570 *Daniel archiepiscopus typis Coloniensibus excudi voluit, reperimus sub die* 24 *Octobris tres lectiones proprias de S. Columbano, abbate Luxoviensi et Bobiensi; ita ut dubium non sit quin agatur de celeberrimo S. Columbano, cujus nomen inscriptum est Martyrologio Romano ad diem, quo ejus gesta illustrabimus,* xxi Novembris.

Majorus martyr, servus generosi et nobilis viri Tyburtinæ civitatis, passus est in persecutione Vandalica sub Hunerico rege: qui, primo fustibus quasi innumerabilibus cæsus, trochleis frequentibus elevatus, aliquando ictu celeri dimissus, super lapides et silices corruebat : sed et plures plagas lapidibus confricatus, dum jam viscera pelle nudata essent, et ipse ad singula constantior appareret, novissime gladio cæsus F est et apud eamdem urbem sepultus. *Licet hæc præter morem pro Prætermissis longa sint, volui hæc integra Petri de Natalibus* (2) *verba recitare, quoniam ex eis emersit sanctus, quem Tiburtini popularibus suis accensent, et qui ex episcopi Æquilini Catalogo sanctorum transivit ad hanc diem in Martyrologium Germanicum Walasseri, dictum Canisii ; in Maurolyci Martyrologium secundum morem sacrosanctæ Romanæ et universalis ecclesiæ ; item in Galesinii Martyrologium, S. Romanæ ecclesiæ usui accommodatum ; in Catalogum generalem sanctorum Ferrarii, in ejusdem Catalogum sanctorum Italiæ atque in Hagiologium Italiæ, inde exceptum ; atque in alios etiam libros. Verum Petrus de Natalibus omnes suos sequaces in manifestissimum errorem abduxit. Quum enim incidisset in hunc S. Victoris Vitensis locum* (3) : Servus quoque Tuburbitanæ civitatis Majoris, ge-

(1) Act. SS. tom. VI Augusti, pag. 634, 635, 636 et 641. — (2) Catalogus sanctorum, lib. IX, ad 24 Octobris. — (3) Historia persecutionis Vandalicæ, lib. V, cap. 2, pag. 73, edit. Ruinartii.

nerosus

A nerosus et nobilis vir, pro Christo quas pertulit quis explicet pœnas? Qui post cædes innumerabilium fustium, trochleis frequenter elevatus, etc. ; *quumque codex ejus haberet :* Servus... Majorus, generosi et nobilis viri, *quemadmodum Ruinartius* (1) *etiam in sex codicibus aut editionibus reperit ; putavit agi de servo quodam generosi et nobilis viri, Majoro nomine, dum proprium nomen esset* Servus, *apud Afros minime inusitatum, et ipse nobilis et generosus esset vir. Verisimiliter reperit quoque Petrus de Natalibus in suo S. Victoris Vitensis codice vocabulum* Tuburbitanæ *depravatum ; ita ut crediderit* Tiburtinæ *legendum esse : et certe ignoravit duplex fuisse Tuburbin, aliud Majus, aliud Minus* (2), *atque hinc apud S. Victorem Vitensem hoc loco legi* Tuburbitanæ civitatis Majoris. *Sed de his satis ; quum de S. Servo, confessore Tuburbitano Majore, dicendum erit juxta Martyrologium Romanum aliosque fastus sub die* VII Decembris. Eracliani episcopi *nomen in sola Greveniana Usuardi editione legitur. S. Heraclianum episcopum alium novi nullum quam qui Pisauris colitur die* IX Decembris. D

(1) Historia persecutionis Vandalicæ, lib. V, cap. 2, pag. 188, edit. Ruinartii. — (2) Ibid. pag. 247 : Morcelli, Africa Christiana, tom. I, pag. 332 et 333.

DE SS. CRESCIO, OMNIONE ET SOCIIS,

B EMPTIO, CERBONIO, PAMPHILA, MARTYRIBUS IN AGRO MUGELLANO IN THUSCIA, E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

V. D. B.

§ I. De redintegrato SS. Crescii et sociorum cultu; de antiqua Passione controversiæ.

ANNO CCL. *SS. Crescii et sociorum cultus, in Thuscia fere obsoletus, post medium sæculum XVII renovatur;*

* Vittoria di Ubaldo della Rovera

Per temporum calamitatem et hominum negligentiam diu oppressa fere jacuit SS. Crescii *et sociorum memoria, donec tandem sæculo* XVII *ad finem labente resuscitanda visa est et per universam diœcesim Florentinam propaganda. Maxime eo contulit Victoria Ubaldi de Robore*, ducatus Urbini ultima hæres et Ferdinandi II, magni ducis Etruriæ, vidua. Hæc enim quum statuisset plurium Thuscorum cœlitum renovare et augere cultum, Romanum sedem adiit, petens ut officia eorum auctoritate apostolica approbarentur; atque hæc inter SS.* Crescii *et sociorum erat officium. Pientissimis his votis* C *annuit Clemens papa X et die 6 Maji anni* 1676 *decretum publice proposuit, quo licentiam dedit ut quotannis die 24 Octobris SS.* Crescii et sociorum martyrum *intra Florentiæ mœnia et per universam diœcesim festum ageretur. Verum quod tunc concessum est officium, desumendum erat ex communi plurimorum martyrum; neque tunc ulla videntur fuisse cognita SS.* Crescii *et sociorum Acta* (1).

antiqua Acta reperiuntur et a Laderchio

2 *At illa licentia non amplius sufficere visa est, quum denuo retecta sunt sanctorum martyrum ossa, et Cosmo III, magno duci Etruriæ, placuit templum, quo illa condebantur, restaurare. Quamobrem Carolus Antonius abbas Gondi, ipsius regiæ celsitudinis summæ rei a secretis, curavit omnes bibliothecarum pluteos examinandos, sicubi SS.* Crescii *et sociorum Acta reperirentur; ex quibus deinde lectiones propriæ conficerent; ea enim olim exstitisse certum erat, quum Petrus Franciscus Giambullarius in libro italico,* il Gello, *anno* 1546 *Florentiæ impresso, aperte nominasset* Historiam S. Crescii (2). *Reperta itaque illa Acta in celeberrima bibliotheca Mediceo-Laurentiana ; item in metropolitanæ ecclesiæ Florentinæ archivo ; ac demum in bibliotheca Alexandrina Sapientiæ Romanæ : quæ omnia exemplaria, variis licet e locis excepta, inter se convenire compertum est.* Hæc igitur, *ait Jacobus Laderchius* (3), *Oratorii Romani presbyter,* ubi Romam missa fuere, notis authenticis obsignata, regiæ ipsius celsitudinis nomine super hujusmodi Actis de sententia perquisitus fui, ac insuper jussus ut, siquid aliud præter eadem Acta vel apud probatos scriptores, vel in mss. codd. de sanctorum martyrum gestis reperiri obtigisset, diligenter ac sedulo adnotarem ; quod hac ratione facilius ab apostolica sede veteris erga sanctos martyres cultus honor novo munere comprobandus censeretur. *Nil novi invenit Laderchius; sed illis Actis tantum adjecit commentarium ut liber ejus maximæ formæ paginas capiat* 245. F

infeliciter illustrantur.

3 *Sed quid hac mole egit Laderchius? Quum hic vir, laboris amans et sacræ antiquitatis, eo destitueretur judicio aut sensu quo vera a falsis et dubia a certis discernuntur et cujus leges innascuntur humanæ menti et assidua coævorum et prudentum scriptorum lectione confirmantur, parum vero percipiuntur præceptis aut usurpatione librorum, quibus vindiciarum et defensionum titulos præfigere amant, addiscuntur ; mul-*

(1) Storia di S. Cresci e de' SS. Compagni martiri e della chiesa del medesimo santo, posta in Valcava del Mugello, scritta da Marco Antonio de' Mozzi, canonico Fiorentino, lettore della lingua Toscana nello studio di Firenze e accademico della Crusca all' altezza reale di Cosimo III, gran duca di Toscana, 1710, pref. pag. XX. — (2) Orlendius, Orbis sacer et profanus, tom. III, pag. 1146. — (3) Acta passionis SS. Crescii et sociorum martyrum ex mss. codd. bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ metropolitanæ ecclesiæ Florentinæ et Sapientiæ Romanæ nunc primum edita et a Jacobo Laderchio, congregationis Oratorii urbis presbytero, asserta et illustrata, Florentiæ, 1707. Præf. pag. II.

tam

AUCTORE V. D. B.

tam operam posuit in colligendis ex aliis sanctorum martyrum Actis similia loca, quibus se palam facturum credebat nil esse in Passione SS. Crescii *et sociorum quod credi non debeat, nisi quis aliorum sanctorum Acta prius abjiciat. Qua in re dupliciter erravit; tum quod continuo fere recurrit ad Passiones, quæ optimæ notæ non sunt; tum quod non vidit aliud omnino esse unum aliquem in historico libello difficilem locum esse, aliud universam fere historiam excusatione aut defensione indigere.*

Felicius eis addit egregiam appendicem de gloria posthuma.

4 Ubi vero absolutum opus jam Florentiæ sub prelo erat, mandatum est mihi, *inquit Antonius Franciscus Felici, natione Romanus* (1), ut quam celerrime monumenta omnia, perpetuum eorumdem martyrum cultum comprobatura, in unum congererem, atque ex his appendicem operi adornarem. Ego autem, licet angustia temporis pressus, nihilominus jubentis auctoritati concedens, in veteribus hisce monumentis eruendis strenuam operam navavi. Fateor tamen mihi, hæc sedulo vestiganti, præsto fuisse abbatem Carolum Antonium Gondi, qui ob singularem pietatem, qua B beatissimos Crescium et socios martyres prosequitur, eorum passionis et cultus pervetustas memorias, undequaque summo studio conquisitas, quam plurimis in schedis religiosissime adservat. Hujus igitur ope erectus, laborem, quicumque ille est, absolvi eo ordine ut primo scriptores ac vetera martyrologia, quotquot mihi occurrerunt, quæ de sanctis nostris mentionem facerent; deinde antiquas eorum imagines ac templa eis dicata recenserem; demum reliquiarum inventiones et translationes, quæque eorum festis diebus olim recitabantur Officium et Missam subnecterem. Quæ vero præsertim spectant ad basilicam in qua SS. Crescii et sociorum corpora servantur cursim delibavi, quum de his longiorem instituat dissertationem Marcus Antonius Mozzius canonicus Florentinus in erudito libro, quo gesta eorumdem martyrum, italice reddita, complectitur. *Valde bona Felicii scriptio, nec a quoquam (quem sciam) umquam reprehensa.*

Capassius impetit illa Acta justo acerbius et ab alio mordacius impugnatur.

5 *Verum alia omnino fuit fortuna Laderchiani libri, qui simul cum Felicii appendice anno* 1707 *typis Florentinis in publicam venit lucem. Ut enim primum Gerardus Capassi, ordinis Servorum B. M. Virginis presbyter, ex literis Justi Fontanini, celeberrimi viri, intellexit sacram rituum congregationem rogari ut clero Florentino facultatem faceret recitandi quotannis Officium proprium, ex Actis a Laderchio defensis; continuo strinxit calamum et epistolam scripsit ad Justum Fontaninium, qua Acta* SS. Crescii *et sociorum et simul Laderchii annotata acriter carpsit, nonnumquam ipsimet auctori non parcens. Ad hæc, ut exspectandum erat, non quievit altera pars, atque anno* 1708 *typis iterum Florentinis editum est ad Capassii scriptionem responsum* (2); *cujus hæc est ratio ut prius adversarii verba recitentur atque ea deinde impu-* D *gnentur. Hæc lucubratio non ipsius Laderchii est* (3), *sed in ejus tamen cubiculo* (*ut in monito ad lectorem aperte traditur*) *conscripta. Quam infelici autem eventu uterque laborarint* (*Laderchium intelligo et Capassium*) *paucis explicat Joannes Lamius Florentinus* (4), *affirmans* impetu disputationis abreptos plus effutiisse quam confirmare rationibus possent. *Quin ipse Laderchianus Achates, quicumque is demum sit, anno* 1711 *novam editionem apologiæ suæ fecit, in cujus proœmio fatetur se prius usum esse verbis amarioribus et acrioribus, suamque scriptionem jure merito improbatam fuisse, licet alioquin doctrinam contineret bonam, utilem et sanam; quamobrem eam multum breviavit et correxit et, mutato nonnihil titulo* (5), *typis Florentinis denuo excudi voluit.*

Clemens papa XI non vult recitari lectiones proprias.

6 *Verum tardius venit modesta hæc responsio. Jam enim Clemens Papa XI statuerat lectiones proprias non recitatum iri* (6); *unde nunc, quoniam jam die* 24 *Octobris festum S. Raphaelis archangeli agitur, ad diem* 25 *Octobris reperiantur hæc tantum in appendice ad Breviarium Romanum pro magno ducatu Etruriæ* (7) : Festum SS. Crescii, Omnionis et Emptii martyrum. Duplex. Omnia de communi plurimorum martyrum secundo loco præter lectiones I nocturni, quæ sunt de Scriptura occurrente, et orationem. ORATIO. Quæsumus, omnipotens Deus, ut beatorum martyrum tuorum Crescii, Omnionis et Emptii numquam nobis desit auxilium, quorum venerabilem tribuis celebrare triumphum. Per Dominum. *Nil itaque valuit hæc controversia ad gesta* SS. Crescii *et Sociorum ecclesiastica auctoritate confirmanda; sed contulisse nonnihil videtur ad excutiendum pulverem, quo illorum martyrum fama sepulta fere jacebat : adeo ut Laderchii et defensoris ejus labor non omnino in ventum abierit.* E

Moctius, Orlendius, Brocchius et Lamius melius de SS. Crescio *et sociis scribunt.*

7 *Dum autem controversia hæc ferveret et homines doctos in varias distraheret partes, absque ira et amicitia diligenter operi suo incumbebat Marcus Antonius de Mozzi, quem deinceps Lamii exemplo Moctium appellabo. Is vir, ut videtur, moderati ingenii laborem suum divisit in tres sectiones; quarum prima seu præfatio modestam continet defensionem Actorum* F SS. Crescii *ejusque comitum; pone sequuntur cum versione italica eadem Acta, deprompta ex ms. codice archivi operæ S. Mariæ Floridæ, collato cum Strozziano : neglexit autem Mediceo-Laurentianum et apographum abbatiæ Florentinæ : tertio demum et ultimo venit loco Historia templi S.* Crescii *in Vallecava agri Mucillani; quæ tanto fusior est quo Cosmus III liberalior fuerat in restituenda illa æde. Post Moctium illustravit adhuc* SS. Crescii *et sociorum gesta Franciscus Orlendius in Orbe sacro et profano, anno* 1732 *Florentiæ edito, et Brocchius tum in Vitis sanctorum Florentinorum, tum in Descriptione Mucilli; quæ posteriora opera pluribus locis a Joanne Lamio laudari video et olim in*

(1) Antonii Francisci Felici Romani appendix ad Acta SS. Crescii et sociorum martyrum, edita a Jacobo Laderchio, congregationis Oratorii Romani presbytero, perpetui eorum cultus monumenta complectens. Florentiæ, 1707. pag. 4. — (2) Lettera ad un cavaliere Fiorentino devoto de' santi martiri Cresci e compagni in risposta di quella scritta del P. Fr. Gherardo Capassi dell' ordine de' servi di Maria a Giusto Fontanini contro gli atti de' medesimi santi, dati alla luce da Giacomo Laderchi, prete della congregazione dell'Oratorio di Roma. — (3) Cfr Proœmium secundæ editionis. — (4) Sanctæ ecclesiæ Florentinæ monumenta, tom. I, pag. 394, not. *a* — (5) Lettera ad un cavaliere Fiorentino devoto de' santi martiri Cresci e compagni, in risposta ad alcune difficoltà e dubiezze motivate contro gl' Atti de' medesimi santi dati in luce etc. — (6) Cfr Mozzi, pag. XX. — (7) Officia propria sanctorum a sancta sede apostolica tum singulis diœcesibus magni ducatus Etruriæ, tum quibusdam aliis regnis et provinciis Italiæ usque in hanc diem concessa, pag. 391.

Musæo

A *Musæo Bollandiano servabantur. Atque ipse demum Lamius, prædecessorum vestigia secutus, operam aliquam conferre voluit jam ad declaranda eorumdem sanctorum gesta, quæ iterum edenda curavit* (1), *jam ad eorum cultum explicandum.*

Passionis auctor non est coævus, quum ei præluxerint symbola Constantinopolitanum et Athanasianum, hymnus Te Deum,

8 *Ut autem ex dictis abunde patuerit lectori, his omnibus præluxere SS.* Crescii *et Sociorum toties jam nuncupata Acta; atque hic quidem præcipuus seu potius unicus fons est, ex quo sanctorum illorum haurire possimus gloriosa facinora. Verum quam hæc controversa sunt et quantum habent dubitationis! Necesse itaque imprimis est ut, quantum fieri potest, inquiramus quæ eis fides adhibenda sit et proin quo tempore fuerint scripta et qua auctoritate. Censuit Laderchius ejusque defensor ea quidem scripta non fuisse ab oculato teste, sed a coævo tamen et paucissimo tempore, puta tribus aut quatuor annis, post S.* Crescii *passionem* (2); *quæ Decio imperante seu medio sæculo* III *contigisse constanter traditur. Verum enimvero hæc nemini cordato probari poterunt, quum illorum*
B *Actorum scriptori præluxerint symbola Constantinopolitanum et Athanasianum, hymnus gratiarum actionis* Te Deum laudamus, *orationes S. Leonis Papæ et S. Gregorii Magni Dialogi. Ecce enim, num.* 8, S. Crescius S. Omnioni παραφραστικως *exposuisse narratur initium symboli Constantinopolitani,* videlicet qualiter credere deberet in Deum Patrem omnipotentem, visibilium et invisibilium conditorem et in Dominum nostrum Jesum Christum unicum filium ejus, qui quum sit Deus de Deo,... lumen de lumine *etc.; plura similiter ex symbolo Athanasiano repetit,* videlicet, *num.* 9, qualiter sanctam atque ineffabilem deitatis trinitatem in unitate et unitatem in trinitate colendo venerari et venerando adorare debuisset; *in quibus nemo non agnoscat trita hæc verba :* Ita ut per omnia, sicut supra dictum est, et unitas in trinitate et trinitas in unitate veneranda sit. *Legisse similiter perhibetur num.* 8 S. Crescius, *canticum* Te Deum, *quippe qui ex eo recitet :* Cui Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant.

scripta S. Leonis et S. Gregorii Magni;

9 *Quod vero S.* Crescius *seu potius ejus Passionis scriptor S. Leonis Papæ sermones memoriter retineret, multis locis liquet. Sequens exempli gratia locus, qui num.* 3 *occurrit, totus Leonianus est :* Dominus videlicet noster Jesus Christus, qui ut hominem maligna fraude deceptum a laqueis mortis et inferni eriperet, de cælis descendere et nostram carnem suscipere dignatus est, non relinquens quod erat, sed assumens quod non erat, ut participatione nostræ infirmitatis ad suæ divinitatis potentiam nos sublevaret. *Desumptus namque est partim ex sermone* XXI *seu* I *in Nativitate Domini, cap.* II, *ubi legitur* (3) : Verbum igitur Dei Deus... propter liberandum ab æterna morte hominem factus est homo : ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione suæ majestatis inclinans, ut manens quod erat, assumensque quod non erat, veram servi formam ei formæ, in qua Deo Patri est æqualis, uniret; *partim ex sermone* XXVII *seu* VII *in Nativitate Domini, cap.* I (4): *quem locum in lectione* VI *officii divini in festo Circumcisionis dabit Breviarium Romanum. Præterea num.* 8 *hæc loqui S.* Crescius *perhibetur :* Dominus ac redemptor Jesus Christus,... ne sua factura periret et [ut] hominem, quem antiquus hostis maligna fraude deceptum gloria immortalitatis spoliaverat, a laqueis mortis eriperet,... de cælis descendere... dignatus est. *Hæc qui scripsit habuit procul dubio præ oculis hæc S. Leonis ex sermone* XXII *seu* II *in Nativitate Domini verba* (5) : Nam qui gloriabatur diabolus hominem, sua fraude deceptum, divinis caruisse muneribus et immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam *etc. Demum quod Passionis auctor in S. Gregorii Magni dialogis versatus fuit, vel ex hoc liquet capite quod S.* Crescium, *de resuscitando S. Cerbonio seu Serapione interpellatum, eodem modo loqui voluit ac S. Benedictum abbatem. Ecce afficta S.* Crescio *num.* 18 *verba:* Hoc non est nostrum, fratres carissimi, non est hoc nostrum, sed sanctorum Apostolorum et successorum eorum est. *Jam audi S. Benedictum* (6) : Recedite, fratres, recedite; hæc E nostra non sunt, sed sanctorum Apostolorum.

AUCTORE V. D. B.

10 *Manifestum itaque est illa Acta sæculo* III *non scripta fuisse, sed multo post. Contendit autem Capassius* (7) *et consentit Moctius* (8) *ea literis fuisse consignata ad fines exeuntis sæculi* XI *et ineuntis* XII; *quoniam sequentia in iis dixisse traditur S.* Crescius: Spiritus Sanctus, confirmator et consolidator omnium, de quo aperte in supradicto Psalmi versiculo adjungitur : Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum; quibus verbis aperte datur intelligi Spiritum Sanctum Patris et Filii Spiritum rectissime credi... Filius autem et Pater quum, ut in Evangelio ipsius verbis Domini ostenditur, unum sint, nullum dubium esse potest, quin Spiritus Sanctus Patris et Filii sit Spiritus; qui Sanctus Spiritus, paraclitus ac consolator, a Patre et Filio procedens *etc. Ad quæ animadverterunt hæc scripta videri, quum controversia Græcos inter et Latinos exeunte sæculo* XI *agitari cœpta est; maxime quod nemo ante SS. Petrum Damiani et Anselmum ex verbis* spiritu oris ejus *ostendere conatus sit Spiritum Sanctum ex Filio procedere. Sed facile ex innumeris scriptoribus demonstravit Laderchii defensor quantum hæc a veritate aberrarent. Quibus ego unum addam S. Venantium Fortunatum, in Gallia Transpadana prope Tarvisinam civitatem natum, Ravennæ vero instructum literis et Pictaviensibus demum infulis amictum. Hic in expositione fidei catholicæ, quam Muratorius primus in lucem dedit et quæ continuus in Athanasianum symbolum commentarius est, ait* (9) : Non ergo confundentes personas, quia tres personæ omnino sunt. Est enim gignens, genitus et procedens. Gignens est Pater, qui genuit Filium, Filius est genitus, quem genuit Pater; Spiritus Sanctus est procedens, quia a Patre et Filio procedit. Pater et Filius coæterni sibi sunt et coæquales et cooperatores, sicut scriptum F

ad hæc tamen, quæ de Spiritu Sancto dicit, nequit referri, ad finem sæculi XI,

(1) Monumenta ecclesiæ Florentinæ, tom. III, pag. LIII et seqq.—(2) Lettera ad un cavaliere Fiorentino, pag. 170 et 228, edit. 1711. —(3) S. Leonis M. opp. tom. I, col. 191 et 192, edit. Migne.— (4) Ibid. col. 213. — (5) Ibid. 194; cfr epist. XXVIII ad Flavianum, cap. 3, col. 765. — (6) S. Gregorii M. Dialogi, lib. II, cap. 32, opp. tom. II, col. 265, edit. Maurin. — (7) Lettera etc. pag. 114 et seqq. — (8) Storia di S. Cresci, pag. XI. — (9) Anecdota, tom. II, pag. 212 et 213.

 est :

AUCTORE V. D. B.

est : *Verbo Domini cœli firmati sunt*, id est a Filio Dei creati. *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Ubi sub singulari numero Spiritus ejus dicitur, trinitatem personarum aperte demonstrat, quia tres unum sunt et unum tres. *Neque ego mirarer si hanc reapse Expositionem ante oculos habuisset S.* Crescii *biographus; nam licet ejus stylus multo amplior sit atque etiam melior quam S. Fortunati, proxime tamen hunc sequitur in declaranda fide christiana. Nil itaque est, me judice, cur dicatur S.* Crescii *Passio sæculo* XI *aut* XII *scripta.*

sed quum vere doctus esset et latinam linguam callens, videtur S. Gregorio M. non multo fuisse recentior.

11 *Quod si ita sit, quæret procul dubio lector quo tempore ea literis mandata videatur. Equidem ubi stylum, maxime in sermonibus, considero, proxime is mihi accedere videtur ad S. Leonis Magni ubertatem et copiam. Video etiam eum passim esse vere latinum et paucissimis sordibus maculatum. Neque minus admiror doctrinam, quæ non solum sanis verborum formulis exponitur ; verum etiam tanta accuratione, profunditate et amplitudine, ut proxime ad SS. Hieronymum, Augustinum et Leonem accedat. Re quidem vera passim intelligitur* B *aliena premere vestigia et aliorum sententias in usum suum convertere ; sed nemo id prudenter fecerit, nisi bonus fuerit theologus. Quamobrem ego non ausim asserere eum vixisse multo post S. Gregorii Magni tempora, seu quum per diuturnam Langobardorum dominationem aliasque calamitates omnino in Italia concidissent literæ sacræ et profanæ.*

Plura scripsit ex populari traditione.

12 *Ast hæ laudes nequaquam efficere umquam poterunt ut tanti valeat ejus lucubratio quanti monumentum historicum coævum ; sed ad summum ut ea illi tribuatur auctoritas, quæ vulgo assignatur Actis S. Laurentii, S. Sebastiani et omnium fere italorum martyrum ; nam paucissima tantum statim post sanctissimorum athletarum trucidationem conscripta sunt. Arbitratur Moctius vetustiorem Passionem præluxisse S.* Crescii *biographo, qui eam deinde exornandam crediderit : ita fieri potuisse certum est, sed nullo ex capite reapse factum esse constat ; quin etiam num.* 13 *videtur auctor ex populari traditione scribere, ubi ait :* Sanctus autem Dei blande eos consolatus, talia FERTUR protulisse monita : *quæ inter certe nonnulla* C *sunt, verbi gratia de duplici ad cœlum via, una confessionis, altera martyrii, quæ nequaquam in antiquo documento lecta sint. Utut id est, scripsit martyrographus, quum nondum periisset S.* Crescii *gestorum memoria. Nam, ut mittam quæ Moctius de convenientia locorum cum his quæ in Actis traduntur annotat, recte ab illo animadversum est intelligi non posse quomodo in his, quæ de capitis vulnere et de sepulcrorum situ et conditione aliisque id genus perhibentur, nil peccatum fuisset (uti ex sepulcrorum et reliquiarum inspectione abunde patuit), nisi certa de illis rebus omnibus superfuisset memoria* (1). *Libenter itaque consentio Lamio* (2), *recipienti adjuncta præcipua Passionis SS.* Crescii *et sociorum, resecanti autem sermones longiores et miracula: et quidem sermones hi secundum id quod* ferebatur *recitantur, et miracula, quæ, utpote extra communem rerum ordinem patrata, firmissima auctoritate niti debent,* D *hic narratorem solummodo habent virum, utique gravem et eruditum, sed tot annis posteriorem.*

Volunt nonnulli, nixi auctoritate Villanii, fidem Florentiæ prædicatam fuisse a SS. Paulino et Frontone, S. Petri discipulis;

13 *Quocumque autem modo hæc se habeant, certum esse videtur nullum melius his Actis exstare monumentum de propagata sæculo* III *fide christiana Florentiæ ; unde fit ut jam plerique occasione passionis SS.* Crescii *et sociorum, quos inter S. Miniatem ratione aliqua recensere fas est, inquirant quo tempore primum evangelium innotuerit Florentinis aliisque Etruriæ populis. Volunt plurimi eo missos fuisse a S. Petro apostolo SS. Paulinum et Frontinum, qui et Frentinus et Fronto : ab eis Florentinos aliquos baptizatos fuisse et parvam extra civitatis mœnia excitatam fuisse ecclesiam, scilicet in colle qui deinde propter S. Miniatis passionem Mons S. Miniatis dictus fuit. Sed nullus omnino historicus de hac missione meminit ante celeberrimum Joannem Villanium, qui ab eneunte sæculo* XIV *usque ad annum* 1348 *mirabili studio in concinnanda historia Florentina laboravit. Hic quidem se vetustiora chronica sequi profitetur* (3) *; sed hæc nil aliud sunt* E *quam quæ in S. Miniatis templo tabulæ inscripta legebantur et eam spirant ætatem ut non possint multo ante Villanium concepta fuisse. Ut de his ipse lector judicare possit, ecce illius tabulæ seu chronici verba* (4) : L'anno 62 di nostra salute, il sesto dell' imperio di Nerone, da S. Piero, vicario di Cristo in terra, furono mandati a predicare il vangelo nello città di Firenze Frontino e Paolino, li quali con gli altri fedeli cristiani si riducevano qui per fuggire la persecuzione degl' infedeli, perchè in quel tempo qui erano grandissimi boschi e solitudini, dove edificarono un oratorio ad onore di Dio e nome di S. Piero apostolo, dove si congregavano a laudare Dio : ed in questo luogo è il loro cimiterio, dove ora è la porta santa, nel quel cimiterio v'è numero grande di corpi santi. *Addidisse juverit S. Paulinum eumdem esse ac qui habetur primus Lucensium episcopus et Frontonem eumdem ac S. Pauli discipulum, quem Petragoricenses apostolum suum fuisse volunt et primum episcopum ; et utrumque a Florentinis dici Christi fidem in sua civitate sparsisse, quum Roma ille* F *pergeret Lucam, hic vero in Gallias* (5) *; unde etiam concludunt primatum ecclesiæ suæ esse proprium honorem, quippe quæ fundata fuerit, priusquam S. Paulinus evangelium prædicasset Lucæ, Pisis et alibi.*

sed parum feliciter; alii confugiunt ad S. Romulum, episcopum Fæsulanum ;

14 *Verum quum illa omnia recentia sint, nil mirum, si* ex adverso, *Orlendii* (6) *verbis utor*, Recordanus Malespina, antiquior Joanne Villanio, Leonardus Arretinus, Villanio coævus, divus Antoninus, qui post præfatos auctores Chronicum suum adornavit et de ecclesia rebusque Florentinorum præclare disseruit, nullam prorsus de Florentinorum baptismate, a Frontino et Paulino primum administrato, mentionem faciunt. Divi Romuli, primi Fæsularum antistitis, opera et prædicatione quemadmodum et Fæsulanos ita et Florentinos, eis proximos, primum ad Christi fidem conversos affirmant, *sequentibus S. Romuli Vitæ verbis nixi* (7) :

(1) Storia di S. Cresci, pag. XXIII et seqq. — (2) Florentinæ ecclesiæ monumenta, tom. I, pag. 642 et seqq. — (3) Historie Fiorentine, lib. I, cap. LVIII, ap. Muratori, Scriptt. Italiæ, tom. XIII, col. 53. — (4) Orlendius, Orbis sacer et profanus, tom. III, pag. 1130 et 1131. — (5) Ibid. pag. 1129. — (6) Cfr Fogginius, De Romano divi Petri itinere et episcopatu, pag. 289. et seqq. — (7) Ibid. pag. 285.

Igitur

AUCTORE V. D. B.

A Igitur B. Romulus, iter una cum Marchitiano et Charissimo arripiens, verbum constanter ubique prædicabat : *ubi dictio* ubique *tam bene a Florentinis et ab aliis Italis expensa est ut, qui fere nesciebant a quibus fidem accepissent, S. Romulum apostolum suum fuisse adstruxerint. Utcumque tolerabile id fuisset, si vel minimæ auctoritatis essent S. Romuli Acta; sed sæculo* XI *aut* XII *ab insigni fabulatore concinnata fuere: qui quum aliud nihil perspectum haberet quam S. Romulum Fæsulis episcopum fuisse ibique ad montis radicem sepulturam nactum esse, ex suo cerebro tot alia commenta adjecit, ut in universa re hagiographica nulla forte sit alicujus sancti Vita pluribus onusta mendaciis quam illa S. Romuli Acta. Quamobrem Fogginius* (1), *inter Florentinos plurimam sibi laudem nactus, non dubitavit calculo suo probare decessorem meum Conradum Janingum* (2), *qui his Actis non satis fidere ausus est ut diceret S. Romulum a S. Petro episcopum fuisse ordinatum; multo minus eo ævo illum ad Florentinos venisse.*

verum hic vixisse videtur ad finem sæculi IV.

15 *Verum tuto omnino jam longius ire licet et aperte negare S. Romulum, Fæsularum episcopum, S. Petri fuisse discipulum, quum ex ejus epitaphio, collato cum oratione panegyrica, quam sæculo* XI *ineunte de eo habuit Theuzo abbas, certissime constet eum non vixisse multo ante sæculum quintum. Ecce pars tituli quæ legi adhuc potest* (3) : MESSI HIC ROMVLI CORPVS LONGA IN PACE QVIESCIT — QVI XPI CVM PRIMIS IVSSA SERVARET AB ANNIS — TVM LECTOR DOMINI ANNIS QVINDECIM IVSTUS ☧ — CONTINVIS PROBATVSQVE FVIT MERITOQVE IVVATVS — ÆCLESIÆ SANCTÆ DIACONII EST ORDINATVS HONORE. *Reliqua ita hiulca sunt, ut nemo ea ad hanc diem restituere potuisse videatur. Verum ex Theuzone, qui titulum legit quum adhuc integer esset, cognovimus S. Romulum aliquot, immo triginta annos diaconi functum esse officio, et dein ad presbyterii vel episcopatus promotum fuisse munus. Porro titulum, tam longum, tam barbaris versibus conceptum et potissime monogrammate* ✠ *ornatum, sæculo* IV *antiquiorem esse nullus peritus dixerit. Neque ipse dissentiam a Fogginio* (4), *æstimante S. Romulum, episcopum Fæsulanum, eumdem esse ac illum Romulum, ad quem duas epistolas scripsit S. Ambrosius, eumque S. Petri discipulum fuisse dictum, quod qui in templo cathedrali S. Petri Fæsulano stipendia merebant* S. Petri alumni *dicebantur* (5).

C

Christianorum primorum zelus, fidelium quaquaversum dispersio,

16 *Prudentiores itaque nobis videbimur, si, omissis SS. Romulo, Frontone et Paulino, ipsam universalem rerum conditionem inspiciamus, qualem ex libris sacris et sinceris historiis eam compertam habemus. Porro ex Actibus Apostolorum, S. Pauli epistolis et ex Apocalypsi S. Joannis plane certum est apostolos sedulo functos esse officio, quod eis imposuerat Christus Dominus ; scilicet eos abivisse inter gentes easque docuisse ; misisse quaquaversum suos discipulos, eodem munere instructos : et episcopos instituisse alios regionarios, alios certæ affixos sedi. Ex Eusebio præterea aliisque antiquorum patrum scriptis atque etiam ex sinceris martyrum Passionibus cognovimus passim Christianos, etiam laicos, sancto inflammatos fuisse ardore ad communicandum cum gentilibus bonum nuntium; et evangelium sæpius propagatum fuisse per christianos milites, mercatores et servos. Quamobrem, ut SS. Paulus et Lucas anno* 61 *Fratres invenerunt Puteolis* (6), *sic (ni fallor) si in aliis substitissent Italiæ civitatibus, potissime Romæ proximis, ibidem quoque reperissent fideles. Atque hæc quidem conjecturis nixa esse satis video; verumtamen putem firmiora esse quam quæcumque ex SS. Romuli, Frontonis et Paulini Actis repetuntur. Abest itaque multumque abest ut denegem christianam fidem apostolico ævo Florentiæ innotuisse; quin libenter admittam jam tum ibidem versatos fuisse episcopos, non tamen stabiles, sed potius regionarios et quorum nomina perierint.*

et Florentiæ conditio melius suadent jam primo sæculo illic fuisse christianos quam spuria quæ proferuntur monumenta. Pristinus ambitus

17 *Quamquam enim tantus illo tempore non videatur fuisse Florentiæ splendor quantus a nonnullis fingitur, ea tamen ejus erat conditio ut ab episcopis omnino negligi non posset. Sita scilicet erat ad Arnum fluvium in agro feracissimo et quinque publicis viis ad circumjacentia municipia et civitates exitum habebat. Illinc enim strata via ibatur Fæsulas, Faventiam, Ravennam; alia Pistorium, Lucam et per viam Æmiliam Genuam ; tertia Pisas, ubi obvia erat via Aurelia, secundum mare Tyrrhenum Romam ducens; quarta Senam, Clusium, Vulsinios, Falerios, Romam ; et quinta demum Cassia nova Biturizam atque hinc Aretium, Ambro et Senam et ex tribus his locis via Cassia vetere Clusium et inde Romam* (7). *Multum tamen aberat ut tanta ejus esset amplitudo quanta in præsentiarum. Abbas enim Follinius* (8), *postquam incredibili studio et labore pristini ejus ambitus indagasset vestigia, reperit eam secundum Arnum extensam fuisse a Foro Arni * septuaginta circiter metris ultra pontem sanctissimæ Trinitatis ; hinc ad septentrionem flectebantur muri usque ad viam Pulchrarum Dominarum * ; unde ad Orientem ducebantur per forum Antinororum *, versus ædiculam congregationis misericordiæ ; et demum citra forum templi cathedralis vergebant per vias, quibus nomina* Magazzini, *et* Condotta dell' Anguillara ; *et a media hac ultima via meridiem versus recta protendebantur ad forum Arni* (9) : *quo spatio continentur metra quadrata ducenties circiter sexagesies mille ; dum præsens ejus circuitus nonies mille quadringenta septuaginta et unum metra longus est* (10); *quo capiuntur duæ fere leucæ Tuscæ quadratæ* (11), *seu quinquagesies centena millia metrorum quadratorum ; ita ut hodierna Florentiæ area vicies* (12) *tanto major sit quam olim; quumque nunc incolas solum habeat centies et duodecies circiter mille* (13), *vix credibile est plures quam decies mille incolas illic fuisse, etiamsi recogitetur veterum ædes valde exiguas fuisse et nunc multos hortos intra mœnia esse. Verum oppidum decies mille incolarum imperantibus Romanis valde conspicuum erat ; adeoque phantasiæ nostræ impetu in errorem abripimur, quum, quæ ab antiquis laudari videmus, tanta ea fuisse arbitramur quanta quæ nunc splendida dicuntur et magna.*

* Piazza d'Arno.

* Via delle belle donne.
* Piazza degli Antinori.

F

(1) De Romano divi Petri itinere et episcopatu, pag. 303. — (2) Acta SS. tom. II Julii, pag. 255. — (3) Fogginius de Romano divi Petri itinere et episcopatu, pag. 308 et seqq. — (4) Ibid. pag. 352 et seqq. — (5) Ibid. pag. 360. — (6) Act. Apost. XVIII, 13, 14. — (7) Meyer, Universal Atlas, charta XXXV. — (8) Cfr Fantozzi, Nouveau guide de Florence, pag. 17. — (9) Cfr ibid. Pianta della città di Firenze. — (10) Guibert, Dictionnaire géographique et statistique, pag. 712. — (11) Repetti, Dizionario geografico fisico storico della Toscana, tom. II, pag. 262. — (12) Decies tantum habet Ripetti, tom. cit. pag. 263. — (13) Fantozzi, pag. 33.

AUCTORE V. D. B. *et origo Florentiæ paucis describitur.*

18 *Neque valde antiqua videtur Florentia, de qua quippe scribat Frontinus* (1) : Florentia, colonia a triumviris (*Augusto, Antonio et Lepido*) deducta (*anno ante Christum* 44) ; adsignata lege Julia (*qua certi agris statui jubebantur limites*) centuriis cæsariana jugera xx per cardines et decumanos ; *id est singulis colonorum centuriis attributa viginti jugera, ducentis quadraginta pedibus in longitudinem et centum viginti porrecta in latitudinem ; eaque per limites, a meridie ad septentrionem et ab oriente ad occidentem ductos, divisa. Porro frequentem coloniam fuisse pro spatii amplitudine vel inde constat quod jugera tantum* 20 *in singulas centurias distributa essent; quum alibi centuriæ essent* 50 *jugerum, alibi* 210, *alibi* 400 (2). *Quæ vero his opponuntur, ut major civitati illi attribuatur antiquitas, vel incerta sunt, vel palam fabulosa* (3). *Pars civitatis seu populi Romani nova erat colonia cujus plerique incolæ adscripti tribui Scaptiæ, anno urbis* 421 *a censoribus Publ. Philone et Sp. Posthumio creatæ* (4). *Complures titulos marmoreos, quibus Florentini tribu Scaptia dicuntur, in unum congessit Lamius* (5). *Cave tamen ne omnes una tribu capias; non enim ratione solius habitationis fiebat civium romanorum in tribus divisio : sed pendebat hæc potius ab censorum arbitrio, qui pro rerum opportunitate, civium petitione atque etiam in pœnam (nam aliæ tribus aliis erant honorificentiores) romanos variis tribubus accensebant seu etiam ab una deturbabant in aliam: unde immerito miratur Lamius Florentinos reperiri adscriptos tribubus Arniensi et Romiliæ* (6) : *hæ cæterum honestissimæ, utpote rusticæ. Quandoquidem tribubus accensi essent Florentini, jure suffragii (omnium optimo civitatis jure) potiebantur: nam tribus propter suffragia ferenda institutæ. Crevit plurimum nova colonia detrimento vicinarum Fæsularum. Ab initio ejus agrum tam extensum fuisse quam postea fuit Florentina diœcesis censet Borghinius eique assentit Lamius* (7) : *res incredibilis plane, si recogitetur (quod modo monebamus) singulis centuriis assignata tantum fuisse jugera viginti. Thusciæ metropolim Florentiam fuisse nonnulli volunt et singularem correctoris Etruriæ sedem volunt insuper* (8) ; *sed infirmis valde nituntur argumentis. Quamobrem id unum certum habeamus Florentiam insigne fuisse oppidum medio sæculo* III, *quum ibidem passi sunt SS.* Crescius *et socii atque etiam S. Mineas ; de quo continuo post dicetur.*

B

C

Anno 250 *interempti videntur SS.* Crescius *et socii et anno sequenti SS.* Cerbonius *et socii.*

19 *In Passione S.* Crescii *aperte traditur Decius imperator jussisse ut sanctus vir ejusque socii morte perimerentur : quod acciderit oportet inter mensem octobrem anni Christi* 249, *quo Decius purpuram imperatoriam induit, usque ad mensem Novembrem anni* 251, *quo circiter in prœlio contra Gotthos obiit* (9). *Sed propius determinare fas est S.* Crescii *et sociorum passionis tempus. Quum enim S.* Crescius *cum sociis duobus occisus legatur* IX *kalendas novembris et S.* Cerbonius *cum aliis sociis septimo mense post, scilicet* IV *nonas maji ; dubitandum non est quin illa martyria facta sint anno* 250, *hæc anno* 251. *Florentiæ versatus esse Decius nuspiam alibi traditur quam in Actis S.* Crescii *et S. Mineatis : sed nulla inde peti potest ratio, cur scriptis illis de hac re fides non habeatur. Integrum enim annum* 250 *Romæ et in vicinia commoratus fuisse videtur Decius, nisi forte in Gallias excurrerit* (10) : *quo itinere Florentiam quoque facile venire potuit. Nolim tamen propugnare Decium illis adhuc fuisse in partibus, quum S.* Cerbonius *et socii mense majo occisi sunt ; multo enim verisimilius est Decium tunc jam abiisse qui ad Danubium adversus Gotthos certaret. Imperante Decio, alios quoque martyres habuit Etruria ; verum quum eorum passio nil cum nostrorum commune habeat, satis fuerit indicasse eorum nomina recenseri a Tillemontio* (11), *gesta vero illustrari a decessoribus nostris partim ad diem* 1 *Junii* (12) *et partim ad* 9 *Augusti* (13). *Cæterum nil certius est quam persecutionis gladium sæviisse in universo imperio, dum ejus habenas teneret Decius.*

D

Perperam contendisse videtur Lamius nomen S. Crescii *mutandum esse in* Acrischium.

20 *De nominibus SS.* Crescii *et sociorum, quod fere alibi nuspiam reperiantur, disceptationem jam pridem fuisse inter Capassium et Laderchium finxit Lamius, ut ipse huic intercedere videretur controversiæ et de ea sententiam ferre.* Quod ad nomen *Criscus, inquit* (14), ut in antiquis medii ævi instrumentis scribitur, nullus dubito quin detruncatum corruptumque nomen sit; integrum vero esse Acrischium *persevero,* marmore Florentini militis fidem jubente,

L. ACRISCHIO. L. F. ARN
ACTHO. FLORENTIA
EVOKAT. TITI. AVG. MIL. LEG
XXI MINEA
MILIT. ANN. XXXVI. VIX
ANN. LXXIX
M. ACRISCHIVS. L. F. ARN
SABINVS
T. F. C.

Apud nostrates igitur id nominis in usu erat; quod deinde barbaris sæculis depravatum mutilatumque est; non secus ac *Berta* pro *Alberta; Cicus* pro *Franciscus; Bindus* pro *Aldobrandinus; Lapus* pro *Jacobus; Vannes* pro *Joannes* et id genus alia. *Criscus* igitur pro *Acrischius* dictus est. *Verum meo judicio hæ conjecturæ parum probandæ videntur; nam quod in antiquis monumentis aliquando S.* Criscus *reperitur, nil ad rem facit; quum* Crisconius *et* Criscens *legatur loco* Cresconius *et* Crescens. *Neque* Crescii *seu* Cresci *nomen omnino inauditum est, quum in Martyrologio Hieronymiano ad diem* 18 *Decembris inter martyres Africanos aliquis S. Crescius seu Crescus obvius sit. Neque magis insolita est hæc forma quam* Cresconius; *quod nomen, a* Crescus *forte deductum, Africam quoque videtur habuisse pro genitali solo. Nulla itaque videtur esse ratio cur deserantur omnia antiqua monumenta seu cur S.* Crescus *seu* Crescius *habeatur vero nomine* Acrischius *fuisse dictus.*

F

De SS. Omnionis *et* Cerbonii *nominibus.*

21 *Conjectat dein Lamius S.* Omnionis *nomen fuisse* Onionem, *in titulis græcis repertum. Verum neque hic necesse est admittere depravatum fuisse id nomen, quum* Omnio *facile*

(1) Cit. a Cellario, Notitia orbis antiqui, tom. 1. pag. 572, edit. Schwartz. — (2) Discorsi di Vincenzo Borghini con le annotazioni di Dom. Mar. Manni, tom. I, pag. 1 et seqq.—(3) Hyginus de Limitibus constituendis, pag. 154, edit. Goes.—(4) Vide Rosini, Romanæ Antiquitates, lib. VI, cap. 15, pag. 469.—(5) Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, tom. I, pag. 12 et 13. — (6) Ibid. pag. 13 et 14. — (7) Ibid. pag. XVIII. — (8) Cfr Lamius, ibid. pag. 5 et 6. — (9) Tillemont, Empereurs ad annum 249 et 251, tom. III pag. 129 et seqq. Bruxelles, 1732. — (10) Ibid. pag. 130 et 131. — (11) Ibid. pag. 144. — (12) Acta SS. tom. I Junii, pag. 33 et seqq. — (13) Ibid. tom. II Augusti, pag. 401 et seqq. — (14) Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, tom. I, pag. 594.

deduci

A *deduci potuerit ab* Omnis, *quemadmodum* Quartio *a* Quarto. *Nolim tamen eos reprehendere qui* Onnionem *seu* Onionem *ejus fuisse nomen putant; nam vix ulla soni audiebatur olim diversitas, quum* Omnio, Onnio *et* Onio *pronuntiaretur; dein alii noti sunt sancti Onniones seu Oniones; et, si auctoritas aliorum pensanda sit, Moctius ubique italice eum vocat S.* Onione. *Alius S.* Crescii *socius, S.* Serapion *scilicet, dicitur in baptismo gentile posuisse suum nomen et voluisse deinceps* Cerbonius *appellari. Improbat id etiam Lamius, volens* Cerbonium *depravatam esse formam ex Serapione. Verum neque hæc ferenda conjectura, quum satis superque constet olim sæpissime in baptismate mutata fuisse nomina;* Cerbonium *seu* Cervonium, *ut alia multa ab animantibus mutuata nomina, Christianis olim arrisisse. Sed præplacet pauca de his ad illum Passionis locum annotare.* Emtii *seu* Entii *nomen non omnino insolens fuisse addit ipse Lamius; quod prolato etiam antiquo titulo probat. Reliqua difficultatem videntur non habere.*

De sanctorum martyrum antiquo et recentiori cultu.

22 *Quum inferius integram Felicii scriptionem de gloria posthuma SS.* Crescii *et sociorum daturi simus, pauca tantummodo hoc loco, quæ illic in annotatis ægre dicerentur, indicanda visa sunt. Tribus diebus illorum cœlitum festum consignatum reperimus, scilicet* 23, 24 *et* 25 *Octobris. Ferrarius in Catalogo generali sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ex tabulis ecclesiæ S. Laurentii Florentinæ consignat S.* Crescii *festum ad diem* 23 *Octobris; eumque imitatus est Castellanus in additamentis ad Martyrologium Romanum, ubi simul cum Ferrario dixit S.* Crescii *corpus in eadem ecclesia asservari. Verumtamen Ferrarius in eodem Catalogo ad sequentem diem seu ad* 24 *Octobris eamdem festivitatem refert ex monumentis Valliscavæ in agro Mugillano. Et quum in Catalogo sanctorum Italiæ pauca de S.* Crescio *ad diem* 23 *Octobris perhibuisset, addidit hæc verba :* In tabulis ecclesiæ Fæsulanæ a nobis nuper visis die sequenti natalem hujus martyris celebrari animadvertimus. *Et profecto hæc genuina dies est, martyrio nempe (ut in Actis aperte traditur) S.* Crescii *et sociorum honestata. Et quidem*
C *antiquissimis temporibus Florentiæ hac die agebatur S.* Crescii *festum, ut constat ex kalendario, scripto in fronte Sacramentarii seu Missalis circa annum* 1100, *ut tradit Moctius* (1), *aut (si idem sit) sæculo* IX *vel* X *secundum Lamium* (2), *et in ecclesia S. Bartholomæi Florentina aliquando usurpato. Utut id est, in illo Moctii legitur :* C. VIII kal. S. Crisci mart. *Ex aliis autem mss. libris, quos vidit Moctius* (3), *colligitur solemniter actum fuisse S.* Crescii *festum in templo cathedrali Florentino; in hujus enim antiquissimo rituali legitur :* De sancto Crisco et sociis ejus novem lectiones facimus; *proculdubio easdem quas in Gloria posthuma ex Felicio edemus. Et in alio libro, sæculo* XIII *exarato et in archivo metropolitano servato, cui titulus est :* Mores et consuetudines canonicæ Florentinæ, *ubi agitur de ære campano in festis sanctorum pulsando, hæc occurrunt :* Pro sancto Crisco duas squillas (4); squillæ *autem, vox Italis adhuc usitata, et a germanico* schelle *derivata, minores campanæ sunt. Duæ squillæ videntur pulsatæ fuisse in solis festis duplicibus: cæterum si quis videre velit qualiter olim diebus dominicis, festis et ferialibus ordo pulsandi squillas et campanas variaretur, is adeat capita* CDXXXVIII *et sequens prioris partis et caput* V *posterioris partis Ordinis officiorum ecclesiæ Senensis, quem Odericus ejusdem ecclesiæ canonicus anno* 1213 *conscripsit et Trombellius anno* 1766 *dedit in lucem. Certe hic ordo a Florentino diversus est; sed non tanta in eo rerum genere solet esse diversitas, maxime si vicinæ sint ecclesiæ, ut magnopere curanda videatur. Et quum in Senensem Ordinem incidemus, hoc loco monemus ibidem referri S.* Crescii *festum inter S. Severini archiepiscopi et confessoris et S. Miniatis, et quidem his verbis :* De sancto Crescio tres lectiones facimus. *Alia in capite I Felicianæ appendicis videat benevolus lector. In Diario sacro Florentino, anno* 1853 *a Ludovico Sanctoni edito, notatur SS.* Crescii *et sociorum festum die* 24 *Octobris; qua reapse ecclesiæ, quæ eos patronos habent, id agunt; sed aliæ ecclesiæ id in sequentem diem differunt propter occurrentem, ut num.* 6 *hujus* E *Commentarii dictum est, S. Raphaelis archangeli natalem, altiori ritu celebrandum. Addendum non videtur hoc loco SS.* Crescii *et sociorum duplex agi festum in Vallecava; quod et olim fiebat in templo de Maciolis : de his enim dicemus annotato* O *et* CC *ad caput* III *Felicianæ appendicis. De SS.* Cerbonii *autem et sociorum festo, quod olim* IV *nonas seu die* IV *Maji agebatur, vide numm.* 5, 6, 55 *et* 56 *Felicianæ appendicis. Nunc eorum memoria prorsus sublata est ex Officiis divinis; perstat tamen cultus in reliquiarum veneratione : profecto decens esset et opportunum ut in Vallecava ineunte Maji iterum in eorum honorem festum ageretur. Verum hæc ad viros altioris subsellii pertinent.*

AUCTORE V. D. B.

ACTA PASSIONIS

SS. CRESCII ET SOCIORUM,

Juxta editiones Laderchii, Moctii et Lamii, necnon apographa Floren- F *tina.*

CAPUT PRIMUM.

Comprehensio SS. Crescii et Miniatis.

SS. Crescius, *Minias et socii comprehensi,*

Igitur temporibus Decii imperatoris, quum sævissima persequutio, contra Christi famulos indicta, ubique fere terrarum desæviret, et cælestis Regis milites per diversa tormenta ad coronam martyrii properarent; B. Criscus *a* ardore martyrii jam vehementer *a* succensus, Florentiam veniens, dum pervenisset in sylvam, quæ dicitur Elisboth *b*, a *b* militibus ipsius Decii imperatoris, qui tunc Florentiæ aderant, cum B. Miniate et quibusdam aliis captus, ipsam ad civitatem deductus est.

(1) Storia di santo Cresco, pag. 129. — (2) Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, tom. I, pag. 570 et 608. — (3) Storia etc. præf. pag. XII. — (4) Storia etc. pag. 129.

fidem coram Decio imp.

2 Quumque nunciatum fuisset imperatori de captione et adventu eorum, non modicum gavisus, suis eos adspectibus adstare præcepit. Quorum nomina et religionem percunctatus, dum fortes in fide Christi eos cognovisset, diversis suppliciis maceratos in imam carceris custodiam eos detrudi præcepit : ut tempore accedente, fame, algore, catenarum etiam atque carceris molestia interim maceratos, gravissimis et exquisitis tormentis acerbius torqueri faceret *c*. Separatim etiam eos detrudi præcepit, ne saltem mutuis consolationibus alterno sermone invicem propositis aliquo modo sublevarentur. Angebatur * etenim perfidus imperator, quod christianæ fidei assertores, beatissimi martyres, Christum Dominum creatorem omnium confitentes, eum regem regum, eum dominum angelorum, quem cæli venerantur, mundus adorat, infernus contremiscit, ipsi clara et aperta voce prædicabant; et deos, quos ipse colebat, non deos, sed dæmonia esse, certissima ratione comprobabant; habentes illud Davidicum in promptu : quia omnes dii gentium dæmonia sunt; Dominus noster autem Jesus Christus cælos fecit.

c

* agebatur *M.*

B

confitentur, mysteriumque

3 Unus est enim Deus Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Pater, qui omnia creavit verbo, juxta quod in Psalmo legitur : Timeant Dominum omnia, quoniam ipse dixit, et facta sunt. Sed quia dixit facta sunt, utique verbo ejus omnia facta sunt; qui enim dicitur, verbum est; * ergo qui * dicto cuncta effecit, ipse omnia verbo creavit. Filius, per quem omnia creata sunt; unde in eodem Psalmo : Verbo Domini cæli firmati sunt, cælorum nomine universa comprehendens; de quo verbo apostolus et evangelista Johannes : In principio, inquit, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; interpositione Verbi præsentia simul ac præterita complectentis; quod est, erat, æternitatem ipsius aperte insinuans; et deinde adjungit : Omnia per ipsum facta sunt *; paullo post replicando subjungit : Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; Dominus videlicet noster Jesus Christus, qui ut hominem maligna fraude deceptum a laqueis mortis et inferni eriperet, de cælis descendere, et nostram carnem suscipere dignatus est, non relinquens, quod erat, sed assumens, quod non erat, ut participatione nostræ infirmitatis ad suæ divinitatis potentiam nos sublevaret.

* *supplc ex M.* verborum namque dici proprium est * quod *M.*

* *supple ex M.* atque ad majorem certitudinem quod verbum Dei Filius Dei sit, per quem omnia facta sunt,

SS. Trinitatis declarant.

4 Spiritus Sanctus confirmator et consolidator omnium, de quo aperte in supradicto Psalmi versiculo adjungitur : Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum; quibus verbis aperte datur intelligi, Spiritum Sanctum Patris et Filii Spiritum rectissime credi et confiteri. Quum enim os Dei filius Dei, ne contrario intelligatur, qui et Verbum Patris, virtus, ac sapientia Patris multarum sanctarum Scripturarum testimoniis confirmatur. Filius vita et Pater: quum, ut in Evangelio ipsius verbis Domini ostenditur, unum sint, nullum dubium esse potest, quin Spiritus Sanctus Patris et Filii sit Spiritus; qui Sanctus Spiritus paraclitus ac consolator a Patre et Filio procedens (cum quibus unus est Deus, in Trinitate perfecta) super Dominum nostrum in specie columbæ, et super apostolos in flamma ignis visus est. Cujus flammæ ardore sancti ac beatissimi apostoli succensi, quum verba vitæ, clara et aperta voce prædicarent, et innumerabilium populorum turmas quotidie ad fidem, quæ in Domino nostro Jesu Christo est, deducerent, ab infidelium turbis contumelias et opprobria perpessi, ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Quos sancti martyres imitati, minas judicum, et tormenta carnificum, et omnia diaboli tentamenta pro nihilo computantes, ad æternæ vitæ beatitudinem per martyrii coronam pertingere festinaverunt.

D

ANNOTATA.

a *Hoc loco edidit Laderchius* Crescius, *alibi* Criscus; *quæ posterior forma videtur in plerisque mss. reperta esse : verum in aliis monumentis* Crescius *et* Crescus *dicitur. Putem genuinum nomen* Crescium *esse.*

E

b *Joannes Villanius, de eadem silva agens :* Audivi, *inquit* (1), B. Miniatem eremitam prope Florentiam habitasse cum discipulis ac sociis suis in silva, quæ vocabatur Florentina Aregotto, in loco ubi modo ipsius ecclesia Florentiæ civitati imminet, *scilicet ad lævam Arni fluminis et ad euronotum* * *mœniorum; quæ ecclesia* S. Miniato al Monte *dicitur*. Arisbot *in hoc eodem Villanii loco legit Laderchius* (2), Alogoth *Capassius* (3) *et* Arisgotto *Lamius* (4); *qui et addit :* Passionaria duo Laurentiana *Plut.* xx, *num.* 1 et 2 et alia *Elisboth* vocant; Vita B. Mineatis italica bibliothecæ Riccardianæ manu exarata *cod.* xxxv, *plut.* 0, *ord.* iv, depravate ac mendose *Gliboschi* et *Lisboch* habet. *Elisboth* diserte etiam scribitur. *Elisboth* diserte scribitur etiam in Actis S. Crisci martyris Laurentianis ab Jacobo Laderchio [*et Marco Antonio Moctio*] editis. Silva hæc jugum montium et collium occupabat, qui nunc a vicinia Florentiæ ad Empulum usque protenduntur et etiamnum non multum deformato nomine *Vallisbotti* (ut superius (5) videre est) adpellatur; vulgo autem *Valdibotte* cum ecclesia S. Donati, de qua pariter egimus superius (6). *Nolui hæc occulere, quum unus Lamius videatur in hujus silvæ situm inquisivisse; sed multum abest ut his assentiendum arbitrer : ut enim omittam nominum diversitatem, regio Vallisbocti jacet ad africum* * *seu potius ad occidentem Florentiæ, dum* (*ut diximus*) *mons indicatus a Villanio euronotum respiciat.*

* Sud-Est

F

* Sud-Ouest

c *Decianæ persecutionis hoc proprium fuit ut tormentorum diuturnitate animi vincerentur, non ut inflicta pœna perimerentur corpora* (7). *Imam carceris custodiam, in quam intrusi sunt sancti martyres, explicat Laderchius* (8), *annotans carcerem fuisse exteriorem seu anteriorem, qui et publica custodia; dein carcerem interiorem seu sedem intimam; et demum locum, Romæ dictum Tullianum, alibi barathrum, alibi latumias, alibi lacum etc. Videtur postremus hic carcer, omnium teterrimus, in Passione* S. Crescii *designari.*

(1) Historia Flor. lib. I, cap. 57, ap. Muratori, Scriptt. Rerum italicarum, tom. XIII, col. 52. — (2) Acta SS. Crescii et sociorum, pag. 17. — (3) Lettera ad un cavaliere etc. pag. 47, edit. II. — (4) Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, pag. 590. — (5) Ibid. pag. 538. — (6) Ibid. pag. 76. — (7) Cfr S. Cyprianus, epistt. 8 et 53, pag. 23 et 109. — (8) Acta S. Crescii, pag. 26 et seqq.

CAPUT II.

A

CAPUT II.

S. Omnion, carceris custos, ad fidem convertitur a S. Crescio et prolixe docetur.

*jam dictus *M.* *Visis prodigiis,*

Ex quibus athleta Christi* beatissimus Criscus, minis atque tormentis crudelissimi imperatoris vilipensis, dum carcere teneretur, lætus et gaudens laudes referebat altissimo, quia pro nomine ejus contumeliam pateretur. Hujus autem carceris præpositus erat quidam homo, nomine Omnion *a*, nobilis et acceptus Decio imperatori, qui etiam filiam habebat lunaticam, quam impius ac violentus possessor quotidie miserabili vexatione atrociter laniabat, maxime postquam martyr Christi beatissimus Criscus adductus fuerat; nomen cujus per os puellæ dæmon horrendis vocibus insonabat, et de ejus adventu non modice conquerebatur.

a

B Hæc dum ita fierent, media nocte facta, quum jam vigiles obdormissent, lux immensa tenebris longe repulsis, tetro in carcere refulsit. Et gloriosus miles catenarum vinculis absolutus et angelicis obsequiis confortatus, libero incedens pede psalmum et hymnum Deo decantabat omnipotentissimo. Evigilantes autem custodes, quum tantam luminis claritatem tenebroso in carcere conspexissent, non modico terrore perculsi in fugam conversi sunt. Dæmon quoque per os puellæ sese ardere, seque tormenta intolerabilia pati, terribili voce clamare cœpit, sic dicens : Quid tibi et mihi est*, Crisce? Cur ante tempus perdere me festinas? Adjuro te per ipsum, quem colis, ne hinc me expellas; et ne hanc mihi tantam injuriam facias.

* mihi et tibi est, o *M.*

S. Omnion, *carceris custos, petit a S.* Crescio

C 6 Tunc Omnion videns tanta Domini mirabilia circa B. Criscum celebrata, cucurrit ad carcerem, et pedibus beatissimi martyris provolutus, ut suorum criminum veniam mereretur, orare cœpit. Deprecabatur etiam, ut sanitatem filiæ suæ restitueret, et dæmonem a visceribus ejus excluderet. Beatus vero Criscus, sereno, ut erat, vultu in eum respiciens, ait : Si credideris Dominum Jesum Christum, factorem atque reparatorem omnium esse, et filiæ tuæ sanitatem, inimico effugato, invenies, et omnium peccatorum tuorum, pro quibus nunc solicitus es, indulgentiam consequeris. Tunc Omnion, prostratus ante pedes ejus, aperta voce dicere cœpit : Credo Dominum Jesum Christum verum Deum esse, et idola muta et surda, quæ nec sibi, nec aliis prodesse possunt, pro nihilo ducens, respuo; Deum autem Christianorum, qui in cælis manens, te famulum suum sic glorificavit, adorans, veniam de peccatis meis expostulo : peccavi enim multum in te, et in Deum tuum; quia errore persequutus sum sanctos ipsius; et in morte eorum consentiens fui. Sed deprecor te, Sancte Dei, quatenus misertus mei, et misertus filiæ meæ, ad gratiam Dei tui nos facias pervenire, inimico humani generis a corde ipsius expulso.

* autem *M.*

7 Beatus vero* Criscus gavisus de fide ejus, et gratias agens Deo, elevavit eum. Et protinus in oratione, ut Dominus sancti nominis sui virtutem circa puellam ostendere dignaretur, et dæmonem ab ea expelleret, deprecabatur. Quumque complesset orationem, conversus ad puellam, dixit : O dæmon spurcissime, qui hanc puellam ingressus, imaginem Dei arripere ausus es; in nomine Domini Jesu Christi, quem colo, præcipio tibi, ut exeas ab ea, et ulterius ad eam non ingrediaris, quatenus ab idolorum sordibus emundata creatorem suum, qui in cælis est, agnoscere, et Sancti Spiritus dignum habitaculum fieri mereatur. Tunc dæmon, emissa terribili voce, cum ingenti furore abscessit. Sanctus autem Domini, manum puellæ tenens, benedixit eam, et sanam reddidit patri suo. Tunc Omnion, gratias agens Deo et beato martyri suo Crisco, cœpit detestari eos, qui non Domino crederent Jesu Christo. Credidit autem ipse cum uxore, et filia, et omni domo sua, et dato nomine suo pariter cum eis baptizatus est.

et obtinet filiæ liberationem a daemone,

et docetur

8 Instructus tamen primitus est a B. Crisco ex omnibus, quæ ad christianam religionem, et fidem catholicam pertinent: videlicet, qualiter credere deberet in Deum Patrem omnipotentem, visibilium et invisibilium conditorem, et in Dominum nostrum Jesum Christum unicum Filium ejus, qui quum sit Deus de Deo ante sæcula de Patre sine matre ineffabiliter genitus, lumen de lumine, omnipotens de omnipotente, æternus, et immensus sine principio et sine fine; verbum, virtus et sapientia Patris, per quem omnia facta sunt, per quem universa subsistunt; cui cherubim ac seraphim incessabili voce proclamant, quem virtutes cælorum contremiscunt, cui omnes angelorum ordines obediunt, quem cæli capere non possunt; cui et abyssus pervia est, et nullum latet secretum, creatorem ac reparatorem omnium, qui quum sit incomprehensibilis, æterno complectitur omnia gyro, et quum sit immutabilis, æterno disponit omnia nutu. Unus est enim Deus cum Patre et Spiritu Sancto, in unitate perfecta et ineffabili; Dominus ac Redemptor Jesus Christus, qui ne sua factura periret, et hominem, quem antiquus hostis maligna fraude deceptum gloria immortalitatis spoliaverat, a laqueis mortis eriperet et a potestate diaboli revocaret, propter nos et propter nostram salutem de cælis descendere et de Spiritu Sancto ex beata et gloriosa Dei Genitrice Maria incarnari et homo fieri dignatus est. Tentari etiam, pati, mori et ad inferna descendere, ut eis, qui in tenebris, et umbra mortis sedebant, suæ divinitatis lumen ostenderet, non exhorruit. Et, ut spem resurrectionis et æternæ vitæ nobis attribueret, resurrexit, et ad cælos ascendit. Quem angeli, vestibus albis induti, cum potestate et majestate magna, iterum venturum et justos atque injustos ignis examine comprobaturum dixerunt.

E

F

dogmata christiana.

9 Docuit etiam eum credere et in Spiritum Sanctum paraclitum, verumque consolatorem, ex Patre et Filio procedentem, qui in specie columbæ super Dominum nostrum in undis Jordanis apparuit, quando de cælis vox Patris intonans dixit ei: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; et sanctæ Trinitatis inæstimabile sacramentum venturis ad fidem gentibus manifestavit, super sanctos vero

A vero apostolos igneis in linguis eisdem apparuit, et suæ divinitatis flamma eos illuminans, diversarum eis linguarum affluentiam ministravit; quatenus Dominum sine felle doloris et amaritudine peccati, per avem, quæ felle careret, mitem atque multum mansuetum procedere ostenderet; et apostolos ad evangelicam prædicationem incomparabili fervore accenderet; videlicet qualiter sanctam atque ineffabilem deitatis trinitatem in unitate, et unitatem in trinitate, colendo venerari, et venerando adorare debuisset.

ANNOTATUM.

a *Moctius reperit in ms.* Oion, Onion *et* Omion. *De hoc nomine vide Commentarium prævium, num.* 21.

CAPUT III.

S. Crescius cum christianis Florentinis statuit Faventiam fugere.

B

Ingravescente persecutione,

His peractis, dum persequutio, adversum christianæ fidei cultores indicta, crudelissimis jussionibus sævissimi imperatoris quotidie magis ac magis ingravesceret, et christianæ religionis cultores per domos et latebras subtiliori examine disquirerentur; et dum ignis et aqua interdicerentur his, qui non incenderent thura idolis, in triviis et spectaculis ordinatis; videntes fideles, qui cum B. Crisco erant, sese in arcto positos, neque in ea civitate sese jam diu latere posse : quoniamque mulieres quædam, et infantes promiscui sexus erant inter eos, quos fragilitate sexus et ætatis asperitas martyrii deterrere poterat; consilio communicato, competens visum est eis, ut pro necessitate temporis ac rerum ad alia loca transitum facerent.

alii volunt manere Florentiæ, alii abire;

a

11 Sed quum discordia esset inter eos, quibusdam volentibus remanere ibi cum B. Crisco, aliis nolentibus sine eis recedere; communiter rursus ad B. Dei martyrem accedentes *a,* quid consilii in tantis difficultatibus capere deberent, expetebant. Sanctus autem Dei, blande eos consolatus, talia fertur protulisse monita : O fratres et commilitones, nolite terreri, nec pavore ministrorum diaboli corda vestra conturbentur; quoniam majores hostium tentationes majoribus divinis subsidiis proteruntur. Recordemini, quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Hanc viam ipse Dominus suis ostendit discipulis, admonens eos, ne, quum a principibus et hujus mundi potestatibus opprobria et injurias sustinerent, aliqua perturbatione conscandalizarentur; prædicens eis tribulationes futuras, et dicens : Absque synagogis, et communi hominum consortio facient vos, et domibus, et civitatibus vestris vos projicientes, et quæque necessaria vobis interdicentes : et dum vos interfecerint, æstimabunt obsequium se præstare Deo, Deum vero omnimodis ignorantes. Hujus admonitionis præcepta servaverunt apostoli, eorumque successores, post vestigia quorum nos ambulare oportet, si ad optatam requiem et locum beatitudinis a Deo nobis promissæ D volumus pervenire.

12 Non ergo, fratres carissimi, mundanis adversitatibus afflicti scandalizemini; adversitates etenim istæ, quamvis sint graves, momentaneæ tamen sunt, et transitu suo requiem et æternam lætitiam nobis præparant. Considerate, quam vilia sint ea, quæ nos gravant, comparatione eorum, quæ in cælis sanctis et fidelibus præparata sunt. Ista etenim, dum transeunt, et transeundo pereunt, quanto, dum fierent, vilipendenda fuerint, manifestant. Illa autem, dum in quiete et lætitia perseverent, felicitatis supernæ amorem mentibus fidelium infundunt. Accingamur igitur ad ea, quæ superius sunt, et quæque infima pro nihilo computantes, ad solam æternorum comprehensionem mentis oculos intendamus. Nullæ nos carnales amicitiæ retardent, nullus amor sæculi impediat, nec corporeæ afflictiones scandalizent, de sola cælestium dulcedine cogitantes.

cum omnibus Faventiam pergit S. Crescius.

13 Dum hæc, et alia similia beatissimus Dei famulus prosequeretur, confortati sunt omnes, et solicitudine persequutionis rejecta, ardor martyrii multorum mentibus insedit. Considerans autem sanctus Dei, non esse æqualem in omnibus firmitatem, et minorum necessitati concedens, ex præcedentium sanctorum imitatione, in hunc modum, quid faciendum esset, dicens ait : Duæ, inquit, sunt, dilectissimi fratres, viæ, quibus ad supernam gloriam gressibus sanctorum intenditur. Una confessionis, eorum videlicet, qui tormentorum asperitatem sese æquo animo tolerare dubitantes, quiete contemplationis, ac fructu bonæ actionis ad æternam patriam invigilant. Altera vero est martyrii, eorum scilicet, qui pro spe æternæ beatitudinis, corpora sua carnificibus exponentes, præsentis vitæ habitudinem despiciunt. Quapropter, carissimi, dantes locum persequutioni, cum dilectissimo fratre nostro Omnione, quibus commodum fuerit, abscedant. At illi genibus ejus affixi, ut sui misereretur, nec populum, quem Deo acquisierat, desereret, cum lacrymis deprecabantur. Tunc B. Criscus, licet nimio * ardore succensus, tamen et precibus et lacrymis eorum commotus, ne animos populi sese exorantis confunderet, et ut animas, quas Deo acquisierat, custodiret, necessitati deprecantium concedens, juxta illud evangelicum : Si vos persequuti fuerint in una civitate, fugite in aliam; dimissa civitate Florentiæ *b,* pariter cum eis Faventiæ destinavit iter ad urbem.

* martyrii *M.*

b

ANNOTATA.

a *Detentio, quam nunc* præventivam *dicunt, usitata erat Romanis; sed facilis satis, ita ut clementer sinerent amicos ad reos accedere.*

b *Fuga non difficilis erat, quandoquidem S.* Omnio, *carceris custos, fidem christianam amplexus erat. Via Æmilia ducebat Florentia Faventiam.*

—

CAPUT IV.

A

CAPUT IV.

S. Crescius mirabiliter sanat S. Serapionem seu Cerbonium eumque cum matre Pamphila et multis aliis convertit.

S. Pamphila *a*

Quumque pervenisset ad locum, qui dicitur Collis *a*, suscepit hospitium in domo cujusdam mulieris viduæ, quæ vocabatur Pamphila, cujus filius jacebat ægrotus; et proposita pace, juxta illud evangelicum : In quamcunque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui; quum cognovisset, pacem suam ibi requievisse, juxta morem gratias Deo *, requiescere cœpit. Dumque ea, quæ necessaria erant, præpararentur, ipse a colloquiis divinis, et evangelica prædicatione numquam cessabat. Assidue etenim in psalmis et hymnis et orationibus laborabat. Intellexit autem mulier,

* agens *supple*

B B. Criscum, et qui cum eo erant, veri Dei adoratores et christianæ religionis cultores esse, atque idcirco, licet pagana, sedule ministrabat eis; et monita divina inspiratione, quodcumque verbum ex ore beati viri percipere poterat, memori condebat in pectore.

Serapionis, *filii sui, graviter ægrotantis,*

15 Factum autem, B. Crisco cum sociis suis ibi aliquandiu commorante, ut languor pueri ingravesceret, et ad mortem usque deductus, vix extremum halitum retineret; unde et mulier conturbata erat, et domus ejus tota mœrore completa. Flebant propinqui sanguinis proximitatem jam fere amissam, et futuram domus desolationem lugentes, quam sperato hærede statim vacuari credebant. Plangebant et amici, amicitiæ præteritæ patris pueri recordantes, et futura exspectatione se deceptos ingemiscentes. Contristabantur et vicini, miseræ mulieri condolentes, et bonæ indolis pueri, jam ad extrema propinquantis, inter verba singultu cadentia, sæpe reminiscentes.

sanitatis restitutionem

16 Cunctis autem adstantibus jam mœrore et tristitia fatigatis, et de sola funeris impensa cogitantibus, accedens mulier ad B. Criscum

C habitu immutato, facie lugubri, voce miserabili, eum compellare cœpit : Cur, o serve Dei, ingredi ad me voluisti? in ingressu tuo filius meus moritur, lumen oculorum meorum extinguitur, dimidium animæ meæ a me separatur, unica spes mea summo mihi cum dolore aufertur : ecquis me miseram consolabitur? quis subsidium meæ præbebit senectuti? quis meæ viduitati necessaria ministrabit? Ecce viscera mea per media discinduntur; tota spes meæ salutis confunditur, et nullum mihi solatium relinquitur. Sed, o serve Dei, quoniam fidelem ejus ministrum te esse cognovi; si vera sunt ea, quæ ex ore tuo audivi, et si vis, ut credam virtutibus ejus, quem prædicas, si quid potes, vel tu, vel Deus tuus, succurre mihi, succurre mulieri: audivi enim ex ore tuo, Deum tuum innumerabilia fecisse miracula, infirmos sanasse, leprosos mundasse, dæmones fugasse, et etiam mortuos suscitasse. Ostende igitur Dei tui virtutem, et, ut omnes adstantes credant, quia ipse est Deus, qui facit mirabilia in cælo et in terra, unicum filium mihi restitue quem in ingressu tuo videor amisisse.

cum amicis

17 Quum talia misera mulier gemens et lacrymans sæpius iteraret, omnes, qui aderant, in lacrymas conversi sunt; et affixi* genibus beatissimi martyris, pariter cum ipsa muliere Dei athletam exorare cœperunt, ut miseræ mulieris misertus, doloribusque ejus irremediabilibus compatiens, suis orationibus a Domino Jesu Christo, vitam et sanitatem pro puero impetraret.

* affusi *M.*

rogat S. Crescium,

18 Tunc Sanctus Dei gemitibus flentium compatiens, toto vultu lacrymis suffuso, in hunc modum sese exorantibus respondit : Hoc non est nostrum, fratres carissimi, non est hoc nostrum, sed sanctorum apostolorum, et successorum eorum est. Dominus noster Jesus Christus, quem colimus, virtutes multas fecit, et innumerabilia miracula mundo ostendit : infirmos ex variis passionibus liberavit, cæcos illuminavit, surdis auditum, mutis loquelam restituit, claudos ambulare fecit, mulierem, quæ ei vestimenti fimbriam tetigit, hoc solo a fluxu sanguinis eripuit; leprosi etiam multi et diversi ab eo mundati, dæmones effugati, et ipsi mortui suscitati sunt; et E aliæ virtutes innumerabiles per eum mundo ostensæ sunt. Hanc quoque virtutem, et signorum faciendorum potentiam, discipulis suis, eorumque successoribus, sanctis videlicet patribus nostris dereliquit; qui et ipsi innumerabilibus claruerunt signis, dicens: Et majora horum facietis : unde beatum apostolum Petrum in Actibus Apostolorum invenimus, solo etiam umbræ suæ tactu, a variis languoribus plurimos sanasse ægrotos. Et si volumus sanctos patres, et facta eorum per singula scrutari, plurima inveniemus similia. Nos autem, fratres, minimi eorum comparatione sumus, nec eorum sanctitati ullo modo adæquari possumus. Sed quoniam tempus præstat, ut virtus Domini nostri Jesu Christi manifestetur; separentur fideles ab infidelibus, ut solitam ei orationem offeramus, et unanimiter eum deprecemur, quatenus nominis sui virtutem super puerum istum ostendere dignetur.

qui eam precibus a Deo obtinet.

19 Tunc prostratus in orationem, cum ceteris fidelibus diutissime oravit; et completa oratione, quum ceteri subjunxissent, Amen; surrexit; et accedens ad lectulum, in quo puer, in extremo spiritum ducens, quasi exanimis jacebat, ait: O puer, Dominus Jesus Christus, Deus, Dei Filius, qui pro nobis de cælo descendere, et homo fieri dignatus est, et, ut ovem, quæ perierat, hominem scilicet, qui suasu diaboli mortem sibi conciliaverat, salvandum inveniret, et ad caulas patriæ cælestis reportaret, mori, et resurgere, et lucidum cæli thronum scandere præordinavit; ipse tibi, virtutem nominis sui clarificando, et vitam et sanitatem præstare dignetur, ut adstantes omnes cognoscant, quia ipse est Deus solus in cælo et in terra, per quem cuncta creata sunt, per quem universa subsistunt, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et gloriatur Deus per infinita sæcula sæculorum Amen. Quumque omnes respondissent, Amen, surrexit puer de lectulo sanus, itaut nec vestigium infirmitatis ullum in eo appareret.

Omnes convertuntur

20 Et exsurgens cœpit clamare : Unus est Deus Christianorum in cælo et in terra, crea-

A tor cunctorum, et reparator universorum, nec est alius Deus præter eum : dii enim omnes, quos colimus, vani sunt, et nec sibi, nec aliis prodesse possunt. Et advolutus genibus beati viri, dicebat : Oro te, Sancte Dei, ut ad gratiam baptismatis me facias pervenire. Tunc B. Criscus admonens eum, et instruens de doctrina Domini, catechizavit eum. Mater autem pueri, et ceteri, qui prius aderant mœrentes, videntes tanta Domini mirabilia circa puerum, per virum Dei celebrata; fletu converso in admirationem, prostrati in terram, se peccasse, seque errasse, quod idola coluissent confitebantur; denique orabant, ut, quid facere pro peccatis suis deberent, eis ostenderet. Sanctus autem Domini, edocens eos de fide et de religione catholica, et ostendens eis, qualiter vivere, et qualiter credere debuissent, indixit eis jejunium *b*. Quo peracto, baptizati sunt omnes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et apposita est fidelis turba in Domino.

b

et S. Serapion *vocatur* Cerbonius.

c

21 Puer etiam, qui sanatus fuerat, baptizatus est, et mutatum nomen ejus Cerbonius; nam antea Serapion vocatus fuerat *c* : et baptizatus cœpit multum proficere in doctrina Domini, et cum beato Crisco, in orationibus et vigiliis perseverare; et neque diu, neque noctu ab eo separari.

ANNOTATA.

a *Collis ille putatur fuisse ad latus sinistrum templi S.* Crescii, *quod etiamnum est in Vallecava : de eo alibi latius dicetur. Imaginem locorum edidit Moctius.*

b *De jejunio, quod olim præmitti solebat baptismati, plura collegit ad hunc locum Laderchius ex apologia S. Justini martyris et ex Actis seu Passionibus SS. Susannæ, Getulii, Sebastiani, Valentini et Laurentii. Quæ ibidem vide. Porro jejunium istud non semper æque diuturnum erat, alibi ad septem, alibi ad tres, alibi (uti etiam hoc loco) ad duos dies productum.*

c *Recte in hunc locum scripsit Laderchius* (1) :
C Veterum plures nomina gentilium, quæ a parentibus acceperant, in baptismo deseruisse et alia sumpsisse testes sunt Eusebius (2) et S. Petrus Aulanus, qui, a Severo præside interrogatus quomodo diceretur, respondit : *Nomine paterno, Balsamus dicor; spirituali vero nomine, quod in baptismo accepi, Petrus dicor;* ac demum Acta S. Sozontis, ubi dicitur : *Quidam adolescens,... ab ortu quidem Tarasius, in divino quidem baptismo Sozon denominatus. — Martenius* (3), *Augusti* (4), *Binterim* (5) *aliique idem argumentum versarunt et multo plura adduxerunt ex sacra antiquitate loca. Hæc tamen universalis disciplina non erat, quum innumeros idololatrica nomina retinuisse ex Martyrologio S. Hieronymi constet. Laudandi tamen qui, ut de martyribus Palæstinis disserit Eusebius,* indita sibi a parentibus nomina, ideo fortasse quod essent idolorum vocabula, abjecerunt : D *quod et S.* Serapion, *assumpto* Cerbonii *nomine, fecisse hoc loco legitur. Pro more suo audacter nimis id impugnat Lamius* : Ludibrium, *inquiens* (6), debent eruditis, qui cum Actis [S. Crescii] adfirmant Serapionem antea vocatum, quum aquis lustralibus tinctus fuisset, pristino nomine deposito, aliud adsumpsisse Cerbonium. Moris enim vix erat primis ecclesiæ sæculis adultos nomen in baptismate accipere vel mutare, nisi nomine interdum alicujus apostoli vel prophetæ, non utique Cervonii, profano nomine. *Verum nil excogitari potest falsius hac lege, quam proponit Lamius. Ecce in Actis SS. Hippolyti, Eusebii et sociorum legitur S. Stephanus Papa, Adriam et Paulinam* (*apostolicum utique nomen*) *baptizans,* vocasse puerum Neonem, puellam Mariam (7); *atque idem Papa, Nemesii filiam lustrans,* Lucillam vocavit (8). *Quum vero Theodosius junior uxorem ducturus esset Athenaidem, hanc* Atticus, episcopus *Constantinopolitanus,* christianam fecit et in baptismo pro Athenaide Eudociam vocavit (9). *Alia exempla vide apud Martenium. Sane amaverunt christiani apostolorum et martyrum nomina :* E *sed non minus eis placuere nomina animantium aut ab iisdem derivata; quale est Cerbonius seu Cervonius, a gentilibus quoque usitatum. Fuse de hac re dixit Cancellierius* (10), *ostendens hunc gentilium Romanorum fuisse morem atque etiam christianorum, ut a brutis nomina mutuarentur : verumenimvero hæc omnium fere gentium consuetudo. Quot enim per totam Europam sparsæ sunt familiæ, nomina animantium habentes? Nonne silvatici americani etiamnum ab ursis, lupis, cervis, aquilis aliisque feris nomina sua accipiunt? Porro, quamvis commendarentur nomina apostolorum et martyrum, sive propter virtutum exempla* (11), *sive propter propensionem et affectionem* (12), *quam nunc devotionem dicimus, sive demum propter securitatem et tutelam* (13), *seu patrocinium vulgo appellatum : certum tamen et firmum sit hæc baptismalis nominum mutationis non præcipuum fuisse scopum et finem; sed potius propositum fuisse ut significaretur novæ conditionis assumptio, quemadmodum servis quoque manumissis nova imponebantur nomina : quod qualibuscumque nominibus fieri poterat.* F

CAPUT V.

SS. Crescii, Omnionis et Emptii in fide constantia et martyrium.

Imperator milites mittit contra martyres;

Dum vero hæc agerentur, et vir Domini B. Criscus, ut animas, quas Deo acquisierat, confirmaret, eodem in loco moraretur, relatum est imperatori, quod Omnion, quem ipse amplissima dignitate decoraverat, diis, quibus ipse venerationem exhibebat, derelictis, per B. Criscum Christo credidisset, et confractis

(1) Acta S. Crescii, pag. 132. — (2) De martyribus Palæstinæ, cap. 11. — (3) De antiquis ecclesiæ ritibus, lib. I, art. 10, tom. I, pag. 71 et seq. — (4) Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archäologie, tom. VII, pag. 345 et seqq. — (5) Denkwürdigkeiten der katholischen Kirche, tom. I, part. I, pag. 40 et seqq. — (6) Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, tom. I, pag. 394. — (7) Ap. Baronium, ad ann. 239, num. 11. — (8) Ibid. num. 23. — (9) Socrates, Hist. eccl. lib. VII, cap. 21. — (10) Dissertazione sopra due iscrizioni delle martiri Simplicia, madre di Orsa, e di un'altra Orsa, pag. 8 et seqq. — (11) Dionysius Alexandrinus ap. Eusebium, lib. VII Histor. eccles. cap. 25 et S. Joannes Chrysost. Homilia XXI in Genesim, ap. Binterim, tom. I, part. I, pag. 41 et 42. — (12) Nicephorus Callistus, lib. VI Hist. eccles. cap. 22. — (13) Theodoretus, Sermo VIII de Græcarum affectionum curationibus, ap. Martenium, tom. I, pag. 73.

deorum

A deorum imaginibus, quas apud se habebat, christianis adjunctus esset, et cum B. Crisco et aliis christicolis, civitate propria relicta, fugisset. Ad hæc crudelissimus princeps nimio furore succensus, cum ingenti ira præcepit militibus suis, ut quam ocissime huc illucque discurrentes, beatum virum et eos, qui cum eo erant, persequerentur, potestate eis attributa, ut quocumque in loco eos invenirent, statim comprehenderent; et, nisi vellent diis cervices suas inclinare et thura atque victimas eis immolare, diversis pœnis atque tormentis eos interficerent. Tunc milites perficientes jussa sui imperatoris, post aliquantulam defatigationem pervenerunt ad locum, ubi sancti Dei in orationibus et vigiliis perseverabant, a colloquiis divinis et evangelica prædicatione numquam vacantes.

S. Crescius, *commisso novello grege S.* Cerbonio, *capitur a*

23 Cognoscens autem B. Criscus de militum adventu: Surgamus (inquit), fratres, quia ecce Dominus noster Jesus Christus ad coronam martyrii nos invitat. Et advocans B. Cerbonem *a*, monuit eum, ut secederet et daret locum persequutioni, et ut ecclesiam, quam B sibi Dominus commiserat, ipse post ejus obitum confirmando geminaret. Denique, ceteris semotis, ipse ut robustus cælestis, ad jam sæpe optatum desiderans pervenire certamen, cum duobus aliis discipulis Omnione et B. Emptio, qui cum eo fuit ab initio conversionis, a militibus se requirentibus non celavit. Milites vero accedentes, comprehenderunt eum, et eos, qui cum eo erant, improperantes ei in hunc modum: Tu es sacrilegus ille Criscus, qui deorum nostrorum culturam evacuas, et cujusdam Jesu Nazareni superstitiosam et vanam edoces sectam? Per salutem imperatoris *b*, quia nisi sacrificaveris diis immortalibus, et eos, qui per te decepti sunt, ad deorum culturam revocaveris, diversis pœnis te interficiemus.

b

et fidem profitetur;

24 Deinde ligantes eum gravissimis catenis, et eos, qui cum ipso erant, perduxerunt eos ad quoddam fanum * ibi proximum, in quo erant diversæ idolorum imagines. Et introducentes eos in templum, cœperunt compellere eos ad sacrificia idolorum; et advocantes beatum Omnionem, et quasi condolentes ei, affabiliter eum admonere cœperunt, ut ab errore noviter suscepto recederet, et diis immortalibus libamina perferendo, ab eorum ira secederet, et Decii imperatoris amorem sibi reconciliaret, ut, pristina dignitate recepta, pristino cum honore ad imperatoris palatium remearet. Præterea munera ampliora, et abundantiorem principis amicitiam, quasi ex ipsius imperatoris jussione, amicabiliter ei promittebant. Admonebant etiam eum velut ex benevolentia et amicitia * propria atque suo obsequio, amplius solito ei exhibituro, si ad deorum culturam, et principis gratiam reverteretur.

* perduxerunt quidam ad phanum eos *M.*

C

* dilectione *M.*

idem facit S. Omnion, *promissis*

25 At ille beatus vir nullo modo blandimentis eorum seducitur, et neque precibus, neque ullis promissis flectitur; sed in fide, quam acceperat, constanti animo perseverans, respondit: Jam se satis terreno militasse imperatori, et in ejus palatio sufficientibus jam honoribus atque divitiis abundasse; at modo cælesti se velle militare imperatori, ut ad ejus gratiam pervenire, et in ejus palatio æternaliter consistere mereretur; christianum D se esse, nec ad injuriam veri Dei surdis atque mutis lapidibus deinceps cervices suas inclinare posse protestabatur.

tormentis et blanditiis minime victus,

26 Tunc milites commoti, ut a deorum injuriis temperaret, eum admonere cœperunt; deorum suorum injurias ad suum atque principis sui opprobrium nullo modo se tolerare posse dicentes. Beatus vero Omnion, nullam se diis injuriam fecisse respondit, quum non dii essent, sed idola sensu et intellectu carentia. At illi multo magis irati, et verbis et dentibus super eum frementes, fecerunt eum exspoliari, et virgis incidentibus diutissime flagellari; deinde fecerunt eum vestimentis suis reindui, atque suis adspectibus eum repræsentari. Et repetentes admonitiones, et quasi condolentes miseriis tormentorum ipsius, iterum hortabantur eum, ne semetipsum despiceret, nec et florem suæ amitteret juventutis, dicentes magnam dementiam esse bona temporalia spontanee pariter cum ipsa vita perdere, atque voluntarie mortem incurrere, præsertim quum in deliciis et honore posset ætatem suam peragere. Addebant præterea minas tormentorum asperiorum, si saluberrimis monitis non obtemperaret, atque nisi diis libamina proferendo, principis sui gratiam sibi reconciliaret. E

militesque increpat.

27 Beatus vero Omnion, jam acceptis tormentis et opprobriis acrior factus, cœpit acerrime eos increpare: tormenta quantumlibet asperiora pro Christo se magis amplecti, quam timere, confirmans: promissa atque blanditias eorum se pro nihilo ducere; sed ad omnes cruciatus sese pro Christi nomine paratum esse declarans: de illorum amentia atque perfidia se multo maxime dolere, quos æternus exspectaret interitus, et tormenta non deficientia, diabolo et angelis ejus præparata, cum quibus omnes stulti et insani, idola adorantes, æterno cremarentur incendio.

S. Crescius, *minas respuens.*

28 Dum hæc, et plura alia audacter contra eos fortissimus Dei athleta emitteret, videntes milites eum in fide christiana firmissimum esse, et a proposito acceptæ fidei detorqueri non posse, fecerunt præsentari sibi etiam B. Criscum, ut quod per se non poterant, F saltem per eum efficerent; cui et dixerunt: Sacrifica diis, et revoca ab errore, quos præstigiis tuis a deorum cultura separasti; quod si nolueris, diversis tormentis te macerantes afficiemus; et ita crudeli morte interibis.

monet milites

29 Beatus vero Criscus, etiam illos ad fidem Domini nostri Jesu Christi convertere desiderans, benigno eos alloquutus animo, in hunc modum ait ad eos: Miror, imperatorii milites, fortitudinis vestræ prudentiam in tanta simplicitate perseverare, ut non intelligatis imagines istas, manibus hominum ex lapidibus, vel lignis, vel quibuslibet metallis fabricatas, deos non esse, et nullam divinitatis similitudinem in eis apparere; quæ oculos quidem habent, sed non vident; aures, sed non audiunt; os, et non loquuntur; manus et pedes, et tamen nullo membrorum funguntur officio: præterea intellectu et ratione, sensu et vita omni tempore sunt carentes, et brutis atque etiam mortuis animalibus per omnia inferiores esse comprobantur. Nolite ergo æstimare divinitatis ullum vestigium in eis esse: quomodo

A modo enim credendum est, Deum, qui omnia fecit; quique vitam et intellectum nobis attribuit, et singulorum membrorum officia in corpore nostro disposuit, ipsum vita et ratione carere? et eum, qui aures, et oculos, totiusque corporis partes constituit, visu, et auditu, atque omni sermone exsortem esse? Atqui simulacra ista muta et surda sunt, et nihil vitalitatis sive rationis ea habere manifestum est,

de idolorum vanitate

30 Cognoscite igitur Deum, qui cælum, et terram, et omnia, quæ in eis sunt, creavit, non in lapidibus, sive in metallis, sed in cælis habitat : et convertentes vos ad creatorem vestrum, nolite martyres ipsius compellere, ut, creatore suo atque vestro derelicto, aurum vel argentum adorent, et lapidibus insensatis libamina proferant, et ligna, manibus hominum incisa, deos suos faciant, in quibus si ulla esset divinitatis potentia, non assidua egerent hominum custodia, neque diversis sordibus fœdari, neque furto vel incendio amitti, neque ruina aliqua deteriorari ullo modo potuissent. Quare, quum omni virtute
B careant, et ex se nihil boni malique possint; quid aliud faciunt, nisi quia eos, qui in se confidunt, deludi aperte ostendunt? De quibus scriptum est : Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Quare, o milites, confugiendum est vobis ab eorum cultura, ut revertentes ad creatorem vestrum, æterna tormenta possitis evadere; certum est enim, quod omnes, qui idola adorant, simul cum auctore eorum diabolo æterno cremabuntur incendio.

et fidei constantiam ostendit.

31 Quumque talia loqueretur beatissimus Dei confessor, irati milites dixerunt ad eum : Tu morti damnatus es, et tormenta nobis minaris æterna? Sacrifica diis, quos imperatores adorant, et romana religio usque hodie colit et veneratur. Respondens autem B. Criscus talia retulit verba : Ostendi vobis jam simulacra sensu et intellectu carentia deos non esse, et divinitatem, quum incomprehensibilis sit, lapidibus sive quibuslibet metallis comprehendi non posse : qua ratione igitur compellitis nos, ut Deum verum, qui in cælo
C est, derelinquentes, idola adoremus, et facturæ hominum sacrificia proferamus? Quod nefas et crimen hoc esse, Scriptura denuntiat, dicens : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Melius est ergo, et magis rationi congruum est, ut vos, idolorum errore relicto, ad Deum, qui vos fecit, convertamini : ut tormenta, quæ infidelibus in æterna confusione parata sunt, evadere valeatis.

Novis minis

32 Tunc milites : Diximus jam tibi, ut artes magicas, in quibus confidis, deponas, et sacrifices diis omnipotentibus : verba etenim, quæ stulte et insipienter a te contra deorum invictissimorum potentiam jactantur, cessabunt, postquam tormenta fuerint adhibita. Velociter igitur consule tibi, et depone vanitatem atque pertinaciam, qua deorum omnipotentissimorum clementiam inconsulte blasphemas, ut vel sicaliquantulum tormentorum, quæ tibi parantur, minuere possis. In proximo est namque, ut et tu, et socii tui gravissimis pœnis atque tormentis, quæ sacrilegis et maleficis a legibus parata sunt, attrectati male D dispereatis.

novam opponit constantiam.

33 Tunc fortissimus athleta Domini B. Criscus, intelligens eos in propria malitia perduratos esse, nec sermonum salubrium exhortationem aure mentis percipere, confidenti animo, ait ad illos : Notum sit vobis, quia christiani sumus; nec deos vestros, quos colitis, adorabimus; neque sacrificiorum libamina eis exhibebimus : enim, ut jam sæpe dixi vobis, dii sunt simulacra, manu et arte hominum fabricata, non deitatis gratia, sed dæmoniis fœdissimis repleta, cum quibus etiam cultores eorum æterno damnabuntur incendio; ubi vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur : sed in tristitia et gemitu et stridore dentium continuo perdurantes, peccatorum atque idolorum suorum testimonia proferent. Ista vero, quæ vos nobis minamini, transitoria sunt, et brevi certamine gloriam et æternam vitam nobis promittunt. Unde quicquid vobis gravius visum fuerit, exercete : quia nos parati sumus ad omnia tormenta pro Christi confessione sustinenda. Similiter et ceteri sancti protestari cœperunt. E

SS. Crescius, Omnion *et* Emptius *crudeliter occiduntur.*

34 Tunc milites, contundentes ora eorum, jusserunt eos exspoliari, et fustibus gravioribus cædi. Quumque diutissime cæderentur, B. Omnion, in confessione Domini perseverans, reddidit spiritum. Similiter et venerabilis Emptius, dum gravissimas toto corpore fustium percussiones acciperet, gratias agens* Deo, quod inter ejus martyres adnumerari meruerit, beatam cælo reddidit animam. Quo facto, unus ex militibus accedens ad B. Criscum, immobiliter in Dei laudes permanentem, gladio eum percutiens, caput ejus amputavit; et adspersum est pavimentum sanguine ipsius : et permanent ibi signa cruoris sanctorum martyrum usque in hodiernum diem. Signa quoque plurima et virtutes innumerabiles precibus sanctorum martyrum ibidem celebrantur : quod Dominus noster Jesus Christus facere dignatur ad laudem atque exaltationem nominis sui, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et gloriatur Deus in trinitate perfecta per cuncta sæcula sæculorum. Passus est autem beatissimus martyr Dei Criscus cum duobus sociis F suis, in loco, qui dicitur Colle, VIII kal. Novembris : regnante Domino nostro Jesu Christo, pro cujus amore terrena despicientes, cælestia suscipere meruerunt.

* agentem *M.*

ANNOTATA.

a *Moctius etiam* Cerbonem *loco* Cerbonii *hoc loco habet.*

b *Per salutem et caput imperatorum jurare solemne Romanis fuit; licet id neque Tiberio, neque Neroni placuerit* (1). *Martyres idololatricum id non habuere : sic S. Potamiœna, virgo Alexandrina, adjuravit præsidem* per caput imperatoris *ne se exui vestibus juberet* (2); *et S. Marcianus* per salutem imperatorum *petiit a præside ut se et socium Nicandrum citius ad mortem mitteret* (3). *Et ipse Tertullianus, qui passim res indifferentes idololatricas facit :* Sed et juramus, *inquit* (4), sicut non per genios cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis.

(1) Cfr Laderchius, Acta S. Crescii, pag. 146. — (2) Ruinart, Acta Martyrum, pag. 122. — (3) Ibid. pag. 332. — (4) Apologet. cap. 32.

CAPUT VI.

A

CAPUT VI.

Sepultura S. Crescii et martyrii S. Cerbonii et sociorum.

Milites deferunt B. Crescii *caput Vallículam,*

His ita celebratis, milites, assumpto capite B. Crisci, quatenus crudelitatis suæ signum secum haberent, suum ad imperatorem regredi properabant. Quumque venissent in locum, qui dicitur Vallicula *a*, non valentes amplius beati martyris reliquias secum portare, dimiserunt ibi sacratissimi confessoris et martyris Christi caput, quod æterno consilio incomprehensibilis providentiæ Dei, locum sepulturæ et venerationis sanctorum martyrum eligentis, factum esse, nullus, qui christianus sit, ambigere potest. Postquam autem milites, amisso maximo signo suæ crudelitatis et sanctorum interfectionis, cum confusione, ut jam diximus, ad proprium sunt regressi dominum; veniens B. Cerbonius (quem

B

custodire *M.* sanctissimus Criscus, ut superius diximus, sanctæ Dei ecclesiæ custodiæ * relinquere volens, latitare, et ad tempus persequutioni locum dare jusserat; ut animi fidelium noviter ad fidem christianam adducti, quos terror persequutionis et mœror passionis ipsius conturbare poterat, consolatorem et confirmatorem habentes, non deficerent), suscepit ecclesiam, et congregatis ceteris christianis, collegit sanctorum martyrum corpora, et communicato consilio cum eis, divina revelatione, detulit ea ad locum, qui Vallicula dicitur, ubi crudelissimi milites, voluntate divina coacti, beati Crisci caput reliquerant.

ubi B. Cerbonius *martyrum corpora etiam condit.*

36 Et celebrantes sanctorum martyrum exequias cum hymnis et laudibus, dedicaverunt sanctam diem sepulcrationis eorum; et tali ordine involventes sacratissima eorum corpora pretiosis linteis, cum timore et oratione eodem in loco ea sepelierunt, ubi etiam sanctorum martyrum meritis signa et virtutes diversas Dominus noster Jesus Christus, ad

C

laudem et gloriam suam, et ad exemplum suorum fidelium operari dignatur. Nam, dum ex larga conditoris benignitate, injuria, tribulatione ac peste constitutis, orationibus eorum succurritur; laus Dei nostri, et eorum memoria longe lateque diffunditur; et fidelium animi exemplis eorum corroborantur.

B. Cerbonius *auget christianorum numerum;*

37 His ita celebratis, ceteri cum reverentia et cordis compunctione unusquisque ad propria sunt reversi. Beatus vero Cerbonius proficiens in sermone et doctrina Domini, a sepultura sanctorum martyrum non discedebat, nocte ac die in oratione ac vigiliis perseverans. Factum est autem, eo in doctrina et Evangelio perseverante, ut ecclesia fidelium cresceret, et populus ei commissus multiplicaretur. Et adsociati sunt multi B. Cerbonio circa sanctorum martyrum sepulcra, quotidie divinum frequentantes officium.

D

accusatus ea de re, b

38 Non post multum vero temporis relatum est imperatori *b* de eis; et quod illius loci tota populi multitudo in Dominum nostrum Jesum Christum crederet, et deorum templa subvertens, et imagines atque statuas eorum confringens, ecclesias fabricaret. Unde iratus imperator misit illuc præfectum unum cum obsequentibus militibus, præcipiens eis, ut euntes comprehenderent christianos ibi degentes : et eos quidem, qui nollent diis suis sacrificia exhibere, interficerent; eos vero, qui sacrificarent, divitiis ac muneribus ampliarent. Qui venientes, multum sanctorum sanguinem effuderunt; et tenentes beatum Cerbonium cum sociis suis, postquam viderunt, eos nullo modo ad sacrificandum posse compelli

E

(quoniam circa sanctorum martyrum sepulcra eos flexis genibus exorantes invenerant, et sacrarum reliquiarum custodes et veneratores præcipue esse compererant), fecerunt fieri foveam in eodem loco, in quo vivos eos sepelierunt, non longe a sepulcris ceterorum sanctorum, et claudentes desuper os foveæ, suæ crudelitatis assertionem cunctis audientibus et videntibus præbuerunt.

cum sociis in fovea vivus sepelitur.

39 Quod divina dispositione gestum esse, certissimum est, ne scilicet beatus Cerbonius sanctarum custodiam reliquiarum, quam vivus habuerat, vel moriens amitteret; et quorum societatem in vita sua indesinenter exoptaverat, eorum etiam in morte sua perpetuo consortio frueretur; et quibus in cælis per martyrium adjungebatur, ab his in terris per corporis separationem nullo modo divelleretur. Passus est autem beatus Cerbonius cum sociis suis III nonas maii, sub Decio imperatore; regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

F

ANNOTATA.

a *Vallicula*, *nunc* Valliscava, *vulgo* Valcava *dicitur et proxima est ad Collem.*

b *Valde verisimile est Decium ad bellum Gothicum profectum esse ineunte anno* 251. *Quamobrem, quum hæc facta sint circa initium mensis maji, oportet hæc scripto ad eum delata fuisse. Nil obstat, quum quotidianæ ad imperatores relationes fierent de rebus omnibus, maxime quæ ad reos spectarent.*

GLORIA

GLORIA POSTHUMA

SS. CRESCII ET SOCIORUM,

SEU ANTONII FRANCISCI FELICI ROMANI

Appendix ad Acta SS. Crescii, et sociorum martyrum, perpetui eorum cultus monumenta complectens.

LECTORI.

Origo et ratio hujus lucubrationis.

Quum magnus Etruriæ dux Cosmus III SS. Crescii ac sociorum, qui in agro Mugellano, ejus ditioni subjecto, martyrii gloria claruerunt, memoriam, in sola fere Tuscia superstitem, longe lateque amplificare studeret, ipsorum martyrum Acta, jamdudum in pulvere et situ archivorum latentia, ex vetustissimis mss. codd. excerpta, Jacobo Laderchio congregationis Oratorii urbis presbytero examinanda atque in publicam lucem proferenda commisit. Imperata clementissimi principis fecit ille, qua solet, diligentia, et sanctorum martyrum gesta omnigenæ eruditionis notis illustravit, ac, si quæ historiæ fidei adversari videbantur, doctissimis animadversionibus discussit. Ubi vero absolutum opus jam Florentiæ sub prælo erat, mandatum est mihi, ut quam celerrime monumenta omnia, perpetuum eorumdem martyrum cultum comprobatura, in unum congererem, atque ex his appendicem operi adornarem. Ego autem, licet angustia temporis pressus, nihilominus jubentis auctoritati concedens, in veteribus hisce monumentis eruendis strenuam operam navavi. Fateor tamen mihi, hæc sedulo vestiganti, præsto fuisse abbatem Carolum Antonium Gondi, eidem magno duci summæ rei a secretis, qui ob singularem pietatem, qua beatissimos Crescium et socios martyres prosequitur, eorum passionis, et cultus pervetustas memorias, undequaque summo studio conquisitas, quamplurimis in schedis religiosissime adservat. Hujus igitur ope erectus, laborem, quicumque ille est, absolvi, eo ordine, ut primo scriptores, ac vetera martyrologia, quotquot mihi occurrerunt, quæ de sanctis nostris martyribus mentionem facerent; deinde antiquas eorum imagines, ac templa eis dicata recenserem; demum reliquiarum inventiones et translationes, quæque eorum festis diebus olim recitabantur, Officium et Missam subnecterem. Quæ vero præsertim spectant ad basilicam, in qua SS. Cresci et sociorum corpora servantur, cursim delibavi, quum de his longiorem instituat dissertationem Marcus Antonius Mozzius canonicus Florentinus in erudito libro, quo gesta eorumdem martyrum, italice reddita, complectitur. Tu interim, amice lector, æqua mente excipe studiorum meorum primitias, et vale.

CAPUT I.

Scriptores et Martyrologia, quæ de SS. Crescio et sociis martyribus meminerunt.

Præter antiquam, quæ de gestis invictissimorum Etruriæ martyrum Crescii et sociorum ad nostra hæc usque tempora evasit, historiam, contra tot sæculorum injurias lectissimorum codd. mss. ope servatam, tum in celeberrima bibliotheca Mediceo-Laurentiana, et archivo metropolitanæ ecclesiæ Florentinæ, tum in amplissima Alexandrina bibliotheca Romani archigymnasii; præclarissimi certaminis eorumdem sanctorum martyrum monumentum complures etiam sequioris ævi historici, verborum licet compendio, literis consignarunt : quorum ut in medium adferam testimonia, instituti mihi operis ratio suadet. Johannes igitur Villanus hæc de S. Crescio ac sociis verba, latine reddita, habet in sua historia : *Tunc temporis Decius imperator* (id est circa annum *a* æræ Christi 252, ut non obscure ex præcedenti capite deprehendere licet) *Florentiæ moram ducens, persequutores adegit in B.* Crescium, *nobilem ex Germania* b *virum, pœnitentiam cum discipulis suis agentem in Mugellanis sylvis* c, *ubi nunc ejus templum consurgit, S.* Crescii *Valliscavæ nomine prænotatum; ibique ille, atque ejus socii per Decii ministros martyrii palmam sunt consequuti.* *Villanus.* *a* *b* *c*

3 Vincentius Borghinus in opusculo, italice exarato de ecclesiis, et episcopis Florentinis, ubi aliorum sanctorum meminit, hæc addit : *Fuere alii, quorum exigua pariter monumenta chartis proferuntur, veluti S.* Crescius, *cujus corpus servat adhuc plebania Valliscavæ.* Petrus etiam Boninsignius in historia Florentina, postquam de S. Miniate, jussu Decii imperatoris capitis damnato anno Christi 252 *, pluribus egit, deinde ait : *Pari ratione Decius martyrio affecit S.* Crescium *et socios ejus; ille autem claram trahebat ex Germania originem, tunc in eremo cum S. Miniate degens, ac postea mansit atque obiit in agro Mugellano, ubi nunc exstat ejus ecclesia, S.* Crescii *Valliscavæ titulo designata.* *Borghinus.* *Boninsignius* * Immo 250.

4 Ferrarius

Ferrarius, Minius, Razzius

4 Ferrarius vero in Catalogo sanctorum Italiæ die 23 Octobris hæc de S. Crescio literis mandavit : Crescius *ex Germania in Etruriam veniens in agro Mugellensi cum sociis aliquandiu habitavit; quum autem persequutionem Decius imperator in christianos excitasset, ab imperatoris satellitibus comprehensus, una cum aliis ob fidei christianæ confessionem martyrio coronatur in Valle, quæ Cava dicitur, ubi corpus a christianis conditum est; quod adhuc in ecclesia plebis Vallis suo nomini dicata diœcesis*

d

Fesulanæ d *pie asservatur, finitimis populis ad diem festum anniversaria celebritate accedentibus : ex hist. Johan. Villan, et tab. ecclesiæ Fesulanæ.* Ejusdem autem auctoris hæc adnotatio legitur : *In tabul. ecclesiæ Fesulanæ, a nobis nuper visis, die seq. natalem hujus martyris celebrari animadvertimus.* Horum vero scriptorum testimoniis suffragantur Paulus Minius in defensione Florentinorum contra maledicentium calumnias, Michael Pocciantes in Vitis Septem BB. Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, Silvanus Razzius, Congregationis Camaldulensis monachus in

B

Vitis sanctorum Etruriæ, et alii, quorum verba singillatim hic recensere prætermitto, ne lectori in re cuique obvia moram faciam *e*.

e

et auctaria Usuardi Florentina

5 Gravior certe atque antiquior de S. Crescio mentio facta reperitur, tum in aliquibus vetustis martyrologiis, tum in aliis ineditis codd., quæ nuper mihi datum pro libito contrectare in celeberrimis Etruriæ chartophylaciis. Etenim in antiquissimo ms. cod. 8 plutei 16 præfatæ Mediceo-Laurentianæ bibliothecæ, qui inscribitur : *Martyrologium Bedæ presbyteri,* habetur : VIII *calendas Novembris. Sanctorum Vitalis, Felicis et S.* Crescii *martyris.* Usuardus *f* etiam monachus in suo Mar-

f

* *immo* Calvi.

tyrologio, Caroli Magni * ævo exarato, hæc scripsit : *Nono calendas Novembris. In territorio Florentino in Tuscia passio S.* Crescii *martyris et sociorum ejus, qui anno Domini ducentesimo quadragesimo octavo, sub persequutione Decii tyranni passi sunt in loco, qui dicitur Valcava, ubi in ecclesia sub titulo S.* Crescii *requiescit.* Et in eodem Martyrologio idem auctor : *Quarto nonas Maji. In territorio Florentino passio san-*

C

ctorum martyrum Cerbonii et sociorum ejus apud Vallem Cavæ juxta sepulcrum S. Crescii *martyris et sociorum sub Decio tyranno.* In altero antiquo cod. ms. 30 plutei 21 ejusdem bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ, qui inscriptus est, *Martyrologium,* hæc perlegi : *Nono calendas Novembris. In Venusia civitate Apuliæ natale S. Felicis episcopi etc. Item in Tuscia in territorio Florentino passio S.* Criscii *et sociorum ejus, qui passi sunt in loco, qui dicitur Valcava, sub persequutione Decii imperatoris anno Domini* 248.

et Vallumbrosana laudant S. Crescium *et socios.*

6 Præterea in bibliotheca archicœnobii Vallisumbrosæ Martyrologium, typis editum anno Domini 1486 Florentiæ per presbyterum Franciscum de Bonaccursiis, diligentia D. Antonii Vespuccii cathedralis ecclesiæ Florentinæ præpositi correctum, hæc præsefert : *Quarto nonas maji. In territorio Florentino passio sanctorum martyrum Cerboni et sociorum ejus apud Vallem Cavæ juxta sepulcrum S.* Crescii *martyris et sociorum ejus sub Decio tyranno.* Idem : *Nono calendas novembris. In Florentino territorio in Tuscia passio S.* Crescii *mart. et sociorum ejus, qui anno Domini* 248 *sub persequutione Decii tyranni passi sunt in loco, qui dicitur Vallis cava, ubi in ecclesia sub titulo S.* Crescii *requiescunt.* In ms. cod. ejusdem bibliothecæ, cui titulus : *Psalterium Romanum,* sub die IX calend. novembris mentio pariter facta est de S. Crescio martyre. In archivo demum monasterii S. Salvii Ordinis Vallisumbrosæ, quod ad primum lapidem Florentia distat, ms. codicem vidi Regulæ S. Benedicti abbatis, scriptum a Silvestro monacho Congregationis Vallumbrosanæ anno 1522, cui præpositum est calendarium, ubi die 24 Octobris legitur : *SS. Vitalis et Felicis et S.* Criscii *martyris* g.

AUCTORE FELICIO.

g

ANNOTATA.

a *Johannes Villanus et Petrus Boninsignius, qui martyrium S.* Crescii *recensent anno Christi* 252, *et Minius, qui anno* 254; *atque etiam Usuardi aliorumque Martyrologia, quæ illud ponunt anno* 248, *corrigenda sunt juxta probatissimam sententiam Jacobi Laderchii traditam pag.* 5 *Actorum S.* Crescii, *ubi solidis fundamentis statuit initium imperii Decii, et ejusdem martyris obitum anno* 249 *sub Æmiliani et Aquilini consulatu. Addam ego rem antea inexploratam, Baronium nempe, qui in Annalibus ecclesiasticis Decium regnare cœpisse ait anno* 253, *ipso Decio Augusto et Etrusco filio consulibus; in Notis ad Romanum Martyrologium Januarii die* 31 *lit. C nostræ favere sententiæ, ubi Philipporum necem et Decii inaugurationem in Æmiliani et Aquilini consulatum incidisse testatur. Hactenus Felicius. Verum quum Philippus imperator, procurante Decio, Veronæ occisus fuerit inter diem* 17 *Junii et* 19 *Octobris anni* 249, *neque sciantur ulli ante mensem Januarium anni sequentis Romæ facti esse martyres* (1); *multo satius est S.* Crescii *et sociorum martyrium anno* 250 *consignare.*

b *Flocci faciendum esse id assertum, scilicet S.* Crescium *nobilem Germanum fuisse, vix est quod moneam.*

c *Mugellanæ silvæ prope Apenninos montes sunt et de illis dicetur inferius. Verum recentius inventum esse videtur illic S.* Crescium F *cum sociis pœnitentiam seu* (*ut alii habent*) *eremiticam vitam egisse. Secundum Passionem captus est S.* Crescius, *dum Florentiam veniret, et quidem in siva Elisboth; quæ quum ad meridiem civitatis fuerit posita, ut alibi diximus, oportet ut S.* Crescius *habitaverit in Thuscia maritima.*

d *Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ corrigendus est, ubi asserit, ecclesiam S.* Crescii *Valliscavæ, in qua ejusdem martyris corpus servatur, subjectam esse* Fesulanæ diœcesi; *constat enim, eam semper sub jure fuisse Florentini archiepiscopi, ut satis comprobant plures ejusdem ecclesiæ visitationes a Florentinis archiepiscopis institutæ, quas inferius referam capite* IV. *In tabulariis autem ecclesiæ Fesulanæ, quæ scriptor hic se vidisse asserit, quæque ipse vidi, alterius ejusdem S.* Crescii *ecclesiæ,* de Maciola *appellatæ, quæ Fesulanæ diœcesi subest, monumenta habentur; exinde Ferrarium deceptum manifeste apparet. Ita Felicius.*

(1) Cfr Tillemont, Empereurs, tom. III, pag. 128 et 135.

e *Memorandus*

AUCTORE FELICIO.

e *Memorandus tamen videtur auctor libri italici,* Fioretto delle cronache de' Fatti di Firenze, *qui, ut Orlendius* (1) *loquitur,* circa Joannis Villani tempora vixisse creditur, *et cujus libri exemplar, dum hic sub annum* 1730 *scriberet, erat penes equitem Antonium Franciscum Marmium. In eo quippe cap.* 10 *legebatur* Decius persequendum curasse S. Crescium cum sociis et discipulis. *Neque prætermittendus Fr. Marianus Ordinis S. Francisci Minorum Observantium, qui in libro ms. de origine, nobilitate et excellentia Tusciæ, in bibliotheca monasterii omnium sanctorum ejusdem Ordinis Florentiæ Orlendi ætate servato, scripsit :* Cerbonius cum pluribus in Mugello apud Vallemcavæ IV Maji martyrio coronatur in basilicaque divi Crescii sepultus (2). *Giambullarii alibi meminimus.*

f *Usuardi Martyrologium inter cetera, quæ S.* Crescii *mentionem fecerunt, adnumeravi, quod citatum viderim in instrumento visitationis ecclesiæ ejusdem martyris, factæ ab Alexandro Marzimedice archiepiscopo Florentino anno* 1613, *et in epistola Vincentii Rabattæ Florentini canonici, qui eidem visitationi interfuit, altero ab ea anno exarata, cujus apographum, ex mss. codd. abbatis Constantini Cajetani, in bibliotheca Sapientiæ Romanæ prostantibus, extractum præ manibus habui. Ceterum nulla, quotquot vidi, Usuardi exemplaria S.* Crescium *memorant; sed fortasse in aliqua ejusdem Martyrologii editione, quæ me fugit, martyris hujus nomen recensetur. Hæc Felicius. Usuardus purus mentionem non facit nostrorum martyrum. In editione Sollerii idem auctarium refertur ex codice Strozziano.*

g *Vallumbrosani nunc adhuc ugunt S.* Crescii *festum.*

CAPUT II.

Antiquæ imagines SS. Crescii et sociorum martyrum.

Imagines S. Crescii *et sociorum in Valleeava,*

In sacello S. Cerbonii supra clivum, qui ecclesiæ sancti Crescii Vallis Cavæ imminet, cujus monumenta sequenti capite complectar, exstat vetus tabula, ex ara majori præfatæ ecclesiæ, ubi olim aderat, illuc delata. Ipsius tabulæ schema operis antiquitatem notat; lignea etenim corona suprema ex parte tribus pyramidalibus angulis gothico ritu terminatur. Tres tabulam implent imagines. Medium tenet Deiparæ Virginis effigies, cujus collo infans Jesus insidens. Dextera parte cernitur beatissimus Crescius, militari veste indutus, cujus manus palma, caput diademate exornatur. A læva demum S. Laurentius cum crate repræsentatus. Inferior tabulæ pars, quæ præmemoratis imaginibus suppedaneum et basim præbet, in quatuor parvulas oblongas tabulas discriminatur; quarum prior S. Crescium exhibet, quem impii satellites ad imperatorem in solio sedentem ducunt, ibique licet etiam e longinquo expressum intueri eundem martyrem, carcere egredientem cum sociis suis Omnione et Emptio. Altera extinctos, atque humi stratos eosdem martyres Omnionem et Emptium repræsentat, quorum e vulneribus ingens sanguinis copia dimanans pavimentum infecit; indeque haud procul S. Crescius capite reciso conspicitur; demum in postrema hujus tabulæ parte caput ejusdem S. Crescii diademate insignitum visitur, quod hastæ præfixum duo milites triumphi in morem deferunt, ut ejus Acta aperte declarant. Reliquis duabus tabulis S. Laurentii gesta monstrantur. Totum hujus picturæ opus ducentorum et ultra annorum antiquitatem præseferre visum est omnibus, quotquot inspeximus, quorum sententiæ suum etiam calculum addidit Thomas Redi, Etruriæ principum pictor egregius *a*.

a

in prioratu de Campis, Maciolæ

8 Altera Imago prostat in ecclesia seu prioratu S. Crescii *de Campi* nuncupato, ubi majoris aræ tabula Deiparam Virginem exprimit, cui a dextris adstat S. martyr Laurentius; a sinistris autem S. Crescius, martyrii palmam manu deferens. Hæc autem tabula nihil admodum antiquitatis habet. In ecclesia eidem nostro martyri dicata in loco, qui *Maciola* dicitur, exigua nunc restat effigies, in gradu majoris aræ, ubi idem S. Crescius purpurea veste indutus, palmam sustinens exhibetur : opus certe duorum sæculorum antiquitatem redolens. Antiquior vero ejusdem imago in hac ecclesia desideratur, quam præ vetustate intercidisse manifestum fit, dum ejus mentio habetur in visitatione hujus ecclesiæ, ab episcopo Fesulano facta usque sub die 14 Maii anni 1442; cujus picturæ opus jam eo sæculo vetustissimum apparebat, ut constat ex tabulariis ecclesiæ Fesulanæ.

et in Monte S. Miniatis.

9 Præterea Georgius Vasarius in Vitis pictorum parte II testatur, in cœnobio S. Miniatis ad Montem, qui Florentiæ imminet, in sinistra muri parte, quæ ab ecclesia in cœnobium descendentibus occurrit, exstitisse pictura expressos SS. Miniatem et Crescium martyres, sese a parentibus separantes; additque, picturæ hujus auctorem fuisse Andream del Castagno, ortum in agro Mugellano. Operis hujus testimonium magni pariter faciendum est ob ejus vetustatem, quum scriptor, qui illud, tanquam ævo suo superius refert, sæculo decimo sexto floruerit. Ejusmodi vero picturæ nec ullum quidem nunc vestigium apparet, quum recentiores aliqui, venerandæ antiquitatis parum studiosi, tectorium muro superinduxerint.

ANNOTATUM.

a *Hic ipse Thomas Redi invenit et delineavit imaginem martyrii SS.* Crescii, Omnionis *et* Emptii, *quam Theodorus Vercruysse, chalcographus Belga, anno* 1707 *æri incidit et cujus apographa præfixa sunt Laderchii et Moctii operibus de SS.* Crescio *et sociis. Valde insignis hæc imago est, qua exhibetur unus miles caput S.* Crescii *lancea attollens, et duo alii conficientes alter calce, alter clava unum ex S.* Crescii *sociis : nam tertius jam morte prostratus jacet pone S.* Crescii *truncati cadaver. In abscedentia SS.* Cerbonius *et socii vivi detruduntur a turba in foveam et lapidibus obruuntur.*

(1) Orbis sacer et profanus, tom. III, pag. 1150. — (2) Ibid. pag. 1144.

CAPUT III.

A

CAPUT III.

Ecclesiæ in honorem SS. Crescii et sociorum MM. erectæ.

Memorabilia Inter venerabilia antiquitatis monumenta, quotquot habent Florentiæ suburbia, principem jure et merito sibi vindicat locum ecclesia S. Crescii martyris, in ea Mugellani agri *a* parte, quæ *Vallis Cava b* dicitur, erecta; utpote quam christianorum pietas plurimis abhinc sæculis eodem ferme loco excitavit *c*, quem sibi pro tumulo martyr ipse visus fuit elegisse: debacchantes etenim Decii imperatoris milites, divina coactos voluntate, revulsum ejusdem martyris caput, quod hastæ infixum triumphi in speciem, Florentiam remeantes, deferebant, ibidem reliquisse, annalibus *d*, traditum. Hujus autem prænobilis templi memoriam a primæva sui erectione haud facile est reperire, nec mihi, sex mensium spatio B Florentinæ antiquitatis rudera versanti, unquam patuit. Ejus mentio ab duodecimo sæculo ad nostrum frequenter occurrit, tum in libro membranaceo in fol. max. mensæ archiepiscopalis Florentinæ, ubi ejusdem feuda adnotata sunt, vulgo *Bulletone* dicto *e;* tum in vetusto cod. monasterii S. Salvii, atque alibi *f;* quorum testimonia superfluum hic arbitror adferre, præsertim quum antiquius ejusdem templi monumentum ab anno Christi 941 nobis adhuc restet in archivo canonicorum metropolitanæ ecclesiæ Florentinæ, ubi exstat tabula donationis, qua Adonaldus, Tassimannus et Atropaldus donant episcopo Florentino omnia eorum bona, *sita in Comitatu Florentino et Fesulano, in Plebe S. Crisci sita Alpium* g, *et in Plebe S. Laurentii sita* Mucillo;* quæ bona deinde ab eodem episcopo eisdem donatoribus in perpetuum feudum concessa fuere *h*, anno, ut ibi legitur, 941. Confecta vero est concessionis chartula *in ecclesia et curte S. Laurentii sito Muccillo,* interveniente Ugone judice et notario. Hoc autem monu- C mentum Eugenius Gamurrinus, Casinensis abbas, indicat in sua de Nobilibus Etruriæ atque Umbriæ familiis genealogica historia tom. IV, in Familia Ubaldina.

ecclesiæ S. Crescii 10 Et certe ecclesia illa antiquitatis suæ vestigia adhuc servat, tum in præcelsa turri *i* campanarum *k*, quadratis exstructa lapidibus, tum in arcubus lateralium navium, quorum antiquæ latitudinis adhuc signa apparent *l*, licet eos ad arctiorem mensuram redegerit recens ecclesiæ instaurator. Pietatis et curæ, quibus illam Florentina gens quocunque tempore prosequuta est, haud leve argumentum, dum collegio canonicorum decorata, ut ibi divina mysteria, atque officia splendidiori apparatu celebrarentur, usque ab decimotertio Christi sæculo reperitur. Hujus rei documentum superest in præcitato mensæ archiepiscopalis Florentinæ libro, ubi par. 25. nu. 5. quidam presbyter S. Crescii canonicus recensetur, ibi : *Presbyter Amadore canonicus Plebis S. Crescii de Valcava excommunicavit de mandato D. Andreæ episcopi Florentini Stoldum Cennis, et multos alios de communis, quia non*

g * nunc Mugello.

h

i

k

l

juraverunt fidelitatem dicto domino episcopo. Charta manu Bonajunte Meliorelli anno 1289 *m.* AUCTORE FELICIO. *m* Successive autem canonicorum collegio, incertum qua caussa, expuncto, ejus cura demandata est presbytero, plebani *n* titulo insignito, cui suffragantur ceteri de plebe sacerdotes, ut in præsens etiam servatur. Maximum tamen templi decus fecere semper, et nunc faciunt preciosa sanctorum martyrum Crescii et sociorum ejus Omnionis, Emptii et Cerbonii, aliorumque plurimorum ossa, quæ post tot sæcula partim traducta per gentes, tetra ignorantiæ labe infectas, ac stupore veluti quodam et veterno obtorpentes, nostro huic ævo reservata, Etruscorum pietatem populorum in dies excitant atque solicitant. *n*

in Vallecava 11 Nec Etruria modo, verum et finitimarum regionum gentes bis in anno peregrinationem suscipiunt, sacra pignora veneraturæ, primo scilicet dominico die Augusti mensis, quo basilicæ consecratio recolitur *o*, et Octobris 24, quo eorundem martyrum festa solemnitas celebratur. Hanc autem honorificentissimo cultam apparatu, anno proxime elapso *p* licuit mihi coram intueri, et tum principis zelum in martyrum honore promovendo, tum subditorum atque exterorum religionem ac pietatem animo notavi; magnumque cepi argumentum venerationis et cultus, nullo non tempore sanctis martyribus exhibiti, quum mihi innotuit, neminem unquam ausum intra basilicam hanc mortuis suis sepulturam dare; ut pro ætate remotiori testes sunt, et instrumentum præcitatæ visitationis archiepiscopi Marzimedices anni 1613, et memorata superius epistola Vincentii Rabattæ canonici Florentini; atque hunc laudabilem usum, postremo etiam sæculo servatum, qui nunc sunt, a majoribus suis accepere, et fidem exemplo suo faciunt. *o* *p*

in qua sociorum ejus sepulcra. 12 Intra hujus ecclesiæ ambitum martyrii palmam consequutos fuisse SS. Cerbonium et socios, manifeste apparet; quum enim hi ad SS. Crescii et aliorum martyrum corpora, illic ab eis tumulata, continuas agerent vigilias, divinis laudibus vacantes, a Decii militibus comprehensi, eodem in loco vivi in foveam, non longe a sepulcris ceterorum martyrum excavatam, conjecti fuere; et clauso foveæ hiatu, gloriosi certaminis cursum expleverunt, ut eorum Acta referunt. Anno autem 1613 præfati Alexandri Marzimedices archiepiscopi jussu, ecclesiæ ejusdem pavimento prope baptismatis fontem alte effosso, ibidem eorundem SS. Cerbonii et sociorum corpora reperta sunt, ut ex Visitationis monumento, inferius proferendo, patebit. F

Renovatur 13 Verum, quum adeo venerabilis basilica, partim temporis edacitate absumpta, partim plebanorum incuria labefactata, nihil omnino amplius spectandum haberet, quam ruinosa mœnium vestigia, nec ullus tot annorum intervallo, ab immanibus forsan sumptibus sibi metuens, manus unquam, proximum exitium reparaturas, admovisset, magnus Etruriæ dux Cosmus III, Dei gloriæ sanctorumque veneration adaugendæ cotidie studens, in templo hoc restituendo, atque exornando regiam impendit munificentiam, adeo ut par in præsens illustrioribus Florentiæ ipsius templis videatur. Opera etenim Joannis Baptistæ Foggini

AUCTORE FELICIO.

architectorum ejus principis, et procuratione abbatis Dominici Zipoli S. Laurentii canonici, familiaris Etruriæ principibus acceptissimi, sinistra ecclesiæ navi, quæ ubique rimis patebat, dejecta, altera lapideas super pilas provecta est.

splendide

14 Ara postmodum splendida ac dives sanctis martyribus Crescio et sociis sub apside ex integro excitata *q*, tota partim albis, coloratis partim marmoribus constat. Super mensæ gradus ciborium ex albo marmore effertur, variis tamen distinctum lapidibus. A lateribus majoris aræ, et e regione ambarum navium duo lapidea sacella consurgunt. Utrumque eorum ovatæ figuræ parietem, inaurata prominentem corona, tabulasque supplentem, pictura decoravit Carolus Ventura Sacconius, Ferdinandi Etruriæ principis cubicularius : altero siquidem BB. Crescium, Omnionem et Emptium; altero S. Pamphilam, Cerbonium filium, ceterosque ex ejus cognatione expressit. Ante tres aras super geminos gradus recurrit marmoreus clathrus, a lateralibus templi
B parietibus productus. Dexteram, sinistramque ecclesiæ navim quatuor alia sacella implent, quorum unum ex integro exstrui curavit, ornavitque summa cum pietate ac munificentia prænobilis familia Gondia. Sacrarium insuper additum, quod piissimorum principum pietas cotidie preciosissima ditat supellectile. Magnificentissima demum ante majorem januam porticus se attollit, columnis ex Fesulano lapide suffulta.

a Cosmo III

15 Januæ exterius fastigium, eleganti opere elaboratum, marmoream exhibet tabulam cum hac epigraphe :

DIVO CRISCO MARTYRI, QVI ET CRESCIVS,
QVI CHRISTI FIDEM IN MVGELLANVM AGRVM INVEXIT,
HIC CVM SOCIIS OMNIONE ET EMPTIO ADIVTOTIBVS
AB ANNO CCXLIX. QVIESCENTI
TEMPLVM PIETAS POSVIT.
ABSCISSVM EIVS CAPVT
A MILITIBVS IMPERATORI DECIO DEFERENTIBVS,
VOLVNTATE DIVINA COACTIS, HINC AVFERRI NON POTVIT.
PAVIMENTVM SACRAVIT CERBONIVS CRESCII DISCIPVLVS
CVM SOC. QVAMPLVRIMIS VIVIS IN FOSSAM IBI DETRVSIS.
HORVM OMNIVM OSSA AB ALEX. MARZI-MED. ARCH. FLOR.
C AN. CIↃIↃCXIII. III. NON. IVL. INVENTA, ATQ;
RECOGNITA,
NVNC AVTEM A COSMO III. MAGNO ETRVRIÆ DVCE,
REPARATIS TEMPLI RVINIS, ERECTIS ARIS EX MARMORE,
ANNO CIↃIↃCCII
MELIORI, VT VIDES, LVCI EXPOSITA
VENERATVRVS HOSPES INGREDERE,
MEMOR, QVOD
LOCVS, IN QVO STAS, TERRA SANCTA EST.

ineunte sæculo XVIII.

16 At postquam singulari munificentia restituit, atque ornamentis tam splendidis auxit templi decus religiosissimus princeps, honorificentiori locandas sede sanctorum martyrum exuvias curavit, quarum partem excepit ingens arca marmorea, sub mensa majoris aræ exstructa, cujus os tribus obstruitur crystallis; altera reliquiarum pars clauditur cupressinis arculis, circumcirca auro distinctis, quæ super mensam in ciborii gradibus elevantur. Lateralia etiam sacella partem sacrorum ossium habent geminis in urnis, variegato lapide exstructis, supra marmoreum mensæ gradum locatis. In apside vero post majorem aram lapideo in loculo caput sanctissimi martyris Crescii, argentea theca inclusum, servatur, quod festis ejusdem solemnitatibus supra aræ mensam publicæ fidelium veneration exponitur. Urnæ, quibus sacræ omnes excipiuntur reliquiæ, geminis clavibus obsignantur, quarum unam Florentinus archiepiscopus retinet, alteram magnus Etruriæ dux. Hanc tamen regia ejus celsitudo pro sua parte custodiendam tradidit præstantissimis viris senatori Ferdinando Alexandro et Carolo Antonio abbati de Gondis, eidem summæ rei a secretis; conditione insuper adjecta, ut iis deficientibus, eidem magno duci ab eorum hæredibus clavis restituatur. Verum et alia, quæ extra ecclesiam hanc supersunt adhuc, monumenta persequi opus est. D

Silva S. Cerbonii,

17 Antiquissima atque immemorabili traditione constat Christianos summa veneratione ac cultu qualibet ætate complexos locum, qui nostro etiam hoc ævo S. *Cerbonii Sylva* dicitur, a præcitata S. Crescii basilica haud longe dissitus; communis etenim opinio est, ibidem S. Cerbonii domum olim fuisse, in qua S. Crescium, ob persequutionis furorem delitescentem, a Decii militibus comprehensum, ejus Acta referunt; atque in ea eundem martyrem et ejus socios Omnionem et Emptium a persequutoribus interfectos *r*, validissimis rationibus contendit præfatus Jacobus Laderchius in sua de loco martyrii S. Crescii dissertatione nondum edita. Traditionis hujus testimonio factum est, ut ad tabernaculum, quod ibi olim aderat, devotæ populorum turbæ, longo agmine procedentes, statis anni temporibus, orantes accederent. Et quidem egesta nuper eodem in loco circumcirca humo, perampla fundamenta patuere *s;* haud dubium ingentis molis, eis olim superstructæ, argumentum. E *r* *s*

domus

18 Quum vero Actorum indicio deprehendatur, ejusdem S. Cerbonii domum fuisse secus viam publicam, quæ Florentia discedentes Faventiam duceret; exinde rata indigenarum de loco isto opinio evadit : nam, quum paucis abhinc annis sub pavimento præfatæ ecclesiæ S. Crescii humus alte effoderetur, reperta est via antiqua Romana, lapidibus strata, quæ Fesularum ab urbe progrediens et ecclesiam hanc intersecans prope sacellum præcitatæ familiæ Gondiæ, recta incedere visa est per eundem locum, ubi S. Cerbonii domus sita creditur, ac tandem per vicina Alpium juga Æmiliæ viæ sese committere. Pietatem igitur populorum, his et validioribus aliis fundamentis innixam, magnus Cosmus obsecundans, eodem in loco sacellum exstrui imperavit, S. Cerbonio dicatum, in quo vetus tabula S. Crescii, cujus superius memini, adservatur. F

et alia pertinentia

19 Alterum percelebre monumentum prope S. Cerbonii domum superest, eorumdem Actorum S. Crescii testimonio erutum; constat enim prope eamdem S. Cerbonii ædem idolorum fanum antiquitus exstitisse, quo nostri martyres perducti, ut vanis ethnicorum superstitionibus polluerentur et sacrificia facerent; hinc e regione præfatæ domus, sed in editiori collis parte tellure late excavata, fundamenta antiqui ædificii, peramplo spatio ducta, apparuere, ibique murorum intersecationes, januarum situs, atrium et reliqua signa eo ordine disposita

A disposita inventa sunt, ut locus sit credendi, ea esse veteris idolorum templi vestigia. Hanc vero opinionem magis confirmant nonnulla sacrificiorum usui apta instrumenta, e ruderibus effossa : lapidea scilicet pegmata, aræ figuram præseferentia, quibus victimæ litandæ imponebantur; parva item vetustissima falx et prægrandis culter, quibus ethnicos in sacrificiis ibidem usos, haud levis est conjectura; plurima denique lapidum fragmina, quorum duo mutilos angues insculptos præ-
t ferebant *t*. Exinde plures optimæ sane notæ viri, et in antiquitatibus eruendis exercitatissimi, in hanc sententiam facile adducuntur, ut credant, templum illud Æsculapio olim sacrum. Æsculapii etenim symbolum serpentes fuisse, immo ipsum deum sub anguis imagine Romam Epidauro adnavigasse, ibique cultum, notior ex antiquis scriptoribus res est, quam ut nunc aliis verbis explicetur opus sit.

ad historiam S. Crescii. 20 Porro huic de nostro templo sententiæ adhærere haud incongruum visum est mihi, quum illius monumenta, atque allatas rationes
B expenderem; nunc autem, dum hæc scribo, duobus aliis argumentis, ex ipsius templi situ petitis, opinionem hanc roborari video. Primo situ nimirum, quod templum hoc exstructum appareat in edito colle; altero, quod extra Florentiæ urbem. A Græcis etenim Æsculapii templa ut plurimum in collibus erecta, Plutarchus testatur in quæst. Rom. num. 94 ibi: *Græci quoque fere locis puris, et sublimibus posita Æsculapii habent sacraria;* et Pausanias, veteris Græciæ accuratissimus descriptor, in Arcadicis plures ædes, Æsculapio sacras, in clivo sitas recenset. Extra urbem etiam ejusdem dei templum habuisse Epidaurios, idem Plutarchus auctor est loco citato, et Pausanias in Corinthiacis, et confirmat Ludovicus Vives in Commentariis ad lib. III, cap. 12. S. Augustin. de Civit. Dei; et Romæ pariter extra urbem in Tiberis insula Lycaonia Æsculapii ædem fuisse, historiarum nostrarum testimonio comprobatur. Verum, quum de S. Crescii basilica, ejusque monumentis adjacentibus fusius disserat, ut præmonui, Marcus Antonius
C Mozzius canonicus Florentinus, ideo ejus librum, prope diem publica luce fruiturum, lector consulat *u*.

u *Memorabilia ecclesiæ* 21 Altera exstat S. Crescii ecclesia, Florentinæ diœcesi subdita, in loco, *de Campi* appellato, qui ad sex milliaria Florentia distat. Hanc ab imperatore olim ædificatam et mona-
x chorum cœnobio insignem fuisse constat *x*. Hujus rei præclarum monumentum superest in chartula conventionis, factæ a patronis ejusdem, cujus exemplar, ex autographo, quod exstat penes hæredes Francisci Mazzinghi patritii Florentini, a Francisco Maria Ducci bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ ex-præfecto diligentissimo archivorum pervestigatore exscriptum, mihique traditum, dignum censui, quod in posterorum memoriam derivetur.

et capituli 22 « In nomine sanctissimæ Trinitatis. « Amen. Per hanc chartulam conventionis « appareat nos Guictone, et Robertus quon- « dam Guillelmi, et Loctarius quondam Ray- « naldi, patroni monasteriorum S. Domnini « plebatus S. Juliani de Septimo, et S. Petri « siti Lecore plebatus S. Laurentii de Signa, « et S. Crisci de Campi plebatus S. Stephani « per concessionem factam nostris progeni- « toribus a serenissimo imperatore Augusto, « unico ædificatore dictorum monasteriorum, « ut privilegia nostræ concessionis manife- « stant, volentes intentionem concessionis et « nostrorum progenitorum implere, facimus « et ordinamus has constitutiones et ordina- « tiones, itaut per nos et nostros filios et de- « scendentes in perpetuum serventur: scilicet, « quod nullus nostrum, aut nostrorum filio- « rum et descendentium debeat jura, quæ ha- « bemus in dictis monasteriis, et dictam « concessionem alicui personæ vendere, do- « nare aut pignorare, vel aliquo titulo alie- « nare; et nullus nostrorum descendentium, « qui de legitimo matrimonio non fuerit « procreatus, nec aliqua mulier nostrorum « descendentium, postquam ad extraneum « fuerit nupta, possit in dictis juribus succe- « dere, aut in dictis monasteriis aliquod jus « habere. Et ad robur hujus nostræ conven- « tionis juramus in manibus tui presbyteri « Donodei, custodis dicti monasterii S. Dom- « nini, et tibi pro dictis monasteriis promit- E « timus per nos, et nostros filios et hæredes, « et descendentes in perpetuum dictam ordi- « nationem, et conventionem perpetuo ob- « servare, et stabilem tenere, et contra non « facere vel venire. Si quis vero nostrum aut « nostrorum descendentium ipsam non obser- « vaverit, aut aliquo modo violaverit vel con- « trafecerit, promittimus tibi pro pœna libras « mille denariorum Lucensium, quam pœnam « quilibet contrafaciens solvere debeat inte- « graliter, medietatem ecclesiæ Romanæ, sub « cujus protectione dicta monasteria consi- « stunt, et alteram medietatem dictis mona- « steriis. Et propterea tibi presbytero eo « modo, quo supra, obligamus nos et nostros « hæredes, bona et jura omnia, quæ habe- « mus, et pro cautela et securitate hujus « conventionis et ordinationis tres chartulas « pari tenore volumus publicari. Actum in « dicto monasterio S. Domnini anno Domini- « cæ Incarnationis milleno centeno undecimo, « quincto kal. Maii, indictione..... Ego Dono- « deus presbyter in hac chartula conventionis F « me subscripsi. † Signa manuum Guicto- « nis, et Roberti, et Loctarii patronorum « prædictorum. Testes Lombardello Clerico « de Quarade, et Manardus Bonaiuti, et Ubaldo « Bononi Justino converso S. Domnini, et « Joannello Massari de Campi, et Amicino « Talenti. † Signa manuum dictorum te- « stium. Ego Inghilbertus judex, idemque « notarius. »

AUCTORE FELICIO.

S. Crescii *de Campis;* 23 Quis autem fuerit imperator, qui hanc ecclesiam, et monasterium exstruxit, incompertum hactenus mihi est; nisi opus hoc referre placeat ad Henricum I aut Ottonem III, religiosissimos imperatores, qui plura intra et extra Italiam monasteria ex integro excitarunt, et ingentibus redditibus auxerunt. Anno vero 1462, die 20 Decembris, Johannes Neronius, archiepiscopus Florentinus, ecclesiam hanc parochialem, prioriam nuncupatam, univit mensæ capitulari insignis collegiatæ S. Laurentii, per liberam resignationem Caroli q. Raymundi Mannelli, ejusdem ecclesiæ prioris, ex rogitu Ser Locti Masii notarii Florentini,

AUCTORE FELICIO.

rentini, ut apparet in lib. 14 archivi ejusdem collegiatæ num. 24. Reliquiarum S. Crescii et sociorum partem servat eadem ecclesia; ibi etenim vidi duas crystallinas phialas, ossibus eorumdem martyrum refertas, alterumque os majus; præterea antiquissimum cyathum, vetustate confractum, sacro S. Crescii sanguine perfusum; quæ preciosa martyrum pignora a Francisco Barontini, plebano S. Crescii Valliscavæ donata fuere Roccho Bomboni, hujus ecclesiæ priori, atque ibidem merita veneratione coluntur.

item ecclesiæ de Maciola

24 Adsunt et in Fesulana diœcesi duæ eidem sancto martyri erectæ ecclesiæ : quarum una, ad quintum lapidem Florentia distans, *de Maciola* a regionis nomine nuncupatur *z*. Ejus structura satis ampla est, et elegans; quadrato lapide parietes constant, et quatuordecim columnis sustinentur; presbyterium visitur ordinis Corinthii, et prælta turris campanarum quadrata se attollit; ex quibus ædificii antiquitas deprehenditur *aa*. Ejus tamen vetustiorem memoriam haud reperi, quam ab decimoquinto Christi sæculo *bb* in tabulariis ecclesiæ Fesulanæ, ubi recensetur visitatio episcopalis hujus ecclesiæ, facta die 14 Maii anni 1442, quo tempore ejus curæ præerat percelebris plebanus Arloctus *cc*, ex collatione ei facta a Martino V pontifice maximo, anno Christi 1426. Hanc tamen ecclesiam per liberam resignationem ejusdem presbyteri Arlocti, in manibus sanctissimi sponte factam, et per sanctitatem suam admissam, Xystus IV pontifex maximus mensæ capitulari insignis collegiatæ sæcularis ecclesiæ S. Laurentii Florentiæ perpetuo univit, et adnexuit per bullam, datam Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dom. 1482 IV idus Februarii, pontificatus anno 12, ut constat ex Bullario ejusdem collegiatæ pag. 190, et quia memoratæ ecclesiæ jus tunc temporis erat penes nobilem et antiquam Neroniam familiam, ideo in hac unione ejusdem expressus accessit consensus; immo eamdem Franciscus Neronius, civis Florentinus, studiose curavit, ut ex proventibus ipsius ecclesiæ dotaretur canonicalis præbenda, quam in dicta collegiata instituerat.

z

aa

bb

cc

C

et de Monteficalli in diœcesi Fesulana.

25 Altera pariter in Fesulana diœcesi numeratur ecclesia, S. Crescio dicata, quæ *de Monteficalli* nunc, olim *de Mezzuola* dicebatur, duodecim milliarium itinere procul a Florentia *dd;* antiquum sane monumentum; nam ejus memoria exstat in cœnobii Passinianensis archivo in duabus membranis, signatis, altera Christi anno 1292, altera 1320, quas præ manibus habui, quum tertio abhinc mense innumeras ejusdem archivi vetustissimas chartas versarem. Hujus ecclesiæ regimen pariter tenet presbyter plebani titulo insignitus. In ea usque sub anno 1446 reliquiæ S. Crescii aderant, ut traditur in visitatione episcopali die 2 Maii ejusdem anni facta, ex tabul. ecclesiæ Fesulanæ. Nunc vero pars brachii ejusdem martyris ibidem servatur, dono tradita a Julio Caccia senatore *ee*, die 21 Octobris anni 1650, rogitu Zenobii Caramelli.

dd

ee

D

ANNOTATA.

a *Anno* 1748 *egregiam hujus agri descriptionem edidit Josephus Maria Brocchius* (1); *nobis satis erit ejusdem delineationem ex Lamio hic exhibuisse.* Mucillum, *inquit* (2), provincia est Etruriæ ad septemtriones, cujus ambitus LXXX. M. P. censetur. Ejus colles seu magis tumuli planitiei æquor prope imitantur, montibus altioribus circumvallati. Hi sunt ad orientem Falterona, mons sublimis, ex quo Arnus et Tiberis flumina scatent, quique Mucillum a Casentino separat; ad septemtrionem Alpes Penninæ seu Alpenninus, quæ illud dividunt ab agro Bononiensi et reliqua Æmilia; ad occidentem montes Vernii, Calvani et Prati illud claudunt; et tandem ad meridiem Vallis Marinæ, Mons Maurillus, Mons Asinarius, Mons Rinaldus, Mons Rotundus et Mons Jovii a Florentina planitie et collibus suburbicariis et Valle Sevis disterminant. Fluvii plures Mucellum irrigant, quorum primarius Seve est, qui prope Montem Cuculi scaturiens medium Mucillum ab Occidente in Orientem secat per XXXVI. P. M. tractum, donec in Arnum illabitur... In quinque territoria prætorum Mucillum dispertitur, vulgo *Potestarias,* quæ Scarpariæ vicario subsunt. Ea sunt vicariatus et territorium Scarpariæ, territorium Burgi S. Laurentii, territorium Barbarini, territorium Viculi, territorium Decumani. Est et territorium S. Gaudentii; est ei non prætor, sed simplex judex præest. Est et fœdus Talliaferri seu pagi fœderati ad Taliaferrum. *Nunc autem dividitur Mucillum in sex communitates seu minores pagos, quorum capita sunt Barbarinum, Burgum S. Laurentii, oppidum S. Petri ad Seve, Scarperia, Vallea et Viculus; continebatque universim anno* 1840 *incolas* 40103 (3).

E

b *Valliscava, vulgo* Valcava, *ad fluviolum Seve, in communitate burgi* (4) *S. Laurentii, a quo distat milliaribus tribus , a Florentia octodecim. Antiquissima ecclesia baptismalis est, olim duodecim saltem ecclesias filiales* (5), *a se pendentes, habens, nunc autem quatuor tantum* (6).

F

c *Vulgo habetur hæc ecclesia, si turrim demas, sæculo* IV *constructa. Sed hoc mihi non est credibile, quum* (*ut inferius dicetur*) *constructa sit super ipsam viam publicam Fæsulanam.*

d *Intelliguntur Acta seu Passio S.* Crescii.

e *Lamius inseruit suis Memorabilibus catalogum feudorum seu* Bullettone: *in quo* (7) *quæ dicuntur vide.*

f *Lamius per Memorabilia ecclesiæ Florentinæ plurima sparsit de Vallecava et templo S.* Crescii. *Quod si quis ea legere velit, indicata reperiet ad finem tomi III in indice ecclesiarum, verbo S.* Crisci ecclesiæ, *et in indice geographico, verbo* Valliscava. *Insuper in tomo IV* (8), *cujus pars tantum prodiit, historia hujus pagi seu potius catalogus actorum, ad hunc pagum spectantium, legi potest.*

g *Errat Felicius referens id diploma ad eccle-*

(1) Descrizione della provincia del Mugello con la carta geographica del medesimo, aggiuntavi un'antica cronica della nobile famiglia da Lutiano, illustrata con annotazioni. — (2) Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, tom. II. pag. 720 et seqq. — (3) Repetti, Dizionario geografico fisico storico della Toscana, tom. III, pag. 625 et seqq. — (4) Fantoni, Notizie storiche dell' arcidiocese Fiorentina, pag. 182. — (5) Lamius, Memorabilia, pag. 1517 et 1573. — (6) Repetti, Dizionario, tom. V, pag. 625. — (7) Memorabilia etc, tom. I, pag. 150. — (8) Ibid. tom. IV, pag. 170 et seqq.

siam

A *siam S.* Crescii *in Vallecava; pertinet scilicet ad ecclesiam S.* Crescii *in Maciolis, quæ et in Albino, in Albio, in Alpibus et in Carza* (1). *De hac ecclesia inferius fiet sermo.*

h *Non in feudum perpetuum concessio facta est, sed ad libellum seu in emphyteusim usque in tertiam et quartam generationem, et quidem pro annuo canone duodecim denariorum argenti* (2).

i *Moctius* (3) *tradit turrim prima specie antiquissimam videri; verumtamen eam non tanta esse vetustate quanta reliquam basilicam. Cæterum totum ædificium videre est apud eumdem Moctium et apud Lamium* (4).

k *Campanas duas habet turris : minorem longe antiquissimam; majorem his facie inferiori inscriptam verbis* (5) : † *S. CRISCVS. S. CERBONIVS. ORATE PRO NOBIS. DEO* † *MENTEM SCAM. SPONTANEAM. ONOREM. DI* *. *ET. PATRIE. LIBERATOREM* *; *et facie superiori : M. ANTONIVS DE TARVSIS ME FECIT A. D. MCCCL. TPRE D. P. BLASII. Infra crux dicta S. Agathæ cernitur et fusoris signum. Pluribus campanis in Italia, verbi gratia campanæ parvæ basilicæ S. Petri Romæ* (6), *similia inscripta sunt : quorum hæc est causa seu origo. Quum angelus custos S. Agathæ ferretur ad demortuæ clientis caput tabulam marmoream deposuisse, inscriptam his literis : M. S. S. H. D. E. P. L., Catanenses, pavidi ne sua civitas Etnæis ignibus combureretur et simul interpretati illas siglas per hæc verba :* Mentem sanctam spontaneam *obtulit,* honorem Deo *dedit* et patriæ liberationem *impetravit; confugerunt ad ejus præsidium atque eam adversus ignium vim custodem elegerunt* (7). *Hinc paulatim cœpit alibi invocari tamquam specialis incendiorum deprecatrix et nomen ejus campanis cum elogio illo angelico inscribi* (8).

* Deo
* *forte* liberationem.

B

l *Moctius late describit hujus templi formam; sed uno verbo eam pingere licet, dicendo scilicet eam esse veram basilicam.*

m *Exstabat illud capitulum jam anno* 1257, *ut ex regesto episcoporum Florentinorum constat. In eo quippe legitur* (9) : Joannes, episcopus Florentinus, excommunicavit omnes canonicos plebis S. Crescii de Valcava, electos per dominum Studum plebanum dictæ plebis sine voluntate dicti domini episcopi, quia ad eum spectat electio plebani et canonicorum in dicta plebe. Sub MCCLVII. kal. Januarii indict. VI *. *Anno* 1304 *capitulum istud videtur habuisse tantum quatuor canonicos præter plebanum* (10). *Locus, indicatus a Felicio, integer exhibetur a Lamio* (11) *et alibi* (12) *revocatur in memoriam.*

C

immo XV.

n *Non tantum post suppressum S.* Crescii *in Vallecava capitulum, sed multo etiam ante dicti sunt parochi illi* plebani; *quod nomen perstitit, dum canonici ibidem essent. Videlicet anonymus* plebanus *erat* plebis S. Crescii ad Valcavam sub MC[XL]VI, idus Junii ind. [I]X (13); *deinde Albertus* sub MCLXXII, tertio Octob. (14) et MCLXXVII (15); *item Martinus* MCCXVII, VI *kal. Julii* (16), *anno sequenti* (17) *et anno* MCCXXIII (18); *similiter Falignus anno* MCCXVI (19). *Stuldus, supra nominatus, venit anno* 1257. *Rogerius vero anno* 1310 *et* 1320 (20). *Atque hoc tempore vita canonica regularis ibidem adhuc durabat, ut ex sequenti diplomate, die* 18 *Julii anni* 1333 *dato, intelligitur* (21) : Ad honorem Dei et ejus Matris Virginis Mariæ, ad honorem et reverentiam beatorum sanctorum Crescii et Cerboni, patronorum et gubernatorum dictæ plebis, et quorum titulis dicta plebes esse dicitur insignita (Rogerus, plebanus plebis S. Crescii) elegit, fecit, assumpsit et creavit in canonicum suum et dictæ suæ plebis dominum Panciam clericum supradictum præsentem *etc.* et assignavit eidem stallum in choro, locum in capitulo, et dormentorio, et aliis locis, in quibus communis est usus. *Quos hactenus recensuimus plebanos omisit Moctius; sed alios recenset sequentes plerosque nobiles et non residentes. Et quidem quin per hos perierit S.* Crescii *capitulum vix dubitandum est. Patronos templi S.* Crescii *olim fuisse episcopos Florentinos ex dictis constat. Verum quum Cosmus III, magnus dux Etruriæ, a ruina vindicavit et plane restituit id templum, ejusdem patronatum adeptus est. Porro ut diebus festivis neque concionatores deessent, neque confessarii qui pios SS.* Crescii *et sociorum cultores exciperent, annexuit hanc plebem collegio S. Joannis Evangelistæ patrum Societatis Jesu Florentino : quorum erat vicarium eodem deputare* (22). *Suppressa Societate Jesu, rediit id templum in manus Etruriæ principum, qui regio hospitio Bonifacii id adjunxerunt* (23) *et die* 26 *Martii anni* 1784 *inamovibilis parochia facta est* (24). *Incolas nunc habet ille vicus fere nongentos.*

E

o *Agitur tum consecratio facta anno* 1703 (25); *sed dum vetus staret basilica, eadem die celebrabatur ibidem festum dedicationis. Vide infra cap.* IV.

p *Videlicet anno* 1706.

q *Hujus aræ imaginem edidit Moctius* (26). *Tabula exhibetur S.* Crescii *mors. Urna sub altari continet, ut inscripta verba docent,*

SANCTORVM CHRISTI
MARTYRVM
DIVI CRESCII ET SOCIORVM OSSA.

F

Inferius inscripta sunt hæc alia verba :

COSMVS III MAGNVS DVX
ETRVRIÆ VT AMPLIORI
SPATIO COLERENTVR
ARAM HANC STRVXIT ET EXORNAVIT
ANNO CHRISTI CIↃIↃCCII.

Eadem inscriptio repetita est in duobus altaribus lateralibus, in quibus similiter reliquiæ inclusæ sunt.

r *Hac de causa sacellum ibidem excitavit Cosmus III et sequentes inscriptiones apponendas curavit* (27) :

BEATA PAMPHILA VIDVA
IN HAC
SVA OLIM DOMO

(1) Memorabilia etc, tom. I, pag. 598. — (2) Vide ibidem, loc. cit. — (3) Storia della chiesa di S. Cresci, pag. 47. — (4) Memorabilia, tom. I, pag. 595. — (5) Moctius, Storia etc. pag. 47 et 48. — (6) Rocca, de Campanis commentarius, cap. VI et XII, Thesaurus pontificiarum antiquitatum, tom. I, pag. 165, 166 et 173. — (7) Cfr Acta SS. tom. I Februarii, pag. 624, 628 et 630. — (8) Moctius, Storia della chiesa di S. Cresci, pag. 49. — (9) Ap. Lamium, Memorabilia, tom. I, pag. 641. — (10) Ibid. tom. I, pag. cit. — (11) Ibid. pag. 610. — (12) Ibid. tom. IV, pag. 171. — (13) Ibid. tom. I, pag. 618. — (14) Ibid. tom. I, pag. 617. — (15) Ibid. tom. IV, pag. 172. — (16) Ibid. tom. I, pag. 617. — (17) Ibid. pag. 616. — (18) Ibid. pag. 613. — (19) Ibid. tom IV, pag. 172. — (20) Ibid. tom. I, pag. 641 et 642. — (21) Moctius, Storia della chiesa di S. Cresci, pag. 121 et 122. — (22) Cfr Lamius, Memorabilia, tom. II, pag. 1517. — (23) Santoni, Notizie storiche delle chiese dell'arcidiocese Fiorentina, pag. 182. — (24) Ibid. loc. cit. — (25) Ibid. pag. 184. — (26) Storia della chiesa di S. Cresci, pag. 98. — (27) Ap. Moctium, pag. 131 et seqq.

AUCTORE FELICIO.

SS. CRISCVM AC SOCIOS MM.
CVM IN MVGELLANVM AGRVM
SE CONTVLISSENT HOSPITIO
EXCEPIT
IBIDEMQVE IPSIVS BEATISSIMI CRISCI
PRECIBVS
E MORTIS FAVCIBVS
CERBONIVM FILIVM RECVPERAVIT
ET CVM EO AC VNIVERSA FAMILIA
CHRISTIANAE FIDEI SACRA SVSCEPIT
PRO QVA PAVLO POST OMNES SIMVL
AD PRAEFATORVM MARTYRVM
SEPVLCHRVM
ORANTES
ET IPSI DECIANA SAEVIENTE
PERSEQVVTIONE
MARTYRII CORONAM MERVERVNT
ANNO DOM.
CCXLIX

—

AEDEM HANC
IAM SS. PAMPHILAE ET CERBONIS DOMVM
B. CRISCVS
B VETERI SVPERSTITIONE EXPURGATAM
SVO AC OMNIONIS ET EMPTII
SOCIORVM
GLORIOSO SANGVINE CONSECRAVIT
EAMDEM EXIMIO IN TANTOS
MARTYRES
PIETATIS AC RELIGIONIS STVDIO
COSMVS III
MAGNVS ETRVRIAE DVX
TEMPORIS INIVRIA COLLAPSAM
REGALI MVNIFICENTIA
E FVNDAMENTIS DENVO EXCITAVIT
AC PRIMAEVAE VENERATIONI RESTITVIT
ANNO DOM.
M.D.CCVIII

s *Hunc ambitum circumdari Cosmus III voluit et hanc apponi epigraphen* (1):

LOCVS
QVI MVRI HVIVS AMBITV CONTINETVR
OLIM
SS. PAMPHILAE ET CERBONII DOMVS FVIT
IN QVA ET IPSI
CHRISTIANIS SACRIS INITIATI
ET SS. CRESCIVS OMNION ET EMPTIVS
C MARTYRIO CORONATI SVNT
SVPER ANTIQVA
SS. CERBONIS ET PAMPHILAE
DOMVS FVNDAMENTA
COSMVS III
AD LOCI VENERABILIS CVSTODIAM
MVRVM EXCITARI IMPERAVIT
AN. SAL.
M.D.CCVIII

t *Harum omnium rerum imagines reperies apud Moctium* (2).

u *Ex Moctio* (3) *dabimus adhuc sequentia. Ante medium altare extra clathros legitur in pavimento hæc inscriptio :*

OCCVLTA VI
DECII SATELLITES
DETENTI
SACRVM D. CRESCII CAPVT
DVM LANCEA INFIXVM AD
IPSVM DEFEREBANT
IMPERATOREM
IN TYRANNIDIS EXERCITAE SPECIMEN

HIC D
DIVINITVS COACTI DEPOSVERE
HVIVS REI MEMORIAM
POSTERIS RENOVAVIT
BARTHOLOMAEVS GALILEI PLEBANVS
ANNO CIↃIↃCCII

Prope pristinum S. Crescii *sepulcrum hæc incidenda curavit Cosmus III :*

VETVSTISSIMVM
D. CRESCII MARTYRIS SEPVLCHRVM
EX ACTIS VISITATIONIS DIOECESA
NAE ALEXANDRI MARTII
MEDICES DIEBVS IV
ET V MENSIS
IVLII
ANNO CIↃIↃCXIII
SANGVINE ASPERSVM

Fossæ, qua diu clausa sunt SS. Omnionis *et* Emptii *ossa, impositus lapis marmoreus cum hac epigraphe :*

MEMORIAE SS. MARTYRVM
B. CRESCII DISCIPVLORVM OMNIONIS
ET EMPTII. HORVM CORPORA QVAE
HIC IN DIOECESANA VISITATIONE RE E
PERIT ALEXANDER MARTIUS MEDI
CES ARCH. FLOR. ANNO CIↃIↃCXIII
III NONAS IVLII
PETRVS NICOLLINVS SVCCESSOR
NE SOLI HVMESCENTIS
VITIO CORRVMPERENTVR
IN ALIVM DECENTIOREM LOCVM
TRANSFERRI CONCESSIT
ANNO CIↃIↃCXLVIII

Prope locum, in quo repertæ S. Cerbonii *et sociorum reliquiæ, hæc incisa:*

MEMORIAE SS. CERBONIS
ET SOCIORVM MARTYRVM QVORVM
SACRA CORPORA HIC PROPE VETVS RE
GENERATIONIS SACRARIVM
AB ALEXANDRO MARTIO MEDICE
ARCHIEPISCOPO FLORENTINO
INVENTA
III NONAS IVLII CIↃIↃCXLVIII

Præterea ad gradum altaris SS. Rosarii :

EDVCTIS E PROXIMA FOVEA
SACRIS CORPORIBVS SS. MARTYRVM
CERBONIS ET SOCIORVM QVAE SVPERA
VERVNT OSSIVM FRAGMENTA AB HV F
MO SVPERPOSITA PVRGATA ET
SEGREGATA EX DECRETO
MARTIO MEDICEO
ANNO CIↃIↃCXIII
HINC VBI PRIUS ASSERVABAN
TVR TRANSLATA SVNT
IN SVPPEDANEVM
HVIVS ARAE
ANNO CIↃIↃCCVI

Diploma hujus translationis edidit Moctius (4). *Demum ad valvas basilicæ præcipuas sub porticu:*

DIVO CRISCO MARTYRI
QVI ET CRESCIVS
QVI CHRISTI FIDEM IN MVGELLANVM
AGRVM INVEXIT
HIC CVM SOCIIS OMNIONE ET
EMPTIO ADIVTORIBVS
AB ANNO CCXLIX QVIESCENTI
TEMPLVM PIETAS
POSVIT

(1) Ap. Moctium, pag. 133 et 134. — (2) Ibid. pag. 135, 140 et 143. — (3) Ibid. pag. 109. — (4) Ibid. pag. 116 et seqq.

ABSCISSVM

A

ABSCISSVM EIVS CAPVT
A MILITIBVS IMPERATORI DECIO
DEFERENTIBVS
VOLVNTATE DIVINA COACTIS
HINC AVFERRI NON POTVIT
PAVIMENTVM SACRAVIT CERBONIVS
CRESCII DISCIPVLVS
CVM SOCIIS QVAMPLVRIMIS VIVIS
IN FOSSAM IBI DETRVSIS
HORVM OMNIVM OSSA AB ALEX.
MARZI-MED. ARCHIEP. FLOR.
ANNO CIↃIↃCXIII. III. NON.
IVL. INVENTA ATQVE
RECOGNITA
NVNC AVTEM A COSMO III
MAGNO ETRVRIAE DVCE
REPARATIS TEMPLI RVINIS ERECTIS
ARIS EX MARMORE
ANNO CIↃIↃCCII
MELIORI VT VIDES LVCI EXPOSITA
VENERATVRVS HOSPES
INGREDERE
MEMOR QVOD LOCVS
IN QVO STAS
TERRA SANCTA EST

B

x *Hæc forte non sunt accurata satis, licet sequenti diplomate nitantur. Moctius* (1) *scilicet edidit antiquiorem chartam, cujus hoc est initium :* In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jhesu Christi. Holodovicus gratia Dei imperator augustus, B. M. donni Lotharii filius, annos imperii ejus undecimo q. inquid nona : *annus undecimus imperii Ludovici II, filii natu maximi Lotharii II, initio ducto a die coronationis seu* 2 *Decembris anni* 850, *et indictio nona conveniunt cum anno Christi* 861. *Porro illo testamento Donatianus quidam presbyter, filius Uttonis, disponit de tribus monasteriis suis, sitis in agro Florentino : scilicet de monasterio S. Domnini, quod pater suus Septimi in plebe S. Juliani ædificarat; de monasterio sancti Petri, quod ipsemet Lecore in plebe S. Laurentii in Signa a fundamentis exstruxerat; et demum de monasterio S.* Crisci, *sito Campis in plebe S. Stephani. Quis postremum hoc ædificarit, non indicatur; sed quum Donatianus hujus esset possessor, non secus ac*

C *duorum aliorum, censendus est ipsemet ejusdem fundator aut pater ejus. Certe contrarium ostendi nequit ex charta, edita a Felicio; quum in ea immanis cubet error, in qua quippe dicatur imperator* unicus ædificator trium dictorum monasteriorum. *Vult autem Donatianus ut hæc monasteria sua maneant, donec vixerit; post mortem, nisi ante aliter statuerit, ut fiant cum omnibus possessionibus penes ecclesiam S. Petri Romæ, ea lege ut quotannis S. Petri presbyteri inde recipiant duos solidos argenteos, singulos constantes ex denariis duodecim : quodsi plura velint, aut monasterio molesti sint, aut possessiones alienent, liceat monachis monasteria sua cum annuo censu transferre ad cœnobium Nonantalanum. Fiebat autem tota hæc compositio ut exempta essent monasteria et subdita tantum ecclesiæ S. Petri Romanæ aut Nonantulanæ S. Silvestri. Quomodo autem deinde facta sint tria illa monasteria penes Guictonem seu Guidonem, Robertum et Loctarium seu Lotharium (ut ex diplomate anni* 1111 *a Felicio edito, constat) me latet, nisi quod ipsi affirmant ea concessa fuisse suis progenitoribus a nescio quo imperatore. Anno tamen* 1198 *Innocentius Papa III censebat adhuc S. Domnini ecclesiam sub protectione S. Petri et sua* (2). *Nunc ecclesia parochialis est, suffraganea S. Stephani in Campis, prioratus nomen retinens, et ab anno* 1795 *parochum habens inamovibilem. Colitur ibidem ante hominum memoriam imago B. M. V. de Bono Consilio* (3).

AUCTORE FELICIO.

z *Jam supra, annotato* g, *animadvertimus ecclesiam S.* Crescii *in Maciolis seu Maciola, quinto lapide a Florentia ad viam Bononiensem, appellari quoque in Albino, in Albio, in Alpibus et in Carza* (4) *et ad eam pertinere diploma quod Felicius num.* 9 *ad ecclesiam S.* Crescii *in Vallecava retulit et quo constat parochiam hanc ante medium sæculum* x *jam exstitisse. Plura qui volet adeat indicem ecclesiarum, subjectum tertio tomo Memorabilium ecclesiæ Florentinæ et Repetti Dictionarium geographicum, physicum et historicum Thusciæ, v°* Macioli *seu* Macciuoli. E

aa *Turris ætas deprehendi potest ex sequenti titulo, parieti inserto :* ANNO. DOMINI. MCCLXXIX. IND. II. MENSE. SEPTEMBRIS. TEMPORE. AMBROSII. PLEBANI. FECIT. FIERI. HOC. NOLARIVM. CVM. OMNIBVS. SVIS. CAMPANIS. *Ipsum vero præsens templum partim ædificatum est circa medium sæculum* XV (5).

bb *Quoniam Felicius non novit varia hujus plebis nomina, hinc factum est ut de ea instrumenta non repererit antiquiora sæculo* XV. *Qui hæc volet adeat Moctium* (6) *et Lamium* (7).

cc *Arloctus ille plebanus celeberrimus apud Thuscos est facetiis suis; vir cæterum valde laudabilis. Breve ejus encomium seu vitam scripsit Lamius* (8). *In libello, quo ejus facetiæ continentur, indicatur bis olim singulis annis in templo de Maciolis S.* Crescii *festum celebratum fuisse* (9).

dd *Mons Ficalles etiam dictus est* Novulæ, *ut pluribus locis post Moctium ostendit Lamius* (10). *Hinc B. Paschalis Papa II, confirmans anno* 1103 *episcopo Fæsulano omnes ecclesias suas et castella, recenset inter ea* plebem S. Crescii sitam in Novole (11). *Multa alia referunt Moctius* (12) *et Lamius* (13). F

ee *Julius Caccia id pium pignus acceperat a Francisco Barontini, plebano S.* Crescii *in Vallecava; neque pars brachii templo S.* Crescii *in Monte Ficalle data est, sed, ut in instrumento legitur,* reliquia sancti Crescii martyris, nempe pars ossis tibiæ ejusdem Sancti (14).

(1) Storia della chiesa di S. Cresci, pag. 139 et seqq. — (2) Ex Ammirato, de Gentibus nobilibus Florentinis, ap. Lamium, tom. I, pag. 603. — (3) Santoni, Notizie storiche dell' arcidiocese Fiorentina, pag. 383. — (4) Cfr Lamius, Memorabilia, tom. I, pag. 397 et 398. — (5) Moctius, Storia della chiesa di S. Cresci, pag. 149 et Repetti, Dizionario della Toscana, v°, *Macioli*. — (6) Storia della chiesa di S. Cresci, pag. 147 et seqq. — (7) Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, tom. I, pag. 225. et seqq. — (8) Ibid. pag. 227. — (9) Ibid. pag. cit. — (10) Ibid. pag. 598, not. *a*. — (11) Moctius, Storia della chiesa di S. Cresci, pag. 151. — (12) Ibid. pag. 151 et seqq. — (13) Memorabilia, tom. I, pag. 398 et alibi passim. — (14) Moctius, pag. 157.

CAPUT IV.

AUCTORE FELICIO.

CAPUT IV.

Visitationes ecclesiæ SS. Crescii et sociorum Valliscavæ, et reliquiarum eorumdem inventiones et translationes.

Reliquiarum visitationes anni 1568,

Omissis antiquioribus visitationibus, quas Florentini archiepiscopi in ecclesia sancti Crescii Valliscavæ instituerunt, prima occurrit visitatio archiepiscopi Antonii Altoviti anni 1568, cujus hæc referuntur verba in libro Visitat. pag. 125. « Adest in dicta plebe caput « S. Crescii martyris, quod retinetur decen- « ter in tabernaculo ad dexteram altaris bene « clauso; et nedum populi vicini, sed etiam « ex longinquis regionibus maxima cum de- « votione confluunt ad dictam plebem, et « quotidie multa miracula videntur, ac præ- « sertim in oppressis a nequissimis spiriti- « bus; et sub altare majori sunt recondita B « corpora SS. Crescii et sociorum. »

1590. 27 In eodem libro pag. 360 refertur altera visitatio ejusdem ecclesiæ S. Crescii Valliscavæ, facta anno 1590 per archiepiscopum Alexandrum Medices, qui deinde sacra purpura insignitus, ac demum ad pontificatus apicem evectus fuit, Leonis XI nomine; in qua hæc habentur : « In tabernaculo lapideo « a dextris altaris majoris reconditur reliquia « capitis S. Crescii M., quæ prima dominica « mensis Augusti, quæ est dies consecrationis « dictæ plebis, et die 24 Octobris exponitur « super altare majus, et ad eam frequens « concursus populorum accedit, et magna « devotione veneratur, et decentissime reti- « netur in dicto tabernaculo sub duabus tutis « clavibus. »

et 1613. 28 Ex alio libro Visitationum pag. 80 habetur infrascripta visitatio archiepiscopi Alexandri Marzi-Medices, qui sacra nostrorum martyrum corpora invenit anno 1613. « Illu- « strissimus et reverendiss. D. Alexander « Martius-Medices archiepiscopus Florenti- C « nus, die 3 mensis Julii 1613 visitationem « jam pridem incœptam volens prosequi etc. « eodem die supradicto ad parochialem eccle- « siam, plebaniam nuncupatam, S. Crescii « de Valcava in agro Mugellano Florentinæ « diœcesis pervenit etc. Vidit in tabernaculo « lapideo a dextris altaris majoris reconditam « reliquiam, caput S. Crescii martyris, ut « asserunt, quæ reliquia quotannis populo « ostenditur prima dominica Augusti, in qua « celebratur festum consecrationis dictæ ple- « bis, et ostenditur etiam die 24 Octobris, et « tenetur in magna veneratione, et sub dua- « bus clavibus includitur etc.

Ut ex instrumentis declaratur, 29 « Die vero 4 ejusdem mensis constitu- « tus R. D. Matthæus plebanus exposuit, « quemadmodum ab hominibus populi dictæ « plebis S. Crescii Valliscavæ, et aliarum « ecclesiarum non solum dictæ plebis, sed « totius Mugelli creditur, et pro certo habe- « tur, et in omnibus his locis et inter pleros- « que homines fuit et est publica vox et fama, « quod in hac ecclesia S. Crescii Valliscavæ « sepulta fuerint, et ad præsens reperiantur « sacra corpora SS. MM. Crescii, Cerbonii et D « sociorum; quod pariter asseruerunt plu- « rimi antiqui scriptores etc. et exinde ob « sanctorum corporum reverentiam nullus « unquam ausus fuit, nec in præsens audet « in dicta ecclesia mortuos sepelire, ut mos « est in aliis ecclesiis Mugellanæ regionis « sepeliendi; sed defunctorum corpora in « communi cœmeterio reconduntur. Item ex- « posuit, ob hanc inveteratam opinionem ac « fidem, quod scilicet dicta sacra corpora in « dicta ecclesia sepulta jaceant, ab immemo- « rabili tempore singulis annis die primæ « dominicæ Augusti, concurrere solitos ad « dictam plebem non solum homines ipsius « plebis, sed omnium locorum Mugelli, et « extraneos quoque, et præsertim comitatus « et civitatis Faventiæ, qui devotionis spiritu « ducti veniunt, ut dictos sanctos martyres, « eorumque reliquias venerentur, et ut sese « in eorum necessitatibus patrocinio ipsorum « apud Deum commendent etc.

et sociorum reliquiæ effodiuntur, 30 « Et illustriss. dominus, auditis etc. « vocato et secum adhibito magnifico Franci- « sco Philippi de Zetis perito cæmentario « dicti populi dictæ plebis, et præsentibus etc. « visitavit, inspexit et diligenter consideravit « loca omnia et singula, et mandavit D. Mat- « thæo præsenti, ut effodi faciat terram, et « diligenter inquiri, et inspici curet in lo- « cis etc., in quibus posita esse credit cor- « pora et reliquias prædictas etc. Quibus « peractis, etc. incontinenti dictus rever. « Matthæus plebanus fecit per dictum Fran- « ciscum Zetum cæmentarium, aliosque ope- « rarios rusticos et ex populo dictæ plebis « effodi pavimentum, et terram extrahi ante « altare majus; et quum penetrassent sub « dicto altari, invenerunt sepulturam fabri- « catam ex lapidibus, undique sculptam, cu- « jus os tegitur ab alio lapide ejusdem longi- « tudinis et latitudinis, ac lapis qui inservit « pro mensa dicti altaris; super quem lapi- « dem positum est supradictum altare; di- « ctamque sepulturam invenerunt ubique re- « fertam terra uda ac cœnosa, ex aqua nempe, « quæ illuc dimanaverat a parte apsidis ipsius « ecclesiæ; et egesta dicta terra, factaque in F « ea diligenti perquisitione, reperta fuere « infrascripta ossa corporis humani, ut infra « habentur, descripta a M. Benedicto Ulivi, « medico physico burgi S. Laurentii, ibi « præsentis, videlicet : major pars unius ossis « femoris, pars alterius ossis femoris, pars « ossis unius ex tibiis, major pars unius ossis « femoris, pars ossium minorum amborum « brachiorum, vertebra una integra, pars « ossis spinæ, pars ossis sacri, altera pars « ossis sacri, pars trocantide majoris unius, « frustum aliud ejusdem ossis sacri, pars « spathulæ, altera pars spathulæ, pars ossis « majoris tibiæ, alia pars ejusdem ossis, pars « ulnæ minoris, aliud frustum ejusdem ossis, « pars unius digiti, quamplurima frustula, « seu fragmenta costarum, et tibiarum femo- « ris. Inventa sunt quoque dictæ terræ im- « mixta nonnulla aurea fila *a*, atque insuper *a* « pala anuli *b* ex ære inaurato, cui illigatus *b* « erat cæruleus lapis, absque tamen anulo. « Aderant et sex parvi nummi *c*, argentei *c* « quinque, et æreus alter.

31 Post

quæ in variis

31 « Post hæc confestim dictus Matthæus « plebanus jussit per dictum Zetum cæmenta- « rium aliosque operarios extrahi lapidem, « suppositum gradibus, per quos ascenditur « ad altare majus, S. Crescii appellatum, sub « quo lapide apparuit tumulus, lateribus ob- « structus, limosa terra refertus, quem intro- « gressus dictus Philippus cæmentarius, ter- « ramque udam undequaque educens, detexit « ossa duorum corporum integrorum, quæ « cum capitibus jacebant, sibi ad invicem « contigua, uno tantum erecto latere inter- « posito.

templi partibus

32 « Die vero sequenti 5 dicti mensis Julii « dictus Matthæus plebanus petiit prosequi « inquisitionem reliquiarum S. Cerbonii, et « sociorum etc., et illustrissimus dominus « mandavit etc. Et confestim dictus plebanus « jussit effodi pavimentum ecclesiæ circa sa- « crum baptismi fontem juxta majorem ec- « clesiæ januam a dextro latere, et quum fovea « educta esset longitudinis decem ulnarum « circiter, reperta ibi fuere octo humana ca- « pita, alia integra, alia in frusta redacta ; B « atque insuper magna ossium copia, ad « plura corpora pertinentium, quæ permix- « tim tumulata videbantur. Quibus peractis, « dictus plebanus, gratias agens Deo, quod « non fuerit fraudatus e desiderio, quod jam « pridem habuit, inveniendi, prout absque « alio dubio sibi videtur, et aliis præsentibus « videri credit, inventas fuisse sacras reliquias « omnium prædictorum SS. Martyrum, nempe « reliquias corporis S. Crescii in sepulcro « existente sub altare majori dictæ ecclesiæ ; « illas vero Omnionis et Emptii, sociorum « dicti B. Crescii, in sepulcro existente penes « et subtus gradus, per quos ascenditur eundo « ad dictum altare majus ; illas vero B. Cer- « bonii et sociorum ejus in fovea circa et sub- « tus fontem baptismalem, et propterea di- « xit aliam inquisitionem non desiderare.

humatæ jacebant.

33 « Et Illustrissimus D. mandavit, quate- « nus omnes eas reliquias purget a limo ter- « ræ, et illas, quæ repertæ fuerunt in sepul- « cro sub altare S. Crescii, claudat in capsula, « plumbeis laminis fabricata, et ipsam ca- C « psulam plumbeam cum intro clausis reliquiis « collocet et reponat in ipsomet lapide, a quo « sustinetur mensa lapidea ejusdem altaris « S. Crescii. Illas vero reliquias, quæ reper- « tæ fuerunt in sepulcro posito secus gradus, « per quos ascenditur ad altare majus, clau- « sas in capsa lignea, laminis plumbeis ful- « cita, reponat eodem in loco, ubi repertæ « fuerunt etc. Reliquias vero, quæ repertæ « fuerunt in fovea, sub et circa fontem bapti- « smalem, clausas in simili capsa lignea, « plumbeis laminis fulcita, collocet et repo- « nat juxta dictum fontem etc.

Visititationes, anno 1636

34 Sequitur alia visitatio Petri Niccolini archiepiscopi anni 1636, ut ex libro Visit. pag. 293, ubi hæc habentur: « Sub altaris « majoris mensa corpus S. Crescii martyris « in plumbea capsa, serico vestita, conserva- « tur, et ante dicti altaris gradus sunt recun- « dita corpora SS. Omnionis et Emptii MM. « in capsa lignea, laminis plumbeis munita ; « et juxta fontem baptismalem sunt recondita « corpora SS. Cerbonii et sociorum MM. in « capsa lignea plumbata ; quæ reliquiæ re- « pertæ et collocatæ fuerunt præsente illu- « striss. et reverendiss. D. Alexandro Marzi- « Medice archiepiscopo Florentino, prædeces- « sore die 4 et 5 Julii 1613, prout in visitatione « facta ab ipso in actis dictæ visitatio- « nis, existentibus in archivo archiepiscopali « Florentino. Et quia capsa prope fontem ba- « ptismalem, in qua sunt reliquiæ SS. Cer- « bonis et sociorum MM., propter humiditatem « est fracta et consumpta ; illustrissimus « dominus eam quamprimum reaptari, et la- « teres calce muniri mandavit, et de prædi- « ctis fidem faciat infra quindecim dies sub « pœna scutorum quatuor. A dextris dicti « majoris altaris, in tabernaculo lapideo re- « conditur reliquia capitis S. Crescii M. clausa « in capite formato, ut dicitur, di cartone e « gesso ; quæ reliquia dominica prima men- « sis Augusti, quæ est dies consecrationis « dictæ plebis, et die 24 Octobris, in qua fit « festum S. Crescii, super altare majus expo- « nitur, et ad illud frequens populorum con- « cursus magna cum devotione confluit, et in « dicto tabernaculo conservatur cum duabus « clavibus, a dicto plebano retentis. E

et 1659

35 Anno vero 1659 reperitur alia visitatio, facta per Philippum Soldani, archipresbyterum, et Gherardum Gherardi, canonicum ecclesiæ metropolitanæ Florentinæ, visitatores electos a Francisco Nerlio, tunc archiepiscopo Florentino, ubi legitur: « A dextris altaris « majoris in tabernaculo lapideo, quod clau- « ditur duabus clavibus, conservatur reliquia « capitis S. Crescii martyris etc. ut asseritur in præterita visitatione archiepiscopi Nicco- lini. « Corpora SS. Omnionis et Emptii, quæ « in præterita visitatione fuit assertum esse « recondita ante altaris majoris gradus, pro- « pter soli humiditatem a moderno D. Ple- « bano fuerunt remota a dicto loco, cum li- « centia fel. record. archiepiscopi Niccolini, ut « apparet ex ejus rescripto etc. et hodie ad- « servantur sub clavi, a D. Plebano retenta « in armario prope januam ecclesiæ ab in- « gressu in duabus capsis ex ligno, serico « intus vestitis, ex quarum una cum vitris, ut « populus possit venerari et deosculari.

factæ.

36 « Corpora vero SS. Cerbonis et soc. « MM. ex licentia, tributa ab eodem illustris- « simo antistite, contenta in eodem rescri- « pto, fuerunt amota a loco, in quo primum « adservabantur, distributa per plures capsas, « quarum una, quæ est major, adservatur sub « altari majori propter defectum alterius loci « decentis, quæ tamen capsa, quum a parte « inferiori non sit serico induta, dominus « monuit D. Plebanum præsentem, ut eam « infra mensem vestiat sub pœna unius au- « rei. Aliæ vero capsæ sunt numero quatuor, « et octo aliæ redactæ ad formas varias reli- « quiariorum, in quibus quum deficiat seri- « cum vestimentum a parte interiori, debet « pariter infra dictum tempus sub eadem « pœna apponere.

AUCTORE FELICIO.

ANNOTATA.

a *Aurea fila inter ossa S.* Crescii *martyris inventa fuisse, mirum non est, quum antiquitus christianorum corpora una cum vestibus aliisque ornamentis aureis reconderentur, ut abunde*

AUCTORE FELICIO.

probat Henricus Spondanus in tract. de Cœmeter. Sacr. lib. I. *par.* 3. *cap.* 4. *num.* 5, *atque inter cætera refert ex schedis Nicolai Viterbiensis, ejusque Diariis Romanis MSS., anno* 1458 *Romæ in basilica S. Petri repertam arcam marmoream candidissimam, continentem in se duas capsas cupressinas, utramque laminis argenteis coopertam, signoque crucis munitam, ut christiani fuisse intelligerentur; ibique unum, atque alterum cadaver inventum, utrumque vestibus aureis indutum; laminas argenteas fuisse pondo lib.* 832 *argenti depurati; ex vestimentis conflatis superfuisse libras* 16 *auri purissimi. Alterum idem scriptor ex Marliano, Lucio Fauno et aliis exemplum recitat de Maria Augusta uxore Honorii imperatoris, cujus corpus in eadem basilica S. Petri sub Paullo III repertum est in marmorea arca cum veste et pallio, quibus tantum auri intextum fuerat, ut ex iis combustis auri pondo circiter* 40 *collecta; præter vascula multa ex crystallo et achate, aureos anulos, variis gemmis ornatos, inaures, monilia, gemmas, aliasque res*
B *preciosas. Et Baronius ex Maffejo Vegio, Vaticanæ basilicæ canonico, sub anno Christi* 395 *testatur, in monumento clarissimorum ac piissimorum conjugum Romanorum Probi et Probæ, una cum eorum ossibus inventam fuisse auri copiam ex aureis vestibus aliisque sepulcralibus ornamentis; et apud Eusebium histor. lib.* 7, *cap.* 14, *constat Asterium, senatorem Romanum, Marini centurionis, simul atque martyrium pro fide Christi apud Cæsaream Palæstinæ subiisset, corpus tollentem, splendida et preciosa obtexisse veste, atque propriis humeris deportasse, ac magnifico et sumptuoso linteo involutum decenti sepulcro condidisse. Sigebertus etiam in Chron. sub anno* 821 *notat, a Paschale I pont. inventum corpus S. Cæciliævirginis aureis velatum indumentis. Hæc Felicius.*

b *Annotat Felicius: Anuli in christianorum et martyrum sepulcris condi olim solebant, quos Bosius in Roma subterr. se multoties reperisse, et Baronius quoque apud Priscillæ cœmeterium se vidisse testantur; imo Paullus Aringhius in Rom. subter. lib.* 6, *c.* 50, *iconem exhibet anuli, ex cœmeterio B. Agnetis Via Nomentana eruti.*
C *Idem probatur ex nuper allato exemplo Mariæ uxoris Honorii imperatoris apud Spondanum. Quem usum proximioribus etiam sæculis servatum habes, teste inter alios Lilio Gregorio Gyraldo in lib. de sepulcris et vario sepeliendi ritu; qui asserit in urbis direptione se vidisse Julii II pontificis sepulcrum effossum, ex quo inter cetera cæsariani milites anulum sustulerunt, in cujus pala sapphirus erat ingentis precii, quem Augustinus Trivultius cardinalis multis aureis redemit. Ex hoc etiam S.* Crescii *nobilitas probatur, quem claro ortum genere ex Germania scriptores affirmant. Anulus enim nobilitatis insigne fuit, ut ex Pierio hieroglyph. lib.* 41, *et Hopping. de jure sigillorum c.* 146 *tradit Aringh. loco cit.*

c. *Hæc iterum Felicius: Si numismata inter S.* Crescii *ossa reperta adhuc exstarent, ex iis fortasse ejus obitus tempus altero hoc monumento certius comprobaretur. Fideles enim in tumulandis SS. martyrum exuviis, imperatoris quoque, sub quo martyrio iidem coronati fuerant, juxta illos numismata studiose reponere* D *consueverant, ut docet nuper citatus Paullus Aringhius lib.* 3, *cap.* 22, *et lib.* 6, *cap.* 23; *qui exemplum addit S. Caii, papæ et martyris, in cujus sepulcro tria Diocletiani, sub quo martyr fuit, numismata inventa; et Marii Januariani pariter martyris, intra cujus cœmeterialem tumulum, æneum quoddam Juliæ Augustæ, quæ Severi imperatoris conjux fuit, numisma, egregio quidem artis opere exsculptum, latebat. Hactenus Felicius. Sed animadvertendum est S. Caji papæ tumuli detectionem insignem fuisse optimorum virorum deceptionem; quemadmodum ad diem* 21 *Octobris in Commentario prævio ad Acta S. Ursulæ, num.* 53 *et seqq. satis superque ostendimus. Neque ego putem numismata, in sepulcris reperta, certum esse temporis indicium. In annotato superiori iterum suggessit Felicius S.* Crescium *domo Germanum fuisse; sed jam alibi indicavimus id assertum niti monumentis plane infirmis. In superiori capite mentio jam facta est reliquiarum quæ in ecclesiis S.* Crescii *ad Campos et Montis Fecallæ adservantur. Quibus adde in templo S. Marci* E *Florentino, ut Ludovicus Antonius Gianbonius in suo Diario sacro ad* 24 *Octobris testis est, custodiri partes capitum sanctorum* Crescii, Omnionis *et* Emtii *et alia eorumdem sanctorum pignora pie coli in templo arcis Lutiani in Mucillo, ut Brochius pag.* XXXIII *Descriptionis Mucilli indicat* (1).

CAPUT V.

Officium et Missa antiqua SS. Crescii et sociorum martyrum.

In sancti Crisci martyris a. a

LECTIO I. Temporibus Decii imperatoris, quum sævissima persequutio contra Christi famulos indicta ubique fere terrarum desæviret, et cælestis regis milites per diversa tormenta ad coronam martyrii properarent: beatus Criscus, ardore martyrii jam vehemen- F ter incensus, Florentiam veniens, dum pervenisset in sylvam, quæ dicitur Elysboch, a militibus ipsius Decii imperatoris, qui tunc Florentiæ aderant, cum beato Miniate et quibusdam aliis captus, ad civitatem ipsam adductus est. Cumque nunciatum fuisset imperatori de captivitate et adventu eorum, non modicum gavisus, suis eos aspectibus adstare præcepit. Quorum nomina, religionem percunctatus, dum fortes in fide christiana eos cognovisset, diversis suppliciis in imam carceris custodiam eos separatim detrudi præcepit, ne saltem mutuis consolationibus, alterno sermone invicem propositis aliquo modo sublevarentur. Angebatur etenim perfidus imperator, quod christianæ fidei assertores beatissimi martyres, Christum Dominum creatorem omnium confitentes, eum regem regum, et dominum angelorum, quem cæli venerantur, mundus adorat, infernus contremiscit, ipsi clara et aperta voce prædicabant, et dice- *Officii S.* Crescii *et sociorum lectio* I,

(1) Cfr Lamius, Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, tom. I, pag. 608.

bant :

A bant : Unus est Deus Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, quem sancti martyres imitati, minas judicum, et tormenta carnificum et omnia diaboli tentamenta pro nihilo computantes, ad æternæ vitæ beatitudinem per martyrii coronam pertingere festinaverunt.

lectio II, 38 Lectio II. Ex quibus athleta Christi jam dictus beatissimus Criscus, minis atque tormentis Decii crudelissimi imperatoris vilipensis, dum in carcere teneretur, lætus et gaudens laudes referebat altissimo, quod pro nomine ejus contumeliam pateretur. Carceris autem præpositus erat quidam homo nomine

* Omnion Omion *, nobilis et acceptus Decio imperatori, qui etiam filiam habebat lunaticam, quam iniquus atque violentus possessor quotidie miserabili vexatione laniabat atrociter, maxime postquam martyr Christi beatissimus Criscus adductus fuerat. Hæc dum ita fierent, media nocte facta, quum vigiles obdormissent, lux immensa, tenebris longe repulsis, tetro in carcere refulsit : et gloriosus miles catenarum vinculis absolutus et angelicis obse-

B quiis confortatus, libero incedens pede psalmum, et hymnum Deo decantabat. Evigilantes autem custodes, quum tantam luminis claritatem tenebroso in carcere conspexissent, non modico terrore percussi in fugam conversi sunt. Dæmon quoque per os puellæ sese ardere seque tormenta intolerabilia pati, terribili voce clamare cœpit, dicens : Quid mihi et tibi est, o Crisce ? cur ante tempus perdere me festinas ? Adjuro te per ipsum, quem colis, ne hinc me expellas, et ne hanc mihi tantam injuriam facias.

lectio III, 39 Lectio III. Tunc Omion, videns tanta Domini mirabilia circa beatum Criscum celebrata, cucurrit ad carcerem, et ad pedes beatissimi martyris provolutus, ut suorum criminum veniam mereretur, orare cœpit. Deprecabatur etiam ut sanitatem filiæ suæ restitueret et dæmonem a visceribus ejus excluderet. Beatus vero Criscus, sereno, ut erat, vultu, in eum respiciens, ait : Si credideris Dominum Jesum Christum factorem atque reparatorem omnium esse, et filiæ tuæ sanitatem, inimico effugato, invenies, et omnium pecca-

C torum tuorum, pro quibus nunc sollicitus es, indulgentiam consequeris. Tunc Omion, prostratus ante pedes ejus, aperta voce dicere cœpit : Credo Dominum Jesum verum Deum esse, et idola muta et surda, quæ nec sibi nec aliis prodesse possunt, pro nihilo ducens, respuo : Deum autem christianorum, qui in cælis manens, te famulum suum sic glorificavit, adorans, veniam de peccatis meis expostulo. Peccavi enim multum in te et in Deum tuum, quia errore persequutus sum sanctos ipsius, et in morte eorum consentiens fui ; sed deprecor te, sancte Dei, quatenus misertus filiæ meæ ad gratiam Dei tui nos facias pervenire, inimico humani generis a corde ipsius expulso. Beatus autem Criscus, gavisus de fide ejus et gratias agens Deo, elevavit eum, et prostratus in oratione, ut Dominus sancti nominis sui virtutem circa puellam ostendere dignaretur et dæmonem ab ea expelleret, deprecabatur.

lectio IV, 40 Lectio IV. Cumque complesset orationem, conversus ad puellam dixit : O dæmon spurcissime, qui hanc puellam ingressus, imaginem Dei usurpando arripere ausus es, in nomine Domini Jesu Christi, quem colo, præcipio tibi, ut exeas ab ea et ulterius ad eam non ingrediaris, quatenus ab idolorum sordibus emundata, creatorem suum, qui in cælis est, agnoscere et Sancti Spiritus dignum habitaculum fieri mereatur. Tunc dæmon, emissa terribili voce, cum ingenti furore abscessit. Sanctus Domini autem, manum puellæ tenens, benedixit eam, et sanam reddidit patri suo. Tunc Omion, gratias Deo et beato martyri suo Crisco agens, cœpit detestari eos, qui non crederent Domino Jesu Christo. Credidit autem cum uxore et filia, et omni domo sua, et dato nomine suo, pariter cum eis baptizatus est. Instructus tamen primitus est a B. Crisco ex omnibus, quæ ad christianam religionem et fidem catholicam pertinent, videlicet qualiter sanctam et ineffabilem Deitatis trinitatem in unitate, et unitatem in trinitate colendo venerari, et venerando adorare debuisset. His peractis, dum persequutio adversum christianæ fidei cultores indicta crudelissimis jussionibus sævissimi imperatoris E quotidie magis ac magis ingravesceret et christianæ religionis cultores per domos et latebras subtiliori examine disquirerentur, ignis et aqua interdiceretur his, qui non incenderent thura idolis in triviis et spectaculis ordinatis.

AUCTORE FELICIO.

lectio V, 41 Lectio V. Videntes fideles, qui cum Beato Crisco erant, sese in arcto positos, neque in ea civitate jamdiu latere posse, quoniam mulieres quædam et infantes promiscui sexus erant inter eos, quos fragilitate sexus et ætatis asperitas martyrii deterrere poterat, consilio communicato, competens visum est eis, ut pro necessitate temporis ac rerum ad alia loca transitum facerent. Quo audito, beatus Criscus iter cepit versus civitatem Faventiæ, et perveniens ad locum, qui dicitur Collis, suscepit hospitium in domo cujusdam mulieris viduæ, quæ vocabatur Pamphyla, cujus filius infirmabatur ad mortem, et data pace et colloquiis divinis expletis, prædictum filium a morte et ab infirmitate liberavit et baptizavit eum, et Cerbonius vocatus est, nam antea Serapion vocabatur ; ex quo multi F crediderunt et baptizati sunt. Et dum hæc agerentur, et vir Domini B. Criscus, ut animas, quas Deo acquisierat, confirmaret, eodem loco moraretur, relatum est imperatori, quod Omion, quem ipse amplissima dignitate decoraverat, relictis Diis per beatum Criscum Christo credidisset et christianis adjunctus esset. Quapropter princeps, nimio furore succensus, potestate tradita, missis militibus præcepit, ut ubicumque inventus fuisset B. Criscus cum christicolis suis, aut thura et victimas immolarent, aut diversis pœnis interficerentur.

lectio VI, 42 Lectio VI. Tunc milites perficientes jussa sui imperatoris, pervenerunt ad locum, ubi sancti Dei in orationibus et vigiliis perseverabant. Cognoscens autem beatus Criscus militum adventum : Surgamus, inquit, fratres, quia ecce Dominus noster Jesus Christus ad coronam martyrii nos invitat, et advocans beatum Cerbonem, monuit eum, ut secederet et daret locum persequutioni, et ut ecclesiam, quam sibi Dominus commiserat, ipse post ejus

AUCTORE FELICIO.

ejus obitum confirmando geminaret. Denique, quum, ceteris semotis, ipse ut robustus cælestis imperatoris miles jam ad sæpe optatum desiderans pervenire certamen, cum duobus aliis discipulis Omione et beato Emptio, qui cum eo fuit ab initio conversionis, a militibus se requirentibus non celavit. Milites vero accedentes comprehenderunt eum et eos, qui cum eo erant, improperantes ei in hunc modum : Tu es sacrilegus ille Criscus, qui Deorum nostrorum culturam evacuas, et cujusdam Jesu Nazareni superstitiosam et vanam doces sectam ? Per salutem imperatoris, nisi sacrificaveris diis immortalibus, et eos, qui per te decepti sunt, ad deorum culturam revocaveris, diversis pœnis te interficiemus. Deinde ligantes eum gravissimis catenis et eos, qui cum ipso erant, perduxerunt ad quoddam fanum, quia ibi erat proximum, in quo erant diversæ idolorum imagines. Et introducentes eos in templum, cœperunt compellere eos ad sacrificia idolorum, et vocantes B. Omionem, affabiliter cum admonere cœperunt, ut ab errore noviter suscepto recederet, B et diis immortalibus libamina perferendo, ab eorum ira secederet, et Decii imperatoris amorem sibi reconciliaret, ut, pristina dignitate recepta, pristino cum honore ad imperatoris palatium remearet.

lectio VII, 43 LECTIO VII. At beatus vir nullo modo blandimentis eorum seducitur, et neque precibus, neque ullis promissionibus flectitur, sed in fide, quam acceperat, constanti animo perseverans respondit : Jam se satis terreno militasse imperatori, et in ejus palatio jam sufficientibus honoribus atque divitiis abundasse; at modo cælesti se velle militare imperatori, ut ad ejus gratiam pervenire et in ejus palatium æternaliter consistere mereretur; christianum se esse, nec ad injuriam veri Dei surdis atque mutis lapidibus deinceps cervices suas inclinare posse protestabatur. At illi multo magis irati, et verbis et dentibus super eum frementes, expoliaverunt eum, et virgis diutissime eum flagellaverunt, dicentes magnam dementiam esse bona temporalia spontanee pariter cum ipsa vita perdere, C atque voluntarie morti occurrere, præsertim quum in deliciis et honore posset ætatem suam peragere. Beatus vero Omion, acceptis opprobriis et tormentis alacrior factus, cœpit acerrime increpare eos, tormenta, quantumlibet asperiora, pro Christo se magis amplecti, quam timere; confirmans promissa, atque blanditias pro nihilo ducere, sed ad omnes cruciatus sese pro Christi nomine paratum esse declamans, illorum amentiam atque perfidiam se multo magis dolere, quos æternus expectaret interitus et tormenta non deficientia, diabolo et angelis ejus præparata, cum quibus omnes stulti et insani, idola adorantes, æterno cremantur incendio.

lectio VIII, 44 LECTIO VIII. Quum et hæc, et plura alia audacter contra eos fortissimus Dei athleta emitteret, videntes milites eum in fide christiana firmissimum esse, et a proposito accepto fidei dimoveri non posse, fecerunt sibi præsentari etiam beatum Criscum, ut quod per se non poterant, saltem per eum reficerent. Cui dixerunt : Sacrifica diis, et revoca ab errore, quos præstigiis tuis a deorum cultura separasti; quod si nolueris, diversis tor- D mentis te macerantes afficiemus. Beatus vero Criscus desiderans illos ad fidem Christi converti, benigne eos alloquitur dicens : Melius est ergo et magis rationi congruum, ut vos, idolorum errore relicto, ad Deum, qui vos fecit, convertamini, ut tormenta, quæ infidelibus in æterna confusione parata sunt, evadere valeatis. Tunc ajunt milites : In proximo est namque, ut et tu, et socii tui, gravissimis pœnis atque tormentis, quæ sacrilegis et maleficis legibus parata sunt, attrectati, male dispereatis. Tunc fortissimus athleta Dei beatus Criscus, intelligens eos in propria malitia induratos esse, nec sermonum salubrium exhortationem aure mentis percipere, confidenti animo ait illis : Notum sit, quia nos christiani nec deos vestros, quos colitis, adoramus, neque sacrificiorum libamina eis exhibebimus; jam enim sæpe dixi vobis, quia deorum simulacra manu et arte hominum fabricata sunt.

lectio IX. 45 LECTIO IX. Ista vero tormenta, quæ vos nobis minamini, transitoria sunt, et brevi certamine gloriam et æternam vitam nobis promittunt. Unde quicquid gravius visum fuerit, E exercete, quia parati sumus omnia tormenta pro Christi confessione sustinere. Similiter et ceteri sancti protestari cœperunt. Tunc milites contundentes ora eorum jusserunt eos expoliari et fustibus gravioribus cædi. Cumque diutissime cæderentur, beatus Omion in confessione Domini perseverans, reddidit spiritum. Similiter et venerabilis Emptius, dum gravissimas toto corpore fustium percussiones exciperet, gratias agens Deo, quod inter ejus confessores adnumerari meruerit, beatam in cælo reddidit animam. Quo facto unus ex militibus accedens ad B. Criscum, immobiliter in Dei laudibus permanentem, gladio eum percussit, et caput ejus amputavit, et aspersum est sanguine ipsius pavimentum, et permanent ibi signa cruoris sanctorum martyrum , ad gloriam atque virtutem nominis Domini et sanctorum martyrum usque in hodiernam diem. Signa quoque plurima et virtutes innumerabiles precibus sanctorum martyrum ibidem celebrantur : quod Dominus noster Jesus Christus facere dignatur ad lau- F dem atque exaltationis * nominis sui, qui * exaltationem cum Patre et Spiritu Sancto vivit et glorificatur Deus in trinitate perfecta per cuncta sæcula sæculorum. Passus est autem beatissimus confessor Domini Criscus cum duobus sociis suis in loco, qui dicitur Colle, IX Kalendas Novembris , regnante Domino nostro Jesu Christo, pro cujus amore terrena despicientes, cælestia suscipere meruerunt. Tu autem Domine etc.

In I Vesperis antiphonæ b 46 IN FESTO S. CRISCI MARTYRIS *b* IN PRIMIS VESPERIS. ANT. Beatus Criscus, ardore martyrii suscensus *, Florentia * veniens, a militibus Decii tiranni captus est cum sotiis suis. PSAL. Dixit Domin. ANT. Cunque nuntiatum fuisset imperatori de captione eorum, non modicum gravisus, suis aspectibus istari * precepit. PSAL. Confitebor. ANT. Quorum nomina et religione * percuntatus, dum fortes * Christi eos cognovisset, diversis penis maceratos in ima carceris illos detrudi precepit. PSAL. Beatus Vir. ANT. Separatim eos * precepit, ne saltim mutuis consolationibus alterno sermone invicem

* succensus
* Florentiam
* adstare
* religionem
* (in fide)
* (detrudi)

A cem propositis aliquo modo sublevarentur. PSAL. Laudate pueri. ANT. Agebatur * perfidus tyrannus, quod christiane fidei assertores beatissimi martyres Jesum Christum dominum creatorem omnium confitentes. PSAL. Laudate Dominum. CAPITULUM. Beatus vir, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunie thesauris: quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

* Angebatur

et Hymnus. 47 HYMNUS.

Annuas Crisci celebrare laudes
Luce, qua celsos adiit triumphos
Victor, ingressi, quibus ordiemur
Cantibus hymnum?
Ille dum sevo Decii tenetur
Impii jussu, jubar in tenebris,
Quale custodes stupuere, portis
Exit apertis.
Demonem jamtum fugat obsidentem
Feminam, cujus domus et parentes
Ambo, et immensus populus salubres
Abluit * undas.

* Obtinet

Sit Deo Patri, genitoque Christo,
B Flamini Sancto, simul ex utroque,
Antequam quicquam fieret, profecto,
Gloria summa. Amen.

℣. Ora pro nobis, beate Crisce,
℟. Ut digni etc. AD MAGNIFICAT, ANTIPH.

Adthleta Christi beatus Crischus, minis atque tormentis Decii crudelissimi vilipensis, dum in carcere teneretur, letus et gaudens laudes referebat altissimo Domino nostro Jhesu Christo.

Matutini hymnus; 48 AD MATUTINUM, INVITATORIUM.

In Confessione laudis adoremus Dominum, * Qui corona gloric martyrem suum decoravit Criscum. PSAL. Venite. HYMNUS. *In tono Iste Confessor.*

Criscus ad Khristi, faciens docensque
Concitat cultum populos; jacentem
Hospitis gnatum prope jam peremtum
Surgere cogit.
Cogit ad matrem viduam redire
Liberum, tanquam valetudo nusquam
Leserit. Tuscas facinus stupendum
Personat oras.
C Criscus extemplo, trucis hostis iras,
Vulnera et cedes nihil expavescens,
Perstat, insigni sitit et coronam
Milite dignam.
Sit Deo Patri, genitoque Christo,
Flamini Sancto, simul ex utroque,
Antequam quicquam fieret, profecto,
Gloria summa.

antiphonæ et responsoria I *Nocturni,*

49 IN PRIMO NOCTURNO, ANTIPH. Erat quidam præpositus homo nomine Omnion nobilis, acceptus imperatori, qui habebat filiam lunaticam, qua * impius possessor cotidie vexatione attrociter laniabat. *Psal.* Beatus Vir. ANT. Et maxime postquam martyr Criscus adductus fuerat, nomen cujus per hos * puelle demon orrendis vocibus insonabat. PSAL. Quare fremuerunt. ANT. Hec dum fieret *, media nocte facta, cum jam vigiles obdormisset *, lux immensa tenebris longe repulsis tetro in carcere refulxit. PSAL. Domine quid. ℣. Gloria et honore coronasti eum Domine. ℟. Et constituisti etc. POST PRIMAM LECTIONEM.

* quam
* os
* fierent
* obdormissent

℟. Tunc Omnion, videns tanta mirabilia circa beatum Criscum celebrata, cucurrit ad carcerem, et pedibus beati martyris provolutus, * Ut suorum criminum veniam mereretur, cepit orare. ℣. Deprecabatur etiam, ut sanitatem suæ filiæ restitueret, et demonem a visceribus ejus excluderet. Ut. POST SECUNDAM LECT. ℟. Beatissimus Criscus gavisus est nimis de fide Omnionis, et gratias agens Deo, * Et protinus in oratione ut Dominus nominis sui * ostenderet dignaretur. ℣. Cumque complesset orationem, Sanctus autem Domini puelle * tenens, benedixit eam, et sanam reddidit patri suo. Et. POST TERTIAM LECT. ℟. Credidit autem Omnion cum uxore sua, et filia cum omni domo sua, * Et dato nomine suo pariter cum eis baptizatus est in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℣. Instructus tamen primitus a beato Crisco ex omnibus, que Christianam religionem et fidem catholicam pertinent. Et.

AUCTORE FELICIO.

* (elevavit eum)
* (virtutem) ostendere
* (manum)

II *Nocturni* 50 IN SECUNDO NOCTURNO, ANTIPH. Dum persecutio adversus Christiane fidei cultores indiceretur, sanctus Criscus talia monita fertur pertulisse *. PSAL. Cum invocarem. ANT. O fratres et commilitones nolite timere, * pavore ministrorum diaboli corda vestra conturbentur. PSAL. Verba. ANT. Recordamini, fratres mei, E quoniam per tribulationes multas opportet nos introire in regnum Dei, sicut dixit Dominus noster Jesus Christus. PSAL. Dom. Domi-

* protulisse
* (neu)

nus noster. ℣. Posuisti Domine super capitem. ℟. Koronam de lapide pretiosa. POST QUARTAM LECT. ℟. Beatus Criscus dicebat: * Conjungamur ad eo * aque * superius sunt, queque infima pro nichilo computantes: * Ad * solum conprehensionem mentis oculis * intendamus. ℣. Nulle nos carnales amicitie retardens *, nullus amor impediatur *, de sola cælestium dulcedine cogitantes. Ad solam. POST QUINTAM LECT. ℟. Beatus Criscus una cum sotiis, dimissa Florentia, pariter cum eis Faventie destinavit iter * urbem. * Cum pervenisset ad locum, qui dicitur Collis, in Valliscave suscepit hospitium in domo cujusdam mulieris, que vocabatur Panphyla, cujus filius egrotus jacebat. ℣. Intellexit mulier, beatum Criscum, et qui cum eo erant, veri Dei adoratores et christianæ religionis esse cultores. Cum. POST SEXTAM LECT. ℟. Accessit beatus Criscus ad lectulum, in quo puer in extremo F spiritu * ducens, et quasi exanimi * jacebat. * Ait: Dominus meus Jhesus Christus resurgere te faciat. ℣. Puer surrexit de lectulo sanus, et exurgens cepit clamare: Unus est Deus christianorum in cælo et in terra. Ait.

* accingamur ad ea
* quæ
* solam (æternorum)
* oculos
* retardent
* (sæculi) impediat
* (ad)
* spiritum
* exanimis

et III *Nocturni.* 51 IN TERTIO NOCTURNO, ANTIPH. Puer, qui sanus * fuerat, baptizatus est, et mutatum nomen ejus Cerbonius, nam antea Serappion erat vocatus. PSAL. In Domino. ANT. Surgamus, inquit, fratres mei, quia Dominus noster Jhesus Christus ad coronam martirii nos invitat. PSAL. Domine quis. ANT. Beatus autem Criscus cum duobus discipulis Omnione et Emptio a militibus Decii se requirentibus non celavit. PSAL. Domine in virtute. ℣. Magna etc. ℟. Gloriam etc. POST SEPTIMAM LECT. ℟. Milites imperatoris dixerunt ad beatum Criscum: Tu mortis dampnatu * es, et tormenta nobis minaris æternam *. * Respondens autem martyr Dei: ostendi vobis, jam simulacra deos non esse. ℣. Melius est ergo, et magis rationi congruum est, ut vos, ydolorum orrore * relicto, ad Deum verum nostrum convertamini. Respondens.

* sanatus
* damnatus
* æterna
* errore

AUCTORE FELICIO.

spondens. Post octavam lect. ℟. Cunque diutissime cederentur beatus Criscus una cum sotiis, beatus Omnion in confessione Domini perseverans reddidit spiritum. Similiter venerabilis Emptio* * Beatam cœlo tradidit animam suam ad Dominum Jhesum Christum. ℣. Quo facto unus ex militibus accedens ad beatum Criscum immobiliter in Dei laudem permanentem, gladio eum percutiens, caput ejus amputavit. Beatam. Post nonam lect. ℣. Beatus Cerbonius, quem sanctissimus Criscus sancte Dei Ecclesie custodire * relinquere voluit: * Ut animi fidelium, ad fidem christianam adducti, consolatorem habentes non deficerent, suscepit ecclesiam. ℣. Et congregatis christianis collegit beatus Cerbonius sanctorum martyrum Crisci sotiorumque ejus corpora, et detulit ea ad locum, quod * Valliscavæ dicitur. Ut. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

* Emptius

* custodiæ

* qui

Ad Laudes hymnus

52 Ad laudes. Ant. sicut in primis vesperis.

Hymnus.

Criscus, athleta similis probato,
Omne tormentum subit, et ferendo
Claudet *, ut victor spolium reportet
Hostis iniqui.
Armat exemplo socios fideli,
Cumque premittunt animas Olympo
Strenui, lætum caput amputatus,
Terrea vincla
Solvit. Adscensu superas ad auras,
Inter et vita fruitur beatos,
Fulget et cinctus pia vermiclatis
Tempora victis *.
Crisce, confisos tibi, te precamur,
Respice, et tandem licet immerentes
Sustines * miti gremio, salutis
Porrige regi.
Sit Deo Patri, genitoque Christo,
Flamini Sancto, simul ex utroque,
Antequam quicquam fieret, profecto,
Gloria summa. Amen.

* gaudet

* vittis

* sustinens

et reliqua.

53 Ad benedictus. Ant. O beata provincia Valliscave, o gloriosa ecclesia, in qua beati Crisci fulget * solemnia, beatus locus honorans martirem. Inclytus clerus exaltans protectorem; felix patrone, succurre miseris, ut felices jungamur superis. In secundis vesperis ad magnificat. Ant. Gaudeat provincia, Cave vallis de tanti martyris Crisci gloria, qui * cum Christo tenet in cælesti curia : orat * cælestem Dominum, ut populum sibi devotum æterna faciat perfrui gratia. Alleluia.

* fulgent

C

* quam

* (ille)

Commemoratio SS. Omnionis *et* Emptii.

54 Pro commemorat. ss. mm. omnion et entii. Ant. Cunque diutissime cederentur beatus Criscus una cum sotiis, beatus Omnion in confessione Domini perseverans reddidit spiritum; similiter venerabilis Emptio * beatam cælo tradidit animam suam. ℣. Letamini in Domino. ℟. Et gloriamini omnes. — *In sanct. mart. Omnionis et Emptii, totum officium agitur, sicut in festo S.* Crescii, *et dicuntur Psalmi plurimorum martyrum et hymni et* ℣.

* Emptius

Officium

55 In festo S. Cerboni et sotii ejus totum officium agitur modo inscripto. In primis vesperis. Ant. Cum pervenisset beatus Criscus tempore Decii ad locum, qui dicitur Valliscave, hospitium suscepit in domum * cujus * vidue, Panfila nomine, cujus filius infirmabatur. Alleluia. Psal. Dixit. Ant. Intellexit Panfila beatum Criscum, et qui cum eo erant, esse veri * adoratores, et cultores christiane religionis. Alleluia. Psal. Confitebor. Ant. B. Crisco cum sotiis suis commorante in domo Panfile, * ut languor pueri ingravesceret, et ad mortem usque deductus vix extremum alitum * retineret. Alleluia. Psal. Beatus vir. Ant. Actemdes * mulier ad beatum Criscu *, mutato habitu, * lugubri, voce miserabili cepit eum compellere *. Alleluia. Psal. Laudate pueri. Ant. O serve Dei, in ingressu tuo filius meus moritur, et lumen oculorum meorum extinguitur, quis me misera * consolabitur. Alleluia. Psal. Laudate Dominum. Ad magnificat. Ant. Beatus Criscus prostratus diutissime cum fratribus oravit et completa oratione, et * sotii subjunxissent Amen, sanus surrexit puer Panfile filius. Alleluia.

* domo
* cujusdam viduæ

* (Dei)

D

* (factum est)

* halitum

* accedens
* Criscum
* (facie)
* compellare

* miseram

* quum

56 Ad laudes. Ant. dicuntur ut supra. Ad benedictus. Ant. Puer postquam sanatus petiit *, baptizatus est, et nomen ejus Cerbonis vocatus * est, et cepit multum proficere in doctrina Domini, et cum B. Crisco in orationibus, et vigiliis perseverare. Alleluia. Ad magnificat. Ant. Beatus Cerbonius cum sotiis, facto martyrio beati Crisci et sotiorum ejus, corpora eorum sepellierunt, et juxta sepulcra flexis genibus stantes milites Decii eos invenerunt, et in loco dicto vivos in foveam miserunt, et sic ad cælos per martyrium ascendere meruerunt. Alleluia.

de S. Cerbonio.

* fuit

* vocatum

E

Missa de S. Crescio.

57 Missa in festo sancti Crisci. Introitus. Exultemus omnes in Domino, et spirituali jocunditate lætantes diem festum celebremus pro gloria almi martyris Crisci, de cujus passione gaudent angeli, et collaudant Filium Dei. Alleluia. Psal. Exultate justi in Domino: rectos decet laudatio. ℣. Gloria Patri. Graduale. Inclita sanctissimi martyris patrocinia postulantes, toto cordis ac mentis affectu illi grates referamus. ℣. Cujus vita gloriosa tantis mundo meruit corruscare miraculis. Alleluia. ℣. Hodie martyr beatissimus Criscus inter verba orationis ultimum Domino martyrio spiritum reddidit, hodie pater admirabilis in gloria ab angelis susceptus est. Offertorium. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Criscus altissimus, et cælestis regni gloria sublimasti. Alleluia. Communio. Vale, martyr felix, Criscus sanctissime, collocatus in loco pascue, et pro tibi devoto clero, et fideli populo Dominum deprecare. Alleluia.

F

ANNOTATA.

a *Lectiones S.* Crescii, *martyris supra editas, ex pervetusto codice membranaceo n.* 5, *plut.* 20 *celeberrimæ Mediceo-Laurentianæ bibliothecæ, cui titulus:* Festivitates Sanctorum per anni circulum, *fideliter transcripsit Franciscus Maria Ducci, ejusdem bibliothecæ excustos, ob peritiam in veteribus archivorum monumentis eruendis ubique commendandus. Hæc Felicius. Easdem lectiones cum subjecto officio edidit Lamius. Annotata nulla apposuimus, quum eadem passim repetenda forent quæ ad ipsa Acta diximus.*

b *Reliquum autem Officium et Missam, ex veteri autographo, quod in secretiori magni Etruriæ ducis archivo adservatur, exscripta, cum suis nævis hic adposuimus, ut integra eis fides haberetur. Hæc denuo Felicius.*

DE

A D

DE SANCTIS SEVERINO TUNGRENSI ET FELICE I,

HABITIS EPISCOPIS TREVIRENSIBUS,

SYLLOGE CRITICA.

V. D. B.

§ Unica. De primis Trevirensibus episcopis. Confusio episcoporum Trevirensium, Tungrensium et Coloniensium. An S. Felix Trevirensis exstiterit. Nonne fictus ex Mettensi. Unde ortus cultus S. Severini.

SS. Severinus *I et* Felix *I, sæpe jam in Actis memorati, hac die denuo annuntiantur in fastis aliquot sacris.* S. Felix, *numquam videtur cultus fuisse;*

Die sexta februarii, qua olim Trajecti ad Mosam solemnis fiebat omnium sanctorum illius urbis commemoratio, in prætermissis ad illam diem S. Severinus, *quem sibi quoque Trajectenses vindicabant, ad præsentem diem a decessoribus nostris illustrandus ablegatus est; atque id iterum ab eis factum in prætermissis diei* 18 *aprilis, qua in auctario ms. Usuardino Carthusiani cujusdam Bruxellensis laudabatur S.* Severinus, episcopus Trevirensis et Tungrensis, *et S.* Felix, episcopus Trevirensis. *Qui S.* Felix *ibidem ad præsentem quoque diem similiter translatus est; uti etiam in prætermissis diei* 11 *aprilis, ad quam hæc scripserunt :* S. Felix, episcopus Trevirensis et martyr, celebratur in ms. Florario sanctorum. Videtur hic esse sextus ecclesiæ Trevirensis episcopus et secundo Christi sæculo floruisse. Browerus lib. II Annalium Trevirensium pag. 187 ait « sine corona martyrii e medio abiisse haud « levem ad credendum movere suspicionem; » et ita absque mentione martyrii refertur in Martyrologio, Coloniæ et Lubecæ anno 1490 excuso : et a Greveno in additionibus ad Usuardum appellatur confessor; sed die quo iterum refertur in Florario, 24 octobris. *Alibi autem S.* Felicis *illius nomen non apparet, neque recensetur in ullis kalendariis liturgicis Trevi-*
C *rensibus; quod autem ad hanc diem a Greveno et Florarii Usuardique Lubeco-Coloniensis auctore relatus est, hæc est causa quod solent homonymi, ubi natalis dies latet, celebrioris alicujus die festo prædicari; ita ut non alia de causa S.* Felicis *Trevirensis nomen præsenti diei affixum fuerit quam quod ea S. Felix Tubzocensis coleretur. Neque hæc inanis est conjectura; ut enim in nullis sive antiquis sive recentioribus Trevirensibus fastis illius nomen apparet, sic in Calendario sæculi* XIII *exeuntis, præmisso libro hebdomadali ecclesiæ S. Simeonis, legitur* (1) IX kal. [Nov.] Felicis epi et Bonifacii PP.; *quæ procul dubio ex Martyrologio sive Adonis sive Usuardi aucto breviata sunt* (2) *et quibus SS. Felix, episcopus Tubzocensis, et Bonifacius Papa I intelliguntur. Fieri etiam potuit ut cultus S. Felicis Tubzocensis, cujus Passionis exemplaria per universum orbem sparsa fuerunt, ibi aliquandiu invaluerit, quemadmodum eum Tornaci et Ultrajecti obtinuisse loco suo dicemus.*

2. *Melior S.* Severini *conditio, quippe qui vere a Trevirensibus colatur. In Lectionario de sanctis quibusdam Trevirensis diœcesis, anno* 1645 *typis expresso, jubetur hac die ejus festum fieri ritu simplici, omnibus depromptis ex communi. Sed in Officiis propriis archidiœcesis Trevirensis, anno* 1706 *in lucem datis, idem officium celebrari præcipitur cum sequenti lectione* III *propria :* Severinus, illius nominis primus Trevirorum episcopus, sancto Metropolo ut in episcopali dignitate sic in martyrii honore etiam successit, eo adhuc tempore, quando ad episcopatum et martyrium vocari idem in plerisque antistitibus visum est. Unde nullus, nisi sanctæ vitæ proposito ad mortem pro Christo subeundam paratus, ad pontificium facile pedum accessit. Severinus certe ecclesiæ Trevirensis administrationem ut egregia suarum ovium cura ita resignato ad ponendam animam pectore adiit. Nec diu hac sua exspectatione frustratus, quartum sui regiminis emensus annum, jam cælo maturus Maximiani tyranni victima apud Treviros fuit. *Potiori itaque jure quam de S.* Felice *legitur hac die in Lubeco-Coloniensi et Greveni editione Martyrologii Usuardi :* Treviris, beati *aut* sancti Severini primi, episcopi et martyris. *Eadem habet in catalogo suo generali sanctorum Ferrarius, ea mutuatus ex Natalibus sanctorum Belgii Mo-* F *lani, ubi additur :* Qui cum Trevirensi ecclesia Tungrensem quoque, nondum ab ea divisam, administravit.

sed S. Severinus *habet etiam nunc officium ecclesiasticum.* E

3 *Moneam necesse non est hic iterum sub nominibus SS.* Felicis *I et* Severini *I latere universam quæstionem de prædicato apud Treviros evangelio. Verum quum hæc a collega meo rite elucidata fuerit ad diem* 17 *octobris, qua S. Florentius a Trevirensibus colitur, licebit profecto mihi abstinere ab ea denuo tractanda. Postea quidem edidit R. D. Marx, historiæ ecclesiasticæ et juris canonici in seminario Trevirensi professor, eruditam eadem de re dissertationem* (3); *sed quum collegæ mei lucubrationem non legerit multoque minus confutaverit, nil est cur id argumentum ad incudem revocem, nedum a collegæ mei placitis recedam. Verum quisquis senserit jam primo æræ christianæ sæculo religionem christianam in illis partibus innotuisse, admittere ideo non debet omnia epi-*

Sub illis nominibus latet universa controversia de tempore prædicati apud Treviros evangelii, super qua generales quædam animadversiones fiunt.

(1) Hontheim, Prodromus historiæ ecclesiæ Trevirensis, tom. I, pag. 406. — (2) Cfr editiones Usuardi Sollerii et Adonis Georgii ad diem 24 octobris. — (3) Geschichte des Erzstifts Trier, tom. I, part. I, pag. 30 et seqq.

scoporum

AUCTORE V. D. B.

scoporum nomina, quæ passim circumferuntur; atque ipse palam profitebor S. Felicem, *dictum I et Trevirensem episcopum, fictum mihi videri ex S. Felice episcopo Mettensi et ad hanc diem relatum esse (ut jam monui) propter S. Felicem Tubzocensem; S.* Severinum *vero, similiter I dictum et episcopum Trevirensem, eumdem esse ac S.* Severinum *Tungrensem, quem confuderint cum S. Severino Coloniensi; de quo ad præcedentem diem actum est. Hæc quidem sententia media est inter eos qui admittunt et inter eos qui abjiciunt omnia nomina, de quibus est controversia; neque abhorret hiatus et intercapedines in episcoporum catalogis, et facile recipit episcopos, qui pluribus simul diœcesibus præfuerint. Fucum scilicet ille sibi facit, qui res ecclesiæ christianæ primævæ metiatur secundum hodiernos mores legesque. Plane cogitandum non est primis temporibus diœceses certis limitibus definitas fuisse; quod ne in Cypro quidem, ut ex S. Epiphanii controversia liquet, ad finem sæculi* IV *obtinebat. Deinde defunctis episcopis non continuo alii substituebantur, sed*
B *sæpius relinquebantur sedes vacuæ administrationis cura ad vicinos episcopos devoluta. Generatim in tanta operariorum penuria potius ratio habebatur potestatis ordinis quam jurisdictionis. Verbo ecclesiarum præsides modum habebant regionariorum episcoporum, qui nulli singulari loco addicti essent, sed apostolico more circumjacentes plagas percurrerent; quam disciplinam ecclesia Scotica seu Hibernica, aliis pristinarum consuetudinum longe tenacior, diutissime observavit. Error is quoque communis est sedulas olim fuisse ecclesias in conscribendis et posteritati transmittendis episcoporum suorum catalogis; quum tamen in antiquissimo ecclesiæ Romanæ catalogo, Liberiano vulgo nuncupato, desiderentur tria celebratissimorum pontificum nomina Aniceti, Eleutherii et Zephyrini; quæ nisi ex S. Irenæo, Tertulliano et Eusebio cognita haberemus, densa nocte jacerent sepulta. Hæc siquis præ oculis habuerit, non multum confidet certorum episcoporum catalogis, ut hinc demetiatur quo tempore christiana fides alicubi primum plantata fuerit; neque etiam mirabitur unum eumdemque episcopum*
C *pluribus sedibus communem haberi, sive id fiat quod reapse in pluribus civitatibus christianam rem aliquando procuraverit, sive hujus rei causa sint posteriores historici, qui quum spatium vacuum viderent, id opplendum arbitrati sunt accitis ex vicinia nominibus. Neque pluribus hæc prosequenda sunt ut intelligatur statui posse primo æræ christianæ sæculo fidem catholicam apud Treviros seminatam fuisse et tamen in episcoporum serie hiatus seu lacunas esse posse.*

Gesta Trevirorum et Herigerus Laubiensis de nostris sanctis:

4 *Veniamus nunc ad Gesta Trevirorum, qualiter summo studio et diligentia ea nuper edidit Pertzius. Hæc in eis legimus* (1) : Deinde, *scilicet post S. Maternum*, Auspicius quidam regimen tenuit. Dein insignes per legitimas successiones, sanctitate et gratia pollentes, extiterunt Felix, Mansuetus, Clemens, Moyses, Martinus, Anastasius, Andreas, Rusticus, Auctor, Fauricius, Fortunatus, Cassianus, Marcus, Navitus, Marcellus, Metropolus, Severinus, Florentius, Martinus, Maximinus, Valentinus, quorum octo ultimi etiam Tungrensi D ecclesiæ præfuisse noscuntur; qui omnes diversis temporibus non solum in propria provincia, sed et in extremis et ultimis industres et illustres non solum confessione quin et martyrio existentes, regna etiam tyrannorum vicerunt. Qui videlicet episcopi omnes in ecclesia S. Eucharii sepulti esse creduntur. *Hæc in codice antiquo S. Mathiæ Trevirensi, Gestorum fonte, deesse Calmetus annotat et de altero quodam codice idem monet Hontheim* (2). *Sæculo* XII *Pseudo-Methodius primus indicavit quatuordecim priora nomina; posteriora octo Gestorum collector ex Herigero, abbate Laubiensi, postea addidit* (3). *Pseudo-Methodium omitto; sed accipe Herigeri, scriptoris sæculi* X *extremi, verba* (4) : De octo episcopis qui B. Materno in sede Tungrensi successerunt. Illoque humanis exempto (*nempe S. Materno*), secundus ei cathedræ præsedit Navitus, tertius Marcellus, quartus Metropolus, quintus Severinus, sextus Florentius, septimus Martinus, octavus Maximinus, nonus Valentinus. Qui quorum vel imperatorum vel consulum claruerint tempo- E ribus, quosque vita singulorum habuerit exitus, quotque singuli annis administraverint officium pontificatus vel ubi quorumque sit tumulus seu quantum quisque ampliaverit ecclesiæ suæ reditus, quia totius Galliæ ab Hunnis facta non solum nostræ sed aliorum ecclesiarum abolevit eversio, nec a nobis lectoris alicujus requirat exactio. Hoc certum tenemus, omnium ecclesiarum copias exuberasse circa ea scilicet tempora, quo divæ memoriæ Romano orbi præerat Constantinus Augustus, deinde filii ejus Constans et Constantius.

commentarius Ægidii Aureæ Vallis. Octo episcopi, Tungrenses dicti ab Herigero, videntur simul Coloniensem et Trevirensem ecclesiam administrasse.

5 *Ut alios omittam, utpote huc non pertinentes, de S.* Severino *Ægidius Aureæ Vallis, medii sæculi* XIII *scriptor, hæc commentarii loco addidit Herigeri verbis* (5) : Quintus episcopus, quinque pollens talentis, sanctus Severinus antistes exstitit. Iste sanctus Severinus non est ille Coloniensis archiepiscopus, de quo in Vita sancti Martini legitur, sed fuit alius ante eum..... Subversione *Hunnorum* imminente, beatus Servatius, de quo dicturi sumus, eorum corpora in urbe Tungrensi sepulta, apud F Trajectum transtulit, et in cripta, ubi postmodum ipse sepultus est, cum aliis multis sanctorum reliquiis, quas de Tungrensi urbe transtulerat, honorifice sepelivit. Non est autem prætereundum quod hi octo jam dicti episcopi etiam Trevirensi ecclesiæ præfuisse leguntur; *scilicet in Actis Trevirensibus paulo supra recitatis : quin etiam id innuitur ab ipso Herigero. Hic enim, ubi prius narravit SS. Eucharium, Valerium et Maternum,* Trevirorum civitatem ingressos, ut ubique Trinitas, quæ ab eis prædicabatur, sub unius veri Dei cultu innotesceret vere, sub unius ipsorum trium pontificatu alias sibi duas contiguas civitates addidisse, Agrippinam cognomento Coloniam et Tungros; *dein autem explicat singulorum gesta et sepulturam in Trevirensi basilica suburbana seu cœmeteriali S. Eucharii, postea S. Mathiæ; et demum transit ad* octo episcopos, qui B. Materno in sede Tungrensi successerunt; *adeoque Tungrensis, Trevirensis et Co-*

(1) Monumenta Germaniæ, tom. VIII, pag. 148. — (2) Cfr Pertzius ad cit. loc. — (3) Cfr id. ibidem. — (4) Ap. Pertz, tom. VII, pag. 171. — (5) Ap. Chapeaville, Gesta pontificum Tungrensium, tom. I, pag. 23.

loniensis

A *loniensis ecclesiæ habebantur Herigero tribus primis æræ christianæ sæculis una sola fuisse ecclesia. Dici itaque potest, Herigero teste,* S. Severinus *Trevirensis simul fuisse episcopus Tungrensis et Coloniensis.*

Dicta Herigeri, scilicet sola octo episcoporum nomina, admittenda sunt; reliqua postmodum addita negligenda esse videntur.

6 *Verum enim vero an admittendi octo illi episcopi, ab Herigero recensiti, sed a Trevirensibus tam diu ignorati? Imprimis eos saltem Tungrenses fuisse episcopos nemo recte negaverit; atque ab eis Colonienses quoque et Trevirenses christianos rectos fuisse plurimum verisimile est; et quidem putem hac verisimilitudine motos S. Mathiæ Trevirenses monachos S.* Severinum *et septem alios, ab Herigero memoratos, in sua Gesta Trevirorum transtulisse. Quod autem illi certissime Tungrensibus præfuerunt, id quidem nititur uno Herigeri testimonio; ast id tam grave est ut, etiamsi solum sit, fidem mereatur. Nemo enim illo ævo ad scribendum accessit, pluribus munitus subsidiis quam Herigerus, ut diligenter annotavit recentior ejus editor Koepke* (1), *accurate recensens libros scriptaque omnia, quæ ad manum habuit Laubiensis abbas; sed neque omnia recensere potuit;* B *quum plura tacuerit ipse Herigerus. Hic autem in referendis rebus prudentissimus est et mirum in modum cautus.* Ingenui sane, *inquit Koepke* (2), est animi illa quam profert confessio, melius esse « ignorantiam verecunde fateri, quam irreverenter pro pietate mentiri. » *Et reapse illo ipso loco, quem supra ex eo retuli, episcoporum Tungrensium nomina tamquam certa profert, quod ante oculos haberet bonum catalogum; reliqua omnia a se ignorari profitetur: scilicet quo tempore floruerint; quam mortem, naturalem an cruentam, obierint; quam diu episcopatum tenuerint; quæ gesserint; ubi sepulti fuerint. Unde simul liquet quam fidem mereantur Gesta Trevirorum, quum hos episcopos martyres fuisse et in S. Eucharii seu S. Mathiæ basilica sepultos fuisse testantur; et similiter quid sentiendum sit de Ægidio Aureæ Vallis, ubi vult eos prius sepultos fuisse Tungris et dein a S. Servatio translatos fuisse Trajectum ad Mosam.*

Contendit Hontheimius S. Severinum *nostrum eumdem esse ac episcopum Coloniensem, die 23 octobris cultum;*

7 *Monuit supra Ægidius Aureæ Vallis S.* Severinum *nostrum eumdem non esse ac S. Severinum Coloniensem præsulem,* de quo in Vita S. Martini legitur, *et cujus acta pridie illustravit collega meus. Ast aliter plane sentit Hontheimius.* Servatur, *inquit* (3), in bibliotheca S. Simeonis Treviris Psalterium, sæculo XI (quantum ex forma literarum, membrana aliisque colligere licet) scriptum, quodque ex primis libris choralibus fuisse creditur, quibus eadem collegiata, circa annum 1042 fundata, usa fuit. Huic præfixum Calendarium, eadem manu cum ipso Psalterio exaratum. Cum in eo plurimi dies vacarent, posterior ætas neque una manu, neque eodem tempore, festa serius introducta eidem inseruit. E novem sanctis, quos mox memoravimus *et qui tempore Hontheimii colebantur a Trevirensibus,* quatuor solum in hoc Calendario conspiciuntur, et inter hos unus tantum primævo charactere scriptus, scilicet x kal. novembris (23 *Octobris*) SEVERINI EPISCOPI, sine addito tamen TREVIRENSIS aut etiam MARTYRIS. Eodem die ecclesiæ Coloniensis et Burdigalensis festum S. Severini, tamquam proprii utriusque earum antistitis, sub initium sæculi V vita functi, celebrant; haud dubio argumento eumdem esse sanctum qui in Trevirensi etiam eodem colitur. Equidem Treviri hodie festum S. Severini die sequenti (impedimentum ferente translatione S. Materni, quæ nunc X kal. novembris solemnius celebratur,) et quidem tamquam episcopo et martyre sub Maximiano (ut in noviori lectione recitatur) Treviris coronato, agunt. At identitatem festi et sancti salvat aliud Calendarium sæculi XIII, quod manuscripto Sanmaximiano (in quo Martyrologium, Regula S. Benedicti et Menologium continentur) præmittitur, in quo ad sæpe fatum diem X kal. novembris simul legitur : SEVERINI EPISCOPI. TRANSLATIO S. MATERNI ; *in Martyrologio autem ejusdem codicis eodemmet die:* COLONIÆ SEVERINI EPISCOPI.

AUCTORE V. D. B.

re quidem vera ex errore illius cultus substitutus est cultui S. Severini Coloniensis; sed ambo certe diversi sunt;

8 *Qui affirmaret nil boni inesse huic Hontheimii argumentationi, is procul dubio parum æquus dicendus foret. Meo judicio certissime constat Trevirenses a sæculo* XI (*in kalendario, præfixo Psalterio S. Maximini, quod ineunte sæculo* X *seu etiam prius scriptum est et nunc in musæo nostro servatur, nomen S. Severini nondum apparet*) *mea, inquam, sententia certum est Trevirenses sæculo* XI, *quo S. Simeonis Calendarium et Psalterium exarata sunt* (4), *die* 23 *Octobris S. Severinum Coloniensem coluisse; similiter sæculo* XII, *cujus anno* 1128 *Computus ecclesiasticus iterum S. Simeonis cum Calendario conscriptus est* (5); *itemque sæculo sequenti, ut constat tum ex laudato ab Hontheimio S. Maximini Calendario, tum ex Calendario Libri hebdomadalis S. Simeonis* (6), *ubi ad diem* 23 *Octobris legitur :* Translatio S. Materni et Severini epi; *et ad diem* 24, *ut jam monui :* Felicis epi et Bonifacii PP. *Quod institutum in Breviario secundum usum monasteriorum SS. Maximini, Willibrordi et Naboris, anno* 1600 *a monachis Sammaximinianis excuso, quantum ad SS. Severinum et Maternum attinet, adhuc observatur; ita ut eorum nomina ad* 23 *inscripta sint Calendario, et officium ex communi fiat confessorum cum oratione propria in qua amborum sanctorum conjuncta sunt nomina. Deinde certum mihi videtur recte dictum esse ab Hontheimio* F *S. Severini Coloniensis festum ex die* 23 *Octobris ad diem* 24 *propter concurrentem translationem S. Materni dilatum fuisse; nam ubi S. Severinus episcopus Calendariis Trevirensibus inscriptus est sub die* 23 *Octobris, nullus S. Severinus apparet die sequenti; ubi vero die* 24 *locum invenit, nulla amplius ejus fit memoria die præcedenti : quo quid validius esse possit ad demonstrandam festi alicujus translationem, equidem non video. Jam vero* (*ut pronum erat fieri*) *quum paulatim ignorantia obrepsisset quis S.* Severinus *ille esset, die* 24 *Octobris cultus, putatum est eum Trevirensem fuisse episcopum; qui error extremo sæculo* XV *antiquior sit oportet, quum in Usuardo Lubeco-Coloniensi occurrat, dein repetitus a Greveno. Hactenus itaque Hontheimio consentimus; sed plane ab eo discedimus, ubi vult suum Trevirensibus aut Tungrensibus non fuisse* Severinum, *eosque hunc sibi adscivisse ex illa S. Severini Coloniensis festi translatione. Omnino*

(1) Ap. Pertz, tom. VII, pag. 144. — (2) Ibid. pag. 144 et 145. — (3) Historia Trevirensis diplomatica, tom. I, pag. XXIX. — (4) Cfr Hontheim, Prodromus historiæ Trevirensis, tom. I, pag. 385 et 392. — (5) Ibid. pag. 399. — (6) Ibid. pag. 406.

AUCTORE V. D. B.

non ita est. Cognitus is eis erat Herigero tribus sæculis priusquam S. Severini Coloniensis festum loco suo motum fuerit in ullis kalendariis Trevirensibus. Dicatur itaque festivitas S. Severini *Tungrensis aut Trevirensis, quæ nunc die* 24 *Octobris agitur, ex errore esse orta; nil repugnabo, immo probabo : sed nequaquam statuatur non exstitisse* S. Severinum, *Tungrensem aut Trevirensem episcopum, et qui nunc colitur alium non esse quam Coloniensem; id apprime falsum est. Quandonam autem Tungrenses cœperint colere* S. Severinum *me latet; coluisse tamen dicuntur, licet Trajectenses ad Mosam et Leodienses, qui id eodem fecissent jure, id fecisse non videantur umquam.* In antiquo Breviario Tungrensi S. Servatii, *ait Ghesquiere* (1), ad diem x kalendas Novembris festum ejus assignatur, ac præter orationem propriam tres in ecclesiastico ejus officio præscribuntur recitandæ lectiones quæ de ejus gestis aliisque rebus ad eum attinentibus agunt. *Verum timeo vehementer ne Ghesquierus confuderit* S. Severinum *Tungrensem cum* S. *Severino Coloniensi, die* x *kal. nov. culto.*

item distinguendus est a S. Severino, *qui* 21 *decembris in Martyrologiis inter episcopos Trevirenses recensetur.*

9 *Quod si quæritur quo tempore vixerit* S. Severinus, *quot capita, tot sunt sententiæ. Singuli enim suas vendunt conjecturas et divinationes. Martyr ne obierit an confessor ; Tungrisne an Treviris sepultus fuerit, alii aliter statuunt, quisque pro patria gloria certantes. Ast hæc ne examinare quidem libet, contentis cum Herigero hæc omnia ignorare. Superest itaque id unum animadvertere* S. Severinum *nostrum diversum esse ab alio* S. *Severino, itidem Trevirensi episcopo dicto et a Baronio ad diem* 21 *Octobris in Martyrologio Romano laudato his verbis :* Treviris sancti Severini episcopi et confessoris. *In notis ad hunc locum docet Baronius se hanc memoriam accepisse ex auctariis Usuardinis, maxime Molani; ubi certissime, ut ex Sollerii editione videre est, celebratur* S. Severinus secundus, episcopus Trevirensis. *In Lectionario etiam Trevirensi, anno* 1645 *typis excuso, duplex* S. *Severini Trevirensis commemoratio facienda præcipitur, altera die* 24 *Octobris, altera die* 21 *Decembris ; verum hæc posterior postea suppressa est, quoniam* S. *Severinus, die* 21 *Decembris celebratus, idem sanctus visus est ac* S. *Severinus Burdigalensis, qui die* 23 *Octobris colitur. Certe utriusque eadem sunt Acta; at an una eademque sit persona, ut Hontheimius aliique volunt, alibi opportunius examinari poterit.* D

S. Felix *I, episcopus Trevirensis, primum productus a Pseudo-Methodio, videtur idem ac S. Felix Mettensis.*

10 S. Felicis, *episcopi Trevirensis, rerum conditio longe pejor est. Nolim renovare universam controversiam de antiquis episcopis Trevirensibus ; sed candide fatebor plerosque ex iis, quos Herigerus non habet, mihi videri aliunde accitos mihique probari conjecturam Hontheimii* (2) *et Perierii* (3) S. *Felicem I Trevirensem eumdem ac* S. *Felicem Mettensem, de quo dixere decessores nostri ad diem, qua Romano Martyrologio inscriptus est,* 21 *Januarii. Jam monui illum Felicem I Trevirensem e tenebris eductum fuisse a Pseudo-Methodio ; cui animadversioni hic addam hujus larvati viri chronicum, quo olim plurimum nitebantur, (eo quod inspersum erat* B. *Mariani Scoti Chronico, qualiter editum est a Pistorio,) omnem fere quam adhuc servabat auctoritatem ob* B. *Mariani Scoti nomen et merita, pene perdidisse ; ex quo enim tempore secundum pura exemplaria Pertzius* B. *Mariani edidit librum, constat illam scriptionem numquam usurpatam fuisse ab chronologo Scoto, sed ejus opus eo infartum fuisse a monacho aliquo* S. *Disibodi. Cæterum sanctus ille* Felix *festam diem aut commemorationem Treviris numquam habuit; et quum Floraria et Usuardina auctaria, initio citata, valde levia sint cultus ecclesiastici indicia, dubitari potest an alii quam errores historici in illo* S. Felice *admissi fuerint.* E

(1) Act. SS. Belgii, tom. I, pag. 174. — (2) Historia Trevirensis diplomatica, tom. I, pag. XXXII. — (3) Act. SS. tom. IV septembris, pag. 373.

C

DE S. FELICE, EPISC. TUBZACENSI IN AFRICA

F

ET MARTYRE VENUSII IN APULIA,

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Variæ Actorum S. Felicis editiones et classes.

ANNO CCCIII. *Quam maxime variæ sunt*

Quod vix aut ne vix quidem umquam in hac nostra collectione Actorum Sanctorum contigit, maxima de sancto Felice *et de sociis, ei adjungi solitis, exsistit sententiarum varietas; quamquam commentarii, beato martyri coævi, jam pridem reperti atque in lucem editi fuerunt. Quot enim quæstiones fieri queunt, tot responsa inter se diversa adeoque pugnantia data fuere ab hagiographis ; quæ dissensio inde orta est, quod de nullis fere* S. Felicis *rebus in antiquis libris conveniat. Si enim quæsieris sintne assignandi socii an tollendi : utrumque suadere videntur monumenta; si assignandi, quæ eorum nomina : passim quam maxime diversa occurrunt; in quem diem martyrium referendum et cultus : fasti sacri et passionalia dissentiunt quam plurimum; quis locus certaminis : alii Nolam, alii Venusiam, alii alium obtrudunt locum; quæ sedes* S. Felicis *episcopalis : neque hic absunt tenebræ; quæ demum itineris ejus ex Africa*

A *Africa in Italiam ratio et tempus : neque hic consentiunt, quin immo dissentiunt quam apertissime. Quid ergo? ut, quantum fieri licet, tuti hoc exeamus labyrintho, filum investigandum est, quod passus nostros dirigat et ducat; quod si invenerimus, strenue id manibus tenendum, ut ad finem usque rectæ insistere liceat viæ. Atque hoc pacto spes affulget fore ut originem errorum, interpolationum aliorumque similium nævorum, quibus omnia fere antiqua de* S. Felice *documenta maculantur, detegamus. Filum autem istud hujus generis est ut ea Actorum exemplaria reprobemus, quæ manifesto studio, non vero negligenti librariorum socordia corrupta fuere; et ut eas sequamur editiones, in quibus id genus nævorum reperire non est.*

editiones et codices mss. Passionis S. Felicis;

2 *Prius autem quam ad hujus legis applicationem veniamus, recensendæ sunt Actorum S.* Felicis, *quæ in lucem venerunt, editiones. Prima locum occupat in libro, anno* 1525 *curis Jacobi Fabri Stapulensis impresso Parisiis, cui titulus* Agones martyrum; *quem codicem typis excusum non habeo, sed exemplar manu exaratum. Secunda editio est Surii* (1), *quam in Annales ecclesiasticos* (2), *paucis mutatis, recepit Baronius, et quæ deinceps in recentioribus Surii editionibus secundum Baronii mentem recusa est. Tertia est Dacherii, qui exemplari, a P. Petro Francisco Chiffletio S. J. descripto, usus, Acta S.* Felicis *Spicilegio* (3) *suo inseruit sub titulo :* Passio S.Felicis, Tubzocensis episcopi et martyris; *eamdem repetiit Ludovicus de la Barre Tornacensis* (4); *nonnullis insertis et uncinis inclusis ex editione quarta, quæ est Baluzii* (5) *: hic vero ut in annotatis ad Acta subjungit, Acta S.* Felicis *diligenter contulit cum quatuor antiquis et optimis codicibus manuscriptis bibliothecæ Colbertinæ, videlicet* 59, 316, 401 *et* 901 : *quæ omnia ad literam denuo expressit Joannes Dominicus Mansi in nova Baluzii Miscellaneorum impressione* (6). *Quintam editionem pararunt Angli aliquot eruditi secundum codicem Sarum, eamque publici juris fecerunt cum Actis SS. Felicitatis et Perpetuæ Oxoniæ anno* 1680; *eam aliquot abhinc annis alii Angli verterunt in suum idioma* (7), *ut ordinem episcopalem a calumniis sectæ presbyteralis vindicarent. Verum jam pridem ante, anno scilicet* 1689, *sextam editionem adornarat Ruinartius, primam Surianam fere secutus; quæ deinceps sæpius cum reliquis Actis Martyrum sinceris renovata est. Baluzii et Ruinartii editionem expressit omni ex parte Dupinius inter Monumenta de schismate Donatistarum* (8). *Præterea ad manus nobis sunt exemplaria codicum mss. Rubeæ Vallis, I, II et III Audomarensium, necnon Ultrajectini. Neque omittenda Menæa Græcorum, qui die* 16 *aprilis S.* Felicis *memoriam celebrant; alia pro re nata sponte occurrent.*

B

C

hæc et reliqua documenta

3. *Hæc autem exemplaria omnia et documenta alia in quatuor aut quinque distribuenda sunt classes : quarum prima continet editionem primam seu Parisiensem Jac. Fabri, tertiam seu Dacherianam, quartam quæ est Baluzii et quintam seu Anglicanam, necnon codicem Ultrajectinum; huic proprium est classi, quod programma seu imperatorium edictum nonis Januarii propositum fuisse perhibeat, postridie vero beatum* Felicem *captum et* XVIII *kalendas Februarii capite minutum. Atque huc quoque pertinet Florarium sanctorum ms., in Actis nostris toties citatum, et Martyrologium Germanicum Canisianum et quod ei præluxit Usuardinum auctarium Greveni, necnon Mombritius* (9) *et compendium Passionis ms. Ultrajectinum; in quibus omnibus sancti* Felicis *natalis ad* XVIII *kalendas Februarii seu diem* 15 *Januarii refertur : quin etiam huc spectant qui die sequenti (nam sæpe sæpius uno dissentitur die in hoc rerum genere) sancti* Felicis *obitum signant, videlicet Grevenus, Galesinius, Ferrarius in utroque Catalogo, auctarium Usuardinum Carthusiæ Coloniensis, Martyrologium Germanicum et qui his omnibus præcessit Petrus de Natalibus* (10). *Neque ex hac classe excludendus est tertius codex Audomarensis, quamquam non* XVIII *seu* XVII *kalendas februarias beati* Felicis *obitum signet, sed* IX; *id enim non studio, sed scriptoris negligentia factum. Sunt et alia nonnulla huic classi propria, maxime quod sancti martyris palæstram Nolæ statuat.*

AUCTORE V. D. B.

E

in quinque dividi classes queunt.

4 *Secunda classis sola complectitur Menæa Græcorum, in quibus beati* Felicis *natalis die* 16 *Aprilis recolitur et locus certaminis dicitur civitas Ælurum in Lycaonia; in reliquis partim accedunt ad primam classem, partim ad quartam. Tertia classis conflatur ex codice Rubeæ Vallis et primo et secundo Audomarensi; in quibus id observatur singulare, quod programma nonis augusti seu die* 5 *propositum fuisse dicatur et sanctus* Felix *Nolæ cæsus* III *kalendas septembris, seu die* 30 *augusti : in reliquis vero fere conveniunt cum Actis classis primæ. Demum classis quarta ex editionibus Surii, Baronii et Ruinartii componitur, in quibus edicta imperatoria nonis Junii promulgata leguntur et beatus* Felix, *amputato capite, martyrium fecisse Venusii tertio kalendas septembris.*

Antiquiora martyrologia signant ejus mortem ad 30 *augusti,*

5 *Atque ad hanc aut ad tertiam classem spectat venerabilis Beda, ad dictam diem* 30 *augusti in Martyrologio* (11) *scribens :* In Venusia civitate Apuliæ natale SS. Felicis episcopi civitatis Tubzocensis et Audacti et Januarii presbyteri et Fortunatiani et Septimini lectorum: qui temporibus Diocletiani in sua civitate tenti a Magneliano curatore, inde multis diu vinculis et carceribus macerati et in Africa et in Sicilia tandem in occisione gladii consummati sunt. Felix quinquaginta sex annorum virgo obiit. Sunt autem inter Carthaginem et Tubzucam * millia passuum triginta quinque. *Neque abludit Rhabanus, pro more fere suo uno die præcedens et proin ad* 29 *Augusti hæc annuntians* (12): IV Calend. in Venusio civitate Apuliæ natale Felicis episcopi Tubrozensis et Januarii presbyteri et Fortunatiani et Septimi lectorum, qui temporibus Diocletiani in sua civitate tenti a Magnelliano procuratore XVIII calend. julii, inde multis diu vinculis et carceribus macerati et in Asia (*immo* Africa) et in Sicilia, tandem in occisione gladii consummati sunt : *quæ alii recentiores martyrologi ad diem* 29 *augusti de S.*

F

* *Mss.* Tibiucam

(1) Vitæ SS. ad 24 octobris. — (2) Ad an. 303, num, CXVIII et seqq. — (3) Tom. XII, pag. 634. — (4) Spicilegium, tom. II, pag. 68. — (5) Miscellanea, tom. II, pag. 77. — (6) Tom. I, pag. 18. — (7) Tracts for the times, Records of the church, n. XXIII, Londini, 1841. — (8) Opp. S. Optati Milev, pag. 146 et 149. — (9) Vitæ Sanctorum, tom. I, fol. v°. 290. — (10) Catalogus SS. lib. II, cap. LXXXV. — (11) Acta SS. tom. II Martii, pag. XXX. — (12) Canisii lectiones antiq. tom. II, part. II, pag. 339, edit. Basnagii.

AUCTORE V. D. B.

Felice *aut appositis ei sociis dixere vide in opere nostro* (1). *In codice S. Columbæ Senonensi, dein Bibliothecæ reginæ Sueciæ, reperit Holstenius* (2) *ad diem* 30 *augusti annuntiationem, quæ partim cum Beda edito, partim cum Rhabano convenit :* III kal. septemb. In Venusia civitate Apuliæ, natalis SS. Felicis episcopi civitatis Tubzocensæ et Adaucti presbyteri, et Fortunatiani et Septimini lectorum, qui temporibus Diocletiani in sua civitate tenti a Magnelliano curatore XVIII kal. julii, inde multis diu vinculis et carceribus macerati et in Africa et in Sicilia tandem gladio consummati sunt. Felix LVI annorum virgo obiit. *Infra num.* 27 *ostendemus huc quoque revocanda esse Hieronymianos fastos et kalendarium marmoreum Neapolitanum sæculi* IX.

recentiora post Rom. Parv. ad 24 octobris.

6 *Atque ego haud scio an quinta fingenda sit classis ex martyrologis, qui, Bedæ fere verbis usi, beati* Felicis *natalem ad diem* 24 *Octobris distulerunt, eumque constituerunt Venusiæ. His princeps præit B. Ado:* In Venusia, *inquiens* (3), civitate Apuliæ, natalis sanctorum
B Felicis, episcopi civitatis Tubzocensis, et Audacti et Januarii presbyterorum, et Fortunatiani et Septimi lectorum. Qui temporibus Diocletiani in sua civitate tenti a Magnelliano procuratore, inde multis diu vinculis et carceribus macerati, et in Africa et in Sicilia, tandem in occisione gladii occisi sunt. Sunt autem honorifice sepulti inter Carthaginem et Uticam. Felix quinquaginta sex annorum obiit virgo. *A Beda discessit Ado in referendo S.* Felicis *et sociorum natali ad* 24 *octobris, non vero ad* 30 *augusti; quoniam in assiduo suo duce et comite Martyrologio Romano parvo, edito a Rosweido et secundum eum a Georgio, legerat:* IX kal. *novembris* Venusiæ, Felicis episcopi Tubzocensis et Audactis et Januarii presbyterorum et Fortunatiani et Septimi lectorum. *Notkerus, cujus Martyrologium desumptum est partim ex Rhabano partim ex Adone, propius hoc loco adhæret Adoni : cui omnino consentit Usuardus, nisi quod detentionem in Africa et sepulturæ locum omittit. Maurolycus proxime sequitur Usuardum; similiter Baronius in Martyrologio Romano, præterita*
C *tamen virginitatis laude. Atque hic cursim animadvertere est a Baronio in editione anni* 1583 *scriptum fuisse* Felicem, episcopum Aptungitanum; *sed dein ad oram exemplaris sui annotasse:* Nullo modo dicendus Aptungitanus; nam Felix Aptungitanus, de quo scribit Optatus, supervixit usque ad tempora Constantini imperatoris. Ob variam lectionem dicerem tantum : episcopi Africani : *quæ emendatio deinde recepta est* (4); *sed nos de sede S.* Felicis *alibi. Hoc loco id unum addemus minus antiqua manu Martyrologio Hieronymiano Fuldensi ad* 24 *octobris quoque insertum fuisse* (5): In Venusia civitate natale sancti Felicis episcopi.

D

§ II. Ex temporum ratione ostenditur editionem Surianam longe esse optimam.

Editionem Surii longe esse optimam, quæ quippe conveniat cum tempore dati a Diocletiano edicti;

Jam si quæritur quæ harum classium videatur optima, consentiendum omnino arbitror Ruinartio (6), *Tillemontio* (7), *Remigio Ceillier* (8), *Bailleto* (9), *Butlero* (10) *et plerisque recentioribus, quibus hæc communis est sententia præferendam esse editionem Surianam; quamquam eam ex editionibus aliis corrigendam aliquando censeant. Argumentum, ex ratione temporis desumptum, mihi præcipuum et tamquam dux ex tenebroso illo labyrintho. Audiamus prius de eo Ruinartium :* Non minus, *inquit,* inter se dissentiunt Acta edita in assignando tempore, quo idem sanctus Felix martyrium pertulit. Id die 18 kalendas februarii contigisse cum mss. codd. referunt editiones Acheriana et Baluziana : quod ad 3 kalendas septembres revocat editio Suriana; quam
E postremam sententiam alteri præferendam censemus. Cum enim edictum de comburendis libris anno 303 Nicomediæ mense martio promulgatum fuerit; vix quisquam sibi persuadeat, ipsum nonnisi anno sequenti in Africam pervenisse : quod tamen dicere debent qui primam sententiam amplectuntur. Certum quippe est ex Actis Felicem apprehensum fuisse, statim atque edictum istud in Africa promulgatum fuit. Surianæ editioni favet etiam ipse Actorum contextus : *Diocletiano octies.., exivit edictum etc. Tunc programma propositum est etc.* In altera enim opinione hæc verba : *Tunc programma,* de anno qui his verbis : *Diocletiano octies etc.* designatur, intelligi non potest. Hæc vero omnia optime congruunt cum Suriana seu Baroniana lectione. Nam Diocletiano octies et Maximiano septies coss. id est anno 303 mense Martio, primum edictum adversus christianos de libris comburendis etc. Nicomediæ latum est. Quod quidem edictum ad diversas imperii romani provincias transmissum, mense junio in Africam
F pervenit : eoque in civitate, cui Felix episcopus præerat, promulgato, cum ipse sacros libros tradere constanter renueret, ad diversa tribunalia, etiam trans mare perductus, tandem die 30 augusti apud Venusium Apuliæ urbem gladio percussus martyrium complevit. *Hæc ille.*

aliæ editiones absurda continent,

8 *Verum alia quoque, et quidem multo graviora momenta pugnant adversus primam Actorum classem. Si enim ea audias, programma propositum est nonis seu die* 5 *januarii; postridie captus S.* Felix; *dein in triduano carcere positus; quarto die post seu die nona januarii missus Carthaginem; sedecim deinde post diebus seu die* 26 *aut* 27 *januarii oblatus proconsuli, a quo sub finem mensis januarii vehi jussus Romam; ubi duodecim dies inclusus carceri, et dein missus post imperatores navigare : quæ navigatio ante medium mensem februarium incohari nequaquam potuit, et quatuor duravit*

(1) Act. SS. tom. VI Augusti, pag. 496. — (2) Martyrolog. Adonis, edit. Georgii, pag. 543; Passio S. Perpetuæ, pag. 319; Acta SS. suppl. Junii, pag. 46. — (3) Canisii Lect. ant. tom. II, part. III, pag. 183. — (4) Cfr Georgius, Martyr. Adonis, pag. 544. Cfr not. *a* ad Martyrol. roman. ad 24 octobris. — (5) Ibid. pag. 543 et 671. — (6) Acta sincera Martyrum, pag. 354, Amstelodami, 1713. — (7) Mémoires ecclés. tom. V, pag. 665 et seqq. — (8) Auteurs ecclés. tom. III, pag. 480. — (9 Vies des Saints, octobre, pag. XXV et 373. — (10) The lives of the Fathers, etc. tom. X, pag. 499, London, 1814.

dies.

AUCTORE V. D. B.

A *dies. Quibus expletis, venit Nolam sanctus* Felix *et brevi post decollatus est. Sole itaque clarius est non potuisse fieri id martyrium ante diem circiter* 24 *februarii, et tamen universa illa Actorum classis reponit beati martyris necem die octavo aut septimo decimo kalendas februarii, seu die* 15 *aut* 16 *januarii. Eadem difficultate laborant Acta classis tertiæ, quum nonis seu die* 5 *augusti programma propositum et tamen beatum* Felicem *post duplicem plurium dierum inclusionem et navigationem tandem Nolæ occisum tradant die* 30 *ejusdem mensis. Hæc incommoda jam pridem mentem pulsarunt Pagii* (1), *Mansii* (2) *aliorumque. Quapropter statuerunt mense februario exeunte anni* 303 *edictum persecutionis Nicomediæ fuisse propositum; sed id proclamatum nonis tantum januarii anni* 304 *in civitate Tubzacensi et postridie captum S.* Felicem; *cujus captivitatem durasse plus integro anno, quippe qui martyrium fecerit die* 18 *januarii anni* 305. *Verum enimvero in Annotatis ad sancti* Felicis *Acta planum faciemus prius persecutionis Diocletiani edictum in Africa propositum*

B *fuisse verno tempore anni* 303; *juxta id examinatum fuisse sanctum* Felicem; *et demum alterum edictum, multo acerbius, in Africam allatum esse ante* III *idus novembris* 303, *quum jam pridem in Italiam avectus fuisset sanctus præsul. Atque hæc sufficiant hoc loco.*

et pugnant cum consuetudine de mari aperto et clauso:

9 *Aliud præterea telum adversus primam illam classem in pharetra nobis est, idque subministraverunt de mari clauso et aperto, quæ illo ævo vigebant, consuetudines et leges. Plinius* (3) *hac de re sequentia tradidit:* Ver aperit navigantibus maria; *hæc alia Vegetius* (4) : Ex die tertio iduum novembris usque in diem sextum iduum martiarum maria clauduntur. *Accedit Apulejus* (5): Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, æterna mihi nuncupavit religio; quo sedatis hybernis tempestatibus et lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei sacerdotes : *de celebrando navigationis natali sermonem facit Apulejus. Atque hinc apparet mensem januarium inopportunum fuisse tempus, quo edictum imperatorum Nicomedia transveheretur in Africam et beatus* Felix

C *Carthagine mitteretur Romam. Insuper hinc quoque labefactatur classis Actorum secunda seu græca, qua beati Felicis obitus die* 26 *aprilis statuitur. Sexta enim idus martias, qua mare aperiebatur, triginta sex tantum diebus distat a die* 26 *aprilis: intra quod spatium non ea tantum ponenda essent quæ numero superiori collegimus, sed et programma Nicomediense ferendum Carthaginem et per Africam spargendum. Vix aut ne vix quidem, etiamsi omnia matures quam maxime, hæc intra illos temporis fines concludes. Sed satis id argumentum persecuti sumus.*

omnia fluunt in editione Suriana; in qua iter quoque reperitur Siculum.

10 *Contra nullis id genus difficultatibus obnoxia est classis quarta, in qua omnia fluunt apprime. Programma in civitate episcopali sancti* Felicis *proponitur nonis juniis; postridie capitur beatus præsul; tribus diebus post, seu die nona mittitur Carthaginem ad proconsulem Anolinum, coram quo alia die sistitur, et dein sedecim dies includitur carceri. Postea, idibus scilicet julii seu die* 15 *mittitur Romam ad præfectum prætorio, a quo post novendialem custodiam jubetur post imperatores navigare. Quatuor diebus pervenit Agrigentum; hinc navigio Catanam petit, Messanam et Taurominium in Sicilia; atque hinc in partes transfretat Lucaniæ et Apuliæ, ubi die* 30 *augusti civitatem Venusium nobili martyrio decorat. An vere Venusii atque illa die obierit S.* Felix *disputabitur alio loco; interea id manifestum, rationem temporum in Actis Surianis apprime cohærere. Præstant hæc alia quoque laude: iter videlicet sancti* Felicis *Siculum habent et ultima ejusdem de custodita annos quinquaginta sex virginitate verba; quæ utraque certissime iis inerant Actis, quæ venerabilis Beda præ manibus habuit.*

Aliæ editiones ratione S. Felicis *Nolani corruptæ.*

11 *Quæ quum intenta mente considero, non possum non in eam ire sententiam Acta classis primæ fuisse corrupta, quod Felicis, presbyteri Nolani, nomen omni ævo celeberrimum, necnon festum, die* 14 *Januarii jam antiquitus actum, librarii male feriati ingenium presserint eumque eo induxerint ut S.* Felicis, *Africani episcopi, martyrium proxime ad sancti Felicis presbyteri natalem consignaret, quin etiam illius certaminis gloria hanc donaret civitatem;* E *quasi nuspiam alibi quam Nolæ aliove anni tempore quam medio januario* Felicis *nomini esset locus. Hinc in multis Passionalibus mss. trium se invicem excipiunt SS. Felicium Acta. Neque raro in opere nostro animadversum est sanctos homonymos iisdem aut proximis coli diebus et secundum hanc legem Acta eorum aliquando deturpari; et quidem in sequenti paragrapho, ubi agemus imprimis de beati* Felicis *sociis, non deerunt hujus rei exempla.*

§ III. An S. Felix in martyrio habuerit socios; quare ei additi SS. Januarius, Fortunatus et Septiminus. Palæstra Venusium. Corpus Carthaginem translatum.

De S. Felicis *sociis ingens sententiarum diversitas;*

Hoc porro de S. Felicis *sociis argumentum nodis, siquod umquam, implexum est quam maximis. Eos solvere tentavit Tillemontius* (6); *neque mea sententia infeliciter. Animadvertendum imprimis est in nullis Actis S.* Felici *assignari in martyrio comites; sed in Actis Surianis traditur in civitate sua episcopali habuisse presbyterum Aprum, et Gyrum seu Cyrum, Vitalemque lectores; in aliis vero omnibus, tum editis, tum manu exaratis, Januarium presbyterum, et Fortunatium seu Fortunatianum et Septiminum lectores; de quibus ne hilum quidem quod presbyter ille et ambo lectores in Italiam cum S.* Felice *trajecerint. Nec mirum proin de solo sanctissimo episcopo memoriam fieri a Petro de Natalibus, Mombritio et in brevi quadam S.* Felicis *Passione ms., quam ex ms. codice S. Salvatoris Ultrajectino excepit Rosweidus et cujus supra numero* 3 *memini. Contra in Menæis Græcorum* memoria *agitur* beati Felicis, Januarii presbyteri, Fortunati et Septimini, *qui omnes simul capite cæsi dicuntur. Quibuscum conveniunt Beda, Rhabanus et Martyrologium Senonense editum,*

(1) Critice ad annal. Baronii, ad an. 302, num. XXIII. — (2) Ibid. Notæ Mansi, tom. III, pag. 327. — (3) Hist. nat. II, 47. — (4) De re milit. IV, 39. — (5) Met. XI, pag. 365. — (6) Mémoires ecclésiast. tom. V, pag. 667.

nisi

AUCTORE V. D. B.

nisi quod Adaucti *nomen in Senonensi* Januarii *locum occupet, idemque intrusum videatur genuino textui Bedæ: secus enim quid Adauctum omisisset Rhabanus, cæterum Bedæ vestigiis insistens?*

supprimendus S. Adauctus, utpote alterius Felicis socius;

13 *Utut sincera Bedæ lectio fuerit, jam a sæculo* VIII *Adaucti nomen illigatur sancti Felicis sociis, a Martyrologio Romano Parvo in Adonianum, Notkerianum, Usuardinum, Autissiodorense* (1) *et Baronianum derivatum; quemadmodum lectori ex numero* 6 *hujus commentarii deprehendere licebit. Interpolationem esse manifestissimam statuet quotusquisque, qui id nomen ab omnibus omnino Actis abesse recogitaverit. Neque ejus origo altius quærenda est. Ad III kalendas septembres seu die* 30 *augusti jam ab antiquissimis temporibus recolitur* Romæ via Ostiensi natale beatissimorum martyrum Felicis et Adaucti sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus ; *quo pronum erat ut uterque Felix in unum confunderetur virum, et Adauctus annumeraretur sancti* Felicis *Africani sociis. Quin etiam ad illam diem in kalendario Vaticano, quod edidit Georgius* (2), *et in* B *Stabulensi, quod publicæ luci dedit Martenius* (3), *legitur :* In Apuleja passio sanctorum Felicis et Audacti. *Et quum hæc ita se habeant, manifestum hinc quoque est (quod cæterum Bedæ suadet ætas) antiquiorem kalendariorum rationem eam esse ut S.* Felicis *Africani nomen ad finem mensis augusti legatur, non vero ad* 24 *octobris; cui posteriori diei, errore an oscitantia, prius in Romano Parvo, dein in subsecutis Martyrologiis locum esse factum.*

supprimendi SS. Januarius, Fortunatus et Septiminus, qui de turma sunt duodecim fratrum;

14 *Verum ut Adauctus certo inter S.* Felicis *comites recensendus non est, ita (quantum video) nec Januarius presbyter, nec Fortunatus Septiminusque lectores. Ad quam sententiam amplectendam tribus moveor causis: quarum prima est, hæc nomina abesse ab editione Suriana, cæteris longe meliori ; secunda, ex nullis Actis apparere sancti* Felicis *presbyterum et lectores cum suo episcopo venisse in Italiam et cum eo fecisse martyrium ; tertia, manifestum esse unde Januarii, Fortunati Septiminique nomina hausta sint, et Apro, Cyro Vitalique substituta. Venusii scilicet ad finem augusti* C *coluntur Felix, Januarius et Septiminus, qui sub Maximiano Herculio passi sunt ; unde factum est ut illis in partibus horum martyrum Acta cum nostri sancti* Felicis *Passione, atque hæc vicissim cum illorum Martyrio confusa fuerint. In Actis scilicet, parum probatis, duodecim fratrum Adrumetinorum legimus de Valeriano proconsule* (4) : Alia die abiit in civitatem Venusiam, sanctos secum deferens, et sanctissimos Septimum (*seu* Septiminum, *in aliis*), Januarium et Felicem, post interrogationem Christum confitentes, jussit in eadem civitate sexto calendas septembris decollari. *Quis autem crediderit in eadem civitate, duobus interjectis diebus, duos martyrum manipulos, eadem omnino habentes nomina, cultos fuisse ? Ne vero objicias Fortunatum non coli Venusii : hic quippe adscitus ex reliquis duodecim fratribus, ad quorum turmam Venusini quoque martyres pertinent.*

15 *Alibi alii assignantur beato* Felici *socii. In Actis nempe SS. Fortunati, Caji et Anthes, qui die* 28 *Augusti Salerni coluntur, leguntur sequentia* (5) : Diocletiano et Maximiano imperatoribus... Felix, Buzocensis episcopus, et cum eo Donatus et Adauctus presbyteri, Fortunatus, Cajus et Anthes... ad proconsulis Amagleniani prætorium adducuntur. Quos cum proconsul vidisset, minacibus verbis terruit.., nisi diis libamina adhiberent. Idque audacter detestati, Felix et Adauctus via Ostiensi, secundo ab urbe lapide ducti, securi percussi sunt. Fortunatum vero, Cajum et Anthem Leontius, Apuliæ proconsul, Salernum secum adduxit;... qui denique nec mortis pœna territi, fortiter dato capite, ad cæleste regnum migrarunt quinto kalendas septembris. *Præclara confusio : Felix quippe ille duplicem habet faciem, alteram episcopi nostri Africani, alteram presbyteri et martyris Romani. Adauctus hujus est socius et cum eo die* 30 *augusti colitur. Donatus e duodecim fratrum Adrumetinorum turma sublatus : reliquos probos martyres Salernitanos habuit Pinius noster* (6). *Ast diutius his inhærere nolim, quæ misericordia egent, nequaquam confutatione.* E

supprimendi Fortunatus, Cajus et Anthes, qui Salernitani MM. sunt.

16 *Porro ut lector comperiet quantum olim ausi fuerint librarii in sancti* Felicis *socios, pronum erit ab eo quæri an sanctus ille Felix, qui* VI *kal. septembris seu die* 27 *augusti cæsus dicitur Venusii et ad turmam duodecim fratrum pertinet, idem sit ac sanctus noster* Felix. *Candide dicam parum mihi placere duodecim fratrum Acta* (7); *ea mihi videri referenda inter hoc genus scriptionum, quæ* cycli *dici solent, et quibus multa inter se diversa et absona in unum rediguntur corpus; adeoque Passionem sancti* Felicis *nostri multis præluxisse locis illorum scriptori. Verumtamen non ausim dicere utrumque sanctum unum eumdemque esse. Primo enim Felix ille Venusinus, qui inter duodecim fratres censetur, nuspiam in Actis, neque in Martyrologiis episcopus dicitur; quin etiam post Januarium et Septiminum ejus venit nomen. Secundo, non eodem occisi dicuntur die : hic scilicet die* 27 *augusti aut* 29 (8), *noster vero constanter die trigesima. Tertio, anno* 760, *quum Arechis, Beneventi princeps,* F *corpora duodecim fratrum conquiri jussisset, repertæ fuere prioris sancti Felicis exuviæ, ut in historia translationis his legitur verbis* (9) : Sancti quoque Septiminus, Januarius et Felix, cum in urbe Venusia gladii animadversione optatum finem complessent, illic hactenus requietionis locum a Domino meruerunt; *quo tempore eorum corpora condita fuere in templo S. Sophiæ Beneventano* (10). *Contra ambigendum non videtur quin sancti* Felicis *nostri ossa in Africam delata fuerint.*

S. Felix noster diversus est ab alio Felice Venusino: quod ex translatione,

17 *Sed priusquam hæc concludam, recolligenda sunt nonnulla quæ de multimoda sancti* Felicis *nostri Actorum editione et fortuna supra adstruximus, ut variorum exemplarium genealogia, si ita loqui fas sit, comperta sit, atque hinc propositam quæstionem solvere liceat. Genuinum et primarium fontem esse exemplar Surianum ad nauseam usque diximus. In eo prius*

cujus ætas, (stabilito ordine genealogico documentorum de S. Felice.)

(1) Ap. Martene, Analecta, tom. VI. col. 726. — (2) Martyrolog. Adonis, pag. 700. — (3) Analecta, tom. VI, col. 675. — (4) Acta SS. tom. I Septembris, pag. 138. — (5) Ibid. tom. VI Augusti, pag. 167. — (6) Ibid. pag. 163 et seqq. — (7) Ibid. tom. I Sept. pag. 138 et seqq. — (8) Ibid. pag. 152 *cd.* cfr pag. 154, not. *l.* — (9) Ibid. pag. 142 et 143. — (10) Ibid. pag. 136 et seqq. 142 et seqq. 154 et 155. Cfr de Vita, Antiquit. Benev. tom. II, pag. 98.

mutarunt

A *mutarunt Venusini nomen* Apri *presbyteri in* Januarium, *necnon* Cyri *et* Vitalis *lectorum in* Fortunatum *et* Septiminum; *quas mutationes in exemplari suo sæculo* VIII *ineunte jam reperit Beda. Uno sæculo post reperit Ado exemplar, cui hæc ad finem addita erat clausula, quæ in omnibus codicibus mss. præterquam Suriano legitur :* Completa hac oratione, ductus a militibus, ibidem decollatus est; ibique corpus ejus positum est, et reliquiæ ejus ad almam Carthaginem per religiosos Dei servos et matris ecclesiæ filios perlatæ sunt et positæ in via quæ dicitur Scillitanorum. *Nisi enim hæc legisset in exemplari suo, Ado scribere non potuisset :* Tandem in occisione gladii consummati sunt. Sunt autem honorifice sepulti inter Carthaginem et Uticam. *Adeoque facile crediderim hæc ad textum pertinere primarium; itaut editio Suriana ad finem mutila sit. Statuere autem non ausim an sequentia quoque, passim obvia, legerit Ado :* In eodem autem venerabili loco multa fiunt mirabilia et languores; universi curantur in nomine Domini nostri Jesu Christi, cui est cum Deo Patre honor et
B laus et gloria in Spiritu Sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen : *hæc enim, ut jam animadverterunt alii, posterius assumentum habendum est. Acta similia Bedanis aut Adonianis, sed corrupta magis, vidit ille qui Menæis Græcorum sanctorum* Felicis, *Januarii, Fortunati et Septimini inseruit encomium; ut ex eo patet, quod hos sancto episcopo tribuit socios et iter Siculum commemorat : quod autem non definio Bedanisne an Adonianis Acta, quæ adhibuit, fuerint similia, hæc est causa, nihil scilicet certi posse concludi ex ejus de reliquiarum translatione silentio. Postea autem Nolani ita mutarunt Acta Venusina, quæ præluxere Adoni, ut iter Siculum suppresserint, Venusio substituerint Nolam, et alicubi, ubi nullum civitatis nomen legebatur, iterum Nolam inseruerint : quod postremum interpolationis genus, ut ita dicam, palpabile est sequenti loco :* Completa hac oratione, ductus a militibus, ibidem [id est, in Nola] decollatus est [die octavo decimo kalendas Februarii *]; ibique [in Nola] corpus ejus positum est, et reliquiæ ejus ad almam Carthaginem *etc. Utrum in ms. Sarum deessent verba :* Ibique in Nola corpus *etc. studioso silentio pressisse videntur editores* (1).

* *Mss. Rub. Vallis et I et II Audom.* III kal. sept.

inquiritur. 18 *Verum id obstat nequaquam quin certum sit omnino jam sæculo nono, ut ex Adone satis ostendimus, etiam in codicibus Venusinis scriptum fuisse sancti* Felicis *corpus Venusio relatum fuisse in Africam, atque etiam locum novæ sepulturæ fuisse notum, scilicet* viam Scillitanorum. *Quæ quum ita sint, et quum præterea credibile non sit illa a Venusinis addita fuisse post translationem duodecim fratrum, anno* 760 *factam; sequitur jam in Africam deportatum fuisse nostri* Felicis *corpus, quando alterius Felicis Venusii adhuc quiesceret. Superest tamen difficultas : in Agonibus Martyrum, quos a Jacobo Fabro Stapulensi Parisiis anno* 1525 *editos jam dixi, hæc videre est :* Nolæ... corpus ejus positum est; et reliquiæ ejus, HOC EST CAPUT, ad inclytam Carthaginem... perlatæ sunt. *Verum Faber hanc passim sibi licentiam usurpavit, ut majoris perspicuitatis gratia codicum verba immutaret, aliaque supprimeret, alia de suo adderet : unde tuto interpositionem :* Hoc est caput, *pravam interpolationem dixeris. Maneat itaque certum beati* Felicis *corpus prius Venusii fuisse conditum; et brevi post, quum sublatis christiani nominis hostibus et Constantino victore, Deus serenasset cœlum, ejusdem* reliquias *adeoque corpus integrum* per religiosos Dei servos et matris ecclesiæ filios (*quæ verba antiquitatem sapiunt venerandam*) perlatas *fuisse Carthaginem* et positas in via quæ dicitur Scillitanorum; *ac proinde* (*ut unde exorsi sumus, redeamus*) *hunc sanctum* Felicem *alium esse ac qui nunc requiescit Beneventi.*

AUCTORE V. D. B.

S. Felix *certo Venusii obiit.* 19 *Verumtamen cavendum est ne, dum distinguatur sanctus* Felix *Africanus a sancto Felice Venusino, omnino illum abripias Venusinis : tenendum omnino eum Venusii fecisse martyrium; quum Acta Suriana, in quibus nullus detegi potest nævus, id habeant. Re quidem vera Menæa Græcorum ejus necem in Lycaonia* (*immo* Lucania) *in civitate Ælurorum* (*immo* Rhegii) *contigisse perhibent; sed quum ipsa, ut supra num.* 17 *docuimus, excepta sint ex libris* E *Venusinas immutationes passis, nequaquam dubitandum est quin menæographus exemplari usus sit mutilo; hinc itaque nullum argumentum conficies. Neque pluribus respondendum videtur ad suspicionem, quam his movet verbis Florentinius :* Incertum mihi, an Sicilia vel Venusia, civitate Apuliæ, agonem compleverint. Venusii venerationem ac sepulcrum accepisse, translatis fortasse ex Sicilia corporibus, Senonense Martyrologium docet. *Legantur superius num.* 5 *hujus Martyrologii verba, nec dubium videbitur quin nodum in scirpo quærat Florentinius.*

§ IV. Sedes episcopalis sancti Felicis; cultus.

S. Felix *non procul a Carthagine erat episcopus;* Quæstiones *reliquæ involutæ minus, quamquam et ipsæ tricis non carent. Prima est de sancti* Felicis *episcopali sede. Eam positam fuisse in provincia proconsulari certum videtur; quum sanctus præsul Carthaginem missus fuerit ad proconsulem; cui quippe esset obnoxius.* F *Nec distabat procul a Carthagine : nam in Passione hæc leguntur :* Programma positum est in civitate Tibiurensi die nonarum Juniarum... Eadem die Felix episcopus Carthaginem erat profectus... Postera autem die Felix episcopus venit Carthagine Tibiuram. *Quibuscum hæc jam alibi ex Beda recitata conveniunt :* Sunt autem inter Carthaginem et Tubzocam *seu* Tibiucam millia passuum triginta quinque. *Atque de his fere consentiunt recentiores; sed diversi abeunt, ubi de repræsentando hujus civitatis nomine quæritur.*

opiniones de nomine civitatis : 21 *Baronius* (2) *æstimavit esse* Thibiram *seu Tibiram, ex sancto Cypriano notam satis : cui sententiæ eo titulo accedit Tillemontius* (3) *quod hæc civitas cognita sit et aliquo signo sanctus* Felix *ab homonymis episcopis sit distinguendus. Ceillier* (4) *eatenus assentit Baronio, ut alias nominis formas non omittat. Bailletus* (5) *dubius hæret. Morcellius* (6) *pugnat pro* Tibursica Bura

(1) Cfr Tillemont, Mém. eccles. tom. V, pag. 666. — (2) Annal. eccles. ad an. 302, num. CXVII et seqq. Martyrol. Rom. ad 24 octobris not. *a*. — (3) Mémoires eccles. tom. V, pag. 667. — (4) Auteurs eccles. tom. III, pag. 480. — (5) Vies des saints, tom. VII, pag. 373. — (6) Africa Christ. tom. I, pag. 318 et tom. II, pag. 184 et seq.

seu

AUCTORE V. D. B.

seu Thubursicubure *in provincia proconsulari, et alia a Thubursica in Numidia. Reliquos omitto. Priusquam meam aperiam sententiam, pauca de Baronii et Morcellii opinionibus (nam cæteri nil definiunt) dicenda videntur. Contendit Baronius* (1) *apud Adonem legi sanctum* Felicem *episcopum fuisse* Tibiurensem; *equidem in editione Plantiniana anni* 1564 *reperio* Tubrocensem; *in Rosweidiana anni* 1613 *et in Georgiana anni* 1745 Tubzocensem; *neque signant lectiones variantes ullas.* Tibiuram *legi apud Surium animadvertit dein Baronius : de hac forma infra. Subdit dein eruditissimus vir :* Ex antiquis autem mss. verior lectio ea mihi probatur, quæ habet, *Tibirensis : verum ubi lateant codices, non indicat neque post eum ullus alius. Præterea adversatur illi sententiæ, quod Thibiris non in provincia proconsulari, sed potius in Byzacena jacuisse videtur* (2). Thubursicubure, *quæ præplacuit Morcellio, videtur constare ex tribus verbis* Thubur, Sicca, Bura; *quibus* cisternam casæ montanæ *designari putem. Ast in ingenti formarum congerie,*
B *quos in codicibus reperi, nihil fuit obviam quod Morcellianæ conjecturæ faveret.*

hæc dicebatur Tubuza

22 *Contra universus ille formarum elenchus eo conspirat, ut sancti* Felicis *episcopalis sedis* Tubjuça *dicatur, vel* Tubuza, *ita ut derivatum prioris sit* Tubjocensis *posterioris* Tubzacensis. *Ecce catalogum earum lectionum variantium, quæ huic formæ faveant :*

Tupuza	*Ms. Cod. Colb.* 930.
Tubyza	*Ms. Cod. Colb.* 59.
Tubzocensis	*Beda, Mrlgm Rom. parv. Ado, Mss. Aud.* I *et* II, *Dacherius.*
Tubzuca	*Mss. Aud.* I *et* II.
Tubzocensæ	*Mrlgm. Reg. Suec. ap. Holst.*
Tubrozensis	*Rabanus, Molanus.*
Turbacensis	*Maurolycus.*
Tubzuzensis	*Ms. Compend. ap. Ruinart. et Audom.* III.
Tubzuza	*Dacherius et Ms. Aud.* III.
Tubizacensis	*Mrlgm. Carth. Colon., Mombrit., Agones MM.*
Tubizacum	*Agones MM.*
Bituzacensis	(*per metathesin*) *Ms. Colb.* 410.
Tubizocensis	*Ms. Colb.* 401.
C Tubyzacensis	*Mss. Colb.* 59 *et* 930.
Tubizantensis	*Epit. Ultraj. Ms.*
Tiptizcensis	*Flor. Ms.*

Atque in his maxime ratio habenda quatuor codicum Colbertinorum, qui id habent singulare, quod in iis Tubyza, Tupuza *non accrescit per mutatum* a *in* ensis, *sed in* acensis *seu* ocensis, *ita ut hinc oriatur* Tubyzacensis, Tubizocensis, Tubzocensis *etc. : non secus ac* Tambeæ *in Byzacena accrescunt in* Tambaicensis (3).

vel minus probabiliter Tubjoca;

23 *Alteri formæ, scilicet* Tubjuça *cum derivato* Tubjocensis, *suffragantur hæ reliquæ lectiones variantes :*

Tubioca	*Ms. Rub. Vall.*
Tubiocenses	*Id.*
Tibiuca	*Beda.*
Zubiocensis	*Mrlgm. ms. S. Maxim. Trev.*
ἐν πόλει τοῦ Βιουκὰν	*Men. Græc.*
Tibiura	(c *mutato in* r) *Surius.*
Tibiurensis	*Id.*
Tubabocensis	(*duplicata syllaba media*) *Petrus de Natal.* D

Quæ quum ita sint et quum præterea litteræ c *et* z *alternent, universa demum res eo adduci videtur utrum scribendum sit* Tubjuça *seu* Tubjuza *an* Tubuça *seu* Tubuza : *posterior præplacet forma, tum quoniam hæc vox non videtur esse composita et proin tres tantum ferat consonantes, utpote ad ramum semmiticum pertinens; tum quoniam ex* Tubjuça *cresci nequit laudatissima forma* Tubzacensis, *contra ex* Tubuça *seu* Tubuza.

quod tunc esset loci illius civile gubernium.

24 *Cæterum nulla alia de hoc loco notitia, et forte nullus ibidem, quod vicus tantum esset, sancto* Felici *successor datus. Re quidem vera ineunte sæculo* IV *aderat ibidem ordo decurionum, ex quo erat Vincentius ille Celsinus, qui dux et custos datus fuit sancto præsuli ; aderat et curator civitatis, Magnilianus scilicet, qui primus in vincula conjecit beatum virum ; aderat et officium, quod inter sua habebat munia reorum custodiam. Sed hæc omnia in civitatibus etiam erant minimis. Curatores nempe varii generis. Alexander Severus* fecit Romæ curato-
E res urbis quatuordecim, sed ex consularibus viris, *qui cum præfecto urbis jus dicerent* (4). *Non absimilis* (*si nobilitatem forte demas*) *Magnilianus, qui sub proconsule ejusve legato jus curabat Tubuzæ et reliquam rem publicam administrabat ; quo fere modo ii, quos nunc vocamus* maires, bourgmestres. *Decuriones, quos nunc consiliarii civitatum* (conseillers communaux) *fere repræsentant, municipia habebant et coloniæ, nec tantum metropoles* (5). *Officium ex apparitoribus constabat aliquot. Nulla hic itaque majoris civitatis umbra, nec species. Sed jam ad cultum veniamus beati martyris.*

S. Felicis *corpus, Carthaginem vectum, ubi repositum?*

25 *Corpus prius Venusii fuisse depositum, deinceps vero delatum Carthaginem et demum ad viam Scillitanorum collocatum docuimus num.* 18 *hujus commentarii. Erat quippe Carthagine suburbana cœmeterialis SS. Scillitanorum martyrum basilica, in qua S. Augustinus sermonem habuit et quam Vandali Ariani initio fere persecutionis sibi usurparunt* (6). *Quæ via ad hanc ædem et simul* (*ut ex Adone liquet*) *ad civitatem Uticam duceret,* Scillitanorum Martyrum *dicta fuisse videtur ; non vero qua ad oppidum* F *Scillam iretur. Ædiculam illic extructam fuisse quæ sancti* Felicis *reliquiis ornaretur, maxime verisimile : quamvis visum sit Morcellio* (7) *eas positas fuisse* prope martyres Scillitanos, *id est in eorum basilica.*

Ejus nomen non legitur in Kalendario Carthaginensi,

26 *Nomen sancti* Felicis *in kalendario Carthaginensi fuisse scriptum tradidit idem Morcellius* (8) ; *non recte. Re quidem vera ad diem* III *kal. septembris, quo sanctus* Felix *martyrium consummavit Venusii, legitur in Carthaginensi kalendario* (9) : III kal. sept. sancti Felicis, Evæ et Regiolæ mart. *Sed jam pridem animadversum fuit a Mabillonio* (10) *hos ternos sacros pugiles esse ex sancti Saturnini sociis, quos alii Alutinenses martyres vocant, alii Abitinenses, et quorum Acta ad diem* XI *Februarii edidit Henschenius* (11). *Quod itaque sancti* Felicis *Tubzacensis, proxime ad Carthaginem sepulti, nomen in illo kalendorio non*

(1) Martyr. Rom. ad 24 oct. not. *a*. — (2) Cfr Morcelli, Africa Christ. tom. I, pag. 315. — (3) Cfr Morcelli, ibid. pag. 304. — (4) Lampridius, cap. XXXIII. — (5) Cfr Eckel, Doctrina numorum, tom. IV, pag. 482. — (6) Act. SS. tom. IV Julii, pag. 206. — (7) Africa Christ. tom. II, pag. 185. — (8) Ibid. loc. cit. — (9) Vetera Analecta, pag. 165. — (10) Ibid. not. *q*. — (11) Act. SS. tom. II Febr., pag. 513 et seqq.

legitur,

A *legitur, admirationis aliquid habet ; non tamen multum, quoniam fasti illi aliquot locis sunt mutili, neque id genus kalendariis omnes sancti inscribebantur suburbani : quemadmodum ex collatione catalogi ædicularum cœmeterialium Romanarum cum vetustis Romanis kalendariis facile deprehendere est.*

sed in Neapolitano marmoreo et verisimiliter in Hieronymiano.

27 *Contra legitur sancti* Felicis *nomen in kalendario celeberrimo Neapolitano, quod sæculo* IX *marmori incisum fuit et cujus Mazochius prius semestre illustravit, Ludovicus Sabbatinius novem priores menses. Ibidem* (1) *itaque ad diem* XXX *augusti habes :* Pas. S. Felicis epi. *Neque dubito quin genuinis quoque Hieronymianis laterculis ejus adscriptum fuerit nomen, quamquam id ex multis codicibus exciderit. Aberat id quippe ab iis quos vidit Florentinius* (2) ; *sed in Augustano* (3) *legitur :* Romæ, Gaudentiæ virginis. Felicis. Gemellini. Romæ, Felicis et Adaucti mart. *In Labbeano* (4): Romæ, Gaudentiæ virginis. Felicis, Audacti martyris. Felix. Gemellinus. Candidæ, virginis. *Similia leguntur in codice Gellonensi, quem edidit Dacherius* (5). *Ille sane* Felix, *ab sancti Audacti socio diversus, noster* Felix *Tubzacensis est.*

B

Ejus cultus Venusii et alibi.

28 *Neapoli tamen jam pridem ejus cultus cessasse videtur. Sabbatinius* (6) *certe, asserens* olim S. Felicis *nomen Neapoli fuisse celebre, innuit id suo ævo oblivioni fuisse datum; neque ego ejus nomen reperio in kalendariis et breviariis Neapolitanis, quæ ad manum mihi sunt.* S. Felicem *hac die olim cultum fuisse Tornaci in Belgio constat mihi ex Henschenii nostri schedula, in qua notavit a se hujus beati martyris festum repertum fuisse in kalendario veteris Breviarii illius diœcesis ; sed ut Neapoli, sic quoque cessavit jam pridem Tornaci* S. Felicis *veneratio. Idem dicendum de cultu ejus apud Trevirenses et Ultrajectenses. In Calendario enim sæculi* XIII *exeuntis, præmisso libro hebdomadali S. Simeonis Trevirensi, ad hanc diem legitur* : Felicis epi et Bonifacii PP. *Similiter in Missalibus et Breviariis, Ultrajectensibus, tum scriptis, tum excusis sæculo* XV *et* XVI, *quæ numero sat magno habemus, ad hanc diem celebranda præcipitur memoria* S. Felicis et aliorum. *Sed jam pridem id intermissum est. Contra Venusii, quæ beati viri palæstra fuit, cultus etiamnum viget. Anno* 1698, *dum Janningus noster Romæ versaretur, eodem miserat capitulum Venusinum agentem, qui novas de* S. Felice *ejusque putatitiis sociis Audacto, Januario, Fortunato et Septimo lectiones, in secundo Nocturno recitandas, necnon orationem, procuraret et S. R. C. probandas proponeret. Quocirca vir ille a cardinali Colloredo ad Janningum missus, hanc ab eo scriptiunculam efflagitavit, quæ die* 21 *februarii anni sequentis albo calculo notata est. Lectiones desumpsit ex Baroniana seu Suriana editione, nisi quod hæc ad finem adjecit :* Episcopo suo comites in itineribus, in quæstionibus carceribusque socii, et in victoria pares fuerunt Audactus et Januarius presbyteri, necnon Fortunatus et Septimus lectores ; quorum omnium sanguine consecrata Venusina civitas, ut erga beneficentissimos patronos suum magis probaret obsequium, ad eorum festam diem quotannis rite custodiendam solemni se voto jam pridem obstrinxit. *Venusii laudes prosequi hujus non est loci : eas vide apud Ughellium* (7), *Orlendium* (8) *aliosque.* E

Ordo Actorum edendorum.

29 *Restat ut Acta S.* Felicis, *quæ Baronio et post eum aliis quoque criticis magnam partem ex commentariis proconsularibus accepta visa sunt, iterum in lucem demus. Ut ex Bollandi aliquot schedis intelligo, is in animo habebat primo edere loco S.* Felicis *Acta, qualiter in Nolæ laudem corrupta fuere ; deinde repræsentare editionem Surianam seu potius Baronianam ; et tertio ejusdem Passionis compendium secundum Menæa Græcorum. Verum enim vero Surianæ editioni, utpote primigeniæ, primum deberi locum perspicua res est ; nec, tamen Nolana supprimenda, quæ Dacherio, Baluzio, Anglisque præplacuit, maxime quod hoc pacto de compluribus rebus, de quibus adhuc dicendum superest, breviter in annotatis agere licebit. De Menæis Græcorum hæsimus aliquandiu : dabimus tamen et apponemus versionem, compendiose conceptam a cardinali Sirleto, quod is Menæa usurpasse videtur, a recentioribus aliquanto diversa. Plura monenda non videntur.* F

AUCTORE V. D. B.

C

(1) Mai, Scriptt. vett. tom. V, pag. 63. — (2) Martyrol, Hieronym. pag. 794 et seqq. — (3) Act. SS. post. suppl. Junii, pag. 21. — (4) Ibid. pag. 28. — (5) Spicilegium, tom. II, pag. 34. — (6) Il vetusto calendar. Neapolit. tom. VIII, pag. 98. — (7) Italia sacra, tom. VII, col. 165 et seqq. — (8) Orbis sacer et prof. tom. IV, pag. 1961.

PASSIO

S. FELICIS, EPISCOPI

TUBZACENSIS,

Secundum editionem Surii, Baronii et Ruinartii *a*, seu antiquiorem familiam codicum Venusinam.

a

Aper, Gyrus et Vitalis, clerici Tubzacenses, 5 junii capiuntur ;

b

Diocletiano VIII et Maximiano VII *b* consulibus augustis, exivit edictum imperatorum et cæsarum *c* super omnem faciem terræ ; et pro-

PASSIO

S. FELICIS, EPISCOPI

TUBZACENSIS,

Secundum editionem Fabri, Dacherii et Baluzii et codices mss. Ultrajectinum, Rubeæ Vallis et tres Audomarenses *α*, seu familiam codicum Nolanam.

α

Januarius, Fortunatus et Septiminus, clerici Tubzacenses, 5 januarii capiuntur ;

In diebus illis, Diocletiano VIII et Maximiano VII *β* consulibus augustis, exivit edictum eorundem cæsarum vel imperatorum *γ* super positum

c positum est per colonias et civitates principibus et magistratibus, suo cuique *d* loco, ut libros deificos peterent de manu episcoporum *d*
e et presbyterorum *e*. Tunc programma positum est in civitate Tibiurensi *f* die nonarum *f*
g h i juniarum *g*. Tunc Magnilianus *h* curator *i* jussit ad se perduci seniores plebis *k*. Eadem die *k*
Felix episcopus Carthaginem fuerat profectus. Aprum vero presbyterum ad se jussit per-
l duci, et Gyrum et Vitalem lectores *l*. Quibus Magnilianus curator dixit : Libros deificos habetis? Aper dixit : Habemus. Magnilianus
m curator dixit : Date illos igni aduri *m*. Tunc Aper : Episcopus noster apud se illos habet.
n Magnilianus curator dixit : Ubi est *n*? Aper dixit: Nescio. Magnilianus curator dixit: Eri-
o tis ergo sub officio *o*, donec Anulino proconsuli *p* rationem reddatis.
p

postridie capitur S. Felix *et negat sacros codices;*

2 Postera autem die Felix episcopus venit Carthagine Tibiuram. Tunc Magnilianus curator jussit Felicem episcopum ad se perduci per officialem. Cui Magnilianus curator dixit:
q Felix episcope *q*, da libros vel membranas quascumque habes. Felix episcopus dixit :
r Habeo, sed non do *r*. Magnilianus curator
s dixit : Prius *s* est quod imperatores jusserunt, quam quod tu loqueris. Da libros, ut possint
t igni aduri *t*. Felix episcopus dixit : Melius est
u me igne aduri quam scripturas deificas : quia bonum est obedire Deo *u* magis quam hominibus. Magnilianus curator dixit : Prius est quod imperatores jusserunt, quam id quod tu loqueris. Felix episcopus dixit: Prius est præceptum Domini quam hominum. Magnilianus
x dixit : Recogita tecum *x*.

mittitur Carthaginem ad proconsulem;

3 Post tertium autem diem jussit curator Felicem episcopum ad se perduci et dixit ei : Recogitasti tecum? Felix episcopus dixit *y* : Quæ prius locutus sum et modo loquor, et
y ante proconsulem ea sum dicturus. Magnilianus curator dixit : Ibis ergo ad proconsulem et
z α ibi rationem *z* reddes *α*. Tunc assignatus est
β illi Vincentius Celsinus β, decurio civitatis Tibiurensium.

omnem faciem terræ, et propositum est per colonias et civitates, principibus et magistratibus, suo cuique *δ* loco, ut libros deificos extorquerent de manibus episcoporum et presbyterorum *ε*. Tunc programma positum est *ε*
in civitate Tubyzacense *ζ* die nonarum januariarum *η*. Tunc Magnilianus *θ* curator *ι* ipsius *ζ*
η θ ι civitatis jussit ad se perduci presbyteros *κ*, *κ*
quia Felix episcopus Carthaginem erat profectus : Januarium presbyterum, Fortunatium et Septiminum *λ* lectores jussit ad se perduci. *λ*
Quibus Magnilianus curator dixit : Episcopum habetis ? Januarius presbyter respondit : Habemus. Magnilianus curator dixit : Ubi est *μ*? *μ*
Januarius presbyter respondit : Nescio. Magnilianus dixit : Libros deificos habetis, Januarius respondit : Habemus. Magnilianus dixit : Date illos igni aduri *ν*. Januarius presbyter, *ν*
Fortunatius et Septiminius lectores dixerunt : Episcopus noster apud se illos habet. Magnilianus curator dixit : Eritis ergo sub officio *ο*, *ο*
donec Anulino proconsuli *π* rationem reddatis. *π*

postridie capitur S. Felix *et negat sacros codices;*

2 Postera autem die Felix episcopus a Carthagine venit Tubyza. Cumque ejus adventum Magnilianus comperisset, statim eum sibi per officium præsentari constituit. Qui cum dicto citius advenisset, [Magnilianus curator dixit ad eum : Tu es Felix episcopus hujus civitatis. Felix episcopus dixit : Ego *ξ*.] Magnilianus *ξ*
curator dixit : Da libros vel membranas qualescumque penes te habes. Felix episcopus dixit : Habeo, sed non trado legem Domini Dei mei, quem ego colo. [Magnilianus dixit : Ergo major est Deus tuus diis nostris? Felix episcopus dixit : Grandis et metuendus est Deus noster, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Nam dii vestri lapides sunt, manu hominum facti, de quibus scriptum est : Oculos habent et non videbunt; aures habent et non audient; os habent et non loquentur. Similes illis fiant, qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis *ρ*.] Maglinianus *ρ*
curator dixit : Primum *σ* est quod imperato- *σ*
res jusserunt, quia nihil est quod loqueris. Quapropter trade libros omnes quos habes, ut possint, sicut constitutum est, igni aduri *τ*. *τ*
Felix episcopus dixit : Melius est ut corpus F
meum tradam igni quam scripturæ dominicæ per me videantur aduri : quia bonum est Deo obedire perpetuo regi *υ* et immortali, quam *υ*
imperatori hujus sæculi iniqua jubenti. Magnilianus dixit : Jam dixi tibi quia primum est quod imperatores jusserunt quam ea quæ loqueris. Felix episcopus dixit : Primum est præceptum Dei custodire, quam hominibus obedire. Magnilianus curator dixit : Interim intra hoc triduum recogita tecum; quia si in hac propria civitate ea quæ præcepta sunt implere neglexeris ad proconsulem ibis, et ea quæ nunc loqueris, apud ejus acta *φ* prose- *φ*

mittitur Carthaginem ad proconsulem;

3 Post diem autem tertium Magnilianus curator jussit sibi sanctum Felicem episcopum præsentari. Ad quem cum Felix episcopus fuisset adductus, idem Magnilianus dixit : Deliberasti tecum quidnam melioris consilii videaris assequi? Felix dixit : Sermo meus unus est; in quo cœpit, in hoc etiam, Deo præsule, finietur *χ*. Quæ enim primo locutus *χ*
sum, hæc et nunc eadem loquor, et ante pro-

4 Tunc

A

huic negat se sacros libros traditurum; mittitur ad præfectum prætorio;

γ

δ ε

ζ

B

η

θ

ι

4 Tunc profectus est Felix a Tibiura, octavo kalendas julias. Ligatus deductus est; ligatum γ vero jussit in carcerem trudi. Alia autem die productus est Felix episcopus ante lucem; cui dixit proconsul. Quare scripturas supervacuas non reddis? Felix episcopus dixit: Habeo, sed non dabo. Tunc jussit eum alligatum in ima carceris mitti δ. Post sexdecim ε autem dies Felix episcopus productus est de carcere in vinculis, hora noctis quarta, ad Anulinum proconsulem ζ. Cui dixit Anulinus: Quare scripturas supervacuas non reddis? Felix episcopus respondit: Non sum eas daturus. Tunc jussit illum Anulinus proconsul ad præfectum prætorio η mitti, idibus julii. Tunc præfectus jussit eum suo carcere recipi et majoribus vinculis ligari. Post dies autem novem θ jussit eum præfectus post imperatores ι navigare.

C

jussus post impp. navigare, venit in Siciliam, dein Venusium, ubi examinatur a præfecto prætorio;

ϰ

λ

* *supple* trans * Rhegium

μ

5 Tunc Felix episcopus ascendit navim ϰ cum vinculis magnis et fuit in capsa navis diebus quatuor. Volutatus sub pedibus equorum, panem et aquam non gustavit: jejunus in portum pervenit, et in civitate Agrigento λ exceptus est a fratribus cum summo honore. Inde venerunt in civitatem nomine Catanam: ibi similiter sunt excepti. Inde Messanam venerunt. Inde Taurominium: ibi similiter sunt excepti. Postea * fretum navigaverunt, in partes Lucaniæ, civitatem nomine Rulo *. Inde profecti sunt Venusium, quæ est civitas regionis Apuliæ. Tunc præfectus μ jussit Felicem de vinculis eripi; et dixit: Felix, quare scripturas dominicas non das? aut forsitan non habes? Cui repondit: Habeo quidem, sed non do. Præfectus dixit: Felicem gladio interficite. Felix episcopus dixit voce clara: Gratias consulem aliud penitus non sum dicturus. Maglinianus curator dixit: Ibis ergo jam nunc ad proconsulem, et ibi redditurus es in examine rationem ψ. [Tunc viros suos his allocutus est verbis: Quoniam Felix episcopus juxta imperatorum decreta ea, quæ nobis mandare dignati sunt, facere nullo modo maturavit, vobis comitantibus Carthaginem perducatur *a*.] Felix episcopus dixit: Deo gratias. Tunc designatus est illi ductor, Vincentius Celesinus *b* nomine, decurio civitatis Tubyzacensis.

D

ψ

a

b

huic ejusque legato negat se sacros libros traditurum; mittitur Romam ad præfectum prætorio;

4 Profectus est autem Felix episcopus Carthaginem. Ubi cum venissent, oblatus est legato proconsulis *c*. Cui idem legatus dixit: Quare scripturas non tradis supervacuas? Felix episcopus dixit: Habeo quidem, sed non do. Scripturæ, quæ a nobis habentur, supervacuæ non sunt, nec tradi a nobis ullo modo possunt. Tunc jussit eum legatus in ima carceris mitti. Ubi cum Felix episcopus fuisset ingressus, Dominum Deum suum deprecatus est, dicens: Domine Deus, omnium creator et conditor, Domine Jesu Christe *d*, ne me derelinquas, quia propter te et propter testamentum tuum hæc patior. Miserere mei et recipe spiritum meum, et derelinque in hoc sæculo corpus mortale, ut a te, Domine, sicut promittere dignatus es, tecum merear suscipere immortale. In te enim semper, Domine, vivam, numquam adversus me habebit mors potestatem. Post dies autem sedecim *e* hora noctis quarta, de carcere productus Felix episcopus Anulini proconsulis ilico est præsentatus aspectibus. Cui Anulinus proconsul dixit: Quod tibi nomen est? Felix episcopus dixit: Christianus sum. Anulinus proconsul dixit: Non de vocabulo quæsivi professionis *f*, sed percuntatus sum quo nomine nuncuperis. Felix episcopus dixit: Sicut tibi jam dixi, hoc nunc et iterum dico, quia christianus sum et episcopus. Tunc iratus Anulinus proconsul quod ei nomen suum dicere noluisset, ait illi: Habes scripturas supervacuas? Felix episcopus dixit: Habeo scripturas, sed non (ut asseris) supervacua *: quas cognosce a me nequaquam esse tradendas. Tunc Anulinus proconsul transmisit eum Romæ ad præfectum prætorii *g*. Cumque Felix episcopus ibidem advenisset, et eidem præfecto oblatus fuisset, jussit eum in suo carcere recipi et majoribus vinculis alligari. Post dies autem duodecim *h* jussit eum præfectus prætorii post imperatores *i* navigare.

c

d

E

f

* non sunt u. a. supervacuæ *Bal.*

g

F

h

i

jussus post imperatores navigare, venit Nolam; ubi examinatur a cognitore civitatis;

5 Tunc Felix episcopus navem conscendit, catenarum duris nexibus colligatus, et fuit in subsanio *k* navis quatuor diebus et quatuor noctibus, jacens sub pedibus equorum, panem non comedens nec aquæ quippiam bibens. Jejunus autem venit Nolam *l*. Tunc cognitor ejusdem civitatis *m* venientem Felicem episcopum sibi præsentari constituit vinculis gravioribus innodatum. Cui idem cognitor sic ait: Felix, quomodo huc venisti? Felix episcopus dixit: Quomodo Deus voluit. Cognitor dixit: Si in tua propria civitate vel apud Carthaginem scripturas deificas tradidisses, ad me hucusque minime advenisses. Felix episcopus dixit: Habeo quidem scripturas divinas; sed sicut diversis inquirentibus me respondisse non nescis, hoc etiam tibi præsens modo certissime manifesto, quia eas nullo tibi,

k

l

m

A tibi, Domine, qui me dignatus es liberare.

capite minuitur die 30 *augusti.*

6 Et ductus est ad passionis locum (cum etiam ipsa luna in sanguinem conversa est) die tertio *o* kalendas septembris. Felix episcopus, elevans oculos in cælum, clara voce dixit: Deus, gratias tibi. Quinquaginta et sex annos habeo in hoc sæculo. Virginitatem custodivi, Evangelia servavi, fidem et veritatem prædicavi. Domine Deus cæli et terræ, Jesu Christe, tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes *ν* in æternum *π* : Cui est claritas et magnificentia in sæcula sæculorum. Amen.

B

modo trado. Cognitor dixit : Si scripturas deificas tradere nolueris, capite plecteris. Felix episcopus dixit : Plus paratus sum plecti capite quam libros dominicos sacrilego * tradere. Tunc memoratus cognitor jussit ut sacra præcepta imperatorum recitarentur; cumque a Vincentio scriba quæ constituta fuerant legerentur, cognitor dixit : Quoniam iste homo tantum in eadem confessione perdurat *, secundum præceptum principum * hunc eumdem Felicem episcopum gladio animadverti constituo. D

* sacrilegio *Bal.*

* duravit *Bal.*

* principum *om. Bal.*

capite minuitur die 15 *januarii : reliquiæ feruntur Carthaginem.*

6 Felix episcopus elevans oculos ad cælum dixit * : Deus, gratias tibi ago, qui per * quinquaginta et sex annos in isto sæculo virginitatem meam in me custodire dignatus es, Domine Deus cæli et terræ, Domini nostri Jesu Christi pater, propter te et propter legem tuam et pro timore tuo hoc patior, et cervicem meam flecto ad victimam. Accipe spiritum meum de hoc mortali sæculo. Solus enim es Deus vivens atque invictus et permanens *n* gloriosus in sempiterna sæcula *p*. Amen. Completa hac oratione, ductus a militibus ibidem, id est, in Nola, decollatus est die octavo decimo *o* kalendas februarii ; ibique in Nola corpus ejus positum est, et reliquiæ ejus ad almam Carthaginem per religiosos Dei servos et matris ecclesiæ filios perlatæ sunt et positæ in via quæ dicitur Scillitanorum. In eodem autem venerabili loco multa mirabilia fiunt, et languores universi curantur, in nomine Domini Dei nostri Jesu Christi, cui est cum Deo Patre honor et laus et gloria in Spiritu Sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* ita peroravit *cod. Rub. Val.*

* per *omit. Bal.*

n

p

o

ANNOTATA.

a *α Plura de his editionibus et codicibus monuimus in Commentario prævio num.* 2 *et seqq. et* 17. *Titulus Actorum in editione Baluzii et in codd. Colb.* 59 *et* 930 : Incipit Passio sancti Felicis episcopi Tubyzacensis, qui propter legem Domini decollatus est XVIII kalendas februarii. *Cod. Colb.* 401 : Incipit Passio sancti Felicis Bituzacensis XVIII kal. januarii. *Editio Dacherii:* Passio sancti Felicis, Tubzocensis episcopi, et martyris. *Agones Martyrum Fabri:* Passio sancti Felicis episcopi Tubizacensis. *Cod. S. Audomari I :* Vita sancti Felicis, episcopi Africani, martyris, III kal. sept. *Cod. Colb.* 316: Passio sancti Felicis episcopi, *et Cod. Aud. II:* P. S. F. martyris. *Cod. Rubeæ Vallis:* Passio sancti Felicis episcopi et sociorum ejus. *Ex qua recensione satis liquet in genuina lectione sermonem non fieri de sancti* Felicis *sociis ; unde perfice argumentum, quod breviter indicavimus in Commentario num.* 14.

C

b *β In editione Surii legitur :* Diocletiano *nonies* et Maximiano *octies; sed in omnibus editis et mss.* octies *et* septies : *et quidem hi numeri retinendi, quum id decretum latum fuerit postridie Terminalium, seu* VI *kalendas martias anni* 303. *Manifesto librarius* VIII *in* VIIII *mutavit et* VII *in* VIII; *nam in fonte editionis Surianæ prius fuisse signatum* octavum *Diocletiani consulatum, vel ex Menæis Græcorum colligere est. Baronius in Annalibus* (1) *Surianæ lectioni substituit:* Constantino Chloro et Galerio Maximiano quartum consulibus, *quod cum aliis viris doctis persuasum haberet Diocletiani edictum anno* 302 *fuisse promulgatum. Verum hæc sententia cecidit, ex quo tempore Lactantii de morte persecutorum opus lucem adspexit* (2).

c *γ* Vel imperatorum *omittunt codd. I et II Audom. et Rubeæ Vallis; habent contra edit. Baluzii, Dacherii et codd. Aud. III. Unus quippe tunc Nicomediæ* imperator *et unus* cæsar; *eadem fere occasione Lactantius* (3) *dixit* duos imperatores. *Equidem arbitror genuinam lectionem esse* imperatoris et cæsaris: *mutare tamen nolui, destitutus codd.*

d *δ* Cuique *editt. Surii, Dacherii, Baluzii et cod. Aud. III.;* quocumque *codd. Aud. II et III et Rub. Val.* — Propositum, *paulo supra, juridicum vocabulum est, quo significatur publice affixo titulo, decreto aut alio scripto aliquid in hominum notitiam ducere.* Libri deifici, *de quibus brevi post, item vocabulum est quod apud solos JCtos reperitur; videlicet hoc loco et in sententia absolutionis Felicis Aptungitani, quam anno* 314 *tulit Ælianus proconsul* (4). *Hæc forte vox usurpata fuerat in Maximiani Herculii aut præfecti prætorii literis, quibus Diocletiani edictum in Africam mittebatur. In Agonibus MM. leguntur* libri rituales.

e *ε Decreta non habemus integra. Ecce quæ habet Lactantius* (5) : Postridie (*Terminalium et*

F

(1) Ad an. 302, num. CXVIII. — (2) Cfr Annotata Baluzii, Misc. tom. I, pag. 41, edit. Mansi. — (3) De morte persec. cap. XIV ; cfr Gisb. Cuperus ad h. l. — (4) Cfr S. Optatus, Hist. lib. I, pag. 26; Gesta purgationis, ibid. pag. 164. — (5) De morte persec. cap. XIII.

exustæ

A *exustæ ecclesiæ Nicomediensis*) propositum est edictum, quo cavebatur ut religionis illius D homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis subjecti essent ex quocumque ordine aut gradu venirent, adversus eos omnis actio caleret, ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent, libertatem denique ac vocem non haberent. *Hoc prius edictum, quo Christiani non addicebantur morti, sed juribus tantum civilibus omnique honore et gradu destituebantur.* Sed cæsar *(Galerius Maximianus)* non contentus est edicti legibus. Aliter Diocletianum aggredi parat. Nam ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, occultis ministris palatio subjecit incendium... Quindecim diebus interjectis, aliud rursum incendium molitus est... Furebat ergo imperator (*Diocletianus*)... Potentissimi quondam eunuchi necati... Comprehensi presbyteri ac ministri... Omnis sexus et ætatis homines ad exustionem rapti... Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabantur... Et jam litteræ ad Maximianum (*Herculium*) atque Constantium (*Chlorum*) commeaverant ut eadem facerent... Et quidem senex Maximianus (*Herculius*) libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. *Atque hæ literæ alterum edictum, priore multo acerbius, continebant. Non aliter de utroque edicto Eusebius* (1). Nonus decimus agebatur annus imperii Diocletiani, quum mense dystro, quem Romani martium vocant, appetente die festo dominicæ passionis, proposita sunt ubique (*immo aut ubi locorum degebat Eusebius*) imperialia edicta, quibus ecclesiæ quidem ad solum usque dirui; sacri vero codices flammis absumi jubebantur: utque honorati quidem infamia notarentur; plebeji vero libertate spoliarentur, si in christianæ fidei proposito permansissent. Et primum quidem contra nos edictum hujusmodi fuit. Sed non multo post aliæ rursus literæ supervenerunt, quibus mandabatur ut omnes ubicumque ecclesiarum antistites primum quidem conjicerentur in vincula; deinde vero diis sacrificare omnibus modis cogerentur. *In Chronico Paschali* (2) *legimus prius edictum ubique fuisse propositum in festo paschatis, die* 25 *martii anni* 303; *quod nempe hac die affixum est publice Alexandriæ. Idem in*
B *Palæstina est propositum mense aprili, cum salutaris passionis dies immineret* (3) : *adeo ut eodem* E *die tunc etiam celebratum non fuerit pascha. Sed in his nunc non hærendum. Quum Africa Italiæ fortunam sequeretur, ea tunc obnoxia erat Maximiano Herculio, qui quippe per Italiam imperabat. Herculii itaque voluntate et jusso venit in Africam et quidem in Numidiam prius edictum mense majo, quum in Gestis de Silvano traditore legamus sequentia* (4) : Diocletiano VIII et Maximiano VII consulibus, XIV kal. junias ex Actis Munatii Felicis flaminis perpetui curatoris coloniæ Cirtensium. Cum ventum esset ad domum, in qua christiani conveniebant, Felix flamen perpetuus curator Paulo episcopo dixit : Proferte scripturas legis, et si quid aliud hic habetis, ut præcepto et jussioni parere possitis. *Unde viginti diebus post, nonis scilicet junii, idem programma seu edictum propositum Tubuzæ : et quidem secundum hoc, non vero secundum posterius decretum sanctus* Felix *examinatus fuit, saltem donec venisset in Italiam: quemadmodum universa suadet Passio. Unde intelligitur quare Anulinus proconsul sanctum* Felicem *capitis non damnarit. Priori scilicet Diocletiani edicto non hæc decreta fuisse videtur pœna. Contra postquam posterius edictum allatum est in Africam (quod anno* 303, *forte non multo ante* III *idus novembris, quo mare claudi in Commentario diximus, factum est) aliter plane egit Anulinus, ut ex Actis sancti Saturnini et sociorum manifestum est. Hos enim die* 12 *seu* pridie idus februarias *anni* 304 *exquisitissimis tormentis cruciavit* (5), *quod collectam celebrassent, omnesque deinceps, diebus tamen diversis, morte mulctavit. Mense martio missum tertium edictum in Palæstinam* (6) : *an in Africam venerit, ad nos non pertinet; multoque minus quartum.*

f ξ *De hoc nomine ejusque formis copiose dictum est in Commentario num.* 21 *et seqq.*

g η *In Commentario fuse ostendimus (quod etiam ex annotato* e ε *patet) genuinam lectionem esse* die nonarum juniarum, *et beati martyris mortem referendam ad* III kalendas septembris : *quæ dein mutata in* die nonarum januariarum *et* XVIII kal. februarii. *Hæc cum venissent sub*
C *oculos librarii, cui ex martyrologiis aut kalendariis perspectum erat beati* Felicis *natalem* F *a. d.* III *kal. septembris celebrari, transtulit hæc ille omnia ad mensem augusti; ita ut* die nonarum augustarum *edicti promulgationem statuerit et beati martyris necem* III kal. septembris. *Atque hæc obvia esse in codd. Aud. I et II et Rub. Val. in Commentario monui num.* 4. *Rhabanus, Martyrologus Senonensis, et Beda, cujus cæterum inhærent vestigiis, suffragantur editioni Surianæ.*

h θ *Alii codd.* Magnilianus, *alii* Magnelianus, *alii* Magdellianus, *aliique demum* Magnellianus; *Menæa* Μαριανος *vel* Μαγνιανος. *Si etymologia spectetur,* Magnellianus *præplacet. Verum* Magnilianus *alibi quoque reperitur; v. g.* Magnilianus *quidam notarii officium facit Dorostori in passione SS. Maximi, Quintilliani et Dadæ* (7).

i ι *Jacobus Faber in Agonibus MM. mutavit* curatorem *in* procuratorem : *perperam. Paulo supra, in annotato* e ε, *flamen Felix,* perpetuus curator coloniæ Cirtensium, *fuit obvius. Centeni alii leguntur in operibus de re epigraphica. Sæpe dicti* curatores reipublicæ. *Cfr Comm. prævi, num.* 24.

k ϰ Seniores plebis *editionis Surianæ mutati in* presbyteros *in aliis editt. et codd. Verum* senior *et* plebs *utraque vox ecclesiastica apud Afros. Cyprianus in epistola ad Firmilianum* (8): Necessario apud nos fit ut per singulos annos SENIORES et præpositi in unum conveniamus ad disponenda ea quæ curæ nostræ commissa sunt; *et in capite alterius epistolæ* (9) : Cyprianus... Felici presbytero et PLEBIBUS consistentibus ad Legionem et Asturicæ. *Utramque vocem conjungit miserrimus Purpurius, episcopus Limatensis, sancto* Felici *cœvus:* Adhibete conclericos, *inquiens* (10), et SENIORES PLEBIS, ecclesiasticos viros, et inquirant diligenter

(1) Hist. eccles. lib. VIII, cap. 2. Cfr de Martyr. Palæst. ante cap. 1. — (2) Chronicum Paschale, tom. I, pag. 515, Bonnæ, 1832. — (3) Cfr Eusebius, Mart. Palæst. ante cap. 1. — (4) Ap. Baluzium, Miscell. tom. I, pag. 22. — (5) Ap. Ruinartium, Act. sinc. MM. pag. 382 et seqq. — (6) Eusebius, Mart. Palæst. cap. III. — (7) Acta SS. tom. II Aprilis, pag. 127. — (8) Opp. Omn. edit. Felli, pag. 219. — (9) Aguirre, Concil. Hisp. tom. I, pag. 208. — (10) Gesta de Silvano traditore, ap. Dupin, Opp. S. Optati, pag. 169.

quæ

A quæ sint istæ dissensiones. *Exempla alia, gallica et italica, dabit Cangii Glossarium ad verba* Senior *et* Plebs, *maxime editio Benedictinorum. Interim ex hoc loco, utut prima specie nullius momenti videtur, collige textum Surianum primigenium esse : non enim clariora in obscuriora vertuntur a librariis, sed contra.* D

l λ *Unde factum sit ut* Apro Januarius, Gyro *seu* Cyro (*ita enim interpretandum esse duxit Baronius*) Fortunatus, *et* Vitali Septiminus *substituti fuerint, explicuimus in* § 3 *Commentarii prævii. Non eodem ubique modo scribuntur illa nomina: Dacherius et Baluzius consentiunt in* Januario, Fortunatio *et* Septimino. *Solus cod. Aud.* III Januarianum *laudat, et* Fortunianum. Fortunatianus *legitur in Agonibus MM., in codd. Aud.* I *et* II *necnon Rub. Val.; similiter in Mrlgiis Bedæ, Rabani et Senonensi; non aliter in Romano Parvo, Adonis et aliis. Contra Menæa, Notkerus, Usuardus et alii* Fortunatum; *quam sinceram lectionem arbitramur, quoniam ille Fortunatus desumptus ex turba duodecim fratrum martyrum. Eadem de causa* Septiminus *genuinum nomen tertii videtur; cui formæ præter Dacherii et Baluzii editiones suffragantur Menæa, Beda, Mrlgm Senonense et S. Maximini, Agones MM., Codd. Rub. Val., Aud.* I, II *et* III. *Verumtamen refragantur Rabanus, Romanum Parvum, Ado, Notkerus, Usuardus et alii, in quibus* Septimus *legitur.*

m μ Hanc jussionem Magniliani curatoris et responsionem martyrum defuisse in veteri exemplari Chiffletii hinc colligi potest, quod omissa est in editione Dacherii. Eam tamen exhibent omnia nostra vetera exemplaria (uno 316 excepto) et editio Surii. Et sane constat sensum non esse integrum in illis exemplaribus, quæ illam magistratus interlocutionem et clericorum responsionem non habent. *Hactenus Baluzius. Similiter de nostris exemplaribus dixero, ubique illa eadem reperiri præterquam in cod. Rub. Val.*

n ν Hanc totam pericopem, quæ in codicibus 401 et 930 non invenitur, exhibent codices 59 et 316 et editio Dacheriana. Eamdem etiam habet Suriana. *Hæc Baluzius. Legitur eadem* B *interrogatio et responsio in omnibus nostris exemplaribus ; sed omittitur in Agonibus MM. Singulare est et proprium editioni Surii incidenter et ad finem mentionem fieri de episcopo.* E

o ο *Quum ab episcopo et clericis Cirtensibus extorti sunt sacri codices, aderat quoque* officium publicum, id est, Edesius et Junius exceptores (1), *seu curatoris ministri aut apparitores* (2).

p π *S. Optatus comparat persecutionem Diocletiani urso :* Quo tempore, *addit,* fuerunt et impii judices, bellum christiano nomini inferentes : ex quibus in Provincia Proconsulari... fuerat Anulinus, in Numidia Florus. Omnibus notum est, quid eorum operata sit artificiosa crudelitas ; *quam dein pluribus describit, maxime Flori. Et quidem hujus sævities multo truculentior quam Anulini, qui invitus impia decreta proposuisse et fecisse videtur. Hinc integro fere mense post Florum Diocletiani edictum affixit in publico ; et quum Mensurius, Carthaginensis præsul, libros hæreticorum in basilica Novorum congessisset, a persecutoribus loco divinarum scripturarum auferendos, et quidam Carthaginensis ordinis viri de hac fraude monuissent proconsulem, noluit tamen Anulinus eis consentire, nec episcopi domum perscrutandam esse decernere ; ut ex epistola Mensurii et Breviculo collationis Carthaginensis dici tertiæ, cap.* XIII (3), *intelligere est ; quin immo non ubique destruxisse videtur domos, in quibus scripturæ repertæ erant aut putabantur ; quamquam id lex imperatoris ferret et ipse Anulinus id alicubi fieri siverit. In vivis adhuc erat Anulinus nonis decembribus anni* 304, *quum sanctam Crispinam examinavit* (4), *sed ineunte forte anno sequenti* (*si fides habenda S. Mammarii Actis* (5)) *diem obiit et locum fecit Maximo.*

q ξ *Pericope, in secundo exemplari inclusa uncinis, omnibus inest codd. et editionibus, excepta Suriana.*

C r ρ *Hæc alia pericope, uncinis inclusa, iterum a sola editione Suriana abest ; et quidem* F *merito :*

s σ Prius *et* primum *neque ad numerum, neque ad successionem temporis hic refertur, sed ad præstantiam ordinis ; quasi vernaculo diceretur :* Avant tout la loi.

t τ « *Ut possint, ut constitutum est, igni aduri.* Hæc verba desunt in duobus antiquis exemplaribus. Possunt autem omitti absque ullo incommodo. Supra : *Date illos igni aduri.* » *Hæc Baluzius. Non tamen omittenda. Leguntur enim in omnibus editionibus et codd. nostris, et sancti* Felicis *responsio ea exigit.*

u υ Perpetuo regi *etc. ab editione Surii absunt. Irrideri iis videtur titulus* perpetuus, *quo a Probi saltem ævo aliquando* augusti *et* imperatores perpetui *dicti sunt. Verum vix aut ne vix quidem is Diocletiano et Maximiano Herculio datus ; sed potius Constantini M. filiis et deinceps* (6).

x φ *Hic iterum multo plura in secundo exemplari quam in editione Suriana. Baluzius ad hæc verba :* Apud ejus acta *animadvertit :* Hæc est vera et germana lectio. Male in codd. 59, 401 et 930 : *Apud eum acta. In omnibus codd. nostris :* Apud ejus acta. — *In Agonibus MM.:* Apud eum. *In Actis purgationis Cæciliani legitur* (7) *:* Nundinarius diaconus dixit : Tu ergo respondisti apud acta, quoniam dedisti codices... Legantur acta ; *et alibi similia.*

y χ *Iterum hic secundum exemplar uberius.* Finiet *in editt. Fabri Stapulensis, Dacherii et Baluzii ; in codd. nostris* finitur, *præterquam in Aud.* III, *ubi* finietur.

(1) Gesta de Silvano traditore, ap. Dupin, Opp. S. Optati, pag. 168. — (2) Cfr Gothofredus, ad *C. Th. de numerariis, actuariis, scrinariis et exceptoribus*, in paratitlo et ad l. 2. — (3) Opp. S. Augustini, tom. IX, col. 567. — (4) Ruinartius, Act. Sinc. MM. pag. 449. — (5) Ap. Mabillonium, Analecta, pag. 179, edit. de la Barre. Cfr Tillemont, Mémoires ecclés. tom. V, pag. 66. — (6) Cfr Eckhel, Doctrina numorum, tom. VIII, pag. 358 et 501. — (7) Ap. Dupin Opp. S. Optati, pag. 168.

z ψ *Addit*

A z ψ *Addit Baluzius :* Ita codices 401 et 930 ; alii habent *examinatione ; scilicet codd.* 59 *et* 316, *et edit. Dacherii.* — *Agones MM. suffragantur Baluzio. Cod. Rub. Val. et Aud.* I *et* II *habent:* examinationem veram : *Aud.* III : in examinatione rationem veram. D

α a *Quæ uncinis inclusimus, leguntur in Agonibus MM. et in editionibus Dacherii et Baluzii ; verum hic annotat sequentia :* Mirum est quomodo fieri potuerit ut depravatissima lectio obrepserit in codd. 59, 401 et 930, ubi legitur : *Uxor itaque ejus virum suum iis allocuta est verbis. In cod. Aud.* III *ita exhibentur :* Et pergente eo ad proconsulem, his eum allocutus verbis : Quoniam Felix episcopus imperatorum jussa, ea quæ nobis mandare dignati sunt, facere contempsit, vobis comitantibus Carthaginem perducatur. *Contra in Codd. Rub. Val., Aud.* I *et* II *et editione Surii omittuntur plane : et merito ; quippe quæ non conveniunt cum sequentibus, in quibus unus Vincentius sancto* Felici *comes datus legitur. Pericope :* Felix episcopus dixit : Deo gratias, *ubique reperitur, præterquam apud Surium : retinendane an omittenda, non definio.*

β b Celsinus *seu* Celesinus *omittitur in editt. Dacherii et Baluzii et in Agonibus MM. In cod. Rub. Val. legitur* Celesinæ ; *in Aud.* I *et* II Celesinia.

γ c *In universo hoc numero inter utrumque exemplar discrepantiæ plurimæ. Omnes ortæ ex eo quod librarius Surianus* ligatus *legit ubi textus habebat* legatus, *atque secundum hanc corruptelam reliqua composuit. Porro proconsul Africæ, ut ex Notitia imperii* (1) *compertum est, legatos habebat duos. Cogniti complures ex historicis et monumentis marmoreis ; neuter tamen Anulini. Ii additi proconsuli, qui eorum opera consilioque uteretur eosque aliquando adhiberet vicarios* (2). *Ad verba :* Ullo modo possunt, *advertit Baluzius in codd. Colb.* 59, 401 *et* 930 *legi :* nulla ratione. *In omnibus codd. nostris :* ullo modo.

δ d *Melius a Suriana editione abesse videtur universa hæc ad Deum oratio. In codd. Rub. Val. et Aud.* I, II *et* III *aliud ejus initium, nempe :* Domine Deus, creator omnium sæculorum, B ne me derelinquas. *Ad verba :* Ut a te Domine *annotat Baluzius in codd. Colb.* 59, 401 *et* 930 E *hanc lectionem reperiri ; sed in cod.* 316 *et edit. Dacherii :* Attende, Domine, sicut nobis promittere dignatus es, ut tecum merear recipere immortalitatem. *Agones MM. et nostri codd. favent priori lectioni, nisi quod loco* a te *substituunt* tecum, *et unus alterve omittunt* sicut promittere dignatus est. *Consentimus itaque Baluzio qui illam lectionem retinuit, quippe quæ videatur sincerior et plurium veterum exemplarium auctoritate nitatur. Sequentem pericopen :* In te enim, *loco* vivens, *quod in Codd. Aud.* I *et* II, *in Agonibus MM. et apud Dacherium et Baluzium legitur, substitui* vivam, *quod in codice Rubeæ Vallis et Aud.* III *est et quod contextus admittere suadet.* Numquam adversus me : *secuti hic quoque sumus, inquit Baluzius, fidem veterum librorum. Nam editio Dacherii habet :* Numquam inimicus adversus me habebit potestatem. *Cum Baluzii libris conveniunt nostri, nisi quod in tribus* habeat *legitur.*

ε e *Codex* 461 *Colbertinus, inquit Baluzius, habet* duodecim ; *nostri omnes* sedecim, *Menæa Græcorum* sex.

ζ f *Omittit Suriana editio inquisitionem de nomine ; forte non male.* Non te de vocabulo *edidere Dacherius et Baluzius, hic tamen confessus in quatuor suis codicibus legi :* Non tibi vocabulum quæsivi professionis ; *quibus suffragantur Agones MM., nisi quod* nomen *habent. Meliorem lectionem restituimus ex Codd. Rub. Val., Aud.* I *et* III. *Aud.* II *habet :* Non te vocabulo.

η g *Diocletianus quidem ad Maximianum Herculium legem suam de molestе habendis christianis miserat ; sed pro more eam Maximianus tradiderat præfecto prætorio, qui imperatoriam illam legem edicto suo proposito provincialibus notam faceret* (3). *Præterea præfectus prætorio jurisdictionem habebat supremam, a qua nulla erat appellatio, et ad quam licebat ab omnibus appellare judicibus, nisi vice sacra judicassent. Adde in more fuisse positum ut judices consulerent præfectos prætorio, si judicandi difficultas exigeret* (4) ; *quæ sane res in sancti* Felicis *obtinebat judicio, quum nondum secundum Diocletiani edictum pervenisset in Africam. Atque ob has procul dubio* C *causas, maxime ob tertiam, misit proconsul sanctum* Felicem *ad præfectum prætorio. Eadem fere* F *ratione actum de B. Romano, martyre Antiocheno, qui, quum jam flammis vorandus esset, ad ipsum Diocletianum deductus fuit. Censet Ruinartius in editionibus Dacherii et Baluzii pravum additamentum esse vocabulum* Romæ, *quod in hac legitur pericope* Transmisit eum Romæ ad præfectum ; *quin etiam tunc temporis præfectum prætorio versatum esse in Africa. Difficile argumentum. Ex una parte stat codex Surianus auctoritatis maximæ eique favent Martyrologia Bedæ, Rabani, Senonense, Adonis etc. in quibus iter Siculum memoratur, tacetur vero Romanum ; ex altera parte stant omnes codd. quibus usi sunt Faber Stapulensis, Dacherius, Baluzius, Ruinartius ipsemet, atque etiam ii, quorum exemplaria nos habemus. Clamat Ruinartius ex sequentibus sequi præfectum fuisse in Africa ; aliamque interpretationem non recte fluere. Respondet Tillemontius* (5) *multo melius fluere, si dicatur præfectus Roma abivisse cum sancto* Felice *ad imperatores, quibuscum præfecti prætorio versabantur ordinarie, eisque jubentibus sententiam capitalem in sanctum* Felicem *tulisse ; quemadmodum editio Suriana habet: contra raro admodum præfectos prætorio fuisse in Africa, sed propræfecto.*

θ h *Suriana editio* novem *dies ; Dacheriana et cod. Aud.* III quatuordecim ; *Codd. Rub. Val., Aud.* I *et* II, *Agones MM. et Baluzius* duodecim ; *Menæa Græcorum* quatuordecim *habent.*

ι i *Intelliguntur Diocletianus et Maximianus Herculius, qui reapse tunc imperio potiebantur. Quod vero præfectus prætorio B.* Felicem *ad imperatores mittit, eadem videtur causa quæ Anulinum proconsulem movit ad destinandum beatum præsulem Romam : scilicet quod primo decreto jubebantur quidem Christiani sacros codices tradere, sed si negarent, nulla certa in eos decerne-

(1) Imperii Occid. cap. XLVI, in Thes. Ant. Rom. tom. VII, col. 1891. — (2) Cfr Eckhel, Doctrina numorum, tom. IV, pag. 238 et seqq. — (3) Eusebius, Mart. Palæst. cap. IX, pag. 333; Hist. eccl. lib. IX. cap. IX, pag. 362. Cfr Henr. Valesius, Annotat. ad libr. IX Hist. eccles. Eusebii, cap. IX, pag. 187; et Gothofredus, Cod. Theod. tom. VI, part. II, pag. 5, Lipsiæ, 1745. — (4) Cfr Gothofredus, loc. cit. — (5) Mem. eccles. not. V sur S. Félix. tom. V, pag. 668.

batur

A batur pœna. Animadverte præterea præclare convenire cum reliqua illius ævi historia hunc Passionis locum, quo B. Felix ad meridionales Italiæ plagas missus traditur, ut coram imperatoribus sisteretur. Scribit quippe Lactantius (1) : Hoc igitur scelere perpetrato (secundo edicto Nicomediæ proposito et quaquaversum per imperium sparso), Diocletianus, cum jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad XII kalendas decembres : ita ut, mense circiter majo Nicomedia profectus, Romam triumphans ingressus sit die 20 novembris anni 303. Interea vero civitates complures peragravit Diocletianus; et certa ex Eusebio (2) memoria est eum Antiochiæ versatum fuisse, quum S. Romanus igni tradendus esset. Porro quum Diocletianus Romæ appropinquaret, obvium ei ivisse Maximianum Herculium nemo mirabitur. Navis autem, qua sanctus Felix vehebatur, Siciliæ prius appulit, quod illic credebantur morari augusti ; ubi quum eos non invenisset, movit ad Bruttios.

ν k Faber Stapulensis edidit Sentina, sed forte pro ingenio ; Surius Capsa ; Dacherius Subsanno ; Baluzius Subsanio ; Mombritius Subsamo; Ms. compendium Passionis Ultraj. subscampo: Codd. Rub. Val. et Aud. I, II et III consentiunt Baluzio, cæterum tria secuto Colb. exemplaria, dum quartum haberet subsannio. Suriana editio non contemnenda videtur. Capsa, capsus seu capsum in re vehiculari significat locum, in quo sarcinæ sunt (3). Quidni item in re navali? Reliquæ lectiones certe pravæ, mutandæ forte in subscalmo (4), quod spatium erat sub scalmis, seu paxillis, quibus alligabantur remi, inter sentinam scilicet et thalamum seu infimum remigum ordinem. Altius autem id erat spatium, quoniam navis ex eo erat genere, quod græcis dicebatur ἱππαγωγοι, latinis hippagines ; quibus scilicet equi vehebantur et viri (5).

λ l In Commentario § 2 et passim ostendimus, manifesta corruptela supprimi in exemplaribus familiæ Nolanæ iter Siculum; de quo martyrologi antiqui omnes mentionem faciunt; et Nolam substitui Venusio. — Agrigentum, Catana, Messana et Taurominium, Siciliæ civitates notissimæ,
B olim episcopales omnes, aliis temporibus aliis subjectæ metropolitis. Agrigentum (Girgenti) nunc E
pars est provinciæ Montis Regalis (Monreale); item Catana. Messana (Messine) caput provinciæ. Taurominii (Taormina) sedes jam pridem exstincta. In editione Suriana verisimiliter non legendum : Inde Messanam venerunt. Inde Taurominium; sed : Inde Tauromînium venerunt. Inde Messanam; nisi forte iter Messanense, in Menœis Græcorum præteritum, abundet. Navis enim per mare Thyrrenum lata est, dein per Lybicum, postea per Siculum. Ad hæc verba : Postea (trans) fretum navigaverunt, in partes Lucaniæ, civitatem nomine Rulo, annotavit Ruinartius civitatis Rulo nomen in Italiæ notitiis non haberi : recte quidem; sed legendum Rhegium, ut patet ex Actis amplioribus duodecim fratrum Adrumetinorum, quæ ad sancti Felicis Acta composita sunt et in quibus legitur : Ascendentes iterum navim, Messanam deducti sunt; in qua parumper morati, alia accepta navi, transfretantes, Regium descenderunt. Nomen Rhegii omnibus notum : jacet hæc civitas e regione fere Messanæ, ita ut freto Siculo dividantur.

μ m Baluzius, qui, quemadmodum in omnibus codicibus familiæ Nolanæ legitur, edidit : Cognitor ejusdem civitatis, hæc ad illa verba annotat : Turbat me locus ille. Nam supra præfectus Felicem misit ad Herculium, nimirum ut causa Felicis finem acciperet in præsentia imperatoris. Et tamen cognitor Nolanæ civitatis judicium sibi præsumit, et Felicem capite plecti jubet. Verum id ita intelligi debet ut cognitor dicatur causam istam suscepisse judicandam secundum præceptum, ut dicitur infra, id est, ex delegatione Maximiani tum præsentis. Similia animadvertit Ruinartius. Tillemontius (6), qui, Surianam editionem probat, nil difficultatis in his reperit : scilicet præfectum prætorio perrexisse ad imperatores, in quorum comitatu solebat esse et ad quos sanctum Felicem miserat; ibidem autem præfectum pro sua potestate ordinaria (quamquam æstimandum sit prius eum de his locutum esse cum augustis) sententiam capitalem tulisse in sanctum Felicem; neque de his dubitandum, quum Menæa Græcorum aperte habeant sanctum Felicem ab eodem præfecto mortis damnatum, a quo ad imperatores missum.
C Cæterum expungendus omnino cognitor ille ejusdem civitatis : ex quo denuo patet familiam No- F
lanam Actorum sancti Felicis non esse primigeniam, sed interpolatam. Re quidem vera Symmachus (7) appellavit moderatorem seu correctorem Apuliæ titulo provincialis cognitoris; sed ævo Diocletiani nondum provinciarum rectores, nondum judices a principe delegati cognitores dicebantur : usque ad Theodosii et Valentiani ævum cognitores iidem fere ac defensores et juris alieni procuratores; illis vero imperantibus, inductum id novum judicum genus, qui, quum ex delegatione principum sederent pro tribunali, cognitores dicti sunt; quod nomen adhæsit quoque deinceps aliquot provinciarum præpositis (8).

ν n Annotat ad hæc Baluzius : Invictus et permanens; ita tres vetusti codd. Colb. Quartus habet, vivificans permanes. Edit. Dacherii, vivificans et permanens. Agones MM. invictus permanens et gloriosus. Codd. Rub. Val. et Aud. I et II consentiunt Baluzio.

ο o Nil dubitandum quin sanctus Felix martyrium fecerit a. d. III kal. septembres, seu die 30 augusti. Cfr Comm. præv. passim et annotatum g η. Animadvertit Baluzius in tribus codd. legi XVIII, in quarto et in edit. Dacherii XIX. In Agonibus MM. et in cod. Aud. III legitur XVIII kal. febr.; in codd. Rub. Val. et Aud. I et II III kal. sept. Addit Baluzius in vetustis Mrlgiis passionem sancti Felicis referri ad IX kal. novembris; et quidem recte, si intelligas Romanum Parvum, et qui eo duce in errorem abiverunt Ado, Notkerus et Usuardus; sed si vetustiores intelligas, scilicet Hieronymianos fastos, Bedam, Rabanum, Calendarium marmoreum Neapolitanum, Mrlgium Senonense etc. secus omnino : in his enim passio sancti Felicis signatur a. d. iii kal. septembris :

(1) De mortibus persecut. cap. XVII. — (2) De Martyr. Palæst. cap. II, pag. 320; cfr Acta SS. tom. VIII Oct. pag. 425. — (3) Cfr Joan. Schefferi, de re Vehiculari, lib. I, cap. VII, ap. Pollenum, tom. V, col. 1090 et seqq. — (4) Cfr Pollux, Onomasticum, lib. I, cap. IX, tom. I, pag. 59. edit. 1706. — (5) Joan. Schefferi, de militia navali, lib. IV, cap. I, ap. Pollenum, tom. V, col. 995. — (6) Mém. ecclés. not. V sur S. Félix, tom. V, pag. 668. — (7) Lib. X, epist. LI. — (8) Cfr Jacobus Gutherius, de offic. domus Augustæ, lib. I, cap. XXV, ap. Sallengre, Thes. ant. Rom. tom. III, col. 338 et 339.

quo

A *quo die procul dubio sanguinem fudit. — Anno* 303, 304 *et* 305 *nulla fuit eclipsis diebus* 15 *et* 16 D
januarii, 30 *augusti et* 24 *octobris : quod propter verba :* luna in sanguinem conversa est, *annotamus.*

π p *Ex comparatione utriusque familiæ exemplarium manifestum est hic desinere sancti* Felicis *orationem et verba* Cui est *etc. clausulam esse hagiographi, non vero sancti martyris; quamquam aliter statuit Ruinartius. De his, quæ sequuntur in altero exemplari, satis dictum fuit in commentario prævio.*

PASSIO S. FELICIS

α

Secundum Menæa Græcorum α.

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ (Ις μηνος Ἀπριλίου) μνήμη τοῦ ἁγίου Φήλικος ἐπισκόπου, Ἰανουαρίου πρεσβυτέρου, Φουρτουνάτου, και Σεπτεμίνου.

Στίχ. Τετρὰς ἀθλητῶν συγκεκομμένων ξίφει
Νῦν συνχορεύει μυριάσιν Ἀγγέλων.

S. Felix *negat se libros sacros traditurum;*

1 Τῷ ὀγδοῷ ἔτει τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ ἐξῆλθε δόγμα κατὰ πᾶσαν χώραν, τοῦ καίεσθαι πάσας τὰς βίβλους τῶν χριστιανῶν. Ἀπεστάλη οὖν ἐν πόλει τοῦ Βιουκᾶν Μαριανός τις, ἢ, ὡς ἐν ἄλλοις γράφεται, Μαγνιανὸς, ἀνὴρ παμμίαρος · ὃς δὴ παρέστησε Φήλικα τὸν ἐπίσκοπον, Ἰανουάριον τὸν πρεσβύτερον, Φουρτουνάτον, καὶ Σεπτεμίνον · καὶ ὑπαναγνοὺς τὸ βασιλικὸν δόγμα, ἀπῄτει αὐτοῖς τὰ παρ' αὐτῶν βιβλία. Ὁ δὲ ἁγιώτατος ἐπίσκοπος φησὶ προς αὐτόν : Γέγραπται, ᾧ Ἡγεμών, Μή δότε ὑμῶν τὰ ἅγια τοῖς κυσὶ μηδὲ ῥίψητε τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. Μάτην τοίνυν ἀγωνιᾷς, κἂν βασιλικὰ ἐπιφέρῃς προστάγματα. Ὁ ἄρχων εἶπεν : Ἄφες τὰς μωρολογίας, καὶ ποίησον τὸ θέλημα τοῦ βασιλέως, ἐπεὶ δέσμιόν σε ἀποστελῶ πρὸς τὸν ἀνθύπατον. Καὶ ὁ ἅγιος : Ὁ ποῖος εἰμὶ, φησιν, ἐν σοὶ, τοιοῦτος καὶ ἐν πᾶσι, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ βασιλεῖ σου εὑρεθήσομαι.

ad proconsulem et præfectum prætorio mittitur;

β

2 Τότε τῇ φυλακῇ ἐγκλείσας τοῦτον, ἀνεπιμέλητον εἴασεν ἐπὶ ἡμέρας τρεῖς. Εἰθ' οὕτως ἐξαγαγών, ἐπανέκρινε · καὶ δεσμεύσας αὐτὸν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ, ἀπέστειλε πρὸς τὸν ἀνθύπατον. Κακεῖνος πάλιν ἐξετάσας αὐτοὺς τῇ φυλακῇ καθεῖρξε. Καὶ μεθ' ἡμέρας ἓξ β ἐξαγαγὼν αὐτοὺς δεσμίους ἀπέστειλε τῷ ἐπάρχῳ τῶν πραιτωρίων · οὓς ἐκεῖνος δεξάμενος, καὶ πάμπολλα ἐκφοβήσας, μετὰ πολλῆς ἀσφαλείας ἐν φυλακῇ δεινοτάτῃ τούτους ἀπέρριψε.

jubetur post imperatores navigare;

γ

3 Καὶ μεθ' ἡμέρας δεκατέσσαρας γ ἐξαγαγών, καὶ ἐπανακρίνας, εἰσῆξεν αὐτοὺς ἐν πλοίῳ μετὰ ἵππων, δεδεμένους ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν. Κυλιόμενοι δὲ οἱ ἅγιοι ἐν τοῖς ποσὶν τῶν ζώων, ἀπόσιτοι τε ὄντες, καὶ τοῦ ὕδατος ἄγευστοι, ἐπὶ ἡμέρας τέσσαρας, ἠυχαρίστουν τῷ Θεῷ. Καὶ φθάσαντες εἰς λιμένα πολέως

δ

τινὸς δ, ἐδεξιώθησαν κρυφίως ὑπο τῶν χριστιανῶν. Ἐκεῖθεν καταλαβόντες πόλιν, Ταυρομένην καλουμένην, καὶ ἀποπλεύσαντες ἐν Λυκαονίᾳ, ἦλθον εἰς πόλιν Αἰλούρων ε.

ε

cum tribus sociis decollatur.

ζ

4 Τότε ὁ δύστηνος ἐκεῖνος ἔπαρχος, λύσας τοὺς ἁγίους τῶν δεσμῶν, φωνῇ πραείᾳ τὰς ἐρωτήσεις πρὸς αὐτους ἐποιεῖτο. Τῶν δὲ ἀντιλεγόντων, μήτε βίβλους προδοῦναι, μήτε τοῖς εἰδώλοις θῦσαι ζ, προσέταξεν αὐτοὺς μαχαίρᾳ ἀποτμηθῆναι. Καὶ λαβόντες τὴν ἀπόφασιν, προσηύξαντο · καὶ ἀποτμηθέντες τὰς κεφαλὰς, τοὺς στεφάνους ἐκ χειρὸς Κυρίου ἐδέξαντο.

Secundum Menologium Sirleti a.

a

Die xvi aprilis, sancti Felicis episcopi, Januarii presbyteri et Septiminii, Diocletiano et Maximiano imperatoribus.

S. Felix *negat se libros sacros traditurum;*

1 Hi omnes cum imperiali decreto juberentur gentilibus suos libros tradere, sanctissimus episcopus id renuit eis verbis: Scriptum, inquit, est, præses: Nolite dare sanctum canibus, neque projicere velitis margaritas vestras ante porcos.

ad præf. prætt mittitur;

2 His de causis vincti educti de carcere, missi sunt ad præsidem prætorii.

jubetur post imperatores navigare;

c

3 Quos post dies quatuordecim *c* eductos e carcere imposuit navigio alligatos pedibus equorum. Cumque sancti viri volutarentur ad pedes brutorum animalium, jejuni ac ne aquam quidem gustantes; Deo ipsi gratias agebant. Cum vero pervenissent ad urbem Tauromenem appellatam, in Lycaoniam deducti, tenuerunt civitatem Ælulorum *e.*

e

cum duobus sociis decollatur.

f

4 Tunc præses solvens illos viros sanctos a vinculis, leniter et blande rogabat, ut libros quos habebant traderent; illi vero cum respondissent, se neque libros prodere velle, neque idolis immolare *f,* jussit præfectus illos obtruncari. Quæ cum lata esset sententia, ad Deum preces miserunt, e cujus manu coronas cælestes perceperunt.

ANNOTATA.

α a *Indices plurium Menæorum Græcorum mss. ad manum mihi sunt; in solis Chiffletianis, de quibus sæpe in Actis Sanctorum mentio incidit, indicatur memoria SS.* Felicis, *Januarii, Fortu-*

A *nati et Septimini. Annotandum est in iis, quæ card. Sirleto præluxerunt, omitti Fortunati nomen.* D
Cfr Comm. prævi. § 3.
β *Cfr Annotata superiora* ε e.
γ c *Cfr Annotata superiora* θ h.
∂ *Hæc civitas Agrigentum secundum editionem Surianam.*
ε e Lycaonia *loco* Lucaniæ; Æluli *loco* Rhegiorum.
ξ f *Sanctus* Felix *in melioribus Actis non legitur impulsus fuisse ad immolandum; neque id primum Diocletiani decretum ferebat.*

DE SS. SEVERO, VITALI, FELICE, ROGATO, PAPIRIO, VICTORIA, FLAVIANO ET VICTORE,

MARTYRIBUS NICOMEDIENSIBUS,

ET DE

SS. CLAUDIANO, EUTHERIO, FLAVIANO, JUSTO ET VICTORE,

B E

MARTYRIBUS HIEROPOLITANIS IN PHRYGIA,

SYLLOGE.

V. D. B.

Ex fastis Hieronymianis aliisque Martyrologiis. Brevis disquisitio de duabus Hierapolibus Phrygiæ.

CIRCA ANNUM CCCIII ET CCCIV. *Hac die in optimis Hieronymianis fastis duæ turmæ martyrum recensentur, altera Nicomediensis, altera Hieropolitana;*

Florentinius, cujus studium et eruditionem in edendo Hieronymiano Martyrologio omnis semper prædicabit ætas, binos hodiernos sanctorum martyrum manipulos sequentibus refert verbis: In Nicomedia, Severi, Vitalis, Felicis, Rogati, Paperi, Victoriæ, Flaviani, Victoris. Ierapoli Frigiæ, Claudiani, Eutheri, Flaviani, Justi et Victoris. *Atque de his pro more nostro sigillatim dicendum foret; sed quoniam in multis codicibus ambæ turmæ confusæ esse videntur, ita ut de unis dici non possit quin simul dicatur de alteris, a consueta illa regula (quemadmodum*
C *alibi quoque fecimus) recedendum est. Porro difficultas fere unica aut præcipua est de SS.* Flaviano *et* Victore, *videlicet utrum solis Hierapolitanis accensendi sint, an etiam Nicomediensibus. Florentinius se in antiquissimo suo codice Lucensi* Flavanium *et* Victorem *cum Nicomediensibus reperisse testatur. Reperti etiam in antiquo Corbejensi codice, quem Dacherius edidit, hac forma:* In Nicomedia, Severi, Vitalis, Felicis, Rogati, Paperi, Victuriæ, Flaviani, Victoris. Hierapoli Phrygiæ, Claudiani, Eutheri, Flavini, Justi et Victoris. *Richenoviensis codex, editus a Sollerio nostro, hac quidem die integer non est, sed ad eamdem tamen classem referendus, quippe qui* Flavianum *Nicomediensem martyrem faciat hoc modo:* In Nicomedia Severi, Vitalis, Felicis, Rogati, Papiri et Victorini et Flaviani. Et Ierapoli, Claudiani, Theocharii. *Similiter Ottonianus, quem post Adonem edidit Georgius :* In Nicomedia, nat. sanctorum Vitalis, Felicis Rogati et Flaviani. Hierapolim Claudiani et Clavini. *In his* Victor *inter Nicomedienses martyres non cernitur, sed* Flavianus. *Contra* Flavianus *omittitur, seu potius, ad finem additis verbis :* Et alibi, *collocatur in codice Antverpiensi seu potius Epternacensi S. Willibrordi, ubi hæc legebantur :* IX kal. Novembris, Nicomediæ, Severi, Vitalis, Felicis, Rogati, Papiri, Victoriæ; et in Erapoli Frigiæ, Claudiani, Eugari, Flaviani, Victoris, et alibi Flaviani; *de* Victore *autem nulla mentio.*

in aliis omittitur Hieropolitana : in aliis palæstræ supprimuntur; in aliis alia deficiunt aut abundant.

2 *In auctariis Martyrologii Bedæ, ante tomum II Martii nostri editis et manifeste ex Hieronymiano Martyrologio exceptis, similis deprehenditur varietas. In Barberiano hæc sunt :* In Nicomedia Vitalis, Felicis, Rogati, Flaviani. Hierapoli Phrygiæ natale SS. Claudiani, Eleutherii, Justi et Victoris; *in Vaticano et S. Cyriaci :* In Nicomedia Vitalis, Felicis, Rogati, Victoriæ, Flaviani, Victoris; *et nil de Hierapolitanis, qui etiam omittuntur in Atrebatensi, Tornacensi et Lætiensi. Contra de Nicomediensibus hæc in his codicibus habes:* Nicomedia natale Rogati, Flaviani et Vitalis, *additis etiam* Felicis *et* Papperii *nominibus in Tornacensi et Lætiensi libris. In Corbejensi breviori Hieronymiano Martyrologio, edito a Sollerio, omissi etiam martyres Hierapolitani; Nicomedienses autem annuntiati hoc modo :* In Nicomedia Severi, Vitalis, Felicis, Rogati. *Eadem ratio observatur in Bruxellensi Usuardino auctario, ubi hæc occurrunt :* Apud Nicomediam, passio sanctorum Felicis, Paperiæ, Flaviani; *et in editione Lubeco-Coloniensi, ubi loco* Felicis *legitur* Vitalis : Nicomediæ, passio sanctorum martyrum Vitalis, Papirii et Flaviani; *atque etiam in interspersis Martyrologio Wandelberti, edito a Dacherio, additamentis :* In Nicomedia sancti Vitalis, Felicis et Victoris. *Contra editio Usuardi*

A *Usuardi Greveniana peccat excessu. Etenim in ea non tantum referuntur palæstræ Hierapolitana et Nicomediensis; verum etiam Nicæna introducitur sequenti ratione :* Nichomediæ, Severi martyris. In Nicea, natale sanctorum Vitalis, Felicis, Rogati, Flaviani, Papiri, Victoriæ. Hierapoli Frigiæ, sanctorum Claudiani, Eucherii, Justi, Victoris et Flaviani. *Placet demum recensere Hieronymianos codices, in quibus palæstrarum nomina omissa sunt, quoniam ex his quoque aliqua lux effulget. In Augustano, a Sollerio publica luce donato, legitur :* IX kal. Nov. Vitalis, Felicis, Rogati, Claudiani, Eutherii, Flaviani, Justi; *Labbeanus duobus nominibus auctior est, quippe qui habet :* Vitalis, Felicis, Rogati, Victoris, Puperi, Claudiani, Eutheri, Flaviani, Justi. *Gellonensis, a Dacherio editus, eadem nomina hoc ordine exhibet :* Vitalis, Felicis, Rogati, Claudiani, Victoris, Paperi, Eutheri, Flaviani, Justi. *Kalendarium, falso dictum Martyrologium Bedæ, et Kalendarium Brixianum, utraque edita ex Zaccaria in tomo* CXXXVIII *Patrologiæ Mignii, sola* Vitalis *et* Felicis *nomina continent.*

Ad Nicomediensem turmam pertinent SS. Severus, Vitalis, Felix, Rogatus, Victoria *et* Papirius, *cujus nominis origo apud Nicomedienses indicatur,*

3 *Jam vero si quis in Hieronymianis latercülis usurpandis plane hospes non sit, is profecto noverit oportet nomina passim excidisse potius quam indebite intrusa fuisse. Tenendum itaque videtur Nicomedienses martyres octo fuisse, nempe* Severum, Vitalem, Felicem, Rogatum, Papirium, Victoriam, Flavianum *et* Victorem; *quum reperiantur in optimis et antiquissimis codicibus Lucensi et Corbejensi. Et quidem de sex primis nominibus nulla potest esse controversia, quum a nullis absint libris alicujus auctoritatis. Quod si cui mirum videatur S.* Severum, *qui quasi primipilus est, omitti in multis codicibus inferioris notæ, recogitet velim pridie venisse S. Severum Hadrianopolitanum et facile proin suppressum fuisse nomen, duobus continuis diebus occurrens, potissime in codicibus, quibus inscriptæ non sunt palæstræ martyrum. S.* Vitalis *vix uspiam desideratur; atque de hoc insuper videnda sunt quæ in Prætermissis ad hanc diem de eo collegimus. SS.* Felicis *et* Rogati *fortuna æque bona est. S.* Papirius, *qui et* Paperius, Puperius *et alicubi* Paperia C *dicitur, passim, paulo tamen rarius, legitur. Castellanus in Martyrologio suo universali, ubi hunc tantum sanctum cum S.* Victoria *et quatuor sociis commemorat,* Papyrium *scribendum esse æstimavit. Sed certissime* Papirius *genuinum nomen est, Nicomediam primum introductum a C. Papirio Carbone, quem Dio ad annum U. C.* 687 *illi provinciæ præfuisse prodidit. Cum hoc magistratu sunt numi urbium Bithynii, Nicææ, Nicomediæ, Prusæ et extra Bithyniam Anusi Ponti et Mastiæ Paphlagoniæ; quibus numis præter urbium nomen inscriptum legitur* ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ (1). *Lapidibus etiam passim inscripta* Papirius *et* tribus Papiria; *nuspiam* Paperius *aut* Papyrius. *Romæ plebeja erat gens Papiria, aliquando potentissima* (2). *Pro more nomen ejus communicatum cum libertis et exteris, magna nomina adamantibus : cave itaque ne S.* Papirium *ex gente Papiria fuisse credas, licet res absurda non sit. S.* Victoria, *cujus loco* Victorinus *alicubi et alibi* Victor *legitur, servanda etiam utpote in melioribus codicibus memorata, neque a reliquis omnibus neglecta.*

AUCTORE V. D. E.

4 *Quamobrem, quod initio monuimus, de solis sanctis* Flaviano *et* Victore, *quibus cognomines martyres inter Hierapolitanos martyres veniunt, quæri potest utrum admittendi sint an expungendi. Admittendos esse ambos nullus dubito, licet* Victoris *nomen in paucioribus libris legatur quam* Flaviani. *Imprimis separanda non sunt hæc nomina, quoniam ambo leguntur in integrioribus optimisque codicibus, et quoniam dein amborum idem est periculum, quod scilicet bis annuntiantur eodem die, semel Nicomediæ, semel Hierapoli. Quod autem a pluribus libris abest* Victoris *nomen, nil plane mirum; quandoquidem S.* Victoriæ *nomen, passim in* Victoris *immutatum, librariis persuadere potuerit ut alterutrum omitterent. Si itaque ponimus* Flaviani *et* Victoris *par dividendum non esse amborumque eamdem esse debere fortunam; si dein recogitamus* Flavianum *longe sæpius in decurtatis fastis accenseri Nicomediensibus martyribus quam Hieropolitanis; procul dubio non magni faciemus hac die Epternacensem solitarium codicem, in quo tolluntur* Flavianus *et* Victor *Nicomedienses* et alibi Flavianus *annuntiatur. Obiisse ii omnes videntur in persecutione Diocletiani, quæ initio anni* 303 *Nicomediæ exarsit. An vero hac die martyrium fecerint, definire non ausim; nam, ut ad diem* 21 *Octobris vidimus, S. Dasius, Zoticus et Cajus, exordio illius persecutionis martyrium fecerunt, licet post medium mensem Octobris colantur et annuntientur in Hieronymianis fastis. Vide quæ ad dictam diem de tribus illis martyribus scripsimus.*

atque etiam Flavianus *et* Victor, *licet eadem nomina recurrant inter Hierapolitanos.*

E

5 *Hierapolitani martyres facilius illustrari possunt. Primus* Claudianus *est, omissus in nullo codice, in quo quidem turma illa plane neglecta non fuerit. Secundus* Eutherius *dicitur, mutatus in* Theocharium, Eugarium, Eleutherium *et* Eucherium; *sed* Eutherius *luculente genuina forma est, et in longe pluribus codicibus obvia.* Flavianus *venit tertio loco, dictus alicubi* Flavinus *et* Clavinus. *Quartus est* Justus *et quintus* Victor, *omissi a pluribus, servandi tamen; quum annuntientur eorum nomina in optimis codicibus et alibi quoque sui vestigia reliquerint. Absoluta itaque hac nominum recensione, animadvertendum est in Hieronymianis melioris notæ codicibus utriusque turmæ nomina ad diem sequentem seu* 25 *Octobris mixta prodire. In Lucensi suo codice reperit Florentinius :* Claudiani, Rogati, Papiri, Felicis, Vitalis; *in Antverpiensi seu Epternacensi :* Claudiani, Rogati, Papiri, Felicis, Vitalis; *in Corbejensi :* Claudiani, Rogati, Papari, Felicis et Vitalis. *Nil mirum. Hieronymiani enim fasti videntur collecti fuisse ex multis calendariis; in quibus quum sanctorum festa, concurrentium natalium impedimento, non iisdem semper notata essent diebus, sed nonnumquam (ut nunc etiam fit) in proxime sequentes dies essent translata, non poterat non fieri quin in Martyrologio Hieronymiano diversis etiam diebus eadem repeterentur nomina.*

Hi sunt SS. Claudianus, Eutherius, Flavianus, Justus *et* Victor. *Ambæ turmæ mixtim annuntiantur etiam die* 25 *octobris.*

F

6 *Dicuntur autem ii martyrium fecisse Hierapoli Phrygiæ, quod plures aliæ cognomines civitates essent, recensitæ a Stephano Byzantio* (3)

(1) Cfr Eckhel, Doctrina numorum veterum, tom. II, pag. 369. — (2) Cfr Pitiscus, Lexicon antiquitatum romanarum, v°. *Gens Papiria.* — (3) De urbibus et populis, pag. 321 et 322, edit. Amstelod. 1725.

his

AUCTORE V. D. B.

Altera Hierapolis fuit in Phrygia Salutari, altera in Phrygia Pacatiana, utraque aliquando habens episcopos.

his verbis : Hierapolis, urbs inter Phrygiam et Lydiam, urbs multis calidis aquis abundans, sic dicta, quod templa multa haberet. Secunda Cretæ. Tertia, Syriæ, quæ et Hieropolis per o micron. Quarta Cariæ. *Verum in hac computatione unam saltem omisit Stephanus, alteram scilicet Hierapolim in Phrygia. Duas enim hujus nominis civitates illic fuisse alteram in Phrygio Salutari, alteram in Phrygia Pacatiana, dubitandum non est. Quæ paucis explicanda sunt. Jacet Phrygia, ut passim satis innotescit, in Asia Minori et finitimas habet ad septentrionem Bithyniam, ad orientem Galatiam et Lycaoniam, ad meridiem Pisidiam et Lyciam et ad occidentem Cariam, Lydiam et Mysiam; ita ut omnino mediterranea sit. Olim vero multa magis extensa erat, ad Hellespontum usque porrecta. Post varios casus, testamento Attali, ultimi Pergami regis, anno ante Christum* 133 *penes Romanos facta est; qui, postquam partem aliquandiu conjunxissent Ciliciæ, eam dein subjecerunt proconsuli Asiæ; atque hæc gubernii forma usque ad Constantini tempora in usu fuit. Is autem provinciam proconsularem in duas divisit provincias et utrique suum assignavit gubernatorem; divisit etiam Phrygiam in Pacatianam et Salutarem, et utrique præfecit præsidem* (1). *Pacatiana porro ad meridiem vergens, Laodicea metropoli, triginta novem capiebat civitates; Salutaris ad septentrionem, metropoli Synnadis, viginti tres. Has inter Phrygiæ Salutaris civitates secundo loco venit Hierapolis* (2); *quam, licet reliquis geographis ignorata fuerit, certum tamen est exstitisse : concilio enim Chalcedonensi subscripsit* Ἀθέρκιος ἐλαχιστος ἐπισκοπος της Ἱεραπολιτων πολεως Φρυγιας Σαλουταριας (3); *et in concilio Nicæno II passim post Eucarpiæ episcopum venit* Μικαηλ, ἐπισκοπος Ἱεραπολεως (4), *dum ibidem adesset alterius Hierapolis Phrygiæ episcopus,* Νικολαος ἐπισκοπος Ἱεραπολεως της Φρυγων ἐπαρχια; (5). *Mannert* (6) *sentit Hierapolim Phrygiæ Salutaris parvum oppidum fuisse, utpote ullis vix notum; dum contra Hierapolis Phrygiæ Pacatianæ insignis esset civitas, ut ex ejus ruderibus ad hanc usque diem cernitur. Metropolis honoribus hæc aliquando aucta est; ita ut concilio Constantinopolitano II subscripserit* Auxonon, misericordia Dei episcopus Hierapolitanorum Phrygiæ metropoleos (7). *Duas itaque in Phrygia fuisse Hierapoles, quarum episcopos continuo confudit Lequien, extra controversiam est.*

B

C

Martyrium fecit beatus manipulus Hierapoli Phrygiæ Pacatianæ, quæ κατ' ἐξοχην Hierapolis Phrygiæ *dicitur. Ejus situs et rudera indicantur.*

7 *At vero utra martyrum nostrorum palæstra fuit? Nil dubitans pronuntio Hierapolim majorem seu Phrygiæ Pacatianæ. Nam quoties memoratur* Hierapolis Phrygiæ, *cui sanctorum martyrum nostrorum natalis affigitur in Martyrologio Hieronymiano, semper Hierapolis Phrygiæ Pacatianæ intelligitur. Vitruvius, celebratissimas illius thermas lib.* VIII, *cap.* 3 *laudans:* Hierapoli Phrygiæ, *inquit,* effervet aquæ calidæ multitudo; *similiter Apulejus de Mundo cap.* 4 : Vidi, *ait,* et ipse apud Hierapolim Phrygiæ; *et Photius cod.* CXLII *ex Isidori Vita :* Ἐν Ἱεραπολει της Φρυγιας, Hierapoli Phrygiæ; *quibus omnibus locis de Hierapoli Phrygiæ Pacatianæ sine dubio sermo est, quum his celebretur ejus plutonium seu spelunca acido carbonico plena* (8). *Plura de hac civitate ejusque plutonio dicere nolim, quum jam aliqua in tomo præcedenti, in quo S. Abercii, episcopi Hierapolitani, Vita illustrata est, de eis proposita fuerunt* (9). *Situs ejus probe nunc cognitus est et a multis ejus rudera fuere visitata. Smith, Pococke, Chandler, Cockerell, Arundel et Leake nomine designat Hamilton* (10), *qui ipse etiam hæc omnia loca curiose peragravit et descripsit; sed ante eos eodem jam se contulerat et forte omnium primus viator Gallus, Paulus Lucas, qui, vetere nomine non cognito, præsenti vocavit* Banbourqueser (11). (*Dicendum potius erat* Pambukkaléh, *seu* Kalessi, *id est* castrum bombycis, *quod in vicinia bombyx magna copia crescit* (12).) *Jacet autem in angulo, quem Mœander fluvius, nunc* Mendere *dictus, et Lycus, qui nunc* Tchoruk Sú *nomen est, effingunt; ita tamen ut Lyco multo proprior sit. Distat autem a Laodicea, quæ in latere adverso seu meridionali Lyci sita est, quinque aut sex milliaribus* (13).

D

E

Christiana decora et martyrii tempus.

8 *Jam ævo apostolico Christi fides Hierapoli radices egit, scribente Paulo ad Colossenses* (14) : Testimonium enim illi (*Epaphræ*) perhibeo quod habet multum laborem pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiciæ et qui Hierapoli. *Hunc agrum coluerat ipse S. Paulus, quippe qui ad Titum scripserit* (15) : Quum misero ad te Artemam et Tychicum, festina ad me venire Hierapolim. *S. Philippus apostolus ibidem etiam laboravit in vinea Domini et cum duabus filiabus sepulturam et cultum ecclesiasticum nactus est. De S. Abercio, qui sæculo* II *floruit, de S. Papia, a S. Irenæo et Eusebio laudato, et de Claudio Apollinari, qui Marco Aurelio Antonino Vero imperatori insigne volumen pro christiana religione obtulit, nil aliud monendum quam quod inde satis apparet maximos viros primis temporibus huic ecclesiæ præsedisse. Cæterum de iis in opere nostro jam dictum est ad dies* 22 *Octobris,* 22 *Februarii et* 7 *ejusdem mensis. Multos tamen martyres habuisse nuspiam legimus; neque scio an præter indicatos alii noscantur quam qui in Hieronymiano Martyrologio ad diem* 17 *Novembris veniunt his verbis :* Hierapoli natalis sanctorum Victoris et Alfi et Romulæ, quorum gesta habentur; *dummodo tamen iterum de Hierapoli Phrygiæ hoc loco agatur neve legendum sit* Eleutheropoli *loco* Hierapoli : *quod ad dictam diem* 17 *Novembris examinari poterit. Hinc autem apparet paucissima de hujus civitatis historia ecclesiastica nota esse et quæ ibi sævierint persecutiones jacere in tenebris. Verisimile tamen est martyres nostros Diocletiano imperatore violenta morte periisse, tum quod plerique martyres, Hieronymiano Martyrologio inscripti, eo tempore vitam fuderint, tum quod aliunde sciatur Diocletiani edicta Phrygiæ fuisse infestissima.*

F

(1) Cfr Belley, Observations sur le titre de *Salutaris* donné à plusieurs provinces etc. Mémoires des inscriptions etc. tom. XXXV, pag. 661 et 662; Mannert, Geographie der Griechen und Römer, part. VI, tom. III, pag. 79 et seqq.; Cellarius et Schwartzius, Notitiæ orbis antiqui, tom. II, pag. 123 et seqq.; Pitiscus, Lexicon antiquitatum, v°. *Phrygia* etc. — (2) Hieroclis grammatici Synecdemus, ap. Banduri, Imperium Orientale, tom. II, pag. 41. — (3) Cfr Lequien, Oriens christianus, tom. I, col. 833. — (4) Labbe, Collectio concil. tom. VII, col. 46, 338 et 665. — (5) Ibid. col. 62 et 327. — (6) Geographie der Griechen und Römer, part. VI, tom. III, pag. 106 et 107. — (7) Cfr Lequien, Oriens christianus, tom. I, col. 835. — (8) Cfr Cellarius et Schwartz, Notitiæ orbis antiqui, tom. II, pag. 133 et 134. — (9) Act. SS. tom. IX Octobris, pag. 498. — (10) Reisen in Kleinasien, Pontus und Armenien, edit. Ritter, tom. I, pag. 468. — (11) Deuxième voyage dans la Grèce, l'Asie Mineure etc. tom. I, cap. 33, pag. 240. — (12) Reisen in Kleinasien etc. tom. I, pag. 471. — (13) Ibid. pag. 468. — (14) Coloss. IV, 13. — (15) Tit. III, 12.

Quis

A *Quis enim ignorat tunc universam aliquam Phrygiæ civitatem, quum nil nisi christianos caperet, incendio fuisse deletam? Vide quæ de his collegerunt decessores nostri ad diem* 7 *februarii ex Lactantio, Eusebio et Rufino. Restat itaque, quum nil probabilius nobis occurrat, ut* SS. Claudiani, Eutherii, Flaviani, Justi *et* Victoris *martyrium anno* 304 *Hierapoli perfectum fuisse statuamus.* AUCTORE V. D. B.

DE S. PROCLO,

EPISCOPO CONSTANTINOPOLITANO,

COMMENTARIUS HISTORICUS. J. V. H.

§ I. Sancti memoria in fastis variis diebus celebratur; natus videtur CPoli, cujus Ecclesiæ inservivit ab infantia; fit episcopus Cyzicenus, sed a populo rejicitur.

ANNO 446. *S.* Procli *memoria*

S. Procli, *CPolitani episcopi, memoriam agit hac die Martyrologium Romanum his verbis:* Constantinopoli S. Procli episcopi. *Kalendarium Ecclesiæ CPolitanæ, a Steph. Morcelli editum, sub eadem die,* XXIV *Octobris, habet :* Memoria sancti Procli, archiepiscopi Constantinopolis. *Similiter Menologium Basilianum in hanc diem S.* Proclum *reponit ejusque encomium texit :* Ο' ἐν ἁγιοις πατηρ ἡμων Πρoκλος, εὐλαβης ὠν, και σοφος και ἐναρετος, ἐχειροτονηθη παρα του ἁγιου Σισιννιου πατριαρχου Κωνσταντινουπολεως ἐπισκοπος Κυζικου. Ἀπελθων δε και μὴ δεχθεις παρα των ἐκει κληρικων, ἁιρετικων ὁντων, ὑπετρεψεν ἐν Κωνσταντινουπολει, τον μεταξυ σχολαζων χρονον και προσεχων ἑαυτῳ τε και τη ἀναγνωσει. Τελευτησαντος δε Μαξιμιανου του πατριαρχου, ἐτι του λειψανου ἀυτου κειμενου ἐν τῳ ἱερατειω του ἁγιωτατης του Θεου μεγαλης ἐκκλησιας, προχειριζεται πατριαρχης Κωνσταντινουπολεως, και ἐνθρονιζεται κατ' ἀυτην την μεγαλην ἑβδομαδα εν τῃ ἁγια πεμπτῃ του σωτηριου παθους του Κυριου ἡμων Ἰησου Χριστου. Και καλως πολιτευσαμενος και μετα την χειροτονιαν, και πολλους δια της διδασκαλιας ἀυτου ὠφελησας, ἐπισκοπησεν ἐτη δωδεκα και μηνας τρεις, και τελειωθεις, ἀνεπαυσατο. Sanctus pater noster Proclus, pietate, sapientia et virtute insignis, a Sisinnio, patriarcha Constantinopolitano, episcopus Cyzici creatus, neque a clericis Cyzicenis, quippe qui hæretici erant, receptus, Constantinopolim rediit, ibique dies egit, sibi ipsi et lectioni vacans. Defuncto autem Maximiano patriarcha, quum ejus reliquiæ adhuc in sanctissimæ et magnæ Dei ecclesiæ sacrario jacerent, in ejus loco patriarcha Constantinopolitanus electus, in throno collocatur in majori hebdomada, feria quinta salutaris Passionis Domini nostri Jesu Christi. Quumque post ordinationem præclare se gessisset, multisque doctrina sua profuisset, exactis in episcopatu annis duodecim ac tribus mensibus, in pace quievit. *Ad hanc quoque diem refert Menologium Græcum cardinalis Sirleti, a Canisio editum, sequens elogium* (1): Eodem die commemoratio sancti patris nostri Procli patriarchæ CPolitani, qui sacrarum litterarum peritia et probitate morum insignis, quum annos duodecim et menses tres episcopatum bene rexisset, in pace migravit ad Dominum. E

2 *Ex hactenus tamen allegatis sacris fastis neutiquam deduci debet, diem* XXIV *octobris esse* S. Procli *emortualem. Sunt enim alii, qui alios dies annuæ ejus celebritati assignant. Sic Menologium Horologii Græcorum, editum Venetiis anno* 1532, *Sanctum celebrat die* X *novembris, et quidem ejusdem* σεπτην μεταστασιν, venerabilem transitum *quasi illa die obiisset : ast Horologium, Venetiis itidem anno* 1845 *editum, celebritatem in* XX *novembris reponit. Quapropter suspicabar, typothetam in numero errasse, omittendo unam notam* X, *seu* X *pro* XX *novembris. Verum et græcus textus habet* Ι', *non* Κ', *adeoque diem* X : *suspicionem augebat etiam, quod in utroque Horologio iste dies notatur ut* profestum ingressus sacrosanctæ Dei Genitricis in templum : προεορτια της ἐν τῳ ναῳ ἐισοδου της ὑπεραγιας Θεοτοκου. *Ipsum igitur festum ingressus S. Dei Genitricis in templum in diem* XI *novembris incidere debebat. Quamvis alia Menologia, quæ consulere licuit, hanc celebritatem diei* XXI *ejusdem mensis innectant : quod similiter facit Ecclesia Romana, sub titulo* Præsentationis Beatæ Dei Genitricis Mariæ in templo. *Utrum itaque error aliquis in antiquius Horologium obrepserit, pronuntiare non ausim. Id certum : Kalendarium CPolitanum, a Stephano Morcelli editum, istiusmodi festivitatem non recensere, quatenus necdum institutam* (2). *Hæc cursim dicta sunto. Monstrant cæterum citati fasti non una die apud Græcos festum S.* Procli *celebrari. Quapropter ex festivitatis die perperam deduceretur dies obitus : nam ut notant nostri in Historia Chronologica Patriarcharum CP, in limine tomi* I *Actorum Sanctorum Augusti* (3), *falluntur ii,* qui sibi persuadent, S. Proclum ex hac vita migrasse XXIV octobris, eo quod die illa festum ejus in Fastis ecclesiasticis colatur. Sed nos quotidiana experientia discimus, annuam Sanctorum festivitatem propter Reliquiarum inventionem, translationem, aliasve causas sæpius celebrari alio die, quam quo mortui sunt. *Atque hæc ratiocinatio* *in sacris fastis*

C F

(1) Thesaur. Mon. tom. III, part. I, pag. 481. — (2) Kalend. CP. tom. II, pag. 230. — (3) Pag. 42*.

hic

AUCTORE J. V. H.

hic est tanto efficacior, quia, ut vidimus, variis diebus celebratur S. Procli *festivitas.*

variis diebus recensetur:

3 *Ephemerides græco-moschæ, a Papebrochio nostro et Josepho Assemani editæ, ad* XX *quoque novembris S.* Proclum *recensent: quod similiter præstant Menæa, edita anno* 1843. *In his autem præcipuæ ejus laudes in eo sunt, quod discipulus, sectator et imitator S. Joannis Chrysostomi fuerit, ejusque corpus CPolim solemni pompa reduxerit; ac divinam maternitatem B. Mariæ Virginis adversus Nestorium ac ejus sequaces vindicaverit. Duos proferimus, instar exempli, versus seu* Στιχηρα, *ab hymnographo conscripta* (1) : Λαμπρως ἐδογματισας και Θεοφρονως ἐκηρυξας, Θεοτοκον την ἀχρατον, κορην την κυησασαν τον προ αἰωνων Κτιστην και Δεσποτην, Υἱον και Λογον του Πατρος, και ἐπ' ἐσχατων δι' ἡμας ἀνθρωπον γενομενον Θεληματι, και μη τραπεντα της φυσεως · και Νεστοριον ἠσχυνας ἀσεβη και παραφρονα - Ναματων ἐξηντλησας των χρυσαυγων, παναοιδιμε, του σοφου Θεοκηρυκος · οὑπερ και διαδοχος και της εὐσεβειας ὠφθης και καθεδρας, ἐπιστηριζων διδαχαις της ἀληθειας Χριστου το ποιμνιον · και τουτου το ἀγνοτατον και πανσεβασμιον λειψανον, ὡσπερ κοσμον τερπνοτατον, τῃ
B ἐκκλησιᾳ ἀπεδωκας. Gloriosa docuisti et sancte prædicasti Deiparam intemeratam, Virginem parientem æternum Creatorem et Dominum, Filium et Verbum Patris et tandem pro nobis sua voluntate hominem factum, immutata permanente natura. Et impium ac dementem Nestorium confudisti. — Exhausisti, vir venerabilis, pretiosos divini præconis fontes; cujus pietatis et cathedræ heres, confirmasti doctrina veritatis Christi gregem; et hujus (*Chrysostomi*) purissimum et sanctissimum corpus, tamquam gemmam splendidissimam, Ecclesiæ (*CP*) reddidisti.

verisimiliter CP. natus,

4 *Porro nullus, quem hactenus cognoscamus, S.* Procli *Vitam conscripsit. Quod quidem summopere dolet Papebrochio nostro, in Tabulis Græco-Moschis de Sancto agenti:* Extant, *ait* (2), ejus Opera Græco-latine edita : utinam etiam Vita! *Proin sancti antistitis gesta colligenda sunt ex Actis Conciliorum, ex ejus operibus et iis Historiis, quæ res ecclesiasticas tractant. Atque hinc fit, ut quæ passim referuntur de S.* Procli *patria, ætate et adolescentia, conjecturis magis, quam idoneis testimoniis assequi*
C *videamur. CPoli natus dicitur a quibusdam* (3); *et quidem verisimiliter : siquidem certo constat, ea in urbe et diaconum et presbyterum creatum fuisse; unde recte conjicitur et ibidem lectoratus officium accepisse. Quoniam porro hunc gradum* ab ineunte, *ut habet Socrates lib.* VII, *cap.* 41, ætate, ἐκ πρώτης ἡλικίας, *consecutus fuit S.* Proclus, *pronum est judicare, eum CPoli natum fuisse* (4). *Quo autem tempore natus fuerit Sanctus, denuo conjicere nos oportet. Remigius Ceillier* (5) *et Tillemontius* (6) *recte statuunt, id non tardius anno* 390 *contigisse, ducti hac ratione, quod jam anno* 426 *actum fuerit de promovendo S.* Proclo *ad sedem CPolitanam. Si tamen fuerit discipulus S. Joannis Chrysostomi, qui anno* 404 *CPoli exulavit, necessarium videtur ejus ortum decennio retroagere, atque natum dicere circa annum* 380. *Etenim non satis probabile est, sanctum virum Chrysostomum, tot calumniis appetitum, adhibuisse custodem cubiculi* D *adolescentulum, in primo ætatis flore constitutum. Ast is ipse discipulatus in quæstionem vocari potest, quum pro eo non sat firma stare videantur testimonia. Id proin examinandum venit.*

S. Chrysostomi discipulus fuit,

5 *Præcipuus testis discipulatus S.* Procli *sub S. Joanne Chrysostomo plerumque adducitur Georgius Alexandrinus, scriptor Vitæ S. Chrysostomi. Incerta est ejus ætas, quam Photius ingenue se nescire fatetur : opinantur tamen eruditi eum ad sæculum* VII *pertinere et sua præcipue deprompsisse ex Cyrillo Alexandrino, Socrate, Theodoreto et aliis : quapropter Allatius amplissimis verbis vindicat ei fidem* (7). *Georgius autem biographus, apud Surium* XXVII *januarii* § XXXII, *refert, optimatem quemdam, ex aula imperatoria ejectum, ad Chrysostomum solatii et intercessionis causa confugisse : quia vero timebat inimicos, si diurno tempore episcopum adiret, nocturnam audientiam expetiit. S.* Proclus, *cujus erat adventantes ad episcopum intromittere, hominem aliquantulum subsidere jubet, exploraturus, num aliquis intra cubiculum cum* E *præsule ageret.* Proclus *per foramen januæ rimatus, videt aliquem virum gravem cum Chrysostomo colloquentem. Hortatur itaque optimatem, ut parumper exspectet, donec alter egrederetur. Sed colloquium secretum perseveravit : usque ad horam laudum matutinarum, quas Chrysostomus frequentare consueverat : igitur in sequentem diem admissio proroganda fuit. Tandem S.* Proclo *innotuit, virum cum sancto antistitem loquentem fuisse Apostolum Paulum, epistolas suas explicantem. Ex hac Georgii Alexandrini narratione habemus, S.* Proclum *intimum fuisse S. Chrysostomo, utpote qui nocturno tempore aditum ejus cubiculi custodiret: insuper vir qui colloquium cum episcopo ambiebat, S.* Proclum *vocat* patrem. Oportebat, *inquit*, te, mi pater, neminem præ me introducere : *qua voce insinuat Georgius biographus, S.* Proclum *tunc provectioris adolescentiæ fuisse.*

et ab Attico CPolitano diaconus ordinatus:

6 *Quamvis autem admittendum videatur, S.* Proclum, *S. Chrysostomo a cubiculo fuisse, ut sæpius prædicant laudes, in ejus honorem compositæ; provectior tamen ætas ei deneganda est. Nam, ut docet nos Socrates lib. VII cap.* 41, F Proclus a primæva ætate lector fuerat, et auditor præceptoribus rhetoricæ operam dederat. Quum autem in virum evasisset, episcopo Attico frequenter aderat, ac librorum illius amanuensis ὑπογραφευς erat. Progressum autem ad diaconatus etiam Ordinem subvexit : deinde et presbyterium sortitus, a Sisinnio ad episcopatum Cyzicenum ordinatus est. *Isto autem tempore legitima adipiscendi diaconatum in Ecclesia græca ætas erat annorum viginti quinque, ut liquet ex canone* 14 *Concilii Quini-Sexti, anno* 692 *celebrati* (8), *qui renovat canonem antiquorum Patrum, quatenus* presbyter ante triginta annos non ordinetur, etiamsi sit homo valde dignus... Similiter nec diaconus ante viginti quinque annos. *Si quidem S.* Proclus *S. Chrysostomi discipulus fuerit, non existimo, eum Attico adhærere voluisse, antequam hic nomen magistri sui in sacras tabulas retulisset.*

(1) Cfr Nicol. Rayæi. Trat. de Acolythia græc. ad caput tom. II, Act. SS. Junii, pag. XVI. — (2) Act. SS. tom. I Maji in capite pag. LIII. — (3) Butler XXIV octobris, Moroni. Dizionar. v°. *Proclo.* — (4) Tillemont. Mém. Ecclés. tom. XIV, pag. 704. — (5) Hist. des Ant. Ecclés. tom. XIII, pag. 472. — (6) Mém. Ecclés. tom. XIV, pag. 704. — (7) Fabric. Biblioth. græc. tom. XII, pag. 16. Edit. Hamburg. — (8) Labbe, tom. VI Conc. col. 1149.

A *retulisset. Atque hinc fit, ut S.* Proclus *aliquot annis ætatem legitimam superaverit, priusquam diaconus ordinaretur. Si dein pensamus, anno* 426 *actum fuisse, ut S.* Proclus *Attico in episcopatu CP. succederet, facile nobis persuademus Sancti nostri natalem annum propius ad vulgarem annum* 380 *quam* 390 *accedere. Nam in CPolitana Ecclesia multi erant primi subsellii viri, inter quos eminebant* Proclus *et Sisinnius, ut testatur Socratus lib.* VII *cap.* 26 : Post obitum Attici, IV *idus* (X) *Octobris* 425 *defuncti*, ingens contentio de ordinatione episcopi exorta est, alii alium postulantibus. Quidam enim Philippum presbyterum cupiebant; quidam Proclum, qui etiam presbyter erat. Sed universus populus communi consensu Sisinnium optabat... Prævaluit itaque studium laicorum : ordinatusque est Sisinnius pridie kalendas martii, consulatu proxime sequenti, qui fuit Theodosii duodecimus et Valentiniani Junioris Augusti secundus, *seu anno Christi* 426. *Ex Socratis textu habemus, S.* Proclum *ab Attico ad presbyteratus ordinem promotum fuisse, siquidem, eo moriente, dicitur Ecclesiæ CPolitanæ*
B *presbyter.*

post hujus mortem pro sede CP. Sisinnii competitor fuit;

7 *Satis liquet, stabilitam hactenus chronotaxim niti præsertim magisterio S. Joannis Chrysostomi, quatenus S.* Proclus *discipulus ejus fuerit. Et profecto ratio temporis minime obstat: quum S. Chrysostomus sedem CPolitanam per sexennium pacifice obtinuerit, scilicet ab anno Christi* 398 *ad* 404 *: quo intervallo annorum S.* Proclus *CPoli inter clericos agebat. Id quoque aperte docet Georgius Alexandrinus, ut monstravimus supra num.* 5 : *consentiunt Menæa, celebrantia S.* Proclum *paris virtutis cum S. Chrysostomo, ejusque in throno CPolitano successorem. Horologium, quod Breviarii græci instar habetur, tradit*, Sanctum fuisse temporibus Theodosii Junioris, habitumque fuisse discipulum et amanuensem Chrysostomi : ἐχρηματισε μαθητης και γραφευς του Χρυσοστομου. *Quod tandem confirmat Nicephorus Callistus lib.* XIV *cap.* 38 *dicens* (1) *:* Proclus a primo capillo præceptoribus usus, in arte dicendi potissimum elaboravit. In juvenili admodum ætate in lectorum ordinem cooptatus, post adolescentiam exactam, primum divi
C Joannis Chrysostomi, CPolitanam Ecclesiam administrantis, sectator, minister, librisque scribendis adjutor, συνεργος των λογων, et corporis ejus curator. Hic Paulum Joanni Magno in aurem dictitantem, atque arcaniorem epistolarum suarum sensum revelantem, per januæ rimas prospectans vidit. Atque ubi ille in exsilio vixit, ab illius affectione non desciscens, cum successore ejus Attico episcopo fuit, orationum illius scriba, ὑπογραφευς των ἐκεινου λογων. Quem illa in divino vitæ instituto progredientem in diaconatus gradum sustulit. *Videtur igitur ex his, S.* Proclus *pertinuisse ad illos, qui, ut narrat Cassidorus lib.* X *Historiæ Tripartitæ cap.* 17 (2), Pascha in thermis, quæ Constantinianæ vocantur, celebraverunt. Cum quibus plurimi episcoporum, presbyterorum et sacri ordinis clericorum commoti sunt; collectas seorsum per loca diversa celebrantes: unde etiam Joannitæ vocati sunt : *quia nempe iniquam S. Joannis Chrysostomi depositionem abhorrentes, iis communicare noluerunt, qui ejus sedem usurpabant.*

a quo Cyzicenum episcopatum accepit,

8 *Populus CPolitanus Sisinnium sibi episcopum S.* Proclo, *ut diximus supra num.* 6 *prætulit. Verum hæc rivalitas duos viros sanctos in dissensionem non adduxit. Nam quum vacaret Sedes Cyzicena, Hellesponti metropolis, ad eam cathedram Sisinnius amicum suum* Proclum *promovit.* Mortuo, *inquit Socrates lib.* VII *cap.* 28, Cyzicenorum episcopo, Sisinnius Proclum Cyzici ordinavit episcopum. Quum itaque Proclus Cyzicum esset profecturus, prævenerunt eum Cyziceni, ac virum religiosum, ἀνδρα ἀσκητικον, nomine Dalmatium ordinaverunt. Et hoc fecerunt neglecta lege, quæ jubet, ne præter sententiam Constantinopolitani episcopi, ulla fiat episcopi ordinatio. Legem autem istam ideo neglexerunt, quod ea ad solius Attici personam lata pertineret. Mansit itaque Proclus Constantinopoli, et licet Ecclesiæ suæ non præesset, in ecclesiis tamen Constantinopolitanis docendo floruit. *Eadem scribit Cassiodorus Hist. Tripart. lib.* XII E
cap. 3 (3). *Quis vero fuerit Cyzicenus episcopus, cui mortuo substitutus fuit S.* Proclus, *catalogi episcoporum non manifestant: nam qui proxime præcedit Eleusius, jam ab anno* 356 *sedem Cyzicenam occupabat* (4); *adeoque annum* 427 *attingere non potuit; præsertim quod ante episcopatum, teste Sozomeno lib.* IV *cap.* 20, in palatio splendide militavisset. *Quod autem Dalmatius, qui S.* Proclum *prævertit, dicatur vir religiosus fucum facere non debet : etenim græce dicitur* vir asceticus *seu monachus, et idem Sozomenus testatur* virum bonum, tamen in vexandis iis, qui Filium Patri consubstantialem profitebantur, acerrimum fuisse. *Erat scilicet Semiarianus, qui Filium Patri similem, non vero consubstantialem docebat : atque hinc fit, ut Dalmatium ab hæreticis electum dicat Menologium Basilii, num.* 1 *citatum. Et quidem Cyziceni nolentes sibi dissimilem episcopum Eleusio, quem, ait Socrates lib.* IV *cap.* 6, incredibili amore prosequebantur, *satis monstrarunt, se ejus erroribus obstinate adhæsisse.*

populo tamen rejiciente eum et alium instituente.

9 *Quod autem spectat ad jus ordinandi episcopi Cyziceni, clero populoque non consultis, quod sibi Sisimus CPolitanus arrogabat, videtur habuisse radicem in canone III secundum Hervetum Concilii CP anni* 381, *quo statuitur, ut* Constantinopolitanus episcopus habeat priores honoris partes post Romanum episcopum, eo quod sit nova Roma (5). *Baronius ad an.* 381 § XXXV *canonem istum commentitium habet, utpote quo se non defenderit Anatolius CP. a S. Leone Magno usurpati juris accusatus. Verum Pagius in sua Critica ad eumdem annum* § VIII *ejus authentiam vindicat; imprimis quia eum referunt scriptores coævi Socrates lib.* V *cap.* 8, *Sozomenus lib.* VII *cap.* 9, *et omnes omnis ætatis codices græci et latini. Quod vero Anatolius canonem Constantinopolitanum non citaverit, id accuratum non est. Nam S. Leo in epistola* CVI, *ad Anatolium data* (6), *dicit, hunc canonem ante annos sexaginta* (*verius ante annos septuaginta, ut habent alii* (7), *ab vulgari* 381 *ad* 451) *a quibusdam episcopis conscriptum*, numquam a

(1) Edit. Paris. Ducæ 1640, tom. II, pag. 522. — (2) Migne. Patrol. tom. LXIX, col. 1178. — (3) Ibid. col. 1203. — (4) Le Quien. Or. Christ. tom. I, col. 750. — (5) Labbe, tom. II Conc. col. 948. — (6) Migne. Patrol. tom. LIV, col. 1005. — (7) Ibid. col. 1007.

AUCTORE J. V. H.

prædecessoribus *Anatolii* ad apostolicæ sedis transmissum fuisse notitiam. *Ex quibus verbis liquet, Anatolium canonem CPolitanum Leoni Papœ suæ defensionis gratia objecisse. Cæterum nostri instituti non est enucleatius evolvere initia et progressum patriarchatus CPolitani, quæ fuse exponit Michael Le Quien in suo prœmio Ecclesiæ CP.* (1). *Non tamen sine aliquorum invidia gliscebat CPolitanorum episcoporum auctoritas : nam id etiam in vitium adversus S. Chrysostomum trahebatur, quod ad alias Ecclesias suam jurisdictionem extenderet* (2) : *et re ipsa videmus, sanctum virum, ut refert Theodoretus in sua Historia lib.* v *cap.* 28, *non solam regiam urbem, sed universam Thraciam, in sex provincias divisam, ac Asiam totam ac Pontum gubernasse et exornasse legibus. Istiusmodi quasi usucapioni cumulum addidit l.* 45 *de Episcopis Cod. Theodos.* (*lib.* XVI *tit.* II), *quo episcopis Illyrici jubetur, ut,* si quid dubietatis emerserit, id non absque scientia viri reverendissimi sacrosanctæ legis antistitis Urbis Constantinopolitani (quæ Romæ Veteris prærogativa lætatur) conventui sacerdotali, sanctoque judicio reservetur.

B

§ II. Episcopatum CP. dejecto Nestorio et vita functo Maximiano, accipit Sanctus: canones de translatione episcoporum et laudata a Socrate mansuetudo ad trutinam revocantur.

Nestorio, CP. episcopo creato,

Dum episcopatu Cyziceno dejectus, in operoso otio agebat CPoli S. Proclus, *utpote qui* in ecclesiis Constantinopoleos concinando maximam gloriam adeptus est (3), *accidit, ut* Sisinnius, quum in episcopatu nondum biennium explevisset, ex hac luce migraverit (4). Post cujus obitum propter homines, inanis gloriæ studiosos, placuit imperatoribus, neminem ex Ecclesia CPolitana ad episcopatum promovere: licet multi Philippum, multi quoque Proclum ordinari summo studio contenderent. Peregrinum igitur hominem Antiochia evocare
C satius visum est. Erat ille vir quidam nomine Nestorius, ortus ex Urbe Germanicia, sonora voce et expedita facundia : atque idcirco illum, tamquam idoneum ad docendum populum, accersere decreverunt. Elapso itaque trium mensium spatio, Nestorius Antiochia adducitur. Qui ob temperantiam quidem a plurimis prædicabatur, in reliquis vero quali ingenio et quibus moribus fuerit, ex prima ejus concione prudentiores quique statim deprehenderunt. Ordinatus enim die IV idus apriles, Felice et Tauro consulibus (X *aprilis* 428), illico coram universo populo imperatorem alloquens, celebrem illam protulit dictionem: Da mihi, inquit, imperator, terram hæreticis purgatam; et ego tibi cœlum retribuam : mecum hæreticos debella; ego Persas tecum debellabo. Hæc verba, licet quidam ex vulgo, qui hæreticos oderant, libenter amplexi sint, iis tamen, ut dixi, qui interiorem animi sen- D
sum ex verbis conficere norunt, perspecta statim fuit hominis levitas et violentia, cum inanis gloriæ studio conjuncta: quippe qui ne brevissimi quidem temporis moram sustinens, in hujusmodi verba prorupisset; et antequam ipsam, ut vulgo dicitur, urbis delibasset aquam, acerrimum se persecutorem ostenderet (5). *Narrat dein Socrates, quomodo Arianos, Macedonianos et Novatianos insectatus fuerit Nestorius : forsan hæc justo acerbius a Socrate dicta quis censuerit : sed si consequentem Nestorii actionem consideret, facile videbit, immoderatam non esse severitatem.*

et hæresin suam propaganti, publice

11 Ordinato, *ait Liberatus Diaconus in Breviario* (6), Nestorio die primo (*melius, decimo*) mensis aprilis, Anastasius presbyter (*amicus et consiliarius Nestorii*) coram Ecclesia docens: « Dei, inquit, Genitricem Mariam nullus dicere præsumat : quoniam Maria homo fuit, et Deum ab homine generari nimis est impossibile. » Quod quum pariter audissent plurimi clericorum et laicorum, multum conturbati sunt. Didicerant enim antiquitus, Deum con- E
fiteri Christum et nullatenus per dispensationem hominem a Deo separatum credebant. Tumultu ergo facto in ecclesia, Nestorius volens firmare Anastasii sermonem, eo quod eum honoraret, tamquam blasphemum noluit arguere, sed frequenter hoc coram Ecclesia docebat, et agitabat quæstionem cum contentionibus, abnegans Dei Genitricis confessionem. *Primus quidem omnium in Nestorii doctrinam publice insurrexit Eusebius, homo laicus, post Dorylæus episcopus : ast, ut porro narrat Theophanes in Chronographia* (7), die quodam dominico (*forsan die* XXIV *martii, vigilia Annuntiationis B. Mariæ*) ipso Nestorio Ecclesiæ præsidente, Proclus sacram concionem exponere jussus dixit homiliam in Deiparam Θεοτοκον, cujus initium : Virginis hodie celebritas, fratres. Exinde impius Nestorius propter fastum et pravam fidem cunctis exsecrandus exstitit. *Servata est nobis hæc homilia, cujus synopsin exhibemus. Prima verba satis indicant orationem, in celebri pro Mariæ solemniis conventu habitam fuisse; et quidem secundum Annotatum, initium homiliæ adjectum, dicta* F
videtur in celebritate Annuntiationis, του ευαγγελισμου, beatissimæ Virginis, ab Angelo salutatæ, quando Dominum Christum concipiens, vere effecta est Deipara (8). *Non equidem repugnarem, nisi Annotatorem fefellisset dies. Nam mense aprili* 428 *Nestorius sedem CP adeptus,* Proclo *concionem indicere non potuit, nisi anno sequenti, quo dies Annuntiationis,* XXV *martii* (9), *incidebat in feriam* II : *adeoque, siquidem* die quodam dominico, ἐν μιᾳ κυριακῃ, *sermonem suum habuerit S.* Proclus, *dicendum erit in pervigilio, quod græcis hactenus solemne est* (10), *eumdem pronuntiasse. Sed ad ipsam homiliam veniamus.*

S. Proclus *resistit homiliamque*

12 *Prælocutus quædam de solemnitate, qua natura universa exsultabat, agitatam quæstionem statim adoritur:* Hic nos, *inquit* (11), modo sancta Dei Genitrix ac Virgo Maria in unum coegit, συνεκαλεσε γαρ ἡμας νυν ἐνταυθα ἡ ἁγια

(1) Or. Christ. tom. I, col. 1 seqq. — (2) Hermant. Vie de S. Jean Chrys. pag. 373. — (3) Socrat. lib. VII, cap. 28. — (4) Ibid. l. c. — (5) Ibid. cap. 28. — (6) Migne. Patrol. tom. LXVIII, col. 974. — (7) Hist. Byzant. pag. 61. Edit. Venet. — (8) Migne. Patrol. gr. tom. LXV, col. 679. — (9) Cfr Act. SS. tom. III Mart., pag. 534. — (10) Cfr Menæa. ad XXIV Martii. — (11) Migne. Patrol. gr. tom. LXV, col. 682.

Θεοτοκος

A Θεοτοκος Παρθενος Μαρια : impollutus ille virginitatis thesaurus, spiritualis secundi Adami paradisus, unionis naturarum officina, *το εργαστηριον της ενωσεως των φυσεων. Monstrat dein,* ex muliere natum, Deum non nudum, at nec hominem purum... Templum, *ait porro,* in quo Deus sacerdos effectus est; non naturam demutans, sed eum per misericordiam induens, qui est secundum ordinem Melchisedech. « Verbum caro factum est »* quamquam Judæi dicenti Domino non credant: vere Deus formam hominis induit, tametsi gentiles miraculum subsannent. Ob id enim clamabat Paulus : « Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam. » * Nam neque mysterii vim cognoverunt, eo quod miraculum superet rationem : « Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. » * Nisi enim Verbum uterum inhabitasset, neque caro consedisset in throno sancto. Si Deo ignominiæ est, in uterum illabi, quem ipse formarat, esset quoque probro hominibus ministrare : quod si Deo esset probro ministrare hominibus, haudquaquam quum dives esset, pro nobis egenus factus esset. * Qui per naturam impassibilis erat, is propter suam misericordiam multis se passionibus obnoxium, *πολυπατην*, fecit. Haudquaquam Christus ex progressu in Deum evasit. Absit. Sed Deus quum esset, ut docet fides, misericordia motus factus est homo. Non prædicamus hominem deificatum; sed Deum incarnatum confitemur..... Qui ergo nos redemit, o Judæe, non est purus homo; universa enim hominum natura peccati servitute oppressa tenebatur : at neque Deus tantum, humana destitutus natura; corpus namque habebat, o Manichæe..... Si alius est Christus, alius Deus Verbum, jam non erit trinitas Sancta Trinitas : sed sententia tua, o hæretice, quaternitas. *Ex quibus verbis concludit S.* Proclus, *esse* declaratam sanctam Dei Genitricem Mariam. Dirimatur ergo omnis contradictio, ac Scripturarum doctrina illustremur, ut et cœlorum regnum consequamur in Christo.

* Joan. I, 14

* I Cor. I, 23

* I Cor. II, 8

* II Cor. VIII, 9

pronuntiat, qua demonstrat Mariam Deiparam :

13 *Quamvis nihil in specie sciamus de persecutione, quam S.* Proclus *pro defensione catholici dogmatis a Nestorio perpessus fuerit, dubium tamen non est, quin Sanctus, talia, ipso Nestorio præsente, prolocutus, eumque hæreticum pronuntians, iram Nestorii subierit. Publico denuntiatori non pepercerit vir superbus, qui monachos mussitantes gravissimis suppliciis affecit. Exstat in Actis concilii Ephesini querela Basilii archimandritæ et reliquorum monachorum, ad imperatorem directa.* Quidam, *inquiunt* (1), e reverendissimorum presbyterorum numero Nestorium, qui obtinet episcopatum hujus sedis (si tamen episcopum vocare fas est) eo quod Christum natura verum Deum, sanctam vero Virginem Deiparam esse obstinata animi contentione negare pergat, in publico concessu non infrequenter coram corripuerunt, et ab ejusdem communione desciverunt et in hodiernum usque diem desciscunt. *Dubium esse non potest, quin inter illos, qui a communione Nestorii hæretici se segraverunt, recensendus etiam veniat S.* Proclus, *cujus oratio, quam supra exhibuimus, inter Acta concilii Ephesini primo loco refertur* (2) *adeoque inter illos fuit, qui non solummodo* clanculum a Nestorii consortio se subduxerunt, *sed* ex religiosissimis presbyteris, *qui,* quoniam in ecclesia Irene Maritima contra repullulans pravum dogma invehebantur, dicendi facultate privati sunt. *Exponunt dein monachi, quomodo propter professionem veræ fidei capti fuere : et cædente turba satellitum, denudati, vinctique, indignis modis ad palum strati vapularunt et calcibus impetiti fuerunt.* Denique, *ajunt,* ejusmodi nos in ecclesia injuste ab injusto illo perpessi sumus, quæ ne infimæ quidem sortis homines experiuntur in foro civili, non dicimus, clerici et monachi et archimandritæ. Cæterum diu multumque ibi divexati, fameque tabescentes, sub custodia non modico tempore fuimus asservati. Neque illius furiæ his contentæ conquieverunt : verum per quamdam imposturam magnificentissimo celeberrimæ civitatis hujus præfecto traditi sumus : ferroque onusti, ad carcerem abstrahimur : hinc iterum extracti, catenisque, ut ante, impediti, prætorio sistimur. Quumque ibidem nullus plane, qui nos accusaret, præsto foret, rursum ad reorum locum a satellitibus reducimur; hucque reducti, denuo ab illo in faciem cædimur.

AUCTORE J. V. H.

E

dejecto Nestorio, cleri persecutori,

14 *Quamvis, ut liquet ex textu, præter monachos etiam* clerici *a Nestorio male habiti referantur, opinamur hos clericos fuisse inferioris subsellii; neque iis accensendi sunt* reverendissimi presbyteri, *de quibus paulo supra mentio facta est. Potentiores erant, quam ut Nestorius tales tormentis subjicere auderet. Neque cæterum tacuissent monachi, primarios cleri viros indignis modis tractatos fuisse. Quamvis itaque S.* Proclus *immotus perseveraverit in fide vera, ejusque hostes inpugnare non cessarit; non tamen videtur usque ad tormenta corporalia pro veritate pugnasse. Episcopus, licet propria sede destitutus, corporales vexationes non subiisset, quin memoria aliqua exercitæ crudelitatis mansisset superstes. Nestorius episcopus, ut sæpe fit, veritus commotionem populi, si viros primarios cleri sæcularis impeteret, iras suas in monachos, populo plerumque minus cognitos, acuere maluit. Quod cæterum et hodie videmus : qui enim vulnus aliquod religioni infligere satagunt, ii semper in monachos primum debacchantur, ut quasi per cuniculos ipsam Ecclesiam pedetentim suffodiant. Et quod mirabile est, videmus quandoque viros, alioquin probos et apprime catholicos, istiusmodi molitionibus non quidem aperte subscribere, sed tamen dicteriis quibusdam clanculo suffragari. Sed hæc hactenus.*

F

mortuoque Maximiano, in sedem CP.

15 *Quum anno* 431 *ante diem* XXV *junii exauctoratus fuisset in synodo Ephesina Nestorius, quatuor post mensibus ei suffectus fuit Maximianus, vir monasticam quidam vitam professus, sed in presbyterorum ordinem cooptatus* (3). *De S. Maximiano agunt nostri ad diem* XXI *aprilis* (4). *Sedit autem annis duobus, mensibus quinque et diebus octodecim : nam anno* 431 *cathedræ CPolitanæ impositus, vita functus est feria* V *majoris hebdomadæ, anno* 434 *incidente in* XII *aprilis seu pridie idus dicti mensis* (5). *Quoniam quidem et post Nestorii depositionem denuo, ut ait Socrates* (6),

(1) Labbe, **tom.** III Conc. col. 428. — (2) Ibid. col. 9. — (3) Sacr. lib. VI, cap. 35. — (4) Act. SS. tom. II Apr. 847. — (5) Ibid. Tract. prælim. tom. I Aug. pag. 40*. — (6) Lib. VII, cap. 35 et 40.

AUCTORE J. V. H.

orta fuerat disceptatio de eligendo episcopo, multis Philippum, pluribus Proclum *volentibus; Theodosius imperator, ut omnem perturbationis causam amputaret,* incunctanter, nondum humato Maximiani corpore, præsentibus episcopis præcepit, ut Proclum ordinarent, ἐνθρονισαι ἐπετρεψεν : nam ad eam rem et Cœlestini, episcopi Romani, litteræ, quæ allatæ fuerant, consentiebant, quas ille et Cyrillo Alexandrino et Joanni Antiocheno et Rufo Thessalonicensi miserat, nihil impedire docens, eum, qui alii esset Ecclesiæ nuncupatus vel etiam episcopus esset, ad aliam transferri Ecclesiam. Ordinatus, ἐνθρονισθεις itaque Proclus, funus corporis Maximiani procuravit. *Sed, ait laudatus Socrates* (1), quoniam nonnulli, ecclesiasticum canonem allegantes, Proclum, qui jam tum Cyzicenæ urbis episcopus nominatus fuerat, ordinari prohibuerunt, paucis hac de re dicere constitui. *Citat dein exempla episcoporum, ab una ad alteram sedem translatorum : et æquo largius concludit,* apud majores promiscui usus rem fuisse, ἀδιαφορον, episcopum ab alia civitate in B aliam transferre, quoties necessitas postularet. Quod si etiam necesse est canonem, hac de re constitutum, huic Historiæ intexere, omnino perspicuum fiet, quam falso citatus sit ab illis, qui ordinationi Procli intercesserunt. Canon igitur ita se habet : « Si quis episcopus, cujuspiam Ecclesiæ ordinatus, non perrexerit ad Ecclesiam, cui ordinatus est, non ex sua culpa, sed vel quod populus eum admittere recusaverit, vel ob aliam causam, non ex sua culpa profectam, hic honoris et ministerii sit particeps, modo nihil molestiæ afferat rebus Ecclesiæ, in qua congregatur. Iste canon est decimus octavus concilii Antiocheni anno 341 celebrati (2).

succedit S. Proclus.

16 *Reprobabant certe canones sacri translationes episcoporum ad ditiores et honoratiores Ecclesias; verum casus necessitatis aut utilitatis Ecclesiarum admittebant. Recens adhuc exstabat memoria S. Gregorii Nazianzeni, e cathedra CPolitana, quasi aliam sedem occupantis, exturbati; vix enim ante annos quinquaginta id acciderat* (3) : *propterea electioni* C *S.* Procli *prætenditur consensus Cœlestini Papæ: quem versimilius dedit, quando Nestorio deposito successor designandus fuit : nam tunc denuo, ut vidimus, fuerunt, qui* Proclum *episcopum sibi deposcebant : ipse autem Cœlestinus mense julio anni* 432, *adeoque octodecim fere mensibus ante Maximiani CP. obitum, vita functus erat. Præterea inopinato et mors S. Maximiani, adeoque et S.* Procli *evectio ad sedem CP. acciderunt. Liquet enim ex superstite fragmento Synodicæ S.* Procli (4), *Maximianum* subito a præsenti vita migrasse : *unde Nestoriani audaciores facti sunt, et* coacervatæ multitudines in multis partibus civitatis, Nestorium publico clamore reposcebant, et urbi pericula, ecclesiæque minabantur incendia. *Qui tumultus etiam in causa probabilius fuere, ut Theodosius imperator promotionem S.* Procli *accelerarit : vivebat nempe adhuc Nestorius, in Ægyptum relegatus, defunctus anno* 436. *Tandem animadversione dignum est, in translatione S.* Procli *a Cyzicena ad CPolitanam sedem auctorem intervenisse Romanum* D *Pontificem : agebatur enim de sede primaria, nulli alii subjecta. Ast inferiores episcopi auctoritate patriarcharum, aut eorum, qui simile sibi jus arrogabant, transferebantur. Sic Atticus CP. Sylvanum, ut narrat Socrates* (5), *qui Philippopoli episcopus frigus regionis ferre non valebat, ad Troadensem cathedram transvexit.*

cujus mansuetudo,

17 Erat autem, *ait Socrates* (6), hic vir (Proclus), si quisquam alius, ingenio ac moribus bonus; ab Attico enim institutus, quæcumque in illo bona fuerant, imitatus est; clementia vero usus est majore, quam in Attico fuerat. Ille namque hæreticis terribilem se pro tempore ostenderat: hic vero omnibus placidus fuit, et hoc pacto se eos magis, quam violentia, attracturum præcogitavit. Etenim nullam hæresim divexare volens, mansuetudine dignitatem conservavit salvam, ac veluti depositum quoddam Ecclesiæ restituit: qua in re Theodosium imperatorem imitatus est. Nam huic quidem ratum fixumque fuit, adversus sontes non uti imperiali potestate; isti vero propositum erat, E parvi facere, si quis de Deo aliter, quam ipse, sentiret. Ob hæc igitur imperator Theodosius Proclum magnopere laudabat. *Absit tamen, ut S.* Procli *mansuetudinem in deteriorem partam interpretemur, eique, prout Socratis verba sonant, indifferentismum, ut vulgo dicitur, affingamus. S.* Proclus, *placiditate magis quam violentia hæreticos attracturum se sperabat; quapropter ab omni vexatione abstinuit, donec ipsa fides catholica detrimentum non pateretur. Et certe is, qui veritus non est, dogma catholicum, ipso Nestorio præsente, vindicare, contradictoresque palam proclamare hæreticos, et episcopi sui, tunc quidem imperiali auctoritate suffulti, publicam indignationem subire, is, inquam, factus, Nestorio adhuc superstite, episcopus veritatem catholicam non dissimulavit, et grassantem contrarium errorem libere propagari passus non est. Proin verba Socratis recitata molliori interpretatione accipienda sunt.*

a Socrate laudata,

18 *Atque id quidem tanto securius, quod, quum parem facit* Proclo *episcopo Theodosium imperatorem, ex alterutrius agendi in hæreticos* F *ratione, utriusque mansuetudinem dijudicare liceat. Videamus igitur, quomodo Theodosius Nestorianos tractatos voluerit. Exstat in Codice Theodosiano l.* 66 *de Hæret.* (XVI, 5) *rescriptum Theodosio* XV *et Valentiniano* IV *coss. seu anno Christi* 435. Damnato portentosæ superstitionis auctore Nestorio, nota congrui nominis ejus inuratur gregalibus, ne christianorum appellatione abutantur : sed quemadmodum Ariani lege divæ memoriæ Constantini ob similitudinem impietatum Porphyriani a Pophyrio nuncupantur; sic ubique particeps nefandæ sectæ Nestorii Simoniani vocentur : ut cujus scelus sunt in deserendo Deo imitati, ejus vocabulum jure videantur esse sortiti. Nec vero impios libros nefandi et sacrilegi Nestorii adversus venerabilem orthodoxorum sectam, decretaque sanctissimi cœtus antistitum, Ephesi habiti, scriptos habere aut legere aut describere quisquam audeat : quos diligenti studio requiri ac pu-

(1) Lib. VII, cap. 36. — (2) Cfr Labbe, tom. II Conc. col. 570. — (3) Act. SS. tom. II Maj., pag. 372. — (4) Migne. Patrol. gr. tom. LXV, col. 886. — (5) Ibid. l. c. — (6) Lib. VII, cap. 41.

blice

A blice comburi decernimus. Ita ut nemo in religionis disputatione aliquam supradicti nominis faciat mentionem; aut quibusdam eorum habendi concilii gratia in ædibus, aut villa, aut suburbio suo, aut aliquolibet loco conventiculum clam aut aperte præbeat, quos omni conventus celebrandi licentia privari statuimus. Scientibus universis, violatorem hujus legis publicatione bonorum esse coercendum. Datum III nonas (III) augusti Constantinopoli, Theodosio XV et qui fuerit nuntiatus. *Et legem hanc suum sortitam effectum videmus, exsilio Irenæi comitis et Photii, quod Theodosius pervicacibus inflixit, ut monstrat Synodicum cap.* 188 (1): *similiter et episcopi sexdecim ex sede sua exsulare debuerunt, ut docet citatum Synodicum capp.* 182, 183, 184 *et* 190.

explicatur. 19 *Ex his manifestum fit, Theodosii mansuetudinem, a Socrate laudatam, usque ad libertatem erroris disseminandi nequaquam pervenisse, ac severe in eos actum fuisse, qui pericula fidei catholici creare potuissent, quales erant præsertim episcopi, qui sub pelle ovina erant lupi*
B *rapaces. Porro qualis fuit imperatoris Theodosii, talis fuit S.* Procli *episcopi mansuetudo: ut nuspiam errorem libere grassari permitteret. Nullus, quem sciamus, ab ejus se communione segregavit, quasi errantibus conniveret: dum tamen Joannem Antiochenum episcopum accusaret Maximus diaconus et archimandrita socordiæ, quia, ut habet Pagius* (2), *quosdam Nestorii sectatores, quoniam id negabant, ad integræ communionis gratiam in sua Ecclesia receperat: quapropter Maximus ab episcopo suo separare se moliebatur: ast S. Cyrillus ei persuadere conatur, ut ad episcopi sui communionem redeat, et reliqua dispensatorie dissimulet, quia, inquit,* res eget magna moderatione. *Ast excusatam a S. Cyrillo Joannis Antiocheni moderationem, aperte reprehendit S.* Proclus, *litteris ad eumdem Joannem datis. Nam quum Ibas, Edessenus episcopus, accusaretur propensus in Nestorianos errores, quatenus libros Theodori Mopsuesteni in Syriacam linguam vertisset ac per omnem Orientem disseminasset, neque catholicæ* Procli *ad Armenios subscri-*
C *bere voluisset, Ibæ causam detulit S.* Proclus *ad Joannem Antiochenum, sub cujus diœcesi sedes Edessena constituta erat. Monuit autem Joannem, ut forti animo in Ibam inquireret, memor exempli Heli sacerdotis, qui divinam iram incurrit, quia filiis peccantibus, aliosque ad peccatum provocantibus, pepercit.* Heli, *ait* (3), ætate fatigatus et in Silo pertinentia ad legem sacrificans, ipse quidem non operabatur, quæ pueri audebant; cooperabatur vero illis postquam non prohibebat peccantes: quoniam secundum veram rationem, non prohibere flagitia agenti cognatum est... Propter quod pariter illatum est supplicium, et eis, qui impia fecerant, et ei, qui non prohibuit. *Laudatam igitur a Socrate S.* Procli *mansuetudinem interpretari nos non oportet, ut liberam erroris reliquerit facultatem, sed quod corporales pœnas permiserit arbitrio imperatoris, ab eodem Socrate propter mansuetudinem pariter laudati, licet, ut vidimus, graviorum pœnarum decretoris. Ipse vero S.* Proclus *interea pastorali vigilantia et verbi ministerio pestem a grege sedulo arcebat. Nihil itaque est, quo in deteriorem partem incauta Socratis verba accipiamus.*

AUCTORE J. V. H.

§ III. Sancti epistola ad Armenios; causa Athanasii, episcopi Perrheni.

Scribit S. Proclus *rogatus* U*t damnatos in Ephesina synodo errores, certius perimeret, flammis, ut vidimus num.* 18, *libros Nestorii addixerat Theodosius imperator. Nestoriani, ut legem latam eluderent, antiquiorum scriptorum libros, suis erroribus affines, propagare cœperunt. Inter hos præcipui erant Diodorus Tarsensis et Theodorus Mopsuestenus episcopi: uterque in Scripturam fere universam commentatus fuerat, et in pace Ecclesiæ e vita discesserat. Itaque eorum volumina, in Syrorum, Armenorum et Persarum linguam translata, per omnes provincias disseminabant Nestoriani. Qua quidem arte duo præsertim commoda con-*
E *sequebantur: primum, non esse novum quod docebat Nestorius; novitatem enim abhorret Ecclesia Dei; alterum, viros apprime doctos et catholicos eadem dogmata docuisse.* Sed hæc, *ait Liberatus in suo Breviario* (4), ubi agnoverunt Acacius Melitenensis (*in Armenia*) et Rabula Edessæ civitatis (*in Syria*) episcopi, scripserunt Armeniæ episcopis, ne Theodori Mopsuesteni libros susciperent, tamquam hæretici et auctoris dogmatis Nestoriani; insimulantibus episcopis Ciliciæ Rabulam et Acacium, quod hoc non ex caritate, sed ex æmulatione atque contentione fecissent. *In Cilicia nempe Theodorus et Diodorus pontificatum gesserant, et magnam sui nominis famam reliquerant.* Congregati sunt, *pergit Liberatus,* ergo in unum venerabiles Armeniæ episcopi, et miserunt duos presbyteros Leontium et Aberium ad Proclum, Constantinopolitanum episcopum, secundum morem, cum libellis suis et uno volumine Theodori Mopsuesteni, scire volentes, utrum doctrina Theodori, an Rabulæ et Acacii vera esse probaretur.

ad Armenios 21 Itaque Proclus, accipiens Armeniæ episcoporum libellum et illud Theodori volumen, diligentius utraque examinans, tomum Armeniis scripsit et destinavit, in quo posuit ad interimendas Nestorianorum versutias, qui duas in Christo inducunt personas; « Unum de Trinitate incarnatum »: quem et direxit Joanni Antiocheno per Theodorum diaconum suum, continentem subter capitula, ab hæreticis prolata, expetens ab eo, pro communi fide servanda, ut cum suo concilio eum susciperet et subscriberet. *Atque hic est celeber ille tomus seu epistola, a S.* Proclo *ad Armeniæ episcopos directus, quem provocavit epistola ad sanctum antistitem data et Mopsuesteni errores palam denuntians, quatenus fuerit* pestifer homo, magis autem fera, hominis habens formam diabolicam, mentito nomine Theodorus, qui schema et nomen episcopi habuit, in angulo et ignobili loco orbis terrarum latitans, in Mopsuesteno Secundæ Ciliciæ vili oppido, vere quidem et principaliter a Paulo

(1) Christ. Lupi. Oper. tom. VII, pag. 346. — (2) Crit. Baron. an. 435, § VI. — (3) Migne. Patrol. gr. tom. LXV, col. 874. — (4) Ibid. tom. LXVIII, col. 990.

Samosateno

AUCTORE J. V. H.

Samosateno descendens, licet Photino et cæteris hæreticis in libro « De Incarnatione Domini nostri Jesu Christi » in toto suo proposito ipsis verbis inveniatur usus, et si quid pejus. Iste per machinationem et audaciam et errorem diaboli volebat omnes homines acuta sua, sicut colubri, lingua et veneno, quod sub lingua aspidis est, deperire. *Proferuntur dein aliquot errores, ex quibus Nestorii impietas nata est, utpote qui discipulus Theodori fuerit. Tandem concludunt suam epistolam petendo, ut quemadmodum Nestorius* manifeste et nominatim *condemnatus fuit in synodo Ephesina ab universali Ecclesia; sic pariter* antea condemnatum sine nomine sacrilegiorem Theodorum nominatim condemnatum Proclus *velit, cum omnibus,* qui secundum impiissimam ejus expositionem hactenus in Syria et Cilicia sapiunt et docent (1). *Multos scilicet Thodorus habuit asseclas in Syria, quia in ejus metropoli Antiochia diu docuerat, et in Cilicia, quia episcopatum in ista provincia annis triginta sex exercuerat* (2).

explicatque Dominicæ

22 *Præmissa laude virtutum cardinalium ac præsertim theologalium, respondet S.* Proclus *Armeniis insistendo in doctrina Incarnationis dominicæ.* Deus ipse, *ait* (3), figura carens, sine initio, incircumscriptus, et omnipotens Verbum adveniens incarnatum est : aderat enim illi posse, quum vellet, et formam servi accipiens caro factum est, et natum ex Virgine, ubique volens ostendere vere se hominem factum : ipsam enim et habitus naturam necessario et initia et passiones consequuntur... Fatemur igitur utrisque Scripturæ vocibus utentes, et carnem factum

Joan. I, 14
Philipp. II, 7

esse * et servi formam accepisse, * et utræque pie intellectæ salutis nobis sunt semina. Nam per id quod dicit, « Factum est, » individuam summæ unionis vim Evangelista subindicat. Ut enim unitas dividi in duas unitates non potest; nam si devidatur, jam non erit unitas, sed dualitas : sic quod per summam unionem est unum, numquam in duo dividetur. Porro verbum, « Accepit, » naturæ immobilitatem declarat... Neque enim ex nullis exstantibus productus est, qui numquam initium habuit; neque ex aliquibus exstantibus immutatum

C

illud incommutabile Verbum... Quod si nonnullis occasionem scandali præbent fasciæ, et illa in præsepi reclinatio et illud in tempore secundum carnem augmentum, et quod in navi dormierit, et ex itinere sit fatigatus, et esurierit in tempore, et quæcumque facto secundum veritatem homini conveniunt : noverint, se, dum passiones irrident, negare naturam; dumque naturam negant, non credere dispensationem; non credentes vero dispensationem, damnum facere salutis... Sed illud prorsus multorum sermone vulgatum dicent et syllogismos, araneorum telis infirmiores, texent : Si Trinitas est ejusdem essentiæ profecto Trinitas est impassibilis : Sed Deus Verbum in Trinitate spectatur : Verbum igitur est impassibile. Quod si Deus Verbum est impassibile, colligitur ergo crucifixum alium esse præter Deum Verbum, quod est impassibile. Vere telam araneæ texunt, qui hæc dicunt; et scribunt in aquis, qui has inanes propositiones meditantur... Quid igitur nos ad ista dicimus? Nimirum quod ad rationem attinet divinitatis, consubstantialem et impassibilem esse Trinitatem : neque enim quum Verbum dicimus passum fuisse, ratione divinitatis passum dicimus : natura namque divina nullam recipit passionem. Sed confitentes Deum Verbum, unam Trinitatis personam incarnatam, iis qui cum fide sciscitantur, causam afferimus intelligendi, quare sit incarnatus... Volens destruere passiones, quæ rationalem carnem opprimebant, quarum summa arx erat interitus, incarnatur ex Virgine, ut novit ipse Deus Verbum, et habitu formatur ut homo : id enim ipsi placuit : et exinanit semetipsum in forma servi, nullam suæ deitatis circumscriptionem admittens : et hoc modo salutem universo hominum generi tribuit, in sua quidem carne passiones destruens, sed suam deitatem servans impassibilem.

D

Incarnationis mysterium.

23 Fugiamus igitur turbidos et cœnosos deceptionum rivos, hæreses, inquam, cum Deo pugnantes... hanc quoque nuper fabricatam novamque blasphemiam, quæ judaismum, quoad blasphemiæ magnitudinem, longe superat... State igitur in uno spiritu, unanimes collaborantes fidei Evangelii; et in nullo terreamini ab adversariis; sed custodite traditiones, quas accepistis a sanctis ac beatis patribus, qui apud Nicæam rectam fidem ediderunt, et a sanctis ac beatis viris Basilio et Gregorio et reliquis, qui cum illis eadem senserunt, quorum nomina sunt in libro vitæ. *Epistolæ suæ subnexuerat S.* Proclus *quædam capitula ex Theodori Mopsuesteni libris extracta, quæ damnanda, tacito auctoris nomine, proponebat, verum hæc in omnibus exemplaribus desiderantur* (4). *Porro epistola* Procli *scripta dicitur consulatu piissimorum Theodosii Aug.* XV *et Valentiniani* IV (5). *Verum id coaptari non potest legi Theodosii, supra num.* 18 *citatæ, eodem anno datæ : intra spatium nempe aliquot mensium Theodosius libros Nestorii igni addixisset, Nestoriani opera Theodori Mopsuesteni in Syriacam, Armeniacam ac Persicam linguam transtulissent, ac per istarum gentium provincias propagassent : episcopi synodos ad avertendam malam pestem celebrassent, legatos* F *ad S.* Proclum *CPolim direxissent; atque hic tandem dogmaticam scripsisset epistolam, præcipuorum episcoporum calculo probandam. Si hæc S.* Procli *epistola anno* 435 *data est, ne quinque quidem solidi menses supersunt ad hæc omnia peragenda; nam lex Theodosiana lata fuit* III *id. augusti. Sunt quidem suspicati mensem esse mendosum et pro augusto legendum aprilem, qua emendatione censent, sufficiens esse omnibus peragendis tempus* (6). *Emendationi propositæ non repugnarem, si certum esset epistolam S.* Procli *anno* 435 *scriptam fuisse : sed in fine mutila est, quandoquidem desiderantur, ut diximus, capitula anathematizanda : dein non solum in Codice Theodosiano, supra citato, sed in Codice Justiniani de Hæret.* (I. 5.) *idem mensis augusti apponitur : ita ut difficile sit, oscitantiam librariorum incusare. Quapropter malumus scriptionem epistolæ ad Armenios in annum sequentem* 436 *prorogare.*

24 *Quamvis autem, ut diximus num.* 21,

(1) Migne. Patrol. gr. tom. LXV, col. 851. — (2) Ceillier. Aut. Eccles. tom. X, pag. 489. — (3) Migne. Patrol. tom. LXV, col. 859. — (4) Ceillier. Aut. Eccles. tom. XIII, pag. 477. — (5) Pagius Crit. Baron. an. 435, § XIV. — (6) Ibid. § XV.

Armeni

omissis tamen antesignanorum nominibus,

Armeni Theodorum Mopsuestenum, ut erroris patrem denuntiassent; studiose tamen ab eo aut damnando aut etiam nominando abstinuit S. Proclus, *novas tempestates veritus. Quam agendi rationem probavit S. Cyrillus Alexandrinus ad Sanctum nostrum scribens* (1), *a quibusdam interpellatum imperatorem, ut* anathematizaret libros Theodori Mopsuesteni, ipsumque memoratum virum : magnum vero ejus nomen esse per Orientem et in admiratione haberi scripta ejus; et, sicut dicunt, contristantur omnes, quod vir nobilis et defunctus in communione Ecclesiarum anathematizatur. *Propterea suadet Cyrillus* Proclo, *ut nomini Theodori parcat. Prudenter itaque egerat sanctus antistes noster; epistolamque, ad Armenos inscriptam, miserat ad Joannem Antiochenum, qui, convocata synodo episcoporum orientalium, eam probavit* (2). *Ast interea precrebuerat, epistolam* Procli *adversus Theodorum Mopsuestenum fuisse directam: quapropter respondet Joannes* (3), *animam suam vulneratam esse, quia erroris arguitur vir,* bene de vita profectus, qui quinque et quadraginta annis clare in doctrina
B præfulsit, et omnem hæresem expugnavit, et nullam alicubi detractionem ab orthodoxis in vita suscipiens, post longi temporis hinc discessum, et post multa certamina, post decem millia libros, adversus errores conscriptos, periclitatur, quæ hæreticorum, sustinere. *Hic per transennam dictum esto, perperam a quibusdam Theodoro tributam scriptionem* decem millium *voluminum* (4) : *nam est simplex figura rhetorica, quæ vulgo synecdoche appellatur, numerus certus pro incerto: ut satis constat ex eadem epistola, in qua paulo infra dicuntur, adversus Joannem adversarii* decem millia mala meditari; *in scripturis antiquorum doctorum* decem millia talia *inveniri, qualia in Theodoro leguntur; tandem apud* decem millia *patrum Ecclesiæ consona decerptis capitulis inveniri. Hæc itaque vox magnam multitudinem designat, eodem modo ac latine dicimus,* sexcenta.

ne Orientalis offendat :

25 *Ut autem ad epistolam S.* Procli *redeamus, sciendum est, capitulis abjiciendis præpositum fuisse nomen Theodori Mopsuesteni a quibusdam,*
C *pacis ecclesiasticæ incuriosis. Verum istiusmodi imprudentiæ innocentem se pronuntiat S.* Proclus, *scribens ad Joannem Antiochenum.* Quando, *inquit* (5), ego scripsi tuæ sanctitati, oportere aut Theodorum, aut alios quosdam, qui pridem defuncti sunt, anathemati subdi, aut nominatim alicujus mentionem feci?.... Sed neque carissimus Theodotus, qui a nobis directus, diaconus talia mandata percepit. *Pari modo diacono suo Maximo, Antiochiæ agenti, dicit* (6), *se non probare, quod* per litteras didicit, quia Theodori Mopsuesteni et aliorum quorumdam nomina præposita sunt capitulis ad anathematizandum; quum illi ad Deum jam migraverint, et eos, qui jam vitam reliquerunt, supervacuum est injuriari post mortem, quos nec vivos aliquando culpavimus. *Prudentiam S.* Procli *ratam etiam habuit Theodosius imperator, lege lata,* ne quis adversus eos, qui in pace Ecclesiæ defuncti sunt, quidquam de cætero præsumat (7). *Ast præcipuorum antistitum moderationem non probavere quidam : controversia de Mopsuesteno identidem invaluit; adeo ut S. Cyrillus, pacis, ut vidimus, quasi sequester, calamum in Diodorum et Theodorum stringere debuerit, sed istud opus verisimiliter deperditum est* (8). *Tandem agitatam integro sæculo quæstionem diremit concilium CP. œcumenicum quintum, anno* 553 *celebratum, in quo anathema dictum est in Theodorum Mopsuestenum* (9), *quia, ut infra habetur* (10), oportet hæreticos et post mortem anathematizari.

AUCTORE J. V. H.

causam Athanasii Perrheni,

26 *Notam benignitatem* S. Procli *suis artibus præoccupare sategerat Athanasius, Perrhæ episcopus. Est autem Perrha seu Perrhe civitas episcopalis sub Heraclea metropolis provinciæ Euphratensis in Syria, adeoque ad patriarchatum Antiochenum pertinebat* (11). *Iste autem Athanasius ejectum se malevolentia suorum clericorum dicens, CPolim accurrit, remedium calamitati suæ apud* Proclum *quæsiturus. Hic vero in synodo causam ejecti episcopi examinavit, eumque ab objectis criminibus purgatum credens, ad patriarcham proprium Domnum Antiochenum, Joannis successorem, ablegavit cum synodicis litteris, quibus eum Antiocheno præsuli commendat.* Dei, *inquit* (12), amantis-
E simus Ecclesiæ Perrhenorum episcopus, Athanasius, incredibilem simul et audientibus non mediocriter molestam tragœdiam deflevit, dicens, clericos suos velut abjecta cogitatione subjectionis et putantes sibi sufficere voluntatem, ut essent sacrorum tyranni, expulisse eum ab Ecclesia, quum justa ratio nulla subsisteret : et quantum ad eos attinet, in tam immanem vesaniam exsiliisse, ut etiam damnarint eum... œconomos autem et curatores propria auctoritate constituisse Ecclesiæ Dei, et ipsius, qui tunc Ecclesiam regebat episcopus, nomen e sacris diptychis abstulisse. *Petit itaque, ut Domnus* sacerdoti laboranti succurrat, *et* post cognitionem, ei quidem, qui calumniam patitur, si modo patitur, opem ferat : illum vero, qui calumniam facit, si vere est calumniatus, abscindat. *Porro ne Domnus suspicetur in detrimentum juris sui patriarchalis*
F *epistolam synodicam esse conscriptam, subnectit :* Non igitur tua religiositas arbitretur, huc venisse memoratum Dei amantissimum episcopum, ut injuriam sedi præclaræ civitatis Antiochenæ inferret; sed metuens quosdam, sicut ait, seditionibus gaudentes et passioni propriæ militantes, daret ad tempus locum iræ : quandoquidem clementiam et mansuetudinem et amorem justitiæ tuæ religiositatis prædicare non cessat.

ejus artibus deceptus,

27 *Eadem fere scribit S. Cyrillus ad Domnum in causa Athanasii Perrheni* (13). *Uterque igitur intricatam litem, nam conditionate loquitur, ad judicem competentem, patriarcham Antiochenum, Domnum, refert. Qui summorum virorum consiliis obsecutus, synodum convocavit, in qua uno ore episcopi damnant Athanasium, quod proprios judices fugerit et SS. Cyrillo ac* Proclo

(1) Cyrilli opera, tom. V, part. II, pag. 199. Edit. Paris. 1638. — (2) Baluz. Nov. Coll. Conc. col. 946. — (3) Migne. Patrol. gr. tom. LXV, col. 877. — (4) Ceillier. Aut. Eccles. tom. X, pag. 492. — (5) Migne. Patrol. gr. tom. LXV, col. 879. — (6) Ibid. l. c. — (7) Ibid. col. 881. — (8) Ceillier. Aut. Eccles. tom. XIII, pag. 369. — (9) Labbe, tom. V, col. 453. — (10) Ibid. col. 503. — (11) Le Quien. Or. Christ. tom. II, col. 943. — (12) Migne. Patrol. gr. tom. LXV, col. 882. — (13) Labbe, tom. IV Conc. col. 724.

mendacia

AUCTORE J. V. H.

mendacia vendiderit. Sic Valerius, episcopus Anazarbi, dicit (1) : Perspexi et ego, quoniam reverendissimus Athanasius falsa docuerit Dei amantissimos et sanctissimos archiepiscopos Proclum et Cyrillum. Nam et propria voluntate ex scripto repudiavit episcopatum, et tertio a beato Panolbio (*suo metropolitano*) evocatus, audientiam declinavit : usus etiam repudio et propria voluntate, civitatem deseruit, et non a propriis clericis est expulsus. *Similia opinati sunt alii viginti duo episcopi (tota autem synodus episcopis viginti octo constabat) itaque Domnus Antiochenus præses sententiam tulit sequentem* (2) : Mei quidem voti non fuit, talem adversus episcopum proferre sententiam quia vero sancto concilio digne complacuit, alienum exsistere Athanasium secundum ecclesiasticas sanctiones ab episcopatu, tamquam multis magnisque criminibus accusatum, semper vero judicium et examinationem refugientem : confirmo hæc etiam ego, et in his, quæ omnibus communiter placuerunt, concors existo, judicans eum alienum
B esse a pontificatu : et præcipio Dei amantissimo episcopo Joanni et ipsius provinciæ religiosissimis episcopis, alium pro eo Perrhenorum sanctæ Dei Ecclesiæ episcopum ordinare. *In Athanasii igitur locum suffectus est Sabinianus monachus : cui diu quieto esse non licuit. Nam Athanasius, injustam suam depositionem conquestus, ope Dioscori Alexandrini et conciliabuli, vulgo latrocinii, Ephesini anno 449 in sedem Pyrrhenorum restitutus fuit. Sabinianus autem tum apud imperatorem tum apud Patres concilii Chalcedonensis Athanasium usurpationis accusavit,* quia, *inquit* (3), Dioscorus Alexandrinus auctoritate sua, insuper et tyrannide, me quidem a Perrhenorum Ecclesia, commissa mihi secundum canones a sanctissimo episcopo metropolis nostræ Stephano, expulit : e diverso autem introduxit Athanasium, virum depositum in Antiochensium splendidissima civitate a multis Dei amantissimis episcopis. *Unde petit, ut injustitia, quam passus est, reparetur.*

infeliciter suscipit.

28 *Patres Chalcedonenses, in Actione* XIV, *habita pridie kal. novembris* 451, *totius negotii*
C *seriem exponi sibi jusserunt : et in medium prolatis tum epistolis SS. Cyrilli et* Procli, *tum Actis synodi Antiochenæ, auditis insuper episcoporum, qui olim Antiochiæ præsentes fuerant, sententiis, judicavit concilium* (4), *Sabinianum,* quoniam post depositionem Athanasii reverendissimi ordinatus est a provinciali concilio, in Perrhenorum civitatis episcopatu manere debere. *Athanasii autem* causas illatas examinandas esse decernunt apud sanctissimum episcopum Antiochiæ Maximum et concilium, quod cum eo est : ita tamen, ut intra octo menses, a præsenti die numerandos, examinatio fiat eorum, qui dudum accusationem adversus eum proposuerunt, aut si quivis alius contra eum de his ipsis instare voluerit. Et si quidem convictus fuerit, omnia attentasse, quæ ei criminaliter et pecunialiter sunt illata et gestis inserta, aut unum ex illis, quod damnatione sit dignum, non solum eum alienum esse ab eodem episcopatu, sed legibus publicis esse subdendum. Si vero intra hoc tempus non agatur adversus eum, vel, si aga- D
tur, non convincatur, sicut prædictum est, Athanasius quidem episcopatum ejusdem recipiat civitatis et Ecclesam per sanctissimum episcopum Antiochiæ Maximum : Sabinianus vero reverendissimus episcopus et dignitatem episcopatus habeat et substitutus sit et pascatur, sicut reverendissimus episcopus Antiochenorum Maximus secundum facultatem Pyrrhenorum sanctissimæ Ecclesiæ disposuerit... Sancta synodus dixit : Nihil justius, nihil integrius : hoc justum judicium, hæc justa sententia. *Athanasii causam deinceps agitatam fuisse, nusquam reperimus* (5). *Quamvis porro SS. Cyrillum et* Proclum *fefellerit nota eorum mansuetudo, non est tamen, quod eis vitio temeritatis vertatur, tum quia causam, quæ prætendebatur injudicata, ad legitimum judicem examinandam transmiserunt, tum qui Orientales episcopi, æquo benigniores in Nestorii antesignanos, ut vidimus in negotio Theodori Mopsuesteni, suspiciosum quid sententiis suis indebant.*

E

§ IV. Ex privilegio sedis CPolitanæ arrogat sibi Sanctus variorum episcoporum in variis provinciis institutionem; cultus Trisagii; tempus mortis.

Controversiæ de sede Ephesina,

Consimili controversiæ paulo ante implicatum *legimus S.* Procli *nomen in Actis concilii Chalcedonensis. Etenim Actione* XI *Bassianus questus est, se injuste e sede Ephesina exturbatum fuisse, sibique subrogatum Stephanum. Uterque concilio præsens interat : et Stephanus quidem accusabat Bassianum, quod* ordinatus non fuisset in Epheso, sed, vacante sancta Ecclesia, colligens seditiosorum turbam, superingressus fuisset et sedisset ibi... Hoc ergo expulso secundum canones et projecto, ut merebatur, me, *ait* (6), quadraginta episcopi Asiani, suffragio nobilium et primatum et totius reverendissimi cleri et omnis civitatis, ordinaverunt. *Quæstionem alio prorsus modo posuit Bassianus dicens* (7) : Ego et cano- F
nice factus sum episcopus, et ostendo hoc, et a nullo depositus sum, nec accusatus ab aliquo neque culpatus. Sed et ego a juvenili ætate mea vixi pauperibus, et ptochium * feci * hospitium pauperum
et in eo posui septuaginta lectos, et omnes languentes et ulceratos hospitio suscipiebam. Memnon autem, qui fuit episcopus, invidiam habens in istis, quoniam diligebar ab omnibus, nihil non egit, ut expelleret a civitate : et immisit manus suas, ut me ordinaret episcopum Evazorum. Ego autem non acquiescebam; sed ab hora tertia usque ad sextam coram altari me plagis afflixit, et sanctum Euangelium et altare sanguine est impletum. His igitur ita gestis, ego sic permansi, neque ad civitatem vadens (neque penitus Ecclesiæ illi communicans, in qua nominatus fueram) neque ipsam civitatem videns. Mansi ergo sic : et contigit, ipsum Memnonem finem vitæ suscipere. Post hæc ordinatus est Basilius. Is autem evocans concilium provinciæ et agno-

(1) Labbe, tom. IV Conc. col. 736. — (2) Ibid. col. 749. — (3) Ibid. col. 721. — (4) Ibid. col. 753. — (5) Le Quien. Or. Christ. tom. II, col. 944. — (6) Labbe, tom. IV Conc. col. 688. — (7) Ibid, l. c.

scens

A scens ab eis violentiam, quam fueram passus, et quoniam machinatio fuerat, alium in illa civitate ordinavit episcopum, mihi vero reddidit communionem et locum episcopatus. Contigit iterum et hunc finem vitæ suscipere, me autem cum multa necessitate et vi inthronizaverunt in eadem civitate Ephesi populus et clerus et episcopi, quorum unus episcopus Olympius hic est.

in concilio Chalcedonensi agitatæ,

30 *Quæ hic profert Bassianus de consensu episcoporum, cleri et populi, vera non sunt: nam in testem invocatus Olympius episcopus Theodosiopolis, plane contraria dicit. Nempe post obitum Basilii vocatus ad electionem novi antistitis Ephesini, solus advenit, solus remansit : Sed tertia tandem die* venientes, *inquit* (1), quidam e reverendis clericis, dicunt mihi : alii episcopi non sunt hic, quid facto est opus? Dicebam ego : Solus quid possum facere? Quoniam extra rationem canonum est, solum episcopum disponere Ecclesiam, et maxime tantæ metropolis. Quum ergo hæc loquerer mecum, circumdedit mansionem, in qua eram, innu-
B mera multitudo; et nescivi, ubi essem; et coram tanta potestate et coram altari, quidam enudans gladium, Holosericus nomine, qui, puto, comitianus est, venit et ipse et omnis multitudo, et portantes me, profecti sunt in ecclesiam : et ita cum ducentis aut trecentis hominibus et me et ipsum levaverunt ad sedem et inthronizatio celebrata est. *Huic narrationi simpliciter Bassianus opposuit verbum :* Mentitus est (2) : *prudenter tamen paulo ante dixerat :* Unus eorum, qui me inthronizaverunt, hic est Olympius : nescio alios, hunc recordor (3). *Jam Bassiani causa pessum ibat quando prætendit, S.* Proclum *cum eo communicasse, tamquam cum episcopo Ephesiorum : et id quidem clerus CPolitanus testatus est, S.* Proclum *litteras synodicas dedisse, Bassiani nomen in sacris diptychis retulisse, idemque non ita pridem recitatum fuisse* (4). *Videtur autem S.* Proclus *ab initio Bassiani promotionem non probasse : ipse enim Bassianus id insinuat, quatenus veniens CPolim susceptus fuit ab imperatore, qui* Proclum *et Bassianum* amicos fecit (5) : *antea igitur amici non erant. Satis crediderim,*
C *approbationem manasse ex gliscente jurisdictione episcoporum CPolitanorum, quam non pauci episcopi oblique impetebant. Id etiam liquet ex ipso negotio Ephesino.*

implicatus legitur S. Proclus;

31 *Nam quum Patres Chalcedonenses decrevissent utriusque ordinationem, Bassiani scilicet et Stephani vim non habuisse; ad novam electionem procedendum fuit. Quum porro peterent judices, qui pro imperatore, tamquam protectore, concilio aderant,* ubi vellent canones, episcopum Ephesinæ sanctissimæ Ecclesiæ ordinari (6)? Reverendissimi episcopi clamaverunt: In provincia. *Jam enim Asiani episcopi dixerant,* si hic ordinetur alter episcopus, Ephesiorum civitatem conturbandam fore. *Quapropter Diogenes, Cyzici episcopus, dixit,* consuetudinem hoc habere : *et Leontius, episcopus Magnesiæ addidit :* A sancto Timotheo usque nunc viginti septem episcopi facti, omnes in Epheso sunt ordinati solus Basilius (*alius codex habet Bassianus*) violenter hic factus est, et multæ cædes hinc ortæ sunt. *Ast contra exceperunt clerici CPolitani : Philippus quidam presbyter :* Sanctæ memoriæ Joannes (*Chrysostomus*), episcopus CPolitanus quindecim episcopos deposuit, profectus in Asiam, et pro eis alios ordinavit, et Memnon hic ordinatus est. *Similia Actius, Ecclesiæ CP. archidiaconus, protulit exempla, Castini, Heraclidis et Basilii* (*Bassiani?*) *a beatæ memoriæ* Proclo *ordinati, et* beatæ memoriæ Theodosius imperator hujuscemodi ordinationi cooperatus est, et beatæ memoriæ Cyrillus, Alexandrinus episcopus. *Exardescebat interim controversia, episcopis quidem antiquum morem reclamantibus, clero CPolitano Ecclesiæ suæ privilegium prætendente. Quare satius visum est, decretum ferendum in crastinum diem prorogare. Postridie itaque patres, irritata utriusque rivalis, Bassiani et Stephani, promotione, ad novam electionem procedere jusserunt : ita tamen, ut utrique conservaretur dignitas episcopi, et ex reditibus Ephesinæ Ecclesiæ,* nutrimenti gratia et consolationis, annis singulis solidi aurei ducenti solvantur (7). *Primum hoc est exemplum, quod sciam, pensionis, beneficio ecclesiastico impositæ. Verum quæstionem de privilegio seu ambitu Ecclesiæ CPolitanæ usque ad Actionem* XVI *seu ultimam distulerunt : nisi quod Julianus, episcopus Coensis et Sedis apostolicæ legatus, sententiam suam his verbis tulerit* (8) : Secundum regulas quidem neuter esse debet : per clementiam vero synodus Asiana eligat, qui debeat esse. *Julianus itaque Asianæ provinciæ, cujus metropolis Ephesus erat, jus tribuit electionis, a qua neutrum competitorem exclusum* per clementiam volebat. *Id vero animadvertendum est, quoniam in hac ipsa Chalcedonensi synodo can.* XXVIII (9), *secunda a Romana Sede dignitas Ecclesiæ CPolitanæ assignata et speciatim diœceses Ponticæ, Asianæ et Thracicæ eidem attributæ fuere. Nostri instituti non est per omnes ambages prosequi hujus canonis, cui contradixit S. Leo Papa, fata. Id autem certum, S.* Proclum *implicando se negotio Ephesino persuadere sibi potuisse, id genus controversiæ ad jus sedis suæ pertinere, quod jam CPolitana synodus anno* 381 *sanciverat.*

AUCTORE J. V. H.

E

qui ex prætenso privilegio sedis suæ

32 *Quoniam tamen quæstio de primatu sedis CPolitanæ Actione* XVI, *ut diximus, ad trutinam revocata fuit, ac in ea Sancti nostri nomen recurrit, eamdem aliquatenus exponere debemus. Scilicet legati seu vicarii Sedis apostolicæ protestati sunt, nolle se recedere a canone Nicæno, quo prima post Romanam dignitas tribuitur Alexandrinæ sedi, dein Antiochenæ ac tandem Hierosolymitanæ* (10). *Nihilominus CPolitani decretum synodi, tempore Nectarii anno* 381 *celebratæ, opponebant, quo quidem CPolitanæ cathedræ primatus* post Romanum episcopum *adscribebatur,* propterea quod urbs ipsa sit junior Roma (11); *sed tamen sua manebat potestas episcopis provinciarum Asiæ, Ponti et Thraciæ, ut ibidem declaratur. Interea episcopi CPolitani, etiam sanctissimi, dilatabant fimbrias jurisdictionis suæ, ut vidimus num. præc. in Joanne Chrysostomo. Quod autem hoc minime quibusdam placeret, monstrant verba Eusebii, Ancyrani episcopi, in hac ipsa Actione prolata, non consentientis in primatum Ecclesiæ CP. :*

(1) Labbe, tom. IV Conc. col. 693. — (2) Ibid. l. c. — (3) Ibid. col. 692 — (4) Ibid. col. 693. — (5) Ibid. col. 689. — (6) Ibid. col. 700. — (7) Ibid. col. 705. — (8) Ibid. col. 704. — (9) Ibid. col. 769. — (10) Ibid. col. 809. — (11) Ibid. tom. II, col. 934.

Ego,

AUCTORE J. V. H.

Ego, *inquit* (1), meum dicturus sum verbum, nullum in commune præjudicium faciens. Quoniam desisto a desiderio ordinationis, rebus ostendi. Petrus etenim episcopus, qui modo testatus est, de Gangris est episcopus : ante hunc enim qui fuit, ego ordinavi : omnis enim civitas ad me venit in Ancyra, decreta portantes. Respondi eis dicens : Ego non sum ex iis qui ordinare desiderant. Commemorabant vero mihi priores, qui fuerant ordinati ab episcopo Ancyranorum duos aut tres. Ego dixi : Quæcumque mihi dicatis, ego meipsum in judicium non conjicio. Post hæc veniunt rogantes beatum Proclum. Et quum diceret, Philippus, reverendissimus Constantinopolitanæ sanctæ Ecclesiæ presbyter dixit : Religiositas tua scripsit de Callinico, et post sanctitatem tuam Petrum ordinavit beatus Proclus. Eusebius, episcopus Ancyræ dixit : Direxit beatus Proclus ad me scripta ; ordinavi eum. Hoc totum allegatio non est, sed meæ voluntatis probatio, ut post hæc inferam, quod peto, vel id quod contradico. Profectus sum in Gangra, B inthronizavi episcopum : Sic evenit, ut moreretur intra paucos dies. Rursus omnes de civitate adeuntes, rogabant, ut fieret alter episcopus. Eadem nunc et vobis respondeo : Ego non desidero ordinare. Videntes meum in his rebus fastidium, venerunt Constantinopolim et deduxerunt domnum Petrum, qui nunc confessus est. Hoc ergo sit pro meæ testimonio voluntatis, et quod ego ordinare non cupio. Rogo autem ut civitates pro ordinationibus non solvant : si enim non in civitatibus ipsis hi, qui eligunt a civitate, ordinantur a synodo provinciæ comprobati, solvuntur substantiæ : et hoc probatum habeo, qui pro eo, qui ante me fuit, multa reddidi debita. *Ex his satis manifestum est, jam tunc graves in sacris ordinationibus irrepsisse abusus, quorum tamen emendatio in ipso concilio Chalcedonensi procurabatur.*

varios episcopos

33 *Ante tamen quam hæc in Chalcedonensi concilio decernerentur et Ecclesiæ CPolitanæ primatus confirmaretur, crescebat pedetentim præsulum CP. auctoritas. Id videntur indicare verba Theodoreti in epistola ad Flavianum, or-* C *dine* LXXXVI (2) ; *conquestus de Dioscoro Alexandrino, qui jura sedis suæ dilatare contendebat, dicit se ab eo vexatum,* ex quo synodicis, sub beatæ memoriæ Proclo factis, sanctorum patrum regulis inhærentes, assensimus : ac de hoc nos semel et iterum increpasse, quasi et Antiochenorum, ut ait, et Alexandrinorum jura prodiderimus. *Præter proin allegata hactenus facta scimus, S.* Proclum *et aliis occasionibus auctoritatem sedis suæ explicasse. Sic consensum S.* Procli *obtendit Theodoretus in causa Irenæi, episcopi Tyriorum, ut ejus electionem legitimam faciat. Tria enim Irenæo impedimenta, canonica objiciebantur : quod Nestorianus, quod bigamus esset, quod a Theodoreto contra canones ordinatus. Difficultates discutit Theodoretus epistola* CX, *ad Domnum Antiochenum data* (3). *Imprimis Catholicum monstrat Irenæum, utpote qui* non sciatur, umquam recusasse Deiparam appellare Sanctam Virginem, aut aliud quidpiam a decretis evangelicis alienum sensisse. *Ordinatus autem fuit* D *Irenæus a Theodoreto, decreto Phœniciæ episcoporum, quando illius* zelum et magnanimitatem et amorem in pauperes et alias ejus virtutes perspectas haberent ac præterea dogmatum rectitudinem. *Quod ad bigamiam spectat, monstrat, Ecclesiam quandoque istiusmodi irregularitatem excusasse : quum et Diogenes Berœæ, et Domninus Cæsareæ, licet ambo bigami, ordinati fuerint. Tandem addit :* Ac multa etiam alia hujusmodi minime ignorans beatæ memoriæ Proclus, Constantinopolitanorum episcopus, et ordinationem ipse admisit et laudans et approbans rescripsit. *Ipsi itaque orientales, si paucos excipias, concurrebant ad exaggerandam antistitum CPolitanorum potestatem, quorum ope sperabant faciliorem benignioremque accessum fore, ad ipsum imperatorem.*

in variis provinciis ordinat :

34. *Similem casum refert Socrates lib.* VII *c.* 48 *his verbis :* Proclus eodem tempore, consulatu scilicet Theodosii septimo decimo (anno Christi 439) rem plane admirabilem, et qualem nemo umquam ex veteribus episcopis gesserat, aggressus est. Mortuo enim Firmo, Cæsareæ E Cappadociæ episcopo, Cæsarienses Constantinopolim venerunt, episcopum postulantes. Quumque Proclus dispiceret, quem ad episcopatum illum promoveret, forte accidit, ut ad ipsum salutandum cuncti senatores die sabbathi in ecclesiam venirent : inter quos erat etiam Thalassius, qui provinciarum et civitatum Illyrici præfecturam administraverat : quum vero Orientis quoque partium administratio ei mox ab imperatore credenda esset ; Proclus, ei manum injiciens, pro præfecto prætorii episcopum Cæsareæ illum constituit. *Quod Socrates dicit, novam et inauditam esse electionis formam, a S.* Proclo *adhibitam ; id quidem verum esto pro Oriente : quamvis simile quid in Nectario prætore acciderit, qui, ut ait Socrates lib.* V *cap.* 8, raptus a populo *episcopale munus suscepit. Addit annotator Valesius* (4), *id Nectario accidisse,* consentiente imperatore, *dum Thalassius subito electus fuisse videatur. Quidquid autem sit de Oriente, certe in Occidente jam ante illustre exemplum exstabat in S. Ambrosio, qui, præfectus Liguriæ et Æmiliæ, missus fuerat Mediolanum, ut popu-* F *lares motus, quos electio novi episcopi ciere debebat, compesceret : quum subito, ut narrat Paulinus notarius ejusdem Sancti* (5), *infante præcinente, populus universus Ambrosium episcopum acclamavit : aberat certe consensus tum Probi, præfecti prætorii, tum Valentiniani imperatoris, qui postea dixit, gratum sibi esse,* quod judex, a se directus, ad sacerdotium peteretur. *Attamen non tam fausta Ecclesiæ Dei accidit Thalassii, quam Ambrosii promotio. Thalassius enim quem anno* 439 *lex un. tit.* VI *novell. Theodos. præfectum nominat ad Eutychetem declinavit, deceptus a Dioscoro Alexandrino. Et quamvis in Chalcedonensi concilio erratorum veniam obtinuisset* (6), *postea tamen Eutychetis asseclis favere visus est* (7). *Sed viris sanctis vitio verti non debet, quod eos quandoque humana decipiat malitia, aut inconstantia inflectat : prudenter Ecclesia statuit, ut ad summas dignitates per gradus quasi cujusdam tyrocinii*

(1) Labbe, tom. IV, col. 816. — (2) Theodoret. Oper. tom. IV, pag. 1157. Edit. Hal. 1774. — (3) Ibid. pag. 1180. — (4) Socrat. Hist. Annot. pag. 93. — (5) Migne. Patrol. tom. XIV, col. 29. — (6) Labbe, tom. IV Conc. col. 507. — (7) Cfr Or. Christ. tom. I, col. 376.

ascendatur :

A *ascendatur: quod præter consuetudinem fit, quandoque periculosum evadit.*

Trisagii usum propugat;

35 *Dogmaticæ quoque controversiæ, ex Nestoriana hæresi natæ, implicatus fuit S.* Proclus. *Rem exponit Dionysius Patavius in suo tractatu de Incarnatione lib.* v *cap.* 4: Proclo Constantinopolitanam sedem obtinente, magnus terræ motus, non illa tantum in urbe, sed per vicinas regiones, adeoque maximam Orientis et Occidentis partem, ingenti tum urbium hominumqne strage, tum superstitum horrore ac metu grassatus est. Constantinopolitani, crebris ædium ruinis coacti urbe cedere, extra hanc in Campo, qui dicitur, commorati sunt, cum imperatore Theodosio Juniore ac patriarcha. Ibi, dum precibus ac litaniis assidue propitium sibi numen facere student, forte vehementius solito succussa terra, et imminentis tum maxime publicæ cladis terrore perculsis omnibus, puer quidam, e media turba vi abreptus subita et in aerem elatus, ut jam amplius non appareret; cœleste ibi carmen, quo divinas laudes Angeli canebant,

B exaudiit, quod erat hujusmodi: « Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis. » Hoc ipsum docere cæteros jussus, in terram aliquanto post depositus est. Proclus, hoc audito, publice ab omnibus cantari præcepit; quod quum alacritate summa factum esset, movere statim terra desiit. Imperator comme sorore Pulcheria edictum fecit, ut hymnus iste deinceps toto orbe caneretur. Ex quo per universas ecclesias usus invaluit, ut ab hoc carmine divinæ ubique laudes inchoarentur. Puer, mandato sibi munere perfunctus, expiravit illico, et in magna basilica, quæ Irenes appellabatur, est sepultus: locus, unde in altum sublatus erat, ὕψωμα θειον, id est, elevatio divina nominatus est. *Hæc fere deprumpta sunt ex Theophanis Chronographia* (1) *aliisque scriptoribus. Scimus autem, Trisagium istud etiam hodiedum a latinis in Officio Parasceves et alibi usurpari.*

quod in suam hæresim detorquere nituntur Eutychiani:

36 *Brevi interjecto intervallo Petrus Fullo Eutychianus, in Antiochenam sedem intrusus, ad cœlestem hunc hymnum addere ausus est:* Qui crucrifixus est pro nobis, miserere nobis

C Σταυρωθεις δι' ήμας, ἐλεησον ήμας. *Hoc nempe addito Theopaschitarum, quo imbutus erat, errorem propagare studebat: ut ipsummet Deum non carne, sed divinitate passum esse, monstraret. Atque hinc enata est altera propositio a Fullone prolata.* Unus de Trinitate passus est. Cæterum, *inquit Patavius l. c.*, catholici nonnulli formulam istam Trisagii hymni, a Fullone mala mente interpolatam, partim ad veræ professionem fidei, paucis interjectis voculis, deflexerunt; partim commode interpretati sunt. *Quia scilicet aliqui intercalarunt.* Christe rex: *aliqui de solo Verbo interpretabantur Trisagium: itaque Orientales catholici retinuerunt Fullonis appendicem, Byzantini autem et Occidentales, quod Trisagium in totius Trinitatis honorem concini putarunt, prorsus rejecerunt. Quod autem spectat ad formulam.* Unus de Trinitate passus est; *aliqui catholici eamdem probarunt, nixi autoritate S.* Procli. *Joannes Maxentius monachus hanc defendit, dicendo* (2): Sed his paulo manifestius Beatus Proclus, hujus urbis episcopus, quem etiam veneranda suscepit synodus Chalcedonensis, ad Armenios; quum contra Theodori blasphemias, qui quaternitatem pro Trinitate impie dogmatizavit, peteretur, ut scriberet, ejusdemque blasphemias refutaret, de hac sententia est locutus, dicens... Quæro, unus ex Trinitate est, qui crucifixus est, an alius? Et si quidem unus, solutum est jurgium. Si autem alius aliquis præter Trinitatem, quartus est sine dubio Dominus gloriæ. *Hanc Procli sententiam verbotenus in epistola ad Armenios non reperimus, ut recte animadvertit jam sæpe laudatus Petavius lib.* v *cap.* 3. *Attamen æquipollens sententia legitur* (3): Quid igitur nos ad ista dicimus? Nimirum quod ad rationem attinet divinitatis, consubstantialem et impassibilem esse Trinitatem: neque enim quum Verbum dicimus passum fuisse, ratione divinitatis passum dicimus. *Quod si recte et catholice dicitur, Verbum passum fuisse, scilicet secunda persona individuæ Trinitatis, non videtur ratio improbandæ formulæ:* Unus de Trinitate passus est. *Cæterum hæc eadem sententia quum* E *tribuatur S.* Proclo *a Joanne Pp. II* (4) *et Facundo* (5), *difficile nobis persuademus, hanc in operibus Sancti nostri olim lectam non fuisse: imo forsan in capitulis, epistolæ ad Armenios subnexis, hæc quæ citantur, reperiebantur; ast hæc, ut diximus supra num.* 23, *in omnibus exemplaribus desiderantur. Non vacat fortunam istius quæstionis longius prosequi. Scimus formulam ab Hormisda Papa rejectam fuisse* (6) *ob* inconsultam rationem, *ut habet Petavius lib.* v, *cap.* 2, ac præcipitem ardorem inculcandæ novitatis, intempestivæ potius, minimeque necessariæ, quam aut callidæ aut errore contaminatæ. *Quapropter quum brevi post eadem formula incredibili consensu probata atque recepta fuerit, suum etiam calculum adjecit Joannes Pp. II* (7).

obit sancte anno 446 mense julio.

37 *Tandem S.* Procli *meritis et laudibus accenseri debet translatio corporis S. Joannis Chrysostomi, de qua late egerunt nostri majores in Commentario prævio hujus Sancti* § LXXXVIII *ad diem* XIV *septembris* (8): *actum igitur non agemus. De tempore obitus sancti antistitis egerunt quoque nostri in tractatu de Patriarchis* F *Constantinopolitanis* (9). *Etenim aliqui eruditi annum emortualem statuunt vulgarem* 446, *dum alii sequentem* 447 *præferunt. Horum unica ratio est, quod terræ motus, cujus occasione Trisagii consuetudo late diffusa fuit, anno* 447 *acciderit, adeoque S.* Proclus *eidem supervixerit. Sed Chronicum Alexandrinum seu Paschale, quod solum hunc annum refert, tanti faciendum non est, ut rationes ab adversariis oppositas deleat. Habemus ex Menologio Basilii, S.* Proclum *annis duodecim, mensibus tribus sedem CPolitanam occupasse; eamdem vero adiisse feria quinta Majoris Hebdomadis, incidente in diem* XII *aprilis, ut notavimus supra num.* 15. *Quod si anno Christi* 434 *addimus annos duodecim et menses tres, devenimus ad medium mensem julii anni* 446, *quo obiisse verisimiliter censemus S.* Proclum: *hunc proin annum in capite Commentarii historici, quem hic claudimus, signavimus.*

(1) Pag. 80. Edit. Paris. — (2) Biblioth. Max. Patt. tom. IX, pag. 535. — (3) Migne. Patrol. Gr. tom. LXV, col. 866. — (4) Ibid. tom. LXVI, col. 21. — (5) Ibid. tom. LXVII. col. 530. — (6) Ibid. tom. LXIII, col. 491. — (7) Ibid. tom. LXVI, col. 21. — (8) Act. SS. tom. IV Sept., pag. 683. Cfr Migne. Patrol. gr. tom. LXV. col. 827. — (9) Act. SS. tom. I Aug., pag. 41*

A D

DE S. EVERGISLO,

EPISCOPO COLONIENSI ET MARTYRE,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

SÆCULO V ADULTO.

§ I. Sancti memoria in fastis sacris; nominis etymologia; ejus oblatio Ecclesiæ Tungrensi : qua occasione inquiritur oblatione puerorum.

S. Evergisli *memoria in fastis sacris,*

Martyrologium Romanum sub hac die annuntiat passionem Sancti hisce verbis : Coloniæ S. Evergisli episcopi et Martyris. *In Notis vero suis ad idem Martyrologium Baronius dicit simile elogium in Adoniano reperiri. Sed neque Usuardus genuinus neque Ado de Sancto nostro agunt : in eorum autem Auctariis mentio* S. Evergisli *occurrit. Sic in Usuardo editionis Lubeco-Coloniensis, apud Sollerium legitur :* Apud Coloniam Agrippinam, natale S. Evergisli, ejusdem civitatis archiepiscopi et Martyris, apud Tongerim civitatem sagittis interfecti. Hic precibus Beati Severini archiepiscopi, cujus primus archidiaconus fuit, meruit audire in sublimi voces psallentium Angelorum. *Addit porro editio Molani hunc versiculum :* Hic Tungris natus, Martyr fuit et tumulatus. *In Appendice Adonis, continente illos Sanctos, qui secundum meliores Codices eliminandi fuerunt, annuntiatur* S. Evergislus *episcopus et Martyr* (1). *Horum tamen martyrologorum silentium nullatenus officit cultui Sancti* Evergisli, *ut satis constat ex multis Sanctis, quorum memoriam præterierunt : sed cultus, Sancto exhibitus, in Ecclesiis Coloniensi et Leodiensi, quem testantur etiam antiqua Breviaria* (2), *sanctitatem ejus proclamat.*

nominis etymologia,

2 *Quod ad nomen* Evergisli *spectat, varie apud varios scribitur. Apud quosdam, rarius tamen, Evergislus habetur, e Græco fonte* Εὐεργης *detortum. Alii Ebregisi nomen idem ac Ebergisli seu Evergisli dicunt, quum S. Ebregisum, qui Trajecti initio sæculi sexti sedit, cujusque*
C *Acta, quæ ad hanc quoque diem majores se daturos promiserant* (3), *licet sub die* IV *novembris obiisse dicatur, infra exhibebuntur, ubi et examinandum veniet, utrum Ebregisus Trajectensis idem sit cum homonymo Coloniensi, cujus pontificatus in idem tempus incidit, an contra diversus. Certe nominis similitudo efficit, ut confusio nata sit, quæ cuique facta adscribenda sint, ut in decursu hujus Commentarii deprehendemus* (4). *Gelenius alio etiam modo Sancti nostri nomen profert dicendo,* Ebuergeselt (5), *quod, si recte ab eo scribatur, significat* socium Eburonum, *qui Tungrensem pagum, in quo S.* Evergislus *natus traditur, occupabant* (6). *Sed rectius forsan a vocibus teutonicis* Eber, aper *et* Geissel, *quod* prædem, vadem, sponsorem, *et antiquitus* hospitem *significat* (7), Evergisli *nomen derivatur, ita ut tamquam Eburonum aut Aprorum sponsor aut melius hospes prodeat. Hæc ideo posuimus, quia ipsum Sancti nomen, teutonicum quum sit, ejus quoque originem indicat, unde probabile quoque fit, S.* Evergislum *Tungris natum, ut fert traditio, fuisse.*

Acta duplicia.

3 *Acta S.* Evergisli *nulla exstare, scribit editor Butleri Lovaniensis : quod quidem de coævis intelligendum est. Nam apud Surium leguntur, et alia manuscripta in codicibus reperimus : videntur tamen, quod majores nostri jam censuerunt* (8), *sæculo* X *aut* XI *conscripta, quoniam translationem, a S. Brunone I, qui Coloniensem* E
Ecclesiam ab anno 953 *ad* 965 *rexit* (9), *factam complectuntur. Omittit quidem Surius translationem, quia, inquit,* eam supra inveniet lector in Vita S. Brunonis, archiepiscopi Coloniensis cap. 37, (*imo* 27) die XI octobris. *Verum aliis brevioribusque verbis in Vita infra edenda, eadem translatio refertur, et ab uno eodemque scriptore conscripta videtur. Hæc Acta, in rebus gestis a* S. Evergislo *narrandis satis jejuna, eatenus sincera censemus, quatenus nihil continent, quod pugnet cum historia eorum temporum. Ex altera tamen Vita, inter Annotata, dabimus ea, quæ licet minus certa, tamen, ut fere fit in Legendis Sanctorum, celebratiora sunt. Similiter Historiam translationis S.* Evergisli *Tungris Coloniam dabimus ex S. Brunonis Vita, quia Cornelius de Bye ad diem* XI *octobris eamdem omisit, quatenus a codicibus melioris notæ abesset* (10).

Tungris natus,

4 *Acta num.* 1 *tradunt, S.* Evergislum *ex illustri genere Tungris, florentissima tunc civitate, natum fuisse : ipsum ejus nomen, ut supra animadvertimus, originem germanicam indicat. Et quidem Germanos hunc tractum occupasse,* F
docet nos Suetonius in Tiberio, cap. 9. In Gernico (*bello*), *inquit,* quadraginta millia deditiorum trajecit in Galliam juxtaque ripam Rheni, sedibus assignatis, collocavit. *Eadem docet Eutropius in suo Breviario Historiæ Romanæ Lib.* VII, *nisi quod quadringenta hominum millia traducta dicat. Sed Suetonio magis, rebus, de quibus scribit, propiori, credendum censeo. Quidquid sit, hac ratione commodissime explicatur origo germanica Sancti nostri, quum spatio trecentorum annorum, multiplicatis Germanicis accolis, stirps deditia totam regionem occupare potuerit, et abolita lingua Celtica, Teutonicam apud omnes vernaculam effecerit.*

a parentibus clericatui offertur ;

5 Parentes, *ait biographus infra edendus, num.* 1, *S.* Evergisli ipsum Christo serviturum perpetuo devoverunt, ac juxta ritum ecclesiasticum Nazaræum Domino mancipare disposuerunt. *Antiquis siquidem temporibus offerebant parentes quandoque liberos suos alicui*

(1) Dominic. Giorgi. Martyrol. Adonis, pag. 644. — (2) Act. SS. tom. III, pag. 711. — (3) Ibid. l. c. — (4) Cfr ibid. tom. V Octob., pag. 31 num. 70. — (5) Admirand. Colon. pag. 39. — (6) Hist. Leod. tom. I, pag. 2. — (7) Cfr Adelung. Worterbuch. v°. *Gaissel* et Du Cange, v°. *Gisilis.* — (8) Act. SS. tom. V Octob. pag. 31 num. 72. — (9) Gall. Christ. tom. III, col. 645 et seq. — (10) Act. SS. tom. V Octob. pag. 701 et 779.

ecclesiæ

A *ecclesiæ aut monasterio. Istiusmodi oblationis consuetudinem indicat Regula S. Benedicti cap.* 59, *ejusque formulam exhibet Baluzius, formula* XXXI (1); *parentes quidem* cum oblatione, *id est cum pane et vino, materia, ut interpretatur Edm. Martene* (2), *incruenti Sacrificii* involvebant manum pueri in palla altaris, *et sic offerebant, abbate præsente et coram testibus*, regulariter permansurum, ita ut ab ista die non liceret illi collum de sub jugo regulæ excutere. *Benedictus Hæftenus in suis Disquisitionibus monasticis lib.* IV *tr.* I *disquisit* 3. (3) *varia affert exempla puerorum, a parentibus oblatorum, in ætate admodum infantili: S. Willibrordus, vix a lacte depulsus, in Ripensi monasterio adhuc puer clericatus accepit tonsuram et pia professione monachum se fecit esse: S. Bonifacius, Germaniæ postmodum Apostolus, teste Willibaldo, quum esset annorum circiter quatuor seu quinque Dei se servitio subjugare studuit. Hæc quidem sufficiunt ad ostendendam antiquam offerendi pueros consuetudinem.*

quæ oblatio obligabat liberos, ut volunt quidam;

6 *Sed hinc enascitur alia quæstio, quam paucis elucidandam censemus: nempe quam obligationem contraherent pueri, postquam ad maturiorem ætatem pervenissent. Edm. Martene opinatur, pueros, solemniter oblatos, non potuisse reverti ad sæculum, suamque sententiam firmat ex eo, quod regula dicat, puerum, redeuntem ad sæculum,* perire; *quod si id illi licitum fuisset, tuta conscientia id faciens, nullam culpam, adeoque nec damnationem incurrisset. Dein parentes, liberos suos offerentes, cogebantur eosdem exheredare, ut hac ratione* obstruerentur *viæ ad sæculum* (4). *Huc etiam facit, quod parentes possint dare, vendere, servitutis jugo subjicere filios, proindeque et lenissimo Christo jugo eosdem submittere. Similes rationes etiam profert laudatus Hæftenus, lib.* IV *Tract.* I *disq.* 5 (5). *Firmatur autem hæc opinio ex can.* XLVIII *Concilii Toletani* IV, *quem Gratianus suum facit can.* III. *caus.* XX *quæst.* I, *nempe:* Monachum aut paterna devotio aut propria devotio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, et omnes ad sæculum interdicimus egressus. *Similiter Gregorius II* (*alii III dicunt* (6)) *interrogatus a S. Bonifacio Moguntino circa puellos, a parentibus oblatos, respondet* (7): Si pater vel mater filium vel filiam intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderunt disciplina, utrum liceat eis, postquam pubertatis impleverint annos, egredi et matrimonio copulari. Hoc omnino devitamus, quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur.

C

quod negant alii,

7 *Ad citatos similesque canones respondet Franc. Suarez T. III de Relig. lib.* VI *cap.* 3 *num.* 13, *prædicta jura intelligenda de filiis, oblatis in infantia, qui postquam ad annos discretionis pervenerunt, oblationi, de se factæ a parentibus, expresse vel tacite consenserunt.* Quæ limitatio, *prosequitur Suarez*, quamvis non expresse addatur in concilio Toletano IV, ex aliis juribus subintelligenda est, quum concilium illud post tempora Marcelli Papæ congregatum sit. *Iste enim pontifex dicebatur sancivisse, ut liberi, a parentibus oblati, et annos* XV *facti, a prælatis interrogarentur, vellentne permanere in monasterio, nec ne. Scimus quidem hunc canonem* 10, *caus.* XX, *quæst.* I *ad Marcellum Papam, qui, debacchante Diocletiani persecutione, sedem Romanam viginti mensibus tenuit, eo scilicet tempore, quo de impuberibus in monasterio offerendis agi non poterat* (8), *non pertinere. Nihilominus Carolus Berardi, dum hunc canonem Marcello abjudicat, ostendit tamen eumdem, quoad sensum, ex concilio Toletano* II, *Aurelianensi* V *et can.* XVIII *S. Basilii ad Amphilochium desumptum esse* (9).

AUCTORE J. V. H.

8 *Et vero ex hisce similibusque ecclesiasticis legibus satis liquet, citata verba concilii Toletani* IV *et Gregorii II aut mollienda esse, aut stabile jus non creasse; nam qui opponuntur canones etiam generalibus verbis utuntur. Sic S. Gaudentius Brixiensis, qui initio sæculi* V *floruit cujusque Acta ad diem* XXV *octobris dabuntur, sermone* VIII *dicit:* Parentes vel consanguinei quique virginum tam puerorum quam etiam puellarum nolo sibi de supradicta licentia blandiantur, quod alienis mentibus eos dominari non posse tractavimus. Imperare quidem continentiam non possunt, quia res esse noscitur voluntatis. *S. Leo, in epistola ad Rusticum Narbonensem ad interrogationem* XV (*can.* 8, *Caus.* XX, *quæst.* I) *respondet:* Puellæ, quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo judicio, virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etsi consecratio non accessit; cujus utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent. *Non dissimulabo tamen, Clementem III in sua decretali can.* 12 *de Regularibus* (III, 31) *interpretari S. Leonis verba, quasi de puella* nubili *ageretur, adeoque ad eas, quæ in infantili ætate a parentibus offeruntur, non spectare: verum ipse Clemens, dum istiusmodi oblationem ratam esse vult, tales eidem apponit conditiones, ut veram, licet tacitam, professionem exigere censendus sit. Etenim* non videtur, *inquit, illa monasticæ* professionis a se posse jugum excutere, quum eam non constet evidenter contradixisse, quum benedictionem accepit, quam non nisi in ea ætate discretionis recipiunt, quæ velantur, præsertim si ratihabitione secuta (etsi eam quandoque contradixisse constiterit) quod ante gestum fuerat, roboratur. *In hunc quoque sensum loquitur canon* XIX *Concilii Aurelianensis* V, *anno* 549 *celebrati* (10): Quæcumque etiam puellæ seu propria voluntate monasterium expetunt, seu a parentibus offeruntur, annum in ipsa, qua intraverint, veste permaneant: in his vero monasteriis, ubi non perpetuo tenentur inclusæ, triennium in ea, qua intraverint veste permaneant et postmodum secundum statuta monasterii ipsius, in quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant; quæ, si deinceps sacra relinquentes loca, propositum sanctum sæculi ambitione transcenderint, vel illæ, quæ in domibus propriis tam puellæ quam viduæ, commutatis vestibus, convertuntur, cum his, quibus conjugio copulantur, Ecclesiæ communione priventur. *Per transennam animadvertamus, jam tum fuisse sanctimoniales, propriarum domorum incolas, per solidum trien-*

1° *nixi canonibus*

E

F

(1) D. Bouquet. tom. IV, pag. 587 et seq.—(2) Comment. in Reg. S. Bened. pag. 781. — (3) Disquisit. monast. pag. 356.— (4) Comment. pag. 788.—(5) Hæften. pag. 359. Cfr Mabillon. Vet. Analect. pag. 465. —(6) Ibid. pag. l. c.—(7) Migne. Patrol. tom. LXXXIX, col. 525.— 8) Cfr Berardi. Gratiani. Canones. tom. II, pag. 135. — (9) Ibid. l. c. — (10) Labbe, tom. V Conc. col. 396.

nium

AUCTORE J. V. H.

nium probandas, ante susceptionem vestis monasticæ, quæ hodiernæ professioni æquipollet.

variarum regionum;

9 *Eamdem doctrinam tuetur S. Basilius in canone* XVIII *suæ epistolæ ad Amphilochium, ord.* CXCIX, *aliis* II (1) : Professiones, *inquit,* ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omnino in his esse ratas existimare oportet, sed eam, quæ supra sexdecim vel septemdecim annos nata fuerit, rationisque compos et diu examinata probataque perseveraverit, et, ut admittatur, precibus contendat, tum oportet in sacrarum virginum catalogum referri, ejusque confessionem comprobare et illius refectionem inexorabiliter punire. Multas enim parentes et fratres offerunt, et quidam eorum, qui eas cognatione attingunt, ante ætatem, non ex se ipsis ad cœlibatum incitatas, sed sæculare quidpiam sibimet procurantes, quas non facile admittere oportet, donec aperte propriam suam sententiam perscrutati fuerimus. *Sic quoque Carolus Magnus in Capitulari anni* 805, *cap.* XIV (2) *prohibet,* ne infantulæ ætatis puellæ, antequam illæ eligere sciant,
B quid velint *admittantur : quam ordinationem etiam habent Leges Longobardorum lib.* III *tit.* I *cap.* 6 (3). *Ex iis igitur quæ hactenus diximus, quibusque alia plura addi possent, satis liquet, etiamsi daretur interpretatio strictior tum canoni Toletano, tum epistolæ Gregorii II supra citatis, tamen jus certum et stabile non fuisse oblationi, factæ a parentibus, quando ipsi pueri oblati non consenserunt. Itaque Cœlestinus III, qui c.* XIV *de Regularibus* (III, 31) *prohibet compelli ad vitam monasticam filium impuberem, nisi ipse consenserit, non obstante oblatione paterna, primus, ut quidam volunt* (4), *non fuit, qui antiquum jus correxerit.*

2ª imminutione potestatis

10 *In præsenti quæstione id dein quoque animadvertendum est, videlicet, antiquis temporibus, ac præsertim jure Romano, amplissimam, imo fere illimitatam fuisse patriam potestatem; quapropter nec mirum videri debet, antiquiores quosdam canones adjumentum suum in aliquibus a lege civili, præcipue Romana, mutuasse; ut dicitur c.* 1 *de nov. operis nuntiat* (V, 32), sicut leges non dedignantur sacros canones
C imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. *Porro summa erat olim patria potestas, ut secundum legem* XXXII *Duodecim Tabularum* (*vel, ut habent alii, legem* I *partis* III) haberet paterfamilias in *filium* jus vitæ ac necis *ac* potestatem ter venum dandi filii (5) : *adeo ut prolem suam paterfamilias, tamquam dominus rem suam ad omnem usum et abusum teneret. Unde Justinianus in Institutionibus lib.* I, *tit.* 9 *merito dicere potuit :* Jus potestatis, quod in liberos habemus, proprium est civium romanorum : nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus. *Ex quibus consequitur, exaggeratam apud Romanos patriam potestatem jam non ex jure naturali fluere, sed a lege humana derivari. Atque hinc factum est, ut paulatim severitas patriæ potestatis molliretur et moribus et legibus : ac prius quidem moribus, posterius legibus, quarum tamen initium incertum est, ut monstrat* D *Gothofredus in Commentario ad l.* 2 *de liberali caus. Cod. Theodos.* (*lib.* IV, *tit.* 8) (6) : *id tamen certum omnibus est, saltem sub Alexandro Severo abnormem istam severitatem in vitam liberorum abrogatam fuisse.*

parentum in liberos,

11 *Procedente etiam tempore et potestas vendendi aut donandi liberos patribus adempta fuit: nam Diocletianus C. l.* 1 *de patrib. qui filios distrax.* (IV, 43) *sancivit :* Liberos a parentibus neque venditionis neque donationis titulo, neque pignoris jure, aut alio quolibet modo, nec sub prætextu ignorantiæ accipientis in alium transferri posse, manifestissimi juris est. *Lege tamen sequenti Constantinus permittit venditionem recenter natorum* (7), *sub ea tamen cautione, ut ingenuitatem suam repetere possint, si vel pretium solvitur vel servus vicarius substituitur. Paulo autem serius gentes Teutonicæ, quæ maximam Europæ partem occuparunt et excoluerunt, alios mores indutæ, leges romanas magis magisque emollierunt. Nam potestati paternæ Germani quamdam tutelam filiorum, quam* Mundium *vocabant, substituebant; ita ut, dum filii parentibus debebant* E *reverentiam et obedientiam, patris esset officium curare ne liberi neque in persona neque in rebus aliquod detrimentum paterentur, imo ut ad omne bonum promoverent : adeoque istiusmodi potestas in filios, adveniente ætate maturiore, fere exstinguebatur, quatenus liberi, sibi jam sufficientes necessaria, aliena tutela non indigerent* (8). *Et vero apud Wisigothos l.* II, *lib.* IV, *tit.* II (9) *sancitum erat, ut, matrefamilias mortua, liberi* in patris potestate consisterent, et res eorum, si novercam non superduxisset, ea conditione possideret, ut nihil exinde aut vendere aut evertere, aut quocumque pacto alienare præsumeret. *Alibi autem, l.* I *ejusdem libri tit.* V (10) *prohibebantur parentes exheredare liberos, nisi pro culpis gravissimis, quæ speciatim enumerantur :* Flagellandi tamen, *inquit,* et corripiendi eos, quamdiu sunt in familia constituti, tam avo quam aviæ, seu patri quam matri potestas manebit. *Lege civili tali modo emollita, facile capimus legem canonicam mitigatam fuisse, si tamen canones, supra citati tantam aliquando vim obtinuerint, ut oblatos a* F *parentibus liberos, etiam invitos, ad vitam monasticam potuerint adigere.*

3ª ex distinctione quæ semper

12 *Neque id prætereundum est, ab antiquissimis temporibus distinctionem exstitisse inter virgines velatas et non velatas, ita ut dum illarum, ut monstratum fuit in Commentario ad Acta SS. Martiniani et Saturiani num.* 11 *et seqq.* (11), *nuptiæ essent invalidæ, harum tamen, illicitæ quidem, valerent; quia scilicet puellæ non velatæ solemne castitatis debitum non contraxisse videbantur. Porro quamvis varia assignaretur velandæ ætas, nullus certe canon exhiberi potest, qui velationem ante pubertatis seu discretionis annos, ut constat ex can.* 12 *de regular.* (III, 31), *permittat; imo ætatem admodum maturam exigunt jura : sic concilium Carthaginense* III, *anno* 397 *celebratum, canone* IV (12) *prohibet ne* ante viginti quinque annos virgines consecrentur *et concilium Agathense anni* 504

(1) Tom. III, Oper. pag. 292. — (2) Harzheim. tom. I Conc. Germ. pag. 388. Cfr ibid. pag. 410. — (3) Apud Lindebrog. Cod. leg. antiquar. pag. 666. — (4) Schmalzgrueber jus. Canon. rit. De regular. num. 133. — (5) Rosini. Antiq. Rom. pag. 570 et 594. — (6) Codex Theodos. tom. I, pag. 406. Edit. Lips. 1736. — (7) Cfr ibid. pag. 491. — (8) Cfr Eickhorn. Deutsch. Staats und Rechts geschichte §§ 55, 352 et 371. Troplong. Influence du Christ. sur le droit Rom. ch. v. — (9) Lindebrog. Cod. leg. antiq. pag. 80. — (10) Ibid. pag. 89. — (11) Act. SS. tom. VII Octob. pag. 827. — (12) Labbe, tom. II Conc. col. 1167.

can.

A *can.* XIX (1) *statuit :* Sanctimoniales, quamlibet vita earum et mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur. *Quæ quum ita sunt, videamus quid intersit inter velatam et non velatam in ordine ad matrimonium contrahendum, adeoque repetendum sæculum. Distinctionem inter virgines utriusque voti clare exponit Innocentius I in epistola decretali ad Victricium Rothomagensem cap.* XII *et* XIII (2), *quod utrumque recitabo :* Quæ Christo spiritualiter nupserunt, et velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de sæculo recesserit. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, ut quæcumque, vivente viro, alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus; quanto et illa magis tenenda est, quæ ante immortali se sponso conjunxerat, et postea ad humanas nuptias transierunt? Hæ vero, quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper manere promiserant,
B licet velatæ non sint; si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum a Deo tenebatur. Nam si inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerit virgo, solvi sine vindicta non debet? Nam si Apostolus Paulus, quæ a proposito viduitatis discesserunt, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem
* I Tim. V, 12. irritam fecerunt *, quanto magis virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt visæ? *Hac distinctione inter utrumque virginum ordinem posita, quam paulo post concilium Romanum anni incerti, sub Innocentio tamen habitum, ut conjicit Phil. Labbe* (3), *admisit can.* I *et* II (4), *aliquatenus apparet, non ineluctabilem fuisse liberis oblatis manendi in monasterio necessitatem, quam prudens Ecclesiæ mansuetudo relaxare poterat.*

exstitit, præsertim in clericatu,

13 *Ut vero ad S.* Evergislum *nostrum redeamus, atque ejus oblationem, qua eum parentes, ut loquitur biographus num.* 1, Domino mancipare disposuerunt, *propius explicemus,*
C *id etiam animadvertendum est, non tam vitæ monasticæ, sed, ut verbis biographi presse insistamus, clericali S.* Evergislus *devotus fuit : quod quidem illa ætate parentes quandoque factitabant, ut docet Concilium Toletanum* II, *anno* 527 *celebratum; cujus canonem* I *eo lubentius adducimus, quod in eo quasi in germine videamus indicata ea collegia ecclesiastica, vulgo Seminaria dicta, in quibus ab infantili ætate pueri gradatim ad usque presbyteratus ordinem in virtutibus scientiisque excolendis exercebantur. Canon Toletanus sic sonat* (5) : De his quos voluntas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio manciparit, statuimus observandum, ut mox quum detonsi vel ministerio electorum contraditi fuerint, in domo ecclesiæ, sub episcopali præsentia a præposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis suæ compleverint annum, coram totius cleri plebisque conspectu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis, Deo inspirante, placuit, et professionem castimoniæ suæ absque conjugali necessitate se spoponderint servaturos, hi tamquam appetitores arctissimæ viæ, lenissimo Domini jugo subdantur, ac primum subdiaconatus ministerium habitu probationis suæ * a vicesimo anno suscipiant. Quod si inculpabiliter ac inoffense vicesimum et quintum annum ætatis suæ peregerint, ad diaconatus officium, si scienter implere posse ab episcopo comprobantur, promoveri debent. Cavendum tamen est his, ne quando suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias aut furtivos concubitus ultra recurrant. Quod si forte fecerint, ut sacrilegii rei damnentur, et ab Ecclesia habeantur extranei. His autem quibus voluntas propria, interrogationis tempore, desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolis sententiam * auferre non possumus: ita ut quum perfectæ * ætatis in conjugio positi renuntiaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad sacratos gradus aspirent.

AUCTORE J. V. H.

* probatione habita professionis suæ

* licentiam

* provectæ

inter votum simplex et solemne.

14 *Quamvis in hoc canone Toletano agatur, ut diximus, de clericatu potius quam de monachatu, videaturque S.* Evergislus *a pueritia clero sæculari adscriptus; nihilominus operæ pretium fuerit signare nobis verba canonis Toletani, quibus fatentur patres* concessam ab Apostolis sententiam seu licentiam (*nubendi*) auferre se non posse. *Etenim si istiusmodi licentia concessa sit ab Apostolis, non perspicitur, quomodo nuda* parentum devotio, *ut loquitur canon* XLVIII *Concilii Toletani* IV, *supra num.* 6 *citatus, apostolicam licentiam enervare potuerit, sive de clericatu sive de monachatu agatur. Quapropter arridet nobis sententia Benedicti Hafteni, qui in Disquisitionibus monasticis lib.* IV *tract.* I *disquisit.* V (6), *postquam utriusque sententiæ argumenta libravit, tandem concludit his verbis :* Triplicem effectum *in his pueris* sortitur parentum oblatio. Primus est, ut possint a Religione recipi et retineri. Secundus, ut pater non possit amplius uti patria potestate ad eos revocandos, quia jam cessit juri suo, et, quantum in se est, per donationem filios religioni donavit, et ipsa acceptavit. Tertius est, ut neque ipsi sua voluntate ante annos pubertatis egredi possint, quia in illa ætate non tam sua, quam patris voluntate regendi sunt: pater autem voluntatem suam in Religionem transtulit, et ideo sine Religionis consensu exire non possunt intra illam ætatem, quamvis ante annos pubertatis ex causa queant expelli. *Eadem tradit Prosper Fagnani ad c.* Cum virum *de Regular. num.* 2 *et seq.* (7). F

§ II. Jus episcoporum Coloniensium in Ecclesiam Tungrensem; diaconatus et episcopatus S. Evergisli; an Martyr dicendus sit.

A S. Severino Coloniensi.

Difficultate circa oblationem parentum discussa occurrit alia : nempe in Actis num. 2 *dicitur S.* Evergislus puerulus, *ab eo, qui Tungris* dignitate et cura præerat *S. Severino Coloniensi oblatus fuisse. Atque hæc quidem vox puerulus strictam*

(1) Labbe, tom. IV Conc. col. 1386. — (2) Ibid. tom. II, col 1252. — (3) Ibid. tom. II Conc. col. 1316. — (4) Ibid. col. 1317. — (5) Ibid. tom. IV, col. 1733. — (6) Pag. 360. — (7) Comment. in III libr. Decretal. Part. II, pag. 50. Edit. Colon. 1676. Cfr Bened. XIV de Synodo lib. VI, cap. 3, num. 2.

interpretationem

AUCTORE J. V. H.

interpretationem non patitur, quum in præcedentibus dicatur, eruditioni traditus, lectioni assidens indefessus, prandiolum protrahens, licet offenderentur parentes, in vesperum, tandem quæ e tenui alimento supererant, pauperibus erogans : quæ omnia ætatem, annos vere pueriles prætergressam, indicant : quapropter malim eum adolescentem, jam prima litterarum elementa edoctum, dicere : maxime quum sine his probatæ litteraturæ et sanctitatis initiis explicari vix possit, cur S. Severinus adolescentem secum Coloniam adducere voluerit. Sed eodem Actorum loco gravior sese exhibet difficultas, nempe quomodo S. Severinus Ecclesiæ Tungrensis talem habere potuerit sollicitudinem, ut isthic advenerit tractaturus de statu Ecclesiæ, primum ex fratribus, qui dignitate et cura ipsi Ecclesiæ præerat accersiverit, qui eorum fidem et quomodo in divinis cultibus se haberent, requisiverit. *Hæc enim proprii episcopi officia videntur.*

cujus erat aliqua

16 *Difficultati occurri duplici præsertim ratione potest. Imprimis Codicis Ecclesiæ Africanæ*

B *canon* CXIX (1) *sancit, episcopum,* qui aliquem locum ad catholicam unitatem converterit, eamque per triennium, nemine repetente, retinuerit, *non posse conveniri: quod si sedes vacaverit,* non præjudicetur matrici, *seu Ecclesiæ cathedrali,* sed liceat, quum locus acceperit episcopum, quem non habebat, ex ipso die intra triennium repetere. *Constat certe ex Vita S. Severini, data die præcedenti, num.* 2 *hunc antistitem multum allaborasse, ut Ariana hæresis, quæ procul dubio has regiones infecerat, exstirparetur, vicinosque Tungros, vita functo S. Servatio, ab interitu vindicare potuisse : proin secundum citatum canonem Africanum, partem episcopatus Tungrensis, cujus cathedra jam Trajectum translata fuerat, sibi saltem ad tempus retinere ac successori S.* Evergislo *relinquere potuit : atque tali modo explicari potest, Sanctum nostrum Tungrensem civitatem ex propria auctoritate visitasse et pro potestate irrumpentes corruptelas emendasse. Nihilominus vehementer dubito, utrum citatus Africanus canon umquam usu receptus fuerit in Gallia; quoniam in eo agebatur maxime de componendo schismate Do-*

C *natistarum, ut satis manifestum est ex canonibus præcedentibus* (2) : *nam in iis agitur de episcopis, qui* ex Donatistis ad catholicam unitatem conversi fuerint, *quibuscum episcopi catholici eamdem cathedram tenentes, dividere territorium suum consenserant. Qui rerum status, quoniam in Gallia numquam exstitit, similes canones, quibus Africa indigebat, numquam requisivit.*

Ecclesiæ Tungrensis

17 *Satius igitur est ad alteram rationem solvendæ difficultatis recurrere, nempe ad jus metropoliticum, quo Coloniensis cathedra in Tungrensem potiebatur. Major, quam nunc est, erat metropolitarum antiquitus potestas : eamdem accurate describit canon* IX *concilii Antiocheni, anno* 341 *celebrati* (3) : Episcopos, *inquit,* qui sunt in unaquaque provincia, scire oportet episcopum, qui præest metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ, eo quod in metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia. Unde visum est, eum quoque honore præcedere : reliquos autem D episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut vult, qui ab initio obtinuit, patrum canon : vel sola, quæ ad uniuscujusque parochiam conferunt et regiones, quæ ei subsunt. Unumquemque enim episcopum habere suæ parochiæ potestatem et administrare pro unicuique conveniente religione et totius regione curam gerere, quæ suæ urbi subest. Ut etiam ordinent presbyteros et diaconos et unaquæque cum judicio tractent, et nihil ultra facere aggrediantur sine metropolis episcopo ; neque ipse sine reliquorum sententia. *Id vero notabile in hoc canone, quod quum magnam metropolitano in rebus arduis tribuat auctoritatem, suam tamen episcopis in regenda diœcesi illæsam relinquat jurisdictionem, imo quum episcopi pro suo arbitrio agere possint in sua Ecclesia, metropolitani tamen nihil aggredi debent in provincia* sine reliquorum *episcoporum* sententia.

secundum vigentes

18 *Sed metropolitanis competebat jus visitandi Ecclesias suæ provinciæ. Id luculenter ostendit canon* II *Concilii Taurinensis, anno* 397 *celebrati* (4), *quo componitur controversia circa jus metropoliticum, inter episcopos Arelatensem et Viennensem : si quidem neuter probare possit suam civitatem esse metropolim,* ad pacis vinculum conservandum, consilio utiliore decernitur, ut si placet memoratarum urbium episcopis, unaquæque de his viciniores sibi intra provinciam vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet, quas oppidis suis vicinas magis esse constiterit. *Eodem modo can.* LII *Codicis canonum Ecclesiæ Africanæ* (5) *conqueruntur Honoratus et Urbanus episcopi, quod a primate Carthaginensi, prout leges requirunt, provincia Mauritaniæ non visitetur : respondet Aurelius Carthaginensis, nihil de hac provincia in præsenti statuendum esse,* siquidem vicina est barbarico ; sed, *addit,* præstet Deus, ut ex abundanti non pollicentes venire possimus ad vestram provinciam ; cogitare enim debetis, fratres, quia hoc sibi et Tripolitani et Arzugitani fratres potuerunt exigere, si ratio pateretur. *Sic quoque a primate Numidiæ, Megalio Calamensi, visitatam dicit Possidius in Vita S. Augustini cap.* 8 (6) *Ecclesiam Hipponensem, qua occasione, præter omnium exspectationem, de consensu tamen episcopi Carthaginensis, secretis litteris obtento, episcopus consecratur S. Augustinus.*

E

F

illa tempestate canones,

19 *Commode itaque explicari posset agendi ratio S. Severini Coloniensis, quatenus metropolitanus Tungrensis Ecclesiæ eamdem jure suo visitaverit et in doctrinam ac mores cleri inquisiverit, nisi alia sese objiceret difficultas, nempe conditio ipsius sedis Coloniensis, quæ, ut quidam volunt, jus metropoliticum sæculo quarto nequaquam habebat. Hanc opinationem solide confutavit duplici dissertatione Josephus Harzheim : monstravitque adversus contrariæ sententiæ patronos, Ægidium Gelenium* (7) *Ignatium Roderique* (8) *et Carolum a S. Paulo* (9) *metropoliticam dignitatem a S. Materno derivari. Præcipuum argumentum mihi videtur, quod Colonia Agrappina habeatur ab antiquissimis temporibns tamquam metropolis Germaniæ Secundæ, ut constat ex Notitia provinciarum,*

(1) Labbe, tom. II Conc. col. 1128. — (2) Ibid. col. 1666. — (3) Ibid. col. 366. — (4) Ibid. col. 1156. — (5) Ibid. col. 1076. — (6) Migne. Patrol. Oper. S. August. tom. XXXII, col. 39. — (7) Pretiosa Hierotheca, pag. 29. — (8) Sacr. Colon. Eccl. traditio. Vindic. — (9) Geograph. Sacr. pag. 127.

tempore

A *tempore Honorii, adeoque finiente sæculo quarto aut quinto incipiente seu hoc ipso tempore, de quo agimus, condita. Fateor quidem has metropoles fuisse civiles, nec a potestate sæculari manare jus metropoliticum circa res sacras: sed nihilominus Ecclesia Dei, cujus est regimen spirituale pro utilitate populi disponere, consueverat ordinare, ut eædem essent metropoles ecclesiasticæ, quæ civiles, cujus dispositionis ratio exprimitur in canone Concilii Antiocheni supra citato, quia nempe* in metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia. *Jam vero Coloniensis metropolis, inter omnes cæteras jure metropolitico caruisset: nam recolantur cæteræ urbes omnes, provinciarum capita in Gallia, in omnibus ad sera etiam tempora constitutas sedes metropolitanas reperiemus: Elusa enim, Novempopulaniæ metropoli, penitus per Nortmannos destructa, jus metropoliticum ad Auscios translatum fuit sæculo nono* (1).

et Ecclesiarum necessitatem,

20 *Objiciunt quidem adversæ sententiæ patroni, Capuam, Campaniæ metropolim civilem,* B *in ecclesiasticis nudum episcopatum mansisse usque ad sæculum* X, *quo ad archiepiscopatus dignitatem evecta fuit* (2) : *adeoque metropolim civilem non continuo inducere ecclesiasticam. Quod quidem et nos fatemur : nam Romana Sedes, quatenus est metropolitana, in varias provincias, adeoque et metropoles, jurisdictionem explicabat suam, ut monstrant Jacobus Sirmondus* (3), *Petrus de Marca* (4) *et Petrus Cantelius* (5). *Quapropter allegatum Capuæ exemplum inefficax mihi videtur, præsertim in Galliis, ubi, ut diximus, quæcumque metropolis civilis simul etiam ecclesiastica fuit. Alteram difficultatem facessit epistola* XIV *Zachariæ Papæ ad Bonifacium* (6), *qua* Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus *Bonifacio* et successoribus *ejus* in metropolim confirmatur, habens sub se has quinque civitates, id est Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiraciam et Trectis (*Maestricht*). *Sed imprimis hoc mandatum pontificium, si umquam exsecutionem habuit, brevi abolitum fuit; quum, fatentibus etiam adversariis, episcopus Coloniensis, S. Bonifacio coævus, sive is Agilolfus, ut vult Gele-*
C *nius* (7), *sive Raginfredus, ut habet Gallia Christiana* (8), *fuerit, jus metropoliticum possideret. Dein tempore S. Bonifacii agebatur de reformando Ecclesiæ Germanicæ statu, per multiplices vicissitudines turbato : nam ante aliquot annos, ut habet epistola Zachariæ* X (9), *agebatur de metropoli Coloniæ danda Bonifacio, quod quidem consilium effectus suos sortitum non est, quia* Franci non perseverarunt in verbo, quod promiserunt, *quapropter S. Bonifacius* morabatur in civitate Moguntina (10). *Quæ omnia ostendunt, illa tempestate constitutam non fuisse sedem metropolitanam, quin inde consequatur, sæculo quarto et quinto SS. Severinum et* Evergislum *jus metropoliticum non exercuisse.*

procuratio,

21 *Si tamen metropolitana episcoporum Coloniensium dignitas in mente alicujus nutaret, recordemur SS. Severini et* Evergisli *pontificatum in illa tempora incidisse, quibus pro virili* D *sua parte quisque laboranti Ecclesiæ succurrebat, et seposito parumper canonum rigore, falcem suam mittebat etiam illic, ubi messis aliena videbatur. Luculenta exempla præbet sæculi quarti historia. Unum proferam ex Theodoreto lib.* V, *cap.* 4 (11). Magnus, *ait,* Eusebius (*Samosatensis, in provincia Euphratensi sub metropoli Hierapoli episcopus*) ab exsilio reversus Acacium, cujus celebris est fama, Berœæ (*in provincia Syriæ Prima* (12)) ordinavit episcopum; Hierapoli vero Theodotum cujus religiosa conversatio nunc etiam in ore est omnium; Chalcidis porro Eusebium et Cyri nostræ (*erat nempe Theodoretus Cyri episcopus*) Isidorum, utrumque admirabilem et divino zelo conspicuum : sed et Eulogium illum, qui pro apostolica doctrina strenue decertavit,.... ab eodem ferunt Edessæ, divino Barse mortuo, pastorem fuisse ordinatum. *Quum vero et Dolichæ, provinciæ Euphratensis cathedræ, imponere vellet Marim, tegula, in caput a muliere Ariana immissa, finem vitæ confecit. Hæc refert Theodoretus. Præter canones certe erat, simplicem* E *episcopum, metropolitica dignitate nullatenus insignem, episcopos constituere per diversa loca, non solum propriæ provinciæ, sed et alienæ. Nam Berœa, hodie Alepus, ad Syriam Primam sub metropoli Seleucia Pieria pertinebat* (13). *Ad istiusmodi agendi rationem adigebat Ecclesiæ catholicæ salus, quæ in omni republica suprema lex est. Ast simile quid in Tungrensi Ecclesia accidere potuit : scimus quidem successionem episcoporum Tungrensium seu Trajectensium non fuisse magnopere interruptam : sed nulla nos docet historia, quid egerint, adeoque an aliena manu in onere sustinendo non indiguerint, præsertim quando, propter bellorum tumultus et succedentes sibi barbaricas gentes, vacante sede episcopali, Ecclesia Tungrensis viduata erat suo pastore. Unde ex labore a S. Severino pro ista Ecclesia suscepto, non consequitur, ut vult Tillemontius* (14), *biographum S.* Evergisli *habuisse Tungros, quasi ad episcopatum Coloniensem pertinuissent. Quæ hactenus evolvimus, satis monstrant, alio etiam nomine, SS. Severinum et* Evergislum *curam Ecclesiæ Tungrensis potuisse suscipere, quin propterea* F *proprius loci episcopus dicendus sit.*

S. Evergislus *ad Ordines promovetur,*

22 *S.* Evergislus, *cum S. Severino Coloniam profectus,* gradatim, *ut habet biographus num.* 2, *ad diaconatus officium promotus fuit, et tandem ad archidiaconatus dignitatem evectus. Quæ dignitas secunda erat ab episcopo, utpote quæ, docente S. Isidoro epist.* I *ad Leudefredum episcopum* (15), *imperare debet subdiaconibus et levitis.* Sollicitudo quoque parochianorum et ordinatio et jurgia ad archidiaconi pertinent curam, pro reparandis diœcesanis basilicis ipse suggerit sacerdoti; ipse inquirit parochias cum jussione episcopi et ornamenta vel res basilicarum parochianarum, gesta libertatum ecclesiasticarum episcopo idem defert. Collectam pecuniam de communione ipse accipit et episcopo ipse defert et clericis partes proprias ipse distribuit. *Hæc S. Isidorus Hi-*

(1) Gall. Christ. tom. I, col. 977. — (2) Ughelli. Ital. Sacr. tom. VI, col. 321. — (3) De Suburbic. Ecclesiis, tom. IV, Oper. col. 37. — (4) De Concord. Sacerd. et imper. tom. I, pag. 25. — (5) Metrop. Urbium. Histor. pag. 389. — (6) Migne. Patrol. tom. LXXXIX, col. 954. — (7) Pretiosa Hierotheca, pag. 29. — (8) Tom. III, col. 630. — (9) Migne. Patrol. tom. LXXXIX, col. 942. — (10) Ibid. col. 947. — (11) Theodoreti Oper. tom. III, pag. 1020. Edit. Hal. 1769. — (12) Or. Christ. tom. II, col. 782. — (13) Ibid. col. 777 et 782. — (14) Mém. pour serv. à l'Hist. Ecclés. tom. X, pag. 818. — (15) Migne. Patrol. Isidori Oper. tom. LXXXIII, col. 896.

spalensis,

AUCTORE J. V. H.

spalensis, quibus monstrat amplam fuisse archidiaconorum potestatem, quæ, procedente tempore, in tantum excrevit (1), *ut impedimento esset recto regimini episcoporum; quapropter magna, pro arbitrio episcoporum, juris archidiaconalis pars ad vicarios episcoporum, vulgo dictos generales, translata fuit; qui quum ad nutum antistitis removeri possint et cum episcopo moriantur, liberam relinquunt episcopo gubernandæ Ecclesiæ suæ potestatem. Si tamen quem scrupulus moveret, quod, quæ de dignitate archidiaconi retulimus, pertineat ad sæculum* VII, *quo scripsit S. Isidorus, ac proin cum archidiaconatu S.* Evergisli *non continuo quadret : respondemus, S. Isidorum in sua epistola indicare, quid ab antiquo in Ecclesia observatum fuerit nec quidquam novi induxisse : et si omnimodam fidem adhibere possemus canonibus Arabicis concilii Nicæni, certum nobis foret, jam tum archidiaconum et chorepiscopum esse* duas manus *episcopi, ut loquitur cap.* 58 (2), *ita tamen ut præcipuus honor archidiacono tribuatur.*

qua ratione clero Coloniensi mancipatus,

23 S. Evergislus, *quamvis in Tungrensi civitate natus, gradatim ad ordinem diaconatus evectus fuit a S. Severino Coloniensi. Ferebat autem istius ætatis disciplina, ut a quo quis promotus fuerat episcopo, ad hunc ejusque Ecclesiam pertineret : adeoque in Ordinibus alicui conferendis non spectabatur locus nativitatis, originis aut domicilii, sed solum ordinator ejusque Ecclesia. Verum quidem est, exstare canones, quibus prohibentur ordinari laici præter conscientiam proprii episcopi; ast in Galliis vim legis obtinuisse non videntur. In concilio* I *Carthaginensi anni* 348 *canone* V (3) : Privatus, episcopus Vegelitanus dixit : Suggero sanctitati vestræ, ut statuatis, non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine literis episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum usurpari sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus episcopi, de cujus plebe est. Gratus episcopus dixit : Hæc observantia pacem custodivit. Nam et memini, in sanctissimo concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet : sed, si forte erit necessarius, petat a collega suo et per consensum habeat. C *Recolit nempe Gratus, Carthaginensis præses concilii, qui et synodo Sardicensi interfuerat* (4) *canonem* XIX (*in græco exemplari* XV) *quo statuitur*, ut quicumque ex alia parochia voluerit alienum ministrum sine consensu episcopi ipsius et sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio ejus. *Nihilominus ista disciplina in Galliis non obtinuit. Coævum habemus exemplum in S. Paulino, qui Burdigalæ baptizatus, a Lampio, Barcinonensi episcopo, ordinatus presbyter fuit* (5), ea *tamen* conditione ut ipsi Ecclesiæ *Barcinonensi* non alligaretur, nec in locum Ecclesiæ dedicatus esset (6). *In concilio Arausicano* I *anni* 441 *scite distinguit inter clericum et laicum ordinandos; nam can.* VIII (7) *præcipit, ne* clericum alibi consistentem, non sine consultatione ejus episcopi, cum quo ante habitavit... ordinare præsumat. *Ast canone sequenti, in quo non jam agitur de clerico, sed* alieno cive *sancit concilium* (8), *ut hunc aut* ad se revocet, *aut* gratiam ipsi eorum impetret, cum quibus habitant. *Igitur ex dictis liquet, S.* Evergislum, *laicum potuisse assumi a S. Severino, et per ordinationem Ecclesiæ Coloniensi adscriptum fuisse.* D

hujus Ecclesiæ episcopus eligitur,

24 *Mortuo S. Severino successisse Sanctum nostrum apud omnes constat, quin tamen certo alicui anno illigari possit ejus ad episcopatum promotio; tum quia, ut vidimus die præcedenti in commentario ad Acta S. Severini num.* 10 *incertus est annus, quo S. Severinus obiit, tum quia ejus promotio in ea incidit tempora, quibus, republica ecclesiastica et civili perturbata, facilis non erat successoris electio. Henschenius noster in Exegesi de episcopatu Tungrensi et Trajectensi, quam Josephus Ghesquiere adnotationibus illustratam recudit in Actis Sanctorum Belgii* (9), *dicit* circa annum CCCC S. Evergislum, patria Tungrensem, Coloniensem episcopum, Tungros excurrisse, idololatriæ sordes eliminaturus (10) : *quibus verbis satis indicat, incertum sibi esse tempus, quo S.* Evergislus E *S. Severino successerit. Gelenius, nixus auctoritate Catalogi ms., cujus ætatem non indicat, dicit* (11), *anno* 408 *pontificatum occepisse S.* Evergislum. *Non est, quod magnopere repugnemus, sed nihil quoque occurrit, quo id constanter affirmemus, nisi quod sæculo quinto jam inchoato Sanctus noster Coloniensem Ecclesiam administrandam susceperit.*

incerto tempore.

25 *Laudatus Gelenius* (12) *nos docet S.* Evergislum, *juxta quosdam annis* XV, *juxta alios* L, *sedisse. Auctarium Butleri Lovaniense tribuit Sancto quindecim annos pontificatus, ejusque obitum anno* 418 *illigat, unde consequeretur initium episcopatus cum anno* 403 *concurrere : propterea editor Lovaniensis in Annotato speciali satius duxit vitam Sancti nostri prorogare in annum* 434, *quatenus annus iste commodius quadret cum successione episcoporum Coloniensium : verum istiusmodi ratio admittenda non videtur, testante Gallia Christiana* (13), *inter S.* Evergislum *et ejus successorem, S. Aquilinum, satis diuturnum interpontificium exstitisse, cui difficultati addendum est, eumdem Aquilinum, apud alios nomine Solini seu Solani* F *venire* (14), *ita ut propter nominis diversitatem forsan alius episcopus Catalogo interpolandus sit. Constat igitur successionem episcoporum Coloniensium nullatenus perturbari, si obitum S.* Evergisli *quocumque anno infra medium sæculum quintum constituamus. Cæterum quantis tricis involuta sit istorum temporum chronotaxis monstrat etiam suo errore Josephus Ghesquiere in Actis Sanctorum Belgii : quum enim agens de S. Servatio, dixisset S.* Evergislum *auctorem ordinationis S. Agricolai, S. Servatii successoris et circa annum* 420 *defuncti* (15), *nihilominus scribenti de Sanctis Belgicis quinti sæculi probabilius visum est, S. Agricolaum ante annum* 400, *adeoque ante episcopatum S.* Evergisli, *episcopatum tenuisse* (16). *Quæ quum ita sunt, satius arbitramur inutili labori ordinandi chronotaxim supersedere; quapropter*

(1) Cfr c. 1 Offic. Archidiac. (I. 23). — (2) Labbe, tom. II Conc. col. 309. — (3) Ibid. col. 715. — (4) Ibid. col. 650. et 679. — (5) Migne. Patrol. Paulini Oper. tom. LXI, col. 163. — (6) Ibid. col. 159. — (7) Labbe, tom. III Conc. col. 1449. — (8) Ibid. l. c. — (9) Tom. I, pag. 221. — (10) Ibid. pag. 223. — (11) Admirand. Colon. pag. 39. — (12) Ibid. l. c. — (13) Tom. III, col. 624. — (14) Ibid. l. c. — (15) Act. SS. Belgii, tom. I, pag. 190. — (16) Ibid. pag. 439. Cfr Foullon. Hist. Leod. tom. I, pag. 61.

et

A *et Sancti nostri obitum laxe sæculo quinto adulto consignamus: in quod tempus conspirat Cornelius De Bye, dum opinatur* certum *esse S.* Evergislum *ad annum usque* 450 *vitam haud produxisse* (1).

Corpus S. Mallosi reperit,

26 *S.* Evergislo *nostro tribuit laudatus Corn. De Bye inventionem corporis S. Mallosi, Martyris Thebæi et sanationem per pulverem, ex Reliquiis SS. Gereonis et Sociorum desumptum: et ipse quidem commentatione bene longa ostendit, utramque historiam, a Gregorio Turonensi in lib. de Gloria Martyrum cap.* 62 *et* 63 *relatam* (2), *ad Sanctum nostrum, nequaquam autem ad Ebregisilum, qui circa finem sæculi* VI *floruit Coloniensis episcopus* (3), *pertinere. Præcipua ejus ratio est, quod Gregorius, qui episcopatu annis circiter viginti functus, anno* 495 *obiit, certe coævus fuit huic Ebregisilo, ac proinde narrationem suam texens, non dixisset de episcopo coævo,* qui tunc hujus urbis erat antistes, *sed magis,* qui nunc est antistes, *quod quidem et verius et efficacius fuisset: verius, quia recte tempus episcopatus istius Ebre-*
B *gesili indicasset; efficacius quoque, quia miraculo narrando tanto major plerumque adhibetur fides, quanto præsentior est testis productus. Nolim tamen dissimulare, auctores Galliæ Christianæ uni eidemque Ebregesilo, circa finem sæculi sexti viventi adscribere legationem ad parthenonem Pictaviensem, qui anno* 590 *perturbatus erat, et miracula circa Reliquias Martyrum Coloniensium patrata, quin scriptores isti ullam rationem suæ opinationis afferant* (4).

et Tungros profectus,

27 *S.* Evergislus *causa, inquit Vitæ infra edendæ num.* 4, abjiciendi idololatriæ fœditatem, cura pastorali sollicitus, Tungrim, unde traxerat claram originem, perrexit. *Jam supra num.* 6 *monstravimus, rationes, propter quas S. Severinus manum admovere potuerit gubernaculo Ecclesiæ Tungrensis, eædem et hic valere possunt pro Sancto nostro, qui, ajunt Acta Suriana,* pastorali eum perurgente cura et sollicitudine, sed patrii soli amore stimulante, fidei fervore inflammatus, ad Tungros profectus est, idololatriæ sordes eliminaturus. *Satis diu idololatriam apud Tungrenses perseverasse, monstrat Henschenius noster in sua Exegesi de*
C *episcopatu Tungrensi, tomo* VI *Maji præfixa, quum tempore S. Cuniberti, qui circa annum* 625 *episcopatum suscepit* (5), *adhuc vestigia idololatriæ permanerent: quin et frequentes gentium septemtrionalium irruptiones moribundum paganismum, novis superadditis superstitionibus, et deletis aut in duram servitutem redactis indigenis, refocillarunt. Atque hinc factum arbitror, ut in variis regionibus alteram et quandoque tertiam conversionem celebratam videmus.*

a latronibus occiditur.

28 *Quod porro S.* Evergislo *Martyr dicatur, inde profluit, quod olim hic titulus tribueretur etiam iis viris, qui sanctissimam vitam agentes, injusta morte necati sunt. Sic S. Meinradus in Eremo Helvetica occisus a latronibus, qui ejus curtæ supellectili inhiabant, Martyr sine ambagibus vocatur* (6). *Quocirca animadvertit Cajetanus Moroni in suo Lexico Historico-ecclesiastico v°.* Martire *sæculis* VII, VIII *et* IX *titulum iis etiam tribui consuevisse, qui injuste et sine causa ab inimicis suis necati fuerant* (7). *Nihilominus docet Prosper Lambertini Lib.* III *de Canonizatione Servorum Dei, cap.* II, *num.* 1 *martyrium esse* voluntariam mortis perpessionem sive tolerantiam propter fidem Christi vel alium virtutis actum, in Deum relatum, *quam sententiam probant communiter theologi et in specie S. Thomas* 22. *quæst.* CXXIV *art.* 5. *Ex quibus deducitur, S.* Evergislus *non esse proprie Martyr, quoniam latrones eum occiderunt, non quidem* propter fidem Christi vel alium virtutis actum, in Deum relatum, *sed, prout dicit biographus noster num.* 4 *et confirmant Acta Suriana, propter* magnum lucrum, *quod* in eo adventasse sperabant : quum vero præter vestem nihil in eo reperissent... tristes aufugerunt, nil secum præter peccata portantes. *Hæc verba clarissime indicant latrones non tam ex odio fidei aut alicujus virtutis supernaturalis, quam ex cupiditate rei alienæ scelus suum perpetrasse. Quæ reliqua sunt de cultu S.* Evergisli *in Annotatis exponemus.*

AUCTORE J. V. H.

PASSIO E

S. EVERGISLI EPISCOPI,

AUCTORE ANONYMO

Ex ms. Ultrajectino S. Salvatoris,

Collato cum editione Coloniensi anni 1483 et Suriana anni 1618.

S. Evergislus,

Evergislus ex nobili parentum prosapia progenitus Tungris civitate, tunc temporis urbium maxima *a*. Quum post baptismum forma speciosus, in se pro ætatis modulo prætenderet insignia gratiæ et virtutis, parentes ejus ipsum Christo serviturum perpetuo devoverunt, ac juxta ritum ecclesiasticum Nazaræum Domino mancipare disposuerunt *b*. Jam vero de sedulitate discendi, de morum ornamento mirabili non opus est dicere, quum nullus stylus valeret explicare. Eruditioni namque traditus, lectioni assidens indefessus, prandiolum protraxit in vesperum, offensis parentibus *c*, et parvo contentus, assuevit magis corpusculum sustentare, quam alere; quæ sibi subtrahebat, pauperibus erogabat.

a

b

c

a S. Severino pie educatus,

2 Interea beatus Severinus, Coloniensium archiepiscopus, Arianam hæresim per universam provinciam suam exstirpans *d*, Tungrim devenit, ubi perfidus Eufrata tritico zizania superseminaverat *e* : et tractaturus de statu Ecclesiæ, illico primum ex fratribus, qui dignitate et cura ipsi Ecclesiæ præerat *f*, accersiens, qui eorum fidem et quomodo in divinis cultibus se haberent, requisivit. Cui sacerdos, congrue respondens, inter cætera etiam sacri pueruli miras primitias fideliter inculcavit.

d

e

f

(1) Act. SS. tom. V Octob., pag. 31, num. 70. — (2) Migne. Patrol. Oper. Greg. Turon. tom. LXXI, col. 761. — (3) Gall. Christ. tom. III, col. 625. — (4) Tom. III, col. 625. — (5) Ibid. col. 626. — (6) Cfr Act. SS. tom. II Januar., pag. 384 et seq. — (7) Moroni. Dizion, di erudiz. Storico-Ecclesiastica, tom. XLIII, pag. 185.

AUCTORE ANONYMO.

Audiens archiepiscopus, gaudio repletus, eum sibi præsentari præcepit, et in ejus sanis responsionibus ultra spem mysterium sanctitatis invenit. Illum vero deinceps ardentissimo dilectionis affectu affilians, inter amplexus et oscula, ut secum pergeret, admonuit : et procedente tempore, moribus ornatum archiepiscopus eum gradatim ad diaconatus officium
g usque promovit *g*. Jam vero incredibile est, qualem se præstitit in Dei observantia mandatorum, in Dei tabernaculo die ac nocte excubans : quanti etiam esset meriti, apparet in eo, quod quum quodam tempore die dominico ex more, orationis causa, in secreta noctis hora sancta circumiret loca cum archiepiscopo, solus cum eo in transitu beati Martini Turonensis cœlestis militia dulcem melodiam in
h cœlo audire promeruit *h*.

fit episcopus Coloniensis:

3 Interea vero beatus pontifex Severinus jam senex migravit ad Dominum. Nec mora Evergislus, exigente magna ejus sanctitate, licet invitus, a clero et populo Agrippinæ
i Coloniæ in archiepiscopum est electus *i*. Ex
B hinc in dies de die in virtutem proficiens, statum Ecclesiæ quotidie in melius augmentabat. Quum vero jam senili ætate gravescens, dolore capitis nimium occuparetur, loca Sanctorum oraturus solito circuiens, ecclesiam Sanctorum Martyrum Gereonis sociorumque ejus intravit, et mox in memoria Sanctorum solitum versum « Exultabunt sancti in gloria » psallere incipiens, genibus flexis, « Lætabuntur in cubilibus suis » divinitus responsum accepit : quod divinum oraculum, viro Dei per spiritum revelatum, docuit, illius feriæ diem fore, quo Martyres sancti reddebant Creatori, quod in eis non potuit mori. Unde usque hodie illius dici gaudia ita fecit incolis digne celebrari annua, ut omnibus Sanctorum fiat intercessio continuo. Sanctus vero pontifex ex Sanctorum abditis pulverem languenti capiti cum signo crucis imponens sanus recessit, veluti jam repueriscens
k *k*.

Tungris prædicans.

4 Postea vir beatus causa abjiciendæ idolatriæ fœditatem, cura pastorali sollicitus, Tungrim, unde traxerat claram originem, perrexit. Ibi sane cum omni auctoritate præ-
C dicans, mores in melius reformabat. Interea quum Dominus eum digne coronare vellet, accidit, ut quadam media nocte surgeret; et solitarius secundum morem ad Sanctæ Dei
l Genitricis monasterium pergeret oraturus *l*; illud semper adimplens psalmistæ « Media
* Ps. CXVIII, 62 nocte surgebam ad confitendum tibi. » * Sane vero dum iter ageret psalmodians : « Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea et exaltans caput meum, » aderant latrones, qui de nocte surrexerant, ut jugularent homines, magnum lucrum in eo adventasse sperantes, unusque eorum uno ictu teli eum jaculavit, quo cursum vitæ nono kalendas novembris feliciter consummavit. Quumque præter simplicem vestem nil in eo reperissent, in secretiorem locum eum portantes ac virgultis, quas forte in via collegerant, eum cooperientes, tristes aufugerunt, nil secum præter pec-
m cata portantes *m*.

a latronibus occiditur,

5 Facto autem mane, infausta fama volante, omnis civitas, tristitia et metu repleta, flevit amare. Universus clerus et populus, ad D locum, ubi jacebat corpus tam sanctum, venientes, ipsum ad Sanctæ Dei Genitricis oratorium, quod tunc temporis fuit celeberrimum, detulerunt; et missarum ac exsequiarum celebratione ab episcopo loci *n* et omni *n*
clero rite peracta, sanctum corpus in secretiori loco ecclesiæ memoratæ cum omni sepulturæ honore deposuerunt, timentes, ne forte Colonienses illud sibi auferrent, si negligenter positum invenissent. Tantas vero virtutes per merita Beati Evergisli in eodem loco ex illo tempore operatus est Dominus, ut etiam dicerent incolæ talem fidem illis in cœlis eum servare, qualem ad eos vivus in terris dictus est habere. Quidquid enim ejus patrocinio petebatur fideli affectu, impletum est pio ejus effectu : nec solum ubi colebatur præsens, sed nusquam defuit absens. Sane ejus intercessione sunt cæci illuminati, claudi restaurati, paralytici curati, leprosi mundati, quæ utique gesta sunt, si quis voluerit literis significare, fastidium lectori videbitur irrogare.

ejusque corpus Coloniam transfertur.

6 Procedente vero tempore, quum Bruno, Coloniensis archiepiscopus, regnante fratre suo, vigesimus secundus sancti Evergisli successor *o*, iter faceret in occidentem causa col- *o*
loquii habendi de statu regni apud principes regionis illius *p*, forte in reversione, pacato *p*
regno, ad oppidum devenit, ubi corpus S. Evergisli jacebat *q* : nam civitatem longa vetustas *q*
et bellorum tempestas cum nomine penitus delevit, et novitas alio sedem episcopalem transmutavit. Quumque ibi archiepiscopus pernoctaret, apparuit Sanctus Evergislus, quasi palliatus casula conscissa, qui dabat ei talia verba : Videsne, ut vestimenta mea sunt neglecta et a tinea consumpta? Quoniam tu illuminabis lucernam meam, illumina tenebras meas, nam hinc eripiar, et in Deo meo transgrediar murum. Facto autem mane, intellexit cum suis secretariis, quibus dixerat visionem, Sanctum Evergislum propriam velle revisere sedem. Nec mora cum suis episcopus *r* perrexit ad locum, ubi jacebat corpus *r*
sanctum, et post quoddam altare de quadam fabrica, jam senio consumpta, elevavit : et F
multis flentibus incolis, cum suis Coloniæ reportavit : et obviante omni clero et populo in ecclesia sanctæ Cæciliæ Virginis et Martyris, quinto kalendas aprilis, honorifice collocavit *s*. Ibi vero tot Dominus quotidiana di- *s*
gnatus est per Sanctum suum conferre dona salutis fidelibus, ut præsentem credat unusquisque beneficiis largioribus.

ANNOTATA.

a *Tungrorum civitas, quemadmodum et Agrippinensium, Ammiano Marcellino, sæculi quarti scriptori, lib.* XV, *cap.* 11 *habetur* ampla et copiosa : *Tungrense excidium, Attila auctore, accidit medio sæculo quinto, ut satis indicat Gregorius Turonensis lib.* II *Hist. cap.* 5 (1) : *adeoque* S. Evergislo, *nato certissime ante hoc tempus, recte scriptor dicere potuit, Tungrorum civitatem fuisse* tunc temporis urbium maximam. *Hodiedum supersunt murorum partes, quæ monstrant antiquæ urbis ambitum* (2). *Im-*

(1) Migne. Patrol. Opera Greg. Turon. tom. LXXI, col. 197. — (2) Cfr Act. SS. Belg., tom. I, pag. 222 et Meisser. Dict. géogr. du Limbourg, v°. *Tongres*.

minente

A *minente autem Attilana calamitate, quam in visione cognoverat S. Servatius, sedem suam Trajectum transtulit, quæ dein Leodium traducta fuit.*

b *Alter biographus apud Surium habet num.* 1 : Parentes ejus, læti tam optata prole, Christi perpetuo servitio eum addixerunt, ut in clerum puer adscitus, illi more ecclesiastico inserviret. *Quoad oblationem S.* Evergisli, *a parentibus factam, vide quæ diximus Commentarii prævii num.* 5 *et seq.*

c *Clarius hæc exprimit biographus Surianus num.* 1, *videlicet :* Lectioni magna animi contentione incumbens, non sine parentum offensione, prandiolum differebat in horam vespertinam.

d *Qua ratione S. Severinus , Coloniensis episcopus procurationem præcipuam in administranda Tungrensi Ecclesia habere potuerit, explicavimus Commentarii prævii num.* 15 *et seq.*

e *In Commentario prævio Actorum S. Severini ad diem* XXIII *octobris num.* 8 *jam docuimus falsum videri ea, quæ de Eufrata, quatenus hæresi Arianæ faverit, passim referuntur.*

B f *Incertum est, utrum ille, qui* dignitate et cura Tungrensi Ecclesiæ præerat, *episcopus, an simpliciter presbyter fuerit : nam illa tempestate, perturbata republica, non facile erat, mortuo episcopo alium infra tempus legitimum substituere.*

g *Ut monstravimus Commentarii prævii num.* 23 *ordinatione S.* Evergislum *Coloniensi clero adscriptum fuisse, secundum tunc vigentem disciplinam; adeoque in ætate infantili attonsus non fuerit, quo casu ad clerum Tungrensem pertinuisset, adeoque sine licentia præpositi ejus Ecclesiæ, quæ nuspiam petita legitur, ad Colonienses traduci non potuisset. Censemus igitur, ut citato num.* 23 *diximus, Sanctum nostrum adhuc laicum exstitisse, quando eum S. Severinus assumpsit.*

h *De hac visione egimus in Actis S. Severini ad* XXIII *octobris num.* 7.

i *Tempus mortis S. Severini Coloniensis, adeoque et initium pontificatus S.* Evergisli *certo definiri non posse, jam diximus in Commentario prævio S. Severini num.* 9.

C k *Acta S. Gereonis sub die, quo coluntur,* X *octobris* (1), *edita fuerunt : sanationis S.* Evergisli *historiam refert Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum cap.* 62 *his verbis* (2) : Est apud Agrippinensem urbem basilica, in qua dicuntur quinquaginta viri ex illa legione sacra Thebæorum pro Christi nomine martyrium consummasse. Et quia admirabili opere ex musivo quodammodo deaurata resplendet, Sanctos Aureos ipsam basilicam incolæ vocitare voluerunt. Quodam autem tempore, Ebregesili episcopi, qui tunc hujus urbis erat antistes, capitis medietas validis doloribus quatiebatur; erat autem tunc temporis in villa, oppido proxima; quo dolore, ut diximus, valde attenuatus, misit diaconum suum ad Sanctorum basilicam. Et quia in ipsius templi medio puteus esse dicitur, in quo Sancti post martyrium pariter sunt conjecti, collectum exinde pulverem detulit sacerdoti. Verum ubi exinde caput attigit, extemplo dolor omnis exemptus est.

l Monasterium *aliquando, teste Carolo Du Cange h. v., pro ecclesia Cathedrali sumitur, unde passim in Germania adhucdum* Münster *vocatur. Sic et Balderici us in Gestis episcoporum Cameracensium lib.* III *capp.* 4 *et* 49 (3) *ecclesias cathedrales, Atrebatensem et Cameracensem,* monasterium *vocat : unde hoc loco* monasterium Sanctæ Dei Genitricis, *ecclesiam Tungrensem, olim cathedralem, designat. Fertur autem, ut habet Chronicum Magnum Belgicum, a Josepho Ghesquiere citatum* (4), *ista ecclesia fuisse* prima in honorem Beatæ Mariæ consecrata ex ista parte Alpium.

m *Commentarii prævii num.* 28 *diximus, quo sensu S.* Evergislus *nefarie post vitam sancte peractam a latronibus occisus, Martyr dici possit. Locus sceleris etiam hodie* Grouwelsteeg, *Callis Sceleris appellatur* (5).

n *Mortuo Servatio, ait Joan. Foullon in sua Historia Leodiensi* (6), Harigerus aliique eum secuti, centum et quatuordecim totos annos, ad divi usque Remigii et Clodovæi regis felicia tempora Tungrensem Ecclesiam proprio episcopo caruisse affirmant. *Hanc opinionem impugnat laudatus Foullon vel ex eo, quod isto intervallo tum S. Severinus, tum S.* Evergislus *in Tungrensi episcopatu ministerium sacrum obierint, unde merito concludit, nihil tunc quidem impedimenti fuisse, quominus episcopus Tungrensis crearetur. Et vero habemus e textu nostro* episcopum loci, *imo, ut habet Surianus biographus num.* 6, voluntarium *debita obsequia Sancto persolvisse.* E

o *De Brunone, qui ab anno* 953 *ad* 965 *Coloniensem Ecclesiam archiepiscopus rexit, agunt nostri sub die* XI *octobris* (7), *ejus, quatenus Sancti, cultum demonstrant. Filius erat Henrici Aucupis, Germaniæ regis, frater Ottonis I, cognomento Magni. Secundum Galliam Christianam S.* Evergislus *signatur* nonus *episcopus Coloniensis, S. Bruno* trigesimus secundus (8); *adeoque juxta consuetum numerandi modum, quo successor dicitur secundus a suo decessore, sicut S. Linus secundus a S. Petro, S. Bruno dicendus est* vigesimus quartus *a S.* Evergislo *episcopus Coloniensis : error biographi profluxerit, eo quod unum alterumque Coloniensem episcopum intermedium ignoraverit, cujus dein nomen, hactenus incognitum, e documentis, postmodum repertis, erutum fuit.* F

p *Stabilito anno colloquii, habiti a S. Brunone, facile erit stabilire annum, quo S.* Evergislus *Tungris Coloniam translatus fuit. Cornelius Byeus noster, in Commentario prævio ad Acta S. Brunonis die* XI *octobris num.* 240 (9), *istud colloquium illigat anno* 959. *Et vero, quamvis S. Bruno, quatenus non solum archiepiscopus Coloniensis esset, sed etiam dux, a fratre suo Ottone Lotharingiæ impositus, satis frequenter in Franciam, adeoque in occidentem venerit ad habenda colloquia circa regni administrationem, nullus tamen annus aptior videtur huic translationi. Etenim teste Flodoardo coævo in suis Annalibus* (10), anno DCCCCLIX Bruno iterum in Franciam venit, et apud Com-

(1) Act. SS. tom. V Octob., pag. 25. — (2) Migne. Patrol. Greg. Turon. Oper. tom. LXXI, col. 761. — (3) Pertz. Monum. Germ. tom. VII, pag. 467 et 483. — (4) Act. SS. Belgii, tom. I, pag. 79. — (5) Butler. Vies des Saints. Edit. Lovan. tom. XVI, pag. 224. — (6) Hist. Leod. tom. I, pag. 61. — (7) Act. SS. tom. V Octob., pag. 698 et seqq. — (8) Tom. III, col. 625 et 645. — (9) Act. SS. tom. V Octob., pag. 758. — (10) Migne. Patrol. Oper. Flodoard. tom. CXXXV, col. 484.

pendium

AUCTORE ANONYMO.

pendium cum regina sorore ac nepotibus suis discordantibus pro quibusdam castris, quæ rex Lotharius ex Burgundia receperat, colloquium habuit, obsidibusque datis, pacem inter ipsos usque ad futurum placitum pepigit. Lotharius rex cum matre regina Coloniam proficiscitur in diebus paschæ, moraturus hac festivitate cum avunculo suo Brunone : dataque illi securitate de regno Lothariense, et quibusdam acceptis ab avunculo donis, Laudunum revertitur. *In hac narratione omnia inveniuntur, quæ biographus noster circa iter Francicum, qua occasione translatio facta est, adnotat, nempe tractatus de regni negotiis et pax inita; huc etiam facit tempus anni, nam, ut paulo infra dicit biographus, sacrum corpus* Evergisli *Coloniam advectum fuit* v *kal. aprilis* (xxviii *martii*); *adeoque et ipse S. Bruno circa hos dies* in reversione *erat, quod omni ex parte quadrat cum narratione Flodoardi dicentis, Lotharium, Franciæ regem, cum matre sua Gerberga, S. Brunonis sorore, Coloniam profectum, ibidem festivitatem paschalem, incidentem anno* 939, *in* iii *aprilis, celebrasse. Hæc omnia inter se tam apte conveniunt, ut de anno* 939, *quo translatio celebrata fuit, vix dubium esse possit.*

B

q *Post Vitam S.* Evergisli, *a Surio editam, dicitur :* hoc loco sequitur in mss. codicibus de sacri ejus corporis translatione : sed eam supra inveniet lector in Vita S. Brunonis archiepiscopi Coloniensis die xi octobris : *et reipsa Surius num.* xxvii *historiam translationis exhibet : quæ tamen a codicibus genuinis abesse existimat Byeus noster, maxime quia Leibnitzius* (1) *in Vita S. Brunonis, e bibliotheca Guelferbytana eruta, istam descriptionem, cum textu cæterum minus quadrantem, non invenit* (2). *Utramque narrationem subjicimus; pertinet enim ad Sancti nostri historiam. Porro Leibnitzianus textus postquam retulisset, S. Brunonem plurima Sanctorum corpora et Reliquias collegisse, adjungit :* De translatione beati Evergisli tertii ejusdem sedis archiepiscopi quid factum sit hujus pii provisoris dispensatione plurimis notum est : quem in ecclesia beatæ Ceciliæ virginis cum hymnis et divinæ laudis celebratione repositum, plebs religiosa ita veneratur et colit, ut præsentem crederes beneficiis largioribus quotidiana obsequia mutuari (3). *Ast hæc eadem abundantius evolvit textus Surianus, quo, ut conferenti patebit, usus est biographus noster. Hæc igitur habet Surius :* Sanctus Bruno piissimus, vigesimus secundus S. Evergisli successor, omnium factus morum speculum bonorum; nardus speciosa dedit odorem suum : vere dux populi et sollicitus pastor gregis dominici. Quum causa colloquii habendi de statu regni apud principes regionis illius, iter haberet in occidentem, forte in reversione, pacato regno, ad oppidum Tungrensium devenit, quod venerandos Reliquiarum cineres Sancti Evergisli conservavit. Nam peccatis exigentibus, civitatem totam longa vetustas et bellorum tempestas cum nomine penitus delevit, ac novitas alio sedem episcopalem transmutavit. Quumque ibi summus præsul pernoctaret, illudque animum ejus multum moveret, quod tam sacer locus ad nihilum jam quasi deveniret, in ipsa nocte apparuit ei S. Evergislus, quasi palliatus casula conscissa, qui ei dabat talia verba : « Videsne, ut vestimenta mea sunt neglecta et tinea consumpta? Quoniam tu illuminabis lucernam meam; illumina tenebras meas : nam hinc eripiar et in Deo meo murum transgrediar. * » Nec mora, episcopus, somno solutus, rem volvebat tacitus. Facto autem mane, bonæ memoriæ ad se jussit venire Folcmarum œconomum, quem in omni negotio consuevit habere conjunctissimum, remque illi ex ordine nuntiavit, et, ut illi in medium consuleret, postulavit. Qui mox dicebat ad primam responsionem, S. Evergislum propriam debere revisere sedem. Lætatus episcopus, tam sacri corporis Reliquias sua imperiali potentia propriæ sedi se velle restituere suis nuntiavit omnibus. Hoc vero illi audientes, illud eis optabile fore prædicabant, et pene omnes præ gaudio flebant. Nec mora, cum omni devotione perrexit cum suis episcopus ad locum, ubi jacebat sanctum corpus, et post quoddam altare de quadam fabrica, jam senio consumpta, cum omni veneratione elevavit, ac multum flentibus incolis, cum suis Coloniæ reportavit. Ubi ad sanctissimam sedem ventum est, ingens concursus populi factus est, clerus cum sanctimonialibus convenit, uterque sexus concurrit, tota civitas novis gaudiis exsultavit, sicque cum omni celebratione divinæ laudis quinto kalendas aprilis honorabiliter repositum est in ecclesia S. Cæciliæ virginis. Ibi vero tot Dominus quotidiana dignatus est per Sanctum suum conferre dona salutis suæ sacræ Ecclesiæ filiis, ut præsentem credat unusquisque adesse largioribus beneficiis. *Sequitur in Suriana Vita S. Brunonis translatio S. Patrocli, martyris Tricassini, quam in ejus Actis retulit Bollandus ad diem* xxi *Januarii* (4). *Mirum videbitur lectori, nullam fieri mentionem episcopi Leodiensis, sub cujus jurisdictione erat Tungrorum civitas. Erat hic Baldricus, eodem anno* 959 *defunctus sive* xii *kalendas majas sive* xv *kal novembres* (5) : *adeoque eo vivente facta est translatio, et, ut dicit Joannes Foullon,* annuente (6). *Animadvertamus tamen, S. Brunonem in eo negotio non tam processisse ex auctoritate sua metropolitica, utpote quæ impotens fuisset, quam* ex imperiali, *ut dicit scriptor laudatus,* potentia, *cui vel invitus Baldricus cedere debuit, si tamen hujus facinoris conscius fuerit. Ast hæc minoris momenti quæstio est; multo majoris est rescire utrum S. Bruno Tungris abstulerit S.* Evergisli *Coloniensis corpus, an vero Trutmonia S. Ebregisi Trajectensis. Hanc quæstionem declaratam vide in proximo de S. Ebregiso Commentario.*

C

D

E

F

r *Textus Ultrajectinus habet* cum suis episcopis perrexit *etc. mendum correxi scribens :* cum suis episcopus perrexit, *quoniam in prolixiori narratione, e qua suam deprompsit biographus noster, legitur :* Cum suis episcopus.

s *Ecclesia S. Cæciliæ, in quam illatæ fuerunt S.* Evergisli *Reliquiæ, erat monasterium sanctimonialium, quod jam sæculo* x Vetus *vocabatur, imo ut prima cathedralis a Gelenio habetur* (7). *Parthenonem non solum Sancti cor-*

* *Ps.* xvii, 29.

(1) Scriptt. Brunsw. tom. I, pag. 283. — (2) Act. SS. tom. V Octob., pag. 701. — (3) Scriptt. Brunsw. tom. I, pag. 283. Cfr Pertz. Monum. Germ. tom. IV, pag. 279.—(4) Ac. SS. tom. II Januar., pag. 241.—(5) Foullon. Hist. Leod. tom. I, pag. 180.—(6) Ibid. pag. 181. — (7) Admir. Colon. pag. 357. Gall. Christ. tom. III, col. 773. Cfr tamen Binterim. die Erzodiöz Köln, tom. I pag. 65.

pore

A *pore ditavit Bruno, sed etiam prædiis, ut liquet ex diplomate, quod Gelenius et baro de Mehring* (1) *ediderunt* (2). *Istud S. Cæciliæ monasterium olim vult Gallia Christiana* (3) *virginum Benedictinarum fuisse: successu temporis in capitulum sæculare mutatum, anno denuo* 1474 *reformatum fuit in regulare sub Regula S. Augustini* (4). *Quod perseveravit usque ad annum* 1802, *quo cum reliquis monasteriis periit* (5) : *hodie vero mutato monasterio in nosocomium ecclesia pietati infirmorum inservit* (6). *Alia vide in Commentario de S. Ebregiso Trajectensi.* AUCTORE ANONYMO.

(1) Admir. Colon. pag. 357. — (2) Die Peters Kirche etc. pag. 79. Edit. 1836. — (3) Tom. III, col. 773. — (4) Gelen. Admir. Colon. pag. 358. — (5) Mehring. Die Peters Kirche, pag. 83. — (6) Ibid. pag. 92 et Historische Beschreibung des Hohen Erz-Domkirche zu Köln, von A. E. d'K***. pag. 5 et seqq.

DE SS. ARETHA ET RUMA,

ET SOCIIS QUATER MILLE DUCENTIS QUINQUAGINTA, DEQUE SS. AZKIR ET CYRIACO ET SOCIIS TRIGINTA OCTO

NEGRANÆ IN ARABIA.

B E

COMMENTARIUS PRÆVIUS. E. C.

§ I. Arabia vetus et hodierna. Arabiæ Felicis divitiæ et negotiatio usque ad prima sæcula christiana : rudera et monumenta pristini splendoris.

ANNO DXXIII. *Arabia, vastissima regio,*

Arabiæ nomine incredibile est quam vasta olim regio venerit. Protendebatur enim in Syriam, Mesopotamiam et ipsam Ægyptum. Et in Ægypto quidem, Arabia duplex distinguenda est, *inquit Eckhelius noster* (1); una is tractus qui ex Delta sursum ascendenti Nilo et mari rubro intercipitur, in quo lapis Porphyrites gignitur... Altera nomus fuit positus extra Delta ad littus orientale Nili, cujus caput fuit Phacusa, teste Ptolemæo. *Palæstinam versus et Syriam, præterquam in terras Philistinorum paulatim penetrarunt Arabes, et pluribus sæculis ante Christum partem urbis Gazæ incoluerunt* (2); *Arabiæ quoque deputata est a veteribus terra omnis trans Jordanem* (3), *et usque ad Euphratem, qua Syriam adluit. Orientem versus, Euphrate non circumscribebatur, sed ipsam Mesopotamiam trans flumen occupabant Arabes Scenitæ, eamque Xenophon in Anabasi Arabiam vocavit; Plinius denique idem nomen tribuit superiori Mesopotamiæ parti, ubi sitæ Carrhæ et Edessa. Quibus omnibus terris adcensenda immensa pæninsula Arabica, quæ nulla alia superatur præterquam Indica, eamque vix superficie non æquat* (4). *Illi tribuunt geographi recentes leucas Gallicas quadratas* 150,000; *miliaria Germanica* 48,000 (5). *Quod ut facilius admittatur, juverit meminisse mare Arabicum, a freto Bab-el-mandeb ad portum Suez, protendi ad leucas omnino quingentas, et ad totidem pæne protendi Arabiam ab eodem freto Bab-el-mandeb ad fretum Ormuz.*

C

diversimode a geographis dividitur.

2 *Arabiam universam dividebant veteres geographi, Eratosthenes, Strabo, Plinius, in Felicem, qua appellatione designabatur ipsa pæninsula tota; et in Desertam, quæ vastas regiones ad septemtrionem jacentes, de quibus diximus, complectebatur. Primus tripartitam divisionem, commemorata Arabia Petræa* (*quæ mari rubro versus septemtrionem adjacet et ad Palæstinam pertingit*), *invexisse dicitur Ptolemæus* (6); *verum* Arabiæ quæ est in Petra *uno ante sæculo jam mentionem habet Dioscorides Anazarbæus* (7). *Ptolemæum secuti sunt geographi recentiores , Arabibus exceptis; a quibus ejus tripartita divisio vel ignorata est, vel neglecta. Recentiores tamen Arabiam felicem multum contrahunt, et eo nomine designant partem illam pæninsulæ tantum quæ Yemana dicitur; quum ceteroqui vox Arabica* Yemana *felicitatem significet* (8), *et Yemana, licet et aliis Arabiæ partibus, puta terris Oman, Hadramaut, Asyr etc. suæ divitiæ non desint, reliquas tamen fertilitate superet. Geographi vero Arabes, et post eos Niebuhr, Jomard, Ritter aliique divisiones alias non proferunt quam regionum ac gentium variarum; e quibus modo aliqua indicavimus.*

F

De Arabia felice ejusque divitiis e Diodoro Siculo,

3 *In primis de Yemana nobis in posterum erit sermo, quoniam ea est regio quæ Homeritis, vel ab Arabibus, Hamyar, olim est dicta; in qua S.* Arethas *cum sociis martyrii coronam est consecutus. Monendus vero hoc loco est lector, quum Arabiæ geographia et historia, a medio circiter sæculo præcedenti et maxime ab hujus initio, innovata quodammodo sit, opus nostrum*

(1) Doctrina numorum, part. I, tom. IV, pag. 102, edit. 1828; cfr Weisseling, Comment. in Synecdemum pag. 543 edit. Bonn. — (2) Stark, Gaza u. die philistæische Küste, pag. 232 et seq. Jena 1852. — (3) Cellarius, geogr. tom. II, pag. 370, edit. 1773; Weisseling. loc. cit. pag. 532. — (4) Hoffmann, Beschreibung der Erde, I B. S. 977. Stuttgart. 1832. — (5) Id. ibid.; Jomard, Etudes géogr. et histor. sur l'Arabie, pag. 88. Paris 1839. — (6) Jomard, pag. 87. — (7) Cfr Cellar. pag. 569. — (8) Cfr Ritter, Erdkunde, tom. XII, pag. 720.

lumine

AUCTORE E. C.

lumine novo quod accessit, diutius carere non posse. Ante iter enim Niebuhrii et subsequentium viatorum, et donec clarissimi viri Reiskius, A. Schultens, Sacyus, F. Movers, Th. Wright, F. Fresnel et novissime A. P. Caussin de Perceval tot monumenta Arabica e tenebris eruerunt, aut expenderunt, vix credibile quam parum nota esset Arabia. Quam ob rem plus solito paulum ejus antiquitatibus et geographiæ inhærere hic visum est. Quo fiet ut quæ solis fere viris doctis, qui rerum orientalium periti sint et plurium linguarum gnari, adhuc innotuerunt, ad multorum mentes sint perventura: quod beneficium non leve esse censemus linguæ, qua in opere isto utimur. Nonnulla igitur de Yemanæ veteri regno hic congerimus, quum antiqua et prius nota, sed quæ dudum neglecta sunt, tum recenter detecta aut observata, quibus illa illustrentur. Situs Yemanæ, tum veteris, tum hodiernæ, est hujusmodi: ad occidentem et meridiem mari rubro adjacet, ad orientem oceano Indico; septemtrionem versus, protenditur ad interiores montes camposque desertos qui ad sinum Persicum de-

B *ducunt. Dicta est et Sabæa, vel Saba, quo nomine antiquitus ob divitias, aromata, gemmas, maxime est celebrata. Ut propria habebatur regio myrrhæ et thuris; ac hujusmodi arborum aromaticarum multæ amplissimæque erant silvæ.* Calamum, *inquit Diodorus Siculus*, et juncum odoratum, ceteramque aromaticæ naturæ materiam large profert; fragrantias denique foliorum omnis generis exspirat; variisque lacrimarum distillantium odoribus referta est. Myrrham certe et diis gratissimum thus quodque per totum inde orbem vehitur, extrema Arabiæ (*id est Arabia Felix*) producunt. Costi insuper et casiæ et cinamomi, et id genus aliorum gramina et virgulta tanta profunditate et luxurie crescunt, ut quum apud alios raro deum altaribus imponantur, apud hos accendendis clibanis materiam largiantur; et quum alibi exiguæ tantum particulæ ostendantur, hic servi inde lectos domi consternant.

Strabone, Agatharchide, Plinio,

4 Cinamomum ibi mirifica utilitate præstans, resinaque et terebinthus fragrantissima copiose nascitur. Montes non tantum abietes

C et tædas, sed etiam cedros, et quod Boraton vocant, affatim producunt. Multa etiam alia stirpium genera sunt fructiferarum, quæ et succum et odorem approximantibus jucundum exhibent. Naturalis enim terræ genius vapores, suffitibus odoratis aptos, in se continet. Ideo nonnullis Arabiæ locis, quum terra foditur, suave olentes venæ reperiuntur, quarum perquisitio ingentes passim lapicidinas suppeditat. *Atque hæc quidem Diodorus de Arabia felice* (1), *addens et aurum ibi effodi, et omnigenos lapides, quos tum coloris varietas, tum nitoris pelluciditas commendat; et pecorum in omni genere eam fecundam esse. Nec minus eam extollunt Strabo, Solinus, et cui major fides est concedenda, Agatharcides, in Periplo maris rubri* (2). *Plinius, Natur. Hist. Lib.* XII, *commemorato cardamomo, sic prosequitur:* Cinnamomo D proxima gentilitas erat, ni prius Arabiæ divitias indicari conveniret, causasque, quæ cognomen illi felicis ac beatæ dedere. Principalia ergo in illa thus, et myrrha; hæc et cum Troglodytis communis: thura, præter Arabiam, nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ. *Et mox quam amplæ sint silvæ aromaticæ, tradens,* Silvarum longitudo, *inquit,* schœni viginti; latitudo dimidium ejus. S chœnus patet Eratosthenis ratione, stadia quadraginta, hoc est, passuum quinque millibus: aliqui triginta duo stadia singulis schœnis dedere. *Quum vero passus mille æquivaleant metris nostratibus* 1473 (3), *fuissent longæ hæ silvæ aromaticæ chiliometris circiter* 148, *latæ* 74.

et scriptoribus Arabicis.

5 *Sed de veteri Arabia felice magnificentius loqui scriptores Latinos et Græcos quam par est, non est dubium; audiantur paulisper ipsi Arabes, qui licet de rebus propriis agant, amplificatione ab exteris non vincuntur.* Auctores chronologiæ antiquæ, *inquit Masoud, sive Masudius* (*ab Alberto Schultens latine loqui jussus*), memoriæ prodiderunt, terram Sabæam E fuisse totius Yemanæ uberrimam proventu, copiosissimam fertilitate; maxime riguam et cultam hortis silvisque; spatiosissimam campis, cum pulchris ædificiis et arboretis ordine descriptis; aquarum canalibus frequentissimam quoque, et floribus distinctissimam. Iter ejus diligenter equitanti patebat ultra mensem adspectu hocce amœno in longitudinem, atque in latitudinem tantumdem. Qui autem ita vel equitaret, vel pedibus iret, procedebat inter hortos, inde a principio usque dum extremam oram attingeret, ut nec sol ei vultum feriret, nec umbra ab eo migraret; eo quod obtecta esset terra per culturam ædium et arborum, quæ ubique obtineret atque cuncta circumcingeret. Ergo incolæ ejus lautissimam et mollissimam vitam degere; unctissimo in statu lautissimoque eodem; cum cumulatissima abundantia proventuum; et suavitate auræ et puritate aeris, et aquarum large profusa copia: necnon potentia invicta; et concordi imperio, quo regnum ad culmen provectum. Non cessarunt ibi posteri Joctanis beatissimam hanc agere vitam usquedum im- F misit Deus iis Diluvium el Arim (4).

Ruptura catarractæ Marebensis. De fastu regum Homeritidis, deque regionis fertilitate.

6 *Quibus postremis verbis memorat Masudius inundationem maximam, quæ facta est in Arabia felice quando ruptæ sunt catarractæ, quibus aquæ continebantur inter montes prope civitatem Mareb. Hoc diluvium contigisse volunt Reiskius* (5) *et Gosselinus* (6) *circa annum Christi* 35, *Sacyus inter annos* 150 *et* 170 (7), *recentissimus denique Arabum historicus A. P. Caussin de Perceval* (8), *circiter annum Christi* 120. *Divitias Arabum interiorum his verbis innuit geographus Arabs:* Fastu, jactantia et superbia reliquos Arabiæ populos superabant (9). *Fastum exhibebant in primis reges in exstruendis palatiis ac templis, tum in omni vivendi ratione* (10). *Expensas regum in dies singulos*

(1) Diodor. Sicul. tom. I, pag. 161 et seqq. Amstelodami 1746. — (2) Vide Bochart. Geogr. sacr. lib. II, cap. 26. — (3) Lelewel, Pythéas geographe, pag. 71. Bruxelles. 1843; cfr Ukert, Geographie, tom. I, part. 2, pag. 73. Weimar 1816. — (4) Masudius, Historia diluvii el Arim, quo Sabæa eversa. Ap. A. Schultens, Hist. imperii vet. Joctanidarum, pag. 161. — (5) De Arabum epocha vetustissima, Sail ol Arem, id est, ruptura catarractæ Marebensis, pag. 26. — (6) Recherches sur la geographie systématique et positive des anciens, tom. 2. pag. 112. — (7) Mémoire sur divers evénements de l'hist. des Arabes avant Mahomet. Mem. de l'Acad. des Inscrip. tom. XLVIII, pag. 343. — (8) Essai sur l'hist. des Arabes avant l'Islamisme, tom. I, pag. 88. Paris 1847. — (9) Ap. Bochart. Geogr. sacr. lib. II, cap. 26. — (10) Agatharchides ap. Wright, Early christianity in Arabia, pag. 3; Diod. Sic. lib. III, cap. 47, pag. 213.

scribit

A *scribit Heraclides fuisse talentorum Babylonicorum quindecim* (1), *nimirum argenteorum : quæ æquivalent francis hodiernis* 133,900. *Omnes denique veterum laudes his paucis complectitur Diodorus Siculus.* Natio hæc *Sabæorum, inquit,* non finitimos tantum Arabes, sed ceteros etiam mortales divitiis et quavis rerum pretiosarum copia antecellit (2). *Addimus, coronidis loco, quam fertilis olim fuerit Arabia felix, certo æstimari non posse ex ejus conditione hodierna. Ut enim nuper advertebat celeber chemista Liebig, exhauritur paulatim terræ pars superna, quam vegetalem dicunt; ideoque non solum Judæa, sed nec Africa septemtrionalis nec Sicilia id sunt quod antiquitus fuere Romanis. Sola Ægyptus, ubi a Nilo rigatur, ex ejus aquis altricibus, suam perpetuo renovat fertilitatem. Dicunt tamen aliqui, nec immerito forte, et puteos quos artesianos vocant, Arabiæ veteri notos fuisse : quorum beneficio tractus aliquot fertiles evaserint. Verum vix crediderim frequentes illic fuisse, quum eos non memorent diligentissimi scriptores Strabo, Plinius, Agatharcides et alii* (3).

De ingenti et antiquissima Arabiæ negotiatione cum Asia occidentali universa.

7 *Crediderunt Romani diu divitias omnes Arabiæ felicis huic terræ proprias fuisse, nec suspicati sunt multa aliunde esse advecta. Ideo eorum imperatores plurimi Arabiam subigere tentarunt, at infelici conatu. Nam, ut ait scriptor recens, ad bellum Arabiæ interiori inferendum, opus est camelis multis, et ut habeantur cameli, possidenda est Arabia. Duplicem porro negotiationem instituebant Sabæi, alteram qua ex Indiis et Æthiopia sibi multa comparabant, et de qua pæne silet historia; alteram qua tum propria, tum acquisita, aliis, maxime Phœnicibus divendebant. De antiquissimo commercio quod has duas inter gentes exercebatur, non pauca collegit recens Phœnicum historicus, cl. Movers* (4). Commercium Arabum, *inquit,* jam ut erat in se, et magis adhuc ob tantam antiquitatem suam, e rebus in primis admiratione dignis est in historia. Fundatur in communicatione maxima inter regiones maritimas tum Asiæ occidentalis, tum Africæ orientalis et Indiæ. Nec Arabia ipsa has divitias possidet, ob quas a priscis
C temporibus famam est consecuta regionis inter ditissimas et felicissimas regnorum antiquorum, nec aurum scilicet, nec gemmas. Quinetiam celeberrima ejus aromata ei propria non erant, sed e longinquo adferebantur, ex Africa, ex India et ex Asia ulteriori. Arabia, quum media sit inter ditissimas regiones orientales, et occidentales illas, quæ artes excolebant, puta Babyloniam, Assyriam, Phœniciam et Ægyptum; ac insuper ei ipsi desint quæcumque mercatui traduntur, ac simul naves et quæ ad longinquas navigationes sunt necessaria, illa tantum negotiatione antiquitus emicuit, qua ab uno sui latere ad aliud merces transvehebantur. Quæ ab occidente adveniebant trans sinum Arabicum, aut ab oriente trans Persicum, carawanis suis vehebant Arabes per inculta et deserta loca ad Mesopotamiam, Syriam, Palæstinam et Ægyptum; in quo situm omne eorum commercium in orbe veteri.

AUCTORE E. C.

Merces ei propriæ multæ fuerunt.

8 *Hucusque dictus historicus; sed illud erudito scriptori concedi non potest, Arabiæ merces proprias nullas fuisse, et quod consequitur, nihil evexisse de suo. Etenim viatores recentes in Arabia felice viderunt myrrham* (5), *aloen* (6), *cassiam, quam a cinnamomo non videntur distinxisse veteres* (7), *thus* (8), *balsamum* (9) *aliasque arbores aromatiferas* (10); *ac terram feracissimam* (11) *esse retulerunt. Quinetiam quod Herodotus* (12) *et Pausanias* (13) *de serpentibus narrant, sub arboribus aromatiferis eas jacere, a diligentissimo Sapeto in vicina Æthiopia est observatum* (14). *Denique ad thus quod attinet, observat Chr. Lassen, quem novimus rerum Indicarum in primis peritum esse, illud in libris Indicis dici Arabicum* (15); *ac hodiedum dum arbor thuris Indis jam familiaris est, ac ejus thus ab iisdem adhibetur, venit tamen thus Arabicum in portubus occidentalibus oræ Malabaricæ. Nec vero dudum noverunt Indi* E *interiores arborem suam, aut quod ab ea gignitur* (16). *Judæos quoque usos esse thure Arabico docet tum nomen* lebonah, *Arabico* luban *simillimum, tum locus Jeremiæ inter alios :* Ut quid mihi thus de Saba affertis? * *Tradit quoque* *Jerem. VI, 20. *Herodotus apud Plinium* (17), *singula millia talentum thuris annua pensitasse Arabes regi Persarum; nec intelligitur quomodo hæc omnia aliunde coemere Arabes debuerint. Romæ denique, dum florebat navigatio maris Rubri et Indici, aromata multa Arabica dicebantur* (18), *notaque est locutio Plauti :* Olere Arabice. *Gemmas reperiri in Arabia testantur multi, sed de auro dubitandi est locus* (19), *licet id similiter scribant plerique veteres.*

De mercatu Arabum ex codice sacro;

9 *Verumenimvero mercatum et divitias Yemanæ antiquæ* (*sive iis quæ ei propria sunt aut in ea nascuntur sint adscribenda, seu, quod magis est verisimile, mercibus etiam peregrinis, quæ cum vicinis gentibus undequaque mutabantur*) *manifestum est fuisse admiratione digna. Audiantur de divitiis Sabæorum litteræ sacræ, quarum locos aliquot uno tenore recitamus :* Sed et regina Saba, audita fama Salomonis..... et F ingressa Jerusalem multo cum comitatu et divitiis, camelis portantibus aromata et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem... Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis et gemmas pretiosas; non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni. *III Reg.* x, 1, 2 *et* 10. *Divitias regum Asiæ tum temporis maximas fuisse ex multis adstruitur* (20), *æstimatque Phœnicum historicus,* 120 *talenta auri quæ attulit regina Saba, valuisse thaleris* 3,120,000 (21), *seu francis* 11,580,000 : *sive potius pecuniæ vi decies majore; siquidem tanto plus aurum ævo Salomonis valebat quam nunc. Et quidem concedendum est talentum Asiaticum fuisse libra-*

(1) Heracl. ap. Athenæum, lib. XII. — (2) Diod. Sic. loc. cit. — (3) Cfr Acta SS. tom. IX Octob, pag. 46 (i); Ritter, tom. XIII, pag. 132; Photius Cod. 80. pag. 191. Rothomagi 1653. — (4) Das phœnizische Alterthum. Buch III, cap. XI : Phœnizisch-arabischer Handel. pag. 272 et seqq. Berlin 1856. — (5) Niebuhr, Description de l'Arabie, tom. I, pag. 208. Paris, 1779. — (6) Niebuhr, loc. cit.: Wellsted ap. Ritter, Erdkunde, tom. XII, pag. 359, Berlin 1846. — (7) Ritter, tom. V, pag. 823 et seqq.; tom. VI, pag. 125. — (8) Haines, Wellsted ap. Ritter, tom. XII, l. c.; Niebuhr, l. c. pag. 202. — (9) Niebuhr, l. cit. pag. 204. — (10) Ritter l. cit. pag. 338 et seqq. — (11) Niebuhr, l. cit. pag. 215 et seq. — (12) Lib. III, num. 107. — (13) Ap. Bochart, geogr. lib. II, cap. 26. — (14) Sapeto, Viaggio e missione cattolica fra i Mensa, i Bogos ecc. pag. 267. Roma 1857. — (15) Ap. Ritter, tom. XII, pag. 369 et 371. — (16) Ritter, ibid. — (17) Lib. XII, n. 39. — (18) Cfr Mém. de l'Institut, tom. V, pag. 134 et seqq. Paris 1821. — (19) Niebuhr l. c. pag. 198. — (20) Cfr Movers, tom. IV, pag. 39-56. — (21) Ibid. pag. 48.

rum

AUCTORE E. C.

rum 125 *et Attico duplo majus* (1); *seu valuisse francis Gallicis minimum* 100,000. *Librœ enim Romanæ* 125 *æquant chiliogrammata* 40; *et chiliogramma auri puri hodie venale est fr.* 3,437. *Sed recolendum est libram auri nunc valere libris argenti* 15, *quum valuerit antiquitus in oriente libris argenti tantum* 12. *Aliis scripturæ locis non pauca de Arabum divitiis et negotiatione leguntur:* Reges Arabum et Saba dona Domino Deo adducent. *Psalm.* LXXI, 10 — Inundatio camelorum operiet te, *Jerusalem,* dromedarii Madian et Epha, *i. e. Arabiæ occidentalis;* omnes de Saba venient aurum et thus deferentes. Omne pecus Cedar, *seu partis australis Arabiæ desertæ,* congregabitur tibi; arietes Nabaioth, *i. e. Arabiæ Petrææ,* ministrabunt tibi. *Isai.* LX, 6. — Ut quid mihi thus de Saba affertis? *Jerem.* VI, 20. — Arabia et universi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuæ, *Tyrum alloquitur propheta;* cum agnis et arietibus et hœdis venerunt ad te negotiatores tui. Venditores Saba, et Reema, *i. e. provinciæ Oman, inter mare Indicum et sinum Persicum,* ipsi negotiatores tui; cum
B universis primis aromatibus, et lapide pretioso, et auro, quod proposuerunt in mercatu tuo. *Ezech.* XXVII, 21 *et* 22.

de viis quibus iidem cum camelis suis

10 *Sunt hæc certissima testimonia negotiationis et divitiarum Arabiæ temporibus priscis; sed videntur hic insuper summatim exhibenda quæ geographus Ritter et in primis nuperus Phœnicum historicus collegere de viis, quibus Sabæi cum camelis suis negotiationem in Asia occidentali peragebant. Quo pacto non solum præ oculis erunt versiculi codicis sacri et asserta scriptorum, at ipsis Sabæorum peregrinationibus quum Babylonem, Niniven, Tyrum adibant, quodammodo intererimus. Pertinentque illa ad Acta nostra (a quibus disquisitiones historicas et geographicas alienas non esse notum est omnibus) potissimum duplici ex capite: primo quidem, quia ex tanta negotiatione Sabæorum cum Palæstina et Syria, intelligetur quomodo sit factum ut tot Judæi in interiori Arabia olim habitaverint, et quidem ab antiquissimis temporibus. Quando enim martyrium passus est S.* Arethas *cum sociis, regnum Homeritarum judaïcum erat, et judæus*
C *erat rex persecutor. Deinde, quum duraverit dicta negotiatio per multa sæcula post Christum natum, ratio percipietur cur religio christiana, pæne ab ortu suo, in Arabiam penetrare debuerit: licet pauca admodum supersint monumenta ad rei veritatem comprobandam.*

mercatum

11 *Ab Arabia igitur ad Palæstinam, Phœniciam et Syriam, ducebant viæ bene multæ, quibus cameli aromata, gemmas, aurum et argentum in regiones illas deferebant. Et primo quidem loco merces multæ deferebantur per mare rubrum ad sinus Heroopolitanum * et Ælaniticum * (2), quibus septemtrionem versus terminatur, et quorum prior antiquissimis temporibus, nimirum ante ævum Salomonis, magis erat usui. Exinde soli Arabes camelis suis merces,* D *juxta murum quo Ægyptus a regnis orientis dividebatur, ducebant ad mare mediterraneum, usque ad locum Casion dictum, Jovi sacrum* (3). *Situs erat non procul a Pelusio, ad montem ejusdem nominis; atque inde mittebantur merces in naves Phœnicum, vel ulterius vehebantur via terrestri. Ad hunc enim locum pertingebant viæ multiplices, quæ a quavis Asiæ parte ad Ægyptum ducebant* (4): *primo nimirum a regione Edom, serius a Nabatæis dicta* (5), *juxta mare rubrum, quæ via et a Sabæa deducebat; deinde ab interiore et media Arabia; tertio a celeberrimo emporio sinus Persici Gerrha, in antiqua regione Dedan* (6), *itemque a Regma in hodierna provincia Oman, per deserta extremæ pininsulæ* (7); *quarto a termino septemtrionali sinus Persici, ubi Nabuchodonosor, qui et Gerrhæos illuc ex Chaldæa in locum Dedanitarum transtulisse fertur, emporium Teredon ædificavit* (8); *quinto a Babylone in Ægyptum erat via recta et brevis per desertum, quamvis ceteris minus nota* (9); *sexto alia erat eodem tendens, sed duplo longior* (10); *septimo, celeberrima erat* E *quæ a Tyro et Damasco* (11), *juxta latus orientale Jordanis et maris mortui, ascendebat in Ægyptum* (12), *ac iis etiam inserviebat qui a superiore Syria et Mesopotamia Damascum venientes* (13), *ad Arabiam aut Ægyptum pergebant* (14); *tum et iis qui via Palmyrena* (15) *Damascum venerant: quum Palmyra centrum esset viarum, quæ a regione Euphratensi media ad occidentem ducebant* (16); *octavo denique, via alia ex Phœnicia et Syria cameli in Ægyptum perveniebant, per Galilæam scilicet, Samariam et Judæam, et inde per oræ Philistææ et Ægyptiacæ emporia, Gazam, Rhinocoluram, Pelusium et Casium* (17). *Reperta est non ita pridem hæc via a Robinsonio, seu agnitum diversam non esse a via Romana quæ in Peutingeri tabula signatur* (18).

in Asia occidentali exercebant.

12 *Præter mare rubrum terrestres quoque erant viæ, quibus e Sabæa merces ad regna septemtrionalia deferebantur, quarum una juxta mare rubrum per Edom, seu Idumæam, transibat, ut dictum est, et Petram, regni consecutis temporibus civitatem primariam deveniebat* (19). *A Petra vero via una per Rhinocoluram in Ægyptum deducebat, alia Gazam, tertia ex oriente* F *maris mortui ad Jerichuntem, Damascum et Palmyram* (20); *quarta ad Gerrhæos* (21). *Orientem versus Sabæorum, Regmæorum et Dedanitarum, seu Gerrhæorum, merces similitèr duplici via in Assyriam et Persidem devehebantur, altera terrestri juxta sinum Persicum, altera maritima; perveniebantque ad Teredon et Characem, in fronte sinus, atque inde vel per latus orientale Tigridis* (22) *usque ad Niniven* (23), *Nisibim et Haran, seu Charras; vel ad latus occidentale Euphratis per Babylonem* (24) *usque Thapsacum* (25) *et Haran: referebantque cameli in reditu merces alias in regionem*

* Golfe de Suez.
* Golfe d'Akaba.

(1) Cfr Académie des Inscriptions. Mém. tom. XXVIII, pag. 663 et seqq.; 699 et seq.; Du Cange, Glossar. inf. græc. v°. Ταλαντον. Etc. — (2) Strabo, l. XVI, pag. 1080. édit. Oxoniens.— (3) Ibidem. — (4) Herodot. l. III, cap. 5. — (5) Strabo, ibid. pag. 1081 et 1103. — (6) Movers, pag. 305; Strabo, pag. 1089 et seq.; Isaï. XXI, 13; Ezech. XXVII, 15 20. — (7) Ritter, tom. XII, pag. 125; Movers, pag. 303. — (8) Movers, pag. 308. — (9) Ib. pag. 305. — (10) Ib. pag. 245. — (11) Ib. pag. 244; Ritter, tom. XV, pag. 161 et 354. — (12) Ritter, tom. XIV, pag. 137. — (13) Id. tom. XV, pag. 13; Movers, pag. 244 et seq. — (14) Ritter, tom. XIV, pag. 88 et seqq. — (15) Movers, pag. 245. — (16) Ibid. et pag. 145; Ritter, tom. X, pag. 1090; Appian. bell. civil. l. V. c. 9. — (17) Ritter, tom. XIV, pag. 137 et seqq.; Stark, Gaza u. die philistæische Küste pag. 563 et seq. Jena 1852; Strabo, pag. 1079 et seq. — (18) Ritter, tom. XVI, pag. 94; Movers, pag. 290. — (19) Strabo, pag. 1093 et 1109. — (20) Plin. Hist. Nat. l. VI, cap. 32; Movers, pag. 291. — (21) Strabo, pag. 1103. — (22) Strabo, pag. 1047 et 1051. — (23) Cfr Nahum III, 16. — (24) Cfr Jerem. LI, 44; Ezech. XVII, 4. — (25) Strabo, pag. 1059 et 1061.

suam

A *suam* (1). *Omnibus vero dictis viis soli fere Arabes camelis suis, sive suas, sive Phœnicum aliarumque gentium merces deferebant* (2). *Quam ob causam istud quasi monopolium ab antiquissimis temporibus in Asia occidentali exercuerint Arabes, nullo negotio consequimur; ab iis enim solis habitabantur tantæ solitudines, quæ a mercatoribus erant peragrandæ; deinde nonnisi a camelis, quæ in reliquis Asiæ regnis rari erant, per eas poterat transiri* (3).

De commercio Arabum, maxime Sabæorum, alia quædam notatu digna;

13 *Ad alia properantes, aliqua hic de negotiatione et divitiis Arabum breviter adscribimus:* 1° *Nulla gens ante Christum natum, præter Phœnices et Carthaginienses, adeo mercatui fuit dedita, quam gens antiquissima* (*Genes.* x) *Jectanidarum, sive Sabæorum; et ipsis Phœnicibus Sabæi antiquiores sunt. Quinetiam ex Sabæis Phœnices originem duxisse perhibent Herodotus et Strabo* (4). 2° *Novimus regem Salomonem immensas divitias suas, non solum ex gentium devictarum, aut ipsorum regnicolarum tributis collegisse; sed ex mercatura quam exercuit ipse* (5), *ut alii reges antiqui, et ex vectigalibus*
B *mercium, quæ ad regnum ejus perveniebant, aut per illud transibant* (6). *Ad quæ notamus, vectigalia hæc maxime ex mercatoribus Arabibus fuisse percepta; deinde, conditionem regum Saba in pluribus conditioni Salomonis fuisse similem: devicerunt enim et ipsi aliquando gentes pæne omnes Arabiæ, nec minus quam Salomon negotiationi fuere dediti.* 3° *Scribit recens Phœnicum historicus Arabicas gentes, quæ mercatui erant deditæ, alias omnes superasse copia auri, sicut ipsi Phœnices omnium primi erant copia argenti* (7). *Licet autem aurum magnam partem quæsiisse videantur Arabes ex Africa* (8), *in Homeritide tamen sitam esse regionem Ophir, ad quam classes Salomonis et Hiram navigabant, multi, post Gesenium, arbitrantur* (9). *Etenim, præter alia plurima quæ hanc in rem afferri queunt, in Homeritide habitavit Ophir, filius Jectan* (*Genes.* x); *nomenque mutuasse regiones a posteris Noë, passim notum est.* 4° *Denique illud dandum non est historico Phœnicum, priscis Arabibus navigationem nullam fuisse. Hujus enim asserti desideratur probatio, et contra illud non pauca opponere*
C *licet* (10). *Sed ista huc non spectant.*

perstitit vero

14 *Verum non solo antiquissimo ævo patriarcharum et regum Israël ac Juda celebres fuere Sabæorum, vel ut uno sæculo circiter ante Christum dici cœperunt, Homeritarum* (11) *divitiæ; sed usque ad natum Salvatorem et ultra perstitisse eorum florentissimum statum certo discimus ex Strabone et Plinio, qui tum temporis vivebant. Etenim multa de Arabia, præter ea quæ ab Eratosthene mutuaverat, hausit Strabo ex relatu Ælii Galli, qui vivente Strabone, anno 24 ante Christum, ab imperatore Augusto in Arabiam missus est cum exercitu, et pertigit usque Mariabam, sive Mareb, Sabææ regiam, ac forte ulterius* (12). *Id Strabo fatetur:* Proxima Romanorum expeditio, *inquit*, quæ nostro tempore, duce Ælio Gallo, in Arabiam facta est, permulta ejus regionis peculiaria demonstravit. *Hanc deinceps, ex iis quæ observata sunt, describit, notatque inter alia,* Regem apparatu maximo multa continue convivia celebrare, *et in iis* pocula aurea *usui esse: ex quo confirmatur quod supra scribebat Heraclides;* domos esse ex lapide pretioso confectas (οἰκησεις δε δια λιθων πολυτελεις) (13); regionem omnium feracem esse, præter oleum. Rerum aliæ importantur, *inquit*, aliæ minime, quædam indigena sunt, aurum, argentum et plurima ex aromatibus, æs, et ferrum, et vestis purpurea, et styrax; et crocus, et costus: cœlaturas, et signa, et tabulas aliunde habent (14).

AUCTORE E. C.

15 *Ineunte primo sæculo christiano vivebat et Plinius senior, qui similiter Ælium Gallum in describenda Arabia se ducem habuisse profitetur* (15); *dicit porro solemniter:* Arabia gentium nulli postferenda (16). *Quæ fuerit causa expeditionis Ælii Galli aperte fatetur Strabo:* Inaudiverat *imperator* eos jam inde a multo tempore ditissimos esse, qui auro et argento et pretiosis lapidibus aromata permutarent, et nihil in res aliunde importatas impenderent (17). *Atque hæc ultima lucidius expressit Plinius:* In universum gentes ditissimæ, *inquit*, ut apud quas maxime opes Romanorum Parthorumque subsidant, vendentibus quæ mari aut silvis capiant, nihil invicem redimentibus (18). *Et argumento est inter alia, quod scribit lib.* XII *cap.* 41: Verum Arabiæ etiamnum felicius mare est: ex illo namque margaritas mittit. Minimaque computatione millies centena millia sestertium (*i. e. francorum* 20,000,000) annis omnibus India et Seres, pæninsulaque illa imperio nostro adimunt. Tanto nobis deliciæ et feminæ constant. *Hac de causa, ut dictum, Arabiam diversis temporibus subigere tentarunt reges et imperatores* (19). Arabum opulentiæ, *inquit Strabo*, testem laudare licet etiam Alexandrum, qui eam, ut fertur, regiam efficere constituerat, postquam ex India rediisset (20).

primis sæculis christianis

E

16 *Non videtur Græcorum et Romanorum dominatus in Asia et Ægypto, tantum nocuisse Arabum commercio, quoniam exinde eorum merces et in Europam vehi cœperunt. Verum cladem ingentem regno Homeritico ejusque mercatui attulit ruptura catarractæ Marebensis, supra n.* 6; *post quam civitas Saba, seu Mareb, Homeritarum regia, derelicta est, et tribus multæ migrarunt versus Syriam et Mesopotamiam. In reliqua vero Arabia sensim quoque imminutus est mercatus ad tempora usque Islamitica, quibus interruptum est commercium omne Europæ cum Asia et Africa. Quæ autem remanserat inter ipsas harum partium gentes et multiplicia inter bella negotiatio, reperta via ad utrasque Indias, ac renascente communione et usu Asiam inter et Europam, pedetentim perire debuit, Arabiaque ad hodiernam pauperiem reduci. Ex his mirum non est multum auri ineunte sæculo* VI *adhuc in regia Sabæorum, seu*

et dudum post. Rudera et inscriptiones in Arabia felice detecta.

(1) Plin. lib XII, n. 40. — (2) Plin. l. c; Strabo, lib. XVI, pag. 1062, 1074, 1080, 1090 etc; Movers, l. c. pag. 128. — (3) Cfr Movers, l. c. pag. 128 et seq. — (4) Cfr Ritter, tom. XII, pag. 46, 136 et 864. — (5) III Reg. IX, 26-28; X, 11, 22. — (6) Ibid. X, 15. — (7) Movers, Buch. III, pag. 53. — (8) Cfr Journal Asiatique, tom. III, pag. 202. et passim, Paris 1829. — (9) Ap. Ritter, tom. XIV, pag. 366-431. — (10) Cfr Jomard, Etudes sur l'Arabie, pag. 120 et seq.; Ritter, Erdk. tom. XII, pag. 517, 616 et seq. et passim. — (11) Caussin, Essai tom. I, pag. 63. — (12) Jomard, pag. 144; Ritter, tom. XII, pag. 292. — (13) Vide notam Falconeri, pag. 1112. — (14) Strabo, lib. XVI, pag. 1107 et 1112. Oxonii 1807. — (15) Plin. lib. VI, cap. 32. — (16) Ibid. — (17) Strabo, lib. XVI, pag. 1107. — (18) Plin. lib. VI, cap. 32. — (19) Cfr Jomard, pag. 142 et 157. — (20) Strabo, pag. 1113.

AUCTORE E. C.

Homeritarum, adservatum fuisse : ut ex Actis S. Arethæ *infra edendis apparebit* (1). *Licet enim perquam deferbuisset tum eorum mercatus, tamen, quia difficillimus omni tempore fuit eousque hostilis exercitus accessus, direpti numquam fuerant. Hodiedum sola exstant veteris splendoris monumenta* (2). *Visa sunt scilicet in itineribus recentibus ædificia marmorea ingentia, multaque civitatum rudera; inter quæ nuperus viator Wellsted murum marmoreum conspexit dimidii milliarii Anglici* (3). *Felicior adhuc, quia audacior, anno* 1843 *erat viator Gallus Thomas Arnaud, qui rudera inspexit veteris Mareb, quæ primum Saba est dicta, ejusque aggeris celeberrimi* (*lingua Himyaritica dicti* el arim, *hodierna Arabica* el sed, *vel* sed Marib, *i. e.* agger Mareb) (4). *quo aquæ continebantur inter duos montes* (5). *Repertæ sunt et inscriptiones permultæ Himyariticæ, e quibus solus Thomas Arnaud, inter rudera Marebensia, sexaginta exscripsit, et Galliæ eruditæ communicavit* (6).

B § II. Lingua Homeritica, inscriptiones, communis origo cum Æthiopibus. Arabum idololatria; templum Caba. Adventus Judæorum.

Scriptura Himyaritica deducta est ex scriptura Phœnicum et Syrorum. Inscriptiones nuper detectæ

Siquidem *tantum fuit commercium Phœnices inter et Arabes, nemo mirabitur litteras inscriptionum quæ anno* 1837 *a C. Cruttendonio et anno* 1843 *a Th. Arnaud in Arabia felice sunt detectæ easdem esse ac Phœnicum et Syrorum. Tuitus id est singulari dissertatione eruditus Gesenius* (7), *et post eum cl. J. Bird, de alphabeto Himyaritico hæc inter alia scribens: Origo Semitica litterarum Himyariticarum earumque deductio ex Phœnicum scriptura, infertur etiam ex iis* quæ refert Masudius (*alias Masoud, scriptor Arabs*) *in Pratis aureis,* itemque alii historici Arabes, Joctanidas, seu progeniem Khatan, vel Joctan, qui Arabiam australem incolebant, lingua locutos esse Suriani seu
C Syriaca, priusquam scilicet dialecti diversæ in linguam Arabicam hodiernam coaluissent (8). *Et scribit Strabo, in mari quod Arabiam felicem adluit, fuisse colonias Sidoniorum, Syrorum et incolarum insulæ Arvad* (9). *Crediderunt aliquando philologi legendas esse inscriptiones Himyariticas a sinistra ad dextram* (10), *secus quam faciunt gentes Semiticæ omnes. Verum ex codice quodam Himyaritico bibliothecæ Berolinensis, felicissime reperto, et cum inscriptionibus collato, illud nunc certo constat* (11), *linguam Himyariticam scriptam quidem fuisse aliquando* βουστροφηδον, *sed plerumque et communiter a* D *dextra ad sinistram. Rara autem esse monumenta scripta celebris quondam, et antiquissimæ gentis, negari non potest. Sic et alias plerasque gentes paucissima monumenta scripta ante ævum Alexandri magni posteris commendasse cernimus; et quod mirere, ipsi cultissimi Phœnices et Carthaginienses, quos inter et Sabæos aliqua similitudo fuit, id raro præstiterunt.*

æra christiana antiquiores non videntur. Similitudo linguæ cum Æthiopica et communis origo utriusque gentis.

18 *Censuit laudatus Jacobus Bird* (12) *inscriptiones Himyariticas annis ducentis ante Christum natum antiquiores non esse; quinetiam primis sæculis christianis eas potius adscribit : quam sententiam, eodem anno* 1845, *proponebat eruditus missionarius Josephus Sapeto* (13). *Addunt iidem linguam Himyariticam a lingua Æthiopica, seu Gheez, nec vocibus , nec litteris multum differre. Licet vero inscriptiones plures deinceps interpretati sint peritissimi viri Rœdiger et Fresnel, retinenda est adhuc utraque sententia modo memorata, donec lux major affulgeat* (14). *Hanc porro linguarum similitudinem tribuunt eruditi non* E *soli dominationi Æthiopum in Homeritide* (15), *aut vicissim Homeritarum in Æthiopia, sed communi origini gentium* (16). *Clarissimus vir Carolus Lenormand , cujus nuperum obitum vehementer dolemus, coram societate ethnologica Parisiensi, cui præsidebat, plurima argumenta protulit, ob quæ genus et artes Ægyptiorum et Æthiopum Asiatica essent dicenda, seu Indo-Semitica* (17). *Quod pluribus deinde feliciterque adstruere tentavit cl. Courtet de Lisle* (18). *Adduntque gentes Asiaticas in Æthiopiam, et inde in Ægyptum venisse, per Arabiam et fretum Bab-el-mandeb. Ex quibus confirmatur illa observatio ethnographica, gentium antiquarum negotiationem plerumque ex earumdem migrationibus ortum duxisse. De Æthiopibus dicendum erit ad diem* 27 *octobris, quando Acta S. Frumentii dabuntur, poteruntque tum præter laudatissimum opus Josephi Sapeto, forte jam usui esse inscriptiones permultæ christianæ aliæque quas Lepsius in Nubia collegit* (19) *et philologi adhuc bene intellexisse non videntur.*

Sabæorum antiquitas. Sabæi Jectanidæ et Sabæi Cusjitæ;

19 *Arabia felix ideo per multa sæcula dicta est Saba, quod in ea habitabat progenies Sabæ, filii Yectan, seu Jectan, filii Heber, qui per Sale et Arphaxad ex Sem, filio Noë, erat genitus* (*Genes.* x, 25) (20). *Sed eamdem Arabiam felicem usque ad sæculum octavum ante Christum incoluerunt quoque Sabæi Chamitæ, seu progenies Sabæ, filii Chus, filii Cham: quod apte ostensum est a nupero et diligentissimo Arabum historico, A. P. Caussin de Perceval* (21), *cujus opus viris rerum Arabicarum peritis in primis placuit* (22). *Ex quibus conficitur, imperium Homeritarum, sæculo sexto, de quo scribimus,*

(1) V. Acta, n. 37. — (2) Cfr Ritter, tom. XII, pag. 11. — (3) Jomard, p. 124 ad 128; Ritter, tom. XII et XIII passim. — (4) Sacy, Mém. de l'Institut, tom. XLVIII, pag. 498 seqq.; Ritter, tom. XII, pag. 75. — (5) Ritter, ibid. pag. 765. — (6) Ibid. pag. 75 et 84. — (7) Ueber die Himyar Sprache und Schrift. Allgemeine Litteraturzeitung, Juli 1841. — (8) Cfr J. Bird, Origine de l'alphabet Himiarite et de l'alphabet Ethiopien. In Nouvelles annales des voyages, 1845, tom. 2, pag. 196 et seqq.; Sapeto, Viaggio, pag. 53 — (9) Ap. Bird, l. c. pag. 204; Assemani, Bib. or. tom. III, part. 2, pag. 603. — (10) Bird pag. 201; Sapeto, ap. Nouv. Annal. des voy. Année 1845, tom. II, pag. 106; Caussin, tom. I, pag. 78; Sacy, Mémoires de littérat. etc. tom. L, p. 253. — (11) Caussin, tom. I, pag. 79. — (12) Loc. cit. pag. 202 et 205. — (13) Nouv. Annal. des voy. loc. cit.; Idem, Viaggio, p. 59. — (14) Cfr Caussin, tom. I, pag. 78 sqq.; Fresnel, in Journal asiatique, tom. XVI, pag. 266 et 277. Paris, 1850. — (15) Cfr Sapeto, Viaggio, pag. 58 et seq. — (16) Cfr Ludolf, Comment. pag. 50, 57, 68; Valesius, ad lib. II, cap. 24 Sozomeni; Sapeto, Viaggio, pag. 447. — (17) Nouv. Annal. des voyages, 1846, tom. IV, pag. 343 et seqq. — (18) Ibid. année 1847, tom. I, pag. 326 et seqq.; Cfr Lepsius, ibid. 1845, tom. III, pag. 333; Jomard, Etudes sur l'Arabie, pag. 165 et seqq. Paris, 1839; Journal asiatique, tom. XV, p. 376 sqq. Paris. 1850. — (19) Loc. cit. pag. 339 et 343. — (20) Cfr Caussin, tom. I, pag. 39 sq.; Calmet, Dict. de la Bible v°. *Saba;* Bochartus, Geogr. sac. lib. II, cap. 15 et 25 sqq. — (21) Essai sur l'histoire des Arabes avant Mahomet, tom. I, pag. 42. Paris 1847. — (22) Cfr Journal asiatique, tom. XVI, pag. 265. Paris 1850.

fuisse

A *fuisse totius orientis antiquissimum; eorumque domum regiam, quæ ex Himyar Jectanida prodierat, et exstincta est occiso Dhu Nowaso, anno* 525, *diutius perstitisse quam alia quævis in orbe universo* (1). *Porro nomen Sabæ, filii Yectan, ab Hebræis scribitur cum littera* Schin, *vel* Sjin, *Sabæ vero filii Chus, cum* Samek; *et inde quæ a reliquis gentibus negligitur, ab Hebræis sedulo servata est distinctio:* Reges Sjaba et Saba dona adducent (*Ps.* LXXI), *ut fert Hebraïca veritas; id est, Reges Sabæorum Yectanidarum et Cusjitarum. Priorum regina erat regina Saba* (2), *quæ Salomonem invisit; posteriorum aliquoties est mentio in Isaia propheta:* Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam et Saba pro te (XLIII, 3), *id est, Sabæos Cusjitas; et iterum:* Labor Ægypti et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaïm, viri sublimes, ad te transibunt (XLV, 14). *In quibus omnibus distinguuntur Sabæi Cusjitæ ab Æthiopibus.*

videntur hi sæculis circiter octo ante Christum migrasse in Abyssiniam.

20 *Verum post Isaiæ tempora horum Sabæorum nomen in Bibliis jam non comparet, nec sermo est nisi de illis Sabæis, quorum nomen cum Sjin scribitur. Quid ex eo inferendum? Amiserantne Arabes Cusjitæ appellationem Sabæorum, vel excesserantne e terris quas per multa sæcula simul cum Yectanidis incoluerant?* Mihi videtur solvi dubium, *inquit cl. Caussin,* ex eo quod communiter hodiedum admittitur, et a Ludolpho (3), quantum satis est, ostensum fuit, Abyssiniæ regnum a colonia Arabica fundatum esse. Multum inclino in illud, colonos istos fuisse Sabæos Cusjitas, qui vel omnes, vel magna ex parte, propter bella aliave adjuncta Arabiam derelinquere fuerint coacti. Essent itaque Abyssini ex Cusjitis Arabibus geniti, et cum Cusjitis Africanis permixti (4). *Inquirit dein idem scriptor in traditiones ipsorum Arabum; reperitque genti Aditarum qui in Arabia felice juxta Sabæos Yectanidas habitarunt, et quorum rex Locman celeberrimum aggerem urbis Sabæ, seu Mareb, exstruxit, omnia quæ de Sabæis Cusjitis sunt dicta, ipsamque nominis omissionem a sæculo ante Christum octavo, apprime convenire. Quæ explicatio communitatis linguæ, coloris* (5), *nominis antiqui* (6) *inter Homeritas et Abyssinos, ac dominatus unius gentis in alteram, quem non*
C *infrequentem fuisse monumenta indigitant, mihi præ omnibus veri similis videtur.*

Sabæi Jectanidæ a sæc. I ante Chr. dicti Homeritæ;

21 *Sabæi Yectanidæ multis post sæculis, nec diu ante Christum, Himyaritæ, et a Græcis ac Romanis Homeritæ, dici cœperunt. Cujus rei hæc est origo. Rex Sabæorum Abdsjams-Saba, qui regnavit circa annum ante Christum natum* 700, *filios genuit Himyar et Cahlan, quorum prior patri successit; sed post Himyar divisa est dominatio inter plures, maxime inter filios Himyar et Cahlan: perstititque nomen Sabæorum, donec a rege Arith, seu Aretha, ex progenie Himyar, uno circiter sæculo ante Christum, in unum sunt conjunctæ omnes tribus Arabiæ felicis. Exinde ejus incolæ, non jam Sabæi, sed Himyaritæ sunt appellati, ac Homeritarum nomen a classicis scriptoribus non multo post usurpari incipit. Primus scilicet Strabo, circa annum ante Christum natum* 24, *narrans expeditionem Ælii Galli in Arabiam, hanc gentis appellationem usurpavit* (7).

eorum idololatria, veneratio Abrahæ, Deus supremus.

22 *Ad religionem Arabum quod spectat, eorum pars major, usque ad tempora Mahumetis, addicta erat gentilismo. Utebantur tamen circumcisione, quum eorum multi ex Abraha essent geniti, cujus omni ævo magna fuit veneratio inter Arabas* (8); *et a remotissimis temporibus Judæi multi in Arabia habitarent. Deos colebant permultos, et singulæ tribus, imo domus, deum aliquem præ ceteris reverebantur. Schola quædam philosophica Galliæ, triginta abhinc annis, docuit gentes idololatras coluisse Deum unum, et reliquos deos suos habuisse tanquam inferiores et subditos; quod quum universim maxime sit falsum, de Arabibus circa Yathrib et Meccam habitantibus, aliquousque dici posse videtur. De Arabibus omnibus id refert Abderrahman-Soyuti, commentator Corani* (9), *qui floruit sæculo* XVI (10); *et Pocockius hujusmodi monotheismi vestigia in Herodoti historiis*
E *sibi detegere visus est* (11). *In Hedjaz scilicet, provincia Arabiæ, ad quam pertinet Mecca ejusque antiquissimum templum Caba, degebat Ismaëlitarum pars* (12) *progenies Abrahæ, eoque devenerat, labentibus sæculis, ingens Judæorum multitudo. Ex veneratione igitur Abrahæ, quæ inter Ismaëlitas erat maxima, et ex doctrinis Judæorum, factum erat ut in Deum supremum crederent.*

Antiquitas Cabæ et civitatis Meccæ; Caba Arabum pantheon: eorum Sabæismus.

23 *Verum nescitur primo quam antiquum sit templum Caba; nam primus omnium illius mentionem habet Diodorus Siculus, qui post cædem Julii Cæsaris, paulo ante Christum natum, scribere cœpit, et quidem verbis obscuris:* Fanum ibi (*inter Banizomenecos, accolas maris rubri*) sacratissimum, in summa universis Arabibus religione habetur (13). *Colligitur deinde ex Arabum traditionibus (nam historicum nullum habent Mahumete antiquiorem, quinimo usque ad medium sæculum* VIII *omnia memoriæ mandabant ipsorum eruditi, et tum demum annales et historias scribere cœperunt) (14), eversum fuisse templum Caba pluvia et inundatione, sub*
F *regulis Djorhomitis secundæ dynastiæ, qui ab anno circiter* 75 *ante Christum regnare cœperunt. Ex quo merito infert veterum Arabum historicus, monumentum aquis pluviarum dejectum et valde exiguum, a gente exculta et potenti exstrui non potuisse, sed ædificatum fuisse a rudibus Ismaëlitis provinciæ Hedjaz* (15). *Nec omittendum, quod a recentibus antiquitatum Arabicarum indagatoribus certo est demonstratum, Meccam civitatem, peregrinationibus adeo celebrem, sæculo quinto post Christum antiquiorem non esse. Antea enim in valle ubi hoc sæculo est ædificata, nihil conspiciebatur præter templum Caba, quod per diem venerabantur Arabes, de nocte recedentes* (16). *Ex quibus omnibus manifeste concidunt quæ nonnulli censuere, ut refert J. Bruce, Cabam fundatam esse a Sesostri, rege Ægy-*

(1) Cfr Caussin, Essai etc. tom. I, pag. 40, 54 etc. — (2) Cfr Bochartus, Geogr. sac. lib, II, cap. 26; Caussin. tom. I, pag. 44 sq. — (3) Historia Æthiopica, lib. I, cap. I, et Commentarius in histor. pag. 57 et seqq. et 201 et seq. — (4) Caussin, Hist. des Arab. tom. I, pag. 44; cfr Sacy, Mém. de l'Acad. tom. L, pag. 280. — (5) Jomard, Essai sur l'Arabie, pag. 174. Paris, 1839; Arnaud, in Journal asiatiq. tom. XV, pag. 380. Paris 1850. Etc. — (6) Cfr Ludolfus, Comment. in hist. æthiop. pag. 228. — (7) Ap. Caussin, tom. I, pag. 63; cfr Ritter, tom. XII, pag. 41. — (8) Calmet, Dict. de la bible Vo. *Circoncision;* Caussin, tom. I, pag. 171, 197. 270, 274. — (9) Ap. Caussin, tom. I, pag. 270. — (10) D Herbelot, Bibl. orient., vo. *Sojuthi.* — (11) Ap. Caussin, pag. 174; Cfr Herod. lib. III, cap. VIII. — (12) Caussin, ibid. pag. 161. — (13) Diodor. Sicul. lib. III, cap. 44. — (14) Cfr Sacy, Mém. de l'Institut, tom. V, part. 2, pag. 30 sq.; Caussin, tom. II, pag. 197. — (15) Idem, tom. I, pag. 175, 195. — (16) Idem, tom. I, pag. 236.

ptio,

AUCTORE E. C.

ptio, eumque ibi adoratum fuisse (1). *Videtur hoc templum postremis sæculis ante Mahumetem dictum fuisse* Bayt-Allah, Domus Dei; *sed erat simul Arabum Pantheon; nam* 360 *deorum simulacra Cabæ superposita erant, aut circumposita, præter lapidem nigrum* (1ª) *et simulacra quæ in ipsa æde cum imagine, seu simulacro Abrahæ, venerationi erant* (2). *Astra colebant etiam Arabes plurimi, maxime solem; alii lunam, alii planeten Jovem vel Mercurium, alii denique stellam Aldebaran, vel Canopen, vel Sirium* (3). *Qua in replacitis Tsabæorum, sive Ssabæorum, qui astra potissimum colunt, videntur accedere; quorum mentio est in Corano, et de quibus non parum disceptatum est* (4).

De adventu Judæorum in Arabiam sententiæ

24 *Multi fuere Judæi in Arabia ab antiquissimis temporibus; maxime in parte septemtrionali circa Yathreb, seu Medinam; unde postmodum in Homeritidem penetrarunt: jamque supra est dictum martyres, quos celebramus, sub rege Homeritidis judæo palmam esse consecutos. De eorum adventu in Arabiam non una est sententia :* Auctor libri *Alagani, inquit Abulfeda,* exinde dicit Judæos habitasse in Khaibar, aliisque locis provinciæ Arabicæ Hedjaz, quod B Moyses exercitum misit contra Amalecitas, qui in Khaibar, Yathreb locisque aliis ejusdem provinciæ habitabant, jussitque omnes in ore gladii occidi, nec cuiquam concedi vitam. Exiit igitur dictus exercitus contra Amalecitas, eosque devicit et omnes occidit, excepto filio regis, quem victores Judæi secum adduxere in Syriam. Tum jam obierat Moyses, dixeruntque filii Israel fratribus suis : Non obedistis iis quæ vobis mandata erant, ideoque nobiscum non habitabitis. Quibus auditis, Redeamus, inquiunt, ad regionem subactam, cujus occidimus incolas. Reversi sunt igitur ad Khaibar et Yathreb, ibique habitarunt usque ad adventum tribuum Aus et Khazradj, quos inundatio catarractarum (*Sabæ, seu Mareb, altero sæculo post Christum natum*) Yemanam relinquere compulit. Alii tamen dicunt Judæos advenisse in Hedjaz, quando debellati sunt a Nabuchodonosor et diruta est Jerusalem (5). *Idem de Moyse post librum Alaghani refert Ibn-Khaldun; verum notatum est ab ipsis Arabibus, hæc convenire cum rege Amalecita Agag, cui* C *pepercit exercitus regis Saul contra mandata Samuelis* (6).

variæ; veri similior est venisse post eversam Hierosol. a Nabuchodonosor : deinceps alii accesserunt.

25 *Præstantissimus inter omnes Arabum historicos, Ibn-Khaldun, qui variorum sententias consignavit, has insuper profert : unam qua Josue, Moyse jam vita functo, bellum Amalecitis intulisse dicitur; alteram, quæ præcedentibus adjungit, fugisse regem David ad Judæos civitatis* Khaibar, *ibique paucis annis, donec cæsus est Absalom, regnasse : ex quo tempore, ajunt scriptores Arabes, judæi provinciæ Hedjaz domui David et regibus Juda addicti et subditi remansere; tertia denique, quæ communior est ceterisque verisimilior, et ab Abulfeda modo recensebatur, docet Judæos advenisse in Hedjaz, quando eorum rege Sedecia devicto a Nabuchodonosor, eversaque Hierosolyma, ab exercitu Assyriorum fugerunt. Hanc sententiam et Judæis Æthiopibus, seu* Falasja, *applicat Antonius d'Abbadie, eamque reliquis præferendam dicit* (7). *Ex diversis sententiis pronum est deducere, inquit cl. Caussin de Perceval, e pluribus antiquissimisque emigrationibus coaluisse Judæorum colonias Arabicas, videnturque nova cepisse incrementa, sive dum Judæam subegit Pompejus, annis* 64 *ante Christum, sive dum eversa est Jerusalem a Tito, aut castigati sunt Judæi ab Hadriano, annis æræ christianæ* 70 *et* 136 (8). *Judæorum vero accolæ sunt factæ tribus Arabicæ Aus et Khazradj, quos memorabat superius Abulfeda, circa annum ejusdem æræ* 300.

D

In Homeritidem dudum ante sæc. III venerunt, quidquid dicant scriptores mahumetani.

26 *Verum longe absunt Khaibar et Yathreb, seu Medina, ab Homeritide. Quæstio est igitur quando ad hanc devenerint Judæi. Res certo non noscitur, sed in hunc modum ab Arabum historicis narratur. Rex Himyar, seu Homeritidis, Abu-Carib, qui regnavit ab anno æræ christianæ* 200 *ad an.* 236, *quum exercitum suum duxisset contra Yathreb, seu Medinam, a judæis religionem Moysis edoctus est, et e pagano factus est judæus; in quo universus ejus exercitus eum imitatus fertur. Dein doctores judæos secum ad Yemanam abduxit, et multis Himyaritis, ut idola contemnerent ac judaizarent, persuasit. Hanc originem tribuunt scriptores Arabes, multis intersertis fabulis, judaismo Homeritarum* (9). *Certe eum profitebatur pars illorum sæculo quarto, ut nos docet Philostorgius. At vero vix dubitem ego, judaismi initia in Homeritide æra christiana multo esse antiquiora. Judæi pæne innumeri a sæculo ante Christum septimo, ut communis fert sententia* (10), *in vicina Æthiopia habitabant; quam inter et Homeritidem perpetuum erat commercium. Idemque testatur de Ægypto Philo Judæus, qui scripsit ante bella Judaica Vespasiani et Titi, novamque dispersionem, et cujus locum in historia Judæorum Æthiopiæ et Arabiæ neglectum esse miror :* Non minus decies centenis millibus (1,000,000) Judæorum, *inquit,* in Alexandria et regione circumsita habitant, a descensu ad Libyam usque ad fines Æthiopiæ (11). *Adde Josephum, pluribus locis similia memorantem. Quum insuper tot Judæi etiamnum diversis in partibus Arabiæ habitent, quandoque integros vicos occupent et subinde proprios habeant regulos* (12), *fieri non potest ut cum mercatoribus Sabæis, qui totam Asiam occidentalem et Africæ septemtrionalem plagam peragrabant, e Judæa, Ægypto et Æthiopia, in Arabiam felicem Judæi multi non penetrarint. Utut est, ex Actis S.* Arethæ *aliisque tutissimis monumentis docemur, eos illic ineunte sæculo sexto christiano tot fuisse numero, ut mox Homeritarum regnum factum sit judaicum.*

E

F

—

(1) Bruce, Voy. en Nubie et en Abyssinie, tom. I, pag. 388. — (1ª) V. Acta SS. tom. IX Oct. pag. 21, n. 22. — (2) Caussin, pag. 270; Ritter, tom. XII, pag. 21; Assemani, Chronicon orient. Petri Rahebi, p. 233 sqq. Venetiis 1729. — (3) Pococke, Specimen hist. Arab. ap. Caussin, tom. I, pag. 349; Assemani, loc. cit. pag. 255. — (4) D'Herbelot, v°. *Sabi;* Assemani, Bib. or. tom. III, part. 2, pag. 609 sqq.; cfr Chwolsohn, Die Ssabier und Ssabismus. Petersburg, 1856, 2 vol. — (5) Abulfeda ap. Sacy, Memoires de litterature tom. XLVIII, pag. 395. — (6) I Reg. XV; Sacy, pag. 596, note (g). — (7) Revue de l'Orient, tom. VII, pag. 233. Paris 1845. — (8) Caussin, tom. 2, pag. 641 et seqq.; Sacy, pag. 596. — (9) Sacy, ap. Mém. de littér. tom. XLVIII, pag. 384 sqq.; Caussin, tom. I, pag. 92 et tom. II, pag. 647. — (10) Sapeto, Viaggio, pag. 40 et 55; d'Abbadie. ubi supra. — (11) Philo, Contra Flaccum, Oper. pag. 971. Parisiis 1640. — (12) Niebuhr, Description de l'Arabie, tom. I, chap. IV, pag. 36.

§ III.

A

§ III. Ortus religionis christianæ inter Arabas; eorum apostoli.

De ortu religionis christianæ in Arabia; magos ea ex regione venisse plures ex patribus opinantur: et post eos Baronius, Assemanus et alii.

Priusquam de persecutione dicamus, quæ hac occasione est orta in christianos, in qua S. Arethas *ejusque socii martyrii corona donati sunt, inquirendum videtur quandonam prima semina religionis christianæ ad Arabiam devenerint. Hucusque enim in opere nostro, quum deficerent monumenta, de ejus regionis historia ecclesiastica vix sermo inductus est; nisi brevissime ad diem 7 februarii, quando colitur S. Moyses, episcopus Saracenorum, quarto sæculo, et ad diem 19 ejusdem mensis, ubi de martyribus plurimis qui in Arabia deserta, sexto sæculo, gladio Saracenorum occubuere, nonnulla Henschenius collegit. Quapropter hic supplere (quoniam de Arabiæ historia ad diem usque 19 decembris, quo colitur S. Gregentius, vix redibit sermo) quæ in Actis nostris desiderantur, in animo est. Et primo loco de Arabiæ*

B *apostolis, de quibus non pauca ex scriptoribus Syris collegit Assemanus, aliaque ex notitia regionum certiora sunt facta, breviter disserimus. Ordinis igitur principes sint magi, quos patres non pauci ex Arabia oriundos dicunt; inter alios Justinus martyr, Dialog. cum Thryphone, Tertullianus lib. adversus Judæos et lib.* III *contra Marcionem, et Epiphanius in Compendio doctrinæ, loco illi psalmorum inhærentes :* Reges Arabum et Saba dona adducent (*Ps.* 71). Quæ de Messia esse intelligenda, *inquit Baronius* (1), tam nostri interpretes, quam etiam rabbini complures æque assentiuntur; sicut et alia quæ scribuntur ab Isaia (cap. 4) : Inundatio camelorum operiet te (Hierusalem), dromedarii Madian et Epha etc. Madian, *inquit Hieronymus in hunc locum,* et Epha, regiones sunt trans Arabiam (*nimirum Petræam; inter quam et Sabœam, pressius dictam, jacet Madianitis et regio tribus Epha, qui fuit filius Madian. Gen.* XXV) omnisque provincia appellatur Saba. *Huic sententiæ, magos venisse ex Arabia, adhæret Baronius, aliasque addit rationes :*

C Rursus Balaam, qui de stella prædixerat vaticinium hoc : Orietur stella ex Jacob (*Num.* XIV), licet ipse Mesopotamenus esset, Haran incolens (ut ipse profitetur dicens : De Haran adduxit me Balac, rex Moabitarum), tamen in Arabia constat ea de oritura stella esse vaticinatum. Nam Moab, cujus rex erat Balac, qui eum mercede conduxit, erat, ut tradit Hieronymus (2) civitas atque provincia ejus nominis in Arabia deserta, ad orientem maris mortui. *Aliis deinde hanc in rem propositis et memorata ac expensa sententia eorum, qui aut Chaldæos, aut Persas fuisse magos autumarunt, his verbis disputatiunculam idem scriptor absolvit :* Si consideretur magorum adventus temporis spatium, nempe dierum tredecim, ut pluribus, *inquit,* paulo inferius demonstrabimus (3), eos certe non e Perside, vel e Chaldæa, sed ex Arabia orientali venisse perfacile quisque percipere poterit (4) : *vel e terris Maaddenorum et Sabæa septemtrionali, quum ejus reges dona Messiæ allaturi essent* (*Ps.* 71) *et aurum, thus et myrrha* (*Matth.* II) *ad negotiationem Arabum spectarent, in primis Sabæorum, supra n.* 3 *sqq. Ex verbis Baronii deducit nihil hæsitans Assemanus :* Magi itaque in Arabiam primi lucem Evangelii intulere (5).

Accr. E. C.

Veri simile id esse multis nuper ostendit F. X. Patritius.

28 *Denuo hoc argumentum versavit solita eruditione et peritia F. X. Patritius, e societate nostra, ex cujus dissertatione* XXVII, De Magis qui Christum inviserunt (6): *nonnulla hic decerpimus. Recensitis aliquot patribus præter eos quos num. præc. memoravimus,* Etenim fuere in Arabia, *inquit,* quos Græci et Latini magos vocant (7), notusque magus ille Barjesu in Actis apostolorum (8), quem Arabem fuisse arguit ipsa appellatio « Elymas »; hanc enim ipse Lucas « magum » vertit (9): at Arabes sunt in quorum sermone « elimon » magum significat. Præterea nobiles olim fuisse Arabas E amore sapientiæ studiisque naturæ, atque adeo astronomiæ, non uno monumento memoriæ proditum est. Porphyrius narrat Pythagoram sapientiæ sibi comparandæ causa ad Arabas quoque adiisse (10). Salomon dicitur sapientia præstitisse cunctos « bene Kedem » i. e. Filios orientis (11), nimirum Arabas, *ut infra ostendetur.* Commemorant prophetæ sapientiam Idumæorum (12) et Ismaëlitarum (13), quorum illi in Arabia Petræa sedes habuere (14), hi Arabiæ populis adnumerabantur (15). Insigne autem sapientiæ inter Arabas obtinentis monumentum superest in libro Jobi, quem Arabem fuisse veri longe similior opinio est (16). In eo enim libro sermones conferuntur singularem quamdam sapientiam spirantes studiumque naturæ totius, ex qua passim imagines ac similitudines peti videas ab iis quos scriptor loquentes inducit, simulque mentionem cæli ac siderum injectam, atque astronomiæ notitiam proditam quam frequenter (17). Sed et munera a magis Christo oblata suadere videntur, ut eos Arabas dicamus. Mu- F nera enim hæc fructus nativos fuisse regionis, ex qua magi venerunt, veri omnino simile, ne dicam indubium est. Sed in aliis regionibus, ex quibus alii magos profectos putant, in Chaldæa, inquam, et in Perside, aurum nullum effoditur, effoditur tamen in Arabia (18), præsertim vero « Sabæos ditissimos...auri metallis » dicit Plinius (19), quod scriptorum sacrorum auctoritas comprobat (20). *Similibus de thure et myrrha propositis, de quibus supra satis est disputatum,* Denique oriens, *inquit,* Hebraïce « Kedem » in scripturis sacris pro Arabia usurpatur (21), *quod multis evincit Patritius, ac similiter* filios orientis, *inter quos Job magnus fuit* (22), *Arabas designare. Denique,* hæc

(1) Ad ann. 1, n. 25.—(2) De locis hebraicis, et in Isaiæ XV.— (3) Ad an. 1, n. 34; sed Cfr Patritius, De evangeliis, lib. III, diss. 27, cap. 3.— (4) Baron. ad ann. 1, num. 27.— (5) Bib. orient. tom. III, part. 2, pag. 391. — (6) Patritius, De Evangeliis, Liber III, p. 315 sqq. Friburgi Brisgoviæ 1853.— (7) Plin. Hist. N. l. XXV, § 5; V. Patricium, l. c. p. 313, n. 23-27.—(8) Act. XIII, 6.— (9) Ib. 8.— (10) Ap. Cyrillum Alex., Adv. Julian. l. X, pag. 341, ed. Spanhem. 1696. — (11) III Reg. IV, 30 al. V, 10. — (12) Jerem. XLIX, 7; Abd. 8. — (13) Baruch, III, 23. — (14) Strabo, l. XVI, pag. 760, edit. Casaub. coll. l. XVIII, pag. 803; Reland. Palæst. l. I, c. 12. — (15) Joseph. Antiq. l. I, 12, § 4; Rosenmüller, Schol. in Genes. XXV, 12-18. — (16) Rosenmüller, in Job. Prolegom. V.—(17) Job. III, 9; IX, 9; XXII, 12; XXV, 5; XXVI, 13 coll. Virgil. Georg. I, 205, 244 et Rosenm. in hunc loc.; Job. XXXI, 26; XXXV, 5; XXXVII, 9, 18; XXXVIII, 7, 31, 32, 33. 37. — (18) Strabo, l. XVI, p. 777, 780, edit. Casaubon; Plin. H. N. l. VI, § 32, n. 8; l. VII, § 57, n. 6. — (19) L. VI, § 32, n. 18. — (20) II Paral. IX, 14; Ps. LXXI, 15 coll. 10; Is. LX, 6; Ezech. XXVII, 22. — (21) Gen. X, 30. Rosenm. Schol. in h. l. et Gesen. Thesau. philolog. crit. ad hunc V, n. 2. — (22) Job. I, 3.

sane

AUCTORE E. C.

sane satis sunt, *inquit*, ut nomen « Kedem, oriens » in scripturis Arabiam potissimum designare credatur. *Alio loco* (1) *patres multos laudat, qui existimarunt magos orituri Christi notitiam hausisse e vaticinio Balaami* (2), *inter quos sunt Origenes* (3) *Eusebius* (4), *Basilius* (5), *Diodorus Tarsensis* (6), *Ambrosius* (7) *et Hieronymus* (8). *Sed et jura Persidis ad magos sibi vindicandos prosequi non omittit* (9), *et quidem scribit tandem: Ex Arabia* minus fortasse probabile est venisse magos quam e Perside (10). *Scilicet scriptores christiani non pauci ita senserunt; sed pro multis est S. Justinus, qui in Judæa natus est et omnes ætate superat. Interpretatio etiam prophetiarum, de quibus dictum, Arabiæ in primis favet; ac videtur mihi labente ætate exinde incrementa cepisse altera sententia, quod crederetur (in primis postquam Romani in oriente invaluerunt et potissime post Constantinum magnum) magos nullos fuisse extra Persidem. Verum usque ad Pompeji adventum in Syriam, ex diuturno dominatu Medorum et Persarum vix est dubium, quin frequenter eos reperire fuerit in Asia occidentali*
B *pœne universa* (11). *Denique de lingua qua usi sint magi aliquid hic proponere liceat: Arabum scilicet gentes multæ a Judæis Hierosolymitanis intelligebantur* (12); *Persæ non item, quum lingua eorum, a Syro-Chaldaïca prorsus diversa, maximam partem Indo-Germanica sit. Coronidis loco hanc notationem eruditi viri hic adscribere non omittam:* Primus, *ait Patritius* (13), qui hos magos expresse reges adpellaverit, quantum ex scriptis patrum, quæ supersunt, colligere est, fuit fortasse Cæsarius Arelatensis sæculo VI, in cujus oratione de Epiphania hæc legimus : « Illi magi tres reges esse dicuntur (14) »; fortasse, inquam, tum quia hujus orationis auctor non omnino certus, tum quia illud « reges » suspectum habuere Maurini, virgulaque censoria notarunt. Quo jam neque illa ætas scriptorem illum suggereret, apud quem expressa regum adpellatio magis designandis adhibita reperiatur. *His omnibus perpensis, si Arabes fuerint magi, ut mihi veri similior est sententia (sive reguli, aut phylarchæ potius, fuerint, sive non) crediderim e Nabatæis fuisse extremi maris rubri accolis* (15),
C *quæ gens ex Chaldæis et Idumæis coaluerat* (16); *horum lingua Hierosolymitanæ proxima fuit, ac negotiatio usque ad Christum natum florentissima* (17): *quippe qui in locum Sabæorum labente ævo magnam partem successerant.*

S. Petrus Arabum catechista in die Pentecostes; inter eorumdem apostolos recensetur S. Paulus,

29 *Utut sit de magis, de quibus certa consequi non contingit, Judæi Arabes, qui in prima pentecoste post resurrectionem, audiverunt apostolos sua lingua loquentes magnalia Dei* (18), *et quorum plures inter baptizatos fuerint a S. Petro (siquidem inter Arabiam desertam et petræam fere conclusa est Judæa, et ex tam vicinis regionibus judæi multi Hierosolymam venerint necesse est), hi, inquam, ad utramque Arabiam proculdubio acceptam fidem detulerint. De his S. Joannes Chrysostomus* (19): *Petrus* præcipuus catechista habetur D et primus exstitit verbi concionator, et primus coëgit ecclesiam, eamque non ex Hierosolymitanis et circumcirca habitantibus judæis, sed ex Parthis, Medis, Phrygiis, Libycis, Ægyptiis, ARABIBUS, advenis Romanis et aliis. Et qui omnium pastor fuit a Domino institutus, ex omnibus nationibus cogere cœpit oves. *S. Paulus, postquam Damasci est conversus, abiit in Arabiam* (*Galat.* I, 17), *nimirum Damasco vicinam, quæ et pars est Arabiæ desertæ; idque conficitur tum ex eo quod et ipsam Damascum Arabicæ regionis esse et fuisse veteres asserant* (20), *tum ex verbis S. Pauli:* Abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum. *Etenim Damasceni, impotentiam pertæsi regum Syriæ, Aretæ, regi Arabum, sese dederant, teste Josepho. Alterius Aretæ, regis Damasci, itidem Arabis* (21) *meminit ipse S. Paulus. Verum quum nesciamus quanto tempore hic in Arabia deserta sit versatus, et potius videatur vita solitaria sese ad apostolatum parasse, nequit propter hæc ejus apostolus vocari.*

uti et alii plures: omittendus S. Matthias. Eunuchus reginæ Candacis Arabs non fuit.

30 *Sancti alii non pauci ab Assemano* (22) *inter Arabiæ apostolos recensentur; verum hic omittimus nonnullos, quoniam suo tempore in opere nostro de iis erit dicendum, nimirum de S. Thaddæo apostolo, ad diem* 28 *octobris; de S. Andrea, ad* 30 *novembris; de S. Thoma, ad* 21 *decembris; et de S. Joanne evangelista ad* 27 *ejusdem mensis. His omissis, nominat insuper Assemanus SS. Matthæum, Bartholomæum, Matthiam, Philippum et Timonem diaconos, Adæum seu Thaddæum, ex* 72 *discipulis, et Marim quemdam, qui similiter ævo apostolico floruit. Ad S. Matthiam apostolum quod attinet, eum in Æthiopia Ægypto vicina fidem prædicasse, nonnulli autumarunt, sed levissimo fundamento, ut tomo sequenti, in commentario de S. Frumentio ostendetur; at vero eum in Arabiam evangelium intulisse, nemo, quod sciam, præter Assemanum adstruere conatus est* (23). *In Philippo diacono manifeste errat idem scriptor, dum dicit:* Ejusdem regionis (*Homeritarum Arabiæ felicis*) erat eunuchus Æthiops, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui a Philippo diacono baptizatus est (*Act.* VIII). In Æthiopiam enim Africanam, quæ ulterior F India et Abyssinia appellatur, primus fidem christianam sæculo quarto intulit Frumentius. *Nam primo, nomen Candacis reginis Æthiopiæ inferioris, seu proprie dictæ, adhæsit, teste Plinio:* Regnare feminam Candacen *ajunt*, quod nomen multis jam annis ad reginas transiit (24). *Atque ejusdem nominis reginam memorat Strabo, qui diu ante Plinium scripsit* (25). *Eis urbs regia Napata fuit, ut Lepsius docet, deinde Meroë. Regionis incolæ mox Nubades vel Nubii dici cœperunt; sed in inscriptione Aizanæ, regis Axumitarum, seu Abyssiniæ, medii sæculi quarti, adhuc Æthiopum nomine veniunt* (26). *Adverte secundo, Æthiopiam Africanam duplicem esse, et Abyssiniam respondere Æthiopiæ superiori, seu*

(1) Patricius. l. c. pag. 336. — (2) Num. XXIV, 17. — (3) Contra Cels. l. I, n. 60. — (4) Demonstr. evang l. IX, paulo post init. — (5) Orat. in sanct. Christi generat. § 5. — (6) Ap. Photium, cod. 233 fin. — (7) In Luc. l. II, § 48. — (8) In Matth. II, 2 — (9) L. c. pag. 317. — (10) Ib. pag. 335. — (11) Cfr Patritius, l. c. pag. 312, n. 22 sqq. — (12) Cfr infra, n. 78; Acta SS. tom. IX Octobris, pag. 51, n. 16. — (13) L. c. pag. 321. — (14) Oper. Augustini, ed. Maurinor. tom. V, Append. serm. 139, n. 3. — (15) Strabo, l. XVI, p. 1081, 1103. ed. Oxon. Cfr supra n. 11, 12. — (16) Quatremère, ap. Ritter, tom. XII, pag. 138. — (17) Ib. p. 136, 138 sq. — (18) Act. II, 11. — (19) Homil. II in Act. apost. — (20) Justin. mart. dialog. cum Tryph. Migne. Patrolog. græca tom. VI, col. 659. — (21) Cfr Eckhelius, Doctrina numorum, vol. III, p. 330. Vindobonæ 1828. — (22) Bibl. orient. tom. III, part. 2, pag. 17 — (23) V. Acta SS. ad d. Febr. 24 pag. 432. — (24) Plin. Hist. nat. lib. VI, cap. 29. — (25) Cfr Acta SS. tom. VI Augusti, p. 7; et tom. VI Sept., p. 196, n. 7. — (26) Ap. Lord Valentia, Voyages and travels to India... Abyssinia etc. tom. III, p. 181 sq. London 1809.

australi,

A *australi, quæ etiam frequenter India est dicta. Et hujus quidem Æthiopiæ apostolus fuit S. Frumentius, ut ostendetur tomo sequenti adversus Nicephorum Callistum, cl. Thomam Wright aliosque.*

De Timone diacono, Thaddæo e 72 discipulis, et hujus discipulo Mari: hic in Mesopotamia australi

31 *Timonem diaconum Arabiæ apostolum dici non posse, patet ex iis quæ scripsit Henschenius, ad diem quo colitur,* 19 *aprilis* (1); *nec differt Lequien, qui de ecclesia Bostrorum scribens, provinciæ Arabiæ metropoli,* Timon, *inquit,* unus e septem diaconis, primus Bostræ vel Bostrorum (*urbs est quondam Moabitidis, ad orientem maris Tiberiadis, dicta hodiedum Busrah*) (2) episcopus factus est, si Dorothei Tyrii, vel Hippolyti Thebani nomine inscriptis septuaginta duorum Domini discipulorum catalogis credimus, qui græculo cuidam sequioris ævi æquius tribuuntur. Ceterum Eusebii Cæsariensis ætate nullus ejusmodi catalogus exstabat Domini discipulorum, velut ipse testatur lib. 5 hist. cap. 12 : Των δ'ἑβδομηκοντά μαθητων καταλογος μεν οὐδεις οὐδαμη φερεται (3). *De Adæo seu Thaddæo, ex* 72 *discipulis, qui aliquas partes Arabiæ desertæ attigisse vi-*
B *detur, et a S. Hieronymo cum Thaddæo apostolo est confusus, agendum erit ad diem* 28 *octobris, ut promissis stemus decessorum nostrorum* (4). *Adæo duo fuere discipuli, Aghæus et Mares; posterioris prædicationem sic describit Amrus Matthæi, alterius scriptoris Arabici, Maris Salomonis nomine, qui claruit circiter annum Christi* 1135, *epitomatoris :* Mares autem Radani primum (*urbs est Babyloniæ*) (5), *inquit,* deinde Modainæ (*i. e. in urbe duplici; qua voce Arabica vicinæ urbes Seleucia et Ctesiphon designantur*) fidem prædicavit magno cum labore ingentique cura; nam ibi Persarum regia erat, ejusque urbis incolæ potiori ex parte magi : Mox Dor-Kenæ et Cascaræ (*nomina sunt urbium non procul a Seleucia*); et huic quidem episcopum instituit, qui primus in iis regionibus ordinatus est : atque idcirco primas omnium tenet, estque sedis patriarchalis custos. Demum se contulit ad annunciandum evangelium cunctis partibus terræ Babylonis et utriusque Arachæ (*sive Iracæ, Persicæ nimirum et Assyriacæ*) et Huzitarum (*in Perside*)
C et Jamanæ (*Arabiæ felicis*) et insulis et Arabiæ sceniticæ et Nagranæ (*in qua S.* Arethas *martyrio est coronatus*), et insulis maris Jamanæ et maris Indiarum.

et in partibus quibusdam Arabiæ desertæ prædicasse fidem videtur.

32 Nec destitit universas hasce regiones obire, et loca etiam, quibus Mar (*i. e. dominus*) Adæus fidem nunciaverat, invisere, ibique catechizare, baptizare, docere, ecclesias exstruere, morbos curare, signaque et prodigia patrare; donec plurimos ad fidem convertit, christianamque religionem in illis partibus mirifice propagavit. Tum vero Modainam (*Seleuciam*) reversus, domicilium suum in ea sedemque patriarchalem fixit confirmavitque, præcipiens ut catholicus (*appellatio est patriarchæ Nestoriani orientis*) non alibi in patriarcham orientis quam Modainæ ordinaretur. Quum sacram liturgiam celebraret aut ordinationes faceret, albo pallio utebatur. Supervixit Adæo (*seu Thaddæo*), socio suo in munere prædicationis, annos tres supra triginta; quumque morti proximus esset, præcepit ut successorem sibi ex urbe Hierusalem quærerent. Decessit sexta feria secundæ hebdomadæ æstatis (*seu nonæ post Pentecosten, qua feria a Chaldæis colitur*), die 19 julii, anno Græcorum 393, sepultusque est ad dexteram altaris in majori Dorkenæ ecclesia. *De his monet Assemanus, Amrum Matthæi, qui sæculi* XIV *christiani est scriptor, statum ecclesiæ Cascarensis, sedem patriarchalem Seleuciæ, pallium quo usum esse Marim refert, diemque et annum obitus ejusdem, ex rebus quæ sua ætate a patriarchis Nestorianis in oriente gerebantur, metitum esse* (6). *Ad nos spectant solum quæ de prædicatione Maris in Arabia felice et in civitate Nagran Amrus narrat. Verum in his præter magistrum suum et ducem, Marim Salomonis, est locutus. Nam hujus locum profert quoque Assemanus* (7); *in quo nihil de prædictis Arabiæ australis partibus reperire est. Elias Damascenus, noni sæculi scriptor, dicit* fines *tantum* Arabum *ab Adæo et Mari fide fuisse imbutos* (8); *id est, ni fallor, partes quasdam Arabiæ deser-*
E *tæ. Scire igitur cupimus quo ex fonte hauserit Amrus, quæ de prædicatione Maris in Yemana ejusque civitate Nagran sive Negran, narrationi sui magistri adjecit; sed donec antiquiora et tutiora non prodeunt monumenta fidere his nullatenus possumus. De Mari et Aghæo, discipulis Adæi, sive Thaddæi, dici poterit vel ad diem* 28 *octobris, vel si quando ephemerides ecclesiæ Syrorum, seu patriarchatus Antiocheni, in opere nostro edere contigerit.*

AUCTORE E. C.

Sabæi, sive Homeritæ dicti sunt quoque Æthiopes

33 *Faciliorem fuisse Assemanum in apostolis Arabiæ admittendis supra est insinuatum; quod non dubito pronuntiandum esse circa ea quæ de S. Matthæo scribit :* Ex eodem menologio, *inquit, Basilii imperatoris* (9), et ex iis quæ supra de Æthiopibus et Indis diximus, palam fit Homeritas Arabiæ felicis populos fuisse Æthiopas Indosque illos quibus Bartholomæus et Matthæus... fidem Christi annuntiarunt (10). *Homeritas hos fuisse Æthiopas, aut potius sic esse dictos a veteribus, concedimus, nec inutile erit breviter monstrare: ut illustrentur ea quæ superius de communitate linguæ et forte originis, eam gentem inter et Abyssinos,* F *disseruimus : ac præterea ut melius intelligantur quæ Eusebius et Hieronymus de SS. Bartholomæo et Pantæno scripserunt. Arabia felix igitur, seu terra Homeritarum, ex Herodoto* (11), *Strabone, Stephano geographo, Theodoreto, aliisque pluribus, Æthiopia Asiatica aut orientalis dici posset :* Ita enim dicti Æthiopes bifariam dividuntur, ipsa interveniente natura, Arabico sinu (12). *Stephanus de urbibus :* Ὁμηριται ἐθνος Αἰθιοπων, Homeritæ, gens Æthiopum. *Similia pluribus locis habet Theodoretus, maxime ubi de Sabæis scribit :* Σαβα ποιον ἐστιν γενος; Saba qualis gens est? *Respondet :* Αἰθιοπικον, Æthiopica, *addens :* Sitos eos esse ajunt citra mare Indicum. Nominant autem eos Homeritas, et sunt e regione Auxumitarum. Inter hos autem et illos medium est mare. Eorum regina fuit admirabilis illa femina, cujus studium laudavit Christus (13) *etc.*

(1) Acta SS. tom. II April., pag. 619. — (2) Ritter, tom. XV, pag. 968 seqq. — (3) Oriens christ., tom. II, col. 853. — (4) Acta SS., tom. III Junii, pag. 804, n. 8. — (5) Assemani, Bib. or., tom. III, part. 2, pag. 772. — (6) Bibl. orient. tom. III, part. 2, pag. 20 seq. — (7) Ibid. pag. 22. — (8) Ibid. pag. 5. — (9) Part. 2, pag. 197. Urbini, 1727. — (10) Bib. or., tom. III part. 2 pag. 592. — (11) Lib. 7, cap. 70, pag. 339. Parisiis 1844. — (12) Strabo, lib. I, pag. 51. Oxonii, 1807. — (13) Matth. XII, 42; Luc. XI, 31.

AUCTORE E. C.

et Indi. Æthiopes Africæ Indi dicti sunt et ipsi.

34 *Sicut Æthiopiæ, ita et Indiæ nomine utraque regio, Arabia felix et Abyssinia, vel tota Æthiopia Africana, designata fuit. De Arabia res est manifesta. Philostorgius lib.* II, *cap.* 6, *teste Photio, Homeritas Indos vocavit :* Hos autem Indos olim quidem Sabæos ait esse dictos, ab urbe Saba, quæ caput est totius gentis; nunc vero Homeritas vocari. *Et lib.* III, *cap.* 4, *regionem quam incolunt Homeritæ, Arabiam magnam et felicem a Græcis appellari scribit. Similiter Theophanes, ad annum æræ mundanæ* 6064, *Homeritas Indos vocavit :* δια το πρεσβευσαι τους Ὁμηριτας Ἰνδους προς Ῥωμαιους. *Et Theophylactus Simocatta, qui ineunte sæculo* VII *Cpoli scribebat, quædam ad gentem Homeritarum spectantia referens, hæc addit :* Ἰνδικον δε το γενος, και Ῥωμαιοις (*seu Græcis Cpolitanis*) ὑπηκοον (1). *His consonant Eusebius, Cedrenus et veteres geographi Arrhianus, Nearchus, Æthicus et Julius Honorius* (2). *Verum et Æthiopas quoque non infrequenter dictos fuisse Indos, patet iterum ex historicis aliisque scriptoribus :* Νειλος μεν ὁ ποταμος, ἐξ Ἰνδων ἐπ' Αἰγυπτου φερομενος, δικα τεμνει την ἐκεινη γην, ἀχρι ες θαλασσαν. κ. τ. λ. (3). *Clarissime Servius ad Virgilii Georg.* II, 116 : Indiam omnem plagam Æthiopiæ accipimus. *Idem docet Joannes Asiæ episcopus infra n.* 113; *et legi potest hac de re latius disserens Jobus Ludolfus in Commentario ad historiam Æthiopicam* (4).

S. Matthæus non in Homeritide, sed in Nubia fidem prædicavit,

35 *Redeamus jam ad S. Matthæum, quem Asiaticis Æthiopibus, aut Indis, evangelium prædicasse Assemanus scribit. Verum observamus eum pondera rationum habere nulla, quibus ad unam potius quam ad alteram sententiam propendeat; incaute enim secutus est Tillemontium, qui nullam Æthiopiæ Africanæ partem fidem accepisse censuit ante S. Frumentium. Legantur quæ de S. Matthæi apostolatu scripsit Stiltingus noster ad diem* XXI *septembris, quo colitur : in quibus non modo a Tillemontio objecta diluit, sed pluribus demonstrat quæ a Ludolfo jam fuerant proposita, S. Matthæum apostolum fuisse Æthiopiæ septemtrionalis, seu Nubiæ; cujus pars olim Sennaar est dicta* (5). *Denique juvat universim observare cum Ludolfo, veterum plerosque sibi Indiam finxisse prout libuit, ita ut illis India nihil aliud sit quam ignota quædam et remota australis regio, cujus nomen speciale ignoretur* (6). *Etenim, ut addit idem, Indiæ neque initium, neque finem recte sciebant. Quocirca scribit Procopius, sæculo sexto, de Saracenis Arabiæ australis :* Μεθ' οὑς ὀητα γενη των Ἰνδων ἐστιν : Post hos sequuntur gentes Indorum (7).

apparet ex Eusebio

36 *Ast si Matthæum apostolum in Arabia prædicasse ex veteribus monumentis non potest confici, plura id suadent de S. Bartholomæo; quem eumdem esse cum Nathanaële post alios late ostendit idem Stiltingus* (8). *Audiamus Eusebium res gestas narrantem Pantæni, philosophi christiani, qui et ipse inter Arabiæ apostolos adcensetur :* Tantum porro animi ardorem, *inquit,* erga verbum Dei idem vir (*Pantænus*) ostendisse perhibetur, ut orientis nationibus (τοις ἐπ'ἀνατολης ἐθνεσιν) evangelii Christi prædicator exstiterit, ad ipsam usque Indiam progressus (μεχρι και της Ἰνδων στειλαμενον γης). Quippe complures erant etiam tum evangelistæ sermonis Dei, qui divina quadam æmulatione succensi, apostolorum exemplo studium suum conferre ad ædificationem fidei et ad incrementum verbi divini properabant. Ex quorum numero Pantænus ad Indos usque penetrasse dicitur (εἰς Ἰνδους ἐλθειν λεγεται), ibique evangelium Matthæi, quod adventum ipsius jam prævenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse : quibus scilicet Bartholomæus, unus ex duodecim apostolis, olim, ut fama est, prædicaverat, et evangelium Matthæi, Hebraïcis conscriptum literis, reliquerat; quod quidem ad prædicta usque tempora servatum esse memoratur. Hic ergo Pantænus post multa præclare gesta, tandem Alexandrinæ præfuit scholæ; ubi partim viva voce, partim scriptis, divinorum dogmatum thesauros exposuit (9).

et maxime ex Hieronymo missum esse S. Pantænum ad Indiam Brachmanicam :

37 *Similia habet S. Hieronymus libro de scriptoribus ecclesiasticis cap.* 36 : Pantænus, stoïcæ sectæ philosophus, juxta quamdam veterem in Alexandria consuetudinem, ubi a Marco evangelista semper ecclesiastici fuere doctores, tantæ prudentiæ et eruditionis, tam in scripturis divinis quam in sæculari literatura fuit, ut in Indiam quoque, rogatus ab illius gentis legatis, a Demetrio Alexandriæ episcopo mitteretur (*circa annum Christi* 190) (10); ubi reperit Bartholomæum, de duodecim apostolis, adventum Domini Jesu, juxta Matthæi evangelium prædicasse, quod hebraïcis literis scriptum, revertens Alexandriam, secum detulit. *Hos Eusebii et Hieronymi locos recitat quoque Stillingus in Actis S. Bartholomæi, et contendit intelligendos esse de India Gangetica, seu Brachmanica, concedens tamen et in Arabia felice S. Bartholomæum prædicasse. Quam in rem ostendit Indiam illam Eusebio et Hieronymo fuisse notam* (11). *Ad Hieronymum quod attinet, non novit eam tantum, sed eam adivisse S. Pantænum disertis verbis affirmat :* Stoicæ sectæ philosophus Pantænus, *inquit epist.* 70 (12), ob præcipuæ eruditionis gloriam, a Demetrio Alexandriæ episcopo missus est in Indiam; ut Christum apud Brachmanas et illius gentis philosophos prædicaret. *Qui locus Hieronymi cum præcedenti jungendus, in quo de India scribens quam adiit Pantænus, addebat :* Ubi reperit Bartholomæum, de duodecim apostolis, adventum Domini Jesu, juxta Matthæi evangelium prædicasse *etc.*

ibi, vel in Homeritide reperit evangelium Hebraïcum quo usus S. Bartholomæus. Hic videtur in India cis Indum prædicasse.

38 *Hoc igitur ex Hieronymo est indubitatum, legatos ex India Brachmanica venisse ad Demetrium, episcopum Alexandrinum, et illuc missum esse S. Pantænum. Secundo, certum similiter videtur ex Hieronymo, in hac ipsa India Brachmanica, et fidem annuntiasse S. Bartholomæum et repertum esse ejus codicem evangelii S. Matthæi Hebraïcum. Cui tamen posteriori conclusioni nonnulla objici possunt. Et primo quidem, S. Bartholomæum multorum consensu, Arabiæ felicis dici posse apostolum et in ea prædicasse evangelium; ut mox ostendetur. Deinde, si Indiam Brachmanicam idem adiit, ut est verisimile, eam tamen non fuisse ejus*

(1) Lib. III, pag. 132. Bonnæ 1834. — (2) Ap. Wright, Early Christianity in Arabia, pag. 29. London 1855. — (3) Procop. de ædificiis, lib. VI, pag. 331. Bonnæ 1828. — (4) Pag. 73 et seq. — (5) Acta SS. tom. VI Sept., pag. 206 et seqq. — (6) Ludolf. Commentarius, pag. 76. — (7) De bello Pers. lib. I, tom. I, pag. 100. — (8) Tom. V August. pag. 7 et seqq. — (9) Euseb. lib. V, cap. X. — (10) Tillemont, Mém. tom. III p. 172. — (11) Tom. V Augusti. pag. 22 et seq. — (12) Migne. Patrologia, tom. XXII, col. 667.

martyrii

A *martyrii palæstram; quum Armeniæ hanc gloriam tribuant plerique omnes* (1); *quo vocatos fuisse presbyteros Alexandrinos a legatis Indis* (*qui per mare Indicum et sinum Arabicum, aut forte Arabum camelis vecti, Alexandriam pervenerunt*), *nemo est qui cogitaverit. Ex quibus sic interrogare subit : Quidni S. Bartholomæus codicem suum Hebraïcum reliquisset inter Sabæos potius, seu Homeritas, qui lingua utebantur Semitica, Hebraïcæ vicina, et inter quos verisimile est habitasse mercatores Judæos; quam inter Indos, lingua loquentes undequaque diversa? Utut est, S. Bartholomæum Indiam illam attigisse arbitramur, quæ cis Indum fluvium est, in quam ex Arabia trans fretum sinus Persici cui nomen Harmozon, vulgo Ormuz, vel per mare Indicum, facile pervenire potuit. Atque inde transisse eumdem ad Armeniam per Persidem et Parthiam censemus : quarum regionum mentio est in historia ejus martyrii* (2).

fuit et Arabiæ apostolus : explicatur locus Rufini,

39 *In Arabia vero S. Bartholomæum fidem nunciasse docent antiqui scriptores plurimi, nec eorum quisquam id diserte negavit :* In ea
B divisione orbis terræ, *inquit Rufinus lib.* x *cap.* 9, quæ ad prædicandum verbum Dei sorte per apostolos celebrata est; cum aliæ aliis provinciæ obvenissent; Thomæ Parthia *seu Persis, quum Parthi tum temporis universum pœne hoc regnum occuparent;* et Matthæo Æthiopia, eique adhærens CITERIOR INDIA (*i. e. Arabia felix, quæ multo frequentius quam Æthiopia Africana, India est dicta*) Bartholomæo dicitur sorte decreta. Inter quam Parthiamque media, sed longo interior tractu INDIA ULTERIOR jacet, multis variisque linguis et gentibus habitata. *In quibus cum aliis ap. Plinium lib.* VI, *cap.* 20, *Indiam hanc circiter ad sinum usque Persicum protendit.* Quam velut longe remotam, nullus apostolicæ prædicationis vomer impresserat, *de quo dicetur in Actis S. Thomæ apostoli.* Quæ tamen tempore Constantini tali quadam ex causa semina fidei prima suscepit. Metrodorus quidam philosophus, inspiciendorum locorum et orbis perscrutandi gratia, ulteriorem dicitur Indiam penetrasse *etc.* Cujus exemplo etiam invitatus Meropius quidam, Tyrius philosophus, simili
C ex causa adire Indiam voluit, habens secum duos puerulos, quos liberalibus litteris, utpote propinquos instituebat. Quorum unus, qui erat junior, Edesius, alter Frumentius vocabatur *etc.*

in quo Indiam Brachmanicam ab India Africana, seu Æthiopia, non distinguit.

40 *In his aperte binas Indias Rufinus distinguit, alteram* citeriorem, Æthiopiæ adhærentem, *quam respondere Arabiæ australi diximus, et in qua fidem prædicaverit S. Bartholomæus; alteram* ulteriorem, *quæ inter citeriorem et Parthiam, seu Persidem orientalem sita sit : et quam Indiæ cis aut circa Indum respondere haud dubitamus. Deinde scribit de Metrodoro :* Ulteriorem dicitur Indiam penetrasse; *quod ex præcedentibus de Brachmanica intelligendum est. Ceterum id disertis verbis asserit Cedrenus ad annum Constantini* 21 : Metrodorus quidam Persa, *inquit,* sub prætextu philosophandi, in Indiam se ad Brachmanas contulit (3). *Verum Rufinus in sequentibus, ubi Meropium eamdem Indiam adiisse scribit cum duobus pueris Ædesio et Frumentio, et per hos tempore Constantini eam semina fidei prima suscepisse, Indiam illam ulteriorem, seu Brachmanicam, ab Abyssinia, quæ et ipsa India est dicta, jam non distinguit. Quamquam narrat Frumentium Alexandriam perrexisse, et quum a S. Athanasio consecratus esset episcopus, ad suam Indiam rediisse. Hic igitur peccat Rufinus et male intellexit Ædesium, S. Frumentii fratrem, quem Tyri allocutus est. Etenim certissimum est S. Frumentium Abyssiniæ fuisse apostolum; ut tomo sequenti uberius adstruetur. Hoc itaque loco, qui doctis viris Ludolfo* (4), *Pagio* (5) *et aliis non paucis, pœne inenodabilis est visus, parum Rufinus geographiæ gnarum se ostendit.*

AUCTORE E. C.

Eum imitati Socrates et Theodoretus. Sententia cl. v. Letronne. Bartholomæus Homeritarum apostolus e Philostorgio.

41 *Rufinum exscripsit Socrates pœne ad verbum lib.* I, *cap.* 15 : Thomas Parthiam... obtinuit, Matthæus Æthiopiam; Bartholomæus Indiam, quæ huic finitima est, sortitione accepit. India autem interior, (*quæ a Rufino* ulterior *dicitur*), quam permultæ gentes barbaræ accolunt *etc.*. *Rufinum sequitur quoque Theodoretus lib.* I, *cap.* 22, *magistrum suum in nullo emendans, Indiamque quam adivit Meropius cum Frumentio et Ædesio, quamque* ulteriorem *Rufinus vocavit, et Socrates* interiorem, *vocat ipse* ultimam : την ἐσχατην Ἰνδιαν. *Indiam Brachmanicam non adiisse Metrodorum et Meropium, sed Abyssiniam tantum, nescio qua de causa, censuit cl. v. Letronne* (6), *et omnium narrationes componi posse comparatis inter sese vocibus :* Ulterior India, ἡ ἐνδοτερω Ἰνδια, ἡ ἐσχατη Ἰνδια *etc. Qua in re inutilem posuit operam; nam hoc admisso, post Cedrenum et narrationem satis apertam Sozomeni, Meropium primum adiisse Indiam Brachmanicam, ac in reditu* (*per viam consuetam, sinum scilicet Arabicum*) *ad portum quemdam Abyssiniæ, seu Indiæ Africanæ appulisse, omnia de facili intelliguntur, retinentque voces significatum proprium. Sed ut ad S. Bartholomæum denuo oratio convertatur, eum Homeritarum apostolum fuisse, inter veteres apertissime docuit Philostorgius : de quo libro* II, *cap.* 6 *excerptorum hæc habet Photius :* Ait impius Philostorgius *hæresis Arianæ sectator,* interiores Indos qui Bartholomæi apostoli prædicatione ad Christi cultum conversi F
sunt, dissimilem Filii substantiam profiteri... Hos autem Indos, olim quidem Sabæos ait esse dictos ab urbe Saba, quæ caput est totius gentis; nunc vero Homeritas vocari. *Philostorgio si minus verbis, at re aperte consonat pseudo-Dorotheus in catalogo apostolorum :* Bartholomæus apostolus, *inquit*, Indis qui felices vocantur (Ἰνδοις τοις καλουμενοις εὐδαιμοσι), prædicato Christo, iisque dato Matthæi evangelio *etc.* (7). *Hunc Dorotheum sequitur Menologium Basilii imperatoris, sæculo* X *conscriptum, in quo similiter in* Indiam felicem *S. Bartholomæus profectus dicitur* (8).

Semina religionis christianæ in Arabiam invecta quoque a mercatoribus.

42 *Ast ævo apostolico aliqua semina fidei ex Palæstina a mercatoribus delata fuisse in Arabiam, ut supra insinuavimus, prorsus est verisimile. Paulo rarius quidem ad Syriam venisse videntur Arabum cameli, ex quo hoc regno potiti sunt Romani, ut ex verbis Strabonis deducit*

(1) Tom. V Aug., pag. 27. — (2) Ibid. l. c. — (3) Tom. I, pag. 516, edit. 1838. — (4) Comment. etc., pag. 76. — (5) Ad ann. 327, n. 14 et seqq. — (6) Mém. de l'Institut, tom. X, pag. 236 et seqq. Paris 1833. — (7) Chronicon paschale, pag. 435 in append. Parisiis 1688; cfr Sophronius ap. Fabricium, Biblioth. ecclesiast. pars. I, pag. 225. Hamburgi 1718. — (8) Menologium Græcorum jussu Basilii etc. part. 2, pag. 197. Urbini 1737.

AUCTORE E. C.

cl. F. Movers (1), *sed mox decrevit victorum timor et ad nundinas in Hebron, quæ ab Hieronymo* mercatus celeberrimus *dicitur* (2), *aliasque, sese pro more contulerunt. Scribit enim Sozomenus sæculo* v *de loco Terebinthi, chiliometris circiter duobus cum dimidio ab Hebron* (3) *et quadraginta quinque versus meridiem, ab Hierosolyma:* Quo in loco Filium Dei una cum duobus angelis contra Sodomitas missis, Abrahamo apparuisse, et filium ei nasciturum prædixisse, verax testatur historia. Illic porro æstatis tempore celebrem quotannis mercatum agunt ejus loci incolæ, et qui ulterius degunt, Palæstini, Phœnices et Arabes. Multi quoque alii negotiandi causa eo conveniunt, partim venditurі, partim empturi. Quippe hoc festum maxima omnium frequentia celebratur: Judæorum quidem, propterea quod Abrahamum auctorem gentis suæ jactant; gentilium vero eo quod Angeli illuc advenerint; christianorum denique eo quod tunc temporis pro viro apparuerit is, qui diu postea ad salutem generis humani natus ex Virgine, cunctis se manifestum exhibuit (4). *En sententiam theophaniarum Filii Dei sub lege veteri, ut id obiter dicam, propositam manifestissime. De Arabum mercatorum itineribus scribit S. Hieronymus circa* B *initium sæculi* v (5): Hi sunt qui pro locorum qualitate diversis nominibus appellantur, et a Mauritania per Africam et Ægyptum, Palæstinam et Phœnicem, Cœlen Syriam et Osrhoënem, Mesopotamiam atque Persidem, tendunt ad Indiam. *Ex quibus Arabum itineribus non dubitamus quin semina religionis christianæ identidem in pœninsulam invecta fuerint; maxime quando imperante Constantino in universo imperio multæ ecclesiæ cœptæ sunt ædificari, erecti episcopatus: et in orientis civitatibus non modo floruit res christiana, sed et dominata est.*

S. Hippolytus, dictus Portuensis, nullius civitatis Arabicæ episcopus fuit. Nomina christiana in historia provinciæ Hedjaz sæculo I; *signa D. N. J. C. et B. V. in Caba.*

43 *Attamen de pœninsulæ Arabicæ christianis, primis Ecclesiæ sæculis, vix quidquam novimus, præter ea quæ de S. Bartholomæo et Pantæno collegimus. Etenim S. Hippolytum, scriptorem clarissimum, qui colitur* XXII *Augusti et quem Portus Romani episcopatum tenuisse dixerunt, Adanis* (*vulgo* Aden) *in Yemana episcopum fuisse cogitavit quidem Stephanus Le Moyne* (6) *ex his solis Philostorgii verbis* (*de quibus infra n.* 52 *redibit sermo*): ἐν ᾧ « Ρωμαιων ἐμποριον » ἐτυγχανεν... καλουσι δε το χωριον Ἀδανην, ἐνθα και τους ἐκ Ῥωμαιων ἀφικνουμενους ἐθος ἠν καθορμιζεσθαι. *Verum post Ruggerii dissertationem de sede S. Hippolyti* (7) *et disquisitiones recentes de libro* Φιλοσοφουμενων (8), *id nemo sapiens existimabit. Sed neque Bostrorum, metropolis Arabiæ, aut alterius Arabiæ desertæ civitatis episcopus fuit Hippolytus. Id eum fuisse credidere plures, ex obscuro loco Gelasii Pontificis; sed apte ostendit Cotelerius Gelasii verba ex perperam intellecto Rufino prodiisse* (9). *In secunda serie principum tribus Djorhom, cui commissa erat custodia templi Arabum Caaba, et auctoritas aliqua competebat* D *in provinciam Hedjaz, vel saltem in ejus partem dictam Tehama, sexto loco prodit Abd-el-Masih, filius Bakilæ. Verum ibi cognomen detegitur, inquit veterum Arabum historicus* (10), *et vero nomine dictus fuisse videtur Amr, vel Amrus. Regnavitque ex ejusdem historici calculo ab anno Christi* 76 *ad* 106. *Cognomen autem valde est notabile, quum* servum Messiæ, *id est,* Christi *significet. Ex quibus conjicere pronum est, inquit idem, præter idola Christum ipsum tum temporis fuisse cultum in Hedjaz. Quod firmatur ex re admodum singulari, quam ex traditione sincera, et, ad testes oculatos, ut ferunt, pertingente, refert el-Azraki: imagines scilicet Jesu Christi et Virginis Mariæ, in columna quadam templi Cabæ exsculptas, sæculis ante-Islamiticis ab Arabibus fuisse adoratas* (11). *Idem refertur ab Harewi* (12) *et a recenti scriptore vitæ Mahumetis* (13).

§ IV. Homeritarum reges christiani; legatio Theophili Indi; E urbs regia Taphar.

Homeritarum rex christianus Abd-Kelal, sæculo III;

In Homeritide ante sæculum sextum, quo persecutio exorta est Judæorum, plures reges christiani fuere, ut ostendunt Arabum monumenta historica. Primus hoc titulo dignatur sæculo III *Abd-Kelal, filius Amri Dhu-l-Awad, si Abulfedæ est fides, vel filius Mathub, ut docet Hamza Isfahani; regnavit vero in Homeritide ab anno circiter* 273 *ad* 297. Hic religionem Christi amplexus est, *inquit Hamza* (14), eam tamen occulens, nec palam profiteri ausus. *Quibus addunt Ibn-Khaldun aliique, ad fidem Christi conversum esse Abd-Kelal ab homine quodam Syro, qui ad aulam suam venerat; sed quum non essent tum temporis christiani in Arabia felice, Himyaritas, ejus cultu detecto, rebellasse, et Syrum, qui ab idolis suis eum averterat, occidisse* (15). *Prius gentilem fuisse, discimus quoque ex inscriptionibus Himyariticis Marebensibus, quas Cruttendonius collegit; quarum prima significari dictum regem, docet post C. Rœdiger, inscriptionum interpretem, eruditus geographus C. Ritter* (16) : *et consentire videtur Fulgentius Fresnel, easdem inscriptiones interpretatus ex accuratiori editione Th. Arnaud* (17). *Inscriptio illa prima sic sonat :* Abd-Kulalam (*F. Fresnel :* Abd-Kelalam) ejusque uxor commodaverunt mihi (*nomen non effertur*) templum, ac ejus filii illud nunc mihi cedunt. — Verba sua invocatione divinitatis firmaverunt. Fortunæ bonis domus eorum potiatur auxilio deorum. Factaque est hæc donatio mense Charib anni 537. *Si hic filii Abd-Kelal, regis Homeritidis, significantur, æra Arabica utuntur, quæ annis circiter* 200 *ante Christum cœperit. Etenim Marthad, seu Morthid, filius Abd-* F

(1) Die Phœnizier, tom. 3, pag. 144 et 291. — (2) Comment. in Jerem. cap. 31 et in Zach, cap. 11. — (3) Cfr Ritter, Erdkunde, tom. XVI, pag. 222. — (4) Sozomen. lib. II, cap. 4. — (5) Epist. 129 ad Dardan. Migne. Patrolog. tom. XXI, col. 1104. — (6) Varia sacra, tom. I, in Prolegom. Lugduni Batav. 1685. — (7) Ap. Migne. Patrol. Græca. tom. X, a col. 395. — (8) Cfr Dœllinger, Hippolytus und Kallistus, pag. 53 et seq. et 89. Regensburg 1853. — (9) Cotelerius, Monum. eccles. Græc. tom. II, col. 639; Cfr Dœllinger, l. c. et M. P. Cruice, Hist. de l'église de Rome sous les pontificats de S. Victor etc., pag. 322. Paris 1856. — (10) Caussin, tom. I, pag. 195 seq. et 198. — (11) Cfr Burckhardt, Voyage en Arabie, edit. Eyriès, tom. I, pag. 221; Ritter, tom. XII, pag. 36. — (12) Travels of Ibn-Batouta, pag. 51. — (13) Noël Desvergers, Vie de Mahomet, pag. 132; idem, Arabie, pag 134. Paris 1847. — (14) Ap. Schultens, Imp. Joctan. pag. 33. — (15) Ibn-Khaldun ap. Caussin, tom. I, pag. 107; Thalebii Tabacat-el-Moluk, et Liber Ennucat ibid. — (16) Erdkunde, tom. XII, pag. 82. — (17) Ap. Caussin, l. c.

Kelal,

A *Kelal, ab anno circiter* 330 *ad* 350 *in Homeritide regnavit* (1) : *sed æras Arabum ante Mahumetem permultas fuisse advertunt eruditi. De cetero inscriptio hæc, quocumque modo sit intelligenda, iis quæ de conversione regis Abd-Kelal sunt dicta, minime adversatur; siquidem ut perhibent historici omnes, subditos suos de ea celare conatus est.*

regnante ejus filio Marthad contigisse censent legationem Theophili Indi,

45 *Regnante Marthad, qui ab A. Schultens et Sacyo Morthid dicitur, filio Abd-Kelal, evenisse dicendum est legationem Theophili, quem Indum vocat Phylostorgius, Blemmyn vero S. Gregorius Nyssenus* (ὁ Βλεμμυς Θεοφιλος) (2); *qua utraque appellatione et universa legati historia perpensa, quum ex insula* Διῷ, *cujus incolæ Indi vocati fuerint, juvenis valde ad Constantinum Magnum tamquam obses missus fuerit, in insula aliqua sinus Arabici, aut adjacentis maris Indici, natum esse Theophilum haud dubitamus. Quam sententiam primus proposuit Petrus a Bohlen, professor Regimontanus, ob peritiam linguæ Sanscriticæ aliarumque plurium orientalium viris doctis non ignotus.* Διῶν *vero Philostorgii arbitratur esse Socotoram, dictam Sanscritice* Dvipa sukhatara, *seu* insulam felicem; *ex quo vocabulo Sanscritico, seu Indico, prodiisse censet nomen Græcum insulæ* Dioscoridis, *quo eam Græci appellant* (3). *Atque hæc merito probari videntur scriptoribus recentioribus* (4), *quum noverimus ex Ammiano Marcellino* (5) *legationem advenisse ex insula Socotora ad imperatorem Julianum; et ex Cosma Indicopleuste* (6), *eam circa annum* 530 *multos habuisse christianos. Non tamen probantur erudito viro Letronne, qui* Διῶν *esse conjicit insulam maris Arabici, dictam Dhalak, ad sinum Aduliticum et latitudinem* 15° 40′ (7); *cujus incolæ Blemmyes erant vel dici poterant* (8), *et quæ similiter magna est, ut* Διῶν, *vel* Διαῶν *vocat Nicephorus* (ἐστι μεγαλη) (9); *qualemque hanc fuisse et ex Philostorgii narratione deducere licet. His præmissis, audiatur Arianorum historicus, narrans quæ sectæ suæ episcopus Theophilus in Homeritide gessit medio sæculo quarto; et quæ tum temporis esset regionis conditio prosequens.*

qui a Constantio imperatore missus est ad Homeritas:

46 Ait Philostorgius, Constantium, *qui ab anno* 337 *ad* 361 *imperium tenuit,* legatos misisse ad eos qui olim quidem Sabæi nunc autem Homeritæ vocantur. Est hæc gens eorum qui ex Chettura nati sunt Abrahæ : *in quo errat Philostorgius. V. n.* 19, 21. Regionem autem quam incolunt, Arabiam magnam et felicem a Græcis appellari scribit, et ad extimum oceanum pertingere. Ejusque metropolim esse Sabam, *etiam Mareb dictam,* ex qua urbe olim Regina ad Salomonem visendum profecta est. Est autem ea gens ex circumcisione, et octavo die circumciditur. Sacrificant etiam soli et lunæ et diis indigenis. Judæorum quoque non exigua multitudo iis permixta est. Ad hos igitur legationem misit Constantius, eo consilio, ut ad veram pietatem illos traduceret. Proinde magnificis muneribus et blanda verborum persuasione regem illius gentis sibi conciliare statuit, atque ex eo statim opportunitatem nactus, religionis ibi semina spargere. Postulavit etiam, ut Romanis illuc navigantibus, et regionis incolis qui ad Christi fidem converti vellent, ecclesias ædificare liceret. Dedit etiam legatis magnam vim pecuniæ, quam ædificandis ecclesiis impenderent. Hujus porro legationis princeps erat Theophilus Indus. Qui olim quidem Constantino imperium administrante admodum juvenis obses a Divæis (παρα των Διϐηνων) missus fuerat ad Romanos. Horum regio Divus (Διϐους) insula est. Incolæ vero ipsi quoque Indi cognominantur. Porro hunc Theophilum, cum diu inter Romanos vixisset, mores suos ad summam virtutis perfectionem formasse, et veram de Deo opinionem amplexum esse scribit; sed et monasticam vitam eum elegisse, et ad gradum diaconi promotum esse testatur, Eusebio sacras ei manus imponente.

AUCTORE E. C.

ejus tentamina ad propagandum inter hos hæresim Arianam.

47 Sed hæc quidem prius. Postea vero cum legationem hanc obeundam suscepisset, a suæ communionis hominibus episcopali dignitate eum ornatum esse. Ceterum Constantius, cum eam legationem magnificam et valde gratiosam esse vellet, ducentos equos ex Cappadocia generosissimos navibus impositos, multaque alia dona, partim ad conciliandam admirationem partim ad alliciendos animos misit. Theophilus igitur, cum ad Sabæos venisset, gentis principi persuadere conatus est, ut Christum coleret et a gentilium errore recederet. Et Judæorum quidem solita fraus ac malitia, in profundissimum silentium sese abdere coacta est (*de Judaismo potissimum ab ineunte sæculo* III *post Christum natum in Homeritide invalescente, vide supra a num.* 24), cum Theophilus admirandis operibus editis fidem Christi invictam esse semel atque iterum ostendisset. Legatio vero felicem exitum sortita est, cum princeps gentis illius sincero animo ad veram pietatem transiisset, et tres ecclesias in ea regione ædificasset, non tamen ex ea pecunia quam legati ab imperatore secum attulerant, verum ex iis sumptibus quos ipse alacri animo ex privata pecunia suppeditavit, admirandis Theophili operibus æqualem animi sui magnitudinem exhibere contendens. *De qua conversione regis Homeritarum infra dubitandi erit locus.*

F

Ostenditur Tapharon Philostorgii et Actorum S. Arethæ

48 Ex illis autem ecclesiis unam quidem in metropoli totius gentis, quam Tapharon vocant, ædificavit. *Tapharon est hodierna Dhofar* (*Dhafar, Zhafar, Zafar*), *de qua scribebat Edrisius medio sæculo* XII *christiano* (10) : Dhofar metropolis est tractus Ihasseb, ac olim inter civitates maximas ac celeberrimas computata est, in qua reges Yemanæ sedem habuere. Conspiciebantur illic palatia Zeidan, ast nunc sola rudera; multumque numero incolæ decrevere. Servant tamen pristinæ fortunæ reliquias; atque agris cultis et arbore Phœnice satis instruuntur ut vitam sustentent. *Edrisio præiverat Masudius scriptor sæculi* X, *dicens Zhafar fuisse Homeritarum regiam, nihil tamen*

(1) Caussin, pag. 111; Sacy l. c., tom. XLVIII, pag. 544; Hamza pag. 35. — (2) Contra Eunomium, lib. I, Migne, Patrol. Græc. tom. XLV, col. 263. — (3) Das alte Indien, tom. II, pag. 139 et seq. — (4) Lassen, Indische Alterthumskunde, tom. I, pag. 748, ap. Nève, Revue des sources nouv. pour l'ant. chrét. en Orient, pag. 71. Louvain 1852. — (5) Ammian. Marc. l. XXII, cap. 7 et 10. — 6) Cosmas. Indicopl. lib. III, ap. Migne, Patrol. Gr. tom. LXXXVIII, col. 170. — (7) Cfr Ritter, Erdk, tom. I, pag. 238; Valentia, Travels, tom. II, pag. 31 et seqq.; Letronne, Mém. de l'Acad. tom. X, pag. 247 et seq. — (8) Cfr Quatremère, Mémoire sur les Blemmyes, pag. 129 et seqq.; Sapeto, Viaggio e missione cattolica fra i Mensa ecc. pag. 60. — (9) Hist. eccles. lib. IX, cap. 18. — (10) Géographie d'Edrisi, tom. I, pag. 148. Paris 1836.

addens

AUCTORE E. C.

addens de ejus situ. Firuzabadius duas civitates Zafar novit, alteram prope Sanaa in Yemana, alteram prope Mirbat in Hadramautia : atque hujus plures meminere, scribentes mari adjacere, nimirum e regione insulæ Socotoræ. Verum horum nullus ait aliquando Homeritarum regiam fuisse. Ex quibus Djawhari, et maxime Abulfeda, de binis locis promiscue sunt locuti (1). *Quumque viator Mahumetanus Istachri, et maxime Ebn Batuta, Zafar maritimam non parum extollant, rerum Arabicarum vir peritissimus Fulgentius Fresnel, hanc Himyaritarum regiam fuisse non dubitavit asserere* (2). *Qui paulo post veterum Arabum historiam accuratissime contexuit, vir clarissimus, A. P. Caussin de Perceval, dubium istud geographicum non contigit : qua de re ei congratulatur prædictus æmulus* (3). *Verum id nihil mirabitur qui noverit scriptorem solam nudam historiam Arabum pristinorum persequi ; res sane molesta, ut ex tot eruditorum tentaminibus patet : nec plus assumpsisse e ceteris quam sibi ad finem suum necessarium videretur.*

esse hodiernam Dhafar

49 *Quocirca temerarius non videbor, si post unius periti conatum, situm Taphar, regiæ Homeritarum, iterum expendere velim; eo magis quod ad id me impellunt mox edenda Acta S.* Arethæ, *in quibus de ea multifariam est mentio. Adverto itaque primo loco, eos qui Taphar regiam fuisse dicunt, Philostorgium, auctorem Actorum nostrorum, et ex Arabibus, Masudium et Edrisium, nusquam addere eam maritimam fuisse. Dein Djawharius, qui primus confusionem aliquam induxit, ligna et lapides pretiosas Zhapharis maritimæ ei Zhafari attribuens quæ et in terris sita sit et Himyaritarum fuerit regia* (4), *sic Fulgentio Fresnel favere nequaquam potest. Quin et Abulfeda, dum plurima de Zhafaris portu, post Istachrium, memorat, addit, secundum Edrisium, et in Tehama Yemanæ sitam esse, ac parasangis* 24 *solum, seu milliaribus* 72 *Arabicis, quæ hodiernis Anglicis nonnihil majora sunt, distare a Sanaa. Hæc est igitur tertia et evidentissima ratio, Edrisium Zhafar, regiam Homeritarum, nulla mentione habita portus aut maris, inter civitatis interioris Homeritidis describere, climatis secundi parte sexta ; et mox addere :* A Dhofar (*vel Zhafar*) ad Damar, milliaria 36; *quæ ad* 24, *seu parasangas* 8 *contrahit Abulfeda.* A Damar ad Sana, milliaria 40... A Dhofar ad Mareb, mansiones tres : *quo loco notandum, mansionem Edrisii consuetis mansionibus Arabum sæpius duplo majorem esse* (5), *et celebrem viatorem Thomam Arnaud, qui anno* 1843 *ab ipsa Sana profectus, Mareb invisit, hanc non attigisse, licet camelis vectus, nisi itineris die sexto.*

C

in interiori Yemana.

50 *Quibus præmissis, merito inferimus* 1° *Tapharon Philostorgii et Actorum nostrorum, Himyaritarum regiam, esse ipsam Dhofar, vel Zhafar Homeriticam recentiorum Arabum, atque in interiori Yemana sitam esse.* 2° *Eam illo Yemanæ loco fuisse, quo Dhafaris cujusdam ruinas conspexit Niebuhrius* (6), *nimirum prope Jerim; minime dubitans quin esset Dhofar, vel Dhafar Yemanica Edrisii et Abulfedæ. Etenim ruderibus Dhafaris, ut in ejus tabula geographica Yemanæ signatur, apprime conveniunt modo relatæ mensuræ. Eadem visitavit anno* 1810 D *U. J. Seetzen, fundamenta vidit antiquissimi palatii ab Edrisio memorati, et inscriptiones Himyariticas, de quibus jam significarat Niebuhrius. Ad hanc Zhafar Himyariticam spectat proverbium, quod in libro Sahhlahh, sæculi* x *christiani, occurrit :* Quicumque Zhafarim ingreditur Himyaritice scire, *seu* ὁμηριζειν debet; *quo monebantur Arabes Ismaëlitæ, linguam suam Zhafare usui non esse. Illud frustra de maritima ejusdem nominis civitate intelligere Fresnellius voluit. Etenim Himyariticam fuisse linguam Zhafaris interioris, certum est ex inscriptionibus ab infelici viatore Seetzen illic detectis, quæ omnium primæ in Europam pervenerunt* (7). *Zhafare vero maritima nullæ visæ sunt inscriptiones; et lingua Ehhkili, cujus notitiam Fresnellio debemus, quaque incolæ utuntur, non modo ab Æthiopica differt, sed etiam a lingua inscriptionum Himyariticarum* (8), *magis accedens ad linguam Hebræorum et Phœnicum. Et hæc est causa, ni fallor, cur idem eruditus vir, nuperius inscriptiones Himyariticas Marebenses, a Thoma Arnaud ex Arabia allatas, interpretans, de lingua Ehhkili tacere visus sit* (9). E

Ecclesiæ Taphari ædificatæ.

51 *Nobis itaque, his omnibus deductis et expensis argumentis, manifestum videtur, Tapharon, Homæritorum regiam, esse Dhafar vel Zhafar Homeritidis interioris. Verumenimvero ut ad Philostorgii narrationem jam redeamus, ex ea et ex Actis S.* Arethæ *hæc exsurgit difficultas : de ecclesia quam Theophilus Indus Taphari ædificavit, post sesquisæculum, nullam esse mentionem. Etenim in posteriori monumento hæc legimus num.* 38 : Tum rediens *rex Elesbaan* ad civitatem regiam, *quæ ibidem in superioribus num.* 35 *et* 37 Taphar *dicta fuerat, et* propriis manibus diebus septem terram fodiens, inchoavit, quæ nunc conspicitur, sanctissimam ecclesiam. Nuntiavit autem omnia ista quamprimum sanctissimo archiepiscopo Alexandriæ, et per hunc imperatori Justino. Archiepiscopus vero sanctum quemdam et orthodoxum virum, episcopum consecravit, eumque misit ad Homeritas et ad Elesbaan regem. Qui adveniens sanctificavit templum quod ædificarat rex Elesbaan, et omnes incolas civitatum et viciniæ baptizavit. *Atque ex his patet ecclesiam Taphari a Theophilo ædificatam, ut ex Philostorgio haud gravate admittimus, ineunte sæculo sexto ab idololatris jamdudum solo æquatam esse, aut profanis usibus addictam.* F

Ecclesias ædificavit quoque Theophilus Adanæ et in emporio quodam sinus Persici; reliqua ejus itinera et gesta.

52 *Pergit scriptor Arianus :* Aliam vero, *ecclesiam ædificavit Theophilus* in eo loco in quo Romanum erat emporium ad exteriorem oceanum vergens. Vocatur autem hic locus Adane, quo cuncti qui ex Romanorum ditione veniunt, appellere solent. *Hæc est Aden hodierna; quæ anno* 1839, *dum ab Anglis est capta, ex vastationibus vicinorum Arabum, incolis non plus quam* 600 *erat frequens, ast hodiedum* 10,000 *gaudet.* Tertiam denique ecclesiam, *ait Philostorgius,* in altera regionis parte exstruxit, ubi Persicum est emporium celebre, in ostio maris Persici, quod inibi est, situm. *Hic signi-*

(1) Ritter, tom. XII, pag. 255 et 259. — (2) Lettres sur l'Arabie, in Journ. Asiat. 3me série tom. 5 et suiv. — (3) Journ. Asiat. tom. XVI. pag. 266. Paris 1850. — (4) Ap. Ritter, pag. 255 et 261. — (5) Cfr Ritter, Erdkunde, tom. XII. pag. 196. — (6) Description de l'Arabie, tom. II. pag. 71. — (7) Ap. Ritter, tom. XII, pag. 745. — (8) Cfr Ritter ibi, pag. 47 et seqq.; Bird, ap. Nouvelles annal. des voy. 1845, tom. II, pag. 202 et seqq. — (9) Ap. Ritter, tom. XII, pag 862 et seqq.; Journal Asiatique. 1845.

ficari

A *ficari Hormuz civitatem, seu Harmuzam in Karamania, scribit Assemanus* (1) *et post eum Neander* (2); *sed id certum non est, quum non dicat Philostorgius, in ipso emporio Persico ecclesiam fuisse exstructam.* At Theophilus, *ita idem prosequitur,* quum apud Homeritas singula prout poterat et prout temporis ratio sinebat, ordinasset et ecclesias dedicavisset, et ornamentis quibus poterat, exornasset, ad insulam Divu (ἐπι την Διϐου νησον), quam ipsi patriam fuisse superius indicavimus, navigavit. Atque ad alias Indiæ regiones perrexit; multaque quæ apud illos non rite fiebant emendavit. Nam et lectiones evangelii audiebant sedentes, et alia quædam peragebant quibus divina lex repugnabat. Verum Theophilus cum singula apud eos juxta sanctiorem ritum Deoque magis acceptum correxisset, Ecclesiæ quoque dogma confirmavit. Neque enim circa divini Numinis cultum, ait impius iste (*Philostorgius, qui hic merito impietatis et mendacii arguitur*), ulla egebant emendatione, utpote qui ab ultima antiquitate constantissime Filium alterius a Patre substantiæ pro-
B fiterentur.

Legationis tempus : advenit veri similius regnante Marthadi filio Wakia.

53 *Hanc Theophili legationem memorat Philostorgius medio tempore inter ea quæ contigere anno Christi* 341, *postquam Athanasius Alexandria pulsus est, et annum* 346, *priusquam idem Athanasius ad imperatorem occidentis, Constantem, Constantii fratrem, se contulisset. Quapropter eam circiter annum Christi* 344 *evenisse dicendum est, vel forte aliquot annis serius. Tempore autem illo inter Homeritas regnasse censet cl. Caussin, Marthad, alias Morthid, filium Abdkelal; atque hunc supra christianum fuisse diximus. Marthado adscribuntur regni anni viginti, nimirum ab anno* 330 *ad* 350. *Commendatus est a sapientia, animi magnitudine et potentia; in pauperes erat misericors, in omnes munificentissimus. Non tamen perhibent scriptores Arabes, christianum eum fuisse; narrantes solum quam tolerans esset cultus cujuscumque suorum subditorum; et quomodo per eum liceret ut unusquisque, quem vellet, amplecteretur, modo imperio suo essent dediti. Ideo dicta Theophili legatio retra-*
C *henda videtur ad regnum ejus filii Wakia, quem Sacyus ab anno* 345 *ad* 370 *regnasse scribit* (3), *nuperus vero Arabum historicus ab anno tantum* 350. *Eum Thalebius, in libro Tabacat-el-moluk, prius judaicæ religionis sectatorem fuisse scribit, deinde christianæ, et demum inter utramque animo fluctuasse. Ut res se habeat, novimus valde perturbatum fuisse ejus regnum; et quidem perturbationem hanc regnante Marthado cœpisse scribit Masudius, atque annos quadraginta perdurasse. Aliunde discimus ex inscriptione Græca medii sæculi* IV, *quam Axumi detexit Henricus Salt, tum temporis regem Æthiopiæ in Homeritas aut partem illorum dominatum esse.*

Homeritidis et Abyssiniæ conditio tum temporis.

54 *En initium inscriptionis, de qua plura tomo sequenti :*

Αειζανας βασιλευς Αξωμειτων και Ομηριτων και του Ραειδαν και Αιθιοπων και Σαϐαειτων και του Σιλεη και του Τιαμω και Βυγαειτων και του καεου βασιλευς βασιλεων υιος θεου ανικητου Αρεως Ατακτησαντων κατα καιρον του εθνους των Βουγαειτων απεστειλαμεν τους ημετερους αδελφους Σαιαζανα και τον Αδηφαν τουτους πολεμησαι κ. τ. λ. (4).

AUCTORE E. C.

Id est : Aizanas rex Axomitarum et Homeritarum et Raidan et Æthiopum et Sabaitarum et Silee (*Zeila?*) et Tiamæ et Bugaitarum et Tocai (?), rex regum, filius Martis, dei invincibilis. Rebellante aliqua occasione gente Bugaitarum, misimus fratres nostros Saiazana et Adephan, ut eos debellarent. *Iisdem præter propter ac Aizanas titulis ornatur Tazena, pater S. Elesbaæ, qui regnabat circa annum* 500, *in inscriptione Æthiopica quam Axumi reperit et interpretatus est doctus missionarius Josephus Sapeto* (5). *En ejus initium :* Per virtutem Dei qui extendit cælum et terram Dominus æternus, qui regem constituit Tazenam, filium Ala-amiedæ, hominem ex Halen, regem Aksum, et Hamer (*Homeritidis*), et Raidan et Saba (*tractus Æthiopici*) et Selken et Tzaiom, et Ban, et Cassu *etc. Aizanæ porro titulo regis* E *Homeritarum declarantur quæ de perturbationibus Homeritidis, regnantibus Marthado et Wakia, scribit Masudius; et simul forte accessus facilior Theophili Indi ad terras eorum. Aizanas enim non multo post factus est christianus, ut inferunt scriptores ex epistola quam ad eum ejusque fratrem Sazanum, anno* 356, *aut paulo ante, scripsit Constantius, imperator Arianus; quam recitat S. Athanasius in Apologia ad ipsum Constantium* (6) : *eaque inducere* tyrannos Axumitarum *imperator nititur, ut Frumentium episcopum, eumdem nimirum quem Abyssiniæ apostolum fuisse diximus, mittant Alexandriam ad Georgium pseudo-patriarcham. Hucusque dicta, inquam, firmant aliquatenus quæ de Theophili legatione scripsit Philostorgius; de quibus hæc habet primus Philostorgii editor, vir eruditus, Jacobus Gothofredus :* Quam quidem narrationem a Nicephoro, uti dixi, ex Philostorgio mutuatam Baronius pro suspecta habuit ad an. 354 num. 14, 15, 16; quando nulli præterea ex historicis idem memorant. Addo Philostorgium sibi vix in omnibus con- F stare videri, ut ex collatione cap. 6 libro II et cap. 4 lib. III colligitur. Tandem non alio fine hæc scripta a Philostorgio, quam in Arianorum gratiam. Nos Philostorgium sequamur, qui non omnino saltem falsus, vel in omnibus *etc.* (7).

§ V. Historia christiana tribuum Arabiæ desertæ occidentalis. S. Hilarion Arabiæ Petrææ et S. Euthymius Arabum Scenitarum apostolus; hic fundavit ecclesiam Paremboles.

Quare hic detur summarium historiæ christianæ Arabiæ desertæ.

P*ost Constantium imperatorem et Wakiam, quem usque ad annum* 370 *in Homeritide regnasse eruditi viri Sacyus et Caussinus arbi-*

(1) Bib. Orient. tom. III, part. 2, pag. 602. — (2) Geschichte der christlichen Kirche, tom. II, part. 1. pag. 250. — (3) Mém. de littér. tom. XLVIII, pag. 545. — (4) Valentia, Voyages, vol. III, pag. 182 et seqq. London 1809. — (5) Nouv. Annales. des Voy. année 1845, tom. II, pag. 300; cfr Dillmann, Zeitschrift der D. morgenl. Gesellschaft, tom. VII, pag. 356. — (6) Migne. Patrol. Gr. tom. XXV, col. 635. — (7) Gothofredus, Cod. Theodos. tom. IV, pag. 620. Lipsiæ 1740.

trantur,

AUCTORE E. C.

trantur, de rei christianæ conditione in Arabia interiore prorsus nihil subministrant monumenta, usque ad sæculi sexti initium. Attamen floruisse illam sæculo quinto in iis Arabiæ desertæ partibus quæ hinc Palæstinæ et Ægypto adjacent illinc Euphrati, multa monumenta perhibent. Nec dubium est quin ob frequentissimum commercium inter Arabas pæninsulæ, et eos qui Scenitæ sunt dicti, religio christiana in Arabia interiore et sustentata et propagata plurimum sit. Eapropter et quod regna Arabiæ desertæ, quæ dudum florentissima fuerunt, ab Arabum historicis prætermittuntur nunquam (1); *denique quod ignorabatur, ut dictum est, eorum historia dum scribebant majores : quæ in ea rem christianam, et maxime hagiographiam contingunt, paucis delibare necessarium visum est.*

De christianis inter Salihitas Arabiæ desertæ usque ad annum circiter 205.

56 *Ex pæninsula Arabica, tum occasione rupturæ catarractæ Marebensis* (*supra n.* 6), *tum aliis de causis, tribus variæ in Arabiam desertam, i. e. in deserta Syriæ, et regionem Euphratensem, dictam quoque Iracam occidentalem, aliæ aliis temporibus transierunt. Circa annum Christi* 190 *Salihitæ, seu Benu-Salih, ex Tehama, ad mare rubrum, venerunt ad Iracam; in qua regnabat Odheyna, quem ex majoribus fuisse septimii Odenati, celeberrimæ Zenobiæ, reginæ Palmyrensis, viri, plures historici tuentur* (2). *Paulo post, circiter annum* 205, *alii Arabes, dicti Ghassanidæ, ex interiori Arabia ad eam partem deserti Syriaci venerunt, quæ Bostris est vicina; in qua tum prædicti Salihitæ, seu eorum pars, Romanis jam subditi, residebant. Hos Salihitas christianos fuisse referunt scriptores Arabes Ibn-Khotaiba, Ibn-Hazm et Masudius* (3), *sed intelligendum id est proculdubio de insecutis temporibus. Ghassanidæ a Salihitis devicti, iis tributum solvere sunt coacti et ad vicinas terras transire* (4). *Quum vero utrique sub ditione Romanorum gentilium viverent, fieri non potest ut hæ gentes christianæ fuerint ante pacem Ecclesiæ redditam.*

In civitatibus Arabiæ desertæ sæculo III *christiani multi erant, ut ostenditur*

57 *At licet dici nullatenus possit eos universim christianos fuisse, erant tamen ex iis christiani non pauci; quod certo novimus de incolis civitatum. Bostra enim, quæ ab Ammiano Marcellino, non secus ac Gerasa et Philadelphia, Arabiæ civitas ingens dicitur, et ab Hierocle in Synecdemo, ejusdem metropolis, ab ineunte minimum sæculo* III *suos episcopos habuit : uti discimus ex historia Origenis. Hic enim, non multum provecto hoc sæculo, pluries in Arabiam quam desertam vocarunt geographi, se contulit, vel prædicandæ, vel propugnandæ fidei catholicæ studio. De his, quum ad Arabiæ historiam christianam spectent, audiendus Eusebius:* Sub idem tempus, *inquit hist. eccles. lib.* VI *cap.* 19, quum Alexandriæ moraretur *Origenes*, miles quidam adveniens, Demetrio, ecclesiæ episcopo, et præfecto Ægypti litteras a duce Arabiæ detulit (παρα του της Ἀραβιας ἡγουμενου, *qui Romanus, non vero Arabs fuit*) quibus poscebat ut confestim ad se Origenem mitterent, qui doctrinam suam ipsi communicaret. Missus igitur ab illis Origenes, in Arabiam perrexit. Nec multo post, perfecto cujus causa venerat, negotio, Alexandriam regressus est. *Facta hæc sunt circa annum* 217. *Hoc anno, inquit Tillemontius, Macrino imperante, dux Arabiæ erat Gellius quidam; anno vero sequente, sub finem ejusdem imperii, ea dignitate ornabatur Reanus* (5). *Capite* 20 *ejusdem libri hæc scribit Eusebius de Beryllo, Arabiæ episcopo:* Eadem tempestate multi ecclesiastici viri doctrina excellentes florebant... Inter hos fuit Beryllus, Bostrenorum in Arabia episcopus, qui præter epistolas et lucubrationes, varia quoque elegantis ingenii monumenta dereliquit.

ex historia Origenis. De Beryllo Bostrensi et synodis sæculo III *in Arabia habitis.*

58 *Capite vero* 33 *ejusdem libri* VI, *Beryllum in hæresim lapsum esse memorat et ab Origene correctum:* Tunc temporis *i. e. imperante Gordiano,* Beryllus, de quo superius dictum est, Bostrorum in Arabia episcopus, ecclesiasticam pervertens regulam, nova quædam et aliena a fide catholica inducere conatus est; ausus asserere, Dominum ac Servatorem nostrum, antequam inter homines versaretur, non substitisse in propriæ personæ differentia : nec propriam sed paternam dumtaxat divinitatem in se residentem habere. Quumque ea de re plurimi episcopi quæstiones ac disputationes adversus illum habuissent, rogatus una cum reliquis Origenes, primum quidem cum illo familiariter collocutus est, ut quænam esset hominis sententia exploraret. Postquam vero liquido cognovit quid diceret, errorem ejus coarguit : allatisque rationibus ac demonstrationibus convictum hominem quasi manu apprehendens, ad veritatis viam perduxit, et ad pristinam sanamque sententiam revocavit. Exstant hodieque, *ait Eusebius*, tum Berylli, tum synodi ipsius causa congregatæ edita monumenta; in quibus et quæstiones adversus illum propositæ ab Origene, et disputationes in ecclesia ejus habitæ, et singula quæ tunc gesta sunt continentur (6). *Habuit Beryllus Bostris suam ecclesiam et presbyteros; et ex iis quæ de synodo dicuntur, videntur et aliæ Arabiæ civitates, puta Philadelphiam, Gerasam jam tunc suos episcopos habuisse* (7); *sed forte fuerunt episcopi sine sede et ex iis chorepiscopis, qui veri nominis episcopi fuerunt : ut quarto adhuc sæculo erat episcopus Asterius, qui Petræ degebat* (8). *Coactus est Origenes et tertio Arabiam adire, iterumque ob disceptationes de dogmate; ex quo palam fit tertio progrediente sæculo in Arabia deserta, aut minimum in ejus civitatibus, permultos fuisse christianos :* Eodem tempore, *ait Eusebius ejusdem libri* VI, *cap.* 37, *id est, anno Philippi imperatoris tertio, vel paulo post, anno Christi circiter* 246, alii rursus in Arabia dogmatis cujusdam a veritate prorsus alieni auctores exstiterunt. Asserebant enim hominum animas in præsenti quidem sæculo una cum corporibus interire atque corrumpi : rursus vero resurrectionis tempore simul cum iisdem corporibus ad vitam esse redituras. Convocato igitur hanc ob causam non exiguo concilio (*episcoporum scilicet quatuordecim*) (9), iterum rogatus etiam illic Origenes, quum disputationem de quæstione illa coram omni multitudine instituisset, tanto robore decerta-

(1) Cfr Caussin, Sacy, Noël Desvergers, Wright, Ritter, etc. — (2) Cfr Caussin, tom. II, pag. 190 et seqq. Biogr. Univ. tom. XXXI, v°. *Odenath.* — (3) Caussin, ib. pag. 213; Ritter, Erdkunde, tom. XII, pag. 108. — (4) Caussin, ib. pag. 203. — (5) Mémoires, tom. III, pag. 522. — (6) Cfr Fabric. Bib. Gr. tom. XII, edit. Harles, pag. 365. — (7) Cfr Rufin. Apolog. lib. II, Migne. Patrol. tom. XXI, col. 599. — (8) Oriens Christ. tom. III, col. 723. — (9) Cfr Fabric. l. c.

vit,

A vit, ut qui prius in errorem lapsi fuerant sententiam mutarent. *Consulto omisimus hæresin Monoimi, de qua pluribus disserit liber* Φιλοσοφουμένων. *Licet enim Arabs fuerit Monoimus* (Μονοΐμος ὁ Αραψ) (1), *minime tamen constat eum in Arabia hæresin suam edidisse aut propagasse. Monoimum discipulum Justini martyris, non secus ac Tatianum, fuisse diceres, sed pariter magistri placita dimisisse; exposita enim doctrina Monoïmi, in hæc verba auctor prosequitur :* Τατιανος δε, και αὐτος γενομενος μαθητης Ἰουστινου του μαρτυρος, κ. τ. λ (2). *Bostris alii episcopi, præter Beryllum, conspicui fuere, inter quos Titus, dictus Bostrensis* (3), *cujus nuper retecti sunt libri omnes contra Manichæos* (4), *quorum pars deperdita censebatur; ac Antipater, cujus item aliquot scripta asservata sunt* (5).

De christianis Salihitis et Ghassanidis sæculo III *provecto et sequenti; nulla monasteria hoc ævo condere potuerunt: gens Ghassanidarum converti cœpit*

59 *Arabes Sahilitæ, qui recentius advenerant, paulatim et ipsi civitates incolere cœperunt, et ex iis, postquam Zenobia Palmyrena ab Aureliano, ut ejus triumphum ornaret, Romam est abducta, reguli aliquot, seu phylarchæ Arabum Syriæ assumpti perhibentur: ex quibus nonnullos christianos fuisse dicunt, in primis quemdam Dawud, seu David, qui Medabæ* (6), *non procul a Jerichunte, consederat; idque ex ejus nomine, inter Arabes insueto, quadamtenus confirmatur* (7). *Ghassanidæ, qui ex ipsa Homeritide* (8) *in Syriam advenerant, relata victoria de Salihitis eorumque principe Dawud, præ illis phylarchiam Syriæ a Romanis obtinuerunt; quod paulo post annum* 292, *imperium tenente Diocletiano, contigisse censent. Tribus Ghassanidarum primi principes fuere, Djafna, seu Djofna, ab anno circiter* 205; *Amrus, filius Djafnæ, ab anno* 248; *et Thalaba, filius Amri, qui circa annum* 300 *dignitatem phylarchæ est consecutus. Hos tres christianos fuisse scribunt Abulfeda et Hamza Ispahanensis, adduntque monasteria condidisse in Syria, Deir-Hali, Deir-ejjub et Deir-Hind; uti et iis qui deinceps phylarchiam tenuere alia adscribunt* (9). *At his fidem adhibere vix ac ne vix quidem possumus. Licet enim monasteria sævientibus etiam persecutionibus aliquot in locis floruisse paucis abhinc annis ostensum fuerit in opere nostro* (10), *quis credat ab ipsis principibus Ghassanidarum reli-*
C *gionem christianam exercitam tum esse, et quod longe mirabilius est, erecta esse monasteria, quin id memoraverint Eusebius, in vicina Palæstina episcopus, aliique ecclesiarum orientis historici? Non defuerint christiani inter Salihitas et Ghassanidas Arabiæ desertæ, quum multi essent inter veteres incolas civitatum illius regionis, et insuper christianis Palæstinæ, Syriæ, tractus Edesseni, Mesopotamiæ et Persidis* (11) *quasi circumcincti illi viverent; sed conversionem gentis ejusque phylarcharum, paulatim a pace Ecclesiæ concessa, imperante Constantino, factam esse arbitramur, et circa medium sæculum* IV *valde fuisse promotam.*

maxime a Constantino magno. Mawia regina Ghassanidarum christiana, et S. Moyses

60 *Id vero suadent sequentia. In primis universus orbis Romanus tunc factus est christianus; et quum Ghassanidæ Romanorum non modo accolæ essent, sed et socii aut iis quodammodo subditi, ac imperatorem Constantinum barbari revererentur, quæ ab Arabum historicis memoratur phylarcharum pridem facta conversio, hoc primum tempore contigisse verisimile est. Deinde concilio Nicæno, anno* 325, *subscripserunt episcopi regni Ghassan, Nicomachus Bostrensis, Cyrion Philadelphiæ, Gennadius Esbundorum (Hesebon), Severus Dionysiadis, Chilon Constantiensis; ex vicina Phœnicia secunda, Magnus Damascenus, Anatolius Emesenus et Marinus Palmyrensis; ex Palæstinæ vero civitatibus Arabicis, Petrus episcopus Ailæ. Hi porro episcopi, dum Constantinus imperii monarcha est factus, magna potiebantur auctoritate et suæ diœceseos gentiles multos facile ad veram fidem adduxerunt. Tertio, Valente imperatore, circa annum* 372, *Mawia seu Mavia, regina Saracenorum occidentalium, sive Ghassanidarum, a Romanis defecit, et cum iis ita strenue bellum gessit, ut pacem proponere fuerint coacti* (12). Cum Mavvia, *inquit Rufinus qui tum temporis in Ægypto, aut in Palæstina versabatur,* frequentibus bellis Romanum attrivisset exercitum, et pluribus peremptis, reliquos vertisset in fugam, orata pacem, non aliter se amplexuram
E promittit, nisi Moyses quidam nomine monachus, genti suæ ordinaretur episcopus, qui in eremo, partibus suis propinqua, vitam solitariam ducens, meritis et virtutibus ac signis, quæ faciebat Deus per illum magnifice innotuerat. Petitio ejus principi indicata Romano, sine ulla dilatione jubetur impleri a ducibus nostris, qui ibi infeliciter pugnaverant.

eorumdem episcopus. Deinceps reges habuere christianos.

61 *Scribit Socrates lib.* IV *cap.* 30 *hunc Moysen qui inter sanctos colitur, et cujus Acta a majoribus edita sunt ad diem* 7 *februarii, gente fuisse Saracenum; ex quo, uti ex narratione Rufini, patet non paucos, Valente imperante, nimirum versus annum* 370, *inter Ghassanidas fuisse christianos. De Mavia tamen, num ante bellum cum Romanis christiana fuerit, dubitandi est locus. Refert enim Theodoretus, qui sæculo sequenti in vicina Syria floruit, Maviam post multa commissa prælia, primum fœdus cum Romanis fecisse, deinde* luce divinæ cognitionis accepta, *postulasse episcopum genti suæ designari Mosen quemdam, qui in confiniis Ægypti et Palæstinæ habitabat. Contra Theophanes ab initio christianam fuisse scribit:* F Moyse secum deducto, *inquit,* multos ex Saracenis christianos effecit Mavia. Illam religione christianam, genere Romanam exstitisse ferunt, inter captivos autem abductam, Saracenorum regi ob vultus speciem summopere gratam, hoc pacto regni potestatem obtinuisse (13). *Sed quod de genere perhibet creditu difficile videbitur. Num omnes reges Ghassan post Mawiam christiani fuerint, certo compertum non est; sed fuisse suadent tum bella perpetua cum Saracenis Hirensibus, quorum reges pœne omnes, donec orta est Mahumetis hypocrisis, gentiles fuere, et qui imperio Persarum erant subditi; tum fœdus et amicitia cum Romanis, seu Byzantinis imperatoribus. Insuper non pauci reges Ghassan monasteria condidisse perhibentur; ac demum post Mawiam christianos fuisse omnes, sat manifeste docet*

(1) Migne. Patrol. Gr. tom. XVI, part. 3, col. 3358. — (2) Ibid. col. 3363. — (3) V. Migne. Patrol. Gr. tom. XVIII a col. 1065. — (4) Nève l. c. pag. 81. — (5) Migne. l. c. tom. LXXXV a col. 1755. — (6) Cfr Robinson, Voyage en Palestine et en Syrie, tom. II, pag. 252. Paris 1838. — (7) Caussin, tom. II, pag. 200 et seqq. — (8) Abulfeda et Masudi ap. Sacy, Mémoires de littérature, tom. XLVIII, pag. 572 et seqq.; Pococke, Specimen etc. pag. 77. — (9) Ritter, tom. XII, pag. 108 et seqq.; Caussin, l. c. pag. 213. — (10) Tom. VIII Octobr. pag. 426 et 842 et seqq. — (11) Cfr Assemani, Bibl. Orient. tom. III, part. 2, pag. 38 et seqq. — (12) Rufinus, lib. XI, cap. 6; Sozomen. lib. VI, cap. 38. — (13) Theophan., tom. I, pag. 101.

AUCTORE E. C.

priscæ historiæ Arabum in primis gnarus A. P. Caussin (1).

Perducti adfidem maxime

62 *Ceterum quomodo sensim ad fidem sint traducti docet nos Sozomenus his verbis :* Christianam quoque religionem, *inquit,* amplexi sunt *Saraceni, seu Ghassanidæ,* non multo ante hujus imperatoris tempora cujus res gestas describimus, *nimirum Valentis.* Traducti sunt autem ad fidem Christi, colloquiis sacerdotum et monachorum, qui per finitimas ipsis solitudines philosophiæ operam dabant, vitæque sanctimonia et miraculis fulgebant. *Narrat dein speciminis gratia Sozomenus quo pacto Zocomus phylarcha, ejusque tribus, ad fidem devenerint :* Fertur, *inquit,* integram eorum tribum eo tempore ad Christi religionem transiisse, quum Zocomus, eorum phylarcha, baptismum hujusmodi ob causam suscepisset. Hic orbus quum esset, ad monachum quemdam fama illius adductus accessit, ut cum eo colloqueretur; suamque ipsius calamitatem deplorare cœpit. Quippe apud Saracenos, et apud reliquos omnes, ut opinor, barbaros, magni fit liberorum procreatio.
B Monachus vero illum bono animo esse jussit, et oratione facta, hominem dimisit, pollicitus filium ipsi nasciturum esse, si in Christum vellet credere. Postea vero quum Deus promissum reipsa exhibuisset, et filius Zocomo natus esset, tum ipse sacramentum baptismi accepit, et subditos suos ad idem suscipiendum adduxit. Atque ex eo tempore tribum illam felicem ac numerosam fuisse perhibent, Persisque (*ex quo manifestum ex Ghassanidis fuisse*) ac reliquis Sarracenis formidabilem (2). *Phylarcha Zocomus, quem Zacomum appellat Nicephorus, idem videtur* (3) *cum quodam* Arcam, *ex genere Thalabæ et Djafna, regum Ghassan, qui licet ipse rex fuisse non legatur, in aliqua tamen regni parte dominatus forte est; floruit vero ante Valentem, imperante Constantino Magno, aut ejus filiis.*

a monachis. S. Hilarion apostolus Ghassanidarum australium.

63 *Quoniam de conversione Saracenorum Scenitarum ad fidem, eorumque apostolis scribimus hoc loco, spectant huc quum quæ ex Sozomeno recitavit collega meus tomo præcedenti* (4); *tum plurima ex Actis S. Hilarionis, quæ ibidem sunt*
C *edita. Scribit enim non immerito Baronius, hunc sanctum* fundamenta fidei jecisse apud Saracenos (5); *eorumque* apostolum *primum dici eum posse arbitratur Tillemontius* (6). *Quæ tamen de Saracenis Palæstinam inter et Ægyptum habitantibus maxime sunt intelligenda; in primis de civitate Elusa, in qua Saracenos multos S. Hilarion ad fidem perduxit. Ad Majumæ conversionem, non procul a Gaza, plurimum contulisse etiam videtur* (7); *quam civitatem ex supra dictis n.* 1, *partim Saracenicam fuisse non est dubium. E vita cessit S. Hilarion anno* 371, *quo tempore fidem catholicam amplexa est Ghassanidarum regina Mawia : et exinde inter eos facili opera fructum consecuti fuerint sacerdotes et monachi. Eaque est ratio cur deinceps in Vitis Sanctorum Palæstinæ et Syriæ, ubi de conversione Saracenorum ad fidem est sermo, de solis pœne Saracenis Hirensibus narratio sit intelligenda; quod alioqui ex ipsis scriptoribus facile percipitur.*

S. Euthymius, alter Arabum Scenitarum apostolus. De colonia Arabum Hirensium

64 *Anno* 405 *ad monasterium Pharan, juxta viam quæ Hierosolyma Jerichuntem ducit, confugerat S. Euthymius, monachus et sacerdos; ibique sanctitatis fama quum florere cœpisset, discipulos multos nactus est, et in vicinia monasteria plurima condidit. Hunc, sanctumque Hilarionem, et sanctum Simeonem Stylitam, tres præcipuos Arabum Scenitarum apostolos fuisse haud est dubitandum. Quæ in gratiam Saracenorum gesta sint a S. Euthymio, sic narrare aggreditur Cyrillus Scythopolitanus, ejus biographus, fide dignissimus et pœne coævus :* Quæ ad veterem Terebonem pertinent, *inquit,* consona quidem omnes antiqui patres mihi narravere; verum accuratius ejusdem nepos, cui idem nomen est, celeberrimus hujus regionis Saracenorum præfectus, *i. e. coloniæ Saracenorum Hirensium quam S. Euthymius constituerat,* rem mihi retulit. Is igitur antiquus Terebon, junioris avus, quum juvenis admodum et impubes esset, a dæmone percussus, tota dextra parte a capite ad pedes aruit. Ejus autem pater, Aspebetus vocatus, multa pecunia consumpta, nihilo plus adjuvit. Porro hic Aspebetus, quum gentilis esset E
et Persarum vectigalis, *nimirum Arabs Hirensis,* in ditionem Romanorum ex fœdere hoc modo venit. Initio motæ tunc persecutionis in Perside circa finem regni Isdegerdis, *anno circiter* 418, quum magi omnes christianos capere vellent, subditorum Saracenorum præfectos ubique viarum constituerunt, ne quis christianorum in Perside degentium ad Romanos confugeret.

ab ipso fundata; occasione persecutionis Isdegerdis I e terris Persarum illi discesserant

65 Verum Aspebetus, tunc temporis præfectus exsistens, quum hanc in christianos sævitiam et inhumanitatem a magis civitatis excitatam videret, miseratione motus, neminem christianorum a fuga impedivit. Quinimmo commiseratus illis opitulatus est, quamvis a majoribus gentilium religionem coleret. Accusatus igitur apud regem Isdegerdem, sumpto filio Terebone semisicco, cum universa cognatione et substantia ad Romanos transfugit; quos Anatolius tunc orientis præfectus susceptos, Romanis sancito fœdere subdidit, atque Aspebetum Saracenorum ex fœdere Romanis subjectorum qui in Arabia F
morabantur, præfectum constituit. Ut itaque in Arabia tentoria fixere, adolescens visum, quod sibi per somnium contigerat, patri indicavit. Hic vero nihil cunctatus, filio accepto cum barbarorum et satellitum multitudine, fide vectus, ad locum somnio indicatum advenit, ubi sancti viri Euthymius et Theoctistus habitabant. Fratres vero, barbarorum turma conspecta, timore correpti sunt. At beatæ memoriæ Theoctistus, animadversa discipulorum timiditate, ad barbaros ipse accessit, quibus ait *etc.*..... Hæc beatæ memoriæ Theoctistus magno Euthymio in secessu degenti retulit; qui Euthymius, reputans nefas esse divinis visionibus resistere, ad ipsos descendit, precibusque ad Deum impense fusis, signo crucis signatum Terebonem sanum restituit. *Tum barbari omnes in Christum crediderunt, quumque illos erudiisset S. Euthymius, ab eo baptizati sunt.*

(1) Tom. II, pag. 228. — (2) Sozomenus, lib. VI, cap. 38. — (3) Caussin, l. c., tom. II, pag. 215 et seq. — (4) Acta SS. tom. IX Octobr., pag. 62, n. 8. — (5) Ad ann. 372, n. 103. — (6) Mém., tom. VII, pag. 567. Paris 1706. — (7) Acta SS. l. c. pag. 20 et seq.: et 51, n. 16.

AUCTORE E. C.

Eorum dux Aspebetus ordinatur episcopus.

66 Aspebetum autem, *cujus nomen Persicum erat, et quem nescio qua de causa Græcum fuisse scribit Metaphrastes* (1), transnominavit Petrum; quem et primum baptizavit. Post eum vero Marim quemdam, ejus uxoris fratrem, ambos eruditione eximios et divitiarum splendore florentes, deinde Terebonem et alios baptizavit. Quos quum apud se quadraginta dies retinuisset, divinoque verbo illustrasset et firmasset, dimisit non jam Agarenos, *sive Saracenos*, et Ismaëlitas, sed Saræ filios et promissionis hæredes factos atque per baptismum in libertatem a servitute translatos. Maris autem, Terebonis avunculus, e monasterio non amplius recessit; sed sæculo renuntians ibidem vitæ suæ reliquum tempus mansit, valdeque Deo placuit. Omnia vero sua bona, quæ quidem multa erant, ad ædificandum et ampliandum monasterium præbuit (2). *Recessit dein aliquamdiu quietis amore captus S. Euthymius; et quum rediisset, multos Saracenos iterum atque iterum baptizavit.* Ita ergo his admodum multiplicatis, *ait Cyrillus,* et in
B diversa castra (εἰς διαφορους παρεμβολους) dilatatis, magnus Pater noster Euthymius mittens ad Juvenalem, Hierosolymorum patriarcham, episcopi ordinationem petiit. Quod quum Juvenalis pollicitus esset, Petrum, Terebonis patrem, ut idoneum factum animis ad salutem ducendis, ipsi misit : itaque Petrus in Palæstina primus castrorum episcopus (των παρεμβολων ἐπισκοπος) ordinatur. Videre vero erat barbarorum multitudinem, qui ad magnum Euthymium accedebant atque baptizabantur, et omnium moderatorem Deum adorare docebantur. Et hæc quidem de Saracenis.

Colonia hæc, dicta Parembole, subvertitur a Saracenis Thalabitis et Hirensibus;

67 *Omittenda non sunt hoc loco quæ Cyrillus scribit de Parembole in additis ad Vitam S. Euthymii. Desiderabantur hæc quidem in codice Cyrilli genuini, quem edidit B. Montfaucon, sed servavit ea in sua* μεταφρασει *Simeon, dictus Metaphrastes : cujus narrationem ipsius Cyrilli esse credidere Baronius* (3), *Henschenius, Cotelerius, et quod mirere, dudum post editionem Maurinam, ipse M. Lequien* (4). *Initio scilicet imperii Anastasii, anno, ut videtur,* 491 *vel* 492, *bellum gerebatur*
C *in Syria orientali Ghassanidas inter et Hirenses; quorum rex Aswad demum victus et cæsus est. Circa idem tempus Syriam invaserat Arethas, filius Amr-el-Macsur, e gente Kinda, cum Arabibus Thalabitis; qui diuturnam vastationem exercens, nunc Arabibus Hirensibus, nunc Romanis se adjungebat : donec anno* 502 *Anastasius cum eo pepigit fœdus* (5). *Ad horum Arabum Thalabitarum, vel Hirensium invasionem referenda sunt quæ narrat Metaphrastes, post Cyrillum :* Sequentibus vero annis, *inquit,* quum Anastasius post Zenonem accepisset imperium, incursionem autem fecissent barbari, *i. e. gentiles Thalabitæ, vel Hirenses,* et magnam partem solitudinis vastassent et depopulati essent, everterunt ipsa quoque Agarenorum tabernacula, quæ eis nuper magnus fixerat Euthymius. Deinde qui ex his quidem erant insigniores, alia sibi excitant circa Martyrii monachi monasterium et templa erigunt. Barbari autem quum rursus eos essent aggressi, alios quidem interimunt, alios vero captivos abducunt; aliquos autem in alios vicos compellunt, nempe eos qui ex inopinato hoc periculo evasere superiores, quum magna et gravissima fuisset hæc illic barbarorum incursio (6).

sed mox redintegratur. De Angæo comite Paremboles, et Aspebeto, sive Petro, ejus episcopo.

68 *Ad eumdem Aretham Thalabensem, et regem Hirensem Aswad, referenda procul dubio quæ habet idem Metaphrastes num.* 143 (*sive Cyrillus, quoniam non ita multa in metaphrasi sua immutat ille*) : Quum vero tribuum præfecti Romano imperio subjecti, Arethas, *qui post annum* 502 *Romanis subjectus dici potuit et dicitur a Josue Stylita coævo* (7), et Asuades, *qui perperam subjectus hic dicitur, forte ex errore Metaphrastis,* contra se invicem arma et bellum suscepissent, per solitudinem sæpe dispersi barbari et pecunias diripiebant, et domos evertebant... Aliquando ergo sedentibus nobis ante aditum cœnobii, *ita Cyrillus loquitur,* accedunt quidam duo barbari; cum eis vero aderat quoque christianus, Thalabas nomine, cognatus Agarenorum qui fuerant olim E
baptizati ab Euthymio : adducentes unum e sua multitudine barbarum dæmoniacum *etc. Atque is curatus est ad S. Euthymii loculum. Aswad autem, rex Hirensis, cæsus fuisse conjicitur in Historia Arabum veterum* (8) *anno* 491; *verum ex narratione Cyrilli uno aut altero anno videtur ejus mors differenda. Porro restitutas esse Parembolas, seu castra Saracenorum, post direptionem quæ tum temporis contigit, discimus ex litteris synodicis Joannis patriarchæ Hierosolymorum, adversus Severum hæreticum monophysitam; quibus subscribit anno* 518 Valens episcopus των Παρεμβολων (9). *Eorumdem castrorum Saracenorum non dubito quin comes fuerit anno* 523 *Angæus ille, filius Zet, quem memorant Acta nostra S.* Arethæ *n.* 25, *his verbis :* Præsente Angæo comite, filio Zet, ethnarcho christiano totius castri, *seu* omnis coloniæ militaris, της πασης παρεμβολης. *De Petro autem episcopo castri Saracenorum, qui ante baptismum dictus est Aspebetus, addit Cyrillus eum anno* 431 *adiisse synodum Ephesinam, eique* discedenti præcepisse *S. Euthymium* ut Cyril- F
lum Alexandriæ archiepiscopum et Acacium Melitenes episcopum, qui orthodoxi erant, et contra impietatem depugnaverunt, omni modo sequeretur (10). *Quod et fecisse eum ex narratione Cyrilli manifestum est. Quinetiam* unus e tribus præsulibus fuit, *inquit Lequien* (11), quos delegarunt patres, tum ad Nestorium, tum etiam ad Joannem Antiochenum (12), ut illos ad synodum invitarent. Omnibus tandem decretis hujus synodi subscripsit : Πετρος ἐπισκοπος Παρεμβολων ὑπεγραψα (13). *Atque ex his satis innotescit florentissima hæc colonia Saracenorum christianorum. Eadem vero ætate synodi Ephesinæ, permultas Arabiæ desertæ civitates suos episcopos habuisse, docebit opus sæpius laudatum, Oriens christianus* (14).

Saracenos Ghassanidas excoluit S. Sabas; civitas Medaba tum dudum christiana erat.

69 *Illustrissimus Palæstinæ monachus S. Sabas, cujus monasterium etiamnum cernitur ad*

(1) Acta SS. tom. II Januarii, pag. 305, n. 18; Cotelerius, Eccl. Gr. monum., tom. II, pag. 216. — (2) Analecta græca, pag. 19 et seqq. Lutetiæ 1688. — (3) Ad ann. 509, n. 8. — (4) Or. Christ. tom. II, col. 763 et seqq. — (5) Caussin, tom. II, pag. 65, 69 seq. et 291; Theophanes, pag. 222; Assemani, Bib. Or., tom. I, pag. 276. — (6) Coteler. Monum. tom. II, pag. 307; Acta SS. Januarii, tom. II, pag. 322, n. 125. — (7) Bib. Orient., tom. I, l. c. — (8) Caussin, l. c., pag. 67. — (9) Oriens Christ. l. c., col. 770. — (10) Analecta gr., pag. 40 et seq. — (11) Oriens Christ. l. c., col. 769. — (12) Labbe Concil. tom. III, col. 453 et 639. — (13) Ibid. col. 541 et 692. — (14) Oriens Christ. tom. II a col. 854; tom. III a col. 722.

AUCTORE E. C.

torrentem Cedron, Hierosolymam inter et mare mortuum, sub S. Euthymio aliquamdiu vixit et ab eo missus est ad monasterium vicinum abbatis Theoctisti. Labente tempore ordinatus est sacerdos a Sallustio, patriarcha Hierosolymitano, et archimandrita constitutus omnium anachoretarum Palæstinæ. De eo scribit Eutychius, sæculi x *scriptor :* Saba eximius ille, qui desertum nostrum in urbes convertit, ipsumque habitari fecit, qui est Palæstinæ stella (1). *Gessit hic non pauca in gratiam Saracenorum* (2), *sed quum Ghassanidæ essent plerique et christiani, nusquam dicitur eum Saracenos convertisse ad fidem. Miror itaque scribere cl. Thomam Wright* (3), *eum ad religionem christianam perduxisse civitatem Medabam* (*supra n.* 59), *ad orientem Jordanis nec procul a Jerichunte. Incolebatur enim a Ghassanidis et tum temporis dudum erat christiana* (4) : Medaba urbs est ultra Jordanem ad orientem sita, *ait Cyrillus Scythopolitanus,* Arabiæ subjecta, cujus incolæ ad sanctum patrem nostrum ventitabant, multa animæ haurientes beneficia, et
B cœnobiis laurisque ejus frumentum cum legumine offerebant *etc.* (5). *Alibi scribit Gaïanum, S. Euthymii discipulum, ab Antipatro Bostrensi Medabæ constitutum fuisse episcopum* (6) ; *quod paulo post synodum Ephesinam contigit. Infra erit sermo de S. Simeone Stylita, qui genere fuit Arabs* (7), *et floruit eodem tempore quo S. Euthymius.*

§ VI. Desertum Phœnicon ejusque phylarcha christianus Abu Charabus; insula Iotabe, ejus regulus et episcopi; princeps Arabs et poëta Imrulcays, præfectus Palæstinarum.

Donatur imperator Justinianus deserto Phœniconis ab Abu Charabo.

Inter *regnum Ghassan et pœninsulam Arabicam erat vasta et deserta regio, Phœnicon seu Palmetum dicta, quæ a regulo suo Abocharabo, vel Abu-Carib, Justiniano imperatori est donata: quæ donatio et in Actis S.* Arethæ, *quæ infra edimus, memoratur. De eadem in hunc modum scribit Procopius:* Hoc littus *orientale maris rubri* continuo post Palæstinæ fines obtinent Saraceni, veteres incolæ Palmeti (*οἱ ἐν τῷ Φοινικῶνι ἐκ παλαιοῦ ἱδρυνται*), quod in regione mediterranea longe ac late diffusum est, neque aliud quidquam nisi palmas progignit. Id princeps Saracenorum illic degentium, Abocharabus, donavit Justiniano Augusto; a quo phylarchus Saracenis Palæstinis præpositus, regionem ab hostili vi intactam usque servavit nominis terrore sui, quum æque apud hostes ut inter subditos barbaros formidabilis strenuissimusque audiret. Et nunc quidem verbo tenus Palmeti dominus est Cæsar ; reipsa potiri quomodocumque harum regionem non potest. Terra enim versus medium D
hominibus prorsus caret, et sibi squalet ; patetque iter dierum decem, *nimirum orientem versus,* nec res ulla Palmetum commendat, nisi doni appellatio ; quod nempe ipsum dederit Abocharabus, gratoque animo Cæsar acceperit. Hactenus de Palmeto (8). *Inserviet mox hic locus Procopii* (*in quo Maltreti nostri interpretatio latina hinc inde castiganda fuit*) *ad tempus constituendum, quo historia martyrii S.* Arethæ *litteris est mandata.*

Arabum phylarcha christiano in Arabia Petræa. Incursiones Saracenorum in pœninsulam Sinaï.

71 *In eumdem notat Arabum historicus, nomen Abocharab, seu Abu-Carib, designare genus Homeriticum, et imperasse hunc principem tribubus Homeriticis Djodham et Lakhm, seu potius hujus parti ; nam pars altera Lakhmitarum, Hiræ, seu Hirtæ, ad Euphratem dominabatur : sedisseque in terris Madianitarum. Hunc Abocharab non dubito christianum fuisse, siquidem a Justiniano phylarcha est constitutus, non modo Phœniconis, sed et Palæstinæ tertiæ, in qua civitates Petra, Arindela, Areopolis, Elusa, aliæque plurimæ, jamdudum factæ erant episcopales* (9). *Insuper tribus filiorum Kelb, quæ in* E
Arabia deserta ad orientem Phœniconis habitabat, et ipsa christiana erat, et Græcis subdita, eorumve socia. Dicique haud immerito potest religionem christianam in Arabia Petræa universa, quæ et Palæstinis secundæ ac tertiæ et veterum Nabatæorum terris respondet (10), *a medio sæculo quarto paulatim dominari cœpisse* (11). *Attamen Arabes ad septemtrionem pœninsulæ habitantes juxta mare rubrum, legem evangelii sectati esse vix umquam videntur, et prodierant ex iis* (12) *Saraceni illi qui circa annum* 373 *monachos* 40 *in monte Sinaï occiderunt. Eodem tempore barbari Blemmyies ex Ægypto irruperunt in eremum ejusdem pœninsulæ Sinaï, dictam Raithu, ad sinum nuncupatum a Suez; ibique vastato monasterio, cujus rudera hodieque visuntur, chiliometris* 5 *a portu* Tor, *sive* Tur, *et* 80 *a monte Sinaï* (13), *monachi interempti sunt* 39. *Atque ambo hi cœtus martyrum simul coluntur die* XIV *januarii. Circiter annum* 395 *a Saracenis gentilibus occisi sunt monachi plurimi prope Thecuam in Palæstina, sex millibus passuum ad meridiem a Betlehem; qua occasione sextam e collationibus suis, cui titulus:* De nece F
sanctorum, *conscripsit Cassianus. Ex qua innotescit tum temporis illic multos Arabas christianos fuisse:* Quorum corpora, *ait Cassianus,* licet sciremus tam a pontificibus regionis illius quam ab universa plebe Arabum (*in quibus nota progressam illius gentis, labente tempore, versus septemtrionem*) (14) tanta veneratione prærepta et inter reliquias martyrum condita *etc.* (15). *Coluntur hi martyres die* XXVIII *Maji. Qui circa annum* 400, *dum S. Nilus in Monte Sinaï vitam solitariam agebat* (16), *in loci monachos irruerunt, manifesto gentiles erant; et regem habebant Ammanem, Græcis Cpolitanis fœdere junctum, quod eruditum geographum Ritter fugisse videtur* (17). *Regnabat vero is ad meridiem Palæstinæ tertiæ, non procul ab*

(1) Edit. Seldeni, pag 137;ap.Th. Wright, Christianity in Arabia, pag. 83. — (2) Coteler. tom. III, pag. 235, 239. 290 et seqq. — (3) L. c. pag. 84. — (4) Cfr Lequien, l. c., col. 769 et seq. — (5) Coteler. l. c., pag. 290. — (6) Ap. Lequien, ib. col. 771. — (7) Cosmas ap. St. Ev. Assemani, Acta martyrum, tom. II, pag. 261. — (8) De bello persico. lib. I, 19; item, de ædificiis, lib. I, 8; cfr Bochartus, geograph. sac., lib. II, cap. 22. — (9) Hierocles, Synecdemus, pag. 398. Bonnæ 1840. Ritter, Erdkunde, tom. XIV, pag. 103-137. — (10) Supra num. 11; Quatremère, Mémoire sur les Nabatéens, pag. 3 et 86. Paris 1835. — (11) Ritter, l. c.; Acta SS. tom. IX Octob., pag. 20 et seq.; ibid. tom. III Februar., pag. 644 et seqq.; Stark, Gaza u. s. w., pag. 619. — (12) Cfr Ritter, l. c., pag. 31. — (13) Cfr Ritter, tom. XIV, pag. 13. — (14) Vide supra n. 1. — (15) Cfr Acta SS. tom. VI Maji. pag. 754. — (16) Acta SS. tom. I Januar., pag. 953 seqq. et pag. 1113. — (17) Tom. XIV, pag. 8 seq. et 15.

Elusa

A *Elusa* (1), *vel, ut modo dictum, in extrema pœninsula Arabica. Hic tertius cœtus martyrum pœninsulæ Sinaï eodem die ac precedentes colitur*, XIV *januarii* (2). *Non multo post, anno* 411, *nova facta est Saracenorum gentilium incursio in Palæstinam, quo tempore S. Hieronymus, Bethlehemi degens, commentarium scribebat in Ezechielem : quo intermisso, fugere coactus est* (3).

De insula Iotabe, ejusque regulo Amorceso,

72 *Eodem sæculo, circa annum Christi* 473, *insula Iotabe, in mari rubro, cujus mentio erit infra in Actis S.* Arethæ, *Arabi cuidam Scenitæ ab imperatore donata est. Rei gestæ seriem, ut innotescat quæ tum conditio fuerit Arabum interiorum, qui ultra Phœniconem et Taurenos montes* (4) *habitabant, ex Malchi rhetoris Legationibus excerpimus:* Septimo decimo imperii Leonis Macelli anno (*Christi* 473), *inquit*, quum ingens undique rerum perturbatio esse videretur, advenit quidam Arabum Scenitarum, quos vocant Saracenos, sacerdos eorum, qui sunt apud eos christiani; ejus adventus hæc fuit causa. Quum tempore Theodosii
B exortum esset inter Persas et Romanos maximum bellum, fœdere rem transegerunt. Eo fœdere cavebatur, ne alterutri admitterent Saracenos, qui in eorum fide et ditione essent, si forte quis deficiens res novas moliri tentaret. Apud Persas erat Amorcesus, genere Nocalius, *seu Imrulcays, id est, Amr-el-Cays e gente Akil, ut videtur, et e tribu Kinda Arabiæ felicis* (5); is, sive quod nullo honore apud eos haberetur, sive Romanorum regionem incolere potius duceret, Persidem relinquens, in vicinam Persis Arabiam migravit. Hinc excurrens, rapinas et cetera hostilia exercebat in Romanorum quidem neminem, sed in Saracenos, quos passim ante pedes suos offendebat. Sic potentiam suam augens, paulatim crevit, et unam ex insulis, quæ Romanis parebant, sibi subjecit, Iotaben nomine, qua expulsis decimarum exactoribus, potitus est. Itaque tributa colligens, quum etiam ex proximis vicis multas prædas egisset, non parvam pecuniarum summam sibi paravit.

qui et phylarcha in Arabia Petræa est constitutus; deque insulæ episcopis.

73 Deinde Romanorum confœderatus, et Saracenorum, qui in Arabia Petræa sub Romanis degunt, princeps (φυλαρχος) esse magnopere cupiebat. Quamobrem ad Leonem imperatorem mittit Petrum, ejus (*lege,* suæ) gentis episcopum (πεμπει..... Πετρον ἐπισκοπον της φυλης της ἑαυτου), qui si qua ratione posset, ab imperatore hæc impetraret. Ut venit, et cum imperatore verba fecit, sermones ejus imperator excipit, et Amorcesum statim ad se vocat. Quod sane inconsultissime et sensit et fecit. Etenim, si ipsum ejus gentis principem (φυλαρχον) creare constituisset, oportuerat eum e longinquo hoc mandare, ut Romanorum imperium illi semper formidini esset... Senatui quoque, quem indixit, interesse, et illi, quod fœdissimum Romanorum probrum fuit, sellam juxta se poni ante omnes patricios jussit, ficta causa, quod christianus fieri persuasus esset (ὁτι δη χριστιανος ἀνεπεισθη γενεσθαι). Postremo dimisit eum, postquam ipse imaginem auream, magnifice gemmis exornatam, ei donaverat; et in eum etiam omnes, qui in senatum erant adscripti, alia munera conferre jussit. Insulam vero, cujus supra mentionem fecimus, non solum ejus potestati permisit, ut eam sine controversia possideret; sed et plures alios vicos adjecit. Quum his illum beneficiis ornasset et phylarchum, ut optaverat, constituisset, elatum et superbientem, et talem, qui non esset iis, qui benigne eum exceperant, profuturus, dimisit. *Hucusque Malchus, extremi sæculi quinti, judice Photio cod.* 78, *præstantissimus scriptor. Iotaben civitatem episcopalem fuisse Palæstinæ credidit Lequien, quod ejus episcopi inter episcopos Palæstinarum in actis conciliorum recensentur* (6); *vel potius Iotaben insulam prorsus ignoravit: nam et subscriptionem refert Anastasii episcopi* insulæ *Iotabæ, quæ legitur in Actis concilii Cpolitani anni* 536, Ἀναστασιος ἐπισκοπος νησου Ἰωταβης, *eamque negligere cogitur. Ex quo factum ut Petrum episcopum, qui subditos christianos Amorcesi in insula Iotabe regebat, ut supra a Malcho historico est relatum, inter epi-* E *scopos Paremboles, seu castri Saracenorum, recensuerit* (7). *Verum degebant hi Saraceni in Palæstina prima, Jerichuntem inter et Jerosolymam, ut supra est dictum, prodierantque ex regno Hirensi ad Euphratem; nec ullatenus eodem episcopo regi, ac Amorcesus, insulæ Iotabæ regulus, potuere. Hi tres igitur noti sunt episcopi insulæ Iotabæ, quam hodie Tyran vocari ex C. Ritter discimus* (8): *Marcianus, qui anno* 451 *synodo Chalcedonensi subscripsit; Petrus supradictus, qui anno* 473 *ab Amorceso missus est Cpolim; et Anastasius qui synodo ejusdem urbis interfuit anni* 536.

Caysus, præfectus Palæstinarum idem est ac Imrulcays, Arabum poëta celeberrimus; de Caysо narratio Procopii.

74 *Refert Nonnosus apud Photium, cod.* III, *tum se, tum patrem suum Abramen, seu Abrahamum, et avum quoque, cujus nomen non prodit, a Justiniano missos esse ad Caysum quemdam, qui Chindinis et Maadenis* (Χινδινων και Μαδηνων) *in Arabia præerat; huncque Cpolim accersitum, Palæstinarum* (των Παλαιστινων) *præfecturam ab imperatore administrandam accepisse; nimirum post obitum Abocharabi* (*n.* 71), *circa annum Christi* 536. *Ex quo conji-* F *cere pronum est Caysum christianum vel factum esse, vel sese finxisse; secus eum Justinianus, utpote rei catholicæ promovendæ perquam studiosus, christianorum præfectum non constituisset. Certum tamen videtur hunc Caysum Nonnosi eumdem esse ac Imrulcays* (9) (*seu Imriolcays, ut J. v. Hammer-Purgstall scribendum esse contendit*), *filium Hodjr, filii Harith* (*Arethæ*), *regum Kinda et Maad, qui Arabum poëta præcipuus fuit ante Mahumetem* (10); *et cujus carmen unum inter* Moallakat *adcensetur, seu inter septem celeberrina carmina Mahumete antiquiora, quæ* suspensa *olim cernebantur* (moallakah, *suspensus*) *in templo Meccano. Sed Imrulcays iste, seu Imri-al-Cays* (11), *qui utpote Kinda, ab Sabæis Arabiæ felicis oriundus erat, non modo carminibus, sed et dissolutis moribus ac infelicibus bellis nomen est consecutus; nec*

(1) Cfr Tillemont, Mém. tom. XIV, pag. 204. Paris 1709. — (2) Acta SS. tom. I Januar., pag. 936, 933 et 966; cfr Baillet, Vies des Saints, tom. II, pag. 177 et seqq. Paris 1739. — (3) S. Hieron. epist. 126, ap. Migne, tom. XXII, col. 1086; cfr Tillemont, l. c., tom. XII, pag. 660. — (4) Photius, Bibl. cod. 3. — (5) Caussin, tom. II, pag. 289; Arri, Storia degli Arabi, pag. 126, ap. Caussin, ibid — (6) Oriens Christ. tom. III, col. 711. — (7) Ibid. col. 770. — (8) Erdkunde, tom. XIV, pag. 19; cfr tom. XIII, pag. 223. — (9) Caussin, tom. II, pag. 92, 233, 317; Hammer-Purgstall, Litteraturgeschichte der Araber, tom. I, pag. 292. — (10) Hammer-Purgstall, ibid. — (11) Idem l. c. pag. 284; cfr D'Herbelot, Bibl. Orient. v°. *Amri al Kais.*

umquam

AUCTORE E. C.

umquam aut Kindinorum aut Maaddenorum, licet utrorumque rex designatus a patre Hodjr vel Hadjr, (quem Agarum Theophanes (1) *nominat), regnum ac dominationem potuit nancisci. Ad mores vero ejus quod attinet, putem mahumetanos, qui solum duobus post sæculis scribere cœperunt, eos ac vitæ ejus casus sibi effinxisse qualia iis placere novimus ac ex libris eorum, in primis ex Kitab alaghani, cuivis innotescere possunt. Brevius quam Nonnosus, sed in quibusdam accuratius de Cayso, seu Imrulcays, scribit Procopius:* Quo autem tempore, *inquit,* Hellestheæus (*Hellesbæus, Elesbaas*) regnabat in Æthiopia, parebantque Homeritæ Esimiphæo, Julianum ad eos legavit Justinianus imperator, *circa annum* 530, per ipsum ab utroque petens, ut pro religionis communione, qua cum Romanis devincti essent, illos cum Persis gerentes bellum juvarent... Homeritæ vero Caisum patria (*Maaddenorum regno, seu Madianitide*) profugum, Maaddenis phylarchum præponerent, et cum valido exercitu ex Saracenis illis suaque gente conflato in Persidem irrumperent, *seu in Iracam occidentalem adversus Almundarum III, regem Hirensem.* Vir erait Caisus phylarchico sanguine prognatus et bellica virtute præstans; at quoniam propinquum occiderat Esimiphæi, vitam fugæ solitudinique mandarat. Uterque sane rex postulatis annuit, eaque se facturum pollicitus legatum remisit liberaliter: tamen promissa et conventa neuter implevit.

B

Arabia deserta occidentalis sæculis IV *et* V *christiana est facta; Ghassanidæ, aliique ejus incolæ, origine Homeritæ.*

75 *Ex iis quæ hucusque de Arabiæ desertæ historia christiana disputavimus, duo consequuntur: primum quidem, hujus Arabiæ Saracenos, qui Romanis erant subditi, aut fœdere juncti, mox a pace ecclesiæ tributa, ordiente sæculo quarto, christianos fieri cœpisse; et sæculo quinto eorum principes omnes, seu phylarchas, uti et ipsam gentem, religione christiana fuisse imbutos. Alterum eosdem Saracenos, in primis Ghassanidas, et insuper plures tribus minores et ipsos Salihitas, qui ante Ghassanidas phylarchiam Syriæ tenuerunt, origine Sabæos fuisse Arabiæ felicis, ex Himyar, vel Cahlan genitos* (2).

C

§ VII. Historia christiana Arabum Hirensium; eorum aliorumque Scenitarum apostolus S. Simeon Stylita.

De Hira, civitate Arabica ad Euphratem, ejusque regibus Almundaro III et Imrulcays.

Ad orientem Arabiæ desertæ regnum aliud Arabicum, a civitate regia Hira, seu Hirta nuncupatum, Persis fœdere aut obsequio erat deditum, ut regnum Ghassanidarum Græcis. Sita erat Hira ad dexteram Euphratis, latitudine, quam vocant, attingens 32°, *non procul a Kufa et ruderibus Babylonis. Arabes Hirenses non secus ac Ghassanidæ, plerique ex Homeritide prodierant, ut apparet ex regni historia, eorumque reges omnes origine Sabæi, seu Yamanitæ fuerunt* (3). *Quumque insuper pœninsulæ Arabicæ adjacerent hæc regna Ghassan et Hiræ, et ei multoties bella intulerint, sibique vicissim exinde viderint invecta, Arabiæ historici omnes eorum fata prosequuntur. Rex Hirensis fuit, Græcorum hostis infestus, Alamundarus, hujus nominis tertius (alias Al-Mundhar, Al-Mundhir, Al-Munsir III), cujus pluries est mentio in infra edendis Actis S.* Arethæ. *Hirensium porro regum aliquot christiani fuere, et si Arabum historicis, quos laudat Ibn-Khaldun* (4) *fides est, primus evangelio nomen dedisset Imrulcays, filius Amri, qui Hiræ regnavit ab anno* 288 *ad* 338. *Quæ explicanda potius quam admittenda esse ducimus. Etenim tum temporis jam florebat res christiana in Perside et Mesopotamia, ut ex monumentis Græcis, Syriacis et Arabicis est manifestum* (5); *et fieri non potest ut inde crebræ scintillæ immissæ non fuerint in adjacens regnum Hirense. Regnante igitur Imrulcays I, Hiræ accrevit numero, aut manifesta fieri cœpit christiana religio: et inde nata est prædicta sententia historicorum Arabicorum, qui omnes Mahumete sunt posteriores.*

D

S. Simeon Stylita, Arabum Scenitarum apostolus,

77 *Quantum progrediente et præcipite sæculo* IV *religio christiana in regno Hirensi, seu Hirtensi, floruerit, ignoramus; sed ordiente quinto celeberrimus erat in Syria S. Simeon Stylita, quem in Arabia deserta natum esse dixímus; cujus columna, ut Nicephorus aliique testantur, stadiis* 300, *seu chiliometris* 54, *ab Antiochia dissita erat, et ad quem confluebant ex tota Asia occidentali christiani et idololatræ: quorum multi superstitionem ejurarunt. Ejus sanctitatis* fama per omnes oras volitante, *inquit Theodoretus, qui Simeone adhuc vivente scribebat,* concurrebant omnes, non vicini modo, sed ii etiam qui multorum dierum itinere distabant; alii paralyticos offerentes, alii sanitatem ægris postulantes... Sic autem undique venientibus omnibus et tota via fluvium imitante, hominum pelagus illo in loco videre est, fluvios undequaque influentes excipiens. Neque enim hujus tantum nostræ regionis, *i. e. Syriæ,* incolæ confluunt (*dum hæc scribit Theodoretus*), sed et Ismaelitæ (*Saraceni*), et Persæ, et Armenii his subditi, et Iberes, et Homeritæ, et qui illis interiores sunt. Venere etiam multi ultimas occidentis oras incolentes, et Hispani, et Britanni, et Galli, qui horum media obtinent. *Sequitur locus de cultu S. Simeonis in Italia, quem et Damascenus, orat.* III *de Imaginibus, et synodus Nicæna secunda, act.* 4, *recitant. Et post alia pauca, in hæc verba Theodoretus prosequitur:* Ismaelitæ autem turmatim venientes, ducenti simul, et trecenti, ac interdum mille, patrium errorem magna voce abnegant, simulacra quæ coluerant coram magno illo lumine conterentes, Venerisque orgia ejurantes (hujus quippe dæmonis cultum amplexi jam olim fuerant, *nimirum Astartis, notissimæ deæ Phœnicum, cui et homines immolabantur; juxta alios, Ozzæ, vel Lat, quæ et ipsæ multum ab Arabibus colebantur*) (6), divinis mysteriis initiantur, leges ab illa sacra lingua accipientes, et paternis moribus valedicentes, asinorumque agrestium et camelorum esum respuentes. Atque hos ipse vidi et audivi, cum et paternam impieta-

F

(1) Tom. I, pag. 218, edit. Bonn. — (2) Caussin, tom. I, pag. 7, 23, seqq. et passim; tom. II, pag. 202. Hammer Purgstall, Literaturgeschichte, tom. I, pag. 16. — (3) Caussin, tom. II, pag. 5 et seqq.; Ritter, Erdkunde, tom. X, pag. 59 et seqq. — (4) Ap. Caussin, tom. II, pag. 47. — (5) Assemani, Bibl. Oriental., tom. III, part. 2, pag. 38 et seqq.; cfr Fabric. Bib. Gr., tom. XII, edit. Harles, pag. 364. — (6) Caussin, tom. II, pag. 101.; Osiander, pag. 472, 483, 491.

tem

A tem abdicarent et evangelicæ doctrinæ assensum præberent.

harum gentium homines innumeros, exemplo et prædicatione

78 *Ex sequentibus apparet Saracenos illos deserti, sive Scenitas, ex iis maxime fuisse quos hodiedum Beduinos dicimus.* Jam et periculum semel adii maximum. Nam quum jussisset ille, ut ad me accederent et sacerdotalem benedictionem acciperent, maximum illos dicens ex ea fructum percepturos, hi barbarico impetu irruentes, alii a fronte, alii a tergo, alii a lateribus trahebant, et qui remotiores erant, super alios conscendentes, manusque protendentes, aut barbam vellebant, aut vestes discerpebant. Ac me profecto isti vehementiore incursu enecassent, nisi sublato clamore omnes dissipasset. *Dein monet columnam, quæ talem fructum edebat et* tantum divinæ cognitionis radium barbarorum mentibus infundebat *a dicacibus* (ὑπο των φιλοσκωμμονων) *irrisam fuisse; de quo et superius scripserat:* Quamobrem eos oro quos reprehendere delectat, ut linguæ frenum injiciant, neque illam temere ferri sinant : sed considerent
B Dominum talia persæpe ad segniorum utilitatem instituisse. *Adducitque miranda e Bibliis quæ Deus prophetas peragere jussit. Magis innotescunt Saraceni illi qui ad Simeonem concurrere* (*et, ut mox apparebit, non tantum ex Ghassanidis fuere, sed etiam et forte plures numero ex Hirensibus*), *ex iis quæ subdit idem scriptor :* Nam et aliud ab his factum est hujusmodi : rogabat tribus (φυλη) una divinum hominem, ut phylarchæ suo deprecationem aliquam et benedictionem transmitteret : alia vero quæ aderat tribus refragabatur, non debere dicens ad illum mitti benedictionem sed ad ducem suum : illum enim injustissimum esse, suum vero alienum ab injustitia. Post longam autem contentionem altercationemque barbaricam, tandem in sese invicem irruerunt. Ego vero multis illos verbis hortatus sum ut desisterent : posse namque virum divinum et huic et illi benedictionem impartiri. Verum et hi negabant hac illum potiri oportere, et illi alterum hac fraudare nitebantur. Minas autem ille desuper intentans, canesque appellans, contentionem ægre sedavit. Hæc
C autem eo commemoravi, ut quanta illorum animi fides esset ostenderem. Neque enim in seipsos sic insaniissent, nisi divini hominis benedictionem vim maximam habere credidissent. *Ex hoc loco et ex his quæ de Naamane narrat Cosmas infra num.* 80, *videntur Scenitæ illi usi esse lingua Syriaca, ut ipse Theodoretus, vel ejus dialecto aliqua. Vide librum Quatremerii de Nabatæis.*

convertit ad fidem; maxime ex Hirensibus.

79 Vidi porro et aliud celebre factum miraculum. Ingressus quidam (erat autem hic quoque phylarcha Saracenorum), divinum caput orabat, ut opem ferret homini, cui paralysi soluta in via fuerant membra corporis. Ajebat autem ad Callinicum, quod castellum est maximum (*non procul a Carrhis, in Mesopotamia septemtrionali* (1)), in hunc morbum incidisse. Quum is ergo allatus esset in medium, jussit ut majorum impietatem abnegaret. Quod ille cum libenter admisisset, obtemperansque jussa implesset, rogavit an crederet Patri, et unigenito Filio, et Spiritui Sancto. Et quum credere se professus esset : His, inquit, nominibus credens, surge. Ubi autem surrexit, jussit ut phylarcham humeris suis ad ipsum usque lectum ferret. Erat autem is corpore prægrandi. Quo ille sublato confestim abiit : qui vero præsentes aderant, in Dei laudes linguas excitarunt. *Ex quibus deducitur hunc phylarcham Saracenorum ex Mesopotamia, et, ut mox patebit, verisimilius ex ea parte quæ Persis erat subdita, prodiisse; quam ob causam ex Saracenis Hirensibus fuerit, non ex Ghassanidis. Nam licet hi et Hirensium terras initio tenuerint, ut Masudius testatur* (2), *quinto et sexto sæculo videntur in Arabiam Petræam tam a septemtrione quam ab oriente fuisse rejecti : et universim opinor Saracenos qui Simeonem Stylitam inviserunt ac ab eo ad Christum sunt conversi, magnam partem ex Hirensibus et imperio Persarum subditis fuisse. Quod ex his quæ jam subjicimus non parum confirmatur. Sic scribit Cosmas, ipsius Stylitæ discipulus, in ejus Vita, ubi sancti miracula refert; est vero Vita hæc inter monumenta pretiosissima Syriæ christianæ connumeranda.*

AUCTORE E. C.

Naamanes I, rex Hirensis, ut narrat ipse Damasci præfecto,

80 Memorabile in primis exstitit, *inquit,* quod Antiochus filius Sabini, Damasci præfectus, aliquando eidem Simeoni *Stylitæ* in multa hominum frequentia narravit. *Ex quibus veri simile fit Simeonem tunc nondum conscendisse columnam suam, seu id contigisse ante annum Christi nati* 423 : *quod mox pluribus ostendetur.* Naamanes, ajebat *prædictus Antiochus,* Arabum princeps (*seu Nooman I, rex Arabum Hirensium*), venit aliquando in solitudinem Damasco e regione oppositam : et quoniam pax Arabibus cum Romanis erat, me ad prandium amice invitavit. Prandentibus nobis, et, ut assolet, multa ultro citroque inter nos confabulantibus, incidit de Simeone sermo. Tum vero Naamanes : Ast ego scire percupio, huncne, quem Simeonem appellatis, hominem esse putatis, an vero Deum? Quumque ego reposuissem, neutiquam esse Deum, sed Dei servum : Causam, subdit ille cur istud a te sciscitatus fuerim, accipe. Quum Simeonis fama Arabiam nostram pervasisset, cœpissentque nostri homines ad illum frequentissimi commeare; proceres gentis nostræ suspicati F
ne istiusmodi commercio Arabes christiana religione imbuti, patriam Romanis proderent, admonebant, ut quantocius eam peregrinationem interdicerem. Quod et feci et edictum in generalibus totius gentis comitiis promulgavi, pœnam capitis et universæ familiæ excidium interminatus, si quis tale aliquid deinceps auderet.

graviter reprehenditur et castigatur a viso sibi de nocte S. Simeone; exinde favet christianis.

81 Sequenti nocte a soluto conventu me in tentorio dormientem adoritur repente viri augusta, nec mihi hactenus visa species. Juvenes quinque adsequebantur satellites candidi. Eo aspectu vehementer exterrefactus ad pedes viri procidi, metu pæne exanimatus. At ille indignabundus statim inclamat : Tune populum Dei a me arcere audeas, mortalium nequissime? Simul ad lictores suos conversus, jubet, quatuor quidem manus mihi pedesque hinc inde constringere ; alterum vero flagris, ita ut in lectulo jacebam, nudum, quam sævissime cædere. Nec aderat qui me plorantem,

(1) Cfr Ritter, Erdkunde, tom. X. pag. 1125 et seqq. — (2) Schultens, Imperium Joctan., pag. 181.

opemque

AUCTORE E. C.

opemque efflictim petentem ab immani illa laniena eriperet : donec atrocissime cæsus, eodem viro jubente, postremum ab illis lorariis dimissus sum. Tum ille exserto gladio trucique voce me compellans, subdidit : Tu vero ne quempiam posthac ab oratorio Simeonis avertas, etiam atque etiam caveto : ni pareas, juro, me te tuamque familiam hoc ferro membratim dissecturum. Tum ego meo periculo doctus, lucem præoccupo, nova comitia indicturus, in quibus funestum et exitiale illud edictum abrogavi; edixique cuilibet fas esse deinceps adire Simeonem, et apud eum orare, christianæque religioni nomen dare. Ad hæc subjiciebat Naamanes: Equidem nisi Persarum regi subessem, ipse ad Simeonem accederem et fierem christianus : enimvero ex eo pavore atque acerrima fustigatione consequutus morbus me ultra mensem tenuit. Nunc vero, post illud edictum, ecclesiæ in nostra ditione construuntur, atque inter nos episcopi et sacerdotes frequentes sunt et impune versantur; hoc enim edicto sanxeram, ut
B cuique integrum foret, si vellet, christianam religionem amplecti, nec ad antiqua sacra pœnis quispiam cogeretur. Hæc Antiocho narrante universa concio ad celebrandam miram Dei bonitatem excitabatur : Oppido quam sublime effert Dominus, ajebant, virtutem eorum, qui pio perpetuoque studio eidem inserviunt (1)! *Hucusque Cosmas in Vita magistri sui Simeonis.*

aman I fit istianus et it ab aula. usurbis Hiregiæ Naanis.

82 *Nooman vero, seu Naaman, rex Arabum Hirensium, de quo scribit, ejus nominis primus est; quem scriptor Arabs Ahmad-el-Bauhaki, apud Ibn-Khaldun, et Persarum historicus Mirkhud* (2) *non modo christianis favisse ecclesiasque exstruxisse, sed et religionem christianam amplexum esse referunt. Scribunt plures eum ejurasse idololatriam, quod in idem recidit, siquidem, propter adjuncta narrationis, nemo umquam cogitavit judæum illum factum esse. De illo singularia addit Nuweirius* (3) : Dicitur eum quodam die ex alto despectasse in omnia quæ circa arcem suam Khawarnakum sunt; ac dixisse : An non omnia quæ video, brevi peritura? Responsum ei : Sane vero. Ibi ille,
C Et quid utilitatis, inquit, in re quæ finiri atque perire debet? Tum exuto regno, cilicia induit; atque peregrinatus est per terram. Ejus meminit Adi-ben-Zeid, quum ait *in carmine :*

Sane in meditationem venit dominus Khawarnaki, quum die quodam prospexisset ex alto; estque ductui recto meditatio.

Hilarabat eum status ejus, et amplitudo regni, et mare (*vel* flumen, *Arabice* bahr) late fusum; et Sadirum.

Sed religione tacto corde, dixit : Quid fortunati viro ad mortem mox redituro?

Ad situm locorum quod spectat, quoniam nondum agnitus est a viatoribus collis, seu agger, dictus Nadjaf, *in quo ædificata erat Hira, juvat hæc pauca adscribere ex alio auctore Arabe veteri :* Situm erat Khawarnakum ad distantiam trium ab Hira milliarium (*Arabicorum, seu chiliometrorum quinque cum dimidio*); et Sadirum in deserto vicino, *nimirum paulo ad* D *occidentem Hiræ, ubi limes erat deserti.* Ædificavit has arces Noomanus ben Amrilkisi, qui est Noomanus major. Causa ædificandi hæc proditur. Iezdegerdo *regi Persarum,* filio Saporis, nullus liberorum vitalis erat. Inquisivit itaque in locum cujus aer salubrior esset, eique dilaudata fuit puritas Hiræ. Tradidit itaque filium suum Bahram Giur Noomano, eique præcepit Khawarnacum exstruere; structum est super flumine Sindad viginti annorum spatio (4). *Milliaribus tribus seu parasanga ad orientem Hiræ ædificata est Cufa, ad latitudinem* 32°, *ut patet ex accuratissimis tabulis geographicis H. Kiepert; et quum florere cœpit, Hira derelicta est. Adjacebat vero Hira flumini quod nunc exsiccatum est* (5). *Perhibent scriptores Cufæ multum floruisse litteras Arabicas, et ab ea dictos esse characteres Cuficos.*

Conversio Naamanis I contigit circa an. 417. De fama S. Simeonis in aula regis Persarum.

83 *De Naaman addunt Hamza et Ibn-Khaldun* (6), *eum, dum regia egressus est, prohibuisse ne quisquam ministrorum sequeretur, et exinde de eo nihil jam auditum esse. Successit in regiam dignitatem ejus filius Almundharus, seu Mundhir I, qui munus educandi filium Isdegerdis, regis Persarum, nomine Vararanem, seu Bahram, non secus ac pater suscipere debuit. Ex quo firmatur quod perhibent historici, eum annis circiter duobus ante obitum Isdegerdis, seu anno* 418 *regnare cœpisse. Non diu igitur Naaman, postquam ei relatum somnium obvenit, illudque Antiocho duci narravit, a conversione et fuga abstinuit. Etenim ut ex Theodoreto et Tillemontii notationibus conficitur* (7), *S. Simeon Telanissi primum in domuncula* tres annos inclusus mansit, *dein* ad celeberrimum montis verticem venit *circa annum* 416, *ibique ad eum concursus maximus fieri cœpit, etiam antequam notissimam columnam conscendisset : quod non modo ex Theodoreto, sed ex omnibus Simeonis biographis novimus. In columnam denique ascendit circiter annum* 423, *ut tanto populo confluxu ejus oratio minus impediretur. Inter annos igitur* 416 *et* 419 *contigere quæ narrat Naaman Antiocho duci. Ad idem tempus referenda sunt quæ scribit Theodoretus de rege et regina Persarum : Simeonis* apud regem quoque Persarum, *inquit,* ingens gloria fuit. Ut narrarunt F enim qui ad eum legati profecti sunt, diligenter sciscitabatur quænam viri vita esset, et cujusmodi miracula. Sed et conjugem ejus ajunt et oleum ab eo benedictum petiisse et tanquam donum maximum accepisse. Quin et regis domestici omnes, fama permoti, quamvis a magis multas contra illum calumnias audirent, et accurate percontabantur et re perspecta, divinum virum appellabant. Cetera autem turba, ad muliones accedens, et ad ministros ac milites, et pecunias offerebant, et ut olei benedictionis participes fierent obsecrabant. *Spectant ista verisimilius ad regnum Isdegerdis, qui ab anno* 400 *ad mensem novembrem anni* 420 *Persis imperavit, et christianis, ut ecclesias ædificarent, per universam Persidem permisit. Minus recte videtur Tillemontius* (8) *ea referre ad Vararanem V, ejus*

(1) St. Ev. Assemani, Acta martyrum Orient. etc., tom. II, pag. 327 et seqq. — (2) Ap. Du Beux. La Perse, pag. 317. Paris 1841. — (3) Ap. Schultens, Monumenta vetustiora Arabiæ, pag. 48. — (4) Schultens, l. c. pag. 56. — (5) Noël Desvergers, Arabie, pag. 77; Ritter, tom. X, pag. 185 et seqq. — (6) Ap. Caussin, tom. II, pag. 58. — (7) Theodoret. l. c.; Migne. Patr. Gr., tom. LXXXII, col. 1470 et seq. Tillemont, Mém. tom. XV, pag. 359 et 880. Paris 1711. — (8) Mémoires, tom. XV, pag. 368.

filium

A *filium qui diu persecutor fuit, et quo regnante magi a vexandis christianis omnimodo cohiberi numquam potuerunt.*

Incursiones Arabum in Syriam et Palæstinam sæc. V. Recipitur a Romanis insula Iotabe.

84 *Sed ad Vararanem, contra Theodosium juniorem bella gerentem, et ad regem Hirensem Mundhir I pertinent, quæ scribit S. Isaac monachus Syrus, sermone secundo de jejunio :* Tristitiam animique demissionem (*in hoc jejunio*) induamus, ne saccis in captivitate cooperiamur. Nemo socio damnum inferat : sat enim multa imminent omnibus damna. Nemo sodalem molestia afficiat; quia undique cunctos angustiæ premunt. In finibus nostris rex ethnicus (*Vararanes*) adest. Locustæ terras nostras depascunt. Hagarenus (*Mundhir seu Almundarus*), velut lupus famelicus in ipsis regionibus nostris latrocinatur *etc.* (1). *Anno* 422 *fœdus initum Romanos inter et Persas, et pax diuturna consecuta est. Deinceps usque ad sæculum* VI, *pauca admodum regum Hirensium gesta ad historiam ecclesiasticam spectant. Vide tamen quæ de incursionibus eorumdem et Arabum Thalabitarum in Palæstinam ac Parembolas*
B *dicta sunt supra num.* 67, 68. *Anno* 496 *Agarus, filius Arethæ, et Gamalus* (*Hodjr, filius Harith, et Djabala*), *principes Kindæ provinciæ Arabiæ interioris, cui Nedjd, vel Nadjd nomen est, Syriam denuo vastarunt, ut narrat Theophanes ad annum æræ Antiochenæ* 5590. *Deinceps usque ad annum Christi* 505, *quo pax Romanos inter et Persas composita est, frequentissimæ fuere Arabum incursiones. Nam anno* 498 *Nooman seu Naaman, rex Hirensis, Syriam quoque, seu potius Euphratesiam invasit. Sed uti priores, etiam ipse a ducibus Romanis, clade accepta retrocedere coactus est. Tunc Romanus, Romanorum seu Græco-Byzantinorum dux, insulam Iotaben, ut suo loco diximus,* 25 *ante annis ab Amorceso, seu Imrulcays, principe Kinda, occupatam, recepit. De quo Theophanes in hunc modum scribit ad annum prædictum :* Sed et Iotaben insulam, in sinu maris rubri sitam, vectigalia magna Romanorum imperatori quondam pendentem, tum vero ab Arabibus Scenitis occupatam, idem Romanus per acerrima prælia iterum liberam Romanis negotiatoribus præstitit; eisque demum insulam concessit,
C in qua liberi suisque legibus utentes habitarent et ex mercibus ex India convectis constitutum imperatori vectigal solverent. *Ex hac insula in classe regis Æthiopiæ Elesbaan, quam contra Homeritarum regem judæum Dunaan instruxit, naves adfuere plurimæ.*

De rebus gestis in Arabia deserta et Mesopotamia ineunte sæc. VI

85 *Anno* 500 *novæ factæ sunt incursiones in Phœniciam et Syriam ab Arabibus provinciæ Nedjd, seu mediæ; donec anno* 502 *Anastasius imperator, misso ad Aretham, mediæ Arabiæ regem, avo Nonnosi scriptoris, ut refert hic ipse apud Photium* (2), *pacem fœdusque composuit* (3). *Et juxta istud quidem, Arethas opem ferre Romanis contra Cavadem, seu Cobad, Persarum regem, qui nuper Romanos erat aggressus, debebat. Etenim Nooman Hirensis, regum Arabiæ septemtrionalis potentissimus, Persis erat addictus; quo juvante Cavades eodem anno* 503, *Amidam urbem expugnavit. De his multa habet Josue Stylites, presbyter monasterii Zuckin, prope Amidam, (hodiernam Diarbekr, ad fluvium Tigrim) sed patria Edessenus, qui tum in vivis agebat.* Anno *Græcorum* octingentesimo decimo quarto, *inquit, id est, Christi* 502, die 5 octobris, sabbato, Cavades Amidam obsidere cœpit. Arabes cum Persis conjuncti, provinciam depopulantur, usque ad Constantinam, seu Telam urbem... Dein Naamanem, Arabum *Hirensium* regem, ad australes regiones Haranitas (*circa Haran, seu Charras*) invadere jubet... Die 26 ejusdem mensis, Naamanes ad austrum profectus, ab urbe Haran usque ad mœnia Edessæ, omnes circum regionis vastat... Die decima januarii (*anni* 503), vel custodum socordia, vel proditione, ut alii suspicati sunt, Amida expugnatur, cæsis plusquam octoginta millibus incolarum; præter eos, qui vel Tigri fluvio submersi, vel in puteos projecti, vel alio mortis genere absumpti sunt... Arabes Persarum subditi, *id est, Hirenses,* in Chaburam urbem, *seu Circesium, ad Euphratem,* incursionem faciunt, quos Timostratus, Callinici (*alias Nicephorii, similiter ad Euphratem*) dux, egregie repellit.

AUCTORE E. C.

ab Aretha duce, rege Hirensi Naamane, et Cavade, rege Persarum.

86 Arabes quoque Romanis subjecti, qui Taalabenses appellantur (*dicere debuit: Romanorum fœderati. Nam Thalabitæ isti ducebantur ab Aretha, rege Kinda provinciæ Nedjd, qui cum imperatore Anastasio fœdus icerat; num. præc.*), facta in Naamanis ditionem excursione, armenta abigunt, armentarios trucidant, Naamanis copias in interiores deserti partes recedere cogunt. Mense augusto *anni* 503 Cavades in Euphediam usque excurrit. Ibi collatis cum Patricio signis, Naamanes in capite vulnus accipit et complures ex barbaris primo conflictu cæsi sunt... Hinc Cavades adversus Areobindum in urbem Edessam exercitum movere decernit, impellente præsertim Naamane, Arabum rege, Taalabensibus infenso. Cui dux quidam exercitus Naamanis, christianus quum esset, Frustra, inquit, Edessam petitis, quæ divinis Christi ab Abgarum promissis munita, nulla vi expugnare potest. Tum vero Naamanes excandescere, insanire, conviciis Christum proscindere, et graviores Edessæ calamitates, quam Amida passa fuerat, comminari : qui tamen, accepto, ut supra dictum est, in capite a Patricii militibus vulnere recrudescente, post biduum extinctus
F est (4). *Hujusmodi Christi promissio ad Abgarum nulla exstat, ut advertit Evragius lib.* IV *cap.* 27; *sed quum omnibus Persarum conatibus tamdiu restitisset Edessa, viguit dudum inter christianos orientis hæc fiducia. Anno demum* 505 *pax convenit Persas inter et Romanos, duravitque ad annum usque* 522. *Ab anno* 505 *cohibiti sunt Arabes ab excursionibus suis, tam a Persis quam a Romanis* (5); *molesti tamen erant interdum anachoretis Syriæ et Palæstinæ, ut in eorum Vitis legimus.*

Irruptiones Arabum Hirensium anno 502 et sequentibus.

87 *De irruptionibus enim Arabum Hirensium quæ anno* 502 *et sequentibus obtinuerunt, memorat Cyrillus Scythopolitanus in Vita S. Joannis Silentiarii; sed pro Naamane rege Alamundarum Sicicen, alias Sakiken, vel Sjakikam posuit: qui fuit quidem omnium regum Hirensium celeberrimus, vastationibus suis notissimus, sed non regnavit nisi ab anno circiter* 513 :

(1) Ap. Asseman. Bib. Or. tom. I, pag. 227. — (2) Photius, cod. 3. — (3) Supra, n. 67. — (4) Assemani, Bibl. Orient. tom. I, pag. 272 et seqq. — (5) Josue Stylites ap. Assemani, pag. 281.

Eodem

AUCTORE E. C.

Eodem vero tempore, *inquit Cyrillus,* Alamundarus Sicices, qui accepit regis auctoritatem in Saracenos subjectos Persis, invasit Arabiam et Palæstinam cum magna ira in Romanos, omnia diripiens, et multa hominum millia abducens in servitutem, et multa faciens nefaria, postquam capta fuerat Amida, *quod initio anni* 503 *evenisse diximus. Hæc difficultatem crearunt Henschenio* (1) *et Pagio* (2), *deficientibus, dum scribebant, monumentis Syriacis et Arabicis, ex quibus error Cyrilli emendari potuisset.* Quumque multitudo barbarorum dispersa esset per hanc solitudinem iique quibus mandata fuerat custodia solitudinis, denuntiarent, ut caveretur barbarorum irruptio in monasteria : Maximæ Lauræ patres significarunt venerando patri *Joanni*, ut desisteret quidem in *solitudine* Ruba vitam degere, veniret autem ad Lauram, et quiesceret in sua cella. Et divinus quidam Joannes, qui per quietem divinam gustarat dulcedinem, eam lubenter sequebatur, et non poterat in animum inducere, ut eam relinqueret *etc. In sequentibus narrat Cyrillus quomodo ab incursionibus Arabum*
B *sanctus miraculo servatus sit, donec S. Sabbas ei ad Lauram redire persuasit, anno Christi* 509, *postquam in solitudine Ruba exegerat annos sex. Ex quibus discimus in Syriæ et Palæstinæ desertis, etiam dum pax esset composita inter gentes vicinas, factas esse frequenter Arabum, non quidem expeditiones bellicas, sed irruptiones minores ac deprædationes; non secus ac nunc fiunt a Beduinis. Et sic denuo firmatur, quod toties est dictum, Arabes deserti omni ævo fuisse eosdem.*

Almundarus III, rex Hirensis, dictus Sakikes, videtur

88 *Circa annum* 513 *Hiræ regnare cœpit Mundhir III, alias Al-Mundhar, seu Almundarus III, filius regis Imrulcays III et Maëssemæ ; tenuitque regiam potestatem ad annum usque* 562, *id est, ut Procopius loquitur, annos quinquaginta. Ab eodem scriptore qui Almundaro coævus fuit, et a posterioribus Græcis, dicitur, Sekikes, in Actis vero S.* Arethæ *Sakikes ; nimirum, ut a cognominibus gentis principibus distingueretur. Progeniem enim ducebat, ut merito sentire videtur cl. Caussin* (3), *ex uxore priore Almundari I, nomine Sjakika. Almundarum III fidem christianam amplexum esse, quam postmodum*
C *abjecerit, non videtur posse negari. De eo in hunc modum scribit Theodorus, Lector ecclesiæ Cpolitanæ, auctor coævus.* Quum Alamundarus, Saracenorum phylarcha, christianam religionem amplexus esset, Severus (*patriarcha Antiochenus, Eutychianus, seu Monophysita*) duos ad illum episcopos misit, quo erroris sui labe eum inficeret. Sed Deus id præveniens, ut phylarcha ab iis qui Chalcedonensem synodum suscipiebant, baptizaretur, effecit.

initio regni fuisse christianus.

89 Porro quum ii qui a Severo missi fuerant, doctrinam rectæ fidei dogmatibus adversantem, phylarchæ tradere conarentur, fraudem quamdam commentus est Alamundarus ad doctrinam eorum convincendam. Finxit enim se litteras accepisse, quibus ipsi nuntiabatur, Michaëlem archangelum fato functum esse. Quumque illi id fieri non posse dicerent : Quonam igitur modo, subjecit phylarcha, Christus Deus tantum existens, crucis mortem sustinuit, si duas naturas non habuit; quum ne angelus quidem pati vel mori possit? Hoc D modo episcopi partis Severi, pudore suffusi, vale non dicto, recesserunt (4). *Hanc historiam ex Theodoro excerpsere Theophanes et Nicephorus Callistus ; sed quum certum sit Alamundarum postea annos multos gentiliter vixisse, de ejus veritate recentiores nonnulli dubitarunt. Attamen Theodorus Lector scribebat de rebus gestis sui ævi, quas proinde multi norant. Conveniunt etiam tempora : nam Almundarus anno* 513 *regnare cœpit, et Severus hæreticus patriarchatum Antiochenum tenuit a mense novembri anni* 512 *usque ad septembrem anni* 517. *Insuper Alamundarum christianum fuisse diserte testatur Abulfeda, additque Hiræ ecclesias exstruxisse :* Ibi, *inquit*, sedes erat Naamanis (*I*)..., ibique christianam religionem amplexus Munderus, filius Amrilcaisi, *i. e. Almundarus III*, magnificas ecclesias exstruxit (5). *Denique idem confirmat rei christianæ conditio in adjacente Mesopotamia, cujus ecclesiæ sæculo quarto et quinto florentissimæ fuerunt. Pauca e plurimis, lectu dignissimis, quæ col-*
E *legit eruditus vir Josephus Assemani, hic subjicienda duximus, ex quibus lux multa historiæ ecclesiasticæ Arabum septemtrionalium affundetur.*

§ VIII. Propagatio religionis christianæ in vicina Mesopotamia et Chaldæa ; christiani Hirenses dudum catholici fuerunt.

De conditione religionis christianæ in Mesopotamia, Chaldæa et

Saraceni qui Mesopotamiam, *ait Assemanus,* Chaldæam et Persicum mare attingebant, tum episcoporum Edessæ ac Seleuciæ tum monachorum opera, ante annum Christi 320, ad sacra christiana transiere : *nimirum eorum pars, ut constat ex superioribus et ex mox dicendis.* Sozomenus (6) a monachis, qui in Mesopotamia philosophati sunt, notat « Syros fere omnes, et ex Persis ac Saracenis quam plurimos ad religionem christianam traductos, a superstitioso dæmonum cultu abstractos fuisse » (7). *Alibi, narrata breviter crudelissima persecutione Saporis II,*
F *quæ duravit annos quadraginta, et in qua tot christiani Persæ et Mesopotamii martyrio coronati sunt, hæc subjicit de ejus successore qui ab anno circiter* 380 *regnare cœpit :* Sub Ardasjiro, *seu Artaxerxe*, Saporis successore, pax ecclesiis reddita, et Seleuciensi throno (*distabat autem Seleucia ab Hira, seu Hirta, leucis hordriis circiter* 30), qui diu post Barbasemini martyrium vacuus fuerat, Tamuza, seu Tomarsa archiepiscopus impositus : *quod vel anno* 363, *vel juxta alios* 380, *post obitum Saporis, evenit.* Tamuzæ in reparandis ecclesiarum ruinis operam suam impendit Brichjesus, seu Bochtjesus diaconus, qui Mari Amroque, *historicis Nestorianorum,* testibus, sub Bahramo, seu Vararane, Saporis filio, cæsus fuit.

Perside, sæculo quarto,

91 Eodem Tamuza Seleuciensem sedem regente, claruit Abdas Dorkenensis, qui cœnobium Salibæ, seu crucis, apud Sansarum fluvium condidit ejusque discipulus Ebedjesus, qui alterum monasterium apud Hirtam (*seu Hiram, Arabum, Persis subditorum, regiam*) extruxit.

(1) Acta SS. tom. III Febr., pag. 132 et seq. — (2) Ad. ann. 309. n. 2 et 3. — (3) Tom. II, pag. 54 et 77. — (4) Theod. lect. hist. eccl. lib. II. — (5) Abulfeda, Descriptio Iracæ, v°. *Hira.* — (6) Lib. VI, cap. 34; cfr ibid. cap. 32, 33 et supra num. 62. — (7) Bibl. Orient. tom. III, part. 2, pag. 598.

A exstruxit. Nabathæos insuper (*i. e. ut videtur, Taghlebitas* (1), *ad meridiem Iracæ in extrema Arabia habitantes, quos Abulpharagius* Thaalabenses Scenitas *appellat* (2), *et christianos fuisse scribit*) et Matothæ ac Mesenæ (*Mesena insula est ad ostia Tigris et Euphratis, non procul a Basra*) incolas docuit; a Tamuza demum episcopus Dair-Meherak creatus, in Mesene obiit. Vixit Tamuza usque ad quartum annum Vararanis, hoc est Christi 392. Post biennium vacationis sedis, Cajuma, anno 395 ineunte, *Seleuciensem* episcopatum suscepit : quumque annos circiter quinque sedisset, in synodo episcoporum, cui S. Maruthas, *episcopus Tagritensis*, a Romanorum imperatore ad Iezdegerdem regem Persarum, anno 399 in Vararanis demortui locum substitutum, legatus intererat, sponte abdicavit, Isaaco sibi subrogato. Sapores *tertius*, Ardasjiri successor, nullam christianis molestiam creaverat. Vararanem autem *quartum*, ejus filium in christianos debacchatum fuisse, testatur præter Marim Amrumque Barhebræus, qui Cajumam
B in eo persecutionis æstu ecclesiam regendam suscepisse, quintoque post anno, reddita Ecclesiæ sub Iezdegerde pace, dignitatem episcopalem sponte dimisisse affirmat.

sæculo quinto, 92 *Laudat dein Assemanus multos episcopos et monachos, qui in Mesopotamia extremo sæculo* IV *claruerunt; inter quos enituit S. Maruthas, episcopus Tagritæ, dictæ hodiedum Tekrit, ad latus dexterum Tigris* (*latitud.* 34° 35′); cujus præclara facinora, *inquit Balæus, scriptor Syrus,* in Romano Persicoque imperio ad catholicæ fidei beneficium a Syris, Græcis, Latinis, literarum monumentis consignata sunt. *Quantum floreret tum temporis religio catholica in Mesopotamia australi patet ex synodis ibi habitis. Anno* 399, *Iezdegerdis primo, celebrata est synodus Seleuciæ, præsente S. Marutha. Tum etiam Babylone, leucis non plus quam duodecim ab Hira, instaurata est ecclesia in* lacu Danielis, *ut vocabant; quam Judæi in persecutione Saporis II vel forte Vararanis IV destruxerant; et ad latus ecclesiæ cœnobium conditum. Anno* 410 *iterum Seleuciæ facta est synodus episcoporum quadraginta, præsente si-*
C *militer S. Marutha, uti et decem post annis interfuit synodo quæ habita est Ctesiphonte, ad Tigrim, e regione Seleuciæ* (3). *Ex quibus aliisque episcoporum synodis apparet quantum sæculis* IV *et* V *in australi Mesopotamia, quæ Arabiæ adjacet, floreret religio catholica. Nec magnum detrimentum passa est ex persecutionibus Iezdegerdis I, Vararanis V et Iezdegerdis II; sed regnante Pheroze* (*Firuz*), *in Mesopotamia disseminari cœpere hæreses Nestorianorum et Monophysitarum : et quum Monophysitis faveret Græcorum imperator Zeno, Nestorianos fovere cœpit Pherozes; nec distinguens Monophysitas a catholicis, persecutus est utrosque.*

et sæculo sexto. 93 *Mitiores fuere subsecuti reges Balasch et Cavades, quo Amidam obsidente, vidimus* (*num.* 86) *Arabum Hirensium ducem unum e christianis fuisse. Et Cavades quidem post annum Christi* 506, *pace inita cum Romanis, seu Græco-Byzantinis, universis regni sui christianis favere cœpit, magis tamen catholicis quam Nestorianis, ut ex Abulpharagio discimus : quo animo fuit per annos viginti, seu donec circa annum* 527, *paulo ante Justini obitum, occœpit iterum bellum Romanos inter et Persas. Duravit autem illud usque annum Christi* 533, *Justiniani septimum, quo cum Cosroë I, Cavadis filio ac successore, pax iterum composita est. Istius principis, qui et Cosroës Anusjirvanus audit, et ab anno* 531 *ad* 579 *regnum tenuit Persarum, animus in christianos varius fuit, prout cum Romanis aut pacem colebat, aut miscebat bella. Inter expeditiones quatuor in imperium Romanum quas describit Procopius lib.* II, *in eos vel ipse immitis fuit, vel ejus minister, sæpe dictus Alamundarus III, homo magnanimus, sed crudelis. De pace convenit pluries, et in ea quam cum Justiniano iniit Cosroës, anno* 562, *liberam fore religionis christianæ professionem pollicitus est, ut ex Menandro discimus :* His ita decretis et confirmatis, *inquit,* separatim pacta sunt interposita de christianis qui in Perside vivunt, ut illis liceret templa construere, et sine ullo timore sacra peragere, et gratiarum actiones per hymnos Deo, sicut apud nos fieri solet, E
canere, neve cogerentur magicis cæremoniis interesse, aut invitos colere et venerari qui apud Medos deorum numero habentur. Neque tamen ideo christiani auderent conari magica sectantes in nostram religionem pertrahere. Obtinuit quoque, ut christianis potestas esset mortuos sepulcris condere, et illis ad nostrum morem justa persolvere (4). *Demum de Cosroë I scribebat Evagrius circa annum* 594 : Ajunt etiam illum, sub exitum vitæ, sacro regenerationis lavacro initiatum fuisse (5).

AUCTORE E. C.

De propagatione religionis christianæ per universam Asiam sæculo VI.

94 *Audiri meretur de religionis christianæ conditione in media Asia, ineunte sæculo* VI, *Cosmas Indicopleustes, qui diu mercatorem egit in India, Arabia, Æthiopia aliisque regnis, et topographiam scripsit circa annum* 540. *Notandum vero est eum hæreticos non discriminare a catholicis, et laudibus efferre solitum patriarchas Seleucienses, qui, dum scribebat, jamdudum facti erant Nestoriani. Quamobrem et ipsum horum hæreticorum placitis adhæsisse non immerito affirmant Lacrozius et Assemanus.* In Taprobana insula, *inquit,* (*seu insula Indiæ hodiernæ Ceylan dicta*), ad interiorem Indiam, ubi Indi- F
cum pelagus exstat, ecclesia christianorum habetur, ubi clerici et fideles reperiuntur : an ulterius etiam, ignoro. Similiter in Male, ut vocant, *seu in Cauca-Mali, hodiedum Cochin* (6), ubi gignitur piper. In Calliana vero, sic nuncupant (*Calliani, prope Bombay*) (7), episcopus est, in Perside ordinari solitus, *nimirum ab archiepiscopo Seleuciensi.* Similiter in insula quæ Dioscoridis vocatur (*Socotora*), in eodem mari Indico sita, cujus incolæ Græce loquuntur, suntque coloni a Ptolemæis Alexandri Macedonis successoribus isthuc deportati, clerici reperiuntur, ex Perside, ubi ordinantur, eodem transmissi : ibi etiam christianorum multitudo versatur. Cui insulæ adnavigavi, neque tamen eo descensum feci; verum cum quibusdam ejus incolis Græce loquentibus colloquia miscui, qui in Æthiopiam proficiscebantur. Itemque apud Bactros, Hunnos, Persas, reliquos Indos, Persarmenos, Medos, Ela-

(1) Ritter, Erdkunde, tom. X, pag. 64 et seq. — (2) Ap. Assem. tom. III, part. 2, pag. 599 et 607. — (3) Bibl. Orient., tom. III, part. 2, pag. 59 et seqq. — (4) Excerpta e Menandri historia, pag. 363. Bonnæ 1829. — (5) Evagr. lib. IV, cap. 28. — (6) Ritter, Erdk., tom. V, pag. 587. — (7) Ritter, ib., pag. 667; tom. VI, pag. 29.

AUCTORE E. C.

mitas, atque in tota Persidis regione ecclesiæ infinitæ sunt; episcopi item christianique populi magno numero, martyres multi, monachi et hesychastæ (*hoc est* silentiarii; *quo nomine solitarios, eremitas et inclusos significat*) : similiterque in Æthiopia, in Axumi et in universa circum regione. Apud Arabas quoque felices, qui jam vocantur Homeritæ, in universa Arabia, Palæstina, Phœnice... Itemque in hyperboreis partibus... Hispanorum, Romanorum, Francorum *etc.* (1).

Vulgi conditio initio schismatis, aut hæresis,

95 *Verum quæritur num Arabes Hirenses, qui Persis erant subditi, catholici fuerint; quum subessent utrique archiepiscopis Seleuciensibus; qui ab anno* 498 *vel* 499 *Nestoriani fuerunt* (2). *Quum hic de ineunte sæculo sexto et regno Almundari III, atque ipsis in archiepiscopatu Seleuciensi hæresis Nestorianæ initiis sermo sit, usurpare licet quæ scribebat Papebrochius de fide Russorum, eo ævo quo nunc cum Græcis nunc cum catholicis sentiebant, pro libitu episcoporum* (3) : Unde intelligimus, *inquit,* quam nihil vulgus sciat de schismate, deque articulis in fide controversis, per acceptam a majoribus traditionem domi potius privatim, quam publice in ecclesia discens sola illa, atque utinam integra, fidei capita, quæ sunt ad salutem necessaria. *Atque addi potest, dum episcopi hæretici catholicorum sedes invadunt, vulgus non tantum non subito fieri hæreticum, sed nec schismaticum initio; et usu venire etiam* B *quæ scribit Baronius de aliquo schismate monachorum Cassinatum :* Non simul, *inquit,* ac abbas vel episcopus aliquis schismaticus est, necesse est omnes sibi subditos pariter esse schismaticos. *Locus integer supra recitatur in hoc ipso tomo* (4).

idque obtinuisse ostenditur in Perside

96 *Simile quid evenisse in Perside et vicinis regionibus, docemur ex iis quæ scribit Menander de Sebochte, Persa, et religionis christianæ cultore; qui a Cosroë I ad Justinum juniorem missus est, postquam Armeni et Iberes, a Persis deficientes, ad Romanos transierant : cujus legationem anno Christi* 571 *contigisse perhibent. Ejus enim oratio, ut apud Menandrum coævum legitur* (5), *ostendit* (*verba sunt Assemani senioris*) (6) *christianos in Persarum re-*
C *gione tum constitutos, pleramque partem orthodoxos fuisse :* Justinus vero palam dixit, se Persarmenios, qui a Persis defecissent, in fidem tutelamque suam recepisse, neque si quis eos injuria afficeret, neglecturum, quippe qui eadem, quæ ipse, de religione sentirent. Sebochthes autem, qui apud Persas prudentia excellebat, cum eamdem, quam christiani, de religione opinionem haberet, etiam atque etiam vehementer Justinum orabat, ne ea, quæ se bene haberent, moveret... Etenim ut Persarum regionem invaserint (*scilicet Romani*) et vel brevissimo itinere (μικροτατον ὁδοιποριας, *ut recte Niebuhrius, loco* μακροτατον ὁδ.) processerint, eos compertum habituros, omnes non alio ritu religionem, quam ipse colat, colere et amplecti. Hos si occidere susceperint, nihilominus postea longe ipsis inferiores fore. Proinde injuste contra christianos enses esse stricturos, qui eadem sentiant cum illis : οὐ δητα οὐν χρεων κατα χριστιανων τους ὁμοδοξους θηγειν τα ξιφη. *Habebat versio vetus Cantoclari :* D Etenim injuste contra christianos orthodoxos enses strinxerint; *quam assumpserunt Pagius et Assemanus. Sed versio accuratior Niebuhrii non efficit sensum novum, quum sciamus Justinum juniorem fidei catholicæ fuisse tenacem, et nisi Persæ christiani magnam partem catholici fuissent, sic Sebochthen legatum coram imperatore non fuisse locutum. Quæ si anno* 571 *dicere potuit, multo magis vera fuerint oportet eodem sæculo ineunte, dum Almundarus III Hiræ regnare cœpit.*

et regno Hirensi sæc. VI : *hæresis Nestorianæ incrementa.*

97 *Atque ex his aliisque hujusmodi satis fit manifestum Persidis septemtrionalis christianos diu catholicos mansisse; sed eos qui Seleuciæ, sedi patriarchali Nestorianorum, erant viciniores, citius lue hæretica cœpisse infici. Fuerunt procul dubio christiani Hirenses dudum catholici; nam fidem edocti sunt tertio, quarto et quinto sæculo, maxime Hiræ regnante Naamane seu Nooman I, extremo sæculo quarto; quo tempore, sedem Seleuciensem obtinente Tamuza* (7), *ab Ebedjesu apud Hiram, seu Hirtam, monasterium ædificatum esse diximus* (*n.* 91). *Verum circa annum* 502, *Abraham Cascarensis,* E *cælibatus inter monachos Nestorianos instaurator, aliquamdiu Hiræ versatus est, et suæ sectæ doctrinas prædicare non omiserit. De quo scribit Amrus in Vita Babæi pseudo-patriarchæ Seleuciensis :* Per ea tempora innotuit Mar Abraham, Cascarensis, præstantium monachorum pater... Deinde Hirtam migravit, cujus incolas ab idolorum cultu reduxit (8). *Circa idem tempus Mar-Abas, Græcis Patricius dictus, quem plurimum laudat Cosmas Indicopleustes, majorum superstitiones ejurans, Hiræ baptizatus est, et anno* 536 *electus est pseudopatriarcha Seleuciensis. De quo tamen non constat, ab initio abjectæ idololatriæ et antequam cum Thoma Edesseno esset versatus, catholicum non fuisse. Sed audiendus hoc loco, de fide Persarum, Simeon episcopus Beth-Arsamensis, qui Almundaro coævus fuit, et cujus in superioribus multoties occurrit mentio. In epistola de hæresi Nestorianorum, quam scripsit paulo post annum* 518, *memorata gloriosa synodo episcoporum quadraginta ditionis Persarum, quæ sub S. Marutha Tagritensi est habita, et a qua fides* F *orthodoxa sancita est :* Quam denique sequuntur modo, *inquit,* ratamque habent triginta ac tres episcopi regionis Gurzan (*i. e. Khorazan, prope mare Caspium*) cum regibus et magnatibus suis; necnon triginta ac duo episcopi majoris Armeniæ Persarum, cum marzabanis suis (*nomen est dignitatis militaris*) : et cum reliquis episcopis et christianis regibus..... Idcirco segregavimus nos a communione Nestorianorum ab anno Pherozis regis vigesimo septimo (*qui in annum Christi* 484 *incidere videtur*) usque in præsentem diem, eisque anathema diximus ac dicimus *etc.* (9).

De Almundaro III rege Hirensi; quantum

98 *In his episcopos nullos Chaldææ catholicos laudat Simeon; et quum sciamus eum caput orthodoxorum fuisse in dicta regione, verisimile est ibi præsules catholicos tum vel paucos jam fuisse, vel nullos, eamque Nestorianismo magnam partem fuisse deditam : tum ipsum Almundarum III si initio regni, id est, circa an-*

(1) Cosmas Ind. ap. Migne, Patrol. græc., tom. LXXXVIII, col. 170. — (2) Bibl. Orient., tom. III, part. 2, pag. 80 et passim. — (3) Acta SS. tom. I Maji., pag. v, n. 18. — (4) Supra, pag. 166 n. 29. — (5) Pag. 315. Bonnæ 1829. — (6) Bib. Orient., l. c. pag. 91. — (7) Bibl. Orient., tom. III, pag. 613 et seq. — (8) Ibid. part. 2, pag. 873. — (9) Ibid. tom. II, pag. 357 et seq.

num

A *num* 513, *sacris christianis nomen dedit, fuisse Nestorianum. Attamen præterquam de eo nihil habet Theodorus Lector, ex iis quæ de legatione Simeonis Beth-Arsamensis ad hunc ipsum principem inferius sunt dicenda, apparebit etiam in Perside australi et regno Hirensi tum temporis non defuisse catholicos, saltem inter vulgus. Ad Almundarum quod attinet, eum deinceps in expeditionibus suis perpetuo gentilem se exhibuisse nullatenus dubitari potest; licet Baronius* (1) *aliique, freti Theophanis et Nicephori testimonio, eum simpliciter christianum factum esse dicant. Quanta vero mala deinceps orientis imperio intulerit ad annum usque* 562, *quo in insidiis ab Harith-el-Aradj, seu Aretha V, Ghassanidarum rege, ei structis, occisus est* (2), *Procopius in historia belli Persici litteris mandavit:* Nam cum prudentia, *inquit*, tum rei bellicæ peritia singularis, et constantissima in Persas fides, et strenuitas eximia Alamundarum commendabant. Per annos is quinquaginta (*regnavit Mundhir III ab anno* 513 *ad* 562) rem pessum Romanam dedit, et in genua, ut ajunt,
B coegit succidere. Etenim ab Ægypti finibus excursiones inceptans, totum illum continenter tractum usque in Mesopotamiam pervolabat prædabundus, agebat ferebatque omnia, ædificia quæque obvia delebat igni, myriadas multas abripiebat hominum, quorum maximam partem necabat ex tempore, reliquos magna pecunia commutabat. Nec offendebat venientem ex adverso quemquam. Neque enim erumpebat unquam inexplorato; sed tam repente tamque in primis apposite ad consilium, ut plerumque cum præda jam se recepisset, quando duces et milites primo rei accepto nuntio, contra tendere instituebant. Sic ubi illum forte assequerentur, in persequentes se obvertebat barbarus, et imparatos adhuc inordinatosque adortus fundebat facile ac profligabat.

imperio Romano nocuerit. 99 Factum est aliquando ut qui ipsum insectabantur, vivi omnes in potestatem ejus venerint, non milites modo, sed duces etiam, Demostratus (*alias Timostratus*) Rufini frater, et Joannes, Lucæ filius, qui luculento postea pretio se redemerunt. In summa, molestiorem
C illo hostem passi nullum Romani sunt; idque eo fiebat, quia regio cum imperio unus omnibus præerat Saracenis, qui regni Persici finibus continentur, et in quamcumque vellet Romanæ ditionis provinciam toto cum exercitu irrumpere poterat. Nemo autem vel eorum quibus milites Romani parent (hos duces vocant), vel ex illis qui Saracenis, Romanorum fœderatis, *i. e. Ghassanidis*, præsunt et appellantur phylarchæ, cum suis copiis valebat Alamundaro se opponere; propterea quod singularum regionum præsidia hosti viribus cedebant. Idcirco Aretham Gabalæ filium (*seu Aretham V, filium Djabalæ III, regis Ghassan*), Saracenorum Arabum principem, quamplurimis tribubus Justinianus Augustus præfecerat ac regia dignitate auxerat, novo inter Romanos exemplo. Nihilo tamen minus, imo etiam gravius Romanam rem Alamundarus atterebat, quum eam Arethas in quavis irruptione et pugna vel statim proderet, vel ageret infeliciter: necdum enim sat liquet. Ita accidit ut totum orientem Alamundarus populatus sit perdiu; quippe qui longissime vitam produxerit (3). *Quæ omnia ex ipsis Arabum historicis confirmantur* (4). *Hic obiter noto libros Procopii de rebus Persicis vulgatos minime esse ante annum* 552, *ut Alemanus* (5) *autumat: ac insuper libros tres priores de bello Gothico, vivente Theodora imperatrice, seu ante annum* 548 *Procopium scripsisse* (6); *ac postmodum libros de rebus Persicis; quum in his mortem Theodoræ* (7), *tum, ut vidimus, ipsius Almundari memoret: quem post annum* 552, *lib.* IV *Gothicorum* (8), *ab Aretha et Ghassanidis vexatum fuisse scribit. Sed ut ad propria redeamus, his disputatis de progressu religionis christianæ in regnis Ghassan et Hira, et suppletis breviter quæ in opere nostro deesse videbantur, jam historiam ecclesiasticam Homeritidis prosequimur; at siquidem monumenta vix ulla supersunt, quæ inter Ghassanidas et Hirenses sunt gesta (quum fuerint ex Homeritis geniti et cum iis perpetua negotiatione usu et lingua conjuncti), docebunt*
E *nos religionis christianæ asseclas in Arabia orientali et australi sæculis* IV *et* V *deesse non potuisse. Quod si difficilius fidei semina ad oram occidentalem mediæ Arabiæ penetrarint, adscribendum id est viciniæ templi Meccani, quod dudum ante Mahumetem inter Arabas celebre fuit.*

AUCTORE E. C.

§ IX. Conversio Negranensium ad fidem christianam ejusque tempus; Dhu Nowasus, seu Dunaan regnum Homeritarum adipiscitur: fit judæus.

Narratio de introducta fide in civitatem Negran, ex Tabrio, seu Taberita.

P*ost ea quæ de Theophili Indi itinere ad Homeritas e Philostorgio descripsimus, et pauca quæ de eorum regibus Marthado et Wakia addidimus, monumentum nullum prodit historiæ christianæ Arabiæ interioris usque ad sæculum sextum: præter narrationem aliquam a scriptoribus mahumetanis traditam. Continet illa historiam*
F *conversionis civitatis Negran, quam S.* Arethæ *martyris palæstram esse novimus, a gentilitate ad fidem christianam. Quæ licet fabulis permixta sit, hic non est prætermittenda. Refert Tabrius, seu Taberita, sæculi noni scriptor, in libro Tarikh al moluk, quem B. D'Herbelot Tarikh al Tabari vocitavit, cives Nedjran, seu Negran, dudum, ut ceteros vicinos Arabas, idololatriæ fuisse deditos; de quorum cultu hæc singularia perhibet:* Habebant, *inquit*, extra civitatem arborem palmam, crassam valde; et singulis annis, statuto die, festum solemne celebrabant: eodemque circa arborem conveniebat omnis multitudo, et illam pannis opere phrygio splendide contextis operiebant, allatisque idolis suis, cuncta sub ea deponebant. Hanc quoque sacris ritibus supplicantes circuitu obibant, precesque fundebant. Tum spiritus malus, vel dæmon, e medio arboris

(1) Martyrol. Rom. ad 19 Febr. in notat. — (2) Caussin, Essai, tom. II, pag. 115. — (3) Procop. de bello Persic. lib. I, cap. 17. Tom. I, pag. 88. Bonnæ 1833. — (4) Caussin. tom. II, pag. 88 et seqq.; Wright, Christianity in Arabia, pag. 85, 101 et seqq. — (5) Procop. edit. Bonn. tom. I. pag. XXV. — (6) Histor. arcan. cap. 16, pag. 96, edit. Bonn. et De bello Gotth. lib. I, cap. 4, pag. 23, edit. Bonn. — (7) De bello Pers. lib. II, cap. 30, pag. 300, edit. Bonn. — (8) Cap. XI, pag. 507, edit. Bonn.

AUCTORE E. C.

eos alloquebatur; et quum eam essent reveriti, domum redibant (1).

ex libro Sirat errasul et Ibn-Khaldun;

101 *Accidit postmodum, ita idem Taberita prosequitur, ut vir quidam Syrus, nomine Faymun, vel Faymiyun (non vero Kaymun cum litt. qaf, ut legitur ap. Ouseley), ex genere apostolorum Jesu, veniret in Arabiam, et incidens in latrones, in terra Nedjran ut servus venderetur. Hic ejus incolas, edito præsertim insigni miraculo, ab idololatria ad fidem veram traduxit. Sed brevius quam par est hæc narrantur in iis quæ ex Taberita excerpsit W. Ouseley; et jam, prolatis nonnullis ex antiquissimo nobis noto auctore, qui hac de re scripserit, deinceps sequemur notissimum librum Sirat-errasul, et præclarum historicum Ibn-Khaldun. Vivebat in Syria, inquiunt, vir pius, nomine Faymiyun, qui mundo renuntiaverat et sectabatur religionem Jesu. Sine intermissione peregrinabatur; nam ubi primum increbuerat alicubi laus virtutum, aut gratiæ innotescebant quas orationibus suis cœlum rependebat, festinans alio transibat. Non edebat nisi quod labore suo erat adeptus; diem*

B *dominicam colebat religiose, ab omni opere manuali abstinens sese. Vir quidam, nomine Salih, quem magna incesserat admiratio ejus sanctitatis et meriti, factus ejus discipulus, ejus sese devoverat ministerio. Quocumque Faymiyun adveniebat, mox curabat ægros orationum suarum efficientia.*

in qua a quodam Faymiyun, Syro, id factum esse perhibetur.

102 *Demum tractus fugiens, in quibus gratia curationum ei molestam creaverat celebritatem, in partes Arabiæ venerat, comite Salih; quando agmini Scenitarum, seu Beduinorum, obviam factus, simul cum socio captus est. Abductique sunt ad civitatem Nedjeran, ibique divenditi. Traduntur hic eadem in dictis libris de idololatria Negranensium et cultu arboris palmi, ac e Taberita descripsimus. Dein ita prosequuntur: Emptus est vero ab uno e primoribus civitatis, quocum habitavit. In cujus domo, quando circa vesperam in conclave sibi assignatum recedebat, et orare cœperat, conclave collustrabat lumen cœleste. Ejus dominus, quum semel nocte media prodigium vidisset, obstupuit, et quibus sacris esset deditus, sciscitatus est. Respondit se christianum esse. Cultus autem vester, inquit, error*

C *supinus est. Palmus ista vim nullam habet, et concideret subito, si contra eam Deum cui servio, invocarem. Deus meus solus Deus est, ad quem pertinent absque divisione imperium et majestas. Invoca igitur eum, dominus exclamat, destruat quod colimus nos, et ecce tecum christiani sumus. Tum Faymiyun mundavit sese; et prece fusa, immisit Deus ventum urentem, quo palmus ad radices usque exsiccata est et eversa. Quo viso ejus dominus, et post eum plerique concives ad religionem christianam sunt conversi (2). Dicit vero Taberita, arborem cum radice et frondibus prece erutam fuisse e terra; et tanto miraculo conversum esse subito populum, dejecisse idola sua omnia, et factos esse fervidos discipulos Jesu.*

Narratio altera, ex iisdem scriptoribus mahumetanis;

103 *Legitur et alia historia hujus conversionis, in pluribus diversa. Magus dicitur fuisse in viculo quodam, non procul a Nedjran, qui artem suam adolescentes civitatis edocebat. Vir quidem sanctus qui ab Ibn-Ishak, in libro Sirat-*

D *errasul, similiter Faymiyun appellatur, e regione longinqua adveniens, viculum inter et civitatem tentorium fixit. Quem adolescentium unus, nomine Abdallah, filius Thamir, missus a patre ad magum cum ceteris, ut ejus artem disceret, juxta tentorium transiens, orantem vidit et prostratum. Spectaculo motus, factus est sancti discipulus, unitatem Dei agnovit et veram fidem professus est. Tum christiana doctrina plane imbutus, magistrum rogavit, quodnam, inter nomina Dei, nomen magnum (3) esset, quod operabatur miracula. Respondit magister: fili fratris mei, mysterium hoc sublimius est quam ut debilitati tuæ possit concredi. Verum Abdallah, animum non despondens, quod curiose simul et ambitiose nosse appetebat, per seipsum reperire tentavit. Sumptis sagittis, iis nomina Dei, quæcumque sciebat, inscripsit, et unam post aliam immisit in ignem. Consumptæ sunt omnes, una excepta, quæ nomen magnum inscriptum ferebat; hæc extra ignem se projecit, nihil læsa.*

in qua Negranitarum conversio Faymiyuni discipulo Abdallæ potissimum adscribitur.

104 *Sic edoctus est Abdallah nomen Dei magnum; illudque reperisse se illico nuntiavit suo magistro. Ita quidem est, fili fratris mei, respondit ille, quod abscondebam invenisti. Retine tibi hanc scientiam tuam, neque ea utere. Verum dubito ut consilio meo sis obsecuturus. Reapse ubi primum Abdallæ occurrebat infirmus, Visne ejurare idololatriam, inquiebat; Deum invocabo, et tibi valetudinem dabit integram. Acquiescebat æger, fidem profitebatur evangelicam, et mox Abdallæ precibus curabatur. Sic Negranenses omnes, qui infirmitate aliqua valetudinis laborabant, sanitati restituebantur et nomen dabant cultui Abdallæ. Princeps, qui Negranæ dominabatur, quum didicisset quantum promoveretur cultus novus, accersito Abdalla, Animos pervertis, inquit, et religionem patrum nostrorum convellere tentas; ideo mereris mortem. Tum dejici eum jubet, capite deorsum, ex monte excelso et abrupto. Re peracta, surgit Abdallah salvus et incolumis. Dein projici eum jubet princeps in aquæ gurgitem; et iterum integer excedens Abdallah, Contra me nihil poteris, inquiebat, donec abnegaveris idololatriam, et Deum, quem prædico, reveritus fueris. Tum princeps, enuntiata fidei professione, quam* F *sibi Abdallah proponebat, hunc strictim baculo, quod manu tenebat, percutit. Concidit Abdallah exanimatus, statimque moritur et ipse princeps. Negranenses igitur plerique, tot conspectis prodigiis, veram esse religionem Abdallæ agnoverunt et sacra christiana amplexi sunt.*

Hunc eumdem esse plures arbitrantur cum Aretha *martyre; unde conversio cœpisset circa an.* 450.

105 *Dicunt scriptores alii apud Ibn-Khaldun et in libro Sirat-errasul, Abdallam, filium Thamir, inter hæc prodigiosa experimenta vivum esse servatum; et Negranensium fuisse ducem ac pontificem, quando Dhu-Nowasus ut ejurata fide Christi, legem Moysis amplecterentur, eos cogere voluit. Ex qua sententia, quam tenet pars major scriptorum Arabum, sequi videretur Abdallam esse ipsum* S. Aretham *nostrum; a quo non abhorret recens Arabum historicus, idemque jam pridem docuerat Walchius (4). Etenim satis veri simile est, inquit cl. Caussin, Abdallam, filium Thamir, fuisse ex gente Harith Ibn Caab, quæ Negranæ jam dudum principatum gerebat; sicut*

(1) Tabri ap. W. Ouseley, Travels in various countries of the east. tom. I, pag. 369 et seq. London 1819. — (2) Ap. Caussin, tom. I, pag. 124 et seq. — (3) Cfr Reinaud, Monum. Musulm., tom. II, pag. 20. — (4) Novi Comment. soc. reg. Gottingensis, tom. IV, part. II, pag. 54. Gotting. 1774.

veri

A *veri simile est* S. Aretham, *qui a Simeone Beth-Arsamensi filius* Caleb *dicitur* (1), *ex dicta gente fuisse. Hæc non improbo; miror tamen a nullo historico Arabe Abdallam, filium Thamir, asseri genti Harith Ibn Caab, quæ notissima erat et cujus mentio est in historia Mahumetis. Deinde resecandæ sunt profecto stolidæ fabulæ quibus mahumetani hanc historiam adornarunt. Demum quum scribere non cœperint historici Arabes nisi pluribus post sæculis* (*licet patriæ annales diligenter memoriæ mandarentur*), *suspicor conversionem Negranensium ad recentius ævum quam par est, retractam esse. At demus eumdem esse Abdallam, filium Thamir, cum* S. Aretha *martyre, minime admittendum tamen quod scribit Ibn Omar Sjah in libro Kitab-ennucat el-Mutriba, omnia gesta esse non multo ante quam Dhu Nowasus seu Dunaan cum valido exercitu Negranam expugnare tentarit, seu non multo ante annum* 523 : Dhu Nowas, *inquit*, quum didicisset virum quemdam qui ex Syria advenerat... religionem inter Negranenses propagasse, instructo exercitu, contra eos profectus
B est (2). *Etenim* S. Arethas *anno* 523 *annos natus erat* 95, *et si idem sit cum Abdalla, quum is in juventute monachum Faymiyun magistrum habuerit* (3) *et cum aliis multis Negranensibus factus sit christianus, sequitur Negranenses conversos esse ad fidem circa medium sæculum* V. *Idque firmatur quum ex verbis* S. Rumæ *sive* Rumi, *genere Negranensis et martyris, quæ dicebat anno* 523, *mulieres Negranenses alloquens:* Christianam me esse, et genus, et proavos meos nostis (4); *tum ex dominatu regum Auxumis qui jamdudum erant christiani* (5). *Firmatur vero maxime e notabili loco synaxarii Æthiopici, dicti* Senkessar, *de quo infra redibit sermo. Sanctum enim* Aretham *tyrannum Dunaan seu Dhu Nowasum hisce verbis alloquentem hic liber inducit :* Anni sunt septuaginta et octo ex quo adoro Jesum Christum Dominum meum, et ad quartam generationem perveni. *Suo loco apparebit* senkessar *Æthiopicum, in his quæ de* S. Aretha *perhibet, accuratissimum esse. Insuper Æthiopes multi, dum sanctus martyr passus est, Negranæ degebant, ac duobus post annis illic iterum principatum*
C *tenuerunt. Non cernitur itaque cur his quæ a scriptore Æthiope hoc loco produntur, fides adhibenda haud esset; quum ceteroqui apprime concinant cum his quæ probatis e fontibus hucusque protulimus. Quapropter dicimus cum* senkessar *Æthiopico, quando passus est* S. Arethas, *seu anno, ut ostendetur,* 523, *eum ab annis* 78 *christianum esse factum; id est, conversionem ejus adscribendam esse anno circiter* 445 : *juvenis vero erat tum temporis annorum* 17. *Quam ob rem, dum conjicit Sacyus* (6) *factam esse Negranensium conversionem ineunte sæculo* VI, *aut paulo ante, intelligendum id est de conversione publica gentis, at minime de conversionibus singularibus civium, quæ a multis annis absque intermissu fiebant. Etenim anno* 523 *Negrana magnam partem christiana erat; ac scimus conversionem gentis alicujus non fieri intra paucos annos. Hanc vero ipsam contigisse, seu Negranenses fidem christianam primum publice professos esse arbitror sub initium regni Dhu-Nowasi; quem Sacyus ab anno* 480, *Caussinus vero, qui penitius Arabum veterum historiam inspexit, ab anno* 490 *regnare cœpisse scribit.*

AUCTORE E. C.

106 *Et quidem Negranæ et in vicinia multum propagatam esse religionem christianam tunc primum censeo, quando rex Axumis, Caleb, alias Elesbaas, aut potius ejus pater Tazena* (7), *profligato Dhu-Nowaso, qui in Yemanæ montibus se abdidit, huic pæninsulæ parti, ut deinceps videbitur, dominari cœpit. Quod Romano-Byzantinis imperante Anastasio, qui ab anno* 491 *ad* 518 *tenuit imperium, evenisse in primis est verisimile. De Himyaritarum enim, seu Himyarenorum conversione ad religionem christianam hæc scribit Theodorus Lector, Historiæ ecclesiasticæ lib* II : Immireni gens est Persis subjecta, ad extremos noti fines habitans. Et ab initio quidem judæi fuerant, jam inde a regina austri, quæ ad Salomonem olim venit. Postea gentiles facti sunt. Anastasii vero temporibus christianam religionem amplexi sunt et episcopum acceperunt. *Crediderim ego hic nihil aliud significari quam victoriam primam a rege christiano Elesbaa, vel ejus patre Tazena in Homeritide reportatam, ac inde consecutam illic religionis christianæ professionem publicam, et conversionem multorum. Quam sententiam suadent alia non pauca; et maxime ipsa rerum series historica, quæ jam paulo altius repetenda est et stabilienda.*

Sed maxime id factum circa an. 500.

107 *Regnare cœpit Dhu-Nowas vel Dhu Nawas quem Græci plerique Dunaan, Syri Dimionem vocant, ut dictum est, anno circiter* 490. *Non pauca de illo perhibent scriptores mahumetani; et quum auctor fuerit martyrii Negranensium, quod non modo in Arabia, sed in oriente universo celeberrimum est, ex suæ gentis historicis innotescere meretur. Hæc primum, de facinore quo regnum obtinuerit Homeritarum, narrat Nuweirius. Regnabat in Homeritide Laknia Dhu Sjenatir, e familia regia non oriundus, vir impudicus et fœdo flagitio sodomiæ deditus.* In hoc nefando more, *inquit Nuweirius,* diu perseveravit donec juvenis, regio sanguine Homeritarum cretus, exstitit, cui nomen Zura Ibn Kaab, cognomento Dhu Nowas (i. e. dominus cincinni), sic appellatus quod geminum gestaret cincinnum, qui super humeris ejus fluctuabat. Hunc, e morbo decumbens, arcessi jubet, F
id commissurus quod in aliis sæpe patrarat. Ille cultello, sub plantam pedis abscondito, se munit; in regem, secretum cum eo captantem, insiluit Dhu Nowas, occisumque capite truncat. Habebat rex fenestram, unde prominere solebat, seque famulorum turbæ ostendere, *patrato flagitio,* dentifricium ori suo indens. Id instrumentum ori quoque ejus inserens Dhu Nowasus, caput in fenestra, unde super suos despectare solitus erat, collocat...

Dhu Nowasus, occiso tyranno Sjenatir,

108 Himyaritæ dein, re cognita, summam rerum suarum Dhu Nowaso unanimi consensu detulere, dictitantes : Omnino æquum est ut hunc nobis regem constituamus; quippe qui nos ab hoc improbo fecerit respirare. Sic regnum adeptus Dhu Nowas Zura hicce; atque in absoluto imperio confirmatus, cultum idolorum repudiavit, religionemque judaïcam amplexus, cædibus grassari cœpit adversus eos qui in Yemanensibus provinciis fidem Jesu, filii Mariæ, super quibus faustæ sint

regnum adipiscitur Homeritarum; et ejurata idololatria, fit judæus.

(1) Infra § XIV. — (2) Ap. Caussin, tom. II, pag. 128. — (3) Supra n. 103. — (4) Infra § XIII. — (5) Cfr supra n. 54 et n. 113. — (6) Mém. de littérat., tom. L, pag. 290. — (7) Supra n. 54.

AUCTORE E. C.

comprecationes, sectarentur, eique obsequi detrectarent. *De conversione Dhu Nowasi ad religionem judaïcam has miscet fabulas idem scriptor.* Quod autem judaismo nomen dederit, hæc est causa : Erat Himyaritis templum igni sacrum, in quo erant et idola eorum. Ex illo igne prodire solebat collum, ad duas usque parasangas (*chiliometra undecim*) extensum. Hac occasione accedentes judæi quidam, Heus, rex, inquiunt, collum hocce ex igne protensum, est Satanas. Ille hoc sibi demonstrari cupit. Tum legis volumen depromentes, legere occœperunt. Ibi subito retractum illud collum, atque ignis quoque restinctus. Dhu Nowasus, miraculo perculsus, ad fidem judaïcam accessit (1).

Judaïsmum non Yathrebæ, sed in Yemana amplexus vedetur.

109 *Referunt hoc idem alii scriptores mahumetani de Asad Abu Carib, qui primus e regibus Homeritis, religionem judaïcam professus est, eamque in regnum suum introduxisse perhibetur (supra n.* 26). *Aliter et majori cum verisimilitudine conversionem Dhu Nowasi ad judaïsmum narrat Hamza Isfahanensis :* Est autem Dhu Nowasus, *inquit*, celebris ille Dominus fossæ (*in Alcorano memoratus*), quique in Yemanensi regione homines ad judaïcam religionem compulit. Nempe descenderat Yathrebam, *Medinam postea dictam,* quum illac iter haberet; eique arriserat judaïsmus, quem et suscepit. Tum instigarunt eum judæi Yathrebenses ut bello aggrederetur Negranensem civitatem, atque christianos vexaret, qui sedem ibi habebant (2). *Non negat A. P. Caussin iter Dhu Nowasi ad Yathreb, sed institutum fuisse arbitratur ad defendendos Judæos Yathrebenses adversus tribus quasdam idololatras, dictas Aus et Kharadj* (3); *Dhu Nowasum vero in ipso regno suo, in quo tot erant judæi, eorum placitis nomen dedisse autumat.*

B

§ X. Origo bellorum Æthiopas inter et Homeritas; Paulus episcopus Negranensium; S. Elesbaas rex Æthiopum; ejus et Dhu Nowasi varia nomina apud scriptores.

C

Ελλησθεαιος *Procopii idem est cum Elesbaa ceterorum. Bellorum*

Verisimile est Dhu Nowasum, mox a transgressu ad religionem judaïcam, christianos vexare cœpisse et sic orta esse bella cum rege Æthiopum. His regnabat tum temporis vel Tazena, vel ejus filius Elesbaas, quem Procopius christianæ religionis cultorem eximium *fuisse scribit. Causam bellorum distinctius significat idem historicus; qui tamen expeditiones minimum duas Elesbææ in unum conflavit : a quo etiam Elesbaas, seu Elesbœus,* Ελλησθεαιος *est dictus; manifesto errore codicum Græcorum, in quibus facillime litera* θ (*nam sic antiquitus scribebatur*) (4) *loco* ϵ *potest legi. Addendum hujusmodi lectionem ipso forte ævo Procopii, aut non multo post, jam obtinuisse; siquidem in omnibus operum editionibus est obvia. Quam codicum emendationem primus obiter proposuit Michaël Lequien* (5); *sed ignorata est docti viri suggestio, eamque sæculo sequenti viator Anglus Henricus Salt, nihil dubitans, innovavit* (6). *Quod mirere, ipse Saint-Martin, non concivi suo, sed viatori Anglo, emendationem gratulatur* (7). *Jamdudum autem adverterant plurimi, quæ Procopius de Hellestheæo narrat, eadem prorsus esse cum iis quæ de Elesbaa reliqui scribunt. Audiatur jam historicus ille bellorum Persicorum, paucis verbis plures expeditiones regis Æthiopum complexus :* D

Æthiopas inter et Homeritas causæ et tempus.

111 Sub tempore hujusce, cum Persis belli, *quod imperante Justino gerebatur,* Hellestheæus, Æthiopiæ rex, christianæ religionis cultor eximius, quum audiisset Homeritarum, qui in adversa continente degunt, non paucos genere judæos, multos etiam priscæ superstitioni, quam hodie græcanicam vocant, addictos, illius oræ christianis tributa supra modum imponere, classe copiisque collectis, eo bellum portavit, commissoque prælio victor, magnum Homeritarum numerum, ipsumque adeo regem vita spoliavit (8). *Imperium tenuit Justinus ab anno* 518. *Sed quum in quibusdam non satis accuratus hic sit Procopius, et aliunde Acta nostra, quæ in plerisque veridica esse ostendemus, dicant fuisse* bella continua inter regem Æthiopum et regem Homeritarum; *dein fugatum esse Dhu Nowasum, seu Dunaan, ad tractus montanos : et satis manifeste significent, anno quinto Justini, Christi* 522, *exiisse Dhu Nowasum e montibus, et devicto duce Æthiope, persecutionem exorsum esse adversus christianos, in qua die* 24 *octobris anni* 523 *passus est S.* Arethas : *apparet bella cœpisse Dhu Nowasum inter et Elesbaan, vel initio imperii Justini, circa annum* 518, *vel potius dudum ante, imperium tenente Anastasio. Ad quod posterius præferendum movent me tum quæ infra sumus ostensuri, Homeritidem, aut partem ejus dudum fuisse Æthiopum tributariam diuque ab iis reges suos accepisse, tum verba Theodori Lectoris, quæ supra recitavimus :* Anastasii vero temporibus, *inquit*, christianam religionem amplexi sunt *Homeritæ,* et episcopum acceperunt. E

De Paulo Negranensium episcopo; num hi alios ante eum habuerint incertum.

112 *Designatur hic forte episcopus Paulus, de quo scribitur in Actis nostris n.* 5 : Jussit *Dunaan* congregari omnes, et ostendere ei Paulum episcopum civitatis. Duces autem omnes responderunt obiisse eum a biennio; et non credidit illis, sed mittens ad locum in quo jacebat venerandum ejus corpus, effossis ossibus, jussit ea igni tradi et cineres palis projici in aërem. *Contigere hæc mense octobri anni* 523; *ex quo sequitur obiisse Paulum episcopum anno* 521; *et civitatem Negran (quod ejus obitus Auxumi et verisimiliter etiam Constantinopoli innotescere debebat, ut deinde episcopus alius a patriarcha Alexandrino mitteretur) annis duobus absque pastore fuisse. Hujus episcopi, qui ante annum* 521 *a Dhu Nowaso, aut ejus asseclis noscebatur, anno* 523 *iidem ignorabant obitum; idque tribuendum duco recessui Dhu Nowasi, post cladem acceptam ab Æthiopibus, ad tractus montanos. Recessus hujusmodi facilis est in Yemana et usui est hodieque inter*

(1) Ap. Schultens, Imperium Joctanidarum, pag. 79 et seqq. — (2) Ap. Schultens, l. c. pag. 37. — (3) Caussin, tom. I, pag. 122; tom. II, pag. 652 et seqq. — (4) Montfaucon, Palæographia græca, pag. 142, 277, 336. — (5) Oriens Christ. tom. II, col. 368. — (6) Voyage en Abyssinie, tom. II, pag. 260. Paris 1816. — (7) Histoire du bas-empire, tom. VIII, pag. 50. — (8) Procop. de bello Pers. lib. I, cap. 20.

A *phylarchas minores, dum se contra potentiores tueri conantur; in interiori enim Yemana multi sunt montes inaccessi. De quo plura notatu digna scribit Paulus Æmilius Botta* (1), *detectis antiquitatibus Ninivensibus in Khorsabad universæ Europæ notissimus. Dictus itaque episcopus Paulus, qui ante annum* 521 *Dhu Nowaso innotuerat, forte per annos multos, is est forsitan qui imperante Anastasio, id est, inter annum* 491 *et* 518, *in Homeritidem venit. Quod tamen non probatur Walchio, dicenti Homeritis suos episcopos fuisse ante Anastasium* (2). *Id lubens crederem, nisi deficerent monumenta ad id adstruendum. Homeritarum enim reges plerique omnes, usque ad illud tempus, gentiles fuere, et certum non est ante Anastasii ævum Æthiopas aliqua in parte Homeritidis dominatum diuturnum obtinuisse. Hac enim de re non modo silent scriptores Arabes omnes, sed de ipsa civitate Negrana tradunt Acta nostra, ejus principem, S.* Arethæ *decessorem, qui et ejus pater fuit, non regibus Æthiopum, sed regibus Homeritarum Arabibus subfuisse. Etenim his verbis Dunaan tyrannus S.* Aretham *alloquitur:*

B Quare imitatus non es patrem tuum, qui imperavit civitati et omni viciniæ, qui et honore afficiebatur dum regnabant mei decessores (3)? *Quapropter testimonium Theodori Lectoris de facili negligendum non est. Quod si conversio gentis Homeritarum facta est* Anastasii temporibus, *ut Theodorus loquitur, conjicio id evenisse initio ejus imperii* (4), *quando thronum conscendit Dhu Nowasus; regnante scilicet in Æthiopia S. Elesbaæ patre Tazena, quem christianum fuisse constat* (5), *aut alio ejusdem sancti decessore.*

Homeritæ, aut eorum pars, ab exeunte sæculo V *Æthiopum tributarii esse et reges Æthiopicos habere cæperunt.*

113 *Etenim in Actis nostris Homeritis regum Æthiopiæ tributaria fuisse dicitur, idque cœpisse insinuatur ante regnum S. Elesbaæ:* Universo autem orbe, *inquiunt num.* 2, semper et ubique venerante et glorificante Christum, Deum verum... sola Homeritarum terra, quæ et Saba dicitur, idolis dedita erat, et simul religionis judaïcæ placitis... Ex quo orta sunt bella continua inter regem Æthiopum et regem Homeritarum, qui ÆTHIOPIS ERAT TRIBUTARIUS. Eximieque divino zelo motus Elesbaan,

C rex christianissimus, cum exercitu advenit et improbum regem profligavit. *Rex erat tum temporis Dunaan (Dhu Nawas), judæus, ut paulo superius docuerant Acta. Ceterum Homeritas dudum fuisse Æthiopum tributarios confirmatur ex epistola ipsius Dhu Nowasi ad Almundarum, regem Hirensem, quæ nobis a Simeone Beth-Arsamensi asservata est et infra recitabitur; in qua epistola scribit Dhu Nowasus Æthiopas* PRO MORE *Homeritarum regem christianum constituisse. Quod si ita scribere potuit anno* 523, *planum est ab anno minimum* 500, *Homeritas reges Æthiopicos habere cœpisse. Prosequuntur Acta. num.* 2: Accidit itaque ut Homeritarum judæorum rex, bello devictus, in fugam se dederit, atque in montibus quibusdam inaccessis sese præservarit; Æthiopum vero rex Elesbaan in regnum suum redierit, relicto duce cum exercitu, qui regionem custodiret. Dæmon vero honesti osor et pie vivere volentium adversarius, armavit iterum regem Homeritarum contra relictos a rege Elesbaan. Eos enim sustulit ille et persecutionem inhumanam contra omnes venerantes Christi nomen exorsus est. *His locis Actorum non modicæ solvuntur difficultates, ut deinceps videbitur et confirmantur quæ hucusque proposuimus.* AUCTORE E. C.

Paulus, Negranensium episcopus, videtur ille idem qui imperante Anastasio est missus.

114 *Paulus autem ille, de quo dicebamus, solus episcopus est, cujus in persecutione Dhu Nowasi, qui anno* 523 *universæ Homeritidi dominabatur, incidat mentio. Ex quo episcopus fuisse videtur non tantum Homeritarum christianorum, sed etiam Æthiopum, quos Dhu Nowasus, relictis montibus, aggressus est et profligavit. Et sicut cæso Dhu Nowaso et persecutione sedata, episcopum alterum, monito imperatore, ab Alexandria arcessivit Elesbaan* (*Act. num.* 38); *ita in primis est verisimile et priorem, Paulum scilicet, vel ejus decessorem, eodem modo, imperante Anastasio, fuisse accersitum; id est, nihil obesse quin ut genuina habeantur quæ supra scribebat Theodorus Lector. Attamen illud hic advertere non omittam: si conversa est gens Homeritarum temporibus Anastasii, qui concilii Chalcedonensis impu-* E *gnator fuit, vestigia tamen nulla hæresis Monophysiticæ circa hæc tempora inter Homeritas deprehendi; quod ex rebus gestis Justini imperatoris, Monophysitarum hostis infensi, ejusque legati Abrahami, ex epistola Simeonis Beth-Arsamensis, viri cumprimis catholici* (6), *ex veneratione qua Græci ab antiquissimis temporibus martyres Negranenses prosequuntur, denique ex aliis non paucis* (7) *liquido conficitur.*

Incipit narratio Joannis Asiæ episcopi de rebus Homeriticis sæculo VI.

115 *Causa, seu origo bellorum, ut ex Procopio didicimus, tributa fuerunt quæ judæi Homeritici christianis, in ora Arabica degentibus, imponebant. Locum Procopii legisse videtur Joannes, episcopus Ephesi, vel Asiæ minoris, ut Assemanius docet* (8), *qui historiam ecclesiasticam orientis conscripsit* (*sed hæresi monophysitarum penitus infectam*), *a Christo nato ad annum usque* 585. *Vulgata est hujus historiæ pars tertia non ita pridem a v. cl. W. Cureton, diligentissimo monumentorum Syriacorum indagatore. Partis secundæ locum insignem qui ad S.* Arethæ *martyrium et Arabiæ historiam christianam pertinet, typis expressit Assemanius* (9), *et ex Syriaco latinum fecit; quem in hoc Commentario per partes recudere visum est. Præmisso igitur titulo:* De regno Indorum (*i. e. Æthiopum et Arabum australium*), et quomodo belli causa christianam religionem amplexi sunt, *in hunc modum exorditur dictus Joannes:* Per idem tempus (*id est, imperante Anastasio, aut Justino, ut ex sequentibus patet; sed quum desiderentur quæ præcedebant, certo dici nequit de quo tempore sit sermo*), accidit ut bellum inter reges Indorum oriretur, nimirum, inter Xenodonem, Indorum regem, et inter Aidog, alterum Indiæ interioris regem, qui ethnica superstitione tenebatur. F

S. Elesbaas a Joanne episcopo Aidog est dictus, a Theophane Adad, a Malala Andas; ethnicus numquam fuit.

116 *De quibus adverte, Xenodonem regem videri Æthiopiæ australis, seu Africæ interioris, ut infra, ex iis quæ scribit Joannes, Asiæ episcopus, de variis Indorum regnis, verisimile fiet; qui rex Xenodon ex nullo alio monumento est notus. Adverte secundo,* Aidog, alterum Indiæ

interioris

(1) Relation d'un voyage dans l'Yémen, pag. 35 et seqq., 60 etc. Paris 1840. — (2) Walchius, Commentar. etc. pag. 45. — (3) Acta infra n. 15. — (4) V. supra n. 105 et seq. — (5) Sapeto, Viaggio ecc. pag. 57: cf supra n. 54. — (6) V. infra n. 135. — (7) Ibid. n. 179 et seqq. — (8) Biblioth. Oriental. tom. II, pag. 83. — (9) Ibid. tom. I, pag. 359 et seqq.

AUCTORE E. C.

interioris regem, *eumdem esse cum rege Æthiopum Elesbaa, ut tum ex iis quæ ulterius narrat Joannes, tum ex græcis scriptoribus, Theophane et Malala, est manifestum. Hi enim Joannis, Asiæ episcopi, narrationem, fideliter sunt secuti; sed Theophanes regem Æthiopiæ, qui a Joanne Aidog dicitur, Adad vocavit, Malala vero Andan seu Andas* (1); *eique tribuunt quæ ex Procopio et monumentis Æthiopicis soli Elesbaæ congruere discimus. Immerito igitur Henricus Salt, Andan Malalæ eumdem esse credidit* (2) *cum Ameda, seu Ala-Ameda, patre Tazenæ, qui pater fuit Elesbaæ, seu Caleb* (*ita enim Elesbaan Græcorum monumenta Æthiopica appellant*) (3). *Verum expendentur hæc diligentius tomo sequenti, ad diem octobris* 27, *quando S. Elesbaæ Acta dabuntur. Nec juvat Henricum Salt, Andan eumdem dicere ac Elesbaan sed diversum a Caleb : nam monumenta Æthiopica apertissime Calebo tribuunt, quæ Græci Elesbaæ* (4); *ut ostendetur, dicto tomo, et infra quoque ex synaxario Æthiopico matyrum Negranensium apparebit. Adverte tertio, de rege Æthiopiæ Aidog, nostro Elesbaa, dici a Joanne Asiæ episcopo:* Qui ethnica super-
B stitione tenebatur. *Id vero contrarium est reliquis monumentis, ut suo tempore monstrabitur, nec ipsi Theophani, in summario quod ex Joannis narratione collegit, probatum est; scribit enim Judæum fuisse regem Adad, seu Aidog* (5): *quam ob causam Assemanius syriacum textum a Theophane non bene intellectum dicit* (6).

Origo bellorum cum Homeritis ex eodem Joanne.

117 *Sed jam prosequatur Joannes episcopus:* Atque hic (*rex Aidog*) rebus cum Xenodone compositis, iterum adversus Dimionem, regem Homeritarum, qui et ipsi ex Indis numerantur, bellum suscepit, ex hujusmodi causa : Æthiopum regnum ultra Homeritidem (*respectu Syrorum, ait Assemanius, qui per Arabiam et fretum sinus Arabici Æthiopiam adibant*) contra regiones Ægypti et Thebaïdis, quæ extra Indiam jacent, situm est. Romani vero mercatores per Homeritarum terras ad interiores Indorum partes quæ Euzeliæ dicuntur penetrabant (Euzeliæ, *Syriace* Auzelis, *sic dictæ forte ab Africæ civitate Zeila* (7), *ad sinum ab Aden dictum, inter Somaules, versus gradum* 11^{m} *latitudinis; sed credit Saint-Martin* (8)
C *hic significari Adulin portum et civitatem, non procul ab Auxumi*) : atque inde in ulteriores Indorum Æthiopumque regiones proficiscebantur. Septem enim sunt Indorum atque Æthiopum regna: tria nimirum Indorum et quatuor Æthiopum ; atque hæc quidem longius distant, jacentque intra partes meridionales juxta mare magnum (oceanum appellant), quo universus terrarum orbis circumdatur. Romanos igitur mercatores supra memoratos, per Homeritarum fines in regiones Indorum mercaturæ causa de more transeuntes, rex Homeritarum Dimion comprehendit, direptisque omnibus eorum mercibus interfecit. Ajebat enim : Quia christiani judæos in partibus Romanorum secum habitantes vexant, et necem eorum plerisque inferunt, propterea et istos morte plectendos adjudico. Atque hunc in modum complures ex ipsis morte affecit; ex quo reliquis timore D correptis, commercium interiorum Indorum Æthiopumque diremptum fuit.

Dhu Nowas dictus est etiam Dimion, Dimnus, Damnus et Fi-Neas; ab Elesbaa profligatur.

118 *Rex Homeritarum, qui a Joanne episcopo* Dimion *dicitur, a Malala loc. cit. vocatur* Dimnus, *a Nicephoro lib.* 17 *cap* 22 Damnus, *a Theophane vero* Damianus. *Sed manifesto eumdem significant, qui in Actis edendis et in Metaphraste,* Dunaan *dicitur, in historiis vero Arabum* Dhu Nowas, *vel* Dhu Nawas ; *ex quo nomine synaxarium Æthiopicum eum corrupte* Fineas, *seu* Fi-Neas *vocavit. Id jam pronunciabat Pagius, antequam monumenta Syriaca et Arabica ad manum essent:* Quare non dubium, *inquit,* quin Theophanes Adadum pro Elesbaano sumpserit, et Damianum pro Dunaano (9). *Qui vero diligentissime his postremis annis in Arabum veterum historia est versatus, cl. Caussin de Perceval, prædicta nomina in solum Dhu Nowasum competere, nullus dubitat* (10). *Ceterum confirmabitur id insuper ex iis, quæ narrat Joannes episcopus duobus capitibus sequentibus. Eorum alterum sic habet :* De iis, quæ rex Æthiopum ad regem Homeritarum scripsit, et de bello, quod inter ipsos obortum E fuit. Tunc Æthiopum rex Aidog (*seu Elesbaas*) regi Homeritarum *Dimioni* per nuncios significavit, inquiens: Turpe facinus admisisti; christianos enim Romanorum mercatores occidendo, commercium diremisti, nec meis tantum regnis, sed et ceteris commoda utilitatesque sustulisti: sed meum præ ceteris regnum damno a te affectum est. Hac igitur, de causa orto inter ipsos dissidio, ad arma ventum est. Quumque jam acie congressuri essent, Æthiopum rex Aidog : Si dabitur, inquit, mihi, ut latrone isto Homeritarum rege superior evadam, christianus fiam; christianorum enim sanguinem ab ipso fusum ulcisci cupio. Tunc conserto prælio, Homeritarum regem Æthiops devicit, et captum interfecit, totumque regnum ejus diripuit suæque ditioni subjecit, et exercitum ultima internecione delevit.

In narratione Joannis episcopi emendantur nonnulla. Profligatur Dhu Nowas iterum.

119 *Hic eventus anticipat historicus, quum non sit in expeditione prima occisus Homeritarum rex. Deceptus est forte ex narratione Procopii, quam dedimus num.* 111. *Nam post hunc, cujus in universo imperio, Justiniano vivente, vulgatæ erant historiæ, scripsit Joannes, nimirum circa annum* 585. *Derelinquendam hic esse narrationem Syriacam, quam in plurimis ducem habuerat, vidit Theophanes; sed alium adsciscit errorem, Dunaan captivum abductum esse scribens:* Deo igitur opitulante, *inquit,* magnam ille (*rex Exumitarum Adad, i. e. Elesbaas*) retulit victoriam, regemque Damianum (*Dimionem, Dunaan*) vivum captivum egit, Homeritarum regionem, eorumque regiam reddidit plane subditam, *etc. Fideliter expeditionem primam Elesbaæ in Arabiam consignarunt Acta antiquissima, quæ edimus: in quibus diserte dicitur, regem Dunaan, post acceptam cladem, fugisse ad montes : dein paulatim resumptis viribus, Æthiopas profligasse, et persecutionem immanem exorsum esse. Supra*

(1) Theophan. chronographia, tom. I, pag. 346. Bonnæ 1839; Joannis Malalæ chronographia, pag. 434. Bonnæ 1831. — (2) Salt, Voyage en Abyssinie, tom. II, pag. 257 et seq. — (3) Ludolf. passim; Sapeto, Viaggio, pag. 64, 67, etc. — (4) Theophan. pag. 260; Malala, pag. 438; Nonnosus ap. Photium cod. 3; Cedrenus etc. — (5) Theophan. tom. I, pag. 346. — (6) Bibl. Orient. tom. I, pag. 359. — (7) Cfr Masudius ap. Schultens, pag. 140. — (8) Hist. du bas-emp. tom. VIII, pag. 48. — (9) Pagius, ad an. 541, num. 6. — (10) Hist. des Arabes avant Mahomet, tom. I. pag. 121.

num.

A *num.* 113. *In qua persecutione S.* Arethas *et socii martyrii palmam sunt consecuti. Tum advenit iterum cum exercitu S. Elesbaas, Homeritas devicit regemque eorum interfecit. Cum Actis in eo convenit narratio Joannis Asiæ episcopi, ut bis regem Æthiopiæ Aidog, seu Elesbaan, cum exercitu Homeritidem ingressum ferat; et dum in expeditione prima occubuisse Dimionem memorat, contraque regem novum pugnasse Elesbaan, illius tamen nomen reticet. Quod argumento est, non ita perspectos fuisse scriptori Syriaco hujusce belli casus, ut expeditioni primæ superstitem fuisse Dimionem, seu Dunaan, ignorare non potuerit. Patebitque illud insuper ex jam dicendis.*

Ostenditur Elesbaan nec gentilem nec judæum fuisse; plures ante eum Æthiopiæ reges christiani fuere.

120 *Nimirum in memorato Actorum loco, Elesbaan ab initio, et ante expeditionem primam, vocatur* rex christianissimus, *nec ulla omnino est mentio ejus conversionis; quinetiam ejus zelus christianus causæ fuisse dicitur, cur regem Homeritarum sit aggressus:* Deum non timebant (*Homeritæ*), *inquiunt Acta,* colebant vero idola sua: ex quo orsa sunt bella continua
B inter regem Æthiopum et regem Homeritarum, qui Æthiopis erat tributarius. Eximieque divino zelo motus Elesbaan, rex christianissimus, *etc. Atque apprime confirmantur hæc ex epistola ipsius regis Dunaan, seu Dhu Nowasi ad Monderum, regem Saracenorum, de qua mox paulo plura:* Noveris, frater mi Mondere rex, regem illum quem Æthiopes regioni nostræ præfecerant (*nimirum post Elesbaæ bellum Arabicum primum, de quo modo dictum ex Actis nostris*), e vivis jam excessisse. Adventante autem hieme, quum in nostram regionem Æthiopes contendere nequirent, ut christianum regem DE MORE constituerent, totum ego Homeritarum regnum occupavi. *Æthiopibus itaque* in more *erat positum regem in Homeritide constituere christianum. Ex quo sequitur Elesbaan ab initio regni sui christianum fuisse; imo insinuatur, eum non primum fuisse Æthiopiæ regem, qui sacris christianis nomen dederit. Et hæc est ratio cur synaxaria nulla, nec Græca, nec Æthiopica, quorum præcipua infra proferentur, conversionis Elesbaæ mentionem habeant. Verum alia exstant monumenta e quibus ad diem* 27 *octobris, in Actis S. Frumentii et S. Elesbaæ, ostendetur, plures Æthiopiæ reges ante hunc fuisse christianos: inter quæ præcipua sunt synaxaria Æthiopica S. Frumentii et sanctorum novem qui extremo sæculo* V *in Æthiopiam venerunt; epistola Constantii imperatoris ad Æthiopiæ reges Aizanam et Sazanum* (1) *de anno* 356; *et demum inscriptio Æthiopica Auxumi reperta a sæpe laudato J. Sapeto.*

AUCTORE E. C.

§ XI. Joannes paramonarius fueritne episcopus Æthiopum, an vero Homeritarum; Auctores varii emendantur; proreges Æthiopum in Homeritide; de Simeone Beth-Arsamensi historico martyrii Negranensium.

Æthiopiæ rex Alexandria accipit episcopum Joannem.

Sed *jam audiatur iterum narrator Syriacus, qui hic erronee conversionem inserit regis Æthiopum:* Mox victoria hujusmodi potitus *rex Aidog, inquit,* votum solvere haud cunctatus est (*amplectendi religionem christianam*), sed duos ex optimatibus suis ad Justinianum imperatorem (*seu Justinum, nimirum seniorem, ut notat Assemanius* (2), *quem orientales Justinianum primum appellare solent*)allegans, ut episcopum sibi atque clericos mitteret rogat. Quibus ille incredibili lætitia affectus, episcopum quem ipsi delegissent, dari jussit. Legati vero, diligenti inquisitione facta, Joan- E
nem, S. Joannis paramonarium *i. e. ecclesiæ S. Joannis mansionarium, seu œdituum,* virum castitate, puritate ac zelo insignem, ordinari sibi episcopum postularunt. Eo igitur una cum pluribus clericis accepto, in patriam, mirifico gaudio affecti, reversi sunt: quos Aidog rex pari cum lætitia excepit, una cum episcopo et sacerdotibus qui simul advenerant. Ipse autem sacra imbutus catechesi, baptismum suscepit et christianus factus est, una cum omnibus regni proceribus. Parique studio omnes eam suscepere curam, ut in toto regno christiana fides obtineret, templaque in honorem veri christianorum Dei ubique locorum excitarentur. Atque hac ratione errantibus hisce populis salutem Deus largitus est.

Idem narrant Theophanes et Malala, quorum prior gravius reprehenditur a Pagio.

122 *Eadem paucis complexi sunt Theophanes et Malala, pauca aliqua interserentes, ut, petiisse regem* uti tota Indorum (*Æthiopum*) regio sub Romano esset imperio, *de quo fuerat* imperator a Licinnio, Augustali Alexandriæ, per litteras certior factus; *Joannem* cælibem *fuisse et ætatis, dum electus est,* annorum sexaginta F
duorum. *Ambo chronographi ad Justiniani tempora hæc referunt, et Theophanes quidem ad annum ejus imperii* 16, *Christi* 542; *quamobrem graviter reprehenditur a Pagio* (3), *cui tota ejus narratio fictio est.* Theophanes, *inquit,* in hujus belli narratione summopere erravit, aliosque in errorem induxit. Primo enim Axumitæ christiani erant a tempore Constantii, Constantini M. filii, et fidem acceperant a sancto Frumentio episcopo, ut ad annum 327 ostendi, *etc. Ejus conclusio est, fluxisse narratiunculam e non satis nota historia Elesbaæ, qui reapse legationem misit ad patriarcham Alexandrinum, et inde ad Justinum imperatorem* (*Cfr Acta infra num.* 38); *sed in fine belli* (*exeunte anno* 525 *aut initio sequentis*); *et ut episcopus concederetur Homeritis, non vero Æthiopibus, qui jam dudum erant conversi. Mitius egisset Pagius cum Theophane, si novisset eum deprompsisse ista ex Joanne, episcopo monophysita Asiæ minoris, qui vixit imperante Justiniano, nec diu post eum*

(1) Cfr Ludolf. Commentar., pag. 393 ad diem 4 Octob. — (2) Bibl. Orient. tom. I, pag. 362. — (3) Ad ann. 541, num. 5 et seqq.

AUCTORE E. C.

vitam protraxit. Verum hic auctor, in quem refundendus est error Theophanis, Malalæ ac ceterorum (quoniam reipsa errorem esse censeo), defuncto Pagio in lucem editus, ab erudito viro legi non potuit.

Quando reges Æthiopiæ christiani esse cœperint, incertum. De Joanne quodam episc. Sabæorum Æthiopiæ.

123 *Narrationem Joannis episcopi retinere mavult v. cl. Thomas Wright* (1) *scribens Abyssinos quidem dudum ante Elesbaan fuisse christianos, sed eorum reges favisse tantum sacris christianis, non tamen ausos esse ea amplecti, aut publice profiteri. Hanc in rem penitius inquiri poterit tomo sequenti, ac in crisin vocari inscriptio Auxumitana, charactere Æthiopico exarata, quam vulgavit Sapetus; sed arbitrarer ego, præter alia, omnino obstare quod scribit Dunaan, seu Dhu-Nowas, Almundaro regi Saracenorum,* in more *fuisse Æthiopibus regem in Homeritide constituere christianum. Supra num.* 120. *Nec inscriptio alia Æthiopica, detecta ab Henrico Salt, in qua mentio est cujusdam Joannis, Æthiopiæ episcopi, qui Sabæos ex Hazramaa, non procul a fluvio (Nilo), in fide christiana instituerit, quum notam nullam chronologicam ferat, quidquam certi docere nos*
B *potest* (2). *Attamen conjectura Jacobi Bird, eumdem esse hunc Joannem, Æthiopiæ episcopum, cum Joanne Paramonario, qui ab historico Syriaco ejusque sequacibus Theophane et Malala memoratur, donec diversa et certiora ex aliis monumentis discamus, repudianda non est. Etenim licet tunc Elesbaas conversus fuisse non dicatur, occasione tamen victoriæ fervorem instaurare potuit aut alia quacumque de causa, episcopum Alexandria accersere. Sed spectant ista ad Vitam S. Elesbaæ. Hic tamen non omittendum, Michaëlem Lequien, quum persuasum haberet regnante Elesbaa Æthiopiam jam dudum christianam fuisse, hunc Joannem Paramonarium recensuisse inter episcopos Homeritarum* (3).

Proreges Homeritarum, maxime ex Procopio: Esimiphæus, Aryates, Abramus, et quartus anonymus.

124 *Æthiopum in Homeritide varii fuere proreges, pluraque prodeunt nomina apud scriptores. Acta nostra duorum meminerunt (n.* 2 *et* 38), *sed solum Abraham suo nomine signant. Similiter duorum meminit Procopius, auctor coævus, cujus historiæ, vivente adhuc Justiniano, in universo imperio erant notæ. Primum*
C *vocat Esimiphæum, alterum Abramum. Quin et tertium memoravit, omisso nomine, qui Abramo regnum Homeritarum usurpante, ab Hellesthæo, seu Elesbæo cum classe contra illum missus est et a proditoribus necatus. Hic idem esse videtur cum Aryat, seu Aryate; de quo, ut mox dicetur, plura habent scriptores Arabes. Nixi Actis nostris antiquissimis et Procopio, de his tribus proregibus dubium nullum superesse arbitramur. Addendum, scribere Procopium, devicto jam et vita spoliato Dhu Nowaso, Esimiphæum proregem fuisse constitutum; ex quo proregem quartum qui a prima victoria Elesbaæ usque ad Dhu Nowasi reditum, Homeritis præfuerit, simul adsciscere cogimur : atque hunc Acta nostra n.* 2, *circa annum* 522 *vita functum esse perhibent : ejus vero nomen nos latet.* In hujus (*Dhu Nowasi*) locum, *inquit Procopius,* subrogato Esimiphæo, christiano et Homerita, sub ea tamen conditione ut tributum annuum Æthiopibus penderet, domum rediit *Hellesthæus seu Elesbaas* (4).
D

Homeritarum prorex Anganes, cujus meminit Malalas.

125 *Præter hos quatuor, eritne et quintus admittendus? quum Anganis cujusdam, Æthiopis, et e genere Elesbaæ regis, meminerit Malalas in chronico : quem et genus et alia plura ab Esimiphæo diversum esse ostendunt.* Sed interim, *ait Malalas* (5), imperator *Justinianus* de Coadis, *seu Cavadis,* Persarum regis, prævaricatione certior a Rufino Patricio factus, Auximitarum regem (*quem paulo inferius Elesbaan appellat*) super his per litteras imperatorias interpellavit. Regem hic Homeritarum Indorum, prælio cum eo commisso, penitus debellaverat; et regno ejus regioneque occupatis, regem ibi ex genere suo Anganen constituerat — και ἐποιησεν ἀντ' αὐτου βασιλεα των Ἀμεριτων Ἰνδων, ἐκ του ἰδιου γενους, Ἀγγανην —; eo quod Homeritarum Indorum etiam regnum jam sibi subjectum haberet. *Anganes iste idem videtur cum duce et prorege, quem Aryatem Arabes vocant. Etenim sicuti Malalas illum e genere Elesbaæ fuisse scribit, ita et hunc Arabes regis Æthiopis e fratre nepotem dicunt. Insuper Theophanes, quem hoc loco Malalas*
E *pæne in omnibus exscribit, regis Arethæ meminit, ad quem missus sit legatus Romanorum* (6); *quem Aretham eumdem esse cum Aryate suadent plurima. Arethæ nomine omisso, Malalas substituit Elesbaan regem Æthiopum, addens, ut dictum, hunc in Homeritide proregem constituisse Anganem, ex genere suo. Unde verisimillimum est, Anganem eumdem esse ac Aryatem; Aryatem vero, quem historici Arabes regem Homeritarum dicunt, missum esse ab Elesbaa, quando Abrahamus, Esimiphæum proregem oppugnans, regnum affectare cœpit. Legationem enim eamdem, quam ad Aretham, aut Elesbaan missam esse Theophanes et Malalas scribunt, Procopius ad Elesbaan et Esimiphæum directam esse narrat. De hac legatione dicendum iterum tomo sequenti in Commentario de S. Elesbaa.*

idem est ac Aryates. Emendatur Theophanes;

126 *Audiatur interim Procopius :* Quo tempore Hellestheæus (*Elesbaas*) regnabat in Æthiopia, parebantque Homeritæ Esimiphæo, Julianum (*quo nomine legatum Theophanes quoque appellat*) ad eos legavit Justinianus augustus, per ipsum ab utroque petens, ut pro
F religionis communione, qua cum Romanis devincti essent, illos cum Persis gerentes bellum juvarent. Uterque sane rex postulatis annuit, eaque se facturum pollicitus, legatum remisit liberaliter; tamen promissa et conventa neuter implevit (7). *Alibi narrat conflatam esse in Esimiphæum seditionem a militibus rebellibus, qui* eum in castellum incluserunt, regnumque Homeritarum detulerunt Abramo, christiano illi quidem, at servo Romani cujusdam institoris, qui apud Æthiopes in urbe Aduli commercii maritimi gratia morabatur. Quod ubi Hellesthæus accepit, *inquit,* illatæ Esimiphæo injuriæ pœnas ex Abramo ac participibus rebellionis sumere cupidissime festinans, tria pugnatorum millia adversum illos expediit, duce e regia propinquitate lecto. *Hunc ducem, quem non nominat Procopius, esse ipsum Aryatem, cui conveniunt omnia quæ ha-*

(1) Early christianity in Arabia, pag. 51. London 1855. — (2) J. Bird ap. Nouvelles annales des voyages, 1845, tom. II, pag. 201; Salt, Voyage en Abyssinie, tom. II, pag. 187 et 193. Paris 1816. — (3) Oriens Christ. tom. II, col. 663. — (4) Pag. 104. edit. Bonn. — (5) Chronographia, pag. 456 et seq. Bonnæ 1831. — (6) Theophan. tom. I, pag. 377. Bonnæ 1839. — (7) Procop. lib. I, cap. 20, pag. 106.

bet

A *bet dictus historicus, non est dubitandum.* At hi quoque patriæ renuntiantes, *ita idem prosequitur,* ut in regione perbona habitarent, clam cum Abramo egerunt, insciente duce, quem et postea, ubi in aciem contra hostes educti, necarunt (1). *Hæc Aryati undequaque conveniunt; quem in prælio contra Abramum interfectum esse una voce narrant scriptores Arabes : sed factum id est* postea, *seu annis pluribus post adventum Aryatis in Homeritidem. Legationem Juliani insigni errore consignat Theophanes sub annum Justini junioris septimum, Christi* 571 (2); *cujus historiam tum Procopius jam vulgaverat. Theophanem exscripsit Malalas* (3), *sed reducta legatione ad Justiniani imperium, et omisso Arethæ nomine: in quibus ad Procopii narrationem attendisse proculdubio videbitur.*

eorumdem proregum series chronologica.

127 *Ex præcedentibus quatuor nobis hoc ordine proreges innotescunt : Anonymus quo vita functo anno* 522, *Dhu Nowasus rebellionem suam auspicatus est; supra n.* 124. *Dein Esimiphæus, Homerita, quem A. Caussin* (4) *Ebn-Zi-Kifan,*
B *seu filium Dhu Kifan ab Arabibus dictum fuisse conjicit : quum non raro obvium sit nomen Dhu Kifan in prisca historia Yemanitarum. Tertio loco Aryates, Æthiops, e genere regis Elesbaan, qui missus est cum exercitu, dum Abrahamus quidam, Esimiphæo in castellum incluso a rebellibus, regnum affectare ausus est. Hunc, quem Anganen Malala appellat, annos viginti in Yemana regnasse scribunt Hamza et Masudius* (5); *omisso scilicet Esimiphæo, de quo silent Arabes omnes. Ego ex Procopio, auctore coævo, Esimiphæum regnasse censuerim annos circiter quinque, ab anno* 525, *quo cæsus est Dhu Nowasus, usque ad annum* 530; *Aryatem vero regnum tenuisse dixerim ab anno* 530 *ad* 540. *In his cur differam a recenti Arabum historico, qui Aryatem ab anno* 525 *ad* 537 *regnasse arbitratur, latius declarandum ubi de expeditione bellica regis Elesbaan contra Dhu Nowasum erit sermo. Quartus denique prorex Æthiopum fuit Abrahamus, ab anno circiter* 540 *ad* 570; *hoc enim anno ejus bellum habitum contra Meccam, a quo celebrem suam æram Arabes auspicantur, dictam* æram ele-
C phantis : *cui infelici bello Abrahamus diu superstes non fuit.*

De bello altero Homeritas inter et Æthiopas ex narratione Joannis episcopi.

128 *His præmissis de Homeritarum proregibus, quorum historia præstantibus scriptoribus Walchio, Saint-Martin et A. P. Caussin, tricas non leves creavit, procedat jam narratio Joannis, Asiæ episcopi :* De eodem Homeritarum regno, deque malis et cædibus quæ a Judæis ibidem patrata sunt. — Paulo post, defuncto christiano rege (*seu prorege, cujus nomen nos latet, ex supradictis*) quem rex Æthiopum *Aidog, seu Elesbaas,* ibi constituerat, resumptis viribus, judæi Homeritæ, sibi regem e sua secta Homeritidi præfecerunt, *seu potius, ut ostensum est, Dhu Nowasum e tractibus montanis, in quibus aliquod regni simulacrum sibi servasse videtur, revocarunt.* Cunctos autem christianos ibidem commorantes ferociter adorti, sustulerunt quotquot obvios habuere, viros ac mulieres, pueros et infantes, parvulos et senes; quemadmodum eorumdem martyrium a beato Simeone sophista (*Syriace, Sjemhun dorusjo*) scriptis proditum est; ex quo lugubrem hanc historiam describere hoc loco decrevimus. Est autem hujusmodi. *Sequitur epistola Simeonis, episcopi Beth-Arsamensis, qui christianis orthodoxis, seu catholicis, regni Persarum præerat, ad Mar Simeonem, abbatem Gabulæ in Euphratesia, stadiis* 110 *a Chalcide.* AUCTORE E. C.

Quis fuerit Simeon Beth-Arsamensis;

129 *Quis fuerit Simeon iste discimus primo ex Actis nostris num.* 25, *ubi inter legatos fuisse dicitur ad Almundarum III, regem Hirensem :* Præsentibus, *ait scriptor Actorum,* Deo dilecto Abramio, *legato Justini imperatoris,* et quos a Perside rex Persarum *Cavades* miserat, Simeonio presbytero (*ex qua appellatione discimus Simeonem tum temporis nondum episcopum fuisse*) et apocrisiario orthodoxorum christianorum Persidis; et Joanne diacono *etc. Deinde innotescit Simeon ex chronico Syriaco Abulpharagii, parte* III, *ubi scribit de Babuæo archiepiscopo Seleuciæ et Ctesiphontis, deque benevolentia qua Cavades, rex Persarum, catholicos præ nestorianis prosequebatur:* Erat autem per id tempus, *inquit,* presbyter quidam, Simeon nomine, ex E
Beth-Arsam pago apud Seleuciam sito, vir orthodoxus. Hic quum regis Cavadis animum comperisset, eum adiit, jussionemque ab eodem obtinuit, ut totam terram Sennaar Persidemque universam perlustraret, atque orthodoxos excitaret, ut libere conventus facerent, impetumque Nestorianorum retunderent. Hæc igitur peregit. Quacumque autem pertransiit, chirographum ex Armenis, Græcis Syrisque accepit, profitentibus se a fide Nestorianorum alienos esse; litterasque subscriptionibus singulorum firmatas ad regem attulit, qui sigillo regio easdem confirmavit : appellatæque sunt codices confessionis, et in ecclesia Tagriti urbis repositæ, quæ sola corruptionem Barsumæ evaserat (6). *Barsumas iste, episcopus Nisibenus, hæresin Nestorianam propagaverat in Mesopotamia, cælibatum clericorum et monachorum oppugnaverat, et supra dictum Babuæum a Pheroze, rege Persarum, curaverat interfici.*

ejus epistola continet historiam sinceram martyrii Negranensium.

130 *Epistola porro Simeonis monumentum præstantissimum est linguæ Syriacæ; eamque eruditus J. D. Michaëlis in chrestomathia sua integram recudere non dubitavit. Continet enim historiam persecutionis Arabicæ, quæ inter sævissimas est numeranda; et de qua, antequam typis mandaretur hæc epistola, nullum satis tutum documentum præ manibus erat. Scripta est autem anno Christi* 524, *sæviente adhuc persecutione; vixque redierat tum Simeon ex legatione ad Almundarum Hirensem, in interiori Arabia versantem. Hic præsente Simeone, legatum acceperat ipsius Dhu Nowasi, tyranni Homeritarum; ex cujus narratione, uti et alterius cujusdam legati christiani, quem Hiræ, in Almundari urbe regia, obvium habuit, cuncta didicit Simeon. Nihil itaque de persecutione Arabica hoc monumento tutius, aut gravius prodi potest; jamque licebit, si placet, Acta Metaphrastæa, quæ a non paucis parvi penduntur, missa facere : sed ex eodem confirmantur undequaque Acta nostra antiqua, ex quibus sua omnia suo modo hausit Metaphrastes.*

(1) Procop. lib. I, cap. 20, pag. 105. — (2) Theophan. pag. 377. — (3) Pag. 457. — (4) Tom. I, pag. 139. — (5) Ap. Schultens, Imp. Joctanidar. pag. 41 et 143; cfr Sacy in Mémoires de litt. tom. XLVIII, pag. 544bs. — (6) Assemani, Bibl. Orient. tom. III, pag. 404.

§ XII.

AUCTORE E. C.

§ XII. Epistolæ Simeonis Beth-Arsamensis pars prima; annus et dies passionis S. Arethæ; Abrahamus legatus ejusque legationes; epistola Dhu Nowasi ad Almundarum Hirensem, in qua narrat quæ gesserit Negranæ.

Recitatur epistola Simeonis. Ejus proœmium.

In historia Joannis, Asiæ episcopi, et in chronico Syriaco Dionysii, prodit epistola Simeonis hoc titulo : — Epistola, quam S. Simeon Beth-Arsamensis episcopus, qui christianis in regione Persarum constitutis præerat, scripsit ad Mar Simeonem, Gabulæ abbatem; ubi Homeritarum martyrium describitur — Dilectioni tuæ significamus, die vigesima Canuni posterioris, *i. e. Januarii*, præsentis anni *Græcorum* octingentesimi trigesimi quinti ex Irta (hoc est, ditione, *inquit Assemanus; de quo infra*) Naamanis, discessisse nos, una cum B Abrahamo presbytero, Euphrasii filio, qui a Justiniano (*i. e. Justino seniore*) imperatore ad Monderum (*Almundarum, seu Mundhir III, regem Hirensem*) Arabum regem, pro pace concilianda allegatus fuit : sicuti de ipso in priori nostra epistola (*quæ deperdita est*) scripsimus, gratias eidem agentes, quum nos, tum universi fideles, quod partes nostras foveat : et ipse perspecta habet quæ olim scripsimus, et quæ modo scribimus. *Ad hoc præambulum aliqua notanda veniunt, et* 1° *quidem, de anno scriptæ epistolæ, et quod consequens est, de anno martyrii S.* Arethæ; 2° *de Irta, seu Hirta Naamanis;* 3° *de Abrahamo, legato Justini, seu, ut ibi dicitur, Justiniani. Justinum enim seniorem, ut jam monuimus, orientales Justinianum primum appellare solent. Hunc Syrorum Arabumque scriptorum morem, inquit Assemanus, non animadvertens Theophanes, rem sub Justino gestam (bellum Homeriticum) ad imperium Justiniani perperam transtulit; quem postea errorem ceteri post ipsum secuti sunt, ut docte ostendit Pagius ad annum* 541 *num.* 6.

Passus est S. Arethas *anno* 523, *die* 24 *mensis Octobris.*

132 *De anno, quo Simeon epistolam scripsit, expendendum ejus initium :* Die vigesima Canuni posterioris, *inquit,* præsentis anni *Græcorum, seu Seleucidarum,* octingentesimi trigesimi quinti *etc. Occœpit æra Seleucidarum annis ante Christum natum* 311, *et mensibus tribus, aut quatuor; ita ut subductis his annis, reliqui sint anni æræ christianæ. Nota vero in oriente alios, imprimis Græcos, annum inchoasse mense septembri, alios, i. e. Syros et Babylonios mense octobri, aut novembri. Ex quo patet, annos orientalium cœpisse universim cum autumno. Quapropter annus primus Incarnationis, a januario ad autumnum, respondet anno Seleucidarum* 312; *et ab autumno ad januarium, anno* 313 : *ita ut ab æra Seleucidarum deducendi sint anni vel* 311, *vel* 312, *prout de priore et majore anni juliani parte, aut altera minore erit sermo. Quum itaque initio epistolæ suæ de mense januario scribat Simeon, deductis annis* 311 *ab* 835, *patet dicto mense anni christiani* 524 *eum iter suum instituisse. Narrat vero in sequentibus, ut mox patebit, eadem* D *hieme, nec ita multo ante, martyrii coronam consecutum esse S.* Aretham *et socios. E quibus id anno Christi* 523 *contigisse dicendum est. Attamen scriptores aliquot Syri et Arabes, maxime regionis Babyloniæ, æram Seleucidarum uno anno tardiorem faciunt; e quorum sententia annus Dionysianus primus anno Seleucidarum, sive Syro-Macedonum, respondet, non* 312, *sed* 311, *et martyrium S.* Arethæ *adscribendum esset anno Christi* 524. *Hujus diversitatis causas in computanda æra Seleucidarum primus videtur enodasse Fr. X. Patritius in recenti opere* De consensu utriusque libri Machabæorum (1). *Interim certitudo nobis aliunde est petenda. Facile vero haurietur ex Actis vetustis, quæ edimus; in quibus legitur num.* 20 : Martyrium consecuti sunt omnes mense hyperberetæo, qui est octobris, die 24, indictione secunda. *Et quum ibidem num.* 1 *hæc imperante Justino evenisse dicantur, seu inter annum* 518 *et* 527, *seligenda est indictio secunda, quæ inter hos annos incidit : quam novimus cucurrisse a mense septembri anni* 523, *ad* E *septembrem anni* 524. *Manifestum est igitur passum esse S.* Aretham *anno* 523, *et quidem die* 24 *octobris; quo etiam die in Menæis et in plerisque menologiis orientalibus celebratur. Hic obiter observamus Simeonem Beth-Arsamensem, ut ex præcedentibus patet, licet vitam ageret inter Babylonios, horum tamen annis non inhæsisse, sed æram secutum esse Syrorum occidentalium.*

Hirta Naamanis eadem est civitas quæ ab Arabibus Hira est dicta.

133 *Deinde dicendum de Irta, seu Hirta :* Dilectioni tui significamus, *ait Simeon,* die vigesima Canuni posterioris... ex Irta Naamanis discessisse nos. *Id est,* ex ditione Naamanis, *inquit Assemanus. Verum Syriace locus a quo discesserunt in hunc modum effertur.* Men Hirto Denaamon *i. e.* ex Hirta Naamanis. *Hic autem duo sunt recolenda. Primum, Hiram, Arabum orientalium deserti civitatem regiam* (2), *a scriptoribus Syris Hirtam fuisse dictam, ut postmodum tomo* III *Bibliothecæ suæ advertit ipse Assemanus :* Hirta, *inquit,* Arabibus al-Hirah, urbs est in Eraka (*vel Iraka*) Babylonica, a Cupha, seu Akula, tribus passuum millibus distans *etc.* (3). *Alterum, hanc* F *Hiram, seu Hirtam, multum ornatam fuisse a rege Naaman, seu Nooman I; unde ab Arabibus dicta est* Hirat-Annoman (4) : *cui appellationi prorsus similis est illa quæ a Simeone est adhibita. Ceterum narratio Simeonis istud undequaque confirmat : comitabatur enim Abrahamum, legatum Justiniani, ad Almundarum, regem Hirensem; et quum ab Hira hic abesset, ac in interiori Arabia cum exercitu suo versaretur, eum illuc adire debuerunt.*

De Abrahamo legato, ex Nonnosi historia legationum et ex Actis S. Arethæ.

134 *Sed jam tertio loco de Abrahamo presbytero dicamus. De eo in Nonnosi historia legationum apud Photium* (5) *hæc leguntur:* Quin et Nonnosi pater, cui Abramo nomen, ad Alamundarum, præfectum Saracenorum, orator aliquando profectus, duos Romanorum duces, Timostratum atque Joannem (6) belli jure captos, una liberavit; Justino imperatori in ducibus his liberandis subserviens. *De cetero ex ipsis Actis nostris non pauca de Abrahamo, ejusque legatione discimus; quæ ad illustranda*

(1) Pag. 27, num. 20. Romæ 1856. — (2) Vide sup. n. 82. — (3) Bibl. Orient. tom. III, part. 2, pag. 756. — (4) Caussin, tom. II, pag. 55. — (5) Cod. 3. — (6) Supra n. 99.

ex

AUCTORE E. C.

A *ea quoque quæ deinceps Simeon Betharsamensis narraturus est, inservient:* Qui mirabilis est in sanctis suis, rex omnium sæculorum, *inquiunt num.* 25, coram oculis habens omni tempore mortem venerandam sanctorum suorum, inspiravit divo Justino, qui tunc Romanis imperabat, ut Abramium presbyterum, virum religiosissimum et Deo dilectum, mitteret ad ipsum Alamundarum, qui et Sacchicas dictus est, ad hortandum eum, ut pacifice ageret cum christianis qui sub sua erant potestate. Et quum lectæ essent ab Almundaro execrandi regis *Dhu Nowasi* litteræ, præsentibus Deo dilecto Abramio, et quos a Perside rex Persarum miserat, Simeonio presbytero et apocrisiario orthodoxorum christianorum Persidis, et Joanne subdiacono, qui dicitur Mandinus, et Angæo comite, filio Zet, qui erat ethnarchus christianus omnis coloniæ militaris (της παρεμβολης, *Saracenorum scilicet, in Judæa, supra num* 68); advenit eadem super re et Silas, episcopus Nestorianorum Persidis, cum plurimis, obloqui volens et dogmatizare *etc. Ex quibus, uti et ex Simeonis narratione, docemur Abrahamum legatum simul presbyterum fuisse, et Constantinopoli partes fovisse orthodoxorum Persarum.*

B

Simeon catholicus fuit. Abrahamus legatus fuit presbyter et pater Nonnosi. De cælibatu sacerdotum in Oriente ante synodum Trullanam.

135 *Simeon itaque Beth-Arsamensis, non solum Nestorianus non fuit, ut ex Actis nostris, ex Abulfaragio, et ex ejus epistola de hæresi Nestorianorum* (1), *luce meridiana clarius elucet, sed nec Monophysita, aut concilii Chalcedonensis oppugnator. Justinus enim imperator, cujus Abrahamus presbyter erat legatus, apertissime synodum Chalcedonensem propugnabat, et Monophysitarum antesignanos exilio mulctavit. De quo plura videsis apud Assemanum* (2). *Abrahamus porro presbyter profecto ille est de quo num. præced. scribebat Photius in summario historiæ legationum Nonnosi:* Quin et Nonnosi pater, cui Abramo nomen, ad Alamundarum præfectum Saracenorum orator aliquando profectus *etc.* Justino imperatori subserviens. *Abrahamus, pater Nonnosi, verisimiliter post obitum uxoris sacerdos est factus, ait Saint-Martin, siquidem in oriente tum temporis non raro id fiebat* (3). *Sed addendum, etiam vivente uxore antiquitus hoc licuisse in utraque ecclesia; et in ecclesia orientali insuper permissum fuisse sacerdotibus hujusmodi matrimonii usum; qui prorsus vetabatur in patriarchatu Romano universo. De his legi potest canon Nicænus apud Socratem lib.* I *cap.* 8, *epistola Siricii pontificis ad Himerium Tarraconensem cap.* 7 *et Justiniani novella* 22 *cap.* 42. *In ipso oriente, ante synodum Trullanam, optimus quisque sacerdos, qui ante susceptum presbyteratum uxorem duxerat, ab usu matrimonii abstinebat.*

C

Legationes Abrahami, ejus patris ac filii. Almundaro obvii fiunt legati in Madianitide. Epistola Dhu Nowasi ad Almundarum.

136 *Utut cum Abrahamo contigerit, ex Photio discimus tam Euphrasium, quam ejus filium Abrahamum, et hujus iterum filium Nonnosum, ab imperatoribus ad legationes fuisse adhibitos; et quidem omnes gentis istius legationes ad Arabas, aut Æthiopas sunt habitæ. Hoc vero ordine contigerunt.* 1° *Euphrasius, avus Nonnosi ab Anastasio missus est ad Caisum, Arethæ nepotem, præfectum Saracenorum. Supra num.* 74. 2° *Abrahamus, Nonnosi pater, mittitur ad Alamundarum, seu Mundhar III, regem Hirensem, imperante Justino.* 3° *Idem Abrahamus ad supra dictum Caisum mittitur a Justiniano;* 4° *Mittit Justinianus Nonnosum, Abrahami filium, ad eumdem Caisum, qui* duabus præerat gentibus apud Saracenos clarissimis, Chindinis et Maadenis; *et inde* ad Auxumitarum regem, cui genti Elesbaas tunc præerat, itemque ad Homeritas. 5° *Denique Abrahamus tertio ad Caisum in legationem proficiscitur, anno Christi* 534, *aut* 535 (4). *De secunda porro legatione ex supra dictis, quæ Almundarum, seu Monderum, Hirtæ, vel Hiræ, non repererat, audiamus iterum Simeonem, qui sic narrationem prosequitur.* Per desertum igitur, diebus decem consumptis, austrum atque orientem versus pergentes, pervenimus ad Monderum contra montes « Arenæ, » nuncupatos, quos Arabes « Ramle » appellant. Monderi autem castra ingredientibus nobis, occurrunt Arabes ethnici et Maadeni (*i. e. incolæ Madianitidis. Supra num.* 74. *Ex quo patet hoc in tractu, in quo sita est Mecca cum suo templo Caba, vel inde non procul Al-Mundharum obvium habuisse legatos*); et, quid amplius agendum vobis restat, inquiunt, quum Christus vester ex Romanorum, Persarum, et Homeritarum finibus expulsus sit? Hæc nobis Arabes exprobrabant. At nos ingenti dolore contabescebamus; maxime quum juxta esset legatus ab Homeritarum rege *Dhu Nowaso, seu Dunaan*, ad regem Monderum missus (*cfr Acta infra n.* 25 *sqq.*) qui plenam arrogantiæ epistolam exhibuit, in hæc verba.

D E

Inchoatum bellum Dhu Nowasi secundum, exeunte anno 522. *Occidit sacerdotes* 280.

137 « Noveris, frater mi Mondere rex, *inquit Dhu Nowasus,* regem illum, quem Æthiopes regioni nostræ præfecerant, e vivis jam excessisse. *Hic proregem anonymum significari credo, de quo supra num.* 127 *sq.* Adventante autem hieme, quum in nostram regionem Æthiopes contendere nequirent, ut christianum regem de more constituerent, totum ego Homeritarum regnum occupavi. *Hiems hæc, quæ renovati belli initium fuit, autumno anni* 523, *quo labente mense octobri, martyrium consecutus est S.* Arethas, *respondere non potuit. Nam primo, historiam hujus belli hoc modo inchoant Acta nostra:* Anno quinto imperii Justini *etc., cœpitque hic annus quintus cum septembri anni* 522; *quocirca hiems illius anni quinti incidit vel in extremos menses anni* 522 *vel in initium anni sequentis. Deinde dum mense septembri vel octobri anni* 523 *Dhu Nowasus Negranam advenit, quæ civitas septemtrionem versus ad extima Homeritidis sita erat, jam australia omnia subegerat et exercitum ducebat militum* 120,000 (*n.* 139). *Ex quibus certum est rebellionem suam auspicatum esse Dhu Nowasum* adventante hieme *anni* 522. Ac primum quidem, *inquit rex judæus,* cunctos christianos, qui in Christum crederent, cepi, mortem ipsis comminatus, nisi judæi nobis similes fierent. Occidi autem quos reperi, bis centum et octoginta sacerdotes; Æthiopes quoque qui ecclesiam custodiebant, una cum ipsis e medio sustuli: eorum vero ecclesiam in synagogam nostram converti. *Gesta sunt hæc omnia a Dhu Nowaso antequam ad civitatem Negran pervenisset; cujus*

F

(1) Ap. Assemani, Bibl. Orient. tom. I, pag. 346. — (2) Ibid. pag. 342. — (3) Lebeau, Hist. du bas-empire, tom. VIII, pag. 57. Edit. Saint-Martin. — (4) Photius, Cod. 3 et supra n. 74.

ecclesiam,

AUCTORE E. C.

ecclesiam, ut dicet mox ipse, flammis absumpsit.

forte Taphari. In Yemana florebat tum religio christiana.

138 *Qua igitur in civitate ecclesiam aliam reperit, sacerdotesque, et Æthiopes qui eam custodiebant? Aliunde enim nec civitas alia, cujus incolarum pars christiani fuerint, certo innotescit, nec alia ecclesia præter Negranensem. Quamquam alias fuisse in regno in quo Æthiopes christiani regem christianum* de more *constituebant, certo discimus ex Actis n.* 3, *quo loco dicit tyrannus:* Christianorum vero ecclesias quas vocant, in omnibus circumjacentibus regionibus, incensas et ad solum usque eversas, in pulverem redegi. *Cfr ibid. n.* 38, *ubi presbyteri in locis singulis a novo episcopo constituti dicuntur. Forte hæc alia ecclesia, quam in synagogam convertit Dhu Nowasus, Taphare fuit, seu Dhafare, quæ erat urbs ejus regia* (*Act. n.* 35 *sqq.*) *uti et aliorum regum plurium. Supra num.* 48. *Illic enim, cæso Dhu Nowaso, S. Elesbaas statim fundavit ecclesiam. Act. n.* 38. *Idque confirmatur ex supra laudato Actorum num.* 3, *quo Dhu Nowasus, Negranam obsidens, his verbis cives alloquitur:* Ecce enim
B qui relicti sunt a rege Æthiopum in CIVITATE (ἐν τῃ πολει), et christianos regni mei, et qui monachi dicuntur, omnes tradidi gladio et igni. *Quæ civitas Taphar, seu Dhafar esse videtur, regni primaria. Inter Dhafar et Nagran sita erat Sanaa, quæ et ipsa diu regia fuit* (1), *et nunc urbs est præcipua Yemanæ interioris. Eam et Dhu Nowasi regiam fuisse insinuat Taberita, dum huc, post cædem Negranensem, eum reversum esse scribit:* Dhu Nowasus deinde, *inquit,* cum copiis Sanaam, regionis Yamanæ, revertit (2). *Sed licet certum sit, ex Actis probatis quæ edimus, Taphar judæi tyranni regiam fuisse, conjectura qualicumque dicimus, in hac forte civitate majore, qua, Thaphare ad Negran iter agens, transire debuit, reperisse ecclesiam et in synagogam commutasse. Quantum vero in hac interiori Yemana floreret res christiana, discimus quoque ex tot sacerdotibus, quos, antequam ad Negranam perveniret, jam interfici jusserat Dhu Nowasus:* Occidi, autem quos reperi, *inquit,* bis centum et octoginta sacerdotes *etc.*

Negranam aggreditur Dhu Nowasus, et perjurio intrat in civitatem. De sinceritate epistolæ Simeonis, ex Walchio et J. D. Michaëlis.

139 Tunc demum, *sic prosequitur,* cum centum et viginti millibus (*ita et Acta n.* 3) hominum ad Nagran, regiam eorum (*Æthiopum*) urbem, castra movi: quam quum diebus aliquot frustra oppugnassem, interposito jurejurando incolumitatem pollicitus sum; animo tamen datam christianis hostibus meis fidem non servandi. Quare deditione facta præcepi ut aurum, argentum et omnes opes suas proferrent. Prolatas sustuli. *Locus hic, aliaque nonnulla, satis ostendunt, Simeonem non exscripsisse epistolam Dhu Nowasi ad Almundarum, sed in memoriam reduxisse quæ audiverat, quando, jubente Almundaro, coram omnibus prælecta est; addidisse etiam quæ ex Arabe Hirensi, qui a legato quodam vita functi proregis Homeritarum, Negranam fuerat missus, perceperat. Infra n.* 152. *De hac parte litterarum Dhu Nowasi scribit Walchius:* Mirandi certe est causa, regem judæum in suis sceleribus aperte gloriari et litteris ad alium regem datis se fraudatorem et perjurum prodere. Nihilominus hæc epistola non est solus fons, ex quo Simeon sua deduxit. Addit enim, se reducem in terras Naamanis, alius Arabum reguli (*in quo fallitur vir doctus, quum Naaman iste centum ante annis floruerit, nec aliud hic significetur quam Almundari urbs regia, dicta a Syris* Hirta Naamanis), invenisse ibi legatum regis Homeritarum, a judæo illo occisi (*dicendum fuit:* Qui obierat; *nam hoc solum fert locutio Syriaca Simeonis, et supra n.* 137 *dixerat ipse Dhu Nowasus*), hunc que, quum expers esset omnium, se absente, in patria gestorum, hominem mercede conductum Negranam misisse, ut quæ vere contigerint, sibi renuntiaret. Quæ hic retulit de cæde civium Negranensium, ita Simeon litteris consignavit, ut mirum sit, talem nuntium tam copiose et ornate enarrasse, et qui facti fuerint, sermones fideliter expressisse; nisi et huic narrationi decoris quid opera Simeonis accessisse, fueris suspicatus. Denique nec clausula epistolæ Simeonis hoc loco omittenda est, qua se illam eo consilio dedisse significat, E ut summa, qua judæus ille rem christianam adfecerit, injuria ad notitiam patriarchæ Alexandrini perveniret, hic vero Æthiopiæ regem ad ulciscendum facinus excitaret. Quæ jam observavi, sufficere mihi videntur recto de auctoritate Simeonis ferendo judicio, quo quidem caveatur, ne quævis ab eo prolata uno eodemque loco habeantur (3). *In quibus postremis verbis, quæ lectorem celare nolui, erga Simeonem iniquior est Walchius. Quid, quæso, detrimenti inde capere veritas poterit, quod scripta hæc sunt ut innotescant partriarchæ Alexandrino? Cupitne falsitatis convinci a patriarcha suo Simeon? Quapropter æquius sensisse videbitur Joannes David Michaëlis, vir itidem heterodoxus, sed quo nullus rerum orientalium, linguarum quas Semiticas vocant, et antiquitatum biblicarum, sæculo præcedenti peritior fuit: Certe mentitus non est Simeon, inquit, nec quidquam sciens et volens de suo addidit..., sed quum litteras Munderi describere non potuerit, plura quæ ex aliorum narratione didicerat, ignorans immiscuit et forte aliqua, ut fit, pro ingenio suo adornavit, etc.* (4).

Pauli episcopi, vita functi, ossa Dhu Nowasus comburit. Martyrium procerum civitatis.

140 *Sed jam prosequatur Dhu Nowasus, Almundaro, seu Mondero, narrans quæ Negranæ gessit, postquam a Negranensibus perjurio et fraude obtinuerat, ut sibi paterent portæ civitatis:* Mox Paulum eorum episcopum quæsivi; quem quum illi e vivis jam excessisse affirmassent (5), haudquaquam ipsis fidem adhibui, donec tumulum ejus mihi ostenderunt: ego vero ossa inde extracta cremavi. Ecclesiam quoque eorum (6) et sacerdotes, et quotquot ad ecclesiam confugisse deprehendi, flammis absumpsi. Reliquos vero cogebam Christum, crucemque ejurare. Quod tamen illi se commissuros negarunt; illumque Deum esse et Filium Benedicti testabantur: et mortem hanc ob causam oppetitam vitæ anteponendam affirmabant. Sed et ipsorum princeps (*S. Arethas*), multa effutiens, contumeliis probrisque me incessere non verebatur. Omnes itaque eorum proceres duci ad supplicium jussi sunt. *Quæ huc-*

(1) Caussin, tom. I, pag. 58, 64, 107 etc. — (2) Imperium Joctanid. pag. 107. — (3) Walchius in Novis Commentar. Societ. reg. Gottingensis, tom. IV, part. 2, pag. 10. Gottingæ 1774. — (4) J. D. Michaëlis, Orientalische u. exeget. Bibliothek, tom. VII, pag. 145 et seq. Frankfurt a. M. 1774. — (5) Supra n. 112; cfr Acta n. 5. — (6) Acta n. 17.

usque

A *usque scripsit Dhu Nowasus ex Actis nostris non parum illustrantur; ideoque hinc inde eorum loca nonnulla indicavimus : sed ubi discrepant binæ narrationes, utra sit magis proxima vero, pro posse, inquirere non omittemus. Proceres isti, qui ad supplicium duci jussi sunt a Dhu Nowaso, erant numero* 340 ; *inter quos eminebat* S. Arethas. *De hoc martyrum coryphæo, qui post multos alios capitali supplicio affectus est, brevissime scribit rex Homerita; sed plura percepit Simeon ex Arabe Hirensi, qui Negranam missus est, eaque ad calcem epistolæ suæ consignat, ut suo loco videbitur. Antequam vero martyrium feminarum, et maxime Rumæ, nobilis viduæ, ejusque filiarum, e litteris Dhu Nowasi memoretur, ex Actis nostris, quæ e monumentis Homeriticis manifesto sunt hausta, omnem martyriorum seriem, perspicuitatis gratia, hic exhibere visum est. Omittimus autem quæ antequam Negranam obsideret, tyrannus perpetravit; de quibus, quæcumque novimus, superius sunt declarata : atque hic de solis martyriis Negranensibus sermo inducitur.*

B

§ XIII. Ordo rerum gestarum Negranæ a Dhu Nowaso; de S. Ruma femina nobilissima ejusque et filiarum martyrio, ex epistola Dhu Nowasi ad Almundarum.

Series martyriorum

Hoc *ordine et serie Negranæ res contigerunt :* 1° *Civitatem obsedit Homeritarum rex* ad multos dies, usus machinis et validissimis instrumentis bellicis. *Act. num.* 4. 2° Ejecit omnes qui in suburbiis et agris erant civitatis ejusque possessionibus, et hos quidem interfecit, illos vero tamquam servos largitus est suis proceribus. *Act. n.* 4. 3° *Juramentum præstat :* Quoniam non nocebo alicui civi, nec quemquam blasphemare cogam quam veneramini religionem. *Ibid. n.* 4. 4° Postera die, apertis januis, exiverunt omnes duces seu proceres, simul cum Aretha, ad regem. *Quos jussit ille* primo quidem facultates suas extra civitatem
C afferre, deinde ostendere ei Paulum, episcopum civitatis ; *et quum hunc obiisse didicisset a biennio, ejus ossa igni sunt tradita. Ibid. n.* 5. 5° Sequenti die jussit omnem exercitum magnam copiam ligni congregare, et vastissimum rogum accendere, ita ut stadii unius spatium occuparet, ac injicere omnes sacerdotes civitatis et diaconos, et reliquos ecclesiæ ministros, et qui solitariam vitam in vicinia agebant, et quæ dicuntur canonicæ et sanctimoniales ; cantatrices etiam quæ nocte et die cantant in domibus Dei : hos omnes, sive in civitate essent, sive in vicinia, sine examine combussit, terrere volens reliquos christianos. Erant autem, qui combusti sunt, numero quadringenti viginti septem. *Act. n.* 6. *Hi martyres Negranenses sunt ordine primi; ut de cetero testatur Dhu Nowasus ipse in epistola, paucis multo complexus, supra n.* 140 : *ibique simul combusta ecclesia dicitur. Cfr Act. n.* 17. *Ex quorum numero dignosci potest, quantum floreret Negranæ religio catholica.*

142 6° Posthæc ligari jubet ferrea catena Aretham, virum clarissimum, et reliquos primores civitatis, *Act. n.* 6 ; *eos nimirum qui ante portam civitatis ei occurrerant, numero* 340. *Qui tamen nonnisi pluribus post diebus capitali supplicio sunt affecti.* 7° Multi autem, quum nossent prævaricationem improbi regis, aufugerunt, abscondentes se in montibus et speluncis. *Act. n.* 7. 8° Congregatis uxoribus procerum civitatis, qui in vinculis erant, ac jam martyrium suum inchoaverant, eas statuit coram viris suis, simul cum filiis. *Act. n.* 8. Ex iis mulieres decem, quæ canonicæ erant et velamen virginum induerant, ei dixerunt *etc. Hæ canonicæ decem proles erant primorum civitatis, qui in vinculis detinebantur; quibus simul cum matribus sunt objectæ : sed qua de causa cum reliquis canonicis* (*supra* 5°) *incendio non sint consumptæ, ignoro.* Tunc jubet rex, ira ferociens, auferri illas omnes ad foveam quamdam, et gladio interimi in loco eodem, in quo iis, qui eas martyrio præcesserant, modo caput fuerat abscissum. Ducebantur itaque comis capitis tractæ a servis tyranni, erantque numero feminæ ducentæ E
viginti septem. *Act. n.* 9. *Cupientibus canonicis ut priores mortem possent obire, ceteræ feminæ responderunt:* Non ita erit, sed siquidem uxores et matres sumus martyrum, NOS MORIAMUR PRIUS, UT TESTES MORTIS VIRORUM et liberorum NON SIMUS... Sunt igitur omnes capite plexæ hæ sanctæ feminæ. *Ibid. Quæ manifesto ostendunt, ante ipsos proceres, eorum uxores morti fuisse traditas.*

AUCTORE E. C. *et rerum Negranæ gestarum a Dhu Nowaso,*

143 9° Adducta est tum femina totius civi- *ex Actis græcis S.* Arethæ.
tatis primaria... erat autem pulchritudinis incomparabilis. Jussitque *tyrannus* eam custodiri simul cum duabus filiabus suis. *Hæc a Dhu Nowaso, in epistola ad Almundarum, Ruma vel Rumi vocatur; de qua mox plura. Aliquot post diebus, simul cum filiabus martyrium est consecuta.* 10° Die sequenti venire jubet *tyrannus S.* Aretham cum reliquis qui in vinculis detinebantur, numero trecenti quadraginta. *Act. n.* 15 *et supra* 6° *et* 8°. *Eodem die, ut videtur, post nobilissimos sermones S.* Arethæ, *ducti sunt omnes ad supplicum. De quo scribit Simeon in fine epistolæ.* 11° Mulier
F autem quædam christiana, tenens filium suum, qui erat annorum quatuor aut quinque, vidensque quomodo adstantes benedicerent sanctis, et isti facies suas sanguine S. Arethæ ungerent (1), occurrit et ipsa, et sumens de ejus sanguine, signavit sese ac filium suum. *Act. n.* 21. *De hoc puero non pauca habent tum Simeon, tum Joannes, Asiæ episcopus.* 12° Rex, congregatis omnibus pueris, ab ætate annorum quindecim et infra, utriusque sexus et cujuscumque conditionis, sive a nobilibus essent geniti, a civibus, agricolis, opificibus, vel servis, dummodo christiani essent, numero mille ducentis nonaginta septem, distribuit illos tradiditque in servitutem cunctis proceribus suis ac ceteris qui eum in persecutione christianorum adjuverant. *Act. n.* 23. *Tum demum scripsit ad regem Persarum et ad Almundarum, narrans quæ gesserat et ut similem in christianos persecutionem ordirentur adhortans. Ibid. n.* 25.

(1) V. infra n. 157.

144 *His*

AUCTORE E. C.

De tempore et ordine quo proceres in carcerem conjecti et martyrio coronati sunt.

144 *His ex Actis nostris depromptis, facilius deinceps narrantem Dhu Nowasum sequemur; simulque apparebit in quibus hæc monumenta hinc inde inter sese differant.* Interea, *inquit, id est, dum parabantur proceres ad supplicium* (*supra n.* 140), *vel potius, ut supra n.* 142, 6° *et* 8°, *ex Actis est explicatum, dum in vinculis detinebantur,* feminas, ut maritorum exitum animo reputantes resipiscerent, hortabamur, si sibi suisque liberis consultum vellent. Sed illæ adeo nostris adhortationibus commotæ non fuerunt, ut a virginibus, quas neci addixeramus, in eo præventas se fuisse conquererentur et ultro in medium illarum agmen irrumperent (1) atque a suis maritis se divulsas dolerent. *His verbis:* Interea feminas, ut maritorum exitum animo reputantes resipiscerent, hortabamur *etc. videtur significari, maritos ante uxores occubuisse. Sed primo, feminæ potuerunt reputare maritorum exitum prævisum; et reapse conqueruntur quidem* in eo præventas se fuisse a virginibus, *at præventas se fuisse a maritis non significant. Deinde certum non est sic scripsisse Dhu Nowasum sicut eum scripsisse credidit Simeon. Tertio loco, Acta nostra, quæ non immerito pura et sincera esse arbitramur et in quibus nitide persecutionis omnis series exhibetur, aperte dissentiunt. Quarto denique, dicit ipse* S. Arethas *in epistola Simeonis, infra n.* 157, *de Paulo episcopo:* Cujus ossa flamma DUDUM consumpsit. *Ex quibus non videtur inter primos martyres occubuisse.*

B

Ruma, femina nobilissima, tyranno sistitur, simul cum filiabus;

145 *Majorem videntur habere difficultatem quæ sequuntur:* Iis ergo *mulieribus* ultimo supplicio affectis, *ait Dhu Nowasus,* Rumam regis designati uxorem, datis ex nostro exercitu custodibus, dimittendam putavimus, si forte custodibus, dimittendam putavimus, si forte filiarum commiseratione capta, religionem christianam repudiaret, et judaïcam amplecteretur, filias, opes, fortunas omnes receptura. *Dicitur insuper Ruma pulchritudine in primis conspicua fuisse, filias habuisse quinque* (Et nunc filias virgines quinque Christo despondi); *et diebus solum tribus vidua fuisse:* Quandoquidem triduum marito superstes vixi. *Demum addit ipse Simeon, infra n.* 154, *eam* S. Arethæ *fuisse uxorem. Acta vero nostra hoc loco non parum diversa tradunt. Omisso nomine tum mulieris, tum ejus mariti, eam vocant feminam totius civitatis primariam, num.* 10; *filias tradunt habuisse tantum duas, ibid. et sqq.: nisi intelligendum sit has solas, utpote natu majores, ad martyrium fuisse ductas; dudum viduam fuisse manifeste significant, n.* 11 *et passim; et denique ante* S. Aretham *martyrium esse consecutam. Sed de narratione Syriaca notat J. D. Michaëlis, veri simile non esse regem judæum in epistola sua pulchritudinem mulieris tot extulisse laudibus; adeoque non ex lecta coram se regis epistola, sed ex aliorum relatione hausisse hæc Simeonem autumat: et quidem in his nonnihil indulsisse ingenio.*

C

S. Arethæ *uxor fuisse non videtur, sed forte nurus fuit.*

146 Etenim raro venustæ sunt, *inquit,* feminæ Arabicæ, præterquam in juventute prima; et hæc filias habebat quinque, quarum plures adolescentiam tempore persecutionis attigerant. *Credit vero regem judæum politicis de causis eam in uxorem ducere voluisse, ut sibi faveret civitas, vel ut sibi regnum assereret magis; morem orientalem secutus, quo qui in regnum cuiquam succedebat, non raro hæres erat et thori* (2). Sed in matrem filiarum quinque, *inquit idem,* vix tanto ferri amore potuit, ut et liberare eam voluerit a morte, et id significare alteri Arabum regi (3). *Propter hæc, et maxime, quod uno tantum loco filias quinque habuisse Ruma dicatur a Simeone, præferenda forte narratio Actorum nostrorum, in quibus filiæ solum ducæ ei tribuuntur. Idemque pronuntiandum videtur de asserto Simeonis, Rumam* S. Arethæ *uxorem fuisse; de quo nihil habent Acta nostra, seu potius cui contradicunt manifeste. Feliciter conjectasse Walchium censeo, dum scribit* (4) : Reuma illius, *i. e. Arethæ,* non uxor, sed nurus *fuit.* Arethas *enim, dum martyrium est passus, nonagesimum quintum annum supergressus dicitur, et vidisse filios filiorum suorum usque ad quartam generationem. Act. n.* 17. *Ceterum quousque sincera Acta nostra habenda sint, pro more ad calcem hujus commentarii dissertabitur.*

D

Adhortatio ejusdem Rumæ

147 *Jam uno tenore Dhu Nowasus narrationem suam de Ruma prosequatur :* At illa, *inquit,* ut a nostro sese conspectu proripuit, nudat caput, et aperto vultu prodit in publicum, mirante populo; siquidem ejus faciem, ex quo facta erat grandiuscula, nemo in foro conspexisset : atque per vicos urbis et compita discurrens, clamare ac vociferari hunc in modum cœpit : Mulieres Negranenses, quotquot adestis sodales, christianæ, judææ et gentiles, audite. Christianam me esse, et genus, et proavos meos nostis. *Patet ex hoc loco Rumam genere Negranensem fuisse, et dudum ante sæculum sextum Negranæ religionem christianam inter ipsos proceres habuisse asseclas. Vide n.* 105 : Nostis et ingentem auri argentique copiam, patrimonium quoque luculentum, et servorum catervas mihi præsto esse; et si modo, quoniam pro Christo maritus interiit, novas nuptias optare libeat, non defuturam dotem quadraginta millium aureorum (*seu francorum gallicorum circiter* 600,000; *siquidem nummis CPolitanis tum Arabes utebantur: at significari hoc loco manifesto videtur sola moneta cusa quam penes se habebat, præter opes omnes alias*) (5) et præter opes ab illo mihi relictas, mundum prope infinitum monilium, gemmarum et pretiosissimarum vestium : perspectumque vobis est, non falso ista a me jactari. Sed nec illud vos latere scio, nullam feminæ diem optabiliorem esse die nuptiarum; huic autem succedere ærumnas, partuum dolores, et in funere liberorum intolerabiles luctus. Mihi ergo deliberatum est, his omnibus finem dare. Priorum itaque nuptiarum dies lætissimos exegi; et nunc pari cum animi mei lætitia filias virgines quinque Christo despondi.

E

F

ad mulieres Negranenses.

148 Huc ergo ferte oculos, sociæ. Intuemini sodalem vestram, vestrum in conspectum en secundo prodeuntem. Quandoquidem in priori illa mearum nuptiarum pompa, vobis omnibus spectantibus, sponsi prioris domum traducta sum; et nunc aperto similiter vultu ad Christum Deum, et meum filiarumque mearum Dominum, propero, quemadmodum

(1) Supra n. 142, 8°. — (2) Cfr J. D. Michaëlis, Mosaisches Recht, § 54, n. 7. — (3) Oriental. u. exeg. Bibl. tom. VII, pag. 145 et seq. — (4) Historia rerum in Homeritide etc., pag. 55. — (5) Cfr supra n. 16.

et

A et ipse Christus ob suam in nos caritatem ad nos descendit, et pro salute nostra passus est. Meis ergo insistere vestigiis, vos etiam atque etiam rogo, neve caduca oris forma transversum vos agi sinatis; nec enim ego vobis minus formosa sum. Sed et ipsam hanc qualemcunque formam integram, et judaïcæ perfidiæ immunem, ad Christum deferam, ut ipsa oris species Domino meo fidem faciat, me ab illa in infidelitatis crimen abduci nequaquam potuisse; et aurum, et argentum, et ingentes opes ostendent, nihil ipso carius fuisse. Rex namque perduellis salutem incolumitatemque, si Christum ejurarem, promisit. Sed hoc avertat Deus, sodales, avertat, inquam, ne Christum Deum, in quem credidi, nunc deseram; sed quando ego et filiæ, in nomine Trinitatis baptizatæ fuimus, Christi crucem adorare, et pro eo mortem cum vita commutare, una cum illis est ratum mihi; siquidem et Christus pro nobis cruciatus et mortem in sua carne perpessus est. Quare res hasce caducas, et quamvis modo oculos alli-
B ciant corporique blandiantur, quandoque tamen casuras, sponte resigno, perennes et perpetuo mansuras opes a Domino acceptura. O vos beatas, sodales, si dictis aures dederitis meis et veritati manus, Christumque Deum dilexeritis, pro quo ego et filiæ morimur. Nunc autem pacem et tranquilla tempora populo Dei precor. Fratrum et sororum in hac urbe pro Christo interemptorum cruor ipse murus fiat, si tamen Domino meo Christo perpetuo adhæserit. En fidenter urbe excedo, in qua, velut in temporario quodam diversorio, hactenus versatæ sumus, ego et filiæ meæ, illam civitatem æternam cogitantes, in qua sponsum, cui ipsas tradidi, sunt inventuræ. Orate pro me, sodales, ut Dominus meus Christus me suscipiat, et ignoscat mihi, quandoquidem triduum marito superstes vixi (1).

De Ruma ulterius scribit Dhu Nowasus; ejus filiarumque martyrium. Impuberes servati.

149 Gliscentibus ergo ex urbe clamoribus conciti, percontabamur reduces, quos eo legaveramus, nuncios, quænam tandem insoliti illius ejulatus causa foret. Isti quæ mox narrabamus renunciarunt : Rumam videlicet feminarum vulgus ad eos clamores concitasse.
C Custodum nempe segnitie socordiaque factum fuerat, ut tantum feminæ liceret. Et in eos quidem ultimo supplicio animadvertere ratum erat, nisi in mitiorem sententiam quorumdam preces nos postea flexissent. Ecce autem ab urbe femina revertitur, bacchanti similis, nudoque capite et filias secum trahens eleganter concinneque ornatas, quasi ad thalamum concessuras, erecta fronte petit conspectum nostrum. Mox solutis plicatisque in manus crinibus, nudam cervicem porrigit, inclamans : Christianæ sumus, pro Christo morimur. Abscinde caput, et ad fratres ac sorores, mearumque filiarum parentem ocius me transmittito. Ego vero post tantam mulieris amentiam, ut Christo renunciaret adhuc suadebam; sin minus, tantum ne diceret eum Deum esse. At non persuasi; quin etiam ejus filiarum altera nos objurgabat, qui ista suggereremus.

150 Quum ergo persuasum haberem, nulla vi, nullove ingenio mulierem adductum iri ut Christum ejuraret, ceteris christianis metus incutiendi causa eam humi prosterni jussi; filias vero statim jugulari pone matrem, adeo ut dissectis e cervicibus erumpens cruor in os ejus influeret; mox ipsam pari supplicio necari. Deum Adonaï juro, incredibili mœrore affectus sum, cogitans ipsius filiarumque pulchritudinem. Quoniam vero pontificibus mihique videbatur, scelus esse, si peccantibus parentibus insontes liberi pœnas darent (id enim etiam leges nostræ vetant), idcirco lege lata edixi, ut impuberes a nostris militibus alantur, ut quum ad pubertatis annos pervenerint, aut judaïcam religionem suscipiant, aut si christianam profiteri malint, pereant. Hæc tibi, rex, eo perscribenda putavi, ut simul te admonerem, ne quemquam christianum in tuo regno vivere patiaris, nisi forte qui suam cum tua religione commutare voluerit. Judæos vero fratres meos ea, qua soles, benignitate fovere perge, frater; gratias pro hac tua in eos benevolentia ego rependam, quascumque tibi carissimas fore tuis litteris ipse me feceris certiorem. Hæc rex profanus judæus Mondero. *Quibus verbis absolvit Simeon Beth-Arsamensis epistolam Dhu Nowasi ad Almundarum, seu Monderum.* E

AUCTORE E. C.

§ XIV. Narrationem prosequitur Simeon Beth-Arsamensis : S. Arethæ genus, libertas loquendi coram tyranno, martyrium. Mirabilis constantia pueri quinquennis.

Litteræ Dhu Nowasi in castris Almundari publice recitantur. Fortitudo militis cujusdam christiani.

Quum autem nos eo pervenissemus, *ait Simeon, id est, ad locum quo Almundarus, seu Monderus, cum exercitu versabatur,* Monderus, convocato ad concionem exercitu, regis literas publice recitari jussit; remque ita se habere præsens ipsius regis legatus attestabatur, attexens alia quædam de christianorum cæde, eorumque ex Homeritide fuga (*quæ supra significatur n.* 142, 7°). Tum vero Monderus ad christianos, quos sub signis habebat plures, conversus : Audistis, inquit, quæ adversus vestræ sectæ homines decreta actaque fuerint? F Qui ergo vos Christum modo non ejuratis? *ut forte fecerat ipse Almundarus aliquando, supra n.* 88, 98. Neque enim regibus, qui christianos expellendos judicarunt, sum ipse melior. Ad hæc miles quidam christianus, qui in Monderi castris merebatur, divino zelo excitus, prompte confidenterque : Haud tua, rex, inquit, ætate nos christiani facti sumus (2) ut modo Christum ejurare debeamus. Cui Monderus subiratus : Tune inquit, me præsente hæc effutire audes? At ille : Pro pietate locuturus neminem metuere soleo, nec modo hominum metus, ut in ea causa taceam, umquam efficiet. Neque vero mihi gladius brevior est gladio ceterorum, parato experiri summa. Tacuit Monderus, reveritus nobilissimi viri genus, et quod idem inter regni proceres esset clarissimus, et in armis strenuus.

152 Inde profecti Hirtam Naamanis (*non terras Naamanis, ut vertit Assemanus*) sabbato primo jejunii tenuimus (*i. e. die 24 februarii*

(1) Supra n. 145 et seq. — (2) Vide supra a n. 76.

AUCTORE E. C.

Simeon cum sociis redit Hiram; ubi ex Arabe quodam, qui Negranam missus est, plura discit.

hujus anni 524. *Isto enim anno dominica quinquagesimæ, quæ principium est jejunii tum Græcorum, tum Syrorum et Mesopotamiorum, incidebat in diem februarii* 18); ibique legatus extincti regis Homeritarum (*supra n.* 127) occurrit, qui quum cædem a tyranno judæorum commissam a nobis didicisset, Naamanitam quemdam (*in Syriaco ad verbum:* hominem ab Hirta Naamanis) pacta mercede jubet, in urbem Nagran quantocius proficisci, omniaque ibidem gesta quam diligentissime explorare. Is itaque post dies legato christiano, nobis audientibus, narravit quæ supra memoravimus, subjecitque cæsos eadem occasione trecentos et quadraginta proceres, qui ab urbe tyranno occurrerant. *Supra n.* 142. Præterea addidit, judæum Arethæ, filio Caleb, illorum principi, et Rumæ marito, insultasse in hæc verba, *etc. Num Ruma uxor* Arethæ *fuerit, supra expendimus n.* 145 *seq. De ipso vero* S. Aretha, *paulo latius inquirendum hoc loco.*

S. Arethas *dicendus videtur filius Kaëb;*

B

153 *In tractu Negranensi dominabantur primitus posteri Djorhom, e quibus erat princeps quidam Afa, dictus* El-Cahin, *seu* Vates, *qui floruit annis aliquot ante Christum natum* (1). *Tribus alia, quæ ex Cahlan, fratre Himyaris prodierat, dictaque est* Benou-l-Harith-ibn-Caab. *seu filii Harith, filii Caab, circa annum Christi* 100 *vel* 110, *progeniem Afa dominatu spoliavit. Atque exinde, ut docet Ibn Khaldun, Negranæ principatum obtinuit. De* Arethæ *itaque nomine, quem filium Caleb dicit Simeon Beth-Arsamensis* (Hareth bar Kolob *vel* Kalab) (2) *scribit eruditus Arabum veterum historicus, vicinum id esse nomini* Harith-Ibn-Caab *id est,* Arethas filius Caab, *sive* Kaab; *quibus verbis insinuat Simeonem* S. Aretham, *filium, non Caleb, sed Caab, dicere debuisse. Atque hæc, quæ conjicit vir doctus, mihi in primis probantur. Etenim in synaxario Æthiopico, quod infra typis edimus,* S. Arethas *dicitur filius Kaëb, et quum vocales facile varient Arabes, Kaëb et Kaab iis idem est prorsus. Præterea in historia Mahumetis legitur, anno* IX *hegiræ ad eum venisse disputandi causa christianos multos civitatis Negranæ, cujus incolæ majorem partem christiani erant* (3), *et fuisse illos ex gente civitatis*

C

primaria Benu-l-Harith-ibn-Caab. Denique nomen Χανεφ, *quod habent Acta nostra n.* 7, *facile ex Æthiopico Kaeb librarii oscitantia sua formare potuerunt.*

Negranensium princeps et dominus fuit. Adjuncta martyrii;

154 *Erat autem* S. Arethas, *ut eum vocant Dhu Nowasus et Simeon, Negranensium Princeps; et de eo legitur in Actis n.* 7 : Princeps erat eorum (*procerum*), et dux, et hortator confessionis, sanctus Arethas, filius Chaneph, qui in vita sua temporali fuerat civitatis et totius viciniæ dominus. *Sed et patrem ejus Negranæ dominatum esse Acta nostra ferunt :* Quare imitatus non es patrem tuum, *ita Dhu Nowasus martyrem alloquitur,* qui imperavit civitati et omni viciniæ? qui et honore afficiebatur dum regnabant mei decessores; sed voluisti tyrannum agere et monarcham super civitate Negran et ejus vicinia *etc. Act. n.* 15. *Hinc videretur Æthiopum prorex fuisse, nisi aliud significaretur num.* 137; *fuit itaque eorum fœderatus, vel ut verisimilius est, princeps remansit civitatis, nomine proregis eam moderans. Si Actis fides, adjuverit quoque* S. Arethas *reges* D *Æthiopiæ aut Homeritarum in bellis gerendis. Hæc enim inter alia tyranno respondet, n.* 17 : Vidi reges magnos qui te superabant, in India, Perside et Æthiopia, et in hac ipsa regione; sed nihil tale egerunt umquam... In variis bellis generose et fortiter me gessi. *De martyrio* S. Arethæ, *seu de ordine rerum gestarum paucis dictum supra n.* 141, 4° 6° et 10°. *Cetera jam dabit Simeon Beth-Arsamensis, qui narrationem suam, inchoatam n.* 152, *hunc in modum prosequitur: Arabs Hirensis, qui a defuncto rege seu prorege Homeritarum, Negranam missus fuerat,* præterea addidit *regem* judæum Arethæ, filio Caleb (4), illorum principi et Rumæ marito (5), insultasse in hæc verba : Viden quo tua te in Christum fiducia adduxerit, bellum adversus me molientem? Jam resipisce miser, et ejurato Christo, senectuti tuæ consulere sero disce, ne te quæ socios tuos, involvat pœna.

libertas loquendi coram tyranno, cujus pranuntiat ruinam.

155 Cui Arethas : De istis, inquit, merito jam queror, ut qui me bene monentem obaudire noluerint. Ajebam siquidem, nullam tuis dictis habendam esse fidem, sed in urbe manendum; et inde armis rem esse transigendam, non verbis. Daturum scilicet Christum, quem optabamus, bello finem; nec urbem umquam expugnatum iri, in tanta præsertim rerum omnium copia. Sic illi nimirum statuerunt, tuis capti artibus. Quamobrem regio te nomine indignum puto; impostorem potius dixero. Enimvero reges quos vidi multos, pacta conventa servant, et a dolis fraudibusque abhorrent. Quod summum est, datam Christo Deo meo fidem non muto, nec judæus tui similis apostata fiam. Et vivere quidem, mortemque evadere, meo nunc stare arbitrio sat scio. Attamen diu jam vixi, et liberorum, nepotumque, atque cognatorum magnam catervam relinquo. *Ex quibus confirmatur hic locus Actorum, n.* 17 : Annum supergressus sum nonagesimum quintum... et genui filios, et vidi filios filiorum meorum usque ad quartam generationem. — Rebus insuper belli domique gestis, *sic idem apud Simeonem prosequitur,* non modicam, Christo favente, collegi famam. Quod in posterum spectat, non dubia, sed F certa mihi spes manet, fore ut, quemadmodum vitis, resectis superfluis sarmentis, uvis exuberat, sic populus noster christianus in hac urbe frequentissimus sit futurus, et ecclesia quam incendisti, magnificentius propediem instauretur. Insuper et christiana religio resumptis viribus regnet regibusque imperet; judæorum autem secta tenebris obruatur, tuum regnum concidat, et potestas intereat. Pone ergo fastum, neve aliquid præclarum te gessisse putes; quum enim clarueris, repente occides. *Hæc pars posterior orationis* S. Arethæ, *siquidem scripsit Simeon anno integro ante adventum Elesbaæ cum Æthiopibus, et mortem Dhu Nowasi, tota prophetica fuisse dicenda est; nisi hic adsit interpolatio, quod non video cur admittendum foret. Eadem habent Acta n.* 17.

Hortatur concives; tertiam partem agrorum donat ecclesiæ.

156 Hæc ajebat magnus et venerabilis senex Arethas. Mox christianos, qui frequentes latus ejus stipaverant, hunc in modum interpellat: Audistis, fratres, quid isti judæo testatus sim?

(1) Caussin, tom. I, pag. 123 et 187. — (2) Bibl. Orient., tom. I, pag. 374. — (3) Caussin, tom. III, pag. 275 et seqq. — (4) Cfr n. præced. — (5) Vide n. 145 et seq.

Cui

A Cui illi : Utique, pater. Arethas: Vera sunt illa, necne? Quum respondissent, vera esse, subdidit: Si quis ergo metu mortis concussus, datam Christo fidem mutare cogitat, quantocius abscedat. Hic sublato clamore omnes dixerunt : Propitius sit nobis Deus, ne timeamus, pater; omnibus quippe, tecum mori pro Christo, est ratum, nec umquam a tuo avelli latere. Posthæc Arethas ad circumstantem christianorum, judæorum et gentilium turbam conversus : Audite, inquit, quotquot adestis omnes. Si quis forte ex genere meo, aut affinibus meis, aut cognatione mea a Christo defecerit, et isti judæo adhæserit, hunc meum esse abnego, et hæredem abnuo, bonaque mea in sumptus construendæ ecclesiæ cedere volo. Si quis autem meorum Christo fidem servaverit, mihique superstes vixerit, hunc in jus facultatum mearum succedere jubeo, et hæredem dico meum. Ecclesia vero, quemcumque ex tribus agris patrimonii mei elegerit, habeat sibi ad fabricæ expensas (1). Mox iterum conversa ad regem oratione (2): Te, inquit, et
B quotcumque Christum abdicastis, abdico, abjuro, abnuo. En adsumus, arbitrii, jurisque tui facti. His porro Arethæ verbis reliqui christiani inflammati : En Abraham, princeps patrum (3), ajebant, te, nosque tecum præstolatur, venientes excepturus. Quicumque a te defecerit, et Christum negaverit, hunc nos omnes abnegamus.

Ducuntur proceres ad locum supplicii; martyrio coronantur.

157 Hæc illi. Quibus vehementissime commotus tyrannus, lata in omnes capitis sententia, ad supplicium duci jussit, ubi influit torrens (Vadi incolæ vocant), ibique jugulari et cadavera in profluentem projici. *De loco supplicii et profluente, quem Arabes* Wadi *vocant, dicetur inferius*. Interea Arethas sublatis in cælum manibus orabat in hæc verba : Christe Deus, adesto nobis et confirma nos, animasque nostras suscipe. Placeat tibi effusus pro te servorum tuorum cruor, nosque tuo dignos effice conspectu. Confitere nos coram Patre tuo, sicut pollicitus es; et fac ut ecclesia ædificetur, et famulo tuo Paulo, cujus ossa flamma dudum consumpsit *(ergo non statim ab ingressu urbis proceres occisi sunt. Cfr*
C *n.* 140), alter episcopus sufficiatur. *Quod et factum esse novimus*. Ita demum postquam se invicem pacis osculo salutassent, signoque crucis Arethas senex eis benedixisset, cervicem lictori sponte porrexit, et ictum excepit. Mox socii conglobati accurrebant tanto cum ardore, ut se invicem comprimerent, interfectique modo Arethæ sanguine aspergerentur. *De veneratione sanguinis martyrum diximus alibi* (4). Ita demum martyrio omnes coronati sunt; *nimirum proceres* 340, *quorum dux et hortator erat* S. Arethas : *idque contigisse ostendimus* (5) *die* 24 *octobris anni* 523.

Fortitudo et constantia pueri quinquennis;

158 *Narrationem concludit Simeon historia pueri cujusdam, qui audacter restitit tyranno; eaque et in Actis nostris celebratur, et in Menæorum ac Menologiorum synaxariis*. Puer erat triennis, *inquit, quem Acta nostra quatuor, aut quinque annorum fuisse dicunt, Metaphrastes vero et synaxarium Æthiopicum* (*de quo infra dicetur*) *quinquennem* (6); quem mater quum ad supplicium raperetur, manu trahebat. Hic regem sedentem et regio cultu amictum forte conspicatus, e matris latere dilapsus, ad illum cucurrit, ejusque genua osculatur. Ea pueri simplicitate delectatus rex, parvulum, ut fit, amplexari cœpit; postremo sic affatur : Quid tibi, mi puelle, mavis? Morine una cum matre, an mecum una vivere? Cui puer : Per Dominum nostrum, malo cum mea matre mori; proptereaque cum matre pergo : dixit enim mihi : Veni fili, moriamur pro Christo. Sed dimitte, oro, me, ut ad matrem meam properem, ne forte non videam morientem; significavit enim mihi, regem judæorum edixisse, ut qui Christum abdicare noluerint, interficiantur : ego autem Christum abdicare nolo. Cui rex : Undenam tandem Christum nosti? Tum puer : Quotidie ad ecclesiam ventitans cum matre, ibi illum video. Subdit rex : Mene amas, an matrem? Puer : Per Dominum nostrum, matrem. Cui rursus rex : Mene amas, an Christum? Puer : Magis Christum, quam te. Quorsum ergo, subdit rex, huc modo procurrens, genua mea osculatus es? Putabam, respondit puer, te esse regem Christianum, E
quem in ecclesia videbam, nec hucusque noveram, te judæum esse. Rex : Dabo tibi nuces, et amygdala, et ficus. Puer : Nequaquam per Christum; non comedam nuces judæorum. Sed sine me, quæso, ad matrem ire. Rex : Mecum potius hic maneto, et fias mihi filius. Puer: Neutiquam per Christum, non manebo, quia fœtes, et non bene oles, sicut mater mea.

cuidam ex primoribus educandus traditur: ejus mater decollatur.

159 Tum vero rex ad pone stantes: An vero animadvertistis, ait, pessimam hanc stirpem, quam ab ineunte ætate seduxit Christus, ut illam perderet? Interim quidam ex procerum ordine puerum sic interpellat : Veni mecum, et ducam te, ut reginæ filius fias. Respondit puer : O colaphis dignum os, regina mihi potior est mater, quæ me ad ecclesiam ducit. Postquam vero se usque teneri invitum sensit, regis femur dentibus impetit, inclamans : Heus, judæe nequissime, dimitte me, ut ad matrem pergam, et una cum ipsa moriar. Postremo rex parvulum cuidam ex procerum suorum numero traditum, jubet diligenter educari, donec adultus, aut Christum ejuraret, F
et sic supplicium evaderet; aut si contra in Christi fide usque perseveraret, necaretur. Quumque puer a servo ejus abduceretur, luctabatur pro viribus, pedes quatiens, et matrem appellans : Succurre, mater, ajebat, et tolle me, et ad ecclesiam deducito. Cui mater : Ast nunc perge, fili, cogita te Christo commendatum, et noli flere, sed præstolare me in ecclesia apud Christum quantocius ad te redituram. Hæc fata, cervicem porrigit, decollatur.

Puer incendio consumptus non est, sed adolevit, si fides Joanni episcopo.

160 *Acta nostra n.* 22, *et secundum ea Metaphrastes, docent et ipsum puerum martyrio coronatum esse; quod cum narratione Simeonis convenire non videtur : nec cernitur quo pacto is, qui ex pluribus percepit quæ litteris mandat, mirabile facinus omisisset :* Puerum tradidit rex, *inquiunt Acta,* uni procerum suorum, dicens : Sume eum, ac nutri et doce eum judaïzare. Duxit itaque puerum, eum manu tenens, et quum obvius fieret aliis proceribus, narrabat eis quæ verba puer dixisset, et quo-

(1) Acta n. 18. — (2) Acta n. 19. — (3) Vide n. 22. — (4) Acta SS. tom. VIII Octobris, pag. 428 et 431. — (5) Num. 132. — (6) Ap. Surium, 24 Octob. n. 22.

modo

AUCTORE E. C.

modo momordisset regem. Quo tempore, quum non procul essent a camino, *in quem projectam fuisse matrem ferunt Acta*, effluens puer ex eorum manibus, cucurrit, projecitque sese in caminum, et sic cum matre martyr factus est. *Mater gladio cæsa est, ut scribit Simeon; projectumque corpus in foveam quamdam, de qua dicendum infra. Puer vero ad multos annos servatus est, ut testatur Joannes Asiæ episcopus, qui versatus est cum eodem, postquam factus est vir, in aula Justiniani imperatoris. Sed dabitur is locus historici Syri in annotatis ad Acta, præstatque, quæ in epistola Simeonis consequuntur, recitare continenter.*

Finis epistolæ Simeonis: cupit ut significentur hæc patriarchæ Alexandrino, regi Æthiopum aliisque.

161 Hæc ubi tum hisce litteris, *ait Simeon*, tum propagata multis rumoribus fama innotuere, omnes christiani in his locis (*in Babylonia seu Iraca*) commorantes indoluerunt. Eaque nos quoque vobis perscribenda duximus, ut sancti et fideles antistites, cognita rerum in Homeritide gestarum serie, sanctorum martyrum commemorationem peragant. Quod reliquum est, vestram caritatem etiam B atque etiam obtestamur (*Mar Simeonem alloquitur, abbatem Gabulæ*) ut quamprimum monasteriorum præfectis, et episcopis, in primis vero Alexandrino (*Timotheo*) ista significentur, ut regem Æthiopum (*Elesbaan*) ad ferendam Homeritis opem suis literis cohortetur; simulque curetis ut pontifices judæorum, Tiberiade (1) commorantes, adigantur scribere ad istum regem judæum, qui modo apparuit, ut a bello et persecutione Homeritarum in posterum abstineat. *Sequebantur salutationes variæ, de quibus sic scribit Dionysius patriarcha, qui litteras Simeonis chronico suo inseruit:* Cetera quæ in epistola sequuntur, salutationes continent episcoporum et abbatum illius temporis. *Nomina non reperit Assemanus, neque in chronico suo Dionysiano, neque in codice Syriaco Vaticano 24, in quo aliud exemplar epistolæ Simeonis adservatur.*

§ XV. De suppliciorum modo et numero martyrum.

C *Martyres priores igne cremati sunt, numero 427.*

De genere supplicii quo absumpti sunt martyres, non undequaque monumenta primo obtutu videntur convenire. Antiquissima enim martyres alios igne, alios gladio periisse tradunt; quum posteriora, maxime Arabica, solum ignem memorent. Verum enim vero certum est martyres Negranenses primos igne fuisse consumptos, siquidem id diserte significent tum Simeon Beth-Arsamensis, tum Acta quæ edimus: Rex jussit, *inquiunt hæc n.* 6, omnem exercitum magnam copiam ligni congregare, et vastissimum rogum accendere, ita ut stadii unius (*seu metrorum circiter* 184) spatium occuparet, ac injicere omnes sacerdotes civitatis, et diaconos et reliquos ecclesiæ ministros, et qui solitariam vitam in vicinia agebant..... terrere volens reliquos christianos. Erant autem qui combusti sunt numero quadringenti viginti septem. *Dhu Nowasus, apud Beth-Arsamensem, eorumdem martyrium his verbis significavit:* Ecclesiam quoque eorum, et sacerdotes, et quotquot ad Ecclesiam confugisse D deprehendi, flammis absumpsi. *Ex quibus viderentur hi martyres ipsius ecclesiæ incendio consumpti fuisse. Verum, præterquam id aperte non dicitur, obstat manifeste locus Actorum modo adductus; obstant quoque quæ narrant Arabes de* fossa ignis, *ut mox dicetur, et ipsa appellatio* domini fossæ, *Ssaheb-el-Okhdud, quæ Dhu-Nowaso tyranno ab iisdem tribuitur* (2). *Primos itaque martyres crematos esse censeo extra urbem et quidem vivos; tum quod id aperte insinuant Acta, epistola Dhu Nowasi et locus Corani Mahumetis, de quo mox: tum quod disertis verbis id dicitur a Corani commentatoribus.*

Martyribus reliquis, inter quos S. Arethas, *caput abscissum est; et corpora projecta in torrentem, vel in foveam.*

163 *At martyres subsequentes jam vivi combusti non sunt. Primum abscindebatur iis caput; deinde corpora projiciebantur in foveam, aut in vicinum torrentem. De his intelligendus locus Actorum num.* 9, *ubi supplicium memoratur feminarum:* Tunc jubet rex, ira ferociens, auferri illas omnes, *uxores scilicet procerum,* ad foveam quamdam, et gladio interimi, in loco eodem, in quo iis qui eas martyrio præcesserant, modo caput fuerat abscissum. *Postremis verbis significantur, non sacerdotes et monachi, quos vivos combustos esse ostendimus; sed martyres alii, qui subsecuti sunt. Acta enim nostra cives Negranenses martyrio coronatos esse ferunt ultra quater mille, nec tamen plus quam mille martyrum supplicium memorant: hi sunt martyres* 427 *qui igne sunt consumpti; feminæ* 227 *quæ capite plexæ sunt: et demum proceres* 340, *inter quos S.* Arethas; *quibus similiter, post plerosque alios, caput abscissum est. Reliquos itaque plus quam* 3,000, *ex Actis et ex epistola Simeonis, etiam capite truncatos esse arbitror; dein corpora projecta sunt vel in foveam quamdam, vel in profluentem aquæ. In hunc, teste Simeone, projectum est corpus S.* Arethæ, *itemque sociorum ejus procerum: Tyrannus, inquit,* lata in omnes capitis sententia, ad supplicium duci jussit, ubi influit torrens (Vadi incolæ vocant), ibique jugulari et cadavera in profluentem projici. *Vox Arabica* wadi *torrentem, aut rivum quemcumque significat; et vallem simul in qua fluit. Estque obvia frequenter in geographia regionum omnium in quibus Arabes dudum versati sunt; notum est* F *siquidem inde fluxisse nomina Hispanica* Guadalupe, Guadalquivir, Guadalaviar *etc. Acta nostra modo insinuabant, non in torrentem sed in* foveam quamdam *conjecta esse corpora, nimirum martyrum plurimorum qui ante S.* Arethan *passi sunt. Et alio loco n.* 20 *id jam non insinuat solum Actorum scriptor, sed dicit aperte:* Jussit *tyrannus, inquit,* auferri illos (*proceres*) ad torrentem qui dicitur Obedianus (*corruptum hoc nomen; rectius Metaphrastes:* qui vocatur Odias), ubi fovea effossa fuerat, continens priores interemptos martyres. *Martyrum itaque priorum corpora in foveam quamdam projecta fuerant, non procul a torrente; sed de S.* Arethæ *et sociorum corporibus nihil habent Acta. Si standum verbis Simeonis, fuerint projecta in torrentem: sed verius censeo projecta esse in foveam, vel eamdem, vel alteram. Etenim, ut merito notat Walchius ad locum istum epistolæ Simeonis, inde infecta fuisset aqua torrentis diutissime; et quanta sit aquæ* E

(1) Cfr Calmet, Dict. de la bible v°. *Tiberiade.* — (2) Sapeto, Viaggio, pag. 433; Saint-Martin, Hist. du bas-emp. tom. VIII, pag. 55.

necessitas

A *necessitas in Arabia, notum est omnibus. Addit Michaëlisius* (1) *ad id opus fuisse, non torrente, sed flumine. Eapropter dicendum abscissa quidem capita esse in loco, qui propter vicinum torrentem dictus est* Wadi; *in ipsum tamen torrentem corpora projecta non esse : sed in foveam quamdam, quam fodi jusserat Dhu Nowasus.*

De fovea ignis martyribusque, ex auctoribus Arabibus et primo ex Corano Mahumetis;

164 *Ex scriptoribus Arabibus, videretur ignis, quo martyres priores consumpti sunt, in ipsa fovea succensus fuisse; nam solius foveæ meminerunt, foveam ignis eam vocantes. Atque inde sequeretur ceteros, truncato capite, in eamdem foveam conjectos esse, omisso igne. Cui interpretationi favet locus Actorum n.* 9, *supra laudatus. Audiamus paulisper scriptores Arabes, et ante alios ipsum Mahumetem, cunctorum antesignanum, et tot regionum orientis in hunc usque diem barbariæ auctorem. Meminit enim in Corano, sura* 85, *cædis martyrum nostrorum, quæ annis centum ante fugam suam, seu initium hegiræ contigit. Sura ista pro more incipit :* In nomine Dei miseratoris, misericordis. *Sequitur stylo Mahumetico :* Per cælum habens turres, per diem promissam, per testificantem et testificatum, occisi sunt socii

B foveæ ignis habentis materiem ad comburendum. Dum ipsi essent circa eum sedentes, et ipsi circa eum, in eo quod faciebant contra fideles (*christianos scilicet*) erant testes (*id est, præsentes*), neque ulti sunt de illis (*id est, non cruciaverunt eos*), nisi quia credebant (*christiani*) in Deum præpotentem, laudatum, cui est regnum cælorum et terræ, et Deus super omnem rem est testis; certe qui hoc modo torserunt fideles viros ac fideles mulieres, deinde non egerunt pœnitentiam : ipsis erit pœna gehennæ, et ipsis pœna combustionis. *Propter hæc ultima verba crediderunt Corani commentatores aliquot, ignem e cælo in ipsos persecutores immissum fuisse. Ex iisdem nonnulli, mirati suum prophetam hos christianos fideles vocare, dixerunt christianos illius ævi diversam habuisse religionem ab ea, quam sequentium temporum christiani professi sunt* (2). *Mox post supra recitata, paradisum quem excogitavit in mentem revocat Mahumetes; dein alia incohærentia addit :* Porro qui credide-

C rint, *inquit*, et fecerint recta, ipsis erunt horti, current de sub illis flumina (*quæ in Arabia desiderantur*) : hæc erit felicitas magna *etc.*

deinde ex scriptoribus qui de Corani doctrinis commentati sunt;

165 *De hac sura multa auctores Arabes commentati sunt. Ex quibus Jahias aliqua collegit* (3) : Dixit Mohamad, *inquit*, filius Isaac : Hi habitatores Nageran, et profitebantur religionem Jesu, cui sit pax, deditque illis rex optionem, ut vel judaïsmum vel mortem eligerent. At illi elegerunt mortem. Tunc jussit rex aperiri foveam, atque igne repleri, in eamque conjectos occidi. Dixit Hasan : Fuerunt socii foveæ octoginta, partim viri, partim mulieres. *Sed hic numerus, quem proponit Hasan, nullo monumento antiquo innititur, nec, quod sciam, ullo alio in libro obvius est.* Quumque infideles eos apprehendissent, effoderunt illis foveam in terra, in qua ignem succensum illis ostenderunt. Deinde cœperunt eos tentare, ac dicere singulis viris ac mulieribus : Aut relinque religionem tuam aut conjiciemus te in ignem. Singuli autem respondebant : Ego propter nullam rem deseram religionem meam. Quamobrem in ignem conjecti comburebantur. Remansit autem mulier una, quæ habebat suum infantulum. Quum autem hæc timorem ostenderet, dixit ei infantulus : Vade et ne impiam te ostendas. Tunc illa abiit et combusta est. Dixit Jahias : Erat hic parvulus, nec umquam antea locutus fuerat. *Nos veriora de puero alibi protulimus.* Dixit Magiahed : Evenit hoc in Nageran. Fertur autem eos, qui foderunt foveam, implentes igne, stetisse supra eam, *vel circa eam, quum interpretationem utramque ferant verba Arabica.* Quam ob rem dicitur in Alcorano : Quum essent supra illam, *vel circa illam,* sedentes, et ipsi super id, quod faciebant contra fideles, erant testes; quum scilicet eos ignis aspectu terrebant. Sed Deus immisit ignem super eos, et combussit eos, liberavitque fideles. *Hæc ultima excogitaverunt Mahumetani, et monumentis probatissimis manifesto adversantur.*

AUCTORE E. C.

tertio, ex Arabum historicis veteribus.

166 *Ejusdem sectæ historici non pauci martyres nostros commemorant. Ex his Taberita, scriptor sæculi noni, in Chronico regum, narrato accessu Dhu Nowasi ad thronum Homeritarum, in hæc verba prosequitur :* Hic ille est qui fossam effodit in urbe Nedjran, et christianos exscidit. Nempe Negranæ supererant, qui religionem tenebant Jesu, Filii Mariæ, ad doctrinam evangelii; homines virtute et probitate florentes, quibus e secta ipsorum antistes præerat Abdallah-Ibn-Althamir (4). Illuc cum copiis suis, ex Himyaritis reliquisque Yemanæ tribubus, profectus Dhu Nowasus, eos congregari jussit, simul ad judaïcam religionem eos invitans, optione iis data, ut vel cæderentur, vel in eam intrarent. Præoptarunt occidi. Effodit itaque fossam, et partim igne eos combussit, partim gladio trucidavit, fœdissima in eos exempla edens (5). *Atque hæc verissime scripsisse Taberitam censeo, et tum epistolæ Simeonis, tum Actis nostris prorsus sunt consentanea : priores scilicet martyres incendio fuisse consumptos, de quibus solis mentionem habet Mahumetes in Corano, quosque Acta numero fuisse tradunt quadringintos viginti septem; alios vero, inter quos S.* Arethas, *gladio esse interemptos.*

F

Martyres Negranenses numero fuere 4,232.

167 *Addit Taberita :* Occisa viginti ferme millia; *nimirum, non in sola civitate Negran, sed in universa Homeritide : neque de solis martyribus hic videtur esse sermo, sed de Æthiopibus quibuscumque qui a rege Homerita cæsi sunt. Occisa esse viginti millia scribit etiam Ibn-Ishak in Sirat-errasul* (6). *Quod vero ad martyres attinet, qui Negranæ sunt passi, admittenda esse autumo quæ habent Acta n.* 8, *quum ea universim fide digna esse ex multis probetur :* Congregati sunt ex civitate et vicinia, *ajunt*, viri et mulieres, pueri et puellæ, juvenes et senes, numero quater mille ducenti quinquaginta duo, qui sibi invicem in martyrio succedentes, dereliquerunt temporalem hanc vitam, non negantes bonam confessionem. Inter eos sunt tum sacerdotes, qui interempti sunt, tum reliqui martyres, et vir justus Arethas. *Eumdem numerum marty-*

(1) Oriental. u. exeg. Bibl. tom. VII, pag. 149. — (2) Marracci, Alcoranus, pag. 793. — (3) Ap. Marracci, pag. 792. — (4) Supra n. 105. — (5) Imperium Joctanid. pag. 107; Sacy, ap. Mémoires etc. tom. XLVIII, pag. 683. — (6) Ap. Caussin, tom. I, pag. 129.

rum

AUCTORE E. C.

rum 4,252 *habet synaxarium Æthiopicum suo loco recitandum. Unde acceptus vero sit numerus alius qui legitur in* Aismavurg, *seu Lectionario Armenorum, Constantinopoli typis edito anno* 1706, *ignoro. Hæc enim habet initio synaxarii ad diem Octobris* 20 : Arethæ et sociorum decem millium et ducentorum martyrum (1). *Notat P. J. B. Aucher, ordinis Mechitaris abbatis, in quodam* ordine festorum, *qui Armeniace dicitur* Donazoiz, *similiter adscribi martyres* 10,200; *at in alio Kalendario, ex sæculari statu* 10,000, *et* 245 (*lege :* 427) (2) *ex ecclesiastico* (3). *Sed standum iis quæ monumenta antiquiora perhibent.*

Testimonia Hamzæ et Nuweirii.

168 *Cædem Negranensem præter modo laudatos et alii historici Arabes memorant. Hamza Isfahani in Chronologia gentium :* Illos itaque, *christianos scilicet Negranenses,* invasit, eosque objecit foveis, quas in terra effossas largo igne succendit. In has detrusit qui in christianismo perseverarent. Invento hocce ingentem christianorum numerum absumsit. Inde ad sedem regni in Yemana regressus est (4). B *Paulo plura habet Nuweirius :* Religionem judaïcam amplexus *Dhu Nowasus, inquit,* cædibus grassari cœpit adversus eos qui in Yemanensibus provinciis fidem Jesu Filii Mariæ, super quibus faustæ sint comprecationes, sectarentur, eique obsequi detrectarunt. Eum in finem quoque oppidum Negran, ubi Abdallah, filius Althamiri, cum sociis suis religionem christianam profitebantur, se contulit; iisque injunxit ut judaïcam fidem susciperent. Renuentibus illis, Abdallam Ibn Althamir gladio occidens, reliquis ingentem succendit rogum; eosque illuc dejecit. Hi sunt socii foveæ, quos Deus in Alcorano memorat his verbis : Occisi sunt socii foveæ, ignis multa materia succensi *etc.; recitatque non pauca hoc loco e Corani sura* 85.

§ XVI. Hortantur Justinus imperator et Timotheus patriarcha Alexandrinus sanctum Elesbaan ad bellum gerendum adversus Dhu Nowasum; historia expeditionis. Martyrium SS. Azqir, Cyriaci et sociorum 38. Quo tempore hæresis monophysitica intra Homeritidem penetrarit.

C

Dhu Nowasus hortatur reges vicinos ad persecutionem; Justinus imperator scribit ad patriarcham Alexandrinum.

Quæ post martyrium christianorum Negranensium consecuta sunt, dilucide in Actis narrantur; e quibus præcipua tantum hoc loco memoranda sunt. Edita hac strage scripsit Dhu Nowasus ad regem Persarum Cavadem, et ad Almundarum, regem Hirensem, ut similia in ditionibus suis peragerent. Eodem tempore ad Almundarum venerat legatus Justini Abrahamus, tum ut duces captivos, Demostratum et Joannem, redimeret, tum ut christianos, et maxime catholicos, regi Saraceno commendaret. Coram legato et aliis pluribus, inter quos erat Simeon Beth-Arsamensis, et quidam Silas, patriarcha Nestorianorum Persidis, quocum disputatio est habita, perlectæ sunt litteræ tyranni judæi. Denique servi Dei, ineuntes fœdus pacificum cum Alamundaro, reversi sunt; et contenta in litteris regis Homeritæ, tum ea quæ facta fuerant, detulerunt ad aures servi Dei Justini, imperatoris Romanorum. Is vero absque mora scripsit ad Timotheum, episcopum Alexandrinum, ut beatitudo sua litteras mitteret ad regem Æthiopum, nomine Elesbaan. *Hic Timotheus inter hæreticos, seu concilii Chalcedonensis adversarios recensetur; verum adeo moderatus fuit, aut hypocrita forte, ut catholicis addictissimus imperator Justinus, non modo eum a sede non removerit, sed ei plura commiserit. Patriarchatum Alexandrinum iniit anno* 518, *eumque tenuit ad annum usque* 535, *seu, ut verius alii sentiunt,* 537. D

Metaphrastes in locum Timothei patriarchæ immerito substituit Asterium.

170 *Metaphrastes, sæculi decimi scriptor, in sua editione Actorum, præter alia non pauca, quæ pro more immutat aut negligit* (5), *intendens solum lectionem piam et gratam offerre fidelibus, in locum Timothei hæretici, substituit Asterium quemdam; quem unde accersiverit ignoro. Sicque difficultates non leves creavit eruditis viris Sollerio, Pagio et Assemano. Credidit postremus hic adsciscendum Apollinarem quemdam orthodoxum, quem Justino imperante episcopatum Alexandrinum tenuisse docent libri Coptitarum, et Chronicon orientale Ebnarrahebi; Asterium vero a Metaphraste pro Apollinari esse positum* (6). *Verum his neglectis Lequienus, qui hæc ipsa Acta quæ edimus, e bibliotheca Colbertina accepta, præ manibus habuit, præmissa brevi historia persecutionis Dhu Nowasi, in hæc verba prosequitur : Hæc* fuse narrantur in Actis Græcis S. Arethæ martyris, quæ ex vetustis codicibus bibliothecæ Colbertinæ erui, quæque longe accuratiora sunt quam apud Metaphrastem. In his nulla Asterii archiepiscopi Alexandrini mentio, sed Timothei, quem nonnulli orthodoxum præsulem fuisse jactarunt. Unde constat Simeonem Metaphrastem, quum hæc Acta suo more componeret et interpolaret, pro Thimotheo, qui inter hæreticos censitus est, Asterium finxisse, qui catholicus putaretur. Initio itaque genuinorum Actorum isthæc leguntur : Ἔτους πεμπτου της βασιλειας Ἰουστινου του φιλοχριστου κ. τ. λ. (7). *Scilicet quæ recitat hoc loco Lequienus, prorsus conveniunt cum iis quæ in Actis nostris leguntur n.* 1; *ceteraque quæ de codice suo pronuntiat* (8), *exemplari nostro similiter aptantur.* E F

Quomodo factum ut communicaverit S. Elesbaas cum patriarcha hæretico.

171 *Quomodo vero factum sit ut Elesbaas, quem ut sanctum veneramur, cum patriarcha hæretico communicaverit, hic paucis explicandum; siquidem, quæ inter utrumque gesta sunt, locum non modicum tenent in Actis. Audiamus primum hac de re disserentem modo laudatum Michaëlem Lequien :* Nec quisquam indigne ferat, *inquit,* hunc principem (*Elesbaan*), qui hæretico episcopo Alexandrino morem gereret, inter sanctos ab utraque ecclesia catholica, Græca Latinaque, jampridem habitum. Huic namque christianissimo regi hoc condonatum fuit; qui quum remotissimam a Romanorum imperio et societate regionem

(1) Assemani, Bib. Or., tom. III, pag. 653. — (2) Supra n. 163. — (3) Vitæ SS. qui sunt in Kalend. Armen., tom. VII, pag. 500. Venetiis 1813. — (4) Imper. Joct. pag. 39. — (5) Cfr Acta SS. tom. VIII Octob., pag. 431. annot. *k.* — (6) Bibl. Orient. tom. I, pag. 382 et seq; cfr Acta SS. tom. V Junii, De patriarchis Alexandr. pag. 63, n. 332. — (7) Lequien, Or. Christ. tom. II, col. 428 et seq. — (8) Ibid, et col. 368 et seq.

incoleret,

AUCTORE E. C.

A incoleret, superiorem alium archiepiscopum nesciebat, præter illum qui Alexandriæ sederet : ignorans, an reliquo orbe christiano hæreticus, an catholicus haberetur, quum perinde paratus esset catholicæ communionis alterum admittere (1). *Huic judicio subscribo non invitus; sed addo non constare Timotheum aperte oppugnasse doctrinam catholicam, præterquam initio episcopatus* (*et, ut dixi, videtur ab hypocrisi immunis non fuisse*), *ac iterum sub episcopatus finem, proptereaque evocatus est Cpolim a Justiniano, anno circiter* 535. *Nuper repertus est inter codices Syriacos Londinenses ejus liber adversus synodum Chalcedonensem, qui e Græco Syriace versus est* (2).

Scribit Justinus ad Elesbaan. Hic anno 524 exercitum et classem parat; numerus militum et navium.

172 *Præter litteras ad Timotheum, patriarcham Alexandrinum, datas, scripsit quoque Justinus imperator ad Elesbaan, regem Æthiopiæ, servatœque sunt hæ litteræ in Actis nostris n.* 28. *Antequam vero ad Justinum imperatorem redierit Abramius legatus, qui mense januario anni* 524 *in castris versabatur Almundari regis, non procul a Mecca; et deinde*
B *antequam litteræ Justini ad Elesbaan pervenerint, in extrema Æthiopia regnantem, pars non modica dicti anni effluxerit necesse est. Id jam conjectaverat Arabum historicus* (3), *sed certo nunc discimus ex Actis.* Hieme *enim* tertiæ indictionis, *ut legitur ibi n.* 29, *id est extremo anno* 524, *aut initio sequentis, Elesbaan adhuc in instruendo exercitu et in paranda classe distinebatur. Pertigit autem exercitus, ut docent Acta loc. cit., ad centum viginti millia militum; quot et Dhu Nowasum collegisse, dum Negranam aggressurus erat, supra scribebat Simeon Beth-Arsamensis. Verum addunt Acta n.* 31 *simul fuisse quondam* pedites ter centies et decies mille : *cujus numeri me vadem non subscribam. Longe facilius admittendus numerus navium septuaginta, quæ instructæ fuisse dicuntur n.* 29; *siquidem ab institoribus Romanis, Persis et Æthiopibus eas coëmit Elesbaan : et portus indicantur ex quibus sunt adductæ. Verum absurdum est exercitum centum et viginti millium virorum memorare, et naves solum septuaginta quibus in Homeritidem erant vehendi. Quapropter Metaphrastes numerum navium circ-*
C *iter duplicem significat* (4); *scriptores vero recentiores historiæ Arabum, nescio quo errore, loco quodam alio dicti hagiographi Græci, quo naves septuaginta memorantur, septingentas fuisse legerunt* (5). *Sed videtur difficultas hæc solvi posse. Quum enim fretum Bab-el-mandeb, per quod ex Africa ad Homeritidem naves pervenerunt, latitudine non superet milliaria anglica* 14 1/2 (6), *et plurimis insulis interspersum sit, constitutis castris in littore Homeritico a militibus qui illuc primi devenerant, aut aliqua obtenta victoria, intra breve tempus naves alios et alios adducere potuerunt.*

Anno 525 post Pentecosten in Arabiam navigat Elesbaan cum exercitu; Dhu Nowasus cœditur. Ejus successores. Martyrium S. Asqir, Cyriaci et sociorum 38.

173 *Mense Aprili ejusdem tertiæ indictionis qua exercitus instruebatur, id est, anno* 525, *Timotheus patriarcha Alexandriæ in templo S. Marci synodum coëgit, et die sequenti sacram Eucharistiam, in theca argentea repositam, per presbyterum misit ad regem Æthiopum; hortans eum ut contra persecutorem bellum moveret. Act. n.* 28. *Tum instructo exercitu classeque parata vectus est trans fretum S. Elesbaan, non multo post Pentecosten anni* 525. *Acta n.* 29, 30. *Devicto cæsoque Dhu Nowaso, proregem constituisse fertur Abrahamum, ibid. n.* 38, *idemque legitur in chronico Joannis Asiæ episcopi, ut suo loco videbitur. Verum historici Arabes in pluribus dissentiunt, et primo quidem post Dhu Nowasum alios principes Homeritas in Arabia felice dominatos esse aliquamdiu significant; quod iterum de provincia una aut altera, maxime de tractibus montanis intelligendum esse haud dubito. Inter hos principes nominant primo loco Dhu Djadan* (7), *qui periit anno jam* 525 *aut paulo post; deinde Marthadum, ejus filium, et demum Alcama-Dhu-Kifan, filium Sjarabhil, filii Dhu Djadan. Ex menologio Æthiopico, dicto Senkessar, videtur et Sjarabhil aliquamdiu principatum tenuisse, vel vices supplevisse patris sui. Hunc enim esse arbitror* Sarabahal, *regem Homeritidis, qui memoratur in dicto menologio ad diem* 24 *novembris; nam aliud tempus haud reperio quo quæ ibi narrantur contingere potuerint. En verba synaxarii Æthiopici, quæ nobis* E *nova martyria Homeritarum revelant, vel Æthiopum in Homeritide degentium, nec prætermitti hic possunt :* Item martyrium sancti Azqir sacerdotis, et 38 aliorum civium Negranensium, temporibus regis Homeritidis Sarabahal (8); a quo quum in carcerem conjectus esset Azqir et vetaretur ne quis ad eum accederet, congregati sunt illic viri quinquaginta in die baptismi (*Epiphaniæ*), festumque illud celebrarunt : quam ob causam a rege accersiti sunt. Quum illum adiret sanctus, obviam ei factus est Cyriacus quidam, qui quum sanctum salutasset, illico catenis vinctus est. Azqir deinde, mandato regis, tormentis affectus est; et quum e ligno eum suspendissent, prius submisso igne, dein ei caput absciderunt (9). *Celebratur hoc martyrium et in Calendario Æthiopico apud Ludolfum* (10), *ubi ad dictum diem* 24 *novembris Æthiopici, seu* 20 *novembris juliani hæc leguntur :* Azkirus et Cyriacus; *et ad diem perendimum, seu* 22 *ejusdem mensis :* Negrani martyres. *Num vero hi martyres quadraginta, vel triginta novem, computati fuerint*
F *inter martyres* 4,252, *qui similiter Negranæ occubuerunt, supra n.* 167, *certo definiri non potest. Eos apprime distinguit synaxarium Æthiopicum, nec idem est tyrannus a quo supplicio sunt addicti.*

Expeditionis historia ex auctoribus Arabibus, et primo ex Hamza. Iter Dhu Thalebani ad Æthiopiam et forte Cpolim.

174 *Præter regem Dhu Djadan, vel Dhu Djeden, quem historici Arabes aliquot in locum Dhu Nowasi suffectum esse scribunt, iidem Aryatem quemdam, Dhu Nowasum inter et Abrahamum, fuisse Homeritarum regem unanimes perhibent; et quidem eum ducem dicunt, non vero Elesbaan, exercitus a quo Dhu Nowasus est devictus : excepto Hamza Isfahani, qui non secus ac historici Græci, ipsum Elesbaan expeditionem duxisse scribit. Denique, omisso Esimiphæo, statim a morte Dhu Nowasi Aryatem regnasse ferunt : quod factum non esse, nisi quando in Esimiphæum rebellio est concita, supra docuimus et mox ulterius ostendetur. Audiantur interim historici Arabes :* Inter hæc, *inquit Hamza supra*

(1) Lequien, Or. Christ. tom. II, col. 429. — (2) Nève, Revue des sources nouv. etc. pag. 81. — (3) Caussin, tom. I, pag. 134. — (4) Ap. Baronium ad an. 523, n. 17. — (5) Caussin, tom. I, pag. 131 et seq. et 134. — (6) Ritter, Erdkunde, tom. XII, pag. 671. — (7) Schultens Imp. Joctan., pag. 11, 39; Caussin, tom. I, pag. 134 et seq.; cfr ib. pag. 74 et tom. II, pag. 296 et seq.; Schultens. pag. 7. — (8) Cfr Fresnel in Jour. Asiat. tom. XVI, pag. 278. — (9) Senkessar ap. Sapeto, Viaggio, pag. 466 et seq. — (10) Comment. ad hist. Æthiop., pag. 399.

dictus

AUCTORE E. C.

dictus sæculi noni scriptor, Yemanensium aliquis, qui dicebatur Dhu Thaleban, mari transfretavit ad regem Habassinorum, qui fidem quoque Christi profitebatur. Ad hunc querelas ea super re (*cæde Negranensi*) detulit; et quid in christianos patrasset Dhu Nowasus exposuit. *Iter istud Dhu Thaleban, seu Dus Ibn Dhi Thaleban, commemorant historici Arabes omnes; et iis credendum esse, licet rem omittant scriptores Græci, non videtur dubitandum. Etenim aliquot tantum milliaribus distat Homeritis ab Æthiopia, sed a Constantinopoli distat utraque leucis quingentis.* Rex Habassinorum, *sic Hamza prosequitur,* per litteras negotium cum Cæsare Romanis imperitante communicat, et veniam sibi dari petit ad exercitum in Yemanam immittendum. Jussit ille ut Dhu Thalebanum in regno suo vicarium relinqueret; atque ipse cum copiis suis Yemanam versus contenderet. Die tantum interposito, rex Habassinorum in Yemanam properat cum septuaginta mille viris (1). Funditur fugaturque Dhu Nowasus. Missi qui vestigia ejus persequerentur. Ille celsa scandens perrexit ad mare
B usque, atque semet in illud præcipitem dedit (2).

Dhu Nowasus gladio periit. Narratio Taberitæ de Dhu Thalebano

175 *Ita periisse Dhu Nowasum scribunt etiam Nuweirius, Taberita et ceteri Arabes; Acta vero et Joannes Asiæ episcopus, eum a rege Æthiopum occisum referunt. Cum his consentit Malalas :* Axumitarum vero rex, *inquit,* victoria tandem potitus, Homeritarum regem bello captum occidit, deleto exercitu ejus toto, regionibus etiam regnisque ejus occupatis (3). *Solus Theophanes ex oscitantia Dhu Nowasum captivum servatum dicit :* Deo igitur opitulante magnam ille retulit victoriam, regemque Damianum, *Syris Dimionem, ceteris Dimnum, Dunaan, etc.* vivum captivum egit, Homeritarum regionem eorumque regiam reddidit plane subditam (4). *Standum videtur cum monumentis sinceris, et Mahumete antiquioribus; quale est chronicon Joannis, et esse Acta nostra non dubitamus. Præter Hamzam audiendus et celebris Arabum historicus Taberita, qui nono vertente sæculo scripsit :* Aliquis eorum (*Negranensium*), *inquit,* cui Dus Dhu Thaleban no-
C men, super equo per arenas sese quanta potuit celeritate surripiens, evasit. Dhu Nowasus deinde cum copiis Sanaam, regionis Yemanensis, revertit. Atque hæc quidem hactenus. At Dus Dhu Thaleban, quum ita evasisset, ire perrexit ad cæsarem, Romanorum dominum, ejusque opem contra Dhu Nowasum et armatos ejus imploravit; exponens simul quid ab iis editum esset. *Hamza, qui scripsit post Taberitam, iter Cpolitanum neglexit; et quum de illo altum sileant Græci, haud crediderim factum esse. Secus dicendum de Thalebani itinere Æthiopico.*

ejusque itinere, et de universa expeditione Æthiopica.

176 *Pergit Taberita :* Regessit ei Cæsar : Longius dissitæ sunt regiones tuæ a nostris, neque ulla ratione te copiis possumus adjuvare : sed pro te scribam ad regem Habassiæ, qui ut hanc quoque religionem fovet, ita propior est regionibus tuis quam nos. Is opem tibi præsidiumque præstabit; simulque ulciscetur eos qui te oppresserunt, atque in te tuosque religionis consortes omnia sæva sibi D permisere. Literas ergo ei tradit Cæsar ad regem Habassinorum, in quibus justa violata, et vim popularibus religionis illatam increpitans, opem ei ultionemque ab oppressore præstari mandat. Ille triginta millia (5) cum eo illuc destinat, duce Aryato (6), his sub mandatis : si tu deviceris eos, tertiam partem virorum occidito; tertiamque regionum devastato; tertiam item mulierum liberorumque, captivam avehito. *Hæc procul dubio ab Elesbaan præcepta non sunt; sed præcipienda esse a principe his in adjunctis rerum, mahumetani, pro ethica sua, cogitarunt.* His copiis, in quibus erat etiam Abraha Alasjram, *qui postmodum prorex fuit Yemanæ,* egressus Aryatus, simulque Dus Dhu Thaleban, trajecto mari ascendunt in litus Yemanæ. Re audita Dhu Nowasus Himyaritas, reliquasque tribus Yemanæ sibi obedientes evocat. Illi conveniunt non sine dissensione et dissipatione, quum propter angustias, tum quod tanta moles molestiarum subito ingruisset. Nihil itaque belli fuit, nihil cædis (7); sed in fugam mox conjectis qui advenerant, Aryatus cum copiis suis E introivit (8 .

Emendatur Taberita ex Procopio. Aryates prorex Homeritas multum vexavit.

177 *Addit, ut Hamza, Dhu Nowasum in mare præcipitem se dedisse. Quum vero Taberita annis plus quam trecentis post bellum, quod hoc loco memorat, historiam suam ediderit, magis credendum Procopio qui coævus fuit, et vivente adhuc Abraha Alasjram scripta sua Cpoli vulgavit. Negligi itaque non potest Esimiphæus, ut supra est dictum; Aryates vero censendus est dux ille, quem, rebellante Abrahamo Alasjram, ab Elesbaano contra eum missum esse, scribit Procopius; cujus nomen a Procopio reticetur. Atque hæc circa annum* 530 *evenisse, regnasse vero Aryatem in Yemana (aut in ejus majori parte, reliquam forte retinente Abrahamo), supra monuimus. Quibus præmissis, jam procedat narratio Taberitæ :* At Aryatus Yemanam calcare Habessinis suis, atque tertia parte virorum occisa (*in quibus narratorem res gestas ad mores mahumetanorum accommodasse monuimus*), tertia regionum direpta, captivam multitudinem ad Negasjum, *quo nomine hodieque Habassinorum rex vocitatur,* submisit. Ipse remansit, F opprimens divexansque regionem. Tum quidam Yemanensium, memorans quid invexisset ipsis Dus Dhu Thaaleban de negotio Habessinorum, dixit: « Non ut Dus, nec ut appendices ephippii ejus » *i. e. ut exitus ejus itineris.* Proverbium ad hunc usque diem in Yemana viget.

Contra Aryatem rebellat Abraha Alasjram, eumque cædit.

178 Quum Aryatus annos aliquot in Yemanæ imperio transegisset, id ei ereptum ire contendit Abraha Habassius, sub eo militans. *Veriora censemus quæ scribebat Procopius coævus, supra a n.* 124 : *Ante Aryatem regnasse Esimiphæum, qui a rebellibus in castellum quoddam inclusus est; his Abrahamum sese adjunxisse et ut verisimile est, in parte aliqua Yemanæ regem egisse, deinde rebellasse iterum et tum regnum esse consecutum. De hac rebellione altera scribere Taberitam in sequentibus, vix dubitandum videtur* (9). Sciderunt se inter hos ambos, *inquit,* Habassinorum studia, ad

(1) Ita et alii ap. Caussin, pag. 132; vide hic n. 172 et 176. — (2) Imper. Joctan. pag. 39. — (3) Malalas, pag. 434. — (4) Tom. I, pag. 347. — (5) Vide supra n. 174. — (6) Supra n. 127. — (7) Cfr Acta a n. 32. — (8) Taberita, ap. Imper. Joct. pag. 109. — (9) V. Lebeau, Hist. du B. E. edit. Saint-Martin, tom. VIII, pag. 59, not. (4).

quemque

AUCTORE E. C.

A quemque eorum parte exercitus sese adjungente. Alter in alterum deinde educunt; jamque propinquantibus, atque ad manus venire paratis utriusque copiis, mittit Abraha ad Aryatem : Enimvero non recte facis, quod Habassinos inter se velis collidi utrem nostram constituamus ; quin in solitariam potius pugnam utrinque descendimus, ut ei qui adversarium suum straverit, reliquæ copiæ accedant? Respondit Aryates : Profecto æquam tulisti conditionem; exi modo. Exiit ergo adversus eum Abraha. Erat is brevis, corpulentus, catus, religiosus in christianismo suo, *quod et inferius repetit*. Exiit quoque adversus eum Aryates (erat is magnus, longus, pulcher,) hastam manu retinens. Abrahæ erat satellitium quod tergum defenderet. In eo servus, Abuda dictus. Quum pedem propius contulissent, hastam suam extulit Aryates, percussurus caput Abrahæ, in synciput eam intendens. At hasta in frontem Abrahæ incidens, ejus supercilium, oculum, nasum, labrumque leviter vulneravit; indeque nomen traxit Abrahæ
B Alasjeram, *i. e. fissuris notati*. Abrahæ servus impetu dato Aryatem occidit. Sic omnes Habassini in Yemana ei adjuncti : *quod circa annum Christi* 540 *factum esse diximus*.

Occiso Aryate Abrahamus regnum capessit. Favet christianis, ejus expeditio Meccana.

179 *Aryatem ab ipso Abrahamo occisum esse scribit Nuweirius, regnumque ejus ac mortem his paucis commemorat : Dhu Nowasus* ultimus est regum Yemanæ ex Kehtano (*quem eumdem esse censent plerique cum Jectan, filio Heber. Genes.* x) descendentium. Universi, quibus ab iis regnatum est, anni, sunt ter mille octoginta duo. Quum sic regnum Yemanæ invasissent et occupassent Habassii, opes dispertitus est Aryates, *quem alibi dixerat* fratris *regis Æthiopis* filium, inter Æthiopes nobiles eminentes, exclusis qui tenui essent conditione. Hac occasione Abraha, unus ducum Habassiorum, collectis copiis, adversus Aryatem insurrexit; eumdemque bello persequens suamet manu interemit. *Procopius ducem anonymum* e regia propinquitate lectum, *quem ab Elesbaan contra Abrahamum missum fuisse scribit, et nos Aryatem esse haud dubitamus, ab ipsis copiis suis rebellibus interfectum*
C *perhibet. Post cædem Aryatis pacifice Abrahamus regnavit, et ut prorex a rege Æthiope agnitus est. In fine regni, ipso anno quo natus est Mahumetes, seu Christi* 570 (1), *bellum movit contra Meccam et delubrum Caba, sed infeliciter : cujus rei fabulosissimam historiam texuerunt mahumetani, magistri sui verba commentantes* (2). *Sed de regno Abrahami seu de iis potius quæ in gratiam religionis christianæ gessit, dicendum ad diem* 19 *decembris, quo S. Gregentius colitur. In hujus enim Vita frequentissime Abrahami mentio occurret.*

Hæresin monophysiticam in Homeritidem penetrasse scribit Joannes episcopus;

180 *Hæresis monophysitica regnante Abrahamo in Homeritidem penetravit, si fides Joanni, Asiæ episcopo, huic hæresi addictissimo. De Elesbaa enim scribit in hæc verba :* Zelo incensus, copias adversus tyrannum, *Dhu Nowasum*, eduxit, captumque occidit : exercitum quoque ejus delevit, et universos Homeritidis judæos funditus exstirpavit. Regem denique christianum zeloque fidei præditum, Abraham nomine, Homeritis præfecit. *In quibus prætermitti Esimiphæum et Aryatem proreges, suo loco observavimus*. Atque ita universis christianis, qui ob persecutionem et judæorum metum dispersi dissipatique fuerant, collectis, christiana religio in illa regione restituta est. Misit autem Alexandriam et episcopum inde accepit antequam Chalcedonensis synodus ea loca pervasisset. Qui quum regionem illam brevi rexisset, vita functus est. *His significatur forte Joannes Paramonarius; quem tamen alibi ad Æthiopiam, non ad Homeritidem, missum esse, satis manifeste scripserat.* (3) Quumque Homeritarum rex invectum in Alexandrinorum urbem Chalcedonense concilium, ejectumque propter fidem Theodosium, ac sede sua, quod synodum amplecti detrectaret, deturbatum comperisset; ipse quoque ea re offensus episcopum ex urbe Alexandria recipere noluit (4).

sed id non contigit tempore de quo scribimus : et usque ad annum minimum 570 *paucos tantum ibi asseclas habuit.*

181 *Victus est Dhu Nowasus anno* 525, *et non multo post episcopum Alexandria accersiverit rex Elesbaan; Theodosius autem, patriarcha hæreticus, sede sua pulsus est anno solum* 538, *postquam eam tenuerat annos fere duos : ex quibus patet multa scriptorem hunc prætermittere. Licet vero concedendum forte sit, aliquos in Homeritide circa medium sæculum* VI *adhæsisse monophysismo, et frustra dudumque, ut sibi episcopi suæ sectæ mitterentur, Justinianum imperatorem rogasse, ut narrat Joannes in sequentibus, id profecto de ipsa gente deque Abrahamo dici nullatenus potest. Etenim in vivis agebat tum rex Elesbaan, quem Procopius religionis christianæ cultorem eximium appellat, et cujus Abrahamus in Homeritide gerebat vices. Insuper erat hic amicissimus S. Gregentii, episcopi Taphar, seu Dhafar, quem probe catholicum fuisse ostendemus ad diem* 19 *decembris quo colitur. Placet interim hæc confirmare ex iis quæ de ætate illa ecclesiæ Homeriticæ scripsit Michaël Lequien :* Alexandrinorum pontificum cura et studio, *inquit*, ad Christum traducti Homeritæ, illorum regimini subditi permanserunt; nihil mirum igitur, si ordinati et electi Alexandriæ ipsorum episcopi, monophysitarum hæresim ex Ægypto secum detulerunt, in qua ortum habuerat et impune
F grassabatur : atque ita incautos greges sibi commissos in hæresim captivos deduxerunt et tenuerunt. Neque tamen contigit illud in prima eorum ad fidem revocatione sub Justino seniore, ut inepte garriunt e secta Jacobitarum, *seu monophysitarum*, historici; non enim passus esset Justinus religiosus princeps, Chalcedonensis fidei strenuus assertor, qui Homeritarum conversioni tanto studio allaboraverat, e monophysitis episcopos ad eos mitti, quos semper infensos habuit, quorumque patriarchas ipsos, tam Alexandria, quam Antiochia ejecerat. Quin Procopio et Theophane locupletissimis testibus, tam Elesbaas Æthiopum, quam Abraham, rex Homeritarum, christiani orthodoxi fuerunt (5). *Et alibi de ecclesia Æthiopum scribit, hæresin in ea dominari cœpisse quando Ægyptus occupata est a Mahumetanis. Dein addit de christianis Homeritis :* Narrationem illam Joannis Asiæ con-

(1) Cfr Caussin, tom. I, pag. 282 et seqq. — (2) Alcoranus, sura 105. — (3) Supra n. 121 et 123. — (4) Bib. Orient. tom. I, pag. 383 et seq. — (5) Oriens Christ. tom. II, col. 371.

AUCTORE E. C.

vellam amplius in ecclesia Homeritarum, ubi ostendam Gregentium illis Indis Arabibus toto Justiniani imp. tempore episcopum et metropolitam præfuisse (1). *Crediderim ego missum minime esse S. Gregentium ab imperatore Justino, aut initio imperii Justiniani, seu circa annum* 527; *sed dum jam rex erat Abrahamus. Ei enim superstes fuit et ultra annum* 570 *vitam in episcopatu protraxit. Sed de his dicetur ad* 19 *decembris, uti et de ulteriori conditione religionis christianæ in Homeritide usque ad ortum superstitionis mahumeticæ* (2).

§ XVII. Cultus martyrum Negranensium e fastis sacris Latinis et Græcis.

De cultu S. Arethæ et sociorum ex martyrologis latinis;

B *Martyribus Negranensibus duplex obtingit annuntiatio in Martyrologio Romano, et primum quidem ad diem* 27 *julii his verbis :* Apud Homeritas commemoratio sanctorum martyrum, qui sub Dunaan tyranno ob Christi fidem incendio traditi sunt. *Quod qua de causa factum sit non satis percipio : etenim ad diem illum in nullo martyrologio antiquiori annuntiantur. Verumtamen solent martyrologi, ubi dies aliquis jejunior apparet, sanctum unum alterumve aliunde adsciscere, quorum dies obitus aut passionis ignoratur. Legerat scilicet Baronius in historicis Græcis, quos hic pro more in notationibus appellat, in persecutione Negranensi martyres multos occubuisse præter S.* Aretham *et socios proceres, qui in Menologio Sirleti ad* 24 *octobris celebrantur; et ideo alicubi eis locum dandum esse censuit. Quum vero dies* 27 *julii martyrologii sui exuberaret minime et adscriptos haberet martyres nonnullos persecutionis Arabum in Hispania, huic quoque diei alterius persecutionis Arabicæ victimas attribuit. Ad diem deinde* 24 *octobris S.* Aretham *et socios annuntiat idem his verbis :* Apud Homeritas in civitate Negran passio sanctorum Aretæ et sociorum trecentorum et quadraginta, tempore Justini imperatoris, sub Dunaan judæo tyranno : post quos christiana mulier

C incendio tradita est; cujus filius annorum quinque, cum balbutiendo Christum confiteretur, nec blanditiis nec minis retineri posset, in ignem ubi mater ardebat, se præcipitem dedit (3). *Martyres Negranenses ignorarunt non solum martyrologi latini antiqui omnes, sed ipsi quoque Maurolycus, Walasserus seu Canisius et Galesinius. Eos primus e Surio mutuavit Molanus in editione altera martyrologii sui, ubi hæc habet ad præsentem diem :* Die vigesima quarta, sanctorum martyrum Arethæ et sociorum.

ex menologio Sirleti et Menæis excusis;

183 *Hunc secutus est Baronius, simul præ oculis habens menologium ms. a Sirleto, custode olim bibliothecæ Vaticanæ, e Menæis Græcorum contractum, quodque idem martyrologus in notationibus Menologium Græcorum vocare solet. In dicto menologio, quod postmodum ab Henrico Canisio typis publicatum est, hæc leguntur ad diem* 24 *octobris :* Natalis magni martyris Aretæ et sociorum ex Æthiopia (*immo ex Arabia*) sub Justino imperatore. Aretas, vir sanctissimus, sua prædicatione multos D ad Christi fidem conversos martyres Christo ipse secum obtulit (4). *Dum ex Æthiopia Sirletus S.* Aretham *oriundum dicit, prodit se exscripsisse aut summatim composuisse quæ habent Menæa Græcorum. Horum enim synaxarium ad diem* 24 *octobris, ex Raderi nostri versione ms., hujusmodi est :* Erat Arethas primus inter suos in urbe Negra apud Æthiopas (*l. Homeritas, vel Arabas*), imperante Justino; cum apud Æthiopas regnaret christianissimus rex Elesbaan; apud Homeritas quidam judæus Dunaan. Hæc autem regio in literis sacris appellatur Saba; a Græcis Arabia felix. Elesbanus autem Dunaan Hebræum vi sibi subjecit, et in ejus civitatem præsidium posuit; quod rebellans Hebræus oppressit, excurritque ad urbem Negram, quam etiam obsedit et expugnavit, non vi sed perjurio, omnesque, christianos interfecit, viros juxta ac mulieres. Hic sanctus Arethas, cum prius omnes in fide Domini nostri Jesu Christi confirmasset, ad extremam senectutem pervenit, ita ut incedere non posset, et cum ad capitis punitionem E damnatus esset, gestandus fuerit. Ergo ad supplicii locum deportatus cum gaudio cervicem ferro resecandam præbuit, spiritumque Deo tradidit. *Mutuavit hæc Menæorum synaxaristes ad verbum ex Menologio Basilii imperatoris, non videns quam parum cohærerent quæ de situ Negranæ in Æthiopia continent ejusque oppugnatione a rege Homerita. Præterea vix quidquam habet synaxarium istud tam nobili martyrum cœtu, vel potius dixerim legione, seu multitudine, dignum.*

ex menologio antiquissimo

184 *Audiatur itaque synaxaristes alius, qui Menologium Græcum a Sirmondo nostro repertum, dictumque a majoribus Synaxaria vel Synaxarium Sirmondi, conscripsit, ac Cpoli floruit, ut suadet ejus liber, et quidem, ut credit Papebrochius, ante annum Christi* M. *Licet vero desit synaxarii principium in excerptis nostris, quoniam, ut notat laudatus Papebrochius hoc ipso loco, cum Menæis excusis undequaque conveniebat, tamen quæ adservata sunt, siquidem ex iis Actorum nostrorum narratio cumprimis confirmatur, hic typis excudere haud dubitamus. Circa initium hæc habet præter Menæa Synaxarium Sirmondi, quæ manifesto ex Philostorgio sunt deducta, supra n.* 46 *:* Ὁμηριται δε ούτοι, οἱ και Σαβαιοι καλουμενοι, ἐκ της Χεττουρας τῳ Ἀβρααμ γεγονασι. *Dein post verba Menæorum :* Προς την Νεγραν πολιν ἀνεδραμεν, ἡν και πολιορκησε, οὐ δυναμει ἀλλ' ἐπιορκιαις, excurritque ad urbem Negran *etc., in hunc modum synaxaristes Sirmondi prosequitur :* Μετα δε το ταυτην λαβειν, πρωτον μεν ἀνορυξας τον ταφον του ἁγιωτατου ἐπισκοπου Παυλου, πυρι παρεδωκε τα ὀστα αὐτου και την τεφραν ἐλικμησεν · ἐπειτα ἱερεις και λευιτας, και μοναζοντας, και μοναζουσας ἐν καμινῳ πυρος ἀπορρἰψας, θανατῳ παρεδωκε ψυχας τον ἀριθμον τεσσαροκοσιας εἰκοσι ἑπτα. Των δε λαϊκων γυναικων ἀπετεμεν ὑφ' ἑν τας κεφαλας τον ἀριθμον τελουσας ἑκατον εἰκοσι ἑπτα. Και τινα εὐγενεστατην και τιμιαν γυναικα ἐνωπιον αὐτου παραστησαμενος, και την κεφαλην της Συγατρος αὐτης ἐμπροσθεν αὐτης ἀποτεμων, ἐκελευσεν του αἱματος ἀπογευσασθαι, και οὑτως και αὐτην τῳ θανατῳ δια ξιφους παρεπεμψεν.

F

(1) Oriens Christ. tom. II, col. 647. — (2) Bib. Orient. tom. III, part. 2, pag. 605 et seq. — (3) Cfr supra n. 160. — (4) H. Canisius, Lectiones antiquæ, edit. Basnagii, tom. III, part. 1, pag. 481.

Ἐσχατον

A Ἔσχατον δε παντων τον μεγαν Ἀρεθαν μεθ' ἑτερων τμ ἀπετεμεν · οὑτος γαρ εἰς ἐσχατον γηρας ἐλθων, και κατακοπος τῳ σωματι γεγονως, και μηκετι χρησασθαι δυναμενος τοις ποσιν, ἀλλ' ἐν αὐτῳ τῳ μελλειν τεμνεσθαι στηριζομενος ἐφ' ἑτερων, τον του μαρτυριου στεφανον ἀνεδυσατο. Τους δε λοιπους εἰς παιδας και παιδισκας τοις ὑπο την ἐξουσιαν αὐτου ἀρχουσι, και μεγιστασιν, ἐνεχαρισατο. Τελειται δε ἡ συναξις αὐτων ἐν τῳ σεβασμιῳ οἰκῳ της ὑπεραγιας Θεοτοκου ἐν τοις Προτασιου.

P. Sirmondi; 185 *Hæc Græce dedimus quod inedita sunt: latine vero sic sonant :* Postquam autem illam (*Negranam*) cepit *Dunaan,* effosso sanctissimi episcopi Pauli sepulcro, ossa ejus igni tradidit ac cineres ventilavit : deinde sacerdotes et levitas, monachos et monachas, in caminum igne succensum projectos, numero viginti septem et quadringentos interemit. Laicas vero mulieres centum viginti septem una capite truncavit. Quumque mulierem quamdam honestissimo loco natam atque ornatissimam ad se evocasset, et coram ea ejus filiæ caput abscidisset, jussit de sanguine delibare, B sicque eam gladio morte affecit. Ultimum vero omnium magnum Aretham cum ceteris quadraginta et trecentis decollavit : hic summam senectutem adeptus, quum fractis corporis viribus, plantis insistere jam non posset, usquedum foret capite minuendus aliis innixus, martyrii palmam accepit. Ceteros viros ac feminas, iis qui sibi parebant præfectis et magnatibus, in servitutem gratis addixit. Celebratur autem eorum statio in augusta æde sacrosanctæ Dei Genitricis quæ est in tractu Protasii. *De hac æde B. Virginis Mariæ in qua die 24 octobris Cpoli festum S.* Arethæ *celebrabatur, hæc habet Cangius in* Cpoli christiana (1): Deiparæ ecclesia Protasii cognominata; quod in urbis tractu, ubi olim habitaverat Protasius patricius magister, a Justino juniore imperatore (*qui imperavit dum martyrio coronatus est S.* Arethas), ædificata sit, annis 252 post Protasii tempora, ut habet Codinus *in libro De officialibus etc. pag.* 40. *Verisimile est memoriam S.* Arethæ *in hoc templo Cpolitano celebrari cœpisse vivente adhuc Justino. Vide Acta n.* 27. *Hoc sane quam primum faciendum* C *monebat Simeon anno* 524 : Eaque nos quoque vobis perscribenda duximus, *ita abbatem Gabulæ alloquitur,* ut sancti et fideles antistites, cognita rerum in Homeritide gestarum serie, sanctorum martyrum commemorationem peragant. *Supra n.* 161.

ex typico S. Sabæ et Kalendario Cpolitano; ex Kalendario Neapolitano. Sæculo IX *civitas Neapolis partim græca erat.*

186 *In Typico S. Sabæ, quod ad usum monasterii S. Sabæ prope Hierosolymam primitus conscriptum est et deinceps in omnibus ecclesiis Græcis usurpari cœpit, occurrit ad diem 24 octobris memoria S.* Arethæ *et sociorum. Concinnatum est hoc Typicum ab ipso S. Saba qui obiit anno* 532, *natus annos* 94; *sed succedentibus temporibus varia cepisse incrementa, in primis quando a S. Sophronio Hierosolymitano et a S. Joanne Damasceno retractatum est, minime est dubium. Attamen vivente adhuc S. Saba, quum ad monasteria Palæstinæ pervenerit epistola Simeonis Beth-Arsamensis, Typico adscriptum fuisse illustre S.* Arethæ *martyrium veri maxime est simile. Septimi sæculi martyrologium seu menologium Græcum nullum habemus : octavo sæculo adscribit Morcellus noster Kalendarium Cpolitanum, quod eruditis commentariis instructum publicavit; in quo ad hanc diem 24 octobris, post memoriam S. Procli archiepiscopi, hæc occurrunt* (2) : Και των ἁγιων Ἀρεθα και της συνοδιας αὐτου. Item sanctorum Arethæ et sociorum ejus. *Sequitur Kalendarium Neapolitanum marmoreum medii circiter sæculi noni, quod anno* 1742 *in ecclesia S. Joannis Baptistæ Neapoli detectum est. Exaratum quidem id est in Italia in ipsa urbe Neapoli, et latinis literis atque lingua. Ast urbis pars tum Græca erat, ut observat Baronius ad an.* 872 *n.* 12 : Ita enim quod duplex populus contineretur in ea; nempe Latinus et Græcus : qui seorsim suos quisque, sub capite tamen uno, peragerent sacros ritus (3). *Quumque idcirco in ejus ecclesiis aliquot Græce liturgia celebraretur, sanctis pluribus Græcis seu orientalibus quam in reliquis Ecclesiæ latinæ partibus, suus cultus obtingebat. De urbis Neapolitanæ conditione sæculo* IX *hæc scribit Chioccarellus Neapolitanus historicus* (4) : Qua de re Græcorum turba ab oriente Neapolim E tum negotiorum causa, cum quoque ut civitatis deliciis fruerentur, confluebat. Ideoque sex Neapoli parochiales ecclesias Græcorum sacerdotes obtinebant, qui Græco more sacra peragerent; quique statis diebus Neapolitanam uti caput et matrem agnoscere tenebantur. Erant autem Græci sacerdotes his præfecti ecclesiis *etc. Hinc nihil mirabimur natales sanctorum aliquot Græcorum, antea occidenti ignotorum, kalendario marmoreo Neapolitano inscribi; aut quos diversis diebus colunt ecclesia Latina et Græca, in monumento utrique ritui accommodato bis annuntiari* (5). *De martyre nostro Arabe, jamdudum sæculo* IX *per universum orientem noto, hæc habet marmor Neapolitanum mense octobri :* XXIII *P. S.* Aretha *i. e.* die XXIV passio S. Arethæ (6).

AUCTORE E. C.

187 *Octavo et nono sæculo, ut modo tradebat Chioccarellus* (7), *tot advenere in Italiam australem Græci, ut multis lingua utraque familiaris esset, et acta martyrum non pauca e Græca lingua in Latinam converterint. Inter hæc fuere ipsa Acta S.* Arethæ *quæ edimus, suntque latinitate donata ab Athanasio juniore, episcopo Neapolitano; qui quum feliciter anno* 872 *ejus ecclesiæ regimen auspicatus esset, patruique sui et decessoris S. Athanasii vestigiis inhærere cœpisset, Neapolitanorum dux electus, in avaritiam et regnandi cupidinem dilapsus est et sacræ dignitatis suæ prorsus oblitus.* Athanasii tamen cum laude, *ait Ughellus* (8), meminit Petrus Subdiaconus ille, qui Neapolitanorum episcoporum Chronicam post Joannem Diaconum continuavit, altioris ingenii virum, atque mirabilis prudentiæ fuisse testatur. Idem perhibet Petrus, alius Neapolitanæ ecclesiæ subdiaconus, in S. Agnelli miraculorum libello. Idem Athanasius Græcis et Latinis literis optime excultus fuit; sanctorum enim martyrum Arethæ et sociorum passionis historiam e Græco in Latinum vertit optimo et elevato stylo, ut illa ferebat ætas; cujus fragmentum exstat in ms.

De Athanasio II, episcopo Neapol. ejusque versione Actorum S. Arethæ.

F

(1) Parte 2, pag. 64, edit. Venetæ. — (2) Tom. I, pag. 201. — (3) Cfr Rodotà, Del rito greco in Italia, tom. I, pag. 329 et seqq. — (4) De episcopis Neapolitanis, ad ann. 878. — (5) Mazochius, Neapol. eccles. Kalendarium, tom. I, pag. XXVIII. — (6) Mai, Striptor. vet. tom. V, pag. 64. — (7) Cfr Rodotà, l. c. cap. IV sq. — (8) Italia sacra, tom. VI, col. 81. Venetiis 1720.

codice

AUCTORE E. C.

codice in monialium S. Joannis Capuanæ urbis cœnobio, in quo inter alia habentur in prologo : « Quorum (*scilicet martyrum*) victrices agones palmasque ego Athanasius junior, Parthenopensis ecclesiæ antistes, ad honorem Dei et gaudium christianæ religionis ab Æolicis exemplaribus transferre conabor; et quia peregrinum idioma minime congruit stylo, non verborum folia, sed magis sensus ubertatem carpere studentes, superflua resecamus, et interdum serie commutata, ad dilucidandas sententias nonnulla ingerimus nostra *etc.* » *Fragmentum ex quo hæc excerpta sunt et quod supra memorabat Ughellus, e codicibus mss. P. Ant. Caraccioli, clerici regularis, qui librum de ecclesia Neapolitana vulgavit, exscriptum, olim ad Papebrochium missum est; illudque ad calcem Actorum S.* Arethæ *typis mandamus. Ejusdem Athanasii jussu translata perhibentur e Græco in Latinum Acta SS. Martyrum Eustratii et sociorum, ac S. Febroniæ virginis, et forte alia* (1).

Cultus S. Arethæ *ex menologio Callipolitano, et ex kalendariis Ruthenicis et Moscis.*

188 *Sæculo* x *mentionem habent S.* Arethæ *menologium Callipolitanum a Scholzio editum* (2) *et menologium aliud a Græcis Italis conscriptum, quod huic sæculo attribuit Bandinius* (3). *Eodem sæculo* μεταφρασεις *suas composuit, hortante Constantino Porphyrogenito imperatore, Symeon dictus Metaphrastes; quæ mox in universi orientis monasteriis sunt descriptæ : atque exinde in menologiis aliisque codicibus liturgicis Græcorum, S.* Arethæ *memoriam perquam frequenter reperire est. A Græcis mutuaverunt annuntiationem S.* Arethæ *Rutheni et Mosci, in quorum kalendariis legitur similiter ad hanc diem* 24. *Menologium Slavo-Russicum ms., quod anno* 1712 *ad decessores nostros misit Sparwenfeldius, hæc habet ad dictam diem :* 24 (*octobris*) Arethius, anno 6042. *Annus hic ex oscitantia appositus est, sive* ὁμαδι 5500 *vel* 5508 *usus sit martyrologus; quum noverimus, nec anno* 542 *nec anno* 534 *passum esse S.* Aretham : *at legendus forte annus* 6022, *sicque dempta* ὁμαδι *Græca* 5500, *devenimus ad annum Christi nati* 522, *qui anno passionis S.* Arethæ *proximus est. Discimus saltem ex adscripto anno martyrem Arabem hic annuntiari, non vero*
C *alterum cognominem, de quo infra disseret collega meus. Synaxarium Ruthenorum ms. quod anno* 1688 *ad Papebrochium misit P. Georgius David, societatis nostræ missionarius, qui Moscuæ residebat, similiter sancti nostri meminit:* 24 *octobris* S. M. Aretha et qui cum eo. *Cetera de ephemeridibus Slavicis, maxime de iis quæ appictas ferunt imagines sanctorum, discamus ex commentario Assemani de Tabulis Capponianis* (4) : « Martyr Arethas et socii » *sunt verba tabulis subscripta.* Ita et codex secundus Vaticanus (5), *ait tabularum editor.* At primus cum nostro Slavico silet. Possevinus (6) pro Aretha perperam : « S. Patris Avertii » (*in quo confusio adesse videtur cum S. Abercio, quem ad diem* 22 *ceteri annuntiant*). Utrumque menologium, *nempe Basilianum et aliud Venetiis impressum anno* 1610 : « Του ἁγιου μεγαλομαρτυρος Ἀρεθα, και της συνοδιας αὐτου. Sancti magni martyris Arethæ et sociorum ejus. » D Μεγαλομαρτυρες *dicuntur a Græcis soli martyres illustriores.....* Tabulæ Capponianæ, *inquit Assemanus,* Aretham exhibent cum quatuor sociis. Basilianum menologium, eumdem a carnifice decollatum; hinc vero unum, inde plurimos alios, ligatis ad tergum manibus martyrium exspectantes. In Papebrochianis fastis (7) solus Arethas senex barbatus, tunica et pallio indutus, capite nudo repræsentatur, capillis attonsis, crucem dextra gestans, læva expansa. *S.* Aretham *denique memorant kalendaria Ruthenica quibus utitur Ignatius Kulczinski in libro olim rarissimo, qui anno præterito a socio Parisiensi ab oblivione vindicatus est* (8).

§ XVIII. Cultus martyrum Negranensium ex kalendariis Syriacis, Armeniacis et Æthiopicis, et ex Æthiopum senkessar.

Cultus S. Arethæ *et sociorum ex kalendariis Syriacis, Armeniacis et Æthiopicis.*

Ex fastis sacris orientalibus solos Græcos adhuc prosecuti sumus. Nuntiatur porro S. Arethæ *sacer dies in kalendario Syriaco, quod Romæ typis publicatum est anno* 1624, *et penes nos adservatur manu scriptum. Item in synaxario Melchitarum codicis cujusdam Arabici Vaticani sæculi* XII (9), *ac in aliis synaxariis Syrorum non paucis. Is vero dies est, ut apud Græcos,* 24 *mensis octobris, qui a Syris* Thisri prior *dicitur. Ab Armeniis coli S.* Aretham *die octobris* 20 *supra monuimus n.* 167 (10). *Miror ejus nomen non prodire in menologiis plurimis Coptitarum quæ præ manibus sunt, nisi significetur his verbis apud Seldenum* (11) *et Ludolfum* (12) *ad diem octobris Æthiopici* 26, *juliani* 23 : Waris martyr. *Nam suspicatur Ludolfus pro Waris legendum Huras, quod fit levi mutatione literarum Arabicarum : Huras autem martyr annuntiatur ad eumdem diem in menologio Æthiopico, nec diversus est forte ab* Aretha *Arabum, et* Hirut *Synaxarii Æthiopici de quo mox; qui manifesto idem est ac* Arethas *noster. Omissis igitur menologiis Copticis, transimus ad monumenta Æthiopica pauca numero, quæ typis sunt edita.* F *Kalendarium seu menologium Ludolfi, præter Huras martyrem, quem die præcedenti* 23 *octobris memorabat, mense novembri consignat* Azkirum *et* Cyriacum *et alio die* Negranos martyres, *ut supra est dictum. Annuntiantur hi die novembris Æthiopici* 26, *et quum in synaxario, sive* senkessar *Æthiopico, quod Æthiopice et Italice vulgavit J. Sapetus, laudentur S.* Arethas *et socii ad diem ejusdem mensis* 27, *dubium minime est quin martyres eosdem significet utrumque monumentum.*

Cur martyres Negranenses ab Æthiopibus colantur mense novembri. Æthiopum Senkessar,

190 *Ast qua de causa mense novembri recolantur ab Æthiopibus, siquidem certum videtur ex Actis octobri mense eos passos esse, dicere haud possim; nisi id fiat quod* Azkir *sive* Azqir *sacerdos et martyr Negranensis* (13) (*qui mihi Æthiops fuisse videtur ad reducendos ab idololatria Arabas missus et ad excolendos populares*

(1) Ughelli, l. c. — (2) Scholz, De menologiis duorum codicum etc., pag. 8. Bonnæ 1823. — (3) Catal. codd. mss. bib. Mediceæ, tom. I, pag. 130. Florentiæ 1764. — (4) Kalendaria eccles. univ., tom. V, pag. 316. — (5) Ibid. tom. I, pag. 104. — (6) Apparatus sacer tom. II, pag. 365. Coloniæ. 1608. — (7) Acta SS. tom. I Maji, pag. XLVII. — (8) Specimen ecclesiæ Ruthenicæ, pag. 100. Parisiis 1859. — (9) Mai, Scriptorum etc., tom. IV, part. 2, pag. 48. — (10) Cfr Aucher, Vitæ SS. etc., tom. VII, pag. 480. — (11) De synedriis Hebræorum, pag. 1315. — (12) Commentar. ad. hist. Æth., pag. 395. — (13) supra n. 173.

suos)

A *suos*) (1), *die* 24 *novembris Æthiopici colitur, et alii martyres Negranenses qui sub Dhu Nowaso passi sunt, et quorum dies passionis ignorabatur, primo die vacuo inter consequentes, nimirum die* 26, *annuntiandi videbantur. Etenim moris est martyrologorum, cumprimis Græcorum* (2), *sed etiam aliorum quorumvis, sanctos quorum nescitur dies natalis, annuntiare post sanctos cognomines, aut gentis ejusdem, aut quomodocumque affines* (3). *Post Ludolfi Calendarium alios fastos Æthiopicos non novimus præter* Senkessar, *sive synaxarium Æthiopicum, cujus pars non ita pridem edita est a Sapeto. Continet illud synopsin historicam de S.* Aretha, *sive* Hirut, *ut ibi dicitur, quæ pro thesauro nobis est. Affatim enim confirmat Acta nostra, et quidem quin partim ex iis conflata sit dubium non est; ast et monumenta indigena synaxaristes Æthiops hic usurpavit: quibus tenebras non paucas passim in decursu commentarii propulsare licuit, aut illa quæ ab historicis Græcis narrabantur permiste et confuse, declarare et stabilire. Addimus hanc synopsin ex Actis Symeonis Meta-*
B *phrastis confectam non esse, siquidem numerum martyrum ubique secundum Acta nostra diligenter adscribit; quæ Symeon, spreta accuratione et pro more sectans solum narrationis pietatem et nitorem styli, excerpere neglexit. Legitur vero in dicto Senkessar ad diem novembris Æthiopici* 27, *juliani* 23, *estque hujusmodi, ex Sapeti versione Italica :*

ejusque synopsis actorum S. Arethæ : *Dhu Nowaso tyranno, interjecto perjurio, aperiuntur portæ civitatis Negran.*

191 Celebratur hodie martyrium martyrum civitatis Negran et S. Hirut patris eorum, quod contigit anno quinto Justini *imperatoris,* Hierosolymis patriarcha Joanne, Alexandriæ Timotheo, Constantiniæ (*l.* Constantinopoli) Timotheo (4) et Antiochiæ Euphrasio, ac in Æthiopia regnante Caleb, *quem Græci et Latini Elesbaan vocant* (5). Regnabat tum in Sabæa judæus quidam nomine Fineas (6), apostata, incredulus et hominum sanguine se cruentans. Antea fuerat Sabæa regi Æthiopiæ subdita, sed quum expulsi fuissent Judæi a Vespasiono et a Tito (7), imperatoribus Romanorum, eam labente tempore acquisiverunt. Est versus Sabææ limitem civitas amplissima, cu-
C jus incolæ multi fideles erant et in Jesum Christum credebant. Ad hanc venit rex ille vastaturus provinciam in qua Christus diligebatur, et diruturus ecclesias. Videns vero munitissimam esse civitatem et conspectis mœnibus quæ cruce et facibus nocturnis ornabantur et quos milites multi custodiebant, expugnare eam tentavit rex judæus maledictus, sed incassum, munita quum esset a Domino. Tunc occidit omnes quos extra civitatem reperit, et pueros servituti addixit. Fœdus vero rex ille judæus similis fuit diabolo seductori : nam civibus dixit, jurans, in nomine Domini Dei Pentateuchi et Prophetarum, se eorum hostem non esse, nec vel uni eorum nocere velle, aut guttula sanguinis sese cruentare. Sed cupio, inquiebat, videre ædificia, et fora ac emporia. His quum crederent cives, dixit eis Hirut, filius Kaëba, *seu Arethas filius Caab, supra n.* 153 : Non credatis verbis hujus apostatæ judæi, impius quum sit, portas urbis ei non aperiatis. Ast ei non auscultarunt, portasque aperierunt. Tum ingressus judæus, primum vastari bona civium jussit, et caminum succendi cujus flamma enitebatur in cælum.

AUCTORE E. C.

192 Dein Paulum arcessiri jubet, episcopum civitatis; et quum audisset vita functum esse, ejus ossa refodi e sepulchro imperavit ac projecit in ignem. Tum congregatis sacerdotibus, diaconis, monachis, viduis et orphanis, qui die ac nocte lectioni vacant librorum sanctorum, eos in ignem projici jussit, numero 427 (8), sic terrere volens christianos. Tunc Hirutæ catena collo circumjecta est ligatique pedes et manus, ac similiter proceribus omnibus et magistratibus civitatis. Circuierunt quoque ejus jussu milites civitatem, denuntiantes, illos omnes qui Christum non ejurassent morte pessima affectum iri. Dum hæc audierunt hi sancti christiani, exclamarunt : Avertat cælum ut hoc faciamus, et Christum ejuremus, Deum nostrum, cui credidimus et in cujus nomine baptizati sumus. Quibus auditis judæus iste immundus occidit viros et feminas, filios et juvenes, puerulos et senes, E numero 4252 (9).

Idem ossa comburit Pauli episcopi, pridem demortui; martyrio addicit ecclesiasticos viros et feminas 427: *numerus martyrum.*

193 Dein comprehendere jussit Demaham, quæ ordine quarta genita fuerat (Demaha quartogenita, *ita Italice Sapetus; nomen corruptum esse haud dubito, nam Assemanus, qui duo exemplaria mss. epistolæ Simeonis Beth-Arsamensis præ manibus habuit, eam ubique* Rumam *vocavit. Ad literam tamen Syriace eam Simeon uno loco* Rumi (10) *vocat, altero* Rehumi) (11), feminam lectissimam et formosissimam; et cum ea duas filias tantum (e due sole figliuole con essa) (12), quæ aliud lumen prorsus non viderant, præter illud quod per fenestram in domum propriam adveniebat. Quum in conspectum regis venissent, hic multis promissionibus, ut fidem ejurarent, suadere conatus est, quumque renuerent, vestibus nudari jussæ sunt : quo viso miseratione motæ feminæ Negranenses plorarunt. Filiarum una, ætate minor, ac annos nata solum duodecim, in faciem regis exspuit, quod quum vidisset miles quidam, evaginato gladio [*etiam*] ejus sorori amputavit collum. Post quæ jussit ju-
F dæus immundus ut biberet sancta Demaha sanguinem filiarum; quem quum gustasset, Gratias tibi ago, inquit, Jesu Christe, Domine mi, Fili Dei vivi, quod mihi contigit gustare de sanguine sacrificii a filiabus oblati. Ei vero jussu regis caput gladio abscissum est, et sic completum earum martyrium.

Martyrium S Rumæ *et filiarum;*

194 Post hæc, arcessitis e carcere (13) sancto Hirut et sociis 340 (14), jubet rex judæus ut sanctus Hirut fidem abneget. At respondit Hirut : Anni sunt septuaginta et octo (15) ex quo adoro Jesum Christum, Dominum meum, et ad quartam generationem (16) perveni; jam gaudeo quod martyrium consequor et moriar pro sancto ejus nomine. Dixeram vero populo meo fidendum non esse juri jurando tuo, mendax quum sis; at non crediderunt me, siquidem volebat Christus ut in hoc discrimen adducerer. His auditis rex judæus iratus est vehementer, jussitque ut eum

Martyr Arethæ

(1) Cfr supra n. 137. — (2) Acta SS. tom. VIII Oct., pag. 427, n. 12. — (3) Supra n. 182. — (4) V. Acta, n. 1 et quæ ibi notavimus. — (5) V. Acta ibid. Annot. *g*. — (6) V. supra n. 118. — (7) Supra n. 24 et seqq. — (8) Supra n. 163. — (9) Supra n. 167. — (10) Bib. Orient. tom. I, pag. 368. — (11) Ibid. pag. 374. — (12) Cfr supra n. 145. — (13) Supra n. 142, 6° et 10°. — (14) Ibid. — (15) Cfr, n. 105. — (16) Acta infra n. 17.

ducerent

AUCTORE E. C.

ducerent in flumen (*Italice :* che lo menassero nel fiume; *intellige de valle Negranensi, sive* Wadi (1), *per quam rivus fluebat : vox enim Arabica* Wadi, *quam in linguam Æthiopicam vertit synaxaristes non modo rivum, stagnum aut cisternam, sed et vallem circumjectam significat*), ibique gladio ei caput abscinderent. Hæc audiens sanctus Hirut, Deum oravit ut stabiliret imperium Græcorum et regnum Æthiopiæ, ac regnum hujus impuri judæi disperderet; tunc benedixit populo suo, et quum sese vicissim amplexi essent, milites caput omnibus absciderunt.

martyrium pueri quinquennis aliaque.

195 Hæc spectabat femina quædam, filium habens annorum quinque (2); tinctaque manu in sanguine sanctorum, sese unxit (3) et filium suum. Milites vero, re conspecta, eam ligarunt ac ad regem perduxerunt; a quo projici jussa est in ignem. Tum rex sumpto puerulo et brachiis eum complectens, Amas tu, inquit, vel non, quem vocant Christum? Cui puer : Profecto eum amo, quia servus ejus sum; sed tu demitte me, ut vadam cum matre mea. Et sublato clamore, morsuque apprehendens
B crus regis, evasit, ac ignem ingressus, martyr factus est (4). Adduxerunt et aliam feminam cum filiolo, nato menses decem (*de his nihil habent Acta nec Simeon Beth-Arsamensis*): cui mater : Tu me privasti hoc igne. Respondit puer : O mater mea, eamus cito ad vitam æternam, quia non videbimus hunc ignem nisi hodie tantum. Tunc mater simul cum filio sese in ignem projecit. Quo viso christiani Negranenses capite truncari elegerunt, judæis obstupentibus. Post hæc visus est ignis in cælo per dies integros 40 et noctes totidem (5). Rex vero judæus, reversus ad civitatem suam, de his nuntium misit ad omnes reges, jactans potentiam suam. Percepit ea quoque Justinus, rex Romæ (*novæ, sive Cpolis*), ac Timotheo patriarchæ Alexandrino mandavit, ut scriberet ad regem Æthiopiæ Kaleb (6), eumque supplex rogaret, ut huic judæo bellum inferens sanguinem vindicaret civium Negranensium. Kaleb igitur, rex Æthiopiæ, quum hæc inaudiisset, accepta prius benedictione ab Abba Pantaleon, speluncæ incola, transiit ad regio-
C nem illam cum multis militibus et navibus multis, ac universam Sabæam, regnum judæi illius, vastavit, quin remaneret nec homo, nec animal vivens (*nihil simile habent Acta, sed conveniunt quadamtenus cum iis quæ de prorege Aryat* (7) *narrant historici Arabes*). Civitatem Negran reædificavit, et commemorationem sacram auspicatus est martyrum suorum. Nuntiavit quoque quæ gesta sunt Justino, regi Romæ, et Timotheo patriarchæ; qui gavisi plurimum, Christo gratias egerunt.

De reliquiis S. Arethæ *et sociorum.*

196 *De S.* Arethæ *et sociorum reliquiis sacris silent monumenta omnia recentia, nimirum catalogi, sive Græci, sive Latini, reliquiarum quæ in ecclesiis et monasteriis his ultimis sæculis venerationi erant, aut sunt etiamnum; quorum adservatur penes nos non exiguus numerus. Vix non silent etiam monumenta antiqua, inter quæ nihil aliud reperire fuit, quam hæc pauca quæ habent Acta nostra num.* 38 : Tunc Elesbaan missum sanctissimum episcopum duxit Negranam, ad civitatem martyrum..... Locum D quoque, in quo corpora sanctorum jacebant combusta et projecta (καεντα και ῥιφεντα, *quod ad duplex martyrii genus* (8) *referendum videtur*) venerandum reddidit et asyli jure donavit. *Nec plura habet Metaphrastes, cujus Acta Græca præ manibus sunt* (*Parisiis annis abhinc plus quam ducentis exscripta in gratiam Rosweidi nostri*) : Ἐπιμελησαμενος τε του τοπου, *ait Metaphrastes,* ἐν ᾧ τα των μαρτυρων τελειωθεντα ἐκειτο λειψανα, και ἀσυλιαν ἐκεισε διορισαμενος, ἀπεισι και προς τα βασιλεια κ. τ. λ. Et quum curam gessisset loci, in quo jacebant consummatæ martyrum reliquiæ, et jus asyli illic constituisset, vadit iterum ad civitatem regiam *etc. Ex his patet adservata fuisse martyrum Negranensium lipsana; sed immerito scribitur in Lexico ecclesiastico, aliquot ante annis Moguntiæ edito, recondita illa esse in ecclesia, quæ jubente Elesbaan Negranæ exstructa est* (9) : *licet illuc aliquot delata esse vero proximum sit.*

§ XIX. Actorum ætas et sinceritas. E

Ostenditur scripta esse Acta ante annum 629;

Hoc loco pro more de Actis dicendum quæ edituri sumus; de quibus duo potissime inquirenda, qua ætate scripta sint et quatenus videantur sincera. Ad primum quod attinet, certum est concinnata esse ante annum Christi 634 *quo exercitus Abu Becr, qui duobus ante annis in locum demortui Mahumetis suffectus fuerat, devictis Græcis et Arabibus Ghassanidis, magnam partem Syriæ invasit* (10) : *quam deinceps Græci non receperunt. Dicit porro Actorum scriptor de deserto Phœniconis, quod Justiniano imperatori traditum fuerat a phylarcha Arabe Abo Charabo, et limitaneum erat inter Arabiam desertam et pæninsulam Arabicam :* Jacet Homeritarum regio ad meridiem illius quam Phœniconem dicunt QUÆQUE NUNC SUB ROMANIS EST : ἐκ νοτου του νυν ὑπο Ῥωμαιους ὀντος και λεγομενου Φοινικωνος. *Quæ manifesto ostendunt scripta esse Acta ante dictum annum* 634. *Sed et ante annum* 629, *quo ipse Mahumetes exercitum misit in deserta Syriæ, scripta videntur, et universe, antequam Mahumetes magnam pæ-* F *ninsulæ Arabicæ partem occupaverit. Etenim horum omnium in Actis* (*in quibus plura de Negrana et Homeritide accuratissime proferuntur*) *ne mentio quidem est. Insuper ad religionem quod attinet, de Negrana dicitur Act. n.* 2 : Quæ cælitus illuminata colit etiamnum consubstantialem sanctamque Trinitatem *etc.*

immo ante annum 597,

198 *Operæ pretium erit hic colligere res præcipuas quæ præcipite sæculo* VI *et ineunte* VII *in pæninsula Arabica et Arabia deserta gestæ sunt; quo facilius conficiatur qua circiter ætate Acta S.* Arethæ *concinnata fuerint. Anno* 575, *quinto post obitum Abrahæ, proregis Yemanæ, Persæ regnum occuparunt; ac ab iis proreges constitui cœpere. Paucis tamen post annis Yemanæ thronum Æthiopes receperunt, donec annò* 597, *immissis novis copiis a Cosroë Parviz, rege Persarum, internecione deleti sunt* (11). *Anno* 608 *et sequentibus vastavit Cosroës universam Syriam, et capta ac direpta Hierosolyma anno* 616, *anno sequenti non modo Ægyptum*

(1) Supra n. 157 et 163. — (2) Ibid. n. 158. — (3) N. 157. — (4) N. 160. — (5) Cfr Acta n. 23. — (6) Supra n. 169 et 171. — (7) Ibid. n. 177. — (8) V. ib. n. 163. — (9) Allgemeines Kirchen-Lexikon, tom. III, pag. 307. Mainz 1850. — (10) Cfr Caussin, tom. III, pag. 421 et seqq. — (11) Idem, tom. I, pag. 157.

occupavit

A *occupavit et Africæ partem quam adluit mare mediterraneum, sed ipsam obsedit Carthaginem; donec eodem anno ab Heraclio imperatore devictus est* (1). *Anno* 628 *Homeritarum prorex Persicus factus est mahumetanus, et non multo post, anno* 631 *christiani Negranenses, quum sacra sua ejurare nollent, a Mahumete coacti sunt pendere vectigal. Anno sequenti cives idololatræ, seu pars dimidia civium, ut ferunt historici Arabes, amplexi sunt dogmata Mahumetis; pars altera dimidia christiana remansit, et ad illud usque tempus suum habebant episcopum : sed exeunte anno* 634, *Omar, qui demortuo Abu Becr mahumetanorum consecutus erat principatum, christianos Negranenses in exsilium abire jussit ac in Syria aut Iraca Arabica* (*Babylonia*), *quam necdum sub imperium subjunxerat, sedes deligere* (2). *Ex his non modo comprobantur quæ supra deduximus, ante bella Mahumetis scripta fuisse Acta, sed cumprimis fit veri simile et ante annum* 597, *a quo per annos triginta Homeritidi universæ dominati sunt Persæ, literis mandata esse.*

et forte ante annum 565.

199 *Præ ceteris tamen me movet quod de regione Phœniconis scribit auctor Actorum :* Nunc, *inquit,* sub Romanis est. *Quæ verba donationem Abocharabi, qua Phœniconem tradidit imperatori Justiniano* (*n.* 70), *tamquam recentem aut non valde antiquam memorant. Atqui novimus donatum esse Phœniconem ante annum* 536, *quum eo anno Abocharabus cesserit e vita* (3). *Aliunde scripta sunt Acta post obitum S. Elesbaæ, de quo hæc leguntur num. ultimo :* Nec quisquam laicorum « per omne tempus vitæ ausus est cum eo loqui. » *Vixit porro S. Elesbaas, si fides Henrico Salt ad annum usque* 570 (4); *Sapetus inter annum* 565 *et* 570 *vita functum scribit* (5) : *quod pressius definietur ad diem* XXVII, *quando de S. Elesbaa disserendum erit. At non immerito colligimus ex præcedentibus, scripta esse Acta anno circiter* 575; *ac si, ut conjicio, citius vitam mortalem cum æterna commutavit Elesbaas, lubens dicerem ante annum* 565, *vivente adhuc imperatore Justiniano, mandata literis Acta fuisse.*

Exponitur sententia Lambecii

200 *Quinetiam arbitratus est Lambecius* desumpta esse ex Nonnosi historia legationis C suæ sub imp. Justiniano I, sive magno, ad Homeritas, *cujus meminit Photius, inquit, codice* III (6). *Quæ hic obiter proponit Lambecius, levius non excogitavit, sed quum adverteret accuratione multa disseri in Actis, de rebus historicis, geographicis et aliis, credidit ista nonnisi a legatis, qui imperantibus Justino ac Justiniano frequenter Arabiam ac Æthiopiam adierunt, potuisse colligi. Hos vero inter longe præcipui sunt Abrahamus ejusque filius Nonnosus; siquidem præter eos, dempto Juliano, de cujus legatione alibi diximus, alii ad dictas gentes missi non feruntur. Legationes porro, quas ad Arabum gentem, annos inter* 518 *et* 535, *hi obierunt, quinque sunt numero; ut suo loco e Photii bibliotheca confecimus. Est vero notandum, Abrahamum, in legatione ineuntis anni* 524, *quæ ejus prima fuit, comitem habuisse Simeonem Beth-Arsamensem; ac omnia percepisse quæ ille in laudatissima epistola memoriæ prodidit. Decennio sequenti alias duas legationes ad easdem gentes Abrahamus suscepit, ac intra idem tempus tertiam Nonnosus. Quis igitur in universo imperio Græco aptior esse potuit quam Abrahamus, aut ejus filius Nonnosus, ad historiam texendam martyrum Negranensium?*

AUCTORE E. C.

201 *Verumenimvero si cui probetur sententia Lambecii ac a Nonnoso Acta conscripta dicantur, addendum, Actorum finem, ubi Abrahamus significatur prorex constitutus fuisse mox a profligato Dhu Nowaso, seu ab anno circiter* 526, *postmodum scriptum esse; uti et locos alios forte in quibus obitus Elesbaæ memoratur. Atque istud* (*quod jam supra insinuavimus*) *ex alio etiam firmatur. In versione scilicet Armenia seu Haicana Actorum nostrorum, quæ exstat in libro ms.* Djarrentir (*quo usus est P. J. D. Aucher ad concinnandas Vitas Sanctorum*), *exhibentur ea fideliter; sed longe ante finem absolvuntur quem habent in exemplo nostro; nimirum eo loco quo prodigium in cælo apparuisse noctibus quadraginta narratur* (*Act. n.* 23). *Post quam narrationem prosequitur liber Djarrentir in hæc verba :* Quæ quum vidissent omnes, E laudabant Deum, glorificando Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, nunc et semper et in sæcula sæculorum. *Et* sic terminatur historia *ait hoc loco laudatus P. Aucher* (7). *Hæc me docet unus e sociis, linguæ Armeniæ peritus. Quum vero codices decem mss. libri Djarrentir se præ manibus habuisse Aucherius profiteatur, hunc librum plura non continere liquido constat. Quod alioqui patet ex iis quæ mox addit* (8) : Reliqua fuse habet Metaphrastes, breviter vero Armenorum Kalendarium. Exstant etiam apud Stephanum Asolig (*scriptorum Armenium extremi sæculi* X) quædam similia.

de scriptore Actorum. De versione Armenia,

ex qua Actorum Græcorum genuinum initium statuitur.

202 *Aliud hic notandum venit de libro Djarrentir, seu potius de initio Actorum S.* Arethæ, *quale ibi legitur : desiderari scilicet in recensione patriarcharum, nomen ac sedem patriarchæ Cpolitani. En istud initium; ex quo simul apparebit quam nihil differant, saltem plerisque in locis, Acta Armenia a Græcis quæ hic typis mandamus :* Anno quinto Christophili cæsaris regis Justini, qui regnavit in terra Romanorum, secundo anno indictionis, secundum F autem æram Antiochenam 835, mense hyperberetos, Hierosolymis sedente episco Johanne, Antiochiæ Euphrasio, Alexandriæ Timotheo (9). *Notabile est patriarcham Cpolitanum desiderari quoque in codice quo usus est Boissonadius* (10). *Actis quæ edimus adscribitur quidem patriarcha aliquis Cpolitanus :* Ἐπισκοπατευοντος..... Κωνσταντινοπολεως Τιμοθεου (*Act. num.* 1); *sed Timotheus ille anno* 523, *quo passus est S.* Arethas, *ab annis sex decesserat e vita. Exemplum Actorum, quod Lambecio ad manus fuit* (11), *pro Timotheo, qui hæreticus fuit, Joannem habet, nimirum Cappadocem : hunc novimus catholicum fuisse, sed diem obiit anno* 520. *In locum Joannis suffectus est Euphemius catholicus, ac sedem Cpolitanam tenuit usque ad annum* 535. *Hinc manifestum est in editione prima Actorum omissum fuisse patriarcham Cpolitanum.*

(1) Hist. Univ. tom. XL, pag. 553 et seqq. Paris 1784. — (2) Caussin, tom. III passim. — (3) Idem, tom. II, pag. 231 et 233; Lebeau, lib. XLI n. 19 et seqq. — (4) Voyage en Abyssinie, tom. II, pag. 255. Paris 1816. — (5) Viaggio, pag. 69. — (6) Commentar. tom. VIII, edit. Kollarii, col. 823. — (7) Vitæ SS. qui sunt in kalendario eccles. Armen. auct. P. J. B. Aucher. Armeniace. Tom. VII, pag. 510, not. 15. Venetiis 1813. — (8) Aucher, ibid. — (9) Idem, l. c., pag. 505 not. 3. — (10) Anecd. l. c., pag. 2. — (11) Lambecius, Commentar. tom. VIII, l. c.

AUCTORE E. C. *Sententia altera, longe probabilior, Syriace conscripta fuisse*

203 *Quapropter Acta certo a Nonnoso conscripta non sunt; sed nec ex ejus historia legationum excerpta videntur: nam qualia ad nos devenerunt, Syriace primum concinnata esse et dein Græce conversa, haud videtur dubitandum. Ex quibus id conficiatur, longum esset deducere hoc loco, præstatque hæc minuta ablegare ad Annotata, quæ singulis capitibus Actorum subjicimus. Hæc tantum recolere hic juvat: 1° Acta pluribus locis, nimirum num.* 1 *et num.* 20, *mensibus utuntur Syro-Macedonum, qui inter solos Syros, aut Syro-Græcos, usui erant; et licet codices aliquot Græci locis illis addant, interpretationis causa, mensem neo-Græcorum, octobrem, alii id negligunt, adscripto tantum mense Syro-Macedonum* hyperberetæo. *Atque id advertitur quoque in Actis Armeniis, ut ex num. præc. patet; quæ ex Syriacis mutuata esse cumprimis est veri simile. Porro mensis ille* hyperberetæus *inter Syros christianos respondebat octobri juliano. Tametsi enim initio æræ christianæ, ut novimus ex Actis S. Polycarpi aliisque monumentis, menses Macedonici eodem die cum julianis non occiperent, paulatim tamen, maxime ab ævo Constantini Magni, id ubique invaluit. Videatur Chronicon paschale.*

Acta, et dein Græce conversa.

204 *Deinde confertur in Actis num.* 2, *urbs Negrana cum Rosapha, urbe Syriæ, dicta olim a Græcis Sergiopoli, non procul ab Euphrate; ex quo non absurde conjiceretur scripta esse in monasterio S. Sergii prope dictam urbem: siquidem hujusmodi lucubrationes plerasque monachis debemus. Alio in codice, omissa Rosapha,* Rhoa *legitur; qua voce significatur forte urbs Syriæ Edessa, dicta etiam Callirhoe, Rhoe et ab Arabibus Roha* (1). *Tertio, in Actis Armeniis scribitur nomen S.* Arethæ *spiritu aspero, seu litera Armeniaca* chê; *in quo differunt tum ab Actis Græcis, tum ab omnibus Græcorum historicis, qui nominis istius meminerunt; verum conveniunt cum Syris qui id scribunt litera* cheth, *et cum Arabibus utentibus litera æquali* hha. *Quarto, ut dictum est, in serie patriarcharum omittitur patriarcha Cpolitanus; unde deducitur procul a Cpoli composita esse Acta. Alia plura occurrent in Annotatis, quæ longum foret a locis propriis distracta hic proferre et evolvere.*

Scriptor Syrus tamen sua mutuavit e monumentis Negranensibus, quæ paulo post martyrium

205 *At si Syriace scripta sunt Acta, exsurgit quæstio, qui potuerit auctor Syrus tam diligenter res Negranenses colligere et memorare, ut ab epistola Simeonis Beth-Arsamensis, monumento tutissimo, vix deviet, nec eam expilet tamen, sed pluribus additis, cum ea certet de sinceritate. Ad quæsitum istud duplex responsum esse censeo. Alterum, qui Acta concinnavit versari aliquamdiu Negranæ potuisse, sicuti Simeon Beth-Arsamensis inter Maadenos, non procul inde, aliquando versatus est. Alterum, quod mihi præplacet, scripta primum esse Acta in ipsa civitate Negrana, vel ab episcopis scilicet, qui quum Alexandria mitterentur, plerumque tam Græce quam Arabice sciebant, vel a clericis, aut monachis Æthiopibus; ac dein conversa esse Syriace. Ad episcopos quod attinet, Negranæ fuisse exeunte sæculo sexto, pluribus e monumentis discimus; et quamvis in Actis non dicatur in locum Pauli, demortui episcopi Negranensis, a S. Elesbaa aut patriarcha Alexandrino successorem fuisse constitutum, id mox factum esse, certum videtur* (2). *Etenim Taphar, ubi ab anno* 525 *aut* 526 *episcopus fuit, longe aberat a Negrana, in qua civitate christiani erant permulti. Deinde extremo sæculo sexto novimus Negranæ floruisse episcopum Coss, filium Saida, quem mahumetani poëtam et oratorem celebrem fuisse scribunt, cujus Mahumetes in juventute, id est circa annum* 585 *aut* 590, *miratus est eloquentiam* (3).

colligi aut concinnari cœperunt.

206 *In historia ejusdem pseudoprophetæ, ad annum hegiræ* 9, *Christi nati* 630, *ob scientiam et virtutem christianam laudatur Negranæ episcopus Abu-Haritha, quocum Mahumetes de religione disceptavit. Insuper disputationi S. Gregentii, archiepiscopi Tapharensis, cum Erbano judæo, episcopi plures interfuisse dicuntur.* παροντος του εὐσεβεστατου βασιλεως, καί τινων ἐπισκοπων, και του πληθους των Ἰουδαιων (4). *Ibidem pluries S. Gregentius titulo archiepiscopi dignatur. Ex quibus fit manifestum toto pœne sæculo sexto Negranæ fuisse episcopos. Etenim habita est disputatio, quantum ex pluribus conjicere licet, non multo post annum* 540. *Inde sequi videtur illustrissima martyria S.* Arethæ *et sociorum, mox a redintegrato dominatu Æthiopum, ab episcopo, vel aliquo e clericis aut monachis, literis commendata esse; seu factum id esse non multo post annum* 525. *Qualia tamen ad nos devenerunt, aucta sunt locis aliquot, ubi de obitu Elesbaæ fit sermo et de rege Abrahamo* (*Act. n.* 38), *quem non statim a devicto Dhu Nowaso regem fuisse constitutum suo loco ostendimus. Quæ igitur de Abrahamo dicuntur in Actis, in Arabia scribi non potuere; nisi blanditia id factum sit, quum sciamus eum multo antequam regnum adipisceretur, illud ambiisse. Supra n.* 177 *sq. Ex quibus demum deducimus Negranæ primum scripta esse Acta; quod suadet vel sola eorum accuratio: et quidem vel Arabice, vel Æthiopice, vel, ut veri similius est, Græce. Vix enim ulla monumenta tam vetusta habent tam Arabica quam Æthiopica lingua, et novimus episcopos plures Homeritarum Alexandria fuisse missos, cujus urbis cives Græce sciebant et loquebantur. Et quidem literas Græcas regnante Abrahamo, seu ab anno circiter* 540, *floruisse inter christianos Homeritas suadent plurima. Acta deinde, ut diximus, concinnata sunt Syriace, et e Syriaco denuo Græce.*

Actorum sinceritas;

207 *Ad sinceritatem Actorum quod spectat, sane non exigua accuratione collecta sunt quæ de Æthiopia et maxime de Homeritide narrantur, ut legenti patebit. Singularia hic persequi opus non est, sed recoli merentur quæ scribit auctor de Phœnicone, de talento Arabum, sive* kintar, *ac vectigali quod solverunt Negranenses Dhu Nowaso tyranno; deque legatione quam obierunt Abrahamus et Simeon Beth-Arsamensis ad Almundarum, regem Hirensem. Recitat quoque literas Justini imp. ad regem Elesbaan, tum aliarum meminit quas scripsit idem ad Timotheum patriarcham, ac illarum denique quas scripsit ipse patriarcha ad regem Æthiopiæ. Insuper urbes appellat Ægypti et Æthiopiæ inferioris, gentesque quæ mare rubrum accolunt, ac hujus maris insulas: in quibus, uti in aliis,* σφαλμα *nullum, sive geographicum, sive historicum reperire est. Cum epistola vero Si-*

(1) Bayerus, Hist. Orshoëna, p. 12. — (2) Cfr supra n. 157. — (3) Caussin, tom. I, pag. 159. — (4) Pag. 38, editionis Gulonii.

meonis

A *meonis Beth-Arsamensis ita convenit auctor noster, quemadmodum supra est dictum, ut tamen eam non exscribat, quinetiam, ut eam nec præ manibus habuisse videatur. Alia enim est series narrationis, et apud nostrum, adjectis plurimis, longe lucidior ordo apparet. Dein licet cum Simeone congruat de plerisque omnibus, de paucis tamen dissidet, exempli causa, de Ruma ejusque filiabus : qua in narratione videtur ipse proximior vero. Ex his non immerito Acta nostra monumentis probatissimis accensenda esse dicemus. Exemplum nostrum mutuati sumus e bibliotheca imperatoria Parisiensi, in qua exscriptum est fideliter a custodibus codicum Græcorum. Codex vero Parisinus numero signatur* 1454, *prodiitque e bibliotheca Colbertina; idem est scilicet quo usus est Lequienus, ut dictum num.* 170. *Eumdem præ manibus habuit Boissonadius, dum editionem parabat Actorum S.* Arethæ *e codice Parisino* 1537 (1). *Isto noster passim probatior est; verum typis tum mandatus non fuit, ut opinor, quod aliquot in locis vetustate exesus est nec legi potuit. Nos*
B *loca hiulca ex editione Boissonadii supplevimus, inde accersita uncinis [ ] includentes; tum ex eadem adscribimus lectiones varias, quæ dicuntur, dictamque editionem signamus litera A. De codice nostro hunc in modum scribit Boissonadius:* Passim utar codice 1454, notando litera B, qui plurimas exhibet varietates, quas singulas memorare ut in tali opere vix operæ pretium fore duxi. Ex multis paucas selegi... Si unquam historiarum id genus studium revixerit, quod est nunc intermortuum, (*scripta hæc sunt anno* 1833), qui post me res Arethæ tractabunt et hunc codicem (*ordine* 1454, *quem typis vulgamus*) et multos alios, quos ne inspexi quidem, conferre debebunt. *Codices multi Parisini Acta habent S.* Arethæ (2); *at pleraque Metaphrastæa sunt, quæ majoris æstimare videtur Boissonadius, et e quibus plura adducit in notationibus. Eorum initium est hujusmodi, ubi primo in limine jam agnoscitur stylus Metaphrastis:* Ἔτοι μεν ἠδη πεμπτον ἐνειστηκει τῳ εὐσεβει Ἰουστινῳ, της Ῥωμαιων ἀρχης των σκηπτρων ἐπειλημμενῳ κ. τ. λ. *Nos codicem illum edimus, qui Lequieno et ipsi Boissonadio, viro literarum Græcarum scientissimo, præ ceteris probatus est; eumque pro more latinitate donamus.* E

AUCTORE E. C.

(1) Anecdota Græca, tom. V, pag. 1 et seqq. — (2) Cfr Catal. codd. mss. bib. regiæ, tom. II passim. Pariis 1740.

MARTYRIUM

SANCTI ARETHÆ ET SOCIORUM

IN CIVITATE NEGRAN *a*. *a*

CAPUT I.

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

Conditio Homeritidis; ejus rex Dunaan rebellat contra Æthiopas; Negranam perjurio ingreditur.

C Ἔτους πέμπτου τῆς βασιλείας Ἰουστίνου τοῦ φιλοχρίστου, βασιλεύοντος τῆς Ῥωμαίων πολιτείας, ἐν ἰνδικτιῶνι δευτέρᾳ, κατὰ δὲ Ἀντιόχειαν τῆς Συρίας ἔτους πέμπτου καὶ τριακοστοῦ ὀκτακοσιοστοῦ, μηνὸς ὑπερβερεταίου, ὅς ἐστιν ὀκτώβριος, ἐπισκοπεύοντος * Ἀλεξανδρείας Τιμοθέου, Ἱερουσαλὴμ Ἰωάννου, Κωνσταντινοπόλεως Τιμοθέου *, καὶ Ἀντιοχείας Εὐφρασίου · [τότε τῆς Αἰθιόπων χώρας ἐβασίλευσεν Ἐλεσβὰς, ὁ δικαιότατος, ἐν Αὐξούμῃ τῇ πόλει τῆς αὐτῆς Αἰθιόπων χώρας. Συνέβη δὲ τότε βασιλέα εἶναι τῶν Ὁμηριτῶν Δουναὰν, Ἑβραῖον ὄντα καὶ παρανομώτατον] καὶ αἱμοβόρον παρὰ πάντας τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἐν τῷ ἔθνει τῶν Ὁμηριτῶν. Ἔστι δὲ ἡ χώρα αὕτη ἡ παρὰ μὲν τῇ Θείᾳ γραφῇ Σαβὰ λεγομένη, παρὰ δὲ τοῖς ἔξω, Εὐδαίμων Ἀραβία. Ἐν αὐτῇ δὲ τῇ Σαβὰ χώρᾳ πάντες οἱ κατοικοῦντες, Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι ὑπῆρχον · οὐ κατὰ τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ ζῶντες, ἀλλὰ κατὰ τὰ παραφυλάγματα, καὶ βλαβερὰς ἐντολὰς τῶν ὑποκριτῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων. Πάσης δὲ τῆς οἰκουμένης παντί τε καὶ πανταχοῦ σεβομένων καὶ δοξαζόντων Χριστὸν, τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν, βασιλεύοντα σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, μόνη ἡ χώρα τῶν Ὁμηριτῶν, ἥτις λέγεται Σαβὰ, κατείδωλος

* A ἐπισκοπούντος
*Ακωνστ. τιμ. desunt.

Anno quinto imperii Justiniani *b* Christo devoti, Romanorum rempublicam moderantis, indictione secunda *c*, Antiochiæ Syriæ anno octingentesimo trigesimo quinto *d*, mense Hyperberetæo sive octobri, episcopatum Alexandrinum gerente Timotheo *e*, Hierosolymitanum Joanne, Constantinopolis Timotheo *f* et Antiochiæ Euphrasio, in Æthiopum regione regnabat Elesbaas *g*, justissimus princeps, et quidem in Auxuma *h*, ejusdem Æthiopiæ civitate. Contigit autem per idem tempus regem esse Homeritarum *i* Dunaar *k* quemdam, judæum, et præ omnibus illius gentis hominibus crudelem et cruentum. Dicitur hæc Homeritarum regio in Scripturis divinis Saba *l*, ab iis vero qui foris sunt, seu gentibus, Arabia felix. In hoc regno Saba incolæ omnes Græci erant et barbari *m*, nec juxta Dei mandata vivebant, sed juxta observantias et contemptibilia præcepta hypocritarum Pharisæorum et Sadducæorum. Universo autem orbe semper et ubique venerante et glorificante Christum, Deum verum, qui regnat

Tempus martyrii. Religionis conditio in Homeritide. Bella
b
c
d
e
f
g
h
i k
l
m

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

regnat cum Patre et Spiritu sancto, sola Homeritarum terra, quæ et Saba dicitur, idolis *n* dedita erat et simul religionis Judaïcæ placitis. Deum non timebant, colebant vero idola sua : ex quo orsa sunt bella continua inter regem Æthiopum et regem Homeritarum, qui Æthiopis erat tributarius *o*. Eximieque divino zelo motus Elesbaan, rex christianissimus, cum exercitu advenit et improbum regem profligavit *p*.

cum Æthiopibus. Dunaan, rex Homeritidis, christianos persequitur. Regionis descriptio.

2 Erat in terris Homeritæ regis civitas innumerabilium incolarum, nomine Negran *q*, quæ cælitus illuminata colit etiamnum *r* consubstantialem sanctamque Trinitatem, accepta tempore antiquo et longinquo *s* hac fide et doctrina ex sanctis et Deo plenis patribus. Accidit itaque tum temporis ut Homeritarum judæorum rex, bello devictus, in fugam se dederit atque in montibus quibusdam inaccessis sese præservarit; Æthiopum vero rex Elesbaan in regnum suum redierit, relicto duce *t* cum exercitu qui regionem custodiret. Dæmon vero, honesti osor et pie vivere volentium adversarius, armavit iterum regem Homeritarum contra relictos a rege Æthiopum Elesbaan. Eos enim interemit ille et persecutionem inhumanam contra omnes venerantes Christi nomen exorsus est, sive Græci forent, aut Persæ, aut Romani, aut Æthiopes *u;* et tamquam dæmon carne indutus contra christianos tunc in sua ditione existentes armatus est. Post hæc collectos omnes christianos illos interfici jussit *w*. Denique exercitum movet contra jam dictam Christum amantem civitatem Negranitarum, ut eam dirueret. Jacet autem Homeritarum regio ad meridiem illius quam Phœniconem *x* dicunt quæque nunc sub Romanis est, et ab illa distat itinere dierum triginta *y*. Dierum vero viginti quinque ipsum Homeriticum regnum itinere sese ulterius protendit, habitatum undequaque et incolis repletum ut est Rosapha *z*. Indica regio *aa* unde aromata et peperi, et sericum et pretiosissima margarita proveniunt, distat mansionibus triginta ; Æthiopia ab Homeritæ regno mansionibus etiam triginta *bb*. Romanorum vero imperium, ad septentrionem hujus regionis, mansionibus sexaginta, nimirum si iter per mare instituas, ab imperio ad Æthiopiam et ab Æthiopia ad regnum Homeritarum *cc*. Porrigitur idem mare ab Homeritæ regno versus Indiam et usque ad Persidem.

Tyrannus obsedit civitatem Negran. primum mortem

3 Instante igitur hieme *dd* non potuerunt rex Æthiopum ejusque exercitus in aciem exire contra Judæum, oppugnantem sanctorum ac triumphantium horum martyrum venerabilem et inclitam civitatem Negran, cujus nomen ex Hebraica lingua redditum, est Civitas tonans *ee;* et iterum, Obex *ff* inexpugnabilis. Approquinquat itaque rex Judæus et signum venerandum crucis Domini nostri Jesu Christi in ligno figit. Dein præcones emittit, obcinctaque ope hostilis exercitus vallo civitate, eos clamare jubet : « Si quis non blasphemat cricifixum, et non contemnit hocce lignum quod est signum maledictionis, igne et occisione gladii peribit *gg*. Qui vero mecum sentiet, negans, quam dicunt Galilæi discipuli, Trinitatem, multis honoribus dignus censebitur et in regno meo magna frue-

ἐν δοκήσει ἰουδαϊσμοῦ ὑπῆρχε · τὸν Θεὸν μὴ ἐφοβοῦντο, καὶ τὰ εἴδωλα ἐτίμων · ὥστε συνεχεῖς γίνεσθαι πολέμους μεταξὺ αὐτοῦ τοῦ βασιλέως τῶν Αἰθίοπῶν [καὶ τοῦ τῶν Ὁμηριτῶν, ὑποφόρου ὄντος τῷ Αἰθίοπι. Καὶ διαφόρως ζήλῳ θεϊκῷ κινούμενος Ἐλεσβὰς ὁ χριστιανικώτατος βασιλεὺς ἐπεστράτευσε] καὶ τὸν παράνομον βασιλέα κατεκολάφισεν. D

2 Ὑπάρχει δὲ πόλις μυρίανδρος ὑπὸ τὴν χώραν * τοῦ Ὁμηρίτου, λεγομένη Νεγρὰν · αὕτη ἡ πόλις οὐρανόθεν φωτισθεῖσα σέβεται ἔτι καὶ νῦν τὴν ὁμούσιον καὶ ἁγίαν Τριάδα, παραλαβοῦσα τὴν τοιαύτην πίστιν καὶ διδασκαλίαν ἐκ τῶν ἁγίων καὶ Θεοφόρων πατέρων ἀπὸ μακρῶν καὶ παλαιῶν τῶν χρόνων. Συνέβη οὖν ἐν ἐκείνῳ καιροῦ ἡττηθέντα τῶν Ὁμηριτῶν Ἰουδαίων βασιλέα * φυγεῖν καὶ ἐν ὄρεσι τισὶν ἰσχυροῖς * φρουρηθῆναι, ὑποστρέψαι δὲ τὸν βασιλέα τῶν Αἰθιόπων Ἐλεσβαὰν, εἰς τὴν ἰδίαν βασιλείαν, ἐάσαντα στρατὸν καὶ στρατάρχην ἕνεκα παραφυλακῆς πάσης τῆς χώρας · ὁ δὲ μισόκαλος δαίμων, ὁ τοῖς εὐσεβῶς ζῆν βουλομένοις ἀντιδικῶν, ὥπλισε πάλιν τὸν βασιλέα τῶν Ὁμηριτῶν κατὰ τῶν ἐαθέντων ὑπὸ Ἐλεσβαᾶ τοῦ βασιλέως τῶν Αἰθιόπων, καὶ τούτους ἀνεῖλεν, καὶ διωγμὸν ἀπάνθρωπον ἔστησεν κατὰ πάντων τῶν σεβομένων τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, κἂν Ἕλληνες ἦσαν, κἂν Πέρσαι, κἂν Ῥωμαῖοι, κἂν Αἰθίοπες, ὥσπερ ἔνσαρκος δαίμων ὁπλισθεὶς κατὰ τῶν τότε ὄντων χριστιανῶν ἐν τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ · καὶ μετὰ τοῦτο, τοὺς ὑπ' αὐτοῦ συσχεθέντας πάντας χριστιανοὺς, ἀναιρεθῆναι ἐκέλευσεν. Ἔπειτα κινεῖ τὰ στρατόπεδα αὐτοῦ κατὰ τῆς εἰρημένης φιλοχρίστου πόλεως τῶν Νεγρανιτῶν, εἰς τὸ πορθῆσαι αὐτήν · ἔστι δὲ ἡ χώρα τῶν Ὁμηριτῶν ἐκ νότου τοῦ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίους ὄντος καὶ λεγομένου Φοινικῶνος, ἀπέχουσα μονὰς τριάκοντα · ἡ δὲ αὐτὴ χώρα τοῦ Ὁμηρίτου * ἔστι διαστήμωτος μονῶν εἰκοσιπέντε · οἰκουμένη καὶ κατοικουμένη *, καὶ πεπληρωμένη, ὡς ἐπὶ Ῥωσαφᾶ. Ἡ δὲ Ἰνδικὴ χώρα, ὅθεν τὰ ἀρώματα καὶ τὸ πέπερι, καὶ ἡ μέταξις καὶ ὁ πολύτιμος μαργαρίτης ἐξέρχεται, ἀπέχει μονὰς τριάκοντα * · ἡ δὲ Αἰθιοπία τοῦ Ὁμηρίτου, μονὰς τριάκοντα · ἡ δὲ Ῥωμανία, ἐκ βορρᾶ τῆς τοιαύτης χώρας, μίλια * ἐξήκοντα · ὥστε διοδεύεσθαι * ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων χώρας ἐπὶ τὸν Ὁμηρίτην διὰ * θαλάσσης · ἀπὸ Ῥωμανίας ἐπὶ Αἰθιοπίαν, καὶ ἀπὸ Αἰθιοπίας ἐπὶ τὸν Ὁμηρίτην · ἔστι δὲ ἡ αὐτὴ θάλασσα ἀπὸ τοῦ Ὁμηρίτου ἐπὶ Ἰνδίαν, καὶ μέχρι Περσίδος.

* A ὑπὸ τὴν ἐνορίαν

* A τὸν Ἰουδαῖον βασ. τῶν Ὁμ.

* A Ὀχυροῖς

* A τοῦ Ὁμ. deest

* A κατ. δίκην ῥόας. Ἡ δ' Ἰνδ.

* A ἑβδομήκοντα.

* A μονὰς

* A διοδ. διὰ γῆς ἀπὸ

* A διὰ δὲ θαλ. ἀπὸ Ῥωμ.

F

3 Χειμῶνος οὖν ἐνστάντος *, οὐκ ἠδυνήθησαν, ὅ τε βασιλεὺς τῶν Αἰθιόπων, καὶ τὰ στρατόπεδα αὐτοῦ ἀντιπαρατάξασθαι τῷ Ἑβραίῳ πολεμοῦντι τὴν τῶν ἁγίων ἀθλοφόρων τούτων * σεμνὴν καὶ πανεύφημον πόλιν Νεγρὰν, ἥτις ἑρμηνεύεται Ἑβραϊστὶ, πόλις βροντῶσα, καὶ πάλιν μοχλὸς ἀκαταμάχητος. Τοιγαροῦν παραγίνεται καὶ ἵστησι τὸ σημεῖον τοῦ τιμίου Σταυροῦ, τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπὶ ξύλου · καὶ κήρυκας ἐξέπεμψεν καὶ περιχαρακώσας διὰ πολεμικῶν στρατοπέδων τὴν πόλιν, ἐκέλευσε τοῖς κήρυξιν κράζειν · « εἴ τις μὴ βλασφημήσει τὸν ἐσταυρωμένον καὶ ἐξουδενώσει τὸ παρὸν τοῦτο τῆς [ἁρὰς σημείου ξύλον, ἐν πυρὶ καὶ φόνῳ μαχαίρας ἀπολεῖται · εἴ τις δὲ ὁμόφρων μου γένηται, ἀρνούμενος ἣν λέγουσιν οἱ τοῦ Γαλιλαίου] Τριάδα, πολλῶν τιμῶν ἀξιωθήσεται, καὶ ἐν πολλῇ παῤῥησίᾳ τυγχάνων ἔσται ἐν τῇ ἐμῇ βασιλείᾳ. Ἰδοὺ γὰρ πάντας τοὺς ἐαθέντας * ὑπὸ τοῦ βασιλέως τῶν Αἰθιόπων ἐν τῇ

* A ἑστῶτος

* A ἀθλοφ. τούτ. omittit.

* A θέλοντας

* A ἐμῇ χάρᾳ

τῇ πόλει *, ἔτι μὴν καὶ τοὺς ὑπὸ τὴν ἐμὴν βασιλείαν ὄντας χριστιανοὺς, καὶ τοὺς λεγομένους μονάζοντας, ξίφει καὶ πυρὶ παραδέδωκα, τὰς δὲ λεγομένας ἐκκλησίας τῶν χριστιανῶν εἰς πάσας τὰς ἐμὰς περιχώρους κατακαύσας καὶ καταστρέψας μέχρις ἐδάφους, [κονιορτὸν ἀπετέλεσα. Καὶ ἰδοὺ πάρειμι πρὸς ὑμᾶς, ὦ Νεγρανῖται, μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ βραχίονος ὑψηλοῦ, καὶ ἐπιλέκτων πολεμιστῶν πολεμούντων ὑμᾶς ἑκατὸν εἴκοσι χιλιάδων. » Οἱ δὲ τῆς πόλεως ἀπεκρίναντο ἀπὸ τῶν τειχέων. « Ἡμεῖς ἐδιδάχθημεν, ὦ βασιλεῦ, σέβεσθαι καὶ προσκυνεῖν Θεὸν τὸν παντοκράτορα καὶ τὸν Λόγον αὐτοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ τὸ Ἅγιον, τὸ] ζωοποιοῦν τὰ πάντα, οὐ πολυθεΐαν εἰσάγοντες, οὐδὲ στένωσιν μοναρχίας γνωρίζοντες, ἀλλὰ μίαν Θεότητα ἐν τρίσιν ὑποστάσεσι · τὴν αὐτὴν μίαν δύναμιν προσκυνοῦμεν καὶ σεβόμεθα, ἣν οἱ πατέρες ἡμῶν Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ, Μωϋσῆς, Ἀαρὼν, Σαμουὴλ, καὶ οἱ προφῆται πάντες ἐσέβοντο. »

tur libertate. Ecce enim qui relicti sunt a rege Æthiopum in meis terris, et christianos ad regnum meum spectantes, et qui monachi dicuntur, omnes gladio et igni tradidi *hh;* christianorum vero ecclesias *ii*, quas dicunt, in omnibus meis circumjacentibus regionibus, incensas et ad solum usque eversas in pulverem redegi. Et ecce venio ad vos, o Negranitæ, cum copiis multis et brachio excelso et cum delectis viris ad oppugnandum vos centies et vicies mille *kk* ». Tunc responderunt cives e muris civitatis: « Nos edocti sumus, o rex, venerari et adorare Deum omnipotentem et Verbum ejus, per quod omnia facta sunt, et Spiritum sanctum ejus, qui omnia vivificat; non deos plures invehentes, neque imminutionem monarchiæ cognoscentes, sed unam Deitatem in tribus personis. Eamdem unicam potestatem veneramur et adoramus, quam patres nostri Abraham et Isaac et Jacob, Moyses, Aaron, Samuel et prophetæ omnes venerati sunt. »

hh
ii
kk

* A παράνομος

B

* A σκεύεσι

4 Τότε ὀργισθεὶς ὁ ἐν νόμῳ παρανομώτατος * βασιλεὺς τῶν Ὁμηριτῶν, ἐποίησε πολιορκῶν αὐτοὺς πολλὰς ἡμέρας, χρησάμενος μηχανήμασι καὶ δεινοτάτοις ὅπλοις * πολεμικοῖς · ἐν οἷς οὐκ ἠδυνήθη πορθῆσαι πόλιν τεθεμελιωμένην ἐπὶ τὴν πέτραν τῆς πίστεως τοῦ Χριστοῦ, ὥσπερ * ἡ ἀκρόπολις Σιὼν ἐν Ἱερουσαλὴμ, ᾗ ὄρη κύκλῳ αὐτῆς, καὶ Κύριος κύκλῳ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος. Καὶ ταῦτα μὲν παρετάττετο ὁ ἐπίγειος καὶ σκιώδης βασιλεὺς, μὴ συγχωρῶν τινὰ ἐξελθεῖν · ἤγαγε δὲ πάντας τοὺς ὄντας ἐν τοῖς προαστείοις καὶ ἀγροῖς τῆς πόλεως καὶ κτήμασι, καὶ τοὺς μὲν ἀνεῖλε, τοὺς δὲ δούλους ἐχαρίσατο τοῖς ἑαυτοῦ μεγιστᾶσι καὶ ἀρχηγοῖς καὶ ἐθνάρχαις. Γνοὺς δὲ ὅτι οὐχ οἷός τε ἔστι πρὸς τὴν πόλιν εἰς πολιορκίαν, τὸν ἀνθρωποκτόνον ὄφιν τὸν ἀεὶ φθονοῦντα* τοῖς ἐθέλουσιν εὐσεβῶς ζῆν, μιμεῖται · καὶ ἄρχεται ὀμνύειν * τὸν Θεὸν τοῦ οὐρανοῦ καὶ τοῦ νόμου, καὶ τὰς ἁγίας δυνάμεις ὅτι. « Οὐ βλάψω τινὰ τῶν ** τῆς πόλεως, οὐδὲ ἀναγκάσω βλασφημῆσαι εἰς τὴν σεβομένην ὑπ' αὐτῶν * θρησκείαν, ἀλλὰ μόνον * ὑποσπόνδους γενέσθαι ὑμᾶς, καὶ ἀνοῖξαι τὴν πόλιν, καὶ εἰσελθεῖν ἱστορίας χάριν * τῆς πόλεως, καὶ τοῦ κομίσασθαι αὐτὸν ** ὅπερ ἐποφείλεταί αὐτῷ *, ἐκείνου καὶ μόνου τοῦ ἔτους, τοῦ * ἐξ ἔθους διδομένου ἐπὶ κεφαλαίου ὑπὲρ ἑκάστης ψυχῆς οἰκούσης ἐν τῇ πόλει, ἀπὸ ἑλκάδος * μιᾶς. » Ἔστι δὲ αὕτη ἡ λεγομένη ἑλκὰς, μονῆτα βασιλικὴ Ὁμηριτικὴ, σταθμὸν ἔχουσα χρυσίου * Ῥωμαϊκοῦ, κερατίων δεκαδύο · ὡς συνάγεσθαι ἐνιαυσιαῖον κανόνα ἐκ τῆς προλεχθείσης * πόλεως Νέγρας, χρυσίου τάλαντα ἑκατὸν τριάκοντα. Ἔστι δὲ τὸ τάλαντον ἐν τῇ τῶν Αἰθιόπων χώρᾳ καὶ Ὁμηριτῶν, λιτρῶν δεκατριῶν.

minatus, mox multa promittens;

* A ἐπιβουλεύοντα τοῖς ἐν Κυρίῳ ζῶσι.
* A *addit.* καὶ ἐπικαλεῖσθαι.
** A *omittit.*
* A ὁ. α. *omittit.*
* A ἀλλ' ἢ μόνον
* A ἕνεκα
** A *omittit.*
* A ἐποφείλετέ μοι
* A τὸ... διδομένου
* A ὁλκάδος
* A χρ. κερατ. Ῥωμαϊκῶν δώδεκα·
* A εἰρημένης

5 Ὁ δὲ λαὸς ὁ ἐν τῇ πόλει, ἀεὶ πειθαρχῶν ταῖς ἁγίαις ἐντολαῖς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ, εἶπεν. Ἡμεῖς, ὦ βασιλεῦ, ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ * τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐδιδάχθημεν σέβεσθαι τὸν Θεὸν, καί πειθαρχεῖν τοῖς βασιλεῦσι, καὶ * ὑπείκειν αὐτοῖς · καὶ ἰδοὺ θαῤῥοῦντες τῷ ὑπὸ σοῦ δοθέντι ἐνομότῳ λόγῳ, [ἀνοίγομεν τὴν πόλιν, καὶ εἰσελεύσῃ μεθ' ὧν βούλει. Καὶ γνωστόν σοι ἔστω, ὅτι κἂν παραλάβῃς ἡμᾶς, ἔστι Θεὸς ἡμῶν ὅστις βοηθήσει ἡμῖν, καὶ πᾶσαν τὴν κακίαν σου ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου καὶ τὴν βασιλείαν σου ἐπάξει · εἰ δὲ μή, καὶ ἡμεῖς τὴν φωνὴν τῶν τριῶν παίδων Ἀνανία, Ἀζαρία, Μισαὴλ, ἀποφαινόμεθά σοι, ὅτι κατὰ τὴν μοναρχίαν σου οὐ σεβόμεθα, καὶ τῇ βλασφημίᾳ σου οὐ στοιχοῦμεν, ἀλλὰ καὶ

5 Populus igitur civitatis semper obtemperans sanctis præceptionibus Servatoris nostri Dei dixit: « Nos, ô rex, a Lege et prophetis et sanctis apostolis edocti sumus, colere Deum, regibusque obsequi et obedire *in iis quæ decent; ecce igitur committentes nos fidei quam interposito juramento obligasti, aperimus civitatem, intrabisque quibuscum volueris. Notum vero sit tibi, si nos in tuam potestatem redigeres, adesse Deum nostrum qui adjuvabit, et in caput tuum regnumque tuum vertet malitiam tuam. Sin alias, et nos verba Ananiæ, Azariæ, Misael, ostendimus tibi, quoniam

aperitur civitas, sed Dunaan promissis non stat.

* I PETRI II, 17, 18.

* A κ. τῶν προφητῶν, κ. τῶν
* A κ. ἐν τοῖς δέουσιν ὑπ.

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

niam juxta monarchicam voluntatem tuam cultum non exercemus et blasphemiæ tuæ non subscribimus, sed mori lucrum *ss* existimamus ac vitam in Christo, qui mortuus est pro nobis et resurrexit; vivatque Christus in nobis. » Hæc cum dixissent, civitatem aperuerunt, et intravit dolosus serpens, rex Homeritarum, jurejurando affirmans quia: illæsos et intactos vos servo, si sponte hanc civitatem mihi tradideritis *tt*. Postera die, apertis januis, exiverunt omnes proceres, simul cum Aretha, ad regem, et prosternentes se in terram eum venerati sunt. Jussit hic congregari omnes, et primo quidem facultates suas extra civitatem afferre, deinde ostendere sibi Paulum *uu*, episcopum civitatis. Proceres autem omnes responderunt, obiisse eum a bienno; et non credidit illis, sed mittens ad locum in quo jacebat venerandum ejus corpus, effossis ossibus, jussit ea igni tradi, et cineres palis projici in aërem.

ss

tt

uu

τὸ ἀποθανεῖν κέρδος ἡγούμεθα καὶ ζῆν ἐν Χριστῷ, τῷ ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντι καὶ ἀναστάντι·] καὶ ζῇ ἐν ἡμῖν ὁ Χριστός *. Ταῦτα εἰπόντες, ἤνοιξαν τὴν πόλιν, καὶ εἰσῆλθεν ὁ δόλιος ὄφις *, ὁ βασιλεὺς τῶν Ὁμηριτῶν, ὁμόσας * αὐτοῖς, ὅτι ἀβλαβεῖς καὶ ἀκεραίους φυλάττω ὑμᾶς, ἐὰν ἑκουσίως ταύτην τὴν πόλιν παραδῶσητέ μοι. Καὶ τῇ ἑξῆς ἀνοίξαντες, ἐξῆλθον ἅπαντες οἱ ἀρχηγοὶ αὐτῶν, ἅμα Ἀρέθα, πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ ἐπὶ τὴν γῆν. Ὁ δὲ ἐκέλευσε συσχεθῆναι * πάντας αὐτούς· καὶ πρῶτον μὲν τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν ἐνεχθῆναι * ἔξω τῆς πόλεως, ὑποδεῖξαι δὲ αὐτῷ Παῦλον τὸν ἐπίσκοπον τῆς αὐτῆς πόλεως ἐκέλευσεν. Οἱ δὲ ἀρχηγοὶ πάντες τῆς πόλεως μιᾷ φωνῇ εἶπον τοῦτον τεθνάναι πρὸ διετοῦς χρόνου· καὶ οὐκ ἐπίστευεν αὐτοῖς, ἀλλὰ πέμψας ἐν τῷ τόπῳ ἐν ᾧ κατέκειτο τὸ τίμιον αὐτοῦ λείψανον, ἐξανασκάψας τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ, ἐκέλευσε πυρὶ παραδοῦναι, [καὶ εἶθ' οὕτως εἰς πτύους λικμηθῆναι τὴν τέφραν εἰς τὸν ἀέρα.]

D

* A ἐν ἡμ. ὁ Θεὸς ἡμῶν.
* A ὁ δόλ. δράκων,
* A ὁμόσας... ἀνοίξαντες *omittit.*
* A συναχθῆναι
* A διαρπαγήναι, ὑπ. δὲ

ANNOTATA.

E

B a *Codex Parisinus* 1537, *qui deinceps significatur litera* A, *hunc habet titulum:* Μαρτύριον τοῦ ἁγίου Ἀρέθα καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ; *locum palestræ omittens. Noster vero:* Μαρτ. τ. ἁγ. Ἀρέθα καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἐν Νεγρᾷ τῇ πόλει.

b *Codex noster,* Ἰουστιανοῦ, *forte loco* Ἰουστινιανοῦ; *quum orientales multi Justinum imperatorem Justinianum appellaverint, in primis Syri, e quorum lingua Acta nostra Græce versa videri monuimus.* A, *recte:* Ἰουστίνου. *Porro imperare cœpit Justinus senior mense julio anni* 518, *et annus ejus quintus cucurrit ab eodem mense anni* 521 *ad julium anni* 522. *Verum convenit quidem hic annus cum exordio rebellionis Dhu Nowasi, regis Homeritarum, sed non cum martyrio S.* Arethæ, *quod anno Christi* 523 *evenisse ostendimus. Quæ sequuntur ipsi anno martyrii jam congruunt.*

c *Indictio secunda imperante Justino occœpit die* 1 *septembris anni* 523 *et absoluta est die* 31 *augusti anni* 524; *mensis hyperberetæus, sive octobris illius indictionis* (*quo passus est S.* Arethas, *et de quo mox in Actis*) *incidit in octobrem anni* 523. *Hoc igitur loco recte indicat scriptor Actorum mensem et indictionem martyrii, sed errat in anno Justini, qui soli initio rebellionis potest aptari.*

d *De annis Antiochiæ Syriæ, sive Seleucidarum, vide Commentarium prævium num.* 132. *Ad verba quæ mox sequuntur, ὅς ἐστιν ὀκτώβριος, hæc notat Boissonadius:* Lambecius qui initium hujus narrationis e cod. Vindobonensi descripsit, exhibet ὅ ἐστιν ὀκτωβρίῳ πρώτῃ (1). Forsan male legit. *Ego haud putem male legisse, nisi in una littera, ut mox dicetur. Recolendum enim Acta nostra primum Syriace videri scripta et e Syriaco Græce conversa. Id jam suadet is ipse locus. Mensis enim october dictus est* ὑπερβερεταῖος *a solis Syromacedonibus, dum scilicet lingua utebantur Græca, quod nomen e Macedonia fuerat invectum. Syriace vero eum vocabant* thisri, *seu potius* (*quum duo essent menses hujus nominis*), thisri priorem. *Quæ igitur legit in codice suo Lambecius,* ὅ ἐστιν ὀκτωβρίῳ πρώτῃ *dicta censeo ab imperito quodam scriptore pro Syriaco* thisri qedm, thisri priore, *sive octobri. Et quidem qui primum Acta nostra ex Syriaco Græca fecit,* C F *valde peritus fuisse non videtur; sed passim emendari potuit ab amanuensibus; et hæc est causa forte, cur in diversis codicibus tot sint variæ lectiones. Suadetur sententia illa in primis e codice Lambecii. In paucis enim quæ ex eo descripsit hæc advertuntur* σφάλματα *aut minus recte dicta, quæ in codicibus quibus usi sumus magnam partem emendata sunt:* ἑπτακοσιοστοῦ (A *et noster, seu* B: ὀκτακοσιοστοῦ); ὅ ἐστιν ὀκτωβρίῳ πρώτῃ (*forte* ὅ εστιν ὀκτωβρίῳ πρώτῳ, *sed longe melius* A *et* B, ὅς ἐστιν ὀκτώβριος); ἐπισκοπατοῦντος (A *et* B: ἐπισκοπεύοντος); Κωνσταντινουπόλεως Ἰωάννου (A *omittit,* B: Κωνστ. Τιμοθέου; *Vide Comment. n.* 202); Ἐλεσβαάμ (A, Ἐλεσβάς; B, Ἐλεσβαάν); ἐν Αὐξωμῇ (A *et* B: ἐν Αὐξουμῇ). *His igitur magis ac magis hæc duo suaderi videntur, Acta scripta esse primum Syriace et e Syriaco non satis diligenter ab initio Græce esse reddita. Alio loco Actorum num.* 20, *ubi habet codex* B, ἐν μηνὶ ὑπερβερεταίῳ, ὅς ἐστιν ὀκτωβρίος, κδ̄; A *solum mensem Syromacedonum retinet, omisso* ὀκτωβρίῳ *Græco-Byzantino. Codex vero Armeniacus* Djarrentir *tam initio Actorum, ut alibi monuimus, quam altero loco, similiter solum mensem* hyperberetos *adscribit.*

e *De Timotheo patriarcha Alexandrino V. Comment. n.* 169-171.

f *Timotheus ille, anno* 522, *quando bellum contra Æthiopas instauravit Dhu Nowasus, ab annis quinque cesserat e vita.*

g *Cod.* B *qui jam legi nequit hoc loco, habebat* Ἐλεσβαάν, *teste Boissonadio; Lambecius col.* 823 Ἐλεσβαάμ; *codex noster Simeonis Metaphrastæ,* Ἐλεσβαάν *ubique.* Elesbaan *vero cognomen est significans* benedictum; *nomen enim hujus regis, quo solo appellatur in monumentis Æthiopicis, est* Caleb (2). *Istud cognomen* Elesbaas, *quod propter sanctitatem meruit Caleb, coaluit ex nomine Æthiopico* Ala-Atzbah, benedictus (3). *In vetustissimo codice Vaticano, quo continetur Topographia*

(1) Lambecius, tom VIII, col. 823, edit. Kollarii. — (2) Tellez, Historia geral de Ethiopia a alta, pag. 80. Coimbra 1660; Sapeto, Viaggio, pag. 65 etc. — (3) Sapeto, Nouv. Annales des voyages 1845, tom. II, pag. 307; Salt, Voy. tom. II, pag. 258; cfr Dillmann in Zeitschrift der morgenl. Geschichte, tom. VII, pag. 352 not. (1).

Cosmæ

A *Cosmæ Indicopleustæ, seu, ut alii voluere, Indopleustæ, qui scriptor vivente S. Elesbaa in Æthiopia versatus est, scribitur aliquo loco prima manu* ἑλλατζοῦάα, *secunda* ἑλεσθαάν (1). *In legendario Armenorum* Djarrentir *idem sanctus dicitur* Elisbahaz; *in eorum vero kalendario veteri* Elesbowan. *Colitur S. Elesbaas in ecclesia latina die* 27 *octobris; ideoque danda ejus Acta tomo sequenti.* AUCTORE E. C.

h *Auxuma, Æthiopibus Aksum, fuit sedes veterum regum Æthiopiæ superioris, seu Abyssiniæ, cujus incolæ exinde a scriptoribus Græcis Auxumitæ sunt dicti. Ejus sola supersunt rudera hodiedum, inter quæ repertæ sunt inscriptiones aliquot Græcæ et Æthiopicæ* (2).

i *Homeritæ dicebantur a Græcis, a ceteris vero Hamyaritæ, seu gens Hamyar, ab antiquissimo quodam rege Hamyar, vel Himyar, e progenie Sabæ et Jectan. Comment. n.* 19, 21.

k *Dunaan manifeste idem est qui a scriptoribus Syris dicitur Dimion; secus ac credidit Saint-Martin* (3), *qui sententiam suam nulla firma ratione communivit. Ab Arabibus dictus est* Dhu Nowas, *vel* Dhu Nawas; *ex quo processit appellatio usurpata a Græcis,* Dunaan, *seu* Du Naan. *Vide Comment. n.* 118. *Pars nominis* Dhu *multorum regum et principum Homeritarum nominibus præponi consuevit, et* Dhu, *vel* Cayl, *dicebantur frequenter præfecti provinciarum.* Dhu *forte idem est ac Æthiopicum* Ela, *quod obvium est in nomine Æthiopico regis Elesbaæ,* Ela-Atzbeha, *et aliorum multorum; nisi, inquit Dillmannus* (4), *ex articulo Arabico* el *istud processerit: cfr Comment. n.* 107. *Notabile vero est istud nomen, Dhu Nowas, vel Dunaan, omitti in libro Armenorum* Djarrentir, *qui Acta nostra ceteroqui fideliter refert; quod qua ratione factum sit haud scio; nisi dicatur defuisse in primis editionibus Syriacis, e qua lingua Acta Armeniaca excepta fuisse veri simile esse diximus. Res gestas Dhu Nowasi vide Comment. n.* 106 *sqq. et passim.*

l *Saba, filius Jectan, habitavit in Arabia felice, simul cum fratribus, ut, inter alia plurima, ostendunt nomina urbium illius regionis* (5). *In Yemana regnasse diximus reginam Saba, vel* Sjaba, (*Com-*
B *ment. n.* 13) *sive* Sjeba *ut Massorethæ legunt. Scripsit Josephus eam reginam fuisse Meroës, Æthiopum* E
metropolis, quæ olim Saba dicta fuerit (6); *et eum plures secuti sunt. Verum unius Josephi testimonio hæc sententia nititur, ut notat Polus in Synopsi criticorum (ad I Reg.* x, *nobis III Reg.* x) *addit-que:* Non temere illi scriptori (*Josepho*) fides est adhibenda, quum versatur in exoticis; et multa sunt ipsius in paucis verbis de hac regina σφαλματα. *Concinit Ludolfus, qui diligentissime Æthiopiæ vetera monumenta versavit* (7). *Scilicet Abyssini, Sabææ Arabicæ coloni* (8), *hanc traditionem secum tulerunt; vigetque illa etiamnum in ora Africana, non solum maris Arabici, sed et oceani Indici seu orientalis: ubicumque aurum effoditur vel colligitur* (9). *Ex quo vero melius nosci cœpit Sabæa, seu Homeritis, pauciores in sententiam Flavii Josephi abierunt. Vide Comment. præv. n.* 19, 33, 46; *Gothofred. in lib.* XII *tit.* XII *Cod. Theodos. p.* 618 *edit.* 1740.

m Barbarorum *nomine intelligit et judæos, in Homeritide habitantes, ut ex sequentibus patet.*

n *De idololatria Homeritarum dictum in Comment. n.* 22 *sq; vide Osiandrum* (10): *de adventu judæorum in Arabiam cfr Comment. n.* 24 *sqq.* (11).

o *Quando cœperint Homeritæ Æthiopum esse tributarii, non liquet, sed quin fuerit pars Homeritidis, labente quinto, immo et quarto sæculo, identidem regi Æthiopiæ subdita, vix dubitandum est. Suadetur id ex sequentibus:* 1° *Aeizanas, rex Æthiopiæ, in inscriptione Auxumitica Græca, quæ medio sæculo* IV *exarata est, sese regem Homeritarum dicit; Comment. n.* 54. 2° *Joannes, Asiæ episcopus, regem Æthiopiæ, qui cum Dhu Nowaso bellum gessit, appellat* Aidog, *omnia ei adscribens, quæ ceteri Elesbææ; et ideo diximus, maxime ex Procopii narratione, regem Aidog eumdem esse ac Elesbaan. Sed nonnulla habet Joannes quæ Elesbææ non congruunt; et quem Aidog vocat ipse, Malala in Chronico suo Andan, vel Andas vocavit, Theophanes vero Adad. Quapropter in eo*
C *recte sentit forte Henricus Salt, quod nomen* Andas, *vel* Aidog, *idem esse arbitratur ac* Amda; F
alias Ala-Ameda, Ela-Ameda; quo nomine dictus est rex, qui paulo ante Elesbaan, extremo sæculo V *Axumi regnavit: quo tempore scilicet novem sancti, inter Æthiopas celebratissimi, illuc devenerunt. Verum errare ostendimus viatorem Salt, dum ipsa Elesbææ gesta ejus decessori Amdæ adscribere vult. Ex his tamen verisimile fit, ipsum regem Amda extremo sæculo* V *jam bella gessisse cum Homeritis; cfr Comment. pr. n.* 116. 3° *Rex Æthiopum Tazena, pater Elesbææ, qui regnavit circa annum* 500, *in inscriptione Æthiopica, quam Auxumi detexit R. P. Sapeto, sese iterum dicit regem* Hamer *i. e. Homeritidis.* 4° *Scribit Dhu Nowasus ad Almundarum, Æthiopas* pro more *in Homeritide constituisse regem christianum. Attamen ex scriptoribus Arabibus, licet pluribus sæculis posteriores sint, constare videtur Æthiopas ante Dhu Nowasi tempora numquam tenuisse Homeritidem universam.*

p *Dictum est in Commentario n.* 110 *sqq. S. Elesbaan expeditiones minimum duas instruxisse contra Dhu Nowasum.*

q *Negran ab Arabibus dicitur Nedjran, a Syris Nagran. Civitas est Yemanæ, sed in extremo regno sita, ut recte scribitur in Senkessar Habassinorum* (12), *nimirum septemtrionem versus; ac provinciæ Asyr, cujus notitiam debemus cl. viro Jomard, est contermina. In tabulis geographicis Arabiæ quas ad geographiam Ritterianam illustrandam vulgavit H. Kiepert, jacet Negrana ad latitudinem* 17° 30′ *et ad longitudinem Anglicanam* 43° 40′. *Nunc videntur sola rudera superesse Negranæ; sed viatores Europæi illuc in hanc usque diem pervenire non potuerunt, eaque adscri-*

(1) Cosmas Indicopl. edit. Montfaucon, pag. 41. — (2) Cfr Ritter, Erdkunde, tom. I, pag. 192. Berlin 1822; Valentia, Travels, tom. III; Salt, Voyage en Abyssinie, tom. II, pag. 174 et seqq. Paris 1816. — (3) Hist. du bas-empire, tom. VIII, pag. 53. — (4) Zeitschrift der Deutsch. morgenländischen Ges. loc. cit. — (5) Caussin, tom. I, pag. 40; Bochart, geogr. lib. II, cap. 15 et seqq. — (6) Joseph. Antiq. lib. VIII, cap. 2. — (7) Commentar. pag. 231 et 279. — (8) Ibid. pag. 231. — (9) Ritter, Erdk. tom. I, pag. 142. — (10) Zeitschrift 10 u. s. w. loc. cit. pag. 463 et seqq. — (11) Cfr Michaëlis, Oriental.u. exeg. Biblioth.tom.VII,pag.154 et seqq.—(12) Ap. Sapeto, Viaggio, pag. 459, et Comment. n. 191.

bunt

AUCTORE E. C.

bunt tantum quæ didicere ex Arabibus. Floret tamen provincia Negranensis sub regulo e gente D
Makkrani, ad quem et vicinæ quædam provinciæ spectant. Tractus Negranensis (Nedjeran) *incolis gaudet* 80,000 (*sed docent quæ sequuntur numerum istum justo minorem esse*), *ex quibus dum bella geruntur,* 20,000 *arma ferant; perquam fertilis est, leucis patet a septemtrione ad meridiem* 30, *ab oriente ad occidentem* 50. *Urbs provinciæ primaria* Beddr *muris circumdatur* (*uti et oppida pleraque*), *et milites instruit* 5,000. *Oppida multa et vici conspiciuntur, quæ adjacent pleraque fluento sive torrenti Nedjran* (wadi Nedjran), *prope quem passum esse S.* Aretham *et socios a Simeone Beth-Arsamensi perhibetur, Comment. n.* 157 *et* 163. *Quæ de tractu Negranensi memoravimus, didicit anno* 1842 *ex quodam Arabe indigena navis præfectus Passama, Gallus* (1). *Ipsa vero civitas Negran, ut discimus ex celebri viatore Burckardt* (2), *etiamnum venerationi est inter Drusos, eos ipsos qui nuper horrendas strages christianorum ediderunt in monte Libano.*

r *V. Comment. n.* 197 *et seq.*

s *Confirmat hic locus quæ de conversione civium Negranensium ad fidem christianam dicta sunt Comment. n.* 100 *et seqq. Metaphrastes hoc loco interserit legationem Theophili Indi quam mutuavit e Philostorgio, ac ita narrationem componit ut Negranam a Theophilo ad fidem perductam esse scribat. Vide Surium num.* 2, *ubi tamen Theophili nomen, secus ac est in Græco, prætermissum est.*

t *De hoc duce, seu prorege, cujus nomen nos latet, et Æthiopum proregibus reliquis, vide Comment. n.* 124 *sqq.*

u *Vide Comment. n.* 111, 115 *et* 117.

w *De his cædibus quas edidit Dhu Nowasus in Yemana interiori, antequam Negranam perveniret, vide Comment. n.* 137.

x *De Phœnicone v. Comment. n.* 70 *et* 199.

B y *Iter diei unius olim inter Arabas* (*nec multo minor fuit inter Græcos; vide infra*) *erat parasangarum octo, et parasangæ singulæ metrorum* 5,760 ; *ita ut essent parasangæ in gradu* 19, 29. *Iter igitur dierum* 30, *leucas complectitur* 311 *ex iis quarum sunt* 25 *in gradu geographico. Apparebit autem cuivis, tabulas geographicas inspicienti, mensuram hic in Actis indicatam, excogitatam non esse pro libitu, sed vero proximam esse. Secus est de itinere dierum* 25, *ad quod paulo inferius regnum Homeriticum sese protendere dicitur. Sed advertendum Arabiam australem sæculo sexto nondum bene notam fuisse ; et addo hanc latitudinem dierum* 25 *itineris adscribi potuisse veteri regno Sabæorum, quod latissimum fuit et pertigit aliquando usque ad sinum Persicum* (3). E

z *In Græco:* πεπληρωμένη ὡς ἐπὶ Ῥωσαφᾶ ; *sed codex* A : κατοικουμένη δίκην ῥόας *i. e.* sicut pomum Punicum. *Ad quæ adnotat Boissonadius:* Posset Ῥόας capi de urbe Roa ; *et recitato loco e codice nostro,* Videtur, *inquit,* posse ἐπὶ de tempore sumi, ut sit sensus « ut sub Rosapha, ut tempore Rosaphæ. » Sed princeps Rosapha tam illustris ignoratur. Poterit, mutato ἐπὶ in ἐστὶ, intelligi de Rosapha urbe Syriæ, de qua vide Notit. Mss. tom. II pag. 439; S. Sacyum Chrest. Arab. tom. III p. 57, 74; et de qua legitur fuisse populosam, adeo ut ex incolarum multitudine comparatio proverbialis exstare potuerit. Poterit etiam cogitari de Rosapha, quæ est aut fuit urbis Bagdadi regio; Bagdadum autem, Makrisio teste, maximas urbes civium immenso numero superat: vide S. Sacyum ibid. tom. I p. 54, 250. *Verum serius Bagdadum florere cœpit, quam ut ad illud hic locus Actorum referri queat.* Ῥόα *forte Edessam designat* (*Comm. n.* 204); *sed malim intelligere de pomo Punico. At in codice nostro mihi vix dubium quin significetur urbs Rosapha, vel Risapha, non procul a Callinico, sive Rakka, in desertis Syriæ, ad latitudinem* 35° 40′. *Rosapha a Græcis Sergiopolis est dicta, ut ostendit Byeus* (4), *ac celebre habuit monasterium, a Sergio martyre nuncupatum. Quamquam vero locis aliis Rosaphæ nomen, quod*
C viam stratam *designat, inditum est* (5), *hæc tamen minora sunt, vel recentiora, ut nudo nomine* F
Rosaphæ in Actis significari potuerint. Et quoniam Syriace, aut in Syria, primum scripta esse Acta haud est dubium, forte addere licebit scriptorem prope Rosafam, seu Sergiopolim vixisse.

aa *Ipsa Arabia felix aromatum ferax est, ut ostensum Comment. n.* 8, *ac ex maribus circumjacentibus, maxime ex sinu Persico , margaritæ educuntur locis permultis* (6). *His igitur, uti et mansionibus* 30, *quibus distare dicitur Indica regio, significari videtur Arabiæ pars orientalis quæ mari Indico et sinui Persico adjacet. Indiæ nomine olim dictam esse Arabiam australem monuimus Comment. n.* 34, 38 *sqq. Ceterum potuit et regio Somaulium in Africa designari.*

bb *Ignorantiam hic prodit scriptor, quum non distet Homeritis a portu antiquo Adules plus leucas horarias sexaginta, itinere maritimo. Ceterum quis miretur eum latitudinem maris rubri nescivisse?* A *omittit* ἡ δὲ αἰθιοπία... τριάκοντα, *quæ forte a sciolo addita fuere.*

cc *Ex his conficitur scriptorem ab Abyssinia ad Ægyptum numerasse mansiones triginta. Ita et Cosmas Indicopleustes pag.* 138 : A Cataractis ad Axumin, mansiones triginta.

dd *Hæc fuit hiems extremi anni* 522 *et ineuntis* 523. *Comment. n.* 145. *Deinceps juverit conferre epistolam Simeonis Beth-Arsamensis, quam recitavimus in Commentario; ex quo Acta nostra mirum in modum confirmantur.*

ee *Cogitasse videtur scriptor de Hebraïco* nahar, *vel* naar, (rudivit), *Syriace* near, *vel forte de* nachar, *cum* cheth, ronchus *qui per nares editur.*

ff *Ex Hebraïco* narar, concidit, secuit, *Chaldæis etiam* traxit, attraxit. *Chaldæi malunt for-*

(1) Passama, Bulletin de la société de géographie, tom. XIX, Paris 1843, ap. Ritter, tom. XII, pag. 1008 et seqq. — (2) Burckhardt, Travels in Arabia, tom. II, pag. 387. Ap. Wright, Early Christianity, pag. 53. — (3) Ritter, tom. XII, pag. 65; Caussin, tom. I, pag. 110 et seq., tom. II, pag. 13; Procop. De bello Pers. lib. I, cap. 19, pag. 100, edit. Bonn. — (4) Acta SS. tom. III Oct. pag. 849, n. 61; cfr Assem. Bib. or. tom. I, pag. 117. — (5) Rosenmüller, ap. Ritter ibid. pag. 1113; et tom. XVII, pag. 941; cfr Caussin, tom. II, pag. 224, tom. III, pag. 417, coll. Ritter, tom. XII, pag. 110. — (6) Ritter, tom. XII, pag. 597 et passim.

mam

A *mam* ngar. *Ex his Hebraïcum* garah, rumen, *sive cibus quem ruminant* (secant) *animalia, et* segmentum; *deinde Chaldaïcum* nagra, vectis pessulus, *et* nagar, *quod idem significat. Arabibus* nadjrânon *est* lignum in quo cardo vertitur; nadjdjrânon, faber lignarius; nidjraton, ars fabri; nodjaraton, assula; *quæ omnia ex radice* nadjara, asciavit, *deducta sunt. Ex his duo pronum est concludere: primum, Actorum scriptorem non minus calluisse Chaldaïce quam Hebraïce; alterum, eum neglexisse linguam Arabicam, vel quod eam ignoraret, vel quod passim ignoraretur ab iis in quorum gratiam scribebat. V. Comment. n.* 203 *sqq.* AUCTORE E. C.

gg *His verbis significatur forte duplex genus supplicii quo martyres interempti sunt; alii enim igne, alii gladio occiderunt. Comment. n.* 162 *sq.*

hh *Taberita occisos dicit a Dhu Nowaso in universa Homeritide ad* 20,000; *Comment. n.* 167.

ii *De his ecclesiis vide Comment. n.* 138.

kk *Eumdem numerum militum refert epistola Dhu Nowasi ad Almundarum. Vide annot.* mm.

ll *Quin in universo tractu Negranensi christiani multi fuerint non est dubitandum.*

mm *De his scribit Dhu Nowasus in dicta epistola, Comment. n.* 139: Cum centum et viginti millibus hominum ad Nagran, regiam eorum (*Æthiopum*) urbem, castra movi: quam quum diebus aliquot frustra oppugnassem *etc. Quæ sequuntur juramento pollicitum se esse scribit ipse Dhu Nowasus in eadem epistola, Comment. l. c.*

nn *Paulo plura habet codex* A : ἑκ. ψυχ. ἀνδρόστε καὶ γυναικὸς, δούλου καὶ ἐλευθέρου, νηπίου καὶ πρεσβύτου, γεωργοῦ καὶ χειροτέχνου, ἀπὸ ἑλκάδος μιᾶς. *Boissonadius scribit de præcedentibus, propter infinitivum modum absque subjecto:* Locus impeditus et cui librarii nocuerunt. *Verum supplendo vocem unam,* θέλω, *facile intelligitur. Pro* ἱστορίας χάριν *Metaphrastes habet,* θέας χάριν.

oo *Vocabulum* ἑλκὰς *desideratur in Glossario Cangii, nec aliis in libris obvium videtur. Conflatum est forte ex articulo* el, *et ex voce aliqua Arabica. Codex* A *ubique* ὁλκάδος, *quod a Boissonadio negligitur.*

B pp *Ex voce Græca* κεράτιον *deducta est Gallica* carat, *Arabica* kirat. *Ceratium pondus erat Græcorum et pars duodecima drachmæ Euboicæ. Drachma autem Arabica* (dirham) *eadem fuit ac Euboica; et quum hic dicatur Helcas Homeritica valuisse ceratiis duodecim, patet eam a drachma Euboica non differre, et hanc, si genuinus sit codex hoc loco, ab Homeritis dictam fuisse* Helcadem. *Pondus vero Helcadis, seu ceratiorum* 12 *Græcorum, fuit grammatum trium; et quum chiliogramma auri nunc veneat francis* 3,437, *valeret helcas hodiedum fr.* 10,29. *Sed admittunt numismatographi communiter in moneta veteri aurea et argentea partem vicesimam quartam ex metallo vili assumptam esse, uti nunc in regnis multis pars circiter decima assumitur. Unde valeret helcas demum fr.* 9,86. *Addit auctor noster (siquidem viritim helcadem solvebant Negranenses, et ut discimus ex codice* A, *omissis nullis, nec mulieribus, nec pueris) sic confici auri talenta* 130; *talenta autem Homeritarum et Æthiopum esse librarum* 13. *Libra Arabum eadem fuit ac Alexandrinorum (quorum systema ponderum et mensurarum in universo pœne oriente invaluerat); paulo minor tamen, eamque valuisse censent alii grammatis* 366, *alii* 362. *Unde librœ* 13, *seu talentum Homeriticum, valebit grammatis* 4,758 (13 × 362); *talenta vero* 130, *seu universum vectigal annuum civitatis Negranæ, grammatis* 618,540. *Tantum auri* puri *veniret hodiedum francis* 2,165,921. *A quibus demenda pars vicesima quarta, ex præcedentibus. Aliunde recolendum potentiam auri tum in Arabia multo majorem fuisse quam nunc et quidem minimum triplam. Ex eodem loco Actorum nullo negotio eruitur numerus incolarum Negranæ. Nam talenta auri* 130 *efficiunt libras* 1690, *seu grammata* 618,540 (1690 × 362); *et quum incolæ singuli penderint helcadem unam auream, seu auri grammata* 3, *inde sequitur eos numero fuisse* 206,180. *Civitatem tot cepisse incolas asserere non ausim; at intelligenda hæc videntur de universo tractu Negranensi, quem incolebant Benu-Caab, et in quem dominabatur horum phylarcha S.* Arethas. *V. annot.* q. *Recolendum interim Negranam aliquamdiu fuisse Æthiopum regiam et innumeros milites adduxisse Dhu Nowasum ad eam expugnandam.* E

C qq *Recole quæ dicta sunt in Comment. de communi origine utriusque gentis.* F

rr *Hæc accuratissima sunt, sed nomen* τάλαντον *assumptum est ex moneta Græcorum et Romanorum, eoque* qintar *sive* kintar *Arabum longe minus est. Hujus meminit Mahumetes Sura* 3 *n.* 74 *ap. Marracci, valebatque denariis aureis mille. Denarius vero aureus Arabicus* (dinar), *idem ac Cpolitanus* (1), *pendebat grammatis* 4,5. *Unde sequitur* kintar *Arabicum pependisse grammatis* 4,500 : *quod a valore quem alia via consecuti sumus annot.* pp, *aliquantum abest. Ex quo sequi videtur vel* kintar *paulo minus fuisse libris* 13; *vel ipsam libram non fuisse nisi grammatum* 350, *ut libra regni Aragoniæ in Hispania. Locum istum de tributo talentorum* 130 *fideliter referunt libri Armenorum* (2). *Notum est porro Arabibus fuisse et talentum majus dictum* kantar, *quod idem erat ac talentum Alexandrinum majus, et valebat chiliogrammatis* 46 1/2; *seu decuplum erat talenti* kintar.

ss Τὸ ἀποθανεῖν κέρδος. *Loca e codice sacro accepta passim notat Boissonadius; quem secuti sumus.*

tt *Juramenta aut promissiones sæpe non servabant judæi cum christianis, sed neque cum idololatris; quod eis Mahumetes exprobrat dicta Sura III n.* 74, 75, 76.

uu *De Paulo, Negranæ episcopo, vide Comment. a num.* 112.

(1) D'Herbelot v°. *Dinar.* — (2) Aucher, Vitæ SS. etc. tom. VII, pag. 483 et 507 not. 5.

CAPUT II.

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

D

CAPUT II.

Martyrium clericorum, monachorum et virginum, qui in ignem projiciuntur, numero 427; uxoribus procerum caput abscinditur; numerus martyrum.

Christianos multos combusit, alios ad apostasiam provocat;

Sequenti die jussit omnem exercitum magnam copiam ligni congregare, et vastissimum rogum accendere, ita ut stadii unius spatium *a* occuparet, ac injicere omnes sacerdotes civitatis *b* et diaconos *c* et reliquos ecclesiæ ministros *d*, et qui solitariam vitam in vicinia agebant, et quæ dicuntur canonicæ *e* et virgines *f*; cantatrices *g* etiam quæ nocte et die cantant in domibus Dei *h*: hos omnes, sive in civitate essent, sive in vicinia, sine examine combussit, terrere volens reliquos christianos. Erant autem, qui combusti sunt, numero quadringenti viginti septem *i*. Posthæc ligari jubet ferrea catena Aretham *k*, virum clarissimum, et reliquos primores civitatis; clamavitque præco dialecto Homeritica *l*: « Negate quem dicitis Christum, et judaizate, et sentite mecum, et vivetis. » Responderunt sancti martyres: « Absit ut negemus fidem in qua baptizati sumus. » Dixitque rex: « Ecce Romani noverunt hominem crucifixisse patres nostros in Jerusalem sacerdotes et legis doctores cum essent, eumque, blasphemantem Deum, flagellarunt, et contumeliis affecerunt, ac turpi morte interemerunt, hominem scilicet et non Deum. Quare igitur erratis vos, sequentes hominem istum? Non estis meliores quam Nestoriani *m* qui sunt inter vos usque in hunc diem, et dicunt Deum ipsum nos non habere sed prophetam Dei. Non rogo vos, o Negranitæ, ut abnegetis Deum cæli et terræ, aut adoretis solem, lunam et astra in cælo, vel creaturam terræ, maris aut fluminum; sed volo ut hunc solum negetis qui dicitur Jesus, qui talia blasphemavit, et fecit seipsum Deum, et ut hoc solum dicatis, hominem esse qui cruci fuit affixus et non Deum. »

a occuparet — *b* et diaconos — *c* — *d* — *e* — *f* — *g* — *h* — *i* — *k* — *l* — *m*

C

resistunt hi, præeunte S. Aretha.

7 Sancti vero Christi martyres responderunt: « Pro nobis ipsis et omni gente nostra et omni nostra civitate, et omnibus erga quos afficimur, defendimus nos et attestamur et confitemur bonam confessionem, in quam credentes baptizati sumus, in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, et Incarnationem non negamus: sed Jesus, quem blasphemasti, unus de Trinitate, Deus Verbum, incarnatus ultimis temporibus pro nostra salute ex Spiritu Sancto et Maria Virgine, docuit nos: « Ad reges « et præsides ducemini propter me, in testi- « monium illis et gentibus *. » Te autem negamus et tuam administrationem, qui offendis Deum legis et mentiris veritati. » Tunc jussit multas blanditias et verba officiosa adhibere, ut Christum negarent. Sed his capti non sunt, dixeruntque: « Etiamsi igne et tormentis nos interimeres, non tamen negabimus fidem in Trinitatem; nobis enim vivere Christus est et mori lucrum. » Princeps erat eorum et dux et hortator confessionis sanctus Arethas, filius Chaneph *n*, qui in vita sua temporali factus

* MATTH. X, 18

n

Τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ ἐκέλευσε παντὶ τῷ πλήθει τοῦ ἐξερκέτου ξύλα συνάξαι εἰς πλῆθος, καὶ πυρκαϊὰν παμμεγέθη γενέσθαι, ὡς κρατεῖν τὸν τόπον σταδίου ἑνὸς, καὶ οὕτως ἐμβαλεῖν πάντας τοὺς ἱερεῖς τοὺς ἐν τῇ πόλει, καὶ διακόνους καὶ λοιποὺς λειτουργοὺς τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς περιβεβλημένους τὸν μονήρη βίον, καὶ τὰς λεγομένας κανονικὰς καὶ ἀειπαρθένους· ἔτι δὲ καὶ τὰς ψάλτριας τὰς ἀδούσας νύκτωρ * καὶ μεθ' ἡμέραν ἐν τοῖς οἴκοις τοῦ Θεοῦ· καὶ τοὺς ἐν τῇ πόλει καὶ περιοικίδι, πάντας ἀνεξετάστως κατέκαυσεν, ἐκφοβῆσαι θέλων καὶ δειλανδρῆσαι τοὺς λοιποὺς χριστιανούς. Ἦσαν δὲ τὸν ἀριθμὸν οἱ καυθέντες, ψυχαὶ τετρακόσιαι εἴκοσιεπτά. Καὶ μετὰ ταῦτα κελεύει δεθῆναι ἐν δεσμῷ σιδηρῷ Ἀρέθαν, τὸν ἐνδοξώτατον, καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ ἀρχηγοὺς τῆς πόλεως· καὶ ὁ κήρυξ ἐβόα τῇ τῶν Ὁμηριτῶν διαλέκτῳ· Ἀρνήσασθε τὸν λεγόμενον Χριστὸν, καὶ ἰουδαΐσατε, καὶ γίνεσθε ὁμόφρονές μου, καὶ ζήσεσθε. Οἱ δὲ ἅγιοι μάρτυρες ἔλεγον· Μὴ γένοιτο ἡμᾶς ἀρνήσασθαι τὴν πίστιν, εἰς ἣν βεβαπτίσμεθα. Ὁ δὲ βασιλεὺς εἶπεν· Ἰδοὺ οἱ Ῥωμαῖοι ἔγνωσαν, ὅτι ἄνθρωπον ἐσταύρωσαν οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ * οἱ ἱερεῖς καὶ νομοδιδάσμαλοι· ὃν βλασφημήσαντα τὸν Θεὸν ἐμαστίγωσαν καὶ ἐνύβρισαν, καὶ ἀσχήμονι θανάτῳ ἀνεῖλον, ἄνθρωπον καὶ οὐχὶ Θεὸν. Διατί οὖν ὑμεῖς πλανᾶσθε ὀπίσω τοῦ ἀνθρώπου τούτου; μὴ βελτίονες ἐστὲ τῶν * λεγομένων Νεστοριανῶν, οἵτινες εἰσὶ παρ' ἡμῖν, μέχρι τοῦ παρόντος, καὶ δὴ λέγουσιν ὅτι Θεὸν αὐτὸν οὐκ ἔχομεν, ἀλλὰ προφήτην Θεοῦ. Οὐκ ἀπαιτῶ ὑμᾶς, ὦ Νεγρανῖται, ἀρνήσασθαι τὸν Θεὸν τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, οὐδὲ προσκυνῆσαι τῷ ἡλίῳ ἢ τῇ σελήνῃ, καὶ τοῖς ἐν τῷ οὐρανῷ φέγγουσιν ἄστροις, ἢ τῶν * ἐν τῇ γῇ κτιστῶν, ἢ ἐν τῇ θαλάσσῃ, ἢ ἐν ποταμοῖς· ἀλλὰ τοῦτον μόνον θέλω ἀρνήσασθαι ὑμᾶς, τὸν λεγόμενον Ἰησοῦν, τὸν βλασφημήσαντα τοιαῦτα καὶ * ποιήσαντα ἑαυτὸν Θεόν· καὶ ἵνα τοῦτο μόνον εἴπητε ὅτι ἄνθρωπος ἐστίν ὁ σταυρωθεὶς καὶ οὐ Θεός.

* A νυκτὸς καὶ ἡμέρας

* A Ἱερ. ὄντες ἱερ. κ. νομ.

* τ. Ῥωμαίων τῶν λεγ.

* A ἡ κτίσματι ὄντι ἐν

* A τοι. τοῦ ποιῆσαι ἑαυτ.

E

F

7 Οἱ δὲ ἅγιοι τοῦ Χριστοῦ μάρτυρες εἶπον· ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ παντὸς τοῦ ἔθνους ἡμῶν, καὶ πάσης τῆς πόλεως ἡμῶν, καὶ πάντων τῶν διαφερόντων ἡμῖν, ἀπολογούμεθα καὶ μαρτυροῦμεν καὶ ὁμολογοῦμεν τὴν καλὴν ὁμολογίαν, εἰς ἣν πιστεύσαντες ἐβαπτίσθημεν εἰς Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ Ἅγιον Πνεῦμα, καὶ οὐκ ἀρνούμεθα τὴν οἰκονομίαν· ἀλλ' Ἰησοῦς, ὁ ὑπὸ σοῦ βλασφημούμενος, ὁ εἷς τῆς ἁγίας Τριάδος, Θεὸς Λόγος ὤν, καὶ σαρκώθεὶς ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκ Πνεύματος Ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, ἐδίδαξεν ἡμᾶς ὅτι « ἐπὶ βασιλέων καὶ ἡγεμόνων ἀχθήσεσθε ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσι. » Σὲ δὲ ἀρνούμεθα καὶ τὴν πολιτείαν σου, σὲ τὸν παραβάντα τὸν Θεὸν τοῦ νόμου καὶ ψευσάμενον τὴν ἀλήθειαν. Τότε ἔδοξεν πολλὰς κολακείας καὶ θεραπείας ῥημάτων προσάγειν αὐτοῖς, ἐφ' ᾧ ἀρνησασθαι τὸν Χριστὸν. Οἱ δὲ οὐκ εἴλαντο εἰπόντες ὅτι ἐὰν πυρὶ καὶ βασάνοις ἀναλώσῃς ἡμᾶς οὐκ ἀρνούμεθα τῆς Τριάδος τὴν πίστιν· ἡμῖν γὰρ καὶ τὸ ζῆν Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος. Ὑπῆρχε δὲ τούτων ἔξαρχος * καὶ καθηγητὴς καὶ προτρεπτικὸς τῆς ὁμολογίας, ὁ ἅγιος Ἀρέθας *, υἱὸς Χανὲφ, ὃς καὶ ἐν τῇ προσκαίρῳ ζωῇ ἐγεγόνει τῆς πόλεως καὶ τῆς περιχώρου πάσης ἐθνάρχης.

* A ἀρχηγὸς

* A ὁ μνημονευθεὶς

A χης. Πολλοὶ δὲ γνῶντες τὴν παράβασιν τοῦ παρανόμου καὶ παραβάτου βασιλέως, διέφυγον, ἀποκρυβέντες * ἐν ὄρεσι καὶ σπηλαίοις καὶ ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς, οὐχὶ τὸ μαρτύριον δειλιάσαντες, ἀλλ' ἐλπίζοντες ὅτι κακουχούμενοι καὶ θλιβόμενοι, καὶ γυμνοὶ ἐν ἐρημίαις πλανώμενοι [κεκράξονται πρὸς τὸν εἰσακούοντα τῆς φωνῆς τῶν νεοσσῶν τῶν κοράκων καὶ χορηγοῦντα αὐτοῖς τροφὴν, ὅτι καὶ αὐτοὶ διασωθέντες ἐγκατάλειμμα καὶ σπέρμα τοῦ Κυρίου Σαβαὼθ ἔσονται, καὶ οὐκ] ἀπολοῦνται ὑπὸ τοῦ παρανόμου ὡς Σόδομα καὶ Γόμορρα *.

* A κρυβέντες.

* A addit: οὐδὲ ὁμοιωθήσονται αὐτοῖς.

erat civitatis et totius viciniæ *o* dominus. Multi autem, quum nossent prævaricationem improbi regis, aufugerunt *p* abscondentes se in montibus et speluncis et in cavernis terræ, non quod martyrium extimescerent, sed sperantes se, quando afflicti essent et angustiati et nudi, in solitudinibus errantes*, clamaturos ad eum qui exaudit vocem pullorum corvi iisque tribuit alimenta *, et sic salvatos, monumentum et semen futuros Domini Sabaoth, nec perituros sævitia improbi regis, ut Sodoma et Gomorrha.

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

o

p

* Hebr. XI, 37, 38.

* Ps. CXLVI, 9.

8 Συνεσχέθησαν δὲ ἔκ τε τῆς πόλεως καὶ τῆς περιοικίδος, ἄνδρες καὶ γυναῖκες, παῖδες καὶ παιδίσκαι, νέοι καὶ πρεσβῦται, τὸν ἀριθμὸν τετρακισχίλιοι διακόσιοι πεντήκοντα δύο, οἵτινες καταλλήλῳ θανάτῳ ἀπέλιπον τὸν πρόσκαιρον βίον τοῦτον, μὴ ἀρνησάμενοι τὴν καλὴν ὁμολογίαν. Ἐκ τούτων τυγχάνουσι καὶ οἱ σφαγέντες ἱερεῖς τε καὶ οἱ λοιποὶ μάρτυρες, καὶ Ἀρέθας ὁ δικαιότατος. Φέρε δὴ εἴπωμεν * τὴν μιαρότητα τοῦ πανολεθρίου θηρός· τὰς γὰρ γυναῖκας καὶ τὰ τέκνα τῶν πρωτάρχων τῆς πόλεως, τῶν ὄντων εἰς τὰ δεσμὰ, τῶν ἀρξαμένων τοῦ μαρτυρίου, συναγαγὼν, ἔστησεν ἐξ ἐναντίας * τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν μετὰ τῶν τέκνων· καὶ παραινέσεσι δολεραῖς συνεβούλευε πᾶσι τοῖς μάρτυσι, λέγων πεισθῆναι, καὶ βλασφημῆσαι τὸν Χριστόν. Αἱ δὲ ὁμοθυμαδὸν μετὰ τῶν τέκνων ἔκραξαν· « ἵλεως ἡμῖν ἀπὸ Θεοῦ τοῦτο· ἀλλὰ καὶ τέκνα καὶ γονεῖς καὶ πατρίδα καὶ ὕπαρξιν ἀπαρνούμεθα, καὶ οὕτως τὸν σταυρὸν τοῦ Χριστοῦ βαστάζομεν καὶ ἀκολουθοῦμεν τῷ μαρτυρήσαντι ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τὴν καλὴν ὁμολογίαν *. Τότε κολακευτικοῖς πάλιν ῥήμασι κέχρηται πρὸς τοὺς μάρτυρας, ὅτι μὴ πλανᾶσθε ὀπίσω τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, ὃν οἱ πατέρες ἡμῶν ἀνεῖλον ῥαβδούχοις, ἀλλὰ πείσθητέ μοι καὶ ἰουδαΐσατε, καὶ ζήσεσθε μετὰ τῶν τέκνων ὑμῶν. Εἰ δὲ μὴ τοῦτο ποιήσητε, χαλεπῷ θανάτῳ ἀποθανεῖσθε. » Πᾶσαι δὲ αἱ ἅγιαι * μετὰ τῶν τέκνων αὐτῶν ἔκραζον ὀλολύζουσαι μετὰ κλαυθμοῦ· Ἡμεῖς ὑπὲρ Χριστοῦ ἑτοίμως ἔχομεν ἀποθανεῖν. Χριστὸς, ὁ Θεὸς ἡμῶν, υἱός ἐστι τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ αὐτοῦ ἐσμεν, καὶ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ προσκυνοῦμεν *. Μὴ γένοιτο οὖν ἡμῖν, βασιλεῦ, ἀρνήσασθαι τὸν Χριστὸν, αὐτὸν τὸν βασιλεύοντα πάντων τῶν αἰώνων, καὶ ἔτι ζῆν ἡμᾶς μετὰ τὴν ἀναίρεσιν τῶν συζύγων ἡμῶν. Λέγει ὁ βασιλεύς· Καὶ αἱρεῖσθε, μωραὶ γυναῖκες, ἀποθανεῖν ὑπὲρ ἀνθρώπου γόητος καὶ πλάνου; »

* A ἐκ... δικαιότατος. omittit.

* A φ. δὲ εἰπεῖν.

* A ἔστ. ἄντικρυς τῶν

* A τ. κ. ὁμ. omittit.

* A omittit.

* A καὶ ὑπὲρ αὐτοῦ ἀποθνήσκομεν.

8 Congregati sunt autem ex civitate et vicinia viri et mulieres, pueri et puellæ, juvenes et senes, numero quater mille ducenti quinquaginta duo *q* qui sibi invicem in martyrio succedentes, dereliquerunt temporalem hanc vitam, non negantes bonam confessionem *. Inter eos sunt primo loco sacerdotes et reliqui martyres, et vir justus Arethas. Sed dicamus immane scelus perniciosissimæ bestiæ. Congregatis scilicet uxoribus primorum civitatis, qui in vinculis erant *r* ac jam martyrium suum inchoaverant, eas statuit coram viris suis, simul cum liberis; et dolosis adhortationibus suadere tentavit omnibus martyribus ut sibi obedirent et Christum blasphemarent. Sed feminæ unanimes simul cum liberis clamaverunt: « Condonet hoc nobis Deus, sed liberis et parentibus, patriæ et fortunæ renunciamus, et sic crucem Christi suscipimus et eum sequimur, qui sub Pontio Pilato confessus est bonam confessionem. » Tunc verbis adulatoriis iterum martyres est allocutus: « Nolite errare sequentes eum qui dicitur Christus, quem patres nostri ministerio lictorum interfecerunt, sed obedite mihi et judaizate, sicque vivetis cum liberis vestris. Quod si non acquiescitis, acerba morte moriemini. » Tunc omnes sanctæ cum liberis suis clamaverunt ejulantes et plorantes: « Paratæ sumus mori pro Christo. Christus, Deus noster, filius est Dei viventis, et ejus sumus, ejusque crucem adoramus et morimur pro illo. Absit igitur, o rex, ut negemus Christum, ipsum regem omnium sæculorum, et vivamus adhuc post cædem virorum nostrorum *s*. » Respondit rex: « Eligitis, mulieres stultæ, mori pro homine præstigiatore et fallaci? »

Martyrio affecit tyrannus, cives 4252, omnis ætatis et sexus. Martyrium

q

* 1 Tim. VI, 12.

r

E

s

F

C

9 Δέκα δὲ γυναῖνες ἐξ αὐτῶν, οὖσαι κανονικαὶ καὶ τὸ τῆς παρθενίας ἔνδυμα περιβεβλημέναι, εἶπον πρὸς αὐτὸν. « Ἐμφραχθείη σου τὸ στόμα λαλοῦν ἄδικα κατὰ τοῦ βασιλεύοντος τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς. » Τότε κελεύει μετ' ὀργῆς μεγάλης ὁ βασιλεὺς ἀπενεχθῆναι ἐν βοθύνῳ πάσας αὐτὰς ἔν τινι τόπῳ καὶ ξίφει ἀναιρεθῆναι, ὅπου καὶ οἱ πρὸ αὐτῶν μάρτυρες ἀπετμήθησαν. Ἤγοντο οὖν συρόμεναι ἀπὸ τῶν κομῶν τῆς κεφαλῆς ὑπὸ τῶν ὑπηρετῶν τοῦ τυράννου· ἦσαν δὲ τὸν ἀριθμὸν αἱ γυναῖκες διακόσιαι εἴκοσι ἑπτὰ *. Αἱ δὲ κανονικαὶ, ὡς ἔφθασαν τὸν τόπον, ἐξήτουν τὰς μελλούσας [σὺν αὐταῖς ἀναιρεῖσθαι, λέγουσαι. « Παραχωρήσατε ἡμῖν, γυναῖκες φοβούμεναι τὸν Θεὸν, πρότερον τὸ βραβεῖον τῆς μαρτυρίας λαβεῖν, ἐπειδὴ τὸ σφράγισμα τῆς παρθενίας καὶ τὸ εὐαγὲς πρόσχημα τῶν Ἀγγέλων περιβεβλήμεθα αἱ ἀνάξιαι.] Οἴδατε * ὅτι τῷ καιρῷ τῆς μεταλήψεως τῶν ἁγίων μυστηρίων, προεκαλούμεθα εἰς τὴν μετάληψιν, κατὰ τὸ εἰθισμένον τῇ ἐκκλησιαστικῇ καταστάσει *. Πρέπον οὖν πρῶτον ἡμᾶς καὶ τὸ ποτήριον τοῦ Θανάτου λαβεῖν *. Αἱ δὲ γυναῖκες ἔλεγον βεβιασμένως· οὐχ οὕτως· ἀλλ' ἐπειδὴ γυναῖκες ἐσμὲν μαρτύρων καὶ μητέρες *, ἡμεῖς πρότερον ἀπο-

* A ἀρ. διακ. ε. ἑ. γυναῖκες

* A οἶδ. γὰρ ὅτι καὶ τῷ

* A καὶ εἶθ' οὕτως ὑμᾶς τὰς λαϊκάς.

* A γεύσασθαι

* A κ. μ. omittit.

9 Ex iis mulieres decem, quæ canonicæ *t* erant et velamen virginum induerant, ei dixerunt: « Obstruatur os tuum, improba locutum contra regnantem in cælis et in terra. » Tunc jubet rex cum ira magna auferri illas omnes ad foveam *u* quamdam, et gladio interimi, in loco eodem in quo iis qui eas martyrio præcesserant modo caput fuerat abscissum. Ducebantur itaque comis capitis tractæ a servis tyranni erantque numero feminæ ducentæ viginti septem. Canonicæ autem, ut pervenerunt ad locum, rogarunt eas quæ secum interimendæ erant, dicentes: « Concedite nobis, mulieres timentes Deum, ut primæ bravium martyrii accipiamus, siquidem sigillo virginitatis et casto decore Angelorum, licet indignæ, ornamur. Novistis enim et tempore sumptionis sanctorum mysteriorum eorum ministros nos primas *w*, utpote Christo desponsatas, vocare ad participationem, ut fieri consuevit ex institutione ecclesiastica, et dein vos, laïcas. Decet *x* itaque ut et calicem interitus primæ sumamus. »

feminarum, inter quas erant virgines canonicæ decem.

t

u

w

x

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

mus. » Reponderunt mulieres cum vehementia : « Non ita erit, sed siquidem uxores et matres sumus martyrum *y* nos moriamur prius, ut testes mortis virorum et liberorum non simus. Et ita singulæ hortabantur et impellebant eos a quibus trahebantur, ut cito mortem sibi inferrent; unde factum ut omnis gens, tribus et lingua, ex iis qui cum improbo rege erant congregati, his visis, sibi facies contunderent, et acerbum ploratum suum tandem stridore dentium absolverent. Sunt igitur omnes capite plexæ hæ sanctæ feminæ, invocantes nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti. Tunc dixit rex proceribus, subsannans: « Videte quantum errorem præstigiator iste crucifixus diffundere potuit per universum orbem. »

y

θάνωμεν, ἵνα μὴ ἴδωμεν τῶν ἡμετέρων ἀνδρῶν τὸν D
θάνατον καὶ τῶν τέκνων. Καὶ οὕτως προετρέπετο ἑκάστη
καὶ ἐδυσώπει τὸν ἕλκοντα αὐτὴν, σύντομον ἀναίρεσιν
ἐπαγαγεῖν αὐτῇ· ὡς ἐντεῦθεν ἕκαστον ἔθνος, φυλὴν καὶ
γλῶσσαν, τῶν συναθροισθέντων μετὰ τοῦ παρανόμου,
ἐπὶ τῇ θέᾳ ταύτῃ τύπτειν ἑαυτῶν τὰ πρόσωπα καὶ ἐν
βρυγμῷ * ὀδυνηρὸν κλαυθμὸν ἀποτελεῖν. Ἀπεκεφαλί- * A ἐρυγμη-
σθησαν οὖν πᾶσαι αἱ ἅγιαι γυναῖκες, ἐπικαλούμεναι δὸν
τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Ἁγίου
Πνεύματος. Τότε ὁ βασιλεὺς εἶπε τοῖς μεγιστάνοις * * A μεγι-
αὐτοῦ, ὡς ἐν μυκτηρισμῷ· βλέπετε πόσην πλάνην στᾶσιν
ὁ γόης ἐκεῖνος ὁ σταυρωθεὶς ἴσχυσε δοῦναι ἐν παντὶ
τῷ κόσμῳ.

ANNOTATA.

a *Stadio veri similiter Alexandrino utitur auctor, quod fuit metrorum* 216.

b *De martyribus incendio consumptis et loco supplicii vide Comment. n.* 162 *seq.; de ordine vero quo palmam sunt consecuti agitur ibidem a n.* 141.

c *Novimus primis ecclesiæ sæculis diaconos multos fuisse in templis christianis, iisque non*
B *pauca commissa fuisse: de quibus legendi archæologi christiani : quin plures numero erant ple-* E
rumque quam presbyteri. In templo S. Sophiæ Cpoli, imperante Justiniano, seu ipso ævo, quo passi sunt Martyres Negranenses, presbyteri erant 60, *diaconi* 100, *diaconissæ* 40.

d A, Ὑπουργοὺς τῶν ἐκκλησιῶν ἐν τῇ πόλει καὶ περιοικίδι, καὶ τοὺς περιθ. Τοῦ μονήρους βίου τὸ πρόσχημα, καὶ τὰς λεγ. *Ad monachos quod attinet, multos fuisse inter christianos Arabas, videtur posse deduci ex Corano Mahumetis, ubi eorum sacerdotes monachos vocat. Judæis enim ac christianis exprobrat :* Acceperunt (*judæi*) pontifices suos et (*christiani*) monachos suos in dominos præter Deum et Messiam filium Mariæ. *Sura* IX, *n.* 32 *ap. Marracci; cfr ibid. n.* 35 *et Sura* III *n.* 63 *cum animadversis a laudato scriptore et aliis.*

e Canonicæ *sunt virgines, quæ quum consecrationem et velum ab episcopo accepissent,* canoni, *seu matriculæ ecclesiæ adscribebantur. Locum habebant in ecclesia proprium, tabulis a ceterarum mulierum loco separatum, in capite nimirum partis sinistræ, quæ mulieribus deputari solebat. Ex iis seligebantur quandoque diaconissæ, plerumque ex viduis. De Nicarete, virgine nobili et sancta, quæ florebat Cpoli extremo sæculo quarto, scribit Sozomenus inter alia* (1) : Perpetuo latere studebat; ita ut nec honorem diaconissæ umquam ambierit, nec virginibus ecclesiasticis, *sive canonicis,* præesse, licet Joanne *Chrysostomo* sæpius eam hortante, voluerit. *Canonicarum iterum est mentio in Actis n.* 9.

f Virgines, *licet perpetuæ* (ἀειπαρθένοι), *aliquando distinguuntur a* canonicis, *seu matriculæ ecclesiæ adscriptis; non enim omnes in ecclesia velabantur* (2).

g *Hic manifeste significantur sanctimoniales, quæ in monasteriis degebant. Quæ enim domi habitabant virgines, sub custodia parentum, horis quidem canonicis psalmos recitabant, ut ex Hieronymo* (3) *et Gregorio Nysseno* (4) *discimus, sed quo pacto scribere potuerit Pellicia* (5) *eas domi psalmos modulari solitas, non capio. Aliunde habitasse hæ cantatrices dicuntur* ἐν τοῖς οἴκοις τοῦ Θεοῦ. *Porro si monachi fuerunt Negranæ et monasteria sanctimonialium, cernitur iterum, quando perse-*
C *cutionem ibi inchoavit Dhu Nowasus, a multo tempore introductam fuisse religionem christianam.* F
Sed id maxime ex tanto cœtu horum martyrum conficitur; nam fuere numero 427, *ut mox dicitur.*

h A *post* Θεοῦ : πάντας τούτους δεθέντας, ἀνεξετάστως ἐμβληθῆναι ἐν τῇ καμίνῳ ὑφὲν ἄρδην, ἐκφοβῆσαι Θέλ.

i *Numerum istum habent monumenta pleraque, ut dictum Comment. n.* 194.

k *Cfr ibid. n.* 142 *et* 144.

l *De lingua Homeritarum dictum ibid. n.* 17 *sq.*

m *Quin Nestoriani aliquot fuerint Negranæ, non est dubitandum, propter commercium cum Hirensibus et Seleuciencibus; quorum archiepiscopi jamdudum facti erant Nestoriani. Comment n.* 95 *sqq.*

n *Ostensum in Comment. n.* 153 *sq.* S. Aretham *ex Kaëb, seu Chaëph genitum esse, et Negranæ fuisse principem. Hic obiter noto* S. Aretham *in veteri passionali seu legendario Armenorum Djarrentir ubique dici* Charethas *cum litera Armeniaca* chê, *quæ effertur ut Hebraïca et Syriaca* cheth, *Hispanica* j; *et quum* S. Arethæ *nomen a Simeone Beth-Arsamensi scribatur cum eadem littera* cheth, *hinc firmatur ex Syriaco translata esse ejus Acta, qualia in libro* Djarrentir *obvia sunt.*

o *Intelligendus videtur omnis tractus Negranensis, de quo vide ad cap. I. annot.* q.

p *V. Comment. n.* 180.

q *Hi martyres* 4252 *erant omnes cives Negranenses præter nonnullos qui in vicinia civitatis supplicio sunt affecti : Comment. n.* 141, 2°.

r *Ex hoc aliisque locis deduximus Comment. num.* 142 *et* 144, *proceres* 340, *e quibus fuit*

(1) lib. VIII, cap. 23. — (2) Acta SS. tom. IX Octob., pag. 307 n. 6; cfr supra pag. 632, n. 12. — (3) Epist. 97 ad Demetriad. Oper. tom. IV, col. 793. Paris 1706. — (4) In Vita S. Macrinæ. — (5) De christianæ ecclesiæ politia, tom. I, pag. 133.

S. Arethas,

A S. Arethas, *non initio cædium, sed post uxores suas et reliquos plerosque martyres pœna capitali plexos esse.*

s Absit ut... vivamus adhuc post cædem virorum nostrorum. *His non significatur, maritos jam occubuisse, nam dicunt mulieres eædem inferius n.* 9 : Nos moriamur prius, ut testes non simus mortis virorum nostrorum; ἵνα μὴ ἴδωμεν τῶν ἡμετέρων ἀνδρῶν τὸν θάνατον. *Sed sensus est : Nolumus negare Christum et sic superstites esse maritorum nostrorum, qui nunc sunt in vinculis, et certo mortem mox obibunt. Confirmatur id ex verbis nobilissimæ feminæ et martyris, quam* Rumi, *sive* Rehumi *vocat Simeon in epistola : Filiæ meæ* virgines sunt, *inquit*, et non sunt interemptæ cum mulieribus quæ Christi nomen invocarunt; quum non jussisset improbus rex prehendi nos, sed solas uxores et proles martyrum, qui antea fuerant congregati, et nunc sunt in vinculis. *Act. n.* 12.

t Canonicæ. *Cfr annot.* e *hujus capitis.*

u *De fovea et loco suppliciorum modoque vide Comment. n.* 162 *sqq.*

w *Cfr annot.* e *hujus capitis.* A *hoc loco :* ... μυστηρίων, ἡμᾶς πρότερον, ὡς προμνηστευθείσας τῷ Χριστῷ, οἱ ὑπηρέται τῶν αὐτῶν θείων μυστηρίων προεκαλοῦντο εἰς μετάληψιν...

x A, Πρέπον οὖν ἐστι καὶ ὑμῶν καὶ τῶν ἀνδρῶν ὑμῶν ἡμᾶς πρότερον τὸ ποτήριον...

y *Martyres vocant maritos et filios, qui adhuc in vinculis detinebantur, suo tempore morte plectendi.*

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

CAPUT III.

B Martyrium viduæ cujusdam Negranensis, genere nobilissimæ, et duarum filiarum ejus. E

Συνεσχέθη δὲ καὶ ἡ πρωτεύουσα ἁπάσης τῆς πόλεως. Καὶ κελεύει ὁ βύθιος δράκων ταύτην μετὰ πολλῆς σεμνότητος καὶ τιμῆς ἐνεχθῆναι καὶ παραστῆναι, νομίζων διὰ πειθανολογίας πείθειν αὐτήν. Ἦν δὲ ἀμίμητος * τῷ κάλλει · καὶ κελεύει αὐτὴν φυλαχθῆναι ἅμα ταῖς δυσὶν θυγατράσιν αὐτῆς. Ταῦτα * γὰρ ἐλογίζετο ὁ δόλιος ἐν ἑαυτῷ, ὅτι πάντως φείσασθαι ἔχει ἑαυτῆς καὶ τῶν δύο θυγατέρων αὐτῆς, καὶ τῆς ὑπάρξεως, καὶ πεισθῆναι βλασφημῆσαι τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ. Αὐτὴ δὲ καὶ αἱ θυγατέρες αὐτῆς ἐπορεύοντο λυπούμεναι καὶ ἀθημονοῦσαι διὰ τὸ μὴ ἀναιρεθῆναι αὐτὰς μετὰ τῶν ἄλλων γυναικῶν. Καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ, ἐθήλωσεν αὐτῇ ὁ βασιλεὺς εἰς τὴν φυλακὴν, διά τινος τῶν ἀρχόντων · « ὅτι εἰ πεισθεῖς * μοι, ἀρνήσασθαι τὸν λεγόμενον Χριστὸν, ζήσεται ἐντίμως ἡ ψυχή σου καὶ τῶν θυγατέρων σου, καὶ εὑρήσετε χάριν παρ' ἐμοὶ · εἰ δὲ μὴ, ἔσο * εἰδυῖα ὅτι κακῷ θανάτῳ τελευτήσεις. » Ἡ δὲ ἀκούσασα ταῦτα εἶπεν · « Ἀπαγάγετέ με πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ πείθω αὐτῷ εἰς ὅ με ἐπερωτᾷ. » Οἱ δὲ ὑπηρέται τοῦ βασιλέως ἤγαγον αὐτὴν σκεπομένην ὑπὸ σκιαδίου, ἤγουν σκηνῆς βασταζομένης *. Οὐ γάρ ποτε εἶδεν αὐτὴν ἥλιος, εἰ μήπω ἀκτῖνας πέμψας διὰ θυρίδος. Καὶ ἔστη ἐνώπιον τοῦ ἀνημέρου βασιλέως μετὰ τῶν αὐτῆς θυγατέρων. Καὶ λέγει πρὸς αὐτήν · « γύναι, μή σε πλανησάτωσαν * αἱ γοητείαι τοῦ ἐσταυρωμένου, μηδὲ βουληθῇς συναπαχθῆναι τῇ μανίᾳ τῶν ἀπὸ τῆς πόλεώς σου ἀναιρεθέντων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. Σὺ γὰρ ἔντιμος εἶ καὶ συγκλητική. Διὰ γὰρ τὸ γένος σου, καὶ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν ὕπαρξιν, φείδομαί σου, καὶ μάλιστα διὰ τὸ κάλλος τὸ σὸν, καὶ τῶν θυγατέρων σου. Ἦλθεν δὲ εἰς ἡμᾶς, ὅτι οὐδέποτε ἀνδρὶ συνήφθης *, εἰ μὴ τῷ ἐκ συναφείας σου νομίμῳ, καίπερ ἔχουσα εἰς τὴν βάριν σου πλείω τριακοσίων ἀνδρῶν τῶν ὑπουργούντων ἐν τῇ δοσοληψίᾳ πάσης τῆς ὑποστάσεώς σου, μέχρι τῆς ἡμέρας ταύτης, ἧς παρέστης ἡμῖν. Ὡς οὖν εἴρηται, πείσθητί μοι, καὶ ἔσῃ τιμωμένη παρ' ἐμοῦ καὶ παρὰ τῆς βασιλίσσης ἐν τῷ παλατίῳ. » Ἡ δὲ ἁγία γυνὴ εἶπεν · « οὐ τιμῶμαι παρὰ ἀνθρώπου παραβάντος τὸν Θεὸν αὐτοῦ · οὐδὲ συνοικῶ βλασφημοῦντι καὶ ἀναγκάζοντι βλασφημεῖν πάντας, καὶ γόητα τὸν Θεὸν ἡμῶν ἀποκαλοῦντι, τὸν χαρισάμενον αὐτῷ τὴν βασιλείαν ταύτην. »

* A πιθανολογίας

* A ἀμώμητος

* A omiti. usq. θυγατέρες αὐτῆς

* A πεισθεῖσά μοι ἀρνήσαι

* A ἔσῃ

* A σκιαδίου βασταζομένης.

* A πλανήσωσιν

* A ὤφελης

Adducta est tum femina totius civitatis primaria *a;* quam infernus iste draco cum multa veneratione et honore deduci et sisti jussit, ratus verbis persuasoriis se victurum. Erat autem pulchritudinis incomparabilis. Jussitque eam custodiri simul cum duabus *b* filiabus suis; sic enim, dolo plenus quum esset, interius ratiocinabatur : « Omnino parcere sibi debet et filiabus, suisque facultatibus, ideoque persuaderi ut blasphemet Filium Dei. » Ipsa vero ejusque filiæ ibant tristes et anxiæ valde quod cum aliis mulieribus supplicium non erant subituræ. Die tertia misit rex ducem aliquem ad carcerem, qui hæc matri significaret: « Si obedis mihi, negans quem vocatis Christum, vivet cum honore anima tua et anima filiarum tuarum et invenietis gratiam apud me; sin minus, scito te mala morte perituram. » His auditis dixit illa : « Ducite me ad regem * et ei obedio in his quæ me interrogat. » Tunc servi regis duxerunt eam tectam umbella, seu gestatoria sella eam obumbrante *c.* Non enim umquam eam viderat sol *d*, nisi ubi radios mittebat per fenestram. Stetitque cum filiabus in conspectu immitis regis, qui dixit ei : « Mulier, non te decipiant præstigiæ Crucifixi, neque abduci te sinas insania concivium tuorum, virorum et mulierum, qui interfecti sunt. Tu enim mulier honorabilis es et ex proceribus; propter genus enim tuum, et dignitatem, ac facultates parco tibi, maxime vero ob pulchritudinem tuam et filiarum tuarum. Pervenit enim ad nos te numquam viro esse conjunctam, præterquam illi, qui tibi ex conjugio legitimus erat; etsi haberes in domo tua plusquam trecentes viros operantes in rationibus dati et expensi facultatum tuarum, in hanc usque diem, qua adstas nobis. Obedi igitur mihi, et ut dictum est, honoribus prævenieris in palatio meo et a me et a regina. » Sancta vero mulier respondit : « Honorari non possum ab homine qui Deum suum negavit; neque cohabito blasphemo, alios omnes blasphemare quoque cogenti et vocanti

Accedit mulier vidua, totius civitatis primaria, quæ suasionibus tyranni constanter

a

b

* Comment. n. 149.

c

d

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

vocanti præstigiatorem Deum nostrum, qui ei gratificatus est hoc regnum. »

resistit, et adstantibus feminis suum filiarumque

11 Tunc jussit rex caput ei detegi itemque filiabus, et solutis capillis eas stare coram omni exercitu. Sancta vero, quum vertisset sese et multitudinem mulierum vidisset lamentantium et plorantium sibique tundentium pectora, sic est locuta : « Illustres et liberæ feminæ, quæ mecum eadem sentitis, et quæ inter nos versamini, Judææ et Græcæ, audite quæ loquor : Novistis christianam me esse cum omni cognatione mea, et quantæ sim dignitatis, et multas mihi esse facultates in auro et argento, pueris et puellis, possessionibus et gregibus, et re nulla me destitui ; et si voluissem alii viro nubere in hac labili vita post obitum mei conjugis, nemo meam juventutem irrisisset quasi legem Dei essem transgressa ; doctrinæ enim apostolorum suadent nubere legitime potius quam uri *. Sed ecce dico vobis mihi esse hodiedum plusquam decem *e* millia nummorum signatorum auri et argenti. Novistis vero majus gaudium non esse mulieri quam die nuptiarum suarum, sed ab hac die et deinceps sequuntur tribulationes, dolores, gemitus, tristitiæ, maxime dum liberos pariunt; et tamen eos lugent dum morte auferuntur. A præsenti igitur die aliena fiam ego ab his omnibus, et lætitiam experior ut in diebus nuptiarum.

* 1 Cor. VII, 9.

e

B

exemplum proponit.

12 « Et en ipsas filias meas, quæ virgines sunt et non sunt interemptæ cum mulieribus quæ Christi nomen invocarunt, quum non jussisset improbus rex prehendi nos, sed solas uxores *f* et proles martyrum, qui antea fuerant congregati, et nunc sunt in vinculis. Et ego quidem quum vidua sim, simul cum filiabus meis ceteris non sumus adjunctæ. Conjungimur itaque per hoc martyrium vero sponso Jesu Christo, Filio Dei vivi qui paravit thalamum suum quinque virginibus prudentibus. Et novistis, sorores meæ dilectissimæ, jam secundo videtis faciem meam detectam *g*, quando scilicet nuptias celebravi perituras et temporales, et nunc quando spiritualem et sempiternum thalamum consequor; inspicite igitur me et filias meas, quoniam pulchritudine a vobis non vincimur : neque cogitetis nos propter informem vultum triumphare de vobis, liberis feminis, atque omni astante multitudine; sed propter pulchritudinem quæ ex sapientia exsurgit, protegente nimirum Domino nostro Jesu Christo, et quia incorruptam servavimus virginitatem, tum filiæ meæ, tum ego, nisi cum eo qui mihi conjux erat datus in Christo: testis mihi Deus et conscientia mea. Neque corrupti sumus apostasia ab improbo proposita, quoniam non potuit homo iste nos decipere, ut negaremus Christum ; cujus rei hodie testis estis vos. Aurum vero meum et argentum in sæculo futuro testimonium dicent, me non adamasse ea, sed dividisse singulis pro necessitate. »

f

g

C

Eam ad apostasiam adducere denuo tentat rex.

13 Rex vero, quum audisset a Judæis quibusdam, Christi osoribus, hanc mulierem cum filiabus adstare, concionem habentem *h* ad populum, et lacrimas fundere audientes, tum viros tum feminas, jubet eam adduci ad se cum filiabus suis, et in hæc verba loquitur : « Vide per quantum tempus patiens fuerim, licentiam tibi faciens dicendi populo quæ-

h

D

11 « Τότε κελεύει ὁ βασιλεὺς ἀποκαλυφθῆναι αὐτῆς τὴν κεφαλὴν καὶ τῶν θυγατέρων αὐτῆς, καὶ λυσικόμους ἐπὶ πάντων * τῶν στρατοπέδων στῆναι. Ἡ δὲ ἁγία, στραφεῖσα καὶ ἰδοῦσα πλῆθος γυναικῶν ὀλοφυρομένων καὶ [κλαιουσῶν, καὶ τυπτουσῶν τὰ στήθη αὐτῶν, εἶπεν · « γυναῖκες σεμναὶ καὶ ἐλεύθεραι, ὁμοφρονές μου, καὶ, ἐν ἡμῖν οὖσαι, ἰουδαίαι τε καὶ ἑλληνίδες, ἀκούσατέ] μου τῶν ῥημάτων *. Ὑμεῖς ἐπίστασθε ὅτι χριστιανή εἰμι, καὶ πᾶσα συγγένειά μου, καὶ ὁποίων ἀξιωμάτων, καὶ ὅτι πολλὴ ὑπάρχει ἡ ὑπόστασίς μου ἐν χρυσίῳ καὶ ἀργυρίῳ, καὶ παισὶ καὶ παιδίσκαις, κτήμασι καὶ ἀγέλαις, καὶ τινὸς οὐχ ὑστεροῦμαι · καὶ εἰ ἐβουλήθην συνεῖναι * ἀνδρὶ μετὰ θάνατον τοῦ ἐμοῦ συμβίου ἐν τῷ προσκαίρῳ βίῳ τούτῳ, οὐδείς μου τῆς νεότητος κατεγέλα ὡς παρανομούσης · αἱ γὰρ διδασκαλίαι τῶν ἁγίων ἀποστόλων παρακελεύονται γαμεῖν νομίμως καὶ μὴ * πυροῦσθαι · Καὶ ἰδοὺ λέγω ὑμῖν ὅτι σήμερον * [πλείω δέκα χιλιάδες χρυσίου καὶ ἀργυρίου ὑπάρχουσί μοι ἐσφραγισμέναι. Καὶ οἴδατε ὅτι πλεῖον τούτων οὐχ ὑπάρχει γυναικὶ χαρὰ, ἀλλ' ἡ ἡμέρα τῶν γάμων αὐτῆς · καὶ ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας καὶ ἐπέκεινα θλίψεις, ὀδύναι, στεναγμοὶ, λύπαι, μάλιστα δὲ ὅτε τίκτουσι] τέκνα * · καὶ πενθοῦσιν αὐτὰ τελευτῶντα. Ἀπὸ ταύτης οὖν τῆς ἡμέρας ἀλλοτριοῦμαι τούτων πάντων, καὶ εἰμὶ ἐν χαρᾷ ὥσπερ ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ γάμου.

* A πάντ. στῆναι.

* A λόγων.

* A ἠβουλήθην συναφθῆναι

* A ἢ πυρ.

* A τῇ σ. ἡμέρᾳ

* A κ. ὅταν πενθῶσιν αὐτὰ τελευτῶντα.

12 Καὶ ἰδοὺ αἱ θυγατέρες μου αὗται, παρθένοι οὖσαι *, μήπω ἀναιρεθεῖσαι μετὰ τῶν γυναικῶν τῶν ἐπικαλεσαμένων τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, διὰ τὸ μὴ προστάξαι τὸν παράνομον βασιλέα κρατηθῆναι ἡμᾶς, εἰ μὴ τὰς γυναῖκας καὶ τὰ τέκνα τῶν προσυναχθέντων μαρτύρων καί εἰσι νῦν ἐν τοῖς δεσμοῖς · ἐγὼ δὲ, ἐπειδὴ χήρα εἰμὶ, καὶ αἱ δύο μου θυγατέρες παρθένοι, οὐ συνεσχέθημεν. Συνεζεύγμεθα * οὖν διὰ τοῦ μαρτυρίου τούτου τῷ ἀληθινῷ νυμφίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, τῷ ἑτοιμάσαντι τὴν αὐτοῦ παστάδα ταῖς πέντε παρθένοις ταῖς φρονίμοις. Καὶ οἴδατε, ἀδελφίδες μου ἀγαπηταί · ἤδη δεύτερον ἐθεάσασθε τὸ πρόσωπόν μου ἀνακεκαλυμμένον *, ὅτε ἤμην ἐν τῷ γάμῳ τῷ φθαρτῷ καὶ προσκαίρῳ, καὶ νῦν ἐν τῷ αἰωνίῳ καὶ πνευματικῷ νυμφῶνι · προσέχετε οὖν εἰς ἐμὲ καὶ εἰς τὰς θυγατέρας μου, ὅτι οὐκ ἐσμὲν ἔλαττον ὑμῶν εἰς κάλλος · καὶ μὴ ὑπολάβητε ὅτι ἀσχήμονι προσώπῳ τεθριαμβεύμεθα ἐπὶ ὑμῶν τῶν ἐλευθέρων γυναικῶν καὶ παντὸς τοῦ πλήθους τῶν ἐθνῶν * τῶν παρεστηκότων · ἀλλ' ἐπὶ τῷ κάλλει τῆς σωφροσύνης * ἡμῶν, διὰ τῆς σκέπης τοῦ Κυρίου * ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Θαῤῥοῦμεν * *, καὶ ἄφθορον τὴν παρθενίαν τῶν θυγατέρων μου καὶ τὴν ἐμὴν, πλὴν τοῦ ἐν Χριστῷ συζύγου μου, διεφυλάξαμεν. (Καὶ * οὐ διεφθάρημεν ἐν τῇ ἀπαρνήσει τοῦ παρανόμου.) Καὶ * μάρτυς μου ἐστὶν ὁ Θεὸς καὶ τὸ συνειδός μου · ὅτι οὐκ ἠδυνήθη ὁ ἄνθρωπος οὗτος ἀπατῆσαι ἡμᾶς ἀρνήσασθαι τὸν Χριστόν, [μάρτυρες ὑμεῖς ἐστὲ τῇ σήμερον ἡμέρᾳ *]. Τὸ δὲ χρυσίον μου καὶ τὸ ἀργύριόν μου μαρτυροῦσί μοι ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι, ὅτι οὐκ ἠγάπησα αὐτὰ, ἀλλ' ἑκάστα πρὸς τὴν χρείαν ἐμέριζον. * »

* A ο. ἀμφότεραι, συζευγνύμεθα διὰ τοῦ μαρτ. τ. τ. ἁλ. ν.

* A συζευγνύμεθα

* A ἀποκεκ.

* A στρατευμάτων.

* A τ. σωφ. omittit.

* A Θεοῦ ἄφθορον τὴν...

** A omittit.

* A κ... παρανόμου. omittit.

* A melius omittit.

* A ita supplet.

* A ἐμερ. καθότι ἄν τις χρείαν εἶχεν.

13 Τότε ὁ βασιλεὺς, ἀκούσας παρὰ * τινῶν μισοχρίστων Ἰουδαίων, ὅτι ἡ γυνὴ μετὰ τῶν θυγατέρων αὐτῆς ἵσταται δημηγοροῦσα, καὶ χύσις δακρύων πηγάζει ἐν τοῖς ἀκούουσιν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν, τότε κελεύει ἐνεχθῆναι αὐτὴν πρὸς αὐτὸν, μετὰ τῶν θυγατέρων αὐτῆς, καὶ λέγει αὐτῇ · « Ἰδοὺ πόσας ὥρας ἐμακροθύμησα, ἄδειάν σοι δεδωκὼς λαλῆσαι πρὸς τοὺς λαοὺς ὅσα ἠβουλήθης · ἵνα ἰδοῦσα τὰ δάκρυα καὶ τὸν πόθον

* A usque Ἰδοὺ πόσας omittit.

πόθον τῶν οἰκτειρόντων * σε, κἂν ὀψέ ποτε συμπαθήσῃς ἑαυτῇ, καὶ πεισθῇς μοι. » Λέγει αὐτῷ ἡ ἁγία. « Βασιλεῦ, παραινεῖς μοι ἀρνήσασθαι τὴν αἰώνιον ζωὴν, καὶ ζῆσαι τὴν πρόσκαιρον · φοβοῦμαι τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον καὶ τὸν σκώληκα τὸν ἀκοίμητον, καὶ τὴν [αἰσχύνην τῆς ἀπαρνήσεως. Μᾶλλον αἱρετώτερόν ἐστιν ἡμῖν ἀποθανεῖν ἤπερ πεισθῆναι σοι · εἰ γὰρ ἐν τῇ ὁμολογίᾳ ταύτῃ ἀποθάνομεν, ζησόμεθα. » Καὶ στραφεῖσα ἔκλαυσεν εἰποῦσα. « Μὴ γένοιτο ἡμῖν, Βασιλεῦ οὐράνιε, Ἰησοῦ Χριστὲ, υἱὲ Θεοῦ, ὁ καθήμενος ἐπὶ] τῶν Χερουβὶμ, καὶ δοξαζόμενος ὑπὸ τῶν Σεραφὶμ, ἀρνήσασθαι τὴν σὴν βασιλείαν καὶ θεότητα. » Τότε μετ' ὀργῆς εἶπεν αὐτῇ ὁ βασιλεὺς · « Βλασφημεῖς, ἐπικατάρατον γύναιον. Ἅπτομαι τῶν σαρκῶν σου καὶ τῶν ἐγκάτων σου, καὶ ἐρευνήσω τὸν μυελὸν ὑμῶν, καὶ ἴδω εἰ ἔλθει * ὁ Ναζωραῖος, ὁ γόης, ῥυόμενος ὑμᾶς ἐκ τῶν χειρῶν μου. »

* A κατοικτειρησάντων

* A ἔλθοι

cumque volebas; ut sic videns lacrimas et amorem miserentium tui, tandem aliquando compatiaris tibi et mihi obedias. » Dixit ei sancta : « Adhortaris me, o rex, ut abrenunciem vitæ æternæ et protraham hanc temporalem, sed timeo ignem æternum, et vermem qui numquam dormit, et confusionem apostasiæ. Nobis melius est mori quam obedire; nam si in hac confessione morimur, vivemus. » Et conversa flevit, dicens : « Non contingat nobis, o Rex cælestis, Jesu Christe, Fili Dei, qui sedes super Cherubim et glorificaris a Seraphim, ut negemus regnum tuum et divinitatem! » Tunc iratus rex, ei dixit : « Blasphemas, maledicta muliercula! Aggrediar carnes tuas et viscera tua, et inquiram in medullam ossium vestrorum, ut videam num veniat Nazaræus, præstigiator ille, erepturus vos e manibus meis. »

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

14 Ἡ δὲ βραχυτέρα τῶν θυγατέρων τῆς ἁγίας, ὡς ἐτῶν δώδεκα οὖσα, προσεγγίσασα καὶ πληρώσασα τὸ στόμα αὐτῆς πτυέλου, διέῤῥανεν ἐμβριμωμένη εἰς τὴν ὄψιν τοῦ παρανόμου. Τότε αἴροντες γυμνὰ τὰ ὅπλα ἐπὶ * τοῦ βασιλέως οἱ λεγόμενοι σπαθάριοι, ἀπέτεμον τὰς κεφαλὰς τῶν δύο θυγατέρων τῆς ἁγίας. Καὶ οὕτως κελεύει ὁ βασιλεὺς * συνάξαι [τὸ αἷμα αὐτῶν εἰς τὰς παλάμας, καὶ προσαγαγεῖν τῇ μητρὶ αὐτῶν. Ἡ δὲ γευσαμένη, εἶπεν · « Εὐχαριστῶ σοι, Υἱὲ τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἠγάθυνας τὴν δούλην σου, καὶ ἠξίωσάς με γεύσασθαι] τῆς θυσίας τῶν ταπεινῶν μου θυγατέρων. » Τότε * κελεύει καὶ αὐτὴν ἀποκεφαλισθῆναι · καὶ μεθ' ὅρκου εἶπεν τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ, ὅτι « Σφόδρα ἐγένετο ἡ ψυχή μου περίλυπος, διὰ τὸ κάλλος τῆς γυναικὸς ταύτης, καὶ τῶν θυγατέρων αὐτῆς · ὅτι * οὐδέποτε εἶδον χαρακτῆρα τοιοῦτον. Καὶ πόθεν ἐπεσπάρη ἡ ἀφροσύνη * αὕτη τοῖς χριστιανοῖς θαυμάζω, ὅτι πλανῶνται εἰς ἄνθρωπον βιοθανῆ ἀποκαλέσαντα ἑαυτὸν Θεόν. »

14 Minor vero filiarum sanctæ mulieris, annos nata circiter duodecim, appropinquans et sputo replens os suum, projecit illud fremens in faciem improbi regis *i*. Tunc nuda arma tollentes spatharii regis, absciderunt capita duarum filiarum sanctæ; jussitque rex alicui adstantium, earum sanguinem manibus colligere et vi adigere matri *k*. Hæc cum gustasset, dixit: « Gratias ago tibi, Fili Dei, quia benefecisti servæ tuæ et dignam me judicasti quæ gustarem de sacrificio humilium mearum filiarum. » Deinde jubet rex et ipsam capite plecti. Et conversus ad proceres suos, dixit eis interposito juramento : « Anima mea tristis erat valde propter pulchritudinem mulieris et filiarum ejus; numquam enim vidi talem pulchritudinem seu formam. Et unde advenerit hæc amentia christianis miror, qui credunt errantes in hominem qui vocat seipsum Deum. »

Filiabus abscinditur caput; dein matri.

i

E

k

* A omittit.

* A τινι τῶν παρεστώτων

* A Καὶ οὕτως

* A καὶ οὐ μέμνημαι ἰδὼν τοι. κάλλος ἢ χαρ.

* A τῶν χριστ. θαυμ.

ANNOTATA.

a *De hac femina nobilissima, nomine* Ruma, *ut ex Simeone discimus, vel ad litteram,* Rumi, *dictum pluribus in Commentario a n.* 145.

b *In Actis ubique Rumæ filiæ tantum duæ memorantur; alicubi vero in epistola Dhu Nowasi filiarum quinque est mentio:* Et nunc filias virgines quinque Christo despondi, *Comment. n.* 153. *Crediderim* Rumam *filias quidem habuisse quinque, sed e quibus solum duæ ad martyrium sint vocatæ, relictis ceteris propter adolescentiam. Etenim illarum duarum ætate minor, annorum erat tantum duodecim. Act. n.* 14.

C

c *Est* σκηνὴ βασταζομένη nobis « un palanquin. » *Boissonad.*

d *Vide infra annot.* g.

e *Codex Boissonadii :* δέκα χιλιάδες; *noster vero in iis quæ legi adhuc poterant hoc loco :* πλείω εἴκοσι χιλιάδες. *Aliter epistola Simeonis Comment. n.* 147 : Nostis, *ait Ruma,* et ingentem auri argentique copiam, patrimonium quoque luculentum, et servorum catervas (*supra in Actis n.* 10 *habere dicebatur* trecentos viros operantes in rationibus dati et expensi facultatum *suarum, non adcensitis pueris et puellis de quibus sermo fit ibid. n.* 11) mihi præsto esse, et si modo... novas nuptias optare libeat, non defuturam dotem quadraginta millium aureorum, et præter opes ab illo mihi relictas, mundum prope infinitum monilium, gemmarum et pretiosissimarum vestium. *Aurei isti fuere Solidi aurei Cpolitani* (νομίσματα), *quorum* 40,000 *valerent hodiedum francis* 614,400. *Sed recolendum potentiam auri sæculo sexto in Arabia ter aut quater majorem fuisse quam nunc est, seu tantum emptum est aureo uno, quantum nunc emitur aureis tribus aut quatuor. Notat Michaëlisius* (1) *has tamen Rumæ opes regias non esse; sed cfr Comm. n.* 147 : *ostensum insuper ibid. nec eam S.* Arethæ *uxorem, nec hunc regem fuisse aut proregem, at tantum Negranæ ejusque tractus dominum, sive phylarcham. Ruma vero in Actis propter opes et dotes reliquas non immerito Negranæ femina primaria dicitur. V. annot.* a.

F

f *Dixit supra n.* 11 *eadem femina nobilis et dives :* Si voluissem alii viro nubere in hac labili vita post obitum (θάνατον) mei conjugis *etc. Dicit hic sese cum ceteris feminis non interemptam, licet, ut illæ, e præcipuis esset, quod solæ uxores martyrum capitali supplicio affectæ erant; denique sese viduam appellat, nihil usquam memorans de marito. E quibus apparet ejus maritum obiisse multo ante persecutionem. Cfr Comment. n.* 145 *sq.*

(1) Orient. Bibliothek l. c. pag. 157.

g Jam

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

g Jam secundo vidistis faciem meam detectam. *Idem dicit Ruma in epistola Simeonis, Comment. n.* 148 : Intuemini sodalem vestram vestrum in conspectum en secundo prodeuntem. Quandoquidem in priori illa mearum nuptiarum pompa, vobis omnibus spectantibus, sponsi prioris domum traducta sum; et nunc aperto similiter vultu ad Christum Deum *etc. Ex his certo discimus veteres Arabas vel saltem ditiores inter eos, non permisisse ut uxores prodirent non velatæ. Idem patet ex Tertulliano :* Judicabunt nos, *ait,* Arabiæ feminæ ethnicæ, quæ non caput tantum, sed faciem quoqne ita totam tegunt, ut uno oculo librato, contentæ sint dimidia frui luce, potius quam totam faciem prostituere (1). *Id Hieronymus repetit epistola* 22 *ad Eustochium, in qua plura ex libro Tertulliani de virginibus velandis moderatius et sapientius proponit; simul confirmans quæ scripserat ille de Arabibus duobus ante sæculis: Arabas enim probe noverat Hieronymus. Simile aliquid gentes aliæ plurimæ usurparunt, non quidem amore castimoniæ, sed zelotypia, ceteroqui in primis legitima, maritorum. Etenim de Thracibus scribit Herodotus, iis filiarum curam nullam fuisse,* uxores vero, *inquit,* severe custodiunt (2). *Idem mos fuit inter Lacædemonios, quorum non tantum hæc lex fuit :* Virgines facie detectæ, mulieres velatæ in publicum prodeant; *sed et licentiæ eorum puellæ arguuntur a priscis scriptoribus* (3). *Arabum vero zelotypiam maritam memorat quoque Eusebius* (4), *præter alios* (5) : In Arabia et Osrhoëne, *inquit,* quum adulterii crimen in mulieribus capitale est, tum ipsa quoque suspicio pœnam habet. *Hunc Arabum morem mahumetani, quorum propheta uxores quindecim domi suæ habuit, retinuerunt (quod nescio an observatum umquam fuerit ab historicis) vel potius ampliaverunt; et quidem eadem de causa, ex qua inter gentes idololatricas plurimas est inductus : quæ manifesto fuit gentilium luxuria. Ista igitur moderata est lex christiana, modestiam commendans, non tantum uxoribus, sed et virginibus, et omnibus sanctam castimoniam mentis et corporis. Atque inde mores illi barbarici, qui et Romæ aliquando*
B *invalescere cœperant* (6), *sensim amoti sunt. Porro ex iis quæ de* S. Ruma *narrantur in Actis,* E *patet Arabas christianos, sæculo adhuc sexto, concivium suorum gentilium morem retinuisse : forte quod medii inter barbaros vivebant. Potuerunt et Judæos imitari, quorum bene multos in plerisque Homeritidis tractibus tunc repertos esse diximus, et de quorum feminis scribit Tertullianus :* Judæis feminis tam solemne est velamen capitis, ut inde cognoscantur (7). *Sed nota multum abesse ut velum Judaïcum, sive* Σήριστρον, *conferri queat cum velo uxorum gentilium, maxime Arabicarum. Dum vero dicit* Ruma *se nunc secundo prodire* aperto vultu, *manifeste significat, non quidem se alias non prodiisse, quum ut christiani ceteri frequenter ecclesiam adierit, sed non prodiisse nisi velato capite. Crediderim hanc sanctam viduam imitari voluisse Juditham* (8).

h *Vide Comment. n.* 149.

i *Hæc habet Dhu Nowasus in Comment. ibid. :* At non persuasi; quinetiam ejus filiarum altera nos objurgabat qui ista suggereremus. *Liber* Djarrentir *hic concinit cum Actis nostris; ut alioqui in omnibus quæ ex eo profert Aucherius.*

k *Vix differt Dhu Nowasus loc. cit. n.* 150 : Eam humi prosterni jussi; filias vero statim jugulari pone matrem : adeo ut dissectis e cervicibus erumpens cruor in os ejus influeret; mox ipsam pari supplicio necari.

CAPUT IV.

Martyrium S. Arethæ et sociorum procerum 340.

Arcessit tyrannus S. Aretham cum sociis 340, *eumque ad apostasiam hortatur; cui respondet Martyr.*

Die sequenti *a* venire jubet sanctum Aretham cum reliquis qui in vinculis detinebantur, numero trecenti quadraginta *b;* et dicit ei : « Te appello, Aretha scelestissime et antiquissime dierum malorum! Quare imitatus non es patrem tuum, qui imperavit civitati et omni viciniæ, qui et honore afficiebatur dum regnarent mei decessores? sed voluisti tyrannum agere et monarcham *c* super civitate Negran et ejus vicinia, confidens in homine incantatore et fallaci, et sperasti effugere manus meas! Parce igitur senectuti tuæ, et miserere canitiei tuæ, senex venerabilis quum sis, et sic tibi sis causa vitæ et aliis qui tecum sunt capti et vincti, ac nega quem dicitis Christum; secus atroci morte morieris, ut mulieres illæ die altera et qui has præcesserunt. Non enim potuit filius Mariæ et Joseph salvare qui a me interfecti sunt, sive in civitate mea regia, sive in universa regione Homeritarum. » Tunc respondit illustris Arethas dicens : « Vere in

a
b
c

Τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ κελεύει ἐλθεῖν τὸν ἅγιον Ἀρέθα μετὰ F
τῶν λοιπῶν συνδέσμων αὐτοῦ, τὸν ἀριθμὸν ὄντων
τριακοσίων τεσσαράκοντα, καὶ λέγει αὐτῷ · Σὺ, λέγω,
Ἀρέθα μιαρώτατε καὶ παλαιότατε ἡμερῶν κακῶν,
διατί οὐκ ἐμιμήσω τὸν πατέρα σου, τὸν ἄρξαντα τῆς
πόλεως καὶ πάσης τῆς περιχώρου, ὃς ἔντιμος ἦν ἐπὶ
τῶν πρὸ ἐμοῦ βασιλέων *, ἀλλ' ἐβουλήθης τυραννῆσαι
καὶ μοναρχῆσαι * Νεγρὰν τὴν πόλιν καὶ τὴν ταύτης
περιοικίδα *, τὴν ἐλπίδα * ἔχων ἐπ' ἄνθρωπον φαρμα-
κὸν καὶ πλάνον, καὶ προσεδόκησας * φυγεῖν τὰς χεῖράς
μου. Φεῖσαι οὖν τοῦ γήρως σου, καὶ κατοικτείρησον τὰς
πολιάς σου, ὡς ἐντίμου γερουσίας ὤν, καί σεαυτοῦ
γενοῦ ζωῆς αἴτιος καὶ τῶν σὺν σοὶ κρατηθέντων * καὶ
συνδεδεμένων, καὶ ἄρνησαι τὸν λεγόμενον Χριστὸν · εἰ
δὲ μή γε, θανάτῳ χαλεπῷ ἀπαθανῇ, ὡς καὶ αἱ προλα-
βοῦσαι γυναῖκες, καὶ οἱ πρὸ αὐτῶν. Οὐ γὰρ ἠδυνήθη
ὁ υἱὸς Μαρίας καὶ Ἰωσὴφ σῶσαι τοὺς ἀναιρεθέντας
ὑπ' ἐμοῦ, ἔν τε τῇ ἐμῇ βασιλευούσῃ πόλει, καὶ ἔν πάσῃ
τῇ χώρᾳ τῶν Ὁμηριτῶν *. Τότε ἀπεκρίθη ὁ ἔνδοξος
Ἀρέθας καὶ εἶπεν · Μετὰ ἀληθείας ἐν λύπῃ εἰμὶ διὰ
τοὺς χριστιανοὺς τοὺς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ · εἴρηκα γὰρ

* A διὰ τὸ ἐν πᾶσιν αὐτὸν εὐγοεῖν
* A μονοκρατῆσαι
* A παροικίαν.
* A ἐλπίσας καὶ προσδοκίαν ἔχ.
* A ἐλογίσω.
* A κρ. συνδεσμων.
* A καὶ τούτους ζωῶσαι.

(1) De veland. virg. cap. 17. — (2) Herodot. lib. V, cap. 6. — (3) Ap. Gronov. Thes. antiquit. tom. V, col. 2627; Clemens Alexand. Pædag. lib. III, cap. 10 : cfr Jul. Pollux, lib. VII, cap. 13. — (4) Præp. Evangel. lib. VI. cap. 10. — (5) Noël Desvergers, L'Arabie, pag. 105 et seqq. — (6) Valer. Maxim. lib. VI, cap. 3. n. 13. — (7) De corona cap. 4. — (8) Lib. Judith, cap. VIII. 5.

αὐτοὺς

A αὐτοὺς μὴ ἀνοῖξαι τὰς πύλας τῆς πόλεως καὶ πιστεῦσαι σοι *, καὶ οὐκ ἠνέσχοντό μου ἀκοῦσαι *. Πάλιν δέδωκα αὐτοῖς ἑτέραν συμβουλείαν, τοῦ ἐξελθεῖν κατὰ σοῦ καὶ πολεμῆσαι ὑπὲρ τοῦ λαοῦ τοῦ Χριστοῦ · καὶ οὐδὲ τοῦτο ἐποίησαν. Ἐθάρρουν γὰρ εἰς τὸν δεσπότην Χριστὸν, ὅτι περιεγινόμην σου, καὶ ἐπάτασσόν σε, ὥσπερ ὁ Γεδεὼν μετὰ τριακοσιῶν διὰ ῥήματος Θεοῦ, τὸν ἔχοντα μυριάδας * ἐτροπώσατο. Πλὴν τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου γενέσθω · οἶδα γὰρ ὅτι διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ταῦτα πεπόνθαμεν, καὶ παρεδόθημεν εἰς χεῖράς σου. Οὐδέποτε γὰρ ἀλήθεια διῆλθε διὰ τοῦ στόματός σου.

* A κ. π. σ. omittit.
* A omittit.
* A τ. ἐχ. μ. habet post ἐπάτασσόν σε. omittit ἐτρ.

16 Λέγει ὁ συγκάθεδρος τοῦ βασιλέως · οὕτως διδάσκουσιν ὑμᾶς αἱ γραφαὶ τῶν Χριστιανῶν ὑβρίζειν τοὺς δεσπότας τῆς οἰκουμένης; οὐκ οἶδας ὅτι οἱ βασιλεῖς τῶν Ἰουδαίων * χριστοί εἰσι τῷ Κυρίῳ; Λέγει ὁ ἅγιος * · Προσέσχες, κύρι ὁ πατρίκιος, τῇ γραφῇ τῇ ἐν τῷ προφήτῃ Ἠλιοὺ; εἰρηκότος γὰρ αὐτῷ τοῦ Ἀχαὰβ βασιλέως Ἰσραὴλ · « Εἰ εὕρηκά σε, [ὁ διαστρέφων τὸν Ἰσραήλ; » πρὸς ὃν ἀπεκρίθη · « Οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ἢ σὺ καὶ ὁ οἶκος τοῦ πατρός σου. » Ὥστε οὐ διαμαρτάνει τις ἐλέγχων βασιλέα παρανομοῦντα. Οὐκ ἠσχύνθη γὰρ εἰπεῖν ἀρνήσασθαι τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο] ἐν οὐρανῷ τε καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα * · ὃς θεασάμενος τὸ ἴδιον πλάσμα ἐζωγρημένον ὑπὸ τοῦ πονηροῦ, οὐ παρεῖδεν, ἀλλὰ κατακλυσμὸν ἐπάξας *, καὶ δοὺς πρὸς παίδευσιν πάντων ἀνθρώπων, καὶ πρὸς νουθεσίαν, καὶ ἀποχὴν κακῶν, νόμον ἐντολῶν, πάλιν ἠλέησεν · τὸν δὲ Ἰσραὴλ παιδεύσας ἔχθιστα διαπραττόμενον, οἰκτειρεν, καὶ ἀνεκαλέσατο ἀπὸ τῆς Βαβυλωνίας. Καὶ ἐπειδὴ ἐφθάρη τὸ κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος *, αὐτὸς ὁ Θεὸς Λόγος, εὐδοκίᾳ τοῦ Πατρὸς κατελθὼν, ἰδιοποιήσατο τὸ πεπτωκὸς, καὶ τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῷ ἰδίῳ σώματι ἀνεσταύρωσεν · θυσία γενόμενος ἐν τῷ προσληφθέντι ἐξ ἡμῶν σώματι τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ, ὑπὲρ παντὸς γένους ἡμῶν τῶν ἀνθρώπων. Καὶ πῶς τοῦτον ἀρνησόμεθα; Καὶ πολλάκις μιᾶς ὥρας ἄλλης * οὐχ [ὑπαρχούσης ἐν τῷ λοιπῷ χρόνῳ τῆς ζωῆς μου, καὶ βούλει ποιῆσαί με ἀλλότριον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν;

* A ἐκ καταφρονήσεως ἐντολῶν Θεοῦ
* A omittit.

17 Ὁ γὰρ ψευδόμενος βασιλεὺς, ἐκεῖνος οὐκ ἔστιν δυνατός. Ὤμοσας ἡμῖν, καὶ δεδωκὼς τὸν λόγον σου, οὐκ ἐφύλαξας. Ἑώρακα] δὲ βασιλεῖς * μεγάλους καὶ ὑπερέχοντάς σου ἐν τῇ Ἰνδίᾳ καὶ ἐν Περσίδι καὶ ἐν τῇ Αἰθιοπίᾳ, καί ἐνταῦθα, καί τι τοιοῦτον οὐκ * ἐποίησαν πώποτε · ἀλλ' ὁ λόγος αὐτῶν ἐν ἀληθείᾳ γέγονεν. Διὸ καὶ οἱ λαοὶ καὶ τὰ ἔθνη, καὶ * ἡ οἰκουμένη καὶ αἱ πόλεις, καὶ τῶν στρατευμάτων αἱ σχολαὶ, θεοὺς αὐτοὺς ἀπεκάλουν · πειθαρχοῦντες αὐτοῖς, ὡς καὶ τῷ Θεῷ τῷ δεδωκότι * αὐτοῖς τὸ βασιλεύειν. Ὥστε γνωστὸν ἔστω σοι ὅτι οὐκ ἐξακολουθοῦμέν σοι, βλάσφημοῦντι τὸν Κύριον τῆς δόξης · ἐξουσίαν γὰρ ἔχω τῆς ἐμαυτοῦ ψυχῆς, καὶ οὐκ ἀφίσταμαι * τῆς εἰς Χριστὸν ὁμολογίας, ἀλλ' * ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἀγωνίζομαι. Καὶ ὡς ἀληθῶς μακάριος εἰμὶ, ὅτι ἐν τῷ γήρει μου, ἤδη ὑπερβεβηκὼς ἐνενηκοστὸν πέμπτον ἔτος, κατηξίωσέ με ὁ δεσπότης Χριστὸς * θανεῖν ὑπὲρ αὐτοῦ. Νῦν ἔγνων ὅτι ἀγαπᾷ με ὁ Κύριός μου · πολλαὶ γὰρ γεγόνασιν αἱ ἡμέραι τῆς ζωῆς μου, ἐν τῷ ματαίῳ ** βίῳ τούτῳ, καὶ ἔτεκον * υἱοὺς, καὶ εἶδον * υἱοὺς τῶν υἱῶν μου, ἐπὶ τετάρτην γενεὰν, καὶ ἐν διαφόροις πολέμοις * γενναίως ἠνδραγάθησα. Καὶ νῦν χαίρω ὅτι τὸ γῆράς μου, βασιλεῦ, τελειοῦται μετὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων, καὶ θαῤῥῶ ὅτι οὐ μὴ ἐκλείψει ἡ μνεία μου ἀπὸ τῆς πόλεως ταύτης · καὶ πέπεισμαι ὅτι, ὥσπερ ἄμπελος κλαδευομένη τῷ καιρῷ αὐτῆς, πλεῖον καρπὸν δίδωσι, οὕτως πλεονάσαι ἔχει * ὁ Θεὸς τὸν λαὸν ἐν τῇ πόλει ταύτῃ καὶ ἐν

* A ἐχ. ὁ λαὸς ἐν τῇ π. τ.

magna tristitia versor, propter christianos qui sunt in hac civitate; nam dixi eis non aperire portas civitatis nec credere tibi, et noluerunt me audire. Rursum aliud consilium dedi illis, exire contra te et bellum gerere pro populo Christi; et nec istud fecerunt. Confidebam enim in magistrum meum Christum me devicturum et percussurum te; sicut Gedeon cum viris trecentis *, per verbum Dei, in fugam vertit eum qui habebat myriadas. Sed fiat voluntas Dei; novi enim propter peccata nostra nos hæc passos esse et traditos in manus tuas. Numquam enim veritas de ore tuo processit. »

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

* Judic. VII.

16 Dicit regis adsessor : « Siccine docent scripturæ christianorum injuriis afficere dominos terræ? Nescis reges Judæorum unctos esse Domino? » Respondit sanctus : « Significare vis, domine patrici, scripturam quæ est in propheta Elia? Dicente enim illi Achab rege Israël : « Tune es ille qui conturbas Israël? « respondit : Non ego turbavi Israël, sed « tu et domus patris tui. * » Non peccat igitur qui reprehendit regem inique agentem. Non erubuit enim suadere ut negaremus Verbum Dei, per quem omnia facta sunt in cælis et in terra, visibilia et invisibilia; qui videns suam creaturam captivam factam a diabolo, non neglexit eam, sed iterum misertus est immisso diluvio, et tradita lege et mandatis ad eruditionem omnium hominum, ad admonitionem et abstinentiam a malo; et quum denuo erudiisset Israël propter invisa crimina, ad commiserationem devenit et revocavit eum a Babylonia. Dum vero corruptum est quod ad imaginem conditoris erat creatum, ipse Deus Verbum, ex decreto Patris descendens e cælo, assumpsit quod ecciderat et peccatum in proprio corpore cruci affixit; sic hostia in assumpto ex nobis corpore factus Deo et Patri, pro universo genere humano. Et quomodo *d* hunc negare possim? Et dum forte una alterave hora mihi non superest vitæ, alienum me facere vis a regno cælorum?

Obloquitur regis adsessor : tum utrique iterum

* III Reg. XVIII, 17, 18.

E

d

17 « Rex enim qui mentitur, potens non est. Quum jusjurandum adhibuisses et fidem dedisses, eam non servasti. Vidi reges magnos qui te superabant *e* in India, in Perside et in Æthiopia, et in hac ipsa regione, sed tale quid non egerunt umquam, fiebatque sermo eorum in veritate. Eapropter populi et gentes, regiones et urbes, et exercituum cohortes, illos deos appellabant; obedientes illis ut Deo, qui eis dederat regnare. Notum itaque tibi sit, nos non obsequi tibi, qui blasphemas Dominum gloriæ : nam anima mea sub mea est potestate et non recedo a fide in Christum, sed pro nomine ejus certamen ineo. Vere autem sum beatus quod in senectute mea, dum annum jam supergressus sum nonagesimum quintum *f*, dignum me æstimavit magister Christus, ut morerer pro illo! Novi nunc Dominum amare me; multi enim sunt dies mei in hac inani vita : et genui filios, et vidi filios filiorum meorum usque ad quartam generationem *g*; et in variis bellis generose et fortiter me gessi *h*. Et nunc gaudeo, o Rex, finem habere meam senectutem inter sanctos martyres, et confido mei memoriam in hac civitate non defecturam. Habeoque persuasum, sicut vitis suo tempore putata majorem dat fructum,

sancta cum libertate et audacia respondet;

F

e

f

g

h

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

fructum, sic Deum multiplicaturum in hac civitate et in omni Homeritide populum christianum. Ecce enim coram Deo tibi dico : Exaltabitur hæc ecclesia, quæ a te est combusta *i*, et in regione hac constituetur regnum aliud et imperium obtinebunt christiani. Regnum vero tuum scindetur, et abolebitur religio tua *k*. »

i

k

hortatur et socios suos.

18 Tunc conversus clamavit voce magna sanctis martyribus, commilitonibus suis : « Audistisne, fratres, quæ a me dicta sunt regi *l*? » Qui responderunt unanimes : « Audivimus, venerande pater, audivimus. » Dixitque iterum : « Si quis ex vobis timeat mandatum improbi regis, separetur. » Dixerunt sancti martyres : « Bono animo esto, o pater, in hoc certamine; omnes enim tecum moriemur pro nomine Christi, et nostrum nemo separabitur a te. » Tunc sanctus Arethas : « Audite me, inquit, viri christiani, et judæi, et græci; si quis consanguineorum meorum aut spectantium ad me negaverit Christum, negabit eum ipse judex futurus vivorum et mortuorum; neque est mihi pars aut communio cum ipso in die resurrectionis. Volo autem et jubeo omnia mea dari sanctæ ecclesiæ quam sunt ædificaturi post mortem meam. Illi vero ex filiis meis et consanguineis qui stabiles erunt in immaculata fide nec deficient, sint mei hæredes. Sed inter possessiones meas, tres pulcherrimas dari volo sanctissimæ ecclesiæ *m*. »

l

B

m

Iterum alloquitur tyrannum. Orant martyres, et

19 Dixitque iterum senex tyranno : « Propter hoc solum te laudo, quod consuetam ab antiquo regum et principum traditionem servasti, non interruptis sermonibus meis, sed auditis omnibus quæ dicere volebam *n*. Nunc igitur ne amplius interroges nos, nam advenit tempus quo martyrio consummandi sumus. Omnis autem qui hoc martyrium recusaverit, negetur quoque ab illo qui eum creavit. Pereat ex terra viventium qui cum omni alacritate non venit ad hoc bravium, qui non confitetur Christum filium Dei esse et conditorem omnis creaturæ. Fiat futuræ æternæ vitæ expers qui negaverit crucem Christi. Excidat bonis futuris, o rex, qui tecum sentit et cum judæis tibi consentientibus omnibus. Sit ut Dathan et Abiron, quos adaperiens terra os suum deglutivit*. Dico enim tibi : Uti, dum discumbebam cum fratribus meis, mihi ante ceteros calix porrigebatur *o*, sic et nunc calicem martyrii hujus ego primus bibam. Signo igitur populum qui mecum est, signo crucis *p*, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. » Et singuli martyres etiam signaverunt sese, iterum caput inclinantes in modum crucis, siquidem manus eorum erant vinctæ retrorsum. Clamabant autem : « Acceptabiles sint animæ nostræ sicut unguentum effusum super caput sacerdotum Dei; et sanguis noster sicut hostia laudis in cornubus altaris. » Et iterum : « Pater noster venerande, ecce Abraham patriarcha excipit te; non contingat nobis vivere post mortem tuam. »

C

* Numer. XVI.

n

o

p

ad locum martyrii ducuntur. Decollatur S. Arethas, *dein reliqui, postquam ejus sanguine se unxerunt.*

20 Hæc cum videret rex, agnovit quam impossibile esset de cetero ut eos horum pœniteret; jussitque auferri illos ad torrentem qui dicitur Obedianus *q* ubi fovea effossa fuerat continens priores interemptos martyres. Horum vero capita projici in terram jussit, et

q

παντὶ τῷ Ὁμηρίτῃ, τῶν χριστιανῶν. Ἰδοὺ γὰρ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ λέγω σοι · Μέλλει * ἡ ἐκκλησία αὕτη, ἡ ὑπὸ σοῦ ἐμπρησθεῖσα, ὑψοῦσθαι, καὶ σταθήσεται βασιλεία ἑτέρα ἐν τῇ περιχώρῳ * ταύτῃ, καὶ κρατήσουσιν * οἱ χριστιανοὶ · ἡ δὲ σὴ βασιλεία ἐν τάχει διαμερισθήσεται *, καὶ καταργηθήσεται τὸ δόγμα σου. »

D

* A ὑψωθῆναι ἔχει...
* A χώρᾳ
* A κρ. αὐτῆς
* A καταλυθήσεται

18 Καὶ στραφεὶς ἐκραύγασε φωνῇ μεγάλῃ τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ συμμάρτυσι, λέγων. « Ἠκούσατε, ἀδελφοί, τὰ παρ' ἐμοῦ ῥηθέντα τῷ βασιλεῖ. » Οἱ δὲ ὁμοθυμαδὸν πάντες εἶπον · « Ἠκούσαμεν, τίμιε πάτερ, ἠκούσαμεν. » Καὶ πάλιν λέγει αὐτοῖς · Πῶς ὑμῖν φαίνεται τὸ μαρτύριον τοῦτο; εἴ τις ἐξ ὑμῶν ἔστι δεδοικὼς * τὸ παράγγελμα τοῦ παρανόμου τούτου, ἀποχωρισθήτω *. » Οἱ δὲ ἅγιοι μάρτυρες εἶπον · « Ἐνδυναμοῦ, πάτερ, ἐνδυναμοῦ ἐν τῷ ἀγῶνι τούτῳ · πάντες σὺν σοὶ ἀποθανούμεθα ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ, καὶ οὐκ ἔστιν εἷς ἐξ ἡμῶν χωριζόμενός σου. » Ὁ δὲ ἅγιος Ἀρέθας εἶπεν · « Ἀκούσατέ μου, ἄνδρες χριστιανοί, καὶ Ἰουδαῖοι, καὶ Ἕλληνες. Εἴ τις τῆς ἐμῆς συγγενείας, ἢ τῶν διαφερόντων μοι *, ἀρνήσεται τὸν Χριστὸν, ἀρνήσεται αὐτὸν αὐτὸς ὁ μέλλων κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς · καὶ οὐκ ἔστι μοι μερὶς ἡ κοινωνία μετ' αὐτοῦ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἀναστάσεως. Βούλομαι δὲ [καὶ κελεύω πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου δοθῆναι τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ τῇ μελλούσῃ κτίζεσθαι μετὰ θάνατόν μου. Εἰ δέ τις τῶν τέκνων μου ἢ τῆς συγγενείας μου ὑπολειφθῇ ἐπιμένων τῇ ἀμωμήτῳ πίστει, καὶ μὴ ἀρνήσεται, ἔστωσάν μοι κληρονόμοι. Τρία δὲ κτήματα καλλιστεύοντα πάντων τῶν κτημάτων μου βούλομαι δοθῆναι τῇ αὐτῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ. »

E

* A abest.

F

19 Καὶ πάλιν ὁ ἅγιος γέρων εἶπεν πρὸς τὸν τύραννον · « Ἐπήνεσά σε εἰς τοῦτο μόνον,] ὅτι τὴν πάλαι εἰθισμένην * βασιλεῦσι καὶ ἐθνάρχαις παράδοσιν ἐτήρησας, καὶ ἐμακροθύμησας, μὴ διακόψας τοὺς λόγους μου. Πλὴν ἰδοὺ ἤκουσας πάντων τῶν λεχθέντων παρ' ἐμοῦ · μὴ προσθήσῃς * ἔτι τοῦ ἐπερωτᾶν ἡμᾶς · ἤγγικεν γὰρ ὁ καιρὸς τοῦ τελειωθῆναι ἡμᾶς. Πᾶς δέ τις ἀρνούμενος τὸ μαρτύριον τοῦτο, ἀπαρνηθείη ὑπὸ τοῦ κτίσαντος αὐτόν. Ἀπόλοιτο ἐκ γῆς ζώντων ὁ μὴ μετὰ πάσης προθυμίας τούτῳ τῷ βραβείῳ * προσερχόμενος, ὁ μὴ ὁμολογῶν τὸν Χριστὸν υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ καὶ δημιουργὸν πάσης τῆς κτίσεως · ἀλλότριος γενέσθω τῆς μελλούσης αἰωνίου ζωῆς, ὁ ἀρνούμενος τὸν σταυρὸν τοῦ Χριστοῦ · ἐκπέσοι τῶν μελλόντων ἀγαθῶν ὁ κοινωνῶν σοι, βασιλεῦ, καὶ πᾶσι τοῖς ὁμοφροσί σου Ἰουδαίοις · ἔστω ὡς Δαθὰν καὶ Ἀβειρὼν, [οὓς χάνασα ἡ γῆ τὸ στόμα κατέπιεν. Ἰδοὺ γὰρ λέγω σοι · ὥσπερ ἐν τῷ ἀνακλίνεσθαί με μετὰ τῶν ἀδελφῶν μου, ἐμοὶ πρότερον] τὸ ποτήριον ἐπεδίδοτο, καὶ νῦν τὸ ποτήριον τοῦ μαρτυρίου τούτου πρῶτος ἐγὼ πίομαι. Σφραγίζω οὖν τὸν λαὸν τὸν μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ σημείῳ τοῦ σταυροῦ, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος · » Καὶ οὕτως ἕκαστος τῶν μαρτύρων κατεσφράγισεν ἑαυτὸν, πάλιν * κλίνων τὴν κεφαλὴν ἑαυτοῦ σταυροειδῶς, ἐπειδὴ αἱ χεῖρες αὐτῶν ἦσαν δεδεμέναι ὀπισθίως. Καὶ ἔκραζον, « Προσδεχθείησαν αἱ ψυχαὶ ἡμῶν ὡς μῦρον τὸ ἐκχυνόμενον ἐπὶ κεφαλῆς ἱερέων Θεοῦ · καὶ τὸ αἷμα ἡμῶν, ὡς θυσία αἰνέσεως ἐπὶ κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου. » Καὶ ἔκραξαν πάλιν οἱ μάρτυρες · « Πάτερ ἡμῶν τίμιε *, ἰδοὺ ὁ πατριάρχης Ἀβραὰμ ἐκδέχεταί σε. Μὴ γένοιτο ἡμᾶς ζῆν μετὰ θάνατόν σου. »

* A τ. παλαιὰν
* A μὴ προσθεὶς, iotacismo, ut sæpe, l. προσθῇς.
* A τῆς ἄνω κλήσεως
* A καὶ π. ἐκίνουν τ. κ. ἑαυτῶν
* A καὶ προῦχε τῆς ἡμῶν ἀθλήσεως

20 Ταῦτα ἰδὼν ὁ βασιλεὺς *, ἔγνω ὡς ἀδύνατον λοιπὸν μεταμεληθῆναι * αὐτούς · καὶ κελεύει ἀπενεχθῆναι αὐτοὺς εἰς τὸν χείμαρρον τὸν λεγόμενον Ὀβεδιανὸν *, ὅπου ὁ βόθυνος ἐσκάφη τῶν προαναιρεθέντων ἁγίων μαρτύρων, καὶ τούτων τὰς κεφαλὰς ἐπὶ τὴν γὴν ῥιφῆναι προσέταξε, καὶ τὰ ἅγια αὐτῶν λείψανα ἐαθῆναι

* A τύραννος ὅδε.
* A μεταπεισθῆναι
* A τ. λ. Ὀ. abest.

A ναι πρὸς βορὰν τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ καὶ τοῖς θηρίοις τῆς γῆς. Ὅτε δὲ παρεγένοντο κατὰ τὸν τόπον οἱ ἅγιοι μάρτυρες τοῦ Χριστοῦ, ἵσταντο εἰς ὕψος αἴροντες τὰ ὄμματα καὶ τὴν διάνοιαν πρὸς τὸν ὕψιστον Θεὸν, βοῶντες καὶ λέγοντες · Ἰησοῦ Χριστὲ, παραγενοῦ * εἰς βοήθειαν ἡμῶν, καὶ τελείωσον ἡμᾶς. Ἰησοῦ Χριστὲ, ἐνδυνάμωσον ἡμᾶς τελειῶσαι τὸ μαρτύριον τοῦτο. Ἰησοῦ Χριστὲ, γενηθήτω τὸ αἷμα τῶν δούλων σου ἱλασμὸς καὶ ἄνεσις τῶν δεδιωγμένων καὶ πεφονευμένων χριστιανῶν ὑπὸ τοῦ παρανόμου. Ἰησοῦ Χριστὲ, ἰδοὺ ὡμολογήσαμέν σε ἐνώπιον * τῶν ἀνθρώπων · ὁμολόγησον καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ἐνώπιον * τῶν ἁγίων σου ἀγγέλων. Ἰησοῦ Χριστὲ, ὕψωσον τὸν ναόν σου τὸν καταστραφέντα καὶ καέντα * ὑπὸ τοῦ τυράννου. Ἰησοῦ Χριστὲ, ποίησον ἔλεος μετὰ τῶν μνημονευόντων ἡμῶν, καὶ εὐλόγησον πάντας τοὺς τιμῶντας τὴν ἡμῶν μαρτυρίαν, δωρούμενος αὐτοῖς ἄφεσιν παραπτωμάτων *. Ἰησοῦ Χριστὲ, ὕψωσον τῶν χριστιανῶν Ῥωμαίων τὸ κέρας · καὶ τὴν βασιλείαν τῶν παρανόμων Ἑβραίων παράδος χριστιανοῖς, οἳ ποιήσουσι τὸ θέλημά σου. Ἰησοῦ Χριστὲ, πάταξον τὸν παράνομον τοῦτον καὶ τὴν ῥίζαν αὐτοῦ, ὡς τὸν Φαραὼ καὶ τὸν Ἀμαλὴκ, καὶ τὸν Σιὼν *, καὶ τὸν Ὼγ. Ἰησοῦ Χριστὲ, B ἀξίωσον ἡμᾶς ἰδεῖν τὴν θέαν τῆς δόξης σου, καὶ εὐαγγελισθῆναι ὑπὸ τῶν ἁγίων ἀγγέλων σου τὴν ταχίστην μέλλουσαν ἔκπτωσιν τοῦ παρανόμου καὶ ἐξολόθρευσιν τῆς ὑπερηφανίας τῶν Ἰουδαίων. » Καὶ μετὰ τὸ εὔξασθαι ταῦτα, ἐκραύγασαν ἅπαντες *, κλαίοντες καὶ λέγοντες· « Εἰρήνη ὑμῖν ἐν φιλήματι ἁγίῳ. » Καὶ ὁ ἅγιος Ἀρέθας εἶπεν αὐτοῖς. « Ἡ εἰρήνη ἡ δοθεῖσα παρὰ τοῦ [σταυρωθέντος Χριστοῦ τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, εἴη μεθ' ὑμῶν, ἀδελφοί. Ἀμήν. » Καὶ κλίνας τὴν κεφαλὴν, πάντων τῶν ἁγίων μαρτύρων κλινάντων, τεσσάρων δὲ ἐξ αὐτῶν ὑποστηριζόντων καὶ διαβασταζόντων τὰ στήθη αὐτοῦ καὶ τοὺς βραχίονας, ὥσπερ οἱ δύο τὸν Μωϋσέα ἐπὶ τοῦ ὄρους,] καὶ προσελθών τις τῶν δορυφόρων, ἀπέτεμεν αὐτοῦ τὴν κεφαλήν. Καὶ συνδραμὸν τὸ πλῆθος τῶν ἁγίων μαρτύρων, περιέχριεν αὐτῶν * τὰ σώματα ἐκ τοῦ αἵματος τοῦ ἁγίου Ἀρέθα, ὡς θαυμάζειν καὶ δακρύειν ἐπὶ πολλὴν ὥραν τοὺς ἐπιτραπέντας ἀνελεῖν αὐτόν. Καὶ οὕτως οἱ ἅγιοι, κλίναντες τοὺς αὐχένας, ἐτελειώθησαν πάντες, ἐν μηνὶ ὑπερβερεταίῳ *, ὃς ἔστιν ὀκτώβριος, κδ̄, ἰνδικτιῶνος δευτέρας.

* A παρ... Χριστὲ omittit

* A ἔμπροσθεν

* A ἐμπροσθ.

* A κατακ.

* A ἁμαρτιων.

* A Σηὼν.

* A πρὸς ἀλλήλους, λέγοντες μετὰ κλαυθμοῦ·

* A ἑαυτῶν

* A ὑπερβερ. ἰνδικτ. δευτέρας.

sacras eorum reliquias avibus cæli et bestiis terræ in ¦prædam derelinquí *r*. Quum itaque ad locum hunc pervenerunt sancti Christi martyres, constiterunt, in altum sublatis oculis et mente ad Deum excelsum, et in hunc modum clamantes : « Jesu Christe, adesto in auxilium nobis et perfice nos. Jesu Christe, robora nos ad perficiendum hoc martyrium. Jesu Christe, fiat sanguis servorum tuorum propitiatio et remissio christianis quos persequitur et occidit impius rex. Jesu Christe, ecce confessi sumus te coram hominibus; et tu confitere nos coram sanctis angelis tuis. Jesu Christe, erige templum tuum subversum et exustum a tyranno. Jesu Christe, fac misericordiam cum iis qui memores sunt nostri, et benedic omnibus quibus confessio nostra in pretio est, tribuens eis remissionem peccatorum. Jesu Christe, extolle *s* cornu christianorum Græcorum, et regnum impiorum Judæorum da christianis, qui facient voluntatem tuam. Jesu Christe, feri impium istum et radicem ejus, ut Pharaonem et Amalec et Sehon et Og *. Jesu Christe, concede nobis videre spectaculum gloriæ tuæ et bonum nuntium accipere a sanctis angelis tuis citatæ ruinæ impii regis et subversæ superbiæ Judæorum. » Post quam orationem clamaverunt omnes flentes et dicentes : « Pax vobis in osculo sancto. » Dixit vero iis sanctus Arethas : « Pax data a Christo crucifixo suis discipulis sanctis, sit vobiscum, fratres. Amen. » Et inclinato capite, cunctis martyribus caput quoque inclinantibus, quatuor vero ex iis sustentantibus humeros et brachia ejus, ut Moysen* olim in monte, exiens unus militum abscidit caput ejus. Tunc concurrente omni martyrum multitudine, sibi corpora unxerunt sanguine *t* sancti Arethæ, ita ut mirarentur et flerent diu quibus commissum erat ut eos interficerent. Sicque sancti, inclinatis cervicibus, martyrium consecuti sunt omnes, mense hyperberetæo, qui est octobris, die 24 *u*, indictione secunda *w*. »

AUCTORE ANONYMO. EX MSS. *r*

* Exod. XVII, 12.

s

t

u

w

ANNOTATA.

C a Die sequenti. *Hujusmodi locutio et aliæ similes frequenter obviæ sunt in Actis; quam ob rem, uti et propter narrationem ipsam, ab omni fuco alienam, quin rerum gestarum seriem servent accurate, non dubito.* F

b *Hi martyres* 340 *tot proceres fuere civitatis Negranæ; vide Comment. n.* 142 *sq.*, 6° *et* 10°.

c *Objurgat* S. Aretham *in epistola Dhu Nowasus, quod* bellum adversus *se* molitus sit. *Comment. n.* 154.

d A, Καὶ πῶς τὸν τηλικαύτην εὐεργεσίαν εἰς ἡμῶν σωτηρίαν ποιήσαντα ἀρνηθείημεν;

e *Epistola Simeonis, Comment. n.* 155: Enim vero reges, quos vidi multos, pacta conventa servant, *etc.*

f *Vide Comment. ibid. Metaphrastes:* πέμπτον γὰρ ἤδη καὶ ἐνενηκοστὸν χρόνον ἀνύω. *Concinit codex Armenius* Djarrentir.

g *Comment. loc. cit.*

h *Idem habet Simeon Beth-Arsamensis:* Rebus insuper belli domique gestis, non modicam, Christo favente, collegi famam. *Comment. n.* 155.

i *Cfr Comment. n.* 140.

k *Eadem prophetia continetur epistola Simeonis, Comment. n.* 155, *et propterea, quin facta sit ab inclyto martyre, nullus dubito. Etenim dum scribebat Simeon, principio anni* 524, *nulla adhuc ex parte prophetia compleri cœperat. Floruit vero deinceps religio christiana Negranæ a victoria Elesbaæ, anno* 525, *usque ad natam sectam mahumeticam, seu* 100 *circiter annos: quamquam extremo sæculo* VI *hæresi infici cœperunt Negranenses, in primis quo tempore Homeritis Persæ dominari cœperunt.*

l *Totus hic numerus* 18 *undequaque convenit cum epistola Simeonis Comment n.* 156; *solo fine excepto, in cujus locum hæc habet scriptor Syrus:* Ecclesia vero quemcumque ex tribus agris patrimonii mei elegerit, habeat sibi ad fabricæ expensas. *Præplacent verba Actorum, quum non*

 videatur

AUCTORE E. C.

videatur facile dicendum S. Arethæ *Negranæ principi et regulo, agros tantum tres fuisse, quanticumque fuerint.* D

m *Vide annot.* l.

n *Idem habet codex Armeniacus* Djarrentir. *Non tamen persuadetur mihi ex hoc loco Actorum, permisisse Dhu Nowasum tyrannum ut tam prolixe martyres loquerentur coram se. Sermones multos* Rumæ *et* Arethæ *collegisse christianos Negranenses haud dubito, quum eos referant non sola Acta nostra, sed etiam epistola Simeonis; verum prolocuti hæc fuerint martyres partim in carcere et coram concivibus suis.*

o *S.* Arethæ *ante ceteros, tanquam Negranæ principi, porrigebatur calix sanguinis Domini; et nunc eadem de causa primus inter proceres calicem martyrii bibet.*

p *De usu antiquissimo signi crucis nota sunt verba Tertulliani, Cyrilli Hierosolymitani et innumerorum pœne veterum scriptorum.* Fac signum crucis et manducans et bibens, *ait Cyrillus catechesi* IV, et sedens et cubans, et stans et loquens, et ambulans et in summa in omni tuo negotio.

q A *omittit verba:* τὸν λεγόμενον Ὀβεδιανὸν. *Torrens iste ab Arabibus dicebatur* wadi, *ex quo a Syris et Chaldæis dictus est* vadio, *vel* vadia, *ut apparet ex Simeone Beth-Arsamensi* (1). *Inde nullo negotio deducitur nomen Græcum* Ὀδίας, *quemadmodum apud Metaphrastem legitur. Sic enim habet scriptor iste cap.* 21 : Ὁ βασιλεὺς... εἴς τινα χειμάῤῥουν Ὠδίαν, οὕτω καλούμενον, ἀπενεχθέντας, ἐκέλευσεν ἀποτμηθῆναι τὰς κεφαλάς. *In exemplo Actorum antiquiorum S.* Arethæ, *quod hic typis mandatur, perperam scribi* Ὀβεδιανός *monuimus Comment. n.* 163.

r *Ex his confirmatur non omnium martyrum corpora fuisse igne absumpta, Comment. n.* 162 *sqq.; quamvis id insinuet Mahumetes et qui de ejus Corano commentati sunt. Verum tam magistrum (qui Mariam matrem Jesu a Maria sorore Moysis distinguere non potuit), quam discipulos, infelices esse historicos passim notum est. Aucherius hoc loco* (2) *ita codicem suum interpretatur (quantum ex schedis meis judico) ut dicat capita in terram infossa esse, corpora vero civibus et feris in prædam data.* B E

s A : ὕψωσον τὸ κέρας χριστιανῶν, καὶ κράτυνον τὰς βασιλείας αὐτῶν, Ῥωμαίων καὶ Αἰθιόπων, καὶ τὴν βασιλείαν ταύτην παράδος.

t *Cfr Comment. n.* 157.

u A *diem omittit:* ἐτελειώθησαν πάντες, μηνὶ ὑπερβερεταίῳ, ἰνδικτιῶνος δευτέρας. *Codex Armenius similiter mensem* hyperberetos *habet hoc loco. Sæculo sexto Syri christiani jamdudum menses suos composuerant ad menses julianos, ac ipsorum* hyperberetæus, *seu* thisri prior *conveniebat cum mense octobri; cfr Comment. n.* 203.

w *De anno martyrii vide Comment. n.* 132.

CAPUT V.

Martyrium pueri quinquennis ejusque matris; pueri permulti servituti addicuntur.

Libertas mulieris christianæ, quæ flammis addicitur: currit ejus filius quinquennis ad regem, qui diu

Mulier autem quædam christiana, tenens filium suum, qui erat annorum quatuor aut quinque *a*, vidensque quomodo adstantes benedicerent sanctis et isti facies suas sanguine sancti Arethæ ungerent, accurrit, et sumens de ejus sanguine *b*, signavit sese ac filium suum; et clamavit dicens : « Contingat regi Hebræorum ut Pharaoni. » Statim vero comprehenderunt eam, et duxerunt ad regem Hebræorum. Is terram effodi jussit, immittique in foveam *c* ligna, et sulphur, et picem, ignemque accendi, et confecto camino, in eum projici mulierem. Dum itaque eam famuli vinciebant, infans, viso rege in loco excelso sedente, ad eum cucurrit usque ad magnum tentorium (nolebat enim in urbe commorari, sed habitabat in tentoriis), et amplexus est pedes regis ac deosculatus est eum. Rex vero, extensis manibus, assumpsit eum in sinum suum, et dixit blandiens : « Dic mihi, puerule, quid prodest tibi, vel abire cum matre, vel manere mecum, ita ut adoptem te? » Respondit puer : « Cum matre manere mihi prodest. Dixit enim mihi : Veni, fili; martyres simus ut omnes. Et dixi : Mater, quid

a
b
c

Μία δὲ γυνὴ χριστιανή, [ἔχουσα τὸν ἴδιον υἱόν, ὡς ἐτῶν τεσσάρων ἢ πέντε, ἑστῶσα καὶ θεασαμένη πῶς εὐλογοῦντο οἱ ἅγιοι καὶ περιέχριον τὰς ὄψεις αὐτῶν ἐκ τοῦ αἵματος τοῦ ἁγίου Ἀρέθα, συνδραμοῦσα ἔλαβεν F τοῦ αἵματος αὐτοῦ, καὶ κατασφραγισαμένη ἑαυτὴν καὶ τὸν ἑαυτῆς υἱόν, ἔκραζεν λέγουσα · « Ἔστω τῷ βασιλεῖ τῶν Ἑβραίων ὡς τῷ Φαραώ! » Καὶ εὐθὺς κρατήσαντες αὐτὴν, ἤγαγον πρὸς τὸν] βασιλέα τῶν Ἑβραίων. Ὁ δὲ βασιλεὺς ἐκέλευσεν ὄρυγμα γενέσθαι βοθύνου *, καὶ ἐμβληθῆναι ἐν αὐτῷ ξύλα καὶ θεῖον καὶ πίσσαν, καὶ ὑφάψαι πῦρ καὶ ἀποτελέσαι κάμινον, καὶ οὕτως ῥιφῆναι τὴν γυναῖκα. Ὡς οὖν οἱ ὑπηρέται ἐδέσμευον αὐτὴν, τὸ νήπιον θεασάμενον τὸν βασιλέα καθήμενον ἐφ' ὑψηλοῦ τόπου, δρόμῳ * παρεγένετο πρὸς αὐτὸν, ἕως * τῆς μεγάλης σκηνῆς · οὐ γὰρ ἤθελε μεῖναι εἰς τὴν πόλιν, ἀλλ' ἐν σκηναῖς · καὶ περιεπλέκετο τοῖς ποσὶ * τοῦ βασιλέως, καταφιλῶν αὐτόν. Καὶ ἐκτείνας τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ἐνηγκαλίσατο αὐτὸ εἰς τὸν ἴδιον κόλπον, καὶ κολακεύων λέγει αὐτῷ· « Εἰπὲ, παιδίον · τί συμφέρει σοι, πορευθῆναι * μετὰ τῆς μητρός σου, ἢ εἶναι μετ' ἐμοῦ; καὶ τεκνοποιοῦμαί σε. » Τὸ παιδίον λέγει · « Μετὰ τῆς μητρός μου συμφέρει μοι · τούτου γὰρ χάριν ἔλεγον* αὐτῇ, εἰρηνυίᾳ μοι · Δεῦρο, τέκνον · μαρτυρήσωμεν καθὼς πάντες · Καὶ λέγω αὐτῇ · « Μῆτερ, τί ἐστι μαρτυρῆσαι; καὶ λέγει μοι · Ἀποθανεῖν

*A omitt. dein: καὶ ἐμβαλεῖν εἰς αὐτο

* A δ'ρομαῖον
* A ἕως... σκηναῖς omitt.
* A π. αὐτοῦ καταφιλῶν.
* A πορευθῆναι ἢ μεῖναι.
* A χάρ. ἦλθον ἐγγύς σου. Εἰρηνύας μ.

(1) Ap. Assemani, Bib. orient. tom. I, pag. 376; Comment. n. 137. — (2) Vitæ SS. l. c. pag. 496.

A Ἀποθανεῖν καὶ πάλιν ζῆσαι. » Εἶτα πάλιν λέγει τὸ
* A τεκοῦσάν με παιδίον· « Ἔασόν με ἀπελθεῖν πρὸς τὴν μητέρα* μου,
ὅτι θεωρῶ τοὺς ἀνθρώπους σύροντας * αὐτήν. » Καὶ
* A δεσμοῦντας ἔκραζεν· « Ἀμμᾶ*, ἀμμᾶ · » Λέγει αὐτῷ ὁ βασιλεύς ·
* A Ἀμμά! « Γινώσκεις τὸν λεγόμενον Χριστόν; » ὁ δὲ λέγει ·
« Ναί. » Καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ βασιλεύς · « Πόθεν γινώ-
σκεις αὐτόν; » Λέγει ὁ παῖς · « Ἀληθῶς καθ' ἑκάστην
ἡμέραν ἐθεώρουν αὐτὸν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ὅτε ἀπηρχό-
* A ἠνίκα ἀπίειν l. ἀπήειν. μην * μετὰ τῆς μητρός μου · καὶ εἰ θέλεις ἐλθεῖν μετ'
ἐμοῦ, ἐγώ σοι αὐτὸν δεικνύω. »

A pleonasmo: καλεῖτε λέγετε. 22 Πάλιν εἶπεν αὐτῷ ὁ βασιλεύς· « Ἐμὲ ἀγαπᾷς, ἢ ὃν
καλεῖτε * Χριστόν; » Τὸ παιδίον λέγει · « Τὸν Χριστὸν
ἀγαπῶ, ὅτι αὐτὸν προσκυνοῦμεν· » Λέγει αὐτῷ πάλιν ὁ
βασιλεύς · « ἐμὲ ἀγαπᾷς, ἢ τὴν μητέρα σου. » Λέγει αὐτῷ
ὁ παῖς · « τὴν μητέρα μου. Ἔασόν με λοιπὸν ἀπελθεῖν
πρὸς αὐτήν. » Λέγει αὐτῷ ὁ βασιλεύς · « Διατί οὖν ἐάσας
* A οὐκ... εἰμι omittit. αὐτὴν, καὶ ἦλθες καταφιλῶν μου τοὺς πόδας; Οὐκ *
οἶδας ὅτι ἰουδαῖος εἰμί; » Καὶ εἶπεν ὁ παῖς · « Ἐνόμιζον
ὅτι χριστιανὸς εἶ · καὶ ἵνα ἀπολύσῃς τὴν μητέρα μου. »
Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ βασιλεύς · « ἐγὼ ἰουδαῖος εἰμί,
* A μένειν. ἀλλ' ἐὰν θέλῃς εἶναι * ἐγγύς μου, δίδωμί σοι κάρυα
* A δίδω. καὶ σῦκα καὶ σῦκα, καὶ εἴ τι ἄλλο θέλεις. » Τὸ δὲ
παιδίον εἶπεν · « Ἔασόν με ἀπελθεῖν πρὸς τὴν μητέρα
B μου · οὐδὲν γὰρ λαμβάνω ἀπὸ σοῦ · ὅτι ἰουδαῖος εἶ.
« Λέγει ὁ βασιλεὺς τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ · « Βλέπετε
τὴν κακὴν ῥίζαν ταύτην, πῶς μετὰ συνέσεως ἀποκρί-
νεται; » Τότε λέγει αὐτῷ εἷς τῶν παρισταμένων ·
« Ἔρχου μετ' ἐμοῦ, καὶ ἀποφέρω σε εἰς τὴν βασίλισ-
σαν. » Τὸ δὲ · « Οὐκ » ἀπεκρίθη αὐτῷ. Ἰδὸν μακρόθεν
* A ἐμμίφη ἡ μ. α. εἰς ὅτι ἐσύρθη ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ ἐβλήθη * εἰς τὴν κάμινον,
ἔκλαιε, λέγον · « Τὴν μητέρα μου θέλω. » Καὶ παρε-
* A παρεδιάζετο ἀναστῆναι βίαζον * αὐτὸ στῆναι. Ὁ δὲ βασιλεὺς ἐπεῖχεν αὐτό.
[Τότε δράσσεται τοῦ μηροῦ τοῦ βασιλέως καὶ δάκνει
αὐτόν. Ὁ δὲ παρέδωκεν αὐτὸν ἑνὶ τῶν μεγιστάνων
αὐτοῦ, λέγων · « Παράλαβε καὶ ἀνάτρεφε αὐτὸ, καὶ
δίδασκε ἰουδαΐζειν. » Ἦγετο οὖν τὸ παιδίον χειροκρα-
τούμενον ὑπ' αὐτοῦ. Ὡς δὲ συνέβη αὐτὸν ἀπαντῆσαι]
ἑτέροις ἄρχουσι, καὶ διηγεῖτο αὐτοῖς ποῖα ῥήματα
* A τὸν βασιλέα, ἐλάλει τὸ παιδίον, καὶ πῶς ἔδακεν τὸν μηρὸν * τοῦ
βασιλέως, ἱσταμένων αὐτῶν οὐ μακρὰν τῆς καμίνου,
τὸ παιδίον ῥεῦσαν ἀπ' αὐτῶν ἀπῆλθε καὶ μετὰ δρό-
μου ἔῤῥιψεν ἑαυτὸ εἰς τὴν κάμινον, καὶ ἐτελειώθη
μετὰ τῆς μητρὸς αὐτοῦ. Τότε πάντες οἱ μεγιστάνες
* A δυνατοὶ καὶ οἱ δυνάσται * προσέπεσον τῷ βασιλεῖ, αἰτούμενοι
ἄνεσιν δοθῆναι τοῖς ὑπολειφθεῖσι χριστιανοῖς, καὶ εἰ
βούλοιτο, πάλιν μετ' ὀλίγον χρόνον κινῆσαι διωγμὸν
κατὰ τῶν ὑπολοίπων.

C 23 Συνάξας δὲ πάντα τὰ παιδία τὰ ἀπὸ δεκαπέντε
ἐτῶν καὶ κατωτέρω, εἴτε ἀρσενικὰ, εἴτε θηλυκὰ, τῶν
εὐγενῶν, καὶ πολιτῶν, καὶ τῶν γεωργῶν, καὶ χειρο-
τεχνῶν, καὶ δούλων, [πάντων χριστιανῶν, τὸν ἀριθμὸν
χιλίων διακοσίων ἐνενηκονταεπτὰ, διεμερίσατο αὐτὰ
καὶ ἐχαρίσατο εἰς δουλείαν πᾶσι τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ
καὶ λοιποῖς] τοῖς ὑπουργήσασιν αὐτῷ ἐν τῷ διωγμῷ
τῶν χριστιανῶν. Καὶ καταδουλοῖ ὁ καταδεδουλωμένος
*A τῆς ἐλευθ... οὐρανῶν omittit. τῇ ἁμαρτίᾳ τὰ τέκνα τῆς ἐλευθερίας * καὶ τῆς ἐπαγ-
γελίας · περὶ ὧν ὁ Χριστὸς εἶπεν · « ἄφετε αὐτὰ, καὶ
μὴ κωλύετε ἐλθεῖν πρός με, τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ
βασιλεία τῶν οὐρανῶν. » Καὶ χαρίζεται εἰς δουλείαν
ὁ παράνομος τὰ τῆς πίστεως τέκνα τοῦ πατριάρχου
Ἀβραὰμ, ἅπερ ἐξηγόρασεν ὁ Χριστὸς ἐκ τῆς κατάρας
τοῦ νόμου τῷ τιμίῳ αὐτοῦ αἵματι. Ὡς ἀληθῶς με-
*A ὡς μέγα. γάλα * καὶ φοβέρα * τὰ θαυμάσιά σου, Κύριε · καὶ
* A θαυμαστὰ τὰ ἔργα Κυρίου! τίς ἱκανὸς ἐξιχνιάσαι τῆς * οἰκονομίας σου τὸ μυστή-
* A τὴν αὐτοῦ μακροθυμίαν; ριον; Παραυτὰ γὰρ τὸ τοὺς ἁγίους πάντας τούτους
τελειωθῆναι, καὶ τοὺς παῖδας διανεμηθῆναι · ἐν τῷ
βουλεύεσθαι ὑποστρέφειν τὸν παράνομον εἰς τὴν βασι-
λεύουσαν αὐτοῦ πόλιν, ἄφνω πῦρ οὐράνιον πολὺν ἐφάνη
εἰς πλῆθος ἐπὶ τὴν ἑπταάστρον ἄρκτον, καὶ ἐπλήρου τὸν
οὐρανὸν, ἐκφοβοῦν καὶ ἐλέγχον πάντας τοὺς πολεμοῦν-
* A ὀψὲ. τας τὸν Κύριον ἐπί ἡμέρας τεσσαράκοντα ἀπὸ ἑσπέρας*

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

est martyrem esse? Et respondit : Mori, et iterum vivere. » Tunc dixit puer : « Sine me abire ad matrem, quia video homines trahentes eam. » Et clamavit : « Mamma, Mamma! » Rex vero dixit : « Noscis quem vocant Christum? » Et respondit : « Utique. » Rex iterum : Unde noscis eum, inquit. « Vere, ait puer, singulis diebus *d* videbam eum in ecclesia, quando ibam cum matre mea; et si vis mecum ire, eum tibi monstro. » *d*

sed frustra ad deserendam fidem et matrem eum hortatur: quacum comburitur;

22 Rursum dixit ei rex: « Me amas vel quem vocatis Christum? » Puer vero : « Christum amo, inquit, quia adoramus eum. » Iterum rex : « Me amas vel matrem tuam? » Respondit puer: « Meam matrem. Sed sine me jam abire ad eam. » « Cur igitur reliquisti eam, ait rex, et venisti ad me deosculans pedes meos. Nescis judæum me esse. » Cui puer: « Cogitabam christianum te esse, et veni ut liberares matrem meam. » Et dixit ei rex : « Judæus sum ego, sed si vis mecum esse, do tibi nuces et amygdala et ficus, et quidquid volueris. » Respondit puer : « Sine me abire ad matrem; et nihil accipio a te quia judæus E es. » Tunc dixit rex suis magnatibus: « Videte perversam hanc radicem, quomodo sapienter respondeat. » Unus vero adstantium : « Veni mecum, inquit, puer, et duco te ad reginam. » « Non » respondit ille. Et videns a longe, trahi matrem suam et projici in caminum, flevit, dicens: « Volo matrem meam. » Sed coëgerunt eum manere, et rex eum retinuit. Puer vero apprehendit femur regis, et momordit *e*; tradiditque eum rex uni procerum suorum dicens: « Sume eum ac nutri, et doce eum judaizare. » Duxit itaque puerum, eum manu tenens, et quum obvius fieret aliis proceribus, narrabat eis quæ verba puer dixisset, et quomodo momordisset regem: quo tempore, quum non procul essent a camino, effluens *f* puer ex eorum manibus, cucurrit projecitque sese in caminum, et sic cum matre martyr factus est *g*. Tunc omnes magnates et proceres, procidentes coram rege, rogarunt eum ut condonaret reliquis christianis *h*, et, si vellet, iterum brevi post tempore persecutionem moveret. *e* *f* *g* *h*

pueri 1297 in servitutem rediguntur. Prodigium in cælo.

23 Rex vero, congregatis omnibus pueris, ab ætate annorum quindecim et infra, utriusque sexus et cujuscumque conditionis, sive a nobilibus essent geniti, a civibus, agricolis, opificibus, vel servis, dummodo christiani essent, numero mille ducentis nonaginta septem, distribuit illos tradiditque in servitutem cunctis proceribus suis ac ceteris qui eum in persecutione christianorum adjuverant. Et qui servus erat peccati in servitutem redigit filios libertatis et promissionis, de quibus dixit Christus : « Sinite illos, et nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cælorum*. » Traditque in servitutem impius rex filios fidei patriarchæ Abraham, quos redemit Christus e maledicto legis pretioso suo sanguine. Vere magna et mirabilia sunt opera tua, Domine, et quis poterit investigare Providentiæ tuæ mysterium! Statim enim ac completum erat horum omnium sanctorum martyrium et distributi sunt pueri *i*, quum redire vellet impius in urbem suam primariam *k*, apparuit subito ignis cælestis ingens supra septemtriones *l*, replevitque cælum, terrens

* Matth. XIX.

i *k* *l*

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

rens et arguens diebus quadraginta a vespera ad mediam noctem omnes qui pugnabant adversus Dominum; intusque nubes ignea pulverem concitabat et favilla ebulliens quasi e fornace reperiebatur super faciem terræ *m*.

m *Laus civitatis Negranæ.*

24 O civitas terrestris, habens altitudinem cælestem et tamquam spiritualia sidera martyres et confessores! O civitas non dissoluta a principe spirituum potestatis tenebrarum! Nam spiritualia tua sidera excelso volatu per aëra veniunt in occursum Domini *. O civitas imitata Jerusalem sublunarem, cujus montes in circuitu ejus et Dominus in circuitu populi sui, ex nunc et in sæcula*. O civitas, arx Sion secunda, quæ facta es spectatrix evangelizantium verbum Dei, et pro eo usque ad mortem pati eligentium. Negran vocata es, juxta Hebræorum dailectum *n*, siquidem usque ad cælos quasi tonitru insonuit passio sanctorum, qui in te martyrium Christi sunt imitati. Negran quoque es vocata quia obices *o* et portas tuas, et columnas martyrum et confessorum non contrivit qui ex adverso est. O civitas tanquam fons scaturiens, educensque aquas rationales vivas, quæ visæ sunt oculis insipientium mori, sed iis, qui in æternum vivunt, fluentia inter populum ex tanta sanctorum martyrum multitudine: Paradisum te vocabo; habesque doctrinas pingues eorum qui usque ad sanguinem resistunt peccato, ac firma fuisti et inexpugnabilis in petra fidei. O civitas affligens in tribulatione sua omnia regna terræ, et lætificans in instauratione sua multitudinem cælestium potestatum. Sicut dicit propheta * de tribus impietatibus, et hic imitatur rex scelestissimus impietatem secundam et tertiam, et operatur super quo non convertat eum Dominus. Quapropter in te percussit Dominus Deus impium et injustum regem, ut Pharaonem quondam in mari rubro.

* Thess. IV, 17.

* Ps. CXXIV.

n

o

B

μέχρι μεσονυκτίου · καὶ ἔσωθεν * τὸ πύρινον νέφος ἐποίει κονιορτὸν, καὶ αἰθάλη ζέουσα καμιναία εὑρίσκετο ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς.

* A ἔωθεν.

24 Ὦ πόλις ἐπίγειος, ἔχουσα τὸ ὕψος αὐτῆς οὐράνιον καὶ τοὺς λογικοὺς ἀστέρας τῶν ἀθλοφόρων καὶ ὁμολογητῶν! ὦ πόλις μὴ διαλυομένη ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος τῶν πνευμάτων τῆς ἐξουσίας τοῦ * σκότους! Οἱ γὰρ νοεροί σου ἀστέρες εἰς ἀπάντησιν τοῦ Κυρίου εἰς ἀέρα ὑψιπετοῦσιν. Ὦ πόλις μιμουμένη τὴν ἐπουράνιον * Ἱερουσαλὴμ, ἧς ὄρη κύκλῳ αὐτῆς, καὶ ὁ Κύριος κύκλῳ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Ὦ πόλις, Σιὼν ἀκρόπολις * ἡ δευτέρα, ἡ γενομένη κατασκοπευτήριον τῶν εὐαγγελιζομένων εἰς ἀγαθὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ ὑπὲρ αὐτοῦ μέχρι θανάτου παθεῖν ἑλομένων. Νεγρὰν ἐκλήθης, κατὰ τὴν Ἑβραίων διάλεκτον, ἐπεὶ ἐβρόντησε μέχρις οὐρανῶν ἡ ἄθλησις τῶν ἁγίων τῶν ἐν σοὶ μιμησαμένων τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ! Νεγρὰν ἐκλήθης ὁμοίως, ὅτι τοὺς μοχλοὺς καὶ τὰς πύλας σου, καὶ * ἃς ἠθέλησας στήλας τῶν ἀθλοφόρων καὶ ὁμολογητῶν, οὐ συνέτριψεν ὁ ἀντικείμενος *! Ὦ πόλις πηγάζουσα ὕδατα διάφορα λογικὰ ζῶντα, δόξαντα ἐν ὀφθαλμοῖς ἀφρόνων * τεθνάναι · τὰ δὲ εἰς τὸν αἰῶνα ζῶσι λιμναζόμενα μεταξὺ τοῦ δήμου τῶν ἁγίων μαρτύρων τῷ πλήθει · παράδεισόν σε καλέσω, ἀλλ' ἔχεις τὰς τροφοφόρους διδασκαλίας τῶν μέχρις αἵματος καὶ σαρκὸς * ἀντικαθισταμένων πρὸς τὴν ἁμαρτίαν * · καὶ ἱσταμένη ἑδραῖα καὶ ἀμετακίνητος ἐπὶ τὴν πέτραν τῆς πίστεως. [Ὦ πόλις, ἡ λυπήσασα ἐν τῇ θλίψει αὐτῆς πάσας τὰς βασιλείας τῆς γῆς, καὶ χαροποιήσασα ἐν τῇ ἀνακαινίσει αὐτῆς τὰ πλήθη τῶν οὐρανίων δυνάμεων. Ὡς φησὶν ὁ προφήτης ἐπὶ ταῖς τρισὶν ἀσεβείαις, καὶ ἐνταῦθα μιμεῖται ὁ παμμίαρος τὴν καὶ δευτέραν καὶ τρίτην ἀσέβειαν, καὶ ἐργάζεται ἐξ ἧς οὐκ ἀπεστράφη ὁ Θεὸς]. Διότι* ἐν σοὶ ἐπάταξεν Κύριος ὁ Θεὸς τὸν ἀσεβῆ καὶ παράνομον, καθὼς ποτε τὸν Φαραὼ ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ.

* A τ. ἀέρος τοῦ

* A ἐπίγειον

* A ἁκ. Σ.

* A κ. τὰς νοερὰς στήλ. τ.

* A καὶ ἀλάστωρ τύραννος!

* A ἀνθρώπων

* A κ. σ. omittit.

* A παρανομίαν! Ὦ πόλις ἡ λυπ...

* A ἀλλ' ἐν αὐτῇ ἐπ.

ANNOTATA.

a *Vide Comment. n.* 158.

b *Cfr num.* 20 *cap. præcedentis, circa finem.*

c *Ex his videretur fovea aliqua peculiaris pro hac femina effossa fuisse; vide Comment. n.* 159 *sq. et* § *XV.*

d *Sæculo sexto quotidie liturgia celebrabatur in oriente, non tamem ætate S. Basilii* (1); *quamvis jamdudum tum id fieret in patriarchatu Romano.*

C e *Idem habet Simeon Betharsamensis Comment. n.* 159. F

f A, ῥέψαν αὐτὸν τὸ παιδίον, δρομαῖον ἀπελθὼν ἔῤῥιψεν ἑαυτὸν... Scripto κλέψαν, *inquit Boissonadius,* lectio codicis A potest servari.

g *Matrem dicit Simeon Beth-Arsamensis capite truncatam, de martyrio vero pueri silet. Plura addit de mirando puero Joannes Ephesi, sive Asiæ episcopus, quæ ut polliciti sumus comment. n.* 160, *hic describemus. Recitata scilicet epistola Simeonis, quam nos commentario prævio inseruimus, in hæc verba Joannes prosequitur :* De puero hoc parvulo, de quo in superiori martyrum historia narratur. — Æquum visum est haud silentio præterire parvulnm illum puerum, qui in præcedenti historia regem in femore momordisse dicitur, ac dixisse : Sine me, quæso, ad matrem ire et cum illa mori : quemque apprehensum tyrannus, quum videret quod sibi nequaquam morem gereret, cuidam ex procerum suorum numero educandum tradidit, ut adultus, nisi Christnm abnegaret, necaretur. Nam quum Æthiopes regem illum interfecissent, ac omnes Homeritidos judæos delevissent, puer ille intentatam necem evasit, adolevitque. Quum vero ejus fama ad christianum regem, qui ibi constitutus fuerat, perlata fuisset, adductum in aulam puerum educari jussit, donec ephebos excederet. Tum vero eum velut Christi martyrem complexus, principem patriciorum creavit, et secretorum consiliorumque suorum conscium esse voluit. Baisar (*ad lit.* Baissar) is dicebatur. Eum denique ad Justinianum imperatorem legatum misit, et nos diu cum ipso versati sumus. (*Quum Justinum I, sive Thracem, more orientalium, etiam Justinianum vocet Joannes, Comment. n.* 121; *nescimus num hic Justinianum significet, qui anno* 565 *diem obiit, vel qui in ejus locum successit, Justinum II*). Admirabamur autem in primis bonam viri voluntatem, mansuetudinem, animi demissionem et ingenuitatem, quam in ipsius vultu videre erat : nec

(1) Acta SS. tom. II junii, pag. 82.

non

A non assiduam compunctionem, et continuam mentis in Deum elevationem : nam a mane usque ad vesperam ecclesias urbis regiæ (*sive* imperatoriæ) perlustrans, orabat, et stipem pauperibus ex iis quæ ab imperatore ipsi suppeditabantur, erogabat. Jejunium vero usque ad vesperam quotidie producebat (*in quo monachos Ægyptios imitabatur*) (1). Denique quum omnes probitatem viri obstupescerent, et hæc aliaque de ipso narrarent, tunc demum compertum fuit, eum esse parvulum illum puerum qui judæum (*Dunaan seu Dhu Nowasum*) abnegavit, insuper et contumeliis affecit, et in femore momordit. Hic vero ægre ferebat ista divulgari. Hæc de martyre Dei. *Narratio Joannis hoc loco Actis nostris præferenda est, quum dicat se cum Baisar, sive Baitsar, diu versatum esse; nec satis est dicere eum fuisse unum e pueris aliis mille ducentis quos Dunaan proceribus suis in servitutem tradiderat, propter id solum quod ex christianis essent geniti. Act. n.* 23. AUCTORE E. C.

h Ut condonaret reliquis christianis. *Martyres fuere Negranæ* 4,252; *sed multo plures christianos illic fuisse, ex iis quæ in Commentario prævio disputata sunt nullo negotio conficitur.*

i A *plura addit :* διανεμεθῆναι, καὶ τὸν υἱὸν τῆς ἀνομίας, τὸν ἐπαιρόμενον κατὰ τοῦ δημιουργοῦ καὶ ζωοποιοῦ Θεοῦ, ἐν κρίσει φοβερᾷ ληφθῆναι. Ὡς γὰρ ὑπέστρεφεν ἐπὶ τὴν βασιλεύουσαν πόλιν.

k *Scilicet Tapharon, de qua vide Comment.* § *IV.*

l A ἐφάνη πολὺ πλῆθος (forsan πολυπληθές. *Boissonadius*) ἐπὶ τὴν γῆν ἐπὶ τὴν ἑπτάαστρον ἄῤῥητον. Ἑπτὰ ἀστέρες *dicuntur Pleiades ap. Cangium in Glossario; et Eratosthenes in Catasterismis cap.* 23 *eas* ἑπτάστερον *vocavit* (2). *Eædem significantur forte in libro Armenio* Djarrentir, *ubi tamen dicitur ignis apparuisse* supra heptaastron Orionem (3); *apertissime Kalendarium Armenium,* (4) : Et his 40 diebus noctu magna et terrenda signa apparuerunt in cælis prope Pleiadas. *Attamen Aucherius, paraphrasi complexus hunc locum libri* Djarrentir, *eum istum in modum interpretari conatur* (5) : Apparuit his diebus noctu in cælo in parte septemtrionali ignea visio, quam naturalistæ auroram borealem vocant, quæ durabat a vespera ad mediam noctem per 40 dies. Sed ista visio,
B licet naturalis, effectus tunc habebat supra naturam : fluebat enim tamquam fornax ignea super terram. *His plurima opponere licet. Et primo quidem in Arabia rarissima esse et forte numquam contingere phænomena, quæ auroras boreales vocant. Deinde numquam prorsus auditum esse de hujusmodi aurora, quæ duraverit noctes quadraginta. Tertio, Græcum* ἑπτάζερον, *vel* ἑπταάζερον, *ut habent Acta, non dici, præterquam in solo nostro codice* B, *de septemtrionibus, sed de solis Pleiadibus. Quapropter arbitror hic significari lumen zodiacum, vel zodiacale, ut vocant, quod in regionibus meridionalibus, iis in primis quæ inter tropicos jacent, valde conspicuum est, et quod sese continet intra zodiacum, seu lineam eclipticam : unde sibi nomen mutuavit. Etenim consequitur inde, siquidem a circulo finiente, seu ab horizonte procedens, ultra gradum interdum centesinum perveniat, frequenter illud Pleiadas contingere, quæ in signo Tauri, in medio fere zodiaco lucent. Reapse in Europa lumen zodiacum usque ad Pleiadas pertingens, medio sæculo XVII, mense februario, vidit scriptor Anglus Chesney, et anno* 1843, *mense martio, notissimus astronomus F. Arago* (6), *ac aliis temporibus alii, ut conjicere est : modumque similem phænomeni observavit in America Alexander de Humboldt, inter gradus latitudinis septemtrionalis* 10° *et* 14°. *Insuper aliquando per noctes continuas quadraginta illud apparere, patet ex iis quæ de Astequorum gente Americana idem scribit; visum esse scilicet ab illis hujusmodi lumen anno* 1509 *per noctes item* 40, *ut legit in illius gentis codice ms., qui Parisiis in Bibliotheca imperatoria adservatur. Dixere porro nonnulli, ante Chesneyum lucem zodiacam numquam conspectam fuisse : quod, ut ex dictis manifestum, Humboldio non probatur. Sed et Mairanus in libro* De aurora boreali *lumen zodiacum agnoscere sibi visus est in phænomeno, quod Roma capta ab Alarico apparuisse Nicophorus scribit* (7). *Citandus fuisset Philostorgius, quem Nicephorus de more expilavit; ex quo patet non anno captæ Romæ, Christi* 410 : *sed anno* 418 *phænomenon fuisse conspectum; et quidem Cpoli, sicut et deliquium solis de quo scribit Philostorgius, cujus diem et horam accurate significat* (8). *Quod si lumen zodiacum hic agnoscendum est (de quo*
C *penes astronomos judicium esto), quum duraverit menses quatuor, facile Negranæ in Arabia, ad latitudinem* 17° 20′, *ad dies* 40 *persistere potuit. Denique advertendum Negranæ conspicuum fuisse phænomenon a vespera ad mediam noctem; unde sequitur, secundum astronomorum positiones, illud ad occidentem apparuisse : et quum eodem tempore illic visæ sint Pleiades, sequitur iterum primis anni mensibus id contigisse. Immo, similiter ex astronomiæ effatis (quod hic explicare longius foret), facta hæc videntur sole versante in signis amphoræ et piscium, seu ab exeunte januario ad martium : et ex iis quæ narrat Simeon Beth-Arsamensis Comment. n.* 131 *sq. pronum est initium phænomeni adscribere mensi januario anni* 524. *Ego sane phænomenon quod in Actis memoratur, potius lumen zodiacum fuisse dixerim quam illud de quo narrat Philostorgius : quod Cpoli visum est ad orientem, tempore æstivo, ac ad menses quatuor perstitit; quodque intra zodiacum minime conclusum, stellam* η *caudæ septemtrionum transgressum est. Notandum vero scribere Philostorgium de iis quæ vidit ipsemet Cpoli. Quam ob rem forte cometes fuit absque nucleo, quales sæpe visi suut. Nemo mirabitur porro ex tali signo Homeritas christianos interitum persecutoris esse auguratos. Memoratur illud signum et in* Senkessar *Æthiopico, non tamen in epistola Simeonis Beth-Arsamensis, ut modo insinuatum.* F

m *Hic desinunt Acta in libro* Djarrentir; *Codex* A : καὶ ἕωθεν εὑρίσκετο τὸ πυρινὸν ἐκεῖνο νέφος ποιούμενον κονιορτὸν καὶ αἰθάλην καμινάιαν ζέουσαν ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. *Quæ si accurata sunt, phænomenon non lumini zodiaco, sed miraculo adscribendum est. Simplicius nonnihil* Djarrentiz : Diebus 40 durabat, a vespera ad mediam noctem, tamquam fornacem calentem fundens supra terram. *Kalendarium autem Armen. post relata superius :* mane vero ignis quasi cinerem fundebat super terram et valde terruit Judæos. — n *Vide annot.* ee *ad cap. I.* — o *V. ibid. annot.* ff.

(1) Du Cange, Gloss. v° μονοστιτεῖν; Cotelerius, Monumenta, tom. I, pag. 63. num. 168. — (2) Cfr Suidas v° πλειάς, col. 3008, edit. Oxon. — (3) Aucher, Vitæ qui sunt in Kalend. Armen. tom. VII, pag. 510. not. 15. — (4) Ibidem. — (5) Ibid. pag. 501. — (6) Arago. Astronomie, tom. II, pag. 192 et seqq. — (7) Niceph. Call. lib. XIII, cap. 36. — (8) Philostorg. lib. XII, cap. 8.

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

D

CAPUT VI.

Dunaan, rex Homeritarum, regibus pluribus persecutionem suadet; Justinus vero imperator hortatur S. Elesbaan, regem Æthiopiæ, ut tyranno Homeritæ bellum inferat.

Dunaan vicinis principibus persecutionem suadet; verum ad eorum unum legatum mittit Justinus imp. et ad eumdem

Tunc scribit dictus alter Pharao ad regem Persarum *a* rogans eum ut omnes christianos illic exsistentes occideret, quemadmodum fecerat ipse, addensque sibi benevolum esse solem et patrem solis *b*, quem Deum esse dicebat Hebræorum. Mittit etiam legatos ad Alamundarum *c* regulum omnium Saracenorum qui sub ditione erant Persarum, nuntians et ipsi quæcumque a se in christianos fuerant perpetrata, hortans ut eadem faciat. Pollicebatur vero eis pondus denariorum ter mille *d*, modo in christianos qui in terris suis degebant B hujusmodi agerent persecutionem. Sed qui mirabilis est in sanctis suis, rex omnium sæculorum, coram oculis habens omni tempore mortem venerandam sanctorum suorum, inspiravit divo Justino, qui tunc Romanis imperabat, ut Abramium presbyterum *e*, virum religiosissimum et Deo dilectum, mitteret ad ipsum Alamundarum, qui et Sacchicas *f* dictus est, ad hortandum eum, ut pacifice ageret cum christianis, qui sub sua erant potestate *g*. Et quum lectæ essent ab Alamundaro execrandi regis litteræ, præsentibus Deo dilecto Abramio et quos a Perside rex Persarum miserat, Simeonio *h* presbytero et apocrisiario *i* orthodoxorum christianorum Persidis, et Joanne subdiacono qui et Mandinus dicitur, et Angæo comite, filio Zet *k*, qui erat ethnarchus christianus omnis coloniæ militaris; advenit eadem super re et Silas, episcopus Nestorianorum Persidis *l*, cum plurimis, obloqui volens et dogmatizare contra orthodoxos Romanos et Persas, simulque placere gentilibus et judæis.

a
b
c
d
e
f
g
h i
k
l

conveniunt tum catholici, tum hæretici, ac utrinque suam doctrinam propugnant.

26 Dicebat vero iste cum suis : « Rogamus regiam tuam majestatem ut jungas te fratri tuo regi Homeritarum; Persæ enim sumus et nos *m* : et innotuit nobis imperatorem Romanorum eorumque sacerdotes agnoscere nunc se hominem crucifixisse et non Deum. Nos enim, instituti scriptis divinis patriarchæ Nestorii, opinamur et sentimus eum qui crucifixus est, hominem potentem fuisse et non Deum. » Et clamabant subsannantes coram gentibus cultui idolorum addictis : « Estne Deus ex muliere genitus, vel coagmentatus sanguine muliebri, vel fasciis involutus, vel esuriens, pavidus, fessus, moriens, ut isti, Angæus et Abramius, Isacius, Joannes, et Romani ac Persæ qui cum illis sunt, docent errantes? Taceant; Deus enim moriens non resurrexit. » Tunc Abramius, Deo dilectus, et qui cum illo erant Romani *n* et Persæ orthodoxi, scindentes vestimenta sua et conspersis terra capitibus suis : « Absit, inquiunt, nam fides Romanorum fundata est in traditione apostolorum et conciliorum, quæ nos docent divinæ Incarnationis mysterium, Deum Verbum scilicet, habitans in utero purissimæ

m

n

Γράφει οὖν ὁ προλεχθεὶς δεύτερος Φαραὼ πρὸς τὸν βασιλέα τῶν Περσῶν, αἰτούμενος αὐτὸν πάντας τοὺς αὐτόθι χριστιανοὺς ἀποκτεῖναι, καθ' ὃν τρόπον καὶ αὐτὸς πεποίηκεν· ἐπὶ τούτῳ εἰπὼν ἔχειν τὸ πλεῖον * εὐμενῆ τὸν πατέρα τοῦ Ἡλίου· ὃν ἔφασκεν Θεὸν εἶναι τῶν Ἑβραίων. Ἔτι τε καὶ πρὸς Ἀλαμούνδαρον, τὸν βασιλίσκον πάντων τῶν ὑπὸ Πέρσας Σαρακηνῶν, ἀποστέλλει πρέσβεις, γνωρίσαι καὶ αὐτῷ πάντα τὰ παρ' αὐτοῦ πραχθέντα εἰς τοὺς χριστιανούς, καὶ προτρέπεται αὐτοὺς τὰ ὅμοια ποῖησαι· ὑποσχόμενος * αὐτοῖς ὁλκὴν δηναρίων τρισχιλίων διδόναι, ἐὰν εἴπερ διωγμὸν ἐπαγάγωσιν ἐπὶ τοὺς χριστιανοὺς τοὺς ἐπὶ τὴν ἐξουσίαν αὐτῶν. [Ὁ δὲ Θαυμαστὸς ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, ὁ βασιλεὺς πάντων τῶν αἰώνων, καὶ ἔχων ἐναντίον διὰ παντὸς τὸν θάνατον τίμιον τῶν ὁσίων αὐτοῦ, ἐνέβαλεν Ἰουστίνῳ] τῷ Θειοτάτῳ, τῷ τότε βασιλεύοντι τῶν Ῥωμαίων, πέμψαι Ἀβράμιον τὸν εὐλαβέστατον καὶ Θεοφιλέστατον πρεσβύτερον, πρὸς τὸν αὐτὸν Ἀλαμούνδαρον, τὸν λεγόμενον Σακίκαν *, καὶ προτρέψαι αὐτὸν σπονδὰς εἰρηνικὰς ποιῆσαι πρὸς τοὺς ὄντας ὑπὸ τὴν αὐτοῦ ἐξουσίαν χριστιανοὺς *. Καὶ τῶν τοῦ μυσαροῦ γραμμάτων ἀναγινωσκομένων, παρόντος τοῦ Θεοφιλεστάτου Ἀβραμίου καὶ τῶν ἀπὸ Περσίδος ἀποσταλέντων παρὰ τοῦ βασιλέως Περσῶν, Συμεωνίου * πρεσβυτέρου καὶ ἀποκρισιαρίου τῶν ὀρθοδόξων τῶν ἐν Περσίδι χριστιανῶν· καὶ Ἰωάννου ὑποδιακόνου τοῦ λεγομένου Μανδινοῦ, παρόντος κόμητος Ἀγγαίου, υἱοῦ Ζήτ, ἐθνάρχου ὄντος χριστιανοῦ τῆς πάσης παρεμβολῆς· παρεγένετο δὲ ταύτης ἕνεκα τῆς ὑποθέσεως καὶ Σίλας, ὁ ἐπίσκοπος τῶν Νεστοριανῶν, ἀπὸ * Περσίδος, μετὰ πλήθους, ὑποκροῦσαι βουλόμενος καὶ ἀντιδογματίσαι τοῖς ἀπὸ Ῥωμαίων καὶ Περσῶν ὀρθοδόξοις, ἀρέσαι βουλόμενος Ἕλλησί τε καὶ ἰουδαίοις.

* A τὸν ἥλιον εὐμ. καὶ τὸν π.

* A ὑποσχ. ὁλκ... ἐπαγάγοι... ἐξουσ. αὐτοῦ.

E

* A τ. λ. Σακικὰς

* A πρ. τοὺς Ῥωμαίων Σαμακηνούς.

* A Συμεωνίτου.

* A νεστ. περσιδος.

26 Καὶ εἶπον· Δεόμεθα τῆς βασιλείας σου ὅπως συμπράξῃς τῷ ἀδελφῷ σου τῷ βασιλεῖ τῶν Ὁμηριτῶν· F καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς Πέρσαι ἐσμὲν, καὶ ἔγνωμεν ὅτι ὁ βασιλεὺς τῶν Ῥωμαίων *, καὶ οἱ ἱερεῖς αὐτῶν ἔγνωσαν νῦν ὅτι ἄνθρωπον ἐσταύρωσαν καὶ οὐ Θεόν. Ἡμεῖς γὰρ οἱ πεπαιδευμένοι ἐκ τῶν θείων γραφῶν * Νεστορίου τοῦ πατριάρχου, οὕτως δοξάζομεν καὶ φρονοῦμεν, ὅτι ὁ σταυρωθεὶς ἄνθρωπος * δυνατὸς ὑπῆρχεν, καὶ οὐ Θεὸς. Καὶ ὡς μυκτηρίζοντες ἔκραζον λέγοντες ἔμπροσθεν τῶν εἰδωλομανῶν ἐθνῶν· « Ἔστι Θεὸς τικτόμενος ἐκ γυναικὸς, ἢ συμφυρόμενος αἵματι γυναικείῳ, ἢ σπαργάνοις ἐνειλισσόμενος *, ἢ πεινῶν, ἢ ἐκφοβούμενος, ἢ κοπούμενος, ἢ ἀποθνήσκων, ὥσπερ οὗτοι, Ἀγγείας, καὶ Ἀβράμιος, καὶ Ἰσάκιος, καὶ Ἰωάννης, καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς Ῥωμαῖοι καὶ Πέρσαι πλανῶνται; Σιωπησάτωσαν· Θεὸς γὰρ τελευτῶν μὴ ἀναστήτω *. » Τότε Ἀβράμιος ὁ Θεοφιλέστατος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ Ῥωμαῖοι καὶ Πέρσαι ὀρθόδοξοι, διασχίσαντες τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ γῆν καταπάσαντες ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, ἐβόων· « Μὴ γένοιτο· ἡ γὰρ πίστις τῶν Ῥωμαίων βεβαία ἐστὶ κατὰ * τὴν παράδοσιν τῶν ἀποστόλων καὶ συνόδων. Διδάσκουσι * γὰρ ἡμᾶς τῆς θείας οἰκονομίας τὸ μυστήριον, ὅτι ὁ Θεὸς Λόγος, ἐνοικήσας ἐν τῇ μήτρᾳ τῆς ἀχράντου Θεοτόκου, ἥνωσεν ἑαυτῷ ἐξ αὐτῆς τῆς συλλήψεως σῶμα νοερὸν ἐψυχωμένον, καὶ γέγονε τέλειος

* A ἱέβραίων

* A διδασκαλιῶν

* A ἀν. τέλειες δυν. ὑπ.

* A ἢ ἐν σπ. εἰλισ.

* A ἀνίστατο.

* A καὶ κατὰ.

* A omitt. usq. Νεστοριανοί εἰσιν.

A λειος ἄνθρωπος, εἷς καὶ ὁ αὐτὸς ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν κατὰ πάντα, χωρὶς ἁμαρτίας · καὶ ἐν μὲν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ ἱστῶμεν τὸ πάθος, ἐν δὲ τῇ Θεότητι αὐτοῦ ὁμολογοῦμεν τὸ κράτος. Οὗτοι δὲ Νεστοριανοί εἰσιν, ἐκβληθέντες μετὰ τοῦ ἀνοσίου αὐτῶν διδασκάλου ἀπὸ τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας · καὶ ἀναθεματισθέντες περιέρχονται [πλαζόμενοι ἀπὸ τόπου εἰς τόπον, ὑποφθεῖραι βουλόμενοι τὰς ψυχὰς τῶν ἁπλουστέρων. »

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

Deiparæ, sibi univisse ab ipsa conceptione corpus et animam et factum esse perfectum hominem : qui unus et idem in omnibus nobis similis factus est absque peccato. Et in carne quidem ejus statuimus passionem, sed in Divinitate confitemur potentiam *o*. Isti vero Nestoriani sunt, ejecti cum suo impio magistro a sancta et catholica ecclesia. Qui anathemate perculsi, circumeunt errantes de loco in locum, corrumpere volentes animas simpliciorum. »

o

27 Τότε οἱ δοῦλοι τοῦ Θεοῦ, ποιήσαντες εἰρηνικὰς συνθήκας πρὸς Ἀλαμούνδαρον, ὑπέστρεψαν, καὶ τὴν δύναμιν] τῶν γραφέντων * ὑπὸ τοῦ Ὁμηρίτου ἀνήγαγον καὶ τὰ κινηθέντα εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ δούλου τοῦ Θεοῦ Ἰουστίνου, βασιλέως Ῥωμαίων, ὃς παραυτίκα γράμματα ἐποίησεν πρὸς Τιμόθεον, τὸν ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας, ὅπως γράψῃ ἡ αὐτοῦ ὁσιότης καὶ ὑπὸ λόγον ποιήσῃ πρὸς * Ἐλεσβαὰν τὸν βασιλέα τῶν Αἰθιόπων, ὅπως στρατοπεδαρχήσας ἐξαλείψῃ πάντας τοὺς παρανόμους μετὰ τοῦ βασιλέως αὐτῶν. Γεγράφηκε δὲ καὶ ἡ αὐτοῦ εὐσέβεια τῷ αὐτῷ φιλοχρίστῳ βασιλεῖ Ἐλεσβαᾷ τάδε· « Οἶδα τὸ χριστιανικὸν * τῆς σῆς ἀδελφότητος · καὶ ἦλθεν εἰς ἡμᾶς ὅτι ὁ ἀντάρτης, ᾧτινι ἐπίστευσας * τὴν βασιλείαν τῶν Ὁμηριτῶν, δραξάμενος καιροῦ, πάντας τοὺς ὑφ' ἡμῶν * σταλέντας χριστιανοὺς Αἰθίοπας μετὰ τῶν εὐρεθέντων ἐκεῖ Ῥωμαίων καὶ Περσῶν χριστιανῶν, φόνῳ μαχαίρας ἀνεῖλεν, μὴ ἐλομένους * ἀρνήσασθαι Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ. Ἀλλὰ καὶ Νάγραν * τὴν πόλιν ἔρημον καὶ ἀοίκητον κατέστησεν. Γεγράφηκε δὲ εἰς Περσίδα καὶ Ἀλαμουνδάρῳ Σακίκᾳ, ἐξαιτούμενος * τὰ ὅμοια διαπράξασθαι εἰς τοὺς ἐκεῖσε ὄντας χριστιανούς. Προτρεπόμεθα τοίνυν καὶ ἐνορκοῦμεν κατὰ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου Τριάδος τὴν σὴν ἀδελφότητα, χεῖρα βοηθείας ἔχουσαν τὴν τῶν ἁγίων ἀγγέλων * δύναμιν, ἐξελθεῖν, εἴτε πλοῇ *, εἴτε πεζῇ, κατὰ τοῦ μυσαροῦ καὶ παρανόμου ἑβραίου. Εἰ γὰρ τοῦτο οἰκνήσει ποιῆσαι ἡ σὴ ὁσιότης *, οὐραγόθεν μὲν ὀργίζεται αὐτῇ ὁ Θεὸς καὶ τῇ αὐτῆς πολιτείᾳ · ἡμεῖς δὲ διὰ Κόπτου καὶ Βερονίκης * τῶν λεγομένων Βλεμμύων * καὶ νομάδων * πλῆθος στρατευμάτων ἐκπέμψαντες, παρόδῳ χρησάμενα τὰ στρατόπεδα ἡμῶν διὰ τῆς γῆς σου, πᾶσαν συντρίψωσι, τὸν δὲ Ὁμηρίτην καὶ τὴν χώραν αὐτοῦ πᾶσαν εἰς τέλειον ἀφανισμὸν καὶ ἀνάθεμα καταστήσωσιν *. »

* A *omittit.*
* A ποιήσῃ Ἐλεσβᾶν
* A χριστιανικώτατον.
* A ἐπιστεύσατε.
* A ὑφ' ὑμῶν ἐλθόντας
* A ἑλομένων
* A Νεγρὰν
* A καὶ αὐτοὺς
* A καὶ ἀρχαγγέλων
* A πλῷ. l. πλοΐ.
* A ἁγνησιότης, q. præf. Boiss.
* A καὶ τ. λ.
* A Βλημμάδων.
* A Νοβάδων
* A συντρίψουσι...καταστήσουσι.

Fœdus ineunt orthodoxi cum Alamundaro; Justinus imp. regem Æthiopum litteris ad bellum hortatur.

Fœdus pacificum *p* cum Alamundaro, reversi sunt; et contenta in literis regis Homeritæ, tum ea quæ facta fuerant, detulerunt ad aures servi Dei Justini, imperatoris Romanorum *q*. Is vero absque mora scripsit ad Timotheum episcopum Alexandrinum *r* ut beatitudo sua litteras mitteret ad regem Æthiopum nomine Elesbaan, quibus eum hortaretur ad instruendum exercitum delendosque omnes impios cum rege suo. Scripsit vero imperator et ipsi pio regi Elesbaan in hæc verba : « Novi quantum religioni christianæ addicta sit fraternitas tua. Pervenit vero ad nos rebellem illum, cui credidisti regnum Homeritarum *s*, arrepta occasione, omnes, quos misisti, christianos Æthiopas, cum repertis ibi Romanis et Persis ejusdem religionis *t*, quum negare nollent Jesum Christum Filium Dei, occisione gladii interemisse. Sed et Nagran civitatem desertam fecit et inhabitabilem. Deinde scripsit *u* regi Persarum et Alamundaro qui dicitur Sacchicas, rogans et ipsos ut similia agerent cum habitantibus ibi christianis. Hortamur itaque fraternitatem tuam atque obtestamur, per sanctam et consubstantialem Trinitatem, ut aggrediaris exsecrandum et impium judæum, sive mari, sive terra, tecum habiturus in auxilium sanctorum Angelorum potestatem. Si enim hoc haud præstat pietas tua, ei hinc quidem cælitus irascetur Deus et regno suo; illinc vero nos per Coptum *w* et Beronicen *x* immittemus Blemmyorum *y* et Nobadum *z* copias multas, et transibunt hæ per terras tuas *aa* conterent omnia, atque Homeritam et regnum ejus universum ad omnimodam ruinam et maledictionem adducent. Vale. »

E *p* *q* *r* *s* *t* *u* *w* *x* *y* *z* *aa*

B 28 Ὦ τῆς τοῦ πατρὸς ἡμῶν δυνάμεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἐκεῖ γὰρ Φαραὼ σκληρύνας τὴν καρδίαν, μετὰ τὴν δεκάπληγον, καταδιώξας τὸν Ἰσραὴλ, εἰς Θάλασσαν κατεποντίσθη · ἐνταῦθα δὲ, τὰ χείρονα σπουδάσας διαπράξασθαι εἰς τοὺς κατὰ τόπον λαοὺς τοῦ Θεοῦ ὁ δεύτερος Φαραὼ, ἔγραψε τοῖς κατὰ τόπον βασιλεῦσι *, καὶ εὑρέθη ὀρύξας λάκκον εἰς ὃν καὶ ἐνέπεσεν. Οἶδεν γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν εὐσεβεῖς ῥύεσθαι ἐκ Θανάτου, ἀσεβεῖς δὲ εἰς ἡμέραν κολάσεως τηρεῖν. Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ οὖν τῇ κατ' Αἴγυπτον, ἀπριλλίῳ μηνὶ, ἰνδικτιῶνος τρίτης, συνάξας Τιμόθεος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος πάντας τοὺς ὀρθοδόξους καὶ πλῆθος τῶν ἐν τῇ Νιτρίᾳ καὶ Σκήτει μοναχῶν, εἰς τὸ ἁγιώτατον μαρτύριον τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Μάρκου, ἐκήρυξε λιτανείαν * καὶ ἀγρυπνίαν ἐποίησεν, καὶ τῇ ἐπιούσῃ ἐπιτελέσας τὴν σύναξιν, καὶ τὴν Θείαν προσφορὰν βαλὼν * ἐν σκεύει ἀργυρῷ, πέμπει πρὸς τὸν βασιλέα τῶν Αἰθιόπων διὰ πρεσβυτέρου, προτρεπόμενος αὐτὸν διὰ λόγου διδασκαλίας στρατοπεδαρχῆσαι, ὡσπερεὶ Σαμουὴλ τῷ Σαοὺλ κατὰ τοῦ Ἀμαλὴκ, καὶ ἀναθεματισμῷ τῷ διὰ ξίφους καὶ πυρὶ παραδοῦναι.

* A ἔγραψε κατὰ τόπον ἔας.
* A λιτην
* A *omittit.*

Timotheus, patriarcha Alexand. eidem regi S. Eucharistiam mittit eique similiter bellum suadet.

28 O potestatem *bb* patris nostri Jesu Christi! Illic enim Pharao obdurans cor suum *, etiam post decem plagas, et persequens Israël, submersus est in mari. Hic vero pejora tentans Pharao secundus adversus populum Dei in terris suis habitantem, scripsit ad reges vicinos, et inventus est fodisse lacum, in quem incidit ipse * *. Novit enim Deus noster pios eruere e morte, impios vero servare in diem supplicii *. In Alexandria igitur Ægypti, mense aprili *cc*, Indictione tertia *dd*, beatissimus episcopus Timotheus *ee*, congregatis in ecclesia sancti apostoli Marci *ff* omnibus orthodoxis et multitudine monachorum Nitriæ et Scetis *gg* promulgavit processionem publicam *hh* et vigilias *ii* egit, ac die sequenti finita synaxi *kk*, divinam oblationem *ll* reponit in vase argenteo et per presbyterum *mm* mittit ad regem Æthiopum. Hortabatur autem eum per verbum disciplinæ, sicut Samuel regem *nn* Saul commovit contra Amalec * ut exercitum instrueret et ruinæ perensem et ignem omnia traderet.

bb
* EXOD. XIV, 4, 8.
** PSALM. VII, 13.
* JOB. XXI, 30.
cc *dd* *ee* *ff* *gg* *hh* *ii* *kk* *ll* *mm* *nn*
* I REG. XV.

ANNOTATA.

AUCTORE E. C.

ANNOTATA.

a *Rex Persarum erat tum temporis Cavades. V. Comment. n.* 93 *et* 169.

b *Hic se solem, more magorum, venerari fingit Dunaan, ejusque patrem, id est, ni fallor, creatorem, Deum judæorum esse dicit. Solis templa magnifica fuere Palmyræ, Atræ in Mesopotamia ac passim inter Persas; eorumque deum Mithram eumdem esse cum sole mythologi recentiores jam haud dubitant. Ceterum id discere potuerant ex Cosma Indicopleuste, qui memorato prodigio solis, gradibus decem retrocedentis, hæc addit :* Quidam dicunt apud Persas, ad hoc usque tempus, celebritatem Mithræ, id est solis, agi in memoriam signi sub Ezechia editi (1).

c *Almundarus iste, seu Alamundarus, ut eum Græci appellant, rex fuit Arabum Hirensium. Comment. n.* 88 *sq.* 98 *sq. etc.*

d Kintar, *sive talentum Arabicum, valebat denariis Arabicis, seu aureis Cpolitanis, mille; unde tria talenta Arabica, seu francos hodiernos circiter* 45,000, *Almundaro regulo* (*sic cod.* A.) *pollicetur Dunaan : quod regium non videtur; nisi numerus iste ex oscitantia adscriptus fuerit. Cfr annot.* rr *capitis* 1. *De denariis Arabicis, sive* dinar, *sæpe mentio occurrit in historia Arabum Hispaniæ; at valor hujus monetæ insecutis temporibus, dum ipsi califæ eam cudere cœperunt, varius fuit. Ex eo porro quod* kintar *valuit aureis Romanis, seu Cpolitanis, mille, patet hunc ejus valorem æra christiana, et ut veri simile est, imperio Cpolitano, antiquiorem non esse. Significare voluerunt Arabes magnam vim aureorum; et siquidem systema decimale quod dicitur, omnibus gentibus placuit quadamtenus* (*quidquid de duodecimali doceant mathematici*), *constitutus est numerus aureorum mille.* Kintar *vero ipsum antiquius esse æra christiana haud dubitandum; quum et Æthiopes simili valore* (*Act. n.* 4.) *atque etiam nomine fortasse, usi sint.*

e *De Abramio legato vide Comment. n.* 131 *sqq.*

B f *De cognomento Sacchicas dictum ibid. n.* 88. E

g *In regno Hirensi christiani multi fuere; vide Comment.* § VII.

h *De Simeonio, sive Simeone, presbytero oppidi Beth-Arsam prope Seleuciam v. ibid. n.* 129 *sqq. A Dionysio in Chronico dicitur episcopus Beth-Arsam; quatenus recte, ignoro* (2). *Brevius diximus in Commentario de monasterio Gabulæ, ad cujus abbatem Simeonem scripsit homonymus Beth-Arsamensis; situm id erat prope castrum* Γαβούλων, *cujus meminit Procopius* (3), *stadiis* 110, *seu chiliometris* 20, *a Chalcide : quodque respondere videtur hodiernæ* Djebul, *chiliometris* 45 *ad occidentem Euphratis et hodiernæ civitatis Balis* (4).

i Apocrisiarius *i. e.* legatus.

k A παρόντος καὶ Ἀγγείου κόμητος, υἱοῦ Ζῆδ, καὶ * υἱοῦ Ἰώβ, ἐθνάρχου χριστιανοῦ πάσης τῆς παρεμβολῆς. * *abundat.* *Angæum istum comitem fuisse Saracenorum Hirensium, qui a S. Euthymio ad fidem christianam fuerant conversi, vix dubitandum est, Comment. n.* 68; *de hac colonia Saracenorum, sive Parembole, vide ibid. a n.* 64.

l *Silas iste fuit patriarcha Nestorianorum, Seleuciæ sedem habens. De eo ex sectæ historicis hæc inter alia collegit Assemanus* (5) : Silas Babæo (*patriarchæ, sive Catholico*), uxoratus uxorato successit; qui quum filiam suam medico Elisæo despondisset, huncque sibi successorem designasset, paulo post mortuus est. Amrus *historicus* Silam ex Babæi archidiacono in patriarcham electum scribit anno sextodecimo Cavadis Persarum regis, Græcorum 816 (*Christi* 505), obiisse autem anno 834 (*Christi* 523 *vel* 524; *verum ex Actis nostris manifestum est Silam in vivis fuisse mense januario anni* 524) postquam duodeviginti annis sedisset. *Silas igitur decessoris sui Babæi vestigiis ingressus est, et ideo ut plenius innotescat, satis erit de istius rebus gestis pauca addere :* Babæus, *inquit Assemanus* (6), laicus uxorem filiosque habens, post Acacii obitum in episcopum Seleuciæ, seu Nestorianorum Catholicum (*ita enim patriarcham suum appellant illi*) electus, synodum celebravit « in qua, *teste Abulpharagio Barhebræo,*
C sub pœna suspensionis sanxit ut omnes sui successores Catholici uxores ducerent. Itemque F ut episcopus et presbyter, quotiescumque uxor eorum decederet, aliam ejus loco acciperent. Nimirum postquam a reliquis christianis in fide separati sunt, quidquid ipsis libebat ad explendam libidinem palam absque pudore ac timore faciebant. » *Hucusque Abulpharagius, scriptor monophysita.*

m Persæ sumus et nos; *suberat Almundarus regi Persarum. Acta n. præced., Comment. n.* 98. *sq.*

n A Ῥωμαῖοι καὶ Ἰσάκιος ὁ Θεοσεβέστατος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πέρσαι ὄντες ὀρθ.

o *In his procul absunt Acta a monophysismo; ipsisque verbis concilii Chalcedonensis passim utuntur. Codex* A *plura omittit :* καὶ κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ συνόδων βεβαίαν ἔχομεν τὴν πίστιν · οὗτοι γὰρ νεστοριανοί εἰσιν... *Sed merito Boissonadius :* Non potuerunt orthodoxi Nestorianorum blasphemata melioris doctrinæ expositione non redarguere; *assumpsitque e codice nostro quæ suo deerant. Cfr Comment. n.* 135, *ubi de orthodoxia disserimus Simeonis Beth-Arsamensis. Metaphrastes hoc loco :* οἱ θεοφιλεῖς οὗτοι... τοῖς τῶν θείων ἀποστόλων καὶ τῶν πατέρων ὀρθοδόξοις ἑπόμενοι δόγμασι, Θεὸν τέλειον καὶ ἄνθρωπον τέλειον ὁμολογοῦσι Χριστὸν, ἐν ὑποστάσει μιᾷ τὰς δύο φύσεις ἀσυγχύτως συνάπτοντες. *In quibus pæne ad verbum definitionem Chalcedonensem exscribit.*

p *Almundarum christianos regni sui persecutum esse nusquam perhibent historici; cfr quæ de Cavade sunt dicta Comment. n.* 93 *ac ibid. n.* 151.

q A τὰ πραχθέντα εἰς τὰς εὐσεβεῖς ἀκοὰς τ. τ. θ. Ἰ. τοῦ βασιλέως, ὃς παρ. *Justinum imperatorem et ex Homerita quodam, nomine Dhu Thalaban, hæc didicisse narrant Arabes, Comment. n.* 175.

(1) Cosmas Ind. pag. 176, edit. Montfaucon. — (2) Cfr Barhebræus ap. Biblioth. orient. tom. II, pag. 409. — (3) De bello Pers. lib. I, 18; de Ædificiis, lib. II, 9; cfr Assemani, Bib. orient. tom. I, pag. 210. — (4) Ritter, tom. X, pag. 1084. — (5) Bibl. orient. tom. II, loc. cit. — (6) Ibid. pag. 408.

r *Ad*

AUCTORE E. C.

A r *Ad Timotheum patriarcham scribendum esse monet quoque Simeon Beth-Arsamensis, ibid. n.* 161. *De Timothei doctrina et rebus gestis vide n.* 169 *sqq.*

s *Hic errat Justinus, quum Dunaan, seu Dhu Nowasus, numquam Æthiopum prorex fuerit. Sed hic ipse error, præter alia plura, ostendit epistolam genuinam esse. Etenim Actorum num.* 2 *dicitur Elesbaan in expeditione sua prima, profligato Dhu Nowaso,* reliquisse *in Homeritide* ducem cum exercitu, qui regionem custodiret. *Repugnant igitur inter sese locus ille Actorum (seu potius Acta universa, in quibus ubique Dhu Nowasus ut veteranus hostis Æthiopum prodit) et epistola Justini: nec ullatenus dici potest istam a scriptore Actorum confictam esse. Sed alio forte sensu intelligenda sunt hæc verba epistolæ:* ὥτινι ἐπίτρευσας τὴν βασιλείαν τῶν Ὁμηριτῶν; *nimirum Dhu Nowasum initio sui regni i. e. circa annum* 490, *fuisse Æthiopum proregem iisque tributum solvisse (Act. num.* 1), *ac dein rebellasse. Sed deficientibus monumentis hæc explorata minime sunt et in primis dubia habenda. Cfr Comment. n.* 53 *sq.* 113 *et* 137.

t *Ex quibus constat, uti ex epistola Dhu Nowasi ad Almundarum, aliisque non paucis, vere persecutorem fuisse regem illum, occisosque christianos* in odium fidei. *Sed non diffiteor belli prioris Elesbaan inter et Dhu Nowasum, quod anno circiter* 518 *gestum esse diximus, causam fuisse tributa, quæ christianis imponebantur. Cfr Comment. n.* 111, 115, 117 *sq. De Romanis et Persis eadem ac Justini litteræ habent Acta nostra num.* 2, *quum in utroque monumento Dhu Nowasi rebellio altera memoretur; si tamen gesta ab isto circa annum* 518, *rebellionem vocare fas sit. Procopium expeditiones duas in unam conflasse monuimus Comment. n.* 110 *sq. Verum hic prætermittere nolim quod Michaëlisius inquirit de scriptore isto, quid causæ esse potuerit cur persecutionem Arabicam prætereat; quod cum Walchio* (1) *non possumus non mirari. Duo respondet Michaëlisius; alterum, hanc persecutionem nihil aut vix quidquam attinuisse ad Romanos, et in primis nihil ad bella Persica, quorum historiam scribebat Procopius. Alterum longe præcipuum*
B *est, Procopium scilicet non modo christianum non fuisse, at nec christianis favisse; licet (siquidem* E
Justiniano, imperatori christiano, operam profitebatur) eos non aggrediatur. Quapropter eum modice tangebat hujusmodi persecutio christianorum. Procopium christianum non fuisse, ait Michaëlisius, non credo ex iis tantum locis qui hanc in rem afferri solent, sed id in omnibus pæne ejus libris conspicuum est. Adducitque exempla quæ ab aliis prætermissa sunt, ac inter alia ipsum locum quem latine dedimus Comment. num. 111; *quo idololatriam et religionem christianam eodem vocabulo designat,* δόξαν *vocans utramque. Adverte vero Maltretum nostrum, qui hæc e Græco convertit,* δόξαν *dicere Latine nunc* religionem, *nunc* superstitionem, *prout de christianis aut de ethnicis Procopius scribit. En verba Græca, De bello Pers. lib.* I, *cap.* 20 : χριστιανός τε ὤν (*Elesbaas nimirum*) καὶ ΔΟΞΗΣ τῆςδε ὡς μάλιςα ἐπιμελούμενος; *et post paulo Homeritas ethnicos scribit* ΔΟΞΑΝ τὴν παλαιὰν σέβοντας, ἣν δὴ καλοῦσιν Ἑλληνικὴν οἱ νῦν ἄνθρωποι. *His aliisque disputatis nullus dubitat Michaëlisius quin a religione christiana alienus fuerit Procopius* (2). *De quo jam scripserat Alemannus* (3) : Quemadmodum ergo Procopii historia... fidem habet indubitatam, ita quæ ipse de religione scribit, nullam auctoritatem habere jure censemus.

u A γεγράφηκε δὲ καὶ ἐν Περσίδι Ἀλαμουνδάρῳ τῷ λεγομένῳ Σακικάς.

w Coptos, *hodiedum* Keft, *celeberrimum olim emporium, ad latus dexterum Nili et ad latitunem* 26°; *quod jam ævo Strabonis partim incolebant Arabes, in primis mercatores, ni fallor. Huc deveniebant merces Indorum et Arabum ex portu Berenice ad mare rubrum, de quo annot. seq. De Copto et itinere quod memorat Justinus in epistola hæc habet Plinius lib.* V *cap.* 9: Coptos, Indicarum Arabicarumque mercium Nilo proximum emporium. *Et lib.* VI *cap.* 23: Duo millia passuum ab Alexandria abest oppidum Juliopolis. Inde navigant Nilo Coptum CCCIII millibus passuum... A Copto camelis itur, *nimirum Berenicen.*

x *Pergit Plinius de itinere a Copto ad mare rubrum et Berenicen scribens:* A Copto camelis itur, aquationum ratione mansionibus dispositis.... Inde Berenice oppidum, ubi portus rubri ma-
C ris, a Copto CCLVIII M passuum (4). *Detecta sunt rudera Berenices anno* 1817 *a G. Belzoni, ad* F
latitudinem circiter 23° 40′ (5); *id est, ut Ptolemæus scribit, prope tropicum Cancri. Coptum inter et Berenicen agnoscitur etiamnum via strata, qua tum aquæ Nili continebantur eluvionis tempore, tum merces a mari rubro deducebantur. Acta itaque hoc loco, ut alias, accuratissima esse, nemo inficias ibit. Locum eumdem his verbis expressit Metaphrastes:* τὰ δὲ Ῥωμαϊκὰ..... στρατεύματα καὶ ἡμέτερα διάτε Κόπτου καὶ Βερονίκης καὶ Βλεμμύων τῶν νομάδων πρὸς ἄμυναν ἐκπεμπόμενα κατὰ πάροδον βλάψει μὲν τὴν ὑμετέραν, τὸν δὲ Ὁμηρίτην τελείῳ παραδώσει ἀφανισμῷ.

y *De Blemmyis, qui juxta mare rubrum habitarunt ab Æthiopia usque fere ad sinum Heroopolitanum*, vide Comment. n.* 45 *et* 71.

*Golfe de Suez.

z *Codex noster et Metaphrastes perperam* νομάδων; *nam et Blemmyi nomades erant, et passim noti sunt Nobades* (6), *sive Nubii qui juxta Blemmyos habitabant in interiori Ægypto et hodierna Nubia. Nubios fidem christianam accepisse ab Æthiopibus scribit Josephus Sapeto* (7), *et quidem circa annum* 500; *secus ac censuit Letronne* (8), *in erudito Commentario de inscriptione regis Silconis.*

aa *Codex* A διὰ τῆς σοῦ (*omittit* γῆς) συντρίψουσι πάντας, τὸν δὲ... εἰς τέλειον ἀφανισμὸν καταστήσουσιν. Ἐῤῥῶσο.

bb A ὦ τῆς μεγάλης κρίσεως τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ! Ἐκεῖ γὰρ.

cc *Omisso mense Syromacedonum Xanthico, qui respondebat Aprili, sola appellatione Romana, seu Græca, hic utitur auctor, secus ac supra factum n.* 1 *et* 20. *Confirmantur ex eo, non tamen demonstrantur, quæ supra conjectavimus, antiquissimam editionem Syriacam Actorum desivisse cum numero* 23. *Vide Comment. n.* 201, *et annot.* m *ad cap V.*

(1) Novi Comment. societ. reg. Gotting. loc. cit. pag. 26. — (2) Orient. Biblioth. loc. cit. pag. 151 et seqq. — (3) Procop. tom. III, pag. XXII, edit. Bonn. — (4) Cfr d'Anville, Géogr. anc. tom. III, pag. 34. — (5) Narrative of the operations etc. pag. 306 et seqq. Brussels 1835; cfr Champollion-Figeac, Egypte anc. pag. 432. — (6) Cfr Cosmas Indicopl. pag. 179. — (7) Ap. Annales des voy. 1845, tom. II, pag. 308, 310; Viaggio, pag. 65; cfr Comment. sup. n. 35. — (8) Mém. de l'Institut, tom. IX, pag. 166 et seq.

AUCTORE E. C.

dd *Id est, mense aprili anni* 525. — ee *Vide annot.* r. D

ff Μαρτύριον hic est ecclesia martyri dedicata; vide Cangii Glossarium. Peculiarem apud Ægyptios cultus honorem obtinuit S. Marcus, qui primus in Ægypto evangelium prædicavit, et in ipsa Alexandria constituit ecclesias: vide Euseb. Hist. eccles. lib. II cap. 16. Ejus successor habebatur patriarcha Alexandrinus. *Hucusque Boissonadius. Ecclesiæ S. Marci vicissitudines passim contingit Renaudotius in Historia patriarcharum Alexandrinorum. Dicta est etiam ecclesia major, ejusque meminit Cosmas Indicopleustes* (1), *qui Alexandriæ vixit non multo post tempus de quo in Actis scribitur* (2). *Corpus vero S. Marci novimus ablatum esse a Venetis sæculo* IX.

gg *De Nitria et Scete earumque monasteriis et monachis plura collegimus in Actis S. Joannis Colobi* (3); *quæ hic repetere supervacuum foret. Videndus et Stephanus Quatremère, qui de his locis solita accuratione dissertat* (4). *Exeunte sæculo quarto in Ægypto monachi erant et moniales ultra* 100,000 (5); *ex quo patet innumeros adhuc fuisse ineunte sæculo sexto. Incolas vero habuisse Ægyptum ajunt ævo Lageorum circiter* 7,000,000, *nec multo pauciores sæculis christianis, usque ad invasionem Arabum Mahumetanorum.*

hh Λιτανεία, *seu* λιτὴ, *ut habet codex* A, *est processio ecclesiastica, qua de re plura habent scriptores ecclesiastici Græci. Vide Glossarium Cangii et Rituale Græcorum* (6).

ii Ἀγρυπνίαις *sive vigiliis, quæ in ecclesiis peragebantur, festa ac dominicum diem præveniebant veteres christiani, quæ nunc propter irrepentes abusus* (*de quibus jam Chrysostomus querebatur*) (7) *raro fiunt, aut in solis fere monasteriis retentæ sunt. Earum sæpe meminit laudatus Chrysostomus. Vide et Cangium, et Codicem sacramentorum Leonis Magni.*

kk Σύναξις *tum conventus significat christianorum qui in ecclesiis peraguntur, tum liturgiam quæ illic celebratur. Utrumque designari hoc loco docemur ex sequentibus.*

ll Προσφερεῖν *est* offerre, Corpus et sanguinem Christi conficere, *ait Cangius;* προσφεραί, *eodem auctore*, præsertim dicuntur « oblata » seu hostiæ sacræ, interdum etiam non consecratæ, sed
B consecrandæ, quæ προσφοραὶ ἀλειτουργήταιdicuntur in Nomocanone Coteleriano num. 111 E
et 453. *Verum* προσφορὰν *pro Eucharistia accipiendam esse passim inter archæologos convenit* (8); eulogiis *vero quid significetur ex ætate scriptoris et rei adjunctis dijudicandum esse tradunt. Hic insuper* τὴν θείαν προσφορὰν *appellat uterque codex; quo manifeste significatur hostia consecrata, seu SS. Eucharistia. Ceterum* mutuæ societatis, *inquit Selvaggius,* qua universi fideles veluti unius corporis membra inter se colligati adhærent, potissimum vinculum est Eucharistiæ participatio, ex Apost. 1 Cor. X... Atque hinc a prima Ecclesiæ ætate usurpatum fuisse novimus, ut tum ad absentes ab ecclesia Eucharistia mitteretur, tum vero, quo mutuam communionem exprimerent, eam ultro citroque inter se mitterent episcopi. Qui aliqua de causa tenebantur, quominus cum ceteris fidelibus ad sacra mysteria celebranda convenirent, iis a diaconis perlatam fuisse Eucharistiam tradit Justinus *Apolog.* II... Transmissio vero Eucharistiæ inter episcopos, ut mutuæ pacis argumentum esset, aperte colligitur ex Irenæi mart. epistola apud Eusebium Eccl. Hist. lib V cap. XXIII, qui Victorem papam admonens, ne Dei ecclesias ob diversam paschæ celebrationem a communione abscinderet, testatur illius prædecessores pacem cum iis coluisse, qui ex iis ecclesiis ad se venissent; tum addit: « Illi ipsi qui te præcesserunt presbyteri, quamvis id minime observarent, ecclesiarum presbyteris qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt. » Eumdem morem respicit ea, quæ ætate Melchiadis, Siricii et Innocentii vigebat consuetudo, ut ab ecclesia episcopi ad titulos sive ad ecclesias minores die dominico Eucharistia mitteretur (9). *Sæculo sexto rarius id fiebat, præsertim in occidente* (10); *cæperantque jam dudum in Eucharistiæ locum mitti eulogiæ, seu panis benedictus.* In quibusdam tamen locis, *ait Binghamus*, mos per plura insequuta sæcula *post concilium Laodicænum* duravit. Nam Joannes Moschus, *ineuntis sæculi* VII *scriptor*, de communione loquitur quam monachus quidam ad alium monachum, sex millibus passuum a se
C separatum miserit. *Vide Moschi Pratum spirituale, cap.* 29. *Conjicit etiam Binghamus ex ca-* F
none 14 *concilii Laodicæni, Eucharistiam mitti solitam in primis circa festum Paschatis :* Hoc maxime, si non solum (*quod temere dicit*), fiebat in solemnitate paschali, in unitatis, amoris ac caritatis testificationem. *Non multo post Pascha anni* 525 *S. Eucharistiam ad regem Æthiopiæ mittit Timotheus patriarcha. Synodum enim habuit mense aprili, et forte ineunte mense; pascha vero anno illo incidebat in diem* 30 *martii. Verum aliam canonis* 14 *concilii Laodicæni interpretationem non immerito proponit vir doctus Ant. J. Binterim* (11).

mm A διὰ πρεσβυτέρων, per presbyteros.

nn A ὥσπερ Σαμουὴλ καὶ Δαυὶδ κατὰ τοῦ Ἀμαλὴκ, καὶ ἀναθεμ.

(1) Cosmas Ind. pag. 331, edit. Montf. cfr Renaudot, Hist. patr. Alex. pag. 178, 331, 577. — (2) Cosmas, pag. 124 et 264. — (3) Acta SS. tom. VIII Octobr. pag. 39 et seqq. — (4) Quatremère, Mém. géogr. et hist. sur l'Egypte, tom. I, pag. 431. — (5) Fleury, Hist. eccl. liv. XX, n. 9. — (6) Goar. Rituale Gr. pag. 770 et passim. — (7) Chrysost. opera tom. XI, pag. 669, edit. Maurinæ. — (8) V. Binterim; Denckwürdigkeiten, tom. VI, part. 3, pag. 537. — (9) Selvaggius, Antiqq. Christ. lib. III, cap. x, n. 10. — (10) Binterim loc. cit. pag. 534 et tom. II, part. 2. pag. 139; cfr Novell. 123, cap. 36. — (11) Loc. cit. tom. IV, part. 2. pag. 535.

CAPUT VII

A

CAPUT VII.

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

Rex Elesbaan sese ad bellum parat; adit sanctum quemdam stylitam; pars navium ejus ad Homeritidem pervenit.

Ἐτυχεν δὲ πρωΐ τὸν Θεράποντα τοῦ Θεοῦ Ἐλεσβαὰ συνάξαι ἐκ πάσης τῆς βασιλείας αὐτοῦ καὶ ἐξ ἄλλων ἐθνῶν, πλῆθος χιλιάδων ἑκατὸν εἴκοσι. Καὶ κατ' οἰκονομίαν τοῦ σωτῆρος, εἰσῆλθεν πλοῖα τῶν ἐμπόρων Ῥωμαίων καὶ Περσῶν καὶ Αἰθιόπων *, καὶ ἐκ τῶν νήσων Φαρσὰν, ἑξήκοντα· οὕτως, ἀπὸ μὲν Ἀειλὰ * τῆς πόλεως πλοῖα δεκαπέντε, ἀπὸ τοῦ Κλύσματος εἴκοσι, ἀπὸ Ἰωταβῆς ἑπτὰ, ἀπὸ Βερωνίκης δύο, ἀπὸ τῆς Φαρσὰν ἑπτὰ, ἀπὸ Ἰνδίας ἐννέα· ταῦτα συνάξας Ἐλεσβαὰν ἐν ὅρμῳ τινὶ λεγομένῳ Γαβαζὰ, ὑπὸ τὴν ἐνορίαν ὄντι Ἀδουλὶς τῆς πόλεως, τῆς παραθαλασσίας, ἐκέλευσεν ἐνολκισθῆναι ἐπὶ τῆς γῆς. Πεποίηκε δὲ καὶ αὐτὸς Ἰνδικὰ πλοῖα ἐν τῷ χειμῶνι τῆς αὐτῆς τρίτης ἰνδικτιῶνος δέκα, φιλοκαλήσας τὰ ἑβδομήκοντα. Ἐν τοσούτῳ οὖν πέμπει διὰ ξηρᾶς χιλιάδας δεκαπέντε Αἰθιόπων τῶν βαρβάρων, ὀφειλόντων περάσαι ἐκ νότου τῆς Αἰθιόπων χώρας καὶ μέχρις ἀνατολῆς * εὐτρεπισθῆναι εἰς μέρη τινὰ τοῦ Ὁμηρίτου, ὅπως, τῶν πλοίων μετὰ τῶν στρατοπέδων ἐκ δυσμῶν Θαλάσσης * ἐρχομένων, ἐκεῖνοι ἐξ ἀνατολῶν παρεμβάλωσιν. Ὁδεύσασαι δὲ αἱ δεκαπέντε χιλιάδες τῶν βαρβάρων μονὰς δεκαπέντε *, καὶ ἐπὶ ἄλλας ἑπτὰ * διοδεύσασαι δι' ἀβάτων καὶ ἀνύδρων ὀρέων, διεφθάρησαν καὶ οὐ διήρκεσαν ἐπὶ τὸν Ὁμηρίτην ἀπελθεῖν, οὐδὲ ἐπὶ τὴν Αἰθιοπίαν ὑποστρέψαι. Καὶ μετὰ τὴν ἁγίαν Πεντηκοστὴν, εὐτρεπίσας ἅπαντα καὶ μέλλων κινῆσαι, πρόκενσον ποιεῖ ἐπὶ τὴν ἁγιωτάτην τοῦ Θεοῦ μεγάλην * ἐκκλησίαν, ὅπου οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ ἱερεῖς τῆς χώρας Θάπτονται· καὶ ἐλθὼν * εἰς τὸν νάρθηκα τῆς ἐκκλησίας, [ἀπέθετο τὴν ἐσθῆτα καὶ τὸν κόσμον ὃν εἰώθασιν οἱ βασιλεῖς ἐνδιδύσκεσθαι καὶ μετὰ παγανῆς φορεσίας εἰσελθὼν, καὶ στὰς μεταξὺ τῶν κεράτων τοῦ Θυσιαστηρίου, ὑψώσας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἔλεγεν·]

* A Ἰνδῶν
* A Ἰλὰ ἰέ, a. t. k. k'
* A καὶ εὐτ.
* A διὰ ϑαλ.
* A τριακοντα
* A ε. ἡμέρας
* A omittit.
* A κατελϑὼν ἐν τῷ νάρϑηκι

At servus Dei Elesbaan, quum ex proprio regno, tum ex vicinis gentibus, mature *a* exercitum collegerat centum viginti millium militum *b*. Insuper providentia Salvatoris collectæ sunt naves institorum *c* Romanorum, tum Persarum et Æthiopum, denique ex insulis Pharsan *d*, universim sexaginta : nimirum ex Æla *e* civitate, naves quindecim; ex Clysmate *f*, viginti; ex Iotabe *g*, septem; ex Berenice *h* duæ; ex Pharsan *i* septem; et ex India *k* novem. Quas omnes naves congregavit Elesbaan in quadam statione navali, dicta Gabazan *l* quæ intra fines est civitatis Adulis, sitæ ad mare *m*, et trahi jussit supra arenam. Insuper hieme ejusdem tertiæ indictionis *n* confecit et ipse naves Indicas *o* decem; adornavitque in hunc modum universim septuaginta. Tum itaque quindecim millia Æthiopum barbarorum mittit itinere terrestri ad meridiem Æthiopiæ, ut illic trajiciant mare *p* et ad orientem ascendant, et in partibus aliquibus Homeritidis instruantur. Sic enim quum naves cum copiis ex occidente erant adventuræ, illi ex oriente inexspectati adfuissent. Sed posteaquam hi barbari quindecies mille iter peregerant dierum triginta *q*, ac dein dierum septem *r* per montes inaccessos et aridos, neque ad Homeritidem progredi potuerunt, neque reverti ad Æthiopiam, et misere perierunt. Transacto festo Pentecostes *s*, quum jam parasset omnia rex Æthiopum, instante profectione, processionem *t* instituit ad sanctissimam Dei magnam ecclesiam in qua reges et sacerdotes regionis sepeliuntur *u;* perveniensque ad narthecem *w* ecclesiæ, vestem deposuit et ornatum quem solent reges gerere, ac induto habitu plebejo *x* intravit stetitque inter cornua altaris. Tum protensis manibus ad cælum :

Classem et exercitum parat Æthiopum rex; pereunt ex ejus militibus 15.000. Supplicationem

a
b
c
d
e
f *g*
h *i* *k*
l
m
n
o

E

p

q
r

s

t

u
w

x

C 30 « Δέσποτα Θεὲ, παντοκράτορ, δημιουργὲ τῶν οὐρανίων δυνάμεων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων, ὁ ὑπὸ μυριάδων ἀγγέλων ὑμνούμενος, ᾧ παρίστανται Χερουβὶμ τὰ πολυόμματα καὶ τὰ ἑξαπτέρυγα Σεραφὶμ, ἄϑοντα ἀσιγήτοις χείλεσιν· « Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος Κύριος Σαβαὼθ, » τρισάγιε Θεὲ τῶν Θεῶν, καὶ Κύριε τῶν κυριευόντων· βασιλεῦ τῶν βασιλευόντων * · Πάτερ τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, φωσφόρε *, νικητὰ, τροπαιοῦχε, σταδιάρχα, σὺ εὐδόκησας ἐξαποστεῖλαι τὸν Υἱόν σου καὶ Λόγον ἐκ τῆς οὐσίας τῆς σῆς σῶσαι τὸ ἀπολωλὸς τῆς ἀνθρωπίνης ἑκατοντάδος πρόβατον· ὃς κατελθὼν καὶ σαρκωθεὶς ἐξ Ἁγίου Πνεύματος καὶ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας, πάντα τὰ πρὸς σωτηρίαν ἡμῶν εἰργάσατο· φωτίσας ἡμᾶς τοὺς ἐν σκότει τῆς ἀγνοίας * ὄντας, γνῶναι σὲ τὸν τῶν πατέρων Θεὸν, καὶ αὐτὸν τὸν μονογενῆ σου Υἱὸν καὶ Λόγον· καὶ τὸ Πνεῦμά σου τὸ Ἅγιον. Καὶ ἰδοὺ ὡς ἡμέρα * αὕτη, ἡ ἄνομος γῆ καὶ σποδὸς ἐπάταξεν μητέρα ἐπὶ τέκνοις, καὶ τοὺς ἱερεῖς σου καὶ πρόβατα νομῆς σου ἐξωλόθρευσε, καὶ κατὰ τοῦ μονογενοῦς σου Υἱοῦ, καὶ κατὰ * τοῦ κέρατος τοῦ Θυσιαστηρίου * αὐτοῦ καϑωπλίσθη. Καὶ νῦν δέσποτα Θεὲ ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων, ἰδοὺ πιστεύων ἐπὶ τῷ ὑβρισθέντι ὑπὸ τοῦ ἀνόμου σημείῳ τοῦ Χριστοῦ σου, παρατάττομαι αὐτῷ. Μὴ

* A δεσπ. τ. ὁ. omittit.
* A φοσφορέ
* A ἀϑείας
* A ἡ ἡμ.
* A omittit.
* A ἁγιωτάτου ϑυσ. καϑ.

idem instituit publicam et Deum ferventer orat.

Et 30 « Domine Deus omnipotens, inquit, conditor cælestium virtutum, visibiliumque et invisibilium, qui a millibus angelorum laudaris, cui adstant * Cherubim oculos multos habentes et Seraphim cum sex alis, canentes labris numquam silentibus : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth *, ter sancte Deus deorum et Dominator dominantium * rex regum, pater Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, lucifer, victor, gerens tropæa et princeps stadii *, tu Filium tuum et Verbum de substantia tua mittere decrevisti, ut ovem perditam * ex centenario grege hominum salvaret. Hic vero descendens de cælo et incarnatus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, omnia perfecit quæ ad salutem nostram pertinebant, illuminans nos qui in tenebris ignorantiæ eramus, ut cognosceremus te Deum patrum nostrorum, et ipsum unigenitum Filium tuum et Verbum, ac Sanctum Spiritum. Et ecce dies ipse, * et impia terra et cinis percussit matrem in filiis, ac sacerdotes tuos et oves pascuæ tuæ penitus perdidit, et adversus Filium tuum et cornu altaris ejus armatus

* DANIEL. VII, 10
* ISAI. VI, 2; APOC. IV, 8.
* 1 TIM. VI, 15.
* 1 COR. IX, 24.
* MATTH. XVIII, 12.
* *Cfr* 1 COR. IV, 3.

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

matus est. Et nunc, dominator Deus visibilium et invisibilium, ecce confidens in signo Christi tui, quod impius ille contumelia affecit, aciem instruo adversus eum. Non igitur fraudes me in hac exspectatione mea *, ne quando dicant qui ignorant nomen tuum : « Ubi est Deus eorum *. » Quod si multitudo peccatorum meorum adversatur precibus meis, me percellas, Domine, et non tradas hæreditatem tuam in manus impiorum qui blasphemant tuam sanctam Trinitatem. Nos enim populus tuus et oves pascuæ tuæ * sumus, et tibi gloriam damus in sæcula. Amen. »

* PSALM. CXVIII, 116.

* PSALM. CXIII.

* PSALM. XCIX, 3.

καταισχύνῃς με ἀπὸ τῆς προσδοκίας μου, μή ποτε εἴπωσιν οἱ ἀγνοοῦντές σου τὸ ὄνομα · « Ποῦ ἐστιν ὁ Θεὸς αὐτῶν; » Εἰ δὲ τὸ πλῆθος τῶν ἁμαρτιῶν μου ἐναντιοῦται ταῖς ἐμαῖς προσευχαῖς, πάταξόν με σύ, Δέσποτα, καὶ μὴ παραδῷς τὴν κληρονομίαν σου εἰς χεῖρας ἀνόμων τῶν βλασφημούντων τὴν ἁγίαν σου Τριάδα. Ἡμεῖς γὰρ λαός σου καὶ πρόβατα νομῆς σου ὑπάρχομεν *, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. » D

* A *omittit.*

Dein sanctum quemdam stylitam adit, qui ei fausta renuntiat.

31 Quibus dictis exit e civitate regia *y* ad exercitum suum ad quem convenerant pedites ter centies et decies mille *z*. In civitate autem Æthiopiæ, quæ dicitur Sabi *aa*, erat Romanus *bb* quidam ex Æla *cc* civitate, monachus sanctissimus, asceta strenuus et propheta, cui nomen abba Zonenus *dd*. Ad hunc cum viris quinque *ee* habitu plebejo et pedester venit rex, ut interrogaret eum Dei nomine. Stabat autem ab annis quadraginta quinque *ff* in turri parva *gg*, non habente neque januam, neque fenestram, lata cubitus duos *hh* alta simul cum ædificio, cubitus quinque. Foramen parvum in fundamentis erat turris, per quod audiebantur quæ dicebat *ii*. Defert igitur ei rex thymiamata composita septem *kk*, habentia unumquodque exterius in superiori parte denarios *ll* decem, dicitque : « Benedic mihi, abba, et ora Deum ut dirigat nos in via et nobis cooperetur. » Respondit servus Dei : « Tecum sit qui regnat tecum; sed aufer dolum, et auferetur a te. » Seni respondet rex : « Quis ego sum, o abba? » « Non tentes interrogare me, » inquit senex. Tunc rex intellexit de auro eum loqui. Dixitque senex : « Oratio archiepiscopi Alexandriæ et lacrimæ Justini, et sacrificium boni odoris martyrum, ascenderunt ad altare spirituale *mm*. »

31 Καὶ μετὰ ταῦτα ἐκπορεύεται ἀπὸ τῆς βασιλευούσης, καὶ εὑρέθη μετὰ τριακοσίων δέκα χιλιάδων [τῶν προσρυέντων αὐτῷ πεζῶν πολεμιστῶν. Ἐν πόλει δὲ τῆς Αἰθιοπίας Σαβὶ λεγομένῃ ὑπῆρχέν] τις Ῥωμαῖος ἐκ πόλεως Ἀειλὰ *, μοναχὸς * Θεοφόρος, ἀσκητὴς καὶ προγνώστης, οὗ τὸ ὄνομα ἀββᾶ Ζώνενος, πρὸς ὃν ὁ βασιλεὺς μετὰ ἄλλων πέντε ὀνομάτων σχήματι παγανῷ καὶ πεζῷ, ἐπορεύθη ἐπερωτῆσαι αὐτὸν διὰ τοῦ Θεοῦ. Ἦν δὲ οὗτος ἀπὸ τεσσαράκοντα πέντε * ἐτῶν ἱστάμενος ἐν πυργίῳ μὴ ἔχοντι θύραν ἢ θυρίδα · εἶχε δὲ ἔξωθεν σὺν τῇ οἰκοδομῇ πλάτος πηχέων πέντε *, καὶ ὕψος σὺν τῇ οἰκοδομῇ πηχέων πέντε · τρυμαλιὰ * δὲ μικρὰ πρὸς [τὰ θεμέλια τοῦ πύργου ὑπῆρχεν, δι' ἧς τις ἤκουεν τὰ λαλούμενα ὑπ' αὐτοῦ. Καὶ προσφέρει αὐτῷ ὁ βασιλεὺς θυμιάματα συνθετὰ ἑπτὰ ἔχοντα ἕκαστον ἔσωθεν ἀνὰ δηνάρια δέκα · καὶ λέγει αὐτῷ · « Εὐλόγησόν με, ἀββᾶ, καὶ εὖξαι τῷ Θεῷ κατευοδῶσαι τὴν ὁδὸν ἡμῶν καὶ συμπρᾶξαι. » Ὁ δὲ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ἀπεκρίθη · « Ἔστω σὺν σοὶ ὁ συμβασιλεύων σοι. Πλὴν ἄφελε τὸν δόλον, καὶ ἀφαιρεθήσεται ἀπὸ σοῦ. Λέγει ὁ βασιλεὺς τῷ γέροντι ·] « Καὶ τίς εἰμὶ, ἀββᾶ; » Λέγει αὐτῷ ὁ γέρων · « Μὴ προσθῇς τοῦ ἐπερωτᾶν με. » Τότε συνῆκεν ὁ βασιλεὺς, ὅτι διὰ τὸ χρυσίον εἶπεν. * Καὶ λέγει * ὁ γέρων · « Ἡ εὐχὴ τοῦ ἀρχιποίμενος Ἀλεξανδρείας, καὶ τὰ δάκρυα Ἰουστίνου, καὶ ἡ θυσία ἡ εὐωδεστάτη τῶν μαρτύρων ἀνέβη ἐπὶ τοῦ νοεροῦ θυσιαστηρίου. »

* A Αἴλα.

* A μον. ἀσκ. κ. πρ. θεοφόρος

* A *omittit.*

* A δύο

* A τρυμαλίς

* A ὁ γέρων.

* A πάλιν.

mm

Intrat ejus exercitus in naves. Rex Homeritarum fretum maris rubri catena obstruit;

32 Et accepta benedictione ab eo, descendit rex ad Adulin civitatem et inde ad Gabazan *nn*. Jubetque exercitum omnem cibaria secum ferre ad dies viginti tantum; et sic *oo* depositi sunt in navibus septuaginta. Quum itaque didicit Homeritarum rex perniciem *pp* supra dictorum quindecim millium, intellexit de cetero non posse Æthiopas aggredi se itinere terrestri, et machinatur contra justum Dei judicium judæus et impius rex. Est enim Æthiopas inter et Homeritas locus maris angustus, latitudinis stadiorum duorum *qq*, ac fretum istud in locis nonnullis vadosum est. Jubet igitur rex Homerita congeri immensam quantitatem ferri et confici catenam. Pondus vero singulorum annulorum erat librarum trium millium centum octoginta *rr*. Quorum jungit quinquaginta *ss*, et inserit lignum leve ex palma agresti *tt* in intervallis annulorum seu geniculorum quinquaginta : quem in modum ab uno prominenti littore ad aliud *uu* obstruit mare. Et ubi quidem vada erant, adjecto plumbo *ww* mergebat ferramenta et circulos catenæ; ubi vero profundum erat mare eam sustentabat truncis *xx* ligneis. Post quæ cum multitudine immensa venit rex ille loricatus ad flumen *yy* in quo sibi obvium fore dicebat regem Elesbaan.

32 Καὶ εὐλογηθεὶς ὑπ' αὐτοῦ *, κατέβη εἰς Ἀδουλὴν τὴν πόλιν, κἀκείθεν εἰς Γάβαζαν. Καὶ κελεύει ὁ βασιλεὺς ἐπισιτισμὸν * εἴκοσι ἡμερῶν βαστάσαι πάντα τὸν στρατὸν καὶ μόνον *. Καὶ οὕτως ἐνεβάλοντο ἑβδομήκοντα πλοῖα. Ὅτε οὖν ἔμαθε * τὴν φθορὰν τῶν δεκαπέντε χιλιάδων ὁ βασιλεὺς τῶν Ὁμηριτῶν, ἔγνω τοῦ λοιποῦ μὴ δύνασθαι τοὺς Αἰθίοπας ἐπελθεῖν αὐτῷ διὰ γῆς, καὶ ἀντιμηχανᾶται κατὰ τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ Θεοῦ ὁ Ἰουδαῖος καὶ ποράνομος βασιλεύς. Ἔστι γὰρ ἐν τῇ θαλάσσῃ μεταξὺ τῶν Αἰθιόπων καὶ τῶν Ὁμηριτῶν στενὸς τόπος τῆς θαλάσσης, ἔχων [πλάτος σταδίων δύο ·] ἔστι τὸ στενὸν εἴς τινας * τόπους κατάβραχον. Κελεύει οὖν πλῆθος σιδήρου ἀναριθμήτου συνάξαι καὶ ἄλυσιν γενέσθαι. Εἶχε δὲ ὁ σταθμὸς τοῦ ἑνὸς γονατίου λίτρας ἑκατὸν ὀγδοήκοντα. Καὶ συζευγνύει ἀνὰ γονάτια πεντήκοντα, καὶ παρεισφέρει ξύλον ἐλαφρὸν ἀγριοφοινίκινον * μεταξὺ τῆς ἁλύσεως τῶν πεντήκοντα γονατίων. Καὶ οὕτως ἀπ' ἄκρου τῆς γῆς ἕως τοῦ ἑτέρου ἄκρου *, διέφραξε τὴν θάλασσαν. Καὶ ὅπου μὲν βράχη ἦσαν μετὰ μολίβδου ἐποίησε * τοὺς πιαστῆρας καὶ κρίκους τῆς ἁλύσεως · ὅπου δὲ βάθη ἦσαν, ἐβάσταζον τὰ κορμία τῶν ξύλων τὴν ἄλυσιν. Καὶ μετὰ πλήθους ἀναριθμήτου παραγίνεται κατάφρακτος ὁ βασιλεὺς εἰς τὸν ποταμὸν *, ὅπου ἔλεγεν καταντῆσαι αὐτόθι τὸν βασιλέα Ἐλεσβαάν .

* A ὁ βασιλεὺς

* A μόνον.

* A κ. μ. *omittit.*

* A Τότε μεμαθηκὼς.

* A εἰς φανεροὺς τόπους κατ.

* A ἀγριοφοινίκιον

* A *omittit.*

* A ἐπόντισεν.

* A τόπον

33 Verum ignorantibus illis qui in navibus

33 Ἀγνοούντων οὖν τῶν ἀπὸ τῶν πλοίων ὅτι ἡ ἄλυσίς

A ἄλυσίς ἐστι διὰ μέσου ἐμποδίζουσα, παραγίνονται εἰς τὸν τόπον τὸν στενόν. Καὶ ἄφνω τὸ πρῶτον πλοῖον περῶν, κατὰ κυβέρνησιν τοῦ ἀπόλλοντος * τὰς βουλὰς τῶν πανούργων, μόνου δυνατοῦ Θεοῦ, κουφισθὲν ὑπὸ τοῦ ῥεύματος, ὑπεράνω τῆς ἁλύσεως ἐπὶ ἑνὶ μέρει * κέκλικεν, ὥστε νομίζειν τοὺς ἀπὸ τῶν ἄλλων πλοίων, ὅτι εἰς βράχος κεκάθηκεν. * Τὸ αὐτὸ οὖν πάσχουσιν ἄλλα ἐννέα πλοῖα · καὶ γίνεται ζάλη τρικυμίας * ἐν τῇ Θαλάσσῃ, καὶ ἀγριοῦνται ἄφνω τὰ κύματα, καὶ ἐκουφίζοντο τὰ πλοῖα μετὰ τῶν κορμίων, καὶ ἐχάλων ὑπεράνω * τῆς ἁλύσεως. Καὶ ὡς ἐγένετο δὶς καὶ τρὶς τοῦτο, ἐκόπει * ἡ ἅλυσις · καὶ οὕτως ἐπέρασαν τὰ δέκα πλοῖα ἐπὶ τὸν Ὁμηρίτην ἀδλαβῆ. Τὰ δὲ ἄλλα ἑξήκοντα πλοῖα ἐν οἷς ἦν ὁ βασιλεὺς ἐκ τῆς ζάλης καὶ τῶν σφοδρῶν ἀνέμων ὑπέστρεψαν εἰς τὰ ὀπίσω ἐπὶ ἄλλους σταδίους δεκαδύο *. Τὰ δὲ δέκα πλοῖα, τῷ ῥεύματι * τοῦ ἀνέμου ὀρθὸν πλοῦν τελέσαντα, ἦλθον εἰς τὸν τόπον ἀπέχοντα τοῦ αἰγιαλοῦ, ἔνθα ἦν ὁ βασιλεὺς, μίλια δεκαπέντε. Πέμπει οὖν ἐκεῖ εἰς ἀπάντησιν τούτων ὁ Ὁμηρίτης στρατηγοὺς μετὰ τριάκοντα χιλιάδων καταφράκτων σεσιδηρωμένων πάντων καβαλλαρίων.

* A ἀπολλύντος.
* A omittit.
* lege κεκώθικεν.
* A καὶ τρικυμία.
* A ἐπάνω.
* A ἐκόπη.
* A δεκαπέντε.
* A ῥυζήματι, l. ῥοιζήματι.

erant, impediri mare ferrea catena, adveniunt ad fretum angustum zz statimque penetrans navis prima usque ad catenam (ex dispositione illius qui perdit consilia impiorum, solius omnipotentis Dei) sublevata est a fluento supra catenam et ad alteram partem inclinata est : ita ut cogitarent qui in aliis navibus sequebantur, consedisse eam in quodam vado. Contingit idem aliis navibus novem; oriturque tempestas et fiunt fluctus ingentes, sæviuntque et sublevant naves simul cum truncis *aaa*, easque ultra catenam dimittunt. Ubi vero iterum et tertio id accidit, rupta est catena. Et in hunc quidem modum transierunt dictæ naves decem. Reliquæ sexaginta, in quibus erat rex, tempestate et vi ventorum rejectæ sunt retrorsum ad stadia duodecim. Naves vero illæ decem cum ventis propitiis cursum perfecerunt, veneruntque ad locum distantem a littore in quo erat rex *bbb* Homerita milliariis quindecim. Tum adversus eas disponit iste duces suos cum equitibus tricies mille loricatis et ferro obductis.

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

per quam tamen transeunt naves aliquot, et quæ demum rumpitur, zz

aaa

bbb

B

ANNOTATA.

E

a A ἔτυχεν δὲ πρώην... συνάξαι: Nuper collegerat, *nimirum dum illa Alexandriæ gerebantur, mense aprili tertiæ indictionis seu anni* 525. *Præferenda videtur vox* πρωΐ *quam habet codex noster,* ἔτυχεν δὲ πρωΐ... συνάξαι: mature collegerat. *Additur enim paulo inferius:* Insuper hieme ejusdem tertiæ indictionis, *id est exeunte anno* 524, *vel ineunte anno* 525, confecit et ipse *Elesbaas* naves Indicas decem. *Ex quibus aliisque plurimis certum videtur, dudum ante mensem aprilem anni* 525 *sese ad bellum parare cœpisse S. Elesbaan.*

b A *eumdem numerum signat:* πλῆθος χιλιάδων ρκ'. *Vide Comment. n.* 172 .

c *Negotiatio trans mare rubrum usque ad Mahumetem maxima fuit. Comment. n.* 11, 84 *et annot.* w *ad cap.* VI (1). *Mox* A, *ubi codex noster :* καὶ Αἰθιόπων, *scribit :* καὶ Ἰνδῶν, *quod in idem recidit. Comment. n.* 34.

d *Insulas* Pharsan *inter geographos primus significavit C. Ritter : anno scilicet* 1825 *detecta est ab Ehrenbergio in mari rubro, circa latitudinem* 16° 50′, *insula* Farsan kebir (*Farsan major*), *longa leucas fere* 15; *et non procul inde* Farsan sseghir (Farsan minor) : *præter alias fere duodecim, et innumeras pæne insulas minusculas.* Farsan *porro dicitur hodieque hæc insularum congeries, seu* Phersan, *ut alii scribunt; portusque plurimos illic videre est. Incolæ margaritas colligunt, ac facile sibi victum comparant. Ignoratas non fuisse has insulas a mercatoribus Græco-Romanis, nunc primum discimus;* τῆς Φαρσάν *enim, portus vel insulæ maris rubri, meminit quidem Photius codice tertio, sed id a nullo geographo, nec ab ipso diligentissimo Rittero observatum est. Videntur hæ insulæ hoc tempore sub dominatu fuisse regum Æthiopiæ.*

e Æla, *dicta etiam Ailath, Aila, Ælana, et in codice* A *iotacismo* Ἰλά, *in fronte erat sinus Ælanitici. Hodie supersunt sola rudera, non procul a castro* Akaba, *a quo nunc sinus nuncupa-*
C *tur. Ibi erat etiam Aziongeber regis Salomonis, ex qua ejus classis proficiscebatur in regionem* F *Ophir. Patet vero ex hoc loco, Ailæ adhuc floruisse negotiationem sæculo sexto; inde merces camelis vehebantur in Judæam et Syriam. Comment. n.* 11 *sq. Aila passim memoratur a geographis.*

f *Clysma est mahumetanorum* Kolzum, *cujus jacent rudera primo lapide ab hodierna Suez, versus septemtrionem, et ad extremum sinum Heroopolitanum* *. *Vide Quatremère* (2), *Ritter et alios.* * Golfe de Suez

g *In insula Iotabe multi degebant mercatores Romani. Comment. n.* 84; *cfr n.* 72.

h *De Berenice diximus annot.* x *capitis præcedentis.*

i *V. annot.* d.

k *Significantur hic proculdubio regna maritima, ad meridiem Æthiopiæ sita, forte circa Zeilam. Vide Comment. n.* 117.

l *Portus Adules, quem ex Actis* Gabazan *vocatum fuisse discimus, ab urbe distabat, teste Procopio, stadiis viginti (nimirum olympicis, quibus vias Græci metiebantur), seu chiliometris tribus cum dimidio. Operæ pretium fuerit hic recitare quæ habet idem historicus de navigatione Arabiam inter et Æthiopiam; ex quibus lux nova tum Actis, tum ipsi Commentario prævio accedet:* E regione Homeritarum, *inquit,* ulteriorem continentem habent Æthiopes Axomitæ, ita dicti de nomine urbis Auxomidis*, ubi regia ipsorum est. Porro interfusum mare, ferente medio- * Aksum.
criter vento, trajicitur diebus quinque ac noctibus totidem. Neque enim nox interrumpit ibi navigationem, propterea quod ea pars æquoris nulla habet omnino brevia. Fuere qui mare hoc Rubrum appellarent (*hic Procopius, quem nulli cultui addictum fuisse supra ostendimus, iterum codicem sacrum consulto negligere videtur*): quod autem inde usque ad oram et urbem

(1) Cfr Letronne, Hist. et Mém. de l'Institut, tom. IX, pag. 173-176. — (2) Mém. géogr. sur l'Egypte, tom. I, pag. 151. et seqq.; cfr Acta SS. tom. IX octob. pag. 23.

AUCTORE E. C.

Ailam enavigatur, sinum Arabicum ideo vocarunt, quia regio, quæ hinc ad Gazæ limites pertinet, nominata quondam fuit Arabia, immo rex Arabum (*nimirum Nabatæorum et aliquando etiam Ghassanidarum*) superioribus sæculis in urbe Petra habebat regiam. Nomen est Bulicas portui Homeritarum (Βουλικὰς ὀνομάζεται: *nomen ignotum est, at significari mihi videtur portus Ghalefka, prope Beit-el-Fakih, ad latitudinem Adules*), unde qui solvunt petere Æthiopiam solent, et trajectu pelagi non intermisso, in portum Adulitarum appellunt a quo stadiis xx distat urbs Adulis (*ita fere et Cosmas* (1), *qui Aduli aliquamdiu commoratus est:* duobus milliaribus a mari distans); tanto nimirum spatio a mari retracta; ab urbe vero Auxomide iter dierum xii (*seu leucas, quarum sunt* 25 *in gradu, centum viginti*) dissita est. *Hucusque Procopius, de bello Pers. lib.* i *cap.* 19. [*Libros de bello Persico scripsit is auctor sub finem imperii Justiniani, jam alienior ab eo factus, nec eo vivente vulgari potuerunt. Nec multo ante conscriptus est liber* iv *Gotthicorum, in quo jam notatur animi aversio. In ceteris* (*omissa Historia Arcana, quam dudum post editam fuisse passim notum est*) *religionem christianam veneratur et Justiniani adulatorem se prodit. Referuntur hæc ad Comment. n.* 99 *et annot.* t *capitis* vi: *ac inde fit manifestum emendanda esse plurima ex iis quæ de Procopio scripsit Alemannus.*] D

m *Codex* A ἐν ὅρμῳ τινὶ (*ex quo patet hæc scripta non esse in Æthiopia, ubi tamen aliquamdiu excultæ fuisse literæ Græcæ videntur*) λεγομένῳ Γαβαζὰν ὑπὸ τὴν ἐνορίαν ὄντι Ἀδουλὶν πόλιν τὴν παρὰ θάλασσαν, ἐκέλευσεν ἐνολκηθῆναι ἐπὶ... Ἰνδικὰ δέκα πλοῖα· καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χειμῶνι τῆς αὐτῆς τρίτης ἰνδικτιῶνος πεφιλοκάληνται τὰ ἑβδομήκοντα πλοῖα. *Ex his apparet numerum qui omissus est in exemplo nostro, recte adscribi in codice* A: Ἰνδικὰ δέκα πλοῖα. *Etenim collectæ sunt naves institorum et ex insulis Pharsan, sexaginta; et adjectis Indicis, dicit uterque codex fuisse universim septuaginta. Id ceterum ex historia expeditionis patebit, infra a num.* 32. *Quam ob rem manifeste errat Metaphrastes, dum naves Indicas septuaginta paratas esse scribit. Omissis scilicet nominibus urbium et insularum* (*ut facere consuevit dum obscuriora sibi videbantur*), *hunc in modum scribit* (2): E

B Itaque cum validum collegisset exercitum *Æthiopum rex...* naves autem Indicas septuaginta (ἑβδομήκοντα,, *ita codex noster Metaphrastæus; vide Comment n.* 172) in ipsa hieme construxisset; quinetiam ex negotiatoribus Persis et Æthiopibus, qui illuc venerant mercaturæ gratia, naves alias collegisset ad sexaginta: cumque eas, quæ ex ipsis collapsæ fuerant, instaurasset ac refecisset, et omnia parasset *etc. Quid sint naves Indicæ vide annot.* o.

n Hieme ejusdem tertiæ indictionis *i. e. extremi anni* 524 *et ineuntis* 525.

o *Naves Indicæ sunt illæ ipsæ de quibus hæc singularia scribit Procopius, de mari rubro, post ea quæ paulo superius recitavimus, adhuc disserens:* In hoc autem mari atque inter Indos, *inquit,* navigia, quæcumque sunt (πλοῖα μέντοι ὅσα ἔν τε Ἰνδοῖς καὶ ἐν ταύτῃ τῇ θαλάσσῃ ἐστίν), a ceteris plane discrepant ratione compaginis. Nam nec pice aliave re quapiam oblitæ, nec ferreis clavis perfixæ attextæque tabulæ, sed restibus quibusdam colligatæ inter se cohærent. Neque ea, quam multi putant, causa est, quod ibi sint scopuli, qui ferrum attrahant*. Et sane argumento sunt Romanorum naves, quæ quamvis ferro plurimo aptæ, nihil unquam tale patiuntur cum ex urbe Aila in hoc mare contendunt. Assignandum id potius ferri ceterarumque rerum ad fabricam idonearum penuriæ, qua laborant Indi atque Æthiopes; quin ipsis ejus generis merces a Romanis emendi facultas erepta est lege patria quæ sub pœna capitis id nominatim vetat. Hæc habui quæ de mari Rubro et adjacentibus utrinque oris dicerem. *Hujusmodi* naves Indicæ *usui sunt hodieque a freto Bal-el-mandeb usque ad insulam Madagascar. V. Ritterum.*

* Cfr *Edrisi* I p. 46.

p A ἐν τοσούτῳ οὖν δεκαπέντε χιλιάδας Αἰθιόπων τῶν βαρβάρων πέμπει διὰ ξηρᾶς, ὀφείλοντας ἐκ νότου τῆς Αἰθιοπίας διαπεράσαι καὶ μέχρις ἀνατολῆς, καὶ (*sic*) εὑτρεπισθῆναι εἰς μέρη τινὰ τοῦ Ὁμηρίτου, ὅπως... *Vox* διαπεράσαι, *vel* περάσαι, *ut habet noster, de trajiciendo mari vel flumine plerumque dicitur, atque ita intelligendam esse hoc loco videtur manifestum. Quocirca parum prudenter ista interpretatur Metaphrastes in hæc verba:* Καὶ δι' ἠπείρου μὲν ὡς ἐκ νότου τῆς Αἰθιόπων ἐξέπεμπέ τινας τῶν F

C βαρβάρων Αἰθιόπων, μυρίους καὶ πεντακισχιλίους, πρὸς τὰ τοῦ Ὁμηρίτου ἀνατολικώτερα, ὡς ἂν αὐτὸς μὲν μετὰ πλοίων ἐκ δυσμῶν διὰ θαλάσσης, ἐκεῖνοι δὲ διὰ γῆς ἐξ ἀνατολῶν ἐμβαλόντες, τοὺς πολεμίους εἰς μέσον εἴρξωσιν (*codex Boissonadii:* εἰς μέσον ἐναποκλείσωσιν). *Videntur itaque Cpolitani sæculo decimo ignorasse mare undequaque interfundi Arabiam inter et Æthiopiam. Prosequitur codex* A : ὅπως τῶν πλοίων μετὰ τῶν στρατοπέδων παραγινομένων ὡς ἐκ δυσμῶν διὰ θαλάσσης, ἐκεῖνοι ἐξ ἀνατολῶν ἐπεμβαίνουσιν.

q Triginta; *ita codex* A : τριάκοντα. *Noster vero* δεκαπέντε *repetere videtur e versu præcedenti. Mansionis antiquissimus est usus, ut discimus ex Pentateucho* (3), *et inter plerasque gentes propagatus est. Mansio Persarum militaris erat parasangarum quatuor, seu stadiorum fere* 120, *ut Xenophon docet. Mansionem Græcorum plerique post Herodotum stadiis valuisse scribunt* 200 (4); *at Strabo etiam* 250 *vel pluribus* (5). *Usitatissima etiam in Oriente fuit mansio Ptolemaïca, seu Alexandrina, milliariorum* 30 *Ptolemaïcorum, ut Cosmas tradit* (6): *milliarium vero Ptolemaïcum chiliometris valuit* 48 1/2. *Mansione denique Arabica, quæ valet parasangis Arabicis octo, mahumetani etiamnum utuntur; de qua alibi diximus. Mansiones Ptolemaïcæ porro* 30, *quæ in Actis memorantur, leucis minoribus geographicis valent* 330. *At notandum mansiones exercituum longe minores esse et ab Herodoto et plerisque veteribus contrahi ad stadia* 150, *seu leucas minores sex* (7), *et a Xenophonte ad parasangas Persicas quatuor, seu leucas minores quinque tantum. Barbari vero* 15,000, *de quibus in Actis dicitur, videntur solvere debuisse ex aliquo portu Africano ad sinum qui ab Aden dicitur, forte ex portu Zeila, vel ut verisimile est, ex alio multo magis ad orientem sito, in regione Sasi et Barbareotarum, quam incolunt hodiedum Somaules. De his tractibus hæc scribebat circa annum* 545 *Cosmas Indicopleustes :* Axumi usque ad extrema

(1) Cosmas Indicopl, pag. 140. — (2) Ap. Surium ad d. 24 octob. n. 27. — (3) Deuteron. I, 2. — (4) Herodot. lib. IV, cap. 101. — (5) Strabo lib. I, pag. 51, edit. Oxon. — (6) Cosmas Indicopl. pag. 138. — (7) Herodot. lib. V, cap. 53; cfr Veget. lib. I, cap. 11; Jomard, Etudes sur l'Arabie, pag. 146.

Æthiopiæ,

A Æthiopiæ, terræ thuriferæ quæ vocatur Barbaria et oceano adjacet, regionem habens non vicinam, sed longinquam, quæ Sasus dicitur, ac Æthiopiæ ultima est, mansiones plus minus 50..... Non enim admodum distat Homerites a Barbaria, mediante mari trajectus bidui; ultra quam Barbariam oceanus est qui Zingium ibi dicitur. Sasus item, ut vocant, oceano proxima est, ut etiam regioni thuriferæ propinquus oceanus, quæ regio multa auri metalla habet. Alternis porro annis rex Axomitarum (*seu Æthiopum*) per præfectos Agau illuc homines mittit, qui negotientur aurum : quos comitantur alii plurimi negotiatores, ita ut plusquam quingenti numero sint..... Hæc tum ipsis oculis a me conspecta, tum narrantibus iis qui istuc negotiationis causa veniunt, accepta, *etc.* (1). *Ex his patet iter non prorsus ignotum instituisse milites quindecies mille qui versus meridiem ab Elesbaa missi sunt. Ubi vero perierint aut dilapsi sint, sive in Africa, sive in Homeritide, dici nequit.* AUCTORE E. C.

r A καὶ ἐπὶ ἑπτὰ ἄλλας ἡμέρας ὁδεύσασαι δι' ἀνύδρων καὶ ἀδάτων ὀρέων, διεφθάρησαν καὶ οὐ διήρκεσαν πρὸς τὸν Ὁμηρίτην ἀπελθεῖν...

s *Hoc anno* 525, *indictione tertia, incidebat dominica Pentecostes in diem* 18 *maji.*

t πρόκενσον, *seu* πρόκεσσον, *vox Græco-Byzantina, processionem, sive supplicationem, significat; ut videre est in Glossario Cangii, qui hunc ipsum locum Actorum, inter alios, profert. Processiones vero in ecclesia antiquissimas esse et ipso ævo persecutionum aliquando, licet raro, fuisse institutas, ex Actis martyrum et scriptis sanctorum Patrum certo novimus. Cpoli iis frequenter intererant imperatores.*

u *Erat hæc ecclesia in urbe Axumi, Æthiopum regia, ut patet ex initio num.* 31. *Designari vero hic videtur ecclesia urbis præcipua, cujus hodieque supersunt insignia rudera, quæ viatores plurimi, Bruce* (2), *Salt* (3), *Lefebvre* (4) *aliique, inviserunt et admirati sunt.*

w Narthex *est ecclesiæ vestibulum, seu porticus, quæ ædis sacræ portis obversatur. Ad latitudinem ecclesiæ extendebatur, sed profundus non erat; censebatur vero extra ædem esse. Vide* B *Cangium, et* ἔκτυπα *ecclesiarum orientis, quæ passim obvia sunt.* E

x *Codex Parisinus ex quo descriptum est exemplum nostrum, et qui hinc inde legi nequit, habebat hoc loco :* μετὰ παγανικῆς φορ. *Metaphrastes ap. Boissonadium :* ὁ δὲ βασιλεὺς περὶ τὸν ἕκτλουν ἤδη ὢν, ἀφίκετο εἰς τὸ ἱερὸν καὶ πρὸ τῆς εἰσόδου, ἐν τῷ προνάῳ τὴν βασίλειον ἐσθῆτα ἐκδὺς καὶ τἄλλα παράσημα ἀποθεὶς, εἰσῆλθεν ἐν τῷ ἰδιωτικῷ σχήματι, καὶ στὰς τοὺ Θυσιαστηρίου κατέναντι...

y E civitate regia, *q. d. ex Axumi; vide annot.* u

z *Vide Comment. n.* 172.

aa Sabæ, *Æthiopiæ portus ad mare rubrum, meminit Strabo* (5), *et* Sabat, *Æthiopiæ urbs, in sinu Adulitico, Ptolemæo memoratur; vide Mannert. Sabæos et in Æthiopia fuisse prope Nilum, dictum Comment. n.* 123; *tum et alia nomina Homeritica, v. c. flumen* Mareb, *ibi obvia sunt: quod communi origini harum gentium adscribendum videtur. Verum hic significatur locus in quo habitabat sanctus Pantaleon, ut ex sequentibus docemur. Habitabat autem S. Pantaleon in monte, millibus passuum duobus ab Axumi, versus orientem; qui hodieque mons S. Pantaleonis dicitur* (6). *Axumin vero a mari dissitam esse novimus iter plurium dierum. Quocirca significatur forte locus Saba de quo scribit Tellezius :* Prope Axumin, *inquit,* in Æthiopiæ provincia quæ Tigré dicitur, visitur et hodiedum vicus parvus quem Saba vocant, vel Sabaim, in quo natum dicunt reginam Saba. *Scribit dein de alio oppido, dicto* Azeb, *vel* Beth-David, *a quodam rege David : quod nomen etiam idem esse dicit cum Saba* (7). *Verum Ludolfus, dum posterius impugnat, simul videtur et prius negare* (8).

bb Romanus *q. d. Græcus. In Vita monachi Tecla-Haimanoth, qui sæculo* VII *floruisse dicitur, hæc legimus de sanctis novem, quorum primus fuit S. Pantaleon :* Venit ad monasterium Damo, quod exstruxerat abbas Aragawi, unus e novem sanctis qui venerunt ex « Rum et ex Ægypto » regnante Alamida (*seu* Alameda; *vide annot.* o *ad cap.* I), filio Saladobæ et decessor C Tazenæ *etc.* (9). Rum *autem, ut notat Mendesius* (10), *non Romam hodiernam sed Græciam et* F *Cpolim, seu imperium Cpolitanum denotat. Idem docet Sapetus* (11). *Quam ob rem nonnisi mera amplificatio est quod in* senkessar *Æthiopico legitur* (12) : Iste sanctus (*Pantaleon*) erat filius nobilium parentum e Roma (*Constantinopoli*), qui erant in aula ad dexteram regis.

cc *Hinc docemur S. Pantaleonem fuisse ex Æla, florentissima tum civitate, in fronte sinus Ælanitici. Illic versatus est circa hoc tempus Cosmas Indicopleustes, priusquam monachum indueret* (13). *Vide annot.* e *hujus capitis. Inde vero patet S. Pantaleonem non immerito* Ῥωμαῖον, *seu Græco-Romanum dici.*

dd A ζοναῖνος, *noster* ζώνενος; *Boissonadius scribendum esse duxit,* ζωναῖνος. *Manifestum vero est ex adjunctis omnibus et ex locis pluribus* senkessar *Æthiopici* (*cfr Comment. n.* 195, *Sapetus pag.* 401, 424; *aliique*), *hic significari sanctum Pantaleonem; qui qua de causa* ζώνενος *vel* ζοναῖνος *vocetur, facile dictu non est. Nodum tamen solvere mihi videntur quæ alicubi notat Sapetus* (14), *Græcos ab Æthiopibus dici* Rom, *eorum regnum,* regionem Tyer, *et Græcos antiquos,* Iunanovian *i. e. Ionios.* Ζωναῖνον *itaque dictum esse conjectaverim S. Pantaleonem, quod erat* Iunanovian, *seu Græcus.*

ee A σὺν ἄλλοις πέντε σχήματι παγανῷ πεζῶν; *forte* πεζῶς. *Boissonadius.*

ff Ab annis quadraginta quinque. *Ita et* senkessar *ubi de S. Pantaleone* (15).

gg *Monachi qui in hujusmodi turricula habitabant a Græcis dicebantur* ἐγκεκλεισμένοι, inclusi, *et nonnumquam* stylitæ. *Vide quæ alibi inquisivimus de turricula S. Petri de Blachernis* (16).

(1) Cosmas Indicopl. pag. 138 et seqq. — (2) Bruce, Voyage en Nubie et en Abyssinie, tom. III, pag. 144 et seqq. Paris 1791. — (3) H. Salt, Voyage en Abyssinie, tom. II, pag. 174 et seqq. — (4) Lefebvre, Voyage en Abyssinie, tom. III, pag. 428 et seqq.; cfr Tellez, Historia geral de Ethiopia, pag. 56, et Ritter tom. I, pag. 192 et seqq. — (5) Edit. Oxon. pag. 1095 et 1097. — (6) Sapeto, Viaggio, pag. 465; Tellez, Historia geral de Ethiopia, pag. 82. — (7) Tellez, loc. cit. pag. 65. — (8) Commentar. pag. 67 et 231. — (9) Ap. Tellez, pag. 79. — (10) Ibid. et seq. — (11) Viaggio. pag. 450. — (12) Ibid. pag. 399. — (13) Cosmas pag. 140. — (14) Viaggio, pag. 450. —(15) Ibid. pag. 400. — (16) Acta SS. tom. VIII octob. pag. 132; cfr Tillez, loc. cit. pag. 82.

hh *Noster*

AUCTORE E. C.

hh *Noster mendose* πέντε; A ἔχοντι (πυργίῳ) ἔξωθεν σὺν τῇ οἰκοδομῇ πλάτος πήχεων δύο, ὕψος ἔξωθεν D σὺν τῇ οἰκ.

ii Senkessar : Fecit sibi (*S. Pantaleon*) speluncam altam cubitos 5, longam 2, latam 3 (*sic*), habentem pro fastigio lapidem, et pro fenestra foramen parvum (1).

kk *In codice altero, sive* B, *hæc legi poterant :* Θυμιάματα σύνθετα (A συνθετὰ) μαζία ἑπτά (μαζίον *est librum, seu placenta*). *Pachymeres lib.* V, *cap.* 17 : ἐπιφερόμενοι..... καὶ συνθετὰ πολύτιμα θυμιάματα; *quo loco, ut ex textu orationis patet* (2), *thymiateria, seu thuribula, significantur; in Actis vero ipsa thymiata, seu odoramenta.*

ll Δηνάριον *moneta aurea est, ut patet tum ex his quæ sequuntur,* διὰ τὸ χρυσίον εἶπεν ὁ γέρων; *tum ex iisdem Actis num.* 25. *Et quum Æthiopes et in primis Arabes ante Mahumetem plerumque nummis Cpolitanis uterentur, significantur procul dubio aurei Cpolitani, dicti* νομίσματα. *Nam isti aurei ab Arabibus* dinar *dicuntur* (3); *quod qua de causa factum sit haud certo assequor. Etenim* δηνάριον *Cpolitanum* (*quam vocem Græci* δινάριον *pronuntiant, unde Arabicum* dinar) *nummus fuit argenteus, ut ex Suida, Hesychio aliisque percipimus* (4). *Adverto tamen aureum Romanum appellatum esse denarium a Plinio et ab aliis nonnullis; immo ab ipso Didymo Alexandrino* (5). *De his plura diximus quod ab annis aliquot non parum in nummos Arabum inquisiverunt viri doctissimi dux de Luynes* (6), *Fr. Le Normant* (7) *et V. Langlois. Hujus liber, anno proxime elapso vulgatus, nuper ad manus devenit; in quo adverto nullum adhuc repertum esse nummum regum Homeritarum* (8) : *quamvis, quin olim monetam cuderint Homeritæ, vix ambigendum sit. Et quidem helcas, sive holcas Homeritica, quæ ponderis fuit unius drachmæ Arabicæ, sive* dirhem, *ut dictum superius* (9) *cum nulla moneta Cpolitana aut Alexandrina, quantum scio, ullatenus congruit; malo tamen ut de his certius judicent ipsi numismatographi. Illud sane ex recentibus disquisitionibus manifesto elucet, non modo nummos sibi cudisse Arabas, sed et*
B *plerosque earum gentes, puta Nabatæos, Palmyrenos, Mesenos, Atratenos etc. nummos proprios* E
habuisse, cum inscriptionibus sua lingua exaratis (10). *Ex quo concidunt quæ abhinc annis aliquot adhuc proponebantur, Arabas ante Mahumetem nummos nullos sibi cudisse aut sua lingua signasse* (11). *Denique, ut quæ de re nummaria passim notavimus hic absolvantur, retractanda censemus quæ de talento Hebræorum post Calmetum* (12) *et Cl. Movers scripsimus Comment. n.* 9 : *ubi statuimus illud omni tempore idem fuisse. Verum expenso diligentius systemate Ptolemaico, seu Alexandrino, ponderum et mensurarum, quod sensim per universum orientem invaluit, perspeximus talentum librarum* 125 *esse ipsum talentum Ptolemaicum; ac insuper in libris Macchabæorum et Novo Testamento systema Ptolemæorum perpetuo adhiberi. Ante Ptolemæos igitur systema aliud in Judæa usurpabatur; quod quale fuerit certo non novimus. At non immerito idem fuisse arbitramur ac Ægyptiacum vetus, quod a Judæis post recessum ab Ægypto retentum fuerit* (13). *Et quum in* ὑπογαίοις *Ægypti varia pondera et mensuræ reperta fuerint, illius regionis systema vetus nunc innotuit; in quo talentum valuit grammatis circiter* 18,000; *i. e. solum duabus partibus quintis* (2/5) *talenti Ptolemaici* (14).

mm *Cfr* senkessar *ap. Sapetum* (15).

nn A Ἄδουλιν... Γαβάζαν. *Gabaza ea pars fuerit sinus* Annesley, *quæ Aduli vicinior erat. Rudera Adulis reperisse se credit viator Salt, dicique etiamnum* Azoole, *seu* Azule, *non procul a* Zulla (16). *Quum de Aduli et profectione Elesbaæ hic disserant Acta, recitari meretur locus insignis Cosmæ Indicopleustæ qui a me dudum præteritus est, et quem Montfauconius de præsenti expeditione Elesbaæ intelligendum esse credidit :* Cum annis abhinc plus minus viginti quinque, *ait Cosmas,* sub initium principatus Justini, Romanorum imperatoris, istis in locis adessem, *Aduli nimirum,* Elesbaan, tunc Axomitarum rex, bellicam suscepturus expeditionem contra Homeritas, in adversa sinus ora positos, Adulis præfecto literis mandavit, ut exemplum inscriptionis Ptolomaicæ sellæ atque lapidis sibi transmitteret. Tunc præfectus ille, nomine
C Asbas, evocatum me et alium negotiatorem, Menam nomine...jussit loca petere et inscriptionem F
exsumere (17). *Quæ inscriptio passim nota est a viris doctis. Expeditionem porro Homeriticam, quæ hic memoratur a Cosma, illam esse credidit Montfauconius et post eum Gallandius, quæ in Actis S.* Arethæ *Metaphrasticis, in Chronographia Theophanis aliisque libris celebratur. Exinde vero deducunt Cosmam Topographiam suam scripsisse anno* 547 : *siquidem hæc* expeditio, ut docet Pagius (18) *ita Gallandius prosequitur* (19), in annum incidit 522, Justini autem imperatoris V. Jam vero, *inquit,* si hujusmodi annorum notationi annos addas supra dictos XXV, annus exsurget 547, Justiniani XXI, quo proinde imperante auctor floruisse atque ista scripsisse intelligitur. *Ast expeditio, de qua scribit Pagius, facta est anno* 525, *ut ex Actis nostris et Commentario manifestum est. Quapropter librum suum secundum, quo annos* 25 *ab expeditione Elesbaæ evolutos esse perhibet, scripsisset Cosmas anno* 550. *Quod admittendum non est duabus de causis. Primo enim, libros quinque priores suæ Topographiæ edidit Cosmas aliquamdiu ante alios, ut patet ex ejus prologo secundo* (20). *Deinde, quum impugnarentur hi libri, addidit sextum : quem concinnavit anno* 547, *inter menses februarium et augustum, ut ex duabus eclipsibus quas illic adscribit, luce meridiana clarius apparet* (21). *Quæ quomodo Montfauconium, operis editorem, fugere potuerint, non capio. At dudum animadversum est eum leviori manu illud ad prælum*

(1) Ap. Sapeto, pag. 400. — (2) Pachymeres, pag. 385, edit. Bonn. — (3) Kasimirski, Le Koran, chap. 3 n. 68, pag. 48; cfr supra annot. *rr* ad cap. I. — (4) Suidas, Hesychius, Du Cange v° *δηνάριον*. — (5) Plin. Hist. nat. l. XXXIII, 13, cum not. Harduini. — (6) Ap. Revue Numismat. 1838, pag. 292 et 362. — (7) Catalogue des médailles de M. le baron Behr, pag. 147; Id. sur l'orig. chrétienne des inscriptions sinaïtiques ap. Journal asiatiq. 1839, pag. 49 et seqq. — (8) Langlois Numismatique des Arabes avant l'islamisme, pag. 11,141. — (9) Annot. *qq* ad cap. I. — (10) Cfr Langlois l. c. passim. — (11) Cfr Sawaskiewicz, Le génie de l'Orient, ses monum. monétaires, pag. 79 et seqq. — (12) Dictionn. de la bible v^e *talent.* — (13) Cfr Gosselin, Mém. de l'Institut, tom. VI, pag. 121; Doursther, Dict. des poids et mesures, pag. 332. — (14) Doursther ibid. — (15) Viaggio pag. 401. — (16) Salt, Voyage en Abyss. tom. II, pag. 237 et pl. X; Ritter tom. I, pag. 239. — (17) Cosmas Indicopl. lib. II, pag. 140 sq. — (18) Adan. 522, n. 5. — (19) Galland. tom. XI prolegom. pag. XVIII ap. Migne, tom. LXXXVIII. — (20) Cosmas pag. 114 et seq. edit. Montf. — (21) Ibid. pag. 264.

parasse.

A *parasse. Exinde vero non immerito dicemus Cosmam librum suum secundum scripsisse anno* 546, *vel potius* 545. *Præterea ait Cosmas* (*et hoc argumentum aliud est, quod proponere volebamus*) *expeditionem illam Elesbaæ contigisse* sub initium principatus Justini, *qui imperavit a mense julio anni* 518 *usque ad mensem augustum anni* 527. *Expeditio itaque anni* 525 *facta est, non* sub initium, *sed sub finem principatus Justini; et quum jam sciamus Cosmam librum suum secundum exarasse anno circiter* 545, *expeditionem Elesbaæ, quæ facta est* annis abhinc plus minus viginti quinque, sub initium principatus Justini, Romanorum imperatoris, *eam esse haud dubito, quam regis illius primam fuisse diximus, et quæ supra variis locis memorata est* (1). *Subductis autem annis* 25 *a* 545 *devenimus ad annum* 520; *sed ut propius accedamus ad initium imperii Justini, haud immerito dixerimus Elesbaan expeditionem suam primam adversus Homeritas adornasse anno Christi circiter* 519. AUCTORE E. C.

oo A καὶ οὗτοι ἐνεβάλοντο εἰς τὰ πλοῖα; *numerum omittit. Noster :* ἐνεβάλοντο τὰ ἑβδομήκοντα πλοῖα. *Alibi diximus naves istas septuaginta nullatenus exercitum universum Elesbaæ capere potuisse; at dubium non esse, quin ejus exercitus accesserit ad oram Africanam freti Bab-el-mandeb, et inde paulatim in Homeritidem transvectus fuerit. Copias multas una vehi non potuisse navibus septuaginta minoribus, patet ex iis quæ de expeditione Arabica Ælii Galli narrat Strabo :* In hoc primum peccatum fuit, *inquit,* quod longas naves construxerat *Ælius Gallus,* quum nullum esset aut deinceps foret navale prælium : etenim ne terra quidem valde bellicosi sunt Arabes (caupones potius ac mercatores) nedum mari. Atqui Ælius ad octoginta biremes construxerat, et triremes, et phaselos, apud Cleopatridem, quæ antiquæ Nili fossæ proxima est. Errore intellecto, fabricatus est onerarias naves (*quales habuit et Elesbaan*) centum et triginta, quibus navigavit, ducens peditum Romanorum, ex his qui in Ægypto erant, et sociorum circiter decem millia (2). *Ex quibus sequitur in singulis navibus fuisse milites circiter* 77. *Sed demus*
B *naves regis Æthiopis, quod commeatu ad dies* 20 *tantum instruerentur, singulas vexisse milites* 100; *universa classe navium* 70 *vecti fuerint* 7,000. *Sed hi, quum arte bellica vix Homeritas vincerent, profecto horum regno occupando non fuerunt. Ex quo confirmatur quod supra est dictum, partem majorem exercitus Elesbaæ in Homeritidem venisse trans fretum* Bab-el-mandeb. E

pp *Vide annot.* q.

qq *Hic voces paucæ in codice nostro legi non poterant, sed textui codicis* A *adstipulatur Metaphrastes :* σκοπήσας ὅτι στενότατος ὁ μεταξὺ τῆς Αἰθιόπων καὶ Ὁμηριτῶν θαλάσσης τόπος μὴ πλέον δύο σταδίους τὸ εὖρος. *Hic manifeste significatur fretum Bab-el-mandeb* (*Comment. n.* 172); *sed notandum nec in Actis, nec etiam a Metaphraste, freti totius latitudinem aperte tradi, at facile Acta intelligi posse de parte maris quæ inter Arabiam et insulam Naucleriam* (Pilots island) *interfluit, lata dimidium milliarium Anglicum, seu stadia quatuor. De freto Bab-el-mandeb pauca admodum scripsere veteres; inter quos, licet ceteris antiquior, accuratior tamen est Eratosthenes:* Angustiæ Æthiopiam versus, *inquit,* a promontorio fiunt quod Dira nominatur..... Angustiæ Diræ proximæ ad sexaginta stadia contrahuntur. Hodie non hæ dicuntur angustiæ, sed ulterius naviganti, ubi trajectus est inter continentes ducentorum fere stadiorum. At sex quidem insulæ inter se continuæ, transitum implentes, valde angustas navigationes relinquunt, per quas merces ultro citroque transvectantur; quas angustias vocant (3). *Eratostheni concinit Plinius, freto adscribens* VII *mill.* D *passus* (4); *tum et Arrianus in Periplo. Numerus tamen duplicandus erat, quum absint littus alterum ab altero stadia* 120. *Quocirca perperam edoctus est Abulfeda, qui scribit adeo angustum esse fretum ut ex terræ opposita parte socium suum quis in altera percipiat* (5). *Hæc igitur est universa freti ratio: contrahitur ad milliaria Anglica* 14 1/2, *seu chiliometra* 23 1/2; *inter Arabiam et insulam Naucleriam* (Pilots island) *angustiæ sunt dimidii milliarii Anglici; insula Perim longa est milliaria* 4 1/2, *lata* 2, *ac inter eam et insulam Naucleriam*
C *angustiæ ad sesquimilliare patent. Denique inter insulam Perim et Africam latum est fretum* F *milliaria Anglica circiter decem; sed plurimis insulis minoribus interruptum est : non tamen septem aut octo, ut recentiores plerique autumarunt, at sex tantum, ut accuratissime supra statuebat Eratosthenes* (6). *Ex his satis intelligitur, quo pacto reges Æthiopiæ, quibus naves multæ numquam fuerunt, exercitus suos in continentem Arabicam trajicere et Homeritas idemtidem debellare potuerint. Freto adjacebat in littore Arabico emporium* Ὀκηλίς, *cujus meminere auctor Peripli et Strabo* (7), *quodque anno* 1834 *aut paulo post, a navis præfecto Haines in vicinia montis* Manhali *repertum videtur. Illuc vero hodieque multæ appellunt naviculæ Abyssinorum. Stadiis inde* 1200, *orientem inter et meridiem, distabat portus* Arabia felix, *navium frequentia olim celebris, antequam mercatorum classes, ita auctor Peripli, ab India Ægyptum per mare rubrum adire auderent. Merces enim antea camelis Sabæorum et Nabatæorum vehebantur; quod hic obiter advertimus ob ea quæ de negotiatione Sabæorum scripsimus Comment. n.* 11 *sqq. Addit cl. Movers et ævo Phœnicum et Salomonis floruisse navigationem maris rubri.*

rr A ἔσχεν δὲ ὁ σταθμὸς ἑκάστου γοματίου ἀνὰ λιτρῶν τρισχιλίων ἑκατὸν ὀγδοήκοντα. *Patet in apographo nostro vocem* τρισχιλίων *omissam esse ab amanuensi.*

ss A *repetit* ὀγδοήκοντα *ex versu præcedenti :* καὶ συγνύει ἀνὰ γονάτια ὀγδοήκοντα καὶ παρεισφέρει; *lege* πεντήκοντα.

tt A ἀγριοφοινίκιον. Ex hoc loco vocabulum ἀγριοφοινίκιος inseruit in Glossario Cangius. *Boisson. Noster :* ἀγριοφοινίκινον. *Prosequitur* A : μεταξὺ τῆς ἀρχῆς τῶν πεντήκοντα γοματίων.

uu A ἀπ' ἄκρου τῆς γῆς ἕως τοῦ ἑτέρου (*omisso* ἄκρου) διέφραξε τὴν θάλ. *Num intellexerit scriptor*

(1) Commentar. n. 110 et seq., 113, 183. — (2) Strabo lib. XVI, pag. 1108, edit. Oxon — (3) Ap. Strabonem, lib. XVI, pag. 1093 edit. Oxon. — (4) Hist. nat. lib. VI, cap. 33. — (5) Clim. I part. 6, ap. Bochart, Geogr. lib. II, cap. 23; cfr Voyage fait par ordre du roy Lcuis XIV dans la Palestine, part. 2, pag. 72, et Voyage de l'Arabie Heureuse, pag. 69 et 81 seq. Paris, 1716. — (6) Cfr Ritter, tom. XII, pag. 665 et seqq. — (7) Ap. Ritter, ibid. pag. 243 et seq.

AUCTORE E. C.

a continente Africana ad Asiaticam protensam fuisse catenam certo dici nequit; quod si esset, D *manifeste falsus est. At extendi potuit inter littus Arabicum et insulam Naucleriam, vel ante portum ad quem Æthiopibus appellendum erat : cfr annot.* qq.

ww *Quis cogitet plumbo opus fuisse ut mergeretur catena. Ceterum hanc historiam expeditionis maritimæ in omnibus et singulis accuratam esse minime dixerim.*

xx τὰ κορμία; *vide annot.* aaa.

yy A εἰς τὸν τόπον ὃν ἔλεγεν καταντῆσαι : *et mox plura addit :* ... βασιλέα Ἐλεσβὰν, μὴ καθορῶν τὴν ἐπηρτημένην αὐτῷ παρὰ τοῦ δικαίου κριτοῦ ἐπὶ τῇ παραβάσει καὶ πάσῃ ἀσεβείᾳ ἣ ἐποίησεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν, ὁ ἀνομήσας διακενῆς ὅπως γινώσκηται Κύριος κρίματα ποιῶν.

zz A ἐπὶ τῷ τόπῳ τῶν στενῶν.

aaa Hoc loco usus est Cangius Glossar. in κορμή imo κορμί, quum sit κορμί pro κορμίον. Sic sæpe fœminina nomina fecit Cangius quæ nulla sunt, pronunciatione deceptus malisque usus codicibus... Sunt hic κορμία arborum trunci. *Hucusque Boissonadius, qui dein locum adducit e Metaphraste:* nitidius Symeon Metaphrastes, *inquit,* εἶτα θύελλά τις διεργεθεῖσα καὶ διαταράξασα τὴν θάλασσαν καὶ κύματα διεγείρασα ὄρεσιν ὅμοια, τὰ προσδεδεμένα τῇ ἀλύσει ξύλα ὑπεκούφιζε καὶ δι' ἐκείνων τὰ πλοῖα, ὡς ἅπαντα μετεωρισθέντα προσκαθίσαι ἄνωθεν τῆς ἀλύσεως, τὴν δὲ, ὑπό τε τῆς τοῦ σφοδροῦ πνεύματος βίας, ὑπό τε τῶν προσαρασσομένων κυμάτων διακοπεῖσαν, ἀβλαβῆ τὴν πρὸς τὸν Ὁμηρίτην εἴσοδον αὐτοῖς παρασχεῖν.

bbb A ἔνθα ἦν ὁ βασιλεὺς τῶν Ὁμηριτῶν, μίλια πεντεκαίδεκα. *Metaphrastes :* προσέσχε τῷ αἰγαλῷ διακοσίους ἀπέχοντι σταδίους, οὗ ἦν μετὰ τῶν στρατευμάτων ὁ βασιλεύς. *Verum perperam* μεταφράζει *hoc loco, quum millia passuum quindecim stadiis valeant non* 200, *sed* 120 *tantum.*

B

CAPUT VIII. E

Rex Homeritarum profligatur et occiditur.

Æthiopum classe in partes plures viventorum divisa, in plures quoque exercitus suas copias dividit Homerita, et variis utitur artibus.

Tribus post diebus apparuerunt aliæ naves quadraginta mansionibus tribus *a* infra *b* locum in quo erat Homerita. Reliquæ vero viginti, in quibus erat navis regis Æthiopum, navigarunt ad ipsum tractum, in quo rex Arabs consistebat. Homeritis vero arbitrantibus cum navibus quadraginta esse Elesbaan, eorum rex maximam partem sui exercitus duxit ad stationem harum navium quadraginta. Dereliquit itaque commeatus qui sibi per naves adveniebant *c,* et similiter aquam; et loricati Homeritæ, stantes a mane ad vesperam in littore, usti sunt a sole, equi vero, quibus insidebant, tantum processerant ut mergerentur usque ad genu. Tum nova machinans filius diaboli, tabernacula fieri jussit quæ gestarentur a camelis. Sustentabantur ea contis in dorsis camelorum quatuor et hinc C ad cubitus quinque erigebantur, et in hunc modum tam e latere quam desuper milites tecti sunt. Hæc præstiterunt in exercitibus tribus *d* in quos dividebantur, secundum stationes navium. Verum languore, fame et ardore solis laborantes qui in navibus erant, timere cœperunt et desperare; credebantque e longinquo tabernacula circumire *e,* ac unanimes dicebant, incantatione aliqua moveri montes et silvas obambulare : atque inde timuerunt descendere, ne forte cum iis in mare demergerentur. Verum hæc parum adversario profuerunt. Misit enim aliquem ex cognatis cum viginti millibus equitum ad speculandam partem navium in qua erat rex Æthiopum. Sed eunuchus quidam regis Homeritarum, hæc ignorans, cogitansque exercitii gratia exire cognatum regis, positis lanceolis quinque aureis et gemmis distinctis in pharetra *f* quam e collo gerebat, speculatoribus adjunctus est. Venientesque ad supra dictum locum, invenerunt ducem *g* omni utentem cautela et vigilantia.

a b

c

d

e

f

g

Μετὰ δὲ τρεῖς ἡμέρας ἄλλα τεσσαράκοντα πλοῖα ἐφάνησαν κατωτέρω οὗ ἦν ὁ βασιλεὺς, μονὰς τρεῖς · τὰ δὲ ἄλλα εἴκοσι πλοῖα, ἔνθα ἦν τὸ πλοῖον τοῦ βασιλέως *, ὥρμησαν εἰς τὸν τόπον εἰς ὃν ὑπῆρχεν ὁ βασιλεύς *. Καὶ νομίσαντες οἱ Ὁμηρῖται ὅτι ἐν τοῖς τεσσαράκοντα πλοίοις ἐστὶν ὁ βασιλεὺς Ἐλεσβαὰν *, τὸ πολὺ μέρος τοῦ μετ' αὐτοῦ λαοῦ λαβὼν ὁ Ὁμηρίτης, ἀπῆλθεν εἰς τὸν τόπον εἰς ὃν ὥρμησαν τὰ τεσσαράκοντα πλοῖα. Ἐξέλιπε δὲ τὰ σιτία ἀπὸ τῶν πλοίων, καὶ τὸ ὕδωρ · ἐκαίοντο δὲ καὶ ἐκ τοῦ καύσωνος * τοῦ ἡλίου οἱ κατάφρακτοι τῶν Ὁμηριτῶν πάντα ἱστάμενοι ἀπὸ πρωΐ ἕως ἑσπέρας ἄχρι γονάτων τῶν ἵππων ἐν τῷ χείλει * τῆς θαλάσσης. Πάλιν οὖν εὑρίσκει μηχανήσας * ὁ υἱὸς τοῦ διαβόλου · καὶ καλύβας μεγάλας [ἐκέλευσε γενέσθαι καὶ βαστάζεσθαι ὑπὸ καμήλων. Ὑψοῦτο οὖν ἡ σκηνὴ ἐπὶ κοντῶν ἐπάνω τεσσάρων καμήλων,] ἐπὶ ἄλλους πήχεις πέντε. Καὶ εὑρίσκοντο ἐκ πλαγίου καὶ ἐξ ὕψους κεκαλυμμένοι. Ταῦτα ἐποίησαν ἐν τοῖς τρισὶ συστήμασιν, ἔνθα διεμερίσθησαν ἐν τοῖς πλοίοις. Ἐκ δὲ τῆς ἀθυμίας καὶ τῆς πείνης καὶ τοῦ καύσωνος [ἐδειλίων οἱ] ἐν τοῖς πλοίοις καὶ ὀλιγοψύχουν · καὶ ἐνόμιζον τὰς σκηνὰς μακρόθεν περιπατεῖν καὶ ὑφ' ἓν * [ἔλεγον γοητείᾳ τινὶ τὰ ὄρη σαλεύεσθαι καὶ πάσας τὰς νάπας περιπατεῖν, ὡς φοβεῖσθαι αὐτοὺς κατελθεῖν, μή πως μεταξὺ αὐτῶν καταποντισθῶσιν. Ἀλλ' ὅμως οὐδὲ ἐν τούτῳ ἐξέφυγεν ὁ ἀντικείμενος. Ἕνα γὰρ τῶν συγγενῶν αὐτοῦ πέμψας μετὰ εἴκοσι χιλιάδων καβαλλαρίων πρὸς τὸ σκουλκεῦσαι τὸ μέρος ὅπου ἦν ὁ βασιλεὺς τῶν Αἰθιόπων · ἀγνοῶν δὲ εὐνοῦχός τις τοῦ βασιλέως τῶν Ὁμηριτῶν, καὶ νομίζων ὅτι πρὸς γυμνασίαν ἐξελεύσεται ὁ συγγενὴς τοῦ βασιλέως, λαβὼν πέντε κόντους χρυσοῦς διαλίθους εἰς σκευοθηκάριον κρεμάμενον ἐν τῷ αὐτοῦ] τραχήλῳ, ἐκολλήθη * τοῖς σκουλκεύουσι. Καὶ ἐλθόντες εἰς τὸν τόπον, εὗρον τὸν στρατηγὸν ἐν πάσῃ παραφυλακῇ καὶ γρηγορήσει.

* A τῶν Αἰθιόπων.

* A τῶν Ὁμηριτῶν.

* A Ελεσβάς

* A καύματος

* A παρὰ τὸ χείλος.

* A μηχανᾶσθαι.

* A εἰφ' ἓν.

* A ἠκολούθει τοῖς σκουλκεύουσι.

A 35 Καὶ διασκέπτονται ὅ τε συγγενὴς τοῦ βασιλέως καὶ ὁ εὐνοῦχος μόνοι μετὰ τριῶν παίδων πορρώτερω πορευθῆναι τοῦ θηρεῦσαι ἄγραν. Παῖδες δὲ τοῦ βασιλέως τῶν Αἰθιόπων, ἐκλείποντες ἀπὸ τῆς πείνης καὶ δίψης, σχεδίαν κλέψαντες, ἐξίεσαν ἐπὶ τὴν γῆν. Καὶ εὑρίσκουσιν ἐν τῷ αἰγιαλῷ ὑπὸ κόλπον ὀρεινὸν αἰφνίδιον τὸν συγγενέα * τοῦ βασιλέως καὶ τὸν εὐνοῦχον καὶ τοὺς ἄλλους τρεῖς, καὶ ἐπέβησαν αὐτοῖς. Καὶ τὸν μὲν εὐνοῦχον καὶ τοὺς ἄλλους τρεῖς * ἀνεῖλον, τὸν δὲ συγγενέα τοῦ βασιλέως ὑπέστρεψαν εἰς τὰ πλοῖα ἔχοντες. Ὁ οὖν βασιλεὺς Ἐλεσβαὰν ἀνέθετο τοὺς πέντε κόντους τοὺς χρυσοῦς τῷ Θεῷ. Καὶ μετὰ ταῦτα κατῆλθεν ὁ βασιλεὺς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἀπὸ τῶν πλοίων εἰς τὰ καράβια. Καὶ ὁ μὲν ἀρχηγὸς τῶν Ὁμηριτῶν καὶ τὸ πλῆθος τῶν μετ' αὐτοῦ ἕως γονάτων τῶν ἵππων ἵσταντο εἰς τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης · οἱ δὲ Αἰθίοπες καὶ ὁ βασιλεὺς αὐτῶν, ἀπέβησαν ἀπὸ τῶν καραβίων αὐτῶν ἕως τραχήλου ὄντες ἐν τῇ θαλάσσῃ καὶ περιεπάτουν. Καὶ συγκρουσμοῦ * γενομένου ἐξ ἑκατέρου μέρους, ἠττήθησαν πάντες οἱ παράνομοι, καὶ ἔπεσον φόνῳ μαχαίρας, καὶ εἷς ἐξ αὐτῶν οὐ διεσώθη τοῦ πορευθῆναι καὶ ἀναγγεῖλαι τῷ βασιλεῖ τῶν Ὁμηριτῶν ὄντι κατέναντι τῶν ἄλλων * πλοίων. Τότε ἔχων ὁ βασιλεὺς Ἐλεσβαὰν τὸν συγγενέα τοῦ βασιλέως τῶν Ὁμηριτῶν δεδεμένον καὶ ὁδηγοῦντα αὐτὸν, ἀνῆλθεν ἐπὶ τὴν βασιλεύουσαν πόλιν Ταφὰρ, καὶ παρέλαβεν αὐτὴν καὶ τὰς βασιλίδας *, καὶ τὴν δύναμιν τῶν χρημάτων.

36 Ἐφθάρησαν δὲ ἀπὸ τῆς δίψης καὶ τῆς πείνης ἐκ τῶν * πλοίων ὀνόματα πεντακόσια, καὶ ἐρρίφησαν εἰς τὴν θάλασσαν. Καὶ συσκεψάμενοι οἱ λοιποὶ Αἰθίοπες, εἶπον · « Εἰς Αἰθιοπίαν ὑποστρέψαι οὐ δυνάμεθα · ἐνταῦθα λιμώττομεν · κἂν θάνατος γένοντε τῷ βασιλεῖ ἡμῶν ἀγνοοῦμεν. Μή πως ἐκ βραδυτῆτος * συμβῇ φθαρῆναι καὶ ῥιφῆναι πάντας εἰς θάλασσαν, καὶ καταγέλωτα * ποιήσωμεν [τὰ] χριστιανῶν ἑβραίοις · μᾶλλον ἐπικαλεσόμεθα Κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν, τὸν δυνατὸν ἐν πολέμοις. » Καὶ συναγάγοντες πάντα τὰ πλοῖα, καὶ δήσαντες πλοῖον πρὸς πλοῖον, λύσαντες καὶ τοὺς ἱστοὺς καὶ τὰ κερατάρια καὶ τοὺς αὐχένας, [καὶ τὰ εὐμήκη λοιπὰ ξύλα, διεστοίβασαν δήσαντες σχοινίοις ὑπεράνω πάντων τῶν πλοίων, ὡς νομίζειν ἐν θαλάσσῃ βλέπειν πόλιν μίαν · καὶ οὐ διεσαλεύετο πλοῖον τοῦ ἑτέρου. Τὰ δὲ καράβια ἐπισυνάξαντες, ἔδησαν κάραβον καράβῳ εἰς εὖρος τῶν πλοίων. Καὶ ποιήσαντες ὑποσκίους ἐμβόλους δύο δι' ἀρμένων ἄνωθεν τῶν πλοίων, καὶ συναχθέντες πάντες ἐπὶ τῇ ἡτοιμασμένῃ τῶν πλοίων πλατείᾳ,] ἔκραξαν πρὸς τὸν Θεὸν, θυσίας C πνευματικὰς ἐκτελέσαντες. Καὶ μεταλαβόντες τῶν θείων μυστηρίων, κατῆλθον ὁμοθυμαδὸν ἔνοπλοι εἰς τὰ καράβια. Ἔστησαν δὲ αὐτοὺς ἐκ πλαγίου ἑκάστου τῶν καραβίων, ὡς ὑποκλίνειν ἕκαστον καράβιον * τὸ ἕτερον ἑαυτοῦ μέρος, καὶ τειχίζειν αὐτοὺς πρὸς τὸ μὴ βλαβῆναι ὑπὸ τῶν βελῶν τῶν πολεμίων. Δεδεμένα οὖν τὰ καράβια * καὶ τετειχισμένα ὠθοῦντο ὑπὸ τῶν ναυτῶν πάντων τῶν πλοίων * καὶ ὑπὸ τῶν συνελθόντων μοναχῶν ἄχρις οὗ ἐκάθισαν αἱ πλευραὶ τῶν καραβίων ἐπὶ τὴν γῆν. Καὶ τεῖχος ἦν τῶν καραβίων ἀνάμεσον τῶν Αἰθιόπων καὶ τῶν Ὁμηριτῶν.

37 Πρὸ δὲ μιᾶς ἡμέρας ἔγνω ὁ βασιλεὺς * τῶν Ὁμηριτῶν ὅτι παρελήφθη Τάφαρ ἡ * πόλις καὶ αἱ βασιλίδες καὶ φοβηθεὶς ἵνα μὴ [προσρωῶσι τινὲς τῶν ἑπτὰ συγγενῶν αὐτοῦ τῷ βασιλεῖ Ἐλεσβᾷ, ἐποίησεν ἄλυσιν σιδηρᾶν καὶ ἑαυτὸν] καὶ αὐτοὺς συνέδησεν. Καὶ ἐκάθητο ἐν τῇ λαπίνῃ * αὐτοῦ ἐπὶ κλίνῃ χρυσῇ, καὶ οἱ ἑπτὰ συνδέται αὐτοῦ ἐπὶ ἑπτὰ σελλία χρυσᾶ. Οἱ οὖν πολεμοῦντες τοῖς κόντοις καὶ τοῖς δόρασιν ἔκλανον τὰς πλευρὰς τῶν τετειχισμένων καράβων. Καὶ οἱ Αἰθίοπες στενωθέντες ἔκλαυσαν βοῶντες πρὸς τὸν Θεόν. Καὶ ἄφνω γίνεται οὐρανόθεν ἦχος φωνῆς λαμ-

* A συγγενὴ et sic infra.
* A omittit.
* A σ. μεγάλου.
* A ἅ. τεσσαράκοντα.
* A βασιλίσσας,
* A τ. τεσσαράκοντα
* A βράδους.
* A κατάγελος.
* A omittit.
* A κ. ἀλλήλοις.
* A sine π. τ. πλ.
* A ἡ βασιλεύουσα π., καὶ φοῦ.
* A λαμπίνῃ.

35 Tum regis cognatus et eunuchus soli cum pueris tribus longius procedere voluerunt, venationis gratia. Pueri vero regis Æthiopum, cum fame perirent et siti, accepta rate, exierant quoque in terram; inveniuntque subito in littore, ad sinum quemdam montibus circumdatum, tum regis cognatum, tum eunuchum cum pueris tribus: eosque aggressi sunt. Et eunuchum quidem cum aliis tribus occiderunt, sed regis cognatum secum duxerunt ad naves. Rex igitur Elesbaan lanceolas quinque aureas obtulit Deo, et deinde descendit ex navibus in parvas scaphas *h*. Et dux quidem Homeritarum militesque stabant mediis in aquis usque ad equorum genua; ac interea Æthiopes cum rege suo descendebant e scaphis *i* aquis immersi usque ad colla et exibant. Tum collisio est facta utriusque partis et victi sunt omnes impii *k* ceciderunteque in occisione gladii, nec vel unus eorum evasit qui regi Homeritæ coram aliis navibus quadraginta versanti *l* nuntiaret quæ contigerant. Tunc rex Elesbaan, cum cognato regis Homeritarum qui, licet E vinctus, dux erat viæ, abiit ad urbem regiam, nomine Taphar *m*, eamque occupavit simul cum reginis et divitiis multis.

36 Perierunt interea fame et siti *n* in dictis navibus quadraginta viri quingenti et in mare projecti sunt. Æthiopes autem reliqui, quid agerent deliberantes, dicebant: « Ad Æthiopiam reverti non possumus; hic premimur fame, et num mors obvenerit regi nostro ignoramus *o*. Ne forte cunctando pereamus et projiciamur omnes in mare, et in derisum habeantur christiani a Judæis, invocabimus potius Dominum Deum nostrum, qui potens est in bellis. » Illico congregant naves omnes *p*, ligantque navem cum nave, solvunt malos, antennas et reliqua ligna oblonga navium, omniaque in earum summitate colligant; ita ut quasi civitatem quamdam cernere esset in mari: nec motus maris navem a navi divellere poterat. Tum adductis scaphis, eas alligarunt inter se ad latitudinem navium. Et extensis velis in superiori parte navium, sicque confectis porticibus umbriferis duobus, congregati sunt omnes in præparato tabulatu F navium et clamaverunt ad Deum, offerentes hostias spirituales. Acceptis deinde divinis mysteriis *q* descenderunt armati in scaphas, constiteruntque in latere earum, ita ut inclinarentur, et exsurgens altera earum pars, quasi murus eos defenderet contra tela hostium. Scaphæ istæ, alligatæ, ut dictum est, et in speciem muri inclinatæ, a nautis et monachis, qui classem erant secuti, pulsæ sunt usquedum lateribus terram contingerent; quo pacto murus ille scapharum medius erat Homeritas inter et Æthiopas.

37 Ante diem unum novit rex Homeritarum captam esse Taphar civitatem cum reginis *r*, timensque ne ex cognatis septem adjungerentur aliquot regi Elesbaan, catenam ferream *s* confecit et tam se quam ipsos ea ligans, sedebat in curru suo *t* in lectica aurea; septem vero cognati, cum eo ligati, in sellis septem similiter aureis *u*. Interea hostes contis et hastis frangebant latera in speciem muri exsurgentium scapharum; quando angustia pressis Æthiopibus et cum ejulatu et clamore Deum

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

Exercitum unum Homeriticum cædit Æthiopum rex, et urbem regiam Taphar armis occupat.

h
i
k
l
m

Pars classis Æthiopicæ, navium 40, fame premitur; sed stratagemate usi milites, dein Eucharistia refecti,

n
o
p

adjuvante cælitus archangelo Gabriële, victoriam obtinent. Rex Homeritarum et cognati ejus septem interimuntur.

q
r
s
t
u

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

Deum invocantibus, subito audita est de cœlo clara vox, hæc proferens verba : « Gabriel, Gabriel, Gabriel *w*. » Tunc exiens monachus quidam, ex iis qui natando impellebant scaphas, tenensque virgam ferream, desuper habentem signum crucis, infra vero armatam cuspide, inclinavit se inter duos equites, et apprehensa cauda alterius equorum, cuspidem fixit in ejus latere. Calcitravit equus et dejecit ascensorem, ita ut turbati et timore perculsi Homeritæ fugerent ad terram. Tum exsilientes Æthiopes, hostes trucidarunt *x*, regem Homeritarum cum cognatis septem captivos reservantes. Et facta est vox ista cælitus clamans : « Gabriel, Gabriel, Gabriel » in salutem et victoriam ingentem in illa die. Nuntiata sunt hæc regi Elesbaan, qui adveniens interfecit *y* impium regem et cognatos ejus septem, clamans et dicens : « Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus **». Et erectis in ipso loco altaribus, preces fudit Deo *z*.

πρᾶς λεγούσης · « Γαβριὴλ, Γαβριὴλ, Γαβριήλ. » Καὶ εἰθ' οὕτως ἐξελθὼν * μοναχός τις τῶν κολυμβητῶν καὶ ὠθούντων, ἔχων ῥάβδον σιδηρᾶν, ἄνωθεν ἔχουσαν τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ, κάτωθεν δὲ λόγχην, διακύψας μεταξὺ δύο καβαλλαρίων *, καὶ ἐπιλαβόμενος μιᾶς οὐρᾶς ἵππου, [ἔπηξεν τὴν λόγχην ἐν τῇ πλευρᾷ αὐτοῦ.] Ὁ δὲ διαλακτίσας ἔῤῥιψε τὸν ἐπιβάτην, ὡς φοβηθῆναι τοὺς Ὁμηρίτας καὶ φυγεῖν εἰς τὴν ξηράν. Οὕτως οὖν ἐκπηδήσαντες οἱ Αἰθίοπες, πάντας τοὺς πολεμίους ἐφόνευσαν *, καὶ συλλαμβάνονται τὸν βασιλέα τῶν Ὁμηριτῶν μετὰ τῶν ἑπτὰ συγγενῶν αὐτοῦ. Καὶ γέγονε σωτηρία μεγάλη ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ πᾶσι τοῖς χριστιανοῖς οὐρανόθεν βοῶσα φωνή · « Γαβριὴλ, Γαβριὴλ, Γαβριήλ. » Ταῦτα ἐμηνύθη τῷ βασιλεῖ Ἐλεσβαὰν, ὃς παραγενόμενος καὶ λαβὼν ἀνεῖλε τὸν παράνομον βασιλέα καὶ τοὺς ἑπτὰ συγγενεῖς αὐτοῦ, κράζων καὶ λέγων · « Ἀναστήτω ὁ Θεὸς, καὶ διασκορπισθήτωσαν οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ. » Καὶ ἐπὶ τῷ τόπῳ ἐκείνῳ στήσας θυσιαστήριον, ηὔξατο τῷ Θεῷ.

D

* A ἐξ. εἷς τῶν κολυμβώντων.

* A δύο καραβίων.

* A ἀνεῖλον.

ANNOTATA.

E

B a Mansionibus tribus. *Supra monuimus hic veri similius significari mansiones Alexandrinas, singulas chiliometrorum* 48 1/2.

b κατωτέρω οὗ ἦν ὁ βασιλεύς, inferius loco quem Homeritarum rex occupabat. *Ita recte Boissonadius. Intelligendum videtur : Ad meridiem loci in quo erat rex Homerita; nec immerito forte conjectaretur ex prædictis naves has quadraginta transiisse per eam partem freti quæ inter insulam Perim et littus Africanum interjacet et ad plura milliaria patet : deinde vero redire debebant ad insulam Naucleriam* (pilots island) *et littus Asiaticum, ob rationes supra dictas.*

c *Forte præ festinatione. At patet naves quoque nonnullas illic habuisse regem Æthiopum, nimirum in loco quo appulsuros esse Æthiopas arbitrabatur. Is, ex interpretatione nostra portus Arabicus fuerit intra fretum Bab-el-mandeb, forte ipse portus* Ocelis *de quo diximus annot.* qq *cap. præced.*

d Λ ταῦτα πεποιήκασιν εἰς τοὺς τρεῖς δρόγγους ἔνθα διεμερίσθησαν τὰ πλοῖα. — Δρόγγος, *aliis* δροῦγγος, est turma, caterva militum. *Boiss.*

e *Metaphrastes ap. Boiss. :* τοῖς μὲν οὖν ἔξω σκηνὰς διαμηχανησάμενος ὁ Δουναὰν μεγάλας, καὶ τέσσαρσι καμήλοις ἀλλήλαις συνεζευγμέναις ἑκάστην τῶν σκηνῶν ἄνωθεν κοντοῖς φερομένην προσδήσας, ὡς δοκεῖν τὰ ὄρη κινεῖσθαί τισι μηχαναῖς καὶ φέρεσθαι κατὰ τῶν πλοίων, τῇ σκιᾷ τὸ λυποῦν τοῦ καύματος ἀπεκρούετο.

f Hinc id nomen (σκευοθηκάριον) recepit Cangius, scripsitque πεντεκόντους, de more non satis diligens. *Boissonad. Metaphrastes* πέντε κόντους χρυσοῦς διαλίθους *vocat* δοράτια πέντε χρύσεα.

g *Ducem Æthiopum merito interpretatur Metaphrastes :* ὡς δὲ εὗρεν ἐπαγρυπνοῦντας τοὺς περὶ Ἐλεσβαάν.

h Λ καὶ οὕτως καθῆλθον καὶ οἱ σὺν αὐτῷ (Ελεσβᾷ) ἀπὸ τῶν πλ. εἰς τὰ καράβια. Καράβια *scaphæ sunt, sive cymbæ. Metaphrastes ap. Boiss.:* αὐτὸς δὲ τὴν στρατιὰν ὡπλισμένην ἐν τοῖς βραχυτέροις τῶν πλοίων F
C ἐμβαλὼν, ἐξῆλθε.

i Λ ἀπὸ τῶν καραβίων καὶ ἕως τραχ. ὄντες ἐν τῇ θαλ. περιεπάτουν.

k *Hinc abduxerat Dunaan plerasque copias ad locum in quem venerant naves quadraginta (supra) ; verum quin milites ultra bis mille illic reliquerit vix ambigendum. Plures tamen non erant Æthiopes in navibus viginti regis Æthiopiæ, vel non multo plures. Quapropter, quum victoriam iste sit consecutus ac inde abierit ad urbem regiam Taphar, qua potitus est, manifesto validum exercitum secum duxit. Alia itaque ratione hæc componi inter sese non possunt, nisi copias suas acceperit Elesbaan alias post alias, ex vicinis insulis Perim, Naucleria et ceteris. De quo supra est dictum.*

l *Aberat inde rex Homeritarum iter dierum trium, seu chiliometra* 145. *Annot.* a.

m Abiit ad urbem regiam Taphar. *Hanc diximus (Comment. n.* 48 *sqq.) esse hodiernam Dhafar, sitam in interiori Yemana ad latitudinem* 14° 13'. *Etenim si Zaphar maritimam adire debuit, cujus longitudo, ut ajunt, eadem est ac insulæ Dioscoridis* (Socotora), *iter fuit leucarum minorum geographicarum plus quam trecentarum. Quomodo hæc exsequi potuisset cum parte exercitus, dum eum facile cum copiis multis insectari poterat Dhu Nowasus? Ceterum infra additur, uno die post captam Tapharim, de eo jam inaudiisse Dhu Nowasum (annot.* r) : *quod de Zhafari maritima intelligi nullatenus potest. Præterea Taphari interiori, seu Dhafari, apte conveniunt quæ de Homeritarum regia perhibent Periplus Arriani et Ptolemæus* (1); *ut ostensum est a geographo Mannert* (2). *At Zhafari maritimæ quomodo aptari queant haud capio. Dhafari in Yemana interiori versatus est ineunte sæculo* XVI, *a Turcis captivus abductus, missionarius noster Petrus Pays; qui ab Æthiopiæ historicis non parum laudatur* (3). *Dicit porro se illic vidisse ingentia et antiquissima*

(1) Cfr Bochart, Geogr. lib. II, cap, 30. — (2) Geogr. tom. VI, part. I, pag. 90-93; d'Anville, géogr. tom. II, pag. 221. — (3) Cfr Noël Desvergers, l'Abyssinie, pag. 29 et seqq.; Ludolf. Commentar. etc. pag. 12.

A *quissima rudera; de quibus quum Arabas interrogaret, respondebant ad regiam pertinuisse reginæ Sabæ* (1). AUCTORE E. C.

n *Dixerat supra Actorum scriptor n.* 32 : καὶ κελεύει ἐπισιτισμὸν μόνον εἴκοσιν ἡμερῶν βαστάσαι πάντα τὸν στρατόν. *Etenim Adule, itinere sive maritimo sive terrestri, a freto Bab-el-Mandeb non distat leucas majores* (*quarum gradus geographicus viginti capit*) *plus centum. Verum naves tempestate dilatæ sunt ultra fretum iter dierum trium et ab exercitu Dhu Nowasi, seu Dunaan, appellere prohibitæ.*

o A ὧδε λιμώττομεν · κάτω θάνατος · τί γέγονεν τῷ βασιλεῖ ἡμῶν ἀγνοοῦμεν.

p A συναγ. π. τὰ πλοῖα, λύσαντες τὰ καταρτίδια καὶ τὰς κεραταίας καὶ τοὺς αὐχένας.

q *Hæc verba*, μεταλαβόντες τῶν θείων μυστηρίων, *de Eucharistia intelligenda sunt; vide annot.* II *ad cap.* VI. *Metaphrastes hoc loco :* καὶ τῶν θείων ἀπογευσάμενοι μυστηρίων.

r A ὅτι παρελήφθη Ταφὰρ ἡ βασιλεύουσα πόλις καὶ φοβηθεὶς... *Dhu Nowasus itaque, sive Dunaan, quum versaretur non procul a freto Bab-el-mandeb, vel potius, non procul ab Aden, ante diem unum didicit captam esse Tapharim ab Elesbaa, quod de Zhafari maritima, sita ad longitudinem Parisinam circiter* 52°, *leucis inde trecentis, nequaquam potest intelligi; at neque de Taphari interiori facile intelligitur.*

s *Metaphrastes auream fuisse catenam dicit :* δείσας, μὴ τῶν αὐτοῦ συγγενῶν τινες τῷ Ἐλεσβαὰν προσρυῶσι, τοῦ Θεοῦ σφήλαντος τὴν αὐτοῦ γνώμην, χρυσῆν κατασκευασάμενος ἅλυσιν καὶ ἐνδύσας ἑαυτόν τε κἀκείνους ἐκάθητο τῶν πραγμάτων ἡμελημκώς.

t A λαμπίνῃ Hoc loco usus est Cangius in λαμπήνη. Currus est superne tectus. *Boiss.*

u In sella aurea... in sellis septem similiter aureis. *Hoc loco inter alios, utitur cl. Movers* (2), *ut ostendat Sabæos, seu Arabas veteres, mores et usus Babyloniorum et Persarum assumpsisse. Sæculo sexto partim jam effluxerant Homeritarum divitiæ, supererant tamen veteris splendoris reliquiæ magnificæ. Quantum floruerint usque ad sæculum* I *christianum diximus Comment. n.* 14
B *sqq.; jam audiatur de posteriori ævo Ammianus Marcellinus, qui Arabas satis noverat, quippe cum* E
iis versatus in exercitu Juliani Apostatæ : Quibus (*Parthis*) ab orientali australique plaga Arabes beati conterminant; ideo sic appellati, quod frugibus juxta et fetibus et palmite, odorumque suavitate multiplici sunt locupletes : magnæque eorum partes mare rubrum a latere dextro contingunt; læva Persico mari collimitant, elementi utriusque potiri bonis omnibus adsueti. Ubi et stationes et portus tranquilli sunt plures, et emporia densa, et diversoria regum ambitiosa nimium et decora, aquarumque suapte natura calentium saluberrimi fontes, et rivorum fluminumque multitudo (!) perspicua, sospitalisque temperies cæli: ut recte spectantibus nihil eis videatur ad felicitatem deesse supremam. Ac licet abundet urbibus mediterraneis atque maritimis..... has tamen civitates habet eximias : Geapolim, et Nascon, et Baraba, itidemque Nagara (*Nedjran*) , et Mephram, et Taphra (*Taphar, Dhafar*) et Dioscurada (*Socotora?*) *Ita Ammianus Marcellinus extremo sæculo quarto* (3). *Ex quibus patet diu perstitisse Arabum australium divitias; cfr Comment, n.* 16 *et* 42.

w *Archangelus Gabriël plurimum colitur ab Æthiopibus* (4), *eique in kalendario suo dies tres dicarunt, nimirum* XVIII *decembris,* XXX *martii et* XIII *junii* (5). *Sed nec Arabibus, in primis Coraysjitis Meccanis, prorsus ignotus erat, ut ex historia Mahumetis ejusque Corano deducere pronum est. Etenim angelos adorabant Coraysjitæ* (6), *nec videntur ignorasse eos apparuisse Abrahæ, progenitori suo, in Hebron* (7) : *quem locum multum venerabantur* (8).

x *Patet ex hoc loco, Æthiopas multo plures quam navibus* 40 *vehi poterant, illic fuisse. Auctorem enim nostrum, ut jam monui, in omnibus hujus narrationis adjunctis accuratum esse, minime dixerim.*

y A ἰδίαις χερσὶν ἀνεῖλεν. *Redire debuit Elesbaan Taphari, seu Dhafari, quæ distat a freto Bab-el-mandeb iter dierum minimum quinque.*

C z *Mira sunt quæ leguntur in cod.* A, θυσ., εὔπεισεν (*l.* ἔσπεισεν) τὸ αἷμα αὐτῶν τῷ Χριστῷ. *Nec* F
differt Metaphrastes, nonnulla tamen præmittens explicationis gratia : καὶ τὸν Δουναὰν ἀνευρὼν, ἀνεῖλεν αὐτόν τε καὶ τοὺς συγγενεῖς, ἐπιθειάζων καὶ ἐφηδόμενος ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς τοῦ Χριστοῦ δίκην διδοῦσι τῶν τετολμημένων · μηδὲ γάρ τι ἄλλο κάλλιστον εἶναι θεαμάτων καὶ ἥδιστον ἀνδρὶ χρηστῷ καὶ δικαίῳ, κολαζομένους ἰδεῖν πονηρούς · ὧν καὶ τὸ αἷμα ἔσπεισε τῷ Θεῷ. *Sanguis hominum Deo non funditur, sed juste occiduntur hostes in bello justo, dum id ferunt belli leges, et crimina majora, propter bonum reipublicæ, rite capitali sententia plectuntur.*

(1) Tellez, Historia geral de Ethiopia, pag. 64. — (2) Die Phönizier, Buch III, pag. 300. — (3) Lib. XXIII, cap. 6. — (4) Lefebvre, Voy. en Abyssinie, tom. I, pag. XVIII. — (5) Ludolf. Commentar. etc. pag. 402 et seqq. — (6) Coran. sura 37; Caussin de Perceval, tom. I, pag. 348, 355 sq. etc. — (7) Coran. sura 11, 15, 29, 51. — (8) V. Comment. præv. supra n. 42; Ritter tom. XVI, pag. 214, 234.

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

D

CAPUT IX.

S. Elesbaan, pluribus in Homeritide constitutis, ad Æthiopiam revertitur; fit monachus et sanctissime vivit ac moritur.

Taphare constituitur episcopus. Elesbaan reædificata Negrana et novo rege suffecto redit in patriam,

Tum rediens *a* ad civitatem regiam morti et maledictioni tradidit qui habitabant in palatio. Sed illustriores aliquot magnates aufugerunt; deinde reversi, facti sunt christiani. Tum propriis manibus rex diebus septem terram fodiens inchoavit, quæ nunc conspicitur, sanctissimam ecclesiam *b*. Nuntiavit autem omnia ista quam primum sanctissimo archiepiscopo Alexandriæ et per hunc imperatori Justino *c*. Archiepiscopus vero sanctum quemdam et orthodoxum virum episcopum consecravit eumque misit ad Homeritas et ad Elesbaan regem *d*. Qui adveniens sanctificavit templum quod ædificarat rex Elesbaan, et omnes incolas civitatum et viciniæ baptizavit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Presbyteros quoque constituit in locis singulis et diaconos et reliquos ministros ecclesiarum. Tunc Elesbaan missum sanctissimum episcopum duxit Negranam *e*, ad civitatem martyrum *f* eamque reædificavit simul cum sanctissima ecclesia. Negranitarum vero ducem et principem constituit filium sancti Arethæ *g*. Ecclesiæ quoque dono dedit ex terris regiis possessiones quinque, et juxta mandatum S. Arethæ, ex ejus facultatibus possessiones tres *h*. Locum quoque in quo corpora sanctorum jacebant combusta et projecta, venerandum reddidit *i* et jure asyli donavit; et sic plenus gaudio et felicitate ad civitatem regiam Homeritarum *k* reversus est. Tum incolis præfecit regem quemdam, Abraam *l* nomine, prudentem, timentem Deum et valde christianum *m*. Cui tradidit, simul et sanctissimo episcopo, decem millia *n* Æthiopum christianorum. His peractis, cum ingenti præda ad proprii regni civitatem regiam *o* remeavit.

Καὶ παραγενόμενος εἰς τὴν βασιλεύουσαν πόλιν, θανάτῳ καὶ ἀναθεματισμῷ παρέδωκε τοὺς ἀπὸ τοῦ παλατίου. Φανεροὶ * δὲ τῶν ἀρχόντων φυγόντες ὑπέστρεψαν καὶ γεγόνασι χριστιανοί. Τότε οὖν ἰδίαις χερσὶ σκάψας * ὁ βασιλεὺς ἐν τῷ παλατίῳ ἐπὶ ἡμέρας ἑπτὰ, ἐποίησε τὴν οὖσαν νῦν ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν. Ἐμήνυσε δὲ ταῦτα παραχρῆμα τῷ ἁγιωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ * Ἀλεξανδρείας, καὶ δι' αὐτοῦ τῷ βασιλεῖ Ἰουστίνῳ. Ὁ δὲ ἀρχιεπίσκοπος χειροτονήσας ὅσιον καὶ ὀρθόδοξον ἐπίσκοπον, ἔπεμψε πρὸς τοὺς Ὁμηρίτας καὶ * πρὸς Ἐλεσβαὰν τὸν βασιλέα. Καὶ ἁγιάζει τὸν ναὸν ὃν ἔκτισεν ὁ βασιλεὺς Ἐλεσβαὰν, καὶ βαπτίζει πάντας τοὺς ἐν ταῖς πόλεσι καὶ τῇ περιχώρῳ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος, καταστήσας ἐν ἑκάστῳ τόπῳ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους καὶ λοιποὺς ὑπηρέτας ἐκκλησιῶν. Καὶ οὕτως παραλαβὼν τὸν ἀποσταλέντα ὁσιώτατον ἐπίσκοπον, παρεγένετο εἰς Νεγρὰν, τὴν πόλιν τῶν μαρτύρων, καὶ κτίζει αὐτὴν καὶ τὴν ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν. Καὶ ποιεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἁγίου Ἀρέθα ἡγεμόνα καὶ ἐθνάρχην τῶν ἐκεῖσε. Καὶ δωρεῖται ἀπὸ τῶν βασιλικῶν τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ κτήματα πέντε, καὶ κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ ἁγίου Ἀρέθα ἐκ τῆς ὑπάρξεως αὐτοῦ κτήματα τρία. Τὸν δὲ τόπον ὅπου ἦσαν τὰ σώματα τῶν ἁγίων καέντα καὶ ῥιφέντα ἐποίησε σεβάσμιον καὶ ἄσυλον * τόπον. Καὶ οὕτως μετὰ πολλῆς χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης ὑπέστρεψεν εἰς τὴν πόλιν τῶν Ὁμηριτῶν τὴν βασιλεύουσαν. Προεβάλετο δὲ τοῖς ἐκεῖσε βασιλέα τινὰ Ἀβραὰμ καλούμενον, συνετὸν, θεόφοβον καὶ χριστιανικώτατον. Καὶ παρέδωκεν αὐτῷ καὶ τῷ ὁσιωτάτῳ ἐπισκόπῳ χιλιάδας δέκα Αἰθιόπων χριστιανῶν. Καὶ οὕτως ὑπέστρεψεν μετὰ πλείστων λαφύρων εἰς τὴν ἰδίαν αὐτοῦ βασιλεύουσαν πόλιν.

* A Τινὲς δὲ τ.

* A σκευάμενος

* A πατριάρχῃ.

* A ἔπεμψεν ἐν τῷ Ὁμηρίτῃ πρὸς Ἐλ.

* A ἅγιον.

ibique deposita corona, quam mittit Hierosolymam, monasterium ingreditur et sanctissime vivit.

39 Pro tanta itaque Dei benedictione nihil se dignum reddere posse ajebat Elesbaan rex; hoc tantum invenit, ut coronam regiam deponeret et indueret vestem monasticam. Et profectus nocte sine ullo comitatu, pervenit ad locum montosum et excelsum, in quo exstat monasterium virorum ascetarum, intransque in cellam aliquam, constituit *p* se vivum ex ea non exiturum, sed perseveraturum se illic usque ad diem mortis. Nec quidquam in ejus cella reperire erat, præter tegetem et pateram *q*, ad bibendam aquam, sportulam et quas induebat vestes monasticas. In cibum sumebat sicca paximatia *r* tria quotidie, sine vino et oleo vel ullis pomis. Si quis vero casu afferret ei olera viridia, ea comedebat cruda. Nec quisquam laicorum per omne tempus vitæ *s* ausus est cum eo loqui, aut eum cominus aspicere. Coronam vero regiam, quam gesserat in capite, ex auro et lapidibus pretiosis confectam, obtulit Christo, eam mittens Hierosolymam, literisque sanctissimum episcopum Joannem *t* rogans, ut suspenderetur in

39 Ἀνταξίως μὲν οὖν τῆς εὐχαριστίας τοῦ Θεοῦ, εἶπεν Ἐλεσβαὰν ὁ βασιλεὺς μηδὲν δύνασθαι ἀποδοῦναι· ἀλλὰ τοῦτο μόνον [συνεῖδεν, ἀποθέσθαι τὴν βασιλείαν, καὶ τὸ σχῆμα τοῦ μονήρους βίου ἐνδύσασθαι. Καὶ πορευθεὶς ὑπὸ νύκτα μονώτατος, ἀνῆλθεν εἰς ὀρεινὸν ὑψηλὸν, ἐν ᾧ ἔστιν μοναστήριον ἀγωνιστῶν ἀνδρῶν, καὶ, εἰσελθὼν εἰς κελλίον, ἀπέκλεισεν ἑαυτὸν, δοὺς συνταγὰς ὅτι ζῶν οὐκ ἐξελεύσεται ἀπ' αὐτοῦ, ἀλλ' ἐν αὐτῷ καρτερήσας ἄρχις ἡμέρας θανάτου αὐτοῦ. Οὐδὲν δὲ περαιτέρω ὑπῆρχεν ἐν τῷ κελλίῳ αὐτοῦ, εἰ μὴ] ψίαθος καὶ βαυκάλιον τοῦ ὕδατος καὶ σπυρίδιον, καὶ ἅπερ ἐνεδύσκετο μοναχικὰ περιβόλαια. Ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ξηρὰ παξαμάτια ἡμερούσιον * τρία, οἴνου καὶ ἐλαίου χωρὶς καὶ παντοίας ὀπώρας. Εἰ δέ πού τις ἤγαγεν * αὐτῷ λάχανα χλωρὰ, ταῦτα ἤσθιεν ὠμά. Οὐδεὶς δὲ λαϊκῶν τὸν ἅπαντα χρόνον τῆς ζωῆς αὐτοῦ ἐτόλμησε λαλῆσαι αὐτῷ, ἢ ἰδεῖν αὐτόν. Τὸ δὲ βασίλειον ὅπερ λέγεται στέμμα, τὸ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ἐκ χρυσίου καὶ λίθων τιμίων, [ἀνέθηκεν τῷ Χριστῷ, πέμψας εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα, αἰτησάμενος διὰ γραμμάτων Ἰωάννην τὸν ἁγιώτατον ἐπίσκοπον τοῦτο κρεμάσαι εἰς τὴν πρόσοψιν τῆς Σύρας τοῦ ζωοποιοῦ μνημείου, ὅθεν τὴν ἀπαρχὴν τῆς ἀναστάσεως καὶ τῆς ἀφθαρσίας ἔδειξεν ἡμῖν

* A ἡμερούσια

* A ἤνεγκεν

A ἡμῖν Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν. Αὐτῷ ἡ δόξα σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.]

conspectu januæ vivifici sepulcri, in quo principium resurrectionis et incorruptionis nobis ostendit Christus filius Dei, a mortuis resurgens. Cui gloria cum Patre et Spiritu Sancto nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

ANNOTATA.

a καὶ παραγενόμενος εἰς τὴν βασιλεύουσαν πόλιν. *Videtur nunc primum eo ire; idque veri similius est, et captam esse Tapharim a parte ejus exercitus.*

b τὴν οὖσαν νῦν ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν. *Taphari igitur, dum scripta sunt Acta, res christiana florebat; vide Comment. n.* 197 *sqq. Illic et ante rebellionem Dhu Nowasi ecclesiam fuisse non videtur ambigendum; quum dicat is Act. n.* 15 *se ea in civitate christianos plures interfecisse; cfr Comment. n.* 137 *sq. Ex his et ex universis Actis et Commentario videtur Dhu Nowasus aliquamdiu, inter annos scilicet* 519 *et* 523, *ipsa urbe regia Taphari fuisse pulsus, ut ceterum id satis manifeste traditur Act. n.* 2.

c *V. Comment.* § XVI.

d *Crediderc plurimi, Acta Metaphrastis interpretantes, quæ sola innotuerant, episcopum hunc fuisse S. Gregentium. At merito dissentit Lequienus, scribens S. Gregentium Homeritarum episcopum (seu archiepiscopum) fuisse,* quo tempore Elesbaan, rex Æthiopiæ, mari iterum trajecto (*dicendum fuit,* tertium trajecto) Abrahamum, regem alterum, huic genti constituit. *Quæ circa annum* 540 *evenisse docuimus Comment. n.* 127. *Anno itaque* 525, *de quo hic scribitur in Actis, episcopus alter constitutus est; quum sciamus alioqui S. Gregentium vitam*
B *protraxisse ultra annum* 570. *Hunc episcopum, qui advenerit anno* 525, *autumat Lequienus fuisse* E *Joannem Paramonarium; de quo diximus Comment. n.* 121-23. *Hæc vero pars ultima Actorum, ut alibi diximus, postmodum adjecta videtur, nec immerito conjiceretur partim coaluisse ex narratione aliqua, quam edidit Boissonadius e codice Coisliniano* 255 (1), *et quæ jam Lequieno præ manibus fuerat* (2); *vide annot.* 1.

e *Quæ igitur hucusque narrata sunt, ad Tapharim, non vero ad Negranam pertinent; vide annot.* b.

f *Negranam* civitatem martyrum *dictam esse, advertit jam Fabricius* (3), *et post eum Boissonadius.*

g *Elesbaan constituit filium S.* Arethæ *phylarcham Negranitarum,* ἡγέμονα τῶν ἐκεῖσε καὶ ἐθνάρχην, *in locum scilicet ejus patris; nomen filii siletur. De nomine vero S.* Arethæ *adscribere omisimus quæ tradit Ibn-Khilcan in Vita Haririi :* Nomen istud, *ait,* fluxit e verbis Mahumetis dicentis : « Omnes estis Hareth et omnes estis Hammam; nam hareth significat eum qui lucratur (*ex Arabico* Haratha, *lucratus fuit*), et hammam eum qui multum habet sollicitudinis. » Nemo igitur est qui hoc sensu non sit hareth... quum unusquisque lucrum facere satagat *etc.* (4). *Nomen istud Drusi scribunt* Haret; *de quo vide sis Sacyum* (5). *Ex Djawhario aliisque lexicographis apud Golium vox* Harith *agricolam etiam (ut Græcum* γεώργιος) *et leonem significare potuit. Si historicis mahumetanis sit fides, S.* Arethas *antequam christianus fieret, dictus est* Abdallah, *et pontifex fuit christianorum dum Negranam advenit Dhu Nowasus : Comment. supra n.* 105. *Posterius profecto negandum est, quum ostendatur ex pluribus nec episcopum Negranensem fuisse S.* Aretham, *nec sacerdotem : cfr Acta n.* 5, 15, 19 *et passim. Ad alterum quod spectat, id nec negare, nec asserere possumus; quum historici mahumetani, quatenus res Islamismo antiquiores contingunt, minime tuti sint. Crediderim tamen S.* Arethæ, *antequam Negranensibus imperaret, seu* Benu-l-Harith-Ibn-Caab (*Comment. n.* 153), *et aliud præterea*
C *nomen fuisse : nec insuetum erat tum temporis nomen* Abdallah. *De nomine isto, quod servum* F *Dei significat (idem fere ac Hebraïcum Abdias) aliisque similibus quæ in Arabiæ historia non raro occurrunt, nuper scripsit cl. Ern. Renan, quem dolemus ex præjudicatis opinionibus a religione christiana animum perquam alienum gerere. Sententiam scilicet Pocockii denuo excitavit, Arabas multos aut plerosque unum Deum veneratos esse : de qua diximus Comment. n.* 22 *sq. et* 42. *Qua in re nonnulli, contempta verissima et ineluctabili historia generis humani, quæ in Bibliis legitur, eousque progressi sunt ut scribant stirpi Semiticæ (nimirum Syris, Judæis, Arabibus, Assyriis) proprium et ingenitum esse agnoscere Deum unum. Hoc effatum simile est illi quod in libris aliquot ethnographicis legimus, stirpem, quam Caucasicam dicunt, solam religioni christianæ suscipiendæ idoneam esse : quasi inter Semitas non floruerit per plura sæcula antequam barbarie mahumetana pæne extingueretur. Scilicet quo cultior est gens aliqua, eo sacris christianis est propior; eoque facilius a gentilitate conversi sunt Græci et Romani, et præsertim inter universas has gentes ea sacra stabilita sunt, quo ceteris, ob leges probatissimas, ita disponente Deo, cultiores erant facti. Considant aliquando in Europa hodierna religiones Asiaticæ, Buddhica, Brahmanica et Mahumetica: mox sua inanitate dissolventur. Plura nullo negotio responderi possent; at supervacaneum est omnia persequi ad quæ aberrat mens humana dum religionem veram aut odit aut contemnit. Ad cultum Semitarum priscorum quod pertinet, legantur, præter Biblia, Seldenus de diis Syris, F. Movers de diis Phœnicum, E. Osiander de diis Arabum, et demum A. P. Caussin de Perceval, cujus Historia Arabum monumentum perenne futurum est eruditionis et sanioris judicii. Arabas non paucos Deum supremum coluisse, idque tribuendum venerationi Abrahæ, ex quo Maaddeni, Coraysjitæ et universim incolæ provinciarum Hedjaz et Nadj per*

(1) Anecdota Græca, vol. V, pag. 63 sqq. — (2) Oriens christ. tom. II, col. 663 sq. — (3) Bib. Græc. tom. X, pag. 116, edit. Harles. — (4) S. de Sacy, Chrestomathie arabe, tom. III, edit. 1827, pag. 175. — (5) Ibid. tom. II, pag. 525 et 531.

Ismaëlem

AUCTORE E. C.

Ismaëlem sese genitos crediderunt, suo loco monuimus. Ac advertendum, illis ipsis in provinciis D *(a quibus parum aberat Negrana, urbs S.* Arethæ) *nomen* Abdallah *frequentius fuisse : et quidem eo nuncupatus est pater ipsius Mahumetis. Deinde longe etiam frequentius fuit post Christum natum : quod propagationi religionis tum judaicæ* (1) *tum christianæ* (2), *et cum primis, ut ego quidem arbitror, venerationi majori qua Ismaëlitæ ceterique Arabes templum Caaba (quod ab Abrahamo et Ismaële ædificatum dicebant) tum prosequi cœperunt* (3) *adscribendum est.*

h *Vide annot.* 1 *ad cap.* IV.

i *V. Comment. n.* 196.

k *Taphar erat regia Homeritarum. Negrana vero regia fuit Æthiopum usque ad annum* 523, *Comment. n.* 139 *et passim; num deinceps fuerit, incertum* (4), *at fuisse veri simile non est.*

l A προβάλλεται τοῖς ἐκεῖσε βασιλέα Ἀβράμιόν τινα, συνετὸν, θεόφ. *Ex verbis* Ἀβράμιόν τινα *patet hanc partem Actorum in Arabia scriptam non fuisse : cfr Comment. n.* 205 *sq. Hæc eadem insuper accurata non sunt; quum noverimus anno* 525 *proregem Homeritarum constitutum fuisse Esimiphæum, anno circiter* 530 *Aryatem, et nonnisi post hunc nec multo ante annum* 540 *regem factum esse Abrahamum. V. Comment. n.* 124 *sqq. : ubi advertet lector me cum Humphredo Hody, viro cum primis erudito, Joannem Malalam, quem primus luce donavit publica, adscripsisse sæculo* VIII; *at lecta disquisitione cl. L. Dindorfii* (5), *ejus sententiæ haud cunctanter accedo; ac scripsisse Malalam autumo non dudum post annum* 585; *quo circiter Historiam suam absolvit Joannes Ephesi, seu Asiæ episcopus* (6) : *e quo Malalas plurima sua fecit* (7). *At de re ista amplius constabit dum pars* III *historiæ Joannis, Asiæ episcopi, quæ a cl. Curetonio edita est, a viris eruditis cum Malalæ Chronographia collata fuerit.*

m *Abrahamum* religiosum *fuisse* in christianismo suo *tradunt etiam mahumetani, Comment. n.* 178.

B n *Dum circa annum* 540 *tertio in Arabiam trajecit, et regem constituit, seu potius agnovit, Abrahamum, milites Æthiopas illic reliquisse fertur quinquies mille* (8); *qui numerus profecto minimus videbitur. Attamen numeri etiam minoris difficillimis in adjunctis meminit Procopius* (9). *Ex his conjectarem Arabas, licet virtute bellica et ante Islamismum (ut* 50 *ante annis jam præsagiit Napoleo I imperator* (10) *et ex monumentis nunc certo constat) plurimum valerent, ab Æthiopibus tamen victos fuisse militiæ disciplina; quam veri simile est hos didicisse a Græco-* E *Romanis.*

o *Urbs regia Elesbaæ fuit Axum in Æthiopia, de qua supra diximus. Ista hunc in modum reddit Metaphrastes, usus amplificatione aliqua :* καὶ τοῖς Ὁμηρίταις Ἀβραμιόν τινα, ἄνδρα θεοφιλῆ καὶ τῷ Χριστοῦ ὀνόματι σεμνυνόμενον, βασιλέα χειροτονήσας, τῷ τε ὁσιωτάτῳ ἐπισκόπῳ περί που μυρίους τῶν χριστιανῶν Αἰθιόπων παραδοὺς, ἐπάνεισι χαίρων πρὸς τὰ οἰκεῖα βασίλεια μετὰ λαφύρων καὶ λείας οὐδὲ ἀριθμῷ ληφθῆναι ῥαδίας, οὐκ ὀλίγην χρημάτων ἀπόμοιραν καὶ τῷ στρατῷ διαδούς.

p ἀλλ' ἐν αὐτῷ καρτερήσας... *Ad quæ hæc notat Boissonadius :* Forsan διάξει excidit; vel καρτερήσει legendum. B (*seu codex Parisinus* 1454) non potest nunc legi.

q A Βαυκάλλιον, nobis « bocal. » Melior est Symeonis Metaphrastis oratio : μηδὲν τῶν τοῦ κόσμου κτησάμενος, ἢ μόνην ψίαθον, καὶ κωθώνιον εἰς μετάληψιν ὕδατος. Locum excitavit Cangius Gloss. in βαυκαλία, et scripsit male παρ' ἑτέρῳ, quum sit in codice παιρ' ἑτέρω, quod, usus nota vocalium αι et ε permutatione, in περαιτέρω aptissime mutavi. Ex B nihil præsidii. *Boissonade.*

r Nobis « biscuits secs. » *Boissonade. Cassianus Collat.* XIX, *cap.* 4 *ait paximatia sex unciarum fuisse, duoque monachis ad refectionem singulis diebus tribui solitum : vide Glossarium utrumque Cangii.*

s *Ex hoc aliisque locis Actorum deduximus scripta fuisse post obitum Elesbaæ, Comment. n.* 199.

t *Pluries monuimus hanc postremam partem Actorum minus tutam esse; vide annot.* 1. *Credi-*
C *mus quidem S. Elesbaan, dum monachum induit, coronam suam misisse Hierosolymam; sed id* F *fieri non potuit dudum ante annum* 540; *nec patriarchatum Hierosolymitanum tenente Joanne : quum is diem obierit anno Christi* 524 (11). *Nomen itaque Joannis intrusum est, et acceptum vero similius ex initio Actorum, num.* 1, *ubi de bello dicitur quod anno* 522 *Dhu Nowasus auspicatus est. — Hic demum aliquid addendum iis quæ de talento Arabum dicta sunt annotato* RR *ad cap.* I : *ubi inter* kintar *et* kantar *aliqua diversitas significatur; quæ non est alia quam diversitas pronuntiationis.* Kintar *enim valuit* 1,000 *denariis aureis; sed valuit etiam* 100 *libris (seu* ratl *Arabicis veteribus) auri vel argenti : id est, idem fuit circiter cum talento majori Ptolemaico. Videatur Djawharius et Camusus Firuzabadii ap. Freytag, vel ap. Golium et Giggejum. A voce* kintar *deducendum videtur Hispanorum et Gallorum* quintal, *et Italorum* quintale, *quod pondus librarum* 100 *designat : Hispani enim simili modo ex Arabico* kirat *effecerunt* quilate. *Loco autem* kintar *dictum esse etiam* kantar *ab Arabibus, saltem ubi pondus librarum centum significatur, manifestum ex vocibus* cantaro, cantar, kantar, *quibus in multis partibus Italiæ, Hispaniæ et Orientis (non secus ac voce* quintal *passim in Europa), ejusmodi pondus appellatur. Atque hæc in supplementum dicta sint superiorum.*

(1) Cfr Comment. n. 24 sqq. — (2) Ibid. n. 43 sqq. — (3) Ibid. n. 23. — (4) Cfr Boissonade, Anecdota Græca, tom. V, pag. 73. — (5) Malalas, præfat. pag. V sqq. — (6) Zeitschrift d. d. morgenl. Gesellschaft, tom. VIII, pag. 397. — (7) Comment. supra n. 117, coll. Malala, pag. 433. — (8) Ap. Boissonade, loc. cit. pag. 66. — (9) Comment. supra n. 126. — (10) Mémorial de Sainte-Hélène, tom. III, pag. 183; cfr Noël Desvergers, l'Arabie pag. 136. — (11) Lequien, Or. christ. tom. III, col. 189.

APPENDIX.

A

AUCTORE ATHANASIO.

APPENDIX.

Fragmentum interpretationis Latinæ Actorum S. Arethæ quam adornavit Athanasius Junior, episcopus Neapolitanus *a*.

a

Prologus acephalus.

... enim humanitatisque debitum persolventes, utpote Creatoris sui prorsus ignari, Tartareis cruciatibus mancipati sunt. Et licet eorum pompaticæ adoreæ apud poëticos aut etiam historicos scriptores, mille, ut ita dicam, voluminibus exaratæ legantur, tamen cum e seculo transeunt, veluti fumus oblivionem accipiunt. Omne enim quod fuit et non est pro nihilo computatur. Divini autem prælii bellatores, qui suas immortales victorias ad victoriosissimum imperatorem trans æthera reportarunt, jam vernantibus laureis coronati perpetue jocundantur. Adde præterea quod
B exercitus mundanæ militiæ, quanto plures in acie commilitones amiserit, tanto magis defectum sui dolendo causatur, et non solum numero et viribus minorari conqueritur, verum etiam audendi vigore privatur. Sancta vero atque apostolica ecclesia eo altius exercitum suum augeri congaudet, quo beatos agonistas diaboli tyrannidem fortiter vincere, et vincendo numerosius eosdem mori prospectat. Enimvero si quispiam de suis terga vertens hosti colla submiserit, hunc tanquam abortivum a suis visceribus alienum deputat. Hoc denique novo vincendi genere christianismi athletæ accusati non excusabant, interrogati protinus fatebantur, morti adjudicati gratias referebant: ac per hoc, quando victi putabantur, veraciter ipsi vincebant. Satanas itaque, qui eos multiformiter anhelabat capere, torquere, vincere, dum eorum inflexibile cerneret robur, prius ipse torquebatur, capiebatur, vincebatur. Unde nimirum Sabea provincia, sicut odoriferis aromatibus largius abundat, ita martyrum fertilitate beata pollet.

2 Verum a priscis temporibus celebri pre-
C conio attollitur, quod a finibus scilicet orientis veniens sapientiam Pacifici regis audire, et augustissimum in toto orbe terrarum Domini templum videre studuerit : ac denique post
b multa annorum curricula, eodem *b* longissimo itinere confecto, astriferam Salvatoris infantiam misticis muneribus adoraverit. Hic ergo, quemadmodum occiduis mundi partibus aromatica transmittit commercia, ita magnanimum principem ac beatissimum martyrem omni auro et monilibus pretiosiorem destinavit Aretham. At quoniam tanto viro sine comitatu procul adventare dedecus erat, triumphantibus sertis laureatam misit cum eo catervam. Quorum victrices agonias palmasque perennes ego Athanasius junior, Par-
c thenopensis ecclesiæ antistes *c*, ad honorem Dei et gaudium christianæ religionis, ab Æolicis exemplaribus transferre conabor. Et quia peregrinum idioma latino minime congruit stylo, non verborum folia, sed magis sensus ubertatem carpere studentes, superflua resecamus; et interdum, serie commutata, ad dilucidandas sententias nonnulla ingerimus no-

stra. Sane Homeritas Hebraicæ fuisse stirpis haud prorsus ignoret qui multos Judæorum mutua cum ethnicis connubia copulasse ac deorum penitus tenuisse ritum lectitando didicit. Has autem, dilectissimi fratres, SS. martyrum passiones libentissime recolentes, et eorum memoriam debita devotione celebrantes *d*, flagitemus charitate Spiritus Sancti *d*
ut quandoque cum eis æterna felicitate perfrui mereamur.

Narratio.

Anno igitur dominicæ Incarnationis secundum Latinos fere quingentesimo vigesimo primo *e*, regnantis quoque Justini senio- *e*
ris, qui apud Constantinopolim Romanum
E gubernabat imperium, anno quinto, vicario principis apostolorum Papa Joanne *f*, Jerosolymæ civitatis nihilominus patriarcha Joanne, *f*
Antiochiæ Euphrasio, Alexandriæ autem Timotheo *h*; Æthiopicis tunc provinciis in civitate *h*
quadam Auximi regnabat Helesbas *i*, homo *i*
justissimus. Contigit autem per idem tempus regem esse Homeritarum nomine Dunaan, qui erat Hebræus atque humani cruoris bibulus iniquissimusque ultra omnes homines in gente Homeritarum. Homeritarum namque provincia est quam divina Scriptura Sabam commemorat, et gentiles Eudæmon Arabiam vocant. Hanc enim omnes inhabitantes Judæi atque ethnici erant : qui non juxta legis præceptum, sed secundum hypocritarum Pharisæorum simulque Sadducæorum traditiones vivebant. Totus enim ubique terrarum orbis glorificabat et collaudabat Dominum Christum, verum Deum, qui cum Patre sanctoque Spiritu inseparabiliter vivit et regnat. Soli *k*... *k*

4... capere illam nullatenus potuit. Attulit interea quotquot varii sexus et ætatis in agris seu villis comprehendere valuit : alios occidit
F in ore gladii; alios magnatibus et eunuchis suis ad famulandum tradidit. Cernens itaque quia nullo modo posset præliando capere civitatem, imitatur versutias antiqui colubri, qui primum hominem veneno mortiferæ suasionis decepit, ejusque filiis callidus hostis insidiari non desinit; cœpit dejerare et invocare Deum legis sanctasque virtutes : Non, inquiens, lædemus quemque nec compellemus abnegare quam colitis sectam; sed tantum sub tributario jure vos esse quærimus. Quid cunctamini? Aperite portas ut ingrediar videndi gratia : accipiam quod mihi per singulos annos accipere debitum; per caput videlicet uniuscujusque viri et mulieris, servi et liberi, pueri et senis Olcadem *l* unum. *l*
Porro moneta Homeritica habet auri pondus aurias *m* duodecim; congregaturque annua- *m*
liter ex eadem Negranica civitate auri regula centum triginta talentorum. Est autem apud Æthiopiam talentum tredecim librarum. Populus autem Dei, quibus apostolica cælitus congruebat sententia : Vobis donatum est, ut

AUCTORE ATHANASIO.

ut non solum credatis in Christum sed etiam ut patiamini pro eo *:

* Philip. I. 29.

5 Rex, ajunt, nos a lege et prophetis atque evangelicis præceptis didicimus non solum colere Deum, sed etiam potestatibus obtemperare, et quæcumque rationabilia vel opportuna sunt, non recusare. Intus itaque nunc confisi sermone quem jurejurando nobis pollicitus es, patefacimus urbem. Ingredere cum quibus velis; verumtamen hoc tibi notum sit, quia si transgressus eris quod nobis spopondisti, omnipotens Dominus erit auxiliator noster. Cujus spreto judicio, non solum super caput tuum descendet nequitia tua, sed etiam super regnum tuum. Nos quidem tibi vocem trium puerorum constanter canimus : Juxta monarchiam judaismi tui divino cultui non famulabimur, nec tuæ blasphemiæ participes efficiemur : quibus id dumtaxat valde jocundum atque optabile erit, mori pro Christo, qui ea dilectione mortuus est pro nobis, ut nos vivamus in ipso et ipse vivat in nobis. Hæc et plura his similia prosequentes aperuerunt B portas. Mox autem ingressus teterrimus Homeritarum draco: cui omnes pariter magnates cum Aretha, filio Chaneb *n*, principe suo, *n* ante ingressum urbis obviam venientes, adoraverunt proni in terram. Homerita cuncta quæ habere poterint jussit ab eis auferri; Paulum quoque civitatis episcopum præcepit sibi ostendi. At illi respondentes dixerunt : Biennium est quo ex hac vita migravit ad Dominum. Quod nefandissimus audiens Hebræus credere contempsit. Attamen mittens ubi sanctum corpus ejus erat humatum, fecit eadem ossa foras efferri et flammis comburi; eorumque pulverem ventilabro per aërem dispergi.

6 Postera autem die omni populo militiæ suæ multitudinem lignorum congerere præcepit ignemque adeo copiosissimum accendere, ut ipse incendii locus tamquam unius stadii spatium occuparet. Quam crudele nefas! Tunc ibi universos sacerdotes et levitas Dei, et reliquos ecclesiæ ministros, monachos et monastrias, sacrasque virgines, et psaltrias quæ die noctuque in ædibus sanctis psallendo excubabant; omnes ligatos sine aliqua examinatione insimul præcipitari fecit : arbitrans se C reliquis fidelium terrorem incutere. Erant autem omnes qui per hujuscemodi conflagrationem coronam pertingere meruerunt, animæ quingentæ * viginti et septem. Dehinc Aretham et qui cum eo erant majores natu ferreis [ligari catenis jussit]; et præco vehementer Homeritico clamabat sermone : Si vivere vultis, abnegate eum qui dicitur Christus. Judaizate et estote complices nostri. Et sancti : Procul a nobis ut abnegemus fidem in qua baptizati sumus. Tunc tyrannus : Numquid Romanorum potestas non cognovit, et sacerdotes ac legis periti? Non Deum, sed hominem sine dubio blasphemaverunt, injuriis affecerunt, verberibus stimulaverunt et morte turpissima damnaverunt. Quare ergo post tergum hominis hujus errantes inceditis? Anne Romanis vos meliores esse putatis, maxime illis qui cognominantur Nestoriani et sunt apud nos usque hodie, dicuntque nobis : Nos eum prophetam habemus et non Deum. Quam ob rem non D quæro a vobis, ut deserto Creatore vestro, qui fecit cælum et terram et universum condidit orbem, adoretis solem et lunam, vel *o*... *o*

* *l.* quadringintæ

ANNOTATA.

a *De hoc fragmento diximus Commentar. n.* 187. *Titulus ab amanuensi adscriptus est hujusmodi:* Fragmentum historiæ passionis SS. martyrum Arethæ et sociorum ab Athanasio juniore, episcopo Neapol. e Græco in Latinum sermonem paraphrasticωs redditæ. Ex cod. ms. Capuano. *Addit Papebrochius in margine:* Ex collectione P. Carraccioli tomo de Vitis Sanctorum.

b *Athanasius credidit non modo reginam Saba ex Arabia venisse, sed et magos quoque qui Christum recens natum adorarunt. De quibus dictum pluribus in Commentario prævio.*

c *Antistes Parthenopensis seu Neapolitanus fuit ab anno* 872.

d *Ex his merito deducimus Athanasium Acta S.* Arethæ *latinitate donasse ut die ei sacra, 24 octobris, pro more ecclesiarum multarum, intra officium matutinum* (1), *aut missarum solemnia* (2) E *fidelibus prælegerentur; cfr Comment. n.* 186.

e *Vide annot.* b *ad cap.* 1 *Actorum Græcorum.*

f *Hæc de suo addidit Athanasius, at non adeo feliciter. Joannes enim, ejus nominis primus, pontificatum suscepit anno tantum* 523.

h *Notabile est in exemplari Græco quo usus est Athanasius, non secus ac in aliis pluribus, omissum fuisse patriarcham Cpol. Comment. n.* 202.

i *Legit idem in codice suo nomen* Ἐλεσβαάν *cum spiritu aspero; quod et Procopio contigit. Comment. n.* 110 *sq.*

k *Hæc adscribit librarius hoc loco :* Hactenus codex Capuanus in quadam solum pagina; quæ vero sequuntur ex altera pagina huic prædicatæ adhærente exscripta sunt.

l Olcadem unum : *si recte hæc descripta sunt, legit Athanasius in Actis suis* ὀλκάδος, *et quidem cum spiritu leni, non* ἑλκάδος; *vide annot.* oo *ad cap.* 1. *Codex quo usus est Athanasius propius accedit ad illum qui a Boissonadio typis expressus est, et cujus lectiones varias signavimus litera* A. *Post ea enim quæ dedimus loc. cit. annot.* nn (*ubi legendum* ὀλκάδος *loco* ἑλκάδος) *sic idem codex prosequitur :* Ἔστι F δὲ αὕτη ἡ μονῆτα βασιλικὴ Ὁμηριτικὴ, σταθμὸν ἔχουσα χρυσίον κερατίων Ῥωμαϊκῶν δώδεκα. *Ex his vox* ἑλκάς *fit dubia nonnihil; at retinenda sunt quæ ibidem de valore monetæ Arabicæ dissertavimus. Boissonadius interim hæc adnotat :* A, ὁλκάδος. B, ἑλκάδος..... Visum est esse ἑλκὰς nomen ἀραβικοφανὲς male a Græco librario in ὁλκὰς mutatum. Melius etiam fuerit ἐλκὰς, quum ἐλ videatur Arabicus esse articulus.

m Aurias, *vox corrupta est; quum enim locus ab amanuensi primo legi non posset, ab altero addita est. Codices* A *et* B, *seu codex Boissonadii et noster, monetam Homeriticam ceratiis duodecim, non* auriis *duodecim pendere dicunt.*

n *Certo dici nequit num sit* Charieb *vel* Chaneb *legendum, sed ex dictis Comment. n.* 153 *posterius retinendum est. Nota vero literam* b *in fine nominis; quæ prorsus Arabica est. Acta nostra n.* 7 : ὁ ἅγιος Ἀρέθας, υἱὸς Χανέφ; *At n.* 5 *nomen patris desideratur.*

o *Codex Caraccioli plura non habebat.*

(1) Martene, De antiq. eccl. disciplina, cap. V, n. 2 sqq. — (2) Id. De antiq. eccl. ritibus, lib. I, cap. 4, tom. I, pag. 367.

DE

A D

DE S. CADFARCHO, CONF. NON PONT.

IN WALLIA SEPTENTRIONALI,

SYLLOGE.

V. D. B.

S. Cadfarchi nobile et sanctum genus; duo templa fundat; ejus cultus; ætas; parentela.

CIRCA MEDIUM SÆCULUM VI. *S.* Cadfarchi, *a pluribus memorati, nobile et pium genus.*

Inter ducentos septemdecim sanctos, natione aut cultu Wallenses, quos initio Dictionarii sui topographici Walliæ recenset Nicolaus Carlisle, plurimos tamen omittens, venit ordine suo S. Cadfarch, qui versus medium sæculum VI floruit. *Hic autem in Martyrologii Anglicani supplemento* (1) *ad diem* 24 *octobris his annuntiatur verbis :* In Penegoes in montis
B Gomerici comitatu (*Montgomeryshire*) festivitas S. Cadmarch, seu Cadfarch, cujus nomini dicata est ecclesia; *quæ Willisii, ut ibi indicatur, nituntur testimonio et quibus suffragatur Nicolaus Carlisle* (2), Cadmarchi *tamen nominis formam præteriens. Ejus quoque meminit cl. v. Rice Rees, minister ecclesiæ anglicanæ, qui in egregio conatu suo de sanctis Walliæ* (3) *hæc de de eodem tradit:* Cadfarch, frater Cawrdafi, fundator fuit Penegos in Montisgomerici comitatu et Abererch in comitatu Caernavon. Ejus festivitas notata est ad diem 24 octobris. *Deinde, quo appareat S.* Cadfarchum *ex nobilissimo et pientissimo genere fuisse, traditur Cawrdaf, ejus frater et filius Caradoci Fraichfras, ex familia Coeli, successisse patri in principatu de Brecknock; idem in Triadibus plurimum celebrari, quod tanta ejus esset auctoritas, ut, quoties populares ad bellum exciret, accurrerent omnes; postea vero valedixisse mundo, religiosamque vestem induisse in instituto S. Iltyti, in Armorica et Wallia sæculo* V *et ineunte* VI *celeberrimi abbatis* (4), *et demum honores ecclesiasticos*
C *nactus esse annuos die* 5 *decembris. Huc quoque pertinet sequens schema parentale, ex Genealogiis sanctorum Wallensium detractum, in quo quidem S.* Cadfarch *frater S. Cawrdafi non dicitur, sed contra SS. Thangwni et Maethlui, et simul Caradoci Vreichvras seu Fraichfras filius :*

Llyr Merini
|
Caradoc Vreichvras
|

S. Cadvarch, in Aberych in Lleyn. Oct. 24.	S. Thangwn, de Llangoed in insula Mona*.	S. Maehtlu seu Amaehtlu, fundator Llanfaehtlu in insula Mona. Dec. 26.

* Anglesey.

Complures flocci faciunt id genus genealogias; et certe sæpius ostensum est alia in his esse ficta, alia esse dubia; verumtamen qui nullam harum rationem haberi velit, is plane aberrabit a vero, quum universa hujus populi ratio politica et domestica consisteret in generationum conservatione. Audi Giraldum Cambrensem (5) : Generositatem vero, *inquit,* et generis nobilitatem præ rebus omnibus magis appetunt. Unde et generosa conjugia plus longe cupiunt quam sumptuosa vel opima. Genealogiam quoque generis sui etiam de populo quilibet observat et non solum avos, atavos, sed usque ad sextam vel septimam, et ultra procul generationem memoriter et prompte genus enarrat E in hunc modum: Resus filius Gruffini, filii Resi, filii Theodori, filii Æneæ, filii Oeni, filii Hoeli, filii Cadelli, filii Roderici Magni et deinceps. Genus itaque super omnia diligunt et damna sanguinis atque dedecoris acriter ulciscuntur.

Ecclesias fundat in Penegos, ubi fons salutaris adhuc fluit,

2 Penegos *seu* Pen egwest, *cujus ecclesia a S.* Cadfarcho *fundata ab aliis dicitur, ab aliis suo nomini dedicata (quamquam sæpe factum sit ut ecclesia, initio sub alius sancti patrocinio consecrata, deinde fundatoris, quando is ecclesiasticos honores obtinuit, nomen et titulum acceperit) in comitatu Montisgomerici, ut vidimus, jacet; scilicet in Wallia septentrionali, ad ripam sinistram rivi, qui in sinu Cardigan* (Cardigan Bay) *aquas suas in mare effundit et ad latus meridionale viæ publicæ, inter Dinasmonthy et Aberistwith stratæ. Quod* Pen *apud Wallenses* caput *significat, hinc dixere loci nomen inde esse ortum quod regulus Wallensis ibidem capite truncatus fuit; sed vocabulo* Pen, *in pluribus aliis nominibus locorum obvio,* F *omne, quod extremum aut summum est, apud eos etiam indicatur; et Egwest venit etiam in* Llan-egwast, *nomine abbatiæ Cisterciensis, vulgo* Vallis crucis *dictæ* (6). *Sed propius ad S.* Cadfarchum *spectat, in agello prope templum fontem esse, cujus aquæ in rheumatismis curandis adhibentur* (7). *Vix dubium mihi est quin is fons S.* Cadfarchi *nomen habeat et pristini ejus cultus indicium sit. Passim enim in Wallia et in reliqua Europa occidentali istiusmodi adhuc fontes sunt. Neque mirum: quum enim ante stabilitam christianam doctrinam passim fontibus adhiberentur honores divini* (8) *aliæve circa eos superstitiones fierent, nil opportunius erat (quemadmodum de conviviis superstitiosis aliisque rebus initio ecclesiæ factum est et ut in Anglia quoque fieret suasit S. Gregorius papa) nil, inquam, opportunius erat ad falsas illas reli-*

(1) A memorial of ancient British piety, pag. 27. — (2) A topographical dictionary of Wales, v° *Penegos.* — (3) An Essay on the Welsh saints or the primitive christians usually considered to have been founders of churches in Wales, pag. 270. — (4) Tresvaux, Hist. des saints de Bretagne, tom. I. pag. 66 et seqq. — (5) Cambriæ descriptio, cap. XVII, in Camdeni Anglicis etc. veteribus scriptis, pag. 890. — (6) Cfr Monasticum Anglicanum novum, tom. V, pag. 720; Camden, Britannia, edit. Gough, tom. II, pag. 581. — (7) Carlisle, A topog. Dict. of Wales, v° *Penegos.* — (8) Cfr W. Reeves, The life of S. Columba, pag. 119.

giones

AUCTORE V. D. B.

giones tollendas quam ut novo christianoque more deinceps in honorem aut memoriam sanctorum ex illis fontibus biberetur, sive sancti illi iis etiam suo ævo usi fuissent, aut iis aliquando benedixissent, sive quotannis, eorumdem imploratis orationibus, rogaretur a presbyteris Deus ut qui iis uterentur homines se bene haberent, quemadmodum Russi aliique orientales annua maxima solemnitate adhuc faciunt.

et in Aber erch.

3 Aber erch, *ubi alterum templum fundavit* S. Cadfarch, *jacet similiter in Wallia septentrionali, nempe in comitatu de Caernavon. Ejus situs ipso nomine indicatur; nam quum* Aber *ostium fluminis seu rivi significet, satis hinc liquet sitam esse parochiam prope mare Hibernicum seu S. Georgii canalem, ubi rivus Erch in mare incurrit. Templum tamen* S. Cadfarchi *titulum non habet, sed S. Cwerdæ* (1), *alias mihi ignoti, nisi idem sit ac S. Gourda.*

Pauca de SS. Cadfano, Tangwno, Maethlu, Gourda et Jestino

4 *Vixisse seu potius mortuum esse* S. Cadfarchum *inter annum* 542 *et* 566 *tradit cl. v. Rice Rees; quibuscum assertis conveniunt notitiæ,* D *quas ex illis partibus accepit Carlisle* (2), *tradens floruisse hunc sanctum medio sæculo* VI. *Et reapse hac quoque ætate vixit S. Tangwn seu Tanwg, qui ejus frater dicitur et initio sæculi* VI *cum S. Cadfano ex Armorica in illas partes venisse fertur* (3); *et similiter S. Maethlu,* S. Cadfarchi *quoque frater dictus et alterum medii sæculi* VI *ecclesiæ Wallicæ decus* (4). *Addam in fine, quoniam numquam forte amplius in opere nostro dicetur de S. Thangwn, parochiam de Llan Goed, id est latine de Cella seu Templo ligneo, duobus milliariis septentrionem versus distare a Beaumaris, præcipuo insulæ Monæ oppido. Hujus tamen ædes sacra dicata non est S. Thangwni nomini, sed S. Gourdæ; et duæ capellæ, quæ parochiæ annexæ sunt, altera Llanfihangel Tyn Sylwy, altera Llan Jestyn, patronos habent archangelum S. Michaelem et S. Jestinum seu Justinum regem ad diem* 12 *aprilis inscriptum calendariis.*

(1) Carlisle, A top. diction. of Wales, v° *Aber erch.* — (2) Ibid. Glossary, pag. xxx. — (3) Ibid. pag. xxxix. — (4) Ibid. pag. xxxvii.

E

DE S. SENOCHO, PRESB. ET ABBATE

IN PAGO TURONICO GALLIÆ,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

V. D. B.

§ I. S. Senochi ortus, clericatus, monachatus, monasterium, vitæ tempus.

ANNO DLXXVI. *S.* Senoch, *a S. Gregorio Turonensi ter celebratus.*

Hæc divinæ gratiæ laus est et potentia ut etiam de gentibus, quæ natura videantur a virtute et sanctimonia maxime alienæ, homines eligat et perficiat qui Deo et angelis gratissimo sint spectaculo, popularibus autem et universis fidelibus continuo ad cælestia capessenda incitamento; adeo ut, quemadmodum verum est arborem malam non posse bonos C fructus facere, *neque* colligi de spinis uvas *aut* de rubo vindemiari, *sic quoque admittendum sit ex arbore mala et spinosa progigni nonnumquam surculos, qui, in Christo. tamquam oleastri in bona oliva, inserti, fructus proferant æterno præmio dignos. Atque hæc sententia apprime confirmatur exemplo* S. Senochi, *cujus hodierna die memoria recolitur et qui, Taifalus licet natione, continuas in corde suo ascensiones disponens, ad perfectionis christianæ apicem pervenit. Hæc rescivimus ex scriptore contemporaneo, qui eum de facie noverat et sæpius cum eo fuerat conversatus, scilicet ex S. Gregorio Turonensi. Hic primum ejus scripsit Vitam aliquanto ante annum* 588, *eamque inseruit libro de Vita Patrum, cap. XV; in libro de Gloria confessorum, cujus caput XCV sub annum* 588 *literis mandavit, refert cap. XV unum ejus recentius miraculum, præmissis his verbis :* Senoch abbatis Vita dudum a nobis scripta est; *et demum in Historia Francorum, quam postmodum usque ad vitæ forte finem seu annum* 594 *aut sequentem collegit et polivit, lib. V, cap. VII, tertio* S. Senochi *meminit et brevibus præcipua ejus gesta complectitur. Atque hic postremus locus impræsentiarum referendus videtur, quo melius ab initio lector beatum virum cognoscat.*

2 Sed et illud commemorare libet, *inquit beatus historiographus*, qui vel quales viri hoc anno a Domino sunt vocati. Unde magnum eum et Deo acceptabilem ego censeo, qui talis de nostra terra suo paradiso collocatur. Nam F benedictus Senoch presbyter, qui apud Turonos morabatur, sic migravit a sæculo. Fuit autem genere Theifalus, et in Turonico clericus factus, in cellulam, quam ipse inter parietes antiquos composuerat, se removit: collectisque monachis, oratorium, quod multo tempore dirutum fuerat, reparavit. Idem super infirmos multas virtutes fecit, quas in libro Vitæ ejus scripsimus. *Atque hic imprimis inquirendum est in ætatem S.* Senochi, *quem ex Vitis Patrum, immo ex num.* 4 *ejus Vitæ, diem obiisse novimus*, cum esset annorum circiter quadraginta. *Quæstio quidem illa primo conspectu valde facilis esse videtur, quum B. Gregorius Turonensis libro VI Historiæ Francorum, cap. VI, continuo ante verba, quæ ex ea Historia retulimus, scripserit :* Anno vero, quo supra, id est quo, mortuo Sigeberto, Childebertus, filius ejus, regnare cœpit, multæ virtutes ad sepulcrum sancti Martini apparuerunt; *quibus verbis significari videtur annus* 575, *quum hoc anno insidiis Fredegundis occisus fuerit Sigibertus, rex Austrasiæ, et ejus loco*

vixit quadraginta circiter annos

A *loco regiam coronam assumpserit Childebertus.*

et anno 576, ut ex temporibus Sigiberti et Childeberti II,

3 *Verum, licet hæc ita sint, consentire videntur eruditi (nisi incuriosius locuti fuerint)* S. Senochum *ex hac terra recessisse anno sequenti; et quum S. Gregorius Turonensis ibidem seu potius cap. VIII dixerit :* Eo anno et beatus Germanus, Parisiorum episcopus, transiit, *et eodem deinceps locutus fuerit modo de sanctis viris Caluppo recluso, Patroclo item recluso et Brachione abbate, de his omnibus eamdem legem esse nemo non videt. Et quidem annus* 576 *omnino retinendus est, ita ut S. Gregorius explicandus sit quasi* S. Senoch, *aliique, quos laudat, præclari viri primo anno post mortem Sigiberti, seu ab inchoato Childeberti II regno, ad superos abiissent. Porro nolim commentarium scribere de ultimo Sigiberti regis anno, quem satis superque constat* 575 *fuisse, ut jam diximus. At si quæritur quo mense, respondendum videtur cum Gebhardo* (1) *exeunte Novembri aut ineunte Decembri. Ut enim ejus mortis nuntius Parisios venit,* Gundobaldus dux adprehensum filium ejus parvulum furtim abstulit : ereB ptumque ab imminenti morte, collectisque gentibus super quas pater ejus regnum tenuerat, regem instituit, vix lustro ætatis uno jam peracto : qui die Dominici Natalis regnare cœpit (2) : *quæ omnia quum raptim et sine mora acta fuerint, fieri non potest ut Sigiberti mors et Childeberti evectio magno spatio a se invicem distent. Quibus accedit quod Marius Aventicensis* (3) *hæc refert :* Anno X cons. Justini Jun. Aug. ind. IX. Hoc anno Sigibertus, rex Francorum... ab hominibus Chilperici per fraudem interfectus est et suscepit regnum ejus Childebertus filius ipsius. *Quæ plerique scriptores erroris damnant, quasi his annus* 576 *designaretur; Gebhardus* (4) *autem, videns indictionem Constantinopolitanam adhibitam fuisse, explicat in hunc modum :* Annus Justini X a die 13 Novembris 575 (*immo quum annus I ejus consulatus inceperit die* 1 *Januarii anni* 566 (5), *annus X cucurrit a die* 1 *Januarii anni* 575 *ad finem Decembris ejusdem anni*) et indictio IX a kalendis Septembribus 575 currebant. Parricidio itaque interiit *Sigibertus* anno 575 vel Novembri vel Decembri mense.

S. Germani Parisiensis et Theodeberti, filii Chilperici, colligitur, mortuus est.

4 *His positis, veniendum est ad mortis tempus S. Germani Parisiensis. Ex ejus biographo S. Venantio Fortunato constat beatum præsulem decessisse die* 28 *mensis Maji seu* v kalendas Junias (6). *Jam vero anno* 575 *post mensis Maji finem in vivis adhuc fuisse sanctus præsul omnino videtur, quandoquidem, paulo antequam Sigibertus exeunte autumno occideretur, ei minas intentavit : quæ narrat S. Gregorius Turonensis his verbis : Sigibertus, inquit* (7), audiens *Francos Suessionenses, derelicto Chilperico, postulare ut ipse eorum rex fieret,* misit qui fratrem suum *Chilpericum* in supra memorata civitate *Tornacensi, infra cujus muros se cum uxore et filiis communiverat* (8), obsiderent, ipse illuc properare deliberans. Cui sanctus Germanus episcopus dixit : Si abieris et fratrem tuum interficere nolueris, vivus et victor redibis; sin autem aliud cogitaveris, morieris. *Quæ minæ fieri non potuere, nisi quum proxime se ad iter accingeret Sigibertus. At expeditionem hanc eodem paravit tempore, quo Dunenses et Turonicos misit contra Theodebertum, Chilperici ex Audovera filium* (9); *quod ante mensem Octobrem vix fieri potuit. Theodebertus enim in prima pugna, quæ octo millibus ab Egolisma juxta fluvium Carantum secus silvam Buxam pugnata est* (10), evictus in campo prosternitur (11); *ita ut* inter exitum Sigiberti et nepotis sui Theodeberti fuerint dies *tantum* decem et octo (12), *quibus hic ante patruum obiverit. Cæterum si quis legat universa capita LI et LII libri IV Historiæ Francorum S. Gregorii Turonensis, is non poterit non videre brevissimo temporis spatio susceptum, paratum et confectum fuisse, quod anno* 575 *inter Chilpericum et Sigibertum exarsit bellum; et proin post medium illum annum protulisse S. Germanum illa verba, quæ modo retulimus. Unde consequitur eum vixisse usque ad exeuntem mensem Majum anni sequentis, et proin S.* Senochi *quoque funus* E *anno* 576 *annectendum esse. Godescard* (13), *Maurini* (14) *aliique nescio qua oscitantia scripsere S.* Senochum *vita functum fuisse anno Christi* 579; *auctores vero novi Proprii Sanctorum Lucionensis anno* 577 : *sed hæc castigatione non indigent, sed solo obelo.*

Ortus est ex spurcissima gente Taifalorum, qui ineunte sæculo v *in diœcesi Pictaviensi jam consederant*

5 *Natus itaque est S.* Senoch *anno circiter* 536 *et quidem ex parentibus Taifalis et in* Pictavo pago, quem Theiphaliam vocant, *ut loquitur S. Gregorius Turonensis in Vita. Taifaili autem, ut initio hujus commentarii jam innui, gens spurca erat, utpote pars stirpis Scythicæ seu Tataricæ, quæ nunc per Asiæ nomades fere repræsentatur et omni tempore sodomitico vitio maculata fuit. Et quidem apud Taifalos certis legibus et modis hæc labes regebatur, ita ut nulli pueri ab hoc incesto liberi essent, donec apri aut ursi interemptione se viros factos esse probassent. Sed de his in Commentario de S. Ursula jam satis dixi* (15) ; *Ammiani* (16) *autem verba integra describere neque illic volui, neque nunc volo. Jam anno* 401, *quo circiter conscripta videtur Notitia Imperii* (17), *considebant Taifaili numero complures ad Ligerim in Pictonibus. In libro enim illo singularis locus est, quo explicatur quas sedes Sarmatæ (nunc Tataros diceremus) gentiles seu qui suis, non romanis legibus et moribus vivebant, per Gallias haberent et quanta esset singulorum præfectorum jurisdictio: in eo autem primus venit* præfectus Sarmatarum et Taifalorum gentilium Pictavis in Gallia (18). *Ast ex iis ortum non fuisse arbitratur Valesius S.* Senochum *aliosque qui postmodum in agro Pictavo singularem gentem constituerunt et territorium occuparunt, dictum Taifaliam; sed hos potius progeniem fuisse eorum,* qui, duce Ataulfo, Gothorum rege, aut certe ductu Goaris regis cum Alanis, gente finitima, Gallias petierunt et in agro Pictonum circa Ligerim Honorii principatu sedem

(1) Reges Francorum Merovingici, pag. 69. — (2) S. Gregorii Turon. Hist. Franc. lib. V, cap. 1, ap. D. Bouquet, tom. II, pag. 233. — (3) Ap. D. Bouquet, tom. II, pag. 18. — (4) Reges Francorum Merovingici, pag. 69. — (5) Art de vérifier les dates, tom. I, pag. 360. — (6) Ap. Migne, Patrologia latina, tom. LXXII, col. 78. — (7) Historia Francorum, lib. IV, cap. LII, ap. D. Bouquet, tom. II, pag. 230. — (8) Ibid. cap. LI, pag. cit. — (9) Ibid. cap. cit. pag. 229. — (10) Adhemari Chronicum, ap. D. Bouquet, tom. II, pag. 651, not. *k*. — (11) S. Gregorius Tur. Hist. Franc. lib. IV, cap. LI, pag. 230. — (12) Ibid. cap. LII, pag. 231. — (13) Vies des principaux saints, ad 24 Oct. — (14) Art de vérifier les dates, tom. I, pag. 78. — (15) Act. SS. tom. IX Oct. pag. 137. — (16) Rerum gestarum lib. XXXI, num. 9. — (17) Cfr D. Bouquet, tom. I, præf. pag. XIX et pag. 127; cfr Walckenaer, Géographie ancienne des Gaules, tom. II, pag. 373 et 376. — (18) Ap. D. Bouquet, tom. I, pag. 128.

 ceperunt;

AUCTORE V. D. B.

ceperunt; idque eo verisimilius, quod imperante Placido Valentiniano, Honorii successore, pars Alanorum trans flumen Ligerim considebant, ut Jordanes tradit (1). *Sane Alani et Taifali finitimæ gentes erant, ut Franci et Gothi; sed quod Alani tunc in Gallias venerint, non magis inde sequitur venisse quoque Taifalos, quam Gothos occupasse totas fere Gallias, quoniam Franci id fecisse leguntur. Multo itaque satius est consentire abbati Dubos* (2) *et Walckenario* (3), *qui Taifalos Pictavenses ortos æstimant ex iis, quos in Notitia imperii inscriptos novimus.*

ibique populum, a reliquis distinctum, diu constituerunt.

6 *Perstitit hæc gens, a vicinis probe distincta, usque ad sæculum* XI *et forte etiam tardius; nec mirum, quum facie et universa corporis specie, lingua et moribus plane diversa esset ab illis, quibus nil aliud quam horrorem ingerere poterat, quippe quæ ad Hunnos, quos in commentario de S. Ursula fuse descripsimus* (4), *proxime accederet. Cæterum passim idem occurrit in Germania, multo maxime in Transylvania, ubi Hungaros, Siculos, Germanos, Slavos,* B *Armenos aliosque habes, invicem omnino abstinentes, licet sæpius sedibus discreti non vivant. Regiuncula autem, quam in Galliis occupabant Taifali et quæ inde Taifaliæ seu Teifaliæ nomen retinuit,* vicus Pictonum *est, ait Valesius* (5), inter Clicchionem et Moritaniam positus ad Separim flumen apud Namnetas in Ligerim exiens, hodieque, L in V mutato, pro Teifalia dictus Tifaugia *. *Sed nolim his diutius inhærere, quum in Commentario de S. Martino Vertavensi, quem in præsenti tomo quoque excudendum curavi, accuratius inquisivi in Tifalgiæ aliorumque vicinorum pagorum limites. Hunc itaque, si plura cupis, vide locum.*

* Tifauge.

Clericatus et monachatus S. Senochi non videntur fuisse distincti; fit ex simplice monacho diaconus; in ruderibus ædium romanarum

7 *Quoto vitæ suæ anno clericus factus fuerit S.* Senoch, *nemo facile dixerit; verisimiliter post impletum annum ætatis vigesimum quintum, quoniam paulo post factus est diaconus: qui ordo ne junioribus conferretur vetabant illius ævi canones* (6). *Atque eo deferimur ad annum Christi* 561; *et certe ante annum* 556, *quo Euphronius, qui ei manus imposuit, Turonensem cathedram conscendit, id fieri non po-* C *tuit. Porro utra in diœcesi, in Pictaviensi an in Turonensi, clericalia instituta amplexus fuerit ex Vita colligi non potest; verum ex Historiæ Francorum verbis, supra relatis, manifestum est id ab eo in diœcesi Turonensi fuisse factum. Cæterum plurimum dubito an alio ritu clericatum, alio monachatum assumpserit. Quum scilicet per clericatum pars et hæreditas Domini homines fiant et a sæcularibus curis ad divina negotia procuranda transferantur, monachi autem singulare quoque Dei peculium habeantur, a mundo ejusque illecebris segregati,* monasticus ordo, *verba sunt Ruinartii* (7), jam ita erat clericatui adjunctus ut idem fuerit monachum esse ac clericum: quod fuse et pro suo more erudite probat Ludovicus Thomassinus: et quidem, ut passim suis locis observamus, quos Gregorius appellat clericos initio capitis, eos postea monachos nuncupat; *quin etiam* D *certum videtur monachatum ita clericatus loco fuisse habitum ut monachi absque susceptione quatuor ordinum minorum et subdiaconatus ordinarentur diaconi* (8); *atque ea ratione, ut in Vita legitur,* Euphronius, beatus episcopus *Turonensis,* diaconatus honore *S.* Senochum donavit. *Professionem itaque suam cum alia non commutavit B.* Senoch, *quum, ut loquitur S. Gregorius,* conversus ad Dominum clericusque factus, monasterium sibi instituit; *sed potius ab initio conversionis solitudinem loci cum solitudine cordis conjunxit. Sæculo autem sexto vix cogitabant monachi de ædificandis amplis monasteriis, qualia postea tanto numero condita sunt. Tunc eos passim cernere est speluncas, natura aut manu factas, adeuntes; aut si nullæ in vicinia essent, tuguria construentes ex terra, paleis et foliis; et maxime se beatos æstimantes, sicubi invenirent rudera templorum, balneorum, villarum, aliarumque fabricarum, quas Romani aliive olim erexerant. Neque hæc in Galliis rara erant, utpote quæ tot tantaque mala a barbaris perpessæ erant.* E *Audi auctorem Carminis de Providentia divina* (9):

Quo scelere admisso, pariter periere tot urbes?
Tot loca, tot populi quid meruere mali?
Si totus Gallos sese effudisset in agros
Oceanus, vastis plus superesset aquis...
Quod fundorum ædes vis abstulit ignis et im- [bris,
Quarum stare aliquas tristius est vacuas.

Hinc passim videre est in Galliis plurimas antiquiores abbatias in veterum ædificiorum ruderibus constitutas (10); *nec cuiquam mirum videri potest* reperisse *S.* Senochum infra territorii Turonici terminum parietes antiquos, quos eruderans a ruinis habitationes aptavit dignas. *Cæterum, quum in illius ævi scriptis monasteria legimus, absit ut cogitemus ea incolarum numero semper fuisse frequentia. Ea enim sæpe unum tantum, duos, tres aut quatuor capiebant monachos, quemadmodum paucis abhinc annis innumera etiam supererant in Græcia, priusquam parva hæc asceteria suppressa voluit gubernium Hellenicum* (11); *atque ita num.* 1 *Vitæ suæ* tres *tantum* monachos F collegisse *dicitur S.* Senoch.

quarum similium reliquiæ in vico S. Senochi *non ita pridem repertæ sunt. monasterium parvum instituit.*

8 Hodieque extat, *addit ad hunc Vitæ locum Ruinartius,* vicus haud procul ab oppido Luccensi, nomini ejus sacer, vulgo *Saint-Senou,* ubi vixisse creditur; sed nulla ibi visuntur monasterii rudera, quod jam pridem destructum fuerit. *Nunc is locus, jacens inter Luccas* (Loches) *et Ligolium* (Ligueil) *medio fere itinere ad orientem brumalem viæ, qua ambo oppida conjunguntur, vulgo in recentioribus libris* Saint-Senoch *appellatur. Facile illic mansionem romanam esse potuisse affirmat recentior scriptor* (12), *quod hac transiret via publica, qua Cæsaroduno seu Turonibus pergebatur Veterem Pictavum. Verum in hoc errat scriptor ille quod putaverit Veterem Pictavum, situm in parœcia Clenon* XV *M. P. a Pictavis septentrionem*

(1) Notitia Galliarum, pag. 543; Annales Francorum, lib. VIII, ad an. 457, tom. I, pag. 475 et 476. — (2) Histoire de l'établissement de la monarchie française, tom. IV, pag. 196 et 197. — (3) Géographie ancienne des Gaules, tom. II, pag. 767. — (4) Act. SS. tom. IX Octobris, pag. 113 et seqq. — (5) Notitia Galliarum, pag. 543. — (6) Cfr Martene, De antiquis ecclesiæ ritibus, lib. I, cap. VIII, art. III, num. 4, tom. II, pag. 274 et seqq. — (7) Præf. ad S. Gregorium Turon., num. 35, ap. D. Bouquet, tom. II, pag. 88. — (8) Cfr Examen historicum et canonicum de clericorum regularium et sæcularium juribus, pag. 150. — (9) Ap. D. Bouquet, tom. I, pag. 777. — (10) Alb. Lenoir, Architecture monastique, pag. 19 et seqq. — (11) Didron, Annales archéologiques, tom. I, pag. 10. — (12) Touchard Lafosse, La Loire historique, pittoresque et biographique, tom. IV, pag. 254.

versus,

A *versus, pristinum Limonum seu Limunum esse, quo Cæsaroduno ibatur via strata* LXIII *M. P.* (1). *Sed non ita est; Limonum enim certissime hodierna civitas Pictavorum est; Vetus autem Pictavus, a sæculo* VIII *aut* IX *notus, caput fuisse videtur singularis populi inter Pictones constituti* (2). *Præterea nequaquam credibile est per Luccas aut per S.* Senochi *vicum ductam olim fuisse viam publicam Cæsaroduno Limonum versus; Luccæ enim et S.* Senochi *vicus multo nimis ad orientem spectant; ita ut si hac transmissa fuisset illa via, non* LXIII *M. P., quæ in Tabula Theodosiana indicantur et quibus recta nunc etiam inter se distant Pictavi et Turones* (3), *longa fuisset, sed multo plura. Aliis itaque de causis ædificia illic exstruxerant Romani; et quidem quum non ita pridem prope præsens castellum seu villam dominicalem telluris effosione vivarium fieret, fragmenta musivi operis et aliæ structuræ detectæ fuere, quæ cum S. Gregorii dictis conveniunt* (4).

Per triennium tantum eum cognoscere potuit S. Gregorius Turonensis.

9 *Diaconus, ut dictum est, ordinatus fuit S.* Senoch *a S. Euphronio, qui proxime ante S. Gregorium cathedram Turonensem occupavit; et putem ab eodem ordinatum fuisse presbyterum, quoniam, si ab ipso S. Gregorio presbyteratus ordinem accepisset, certe id dicturus fuisse videtur beatus historicus; non autem obiter et raptim notaturus, prout num.* 3 *Vitæ fecit. Cæterum tres tantum annos novit S. Gregorius B.* Senochum; *ita ut grave superbiæ piaculum, quod num.* 2 *Vitæ habes, ultimis sancti abbatis temporibus acciderit. Nam S. Gregorium non anno* 572, *ut plerisque placet, sed anno sequenti, die* 24 *scilicet mensis augusti, quæ festa erat S. Bartholomæi, ordinatum fuisse episcopum multo nobis probabilius videtur. Ut enim mittam omnes calculos, in S. Gregorii operibus sparsos, quos inter se componere frustra tentares, ait ipse initio libri* II *Miraculorum S. Martini, seu, ut loquitur,* de virtutibus quæ factæ sunt postquam venimus nos (5), *se,* Sigiberto gloriosissimo rege duodecimo anno regnante, onus episcopale accepisse, *et ad finem libri* X *Historiæ Francorum* (6) *post obitum S. Euphronii, qui die* 4 *augusti colitur,* cessavisse episcopatum dies novemdecim; C *jam vero, quum Clotarius I mense decembri anni* 561 *obierit* (7) *eique in Austrasiæ regno continenter post successerit Sigibertus, die* 24 *augusti anni* 573 *currebat duodecimus hujus regis annus: quæ sententia quoque placuit recentiori neque indiligenti S. Gregorii biographo* (8).

AUCTORE V. D. B.

§ II. S. Senochi cultus, inchoati continuo post mortem, propagatio per Burgundiam, per agrum Turonicum, Britanniam Minorem et diœcesim Lucionensem.

Ut ex titulo et palla, super sepulcrum expansa, liquet, statim post mortem colitur S. Senoch;

Quum *B.* Senoch, *dum viveret, miraculis claresceret maxime, nil mirum si brevi post mortem coli cœperit. Certe non multo post* sancti *et* beati *cognomen ei inditum est et deinceps adhæsit, ut constat ex S. Gregorio Turonensi. Titulus enim Vitæ, quæ inter Vitas Patrum legitur, est:* De sancto Senocho abbate; *qui in corpore bis dicitur* beatus Senoch *et semel* sanctus sacerdos; *in libro vero de* Gloria beatorum confessorum *abstinet ab hoc cognomine, nisi id ei dedisse censendus sit hoc ipso quod ejus illic laudes celebravit; et demum in Historia Francorum inter sanctos viros eum etiam refert et vocat* benedictum Senochum presbyterum. *His adde statim post mortem infirmos ad ejus* E *accessisse tumulum: cujus rei exemplum est Chaidulfus quidam contractus, qui (ut in fine Vitæ narratur) trigesimo die a B.* Senochi *obitu ad ejus sepulturam accessit et valetudini restitutus est. In libro autem de Gloria Confessorum unum singulare miraculum, quod ad idem sepulcrum postea acciderat, narratur et in fine sequentia adduntur:* Sed et multi frigoritici, eorum aliorumque morborum detenti incommodo, ut pallii ejus aut decerpserint fimbrias aut contigerint, mox sanantur. *Neque id ipsum pallium leviter prætereundum est, quod sepulcro jam impositum erat trigesimo post obitum die, ut ex fine Vitæ, ubi* palla *appellatur, constat. Ea enim de re hæc animadvertit Ruinartius* (9) : Hæc porro videtur fuisse sanctitatis nota, si cui tumulo pallium imponeretur. Hinc Gregorius observat honorem debitum sancto cuidam presbytero impensum non fuisse, quod tumulus ejus, alteri junctus, nec ornari pallio, nec cereis illustrari propter loci angustiam potuisse (10). *Cave tamen ne pallas sepulcrales uti et lumina certum beatificationis signum habeas. Imponebantur nempe olim seu potius expan-* F *debantur super omnium honoratorum virorum sepulcra pallæ* (11); *quemadmodum reperire etiam est testamenta episcoporum, jubentium quotannis in die obitus sui anniversaria accendi super sepulcra sua lumina; adeoque ex adjunctis dijudicandum est utrum hæc fierent ex veneratione ecclesiastica an civili. At hos honores S.* Senocho *collatos fuisse tamquam sancto patrono et apud Deum intercessori plane manifestum est.*

nomen suum communicat duobus vicis; sepulcrum et reliquiæ transferuntur Sassenaijum in Burgundia;

11 *Viculo huic, in quo monasterium suum habuit et dein sepulturam adeptus est S.* Senoch, *nomen ejus adhæsisse jam ante monuimus. Templum, quod ibidem erectum est cum beneficio parochiali, pendente a patronatu archidiaconi majoris Turonensis et collatione archiepiscopi medioque sæculo* XVII *mille præbente*

(1) Tabula Theodosiana ap. Walckenaer, Géographie ancienne des Gaules, tom. III, pag. 57. — (2) Walckenaer, tom. I, pag. 364 et 365. — (3) Ibid. tom. III, pag. 57. — (4) Touchard-Lafosse, La Loire Historique etc. tom. IV, pag. 254. — (5) S. Gregorii Turonensis Opp. edit. Ruinart, col. 1038. — (6) Ibid. col. 536. — (7) Valesius, Rerum francicarum, lib. VIII, tom. I, pag. 587. Cfr Gebhardus, Reges Merovingici, pag. 51. — (8) Loebell, Gregor von Tours und seine Zeit, pag. 8 et 9. — (9) Præfatio ad Opp. S. Gregorii Turonensis, num. 53, ap. D. Bouquet, tom. II, pag. 96. — (10) Cfr Liber de gloria confessorum, cap. XXVII, Opp. col. 917. — (11) Cfr Cangius, Glossarium latinum, v° *Pallæ sepulcrales.*

libras

AUCTORE V. D. B.

libras (1), *eumdem habebat titulum. Apud recentiorem harum partium illustratorem reperio jam pridem dirutum fuisse S.* Senochi *templum et parœciam translatam in prioratum Barbœ Novæ, subditum abbatiæ Fontis Ebraldi et illic jam ab ineunte sæculo* XII *exstantem* (2). *In quæ tamen animadvertam in mappis topographicis Cassini templum S.* Senochi *adhuc notatum esse et Barbam Novam ibidem omnino ad orientem vici spectare. Dein Lucione ad me missum est sequens fragmentum commentariorum, quibus novum Proprium sanctorum Lucioniense nixum erat, quum sacræ rituum congregationi probandum anno* 1853 *oblatum est:* Ab immemoriali tempore una ecclesia parochialis in diœcesi Turonensi sub nomine S. Senoch dicata est. Circa initium XIV sæculi reædificata fuit. De hac ecclesia S. Senoch agitur in veteri charta, quæ peritis videtur esse XII sæculi, in Chartulario archiepiscopatus Turonensis; *ita ut certum videatur id templum adhuc exstare, sed renovatum fuisse sæculo* XIV. *In Britannia Minori, præsenti diœcesi Rhedonensi, parochia altera est, cui S.* Senoch *nomen*
B *suum communicavit et quæ inde vulgo dicitur* Saint-Senou (3). *Præterea, ut intelligo ex annotato subjecto Vitæ S.* Senochi, *quam sub nomine S.* Enochi *die 5 novembris anni* 1653 *P. Claudius Perry, Cabilonensis historicus, Divione ad Bollandum nostrum transmisit,* patronus est S. Enoch ecclesiæ et parochiæ de Sassenayo, vulgo Sasseney. Vicus autem est vicinus Cabilono et ab eo una leuca dissitus. Virtus illius enitet præcipue in sanandis ecticis et siccis puerorum corporibus. Mirum dictu quam multi ad ejus sepulcrum undique et ex tota vicinia afferantur; qui, peractis a parentibus vel a nutricibus votis, plerumque ab hac infirmitate convalescunt. Nescitur quo tempore et quo pacto tum reliquiæ aliquæ ipsius, tum sepulcrum eo fuerint perlata. Vita ipsius gallice reddita est ad fovendam erga ipsum fidelium venerationem. *Equidem dubitare non possum quin eo deportatus fuerit sanctissimus ille thesaurus sæculo* IX; *quo easdem in partes, scilicet Trenorchium, tot aliæ sanctorum reliquiæ, antea ad lævam Ligeris ripam*
C *quiescentes, post multas peregrinationes, Normanorum metu susceptas, advenerunt. Ea de re plura dixi ad diem* XVI *octobris in Commentario de S. Vitali* (4); *idemque argumentum, quantum pertinet ad pericula reliquiarum illo ævo in his tractibus, versavi iterum ad hanc diem in Commentario de S. Martino Vertavensi et ad diem præcedentem in Commentario de S. Benedicto Quinciacensi. Eadem occasione facile perierit monasterium, erectum olim a S.* Senocho. *Celebrabatur Sassenayi S.* Senochi, *seu* Enochi *festum die 29 octobris et recitabatur Vita, a S. Gregorio Turonensi conscripta et in novem divisa lectiones.*

hic et in monasterio Belnensi S. Margaritæ dicitur S. Enoch;

12 *Augustodunensis diœcesis adjacet Cabillonensi ad occasum; neque proin mirum illuc etiam penetrasse S.* Senochi *cultum. Certe, uti legitur apud Gononum* (5), de eodem fiebat officium novem lectionum in Breviario ecclesiæ B. Mariæ * de Belna, vulgo *de Beaune,* diœcesis Æduensis, alias Augustodunensis, *d'Autun;* ubi vocatur *Enoch, quemadmodum etiam in diœcesi Cabillonensi. Verum licet medio sæculo* XVII *abbatis S. Margaritæ officio annexi essent reditus duodecim millium librarum* (6) *et totidem procul dubio mensæ canonicorum S. Augustini, qui id cœnobium incolebant, periit tamen id institutum per commendatariorum abbatum voracitatem* (7); *ita ut anno* 1726 *reditus solum essent librarum bis mille quadringentarum* (8), *et nulli amplius ibidem essent canonici, sed solum presbyter aliquis qui rem divinam procuraret* (9); *neque melior postea facta est hujus loci fortuna* (10). *Fuerintne illic olim S.* Senochi *reliquiæ me latet; certe non indicantur a Claudio Saulnier, a quo solo annotata fuisse aliquot hujus asceterii pia pignora reperio* (11): *sed nullum inter hæc de S.* Senocho *indicium. Verum ad partes, in quibus sanctissimus eremita vixit, redeundum est.*

* Margaritæ

officio ecclesiastico colitur in diœcesibus Turonensi

13 *Ante omnem hominum memoriam festive agitur beati viri memoria in diœcesi Turonensi. Ecce autem quæ hac de re Romam scripserint Lucionenses, quum anno* 1853 (*ut paulo supra dicebam*) *ut nova officia propria probarentur postularunt:* Festum S. Senoch indicatur in kalendario missalis ms. Turonensis, scripto IX sæculo. (In bibliotheca minoris seminarii Turonensis.) Festum S. Senoch indicatur in Ordine servitii ecclesiastici secundum usum ecclesiæ Turonensis scripto XIV sæculo; sed cujus redactio ad XII sæculum pertinet; ut apparet ex notula ms. in fine ultimi folii. *Legitur ejus* officium in Breviario collegialis S. Martini Turonensis, *typis excuso* anno 1525; *itemque in Breviario anni* 1625, *quod in musæo nostro asservatur; sed simplex est seu trium lectionum, et ne ipsa quidem oratio propria est.* Item in breviario Turonensi *diœcesano* anni 1546 *et* Missa in Missali Turonensi ejusdem anni. *Ast in Breviario anni* 1612 *officium fieri jubetur simplex de S. Martino Vertavensi et nuda de S.* Senocho *commemoratio. Contra in Ordinibus recitandi divini officii annorum* 1830, 1835 *et* 1844, *quos coram habeo, in-*
F *dicitur officium simplex S.* Senochi *et commemoratio S. Martini. Hinc Lucionenses Romam scripserunt:* Etiamnum officium et missam habet in diœcesi Turonensi. *Contra in diœcesi Pictaviensi, unde beatus vir oriundus fuit, numquam (nisi nunc forte recentius) venerationem ecclesiasticam obtinuit. Scilicet ad manum mihi est Proprium Sanctorum Pictaviensis diœcesis, ad formam Breviarii Romani accommodatum ex decreto RR. DD. episcopi et capituli ecclesiæ Pictaviensis anni* 1613, *itemque Breve seu Ordo recitandi divini officii pro anno* 1826, *et in neutro codice quidpiam de S.* Senocho *legitur.*

et Lucionensi;

14 *Ast non ita pridem in diœcesi Lucionensi, quæ anno* 1317 *e diœcesi Pictaviensi recisa fuit, cœpit S.* Senoch *officio de communi abbatum, ritu duplici coli, festivitate ejus dilata in diem* 26 *Octobris, quod* 24 *occupetur S. Raphaelis*

(1) Pouillé général de l'archevêché de Tours, pag. 36, Paris, 1648. — (2) Touchard-Lafosse, La Loire Historique etc. tom. IV, pag. 233. — (3) Dictionnaire universel de la France, tom. IV, pag. 666. — (4) Act. SS. tom. VI Octobris, pag. 1093. — (5) Vitæ Patrum Occidentis, lib. II, pag. 113. — (6) Pouillé général du diocèse d'Autun, pag. 42. — (7) Gallia christiana nova, tom. IV, col. 490. — (8) Beaunier, Recueil des archevêchés etc. de France, pag. 419. — (9) Ibid. loc. cit. et Gallia christiana nova, tom. IV, col. 491. — (10) Histoire de l'église d'Autun, pag. 578, Autun, 1774. — (11) Autun chrétien, pag. 135 et 136, Autun, 1686.

archangeli

A *archangeli festivitate; in quam rem probavit S. R. Congregatio sequentes lectiones:* LECTIO IV: Senoch, gente Theiphalus, et in regione Pictonica ex Theiphalia ortus, perfectionis studio cognationem suam deserens, territorium Turonicum petiit, ibique clericus factus, monasterium sibi instituit prope dirutum oratorium, in quo sanctum Martinum frequenter orasse ferebatur. Ejus cura oratorii reparati altare beatus Euphronius Turonensis consecravit; tuncque eum diaconum ordinavit, qui postea presbyteratus honore fuit sublimatus. Ibidem cum tribus monachis Deo serviens, dehinc in cellula solitarie reclusus, magna abstinentia, charitate in pauperes, quorum inopiam datis sibi eleemosynis sublevabat, assiduisque orationibus emicuit. LECTIO V. Tot virtutibus clarus, de cellula egrediens, non sine aliquo stimulo vanitatis, ad visitandos parentes Theiphaliam abiit. Turones vero regressus, a beato Gregorio Turonensi de periculo superbiæ admonitus, penitus purgatus jactantia, novo zelo humilitati aliisque
B virtutibus studuit: gratia sanitatum clarescens, voluit humanis aspectibus perpetua reclusione se subducere; sed beato episcopo dissuadenti, humilis et obediens, acquievit. Demum, anno ætatis fere quadragesimo, Christi vero circiter
* sexto quingentesimo septuagesimo septimo*, migravit in cælum. Ejus merita, atque signa, quibus tum vivus tum defunctus coruscavit, sanctus Gregorius Turonensis scriptis celebravit. LECTIO VI. Sermo sancti Gregorii Turonensis Episcopi. *In vit. Patr., c.* XV, *de S. Senoch.* Sancti Dei, quos nullus libidinum *usque ad* recuperasset.

laudatur in multis martyrologiis. 15 *Licet autem tam antiquus sit S.* Senochi *cultus, in nullis tamen martyrologiis, classicis vulgo dictis, ejus legitur nomen. Verum in auctariis Usuardinis pluribus occurrit; ita tamen ut in aliis pro more Turonico* Senoch *appelletur, in aliis pro more Burgundico* Enoch. *Priorem et genuinam formam retinent antiquissimus codex Aquicinctinus de diœcesi Atrebatensi, Daveronensis de diœcesi Carnotensi et Turonensis, partim olim descriptus a Castellano; item editio Belini, undequaque consarcinata et*
C Senoc *exhibens, Molani, secuti codices belgicos; et Wion in Ligno Vitæ ad hanc diem; contra editio Lubeco-Coloniensis et Greveni atque ipse etiam abbas Messanensis in Sicilia, Franciscus Maurolycus, (ex quo procul dubio Ferrarius desumpsit commemorationem, quam catalogo suo generali sanctorum inseruit),* Enoch *referunt. In variis autem illis auctariis non uno modo prodit illa S.* Senochi *memoria; primitiva autem et vera secundum Aquicinctinum exemplar hæc est:* In pago Turonico, Lucas castro, sancti Senoch confessoris atque abbatis. *Qui sæculo* XVII *et deinceps in Galliis adornarunt martyrologia, ad unum omnes celebrant ad hanc diem S.* Senochi *memoriam. Saussayus in Martyrologio Gallicano pro more fuse eum laudat; Castellanus in Martyrologio Universali proxime accedit ad Usuardina auctaria, nisi quod verba:* In pago Turonico *omittit; cardinalis de Noaliis in Martyrologio Parisiensi hæc inseri probavit :* In agro Turonico, sancti Senoch abbatis, cujus vitam scripsit beatus Gregorius Turonensis et miraculis clarissimum atque in pauperes munificentissimum fuisse testatur; *item Petrus Rochechouart in Martyrologio Ebroïcensi hæc paulo breviora :* In agro Turonico, sancti Senoch abbatis, cujus Vitam virtutibus et miraculis insignem Gregorius Turonensis conscripsit; *et demum hæc alia Carolus de Caylus in Martyrologio Autissiodorensi :* Luccis in Turonibus, sancti Senoch presbyteri et solitarii, cujus virtutes et miracula scripsit oculatus testis Gregorius Turonensis. *Demum ejus nomen legitur in litaniis Pictonicis* (1), *quarum non putem umquam fuisse usum liturgicum et de quibus in Commentario de S. Benedicto Quinciacensi dictum jam est. Pertinet etiam aliquantisper ad B.* Senochi *cultum Vitam ejus contineri Legendariis Giry, Baillet, Godescard, Péton etc. Hic autem sequitur Vita, a S. Gregorio Turonensi conscripta et omnium aliarum Vitarum origo et fons.*

AUCTORE V. D. B.

(1) Ap. Labbe, Bibliotheca mss. tom. II, pag. 730.

DE SANCTO SENOCH E

ABBATE.

Ex Vitis patrum S. Gregorii Turonensis secundum editionem Ruinartii et codicem ms. de Sassenayo.

Sanctissimi viri perire possunt superbia, ut B. Senochi *exemplum docet.*

a

* Eccle. I, 2.

F

Vanitas vanitantium *a*, dicit Ecclesiastes, et omnia vanitas *. Verumne est ergo quod omnia quæ geruntur in mundo cuncta sint vanitas? Unde fit ut sancti Dei, quos nullus libidinum æstus exussit, nullus concupiscentiæ exagitavit stimulus, quos nullum luxuriæ cænum nec in ipsa, ut ita dicam, cogitatione tentavit, astu tentatoris elati, visi sunt sibi esse justissimi et ab hoc jactantiæ cothurnosæ perflati supercilio, sæpius corruerunt : factumque est ita, ut quos non valuit majorum criminum gladius trucidare, levis vanitatis fumus addictos facile pessumdaret. Sicut et ipse ille, de quo nunc nobis sermo futurus est, cum multis virtutibus floruisset, pene in illo arrogantiæ barathro obrutus occumberet, si eum non exhortatio fratrum fidelium attenta recuperasset.

B. Senoch, *gente et natione Taifalus, in parietinis reficit oratorium, a S. Martino visitatum, quod non sine prodigio S. Euphronius, impositis reliquiis, consecrat. Ibi cum tribus monachis severum vitæ genus inchoat, pauperesque et servos juvat.*

b c

2 Igitur beatus Senoch, gente Theiphalus, Pictavi pagi *b*, quem Theiphaliam *c* vocant, oriundus fuit et conversus ad Dominum, clericusque factus *d*, monasterium sibi instituit *e*. Reperit enim infra territorii Turonici terminum parietes antiquos, quos eruderans a ruinis habitationes aptavit dignas; reperitque ibi oratorium, in quo ferebatur celebrem nostrum orasse Martinum. Quod diligenti cura compositum, erecto altari, loculumque in eo ad recipiendas sanctorum reliquias præparatum, ad benedicendum invitat episcopum. Adfuit tunc Euphronius beatus episcopus, qui consecrato altari, diaconatus eum honore donavit. Celebratis igitur missis *f*, cum capsulam reliquiarum in loculo cuperent collocare, exstitit capsa prolixior, nec recipi in loculum

d
e *f*

poterat.

AUCTORE V. D. B.

poterat. Tunc prostratus diaconus cum ipso sacerdote pronus ad orationem, lacrymas precibus mixtas effudit, obtinuitque petita. Mirum dictu! ita enim loculus divinitus amplificatus, capsulaque constricta est, ut in eum spatiosissime, non sine admiratione reciperetur. In hoc loco, collectis tribus monachis, Domino assidue serviebat, et in primis arcto vitæ tramite incedebat, exiguosque cibos et tenues potiones sumens: diebus autem quadragesimæ sanctæ addebatur augmentum abstinentiæ ciborum diminutione. Nam esus illi panis tantum hordeaceus erat, et aqua, de utrisque elementis libras singulas per dies singulos sumens: rigorem vero hiemis sine ullo pedum tegmine *g* contentus, manibusque ac pedibus, sive et collo, ferrea catena revinctus *h*. Dehinc a fratrum contemplatione demotus solitarie se reclusit in cellula, orans assidue, atque in vigiliis et orationibus die noctuque sine ambiguitate perdurans. Conferebat ei devotio fidelium plerumque pecuniam; sed non eam in abditis loculis, sed in pauperum marsupiis condebat, illud Dominici eloquii oraculum sæpe commemorans: Nolite thezaurizare vobis thezaurum super terram, quia ubi fuerit thezaurus tuus, illic et cor tuum *. Dabat enim hic, quæ accipiebat pro Dei intuitu, in diversis necessitatibus indigentium. Unde factum est ut in vita sua de his amplius quam ducentos a nexu servitutis debitique onere sublevaret.

g

h

B

* Matth. VI, 19 et 21.

Visitatis parentibus, incidit in superbiam, a qua ope S. Gregorii Turonensis liberatur. Inclusionis tempora.

3 Cum autem nos in Turonicum venissemus *i*, egressus est de cellula, venitque ad inquirendos nos; salutatisque ac deosculatis *k*, regressus est iterum. Erat enim, ut diximus, valde abstinens, sanans infirmatum languores: sed ut de abstinentia sanctitas, ita de sanctitate vanitas cœpit obrepere. Nam egressus de cellula, jactantia cothurnosa ad requirendos visitandosque parentes in pago Pictaviensi, cujus supra meminimus, abiit. Regressusque, tumidus arrogantia sibi soli placere nitebatur; sed objurgatus a nobis, et accepta ratione quod superbi longe fiant a regno Dei, ita se purgatus jactantia humilem reddidit, ut nulla in eo penitus radix superbiæ remansisset; ita ut profiteretur, dicens: vera nunc esse cognovi quod beatus apostolus sacri oris contestatur eloquio: Qui gloriatur, in Domino glorietur *. Sed cum per eum Dominus super infirmos multas faceret virtutes, et ille ita se duxit includere, ut numquam humanis aspectibus appareret, consilium suasimus, ut non se perpetuo in hac conclusione constringeret, nisi in illis duntaxat diebus, qui inter depositionem sancti Martini *l* ac Dominici Natalis solemnitatem habentur, vel in illis similiter quadraginta diebus, quos ante paschalia festa in summa duci abstinentia patrum sanxit auctoritas; reliquis vero diebus infirmorum gratia populis se præberet. Audito autem consilio nostro, libenter quæ dicta sunt accepit, implevitque sine ambiguitate.

i

k

C

1 Cor. I, 31

l

Cæcos debilesque sanat S. Senoch;

4 Denique quia de conversatione ejus pauca prolocuti sumus, ad virtutes, quas per illum medicabilis divinæ potentiæ dextera operari dignata est, accedamus. Cæcus quidam, Popusitus nomine, ad eum venit; erat enim tunc beatus Senoch jam presbyter ordinatus. Qui dum aliquid alimenti postulat, tactis a sancti sacerdotis manu oculis, ut signum salutare meruit, protinus visum recepit. Alius quoque Pictavensis puer hujusmodi morbo laborans, audita confessoris hujus opera, pro luminis perditi receptione precatur. Nec moratur ille, sed invocato Christi nomine, crucem oculis cæci imponit, statimque defluente rivo sanguinis, lux intravit, ac post viginti annorum curricula, orbatæ fronti geminorum siderum jubar inclaruit. Duo pueri membris omnibus debiles, et in modum sphæræ in rotunditate contracti, ejus conspectibus sunt delati: quibus impositis manibus, reintegratis artubus, unius horæ momento utrumque reddidit absolutum; geminavitque deinde geminæ virtutis beneficium. Puer cum puella coram eo contractis manibus astiterunt: erat autem tunc medium paschalis festum solemnitatis; cumque pro suæ directionis medela Dei famulo supplicarent, et ille pro ea, quæ ad ecclesiam convenerat populi frequentia, hæc agenda differret, indignum se clamitans, per quem Deus infirmis præbere beneficia dignaretur, supplicantibus cunctis, manus eorum suis suscepit in manibus; quibus attrectatis, directis digitis, sanos abscedere jubet. Sic et Benaia, hoc enim erat nomen mulieris, oculos deferens clausos, tactu salutaris dextræ benedicta, illuminata discessit.

D

E

serpentium virus compescit; ramum, propter violatam diem dominicam manui adhærentem, benedictione tollit et alia facit prodigia. Pauperes singulariter amat et pontes extruit.

* Gen. III.

5 Sed nec illud occuli puto, quod sæpius ejus oratio virus serpentium exinanire obtinuit. Duo enim tumidi morsu hydri ejus pedibus prosternuntur, deprecantes ut virus quod dens malæ bestiæ artubus moribundis injecit, sua virtute discuteret. At ille orationem fudit ad Dominum dicens: Domine Jesu Christe, qui in principio cuncta mundi elementa creasti, et serpentem illum humanis dignitatibus æmulum sub maledicto esse sanxisti *, tu depelle ab his famulis tuis veneni hujus malum, ut non anguis de his, sed hi de angue valeant triumphare. Hæc autem cum dixisset, palpavit omnem compagem corporis eorum, statimque compresso tumore, virus mortiferum nocendi perdidit vires. Dies dominicæ resurrectionis advenerat, et homo quidam, dum ecclesiam pergeret, vidit pecorum multitudinem suam segetem depascentem, ingemuitque et ait: Væ mihi, quia annualis mei laboris opera ita deperit, ut nihil prorsus ex ea remaneat. Et accepta secure, amputatis ramis, aditum sepis claudere cœpit: confestimque contracta manus invita retinuit, quod voluntarie comprehendit. Dolore etiam instigante, ad sanctum confessorem mœstus accessit, trahens post se ramum, quem manu constrinxerat, narravitque omnia, sicut gesta erant. Tunc ille oleo benedictione sanctificato manum manu perungens, abstracto ramo, sanitati restituit. Sed et deinceps multos a serpentium morsu, et a pusulæ malignæ veneno, signo crucis locato desuper, reddidit sospitati, nonnullos autem obsessos dæmonis sævi livore, ut manus imposuit, extemplo fugatis dæmonibus, mentem energia turbatum ad integritatem intelligentiæ reparavit. Omnes enim quoscunque per eum a diversis infirmitatibus dextera divina salvavit, si inopes fuissent, ipse cibum vestitumque dispensatione hilari porrigebat; tantaque ei cura de egentibus fuit, ut etiam pontes *m* super alveos amnium

F

m

A nium diligenter instrueret, ne quis in undantibus aquis naufragia sæva lugeret.

Pia mors; libertorum ad ejus exsequias concursus; honor pallæ sepulcri adhibitus; miracula.

6 In his ergo virtutibus clarus in populis declaratus, cum esset annorum circiter quadraginta, modica pulsatus febre, per triduum lectulo decubavit, nuntiatumque est mihi cum transitus esset propinquus. At ego velocius illuc properans, ad lectulum ejus accessi; sed nihil ab eo collocutionis elicere potui, erat enim valde defessus: de hinc, interposito quasi unius horæ spatio, spiritum exhalavit. Congregataque est ad ejus exsequias multitudo illa redemptorum, quos supra diximus, ab eo vel a jugo servitutis, vel a diversis debitis absolutos, quos vel alebat cibo, vel vestitu tegebat. Plangebant enim dicentes: Cui nos, Pater Sancte, relinquis *n*? Post hæc sepulturæ locatus, sæpius se manifestis virtutibus declaravit. Nam trigesimo ab ejus obitu die, cum ad ejus tumulum missa celebraretur, Chaidulfus, quidam contractus, dum stipem postulat, ad ejus sepulturam accedit: qui dum pallam superpositam *o* osculis venera-

n

o

B ratur, dissolutis memborum ligaturis, directus est. Sed et multa alia ibi gesta comperi, de quibus hæc tantum memoriæ habenda mandavi.

Nantulfus cæcus ad tumulum sanatur; item alii ægroti, contacta palla.

7 [Senoch *p* Vita dudum a nobis scripta fuit. In quo libello multis ejusdem virtutibus memoratis finem fecimus: sed quoniam ad ejus tumulum virtus apparuit, sileri a nobis absurdum fuit. Nantulfus autem puer, nimia cæcitate detentus et ipsam adhuc adolescentiam ætatis primæ ab hoc contagio jugiter deflens, hujus sancti expetiit tumulum; atque prostratus et humili prece subnixus, flagitat sibi ejus suffragio lucem perditam revocari. Quatriduum in hoc precatu perdurans, reseratis oculis illuminatus abscessit. Sed et nunc multi frigoriticorum aliorumque morborum detenti incommodo, ut pallii ejus aut decerpserint fimbrias aut contigerint, mox sanantur.]

p

ANNOTATA.

a « *Sic mss. duo et ita legit Augustinus.*
C *Alii* vanitatum. » *Hæc Ruinartius. In Ms. de Sassenayo item* vanitatum.

b *Pictavus pagus et diœcesis complectebatur illo ævo diœceses Pictaviensem, Rupellensem et Lucionensem pagosque Medalgicum et Ratiatensem, prout sæculo proxime superiori definiebantur* (1).

c *De Taifalis et Taifalia vide Commentarium prævium, numm.* 5 *et* 6.

d *Quod clericatus S.* Senochi *videtur in solo monachatu constitisse explicitum est in Commentario num.* 7.

e *De hoc monasterio plura dabit Commentarius prævius numm.* 7, 8 *et* 11.

f *Notatu dignum est prius celebratas fuisse missas, quam in loculo seu sepulcro altaris deponeretur reliquiarum capsa.*

g « *Ed. addunt* pati... simul et collo. *Surius et Gononus :* pati contentus erat. *Iidem infra* semotus. » *Hæc Ruinartius. Mihi videtur retinenda vox* pati, *sine qua sensus nullus est. In Ms. de Sassenayo :* Rigore vero hyemis sine ullo pedum tegmine, manibus et pedibus suis et collo catena revinctus. *Ibidem* semotus.

h *Habebatur hic pœnitendi modus omnium fere gravissimus et parricidis imponi solebat, nisi quod et hi peregrinari jubebantur ad pia loca. Cæterum qui carcere claudebantur, collo etiam, brachiis et cruribus constricti erant, sive ad id adhiberetur tribrachialis catena, sive tigna, sive etiam ferrea lamina, collari, duabus armillis et totidem compedibus munita. Neque ita pridem talia adhuc passim in usu erant.*

i *In Commentario num.* 9 *diximus S. Gregorium promotum fuisse ad cathedram Turonensem mense Augusto anni* 573. *Ante addictus* E *erat clero Arvernensi. Episcopus consecratus fuit Remis. Quæ itaque hoc loco referuntur, non potuere fieri ante autumnum dicti anni* 573 *seu triennium ante S.* Senochi *mortem.*

k *Osculorum usus olim communissimus erat, scilicet in baptismo, pœnitentia, missa, viatici administratione, sacris ordinationibus et maxime in salutatione. Certe laïci adeoque ipsi reges et principes osculabantur episcoporum manus; an item presbyteri, definire non ausim, ad id tamen credendum propensus. Plurimi passim de piis osculis disseruerunt.*

l *Hinc liquet quadragesimam S. Martini, quæ postea duravit ab octavis Omnium Sanctorum seu die* 8 *Novembris usque ad Natalem Domini, sæculo* VI *inchoatam fuisse die* 11 *Novembris.*

m *Non putem hic agi de pontibus lapideis aut majoribus pontibus subliciis, sed solum de tabulis ligneis, supra alveum exigui rivuli positis. In mappis scilicet Cassini notatur ad occasum templi S.* Senochi *parvulus rivus, qui molendino movendo illic inservit, et paulo inferius, mixtis suis aquis cum alio rivulo, nomen* F *l'*Estrigneuil *accipit, et dein currit in alium rivum, dictum l'*Evre, *quocum postea undas suas infundit in Crosam* (la Creuse.)

n *Notissima verba sunt discipulorem S. Martini, dum hic morti proximus esset.*

o *De palla seu pallio sepulcrali, quatenus vindicatæ sanctitatis indicium est, vide Commentarium prævium, num.* 10.

p *In libro de Gloria confessorum, unde hunc numerum huc transtulimus, caput est XXV cum titulo :* De Senoch abbate.

(1) Cfr Walckenaer, Géographie ancienne des Gaules tom. I, pag. 366.

DE

A D

DE S. MAGLORIO,

EPISCOPO DOLI IN ARMORICA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Sancti elogia in fastis sacris et synopsis vita; locus natalis; vitæ chronotaxis.

PROBABILITER CIRCA INITIUM SÆC. VII. *S.* Maglorii *memoria in fastis sacris :*

S. Maglorii, *Dolensis episcopi, sanctitatem Martyrologium Romanum sub hac die celebrat his verbis :* In Britannia Minori, transitus Sancti Maglorii episcopi, cujus corpus Lutetiæ Parisiorum requiescit. *Quod elogium ex Auctariis Usuardinis (nam Usuardus ipse nihil de sancto antistite habet) depromptum est : ac præsertim ex Munerati editione priore anni* 1490, *quæ fere eadem habet, scilicet :* Ipso die in Britannia, transitus beati Maglorii episcopi et Confessoris; *ast in altera editione anni* 1536 *subjungit :* Cujus corpus honoratur et colitur in cœnobio divi Maglorii, civitate Parisius (1). *Locupletiora habet Auctarium Adonianum, quod synopsim vitæ exhibet.* Apud Britanniam citeriorem in regione Doninoniensi, natalis Sancti Maglorii, Confessoris excellentissimi, post Sansonem in archipræsulatu Dolensis Ecclesiæ, innumerabilibus miraculis mundo coruscantis. Deinde vero relicto episcopatu atque mundiali dignitate, per multa annorum curricula monarchiam plurimorum cœnobiorum gubernans, monastice vixit. Inibi angelice in terrestri corpore degens, leprosos surdosque atque cæcos innumerabiles pristinæ sanitati restaurans, Dei nomine tres mortuos resuscitavit. Tandem confectus gravi senio, pretiosa morte resolutus, VIII kalendas novembris cœlos liber petiit. *Grevenus quoque suo Usuardo, anno* 1515 *et* 1521 *edito* (2), *prolixius de S.* Maglorio *assuit encomium :* In Britannia, *inquit,* B transitus sancti Maglorii, episcopi Dolensis et C Confessoris. Qui beato Samsoni succedens, cum vita et signis clarus haberetur, monetur per Angelum, solitariam vitam expetere; cumque superno parens nutui, in hoc proposito multos annos miraculis inclytus exegisset, in vigilia paschæ obitum suum imminere, Angelo nuntiante, didicit, atque ab eodem viaticum visibiliter accepit. Ab illo itaque die usque in diem vocationis suæ, nisi causa inevitabilis interpolasset, hunc semper in ore versum repetiit : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ *. »

* Ps. XXVI, 4.

ejus Vita ab anonymo conscripta :

2 *Vitam S.* Maglorii *edidit Mabillonius in primo tomo Actorum Sanctorum Ordinis S. Benedicti* (3); *eamque nigerrimo calculo notant auctores Historiæ litterariæ Franciæ* (4), *quatenus prodigiis et fabulis anilibus refertam, scriptamque magis exercendi calami quam posteritatis erudiendæ gratia : quamvis sæculo* X *antiquior, utpote in qua ne verbo quidem attingantur binæ corporis translationes, quarum posterior sæculo* X *seu regnantibus Lothario ejusque filio Ludovico, favente Hugone, postea rege, celebrata fuit. Verum, ut habent laudati scriptores, nihil ex istiusmodi silentio deducere licet, quum omni ex parte peccet biographus. Hæc crisis mihi justo severior videtur. Certe plurima a biographo apud Mabillonium referuntur miracula, inter* E *quæ, quod cultellus pridie in mare projectus ac sequenti die in ventre piscis repertus fuerit : id quidem puerile quidpiam sonat, quum instrumentum, tam commune et obvium, stupendo prodigio restituendum non videatur. Esto id miraculo potius quam fortunæ adscribatur : exaggerationem, viris simplicibus nativam, nullatenus voluntariam fictionem in narratione video. Ceterum in schedis nostris habemus ex ms. monasterii Rubræ Vallis eamdem Vitam, sed iis, quæ criticis scrupulum ingerunt, miraculis destitutam : sed, si narrationis seriem et ipsas locutiones spectes Mabilloniano per omnia similem : unde fieri potest, ut quæ in hoc exuberant, additamenta sint priori et puriori Vitæ assuta. Ne tamen lectorem ea narratione miraculorum, quæ legendas populares quandoque explicat, fraudemus, textum Mabillonianum integrum dabimus; ita tamen ut supplementa ejus uncinis includamus : qua ratione uterque textus, notatis in margine pro more nostro lectionibus variantibus, facili negotio purus haberi possit. Quæ in ms. Bollandiano a Mabilloniano exemplari abludunt, littera B signamus. Præter hanc Vitam coram habemus scripta hagiographorum* F *Armoricanorum, Alberti Le Grand de Monte Relaxo* (Morlaix), *Ordinis Prædicatorum et Guidonis Lobineau Benedictini : illud novis curis ediderunt anno* 1837 *Daniel Miorcec jurisconsultus; hoc vero multum emendatum et auctum operis nostri benignus fautor, rev. can. Tresvaux anno* 1836. *Adsunt præterea nobis hagiographiæ generales et historici, qui de Ecclesia Gallica et Anglica accuratius tractarunt. Hisce literarum subsidiis utemur ad Acta S.* Maglorii *illustranda.*

natus in Britannia Majori,

3 *Biographus num.* I *dicit, S.* Maglorium trans marinas partes oriundum fuisse : *quibus verbis refellitur Albertus Le Grand, ipsam Armoricam, adeoque locum, in finibus Venetorum situm, tamquam solum natale sancto antistiti assignans* (5). *Enimvero sive ejus cum S. Samsone consanguinitatem, sive sub Iltuti magisterio institutionem attendamus, satis manifestum fit, eum in partibus transmarinis seu in Bri-*

(1) Cfr Soller. Mart. Usuardi. Præf. pag. XXXXVI. —
(2) Cfr Soller. Mart. Usuardi, Præf. pag. XXXXVIII. —
(3) Sæc. I, pag. 223. — (4) Hist. lit. de la Fr. tom. VI, pag. 340. — (5) Vies des SS. de Bretagne, pag. 652.

tannia

A *tannia Majori natum fuisse. Ac quidem in ea regione S. Samsonem, antequam in Gallias trajiceret, episcopum ordinatum fuisse, non controvertitur. Disputatur autem, an Menevensem seu S. Davidis metropolim, aut Eboracensem sedem occupaverit, aut tandem nulli certæ Ecclesiæ alligatus, episcopus regionarius a S. Dubricio Landavensi ordinatus fuerit : sed diversæ sententiæ in id tamen collimant, ut patriam S. Samsonis Britanniam Majorem designent. Quoniam porro secundum biographum num.* I *tum S.* Maglorius, *tum ejus consanguineus, S. Samson*, in artibus liberalibus *et* in divinis eloquiis *communem magistrum habuerunt B. Heltutum seu Iltutum, qui scholam suam in Wallia meridionali, loco etiamnum* Llan Illtyd *appellato et ejus sepulcro insigni* (1), *fundavit : unde verisimile fit, utrumque Sanctum e Wallia fuisse oriundum. Quod eatenus confirmatur, quatenus S. Samson in eadem Wallia ministerium episcopale exercuerit, quod pro more reliquarum Ecclesiarum popularibus plerumque committebatur.*

post initium sæculi VI, 4 *Quod ad chronotaxin spectat, jam pluries monuerunt nostri prædecessores, eam spissis involutam esse tenebris; quapropter censuerunt, ea potissimum monumenta seligenda esse, quæ, si omnem caliginem non dissipent, certa tamen sunt, et ad rectam chronologiam conducunt* (2). *Tria nobis occurrunt, quæ lucem aliquam rebus gestis S.* Maglorii *affundunt, quæque nos cogunt sententiam Joannis Sollerii nostri aliorumque recentiorum retractare : utpote quam cum certis hisce monumentis conciliare non possimus. Hæc autem sunt, imprimis utriusque Sancti Samsonis et* Maglorii *sub Iltuto discipulatus; dein subscriptio S. Samsonis in concilio Parisiensi* III *anno vulgari* 557; *ac tandem donatio Childeberti II, regis Francorum, S. Samsoni facta. Quæ tria si expenderimus, manifestum fiet, vitam S. Samsonis usque post annum* 585 *prorogandam esse : atque adeo S.* Maglorium *ad initium sæculi septimi vivere potuisse. Passim recentiores terminum vitæ S. Samsonis in anno Christi* 565 *constituunt* (3), *ac S.* Maglorium *annis decem aut viginti superstitem eidem faciunt; ita ut Sanctus noster anno* 575 *aut* 585 *diem suum*
C *obierit* (4). *Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum annum Sancti emortualem statuit* 620; *Albertus Le Grand*, 617 (5). *Equidem tantæ accurationis impos, malo initium sæculi septimi lato sensu tamquam finem vitæ Sancto nostro assignare. Quæ vero rationum momenta sententiam probant, nunc exponenda veniunt.*

ut ex magisterio S. Iltuti 5 *Dixi primum momentum chronologicum in discipulatu sub B. Iltuto constitui : enimvero si florens ætas istius viri in initio sæculi sexti ponatur, consequens erit, ut S. Samson aliquot annis post initium sæculi natus fuerit. Et quidem fertur Iltutus aliquot annis sub Arturo rege militasse, ac, suadente S. Cadoco* (6), *monasticam vitam amplexum fuisse ac demum scholam instituisse : quamvis tot fabulæ de Arturo rege narrentur, ut quidam censuerint, eum numquam exstitisse; tamen saniores critici, post inventum præsertim ejus tumulum in Glastoniensi monasterio, et vixisse regem Britonum Arturum ac sæculo sexto ineunte regnum tenuisse omnino affirmant* (7). *Porro S. Samson multis annis junior fuit B. Iltuto : nam in ejus Vita coæva dicitur quinquennis traditus magistro Iltuto, qui jam S. Scripturæ et philosophiæ omnium Britanorum peritissimus habebatur* (8) : *Unde probabiliter concluditur, Samsonis ortum ad sæculum sextum aliquantulo adultum pertinere. Jam vero S.* Maglorius *S. Samsone junior probabiliter fuit : nam quum hic jam episcopus esset, adhuc erat* Maglorius *diaconus; et mortuo successit in episcopatu : quapropter S.* Maglorium *natum existimo aliquot annis post S. Samsonem; non tamen multis. Etenim consobrini fuerunt, ex duobus fratribus et duabus sororibus progeniti. Consanguinitatem ostendit scriptor Vitæ S. Samsonis, qui profitetur, se ea referre, quæ a sene octogenario, per Sancti consobrinum edocto, audiverat* (9) : Ammoni, *ait* (10), patri ejusdem sancti Samsonis frater fuit Umbrafel, et huic nihilominus matri ejusdem Sancti Annæ soror fuit, Afrella nomine : boni ambo fratres, bonæ ambæ sorores, de bonis utpote parentibus progeniti. At vero junior fra-
E ter Ammonis, Umbrafel, sororem supradictæ Annæ, Afrellam, monitis ac jussis parentum, uxorem sibi duxit : sed et ipsa Afrella suæ sorori supradictæ erat junior. Post non multum autem temporis, convenientibus illis secundum eorum dignitatem in pace, ipsa Afrella concepit et peperit filium. Sed quid est opus rem protelare? Tres filios ante suam sororem habuit : ipsa vero Anna jam jamque ab omnibus vicinis ac notis suis quasi avorsa ac sterilis putabatur. *Explicatur dein prodigiosa nativitas S. Samsonis. Quia S.* Maglorium *S. Samsone juniorem æstimamus, liquet, eum non fuisse unum ex iis tribus filiis, quos Afrella ante S. Samsonis ortum edidit, sed simul non multis annis juniorem fuisse. Quapropter, quum S. Samson sæculo sexto aliquantulo adulto natus videatur, v. g. circa annum Christi* 520, *S.* Maglorio *natalem annum circiter* 525 *statuendum esse credo.*

episcopatu S. Samsonis, 6 *Alterum momentum chronologicum statuimus in subscriptione concilii Parisiensis* III, *anno* 557 *celebrati, in quo his verbis subscriptus legitur :* Samson episcopus peccator consensi et subscripsi (11). *Illo igitur tempore S. Samson,* F *adeoque ejus consobrinus ac peregrinationis socius, S.* Maglorius *in Armorica versabantur, ac sacrum ministerium exercebant : quod cum tempore nativitatis utriusque omnino convenit: nam tum S. Samson annos circiter* XXXVII, *S.* Maglorius XXXII *numerasset. Quod vero S. Samson in dicta synodo se simpliciter episcopum, nulla facta mentione Dolensis Ecclesiæ, scribat, mirum non est; quum sæculo primum nono, ut infra monstrabimus, cathedra Doli cum propria diœcesi erecta fuerit. Quamvis rationem Sollerii nostri, dicentis ex omissa mentione Dolensis ecclesiæ elucescere, S. Samsonem fuisse episcopum mere regionarium seu apostolicum* (12), *non facile admisero. Etenim concilio Parisiensi* III *quindecim interfuere episcopi, inter quos solum quatuor nomen sedis suæ subscriptioni addiderunt; quin propterea ex reliquorum undecim silentio inferri queat,*

(1) Carlisle. Topograph. Dictionnary of Wales, v° *Llan-Illtyd* — (2) Act. SS. tom. VI Jul., pag. 568. — (3) Ibid. l. c. — (4) Tresvaux. Vies des SS. de Bret. tom. I, pag. 346. — (5) Vies des SS. de Bret. pag. 657. — (6) Act. SS. tom. II Januar. pag. 604. — (7) Alford. Anual. Eccles. ad an. 508 § IX. Du Chesne. Hist. d'Anglet. tom. I. pag. 185. Larrey. Hist. d'Anglet. tom. I, pag. 108. — (8) Act. SS. tom. VI Jul. pag. 575. — (9) Ibid. pag. 573. — (10) Ibid. pag. 574. — (11) Labbe, tom. V Conc. col. 818. — (12) Act. SS tom. VI Jul. pag. 569.

AUCTORE J. V. H.

eosdem nullam propriam habuisse sedem : et profecto Germanus subscriptor Parisiensem, Euphronius Turonensem tunc cathedras, et plerique alii sedes proprias, ut monstrant Labbeano textui subnexæ animadversiones, occupabant. In Dolo monasterio sederunt SS. Samson et Maglorius, *non tam territorii quam gentis suæ, ut infra explicabimus, e Britannia in Armoricam profugæ, episcopi.*

ac præsertim

7 *Ad tertium simulque præcipuum momentum chronologicum devenimus, ad donationem Childeberti, regis Francorum, S. Samsoni factam. Sed in ipso limine occurrit difficultas, utri nempe Childeberto an hujus nominis Primo an Secundo (nam de Tertio, qui anno* 695 *regnare cœpit, agi non potest) donatio adscribenda sit. Plerique hagiographi Childebertum I pronuntiant S. Samsonis fautorem. Et quidem Childebertum I, anno* 558 *defunctum, cognovit S. Samson, utpote qui anno* 557 *concilio Parisiensi præsens subscripsit; atque eatenus ætas sancti episcopi cum Childeberto isto componi posset. Verum si, agente Childeberto rege Francorum et Samsone adstipulante, Judualus principatum Armoricæ recuperavit, hic alius esse* B *non potest, quam Childebertus hujus nominis Secundus. Cujus assertionis hæc est ratio præcipua. Rivalum, qui, devictis Frisionibus et Gothis, Armoricam occupavit, videre cupiebat Clotarius I, Francorum rex, eumque Parisiis excepit. Jam vero Judualus, ut infra videbimus, a Childeberto in regnum restitutus, quarta generatione a Rivalo descendebat : unde consequitur, Judualum, Rivali abnepotem, cujusque ascendentes singuli ordine suo regnarant, non potuisse a Childeberto I, Clotarii fratre, in recuperando avito principatu adjuvari. Restat igitur, ut hæc recuperatio ad Childebertum II referatur. Affirmationem porro nostram suis niti documentis, nunc ostendendum est. Imprimis chronicum Briocense refert sequentia* (1) Rivalus rex cum suis Britonibus Armoricanis et Insulanis contra Gothos manu armata processit ipsos, tam in bellis campestribus, quam alias ubi eos reperire poterat, sine pietate detruncavit..... Clotarius, tunc temporis Gallorum rex, audiens adventum Rivali in Britannia, destruc- C tionem Frixonum et Gothorum ac recuperationem Armoricani regni, per ipsum factam, multum regem Rivalum videre, ejusque amicitiam et confœderationem habere affectavit. Per suos solemnes legatos ipsum deprecatus est, quatenus ad eum Parisios secure accederet. Rivalus, habita prius matura deliberatione super hoc cum suis commilitonibus, et confidens in credentia nuntiorum et regis Clotarii litteris, cum magna et notabili comitiva Parisios accessit, et Clotario regi reverentiam, prout decebat, exhibuit. Clotarius, in ipsius regis Rivali adventu gavisus valde, ipsum more regio, prout sciebat, honorifice recepit. Deinde vero post multa colloquia, inter eos habita, mutuas confœderationes ad invicem fecerunt, et multa donaria hinc inde porrexerunt. Quibus actis, rex Rivalus cum gaudio ad suum regnum remeavit, et patriam, quamdiu vixit, in tranquillitate gubernavit.

ex genealogia principum

8 *Quo autem tempore regnantis Clotarii con-*

gressus iste regum convenerit, non facile definiero. Quamvis videatur tunc accidisse, quando Clotarius solus, mortuo Childeberto I, adeoque anno 558 *Francis imperavit, nam ante id tempus Parisiorum civitas, quo reges convenerunt, ad Childeberti I hereditatem non pertinebat : imo, forsan post annum* 560 *id accidit, nempe occiso Conobro, Britonum rege, qui partibus Chramni, Clotarii filii rebellis faverat, et novo constituto regno, quod, ut refert Chronicum Briocense, Rivalo obvenit. Sed pertineat etiam iste regius congressus ad primos annos regni sui, quod mortuo Clodovæo I, anno* 511 *occœpit : nulla tamen ratione fieri potest, ut Childebertus I Rivali abnepotem, Judualum, adnitente S. Samsone, in regnum restituere potuerit. Quod autem Judualus quarta generatione distet a Rivalo, Clotarii I socio, tradit Chronicum Briocense his verbis* (2) : Iste autem Rivalus duos genuit filios, quos Derochum et Caburium appellavit, (*prima generatio*). Derochus primogenitus successit in regno post obitum patris, et genuit filium Riatan nomine, qui quidem patri in regno Britanniæ successit; (*secunda generatio*) et unum filium, nomine Jonam genuit; (*tertia generatio*). Jonas vero, postquam Riatan ejus genitor viam universæ carnis ingressus est in regno paterno successit, et illud pacifice tractavit. Qui Jonas genuit Judualum; (*quarta generatio*) et postea Jonas princeps regalis fuit a quodam tyranno, nomine Conomero seu Comoro maledicto, interfectus. Tunc Judualus, filius et heres Jonæ interfecti, ductus fuit captivus et fugitivus ad palatium regis Franciæ, unde per merita beati Samsonis, archipræsulis Britonum, divina dispensante gratia, liberatus est.

Armoricæ,

9 *Eadem referuntur in Genealogia S. Winoci, quam omisit Josephus Ghesquière in Commentario ad Acta ejusdem Sancti, quatenus non sat* probatæ fidei : *censet tamen ex Rivali stirpe oriundum* (3). *Hæc autem genealogia easdem generationes producit* (4) : Riwalus genuit filium, nomine Derochum, Derochus genuit Riatham, et Riatha genuit Jonam, et Jonas Judwalum, Judwalus genuit Juthælem, Juthæl autem genuit sanctum Judicatulum regem et sanctum Judocum et sanctum Winochum. *Esto, erraverit* F *genealogus in dicendo, S. Winnocum, octoginta circiter annis Judicale juniorem, ejus fuisse fratrem, dum potius filius fuerit* (5) : *ast certe sibi constat genealogia ascendendo a Judicaele ad Rivalum, adeoque confirmatur, Judualum quarta generatione a Rivalo. Porro ex Fredegario habemus Judicaelem anno* 635 *Dagoberto regi subjectionem promisisse* (6). *Erat autem ex patre nepos Juduali, ut videmus; ita ut inter avum et nepotem, seu per duas generationes ab anno* 590 *ad* 635 *quadraginta quinque anni intercurrerint : et idem Judualus quatuor generationibus a Rivalo distans, adjutus fuisset a Childeberto I, fratre Clotarii I, qui ipse, ut ostendimus supra, cum Rivalo abavo fœdus pepigerat, adeoque quatuor generationes principum Britanniæ inter annum* 511, *quo regnare cœperunt Clotarius et Childebertus, et annum* 558, *quo, mortuo Childeberto, universas Gallias sub suum imperium redegit Clotarius, effluxissent. Quod si S. Sam-*

(1) Morice. Mém. pour servir à l'hist. de Bretagne, tom. I, pag. 13. — (2) Ibid. l. c. — (3) Act. SS. Belg. tom. VI, pag. 391. — (4) Morice, Mém. tom. I, col. 211. — (5) Tresvaux. Les SS. de Bret. tom. II, pag. 190. — (6) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 655.

son,

A *son, annuente Childeberto II, Judualum liberaverit, regemque sibi beneficum expertus fuerit, jam omnia commodius procedunt. Hisce addatur ætas Iltuti, de qua supra egimus, ad sæculum sextum pertinentis, et facile quisque sibi persuadebit, Childebertum, de quo agitur in utraque Vita SS. Samsonis et* Maglorii, *esse hujus nominis Secundum.*

quæ episcopatum S. Samsonis

10 *Childebertus autem Secundus, quinquennis anno* 575, *post interemptum patrem suum Sigebertum, a Gundobaldo duce, teste Gregorio Turonensi lib.* v, *cap* 1 (1), *cædi ereptus, Austrasiæ rex constituitur : ac dein anno* 585 *a Guntramno, Burgundionum et Armoricæ rege, quia liberis carebat, in filium adoptatus, partem saltem Armoricanæ diœcesis, scilicet Turonos, ut habet laudatus Gregorius Turonensis lib.* IX, *cap.* 20 (2), *diviso cum Guntramno imperio, anno* 587 *obtinuit. Si igitur cum Childeberto rege egit S. Samson, necesse est, ut ejus episcopatus ultra annum Christi* 587, *quo primum Childebertus in Armorica imperavit, prorogetur. Egisse autem, ostendunt antiquissima monumenta : imprimis Vita S. Samsonis coæva,*

B *quæ refert sequentia* (3) : Unum tamen maximum et mirabilissimum, quod in Europa per eum Dominus fecit, non silentio prætereundum puto. Nam quum omnes regiones in maximo mœrore deprehendisset, causamque ab eis sedule percunctasset; dicunt ei, injustum super eos ac violentum, externumque judicem venisse, atque eorum præsulem, Jonam nomine, hereditario ritu illorum terram tenentem, per iniqua munera in manu regis, et maxime malæ ejus reginæ inique data, morti tradidisse, necnon et filium ejus Judualum captivitati dedisse et morti, sed adhuc vivere confirmabant. Sanctus vero Samson, hæc audiens, per Dei dispensationem misericordia motus, adire regem Hildebertum * ob Judualum propere profectus est, comitante illum semper in omnibus Christo. *Quum autem negarent aulici, Judualum adhuc vivere, Sanctus variis prodigiis illos terrefecit, ac tandem, quod petebat, obtinuit.* Tum, *ait biographus,* omnes timor ac stupor ingens invasit, ut nemo ultra offendere eum vel in minimo auderet. Volente

C itaque Sancto Samsone cum Judualo ad Britanniam remeare, et rege libenter concedente, et monasterium ei magnificum... regis opitulatione construere disponente, *Samson et Judual redierunt ad locum suum.* Denique ita Sanctus ille Samson a supradicto rege Hildeberto honorifice exceptus est, ut omnia quæcumque vellet non solum largiter, sed etiam libenter, ac sine ulla mora daret ei.

* Childebertum

usque ad extremam partem sæculi VI *producit,*

11 *Eadem testatur biographus noster num.* 3 : *Samson* valefaciens plebi suæ, inde simul cum beato Maglorio et quorumdam tam clericorum quam laicorum collegio recessit, et ad prædicandum populo ejusdem linguæ, in Occidente consistenti, mare transfretavit, properans finibus territorii Dolensis; ubi a strenuissimo rege Francorum Childeberto, accepto archipræsulatus regimine, non solum inibi, verum etiam in omnem Britannorum regionem seu in circuitu ejus longe lateque celebre nomen ejus enituit. *Chronicum Briocense similia refert.* Post mortem, *inquit* (4), Jonæ Comorus, pestifera cupiditate ductus, gubernaculum regni in se, tamquam princeps, licet pseudo, assumpsit, majoremque partem patriæ occupavit..... In illo tempore beatus Samson in Minorem Britanniam venit, ecclesiamque metropolitanam in loco, qui dicitur Dol, ædificavit, et ope Childeberti, regis Francorum, fundavit. Childebertus enim, prout erat vir callidissimus, totis viribus affectavit Britanniam suæ ditioni supponere, prout de facto per spatium quatuordecim annorum, mediante Comoro præfecto suo et locum tenente in Britannia, supposuit..... Tandem beatus Samson post multas pœnas, labores, pericula et ærumnas Juduali libertatem obtinuit a Childeberto et in Britanniam cum Judualo principe pervenit. *Hæc documenta conspirant omnino, ut Childebertum designent Juduali principis defensorem, eumdem fuisse hujus nominis secundum, ostendimus supra. Ex his vero sequitur, episcopatum S. Samsonis saltem ab anno* 557, *quo concilio Parisiensi* III *adfuit, usque ad annum circiter* 590 *porrigendum esse.* E
Ex qua chronotaxi ætatem S. Maglorii *deducere utcumque possumus : nam S. Samsone aliquot annis, ut vidimus num.* 4, *junior, ei successit circa annum* 590. *Post aliquod tempus, procurandæ Ecclesiæ Dolensi impensum, in solitudinem Sargiensis insulæ secessit. Et quidem officium proprium Dolense, ab Alberto Le Grand citatum* (5), *habet :* His in officiis (*pontificalibus*) per triennium versatus, quum recrudescentia comitum Aremoricorum bella et dissidia ferre non posset, ac quietiorem vitam anhelans, divinitus quoque sibi admoneri visus est, ut in solitudinem se reciperet. *De hisce bellis agit Fredegarius sub anno* 594, *dicens* (6) : Exercitus Francorum et Britannorum invicem præliantes, uterque nimium gladio trucidantur. *Atque bellum istud, quod ad secundum a Guntramni morte annum Childeberti refertur, non sine dissidiis inter principes Armoricos, quorum aliqui Comoro usurpatori, aliqui Judualo, legitimo regulo, favebant, gestum fuerit. Ac tali ratione et tempus episcopatus et causa secessus S.* Maglorii *explicatur.*

necessario consequitur:

12 *Quamvis ad solitariam vitam sectandum etiam sanctum antistitem nostrum provocare potuerint magistrorum æqualiumque suorum exempla. Etenim sat frequenter viri sancti, postquam in procuranda aliorum salute vires corporeas fere exhausissent, vitam actuosam cum otio sanctæ contemplationis commutarunt. Sic B. Iltutus S.* Maglorii *præceptor, relicto monasterio, in quo scholam celeberrimam regebat, in eremo se abdidit* (7) : *S. Dubricius, abdicata sede Menevensi, in Bartseyo, Insula Sanctorum dicto* (8), *refugium quæsivit* (9) : *Cadocus similiter, B. Iltuto severioris vitæ suasor, senex solitudinem Wedonensem coluit* (10) : *S. Paulus Æmilianus, post fundatam Ecclesiam Legionensem* (St-Pol-de-Leon), *in solitudine vitam finire voluit in insula maris Armoricani,* Batz *nomine* (11). *Quatenus porro vera sunt, quæ exposuimus, videntur in annum* 594 *reponenda*

(1) Migne. Patrol. tom. **LXXI**, col. 316. — (2) Ibid. col. 498. — (3) Act. SS. tom. VI Jul. pag. 585 et seqq. — (4) Morice. Mém. tom. I. col. 15. — (5) Vies des SS. de Bret. pag. 633. — (6) Migne. Patrol. tom. **LXXI**, col. 615. — (7) Butler. Vies des SS. VI Nov. — (8) Cambden. Brit. tom. II, pag. 554. — (9) Butler, XIV Nov. — (10) Act. SS. tom. I Januar. pag. 602. — (11) Tresvaux. Vies des SS. tom. I, pag. 286.

esse

AUCTORE J. V. H.

esse renuntiatio episcopatus et secessus in solitudinem Sargiensem; in eam videlicet insulam, quæ media jacet inter insulas Guernesayum et Jersayum, quæque hodie nomen Sark *retinet : quapropter corrigendi sunt ii scriptores, qui monasterium, a S.* Maglorio *erectum, in Jersayo constitutum dicunt. Quantum vero temporis in Sargiensi solitudine egerit, ac proinde quo anno obierit sanctus episcopus, incertum plurimum est. Verumtamen si seriem vitæ monasticæ consideremus; nempe gliscentem ejus sanctitatis famam, quæ, ut habet Vita num.* 8, *tantum hominum concursum advocavit, ut Sanctus fugam meditaretur; dein prodigiosam Loiesconis comitis sanationem, in monachorum alimoniam grande territorium conferentis; tandem ejusdem territorii, quasi minus fœcundi commutationem, ac subsequentem donationem, ut refert Vita num.* 12; *si insuper perpendamus, hæc successive accidisse; facile perspicimus, aliquod annorum spatium, saltem decennium, ad hæc omnia agenda exigi. Unde ordinatæ a nobis chronotaxi insistentes, censemus* S. Maglorium
B *post initium sæculi septimi diem suum obiisse, quod tempus in capite hujus Commentarii signavimus. Ut itaque omnem chronologiam Maglorianam contrahamus, arbitramur, S.* Maglorium *natum circa annum Christi* 525, *cum S. Samsone circa annum* 555 *in Gallias trajecisse, ac eidem circa annum* 590 *successisse et tandem octogenarium circa annum* 605 *e vita decessisse. Scio, me pleraque proferre contraria sententiæ eruditorum; quapropter certum proferre non audeo judicium; quod cæterum retractari poterit, quando Acta S. Iltuti ad diem* VI *novembris, S. Dubricii ad* XIV *novembris, et præcipue S. Budoci ad* XIX *novembris illustranda occurrent.*

atque hinc reliqua chronotaxis ordinanda est.

13 *Quamvis in Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti Joannes Mabillon Vitam S.* Maglorii *retulerit, eum tamen inter germanos, ut loquitur, S. Benedicti alumnos non recenset; quandoquidem ejusdem nomen asterisco non notat. Et id quidem recte : nam, quum ab aliquibus Ordini Benedictino annumeraretur;* quam Regulam, *inquit Sollerius noster in Actis S. Samsonis num.* 9 (1), ante episcopatum professus
C sit S. Samson, quam deinde in toto vitæ decursu tenuerit, aut in monasteriis suis..... discipulis præscripserit ex Actis ejus datur intelligi, eam scilicet, quam in Britannia hauserat sub S. Iltuti disciplina. Utrum igitur Benedictini instituti S. Samson fuerit, ex iis colliges, quæ de S. Gilda ad XXIX Januarii in pari omnino quæstione notavit Bollandus Commentarii sui prævii § v, num. 45 (2). Id utique certum est, S. Iltuti monasterium nec fuisse nec esse potuisse Ordinis S. Benedicti, dum in eo ad pietatem eruditus est S. Samson, sub finem quinti et initium sæculi sexti, quum nondum conditus is Ordo esset, nec ante annum 540 in Galliam, nedum in Cambriam propagatus. Mutasse autem in ipsa Gallia assumptum a teneris vitæ institutum, ut jam senex recentissimum aliud profiteretur, quæro testem idoneum, qui id suadeat. *Liquet autem, hæc omnia, si forsan senectutis mentionem deleas, ad amussim convenire S.* Maglorio; *qui etiam a tramite sui prædecessoris et magistri non deflexerit : præsertim si et attendatur, in-* D *stitutionem Benedictinam, vivente utroque Sancto, in Galliis incœptam, verisimiliter non placuisse viris Britonibus, utpote quæ Gallicanum aliquid sapiebat, a quo propter gliscentes controversias plus nimio abhorrebant.*

Similiter ac S. Samson.

14 *Tandem quæri potest, an tum S. Samson, tum ejus successor, S.* Maglorius *sedem Dolensem aliquando tenuerint. Chronicum Britannicum coævum docet, Nomenoium, Britanniæ Minoris principem, sæculo nono, primum fundasse tres episcopatus, Dolensem, San-Briocensem* (Saint-Brieuc) *et Trecoriensem* (Treguier). Nomenoius, *inquit* (3), adminuens *ejectorum episcoporum* parochias, videlicet in monasterio Doli, quod tunc temporis erat ex diœcesi Dialetensis (*Aletensis*), et in monasterio S. Brioci et S. Tutualis Pabut, episcopos tres usurpativos instruxit. Illum sane, qui apud Dolum fuit episcopus, fecit sublimiorem et omnium regionis illius episcoporum, provincia Turonensi recisa, metropolitanum. *Quæ si vera sunt, consequitur nec S. Samsonem, nec S.* Maglorium *eorumve successores usque ad sæculum* E *nonum, fuisse vere Dolenses episcopos : et reapse in Vita S. Samsonis, a subæquali conscripta, ad diem* XXVIII *julii, nuspiam dicitur cathedram episcopalem constituisse, sed simpliciter fundasse monasterium. Ast ex altera parte constans est traditio, quam episcoporum Catalogi receperunt, SS. Samsonem,* Maglorium *et Budocum sedem episcopalem Doli occupasse : ut temerarium mihi videretur, hisce Sanctis qualitatem Dolensium episcoporum abjudicare.*

absque certo territorio, Britonum, in Armorica degentium,

15 *Equidem utrumque verum existimo : nempe hos Sanctos, episcopali dignitate insignitos, in monasterio suo Dolensi resedisse, atque Britones refugas, relictis proprio episcopo aliis populis, rexisse : ita ut eorum jurisdictio non tam territorium aliquod definitum, quam gentem suam, vario inter Armoricos dispersam attigisse. Quod etiam aperte docet biographus noster num.* 3 *dicens, S. Samsonem mare trajecisse* ad prædicandum populo ejusdem linguæ, in occidente consistenti. *Erant certe Britones, seu Transseu Cismarini, morum rituumque suorum tenacissimi, ac in iis, quæ ad religionem spectant, aliegenas in tantum abhorrebant, ut teste Beda* F *lib.* I, *cap.* 22 (4) numquam genti Saxonum sive Anglorum, secum Britanniam incolenti, verbum fidei prædicando committerent. Sed, *prosequitur Beda,* non tamen divina pietas plebem suam, quam præscivit, deseruit; quin multo digniores genti memoratæ præcones veritatis, per quos crederet, destinavit. *Scilicet S. Gregorius Magnus in Britanniam SS. Augustinum et socios misit, qui Anglorum gentem ad veram fidem converterunt : atque Augustinus* genti, *ut ait Beda lib.* I, *cap.* 27 (5), Anglorum *ordinatus est archiepiscopus. Ast sartum tectum idem Augustinus volebat Ecclesiæ Britannicæ statum.* Quia, *inquiebat* (6), in multis quidem nostræ consuetudini, immo universalis Ecclesiæ contraria geritis : et tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, ut Pascha suo tempore celebretis; ut ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, juxta morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ compleatis; ut genti Anglorum una nobiscum prædicetis; cætera,

(1) Act. SS. tom. VI Jul. pag. 569. — (2) Ibid. tom. II Januar. pag. 957. — (3) Bouquet, tom. VII, pag. 50. — (4) Migne, Patrol. tom. XCV, col. 52. — (5) Ibid. col. 57. — (6) Ibid. col. 83.

quæ

A quæ agitis, quamvis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. *Relinquebat igitur Britones christianos regendos propriis pastoribus, quin spem deponeret, fore ut, coalescente utroque populo in unam gentem, etiam ecclesiastica hierarchia ad unitatem redigeretur.*

reliquis sub proprio episcopo, remanentibus,

16 *Ac simili ratione Britannicam hierarchiam in Armorica pro Britonibus constitutam credo. In Commentario prævio ad Acta S. Ursulæ et sociarum monstratum fuit* §§ XIII *et* XIV (1), *frequentes fuisse Britonum in Armoricam immigrationes, præsertim ab anno* 511 *ad annum* 558, (2) *quod apprime concordat cum adventu S. Samsonis in Galliam, qui intra id tempus statuendus est* (3): *eo scilicet tempore, quo jam magna Britonum multitudo, illuc advena, ministerium episcopi requirebat; quod ceterum jam factitatum fuerat ante annos fere quinquaginta, quando Mansuetus,* episcopus Britannorum *concilio Turonensi* I, *anno* 461 *celebratum, præsens subscripsit* (4). *Neque id episcopos Gallicanos videtur offendisse: sed volebant, ut istiusmodi*
B *episcopi alienigenæ metropolitano subjicerentur; ac propterea conditus fuit canon* 9 *concilii Turonensis* II, *anno* 567 *celebrati, quo sancitur, esse in Armorica episcopos* Britannos et Romanos *seu Gallicanos, nec quidpiam objiciunt ordinationi episcoporum Britannorum, dummodo fiat* cum metropolitani voluntate (5). *Quod etiam sancivit S. Gregorius Magnus, interrogatus a S. Augustino, ut refert Beda lib.* I, *cap.* 27 (6) qualiter deberet cum Galliarum Britanniarumque episcopis agere, *respondit,* in Galliarum episcopos nullam auctoritatem *S. Augustino* tributam fuisse... Britanniarum vero omnes episcopos S. Augustino commissos, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi auctoritate corrigantur. *At hæc ipsa a metropolitica auctoritate episcopi Turonensis prætensa libertas diuturnas sequentibus sæculis controversias excitavit, quæ demum ab Innocentio III, anno* 1199 *compositæ fuere. Istiusmodi cæteroquin conditionis imaginem quamdam exhibent civitates aliquæ, ubi pro variorum rituum populis varii sunt episcopi: Sic Leopoli in Galicia Polonica est archi-*
C *episcopus latinus pro latinis, Rutenus pro Rutenis, et pro Armenis Armenus.*

episcopus fuit.

17 *In Armorica porro episcopi Britones, contribulibus suis magis quam certo territorio affixi in eodem statu permanserunt usque ad nonum sæculum, quando Nomenoius, Armoricanum regnum affectans, pertæsus etiam fidelitatis, quam episcopi Gallicani Francorum regibus inviolatam servabant, astu deceptos ejecit, et, ut habet Fragmentum Historiæ Britanniæ coævæ* (7), *non solum* in locis eorum alios constituit, *sed adminuens parochias eorum,* episcopos tres usurpativos *instituit; translato etiam in Dolensem episcopum jure metropolitico universæ Armoricæ.* His itaque omnibus cum fraude et cupiditate magnæ elationis peractis, omnes hos episcopos, injuste compositos et sanctæ Ecclesiæ Dei invasores, apud hoc monasterium Doli convocans se regem irreverenter inungere fecit. *Ex his deducere licet, Nomenoium, ut viam sibi ad regnum sterneret, quod a suis Britonibus præsertim obtenturum se sperabat, non alios voluisse intra Armoricam episcopos, quam Britones, quorum opera regnum sibi firmandum confidebat; itaque hosce episcopos sine certo territorio cum popularibus suis vagantes, in definitis parochiis seu diœcesibus constituit; qua ratione fundator novarum Ecclesiarum dici potuit: et quum sæculo quinto jam essent sine determinato in Armorica territorio episcopi pro Britonibus, tandem sæculo nono, agente Nomenoio, fixæ fuerunt sedes episcopales. Hac ratione traditio Ecclesiarum Armoricanarum cum constitutione Nomenoii conciliantur. Unde recte sibi Armorica vindicat SS. Samsonem,* Maglorium, *aliosque suos in fide patres et patronos. Hisce tricis utcumque evoluti, S.* Maglorii *cultum et varias corporis translationes expendimus.*

AUCTORE J. V. H.

§ II. Variæ sacri corporis translationes.

Corpus primo, in Sargia insula sepultum,

P*ost S.* Maglorii *obitum ejus corpus compositum fuit in suo Sargiensi monasterio, ibique conservatum a suis discipulis usque ad annum Christi* 849, *quando in Armoricam jussu Nomenoii fuit advectum. Rem gestam narrat Joan. Mabillon in suis Annalibus lib.* XXXVIII, § 78 (8): Etsi Nomenoius, Britanniæ dux, ob tyrannidem non semel affectatam, male audit, is tamen non omnis pietatis expers fuit. Huic siquidem, præter benificentiam in Rotonenses (*Redon*), tribuitur conditio monasterii Lehonensis, siti prope Dinannum. Factum sic narrant. Quum Nomenoius venationi daret operam, offendit quemdam ad Ranciam locum desertum, ubi sex solitarii sedem fixerant. Interrogati ab eo, quid rei gererent, respondent, se uni Deo vacare, eumque pro salute principis et patriæ felici statu precari: cæterum omni censu destitutos id unum rogare, ut terrulæ quantulumcumque spatium ipsis daret ad habitandum. Petitioni non modo annuit princeps, sed et monasterium construendum recepit, modo ut alicujus Sancti corpus haberent. Nec mora missus ad Javar- F
siacum insulam Condanus monachus ad obtinendas Reliquias Sancti Maglorii episcopi, illic quiescentis. Impetratis Reliquiis, Nomenoius promissum exsolvit, monasterium condidit, dotavitque liberaliter. Forte qui primus monachis præfuit, locum deseruit ob jurgia quædam monachorum, secessumque petiit, uni Deo vacaturus. Hinc inter fratres orta de primatu contentio. Tunc unus ex eis, Britocus nomine, nobilibus in sæculo parentibus ortus, magnæ vir districtionis ac religionis, sanctum locum Rothonensem petiit, asserens, fratres Lehonenses in animum induxisse, ut exemplo Rothonensium monachorum regularem vitam ducerent. Susceptus ille a patre monasterii et a fratribus summa cum caritate, forte in gravem morbum incidit, ac demum feliciter ex hoc mundo decessit, perenniter cum Christo regnaturus, quum prius Sanctos Martinum, Hilarium, Samsonem et Marcellinum agonis

(1) Act. SS. tom. IX Octob. pag. 107 et seqq. — (2) Ibid. pag. 111. — (3) Cfr ibid. tom. VI Jul. pag. 369. — (4) Labbe, tom. V Conc. col. 1049.— (5) Ibid. col. 854.— (6) Migne. Patrol. tom. XCV, col. 61. — (7) D. Bouquet. tom. VII, pag. 50. — (8) Annal. tom. II, pag. 639. Edit. Lucens.

sui

AUCTORE J. V. H.

sui testes et adjutores habuisset. Hæc ex Actis S. Convoionis abbatis.

ad Lehonense monasterium translatum,

19 *Hæc aliquantum prolixius ex Mabillonio retulimus, quia simul indicant initia et subsequentem fortunam monasterii Lehonensis, in quo plus quam centum annis asservatum fuit* S. Maglorii *corpus. Quando autem laudatus Mabillonius in fine subdit,* hæc ex Actis S. Convoionis *se protulisse, id intelligendum est de dissidio fratrum Lehonensium; nam de translatione corporis S.* Maglorii *nullam mentionem faciunt. Ceterum de S. Convoione, abbate Rothonensi, in nostro quoque opere agendum erit ad diem, quo colitur,* XXVIII *decembris : qui plura de sancto abbate cognoscere cupit, adeat Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti, a Mabillonio edita* (1). *Porro Lehonense monasterium, quum circa finem sæculi* X *desolatum jaceret, agente Roberto, rege Franciæ, a Berengario comite, ut habent Acta translationis infra edenda num.* 5, *monachis Maglorianis Parisiensibus concessum fuit, eorumque opera instauratum. Ast duo fere post sæcula, circa annum* 1174 *monachi Lehonenses abbati S.* Maglorii *Parisiensi subjacere*
B *recusarunt et proprium sibi voluerunt creare abbatem. Controversia tandem per arbitros composita fuit : nempe,* ut Lehonense monasterium cum suis omnibus pertinentiis in jus proprium et perpetuum Majoris Monasterii (*Marmoûtier*) cederet, et sic a proprietate et subjectione S. Maglorii Parisiensis absolutum, Majori Monasterio in perpetuum remaneret. *In cujus compensationem Majus Monasterium Maglorianis tres cellas, in finibus Parisiorum sitas, dederunt* (2). *Exstinctoin fine sæculi proxime elapsi prioratu conventuali, est hodie ecclesia succursalis in districtu Dinannensi* (Dinan), *diœcesis Sambriocensis, quum olim ad Ecclesiam Sammacloviensem* (St Malo) *pertineret.*

metu belli

20 *Causa porro transferendi corporis S.* Maglorii *e Lehonensi monasterio fuit bellum, quod universam Armoricam devastavit. Scilicet Richardus I, Normanniæ dux, devicto Theobaldo, Carnotensi et Blesensi comite, timens, ne comes, fultus aliorum principum, ac præsertim regis Franciæ auxilio, bellum redintegraret, Danos in subsidium advocavit.* Hi, *ut habet Fragmentum Historiæ Francicæ* (3), *ducibus* Olavo Noricorum
C qui postmodum christianus effectus, cum martyrio migravit ad Deum, et Lacina Suavorum principibus ad Britannorum finitima littora sunt devoluti... Inde barbari prolixius progredientes, castrum Doli obsident, et captum igne comburunt, ac incolas ejus cum Salomone advocato loci interficiunt. *Tunc quidem Salvator, Alethensis episcopus, secum sumpto corpore S. Machuti, ad Lehonense monasterium confugit, et visione cœlesti admonitus, ut in Historia translationis, infra edendæ, num.* I *legitur,* Galliarum in partes secedere *statuit. Itaque* sumptis multorum Sanctorum pignoribus, quæ per fidelium manus undique illic devecta fuerant, sacrisque ipsius ecclesiæ codicibus et signis, aliisque ecclesiasticis utensilibus exsules egrediuntur a finibus suis; jam metas excesserant patriæ, quum Dolenses necnon et Bajocensis Ecclesiæ ministri se illorum hæserunt comitatui. *Hac igitur* D *occasione multorum Sanctorum corpora ex Armorica Parisios delata fuerunt. Inter hos Sanctos computatur etiam S.* Maglorius, *de quo nobis est præcipuus sermo. Ossa tamen aliqua Dolam delata fuisse, monstrant litteræ Theobaldi Ambianensis, archiepiscopi Rotomagensis, quas nobis servavit D. Hyacinthus Morice in suis Monumentis Armoricis* (4). *In iis autem dicitur Philippus de Columbiis* habuisse quasdam Reliquias Dolensis *Ecclesiæ,* quas ipse tempore guerræ, inter piæ quondam memoriæ Joannem regem Angliæ et Britones habitæ, de manibus ruptariorum subripuerat violenter, qui eas in subversione et combustione Dolensis Ecclesiæ cum violentia asportaverant ab eadem, videlicet de ossibus ac corpore B. Samsonis, de pallio ejusdem, et de ossibus B. Maglorii. *Quas Reliquias Theobaldus archiepiscopus jussit Johanni episcopo et Dolensi capitulo reddi. Scriptæ sunt litteræ* mense januario *anni* 1222 *seu potius anni* 1223 : *nam ipse Theobaldus primum electus die* XVIII *maji, consecratus* IV *septembris fuit* (5) : *annus autem* E *aut a paschate aut a die Annuntiationis ordiebatur. Translationem Parisiensem ordinat Mabillonius sub annum* 979 (6) : *quod an recte statuatur, inquirendum est.*

sæculo X

21 *Id certum imprimis est, S.* Maglorii *et aliorum corpora Parisios devecta fuisse quando Dani Armoricam universam devastabant.* Operuerunt, *inquit Historia translationis num.* I, Dani superficiem terræ, sicut locustæ... Quorum bestialem animositatem præsul egregius Alethinæ civitatis, Salvator nomine... Sublato corpore beatissimi Machuti, prædecessoris sui, Lehonense monasterium celeri cursu expetiit : *atque inde Sanctorum pignora Parisios deportavit. Ratio itaque temporis istiusmodi translationis a vastatione Danica repetenda est. Habemus autem ex Flodoardi Annalibus sub anno* 962, *Theobaldum Carnotensem a Richardo, Normanniæ duce, victum et fuga dilapsum, ad Franciæ regem confugisse et benigne fuisse susceptum* (7). Videns itaque dux tantarum fraudum, *verba sunt Wilhelmi Gemeticensis* (8), regis molimina super se imminere, comitesque Francorum contra se unanimiter sævire, F Heraldo, Danorum regi, legatos dirigit, et mandat, ut ocius illi succurrat et paganorum multitudine Francorum solotenus comprimat. Cujus legatos rex non modo gaudenter recepit, verum etiam maximis muneribus ditatos duci remisit, seque missurum celerrime juvamen illi spopondit. *Apparatuque facto,* e navibus proruunt, totamque in circuitu patriam exitialiter comburunt. Dehinc viri cum mulieribus concatenati distrahuntur, vici depræ-dantur, urbes desolantur, castella subvertuntur, et terra in solitudinem redigitur. *Ex his habemus victo Theobaldo anno* 962, *sibi timuisse Richardum, et in auxilium vocasse Danos; qui eodem aut sequenti anno* 963 *ad Normanniam appulerunt. Quum autem omnia vastarent, tunc Salvator, Alethensis episcopus, cum Sanctorum pignoribus ad interiorem Galliam confugit, quod eodem anno aut sequenti accidisse reor. Nam,*

(1) Sæc. IV, Part. II, pag. 216. — (2) Gall. Christ. tom. VII, col. 313. Cfr Morice. Preuv. de l'hist. de Bret. tom. I, col. 687 et seq. — (3) D. Bouquet, tom. X, pag. 213. — (4) Mém. pour servir à l'hist. de la Bret. tom. I, col. 849. — (5) Gall. Christ. tom. XI, col. 60. — (6) Annal. tom. III, pag. 609. — (7) Migne. Patrol. tom. CXXXV, col. 485. — (8) D. Bouquet, tom. VIII, pag. 268.

teste

A *teste æquali, Dudone, S. Quintini decano, lib.* III *de Gestis Normanniæ ducum* (1), lustro pene integro *Danica calamitas Galliam funestavit; pax, agente Carnotensi episcopo, conciliata fuit. Ex his satis patet, perperam a Mabillonio translationem S.* Maglorii *et aliorum ad annum usque* 979 *dilatam fuisse.*

Parisios transvectum fuit :

22 *Refugarum, qui sacra pignora ex Armorica Parisios transvexerant, mens erat, eadem, bello composito, ad propria loca reportare.* Pace, *inquit Historia translationis num.* 4, in tota Gallia et Normannia vigente et florente, quidam eorum, qui de Britannia Parisiis advenerant,... patriam repedare, quidam ad alia Galliæ loca migrare disposuerunt. Quod quum duci nuntiatum fuisset, licet ægre tulisset, vim tamen eis nolens inferre, retentis quibusdam membris Sanctorum, abire permisit... Dux autem ecclesiam B. Bartholomæi, quæ tantorum Sanctorum Reliquiis videbatur illustrata, ampliavit, quam postmodum in honore prædicti Apostoli atque beatissimi Maglorii..... dedicari fecit; in qua etiam monachos ad divinum officium peragendum constituit..... Eidem ecB clesiæ magna dona, possessionesque et prædia obtulit, quæ sub nomine Lotharii regis et Ludovici describi et confirmari præcepit, regioque sigillo muniri constituit. *Regium præceptum, inter alios multos, edidit Michael Felibien Mauro-Benedictinus in Historia urbis Parisiensis* (2). *Erat hæc ecclesia S. Bartholomæi sita in insula Sequanæ, quæ hodiernæ civitatis initium fuit* (3). *Dux Hugo, postea rex et caput stirpis Capetianorum, dederat inter alia monachis Maglorianis capellam S. Georgii, extra civitatem in via Sandionysiana sitam, quæ sepeliendis monachis destinata erat, quamque duo monachi incolebant. Ast quum lapsu temporis angustior esset locus, decreverunt monachi anno* 1138 *in suburbio ad S. Georgii locum, jam a S.* Maglorio *nominatum, novum monasterium ædificare, illuc translatis ejusdem S.* Maglorii *aliorumque Sanctorum Reliquiis. Basilica S. Bartholomæi deinceps parœcia fuit, ad cujus regimen presbyter fuit præpositus; ita tamen ut unus monachorum prioris titulo ibidem relinqueretur, et eo nomine multa jura* C *obtineret* (4). *Anno dein* 1315 *S.* Maglorii *corpus ex lignea in argenteam capsam solemni ritu translatum fuit : quam pompam late describit poema gallicum, quod legere est apud Claud. Chastelain* (5).

ibique, erecto monasterio, conservatum

23 *Nova mutatio Sammaglorianæ ecclesiæ accidit, quando ad petitionem Caroli IX Pius IV, data bulla kalendis septembris* 1564, *abbatis titulo exstincto, eamdem perpetuo univit mensæ episcopali Parisiensi : ita ut episcopi Parisienses in dicto monasterio* omnia et singula, quæ officii sunt abbatis professi et benedicti facere et exercere possint in omnibus et per omnia, perinde ac si, emissa professione regulari, abbates ejusdem monasterii canonice instituti essent, cujusvis licentia super hoc minime requisita. *Perpetua commenda, cœnobio imposita, viam stravit novis vicissitudinibus. Nam Catharina Medicea, solita dies sanctiores apud puellas pœnitentes transigere, constituto sibi palatio juxta monasterium S.* Maglorii, *in istud translatas voluit dictas puellas, Regulam S. Augustini professas. Sammaglorianis itaque monachis denuo migrandum fuit; et pro monasterio puellis pœnitentibus cedendo data fuit hospitalis domus S. Jacobi de Alto Passu* (St-Jacques-du-Haut-pas) *cum quibusdam domibus et hortis adjacentibus. Hæc omnia auctoritate regia sancita fuere anno* 1572 (6), *quo etiam Sanctorum Reliquiæ translatæ fuere : unde ecclesia S. Jacobi, mutato titulo, a S.* Maglorio *nomen accepit. Et cum parœciani gravarent monachos propter duplex officium parœciale et monasticum in eadem æde, iisdemque sæpe horis peragendum, nova ecclesia ædificata fuit, quæ solis parœcianorum usibus inserviret* (7). *Verum istiusmodi mutationes, mutilationes ac controversiæ paulatim disciplinam regularem relaxarunt; ita ut episcopus Parisiensis, Petrus de Gondy, ut eos reformaret, magistratum civilem invocare debuerit* (8). *Nihilominus decrescente continuo monachorum numero, statuit Henricus de Gondy, pariter Parisiensis episcopus, Sammaglorianum monasterium in seminarium clericorum erigere, ejusque regimini patres Oratorii Berulliani præponere; quod ea lege obtinuit, ut provideretur monachis fixa rataque pensio, qua singulis penderentur annuæ libræ gallicæ* 414 (9). *Tali in conditione ecclesia et Reliquiæ S.* Maglorii *ad finem usque sæculi proxime præterlapsi perseverarunt.*

AUCTORE J. V. H.

E

usque ad finem sæc. XVIII, *quando denuo*

24 *Tunc enim, quum omnia in Gallia sus deque verterentur, etiam Sammaglorianum institutum ruinæ proximum fuit. Et quidem Gilbertus Tournaire, domus Oratorii Berulliani præpositus, qui fidem juratam schismati, seu, ut vulgo dicitur, constitutioni civili cleri præstiterat, et hac cautione ad S.* Maglorii *aliquandiu consistere potuerat, timens, ne, abolito omni christiano cultu, sacra pignora profanarentur, anno* 1793, *assistente fratre laico ejusdem Oratorii, eadem terræ clam mandavit. Ast anno* 1797, *cessante aliquantisper persecutione, denuo Reliquiæ SS.* Maglorii *et aliorum effossæ fuerunt ab eodem fratre laico, ac sub ara maxima S. Jacobi de Alto Passu, sed permixtæ, compositæ fuerunt : ac hujus translationis in-* F *strumentum conscriptum fuit* (10); *nobisque communicatum ab hodierno parocho, R. D. L. Debeauvais, cui quas debemus, agimus gratias. Scilicet quum die* XXIV *aprilis anni* 1835 *ara maxima S. Jacobi instauraretur, opifices sub ea invenerunt duas capsas ligneas, magna ex parte corrosas, in quibus erant ossa humana, quorum unum inscriptum habebat,* SANCTUS VICTOR *et instrumentum, quo dicebantur ossa SS. Samsonis,* Maglorii *et aliorum in iis capsis contineri. Monitus parochus jussit eas in loco tuto reponi, et ad archiepiscopum Parisiensem retulit, quod actum fuerat : hic autem duos vicarios suos, RR. DD. Tresvaux et Quintin, delegavit, ut canonicam inquisitionem instituerent, ad eumque referrent. Itaque die* XVII *Augusti* 1835 *dicti vicarii generales, adjuncto sibi doctore medico Descuret, ad ædem S. Jacobi*

(1) Migne. Patrol. tom. CXLI, col. 737. — (2) Hist. de la ville de Paris, tom. III, pag. 39. — (3) Cfr Mappam topograph. Paris sous Philippe-le-Bel. — (4) Cfr Chastelain. Martyrol. Univ. pag. 804. Du Bois. Hist. Eccles. Paris, tom. I, pag. 550. — (5) Mart. Univ. pag. 805. — (6) Felibien. Hist. de la ville de Paris, tom. III, pag. 674. — (7) Felibien. tom. III, pag. 711. — (8) Ibid. tom. II, pag. 1115. — (9) Ibid. tom. IV, pag. 61. Lebeuf. Hist. du dioc. de Paris, tom. I, pag. 150. Cfr Mart. Univ. pag. 815. — (10) L'Ami de la Relig. num. 2539, tom. LXXXVII, pag. 37.

venerunt :

AUCTORE J. V. H.

venerunt : et apertis capsis, doctor medicus declaravit, imprimis ossa tum vetustate, tum rubigine et frequentiori translatione vitiata esse: dein hæc ossa ad octodecim personas variæ ætatis pertinuisse, ita ut aliqua infantes, aliqua septuagenarios indicarent. Dein idem doctor medicus ossa, prout coram erant, septuaginta sex, secundum eorumdem colorem, duritiem, crassitudinem, pondus et proportionem ordinavit, ac significavit, eorum novemdecim, esse viri sexagenario majoris, et staturæ quinque pedum; quinque, viri septuagenario majoris, staturæ quinque pedum, et trium aut quatuor digitorum; duo, viri septuagenarii, quinque fere pedum; duo, viri sexaginta aut sexaginta quinque annorum, staturæ ordinariæ; tandem triginta octo reliqua, quatuordecim diversarum personarum, inter quas unus infantulus, unus adolescens sexdecim circiter annorum, dum reliqui essent maturæ et senilis ætatis.

inventum ac rite recognitum

25 *Post hæc vicarii delegati examini subjecerunt duplex instrumentum, capsis inclusum, quorum alterum levi attactu in pulverem redigebatur, alterum, aliquantum sanius, obtulit* B *legenti sequentia :* « *Ossa, hisce capsis inclusa et sub hoc altari recondita, sunt Reliquiæ S. Samsonis, S.* Maglorii *et aliorum, ex ecclesia hujus nominis* (S. Maglorii) *juxta ecclesiam S. Jacobi de Alto-Passu translata, prout in hodierno Breviario Parisiensi ad diem* XXVII *julii et* XXIV *octobris legitur.* » *Confectum fuit instrumentum die* IX *septembris* 1797, *et signatum Duval, primus minister seu parochus, Collette major et Collette minor, rei temporalis dictæ parochiæ procuratores. Instrumentum et capsæ munita erant sigillo, litteras implicatas IC exhibente. Tandem subscriptiones utriusque Collette recognitæ fuerunt ab eorum filiis et nepotibus. Inter sacra pignora, tali ratione conservata, numerantur, ut habet Historia translationis num.* 3, *Reliquiæ octodecim Sanctorum, inter quos duodecim fuerunt episcopi duo Martyres et quatuor abbates. Episcopi sunt SS. Samson,* Maglorius *et Budocus Dolenses, Machutus et Ciferianus Alethensis, Senator et Paternus Abrincensis, Briocus, fundator ecclesiæ Sambriocensis, Corentinus Corisopitensis, Leonarius,* C *Lothiernus seu Lencernus et Livianus episcopi regionarii : Martyres duo, Melorius, juvenis sexdecim circiter annorum, et Temorius infans: abbates, Wenalis* (Gueneau), *Winganton* (Guinganthon), *Scofilus* (Escuiphle) *et Scubilio. Quamvis instrumentum vicariorum delegatorum testetur octodecim corporum reliquias inventas fuisse, solum tamen recenset septemdecim nomina, omisso nempe S. Budoco, cujus dens ex Armorica cum aliis Reliquiis, delatus fuit : ex altera parte instrumentum dicit, S. Candidum, ex primipilis legionis Thebeæ, apud Sammaglorianos asservatum, ac proinde ejus Reliquias ad S. Jacobi reconditas fuisse. Et certe si, præter dentes, ossa octodecim personarum inventa fuerunt, non est dubium, quin S. Candidus Thebæus septemdecim aliis accensendus sit. Id itaque unum restat dicendum, dentem S. Budoci confusione aut negligentia deperditum fuisse.*

in ecclesia S. Jacobi repositum fuit.

26 *Post hanc vicariorum relationem, quam contraximus, archiepiscopus Parisiensis sequens edidit mandatum :* Hyacinthus Ludovicus de D Quelen, Dei misericordia et sanctæ apostolicæ Sedis gratia archiepiscopus etc. Audita relatione promotoris, Dei nomine invocato, mandavimus et mandamus sequentia : 1° Reliquiæ, nuper inventæ sub altari maximo ecclesiæ parochialis S. Jacobi de Alto Passu sunt recognitæ authenticæ, quatenus sunt eædem, quæ ante abolitionem cultus catholici annis 1793 et 1794, in sacello seminarii S. Maglorii publicæ venerationi expositæ fuerunt. 2° Dictæ Reliquiæ publicæ venerationi fidelium exponentur in ecclesia parochiali S. Jacobi de Alto Passu, proptereaque una in capsa includentur, ac in quinque classes, prout in relatione facta XVII augusti proxime elapsi habetur, distribuentur; cum hac inscriptione: RELIQUIÆ SANCTORUM MAGLORII, SAMSONIS ET LEUTHERNI EPISCOPORUM, WIGANTONIS ET SCOPHILI ABBATUM, ET ALIORUM PLURIMORUM SANCTORUM. 3° Dominica die XXV hujus mensis in dicta ecclesia S. Jacobi celebrabitur solemniter officium S. Maglorii cum commemoratione plurimorum Sanctorum. Occasione hujus faustæ E inventionis celebrabitur octiduana festivitas, quæ incipiet media die XXIV et claudetur media die XXXI. Concedimus indulgentiam XL dierum rite dispositis, qui intra octiduum sacras Reliquias visitaverint. Dominica XXV claudetur officium hymno ambrosiano. 4° Dies anniversaria inventionis sacrarum Reliquiarum in perpetuum quotannis celebrabitur in ecclesia S. Jacobi dominica proxima diei XXIV octobris sub ritu solemni majori F... 7° Mandamus, ut instrumentum inquisitionis et relatio promotoris servanda deponantur in secretariatu nostro, et transsumptum dictorum instrumentorum, una cum præsenti nostro mandato in capsa S. Maglorii includantur. Datum Parisiis sub signo sigilloque nostro et subscriptione secretarii archiepiscopatus nostri, die XIII octobris 1835. † Hyacinthus archiep. Parisiensis. De mandato illustrissimi domini archiepiscopi Parisiensis, Molinier canonicus secretarius. *Domus Sammagloriana hodie est schola surdorum mutorum, sacellum sectæ Calvinianæ attributum fuit.*

Utrum Urani in monasterio Camaldulensium

27 *Hactenus Commentarium nostrum claudere possemus, nisi impediret nos traditio Uranensis monasterii, quæ aut corpus integrum aut certe magnam ejus partem SS. Samsonis et* Maglorii *sibi vindicat. Est autem Uranum monasterium Ordinis Camaldulensis, juxta Britonorum, urbem episcopalem sub metropoli Ravennate, quod, vivente etiam S. Romualdo, ejus discipulis jam attributum videtur* (1). *In eo autem cœnobio conservata dicuntur* Ossa sanctorum episcoporum Maglorii et Paschasii. *Nam in archivo episcopali Britonoriensi sequens memoria legitur* (2) : Ossa sanctorum episcoporum Maglorii et Paschasii, quæ condita erant in parvo sepulcro sub altari principe abbatiæ Uranensis, maxima cum veneratione in elato et amplo sarcophago super dictum altare reposita fuere sub annis Domini MCCCCLXXXII, die XXV augusti, tempore pontificatus Sixti IV Pontificis Maximi, ac tempore reverendissimi Baptistæ Zeni S. R. E. presbyteri Cardinalis et episcopi Tusculani et

(1) Mittarelli. Annal. Camald. tom. I App. col. 98. —

(2) Ibid. tom. VII, pag. 317.

præsentis

A præsentis abbatiæ S. Mariæ de Urano commendatarii perpetui. *Quo tempore aut modo hæ Reliquiæ ad Uranense monasterium devenerint, omnino ignoratur. Atque hinc natæ sunt fabulæ. Scilicet Germanus quidam, natione Anglus, professione Camaldulensis, in monasterio Uranensi commorans, cupiens revisere fratres suos, in Britannia degentes, et plurium terrarum et oppidorum dominos, obtenta licentia, in Britanniam concessit eo tempore, quo Henricus VIII, Angliæ rex, a fide deficiens, templa profanabat, sacrasque Reliquias conculcabat. Itaque ope fratrum suorum tria episcoporum, nempe Samsonis,* Maglorii *et Paschasii corpora occulte sustulit, secumque in Italiam deportavit. Quum autem Venetias appulisset Germanus monachus, abbatem Uranensem certiorem fecit; a quo in mandatis accepit, ut sacra pignora Ravennam primum, ubi compararet arcam nitidissimi alabastri, ac dein ad abbatiam Uranensem transferret. Fecit, quod jussum erat. Quum autem postea totum monasterium, ac in eo omnes scripturæ incendio perierint, literæ testantes veritatem et translationem Reliquiarum*
B *pariter perierunt* (1). *Hæc quidem tradit Innocentius Tantardinus, qui sæculo* XVII *floruit. Narratio multa refutatione non indiget. Certe diu ante Henricum VIII, sæculo sexto decimo florentem, conservabantur Urani Reliquiæ S.* Maglorii, *ut constat ex translationis instrumento quod retulimus : dein nihil occurrit, quod suadeat easdem aliquando in Angliam delatas fuisse* (2).

corpus S. Maglorii *conservetur, inquiritur :*

28 *Verum quamvis fabulosa sit, ipsis fatentibus Uranensibus, Reliquiarum origo, earumdem tamen cultus et veneratio permansit. Nam anno* 1540 *die* XII *decembris a sacello dextero ad sinistrum ecclesiæ Uranensis sarcophagus marmoreus translatus fuit; qua occasione apertum fuit sepulcrum, in quo inventum fuit* unum caput cum quibusdam ossibus et non multis sanctorum Maglorii et Paschasii,..... et unam laminam plumbeam, in qua sunt scripta infra scripta verba : HIC SUNT CORPORA SANCTORUM MAGLORII ET PASCHASII (3). *Ex hoc instrumento deducere licet, caput, in sepulcro inventum, non certo pertinere ad S.* Maglorium, *sed alterutrius*
C *Sancti esse : dein, quamvis simpliciter dicantur* corpora *SS.* Maglorii *et Paschasii ibidem, ex ipso instrumento liquet,* non multa *ossa inventa fuisse. Anno* 1588, *veteri ecclesia Uranensi ruinam minitante, nova solemni ritu consecrata fuit, ac denuo in eam anno* 1594 *translatæ Reliquiæ, seu, ut habent Annales Camaldulenses* (4), tria corpora *sanctorum* Maglorii, *Paschasii et Sampsonis : unde patet, thesaurum Uranensem accrevisse corpore S. Samsonis, quin ullo modo indicetur, quando aut quomodo corpus S. Samsonis ad reliquas exuvias accesserit. Tandem, ut habent Camaldulenses Annales* (5), Reliquiæ capitis sancti Maglorii episcopi ex abbatia Uranensi ab abbate Classense Michaele Leonardellio Cæsenate, post sacra peracta, depositæ sunt anno 1604, die III junii, in ecclesia parthenonis S. Maglorii Faventiæ, et collocatæ in argenteo capite, quod pietatis ergo Victoria Rondanina, monialis ejusdem asceterii, sumptibus suis fieri curavit.

AUCTORE J. V. H. *an potius alicujus Martyris Afri homonymi :*

29 *Quid porro censendum sit de Reliquiis Uranensibus, non facile dictu est, quoniam earum origo, adeoque causæ et circumstantiæ translationis ignorantur. Nolim tamen earum veritatem inficias ire. Nam, ut vidimus, ossa S. Maglorii Urani* non multa *sunt; ac caput, in sepulcro inventum, an ad S.* Maglorium *potius quam ad S. Paschasium pertineat, non constat; quamvis tardius ad Faventinum parthenonem translatum a S.* Maglorio *nomen accepit. Porro jam sub anno* 1253 *Faventinus parthenon sub nomine S.* Maglorii *initium cepit, prius virorum, postea sanctimonialium domicilium* (6) : *et in Actis capituli generalis, Faventiæ anno* 1338 *celebrati, dictus parthenon* cella S. Maglorii de civitate Faventiæ *appellatur* (7) : *unde datur intelligere, antiquissimum esse hisce in partibus Italiæ sancti antistitis cultum. Nihilominus fieri potest, quoniam alter homonymus in Italia colitur Martyr, ut ex similitudine nominis tota historia excreverit : scilicet Maglorio, Tiburtino Martyri, de quo paucissima cognoscuntur, attributæ fuerint res gestæ antistitis nostri. Certe Petrus de Natalibus in suo Catalogo Sanctorum lib.* IX, *cap.* 104 E *et post eum Philippus Ferrarius ad hanc diem in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, recolunt Majorum, quo nomine etiam episcopus noster ibidem venit. De hoc Martyre hæc habet citatus Petrus de Natalibus:* Majorus Martyr, servus generosi et nobilis viri Tiburtinæ civitatis, passus est persecutione Vandalica sub Hunerico rege. Qui primo fustibus, quasi innumerabilibus, cæsus, trochleis frequentibus elevatus, aliquando ictu celeri dimissus super lapides et silices corruebat; sed et plures plagas lapidibus confricatus : dum jam viscera pelle nudata essent, et ipse ad singula constantior appareret, novissime gladio cæsus est, et apud eamdem urbem sepultus.

quamvis et hoc sua non careat difficultate :

30 *Quantum sit veritatis in hac narratione, liquet ex eo, quod martyrium ex Africa et urbe Tuburbitana ad Italiam et urbem Tibur traductum sit. Nam eadem ad verbum fere refert Victor Vitensis lib.* V, *cap.* 2 *sequenti modo* (8) : Servus quoque Tuburbitanæ civitatis majoris, generosus et nobilis vir pro Christo quas pertulit, quis explicet pœnas? Qui post cædes F innumerabilium fustium, trochleis frequentibus elevatus, dum totam per urbem penderet, hunc in sublime tollentes, ictu celeri, dimissis iterum funibus cannabinis, super silices platearum pondere corporis veniens, ut lapis super lapides corruebat. Sed et sæpius tractum et lapidibus acutissimis defricatum, ut, cutibus separatis, pelles corporis lateribus dorsoque videres et ventre pendere. Iste jam temporibus Geiserici non valde dissimilia pertulerat, ne amici cujusdam sui secreta nudaret; quanto magis nunc et suæ fidei sacramenta servaret? Et si homini gratis exhibuit fideliter fidem, quantum debuit illi, qui redditurus est pro fide mercedem? *Luxatum videtur initium, hujus textus, quum alii legant :* Servus quoque Tuburbitanæ civitatis Majorus, generosi et nobilis viri *etc. Ex qua lectione facile ad Malorium ficte Tiburtinum devenimus. Hunc Con-*

(1) Annal. Camald. tom. VII, pag. 317. — (2) Cfr Act. SS. tom. VI Jul. pag. 593. — (3) Ibid. tom. VIII, pag. 78. — (4) Ibid. pag. 149. — (5) Ibid. pag. 210. — (6) Ibid. tom. V, pag. 16. — (7) Ibid. tom. VI append. col. 303. — (8) Migne. Patrol. tom. LVIII, col. 242.

AUCTORE J. V. H.

fessorem in Martyrologium Romanum intulit Baronius ad diem VII *decembris, quo de eo agendum erit. Id tamen animadvertamus, Victorem non dicere, eumdem suppliciis suis immortuum esse, adeoque fieri potuit, ut ejus corpus in Italia tumulatum, aliquando ad Uranense monasterium devectum fuerit. Qua occasione solerter annotat Ruinartius in suo commentario in Historiam Persecutionis Vandalicæ cap.* VI, *num.* 19 (1) : Ex hoc, aliisque similibus locis intelligere possumus, quo pacto ejusmodi auctores, ob levem quandoque conjecturam, Martyris alienis locis aut temporibus consignarint, vera cum falsis permiscendo, ut conjectationes suas faciant verisimiliores. Hinc perturbatæ historiæ et Martyrum gesta, quæ alias sinceriora erant, auctoritate sua excidunt. *Ne quid simile in S. Maglorio Uranensi acciderit, vehementer vereor. Negare tamen nolo, aliqua ossa S.* Maglorii *ad Uranense monasterium devenire potuisse.*

Inscriptio Uranensis in honorem S. Maglorii.

31 *Quidquid tandem sit, Uranenses monachi memoriam S.* Maglorii *Dolensis excolere perseverarunt. Gabriel Maria Guastuccius anno* 1772 *ad unum a decessoribus nostris instrumenta variarum translationum deferenda curavit, et hactenus conservata fuerunt in bibliotheca Brunellensi sub num.* 8,920, *præcipua ex Annalibus Camaldulensibus attulimus. Coronidis loco subjicimus inscriptionem, qua significatur, etiam anno* 1736 *Reliquias honorificentius reconditas fuisse. Est vero sequens :*

OSSA
MAGLORI. DOLENSIS. ET. PASCHASI. VIENNENSIS
SANCTORUM. IN. GALLIA. EPISCOPORUM
QUÆ. EX. BRITANNIA. MINORI
AD. ANTIQUAM. ABBATIALEM. ECCLESIAM. URANI
A. GERMANO. MONACHO. CAMALDULENSI. OLIM. DEDUCTA
ET.IN. AMPLUM, SARCOPHAGUM. SUPER. ALTARE. MAJUS
RECONDITA. ANNO. M.CCCC.LXXXII
ANGELUS. PERUCCIUS. SARSINÆ. EPISCOPUS
EX. APOSTOLICA. AUCTORITATE
ET.JOANNE.ANDREA.CALIGARIO.EPISCOPO.BRITTONORI
CLEMENTIS. PAPÆ. VIII. A. SECRETIS
PERMITTENTE
IN. HOC. TEMPLUM. SOLEMNI. CULTU
TRANSTULIT. ANNO. M.D.XCII
C QUÆQUE
JOANNES.BAPTISTA.MISSIROLIUS.EPISCOP.BRITTONORI
ET. VITALIS. ASCEVOLINUS. ABBAS. URANI
SACRIS. INFULIS. ORNATI
ANNO. PRÆCEDENTI. RECOGNITA
ET. IN. CAPSA. CUPRESSINA. BENE. MUNITA
POPULO. AD. PATRONOS. SUOS. UNDIQUE. CONFLUENTE
PER.VICINIORA.SUBURBIA.DEVOTISSIME.DETULERUNT.
A. M.DCC.V
MONACHI. URANENSES
EX·HOC·LOCO·SUB.ARA·MAXIMA.HONORIFICENTIUS.P.C.
ANNO. M.DCC. XXXVI

D

VITA

S. MAGLORII EPISCOPI

Ex Mabillonii Actis Sanctorum S. Benedicti,

AUCTORE ANONYMO,

Collata cum ms. Rubræ Vallis.

CAPUT I.

Sancti patria et parentes; diaconus cum S. Samsone in Armoricam trajicit; eidem succedit; episcopatum abdicat, et cœnobium in Sargiensi insula construit, in quo E **sancte vivit.**

Maglorii *patria et parentes.*

Magnificæ sanctitatis vir domini Maglorius trans maritimas partes oriundus fuit, ducens originem ex Britanniarum stirpe nationum. Maglorius autem per interpretationem magnus gloria dici potest *a*. Et merito tali fulget nomine, quod acquisivit opere. Hausit etiam speciem carnis ab arce alti sanguinis : cujus spectabilis genitor Umbrafel *, mater vero Affrella vocabatur. Præclaræ etiam consanguinitatis sancti ac beatissimi Samsonis extitit consors *b*. Qui uterque monachicæ normam habentes religionis, a quodam egregii Germani Autissiodorensis Ecclesiæ præsulis discipulo, nomine Heltuto *c*, tam artium liberalium quam et divinorum eloquiorum instantissima eruditione fuerunt edocti. Qui scilicet præsul Germanus commemoratam superius Britannorum nationem ad terebrandam pravi dogmatis hæreticorum fallaciam, quæ in ea jam adeo pullulaverat, olim expetiit. Testabantur F autem ipsi docentes, liberos ex patribus et matribus baptisatis procreatos, sine baptismi gratia posse salvari, cum Dominus dicat : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* *. Quo prærogativa catholicæ fidei errore depresso, ad sedem propriam remeavit. Post cujus abscessum in progressu temporum præmissus Samson beatissimus, pro eo quod semper divinis cultibus mancipatus summæque religioni deditus extiterat, a clero et plebe ejusdem gentis, dignus honore acclamatur, et ut gregem Domini pontificali prælatione regeret, ab omnibus eligitur, atque eo adunato episcoporum comitatu, juxta sanctorum Patrum institutionem in archipræsulatus solium sublimis, licet invitus, attollitur *d*.

* *B.* Umrafel

* Joan. III, 5.

a

b

c

d

Maglorius *a S. Samsone diaconus ordinatur :*

2 Cum vero jam per gratiam Domini assumpta sarcinæ pastoralis sollicitudine eidem plebi præesset, viro sanctissimo Maglorio, quem moribus honestis, videlicet jejuniis,

(1) Migne. Patrol. tom. LVIII, col. 388.

vigiliis,

A vigiliis, et orationibus continuis, eleemosynarum largitatibus, immo etiam sanctæ castitatis observantiæ insistere cernebat, ad inferendam mensæ Domini et ad dispensandam vivifici Corporis et Sanguinis ejus consecrationem diaconii officium imposuit, eique pro suæ sanctitatis merito piæ devotionis reverentiam exhibuit : super plebem autem suam ad distribuendam ei in tempore verbi divini mensuram dispensatorem constituit. Cum qua plebe idem confessor Christi diu pernox existens, innumeris claruit exemplis et documentis, insuper et miraculis.

In Armoricam trajicit cum eodem;

3 Tandem vero percurrentibus quibusdam annis, tactus rore cœlesti, non immemor verborum Domini dicentis : *Euntes per universum mundum docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritu Sancti* *, valefaciens plebi suæ, inde simul cum beato Maglorio et quorumdam tam clericorum quam laicorum collegio recessit, et ad prædicandum populo ejusdem linguæ, in Occidente consistenti *e*, mare transfretavit, properans finibus territorii Dolensis *f*. Ubi a strenuissimo rege Francorum Childeberto *g* accepto archipræsulatus regimine non solum inibi, verum etiam in omnem Britannorum regionem seu in circuitu ejus longe lateque celebre nomen ejus enituit, ita ut multo plura atque majora quam prius, ut in gestis ejus legitur, exerceret miracula. Quid diutius immorari videmur? qualia autem quantave in prioribus qui trans mare morabantur litoribus et in occiduis residebant populis ipse fecerit, litteraria nequaquam valent assertione comprehendi.

* Matth. XXVIII.

e
f
g

qui, morti proximus eum sibi successorem designat:

4 [His modo interimo missis ad gloriosum ipsius sancti Confessoris finem transeamus.] Qui expleto multorum annorum curriculo, in quo ei semper Christus vivere fuit, et finis initium vivendi dedit, cum jam in lecto decidens vi febrium laboraret, et jam vicinam sibi mortem adesse sentiret, longe superius memoratum Beatum Maglorium simul cum fratribus Ecclesiæ suæ præcepit sibi advenire. Quibus accersitis, dixit eis dissolutionem sui corporis imminere. Respiciens ad Beatum Maglorium cum * fratribus ait illi : Scito te, frater carissime, post solutionem carnis meæ in hac Ecclesia, cui huc usque præfui, pastorale magisterium suscepturum. Ideo tibi suggerere cupio, ut in cultu propositoque sancti amoris, sicut cœpisti, magis magisque deinceps inardescere videaris; ac lumen, quod a Domino percipere meruisti, ne juxta vocem Domini sub modio abscondas, sed super candelabrum, et ut videant hi, qui in domo Domini sunt, conferas : in quo siquidem ego hactenus, ipsius Domini ordinante pietate, prout potui, laboravi. Tu autem super caulas dominici gregis jam tibi commissas pervigil et sollicitus esto, ut ab ipso inde recompensatore bonorum omnium Domino cum eodem in cœlestibus merearis audire : « *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ante constitutionem mundi.* » * Tunc vero Sanctus Maglorius et omnes qui illic aderant, cum audissent dixisse se e vicino subire mortis dispendium, cum ejulatu et fletu magno dicebant : Cur nos, pater, deseris? aut quare nos derelinquis? Quibus ipse ait : Nolite, fratres, talia agere : nolite contristari, quoniam sicut Helyas bonum post se discipulum, videlicet Heliseum, reliquit : ita et ego vobis a Deo datum, qui a primævo summæ religionis sanctæque operationis exhibitionibus illustris fuit, Maglorium superstitem relinquo ministrum. Post hanc vocem idem in præsentia omnium sancta sanctorum sumens, coronam justitiæ, quæ ei reposita erat, percepturus, ad siderea mundus perrexit habitacula, ubi cum Domino sine fine victurus lætatur. Beatissimus igitur Maglorius post excessum gloriosissimi Confessoris Christi Samsonis juxta sermonem ejus pontificali honore Dolensis Ecclesiæ sublimatus, regimen est adeptus; ubi ejusdem Christi clementia, qui dat multa et non improperat, et semper bona largitur, auxiliatus, magnarum virtutum insignia operatus est, ut Dominus ad discipulos ait : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra opera bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* *; [*h* quarum hujusmodi rudimenta fuerunt.

* coram

C

* Matth. v, 16.

h

Qualiter litteras didicerit.

5 Cum beatus Maglorius puerili deserviret ætati, in schola a parentibus traditur erudiendus. Cui cœlitus tanta ad discendum inerat gratia, ut omnes condiscipulos ejus, qui ad hanc eruditionem pari voto, parique affectu residebant, insertis tabulæ ejus apicibus multimodæ capacitatis sensu excederet. Unde non solum magistrum, verum etiam quosdam qui audierant, admirantes reddebat. Factum est autem cum quadam die a magistro lectionem reddere rogatus esset, inventa est in tabula ejus amplior quam ipse descripsisset litterarum insertio. Quam cum idem magister invenisset, et inde hæsitaret, inter cordis arcana silentio abscondit, donec experimento didicisset, si ita res se haberet, an non. Confestim autem tabulam iterum excipiens, lectionem puero, ut ante consueverat, eodem libramine edidit, et ipsam in quodam conclavi, clauso ostio ac diligenter obserato, occultavit *i*. In crastinum autem repetens illam, trifariam magis, quam ipse inseruerat, per manum angelicam exarationem reperit. Qui vero cum jam rem sic evidenter digestam comperisset, palam Domini, (quam revelari dignum est,) virtutem omnibus evangelisare decrevit. Unde super hunc puerum cuncti, qui aderant, summa alacritate congratulantes, multiplices una voce Domino reddiderunt laudes, qui non solum magnis, sed etiam copiosum munus gratiæ suæ impertiri dignatur parvulis. Quem etiam in succedentibus temporibus miræ sanctitatis habitum adepturum et signa magna facturum, quod postea probavit eventus, prædixerunt. Ad cujus sanctissimi Confessoris merita modo mentem revolventes, totis præcordiorum nisibus ejus gloriosam hodie recolamus solemnitatem, ac piis precibus patrocinia imploremus : quia adeo dignus est venerari laudarique, qui talem ac tantum meruit habere præceptorem et magistrum.]

i

F

De abdicanda prælatura cœlitus admonetur:

6 Cum igitur gloriosus Confessor Christi Maglorius summæ devotionis certamine sublimem archiepiscopii * obtineret arcem, in qua, (ut præmissum est), spectabilibus documentis simul et exemplis, insuper et virtutibus luculenter enitesceret; nocte quadam Angelus Domini in somnis apparuit ei dicens : Hactenus quidem, Maglori, ad regendum

* *B.* archiepiscopi

* Matth. XXV, 34.

AUCTORE ANONYMO.

dum gregem Domini sub episcopatus regimine publica habitatione conversatus, nunc autem, ut simplici oculo totum corpus tuum lucidum existens, indefessas Domini laudes licentius celebrare queas, hinc egredere, et ad quædam remotioris loci latibula solitariam vitam ducens proficiscere. Hunc vero locum, in quo hactenus bonum certamen certasti et gregi dominico prodesse studuisti, gloriæ sancti Samsonis prædecessoris tui scito esse a Deo destinatum. Tibi autem omnipotens Deus tuus specialiter alium præparavit locum, in quo oves proprias sub monachica religione pastor bonus gubernans, innumeris virtutibus sublimari mereberis. Mane * igitur visionem Confessor Christi valde admirans, a somno expergefactus dixit : Gratias tibi ago, Domine, qui per salutaria sancti Angeli tui affamina, ea quæ longe ante æstuanti desiderio mente optaveram, ut opere exercere decertarem, indigno servo tuo pietatis tuæ suggestione notum facere dignatus es *k*.

* *B. deest* mane

k Budocum Dolensi Ecclesiæ præficit:

7 Protinus autem, cui ad alendos sibi olim commissos relinqueret greges, quasque ad commorandum, ut verbis angelicis didicerat, partes eligeret, tacite in radice cordis indagare cœpit. Inter quæ cum exinde hæsitaret, memoriæ tradidit, quod in quadam terra quam aliquando rex Raddualus *l* in augmentum episcopatus sui dederat, commoratio ejus fieri posset. His autem taliter apud se recensitis, non multo post quemdam virum, nomine Budocum, quem a primævæ ætatis rudimentis sancte et religiose secum vivere cognovit, in ordine vicis suæ Dolensis Ecclesiæ episcopum consecravit.

* *B.* Nidivolus

l

secedit in solitudinem, ubi plures eum visitant;

8 Quo huic ecclesiæ in pastorem mancipato, terram superius commemoratam, quam idem Sanctus Maglorius disposuerat, tam clero quam plebi valefaciens, expetere agonisavit. In cujus abscessu quantus luctus omnium, quanta vox plangentium inibi extitit, impossibile est lingua enarrari. Quam ingressus in divini amoris cultibus, videlicet creberrimis jejuniorum vigiliarumque atque orationum exhibitionibus, in tantum ferventius exarsit, ut velut aliquantisper spiritum exhalaret, et ab aliquo ipso auditu auris vix capi posset. Quoniam quidem, cum fama ejusdem sancti viri huc illucque peragrans crebesceret, nonnulli ex diversis regionibus diversos languores habentes, scilicet cæci, claudi, leprosi, et a dæmonibus obsessi, ut sanarentur, ad eum confluebant. Multi namque, ut audirent sapientiam ejus, qua salutis suæ medicamina adipisci possent, ejus præsentiam invisere applaudebant. Plerique etiam non minima thesaurorum munuscula, videlicet auri argentique et cetera donaria ac si pro gratiarum actione illi offerebant: sed idem velut stercora parvipendens, indigentibus, viduis, orphanis, captivis, penuria famis laborantibus confestim erogabat.

C

a turba secedere meditatur,

9 Cum autem in his omnes perseverarent donariis, et immensus circumvallaret eum concursus populorum, cœpit contristari dicens sibi: Væ mihi! Quid profuit propria deserere et aliena petere, ubi multo magis me plebeii tegminis coadunatio et immanissima divitiarum redundat amplificatio? Cum enim dudum a mundi hujus desideriis arbitrarer exspoliari, his nunc magis incipio vestiri. Vel * cum essem terrenarum rerum expers, proh dolor! dives factus sum. Qui cum talia secum revolveret et ingenti coartaretur anxietate, menti ejus accidit ut prædictum * quem ordinavit * episcopum, suæ juberet advenire præsentiæ, ad quem mox legatum direxit. Qui videlicet episcopus * jam dictus, ruptis horarum morulis, celerrime occurrit ei. Cui Beatus Maglorius irrigata facie lacrymis, qualis et quanta a multitudine vulgi perpessus est, retulit. Ubi statim addidit: Pro certo noveris me hinc inpromptu egressurum, et ad locum ubi nulla existunt hominis indicia profecturum. Quem idem episcopus vehementer cernens mœstitiæ dari, ad excipiendam doloris ejus compassionem quoddam protraxit silentium.

D

* *B.* et

* *B. add.* Budocum

* *B.* ordinarat

* *add. B.* Budocus

a S. Budoco saluti proximi vacare suadetur;

10 Sed interposito quodam horarum curriculo, dulci jam cum illo cœpit fari colloquio, Scio, inquiens, Domine, ob confluentium ad te populorum excitationem, qui pro spe salutis a mercede tua exposcunt suffragia, valida te labefactari fatigatione. Audivi enim quod tibi velle adjacet hinc recedere, et abrupta expetere. Verum si id exequi agonisaveris, pater, valde cavendum est, ne dum spiritualis alimoniæ pauperibus Christi, qua illis vivere est, triticum subtraxeris, cujuslibet incidas laqueum discriminis. Melius enim est oves Domini colligere, quam dispergere: melius est contritos corde sanare, quam infirmos relinquere. Olim vero in propriam laborasti messem, nunc autem in alienam et copiosam id exercere, ut bonus pastor, decerne, ut ad horreum Christi utrasque tecum perducas et ex his duplicia possideas. In quo ipsius Christi imitator factus es, qui plebi suæ, scilicet Judaïco populo, per se primum et postmodum per Apostolos gentibus doctrinam inseruit. Horum siquidem populorum molestias, circa te exagitatas, perspicere debes onus leve *; quod etiam recompensabitur tibi in magna retributione. Quod, ut te minime latet, ipse Christus Dominus noster, dum in sinu Patris quiesceret, huic mundo ad sanandos infirmorum languores se contulit. Unde ipse ait : *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent* *. Quos etiam non refugit, sed clementer dare animam suam pro eis censuit. Hinc namque idem in quodam evangelio ex libro Isaiæ de seipso ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelisare pauperibus misit me: sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem* *, cæcis visum, dimittere contractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis. Cujus Sanctus Domini Maglorius hæc saluberrima libenter obaudivit monita, verborum Domini recordatus, quibus ad Apostolos ait: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* *.

E

F

* Matth. IX, 12

* Luc. V, 31.

* Luc. IV, 18.

* Luc. X. 16.

comitem leprosum sanat.

11 Factum est autem non post multum temporis jam sæpedicto episcopo ad propria reverso, quidam comes, nomine Loïescon, valde divitiarum opibus obsitus, sed septenis annis leprosus; et qui multam in medicos erogaverat substantiam, sed a nullo potuit curari; qui etiam in quamdam insulam in sinu maris sitam degens, cum celeberrimam sanctissimi viri

A viri Maglorii audivit famam, huc illucque longe diffusam, cum quibusdam sibi assistentibus supplex ad eum venit, et tumentem exhibens vulnerum suorum putredinem, qua graviter detinebatur, procidens ad pedes ejus efflagitans, ut sui misereretur. Quem intuens ait, Quid quæris? Aut quæ est veniendi ad me petitio tua? Respondit ei languidus: Ut sacris precum tuarum auxiliis fretus, a lepra, quam vides, mundari merear. Ait autem Sanctus Maglorius: Quomodo potest fieri, cum sim immundus mente et tu immundus corpore, immundus immundum curare valeam? Tunc vero triduanum Beatus Maglorius ei indixit jejunium, quod ipse cum quibusdam sacerdotibus et levitis pariter et devotis viris, Christo Domino consuete famulantibus, pie exercuit. Quo peracto, cum letaniarum obsecratione in balnearium dolium jussit imponi. Super quem manus imponens, elevatis oculis in cœlum, dixit: Domine Jesu Christe per quem omnia creata sunt, qui Naaman per prophetam in Jordanis flumine a lepra sua mundasti, et pro
B peccatoribus salvandis a supernis ad infima descendisti; qui etiam in fine sæculi in prædicto flumine Jordanis generis humani crimina per baptismi tui lavacrum, contrito inibi hostis antiqui capite, diluisti, et Mariæ Magdalenæ facinora misericorditer amputasti; non in justificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis, precor Domine, ut hunc hominem, qui ad clementiam tuam exquirens me venit, ad laudem et gloriam nominis tui digneris a lepra quam habet mundare, ut omnes qui viderint glorificent te * His dictis, Beato Maglorio manu totum corpus ejus tangente*, non solum lepra ab eo recessit, verum etiam nec cicatrix in eo usque* apparuit; sed facta est caro ejus sicut caro parvuli. Quanta igitur de hac celerrima et admiranda emundatione dixerint, qui viderunt et audierunt, non est nostræ facultatis evolvere.

* *B. add.* Qui vivis et regnas etc.
* *B.* tangendo
* *B.* usquam

Prædium, a comite oblatum, recipit.

12 Post hujus lepræ emundationem prædictus comes Loiescon Sancti Maglorii pedibus provolutus, laudes de tanto munere percepto lacrimabili affectu Domino ipsique retulit.
C Erat autem idem comes, ut superius dictum est, copiosarum rerum, videlicet auri et argenti, servorum et ancillarum, jumentorum quoque ac diversorum pecorum vinearumque insuper et optimarum terrarum possessionibus locupletatus. Cujus vero terrarum magnitudo in quibusdam locis sparsim sita, triplici continebatur divisione: quarum utique unam scilicet divisionem non integram, sed dimidiam, idem comes Beato Maglorio in munere contulit: quam beatus Confessor excipere, et suo dominio subdere non respuit. Has etiam terrarum divisiones, multitudo copiosa avium,
m quæ miræ magnitudinis et pulchræ erant *m*, consuete frequentabant: captura quoque piscium ingens in sinu maris econtra vehementissime pullullabat. Contigit autem cum Beatus Maglorius suæ medietatis, quam comes ei dederat, portionem penetrasset, omnia avium simulque piscium congeries, quæ alteri inerat medietati comitis, velut perterrita expavit, et fugam iniit, partemque Sancti Maglorii, ipsius præsentiæ acsi Domino suo debitæ servitutis obsequium præstans, expetiit. Quam rem uxor ejusdem comitis graviter ferens, suasit ei, ut illam sibi excipiendo vindicaret, et quam utroque genere orbatam tenebat, Beato Maglorio erogaret. Cujus nequam suggestionem maritus confestim suscipiens, quod non debuit, explere decrevit. Facta autem hac nefandæ commutationis controversia, subito eadem medietas terræ comitis, quam avare a Sancto Maglorio subripuerat, avibus pariter et piscibus aliena facta est. Qui omnes infinitæ multitudinis prædicti generis, velut mutuatim inito consilio, mox ad dominum suum Maglorium reversi sunt. Qua de re idem comes apud se, eo quod taliter egisset pœnitentia ductus, utramque terram perpetim habendam, id est, medietatem, quam tenebat et quam dederat, Sancto Maglorio concessit. Qua sibi collata, avium et piscium agmina omnem utriusque partis terram, sicuti antea consueverunt, repleverunt. Quæ res sic digesta non solum his qui circa mare morabantur, verum etiam in diuturnis * terrarum spatiis in admiratione suscepta innotuit.

AUCTORE ANONYMO.

* *B.* longinquis

cœnobium construxit LXII *monachis,*

13 In quo siquidem loco idem vir beatissimus Maglorius sub sanctæ conversationis habitu, quam velut thesauros absconditos in animo gerebat, semperque ad exemplum hominum foras exhibebat, degens, ecclesiam ædificavit, ibique monachorum sexaginta duorum collegium, quos vitæ suæ eruditione instruxit, ad explendum Deo Sanctisque ejus debitæ servitutis officium collocavit *n*. Ubi etiam qualia quantave, ut superius relata sunt, fecerit et docuerit, quibus virtutibus enituerit, non humana comprehensio sed, qui micantes stellas numerat novit. De cujus sanctissima conversatione quiddam breviter intermiscere volumus. In primo omnium non solum in eo summæ castitatis, sed etiam virginitatis ab utero matris lumen refulsit. Panem quoque hordeaceum, et quæ viliora sunt leguminis, etiam parce in cibum sumpsit; in quarta autem feria et sexta ab omnium ciborum pabulo extitit alienus. Quam observationem jejunii in quarta feria explevit, eo quod in ea sacrilegi et rei facti Judæi sanguineum *, ut auctorem suum Dominum morti traderent, pactum statuerunt *o*: sexta autem feria, quia id quod de corde conceperant, ipsum cruci affigentes, in hac opere compleverunt. Corpus vero ejus jugiter cilicio tegebatur: vestimentis quoque aforis nec multimodis vilibus, nec pretiosis, sed mediocribus, [ne forte humanarum laudum blandiretur fomentis, quod est muscipula æternæ damnationis, induebatur.]

n

* *B.* sanguinis

o

ejus virtutes:

14 Postquam autem per angelicam suggestionem ab arce propriæ sedis suæ, videlicet Dolensis Ecclesiæ, digressus loca deserta requisivit, nec vinum nec siceram bibit; perpaucis denique pisciculis tantum in sacris solemniis, quos pro egregiis reputabat deliciis, coactus a religiosis Deum vita contemplantibus monachis utebatur. Excubias autem noctis, cum fratres se sopori darent, clandestina remotione ab eis sequestratus, super crepidinem alvei maris usque ad matutinarum celebrationem pervigil atque insomnis ducebat. Hospitalitatis receptionem * non solum indigentibus, verum etiam aliis quamplurimis, qui hujus rei necessitate ad se venerant, ut scriptum est: *Hilarem enim datorem diligit Deus,*

* *B.* Hospitalitate

AUCTORE ANONYMO.

* II. Cor. IX, 7.

*Deus**, ultro exhibebat. Quid diutius immorari videmur? Omnes, quas vas electionis Paulus Apostolus virtutes enumerat, ei adhibitæ videbantur : quod est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia, et, ut dictum est, castitas.

ANNOTATA.

a *Biographus noster prodit, linguam romanam sibi esse nativam quum* S. Maglorii *nomen* magnam gloriam *interpretatur : vocem celticam interpretatur canonicus Deric* mag *scientia,* lor *præpositus : ita ut* Maglorius, *doctorem significet* (1). *Quin ad mediam Galliam pertinuisse se prodit auctor, quum num.* 3 *dicit, Britones esse populum,* in Occidente consistentem, *siquidem respectu Britanniæ majoris, seu hodiernæ Angliæ, Britones potius* in Oriente *consisterent. Propterea nobis non probatur opinio auctorum Historiæ Franciæ literariæ* (2), *censentium, Armoricum fuisse biographum. Videtur tamen Vita conscripta ante corpo-*
B *ris translationem, quoniam nulla ejus mentio fiat.*

b *Ex Vita S. Samsonis monstravimus Commentarii prævii num.* 5, *quo consanguinitatis gradu* S. Maglorius *B. Samsonem attigerit. Scilicet duorum fratrum, duarumque sororum filii, duplici necessitudine erant consobrini, utpote qui communem haberent avum tum paternum tum maternum.*

c *S. Heltutus seu Eltutus aut Iltutus colitur die* VI *novembris, quo, ut promiserunt nostri ad diem* XXIV *februarii* (3), *ejus Acta illustrabuntur : qua occasione inquirendum erit, an S. Iltutus mediatus per S. Cadocum, an immediatus discipulus S. Germani Autissiodorensis, die* XXXI *julii anni* 460 *defuncti* (4), *fuerit.*

d *Acta S. Samsonis illustrarunt nostri ad diem* XXVIII *Julii* (5).

e *Ex his verbis liquet, S. Samsonem, ejusque socium* S. Maglorium *in Armoricam non venisse, ut antiquis istius regionis incolis verbum Dei prædicarent, sed ut Britones, in Armorica exsules, seu populum linguæ Celticæ instruerent.*
C *Frequens enim fuit Britonum in Armoricam transmigratio sæculis præsertim quinto et sexto. Chronicum Britannicum sub anno* 513 *habet* (6) : Tempore Clotarii, *Clodovæi filii,* venerunt transmarini Britones in Minorem Britanniam. *Ac dein sub anno* 580 : Hoc tempore fuerunt S. Samson et S. Maglorius, et S. Maclovius, et S. Paulus : *quod chronotaxi, in Commentario prævio num.* 4 *et seqq. expositæ, satis convenit.*

f *Dolum, initio monasterium, sedes fuit S. Samsonis, Britonum Armoricanorum episcopi, quin tamen vere Dolensis territorii episcopus dici posset, quod sæculo* IX *sub Nomenoio principe accidit, ut exposuimus Commentarii prævii num.* 14 *et seqq. Per concordatum anni* 1801 *suppressa sedes Dolensis hodiernæ diœcesi Rhedonensi subjacet. Titulum porro* archipræsulis, S. Samsoni paulo infra tributum, *ita nobis interpretari licet, quatenus S. Samson ejusque successores Dolenses metropoliticam auctoritatem in reliquos per Armoricam dispersos Britones episcopos exercerent, salva tamen remanente jurisdictione Ecclesiæ Turonensis in Gallicanos territorii episcopos : quemadmodum S. Augustinus, Cantuariensis archiepiscopus Anglorum, a S. Gregorio Magno constitutus, sub tribus conditionibus sartam tectam volebat Britonum episcoporum in Britannia Majori potestatem. Ast magnæ emerserunt controversiæ, postquam Nomenoius princeps jus metropoliticum episcoporum Dolensium in universæ Armoricæ territorium transferre tentavit : quæ circa finem sæculi* XII *ab Innocentio III compositæ fuerunt, relicto Dolensibus antistitibus jure præferendæ sibi per suam diœcesin more archiepiscoporum crucis* (7). D

g *Monstravimus Commentarii prævii num.* 7 *Childebertum, de quo agit biographus, esse probabilius hujus nominis Secundum, qui jam ab anno Christi* 585 *heres Guntramni institutus fuerat, et anno* 587 *partem Armoricæ, ut ostendimus Commentarii prævii num.* 10, *obtinuit.*

h *Hæc verba et numerus sequens integre deest in codice Rubræ Vallis : quapropter, sicut num.* 2 *Commentarii monuimus, textus Mabilloniani additamenta prolixiora, inclusimus uncinis.* E

i *Videtur hic agi de* S. Maglorio, *adhuc litteras formare discente : scilicet ut prius duplex, dein triplex scripturæ puerilis exemplar magistro suo exhiberet. In hac narratione occurrit vox* libramen, *quam in suo Glossario omisit Cangius, quæque significat* exemplar, iisdem litteris compositum : *ita ut verba* eodem libramine *interpreter* iisdem litteris edita.

k *Secundum chronotaxin, quam num.* 12 *ordinavimus, hæc circa annum Christi* 594 *accidere : unde quoque ordiri debet S. Budoci episcopatus.*

l *Recte animadvertit R. D. Tresvaux in suo Hagiologio Britanniæ nullum occurrere hujus nominis regem. Quod si quidem Armoricæ regulus Sanctis seu Samsoni seu* Maglorio *terram dederit, eum magis Judualum aut Judahelum esse appellandum; quamvis ipse censeat, donationem potius Childeberto regi adscribendam esse* (8). *Licet autem pro* Raddualo *legere possimus* Ridwalum, *non videtur admittenda istiusmodi emendatio : nam, quatenus vera est genealogia num.* 7 *Commentarii prævii allata, Ridwalus diu ante adventum S. Samsonis in Armorica regnavit; ac proinde donatio ad Judualum aut Judahelem, Samsonis coævos referenda est, præsertim quum Judualus multis nominibus sancto antistiti obligatus esset. Nec scrupulum movere debet nomen, varie scriptum : nam codex Rubræ Vallis pro* Raddualo *habet* Nidivolum : *in tanta autem discrepantia mirum non est, utramque lectionem erroneam esse, cui nomen Juduali est substituendum. Quod etiam partim confirmatur Chronico Briocensi dicente* (9), *Judualum, in paternam hereditatem restitutum, Armoricæ monarchiam* Beato Samsoni, ejusque successoribus jure pontificali totam subdidisse, *quod quidem sine* F

(1) Hist. Eccles. de Brét. tom. I, pag. 433. — (2) Hist. de la France litt. tom. VI, pag. 540. — (3) Act. SS. tom. III Febr. pag. 430. — (4) Cfr ibid. tom. VII, pag. 184. Usser. Brit. Eccles. Antiq. pag. 252. — (5) Act. SS. tom. VI Jul. pag. 568. — (6) Morice. Mém. pour l'hist. de Bret. tom. I, col. 3. — (7) Tresvaux. L'Egl. de Bret. pag. 258. — (8) Les SS. de Bret. tom. I, pag. 341. — (9) Morice. Preuv. de l'hist. de Bret. tom. I, col. 16.

larga

A *larga donatione factum non fuisse, existimandum est.*

m *Hic textus videtur insinuare, S.* Maglorium *ejusque monachos etiam volatilia ad cibum adhibuisse : quorsum enim alioquin mentio* multitudinis avium, quæ miræ magnitudinis et pulcræ erant? *Verumtamen verisimilius monachi Britones carnibus omnino abstinebant, quibus pisces, ova, legumina obsonia erant* (1). *Imo secundum Regulam cœnobialem S. Columbani, ejusdem gentis et ætatis, parcior erat Britonum monachorum cibus :* Cibus, *inquit* (2), sit vilis et vespertinus... olera, legumina, farina aquis mixta, cum parvo panis paximati. *Est paximatium* panis bis coctus: *cfr Du Cange Glossar. h. v. Enimvero biographus noster num. sequenti dicit, Sancto cibum suffecisse* panem hordeaceum et viliora legumina. *Suspicor autem, id magis a biographo manare, qui Benedictinæ Regulæ addictus, eamdem ad Britonum mores traduxit. Etenim Regula S. Benedicti cap.* 39 *monachis prohibet* carnium quadrupedum comestionem : *ex quo enata est apud quosdam*
B *opinio, sanctorum etiam virorum suffragio ac monasteriorum quorumdam consuetudine firmata, S. Benedictum esum volatilium suis monachis permisisse. Alii alia opinati sunt. Has diversas sententias exponit Edm. Martene in suo Commentario in Regulam S. Benedicti* (3).

n *Jam diximus supra, S.* Maglorium *solitudinem sibi quæsivisse in insula Sargia hodie* Serke, *media inter Guernesayum et Jersayum : id confirmat Gulielm. Camden in sua Britannia :* Sark, *inquit,* parva insula longitudinis duorum milliarium, olim celebris antiquo monasterio S. Maglorii (4).

o *Solemne erat monachis Britonibus jejunium quartæ feriæ, quod etiam monstrat Regula S. Columbani* (5) : Si quis ante horam nonam quarta sextaque feria manducat, nisi infirmus, duos dies in pane et aqua vivat. *Sic et Beda testatur Hist. lib.* III, *cap.* 5 (6) : *Aidani* exemplis informati, tempore illo, religiosi quique viri ac fœminæ consuetudinem fecerunt per totum annum, excepta remissione quinquagesimæ paschalis, quarta et sexta sabbati jejunium ad nonam usque horam protelare.
C

CAPUT II.

Varia miracula; obitus.

Piscatorem undis absorptum revocat ad vitam: a

[L]ibet adhuc de quibusdam virtutum suarum, excepta ejus admirabili vita, quas superius commemoratis addidit, hoc loco summatim aliquid perstringere *a*. Quadam vero die cum ab aliquibus sibi servientibus famulis ad refocillanda monachorum quodammodo piscibus corpora in mari diluculo retia mitterentur, contigit ut unus ex his casu repentino ab eodem absorberetur. Cujus mors violenta beatum virum minime latuit, qui mox flens et ejulans, se reum hujus hominis affirmavit esse mortis. Unde indefessis tota die efflagitationibus, conglobatis sibi monachis, in ecclesia coram sancto altari se objiciens, clamavit ad Dominum, ut non super interitum præcipitati irasceretur furor ejus contra eum. Advesperascente autem die cum jam sol ad occasum occubuisset, adhibitis sibi eisdem monachis, cum psalmorum letaniarumque decantationibus litus maris econtra expetiit, terræque se stravit, et profusis lacrymis in cœlum respexit, et ut vel mortuum torrens inundans maris sibi redderet, clementiam Domini peroravit. Qua oratione expleta, mare tumidum, quem deglutierat et ante morti infixum tenuerat, jam, jubente Domino, precibus sancti Confessoris ad litora more Jonæ prophetæ hominem evomuit vivum. Super quem scilicet redivivum, dum jam Domini gratiam sibi adesse, et quia non est aspernatus preces ejus cognovit, sacra exinde divini muneris libamina Domino obtulit, et quod deinceps pro lapsu olim mortui nullo piscium genimine degustaret, votum ei vovere censuit.

AUCTORE ANONYMO.

piscium abstinentiam Deo vovet;

16 Prosecuta autem septem dierum revolutione, cum more solito nocturnis temporibus sacras vigilias celebraret, iterum Angelus Domini apparuit ei dicens : Pisciculis, quos antea esse consuescebas, quosque voto abjecisti, perpaucis vescere. Ubi quoque addidit : Spretis ceteris argumentis, quibus genus piscium irretiri dinoscitur, cuidam ex famulis tuis præcipe, ut altum mare adeat, primumque piscem quem invenerit tollat, et caudæ ejus pinnulas ferro abscidat, hamum quoque manu tenens in hoc projiciat. Hoc igitur erit ei in signum, quod quotiescumque eumdem piscem repererit, piscatio cessabit. Quæ etiam, ut evidenter ostenditur, juxta dictum angelicum tantam horarum prolixitatem protrahebat, donec idem piscis ab aquis denuo amoveretur. Nam quanto major circa beatum virum inerat hominum coadunatio, tanto diutius habebatur piscis occultatio; et quanto eorum minoratio, tanto exigua ejusdem piscis existebat commoratio. Piscis autem iste, ut sub ridiculo dicamus, fidelis servus Domini sui invenitur : qui cum pro quantitate et necessaria esurie supradictorum hominum consocios suos eidem Domino, ut nullo horum indigeat, colligit, quid aliud nisi habile debitæ servitutis obsequium impendit? cum idem
F vero ad primam apparitionem jussu Sancti aquis summittitur et ad sodalium suorum agmina revertitur, quid aliud, ut dixerimus, nisi quasi discrete quales ex his quantique ad mensam Domini sui venire debeant, convocat, et convocando invitat? Ad quem post invitationem et ad inventionem eorum ultimus vadit et ipse : acsi ad eos loquens dicat : Si hinc non acquiescentes mihi exire renueritis, vel incisionis signum quod a Domino accepi, aspicite.

E

ferrum, in mare projectum, mirabiliter invenitur:

17 His quoque jocundati dictis, ad piscationem primam redeamus : quæ vita comite ipsius Confessoris, eumdem, sicut digestum est, sine mutabilitate indistanter ritum obtinuit. Post cujus gloriosum, ut fertur, excessum omnibus artis piscatoriæ peritis se indagantibus antiquum morem restituit, hunc quoque denegavit. In qua piscatione, quod retro obliti sumus, quodam tempore accidit quod famulus, qui assuete pisces aquis exhau-

(1) Eccles. Hist. of Ireland, tom IV, pag. 349. — (2) Migne. Patrol. tom. LXXX, col. 210. — (3) Pag. 523. — (4) Camden. Britan. tom. III, pag. 754. — (5) Migne. Patrol. tom. LXXX, col. 222. — (6) Migne. Patrol. tom. XCIV, col. 124.

serat

AUCTORE ANONYMO.

serat et mensæ deferebat, cum olim eis hamum ad piscandum subponeret, ferrumque, quod vulgi vocabulo cultellus nuncupatur, manu teneret, utrumque inibi projecit. De quo ipse cœpit valde contristari. Quod mox in notitiam sancti viri a quibusdam relatum est. Qui hoc audiens, ipsum ad se accersiri jussit. Ad quem, Noli, inquit, ulla coarctari molestia, quia crastina die illud reperies. Unde famulus, eo quod in profundam maris abyssum jecerat, verba ejus deliramenta reputavit, et omne quod Confessor ei dixerat, impossibile credidit. Cum vero ex more in orbita diei revoluta solitam piscium requireret capturam, eosque caperet et ad domum referret; confestim Beatus Maglorius quosdam illorum intuens, cœlica inspiratione quis eorum esset, quo ferrum illud retinebatur, intellexit. Quem baculo tangens super hunc hæsitanti famulo dixit : Hunc exentera piscem, quia in eo ferrum, quod amisisti, invenietur tibi. Quæ res, ut Sanctus futurorum præscius prophetaverat, est publice inventa, et ambiguitas famuli oblivioni tradita. Quod valde omnes, qui
B hoc et multa alia quæ fecit, quæ etiam libris comprehendi non possunt, audiere, mirati sunt. Quis enim Beatum Maglorium condigne venerari queat, cum non solum homines verum etiam irrationalis creatura, videlicet juxta tonitruum psalmistæ dicentis * : *Volucres cœli, pisces maris, qui perambulant semitas maris,* dum vestigia ejus subsequuntur, dumque ipsi ad vescendum mirabiliter parant escas, obediunt imperio? Quis namque eum rite laudare valeat, ad cujus vocem mare contremuit, hominemque cui olim vitam abstulit ad litus beatissimo eidem Confessori vivum reddidit? Unde laus sit et gloria Christo Domino qui operatur omnia in omnibus.

* Ps. VIII, 9.

Fami spirituali et corporali subvenit :

18 Aliarum quoque virtutum insignia, quæ per eumdem archipræsulem divinæ pietatis immensitas quasi quodam jubare terris emergere voluit, lenta silentii torpedine arbitror non esse prætermittenda. Igitur, fratres dilectissimi, quia tempus et res exigit, ut veridicus sermo capiat exordium, pauca quæ de illius virtutum pelago quorumdam religiosorum at-
C tigi relatu, prout divina largitas imperitiæ meæ vires administraverit, lembum exiguum scandens, humili charactere breviter expedire non differam. Itaque cum præfati viri Maglorii volatilis fama regiones et urbes longe lateque circa utramque alvei maris crepidinem sitam celeri volatu perlustrare cœpisset; Britannia, olim fertilis regio, diræ famis acerbitate, negantibus sulcis semina sibi credita reddere, vehementissime cœpit urgeri. Cumque fames oppido inolevit, et inter finitimos nulla commercia possent inveniri, unde fames posset adimi, multi nobilium diræ pestis novitate perculsi, paterna linquentes magnalia, ut turpe famis periculum possent evadere, beati viri præsentiam catervatim adire cœperunt. Cumque a beatissimo viro pastum corporalem anxie appeterent, ipse de animarum lucris plus sollicitus, æternæ vitæ præmium, si a vitiis transactis resipiscerent, paterno pollicebatur affectu. Nam præfatus vir inter ceteras virtutes, quibus aliis imminebat, litteralibus studiis satis erat imbutus. Ergo vir doctiloquus ex Veteri et Novo, ut doctus scriba, potestative dogmatizans, illorum mentes in scientiam primitus divinis instruebat adjumentis, deinde corpoream fragilitatem carnis necessariis sustentabat alimentis : sicque gemino pastu refocillati, precibus indefessis, vocibus assiduis Deo omnipotenti innumeras referebant grates, qui tantæ scientiæ virum, sibi et Deo delitescere cupientem, et familiæ suæ præesse et illorum necessitati subvenire suo ineffabili consilio modernis temporibus subrogasset *b*. D

b

fratres de monasterii penuria turbatos solatur:

19 Interea dum apud Sargiam hæc agerentur, ob multitudinem confluentium magnum penus monasterii parvo spatio visum est consummari. Quod œconomus et decanus consensu fratrum monasterio condolentes, quadam die, finito cursu matutinali, beato viro intimare voce lugubri aggressi sunt, dicentes : Pater sancte, ovilis tibi commissi grex devotissimus, qui sub tuo regimine jugum Christi ferentes monastice vivunt, consilium vivendi a te expetunt, vestræ notitiæ humiliter intimantes, cerealia dona necnon et bacchica in hoc monasterio jamjamque E deficere. His auditis, vir beatissimus, nullo mœrore dejectus, vel quid animi fratres haberent vel quid agendum decernerent, sagaci investigatione disquirit. Tunc œconomus cum decano monasterii velle fratrum tale esse intulerunt, ut, paucis secum remanentibus, ceteri fratres, accepta illius licentia, ut inopem vitam a periculo famis eripere possent, longinquas adirent regiones, et sedata fame vitaque conservata, ad eumdem patrem Christo militaturi incolumes quandoque redirent. Sanctus vero Maglorius, audita fratrum dispersione, longa suspiria imo pectore trahens, singultu quatiente et lacrymis obortis, aliquantisper obmutuit. Sed transacto tempore lacrymarum, resipiscens prophetica et evangelica voce respondit: O fratres minimæ fidei, quare estis tam timidi? Nonne potens est Deus parare mensam in deserto? Quis enorme virorum agmen temporibus priscis angelicis pastibus satiavit? Quis illorum vestimenta, quinis annorum decursibus octies labentibus, ab omni integra vetustate reservavit? Quis petram siccam atque durissimam, ut populus F biberet et jumenta, largissimas fundere jussit aquas? Nempe virtus Domini nostri Jesu Christi, de quo legitur : Christus erat panis, Christus petra, Christus in undis, qui panibus quinis et gemellis piscibus quinquies millenos præter matres et infantes satiavit, hæc omnia potenter est operata.

omnes prodigiose pascit.

20 Interea dum sanctus vir vellet talem protelare locutionem, hora prandii affuit. Cumque ab œconomo fuisset interrogatus quinam secum pransuri essent, hilari vultu respondisse fertur : Infantes sugentes ubera, puer imberbis, adolescens prima lanugine gaudens, ephebi juvenes, senes delirantes, advena sicut et indigena, ad nostram pauperem mensam cum omni fiducia, nullo prohibente, festinantes accedant. Sed ecce nos dum sancti viri mira caritas et affabilitas erga cunctos qualis fuerit monstrare conati sumus, ab ordine narrationis nostræ deflexo tramite aliquantulum evagati sumus. Ergo ad ejusdem narrationis seriem recto tramite redeundum est. Finito autem convivio, postquam est epulando

A lando fames exempta, quidam monachorum more solito orandi vel legendi seu etiam quiescendi gratia secreta latibula, quidam vero, quisque prout sibi injunctum erat, diversa petiere negotia. Tunc parvuli monachi, nobili prosapia editi, qui inter claustra monasterii rigore disciplinæ constringebantur, terratenus provoluti, Sancti Maglorii pedes amplexati sunt, dicentes : Beatissime pater, permitte nobis portum atque litus adire, ut garrulitas nostræ vocis monachis quiescentibus somnum non possit eripere, et ut securius alta voce legentes nostras lectiones valeamus commendare. Quam petitionem sanctus vir gratanter accipiens dixit : In nomine Jesu Christi, qui parvulos ad se venientes nec ad modicum passus est contristari, cum omni sobrietate, nihil pueriliter agentes, pergite: congruo tempore iterum incolumes ad monasterium reversuri. At illi, suscepta benedictione et licentia beatissimi viri, ultra quam credi potest hilares effecti, per devexa montis latera et scopulosa ad loca maritima, quæ
B græco vocabulo ἄκτη vocitantur, inoffenso pede descenderunt.

Maglorius *juniores monachos, in nave remigii experte periclitantes, servat:*

21 Forte in litoris extremitate, ubi nullus fervor maritimus, obstante crepidinis altitudine, accedere poterat, navis erat emerita, et multo tempore neglecta, cujus juncturæ compago jamjamque carie et putredine consumi videbatur. Quam parvuli videntes, nam in tuto loco ab accessu marino sedebant, jocaturi vel lecturi, more infantili, intraverunt. Cumque navis magnitudinem huc illucque, nam pro sui magnitudine triremis vocitari poterat, absque prora donec ventum est ad puppim legentes vel jocantes discurrerent, malina incredibilis subito accessit *c*, et parvulos cum navi citissime portavit. Cumque parvuli navigatione timida, et post Petrum Apostolum inusitata (nam nullo remige navis ducebatur) quasi maris medietatem essent emensi, Sanctum Maglorium querulis vocibus invocare cœperunt. Cumque ejulatu magno flerent, Sanctus Maglorius, lacrymis illorum commotus, quasi corporaliter illis apparuit, et illorum mœstitiam paterno more consolatus, navem-
C que baculo gubernans, ad alterius ripæ marginem, ut illis videbatur, divino nutu salvos et incolumes perduxit.

c

incolis de hoc contendentibus, res ad regem defertur:

22 Sed inter hæc incolæ maritimi navem tantæ magnitudinis intuentes, inæstimabili gaudio concussi, diversa negotia, more solito peregrino litore adducta, captaturos se pensantes, cum incredibili pondere auri et argenti catervatim illis obviam occurrerunt. Cumque navem miræ magnitudinis, expertem totius negotii, et, quod magis exspavesceres, naucleri totiusque navalis instrumenti juvamine destitutam, torvis luminibus intuerentur, nacta occasione, altercatio non minima orta est in populo, quibusdam asserentibus, diabolicum hoc esse phantasma, aliis vero contradicentibus, divina esse magnalia, obstinato animo inter se contendebant. Non parvam populo dedit admirationem, quod in eadem navi nulla carbasa, nullum aplustre, nulla etiam artemonis adminicula, et, ut epilogum breviter concludam, nulla navalia apparebant instrumenta. Cumque tali obstinatione detenti essent, et nulla pars alteri crederet, altiori consilio visum est, veridicos regiæ sublimitati nuntios dirigere, ut ad tantam litem dirimendam et spectaculum tam inopinatum cum summæ peritiæ viris accedere non tardaret. Quod ita et factum est. Rex autem cum audisset, vehementer admirans, summa cum festinatione, coadunato exercitu, hujuscemodi miraculum visurus, perrexit ad litus. Cumque navem, nullo apparatu instructam, et parvulos quasi semihomines aspexisset, sedilia sibi regalia in loco editiore primitus fieri jussit, deinde parvulos ante præsentiam totius senatus accersiri præcepit. Tunc parvuli ante regem astantes intrepidi, inquisiti per interpretem, quanam occasione hæc res tam spectabilis orta esset; primitus de fame terram constringente et de sancto viro, apud Sargiam cum suis monachis conversante, et de sui navigatione, præsentia Sancti Maglorii suffulta, omnia per ordinem retulerunt.

rex navem annona et opibus instructam ad Maglorium, *remittit;*

23 Itaque rex, audita fama beatissimi viri, ut ajunt, pene lacrymans, multum indoluit tantæ sanctitatis virum et tantis virtutibus pollentem hactenus sibi latuisse. Tandem usus consilio majorum et maxime episcoporum, intelligens, divino instinctu ad se navem destinatam, ut sancti viri inopia regali abundantia suppleretur, eamdem navim frumento et farina, vestimentis et lana et bonis omnibus ab imo summotenus onerari præcepit; insuper etiam ignotum pondus auri et argenti cum litteris sigillatis Sancto Maglorio transmisit, in quibus litteris insertum erat, ut singulis annis viros industrios, peritos navigandi, mitteret ad regem, qui cuncta fratribus necessaria ex regali fisco susciperent, et monasterio deferrent; ita tamen ut pro regis incolumitate et regni stabilitate et peccaminum absolutione illorum cura in perpetuum pervigil excubaret. Repleta autem navi tanta ubertate, ne tanto oneri victa succumberet, regi suadebant, ut viros strenuissimos, navigandi peritos, studiosissime inquireret, qui eamdem navem cum tantis epimeniis *d* *d*
B. Maglorio incolumem præsentarent. Quo audito, rex, majorum consilio et maxime episcoporum usus, sapienter respondisse fertur : Si divina virtute nostri litoris portum, nullo
F ducente, sine ullo phantasmate tetigit, salva fide credimus, ad eumdem portum, unde digressa est, eadem potentia, qua delata fuit, mox esse reversuram. Quod ita et factum est. Nam finito sermone regali, zephirus ratem suscipiens, non præcipitem Africum decertantem Aquilonibus, nec tristes Hiadas, nec rabiem Nothi, nec fratris Helenæ lucida sidera pertimescens, eamdem navem, æquoreas findentem aquas, ad eumdem portum, unde digressa fuerat, remeante tertia luce, cum parvulis et cum omnium admiratione et ingenti alacritate incolumem reduxit. Interea beneficia Dei erga se parvulis recitantibus, et quomodo Sanctus Maglorius in eundo et in redeundo baculo navem gubernans illis apparuerit attestantibus, omnis insula una cum monachis incredibili lætitia lacrymas præ gaudio fundebant.

quæ novo prodigio ad monasterium transferuntur:

24 Tunc œconomus, jubente episcopo, ut navem alleviaret, ad litus perrexit, onerato plaustro sena boum juga, qui plaustrum traherent, secum adhibuit. Sed, ut solent semper

AUCTORE ANONYMO.

crescere erga pios et subjectos Dei magnalia, ex virtute exoritur virtus altera. Nam cum per devexa montis plaustrum minare cœpissent, quoddam obstaculum, rotarum volubilitatem in modum sufflaminis retardans, in medio itinere offenderunt. Cumque magno conamine bubulci plaustrum impingerent, et illata injuste vulnera bovinas infligerent costas, solutis decem anterioribus, volubile plaustrum cum geminis bobus, temoni inhærentibus, ad navem usque descendit. Cumque hi, qui aderant, pene lacrymantes plaustrum insequerentur, nullam fracturam plaustri, nullam læsionem boum deprehendere possent, quid actum esset, episcopo nunciaverunt. At ille immensas Deo omnipotenti gratias referens : Nolite, inquit, animo contristari; antiquus hostis, invidia tabescens, dum vincere cupit, virtute Jesu Christi victus succumbit. Sed ite potius ad navem et plaustrum melius onerate, et neglectis decem, qui evaserunt geminis bobus, præcipite, ut plaustrum cum duplici onere ad monasterium sine ullo impedimento illorum gestamine reportetur. Illi
B autem profecti, plaustrum onerantes, boves minantes, ad claustra monasterii, Deo ducente, pervenerunt incolumes.

Puella muta, a S. Maglorio, frustra obluctante,

25 His ita dimissis, alia ejusdem viri miracula breviter exequamur. Sub ejusdem quoque temporis articulo, quo Sargia miraculis et virtutibus Beati Maglorii celebris habebatur, Bissargia insula, eidem Sargiæ vicina, dives opum atque frugum, a quodam viro nobili, qui vocabatur Nivo, jure hereditario tenebatur *e*. Qui præfatus vir licet terram, ut ajunt,
e centum pene verteret aratris, æquoreos meatus innumeris solitus sulcare carinis; uno tamen infortunio laborabat. Nam expers masculæ prolis divitem censum non sine magno dolore alieno servabat heredi. Huic forte unica filia, jam nubilis et nimia pulchritudine laudabilis, habebatur: sed quia officio linguæ, fortuna invidente, erat destituta, licet erat nobilis, a nullo procorum sub nomine dotis expetebatur. Quadam vero die pater illius, rogaturus pro filia, ad Sanctum Maglorium accessit, magna beneficia promittens, si puella,
C sancto viro opem ferente, sanitati redderetur. Tunc Sanctus Maglorius humiliter se excusans, respondit dicens : Fili, noli mihi molestus esse; nam hoc quod requiris, non est nostræ fragilitatis. Nam quando aliqua infirmitate nos ipsi detinemur, incertum habemus, utrum subitanea morte prærepti, rupto stamine Parcarum, vita careamus, an iterum, finita passione, redivivi, Deo jubente, ad vitam redeamus. Ergo qui propria potestate corporis caremus, quomodo de alieno pestes, a Deo permissas, expellere valemus? His et aliis argumentis virum a se repellere cupiens, suadebat illi domum reverti, et copiam eleemosynarum pro filiæ sanitate Deo omnipotenti, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, citissime largiri. Quo audito, suas preces ad Sanctum Maglorium nihil valuisse cognoscens, tristis effectus, domum rediit, et cuncta per ordinem suæ conjugi replicavit.

ad parentum preces, curatur:

26 Quibus auditis, mulier ad horam paulisper obticuit. Sed postquam virum suum passis visceribus agnovit exhilaratum, familiaribus dictis illum aggreditur dicens : Do- D
mine, quid nobis proderunt post obitum divitiæ, quandoque perituræ, si liberis orbati, nulla posteritatis indicia relinquamus? Ergo pecuniam in tres partes cum ipsa terra suadeo dividendam, et duabus partibus ad nostrum opus reservatis, tertiam sine aliqua dilatione pro puellæ sanitate Deo omnipotenti et Sancto Maglorio offerendam. Cujus sermo cum in oculis omnium placuisset, facta divisione terræ et pecuniæ, una secum puellam adducentes, quadam die ad Sanctum Maglorium perrexerunt. Cumque sanctum virum orantem inter cubiculum offendissent, terram cum pecunia simul offerentes, indefessi pro filiæ sanitate rogare cœperunt. Quorum petitionem vel donationem vir sanctus humiliter respuens, ultra suas vires hoc nogotium esse, obstinato animo asseverabat. Tandem coactus a fratribus, parentum puellæ quoque fidem et devotionem aspiciens, humi prostratus una cum omnibus, qui aderant, lacrymis ubertim obortis, orationem diutissime fudit. Cumque ab oratione surrexisset, sacratissimi olei E
liquorem accepit, et in os puellæ cum aqua benedicta immisit dicens : Domine Jesu Christe, qui condolens humanæ conditioni ex sinu paterno descendens hominem, diabolica fraude deceptum, proprio cruore ad propriam dignitatem reduxisti, peccata, quæ nostra fragilitate contraximus, post tergum projice, et astantium fidei, et maxime puellæ parentum devotioni clementer annuens, illius linguæ vinculum miseratus absolve, ut posteritas, ab illa nascitura, nomen gloriæ tuæ sanctum benedicat in sæcula sæculorum. Ad hanc vocem beatissimi Maglorii, respondentibus cunctis, amen, ruptis retinaculis linguæ verbimorosæ, apertum est illico os ejus, et more Zachariæ Prophetæ ad propria cum parentibus remeans, loquebatur recte, benedicens Deum.]

S. Maglorius de instante obitu ab Angelo admonetur;

27 Postquam Sanctus Maglorius innumeris signorum atque miraculorum titulis instar Phœbææ lampadis non solum Sargiam, sed et ceteras provincias circa utramque maris crepidinem illuminasset, cœlesti quoque revelatione illustratus, obitum suum imminere F
longe præscivit. Nam in vigilia paschalis sacrosanctæ festivitatis, cum in ecclesia more solito pernox excubaret, Angelus Domini nimia venustate coruscans* (ante faciem illius)* astitit, et dictis familiaribus illum admonuit dicens : Sancte Maglori, age quod agis, operare quod operaris, nomenque tuum in albo militiæ cœlestis scriptum esse noveris. Placuit enim Altissimo, cujus præceptis ab ineunte ætate fideliter obtemperasti, dignam meredem tui certaminis in cœlesti curia tibi restituere. Quo audito, Sanctus Maglorius lætus de promissione, incertus de visione, ne angelus satanæ in angelum lucis se transfiguraret, orationem diutissime protelavit. Completa autem oratione, Angelus Domini Sanctum Maglorium de visione certum reddere cupiens, bis et ter eumdem sermonem repetebat, dicens : Sancte Maglori, de hac visione angelica noli esse dubius : quia sicut ego sum assiduus minister summæ veritatis, ita nostra legatio expers est totius falsitatis. Verissime ergo (et sine ullo phantasmate missus ab astris vera tibi)

* *B.* coruscus ei

* *B. deest parenthesis*

* *B. omittit parenthesim*

* *B.* indefectiam

tibi)* refero, quod in proximo, finito agone carnali, cum victoria et triumpho de hoste generis humani in sidereo senatu receptus, divinæ majestatis indefecturam * gloriam inter cœlestes turmas sine fine possidebis. Tunc Sanctus Maglorius omni dubietate exutus, angelico affamine solidatus, respondit, dicens : Si a Domino meo Jesu Christo, ut asseris, missus es, rogo te, ut uberrimis tuis benedictionibus in illius nomine, antequam recedas, mihi benedicas. Angelus Domini humiliter econtra respondit : Quomodo tibi benedicere possum, qui benedictus es, et benedictus eris, a quo omnia sunt benedicta? Tunc mutuo se invicem salutantes atque benedicentes, Angelus cum magna claritate celsa petiit; Sanctus vero Maglorius noctem pervigilem, ut cœperat, duxit.

et pie moritur.

28 Evolutis autem paucis diebus idem Angelus nimio splendore coruscus, Sancto Maglorio apparuit dicens : Sancte Maglori, omni dubietate postposita de tuo obitu esto securus : quia terdenis ornamentis quosdam serta coronant; quidam vero sexagenarii numeri

* *B.* fœcundæ

honore duplicato præmia secundæ * castitatis obtinent; te autem corona centeno cumulata fructu ob corporis integritatem et servatam virginitatem inter choros virgineos sacer ornabit. His dictis, viaticum de manu Angeli in proximo moriturus, visibiliter accepit. Ab illo ergo die de obitu suo valde sollicitus, nisi causa inevitabilis et multis profutura extitisset, usque ad diem vocationis suæ hunc versiculum in ore semper repetens : *Unam petii a Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo*

* Psal. xxvi, 4.

Domini omnibus diebus vitæ meæ *, nunquam ab ecclesia visus est recedere. Postea finito cursu labentis vitæ, quando illi placuit, cui ab initio famulatum præbuit, fratribus valedicens, inter verba sanctæ exhortationis animam exhalans, felici transmigratione nono kalendas novembris pervenit ad Christum. Cujus intercessio gloriosa nobis obtineat veniam peccatorum, cujus mors pretiosa est ante Deum, qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

C

ANNOTATA.

a *Ab hoc numero usque ad* 27 *desumpta sunt ex textu Mabilloniano, ac desunt in codice Rubræ Vallis; quapropter, ut monuimus, uncinis inclusa sunt.*

b *Ex hac famis, per Britanniam Armoricanam grassantis, mentione, quidam suspicati sunt,* S. Maglorium *anno* 585 *obiisse* (1). *Isto nempe anno* magna, *inquit Gregorius Turonensis* (2), fames pene Gallias totas oppressit. *Ostendimus in Commentario prævio, annum emortualem* S. Maglorii *circa initium sæculi septimi constituendum esse, et quidem ex Chronico Hermanni Contracti habemus sub anno* 609 (3) : Fames, pestilentia et inundatio immensa acciderunt. *Et certe chronotaxi, a nobis stabilitæ, non repugnaret vita sancti ad annum usque* 609 *prorogata. Verum fames, quam recenset codex Mabillonianus, omittit exemplar Rubræ Vallis, potuit esse localis, insulas et littus vicina afficiens, et quoniam nec tanta frequentia nec facilitas commeatuum præsto erat, ingentem regioni in quam incumbebat, inferebat calamitatem. Enimvero localem fuisse famem, monstrat num.* 21, *quo dicuntur, parvuli naufragi instruxisse regem circa penuriam, in Sargia grassantem.*

c Malina *seu* Malinea *non est fluxus maris ordinarius, quæ statis horis diebus singulis accidit, sed talis altitudo aquarum, quæ modum consuetum excedit* (4).

d *Epimenia a Græco* μὴν *dona sunt in singulos menses post novilunium.*

e *Bissargia videtur alterutra insula Guernesayum aut Jersayum, quoniam dicitur* dives opum atque frugum; *scimus autem, utramque insulam a Romanis jam cognitam ac excultam fuisse. Sed mihi non licet indicare, utri insulæ nomen Bissargiæ conveniat.*

(1) Tresvaux. Les SS. de Bret. tom. I, pag. 346. — (2) Migne. Patrol. tom. LXXI, col. 445. — (3) D. Bouquet. Rec. tom. III, pag. 325. — (4) Cfr Du Cange. Glossar. h. v. — (5) Pag. 666.

TRANSLATIO

S. MAGLORII ET ALIORUM

E

PARISIOS

AUCTORE ANONYMO.

Ex tomo III Annalium Ord. S. Benedicti (5).

Danis littus occidentale Galliæ vastantibus,

Operuerunt Dani superficiem terræ, sicut locustæ, nec erat cuiquam hominum eos facile prohibere *a*. Quorum bestialem animositatem præsul egregius Alethinæ civitatis, Salvator nomine *b*, quum inter alios se nullo juvamine perferre diffideret, sublato corpore beatissimi Machuti, prædecessoris sui *c*, Lehonense monasterium celeri cursu expetiit *d*. Inibi siquidem jam multi sacri ordinis ministri, hujus cladis fragore perterriti, confluxerant; quia idem locus non solum pro sui amœnitate pollebat præcipue, verum etiam priscorum regum munificentia magnorum prædiorum copiis præ ceteris nobilior apparebat, maxime quum ad sui decoris augmentum venerabile sacratissimi Maglorii archipræsulis corpus penes se retineret humatum *e*. Grex ergo ibidem devotus monachorum, administrante strenuissimo viro, Junano nomine, pastorali cura, quum æterno regi indefessis militaret excubiis, fertur eum divinitus fuisse præmonitum, ut, urgente persecutionis tempore, Galliarum in partes secederet, ubi tranquilla pace et tutissima mereretur potiri requie. Quamobrem, adhortante venerabili Salvatore episcopo, sumptis multorum Sanctorum pignoribus, quæ per fidelium manus undique illic devecta fuerant, sacrisque ipsius ecclesiæ codicibus et signis, aliisque ecclesiasticis utensilibus, exsules egrediuntur a finibus suis.

a

b

c

d

F

e

Sanctorum Reliquiæ Parisios

2 Jam metas excesserant patriæ, quum Dolensis necnon et Bajocensis Ecclesiæ ministri se illorum hæserunt comitatui, ferentes secum sanctæ patriarchæ Samsonis, necnon

et

AUCTORE ANONYMO.

et gloriosi episcopi Senatoris, sanctorumque pontificum Paterni et Scubilionis venerabiles artus *f*, una diu multumque per extera et incognita loca peregrinaturi. Verum dum per triennium hæc acerrima perduraret guerra, Richardus comes Danos, Alamannos et Deiros in auxilium advocavit. A quorum infestatione quum Gallia diversis concuteretur incommodis, venerandus Salvator episcopus, paucis secum junctis fidelibus, ob imminentem rabiem barbarorum Parisius, urbem nobilem munitissimamque, adierunt. Quam ingressi, quum, sicut moris est ipsius gentis, eorum desolationi dulcissimo affectu compaterentur, eorum inopia quorumdam fidelium caritate satis abunde supplebatur. Aliquantisper denique ibidem commorati, quum paganorum immanitatem in christianos crebrius grassari conspicerent, omni spe sibi abscissa in patriam redeundi, provida dispensatione omnium Rectoris et Creatoris sine se nequaquam ulterius recessuros elegerunt, si, favente divinitate, ab ipso civitatis principe, videlicet Hugone, Francorum duce *g*, locus ad tantorum corpora digne locanda largiretur. De inito consilio ipsum ducem, tunc in urbe demorantem, adierunt, secum quorumdam Sanctorum cineres deferentes.

f

g

transferuntur, et favente Hugone, Francorum duce,

3 Sed quum ducis colloquium diutissime protelarentur, forte super mensam sanctorum corporum glebam deposuerunt, principis præstolantes adventum. Interim vero hora prandii imminente, quum is, qui principalibus præerat epulis, ad procurandum convivium aulam fuisset ingressus, ad viros Dei, ubi residebant, devenit, et virga, quam manu gestabat, super corpora Sanctorum percutiens, ut egrederentur procacibus verbis admonuit. Nec tanti sceleris immanitatem impune tulit. Extemplo ergo a dæmone corripitur et huc illucque debacchando discurrens furiosus, atrociter vexatur. Dumque alii ab eo pugnis tunduntur, alii diversis contumeliis afficiuntur, ingens per regiam aulam tumultus exoritur, et ob hoc dæmoniacus vinculis adhibetur : Sanctorum corpora ab omnibus venerantur : et tanti prodigii novitas principis aures aggreditur, qui illico nimio terrore compulsus, mox cum suis ad Sanctorum corpora progreditur, atque coram eis humi prostratus, ne sibi, quod factum fuerat, in peccatum reputaretur, ipsis ad Dominum suffragantibus, humili devotione precatur. Sublatis autem inde in ecclesia sacris Sanctorum artubus ab ipso Hugone, strenuissimo duce, quæ regum antiquitus fuerat munificentia constructa, et in honore Beati Apostoli Bartholomæi consecrata, in quo canonicorum ordo divinum celebrabat officium, sunt deportata; atque ibidem decimo sexto kalendas novembris cum digno honore collocata : corpus videlicet Beati Samsonis, Dolensis archipræsulis, Maglorii ejusdem archipræsulis, Machuti episcopi, Senatoris episcopi, Leonarii episcopi, Wenalis sacerdotis, Reliquiæ Briomagli et Corentini, Lencerni episcopi, Leviani episcopi, Ciferiani episcopi; pars pretiosorum corporum Malorii et Tremorii, Wingantonis abbatis, Scofili abbatis; pars corporum Paterni et Scubilionis; dens sancti Budoci *h*.

C

h

4 Erant autem in ipsa eadem ecclesia aliorum Sanctorum Reliquiæ et corpora; quæ tam regum quam fidelium manibus, ut in regia capella, inantea fuerant delata. Pace itaque in tota Gallia et Nortmannia vigente et florente, quidam eorum, qui de Britannia Parisius advenerant, nutu, ut credimus, divino, sumptis Sanctorum corporibus, quæ illic secum detulerant, almi videlicet Samsonis et Beati Leonarii, necnon et Sancti Wenalis, aliorumque quorumdam Sanctorum, quidam eorum patriam repedare, quidam ad alia Galliæ loca migrare disposuerunt. Quod quum duci nuntiatum fuisset, licet ægre tulisset, vim tamen eis nolens inferre, retentis quibusdam membris Sanctorum, abire permisit. Qui recedentes alii Corboilum castrum *i*, alii Bellum Montem *k* expetierunt, ubi et quieverunt : alii etiam ad alia Galliæ loca abierunt. Sancti vero corporis Samsonis procuratores, quia in Britanniam redire volebant, maxima parte ipsius sancti corporis retenta, et alia cum capite concessa, remeare permisit. Qui abeuntes, quum per Aurelianensem urbem iter facerent, in ipsa urbe, quibusdam incommoditatibus detenti, diu multumque morati sunt *l*. Dux autem ecclesiam Beati Bartholomæi, quæ tantorum Sanctorum Reliquiis videbatur illustrata, ampliavit; quam postmodum in honore prædicti Apostoli atque beatissimi Maglorii, eo quod *Beatum Samsonem in archipræsulatu Dolensi meruisset sublimari, dedicari fecit : in qua etiam monachos ad divinum officium peragendum constituit; quibus semper abbatem ex propria congregatione præesse, tam regali quam sacerdotali auctoritate, stabilivit. Qui etiam cum sua venerabili conjuge, Adelaide nomine, filia Pictavorum comitis, de progenie Caroli Magni, eidem ecclesiæ magna dona, possessionesque et prædia obtulit, quæ sub nomine Lotharii regis et Ludovici describi et confirmari præcepit, regioque sigillo muniri constituit *m*.

in ecclesia S. Bartholomæi

i

k

l

* Post?

m

Ordinis S. Benedicti honorifice reconduntur.

5 Sub Roberto vero rege, memorati ducis filio, comes Britannorum, Berengarius nomine, Parisius advenit, eumdem principem visurus, militareque obsequium præbiturus. Quod audientes monachi ecclesiæ Sanctorum Bartholomæi atque Maglorii Confessoris, ipsius regem urbis adierunt rogantes, ut suis precibus apud præfatum comitem obtineret, quatenus ecclesia beatissimi Maglorii, in Lehonensi pago sita, quæ malignorum crebris infestationibus in absiditate redacta videbatur, cum suis appendiciis ecclesiæ Beatorum Bartholomæi atque Maglorii concederet: quia nimirum decebat, ut, sicut hæc ipsius Sancti Confessoris corporali præsentia illustrari videbatur, sic ipsa Lehonensis ecclesia, quæ tanti patroni mœsta corporali carebat absentia, eidem Parisiensi ecclesiæ perpetuo subjici non denegaretur. Prædictus itaque comes tam regis quam monachorum piæ petitioni præbens assensum, ipsam Lehonensem ecclesiam, quæ in honore Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Beati Maglorii fuerat consecrata, ecclesiæ prænominatæ, in urbe Parisiaca sitæ, cum suis possessionibus benigne concessit, quam ipse etiam postmodum largissimis prædiis propria donatione ampliavit. Directi sunt autem illic monachi sex a venerabili Harduino, qui eo tempore congregationi Parisiensi

F

A siensi præerat abbas, qui ipsum Lehonense monasterium in pristinam constructionem reducerent: quatenus ibidem servi Dei, monastice viventes, remota sæculari pompa, cœlibem vitam actitare satagerent. Prædicti autem monachi, jussa patris complentes, ob multitudinem pro loci amœnitate ibidem construentium * ocius in priori renovatum est statu.

* confluentium?

ANNOTATA.

a *Danorum vastatio, quam sequuntur Salvatoris, Alethensis episcopi, ad Lehonense monasterium fuga, ac sanctorum corporum Parisios translatio, pertinet ad annum Christi* 963 *et sequentem, ut ostendimus Commentarii prævii num.* 21.

b *Salvator, Alethensis episcopus, videtur, bello etiam composito, Parisiis remansisse; quandoquidem ibidem, regnante Roberto rege, circa finem sæculi* X *obiit, ac in ecclesia SS. Georgii et* Maglorii *sepultus fuit* (1).

c *S. Machuti Acta ad diem, quo colitur,* B XV *novembris illustrabuntur. S. Machutus, etiam Maclovius dictus, nomen suum Ecclesiæ Alethensi dedit, quando sæculo* XII *sedes translata fuit ad hodiernam urbem Macloviopolim* (Saint-Malo) : *Concordato anni* 1801 *suppressa diœcesis, inter vicinos episcopatus Rhedonensem, Venetensem et Briocensem divisa fuit* (2).

d *De Lehonensi monasterio, variaque ejus fortuna actum fuit Commentarii prævii numm.* 18 *et* 19.

e *Ex num.* 18 *Commentarii prævii habemus, corpus S.* Maglorii *a Nomenoio, Armoricæ principe, ad Lehonense monasterium devectum fuisse. Nomenoius autem anno Christi* 851 *obiit, ut constat ex Fragmento Chronici Fontanellensis* (3) : *adeoque translatio anno* 849 *celebrata fuit.*

f *De SS. Paterno, episcopo Abrincensi, ejusque socio Scubilione egerunt nostri ad diem, quo coluntur,* XVI *aprilis* (4).

g *Hugo, dux Francorum, vulgo dictus Capetus, anno* 987 *solium regni conscendit, ac caput fuit tertiæ stirpis, Capetianæ dictæ.*

h *Sancti, quorum translatio hic recensetur, va-*C *riis diebus cultum habent. Et quidem de S. Samsone jam sæpius egimus : S. Machutus colitur* XV *novembris : S. Senator, etiam Sinerius, Abrincensis episcopus, die* XVIII *septembris* (5) : *S. Leonarius seu Leonorius, episcopus,* I *julii* (6) : *Wenalis seu Gunailus,* III *novembris* (7) : *S. Briomaglus, Briomaclus seu Briocus, episcopus regionarius* I *maji* (8); *major tamen corporis pars propter metum Normannorum Andegavos ad monasterium SS. Sergii et Bacchi transvectum fuerat; ita ut Salvator Alethensis non nisi aliquas Reliquias, ut recte habet textus noster, Parisios detulerit* (9) : *S. Corentinus episcopus Corisopitensis,* XII *decembris* (10) : *SS. Lencernus seu Lenthernus, Levianus episcopi et Scofilus abbas, die* XVII *octobris* (11) : *S. Ciferianus,* XIII *novembris : S. Melorius,* III *januarii* (12) : *S. Tremorius,* VIII *novembris : S. Winganton abbas,* XXVIII *novembris* (13) : *Paternus episcopus et Scubilio abbas,* XVI *aprilis* (14).

i *Corboilum* (Corbeil) *oppidulum in hodierna diœcesi Versaliensi, quod olim habebat ecclesiam collegiatam.*

k *Bellus Mons* (Beaumont) : *hujus nominis plura sunt loca : videtur tamen esse Bellus Mons super Isara* (Beaumont-sur-Oise) *pariter diœcesis hodiernæ Versaliensis, ubi quoque erat ecclesia collegiata.*

l *Pars corporis S. Samsonis Aurelianis remansit, in cujus honorem ædificata fuit ecclesia, olim Societatis Jesu, quæque usque ad annum* 1848 *perstitit, quando destruenda fuit, ut urbanum collegium amplificaretur* (15). *Hæ tamen Reliquiæ Calviniana calamitate deperditæ fuerunt* (16).

m *Exstat hactenus diploma, quo Lotharius* E *et Ludovicus reges fundationem Hugonis ducis confirmarunt* (17). Dum, *inquiunt,* petitionibus Hugonis, Franciæ ducis, rationabilibus et justis divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, solertia, quia vir prætaxatus honorabilis nostram petiit clementiam, præceptum firmitatis a nobis fieri ex rebus, quas idem pie monasterio Sanctorum Bartholomæi Apostoli et Maglorii, archipræsulis Britanniæ, urbis scilicet Dolensis, contulit, quod fundavit in urbe Parisiaca ad Sanctorum corpora, quæ ut peregrini hospitabantur per aliorum rura. *Enumerantur dein prædia, monasterio collata, quæ* semper sub plenissima defensione et emunitatis tuitione corroborata permanere *decernunt reges. Iidem etiam volunt,* ut idem locus semper abbatem habeat ex propria congregatione, qui ipsam casam Dei et monachos, ibidem degentes, sub normali honore custodiendo tractet : simul ut nullus metropolitanus aut aliquis subtersubjectus, etiamque pontifex Parisiacus, causa F alicujus ordinationis illuc ingredi præsumat, nisi vocatus venerit, aut ad sanctam Missam celebrandam, aut ad ecclesias consecrandas, aut ad benedictiones clericorum faciendas, et quod debitum excusare non debet, qui vocatus fuerit. *Erga hoc monasterium beneficus fuit Robertus, Francorum rex, filius Hugonis, ut constat ex duobus diplomatibus superstitibus, quibus nonnulla confert, et res, a se et a patre donatas, confirmat* (18).

(1) D. Bouquet. Rec. tom. X, pag. 213. — (2) Tresvaux. L'Egl. de Bret. pag. 217. — (3) D. Bouquet. Rec. tom. VII, pag. 42. — (4) Act. SS. tom. II Apr., pag. 425. — (5) Ibid. tom. V Sept., pag. 780. — (6) Ibid. tom. I Jul., pag. 124. — (7) Butler h. d. — (8) Act. SS. tom. I Maji, pag. 91. — (9) Tresvaux. Les SS. de Bret. tom. I, pag. 85. — (10) Ibid. pag. 32. — (11) Act. SS. tom. VIII Octob., pag. 57. — (12) Ibid. tom. I Januar., pag. 136. — (13) Chastelain. Martyrol. Univ. pag. 999. — (14) Act. SS. tom. II April., pag. 425. — (15) De la Buzonnière. Hist. Architect. d'Orléans. tom. I, pag. 202. — (16) Cfr Act. SS. tom. VI Jul., pag. 592. — (17) Gall. Christ. tom. VII. Instrum. col. 22. — (18) D. Bouquet. Rec. tom. X, pag. 574 et 575.

DE

A D

DE S. MARTINO, ABBATE VERTAVENSI ET CONF.

NANNETIS ET PICTAVIS IN GALLIA,

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Memoria in fastis sacris; diaconatus Nannetis; prædicatio in pago Herbadillico; exstiteritne umquam Herbadilla oppidum.

INEUNTE SÆCULO VII. *S.* Martini *Vertavensis memoria in fastis sacris;*

Ad præsentem diem in Martyrologio Romano legimus : In Vertano monasterio Sancti Martini abbatis. *Hæc desumpta ex Usuardo; cujus tamen codices alii* Vertano, *alii* Vertao, *aliique demum et melius* Vertavo *habent. Usuardum similiter secuti sunt scriptor auctarii ad Adonem, qualem edidit Georgius, auctor Hagiologii Francigallici seu Bituricensis* (1), *Galesinius, Saussayus, Ferrarius et Menologi Benedictini. Ast ipsi Usuardo præiverat Wandelbertus diaconus, ligato sermone scribens* (2) : Martinumque suum celebrans Vertanus adornat. *Inter prætermissos ad diem* VII *maji* (3) *æstimarunt decessores* S. Martini depositionem in Sanctonico, *indicatam in Martyrologio S. Savini, et eamdem ad sequentem diem* (4) *in Martyrologio Notkeri* (5), *et ad* XIII *maji* (6) *in Ms. reginæ Sueciæ pertinere ad nostrum* Martinum; *sed error manifestus est : agitur scilicet de S. Martino Sanctonensi, discipulo S. Martini Turonensis, cujus festum celebratur die* VII *decembris : adeoque S. Martinum solitarium, quem ex Florario Ms. itidem inter prætermissos proposuere ad* XXII *junii* (7) *et quem in aliquo Adonis auctario ad diem* IX *decembris laudari affirmat Baronius in annotatis ad præsentem diem* XXIV *octobris Martyrologii Romani, iterum non nostrum, sed Sanctonensem arbitror : quin etiam vereor ut Vertavensis sit, qui ad* XX *septembris venit inter prætermissos* (8).

prima Vita scripta ante invasionem Normannorum

2 *Utut id est, ex Wandelberto et Usuardo certum fit sæculo* IX *celebre fuisse S.* Martini *Vertavensis nomen. Verumtamen id multo magis elucet ex tribus Vitis, quarum certo duæ et fors etiam tertia hoc ævo jam legebantur. Prima, seu omnium antiquissima atque hactenus inedita, scripta videtur, quum Nannetæ adhuc pars essent Neustriæ. Num. enim primo* urbs Neustriæ *dicuntur* Nannetæ, *et inferius num. sexto* ex *Vertavi* sancto contubernio tanta erupisse sanctitatis opinio, ut tota inde fragraret Neustria. *Porro ab exteris comitatum Nanneticum etiam post annum* 851 (9), *quo Erispogius, victoriam adeptus, eum quiete possidendum a Carolo Calvo obtinuit, aliquoties intra Neustriæ fines relatum fuisse concesserim facile; ab ipsis vero incolis Nannetas civitatem Neustriæ adhuc fuisse dictam prius non crediderim quam apta allata fuerint documenta. Neque inter hæc censenda videtur altera ex S.* Martini *Vitis, de quibus dicetur inferius; quum manifestum sit eam ex prima desumptam fuisse seu illius esse amplificationem : unde nil mirum, si eædem in hac quoque recurrant dictiones.*

et restitutionem regni Minoris Britanniæ;

3 *Porro licet mens mihi non sit renovare controversias de mutuis regni Francorum et Britanniæ Armoricæ juribus et officiis; juverit tamen pro præsenti argumento hæc Chronici Briocensis, ex antiquioribus contexti monumentis, verba expendere, ut nempe appareat quid post pactiones cum Carolo Calvo Britones eorumque sentirent clientes :* Erispogius, *ait auctor illius chronici* (10), filius Nemenoi, post mortem patris in regnum Britanniæ jure hæreditario concessit, seque in regem sublimare et ungere fecit..... Pace facta et super Dei Euangelia jurata ipsum inter et Carolum Calvum regem Gallorum, comitatum et urbem Namneticam ad se et suos successores Britanniæ reges et principes retinuit libere et quiete, suoque Britannico regno univit, sicut antea esse solebant tempore Conani, Meriadoci, Gralloni, Salomonis, Audroeni, Budici et Hoeli Magni, regum Britanniæ successive, antequam urbs Namnetica fuisset per præsidem Galliarum virtute potentiæ imperatoris super eum regnantis capta et occupata post mortem Hoeli regis Britonum. *Et quum jam aliquanto ante annum* 851 *Nannetensem agrum occupassent Britones, subit suspicari etiam ante id tempus hujus telluris incolas adeoque Vertavenses sibi non visos Neustriæ subesse. His adde non tantum ad calcem nullum fieri de corporis translationibus sermonem, verum etiam ex rudiori minusque compto stylo manifestum esse hanc scriptionem præluxisse auctoribus aliarum Vitarum; quorum studium in adornandis S.* Martini *gestis facile ubique deprehenditur. Atque de his jam dicendum.*

secunda Vita scripta ante finem sæculi IX

4 *Videlicet Mabillonius duas edidit in Sæculo primo Benedictino S.* Martini *Vitas, alteram in medio tomo* (11), *alteram in appendice* (12) *et utrique miraculornm et translationis adjecit historiam. In observatione prævia ad priorem scripsit suspicari licere hanc Vitam et miraculorum librum ab eodem auctore fuisse conscripta; num. enim* 9 *hæc legi verba :* Jam diximus qualiter ad ejus commotionem Herbadilla sit obruta : *quam rem non in libro Miraculorum sed in Vita describi; at vero a Miraculorum scriptore se paulo post Normannorum tempestatem vixisse satis demonstrari,*

(1) Ap. Labbe, Bibl. nov. Mss. tom. II, pag. 704. — (2) Ap. Dacherium, Spicileg. tom. II, pag. 54; edit. in-folio. — (3) Act. SS. tom. II Maji, pag. 133. — (4) Ibid. pag. 285. — (5) Lect. Canisii, tom. II, part. III, pag. 126. — (6) Act. SS. tom. III Maji, pag. 187. — (7) Ibid. tom. IV Junii, pag. 139. — (8) Ibid. tom. VI Sept. pag. 106. — (9) Art de vérifier les dates, tom. II, pag. 893. — (10) Ap. D. Morice, Mém. pour servir à l'Hist. de Bretagne, tom. I, col. 23. — (11) Pag. 371 et seqq. — (12) Pag. 681 et seqq.

dum

A *dum Arnulfum quemdam, cui utraque manus a Normannis præcisa fuerat, sibi notum testatur; titulo autem alterius Vitæ addidit eam scriptam ab auctore anonymo, qui sæculo* X *exeunte vixit. Verum D. Rivet aut quisquis alius hunc Historiæ literariæ Franciæ locum scripsit, nequaquam hæc omnia probavit* (1). *Et quidem statuendum videtur Historiam Translationis et Miraculorum utrobique eamdem esse, ita ut duplex sit ejusdem scriptionis editio, sola rerum dispositione diversa. Deinde, ut probe animadvertit Rivetus, ex stylo fit palam hanc Historiam esse scriptam non ab auctore prioris Vitæ, sed posterioris; et hanc proin, utpote digestam a viro, qui Arnulfum a Normannis passum viderat, non ad sæculum* X, *sed ad* IX *pertinere.*

a viro sincero, cui quoque Miracula debemus et Translationem;

5 *Hunc plurimum laudat Rivetus, dicens eum manifeste ortu Nannetensem esse, monachatu Vertavensem, virum ut suo tempore peritum, et in scribendo ordinis servantissimum. Neque ego adversus has laudes repugnabo; quin etiam virum fuisse egregiæ sinceritatis addam. Et-*
B *enim, ut jam dictum, præluxit ei Vita omnium antiquissima; atque hanc continuo amplificat augetque locis communibus, nil tamen quod ad rerum attineat substantiam de suo inserit: quocirca si in hac parte nonnulla promat parum credibilia, cavendum ne id ei vitio detur, sed potius exemplari; adeoque ipsi fidendum, ubi corporis translationem, cujus adjuncta exquisivit ipsemet, narratione complectitur, seu etiam refert miracula, de quibus num.* 5 *monet:* Miraculorum quoque copia non defuit : quæ partim ignavia oblivioni tradita, partim a venerabili Seguino archidiacono sunt descripta; quæ pauca hic inserimus. *Legerat etiam* præcepta *seu diplomata sui monasterii, quum loquens de egregiis hujus monachis, scribat:* Ex quibus patribus unus fuit Lannegisilus, cujus industria et sagacis animi solertia legenti PRÆCEPTORUM NOSTRORUM tenorem lucide poterit esse manifesta.

tertia Vita non multo posterior; aliæ Vitæ recentiores.

6 *Alterius biographi laudes nonnihil elevat, quem supra appellabamus, Rivetus; nempe ejus scriptionem potius orationem esse quam historiam; ei priorem evidenter præluxisse; ad sæ-*
C *culum eum pertinere forsan* X; *præcipua ab eo fuisse selecta facta et rhetorice ita adornata ut in festo S.* Martini *legi possent in choro; utut id est, sive omnium antiquissimam Vitam præ oculis habuerit, sive secundam, discedit aliquando a reliquis, minus idcirco probandus. Dabimus inferius primam et secundam Vitam, tertiamque omittemus; satis habentes quæ diversa sunt indicare in Annotatis. Utramque autem Miraculorum et Translationis editionem ita in unam conabimur conferre, ut nil pereat et simul intelligatur quid in alterutra desit aut differat. Ut Menologia Benedictina prætereamus, narratur S. Martini Vita in compluribus aliis libris: nempe a Gonono* (2), *Menardo* (3), *Mabillonio* (4), *Bulteau* (5), *Bailleto* (6), *Butlero* (7), *Alberto Le Grand* (8), *Lobineau* (9), *Garaby* (10), *Deric* (11) *et reliquis. Sed nil ex his omnibus elicias, quod in præmissis sancti viri Vitis non habeas. Porro quum ipsa Vita antiquissima sat multo post B.* Martini *mortem scripta videatur, hinc intelligere est pleraque ex fama, quam eundo crescere experimur quotidie omnes, accepta fuisse, et proin ea hic nobis non adesse monumenta quæ rebus mirabilibus plenam fidem concilient : exploratum quippe est in ipsis ecclesiasticis tribunalibus firmiores postulari probationes pro miraculis quam pro aliis adstruendis rebus passim obviis.*

AUCTORE V. D. B

7 *Quum autem illius generis non sint quæ de S.* Martini *ortu, diaconatu aliisque referuntur, nil est quod ea quis in dubium revocet. Difficultas autem exsurgit, quum de ejus in Herbatillicum seu Herbadillicum pagum mis-*
sione incipit sermo. Superius ad diem præcedentem in Commentario de S. Benedicto *fuse de pagis Medalgico, Theofalgico et Herbadillico, qui fere Ligeri, Ladione et Ledione fluviis capiebantur, disseruimus, ostendentes pago Medalgico inclusum fuisse decanatum Medalgicum et territorium S. Florentii; Theofalgico decanatus S. Laurentii et Montis Acuti; et demum Herba-*
E *dillico decanatus Ratiatensem, Clissoniensem, Maroliensem, Thalemundensem et Asianensem. Pagum Medalgicum et Theofalgicum olim episcopo Pictaviensi subfuisse aperte traditur in diplomate, quod anno* 849 *Carolus Calvus monasterio S. Florentii Veteris concessit, dicens* (12) consensisse imo potius hortatos esse venerabiles episcopos Didonem Pictaviensem, cujus præsulatui subjacet pagus Medalgicus, in quo supradictus locus (*S. Florentii Veteris*) situs est, simulque Theofalgicus, Actardum quoque Nannetensem præsulem *etc. Similiter indubium est decanatus Maroliensem, Thalemundensem et Asianensem de diœcesi Pictaviensi fuisse, donec episcopatus Lucionensis anno* 1317 *creatus est. Ast si hi decanatus seu longe major pars pagi Herbadillici Pictaviensi paruerit præsuli, quidni similiter reliqua pars, nempe decanatus Ratiatensis et Clissoniensis? Asi si Ratiatensis decanatus seu clima, in quo Herbadilla jacebat, ejus jurisdictioni fuit obnoxia, quid Nannetensis episcopus, Felix, vir multum commendatus, in alienam messem falcem misit,*
eo destinans S. Martinum? *Quocumque itaque*
F *convertamur, difficultatum premimur aculeis; quos amovere, aut tentare saltem, operæ videtur pretium.*

Quomodo factum sit ut, licet S. Martinus *diaconus Nannetensis esset,*

8 *Equidem sentio sæculo* VI, *quo S.* Martinum *vixisse constat, climata Ratiatense et Clissoniense de jure fuisse episcopi Pictaviensis : etenim primo hæc climata ad Pictones seu saltem ad Aquitanos spectasse testatum facit Strabo, libro* IV *de Gallis scribens* (13) Ligerim inter Pictones et Namnetas effluere : Ὁ δὲ Λείγηρ μεταξὺ Πικτόνων τὲ καὶ Ναμνίτων ἐκβάλλει; *et inferius* (14) *iterum Pictones Ligeri et Oceano intercludit. Non aliter Vibius Sequester* : Liger Galliæ, *inquiens* (15), dividens Aquitanos et Celtas in Oceanum Britannicum evolvitur. *Similiter anonymus Ravennas aut quisquis ille est, de quo non ita pridem cl. v. Boch* (16) *dispu-*

et Herbadillicus pagus pertineret ad diœcesim Pictaviensem

(1) Hist. litt. de France, tom. V, pag. 664. — (2) Vit. PP. Occid. pag. 258. — (3) Martyrol. Bened. Observ. lib. I, pag. 358 et seqq. — (4) Annales Bened. lib. VI, num. 14 et seqq. tom. I, pag. 134 et seqq. lib. IX, num. 37, pag. 235. — (5) Abrégé de l'hist. de l'ordre de S. Benoit, tom. I, pag. 261 et 262. — (6) Vies des Saints, ad 24 Oct. — (7) Lives of the fathers etc., ad 24 Oct. — (8) Vies des Saints de la Bretagne Armorique, pag. 645 et seqq. édit. 1837. — (9) Vies des Saints de Bretagne, tom. II, pag. 4 et seqq. — (10) Vies des Bienheureux et des Saints de Bretagne, pag. 270. — (11) Histoire ecclésiastique de Bretagne, tom. II, pag. 1 et seqq. édit. 1847. — (12) D. Bouquet, Recueil, tom. VIII, pag. 501. — (13) Ibid. tom. I, pag. 20. — (14) Ibid. pag. 21. — (15) Ibid. pag. 101. — (16) Annuaire de la bibl. royale, année 1851, pag. 161 et seqq.

tavit

AUCTORE V. D. B.

tavit egregie : Ligeris, *ait* (1), qui dividit inter Gallias et ipsam Aquitaniam; *et sic alii, qui postquam Augustus Aquitaniæ fines propagasset scripserunt. Atqui provinciam seu potius terminum ecclesiasticum, intra cujus ambitum diœcesis Pictaviensis jacebat, limitibus provinciæ Aquitanicæ civilis circumscriptum fuisse non communis tantum illius ævi lex manifestum facit, sed vel sola inscriptio S. Hilarii Pictaviensis libri, in qua per provincias civiles distinguuntur episcopi et apprime leguntur episcopi* provinciæ Aquitanicæ (2), *quum videlicet circa annum* 358 *nondum duas in partes divisa esset* (3): *quocirca ut Oceano et Ligeri terminabatur provincia Aquitanica civilis ita et ecclesiastica, et proin diœcesis Pictaviensis, ultimus ad caurum provinciæ ecclesiasticæ finis. Et quidem, quod secundum nostrum argumentum est, videmus S. Hilarium episcopali munere his in partibus fungentem; scribit quippe S. Gregorius Turonensis* (4) : Intra ipsum Pictavorum terminum, qui adjacet civitati Namneticæ, id est in vico Ratiatensi, Lupianus quidam in albis transiens requiescit. Hic fertur a Beato
B Hilario antistite donum baptismatis suscepisse : sed mox, ut diximus, migravit a corpore. *Tertio credibile non est terminum Pictavorum, qui, ut modo a S. Gregorio accepimus, vicum Ratiatensem capiebat, et pagum Herbadillicum, cujus partem fuisse Ratiatense clima jam ostendimus, pro ecclesiastico gubernio ita divisa fuisse duas in partes ut altera ad provinciam Turonensem, altera ad Burdigalensem pertineret. Possent et alia id genus addi; quæ tamen brevitatis causa præstat omittere.*

adeoque ipsa Ratiatense et Clissoniense climata,

9 *Quid vero ad hæc adversarii? Nil profecto alicujus momenti, nisi quod postea Ratiatense et Clissionense climata de jure episcopi Nannetensis fuerunt. Verum nil certi ex hoc capite deducere licet : etenim nonne anno* 849 *pagus seu decanatus Medalgicus adhuc episcopo Pictaviensi suberat? et tamen postea, verisimiliter quum anno* 958 *hæc tellus penes comites Andegavenses facta est, in episcopi Andegavensis auctoritatem transiit* (5). *Ut quid simile in Herbadillico fieret pago, aptissima exstitit causa anno* 851 , *quo* Respogius, *ut loquuntur Annales Bertiniani* (6), filius Nomenogii ad Carolum,
C veniens, in urbe Andegavorum datis manibus suscipitur, et tam regalibus indumentis quam paternæ potestatis ditione donatur, additur insuper Redonibus, Namnetis et RATENSE. *In his quidem adstruendis doleo quod socium non habeo R. D. Tresvaux* (7), *autumantem jam anno* 843 *vicum* Liré, *quem ad ripam sinistram Ligeris e regione Andenesii* (Ancenis) *mappæ exhibent, ad diœcesim Nannetensem spectasse; sed quo magis considero et retracto quæ eadem de re in Commentario de S. Vitali Ratiatensi* (8) *conatus sum, eo firmior mihi insidet sententia illam limitum mutationem anno* 851 *fuisse factam. Occasio enim talis esse debuit ut sola pars septentrionalis Herbadillici pagi adjiceretur Nannetensi comitatui; quod tunc tantum contigisse liquidum est.*

ibidem tamen prædicaverit S. Martinus.

10 *Verum dum hæc disserimus, nodum constringimus, nedum solvamus. Quid ergo Felix Nannetensis diaconum suum in diœcesim Pictaviensem misit? Sane terminos, quos statuerunt patres, prætergredi semper maximum piaculum in ecclesia habitum est et schismate plenum. Verum solvitur hic nodus ipsa S.* Martini *Vita, in qua aperte traditur hanc pagi Herbadillici partem, Nannetibus contiguam, plane idololatriæ tenebris adhuc obrutam jacuisse. Atqui nemo ignorat terras infidelium, etiamsi alicui diœcesi inclusæ censentur, haberi tamquam vagas, neque proin ibidem leges de servandis limitibus ejusdem esse ponderis : quin etiam Ariowaldo regi Longobardorum suspicio inerat episcopis non tantam esse auctoritatem in loca procul ab urbibus episcopalibus dissita* (9); *sane quod fides christiana nondum in ea penetrasse censeretur. Atque his satis sublatum arbitror impedimentum, quominus hæc pars S.* Martini *Vitæ sincera habeatur : licet ii qui Breviarium Lucionense anni* 1836 *scripserunt et forte etiam alii eam omittendam judicarint.*

Prima sententia de destructa Herbadilla propter incredulitatem;

11 *De deleto Herbadillæ oppido seu civitate triplicem reperio sententiam; pro prima plane admittuntur omnia quæ S.* Martini *biographi hac de re tradiderunt; pro secunda fit selectio : nempe Herbadillam exstitisse, eamque aquis fuisse obrutam facile conceditur; miraculo id factum rejicitur; demum juxta tertiam inter fabulas referuntur omnia. Singularum momenta conabor proponere, litis diremptionem lectoris permittens judicio. Porro id prodigium verum habet non tantum Albertus Le Grand, sed et Menardus* (10), *Bulteau et qui notas adjecit ad S.* Martini *Vitam in sæculo* I *Benedictino* : Certe, *inquiens* (11), ne quis hoc prodigium in fabulis habeat, ex ipso lacu, in duo fere milliaria porrecto, veterum ædificiorum rudera, tigna, variaque supellex etiamnum extrahi ab incolis feruntur. *Postmodum tamen Mabillonius in Annalibus Benedictinis* (12) *ejusdem prodigii narratui inseruit hanc parenthesim :* Fabulam alii malunt dicere. *Ipsum argumentum de tignis et ædificiorum ruderibus destruere tentarunt Lobinellus* (13) *et Deric* (14), *animadvertentes tigna illa et rudera illuc potius vehi a quatuor rivis, molendinorum ruinas et domuum secum rapientibus.*
F

secunda sententia;

12 *Secundam sententiam sequuntur Valesius* (15), *Huet* (16) *et de la Fontenelle* (17), *quisque suis pugnantes argumentis : videlicet primo Vitam S.* Martini *Vertavensis, utut multo post ejus mortem scriptam, non spernendum esse monumentum, in eoque peccatum quidem forsitan fuisse vertendo in miraculum rem naturalem, non tamen credibile videri nil veri subesse. Secundo, in Vita S. Amandi, Trajectensis episcopi, tradi eum hinc oriundum fuisse; sed hæc assertio fallax est : re quidem vera in una ex ejus Vitis* (18) *dicitur* B. Amandus in pago Herbatilico non longe a littore Oceani Galliæ... traxisse originem; *unde sane constet pagum Herbatilicum exstitisse; verum non is, sed oppi-*

(1) D. Bouquet, tom. I, pag. 121. — (2) S. Hilarii Opp. col. 1149. — (3) Cfr D. Bouquet, tom. I, Præf. pag. XV. — (4) De Gloria Confess. cap. LIV. — (5) De la Fontenelle de Vaudoré, Recherches sur les peup. qui habit. le Nord de l'anc. Poitou, in Mém. de la soc. des ant. de l'Ouest, tom. I, pag. 91. — (6) D. Bouquet, tom. VII, pag. 68. — (7) L'Eglise de Bretagne, pag. 63. — (8) Act. SS. tom. VII Oct. pag. 1092. — (9) Jonas, Vita S. Bertulfi, in sæc. II, Benedict. pag. 161. — (10) Martyrol. Bened. pag. 358 et 359. — (11) Pag. 372. — (12) Lib. VI, num. 15, tom. I, pag. 134. — (13) Vies des Saints de Bretagne, tom. II, pag. 9 et 10. — (14) Histoire ecclésiastique de Bretagne, tom. II, pag. 4 et seqq. — (15) Notitia Galliæ, pag. 245. — (16) Statistique de la Loire Inférieure, cfr Mém. de la soc. des antiq. de l'Ouest, tom. V, pag. 419. — (17) Recherches sur les peup. qui habit. le Nord de l'anc. Poitou, Mém. de la soc. etc., tom. I, pag. 96 et passim. — (18) Act. SS. tom. I Feb. pag. 854.

dum

A *dum Herbadilla in controversia est positum. Tertio in auxilium vocantur quæ de S. Senochi natalibus in ejus referuntur Vita; ast iterum fit fucus, quum ibi nil aliud legatur quam sequentia :* Igitur Beatissimus Enoch *, genere Theiphalus Pictavi pagi, quem Theiphaliam * vocant, oriundus fuit. *Quarto in Chronico S. Brioci et in aliis libris scribi civitatem Herbadillam a Begone spoliatam fuisse; verum id argumentum dupliciter peccat, quum hinc sequeretur hanc civitatem sæculo* IX *adhuc exstitisse; quamvis nil tale in illis scriptis inveniatur, sed a Lamberto comite Nannetensi* REGIONEM Herbadillam *Gueferio nepoti suo concessam fuisse;* Begonem *vero,* ex improviso in Herbadillam (*scilicet regionem seu pagum*) cum multitudine militum aggredientem, Gunferium minime potuisse invenire (1). *Quinto non intelligi, quomodo factum esset ut, si supponatur Grandemlacum ante S.* Martini *ævum exstitisse, nullus ex scriptoribus, qui ante sæculum* VI *plurium pagi Herbadillici locorum meminerunt, uspiam sermonem fecerit de Grandi-*
B *lacu seu loco, eumve pro indicio topographico adhibuerit; hinc pronum esse credere tunc nondum exstitisse hunc lacum eumque proin destructæ postmodum Herbadillæ sedem occupare; sed, ut modo videbimus, multo magis admirantur alii a nemine umquam de splendida Herbadilla civitate mentionem esse factam. Sexto absque miraculo facile creari lacum terræ hiatu et maritimis æstibus, seu etiam Ligeris exundatione, stagnantium aquarum ebullitione et id genus aliis. Quæ Lobinellus, præcipuus tertiæ sententiæ assertor, nedum neget fieri potuisse, contra affirmat quam maxime; adeoque quis ignoret in Neerlandia, in Anglia et alibi sæpius aquis depressa fuisse loca? Sed quod res fieri possint, parum juvatur historia, rerum veritatis indagatrix. Septimo demum verisimile esse Herbadillicum pagum nomen suum debere capiti seu præcipuo oppido, non secus ac alios pagos : egregium argumentum, si constaret cæteros pagos nomen suum sumpsisse a suo capite : sed nuspiam hanc legem aut morem probatum video, sed contra aperte impugnatum et eversum in chronici Gotvicensis prodromo* (2).

tertia sententia.

13 *Tertiam, ad quam jam venio, tenet sententiam Dufour, qui in Aquitania sua antiqua* (3) *aperte pronuntiat numquam exstitisse civitatem seu oppidum nomine Herbadillam; Mabillonius in Annalibus fabulam esse clare indicat; et ut alios historicos, necnon recentiora Breviaria omittam, Lobinellus multis universam hanc historiam impugnat. Primum ab eo in illam emissum telum non quidem imbelle, sed minus certum et sæpius in hoc rerum genere periculosum est, nempe videri totam hanc historiam confictam secundum divinum exemplar de deleta Sodoma, ita ut ne fœmina quidem, videndi avidior et in lapidem versa, absit. Secundum, qui eam primus narravit, eum tam absurdo ductum fuisse genio, ut post descriptum S.* Martini *de deleta Herbadilla dolorem et pœnitentiam, in appendice tamen addat deinceps abs sanctissimo viro alia deleta fuisse oppida : verum hæc jam dici nequeunt, quum antiquiorem in medium deduxerimus scriptorem, nequaquam hujus piaculi reum. Tertium, ante Normannorum clades a nullo scriptore memoratum fuisse id oppidum; ast dabitur, ni fallor, facile Vitam, quam nunc primum in lucem edimus, hoc ævo aliquantisper antiquiorem esse. Quartum, saltem neminem præter S.* Martini *biographos hujus loci meminisse, multoque minus harum rerum omnium, quas de suo addidit Albertus Le Grand. Quintum, S. Gregorium Turonensem eo ævo vixisse, quo Herbadilla deleta dicitur; hujus pagi claram fecisse mentionem; in colligendis rebus mirabilibus fuisse studiosissimum; et Nannetensem diœcesim intra Turonensem jacuisse provinciam : et tamen alte de stupenda illa ruina siluisse. Sextum, similiter Fortunatum, qui omnes captaret occasiones laudandi Felicis Nannetensis, omisisse tamen Herbadillæ interitum. Septimum, si consideretur locorum conditio, omnia circumquaque ita comparata videri ut, quatuor huc rivis aquas advehentibus, ingens hic adsit undarum stagnum, quin aliqua extra ordinem causa umquam necessaria fuerit. Octavum, imploratam a S.* Martino *vindictam pugnare cum mansueto Christi spiritu et id genus miracula omnia abjicienda esse. Nonum, valde multos de Herbadilla seu Herbadillico pago ser-* E *monem fecisse, sed ita semper ut pagum seu regionem, numquam oppidum seu civitatem intellexerint. Decimum demum et quantum novi ultimum addit R. D. Travers in Dissertatione de re monetaria Britanniæ, nempe historiam de Herbadilla, aquis absorpta, ortam esse ex confusione cum Ratiato, nunc vico* Raisé, *quod sæculo* VII *inundantibus mari et Ligeri sublatum sit* (4) : *quibus et alia multa de sua adjicit penu. Quid ergo? Omnia hæc argumenta mihi æque placere non dixerim; ast pleraque improbare velim multo minus: satis tamen habeo hæc omnia lectori permittere; qui quamcumque amplexus fuerit partem, socios habebit integerrimos.*

AUCTORE V. D. B.

§ II. S. Martini vita eremitica; fundatio Vertavi; an regula Benedictina ab initio in usu; fundatio Duogemellensis et Durinensis. Mors, translationes, cultus.

F

S. Martinus, *aliquandiu in silva Dumensi eremita,*

Quum itaque nihil proficeret S. Martinus *verbi Dei prædicatione, vitam eremiticam ducere statuit in silva, quam* Dumen, *seu* Du-Men *vocant; quemadmodum tres biographi aperte tradunt. Ast nequaquam hæc placent Lobinello, æstimanti illa omnia huc traducta ex Vita S. Martini, episcopi Braccarensis, qui quod Dumiense condiderit et incoluerit monasterium etiamnum* Dumiensis *appellatur; et cujus Vitam in opere nostro habes ad diem* XX *Martii* (5) *deinde in Nannetensi vicinia ignotam esse Dumensem silvam et ab antiquioribus scriptoribus numquam memoratam. Verum his Lobinelli assertis opponit R. D. Tresvaux* Du Men *vocabula esse probe Britannica, quæ significent* Nigram Rupem *seu* Nigros Lapides; *dein ab historicis posterioribus memorari silvam hujus nominis, Nannetibus contiguam et Vertavum capientem: sed quidni hos historicos nomine suo designat? Interea eorum locum suppleant pri-*

(1) Ap. D. Morice, tom. I, col. 20 et 21. — (2) Pag. 528 et seqq. — (3) Cfr Mém. de la soc. des ant. de l'Ouest, tom. V, pag. 411. — (4) Ap. Kératry, in nova edit. Vitt. SS. Alberti Le Grand, pag. 647. — (5) Act. SS. tom. III Mart., pag. 86 et seqq.

AUCTORE V. D. B.

mus S. Martini biographus, scribens : Sylva, quam Dumen vocant ; *secundus:* A sylvæ illius, quam Dumen vocant, remotissimis partibus; *tertius vero :* Silva namque est quæ ab incolis regionis usque in præsens Du-Men nuncupatur. *Quæ testimonia flocci haberi nequeunt, etiamsi nunc hujus silvæ situm nemo facile assignaverit.*

condit Vertavum, non (ut videtur) regulam Benedictinam amplexus;

15 *Hinc Vertavum, duabus leucis ultra Ligerim a Nannetis distans, venit, qui locus etiamnum* Vertou *dicitur. Plura collegit R. D. Tresvaux* (1) *de abbatia, quam hic fundavit S.* Martinus; *nobis vero satis fuerit dixisse eam ineunte sæculo* XII, *quum idem abbas præesset Vertavensi simul et Ensionensi seu S. Jovini de Marnis asceteriis, versam esse in præposituram seu cellam S. Jovini. In prima et secunda Vita legitur S.* Martinus Regulæ *ibidem* statuisse normam, quam districtione præcipuam a transalpinis partibus fertur detulisse ; *quibus verbis Regulam S. Benedicti designari, quod S. Gregorius M. in Dialogis* (2) *eam vocarit* discretione præcipuam, *arbitrantur plerique. Verumtamen plurimæ sunt dubitandi causæ. Prima,* B *facile fieri potuisse ut, quum biographi multo post S.* Martini *ævum scripserint, videntes regulam S. Benedicti suo tempore Vertavi observari, ipsi crediderint eam ab initio illic fuisse in usu et proin a S.* Martino *inductam* (3). *Secunda, censeri S. Benedictum obiisse circa annum* 543 (4), *nec multo ante mortem scripto tradidisse suam Regulam* (5) *et S. Maurum in Gallias destinasse* (6) ; *unde sequeretur aliquot annis post Vertavenses jam fuisse Benedictinos : quod argumentum eos sane non tangit qui æstimant S. Benedicti Regulam, tamquam novum solem, statim fere omnia lumine suo illustrasse monasteria; sed eos tantum qui ejus progressum maxime fuisse lentum, præcipue ante S. Gregorii Magni tempora, persuasum habent. Tertia, biographum tertium emendasse quæ alii scripserant, ajens tantum :* Ipse quoque cum eis regulari lineæ morum se subdidit : quam REGULAM PRIORUM PATRUM DECRETIS INSTITUTAM a transalpinis ferunt regionibus ab ipso delatam; *per* Regulam *autem* priorum patrum decretis institutam *non intelligi Benedictinam, sed col-* C *lectionem multarum antiquiorum, prout testis est ipse Mabillonius* (7). *Quartam addit Cointius* (8), *qua se tamen parum percelli profitetur Lobinellus, nempe* nullam familiaritatem inter Beatos Maurum et Martinum legi intercessisse, quamvis Glannafoliense monasterium, cui Maurus S. Benedicti quondam discipulus præerat, a Vertanensi, quod Martinus abbas administrabat, bidui tantum itinere distaret. *Quinta, omnes biographos nil certi de S.* Martini *italico itinere habuisse, nil de asportata Regula, adeoque vim aliquam inferendam rerum seriei ut hæc alicubi inserantur : quocirca ipse Mabillonius in annotatis ad Vitam tertiam* (9), *postquam meminit a Menardo affirmatum Regulam S. Benedicti Vertavi ab initio viguisse, subdit :* At cum hic auctor dubitanter in eam rem loquatur, id annotare maluimus quam affirmare : *neque nos hic fidem nostram obligabimus. Sexta demum, non videri stabilitatem,* D *quæ singularis Benedictinæ Regulæ pars est, a S.* Martino *suis monachis fuisse præscriptam; quantum judicare licet ex his quæ inferius de S. Ebrulfo dicentur.*

condit Duos Gemellos in diœcesi Bajocensi ibique videtur fuisse

16 *Utut id est,* ex hujus loci sancto contubernio tanta erupit sanctitatis opinio ut tota inde fragraret Neustria. Nam Martinus plurima undique construxit cœnobia : *hæc primus biographus et secundum eum ambo reliqui similia. Quo pertinent quæ Ordericus Vitalis de S. Ebrulfo tradidit :* Facta distractione rerum, quidquid habere potuit, pauperibus erogat. Conjugem, quam ut patris nomen haberet acceperat, sacro velamine consecrans cælesti sponso condonavit. Ipse tamquam elapsus a naufragio ad monasterium festinavit. Et factus monachus, mansit ibi in omni humilitate, serviens Deo per aliquod tempus, excrescebatque in eo magis magisque sanctæ conversationis affectus. Relator Vitæ monasterium, ad quod præfatus vir confugit, proprio nomine non distinguit. Unde quod de hoc seniorum relatione didici, dignum duco futuris breviter E enodare. Venerabilis Martinus, Vertanensis abbas, abbatiam construxerat in loco, quem Duos Gemellos ab antiquitate vulgus vocitat pro resuscitatione geminorum, quam ibidem factam vetustas memorat. Nam geminam prolem potentis heri mors immatura sine baptismo rapuerat; unde nimius dolor utrosque parentes invaserat. Martinus autem, ab Anglia reversus, amicos lugentes invenit, consolationem e cælo quæsivit, meritis et precibus geminos vitæ reddidit, eosque in patrimonio eorumdem monachos Deo dicavit. Antiquum ab eventu eidem loco nomen usque hodie perseverat et ingens congeries lapidum in fundamentis ædificiorum et ruinis maceriarum evidens testimonium dat, quod magnæ dignitatis hominum habitatio Bajocensium pagum illustraverit. Ebrulfus, adhuc divitiis et honoribus potens laicus, præfati (ut dicunt) cœnobii constructionis astitit cooperator idoneus. Incipientes enim consiliis adjuvit, hæsitantes corroboravit, opibus et fundis multisque modis res nuper inceptas augmentavit. Ad postremum omnibus nudatus ibi se abdi- F cavit, verusque Dei pauper monachile scema ibidem suscepit, et armis obedientiæ Deo militavit et intuentibus exemplo coruscavit.

magister S. Ebrulfi;

17 *Hæc Ordericus* (10); *quæ postquam recitavit Cointius* (11), *continuo impugnat asserens non in Breviariis Nannetensi et Cenomannensi, non in Vita edita ab Hugone Menardo, non in Ms. Compendiensi, non demum in ea, quam contexuit Albertus Le Grand seu de Monte Relaxo, ullum reperiri vestigium peregrinationis, quam Martinus Nannetis in Angliam et ex Anglia Bajocas susceperit; immo Martinum ex Italia regulam suam asportasse ferri. Verumtamen exstabat Vertavi traditio S.* Martinum *in transmarinas ivisse partes; quibus Anglia designari videtur. In libro nempe Miraculorum legitur :* Erat autem princeps, cujus nomen excidit, transmarinis in partibus, qui filiam habebat,

(1) L'Eglise de Bretagne, pag. 487 et seq. — (2) Lib. II, cap. 36, tom. II Opp. col. 272. — (3) Vies des SS. de Bretagne, tom. II, pag. 14. — (4) Mabillonius, Annal. Bened. lib. V, cap. VIII, tom. I, pag. 105. — (5) Cfr D. Mège, Vie de S. Benoît avec explic., pag. 451 et seqq. — (6) Mabillonius, Annal. Bened. lib. IV, num. XLVII et seqq. tom. I, pag. 96 et 97. — (7) Ibid. lib. III, num. XXXVI, tom. I, pag. 66 et alibi. — (8) Annal. eccles. Franc. ad an. 565, num. XIII, tom. II, pag. 60. — (9) Sæc. Bened. I, pag. 374. — (10) Hist. Eccles. lib. VI, ap. Chesnium, Scriptt. rer. Norman. pag. 609. — (11) Ann. Eccles. Franc. ad an. 565, num. XI et XII, tom. II, pag. 59.

quam

A quam atrox dæmonum legio vexare consueverat; *et ad quam sanandam accersitus fuit S.* Martinus; *hinc deinde super marmoreum discum, loco cymbæ, reversus. Pro altero argumento:* Suspicari licet, *inquit Cointius,* Ebrulfum in cœnobium secessisse, priusquam Martinus prima Vertanensis monasterii fundamenta jaceret; *quæ dein urget ope chronologiæ, quam non ex certis testimoniis, sed meris conjecturis proposuerat Albertus Le Grand. Quocirca et S. Ebrulfi vitæ ordo et S.* Martini *hic in quæstionem veniunt.*

neque utriusvis ætas, quæ inquiritur, obstat;

18 *Porro S.* Martini *ætas rerumque gestarum series metienda est ex ætate S. Felicis, qui anno* 582, *ut ostendit ex S. Gregorio Turonensi Sollerius* (1), *ægrotare cœpit, et die* VIII *Januarii anni sequentis, quemadmodam vult R. D. Tresvaux* (2), *vita functus est* anno episcopatus sui tricesimo tertio, ætate septuagenaria; *unde liquet eum anno* 549 *aut* 550 *episcopalibus indutum fuisse infulis, et proin non ante hoc tempus S.* Martinum *creatum fuisse diaconum. Quod si dein aliquot addantur anni, quos prædicando in pago Herbadillico, vita eremitica*
B *ducenda, itinere forte Italico instituendo et initiis Vertavi ponendis insumpserit, statuendum videtur Duorum Gemellorum monasterium inchoari non potuisse ante annum Christi* 560; *sed nil cogit ut hæc tardius facta habeamus. De S. Ebrulfi ætate compertum habemus imprimis nativitatis et mortis annum, videlicet ex duplici Chronico Ms. Monasterii Uticensis et ex Guillelmi Gemeticensis libro VII, capite XXIII; in quibus legitur anno* 517 *natus et anno* 596 *vita functus* (3). *Ex eodem Guillelmi Gemeticensis loco novimus Uticense monasterium Chilperico et Sigeberto regibus fuisse conditum, et proin non ante mensem Decembrem anni* 561, *Clotario eorum patri funestum* (4). *Re quidem vera S. Ebrulfi biographus tradit* elapso anno vicesimo secundo inchoationis eorum in ipsa eremo, in eodem monasterio ab incursione insidiatoris generis humani pestiferam cladem subitaneæ mortis ingressam affuisse; *quam eamdem luem arbitratur Mabillonius* (5) *de qua S. Gregorius Turonensis ad annum* 582; *unde primordia Uticensis asceterii ad annum* 560
C *pertinerent. Sed justo infirmior argumentatio, quum S. Gregorius de generali lue instituat sermonem, biographus de particulari: quid autem vetat quominus simili malo Uticum tentatum fuerit aliquot annis postquam per magnam Galliæ partem incubuisset generalis illa tabes? Fieri etiam potest ut Uticum usque progressa sit gravis lues, quæ anno* 591 *mense secundo tam in Turonico quam in Nannetico agro populum adtrivit, et de qua S. Turonensis præsul libro X Historiæ* (6). *Argumenti itaque infirmitatem satis sensit Mabillonius* (7) *ipsemet et secundum eum Galliæ Christianæ scriptores* (8), *notantes* annum incepti Uticensis monasterii sibi haud satis compertum esse et exploratum. *Maneat itaque Guillelmo Gemeticensi sua fides, et ponantur Uticensia exordia inter exeuntem annum* 561 *et* 575, *quo Sigebertus misere obiit; adeoque nil impedimenti superesse videtur quominus S. Ebrulfus circa annum* 560 *aut certe aliquanto ante annum* 574 *Duorum Gemellorum* cœnobii constructionis astiterit cooperator idoneus, *et non diu post ipse fundarit Uticense.*

AUCTORE V. D. B.

quid hac de re affirmet Ordericus Vitalis:

19 *Cæterum Cointius opportune animadvertisset Ordericum Vitalem non hæsitasse utrum S.* Martinus *Duorum Gemellorum condiderit cœnobium (nil quippe dubitans id affirmat), sed utrum S. Ebrulfus eo se primum receperit: quamobrem si cui liberet S.* Martino *eripere gloriam quod S. Ebrulfi pater spiritualis fuerit; eodem tamen jure non negarit Duorum Gemellorum asceterium sua ei debere initia, quum certum hæc habeant solertissimi Orderici testimonium. Permansit ibidem præterea S.* Martini *memoria, ita ut ecclesia ejus honestaretur nomine; sed juverit quæ de hoc innotuere loco hic tradere, quum pauca sint et nonnulla ad sancti nostri gloriam faciant.*

reliqua fata hujus asceterii et vestigia cultus S. Martini.

20 *In Actis episcoporum Cenomannensium* (9), *inquit Mabillonius* (10), *laudatur abbas* monasterii Duo-Gemellensis *sub Dagoberto ejus nominis primo; ibidemque* (11) *Herlemundus ejus urbis episcopus, qui origine Coloniensis clericus fuerat, dimisso ob tyrannorum violentiam episcopatu, orbatus oculis se recepisse ad monasterium quoddam, ubi frater suus abbas præerat, Duos-Gemellos appellatum, in pago Bajocassino. Id factum regnante Pippino. Volunt* (12) *jam pridem, sæculo nempe septimo exeunte, a S. Annoberto Liberiacensi abbate missos illuc fuisse e suis monachos; qui, quum Duo-Gemellenses ad vitam canonicam deflexissent, eos ad monasticam reducerent; sic quippe jussisse S. Gereboldum, episcopum Bajocensem. Nulla deinceps hujus monasterii mentio, præterquam in Historia translationis SS. Petri et Marcellini, in qua legitur ad annum* 827 *cœcus quidam nomine Hildeboldus, ad S. Salvii profectus* de monasterio quod ad Duos Gemellos appellatur, *lumen oculorum recepisse* (13); *et in testamento Ansegisi abbatis, anno* 831 ad Duorum Gemellorum monasterium libras duas *largientis* (14). *Deletum deinde a Normannis, videtur venisse in manus laïcorum:* nam, *ut subdit Gallia Christiana* (15), Robertus de Villiers monasterio S. Vigoris Cerasii, cujus Robertus tunc temporis erat abbas, dedit prioratum de Duobus Gemellis cum omnibus quæ ei cedebant et de jure patronatus sui erant, scilicet statum loci, ecclesiam S. Martini et decimam villæ, dimidiam ecclesiæ de Ver etc. Robertus idem fundavit lampadem ante altare S. Martini cereumque pro Missa de B. Virgine. Guillelmus de Ver anno 1224 et Sanson Guart anno 1227 nonnulla largiti sunt pro eodem cereo. Denique in Regestis Anglis custodia temporalium abbatiæ S. Vigoris Cerasii, necnon et prioratuum S. Fromundi et S. Martini de Duobus Gemellis commissa legitur viris religiosis abbatiæ prædictæ anno VI Henrici V. Nunc simplex prioratus a Cerasio dependens, a Carentonio quinque aut sex leucis distans.
F

Durinense monasterium condit;

21 *Cognovimus præterea tertium ex monasteriis, quæ S.* Martinus *excitavit, videlicet*

(1) Act. SS. tom. II Julii, pag. 471. — (2) L'Eglise de Bretagne, pag. 58. — (3) Cfr sæc. I Bened. pag. 359. — (4) Cfr Gebhardus, Reges Francorum Meroving. pag. 51. — (5) Sæc. I Bened. pag. 357. — (6) Ap. D. Bouquet, Recueil, tom. II, pag. 383. — (7) Annal. Bened. lib. VI, n. XIV, tom. I, pag. 135. — (8) Tom. XI, col. 406. — (9) Analect. tom. III, pag. 147. — (10) Annal. Bened. lib. VI, num. XIV, tom. I, pag. 135. — (11) Pag. 240. — (12) Gallia Christ. tom. XI, col. 407. — (13) Cfr Annal. Bened. lib. XXX, num. VII, tom. II, pag. 477. — (14) Ibid. lib. XXX, num. IX, tom. II, pag. 504. — (15) Tom. XI, col. 406 et 407.

Durenese;

AUCTORE V. D. B.

Durenense; *ut omittam Ensionense seu S. Jovini de Marnis, de quo in Historia translationis sermo fit. De Durenensis autem nomine lis moveri potest : in Chronico quippe S. Brioci* (1) *et Nannetensi* (2) *scribitur* Durenum Theofalgiæ vicus; *in antiquissima Vita et in altera adhibita ab Alberto Le Grand* Durinum ; *in secunda et in tertia* Durivum ; *in Vita edita a Menardo* Dirimum ; *et demum* Dureium *in Fragmento Historiæ Britanniæ Armoricæ* (3). *Quum Vitæ in sæculo Benedictino editæ passim ab eruditis adhibitæ fuerint, ibique ex suggestione D. Jacobi Sergent, prioris claustralis S. Jovini de Marnis, annotatum fuisset:* Durivum sic dictum a duobus rivulis illuc in unum confluentibus (la grande et la petite Maine); *passim invaluit ut* Durivum *verum habeatur nomen. Pro* Dureno *tamen seu* Durino *pugnant major et melior codicum pars; dein vulgare nomen adhuc esse* Durin *in præmisso annotato additur. De etymologia seu originatione disputare nolim, licet verisimilius videatur esse nomen Britannicum non secus ac* Dumen, *de quo antea. Cæterum Durenense monasterium, quod ut hoc quidem ævo*
B *duplex erat, virorum et mulierum (de qua re non semel diximus), postea redactum est in prioratum cum nomine S. Georgii de Monte Acuto, non secus ac Vertavum, abbatiæ S. Jovini de Marnis subditum. Situm erat quatuor aut quinque leucis a Vertavo, in loco qui nunc in mappis dicitur* S. George de Montaigu.

quo anno ibi mortuus sit;

22 *Quomodo ibidem mortuus sit S.* Martinus *satis explicatur in Vitis. At quo anno? Albertus Le Grand ponit anno* 589 ; *Menardus, Sæculum I Benedictinum, Mabillonius in Annalibus et Bulteau anno fere* 600; *Proprium Nannetense et Bailletus signant annum* 601 ; *Lobinellus inter annum* 625 *et* 630; *et alii alia. In media itaque harum sententiarum diversitate statuendum ante omnia videtur S.* Martinum *mortuum fuisse priusquam* Dagobertus, Francorum reipublicæ princeps, multis et variis bellorum eventibus premeretur, et de cœnobiis sanctorum multa auferret, quæ suis militibus partiretur; *tunc enim Centulfo, similia Vertavi nomine regis patranti, e cœlo vindex adfuit, quemadmodum in libro Miraculorum legetur*
C *inferius. Atqui Dagobertum in hæc probra incidisse ab anno* 629 *aut sequenti ex Fredegarii Scholastici Chronico* (4) *manifestum est, et proin S.* Martinum *jam tum abiisse ad superos. Præterea jam aliquanto ante annum* 583, *quo S. Felix obiit, diaconum fuisse similiter certum est. Dein si admittas S. Ebrulfum monasticæ vitæ posuisse primordia in Duorum Gemellorum asceterio, id inter annum* 560 *et* 574 *necessario fuisse factum adeoque jam tunc initium datum Vertavo ostendimus supra. Alios temporis limites non habemus : unde pateat nil ex his vehementer obstare adversus quampiam ex præmissis sententiis.*

Lobinelli sententia.

23 *Lobinellus, ut ad annum saltem* 625 *S.* Martini *vitam proroget, se inductum testatur silentio S. Gregorii Turonensis : quomodo enim de viro apostolico, tot cœnobiorum conditore, trecentorum monachorum patre et non procul a Turonibus plerumque agente, tacuisset? quocirca* D *æstimandum S.* Martinum *diaconi partes aut saltem viri apostolici implesse usque ad S. Felicis obitum; diu dein degisse in eremo; et circa annum tantum* 600 *Vertavo dedisse initium. Huic argumento negativi generis aliquam vim inesse haud inficias ibo; non tantam tamen ut a communi sententia, quæ S.* Martini *obitum ad annum circiter* 600 *statuat, recedendum videatur; maxime quoniam S. Gregorius lites habebat cum S. Felice de rebus quibusdam temporalibus* (5); *quæ lites originem forte suam habebant a tempore, quo S.* Martinus *pro diaconi sui officio temporalia ecclesiæ Nannetensis bona procurabat : unde nil mirandum foret a S. Gregorio plane præterita fuisse S.* Martini *gesta; etiamsi nonnullo tempore ante esset mortuus, quam ille suam Historiam absolvisset. Cæterum quis ignoret mediam fere rerum suo tempore in Galliis gestarum partem a Turonensi historico fuisse omissam?*

Dureno fertur Vertavum, hinc Noviheriam, ubi S. Veteranus quiescebat;

24 *Quocumque demum anno S.* Martinus *diem obierit, id certum Dureni hoc factum. Quo pacto hinc Vertavum ejus delatum sit corpus explicant biographi. Jacuit id Vertavi humi sepultum, donec Normanni Nannetibus potiti S. Gohardum episcopum ad altare occiderunt; quod non anno* 864, *ut in Historia Translationis legitur, sed die* 24 *Junii anni* 843 *contigisse fuse ostendit Janingus in Commentario de S. Gohardo* (6). *Qua trucidatione audita, timore perterriti Vertavenses e sepulcro eduxere S.* Martini *exuvias et fugere* Noviheriam, ubi B. Veteranus quiescit humatus et ibi aliquanto tempore commoratum. *Quam in rem animadvertit Mabillonius* (7) : Duo sunt in pago Andegavensi nostri ordinis prioratus sub titulo S. Veterini, quorum unus vulgo *S. Veterin* appellatur, eo forsan in loco situs, qui olim Noviheria vocabatur : alter in vico Geinensi, *de Gennes,* cujus meminit S. Gregorius episcopus in libro IV de Miraculis S. Martini cap. XIV. Est et vicus in confinio pagi Pictavensis vernacule *Vihiers* dictus, quod nomen ad Noviheriæ vocabulum satis accedit.

Mabillonii his de rebus conjecturæ expensæ.

25 *Minus placent hæ Mabillonii conjecturæ. Etenim non de S. Veterino sed Veterano agitur; atque hic quidem Noviheriæ quiescebat, dum ille jaceret in vico Geinensi, ut manifeste constat ex diplomate* (8), *quo Carolus Calvus anno* 845 *Glannafoliense monasterium donavit, tradens ei* res quasdam sitas in pago Andegavensi (*ad ripam sinistram Ligeris infra Salmurium*), in loco, qui nuncupatur Gena, ecclesiam constructam in honore S. Veterini, quo ipse corpore requiescit *etc. Ejusdem dein corpus, minantibus Normannis, Trenorchium atque hinc Corbiniacum in agro Nivernensi delatum est* (9), *ubi ejus festum die* 23 *februarii* (10) *et* 18 *julii* (11) *agebatur. Quum itaque nequaquam verisimile sit* Noviheriam *uno eodemque tempore dictam fuisse* Genam *seu* Geinam, *sequitur S. Veteranum non confundendum cum S. Veterino, ut ab aliquibus factum. Pariter consentire non ausim Noviheriam esse* Vihiers *seu* Vihers, *quum hic locus semper Viheriæ dictæ videantur, et mona-*

(1) Ap. D. Morice, tom. I, col. 21. — (2) D. Bouquet, Recueil, tom. VII, pag. 219. — (3) Ibid. pag. 48. — (4) Cap. LX, ap. D. Bouquet, tom. II, pag. 437. — (5) Hist. Eccl. Franc. lib. V, cap. V, ap. D. Bouquet, tom. II, pag. 235. — (6) Act. SS. suppl. Junii, pag. 244 et 245. — (7) Annal. Bened. lib. XXXII, num. LXIX, tom. II, pag. 597. — (8) Ap. D. Bouquet, tom. VIII, pag. 480. — (9) Sæc. IV Bened. part. I, pag. 562. — (10) Martyrologium Univ. Castellani et Autisiodorense de Caylus. — (11) Act. SS. prætern. ad 18 Julii.

sterio

A *sterio seu prioratui anno* 1061 *inchoato titulus non datus fuerit S. Veterani, sed alteri ecclesiæ B. Mariæ, alteri S. Jovini* (1). *Quæ vero Mabillonii conjecturis substituantur, non habeo; id unum notare contentus iter non per Ligerim, sed* vehiculis et immenso jumentorum apparatu *institutum et proin ad sinistram fluvii positam fuisse Noviheriam, nec tamen longe ab ejus ripis, quum per ejus alveum res ponderosæ transvectæ fuerint; certum quoque videtur Noviheriam non in pago fuisse Pictaviensi; quum de repulsa, quam ab Ensionensibus postea passi sunt Vertavenses, titulus hæc habeat :* Quomodo corpus ejus sanctum a Pictavinis sit repudiatum : *unde Ensionem intra pagum fuisse Pictaviensem, Noviheriam autem extra hunc pagum, pronum est concludere. Vetustum Breviarium S. Jovini inferius citandum, innuit Noviheriam in pago fuisse Amniaco; sed quis ille sit pagus frustra inquisivi.*

Noviheria post multos conatus invehitur S. Martini *corpus Ensionem seu ad S. Jovini;*

26 *Postquam itaque Noviheriæ aliquantum temporis substitissent Vertavenses, Ensionem, quam sui juris arbitrabantur cellam, profecti sunt. Verum Ensionenses, qui canonicam admiserant vitam, veriti ne ad monasticam redire cogerentur a Vertavensibus, finibus suis eos excedere jusserunt. Quocirca nil supererat quam ut Pippinum II, Aquitaniæ regem, qui tum in pago Arvernico morabatur, adirent; Branziacum* * *vicum, Landrico in beneficium datum et Ensionensem cellam sibi reddi efflagitaturi. Petitis annuit princeps; qui rogante Landrico ipsomet, regium præceptum pro Branziaci restitutione Vertavensibus concessit literisque monuit comitem Pictaviensem ut Ensionense monasterium eis reddendum curaret et canonicos, qui monasticæ se non subderent regulæ, pelleret. Hoc pacto via aperta Vertavensibus eorumque beatissimi patroni corpori. Hæc fere ex Historia Translationis. De iisdem in vetusto Breviario Ms. S. Jovini, de quo supra, hæc leguntur* (2) : Pipini Aquitanorum regis temporibus, abbate Ramirando, viro in consiliis provido, corpus B. Martini Vertavensis ab Amniaco pago miraculis coruscans est relatum, et apud Ensium in cellula sui quondam juris auctoritate regia susceptum, atque in ecclesia B. Johannis Euangelistæ juxta corpus S. Jovini ejusdem loci abbatis venerabiliter est locatum. Quo tempore duæ inibi ejusdem honoris et reverentiæ consecratæ Deo habebantur ecclesiæ, alia ad Austrum in B. Johannis Euangelistæ, alia vero e regione ad Septentrionem in memoriam S. Johannis Baptistæ. Inter istas duas collaterales ecclesias media intercapedine via esse videbatur, per quam ob reverentiam et sanctitatem basilicarum, ne aliquis equitando transiret, jure antiquitus servabatur : Beatique Martini ablato corpore, via obstruitur, monachorum inibi mansiones disponuntur et ecclesia S. Johannis Baptistæ in refectorium coaptatur.

* forte apud Sanctones.

Pippinus II rex Aquitaniæ, licet vulgo aliter statuatur,

27 *Porro si quæratur quo hæc facta sint tempore, non in unam incurritur difficultatem; quum hæc ad id pertineant ævum, quo Pippinum II inter et Carolum Calvum de Aquitaniæ regno ferverent lites. Quæ tamen huc spectent versare nolim; sed pro re nostra animadvertamus S.* Martini *corpus Vertavo elatum fuisse ad finem mensis junii* 843; aliquanto tempore commoratum *Noviheriæ; dein frustra tentatum id inferre Ensionem; hinc itum in Alverniam ad Pippinum II Aquitaniæ regem, a quo obtentum præceptum ad comitem Pictaviensem et Ensionenses; atqui hæc facile intra paucos menses fieri potuere; ita ut vel exeunte anno* 843 *vel ineunte* 844 *S.* Martini *corpus Ensionem tandem illatum videatur. Quod si his opponas tunc temporis Pictavienses non paruisse Pippino, sed potius Carolo Calvo; equidem fatebor id vulgo innui* (3), *quum passim supponatur tunc temporis Carolus Calvus in Aquitania prævaluisse.*

AUCTORE V. D. B.

28 *Ast si tunc per Aquitaniam amicos et fautores multis habuit in locis; auctoritatem exercebat extra sua castra vix ullam* (4); *adeoque quum illa S.* Martini *Translationis Historia documentum coævum sit, oportet ut comes Rainulfus, Pippini hostis infensissimus, tunc Pictavis non fuerit, sed ut eodem rediisset Emeno comes, qui paucis annis ante, quum sibi propter proclamatum Pippinum II Aquitaniæ regem ab* E *adversante Ludovico Pio timeret, ad fratrem suum Turpionem comitem Engolismensem confugerat : ita ut ager Pictaviensis tunc subesset Pippino, non secus ac Engolismensis; in quo Pippinus Caroli Calvi exercitum fudit anno* 844; *et Sanctonensis; cujus principibus accensebatur Landricus, quem cum Pippino in Alvernia versantem modo videbamus. Atque etiam post pactiones anni* 845, *per quas Carolus Calvus Sanctonensem, Engolismensem et Pictaviensem pagos nanciscebatur et reliqua Aquitania cedebat Pippino, hujus tamen auctoritas in iisdem nonnihil perseveravit : quemadmodum liquet ex ejus diplomate die* 27 *maji anni* 847 *pro Glonnensi S. Florentii monasterio,* quod est situm in pago Pictavo (5); *ex altero pro monasterio S. Maxentii, dato die* 24 *martii anni* 848 (6); *et ex tertio mensis decembris ejusdem anni de bonis concessis abbatiæ Nobiliaco et in pago Pictaviensi sitis* (7); *ut nil dicam de monetis, Pippino II adscriptis et Metuli cusis et Pictavis* (8). *Cæterum quum Pippinus paulatim a se alienos fecerit animos, in multa probra lapsus; hinc nulli exstitisse videntur* F *annalistæ qui quæ ipse egerit narrent; multi vero qui, quæ contra eum sint acta, exponant : unde fiat ut ejus historia maximis involvatur tenebris.*

prævalebat tunc in agro Pictaviensi.

29 *Porro Ensione quievit S.* Martini *corpus prius juxta S. Jovinum; de qua re consentiunt Historia translationis et Breviarium S. Jovini; ast quum duo ibidem essent templa, eaque in Historia translationis vocentur alterum S. Joannis Baptistæ, alterum S. Petri; in Breviario autem illud S. Joannis Evangelistæ, hoc S. Joannis Baptistæ, hinc fit ut S.* Martinus *in uno documento dicatur prius in templo S. Joannis Baptistæ humatus, in altero in templo S. Joannis Evangelistæ. Verum quamquam Breviarium istud monumentum domesticum sit, ejus tamen fides posthabenda videtur, quum antiquissima breviaria sæculo* XII *antiquiora non sint, et maxime quia in illo traduntur pugnantia. Ad-*

Quo in loco Ensione sepultus fuerit; S. Martinus

(1) Cfr Gallia Christ. tom. II, col. 1274, et Antiq. de l'Ouest, tom. IV, pag. 46. — (2) Sæcul. I Bened. pag. 689. — (3) Cfr Art de vérifier les dates, tom. II, pag. 251, 349 et 350; Vaissette, Hist. du Languedoc, tom. I, pag. 535 et seqq. — (4) Cfr Sismondi, Hist. des Français, tom. II, pag. 65, édit. de Bruxelles, 1846. — (5) D. Bouquet, Recueil, tom. VIII, pag. 360. — (6) Tables des Mss. de D. Fonteneau, Mém. de la soc. des antiq. de l'Ouest, tom. IV, pag. 4. — (7) Ibid. l. c. — (8) Lecointre-Dupont, Essai sur les Monnaies du Poitou; Mém. cit. tom. VI, pag. 322 et seqq.

struitur

AUCTORE V. D. B.

struitur quippe prius S. Martini *corpus humatum fuisse in æde S. Joannis Evangelistæ et tamen paulo inferius dicitur sublatum ex æde S. Joannis Baptistæ, quod hæc in refectorium mutanda esset. Tenendum itaque est* S. Martini *exuvias in S. Joannis Baptistæ templo juxta S. Jovini corpus fuisse sepultas, et* non post multum tempus elatas et in ecclesiam S. Petri translatas, *ut habet Translationis historicus.*

reliqua ejus reliquiarum

30 *Id factum* IV *nonas decembris; quo vero anno latet. Albertus Le Grand tradit* S. Martini *corpus Vertavo Ensionem translatum anno* 878; *idemque habet Lobinellus. Erroneum id esse liquet; sed subibit forsan hoc anno factam fuisse translationem ex templo S. Joannis Baptistæ in S. Petri; non crediderim, quum anno* 878 IV *nonas decembris seu dies* II *non dominica, sed feria* III *esset. Quocirca arbitror potius hoc anno S.* Martini *exuvias feretro fuisse impositas cum reliquiis S. Judicaelis, regis Britanniæ, et SS. Leominii, Rufini et Marculfi; quod feretrum anno* 1130 *retectum fuisse iidem Albertus et Lobinellus tradunt, novamque translationem factam; cujus deinceps memoria die dominica post Nativitatem* B *B. M. V. mense septembri celebrata sit; quæ res, licet difficultates ex S. Judicaelis reliquiarum fortuna hic sponte enascantur* (1), *non videtur vocanda in dubium* (2).

fortuna et cultus.

31 S. Martini reliquiæ, *ita jam suo tempore Mabillonius* (3), non amplius exstant in monasterio Ensionensi, quod nunc S. Jovini de Marnis appellatur, ab hæreticis dire violatum. Sacrum ipsius caput in S. Florentii abbatia Salmuriensi colitur, os vero brachii in cœnobio Vertavensi, ubi sancti viri lapis sepulcralis longus amplius quinque pedes cernitur et a fidelibus frequentatur. *Sed, ut ex nupera Lobinelli editione intelligitur, Vertavi jam non exstat os brachii* S. Martini; *periit nempe in sæculi superioris perturbationibus. Templum vero Vertavense meliorem habuit fortunam : quod quippe adhuc exstet, si chorum excipias, hoc sæculo destructum. Exeunte anno* 1849 *retectæ partes vetustissimæ, sæculi nimirum* XI; *de his aliisque rebus videndæ ephemerides* (4). *Valde difficile est propter homonymum sanctum Turonensem novisse ecclesias, in quibus* S. Mar- C tinus *Vertavensis patronus esset. Certissima tamen novimus ex Vita S. Gregorii Nicopolitani seu Armeni, qui circa annum* 1000 *in Gallias venit et deinceps in Pitivirensi agro sanctissimam duxit vitam. Quum scilicet Pitiverim accessit, noctu divinitus admonitus est quod* non longe hinc quædam parva ecclesia in honore S. Martini Vertavensis consecrata *erat,* ab omni strepitu hominum segregata; quam propter solitudinem incolæ Solam vocabant, non plus ab hoc oppido duobus passuum millibus distantem. *Quomodo vero eam adeptus sit S. Gregorius ab Alviza, pia matrona, et vitæ suæ sanctimonia illustrarit, videri potest in ejusdem Vita ad diem* XVI *martii* (5). *Gallice vocat hunc locum Castellanus in Martyrologio universali* S. Martin-le-seul-en-Piverez *seu* Pitheverais; *sed nullum ejus amplius reperio vestigium in Dictionario universali Galliæ, in Mappis Cassini aut in polyptycho præsentis diœcesis Aurelianensis, qua Pitivirum clauditur. Qua vero causa* S. Martini *cultus ibi ortus fuerit, conjecturæ* D *fieri queunt, nil autem determinari. In ejus honorem dedicatæ dicuntur ecclesiæ in* Cré *et* Dissé *seu* Dissay-sous-Lelude *diœcesis Cenomannensis* (6). *Præterea in occidentali Galliæ parte celebrant* S. Martini *Vertavensis festum plures diœceses; adeoque plurimæ antiquæ et recentiores lectiones mihi ad manus sunt : sed nil in his singulare.*

Hymnus de miraculis S. Martini.

32 *Prosam rhytmicam de* S. Martino *ex codice Ms. Vertavensi edidit Mabillonius in primo Sæculo Benedictino; hanc et nos hic dabimus :*

Lingua, corde, mente tota
Nunc Martini plebs devota
Recolat solemnia;
Cujus probant sanctitatem
Et ferventem caritatem
Miracula varia.
Dum non credit, casum dedit
Herbadilla funditus :
Per Martinum Vertavinum
Floret agmen primitus;
Liberata et salvata
Principis est filia; E
Ursus cedit et obedit,
Remota sævitia;
Saxum nare scit per mare
Præsentis imperio;
Nectar sapit fons, quem capit
Iste pro solatio.
Cessit unda; et immunda
Cohors sub efflamine :
Hic redemptus sum et emptus,
Clamat, sacro sanguine.

VITA ANTIQUISSIMA

S. MARTINI,

ABBATIS VERTAVENSIS,

Ex codice Ms. Ultrajectino S. Salvatoris a. *a*

F

CAPUT UNICUM.

Diaconatus Nannetis; prædicatio Herbadillæ; hujus oppidi ruina; Vertavi monasterii origo; S. Martini obitus in asceterio Durinensi.

S. Martinus: *Nannetis ortus, fit archidiaconus;*

Martinus ex nobilissimis parentibus urbis Neustriæ *b*, nomine Nannetis, ortus fuit. Qui a pueritia tam bonæ indolis apparuit, quod parentibus * eum præceptoribus tradiderunt imbuendum lege divina. In brevi autem ita profecit quod coætaneos scientia et moribus excessit, fulgens maxime facundiæ claritate. Et cum de die in diem cresceret in virtute, corpus subjiciens spiritus servituti; ubi apti temporis metas attigit, Felix *c* tunc Nanne- *c*

b

* *l.* parentes.

(1) Cfr R. D. Tresvaux, ap. Lobineau, Vies des SS. de Bretagne, tom. II, pag. 116. — (2) Cfr Chron. Brit. ap. D. Morice, tom. I, col. 4. — (3) Sæc. I Bened. pag. 689. — (4) Ami de la religion, 22 déc. 1849, tom. CXLIV, pag. 329. — (5) Act. SS. tom. II Martii, pag. 463. — (6) Pesche, Dict. topogr. de la Sarthe, vis *Cré* et *Dissay-sous-Lelude*.

tensis

d *e* tensis episcopus eum diaconem *d* ordinavit, committens sibi totius parochiæ curam *e*. Quomodo autem in illo statu sancte vixerit, quotque animas tam verbo quam exemplo Christo acquisierit, difficile esset ostendere.

mittitur a Felice episcopo Herbadillam, fidem prædicaturus; f

2 Gallia enim adhuc ex parte superstitioni idolorum intendebat, præcipue autem cives urbis quæ dicebatur Herbadilla *f*: quæ urbs Nannetis contigua, licet Christianorum conterminalis, nullo tamen fœd[er]is pacto jungebatur. Locuples quippe et sufficiens sibi videbatur; cui fertilissimi cespitis multa erat copia; deinde marinis seu Ligeris abundans mercibus, longe a bonorum omnium discrepabat moribus. Unde nullus jam prædicator ibi accedere præsumebat. Venerabilis igitur Felix prædictus vehementer angebatur, quod in tam vicina sibi urbe idolorum cultura vigeret. Vocato itaque Martino diacono suo: Vides, inquit, karissime, quod nostris adhuc temporibus humani generis hostis dominetur antiquus. Cur non erubescimus sic nobis proximas profani cultus nondum extirpasse sordes? B Nunc igitur vade ad urbem Herbadillam et populo incredulo verbum Dei annuntians eos fidei Christi labora subjicere.

repulsam patitur;

3 Martinus, devote obediens, ascensa navi, ad urbem pervenit; et populo regnum Dei prædicans, vitæ æternæ delicias erebique perpetuas intonat pœnas. Et diutius ibidem conversans, prædicando nihil proficit, sed irridebatur a populo nequam, et nunc de uno loco, nunc de alio expellebatur. Quidam tamen civis ipsius civitatis, nomine Romanus, solus cum uxore credidit et sanctum Martinum hospitio recepit; apud quem commanens, sanctus verba vitæ indesinenter ingerebat miseræ civitati. Deridente autem turba ejus perseverantia *, cœpit sanctus attædiari; ingemiscens quod porcis quotidie margaritas porrigeret conculcandas.

* *l.* perseverantiam.

oppidum submergitur et femina in lapidem mutatur;

4 Et cum deliberaret quid facto super hoc opus esset, vox sibi divinitus dixit perituram urbem fore; jubens ut cum hospite suo ac ejus uxore civitatem exiret, et prohiberet eis ne retrorsum respicerent. Quod cum fecissent et jam longe discessissent, sanctus Martinus, C elevatis oculis et manibus in cælum porrectis, dixit: Tu, inquit, Christe, qui humanum genus venisti redimere, quia hæc civitas, quam laboravi tibi acquirere verbo bonitatis tuæ, pro nihilo computavit; jussistique me eam fugiendo spernere, jube eam perire in æternum, ut hic amplius non sit sedes operantium iniqua, sed operiens eam abyssus oblivione secludat æterna. Cum hujusmodi verba finisset, repente tellus dehiscens pontusque surgens alta murorum fastigia et templorum culmina dicto citius complanavit. Martini autem hospitis uxor, attonita sonore pereuntium, oblita comminationis quam a sancto audierat conversa est retrorsum ut videret quænam causa tumultum hujusmodi excitasset. Porro conversa diriguit; et modo, quo acclivis erat, in lapidem stupefacta remansit, sanctus autem Martinus, a longe stans, amarissime flere cœpit; hujus interitus actorem se accusans *h*.

h *id sibi vitio vertit S.* Martinus *et in solitudinem abit;*

5 Mundum itaque relinquens, vastam heremum petivit, ab omnium hominum habitatione remotam. Ubi se nimium affligens, herbis et herbarum radicibus solum vivebat. Cum vero fontem ad bibendum ibidem hauriret, convertebatur sibi in vinum optimum. Et cum ibidem diu mansisset in contemplatione, tota mentis intentione suspensus in Deum, tandem admonitus est humanæ habitationis revisere communionem, ne lucerna diutius sub modio latitaret. Igitur a sylva, quam Dumen vocant *i*, ad locum, qui nunc Vertanus dicitur, properavit. Ibi modicum tempus cum egisset, cœpit ab innumeris frequentari, odore bonæ famæ ejus attractis; e quibus nonnulli sibi jungebantur, illuminari exemplo ejus cupientes; alii ingentia sibi conferebant prædia, quibus vel monasteria construeret, vel pauperibus subveniret; quidam etiam filios suos offerebant Domino servituros. *i*

inde exit et Vertavum et multa alia condit asceteria;

6 Nobilissimum igitur cœnobium in honore Beati Joannis Baptistæ ædificavit; quem locum Vertanum a venustate antiquitus dictum remur. Hic Martinus, multitudinem aggregans monachorum, angelicam cum eis ducebat vitam. Regulæ quoque statuit normam, quam districtione præcipuam a transalpinis partibus fertur detulisse *k*. Ex hujus loci sancto contubernio tanta erupit sanctitatis opinio ut tota inde fragraret Neustria. Nam Martinus plurima undique construxit cœnobia; quibus monachorum multitudo erat tanta, ut ibi centenus *l* vinceretur numerus: quæ cœnobia strenuissimis monachis committebat; Vertanum sibi reservans. Congruis tamen temporibus eadem monasteria visitabat. Tantæ autem humilitatis et sanctitatis omnibus apparebat, ut nullus eum considerare posset quin sibi mundus vilesceret. *k* *l*

repulsis dæmonibus, Durini obit; m

7 Visitando igitur venit Durinum *m;* ubi duo monasteria ædificaverat, unum virorum et aliud mulierum. Cumque ibidem mores scrutaretur, tactus febre decubuit, et cum infirmitate premeretur et circumstarent lectulum monachi, vidit malignorum agmina cum ingenti strepitu horrendum resonantia; et, ut de magno Turonensi Martino legitur, sic et iste illis dixit: Quid hic statis maligni? Abite, inquit, ocius. Tunc illi subito evanuerunt.

miracula et lis de ejus corpore inter Durinenses et Vertavenses;

8 Cumque itaque Durinum obisset, Vertanenses ad eum requirendum Durinum adeunt. Durinensibus autem corpus reddere nolentibus, lis inter eos et Vertanenses mota est; et utrisque circa corpus locatis, Durinenses sopor invadit omnesque obdormierunt. Tunc Vertanenses, corpus assumentes, fugere cœperunt. Quibus cum contractus occurrisset, et peplum quod erat supra feretrum tetigisset, continuo sanatus est. Similiter et cœcus accurrens lumen recepit. Vertanensibus itaque velociter usque prope ripam, quæ Laudosa prius dicebatur, nunc ab eventu Separis *n* dicitur, cum sancto corpore pervenientibus, evigilati Durinenses insecuti sunt eos cum armis usque prope istam ripam. Cumque jam prope esset ut corpus sanctum auferretur, orantibus Vertanensibus, fluvius retortus ipsis vectoribus facultatem tribuit transeundi; et cum transiissent fluvius in alveum suum mox rediit. *n*

apud hos demum sepelitur.

9 Vertanenses itaque, cum jam hostes non timerent, insultaverunt Durinensibus, dicentes: Quare vos tam tarde commorati estis? Unde et nomen loci usque hodie permanet UT TARDE * vocetur. Durinenses voluntatem Dei videntes

* Attarde

AUCTORE ANONYMO.

videntes reversi sunt ad propria, sepultum est igitur corpus sanctum in ecclesia Joannis Baptistæ, quam ipse beatus construxerat; ubi quanta et qualia operata sit Christi clementia, nulla humanæ industriæ sufficit explicare facundia. Transiit hic Sanctus nono kalend. Novemb. ad laudem Dei omnipotentis. Amen.

ANNOTATA.

a *De hac Vita dictum in Commentario numm.* 2 *et* 3.

b *Usque ad quod tempus Nannetæ Neustriæ civitas habita illic fuerit, dictum in Commentario numm.* 2 *et* 3.

c *De S. Felice in opere nostro dictum est ad diem, quo colitur,* VII *julii.*

d *Cointius* (1) *statuit S.* Martinum *creatum fuisse presbyterum a S. Felice; manifestus lapsus. Satis erat concionaturo diaconatus gradus; itemque abbati: sæpius enim illo ævo in monasteriis nullus e monachis presbyter erat* (2).

e *Hinc liquet unum tantum tunc temporis*
B *in diœcesi Nannetensi fuisse archidiaconum. Quum cl. v. Guérard* (3) *ex Vita S. Leodegarii, qui* sub pontifice omnibus ecclesiis ipsius diœcesis est prælatus, *statuisset hanc de uno archidiacono legem usque ad sæculum* VIII *durasse, fidem ipsius S. Leodegarii Vitæ in dubium vocavit cl. v. de la Fontenelle de Vaudoré* (4). *Equidem crediderim nec certam legem, nec certum exstitisse morem; sed variis in diœcesibus pro necessitate varia et finium amplitudine fuisse actum. Sæculo enim* VII, *dum viveret S. Leodegarius, in diœcesi Claromontana seu Arvernensi habebas eodem tempore, ut ex secunda S. Præjecti Vita constat,* Genesium archidiaconum (5) *et* Giroaldum archidiaconum præfatæ urbis (6).

f *An id oppidum exstiterit et absorptum fuerit quæsitum in Commentario numm.* 11 *et seqq. Quo vero jure diaconus Nannetensis prædicarit in diœcesi Pictaviensi, ibidem similiter numm.* 7 *et seqq.*

h *Hic in tertia Vita seu in ea, quam primo loco edidit Mabillonius* (7), *nos vero omittimus,*
C *hæc inseruntur:* Sanctus ergo vir Martinus, hæc cernens, et tantarum animarum perniciem ingemens, auctoremque eorum se memorans, lacrymarum semet cœpit abluere fluctibus; flexo se destinans animo fletibus, seseque tradens luctibus, sæculum penitus deliberans relinquere, nec jam deinceps ad cujuslibet dignitatis apicem redire. Calcans itaque celsa mundi cacumina, arcti callis cæli celsa petentis aggreditur ardua; terrenaque despiciens, solum cælestia quærens, ad exteras et sibi incognitas regiones properare festinat ac provincias; demum iter nimis laboriosum sibi assumit. Hic titulo insignis reverentiæ quidem Martinus, virtutum meritis perspicuus ac nobilis, universam Europam in peregrinationis mercede confecit. Hic in montium specubus latitans, gelu frigoreque carnem sui corporis domans, spirituique subjiciendo eam, labra pallida gestans; illic vero diversarum loca (ut præfati sumus) regionum sanctarum peragrans; istic autem diversi operis effe- D
ctum, scilicet pontes supra rapidissima flumina (quæ usque hodie veram esse nostram confirmant assertionem et ita adhuc in sua permanent soliditate, ut fuerunt,) adeo mirabiles ut omne artificium humanum transcendant; fontes etiam splendidissimi ejus per orationem de arvis producti, non solum cultis in locis, sed etiam incultis, in sola baculi ipsius fixione vivacissime emanant, usque in præsens lenes, dulcissimis et crispantibus aquis uberrimi. Sane de his aquis plurimæ sanitates conferuntur ægrotis; de quibus non solum peregrini, sed et cuncti inter calorem æstatis nimium sitis assiduæ validum exstinguentes ardorem, misericordissimum Deum glorificant Martini, qui sic quotidie per Martinum non solum salutem operatur corporum, sed et animarum. In Alpium quoque invia quantum laboris impenderit, hic orbe colendus omni, ut pervia fierent; et quomodo toto nisu mentis ibi elaboratum est ab illo ut meabile redderet idem iter omnibus, nullus mortalium sermone comprehendere poterit suo. E
Tamen varia pro viribus suis commercia in naviculam æquoreis fluctuantem undis afferentem atque salutaris dogmatis imbribus irrigantem quosque valebat, æterna pro hoc nunc a Domino consequitur lucra: non solum autem in cælesti patria gaudia possidet absque fine mansura; sed ita præfinitum est a Christo ut quod habet ipse nomen Martinus honorem. Quis locus sane est in terrarum orbe tam procul positus, et abditus, qui beneficia istius gloriosissimi et cum honore nominandi Martini non percepit? Aut quis religionis christianæ ita est extraneus factus qui non ejus sentiat auxilium? Neque enim hæc vox mea solius est, sed testes sunt cunctæ Europæ gentes, id est Germanicus, Hispanicus, Gothus, Gallicus, Stottus *, Britto, Vasco, * Scottus
Saxo, Burgundio, necnon et aliæ quam plurimæ barbaræ nationes, limina Apostolorum Romæ frequenter adeuntes. *Æstimat Lobinellus omnia hæc itinera potius pertinere ad S. Martinum Dumiensem; quem multum peregrinatum esse constat: equidem arbitror nonnihil quoque*
F *itineratum fuisse S.* Martinum *Vertavensem, quum ex Vita antiquissima appareat aliquam horum itinerum Vertavi sæculo* IX *ineunte superfuisse memoriam; quæ vero perfecerit itinera alii determinent, omnia monumenta jam habentes præ oculis.*

i *De hac silva dictum num.* 14 *Commentarii prævii.*

k *De monasterio Vertavensi ejusque Regula vide Commentarium prævium, num.* 15.

l *Videtur legendus* tercentenus numerus; *ita in Vita secunda; et in tertia seu prima Mabillonii:* Plura præterea condens cœnobia multaque devotorum aggregans collegia, usque ad trecentorum et eo amplius discipulorum greges traditur cumulasse numerum. *Eumdem numerum reperit Menardus in codice S. Cornelii Compendiensi, et Albertus Le Grand in aliis tribus Mss. Ex monasteriis, in quæ distributi erant trecenti illi monachi, novimus Vertavense, Duorum Gemellorum, Durinense et*

(1) Annal. Eccl. Franc. ad an. 565, num. 12, tom. II, pag. 59. — (2) Cfr Examen hist. et canon. de regul. off. et juribus, pag. 148. — (3) Divisions territ. de la Gaule, pag. 88. — (4) Recherches sur les vigueries du Poitou, Mém. de la soc. des antiq. de l'Ouest, tom. V, pag. 334 et seqq. — (5) Sæc. II Bened. pag. 646 et 648. — (6) Ibid. pag. 648. — (7) Sæc. Bened. I, pag. 373.

verisimillime

A *verisimillime etiam Ensionense seu S. Jovini. Operæ pretium est animadvertisse hæc in quamdam congregationis seu ordinis religiosi speciem fuisse ordinata, quum unius abbatis visitationi subessent omnia.*

m *Vide Commentarium prævium num.* 21. *Quamdiu perseverarit parthenon, adjectus virili monasterio, incompertum.*

n *Nulla alia videtur superesse memoria* Separim (la Sèvre Nantaise) *umquam dictam fuisse* Laudosam. *Fabulas hic vendi æstimat Valesius* (1) *adeoque Separim, quod nomen aliis Galliæ rivis commune est, vocem esse celticam.*

ALIA VITA

S. MARTINI

ABBATIS VERTAVENSIS,

B *Auctore monacho Vertavensi anonymo, qui sæculo IX exeunte vixit.*

Ex ms. cod. monasterii Silvæ Majoris, secundum editionem sæculi I Benedictini *a*.

a

PROLOGUS AUCTORIS.

Multiplex sanctorum ordo.

Locaturus fundamenta ecclesiæ suæ sanctæ Dominus Christus, postquam eam pretiosi sui sanguinis effusione redemit, et mortis devicto principe, gloriæ se restituit paternæ : nequaquam eam reliquit viduam aut superni moderaminis respectu destitutam. Ipse enim a supernis gloriæ suæ sedibus eam invisere non desiit : et quibus sanæ doctrinæ gubernaculis e mundi liberetur naufragio, sola præscientiæ suæ majestate providit. Quam licet fundarit in Patriarchis et Prophetis futuri sui sacra-
C menti præconibus, amplioris tamen privilegii gratia excoluit in Apostolis, roboravit in Martyribus, qui victricis patientiæ laurea respuere caduca, ut possent adipisci sine fine mansura. Nec virtutis eorum longanimitatem sævientis mundi potuit perfringere terror : quippe quibus vivere Christus erat et mori lucrum. Quorum gloriæ non extorris Confessorum numerosus apparuit chorus; qui licet persecutorum haud experti sint belluinæ crudelitatis rabiem, contra occulti tamen et invisi hostis pugnando machinamenta et proprii corporis blandimenta operum bonorum æmulis ingentia virtutum reliquere documenta. Gloriosior porro Martyrum confessio, quod nec corporei cruciatus exquisitissimis cesserit pœnis : tum demum Confessorum prædicanda virtutis a Deo datæ fortitudo, quod, vitæ labilis voluptate calcata, noxia carnalis suggestionis desideria in semet pro Christi nomine mortificarit. Crucem enim Christi gestantes, inter adversa et prospera eodem virtutis proposito constantes, ab omnium vitiorum superflua labe sese fecere sequestres. AUCTORE ANONYMO.

2 E quibus unum virtutis gloria prædicandum supernæ pietatis dignatio mundo huic largita est Martinum : qui scutum fidei viriliter tenens, contra venenosi anguis incentiva spiritualia sancti exercitii intorsit jacula. De cujus ortu, vita, et obitu quæ comperta habemus, ad multorum utilitatem et profectam * plenæ fidei veritate annotare cupimus, non nostris viribus fisi, aut altioris ingenii prærogativa fulti, verum illius misericordissimæ Divinitatis omnipotentiæ subditi, qui os mutorum aperit, quique rudem pecudis linguam articulata voce resolvit. Ad hoc etiam accedit et illud, quod non injussi aut temerarii ausus præsumptione, verum reverendorum quorumcumque Patrum caritativæ dulcedinis id aggredimur jussione : nimirum verentes inobedientiæ notari; quam contempsisse, magni discriminis labyrinthum evasisse *. Simul etiam rati non mediocris augmenti fore, si tanti viri laudabilis ad imitandum digeratur vita, ut studiosi æquitatis habeant quod sequantur, et os iniqua loquentium unde E obstruatur : atqui nec nunc quidem penitus obmutuit iniquitas, cui beatitudinis beatorumque in beati regni gremio viventium nulla erit communionis unitas. Ceterum quicumque dignatus pauperculæ hujus schedæ apices revolveris, ne verborum tibi displiceat rusticitas : verum sinceriter prælibatæ historiæ complaceat veritas. Regnum quippe Dei non in sermone constat, sed in virtute. Porro autem nec condecet Christiani famulatus devotissimos verborum perquirere fucum, cum ipse simplicitatis et puritatis amator Pater omnipotens ad prædicandam verbi sui veritatem non rhetores aut grammaticos, verum simplicissimos quosque et idiotas delegerit, ne veritas argumentis fallaciæ videretur fulciri. Legis etiam auctoritate inhibemur in domo Dei lucum plantare, videlicet ne claritatem cælestis oraculi compositione verborum præsumamus in aliquo mutilasse : siquidem veritatis serenitatem obnubit, qui eam non simplicibus, ut est, purisque, sed undecumque collectitiis astruere nititur argumentis. F

Hujus scriptionis fides.

* profectum

* *supple* est

ANNOTATUM.

a *De hac secunda Vita satis dictum est in Commentario prævio numm.* 4 *et* 5. *Annotata autem, præcedenti Vitæ apposita, apprime et huic conveniunt omnia.*

(1) Not. Gall. pag. 526.

AUCTORE ANONYMO.

VITA

S. MARTINI VERTAVENSIS.

CAPUT UNICUM.

Diaconus Nannetis; prædicatio Herbadillæ; hujus oppidi ruina; Vertavi monasterii origo; S. Martini obitus in asceterio Durinensi.

Martinus *Nannetensis, nobilis, litteratus, et bene morigeratus.*

Fuit vir venerabiliter * vitæ Martinus nomine, qui ab ipsis adolescentis ævi primordiis sectator factus est disciplinæ cælestis. Hic nobilissimorum parentum sanguine cretus, altum illius generis fastum totum ad nanciscendam supernæ gloriæ convertit dignitatem. Nec altitudo prosapiæ fuit illi argumentum superbiæ: sed quo carior, eo studuit esse humilior. B Et quamvis litterarum adhuc imperitus videretur, vim tamen verbi illius omnimodis sectabatur : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Domino invenies gratiam.* Porro locus sacri ejus exorsus Neustriæ fuit urbs, quæ Namnetis dicitur : ut non abforet Occidenti, unde radios superni fulgoris etiam ipsi spargeret Orienti. Hunc ubi parentes adverterunt acrioris ingenii, qui (ut diximus) nobilitatis pollebant prærogativa, dant illum præceptoribus : quibus non longo temporis spatio commoratus, mirum dictu qualiter coævos transiens ipsius disciplinæ magistris in nullo invenitur secundus. Nam cum admirabilis institutionis claritate tantæ illi dulcedo inerat facundiæ, ut mærentibus lætitiæ gaudium, indisciplinatis modestiæ reformaret incrementum. Linquens igitur hæc, quæ ostentui potius forent quam saluti, renuntians scilicet scholasticis disciplinis, totam animi sui indaginem ad investiganda supernæ philosophiæ convertit arcana. His igitur intentus, C spiritui reluctans subigebat corpus, interiorisque hominis sequens novitatem, veterem, qui secundum desideria erroris corrumpitur, funditus deposuerat, solum amans Christum, odio habens mundum. Sermo ejus secundum Apostolum spirituali sale conditus, gratiæ dulcedinem inferebat audientibus. Porro autem quid de morum ejus qualitate dixerim? omnibus aptus, omnibus condescendens : his qui temporeis fugientis mundi rebus uterentur tamquam et ipse uteretur, maxime renuntiantibus his, quæ videntur, singulari purissimæ dilectionis affinitate jungebatur. Sapientibus videbatur sapientior, simplicibus quibusque inferior, nimirum omnibus omnia factus ut omnes faceret salvos.

* venerabilis

Diaconus factus cunctis prodest.

4 Igitur uti apti temporis metas attigit, jussu sacræ memoriæ Felicis, qui tunc pontificatum Nannetensis tenebat ecclesiæ, diaconi arce suscepta communem totius parochiæ suscepit curam. Hoc itaque suscepto onere, quantum se præbuerit utilitatibus ecclesiæ, nostræ non est possibilitatis indagare. Quis enim infirmabatur et Martinus non cum eo infirmaretur? quis scandalizabatur, et Martinus non ureretur? Reluctantibus veritati, hic superni debriatus nectare verbi, cum summa cordis humilitate resistens, sic agebat, ut et audientium salutem, et incredulorum quæreret correctionem; bonos sollicitans ut perseverarent, malis suggerens ut a malitiæ tortitudine resipiscerent. Talibus igitur Martinus virtutum adoreis insignitus, omnibus sanum sapientibus complacebat. D

Herbadillæ urbis infelix status.

5 Porro adhuc ex parte sui Galliæ dæmonicæ damnationis vinculis irretitæ nondum ad liquidum Factoris omnium virtutum matricem susceperant fidem, maxime cives urbis, quæ dicebatur Herbadilla, erroneo redacti spiritu, ultra comprovincialium insaniam dæmonicæ subdiderant colla culturæ. Quæ urbs Namnetensi contigua civitati, licet Christianorum conterminalis videretur, nullo tamen fœderis pacto cum his jungebatur : necesse enim erat ut quorum respuerat fidei integritatem, humani quoque contubernii vitaret societatem. Locuples quippe et sufficiens sibi videbatur, quippe cui fertilissimi cespitis multa erat E copia frugum utilitatibus opportuna. Tum deinde marinis seu Ligerinis spem sui status ponens in mercibus, longe a bonorum omnium discrepabat moribus. Accidit enim illi ex divitiarum magnitudine superbiæ magnitudo, nec Dei omnia bona dantis vel modica illi erat cognitio. Sed utinam solius ignorantiæ reatu deliquerit, et non totius sævitiæ machinamento in veritatis præconibus crassata sit. Quod enim ignorantiæ solet esse veniabile, quod sane per superbiæ contumaciam committitur, merito damnabile judicatur. Itaque ad urbem de qua nobis sermo est jam nullus prædicator, nullus Christi Jesu accedere famulus præsumebat : quippe cui tanta sævitiæ inerat immanitas, ut eam lux paucorum vel perfectissimorum patientiæ ferret magnanimitas.

Illi urbi Martinus

6 Venerabilis igitur Felix, quem prædiximus Namnetensium tunc tenere pontificatus officium, vehementer angebatur quod sui ævo adhuc temporis in hac tam sibi contigua urbe pristini dæmonicæ servitutis vestigia remansissent erroris. Relinquere sibi creditas dominici ovilis * verebatur, timens suorum damna, F nec ex inimicis fidei aliqua sperans lucra. Immenso igitur animi mærore fluctuans, quid in hujus causa negocii sibi agendum foret, non videbat. Tandem divinæ miserationis auxilio id quod utile posse videretur intelligentiæ ejus, mittitur non reprobis ad salutem, sed ut nequitiarum suarum nullam haberent excusationem. Vocato itaque episcopus Martino, qui ei diaconatus adhærebat obsequio : Vides, inquit, carissime, quod nostris temporibus humano generi hostis adhuc dominetur antiquus? cur non erubescimus sic nobis proximas profani cultus nondum extirpasse sordes? ubique Christus, ubique supernæ gloriæ divitiæ nunciantur : nos autem hic desides coram oculis nostris patimur dæmonici juris immutilatas permanere sedes? Quapropter, dulcissime, sequens exemplum nostri Pauli, qui gaudet in tribulationibus, lætatur in plagis, pro ipsis etiam mori desiderat inimicis; securus de superni plenitudine auxilii, vade, perfidis istis annuncia regnum Dei, nec

* caulas

magnitudine

A magnitudine imminentium revoceris malorum: quia quo amplius in loco incolatus tui pro Domini nomine laboraveris, eo amplius beatitudine muneris in patria justorum donaberis. His Martinus auditis, licet multorum experientia sua frustrari conjiceret cœpta, roboratus tamen promissionibus adjutorii cælestis et formidine postposita mortis, quod jubetur aggredi conatur. Benedictionem itaque postulatam adeptus, comite Christi suffragio, Ligeris sese credidit alveo : et velut alter Jonas Ninivitis prædicaturus accedit. Sane propheta cunctabundus invitusque populo Ninivitico imminentis exitii sæva nunciavit discrimina : Martinus lætus et alacer perituræ urbi salutis prædicare nisus est instituta. Minantem illum crudelia plebs salvanda audivit, obsecrantem hunc et jugiter admonentem populus periturus audire contempsit. Doluit ille promissi excidii Ninivem pericula non sensisse : doluit hic urbem Herbadillam æterni interitus supplicium incurrisse.

Dei verbum annuntiat.

B 7 Igitur Martinus navi subvectus ad urbem properat, populoque regnum Dei annunciat, vitæ æternæ delicias erebique perpetuas intimans pœnas, omnipotentis Divinitatis majestatem Patris et Filii et Spiritus Sancti : vanitatis eorum superstitiosa redarguens instituta, singularis facundiæ prædicabat gratia : Dii, inquit, vestri, quos profano acti errore dementesque colitis, artis humanæ industria facti sunt dum non essent, ingentisque curæ sollertia custoditi ne perirent. Quod si quis casus eos qui custodiæ suæ impotes sunt læserit, qui hominum scienti peritia facti sunt, hominum nihilominus arte curantur. Quomodo ergo eos creditis deos, quos labore manuum vestrarum cognoscitis factos? Magis quippe vos dii eorum censemini, qui eorum indesinentis curæ pervigili sollicitudine fatigamini. Siquidem viderat ibi Martinus aurei Jovis simulacrum, Mercurii et Dianæ, Veneris quoque et Herculis, ære aut marmore fusa, portenta. Itaque vir beatus nullatenus quiescere patiebatur, sed opportune importune arguendo, obsecrando, increpando verbum Christi in perditorum mentibus serere nitebatur. Nunciabat his qualiter in mundi principio Deus hominem ad sui condidit imaginem, qualiter paradisi beatitudinem felicem amisit : et per virulenti anguis prolapsus suasionem, per unici Filii sui recuperavit incarnationem. His etiam addebat partum Virginis, passionem beatissimæ crucis, resurrectionem ex mortuis, ascensionem in cælis, adventum Spiritus-sancti, remissionem peccatorum per lavacrum baptismi, futurum in consummatione sæculi judicium Dei, resurrectionem nostræ carnis, gaudia sanctorum, necnon pœnas malorum : quæ omnia in Christo et per Christum impleta sive implenda, fides docet catholica. Talibus ejus monitis et prædicationibus effera plebs facta atrocior, ad tantam insipientiæ devoluta est vesaniam, ut non modo verba vitalia deridere non timeret, verumetiam denunciatorem salutis ab omni humanitatis et hospitalitatis gratia secludendum putaret.

Despicitur ab incolis.

8 Porro autem Martinus cum videret verborum salutarium jacturam fieri, seque ipsum a lege naturæ secerni, secum querebatur tanti impietatem infortunii. Divina autem gratia quæ numquam relinquit sperantes in se, inspiravit uni civium, cui carum uxoris erat solatium, nomenque Romanus, qui beatum virum, qui amplius hominum impietatem quam suam querebatur necessitatem, proprio susciperet hospitio, et pro posse congruenti foveret alimento. Hunc ubi Martinus tantæ vidit devotionis, ut temporalibus recompensaret æterna, Christi-Jesu huic protinus nomen declarat, virtutem prædicat, regnum annunciat, credentemque cum uxore in fide sanctæ Trinitatis baptizat : commanensque illi, indesinentiam, ut cœperat, vitæ æternæ miseræ ingerebat civitati. Turba autem cœtus perituri multimodæ illius longanimitatis ridente perseverantiam, cœpit nimis tædiari, animique mærentis angustia confici. Itaque cogitans inimicam deserere urbem, valde cœpit tribulari, quod nemo eorum cælestis vocationis gratiæ dignus fuerit adjungi : secumque considerans superni æquitatem consilii, decrevit concilium vanitatis et iniqua gerentium a se debere relinqui : ne cultor factus infructuosæ telluris, quid Christo veniente meteret non haberet. Nanctus* etiam, si ipsis qui se maliciæ cœno involventes porcis non immerito judicarentur æquales, divinæ gratiæ quam semel spreverant margaritas anteferret,* inobedientiæ reus sententiam damnationis Christo judice sustineret.

AUCTORE ANONYMO.

* Anxius (?)

* ne

Recedit ab ea cum hospite.

9 Hæc eo igitur secum volvente, vox vehemens supero descendit ab axe, quæ illum perfida perituræ urbis contubernia spernere et ad dilecti sibi silentii juberet ocia remeare. Dumque hanc jussionis divinæ vocem aure capessit intima, intelligit protinus damnatæ urbi debita cælitus imminere supplicia. Vocato hospite quem jam Christo assignarat, cælestis justitiæ animadversionem indicat, et ut perituros secum fugiendo deserat hortando sollicitat. Cunctabundus ille tandem precibus victus et minis perterritus, quod jubetur cum uxore nititur implere festinus. Quibus cum Martino jam urbis digressis, jussus * interminatu terribili ne retrorsus ut ad urbem auderent converti; nimirum sentiens per Spiritum hic etiam proventuræ Sodomiticæ ruinæ discrimina, quibus Loth exemptus ab Angelo cum F uxore et gemina sobole, præcepto accepit, ne retrorsum debeat aspicere. Hujus ergo Martinus memor periculi, quos ab urbe diremerat, ne magnitudine cujuscumque tumultus a directi itineris flecterentur obtutu, minaci voce coercet.

* urbe... jussit

Urbi cladem imprecatur.

10 Cum ergo hos ita monuisset et monendo terruisset, jamque ab urbe longiuscule discessisset, elevatis sursum oculis, manibusque cælo porrectis : Tu, inquit, Christe, qui potenti bonitatis tuæ ductus pietate humanum genus a te conditum, culpæ suæ merito perditum, venisti redimere, penetret nunc oratio pusillitatis meæ magnificentiam justitiæ tuæ. Laboravi hanc urbem misericordiæ tuæ adquirere, sed conspice, laboravit suis se erroribus vindicare : hospites renuit, verba bonitatis tuæ pro nihilo computavit. Jussisti me Domine eam fugiendo spernere, jube eam rex in æternum justissime perire, ut hic amplius non sedes operantium iniqua, sed operiens eam abyssus a conspectu Divinitatis tuæ oblivione secludat æterna. Cum itaque verba hujusmodi cum

AUCTORE ANONYMO.

cum ingenti gemitu et lacrymis perorasset, repente terra dehiscens a conspectu superno jussa discedere abfuit : pontusque surgens ab imo alta murorum fastigia, seu templorum culmina dicto citius complanavit. Operuit eam abyssus; facta est ferax piscium, quæ quondam florentissimis conventibus gaudebat hominum. *Væ* enim, *vobis*, dicit Veritas, *qui ridetis, quia plorabitis*. Et vere civitas hæc, quia sine modo sequi nisa est temporalem lætitiam, ad æternum pervenit lamentum. Hac sane ultionis censura urbs meruit interire, quæ Martini nostri contempsit monitis obedire. Videant et perpendant qui famulos veritatis spernunt, et intelligant si possunt qua ultionis austeritate multandi sunt. Sanctum enim virum quis ignoret Dei esse templum? Templum enim Dei, clamat Apostolus, sanctum est quod estis vos. Et cum hujusmodi templum provocatur ad iracundiam, habitator nimirum templi excitatur ad vindictam.

Hospita retro aspiciens vertitur in statuam.

11 Ea enim quæ pertulit supplicia urbis illius plebs impia, noverint quique reproborum et veritati resistentium sibi in perpetuum præparata, sicut Dominus ipse referentibus sibi de Gallileis, quorum sanguinem Pilatus cum eorum miscuerat sacrificiis, dixisse legitur: *Amen dico vobis, quia nisi pœnitentiam egeritis, similiter omnes peribitis*. Verum ut ad id redeamus unde paullo evagati sumus; Martini hospitis uxor attonita sonore pereuntium, oblita comminationis, quam a Martino audierat, conversa est retrorsum, ut videret quænam causa tumultum hujusmodi excitasset. Porro conversa diriguit, et modo quo acclinis erat in lapidem stupefacta remansit. Uber quidem hic dicendi locus est, sed ne lectoris animum multiplicitate confundamus sermonum, quid in hoc facto amplius dicendum visum sit, peritioribus relinquamus. Unum inserere placet, ne postquam venimus ad Christum, perpetremus iniquum.

In solitudinem se recipit.

12 Hujus ergo tam horrendo exitii judicio patrato, Martinus a longe stans cœpit casus eorum sortem multæ amaritudinis lacrymis deflere, et interitus eorum se auctorem ingeminare, quem nequivit monendo convertere.

C Cum hujusmodi ergo animi defectu, quod olim cogitarat, perficere disponit. Siquidem cuncta quæ mundi sunt deserens, eremi vastæ solitudinem petit, quo cum magna cordis et spiritus contritione per multorum dierum curricula mansit, hominum vitans contubernia, cælestibusque supernæ gloriæ mysteriis oculos figens mentis, contemplatione pascebatur divina: quantumque se rebus diremerat humanis, tanto liberius Angelicis propinquabat choreis. Nutriebatur sane quoties corporeæ auræ necessitas imperaret, herbis herbarumque radicibus, quæ illius eremi torrida gignit humus: quarum amarissimi succi fervorem temperabat laticis unda cælitus in dulcem vini conversa liquorem. Nam ibi fons dulcissimas manabat aquas: quem dum Martinus levandæ sitis gratia adiret, faciente Christo qui cuncta condidit ex nihilo, pro vilibus aquis vino refovebatur præcipuo. Nimirum ibi Dominus præsens erat, qui olim in Cana Galileæ aquarum vilem materiam in pretiosissimam vini convertit naturam. Ut enim servus suus alacrior fieret in ejus potentis gratiæ laudibus, non solum relevabat eum D spe superventuræ gloriæ, sed etiam congruenti fovebat ope transeuntis vitæ. Sic ergo Martinus in eremo vivens in gratiarum actione et contemplationis acumine tota suspendebatur mentis intentione: tum plane cunctis rebus quæ volvuntur eminens, cælestibusque proximus, exspectabat eum qui se salvum faceret a pusillanimitate spiritus et tempestate. Omnis enim homo inter homines vivens tempestatis tumultum patitur in mente, et quasi quidam eum impellit turbo, dum cogitationum se ingerit multitudo. Dumque hoc nunc, aliud item cogitat, incerto fluctuans animus, quasi a facie turbinis ubi abscondi possit ignorat. Qui vero secretioris vitæ remotionem petunt, a motibus mundani fluctus sequestres in continua Auctoris sui pace requiescunt: ac velut in tranquillo contemplationis speculo fœditatem sive pulchritudinem animæ suæ contuentur. Verum non de omnibus hoc: nam et multi in civitatibus constituti secretiori mente Domino placuerunt, et nonnulli in solitudinibus residentes E per mentis incuriam ignavi facti sunt. Verum Martinus noster non ocio aut desidiæ manus dedit, sed ardua semper et secretiora appetens, perfectissimorum quorumque sive exemplum sive imitator fuit.

Vertavum petit, ubi multos ad se trahit.

13 Cum itaque disposuisset, immo ante sæcula dispositum in secreto concilii sui ante humanos oculos supernæ benignitatis providentia compleri vellet Martini vitam, scilicet ad hominum proferre notitiam; admonetur idem per soporis quietem humanæ habitationis denuo revisere communionem, videlicet ut exemplorum ipsius beatitudine multi ad justitiam erudirentur, et a peccatorum squaloribus liberati vitæ mundissimæ redderentur: ut etiam lucerna Dei, non modio supposita, sed supra candelabrum Ecclesiæ statuta, cunctis qui in domo sunt luceret, et caliginem tenebrarum vitæ præsentis luminis sui fulgore radiaret, quo præsentes viderent ubi spiritualium gressuum intentionem dirigerent, et a via pacis in via scandali ulterius non deviarent. Igitur Martinus a sylvæ illius, quam *Dumen* vocant, remotissimis digressus F partibus, ad locum qui nunc Vertavus dicitur properavit: ibique nondum multum temporis transegerat, cum ecce frequentari ab innumeris populorum cœpit, quos odor beatæ famæ illius a semotissimis excitabat oris, cupientes sancti ejus meriti precibus Christo commendari attentius. Aliis nihilominus se famulo Dei conjungebant exemplorum illius vera cælesti disciplina gaudentes illuminari, ut cum eo in retributionis regno partem beatitudinis invenirent, cujus hic passionum laborumque agonibus communicarent. Quidam etiam summæ devotionis et potentiæ sancto viro ingentia juris sui conferebant prædia: quibus et monasteria construeret, et pauperum indigentiæ subveniret. Filios quoque suos gratiam necessitudinis primam nonnulli offerebant, orantes eos spiritualis alimoniæ lacte nutriri, usquedum solidioris cibi convalescerent cælestium mandatorum esca refectum iri.

Cœnobium illic condit.

14 Postquam ergo tam multitudine prædiorum, quam etiam virorum ad se confluentium

A tium practice compulsus est vivere, non tamen supernæ abesse funditus theoriæ; in honorem Baptistæ Johannis, quo major inter natos mulierum nemo surrexit, nobilissimum cœnobium ædificavit. Hunc itaque locum, ut supra jam dictum, antiqui vocavere Vertavum, quem remur a viroris venustate sic dictum; quod gratæ planitiei circumseptus limbo, non tam gratia pulchritudinis, quam etiam omni præstat prærogativa utilitatis. Hic ergo Martinus multitudinem aggregans monachorum, Angelicam cum his ducebat vitam, ad perennem futuræ beatitudinis magis magisque suspirans gloriam. Regulæ quoque beatissimam statuit normam, quam satis arduam et discretionis censura præcipuam olim ipse a Transalpinæ regionis partibus fertur detulisse. Ex hujus ergo loci sancto contubernio velut fertili apiastro cælestis institutionis melle redolentia tanta eruperunt examina, ut mirum in modum tota ex eorum coadunatis floribus fragraret Neustria. Nam Martinus ab hoc loco digressus plurima undi-
B que vitæ regularis construxit cœnobia, in quibus monachorum multitudo inerat magna: adeo ut trecentenus multitudine vinceretur numerus, quibus communis erga Deum et sanctæ vitæ propositum coalebat affectus.

Item alia plura.

15 Hos ergo, quos extra constituerat, perquisitis inter eos strenuissimis delegavit, Vertavum suæ sollicitudini et curæ reliquit, non tamen forenses penitus deserens, sed congruis temporum momentis visitans, et vitæ æternæ pabula subministrans, ne quis eorum illicita admitteret, jussa divinitatis abnueret, malorum se communionis sodalitate fœdaret, summa et inexplebili piæ sollicitudinis invigilabat cura, illustribus tam exemplis piæ actionis, quam etiam caritativæ manu exhortationis de virtute in virtutem scandere suadens, infirmos non despiciens, sed pusillanimitate eorum Christi imitator condescendens fideliter, superbos redarguens, humilium mansuetorumque indivisum se sodalem et imitatorem asciscens: præcipueque illius mentem humilitatis sibi vindicaverat amor,
C unde et continuus vitandæ cunctis superbiæ in ore ejus volvebatur sermo. Quis autem, ejus parsimoniæ considerans arduum votum, non illico totum mundum odio habuit et despexit? quis abjectionem in vestibus? quis mortificationem corporis, non statim voluptatibus superbæ renunciavit vitæ? Tanta quippe erat illi strenuitas in jejuniis, assiduitas in sanctarum vigiliarum excubiis, ut contuentes stuperent qualiter vires ejus sacri corporis non modo multiplicitati laborum non succumberent, verumetiam laboris exercitio solidatæ augmentum quotidiani profectus mirabiliter capesserent. Nimirum Christus in eo suæ exaggerabat pietatis dona: ut qui eum indesinenter ejus potentissimæ opis auxilio convalesceret, nequando a contemplationis ejus dulcedine Martini mens jejunaret.

Apud Durivum duplex monasterium ædificat.

16 Itaque dum perlucrandis Christo fidelium animabus sollicitus diversum abiret, Durivum venit. Porro hoc in loco Martinus idem duo ædificarat cœnobia, quorum unum virorum insignibant agmina, aliud sane sanctimonialium gubernabatur caterva. Ibi ergo vir Dei aliquamdiu commoratus, discipulorum mores et vitam perscrutabatur sedulus, impertiens unicuique, sicut videbat, monita salutis perpetuæ, et qualiter ab insidiis lubrici anguis animarum suarum lucratores fierent, non desinens instruere.

Morti proximus dæmones videt.

17 His igitur intentus febre tangitur, et ut pulsanti judici aperire debeat urgetur. Omni ergo virtute corporeæ salutis destitutus, et tamen animo lætus et alacer præstolabatur exitum, sciens et sperans a justo Judice repositam sibi coronam justitiæ. Cumque fratres filiique sui ejus circumstarent lectulum, et sese tanti patris quererentur destitui solatio, subito Martinus respiciens vidit malignorum spirituum agmina cum ingenti clamoris strepitu horrendum resonantia: et ut de magno Martino illo pontificum speculo legitur, minime extimuit: sed Christi Jesu de potenti benignitate securus coram cunctis qui adstabant exclamavit: Quid hic, inquiens, tenebrosæ phalanges agitis? abite ocius, ego pii Jesu redemptus sanguine non ero particeps damnationis vestræ. Hæc ubi dixit, omnis E
illa immundorum spirituum infestatio coram oculis ejus evanuit. Mox ergo corporis invalescente molestia, deposita corruptibilis hominis sarcina, ad contemplanda beatorum gaudia felix illius emigrat anima, non jam in ænigmate aut per speculi indaginem, sed ut facie ad faciem perpetuo sui Creatoris contemplaretur claritatem.

Vertavenses cum Durivensibus de ipsius corpore contendunt. Vertavenses illud miraculo obtinent.

18 Cum ergo Martini obitum fratrum audisset turba Vertavensium, cum maximi mæroris luctu Durivum adeunt, et ut glebam illius sanctissimi corporis secum evehant, omnimodis nituntur. Durivenses econtra contendunt dicentes, ut ubi Christo vocante susceperat terminum vitæ, ibi nihilominus Christo annuente jus habeat sepulturæ. Quid plura? pretium salutis vertitur in tumultum seditionis, et nisi Christi pietas terminum litigantibus poneret, Martinus olim vitæ minister, auctor mortis plurimæ videretur. Sed Christus consilio bonitatis suæ consilium jurgantium diremit hoc modo. Supervenientibus * imbris et noctis intempesta, cunctis * *forte* superveniente.
quietem optantibus, Durivenses omnes tam grandis sopor invadit, ut nullus superesset qui ex eorum numerositate vigilaret. Videntes ergo partis adversæ Vertavenses æmulos obdormisse, pertinaciter corporis sancti onus efferunt, ingentisque lætitiæ animosi certatim ad propria reverti moliuntur. Ecce autem venienti sancto corpori obvius factus est gressuum officio destitutus, qui illico ut ad sanctum attigit peplum, pristinæ sanitatis adeptus est gaudium. Alter etiam cassus lumine ibidem per Martini suffragia, cæcitatis gravedine pulsa, denuo se reducem gaudet conspicere lucem. Sic ergo cum omni velocitatis cursu ad oram fluminis, quod tunc Laudosa dicebatur, perveniunt, nunc autem proventu rei, quam dicturi sumus, Separis nomen sortitum. At Durivenses, ut altius paullo repetamus, evigilantes, thesauroque quem servabant se privatos videntes, persequi aggressi sunt fugientes. Porro illi, altero Moyse duce, jam ad oram supradicti fluminis convenerant, cum ecce vident cominus armaturam telis minacem, jamque fluvii litora propinquantem. Diffidunt

AUCTORE ANONYMO.

Diffiduntanimis, precibusque conversi excelso supplicant Domino, ut proprio se nequaquam frustrari pateretur patrono. Illis itaque intenta mente precum fundentibus vota, mox fluvius rapida sui cursus retorquens vestigia, atque in unius molis sese attollens verticem, vectoribus corporis sancti facultatem tribuit transeundi. Durivenses econtra, memores periculi quod olim contigerat Pharaoni, haudquaquam fluminis alveo se credere ausi, spectabant mirabanturque tantæ novitatis eventum, victoresque alterum Domino concinentes Mosaïci carminis hymnum. His ergo qui Martini corpus vectitabant velociter transmissis, rursus aquæ notas repetentes semitas alveo meatus sui restitutæ sunt. Cum ergo transissent, hostesque jam minime timerent, unus eorum conversus, cum insultationis elogio Durivensibus ait: Quare vos tardius promovistis? quo dicto, dum hos lætitia erigit, illos opprimit pudor: nomen illi loco usque hodie permanet *Attarde* vocatur. Videntes ergo Durivenses tot mirabilia, nec voluntati superni artificis reniti potentes, cum confusionis nota revertuntur ad propria.

B

S. Martini *laus post mortem.*

19 Igitur hi qui Martini beatis honorabantur exequiis, tanto exempti periculo, gratiarum actione largitori bonorum exhibita Christo, cum ingenti cordis ac spiritus lætitia ad Vertavensis monasterii pervenere limina. Ibi ergo secundum voluntatem Dei tumulatur corpus sancti viri in ecclesia, quam ipse a fundamentis erexerat in nomine Sancti Johannis Baptistæ, quæ etiam posita est in illius montis prominentiori parte. In hoc ergo loco quanta vel qualia operata sit Christi clementia, nulla humanæ industriæ expedire sufficit facundia. Licet enim, paganis obsistentibus, locus ille olim florentissimus ad eremi solitudinem sit redactus, propterque barbarorum ferinam rabiem beati viri corpus inde sit elatum; tamen adhuc multis et innumeris miraculorum illustratur signis. Eversionis itaque historiam sequenti libello reservabimus: ea etiam quæ de Martini adhuc inventis operibus fidelis fama vulgavit addere curabimus, aliqua etiam ex his quæ per diversa loca, dum sacræ
C ejus asportarentur exuviæ, Christum per Martinum cognovimus effecisse: sive etiam quæ ipsi vidimus in loco ubi nunc Christo propicio jacet tumulatus *a*. Transiit autem in Domino beatus Martinus IX cal. novembris, florente et vigente Christi fide in toto jam pæne orbe, cedente Jesu Christi ecclesiæ vanissima dæmoniaci cultus superstitione, triumphante etiam Jesu Christo Domino nostro, cui cum Patre et Spiritu Sancto virtus et gloria, potestas et imperium et ante omnia sæcula et nunc et in diem æternitatis. Amen.

a

ANNOTATUM.

a *Patet singulariter ex hoc loco secundum hunc biographum auctorem esse libri sequentis.*

D

MIRACULA ET TRANSLATIO S. MARTINI,

ABBATIS VERTAVENSIS.

Auctore eodem monacho Vertavensi. Ex Schedis Vertavensibus et Silvæ Majoris a. *a*

CAPUT I.

Paralipomena et miracula ante translationem.

Beato Martino voti * semper erat continuo Romam ire B. Petri apostolorum principis sedem et sepulcrum videre: quorum memoriam, dum domi esset, dulcissime consueverat flere; curaque maxima illi erat, sicubi via foret difficilis, in pontibus sternendis, lapidibus quoque, interdum etiam maximis rupibus exæquandis: quod qui Romam hinc vadunt, si studium adhibent, quam bonæ institutionis vir iste fuerit, perpendere possunt. Sane quia hæc cunctis notissima sunt, ad narrationis nostræ seriem convertamur *b*. *b*

B. Martini itinera.

* Voto

E

2 Dum beatus vice quadam ab urbe rediret, solatio ei erat B. Maximinus *c;* qui postea factus est Treverorum episcopus, quibus ad supplementum sarcinæ deportandæ solus tantummodo habebatur asellus. Itaque cum venissent ad civitatem quæ Sutrium * dicitur, B. Martinus pro coemendis necessariis opidum petit: Maximinus custos aselli mediis in compitis manet; quo paululum soporato, miser asellus dum pastu occupatur, viæ limen excedit et ab obvio urso intercipitur, et sine mora consumitur. Reversus Martinus ab opido, vectorem sarcinæ requirit, cum custode conqueritur quid de asino factum sit. Denique inquirentes inveniunt ursum ambesi cadaveris reliquiis insidentem et cruentos ore proprio ungues lingentem. Fraus non est in ambiguo, dum fraudator convincitur ore cruento. Quia, inquit Martinus, nobis intulisti damnum solatii, arripe officium asini, ut cujus factus es invasor sanguinis, successor fias in administratione laboris. Ad quam vocem consurgit ursus, et cervice dejecta, manibus famulorum Dei mansuefactus subditur, sarcinamque suscipiens prædo sociùs beatorum efficitur: nec præcipientis Martini imperium fera abnuere potuit, quia pectori ejus Christi virtutem inesse persensit. Cumque ad eum locum ventum esset, qui Urseria vallis dicitur, ne jactantiæ videretur quod feram in suo obsequio haberent, jubent Sancti abire bestiam evidentia secum sarcinæ signa gerentem. Nam ubi cingulum pectorale et postula * fuit, ademptis pilis, cutis nuda apparuit: qui etiam cum honore donatus est, ut a nemine captus, nativo fine deficeret, omnisque germinis sui soboles iisdem insignibus redimitas propagaret. Vidimus etiam nostris diebus quosdam

Ursus loco asini Martino *famulitium præbet.*

c

* Sutri.

F

* *lege* postilena.

A quosdam Roma redeuntium ex eodem genere juxta incolarum testimonium pelles emisse : et domum nihilominus pro indicio detulisse. Cujus rei testis est venerabilis Rainaldus Andegavorum vicecomes, qui hæc et alia plurima de Martino stupenda narrat miracula.

Martini baculus in claustro defixus revirescit in arborem.

3 Dicturi autem sumus rem admirabilem de baculo, quem vir Dei post ariditatem multorum annorum medio plantavit claustro. In magnæ etenim arboris molem coaluit, et multis (sicut vir Dei prædixerat) hactenus saluti fuit. [Nam febricitantibus variisque languoribus oppressis ramusculi ejus avulsi remedio sunt. Si alia *] rami occasione avellantur, impune non cedit. Unde ipsa arbor nimis horrida, et ab imis stirpibus tota videtur comata, quam et ipsi vidimus et amore patris nostri toties deosculati sumus. In tanta autem admirationis veneratione ab incolis habetur, ut proceres Britonum (quorum juris eadem regio est) si quando accesserint, prius ad arborem *d* venientes ibidem Christum adorent, et postmodum ecclesiam intrent. Quod rex Alanus facere consueverat, et morem hunc avitis parentibus suis fuisse dicebat *e*. Est autem id genus arboris aptum spiculis et arcubalisticis, vulgo enim dicitur Ivus *. Cumque post multa tempora ibidem Normanni venissent *f*, duo eorum ascendentes arborem, arcus sibi demere scrutabantur. Unus repentino crepitu oculos amisit, alter decidens colli sui integritatem moriens contrivit; alter nihilominus dum descendere nititur et ubi pedem ponat nescit, lapsus illico coxam sibi malesanus confregit : quod videntes ceteri pavore percussi, præsumere ulterius talia non sunt ausi.

* *Ms. Vertav. habet solum:* si aliqua

d

B

e

* *Ms. Vertav.* Juris.

f

Vertavi florens status. Siguinus Martini *miracula scripsit.*

4 Locus autem idem per multa temporum curricula nobilissime floruit, patresque strenuissimos habuit, donec ex permissu pii judicis paganorum immanis rabies excrevit : ex quibus patribus unus fuit Launegisilus *g*, cujus industria et sagacis animi sollicitudo legenti præceptorum nostrorum tenorem lucide poterit esse manifesta. Miraculorum quoque copia non defuit, quæ partim ignaviæ oblivioni tradita, partim a venerabili Siguino archidiacono sunt descripta : quæ pauca hic inserimus ut ad transmigrationis historiam ordine veniamus.

g

C

Cæcus lumen recipit.

5 Eodem tempore cum idem locus clare polleret, fuit quidam juvenis Tholosanus, claris parentibus ortus, cui a primævo nativitatis exordio eundi et videndi officia negata sunt. Qui per somni quietem audivit, si Martini tumulum petas, illico sanitate gaudebis. Ignorans hic cujus Martini suffragium petere juberetur, Turonis urbem subvectus a B. Martino de recipiendæ sanitatis gaudio auditus non est. Posthæc Salionum * petens cum nihil proficeret, rursum jubetur in somnis Vertavum adire; de hoc Martino sibi jussum fuisse. Qui consurgens afferri se præcepit, et ad Vertavum die, quæ dominica habebatur, maturius advenit. Sed antequam ad monasterii limina peraccederet, audivit voces fratrum in principio missæ antiphonam, *In voluntate tua h,* canentium : quo audito caput erigens, clare monasterium cœpit intueri exsiliensque de lectica qua vehebatur absque ullo adminiculo, ad beati viri venerandum accessit sepulcrum; ubi diutius præ gaudio lacrymatus, cum surrexisset, sciscitantibus fratribus cuncta explanat, et locum eumdem pro posse muneribus satis honorat. Fratres læti et alacres, innumeras Christo et fideli ejus famulo referunt gratiarum actiones.

* Saumur, supra Ligerim.

h

Centulfus Dagoberti nutu Vertavense monasterium spolians pœnas luit.

6 Rex Dagobertus Francorum reipublicæ princeps cum multis et variis bellorum eventibus premeretur, de cœnobiis Sanctorum multa abstulit, quæ suis militibus partitus est *i*. Hæc autem ut præsumeret, persuasus est Centulphi consilio, qui erat princeps aulicus nimis callidus et suasioni idoneus. Cum rex jussisset, [et] consilii ipse exsecutor foret, cœpit facultates sanctorum locorum inquirere et medias tabulis fiscorum regalium inscribere. Quod exsequens, similia cum facturus Vertavum venisset, ubi nobilia habebantur prædia, mediam eorum partem fisco addidit et mediam fratribus reliquit : qui licet dolerent, tamen quia his solis censura hæc non processerat, tacendum putaverunt. Centulfus, ad regem profectus, eam quæ residua fuerat prædiorum partem integris possessionibus aliorum sanctorum mentitus est esse majorem : suadebatque regi id quod remanserat dividere, sufficere dicens tertiam partem fratribus, quos in loco eodem se vidisse dicebat; adjungens: Ut quid hi, quibus jubetur victu et mediocri habitu contentos esse, magnorum erunt possessores prædiorum? Vivant et nobis militantibus et domino regi servientibus pauciora habere permittant. Quod dicens suasit regi sic fieri et ad hoc peragendum ipse exsecutor missus est. Qui veniens cum a fratribus non ut hostis susceptus esset, asserit se invitum ad peragendum regis venisse mandatum. Cui fratres respondentes dixerunt : Si invitus, ut asseris, venis, proculdubio manifestabis. Quo dicente habere se dominum, et ejus se spernere non posse mandatum, fratres admodum tristes et impotes rebellionis, monasterii se recipiunt claustris. Centulfus lætus et alacer dapsiliter pransurus accubat, seque sociosque inter pocula ad maturandum propter quod venerant sermonibus armat. Fratres noctem pervigiles ducunt, et sacris cineribus Martini adstantes importunis vocibus querimonias ingeminant, suffragia postulantes. Centulfus, epulis oppletus, pulcherrimo componitur lectulo, contemptumque sanctorum animo destinat exaggerare superbo : cum ecce tempore conticinii videt in conspectu suo duos adstare viros specie terribiles et veste fulgentes, qui cum atroci vultu perquirerent an dormiret, solita usus superbia respondit: Quis es, inquiens, tantæ dementiæ qui me audeas, suscitare? Nos, inquiunt : Johannes *k* et Martinus en adsumus quos despexisti, quibus insultans prædia hujus loci immeritus usurpasti. En morere et commissi supplicium vel invitus lue. Quo dicto, prior Johannes ventri ejus fortiter elidit calces, et omnia ejus exta ventris ejectione protinus *. At ille surgere conatus, apertis jam oculis vidit sibi Martinum baculo insistentem et semet graviter in capite ferientem : et diro implens clamore locum, expergefactis sociis, multationis suæ auctores ejulando clamitat, et sic celeri morte ad tartara festinat. Quo ita patrato, defuit qui eo tempore res sancti Martini invaderet, vel fra-

E

k

* *supple* effusa sunt.

F

tribus

AUCTORE ANONYMO.

Principis filiam a dæmonibus vexatam liberat Martinus. *l*

tribus ejus loci molestiam inferre tentaret.

7 Erat autem princeps *l*, cujus nomen excidit, transmarinis in partibus, qui filiam habebat quam atrox dæmonum legio vexare consueverat; qui dum multimode nititur opem ferre filiæ, nequicquam quotidie tormenta exaggerabat puellæ. Tandem insonat dæmonium per os obsessæ: Martini Vertavensis precibus legionem exituram, et quantum temporis nobis superest, o socii, expulsionis nostræ vindicate fugam. Ad hanc vocem tot stridoribus, tot motibus agi cœpit puella, quot spiritibus tenebatur astricta. Quid faceret anxius pater? Martinum nesciebat, quibus oris eum inquireret, invenire non poterat. Legatos dirigit qui cunctas lustrarent provincias sicubi Martinus inveniretur, et inventus honore cum maximo ad se evocaretur. Immenso * maris pelago post multos viæ circuitus, Martinum Deo volente inveniunt, adorant, venerantur, causamque suæ navigationis exponunt. Vir autem Domini cum eos humanissime suscepisset, postquam eos omni caritate pii solaminis fovit, causas vexationis puellæ percun-
B ctari cœpit: quod cum ipsi dicerent ab infantia ei id morbi causa accidisse: Potens est, inquit, Dominus facturam suam de manu impii vastatoris liberare. Itaque uno suorum secum assumpto cum legatis vadit, et transmisso æquoris spatio ad principis jam dicti patriam venit. Legatorum quidam præcurrunt, famulum Dei nuntiant, princeps occurrit gaudens vehementer quod effectum sui desiderii invenire potuerit; jamque salutem filiæ tenens corde, vestigiis reverendis viri Dei advolvitur, gratias agit quod pro se indigno vir sanctus laborem tanti itineris assumpserit. Cum ergo vir Domini palatio cum principe properaret, subito auditur confusarum multitudo vocum Martini præsentiam adclamantium. Non sustinens ergo iniqua legio, se sancti viri conspectibus præsentari, multum discerpens vexansque puellam confusa et turbida tenues recessit in auras. Vir autem Domini ingressus jacentem puellam erexit, et impresso fronti ejus salutiferæ Crucis signo sospitem patri repræsentat, eamque nec invitam Christi
C sponsam sacri velaminis impositione consignat.

* Emenso

Discum marmoreum a Principe accipit. Eo pro cimba utitur.

8 Lætissimus ergo pater pro salute filiæ, multam auri et argenti congeriem beato viro jubet offerri : qui nec oculos ad hæc retorquere dignatus, cuncta pauperibus jussit dari. Aliquibus etiam ibi commanens diebus omnem principis illius domum fideli satis devotione Christo mancipavit. Viderat sane vir Domini Martinus in aula principis supradicti discum marmoreum miræ magnitudinis, miræque venustatis : qui ut consecraret Christo aram, a principe postulavit. Qui libentissime annuens etiam subvectionem disci ad litus maris usque providit. Sanctus autem vir cunctis rite peractis reverti disposuit, et ad mare usque properavit, ubi opperiebantur eum qui subvectionem disci fecerant et ex jussu principis transponere ponto debebant. Quibus vir Domini, ne in eundo vel redeundo aliqua generaretur molestia, vale dicens, eos redire imperat, potentique Domino suam evectionem commendat : impressoque in disco Crucis vexillo eum undis impulit, seque eodem sancto vallans munimine, cum fideli socio lapidem D conscendit, eademque die portum Neustriæ tranquillime appulit, mirumque in modum tantæ molis saxum super undas veluti molle papaver cucurrit, et nec ventorum procella deviare lapidem potuit, nec pondus residentium in aliquo titubare coëgit. Nimirum ipse Christus sustinuit, et veluti altero Petro, fortioris tamen fidei benignam manum porrexit. Ipse gubernator, ipse proreta fuit. Mox ergo ad litus ventum est; data evectione, discum illum Martinus Saviniaco villa deportari imperat, et subsecutus super altare ejusdem loci ecclesiæ in honore Christi coaptat, ubi usque hodie Christus Deus per Martini suffragia præbet petentibus multa beneficia *m*. Hujus *m*
rei quam diximus, licet adsint multi testes, ipsaque res suis utatur testimoniis, unus præcipue est Arnulfus, cui barbara Normannorum utrasque abstulit manus. Nam hic ex antiqua Vertavensis monasterii fuit familia, locumque adhuc incolit qui Attarde dicitur, ubi corpus viri Dei divisis transiit aquis, sicut jam supra dictum est : in quo etiam loco nos E
fuimus et cum eodem homine sæpe confabulati sumus *n*. De quo mirabile est, quia quamvis *n*
utrasque manus perdiderit, venationis industriam non amisit, adeo ut apros qui in loco eodem ferocissimi habentur, non solum pedicis, sed etiam hasta adsecutus sit. Hæc ideo diximus, ut quæ de Martino scribimus ficta non esse cunctis innotescamus.

Martini *severitas.*

9 Fertur de viro Dei Martino quod acerbissimæ severitatis fuerit et tam potens et efficax, ut sermo quem protulerit raro vel numquam incassum ceciderit. Nimirum ut de B. Benedicto sanctus dicit Gregorius, cujus cor se in altum suspenderat, ejus verba incassum minime cadebant. Jam diximus qualiter ad ejus commotionem urbs Herbadilla sit obruta, et erumpente deorsum abysso perpetuis aquis sit adoperta. Quod quoties non tantum de urbibus, verum de aliquibus fecerit locis, si exsequi cœperimus, vanas fabulas retexere videbimur. Hoc enim de vico olim florentissimo Sarlebia nomine peregit, qui quamvis perennibus aquis oppletus sit, nomen tamen pristinum usque hodie per- F
mansit. Multaque præterea sunt quæ multorum celebrantur ore, naturam humanæ fragilitatis pene excedentia, quæ nos non dubietate postponimus, sed ne tædium legentibus multa facilitate verborum ingerere videamur : ob hoc etiam quia restant plurima quæ omitti non oportet quæ aut ipsi vidimus, aut cum his qui interfuere conversati sumus.

Mortem suam prædicit.

10 Vir Domini Martinus nolens talentum Domini sui in terra abscondere, vicinis et procul positis verbum Dei festinabat nuntiare. Cumque id muneris exsequens a monasterii claustro longiuscule discessisset, ei Angelus Domini per soporis quietem adstitit, ad monasterium redire imperat, obitumque ejus jam imminere et ad ostium esse denuntiat. Qui surgens regredi cœpit, et cum a monasterio tribus adhuc fere millibus abesset, signa ejusdem cœnobii cœpta moveri, sonitumque solito clariorem fundere cœperunt. Non fratres latuit Martini præsentia, sed exsilientes cum psalmis et canticis spiritualibus ei

A ei occurrerunt. Quibus præeuntibus, ecclesiam intrat, et inter sacra piæ orationis munia gregem suum bono pastori Christo commendat : surgensque ab oratione, coram positis fratribus baculum quem piis manibus semper gestarat, quique per Dei virtutem multorum fontium inventor fuerat, medio figit claustro. Hoc signum directionis meæ, inquiens, habebitis, quod locum hunc quem Christo propitio fundavi, plus ceteris omnibus amavi. Nam hic baculus, qui hic figitur, mei præsentiam vobis repræsentabit, et futuræ ætati emolumenti salutaris erit. Me autem amplius vobis conversantem minime videbitis, quia tempus meæ prope est resolutionis. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : ad quam imaginem vestros animos præparate, et per viam Christi me præeunte incedite, ut participes meæ sitis coronæ. Pacem Christi do vobis, pacis ejus caritatem et meæ dilectionis relinquo vobis. Commendo vos Deo quem secuti estis, ut ejus auxilio ad cæleste regnum pervenire possitis. Et, data pace
B omnibus, Durivum profectus est. In magno mœrore et gravi luctu cunctos reliquit fratres : cumque Durivum venisset, paucis interpositis diebus, tactus dolore lateris (ut supra jam diximus) ad cælestia regna pervenit : sanctissimum vero corpus ejus, Deo volente, delatum est, et in basilica S. Johannis sepultum, Domino annuente.

ANNOTATA.

a *Monui jam in Commentario numm.* 5 *et* 6 *hunc librum bis olim fuisse editum ab ipso auctore. Prior editio, quæ in codice Ms. Vertavensi reperta est, capiebat ea omnia, quæ sequuntur usque ad num.* 10; *quæ pleraque reperta quoque fuere in altera editione seu in codice Ms. Silvæ Majoris, non tamen eodem ordine. Videlicet in utraque editione seu codice habes initio B. Martini itinera et historiam de urso ad officium sumpto ; in cod. Vertavensi numm.* 3 *et* 4 *venit* narratio de S. Martini baculo *revirescenti et de florenti Vertavi statu, quæ in cod. Silvæ Majoris num.* 5 *leguntur ;*
C *utrobique dein sequitur miraculum de cœco et claudo curato et alterum de Centulfo spoliatore pœnas luente : in codice Vertavensi exstat num.* 7 *liberatio filiæ principis Transmarini, in cod. Silvæ Majoris numm.* 2; *et utrobique pone venit prodigium disci, quo tamquam cymba usus sit S.* Martinus, *et quantæ hic severitatis fuerit; et demum nova ejus mortis narratio, quam num.* 10 *habes in cod. Vertavensi, desideratur in Silvæ Majoris Ms.*

b *Hæc tertiæ Vitæ inserta sunt, multiplicibus amplificata verbis, quemadmodum in annotato* h *ad primam Vitam videre est. Hinc manifestum est tertio biographo hanc præluxisse secundi scriptionem.*

c *Ad hunc locum annotat Mabillonius:* S. Maximinus, Treverorum episcopus, alios vidit soles, ut qui Constantino Magno imperante floruit. Similes habet tricas S. Viventii Confessoris Vita apud Bollandum 13 janu. ; in qua Viventius S. Hilario Pictavorum episcopo ætate æqualis, et tamen (si Deo placet) Martino abbati Vertavensi familiaris fuisse dicitur. Errorum causis investigandis supersedemus. *Quoniam tamen has cognoscere causas placet, sciat lector hæc de S. Maximino ursoque asini loco famulante desumpta esse ex Vita S. Maximini, anno* 839 *conscripta et ab Henschenio ad diem* XXIX *Maji edita* (1). *Ibidem cum Browero* (2) *æstimavit Henschenius S. Martinum, episcopum Moguntinum, S. Maximini in itinere Romano fuisse socium, villam* Urseriam *esse* Ursel *ad Rhenum et totam historiam esse fabulam ex hujus villæ nomine fabricatam.* AUCTORE ANONYMO.

d *Ad hæc notat Mabillonius:* Cernitur etiamnum illius arboris truncus, cujus particulas incolæ avide expetunt ac religiose servant.

e *Hanc partem pagi Herbadillici, in quo Vertavum situm est, anno* 851 *juris Britonum factam esse diximus num.* 9 *Commentarii prævii. Rex itaque Alanus III eam ab anno* 877 *ad* 907 *possedit. Ejus fuerunt decessores Erispogius; dein Salomon III, Erispogii consobrinus et occisor ; postea Pasquiten progener Salomonis et* E
Gurvand progener Erispogii; qui et ipsi Salomonem et ejus filium trucidarunt; atque hi demum, impia nece sublati, locum fecerunt prædicto Alano III, Pasquiteni fratri, et Judicaeli, filio Gurvandi (3). *Qui vero Pasquiteni et Alani III* parentes aviti (*ut hic dicuntur*) *fuerint, nil certi reperio.*

f *Anno forte* 843, *quum Nannetas ceperunt; verumtamen quum sæpius Ligerim ingressi sint Normanni, quo hæc facta sint tempore res satis dubia est.*

g *Ad hæc annotat Mabillonius* (4) : Eumdem esse putamus cum Launegisilo abbate Ensionensis monasterii, nunc S. Jovini de Marnis, cui Launegisilo S. Generosus successisse legitur. *Sed postquam SS. Paterni et Scubilionis Vita, auctore S. Venantio Fortunato, in lucem venit* (5), *vidit vir eruditissimus hæc nequaquam stare posse: quum enim aliunde sciamus S. Launegisilum, abbatem Ensionensem, habitum dedisse S. Generoso* (6), *quem Ensione abbatem fuisse, quum SS. Scubilio et Paternus florerent, ex illa Vita constat* (7); *quumque* F
Paternus circa annum 565 *diem obierit, ut ostendit Henschenius* (8), *consequens est S. Launegisilum ineunte sæculo* VI *vixisse, neque proin fieri potuisse ut post S.* Martinum *Vertavense simul et Ensionense rexerit monasteria. Hinc etiam sequitur Ensionem conditum non fuisse a S.* Martino, *utpote Ensionensibus initiis recentiore. Ast fieri potuit ut Ensio tempore S.* Martini *juris Vertavensium factus sit, quemadmodum inferius adstruitur.*

h In voluntate tua *est Introitus Missæ Dominicæ* XXI *post Pentecosten.*

i *Num.* 22 *Commentarii dictum est hæc ab anno* 629 *fieri potuisse.*

k *Videlicet S. Joannes Baptista, sub cujus patrocinio Vertavensis ecclesia dicata fuisse in utraque præmissa Vita legitur.*

l *De S.* Martini *itinere Anglicano cfr numm.* 16 *et seqq. Commentarii prævii.*

m *Hæc tabula marmorea decem pedes longa*

(1) Act. SS. tom. VII Maji, pag. 21. — (2) Annal. Trev. tom. I, pag. 241. — (3) Art de vérifier les dates, tom. II, pag. 893 et 894. — (4) Sæc. I Bened. pag. 376. — (5) Act. SS. tom. II April., pag. 427 et seqq. Sæc. II Bened. pag. 1100 et seqq. — (6) Act. SS. tom. III Julii, pag. 48. — (7) Ibid. tom. II April., pag. 428, *c.* — (8) Ibid. pag. 425.

AUCTORE ANONYMO.

et tres uncias, quatuor pedes lata et duas uncias, alta vero octo uncias, usque ad annum saltem 1780 *Vertavi altaris locum occupavit* (1). *Keratry recenset nonnulla similia miracula, quibus et alia multa addi possent; nil repugno, ad hæc credenda promptissimus, dummodo non ex populari narratione tradantur.*

n *Hinc in Commentario num.* 4 *deductum scriptionem hanc exeuntis sæculi* IX *esse.*

CAPUT II.

Normannis ingruentibus, transferuntur S. Martini reliquiæ; Miracula.

Nannetensis clades per Normannos.

a

Igitur anno dominicæ Incarnationis octingentesimo sexagesimo *a* quarto, cum nomen gentis Normannicæ apud nostrates nec auditum foret, repente de vagina suæ habitationis exiens nacta piraticam, contigua mari Britannico B depopulata loca, navibusque longis alveum ingressa Ligeris, Namneticæ properat ad mœnia urbis, speciem præferens multitudinis negotium exercentis. Dies tunc festivus cunctum ad ecclesiam invitarat populum: nam erat sancti præcursoris nativitas: nec erat suspicio bellici tumultus, et intrabatur portis semper patentibus. Sanctus etiam pontifex Gunhardus * in ecclesia Beati Petri Apostoli super ara Ferreoli martyris, quæ est ad levam illius sedis, reverenter sacris instabat missarum solemniis. Igitur nullo prohibente ingressi Normanni, sub vestibus arma celant, gladiosque subumbrant, intrantesque ecclesiam enses denudant, ipsumque pontificem *Sursum corda* dicentem juxta sacram victimam obtruncant: bacchantesque per populum nulli ætati parcendum putant: ipsaque urbe vastata, ecclesiaque incensa, cum grandi captivorum multitudine et pretiosa civitatis supellectile naves conscendunt, et in insulam quamdam contubernium faciunt. Inde eruptionibus crebris maritimis infensioris *, multa fortitudine pressos incolas ignotas cogunt C perquirere terras. Unde fratres nimium solliciti Vertavenses, quippe cum ipsi Namneticæ civitati contigui essent, et interposito Ligeris et Viennæ alveo vix tribus millibus ab ea dirimerentur; colligunt quæ possunt, et in sex magnis navibus componunt, effossoque a loco sepulturæ beato viro, loculo imponunt aureo *b*, gemmis nobilibus insignito. Tamen dum morantur, et more humanæ fragilitatis turbatio illis non modica est: duæ navium impatientia ventorum obrutæ, et cum omnibus rebus pessumdatæ sunt. Antiquam ecclesiam ipsi everterant, et majoris venustatis instaurare disposuerant, quod oculis hodieque conspici licet. Nam idem opus tribus a pavimento ulnis porrectum, nobilitatis et potentiæ eorum qui ædificare cœperant testimonio est. Collegerant autem cooperiendæ ædi immensam plumbi molem, quæ ab eis terræ obruta et a nobis nuper inventa est. Quidam etiam coram positis nobis ejusdem massæ quippiam furto abstulit, et ne ab aliis id præsumeretur, D illico contractis nervis diriguit: confessusque reatum et ad beati sepulchrum sese tradens, nobis videntibus sanitatem adeptus est. Alias quoque res pretii non ignobilis iidem fratres abscondere, quæ a nobis sciuntur et tempore suo manifestabuntur.

* *S. Gohard*

* infensiores

b

Quomodo corpus ejus sanctum a Pictavinis sit repudiatum, et quid de hoc Pipinus rex decreverit.

12 Tempore illo mandram hujus loci regebat abbas Raimbaldus, vir consiliis providus et portandi infortunii forti animo præparatus: qui ascito advocato loci, cui nomen erat Badilo, fugam parat, et ut idem tutelæ sit jubens exorat. Qui libenti animo respondit se potius cuncta relinquere, quam beato viro debitum servitium denegare. Loculo itaque sancti viri ossa gerente in lecticam diligenter composito, cum tota supellectile mobili, cum omni familia, cum omnigenis vehiculis et immenso jumentorum apparatu, flentibus cunctis et nimio luctu deditis, Vertavus relinquitur, et ignotæ sedes novis exulibus requiruntur. Ventum autem ad locum qui Noviheria dicitur, ubi beatus Veteranus quiescit humatus, et ibi aliquanto tempore commoratum. Dicere E autem impossibile est, quantas virtutes omnipotens Deus per singula fecerit loca, per quæ sancti viri beatissima sunt evecta membra. Inde ergo moventes ad cellam sui juris *c* tendunt, quæ Ension dicitur, in quo loco more Vertavi duo sunt constructa cœnobia: in montis quidem vertice sancti Joannis Baptistæ, et ad Orientem versus sancti Petri Apostoli dicatum honore. Porro in ecclesia sancti Johannis corpus requiescit sancti Jovini *d* ejusdem loci abbatis. In hoc ergo loco canonicis, qui eo tempore videbantur, quidam Fulradus præpositus erat, quibus abbas Rainaldus *e* ceterique fratres mandant ut corpus beati viri seque recipiant, et juris viri Dei Martini locum eumdem fuisse cognoscant. Qui, inter se consilio habito, verentesque monachorum dominium, eos suscipere recusant, et finium suorum excedere terminos mandant. Quibus cedentes, Avernicum expetunt pagum, hanc et alias querimonias coram Pipino deposituri, qui per id tempus regnator erat Aquitanorum, qui Branziacum cunctis cum apendiciis eis reddidit: et rogante Lan- F drico qui his rebus eatenus beneficiatus fuerat, præceptum regiæ auctoritatis ex hoc fieri præcepit; misitque ad comitem Pictavorum Ensionense eis monasterium reddi præcipiens, et *canonicorum, qui monachicum habitum voluissent, manerent, qui vero noluissent pellerentur. Qua auctoritate fratres animæquiores facti, Pictavum pagum repetunt, sancta pii secum referentes ossa patroni; in quo itinere quæ vel qualia operata sit Christi clementia, nostra expedire non sufficit lingua: de quibus vel unum dicemus, ex quo ceteris fidem astruere valeamus.

c

d

e

* ut ii

Miraculum de Bodilonis vulnere curato.

13 Itaque dum cum pretioso apparatu sanctum inde fratres eveherent, et in quodam saltu refectionis gratia consedissent, subito duodecim latrunculi erumpentes equos eorum invadunt. Quod ubi Bodilo eorum advocatus animadvertit, e medio fratrum exiliens, correptis armis, acriter prædonibus occurrit, quos partim sternit, et reliquos in fugam co-

(1) Cfr Lobineau, tom. II, pag. 16 et 17; et Kératry ap. Albert Le Grand, pag. 648.

git :

A git: et graviter latus saucius, cuncta tamen quæ fures diripuerant, revocavit. Cumque grandi rivo sanguis ejus defluueret, a flentibus monachis vulneri particula adipis imponitur, et sic astricta fascia colligatur. Rogant igitur illum aliquid capere cibi. Quo refutante, luctu et lacrymis in eodem loco totam pervigilem duxere noctem. Valde enim eum amabant, et pro sui bonitate omnibus reverentiæ erat. Aurora itaque diei erumpente, seminecem eum equo imponunt, et mæsti iter assumunt. Cumque in cujusdam vallis obliquo convenissent loco, titubantibus equis qui sanctum gerebant, pæne fuit ut scrinium caderet, ni idem saucius equitando accurrens, sui oblitus, manus opposuisset. Cumque iniquitatem loci evasissent, descendit, et cingulo equum fortius astrigens, fasciam qua constrictus erat dissolvit: nihilque de hoc intelligens suum equum ascendit, et particulam adipis quæ loco vulneris imposita fuerat, sinu suo calidam inesse præsentit: putansque se visceribus vacuum, confestim mori timuit, et cum
B ingenti clamore fratribus hoc indicavit. Qui festinanter equo deponunt, et locum vulneris invisentes eum sanissimum, acsi illæsus fuisset, et omnino integerrimum reperiunt. Videbatur autem semita quasi fili tenuissimi coloris sanguinei per eum locum, quem ictus aperuerat ferri : qui ilico surgens sanissimus beatum Martinum innumeris effert laudibus, et ingruentem de sui sospitate lætitiam cunctis affert fratribus. Pervenientes igitur ad Ensionense cœnobium, juxta membra viri Dei Jovini corpus tumulant sancti Martini : unde non post multum tempus elatus, et in ecclesia sancti Petri, de qua jam diximus, IV nonas decembris, annuente Domino, venerabiliter translatus est *f*. Quæ autem vel qualia ibi Christus ad laudem sui strenui bellatoris operatus sit, partim prout ipse dedit, sequens sermo declarabit.

f

De fratre non malo animo peccante.

14 Vir quidam Sicbrannus nomine, hoc in loco ad conversionem veniens, octingentos solidos fratribus detulit, et secum clanculo ducentos reservavit : uxorem suam secum adduxit, et sanctimoniæ jura suscipere nec
C adeo renitentem cogit, seorsumque divisi ut ceteri fratrum stipe monasterii alebantur. Conversatusque est idem vir simpliciter, et ab omnibus pro sui lenitate cavebatur reverenter. Quod autem perpetrarat, nemo mortalium noverat, sed neque hoc ipse malum esse cogitabat. Cumque annis quinque aut eo amplius in monasterio conversatus esset, molestia corporis superveniente biduo fere exanimis jacuit. Jamque in hoc positis fratribus ut sepulcro corpus ejus efferretur, ingenti suspirio cunctorum præsentium ad sese oculos converti coegit. Qui accedentes et faciem ejus denudantes, viventem eum inveniunt, et multum attoniti causas tantæ mutationis inquirunt. At ille cum grandi gemitu respondit se reum esse, ductumque se ait ad inferni loca et ibi vidisse tormenta horrifica et facies diras tortorum. Cumque et ipse ad hoc a quibusdam duceretur ut in manibus eorum traderetur; astiterunt duo viri veste veneranda mirabiles, et canicie venerandi : Ubi sunt nummi, dicentes, quos abscondisti? quare nunc eos pro tui redemptione non offers? qui intelligens et dicens ignoranter se fecisse : In hoc, inquiunt, apparebit te hoc malitia non egisse, si ad supernos rediens, omnem spem terrenarum repuleris rerum. In qua sponsione relictus, ductu eorumdem virorum tormentorum loca transgreditur, et corpus suum iterum assumere jubetur. Qui cum requireret quinam ipsi essent qui tam clementem curam de se haberent : Nos, inquiunt, sumus Martinus et Jovinus, sub quorum confugisti alas, et quorum tu satis fida expetisti patrocinia. Vide ergo teipsum, et qualiter tibi sit agendum ipse pertracta. Hæc cum ipse fratribus retulisset : Ite, ait, designans locum : ibi ducentos invenietis solidos, quos sumite, et quod placuerit facite. Hæc cum dixisset, et ex ægritudine convaluit, et in hac vita diu permanens devotissime postmodum conversatus est. Cumque post longum tempus ad obitum venisset, uxorem suam, quæ fuerat, sacramento constrinxit, ne ab eodem loco umquam recederet; nec de quinquaginta solidis, quos a fratribus suo jussu acceperat, alicujus lucrum nisi sanctorum facere tentaret. Quo defuncto, cum ea id E
abrumpere tentaret, (nam habebat filiam, quæ eam solidorum gratia a monasterio avellere cupiebat) die quadam cum Rainaldus monachus ei adstaret, horæ sextæ signum sonuit, et idem frater iturus ad ecclesiam se convertit. Antequam pæne limen domus excederet, illa ad terram corruit, et ululatum diræ vocis emisit. Clamore accitus, revertitur monachus, et erigens eam causas inquirit clamoris illius. Domine pater, dum a me redires, quidam iracundus abbas, ingressus sicut ignis, qui * crudeli * qui *dele.*
virga in capite feriens oculum meum excæcavit. Scio autem ego multationis meæ causam, quia conventiones cum viro meo factas abrumpere cogitabam. Hæc dicens et solidos reddidit et usque ad vitæ terminum cæca permansit.

De eo qui de ecclesia cecidit et læsus non est.

15 Rursus ingruente culpa incuriæ, quædam domus contigua basilicæ igne valido cœpit ardere. Flante ergo Borea, furens incendium irrepsit in nido corvi perantiquo, posito super unam piramidum, quæ in quatuor porrectæ angulis undique fulciebant templum. Certatim igitur molientibus quibusque ignis inex- F
hausti validas compescere vires, vir quidam nomine Martinus nec sufficientem scalam subit, et mira celeritate tecta conscendit, nisusque tegmina ædis avellere nec valens, conatur capitellum primo solvere, et sic ceteris postmodum operam dare. Cumque tenacia cuncta sensisset, tergum obvertit, et nitens pedibus acriter impingere cœpit : avellensque capitellum, cum eodem et machinis in idem confixis supra domum infra positam ruit. Cumque et ipsa propter metum ignium retecta foret, ad terram usque ceteris languentibus devolutus est. Quem cum omnes mœstissimi jam mortuum dicerent, repente e domo exiliens arguere ceteros cœpit, cur attoniti starent, et ecclesiæ non subvenerint. Quod dicens instare acerrime cœpit : et in omni subventione ex die omnes præcessit. Ecclesia itaque ab ignibus eruta, cunctis Deum et famulum ejus Martinum laudantibus, sanissimus ipse domum revertitur : et annis postea plurimis feliciter vixit. Nam interim diximus hæc ad comprobandum affectum beati viri circa devotos :

tangendum

AUCTORE ANONYMO.

tangendum quiddam quo appareat quam severus interdum sit, quamque clemens erga minus cautos.

De serviente percusso et sanato.

16 Monasterii nostri quidam cocus fuit Aldrincus nomine, cujus filius adhuc superest, et officio et vocabulo fungitur ipso *g*: qui propter metum Brittonum, qui ex immissione Saverici Toarcensibus infesti erant, domum suam in suburbio reliquit, et quamdam domum, penes cryptam beati viri positam, cum familia subintravit : manensque ibi aliquot diebus ludis et risui minime pepercit. Igitur die quadam cum de officio suo reverteretur, jamque ingruentibus umbris nox adveniret, ipse domum eamdem properat, ubi uxor et familia ejus erat : invenitque quemdam abbatem canicie venerandum et habitu mirabilem super basim parietis a dextris parietis residentem. Qui vocans eum suo nomine, percontari cœpit ubi vellet ire. De officio, inquit, dominorum meorum regredior, et ad familiolam meam festino. Hanc, inquit, viam desere, et aliud tibi hospitium quære. At ille transire conatus terque prohibitus, dum verbis non
B adquiescit, verberibus agitur : et graviter caput ictus crudeli virga multatur, ilicoque corruens ingentem sanguinis rivum cruentato dispulit ore. Unde manibus aliorum sublatus et ad domum corpore nigerrimo deportatus, cunctisque fratribus accitis, cum respirasset, omnia exponit, et dominico vexillo, quod in loco eodem pretiosissimum fuit, a fratribus consignatus, et domum reliquit et, omni infirmitate pulsa, diutius in hac vita mansit.

De vexillo Dominico.

17 Sane quia mentionem fecimus vexilli dominici, quiddam nobis addendum videtur. Fertur enim quod hoc beatus Martinus composuerit, et quidquid pretiosi invenire potuit, in eo recondere festinarit. Quod exterius aureis braccis lucidum, gemmisque nobilibus redimitum, interioris virtutis multa et innumera dedit experimenta. Nam si quis febricitans aut quolibet æstuans incommodo vel eo signatus vel vinum hausisset, quod in id intinctum foret, mirum dictu quanta efficacia sanitas sequeretur. Jumenta etiam, aliquibus morbis laborantia, eo capiti eorum admoto, omni
C sospitate ilico potiebantur. Ad reprimendos ignium impetus quantæ est efficaciæ? Videres eum aut ilico mori, aut quasi multo metu refugere. Denique cum quædam magna domus jam pæne ignibus absumpta foret, ceteris nequicquam agentibus, quidam monachus Lambertus nomine cursu rapidissimo vexillum advehit, et eum longa virga impositum super globos flammarum exponit : discurrentibus ceteris, monachus impellitur, et signum salutiferum medios inter vapores cadit. Anxius monachus mediis ignibus insilit, et id efferens ipse, contemplantibus cunctis, et capillis et vestibus inustus apparuit. Quod signum quidam homunculi nequam furto auferentes, nobis hactenus magni mæroris causam reliquere.

De muliere percussa et mirabiliter sanata.

h

18 Nobilis quædam matrona Rainsoindis nomine, quæ superstes hodieque viget, juxta ecclesiam commanebat, qua viri Dei Martini membra coluntur humata. Hæc itaque sensim et per intervalla temporum eo morbo laborabat, quem vulgo dragunculum *h* vocant. Cumque nocte quadam eadem molestia inquietare-
tur, mittit unam ancillarum intempesta noctis D
hora : Vade, inquit, post cryptam beati Martini, defer mihi maurellam *i*, quam dum transirem vidi ibi esse copiosam. Obtemperans ancilla præceptis dominæ, silentio vadit, maurellam decerpit, revertique cupiens, a quodam abbate inæstimabilis reverentiæ vidit se graviter in capite feriri : amensque ad dominam reversa, ictum monstrat, oculumque suum tantæ jam grossitatis ut quid fuerit non appareret. Erat autem ipsa nox venerabilis et festiva, cum esset annua transitus sancti Viri Dei Martini : surgentesque fratres se Matutinorum præparabant officio. Multo adstante populo tota ædes illustratur diversorum luminum fulgore corusco, cum ecce domina cæcam præfert ancillam : et beato Martino dat eam ut esset ipse possessor benignus, qui percussor voluit esse severus. Quæ missa a Fratribus inter aram sancti Petri et sepulcrum sancti viri, ibi lacrymis incumbens, flagitabat cælestis opem medici. Ventum igitur ut Evangelium more regulari legeretur ; Evangelium autem hoc erat, *Videte, vigilate, et orate.* Cumque E
pronunciasset sacerdos, *Vigilate ergo,* tanta lux subito cælitus lapsa est, ut omnes ingenti stupore attoniti tenerentur. Mansitque donec Evangelium cum subsequenti terminaretur hymno : moxque et mulieri restituitur visus, et ipsa sanissima consurgens gaudium magnum cunctis fecit fratribus. Vocatur autem ipsa mulier Gauzberga, et hujus rei sufficiens testimonium præbet.

i

De dæmoniaco sanato.

k

19 Est etiam quædam villula trans fluvium Divæ quæ Æstivalis dicitur *k*, in qua quidam conductitius messor (nam tempus triticeæ messis erat) immundis spiritus invasus est. Qui cum magno labore vix captus, et inquisitus quid haberet; Septem, inquit, sumus, duo alibi vadent, quinque Martini illius vetuli (ecclesiam respiciens) imperium sustinebunt. Ligatur ergo impositusque biroto ad monasterium sancti cum stridoribus et nimiis clamoribus advesperascente sabbati die advehitur, atque ante sanctum deductus altare ibi multa prece ejusdem noctis hospitium cœpit postulare. Quo quasi non impetrato, ilico sanctum virum conviciis aggressus, inter manus tenen- F
tium labitur, et in somno resolutus, omni infestatione immundorum spirituum liberatur. Spiritus autem nequam, expulsionem sui non ferentes, per vicum vicinum qui Marnas dicitur fugientes, domos evertunt contiguamque penetrantes sylvam, ejus quammaximam partem radicitus avellunt. Homo autem, sanitate potitus, aliquot diebus cum fratribus commoratus est. Vocabatur autem idem Tetbaldus, qui postquam nobis aliquamdiu commansit, domum suam reversus est.

Item aliud miraculum de quodam qui monachus fieri nolebat.

20 Huic quippe aliud nectitur miraculum, in quo humana sollicitudo salubre percipit consilium, et diabolicum valde spernitur jaculum. Nam nec multo post tempore, cum illic Domino sanctoque servientes Martino, ingentium exuberante copia rerum, relinquerent monasticæ conversationis decretum, perventum est ad canonicorum habitum, magis eligentes sæculum quam dominum diligere. In quo etiam diu commorantes, cum jam universa cœnobia præcipue et beati Martini, quia circumdantur Oceano mari, depopulante barbarica

A barica tempestate, viderentur annulari, decreverunt ex illis duodecim, suffragante divina pietate, fieri monachi cum tribus quos nutriebant alumnis, ut patribus eorum præcedentibus conjungerentur in cælestibus, et si forte desereretur locus, a populo susciperentur religiosius. Quod quibuslibet suscipientibus et quibuslibet renuentibus, non quadrantis sed trientis calculatione duodenarii partiti numerus, non dodrante sed semisse irreligiose permanente, Deo annuente in monachilem habitum conversus est. Nec mirum si duodenarii octonarius deperiit, quaternario ad religionem converso, quamvis constet quaternario bis multiplicato: cum et binarii unum, quamquam non perficiatur nisi duabus unitatibus, in primordio sæculi altero adest electo, fratricida periit effectus. Sed Deo auxiliatore revertamur a quo avertimur. Horum vero duodecimus, a quo salutare hoc decretum prius fuerat sancitum, dicebatur Raimboldus, cujus et nepos eodem vocabulo sed differentiæ causa vulgo dicebatur Corda: ipse enim so-
B nabilem atque concordem gerebat vocem. Quippe qui dum intempesta quadam nocte ante sui avunculi lectum, hortantis eum et multoties deprecantis fieri monachum, somno comprimeretur, vociferabatur se a dæmonibus per capillos trahi, et domo per fumarium expelli, atque si facultas daretur revertendi monachum se velocius effici. Quod cum audiens avunculus de lecto tremefactus surrexisset, et hac illacque cursitando eum requireret, accepit vestem quam vocamus cucullam, et illam in partem qua audiebatur jaciens, super eum posuit. Quo pacto statim a dæmonibus ereptus domumque reversus, factus est monachus. Hinc proculdubio annuente Domino, adolevit grex cœnobialis in monasterio, sæpeque quietus, semper sollicitus ne prævaleret in eis amplius hostis incursus. Interea flagitamus animos audientium æstimare quod dicitur esse verum: neque aliqua adulationis sive imaginationis causa compositum. Sed eodem teste per plurimorum spatia temporum nobis revelatum est: eumdemque etiam nonnulli mecum noverunt et multo post a
C paganis adversa fuisse perpessum.

Rainoldus Dux ob invasa monasterii prædia cæditur.

21 Nec inter plurima maximum prætermittendum miraculum, in quo cupido non valuit obtinere vim possibilitatis. Rainoldus *l* quippe nobilis prosapiæ, qui erat dux regionis Franciæ, decore suffultus civitatis Cenomannicæ, inflammatus facie iniquitatis nefariæ, beato Martino voluit rapere quod adquisierat diutino tempore. Videns itaque res sancti Martini communem terminum habere cum suis, cœpit eas revocare sibi cum singulorum reditibus annorum. Cum vero ingens rumor populi almi Martini hoc monachis nunciaret, miserunt ad eum ex se imploraturos ne tantum nefas fieret. Qui renuens apud se quod postulaverant impetrare, non solum quod usurpaverat non reddidit, verumetiam alia se ablaturum vita comite promisit. Sed Deus omnipotens ne fieret distulit. Illi quidem, mæsto corde abeuntes, renunciaverunt ceteris nihil eumdem dimissurum quod decreverat animo se facturum. Unanimes autem solita arma videlicet orationis sumentes, prostrati corpore solo quæsierunt auxilium a Domino, quo possent beato servire Martino in ipso cœnobio. Sed exauditor omnium nolens frustrare preces servorum, misit eis sanctos suos, scilicet Petrum et Johannem Baptistam necnon et prædictum Martinum in adjutorium. Venientes igitur ante eum quadam nocte jacentem in lecto, interrogaverunt an dormiret. Eo quippe cujus rei gratia veniebant sciscitante, dixit Johannes: Mittimur certe a Deo scire cur sanctorum prædia aut Dei audeas invadere: cum et ipsi jam cum eo regnent sine fine: cum iste nec alii mali tibi nihil commiserint: cur hunc, qui est in præsentia, virum tam vehementer dehonestasti? deinde jube, inquit, Petre (conversa ad eum facie), præceptor cælestis januæ, quid pœnæ debeat sustinere. At ille reserata cælesti clave jussit tribus eum verberibus donare. Tum quippe jussioni obedientes apostolicæ, tria quasi de funiculis fecere flagella: et Petrus horum primus singulari verbere percutiens, eum duobus reliquit cædendum, quorum prior Johannes, alter vero Martinus novissime singulari ut E Petrus ceciderunt verbere. Tribus quidem flagellatus ictibus, non opus dicere an fuerit castigatus ex verbere, qui non solum quod abstulerat reddidit, verumetiam quod juste possidebat, obtulit. Nos itaque, quia pauca de hujus sancti disseruimus virtutibus, interim de ceteris sileamus, nobis sapientioribus relinquentes quæ supersunt, ut ea describantur in posteriorum notitiam.

AUCTORE ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Legendum* octigentesimo quadragesimo tertio. *Cfr de his Commentarius num.* 24 *et seqq.; ubi reliqua ad hanc translationem spectantia explicantur.*

b *Superius in Commentario de S. Benedicto Quinciacensi* (1) *dictum est quomodo hoc adhuc ævo passim sanctorum corpora non in feretris, sed humi sepulta servarentur.*

c *In Annotatis ad caput præcedens litt.* g *dictum est certissime Ensionem ab initio juris Vertavi non fuisse. Duo cœnobia, quæ dein memorantur, intellige secundum numm.* 26 *et* 27 *Commentarii prævii.* F

d S. Jovini *Vitam aut saltem qualemcumque de eo Commentarium habes in opere nostro ad diem, quo colitur, primam Junii* (2).

e *Idem qui ante Raimbaldus dicitur. De Pippino II, Aquitaniæ rege, qui paulo inferius prodit, et Landrico, qui videtur comes fuisse Santonicus et unus ex principibus Aquitaniæ* (3), *satis est dictum in Commentario numm.* 27 *et* 28. *Jus Vertavensium in Ensionem nolumus vocare in dubium; consideranda tamen quæ litt.* g *ad præcedens caput annotavimus.*

f *De his dictum in Commentario prævio num.* 26 *et seqq.*

g *Aldrincus in titulo vocatur* serviens, *atque hic dicitur* filium *habere, quin etiam* familiolam *et habitare in suburbio: in monasterio tamen* coquus *erat, et similiter filius. Unde patet hoc ævo Vertavi res domesticas non a monachis curatas fuisse, sed ab exteris, adeoque servis. Et*

(1) Vide supra, pag. 134. — (2) Act SS. tom. I Jun., pag. 75. — (3) Cfr D. Bouquet, Recueil, tom. VII, passim.

fratrum

AUCTORE ANONYMO.

fratrum quidem laïcorum gradus sæculo x *primum in monasteriis ortus videtur; neque initio eodem stabant ordine quo monachi, sed servilem omnino conditionem habebant : de quo argumento egregie disputavit Mittarellus* (1).

h Dragunculus morbus *est ulceris vel cancri species* (2).

i Maurella, *id est* Solanum, *herba medica, vulgo* Morelle (3).

k *Plura sunt loca et rivi, quibus* Æstivalis *et* Diva *nomina sunt; quæ vero hic designentur facile determinatur, quum inferius* Marnæ vicus vicinus *dicatur.* Diva *itaque ea est, quæ inter vicos S. Jovini et Moncontour fluit, dein ad S. Hippolyti aquas suas miscet rivo Thonet et cum eo paulo inferius prope Salmurium in Ligerim* D *infunditur.* Æstivalis *autem indubie est* Estivaux, *villa quæ etiamnum in mappis Cassini ad dextram Divæ inter vicos* Moncontour *et* Ouzilly *cernitur. Marnæ vero, nunc* Marnes *ad sinistram Divæ paulo infra S. Jovini jacet ejusdemque communiæ pars est.*

l Rainoldus, qui erat dux regionis Franciæ, *omittitur in vulgato ducum Franciæ catalogo* (4). *Ejus tamen certa exstat ad annum* 876 *apud Guilielmum Gemeticensem memoria; ubi legitur* Rainaldus, totius Franciæ dux, *ad Rollonem misisse Hastingum; sed frustra; venisse deinde bis ad pugnam atque in ea occubuisse* (5).

(1) Annal. Camaldul. app. col. 336 et seqq. — (2) Cfr Glossar. Cangii, v° *Dracunculus.* — (3) Cfr Dictionn. de Trévoux, v° *Morelle.* — (4) Cfr Art de vérifier les dates, tom. II, pag. 245. — (5) D. Bouquet, tom. VIII, pag. 255.

DE S. EBREGISO,

EPISCOPO TRAJECTENSI AD MOSAM,

B E

V. D. B.

SYLLOGE.

§ **Unicus. S. Ebregisi ætas; sepulturæ locus; Vita scripta medio sæculo XI ab Anselmo Leodiensi. Ostenditur a S. Brunone Coloniensi translatum fuisse Coloniam S. Ebregisi Trajectensis corpus, non autem S. Evergisli Coloniensis. Feretra.**

CIRCA ANNUM DCXXV. *S.* Ebregisus, *ab anno* 611 *ad* 625 *Trajectensis episcopus, ex Trumonia, ubi sepultus fuerat,*

Licet S. Ebregisi, *episcopi Trajectensis, res paucissimæ notæ sint, eæ tamen ita implexæ sunt et intricatæ, ut in iis enodandis non levis ponenda sit opera. Porro de eo dixit nemo ante Herigerum Lobiensem qui Gesta episcoporum Leodiensium paulo ante annum* 980 *summa diligentia et studio literis tradidit* (1). *In suo autem libro, capite* XXVIII *quod* de sancto Domitiano *est* itemque Perpetuo et Ebergiso, *prius miserum Tungrensis urbis statum describit, dein Tungrensem cathedram Tra-*
C *jectum ad Mosam translatam fuisse perhibet et demum ad sanctum Perpetuum venit et sanctum* Ebregisum; *de quibus hæc pauca narrat* (2) : Sanctus autem Perpetuus, qui vigesimus tertius præfuit, apud Dionantum quiescit. Beatus quoque Ebregisus succedens vigesimus quartus in Trutmonia, ejusdem episcopatus villa, fuit tumulatus. His per successionem ad alia vocatis, Johannes vigesimus quintus succedit... regnum Austrifranciæ Dagobertus adhuc adolescens administrabat; Lotharius magnus, pater ejus, monarchiam quatuor regnorum strenue solus regebat. *Ex quibus postremis verbis qualitercumque S.* Ebregisi *mortis tempus certum fit. Dagobertus enim anno* 622 *Austrasiæ regnum adeptus est et Lotharius anno* 628 *diem obiit* (3). *Quin etiam propius determinari id tempus posse vult Ghesquierus* (4), *quod nempe Sigebertus Gemblacensis ad annum* 627 *coævos facit S. Joannem Agnum et S. Austregisilum, qui anno* 624 *vita functus est; sed minus valet id argumentum, quum triennio tardius S. Austregisili nomen collocet Sigebertus. Nolim itaque discedere a computo Ægidii, Aureæ Vallis monachi, qui* (*ut infra num.* 5 *reperiet lector*) *Vitam habuit S.* Ebregisi. *Hujus autem episcopatus initium statuit anno* 611 *et finem anno* 625 *aut sequenti. Verum hæ controversiæ minus operosæ; hæret autem aqua, ubi de beati viri translatione agitur.*

licet Colonienses crederent se S. Evergisli corpus accepisse,

2 *Plane certum est S. Brunonem, imperatoris Ottonis fratrem et archiepiscopum Coloniensem, sub annum* 959 (5) *in Leodiensis diœcesis partes venisse; certum similiter est eum tunc temporis hinc abstulisse corpus cujusdam sancti, quem alii dixerunt S. Evergislum, sæculo* V *adulto Coloniensem episcopum, alii S.* Ebregisum, Ebergisum *seu* Evregisum, *episcopum nostrum Trajectensem; atque in dirimenda hac lite labor est. Priori sententiæ favet Ruotgerus, Coloniensis clericus, qui Folcmaro, S. Brunonis in sede Coloniensi successori, biennio post mortem nondum elapso, Vitam illius beati præsulis obtulit.* (*Vita enim functus est S. Bruno die* 11 *octobris anni* 965, *Folcmarus vero* 18 *julii anni* 967 (6).) *In hac enim Vita, qualem ab additamentis puram in lucem dederunt Byeus noster* (7) *et Pertzius* (8), *hæc leguntur :* De translatione beati Evergisili, tercii ejusdem sedis (*Coloniensis*) archiepiscopi, quid factum sit hujus pii provisoris dispensatione, plurimis notum est; quem in ecclesia beatæ Cæciliæ virginis cum hymnis

(1) Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. VII, pag. 139. — (2) Ibid. pag. 176. — (3) Art de vérifier les dates, tom. I, pag. 343. — (4) Acta SS. Belgii, tom. II, pag. 424. — (5) Cfr Acta SS. tom. V Octobris, pag. 758 et 759. — (6) Ibid. tom. IV, pag. 252. — (7) Act. SS. tom. V Octobris, pag. 777. — (8) Monumenta Germaniæ, tom. IV, pag. 266.

et

A et divinæ laudis celebratione repositum, plebs religiosa ita veneratur et colit, ut præsentem crederes beneficiis largioribus cotidiana obsequia mutuari; *ubi, quod lectorem animadvertere velim, nequaquam legis sancti viri corpus ex oppido Tungris fuisse sublatum; sed tantum id sancti Brunonis cura in S. Cæciliæ templo fuisse repositum; simul vero putavit Ruotgerus ablatum corpus exuvias fuisse S. Evergisli, Coloniensis archiepiscopi. Ast errore id eum putasse contendit Gestorum episcoporum Leodiensium continuator, vulgo Anselmus dictus, qui anno* 1056 *S. Annoni II, Coloniensi archiepiscopo, lucubrationem suam obtulit. Hic enim, nixus testimonio Idæ, abbatissæ S. Cæciliæ, fœminæ utique longævæ, quippe quæ scriptorem in baptismate levaverat* (1), *itemque incolarum Trutmoniæ, atque etiam sepulcri vacuitate, nil dubitans asserit a S. Brunone sublatum fuisse corpus, non quod Tungris, sed quod Trutmoniæ conservabatur; id autem ex Herigeri testimonio corpus fuisse S.* Ebregisi, *episcopi Trajectensis; quum autem crediderunt Colonienses, (verbi*
B *gratia Ruotgerus, S. Brunonis biographus, cujus scriptionem certissime Leodiensis annalista manibus versavit et libro* II, *cap.* 24, *partim describsit* (2),) *quum itaque crediderunt sui episcopi Evergisli corpus ad se delatum fuisse, eos nominum vicinitate delusos esse; id unum ab eis allegari posse, nempe Evergislum et* Ebergisum *unum eumdemque esse virum, qui Coloniensem simul rexerit ecclesiam et Trajectensem; verum id assumptum plane non valere, quum liquido constet Evergislum et* Ebregisum *duos distinctos esse episcopos, utpote plus duorum sæculorum spatio separatos : ita ut totus hic locus insigne artis criticæ specimen sit. Accipe autem hanc Leodiensis clerici dissertatiunculam.*

translatus est a S. Brunone Coloniam, ut Anselmus medio sæculo XI *ostendit.*

3 *Exponit scilicet S. Annoni se prius scripsisse integram episcoporum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium historiam; sed postea se maluisse eam partem resecare, quam sæculo fere ante Herigerus Lobiensis confecerat, atque avulso illi suo libro ipsius Herigeri narrationem substituere.* Cum illa, *inquit* (3), superior (*pars, scripta ab Herigero,*) gesta eorumdem pontificum a primo usque ad vicesimum se-
C ptimum, scilicet a sancto Materno usque ad sanctum Remaclum digesserit, nos quoque nostrum opus, quod præcatu domnæ Idæ, abbatissæ (*S. Cæciliæ Coloniensis*), conscripseramus, decapitantes, ne eadem replicando fastidium legenti faceremus, a beato Theodardo incepimus, et ordinem episcoporum usque ad domnum Wazonem, quem quinquagesimum secundum esse constat, prosecuti sumus; nihil ponentes, nisi quod aut legimus, aut certa fidelium personarum relatione didicimus, aut certe ipsi præsentes vidimus et audivimus. Enimvero matrem suam, sanctam videlicet Coloniam, latere non decet, quot et quales humilis Letigia habuerit rectores; quorum si quos Deo placere cognoverit, unde abundantius gaudeat, sedula mater habebit. Matrum enim est filiarum proventus suos existimare. Quæ etiam præter candidatorum martyrum millia unius ex patronis nostris, beati videlicet Ebergisi, noverit se cineres servare; quos in Trutmonia nostri episcopatus villa consepultos, ut hæc eadem testantur Gesta (*Herigeri*), a Brunone, archiepiscopo eodemque, ut ajunt, duce, inde (*scilicet ex Trutmonia*) in monasterium sanctæ Ceciliæ tam memorabilis abbatissa (*Ida*) quam indigenæ prædictæ Trutmoniæ perhibent esse translatos; ubi hodieque vacuum ejus in maximo honore habetur sepulcrum. At quod vestrates (*Ruotgerus nempe, S. Brunonis biographus,*) eum Evergislum vocant ex aliquo hujus nominis episcopo, cujus mausolæum (*seu sepulturæ locus*) ignoratur, ob nominis consonantiam huic nostro Ebergiso hoc attributum esse arbitramur, licet nonnulli hunc eundem et Coloniensem et nostrum uno tempore fuisse contendant, eundemque cum beato Severino, antecessore (ut adjiciunt) suo, vocum angelicarum in transitu beati Martini psallentium auditorem asserant. Quod si ita esset, idem qui Coloniensibus quartus, nobis vicesimus quartus exstitisset; sed hoc omnino impossibile esse liquido ex temporum ratione colligitur. In transitu enim beati Martini se-
E cundus Archadii et Honorii annus erat, qui est a dominica Incarnatione quadringentesimus primus. A quo ducenti quinquaginta duo anni usque ad Dagobertum regem computantur, circa cujus tempora hic noster Ebergisus Trajectensi kathedræ præsidebat. Restat igitur ut dicant suum Evergislum aut post transitum sancti Martini per eosdem 252 annos usque ad Dagobertum vixisse, ut sic videatur esse credibile eundem vestrum et nostrum episcopum esse potuisse uno tempore, — quod fidem excedit; aut nobiscum credant eos omni modo diversos esse, tum quia a tempore diluvii nemo 200 annis vixisse *, tum quia inter beatum Servatium episcopum nostrum, qui contemporalis fuit beato Severino, et inter istum Ebergisum tredecim episcopos nobis legamus præfuisse. *Neutrum dixerunt aut crediderunt Colonienses; sed condiderunt historiam translationis, qua sanctus præsul, a S. Brunone in S. Cæciliæ translatus, non Trutmonia, sed Tungris eo advectus fuisse dicitur; verum priusquam hæc explicem, alius audiendus est Leodiensis clericus.*

* *supple* legitur

F

Ejus quoque Vitam, quam eum rogaverat Ida abbatissa,

4 *Libro* II *Gestorum episcoporum Leodiensium, quem anno* 1056 *S. Annoni II cum Herigeri annalibus oblatum esse diximus, præmittitur proœmium anonymi clerici Leodiensis; quem Anselmo, scriptori illius libri, coævum fuisse vel inde constat quod id proœmium in codice sæculi* XI *inventus est* (4). *Hic autem, ubi dixit quorum pontificum Tungrensis, Trajectensis et Leodiensis ecclesiæ gesta priori libro, seu Herigeri annalibus, continerentur, ita pergit* (5) : Deinceps quæ sequuntur jussu priorum loci istius (*Leodii*) anno dominicæ Incarnationis 1056 ex alterius opusculi libello, quem quidam ex canonicis sancti Lamberti A[nselmus] nomine composuit monitu Idæ, venerabilis abbatissæ, quæ regebat monasterium sanctæ Cæciliæ virginis in Colonia, huic operi sunt annexa; cujus, ut ipse testatur, suscepti laboris causa talis fuit. Requiescit in eodem sanctæ virginis corpus monasterio beati Ebergisi, qui Tungrensi ecclesiæ

(1) Monumenta Germaniæ, tom. VII, pag. 191. — (2) Ibid. pag. 201. — (3) Ibid. pag. 162. — (4) Cfr Ibid. pag. 157 et 191. — (5) Ibid. pag. 191.

præfuit

AUCTORE V. D. B.

præfuit vigesimus quartus; quod a Brunone archiepiscopo, qui dux fuisse fertur, a Trutmonia, Leodicensis episcopii villa, ubi sepulcrum ejus adhuc cernitur, illuc translatum esse affirmant. De cujus vita quia nichil ibidem habebatur, eadem venerabilis abbatissa Ida memoratum Leodicensis æcclesiæ canonicum, pudicum admodum familiaritate, quippe quæ eum ex sacro fonte spiritualis mater susceperat, est aggressa, ut, si quid in Leodicensi æcclesia de eodem sancto conscriberet, et ei mittere non tardaret. *Multa quoque de Wazone, episcopo Leodiensi, rogatus est ab Ida S. Lamberti canonicus, eamque petitionem tam cumulate implevit ut non S.* Ebregisi *tantum et potissimum Wazonis gesta prosecutus sit; verum etiam omnium utriusque decessorum. S.* Ebregisi *Vita continebatur priori parte; sed hanc eum resecuisse eique Herigeri annales substituisse jam vidimus.*

scripsit Anselmus, ut constat ex Ægidio Aureæ Vallis. Ejus notitiam habuit Rosweydus.

5 *Eum Anselmum itaque scripsisse beatissimi* Ebregisi *Vitam plane dubitandum non est. Quæ modo retulimus testimonii loco accipi possunt; sed quæ ex Ægidio Aureæ Vallis dabimus, firmiora forte et certe apertiora nonnullis videbuntur. Integrum locum, quantum ad S.* Ebregisum *pertinet, dabimus :* Post sanctum Perpetuum Trajectensi ecclesiæ substituitur vicesimus quartus episcopus sanctus Ebregisus circa annum Domini sexcentesimum undecimum; qui præsedit plusquam quatuordecim annis... Hic beatus Ebregisus, quondam in urbe Tungrensi ex nobilissima progenie oriundus fuit, literarumque studiis traditus a parentibus in eadem civitate, divina donante gratia, doctores summos in Scripturis Sacris in brevi æquiparavit. In quo etiam tempore, circa scilicet annum ab Incarnatione Domini sexcentesimum duodecimum, Lotharius rex commisit filium suum Dagobertum educandum Pipino principi... Igitur sub præfatis principibus, ut supra diximus, Trajectensem beatus Ebregisus regebat ecclesiam, vir magnæ sanctitatis magnæque auctoritatis: cujus gesta qui plenius nosse desiderat, VITAM EJUS, VIRTUTIBUS PLENAM, ET MIRACULA, QUÆ PER EUM DOMINUS OPERARI DIGNATUS EST, EX INTEGRO
C RELEGAT; QUAM IN PLURIBUS LOCIS HABERI NON DUBITAMUS. *En itaque apertum testimonium medio sæculo* XIII *Vitam S.* Ebregisi *exstitisse; quam ab Anselmo, auctore libri* II *Gestorum episcoporum Leodiensium, scriptam fuisse ex his, quæ ex ejusdem libri* II *procemio paulo supra referebam, satis manifestum est. Hæc igitur sicubi lateret Vita, diligenter, sed frustra inquisivi. At ne quis objiciat me ut mihi fucus fiat ab Ægidio pati; nuspiam umquam Vitam aliquam S.* Ebregisi *fuisse habitam; adeoque valde incuriose hæc ab Ægidio fuisse prolata : satis habuero monuisse quod Rosweydus initio sæculi* XVII, *quum Acta Sanctorum primum moliretur, eam habuit in manibus aut certe ejus notitia ad illum missa est. In* Fastis *enim* Sanctorum, quorum Vitæ in Belgicis bibliothecis manuscriptæ *servabantur, recenset pag.* 26 *S.* Ebregisi, *episcopi Trajectensis, nomen his verbis :* Ebergisus, episcopus Trajectensis, al. Evergislus, 28 martii. Ejusdem translatio 24 octobris. *Sed ad Ægidium revertamur, et quæ continenter subdit, hæc quoque exhibeamus hoc loco.* D

Ægidius habuit etiam historiam translationis.

6 De loco autem, *ait*, ubi sepultus est, testatur Anselmus in gestis pontificum Tungrensium, ad sanctum Annonem, Coloniensem archiepiscopum, descriptis, quod idem sanctus Ebregisus, Trajectensis episcopus, sepultus sit in Trumonia, diœcesis Coloniensis * villa, ubi fere per trecentos annos aut amplius tumulatus jacuit, usque ad tempora Brunonis, Coloniensis archiepiscopi, qui fuit frater magni et primi Ottonis, Romanorum imperatoris. Qui venerabilis archiepiscopus et dux Bruno, admonitus revelatione divina, et beato Ebregiso sibi apparente, sed archiepiscopo super hoc hæsitante, secundo, et tertio iterum apparuit in somnis, dicens, ut corpus ejus a loco supradicto deportaret. Certus itaque factus idem Bruno archiepiscopus de visione, corpus ejusdem beati Ebregisi a Trumonia transtulit Coloniam, sicut ejus Trumoniæ testantur indigenæ, et in ecclesia sanctæ Cæciliæ, virginis et martyris, in feretro, auro et argento decenter ornato, cum honore et reverentia collocavit, ubi multis et magnis miraculis feliciter coruscat, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi. E

** lege* Leodiensis.

cujus memoria celebratur die 28 Martii, diversam ab historia translationis S. Evergisli, quæ adhuc circumfertur.

7 *Ast audio Chapeavillium* (1) *dicentem : Correxit seipsum Ægidius, quippe qui ad marginem sui libri sequentia adscripsit verba :* Hujus beati Ebregisi festivitas quinto nonas (*immo* kalendas) aprilis, a quibusdam nono calendas novembris recolitur. Quo similiter die agitur depositio S. Evergisli diaconi et successoris sancti Severini Coloniensis; *et dein sequitur brevis hujus Vita et translationis historia; quam tamen in medio interrupit, quum scilicet vidit sequentia pugnare cum his, quæ de S.* Ebregisi *translatione retulerat. Id unum autem ex hac notatione marginali Ægidii colligere possumus, ejus ævo jam circumlatas fuisse duas illius translationis historias, alteram quæ ad S.* Ebregisum *spectabat et auctorem forte habebat Anselmum Leodiensem, alteram quæ ad S. Evergisli honorem composita erat a clerico Coloniensi et quam lector supra ad finem Actorum S. Evergisli reperiet. Utraque id commune habebat ut translatio facta fuisse diceretur* V F *kalendas aprilis seu die* 28 *martii; unde ad hanc diem repererunt decessores nostri in Florario suo ms. annotatam* S. Evergisli episcopi Coloniensis translationem; *quæ in auctariis Lubeco-Coloniensi et Molani ad Usuardi Martyrologium similiter ad hanc diem annuntiatur, tamquam facta* de civitate Tongerensi ad ecclesiam S. Cæciliæ virginis; *sed iidem etiam decessores nostri repererunt ad eamdem diem in illo suo ms. Florario et præterea in Calendario Leodiensi* B. Ebregisi, XXIV episcopi Trajectensis, festivitatem (2) *seu memoriam translationis, peractæ ex Trutmonia villa Coloniam. De cætero ambæ translationis historiæ inter se discrepabant. Etenim quaternas S. Brunonis hæsitantis monitiones, a S.* Ebregiso *in somnis apparente factas, legit Ægidius in historia, quam Anselmo tribuendam esse censuimus; dum una tantum apparitio S. Evergisli et nulla fere S. Brunonis hæsitatio in altera apparet.*

(1) Gesta pontificum Tungrensium etc. pag. 67. — (2) Act. SS. tom. III Martii, pag. 711.

8 *Cæteram*

Ambæ relationes non sunt coævæ et parum fidei merentur,

8 *Cæterum hæc posterior narratio post medium sæculum* XI *certissime scripta est; quum enim in ea legatur corpus S. Evergisli non Trutmonia, sed Tungris Coloniam translatum fuisse et contra Ida, abbatissa S. Cæciliæ, diceret eodem illo tempore corpus, quod in suo templo servabatur, non Tungris, sed Trutmonia in suum parthenonem devectum fuisse, satis patet in usu tum nondum fuisse illam historiam; præterea universa Anselmi disceptatio critica nullo nixa fuisset fundamento, quum Colonienses, qui mallebant episcopum suum colere potius quam alienum episcopum, respondere potuissent, legi in translationis historia sanctum, quem colebant, Tungris ad se fuisse asportatum et nil commune habere cum Trutmoniensi. Verum enim vero nemo existimet me visionibus, quæ in alterutra narratione referuntur, multum confidere, sive enim S. Bruno se illis monitum dixerit, sive postea inventæ fuerint. Si enim posterius dicatur, ratio diffidendi manifesta est : si prius, equidem S. Brunonem mendacii non incusabo; sed animadvertam eum reliquiarum acquirendarum fuisse*
B *studiosissimum, ita ut a nonnullis, etiam optime catholicis, incusetur quod, quum illo ævo id genus furtorum piorum etiam viris sanctissimis peccaminosum non videretur, ab iis nequaquam abstinuit; dein reapse ablationem corporis S.* Ebregisi *seu Evergisli plane furti speciem habere, neque proin credibile esse cœlestibus visionibus eam fuisse beato viro persuasam; sed quum animo foveret cupiditatem adipiscendi has reliquias, pronum fuisse ut de his somniaretur et facile somnia pro visionibus fuisse habitas; ita ut nil obstet quominus optima fide dixerit sibi sanctum virum apparuisse.*

Ignoratur quis locus esset Trutmonia, unde S. Ebergisi *corpus Coloniam translatum est.*

9 *In his itaque omnibus, dummodo antiquis stare velimus monumentis, dubitandi nullus videtur esse locus. Quod autem difficile est et a nobis hactenus intactum relictum, traditur S. Bruno corpus S.* Ebregisi *Coloniam asportasse ex* Trutmonia *seu* Trumonia, episcopii *Leodiensis* villa. *Sedulo quæsivi in lexicis topographicis Belgii, quibus non tantum parœciæ, verum etiam vici designantur; similiter in vetere Polyptycho seu indice beneficiorum pristinæ Leo-*
C *diensis diœcesis, quem mecum communicavit V. V. De Ridder, parochiæ SS. Joannis et Stephani Bruxellensis vicarius et in topographia ejusdem illius diœcesis versatissimus; itemque in scriptis Cl. V. Grandgagnage de veteribus nominibus locorum diœcesis Leodiensis. Neque satis habui nomina expendere quæ propius ad* Trutmoniam *seu* Trumoniam *accederent, verum etiam quæ* Episcopivilla, Episcopivillare *aut aliis similibus vocabulis dicerentur; sed nil prorsus inveni, quod ad rem faceret. Adii etiam chartas et diplomata, quibus jura et possessiones ecclesiæ Leodiensis recensentur, maxime vero Adriani papæ IV et Friderici I imperatoris, qui, anno* 1155 *bona sua illi ecclesiæ confirmantes, præcipua recensuerunt* (1); *sed nil in his etiam de Trutmonia. Quoscumque alios de Leodiensi diœcesi libros magno numero habemus, eos qua potui diligentia adhibui; sed vana fuit hæc quoque cura. Foulon* (2) *quidem suggerit esse parochiam* Trognie, *duabus ad meridiem leucis a Landen distantem; sed ex parochi literis intellexi ita non esse, sed a S. Trudone hanc parochiam suum nomen habere. In chronico ms. episcoporum Leodiensium, quod in anno* 1651 *desinit et in musæo nostro servatur,* Tiermoingne *scribitur; sed nil simile uspiam in mappis aut libris topographicis Leodiensibus reperio. Exstat quidem locus, dictus olim* Trutmonia, Trotimania, Druthmania, Trutmania, Tremonia, *etc.; sed is longe ultra Rhenum positus est; palatium regium erat, et nunc appellatus* Dortmund; *et quod præcipuum est, sæculo* VI *nondum videtur exstitisse aut saltem nondum id habuisse nomen; quod quippe inditum ei fuerit a Trutmanno quodam, tempore (ni fallor) Caroli Magni* (3). *Latet nunc itaque quis locus olim Trutmonia in diœcesi Leodiensi diceretur; et, quum anno* 1185 *omnia fere S. Lamberti diplomata incendio sublata fuerint* (4), *parva spes est veniendi aliquando in ejus notitiam. Cæterum ex præsenti nostra ignorantia nil concludi potest adversus Harigeri et auctorum annalium Leodiensium testimonia : tot*
E *enim alia loca sua pristina nomina posuerunt et nova adepta sunt, quin semper inveniri queat quæ loca priscis nominibus designarentur.*

AUCTORE V. D. B.

S. Ebergisi *corpus sub nomine S. Evergisli in tribus feretris usque ad initium præsentis sæculi conservatum fuit.*

10 *Ut autem hæc concludam, nil dubito quin Colonienses acceperint S.* Ebregisi *corpus, nequaquam vero S. Evergisli : confutatione nempe non indiget Chapeavillii* (5) *opinio aliorumque, scilicet utriusque forte corpora Coloniam fuisse delata; ea enim sententia aperte pugnat cum his quæ numero* 3 *ex Anselmo retulimus. Verum quamvis evidens esset et manifestum ossa, Trutmonia translata, non posse esse S. Evergisli, Coloniensis episcopi; quum tamen id judicium semel apud vulgus Coloniense invaluisset, nunquam amplius convelli potuit, ita ut et perseverarit deinceps in S. Cæciliæ templo S.* Ebregisi *reliquiarum cultus sub nomine S. Evergisli : unde fit ut vere in bivio positi simus, nescii ad utrum cultus iste referendus sit. Quum tamen tota ferme hæc sylloge de corpore S.* Ebregisi *sit, præstare videtur ut reliqua hujus pii pignoris fata hoc loco dilucidemus. Ægidius Aureæ Vallis, ut vidimus, affirmat sancti viri corpus a S. Brunone collocatum fuisse* in feretro, auro
F et argento decenter ornato; *ast sæculo* X *rara valde erant id genus feretrorum, quum tunc passim adhuc in sepulcris lapideis aut ligneis sanctorum conservarentur reliquiæ. Et quidem, ut Gelenius* (6) *testis est,* diversi sarcophagi sanctorum patentes *conservabantur in S. Cæciliæ templo. Postquam itaque aliquandiu in ligneo aut saxeo loculo jacuissent* S. Ebregisi *reliquiæ, repositæ sunt in tumba aut feretro argenteo, seu, ut Winheim* (7) *tradit,* in tumba argenteis laminis obducta. *Verum neque hæc satis magnifica visa est Coloniensium pietati. Statuerunt itaque eam dare S. Paulini corpori, et S.* Ebregisi *reliquias transferre in novam eamque magis pretiosam, quam* argenteam deauratam *fuisse tradit Winheim* (8). *Audi de his omnibus Gelenium* (9): Vitæ et translationis *putatii* S. Evergisli historia icunculis et verbis exprimitur in argentea hierotheca, in qua modo S.

(1) Miræus, Suppl. ad diplom. tom. II, pag. 825 et 826. — (2) Historia Leodiensis, tom. I, pag. 80. — (3) Cfr Chronicum Gotwicense, pag. 515; Historia Westphaliæ, pag. 539; Binterim und Mooren, die alte und neue Erzdiözese Köln, pag. 298 et seqq. — (4) Note sur un diplôme de Louis-le-Débonnaire, in Bulletins de l'académie royale de Belgique, tom. XIX, part. I, pag. 454. — (5) Gesta episcoporum Tungrensium etc. pag 68. — (6) Admiranda Coloniæ magnitudo, lib. III, synt. XI, pag. 361. — (7) Sacrarium Agrippinæ, pag. 118. — (8) Ibid. pag. cit. — (9) Admir. Coloniæ magnitudo, pag. 359.

AUCTORE V. D. B.

Paulinus reconditur, postquam nova et elegantior S. Evergislo fabricata est : adscripti etiam sunt iconibus in vetustiore tumba hi versus :

Caelica vox pandit vigilantibus his, quia scandit
Post vitae cursum Martinus in aethere sursum.

Hunc perimit mucro spe lucri, sed sine lucro.
[Caesum] fronde levi velant hi fraude coaevi.

Agrippinensis praesul, Bruno, sacer ensis,
Juris Tungrorum petit urbem more priorum :
In somnis Christi manifestat se pugil isti.

Sanctae Caeciliae dat fons hunc Bruno sophiae.
Laudibus huic crebris occurrit pompa celebris.
Clerus humat sanctum, Tungris dans pro patre plan-
[ctum.

Documenta nulla Coloniæ exstare videntur, antiquiora anno 1498;

11 *Quæ dein secuta sint accipe ex commentario R. V. J. Kessel, capellani in æde S. Albani Coloniensi, cujus diligentiam et accurationem non possum non cumulare laudibus.* Usque ad annum 1498, *inquit,* de elevatione vel retectione reliquiarum hujus sancti incertus sum. Etenim hoc anno, quo auctrice venerabili abbatissa regulari domna Elisabeth
B de Reven capsa vel tumba S. Evergisli reserata est, documentum de prioris alicujus elevationis vel retectionis earundem memoriam posteritati ex consuetudine traditurum inventum non scribitur. Nihilo minus factam esse superioribus retro seculis aliquam elevationem vel retectionem dictarum reliquiarum inde apparere arbitror, quod dicta capsa, qua hodiedum reliquiæ S. Evergisli includuntur quæque anno 1837 per pastorem et ædiles ecclesiæ S. Petri parochialis renovata est, mea atque rev. domini Bock, peritissimi in hac re æstimatoris, sententia antiquior sæculo decimo quinto exeunte censenda videtur.

quo propter rumores quosdam aperta est reliquiaria capsa.

12 Memoriam autem retectionis reliquiarum S. Evergisli anno 1498 factæ servat et explicat hæc scedula pergamena . « Ut omnis « cessaret suspicio et magis populi ferveret « devotio, venerabilis et prima post istius « olim secularis ecclesie in monasterium re- « gulare ordinis sancti Augustini translatio- « nem abbatissa regularis, domina Elisabeth « de Reven, de consilio et consensu tam ca- « pituli quam conventus sui, hanc capsam
C « aperiri et iterum claudi fecit reperitque « sacras S. Evergisli gloriosi martyris atque « archiepiscopi Coloniensis reliquias, vene- « rabiliter reconditas et compositas, quas ut « invenit dimisit. Anno Domini millesimo « quadringentesimo nonagesimo octavo, die « 15ta mensis augusti; Alexandro papa sexto, « Maximiliano Romanorum rege et Hermanno « archiepiscopo Coloniensi regnantibus; Jo- « hanne Kirchhoff, protonotario apostolico pre- « posito et archidiacono Embricensi et Ever- « hardo de Arbore canonicis, Nicolao de Lennich « confessore, Rutgero Hofsmyt de Dursten et « Mathia Vowinckel vicariis monasterii predicti « presentibus, videntibus et audientibus. »

Indulgentiæ concessæ ab Urbano VIII. *Quum anno* 1802 *suppressum est S. Cæciliæ templum, capsa, laminis argenteis orbata. super fornicem templi S. Petri reposita est;*

13 Documentorum de indulgentiis, ad augendas festivitates datis, unum tantum inveni, quo Urbanus Papa VIII omnibus Christi fidelibus, festos dies S. Augustini, Materni, Evergisli et Leonardi rite agentibus, beneque contritis et confessis, septem annos totidemque quadragenas de pœnitentiis eis injunctis declarat relaxandos. Post suppressionem collegii S. Cæciliæ, jussu regiminis Gallici ante annos quinquaginta octo factam, ipsa ecclesia D hospitali civium Coloniensium quod dicitur addicta est; argentea autem S. Evergisli capsa, quæ perpulchra multisque pretiosis gemmis lapidibusque ornata fuisse perhibetur, omni decore et ornatu exuta est ita, ut coartatus tantum loculus relinqueretur. Qui ne una cum sacris reliquiis turbulento illo tempore plane perderetur, a parocho et parochianis quibusdam ecclesiæ S. Petri clam deportatus et in eadem sua ecclesia parochiali, quæ prope adjacet, depositus est, ad dies faustiores reservandus. Hic stetit diu sine ullo respectu et reverentia super fornicem templi, aspectui et venerationi fidelium substractus.

hinc excerptæ anno 1829 *reliquiæ, Romam mittendæ.*

14 Anno 1829 sanctissimus papa Pius VIII Ill. D. Mercy d'Argenteau, nuntio suo Monacensi et archiepiscopo Tyrensi, ad complendum, ut fertur, numerum reliquiarum, quæ Romæ asservantur, mandavit, ut ossium S. Evergisli, quibus adhuc plane carebat, particulam quandam e capsa ejusdem depromptam Romam mitteret. Itaque die 12 mensis augusti ejusdem anni Ferdinandus Augustus, E archiepiscopus Coloniensis et comes de Speculo ad Desenberg et Canstein, Josephum Henricum Filz, theologiæ doctorem et decanum hujus civitatis tanquam commissarium in spiritualibus, assistente Guilielmo Schmitz, presbytero ordinis discalceatorum et protonotario apostolico, sigillis interioris capsæ, postquam inviolata inventa et agnita fuerant, fractis, particulam postulatam jussit e capsa promere et nunciaturæ Monacensi Romam permittere transmittendam. Quo facto, capsa denuo reclusa est, nemine ejus renovationem promovente. Ex prothocollo, de hoc negotio conscripto, quod in ecclesia parochiali S. Petri adhucdum asservatur, patet, tunc scedulam pergamenam, supra verbotenus exscriptam, inventam esse.

Anno 1837 *renovatur capsa et sequenti solemniter exponitur.*

15 Interea capsa omni ornatu exuta in dedecore jacebat usque ad annum 1837, quo Clemens Augustus, archiepiscopus Coloniensis fel. mem., per liberum Baronem F. E. de Mering, virum de historia Coloniensi explanenda maxime meritum, de misera ejus conditione certior factus, eam pastori et senatui F ecclesiastico parochiæ S. Petri rite et pro dignitate renovandam in mandatis dedit. Qui hoc opus arbitrio civis cujusdam Coloniensis in hac arte versati demandantes, se sumptibus parcere debere non arbitrati sunt. Renovatio stetit 1150 thaleris, 27 grossis borussicis. Circa capsam, quæ super æneum colorem auro superfusa est, quatuordecim statuæ ædiculis antiqui operis inclusæ cernuntur, quæ duodecim sanctos apostolos et Severinum et Evergislum, episcopos Colonienses, representant. Inscriptiones habet has: CAPSA RELIQUIARUM S. EVERGISLI EX ECCLESIA S. CÆCILIÆ, SUPPRESSIS A REGIMINE GALLICO RELIGIOSIS ORDINIBUS, AD PAROCHIALEM ECCLESIAM S. PETRI TRANSLATA MDCCCII PER PASTOREM ET ÆDILES S. PETRI: RENOVATA ET LOCO DECENTI RESTITUTA MDCCCXXXVII, SUB AUSPICIO REVEREND. ARCHIEPISCOPI COLON. CLEMENTIS AUGUSTI L. B. DROSTE EX VISCHERING. Jam anno 1837, dictus archiepiscopus elevationem prædictarum reliquiarum modo festivissimo instituere volebat; quare Gregorius papa XVI fel. mem. ejusdem intercessione die 8 augusti omnibus

A omnibus Christi fidelibus vere contritis et confessis plenarias indulgentias concessit, si huic festivitati interessent. Sed eam necesse erat supra annum produci, nempe usque ad 8 diem mensis octobris anni 1838, quo tanquam in jubilæi solemnitatem per totam urbem Coloniensem solvebatur. Capsa renovata, quum assistentibus pluribus clericis per supramemoratum decanum sacra ossa recepisset, ab eodem artifice tribus cochleis, per superioris trianguli versuras insertis, et in summitate quidem lilio, per alias autem versuras aliis floribus decoratis, præclusa est.

Antiquæ et novæ capsæ forma.

16 De antiquiore capsa, quam quæ modo descripta est, nihil habet ecclesiæ parochialis S. Petri archium seu tabulinum et mihi persuasum est eam primitivam esse, [*confectam tamen postquam alia antiquior S. Paulini ossibus capiendis destinata est*]. Hoc probari arbitror, quum pergamena illa scedula memorata, qua neque prius neque posterius de elevatione vel retectione reliquiarum prædictarum documentum in capsa inventum est, tum autem et maxime ex ipsius operis structura, quæ seculo decimo quarto adscribenda videtur, aliis hujus generis tumbis in hac urbe comparatis. Sane pro dolor! capsæ quæ nunc est renovatione illa prædicta multum et artis et pretii detractum est, artifice modernis hujus artis principiis justo nimis indulgente. At infractis artis gothicæ lineis, quas adhuc ostendit, cumulato personarum exsculptarum vestitu necnon ligno ad speciem cupri vel alius metalli aureato, sat mihi patere videtur, illo eam ævo a perito aliquo artifice elaboratam fuisse.

B

Alius antiquioris et reliquiarum S. Paulini, quæ eadem claudebantur, fata.

17 Ossa S. Paulini martyris itidem in ecclesia parochiali S. Petri adhuc exstat, at proh dolor! aspectui et venerationi fidelium subtracta et in armario ejusdem ecclesiæ vili tumba conclusa. Rev. Dominus Hutmacher, qui nunc hujus ecclesiæ pastor est, ut rite et pro dignitate elevarentur, studio et operæ non pepercit; at documenta authentica quum ad eorum genuitatem comprobandam deficiant, a reverend. vicario generali ad tempus supersedere de hac re jussus est. Ceteroquin tumba, qua nunc includuntur sacra ossa, tam miseram sui speciem exhibet, ut ne unum quidem prioris alicujus ornatus signum servaverit neve habeat, unde de antiqua ejus indole et conditione certo judicare liceat. Hæc tantum sunt quæ tibi communicanda habeam. Neque ex tabulino ecclesiæ parochialis S. Petri neque ex ceteris hujus urbis archiviis de hac re, quoad sciam, quidquam exuere licet. *Reliqua, maxime quæ ad S. Cæciliæ templum spectant, vide supra in Annotatis ad Passionem S. Evergisli.*

C

Cessavit fere S. Ebregisi *cultus.*

18 *Supra num.* 7 *jam dixi S.* Ebregisi *festum actum olim fuisse die* 28 *martii et* 24 *octobris. Reperitur etiam ejus memoria in Catalogo generali sanctorum Ferrarii ad* IV *nonas aprilis et ad* III *nonas aprilis, id est ad diem* 2 *et* 3 *aprilis; sed error est inde ortus, quod apud Chapeavillium legitur* V nonas *loco* V kalendas aprilis; *neque exstitit umquam dies* V nonas aprilis. *Ad diem* 15 *ejusdem mensis invenit Henschenius in mss. Grevenianis Usuardi auctariis memoriam celebratam* S. Ebergisi, episcopi in Trajecto superiore et confessoris. *Verum nunc id unum superest S.* Ebregisi *cultus vestigium, quod pergant omnes episcopi, qui Trajecti sedem suam habuerunt,* sancti *appellari. Facit etiam aliquantum ad ejus cultum, quod ejus nomen cum* sancti *titulo legitur in Floribus Leodiensis ecclesiæ Fisenii* (1), *in Historia Leodiensi Fullonii* (2) *aliisque Leodiensis ecclesiæ annalibus et episcoporum catalogis.*

AUCTORE V. D. B.

Nomen S. Ebregisi, *cujus etymologia inquiritur, diversum est a S. Evergisli nomine.*

19 *Coronidis loco, quum toties de* Evergisli *et* Ebergisi, Evergisi *seu* Ebregisi *nominum affinitate dictum sit, pauca aliqua ea de re addam. Utrique nomini partem communem, scilicet* Ever *seu* Eber, *esse, nemo non videt; hoc autem* aprum *significari docebit te Adelung in Glossario suo Theotisco, v°* Eberhard. *Ast* gislus *in* Evergislo *et* gisus *in* Ebregiso *eumdem sensum non habent; adeoque* Ebergisus *et* Evergislus *duo nomina diversa sunt.* Gislus *enim, latina forma verbi theutonici* geisil, sponsorem *significat et* hospitem; *in* gisus *major difficultas est. Imprimis animadverte hanc vocem certissime in effingendis nominibus stirpis germanicæ fuisse usurpatam, ut distinctam a* gislus. *Etenim in vetustissimo* Catalogo *San-Gallensi* nominum propriorum, quibus Alamanni quondam appellati (3), *sequentia occurrunt:* Adalgis *seu* Oadalgis; Ceizo, Ceizzo, Giso, Gizo, *seu* Kezo; Kezeman; Liutgis *seu* Liutkis; Otgis; Ratgis *seu* Ratkis; Richkis; Theotgis *seu* Theotkis; Unceiz; Vuofceiz; Vuolfgis. *Omitto nomina, in* Goz, Coz *et* Koz *desinentia, quamquam huc quoque referenda videantur. In* Catalogo *autem* nominum propriorum masculinorum in Alamannia Curiensi et Burgundionensi (4) *hæc etiam veniunt:* Adalchix; Arigisus; Fredegisus, Fredegysus *seu* Fretgisus; Gisbehardus; Gisemarius; Gisemundus; Gisepertus; Giso; Gisulfus; Ratgisus *seu* Rotgisus; Remegisus; Vuinigisus. *Jam vero dubium nullum est quin* Ceizo, Gizo, Kezo *seu mollius* Giso *idem sit quod vox germanica hodierna* Geitz; *cujus origo, ait Adelung ad hoc ipsum vocabulum, adhuc obscura est; significatio autem* crementum *et* cupido *videtur esse. Sed cave ne ex* Eber *et* Geitz *sensum aliquem conflare velis: hæc verba pro more sibi invicem apposita sunt non ad significatum aliquem, sed ad meram distinctionem; quemadmodum a romanis cognomina et agnomina conjungebantur cum nominibus et a nobis nomina familiarum item cum nominibus.*

F

(1) Page. 565. — (2) Tom. I, pag. 80 et 181. — (3) Goldastus, Scriptores rerum Alamannicarum, tom. II, part. I, pag. 95 et seqq. edit. tertia. — (4) Ibid. pag. 112 et seqq.

DE

A D

DE S. MARTINO, DICTO MARTIO,

EREMITA ET ABBATE IN CAMPANIA,

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Confusus fuit S. Martinus cum aliis sanctis; duo dies cultus; ætas; professio religiosa; Montismassici descriptio.

ANNO CIRCITER DLXXX. *S.* Martinus, *qui et Martius, prius in Montecasino, dein in Montemassico eremita et abbas,*

B *Licet S.* Martini *de Montemassico gesta tam singularia sint ut cum nullius alius sancti facile confundi posse videantur, factum tamen est nescio qua fortuna ut ejus nomen cum aliis commutatum fuerit et ut qui de eo scribere velit initio versetur in mediis ambagibus. Ut autem ipsi quanta fieri potest claritate et rectitudine instituamus iter, juverit præmittere præcipuas B.* Martini *res, prout eas ex Dialogis S. Gregorii Magni papæ contraxit Petrus, diaconus Casinensis et sæculi* XII *scriptor præclarus et in libello de viris illustribus Casinensibus inseruit. In vulgatis editionibus id encomium non exstat; sed reperit illud in pleniori exemplari Casinensi Papebrochius noster. Huc forte illatum fuerat ex libro ejusdem Petri de ortu et obitu justorum cœnobii Casinensis, unde id deprompsit Angelus Majus et in parte* II *tomi* VI *Collectionis suæ novæ edidit et secundum eum Mignius* (1). Martinus, vir egregius miraculorumque patrator magnificus, in Cassino prius sub sanctissimo patre Benedicto ac postea in monte Marsico degens, cum serpente per multum tempus habitavit; aquam de lapide speluncæ suæ omnipotens Deus ad bibendum concessit; mulierem ad obscœna eum opera provocantem Deus terribiliter occidit; puerum e summo montis vertice ad ima ruentem oratione sua illæsum servavit; lapidem immanissimum speluncæ suæ imminentem de loco ad locum mirabiliter mutavit.

C Sepultus vero est in monte Marsico. *Prius itaque mansit beatus vir in Montecasino; dein ad meridiem deflectens in Montemassico. S. Benedicto, occidentalium monachorum patri, coævus fuit ejusque laudes scripsit S. Gregorius papa I.*

jam pridem cultus die 3 *augusti et* 24 *octobris, confusus fuit cum S. Marcio, abbate Arvernensi,*

2 *His addere oportet duplex ejus in honorem celebrari festum, alterum die* 3 *augusti, alterum die* 24 *octobris; atque eam rem jam aggredimur. In primis in cœnobio Bodecensi canonicorum regularium S. Augustini, quod olim in diœcesi Paderbornensi in Westfalia erat, reperit Gamansius noster* Vitam beati Martini, solitarii et confessoris, versibus dictatam, cujus festum est III nonas augusti: *is ibi erat titulus. In Vita autem, conscripta ab anonymo, hæc legere est:* Sepultum est autem in spelunca ejusdem montis *Massici* beatissimi viri corpus a parte septentrionali: quod quia difficile aditu, quietum aliquandiu, atque immotum, immo intentatum permansit; et ne in dubium veniat quando hujus sancti viri obitus, immo potius vitæ festivitas debeat celebrari, sciatur proculdubio TERTIO NONAS AUGUSTI venerari debere. *Demum apud Petrum, diaconum Casinensem, hæc in beati viri Vita habes:* Sepultum autem est in spelunca ejusdem montis *Massici* beatissimi viri corpus, tertio nonas augusti a parte septentrionali. *Atque hinc intelligitur errare nunc Carinulanos, quum die* 3 *augusti celebrant* translationem S. Martini abbatis, *quum hac die manifeste* E *agenda sit anniversaria memoria ejus depositionis; deinde in Kalendario sanctorum ordinis S. Benedicti, quod anno* 1527 *absolvit Ferdinandus de Valye, monachus Cisterciensis in monasterio Antverpiensi S. Salvatoris, insignem confusionem factam esse, quum ad dictam diem* 3 *augusti ibidem scriptum fuit:* S. Marcii, abbatis Arvernensis. Hujus meminit Gregorius Turonensis, cujus patrem a febribus curavit adhuc vivens. *Ut enim mittam* Marcium *positum esse loco* Martini (*quod sphalma passim alibi quoque occurrit*), *S. Marcius, Arvernensis abbas, qui Florentium, S. Gregorii Turonensis patrem, curavit* (2), *numquam die* 3 *augusti, sed semper* 13 *aprilis, qua ejus gesta illustrarunt decessores nostri* (3), *cultus fuit. Sequitur demum tertio* Martinum confessorem, *qui ad diem* 3 *augusti in auctariis Grevenianis Usuardi occurrit, virum ignotum non esse et a reliquis Martinis indistinctum, quemadmodum ad hanc diem dixerunt decessores nostri* (4), *sed ipsum nostrum* Martinum *esse de Montemassico.*

cum S. Martino, abbate Vertavensi,

3 *Habet præterea S.* Martinus *alterum festum, nempe die* 24 *octobris; atque id ex errore aut confusione cum S. Martino, abbate Vertavensi, fuisse ortum mihi certum videtur. Primus scilicet, quem sciam ad diem* 24 *octobris S.* Martini *de Montemassico memoriam annuntiasse, est Petrus de Natalibus, sæculo* XIV *episcopus Equilinus. Hic enim in Catalogo sanctorum postquam ad hanc diem S. Martini de Montemassico, gesta ex S. Gregorii Magni Dialogis contracta retulisset; in fine de suo addidit:* Quievit autem in pace vir Domini IX kalendas novembris; *quod nullam aliam ob causam facere potuit, nisi quod in kalendariis reperiret ad hanc diem S. Martini abbatis nomen, nec sciens id S. Martini Vertavensis esse id ad S.* Martinum *Massicum referendum esse arbitratus fuerit. Verumtamen Ferdinandus de Valye, quem paulo supra jam appellavi, exemplum Petri de Natalibus secutus, scripsit etiam ad diem* 24 *octobris:* Item S. Martini abbatis

(1) Patrol. latina, tom. CLXXIII, col. 1065. — (2) S. Gregorius Turon. Vitæ Patrum, cap. 14, Opp. col. 1218 et seqq. — (3) Acta SS. tom. II Aprilis, pag. 132. — (4) Ibid. tom. I Augusti, pag. 197.

apud

AUCTORE V. D. B.

A apud Campaniam; cujus meminit B. Gregorius. *Baronius in Martyrologio Romano satis vidit duos viros esse diversos eosque accurate distinguens seorsim annuntiavit* in Vertano monasterio sancti Martini abbatis *memoriam, et seorsim* in Campania sancti Marcii solitarii, cujus præclara opera sanctus Gregorius *papa* scripsit; *sed utramque memoriam assignavit diei* 24 *octobris, pro priore secutus Usuardum, pro posteriori Petrum de Natalibus. Atque hinc proculdubio factum est, ut Carinulani inceperint S.* Martini *festum agere, non die tantum* 3 *augusti, verum etiam* 24 *octobris.*

et cum S. Martino Sanctonensi,

4 *Cave tamen ne credas per hanc Baronii distinctionem procuratum tandem fuisse ut nulla amplius fieret confusio : non ita est. Quum Vertavensem abbatem vocasset Martinum et, nescio quam S. Gregorii Magni editionem secutus, Massicum eremitam* Marcium, *quumque insuper in notis confudisset S. Martinum Vertavensem cum S. Martino Sanctonensi, de quo S. Gregorius Turonensis capite* 57 *de Gloria confessorum agit et cujus natalis colitur die* 7 *decembris, hinc plurimi, qui postea venerunt,* B *miros induxerunt errores. Specimina tantum aliqua indicabo. Ferrarius* (1) *prius exscripsit* (*eique pro more consonat Hagiologium Italiæ*) *epitomen gestorum S.* Martini *Massici, quam fecerat Petrus de Natalibus, nisi quod pro Baronii auctoritate ubique* Marcium, *non* Martinum, *scripsit; et transiit dein ad S. Martinum abbatem Vertavensem, quem in Montemassico etiam floruisse voluit atque inde translatum fuisse Carinulam : plane eum confundens cum S. Martino Massico. Hueberus in Menologio Benedictino dedit secundum Martyrologium Romanum S.* Marcium *solitarium et S. Martinum, abbatem Vertavensem; sed ad S.* Marcium *retulit quæ Usuardus, Galesinius et Felicius dixerant de S. Martino Vertavensi; atque etiam quæ Ado, non* V *idus decembris, sed* VII *idus decembris tradidit de S. Martino Sanctonensi.*

qui tamen omnes facile a nostro S. Martino *distinguuntur.*

5 *Distinguere itaque oportet plures Martinos et Marcios, qui inter se commixti et confusi fuerunt. Venit primo loco noster* Martinus *de Montemassico, qui a Baronio et dein ab aliis dictus fuit Marcius, cujus festum olim agebatur* C *die tantum* 3 *augusti, nunc autem etiam die* 24 *octobris, et cujus laudes scripsit S. Gregorius Magnus libro III Dialogorum. Venit dein S. Martinus, abbas Vertavensis, cujus Vitam continuo ante illustravimus, et cujus solius nomen ad diem* 24 *octobris in antiquis calendariis et martyrologiis legitur, si excipias Catalogum Sanctorum Petri de Natalibus. Tertio loco venit S. Martinus Sanctonensis, qui ab Adone et aliis celebratur die* 7 *decembris et cujus gesta brevibus concepit S. Gregorius Turonensis cap.* 57 *de Gloria confessorum. Quarto demum loco venit S. Marcius Arvernensis, quem idem S. Gregorius Turonensis laudibus prosecutus est capite* 14 *Vitarum Patrum et cujus gesta dederunt decessores nostri ad diem* 13 *aprilis. Alii præterea sunt multi SS. Martini et Marcii abbates et solitarii; sed cum his aliis hactenus non reperio confusum fuisse S.* Martinum *seu* Marcium *de Montemassico. Hunc autem deinceps semper* Martinum, *non autem* Marcium *appellabo, quoniam in editione operum S. Gregorii Magni, procurata a Maurinis,* Martinus *vocatur, tum in textu græco, tum in textu latino, nulla facta variarum lectionum mentione; deinde quod in Vita ejus, scripta a Petro diacono, in altera anonyma, et in omnibus monumentis Carinulanis semper ejus nomen est* Martinus, *numquam autem* Marcius: *adeoque errat Wion* (2), *quum suadet corrigendos esse libros, in quibus* Martinus *legitur.*

S. Martinus *de Montemassico absque fundamento Capuanus dicitur et Benedictinus;*

6 *Silvester Agosta, qui anno* 1641 *ad Bollandum misit* Vitam S. Martini de Montemassico, *ut* habetur in officio ecclesiæ Calinensis, (*is est titulus,*) *monet doctos aliquos viros voluisse eisque consensisse Michaelem Monachum, canonicum Capuanum et Sanctarii Capuani auctorem, nempe S.* Martinum *fuisse patria Capuanum, eosque variis probabilibus rationibus ad hanc amplectendam motos fuisse sententiam; additque :* Annis *abhinc aliquot* elapsis, quidam homo, nomine Joannes Baptista, vidit imaginem hujus sancti cum inscriptione : SANTO MARTINO DI CAPUA. *Debilissimum utique argumentum; neque dubium est quin alia etiam debiliora fuerint. Quamobrem probandi videntur Capuani, qui hactenus inter Officia propria* E *suæ ecclesiæ locum non aperuerunt S.* Martino, *quippe qui nil umquam secum commune habuisse dici possit. Quodsi Capuani nonnulli S.* Martinum *Massicum civem suum fecerint, nemo mirabitur Benedictinos complures ipsum suo accensuisse ordini. Quamobrem Wion* (3) *in Ligno Vitæ ejus memoriam facit ad diem* 24 *octobris; et similiter Hugo Menardus* (4), *vulgo tamen abstinentior et parcior. Ruinartius et Mabillonius in primo sæculo Benedictino idem fecerunt; sed licet minoribus tantum typis ejus dederint Vitam, in sequentibus sæculis, in quibus passim severiores sunt, idem proculdubio non fecissent. Menologos Benedictinos in eamdem sententiam ivisse nil mirum. Atque hinc Antonius de Heredia, postquam fuse S.* Martini *sub nomine S.* Marcii *laudes sub præsenti die retulisset, sic pergit* (5) : Multi scriptores ei locum dant inter sanctos nostri ordinis et ex eo ordine fuisse habetur; et quidem eum S. Benedicto magistro usum fuisse ex eo constat quod retulimus; *scilicet eum ante S. Benedictum habitasse in Montecasino, consilium quoddam* F *S. Benedicti secutum esse eumque demum Montemcasinum habitandum reliquisse S. Benedicto. Quamobrem in imagine, quam anno* 1610 *Joannes Baptista Garganus et Lucretius Lucens Neapoli ediderunt, exhibetur S.* Martinus *amplissima veste nigra benedictina indutus; una manu tenens magnam crucem, altera librum; pede catena alligatus saxo, dum a tergo jacet meretrix mortua, coram vero sibilat alatus serpens. Equidem non obsto quin S.* Martinus *benedictinus habeatur, si hæc ad benedictinum faciendum sufficiant; probo tamen modestiam Mabillonii in Annalibus, Gattulæ, Tostii et multorum aliorum, qui arbitrentur ordinem S. Benedicti satis esse divitem ut severus esse possit in recensendis suis sanctis.*

vixit in Montecasino circa annum 528, *et in Montemassico circa annum* 580.

7 *Quoniam autem S.* Martinus *Massicus Casinum montem incolebat, quum eo accessit S. Benedictus, hinc indicium temporis habemus ejus ætatis. Etenim* S. Benedicti in Cassinum adventum anno 529 Baronius, Hæftenus aliique collocant,

(1) Catalogus SS. Italiæ, pag. 666 et 667. — (2) Lignum Vitæ, libro III, pag. 349. — (3) Ibid. pag. cit. — (4) Martyrologium SS. Ord. S. Benedicti, pag. 92. — (5) Vidas de santos etc. de la sagrada religion de san Benito, tom. IV, pag. 139.

AUCTORE V. D. B.

collocant, quamquam Mabillonius aliique anno 528 (1); *quin etiam alii illigant S. Benedicti ad sacrum montem accessum seu Casinensis monasterii fundationem anno* 527 (2). *Sed si placuit Angelo de Nuce* (3), *res Casinenses ex professo tractanti, omittere hanc controversiam, quanto magis nobis, quorum minimi hoc loco interest accurate hunc annum cognoscere? Aliud indicium aliunde habemus. Ubi S. Gregorius exorditur enarrare S.* Martini *res gestas:* NUPER quoque, *inquit,* in parte Campaniæ vir valde venerabilis, Martinus nomine, in Montemarsico solitariam vitam duxit, multisque annis in specu angustissimo inclusus fuit, quem multi ex nostris noverunt ejusque actibus præsentes exstiterunt. De quo multa ipse, et beatæ memoriæ papa Pelagio, decessore meo, et aliis religiosissimis viris narrantibus, agnovi. *Hæc autem scripsit beatissimus papa anno* 593 *aut* 594 (4). *Verum cavendum est ne vocabulo* nuper *abutamur. Passim scilicet animadvertunt lexicographi id aliquando pro tempore satis remoto usurpari; quin etiam S. Gregorium ita usum esse hac voce ut res, viginti ab*
B *hinc annis factas,* nuper *contigisse dixerit, ostenderunt Maurini editores* (5). *Ex ætate S. Pelagii, qui ab anno* 579 *usque ad* 590 *S. Petri cathedram occupavit, aliquid certius elicere licet, atque ex hoc Petri, S. Gregorio ad finem historiæ respondentis, epiphonemate :* Facta hæc placent, quia mira, et multum quia RECENTIA; *ita ut plurimum a vero aberrare non possit, qui statuerit beatum eremitam usque ad annum circiter* 580 *vitam produxisse, et proin ad decrepitam venisse senectutem.*

Monsmassicus aliquantulum illustratur.

8 *De Montecasino, ubi vitam solitariam auspicatus est S.* Martinus, *nolim aliquid scribere, quum locus ille omnibus sit notus. Præterea in Vita, scripta a Petro diacono, quam tempore suo dabimus, plura de hoc monte traduntur; atque hæc ibidem aliquantulum in annotatis illustrari poterunt. Contra de Montemassico aliquid hoc loco commentari non prorsus erit inutile; quum ab ipsis popularibus ignoratus fuisse videatur, verbi gratia a Petro Antonio Corsignani, prius episcopi Venusini, dein translati ad cathedram Valvensem et Sulmonensem in Pelignis, qui tra-*
C *didit S.* Martinum *et S. Gregorium papam monasticam vitam vixisse in Montemarsicano prope Trisultum* (6). *Est autem Massicus mons in ditione seu saltem in vicinia septentrionali oppidi Montisdraconis, jacetque in eo Campaniæ spatio, quod ad occidentem finitur mari mediterraneo; ad meridiem Vulturno fluvio, qui, per Capuam transiens, in idem mare delabitur; ad orientem via publica, qua Terracina itur Capuam; et ad septentrionem rivo Liri seu Garigliano, qui, ex Pontecorvo veniens, in Mediterraneum mare etiam influit. Vide mappam, quam geographiæ suæ physicæ et botanicæ regni Neapolitani subjecit cl. v. Tenore* (7). *Si vero ob oculos habeas chorographiam Campaniæ Felicis, quæ in tomo* IX *Thesauri Grœviani inserta est et quam dissertationibus explicavit Camillus Peregrinius, vi-* D *des ibidem istum montem propius definitum, scilicet inter viam Appiam, fluviolum Savum et viam, quæ Minturnis per Suessam ducit ad Theanum Sidicinum. Pertinet autem iste mons ad eumdem ramum, quo continentur Meta, Casinus et Cairus et ex altissimis habetur* (8). *Calcarius est ipsemet, sed valles passim ex vulcanica tellure constant* (9). *Ejus clivis, in varias partes vergentibus, dividuntur campi Montisdraconis, ad meridiem siti, Carinulæ ad etesias** * Nord-Est *et Suessæ * ad septentrionem, ejusque ambitus* * Sessa *triginta circiter milliaria extenditur* (10). *Saltus, omnigenarum ferarum latebræ, ibidem non desunt* (11) *et montis dejectus partim oleis, partim frumento aliisque cerealibus herbis occupatur; quamquam vitibus potius faveret hic locus* (12). *Neque hæ omnino desiderantur* (13); *sed frustra quæreres pristinam copiam et præstantiam. Versamur hic scilicet in regione Massicis vinis fertili, quæ centum aut etiam plures annos incorrupta servabuntur et quæ tantopere laudarunt Cicero, Virgilius, Martialis, Horatius, Florus, Columella, Plinius et Macrobius. Atque hic*
plura vina Massica distinguit (14) : Uvarum, E *inquiens,* ista sunt genera : Aminea, scilicet a regione; nam Aminei fuerunt ubi nunc Falernum est; Asinusca, Etrusca, Albiverus; *præstantissima autem Aminea seu Falerna, a Virgilio dicta in Georgicis* firmissima vina. *Verum sæculo* VI, *quo huc secessit S.* Martinus, *jam evanuerat pristina illa bacchi gloria. Qui plura volet de hoc monte adeat dissertationem* II *Camilli Peregrinii de Campania Felice* (15), *ubi satis superque quæ ad antiquam horum locorum conditionem spectant prosequitur. Id unum addam has partes, vitiato aere, nunc esse fere inhabitabiles; sed ubi mox de Carinula dicemus, redibit ea de re sermo.*

§ II. Monasterii in Montemassico fata quædam; translatio corporis S. Martini tentata et tandem perfecta. Carinulæ origo. Cultus ibi, in Montecasino, Neapoli. Historiæ S. Martini.

Post medium sæculum VIII *Arichis II, princeps Beneventanus, frustra tentat auferre S.* Martini *corpus;*

In septentrionali Montismassici parte sepultum fuisse S. Martinum *ex edendis Vitis manifesto liquebit. Neque dubito quin brevi post mortem coli cœperit a discipulis, quos sibi in illa solitudine collegerat. Non enim hi post magistri mortem dilapsi sunt; sed qui incepe-*
rant in speluncis et tuguriis cum S. Martino *habitare, construxerunt postmodum monasterium, quod monachorum numero aliquando valde insigne fuit. Verum, ut in Chronico S. Vincentii Vulturnensi* (16) *legitur, medio sæculo* VIII *plane diversa ejus erat sors. Quapropter* Arichis II, Longobardorum religiosissimus princeps, *qui ab anno* 758 (17) *usque ad diem* 25 *augusti anni* 787 (18) *ducatum aut principa-*

(1) Gattula, Hist. abbatiæ Cassinensis, part. I, pag. 4. Cfr Tosti, Storia della badia di Monte-Cassino, tom. I, pag. 76 et 77. — (2) Peregrinius, Series abbatum Cassinensium, in proœmio, ap. Grævium, Thesaurus Italiæ, tom. IX, part. I, pag. 273 et 274. — (3) Vita S. Benedicti, notis illustrata, cap. 8, ap. Muratorium, Scriptt. rer. Ital. tom. IV, col. 200. — (4) Maurini, S. Gregorii M. Opp. tom. II, pag. 116. — (5) Ibid. col 244. not. *e.* — (6) Reggia Marsicana, tom. I, pag. 142. Cfr tom. II, pag. 214 et seqq. — (7) Cenno sulla geografia fisica e botanica del regno di Napoli di M. Tenore. — (8) Ibid. pag. 7. — (9) Ibid. pag. 19. — (10) Galanti, Beschreibung beider Sicilien aus dem Italianischen übersetzt von Jagemann, tom. IV, pag. 190. — (11) Guistiniani, Dizionario geografico del regno de Napoli, tom. III, pag. 175. — (12) Galanti, loc. cit. — (13) Giustiniani, loc. cit. — (14) Saturnalia, lib. II, cap. 16. — (15) Ap. Grævium, Thesaurus Italiæ, tom. IX, part. II, col. 318 et seqq. — (16) Ap. Muratorium, Scriptt. rer. Italic. tom. I, part. II, pag. 389. — (17) Art de vérifier les dates, tom. I, pag. 424. — (18) Joannes de Vita, Thesaurus antiquit. Beneventan. tom. II, pag. 154.

tum

A *tum Beneventanum occupavit,* cum multa sanctorum corpora ex diversis locis auferens Beneventi *in templo S. Sophiæ sub annum* 760 (1) honorifice collocasset et præfatum monasterium Christi confessoris *Martini,* quod, ut beatus Gregorius in suis dialogis meminit, magno religiosorum contubernio floruerat monachorum, jam tum ab omnibus pœne destitutum esse didicisset, concilium ei incidit, causa pietatis ac munimine civitatis *Beneventanæ,* confessoris corpus inde auferre, atque infra suæ urbis mœnia cum aliorum corporibus sanctorum locandum deferre. Quod cum episcopo *Joanni* et civibus retulisset, omnibus visum est hoc placuisse. Inde ergo pariter ad sancti tumulum cum magna devotione properantes, et ab ipso montis ascensu nudis plantis incedentes, piis precibus insistebant. At ubi pervenerunt ad locum, ubi desideratum cupiunt perficere opus, prudentissimus princeps, devotionis verba sic sancte proferens, inquit :

Maxime confessor, monachorum pastor et abbas,
Insignis meritis, magne, venerande trophæis,
B Te petimusque tuos tu confer cælitus ortus,
In populos salvans nobis prece suggere...
Auxilium præbens hostilia vincere castra.
Tunc vox repente illic audita est dicens :
Si spes et virtus mors sit honor vivere Christus.
Namque ego jam prorsus nullatenus egredi pos- [sum,
Hoc loco manens per longa tempora parens.

Hujus ergo sonitu vocis omnes timore concussi pariter corruerunt ad terram; tuncque terræmotus factus est magnus, ut ab ipsis abyssi flatibus non solum totius ipsius montis, sed et cuncta vicinarum urbium mœnia concuterentur, sicque patenter omnibus datur intelligi, quoniam divina virtus locum ipsum, ubi confessoris corpus requiescit, angelicam semper jubet habere custodiam.

Cumulat hic princeps monasterium S. Martini Massicum multis donis; sed ejus successores id ipsum donant ante annum 800 *monasterio Vulturnensi.*

10 Divinæ igitur non ausi contraire voluntati, statuerunt communiter venerari sepulcrum illud, offerentes singuli quidquid acceptabile videbatur. Princeps vero isdem cum multis aliis donariis contulit ad eumdem locum præceptum firmitatis ex omnibus, quæ possederat vel possidere videbatur, adjiciens et alia plura, infra fluvium qui dicitur Carnellus *et hic pro Gariliano ponitur, (licet vulgo Carnellus pro superiore parte Gariliani fluvii sumatur, dum inferior ab Suessano agro usque ad mare Garilianus vocaretur* (2)) et sicut decurrit rivus Saonis *seu Savonis,* qui de saxo procedit *et inter Vulturnum et Montemdraconis in mare influit,* designata sunt; servosque et ancillas, quotquot in his manere videbatur, cum suis cespitibus, ut habeat et possideat, perpetuis tradidit temporibus. Etenim aliquantulis decurrentibus annis, cum locum ipsum vetustate deficere videretur, causa piæ solicitudinis ac restaurationis, et aliarum..... Langobardorum principes et ecclesiarum Dei venerandi pontifices hoc idem monasterium cum omnibus suis pertinentiis beati Vincentii *Vulturnensi* monasterio ex integro subdiderunt. Diebus Sicardi, *ab anno* 833 *usque* 840 *Beneventani principis,* monasteria S. Martini et S. Crucis in Montemarsico a Beneventanis commutata *seu tradita esse* in monasterio beatissimi Vincentii; pro quibus *Beneventanos* ecclesias SS. Lupuli et Zosimi, castrum quoque quod dicitur Cerbinaria in Caudetanis accepisse *tradit chronographus Vulturnensis* (3). *Sed non potest id non esse erroneum; adeoque hæc traditio facta fuerit oportet ante initium anni* 800; *quandoquidem in diplomate seu testamento Radeprandi, condito pridie kalendas februarii, anno* XIII *principatus Grimoaldi, qui exeunte anno* 787 *regnare cœpit* (4), *hæc occurrunt* (5), *ex quibus etiam situs facile intelligitur :* Simulque etiam dispono in præfato cœnobio *S. Vincentii* Vulturnensi inclitam ipsam curtem meam, quam habeo in finibus Suessæ * loco, ubi nomina- *Sessa
tur Prisciano, ubi casam fabricatam ædificatam habeo, continente fines, da una parte Rivio, et formulo ipsius Rivi, quomodo vadit ipse Rivus usque in terram episcopi sancti Stephani; ex alia vero parte cacumine montis, ubi ædificatum est monasterium sancti Martini per hos fines, da una parte fluvio Volturno, da duabus partibus Rioza, da quarta parte terra et silva, et monte monasterii sancti Vincentii; da quarta parte, fine præfata, terra prædicti episcopii et præfati monasterii sancti Martini. *Unde liquet in clivo montis orientali ad septentrionem situm fuisse S.* Martini *monasterium, idque decennio saltem citius quam vult Lublinus* (6) (*hic scilicet vult anno circiter* 810 *a Beneventanis datum fuisse Vulturnensi abbatiæ S.* Martini *cœnobium*) *Vulturnenses id asceterium in suam accepisse ditionem. Quo jure donarent monasteria principes Longobardorum Beneventani si quæras, id unum respondebo in occidente æque ac in oriente omnia tum in bona ecclesiastica, dummodo a religioso usu non omnino averterentur, ausos esse reges et duces. Cæterum Paschalis papa I, quum mense julio indictione* XII, *id est anno* 819, *Vulturnensis monasterii bona confirmavit, inter ea recensuit* monasterium sancti Martini in Montemassico; *quin etiam monasterium seu* cellam sanctæ Crucis in Montemassico (7); *de qua cella post annum* 1057 *adhuc fit mentio* (8).

Quum autem Sarraceni sæculo IX *aliquot Italiæ loca occupassent, maxime Trajectum prope Garilianum.*

11 *Quum penes Vulturnenses factum esset S.* Martini *monasterium,* tunc pater Epiphanius exemplo adipiscendæ eximiæ conversationis, locum hunc expetiit et diu in sancta conversatione decertando pro merito et sapientiæ doctrina, abbas *S. Vincentii Vulturnensis* est effectus (9) *mense octobri anni* 823 *et præfuit annos* XVII, *menses* XI, *dies* VIII (10); qui consummatus obiit in pace idibus septembris anno dominicæ Incarnationis 843, indictione VI (11). *Verum jam tum pessima instabant Vulturnensi et Massico monasteriis tempora. Meridionalem Italiæ partem plures Sarracenorum turmæ ingressæ erant, et quæ facile expulsæ fuissent si post occasum Romani imperii adhuc aliqua sana mens, virilis animus aut civilis prudentia in italico solo umquam habitasset, plures civitates tranquille occuparunt et passim novas quasi fundarunt colonias, tributa*

(1) Cfr Epitome chronicorum Cassinensium, ap. Muratorium, Scriptt. rer. Italic. tom. II, part. I, pag. 367 et Ughellius, Italia sacra, tom. VIII, col. 33. — (2) Cfr anonymus chronographus Italiæ mediæ ævi, ap Muratorium, Scriptt. rer. Italic. tom. X, col. CCXXXI. — (3) Ap. Muratorium, tom. I, part. II, pag. 402. — (4) Cfr Art de vérifier les dates, tom. III, pag. 767. — (5) Chronicum Vulturnense, ap. Muratori, Scriptt. rer. Ital. tom. I, part. II, pag. 375. — (6) Abbatiarum Italiæ notitia, pag. 233. — (7) Chronicum Vulturnense, ap. Muratori, tom. I, part. II, pag. 384 et 385. — (8) Ibid. pag. 514. — (9) Ibid. pag. 390. — (10) Ibid. pag. 385. — (11) Ibid. pag. 390.

et

AUCTORE V. D. B.

et impium jugum vicinis imponentes. Lege miserabilem hanc tragœdiam; et italos videbis libertatis æque ac dominationis impatientes, singulos sua quærentes et aliorum invidos, Sarracenis annuentes et eorum auxilio fratres suos crudelissime opprimentes adeoque maxime nescios seipsos junctis viribus servare, nec permittentes se servari per Francos aut Græcos atque his infestos uii et italis civitatibus. Quum itaque per hanc incredibilem vesaniam et animorum varietatem factum esset ut Athanasius Junior, qui præsul simul Neapoli erat et militum magister, cum Sarracenis, quos o probrum! sæpius adversus christianos adhibuit, pacem iniisset eosque intro portas æquoreas et urbis murum collocasset, *hi, ex tuto hoc castro pro libitu progredientes,* terram Beneventanam simulque Romanam, necnon et partem Spoleti, cunctaque monasteria et ecclesias, urbes et oppida, vicos, montes et colles, insulasque deprædarunt (1). *Quomodo autem Vulturnense monasterium ab iisdem die* 10 *octobris, feria* III, *anno* 870 *per servorum perfidiam a Sarracenis*
B *captum fuerit, partimque incensum et deprædatum, nongentique aut* (*ut alii habent*) *quingenti monachi inquilini et exteri ea strage fuerint occisi, narrare dein pergit Vulturnensis chronographus; quam historiam quoque habes in Actis S. Bertharii, quæ ad diem* 22 *octobris* (2) *illustravit collega. Verum postquam mater tam immanem passa esset cladem, non poterat tuta esse filia, maxime quod in vicinia habebat Sarracenos. Quum enim Romanus pontifex Joannes* (*ni fallor*) *VIII Cajetam Pandenolfo Capuano, pessimo viro et sæpius Athanasii, episcopi Neapolitani, et Sarracenorum amico et adjutori, tradidisset, Cajetani, duce Docibili seu Decivili, ut se a Pandenolfi jugo tuerentur, Sarracenos ex Agripoli* (*huc enim confugerant ii, quos Athanasius ut se ab excommunicatione pontificia liberaret Neapoli ejecerat*) *acciverunt. Continuo monuit eos Romanus pontifex ut a se hanc pestem amoverent; quod reapse perfecerunt armis, eis tamen per pacta conventa concedentes Trajectum, Garigliano fluviolo vicinum locum,* ubi, *ut loquitur Leo Marsicanus* (3), per quadraginta ferme annos degentes innumera circumquaque
C mala gesserunt multumque christicolarum sanguinem effuderunt, *auxiliati aliquando Athanasio et Pandenolfo* (4).

tentarunt hi S. Martini monasterium spoliare, sed ope sancti patroni repulsi sunt.

12 Ea tempestate, *ait Vulturnensis chronographus* (5), multitudo Sarracenorum, in Gariliano juxta Trajectum habitantes, christianorum et præcipue Capuanorum maximas strages dederunt. Tunc et monasterium confessoris Christi Martini in Marsico monte adeuntes, delere nitebantur. Quorum metu exterriti ibidem habitantes monachi, ad ejusdem confessoris præsidia se contulerunt. Nec moras: divina miseratio affuit deprecantibus. Illis quippe montem ascendentibus astitit quidam venerandi habitus, qui se abbatem esse dicebat cum multitudine monachorum, quos omnes præparatos equos ascendere jubet et se comitari. Mox ipse præcedens et splendifica crucis signa sua dextera ferens, Sarracenorum cuneos erupit, multosque exercitus fortuita cæde prostravit, plurimos vulneravit, D aliquos cæcitate percussit, omnes porro perniciter in fugam coegit. Mons ipse densis tenebris densus, concussa tellus videbatur absorbere cruentos. Ex tunc Sarracenorum exercitus ita attritus et afflictus extitit ut non solum bellum christianis inferre non valerent, sed semper fugam agentes mortis discrimini subjacerent. Etenim in proximo advenientibus christianissimis principibus *Capuanis* Atenulfo et Landulfo, cum vicinis magnatibus diversarum provinciarum *et potissimum cum exercitu Græcorum,* maxima illorum multitudine interfecta, et reliqui dispersi atque destructi sunt; sicque christianorum populus Christi misericordia extitit liberatus. *Facta est anno* 915 *hæc expulsio, cujus historiam fusius narravit Leo Marsicanus* (6). *Quum vero Massico monasterio illa calamitas immineret et tanta ei impenderent pericula, trecenti aderant monachi, ut in historia, inferius edenda, legitur. Re quidem vera eodem sæculo incredibilis turba monachorum in Italiæ monasteriis degebat; sed quum Massicusmons, perdita libertate, facta* E *esset præpositura a Vulturnensi monasterio dependens, valde verisimile est inter trecentos illos partem monachorum fuisse, qui aliquot annis ante ex Vulturnensi cœnobio, irruentibus Sarracenis, aufugerant.*

ipse prior monasterii tentat furari et vendere S. Martini *corpus,*

13 *Quum autem meliores illuxissent dies et jam pridem restitutum fuisset Vulturnense asceterium,* temporibus *scilicet B. Hilarii, qui ab exeunte anno* 1011 *usque ad* III *kalendas octobris anno dominicæ Incarnationis* 1044, *indictione Constantinopolitana* XIII *Vulturnense cœnobium abbas rexit* (7), cum quædam gens corpus confessoris Christi Martini ex Marsico monte vellet auferre, illuc cum fratribus perrexit, et eum de sepulcro auferens tam secrete recondidit, ut usque hodie ubi sit repositum ab omnibus ignoretur. *Hæc Joannes, cœnobii S. Vincentii Vulturnensis monachus* (8), *qui monasterii sui Chronicum scripsit anno* 1108 (9). *Sed non ita est. Sane, quum specus, in qua quiescebat beati viri corpus, extra monasterii septa et in parte inferiori montis esset et proin falli facile possent Massici monachi, fieri potuit ut B. Hilarii temporibus nonnulli conati fuerint* F *auferre S.* Martini *reliquias; verum id si tunc tentatum fuerit, propterea ita non abscondit B. Hilarius pretiosum pignus ut postea plane latuerit. Sub annum enim* 961, *quo Pandulfus I, dictus Caputferreum, defuncto patri Landulfo II in principatu Beneventano successit, molitus est ipse S.* Martini *præpositus sacrum corpus vendere, quemadmodum ex sæpe dicta historia inferius constabit. Præterea ad finem sæculi* XI *facile id reperit S. Bernardus, Carinulanus episcopus; sed quum id clam Vulturnensibus et Montismassici monachis abstulisset, ubi id esset quatuordecim annis post ignorabant adhuc Vulturnenses et* (*ut fieri pronum erat*) *ab abbate aliquo absconditum fuisse conjiciebant et opinabantur : quæ ignoratio mira profecto esset et pæne incredibilis, si tum magnum fuisset inter vicinas etiam plebes commercium; sed id fere nullum fuisse quis nesciat?*

(1) Chronicum Vulturnense, ap. Muratori, tom. I, part. II, pag. 404. Cfr Erchemberti historia Longobardorum Beneventi, ap. Grævium, tom. IX, part. I, col. 36. — (2) Act. SS. tom II Octobris, pag. 672 et seqq. — (3) Chron. Cassin. lib. I, cap. 43, ap. Muratorium, tom. IV, pag. 316 et 317. — (4) Cfr Erchembertus, ap. Grævium, tom. IX, part. I, col. 36 et 38. — (5) Ap. Muratorium, tom. I, part. II, pag. 407. — (6) Chronicum Cassin. lib. I, cap. 52, ap. Muratorium, tom. IV, pag. 325 et 326. — (7) Ibid. pag. 494, 495 et 512. — (8) Ibid. pag. 512. — (9) Ibid. pag. 322.

Defertur S. Martini corpus Carinulam, quæ forte veteris Caleni locum occupat,

14 *Quomodo autem anno* 1094 *Carinulam devenerit S.* Martini *corpus non est quod hoc loco dicam, quum inferius optimam hujus rei historiam daturus sim; sed operæ pretium fuerit pauca de illo oppido attulisse in medium.* Carinula, *ait Franciscus Orlendius* (1), *quæ et* Calinula et Calinensis civitas, nonnullis antiquior visa est ac reipsa sit. Carolus enim a S. Paulo in sua Geographia sacra Italiæ vetus Calenum esse putat: *Calenum,* inquit, *Straboni lib.* 5, *vulgo Carinola. Valerius hujus episcopus subscripsit concilio Romano primo sub Symmacho.* Idipsum antea dixerat Leander Albertus in Descriptione Campaniæ Felicis. Sed hanc opinionem supra rejecimus, cum a veteri Caleno quatuor circiter millibus passuum Carinula distet. *Hæc quidem communis sententia; eaque est verissima, si Cales, ex quarum ruderibus Atenulfus, comes Capuanus et Beneventanus princeps, circa annum* 879 *Calvium* * *ædificavit medio itinere inter Capuam et Suessam* (2), *idem sit oppidum quod Calenum; nam certissime Cales seu Calvium* IV M. P. *a Carinula distat* (3). *Verum licet nunc episcopus Calviensis se Caliniensem vocet, licet regnantibus Andegavensibus Calenum semper de Calvio dictum fuerit* (4) *et alia id genus afferantur argumenta, ego tamen fatebor mihi nequaquam demonstratum videri Cales et Calenum eumdem esse oppidum; neque id vidit chorographus anonymus italiæ medii ævi, cujus luculentam disputationem edidit Muratorius* (5), *et qui multa diligentia contulit magnum locorum numerum, quibus scriptores classici veteres dixerunt de Calibus et de Caleno; adeoque Calium cives dicti fuisse videntur* Caleni, *Caleni vero oppidi* Calentini. *Quod si distinctæ fuerint civitates aut coloniæ, nil obstat quominus Carinula eodem fere loco condita fuerit quo pristinum stabat Calenum; et certe a Longobardis Carinula dicta est* Calinium, Calinidum, Carinulum *atque etiam* Calenum (6): *quod nomen Carinulæ quoque tribuitur in omnibus monumentis quæ inferius dabimus de S.* Martini *translatione. Accedit quod sæculo* XI *via publica adhuc exstitit, quæ ex via Appia duceret ad Forum Claudii, de quo brevi, et quæ proin ad septentrionem aut Caurum vergeret inter Montemmassicum et Savonem fluvium; quam ad viam latinam usque deductam non fuisse ipsa rerum conditio suadet. Quod si ita sit, ad eam positum fuisse præter Forum Claudii aliud oppidum, dictum Forum Popilii, sæculoque* IV *adulto adhuc existens* (7), *et præterea Calenum, nil profecto vetat.*

* Calvi

B

C

et cujus fata breviter declarantur.

15 *Utut hæc sunt,* (*nolim enim his multum immorari,*) *circa finem sæculi undecimi Carinula oppidum erat haud ignobile, comitatus titulo insigne, situm inter lacum maxime piscosum et Forum Claudii, cujus rudera nunc* Citta rotta *dicuntur, et duobus rivis circumdatum; id tamen habens incommodi, quod ventorum motu caret* (8). *Atque eo tempore sanctus Bernardus e Foro Claudii tum collapso sedem episcopalem Carinulam, duobus fere milliariis dissitam, transtulit, anno scilicet* 1100: *de qua translatione in Actis ejusdem S. Bernardi* (9) *plura legi possunt.*

AUCTORE V. D. B.

Hujus translationis memoriam non recte colunt Carinulani die 3 augusti, quæ est dies obitus; itemque errant die 24 *octobris.*

16 *Quamquam autem probe sciretur reliquias S. Martini translatas esse in festo SS. Pauli et Joannis, quod die* 26 *junii celebratur, de ea tamen annua memoria non videtur umquam fuisse acta Carinulæ. Requidem vera lectionibus liturgicis, quæ inde olim ad decessores nostros fuerunt destinatæ, subditur translationis historia; sed quum ipsa Vita, ex S. Gregorii Magni Dialogis desumpta, in varias lectiones distributa sit atque exemplar contractum responsoriis etiam propriis sit distinctum, nil simile in translationis narratu deprehendere est. Neque nunc mense junio quidpiam in* S. Martini *honorem peragunt Carinulani; sed, quemadmodum supra num. monui, die* 3 *augusti, qua recolendus erat beati viri obitus, ex errore, quem iterum explicare necesse non est, celebrant ritu duplici primæ classis sine octava translationem S. Martini abbatis; et* 24 *octobris, quoniam ea die Baronius in Martyrologio Romano consignavit ejus memoriam, agunt ejus festum ritu duplici secundæ classis. Ita res ordinatas video in Calendario ecclesiastico, quod pro civitate et diœcesi Suessana anno* 1821 *edi jussit Bartholomæus Varrone, Suessanus episcopus, volens hæc servari Carinulæ, in Montedraconis et in dependentibus pagis.*

E

Circumscribitur nunc S. Martini *cultus angustissimis finibus pristinæ diœcesis Carinulanæ, conflatæ ex Foroclaudiensi et Sinuessana.*

17 *Non enim amplius sui juris est diœcesis Carinulana; sed ut uniretur cum Suessana jure merito opportunum visum fuit Pio papæ VII anno* 1818 (10). *Jam pridem enim non residebat episcopus Carinulæ, sed in Casali, quo ventus accedere potest et cujus situs est omnium longe amœnissimus. Præterea tota diœcesis, quæ ex antiquis Foriclaudiensi et Sinuessana conflata erat, constabat ex solis comitatu Carinulano et ducatu Montisdraconis. Comitatus autem ille continet tantummodo Carinulam cum casalibus suis, Casanova, Falciono, Nocelletto et Casali, vicisque Ventariolo et S. Donati, et circa annum* 1824 *incolas sibi accensebat universim* 4815. *Ducatus autem Montisdraconis, cujus ambitu concludebatur prisca diœcesis Sinuessana, complectebatur terram Montisdraconis cum villis S. Nicolaï et S. Michaelis et circa dictum annum* 1824 *incolas habebat* 2050; *ita ut in toto pristinæ diœcesis Carinulanæ ambitu solum habitarent homines* 6865 (11). *Minor itaque hæc erat diœcesis quam multæ parœciæ rurales in Belgio; atque hæc exempli instar sit, quum plures aliæ diœceses ejusdem regionis non majoris amplitudinis sint. Pulcherrimum tamen templum cathedrale habebat et etiamnum habet, seminarium præterea clericorum, duas ecclesias collegiatas et paucas aliquot parochiales, conventum FF. Minorum et similia* (12). *Olim tamen floruerunt hæc loca; atque etiam vicinioribus sæculis major fuit diœcesanorum numerus. Habebat enim* (13):

F

Comitatus Carinulanus		Ducatus Montisdraconis	
annis	*focos*	*annis*	*focos*
1532	890	1532	338
1545	978	1545	369
1561	961	1561	310
1595	486	1595	192
1648	440	1648	176
1669	292	1669	203

(1) Orbis sacer et profanus, part. II, tom. III, pag. 1598 et 1599. — (2) Ibid. pag. 1600. — (3) Ibid. pag. 1599. — (4) Giustiniani, Dizionario del regno de Napoli, tom. III, pag. 174 et 175. — (5) Scriptt. rer. Ital. tom. X, col. CCLXX. — (6) Ibid. col. cit.; ap. Giustiniani, tom. III, pag. 174 et ap. Peregrinum, de Campania Felice, dissert. II, cap. 33, ap. Grævium, tom. IX, part. II, col. 314. — (7) Peregrinus, ap. Grævium, tom. IX, part. II, col. 330. — (8) Giustiniani, Peregrinus, Galantini etc. — (9) Acta SS. tom. II Martii, pag. 232. — (10) Moroni, Dizionario di erudizione ecclesiastica, tom. X, pag. 30. — (11) Cfr Giustiniani, tom. III, pag. 176 et Dizionario statistico de' paesi del regno delle due Sicilie al di qua del faro, 1824, pag. 30 et 31, et pag. 98 et 99. — (12) Moroni, tom. X, pag. 30. — (13) Giustiniani, tom. III, pag. 176 et tom. VIII, pag. 32.

AUCTORE V. D. B.

Quis possit autem esse in tam parvis diœcesibus delectus et institutio clericorum, quæ synodorum diœcesanarum auctoritas, quæ episcopalis sollicitudo et honor, quotusquisque rerum humanarum non penitus ignarus facile suspicabitur. Nemo utique improbabit minimas illas diœceses a sancta Sede supprimi aut cum aliis uniri. Sed de his, utut nobis citramontanis mirabilia sunt, jam multo nimis forsan diximus.

Improprie patronus dicitur Carinulæ; vetus officium;

18 *Ut autem pauca singularia de cultu S.* Martini *referam, monebo imprimis beatum eremitam in posteriori Italiæ sacræ editione dici cum S. Bernardo episcopo patronum templi cathedralis Carinulani* (1). *Quod tamen mihi perquam dubium est, quum ejus festum cum octava non agatur, quemadmodum de patronis fit. Errorem ortum arbitror ex eo capite, quod in Vita S. Bernardi, postquam ibidem traditum est S.* Martini *corpus a beato præsule Carinulam translatum fuisse, sic dein pergitur* (2) : O felix civitas Calinensis, quæ tanto es dotata patrono, quæ in Martino habes singularis defensionis præsidium contra diabolicæ tentationis et totius nequitiæ spiritualis assultum; sed Dominus
B sibi adjecit ad gloriam, ut juxta consuetudinem domesticarum ejus esses vestibus duplicibus et bicoloribus adornata; duplici enim polles honorificentia : ideo tui defensor Bernardus datus est cum Martino. *Sed aliud est commune præsidium, quod in iis quorum reliquiæ possidentur est repositum; aliud patrocinium solemne, quod per electionem fit et certis legibus regitur : quod posterius nequaquam illis S. Bernardi Vitæ verbis designatur. Vetus officium habeo, quod olim in officiis divinis ad honorem S.* Martini *Carinulani usurpabant. Depromptum id est ex S. Gregorii Dialogis et post singulos lectiones responsoria et versus propria habet et ad horas antiphonas proprias; sed in his nil singulare est. Haud scio utrum ad publicum cultum an ad privatam pietatem pertinerent hymnus et oratio, quæ reperi ad calcem imaginis, supra num.* 6 *descriptæ :*

hymnus et oratio ibi olim usitata;

19 Martine, qui in cælestibus
Gaudes beatus ædibus,
Felicitate intermina
Mundi solutus vinculis :
Deum roges, te poscimus,
C Ut dæmonem teterrimum,
Qui nos misellos obruit,
Sternat potente dextera :
Ut rupe quondam Marsici,
Te deprecante, corruit,
Formam vetustam callidus
Indutus anguis lubrici.
Martine vir castissime,
Deum precare perpetim,
Ut carnis ardor noxius
Nostris recedat cordibus;
Velut tuo de pectore
Fugavit omnem protinus :
Decernis unde imposterum
Nullam videre fœminam.
Scelesta sicut fœmina
Mortem subivit illico,
Dum te beatum perdere
Molitur arte dæmonis :
Repente sic tu deleas
Sanctis precationibus, D
Martine, cordis crimina,
Quæ nos trahunt ad tartara.
Orando sic nos eruas
Præsentibus periculis,
Sicut puellum liberas,
Qui rupe quondam decidit.
Martine, corpus ferreis
Sicut ligabas vinculis,
Nostra illiges sic corpora
Ut Trinitati serviant.
Amore Christi pectora
Demum catena vincias,
Qua nunc beatus fortiter
Vinctus manes in patria.
Et tu beata Trinitas
Concede nobis omnia;
Cui semper exstet gloria
In sæculorum sæcula.
Amen.

ANTIPHONA. Triumphator acerrime carnis, mundi et dæmonis, Martine beatissime, nova lux Campaniæ, Suessanorum gloria, Calenorum nobile depositum, piumque patrocinium, E Christi nobis gratiam impetres assidue. ℣ Ora pro nobis, Martine beatissime, ℟ ut Deus æternæ concedat gaudia vitæ. OREMUS. Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut sicut beatum Martinum confessorem atque anachoretam tuæ charitatis vinculo necti et a catena ferrea per beati Benedicti discipulum in monte absolvere voluisti : ejus nos ita meritis et intercessione dilectionis tuæ nexibus jubeas devinciri ac delictorum nostrorum laqueis liberari, ut ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus; qui tecum *etc.*

reliquiæ Neapoli et in Montecasino.

20 *Ad Neapolitanos quoque aliquando extensus est S.* Martini *cultus. Quum scilicet Joannes Vitellius, cæsaris regii consiliarii filius, et inter Theatinos clericus regularis, defuncto patruo Nicolao Antonio Vitellio in sede Carinulana anno* 1594 *successisset* (3), *placuit ei S.* Martini *corpus decentiori loco ponere. Transtulit itaque pias exuvias ad monumentum, ubi hæc inscriptio cernitur:* HIC JACET CORPUS B. MARTINI TRANSLATUM DE MONTE MASSICO PER MANUS PRÆSULIS F BERNARDI; *ubi etiam asservatur catena, qua sanctus olim vinctus fuit* (4). *Hanc translationem dum celebravit pius præsul, sibi pro more reliquiarum partem reservavit, nempe prægrande cruris os ac catenæ partem; quæ ecclesiæ S. Pauli majori Neapolitanæ, patrum Theatinorum usibus destinatæ, addixit* (5). *Id factum sit oportet ante annum* 1610, *quo ad Caputaquensem cathedram promotus est* (6); *et quidem hæc narrat Josephus Silos in Historia Theatinorum sub anno* 1607. *Silvester Agossa scripsit olim ad Bollandum ipsum S.* Martini *caput Theatinis Neapolitanis dono fuisse datum : sed melior testis est, quem modo dixi Josephus Silos. Casinenses quoque sæculo* XII *celebrarunt quotannis S.* Martini *festum, ut satis liquet ex hymno, quem Petrus diaconus composuit et quem post Vitam, prosa ab eodem scriptam, inferius dabimus. Incepit proculdubio Casini S.* Martini *cultus anno* 1094, *quo (ut in Vita inferius danda narrat ille idem Petrus diaco-*

nus)

(1) Ughellius, tom. VI, col. 462. — (2) Acta SS. tom. II Martii, pag. 233. — (3) Ughellius, Italia sacra, tom. VI, col. 471. — (4) Ibid. col. 467. — (5) J. Silos, Historia Theatinorum, tom. II, pag. 199. — (6) Ughellius, tom. VI, col. 471.

A *nus) ad montem sanctum delatæ sunt aliquot sancti viri reliquiæ, detractæ ab integro corpore, quod eodem tempore e Montemassico Carinulam delatum fuit. Alibi is etiam Petri diaconi hymnus in usu fuit, et certe Carinulæ, ut ex vetusto libro officiorum propriorum S. Bernardi et S. Martini constat. In annotatis signabimus, qui aliter Casini, aliter Carinulæ cantaretur.*

Monumenta literaria, quæ de S. Martino *supersunt.*

21 *Omnia fere monumenta quæ de S.* Martino *supersunt jam memoravimus; atque hæc ad quatuor fontes referenda sunt. Primus est Vita conscripta a S. Gregorio Magno ejusque Dialogis inserta; secundus est Historia translationis, peractæ a S. Bernardo episcopo anno* 1094 *et miraculorum, quæ proxime secuta sunt : scripta hæc fuit ipsius S. Bernardi jussu; tertius est Chronicum S. Vincentii Vulturnensis, ineunte sæculo* XII *collectum; quæ de reliquiis S.* Martini *habet, supra in commentario jam dedimus; quartus demum fons est pars scriptionis Petri diaconi, cui est titulus:* Vita, translatio et miracula S. Martini abbatis *et quæ quatuor (ut ita dicam) partes continet. Prima*

B *collecta seu potius contracta est ex Dialogis S. Gregorii et ex documentis aliquot Casinensibus minimumque momentum habet. Secunda constat ex narrationibus aliquot de tentata sæpius S.* Martini *corporis translatione; quarum pars tantum innotuerat Vulturnensi chronographo. Primæ ex illis narrationibus auctor dicitur fuisse Severus, diaconus Beneventanus, qui, quum in ipsa re præparanda operam suam studiose posuisset,* gesti hujus notitiam primus posteris commendasse *dicitur. Quis vero Severus ille fuerit, neminem qui me doceret reperi; et certe, si is reapse scriptionem aliquam de tentamine illo fecit, oportet ut alii apposuerint notas temporis, quum hæ ita sint turbatæ seu potius secum invicem pugnantes ut a viro coævo proficisci non potuerint. Aliarum vero narrationum nullum auctorem indicat Petrus diaconus. Tertia pars ad verbum fere historia est translationis, quæ anno* 1094 *fuit peracta, et prodigiorum, quæ subsecuta sunt. Quarta demum pars pauca aliquot continet miracula, quæ post hunc annum, quo reliquias S.* Martini *etiam Casinum*

C *devenisse diximus, in sacro monte contigerunt. Adeoque in Petri diaconi lucubratione duæ partes sunt novæ, et duæ aliunde assumptæ. Dabimus tamen integram scriptionem, tum quod passim improbari videmus monumentorum in frusta discerptionem, tum quod Petri diaconi nomen in historia literaria sat celebre sit ut is ei habeatur honor. Eadem de causa dabimus Vitam metricam S.* Martini, *conscriptam item (ut in fronte notatum reperio) a Petro diacono versibus valde singularibus; media scilicet pars hexametri clausula simul est sequentis pentametri, ita ut initium et finis singulorum distichon echoicam formam habeant. Vitam S. Scholasticæ et S. Mauri eodem omnino versuum genere scripsit sæculo* VIII *extremo Paulus diaconus, dictus Warnefridi; unde dubitare mihi subiit an Petri nomen Paulo substitutum fuerit. Ecce autem initium Vitæ S. Scholasticæ* (1) :

Sponsa decora Dei petit alta Scholastica cæli;
Ingreditur thalamum sponsa decora Dei.
Angelicis hodie manibus super astra levatur
Miscetur turmis angelicis hodie *etc.*

(1) Ap. Mabillonium, sæcul. I Benedict. pag. 42.

AUCTORE V. D. B.

Utut id est, illam S. Martini *Vitam metricam reperit Gamansius noster in codice canonicorum regularium monasterii de Bodeken in Westphalia; ubi præmissa erat Vitæ S.* Martini, *conscriptæ a S. Gregorio Magno et in lectiones distributæ; postea veniebat historia translationis, omisso prologo; et demum pone sequebantur partes scriptionis Petri diaconi secunda et quarta. Omitto alia multa quæ ex declaratis fontibus in varios rivos detorta sunt.*

VITA S. MARTINI,

Ex dialogis S. Gregorii Magni, lib. III, cap. XVI.

De S. Martino monacho de Montemarsico.

F

S. Martinus, *solitariam vitam ducens in Montemassico, miraculo aquam sibi necessariam accipit;*

Nuper quoque in parte Campaniæ *a* vir valde venerabilis, Martinus nomine, in Montemarsico solitariam vitam duxit, multisque annis in specu angustissimo inclusus fuit; quem multi ex nostris noverunt ejusque actibus præsentes exstiterunt. De quo multa ipse et beatæ memoriæ papa Pelagio, decessore meo *b*, et aliis religiosissimis viris narrantibus agnovi. Cujus hoc miraculum primum fuit, quod mox ut se in prædicti montis foramine contulit, ex petra eadem, quæ in semetipsa concava angustum specum fecerat, aquæ stilla prorupit, quæ Martino Dei famulo in usu quotidiano sufficeret, et nec plus adesset, nec necessitati deesset *c*. Qua in re ostendit omnipotens Deus quantam sui famuli curam gereret, cui vetusto miraculo potum in solitudine ex petræ duritia ministraret *d*.

a
b
c
d

cum turbare conatur dæmon sub specie serpentis triennium familiaris;

2 Sed antiquus hostis humani generis, ejus viribus invidens, hunc usitata arte pellere ex eo specu molitus est. Nam amicam sibi bestiam, serpentem *e* scilicet, ingressus, hunc ab eadem habitatione ejicere facto terrore conatus est. Cœpit etenim serpens in speluncam venire solus cum solo, eoque orante se ante illum sternere, et cum cubante pariter cubare. Sed vir sanctus omnino imperterritus, ejus ori manum vel pedem extendebat, dicens: Si licentiam accepisti ut ferias, ego non prohibeo. Cumque hoc continue per triennium gereretur, die quadam antiquus hostis tanta hac ejus fortitudine victus infremuit, seque per devexum montis latus in præcipitium serpens dedit, omniaque arbusta loci illius flamma ex se exeunte concremavit. Qui in eo quod montis latus omne combussit, cogente omnipotente Deo, monstrare compulsus est, quantæ virtutis fuerat, per quem victus abscedebat. Perpende, quæso, iste vir Domini in quo mentis vertice stetit, qui cum serpente per triennium jacuit securus. PETRUS. Auditu paveo.

e

mulier, tentans eum corrumpere, subito interimi-

3 GREGORIUS. Vir iste vitæ venerabilis, inclusionis suæ tempore primo, decreverat ut

AUCTORE S. GREGORIO M.

ultra mulierem non videret, non quia aspernabatur sexum, sed ex contemplata specie tentationis incurrere metuebat vitium. Quod quædam mulier audiens, audacter ascendit montem, atque ad ejus specum impudenter prorupit. At ille paulo longius intuens, et venientis ad se muliebria indumenta conspiciens, sese in orationem dedit, in terram faciem depressit, et eo usque prostratus jacuit, quo impudens mulier a fenestra cellulæ illius fatigata recederet. Quæ die eodem, mox ut de monte descendit, vitam finivit, ut ex mortis ejus sententia daretur intelligi quia valde omnipotenti Deo displicuit, quod ejus famulum ausu improbo contristavit.

puer, eum visitans, præceps ruit et servatur;

4 Alio quoque tempore dum multi ad hunc religiosa devotione concurrerent, atque arcta esset semita quæ in devexo montis latere ad ejus cellulam properantes ducebat, puer parvulus, incaute gradiens, ex eodem monte cecidit, et usque ad vallem corruit, quæ, sub monte eodem sita, quasi in profundo conspicitur. In loco quippe eodem tanta mons ipse altitudine excrevit ut arbusta ingentia, quæ
B ex eadem valle prodeunt, ex monte aspicientibus quasi fruteta esse videantur. Perturbati itaque sunt cuncti qui veniebant, summaque cura quæsitum est sicubi corpus elapsi pueri potuisset inveniri. Quis enim aliud nisi exstinctum crederet? Quis vel corpus ad terram integrum pervenisse suspicaretur, dum interpositis ubique scopulis in partes discerpi potuisset? Sed requisitus puer in valle inventus est non solum vivus, sed etiam incolumis. Tunc cunctis patenter innotuit quod ideo lædi non potuit, quia hunc in casu suo Martini oratio portavit. In specu vero illius magna desuper rupes eminebat, quæ cum ex parte exigua monti videretur affixa, Martini cellæ prominens, casum suum quotidie et illius interitum ruitura minabatur.

rupes inter cadendum divinitus amovetur a S. Martini habitaculo;

5 Ad hanc Mascator, illustris viri Armentarii nepos *f*, cum magna rusticorum multitudine veniens, precabatur ut vir Dei de specu eodem dignaretur exire, quatenus ipse ruituram rupem ex monte potuisset evellere, atque in specu suo Dei famulus jam securus habi-
f
C taret. Cumque hoc vir Dei nequaquam acquiesceret, et quod posset ut faceret præcepit, et ipse in cellæ suæ remotiori se parte contulit. Si tamen ingens moles rueret, dubium non erat quod simul et specum destrueret et Martinum necaret. Itaque dum ea quæ venerat multitudo conaretur, si posset, sine periculo viri Dei ingens illud, quod desuper incubuerat, saxum levare, cunctis videntibus, repente res valde admirabilis contigit, quia moles ipsa quam conabantur evellere, subito ab eisdem laborantibus evulsa, ne spelunca Martini tectum tangeret, saltum dedit, et quasi servi Dei læsionem fugiens, longius cecidit. Quod ad jussum omnipotentis Dei angelico ministerio actum intelligit, qui divina providentia disponi omnia fideliter credit.

monetur a S. Benedicto ut se non liget catena ferrea, sed Christi amore; hujus catenæ fata.

6 Hic cum primum se in eumdem montem contulit, necdum clauso specu habitans, catena sibi ferrea pedem ligavit, eamque saxo ex parte altera affixit, ne ei ultra liceret progredi quam catenæ ejusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus D audiens, cujus superius memoriam feci *g*, ei *g*
per discipulum suum mandare curavit: Si servus Dei es, non teneat te catena ferri, sed catena Christi. Ad quam vocem Martinus protinus eamdem compedem solvit, sed numquam postmodum solutum tetendit pedem ultra locum, quo ligatum hunc tendere consueverat, atque in tanto se spatio sine catena coërcuit, in quo et antea ligatus mansit. Qui dum se postmodum in ejusdem loci specu conclusisset, cœpit etiam discipulos habere; qui ab ejus specu seorsum habitantes, ad usum vitæ aquam de puteo *h* haurire consue- *h*
verant. Sed funis in quo ad hauriendum aquam situla dependebat crebro rumpebatur. Unde factum est ut eamdem catenam quam ex pede suo vir Domini solverat ejus discipuli peterent, eamque funi adjungerent atque in illa situlam ligarent. Ex quo jam tempore contigit ut idem funis et quotidie tingeretur aqua et nullo modo rumperetur. Quia enim catenam *i* viri Dei funis ille contigit, ipse *i*
quoque ad tolerandam aquam ferri in se for- E
titudinem traxit. PETR. Facta hæc placent, quia mira; et multum, quia recentia.

ANNOTATA.

a *Campaniam Felicem seu Terram Laboris intelligit S. Gregorius. Accurate situm Montismassici, quem sequioris ævi scriptores Montemmarsicum appellant, indicavi in Commentario prævio, num.* 8. *Hic tantum dixerim hunc montem positum esse inter Montemdraconis, Carinulam et Suessam.*

b *Vide quæ de hoc loco diximus in Commentario prævio, num.* 7.

c *Sunt tamen in hoc monte aliæ aquæ; sed de his infra.*

d *Alludit auctor de his quæ in solitudine arabica peracta sunt et narrantur cap.* 20 *libri Numerorum. De fonte Mosaïco, qui adhuc exstat, vide Commentarium de S. Hilarione ad diem* 21 *octobris* (1).

e *Qui de Montemassico scripserunt, passim docent venenata animantia plura ibidem reperiri. In regione plana et mediterranea colubrum* F *natricem et berum seu viperam lacertasque agilem et viridem; in clivosa et silvestri inferiori colubrum aspidem; in silvestri superiori anguem fragilem, colubrosque aspidem et cœruleum docet cl. v. Tenore in Conatu de geographia physica et botanica regni Neapolitani* (2). *Quem indicare voluerit S. Gregorius non facile divinabis.*

f « *Excusi, inquiunt Maurini ad hunc locum,* Mascator (*vel* Mascatus,) illustris vir, Armentarii nepos, *etc.* » *Hæc lectio proculdubio non valet; Armentarius illustris vir fuit, non autem Mascator. Nam quod apponitur hunc nepotem fuisse Armentarii, id fit quoniam Armentarius magis notus erat quam Mascator; quemadmodum ab evangelista Marco, cap. XV, v.* 21, *dicitur Simon Cyrenensis pater fuisse Alexandri et Rufi, inter primos christianos notissimorum. Porro quum honorati in tres distributi essent classes, illustrium, clarissimorum et spectabilium, atque illustris dignitas, omnium suprema, primis*

(1) Acta SS. tom. IX Octobris, pag. 21. — (2) Cenno sulla geografia fisica e botanica del regno di Napoli, pag. 54 et seqq.

A *primis tantum magistratibus concederetur, puta præfectis prætorio, præfectis urbi, quæstoribus, magistris militum etc.; hinc fit ut, si Mascator illustris vir fuisset, indicandus non fuisset ex Armentarii parentela, sua ipsius dignitate Armentario longe notior. Cæterum quis ille Armentarius fuerit, ab aliis discere aveo.*

g *Libro II scilicet Dialogorum S. Benedicti res gestas narraverat S. Gregorius. Noverant se invicem S. Benedictus et S.* Martinus, *ex quo hic decesserat ex Montecasino, locum faciens S. Benedicto.*

h *De aquis, quæ in Montemassico exstant, docet Justinianus* (1) *sequentia. Imprimis inter Carinulam et Montemdraconis locus est valde piscosus, a Montemassico uno milliario distans. Prope Carinulam fons est optimus, dictus* Malerba; *et demum in ipso monte, loco dictus* Vaglie, *alius egregius fons est. Hic proculdubio indicatur a S. Gregorio.*

i *Catena hæc etiamnum servatur Carinulæ, et particulæ aliquot in templo Neapolitano S. Pauli Majori. Cfr commentarius prævius num.* 20.

B

HISTORIA

TRANSLATIONIS RELIQUIARUM

S. Martini ex Montemassico Carinulam,

Ex ms. codice canonicorum regularium S. Augustini in Bodeken, collato cum aliis a.

a

AUCTORE CANONICO CARINULANO COÆVO.

corporis translationem et miracula, quæ translatus edidit, oblivioni aut incuriæ mancipare et non memoriæ fidelium commendata dimittere. Ad hujus igitur operis audaciam me non innata mentis meæ sapientia, non artificialis scientia, non facundæ loquacitatis opulentia, sed ipsius sancti, de quo loqui cupio, cooperatoris et adjutoris nostri spes est non incerta, et venerandi patris Bernardi, Calinensis episcopi, a quo se transferri permisit, petitio benigna succendit *b*. Quisquis igitur ad hoc opus legendum accedit, me id aggressum esse temeritati non imputet, sed obedientiæ, precor, adscribat. Explicit prologus.

b

ANNOTATA.

a *Historia hujus translationis impressa est in Sanctuario Capuano Michaelis Monachi et in Actis Sanctorum ad calcem Vitæ S. Bernardi, episcopi Carinulani, sub die* 12 *martii. Eadem nobis occurrit in apographo codicis Carinulani, olim ad decessores nostros misso. Sed in his omnibus deest prologus, non minimi momenti* E *locus, quem in solo codice monasterii de Bodeken reperimus. Ipsa translationis historia, quæ ibidem post prologum venit, accuratius scripta est quam alibi; quamquam nullæ occurrant singulares lectiones variantes, quibus vel aliquid novi addatur, vel sensus mutetur.*

b *Locus valde notandus. S. Bernardus itaque ipsemet auctor fuit ut hæc historia scriberetur; cæterum ex miraculorum narratione, quæ in fine venit, facile intelligitur hanc lucubrationem continuo post translationem fuisse susceptam.*

INCIPIT TRANSLATIO

SANCTI MARTINI.

Jussu S. Bernardi, episcopi Carinulani, qui translationem perfecit, eamdem describit auctor anonymus.

Quia fides usquequaque terrarum catholica ex innovatis divinorum operum relationibus religionis sumit augmentum, nova quædam divinæ pietatis opera, quæ nostris contigere temporibus, fidelium auribus intimare curamus, ut et insolitæ quadam visa novitate dulcedinis pascatur obtutus et bonorum præsentium certissima relatione delectetur auditus. Dum etenim talentum, ad multiplicationem fœnoris a Domino sibi traditum, in terram fodiens servus abscondit, nequitiæ et infidelitatis arguitur. Ne nobis igitur idem injuriæ casus et eadem meriti pœna contingat, thesaurum nostris divina dispensatione temporibus revelatum, et his, qui nostri temporis sunt, fidelibus notificare, et posteris scribendo æquum duximus insinuare. Notum quidem omnibus pæne divinarum Scripturarum rimatoribus esse non ambigimus beatum Romanæ urbis papam Gregorium, Pelagii meritis non imparem papæ venerabilis successorem, beati Martini *, qui vitam in Montemarsico solitariam duxit, et quædam in suo Dialogo miracula descripsisse. Et cui tantus vir tantæ dignitatis adhibet testimonium, indignum valde est nos et ejus

*gesta

Anno tandem ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo quarto, in anno quarto decimo principatus Richardi *a*, filii Jordani principis, Forum-Claudii regente venerabili episcopo Bernardo *b*, in octavo pontificatus sui anno, mense junio, indictione secunda, quod dudum animo suo proposuerat idem venerabilis episcopus, replicare cœpit: decreverat enim et consilium a domino Guimundo *c*, Aversanæ sedis episcopo, magnæ auctoritatis viro, per archipresbyterum suum Joannem acceperat, ut S. Martini corpus, cui crescente præpositorum *d* iniquitate non more solito debitum solvebatur obsequium, ad ecclesiam S. Mariæ et S. Joannis *e*, cui præerat, transferret. Sciebat enim frequentiora ibi et a clero et a populo sanctis persolvenda membris obsequia. Jonatha itaque, Richardi principis filio *f*, qui tunc Caleni *g* præerat, accersito, equitum prudentissimo, consilium ab eo qualiter hoc fieri posset, expetiit. Jonathas vero, magnæ inter sæculares vir prudentiæ, eum comprovinciales episcopos ad id secum agendum invitare commonuit, seque quidquid melioris super hoc consilii et auxilii posset daturum efficaciter spopondit. Convocatis ita-

Multorum consilio et ope anno 1094, *die* 26 *junii,*

a

b

c

d

e

f *g*

(1) Dizionario geografico del regno de Napoli, tom. III, pag. 175.

que

AUCTORE CANONICO CARINULANO COÆVO.

que Theanensi *h* et Calvensi episcopis, constituto die, quo scilicet sanctorum martyrum Joannis et Pauli *i* erat celebranda solemnitas, montem ascendit, ad sancti corporis tumulum cum maxima reverentia devotionis accedens.

S. Bernardus clam aufert S. Martini *reliquias easque in novum templum cathedrale transfert.*

2 Primus itaque Bernardus episcopus, thesauri tam nobilis inveniendi amore succensus, oratione completa, ictum marmori, quo venerabile corpus tegebatur, incussit : et quæ pluribus antea difficilis fuerat, tam facilis prædicto episcopo venerabili et comitibus suis sancti corporis facta est revelatio, ut ipsius sancti ad suæ revelationis et translationis effectum consentanea voluntas facillime posset agnosci. Omnes vero qui aderant, tanto jucundæ suavitatis odore *k* sunt repleti, ut paradisi civem et cælicolam, cujus corpori assistebant, esse non ambigerent. Abstractis igitur diu desideratis sancti viri reliquiis, gratias agens episcopus Bernardus Domino, et ultra quam dici posset exhilaratus, omnibus etiam qui cum eo ierant, læta voce Dominum laudantibus, ossa venerabilia diligenter in mundo posuit linteamine; et, sicut qui victoria potiuntur, beati redire solent, omnes de tam insperata thesauri tanti inventione alacres descendunt. Cum autem populus civitatis adventum sanctissimi corporis agnovisset, omnes, viri et mulieres, parvuli, juvenes et senes, obviam processerunt. Jonathas etiam cum uxore sua et militibus suis, gratias agens Deo, pedibus nudis occurrit, et sic cum maximo honore reliquiæ sanctæ ad basilicam usque episcopii delatæ sunt; in qua plurima per eumdem sanctum petentibus fiunt beneficia, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

k

B

ANNOTATA.

a *Richardus I, genere Normannus et comes Aversanus, anno* 1062 *plenam et liberam principatus Capuani possessionem, quam jam pridem affectarat, nactus erat. Huic die* 5 *aprilis anni* 1078 *defuncto successerat ejus filius Jordanus, qui ipsemet die* 19 *aut* 20 *decembris* C *anni* 1091 *obiit. Ei successit filius ejus Richardus II; qui quum ab anno* 1080 *a patre principatus particeps factus esset, anno* 1093 *decimumquartum principatus sui annum computabat* (1). *Ut ex Chronico Casinensi Leonis Ostiensis* (2) *constat, erat Jordano præter Richardum alter filius nomine Jonathas, qui Soranis contra Aquinenses auxilium tulisse legitur. De hoc redibit sermo infra.*

b *Ejus Vitam vide ad diem* 12 *martii* (3). *De Foroclaudii, cujus rudera nunc cernuntur prope Carinulam et nomine* Città rotta *distinguuntur, vide commentarium prævium. num.* 13.

c *Est is Guimundus, in controversia adversus Berengarium notissimus; cujus opera collegit et nuper edidit R. V. Migne tomo* CXLIX *Patrologiæ latinæ. Aversa autem recta linea viginti milliariis distat a Carinula et Montemassico ad euronotum* *.

* Sud-Est.

d *Monasterium Montismassici circa annum* 800 *subditum fuisse Vulturnensi S. Vincentii dixi in commentario prævio num.* 10. *Ex hoc tempore Monsmassicus abbates amplius non habuisse videtur, sed præpositos seu priores, a Vulturnensibus assignatos.* D

e *Indicatur nova ecclesia Carinulana. Quum enim anno* 1078 *S. Bernardus a clero electus fuisset episcopus atque* eo tempore episcopalis mansio *esset* loco, qui Forumclaudii dicebatur; (videlicet strata publica euntibus Romam et Neapolim planum usque hodie monstrat accessum : qui locus a Calinensi *seu Carinulana* civitate duobus fere millibus distat;) videns sanctus Dei populum suum, *deserto Foroclaudii, Carinulæ habitare, et,* longe a se remotum, frequens ab eo consolationis non habere consilium, *cum bona voluntate Jonathæ, Jordani Capuani principis filii et Carinulani domini,* episcopatum ad prædicta civitatis claustra transtulit, *et* dono principis pariter et promisso in honorem sanctæ et intemeratæ Virginis Mariæ et B. Joannis Baptistæ fabricavit ecclesiam et domos competentes. Peractis igitur ædificiis,..... sanctissimi viri Martini corpus..... de Montemassico ad suam ecclesiam transtulit (4), *et ipse ab anno* 1100 *illic habitavit.* E

f *Jonathas non potuit esse Richardi II filius, quum anno* 1094 *Richardus ea esset ætate ut filiolos habere posset, nequaquam autem filios uxoratos et* magnæ inter sæculares prudentiæ viros; *ut auctor loquitur. Utrum itaque hic Jonathas idem sit ac Jordani filius, de quo in annotato* a, (*ita ut auctor coævus hoc loco erraverit* (5)); *an vero filius sit Richardi I, et proin Jordani frater et patruus Richardi II aliis expendendum relinquo.*

g *Intellige Carinulam. Cfr Commentarius prævius, num.* 12.

h *Quis esset tum temporis Theanensis episcopus ignoratur, nisi forte idem sit ac Guilielmus, qui anno* 1071 *consecrationi templi Casinensis interfuit. Qui post venit in catalogis Pandulfus, non ante annum* 1099 *episcopus consecratus est* (6). *Situm est Theanum paucis aliquot milliariis supra Carinulam ad septentrionem. Hujus diœcesis amplitudinem laudat Ughellius* (7); *et re quidem vera anno* 1823 *continebat incolas* 30,202, *magnam pro his terris* F *multitudinem* (8). *De Calvio jam diximus in Commentario prævio num.* 12. *Habet adhuc hæc civitas templum cathedrale et plurima alia monumenta publica, sed incolas* 13 *tantum. Tota vero diœcesis, quæ quadraginta circiter abhinc annis, retento tamen titulo, Theanensi adjuncta est, incolas tantum habebat anno* 1823 9,703 (9). *Plures aliæ diœceses, nondum unitæ, adhuc pauciores habent. At quis anno* 1094 *Calviensis episcopus esset, latet.*

i *Agitur horum martyrum Romanorum memoria die* 26 *junii, ad quam de eis dixerunt decessores nostri.*

k *De naturali causa suavium odorum, qui in sepulcrorum aperitione sæpe percipiuntur, duobus locis dictum est in opere nostro ad diem* 21 *octobris* (10); *quamquam imprudenter negaretur hos aliquando odores vere esse miraculosos.*

(1) Cfr Art de vérifier les dates, tom. III, pag. 788 et 789. — (2) Ap. Muratorium, Scriptt. rer. Ital. tom. IV, pag. 501. — (3) Acta SS. tom. II Martii, pag. 231 et seqq. — (4) Ibid. pag. 232 et 233. — (5) C. Peregrinii Historia principum Longobardorum, bina stemmata principum Capuæ Normannorum, ap. Grævium, tom. IX, part. I, pag. 179. — (6) Ughellius, Italia sacra, tom. VI, col. 552. — (7) Ibid. col. 549. — (8) Dizionario statistico de Due Sicilie, pag. 263. — (9) Ibid. pag. 241. — (10) Cfr Acta SS. tom. IX Octobris, pag. 250 et 420.

INCIPIUNT

A

INCIPIUNT MIRACULA EJUSDEM.

AUCTORE CANONICO CARINULANO COÆVO.

Captivus liberatur,

Eodem die quo Calinensis civitas fuit tanti decorata rectoris adventu, rusticus quidam, cujus filius Teani captus habebatur, cum non haberet unde filium redimeret, sanctum expetiit, et de filii sui liberatione cum suppliciter postularet, cumque mane surgens domo egredi vellet, filium a sancto liberatum foribus astantem vidit. Veniens igitur ad ecclesiam cum muneribus Deo et sancto Martino gratias egit, et omnibus qui aderant nuntiavit.

mulier male menstruata sanatur; a

2 Post triduum vero quædam Petri, cognomine Saraceni *a*, uxor, quæ vim menstruorum amiserat, salutis suæ, quæ nullo modo per medicos reparari poterat, sollicita sanctum adiit et genialis officii usum sibi restitui poposcit. Mirum in modum, antequam ab ecclesia egrederetur, saluti se restitutam percepit

B et præsentibus indicavit.

puer debilis valetudini restituitur;

3 Quemdam vero puerulum, omnibus ab uno latere corporis viribus orbatum, inter ceteros infirmos ante altare sancti secum mater adduxit, orans ut aliquod suo filio beneficium mereretur. At subito sopore puer oppressus cum expergefactus esset, flasconem, quem coram se positum invenit, ambabus arripuit manibus et se sanus erexit. Quod mater mirata gratias egit Deo et sancto, qui manum filii invalidam cum toto latere sanitati restituit.

item puella; b

4 Quod audiens quidam Capuanæ civitatis homo nobilis, Joannes Maledictus nomine *b*, cum haberet quamdam filiam cernuam, manibus, renibus et gressu contractam, eam cum quibusdam sanctimonialibus monasterii, cui eam devoverat, ad sancti Martini petendum adjutorium misit. Quibus ad orationem ante altare prostratis, virgo quoque prostrata ac parum somno dedita sana surrexit *c*.

c multa miracula omittuntur.

5 Pauca de pluribus, quæ post translationem corporis a sancto Martino facta sunt, miraculis recitavimus. Non enim quot febricitantes sanaverit, quotve languentes curaverit et cottidie curet memorare possumus. Quicumque vero ad ejus poscenda beneficia devotus accedit, eum auxiliatorem sibi paratissimum esse cognoscit.

C

ANNOTATA.

a *Proculdubio is Petrus ex reliquiis fuit Saracenorum, qui hanc Italiæ partem sæpius vastaverunt. In Galliis quoque similia nomina aliquibus familiis adhæserunt.*

b De Joanne Maledicto, *inquit Michael Monachus* (1), facit mentionem privilegium a Roberto principe concessum monasterio *Capuano* S. Joannis anno 1108; de altero Joanne Maledicto fit mentio in Actis Alexandri papæ III, quæ habent illum a Federico imperatore factum fuisse præfectum urbis et per aliquod tempus Tusculana potitum civitate (Baronius ad an. 1170). Illum fuisse genere Capuanum et Joannis commemorati fortasse nepotem suadet nomen et cognomen, et Federici imperatoris erga Capuam et Capuanos benevolentia munificentiaque singularis.

c *Hoc loco in ms. codice Carinulano inseruntur præpostere carmina aliquot de S. Martini vita seu rebus gestis. Eadem in codice ms. Bodecensi reperiuntur ad finem carminum Petri diaconi, quæ inferius dabimus et quæ nil aliud esse quam hymnum ecclesiasticum, Casini, Carinulæ et forte alibi usitatum, num.* 21 *Commentarii prævii diximus. Vix dubito quin carmina illa alia similiter a Petro diacono conscripta et pars divini officii fuerint; quum tamen id conjiciendo magis quam certis argumentis compertum habeam, malo ea hoc loco in annotatis dare. Accipe itaque :*

Te patre gaudentes nos et tua festa colentes
Fac, Martine, tui semper amore frui;
Es, licet inclusus, multis virtutibus usus :
Potum petra dedit, bestia victa redit.
Femina quæ credit te vincere, victa recedit;
Dum non erubuit, mortua succubuit.
Incautos saltus pueri mons decipit altus;
Læsus, quando ruit, non tamen ille fuit:
Instantem molis casum, cum cedere nolis,
Propellens, aliam cogis inire viam. E
Ferro solvisti te, vinctus compede Christi;
Mens tua, plena Dei, semper adhæsit ei.
Ad nos translatus, nostros admitte precatus,
Hospes, et hospitibus annue supplicibus.
Huic humili turbæ, quæ te veneratur in urbe,
Esto gubernator auxiliique dator.

Quatuor ultima carmina soli oppidulo Carinulæ convenire videntur; sed quum Casinum quoque sub annum 1094 *reliquiæ S.* Martini *translatæ fuerint, non omnino absonum foret, si hymnus iste ibidem quoque cantatus fuisset in officio divino.*

(1) Sanctuarium Capuanum, pag. 33 et 34.

VITA, TRANSLATIO ET MIRACULA

S. MARTINI ABBATIS,

Auctore Petro Diacono Casinensi, ex codice ms. Casinensi a. *a*

F

CAPUT PRIMUM.

S. Martini vita solitaria in Montecasino et in Montemassico.

S. Martinus *prius incolit Montemcasinum;*

Martinus, vir venerabilis, nobilissimis ortus parentibus, nobiliores ab infantia mores possedit. Hic dum, relictis sæculi pompis, eremum peteret, devenit ad Cassinensis Heracleæ arcem *b*, quam sanctus martyr Demetrius *c* cum sociis suis propria passione et pretiosa corporis sui sepultura illustraverat. In quam ingressus, non longe ab ara Apollinis, quæ in summitate ejusdem montis sita erat, in antro eidem aræ vicino solitarius habitabat : in quo scilicet castro vetustissimum phanum fuit, ubi ex antiquorum more gentilium ab stulto rusticorum populo Apollo (ut diximus) colebatur circumquaque, et in cultu dæmo-

b c

num

AUCTORE PETRO DIACONO.

num luci succreverant : in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat *d*.

d *quem S. Benedicto, divinitus ad eum a reliquiis idololatriæ purgandum missa,*

2 Cumque apud stultos paganos, qui Heracleam Cassinensem inhabitabant, sancti Martini prædicatio casso desudaret labore *e*, beatissimo patri Benedicto, tunc apud Sublacum manenti, Dominus apparens dixit *f* : Surge et vade ad castrum Cassinum et populum ejusdem provinciæ, qui adhuc idolorum nefandis cultibus servit et in quorum præcordiis satanæ versutia regnat, qui nihil sciunt aut dicunt, nisi quod in cordibus eorum veternosi serpentis malitia scripsit, sermone vivifico prædicans meum ad vultum convertere stude, quia tecum ero et non te deseram ; et confunde omnes adversarios tuos. Proficiscere idolorum ad pugnam, confortare et esto robustus, quia castrum Cassinum tibi tradam, et illic sedes nominis tui in perpetuum erit.

e f

Deo jubente, relinquit

3 Talia cum sanctus pater Benedictus audisset, oratoria cuncta, quæ construxerat, adjunctis in unoquoque duodenis fratribus sub statutis præpositis, ordinavit. Et duobus angelis tribusque corvis pie comitantibus ad Cassinum castrum pergere cœpit *g*. Quo dum pervenisset, contrivit idolum, subvertit aram, succidit lucos qui circumquaque in dæmonum cultu succreverant, et in templo Apollinis oraculum beati Martini *h*, ubi vero ara Apollinis fuit, ecclesiam sancti construxit Joannis ; et circumquaque manentes populos ad Christi fidem convertit. Antequam vero pater Benedictus Heracleæ Cassinensis castrum ingrederetur, sancto huic Martino per plura annorum curricula ibi habitanti Angelus Domini apparuit, dicens :

B

g

h

i

His tu parce locis, alter amicus erit *i*.
Sedibus atque locis maneat Benedictus in istis,
Marsicus est quoque mons, quo tu properare juberis.
Quo figes gressus Marsicus est quoque mons.

et pergit ad Montemmassicum, ubi obit et sepelitur die 3 augusti.

4 Confestim itaque, prout angelus sibi præceperat, sanctus Martinus loco cedens, montem Marsicum petiit, ubi post multas vitæ labilis afflictiones, diversas etiam hostilis astutiæ passiones, tandem vocatus a Domino, vitam est potius mutasse quam finisse dicendus. Sepultum autem est in spelunca ejusdem montis beatissimi viri corpus, tertio nonas augusti, a parte septentrionali. Quod quia difficile aditu, quietum aliquandiu atque immotum, imo intentatum permansit *k*.

C

k

ANNOTATA.

a *Usi sumus apographo, quod in Montecasino olim scripsit Papebrochius, verisimiliter ex libro, dicto Registro S. Placidi et Casini servato* (1). *Sub nomine Petri diaconi, cujus nomen etiam apographo isti inscriptum est, meminerunt hujus vitæ complures, puta Angelus de Nuce in annotato* 26 *ad caput* VIII *Vitæ S. Benedicti* (2), *auctor anonymus Descriptionis historicæ Montiscasini* (3) *etc. Ipse tamen Petrus omisit hanc Vitam in recensione suorum operum ; quorum alterum catalogum texuit cap.* 47 *suorum Virorum illustrium Casinensium* (4), *alterum capite* 66 *Chronici Casinensis* (5). *Sed nil mirum, quum alia quoque inde absint. De fontibus hujus scriptionis dixi in Commentario prævio num.* 19.

D

b *Alibi etiam Petrus diaconus pristinum oppidum Casinum Heracleam arcem appellat. Sic in Vita SS. Dionysii, Demetrii et aliorum martyrum :* Vinctum catenis, *inquit* (6), cum duobus sociis duxerunt ad consulem, qui sacrificio Jani præerat in Eraclea arce Campaniæ, quæ ab aliis Casca, a Romanis vero Casinus appellatur ; *similiter in Vita S. Athanasii, Neapolitani episcopi* (7), *si tamen hæc Petro diacono adscribi possit* (8). *Sed Heracleæ nomen, datum Casino, antiquis omnibus ignotum fuisse videtur.*

c *Vitam seu Passionem SS. Demetrii, Dionysii et sociorum, tempore Domitiani martyrum, a Petro diacono scriptam fuisse modo secundum Angelum de Nuce monui.*

d *Hæc, fere desumpta ex Vita S. Benedicti, quam Dialogis suis inseruit S. Gregorius papa, centies explicata fuere a Benedictinis. Præ cæteris vide Angelum de Nuce* (9).

E

e *Pia Petri diaconi conjectura est gentilibus prædicasse Dei verbum S.* Martinum.

f Duobus se angelis comitantibus et tribus corvis, quos solitus erat alere, consequentibus, per quinquaginta circiter millia, ad hunc locum (*Casinum*), Christo jubente, pervenit *S. Benedictus. Ita Leo Marsicanus in primo capite sui Chronici Casinensis* (10). *Angelorum et corvorum comitatum accepit ex Marco poeta* (11), *S. Benedicti discipulo* (12). *Christi jussa, quæ recentioris sunt temporis, explicuit (pro jure quo post Titum Livium multi usi sunt historici) Petrus diaconus, seu potius Pseudo-Gordianus, qui pluribus etiam verbis Christum loquentem inducit. Censet Tostius* (13) *S. Benedictum Casinum accessisse, quod hic locus, ut ex diplomate antiquo sequi videtur, ei datus fuerat a patricio Tertullo, S. Placidi patre ; adeoque omnia mirabilia, quæ de S. Benedicti ad Montemcasinum adventu a S. Gregorio papa omissa fuere et a posterioribus solum relata, censet seponenda potius esse quam laudanda.*

F

g *Hæc omnia ad verbum legé in Pseudo-Gordiani S. Placidi Vita* (14).

h *Est hic S. Martinus, Turonensis episcopus. Quæ hic traduntur accepta sunt ex S. Gregorii Magni Dialogis de S. Benedicto.*

i *Hic versiculus est Marci poetæ, discipuli S. Benedicti et testis proin boni. Ecce autem totus locus* (15) :

Ad quam tu ex alio monitus cum monte venires,
Per deserta tibi dux, via, Christus erat.
Namque duos juvenes bivium deduxit ad omne
Qui te firmarent quod sequereris iter.
Hic quoque viventi justo prædixerat uni :
His tu parce locis, alter amicus adest.

Non tamen ex Marco poeta accepit Petrus diaconus illum versiculum, sed ex Vita metrica

(1) Ap. Muratorium, Scriptt. rerum Italic. tom. IV, pag. 202. — (2) Ibid. loc. cit. — (3) Descrizione istorica del monastero di Monte Casino, Napoli, 1751, pag. 11. — (4) Ap. Grævium, Thesaurus Italiæ, tom. IX, part. I, col. 384 et seqq. — (5) Ap. Gattola, Hist. abbatiæ Cassinensis, tom. I, pag. 392. — (6) Ap. Angelum de Nuce, Vita S. Benedicti, cap. VIII, not. 20, in Scriptt. rer. Italic. Muratorii, tom. IV, col. 199. — (7) Ibid. loc. cit. — (8) Vide Mazochi, de SS. Neapolitanæ ecclesiæ episcoporum cultu, tom. II, pag. 356. — (9) Ap. Muratorium, tom. IV, col. 201. — (10) Ibid. pag. 247. — (11) Vide ejus Carmen ap. Mabillonium, sæc. I Benedict. pag. 29. — (12) Act. SS. tom. II Octobris, pag. 117. — (13) Storia della badia di Monte-Cassino, tom. I, pag. 6. — (14) Acta SS. tom. II Octobris, pag. 117. — (15) Sæcul. I Benedict. pag. 29.

A S. Martini, *sive ipse Petrus eam scripserit, sive Paulus diaconus sæculo* VIII. *In hac enim sequentia exstant :*

Alter amicus erit, tunc sic divinitus audit,
His tu parce locis, alter amicus erit.
Sedibus atque locis maneat Benedictus in istis;
Se retinebit in his sedibus atque locis.
Marsicus est quoque mons, quo tu properare juberis;
Quo figes et gressus Marsicus est quoque mons.

S. Gregorius Magnus de S. Martini *in Montecasino habitatione nil habet. Marcus poeta* justum *aliquem ibidem ante S. Benedictum eremiticam vitam coluisse indicat; sed tacet nomen. In Vita metrica atque in prosaïca Petri diaconi* S. Martinus *noster fuisse aperte traditur; quemadmodum etiam in Vita S. Placidi, auctore Pseudo-Gordiano* (1). *Neminem vidi qui umquam dubitarit, quin* justus *ille, a Marco designatus, reapse* S. Martinus *Massicus fuerit.*

k *In codice Bodekenensi hæc addita erant :* Et ne in dubium veniat quando hujus sancti viri obitus, immo potius vitæ festivitas debeat celebrari, sciatur proculdubio tertio nonas augusti venerari debere.

B

CAPUT II.

Translatio corporis S. Martini sæpius tentata et demum perfecta. Sarracenorum incursiones.

Rachis II, dux Beneventanus,

Deinde annis ab Incarnatione Domini revolutis septingentis triginta, anno duodecimo imperii Constantini imperatoris, qui nonus erat a magno Helenæ filio, mense septimo *a*, indictione decima, Arechis, Beneventanus princeps, post annum principatus sui duodecimum, corpus B. Martini, quod in spelunca Marsici montis positum audierat, Beneventum ob sui suorumque salutem transferre proposuit. Vocata igitur Theofania, conjuge sua, cujus et fidem et liberalitatem in multis C expertus fuerat, ei et propositum suum et causam indicare non distulit. Illa vero Joannem episcopum, qui Beneventanæ tunc temporis ecclesiæ præsidebat *b*, vitæ venerabilis virum, vocari et ab eo consilium super hac re expeti [suasit]. Accersito igitur episcopo, uterque ejus sanctitati, quid super hoc proposuerint quidve tractaverint indicarunt. Quo audito, episcopus hoc sine consilio et licentia papæ, qui tunc Romanæ sedis curam gerebat, fieri dehortabatur *c*. Missis igitur ad papam litteris, pro consensu adhibendo deprecatoriis, per Severum diaconum, qui gesti hujus notitiam primus posteris commendavit, non solum licentiam sed etiam cum hortatione apostolicam adepti sunt benedictionem. Indicto igitur et celebrato jejunio triduano, episcopus et princeps cum conjuge, maxima etiam pars cleri et populi, cinere capita aspersi, cum litinaniis * Dominum deprecantes, nudis pedibus iter aggressi sunt. Cumque iter diei et dimidium peregissent, montis Marsici cacumen ascendunt, speluncam, in qua corpus sancti positum fuerat, intrant, missas ad memoriam ejus celebrant, et eucharistiæ perceptione omnes participari procurant.

a

b

c

* *al.* litaniis

AUCTORE PETRO DIACONO.

6 Expletis igitur missarum obsequiis, sacris vestibus indutus episcopus, una cum principe ad tumulum sancti accedens, orare cœpit, obnixe Deum deprecans, ut pro quo venerant, sancti Martini corpus ab eis transferri permitteret. Omnes etiam, qui cum episcopo et principe venerant, ad terram prostrati, sanctum Martinum ut transferri se permitteret suppliciter implorabant; et subito vehementissimi terræ motus accessu, ita ut mons ruere videretur, exterriti, sanctum suis nullo modo petitionibus in hoc acquiescere perceperunt, sicque tristes ad propria sunt reversi.

tentat pium corpus furari, sed vetatur;

7 [Illo quoque tempore *d*, Beneventi principatum regente Urso, Aionis principis filio, primo principatus sui anno, mense majo, indictione prima *e*, missi sunt ab imperatore Constantinopolitano ad expugnandam Beneventi civitatem stratilates * duo cum magno græcorum exercitu, quorum unus Sabbaticus, alter Georgius vocabatur. Magnæ animositatis viris obsessa, tandem et capta civitate, Georgius, ad principatum promotus, eam rexit annos quatuor et menses quatuor. Dum autem in partes Campaniæ Græci venirent, fluvium, cui Vulturnus nomen est, transmeantes, Calvestre castrum *f* ingressi sunt. Agareni *g* vero, qui ad devastandas Campaniæ partes venerant, adesse Græcos audientes, bellum contra eos paravere, et exeuntibus Græcis de castro subito obviantes, occiderunt septingentos quinque exercitus Græcorum, et ex eis autem mortui sunt Agareni quingenti et Ægyptii centum. Altero vero die congregatis in campo utrisque partibus, nutu Dei christiani vincentes, occiderunt octo millia Agarenorum armatorum equestrium, et tria millia peditum; sicque adusque Sileris *i* fluvium fugati, in exilium cum ingenti dedecore sunt reversi. Deinde Guido *k*, marchio Spoletanus, Benevento violenter expulit Græcos.] Agareni vero rursum Campaniæ depopulandæ renovato consilio, cum audissent Guidonem, expulsis Græcis, Benevento dominari, partibus illis cedentes ad insulæ majoris *l*, quæ territorio Neapolitano pertinet, littori naves applicaverunt; et per quadraginta et duos annos unoquoque æstivo tempore ter Campaniam invadentes, quoscumque poterant captivabant.

Sarraceni, qui sæculo IX *vastarunt totam Campaniam et alia Italiæ loca,*

d

e

* strategi

f *g*

i

k

F

l

8 Forte Marsici montis verticem ascendentes, in valle quæ seorsum est, haud procul a specu, ubi corpus sancti Martini requieverat, constiterunt, et claustra monasterii videntes, locum Dei destruere et servos Dei qui ibi morabantur captivos ducere moliebantur. Quorum strepitu fratres percepto, fuga celeri ad speluncam sancti corporis descendentes clamabant : Martine, pater sanctissime, adjuva et libera nos de manibus Agarenorum, qui nos insequi et captivare cupiunt. Ad hunc clamorem monachorum eis subito in ea, quam ante obitum habuerat, forma beatus Martinus apparuit, confortans eos clara voce et dicens :

aggrediuntur etiam monasterium S. Martini, sed ab eo, monachis præeunte, repelluntur.

(1) Acta SS. tom. II Octobris, pag. 117.

AUCTORE PETRO DIACONO.

Audite me, fratres mei, ut fratres Domini nostri Jesu Christi; scitote quia ego sum Martinus, cujus laudes quotidie frequentatis; confortamini et nolite timere, arma nobis et equi parati sunt. Ite et armate corpora vestra loricis, galeis, clypeis, ensibus et lanceis; equos ascendite et sine dubio pugnate : quia ego antecedam vos, et copiosam habebitis victoriam. Euntes autem monachi, numero trecenti, armavere se contra Agarenos; et videntes patronum suum præcedere, percutiebant eos gladio : et interfecti sunt ex Agarenis mille nongenti et novem. Reliqui vero fugientes ad insulam cum magna confusione reversi sunt, adjuvante servos suos Christo, qui dat victoriam sanctis suis.

Prior monasterii vult vendere S. Martini *corpus; sed Hilarius, abbas Vulturnensis, divinitus monitus, obstat;* *m*

9 Alio vero tempore Hilarius *m*, abbas sancti Vincentii, siti juxta ortum Vulturni fluminis, beati Martini [monasterio] monachum quemdam proposuerat, qui furtim venerabile corpus abducere et aliquid pretii se posse acquirere cogitavit. Cumque noctu ad tumulum tangendum temerarius accessisset, subito tantus factus est terræ motus, ut montis ruina instare videretur. Sanctus autem Martinus abbati præfato, qui apud monasterium sancti Vincentii Capuæ dormiebat, in somnis apparuit dicens : Quid talem corpori meo custodem adhibuisti? Ad hanc vocem abbas expergefactus, statim equos, quibus montem ascenderet, apparari præcepit et monachum suum quid nocte illa egerit diligenter interrogavit. Qui tandem se ad sancti corporis tumulum accessisse festine, sed ex nimio repentini terræ motus sonitu tremefactum esse professus, paternæ correptionis virga correptus, et ab ea, quam male tractaverat, præpositura projectus est.

S. Bernardus, episcopus Carinulanus, *n*

10 Almifici *n* Verbi incarnationis quartus nonagesimus atque millesimus circulus volvebatur, residente in apostolica sede Paschali, summo pontifice et universali papa secundo, Romano vero imperio Henrico et Alexio, Forum vero Claudii regente venerabili episcopo Bernardo, in octavo pontificatus sui anno, mense junio, indictione secunda, quod dudum animo suo proposuerat idem venerabilis episcopus replicare cœpit. Decreverat enim, et
C consilium a domino Vuimundo, Aversanæ sedis episcopo, magnæ auctoritatis viro, per archipresbyterum suum Joannem acceperat, ut sancti Martini corpus, cui crescente præpositorum iniquitate non more solito debitum solvebatur obsequium, ad ecclesiam sanctæ Mariæ et sancti Joannis, cui præerat, transferret. Sciebat enim frequentiora ibi et a clero et a populo sanctis esse persolvenda membris obsequia. A Jonatha itaque, Ricardi principis filio, qui tunc Caleni præerat, accersito etiam equitum prudentissimorum cœtu, consilium, qualiter hoc fieri posset, expetiit. Jonathas vero, uti magnæ inter sæculares vir prudentiæ, eum cumprovinciales episcopos ad id secum agendum invitare commonuit, seque quidquid melioris super hoc consilii et auxilii posset, daturum efficaciter spopondit.

cum duobus vicinis episcopis id transfert Carinulam; *o*

11 Convocatis itaque Theanensi et Aqueviensi *o* coepiscopis suis, constituto die, quo scilicet sanctorum Joannis et Pauli erat celebranda solemnitas, montem ascendunt et ad D
sancti corporis tumulum cum maxima reverentia devotionis accedunt. Primus itaque Bernardus episcopus thesauri tam nobilis inveniendi amore succensus, oratione completa, ictum marmori, quo venerabile corpus tegebatur incussit, et quæ pluribus antea difficilis fuerat, tam facilis venerabili præfato episcopo et comitibus suis sancti corporis est facta revelatio, ut ipsius sancti ad suæ revelationis et translationis effectum consentanea voluntas facillime posset agnosci. Omnes vero qui aderant tanto jucundæ suavitatis odore sunt repleti, ut paradisi civem et cælicolam, cujus corpori assistebant, esse non ambigerent. Abstractis igitur diu desideratis sancti viri reliquiis, gratias agens episcopus Bernardus Domino et ultra quam dici possit exhilaratus, omnibus etiam qui cum eo ierant læta voce Dominum laudantibus, ossa venerabilia diligenter in mundo posuit linteamine et sicut qui victoria potiuntur læti redire solent, omnes de tam insperata thesauri tanti inventione alacres descendunt.

reliquiæ aliquot donantur Monticasino.

12 Cum autem Foroclaudienses adventum sanctissimi corporis agnovissent, omnes obviam processere. Jonathas etiam cum uxore sua et militibus suis gratias agens Deo pedibus nudis occurrit, et sic cum maximo honore reliquiæ sanctæ basilicam usque episcopi civitatis delatæ sunt. Partem vero ad Heracleæ Cassinensis cœnobium direxere. Ad hujus autem viri Dei memoriam in Cassino perpetuo habendam, ii qui post patrem Benedictum Cassino præfuere in basilica feronimi * sui Martini a patre Benedicto constructa vocabulum addidere; in qua plurima per eumdem sanctum petentibus præstantur beneficia, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor etc.

* *lege* homonymi.

ANNOTATA.

a *In codice Bodekenensi ita legitur is locus :* Mense septembri, indictione decima erat Beneventi princeps, Archetis nomine, Dei servorumque ejus cultor devotus, honestati deditus, erga pauperes benignus, suis hu- F
millimus, hostium debellator invictus. Is post *etc. Sed parum refert; nam omnes hæ notæ et temporis indicia mirum in modum inter se pugnant. Quod jam pridem animadvertit Michael Monachus, qui ex Officio S.* Martini *ms. Carinulano hanc historiam quoque retulit.* Quæ hic habetur, *inquit* (1), consignatio temporum nulla ex parte consistit. Notatur annus 730 cum indictione decima : at illo anno erat indictio decima tertia [*et a mense septembri juxta Constantinopolitanos decima quarta.*] Item cum eodem anno notatur annus duodecimus Constantini : at Arichis princeps vixit tempore Constantini Copronymi et Constantini, filii Irenes. Annus Copronymi duodecimus erat annus Christi 751; alter vero Constantinus cum matre imperavit decem tantum annos et deinde solus septem : quod si illis decem velis addere septem, annus duodecimus erat annus Christi 795. Præterea notatur cum anno Christi 730 et cum anno

(1) Sanctuarium Capuanum, pag. 32.

Constantini

A Constantini duodecimo annus principatus Arichis duodecimus quoque; at ex Paulo diacono certum est Arichim principem Beneventanum obiisse anno 787, die augusti 26; et vixisse annos quinquaginta tres et fuisse principem annos triginta. Habet enim in epitaphio, quod ille scripsit :

Ter binis lustris patriæ sic rexit habenas,
Fluctibus ut lintrem navita doctus agit.

Quare ab anno obitus retrogradiendo et numerando triginta, invenimus Arichim accepisse principatum anno 758 et numerando quinquaginta tres, invenimus ipsum natum anno 735; ideoque annus duodecimus principatus fuisset annus Christi 769. Insuper nominatur Theophania uxor Arichis : at nomen uxoris erat Adelperga : sed fortasse Adelperga fuit secunda uxor. Tandem nominatur Urbanus, papa a Gregorio septimus : at in serie Romanorum pontificum nullus invenitur Urbanus post Gregorium Magnum vel Gregorium secundum seu tertium, qui septimus in Petri cathedra sederit; libenter credam vitio scriptorum
B corruptam fuisse veram temporis consignationem. Cæterum Arichim, Beneventanum principem, fuisse studiosissimum inquirendi et transferendi ad ecclesiam sanctæ Sophiæ corpora sanctorum ex Heremperto apud Chronicum Casinense abunde constat. *Neque est quod ipsa res ob errores chronologicos vocetur in dubium; eamdem in Commentario prævio, num.* 9, *ex Chronico S. Vincentii Vulturnensi retulimus; in quo omnia bene conveniunt. Tentamen istud translationis factum fuerit oportet inter annum* 760 *et* 780.

b *Archiepiscoporum Beneventanorum sæculi* VIII *tempora non probe innotescunt. Toto sedebat sub annum* 745 (1); *Joannes II adhuc in vivis erat anno* 774 (2); *David successerat ante annum* 780 (3).

c *In ms. Bodekenensi et in editione Michaelis Monachi locus hic sic legitur :* Quidve tractaverint indicare procurant. Quo audito, episcopus hoc non sine consilio et licentia Urbani papæ, qui tunc septimus a beato Gregorio Romanæ sedis curam gerebat, adhortatur.

C d *Totus hic locus, uncinis inclusus, abest a codice Casinensi et editione Michaelis Monachi, atque huc illatus est ex codice Bodekenensi.*

e *Ursus filius Ajonis II, annos natus decem* (4) *(non septem, ut aliqui* (5) *volunt,) principatum Beneventanum accepit, post patris mortem mense octobri anno* 890; *quo currebat non indictio prima, sed octava et secundum Constantinopolitanos nona. Anno sequenti ab imperatore Leone Philosopho missus est protospatharius Symbaticius, qui Beneventum expugnaret; quam reapse medio mense octobri ejusdem anni* 891 *dolo potius et improba fraude cepit : unde Græci quatuor circiter annos principatu Beneventano potiti sunt. Duos priores annos regimen tenuit Symbaticius; sed, tum Constantinopolim revocato,* quidam Georgius, *ait chronographus Salernitanus* (6), Beneventum directus est : *et, ut tradit Vulturnensis Chronographus* (7), post Georgium sequitur Barsacius patricius. *Non itaque Georgius patricius rexit civitatem annos quatuor et menses quatuor, sed mediam tantum partem.*

f *Castrum passim olim ab Italis dicebatur pro oppido : de qua re propter* Castrum Casinum *seu Casinense multum disseruerunt Benedictini* (8). Calvestre castrum *est oppidum* Calvi, *de quo vide Commentarium prævium, num.* 12.

g *Intelliguntur Sarraceni, habitantes Agropoli in territorio Salernitano; huc se contulerant, quum Athanasius, episcopus Neapolitanus, excommunicatione pontificia pressus, eos ex Neapolitano suburbio expulit.*

i *Sillarus fluvius inter Salernum et Luconiam influit in mare Mediterraneum. Hinc constat Sarracenos, de quibus hoc loco, Agropolitanos fuisse.*

k *In historicis extremi sæculi* IX *et* X *valde celebris est hæc Guidonis expeditio, quæ anno* 895, *mense augusto, tam feliciter cessit. Veterum scriptorum loca congessit et diligenter tractavit Joannes de Vita* (9).

l *Indicatur insula Ischia, quæ et Hyschia et* E
Ænaria. Illo tempore jam Græcorum, jam Saracenorum, jam Neapolitanorum ditioni paruit. In Chronico Vulturnensi, ubi eadem historia narrari videtur (vide Commentarium prævium num. 12), *dicuntur Sarraceni illi Gariliano, non autem Ischia venisse; sed utrique passim sociabant arma ad prædandum.*

m *Vide eamdem rem narratam ex Chronico Vulturnensi, num.* 13 *Commentarii prævii.*

n *Vide supra pag.* 833 *historiam hujus translationis, scriptam jussu S. Bernardi, episcopi Carinulani.*

o *In Historia Translationis loco* Aquavivensis *episcopi dicitur* Calvensis. *Sunt plura loca, dicta Aquæviva; quarum nulla proprior quam Aquaviva, nunc vicus ad Vulturnum inter Venafrum et cœnobium S. Vincentii Vulturnense* (10), *immo Casinense. De Aquavivensis prisci episcopatus situ multa disceptatio est; sed hæc ad nos non pertinet; id unum animadvertemus Aquavivensem cathedram eamdem visam esse Petro diacono ac Calviensem.*

F

CAPUT III.

Miracula Carinulæ et in Montecasino.

Captivus continuo post liberatur;

Eodem vero die, quo Calenis civitas est tanti decorata rectoris adventu, rusticus quidam, cujus filius Theani captus habebatur cum non haberet unde filium redimeret, sanctum appetiit et de filii sui liberatione eum suppliciter postulavit. Cumque mane surgens domo egredi vellet, filium, a sancto liberatum, foribus astantem vidit. Veniens igitur ad ecclesiam cum muneribus, Deo et S. Martino gratias egit et omnibus qui aderant intimavit.

mulier male menstruata,

14 Post triduum vero quædam Petri co-

(1) Ughellius. Italia sacra, tom. VIII, col. 26. — (2) Ibid. col. cit. et 33. — (3) Ibid. col. 35. — (4) Joannes de Vita, Antiquit. Beneventanæ, tom. II, pag. 224. — (5) V. g. auctores Art de vérifier les dates, tom. III, pag. 772. — (6) Ap. Jo. de Vita, tom. II, pag. 224. — (7) Ap. Muratori, tom. II, pag. 408. —

(8) Cfr Angelus de Nuce, annot. 21 ad cap. VIII Vitæ S. Benedicti, ap. Muratori, Scriptt. rer. Ital. tom. IV, pag. 200. — (9) Antiquitates Beneventanæ, tom. II, pag. 226 et seqq. — (10) Cfr Ughellius, Italia sacra, tom. X, col. 15.

gnomine

AUCTORE PETRO DIACONO.

gnomine Saraceni uxor, quæ vim menstruorum amiserat, salutis suæ, quæ nullo modo per medicos reparari poterat, sollicita, sanctum adiit et genialis officii usum sibi restitui poposcit. Mirum in modum, antequam ab ecclesia egrederetur, saluti se restitutam percepit et præsentibus indicavit.

puer, qui acum deglutierat, a

15 Eodem die *a* infantulus quidam acum æream, matris suæ pectori tegendo solitam præfigi, quam materna forte negligentia ori inductam gutturique illapsam ad viscera intro miserat et per quadraginta jam dies parentibus quotidie sanctum pro eo deprecantibus pertulerat, a sancto salvatus egessit, et ad hujus miraculi fidem adhibendam, acum illam pater in ecclesia habendam dedit.

alius puer debilis,

16 Quemdam vero puerum omnibus ab uno latere corporis viribus orbatum inter ceteros infirmos ante altare sancti secum mater adduxit, orans ut aliquod beneficium accipere mereretur. At subito sopore puer oppressus, cum expergefactus esset, flasconem, quem coram se positum invenit, ambabus manibus arripuit et sanus surrexit. Quod mater mirata, gratias egit Deo et sancto Martino, qui manum filii invalidam cum toto latere sanitati restituit. B

tertius contractus,

17 Quod audiens quidam Capuanæ civitatis homo nobilis, Joannes Maledictus nomine, cum haberet quamdam filiam cernuam, manu, renibus et gressibus contractam, eam cum quibusdam sanctimonialibus monasterii, cui eam devoverat, ad sancti Martini petendum adjutorium misit. Quibus ad orationem ante altare prostratis, virgo quæ prostrata erat, parum prius somno dedita, sana postmodum surrexit.

et quartus cæcus sanantur. b

18 Est etiam in territorio Aquævivensi *b* villa nomine Sanguinaria, in qua puer quidam, ab ipsis nativitatis suæ primordiis cæcus fuerat; hunc a parentibus ad ejusdem sancti altare deductum, Christus, quanti erga eum meriti Martinus sit ostendere volens, eodem modo quo ipse cæcum natum, ad aquas Siloë missum, illuminavit. Pauca de pluribus, quæ post translationem corporis a sancto Martino facta sunt, miraculis, recitavimus; non, quot C febrecitantes sanaverit quotve languentes curaverit et quotidie curet, memorare possumus. Quicumque vero ad ejus poscenda beneficia devotus accedit, eum auxiliatorem sibi paratissimum esse cognoscit.

Mira historia duorum virorum, qui statuerant in Montecasino ceram offerre ante S. Martini reliquias; c d

19 Itaque cum duo negotiatores ad beati Martini basilicam *c* cucurrissent, habentes formam ceræ *d* quasi socialiter in commune, quidam ex iis alloquitur alterum, etsi tam parvam rem, tamen confessori Dei vel libenter offerrent. Sed in cassum sua verba in animo socii nolentis expendit. Ipse tamen cum socio suo in oratione sua prosternitur, et ceram illam occulte ante tremendi sepulcri exponit cancellos. Mox ad omnem æqualitatem ceræ ipsius formula se divisit, et pars ipsius oblatoris fidelis accepta; pars altera, videntibus plurimis, volvendo [se] usque ad alios cancellos, nutu divino, cum omni contumelia est repulsa: quasi nolens sanctus invadere, quod alter illi devotus non obtulit: quoniam semper abnuit quod ex fide non venit, tam certus in judicio quam misericors in voto. O quam incorruptibilis arbiter claret! Castior est iste in examinatione judicii D quam in electione florum illa est, quæ ceram castam producit. Tunc itaque offerre noluit, et commissi criminis, se teste, confusus, et immensi reatu pudoris perculsus, videns sibi a radice suæ conscientiæ tantæ turpitudinis opprobria pullulasse, in faciem suam occultæ cogitationis facinora revelata aspexit, consideravit, ingemuit et deflevit: ut saltem lacrimarum fonte dilueret quod corde delinquente fœdaverat. Qui postea majora obtulit et actus ceræ judicio se castigavit.

ab incendio servantur ejus reliquiæ et pallium quo erant cooperta.

20 Item cum juxta consuetudinem quadam nocte cereus illuminatus fuisset, casu super sepulcrum ejus, qui intercessionem suam vivificat, ardens corruit: ita ut super Martinum, quo cecidit, sine læsione aliqua perarderet. Nam in quantum fuit ceræ longitudo, cera jacens inventa est, papyro consumpta, tamquam si confinium fecisset inter ignem et pallium cera ipsa. Ut ab ipsa inveniretur defendi per quam potuisset exuri, obedit præcepto illius cui omnia se subdunt. Hinc ceram itaque ignis expavit, et quam in ardendi E auxilium sumpserat, ipsa est visa repugnare. Sed inter hæc illud non prætermittam, quod in virtute confessoris, quam didicit, cera flammam extinxit; et converso ordine illud, a quo præfocari potuit, præfocavit. Diversæ species suam visæ sunt naturam mutasse, ut neque incendia læderent pallium super marmore, cum cera fluit pro flumine, sed quantum est apud illum, cerei lumen exstinguere, qui cæcis lumen ostendit. Aut cum alterius cadaveris sepultura oculorum ignem reintegrat, quam facile credimus ut de sepulcro proprio flammas expellat. Vellem adhuc insatiatus sacratissimi viri miracula quasi peculialiter decantare *e*, sed vereor ne unde meam cupio *e* devotionem ostendere, inde auditoris animum fastidio nascente videar obturare. Da ergo michi pie veniam, nec textus hujus paucitatem repellas, de quo exiguum dicerem et libros implerem. Amen.

ANNOTATA.

a *Miracula præcedentia et sequens leguntur etiam in Historia Translationis; sed præsens omittitur ibidem; uti etiam in codice Bodekenensi.* F

b *Hoc etiam miraculum non legitur in codice Bodekenensi, neque in Historia Translationis. Aquavivense territorium videtur hic iterum idem esse ac Calviense. Villæ Sanguinariæ nomen non reperio in lexicis topographicis regni Neapolitani.*

c *Præcedentia miracula facta sunt in templo Carinulano; sequentia in templo S. Martini Casinensi, quo reliquias aliquot translatas fuisse paulo ante dixit Petrus diaconus.*

d Forma ceræ, parva res *dicta, est ellychinum cereum, in spiram convolutum, vulgo* pain de cire. *In egregio opusculo de plumbis figuratis, Parisiis in Sequanæ alveo repertis, plures repræsentantur imagines plumbeæ, quas olim peregrini pileis suis affixas gestarunt et in quibus viri pii ante S. Eligium aliosve sanctos exhibentur supplices,* formam ceræ *manu tenentes. Passim itaque usitatus fuit ille mos.*

e *Vide pag.* 833, *annotato* c.

A

HYMNUS SEU VITA

B. MARTINI,

SOLITARII ET CONFESSORIS,

Versibus dictata, cujus festum est III nonas augusti, auctore Petro, diacono Casinensi *a*.

Ex mss. codicibus Bodekenensi et Carinulano.

AUCTORE PETRO DIACONO.

S. Martinus *sancte vivit Casini; b*

Vocibus organicis Martino psallite patri.
Hunc laudate chori vocibus organicis.
Practica despiciens, hic *b* vitam duxit honestam.
Hic fuit et prudens practica despiciens.
Carnea membra nimis, spiratus mente, domavit.
B Affligebat enim carnea membra nimis.
Montis erat loculus, Marco testante poeta;
Culmine Cassini montis erat loculus.
Montis erat loculus loculo felicior omni;
Quo fuit inclusus montis erat loculus:
Alter amicus erit, tunc sic divinitus audit;
His tu parce locis, alter amicus erit.
Sedibus atque locis maneat Benedictus in istis.
Se retinebit in his sedibus atque locis.
Marsicus est quoque mons, quo tu properare juberis.
Quo figes et gressum, Marsicus est quoque mons.
Marsica juga subit Martinus, sic quoque montis
Angelicis monitis Marsica juga subit.

item in Montemassico, ubi diabolum vincit.

2 Rupis in exiguo sic demum se locat antro;
Cunjunctus Domino rupis in exiguo.
Tumque pedem religans ferro duraque catena
Ut se constringat, tumque pedem religans.
Ire catena vetat; sic te Martine coerces,
Igne Dei fervens; ire catena vetat:
C Sed pater ipse pius dum percipit hæc Benedictus.
Solvere vincla jubet sed pater ipse pius:
Vincula junge tibi, non ferri, sed mage Christi.
Constantis fidei vincula junge tibi.
Tum patris imperio Benedicti vincula solvit;
Se solvit ferro tum patris imperio.
O pie vir Domini, solvisti vincula ferri;
Vincla Dei jungis, o pie vir Domini.
Vipera te refugit, dum dextram porrigis ori;
Stas, oras, psallis; vipera te refugit.
Tu decus eximium, vincis, Martine, colubrum;
Et vincis zabulum, tu decus eximium.

Postulatur ejus patrocinium.

3 Spiritus ipse Dei, sed per juga Marsica montis.
Tale malum deicit Spiritus ipse Dei.
Suscipe, magne pater, pro tantis suscipe laudes;
Psallimus has voces; suscipe, magne pater.
Noxia cuncta tuis precibus depelle famellis;
Absistant famulis noxia cuncta tuis.
Dives in angelicis nos dites cœtibus ipsis;
Turmis lætaris dives in angelicis.
Pauper in orbe, Deo meruisti jungier ipse,
Regnans cum Christo, pauper in orbe, Deo.
Nos quoque tu facias conscendere cælica regna;
Vivere mente pia nos quoque tu facias.
Fers specimen generis pulchrum, Martine beate,
Practica dum spernis, fers specimen generis.
E Dulce decus nimium, nobis Martine, supremum.
Acquiras regnum, dulce decus nimium.
En tibi, sancte, chorus monachorum concrepat almus;
Concinit hos cantus en tibi, sancte, chorus *c*.
Vocibus et modulis tibi clerus hic quoque psallit,
Proclamant pueri vocibus et modulis.
Tuque Deum rogita cunctis his parcere culpis;
Ut nobis parcat tuque Deum rogita.
Cum Genitore Deo sit honor, cum Flamine sancto,
Lausque Deo Genito cum Genitore Deo.

c

ANNOTATA.

a *De hac Vita metrica dixi ad calcem Commentarii prævii, ubi monui eam in codicibus adscribi Petro diacono; sed versuum formam potius suadere eam factam esse a Paulo diacono, qui eadem versuum forma SS. Scholasticæ et Mauri Vitas scripsit.*

F b *Ita legitur in codice Carinulano; in Bodekenensi* Casini vixit honeste. *Ratio mutationis patet.*

c *Hic locus et plures alii signo sunt id carmen in officio divino adhibitum fuisse.*

DE

A D

DE S. FROMUNDO SEU FRODOMUNDO,

EPISCOPO CONSTANTIENSI IN NORMANNIA,

V. D. B.

SYLLOGE.

§ **Unicus. S. Fromundi ortus, monastica vita, monasterii suo nomine dicti fundatio, episcopatus Constantiensis, dedicatio parthenonis Hamensis, cultus in diœcesibus Bajocensi, Rothomagensi et Constantiensi. Distinguendus est a S. Fremundo seu Fromundo, martyre Anglo, quocum ab Anglis et Normannis confusus fuit.**

CIRCA FINEM SÆCULI VII. *S.* Fromundus an *Brevani in pago Constantiensi ortus;*

Quamquam solitum fere nobis sit prius amovere impedimenta, quo securius dein instituamus iter, arbitror tamen lucem majorem affulsuram esse rebus dicendis, si a consueto illo modo paululum discesserim, narrans initio omnia, quæ de S. Fromundo *comperta habere mihi videor, quasi nullis implicita essent difficultatibus. In diœcesi itaque Constantiensi, pristino archidiaconatu Bauptensi, decanatu Carentoniensi* (1), *jacet parochia, cui nomen* Brevands *seu* Brevan, *unam leucam a Carentano distans et quingentis fere incolis frequens. In ea natum esse S.* Fromundum *volunt scriptores complures; quibus aliquatenus suffragatur consuetudo paræcianorum S.* Fromundi (*de vico* Saint-Frémond *dicetur mox*) *aliorumque vicinorum, pie Brevanum peregrinantium, quasi ad natalem patroni sui locum. Alii quidem eum ortum fuisse volunt in Ebroicensi pago* (2), *alii in vico Ebroïco* in Constantiensi; sed, si audiatur R. D. Lecanu, recentior episcoporum Constantiensium historicus* (3), *quum ii, qui accuratiores videri volunt, simul dicant paræciam, quam intendunt, duas leucas a S.* Fromundi *vico esse dissitam, profecto Brevanum intelligunt et in efferendo nomine se errare patefaciunt. Verum timeo ut hæc R. D. Lecanu dicta stare possint. Nam, ut* C *R. D. Gilbert, vicarius generalis Constantiensis, qui in disquirendis rebus sanctorum plurimum desudavit* (*ipse enim conscribenda et S. R. Congregationi probanda præprimis curavit nova Officia sanctorum diœcesana*), *nos scriptis literis monuit, Tustanus de Billy, anno* 1709 *vita functus, plane affirmat in eruditissima sua Constantiensium episcoporum historia ms. vidisse se commentarios ms., servatos olim in S.* Fromundi *prioratu, in quibus tradebatur beatus vir natus esse in diœcesi Ebroïcensi et venisse in Constantiensem, quo liberius vitam solitariam coleret; atque hæc cum Gallia Christiana bene conveniunt et pro certis accipienda videntur. Lucem itaque illic primum vidit beatus vir aliquanto ante medium sæculum* VII, *sive quum Neustria singulare regnum esset, sive quum pars regni Francici haberetur. Anno enim* 622 *a reliquo Francorum imperio divisa est Neustria, Dagoberti ditio futura; sed anno* 632 *ab eodem Dagoberto iterum cum reliquis partibus in unum regnum redacta est; anno* 638 *a Clodovæo II iterum separata; atque anno* 670 *a Childerico II denuo unita, magistris palatii eidem interea præsidentibus Ega, Archembaldo, Ebroïno et ab anno* 681 *Varatone. Sed hæc raptim.* E

* Evreux

dicitur fundasse et rexisse monasterium, S. Fromundi *dictum, sæculo* XI *prioratum factum Cerasiensis abbatiæ,*

2 *Prius vitam monasticam coluisse dicitur S.* Fromundus *in vico, qui ejus deinceps nomen gessit, nunc vulgo* Saint-Frémond, *et cujus modo meminimus. Neque monachus tantum ibi fuisse traditur, verum etiam monasterii fundator et abbas. Quam traditionem probare non audeo, quod certa non adsunt testimonia; neque infirmare, quum reapse illic monasterium fuerit, quod jam ante medium sæculum* XI *ejus nomen habebat et cujus origo cæterum in tenebris abscondita est. Haud putem aliquod antiquius exstare documentum de illo S.* Fromundi *monasterio quam quod legitur in Monastico Anglicano; ecce autem illud* (4) : Ego Willermus de Houmez, Roberti nepos et hæres, cum viderem ecclesiam S. Fromundi per negligentiam clericorum adnichilari, fretus consilio Gaufridi (*de Montbray*), Constantiensis episcopi (*ab anno* 1049 *ad* 1093), ac religiosarum personarum, seu baronum meorum, monachis* ibidem restituere decrevi, concedente hoc serenissimo Anglorum rege Willielmo, (*qui ab anno* 1066 *ad* 1087 *sceptrum Britanniæ Majoris tenuit*). Propterea de ecclesia illa, scilicet S. Fromundi, Deo et S. Vigorii Cerasii et monachis ejus donationem feci cum omni possessione sua, de qua ab antecessore meo Roberto dotata fuit; scilicet cum terra quatuor carrucarum, et cum decima ejusdem villæ, et vinea, quæ erat ex latere ecclesiæ, et ecclesia Canigneji cum decima, et decima de Boscflameno, et parte sua de ecclesia Airel cum decima, et cum decima de omni substantia mea, et cum decima meorum molendinorum de Nira et de meis piscariis; hac conditione ut abbas, remotis clericis, substitueret monachos, Deo et S. Fromundo honorifice servientes; et ne occasionem intermittendi officium ecclesiasticum aliquam haberent, absolvi eos ab omnibus sæcularibus serviciis, quæ ad me pertinent. S. Willielmi regis Anglorum *etc. Ex hoc ergo diplomate, quod inter annum* 1066 *et* 1087 *datum sit oportet, constare* F

* monachos?

videtur

(1) Lecanu, Histoire des évêques de Coutances, pag. 491. — (2) Gallia Christ. nova, tom. XI, col. 866. — (3) Ibid. pag. 59. — (4) Monasticum. Anglicanum tom. VI, pag. 1074.

A *videtur in S.* Fromundi *vico fuisse monachos priusquam Robertus de Houmez eo induxisset clericos, siquidem ejus filius Guilielmus profiteatur se* monachos ibidem RESTITUERE decrevisse. *Unde non plane abhorret a verisimilitudine veteres monachos illos propaginem fuisse S.* Fromundi *instituti. Inferius ad hunc prioratum redibimus.*

Creatus episcopus Constantiensis, exstruit et dedicat, ut ex epigraphe altaris constat,

3 *Creatus deinde fuit S.* Fromundus *episcopus Constantiensis: quam sedem alii ante eum sancti tenuerant. In antiquis aliquot episcoporum indicibus* Rochmundus *et* Rothmundus *dicitur* (1); *in Gallia Sacra Roberti et fratrum Sammarthanorum* Rotmundus; *in nova vero* Frodomundus; *sed* Frothmundum *quoque reperiri testis est Rev. D. Lecanu, recentior (ut jam monui) diœcesis Constantiensis historicus et parochus in Belleville. Verum de ejus gestis nil noscitur præter operam quam in Hamensi condendo parthenone posuit. Anno scilicet* 1693 *sub altari matutinali ibidem inventa est triplex inscriptio, quadrato trium pedum lapidi insculpta, cum crucis signo in medio et in quatuor angulis. Prius eam edidit Mabillonius in tomo* I *Annalium* (2), *secundum exemplar quod a duobus Benedictinis eruditis acceperat; sed deinde in appendice altera* (3) *correctius eamdem expressit, accepta meliori notitia a presbytero Raguet. Rev. D. Trigan, parochus in Digosville, qui non ita pridem historiam ecclesiasticam illarum partium publici juris fecit, eamdem epigraphen edidit et explicuit; similiter cl. v. de Gerville in Notitia, edita anno* 1834; *et secundum hos Rev. D. Lecanu, quem supra memoravi. Hanc postremam editionem et duas Mabillonianas lectiones solum ad manum habeo; ipse vero lapis nunc asservatur in bibliotheca publica oppidi Valloniarum *, quod est in illis partibus. Porro qualibuscumque illis subsidiis munitus, eam ipse jam dabo. Prima pars quæ arcæ circuitum occupat, hæc est :* † CONSTANTINNSIS VRBIS RECTVR DOMNVS FRODOMVNDVS PENTIFEX IN HONORE ALME MARIA GENETRICIS DNI HOC TEMPLVM HOCQVÆ ALTARE CONSTRVXIT FIDILITER ADQVÆ DIGNE DEDICAVIT MENSE AGVSTO MEDIO ET HIC FESTVS CELEBRATVS DIES SIT PR ANNVS SINGOLVS. *Quatuor autem lateribus inscripta sunt hæc alia :* † ANNO..... IAM REGNANTE THEODORICO REGE IN FRANCIA HOC CINVBIVM CHINGSIT ABENS CVRAM PASTVRALEM IN AMORE DNI. SVARVM OVIVM — † PATRAVIT CAVLAS QVAM PVLCHERREME NEC A MORSEBVs lupoRVM... PASCVA PERPETVA CHORO NEXAS VERGINALE CVM MARIA — † ALMESSIMA. CVM IPSA VIVANT ET EXVLTENT IN ETERNA SECOLA. LOCVM REX CONCESSIT AD ISTVM CENVBIVM. IPSI ETENEm — † PRIMVS CIPIT STRVERE HIC MONISTERIVM. DEMVM PENTIFEX PLVREMVS ATEQVE CITERAS PARtes sEPTENARI NOMERO.

* Valognes.

parthenonem Hamensem anno verisimilius IV *regni Theodorici III seu anno Christi* 677,

4 *Ex qua epigraphe colligimus primo locum parthenoni exstruendo concessum fuisse a Theodorico rege; secundo fabricam inchoatam fuisse ab eodem; tertio muris cinctum fuisse cœnobium a* Frodomundo, *episcopo Constantiensi; quarto ab eodem ædificatum fuisse in honore B. Mariæ virginis templum et altare; quinto hæc ab eo et aliis episcopis, ita ut septem essent numero, fuisse dedicata medio mense augusto. Annum vacuum reliquimus, quoniam multa de eo est disceptatio; hæc autem ejus figura est apud Mabillonium*

AUCTORE V. D. B.



quam ipse interpretandam arbitratur per quarto; *ita ut legendum sit :* Anno quarto jam Theodorico regnante in Francia; (*prius autem superiorem numeri partem retulerat ad annos episcopatus S.* Fromundi; *inferiorem vero partem ad annos regni Theodorici; ita ut illa dedicatio facta fuisset* anno tertio *illius* pontificatus, quarto anno Theodorici regis; *quæ interpretatio, utut certissime falsa, in Galliam christianam novam translata est). An prior vera sit plurimum ambigo, quum in ipsa a Mabillonio edita figura superiora verua cum inferioribus non ita conveniant, ut inde facile effingi posse videatur numerus IIII. Quapropter alii, animadvertentes per duos numeros, sibi invicem superpositos, multiplicationem faciendam esse in codicibus mss.* E *significari, dixerunt illa figura indicari* 3×3 *seu* nono. *Verum is huic inest explicationi defectus quod justo eruditior videtur et nimis longe quæsita; dein verum quidem est sæpe inveniri* $\frac{CC}{III}$ *pro* trecentis *et* $\frac{VII}{XX}$ *pro* septies viginti, *quoniam per centenas numerare solemus atque etiam per viginti (quem numerum nonnulli populi boreales seu Normanni* integrum hominem *dicebant quippe qui decem digitos manuum et totidem pedum habeat), sed reperta est nuspiam in Europa multiplicatio seu numeratio per tria. Malim itaque in partes ire Mabillonii, donec major lux alicunde affundatur; quamquam nostra parum intersit sitne legendum* IV *aut* IX, *quum hoc unum tantum habeamus indicium quo S.* Frodomundi *statuamus ætatem, neque proin operæ pretium sit de aliquot annis certare.*

Factus est episcopus post annum Christi 649; neque propius definire licet initium et finem ejus episcopatus.

5 *Certius autem est hic agi de Theodorico III, qui anno* 673 *rex Neustriæ factus est atque Burgundiæ et quatuordecim annis post, anno nempe* 687, *regiam dignitatem amisit et mense martio anni* 691 *diem obiit* (4) : *Theodoricus enim I Austrasiæ solum rex fuit* (5); *Theodoricus II prius rex Burgundiæ et dein etiam Austrasiæ* (6); *Thedoricus IV autem seu Cellensis, qui anno* 720 *diademate caput cinxit et anno* 737 *fatis cessit* (7), *eo tempore regnavit quo nulli Constantiensem cathedram occuparunt episcopi, nomine aliquatenus accedentes ad* Frodomundum. *Quæ enim similitudo inter hanc appellationem et Willebertum, Agathium, Livinum, Wilfridum, Josue, Leonem et Angulonem, qui sæculi* VIII *maximam occuparunt partem* (8)? *Ut autem aliquomodo finiamus S.* Fromundi *episcopatus initium, ad antecessores et successores recurrendum est; sed hic plus tenebrarum quam lucis. Claudius Robertus* (9) *hanc edidit seriem : Waldomarus vel Baldomerus; Trabus vel Trahus, forte Strabus;* [F]rotmundus; *Salomon; Agathius; Livinus; Wifridus; Aldebertus. Fratres Sammarthani* (10) *hunc alium : Huldericus; Waldomarus vel Baldomerus;*

(1) Ap. Lecanu, pag. 59. — (2) Annales Bened. lib. XVI, num. 76, tom. I, pag. 496 et 497. — (3) Num. XXVI, pag. 641. — (4) Gebhardus, Reges Francorum Merovingici, pag. 159 et seqq. — (5) Ibid. pag. 32 et seq. — (6) Ibid. pag. 82 et seq. — (7) Ibid. pag. 169. — (8) Cfr Gallia christiana nova, tom. XI, col. 866. — (9) Gallia christiana prima, pag. 311. — (10) Gallia christiana secunda, tom. II, fol. v° 538.

AUCTORE V. D. B.

domerus; Chairiboinus: [F]rotmundus; *Salomon; Agathius; Livinus; Wifridus; Aldebertus. Maurini* (1) *hunc tertium, conjecturis potius fultum quam documentis aut ecclesiæ Constantiensis traditione : Chairibonus; Waldalmarus seu Baldomerus; Hughierius seu Hildericus;* Frodomundus; *Willebertus seu Aldobertus; Agathius; Livinus; Wilfridus. Tandem Rev. D. Lecanu, passim indicans se parum his confidere, hunc quartum* (2) : *Chairibonus, Baldomerus, Trabeus, Huldericus, S.* Frodomundus, *Willebertus, Agatheus, Livinus, Willefridus, Aldobertus. Atque in his id unum certum est* quod Charibonus, episcopus ecclesiæ Constantinæ, *ante reliquos sedis Rothomagensis suffraganeos, quod fors ante eos ordinatus fuerat* (3), subscripsit concilio, *tempore Clodovei II* VIII kal. novembres in urbe Cabilono in basilica S. Vincentii celebrato (4); *et quidem inter annum* 640, *quo SS. Audoenus et Eligii, eidem synodo præsentes, episcopi renuntiati sunt, et annum* 653, *quo S. Audobertus, Parisiensis præsul, eique etiam subscriptus, jam decesserat* (5); *immo anno* 649, *quo dies* 25 *octobris cum*
B *dominica concurrit; nam, ut animadvertit Mansius* (6), *concilia die dominica inchoari solebant, licet Binterim* (7) *malit eorum initia feriis secundis annectere, non animadvertens triduanum jejunium, iis ex stata lege præmittendum, numquam in diem dominicam protrahi potuisse. Alia ut certa traduntur; sed divinationes sunt et conjecturæ. Videlicet Wandalmari (non Waldalmari) nomen inscriptum legitur diplomati, quod die* 22 *junii anni* 653 *dedit Clodovæus II ad confirmandam donationem, a Landerico Parisiensi Sandionysianis factam* (8); *sed episcopatus locus non additur, nec satis ad Baldomerum accedit Wandalmari nomen, ut assentire ausim Mabillonio* (9) *aliisque Maurinis* (10), *dicentibus, Wandalmarum eumdem fuisse ac Baldomerum, episcopum Constantiensem; neque magis in eorumdem partes ibo, ubi Hughierum, sine sede episcopum, subscriptum circa annum* 659 *diplomati Emmonis pro monasterio S. Petri Vivi Senonensi, eumdem habent ac Hildericum Constantiensem* (11); *neque iis fidam, quum Willebertum, concilio Rothomagensi anni* 689 (12)
C *aut* 693 (13) *subscriptum, episcopum Constantiensem esse volunt, eumdem scilicet ac Aldobertum* (14); *nam neque sedis nomen, neque aliud indicium ibidem apparet, quo id statuatur. Manet itaque S.* Fromundum *ad Constantiensem cathedram evectum fuisse post medium sæculum* VII *in eaque sedisse anno* 677 *aut* 682, *quo Hamense cœnobium muris cinxit.*

Parthenonis Hamensis reliqua fata.

6 *Et quoniam hujus asceterii memoria rediit, en paucis ejus fata. Situm erat haud procul ab Oceano, in archidiaconatu Constantiensi *, in decanatu Valloniarum. Ab irruentibus Danis seu Normannis multum passum seu potius destructum fuit* (15). *At quum illi, ad fidem conversi, deprædandi finem fecerant, titulo prioratus simplicis sub S. Petri patrocinio restitutum est et* Saint-Pierre-du-Ham *dictum.* D *Ad id tempus referendum videtur præsens templum, cujus navis secundum sequiores romanæ architectonicæ* regulas exstructa; chorus vero tardius appositus, sæculo nempe* XII. *Si audiatur R. D. Lecanu* (16), *suadente episcopo Algaro, qui ab anno circiter* 1131 *ad* 1151 *Constantiæ sedit, dedit Guillielmus Botellarius hunc prioratum majori Carthusiæ; contra Mabillonius, scribens ad finem sæculi* XVII, *hæc habet* (17): Hamensis hic prioratus ab instauratione sua beatum Petrum apostolum agnoscit, idemque ab annis septingentis subjectus est Carnutensi abbatiæ S. Petri ex dono Arefasti, fratris Gonoris, uxoris quondam Richardi primi Normannorum regis. *Quæ meliora sint definire nequeo* (18), *licet gravior testis plerumque sit Mabillonius. Cæterum sat tenues erant ejus proventus, quum medio sæculo* XVII *librarum tantum essent* 900.

* style roman

Sepultus fuisse videtur sanctus vir in S. Fromundi *monasterio; ejus reliquiæ, dum Normanni illas plagas vastarent, translatæ prius Bajocas, postea in prioratum S. Laudi Rothomagensem;*

7 *Supra diximus S.* Fromundum *auctorem dici monasterii, quod ejus deinceps gessit nomen. Certius videtur eum ibidem fuisse sepultum; nam non ita pridem, ut Rev. D. Lecanu* (19) *testis est, ostendebatur adhuc ibidem ejus sepulcrum; quod quo abiverit ignoratur, ut ad nos rescripsit R. D. Gilbert. Quamdiu autem ibidem servatum fuerit S.* Fromundi *corpus difficile dictu est. Re quidem vera certissimum est S.* Fromundi *corpus non secus ac SS. Laudi et Rumpharii exuvias in templo S. Laudi Rothomagensi fuisse asservatum exeunte sæculo* XII *aut ineunte* XIII. *Quod constat ex Ordinario canonicorum regularium S. Laudi illius civitatis; quod, quum festa non habeat SS. Bernardi, Francisci, Dominici et Ludovici, seu nullum quod S. Thomæ Cantuariensis festivitate recentius sit, circa id tempus ex veteribus libris et consuetudinibus domesticis collectum fuerit oportet. In eo scilicet hæc leguntur:* De sancto Fromondo martyre duplex festum. Ad utrasque vesperas et matutinum cereus ardeat coram feretro. Ad vesperas aut Beatus vir Psalmi de die. Si dominica fuerit, ad processionem dicatur responsorium *Gloria et honore;* in qua processione debet capsa beati Fromondi deportari et duo cerei juxta feretrum. *An vero, ut passim traditur, ab exeunte sæculo* IX, *quum* F *Dani magis infestarent apertas Normanniæ civitates et monasteria, sanctum id pignus corporum SS. Laudi et Rumpharii fortunam secutum sit mihi nonnihil ambiguum est. Ex una enim parte in antiquioribus monumentis seorsim de SS. Laudi et Rumpharii exuviarum translatione mentio fit et omittitur S.* Fromundi *corpus; ex altera vero certum est jam sæculo* XII, *ut modo vidimus, servatas illic fuisse ejus reliquias, quin suspicari possimus quo alio tempore quam Normannorum irruptione eæ illuc advenissent. Quodsi hæc admittenda videantur, quum ea de re, quantum maxime pertinet ad S. Laudum, fuse dixerit*

* le Cotentin

(1) Gallia christiana nova, tom. XI. col. 866. — (2) Histoire des évêques de Coutances, pag. 53 et seqq. — (3) Cfr Concil. Cabilon. cap. 7, ap. Burchardum. Vide Binterim, Geschichte der deutschen Concilien, tom. I, pag. 174, 176 et seqq. — (4) Labbe, Concilia, tom. VI. col. 387, 388 et 392. — (5) Cfr Pagius, Critice annalium Baronii, ad an. 662, num. 3. — (6) Animadversiones in Annales Baronii, ad an. 662, not. 1. — (7) Geschichte der deutschen Concilien, tom. I, pag. 190. — (8) Brequigny, Diplomata primæ stirpis, pag. 213. — (9) De re diplomatica, pag. 467. — (10) Gallia christiana nova, tom. XI, col. 866. — (11) Annales Benedictini, ad an. 658, lib. XIV, num. 64, tom. I, pag. 414; Gallia christ. nov. tom. XI, col. 866. — (12) Ibid. ad an. 689, lib. XVII, num. 65, tom. I, pag. 540. — (13) D. Bessin, Concilia Rothomagensia, tom. I, pag. 12 et seqq. — (14) Gallia christ. tom. XI, col. 866. — (15) Cfr Robert Wace, Roman du Rou, ap. Lecanu, Hist. des évêques de Coutances, pag. 66. — (16) Histoire etc. pag. 531 et 532. — (17) Annal. Benedict. lib. XVI, num. 76, tom. I, pag. 497. — (18) Lecanu, pag. 531 et Pouillé du diocèse de Coutances, pag. 20 et 21, Paris, 1648. — (19) Histoire etc. pag. 60.

Stiltingus

AUCTORE V. D. B.

A *Stiltingus noster ad diem* 22 *septembris* (1), *quo hic colitur, brevibus tamen nobis esse licebit. Delata prius fuerunt pia corpora Bajocas, quæ civitas satis munita videbatur; saccisque seu peris ex corio et thecis ex solido ligno inclusa, ante porticum cathedralis templi terræ credita sunt. Postquam autem Rollo, Normannorum dux, anno* 912 (*ut plerisque placet*) *baptismum a Francone Rothomagensi episcopo accepisset, Theodoricus , qui tunc Constantiensis episcopus erat, videns civitatem suam plane destructam, petiit a suo metropolita ut sibi in Rothomagensi S. Salvatoris templo cathedram suam locare liceret. Annuit postulationi Franco; eaque de causa eo intulit quidquid pretiosi uspiam haberet. Defossæ itaque fuere piissimæ reliquiæ et in S. Salvatoris templum asportatæ; quod inde S. Laudi nomen sumpsit et retinuit, donec exeunte sæculo superiori clausum fuit.*

ubi anno 1470 *novis thecis includuntur et anno* 1629 *visitantur.*

8 Anno, *ait auctor historicus anonymus Rothomagensis, qui se solitarium appellavit* (2), anno 1470, die 27 maji, corpora SS. Laudi et Rumpharii episcoporum, sanctique Fromundi martyris (*de martyris titulo infra*), quæ pelliceis peris inclusa erant, magnificis thecis imposita fuere cura ac pietate *Guilielmi Monachi*, prioris *illius templi, in quo circa medium sæculum* XII *Algarus, Constantiensis episcopus, canonicos regulares instituerat. Idem ante eum paulo enucleatius tradiderat Arturus a Monasterio, commentarios D. Le Prévost secutus:* Die 20 maji, *inquit* (3), anno 1470, Guillelmus, præfatus prior, extrahere fecit per quosdam ex suis religiosis in præsentia testium reliquias SS. Laudi et Rumpharii, episcoporum Constantiensium , et S. Frothmundi, abbatis et martyris, ex antiquis saccis de corio, ubi erant reclusæ, et reponere intra capsas novas supra majus altare dictæ ecclesiæ; et dominica sequenti, 27 dicti mensis, dictæ reliquiæ ostensæ fuerunt populo supra tribus altaribus dictæ ecclesiæ, ac postea translatæ ab eodem priore intra antiqua eorum feretra, quæ reparare fecerat. *Inter medias autem turbas, quas sæculo* XVI *huguenotti seu Calviniani excitarunt et inter*

C *quas tot in Normannia sicuti in universa Gallia spoliarunt templa, non periere illæ reliquiæ: quum enim anno* 1629 *a R. V. Corbet, vicario capitulari, prioratus S. Laudi canonice visitatus fuit, inscripta fuere reliquiarum catalogo plura S.* Fromundi *ossa* (4). *Hæc ex R. V. Lecanu discimus; qui alibi magis generalia de iis tradit pignoribus.* Ex libro, *inquit* (5), officiorum prioratus S. Laudi, *ad finem sæculi* XII *conscripto* (6), *cognovimus reliquias S.* Fromundi in hoc asceterio conservatas fuisse; præcipuis festivitatibus cereum ante feretrum fuisse accensum idque cum S. Rumpharii et Laudi reliquiis in processionibus fuisse circumlatum; qui liber quum, teste ejus collectore, ex antiquioribus descriptus fuerit, ad prima post invasionem Normannicam tempora nos reducit. Neque tantum Guilielmus Monachus seu Lemoine, circa annum 1470 ibidem prior, de custoditis S. Fromundi reliquiis nos certos facit, verum D. Avicius, ipse etiam prior, eadem docet earumque cultum ad nostra usque tempora perseverasse.

Ejus brachium, in prioratu seu monasterio S. Fromundi *servatum, ineunte sæculo* XVI *circumfertur ad colligendas eleemosynas.*

9 *Jam ante annum* 1470 *ex hoc thesauro extractum fuerat brachium S.* Fromundi *et dono datum prioratui, ejus nomine insignito. Diximus jam hoc asceterium, in quo sanctum virum abbatem fuisse volunt, inter annum* 1066 *et* 1087, *ejectis clericis, restitutum fuisse monachis et prioratum esse factum abbatiæ S. Vigoris de Cerasio. Quum eo venit Odo Rigaldus, Rothomagensis archiepiscopus, kal. septembribus anni* 1250 *eumque locum postridie visitavit, reperit ibi quindecim monachos de Cerasiaco seu Cerasio, omnes sacerdotes* (7); *qui numerus videtur fuisse legitimus* (8); *et reditus quingentarum librarum, quibus tantum tunc emisses frumenti, quantum nunc sexaginta millibus francorum* (9); *neque postea decrevisse videntur ii reditus: medio enim sæculo* XVII *beneficium prioris, cui media pars omnium redituum attributa censenda est, habebat quotannis sedecim millia librarum* (10), *tanti valentia quanti nunc triginta duo millia* E *francorum; ita ut nunc universi reditus æstimandi forent francis sexagies quater mille aut etiam pluris* (11). *Verum licet tantæ essent hujus prioratus divitiæ, ineunte sæculo* XV, *quum ædificia renovanda essent, id fieri non potuit ex annuis censibus; sed Thomas III, qui et Dubourg, ab anno* 1402 *ad* 1427 *Cerasiensis abbas, postulavit ab Ægidio de Campis, qui ab anno* 1408 *ad* 1413 *Constantiensem cathedram tenuit, licentiam circumferendi per diœcesim S.* Fromundi *brachium et eleemosynas petendi ab illarum reliquiarum piis cultoribus* (12). *Unde liquet tunc temporis id sacrum pignus in S.* Fromundi *prioratu servatum fuisse; quod ab Huguenottis dissipatum fuisse traditur. Eodem sæculo, quum incendio periisset S.* Fromundi *templum, rogata fuit Romana curia indulgentias, illo ævo usitatissimas et dein jure merito a S. Pio V suppressas, pro iis qui auxiliatrices manus porrigerent: atque hactenus diploma, quo eæ concessæ fuerunt, servatur in archivio provinciæ Manicæ* (dep^t^ de la Manche). *Iis subsidiis id de novo con-* F *struxit Laurentius Leclerc, Cerasiensis abbas, qui anno* 1497 *diem obiit* (13). *Prope id templum fons cernitur, S.* Fromundi *dictus. Olim quum præ nimia siccitate sitirent agri et pluviæ obtinendæ causa piæ instituerentur supplicationes, in eum immergebatur ima crux processionalis. Anno* 1840 *is mos restitutus est, quinque convenientibus parœciis et de exoptato imbre eadem die lætantibus.*

Ejus cultus verisimiliter continuo post mortem inchoatus,

10 *Valde verisimile est S.* Fromundi *episcopi cultum brevi post mortem inchoatum fuisse. In veteribus catalogis episcoporum Constantiensium et regestis, in quibus Agathius Rotmundi, immo* Frotmundi *seu* Fromundi, *successor indicatur, scriptum legitur post Agathii nomen:* Sequuntur nomina episcoporum qui non sunt sancti (14); *quibus verbis omnes præcedentes, quos inter S.* Fromundus, *sancto-*

(1) Act. SS. tom. VI Septembris, pag. 442 et seqq. — (2) Histoire de la ville de Rouen, tom. II, part. VI, pag. 11. — (3) Neustria pia, pag. 811. — (4) Histoire des évêques de Coutances, pag. 326. — (5) Ibid. pag. 61. — (6) Ibid. pag. 160. — (7) Regestrum visitationum archiepiscopi Rothomagensis, pag. 91. — (8) Cfr ibid. pag. 251. — (9) Cfr Leber, Mémoire sur l'appréciation de la fortune privée etc. in Mémoires de l'académie des Inscriptions, savants étrangers, tom. I, part. I, pag. 269. — (10) Pouillé de Coutances de 1648, pag. 20. — (11) Cfr Leber, Op. et pag. citt. — (12) Lecanu, Histoire des évêques de Coutances, pag. 516. — (13) Ibid. pag. cit. — (14) Ibid. pag. 68.

AUCTORE V. D. B.

rum numero recensentur; licet eorum plerique cultum publicum amplius non habeant; quod propter Normannorum depopulationes nemini stuporem ingerere possit. Cultus autem fuit, teste Rev. D. Lecanu (1), *S.* Fromundus *in diœcesibus Constantiensi, Rothomagensi et Bajocensi; sed hæc restringenda potius videntur quam amplianda. Primum de Bajocensi diœcesi: utor ea parte breviarii Bajocensis, circa annum* 1627 *curis episcopi Jacobi d'Augennes editi* (2), *qua proprium sanctorum continetur; atque ibi nulla S.* Fromundi *fit mentio.*

floret in abbatia Cerasiensi et Fiscannensi cœnobio, ubi etiam parœcia ejus patrocinio erigitur

11 *Similiter plane omittitur S.* Fromundus, *quemadmodum ad me scripsit R. D. Gilbert, in Ordinariis Constantiensibus sæculi* XIII *et* XIV, *in Breviario sæculi* XIV *et in Missalibus extremi sæculi* XV *et ineuntis* XVI. *Quamobrem plurimum dubito an umquam hic sanctus in universa illa diœcesi cultus fuerit. Verum in hac diœcesi jacebat Cerasiensis S. Vigoris abbatia, cui annexum fuisse S.* Fromundi *prioratum semel atque iterum vidimus. In ea itaque abbatia, donec ad finem sæculi* XVIII *violenter suppressa sit, quotannis actum est S.* Fromundi *festum die* 24 *octobris* (3).

B *Nunc de Rothomagensi diœcesi. Habemus Breviarium insignis ecclesiæ metropolitanæ Rothomagensis, jussu Francisci de Harlay archiepiscopi anno* 1627 *editum; neque in hoc S.* Fromundi *memoria recolitur: verumtamen non omnino ex ea diœcesi exulavit ecclesiastica ejus veneratio. Mabillonius* (4) *tamen juxto longius processit, quum scripsit S.* Fromundum *patronum esse nonnullarum ecclesiarum in pago Caletensi, vulgo* Pays de Caux; *nam licet satis diligenter evolvi priorem tomum Plessæi de descriptione Normanniæ superioris, qua pagus Caletensis continebatur, nullum ibi templum inveni cum hoc patrocinio, nisi Fiscannense quoddam. Et quidem ecce ejus origo. Legimus apud Ordericum Vitalem* (5) *de Guilielmo, abbate Fiscannensi:* Navem quoque basilicæ (*Fiscannensis*), ubi oratorium sancti Fromundi habetur, eleganter auxit; opusque tandem consummatum a Guillielmo archiepiscopo aliisque quatuor præsulibus XVII kalendas julii (*anni* 1106) consecrari fecit. *Hæc Guilielmi fabrica, quæ pars erat templi abbatialis, jam pridem periit* (6);

C *sed ejus loco exstructa est extra illud templum alia ædes, quæ donec stetit, S.* Fromundi *dicta est. De his Tussanus Plessæus erudite disputat in hunc modum* (7): In commentariis aliquibus Fiscannensibus reperitur ecclesia S. Petri parochialis, intra abbatiæ ambitum sita atque anno 1450 in S. Fromundi translata. Quæ si exstitit ecclesia, nil obstat quin parœcia fuerit famulorum et commensalium abbatiæ; sed nil aliud de ea innotuit. Et si in S. Fromundi ædem fuerit translata, oportet ut id factum sit, quum id sacrarium adhuc in nave esset templi abbatialis. Hæc enim S. Fromundi ædes seu altare ab initio parœciale fuit aut saltem deinceps factum est, ejusque cœmeterium in ea primæ curtis parte erat, in qua ineunte hoc sæculo (*scilicet* XVIII) aquarium effossum est, dictum *la voûte*. Nuspiam D reperitur quo tempore S. Fromundi sacrarium et parœcia extra abbatiale templum eliminata fuerint atque eo loco constituta ubi nunc S. Fromundi templum cernitur: huc forte pertinet annus ille 1450, supra indicatus. Sed, utut est, sive intra sive extra monasterii muros, anno 1288 exstabat S. Fromundi parœcia. *Usque ad reipublicæ gallicanæ immutationem permansit hæc parœcia; verum tunc suppressam fuisse, ita ut nunc vix aut ne vix quidem supersit memoria* (8), *mirabitur nemo.*

et reliquiæ asservantur.

12 *Reliquiarum S.* Fromundi, *quæ ibidem olim asservabantur, meminere Lecanu* (9) *et Plessæus* (10). *Eæ nondum recensentur in catalogo reliquiarum, quæ quinto nonas martii anni* 1162 *solemnissime translatæ fuere* (11); *sed in libro, quem exeunte sæculo* XVII *sacrista Fiscannensis de thesauro et historia sui monasterii edidit* (12) *et partim tentamini suo de eadem abbatia inseruit Leroux de Lincy* (13), *dicitur feretrum S.* Fromundi *Fiscannense laminis cupreis deauratis vestitum fuisse, in eoque contenta fuisse ossa brachiorum, crurium et plura alia: quin etiam traditur ibidem* (14) *in S. Taurini feretro caput exstitisse S. Romani martyris aut S.* Fromundi; *verum sæculo* XIV *habebatur id indubie pro* capite cum reliquiis sancti Romani militis, qui a beato Laurentio martyre baptizatus *fuit* (15). E

Ejus item cultus obtinet in diœcesi Constantiensi, maxime in prioratu S. Laudi Rothomagensi;

13 *In universa diœcesi Constantiensi exstitisse S.* Fromundi *cultum usque ad annum* 1829, *quo novum Breviarium jussu episcopi Petri Dupont-Poursat et curis R. D. Manger, seminarii præsidis, prodiit, tradit R. V. Lecanu* (16). *Verum hæc quoque explicanda sunt. Quemadmodum ad me scripsit R. D. Gilbert, plane omittitur S.* Fromundus *in Ordinariis Constantiensibus sæculi* XIII *et* XIV, *in Breviario sæculi* XIV *et in Missalibus extremi sæculi* XV *et ineuntis* XVI; *similiter in Breviario, quod anno* 1609 *Nicolaus de Briroy, Constantiensis episcopus, edi jussit, nulla de S.* Fromundo *mentio fit, et ne simplex quidem de eo fit memoria; atque haud scio an inde exulaverit usque ad medium sæculum* XVIII, *quo, ut infra videbimus, officium ejus insertum est renovato Breviario. Verumtamen, quum prioratus* F *S. Laudi Constantiensis diœcesis pars esset, dici nequit usque ad id tempus nullam omnino in diœcesi illa actam fuisse S.* Fromundi *festivitatem. Agebatur enim sæculo* XII *in prioratu isto in ejus honorem festivitas ritu duplici* (17); *qui illo ævo tantæ habebatur solemnitatis, quantæ nunc est qui dicitur ritus duplex major. Errat itaque R. D. Lecanu* (18), *quum scripsit id festum tanta tunc actum fuisse solemnitate quanta festa Epiphaniæ, Purificationis, Annuntiationis, S. Joannis Baptistæ, S. Rumpharii, Constantiensis episcopi, et S. Augustini, canonicorum regularium patroni: omnium scilicet horum solemnitas erat certe æquiparanda duplicibus secundæ classis hodiernis. Postea tamen auctus est illic ritus officii S.* Fromundi:

(1) Lecanu, Histoire des évêques de Coutances, pag. 62. — (2) Cfr Hermant, Hist. du diocèse de Bayeux, pag. 462. — (3) Lecanu, Histoire etc. pag. 61 et 62. — (4) Annales Bened. lib. XVI, num. 76, tom. I, pag. 497. — (5) Hist. eccles. lib. XI, num. 30, tom. IV, pag. 270, édit. Le Prévost. — (6) Le Prévost, Orderici Vitalis, Hist. eccl. tom. IV, pag. 270, not. 2. — (7) Description de la Haute-Normandie, tom. I, pag. 102. — (8) Cfr Leroux de Lincy, Essai sur l'abbaye de Fécamp; Cochet, les Eglises de l'arrondissement du Havre, tom. II, etc. — (9) Histoire des évêques de Coutances, pag. 61. — (10) Description de la Haute-Normandie, tom. I, pag. 103. — (11) Leroux de Lincy, Essai etc. pag. 21. — (12) Le thrésor ou abbrégé de l'histoire de la noble et royale abbaye de Fécamp. — (13) Essai sur l'abbaye de Fécamp, pag. 194. — (14) Pag. 193 et 194. — (15) Ibid. pag. 328. — (16) Histoire etc. pag. 59 et 417. — (17) Ordinarium canonicorum S. Laudi, ap. Migne, Patrologia latina, tom. CXLVII, col. 189. — (18) Ibid. pag. 61 et 161.

A mundi: *adeoque in duobus Breviariis S. Laudi, sæculo* XIV *conscriptis atque nunc servatis in bibliotheca Parisiensi Mazarinea, reperit R. D. Gilbert S.* Fromundi *officium cum octava; sed omnia desumenda erant ex communi martyrum. R. D. Lecanu addit officium, ibidem præscriptum, olim commune fuisse omnibus ecclesiis, quæ speciali cultu prosequebantur S.* Fromundum: *atque his proculdubio intelligit prioratum S.* Fromundi *et abbatiam Cerasiensem: et quidem in antiquis hujus asceterii breviariis indicatum esse S.* Fromundi *festum literis rubris, ut alia solemnia festa* (1).

ubi olim de eo tamquam de martyre, in aliis vero ecclesiis rectius officium de eo fiebat tamquam de confessore pontifice.

14 *Verum neque hæc omnino accurata sunt. In S. Laudi templo, ut ex modo dictis et ex loco num.* 7 *hujus commentarii allegato constat, fiebat* de sancto Fromundo MARTYRE duplex festum; *contra, ut Tustanus de Billy tradit, in Cerasiensi abbatia celebrabatur olim S.* Fromundi *festivitas de communi confessorum pontificum; eaque de causa extremo sæculo* XV *curavit Cerasiensis abbas, ut habitu episcopali pingeretur sanctus vir in fenestra templi prioratus S.* Fromundi; *verumtamen in eadem illa* B *abbatia prævaluit etiam demum ut de S.* Fromundo MARTYRE *officium fieret. Unde R. D. Gilbert scripsit ad me se in Ordinario Cerasiensi, conscripto post sæculum* XVI *et usque ad finem usurpato, ad diem* 24 *octobris reperisse sequentia:* S. Frotmundi martyris duplex. Ejus hic habebantur reliquiæ, combustæ, ut traditur, ab Hugonottis. Oratio ex codice manuscripto. Lectiones I Nocturni *Fratres, debitores.* II Nocturni: *Triumphalis dies beati martyris Frothmundi.* III Nocturni homilia in eo: *Nolite arbitrari.* Reliqua de communi primo loco. *In S.* Fromundi *prioratu constantiores fuerunt. Ibi semper cultus fuit S.* Fromundus *tamquam confessor et pontifex atque ita coli pergit; adeoque ibidem habitu pontificali et cum disco rotundo circum caput exhibetur in fenestra encaustice picta, in antiquo vexillo et in vetusta imagine pergamena; eamdemque formam habet parva sed antiquissima, quæ ibidem servatur, ejus statua. Quum vero S.* Fromundi *prioratus Ordinario S. Laudi sit antiquior, illa meo judicio tantæ sunt auctoritatis, ut his omnino stabiliri videatur et certissima veritas* C *fieri conjectura Mabilloni* (2) *et Plessæi* (3), *qui quum viderent S.* Fromundum, *in Normannia cultum, passim eumdem haberi ac eremitam et martyrem Anglum, non dubitarunt ab hac sententia discedere et aperte dicere eum sibi videri Constantiensem fuisse episcopum; nil ultra affirmari ausi quod nescirent S.* Fromundum, *in partibus Cismarinis adeo celebrem, olim habuisse officium de communi confessorum pontificum aut in veteribus catalogis Constantiensium episcoporum omnes usque ad Agathium* (*vide supra num.* 9) *inter cælites referri. Sed de hac confusione multo latius dicendum est. Etenim ut in illa conjectura felicissimus fuit Mabillonius, sic minus recte arbitratus est S.* Fromundi, *episcopi Constantiensis, cultum transiisse ad Anglos, adeoque illum eumdem esse ac homonymum, apud Anglos olim celebrem:* Colitur, *inquit*, apud Neustrasios, qui olim apud Anglos maxime itidem colebatur, sanctus Frotmundus, vulgo Fremundus, sub cujus patrocinio exstat oppidulum et prioratus in diœcesi Constantiensi, et in pago Caletensi ecclesiæ nonnullæ: sed quis sit Frotmundus ille, incompertum, quem Offæ, Anglorum regis, filium fuisse recentiores quidam perperam dicunt. Facile crederem haud alium esse quam Frodomundum seu Frotmundum, episcopum Constantiensem. *Ostendendum itaque est duos fuisse S.* Frotmundos, *alterum martyrem Anglum, alterum episcopum Constantiensem: quod ut fiat, quum de episcopo jam satis dixerimus, sufficiet ut martyris gesta brevissime indicemus, potius inhærentes ejus corporis translationibus. Si enim unum habeamus cultum pro martyre, alterum pro confessore pontifice; deinde si duo corpora servata fuerint, alterum in Anglia, alterum in Normannia, quid demonstrationi nostræ deesse possit non videmus. Sed prius seponendus est tertius Fromundus, quem huc quoque transtulere.*

AUCTORE V. D. B.

Peregrinatio alius Fromundi ad monasteria Ægypti, ad S. Cypriani prope Carthaginem sepulcrum et ad multa alia loca sub medium sæculum IX.

15 *Nominis similitudine ductus, edidit sub præsenti die R. V. de Garaby* (4), *historiam Fromundi seu Frotmundi pœnitentis, quem ipse* sanctum *vocat. Re quidem vera Rothonensis monachus, qui ex ore Fromundi ejus pœnitentiam et peregrinationes descripsit, addit in fine* (5): Eodem vero die egressionis suæ *e Rothonensi monasterio*, ex hoc mundo ad cælestia regna properavit; ubi nunc exultat cum angelis sanctis, regnans cum omnibus sanctis. *Verum similia singularis scriptoris verba non sufficiunt ad stabiliendum cultum et ne quidem ad sanctitatis famam adstruendam: adde ab ipso Rothonensi monacho nuspiam* sancti *titulo honorari Fromundum. Operæ pretium tamen fuerit paucissima ex hac narratione hic referre.* Natus erat *Fromundus* ex nobilissimis parentibus Francorum, qui majores et proceres palatii regis erant. *Sub annum* 850 *mortuo patre, lis exorta est de hereditate, in qua Fromundus et duo ejus fratres incaute occiderunt patruum, qui et presbyter erat in palatio regis gloriosus, atque etiam fratrem suum natu minimum. Quare pœnitentia ducti, adierunt Lotharium, filium Ludovici Pii; cujus imperio episcopi ad synodum vocati*, jusserunt F fabricare catenas ferreas et ligare eos per brachia et per lumbos strictim et sic loca sancta circuirent in cinere et cilicio, quousque Dominus reciperet pœnitentiam eorum *seu sponte disrumperentur eorum vincula. Perrexerunt itaque trini prius Romam; atque hinc, acceptis a Benedicto III, qui* 29 *septembris* 855 *ordinatus fuerat* (6), *literis formatis, Jerosolymam;* postea perrexerunt viri ad Ægyptum, lustrantes monasteria, ac cœnobia, ac sanctorum agmina monachorum, fueruntque ibi fere per duos annos: ac exinde profecti direxerunt gressum ad Africam visitare sepulchrum sancti Cypriani archiepiscopi et martyris Christi, qui secundo miliario ab urbe Carthaginensi juxta mare requiescit, ubi multæ virtutes et multa miracula a Domino sæpius ostenduntur. Post autem quatuor annos

(1) Lecanu, Histoire des évêques de Coutances, pag. 62. — (2) Annales Bened. lib. XVI, num. 76, tom. I, pag. 497. — (3) Description de la Haute-Normandie, tom. I, pag. 103. — (4) Vies des bienheureux et des saints de Bretagne, pag. 567 et seqq. — (5) Vita SS. Rotonensium, lib. III, cap. 8, ap. D. Morice, Mémoires pour l'histoire de Bretagne, tom. I, col. 259 et seqq. — (6) Art de vérifier les dates, tom. I, pag. 264.

(*immo*

AUCTORE V. D. B.

(*immo ad summum post duos*) Frotmundus cum duobus fratribus suis iterum Romam reversi sunt; *atque inde* cum consilio et benedictione sancti Benedicti papæ, *qui die* 8 *aprilis anni* 858 *obiit,* repedaverunt ultra mare iterum visitare sepulchrum Domini. *Visitarunt tunc etiam Galilæam, Armeniam, montem Sinaï et mare rubrum per tres annos, et anno quarto redierunt Romam. Dein Italiam, Burgundiam, Aquitaniam, Neustriam et demum Britanniam peragrarunt, ubique Dei misericordiam per sanctorum intercessionem postulantes. Rhedonibus excepti sunt ab Electramno, qui die* 29 *septembris anni* 866 *episcopus sacratus fuerat. Fratrem ibi amisit Frotmundus; qui et ipse, vinculorum pressione saniem emittens et sanguinem, Rotonense cœnobium petiit; ubi, quum Romam redire cogitaret, meritis S. Marcellini papæ in somno a vinculis mirabiliter solutus est; et triduo post egressus e monasterio vita functus. Prorsus itaque hic alius est, ab homonymis facile distinctus. Quare sine mora veniamus ad S. Fromundum seu Fremundum Anglum.*

S. Fromundus *Constantiensis*

16 *Die scilicet* 11 *maji festum olim agebatur in aliquot Angliæ locis in honorem S. Fremundi, cujus Vitam, fabulis maculatam, olim edidit Capgravius et mihi subministrat tomus* III *Vitarum sanctorum, complectens sanctos mensium maji, junii, julii et augusti, collectus exeunte sæculo* XV *a Vallis Viridis canonico regulari, Joanne Ghentio. In ea dicitur* S. Fremundus (*malunt nempe Angli hanc nominis formam Gallis non ignotam, sed norunt etiam* Fromundum), *filius fuisse regis Offæ; et reapse nil obstat quin ex regulo aliquo comitatus Warwicensis sæculo nono natus fuerit.*

confusus fuit cum S. Fremundo seu Fromundo, martyre Anglo, cujus gesta,

17 *Ab episcopo Heswi, quod nomen idem videtur ac Æscwy, in juventute baptizatus, annum et dimidium regni habenas tenere a patre compulsus fuit. Dein cum duobus clericis, Burchardo, qui dicitur Vitam ejus scripsisse* (*certe eam Anglicam, quæ postea in ejus tumulo reperta fuisse narratur*), *et Edebrido clam confugit in insulam Fage, positam in ostiis fluminis seu sinus Sabrinæ** (1); *ibique cellula seu oratorio in honorem sanctæ Mariæ constructo, cum sociis septem annos pientissime vixit. Interea Yngar et Hubba cum agmine*

C *Danorum seu Normannorum Angliam invadunt et S. Edmundum regem immaniter occidunt; quod die* 20 *novembris anni* 870 *factum est. Cujus rei fama quum ad Offam, S. Fremundi patrem, pervenisset, barbaris resistendum esse, si qua esset via, ratus est. Quamobrem viginti duos legatos misit qui filium, olim strenuum militem, circumquaque inquirerent. Is brevi repertus cum sociis ex insula excessit et patriam terram repetiit. Pacem iniquis et impiis conditionibus offerunt Dani; quibus jure merito spretis, ad pugnam venitur, ex qua S. Fremundus, licet secum tantum haberet duos eremi socios et viginti duos patris legatos, victor exivit. Sed brevi post Oswi, reguli Offæ olim miles, sed abjurato Christo Danorum partes dein secutus, timens ne a se expeteret S. Fremundus perfidiæ pœnas, latenter ad eum accessit eumque capite amputato impie interfecit. Quinto idus maji anni* 866 *id accidisse traditur in Passione,*

* Severn

ab Harpsfeldio, Alfordio nostro (2), *Cressyo* (3), D *Colgano* (4) *et Smithio* (5); *ab auctore vero recentioris Martyrologii Anglicani* (6) *et Challoner* (7) *anno* 862; *sed post annum* 870 *hanc cædem patratam fuisse vel ex eo liquet, quod posterior sit martyrio S. Edmundi. Sepultum prius fuit sancti martyris corpus loculo plumbeo inclusum,* in loco qui Offecherche appellatur intra domus regiæ septum, *qui vicus quinque circiter milliaria distat a Warwicko, orientem versus: super locum vide Henschenii commentarium de S. Fremundo* (8).

translationes

18 Elapsis autem post obitum ejus annis LXVI, *quibus ad annum saltem* 936 *devenimus,* tres puellæ, diversis corporis incommodis a prima nativitate laborantes, *non sine prodigiis venerunt ad beati viri corpus idque tulerunt ad* locum quemdam inter Charewel et Brademere bitumine circumdatum, ubi invicem conjuguntur hii fluvii, *et* in lapide niveo, mirabiliter exsculpto, martyris corpus decenter collocarunt. *Ibidem* super fluvium Charewelle quinque sacerdotes mansionem acceperant, *seu (nisi fallor) prioratus canonicorum regularium erectus est; in quo S. Fremundi feretrum humo aliquando absconditum est, verisimiliter ob hostium incursiones. Charwell seu Cherwell rivus est ex angulo meridionali Northamtoniæ in agrum Oxoniensem influens et Oxoniæ aquas suas in Isidem seu Tamesim infundens: quis autem rivus sit Brademere non reperio, quod mihi desint accurati hydrographi angli; verum hæc ita diligenter descripta sunt, ut ii quorum interesse queat rescire quæ ecclesia istic designetur, facile ex confluente Charwell et Brademere id intelligent. Porro latuit ibi S. Fremundi feretrum, donec sacerdotes illi, indicio Ælberti cujusdam, ex peregrinatione Hierosolymitana reducis, sepulchrum in scrobe detexerunt et in eo, præsente Birino* (?), *episcopo Dorcestriensi,* corpus gloriosi Fremundi decenter pannis involutum et in eodem sepulcro cum corpore ipsius Vitam et Passionem Anglicis apicibus annotatam. *Dein delatum fuit corpus* ad locum quemdam, qui Redic vocabatur; *ubi id, constructa capella, Ælberto illi et quinque sacerdotibus custodiendum traditum est, in loculo laminis argenteis, quæ fidelium devotione oblatæ fuerant, decenti opere composito, collocatum: quæ* de sepulcro veteri elevatio quinto kalendas aprilis *facta est; et ex cæmento et lapide postea super eum oratorium fabricasse traditur ille idem Dorcestriensis præsul.*

E

F

et potissimum cultus in prioratu de Dunstable in Bedfordiensi agro et diœcesi Dorcestriensi seu Lincolniensi breviter referuntur.

19 Diebus autem nostris, *additur in codice quo utor,* in prioratu canonicorum regularium de Dunstaple sanctum ejus corpus requiescens in magno honore habetur. *Eo devenisse videtur ante annum* 1207, *ad quem in Chronico hujus asceterii, in lucem dato, ni Fallor, a Gough, Camdeni editore* (9), *legitur* (10): A. D. 1207 dedicata sunt in ecclesia nostra altare S. Mariæ, et altare S. Frehemundi, et altare S. Nicolaï et altare S. Jacobi; *cura proculdubio prioris conventus, qui ad annum* 1213 *generatim laudatur quod* reliquias multorum sanctorum a multis amicis

(1) Challoner, Britannia sancta, tom. I, pag. 286. — (2) Cfr Acta SS. tom. II Maji, pag. 656. — (3) The Church-history of England, pag. 739. — (4) Act. SS. Hiberniæ, tom. I, pag. 693, num. 45. — (5) Flores historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum, pag. 157. Cfr pag. 156. — (6) A memorial of British piety, pag. 76. — (7) Britannia sancta, tom. I, pag. 286. — (8) Acta SS. tom. II Maji, pag. 656. — (9) Cfr Gough in sua editione Britanniæ Camdeni, tom. I, pag. 331. — (10) Monasticum Anglicanum novum, tom. VI, pag. 240.

adquisivit

AUCTORE V. D. B.

A adquisivit (1). *Quin etiam aliquot annis ante jam fervebat ibidem S. Fremundi cultus.* Anno *enim* Domini, *ut laudatus chronographus loquitur* (2), millesimo ducentesimo tertio dedit et confirmavit nobis rex nundinas trium dierum in majo; *seu, ut in Historia fundationis legitur* (3): Habent etiam dicti prior et canonici... ex dono... regis... Johannis feriam in festo S. Fremundi, *quæ die* 11 *maji celebrabatur,* per tres dies... duraturam. *Ex hoc tempore inclaruisse videtur S. Fremundi regis et martyris nomen; unde, quum Henricus III, in Angliæ regno Joannis successor, anno* 1257 *in S. Albani monasterio constitutus esset,* nominavit, *inquit Matthæus Parisius* (4), *huic colloquio præsens,* omnes Angliæ sanctos reges canonisatos; et ne tantus scriba circa hoc incassum studuerit, ipsos sanctos, ut sic eorum tituli ad eorum laudem recitentur, huic paginæ duximus annotandos: Albertus, Edwardus martyr, Kenelmus, Oswaldus, Oswennus, Neithan, Wistan, FROMUNDUS, Edwulfus, Edmundus, Edwardus; *quæ intellexit Colganus* (5), *quasi eo anno canonisatus fuisset sanB ctus vir. Item inscriptum fuit S. Fremundi nomen non solum inter auctaria Usuardina, quæ indicat Henschenius* (6), *et quæ inter Altempsianum olim in ecclesia Wintoniensi usurpatum fuit, ut ostendit Solerius* (7); *verum etiam in Salisburgensi et Anglicano Martyrologiis* (8) *locum jure merito obtinuit.*

Licet itaque duo corpora honorata fuerint et alter pro confessore pontifice alter pro martyre culti, confusi tamen fuere in unum sanctum tum ab Anglis, tum a Normannis.

20 *Quum autem illo ævo Normannia et Anglia iisdem parerent regibus et vix quidpiam de S.* Fromundo, *Constantiensi episcopo, sciretur, paulatim factum est ut in utraque regione unus sanctus haberetur, seu, ut ad S.* Fromundum *Constantiensem referrentur sancti regis et martyris laudes. Ecce enim quod ad Angliam spectat. In auctario Usuardi Altempsiano, ubi ad* 11 *maji legitur:* In Britannia majore, sancti Fresmundi (*alia monumenta Anglicana Fremundum et Fromundum habere jam semel dixi*) regis et martyris, *et ad diem* 24 *octobris, quo S.* Fromundi *Constantiensis festum agitur, hæc occurrunt:* Item sancti Fremundi martyris. *Jam de Gallis. In tertio Bigotiano Usuardi codice, eoque aliis duobus antiquiore et a Solerio* C *nostro edito, ad diem* 24 *octobris* sancti Frotmundi martyris *memoria recolitur. Inter recentiores Saussayus eum omisit: Castellanus vero prudentibus verbis usus est:* In Normannia, *inquiens,* S. Fromundi, honorati pro martyre in prioratu S. Laudi Rothomagensi, ubi ejus corpus requiescit. *Contra Cardinalis de Noaliis in Martyrologio Parisiensi minus caute scripsit:* Rothomagi, sancti Fromundi martyris, cujus corpus in ecclesia S. Laudi honorifice asservatur; *et demum multo incautius Petrus de Rochechouart, Ebroicensis episcopus, in suæ diœcesis Martyrologio:* In Anglia, sancti Fromundi martyris, cujus corpus in ecclesia S. Laudi requiescit: *quibus verbis satis aperte innuebatur sancti viri reliquias, in Normannia religiose cultas, aliquando ex Anglia in partes cismarinas fuisse translatas. At quo tempore? Divinavit id aliquando qui circa medium sæculum* XVIII, *episcopo Leonoro II Gouyon de Matignon, Constantiense Breviarium reformavit, scribens id factum fuisse ineunte sæculo* X *eaque occasione fundatum fuisse Hamense monasterium* (9). *Quod posterius quam falsum sit ex dictis numm.* 3, 4 *et* 5 *omnino patet; prius vero pugnat cum omnibus his, quæ de S. Fremundi reliquiis in Anglia servatis modo vidimus; ut ne dicam eo tempore locum non fuisse transferendis reliquiis in Nor-* E *manniam, a barbaris occupatam et vastatam. Sed quod multo magis mireris seu potius stupeas, ipsi canonici S. Laudi sæculo* XII martyrem *eum appellabant in Ordinario et exeunte sæculo* XV *in commentariis, quos numero* 8 *retulimus,* abbatem et martyrem. *Sed tempus demum est contrahendi vela: quamobrem ea sit nostra conclusio errasse Mabillonium, errasse Anglos et Normannos quum unum eumdemque sanctum Fromundum seu Fremundum esse crediderunt qui in Anglia olim cultus fuit et qui in Normannia; sed recte sensisse Mabillonium de S.* Fromundo *Normanno, cum videlicet opinatus est cum fuisse Constantiensem episcopum, qui Hamensem parthenonem dedicavit. Nolim claudere hunc qualemcumque commentarium, quin moneam Romæ quidem nil actum fuisse ut liceret S.* Fromundi *festum novo Proprio sanctorum Constantiensi inserere; sed quum de hoc beatissimo viro incidisset mentio, jure merito dixisse R. D. Capaltium vicario generali Constantiensi, toties a me laudato, conservandum esse ejus cultum in S.* Fromundi *parœcia, quippe qui legitimus sit et antiquissima* F *consuetudine confirmatus. Quæ memoria aliquando valebit ne forte omnino supprimatur; alibi enim nuspiam amplius in usu est.*

(1) Monasticum Anglicanum novum, tom. VI, pag. 241. — (2) Ibid. pag. 240. — (3) Ibid. pag. cit. — (4) Historia major, pag. 915, edit. Tigurina, 1606. — (5) Act. SS. Hiberniæ, tom. I, pag. 693, num. 45. — (6) Act. SS. tom. II Maji, 656. — (7) Martyrologium Usuardi, pag. LXIII. — (8) Colganus, Acta SS. Hiberniæ, loc. cit. — (9) Lecanu, Histoire des évêques de Coutances, pag. 62 et 63.

DE

A D

DE S. FLORENTINO CONFESSORE,

CULTO IN PRISTINA DIOECESI TULLENSI,

V. D. B.

SYLLOGE.

§ I. S. Florentini, genere Scoti seu Hiberni, nomen ad plures dies fastis sacris adscriptum. Falso eum popularem suum arbitrantur præsentis Scotiæ incolæ. Ejus Vitæ capita. Sepultura et cultus Boneti in pristina diœcesi Tullensi.

S. Florentinus, *cujus memoria incuriose recolitur a Scotis diebus 24 aut 26 januarii et 18 et 27 aprilis,*

* Joinville.

Camerarius (1) *ad diem* 18 *aprilis memoriam fecit de S.* Florentino, *quasi tum coleretur, scripsitque de eo :* Hic ex Scotia clam fugiens, in Lotharingiæ partes pervenit; ubi in convertendis ad Christum animabus mirabilia operatus est. Quiescit sacrum ejus corpus in pago Bonnet in diœcesi Tullensi in finibus Campaniæ tribus tantum leucis a civitate Janvillana *. Celebris est ad sacras ejus reliquias stultorum peregrinatio; et vix ullus est qui inde sanitate non recuperata recedat. Vita hujus sancti circa templi parietes descripta est. *Hæc verba, quibus fere quæcumque de S.* Florentino *innotuerunt continentur, quum legissent decessores nostri, de eo meminerunt in prætermissis ad diem eamdem* (2); *sed quum cognovissent a Dempstero libro* VI *Historiæ Scotorum ejus festum statui die* 24 *januarii et in ejusdem Menologio Scotico die* 26 *ejusdem mensis, distulerunt de eo dicere in supplemento Actorum ad diem* 24 *aut* 26 *januarii. Quæ promissa ad diem* 27 *aprilis* (3), *sub qua Camerarius libro* III *de pietate Scotorum iterum S.* Florentini *festivitatem memorat, renovarunt, errore tamen calami* XIV aut XVI januarii, *loco* XXIV aut XXVI, *scribentes. Verum Dempsterus incuriose dixit S.* Florentinum *coli mense januario, neque minus incuriose Camerarius mense aprili. Neutro enim anni tempore apud*
C *Tullenses, ut vult Camerarius, aut apud Lingonenses, ut tradit Dempsterus, cultum habuit S.* Florentinus. *De Lingonensibus mihi constat ex breviario anni* 1604; *de Tullensibus ex aliis libris, quos inferius designabo.*

cultum obtinuit in pristina diœcesi Tullensi diebus 18 maji et 24 octobris.

2 *Hæc intellexerunt decessores ipsimet nostri, ubi ad diem* 18 *maji* (4) *in vetusto Breviario Tullensi, quod in suo musæo habebant, viderunt annuam commemorationem translationis S.* Florentini, *atque in eodem libro alterum seu præcipuum ejus festum annotatum legerunt ad diem* 24 *octobris. Quamobrem distulere de eo agere usque ad hanc diem. Et quidem præsenti die ejus memoriam recolit Castellanus in Martyrologio universali; et, omisso festo mensis maji, in Breviario, quod anno* 1749 *Scipio Hieronymus Begon, Tullensis præsul, secundum ritus Gallicanos novos edendum curavit, fieri jubetur hac die simplex commemoratio sine lectionibus propriis* S. Florentini laïci justi. *Eo tempore dissecta jam fuerat Tullensis diœcesis in varias partes; unde Sandeodatensis * diœcesis (ut ex kalendario liturgico anni* 1831 *intelligo) ad hoc usque tempus die* 24 *octobris S.* Florentini *memoriam ritu simplici facit; similiterque Nancejensis, quæ cum Tullensi per concordatum in-* E *euntis hujus sæculi in unam coaluit. Accipe quæ Breviarium Nancejense de S.* Florentino *propria habet :* Hoc eodem die (*agitur enim eo die ritu simplici S. Romani Rothomagensis festivitas*) a remotis patrum nostrorum temporibus recolitur memoria et non sine mirandis effectibus ad sanitatem menti alienatæ restituendam invocatur patrocinum Florentini, de quo nil aliud sat exploratum superest. Vulgo traditur ex aula patris sui, in Hibernia principis, abnegationis christianæ causa ad regionem nostram migrasse et vitam, ministerio quidem abjectam, sed virtutibus sublimem, morte sancta finiisse in una diœcesis nostræ parœcia, Bonneti nomine, quæ ipsius corpus se possidere gloriatur.

* Saint-Dié.

Capitula ejus Vitæ, recensita a Dempstero et Colgano,

3 *Vitam aliquam S.* Florentini *scriptam fuisse extra controversiam videtur esse ponendum. Ea quæ Dempsterus libro* VI *Historiæ Scotorum num.* 309 *ea de re habet, Colganus* (5) *ad verbum repetivit :* Sanctus Florentinus, *inquit,* regis Scotorum filius, vir incredibili sanctitate, in Galliis colitur, templo ei in nemore densissimo dedicato in Campania non F longe a Lingonibus : cujus Vita, incerto authore scripta, novemdecim capitibus continetur. I. Rex Scotiæ filio suo Florentino coronam offert et quid de ea videatur quærit : sed sub noctem intempestam angelus ei discessum nuntiat. II. Florentinus itineris sui comites triginta optimatum filios eligit, quibus coronam ostendit. III. Orat Deum ut possit mare trajicere et angelus e cælo crucem defert qua trajicit. IV. Ipse cum sociis cruci insidens enavigat. V. Mari trajecto : Oportet, inquit, sigillatim separari ut Deo serviamus. VI. Bonettam urbem accedens, porcorum custodiæ se locat triginta duobus annis. VII. In quo subulcus fuit, fons est et baculus. VIII. Porcos ad nundinas Lingonenses duxit. IX. Cæcos, claudos, mutos sanat. X. Cacodæmon in forma puellæ formosissimæ ei annulum pronubum offert, dicens illum esse Scotorum regis filium. XI. Cum cacodæmone tribus diebus et totidem

(1) Cfr Colganus, Acta SS. Hiberniæ, pag. 158. — (2) Act. SS. tom. II Aprilis, pag. 521. — (3) Ibid. tom. III Aprilis, pag. 474. — (4) Ibid. tom. IV Maji, pag. 136. — (5) Act. SS. Hiberniæ, pag. 157.

noctibus

A noctibus sine missione pugnat. XII. Cacodæmon conatur sensum ei eripere. XIII. Baculum humi defixit dormiturus, qui fonte orto radices egit. XIV. Incidit in morbum et angelus transitum nuntiat; quis sit pastori revelat. XV. Obit, præscribens ut eo loci humaretur, quo duo tauri currui impositum deferrent. XVI. In densam silvam delatus est, et advenienti arbores cacumina inclinarunt. XVII. Terræ mandarunt in opacissima ea sylva. XVIII. Fundatur ecclesia et ingentia fiunt quotidie miracula. XIX. Miraculorum progressus. Floruit anno MCC et quod excurrit. Colitur die 24 januarii. Acta loci.

conveniunt cum picturis antiquis templi S. Florentini *de Boneto; atque olim Vita ejus scripta erat in exemplari chronici S. Petri consecrati Ratisbonnensis;*

4 *Ineunte itaque sæculo* XVII *servabantur adhuc Boneti Acta S.* Florentini; *et quidem secundum ea pictæ sunt in interiori templi parte novemdecim tabulæ, quibus lingua vernacula gothicisque literis eadem capitula adscripta sunt. Pauca tamen immutata sunt; ita ut neque idem omnino utrobique servetur ordo, neque eadem prorsus dicantur : quæ tamen tam parvi momenti sunt ut non mereantur hic latius explicari; sed indicio sunt capita, a Dempstero recensita, non esse versa ex tabularum titulis (quod primo conspectu me suspicatum fuisse non diffitebor), sed reapse breviaria esse Vitæ, in novemdecim segmenta divisæ. Præterea in Collectaneis Hibernicis, quæ in Bibliotheca mss. codd. regia Bruxellensi conservantur, index texitur Chronici S. Petri Consecrati Ratisbonnensis, atque ibi inter Vitas plurium aliorum sanctorum, qui ex Hibernia in continentem terram venerunt, indicatur transitus SS.* Florentini *et Imari. De eo Chronico ut quidpiam rescirem adhibui benevolentiam nobilissimi viri baronis Kervyn de Lettenhove, de historia Flandriæ præclare meriti; qui de eodem percunctatus est cl. v. Lohr, bibliothecarium Monacensem. Hic duo exemplaria hujus Chronici reperit, sed in neutro exstat id de SS.* Florentino *et Imaro caput. Prius notatum est numeris cod. lat.* 14873, *kat. S. Emeram.* 873; *posterius claudi-*
C *tur in codice pretioso (lat.* 103), *quem Andreas presbyter Ratisbonnensis ab anno* 1420 *usque ad* 1427 *conscripsit. Utrumque exemplar valde accurate descripsit cl. v. Lohr; ita ut ambigendum non sit quin auctor collectaneorum Bruxellensium omnino simile præ manibus habuerit, uno tamen capite auctius, gestis nempe S.* Florentini.

sed prodigiis incertis plena erat, ex quibus tamen apparet quanti fieret beatus vir.

5 *Sed parum doleo hanc jacturam, quum proculdubio liber ille, in aliis quoque sanctis fabulosus, nil aliud contineat quam epitomen imaginariæ illius S.* Florentini *Vitæ, quæ olim Boneti custodiebatur atque nunc adhuc pictura ibidem expressa exstat. Hanc porro nullius auctoritatis esse quis non videat? Nil scilicet in ea occurrit quod in aliis sanctorum Hibernorum fabulosis Actis passim non appareat. Viden'? Ut S. Wendelinus, cujus gesta illustravimus sub die* 21 *octobris, sic quoque S.* Florentinus *regis Scotorum filius fuit et porcos pavit. Cum porcis suis per aerem translatus est S. Wendelinus; cum iisdem mirabili modo devenit S.* Florentinus *ad nundinas Lingonenses. Crux cimbæ loco fuit S.* Florentino *et triginta suis sociis; alii multi Hiberni pallio trans maria vecti sunt atque etiam aliqui ligno crucis. Baculis terræ infixis, quot orti fontes? Quod vero tauris duobus rufis permissa est S.* Florentini *sepulcri electio, quid mirum? nonne S. Notburgæ famulæ corpus similiter transtulerunt duo tauri, æque prudentes* (1)? *Sed quid singulare id exemplum memoro? Quadraginta alia congessit Bonifacius Bagatta; quæ si lubet vide* (2). *Nil itaque istis narrationibus fidendum est; sed considerandæ potius ut indicia æstimationis maximæ, qua olim habebatur beatus vir, ita ut arbitrarentur simplices homines nil ab eo fieri potuisse communi modo, sed omnia miraculorum gloria fuisse honestata. Quæ censura si cui minus probetur, nolit tamen me nimiæ severitatis arguere, quippe qui promptus sim ad admittenda omnia ista prodigia, dummodo testimonia afferantur bona, quæ in rebus extraordinariis potissimum expeti possunt et debent. De cultu meliora habemus.*

AUCTORE V. D. B.

Maxime colitur S. Florentinus *in parochia Bonnet, in qua sæculo* X *traditur exstitisse*
E

6 *Ex his quæ jam attulimus manifestum est nuspiam majores S.* Florentino *honores haberi quam in parœcia* Bonnet, *in qua sepulturam nactus est.* Boney *hunc locum vocat Castellanus; decessores autem nostri ad* 18 (3) *maji* Bonnesium; *auctores vero Dictionarii universalis Galliæ* (4) Bunetum. *Hi ipsi accensent hanc parœciam diœcesi Lingonensi; quo errore accedunt ad Dempsterum, quem dicentem audivimus S.* Florentinum *in Lingonibus cultum fuisse. Verum indubium est Bonetum, Bonnesium seu Bunetum in pristina diœcesi Tullensi fuisse, nempe in archidiaconatu Lenejensi * et decanatu Gondulficurtis *. Situm quippe est sesquileuca a Gondulficurti occidentem versus, super viam qua Joanvilla * itur Vallemcolorum *, non procul ab Odorni * rivi fontibus. Anno* 969 *factum est hujus loci altare, dictum S.* Florentini, *seu oblationes sacræ penes S. Mansueti monachos dono S. Gerardi, episcopi Tullensis, ea conditione ut ejus post mortem nomen inscriberetur monasterii necrologio et ut anniversarium officium fieret pro quiete animæ Volcheri, Frederici I ducis Lotharingiæ verisimiliter fratris, qui immerita morte interemptus fuerat* (5). *Ita P. Benedictus Picard in sua Historia Tullensi, quocum convenit Calmetus in Historia Lotharingiæ, hac usus dictione :* L'église de Saint-Florentin de Bonnet. *Sed P. Benedictus in Vita S. Gerardi S.* Florentini F *nomen non exprimit, sed* altare, ecclesiam et decimas de Bonneto *dicit. Id discrimen prima specie videtur nullius esse momenti; verum si certo constaret S.* Florentini *nomen in diplomate S. Gerardi legi, probum inde exsurgeret argumentum S.* Florentinum *tanto tempore ante annum* 969 *floruisse, ut jam tum exstarent ecclesiæ, ejus titulo insignitæ. Contra quum varius sit P. Benedictus, et Calmetus ejus dicta nude repetivisse videatur, non possumus non cauti esse.*

* Ligny
* Gondrecourt
* Joinville
* Vaucouleurs
* L'Ornain.

altare S. Florentini, *a S. Gerardo donatum monachis S. Mansueti.*

7 *Adivi ea de re, uti etiam de multis aliis, R. V. E. Morel, hujus parochiæ deservitorem, virum utique (quantum ex ejus literis intelligere potui) sagacem; quin etiam (ut apertius loquar) raro omnino nobis contigit cum rurali parocho literarium commercium habere, qui tantæ prudentiæ, judicii et accurationis nobis dederit indicia. Animadvertit hic itaque ante extremi sæculi* XVIII *turbas in aliquo Bonetensis*

(1) Acta SS. tom. IV Septembris, pag. 723. — (2) Admiranda orbis christiani, tom. II, lib. VII, cap. 1, § 1, pag. 478 et seqq. — (3) Acta SS. tom. IV Maji, pag. 136. — (4) Diction. univ. de la France ancienne et moderne, Paris, 1726, tom. I. col. 460. — (5) Benoit Picard, Histoire de Toul, pag. 195.

parochiæ

AUCTORE V. D. B.

parochiæ vico sacellum fuisse S. Florentini, *idque suspicatur datum fuisse a S. Gerardo Mansuetianis monachis; quæ inde confirmari quod S. Pirminus, qui etiamnum multum colitur, patronus parochiæ fuisse habetur ante S.* Florentinum, *ita ut tempore S. Gerardi parochiale altare non videatur potuisse vocari* altare S. Florentini; *dein quod præsens parochiale templum, quod super S.* Florentini *sepulturæ locum consurgere dicitur, sæculo* XIII *aut* XIV *antiquius non est. Verum hæc si admittantur, dicere necesse est tres aliquando Boneti fuisse ædes sacras, videlicet pristinum templum parochiale S. Pirmini, dein sacellum S.* Florentini, *dono S. Gerardi penes S. Mansueti monachos factum, et demum templum S.* Florentini, *recentius in sepulturæ loco exstructum; præterea statuendum erit duas donationes a S. Gerardo fuisse factas, alteram de altari S.* Florentini *seu de oblationibus fidelium in ejus sacello factis, alteram de ecclesia S. Pirmini, ejus altari et decimis. Certe luculente constat S. Mansueti monachos non solum S.* Florentini *altare, verum etiam decimas aliaque* B *parochialia Boneti jura aliquando accepisse, quandoquidem eorum villici judicio parlamenti Mettensis de die* 26 *julii anni* 1653 *coacti fuerunt ad sartatecta procuranda ecclesiæ de Boneto ejusque annexæ Horvillæ; quemadmodum R. V. Morel in superstitibus parochialibus libris legit. Quamobrem non ægre irem in hanc sententiam, si satis mihi constaret præsens templum reapse super S.* Florentini *sepulcro, et non potius in pristinæ S. Pirmini ædis area fuisse exstructum translatoque S.* Florentini *sepulcro cohonestatum fuisse; unde etiam S.* Florentini *nomen acceperit. De his itaque nil certi statuere possumus; sed quod faustum fortunatumque est, inferius occurret melius argumentum pietatis S. Gerardi in S.* Florentinum : *atque id non minus valebit ad ejus ætatem modo qualicumque cognoscendam. Interea S.* Florentini *res Bonetenses prosequimur.*

§ II. Olim plurimum invocabatur S. Florentinus Boneti pro amentium valetudine. Singulares observantiæ. Similes Ghelæ et Rothnaci in Belgio.

C

Sepulcrum S. Florentini *in templo illius parochiæ;*

Erat itaque olim in choro templi Bonetensis S. Florentini *sepulcrum, sed jam pridem vacuum; nunc autem in alia templi parte est. Porro id constat ex cavato lapide, quinque fulcris seu columnis nixo. Opertum est altero lapide, exhibente S.* Florentinum *habitu regio et jacentis in modum. Qui pie huc peregrinantur, ante hominum memoriam solent ter genibus reptare sub sepulcrum; unde inferior tabula, licet ex duro sit lapide, plane trita est. Qui religiosus ritus adhuc obtinet multis in locis; et in Belgio nostro incognitus non est.* Quum S. Florentini sepulcrum impedimento aliquando esset ceremoniis sacris, meus decessor, *inquit R. V. Morel,* id prius transferendum curavit post chorum, dein in capellam lateralem : quo etiam delatæ reliquiæ, quæ extra sepulcrum conservantur. Huc itaque conveniunt peregrini; qui olim frequentissimi erant, D nunc autem pauciores, quamquam crescere iterum incipiat eorum numerus. Mutationis illius, *addit R. V. Morel,* hæc fuit causa. Decessor meus, arbitratus ceremonias pristinas, quæ pro amentium sanatione fiebant, sæculo XIX esse indignas, sustulit omnem hanc pietatem.

quo rituibidem ille sanctus pro salute amentium olim coleretur;

9 *Hæc autem in eo erat posita ut adducerentur Bonetum amentes et novem diebus coleretur eorum nomine S.* Florentinus. *Tonsis crinibus (qui pœnitentiæ profitendæ vetus mos) et rubra quadam veste induti (in memoriam forte vestis candidæ seu purpureæ, quacum Christus in domo Herodis, ut fatuus qui se regem credebat, illusus est) intererant quotidie missæ sacrificio, quod pro eorum salute celebrabatur. Absolutis sacris, stola eos circumligabat presbyter aut, ut in ultima de S.* Florentini *gestis tabula pictum est, collo stolam imponebat. Demum ubi presbyter absolverat preces super amentem in templo, deducebatur is ad fontem S.* Florentini (*vide supra num.* 3) *et aqua super ejus caput fundebatur. Hæc tribus primis diebus. Diebus quarta,* E *quinta et sexta ligabatur amens in unis ex trinis cunis, quæ in inferiori templi parte prope capellam S.* Florentini *exstabant, atque ibi diurnum nocturnumque tempus transigebat. Per ablationem autem illarum cunarum maxime factum est ut intermissa fuerit ad S.* Florentini *sepulcrum peregrinatio seu potius ut eo non amplius adducantur amentes, quamquam alii interdum pro eis ibidem supplicatum adhuc veniant. Certe incommoda erat hæc trium dierum totidemque noctium in templo habitatio : sed nonne fieri posset, quod Ghelæ in templo S. Dymphnæ? Huic templo adjectum est parvum nosocomium, pluribus instructum cubiculis, quorum fores in templo patent, ut inferius explicabimus. Sed Bonetum redeamus. Tribus ultimis diebus peragebantur fere eædem ceremoniæ ac tribus primis diebus; atque insuper ter quotidie subtus S.* Florentini *sepulcrum transibat amens. Innumeræ, ait R. V. Morel, hic olim factæ sunt sanationes et capella S.* Florentini *ante extremum sæculum* XVIII *plena erat anathematibus, oblatis in earum memoriam. Hoc etiam sæculo pluribus liber mentis usus restitutus est : quod* F *vero ante hominum memoriam semper singulare visum est, qui, perfuncti novendiali illa exercitatione, valetudinem animi non recuperabant, ordinarie paulo post moriebantur. Porro, licet religio illa abolita fuerit et incolarum pietas generaliter plurimum refriguerit, perseverat tamen passim eximia de S.* Florentini *patrocinio fiducia; quæ si recte excolatur, ut ab optimo præsenti parocho exspectandum est, valere potest maxime ad sacramentorum frequentem usum revocandum et ad honorem suum aliis christiani hominis officiis restituendum.*

singularium amentium sanationis non servata memoria, sed militis impotentis.

10 *Licet autem tot illic homines mentis sanitatem adepti fuerint, de nullis tamen servata est memoria aut, si servata fuerit, hæc cum parochialibus libris perierit. In baptismali tamen libro sequens legitur prodigium, gallico narratum idiomate :* Die 29 augusti anni 1705 huc advenit Petrus Montbrun, natione Nannetensis et miles regius tormentarius; qui quum die 26 junii, proxime præterita, ruderibus rupti Theodonisvillæ pontis obrutus fuisset, toto corpore impotens factus erat. Jussu

A Jussu medicorum Theodonisvillæ Borbonias aquas (*non procul a Lingonibus*) petebat, curru vectus. Ut autem Bonetum accessit, a commilitonibus adjutus et nixus fulcris, contulit se summo conatu in chorum templi ibique super S. Florentini sepulcro, cujus antea magnam famam audiverat, fervidas Deo preces obtulit, rogans eum per intercessionem hujus sancti ut se bonæ valetudini restitueret. Sensit tum in toto corpore sanguinis tremulum motum et eodem temporis momento sanatus est in præsentia octodecim militum, qui cum eo ad Borbonias aquas pergebant (*olim enim ibidem versabantur multi milites a die* 30 *julii usque ad* 2 *octobris* (1)); RR. PP. Hieronymi et Urbani, Recollectorum Gondulficurtis; pictoris Dombal, tum in Bonetensi templo pingentis; totius parœciæ, quæ continuo accurrit; atque in mea ipsius. In gratiarum actionem jussimus campanas pulsari (*de campanarum sonitu, cum miracula patrantur, diximus alibi*) et hymnum Te Deum cantavimus. Mense posthac denuo transiit dictus
B Montbrun, bene valens et gratias acturus Deo et fideli ejus servo S. Florentino. Factum hac die 23 octobris anni 1705. Vaultier parochus Boneti.

Observantiæ olim et partim nunc Ghelæ in usu;

11 *Nullus dubito quin religio illa, quam olim Boneti pro amentium valetudine observatam fuisse diximus, plurimis admirationem creatura sit. Non tamen erat singularis aut illi loco propria. Similes fere ritus* (*ut jam insinuavi*) *in Belgio usurpabantur et adhuc usurpantur. Ghelæ enim in provincia Antverpiensi S. Dymphna, natione Hiberna et martyr in Ghelensi oppido, atque Rothnaci S. Hermes, martyr Romanus, in has partes olim translatus, similiter eximia veneratione coluntur, tum ut amentibus rationis usum a Deo impetrent, tum ut valentibus ejusdem conservationem exorent. Ineunte sæculo* XVII *sequentia Ghelæ in more erant posita* (2) : I *Infirmi, amentes aliique, ut aliquantisper rationis usum adepti erant et a presbyteris judicabantur idonei, peccata sua sacramentali confessione expiabant et S. Eucharistiæ sacramento reficiebantur;* II *ter circuibant templum totiesque nudis pedibus sub feretrum S. Dymphnæ repe-*
C *bant, recitantes interea tricies orationem dominicam, scilicet ter in honorem SS. Trinitatis; decies quinquies in memoriam quindecim Christi Domini effusionum sanguinis; septies ad venerationem septem dolorum B. Mariæ Virginis et quinquies ad laudem S. Dymphnæ;* III *novem dies commorabantur in nosocomio, quod juxta pronaum ad latus dextrum ingredientium S. Dymphnæ templi ædificatum est et adhuc exstat;* IV *intra id tempus accedebat ad eos quotidie presbyter, orationes præstitutas super eos recitans eisque aquam, vino mixtam, seu ablutionem calicis bibendam porrigens;* V *pro majori pœnitentia vetabantur vestes mutare;* VI *offerebant S. Dymphnæ tantum frumenti, quantumdem ipsorum pendebant corpora; quam ob causam bilanx erat in minori choro, cujus altera lanx sedilis formam habebat, altera sacco instructa erat; frumentum autem istud solebat ostiatim mendicari. Nunc autem pleræque illæ ceremoniæ omittuntur;* AUCTORE V. D. B.

ita ut id solum nunc observetur ut rari amentes, qui novem dies nosocomio S. Dymphnæ includuntur, a presbytero quotidie orationibus aliquot adjuventur et sanctæ martyris reliquiis benedicantur, dum propinqui aut alii novendiales preces recitant.

item Rothnaci, ubi anno 1597 novenaria circuitio et novendialis lotio suppressa fuit. Aliæ observantiæ. Privilegia lotorum inscriptorumque libro S. Hermetis.

12 *Rothnaci nonnulla olim in more erant posita, quæ Mathias Hovius, archiepiscopus Mechliniensis* (*Rothnacum scilicet prius subditum fuerat præsuli Cameracensi, dein post diœceseon novarum in Belgio erectionem Mechliniensi, nunc autem Gandavensi*), *collegiale S. Hermetis templum visitans, die* 3 *novembris anni* 1597, *decreto proposito, abolita voluit. Ante enim quam infirmus exorcizaretur* (*amentes enim illo ævo sæpe adhuc, ut etiam nunc in oriente fit, dœmoniacorum loco habebantur,*) *novem vicibus eum circuibant clerici; quemadmodum etiam in Officio defunctorum moris est : timebat enim præsul ne hoc ritu locus fieret superstitioni. Alter ritus, ab eodem illustrissimo viro suppressus, in novendiali lotione constitutus erat. Vir scilicet fidus, designatus a capitulo, quotidie infirmos in frigidum aut tepidum balneum mit-* E *tebat, dum interea duo cerei in choro coram altari maximo, tertius coram altari S. Hermetis arderet, et quartus anathematis seu donarii loco in lance coram S. Hermetis feretro jaceret; sacerdos vero missam balnei diceret, prima die in honorem Spiritus Sancti, postulans per intercessionem S. Hermetis ut Dei benedictio novendiali pietati accederet, ut per spiritum scientiæ intelligeret infirmus rerum terrestrium fragilitatem et stabilitatem cœlestium et ut per spiritum fortitudinis adversa hujus sæculi constanter ferret et præsenti vita præpararetur ad æternam. Quum itaque balnei usus indecens visus esset pientissimo præsuli, jussit ejus loco amentes aspergi aqua benedicta, cui reliquiæ S. Hermetis* (*tunc nondum invalucrat Romani pontificis vetitum*) *immersæ fuissent. Præter illas consuetudines vigebant et adhuc vigent aliæ. Offerebantur scilicet pluries centeni pulli gallinacei, qui ad templi utilitatem vendebantur; aut cerei et imagines cereæ et argenteæ : quæ posteriora donaria nunc potissimum afferuntur. E regione altaris S. Hermetis, sub arcu in muro constructo exstat adhuc scamnum, uncis* F *ferreis instructum, in quo, ut olim, sic etiam hodie furiosi sedent, dum preces super eos recitantur a presbytero aut ab aliis pro iisdem Deus oratur. Precibus autem istis continentur fere initium Evangelii secundum Joannem et orationes aliquot in honorem B. Mariæ Virginis, S. Hermetis, SS. Cornelii et Cypriani et SS. Trinitatis. Dum autem preces illæ fiunt, extenditur stola super capita, asperguntur homines aqua benedicta et reliquiæ S. Hermetis porriguntur ad osculum : quibus peregrini multi, sæpius interiorem aut exteriorem templi ambitum circumeuntes, alias multas addunt orationes. Neque amentes solum ita benedici amant, sed validi etiam; præcipue vero pueri, a matribus oblati. Magnum negotium olim erat libro amentium seu S. Hermetis inscribi, quod singularia hinc orirentur privilegia, saltem si qui simul balneo legitime fuissent loti. Quum enim suicidæ, sive libera mente, sive furore aut amentia funestas sibi*

(1) Dictionnaire universel de la France, tom. I, pag. 413. — (2) P. D. Kuyl, Legende der martelaren van Gheel, SS. Dimphna en Gerebernus, Antwerpen, 1860, pag. 26.

AUCTORE V. D. B.

sibi manus intulissent, sepultura ecclesiastica privarentur eorumque bona non hæredes sequerentur, sed fiscum; qui libro inscripti fuerant et in balneum missi, duplici hac pœna prorsus eximebantur : sed ut balnea suppressa sunt, periere simul privilegia; et tanto major numerus inscriptus fuit S. Hermetis aut confratrum libro, qui jam non solis amentibus, sed omnibus facile patebat (1).

Incusatio superstitionis generatim repulsa a Joanne Wiggers.

13 *In his plura jam pridem male oluerunt apud plurimos. Unde Joannes Wiggers, ortu Diestensis et professione Lovaniensis theologus:* Quæret aliquis, *inquit* (2), quid dicendum sit de multis et variis cæremoniis, adhiberi solitis solemniter in diversis locis ad effectus quosdam obtinendos, ut..... ad liberandos energumenos a dæmone in municipio Gelensi et in aliis ecclesiis : quæ tamen cæremoniæ vim non habent aliquam naturalem ad tales effectus; neque videntur pertinere ad Dei vel sanctorum cultum aut venerationem. Respondetur ejusmodi cæremonias, quamvis, si recenter et a privatis adinvenirentur et adhiberentur ad similes effectus, merito haberentur
B suspectæ imo et superstitiosæ, tamen non facile esse damnandas illis in locis, ubi antiquo et solemni usu sunt frequentatæ a quovis genere hominum, etiam a bonis ac piis, præsertim eo quod satis semper episcopis et ordinariis locorum fuerint cognitæ, nec etiam nuntios apostolicos cum potestate legati potuerint latere, qui in locis satis vicinis sæpius resederunt : neque interdictæ aut prohibitæ reperiuntur. Quare pie de illis potest credi, quod aliquando viris aut religiosis fuerint divinitus suggestæ : quodque iis mediantibus voluerit Deus suam benignitatem et (ut sic dicam) benevolam humanitatem hominibus demonstrare ad intercessionem suorum sanctorum talibus in locis, ut per hujusmodi effectus homines ad se attraheret ac in fide catholica et sancta spe confirmaret, utque ad ipsum homines in suis necessitatibus confugerent et ab illo salutem tum corporalem tum spiritualem exposcerent. Possunt autem istæ cæremoniæ sanctum quoque habere usum, v. g. piam aliquam significationem,
C qua rememorentur mysteria salutis nostri, vel servire ut animus excitetur ad devotionem, aut foveatur in illa, ne fervorem conceptum mox remittat, vel ut diutius opera pia et pœnalia exerceantur, quæ etiam serviunt ad exercitium obedientiæ et ad mortificationem affectuum, quibus solent satis adversari. Insuper etiam multum valet oratio justi. *Quibus subdit* in Scripturis sanctis legi Deum per diversas cæremonias externas contulisse diversos effectus corporales hominibus.

Animadversiones in donaria, maxime in ea quæ speciem redemptionis habebant: ritus ponderandi frumenti, tantumdem pendentis quantum infirmus.

14 *Verum enim vero in hoc rerum genere multi mihi videntur peccare, quod, rerum originibus non intellectis, plurima illicita pronuntiant, quæ tamen hanc notam non merentur, sive vetustæ ecclesiasticæ disciplinæ reliquiæ sint, sive ejusdem imitamenta; nunc autem mira apparent, quoniam disciplina illa partim aut omnino interiit. Ut primum de donariis dicam, ea duplicis erant generis : alia meram eleemosynarum formam habebant, sive numerata pecunia esset, sive ministeria ecclesiastica,* D *sive fructus terræ, animantia aut alia id genus; alia vero redemptionem quamdam imitabantur, ita ut res rei secundum similitudinem quamdam substitueretur : quæ ratio in hominum natura constituta esse videtur et semper in sacrificiis usuvenit, quum in iis victimæ mactatione significetur Deum humanæ vitæ et mortis esse dominum. Hujusmodi erant oblata frumenta, cera, casei aliaque cibaria ejusdem ponderis, quod pendebant peregrini; cerei ejusdem magnitudinis ac eorum erat statura; imagines cereæ et argenteæ, quibus aut integri pueri et viri aut membra quædam infirma repræsentabantur : atque hæc postrema nondum cessasse nemo non novit. Utrique generi suæ olim propriæ erant benedictiones, quarum specimen habes in Sacerdotali seu Rituali Romano, quod Albertus Castellanus, Venetus, ordinis Prædicatorum collegit et hæredes Petri Rabani anno 1554 typis Venetis ediderunt.* Benedictionem muneris, quod offertur in ecclesia, *omitto, quoniam nil singulare ea continetur; sed subjiciendus videtur* Ordo ad ponderandam personam, per votum E obligatam dare de aliqua re quantum ponderat corpus ejus, sicut triticum, oleum, ceram, vinum vel alia; sacerdos dicit ℣ « Adjutorium « nostrum. » Quo dicto ponit personam ponderandam super lancem vel tabulam more solito et dicat antiphonam : « Benedicimus Deum cæli : « et coram omnibus viventibus ei : quia fecit « nobiscum misericordiam suam. » Et intonet : « Te Deum laudamus... In te Domine, « speravi; non confundar in æternum. » Quo finito, dicat ℣ « Salvum fac servum tuum vel « ancillam tuam. » ℟ « Deus meus, sperantem « in te. » ℣ « Mitte ei, Domine, auxilium de « sancto. » ℟ « Et de Sion tuere eum. » ℣ « Esto ei, Domine, turris fortitudinis. » ℟ « A facie « inimici. » Deinde sequitur psalmus « Laudate pueri » totus cum Gloria et Sicut erat. ℣ « Domine, exaudi orationem meam. » ℟ « Et clamor. » ℣ « Dominus vobiscum » ℟ « et cum spiritu tuo. » « Oremus. » Oratio : « Suscipe, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, tuorum preces et supplicum vota; et per sanctissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi et genitricis Mariæ et sancti tui N. intercessio- F nem præsta nobis ita beneficia tua cognoscere ut in gratiarum semper actione maneamus; ut, dum fideles tui pro quacumque petitione ad te vota emittunt, protinus tua largiente clementia ejus postulata concedens*, te miserationum Dominum fateri et laudare mereamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. » ℟ « Amen. » Et aspergantur omnes aqua benedicta. *Quum vero hæc ab Italo Italis scripta sint, hinc patet illum ponderandi usum non observatum fuisse a solis Saxonibus, in Germania, Belgio et Anglia consistentibus, eorumque vicinis Veromanduis et Insulensibus, unde exempla sua sumpserunt Cangius* (3) *et Carpentarius* (4); *verum etiam, non secus ac saxonicum* Weregeldum, *quæ etiam* viri *rei* redemptio *erat, ultra montes propagatum fuisse.*

* concedentem

Animadversiones de ritu imponendæ stolæ,

15 *Mos stolam capiti imponendi aut collo circumdandi nullam etiam admirationem creare*

(1) Hagiographie de l'illustre martyr S. Hermès, patron de Renaix. Renaix, 1860, pag. 48 et seqq. passim. — (2) Commentaria in 2. 2. D. Thomæ, de Virtutibus, tract. VIII, cap. V, dub. XV, num. 98 et seqq. — (3) Glossarium latinum Cangii, v° *Ponderare.* — (4) Supplementum Glossarii latini Cangii, v° *Ponderare.*

debet.

A *debet. In celeberrimo Manuali, toties typis repetito, exorcismorum, conscripto a Maximiliano ab Eynatten, canonico et scholastico Antverpiensi, quo continentur instructiones et exorcismi ad ejiciendos ex corporibus obsessis spiritus malignos aliaque id genus, hæc leguntur initio:* Sacerdos exorcizaturus, alba vel superpelliceo cum stola indutus, aliam stolam afflicto super humeros in modum crucis imponet. *In aliis quoque rerum adjunctis similis fiebat cæremonia. In Charta pro fundatione hospitii S. Joannis Baptistæ Bruxellensis de anno* 1211 *statuitur ut* novitius, sive frater, sive soror, peracta quatuor mensium probatione, si..... unicorditer placuerit, sæculo et propriis ac propriæ voluntati renunciet, votum continentiæ sub stola in manu sacerdotis deponat (1); *et similiter in charta pro fundatione hospitii S. Gertrudis de anno* 1255 (2). *Non aliter jurabant homines* sub stola (3); *atque nunc adhuc passim in Belgio benedicuntur matrimonia, aut certe sponsa eo modo benedicitur, et nupturientium manus stola colligantur. Ast quid hæc*
B *prosequor, quum passim benedicendorum capitibus stola imponatur? Si quæras quæ hujus consuetudinis origo sit et ratio, hæc proculdubio constituenda est in communi illo sacramentalium rerum fonte, ipsam dico naturam humanam, qua homines amant exteriora et palpabilia signa verbis adjicere : unde nil olim fere fiebat, maxime apud populos ex stirpe germanica, quin corporeæ cujusdam rei tactus aut traditio intercederet.*

rependi sub feretro, ejus tangendi etc.

16 *Atque huc fere etiam refer morem rependi sub feretro, tangendi feretrum gena, ore, manu, atque aliquando etiam baculis; quibus, ut ad diem* 21 *hujus mensis ostendimus, rupta aliquando fuit S. Wendelini reliquiaria capsa. Neque hæc facta sunt aut nunc fiunt, quasi virtus aliqua mirifica inde scaturiret, sed potius propter communem illam animi propensionem, qua quam proxime accedimus ad ea in quæ magno amore, spe et cupiditate ferimur, ea amplexamur, osculis tegimus et, si fieri posset, nobismet ipsis conjungeremus. Ita genua, pedes hominum adeoque scabella complectimur, ipsaque vestigia adoramus, deosculamur; mutuas*
C *imagines amatores lacertis stringunt et basiis implent, icunculasque, crines et alia id genus pectore aut digito circumferunt. Sed frustra his inhæreo; quum ea tantopere humanæ naturæ insita sint, ut quocumque te vertas obviæ tibi sint externæ hujusmodi interiorum affectuum significationes; quas sæpe explicare difficile est, quoniam nimium nos latent qui inter corpus et animam intercedunt nexus; sed satius videtur multa simplicitate probare, quam inepta superbia irridere. Adde hæc passim veterum patriarum consuetudinum esse reliquias, quæ olim non in solis sanctis, verum etiam in parentibus, principibus aliisque majoribus venerandis plerumque observabantur; nunc autem, quum in rebus profanis paulatim obsoleverint et in sanctorum cultu perseverarint, miræ interdum videntur et superstitioni proximæ, non alia de causa quam quod in earum originem non inquiritur.*

AUCTORE V. D. B.

Unde orta consuetudo mittendi amentes in balnea.

17 *Balnea sua tuebantur Rothnacenses, quod amentibus curandis opportunum remedium esset; neque ea superstitionis damnabat Mathias Hovius, sed indecentiæ. Et sane extremo sæculo* XVI, *quum in his tractibus parcissimus esset balneorum usus, quum omni tempore in partibus septentrionalibus, ut ex Vita S. Ottonis, Bambergensis episcopi et Pomeranorum apostoli, liquet, baptismus, per immersionem collatus, incommodis plenus visus sit, quumque in Belgio post concilium Tridentinum eadem baptizandi ratio in locis, in quibus adhuc obtinebat, similibus de causis suppressus fuerit, nemo mirari potest non placuisse Mechliniensi præsuli Rothnacensium lavandi morem. Hi quidem naturale medicamen esse affirmabant; neque ego contra ibo; verumtamen hæc hujus instituti origo non erat. Qui ad S. Hermetis feretrum ducebantur, sæculo* XVI *passim non habebantur amentes, sed pro inolita persuasione dæmoniaci atque energumeni : quare ad hanc usque diem S. Hermes, uti etiam S. Dymphna, vix sine domito diabolo aut catenis alligato pingitur. Jam vero in antiquissimis universæ Europæ exorcismorum formulis habes orationem :* Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui illum refugam tyrannum gehennæ deputasti *etc., scilicet in vetustissimo Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis* (4), *in codice ms. S. Gatiani Turonensis, sæculo* X *aut* IX *exarato* (5), *in duobus sæculi* XII (6), *in Vindobonensibus sæculi* X *et sequentium* (7) *et in multis aliis; atque hæc oratio recitabatur super energumenum, dum in balneo esset, ex aqua benedicta præparato, uti constat ex Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, in quo quippe illi orationi præmittitur rubrica :* Ex hac (*scilicet benedicta*) aqua præparetur ei omnis usus in cibo et in potu; sed et balneum, ut interius exteriusque illa invigetur. *Similiter in* Ritu et ordine conficiendi aquam benedictam, tempore mortalitatis seu etiam furoris hominum vel rabiei bestiarum celebrandam; ut quicumque ex ea gustaverit, mentis et corporis recipiat sanitatem; *quem ex codice Uticensis monasterii produxit publico Martenius; legitur ad calcem* (8) :
E Atque his ita peractis, omnes, præeunte cruce, F ordine quo venerunt, in sacristiam revertentur. Deinde lavantur in aqua sic benedicta furiosi, qui sanitatem ex hujusmodi lotione consequi solent. *Persuasum enim erat dæmonem ex parte corporis sanctificata signo crucis, aqua benedicta aut aliis rebus fugere in aliam; adeoque satagendum esse ut nullus ei locus relinqueretur; et nil proinde magis aptum esse quam ut interius exteriusque dæmoniaci corpus aqua benedicta contingeretur; eademque de causa jubebatur aliquando diabolus non tantum corpore exire, sed ex singulis membris, ut in citato S. Gatiani Turonensis codice cernitur, ubi exorcista ad dæmones :* « Exite velociter, *ait* (9), de capite illius, et de capillis ejus, de toto isto homine, de vertice, de fronte, de superciliis, de oculis, de temporibus; *et dein omnes percurruntur corporis partes, quales illo ævo physiologis notæ erant. Atque in his ma-*

(1) Carpentier, Suppl. ad Cangii Glos. v° *Stola.* — (2) Miræus, Diplomat. supplementum, pag. 610. — (3) Cangius, Glossarium latinum, v^is *Juramentum sub stola*, et *sub stola Jurare.* — (4) Martene, de Antiquis ecclesiæ ritibus, tom. III, pag. 500. — (5) Ibid. pag. 505. — (6) Ibid. pag. 510. — (7) Gerbert, Monumenta disciplinæ Germanicæ, tom. II, pag. 130. — (8) Martene, de Antiquis etc. tom. III, pag. 530. — (9) Ibid. pag. 502.

gnam

AUCTORE V. D. B.

Jejunium cum multis singularibus observantiis dæmoniacis, qui plerumque amentes tantum erant, olim impositum;

gnam simplicitatem constitutam fuisse libenter dabo; sed superstitionem quis in his reperiet?

18 *Singularia etiam passim observabantur in delectu ciborum et vestium; quæ totidem prisci modi celebrandi jejunii et faciendæ pœnitentiæ reliquiæ et vestigia sunt. In ambobus codicibus sæculi* XII *Vindocinensi et bibliothecæ regiæ Parisiensis fuse describitur* jejunium dæmoniacis imponendum (1). Hoc jejunium, *sic ibidem legitur*, providebit unusquisque, qui a dæmonio vexatur, XL diebus et XL noctibus. Primam hebdomadam jejunet quotidie usque ad vesperam et tunc manducet subcinericium panem frigidum, cum sale et aqua benedicta factum, et bibat aquam benedictam. Et tunc præterea alias hebdomadas quinque nihil aliud manducet nisi panem tertia die coctum (*seu durum*), cum lardo super unam noctem cocto (*seu frigido*), et cervisiam tres noctes habentem (*seu fermentatam*), vel si vinum habet, tantum staupum plenum vino bibat, et numquam inebrietur. Et quando primum legatur super infirmum hominem, det illi presbyter aquam benedictam cum sale
B benedicto bibere et cum absynthio mixta donec evomet. Manus autem, neque faciem, neque pedes, neque ullum corporis membrum in illis sex hebdomadibus lavet nisi cum aqua benedicta... In extremo jubeatur illi ut duo genera piscium, tincam scilicet et anguillam non gustet, nec de ullo genere bestiarum vel volatilium. Et si firmiter istud jejunium cum oratione et pura confessione servaverit, credimus de misericordia Dei et vere confidimus quia de omnibus incentivis diabolicis, Domino largiente, liberabitur. *In codice Vindobonensi sæculi* X, *quem partim edidit Gerbertus* (2), *similia occurrunt. Ecce tibi :* Quando venit aliquis vexatus a dæmone, tunc presbyter consignet eum cum tribus collectis. Jubet eum postea exire de ecclesia et despoliari vestimentis suis in secreto loco. Interim autem cantet letaniam. Benedicat salem et aquam. Tunc induat eum vestimentis novis aspersis cum aqua benedicta, et tunc vadat ante altare et jejunet usque ad nonam et presbyter cantet missam pro eo et det ei sacrifi-
C cium per VII dies et maneat cum presbytero usque ad XV dies, nihil comedens nisi panem et salem, et, si presbyter permittit, pisces, legumina, cum benedictione salis et aquæ. Et si tunc non prævaluerit inimicum superare, tunc faciat usque dum Deus dignetur super illum facere misericordiam; quia Dominus dixit: « Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio. » Nihil comedes, neque bibes, nisi prius de aqua benedicta. Non comedat de capra; nec caseum,
* butyrum nec putirum *; nec nihil quæ illa generat; nec caput ullius pecudis; nec de pisce, et usque ad XV dies abstineat se ab uxore sua et illa similiter a viro suo; et usque ad plenum annum non comedet in die dominico factum panem; nec hanc carnem, quæ in ipso die occiditur; nec calidam cerevissam in dominico factam; et nihil calidum manducet nec bibat, usque dum vixerit.

non videtur id superstitiosum fuisse.

19 Quæ hic afferuntur de selectu ciborum, alio quam qui ad jejunium spectet seu abstinentiam, a superstitione haud vacua *videntur* D *Gerberto: sed hic non advertit universum illum ciborum selectum, quum ille liber scriptus est, spectasse ad abstinentiam; selectum autem ciborum omni ævo alium fuisse in Oriente, alium in Occidente; numquam eumdem, neque etiam recitentiori ævo, ubique locorum per totum patriarchatum latinum observatum fuisse; et demum in singulis regionibus eumdem selectum non semper perseverasse, sed alium fuisse aliis temporibus. Et quidem, si res ipsa spectetur, nil refert utrum carnem comedas et a pisce abstineas an comedas piscem et abstineas a carne; utrum ovinam admittas carnem et abjicias bovinam, an contra; utrumque avibus vesceris et oleribus panemque seponas, an solo pane contentus sis: quum in panis, olerum, avium, bovinæ et ovinæ carnis pisciumque usu aut abstinentia nulla virtus posita sit; sed ea jejunii pars, quæ selectu ciborum continetur, hinc maxime suam laudem habet, quod libertas restringitur seu humana libido, ad rerum varietatem prona, domatur; adeoque quatenus aliquis huic libidini sive sponte sive ex certa lege modum imponit, carnem suam mor-* E *tificare dicitur, nequaquam autem superstitiose agere; contra in superstitionis crimen incideret, si singularem vim, aliam quam naturalem, speraret ex comestione aut omissione alicujus cibi. Quamobrem in dijudicandis id genus rebus cauti simus oportet, maxime in observantiis quæ in sacris locis usurpantur: quæ enim ibi plerumque fiunt, veteris disciplinæ reliquiæ sunt, ut jam monui, neque satis monere possum. Si quis tamen a me quærat utrum videantur illa omnia retinenda aut in usum reducenda, luculente respondebo. Plurima ex his nituntur persuasione, olim passim recepta, amentes fuisse a dæmone obsessos; quæ persuasio quum falsa fuerit, quæ inde fuere orta, omittenda videntur. Verumtamen omnes exorcismos abjiciendos esse nemo dixerit, sed eos tantum qui singulares sunt et diversi ab iis, qui in benedicenda aqua, sale, templi area et similibus rebus adhibentur. In aliis autem rebus selectus habendus, ita ut ex una parte populus non privetur externa pietatis exercitatione, ex altera autem ne causa irridendi detur iis qui deforis sunt. Addiderim demum de pluribus, quas hic non attigi, luculente scri-* F *psisse Norbertum Pampichler, Seittenbergensem monachum, in egregia* de sacris peregrinationibus rebusque connexis dissertatione theologico-dogmatica, qua illarum omnium honestas et utilitas ex sacris literis et primorum ecclesiæ sæculorum traditione ostenditur. *De recitatione autem initii evangelii secundum Joannem aut aliarum sacri codicis partium, nil ipse habet; quare cogitaveram de ea quoque re hoc loco dicere; verum præter mentem tam longa hæc facta est digressio, ut hic calamus ponendus videatur; seu potius referendus ad* S. Florentinum, *cujus cultus explicandus est.*

—

(1) Martene, de Antiquis etc. tom. III, pag. 520. — (2) Monumenta veteris liturgiæ Alemannicæ, tom. II, pag. 128 et 129.

§ III.

AUCTORE V. D. B.

§ III. Festum translationis; pius peregrinantium concursus; templum S. Florentini a S. Gerardo ædificatum. Ejus ætas et patria.

Festum translationis S. Florentini *et annua supplicatio cum peregrinorum concursu.*

Numero hujus Commentarii 2 *diximus olim in universa diœcesi Tullensi celebratam fuisse die* 18 *maji S.* Florentini *translationem. Ast ut de gestis hujus sancti nihil habent Benedictus Picard et Calmetus, sic quoque plane hanc translationem omittunt; nihil etiam de ea me docere potuit R. V. Morel. Arbitror autem eam nihil aliud esse quam reliquiarum exaltátionem seu solemnem ejus ex humo deductionem; quamquam damnare non ausim eum qui contenderit S.* Florentinum *prius in alio Boneti loco fuisse sepultum ac postea ad id templum translatum. Nunc etiam Boneti id festum non agitur; sed octava Corporis Christi solemnis instituitur supplicatio ad fontem S.* Florentini, *atque in ea deferuntur hermæ seu mediæ statuæ SS. Pirmini et* Florentini. *Hanc potissimum diem seligunt exteri, quibus lubet ad S.* Florentini *sepulcrum peregrinari. Fueritne substituta hæc dies translationis festo dubitari potest; equidem non credo; sed æstimo hunc usum inde esse ortum, quod passim in Gallia et Belgio peregrinationes communes olim fiebant circa pentecostalia festa.*

Reliquiæ hactenus servatæ et paucis ecclesiis communicatæ.

21 *De visitatione reliquiarum S.* Florentini *nulla videntur exstare monumenta medio sæculo* XVIII *antiquiora. Die autem* 24 *maji anni* 1752 *Scipio Hieronymus Begon, episcopus Tullensis, in mandatis dedit Paulo Hussenot, parocho Gondulficurtis et decano, ut, in præsentia quatuor proborum testium sepulcrum seu capsam reliquiariam S.* Florentini *aperiret, aliquot inde excerperet particulas, in pyxidibus nitidis et decentibus inserendas; has pyxides prius benedictas sigillo clauderet non secus ac loculum et de omnibus quæ peragerentur commentarium authenticum conficeret. Concessit prævie episcopus ut novæ illæ pyxides circumferrentur in supplicationibus solemnibus et publico exponerentur. Dum extremo sæculo* XVIII *alibi in Gallia fureret impietas et innumera deleret sacra pignora, intactas reliquit S.* Florentini *reliquias, quæ anno* 1809, (*ut constat ex epistola R. V. Faverotte, parochi Bonetensis, ad Ill. V. d'Osmond, episcopum Nancejensem,*) *servabantur in sacello, dicto sacello reliquiarum S.* Florentini. *Postulabat his literis R. V. Faverotte licentiam donandi aliquot reliquias rectrici hospitalis domus S. Nicolaï de Portu; quam concessam fuisse credibile est. Videntur etiam S.* Florentini *reliquiæ servari in ecclesia de Gelaucourt, cujus patronus est et quæ annexa est ecclesiæ de Battigny, in minore pago * de Colombey. Ignoro autem an in Uruffe etiam S.* Florentini *reliquiæ existant; sed in hac parochia, in vicinia et alibi pro restauratione valetudinis infirmorum animantium invocatur, quippe qui, dum viveret, porcos pavisse traditur.*

* canton

22 *Demum, ut tradit P. Benedictus Picard* (1), *in ambitu parochiæ Domni Germani, ad meridiem seu potius ad occidentem hiemalem Tulli in pago * Tullensi sitæ, sæculo* X *ecclesiam seu capellam titulo S.* Florentini *consecravit S. Gerardus episcopus eamque dono dedit S. Mansueti monachis. Indicatur hæc ædes sacra in mappis topographicis Cassinii, sed præteritur a Grille de Beuzelin* (2). *Neque mirum; nam, ut me monuit R. V. Morel, rebellionis gallicanæ tempore destructa est et ejus loco postmodum crux erecta. Capitur nunc pristinæ hujus capellæ sedes intra fines parochiæ Charmes-la-Côte, quoniam termini parochiarum mutati sint. Plane scilicet certum est olim in parochia Domni Germani hanc sitam fuisse ecclesiam. Exstat enim adhuc diploma, quod anno* 1112 *dedit Ricuinus, S. Gerardi in sede Tullensi successor et quo præcipua hujus ecclesiolæ fata innotescunt. Quum nullum antiquius de S.* Florentino *habeamus documentum, dabimus id integre* (3). In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Riquinus, Dei gratia sanctæ Tullensis ecclesiæ minister et servus, universis hujus sanctæ sedis fratribus et filiis servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Summopere vigilandum est rectoribus ecclesiarum ut infatigabilis ardore desiderii fideliter elaborent in cultura vineæ agrique dominici, quatenus veniente summo patre familias sub tempore messis et vindemiæ cum fructu multiplici servi non segnes et desides, sed parati et vigiles valeant inveniri; ad cujus piæ intentionis propositum utile est et necessarium sanctorum prædecessorum exempla semper oculis imitanda proponere, quorum sectantes vestigia rectos gressus in via Dei dirigere, beatique et immaculati in lege Domini studeant ambulare. Sanctus denique prædecessor noster Gerardus, cui vita fuit splendor clarissimus orbi, erga reparationem ecclesiarum Dei devotionem extendens pii desiderii sui, in parochia villæ Domni Germani revelatione divina oratoriolum construxit in honore beati Florentini, quod secundo cal. augusti persolemniter dedicavit, et ab omni censu et servitio auctoritate pontificali liberum perpetualiter constituit, abbatique sancti Mansueti primi pontificis et protectoris nostri disponendum et providendum commisit, cujus sancti et apostolici præsulis ecclesiam, quoad vixit, speciali prærogativa dilectionis, quantum potuit, restruxit, coluit et provexit; fideles autem, qui adfuerunt, ad dotem altaris beati Florentini hæc prædia contulerunt, Vidradus jornale unum in Hungoni valle, Humbertus jornale unum in Lamberti boscho, Lierna jornale dimidium in confiniis S. Apri, Gobertus jornale unum in grandi-campo, Hildimus jornale unum in confinio Wauræ, Erlevaldus jornale unum super Malheni vallem, Andrada jornale 1 in Taurili, Gundenus jornale 1 in confinio S. Medardi, Nortaudus jornale unum in Lamberti boscho, Lantrannus ibidem jornale 1, Avenildis jornale dimidium in Rovei pratis, Paviardis jornale dimidium in Roves pratis, Genulfus jornale dimidium in prato Gileranni, Winibertus jornale unum in confiniis san-

In vicino vico domni Germani, nunc autem Charmes-la-Côte, sæculo X *S. Gerardus in S.* Florentini *honorem* * arrondissement

(1) Histoire de Toul, pag. 23. — (2) Rapports sur les monuments des arrondissements de Nancy et de Toul, pag. 111 et 112. — (3) Gallia Christiana, tom. XIII, pr. col. 482 et seq.

cti

AUCTORE V. D. B.

cti Apri, Norgaudus partem prati ad carradam feni, Gerbaldus partem vineæ ante hostium ipsius ecclesiæ, Fulcherudis vineam unam ad duo modia vini, Girhildis partem vineæ ad duo modia vini, Albricus partem vineæ ad unum modium, Ermenaldus partem terræ in loco ubi oratorium ipsius Sancti situm est. Dedit Asperus VI pedes terræ, Hildineus sex, Gubaldus VI, Hilpierus sex.

ecclesiolam construxit, quæ ineunte sæculo XII *restaurata est et nova dote aucta, ut ex Ricuini episcopi literis constat.*

23 Succedenti tempore, cum præesset ecclesiæ beati Mansueti dilectus filius noster abbas Theomarus vir honestate morum vitæque religione merito venerandus, mulier quædam Deo vota nomine Bertrada, mutato sæculari habitu, remotius vivere proposuit, prædictamque beati Florentini ecclesiam veterno jam situ deciduam reparare instituit, et ad hoc interventu jam dicti abbatis consilium et opem nostri patronicii requisivit: quod supplicibus lacrymis non tam emeruit quam extorsit. Prædecessoris itaque nostri sancti videlicet Gerardi imitatores effecti, sæpe dictam beati Florentini ecclesiam iterato Theomaro abbati studiosius contuendam reccommendavimus, quam solito tenore ab omni
B censu et servitio liberam esse perpetualiter reconsignavimus; de cætero non tam licentiam damus quam pastorali admonitione monemus ut quibuscumque banni nostri hominibus placuerit res vel prædia conferendi eidem ecclesiæ liberam habeant facultatem. Præterea dominus et consanguineus noster Petrus, qui jure hæreditario villam de Chalamis a nobis tenebat in beneficio, piæ compassionis succensus desiderio, concessit fratribus ibidem demorantibus usum villæ communiter in omnibus, in pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, exitibus et reditibus. Si quis vero de censuali terra aliquid ecclesiæ conferre voluerit, ministeriales villæ a procuratore loci debitum censum simpliciter requirant, et de reliquo nullam deinceps loco vexationem vel inquietudinis molestiam inferant. Ceterum si, quod absit, locus idem aliquando quocumque casu in neglectum devenerit, omnia ad eumdem locum pertinentia ecclesia beati Mansueti possideat, donec, mi-
C serante Deo, reparatus in priorem statum resurgat; hæc denique sunt quæ temporibus nostris eidem ecclesiæ quique fideles contulerunt, Riquinus . . . . . D
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
Cum itaque sit necessarium vineam dominicam non tantum excolere, sed etiam sepi et maceria præmunire, ad capiendas vulpeculas, quæ demoliuntur vineas; ad evitandas videlicet calumniatorum adversantium molestias, omnia, quæ jam præfata sancti Florentini ecclesia acquisivit vel deinceps devota donatione fidelium adquisierit, ut rata et concussa permaneant, sub præsenti testamento pontificali auctoritate et anathemate confirmamus, præsentemque descriptionem nostro munitam sigillo, signis et testimonio nostrorum fidelium roborandam contradimus. Sig. Riquini episcopi, S. Theomari abbatis, S. Mansueti, S. Widrici abbatis, S. Apri, S. Raimbaldi archidiaconi, S. Stephani archidiaconi, S. Hugonis Calvi archidiaconi, S. Golberti archid., S. Alberonis cancellarii, S. Bernefridi decani, S. Rainardi comitis, S. Petri de Briseio, S. Widonis et Vulteri de Briseio. E
Acta sunt hæc Tulli in ecclesia majori, in generali synodo. Anno ab incarnatione Domini MCXII, indictione IIII, epacta XX, concurrente secundo, imperante Henrico IIII, duce Theodorico, comite Rainardo, anno ordinationis nostræ V°, regnante per secula Domino Jesu Christo. Feliciter. Amen.

Hinc colligitur S. Florentinum *medio sæculo* X *antiquiorem esse et genere Hibernum.*

24 *Ut alia multa omittam quæ ex hoc diplomate concludi possunt, id præcipuum est, ex illius ecclesiolæ ætate certissime nosci* S. Florentinum *medio sæculo* X, *quo tempore florere cœpit S. Gerardus, anteriorem esse; non autem sæculo* XII *vixisse, ut voluit Dempsterus. Quum vero hinc extra controversiam sit* S. Florentinum *remotis illis temporibus in vivis fuisse, liquet eumdem sanctum, qui in Vita sua Scotus dictus est, natione Hibernum fuisse; nam qui ante id tempus vixere et Scoti dicti sunt, ii omnes Hiberni habendi sunt, quemadmodum in opere nostro sæpius jam demonstravimus : hoc enim ævo numquam præsens Scotia hoc nomine donata fuerat. De regio* S. Florentini *genere jam superius mentem meam aperui; quodsi tamen quis voluerit eum reguli cujusdam filium fuisse, per me stat; quum bene multos olim regulos haberet Hibernia. Alia me latent.* F

DE

A D

DE S. MONTANA,

IN DIOECESI BITURICENSI ATQUE OLIM IN SENONENSI CULTA,

SYLLOGE CRITICA.

V. D. B.

§ Unicus. S. Montanæ applicata Vita S. Gertrudis Nivellensis. Unde dicta abbatissa Cavensis. Furto transfertur ejus corpus e diœcesi Bituricensi Ferrarias in Senonensi. Traditiones de ea et cultus utrobique. Processionum seu peregrinationum Pentecostalium origo.

ANTE ANNUM M. *In codice Vitæ S.* Montanæ, *scripto Ferrariis in diœcesi Senonensi, dicitur illa sancta mortua* 24 *octobris;*

Anno 1653 *P. Carolus Alexander a Manderscheydt, natione Luxemburgicus, comitis de Pimentel, regis Hispaniarum in regia Suecica legati, capellanus, et deinde Catharinæ, reginæ Sueciæ, Stockholmia Romam peregrinantis, socius, misit ad Bollandum nostrum Vitam S.* Montanæ. *Codex ille, ut ex apposita ad marginem nota satis constat, conscriptus fuerat in monasterio Ferrariensi diœcesis Senonensis in Galliis sæculo* XVII *ineunte et videtur in Sueciam fuisse delatus, quoniam, quum titulus hæc ferret :* Vita S. Montanæ virginis ex monasterio Ferrariensi in agro Vastinensi, *ager ille Vastinensis idem visus est ac territorium, ubi olim celebre S. Brigidæ Vastinense cœnobium stabat in Suecia : sed id plane erroneum erat. Rediit itaque ex septentrionalibus plagis codex; cui manu sua inscripsit P. Bollandus festum agi die* 24 *octobris aut ea die de illa sancta agendum esse; et, ut ex Sollerii indice constat, locus datus in Musæo Bollandiano inter monumenta, Vitis Sanctorum hac die illustrandis reservata. Verum licet nuspiam alibi reperiam S.* Montanæ *memoriam consignatam sub die* 24 *octobris, asserere tamen non ausim id temere et imprudenter a decessoribus nostris fuisse factum; et certe, licet in aliis codicibus, S.* Montana *diem obiisse legatur kalendis octobribus, in illo codice*
C *prius dicitur* lætum emisisse spiritum sub die nono kal. novembris et summa diligentia marmoreo tecta fuisse tumulo : ubi sanctorum omnium resurrectionem exspectat. *Inferius quidem, fuse enarratis ejus morbi et mortis adjunctis,* sub die kalendarum octobris spiritum emisisse *perhibetur, ut in aliis etiam codicibus legitur. Sed, ni fallor, hac ipsa discrepantia suadetur festum duplex fuisse, alterum die* 1 *octobris, alterum* 24 ; *quin scirent Ferrarienses utra recessisset ex hac vita pia virgo.*

ibi tamen et in diœcesi Bituricensi colebatur die 1 *octobris. Ei aptata fuit Vita S. Gertrudis, abbatissæ Nivellensis.*

2 *Nemo* (*ni fallor*) *ante Menardum in martyrologiis aut kalendariis, luce publica donatis, protulerat S.* Montanæ *memoriam; ille autem in Martyrologio Benedictino hæc ad diem* 1 *octobris protulit :* Apud Ferrarias in agro Vastinensi sanctæ Montanæ virginis et abbatissæ ; *quibus verbis dux præivit Bucelino, Saussayo, Castellano aliisque. In libro autem* II *Observationum hæc deinde addidit :* Hæc sancta virgo colitur in monasterio Ferrariensi, in agro Vastinensi sito, diœcesis Senonensis ; cujus Vita ibi exstat ms. in libro, quem monachi hujus cœnobii vocant *Commune;* alias vero dicitur *Kalendarium :* quem præ manibus habui. Ubi dicitur filia Pipini et Mononæ et accepisse velum a E sancto Amando, fuisse abbatissa cœnobii Cavensis et obiisse calendis octobris. Multaque ibi alia narrantur, quæ præter nomen matris, monasterii et diem obitus prorsus conveniunt S. Gertrudi Nivellensi, filiæ Pipini ducis Brabantiæ; ut conferenti librum hunc ms. cum Vita S. Gertrudis Nivellensis, quæ exstat apud Surium, manifestum erit. Itaut merito quis dubitaverit sanctam Gertrudem Nivellensem coli a monachis Ferrariensibus sub nomine sanctæ Montanæ : aut certe hujus Montanæ Vitam non ita fideliter scriptam fuisse. Illam ideo colunt monachi Ferrarienses, quod dicant ejus corpus ad suum monasterium fuisse translatum. *Atque hæc quidem Menardus. Profecto nil certius est quam S.* Montanæ *Vitam, quæ circumfertur, putam esse S. Gertrudis Vitam, paucissimis tantum locis studio mutatis, aliis librariorum inscitia corruptis. Neque hæc res raro in hagiographia occurrit, quemadmodum ad diem* 16 *octobris in Commentario de S. Silvano Agedunensi, et ad diem* 19 *octobris in Commentario de S. Caprasio Agennensi* (*utrique enim S. Symphoriani, Augustodunensis martyris, Acta sine ullis fere immutationibus aptata fuerunt*) *jam pridem animadvertimus; et quidem pauca in opere nostro sunt volumina, in quibus similia ausa non fuerint observata.* F

Unde dicta fuerit abbatissa fuisse Cavensis.

3 *Vitam S.* Montanæ *edidit Philippus Labbeus,* ex legendario, *ut ipse loquitur* (1), vici in diœcesi Bituricensi, qui ab eadem sancta Montana cognomen vulgare ad hunc usque diem servat, *eique titulum, quem procul dubio in codice ms. repererat, præscripsit :* Vita sanctæ Montanæ virginis, cujus festum quotannis colitur kalendis octobris. *Idem legendarium, ait Cointius* (2), per R. P. Nicolaum de Gresbemaisnil, nostræ congregationis presbyterum, consuluimus; *atque ille idem Cointius ita illam Vitam edidit ut in una columna Vitam sanctæ Gertrudis ex editione Suriana exhiberet, in altera Vitam sanctæ Montanæ ex editione Labbeana proponeret* (3) : *quo cæcus fere videre possit hanc illius esse corruptum exemplar.*

(1) Bibliotheca mss. tom. II, pag. 593. — (2) Annales eccles. Francorum, sub an. 659, num. 6, tom. III, pag. 469. — (3) Ibid. pag. 470 et seqq.

Quam

AUCTORE V. D. B.

Quam vero ipse ex Manderscheidii dono ob oculos habeo, ea (ut dixi) non ex codice Bituricensi, ut Labbeana aut Cointiana, sed ex Ferrariensi, quem Menardus manibus tractavit, desumpta est et vix a Labbeana, si citatum num. 1 locum demas, differt. Signandus hic solum locus est, unde Cavensis cœnobii abbatissa *a Menardo, Saussayo, Bucelino eorumque sequacibus dicta fuit. In fine Prologi Vitæ sanctæ Gertrudis biographus dixerat se jam scriptionem aggressurum esse,* maxime, *ut loquitur,* id a me poscente sacra virgine et abbatissa dominicana * sanctaque Nivellensis cœnobii, cui Gertrudis beatissima præfuit, congregatione; *quæ in Labbeana editione ita mutata sunt :* Adjuvante Christo, atque sanctæ puellæ dominicæ abbatissæ orationibus, vel sancta congregatione monasterii, ubi sancta virgo præesse videbatur, postulante; *ubi, quum verba* abbatissa dominicana *mutata sint in* dominicæ abbatissæ, *de Cavensi abbatissa nondum aliquid habes : sed fac, muta vocabulum* dominicana *in* Domini, Cavæ, *jam Cavensis abbatissa prodibit. At vero ecce quid in exemplari Ferrariensi,* B *quod præ oculis habeo, legatur :* Adjuvante Christo, atque [auxilio] sacræ puellæ Domini, Cavæ abbatissæ, vel sancta congregatione monasterii, ubi sancta virgo præesse videbatur, postulante *etc. Sola itaque illa sectione vocabuli* dominicana *in* Domini, Cavæ *nititur assertum S.* Montanæ *in Cavensi monasterio abbatiale munus. Cæterum Cavæ, quod virile monasterium erat, abbas olim fuit, nequaquam abbatissa.*

* *in opere nostro* Dominica

Circa annum 1000 monachus Ferrariensis furto transfert ejus corpus in suum monasterium ex vico domnæ Martinæ in Biturigibus.

4 Nil igitur de S. Montanæ *gestis cognoscitur; et ne ullum quidem certum indicium est eam umquam fuisse monialem, multo minus abbatissam. Verisimiliter vixit in diœcesi Bituricensi, quum ibi ad annum circiter* 1000 *ejus exstiterit tumulus. Mabillonius enim, ut memoravit Ferrariense seu Bethleemiticum monasterium paulo ante instauratum fuisse, continuo addit* (1) : Venerabilis quidam ejus loci monachus, Aimonus nomine, fraterno more majorum suorum in sancti Benedicti Floriacensi monasterio cum abbatis sui permissu subinde versabatur. Ea enim tunc temporis mutua inter utrumque monasterium confœ- C deratio erat, ut sese invicem identidem inviserent. Forte accidit ut prædictus frater diuturno febrium incommodo pulsatus, fama vulgante mira audiret de sancta Montana virgine, cujus reliquiæ in vico pagi Bituricensis, Domna Martina dicto, asservabantur. Illuc voti causa profectus, cum morbi levamen ejus meritis omnino persensisset, de asportandis ejusdem sanctæ reliquiis consilium cepit. Quamobrem a sacerdote loci facultatem pernoctandi in ecclesia postulat impetratque. Favente itaque noctis silentio, tumulum reserat, reliquias sacras extrahit, et nitida veste involutas furtim defert in suum monasterium; *ubi hactenus, subdit egregius annalium scriptor,* caput sanctæ Montanæ asservatur in scrinio argenteo, quod Ludovicus de Blanchefort abbas ante annos ducentos fieri curavit.

Videtur is vicus idem fuisse ac hodierna parochia S. Montanæ.

5 Historiam illius translationis præ oculis habuisse Mabillonium, licet id ipse non indicet, indubium est; at ubi terrarum nunc lateat quis dixerit? Vicum, Domnam Martinam dictum (*quod vulgari sermone esset* Dammartin) *et in* D *diœcesi Bituricensi situm, neque in recentioribus neque in antiquioribus polyptychis reperio. Putem autem hunc locum, posito antiquo nomine, eumdem esse ac parochiam S.* Montanæ *vulgo* Sainte-Montaine (dép. de l'Indre, arr. de Sancerre, cant. d'Aubigny). *Nuspiam enim in diœcesi Bituricensi magis viget S.* Montanæ *cultus et eam in his partibus versatam esse memoria superest; quæ et quidem tam firma remansit ut quum in Breviarii Bituricensis kalendario, sæculo superiori confecto, legatur S.* Montana *abbatissa fuisse Ferrariarum apud Vastinenses* (*quibus verbis indicantur Ferrariæ in diœcesi Senonensi, de quibus supra*), *S.* Montanæ *parochiani id transtulerint ad Vastinum, vulgo* Vatan, *aliquot leucis ad occidentem a vico S.* Montanæ *dissitum, ibique olim monasterium fuisse, nomine Ferrarias, sibi imaginati sint. Hinc in literis, quas R. D. Couppé, hodiernus S.* Montanæ *parochus, nuper ad me dedit, legitur vulgi ore ferri S.* Montanam *ex Vastini* (Vatan) *vicinia sæpius venisse, etiam ante susceptum velum monasticum, ad parochiam S.* Montanæ, *ma-* E *xime ad pulcherrimum fontem, suo etiam nomine nunc appellatum et sacello ornatum atque patronæ statua. Verumtamen fatendum est in templo S.* Montanæ *sepulcri particulas aut memoriam non superesse; et licet chartæ et diplomata supersint, ante sæcula sex aut septem conscripta, numquam ibidem* (*quantum hactenus scitur*) *reperiri parochiam ibidem nuncupatam Domnam Martinam, sed vel S.* Montanæ *parochiam vel S. Germani de Busco, quod S. Germanus patronus secundarius sit; demum in universa parochia neque angulum, neque villam esse Domnæ Martinæ nomine honestatam.*

Quæ illic et in vicinia ferantur et picta sint de S. Montana;

6 Quidquid itaque de illa mea divinatione statuendum sit, paucis jam accipe quæ illic de S. Montana *supersint. In primis exstat ibidem reliquiaria capsa, in modum hermæ confecta, antiqua satis et sanctæ virginis capiens reliquias aliquot. Sunt illic præterea tres tabulæ pictæ : quarum una repræsentatur S.* Montana *parentibus valedicens et sæculi pompis remittens nuntium; secunda exhibetur habitu monastico ornata, abbatiale pedum manu tenens et altera benedicens puerulis, sibi a matribus* F *oblatis; tertia demum, qua fausta ejus mors referebatur, putredine in frusta abiit : atque ab his omnibus numquam deest corona regia, quod ex Pippini genere esset : ita ut hæ tabulæ* (*quod cæterum exspectandum erat*) *secundum S. Gertrudis Nivellensis Vitam, S.* Montanæ *aptatam, pictæ fuerint. Atque hæc eadem facta picta sunt in templo S. Genulfi seu* Selles-Saint-Denis, *quod paucis leucis ad occidentem a S.* Montanæ *parochia exstat; et quum ab episcopo ibidem velum monasticum beata virgo suscepisse fingatur, hunc S. Genulfum esse volunt, sæculo* III *Cadurcensium apostolum habitum et in diœcesi Bituricensi pio coronatum fine : cujus Acta dederunt decessores nostri ad diem, quo potissimum colitur,* 17 *januarii* (2). *Sed hæc mera popularis conjectura, alio non nixa fundamento quam quod S. Genulfus illic patronus est. Neque dubitandum est quin episcopus ille, quantum desumptus fuit ex Vita S. Gertrudis, S. Amandus sit, Trajectensium episcopus et apostolus Belgarum.*

(1) Annales Benedictini, lib. LI, num. 112, tom. IV, pag. 127. — (2) Acta SS. tom. II Januarii, pag. 81 et seqq.

Manifestum

AUCTORE V. D. B.

Cultus S. Montanæ *in diœcesi Bituricensi; processionum Pentecostalium, quæ illic*

A *Manifestum itaque est nil ex his deduci posse quo S.* Montanæ *gesta ex tenebris eruantur.*

quæ Ferrariis olim de eadem ferrentur et de loco Glorisa.

7 *Quum, ut diximus, S.* Montanæ *corpus circa annum* 1000 *Ferrarias in Vastinensi pago delatum est, radices paulatim ibi etiam egit ejus cultus et simul invaluit opinio eam ibidem vixisse; quam opinionem a Bituricensis Breviarii scriptoribus admissam fuisse paulo supra vidimus. Quum autem in S. Gertrudis Vita legeretur laïcos aliquos* res cœnobii sibi scelerate vindicasse *atque hæc ut reliqua in S.* Montanæ *Vita suscepta essent, in codice Ferrariensi, quo utor, ad marginem gallice adscriptum est res illas, inique occupatas, locum fuisse Glorisa dictum, terram dominicalem et baroniam Ferrariensis monasterii, ibique sæculo scilicet* XVII *adhuc exstitisse oratorium, quod S.* Montanæ *mater exstruxerat consilio ducendæ ibidem cum puellis aliquot religiosæ vitæ. Verum hæc confutatione non indigent.*

S. Montanæ *corpus Ferrariis videtur fuisse positum in tumulo marmoreo; caput sæculo* XV *includitur scrinio argenteo et a quæstoribus circumfertur; reliquus ibidem cultus.*

8 *Tumulo marmoreo S.* Montanæ *corpus, ut primum Ferrarias allatum est, inclusum fuisse pronum est credere; quum illa mentio, quæ a Vita S. Gertrudis abest, Vitæ S.* Montanæ *inserta fuerit in codice Ferrariensi, ut num.* 1 *monuimus. A Ludovico I de Blanchefort, qui anno* 1465 *Ferrariense pedum obtinuit idque anno* 1506 *una cum vita in odore sanctitatis reliquit* (1), *caput beatæ virginis scrinio argenteo inclusum fuisse supra num.* 4 *ex Mabillonio didicimus, consentiente Gallia Christiana nova* (2). *Tunc temporis adhuc in usu erat ut a quæstoribus eleemosynarum sacræ reliquiæ circumferrentur : res profecto, ut postea plerique omnes agnoverunt, nimiis patens incommodis et facile deceptionibus viam sternens. Utut id est, quum statuisset egregius abbas cœnobium suum restaurare,* a Ludovico, archiepiscopo *Senonensi,* facultatem obtinuit anno 1469 circumferendi feretrum reliquiarum ad resarcienda bellis diuturnis imminuta ædificia. Inter reliquias autem re-

immo 16 censet 6 * novembris hujus anni caput S. Aldrici, Senonensis archiepiscopi, caput S. Montanæ, filiæ Pipini regis, caput S. Pavacii, caput S. Albani, caput S. Rigomeri *etc.* (3). *Eas literas, ut me monet Cointius* (4), *Guilielmus Morinus, magnus Ferrariensis prior, libro sexto, ca-*

C *pite* II, *Historiæ suæ Vastinensis inseruit : at hæc Historia, ut de abbatum Ferrariensium serie agentes Maurini affirmant* (5), *tot mendis, fabulis et repetitionibus infarta est, ut nulla ei adhiberi posse videatur fides. Verumtamen hæc nota ad auctoris narrationem, non vero ad relata documenta pertinet. Addiderim demum illic S.* Montanæ *festum cum octava celebratum fuisse, ut mihi constat ex toties indicato exemplari Ferrariensi Vitæ S.* Montanæ. *An vero nunc omnino cessarit in diœcesi Senonensi S.* Montanæ *cultus, dicendo non sum. Certe ante reipublicæ Gallicanæ subversionem, qua Ferrariense monasterium cum reliquis omnibus id genus institutis periit, non celebrabatur ejus festum in reliqua diœcesi, ut mihi constat ex kalendario Breviarii reformati, quod anno* 1641 *Octavius de Bellegarde, Senonensis præsul, edi curavit; neque id etiam reperio in kalendariis liturgicis Senonensibus anni* 1827 *et* 1839.

9 *Melior fuit B.* Montanæ *in diœcesi Bituricensi fortuna. Re quidem vera in Breviario quod anno* 1625 *Rolandus Herbert, Bituricensis archiepiscopus, pro sua diœcesi edidit, nulla adhuc S.* Montanæ *memoria fit, neque intra, neque extra kalendarium. Sed anno Domini* 1734, *quo Fredericus Hieronymus de Roye de Rupefulcaldi novum Breviarium edi jussit, præceptum est ut die* 1 *octobris in universa diœcesi S.* Montanæ *memoria ritu simplici fieret. Quod institutum saltem usque ad annum* 1849 *duravit, quemadmodum ex kalendariis liturgicis anni* 1830 *et* 1849 *colligo. Sed postea id intermisisse videntur Bituricenses; quandoquidem R. D. Couppé in suis ad me datis literis vetus Bituricense breviarium, excluso novo (verisimiliter ad ritus pure Romanos reducto), alleget. At in vico S.* Montanæ *beatæ patronæ veneratio crescere videtur. Re quidem vera non amplius agi videtur festum dominica post diem* 9 *julii, quæ ineunte sæculo* XVIII *celebris adhuc erat* (6); *neque peregrinationes toto anni tempore et maxime a Paschate ad Pentecosten, prout olim* (7), *fiunt; ast postquam hæc omnia oblivione fere sepulta fuerunt, aliis anni diebus pristina pietas revi-* E *viscit; ita ut nunc die* 1 *octobris eo jam conveniant plurimi peregrini pii; et longe tamen major sit peregrinorum multitudo feria* II *Pentecostes; tunc enim bis atque etiam ter mille videre est, quos inter decem atque etiam duodecim leucarum iter instituerunt. Alii adsunt vespere ipsius Pentecostes diei, alii mane feriæ secundæ : quodque mireris hoc præsertim tempore, nulla ibi tunc fiunt festa profana, nullæ instituuntur choreæ; quas neque magistratus civilis, neque incolæ ferrent. Ex peregrinis autem discedit nemo, nisi postquam solemnia omnia peracta sunt; quæ inter evangelia aliquot recitantur peculiaria et suffragia fiunt. Petuntur autem a Deo per intercessionem S.* Montanæ *curationes morborum omnis generis; neque cassum id fieri scripsit ad me laudatus parochus, quippe qui habeat scripta testimonia, appensa anathemata seu* ex voto *et alia id genus.*

et passim alibi adhuc fiunt et crucium bannalium reliquiæ aut imitationes sunt, F

10 *Quod autem peregrinatio seu processio instituitur feria* II *Pentecostes, vetus omnino mos et consuetudo est, multis adhuc in locis Galliæ et in aliquot etiam Germaniæ et Belgii servata. Non est dubitandum quin orta sit ex pristino crucium bannalium usu. Hic autem in eo erat positus ut sub festum Pentecostes filiales parochiæ munera deferrent ad ecclesias matrices, parochiales ad cathedrales et cathedrales etiam ad metropolitanas; ad cujus rei similitudinem multi atque etiam integræ parochiæ, spontanea pietate aut alieno jussu obligati ad certa jura sanctis seu ecclesiis aut monasteriis, in quibus singulariter colebantur, persolvenda, id quoque eo tempore præstare paulatim consueverunt. Unde pronum erat ut pedetentim eximia celebritas illis diebus accederet et Pentecostes feriæ processionum dies fierent. Cave tamen ne existimes infra illam tantum octavam cruces bannales aut processiones vectigales institutas fuisse; non ita est; institutæ fuere toto anni spatio, sed nullo communius, nullo frequentius quam infra hebdomadam Pentecostes. Exempla pauca referam. Gualdricus, qui ab anno* 918 *ad* 933 *Autissiodorensem ecclesiam rexit* (8), hanc in sua

(1) Gallia Christiana nova, tom. XII, col. 167. — (2) Ibid. col. 162. — (3) Ibid. col. 167. — (4) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 659, num. 7, tom. III, pag. 477. — (5) Gallia Christiana nova, tom. XII, col. 157. — (6) Dictionnaire universel de la France, v° *Sainte-Montaine.* — (7) Ibid. loc. cit. — (8) Gallia Christ, nova, tom. XII, col. 280 et 281.

AUCTORE V. D. B.

instituit ecclesia saluberrimam consuetudinem, ut omnes sui episcopatus diœcesani sacerdotes cum suis parrochiis per dies Pentecostes festivos cum crucibus atque vexillis ad principalem S. Stephani convenirent aulam, lustratis in gyro cunctis abbatiis, ibique ab archidiacono spiritualis verbi reficerentur epulis, et dehinc, si episcopus exstiterit, percepto benedictionis munere, alacres redirent ad propria cum gratiarum actione (1). *Cl. v. Leopoldus Delisle* (2) *singulari modo in hanc rem, (quantum spectat ad Normanniam, ubi celebratissima erat,) inquisivit et in primis protulit canonem* IX *concilii, anno* 1080 *Juliobonæ habiti, quo statuitur ut* presbiteri semel in anno circa Pentecosten cum processionibus ad matrem ecclesiam veniant, et de singulis domibus denariatæ ceræ vel idem valens ad illuminandam ecclesiam altari offeratur (3). *Hæc prius a parochiis exegerunt episcopi; sed suo tempore archiepiscopi convenerunt episcopos, ab his processiones pentecostales exacturi. Carpentarius, qui Glossarium Cangianum latinitatis medii ævi auxit, ex abbate Petroburgensi* B *in Henrico II* (4) *hæc ad annum* 1191 *refert* (5): Sententiam excommunicationis in episcopum Dunelmensem tulit archiepiscopus Eboracensis..... qui idem episcopus Dunelmensis jura ecclesiæ Eboraci, scilicet..... processiones ebdomadæ Pentecostes... detinuit occupatas. *Derivatus quoque hic mos ad ecclesias inferioris ordinis, ut liquet ex sequenti charta, quam anno* 1202 *Guido, cardinalis Prænestinus, legati munere in Belgii partibus fungens, dedit* (6): Dilecti filii fratres Eykensis ecclesiæ humiliter a nobis postularunt, quod sacerdotes et parochianos quarumdam villarum, ecclesiam suam infra milliare circumjacentium,.... literis nostris commoneremus ut singulis annis cum bannalibus crucibus sicut de jure et antiqua consuetudine ad alias conventuales ecclesias per episcopatum Leodiensem fideles solent convenire, ipsi quoque pro salute animæ suæ peregrinantes, infra quatuor dies Pentecostes prædictam ecclesiam visitarent. *Imitamen id fuisse videtur oblationis primitiarum pentecostalium veteris legis.* D

origo explicatur.

11 *Cave ne credas has processiones a parvo hominum numero fuisse factas; tanta erat multitudo extremo sæculo* XI *in templo cathedrali Constantiensi, quemadmodum in S. Bernardi Tironiensis Vita* (7) *legitur,* quod vix locus ille capere sufficeret. *Quum itaque passim inolevisset ut sub Pentecostes festum processiones bannales seu vectigales fierent, id tempus opportunum paulatim habitum est celebrandis omnigenis processionibus. Ne mireris itaque si apud Joannem Bohemum in libro de omnium gentium moribus, cap.* XV, *prout a Martennio* (8) *citatur, legas:* In Franconia Pentecostes tempore ubique fere hoc agitur. Conveniunt quicumque equos habent aut mutuare possunt et cum Dominico Corpore, quod sacerdotum unus, etiam equo insidens, collo in bursa suspensum defert, totius agri sui limites obequitant, E cantantes supplicantesque ut segetes Deus ab omni cæli injuria et calamitate velit servare. *Atque hæc, ni fallor, sufficiunt ut intelligatur quomodo factum sit ut nunc adhuc tot peregrinationes seu processiones fiant non diebus, quibus sanctorum natales coluntur, verum feria* II *Pentecostes aut alia proxima. Hæc consuetudo vel pristinarum crucium bannalium reliquiæ sunt, vel processionum ad earumdem imitationem institutarum. Nolim autem integrum commentarium conscribere de processionibus in genere : de his innumeri dixerunt; contra de pentecostalibus supplicationibus aliquid dicere operæ pretium visum fuit, quoniam in illorum scriptionibus, quarum integrum acervum coram habeo, vix aut ne vix quidem de his sermo est.*

(1) Historia episcop. Autissiod. ap. Labbe, Bibliotheca mss. tom. I, pag. 444. — (2) Bibliothèque de l'école des Chartes, série II, tom. IV, pag. 347 et seqq. — (3) Cfr Concilia Normanniæ, part. I, pag. 68. — (4) Tom. II, pag. 716. — (5) Supplementum ad Glossarium Cangii, v° *Processiones.* — (6) Cangius, Glossarium latinum, v° *Cruces bannales.* — (7) Act. SS. tom. II Aprilis, pag. 220 et 221. — (8) De divinis celebrandis officiis, cap. XXVIII, num. 20, pag. 544.

DE

DE B. ARETHA, MONACHO CRYPTENSI,

KIOVIÆ IN RUSSIA,

COMMENTARIUS R. P. JOANNIS MARTYNOV.

Proxime sequitur ejusdem disquisitio de auctore Paterici et Vita B. Simonis episcopi Vladimiriensis et Suzdaliensis.

MONITUM.

A vero aberraret procul dubio qui opinaretur decessores nostros ita præclusisse aliis omnem ad Acta Sanctorum aditum ut nil in eis admitterent quod suo non deberetur studio et diligentiæ. Aliter profecto res est. Ad diem enim 11 julii ediderunt R. D. Humberti Belhommei, Mediani monasterii abbatis, commentarium de S. Hidulfo, quin quidquam in ipsa scriptione mutarint; *quod in omni alia id genus occasione a se persancte servatum iri ibidem polliciti sunt, modo nihil admisceretur quod fabulam aut exotica placita redoleret.* Quin etiam ut extraneos magis allicerent ad similes secum communicandas lucubrationes, hæc totidem addidit Sollerius verba (1) : *Habebunt hic hagiophili exemplum potentissimum sinceri, quo flagramus, desiderii, ut singuli religiosi ordines, abbatiæ, monasteria, capitula, pastores, communitates et quævis sodalitia symbolam studiose conferant, quo immensa operis nostri moles facilius promoveri et ipsi sanctos suos tanto citius in eo contemplari possint.* Quum hanc invitationem intellexisset et in sanctis, genere slavis, illustrandis operam suam nobis obtulisset R. P. Joannes Martynov, domo russus, et societatis nostræ presbyter literarum slavicarum non mediocriter peritus, eamque gratissimo animo admisissemus, dedit ad nos primitiarum loco commentarium de B. *Aretha,* monacho Kievocryptensi, in quo multus erat de Paterico slavico sermo, uti etiam de B. Simone, primo episcopo Vladimiriensi et Suzdaliensi, qui eam primævi Paterici partem scripsit, quæ B. *Arethæ* continet laudes. Præterea ad sequentes dies alii veniunt etiam sancti Russi, in eodem Paterico laudati; ubi ea de causa iterum idem liber adhibendus erit. Quapropter seponendus visus non est ingens ille de hoc volumine tractatus; sed ut justo longior erat qui in commentario de B. *Aretha,* cujus pauca gesta innotuerunt, retineretur, boni consuluimus eum ad calcem, parergi loco, edere una cum Vita B. Simonis; ex cujus præterea ætate pendet definitio temporis quo vixerit B. *Arethas.* Re quidem vera potius de eo dicendum fuisset, ut inferius liquebit, ad diem 10 maji; sed omnis ad hanc diem de eo mentio omissa est; ita ut simul lacuna impleta futura sit. Atque hic stylum ponere possem, nisi explicanda viderentur quædam verba. Quum scriptores nonnulli recentiores sæpius adducerentur in medium et monendum aliquando esset (ita argumenti conditione postulante) eos non venerari debita obedientia romani pontificis auctoritatem, abstinendum visum est a *schismaticorum* appellatione, et dicendi potius *non catholici, non uniti, orthodoxi* aut aliis id genus nominibus; quoniam nulla videbatur esse ratio cur hominibus illis aut eorum popularibus ingratum hoc loco imponeretur vocabulum. Et ne quis contendat injuria eos *orthodoxos* appellari, juverit in memoriam revocare gravissimos viros, qui Russorum symbolicos et liturgicos libros diligenter versarunt, jam pridem sibi firmiter persuasum habere doctrinam eorum ecclesiasticam (theologorum russorum quorumdam placita hic curanda non sunt) verbis potius quam rebus a catholica diversam esse eamque jure merito orthodoxam dici posse. Cæterum ex hac indulgentia nil mali enasci potest, quum non in una doctrina tesseram veræ ecclesiæ, quam concilia œcumenica *unam, sanctam, catholicam* et *apostolicam* nuncuparunt, positam esse nemo non noverit; et quum catholicum nomen, de quo orthodoxi parum cogitant, quodque romanæ ecclesiæ clientibus, non secus ac umbra corpori, adhæret, sufficiens nota et indicium sit, dicente S. Augustino (2) : *Tenenda est nobis christiana religio, et ejus ecclesiæ communicatio, quæ catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim, ipsi quoque hæretici et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant quo ab universo orbe nuncupatur.*

(1) Act. SS. tom. III Julii, pag. 207 et 208. — (2) Liber de Vera religione, cap. VII, num. 12. Opp. tom. I, col. 732.

AUCTORE J. MARTYNOV.

§ I. Memoria S. Arethæ in fastis russis. Gesta nota ex Paterico.

SUB INITIUM SÆCULI XIII. *S.* Arethas, *monachus Kievocryptensis, propter morem sociandi sanctos cognomines, maxime inter orientales usitatum, nuntiatur hodie*

Sanctum martyrem Aretham sequitur in sacris Ruthenorum fastis alter Arethas, *monachus Kievocryptensis; quem, licet parum notus sit, non conjunctum tamen cum aliis Cryptensibus, sed seorsim colit hac die ecclesia Kioviensis. Non casu fortuito id evenisse, sed de industria factum esse plane liquet. Nimirum mos ecclesiæ Ruthenicæ est antiquioribus sanctis proprios sociare, temporum utique intervallo dissitos, nomine vero conjunctos. Exempla adferri possent maximo numero; quædam tantum dabimus, eaque viciniora, utpote ex mense octobri deprompta. Igitur ad diem* 20 *octobris cum S. Artemio martyre conjunctum invenio in menologiis Russicis Artemium, thaumaturgum Verkoliensem in regione Novgorodensi, anno reparatæ salutis* 1532, *vitæ vero duodecimo, defunctum.*

B *S. Hilarionem abbatem seu Magnum, ad diem* 21 *octobris comitatur ejusdem nominis episcopus Meglinensis. Dies* 23 *S. Jacobo, apostolo adelphotheo, jungitur thaumaturgus Borovicensis, nominetenus fere notus. Nestori martyri appositum habes Nestorem, chronologum Kioviæ celeberrimum simul et hagiographorum Ruthenorum facile primum; de quo ad diem* 27 *octobris prolixior, Deo dante, instituetur tractatio. Die proxime sequenti duæ occurrunt sanctæ Parasceviæ, martyr Iconiensis altera, altera ducissa Polocensis ac abbatissa, quæ sæculo* XII *floruit. Atque hæc ad propositum nostrum satis esse videntur. Rationem etiam rei subjungere liceat; quæ, meo saltem judicio, non alia esse videtur, nisi quod, quum horum sanctorum dies emortualis prorsus ignoraretur, opportunum visum est eorum nomina iis inscribere diebus qui similibus nominibus in kalendariis vulgaribus jam distincti erant. Dein hac recentiorum sanctorum cum antiquioribus conjunctione innuebatur fidelibus non omnino incongrue, sanctos illos patronorum suorum non tantum nomina sortitos fuisse, sed etiam virtutes esse imitatos, ac propterea dignos*

C *factos esse, qui, ut olim certaminis fuerant socii in terris, ita honoris præmiique consortes fierent in cœlis. Cæterum idem modus sociandi sanctos cognomines apud Latinos in usu est, licet paulo infrequentiori.*

in fastis russis; in aliquibus tamen omittitur.

2 *Utut sit, S.* Arethæ *Cryptensis nomen ad hanc diem exhibent Fasti Ruthenorum : et quidem Menæa, Ustavum, Prologus, Kalendarium ecclesiæ orientalis, auctore Versinski, sæpius a nobis citandum, Dictionarium hagiologicum, auctore incerto, Petropoli anno* 1836 *editum* (1), *aliique auctores* (2), *Patericon, de quo modo, hac in re secuti. At silent Ephemerides græcomoscæ Papebrochii, Tabulæ Capponianæ, uterque codex vaticanus mss. ab Assemano citatus* (3), *et Calendarium Possevini. Quod magis mireris, tacet etiam de eo Kulcinius ipse, qui tamen in suo Specimine ecclesiæ Ruthenicæ ad Vitas patrum Cryptensium passim recurrit, multaque ex eis describere assolet. Cum itaque S.* Arethæ *mentionem faciant Slavonica Paterici exemplaria fere omnia, sive impressa sint, sive manu-* D *scripta; silentii causam non assequor, præsertim cum Kulcinius Paterico usus fuerit Kossavii polonico, quod licet ex slavonico prolixiore contractum sit, et quosdam patres revera omiserit, ut videbimus infra, tamen S.* Arethæ *nomen inter prætermissos, quos citat Eugenius metropolita, frustra quæsivi* (4). *Similiter in Menologio suo Basiliano idem Kulcinius dicere omisit de S.* Aretha.

Plures alii sancti Kievocryptenses coluntur mense octobri, ex Paterico noti, quos inter S. Arethas.

3 *Nec illud prætereundum est, quod hocce mense sancti Kievocryptenses nobis occurrunt numero plures, opportuno consortio juncti, licet dierum intervallis ab invicem separati. Sic præter S.* Aretham *nostrum et Nestorem chronographum, superius laudatum, tres alii memorantur ad diem* 5 *octobris : Damianus, medicus* ἀνάργυρος, *cum Matthæo et Jeremia Providis* (Prozorlivii); *ad diem vero decimam quartam Nicolaus Devotus, Cernigoviæ dux; et ad ultimam mensis Spiridion et Nicodemus, prosphorarum pistores. Mitto Theophanem Jejunum ad diem* 11 *octobris, Marcum cum Theophilo ad diem* 29 *et Anatolium ad diem* 31, *ut minus* E *notos* (5). *Jam vero, cum ad diem* 5 *octobris venissent operis hujus editores, ex tribus illis prioribus monachis simul junctis Jeremiam quidem inter sanctos hic non inserendum esse decreverunt, quippe quem præter Menologium Sparwenfeldii slavo-russicum nuspiam alibi reperissent, ac proin prorsus esset sibi ignotus* (6); *Matthæum vero et Damianum, licet de eorum fine minime dubitarent, quod sæculo* XI *floruissent, inter sanctos tamen referre non sunt ausi,* eo quod Horologium (*seu Ustavum*) Kulcinianum, cui cum elogio inseruntur Damianus et Matthæus, non nisi anno 1679 fuerit typis Leopolitanis excusum, nec aliunde constaret sibi, an duo hi monachi centum annis ante decretum Urbani VIII, anno 1634 emissum, a Russis catholicis cultu ecclesiastico fuerint affecti (7). *Eamdem ob rationem inter prætermissos collocatus est Nicolaus Devotus mortuus anno* 1113, *licet prolixis laudibus e Vitis Patrum Cryptensium depromptis ab eodem Kulcinio sit exornatus. Eadem sors manere debuisset Nicodemum et Spiridionem, Nestorem, nec non et* Aretham, *de quo sermonem nunc habemus :* F *omnes enim e monasterio Kievocryptensi prodierunt; ejusdem parentis, S. Theodosii, spirituales filii sunt, eodemque spiritu ac doctrina imbuti. Accedit, quod Cryptensium monachorum plerique innotuerunt nobis potissimum ex libro Paterico vocato; qui liber ab hominibus non catholicis primum in lucem datus est, atque ea quidem ætate, qua maxima nec unquam satis deflenda æstuarunt in ecclesia Kioviensi dissidia et in sedem apostolicam ferverunt odia.*

Generalia quædam de Paterici editionibus animadvertuntur, aliis ad alium locum remissis.

4 *Primus namque Paterici editor fuit Sylvester Kossov, episcopus Mohiloviæ et Mstislaviæ ac deinceps* (1647-1657) *metropolita orthodoxus non catholicus Kioviensis. Cujus opere quamvis uteretur Kulcinius in Specimine ecclesiæ Ruthenicæ, cum sede Romanæ semper unitæ (utebatur autem quotiescumque de Cryptensibus Patribus loquendi dabatur illi occasio); nunquam tamen de operis indole aut sinceritate quidquam animadvertit, exscribendi facili negotio conten-*

(1) Artic. *Arethas.* — (2) Eugenius, Descriptio Lauræ Kievo-Crypt. pag. 105, Kioviæ. 1831. — (3) Calend. Eccl. univ. tom. I, c. 8, pag. 101. — (4) Descriptio Lauræ, pag. 125. — (5) V. Descriptio Lauræ Kievocryptensis, pag. 103, 107 et 108. — (6) Act. SS. tom. III Oct., ad diem 5, pag. 5, *E*. — (7) Ibid. pag. 6. *A*.

tus.

A *tus. Quas autem polonico idiomate redditas Patrum Cryptensium Vitas evulgaverat Kossovius, notisque illustraverat, eas fusiori stylo exaratas typis Kioviensibus mandari curavit anno* 1661 *Innocentius Gizel, archimandrita Cryptensis et non tantum Romanæ ecclesiæ non secus ac ille Sylvester infensus, verum etiam in protestantium doctrinas propendens, ut ex præfatione, quæ Vulgatæ ejus Paterici editioni præmitti solet, atque etiam aliunde satis superque palam fit.* Corruptum esse notabiliter fructum istum zeli Gizeliani *et nos fatemur libentissime et auctores orthodoxi non diffitentur vel ipsi* (1); *nec tamen ideo omnes monachos ex Cryptensi monasterio oriundos e sanctorum albo expungendos esse censemus, aut operi huic minime inserendos; præsertim cum ex una parte* Patericon *illud Kievocryptense plus duobus sæculis ante Cossovii ætatem, ac proin ante concilium Florentinum exstitisse certissimum sit, imo et ad sæculum* XII *et iniens* XIII (*saltem quod ad partes præcipuas spectat*) *referri queat; ex altera vero Patres*
B *illi de quibus agit fere omnes vel sæculo* XI *vixerunt; quo toto tempore Russi catholici fuerunt; vel* XII, *quo certe nil obstitit quin catholici essent. Quum igitur nobis de S.* Aretha *Cryptensi tractaturis ad* Patericum *recurrendi necessitas incumberet, quumque insuper in aliis quoque commentariis de sanctis Ruthenicis idem liber adhibendus futurus sit, non abs re fore putavimus, accuratius opus istud, passim citari solitum, penitiusque introspicere, ejus origines investigare et incrementa, indigitare auctorem, fata percurrere, quæ contineat sub oculos lectoris ponere, auctoritatem expendere, et totius denique rei exactiorem notitiam dare : id quod paucis, et quantum ad majorem rei intelligentiam necessum est, præstare conabimur. Ne autem, quæ de S.* Aretha *dicenda nobis sunt, hoc tractatu plane obruerentur, eum appendicis loco, ad finem hujus commentarii excudi jussimus, addidimusque Vitam S. Simonis, episcopi Vladimiriæ et Suzdaliæ, qui anno* 1225 *ad Polycarpum, monachum Kievocryptensem, epistolam scripsit, qua S.* Arethas *laudatur. Hæc vero epistola pars est primævi Paterici atque etiam*
C *Patericon vulgatorum; sed in his nonnihil mutatum fuit a librariis et editoribus; de quibus vide quæ in appendice illa fusius docuimus.*

§ II. B. Arethæ ætas. Patria Polocia. Hujus civitatis decora ecclesiastica sæculo XII.

Videtur B. Arethas *vixisse sæculo* XII, *ut non solum ex Paterico,*

Jam *de B.* Aretha *agemus distinctius. Et primum quidem quæritur, quandonam vixerit B.* Arethas. *Sese id ignorare fatetur auctor Dictionarii historici Sanctorum* (2); *contra Menologium Versinscianum refert beatum virum ad sæculum* XIII (3); *ast sæculo* XII *eum vixisse verisimilius est. Etenim narratio Simonis de B.* Aretha *id sibi proprium habet ac peculiare quod dum aliorum monachorum Cryptensium gesta dictaque ex alieno testimonio vel etiam ex traditione referat, de S.* Aretha *sermonem tanquam testis oculatus instituit. Quod aperte manifestum facit ipsum Patericon in Vita S. Simonis, ad calcem voluminis adjecta* (4), *atque a nobis inferius repetita; multo autem significentius ipsa Vita S.* Arethæ, *ex eodem Paterico etiam danda. Eam scilicet sequenti modo exordiuntur editores :* Vere dignum est semper Deo gratias agere... Hoc enim non modo justis... gratiam adauget, sed vel magnos peccatores in sanctos mutat virosque perfectos, ut manifestum est in beato, de quo episcopus Simon, testis oculatus, hæc tradit *etc....* (5). *Quod si in decursu narrationis nunquam in prima persona loquatur Simon, mirabitur nemo, qui modum, quem in edendo Paterico Gizelium observasse in appendice dicemus, ante oculos habuerit. Contra in apographis mss. antiquioribus sane indubia deprehendimus oculati testis indicia : non semel enim occurrit ibi pronomen primæ personæ in plurali numero : v. g.* Nos autem omnes deprecabamur;.. *et alio in loco :* Nos autem, his auditis, glorificabamus Deum *etc.* (6). *Sed quia codices istos inspiciendi copiam non* E *habuimus, ideo ex aliis historiæ monumentis maluimus nostra elicere.*

AUCTORE J. MARTYNOV.

verum maxime ex ætate B. Simonis, ejus biographi,

6 *Porro argumenta illa suppeditat nobis biographus S.* Arethæ *cœvus, Simon episcopus, vir tempore suo inclytus, dignitate ecclesiastica conspicuus, literis clarus. Jam vero, quemadmodum inferius late demonstrabimus, notissima sunt præcipua vitæ ejus capita; eum scilicet ex monacho Cryptensi creatum fuisse prius hegumenum monasterii Vladimiriensis Nativitatis B. M. V.; dein in episcopum ejusdem urbis fuisse assumptum omnium post Rostoviensis diœcesis divisionem primum, et tandem ad superos abivisse anno* 1226. *Unde jam pro certo statui potest B.* Aretham *vixisse ante hunc annum. Sed ulterius progrediamur, terminosque, quantum fieri potest, definiamus exactiores. Horum indicia exhibet nobis annus, quo famosam suam epistolam ad Polycarpum dedit Simon. Dedit autem anno* 1225, *ut in appendice fusius probavimus. Et quoniam se B.* Arethæ *convixisse in monasterio testatur ibidem Simon, inquirendum manet, quandonam Kioviense cœnobium reliquerit ipse, aut cathedram Vladimiriensem ascenderit ac Suzdaliensem. Nec* F *enim duo ista miscenda sunt.*

qui cum eo in Cryptensi cœnobio vixisse videtur sub annum 1185.

7 *Supponamus igitur Simonem anno vitæ suæ vigesimo quinto, ut minimum, factum esse hegumenum; proinde si de anno* 1197 *demamus annos viginti quinque, annus ejus natalis erit* 1172. *Fac insuper eum vitam monachalem professum esse quum juvenis esset quindecim saltem annorum; habebimus annum* 1187, *quo primum S.* Arethæ *contubernio uti potuerit. Concludamus itaque oportet S.* Aretham *sub finem sæculi* XII *floruisse, atque Simoni, olim Vladimiriæ episcopo, tunc vero simplici monacho, intra annos* 1185 *et* 1197 *in cœnobio Kievocryptensi convixisse. Quod si vulgato Paterico satis confidere liceat, nimirum S.* Aretham « post multos labores, » *vel, quod idem significat, ætate provecta, supremum obiisse diem, id quod innuit etiam*

(1) Philaret, arch. Cernigov. in opusculo : *Obzor duhovnoj' russkoj literatury*, operi Academiæ periodico *Ucenyja Zapiski*, tom. 3, pag. 198, n. 180, inserto. Petropoli, 1856. — (2) Pag. 40, art. Arethas. — (3) Ad 24 Octobr. pag. 169. — (4) Patericon, fol. 234 verso, ed. Mosq. an. 1759. — (5) Ibid. fol. 213. — (6) Kubarev, Disquisitio de Paterico, pag. 12 et seqq. Macarius, Historia Eccl. russicæ, tom. III, not. 76.

AUCTORE J. MARTYNOV.

senis *nomen*, S. Arethæ *tumulo Cryptensi impositum* (1), *conjicere fas erit* S. Aretham *circa medium sæculi* XII *lucem aspexisse, imo non terræ tantum, sed et cælo esse natum.*

Polociæ natus est B. Arethas, *nequaquam autem in regione Polovecensium, qui tum Russis infesti erant.*

8 *Natus vero est beatus vir Polociæ, ut perhibent passim auctores indigenæ, Patericon hac in re secuti. Certe in editione Mosquensi anni* 1759 *apertissime nominatur* urbs Polocia. *Nec attendendus editor, ubi in nota marginali vocat* S. Aretham *non* Polocensem, *sed* Polvcensem, *vocum similitudine deceptus, cum nonnisi unica littera voces illæ* Polocensis *et* Polvcensis *ab invicem distinguantur. Nec enim* Polocia *cum* Polovcensium *regione temere confundenda est, aut* Polocenses *in* Polovcenses *facile transformandi. Erat nimirum ultima ista gens Kioviensibus aliisque Russis inimicissima, et Tartarorum immanium veluti prænuntia. Hinc bella contra eos, sæculo* XII *potissimum, fere continua et atrocia. Celeberrima sane est atque a poëta suo tempore perbelle decantata expeditio illa, quam Igor Sviatoslaides, anno* 1185 *susceptam, tanto successu tantaque gloria absolvit.*

B *Polovcenses tamen non nisi ad tempus a patriæ finibus arcere valuit : nam ipso sæculo* XIII *ineunte, anno scilicet* 1202 *mense januario, invaserunt illi Kioviam denuo, tantaque clade affecerunt quantam vel ab invecta fide christiana nunquam vidisse Russos ipsorum chronographi testantur* (2).

SS. Euphrosyna et Parasceva florebant tum Polociæ, quæ proprios suos habebat episcopos.

9 *Contra, Polocia, quæ est Lithuaniæ urbs omnium antiquissima, tunc temporis erat sive principum auctoritate et potentia, sive etiam religionis christianæ cultu florentissima. Sane memoratur in chronicis jam ad annum* 864, *quo eam Ruricus, Normannorum dux, cuidam ex sociis suis tradiderat regendam. Quod vero ad religionem attinet christianam, eam Polocliæ sæculo* XII *dubium adhuc fuisse voluit Papebrochius, ac urbem ecclesia cathedrali prorsus destitutam. At catholicam fuisse fidemque firmiter stabilitam non spernendæ auctoritatis comprobant documenta. Nominasse juvat duo illa luminaria, in ecclesia Polocensi perillustria, S. Euphrosynam, inquam, et S. Parasceviam, utramque ducali sanguine claram, sanctitate clariorem. Quarum prior, S. Vladimiri felix propago ac*

C *celeberrimi monasterii, SS. Salvatori Transfigurato sacri, fundatrix atque prima hegumenissa, vitam angelicam Jerosolymis terminavit, anno* 1173, *annos* 40 *abbatissæ munus Polociæ defuncta. Præterea, villam suam* Seltse *dictam ac prope Polociam sitam possidendam traditurus episcopus sæculi illius, nomine Elias, sequentia verba addidisse perhibetur :* Est ibi insuper ecclesia SS. Salvatoris, in qua jacent fratres nostri, IN EPISCOPATU ANTECESSORES (3). *Ex quibus concludere licet, laudatum antistitem Eliam circa annum* 1128, *quo Borisus, S. Euphrosynæ avus, mortuus est, floruisse, et præter Mennam* (1105-1116) *alios quoque habuisse decessores; ac proinde ecclesiæ Polocensis initia ad sæculum* XI *referenda esse. Ex successoribus autem Eliæ nominantur Cosmas* (1143-1156), *Dionysius, mortuus anno* 1183, *et Nicolaus, ab anno* 1185 *episcopus* (4). *Altera, S. Parascevia, Rogwolodi seu Reichwaldi ducis filia, postquam in eodem monasterio, quo olim Euphrosyna, sororibus per septennium præfuisset, Romam anno* 1225 *perrexit, ibique sanctissime obiit anno* 1239, *deinceps a Gregorio XIII Sanctorum albo inscribenda* (5). D

§ III. B. Arethæ vita in monasterio Cryptensi, mors et sepultura in crypta Antoniana. Cultus immemorabilis.

Pauca omnino comperta habemus de vita B. Arethæ *monachali; quæ a Simone in litteris ad Polycarpum fuere consignata, ac dein a Paterici collectore incerto ampliata. Juvat itaque Simonis ipsissima verba hic adducere, ex epistola modo laudata, ut unusquisque brevem hanc notitiam cum fusiore, inferius danda, componere possit. In secunda igitur parte epistolæ, postquam Nicolaum Devotum ex principe monachum, et Erasmum, qui in exornanda ecclesia Cryptensi divitias suas expenderat, in medium produxerat Simon, tertium addit exemplum* Arethæ, *duobus illis non absimile, his verbis :* Melius est, frater, (*alloquitur Polycarpum terrenis rebus illectum*) ut ad domum Dei, quam ad speluncam furum ac latronum exornandam ea quæ homo possidet expendantur; et Deo amoris et pacis sponte sua offerre optabilius est, quam ab incendiis flamma vindice aut a tumultu bellico spoliari vel invitum. Paupertatem religiosam vovisti; audi igitur Scripturam dicentem : « Vovete et reddite Domino vestro *; multo melius est enim non vovere, quam post votum promissa non reddere *. » Quodsi ea, quæ modo memoravi, eveniant tibi, nimirum si bona tua, antequam Deo ultro tradas ipse, sive ab hostibus tempore belli, sive a furibus tibi veluti inutilia (Deo meliora providente) eripiantur, non ideo animum despondeas, aut turberis nimium aut vituperare Deum audeas, sed laudes potius eum cum justo Jobo dicens : « Dominus dedit, Dominus abstulit *. » Quo fiet ut merces tua non auferatur a te, sed quia gratias ob bona direpta egisti, reputabitur id tibi in eleemosynam, ut contigit beato Arethæ, monacho Cryptensi, cujus bona a furibus fuerunt ablata. Et re quidem vera si parva res esset bonorum rapinam grato animo ferre, profecto nequaquam beatus senex ille, de quo in Paterico (*Scetensi* (6)), cum a latronibus spoliatus esset, atque vestem sibi mansisse recordatus, abeuntibus eamdem ultro obtulisset adcurrens; quam illi abstulerunt quidem, at cæteris omnibus relictis. Quæ ubi legisset alius quidam senior, cujus mentio fit in Limonari (7), continuo deprecatus est Deum, ut latrones omnia sibi auferrent; exauditus vero in manus supervenientium omnia sua tradidit ultro. Tales profecto laudibus effert Apostolus dicens : « Rapinam bonorum vestrorum cum laude suscepistis, cognoscentes vos habere in cælis meliorem et manentem substantiam *. »

B. Arethas, *in Cryptensi asceterio monachus factus, laudatur quod veteres patres imitatus est, qui ultro permiserunt res suas.*

E

F

* Ps. LXXV, 12.

* Eccles. V, 4.

* Job. I, 21.

* Hebr. X, 34.

(1) Herbinius, opere cit. pag. 36, in tabula, cryptas exhibente. — (2) V. Arcybysev, Narratio de Russia, tom. I, pag. 267, ad hunc annum. — (3) Macarius, Histor. Eccl. Russ. tom. II, pag. 270, not. 45. — (4) Macarius, loc. cit. tom. III, pag. 255, not. 43. — (5) Stebelcius, Dwa swiatla etc. pag. 141-221. Kulcynski, pag. 55, ed. 1859. — (6) Ap. Rosweydum, Vitæ patrum, Verba seniorum, libro V, interprete Pelagio, libello XVI, num. 13, pag. 631. — (7) Pratum spirituale Joan. Moschi cap. 212, ap. Rosweydum, Vitæ patrum, pag. 926.

Hactenus

A *Hactenus Simon* (1). *Unde colligimus B.* Aretham *monachum fuisse in monasterio Kievocryptensi, habuisse quædam bona, eorumque rapinam non ægro, sed grato potius animo tulisse lætoque. Sane avaritiæ hic sordidæ vestigia deprehendes nulla; imo potius quia terrenarum rerum contemptum exemplo suo docet* Arethas, *ideo sane Polycarpo, qui eisdem plus æquo incubabat, a magistro suo Simone proponitur imitandus.*

Licet tunc temporis in monasterio Cryptensialii sanctiores monachi stylitæ essent, alii reclusi, ipse tamen B. Arethas *cœnobita fuit et videtur officio aliquo functus.*

11 *Cœnobiticam vitam egisse B.* Aretham *cuique Vitam inferius dandam legenti perspicuum erit : siquidem non semel sermo versatur ibi de fratribus conviventibus, et aliunde exploratum est a S. Theodosio communem vivendi rationem secundum Studii monasterii exemplum fuisse institutam. Nec obstat Cryptensis nomen, quod latu sensu accipiendum est. Imo tempore B.* Arethæ *numerosam fuisse familiam religiosorum Cryptensium vel inde colligere licet, quod jam Nestoris ætate, qui anno* 1106 *mortuus est, ferme centum fratres, ut ipse testis est, simul conviverent. Addendum tamen est, non omnes Cryptenses monachos cœnobitarum instar degisse,* B *sed triplex viguisse vitæ genus etiam* XII *sæculo, videlicet cœnobitarum, reclusorum et stylitarum. Prioris exemplar perfectissimum exhibuit S. Theodosius, ideo monasticæ vitæ in Russia parens appellatus. De Niceta Stylita mortuo anno* 1108, *quædam legere est apud Kulcinium. Stylita quoque fuit Cyrillus Turoviensis, qui post annum* 1150 *a columna descendere jussus est et sedem episcopalem occupare, ut vetus ejus biographus testatur, a D. Suhomlinovio, in universitate Petropolitana professore, nuper editus* (2). *Reclusorum numerus major esse solebat; inter quos, præter Athanasium et Joannem omnium notissimos, Clemens recensendus est vel ipse, quem e claustro hoc strictissimo ad sedem metropolitanam evectum fuisse affirmant auctores fidei digni* (3). *Reclusi illi monachi vitam degebant in cella Cryptana per foramen cibum accipientes; et post obitum in eadem, quam vivi habitaverant, mortui reponebantur* (4). *Ex eadem Vita, a nobis edenda, conjicere fas est B.* Aretham *non simplicem monachum fuisse, sed munere aliquo insigniori fuisse functum, sive* C *œconomi, sive alius officialis, utpote qui fratres durius tractasse ibidem perhibeatur, ipsum, ut ab ira ac injusta vindicta cessaret, humiliter deprecantes.*

Sepultus fuit in crypta Antonii.

12 *Sepultum fuisse beatum virum in crypta testatur Patericon; ast in utra non liquido tradit. Constat namque inter omnes duas antiquitus exstitisse cryptas, Antonianam scilicet seu viciniorem et Theodosianam seu remotiorem, ut nihil dicamus de aliis minoris famæ cryptis, omittentes etiam cryptam Varegorum, quam primum Antonii habitaculum fuisse tradunt, et quæ apud Herbinium* (5) Barasensis (*vulgo* pieczara Barareska) *satis barbare dicitur. Duplex illa crypta, ad ripam Boristhenis sub monte edita, præter cellas in quibus monachi numero paucissimi plus minusve commode degerant olim, continebant ædiculam, ubi precibus et psalmis recitandis aliisque religionis officiis peragendis vacare possent secure. Fuerunt etiam qui corpora sua jejuniis atque vigiliis castigaturi, ultro se antris istis includerent, pane modico et oleribus victitantes* (6). *Sed et hoc animo religiosi illi Rutheni propria effodiebant sibi in cryptis antra, ut sibi vivis cellæ, mortuis vero essent sepulcra. Re quidem vera ex quo tempore monasterium, in montis proclivie editum, habitari cœptum fuit, tempore scilicet Theodosii, prius illud monasterium, sub terra situm vereque* cryptense, *aut sepeliendis fratribus inservire cœpit, aut quibusdam monachis, reclusorum vitam ibidem constanter ducturis. Porro sepultus est B.* Arethas *in crypta Antonii, ubi ad hodiernum usque diem requiescit simul cum bene multis aliis corporibus* (7) ; *quorum quædam ab invisentibus aperta conspiciuntur. In tabula vero, quam Herbinius toties allegatus opusculo suo ad pag.* 36 *adjiciendam curavit, videre est* Aretham *medium inter Jeremiam Providum et Moysem Hungarum.*

S. Arethæ *nomen antiquis Kioviensibus et Mosquensibus kalendariis, sanctorum aliquot Russorum memoriam vix continentibus, inscriptum non est;*

13 *Jam si quæritur quandonam hujus beati viri cultus initium cœperit et quo auctore, in difficilem quæstionem delabimur. Illud unice constat, nostra ætate coli B.* Aretham *a Russis acatholicis veluti sanctum, quin et officium habere, non proprium quidem, sed pluribus aliis Kioviensibus beatis commune* (8). *Officium illud nequaquam catholica manu exaratum est, nec bullæ Urbani VIII ætatem antecedit, quippe quod auctorem habuerit Meletium Syrigum græcum, qui anno* 1643 *e Moldavia Kioviam venerat, ibique* canonem *istum, ut vocatur, concinnavit, mox slavonico idiomate donatum, et, quibusdam mutatis ac emendatis, typis Kioviensibus excusum. Præterea cum tempestate illa luctuocissima ecclesia Kioviensis in duas partes esset scissa, quarum altera catholicæ fidei erat addictissima, altera contra inimicissima, merito in suspicionem venit Meletianæ lucubratiunculæ fides, sponteque sua quæstio exsurgit, utrum ante annum* 1643 *apud catholicos Cryptensium cultus invaluerit, et quandonam initium ceperit. In comperto est, caute admodum egisse olim ecclesiam Kioviensem, ubi de honoribus, qui sanctis deferri solent, decernendis agebatur, nec nisi paucissimos Dei servos cultu publico primitus fuisse honoratos. Inter quos omnium antiquissimus censendus est S. Theodosius, annis* F *triginta quinque post obitum suum, id est, anno* 1108, *sanctorum albo adscriptus, adeoque in vetustissimis Calendariis obvius, simul cum S. Vladimiro et SS. martyribus Boriso et Glebo, quem proxime secutus est S. Antonius Cryptensis et S. Olga. Hos omnes reperire est non modo in Calendariis aut Menologiis Kioviensibus, sed et Mosquensibus : id quod de aliis beatis Cryptensibus dici nequit. Nimirum ecclesia Kiovensis e Mosquensi diu nullatenus pependit, nil quidquam habens cum illa commune* (9).

sed hinc non sequitur eum a catholicis non fuisse cultum centum annis ante Urbani VIII decreta.

14 *Hinc est ut, ante tempora Demetrii Rostoviensis, id est, ante annum* 1547, *Cryptensium sanctorum nomina in Calendariis Mosquensibus quæras frustra; et licet ille Menæis suis Majoribus, ut vocantur, quorumdam Cryptensium Vitas inserendas curaverit, non ideo tamen cultum publicum ubique obtinuerunt ; quo nonnisi*

(1) Patericon, fol. 227 verso et 228, ed. Mosquens. — (2) Codd. mss. Comitis A. Uvarovii, tom. II, continens Cyrilli Turov. opera quæ supersunt omnia, pag. 1 et 2. Petrop. 1858. — (3) Philar. Histor. Eccl. Russ. tom. I, pag. 144, not. 404. — (4) Herbinius, op. cit. pag. 85. — (5) Pag. 74. — (6) Herbin. ibid. pag. 65. — (7) Eugenius Metropolita, Descript. Lauræ Kiov. pag. 109. — (8) Descript. Lauræ Kiov. pag. 109. — (9) Ibid. pag. 117 et seq.

anno

AUCTORE J. MARTYNOV.

anno 1762 *donati sunt. Sed nec in ecclesia Kioviensi omnes, qui nunc in Paterico aut in canone Meletii inscripti leguntur, sanctorum honoribus gaudebant; siquidem præter S. Theodosium et S. Antonium, quinque tantum alii colebantur ut sancti. Tempore vero præterlabente, paceque ecclesiæ Kioviensi post miserrimam illam Tartarorum invasionem tandem reddita, alii quidam beati calendariis Kioviensibus inscripti fuerunt, at numero admodum pauci, plurimis adhuc in tenebris latitantibus. Ex dictis hactenus colligere fas est, B.* Aretham *jam ante sæculum* XVI *in ecclesia Kioviensi cultu publico fuisse condecoratum, nec enim aliter in Officium anni* 1643 *fuisset invectus. Utrum vero cultus ejus annum* 1537, *ab Urbano VIII præscriptum, excedat aut etiam longe antiquioris originis sit, id probabile videtur vel ex acerrima illa disceptatione, quæ catholicos inter seu unitos et non-unitos ineunte sæculo* XVII *exorta fuit. Nec enim de orthodoxia SS. Cryptensium dubia movebant catholici, sed vere catholicos illos fuisse asserebant probabantque. Rem manifestam facit præfatio, quam Kossovius Paterico*
B *suo Polonico præmittere, Herbinius vero latine reddere curavit* (1); *ac luculentius et multo fusius Theophanes Procopovicz, archiepiscopus Novgorodensis, in Apologia* sacrarum reliquiarum patrum nostrorum, *qui in cryptis nostris Kioviensibus quieverunt* (2).

quum autem extremo sæculo XVI *controversiæ fervebant inter unitos et non unitos, utrimque admittebatur S.* Aretham *et alios Cryptenses reapse esse sanctos.*

15 *Objiciebant nempe catholici sanctos istos, quorum corpora in cryptis Kioviensibus incorrupta dormiunt, vixisse illa christianorum serenitate, cum orientales græcorum et occidentales latinorum ecclesiæ tamquam sorores germanæ in mutuo amplexu, hoc est in unitate fidei adhuc perseverarent; cujus unitatis recuperandæ gratia nos in sacrificio Missæ incruento ita supplicamus :* Da nobis uno ore et uno corde confiteri et laudare gloriosissimum nomen tuum Patris et Filii et Spiritus Sancti *etc. Ergo, concludebant, patrum, illo tam beato ecclesiæ christianæ tempore viventium, ob unitatis illius sanctissimum consortium dono incorruptibilitatis a Deo donata sunt* (3). *Ad hæc respondebant adversarii sanctos istos vixisse omnino post*
C *triste illud divortium ac secessum græcorum ab ecclesia occidentali; divortium autem hoc consummatum fuisse tempore S. Vladimiri, quo imperante universa fere Russorum gens Christi fidem fuerat amplexa* (4). *Quæ responsio objectionem nullatenus solvit, cum abunde constet sæculis* X *et* XI *Kioviensem ecclesiam Romanæ fuisse unitam; prout solide probatum est tum a Stiltingo nostro* (5), *tum ab aliis auctoribus catholicis* (6). *Sed penitius id argumentum inspiciendum est.*

§ IV. An sæculo XII metropolitæ Kiovenses et hegumeni Cryptenses catholici essent.

B. Aretham *fuisse catholicum ostenditur*

Sponte scilicet occurrit quæstio, quotiescumque de sanctis Ruthenis agitur, necessario agitanda, utrum ille S. Arethas *catholicus habendus sit, an non. Re quidem vera non convenit nobis,* D *quos beati hujus gesta fere latent, affirmantem sententiam adstruere solis argumentis, ex ipsius Vita petitis; (omittenda tamen omnino non sunt;) sed potius illa res ex factis synchronis, quantum fieri potest, illustranda videtur. Aliqua lux affulget quæstioni huic intricatissimæ ex serie tum metropolitarum Kioviensium, tum hegumenorum Cryptensium, accurate inspecta. Quare singulos percurramus, incipiendo a medio sæculo* XII; *notabimus vero antea, cum Stiltingo nostro* (7), *Kioviensem ecclesiam toto isto sæculo partim catholicam fuisse, partim acatholicam.*

ex serie metropolitarum qui ab anno 1150 *ecclesiam Kiovensem gubernarunt, præsertim vero ex historia Clementis, impositione manus S. Clementis papæ,*

17 *Primus igitur occurrit nobis Clemens, in metropolitam assumptus anno* 1147, *non requisito patriarchæ Constantinopolitani consensu, et Kioviæ consecratus modo prorsus inaudito, nimirum imposita manu S. Clementis papæ et martyris, ad significandam, ut bene advertit Kulcinius* (8), *obedientiam, quam erga Romanam sedem profitebatur semper. Concilio aderant, præter magnum ducem Iziaslaum, Clementi amicissimum, sex episcopi, Onuphrius Cernigoviensis, Damianus Juriensis, Theodorus Vladimiriæ (in Volynia), Manuel Smolenscensis, Euthymius Perejaslaviensis et Niphon Novgorodensis; quibus addunt nonnulli* (9) *Joachimum Turaviensem et Cosmam Polocensem; at perperam. Onuphrium electionis modum proposuisse et defendisse, suffragantibus aliis, exceptis Niphonte et Manuele, consentiunt omnes.*

refragrantibus duobus episcopis, patriarchæ Cplitani jura tuentibus,

18 *Refragabantur hi duo, non quod aliquid contra Clementis mores objicerent, (erat enim vir pietate ac eruditione præstantissimus,) sed quia patriarcharum Cpolitanorum jura lædi asserebant, patrio amore abrepti, utpote græci homines ambo* (10). *Contra, Clemens, natione cum esset Russus, et quidem Smolensco oriundus, indigenarum jura quodammodo promovere videbatur. Clementis partes tuebantur potissimum magnus dux Iziaslaus, cæterique præsules, plerique alienigenarum dominatum ægre ferentes. Nec sola nationis propriæ jura tuenda suscepit synodus, sed et sinceram erga Romanum pontificem sedemque B. Petri observantiam attestari sategit, quemadmodum facta subsequentia faciunt pa-*
F *lam. Siquidem Clemens, renunciatus metropolita, patriarchæ nomen ex SS. liturgiæ precibus expunxit, Niphontem vero, Novgorodiæ episcopum, sibi infensissimum, in monasterio Cryptensi includi jussit et detineri, volente Iziaslao.*

atque etiam Suzdaliæ duce, ordinati et exilium dein variaque fata passi.

19 *Ut autem ab Iziaslao Clemens, ita a Georgio, Suzdaliæ duce, fobebatur Niphon et animabatur, cæcis odiis inter utrumque principem exortis. Unde factum est, ut simul ac Georgius Longimanus (Dolgorouki) rerum potitus est, anno* 1148, *Niphon ecclesiæ suæ libertatique redditus est; Clemens autem, sede pulsus, exulare debuit Vladimiriæ in Volynia una cum Iziaslao devicto. At ubi Iziaslaus jura sua vindicavit, iterum Kioviam repetiit exul metropolita, præfuitque ecclesiæ non solum ad mortem usque Iziaslai, quæ anno* 1154 *advenit, sed et sub Rostislao, ejus successore, donec scilicet Kioviensem regionem Georgius denuo invaserit, anno* 1155. *Tunc rursus exilii viam*

(1) Herbinius, op. cit. pag. 107. — (2) Miscellanea Sacra, pag. 107 et seq. ed. Vratislaviæ, 1744. — (3) Herbinius, loco citato. — (4) Idem, loc. cit. — (5) Act. Sanct. Septembris, præfatio de conversione et fide Russorum. — (6) Verdière, Origines catholiques de l'Eglise russe, in opere periodico: Etudes de théologie, de philosophie et d'histoire, publiées par les PP. Gagarin et Daniel, tom. II. — (7) Act. Sanct. tom. II Sept. præf. pag. XIX. n. 74. — (8) Specimen ecclesiæ Ruthenicæ, pag. 115, edit. noviss. — (9) Patericon vulg. fol. 219, in Vita Niphontis, ed. Mosq. 1759. — (10) Macarii Hist. eccles. Russiæ, tom. III, pag. 10, not. 14.

arripuit

A *arripuit Clemens, una cum Iziaslai filiis, adversa omnia forti animo perferre eos edocturus.*

Interea Constantinus græcus, omnia ex Græcorum sententia administrans, Kioviensem sedem occupavit et in Clementem ejusque sequaces sæviit. Successit postea Theodorus Græcus;

20 *Interea anno proxime sequenti, id est* 1156, *non vero* 1160, *ut autumat Kulcinius* (1), *venit Kioviam Constantinus, græcus. Hic ut metropolitanam sedem occupavit, protinus in Clementem ejusque fautores insæviit. Nestorem namque, Rostoviæ antistitem, aliosque sacerdotes ac diaconos, a Clemente ordinibus sacris auctos, interdicto subjecit; Iziaslaum vero, licet defunctum, anathematis fulmine percussit. At morte plectitur Georgius et ipse anno* 1158; *summamque potestatem Iziaslai filii, rerum potiti, Rostislao, avo suo, deferunt ultro. Hic, licet Clementis partibus olim (ut vidimus) addictissimus, nunc tamen exulantem pastorem sedi restituere detrectavit; cum autem Constantinum, cujus auctoritatem respuebant Iziaslai filii, retinere non valeret, novum metropolitam, pacis ergo, a patriarcha accersivit obtinuitque. Dum tertius iste metropolita, Theodorus nomine, ad iter Kioviense ineundum sese parat, supremum obiit diem Constantinus Cernigoviæ anno* 1159.

B *De Theodoro, qui nonnisi biennio, id est ab anno* 1161 *ad* 1163 *pedum archiepiscopale tenuit, hæc scribit Kulcinius, aut potius ex Kossovio transcribit :* Theodorus, genere græcus, anno 1170 metropolita creatus, toto fere sexennio Ruthenicam rexit ecclesiam (2). *Ubi, ut in transeundo dicam, specimen habes singularis istius chronologiæ apud quosdam auctores Russos solemnis, secundum quam Nativitas Domini nostri Jesu Christi a creatione mundi non annorum* 5508, *sed* 5500 *intervallo sejungenda sit.*

et post eum Joannes Græcus, Russis frustra optantibus populatorem; moritur Clemens.

21 *Mortuo Theodoro, ut Clementem sedi suæ gregique tandem restitueret Rostislaus, legatos Constantinopolim destinavit, qui patriarchæ consensum obtinerent; at ab imperatoris legatione præventus, quæ novum metropolitam, Joannem nomine, jam comitabatur, donis onusta, priorem animi rigorem parumper emollivit; nihilominus comminatus est, si quem metropolitam, inconsulto magno duce, mittere denuo præsumpserit patriarcha, facturum se, ut deinceps propria auctoritate caput e medio sui eligerent episcopi Russi et consecrarent. Extrema Clementis annusque mortis ignorantur; nam ea quæ Kulcinius affirmanter statuit, quasi nimirum inclytus pontifex anno* 1160 *vita fuerit functus, postquam* « sedem suam pacifice ad extremum vitæ diem per annos quatuordecim tenuisset (3), » *ea tum cum chronologia nunc passim ab auctoribus admissa, tum cum historiæ testimoniis, quibus Clementis pontificatum fuisse procellosissimum constat, male cohærere nemo non videt.*

C

Joannes ille, qui ab aliis tertius, ab aliis quartus dicitur, catholicus fuisse habetur; neque ejus est epistola,

22 *Sed ad Joannem veniamus, hujus nominis quartum, aliis vero, licet minus recte, tertium. Schismate eximit Joannem hunc Kojalovicius noster, in* Miscellaneis, *teste Stiltingo* (4), *scribens ita :* Quantum, *ait,* unioni cum Romana ecclesia addictus fuerit, testantur ejus litteræ ad Alexandrum papam ea de re scriptæ, quæ slavonico idiomate inter Russorum monumenta habentur. *Hæc Kojalovicius. Kulcinius addit* scripsisse eas Joannem, exigente Rostislao, orthodoxo principe (5). *Contra, Lequienus suspicatur* (6) *hujus Joannis esse tum epistolam schismaticam tum canones æque schismaticos, quos edidit Herbersteinius in Commentariis rerum Moscoviticarum* (7), *ex codice quodam slavico depromptos. Lequieni sententiam amplexi sunt auctores indigenæ nominatiores, metropolita Eugenius* (8), *Philaretes, nunc archiepiscopus Cernigoviæ* (9), *Karamzin* (10), *Kalaidovicius* (11) *et alii plures. At abjudicandam esse Joanni IV, metropolitæ ab anno* 1161 *ad annum* 1164, *epistolam de qua agitur, et tribuendam Joanni II, qui ecclesiam ab anno* 1080 *ad* 1098 *rexit, virique doctissimi famam adeoque* prophetæ *cognomentum fuit sortitus, sententia est recentiorum, ea potissimum innixa ratione, quod in quibusdam apographis græcis inscribatur epistola Clementi, papæ veteris Romæ.*

inscripta Clementi papæ, id est Guiberto antipapæ, sed Joannis II, qui vixit extremo sæculo XI.

23 *Et quidem tempore Joannis II vivebat sub nomine Clementis III Wibertus, ex archiepiscopo Ravennatensi antipapa famosissimus, qui ab anno* 1080 *ad annum* 1110 *ecclesiam Romanam luctuosissimo schismate perturbabat et proscindebat. Sententiam hanc jam olim suam fecerat piæ memoriæ P. Tinnebroeck, hagiographus Bruxellensis, ejusque collega, R. P. de Buck* (12), *inter Russos autem postmodum propugnavit omnium primus Nevolin* (13), *olim academiæ Petropolitanæ ornamentum, quem secuti sunt plerique omnes, inter quos Cernigoviensis archiepiscopus Philaretes* (14), *priore sententia repudiata. Jam vero perspicuum est, in hac opinione nullam adesse rationem, cur Joannes IV communionis cum sede Romana habeatur inimicus; quin potius favere Kojalovicium aliosque auctores catholicos, aperte id testantes; præsertim cum aliunde constet, Alexandrum III inter et Manuelem imperatorem actum esse pluries de communione ecclesiarum solemniter instauranda* (15).

Etiamsi hæc epistola Joannis IV esset, non tamen obstat, quum passim habeatur catholica.

24 *Imo etiam si ponatur literas Joannis, quas Kojalovicius inter Russorum monumenta asserit reperiri, easdem esse ac ab Herbersteinio latine editas, nostroque Joanni IV tribuendas, assertum Kojalovicii vim ideo non amittit. Etenim, quod imprimis notandum, epistola illa, attentius perlecta, sincerum communionis obtinendæ in auctore desiderium, et erga Romanum pontificem observantiam testatur, mansuetudinem insuper spirat in similibus scriptionibus fere insolitam, agitque de latinorum erroribus subdubitanter, de Romanis vero pontificibus honorifice loquitur, utpote quos* præsides *nominet* et summi Petri in cathedra successores (πρόεδροὶ καὶ διάδοχοι τῆς τοῦ κορυφαίου Πέτρου καθέδρας (16). *Porro si* vir sacris profanisque litteris ornatus, *qualis ab auctoribus Joannes ille IV passim prædicatur* (17), *de latinorum erroribus nonnisi dubius egerit, quid de cæteris sentiendum sit, pronum est concludere.*

(1) Specimen ecclesiæ Ruthenicæ, edit. Par. pag. 115. — (2) Ibid. loco cit. — (3) Ibid. loco cit. — (4) Act. SS. tom. II Sept., præf. pag. XIX. — (5) Opere citato, pag. 116, ed. Paris. — (6) Orbis Christ., tom. I, pag. 1264, ed. 1740. — (7) Pag. 22 et 24, ed. Berol. et Petropol. 1841. — (8) Descriptio Eccl. Kiov. pag. 80, et Diction. Scriptor. eccles., tom. I, art. *Joannes III.* — (9) Histor. Eccl. russ. tom. I, pag. 53. — (10) Historia imperii Rossiaci, tom. II, not. 158. — (11) Monum. litter. sæc. XII, pag. 207 et 208. — (12) Etudes de théologie, de philosophie etc., tom. II, pag. 343. — (13) Ucenyja Zapiski, tom. I, pag. 261, et Izvestia, tom. I, pag. 32. — (14) Ucenyia Zapiski, Scripta scientifica Academiæ Petropolit. tom. III, prodromus. litter. pag. 14. — (15) Cozza, Historia polem. de schism. græco, tom. II, part. IV, cap. XIV et seq. — (16) Ucenyja Zapiski, tom. I, pag. 5, inter monumenta literaria. — (17) Kulcinius, Specimen eccles. Ruthen., pag. 116. Eugenius, Descriptio eccles. Kiov. pag. 79; Theiner, Die neuesten Zustände der Katolischen Kirche in Polen und Russland, pag. 32, Augsburg, 1841.

AUCTORE J. MARTYNOV. *Facile etiam admittendum est Russos, quamvis tunc temporis schismatici dicendi forent, materialiter tantum schismati implicatos fuisse.*

25 *Facile igitur a talibus ducibus in Græcorum præjudicia pertrahi potuit vulgus, et ita bona fide in magistrorum verba jurare, nec nisi* materialiter, *ut ajunt, errare. Qui ergo sancte vivebant moresque suos ecclesiæ præceptis conformabant, nihil obstabat, quominus et salutem mererentur æternam, et fierent digni, quos integritate corporum post obitum Deus illustres redderet. Ita argumentabantur olim catholici scriptores, PP. Cryptensium sanctitatem propugnantes* (1), *et quidem recte; cum verisimillimum sit, inter episcopos non satis de fide convenisse, quod alii aliis addictiores essent ecclesiæ Romanæ* (2). *Porro catholicorum partibus adhæsisse monachos Cryptenses conjicere licet etiam ex iis, quæ ipsorum hegumeno evenerunt, nomine Polycarpo, qui et S.* Arethæ *cœvus, utpote cœnobio anno* 1164 *ab ipsomet Joanne IV præpositus.*

Cryptenses monachos tunc temporis catholicos fuisse suadet hegumenorum illius ævi historia: imprimis Polycarpi, multa a Constantino II passi;

26 *Nimirum quem hic metropolita archimandritæ munere dignum esse judicaverat, eumdem Joannis successor Constantinus II, natione græcus, in concilio Kioviensi anni* 1168, *coram centum quinquaginta episcopis, hegumenis et monachis, erroris damnatum in carcerem misit, donec sententiam ea de re ferret patriarcha Cpolitanus. Inculpabatur autem Polycarpus propterea, quod casei et lacticiniorum usum monachis suis permitteret feria* IV *et* VI, *quotiescumque diebus istis occurrerent festa sive dominica, sive etiam sanctorum solemniora. Quæ consuetudo et in aliis diœcesibus, v. g. Smolenscensi et Rostoviensi, ea tempestate jam vigebat et monasterii Studii, cujus regulam profitebantur monachi Cryptenses, auctoritate et exemplo nitebatur* (3). *Quæ cum ita se habeant, non immerito suspecta apparet causa, propter quam Polycarpus publice fuerit damnatus, præsertim cum pietatis et virtutis fama gauderet apud suos, et Rostislao, Kioviensi principi, non secus ac Clemens metropolita, admodum fuerit familiaris et gratus. Utut est, nonnisi mortuo Constantino, libertatem recuperavit insons archimandrita, exceptus magno applausu populi, metropolitam injuste egisse aperto ore conquerentis causamque fuisse dicentis cur anno proxime sequenti, id est* 1169, *clade crudelissima Kioviam affecerit Andreas Suzdaliæ dux* (4).

Basilii, ex clero sæculari assumpti; Theodori, Acindyni II et Polycarpi II, quorum tempore Constantinopolitani pacem fecerunt cum ecclesia Romana.

27 *Polycarpo successit Basilius, anno* 1182 *a metropolita Nicephoro II in hegumenum e sacerdotibus sæcularibus assumptus, more adhuc insueto, consensu vero tam unanimi, ut non sine quodam Dei interventu id evenisse velint auctores indigenæ. Fuit Basilius vir pietate insignis, bonisque operibus ex animo deditus; nec exteriori tantum, sed et interiori domui simul consulebat sollerter, quippe qui monasterium muro circumvallandum curaverit, propriam animam vero spirituali propugnaculo communierit, accepto* magno habitu *seu* schemate, *quo majoris perfectionis desiderium testaretur. Edocent nos hæc omnia literæ celeberrimi Cyrilli Turoviensis episcopi ad Basilium datæ* (5). *Denique, post Basilium, hegumenum habuit S.* Arethas *Theodorum, quem mors occupavit ineunte sæculo* XIII, *circa annum* 1203, *succedentibus duobus aliis Acyndino II et Polycarpo II, ecclesiam vero Kioviensem regente* D *Matthæo ab anno* 1200 *ad annum* 1223. *De ultimo hoc metropolita nil in præsentiarum dicemus; notabimus tamen ejus ævo ad communionem ecclesiasticam rediisse imperatorem Alexium et patriarcham Joannem, qui ab anno* 1199 *ad annum* 1204 *Constantinopoli sedit, curante id Innocentio III, ab anno* 1198 *ad* 1216 *Romano pontifice.*

Memorabilem ea de re epistolam scripsit Innocentius papa III.

28 *Cujus memorabilis exstat epistola ad archiepiscopos, episcopos et universos tum clericos tum laicos per Rutheniam constitutos, data Viterbii, nonis octobris, anno* 1207 *secundum Turgenevium* (6), *secundum Theinerum vero, anno* 1209 (7). *Hanc pontifex exorditur epistolam sequentibus verbis:* Licet hactenus elongati fueritis ab uberibus matris vestræ tanquam filii alieni, nos tamen qui sumus in officio pastorali a Deo, licet immeriti, constituti, ad dandam scientiam plebi suæ, non possumus affectus paternos exuere, quin vos sanis exhortationibus et doctrinis studeamus tanquam membra vestro capiti conformare, ut Ephraïm convertatur ad Judam, et ad Jerusalem Samaria revertatur. Utinam intelligere velitis, sapere, ac novissima providere, ut, a mentibus vestris omni depulsa caligine, ad viam ab invio redeatis, qui dudum post greges sodalium (*id est græcorum*) evagando, vos ejus pertinaciter magisterio subduxistis, quem Salvator noster universalis ecclesiæ caput constituit et magistrum, inquiens : « Tu vocaberis Cephas, » et : « Tu es petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. » *Dein, allegatis nonnullis locis ad stabiliendum primatum Petri ejusque successorum, prosequitur ita:* Ut autem ad præsens de reliquis taceamus, cum græcorum imperium et ecclesia pene tota ad devotionem Apostolicæ Sedis redierit, et ejus humiliter mandata suscipiat, et obediat jussioni, nonne absonum esse videtur, ut pars toti suo non congruat, et singulariter a suo discrepet universo? *Monet eos denique, ut legatum Romani pontificis benigne suscipiant, eique pronis mentibus obsecundent. Ex his omnibus non parum momenti accedit sententiæ, quæ* Aretham *vere catholicum fuisse statuit. Sed de his satis.* E F

VITA S. ARETHÆ,

MONACHI KIEVOCRYPTENSIS,

Auctore B. Simone, episcopo Vladimiriensi, juxta Patericon Mosquense anni 1759.

In adversis ut in prosperis Deo gratiæ agendæ.

Vere dignum et justum est semper Deo gratias agere pro omnibus, sive prospera sint, sive adversa. Hoc enim non modo justis, quemadmodum Jobo contigit, gratiam adauget, sed et magnos peccatores in sanctos mutat virosque perfectos, ut manifestam rem facit

(1) Cfr Miscellanea sacra, Theophanis Procopovicz, pag. 112 et 113, ed. 1744. Wratislaviæ. — (2) Acta Sanct. tom. II Sept., præf. pag. XX, lit. *A*. — (3) Cfr Maii, nova Bibl. tom. V, pars poster. pag. 104, n. 5. — (4) Rudnev, Dissertatio de hæres. et sectis eccles. russ pag. 48, Mosq. 1836. — (5) Codices manuscr. Comitis Uvarov. Curavit Suchomlinov. tom. II, edit. 1858. — (6) Historica Russiæ monumenta, part. I, n. III. — (7) Vicissitudes de l'Eglise catholique en Russie, tom. I, pag. 22, édit. 1843.

ex Paterico.

a facit beatus vir, de quo episcopus Simon *a*, testis oculatus, hæc tradit.

S. Arethas, in monasterio Cryptensi pecuniæ suæ nimis deditus, ea spoliatur.

2 Fuit in monasterio Cryptensi *b* monachus quidam Arethas nomine, ex urbe Polociæ *c* oriundus. Hic cum multam pecuniam in cella sua clanculo asservaret *d*, eo avaritiæ processit *e*, ut nec egenis denarium erogaret ullum *f*, nec in proprios usus quidquam bonorum suorum converteret. Porro advenit quadam nocte, ut a supervenientibus latronibus, quæcunque possidebat ille, diriperentur omnino. Quapropter tanto mœrore tantaque tristitia confectus est monachus infelix, ut parum abesset quin vitam sibi ultro adimeret, insontes criminis patrati accusans fratres, imo et flagris crudeliter cædens. Hi vero, ut ab agendi ratione adeo injusta cessaret, deprecabantur illum assidue, verbisque psalmistæ solabantur, dicentis : « Jacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet » (Ps. LIV, 23.); at ille, monitione fratrum spreta, vel acerbioribus sermonibus pungebat cunctos lacerabatque.

b
c
d
e
f

Quod quum gravius ferret, angelica voce in somnis monetur, videtque angelorum dæmonumque controversiam et convertitur;

3 Ecce autem post aliquot dies in gravem morbum incidit Arethas, mortique proximus fit; sed ne tunc quidem a murmurando destitit aut vituperando. Igitur benignissimo Domino, qui omnes vult fieri salvos, misericordiam erga illum manifestare placuit vere mirandam. Etenim quadam nocte Arethas, cum in lecto jaceret semivivus, et a longo jam tempore ne verbum quidem proferre valeret, derepente in sequentia verba, omnibus demirantibus, alta voce prorupit : Miserere Domine! Parce Domine! Tua sunt omnia! Bonorum jacturam amplius non doleo. Hæc ubi exclamavit, illico sanatus est; de causa vero clamoris gemituumque interrogatus, hanc subjunxit : angelos se vidisse dæmonumque turmas ad se venientes, deque pecunia ablata inter sese disceptantes : Noster profecto est iste, clamasse dæmones, nobisque tradendus, eo quod in Dei vituperium, non in laudem divitiis usus sit; angelos autem hæc sibi dixisse: Utinam, o miserande, de direptis bonis gratias Deo rependisses, qua possent tibi, ut quondam Jobo, in eleemosynam reputari! C uti enim, qui eleemosynam sponte sua libereque erogat, multum coram Deo promeretur, ita pariter mereri censendus est ille, qui bonorum suorum direptionem grato animo tolerat, cum donatio libera et tentatio victa idem præstent utrinque; nimirum quia non resistit modo diabolo, in peccatum spoliando pertrahenti, quin potius Deo gratis tradit universa, idcirco id eleemosynæ loco reputatur ipsi; hæc ab angelis ubi prolata fuerunt, se in prædicta verba: Miserere Domine etc. prorupisse; statimque dæmones aufugisse contristatos, angelos vero præ gaudio exultasse, et recessisse lætabundos, eo quod rapta pecunia in eleemosynam fuerit conversa.

pœnitentiam agit, virtutes vitiis contrarias exercens,

4 Quibus auditis, glorificarunt fratres Deum, qui viam pœnitentiæ edocet peccatores, tantamque grato animo vim et efficaciam indere dignatur. Arethas vero, utpote a Deo ipsomet eruditus, in virum evadit, sive animum spectes, sive mores, adeo perfectum, ut omnibus esset admirationi, illud apostoli decantantibus : « Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia (Rom. v, 20). » Ut enim antea a vituperiis impediri, ita nec a Dei laudibus gratiarumque actione in posterum distrahi potuit, sed illud Jobi quotidie in ore habebat : « Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum! (Job. 1, 21.) » Similiter de cæteris peccatis intensam egit pœnitentiam Arethas, atque exinde paupertati veræ minimeque larvatæ ex præcordiis adhæsit; obedientiam non ad oculum tantum, sed ex animo coluit; castitatem tum corporis tum mentis servavit, in oratione multus, in jejuniis nimius, nec jam auro corruptibili argentove, sed potius virtutibus sive externis sive internis (omnes enim gratus animus ille secum adduxerat), adeoque et, qui illarum fons est, Deo ipso, dives.

et demum moritur.

5 Tandem, post multos labores *g* exantlatos, ad Deum transiit Arethas, æterna quiete fruiturus. Conditus est in cryptis *h*; sese beatitudinem misericordibus promissam adæquasse, ac propterea misericordiam apud E Deum invenisse, corporis integritate mirifica attestans. Cujus precibus *i* nos quoque gratias semper agentes vivere valeamus, quo pariter et misericordiam divinam consequi, et Deum in Trinitate unum in sæculorum sæcula collaudare mereamur.

g
h
i

ANNOTATA.

a *Patet exordium istud ab editoribus fuisse concinnatum; et reapse in codd. mss. passim desideratur, non excepto Cassianiano (an. 1462); ubi incipit ita :* Fuit quidam monachus *etc....., testante Vostokovio in egregia* codd. mss. Musæi Rumiantsoviani descriptione, *p.* 431.

b *Cryptense vocatur, non quasi in cryptis subterraneis degerent S.* Arethas *aliique monachi coævi, sed lato quodam sensu; quia id super cryptas, in quibus initio reapse latitaverant primi S. Antonii discipuli, exstructum fuit. Prodiit autem ex cryptarum tenebris in lucem jam tempore Barlaami hegumeni, anno scilicet* 1062, *vivente adhuc S. Antonio, Cryptensium monachorum primo parente. Licet autem a Barlaamo constructum fuisset ac absolutum, nonnisi sub S. Theodosio, ejus successore, habitari cœptum est, ideoque Theodosianum ab annalista Nestore vocatur.* F

c *Quæ hic ad marginem Paterici vulgati leguntur verba :* Arethas erat de gente Polovecensium, *perperam esse apposita, observavimus in Commentario prævio, num.* 8.

d *Paupertatem vovisse monachos Cryptenses aperte testatur Simon in epistola ad Polycarpum ita scribens :* Vovisti paupertatem; quæ promisisti, imple. *Insuper constat S. Theodosium dedisse suis regulam monasterii Studii, quæ totam complectebatur monasticam disciplinam. Jam vero inter pœnas quotidianas, a S. Theodoro statutas, vigesima fert :* Si quis aliquid possederit inscio præposito, sit extra communionem diebus quindecim, aridis vescens hora nona, cum metanœis quinquaginta (1). *Aliunde exploratum est, omne superfluum*

(1) Mai, nova Bibliot. tom. V, part. 2, pag. 141.

AUCTORE J. MARTYNOV.

fluum a cellis Cryptensium exulare debuisse. Unde siquando Theodosius monachos invisens aliquid superflui in cella offendisset, illico in ignem projici jubebat, delinquentem fratrem ad paupertatem melius sectandam paterna correptione exstimulans.

e *Juvat hic ea referre quæ de avaro in canonibus suis præscripsit idem S. Theodorus Studita :* Avarus, *ait,* insanabili morbo laborat, qui interiorem hominem exedit. Avaritia est idolorum servitus, infidelitatis filia, infirmitatum prætextus, voluntaria apostasia. Huic decernimus quadrimestrem pœnitentiam, quadraginta dierum aridum victum hora nona, et quotidianas metanœas quinquaginta, cum sit vitium animam consumens (1).

f *Hinc colligitur, Cryptenses monachos non semper, habitu accepto, bonis nuntium misisse, id quod etiam in occidentali ecclesia factitatum esse constat. Cæterum varios gradus ibidem exstitisse ab ipsis monasterii incunabulis, indubium est: alii enim laicorum veste induebantur, in variis probationibus versantes; alii vero monachico habitu vestiebantur quidem, tonsura*
B *tamen nondum erant insigniti; duo ultimi ordines* parvo *et* magno schemate, *ut ajunt, differebant. Porro etiam eos, qui schemate erant condecorati, facultatem habuisse bonis utendi, licet non sine licentia hegumeni, testatur epistola Cyrilli Turoviensis episcopi ad Basilium hegumenum Cryptensem, qui schema jamjam suscepturus erat, data* (2).

g *Phrasis ista apud Paterici concinnatores nimis trita est ac vulgaris, quam ut inde quidpiam de ætate sancti plus minus provecta concludere liceat: potest enim referri non ad annorum numerum, sed ad solum pœnitentiæ fervorem, laborum ac mortificationum frequentiam.* D

h *Sepultum fuisse B.* Aretham *in crypta Antoniana seu viciniore, observavimus in commentario prævio. In sepeliendis monachis Cryptensibus peculiaris servabatur ritus, quem descriptam exhibent plures codd. vetustiores manuscripti. Hanc sepeliendi rationem, ac defunctorum corporum ornamenta in subjunctis schematibus quodammodo spectanda proposuit Herbinius in opusculo suo de Kiovia subterranea* (3), *toties a nobis allegato. Exhibet idem auctor et aliud schema* (4), *quo visitatio paschalis cryptarum delineata cernitur.* Solet enim, *ait Herbinius,* presbyter Kioviensis feria I paschatis, sacris antelucanis peractis, cum aliquot fratribus in cryptam descendere, defunctorum patrum corpora invisere, eaque sacro thure suffumigando preculas aliquot ex more recitare. Quo facto mortuos alloquitur exultabundus hisce verbis: SS. PP. et FF., hodie Christus, fracto mortis jaculo, a mortuis E resurrexit! cui comites fratres respondent: Vere surrexit Christus Dominus! *Hæc ille ex Paterico Kossoviano.*

i *Epilogus iste ab ipsis Paterici editoribus compositus est, ut patet. In codd. mss., ubi explicit Vita B.* Arethæ, *sequitur brevis allocutio, quam biographus in quavis Vita addere solet. Alloquitur autem hic Simon Polycarpum, atque ut Acyndino hegumeno suo obedientissimus in monasterio Cryptensi vivat moriaturque commonet.*

(1) Maii, nova Bibliot. tom. V, part. 2, pag. 133. — (2) Macarius, Hist. eccl. Russ. tom. III, pag. 127. — (3) Pag. 67. — (4) Pag. 70.

PARERGON.

PARS PRIOR

DE PATERICO MOSQUENSI.

C F

§ I. De auctore Paterici.

Herbinius, qui singularem auctoritatem in rebus slavicis olim habuit, occidentalibus primum persuasit

Patericon Kievocryptense esse librum, quo Patrum Cryptensium Vitæ continentur, norunt omnes. At minus communis est accurata ejus notitia; et quemnam auctorem habuerit, aut quomodo exortum fuerit, ignoratur a plerisque. Quotusquisque est, quæso, cui illud, fama justo majore celebratum ubique, et ab omnibus confidentur citari solitum, volumen adire et perpendere licuit? Peregrini sunt hac in re non alienegenæ tantum, sed et Russorum plerique, a majoribus sibi tradita eaque jam obsoleta æquo religiosius sectantes. Et primo quidem, vulgaris fuit, etiam in Russia, error de Paterici auctore, quem passim asserebant esse Nestorem annalistam (1). *Invexit illud figmentum in Occidentem J. Herbinius, Regiomontanus, in opusculo cui inscripsit:* Religiosæ Kijovienses cryptæ, sive Kiovia subterranea, in quibus labyrinthus sub terra et in eo emortua a sexcentis annis divorum atque heroum græcoruthenorum et necdum corrupta corpora ex nomine atque ad oculum e Πατερίκῳ sclavonico detegit. (*Jenæ, anno* 1675). *Nec mirum; nam specioso huic titulo accedebat scriptoris auctoritas longe speciosior; et vero cum ei, ministerii evangelici partibus in Saxonica ecclesia Vilnæ defungenti, frequens privatim cum abbate rutheno Vilnensis monasterii S. Spiritus, Martiniano Voloskovicio, consuetudo esset, cum Innocentio vero Gizelio, archimandrita Kievocryptensi, literarium etiam intercederet commercium, insuper et linguæ slavonicæ eruditionem haud mediocrem, ut jactabat ipse, hac occasione esset nactus; quæ*

(1) Cfr Timkovski, Brevis disquisitio de Paterico Nestoris chronographi, pag. 61.

autem

AUCTORE J. MARTYNOV.

A *autem traduturus erat aut ex viris illis duobus sese didicisse affirmaret, aut propriis oculis spectandi habuisse copiam ; profecto veluti oraculum quoddam auscultandus erat Herbinius a popularibus aliisve hominibus, in slavicarum literarum republica prorsus peregrinis.*

B. Nestorem auctorem fuisse Paterici, ipse deceptus ab archimandrita Gizelio, æque ac Schlœzerus.

2 *Jamvero solemne est Herbinio Nestorem pro auctore Paterici exhibere. Scribit ille in opusculi sui initio:* « In cryptis Kioviensibus sacra quandoque, teste Nestore, Ruthenorum historico atque chronologo, IN SUO LIBRO CUI TITULUS EST Πατερικὸν, i. e. liber vitarum SS. Patrum in cryptis Kioviensibus nunc dormientium, tempore definito peraguntur (1). » *Et alibi de Paterico agens:* In quo, *ait,* Patrum Cryptokioviensium Vitas Nestor Ruthenorum chronographus prolixe et paucis enarrat, qui liber Kioviæ anno 1661 typis editus est sclavonicis (2). *Nec Vitas tantum Paterico insertas, sed et præfationem, in vulgata editione eidem præmissam, atque recentiorum acatholicis commentis refertam commaculatamque, venerabili Nestori tribuit Herbinius confidenter; summamque ejus latine reddendam curavit, confessionis etiam augustanæ placitis passim immixtis* (3). *Scopulo tamen impegit vir eruditus, deceptus sane auctoritate Gizelii,* viri, *ut Herbinii verbis utar,* inter Ruthenos ætate ista incomparabilis, omnimodo linguarum ac scientiarum, quas sibi in multis Europæ academiis atque peregrinationibus acquisivit, eruditione atque experientia eruditissimi (4). *Si igitur ea, quæ de Paterici auctore ceu vera et indubia protulit tanta auctoritate nixus, apud vulgus, ut fieri assolet, fidem invenerint, culpandum malim Innocentium, hac in re minime innocentem; idque eo libentius quod idem error cum multis aliis ex vulgata ipsius editione, velut ex fonte quodam, non tantum in Occidentales plagas late diffusus est, sed etiam inter indigenas promanavit, ut rectissime annotavit clar. vir Kubarev* (5), *a nobis sæpius hic laudandus. Sane errorem hunc sancivit Schlœzerus ipse, historiæ criticæ in Russia parens tantopere deprædicatus. Ipse enim, quamquam arte hypercritica polleret, impediri tamen omnino non potuit, quominus eidem scopulo, cui Herbinius, vehementer*

B

C *impegerit, sive vulgi errore abductus, sive Mulleri sibi amicissimi testimonio cedens* (6), *aut potius proprio judicio nimium confisus. Audi ipsum decretorie pro more suo rem definientem:* « Duo sunt, *ait,* quæ reliquit nobis Nestor: videlicet Vitæ quorumdam hegumenorum aliorumque virorum monasterii Cryptensis, uti habetur in prima Paterici parte, cui inscribitur : Vitæ sanctorum et deiferorum Patrum nostrorum Cryptensium, a venerabili P. N. Nestore, Russorum chronographo, conscriptæ. Alterum opus majoris momenti est Chronicon etc (7)... *Et subdit modo* Vitas istas, *teste Paterico (vulgato) in præfatione,* bellicorum tumultuum injuria ad nos pervenisse quidem, at non integras, sed tantum præcipuis partibus salvas, curante id S. Simeone (*lege Simone*), episcopo Vladimiriensi et Suzdaliensi qui sæculo XII floruit. » *Unde patet, Schlœzerum in eorum sententia fuisse qui Nestorem auctorem esse vellent libri peculiaris, Paterici dicti, et ab ipsius Chronico prorsus distincti.*

In eamdem deinde sententiam iverunt russi eruditi v. gr. Eugenius, metropolita et Kacenovski;

3 *Quid quod Patericon Cryptense a Nestore conscriptum et dein deperditum esse affirmarint viri alioquin eruditissimi et de rebus Slavicis meritissimi? Quorum unum alterumve in medium adduxisse juvat. Primus esto Eugenius metropolita, qui in opere cui titulus :* Dictionarium historicum scriptorum ecclesiasticorum Russiæ, *pag.* 93, *tom.* II, *ed. Petropolit.* 1827, *Schlœzeri asserta ad verbum refert eodem prorsus testimonio, id est Vulgati Paterici præfatione, nixus. At in prædicta præfatione nuspiam talia inveniet, quicumque rem attentius legerit. En ipsa editorum verba :* Venerabilis Nestor scripsit, præter Chronicon, peculiarem librum quo S. Patris nostri Antonii vita uberius enarratur. *Qui liber* equidem in vetustis Paterici manuscriptis memoratur, at bellorum injuria nobis abreptus est. Legerat tamen illum notissimus testis Simon, qui et annum, mensem diemque quo venerabilis hic Pater obierit inde nobis declaravit (8). *Agitur hic tantummodo de Vita S. Antonii, quæ sola bellorum tempestate periisse, et ex qua Simon episcopus, si voces bene intelliguntur, non excerpta, sed unicum factum exprompsisse dicitur. Cæteroquin Antonii Vitam, de qua hic sermo, nunc quidem deperditam, falso Nestori tribui ab editoribus Paterici et, qui eos sequitur, Eugenio* (9) *neminem fugit. Eugenio addendus Kacenovski, in universitate Mosquensi olim professor et scepticorum, ut ajebant, in re historica antesignanus. Hic, dum Nestoris annales fœtum esse asserebat ætate posteriore conceptum, verum in eo legitimumque Paterici parentem salutare non dubitavit :* Quidnam enim, *inquiens,* verisimilius excogitari possit, quam ut monachus sæculi XI (*agitur de Nestore*), memoriam Theodosii veneraturus, qui monasterium Cryptense fundaverat, ejus Vitam quoque exarare secum statuerit, aliorum Patrum Kioviensium Vitis adjectis? *Ita Kacenovski, citatus in* Disquisitionibus de historia Russiæ, *auctore Pogodin* (10).

E

F

sed oppositam tenuit Timkovski, asserens B. Nestorem Paterici auctorem non esse, sed partem ejus chronicorum in hunc librum fuisse illatam. Karamsinii sententia.

4 *Contra, Timkovski, modo laudatus, affirmat Nestorem ne cogitasse quidem de Paterico conscribendo, et Vitas, quæ nunc in prima parte Paterici vulgati leguntur atque Nestori tribui solent, primitus partem fuisse Chronici ab eodem compositi et non nisi temporis intercapedine ab incertis collectoribus inde excerptas fuisse atque Paterico invectas.* Ego quidem affirmo, *sunt verba ipsius,* nullum exstitisse librum peculiarem, qui Nestorem habuisset auctorem et Vitas sanctorum contineret, Patericon nuncupatas (11). *Imo nec scribere potuisse probat ex multis rationibus, quibus expendendis hic supersedemus, miraturque non immerito, qua fieri potuerit, ut viri alioquin eruditi et linguæ propriæ peritissimi tam fœde errarint, aut falsis alienigenarum interpretationibus se abduci siverint* (12). *Denique, postquam Vitam*

(1) Cap. I, pag. 4. — (2) Cap. III, pag. 13. — (3) Cap. III, pag. 4, 17 et cap. XI, num. 5, pag. 98 et 113. — (4) Pag. 31. — (5) Disquisitio de Paterico Cryptensi, pag. 12 et 22, ed. Mosq. 1847. — (6) Timkovski, Brevis Disquis. de Paterico Nestoris, pag. 62. — (7) Nestor, ed. Mosq. 1809, præf. § 3, pag. 14. Germanicæ, pag. 19. — (8) Patericon, ed. Mosq. 1759, fol. 7 verso, et Kubarev, loco citato, pag. 18. — (9) Descriptio Lauræ Kievocryptensis, § XVI, pag. 121, edit. Kioviens. 1831. — (10) Tom. I, pag. 366. Mosquæ. 1846. — (11) Loco cit. pag. 71. — (12) Ibid. pag. 66.

Theodosii,

AUCTORE J. MARTYNOV.

Theodosii, quæ certo certius Nestoris est, tanquam spuriam aut saltem interpolatam, respuisset, cætera vero omnia a Simone fuisse aut ampliata aut etiam ex integro adornata asseruisset, rem totam concludit his verbis : Ergo probata manet veritas illa maximi momenti, nimirum nullum aliud monumentum relictum nobis esse a Nestore præter pretiosos ipsius annales (1). *Restabat igitur, ut Simonem et Polycarpum solos Paterici auctores duceret, præsertim cum nemini alii unquam fuerit tributum, et de ipsis nullum exstiterit dubium. Simile quid pronuntiavit Karamzin, patriæ historiæ indagator omnium illustrissimus; at ob alias omnino rationes. Nimirum voluit ille hosce duos scriptores solos esse Paterici auctores* (2), *non quod Theodosii Vitam, in prima parte vulgati Paterici contentam et Nestori certo tribuendam, eidem, quemadmodum fecit temere Timkovski, abjudicaret, sed ut recte observavit Kubarev* (3), *quia advertebat illam in melioris notæ Patericis mss. occurrere initio quidem positam, at Paterici Cryptensis titulo destitutam; contra Simonis epistolam eodem ornari.*

B *Quia igitur alii aliter de Paterici auctore sentiunt, quæstio illa undenam tandem provenerit ille liber et quomodo aut quandonam exortus sit, sponte exsurgit.*

§ II. Paterici ortus, incrementa, partitio.

Primitivum Patericon continebat tres partes:

Imprimis igitur sciendum est Patericon esse opus non unius auctoris, sed plurium, nec formam primigeniam servasse aut intemeratam, sed novas, quotiescumque exscribebatur, induisse, donec tandem anno 1661 ultimam a sæpe dicto Gizelio acceperit (utinam mox deponendam !) atque in magnum excreverit volumen, quod maxima olim assiduitate a Russis pervolvebatur. Enatum autem est hoc modo. Ex tribus initio constabat lucubrationibus; quarum prima erat epistola B. Simonis, episcopi Vladimiriæ et Suzdaliæ, de quo multus erit nobis sermo ulterius, data anno 1225 ad Polycarpum monachum Kievocryptensem; secunda Epistola ejusdem Polycarpi ad hegumenum Cryptensem,

C *Acyndinum, tempore posterior; tertia demum narratio erat de primis monachis Kievocryptensibus, præcipue ex Annalibus Nestoris toties laudati deprompta* (4). *Ex hisce tantum opusculis primævum Patericon constitisse, probatur vel eo, quod inveniuntur codices, in quibus nonnisi tria hæc scripta legantur, Paterici nomine insignita. Jam quid unumquodque eorum in se complectatur breviter, quantum ad rem nostram facit, indicemus.*

quarum prima, seu epistola B. Simonis, episcopi Vladimiriensis, de duodecim agit monachis Cryptensibus, de monasterii origine et de S. Antonio fundatore;

6 *Porro in epistola Simonis, quæ primo loco venit, tres partes facile distingui possunt, parænetica, hagiographica et mixta seu historica. Scripturus ad Polycarpum, monachum adhuc juniorem, honoris cupidum, obedire vero nescium, ab hortatione orditur pius antistes; paterna caritate ægrotum adit; humilitatem religiosam laudibus cumulat; vota in memoriam revocat; vocationem sub oculos ponit; mundanæ gloriæ vanitatem commonstrat; ardoresque juveniles* D *suaviter sedat compescitque. Hæc in prima parte, quæ nomine* Epistolæ *designari solita est, utpote monitis salutaribus plena. In secunda, quæ ad rem nostram potissimum spectat, exempla domestica in medium adducit Simon, quo efficacius tepescentem stimularet, animumque despondentem erigeret facilius. Prodeunt igitur in palæstram milites quidam virtute insigniores, inter quos* Arethas *noster. Numero sunt duodecim, scilicet Onesiphorus cum monacho quodam indigno; Eustratius jejunator, martyrio clarus; Nicon, cognomento Aridus, duramque captivitatem apud Polovecenses passus; Kuksa, hieromartyr; Pimenus jejunator; Athanasius reclusus; Nicolaus, cognomine Devotus (Sviatosa), ex duce monachus; Erasmus, terrenarum rerum contemptu insignis;* Arethas, *cujus Vitam dabimus supra; Titus denique presbyter cum Evagrio diacono, dira morte abrepto. In ultima parte ostenditur monasterii Kievocryptensis excellentia, sanctorum fundatorum Antonii et Theodosii merita declarantur et enarratur origo sanctissimi illius loci miraculis* E *illustrata. Demonstratur præterea hanc domum arborem esse uberrimis fecundam fructibus, et præsulibus ecclesiæ Russicæ seminarium futurum esse feracissimum. Et quidem, teste eodem Simone, qui scripsit anno 1225, ejus ævo inde jam prodierant episcopi fere quinquaginta.*

secunda Polycarpi, monachi Cryptensis, de aliis quindecim monachis;

7 *Simonis monita, uti arbor bona, bonum dederunt fructum, litteras dico Polycarpi, rogante venerabili hegumeno Acyndino, circa annum 1230 datas, atque pietatem auctoris, in virum alium mutati, sanctitatemque clare testantes. Possunt autem illæ considerari veluti prioris epistolæ continuatio; fatetur namque Polycarpus, se de iis solummodo monachis Cryptensibus tractaturum, de quibus silet epistola Vladimiriensis episcopi, nec quidquam se dicturum nisi quod ex magistri sui amantissimi ore acceperat. Quare Simoni debetur quodammodo altera hæc epistola, Vitas Cryptensium patrum longe fusiori calamo enarrans. Memorantur ibi sequentes monachi, numero quindecim : Nicetas ex recluso episcopus Novgorodensis; Gregorius thaumaturgus; Agapetus medicus* ἀνάργυρος ; F *Joannes Patiens; Moyses Hungarus, castitatis amantissimus; Prochorus thaumaturgus; Marcus et Theophilus, fossores cryptarum; Theodorus Tentatus; Basilius, Theodori familiaris; Spiridion et Nicodemus, prosphorarum pistores; Olympius pictor; et denique Pimenus Patiens.*

et tertia, ex B. Nestoris Chronicis desumpta, de quatuor aliis.

8 *Utrique epistolæ additur, ut notavimus, narratio de primævis Cryptarum monachis, ex Chronico Nestoris desumpta; ubi præter narrationem de rebus præcipuis, ad vitam domesticam spectantibus, proponuntur etiam Vitæ Damiani presbyteri, Matthæi Providi, Jeremiæ senis admodum annosi, et demum Isaaci a dæmone tentati: et quidem trium priorum breves sunt, ultimi vero fusior. Atque hæ sunt tres Paterici partes, quæ tamquam fundamentum hujus libri sunt, aut potius tria opera, auctore, tempore, proposito inter se distincta, licet rebus, quas continent, non dissimilia. Ex his porro*

(1) Tom. I, pag. 73, Mosquæ, 1846. — (2) Histor. imperii rossiaci, tom. I, pag. XXXIII, edit. 1818. — (3) Opusculo citato, pag. 2. — (4) Macarius archiep. de recensionibus Paterici Cryptensis antiquioribus, in opere periodico : Izvestija Academii etc. I. e. Notitiæ Academiæ Petropolitanæ, sectionis literariæ tom. V, pag. 131.

simul

A *simul junctis, conflavit incertus concinnator sæculo* XV *volumen illud tripartitum, Paterici nomine non incongrue decoratum, utpote quod Vitas Patrum Cryptensium contineat; sunt autem numero triginta et inveniuntur apud collectores fere omnes, sive recentiores sive ætatis remotioris.*

Postmodum plura alia addita fuere, partim jure merito, utpote monastica,

9 *Cætera omnia, quæ in Paterico leguntur, posterioribus temporibus eidem addita sunt, adeoque non in omnibus codicibus reperiuntur. Sunt autem hæc:* 1° *Narratio de monasterii Cryptensis erectione et de sancto Antonio, e Nestoris Chronico desumpta;* 2° *Vita sancti Theodosii, ab eodem Nestore fusiori calamo exarata, ubi quædam narrantur de aliis monachis, de S. Antonio, Barlaamo, Ephræmo, deinceps metropolita Kioviensi; quibus addendi Nicon, Isaias, ad sedem Rostoviæ evectus, Damianus presbyter, Hilarion et Stephanus, ad episcopatum Vladimiriæ postea electus. Hæc autem fragmenta omnia, si Theodosii Vitam excipias, in vulgato Paterico in totidem opuscula integra excreverunt, quemadmodum et illa de monachis primævis, de Damiano, Jeremia, Isaaco ex Annalibus excerpta. Unde non immerito affirmare*
B *potuit clarissimus Timkovski, Nestorem nunquam cogitasse de conscribendo libro, qui tales Vitas contineret, quales in vulgato Paterico habentur.* 3° *Narratio de inventis reliquiis sancti Theodosii, prout legitur in Nestoris Annalibus;* 4° *Encomium sancti Theodosii, auctore incerto;* 5° *Epistola cujusdam de religione Varegorum seu Latinorum, ad M. D. Jaroslaum data et sancto Theodosio a quibusdam perperam* (1) *tributa, fatentibus id orthodoxis auctoribus vel ipsis* (2); 6° *Chronicorum excerpta quædam de Niphonte, episcopo Novgorodensi, et de presbytero Basilio tractatio. Excepit Basilius iste in regendo archimandritam Polycarpum, qui anno* 1182 *mortuus et qui ab altero Polycarpo hagiographo, supra laudato, probe distinguendus est. Quæ omnia licet adventitia sint et secundaria, cum præcedentibus tamen, si rem ipsam de qua agunt spectas, non male cohærent.*

partim immerito, sive quod ad alias hagiographiæ partes spectent, sive spiritu minus catholico infecta sint.

10 *Verum aliter statuendum est de sequentibus additionibus aut potius interpolationibus, quæ, si non mere sunt historicæ, certo certius ad Patericon Kievocryptense nulla ratione pertinent: agunt nimirum de apostolatu sancti Andreæ in Russia; de ecclesia Kioviensis originibus; de sanctis Cyrillo et Methodio deque Slavorum conversione ad fidem; de sanctis Olga et Vladimiro; de Varegis quibusdam, Vladimiri tempore martyrium passis; de sanctis fratribus Boriso et Glebo martyribus; nec non et de adventu Normannorum in Russiam; de primis ejus ducibus Rurico, Olego, Igore et sequentibus. Mitto epistolam Photii, metropolitæ non uniti, ab anno* 1410 *ad annum* 1431, *ad monachos Cryptenses datam. Cumprimis autem illud notatum velim non reperiri ista nisi in codicibus ætatis recentioris, ac proin minorem auctoritatem habere, magisque suspectæ fidei esse. Hisce ita de Paterici ortu et incrementis, de auctoribus et partitione explanatis, jam de modo, quo res, ibidem contentæ, a variis collectoribus ordinatæ fuerint aut permixtæ, contractæ aut extensæ, interpolatæ aut immutatæ, foret nobis disserendum; sed quia lector non levi afficeretur fastidio, si in meatus literalium istarum cryptarum, admodum contortos, homo peregrinus deduceretur, ideo, ingrata opera hac relicta, quædam tantum de præcipuis Paterici recensionibus, sive manuscriptis, sive impressis, attingemus, quo et genuini Paterici pretium expendatur melius, et vulgatæ editionis defectus magis innotescant.*

§ III. Variæ Paterici recensiones manuscriptæ.

Olim a Russis, in transcribendis libris occupatissimis, innumera facta sunt Paterici exemplaria,

E

Patericon *in deliciis olim fuisse Russis, multoque magis ac Nestoris Chronica pervolvi solitum aut transscribi, auctor est D. Kubarev, optimus sane hac in materia judex* (3). *Revocentur hic in memoriam quæ de transscribendi diligentia aut potius voluptate, genti huic peculiariter indita, tradunt Schlœzerus* (4) *aliique. Sane Kohlius scribebat verba notatu digna:* Nullum credo populum in describendis libris tam laboriosum ac frequentem esse quam Rutheni sunt : hinc plurimos apud eos homines videas, qui per totum diem nihil aliud agunt, quam ut libros russicos describant, nulla alia re victum quæritantes : hisque non tantum manuscriptas et nondum editas, cujus generis sunt libri historiam patriam complectentes, annales dicti, (*significare potuisset præsertim historiam sacram,*) sed impressos etiam rariores ac pretiosiores describendos tradunt : ac sæpe, tabernas mercatorum Petropoli ingressus, in quosdam sermones Chrysostomi vel Ephræmii Syri vel Sacræ Scripturæ libros descriptos incidi (5). *Addendum, quod homines pii, Kiovienses cryptas invisentes, ut gratias sibi necessarias facilius obtinerent, aut de obtentis grati animi pignus exhiberent, Vitam alicujus sancti Cryptensis officiumve manu propria describere promittere solebant, voti etiam sacramento sese adstringentes* (6). *Quo factum est ut Paterici ecgrapha admodum multiplica-*
F *rentur olim.*

quæ ad quatuor familias Arsenianam, Theodosianam, Acacianam et Kassianinam revocari possunt.

12 *Quæ vero hodiedum noscuntur, facile ad tres aut quatuor familias seu classes præcipuas reduci queunt; quorum tamen nullum sæculo* XV *vetustius est. Omnium antiquissimum, anni est* 1406 (7), *non autem anni* 1409, *ut voluit quidam* (8), *et vocatur Arsenianum nomine episcopi Tverensis Arsenii, quo volente confectum fuit. Hunc ego antistitem omnium primum fuisse conjicio, qui Cryptensis Paterici proprie dicti consilium conceperit ex tribus illis auctoribus Nestore, Simone et Polycarpo concinnandi. Pedum episcopale tenuit Arsenius, indigenis sanctus, ab anno* 1390 *ad annum* 1409 (9). *Nec ætate solum, sed et merito cætera antecellere apographum Arsenianum auctor est doctissimus Kubarev, ideoque ut publici juris fiat, dignissimum. Extant recensionis hujus codices tres; quo-*

(1) V. Opusculum a me editum, Manuscrits slaves de la bibl. impér. de Paris, pag. 96. Paris, 1858. — (2) Philareti archiepiscopi Cernigoviensis in Patrologia, tom. III, pag. 412. Petropoli, 1859. Kubarev, de Paterico Crypt. Disquisitio, pag. 3. — (3) V. in Collectaneis historicis (Istoriceskij sbornik) quæ edidit Pogodin, tom. I, pag. 429. — (4) Nestor, ed. Mosq. præf. § 19. — (5) Introductio in historiam et rem litterariam slavorum imprimis sacram etc... pag. 5. Altoniæ, 1729. — (6) Kubarev, loc. citato. — (7) Macarius, De recension. Pater. antiq. pag. 134. — (8) Philaretus, Hist. eccl. russ. tom. I, pag. 49. — (9) Diction. histor. Sanctorum Eccl. russ. tom. I, pag. 41.

rum

AUCTORE J. MARTYNOV.

rum unum membranaceum clarissimus D. Kubarev fuse descripsit in opusculo toties hic laudato (1), *ubi totam hanc de Paterico quæstionem optime illustravit. Protypon tamen istorum codicum adhuc desiderari, observabimus cum eodem. Apographa secundæ familiæ, a Theodosio transscriptore* Theodosiana *nuncupata, ad ætatem quidem prioris accedere dicuntur, at fere nullius sunt auctoritatis. Contra, tertia classis, quam* Acacianam *appellant, anno* 1460 *exorta, auctoritate et merito ad Arsenianam proxime accedit, imo, teste Macario qui eam fuse delineavit, eidem palmam præripere videtur, aliqua saltem ex parte* (2). *Ultima demum seu* Kassiani *refertur ad annum* 1462, *et est maxime interpolata* (3), *quidquid dicant in contrarium recensionis hujus defensores* (4). *Unum alterumve exemplum attulisse juvat. Sæpenumero in Legenda de monasterii Cryptensis initio, aliisque fragmentis ex Chronico Nestoris in Patericon illatis, ubi chronographus de se ipso, tacito nomine, sermonem facit, Kassiani codex exhibet nomen « Nestoris; » quod in nullo*
B *alio reperitur. Et quia Nestoris scripta initio poni solebant, hinc sane evenit, ut Paterici lectores, (erant autem innumeri,) totum quoque volumen ipsi tribuerint* (5). *Continet insuper codex Kassiani epistolam de* fide Varegorum seu Latinorum, *S. Theodosio perperam, ut vidimus, adscriptam et alia similia, de quibus multa habet D. Kubarev. Hoc tamen apographo præ ceteris usi sunt vulgati Paterici editores. Minoris momenti sunt codices sæculis* XVI *et* XVII *exarati, ideoque silentio prætercundi. Excipiendus tamen ultimus, quem curaverat Josephus Trizna, Kievocryptensis archimandrita ab anno* 1647 *ad annum* 1656. *Pergrande volumen est, ex centum et tribus capitibus constans, at rudis et indigesta moles. Titulum nota :* Patericon Kievocryptense seu Vitæ et gesta SS. PP. nostrorum qui in Cryptis claruerunt. Scripsit B. Nestor Russiæ chronographus; auxit deinceps Simon Vladimiriæ et Suzdaliæ episcopus Dei amans; demum fusius adornavit et in unum concinnavit B. Polycarpus archimandrita (*sic*) Cryptensis. Nunc vero fusius adhuc... explanari et in unum redigi jussit Josephus Trizna, lauC ræ Cryptensis archimandrita.

§ IV. Editiones seu impressiones variæ Paterici.

Primum omnium edidit Vitas Patrum Kossovius lingua Polonica, anno 1635, *editionis hujus et vulgatæ majores discrepantiæ.*

Ut autem ad editiones Paterici jam progrediamur, omnium prima prodiit Kioviæ anno 1635, *polonice, curante Sylvestro Kossovio, tunc episcopo Mstislaviæ, Orszæ et Mohiloviæ, annuente Petro Mohila, metropolita Kioviensi. Titulum libro suo imposuit Sylvester sequentem:* Patericon seu Vitæ SS. Patrum Cryptensium, a S. Nestore monacho et chronographo olim idiomate slavonico fuse conscriptum, nunc vero ex eodem contractum et ex variis auctoribus græcis, latinis, slavonicis et polonicis illustratum prodit, opera Rever. Patris Sylvestri Kossovii, episcopi Mstislaviensis etc... typis monasterii Cryptensis. *Ubi* D *notandum est, Vitas Patrum tribui a Kossovio Nestori soli, omissis duobus aliis, Simone et Polycarpo; quem errorem altas dein egisse radices ostendimus supra. Kossoviano Paterico usus est Kulcinius, nobis hac in re felicior. Nec quidquam propterea addendum hic occurrit, nisi quod notis illustratum sit, quæ in istiusmodi opere apprime necessariæ sunt, et quas ex editione Vitarum Patrum Rosweydi nostri latina haustas esse suspicor ego vehementer. Hæc enim jam, anno* 1615, *lucem aspexerat, notationibus illustrata quam uberrimis. In multis insuper abludit volumen Kossovianum a vulgato. Continet namque nonnulla, quæ in hocce ultimo desiderantur, v. g. quæ narrantur de V. Onesiphoro, et de monacho quodam, qui clanculum cibos manducarat. Floruit autem Onesiphorus tempore Pœmenis, hegumeni intra annos* 1131 *et* 1141. *Contra, nihil habet de Ephræmo et Isaïa, deinceps episcopis, de Marco et Theophilo. Ordinem quoque sequitur a vulgato diversum, et ut in universum loquar cum Eugenio metropolita, meo hac in re duce* (6), *exemplaris sui* E *slavonici ideam formamque reddidit longe exactiorem Kossovius quam Gizelius, nisi dicantur diversis protypis usi esse. In fine denique appositam habes chronologiam metropolitarum Kioviensium, quam se extraxisse fideliter ex authenticis ecclesiæ Kioviensis diptychis testatur auctor, mox metropolita vel ipse; eamdemque secutus est Kulcinius in Speciminis sui tertia parte; ubi traditur metropolitarum Kioviensium series ad auctoris tempora usque producta. Sed ad vulgatam editionem gressum faciamus.*

Vulgata editio Kioviensis princeps anno 1661 prodiit et sæpe dein renovata.

14 *Princeps editio Paterici slavonici seu vulgati prodiit Kioviæ, anno* 1661, *in folio, cura archimandritæ Innocentii Gizel, ad normam, ut observavimus, codicis Cassiani exacta, estque Sanctorum iconibus exornata. Titulum accipe :* Patericon Cryptense, Vitas Sanctorum et deiferorum Patrum nostrorum Cryptensium, auctoribus patribus Cryptensibus, iisque sanctis, Nestore annalista russo, Simone episcopo Vladimiriæ et Suzdaliæ et Polycarpo archimandrita Cryptensi. *Nimirum Nestori tribuitur pars prima, Simoni secunda, tertia Polycarpo; quem editor, ut in transitu id no-* F *tem, confundit cum altero Polycarpo quinquaginta fere annis ante defuncto, anno nempe* 1182. *Vulgata hæc editio innovata fuit sæpius tum Kioviæ, tum etiam Mosquæ. Notabimus præcipuas, quæ deinde in lucem venerunt. Secunda diem vidit Kioviæ anno* 1678, *estque nonnihil immutata; tertia anno* 1680, *vivente adhuc Gizelio; quinta anno* 1702, *sub archimandrita Joasapho Krokovski, iterum correcta et epistola dedicatoria ad Petrum Magnum aucta. Hanc imitatæ sunt sequentes editiones omnes, excepta ultima Kioviensi, anno* 1830 *procurata; quæ ordine decima quinta est et cui addita legitur narratio de reliquiis ducissæ Julianæ Olsanensis, inventis sæculo* XVII. *Ex duabus editionibus Mosquensibus, notanda prior, anno* 1759 *in lucem data; quam ego præ manibus habeo, eaque de causa solam deinceps citabo. Est autem, teste Sopikov, viro in bibliographicis*

(1) Disquisitio de Paterico Cryptensi, ed. Mosq. 1847. — (2) De Paterici Crypt. recensionibus antiquior. cap. IV, pag. 143 et seq. — (3) Kubarev, de Nestore, in Collectaneis historicis D. Pogodin, tom. IV, pag. 400. Mosq. 1842. — (4) Macarius, loc. cit. cap. v, pag. 153. — (5) Kubarev, loco cit. pag. 428. (lege 378) in fine, cap. III. — (6) Descriptio Lauræ Kievocrypt. § XVI, pag. 125.

versatissimo

A *versatissimo* (1), *raritate et præcellentia insignis, nec ulla ratione, si forte icones demas, Kioviensibus editionibus impar. Kioviensem quidem vocavit illam Strahlius* (2), *in errorem inductus, quia Sopicovii, quem dubio procul citat, verba male intellexerat.*

nævi communes omnium editionum;

15 *Ex dictis hactenus pronum est concludere: primo Simonem episcopum, S.* Arethæ *Cryptensis biographum, prima Paterici posuisse fundamenta, licet nec Simon, nec Polycarpus et multo minus Nestor auctor Paterici sensu proprio nuncupandus sit; deinde vulgatæ editionis textum nec genuinum nobis exhiberi nec intemeratum, sed temere interpolatum esse et secundum artis criticæ regulas examinandum; atque adeo non majorem fidem, imo minorem promereri quam ecgraphon Kassianianum, ad cujus normam a Gizelio exactus fuit ille textus. Jam vero modus, quem collectores illi sæculo* XV *et duobus sequentibus in conficiendis Paterici exemplaribus secuti sunt, neminem fugit. Adscribebant nimirum genuinis scriptis quæ vellent; demebant alia, alia addebant de suo, aut immutantes aut*

B *edoctæ eloquentiæ floribus exornantes* (3); *præfigebant titulos proprio marte excusos; ordinem pro suo quisque ingenio intervertebant; ne multa, agebant impune tantaque securitate simul et temeritate ut genuini textus indicia difficillime agnosci queant; qui scribendi modus, a nemine sane probandus, utrum malevolentiæ an inscitiæ et simplicitati, ut illis temporibus, tribuendus sit, decernere nolim. Forsitan exspectabant amplificatores isti obscuri lectorem aut tam securum, rerumque omnium ignarum, ut scopulos historicos, chronologicos aliosque inoffenso pede præteriret; aut si quem offenderent acutioris sensus, persuadebant sibi, eum facile, etiam non admonitum, additamenta aliena esse agniturum.*

novæ editionis criticæ necessitas.

16 *Nec aliam viam inierunt editores Kiovienses anni* 1661, *fatentibus id auctoribus ecclesiæ greco-russiacæ cæteroquin addictissimis* (4); *imo longius processerunt, quandoquidem a prædecessoribus suis recensita novis interpolis auxerunt, magisque genuinum Paterici textum propriis vitiarunt additamentis* (5). *Certo certius autem spreverunt eam artem, qua aurum a sco-*

C *riis purgatur, seu qua commentatorum inventa ab auctorum verbis secernuntur; licet ea in hoc lucubrationum genere potissimum adhibenda sit. Et utinam aliquis, sive Russus sive alienigena, slavicorum idiomatum peritus, opus hoc aggrediatur perficiendum, nobisque textum Paterici antiquiorem ex melioris notæ apographis eruat, ad artis criticæ leges exactissime expensum et notis historicis aliisque uberius instructum! Quod et slavicarum rerum cultoribus in genere, et sacrarum præsertim indagatoribus quantopere exoptandum sit, quivis, nisi in sole meridiano cæcutiat, aut præstitutis opinionibus irretitus teneatur, facile dabit.*

—

(1) Bibliographiæ russicæ tentamen, tom. I, n. 817, pag. 171. — (2) Beiträge zur russischen Kirchengeschichte, tom. I, pag. 91, edit. Halle. 1827. — (3) Vostokov, Descriptio Codd. mss. Musæi Rumiantsoviani, pag. 433, col. 6. n. cccv., edit. Petropol. 1842. — (4) Macarius, De Apographis Paterici Cryptensis, præsertim antiquioribus. In opere periodico Academiæ Petropolitanæ Izvestija II Otdelenija Academii, tom. V, pag. 163 et sequentibus. — (5) Philareti archiep. Historia eccl. russicæ, tom. I, pag. 49. — (6) Patericon Mosq. fol. 136 in Vita Polycarpi. — (7) Kalajdovicius, Monumenta litteraria sæc. XII, pag. 246. — (8) Patericon, in Vita B. Titi, edit. Mosq.; Strahl, Beiträge zur russischen Geschichte, pag. 136.

PARS POSTERIOR

AUCTORE J. MARTYNOV.

DE B. SIMONE,

EPISCOPO VLADIMIRIENSI ET SUZDALIENSI.

§ I. Ejus ortus, vita monastica Kioviæ, episcopatus et cultus, ex variis auctoribus collecta.

B. Simon, genere honesto, ast (ut videtur) non nobili natus, extremo sæculo XII *degit in monasterio Kievocryptensi;*

S*imon, quem alii Simeonem vocant, forte quia nomen illud in sacro baptismate sortitus est, in religione olim mutandum, unus est ex celeberrimis sæculi* XIII *præsulibus, non doctrina tantum literisque conspicuus, sed morum etiam sanctitate commendandus, ideoque a popularibus in sanctorum album relatus. Quo anno lucem aspexerit, quove genere sit natus, certo definiri nequit; conjicere tamen fas est eum intra annum* 1160 *et* 1170 *primum lucem vidisse, ut ex reliqua vitæ serie probabile videbitur. Parentibus honestis quidem at non generis nobilioris originem traxisse suspicari licet propter verba, quibus ipsemet Polycarpum, non affectu modo, sed et carne sibi conjunctissimum* (6), *alloquitur, in Vita S. Nicolai Devoti, ex principe monachi. Sic enim ait:* Num divitias sprevisti? Nullas habuisti. An gloriam? At ne hanc quidem eras assecutus, quin potius a pauperie ad gloriam gressum fecisti omneque bonum (7)..... *Utut sit, illud solum compertum habemus Simonem, spreto mundo, habitum religiosum accepisse in monasterio Kioviæ Cryptensi, ibique ad extremum sæculum* XII *degisse: quo temporis intervallo eum convixisse B.* Arethæ *monacho, sæculi* XIII *initio nequaquam superstiti, atque etiam B. Tito presbytero, ejusque socio Evagrio, cujus diram inopinatamque mortem in Vita prioris, ut testis oculatus, enarrat ipse, in Commentario de S.* Aretha *pluribus vidimus. Titum autem occupavit pretiosa in conspectu Domini mors anno* 1196, *demortuo jam Evagrio* (8).

E

F

ubi quum ex lectione Vitarum sanctorum multum profecisset, accersitur Vladimiriam. primus monasterii Nativitatis B. M. V. hegumenus futurus:

2 *Monachus factus* Simon *BB. Antonii et Theodosii virtutes viriliter imitandas sibi proposuit; silentii orationisque studium ab Antonio, caritatem fraternam zelumque a Theodosio, humilitatem, obedientiam ab aliis sanctis patribus ediscens diligenter; omnes vero virtutes simul junctas in B. Maria Virgine veluti in speculo nitidissimo contemplans. Hanc enim sanctissimam monasterii Cryptensis patronam peculiari cultu prosequebatur et affectu, ut etiam in Elogio inferius edendo perhibetur. Dum vero tantis exemplis cor suum animumque erudiret et religiosis virtutibus informaret, intellectum quoque excolere minime neglexit, quin potius in legendis patrum Cryptensium Vitis aliisque scriptis ad pietatem facientibus erat assiduus; atque hinc eum uberes etiam fructus collegisse ipsius propria volumina testantur; de quibus infra.*

AUCTORE J. MARTYNOV.

Quia igitur commendabant virum et mores optime compositi et doctrina parum vulgaris, hinc factum est ut in hegumenum electus sit monasterii Vladimiriensis, Nativitati B. M. V. sacri, acceptaque consueta benedictione, Kioviensi cellulæ vale dixerit.

functus est hoc munere verisimiliter ab anno 1197, sed certe annis 1206 et 1214. Confessarius fuit Mariæ, uxoris Vsevolodi, magni ducis.

3 *Quandonam id evenerit, non omnino liquet; annus tamen* 1197 *potest probabilissime assignari. Constat nimirum monasterium Nativitatis Vladimiriense anno* 1192 *erectum esse* (1) *atque solemniter a Joanne, episcopo Rostoviensi, anno* 1197 *consecratum. Id vero insigne fuisse, ita ut cæteris omnibus, quæ in urbe illa tunc principe exstabant, monasteriis palmam aliquando præripuerit, auctores sunt annalistæ* (2); *qui vel eo maxime hac in re credendi sunt quod monasterii illius præpositos ad cathedram episcopalem assumendi et archimandritæ titulo honorandi consuetudo ex illo præsertim tempore inolevit* (3). *Jam vero parum credibile videtur, tanti nominis cœnobium, capite suo ad annum* 1215, *per annos scilicet fere viginti caruisse, aut Simonem ex cella Kioviensi ad cathedram Vladimiriensem, nullo hegumenatus intervallo interjecto, prosiluisse, ut perperam innuit auctor Dictionarii hagiologici* (4), *vulgatum Patericon secutus* (5). *Certe hegumenum fuisse Simonem, anno* 1214, *consentiunt omnes; utrum vero inde ab anno* 1197 *monasterio illi*

B

præfuisset, definire non auderem, omnibus, quotquot pervolvere mihi licuit, auctoribus hac de re tacentibus; probabilissimum tamen esse persuasum mihi habeo. Sane alius ante Simonem nominatur nemo; ille vero, jam anno 1206 *hegumeni munere functus in annalibus perhibetur luculentissime* (6). *Narratur nempe ad hunc annum obivisse magni ducis Vsevolodi uxorem, Mariam nomine, pietate ac in egenos caritate insignem, atque habitu monachali in cœnobio, quod ipsa fundaverat, indutam; ejusque sepulturæ inter alios interfuisse Simonem hegumenum, qui ipsi a confessionibus fuerat; atque hic certe a nostro non est distiguendus. Pridem igitur hegumenum fuisse Simonem, valde probabile esse videtur; quæ sententia proculdubio firmissima evasisset, modo ulterius inquirendi data fuisset copia.*

Licet Vladimiria potentissima tunc esset civitas, suberat tamen episcopo Rostoviensi. Lugenda bella orta sub annum 1212 ex Vsevolodi testamento.

4 *Erat autem tunc Vladimiria magni ducis sedes princeps et totius Russiæ facile caput; ecclesiis, monasteriisque frequens, tantaque jam pollens auctoritate, ut parum abfuerit, quin altera metropolis evaserit, Kioviensi æmula, curante id Andrea Bogolubscio, detrectante vero patriarcha Constantinopolitano. Renuit scilicet patriarcha his votis obsecundare, ea maxime ratione, quod ecclesia Vladimiriensis, in politicis licet esset pollens, in ecclesiasticis tamen nullum gradum haberet; proprio tunc temporis destituta pastore; adeoque non secus ac Suzdalia, quæ olim suos episcopos habuerat, ad diœcesim Rostoviensem pertinens. Porro tempore Simonis regebat Rostoviensem ecclesiam una cum Vladimiriensi, Suzdaliensi ac Perejaslaviensi episcopus Joannes nomine, qui ab anno* 1190 *usque ad annum* 1214 *hanc dignitatem tenuit. Dici itaque non potest ecclesia* D *Vladimiriensis pastore suo per aliquod tempus orbata fuisse, ut vult Patericon* (7); *nam ad hanc diem proprium episcopum non habuerat, sed a Rostoviensi præsule, in cujus diœcesi ante jacebat, regebatur. Vladimiriæ vero regnabat Vsevolodus III, Georgii et Constantini parens, ab anno* 1176 *ad* 1212 *ducali corona insignitus. Hic autem, morti proximus cum esset, regni gubernacula non Constantino, qui natu maximus erat, Rostoviamque jam regebat, sed Georgio, natu secundo (erant namque Vsevolodo sex filii) commisit, suadentibus id Joanne episcopo cæterisque e clericis, inter quos Simonem etiam recensendum esse putamus. Quæ partitio dissidiorum inter fratres bellorumque fons exstitit deflendus. Ut enim rem accepit Constantinus, ira motus,* supercilium, *ut cum annalibus loquar* (8), extulit in suasores, præsertim vero in Georgium, *totamque regionem Vladimiriensem ac Suzdaliensem vindicandum sibi illico statuit, tribus aliis fratribus sibi in auxilium adscitis.*

Magnus ducatus Suzdaliensis scinditur in duas partes, alteram constantem ex Vladimiria et Suzdalia sub principe Georgio, alteram ex Rostovia et Perejaslavia sub principe Constantino.

5 *Interea in duas partes scissus est magnus ducatus Suzdaliensis, cujus alteram partem Vladimiriam nempe et Suzdaliam regebat Georgius, dum Constantinus imperaret alteri, Rostoviensi ac Perejaslaviensi. Cum autem principes maxima in ecclesiis, ditioni ipsorum subditis, pollerent auctoritate, atque in eligendis episcopis essent arbitri et auctores præcipui, cum præterea uterque princeps Vladimiriæ et Rostoviæ eumdem antistitem sedere ferret ægerrime, hinc natum, ut politicam partitionem mox ecclesiastica sit subsecuta.*

Hinc oritur, Joanne abdicante episcopatum Rostoviensem, diœcesis divisio. Pachomius fit episcopus Rostoviensis, et Simon anno 1214 episcopus Vladimiriæ et Suzdaliæ.

6 *Et quidem Joannes episcopus, dissidiis fratrum finem imponere non valens, episcopatu ultro abdicato, in monasterium Suzdaliense SS. Cosmæ et Damiani secundum quosdam* (9), *secundum veterem autem annalistam in monasterium Bogolubense* (10) *secessit anno* 1214; *ibique supremum obiit diem. In cujus locum suffecit Constantinus Pachomium, Rostoviensem hegumenum S. Petri, suumque confessarium. Sacrum gradum episcopatus accepit Kioviæ Pachomius mense novembri* 1214; *mense vero januario ejusdem anni (ordiebatur namque annum mensis martius) Rostoviam rediit. Similiter egit Georgius : congregati namque proceres virique ecclesiastici Simonem communi suffragio episcopum denuntiarunt, et Kioviam miserunt; ubi eodem anno* (11) *in episcopum sacratus est a Matthæo metropolita* (1200-1220). *Quia autem, teste Paterico in Vita* Simonis, *ad calcem posita* (12), *duodecim annorum spatio pedum episcopale gestavit Simon, quem anni* 1226 *mense majo die* 22 *obiisse certo certius est* (13), *hinc sequitur, electionem et ordinationem evenisse anno* 1214. *Fuit igitur* Simon *Vladimiriæ et Suzdaliæ episcopus ordine primus, post renovatam a Rostoviensi diœcesi separationem, et a Rostoviensi præsule minime pendens.*

F

7 *In difficiliora, ut vidimus, tempora incidit antistes noster, honorumque splendorem tribu-*

(1) Martynov, Antiquit. artis architect. monumenta, fascicul. IX, pag. 87 et seq. et Corpus Annalium, tom. I, pag. 172, 174. — (2) Cfr Dmitrievski, De originibus Vladimiriæ Kliazmensis, pag. 282, edit. Petrop. 1802. Cfr etiam Macarii, arch. Tambov. Historiam eccl. russicæ, tom. III, pag. 43. — (3) Macarius, ibid. Corpus Annal. tom. I, pag. 192. — (4) Cfr art. S. Simon, ep. Vladimir. pag. 251. — (5) In Vita S. Simonis, fol. 233. — (6) Corpus Annal. ad ann. 1206. tom. I, pag. 178. Arcybysev, Narratio de Russia, ad eumdem annum, tom. I, pag. 269. Pogodin in Disquisitionibus de historia Russiæ, tom. I, pag. 174. — (7) In Vita Simonis, fol. 233. — (8) Arcybysev, Narratio, tom. I, pag. 283. — (9) Annal. tom. VII, pag. 119. — (10) Corpus Annal. tom. I, pag. 185. Macarius, Histor. eccles. Russ. tom. III, pag. 39 et not. 90. — (11) Annales, tom. I, pag. 185; tom. VII, pag. 119. — (12) Fol. 231 verso, ed. Mosquens. — (13) Annales, tom. I, pag. 190, tom. VII, pag. 133.

lationis

Principis Georgii fata sequitur B. Simon; *unde anno* 1216 *exulare jussus, anno sequenti Suzdaliam redit; et an.* 1219 *Vladimiriam, ubi scribit epistolam ad Polycarpum.*

lationis caligo mox obnubilavit. Nimirum Georgius, a fratre suo natu majori in pugna Lipicensi anno 1216 *devictus, una cum decem millibus hominum regni quoque gubernacula amisit atque exulare coactus est Radilovium; quæ urbs ad sinistram Volgæ ripam est posita, viginti leucas circiter a Novgorodia inferiore distans. Exulem principem comitati sunt amicissimorum quidam, inter quos* Simon *noster. Anno proxime sequenti Vladimiriam remeavit una cum Georgio, quocum pacem inire statuerat Constantinus, fideque sibi exacta, regnum de novo partitus est, ea conditione ut Suzdaliam acciperet Georgius, Vladimiriam quoque aliquando accepturus. Rebus ita compositis, Suzdaliam remissus est Georgius, donis dives, ditior autem spe. Dum vero Suzdaliæ degeret* Simon, *ecclesiæ in honorem B. Mariæ Virginis a fundamentis extruendæ vacans, ecce venit Vladimiriam episcopus Polocensis Vladimirus, anno* 1218, *pretiosissimis thesauris onustus, venerandis scilicet reliquiis Crucis Dominicæ, sancti Longini et sanctæ Magdalenæ, Constantinopoli*
B *advectis. Quem Constantinus, sacrarum reliquiarum cultor eximius, summo honore magnaque populi frequentia excepit, die S. Longino sacro; donisque in ecclesia S. Demetrii repositis, templum sub vocabulo Exaltationis S. Crucis seu Crucis Exaltatæ in eadem urbe erigi jussit; quod quinque mensium spatio, utpote ex ligno, absolutum fuit et cultui publico apertum. Mortuo Constantino, anno* 1219, *die* 8 *februarii, ecclesiæ suæ restituitur Simon, regno Georgius. Eodem anno, Vladimiriæ ecclesiam Nativitatis, in qua olim præfuerat hegumenus, dedicavit ritu majore, pompa maxima. Nec aliud quidpiam ad extremam pontificis vitam illustrandam dicendum remanet, nisi quod tunc famosam epistolam suam ad Polycarpum adornavit; de qua nonnulla jam prælibavimus, et plura adhuc dicemus modo.*

Anno 1226 *prius conditur in templo Vladimiriensi, dein in Kievocryptensi.*

8 *Tandem, postquam pontificatus munere perfunctus esset annos duodecim* (1), *e vivis recessit anno* 1226, *mense majo, die* 22, *magno schemate, ut mos tunc temporis ferebat, indutus* (2). *Corpus ejus, in ecclesia Vladimiriæ cathedrali conditum, dein in monasterium Cryptense translatum est; quod se desiderare dixerat*
C *in epistola ad Polycarpum* (3). *Translationem in dubium revocat Karamzin* (4); *at dubitandi rationes non affert. Certum tamen est, inter episcopos, quorum corpora in ecclesia Vladimiriæ cathedrali asservantur, frustra quæri Simonem* (5), *omnium utique celeberrimum; ex altera vero parte, hodiedum invisentibus Cryptas Kiovienses illud idem ostendi spectandum non diffitetur historiographus modo laudatus vel ipse* (6). *Herbinius vero et locum indicat quam accuratissime, cryptam nempe Antonii, in ipso ingressu, prout exhibetur in tabula priori, opusculo ejus ad pag.* 36 *adjecta.*

Licet die 22 *Maji e vivis recesserit, recolitur tamen ejus memoria ritu minus solemni die* 10, *ut societur S.* Simoni *Zelotæ.*

9 *Mortuum esse Simonem die* 22 *maji, diximus modo, Annalium testimonio nixi; nihilo secius memoria ejus celebratur passim die ejusdem mensis decima, ad quam exhibent illum Menæa, Prologus, Patericon, Menologium Ecclesiæ orientalis, auctore Versinski, Dictionarium historicum sanctorum ecclesiæ Russicæ* (7), *sanctorum Cryptensium Canon Syrigianus in Acathistorum libro, Kioviæ edito anno* 1705 (8). *Diem hanc Simonis emortualem esse asseruit quidem Eugenius metropolita* (9), *Vulgati Paterici auctoritate sane deceptus; at perperam. Etenim, et cum Annalium testimoniis aperte pugnat, et auctoritate nititur, quæ, ubi de chronologicis agitur, omnino minima est, aut potius nulla. Alioquin latuisse Paterici editores diem Simonis emortualem colligere est vel ex eo, quod die maji decima colitur memoria sancti Simonis apostoli, cognomento Zelotæ: qui modus sociandi sanctos cognomines in usu fuit tum apud Græcos, tum etiam apud Latinos, ut in Commentario prævio de S.* Aretha *uberius probavimus. Ad cultum vero quod attinet, nil aliud hic dicendum occurrit, nisi quod in monasterio Kievocryptensi Simonis memoria celebratur ritu paulo solemniore, utpote cum polyeleo* (10), *id est adhibita recitatione psalmi* 135, *in quo vox* misérere *toties recurrit, ob quam* polyeleï *græcum nomen sortitus est. Cætera dicta reperies, ubi de cultu S.* Arethæ. *Restat*
E *ut quædam de scriptis Simonis disseramus, eaque ab omni heterodoxiæ labe vindicemus.*

§ II. B. Simonis, ep. Vladimir. scripta.

In epistola, data ad Polycarpum, monachum tentatum et hegumenatum seu etiam episcopatum captantem, monet hunc de officio monachi,

Inter varia, quæ Simoni *episcopo tribui solent scripta, principem locum obtinet epistola ad Polycarpum monachum, quam supra, ubi agebamus de Paterico, jam memoravimus. Incipit his verbis:* Frater, sede in silentio, mentemque recolligens dic tibi: O homo, nonne ideo huc venisti, mundo et secundum carnem parentibus valedicto, ut animæ saluti consulas? et tamen minime spiritualia sectaris. Ad quid igitur monachi nomen gestas? Putasne vestem nigram a tormentis te liberaturam? Ecce principes ac magnates et amici tui omnes beatum te esse deprædicant, dicentes: Beatus est, quod mundum ejusque gloriam odio habuerit, spretisque rebus terrestribus, cælestibus unice sit intentus. Tu vero nequaquam ut monachum
F decet vivis. Quare magnus invadit me tui causa timor: ne scilicet, dum isti qui te nunc beatificant regno cælorum potiti pace fruantur, nos tormentis traditi amare ingemiscamus, et nemo sit qui misereatur tui, ultro pereuntis. Exurge frater, exurge et, de anima tua sollicitus, cum timore et humili prudentia Domino servi (11)... *Sequuntur dein monita junioribus monachis utilissima, utpote pietate et prudentiæ christianæ oraculis plena. Innuimus alibi, quanam occasione epistolam hanc exaraverit auctor. Laborabat nimirum Polycarpus, non affectu tantum sed et carne* Simoni *junctus, ambitionis febri, honorum, imperandique cupidine premebatur tanta, ut monasterium Cryptense ad tempus dereliquerit, sperans fore ut alii Kioviensi monasterio præponeretur, imo et ad episcopatum viam sibi sterneret. Ægrotantem*

(1) Patericon, ed. Mosq. fol. 235 verso. — (2) Corpus Annal. tom. I, pag. 190; tom. VII, pag. 119. — (3) Patericon Mosquense, fol. 235. — (4) Historia imperii russ., tom. III, not. 171, ed. 1818. — (5) Ratsin, De monasteriis et ecclesiis Russiæ, pag. 56, edit. 1852. — (6) Loco citato. — (7) Pag. 251. — (8) Fol. 229, verso. — (9) Dictionar. histor. Scriptorum eccl. russicæ, tom. II, pag. 218. — (10) Eugenius, Descriptio Lauræ Kievocrypt. pag. 106. — (11) Kalajdovicii Monum. litter. sæc. XII, pag. 248.

amicum

AUCTORE J. MARTYNOV.

amicum sanitati redditurus Simon, *qua minis, qua rationibus, qua paterna caritate utitur, nihil non tentans quo errantem in viam perfectionis reducat.*

de ambitionis peccato et docet quomodo tot ex Cryptensi monasterio prodierint præclari viri.

11 Puto, frater, *ait,* non sine causa Deum permisisse ut ita egeris; odit enim superbiam, ac propterea ejecit te quemadmodum et satanam olim de cælis dejecit, quod domino tuo archimandritæ Acyndino viro sancto obedire renuisti. Monasterium Cryptense, maris instar, nihil putridi servat, sed foras ejicit, etc. (1). *Et inferius:* Video te dignitates ambire gloriamque non apud Deum, sed apud homines quærere... Dicis: Egone simili munere (*hegumenatum puta*) sum indignus? aut isto œconomo, fratreve superius ascendente inferior? Frustratis vero desideriis turbaris. A cella ad cellam pergis, fratres congregas, congregatis inutilia fabularis, dicens: Putatne hegumenus noster aut œconomus salutem non nisi hic inveniri posse? Frater, diabolica cœpta sunt ista, tuique similium opera (2). *A dignitatibus autem ambiendis arcet Polycarpum*
B *hunc in modum:* Frater, non in eo consistit perfectio, ut ab hominibus laudemur, sed in vitæ disciplina cordisque munditie bene servata. Hæc enim in causa est, frater, cur tot episcopi e monasterio Cryptensi prodierunt. Quemadmodum enim Apostolos Christus Dominus in universum terrarum orbem miserat, ita in omnem Russorum terram complures episcopi a monasterii hujus domina, sanctissima Deipara, sunt missi. Quorum primus fuit Leontius, Rostoviensis hieromartyr, quem infideles quidem morte mulctarunt, Deus vero incorruptione donavit, duobus illis Variagis, pro Christo olim interfectis, in cælesti civitate adnumerandum. De Hilarione metropolita legisti quæ habentur in Vita S. Antonii, a quo tonsuram acceperat, nec non et sacerdotio dignus inventus est. Noscit suum quæque antistitem Nicolaum et Ephræmum Perejaslavia, Isaiam Rostovia, Germanum et Niphontem Novgorodia, Stephanum Vladimiria, Jurievia Marinum, Polocia Mennam, Tmutorakania Nicolaum, Cernigovia Theoctistum, Turovia Laurentium, Bialogradia Lucam, Suzdalia
C Ephræmum. Quod si omnes dinumerare velis, annales Rostoviæ antiquiores evolve: plus triginta reperies ibi; imo quinquagesimum numerum superabis, modo ad nostra tempora progrediaris. Intellige itaque, frater, quanta sit monasterii hujus fama; confundere, pœnitentiam age, atque ad pacatam vitam turbarique nesciam, ad quam vocavit te Deus, citius redi (3).

Aperit desiderium suum repetendi istius asceterii. Scripta est illa epistola inter 8 *sept.* 1225, *qua templum Suzdaliense dedicavit, et* 22 *maji* 1226, *qua obiit.*

12 *Pauca hæc attulisse sufficiet, ut intelligatur, quanti facienda sit scriptio hæc* Simonis, *sive ad res ecclesiasticas sæculi* XII *et* XIII *adumbrandas, sive ad Polycarpi mores penitius cognoscendos, et ipsius auctoris indolem effigiemque exactius delineandam. Exaratam autem fuisse inter annum* 1225 *et* 1226, *epistolæ palam faciunt extrema verba, quæ sic sonant:* Ego quidem episcopatum relinquerem lubens, ut me hegumeno (*Kievocryptensi*) submitterem; at quanam re impediar quominus id assequar, te non fugit. Quisnam ignorat, me peccato-

rem, Simonem, episcopum, præesse et huic D
ecclesiæ cathedrali, quæ est Vladimiriæ decus, et alteri, quam Suzdaliæ egomet ipse erigendam curavi? tot mihi urbes subjacere et villas, meque decimis frui per totam regionem humilitati meæ persolvendis? Quid igitur? Coram Deo loquar, omnem gloriam istam ac potestatem arbitrarer ego veluti stercora, dummodo liceret mihi in monasterio Cryptensi vivere aut ibidem sordium instar jacere humi, atque aliorum pedibus conculcari, aut veluti mendicorum unum portæ adstare (4). *Jam vero ecclesia Suzdaliensis, de qua hic sermo, consecrata fuit ab ipsomet* Simone, *anno* 1225, *die* 8 *septembris* (5). *Cum igitur anno sequenti, mense majo, piissimus antistes terrenam gloriam cum cœlesti commutaverit, concludere pronum est, epistolam istam scriptam esse eo temporis intervallo, quod dedicationis ecclesiæ Suzdaliensis a die* Simonis *emortuali sejungit.*

Scripsit præterea B. Simon *Origines Cryptenses, in quibus locus de conversione Variagi cujusdam aut interpolatus est*

13 *Præter epistolam scripsit* Simon, *ut alibi declaravimus,* Narrationem de originibus monasterii Cryptensis ejusque mirifica fundatione, *in qua etiam de arca Theodosii. Jam vero narrationem hanc esse catholicam habemus nobis persuasum. Nec obstant quæ ibi leguntur de Simone quodam Variago. Narratur nempe* (6), *Simonem istum, e nobili genere oriundum, simul et insignem monasterii Cryptensis benefactorem, postquam a S. Theodosio fuisset edoctus,* Latinorum insipientiam rejecisse, veramque fidem in J. C. esse amplexatum simul cum presbyteris suis *ac* 3000 *popularibus. Porro, corruptum esse hunc narrationis locum infitias ibit nemo, nisi in luce meridiana cœcutiat. Etenim S. Theodosium fuisse apprime catholicum, sedique Romanæ addictissimum, extra controversiam posita res est; nullo pacto proin a latinorum fide, quam ipsemet profitebatur, arcere quemvis potuit, aut catholicam religionem ut* insipientem *Deove minus acceptam habere. Recentiorum acatholicorum somnia sunt ista atque commenta. Et vero qui eidem sancto Theodosio famosam illam scriptionem De Variagorum (i. e. Latinorum) fide Jaroslao principi inscriptam, passimque schismatis fermento respersam, tribuere ausi sint, abjudicantibus* F
aliis (7), *quid mirum, si majores ipsorum, solemni apud hæreticos interpolandi morbo correpti, duas tresve voculas genuino auctoris textui inserendas curaverint, quo Simonem Variagum ex homine catholico schismaticum redderent? Præterea suspectæ nimium fidei esse vulgatam Paterici editionem probatum est, adstipulantibus Russiæ scriptoribus vel ipsis, ut alio loco declaravimus abunde.*

aut de ritu slavico interpretandus est.

14 *Re quidem vera posset præfatus locus benignam admittere interpretationem, si ponis nimirum quod agatur ibi non de fide aut dogmatibus, sed de religione in genere, aut potius de ritu, ita ut sub voce* fidei ritus *intelligendus sit; quæ duo promiscue usurpare solemne est apud Russos etiam nostræ ætatis. Tunc enim conciliarentur omnia, nec aliud quidpiam significarent verba modo citata, quam Simonis transitum a* ritu latino *ad* slavicum, *aut etiam a paganorum* stultitia *ad christiano-*

(1) Kalajdovicii, Monum. litter. sæc. XII, pag. 253. — (2) Loc. cit. pag. 254. — (3) Ibid. pag. 256. — (4) Ibid. pag. 257. — (5) Corpus Annal., tom. I, pag. 190. Macarius, Histor. eccles. russ. tom. III, not. 253. — (6) Patericon, fol. 97, ed. 1759. — (7) Philar. Patrologia, tom. III, pag. 412. Kubarev, De Paterico disquisitio, pag. 3.

rum

A *rum* sapientiam : *Latinorum namque nomine Occidentales quosvis insignire solebant Russi antiquiores. Possemus, inquam, locum istum, qualiscumque tandem ejus auctor sit, benignius interpretari; verum præplacet prior explicandi modus, idque vel eo magis, quod* fidem *cum* ritu *aut dogmata cum cæremoniis, res adeo dissimiles, temere miscuisse Simonem, non sine tanti nominis injuria dici queat, ex alia vero parte Vulgatum Patericon ex acatholicorum officina prodiisse, mendisque fœdissimis scatere inter omnes constet.*

Falso tributæ B. Simoni *Vitæ S. Antonii Cryptensis et Niphontis Novgorodensis; dubie continuatio Chronici Nestoris.*

15 *Tribuebatur insuper B.* Simoni *Vita S. Antonii, quæ in prima parte Paterici legitur, nec non et Vita Niphontis, episcopi Novgorodensis, ad calcem ejusdem operis adjecta; at utraque scriptio alios prorsus auctores habuit, et hodie B.* Simoni *passim abjudicatur. Demum continuasse perhibetur* Simon *Chronicon Nestoris* (*ab an.* 1200 *ad* 1225), *usus in opere hoc concinnando ampla bibliotheca M. D. Constantini, quem ideo litterarum amicissimum nuncupat, et veluti mœcenatum deprædicat. Testatur id*
B *Tatiscev in* Historia Russiæ (1) *additque se apographum quoddam chronici Simoniani præ manibus habuisse. Licet autem hodiedum nulla chronici istius vestigia reperiantur, adeoque inter genuina* Simonis *opera pro certo collocari nequeat, non ideo tamen inter spuria amandandum est, quasi nimirum commentum esset Tatiscevianum. Plurima namque sunt, quæ præstantissimus ille historiæ Russicæ indagator in opere suo nobis tradidit, ex antiquioribus codd. mss., nobis quidem hodie ignotis, deprompta, atque a quibusdam justo durius perstricta, quæ tamen nostra ætate pro veris agnita sunt atque a Schlœzerii aliorumque calumniis vindicata* (2). *Hæc de B.* Simonis *nostri scriptis dicta sufficiant. Sequitur Elogium beati viri; quod specimen sit hagiographiæ Russicæ, verborum abundantioris quam rerum.*

ELOGIUM

B. Simonis, episcopi Vladimiriensis.

C

Ex Paterico Mosquensi anni 1759, *ad diem* 10 *Maji.*

B. Simon, *comparandus Simoni, Oniæ filio,*

* in slav. *extruxit.*

Quæ olim Jesus Sirachides de Simone, Oniæ filio, tradidit, dicens: « Simon, Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit * domum et in diebus suis corroboravit templum *a;* » et iterum: « Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis lucet; et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in domo Dei *b;* » hæc eadem nos de V. P. N. Simone, episcopo Vladimiriæ et Suzdaliæ, qui sanctorum Cryptensium secundus post Nestorem biographus exstitit, dicamus oportet. Re quidem vera et domum Dei erexit ille antistes, et ecclesiam Christi qua vitæ sanctitate, qua doctrinis de sanctorum vitis corroboravit, nihilo secus ac pastores illi boni, quos populo suo Israël promisit Domi-

a

b

nus per os Jeremiæ prophetæ dicens: « Dabo vobis pastores juxta cor meum et pascent vos scientia et doctrina *c*, » ita ut similitudines ac designationes, quibus Simon Oniæ, veteris legis pontifex, condecoratur, Simoni quoque, Vladimiriæ et Suzdaliæ præsuli, optime accommodentur omnes. EX PATERICO MOSQUENSI.

c

2 Hic igitur Simon, ubi se sancto monachorum habitu indutum vidit in monasterio Cryptensi, quod sanctis patribus, quasi stellis intellectualibus, luna soleque, adinstar cæli fulgebat ornatum, continuo patrum Cryptensium, qui olim vixerant Deo placentes stellasque numero exæquantes, Vitis perlegendis operam navavit, quo virtutes ipsorum moresque in se ipso diligentissime exprimeret. Considerabat scilicet frequenter actiones V. Theodosii, fundatoris, qui stellarum istarum numerum veluti luna adauxit; cujus ideo et mores imitatus est. Volvebat in mente assidue egregia sane facta coryphæi Cryptensis, Antonii, qui, soli coruscanti similis, bonorum operum radiis illustravit universos; cujus propterea cursum angelicum assequi adnixus est Simon. Et quidem humilem E obedientiam didicit a Patribus, qui soli illi lunæque, stellarum frequentium instar, famulabantur; laborum vero et communium exercitationum studium præ cæteris fratribus mutuatus est a B. Theodosio, luna lucenti, quæ stellarum chorum lumine antecellit. Angelicam denique Deoque gratam in silentio conversationem hæreditavit a S. Antonio, qui vita solitaria solis cursum referebat, cætera luminaria fulgore suo fugantis. Unde natum ut spiritualia ista virtutum luminaria, stellas, inquam, lunam et solem, in seipso veluti in speculo quodam repræsentans, triplicem lucem emittere potuerit; quin immo non secus ac veteris legis pontifex, Simon, quasi stella matutina, et quasi luna perfecta et quasi sol refulgens in ecclesiis Altissimi evasit et ipse *d.* Digne namque famulatus est in monasterio Cryptensi SS. Deiparæ, qui ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol; cujus humillimam obedientiam, precandi ardorem, silentii et divinarum contemplationum studium æmulari viriliter et quantum fas est enitebatur. F

in monasterio Cryptensi sanctorum Vitas legit et conatur imitari.

d

3 Cum igitur ita bonorum operum virtutumque radios quaquaversus ad remotissimas usque regiones emitteret B. Simon, ecce decore pontificio vacua fit ecclesia Vladimiriensis ac Suzdaliensis *e*, cum tamen, S. Joanne testante in Apocalypsi, stellata corona ornatam esse deceat ecclesiam. Carebat nimirum tunc ecclesia Vladimiriæ ac Suzdaliæ pastore, quemadmodum videre est aliquando cælum sine sole clarissimo aut sine luna perfecta; nec jam Psalmistæ verba usurpare licebat: Thronus ejus sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in æternum *f.* Christus igitur Dominus, summus omnium pastor, ut olim B. Simoni propter amorem ejus oves suas tradiderat pascendas, ita hunc quoque Simonem propter insignem ejus erga SS. Deiparam amorem ad sedem urbis Vladimiriæ a Deo servatæ evehere dignatus est. Et condecorata est ecclesia illa

Ad sedem Vladimiriensem et Suzdaliensem promotus, solis officio ibidem fungitur

e

f

(1) Lib. I, part. I, pag. 58, cap. 5, n. 2. Conf. Eugenii Diction. scr. eccles. artic. Simon. tom. II, pag. 218. — (2) Cfr Testament de Basile Tatistchef, d'après un ms. de la Bibl. impér. de Paris, préface, Paris, 1860.

stellarum

EX PATERICO MOSQUENSI.

stellarum corona micante, thronusque ejus resplenduit sicuti sol, et sicuti luna perfecta. Etenim pastor ille bonus, in sublimi gradu positus, virtutibus longe lateque inclaruit, et quasi stella matutina, et quasi luna perfecta ac sol fulgidum, doctrinæ luce illuminabat fideles, caritatis igne accendebat, gratia denique superna precibusque ad Deum fusis implorata vivificabat. Nimirum ille, dum stellam matutinam noctis evanescentis indicem, diei vero advenientis prænuntiam esse consideraret, oves sibi concreditas ab operibus tenebrarum, peccatis scilicet arcere, opera vero lucis, gratiæ lumine perfusa, edocere studuit. Cum vero mente secum revolveret, solem lunamque universo cælo veluti duo lumina jugiter invigilare, omni solertia gregi suo prospicere satagebat, quo thronum suum sicut solem fulgidum et sicuti lunam perfectam redderet, utriusque vigilantiam in seipso quodammodo representaturus.

Vitas patrum Cryptensium mente recolit, studetque similis fieri Simoni pontifici; laudato in Ecclesiastico;

4 Dum vero gregem a Deo sibi commissum omni cura atque diligentia pasceret, et pastorali officio digne, ut bonum decet administrum, fungeretur, monasticæ vitæ certamina nequaquam oblivioni dedit aut neglexit; quin potius patrum Cryptensium facta gestaque in corde suo servabat diligenter, seque angelica forma *g* in Kioviensi monasterio indutum, eorumque consortio usum fuisse nunquam non lætus recordabatur. Quapropter eos, ut pro se intercederent, deprecabatur Simon, necnon et eorum præsidio et auspiciis, succurrente gratia Dei, sedem suam regebat adeo bene, ut reliquas etiam laudationes ac similitudines, quibus in Veteri Testamento Simonem pontificem cohonestatum legimus, promeritus sit. Jam vero, encomia illa sonant ita: *Quasi arcus refulgens,* ait, *inter nebulas gloriæ, quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, et quasi thus redolens in diebus æstatis. Quasi ignis effulgens et thus ardens in igne. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliva pullulans et cypressus, in altitudinem se extollens h.* Porro quæ hic pastorales virtutes mystice figuratæ perhibentur, eas nostro quoque pontifici, utpote pastori optimo, optime accommodantur. Siquidem pacis, quam arcus cælestis seu iris indicat, in populo suo servandæ fuit studiosissimus. Patientiam, quam spinæ rosis adnascentes repræsentant, exemplo alios docebat, eamque in spirituali fidelium viridario plantandam curabat. Dum vero continentiam et puritatem integerrimam tum verbo, tum exemplo commendaret, quasi lilia candida cordibus inserebat; preces autem ad Deum pro omnibus fundens, fragrantis Libani germen in memoriam revocabat. Similiter, quia in adversis Deo gratias rependebat, idque ut se imitarentur cognatos erudiebat, ideo quasi thus in igne ardens suave olebat. Vasis autem aurei similitudinem referebat ob cælestem suam sapientiam et caritatem; olivæ pullulanti demum propter misericordiam erga proximum, cypresso vero propter altam jugemque contemplationem æquiparabatur.

Vitas patrum Cryptensium literis mandat.

5 Nec satis habuit Simon, virtutes illas omnes in monasterio Cryptensi olim acquisitas cordis sui tabulis insculptas recondere, sed igneo zelo pressus, bonoque proximi consulturus, fontem, unde eas hauserat ipse, reserare constituit, vitas, inquam, patrum Cryptensium scripto tradere, atque in primis ea, quæ vel solummodo in hominum ore versabantur, vel, etsi unquam scripto essent tradita, simul tamen cum voluminibus, temporum tumultuumque bellicorum injuria, quibus Russia turbari solet, misere perierant, oblivioni præripere in usum posterorum servanda. Quod ut assequeretur, sicubi testes rei oculatos, aut auriculares offenderet, quid de miraculis Cryptensis monasterii noscerent, omni cura percunctabatur, apisque argumentosæ instar, rerum notitias undique colligebat in unum, eo successu, ut populares suos triplici stellarum, lunæ solisque luce nova quadam ratione illuminaverit. Scripsit nimirum de miraculis B. Antonii *i*, Kioviæ solis fulgentissimi; ad hæc, mirificam delineavit nobis tumbam B. Theodosii, lunæ perfectæ æquiparandi; origines quoque ecclesiæ Cryptensis, cælo non absimilis, adumbravit, quæ omnia in prima parte Paterici Nestoris narrationi immixta leguntur. Præterea plures antiquiorum BB. Cryptensium vitas Polycarpo monacho oretenus tradidit, quæ ab eodem in secunda parte Paterici scripto exarata habentur. Demum cæterorum patrum virtutes ac miracula enarravit ipse, addita epistola ad Polycarpum divinitus inspirata.

Hinc liquet quam pius esset et quanto Cryptensis monasterii desiderio teneretur. Post duodecim annorum episcopatum moritur et sepelitur in cryptis Kioviensibus, ubi corpus servatur incorruptum.

6 Ex quibus scriptis manifesta fit Simonis tum insignis erga SS. Deiparam devotio, tum cultus BB. Antonii et Theodosii tantus, ut per totam vitam in monasterio Cryptensi, Virgini in cælo assumptæ sacro, libenter permansisset, spiritu et corde semper ibi præsens, licet corpore absens. Quemadmodum enim Simon Petrus Dominum Jesum præ cæteris ardentius diligebat, ita Simon, Vladimirensis episcopus, SS. Dei Matrem ejusque domum Kievo-Cryptensem præ ceteris omnibus adamasse censendus est. Videre erat tunc in cælo Cryptensi magnum illud signum apocalypticum *k*, mulierem, inquam, amictam sole et luna, id est, sponsam mariti nesciam, purissimam Deiparam, et sub ejus pedibus stellarum lucidam coronam. Scilicet pastor ille bonus, quasi stella et luna et sol sanctis operibus lucens, tantæ humilitatis præbuit argumenta, ut, licet episcopali dignitate decoratus, ad Polycarpum scribere nullatenus cunctaretur, velle se, si fieri potuisset, veluti purgamentum sordesque in monasterio Cryptensi omnium pedibus proculcari, qua de re fuse disserit in epistola. Demum multos labores exantlavit pastor egregius, ovesque sibi concreditas non mortali cibo, sed vivificis pavit alimentis, sanctorum, inquam, Cryptensium Vitis, sanctitatis documentis et scriptorum frequentia. Postquam autem duodecim annos pastorali munere defunctus esset, ad pastores remeavit in duodecim thronis sedentes, imo ad pastorum omnium caput, Jesum Christum, immarcessibili gloriæ serto jure merito coronandus. Cujus corpus venerandum in Cryptis, prout desideraverat ipse, conditum est, ibique jacet adhuc integrum ac incorruptum *l*, ad gloriam et honorem Dei Unius et Trini Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Eccli, cap.* L, *v.* 1.
b *Eccli, cap.* L, *vv.* 6 *et* 7.
c *Jerem. cap.* III, *v.* 15.
d *Eccli, cap.* L, *vv.* 6 *et* 7.
e *Olim Vladimiriensis et Suzdaliensis ecclesiæ proprios suos habuerant episcopos; adeoque ipse B.* Simon *in epistola ad Polycarpum, cujus locum supra num.* 11 *recitavimus, memorat Stephanum et Ephræmum, monachos Cryptenses, quorum ille Vladimiriensem, hic Suzdaliensem sedem occuparant. Verum extremo sæculo* XII *Joannes, Rostoviensis præsul, simul potiebatur cathedris Vladimiriensi, Suzdaliensi et Perejaslaviensi. Quæ anno* 1214 *et deinceps facta sunt, vide in Commentario de B. Simone numm.* 5, 6 *et* 7.
f *Ps.* LXXXVIII, *v.* 38.
g *Vulgare hoc nomen est habitus monastici apud orientales.*
h *Eccli, cap.* L, *v.* 8-12.
i *Supra in Commentario de B.* Simone *dictum est hanc Vitam ab eo non fuisse scriptam.*
B k *Apoc. cap.* XII, *v.* 1.

l *Incorruptio corporum in cryptis Kioviensibus habebatur olim Russis maximum miraculum et sæculo etiam proxime præterito proponebatur tamquam indubium indicium veram Christi ecclesiam inter Russos esse constitutam. Omitto hanc posteriorem partem, a theologis versandam; de priori id unum animadvertam incorruptionem corporum tunc solum inter miracula referendam esse, quum accedit carnis mollities et membrorum flexibilitas, per magnum annorum numerum continuata; passim enim corpora reperiuntur incorrupta, sed exsiccata et dura, quin vel umbra miraculi adsit. Sepulcreta quædam sunt, in quibus hæc omnium fere cadaverum fit conditio; neque alius generis videntur esse celebratissimæ cryptæ Kiovienses. Quamobrem quum scientiæ naturales nunc etiam apud Russos floreant, non puto viros doctos hinc adhuc confirmare ecclesiam Russiacam sinceram Christi fabricam esse; sed ad alia argumenta confugiunt. — In fine hujus lucubrationis non possum quin gratias agom R. P. Josepho Brown, societatis nostræ in Galicia præposito provinciali, qui pro suo rerum slaviarum amore me plura monuit et viam aliquando stravit.* D E

DE B. JOANNE ANGELO PORRO, PRESB. CONF. ORDINIS SERVORUM B. M. V.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

V. D. B.

§ I. Præcipui de B. Joanne Angelo scriptores.

MDVI. *In Martyrologio servorum B. M. V., sanctis abundante, fit B.* Joannis Angeli *memoria ad* 25 *octobris,*

Quamquam ordo Servorum B. M. V. numquam eam propagationem et extensionem habuerit quam pleræque aliæ Mendicantium religiones, complures tamen dedit ecclesiæ cælites, maxime viros. Sæculo XVI *nondum adulto recensebantur jam prope quadraginta, ut mihi constat ex elencho, quem R. P. Augustinus Morini, in B. M. V. Annuntiatæ Florentino monasterio novitiorum magister, reperit a tergo epistolæ, die* 29 *augusti anni* 1598 *conscriptæ, et quam mihi cum pluribus aliis documentis communicavit. Quoniam autem ex hac memoria et B.* Joannis Angeli *cultus antiquitas stabilitur et plurium aliorum, placet eam hoc loco edere. Lacunæ, quæ in ea apparent, erant in antiquiori exemplari, quod Fr. Joannes Paulus Villa de Brescia, qui illam epistolam anno* 1598 *scripsit, habuit ob oculos.*

.... Servorum beatae vi.... mariae exordium....
... anno a creatione mundi 5193... a nativitate christi i.....
... ndictione. 6. / anno. 7. gregorii. 9. papae : / anno. 22. fede.....
... 2. imperatoris : / die i5 augusti. / feria. 2. / litera dominica i....
currente : / quae subscriptos beatos mundo peperit. /. v *.

* videlicet

i257 patrem fratrem Bonaiunctam de Florentia
i26i p. f. Bonfilium de Florentia
i266 p. f. Amideum de Florentia
i268 p. f. Manettum de Florentia
i270 p. f. Joannem Germanum
i276 p. f. Bonaventuram de Pistorio
i278 p. f. Ubaldum de Florentia
i280 p. f. Thomam Germanum
i282 p. f. Sustenium de Florentia
i282 p. f. Ugotionum de Florentia
i283 p. f. Bartolomeum de burgo Sancti Sepul- [chri F
i285 p. f. Philippū de Florentia illustratorem et [patronum religionis n:...
i305 p. f. Jovachinum Senensem
i309 p. f. Antonium Viterbiensem
i3i0 p. f. Alexium de Florentia
i3i5 p. f. Andream de burgo Sancti Sepulchri
i326 p. f. Franciscum Senensem
i329 p. f. Bartolomeum de Cesena
i330 p. f. Hieronimum de burgo Sancti..pulchri
i34i sororem Julianam de Florentia
i343 p. f. Thomam Urbevetanum
i342 sororem Helisabet Senensem
i35i sororem Beatricem
i35i sororem Joannam
i3... sororem Riccham de Cremona
i?... sororem Joannam de Florentia
i402 p. f. Pelegrinum de Forolivio
... '8 sororem Helisabettam Picinardam de Cre- [mona
..4..6 sororem Benincasam de Florentia
i450 p. f. Gabrielem de Florentia
i462 p. f. Nicolauum de Aretio
i467... f. Dominicum de Florentia

i483

AUCTORE V. D. B.

i483 p. f. Jacobum Philippum Faventinum
...°8 p. f. Bonaventuram de Forolivio
...o9] fratrem Bartolomeum de Brixia
i496 p. f. Angelum de Mediolano
i522 p. f. Petrum Germanum
i524 sororem Luciam Brixianam
i526 p. f. Cedonium de Bononia
Commemoratio comunis ad omnes suprascriptos dnï ..... ordinis Servorum : videlicet antifona : ... viri. o gloriosissimi confessores dei. nos miseros vestris juvate precibus, ut in illa hora misericordiam consequamur quando manifesta erunt occulta hominum. (℣ omnes sancti et sanctæ dei orate pro nobis, ℟ ut digni) efficiamur promissionibus christi..... ..... quesumus domine .....fessores tui pro nobis exo.....et l.....nier.....'us mariae servi exti.....eb ta.....catrici....irocinio ad te ..... itae nostrae protectores habere me .....udem christum dominum nost....

Horum pars non minima venerationem dein ampliorem nacta est; quum, accedente Sedis apostolicæ auctoritate, aut per solemnis canonizationis decretum aut per cultus immemorabilis approbationem inter cœlites rite recensiti sunt; ita ut nunc, si novembrem excipias, nullus currat intra annum mensis quin unum pluresve sanctos officiis liturgicis eremitæ illi colant. Porro intra mensem octobrem die 7 *venerantur* B *memoriam* B. Jacobi elcemosynarii in civitate Plebis, tertii ordinis Servorum B. M. V., *quemadmodum loquitur recentius eorum Martyrologium. Hunc ad diem* 7 *julii inter prætermissos retulerunt decessores nostri, quod sibi de legitimo cultu non constaret; neque de eo meminerunt ad* 7 *octobris, quod forte nondum, quum illius diei sanctos laudarent, ejus cultus auctoritate apostolica probatus esset, neque in hanc octobris diem esset indictus. Quocirca in operis nostri Supplemento de eo dicendum superest, atque interea videndus Ferrarius in Hagiologio Italico ad* 7 *julii et Gianii Annales* (1) *ad annum* 1468; *quo, postquam corpus sepultum jacuisset annos* 156, (*martyrium enim subiit beatus vir anno* 1312,) *retectum est. Verum non nomen tantum B. Jacobi mensem octobrem apud* C *Servitas cohonestat; sed die* 25 *occurrit in eorum Martyrologio B.* Joannis Angeli *Porri memoria his verbis :* Mediolani in conventu sanctæ Mariæ Servorum beati Joannis Angeli Porri, confessoris ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis, qui pridie hujus diei beato fine quievit. *Quocirca de eo jam faciemus verba.*

ejus vero gesta, a duobus coævis delibata, partim in Chronico ord. ad an. 1496,

2 *Ejus gesta complures delibarunt potius quam conscripserunt; neque spes est umquam fore ut ejus Vita omnibus suis partibus expleta et absoluta in lucem prodeat; quum accurati et coævi hactenus deesse videantur commentarii. Duo tamen ex ordine Servorum viri, qui verisimillime cum B.* Joanne Angelo *vixerunt, pauca quædam de eo tradiderunt literis : Philippus scilicet Albericius, qui anno* 1531 *vita functus est, et Thomas Veronensis, qui certe ante annum* 1540 *diem extremum clausit. Hac super re scribens ad me laudatus Morinius :* « *Consului, inquit,* D *regesta familiarum cœnobiorum nostrorum cujuscumque provinciæ citra annum* 1542 *et nusquam posteriorem inveni. De Albericio habebis quæ edisserit clarissimus noster P. Philippus Fozzius; de Thoma Veronensi autem sat est dicere eum, ut firmissime teneo, vernaculo sermone quoddam Menologium latinum (forsan illud confectum ab Jacobo de Voragine) reddidisse, Vitis nostrorum beatorum et venerabilium ad dies suos interpositis; atque hoc eum circa annum* 1507 *fecisse. Ridiculum quorumdam assertum est anno* 1507 *a quodam nostrorum conscriptum fuisse latine Florem Florum eumque anno* 1590 *in italicum idioma versum esse a Thoma Veronensi. Die enim* 13 *octobris anni* 1500 *lauream doctoralem Thomas adeptus est in universitate Placentina et scripta ejus, quæ in Megliabechiana bibliotheca exstant, formam non habent extremi sed medii sæculi* XVI. » *Misit itaque ad me sedulus Morinius utramque Vitam; sed prioris, scilicet Philippi Albericii, versio solum in meas venit manus. Ex italica denuo latinam factam, dabo eam in fine hujus Commentarii. Latuerant hactenus* E *ambæ lucubratiunculæ; et quidem omnium primus typis beati viri propalavit laudes Michael Augustinus Pocciantius; qui anno* 1567 *typis Florentinis edidit Chronicum ordinis Servorum B. M. V.* (2) *seu historias suæ religionis ab anno* 1233, *quo initium Servitis factum esse traditur, usque ad annum* 1566, *quo ad typographum schedæ delatæ fuere* (3) : *unde manifestum sit a Dominico Claverino, causæ canonizationis B.* Joannis Angeli *patrono, non recte vocari Pocciantium* auctorem contemporaneum (4); *quandoquidem B.* Angelus *anno* 1496 *aut potius* 1506 *diem obiit et Pocciantius natus est anno* 1536 : *hic enim, quum anno* 1576 *e vivis decessit, annum tantum quadragesimum primum ætatis agebat. Verumtamen neque fide, neque laude vacat; quippe qui rerum præteritarum indagator dicatur accuratissimus* (5) *et vere ordinis sui historiæ parens habendus sit* (6).

in Catalogo SS. Ferrarii ad 24 oct., in Gianii Annalibus ad an. 1506,

3 *Brevioribus ejus Vitam complexus est Philippus Ferrarius, domo Alexandrinus, theologiæ et mathesis magister, qui bis clavum totius ordinis Servorum B. M. tenuit : hic scilicet B.* Joannis Angeli *encomium historicum ad diem* 24 *octobris* (7) *Catalogo suo Sanctorum Italiæ inseruit, qui in lucem venit Mediolani anno* 1613. *Monumenta conventus Mediolanensis et Pocciantii Chronicum sibi præluxisse ad calcem testatur. Neque alia commemorat in Catalogo generali sanctorum qui in Martyrologio Romano non sunt, quem anno* 1625 *edidit et in quo quam brevissime B.* Joannem Angelum *laudat ad diem* 24 *octobris. Verum longe Ferrario et Pocciantio præstat Archangelus Gianius, natione Florentina, qui anno* 1622 *typis dedit Annales sacri ordinis Fratrum Servorum B. M. V., ab exordio usque ad annum* 1609 *deductos, partim Pocciantii vestigiis relectis, partim ineditis documentis ex tabulariorum tenebris in lucem prolatis. Prodiit ejus opus*

(1) Annal. Ord. Serv. B. M. V. Centur. III, lib. II, cap. XVII, tom. I, pag. 528 et 529. — (2) Chronicum rerum totius sacri ordinis servorum B. M. V., in quo illustrium patrum, qui sanctitate, doctrina et dignitate in eo floruerunt, vitæ atque actiones continentur, autore F. Michaele Florentino. — (3) Annal. Cent. IV, lib. III, cap. VIII, tom. II, pag. 211, et lib. IV, cap. IX, pag. 255. — (4) Resp. ad animadv. fidei promotoris super dubio an sit signanda commissio introd. causæ, pag. 3. — (5) Annal. O. Serv. Cent. IV, lib. IV, cap. IX, tom. II, pag. 233. — (6) Ibid. præf. tom. I, pag. 1. — (7) Catalogus Sanctorum Italiæ in menses duodecim distributus, pag. 668.

Florentiæ

A *Florentiæ anno* 1622. *Porro de B.* Joanne Angelo *tradidit plura, antea ignorata; ita ut optimo jure hæc ad caput, quod de B.* Joanne Angelo *est, annotarit ipsemet* (1) : Author ex variis monumentis conventus Mediolani et Florentiæ plura congessit, quæ ab aliis non fuerunt observata : de prioratu Senarii, de prioratu Clanti, de magistro novitiorum Florentiæ etc. ex diariis ipsius conventus Annuntiatæ; de miraculis in Monte Senario ex mss. quibusdam antiquis in archivo D. Annuntiatæ de Florentia.

in ejus Vitis scriptis ab Hippolyto Porro,

4 *In illustrandis B.* Joannis *gestis successit proxime Gianio Hippolytus Porro, pietatis, literarum et militiæ gloria non obscurus; qui initio se ad hanc suscipiendam provinciam permotum fuisse testatur ut beatissimo viro gratum suum animum exhiberet, quod, quum anno* 1622 *acerbissimis vexaretur doloribus, ab his, intercedente B.* Joanne, *cujus effigiem domi venerabandus servabat et cujus tunicam applicuerat corpori, subito liberatus fuerat : quocirca chalcographo sculpendam et excudendam dedit*
B *sanctissimi patroni imaginem et anno* 1623 *Papiensibus prelis subjecit breve encomium italicum, cui titulum fecit* Vita del B. Angelo Porro. *Se quoque aliquid inter hanc scribendam Vitam de familiæ suæ honore cogitasse confitetur in epistola nuncupatoria alterius libri* (2), *anno* 1629 *in lucem dati* (3). *In hoc vero ipso Exercitiorum spiritualium diario orationem ad B.* Joannem *Porrum aliasque (ni fallor) preces inseruit, atque ejus quoque memoriam celebravit in libro genealogico ms. suæ gentis, cui titulum fecit :* Eugenia della familia Porro. *Quum velit pueros Mediolanenses a B.* Joanne Angelo *doctrinam christianam doctos fuisse, æstimo huic opinioni deberi quartum Hippolyti librum :* Origine e successi della dottrina cristiana Mediolani, 1640; *et cum additionibus,* ibidem 1703. *Cæterum nil egit Hippolytus quam Pocciantii dicta aliquantum exornare atque amplificare et pauca addere quæ ex ore præstantissimi Laudensis archidiaconi, Pauli Bignami, acceperat : ad manus enim non habuit nec Gianii Annales, nec Ferrarii Catalogo multum usus est.*

Paulo Paleario, Joanne Corneo

5 *Quarto recensendus est loco Paulus Maria Pagliari ex ordine Servorum; qui italice quoque anno* 1639 *Mediolani B.* Joannis Angeli *Vitam publici juris fecit. Usus est decessorum laboribus, quos stylo ornatiori nonnihil amplificavit, et pauca tantum ex communi adjecit fama : quod ubi fiat monet ipsemet. Quæ illi quatuor viri de B.* Joanne *scripsere, illata sunt in* Positionem super dubio an sit signanda commissio introductionis causæ, *anno* 1736 *typis reverendæ cameræ apostolicæ impressam. Omissi libri sequentium biographorum, Cornei et Alevazoli, forte quod recentiores essent. Alter scilicet Joannes Baptista Corneus (bini cognomines sunt), sacerdos Mediolanensis et tabularii archiepiscopalis custos, octo volumina dedit in publicum et triginta duo mss. intulit in bibliothecam archiepiscopalem; pleraque eruditissima et de origine rituum ecclesiasticorum, sanctorum vitis aliusve similis argumenti* (4). *Inter edita venit Vita italica B.* Joannis Angeli *Porri* (5), *quæ lucem vidit Mediolani anno* 1649; *sed semel tantum : quæ et Hippolyti Porri et Pauli Palearii librorum fortuna fuit. Cæterum Palearius videtur fere Ferrarii vestigia secutus, ut me monet Garbius* (6).

AUCTORE V. D. B.

6 *Alia omnino sors Vitæ, quam Augustinus Alevazolius ex Servorum B. M. V. ordine paravit. Hæc primum prodiit latine Alexandriæ anno* 1691 (7); *deinde multo fusior italice apud Malatestam Mediolani anno* 1694 *et denuo apud Richinum anno* 1725 (8); *in qua editione quam in musæo nostro possidemus, ad finem recusa est Vita latina. Sed ut liber italicus magnus est mole, ita verbis abundat et locis communibus. Præterea id vitii habet quod multa declaret atque explicet piis conjecturis et divinationibus, modumque exponit quo res factæ sint, ut lectoribus is exemplo sit et incitamento; quamquam vix ipsarum rerum vestigia sint in antiquioribus scriptis. Paulo brevior, sed, justo tamen fusior est Vita, quam anno* 1738 *typis Romanis*
E *edidit P. M. Paulus M. Cardi, definitor perpetuus et secretarius ordinis, occasione approbati cultus immemorabilis B.* Joannis *Porri* (9). *Prodiit tum etiam vulgari sermone compendium Vitæ B.* Joannis Angeli (10). *Memoratur etiam B.* Joannes *a Moriggia* (11), *Galeatio Gualdo Priorato* (12) *aliisque permultis* (13) : *quos inter maxime recensendus Argelatus* (14), *ex quo plura de B.* Joannis *biographis excerpsimus; necnon Petrus Paulus Bosca in Martyrologio Mediolanensi, anno* 1695 *edito, ad* 24 *octobris. Laudandus etiam Picinellus in Elogiis extemporalibus; Bagatta in Admirandis; Brautius in Martyrologio poetico, in quo eum non* Porrum, *sed* Portam *agnominare solet; Bulzius in Epigrammatibus; et qui citantur reliqui ab Alevazolio capite* XXI *Vitæ S.* Joannis. *Post illos singulari etiam encomio donarunt beatum virum Saxius* (15) *et R. D. Tresvaux in Supplemento Vitarum Sanctorum Butleri* (16); *quam scriptionem R. D. De Ram in recentiorem suam earumdem Vitarum editionem intulit, et R. D. Pétin* (17) *brevioribus concepit verbis; in hoc tamen errans quod arbitratus est S.* Joannem Angelum (Jean
F l'Ange) *et S.* Joannem Angelum *Porrum* (Jean-Ange Porro) *esse duos distinctos viros, unumque die* 24 *octobris et alterum die* 16 *novembris coli. Recentius etiam plures de eo scripserunt in Italia; quorum opuscula inferius pro re delibabo. Sed de his satis. Quoniam autem e fontibus potius bibere præstat quam e rivis, nos ea inferius edemus quæ de beato viro posteris tradiderunt Albericius, Thomas Veronensis, Pocciantius et Gianius; quibus subjiciemus miracula, quæ in Positione de signanda commissione introductionis causæ leguntur. Antea autem plura de ejus vita et cultu explicanda.*

et Augustino Alevazolio enarrantur, ejusque laudes celebrantur a multis.

(1) Cent. III, lib. V, cap. XL, tom. II, pag. 25. — (2) *Diario d'Esercizi spirituali.* — (3) Cfr Argelati Bibliotheca Scriptt. Mediol. edit. Saxii, tom. II, col. 1120. — (4) Ibid. tom. I, part. II, col. 474 et seqq. — (5) Vita del beato Giovanni Angelo Porro. — (6) Ap. Gianium, Annal. Servorum, tom. II, pag. 29. — (7) Epilogus Vitæ B. Joannis Angeli Porri Mediolanensis, ord. serv. B. M. V. — (8) Vita del B. Gio. Angelo Porro, nobile Milanese, religioso sacerdote dell' ordine de' servi di Maria Vergine, raccolta e descritta dal P. M. Agostini Alevazoli d'Alessandria del medesimo ordine. Cfr Argelati, op. cit. tom. II, part. II, col. 1122. — (9) Vita del B. Gianangelo Porri da Milano dell'ordine etc. — (10) Compendio della vita del B. Gianangelo Porri. — (11) Nobil. Mediolan. lib. I, cap. XI et XXIV. — (12) Relatio civit. Mediolan. pag. 50. — (13) Argelati, op. cit. tom. II, part. II, col. 1122. — (14) Ibid. col. 1120 et seqq. — (15) Mediolan. Antistit. Hist. tom. II, pag. 752. — (16) Supplément aux vies des pères, des martyrs etc., tom. IV, pag. 184. — (17) Migne, Encyclop. théol. tom. XL, ou Dict. Hagiog. tom. II, col. 101 et 102.

AUCTORE V. D. B.

§ II. B. Joannis Angeli vita et munia ab anno 1430 ad 1481.

B. Joannes Angelus, *ex nobili familia Porrea ortus,*

Protasius Porrus, qui anno Virginei partus MCDXXX Mediolani florebat, Joannem Angelum genuit, pietatis ac veræ sanctimoniæ exemplum optimum : *ita Argelatus* (1). *Patri nomen fuisse Protasium prodidit Albericius et Gianius. Gens patricia Porra literis, pietate, muneribus ecclesiasticis civilibusque et nobilitate olim Mediolani clara satis* (2). *Sedecim nomina Bibliothecæ suæ Mediolanensi inseruit Argelatus* (3). *Hos inter duo, quibus nomen Petrus Paulus Porrus; tertius cognominis, Mediolano quoque oriundus, sed inter scriptores non recensendus, typographiam arabicam in Italiam invexit, anno* 1516 *Genuæ excuso Psalterio Davidico, hebraica, græca, arabica et chaldæa lingua, ac tribus latinis interpretationibus et glossis aucto : cujus laboris singularis est laus* (4). *Plerique illi scriptores religiosa incoluere septa. Aliorum nomina jam pridem in historia Mediolanensi honestissima. Vide indicem familiarum, quem ad calcem scriptorum rerum italicarum dedit Muratorius. Plurium quoque officia indicat Argelatus et ante eum Alevazolius.*

B

ingreditur circa 1450 *conventum servorum Mediolanensium;*

8 *Quo anno in lucem editus fuerit B.* Joannes Angelus *plane latet. Statuit Claverinus, causæ canonizationis patronus* (5), *ejus natalem circa annum* 1430; *Marcellinus Ayroldus, præpositus S. Babylæ, testis secundus inter eos qui anno* 1729 *auditi sunt* (6), *circa annum* 1420 : *utraque tolerabilis conjectura seu divinatio : minus autem probabilis quæ in anonymo Compendio vitæ B.* Joannis Angeli *Porri, italice scripto, proponitur, beatum videlicet virum natum esse circa annum* 1440; *quare in alio Compendio, anno* 1848 *typis Mediolanensibus edito, natus traditur anno* 1434. *Juvenili ætate transgressum esse ad Servos B. M. V. consentiunt omnes : crediderim circa annum* 1450. *In Mediolanensi conventu ab eo vestem religiosam primum assumptam fuisse innuunt Pocciantius, Ferrarius, Gianius; affirmant Hippolytus Porrus, Paulus Palearius et plures testes : quæ res eo credibilior quo strictiori vinculo domus Porra cum Servitis Mediolanensibus conjungebatur : in eorum enim ecclesia sacrarium seu altare sibi proprium habebat; quemadmodum patebit inferius. Jam pridem Mediolanensem diœcesim incolebant illi religiosi, prius in oppido Gorgonzola, deinde, ab anno saltem* 1280, *intra civitatis mœnia, accepto sacello portæ orientalis, olim dicto B. Mariæ de Sacco : ubi deinceps constiterunt* (7).

C

unde post absolutum tirocinium et theologiæ datam operam ivit Cavacurtam;

9 *Theologiam Mediolani didicisse perhibent Alevazolius, Cardius aliique, addentes beatum virum pro animi sui demissione doctoratus lauream recusasse; sed timeo ut hæc ex certis documentis, non autem ex pia divinatione dictum sit. Postquam autem presbyter factus est, ab iisdem traditur Cavacurtam recessisse; verumtamen animadvertendum est eum recessum ab Alevazolio in Vita sua latina B.* Joannis Angeli *plane fuisse præteritum et mentionem tantum fuisse factam de altero ad hunc locum recessu, seu potius gesta quæ ad utrumque pertinent, ad hunc unum posteriorem fuisse relata. Quidni monumenta indicarint Alevazolius et Cardius, quibus deinde didicerunt bis beatum virum Cavacurtam venisse? Propter hoc tamen desiderium non fit ut posteriori eorum narratui fidem denegandam esse arbitrer; non enim putem temere eos deseruisse priora dicta; deinde de posteriori recessu profertur testimonium, antea nusquam editum, medici scilicet Joannis de Predatis, qui eum Cavacurtæ curarat : unde appareat nova postea hinc venisse documenta; demum suspiciones de ejus castitate, quæ Cavacurtæ ortæ et feliciter dissipatæ sunt, facile explicari possunt, si primis ejus religiosæ vitæ annis conceptæ sint, nequaquam vero, si ultimis. His itaque de causis consentio B.* Joannem Angelum, *relicto Mediolano, venisse Cavacurtam. Jacet autem hic locus in diœcesi agroque Laudensi* (*vulgo* Lodesan) *ad ripam Abduæ fluminis; distat a Laude* XV *P. M., a Cremona* XII, *a Piceleone* II, *a Mediolano* XXXV.

D

ubi ab anno 1456 *Servitæ illegitime occupabant ecclesiam parochialem. Anno* 1482 *confertur parochiale beneficium clerico cuidam;*

10 *Jam ab anno* 1456 *Servi B. M., ab ea acciti communitate, consentiente episcopo Laudensi ejusve vicario, ecclesiam parochialem, quæ tunc dicebatur S. Maria de Arasia, administrandam susceperant, et* apud illam postmodum unam domum cum horto, claustro, dormitorio et aliis accessoriis officinis construxerant et sic constructam inhabitaverant, ac curam animarum parochianorum dictæ ecclesiæ exercuerant, ecclesiastica sacramenta ministrantes eisdem; cumque ejusdem ecclesiæ fructus, redditus et proventus, qui tunc trium florenorum auri de camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum non excedebant, ad valorem XV florenorum similium auxissent (8), (*florenus pontificius illius ævi pendet francis* 96,25 *et potestatem nunc haberet francorum* 357,50), *sub annum* 1482 *quidam clericus Laudensis, nomine Joannes Jacobus de Cipellis, curavit sibi conferendum parochiale munus, quasi fuisset vacuum. Hinc ortæ lites, quæ anno* 1485 *iis conditionibus sopitæ sunt, ut Servitæ solverent quotannis Joanni Jacobo quatuor libras monetæ Mediolanensis atque hic in manibus Romani pontificis beneficium suum cederet.*

F

hinc ortæ lites, quæ per contractum simoniacum et bullam Innocentii VIII finiuntur;

11 *Quum contractum hunc, simoniæ labe infectum, ambæ partes perfecissent, recurrerunt ad Innocentium papam VIII ut se pœnis, adversus simoniacos statutis, liberaret et contractum ratum haberet. Benigne respondit pontifex, literis datis die* 7 *julii anni* 1485; *monens tamen Servitas falso eos nixos fuisse suis privilegiis ut sine Sedis apostolicæ beneplacito novam domum admitterent et contractum vere simoniacum fuisse. Declaravit itaque eos his de causis censuras aliasque pœnas incurrisse, atque irregularitatem contraxisse, quum illis ligati existentes missas et alia divina officia, non tamen in contemptum divinum, celebrarunt, eosque etiam inhabilitatis macula se fœdasse, quum dictæ ecclesiæ fructus perceperunt. Sed hæc omnia indulsit pontifex atque etiam concessit ut parochia conventui incorporaretur* (9). His literis

(1) Argelati, loc. cit. — (2) Alevazoli, pag. 2 et seqq. — (3) Argelati, col. 1113 et seqq. — (4) Ibid. tom. I, part. 1, pag. LXXVIII. — (5) Positio de introd. causæ. Informatio, pag. 2. — (6) Ibid. Summarium, pag. 8. — (7) Gianius, Annal. cent. I, lib. V, cap. IX, tom. I, pag. 164 et 165. Saxius, Archiep. Mediol. hist. tom. II, pag. 752. — (8) Bulla Innocentii VIII. — (9) Gianius et Garbius, Annales sacri ordinis Servorum B. M. V. Cent. III, lib. III, cap. 19, tom. I, pag. 589 et seqq.

ris

AUCTORE V. D. B.

A ris apostolicis confirmati patres, *inquiunt Servorum annalium scriptores* (1), longe majori studio animarum curam exercuere, ecclesiam fere a fundamentis iterum excitarunt, ope etiam piorum fidelium suffulti, titulum S. Mariæ de Arasia in titulum S. Bartholomæi commutantes; *atque hæc quidem ad præsens tempus non pertinent, sed hoc loco notanda visa fuere, tum quoniam postea Cavacurtam rediit beatus vir, tum quoniam explicandum est quare vulgo dicatur B.* Joannes Angelus *conventum S. Bartholomæi de Cavacurta incoluisse. Quum autem contractus ille simoniacus, quem Innocentius VIII sanavit, initus est, certe non aderat illic amplius B.* Joannes Angelus; *sed fieri potest ut adfuerit, quum primum parochia accepta est et nova domus fundata; et certe, si quidem Mediolano illuc venerit, habitavit ibidem aliquandiu contra constitutionum apostolicarum vetitum et gravibus propterea ecclesiasticis pœnis in foro externo fuit obnoxius. Verum ambigendum non est quin optima fide novam illam domum recepissent Servitæ; ita ut ne cogitandum* B *quidem sit aliqua peccati labe inde infectam fuisse B.* Joannis Angeli *animam.*

suspiciones de B. Joannis Angeli *castitate sublatæ, præsente Christophoro Torniello, aut nullo priori generali;*

12 *Suspiciones autem, quas paulo supra memorabam, explicat Alevazolius in Vita latina his verbis :* Cavacurtæ in conventu S. Bartholomæi diœcesis Laudensis falso accusatus quod sæpius in hortum (erat enim publicæ stratæ proximus) ad invisendum regionis puellas diverteretur, missis ab ordinis generali qui eum observarent, in oratione defixus, quem rosæ florescentes circumquaque sepiebant rigenti hyeme soloque nive contecto, stupentibus cunctis inventus est. *Addit Cardius* (2) *eum tunc visum esse supra terram elevatum, quanta est statura unius hominis; atque aliquando in loco, ubi prodigium id accidit, extructum fuisse sacellum cum beati viri statua, exhibente id miraculum ad vivum; ut autem ad viam publicam patet, solere transeuntes orandi gratia illic sistere, seque ipsummet sæpius visitasse et sacrum solum osculatum esse. Vult præterea Cardius atque ipse etiam Alevazolius in Vita italica* (3) *tunc Cavacurtæ versatum fuisse ordinis priorem generalem, eum* C *miraculi fuisse testem oculatum et nomen hujus prioris fuisse Nicolaum de Perusio. Verum his fidem habere non ausim et (ut uno verbo dicam quod sentio) in universo isto sermone id unum mihi certum videtur B.* Joannem Angelum *repertum fuisse in horti angulo orantem ab iis qui male de ejus castimonia confidebant. Prior generalis tunc forte adfuit Cavacurtæ; at is plane non fuit Nicolaus de Perusio. Ut enim vidimus, nova hæc domus modo qualicumque inchoata solum fuit anno* 1456; *quare ante id tempus ibi versari non potuit B.* Joannes Angelus. *Ast Nicolaus de Perusio, senio confectus, nullam tum amplius in administrando ordine partem habebat. Anno enim* 1455 *in Faventino communi patrum concessu magistrum Joannem de Ferraria sibi socium primarium et totius ordinis vicarium asciverat* (4), *et tres dein vicarios apostolicos, auctoritate Pii papæ II constitutos, admiserat, ipse interea in Ferrariensi cœnobio ægrotans et solo titulo generalis contentus* (5), *donec die quinta januarii anni* 1460, *id est secundum novum stylum* 1461, *ad cœlos abiit* (6), *seu potius donec ante mensem majum anni* 1460 *virgam, bursam, sigillum, librumque constitutionum cum S. Augustini regula, totidem officii insignia, resignavit in manus Christophori Tornielli, qui ipsemet in sequentibus comitiis,* 23 *maji Novariæ inceptis, ex vicario apostolico creatus est prior generalis* (7). *Quamobrem, si quis prior generalis Cavacurtæ versatus sit, quum B.* Joannis Angeli *sanctimonia tam eximie a suspicionibus vindicata est, is alius esse non potuit quam Christophorus Torniellus, et totum istud negotium perfici debuit post medium annum* 1460, *licet Alevazolius in Vita italica* (8) *velit B.* Joannem Angelum *anno circiter* 1459 *Cavacurta abiisse, quum prioris generalis officium quasi vacuum esset.*

charismata quæ beato viro concessa fuisse dicuntur.

13 *Narratur et aliud indicium, quo Deus illo tempore declarare voluit servi sui merita. Etenim* noctu etiam quandoque, *verba sunt Alevazolii in Vita latina,* toto ejus vultu irradiante, spicula lucis tam affluenter emisit, ut E densissimum nemus, in quod ad orandum se receperat ac si dies esset illuminaretur. *Contra in Vita italica* (9) *(eique consentiunt Cardius et auctor Compendii) refert id prodigium ad aliud Vitæ tempus beati viri, perhibens id contigisse quum paucis ante obitum annis ex Clanti eremo se conferret Mediolanum, ibidem prior futurus, et in itinere non procul a conventu Cavacurtensi de Christi passionibus et Deiparæ doloribus meditaretur; additque Alevazolius sæpius id portentum contigisse; sed utinam minus temerus in divinando esset ille vir! Valde familiariter Cavacurtæ etiam usum fuisse B. Maria Virgine, sibi apparente et blandiente tradit, item Alevazolius in Vita italica* (10), *atque ex ejus manibus recepisse puerum Jesum subdit Cardius* (11), *in testimonium afferens vetera anaglypta, quibus ea conditione exhibetur : sed quum hæc centum minimum annis post ejus mortem facta sint atque eo tempore quo nil fere de beato viro sciebatur, malim ea interpretari de spirituali commercio, quod per divinam gratiam inter Christum et animam fidelem qualemcumque obtinet.*

F *Senarium montem, in quo reformatio instituta est, petit B.* Joannes; *reformationis hujus laudes*

14 *Licet autem beatus vir Cavacurtæ tam impense pietatem coleret, post annum tamen (sic tradit Cardius* (12), *nulla auctoritate, sed pro more meris conjecturis ductus) sibi visus non est satis remotus esse ab omni mundano strepitu licentiamque petiit Senarii montis incolendi. Sed priusquam eum illuc sequamur, pauca quædam ex historia generalis ordinis Servorum delibanda sunt. Tunc temporis is ordo in duas divisus erat partes, Conventualium et Observantum. Observantiæ origo statuenda anno* 1404, *quum capitulo generali Ferrariensi visum est indecorum, Montem Senarium, in quo patres anno* 1234 *initium Ordinis posuerant, a filiis ferme relinqui, neque vitam amplius coli eremiticam, quam instituerant fundatores; atque hæc, quantum fieri posset, reparanda esse damna* (13). *Id consilium exsecutioni datum anno* 1411, *quo Antonius de Senis et religiosi*

(1) Gianius et Garbius, Annales sacri ordinis Servorum B. M. V. Cent. III, lib. III, cap. 19, tom. I, pag. 592. — (2) Vita, pag. 34. — (3) Pag. 33 et 34. — (4) Gianius, Annalium Cent. III, lib. III, cap. 4, tom. I, pag. 493. — (5) Ibid. cap. 8, tom. I, pag. 507. — (6) Ibid. cap. 11, tom. I, pag. 512. — (7) Ibid. cap. 10, pag. 510. — (8) Pag. 36. — (9) Pag. 64. — (10) Pag. 32. — (11) Vita, pag. 30. — (12) Ibid. pag 37. — (13) Gianius, Annal. Cent. II, lib. IV, cap. IX, tom. I, pag. 369 et 370.

aliquot

AUCTORE V. D. B.

aliquot alii sanctissimæ vitæ, permittente priore generali Stephano de Burgo S. Sepulcri, eo se receperunt (1). *His anno sequenti a capitulo generali Pisano sequentes leges seu privilegia data* (2) : Primo, ut Senarius Mons, veluti Ordinis caput immediate priori generali subditus intelligeretur, neque provincialis Etruriæ, præter consuetas visitationes, quempiam ex eodem loco removere, aut alios illuc admittere deberet. Secundo, quod, loci paupertate et degentium ibi numero inspectis, pro aliquo saltem tempore Senarius publicis seu ordinis seu provinciæ Tusciæ exactionibus non gravaretur. Tertio, quod fratres Senarii reformationi addicti etiam extra jejunia ordinis consueta carnes nullibi umquam commederent. Quarto, quod prior Senarii pro tempore de consensu generalis ab eisdem singulo biennio eligeretur et per generalem confirmaretur; qui eam facultatem haberet quam prior generalis eidem concesserit et in dies expedire viderit.

ejusdem incommoda aliæque miseriæ indicantur.

15 *Optatissima quiete et pace fruebantur Senarii incolæ, donec Antonius, episcopus Bitecti, ex concilio Constantiensi redux, habitum B. M. in sacro Monte induit. Tunc una alterave nova domus ad severiores Senarii leges admissa* (3); *deinceps aliæ et aliæ tum ultra, tum citra Apenninos* (4); *adeoque ex his conflata anno* 1440 *Congregatio Observantiæ, cui præfectus auctoritate apostolica Antonius de Bitecto cum vicarii generalis titulo multisque privilegiis, relicta fere priori generali visitandi potestate* (5). *Porro ex hac reformatione, ut fere ex aliis quæ in ordinibus religiosis per scissuras et divisiones tentatæ sunt, calamitates exortæ sunt quam plurimæ, quas passim in Annalibus luget Gianius. Deinceps enim continuæ fere fuerunt inter ordinem et congregationem lites et simultates cum de solvendis communibus vectigalibus, tum de alternis non usurpandis domiciliis; quin etiam anno* 1445 *et sequentibus tentarunt Observantes se penitus ferme ab auctoritate prioris generalis subducere : quod tamen perficere non potuere; quamquam eis satis faveret Eugenius papa IV* (6). *Postea exorta jurgia in ipsa Observantum congregatione; quibus factum est anno* 1473, *ut in duas scissa sit*
C *partes Transpadanam et Cispadanam, et novus inductus vicarius generalis, cui cum suis membris subessent conventus S. Cataldi Cremonensis et S. Mariæ Gratiarum Placentinus, aliique quos infra Padum, extra ea tamen loca quæ Conventuales jam occupabant, in posterum conderent, et qui ipsemet uni priori generali esset obnoxius. Hæc literis apostolicis, sub plumbo datis, probavit Sixtus papa IV* (7). *Alia eodem anno concessa bulla statuit ut Mons Senarius, cujus incolis numquam placuisse videntur irrequieta Congregatorum molimina, cum suis membris a vicarii generalis potestate esset liber et uni priori generali subjectus* (8). *Quum vero postrema hac bulla probarentur articuli reformationis anno* 1412 *constituti, quibus Observantes a vectigalibus pendendis essent liberi et provinciali Etruriæ adimeretur potestas transferendi religiosos ad conventus Observantum aut inde educendi (quod et ad priorem generalem bulla Eugenii IV nixi extenderant Observantes); quumque ex adverso anno* 1472 *assecutus esset prior generalis literas apostolicas in forma brevis et confirmationem alicujus bullæ Nicolaï papæ V, quibus cassi fierent illi articuli; hinc nova orta est controversia, in qua anno* 1477 *vicit prior generalis, causam cognoscente Sixto papa IV* (9). *Atque his intellectis, ad B.* Joannis Angeli *gesta transgredimur.* D

Illius eremi et admittendi eremitas rationes.

16 *Quum itaque Mediolani et Cavacurtæ vestem B. M. V. gereret, Conventualium sequebatur mitiora instituta : neque deinceps umquam vicario Congregatorum favisse legitur; sed a partibus prioris generalis semper stetisse videtur, neque probasse reformationes ejus auctoritati adversas : quamquam, ut diximus majoris solitudinis cupidus, Montem Senarium, quod Reformationis caput habebatur, petiit. Distat autem hic locus octo aut novem milliaribus Florentia, medius inter sex alios montes quibus eminet, pinis proceris tectus a solis ardoribus et aquilonis sævitia; ita ut angusta quæ in ejus vertice sita est planities vere perpetuo frui videatur* (10). *Hic, quemadmodum olim monachi in oriente atque in occidente (supersunt etiamnum in Galliis* (11) *vestigia), pararant primi fundatores speluncas quæ sibi cellarum essent loco. Has tamen non incoluisse videntur Observantes, quibus Sigismundus Stupkens conventum ibidem excitarat et annonam quæ duodecim eremicolis sufficeret assignarat imperpetuum. Hanc itaque sedem, cœlestium rerum meditationi et vitæ severissimæ perquam accommodam, vehementissimo studio adiit B.* Joannes Angelus, *ut ibidem pro nominum suorum vi et significatione, Joannis Baptistæ pœnitentiam imitaretur et ad Angelorum instar totus in Deo laudando esset. Quo illuc advenit tempore, nemo admittebatur in suum cœtum ab eremitis, quin eum probassent ipsimet, maxime si ex Conventualium esset ordine. Nequaquam itaque ambigendum quin de B.* Joannis *moribus et animi corporisque apta conditione examen institutum fuerit. Bene id ei cessit periculum et præter morem (si vera tradunt) ei assignata est B. Sostinei specus, postea in oratorium conversa.* E

Hinc circa 1471 *accercitur B.* Joannes *ut prior sit Clanti eremi;*

17 *Viginti annos in Senario Monte degisse B.* Joannem *consentiunt omnes; id anno* 1623 *etiamnum ab illius loci senibus narrari et ex vetustis aliquot constare tabulis addit Hippolytus Porrus : non tamen æstimarim eum annos viginti ibidem degisse continuos, ut hic tradit biographus cum Ferrario, sed potius cum intermissione. Quanta vero vitæ sanctimonia id honestarit tempus beatus eremita, paucis explicant Pocciantius et Gianius, alii latius pro genio amplificant; quin etiam plura addunt quæ ne possibilia quidem fuere propter hominum, temporum locorumque distantiam; sed infinitus sim, si hæc omnia expendere velim. His itaque omissis, nullum mihi potius est sanctimoniæ B.* Joannis Angeli *testimonium quam honorifica ejus ad eremum Clanti regendam evocatio. Patres videlicet B. M. Annuntiatæ de Florentia eremum quamdam ad meridiem urbis inter campestria Clanti (vulgo* Chianti) *obtinuerant anno* 1470. *Hanc regionem describit Lamius* (12). *Illic jam pridem in rupe super rivulum Greve inter me-*

(1) Gianius, Annal. Cent. II, lib. IV, cap. XV, pag. 380 et seqq. — (2) Ibid. cap. XVII, pag. 383. — (3) Ibid. lib. V, cap. XIV, pag. 416. — (4) Ibid. Cent. III, lib. I, cap. I, pag. 426 et 427. — (5) Ibid. cap. VI, pag. 446. — (6) Ibid. cap. XIII, pag. 469 et seqq. — (7) Ibid. lib. III, cap. I, pag. 538 et 539. — (8) Ibid. cap. II, pag. 539 et seqq. — (9) Ibid. lib. III, cap. VI, pag. 551 et seqq. — (10) Hélyot, Hist. des ordres religieux. Art. *Servites*. — (11) Le Noir, Architecture monastique, tom. I, pag. 1 et seqq. — (12) Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, tom. II, pag. 727.

dia

A *dia nemora parvam quamdam cellam exstruxerat vir quidam maxime religiosus et vitæ addictus eremiticæ, nomine F. Antonius Joannis de Sicilia. Quum autem ad seniles venisset annos, sedem suam Servis B. M. Annuntiatæ resignarat, ea tamen lege ut quoad viveret illam ipse teneret. Pactæ conditiones die* 19 *augusti anno* 1468. *Defuncto Antonio, eremi possessionem adiit Joannes Baptista prior B. M. Annuntiatæ mense septembri anni* 1470, *primumque ibidem priorem constituit Blasium Joannis de Florentia;* cui deinde in eremi regimine, *ut loquitur Gianius* (1), successit P. Joannes Angelus Porro de Mediolano, beatæ memoriæ vir, qui solitudinis amore vehementer incensus vitam in Senario ducebat. *Senarium itaque reliquit B.* Joannes *non anno* 1470, *ut in Vita italica tradit Alevazolius, sed* 1471 *aut* 1472, *quum secundum constitutionem, quam Clemens papa VI anno* 1346 *solemni sanxerat bulla* (2), *id officium annale esset aut saltem biennale. Exinde prioris munus adimplevit Clanti uno alterove anno. Fieri potest ut, quum aliquandiu*
B *cessasset ab hoc munere, ad id iterum promotus fuerit eoque fungeretur anno* 1477, *quum bellum exarsit Senenses inter et Florentinos, Carolum Montonium fraudulenter incitantes* (3). *Certe Gianius* (4) *ad B.* Joannis *regiminis tempus referre videtur Clanti excidium, supracitatis hæc subjungens verbis :* Interim cum Florentini bella gererent cum Senensibus et omnia ferro et cæde vastarentur, eremus hæc nostra æque ac alia finitima loca prostrata jacuere.

sub annum 1477 mittitur Florentiam,

18 *Verum quomodocumque id se habeat, sive anno* 1477 *Senarium fugerit B.* Joannes *Senensium vindictam reformidans, sive aliquot annis ante post absolutum primum annale aut biennale regimen eo sponte perrexerit, certe inter Montis sacri eremitas degebat exeunte anno* 1477 *aut non multo post, quum ad Florentinum B. M. Annuntiatæ cœnobium destinatus est, consentiente iterum illius loci capitulo. Porro Florentinus conventus antiquitate et celebritate certabat fere cum Senario Monte. Septem scilicet Fundatores (id eis vulgare nomen), quum anno* 1233 *vale sæculo dixissent, primum se-*
C *cesserant in suburbanum locum, Campum Martium; dein in remotum magis quietumque Senarium Montem : verum postea prope portam Florentinam, qua Senarium itur, condiderant hospitium seu tuguriolum, cui antiquum* in Caphagio *nomen adhæsit aliquandiu et quo excipiebantur bini ternive fratres, qui Florentiæ ostiatim victum conquirerent eremicolis : atque hæc minima exordia in maximum creverunt paulatim asceterium* (5); *cujus magnificentiam passim laudant viatores.*

magister novitiorum futurus:

19 *Eo accersebatur B.* Joannes *ut disciplinam regularem restauraret ibidem : res, si quæ umquam, difficillima, maxime quod jam pridem tentata fuerat. Tempore enim concilii Florentini, cardinalis Julianus Cæsarinus, maximum in annalibus ecclesiasticis et politicis nomen, pro munere suo et auctoritate protectoris Servorum B. M. V. suaserat remedium afferendum esse malis, quæ inter Florentinos B. M. V. Servos degens animadverterat* (6). *Optimum sane consilium; sed exsecutio plena fuit odiis et simultatibus. Quum enim tunc temporis caput attollerent Observantes, eos anno* 1441 *in id cœnobium induxit protector, amotis priore aliisque Conventualibus qui Reformationis leges detrectarant* (7) : *res tamen probata Eugenio IV* (8). *Continuo Antonius de Bitecto, Congregationis vicarius generalis, novus prior instituitur; et ut vir acer erat et actuosæ naturæ, sine mora manum operi admovet, mores ad regulas revocans, templumque restaurans et amplificans* (9). *Verum anno* 1448, *quum Eugenius IV diem obiisset supremum et locum fecisset Nicolao V, hinc ejecti Observantes et Conventuales postliminio reducti, adminiculante senatu* (10). *In fumum itaque abiissent Juliani cardinalis et Eugenii IV conamina, nisi anno* 1477 *præficiendus visus esset B. M. Annuntiatæ Antonius Protasii Alabantus* (11); *qui quum civium favore*
E *frueretur, ad copiosiores eleomosynas colligendas et ad templi fabricam et reliqua ædificia absolvenda visus est aptissimus. Verum his se nequaquam ille continuit. Quamquam enim ex Conventualium castris esset, facile æquabat Observantes optimos quosque pietate, castigatione vivendi et religiosæ disciplinæ studio; adeoque communi ordinis et congregationis consensu anno* 1485, *postquam octennium conventum Annuntiatæ Florentinum gubernasset, prior generalis creatus est* (12).

AUCTORE V. D. B.

laus novitiatus istius ævi in Annalibus ordinis. Secedit cum novitiis B. Joannes *in Senarium montem, et paulo post redit Florentiam.*

20 *Dum itaque Alabantus Florentiæ et ædificia perficienda et religiosorum mores recte instituendos haberet, optimos quosque qui sibi auxilio essent aliunde accersivit : B.* Joannem Angelum *qui secundum B. Philippi Benitii constitutiones* (13) *magister novitiorum esset; Stephanum Nicasii de Flandria et Steterlingum qui domesticam academiam regerent et publicas etiam concertationes haberent; quin etiam magistros musices egregios ex Gallia et Germania* (14). *Brevi renovata universa rerum facies et novitiorum Florentinorum fama longe lateque sparsa. Non minimam hujus rei partem fuisse* F *B.* Joannem Angelum *dubitare nemo potest; et quod illo ævo non exiguum sedulitatis indicium est, conscripsit tomum* Institutionum religiosi claustralis; *quod cum oratione quadam de optimo modo serviendi B. M. V. unicus literarius ejus partus est, posteris servatus* (15); *sed numquam (ut videtur) in lucem editus. Dum autem hæc prospere fluerent, ingruit Florentiæ anno* 1480 *pestilentiæ lues; ut tradunt Alevazolius* (16) *et Cardius* (17); *quamobrem coactus est beatus vir cum novitiis in proximum Montem Senarium secedere. Sed quum plus timoris quam mali fuisse videatur (omittunt enim de hac peste dicere Florentini, quos novi, chronographi* (18)), *menses tantum aliquot, ut habet Cardius, cum*

(1) Centur. III, lib. II, cap. XVIII, tom. I, pag. 531. — (2) Ibid. Centur. II, lib. I, cap. XIV, tom. I, pag. 289. — (3) Allegretti, Diari Sanesi, ap. Muratori, Scriptt. rer. ital., tom. XXIII, col. 782 et 783; Bruti, Hist. Florent. lib. V, ap. Burmannum, Thesaurus Italiæ, tom. VIII, col. 131 et 132; Pecci, Memorie Di Pandolo Petrucci, tom. I, pag. 12. — (4) Cent. III, lib. II, cap. XVIII, tom. I, pag. 531. — (5) Hélyot. Hist. des ordres relig. *Servites.* — (6) Gianius, Cent. III ad an. 1339, lib. I, cap. VI, tom. I, pag. 444 et seqq. — (7) Ibid. ad an. 1441, lib. I, cap. VIII, pag. 449 et seqq. — (8) Ibid. cap. IX, pag. 451 et seqq. — (9) Ibid. loc. cit. — (10) Ibid. cap. XIV, pag. 475. — (11) Ibid. Cent. III, lib. III, cap. XVI, tom. I, pag. 584 et 585. — (12) Ibid. cap. XVII, pag. 585 et 586. — (13) Ibid. Cent. I, lib. VII, cap. XI, tom. I, pag. 238. — (14) Ibid. Cent. III, lib. III, cap. XI et XVI, tom. I, pag. 571 et 584. — (15) Alevazoli, Vita italica, pag. 27 et 55. — (16) Ibid. pag. 55. — (17) Vita, pag. 59. — (18) Matt. Palmerius, de temporibus suis, ap. Tartinium, Scriptt. rerum Florentinarum, etc. tom. I, col. 267 et seq.; Ripetti, Dizionario della Toscana, tom. II, pag. 190; etc.

novitiis

AUCTORE V. D. B.

novitiis suis in Senario monte substitit B. Joannes Angelus. *Florentiam quam primum reversus, perrexit operam suam efformandis novitiis impendere. Quare factum est ut brevi tempore vigor quidam inusitatus et mirabilis quædam vis et contentio inter adolescentulos illos excitata fuerint et novellæ plantæ lætissimam spem attulerint. Eos coram aspicere voluerunt seniores; quare anno* 1482 *octo ex eorum numero acciti ad capitulum generale Viterbiense. Qui quum templum B. M. V. Annuntiatæ reliquerunt, peregrinantium frequentia et miraculorum fama celebre, pro more illius ævi* (1) *gestarunt in pileis pro tessera parvas quasdam ex orichalco B. M. Annuntiatæ imagines, et partim puerili voce, partim instrumentis musicis omnem hymnorum harmoniam in templo exprimebant. Adeo placuere adolescentuli, ut alii quoque, qui literis jam aliquam dedissent operam, evocati fuerint, ibidem publice logicas concertatiunculas elegantesque orationes habituri : laudavere Patres, stupuit civitas* (2). *Atque iterum id factum in capitulo generali, Vetralæ celebrato anno* 1485 (3), *et triennio post Bononiæ* (4).
B *Atque hæc optimum B.* Joannis *magisterium commendant nonnihil.*

§ III. Ejus gesta usque ad annum mortis, 1506.

Anno 1481 *mittitur ad novum conventum Mediolanensem B. M. V. de Paradiso, et brevi post, fit iterum prior Clanti restaurati;*

Verumtamen his omnibus non præfuit beatissimus vir; sed hoc solum laudandus est, quod semen seminavit, ex quo messis illa (laboris amorem intelligo, pietatis studium et literarios conatus) succrevit. Ante anni enim 1481 *finem Mediolanum accitus fuerat, ubi novæ domui condendæ operam suam conferret. Ut enim in Historia cœnobiorum ordinis Servorum, a P. Michaele Angelo Saler conscripta, cujus particulam ad me misit R. P. Morinius, legitur,* Joannes Rodulphus de Vincemaris Mediolanensis donavit quemdam in suis agris fundum extra portam Romanam Mediolani, super quo fuit ædificatus conventus S. Mariæ de Paradiso pro congregatione ordinis Servorum, recipiente
C F. Jacobo Porsiano de Brixia, vicario generali, sub die 22 novembris 1481. Et primi, *sic pergit,* hujus loci fundatores fuerunt M. Joannes de Mediolano, Fr. Marianus de Mediolano et Fr. Amans de Brixia. *Ad quem locum manu sua scripsit Garbius :* Patent hæc ex instrumento donationis Joannis Rodulphi prædicti in Pergameno existente in archivio Lipaniozo (?), quod vidi die 26 augusti anni 1715; *ita ut dubitandum non sit, quin mense novembri anni* 1481 *Mediolanum venisset novitiosque suos reliquisset B.* Joannes. *Paucis dein prosequitur Salerius conventus B. Mariæ de Paradiso fata :* In quo loco, *inquiens,* commorati sunt fratres per annos circiter quinquaginta; donec, ingruentibus bellis, propter militum incursiones conventus omnino derelictus et per Antonium de Leyra, Caroli V generalem ducem funditus eversus fuit; ubi memorandum illud adhuc superest, quod sicut in marmore legimus, sic opportune hoc loco recensendum duximus : ANNO D. MDIX DIE D I IVLII LVDOVICVS GALLIARVM REX ET MEDIOLANI DVX PARTA DE VENETIS VICTORIA HIC EQVVM ASCENDIT. *Verum licet hæc domus in media civitate non esset, in mediis tamen operis, regularia loca construentibus, non ea erat quies, quam beatus* Joannes *ardentissimis votis prosequebatur : eremi enim solitudinis desiderio tenebatur continuo. Quo ut sibi redire liceret evicit tandem sub ipsum annum Christi* 1481. *Quadriennio scilicet ante prostratum fuisse a Senensibus Clanti eremitorium diximus supra. Jacuit autem in hac misera conditione* ad annum usque 1481; quo P. Andreas de Florentia, *ut testis est Gianius* (5), eo adire statuit ut eremum instauraret. Quod cum præstitisset, iterum ejus regimini præficitur Joannes Angelus, reformationi morum et sanctiori vitæ cum reliquis fratribus agendæ intentus; et patres divæ Annunciatæ venerandam ibi collocant B. Virginis imaginem sub invocatione S. Mariæ Gratiarum, eodem titulo ecclesiæ collato; cujus præcipuum festum non sine magna populi confluentis devotione die 8 septembris quot-
E annis celebrare perpetuo consuevere patres, quandiu ibidem degere eis licuit; inde enim postea recessere; *nempe post B.* Joannis *obitum.*

anno 1485 *iterum fit novitiorum magister et anno* 1487 *prior Senarii;*

22 *Ejus ibi quies denuo turbata anno* 1485, *quum festis pentecostalibus, Vetralæ in diœcesi Viterbiensi, Alabantus prior generalis electus est; hic quippe Florentiam revocavit B.* Joannem, *jussitque (quoniam nil amplius sinebant infirmi corporis vires) ut saltem semel quotidie ad statutam horam adolescentulos novitios adiret eosque sanctimoniæ leges doceret. Hæc biennium fere durarunt. Anno enim* 1487 *accitus fuit in Senarium Montem, quo secum pacem et tranquillitatem inveheret. Rem narrat Gianius* (6) *his verbis :* Die sexta augusti in Senario optimus ille religiosus et veræ observantiæ vir integerrimus P. Lucas Alexandri Florentinus extremum diem solverat... prope centenarius. Ejus funeri adfuit Antonius generalis, qui in Senarium concesserat ad nonnullas componendas difficultates circa priorem loci, per eosdem fratres qui ibi adessent ex antiqua constitutione eligendum. Incole-
F bant tunc locum hi patres : F. Thomas de Florentia prior, qui et officium tunc resignabat; F. Matthias de Florentia; F. Joannes Baptista de Roma; F. Joannes Angelus de Mediolano; F. Ludovicus de Pisauro et F. Joannes Petri de Florentia. *Obscura nomina præter B.* Joannem Angelum. Hi omnes die 15 junii in manus Antonii generalis unanimi consensu elegerunt in suum priorem P. Joannem Angelum de Mediolano, virum sane tantæ probitatis ut in eo officio altissimus Deus per ejus merita et intercessionem plura signa gratiarum et miraculorum eo in monte ostenderit; at de his suo loco plura.

anno 1488 *tertium fit prior Clanti; reliqua chronologia.*

23 *Hæc miracula in causa fuerunt cur, vix primo prioratus absoluto anno, Senario discesserit B.* Joannes : *tantum reformidabat vanæ gloriæ titillationem. Tertium itaque ad eremum Clanti profectus, tertium ejusdem loci prior creatus est consilio patrum Annuntiatæ, anno*

(1) Plombs trouvés dans la Seine à Paris, *passim.* — (2) Gianius, Cent. III, lib. III, cap. XI, pag. 572. — (3) Ibid. cap. XVII, pag. 585. — (4) Ibid. lib. IV, cap. VII, pag. 610. — (5) Ibid. lib. II, cap. XVII, pag. 531. — (6) Ibid. lib. IV, cap. V, pag. 599.

nequaquam

A *nequaquam* 1470, *ut tradit Argelatus* (1), *sed* 1488 *seu* 1489, *ut manifestum facit ipsarum rerum series. Neque Clanti diu moram traxit, denuo populi ejus apud Deum opem implorantis importunitatem fugiens. Verum quo deinde perrexerit beatus vir et quid ultimis vitæ suæ annis egerit, ignoravere non Pocciantius tantum et Ferrarius, sed ipse etiam Gianius; nec præterea inter se ulla conveniunt ratione. Aliorsum itaque convertamur oportet et novum quæramus ducem. Neque hic desideratur, sed ejus dicta cum Gianii assertis componenda sunt, ne chronologicum abrumpatur filum. Siquid porro videam, Clantum reliquit B.* Joannes *anno* 1490 *aut sequenti, et recta Mediolanum petiit; ubi quum aliquandiu constitisset, Corvariensem solitudinem in diœcesi Placentina adivit anno* 1491 *aut sequenti, novosque sibi adscivit discipulos quos ad omnem efformavit virtutem; hinc septentrionem versus denuo iter arripuit; venit Cavacurtam, diœcesis Laudensis castrum, ibique satis diu degit et morbo correptus jacuit; perrexit post in Senarium Montem et demum Mediolanum, ubi non multo post vita defunctus est.*

B

Mediolani aliquandiu fructuose consistit; in Crovariensi solitudine

24 *Ille enim postquam de Clantensi B.* Joannis *prioratu dixisset* (*quem ab eo male anno* 1470 *illigatum monuimus*), *continuo subdit :* Ut autem existimationem vicinorum eluderet, Mediolanum repedavit : ubi eamdem vitæ austeritatem retinens, id in primis sibi proposuit, ut divina mysteria et christianorum dogmatum scientiam diebus festis pueros edoceret, atque ad morum castigationem non modicum insudaret, ea potissimum ætate qua liberius in vitia homines proruebant. *Tradunt Alevazolius in Vita italica* (2) *et Cardius* (3) *prioris Mediolanensis munus tunc beato viro fuisse impositum; quæ etiam reperio in Compendio vitæ italico* (4); *adduntque tum ab eo introductum fuisse catechesecos puerilis usum.* Neque hic tantummodo, *pergo cum Argelato,* constitit Joannis Angeli sollicitudo : nam cum a generali ordinis moderatore una cum tribus aliis probatis fratribus jamdudum ad reformandos in melius juxta normam primæ institutionis religiosorum mores selectus fuisset; id potis-

C simum præstitit Corvariæ Placentinæ diœcesis; ubi non verbis minus quam exemplo pristinum vitæ institutum restituit : ita plane ut decennio post nonnulli ex iisdem integerrimæ ac castigatioris vitæ ab ipso propositæ exemplum secuti, congregationem sub nomine Observantiæ Servorum B. M. V. efformarint. *Hæc ille.*

fundamenta ponit novæ reformationis sub auctoritate generalis;

25 Est autem, *inquit Gianius* (5), Crovaria sylvestre nemus ad pedes Apennini prope flumen Trebiam in diœcesi Placentina, solitudini et contemplationi religiosorum aptum, ubi etiam percelebris imago B. V. hoc tempore miracula quam plurima edebat, quo facile concurrebant hi patres, qui Deo ex corde satagebant servire. *Diversa autem est Corvaria seu Crovaria in diœcesi Placentina a Corbaria in diœcesi Lunensi Sarzanensi, ubi anno tantum* 1515, *multo post B.* Joannis Angeli *mortem, ejus sodales conventum condiderunt titulo B. M. Gratiarum. Corvariæ conventus origo plane obscura est : adeoque id unum novimus quod anno* 1502 *jam pridem exstabat. Eo itaque convenerunt paulatim egregii aliquot viri; unde orta est Observantia, de qua immerito conqueri videtur Gianius* (6). *Non enim per eam elevata prioris generalis auctoritas, quemadmodum in Senario Monte; non erectum altare contra altare, ut per Congregationis institutionem; non invecta separatio a reliquo fere ordine, ut per Reformationem quam Alabantus in Germaniam induxerat; sed restaurata disciplina, servata omnimoda priori generali obedientia, communio cum ordine Servorum plane custodita; quin etiam potissima hujus negotii ratio in hoc erat sita ut discessio fieret ab irrequietis Congregatis et accessio fieret ad Ordinem. Hanc B.* Joanni, *hujus rei incentori, ejusque discipulis fuisse mentem ipsa rerum series patefaciet.*

AUCTORE V. D. B.

26 *Quum itaque Corvariæ seu Crovariæ in-* *hujus reformationis*
colæ aliquantum crevissent numero et modo qualicumque experientia novam probasset institutionem et disciplinam, factum est die 22 *maji anni* 1501 *ut Thadæus Tancredus de Bononia a comitiis Bononiensibus prior generalis eligeretur* (7), *vir pius et prudendia consilioque suo laudatus* (8) *atque in ordinis reformationem propensus. Favit hic itaque Corvariensibus eremitis, quorum nova congregatio ab anno potissimum* 1502 *sensim clarescere cœperat, magis tamen honesta religiosorum disciplina quam locorum amplitudine et numero* (9) : *quadriennio enim post constabat tantum ex Cremonensi et Forolivii conventibus et Corvariensi solitudine, amicitiæ potius vinculis et studiorum paritate inter se connexis, quam singularis superioris auctoritate et regiminis ejusdem ratione. Quin etiam pars censebantur Congregationis, et ejusdem superiori, cui vicarii generalis fuisse titulum diximus sæpius, obnoxii adhuc erant.*

E

27 *Anno tantum* 1506 *a Congregatione divulsi* *felicia fata*
Corvarienses. Rem narrat Gianius (10) *his verbis:* Videns optimus generalis Tancredus veterem illam Congregatorum observantiam obsolescere et in declinationem abire, id vehementer ægre ferebat, quando nonnulli eorum, quorum Deus corda tetigerat, laxioris illius consuetudinis pertæsi, ipsi Thadæo generali F supplicarunt, ut eos a Congregatorum cœtu in tranquilliorem et magis religiosam observantiam segregaret; hi autem fuerunt F. Franciscus de Gotiis, F. Hieronymus de Zenariis et F. Eliseus de Galentiis, omnes de civitate Cremonæ, cum F. Clemente de Darleriis a Castroleone diœcesis Cremonensis. Quorum votis ut benigne et æque satisfaceret religiosus generalis per literas patentes, in initio hujus anni 1506 die 23 februarii Romæ datas, prædictos patres ab obediendia Congregationis sejunctos in novam reformationis Observantiam sub sua potestate recepit : mandans ut de cætero tali titulo nuncuparentur, nimirum *filii de Observantia Servorum sub prioris generalis obedientia;* concedens eis conventum Cremonæ, conventum Forolivii et S. Mariæ de Corvaria diœcesis Placentinæ, cum potestate et mandatis ut loca quæcumque et oratoria

(1) Biblioth. Scriptt. Mediol. tom. II, part. I, col. 1121. — (2) Pag. 64 et seqq. — (3) Vita, pag. 82 et 83. — (4) Pag. 18 et 19. — (5) Cent. III, lib. V, cap. XVI, ad an. 1512, tom. II, pag. 40. — (6) Ibid. lib. VI, cap. XVI, tom. II, pag. 100. — (7) Ibid. lib. V, cap. IV, tom. II, pag. 10. — (8) Ibid. cap. X, not. Garbii, pag. 27. — (9) Ibid. lib. VI, cap. XVI, pag. 100. — (10) Ibid. lib. V, cap. X, pag. 25.

pro

AUCTORE V. D. B.

pro sua observantia amplificanda ubique recipere sub ipsius generalis obedientia et redigere possent; quin et quoscumque fratres tam Congregationis quam Ordinis in suum cœtum aggregare valerent; quæ quidem concessio, secundum quosdam, etiam per apostolicam Sedem firmata fuit. *Franciscus de Gotiis primus de Corvariensibus prior assignatus* (1).

simul et infelicia narrantur.

28 *Verum medio eodem anno* 1506 *habita Romæ comitia, in quibus ambitio et malæ artes prævaluere. Thadæo titulus prioris generalis relictus, potestas vero translata in Cyriacum Fulginatem, et mortale vulnus inflictum reformationi Cremonensi seu potius Corvariensi.* Ut *enim* fratres Congregationis, *Gianii* (2) *verbis denuo utimur,* recentem illam reformationem, tam pio zelo a Tancredo superioribus mensibus Cremonæ ordinatam, veluti suæ ditioni contrariam omnino detestarentur, in his comitiis curarunt, ut recuperatis prius et in pristinum redactis cœnobiis Cremonæ et Forolivii, quæ Tancredus F. Francisco et sociis denuo concesserat, locum etiam S. Mariæ de Corvara authoritate Sedis apostolicæ (Julii
B nempe II) ab ipsis de nova reformatione sublatum, aut sibi aut conventui S. Annæ de Placentia uniri curarunt. Sed quid plura de his? Quando eodem ferme tempore ipsimet conventus modo concedebantur, modo per contrarias bullas adimebantur : tales enim mores ea tempestas ferebat! *Subreptio et obreptio quotidiana tunc piacula. Et quidem non videntur paruisse Corvarienses illis præceptis nec ea rata habuisse ipse novus prior generalis Cyriacus Fulginas; immo Corvariensia instituta et privilegia probavit denuo; idemque fecit anno* 1512 *ejus successor Angelus de Aretio* (3); *stetitque reformatio, donec anno* 1547, *procurante Augustino de Aretio priore generali, Corvaria conjuncta fuit Placentino S. Annæ conventui* (4).

Cavacurtam, ubi sat diu versatus est,

29 *Quum autem illa anno* 1506 *perficerentur, non videtur amplius degisse B.* Joannes *Corvariæ, quin immo complures volunt eum decennio ante diem obiisse. Ab Alevazolio in Vita italica* (5), *a Cardio* (6) *et ab auctore Compendii italici Corvaria discessisse perhibetur B.* Joan-
C nes Angelus, *quod autumno in febrim incidisset et in hoc loco opportuna remedia non reperiret; quare, septentrionem versus pergens, Cavacurtam vectus est; ubi, ut Joannes de Predatis qui ejus curam gessit testatum reliquit, divino potius miraculo, quam humana aut naturali opera sanatus est, relinquens interea omnibus singulare patientiæ et humilitatis exemplum* (7).

pergit non ante annum 1497, ut ex fundatione Piceleonis patet;

30 *Cavacurtam venisse B.* Joannem *ibique salutem recuperasse anno* 1493 *perhibet Alevazolius* (8); *verum id ne contingere quidem potuit ante annum* 1497, *quamvis* (*ut sæpius dicendi fuit locus*) *complures alii eum tunc jam e vivis excessisse velint. Eo enim quum se conferret, per monasterium Castri Piceleonis* (*vulgo* Picighettino, *ad utramque Abduæ ripam*) *transiit, ut sacculi, de quibus meminit Gianius, satis superque testantur. At vero Æmiliæ et Mariæ de Caravagio, sororibus Congregationis Servorum de observantia, die tantum* 18 *martii anni* 1497 D *licentia data est a magistratu condendi novi parthenonis. Continuo manus admotæ operi, et monasterium prius constitutum ad S. Juliani ædem inter arcis mœnia et fluvium* Serio, *anno vero* 1509 *intra oppidum translatum apud ecclesiam et domum Disciplinæ S. Mariæ, quæ dein SS. Trinitatis dicta; sed brevi post, die videlicet* 29 *junii ejusdem anni, migravit pius cœtus in eam oppidi partem, cui nomen de Contrata et* del Sabbione; *ubi demum substitit* (9). *Quæ ideo explicare libuit, quoniam viguit ibi deinceps B.* Joannis *cultus : quamquam id unum nunc nobis demonstrandum beatum virum ad has moniales divertere nequivisse ante annum* 1497.

postmodum in Senarium montem et demum Mediolanum. Hinc sequitur beatum non esse mortuum anno 1496, sed 1506,

31 *Postquam Cavacurtam reliquit B.* Joannes, *rediisse in montem Senarium traditur ab Alevazolio in Vita italica* (10), *a Cardio* (11) *et ab auctore Compendii* (12). *Paucos aliquot menses tunc ibidem degisse dicitur ab Alevazolio; annos aliquot a duobus aliis : id unum eos rescivisse putem scilicet eum paulo ante mortem aliquandiu substitisse in illa eremo. Sororem suam feliciter diem obiisse et in cœlos receptam didicit ibidem divinitus seque brevi eam secuturum; quare pergeret Mediolanum, in patria visitationem Domini exspectaturus. Pro jussis fecit beatus vir; venit Mediolanum, ubi reapse sororem vita functam reperit. A priori conventus petiit sibi cellulam horto vicinam, in qua se ad mortem præpararet et quæ deinceps* cella B. Joannis Angeli *dicta est, donec propter novitiatus fabricam diruenda visa sit; atque in eo tandem loco æternam vitam cum temporanea commutavit. Sumo hæc omnia iterum ex Alevazolio, Cardio et auctore Compendii. Porro quum ii passim se quam proxime sequi soleant, divorsum tamen abeunt in statuendo beati viri mortis tempore. Alevazolius enim tradit eum decessisse die* 24 *octobris anni* 1496; *Cardius et auctor Compendii die* 24 *octobris anni* 1506 : *qua de re jam pridem disputatum fuit. De die quidem numquam motum dubium, neque aliquando movendum : consentiunt quippe omnes B.* Angelum *e vivis decessisse die* 24 *octobris. At de anno plane non conveniunt. In antiquissimo indice Sanctorum, quem initio hujus Commentarii edidi,* F *dicitur beatus vir ad cœlos abiisse anno* 1496; *idemque legitur in Vita, quam inferius dabo quamque ante annum* 1540 *scripsit Thomas Veronensis. Quod publice primus proposuit Pocciantius. Verum qui eum proxime secuti sunt Ferrarius et Gianius, anno* 1506. *Nihilominus quaterni biographi, Hippolytus Porrus, Palearius, Corneus et Alevazolius, inhærent Pocciantii vestigiis : eisque accessit martyrologus Mediolanensis Bosca. Contra Gualdus Prioratus* (13), *Moriggia* (14), *Garbius* (15), *Benedictus XIV* (16), *anonymus Senarii montis eremita, qui anno* 1763 *memorias scripsit de origine et progressu eremitarum congregationis montis Senarii et Alexander Piermeus, qui anno* 1805 *Epitome annalium ordinis Servorum brevem B.* Joannis Angeli *Vitam inseruit, suffragantur Ferrario et Gianio. Plures testes, qui anno* 1739 *in causa canonizationis auditi fuere, sese dubitare professi sunt;*

(1) Cent. III, lib. V, cap. X, not. Garbii, pag. 27. — (2) Ibid. pag. 27. — (3) Ibid. cap. XVI, pag. 40. — (4) Ibid. cap. X, not. Garbii, pag. 27. — (5) Pag. 74. — (6) Vita, pag. 92 et 93. — (7) Pag. 21. — (8) Vita italica, pag. 74. — (9) Cent. III, lib. IV, cap. XVIII, tom. I, pag. 638 et 693, et lib. V, cap. XIII, tom. II, pag. 33. — (10) Pag. 75. — (11) Vita, pag. 93. — (12) Pag. 21. — (13) Relatio civit. Mediol. pag. 50. — (14) Nobil. Mediol. lib. I, cap. II et XXIV. — (15) Ap. Gianium, Cent. III, lib. V, cap. XI, not. Garbii, tom. II, pag. 29. — (16) De Canoniz. SS. lib. II, cap. XXIV, § XLVIII, n. 181 et 182.

A *sunt; et Argelatus seu Saxius* (1), *non minus dubius, quamquam inter novissimos venit, scripsit :* Obdormivit IX kal novembris anni a partu Virginis 1506, ut Gianio placet in Annalibus sui ordinis, Moriggiæ aliisque scriptoribus; Augustinus vero Alevazolius ejusdem ordinis in Vita, Petrus Paulus Porrus in libro, cui titulus *Eugenia*, sæpe a nobis citato, aliique eum obiisse asserunt anno 1496. *Atque his consentit R. P. Augustinus Morinius in epistola, quam ad me dedit, postquam multa diligentia in decessoris sui gesta inquisivisset. Hanc nominum nubem occulere nolui, quoniam sententiarum diversitas in hoc commentariorum genere significanda est; sed parum hinc proficimus, quandoquidem ad solum Thomam Veronensem, qui Pocciantio præivisse videtur, et ad Ferrarium aliorum dicta tamquam ad fontes referenda sunt : ipsi enim Gianius et Garbius, qui ordinis sui excusserunt tabularia, nil ea de re reperisse videntur, et uni assensisse Ferrario : sane quod eum arbitrati sint non absque consilio certisque testimoniis Thomæ Veronensi aut Pocciantio refragatum esse. Et quidem Philippus Albericius,*
B *qui omnium primus B.* Joannis Angeli *gesta collegit et multo melius ea cognovit, quam qui proxime post eum venit Thomas Veronensis, aperte tradidit B.* Joannem Angelum *anno* 1506 *terrenam hanc vitam cum cœlesti commutasse. Quibus accedit quod B.* Joannes *non potuit ante annum* 1497 *transire Piccileonem; quod deinde* diu *vixit Cavacurtæ, ut paulo ante ipse Alevazolius aliique nos docuerunt; quod post petiit montem Senarium et demum venit Mediolanum; ubi pie tandem obiit : quæ, ut cum anno* 1506 *facile conveniunt, ita cum anno* 1496 *apprime pugnant. Jure itaque in approbatis a S. C. R. lectionibus dicitur beatus vir anno* 1506 *abiisse ad superos.*

§ IV. Translationes, cultus et cultus approbatio.

Prima et secunda

C De *prima ejus sepultura pluribus agunt infra Albericius, Thomas Veronensis, Pocciantius et Gianius; quibuscum conveniunt reliqui biographi et multi anno* 1729 *examinati testes. Ast vereor ut ullum satis antiquum sit (etiam Thomæ Veronensis et Albericii) testimonium, quod miraculis quæ depositionem comitata dicuntur fidem conciliet. Dein inclusum cadaver in privato tumulo supra terram in familiæ Porreæ sacello, cui tunc titulus B. M. Annunciatæ. Sæculo fere post familia Porrea, teste Hippolyto Porro coævo* (2), *renovavit sacellum et maxime altare.* Anno scilicet 1605, *ut tradit Garbius,* dominica quarta octobris, qua de more (*ut infra explicabitur*) celebratum solemniter fuerat B. Joannis Angeli festum in ecclesia S. Mariæ Servorum de Mediolano, incredibili populorum concursu ad secundam usque noctis horam confluentium, sacrum ejusdem beati corpus integrum semper et incorruptum e veteri arca, in qua primo reconditum fuerat anno 1506, quo vir iste sanctissimus obierat, in aliam longe decentiorem, piorum ope fabrefactam, translatum non mediocri pompa fuit, collocatum subinde super altare Divæ Annunciatæ dicatum : ubi ad annum usque 1681 permansit : *ita Gianii continuator, Garbius* (3). *Veterem arcam corruptam fuisse tradit Alevazolius* (4); *et idcirco anno* 1605 *comitissam Octaviam Serbellonam expensis suis curasse ut nova fieret ex ligno sculpto deaurato, cum hac inscriptione:* BEATI JOANNIS ANGELI PORRI MEDIOLANENSIS ORDINIS SERVORUM B. MARIÆ SEMPER VIRGINIS SACRA OSSA HIC SUNT CONDITA. *Ex coævo autem monasterii libro refert Paulus Cardius* (5) *corpus loco mutatum fuisse a priore Paulo Pelegri et novam arcam coopertam velo albo, duodecim brachia magno; festum fuisse solemnissimum; universam civitatem concurrisse; musicorum choros fuisse duos; triginta quatuor libras ab adstantibus oblatas fuisse; solemnitatem durasse usque ad horam secundam post solis occasum; quo tempore cum curia sua advenisse comitissam Serbellonam. Tunc quoque sacellum fuisse plurimum exornatum narrant Alevazolius et Cardius. Sed his non stetit Mediolanensium pietas.* Ab anno usque 1668, *inquit Garbius* (6), pio-
E rum ope et P. Petri Francisci Bestani Mediolanensis solertia in ecclesia nostra S. Mariæ de Mediolano nova corpori B. Joannis Angeli Porro arca parata fuerat. Anno autem 1681 (*die* 7 *junii*) translatum solemni pompa idem fuit in sacellum magnificentissime exstructum plurium quidem subsidio, B. Joannis Angeli cultui maxime addictorum, potissimum tamen P. Gregorii Milanesi e nostris de Summaripa, qui plures annos in amplissima illa civitate pro ejusdem cultu plurimum laboravit. *Quæ omnia nonnihil aliter explicat Alevazolius* (7). *Anno scilicet* 1681 *translatum fuit B.* Angeli *corpus super altare Trium Magorum, quoniam ornatus sacelli ejus inchoandus erat.*

tertia et quarta translationes.

33 *In hoc autem perficiendo opere neque auro parcitum est, neque marmoribus pretiosis, neque minus pecuniæ impensum picturæ quam sculpturæ; ita ut fabrica vere mirabilis fuisse videatur. Omnium vero pulcherrima reliquiaria capsa, ex ære tam affabre facta ut, si ex argento esset, non pluris valeret. Tribus anaglyptis exhibentur in ea singularia quædam beati viri gesta : in medio Deipara offert ei pue-*
F *rum Jesum, qui manu sinistra vultum ejus permulcet, dum ipse manum dextram deosculatur. In sinistra imagine mensulæ assidet B.* Angelus, *signo crucis pellens dæmonem, qui libros in terram sparserit; in dextra autem monet eum angelus, ut in patriam moriturus pergat. Supra altare duo angeli marmorei manibus tenent laminam æream, his inscriptam verbis :* B. JO. ANGELUS PORRUS CORP. HAC URNA QUIESCENS SPIRITU AD FIDELIUM PRECES IN CÆLIS EVIGILAT; *et duo alii infra aliam cum sequenti epigraphe :* TUTELAM EXPERTI LAPIDES IN TITULUM EREXERUNT; *quibus verbis se indicare voluisse scribit Alevazolius, (nam ipse posterioris inscriptionis est auctor,) omnes expensas factas fuisse ab hominibus qui sibi B.* Joannem Angelum *propitium experti erant. In Summario tamen pro canonizatione* (8) *dicuntur expensæ factæ fuisse a sodalitio B.* Joannis Angeli; *sed monet alicubi Alevazolius* (9) *id sodalitium fere consti-*

(1) Biblioth. Mediol. tom. II, part. I, col 1121. — (2) Positio, Summarium, pag. 35. — (3) Cent. IV, lib. VI, cap. IX, tom. II, pag. 351 — (4) Vita del B. Gio. Angelo Porro, pag. 84 et 85. — (5) Vita, pag. 118. — (6) Cent. V, lib. V, cap. XII, pag. 320. — (7) Vita, pag. 85. — (8) Pag. 57. — (9) Vita, pag. 128 et 137.

AUCTORE V. D. B.

tisse ex gratis clientibus, et alibi (1) *pecuniam, sacello illi impensam, partim a sodalibus, partim ab aliis Christi fidelibus fuisse collatam. Quum itaque novum sacrarium paratum esset, anno* 1691, *die* 26 *augusti, quæ dominica quarta erat augusti, facta est nova translatio quam Petrus Paulus Bosca* (2) *quadriennio post paucis his explicuit verbis :* Ejus corpus anno 1691, magna populi plebisque frequentia, VII kal. septembris, collocatum fuit in sacello recens ædificato, eleganti, sumptuosa magnificentissimaque structura; *atque ex hoc tempore cœpit annua P.* Joannis Angeli *solemnitas celebrari, non dominica quarta octobris, sed dominica quarta augusti : quæ res duravit, donec Sedi apostolicæ probatus sit beati viri cultus* (3). *Præterea etiam in processu canonizationis mentio fit de translatione, quæ anno* 1725 *peracta fuit; verum hæc minus solemnis fuerit oportet; quum præcipui, qui quadriennio post interrogati fuere, testes translationem anni* 1691 *ultimam fuisse dicant. Anno quoque* 1725 *novos ornatus accessisse sacello apparet; quum ex decreto magistratus decurionum Mediolanensium eleemosynæ oblatæ fuerint pro decentiori ornatu altaris sive capellæ B.* Joannis (4); *nisi forte tempora misceantur atque hæc pecunia impensa fuerit anno* 1691.

B

Sacellum ejus Mediolanense ornatur anathematibus,

34 *Quo tempore cœptum fuerit id sacellum in B.* Joannis *honorem tabellis et anathematibus exornari obscurum valde. Si plures audias testes, ante omnem hominum memoriam : verum parum his testificationibus fidendum. Certe anno* 1566, *quum scriberet Pocciantius,* tabulæ ad perpetuam *acceptarum gratiarum* memoriam circa ipsius tumulum suspensæ..... et quotidie ab infirmis ab adversitatibus liberatis signa recepti beneficii apud sacrum apposita tumulum. *Sed hæc anno* 1605, *quum supra altare reliquiæ locatæ sunt, sublata fuisse videntur : sane nullam de his mentionem faciunt Ferrarius, Gianius et Hippolytus Porrus; quin etiam anno* 1639 *nulla omnino id genus pietatis signa altari appensa fuisse explicite tradit Palearius. Postea tamen reposita tabella cui dies* 7 *novembris anni* 1604 *inscripta erat, et altera viginti forte annis recentior. Atque hinc*

C

apprime convelluntur testimonia RR. DD. Bartholomæi Crassi, Marcellini Ayroldi et Jacobi a S. Lucia, qui in examine juridico ex publica retulerunt fama, tabulas et anathemata argentea aliaque id genus dona vivo beato viro jam ad hoc sacellum allata fuisse; numquam ea deinceps fuisse sublata; sed ita paulatim crevisse ut circumcirca sacellum iis ornatum sit, quin etiam ea per reliquam ædem sacram fuisse spargenda (5): *hæc ultima certa; cætera non bonæ frugi.*

tabulis pictis et lampadibus;

35 *Ineunte sæculo* XVII *Ticini et alibi tabulæ pictæ imaginem B.* Joannis *exhibebant; testis est Gianius. Ast nullæ erant Mediolani. Quæ anno* 1729 *exornabant beati viri sacellum, recentioris erant penicilli; mediam et quæ ad cornu erat evangelii, pinxerat Fredericus Macagno, tunc temporis Ticini seu Papiæ adhuc degens in vivis; tertiam, quæ ad cornu epistolæ, Stephanus Maria Legnano ineunte sæculo* XVIII *vita functus* (6). *In media tabula, posita (ni fallor) anno* 1691, *et ad cujus pedes stat arca reliquiaria, apotheosis B.* Joannis *expressa; adscriptis supra his verbis :* BEATUS JOANNES ANGELUS; *in dextra tabula cernitur mirabilis ejus sepultura, cum insculpta marmori nigro epigraphe* (7) :

D

COMMVNI SEPVLCRO TVMVLARI
IMPROVISO PONDERE
CADAVER RESISTIT
COELO SCILICET VETANTE
ANGELICI CORPORIS RELIQVIAS
VVLGARI TERRAE MISCERI

in sinistra exhibetur ejus e Senario Monte propter hominum plausus fuga, his adsculptis literis:

FRATER VIRTVTI SVAE
QVOD LATERE NESCIRET
SECVRIOREM IN SOLITVDINE
SOLITVDINEM QVAERIT
SIC
HOMINES DVM FVGIT QVOS TRAHIT
TRAHIT QVOS FVGIT

E

In parietibus efficta marmorato seu opere albano plura miracula; alia pictura expressa. Tres (auctore Alevazolio (8) *quatuor) ibidem appensæ lampades; quarum duæ, oblatæ a senatu Mediolanensi, ardebant in festis tantum solemnioribus; tertia vero quotidie, idque ex legato (ut videtur* (9)) *Horatii Questa, scripto anno* 1693; *quamquam testes, anno* 1729 *auditi, voluerint hujus honoris exordia ad tempus beati viri emortuale referre* (10). *Illius Horatii Questa legatum copiosum valde. Præterquam enim quod oleum huic lampadi reliquisse perpetuum habeatur, bis mille circiter florenos condonavit B.* Joannis Angeli *sodalitio (de eo dicetur inferius), quæ ei crediderat impendenda anno* 1690 *seu* 1691 *restaurationi sacelli ejusdem; dedit quoque duas tabulas pictas, eas (ni fallor) de quibus modo; et demum jussit ut quotannis cereum quadrilibrem offerrent heredes in B.* Joannis Angeli *solemnibus.*

corpus incorruptum, ditissimæ arcæ inclusum,


36 *Arcam seu thecam reliquiariam anno* 1605 *fuisse vulgarem et nullius fere artis ex Palearii liquet; præsentem vero, anno* 1681 *paratam, esse pulcherrimam consentire omnes vidimus. Argenteam atque crystallinam dicit Argelatus* (11), *videlicet argenteis laminis interposita crystalla anticæ partis distinguentibus* (12) *et ebeno impositis. Ad latera anaglyptis expressas singulares gratias aliquot* (13) *dixi num.* 33. *Hujus sepulcri, quod longum est centimetra* 195, *altum* 85, *latum* 45, *imaginem misit ad me R. P. Augustinus Morinius, cujus anticam partem hic repræsentandam curavi.*

(1) Vita, pag. 138. — (2) Martyrol. Mediol. pag. 329. — (3) Ibid. pag. 90. — (4) Positio, Resp. ad Animadv. pag. 3. — (5) Ibid. pag. 4. — (6) Ibid. Summar. pag. 50 et 51. — (7) Ibid. Animadv. prom. fid. pag. 2. — (8) Argelati, Bibl. Med. tom. II, part. I, col. 1121. — (9) Positio, Animadv. pag. 3. — (10) Ibid. Summarium, pag. 49 et 50 et Resp. ad Animadv. pag. 3. — (11) Bibliot. Mediol. tom. II, part. I, col. 1121. — (12) Bosca, Martyrol. Med. pag. 329. — (13) Positio, Summarium, pag. 44.

Corpus,

A

AUCTORE
V. D. B.



B *Corpus, thecæ inclusum, sæculo proxime præterito adhuc integrum, incorruptum, flexile. Anno* 1729 *testimonium hac de re dixere complures; judicialis visitatio instituta et facta descriptio; et commentarii oblati a medicis et chirurgis, qui in illa visitatione corpus recognoverant* (1). *Dedit Paulus Cardius* (2) *descriptionem quam tum fecit Petrus Paulus Rossi, doctor chirurgicus, operam conferentibus Antonio L'anglois et Bartholomæo Curti, doctoribus medicis, Onuphrioque Ferni, doctore chirurgico, præsentibusque prælato Giudici et Josepho Antonio Catani, canonico theologo S. Stephani et promotore fiscali speciatim ad hoc negotium deputato. Corpus, in mensa positum, a capite usque ad pedes visitatum fuit, et repertum integrum, nisi quod pedis sinistri malleolus ablatus erat et prope chordam Hypocratis particula cutis et musculi. Hoc vero unum singulare :* ventrem inferiorem, *inquit Rossius,* tetigi et inveni eum aliquantum palpabilem et tactui cedentem. Genitalia vidi integra et in statu naturali. *Vellem clarius dixisset flexilisne esset caro annon; quis carnis color et alia hujusmodi. Ex illis enim dictis nil concludere*
C *licet; et, ut quod sentio aperte fatear, timeo plurimum ne B.* Joannis Angeli *corpus simile sit pluribus aliis corporibus, quæ ab Italis dicuntur integra, incorrupta, miraculosa, exteris vero videntur exsiccata et nullam admirationem movent; et reapse videtur id cadaver tam siccum esse ut Alevazolius* (3) *affirmet id a quolibet facile in pedes erigi posse : atque id quoque prodigii loco habet! Interim Argelatus* (4) *anno* 1745 *id* adhuc incorruptum *vocat; decennio post Saxius* (5) inviolatum : *ita ut ab anno* 1605, *quo primum id prodigium intellectum est, nullam passum videatur cadaver immutationem. Ferrarius anno* 1613 *primus id* adhuc integrum *dixit; paucis annis post assensit Gianius eodemque fere tempore copiosius miraculum enarravit Hippolytus Porrus* (6). Corpus, *inquit,* odoriferum, integrum cum unguibus et auribus omnibusque membris, ad omnes moventium impulsus flexile, numquam apertum nec exenteratum, balsamo non conditum : quod miraculorum genus a Deo patratum ajunt in castitatis laudem. *In Diario autem exercitiorum spiritualium* (7), *quod anno* 1629 *cardinali Frederico Borromæo obtulit, asserit id ea conditione et statu repertum fuisse ab illo ipso cardinali, quum id anno* 1624 *visitaret, et pro beneplacito tangeret et moveret.* E

37 *Pocciantii ævo fideles, maxime infirmos,* B. Joannis *tumulum jam pridem veneratos esse constat. Auctum fuisse concursum, quum anno* 1605 *prima translatio facta est, vix non certum. Sane Ferrarius, de his agens quæ dum scriberet in more erant posita, refert* ad venerandum beati viri corpus die 24 octobris totam pene civitatem Mediolanensem confluere et vota nuncupare solere; *et in annotatione addit :* Nondum sanctorum numero adscriptus est, neque adhuc officio ecclesiastico colitur, licet in die ejus festo maximus fiat ad ejus sacellum populi concursus. *Hæc si conferamus cum Gianii Centuriis, quæ anno* 1622 *lucem viderunt, et cum Hippolyti Porri Vita* (8), *quæ sequenti anno fuit edita, deprehendemus facile quo circiter tempore initium fuerit datum annuæ solemnitati, quæ prius dominica quarta* F *octobris seu potius dominica diei* 24 *propinquiori celebrata est : inter annum scilicet* 1613 *et* 1622 *celebritatis illius exordium seu potius renovatio ponenda. Garbius enim, ut supra num.* 32 *videre fuit, adstruit id jam anno* 1605 *de more fuisse; quin etiam refert Alevazolius* (9) de verbo ad verbum, *ut loquitur, antiquius documentum, quod nos latine faciemus :* Die 22 octobris anni 1594. Inter scholares seu sodales tertii nostri habitus, in templo nostro institutos, et fratres monasterii lis exorta est de celebranda missa ad altare B. Mariæ de schola *seu sodalitio.* Nos enim ex instrumento publico debebamus quartis diebus dominicis uniuscujus mensis ad id altare sacra facere; sed eadem die festum erat beati nostri Angeli, anniversaria memoria celebranda institutionis scholæ et juxta patriæ et templi antiquam consuetudinem cantandum erat sacrum ad altare et in capella dicti beati. Scholares ita-

maxima veneratione et populi concursu in die festo,

(1) Positio, Summarium, pag. 39 et Benedictus XIV, de Canoniz. lib. II, cap. XXIV, n. 182 — (2) Vita del B. Gianangelo Porri, pag. 113 et seqq. — (3) Vita, pag. 84. — (4) Biblioth. Med. tom. II, part. I, col. 1121. — (5) Archiepisc. Mediol. series, tom. II, pag. 752. — (6) Positio, Summarium, pag. 35. — (7) Ap. Alevazoli, Vita, pag. 98. — (8) Positio, Summarium, pag. 35. — (9) Vita, pag. 90.

que

AUCTORE V. D. B.

que *seu sodales* exornarant totum templum ratione diei institutionis scholæ et volebant festum suum celebrare ad altare B. Mariæ. Apprime inde anxius erat prior et dubius; quippe qui nollet consuetudinem violare, nec sancto viro aut scholæ injuriam inferre. Propositum itaque fuit patribus conventus vellentne missam conventualem celebrari ad altare B. Angeli, an ad altare B. Mariæ. Octo ajentibus et quatuor negantibus, vicit prior pars; et statutum est ut sequentibus etiam annis fieret hac die missa ad altare B. Angeli. Ego Fr. Lucas prior. *Verum, ut ex dictis satis patet, hæc non omnino firma fuerunt aut stabilia. Initio, postquam id institutum sæculo* XVII *renovatum est, videtur hujus celebritatis ratio fuisse quod cantus pii in beati viri concinerentur memoriam, cista reliquiaria aperiretur et innumeræ multitudini flexile et incorruptum ostenderetur cadaver : nil sane aliud innuit Hippolytus Porrus, reliquis hoc loco abundantior. Sed postea, et quidem ut anno* 1738 *scribebat Cardius* (1), *missa solemnis de communi confessoris non pontificis cum oratione propria*
B *ad ejus altare cantata est et aliæ etiam non solemnes factæ. Postquam autem anno* 1681 *B.* Joannis *corpus arcæ crystallinæ inclusum fuit, velum deinceps injectum feretro; verum qua die annua agebatur solemnitas et per sequentes octavæ dies (nam et octava aut novena aliquando fuit addita) omnium oculis patebat crystallinus tumulus : admota tunc etiam multorum rosaria seu coronæ.*

anno 1691 *mutato, jam pridem cultum est.*

38 *Quarta dominica augusti anni* 1691 *tertiam translationem factam fuisse diximus; præplacuit deinceps hac die beati viri memoriam celebrare, quoniam nondum ea anni tempestate nobiles et honestissimi quique rus petere solent; quod incommodum exeunte mense octobri experiri erat. Ex quibus conjicias paulatim crevisse festi illius solemnia; et quidem anno* 1729, *quum de his auditi fuere testes, celebrabatur quotannis pompa quam maxima votivum missæ sacrificium in B.* Joannis *honorem, scilicet de communi unius confessoris non pontificis, cum oratione propria; cantabantur publice vesperæ; instituebatur oratio panegy-*
C *rica (plurium argumenta, pleraque ridicula, commemorat Alevazolius* (2)); *vespere dabatur benedictio cum sanctissimo sacramento; atque hæc omnia per octavam continuabantur. Ad hæc alliciebatur populus, propositis ad omnia loca publica programmatibus instantis festivitatis* (3).

Dicuntur missæ fuisse celebratæ centum annis ante decreta Urbani VIII.

39 *Claverinus, causæ canonizationis seu potius cultus immemorialis B.* Joannis *patronus, ut evincat cœlitum honores ei publice delatos fuisse centum ante Urbani* VIII *decreta annis, adstruit* (4) quod ab annis centum et ultra ante constitutionem Urbanianam inceptum fuit celebrari in illius honorem missæ sacrificia quæ ab inde semper celebrata fuerunt et adhuc celebrantur; ut ex partitis librorum sacristiæ conventus PP. Servorum B. M. V. Mediolani, incipientibus ab anno 1526 et ex testibus *constat. Testes illos mittimus, qui anno* 1729 *parum referre potuere de his quæ sæculo* XVI *acta fuerint. Partita vero seu excerptiones ex libris sacristiæ ita interpretanda* D *videntur quasi pii homines qui beati* Joannis *sepulcrum visitarent petierint aliquando missas celebrari in honorem ejus et ea intentione presbyteri liturgia functi fuerint, missam diei seu de beata Maria Virgine adhibentes, nequaquam vero missam votivam de ipso B.* Joanne: *anno enim* 1613, *ut testantem Ferrarium jam audivimus,* officio ecclesiastico nondum colebatur. *Verum postquam altera sæculi* XVII *parte opera PP. Bestani et Millanesi cultus auctus fuit, plus ausi PP. Servitæ; duoque scripta legata, ex quibus quotidie ad altare beati* Joannis *missa fieret, alterum a comite Joanne Baptista Landriano Poro, consule Sabaudiæ, alterum a Francisco Lonati: quæ posterior donatio testamento relicta legitur* (5) *die* 25 *julii anni* 2570; *profecto annus* 1670 *scribendus erat. Præterea anno* 1729 *et jam multo ante tempore afferebant fideles eleemosynas multas pro celebrandis in beati viri memoriam missis, ut fuse testes explicant.*

Sodalitium in ejus honorem institutum;

40 *Bis mentionem fecimus de sodalitio laicali B.* Joannis, *quod suam in illo sacello habebat sedem. Illi vulgare nomen* Consorzio del Beato Giovan' Angelo. *Id institutum anno fere* 1660; *promotum a Vincentio Luchesinio, Ordinis Servorum B. M. V. priore generali et ab anno* 1689 *archiepiscopo Ragusino; auctum die* 8 *februarii anni* 1679 *a Georgio Soggio, Luchesinii successore, communicatione bonorum operum universi ordinis et instructum certis legibus* (6). *Libellus de eo editus; cujus me latet titulus, nisi forte is sit* Regole date al consorzio del Beato Giovan' Angelo (7). *Eas regulas, quæ nil valde singulare habent, recitavit Alevazolius* (8). *In eodem præterea sacello hæc observatur pietas, ut candelæ accendantur ante B.* Joannis *sepulcrum et dein ad infirmos deferantur* (9). *Multæ aliæ id genus religiones, quæ singulorum potius pietate quam consuetudine aut certis institutis reguntur, brevi post beati viri mortem exortæ sunt. Non enim dubitandum est quin quam primum in cœlitum numero habitus fuerit et populari veneratione dignatus. Reperit scilicet R. P. Morinius ejus nomen in indiculo sanctorum, anno* 1512 *conscripto, his verbis :* B. Joannes Angelus de Mediolano; *et in alio his aliis* F *verbis:* Vigesimus quartus beatus Joannes Angelus Mediolanensis; cujus corpus est Mediolani. Pictus est habitu orantis de genibus et cum lacrimis. Ego vidi et dormivi cum eo et ipse in terris. *Non itaque ambigendum de cultus antiquitate, licet ea, quæ a Claverino coram S. R. C. disputata fuere, partim exaggerata sint, partim antiquiori affixa ævo quam veritatis studium sivisset.*

honor ejus tunicæ adhibitus;

41 *Quum Gianius circa annum* 1620 *Centurias suas pararet prelo, aut saltem anno* 1613 *quum Ferrarius scriberet,* apud Cavamcurtam Laudensis diœcesis servabatur *adhuc* ejus interula parturientibus opem ferens. *Verum ineunte anno* 1622, *hæc tunica jam in conventus Mediolanensis thesaurum illata erat. Narrat enim Hippolytus Porrus sese ibidem ejus tactu exeunte aprili valetudinem recepisse; et quum sequenti anno gentilis sui Vitam publica luce donavit, addit eam multis infirmis multisque par-*

(1) Vita del B. Gianangelo Porri, pag. 133. — (2) Vita, pag. 91. — (3) Positio, Summarium, pag. 54 et seqq — (4) Ibid. Resp. ad Animadv. pag. 3. — (5) Ibid. Summarium, pag. 57. — (6) Alevazoli, Vita, pag. 128 et seqq. — (7) Positio Summarium, pag. 58. — (8) Vita, pag. 130 et seqq. — (9) Positio, Summarium, pag. 50.

turientibus

A *turientibus fuisse utilem. Palearius anno* 1639 *similibus laudibus tunicam illam prosequitur. Jam tunc inter applicandam corpori vestem aliquæ fundebantur preces; sed paulatim crevere ceremoniæ. Accensæ scilicet candelæ; presbyter superpellicio et stola indutus; tunica involuta culcitro, auro argentoque distincto, et clausa pyxide ebenina, argenteis laminis et crystallo instructa. Vulgare nomen* il mantello del beato Giovan' Angelo, *quamquam potius tunica sit ex tela nigra, quam suis ab eo consutam fuisse manibus tradit Gianius. In armorio sacelli servatur; sed quam sæpissime sæculo proxime præterlapso exhibenda erat; tum ut fideles ea benedicerentur in sacello, tum ut ad infirmos adeoque ad moniales deferretur.*

ritus quo infirmis et parturientibus imponi solet;

42 *Brevibus hic dabimus* Pium ritum imponendi tunicam B. Joannis Angeli super infirmos, quem religiosi Servitæ Mediolanenses tenent *aut potius tenebant, quum scripsit Alevazolius et quum anno* 1725 *ejus liber recusus est. Imprimis uni ex patribus impositum erat munus deferendæ sacræ tunicæ ad infirmos; quod*

B *officium, quum febribus vexaretur civitas, tam frequentis usus erat, ut qui eo fungebatur nil aliud agere posset* (1). *Annexum erat id, ni fallor, muniis correctoris sodalitii B.* Joannis Angeli, *qui sub priori conventus fraternitatis illius curam gerebat. Certe capite* 5 *regularum legitur* (2): Pater corrector debebit se ad infirmos (*sodales*) cum pallio beati se conferre, quoties vocatus fuerit. *Sed ecce jam prædictum ritum* (3): Per signum crucis, *etc.* Sequentia sancti evangelii secundum Matthæum. Gloria tibi, Domine. In illo tempore cum introisset Jesus Capharnaum.... in illa hora. Laus tibi Christe. Sequentia sancti evangelii secundum Lucam. Gloria. In illo tempore surgens Jesus de synagoga.... Galileæ. Laus. Sequentia sancti evangelii secundum Marcum. Gloria. In illo tempore recumbentibus.... non eis nocebit. (*Hic sacerdos imponit tunicam super infirmum.*) Super ægros.... sequentibus signis. Laus. Initium sancti evangelii secundum Joannem. Gloria. In principio.... et veritatis. Laus. Kyrie. Pater. Ave. Credo. ℣ Ego dixi: Domine, miserere mei. ℟ Sana animam meam, quia

C peccavi tibi. ℣ Convertere, Domine, usquequo. ℟ Et deprecabilis esto super servos tuos. ℣ Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. ℟ Qui sanat omnes infirmitates tuas. Domine, exaudi orationem meam *etc.* Oremus. Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis *etc.* Oremus. Omnipotens et misericors Deus, qui ad mentes illuminandas et ad corpora sananda tot mirabilia per gloriosæ virginis matris Unigeniti tui servum Joannem Angelum operari dignaris, concede per ejus merita et intercessionem hunc (vel hanc) nomini tuo fidelem infirmum (vel infirmam) de salute mentis et corporis sibi concessa ita gaudere, quatenus post præsentem vitam tui vultus gloria cum ipso semper perfrui valeat. Per. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium *etc.* Oremus. Ne despicias, omnipotens Deus, famulum tuum in afflictione clamantem *etc. Quando imponitur super mulierem de cujus partu dubitatur.* Per signum crucis. Adjutorium, Dominus vobiscum. *Ant.* Terra dedit. *Ps.* 66. Deus misereatur. *Ant.* Terra dedit fructum suum. Pater. Salvam fac. Esto ei, Domine, *etc.* Oremus. Domine Deus, omnium creator et rector, accipe, quæsumus, intercedente B. Joanne Angelo patre nostro, oblationes et vota famulæ tuæ N. in afflictione clamantis pro conservatione prolis debilis, quam dedisti eam concipere, et custodi partem tuam atque sanctifica immensa † benedictione tuæ gratiæ, atque defende ab omni malo et injuria inimici, ab omnique adversitate, ut ad lucem præsentis vitæ, te adjuvante, veniat incolumis, tibique in omnibus jugiter deserviat et vitam demum mereatur æternam. Per Dominum *etc.*

AUCTORE V. D. B.

multorum miraculorum fama. Anno 1625, *auctoritate Frederici cardinalis Borromæi designati viri qui in ea inquirant;*

43 *Multarum gratiarum miraculorumve serpebat sæculo proxime præterito, etiam inter doctos, rumor* (4); *qui cæterum jam inceperat, quum Cavacurtæ adhuc servaretur pium pignus et quum sub annum* 1620 *Mediolanum translatum est. Haud scio spectetne ad miracula, quæ usu hujus tunicæ, an ad miracula quæ propter venerationem beati viri corporis facta sunt, diploma, quod anno* 1625 *dedit Fredericus cardinalis Borromæus, S. Caroli nepos et in cathedra Mediolanensi successor. Quum hic enim anno* 1624 *venerabundus accessisset ad B.* Angeli *corpus idque manibus tractasset, prior et fratres conventus, bene sperantes de ejus erga beatum eremitam favore, ab eo petierunt ut, siquidem appareret ex signis, ejus mortem secutis, animam ejus Deo gratam esse, perseveraret fidelium pietas erga ejus corpus et gratiæ obtinerentur singulares, designare vellet viros, in dignitate constitutos, eosque ornare auctoritate, qua possent scriptos recipere de illis gratiis commentarios, super iisdem testimonium recipere eaque omnia præstare quibus certa harum rerum permaneret memoria, et simul notarium deputare qui acta hæc recipiat, ex quibus opportuni fierent processus. Ad hæc responsum his verbis* (5): Dilecto nobis in Christo Adm. Rev. domino Francisco Fideli, J. U. doctori, prothonotario apostolico et canonico ordinario metropolitanæ nostræ Mediolanensis ecclesiæ salutem in Domino. Cum nomine F reverendorum prioris et fratrum conventus S. Mariæ Servorum Mediolani porrectæ nobis fuerint preces tenoris hujusmodi, videlicet *etc.* (*breviarum modo dedimus*); nos attendentes petitionem hujusmodi honestam esse et de tua scientia, prudentia et pietate plurimum in Domino confisi, te ad visitandum corpus prædicti Joannis Angeli Porri (*titulus* beati *non adest*), ad instruendos ac formandos juridice processus super miraculis, gratiis et populi erga dictum Joannem Angelum devotione constituimus et deputamus, dantes tibi facultatem super præmissis et aliis a sacris canonibus requisitis in genere et in specie, adhibito tecum presbytero Octavio Sormano, notario nostro causarum criminalium, inquirendi super articulis et interrogatoriis datis ac dandis, testium juramenta recipiendi, eosque examinandi, citandi quos et quoties opus fuerit, inobedientes compescendi

(1) Alevazoli, Vita, pag. 107. — (2) Ibid. pag. 132. — (3) Ibi l. pag. 123 et seqq. — (4) Posisio, Summarium, pag. 51 et seqq. — (5) Alevazoli, Vita, pag. 102 et seqq.

AUCTORE V. D. B.

scendi sub censuris et pœnis tibi bene visis, aliaque omnia et singula, quæ ad plenam et legitimam in hujusmodi negotio probationem necessaria et opportuna fore, juxta eorumdem sacrorum canonum decreta cognoveris faciendi, gerendi et exercendi; et hoc tam ad perpetuam rei memoriam quam ad omnem alium bonum finem et effectum. Volumus autem quod in hoc negotio vigore præsentium ad abundantiorem cautelam citetur advocatus fiscalis curiæ nostræ archiepiscopalis ad dandum interrogatoria contra testes, in præmissis inducendos et examinandos, si quæ dare voluerit, et si interrogatoria aliqua dederit, quod admittantur et testes juxta illa prius fideliter interrogentur, et pariter, citato eodem advocato fiscali, in quolibet actu procedatur; et quod postquam processus isti perfecti et per eumdem Sormanum notarium redacti et transumpti fuerint, illos, sub sigillo tuo inclusos, quanto citius nobis consignare cures. In quorum fidem *etc.* Datum ex palatio archiepiscopali Mediolani die decima martii millesimo sexcentesimo vigesimo quinto.

B

sed si qui tunc facti sint processus, ii perierunt; ita ut nil fere constet de antiquis miraculis.

44 *Processus hic inchoatus, et ingruente peste interruptus fuisse perhibetur in his ipsis literis* (1) *quibus die* 5 *decembris anni* 1664 *postulata est communicatio decreti archiepiscopalis, editi anno* 1625; *additur morbi illius tempore commentarios notarii Sormani periisse. Certe hi neque tunc a Joanne Baptista Corno, magistro chori seu præcentore in templo cathedrali Mediolanensi, neque sæculo* XVIII *a canonizationis promotoribus fuere inventi* (2), *et anno* 1664 *vivebant procul dubio viri qui scire poterant quid anno* 1625 *actum esset: atque ex his manifesto intellectum fuerat Frederici Borromæi nomine decretum fuisse propositum; quamobrem valde probabile est reapse initium datum fuisse processibus; sed id certo constare dicere non ausim. Anno* 1625 *susceptum fuisse id opus ad viam sternendam canonizationi vult Cardius* (3); *verum hæc mihi ex mera conjectura dicta videntur, quum in decreto nullus alius finis proponatur quam ut gratiarum firma retineatur memoria. Porro, sive commentarii*

C

tunc nulli scripti sint, sive postea perierint, anno 1738 *nulla supererat aliorum certa memoria miraculorum, quam quæ spatio triginta annorum, scilicet ab anno* 1650 *usque ad* 1680 *collecta fuerant, ut tradit Cardius* (4); *aut potius, ut ex serie miraculorum, ab Alevazolio edita, constat, a mense julio anni* 1656 (5) *usque ad annum* 1688 (6). *Singulare aliquod, quod annò* 1608 *contigit, refert Cardius, quippe qui legit sub tabula votiva hæc verba, quæ ex italicis latina facio* (7): Helena Corti, infirma usque ad mortem, voto facto B. Joanni Angelo, recepit gratiam anno millesimo sexcentesimo octavo.

Alia cultus indicia Mediolani.

45 *Ut tandem e beati viri excedamus sacello, servabatur anno* 1729 *in templi sacristia tabula picta B.* Joannis, *quæ aliquibus testibus satis antiqua videbatur; et Alevazolio* (8) *habebatur genuina; sed hæc mera conjectura. Exhibetur in ea beatus vir manibus tenens rotulum cum his verbis, quibuscum alibi etiam repræsentatur :* Tantus labor non sit cassus; *et ad pedes scriptum est :* B. Jo. Angelus de Porris Mediolanensis ordinis Servorum; *quæ non magnam antiquitatem sapiunt. Omnium forte vetustissimæ Ticinenses aliæve, de quibus Gianius. Aliquam anno* 1622 *ab Hippolyto Porro servatam fuisse et aliam ab eodem fuisse datam chalcographo excudendam monuimus alibi, num. nempe hujus commentarii* 4. *Aliæ papyro et serico impressæ anno circiter* 1639; *in his videre erat beatum virum, corona et radiis cinctum, circumvolitantibus Angelis; miracula in ambitu; in imo margine carmina nonnulla Palearii; subtus* superiorum permissu. *Pictæ quoque ejusdem imagines in templo parochiali S. Victoris ad amphitheatrum in sacello nempe Crucifixi de jure familiæ Porreæ; in altera Servorum B. M. Mediolanensium ecclesia, scilicet S. Dionysii, et in parthenone de Malegnone ordinis Servorum* (9). *Cujus hæ sint ævi non reperio; verisimiliter sæculi* XVII.

D

Aliæ reliquiæ Piceleone: S. Caroli pietas.

46 *Sequenti sæculo in oppido Piceleonis multa veneratione habebantur manticæ* (besace), *quibuscum illuc olim venerat beatus vir, serico involutæ et in benedicendis infirmis adhibitæ; quin etiam in propellendis grandinibus et tempestatum sævitie* (10). *Has jam ineunte sæculo* XVII *veneratus erat Gianius. A S. Carolo Borromæo rotulam de genu, immo pedis sinistri malleolum sublatum fuisse volunt aliquot testes; eum vero anno* 1729 *jam non amplius reperiri: sed timendum ne hæc ex publico compitorum rumore fuerint dicta; nisi forte per conjecturam, quod ille sanctissimus præsul in B.* Joannem *fuit pius. Certe narrat Palearius sibi ex tabulario Annuntiatæ Florentinæ compertum esse S. Carolum, quum juvenilibus annis in gravem incidisset morbum, a parentibus B.* Joannis *patrocinio dicatum fuisse et subito convaluisse; eum deinceps, hujus beneficii memorem, numquam in Mediolanensem Servorum ingressum fuisse ecclesiam, quin flexis genibus ad beati viri tumulum ardentes preces fuderit. Ad verbum hæc repetivit cardinalis Vibertus Borromæus, episcopus Novariensis, in epistola, quam die* 24 *julii anni* 1735 *dedit ad Clementem papam XII,*

F

postulans ut canonizationis negotium promoveretur (11). *Verum haud scio an hæc omnes Caroli biographi ignorarint : quidni curatius scientiæ suæ fontem ejusque ætatem indicarit Palearius, qui id prodigium omnibus aliis persuasit? Quæ vero alia de S. Carolo Borromæo narrantur ab Alevazolio* (12), *Cardio* (13) *aliisque, sanctissimi cardinalis historia nituntur. Quum scilicet suasisset Romano pontifici ut apostolici visitatores mitterentur in diœceses, atque ipsi hoc demandatum esset munus, petiit ut prius ab extero viro sua visitaretur diœcesis. Fecit hoc anno* 1575 *Hieronymus Ragazonius, præclarus Famæ Augustæ episcopus, e diœcesi sua exul* (14). *Quum itaque visitator apostolicus legitimum non arbitraretur B.* Joannis Angeli *cultum, secundum tit.* 61 *de Sepulturis, in concilio Mediolanensi anni* 1515 *propositum, quo jubebantur omnia*

(1) Ap. Alevazoli, Vita, pag. 105. — (2) Cardi, Vita, pag. 151. — (3) Ibid. pag. 189. — (4) Ibid. pag. 152. — (5) Vita, pag. 108. — (6) Ibid. pag. 116. — (7) Vita del B. Gianangelo Porri, pag. 157. — (8) Vita, pag. 93. — (9) Positio, Summarium, pag. 44 et seqq. — (10) Ibid. pag. 52 et 53. — (11) Cardi, Vita, pag. 156 et 157. — (12) Vita, pag. 101. — (13) Vita del B. Gianangelo Porri, pag. 156. — (14) Glussianus, de Vita et rebus gestis S. Caroli Borromæi, edit. Oltrocchi, lib. III, cap. 6, tom. I, col. 252 et 253.

cadavera,

A *cadavera, supra terram elevata, humari, bis venit in Servorum templum ea mente ut beati viri cadaver infra terram humari juberet, atque bis consilium id exsequi, aliis intentus, oblitus est : quod prodigii loco visum est Alevazolio, jure tamen merito Romæ omissum in procuranda confirmatione cultus B.* Joannis Angeli.

Approbatio cultus petitur

47 *Atque ea erat cultus B.* Joannis *conditio, quum tandem ejus canonizationem promovendam statuerunt Servi B. M. Processus primum constructus auctoritate ordinaria de illius sanctitate vitæ, virtutibus et miraculis et potissimum super cultu immemoriali sive super casu excepto a decretis Urbani papæ VIII. Testes examinati a mense februario ad septembrem anni* 1729; *corpus incorruptum recognitum aliaque id genus. Anno* 1735 *humiles porrexerunt Clementi papæ XIII preces, alii semel, alii bis : Joannes Gaston I, magnus dux Etruriæ; Vibertus cardinalis Borromæus, episcopus Novariensis; Carolus Ambrosius, patriarcha Alexandrinus et Laudensis episcopus; Joannes Baptista Stampa, vicarius generalis Mediola-*
B *nensis; Franciscus, Papiensis episcopus; Alexander, episcopus Cremonensis; Sosteneus Maria, episcopus Eugubinus; Joannes Vincentius, episcopus Crapularum; capitulum cathedrale Mediolanense; magistratus civitatis Mediolanensis; congregatio Cisterciensis italica; et demum Ludovicus Benzoni, generalis Carmelitarum. Nulla ex his epistolis magis perculit mentem Benedicti XIV, tunc Prosperi Lambertini, quam ea vicarii generalis Mediolanensis. Scribit enim ille* (1) : In eo quod attinet ad cultum immemorabilem, de quo tantum actum est, scientibus et non contradicentibus ordinariis Mediolanensibus, memoratu digna est epistola vicarii generalis Mediolanensis ad sacram congregationem, in qua testatur cultum publicum in dies auctum esse, ejus festum solemni templi apparatu quotannis celebratum esse, et celebrari panegyricis laudibus et reliquis ecclesiæ honoribus, qui beatis impendi solent, nec ullum umquam aut apostolicum visitatorem ad diœcesim Mediolanensem lustrandam delegatum, aut ipsum S. Carolum Borromæum, qui omnia corpora et reliquias,
C quas in omnibus fere ecclesiis comperit, diligentissime examinavit, nec alium ejus successorem cultui obstitisse, sed eum potius plenissime approbasse. *Non tamen hæc ita intelligenda sunt quasi archiepiscopus aliquis aut visitator positive approbasset B.* Joannis *cultum, ejusve corpus examinasset S. Carolus; nulla quippe illius approbationis indicia; et tumulus anno tantum* 1605 *primum apertus est, quum jam viginti annis ad superos abiisset S. Carolus. Latuit etiam Benedictum XIV Hieronymi Raganzonii, visitatoris apostolici, tentamen seu consilium.*

et obtinetur.

48 *Verum quod rationum firmitati forte defuit, supplevit abunde eximiorum illorum virorum patrocinium, et causa introducta est mense augusto anni* 1736, *non vero* 1735, *ut aliqui habent* (2). *Quæ dein secuta sunt ex decreto S. C. R. hauriamus :* Mediolanen. beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Jo. Angeli Porro sacerdotis professi ordinis Servorum B. M. V. beati nuncupat. Cum a sac. rituum congregatione sub die XI augusti anni proxime præteriti admissa fuerit, annuente etiam sanctissimo domino nostro Clemente PP. XII feliciter regnante die XVII dicti mensis, et successive ab eodem signata commissio introductionis causæ ven. servi Dei Joannis Angeli Porro prædicti; cumque modo ad tenorem præfatæ commissionis, instante postulatore hujusmodi causæ, propositum ab Emo et Rmo D. Card. Georgio Spinula ponente in sac. rituum congregatione ordinaria, atque discussum fuerit dubium : *An sententia Rmorum DD. judicum ab Emo archiepiscopo Mediolanen. delegatorum lata super casu excepto a decretis fel. rec. Urbani VIII sive super cultu publico ab immemorabili tempore prædicto servo Dei præstito, sit confirmanda in casu et ad effectum etc.* sac. eadem congregatio prævio maturo examine processus informativi super præfato casu excepto in civitate Mediolani a dd. DD. judicibus (ut supra) delegatis constructi, ac etiam tam in scriptis quam in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus fidei promotore prius audito, rescribendum censuit *affirmative,* si SSmo D. N. visum fuerit. Die 13 julii 1737. — Factaque deinde per me secretarium de prædictis eidem SSmo D. N. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 15 mensis julii 1737.

AUCTORE V. D. B.

E

A. F. Card. Zondadari Pro-Præf.

Loco † sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus, S. R. C. Secr.

Negotium canonizationis promovetur et sistitur.

49 *Nil aliud sinebat id decretum quam ut in posterum Servi B. M. Mediolanenses pergerent B.* Joanni *eos conferre honores ecclesiasticos, quos ei jam pridem adhibebant. Verum plus fieri sivit Clemens XIII, concessa universo Servorum ordini facultate celebrandi B.* Joannis Angeli *festum sub ritu duplici, cum lectionibus secundi nocturni propriis* (3). *Dies indicta* 25 *octobris, quod* 24 *occuparetur jam festo S. Raphaelis. Interea fovebant Mediolanenses et maxime Servorum ordo spem maximam fore aliquando ut solemnes canonizationis honores beato viro tribuerentur decreto apostolico. Hæc animorum sensa patefacit Argelatus* (4), *multoque magis*
F *labores Servorum, promovendæ huic causæ impensi. Atque hi eatenus optatum habuerunt eventum, ut die* 23 *decembris anni* 1767 *Clemens papa XIII declararit beatum* Joannem *virtutibus christianis in gradu heroïco præditum fuisse; ita ut ad examen quatuor miraculorum procedi posset* (5). *Ulterius deinde itum non est.*

Anno 1743 *mutatur in oratorium cella, quam B.* Joannes Angelus *olim in monte Senario incoluisse dicitur.*

50 *Verum fieri non potuit ut B.* Joannis Angeli *cultus decreto Romani pontificis confirmaretur, quin calcar additum fuerit pietati Servorum B. M. Virginis in pristinum suum sodalem. Nil itaque mirum si in Senario monte anno* 1743 *novum beato eremitæ oratorium dicatum fuerit. De hac re singularem ad me dedit commentarium, continuo post celebritatem confectum, toties a me non sine laude dictus R. P. Augustinus Morini. Libet eum ex italico latinum facere, ut, si pius hic locus, quum res sacræ nunc passim in Italia ruinas trahunt,*

(1) De Canoniz. SS. lib. II, cap. XXIV, n. 182. — (2) Novaës, Storia de' sommi pontefici, tom. XIII, pag. 232, edit. 1822. — (3) Ex Breviario Servorum B. M. V. — (4) Biblioth. Mediol. tom. II, part. I, col. 1121. — (5) Novaës, Storia de' sommi pontefici, tom. XIII, pag. 232.

destruatur,

AUCTORE V. D. B.

destruatur, aliqua saltem supersit memoria. Anno igitur 1743, die 21 aprilis, mane, quum Dominica in albis ageretur, in sacra montis Senarii eremo a M. R. P. Francisco Maria Baccini de Monthia rectore benedictum fuit novum oratorium in dormitorio hujus eremi, illudque commissum est patrocinio B. M. Virginis et B. Angeli Porro Mediolanensis ex nostro ordine. Oratorium id nil aliud est nisi cella aspera et invenusta, supra cujus portam exterius legebatur hæc epigraphe : CELLA B. SOSTENEI FUNDATORIS; qua certum fit hic olim habitasse B. Sosteneum de Sosteneis, unum ex septem primis fundatoribus nostri ordinis. Quare creditur hanc dormitorii partem, quæ exiguo cavædio adjacet, ex quo sacellum, a primis fundatoribus initio sui secessus exstructum, intratur, primam formam esse monasterii, ab iisdem patriarchis ibidem erecti. Similiter constanti traditione fertur illam cellam duobus fere post fundatores sæculis habitatam fuisse a B. Joanne Angelo Porro annos circiter viginti duos, quos per intervalla in Senario monte degit. Quare quo majorem B venerationem huic loco Senarii montis incolæ conciliarent, statuerunt eum in oratorium convertere, quin tamen mutarent ejus formam et antiquos parietes diruerent. Quare ut ex hac cella pulcrum oratorium faceret, operi se accinxit P. Hieronymus Maria Cinelli Pisanus, sacerdos et spectatæ virtutis eremita, religiosæ observantiæ exemplar, magno animo et constantia præditus, zeloque Dei, sanctorum et decoris eremi conspicuus. Singulari itaque in B. Joannem Angelum motus pietate, rem hanc suam sponte fecit et prospere gessit, tanta usus industria ut acceperit a multis benefactoribus magnam pecuniæ rationem, pluries scilicet centena scuta. His auxiliis oratorium ex invenusta cella paravit. Pristinum objectaculum ligneum sustulit; majori luci dedit aditum; fornicem superstruxit, pristinis muris servatis. Cæmentarius fuit Stephanus Lepori Mediolanensis; pictor Stephanus Fabbrini Florentinus, qui architectonicum opus imitatus est; albarius Petrus Zicci Mediolanensis; sculptor Laurentius Bozzolini Fæsulanus, qui altare, C duobus gradibus assurgens, ex lapide chalcedonio, qualis in Thuscia gignitur, erexit et marmore albo Carrarensi ornavit. Hic idem ex eodem marmore et ex lapide Tiburtino pavimentum fecit, sumptibus Thomæ Paulini, nobilis Florentini. Sub altaris mensa, duobus pulcherrimis toris fulcientibus, imposita est lamina ex marmore albo, cum inscripto disticho :

QUI MODO PURPUREO NECTAR BIBIT ANGELUS ORE
HIC MYRRHA ET LACRIMIS MISCUIT ANTE CIBUM.

Supra tabulam autem pictam altaris volutæ albariæ hæc inscripta verba : TECUM DELICIÆ MEÆ. Altaris tabula, quam egregie pinxit Nicolaus Pittori Florentinus, exhibetur B. Joannes Angelus brachiis suis puerum Jesum accipiens; duabus aliis, lateralibus muris appensis, atque ejusdem pictoris operibus, idem beatus vir racemum viti affigens, et post mortem ab angelis feretro impositus; et quarta demum, cui locus supra portam est, et quam dono dedit dux militaris castri S. Joannis Baptistæ Florentini, nomine Paoli, proponitur beatus adjutorio angelico circumdatus, dum chirurgus infirmi venam aperit. D Infra hanc tabulam in albaria voluta hæc legere licet verba : DIVO JOANNI ANGELO PORRO CLIENTUM PIETAS CUBICULUM IN SACELLUM SACRAVIT; exterius autem supra portam : CASTIS BB. SOSTENEI ET JO. ANGELI AMORIBUS ADHUC CALENTEM CELLULAM IN SACELLI FORMAM ELEGANTER REDACTAM HOSPES INGREDERE ET ADORA. ANNO CIↃIↃCCVIII. *Duo ibidem quotannis celebrantur festa, alterum Pentecostes, alterum B.* Joannis Angeli; *quibus diebus exponuntur lipsanothecæ, a pluribus donatæ, et usurpantur vestes sacræ, liberaliter quoque datæ. Benefactores præcipui fuere nuntius apostolicus Florentinus Archinti, natione Mediolanensis; Anna Maria, electrix Palatina et Cosmi III Medicæi filia; Philippus Ginori Florentinus; et Thomas Paulini, quem jam designavi.*

Quæ in præsentia conditio cultus B. Joannis Angeli *Mediolani.*

51 *Per miseriam temporum et importunissimas immutationes passus est deinceps nonnihil detrimenti B.* Joannis Angeli *cultus; maxime Mediolani. Quum enim in hac civitate anno* 1781 *jussu Josephi II imperatoris Servi B. M. Virginis, non secus ac alii religiosi, impediti essent* E *quominus cum generali suo præposito commercium haberent et anno* 1797 *fuissent suppressi, pristinum templum dirutum est ejusque loco aliud ædificatum, titulo S. Caroli; in quo tamen B.* Joannes *oratorium suum habet, conservando corpori et tunicæ opportunum. Hinc non omnino periit pietas in beatum virum, quem plebs et agricolæ plurimum adhuc colunt, amantes benedici ejus tunica. Sed legibus Josephi II suppressum est sodalitium; itemque pulsus campanarum sabbatinus post* Ave Maria. *Pristina autem dominicæ* IV *augusti celebritas adhuc agitur et die* 24 *octobris retegitur corpus B.* Joannis; *atque in nullo nisi in ejus altari hac die celebrantur missæ. Hæc ad R. P. Augustinum Morini scripsit eruditus vir Aloysius Razzolini; qui quum frustra in tabulariis Mediolanensibus memorias de beato viro quæsivisset et nil de ejus gestis docere posset, voluit tamen illa pauca scribere, quibus qua conditione nunc constituta sit solemnis ejus veneratio indicatur. Superest ut, quemadmodum initio dixi, Philippi Albericii Mantuani, Thomæ Veronensis, Michaelis Augustini Pocciantii et Archangeli Gianii* F *lucubrationes de beatissimo viro cum lectore communicemus. Philippus Albericius latine scripsit; sed versionem tantam italicam, anno* 1763 *ab eremita montis Senarii factam, coram habeo; quum tamen omnium antiquissima Vita sit, non omittenda, sed denuo latine reddenda visa est. Thomæ Veronensis, Albericio coævi, scriptio ab ortu italica fuit; et, quum ad nullum aliud exemplar confecta fuerit sed primigenium documentum sit, lucem etiam videre meretur. Paulo amplior est memoria, quam latine nobis reliquit Pocciantius; verumtamen vix quidquam habet de beati viri gestis. Contra hæc exstant apud Gianium, qui Albericii (nisi potius Ferrarii) aliorumque literaria monumenta manibus versasse videtur.*

—

VITA

A

VITA

B. JOANNIS ANGELI PORRI,

Auctore Philippo Albericio *a*,

Ex commentariis italicis quos de origine et progressu eremitarum congregationis montis Senarii an. 1763 *scripsit ejusdem loci eremita.*

AUCTORE ALBERICIO.

a

B. Joannes Porro *Mediolanensis, sanctein tirocinio, sanctius viginti annos in Monte Senario vixit;*

b

c

d

e f

bis novitiorum magister Florentiæ constituitur, reductus interim ex eremo Clantensi;

C

g

h

i

in Monte Senario factus prior, concordiam restituit et plura miracula patrat;

Quemadmodum mirabilia fuere gesta et ultra modum in conspectu Dei pretiosa mors B. Jacobi Philippi *b*, sic non minus præclari fuere actus, neque minoris pretii gloriosus obitus B. Joannis Angeli Porri Mediolanensis, ex hoc ad alteram vitam translati. Quemadmodum supra jam monui, habitavit aliquandiu in monte Senario, superioris vices fungens; verum id multo lucentius constabit ex præsenti capite, quo statui compendio exhibere egregia ejus facinora *c*. Natus igitur est B. Joannes Angelus Mediolani. Pater Protasius dicebatur, nobilissima Porrorum domo ortus *d*. A puero fovit animo Joannes tenerrimam erga Deiparam pietatem; cui nova accesserunt incrementa, quum in familiam ejus Servorum adoptatus est. Quem in tirocinio concepit fervorem, ad mortem usque servavit integrum. Ut sensit sanctitatis odorem, quem ubique Senarii montis eremitæ spargebant, spiritu divino motus, in solitudinem illam se contulit *e*, ubi viginti annorum spatio *f* vitam eremiticam duxit, corpus domans jejuniis et flagellis, mentemque piis sanctisque meditationibus applicans et ad res cælestes erigens. Tenuit hoc vitæ institutum, donec Antonius Alabantus, prior conventus B. M. V. Annuntiatæ Florentini, restituit ibidem novitiatum, in quo qui ex sæculo ad religionem confugerent rite exercerentur. Jussit itaque Alabantus ut Florentiam veniret B. Joannes, teneras has plantas culturus *g:* neque enim immerito sperabat diligentissimus prior beatum virum sermonibus suis et optimis præceptis rigaturum has arbusculas, quæ dein exspectatos ferrent fructus. Quum autem idem, a capitulo generali Vetraliensi ad supremum ordinis magistratum promotus, vehementer cuperet regularem observantiam in conventu Annuntiatæ restaurare, denuo accersivit B. Joannem, qui solitudinis desiderio Clantensem eremum petierat *h*, ut iterum novitios in perfectionis via duceret *i:* quo ministerio, dum ipse Florentiæ prior erat, jam fuerat perfunctus: quod si magistri novitiorum officium debilitati corporis ejus viribus majus esset, rogatus fuit ut quotidie stata hora juvenes adiret, regularem observantiam doceret et perfectionis initiamentis imbueret: et quidem qui ejus disciplinæ subfuerunt, postmodum actibus suis satis ostenderunt sanctum sibi fuisse magistrum. Anno 1487 in monte Senario turbationi cuidam aperuit viam novi prioris electio; quamobrem eo se contulit Alabantus, tum ut omnem sedaret tumultum, tum ut juxta Romanorum pontificum bullas in officio confirmaret quem eligerent. Quamquam itaque prave res compositæ essent, præter omnem exspectationem unanimi consensu superior electus fuit beatus *k*. Quod officium dum obiret, ut intelligatur quanta eum Deus gloria affecerit, satis est dicere, sanatos ab eo fuisse multos morbos incurabiles, claudosque erectos, lumine donatos cæcos, et solo signo crucis expulsos ex pluribus corporibus malos spiritus. Quorum prodigiorum fama ita manavit, ut multi etiam vivo anathemata seu vota offerrent in grati animi tesseram. Verum non diu tolerare potuit similia venerationis indicia Joannis Angeli modestia: quare sub primum prioratus annum recessit e monte Senario et contulit se in eremum Clantensem, ubi a patribus Annuntiatæ Florentinis prior constitutus est *l*. Brevi post hic etiam de ejus sanctitate rumor sparsus est; quam ob causam concurrebant ad eum populi, et ipse solo signo crucis liberabat energumenos a malignis spiritibus, sanabat infirmos mirabiliter, variis languoribus oppressos; et in summa quicumque ad eum accedebant dolentes et afflicti, recedebant læti et consolati. Quum vero se neque in hac eremo virtutem suam abscondere posse videret vir Dei, eam etiam deseruit et Mediolanum reversus est *m*. Quod iter ineffabili animi demissione instituit, tectus tunica ex tela nigra, humeris portans manticam, similis potius fratri laïco, eleemosynas conquirenti, quam viro docto et sacerdoti. Cujus rei testimonium est mantica, quæ ad hanc diem reverentissime servatur in templo monialium ordinis Servorum in castro Piceleonis prope Adduam flumen *n*. Ut Mediolanum venit, pristinum vitæ genus vivere perrexit, crudeliter crucians innocens suum corpus. Solus habitabat in sua cella, seorsim ab aliis posita, mirabilia prodigia patrans. Quum die quadam racemum decerpsisset a vicina vite et innocuum id furtum ægre a quibusdam suis collegis ferri videret, ad ramum transtulit et ita applicuit et univit, ut numquam avulsus fuisse videretur. Cavacurtæ in diœcesi Laudensi quum esset, sæpius multis ulnis supra terram elevatus apparuit, dum oraret. Quid ultra? Voluit Deus ut in gravibus ejus necessitatibus auxilio ei essent Angeli. Nam quum in vehementi morbo vena ei exsolvenda esset, et chirurgus advenisset, dum religiosi omnes in civitate publicæ supplicationi interessent, atque ab hoc quærerentur alter qui pelvim sanguini excipiendo ministraret, alter qui lumen teneret, ecce apparuerunt habitu Servorum duo juvenes, qui pro novitiis habiti fuere medico et qui, necessario officio functi, evanuere. Cognovit beatus vir duos Angelos ex paradiso fuisse et impensas Deo gratias egit de tam singulari beneficio. Verum proxima jam erat hora, qua Dominus fideli suo servo concedere volebat mercedem eumque participem facere gloriæ, quam tanta vitæ innocentia et corporis afflictatione meruerat: tantopere enim extenuatus erat ut pellis ossibus adhæreret. Quare ad tremendum mortis transitum præparatus et ecclesiasticis sacramentis munitus, placide spiritum Deo reddidit die 24 octobris 114 anni

k

laudes fugiens, redit Clantum, ubi prior fit et miraculis claret;

l

E

pauperrimo habitu, transiens cum mantica Piceleonem, petit Mediolanum, ubi racemum avulsum viti restituit.

m

n

Cavacurtæ levatur super terram; ægroto Angeli deserviunt; moritur 28 *octobris* 1506.

AUCTORE ALBERICIO.

anni 1506. Quum sepeliretur, mirabile contigit prodigium : quo enim magis nitebantur religiosi ejus corpus communi inferre sepulcro, tanto gravius id fieri sentiebant et minus mobile : quam ob causam necessum eis fuit id seorsim super terram collocare. Interea dum sacrum ejus corpus diu et noctu in templo expositum esset, accurrit ad id ingens infirmorum multitudo, valetudinis restitutionem sperans, et, nemine pulsante, sponte sua sonabant conventus campanæ *o*. Servatur adhuc semper ejus corpus incorruptum in conventu Servorum Mediolanensi; ad quod venerandum conveniunt non Mediolanenses tantum, verum etiam omnia vicina oppida; et prodigiorum, quæ ejus intercessione fiunt, testimonia sunt tabulæ, ejus sepulcro appensæ. Propter populi pietatem celebratur ejus festivitas Mediolani dominica quarta octobris, in universo autem Servorum ordine cum officio ritus duplicis, die 29 octobris, quoniam id fieri non potest die mortis anniversaria, qua archangeli Raphaelis solemnitas agitur.

Corpus in commune sepulcrum inferri non potest.

o Cultus dein secutus.

B Atque hæc brevis est Vita B. Joannis Angeli, quam latine scripsit Philippus Albericius; ipse vero italice fideliter reddidi. Spem animo foveamus fore ut Deus magis magisque servum suum innocentissimum glorificet; ita ut, quod populares Mediolanenses maximo ardore concupiscunt, a sancta sede canonizationis honores obtineat.

ANNOTATA.

a *Albericia gens, olim ex primariis Florentinis, inter Guelforum et Gibellinorum factiones Mantuam concesserat. Ibi natus Philippus ex patre Alexandro, matre Amabilia Fiera. Servorum ordinem ingressus, doctrinæ et pietatis plurima specimina dedit. Publice disputavit anno* 1509 *in comitiis generalibus Placentinis et anno sequenti in Foroliviensibus, ipse a patribus de Congregatione vicarius generalis creatus anno* 1515 *in comitiis Mantuanis et dein Romam commissarius ablegatus* (1). Vir numquam otiosus, sed qui semper prudentia in rebus agendis et sapientia in explicanda doC ctrina præstantissimus fuit, multos assecutus honores, et quem a Julio II in Galliam et Angliam nuntium et concionatorem apostolicum ac sanctæ inquisitionis contra hæreses ministrum legatum ferunt. Scripsit brevem quidem, sed pressam et elegantem historiam ordinis et congregationis; atque gesta B. Philippi collegit et pro ejus canonizatione, dum Romæ ageret, plurimum laboravit; prior * omnium constitutiones congregationis, ad meliorem normam redactas, imprimi curavit; reformationem et disciplinam regularem, quantum potuit, suo tempore tutatus fuit... Tandem præsentium morum pertæsus, Neapolim, ut dicebatur, concessit ibique legendo et concionando gloriosæ denique extremum vitæ (*anno* 1531) persolvit, sepultus in æde S. Faustinæ (2). *Ex his liquet eum in ea fuisse conditione ut B.* Joannis Angeli *gesta comperta habere potuerit.*

* primus

b *Intelligitur B. Jacobus Philippus Bertonus, cujus acta dederunt decessores nostri die* 25 *maji, qua mortuus est; sed qui colitur a Servis B. M. V. die* 28 *ejusdem mensis.*

c *Initium hoc non videtur esse Philippi Albericii, sed anonymi commentariorum scriptoris.*

d *Vide Commentarium prævium, num.* 7 *et* 8.

e *Confer Commentarium prævium, num.* 14 *et* 16.

f *Alii viginti duos annos dicunt, eosque non continuos. Vide Commentarium prævium, num.* 17.

g *Hæc res explicatur in Commentario prævio, num.* 20.

h *De Clantensis eremi incolatu vide Commentarium prævium, num.* 17.

i *De secundo B.* Joannis *Florentiam adventu et novitiorum magisterio confer Commentarium prævium, num.* 22.

k *Hæc quoque electio declarata in Commentario prævio, num.* 22.

l *Adi iterum Commentarium prævium, num.* 23.

m *De hoc itinere et his quæ præcessere adhibe Commentarium prævium, num.* § III.

n *De Piceleonis monasterio B.* Joannis Angeli *adventu aliisque dictum in Commentario prævio, num.* 30.

o *Quæ dein sequuntur, non sunt Albericii, sed anonymi.*

ELOGIUM

S. Joannis Angeli confessoris,

Ex italico Thomæ Veronensis a, *ex codice* 258, *quando penes Servos B. M. V. erat, nunc C. IV,* 1470 *inter Megliabechianos, fol. recto* 214.

a

Mediolanum illustris est civitas, non solum quia caput Longobardiæ est et ita antiqua ut anno mundi 4791 ædificata fuerit, verum etiam quoniam, ut in Scriptura sacra legitur, tot sanctorum parens est: quos inter recensendus venit præsens benedictus sanctus, ex familia Porrea ortus. Hic quum animam suam salvam facere vellet et Deo ejusque gloriosæ matri virgini Mariæ, cælesti reginæ, servire, a puero dedit se orationi, jejunia frequentabat et sæpe visitabat templa. Verum quum se fructum sexagesimum aut centesimum ferre non posse animadverteret, rogabat quotidie sanctissimam reginam angelorum ut sibi viam monstraret; motusque Spiritu sancto, Mediolani habitum religiosum Servorum induit. Statim itaque cœpit meditari passionem Domini nostri; petiit dein montem Senarium prope Florentiam, ibique vestigia pristinorum patrum secutus est; superavit cum divina gratia innumeras diaboli tentationes et similiter tentationes carnis; contempsit divitias, vanitatem et superbiam hujus mundi. Dicebat thesaurum pulcriorem reperiri non posse pura virginitate; et propterea servabat eam

Post piam, duram et miraculis claram vitam moritur B. Angelus 24 *octobris* 1496.

(1) Gianius, Annalium Servorum B. M. V., tom. II, pag. 32, 35, 58, 62, 75 et 100. — (2) Ibid. pag. 101.

et

A et amabat, corpore et mente semper virgo permanens; et quo melius eam servaret, macerabat corpus flagellis et jejuniis. Tantæ fuit sanctitatis ut solo sanctæ crucis signo infirmos sanaret et dæmones ex corporibus humanis pelleret. Spiritum propheticum habebat; inde quum viginti annos in sancto monte vixisset et quum Mediolanum redire vellet, dixit: Redditum eo rationem vitæ meæ; sequor sororem meam; quæ illis diebus Mediolani obiverat. Ubi Mediolanum venit, mansit ibi paucos dies et mortuus est die 24 octobris
b anni nostræ salutis 1496 *b*, et sanctæ religionis 264. In ejus morte pulcherrimi visi sunt juvenes. Sanctum ejus corpus liberavit multos dæmoniacos et sanavit multos infirmos. Quum autem reverendi patres vellent illud sepelire cum aliis corporibus, nequaquam potuerunt, quoniam grave erat ut lapidea aut plumbea moles. Quapropter arca confecta est, et cum imposito honorifice corpore collocata in templo Servorum, ubi quotidie patrat multa miracula.

B ANNOTATA.

a *Pauca diximus de hoc auctore in Commentario prævio, num.* 2.

b *De anno mortis vide quæ disseruimus in Commentario prævio, num.* 22.

PAUCA GESTA

B. Joannis Angeli Porro,

ex Chron. Ordinis Servorum B. M. V. Michaelis Augustini Pocciantii a.

a

B. Joannes Angelus, *in vita et in morte laudatus,* *b*

Dum Servorum misera navicula, tanto patrono *b* orbata, variis quassatur procellis; ne demergatur in profundum maris, ineffabilis vir, optimus pater, fidelisque Virginis servus, Joannes Angelus Mediolanensis, humana relinquens, vigesima quarta die octobris hujus
c anni *c* cælestia petit; et Deum, patrem misericordiarum ac totius consolationis, suppliciter exorat ut eam consoletur in omni tribulatione. Cum vero hujus Christi amici obitus felix per Mediolanensium divulgatur urbem, confestim convolant cuncti ad sacras Servorum ædes : nullus sexus domi remanet, quinimmo infirmi a gravissimis etiam infirmitatibus detenti eo ut ab amicis deferantur student, et saltem fimbriam vestimenti attingere ambiunt, multum sibi hujusmodi tactum prodesse existimantes. Singulis namque satis pro comperto erat quis et qualis exstitisset vir iste in vita sua : in qua monstra peccatorum placavit, tentationes dæmonum superavit, concupiscentiasque carnis et oculorum devicit.

i n Senario sanctitate et miraculis claruit; *d*

2 Quæ omnia, cooperante Dei gratia, ut commodius efficere posset, per viginti annos vitam in Sacro Monte Senario *d* duxit; beatorumque patrum vestigia insequutus, ac ipsorum exempla imitatus, semper orationibus, cum disciplinis, cum jejuniis conjunctis, vacavit : omnes mundi divitias, vanitates et insanias falsas existimans. Ut bonus enim negociator evangelicus, inventa preciosa margarita in agro virgineo, vendidit universa quæ habebat et emit eam. Quapropter placens Deo factus est dilectus; et adeo dilectus, quod solo crucis signaculo infirmos curasse et a dæmone obsessos liberasse affirment ex populo Sacri Montis majores natu; et id a parentibus, ab hujuscemodi adversitatibus curati *, accepisse testantur. Quod etiam comprobant annalia illius venerandi monasterii; ubi adhuc in tabulis ligneis hæc depicta conspiciuntur *e*.

AUCTORE POCCIANTIO.

* curatorum?

e

3 Sed ne quis id temere dictum arbitretur, audiat quæ Mediolanensis cœnobii monumenta habent : ferunt etenim quod, suæ mortis hora appropinquante, e Sacro Monte discedens *f*, eam prædixit, inquiens : Ut reddam rationem villicationis meæ accedo : sororemque meam sequor *g* : quam (ut præmonuerat) mortuam invenisse compertum est. Perveniens namque Mediolanum, sororem E Deo spiritum jam reddidisse adinvenit; ipse vero non post multos hos dies ad Christum migravit. Cujus obitui felici ejusdem monasterii asserunt annalia adfuisse juvenes incognitos aspectu pulcherrimo ut necessaria subministrarent. Addunt præterea quod fides infirmorum, qui se illuc deferre curarunt et sacrum corpus tangere studuerunt, eos non fefellisset; cum plurimi a diabolica obsidie variisque languoribus essent liberati : cujus rei testes adhuc sunt tabulæ, ad perpetuam memoriam circa ipsius tumulum suspensæ. Ex quibus convincitur quantum Deo placuerit vir iste ineffabilis.

prædictam mortem et miraculosum morbum

f

g

sequitur prodigiosa sepultura. Ejus scripta.

4 Cujus cineres cum apud cæterorum patrum cadavera vellent fratres apponere, non permisit æquissimus judex. Corpus etenim, ac lapis magnus valde, immobile permansit *h*. Ob id patres una cum universo populo, preces pie fundentes reique signum intelligentes, tumulum construendum curarunt in quodam sacello, quod ad nobilem familiam Porream attinet, ex qua originem duxerat vir iste sanctus : ibique solemni cum pompa apposuerunt. F Ubi adhuc miraculis claret et quotidie ab infirmis, ab adversitatibus liberatis, signa recepti beneficii apud sacrum apponuntur tumulum. Hic pater beatus nonnulla salutaria monita reliquit; sed inter hæc adest quædam oratio, quam unoquoque die ad imaginem Virginis persolvere solebat; quam modo dimittimus *i*: cum pro nobis intercedat peccatoribus, ut ad cælestia regna perveniamus.

h

i

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num.* 2 *Pocciantii ætatem indicavimus. Ei inter hæc scribenda præluxere scripta aliquot antiquiora; quorum tamen ævum nulla significant indicia. Inter hæc verisimillime recensendum est elogium conscriptum a Thoma Veronensi. Reliqua fere ex fama hausit. Nil itaque mirum multa in his desiderari.*

b *Intelligit Antonium Alabantum, priorem generalem ordinis Servorum, die* 8 *decembris anni* 1495 *subita morte oppressum* (1). *De hoc viro*

(1) Gianius, Annales, Cent. III, lib. IV, cap. XVII, tom. I, pag. 630.

A *viro sæpius in Commentario prævio meminimus.*

c *Pocciantius B.* Joannis *mortem statuit anno* 1496; *eam potius anno* 1506 *reponendam esse docuimus in Commentario num.* 31.

d *Ter in Senario Monte habitavit beatus vir, quemadmodum num.* 14 *et seqq. Commentarii prævii ostensum est.*

e *Posteriores biographi et complures anno* 1729 *auditi testes dixerunt has tabulas appensas fuisse in beati viri, dum viveret, honorem. Atque eo venerunt amplificando Pocciantii verba; qui simile quidquam numquam somniavit. Albericius tamen id dixerat. Cfr Ann.* e *ad Gianium.*

f *Non e Sacro Monte discedebat B.* Joannes, *quum ultimum in conventum Mediolanensem venit, sed ex Cavacurta. Hæccine in monumentis Mediolanensibus reperit Pocciantius?*

g *Hæc verba dixerit beatus vir vel Cavacurtæ, vel Mediolani, ut eo rediit, priusquam aliquid de sorore rescivisset; nequaquam vero inter abeundum ex Senario Monte, ut ex dictis manifestum est.*

B h *Id genus miraculorum de aliis etiam sanctis prædicatur* (1); *majorem reperiret fidem, si testes oculati aliquid de eo memoriæ prodidissent. Quis ignoret aliquot abhinc annis fama atque etiam libris similia miracula de reliquiis alicujus sanctæ circumlata fuisse, atque hæc jam nemini placere?*

i *Titulos harum scriptionum dat Argelatus* (2): Massime proposte al religioso claustrale, et Orazione elaborata, in cui insegna il modo piu degno di servire alla B. V. *Prius opus scriptum ab eo fuisse addit, cum magistri novitiorum munere fungeretur: atque hæc sibi ex Gianio comperta. Verum nil de his habet Gianius. Tituli per conjecturam excogitati ab Alevazolio; libri scripti Mediolani, non Florentiæ: eos enim illic vidit Pocciantius. Cæterum jam pridem periere, quum frustra anno* 1729 *et sequentibus quæsiti fuisse legantur* (3); *et quidem anno* 1623 *eos non amplius fuisse repertos testis est Hippolytus Porrus* (4). *Præterea R. P. Augustinus Morinius nil aliud de B.* Joannis Angeli *doctrina reperit quam has duas sententias, receptas inter collectanea veterum Patrum dicta, et signatas numm.* 23 *et* 24. *Ibi scilicet italice legitur:* Erat B. Joannes Angelus semper in pauperes liberalis; et solitus erat dicere eleemosynas, datas mendicis, non esse donum sed debitum, quoniam ea ratione restituatur Domino bonorum, quæ cum admirabili providentia nobis largitur quotidie. Mortuus est beatus, relinquens suis religiosis hoc monitum, ut scilicet se semper secundum superioris voluntatem componerent, agnoscentes in eo personam Christi; ut solitudo, mille bonorum fons et origo, eis semper cordi esset; ut virginitatem quasi thesaurum inæstimabilem servarent, et sanctissimæ Deiparæ dolores participarent.

C

—

(1) Cfr Bagatta, Admiranda, lib. VI, cap. I, sect. 2, tom. II, pag. 284 et seqq. — (2) Bibliotheca Mediol. tom. II, part. I, col. 1121. — (3) Positio, Animadv. pag. 1; Responsio, pag. 2. — (4) Ibid. Summarium, pag. 16.

D

VITA

B. JOANNIS ANGELI PORRO

Ex Annalibus Ordinis Servorum B. M. V.

Archangeli Gianii a.

a

B. Joannes Angelus *fit Mediolani servus B. M. V.;*

b

c

Talem profecto scandali occasionem *b* haudquaquam præbuit optimus ille religiosus, Joannes Angelus de Mediolano, cujus pium obitum et egregia humilitatis exempla hoc eodem anno *c* explicanda occurrunt. Is igitur, Protasio patre, Mediolani, nobili ex genere de Porris natus, ab ipsis incunabulis reginæ cæli addictus fuit; et adhuc puer optimæ indolis christianis moribus operam dedit, donec E hujus nostri ordinis suscepto habitu magnum futuræ sanctitatis specimen dedit. Nam religiosam vitam, quam adolescente ætate aggressus fuerat, sacris deinde initiatus, perpetuo coluit.

secedit Senarium, dein Florentiam, post Clantum, et iterum Florentiam;

2 Audita interim fama eorum, qui in Senario Monte districtius B. V. inserviendo vitam ducebant, Mediolanensi patria posthabita, in Etruriam profectus, vitam eremiticam viginti annos in assiduis vigiliis, piis meditationibus et aliis carnis macerationibus exegit; donec P. Antonius Alabantus, conventus Annuntiatæ prior, novis ædificiis instaurato novitiatu, pro pueris *d* educandis Joannem Angelum ad illud officium magistri novitiorum e Senario Florentiam transferri jussit. Eo igitur in officio quantum pueris illis sancto Virginis habitu initiatis adjumento fuerit, non multo post indicarunt qui ejus disciplinam et mores amplexati fuerunt. Cumque Alebantus postea ad supremum ordinis magistratum in comitiis Vetralæ fuisset assumptus, et districtius cœnobium Annunciatæ reformare cuperet, Joannem Angelum, qui ad F eremum Clanti colendum jam profectus fuerat, iterum ad eundem novitiatum administrandum ea lege revocavit, ut si jam assiduis gravatus infirmitatibus eidem officio non posset omnino vacare, saltem semel ad statutam horam pueros illos adiret, et perfectione regularis vitæ eos institueret, atque religiosis moribus confirmaret.

d

prior Senarii, claret miraculis;

3 Contigit autem ut anno 1487 non mediocris inter fratres Senarii oriretur altercatio de novo ejusdem loci eligendo præfecto, adeo ut Alebantus generalis, qui Florentiæ aderat, in Senarium ad eas compescendas lites, ut alias dictum fuit, se celeriter conferret. Instauratis igitur eo in loco comitiis, fratres inter sese valde dissidentes derepente unum Joannem Angelum, diu renuentem, unanimi omnium consensu in suum priorem elegerunt. Quo in officio illud satis compertum habetur religiosum virum jam suæ sanctitatis apud villicos

illos

A illos præclara signa dedisse, quippe qui multos, ex variis infirmitatibus laborantes et spiritibus immundis detentos, solo crucis signo cum oratione adhibito, liberavit. Verum fama hujusmodi signorum ex iis locis usque ad urbem Florentiam paulatim percrebrescente,
e sibi etiam viventi *e* accolarum devotione tabulæ gratiarum et miraculorum, quas etiam vidimus, dicabantur.

repetit Clantum et Mediolanum; sacculos relinquit Piceleone,

4 Joannes Angelus, ut vanam mundi gloriam subterfugeret, vix primo prioratus Senarii absoluto anno, iterum ad eremum Clanti profectus, ibi de patrum Annunciatæ de Florentia consilio ejusdem loci priorem egit. Verum neque ibi suæ sanctitatis splendor delitescere potuit; eadem fama per illas oras sanctitatem illius promulgante adesse sanctum eremitam ex ordine Servorum, qui languores omnes et energumenos, solo crucis signo cum oratione adhibito, sanaret; quamvis ipse fere semper ex diutina pœnitentia languesceret. Quare vir Dei, eandem famam declinans, inde etiam recessit, ac Mediola-
f num versus *f* profectus est. Quo in itinere tali ac tanta usus est humilitate, ut, tunica
g ex tela nigra propriis manibus consuta *g* cum sarcinulis super humeros indutus, conversus potius eleemosynas quærens quam vir doctus et sacerdos appareret. Hujus rei testes adhuc
h sunt ii sacculi *h*, quos nos apud sorores nostras summa cum veneratione conservatos vidimus et venerati fuimus apud castrum Pi-
i celeonis *i* Abduæ fluminis.

et tunicam Cavacurtæ;

5 Sed quid plura? Præstat potius de ejus sequentibus gestis aliorum quam nostra dicta adhibere et præsertim Philippi Alexandrini *k* ordinis Servorum, qui in suo Catalogo Sanctorum Italiæ hæc ulterius prosequitur de Joanne Angelo. Mediolanum reversus eandem vitæ austeritatem retinens in cella, quæ paucis
l ab hinc annis adhuc monstrabatur *l*, seorsum ab aliis habitavit, non absque mirabilium miraculorum ostensione. Cum enim racemum ex vicina vite abstulisset, idque fratres indigne ferentes audisset, illum in eundem locum retulit; qui sic viti copulatus est, ac si nunquam fuisset abscissus. Apud Cavamcurtam, Laudensis diœcesis pagum, ubi ejus inte-
m rula *m* parturientibus opem ferens asservatur, illum aliquando orantem a terris elevatum
n fuisse ferunt *n*.

miraculis fulget in morbo

6 Illud quoque admirandum, quod cum in morbum incidisset, et sanguis per venæ sectionem extrahendus esset; accidit ut, adveniente eo qui sanguinem mitteret (Eusebius illi nomen erat), nullus qui ei inserviret ex fratribus (omnibus in processionem per urbem profectis) adesset; cumque is aliquem, qui lumen, vas et alia ministraret, perquireret, continuo duo adolescentuli egregia forma, quos ille novitios ex habitu arbitrabatur, adfuere illique ministrarunt; peractaque phlebotomia disparuerunt.

et in morte et post mortem Mediolani.

7 Denique sanctus vir assiduis maceratio-
o nibus confectus, cum pelle tantum et ossibus constare videretur, IX kal. novembris obdormivit *o* in Domino anno salutis 1506. In quo tumulando aliud mirum contigit: nam quo magis corpus illius in eandem cæterorum fra-

AUCTORE GIANIO.

trum conabantur inferre sepulturam, eo immobilius et gravius videbatur, ut propterea in privato tumulo supra terram illud condere coacti fuerint. Quo tempore per diem et noctem innumera languentium multitudo ad sacrum cadaver cucurrit, multis sanitatem referentibus, campanis ecclesiæ Servorum sponte sonantibus *p*. Corpus adhuc integrum in æde *p*
Servorum servatur; ad quod hac die venerandum tota pene civitas Mediolanensis confluere et vota nuncupare solet. Hæc Philippus.

Publicis donatur honoribus.

8 Ejus vero imago, quam Ticini et alibi depictam vidimus, adinstar religiosi viri poterit effingi, qui pelle tantum et ossibus, macie consumptus, apparet, genibus flexis orans, capite radiis circumfuso. Ejus dies festus in diem 24 octobris sui obitus colendus esset; cum tamen a patribus ad majorem beati gloriam et piorum devotionem dominica quarta ejusdem mensis ritu solemni celebratur, [modo autem dominica infra octava S. P. N. Philippi *q*.] In cujus etiam honorem cecinit *q*
quidam *r* hoc elegans hexastichon : *r*

Angelus est nomen : mirari desine, si re E
Ipsa actus fuerint angelicique modi;
Si botrum viti copulat; si cernitur orans
Elatus terra, unde parabat iter;
Si adsunt cælicolæ ægroto, et (mirabile dictu)
Tympana sponte sonant, ipso obeunte,
[sua.

ANNOTATA.

a *De Gianio ejusque fontibus dictum in Commentario prævio num* 3. *Pleraque quæ deinde tradit in eodem Commentario explicuimus et ad chronologiam exegimus; lacunæ quoque, quantum fieri licuit, suppletæ.*

b *Modo narravit Gianius miserum finem Petri Novelli de Tarvisio, qui præ regnandi libidine, expleto vicarii generalis Congregationis Servorum magistratu, religionem suam contempserat. Verum hæc ad nos nihil.*

c *Intelligit annum* 1506; *et quidem, ut ostendimus, recte.*

d *Afri eodem plane sensu utebantur vocabulo* puer, *junioribus clericis et monachis* pueris parvulis *et* infantulis *appellatis: de qua re scripsere plures quos indicat Franciscus Cancellieri* (1), *ipse decessoribus uberior. Adhuc anno* 1595, *ut liquet ex sapientissimis comitiorum Butriensium de novitiatu legibus, plerique novitii Servorum sedecim nati non erant annos* (2). F

e *Crediderim potius has tabulas dicatas fuisse in honorem B. M. V. aut alius cœlitis, cujus opem infirmis apprecabatur B.* Joannes; *deinde vero, fama et, quam vocant, traditione omnia commiscentibus, has tabulas habitas fuisse ipsi beato viro oblatas. Vide tamen Albericium.*

f *Recte dicitur* Mediolanum versus *profectus esse, quum iverit Cavacurtam; quamquam Mediolanum non peteret, sed Cavacurtam cogitaret; ubi sat diu constitit. Verum priusquam illi se daret itineri, plures annos vixit Corvariæ; quemadmodum in Commentario docuimus num.* 24 *et seqq.*

g *De hujus tunicæ veneratione vide Commentarium num.* 41 *et seq.*

h *De his sacculis dictum in Commentario num.* 46.

(1) Dissert. sopra due iscriz. delle mart. Simplicia ed Orsa, pag 59 et seqq. — (2) Gianius, Cent. IV, lib. V, cap. IX, tom. II, pag. 301.

i *De Piceleonis parthenone dictum in Commentario num.* 30.

k *Intelligitur Ferrarius ; de quo dictum in Commentario num.* 3.

l *Teste Paleario, nomen beati* Joannis Angeli *tulit hæc cella , donec destruenda visa est, quo locus amplior fieret ædificando novitiatui.*

m *Vide annotatum* g.

n *Hyppolytus Porrus in beati gentilis sui Vita testem invocat Paulum Bignami, egregiæ bonitatis virum et Laudensem archidiaconum, qui narraret et ad jusjurandum interponendum paratus esset se ex testibus de visu audivisse B.* Joannem *non raro in ecstasin fuisse raptum et de terra sublatum in aerem.*

o *Febri sublatum fuisse volunt vulgo: ipsi viderint unde perspectum id habeant et qua ratione id temporis phlebotomia morbis illius medicina esset.*

p *Vulgare miraculorum genus in Actis sanctorum non coævis.*

q *Garbius hanc inseruit sæculo* XVIII *parenthesim. De universa hujus festi ratione dictum in Commentario num.* 37, 38 *et* 49.

r *Hæc carmina leguntur apud Ferrarium, in Catalogo Sanctorum Italiæ ejusque videntur esse fœtus. Subjecit enim similia disticha Vitis seu Elogiis aliorum quoque ordinis sui sanctorum; non indicans auctorem neque innuens ea sui styli non esse. Cæterum si alius sint, habendi forent tamquam antiquissimus (qui notus sit fons) miraculorum fere omnium quæ in Vita leguntur. In Catalogo generali Sanctorum edidit hæc alia duo carmina:*

Angele dive, tuum (multis medecina) cadaver
Mirandum tumulo non potuisse capi!

Alia multa deinceps de B. Joanne Angelo *conditi versus: verum hi jam satis superque.*

CATALOGUS MIRACULORUM

post obitum,

Collectore Gregorio Milanesi *a*.

Corpus incorruptum.

1 PRIMUM MIRACULUM. Corpus beati, licet non exenteratum, nec balsamis conditum, post bina et ultra sæcula ab ejus obitu qui contigit anno 1496 (immo 1506), integrum usque in præsens in omni sui parte, incorruptum ac flexibile conspicitur et perseverat *b*.

Puerpera liberata;

2 II. Livia Orsina Ceresa cum ob fœtum, in utero mortuum ac per transversum manentem, parere neutiquam posset, audiens non alia via quam per chirurgicam operationem imminentem mortem evitari posse, jamque pro hujusmodi effectu fuerat per alterum ex ejus filiis accersitus chirurgus, petit ad se deferri reliquiam superioris tunicæ, vulgo *tonachino* sive *mantello,* beati Joannis Angeli; qua posita super ejus ventre, statim fœtus ad naturalem redit figuram, et intra breve temporis spatium illum feliciter enixa est *c*. [Die 2 februarii anni 1684.]

hydrops sanata;

3 III. Joanna Angela Ceresa, puerula annorum septem, incurabili hydrope laborans, cum per sex menses frustra ab humanis remediis auxilium quæsivisset, a medicis jam derelicta, adveniente die festo beati, enixe petiit ut perduceretur ad altare, ubi requiescit illius sanctum corpus; illuc autem cum pervenisset, recepta benedictione cum reliquia præfatæ tunicæ beati, instantanee corporis detumescentia evanuit, et ab hydrope perfecte sanata remansit *d*. [Anno 1681.]

præceps restituta;

4 IV. Anna Ceresa, præceps ruens de scala domus paternæ, per tres integras horas humi exanimis jacuerat, itaut ab adstantibus communiter pro mortua haberetur, benedicta cum supradicta reliquia beati, eaque super ejus corpore relicta, statim ad vitam rediit, moveri cœpit et sana et incolumis surrexit *e*. [Die 15 februarii anni 1687.]

timores pulsi;

5 V. Julius Cæsar Draghetti, puerulus trium circiter annorum, subito ingentique timore perculsus, in varios incidit morbos cum gravissimis symptomatibus; delatus ad altare beati et benedictus cum dicta ejus reliquia, perfectam in instanti adeptus est sanitatem *f*.

iliaca passio sublata;

6 VI. Joannes Baptista Cattaneus acerbissimis doloribus cholicis vexabatur, ac inverso fibrarum intestinorum motu *g*, stercora de ore evomebat; nuncupans votum ad beatum, qui ei apparuit, et benedictionem elargitus fuit, illico perfectæ restituitur sanitati. [Anno 1658.]

puerpera et filius mortuus servati;

7 VII. Lucretia Bolognesi filium pepererat mortuum ; sed perseverantibus adhuc post partum doloribus, efflagitavit benedictionem cum dicta reliquia beati; quam cum accepisset, dolores statim recesserunt. Erecta autem ex hujusmodi recepto miraculo in majorem spem, jussit ut cum eadem reliquia mortuus etiam filius benediceretur : quo facto incontinenti ille ad vitam fuit revocatus.

febris abacta;

8 VIII Hyacinthus Regaldi pharmacopola, maligna febri ad ultimam vitæ periodum reductus, abjecta ex medicorum judicio quacumque recuperandæ ab humanis remediis sanitatis spe, votum fecit ad beatum, et recepta benedictione cum dicta ejus reliquia, sanus protinus evasit. [Anno 1686.]

cholici dolores amoti;

9 IX Theresia Palazzi, cholicis doloribus dirissime cruciata, nervisque in toto corpore contractis ad motum prorsus impotens facta, per mensem cum dimidio immobilis in lecto perseverare coacta fuit, recepta benedictione cum dicta reliquia beati, illico dolores evanuerunt;et sana e lecto prosiliens, per domum expedite deambulavit. [Anno 1688.]

fluxio tibiæ curata;

10 X. Sebastianus de Sotis sinistram tibiam ob fluxionem, enormi associatam inflammatione, ad motum prorsus inutilem et ineptam gestabat; ideoque lecto continuo per duos menses adhæserat. Cum advenisset dies festus beati, curavit adferri ad ecclesiam Servorum B. M. V.; ubi se commendans patrocinio beati, de repente sanum se esset comperit, ac propriis pedibus domum reversus est. [Anno 1676.]

cholica et dysuria curata;

11 XI. Frater Carolus Andreas Vignadotti, ordinis Servorum B. M. V., ob crudelissimam cholicam affectionem urinam emingere haud poterat; et dolorum acerbitas ita aucta postmodum est, morbique sævities adeo incruduit, ut contractus in toto corpore movere se non posset. Postquam vidit omnia humana præsidia

A præsidia adhibita incassum cessisse, medicis de ejus salute prorsus desperantibus, ad beati intercessionem habuit recursum; et benedictus cum memorata ejus reliquia, perfectam sanitatem in instanti adeptus fuit. [Mense februario anni 1680.]

febris et diarrhea depulsa; 12 XII. Carolus Franciscus Maria Allegrini, gravissimam acutamque febrim patiens cum diarrhea, amissaque jam per vigintiquatuor et ultra dies loquendi facultate, omnique corporis motu destitutus, morti proximus videbatur. Nuncupato autem per ejus genitricem voto ad beatum, applicataque sæpedicta ejus reliquia super illius capite, perfecte sanus illico e lecto consurgens, cibum sumere voluit.

hæmoptysis cohibita; 13 XIII. Melchior Colli, disruptam in pectore venam gerens, per sex integros menses magnam sanguinis copiam de ore evomuit; cumque extremis jam ecclesiæ sacramentis munitus, mortem sibi imminere animadverteret, ad beatum viva fide se convertit; et recepta benedictione cum relata ejus tunica,
B sanguinis vomitus statim cessavit, ægerque integra sanitate donatus fuit. [Anno 1686.]

febris curata; 14 XIV. Teresia Pirella, tertiaria sancti Francisci, magna febri ultra quadraginta dies detenta, nihil proficientibus adhibitis medelis ac propinatis pharmacis, fuerat per medicos ejus salus proclamata, et jam ad mortem ecclesiæ sacramentis munita fuerat. Beati patrocinio ex corde invocato et benedicta cum ejusdem tunica, statim placido somno correpta remansit. In somniis autem apparuit illi beatus, qui propriam vestem supra eam imponens, sanam futuram prænunciavit; prout illico expergefacta, e lecto sana surrexit.

mulier gravida restituta 15 XV. Magdalena Bre, in utero gerens, toto erat corpore contracta, ac maligna febri prope mortem ægrotabat; ita ut vi cogeretur
h os apertum detinere *h*, ne ex negata respiratione fœtus in utero periret. Jamque promptus aderat chirurgus, qui eam, statim ac animam exhalaverat, ferro secaret, et fœtum, si possibile esset, vivum extraheret. Benedicta cum toties dicta tunica beati, instantanee motum recuperavit, et intra breve spatium sana de
C lecto surgens, ministeriis domus vacavit.

puerpera liberata; 16 XVI. Clara Mella, per tres dies ac noctes partus doloribus exagitata, fœtum in lucem edere nequaquam poterat; et chirurgus, qui fuerat vocatus, jam vi illum extrahere paratus erat. Petiit ac obtinuit benedici cum dicta beati tunica, et confestim filium feliciter peperit.

claudus sanatus; 17 XVII. Honuphrius Bossi, puer annum agens decimum primum, a nativitate claudus, audiens missæ sacrificium ad altare beati, ibique ejus patrocinio implorato, sanatus perfectissime remansit, et in signum tanti miraculi fulcra, quibus utebatur, ibidem reliquit.

dysuria curata; 18 XVIII. Margarita Perega virgo, humido frigidoque humore intra vulvam cruciata, a quo non tantum acerbissimi oriebantur dolores, sed etiam atrox urinæ retentio; cumque chirurgos ab hujusmodi pessima affectione ipsam humanorum remediorum præsidiis vindicare desperare audivisset, petiit et recepit benedictionem cum prædicta tunica beati, et illius intercessionem ferventer apud Deum imploravit; quo facto, in instanti sanam se esse cognovit. [Die 10 octobris anni 1687.]

puer a morbillis sanus factus. 19 XIX. Marcus Antonius Quinzani, puer duorum circiter annorum ætatem non excedens, morbillis *i* graviter ægrotabat, et per
i duodecim dies clausos oculos detinere coactus fuerat; tandem altero aperto, vidit genitrix quod morbilli, etiam intra oculos oborti, infelicem puerum omni videndi facultate orbabant. Cumque medici, quibus commissa fuerat ægri pueruli cura, de ejus cæcitate debellanda prorsus desperarent, jussit eadem genitrix ut supra pectus ægrotantis imponeretur tunica beati; quo statim peracto, dum benedictionem cum dicta reliquia recipiebat, eodem in instanti non solum visum perfecte recuperavit; verum etiam a morbillis omnino sanatus ac liberatus permansit.

ANNOTATA.

a *Catalogum hunc desumpsimus ex Summario super dubio de signanda introductione causæ. Huc ille illatus ex* Libro gratiarum ad
E intercessionem beati receptarum, composito per R. P. Gregorium Milanesi ordinis Servorum B. M. V., *ut ex annotato* c *colligere erit. Primum tamen miraculum ex hoc libro non repetitum. Cæterum in Catalogo illo duæ distinguendæ partes, altera quinque priora complectens miracula, altera reliqua. Hoc autem inter utramque intercedit discrimen, quod prior pars ita instructa est testimoniis ut aliquando ad canonizationem promovendam valeat; altera nude ad comprobandum B.* Joannem Angelum *a populo jam pridem coli instituta est: quocirca quinque priora miracula suis stipantur probationibus; cætera nude recitantur ex codice P. Milanesi, cui publica nequaquam inerat auctoritas. In Catalogo miraculorum nuspiam anni adscripti erant. Eos hic adjecimus ex capite* XXIII *Vitæ italicæ B.* Angeli, *scriptæ ab Alevazolio.*

b *In Summario hæc continenter subjiciuntur huic miraculo testimonia:* Deponunt de insigni et stupendo hoc miraculo unanimiter testes in processu examinati, et signanter testes III (*R. D. Antonius Ceresa, præpositus* F
collegiatæ ecclesiæ S. Thomæ in Terra Amara Mediolani ætatis annorum 57, *quo nullus testis acrioris judicii auditus fuisse videtur*), VI (*Joseph Benalea, regius syndicus fiscalis Mediolani ætatis annorum* 81), X (*Comes Joannes Raymundus Marlianus ex sexaginta decurionibus civitatis Mediolani ætatis annorum* 60, *passim testis prudentissimus*), XI (*Julius Cæsar Pitius, jurisconsultus, annorum* 58, *testis valde accuratus*) et XII (*Bartholomæus Curti, doctor physicus, ætatis annorum* 62, *qui se pium B.* Joannis Angeli *clientem professus est*), omnes de visu et certa scientia juxta articulum 32 (*interrogatorii*); et clarius justificatum remanet ex judiciali visitatione et descriptione ejusdem corporis, de qua dicto processu, et ex relationibus plurium medicorum et chirurgorum adhibitorum in dicta visitatione pro recognoscendo eodem corpore, quæ registratæ fuerunt in supradicto processu. *Benedictus XIV* (1) *ad hæc animadvertit sequentia:*

(1) De Serv. Dei Beatif. etc. lib. II, cap. XXIV, num. 182.

Occasione

A Occasione processus super cultu immemorabili, facta est recognitio corporis servi Dei, *Beati* nuncupati, licet id ex alibi dictis non esset necessarium, cum in processu super cultu immemorabili sufficiat recognitio sepulcri ab extra. Provide tamen id factum est, cum postulatores contendant illud integrum permanere et incorruptum incorruptione quadam mirabili, prout etiam periti retulerunt: quod an subsistat judicium erit loco et tempore sacræ congregationis. *Nondum hac de re, nec de sequentibus miraculis judicium latum, monuimus in Commentario.*

c *Subjiciuntur huic miraculo probationes sequentes in Summario:* Recensent hujusmodi manifestum miraculum testis III (*R. D. Antonius Ceresa, supra laudatus*), filius præfatæ Liviæ juxta articulum 33, de visu; et testis XVIII (*R. D. presbyter Leopoldus Ceresa, magister chori ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Scalensis, ætatis annorum* 48), alter filius ejusdem Liviæ, de auditu a matre et fratre respective, idemque miraculum descriptum invenitur inter
B alia collecta in libro gratiarum ad intercessionem beati receptarum composito per patrem Gregorium Milanesi ordinis Servorum B. Mariæ Virginis et compulsato in processu. *De P. Milanesi vide Commentarium, num.* 32.

d *Addit Summarium ad hoc miraculum:* Hujusmodi miraculum de visu narrat testis III (*Antonius Ceresa, vide annotatum* b) juxta art. 33, et legitur etiam in dicto libro gratiarum (*P. Milanesi*) compulsato *etc.* D

e *Adduntur post hoc miraculum in Summario sequentia:* Testantur de hoc miraculo bini germani fratres sanatæ (*Antonius et Leopoldus Ceresa, vide annotatum* c) de visu; qui sunt testis III et testis XVIII juxta articulum 33 et legitur etiam in dicto libro gratiarum (*P. Milanesi*), compulsato *etc.*

f Refert dictum miraculum de auditu a matre ipse sanatus testis XXIII (*Julius Cæsar Draghetti, jurisconsultus, ætatis annorum* 50.) *Ita Summarium; in quo, quod ad sequentia miracula spectat, hæc deinde inseruntur:* Sequuntur alia miracula descripta in citato libro gratiarum beati compulsato *etc. Hæc in lucem dedit Augustinus Alevazolius cap.* XXIII *Vitæ italicæ B.* Angeli *Porro. Arbitrati non sumus operæ pretium esse ea huc transferre.*

g *Vulgo iste morbus, nomine saltem, satis notus, scilicet* Miserere mei, iliaca passio, volvulus *etc. In implexo ileo constat.* E

h *Absurda ratio: verum hinc saltem constat quæ illo ævo esset conditio rei medicæ.*

i *Morbilli seu pusulæ rubentes ægritudo puerilis est, nota quam maxime. Gallice* la rougeole.

ADDENDA.

DE SS. AMONE, ALCHA, CELSINO ET URSO SEU URSINO,

EPISCOPIS TULLENSIBUS IN GALLIA,

PARALIPOMENA.

V. D. B.

C F

Cultus et reliquiarum fata SS. Amonis, Alchæ, Celsini et Ursi seu Ursini.

SÆCULIS IV ET V. *SS.* Alchas, Celsinus, *Auspicius et* Ursus, *in eadem crypta sepulti ac SS. Mansuetus et* Amon, *nomine tantum Tullensibus fuere cogniti; ex occasione declaratur hic eorum cultus.*

Quum de S. Amone *scribere instituimus, deerat nobis Historia ecclesiastica et civilis diœcesis Tullensis, quam anno* 1707 *Benedictus Picard, professione Capucinus, typis excudi curavit; ad cujus calcem legitur instrumentum de aperta non solum crypta, in qua ipse S.* Amon *olim depositus ferat, verum et de inventis reliquiis SS.* Alchæ, Celsini *et* Ursi, *ejus successorum; de quibus olim in opere nostro ad dies suos nil dictum est et de quibus paucissima extra eam translationis memoriam innotuerunt. Quum itaque errore plura de S.* Amone *a typothetis omissa fuissent, hoc loco supplenda, atque in hac appendice dandum esset monumentum illud, quod desiderarunt decessores nostri* (1), *opportunum visum fuit breviter hic quoque de SS.* Alcha, Celsino *et* Urso *disserere. De his autem in* Catalogo pontificum Tullensium a beato Mansueto et deinceps, *ineunte sæculo* XII *conscripto, quem anno* 1848 *curis G. Waitzii multo diligentius edidit Georgius Pertzius* (2) *quam antea Martenius* (3) *et Calmetus* (4), *leguntur sequentia:* Post quem S. Amonem adeptus est pontificatus honorem vir egregius nomine Alcha. Qui proprii vocabuli usus privilegio, supra sibi commissum gregem sollicito vigilavit studio : Alchos enim Eolice albus dicitur Latiali notamine; quia ipse, virtutum omnigenum decore dealbatus, verbis et exemplis oves sibi creditas duxit ad amœnum

Pastor ovile bonus, qua vellere prævius albo
Virginis agnus ovis grexque omnis candidus [intrat.

(1) Cfr Acta SS. tom. V Sept. pag. 60. — (2) Monumenta Germaniæ, tom. VIII, pag. 632 et seqq. — (3) Thesaurus anecdotorum, tom. III, col. 991 et seqq. — (4) Histoire de Lorraine, tom. I, preuves, col. CXXI et seqq.

Eo

A Eo igitur de terrea calamitate exempto, Celsinus factus est episcopus. Qui summa celsitudine divinarum gratiarum exaltatus, terris emicuit cælestium virtutum operibus, et quia fideli mente complexus est Dominum excelsum super omnes gentes, idcirco ab ipso exaltatus est in cornu populi sui. Quo vitæ hujus excessu facto cum Deo, Auspicius in prædicta sede exstitit ordinatus..... Inde sequens est Ursus, qui in tantum suorum sectatus est vestigia, quo credatur cum illis sempiterna perfrui gloria. [Sui namque nominis ferociam contra vitia imitatus mansuetudinem virtutum laudabiliter est sequutus.] * *Similia occurrunt in Cedulis cujuslibet episcopi Tullensis, seu Epitaphiis episcoporum Tullensium, editis a Calmeto* (1), *nisi quod singulis pro titulo præmittitur:* Sancti Alchæ, sancti Celsini, sancti Auspicii *et* sancti Ursi; *et sepulti dicuntur* apud sanctum Mansuetum. *Neque mira est hæc diversitas; quum enim initio sæculi* XII *Catalogus scriptus est, sanctis nondum accensebantur; secus, quum Cedulæ seu Epitaphia.*

* Ex Calmeto et cod. nunc Nancejensi

Vixerunt sæculis IV *et* V. *Ex S.* Amonis *Actis, non admodum antiquis, desumptæ sunt lectiones veteris Breviarii Tullensis, infra edendæ.*

2 *Quo ævo ii omnes vixerint nuspiam traditur: verumtamen qualitercumque definiri potest eorum ætas ex his, quæ de S. Auspicio comperta sunt, quemadmodum supra* (2) *in Sylloge de S.* Amone *explicitum fuit; ubi ostensum est S. Auspicium coævum fuisse SS. Sidonio Apollinari, Lupo Trecensi et Jamlycho Trevirensi et proin hunc præsulem sub annum* 472 *in Tullensi sedisse cathedra; quam morte reliquisse circa annum* 478 *statuit Sollerius noster* (3) *et post eum Maurini Galliæ Christianæ novæ scriptores* (4); *Benedictus vero Picard* (5) *tenuisse sensit ab anno* 450 *ad* 488. *S.* Alcham *itaque et S.* Celsinum *pastorale pedum gessisse oportet ante medium sæculum* V; *extremo autem S.* Ursum; *ita tamen ut hic obiisse dicatur circa annum* 500, *quo traditur S. Aper ei successisse* (6). *Nec quidquam amplius stabilire licet. De eorum gestis nil omnino novimus; sed S.* Amonis *paulo minus posita sunt in tenebris. Ejus Acta ad manus habuit Benedictus Picard; sed quod recentiora sunt, neque ante sæculum* X *conscripta, pauca inde excerpere voluit* (7). *Hæc et nos hic sistimus lectori, quo*

C *appareat inde ad verbum desumptas esse lectiones veteris Breviarii Tullensis, quas infra ex Benedicto Gonono proponemus. Ecce quæ protulit Picardus:* Beatissimus Amon, suæ sedis civitate relicta, perrexit ad eremi loca secreta, ut sic facilius seculi vanitatem declinaret, divinorumque meditationi liberius vacaret; ac pro grege sibi commisso Dominum ibidem quietius exoraret. In silvis enim et locis nemorosis Sanctesii territorii sive Sanctesis provinciæ diebus quam plurimis legitur habitasse et, quantum sibi licuit, ibidem eremiticam vitam duxisse; unde et locus ille suæ mansionis eremiticæ usque hodie dicitur Sylva sive Nemus Amonis. *Atque hæc in Commentario ex aliis posterioribus monumentis jam declarata sunt.*

3 *Additur in eisdem Actis hanc solitudinem tam caram fuisse beato viro ut in ea oratorium B. Mariæ Virginis exstruxerit et cellulas aliquot quas habitarent clerici, cum suo episcopo degere amantes ejusque secessus fieri participes. Exinde factus est hic locus vicinis populis sacer; sæculoque* XVIII *a multis adhuc adibatur; ita ut duo ibidem ex eleemosynis peregrinantium victitarent eremitæ. In deliciis maxime erat puteus, oratorio proximus, qui jussu B.* Amonis *effossus fuisse tradebatur atque ejus benedictione donum fugandi febres accepisse. Quæ res, auctore Benedicto Picard, causa fuerit cur pientissimus præsul pingi soleat benedicens puteo. Exstruxisse in Actis dicitur S.* Amon *suburbanam cœmeterialem ædiculam S. Petri; in qua ipse inter gregis sui lacrymas post mortem conditus est.* In oratorio, *ita legitur in iis Actis,* quod superius diximus in B. Petri apostolorum principis honore a sancto viro constructum, cum eodem prædecessore suo condignæ traditur sepulturæ. Unde quoque amborum meritis et intercessionibus, ad laudem divini nominis, idem locus ex eo tempore magnificis visus est miraculis effulsisse; cum scilicet cæcorum oculi, diuturna caligine pressi, optatam, expulsis tenebris lucem, variarum peste F
cladium languentes exuti, attractis quoque nervis plures repentes humi, necnon quam multi diversis et innumerabilibus languoribus infecti, gaudia salutis, horum interventu, se gaudeant ad propria retulisse.

AUCTORE V. D. B. *Traditur oratorium B. M. V. excitasse, fodi curasse puteum, multum a peregrinis visitatum, et ædiculam cœmeterialem S. Petri, dein in S. Mansueti abbatiam mutatam, in qua ipse, ejus decessor et quatuor successores sepulti fuerunt.*

Ex crypta eductum est S. Amonis *corpus sæculo nono ineunte; varia ejus deinde fata,*

4 *In ejusdem ædiculæ crypta composita quoque fuerunt SS.* Alchæ, Celsini *et* Ursi *corpora; sed S.* Amonis, *cujus cultus videtur esse antiquior, jam initio sæculi* IX *inde eductum est. In ejus enim Actis legitur Frotharius, qui Tullensem cathedram ab anno* 813 *usque ad annum* 848 *occupavit, imperante Ludovico Pio, circa annum* 820 *S.* Amonis *reliquias transtulisse* (8). *Verum quum barbari, sive Normanni, sive Hungari, ad finem ejusdem sæculi* IX *et initium sequentis Tullensem diœcesim vastarent, eæ in crypta rursus conditæ fuerunt simul cum SS.* Alchæ *et* Celsini *exuviis; ex qua crypta videntur elatæ fuisse a S. Gauzelino, quippe qui in iisdem S.* Amonis *Actis legatur in renovato S. Mansueti templo super pulcherrimum S. Petri altare collocasse et populorum venerationi exhibuisse thecam reliquiariam S.* Amonis (9); *quod sub annum* 957 *factum fuerit oportet, quum circa id tempus restaurare cœperit S. Gauzelinis S. Mansueti ædem et ibidem monasterium constituere* (10). *Verum ut in suo haberent templo S.* Amonis, *episcopi sui, corpus concupiscebant Tullenses canonici; quibus votis obsecundandum esse æstimavit Herimannus, qui ab anno* 1019 *ad kalendas apriles anni* 1026 *in Tullensi cathedra sedit. Hinc in Gestis episcoporum hujus civitatis* (11) *legimus:* Ipse corpus beati Amonis a cœnobio gloriosi Mansueti transtulit et in ecclesia episcopalis sedis, ubi nunc honorifice veneratur, collocavit. *Quæ res paulo latius narratur in prisca Legenda templi cathedralis Tullensis; ubi traditur hæc translatio facta anno* 1026 (*immo* 1025), *paulo ante Herimanni mortem; ab eo arcæ ligneæ inclusum fuisse venerabile corpus, et in synodo generali statutum*

(1) Histoire de Lorraine, tom. I, preuves, col. CCXII. — (2) Pag. 48 et seqq. — (3) Acta SS. tom. VI Julii, pag. 561 et 562. — (4) Tom. XIII, col. 960. — (5) Histoire de la ville et du diocèse de Toul, pag. 216 et seqq. — (6) Gallia Christiana nova, tom. XIII, col. 960; Hist. de Toul, pag. 225; Acta SS. tom. V Septembris, pag. 58. — (7) Histoire de Toul, pag. 205 et seqq. — (8) Cfr Gallia Christiana, tom. XIII, col. 969. — (9) Benoit Picard, Hist. de Toul, pag. 207. — (10) Acta SS. tom. III Septembris. pag. 142. — (11) Ap. Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. VIII, pag. 642.

AUCTORE V. D. B.

esse ut quotannis hujus rei celebritas recoleretur simul cum sancti viri natalitiis die 23 *octobris* (1); *quibus addit Benedictus Picard* (2) *S. Mansueti monachos non prius cessisse canonicis sacra ea pignora quam abstulissent aliquot reliquias; quas suo adhuc tempore religiose servasse. Temporibus Hugonis de Hazardis, qui Tullensem diœcesim rexit ab anno* 1507 *ad* 1517, *nova facta est translatio. Anno scilicet* 1511 *Christophorus Collet, Christopoleos episcopus in partibus infidelium, jussus est ab Hugone, cujus erat vicarius in pontificalibus, sanctissimi viri corpus ex theca Herimanni lignea extrahere et in nova argentea, laminis aureis gemmisque decorata, quam ipse Hugo sua pecunia parari curaverat, reponere : quod negotium summa solemnitate, præcipuis clericis et laïcis adstantibus et immensa populi multitudine circumfusa, absolutum est : quo tempore inferior maxilla singulari thecæ non minoris pretii inclusa est.*

quæ breviter explicantur in Scipionis H. Begonis Breviario Tullensi,

5 *Harum rerum omnium memoria servata est etiam in novo Breviario Tullensi, quod anno* 1749 *Scipio Hieronymus Begon episcopus in lucem edidit :* Beati Amonis reliquiæ, *ita legitur in lectione* VI, primum nono ineunte sæculo a Frotario, Tullensi episcopo, translatæ, multos subinde per annos a frequenti barbarorum incursu subductæ delituerunt. Anno autem millesimo vigesimo sexto (*immo* 1025) cleri sui votis annuens Hermanus, hujus sedis antistes, sacra sancti pontificis ossa in cathedralem ecclesiam transtulit et ipsius festivitatem ad undecimum calendas novembris, qui translationis dies est, solemni officio celebrandam in synodo diœcesana generali decrevit. Denique sacræ illius exuviæ anno millesimo quingentesimo undecimo, coram maxima cleri et populi frequentia, a Christophoro, Christopolitano episcopo, Hugonis de Hazardis in pontificalibus vicario, recognitæ, in pretiosa, quam dictus præsul Hugo de Hazardis ex munere dederat, capsa argentea auro et lapidibus pretiosis ornata, festo apparatu inclusæ et religioso cultu asservatæ sunt.

Anno 1107 *SS.* Alchæ, Celsini, *Auspicii et* Ursi *reliquiæ inventæ, ut ex instrumento publico constat.*

6 *Quod in codicibus quibusdam mss., quos penes se habebat Benedictus Picard, legit S. Gerardum, qui anno* 963 *cathedram Tullensem ascendit et anno* 994 *vacuam reliquit, debitam venerationem præstitisse corporibus sanctorum primorum Tullensium episcoporum, quæ in S. Mansueti templo abscondita erant, hinc collegit ille idem Tullensis historicus jam ante extremum sæculum* X *SS.* Alchæ, Celsini *atque aliorum reliquias elevatas fuisse; sed quidni ipsa verba retulit quibus res luculentior fieret? Certe universali dictione* primorum Tullensium episcoporum *nil conficitur, quum sæculo* X *SS.* Alchas, Celsinus *et alii nondum sancti haberentur. Utut est, anno* 1107 *eæ reliquiæ in crypta repertæ sunt a Pibone episcopo et Theomaro, S. Mansueti abbate. Instrumentum hujus retectionis præ manibus habebat Franciscus Riquet, magnus prior S. Deodati in Vosago, idque tribuebat Piboni in Systemate chronologico episcoporum Tullensium, quod olim ad decessores nostros destinavit* (3). *Illud idem codici S. Mansueti, quo continebatur Catalogus episcoporum Tullensium a S. Mansueto et deinceps, vulgo* D *Gesta episcoporum Tullensium nuncupata, insertum fuit; ut ex instrumento, condito quum anno* 1441 *nova facta est translatio, inferius apparebit. Insertum enim tum fuit id monumentum in novis commentariis; quos novos commentarios penes Mabillonium fuisse ex ejus Annalibus* (4) *liquet; ubi tamen falso tradit se id tomo* III *Analectorum, pag.* 459 *edidisse* (5). *Eosdem novos commentarios invenit Benedictus Picard* (6) *in S. Mansueti monasterio; sed licet in capite affirmet authenticum seu primigenium exemplar sibi præluxisse, manifestum tamen est id pejoris fuisse conditionis quam Mabillonii. Quæ itaque hic inde excerpsit, prius danda videntur :* Paullo ante obitum Pibonis, *inquit* (7), (*Pibo autem recessit mense novembri anni* 1107), detecta sunt in monasterio sancti Mansueti tria feretra, quorum duo continebant ossa primorum Tullensis ecclesiæ episcoporum, [Amonis scilicet, qui sancto Mansueto proxime successit,] * Alchæ, Celsini, *Hæc delenda Auspicii et Ursi, cum eorum sandaliis aliisque pontificalibus indumentis : in tertio reperta E tria capita et ossa trium corporum; sub quibus capitibus nummus aureus inventus fuit et numisma L. Veri. Ex quibus indiciis quibusdam visum est hæc esse corpora regis et reginæ eorumque filii, qui sancti Mansueti interventu ex undis divinitus erepti sunt. Hæc pórro feretra posita in veteri cancello monasterii, ubi crypta erat « opere cæmentarii in « modum arcus triumphalis curvata et ro- « tunda; » in qua tria hæc feretra detecta sunt anno 1107 a Theomaro, S. Mansueti abbate, cum novo operi insisteret : ad quod dedicandum Richardum, Albanensem episcopum, invitavit. Mitto, *addit, significans se memoriam anni* 1441 *coram habuisse,* aliam eorumdem feretrorum translationem, quæ Eugenii IV pontificatu facta est.

Ab hoc tempore culti fuere hi sancti et dies festos habuere proprios;

7 *Valde verisimile est ex illo tempore coli cœpisse sanctos* Alcham, Celsinum, Auspicium *et* Ursum; *quum anno* 1441 *feretrum, super altare positum, tam antiquum esset ut in putredinem dissolveretur. Quod vero potissimum est, in instrumento ejusdem anni* 1441 *leguntur hæc totidem verba:* In Collectario missali et aliis antiquis libris ejus monasterii et in episcoporum librorum calendariis reperiuntur antiquissimis litteris nomina sanctorum dictorum Alchæ, Auspicii, Celsini et Ursi, Tullensium episcoporum, eorumque collectæ et orationes descriptæ. *Et quidem, omisso S. Auspicio, de quo jam dixere decessores ad diem* 28 *julii; omissa etiam festivitate, quæ ineunte sæculo* XVII, *ut ex Saussagii Martyrologio constat, agebatur adhuc die* 2 *augusti* Tulli Leucorum *de* inventione et repositione sanctorum episcoporum Alchæ, Celsini, Auspicii et Ursi; (*qua celebritate recolebatur translatio anno* 1441, *die* 1 *augusti facta; cujus memoria propter festum S. Petri ad Vincula ad diem proxime sequentem differebatur;*) *habebant olim SS.* Alchas, Celsinus *et* Ursus *in S. Mansueti monasterio festos dies sibi proprios : S.* Alchas *nempe diem* 26 *augusti; ad quam hæc tradit Saussayus:* Sepultus fuit in æde suburbicaria S. Petri, F

(1) Benoit Picard, Hist. de Toul, pag. 207. — (2) Ibid. loc. cit. — (3) Acta SS. tom. V Septembris, pag. 60. — (4) Annales Benedictini, ad annum 1107, num. 50, tom. V, pag. 483. — (5) Cfr Acta SS. tom. V Septembris, pag. 60. — (6) Histoire de Toul, preuves, pag. LXXXVIII. — (7) Annal. Bened. ad an. 1107, num. 50, tom. V, pag. 483.

quam

A quam vivens magis coluerat; in qua hodie caput ejus venerandum promitur ejusque natalis celebratur ex more avito multo cum honore; *quod festum dein universæ diœcesi Tullensi commune factum est, non tamen die* 26 *augusti, sed* 28 *septembris; ad quam S.* Alchæ *nomen in kalendario Breviarii diœcesani Tullensi anni* 1628 *occurrit* (1): *S.* Celsinus *in S. Mansueti monasterio et dein in diœcesi Tullensi habebat diem* 20 *maji* (2); *itemque S.* Ursus *diem* 1 *martii* (3); *sed anno* 1707 *cessarat jam in Tullensi diœcesi S.* Celsini *singularis festivitas, seu potius conjuncta fuerat cum universali memoria sanctorum episcoporum Tullensium, qui proprio festo carebant et quorum omnium officium ritu duplici primæ classis agebatur die* 1 *martii, antea soli S.* Urso *sacra* (4).

post SS. Alchas, Celsinus *et* Ursus *seu* Ursinus *simul cum SS. Albino, Antemundo, Endulo et Arnulpho una celebritate culti fuere die* 9 *novembris.*

8 *In Breviario Scipionis Begonis idem festum ritu duplici primæ classis, sed solemne minus, servatum est, repositum tamen die* 9 *novembris, postridie octavæ omnium sanctorum. Lectione quarta hæc continentur:* Multos ex sanctissimis illis, quibus tamquam suis nostra gloriatur ecclesia, passim per annum, fratres charissimi, proprio nomine vocavimus antistites; gestis commendavimus quemque suis; speciali quemque festivitate, et quidem congruenter, recoluimus. Etenim a nobis vel a nullo debuit illa patrum, quæ filiorum est, gloria commemorari celebritas. Nec quoque per gratum licuit animum alios omittere quam plurimos; quos, licet ætate, obitu, singulisque vitæ gestis non indubitanter nobis notos, pari tamen nostrum cura, paribus in nos beneficiis, iisdemque virtutibus in unam beatitudinem collectos, in unam utique decuit festivitatem colligi. Quos inter sanctitatis nomine clarissimos cogitate per sæcula religiosum Amonis successorem Alcham, qui omni virtutum genere insignis, verbo et exemplo oves sibi creditas ad unum Christi ovile sollicite produxit pastor optimus; Celsinum mirabilem, qui divinarum ornamento gratiarum exaltatus in terris, copiose operum merito coronatus est in cælis; Ursinum laudabilem, qui nominis sui fortitudinem contra vitia imi-
C tatus, amicam in moribus mansuetudinem est secutus: venerabilem Albinum, qui inter cætera pietatis insignia, ecclesiam, quam prædecessor suus cœperat sanctus Aper, sagaci studio perædificavit; ibique fideles viros ad exemplum apostolorum efformandos aggregavit. Quid plura? Longum esset ire per singulos. Dicenti occurrunt Antimundus, Endulus, Arnulphus, omnes viri sanctitatis nomine venerandi; quorum Deus novit luculenter opera, abundanter coronat et merita. *De SS. Albino, Antimundo, Endulo et Arnulpho dici poterit ad diem* 9 *novembris.*

Vetus hymnus historicus de S. Amone.

9 *In antiquo Tullensi Breviario, quod penes se habebat Benedictus Gononus, exstat de S.* Amone *hymnus, quo omnia fere ejus gesta continentur. Placet hic eum attexere, uti etiam veteres quas promisi lectiones.*

Arcum cæli præfulgidum
Inter nebulas gloriæ,
Dic Amonem prænitidum,
Lumen hujus ecclesiæ.

Hic Mansueto præsuli
Successit in officio:
Quem in secreto tumuli
Digno clauserat studio.
Prædecessoris gloriam
Præcursor non minuit:
Qui sectando justitiam,
Devote Deum coluit.
Hic coercet a gregibus
Lupum rapacem strenue,
Sacris orationibus
Deo vacans assidue.
Pastor suum pabulo
Gregem pascebat jugiter:
Dum prædicabat populo
Verbum Dei fideliter.
Ortam labem hæreticam
Exclusit a Tullensibus:
Atque fidem catholicam
Reformavit in omnibus.
Dum adest sancti transitus,
Lapso vitæ curriculo:
Ad votum est reconditus
In Mansueti tumulo.
Dehinc alumnum gratiæ E
Præsul Hermannus transtulit,
Ac matrici ecclesiæ
Hunc venerandum contulit.
Felicis vitæ terminum
Commendant beneficia.
Data filiis hominum
Per ipsius suffragia.
Sanant lepræ contagia
Sancti merita præsulis
Ac febrium incendia,
Dum pulsatur a populis.
Cæcis visum restituit,
Corda curans et corpora:
Se benignum exhibuit
Cunctis per longa tempora.
Hunc reges cum principibus
Coluerunt mirifice:
Magnis locum muneribus
Ditantes honorifice.
Patri, Nato, Paraclito
Deus, honor, imperium;
Amonis sancti merito
Nobis accrescat gaudium. F

AUCTORE V. D. B.

VITA S. AMONIS,

EPISCOPI TULLENSIS,

ex veteri Breviario Tullensi et Vitis Patrum Occidentis Benedicti Gononi, pag. 258.

S. Amon, *studens Christi humilitatem imitari, perrexit in pagi Sanctesii solitudinem, ubi basilicam B. M. V. construxit, nomenque suum huic oratorio et nemori reliquit.*

Fœlix pontifex Amon fœlicem fœliciter imitatus est agnum; qui cum in forma Dei esset et pontifex futurorum bonorum, propositio tamen sibi gaudio, sustinuit crucem et pro redemptione generis humani (cum esset Filius Dei) humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Hoc igitur tam insolito humilitatis

(1) Cfr Acta SS. tom. VII Septembris, pag. 597. — (2) Hist. de Toul, pag. 205. — (3) Ibid. pag. 223. — (4) Ibid. pag. 205.

AUCTORE V. D. B.

militatis exemplo mente roboratus B. Amon, cum esset in Tullensi urbe pastorali cathedra sublimatus, omni tamen diligentia studuit semetipsum in omnibus humiliare: ut per hæc juxta Scripturæ promissum posset coram Deo gratiam uberius invenire. Propter quod tota animi intentione declinavit mundanum favorem et fallacem sæculi vanitatem, quæ suos amatores damnabiliter dejicit et ad infima barathri loca cum apostaticis spiritibus miserabiliter deducit. Hinc est quod beatissimus Amon, suæ sedis civitate relicta, perrexit ad eremi loca secreta, ut sic facilius seculi vanitatem declinaret, divinorumque meditationi liberius vacaret; ac pro se et grege sibi commisso Dominum ibidem quietius exoraret. In sylvis enim et locis Sanctesii territorii, sive *a* Sanctesis provinciæ *a*, multis temporum curriculis seu diebus quam plurimis legitur habitasse et (quantum sibi licuit) ibidem eremiticam vitam duxisse. Unde et locus ille suæ mansionis eremiticæ usque hodie dicitur Sylva sive Nemus Amonis. Ibidem etiam ad B honorem almæ Dei genitricis, quæ fructum protulit nostræ salutis, quæ vera spes est omnium salvandorum et pia reconciliatrix peccatorum, devotam basilicam construxit et ad devotionem et honorem Virginis gloriosæ verbo pariter et opere efficaciter induxit. Quæ quidem basilica a suo constructore sumpsit nomen et Amonis ecclesia dicitur usque in hodiernum diem.

Dum in eremo esset, hæresi inficiuntur Tullenses; quos ab hac labe feliciter liberavit.

2 Cum autem in Domino obdormisset homo sine querela prudensque pater familias urbis Leuche, venerabilis scilicet Mansuetus, qui primo bonum semen fidei catholicæ seminavit in agro suo, id est in populo Tullensi sibi commisso : præclarus successor ejus Amon, fugiens (ut dictum est) seculi vanitatem, Christo duce, perrexit ad secretum eremi silentium et quietum *. Et cum dormirent homines, suæ forsan salutis immemores, vel in semine bono fidei custodiendo negligentes, tamquam noviter conversi et adhuc debiles et infirmi, venit humani generis inimicus, angelus scilicet sathanæ, nostræ salutis crudelis adversarius, bonis omnibus invidens, qui C non dormit neque dormitat : sed tamquam leo rugiens, quem dentibus suæ malitiæ devoret, quærens omni tempore vigilat : venit (inquam) et in medio tritici Tullensis ecclesiæ sive gregis dominici per satellites suos, prophanos scilicet hæreticos, superseminavit zizania, id est hæreticæ pravitatis et pestiferæ novitatis veneficia; sicque gregem dominicum totaliter infecit et suæ nequitiæ fermento, quasi totam massam urbis Leuche corrupit et maculavit *b*. Quod cernens beatissimus Amon, oves videlicet sui gregis sic infectas, quarum cura sibi ex officio incumbebat, tactus dolore cordis intrinsecus, tamquam pius pastor suo gregi compatiens, ingemuit præ dolore, et cum omni diligentiæ vigilantia, spiritu fortis et fervidus, studuit prædictis nefandis dogmatibus celeriter obviare. Et quod, Deo inspirante, proposuit, ipso cooperante, perfecit. Nam per devotarum precum suffragia et lacrymarum irrigua, necnon et per valida veritatis evangelicæ dogmata, errores impiæ novitatis damnavit, tenebras suæ pestiferæ suasionis effugavit, lumen catholicæ veritatis mentibus induxit: sicque gregem morbidum curavit, et fidem catholicam in sua diœcesi cum Dei adjutorio quasi noviter reformavit. D

* quietem

Virtutibus omnigenis claret.

3 Quantis vero virtutum odoribus Amon beatissimus mundo suaviter fragraverit, quantisque curarum et sollicitudinum bonis laboribus pro tuendis dominici gregis insudaverit, quam alacer in exhortando negligentes, quam benignus in exhortando et consolando pœnitentes fuerit, non facile potest explicari. Hæc et his similia suæ præclaræ sanctitatis insignia non est proculdubio nostræ facultatis pleniter explicare, nec ut expediret sufficienter enarrare *c*.

c

ANNOTATA.

a Sanctesium *territorium, provincia seu pagus dicitur etiam* Segontensis pagus, *comitatus* Segintensis *et* Sanctensis *etc. vulgo* le Saintois: *sæculo* IX *jam hæ dictiones in usu* E *erant. Caput ejus erat Vadanimons* (Vaudemont). *Finiebatur decanatu Sanctesii in archidiaconatu Vitellensi* (Vitel); *qui decanatus sexaginta fere capiebat parœcias et multas ecclesias annexas* (1). *Historiæ suæ Lotharingiæ inseri curavit Calmetus mappam diœcesis Tullensis, cujus ope facile intelligi potest hujus comitatus et pagi ambitus.*

b *Quinam hæretici intelligantur quis dixerit? Manichæi, vario sub nomine latitantes, quieverunt numquam; Ariani sæculo* IV *adulto labefacti quidem, non suppressi; Pelagiani et Semipelagiani sub idem tempus grassabantur in Galliis; his adde Priscillianistarum reliquias etc.*

c *Non plura dat Gononus; sed significat alia dein sequi in Breviario Tullensi, quæ videlicet ad reliquiarum translationes pertinent.*

INVENTIO CRYPTÆ S. AMONIS

Et reliquiarum SS. Alchæ, Auspicii, Celsini et Ursi, episcoporum Tullensium. F

Ex editione Benedicti Picard in Historia ecclesiastica et civili Tullensi, probat. pag. LXXXVIII et seqq.

Anno 1107 retegitur crypta S. Amonis, *ibique inveniuntur reliquiæ SS.* Alchæ, *Auspicii,* Celsini *et* Ursi, *cum tribus aliis corporibus.*

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Cunctis christianæ religionis et orthodoxæ fidei cultoribus præsentibus et futuris innotescat, quod (prout in catalogo episcoporum Tullensium *a* continetur), cum dudum, videlicet de anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septimo, regnante tunc Henrico imperatore, et bonæ memoriæ reverendo in Christo patre domino Pibone Tullensi episcopo, venerabilis in Christo pater frater Theomarus, Dei patientia abbas monasterii sancti Mansueti

a

(1) Histoire de Toul, pag. 60 et seqq.

prope

A prope et extra muros Tullenses, ordinis sancti Benedicti, ad plagam sive regionem septentrionalem ubi tunc erat cancellum vetus ejus-
b c dem monasterii *b* et hisce diebus *c* est capella ad altare beati Benedicti, sub pavimento ipsius altaris criptam, opere cementarii in
d modum arcus triumphalis *d* curvatam et ro-
d tundam, in qua apparebant tria feretra *d* sanctorum gloriosis reliquiis ad summum usque
e referta, cripta *e* [et] firmissimis et * munita
* et *dele* circulis, [et] thesaurum antiquissimæ vetustatis repræsentantia, invenisset. Profecto de sanctorum nominibus dubitans, librum de dicto catalogo pontificum Tullensium ad hoc assumpsit; in quo scriptum reperit, quod apud matriculam beati Mansueti, sancti
f Amon *f*, ejusdem præsulis Mansueti primus et gloriosus successor, Alcha, Auspicius, Celsinus et Ursus, successive Tullenses episcopi, requiescant. Sandalia itaque et alia diversi generis indumenta pontificalia, in duobus ex dictis feretris reperta, indicabant corpora pontificum ibidem esse recondita; et in tertio
B feretro tria capita cum reliquis ossibus corporum trium contegebantur. Sub quibus capitibus nummus aureus inventus fuit, et minutata ærea pro scriptura fortassis ad judicium utriusque sexus [et] quoddam regale
g nummisma *g*. Ex quo palam in quibusdam datum fuit concipere, hoc esse regis et reginæ eorumque filii, per interventum gloriosi Mansueti miraculo insolito ab undis erepti corpus: cujus filii resurrectio non tantum urbi Tul-
* patri? lensi, sed et pater * semper fuit et indicium salutis et fidei christianæ. Ad cujus rei evi-
h dentiam *h*, memoratus abbas, cœpto per eum insistens perseveravit negotio; opus novum, firma laquear[i]um compagine veteri indivisibiliter continuatum, maturo tempore consummavit; accersitoque domino Richardo, Albanensium episcopo, sub Paschali papa tempore illo in partibus Galliarum sedis Romanæ le-
i gato *i*, cum frequentia celebri solemniter dedicavit : feruntque tunc prædicta sanctorum corpora propter importunitatem operis, tunc existentis, ibidem dimissa; providentia divina
k suis temporis transferenda *k*, prout in hujus-
C modi Catalogo pontificum latius videbitur contineri.

Anno 1441, magna adstante corona, aperitur capsa, super altare maximum posita, cui illæ exuviæ inclusæ erant;

2 Sed postmodum nonnulli Christi fideles, quandam criptam seu feretrum, retro summum altare ecclesiæ ejusdem, antiquissimum, successu temporis fabricatum *l*, ex quo reliquiæ ibidem reconditæ in pavimentum cadebant, cernentes; ac sanctorum et aliorum corporum prædictorum reliquias * (exceptis reliquiis sancti et gloriosi confessoris Dei
l præfati Amonis, Tullensis episcopi, in ecclesiam catedralem Tullensem dudum *m* translatis), ibidem recludi suspicantes; reverendo
* *Male in impr.* reliquiæ in Christo patri * domino Ludovico de Haracuria, Tullensi episcopo, obnixe supplicant
m ut * quamvis criptam seu feretrum antiquum
* *Male* patre hujusmodi apertum et quid intus existit videri
* *Male* supplicandus et inspici, et ea quæ in illo reperta sunt in novum feretrum ligneum, quod fabricari et construi fecerant, transferri mandare dignaretur et vellet. Hinc fuit et est, quod anno incarnationis millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, indictione quarta, die vero festi sancti Petri ad Vincula, prima mensis augusti, hora matutinarum ipius diei, vel quasi pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Eugenii divina providentia papæ quarti anno undecimo, regnante domino Frederico Romanorum rege semper augusto, ac dicto reverendo patre domino Ludovico de Haracuria, Tullensi episcopo, et fratre Dominico de Nancejo tunc ejusdem monasterii abbate *n*, in numerum * notario-
n rum publicorum subscriptorum, ac nonnullo-
* numerum *dele* rum dominorum et virorum ecclesiasticorum et sæcularium, necnon populi utriusque sexus dictæ civitatis, suburbiorumque et locorum vicinorum ejusdem, ad ecclesiam dicti monasterii propter negotium infrascriptum con-
* *Male* confluentes. fluentis * et congregati, multitudinis copiosæ,
o etiam tertium *o* infrascriptorum ad hoc vocatorum [et] specialiter rogatorum præsentia; reverendus in Christo pater frater Henricus de Valliscolore, ordinis fratrum Minorum, Dei gratia episcopus Christopolitanus, vicarius in pontificalibus supradicti domini Ludo-
n vici de Haracuria, Tullensis episcopi *p*, in ecclesia ipsius monasterii existens et personaliter constitutus; ac venerabilibus in Christo patribus fratribus Waltero de Castineto sancti Apri *q* et præfato Dominico sancti Man-
q sueti extra muros Tullenses sancti Benedicti, necnon Dominico Cancarul sancti Leonis Tul-
r lensis sancti Augustini ordinis *r*, Dei patientia monasteriorum abbatibus, sibi assistentibus; de mandato dicti reverendi patris domini Ludovici, Tullensis episcopi, criptam seu feretrum antiquum hujusmodi aperuit.

et, quoniam de sanctorum illorum cultu constabat, reponuntur honorifice in nova capsa lignea.

3 In quo septem capita cum reliquis ossibus septem corporum, necnon numisma æreum, ibidem alias reposita, evexit; illudque (ut præmittitur) aptum supra majus altare ecclesiæ ipsius monasterii sancti Mansueti reposuit; et missam conventualem, pontificalibus indumentis fulcitus, ac diacono et subdiacono, pluribusque ministris aliis (ut decet) sociatus, ad honorem Dei omnipotentis et beati principis apostolorum (cujus dies solemnis agebatur), necnon sanctorum confessorum Alchæ, Auspicii, Celsini et Ursi, quondam pontificum Tullensium, quorum corpora et reliquiæ coram eo posita erant, I dulci modulamine et plausu sonoro decantavit. Qua finita et per eum populo ibidem astanti sermone Dei expleto, ut glorificaretur Deus in sanctis suis, quatuor capita et ossa membrorum quatuor corporum, cum dictis capitibus existentium, quæ dictorum sanctorum Alchæ, Auspicii, Celsini et Ursi fuisse et esse credebantur et pie creduntur (attentis præmissis * et eo potissime quia in Collecta-
* *Male* promissis rio missali et aliis antiquis libris ejusdem monasteriis, et in episcopoum librorum *s*
s calendariis reperiuntur antiquissimis litteris nomina sanctorum dictorum Alchæ, Auspicii, Celsini et Ursi, Tullensium episcoporum, eorumque collectæ et orationes descriptæ, et deinde sandalia et alia diversi generis indumenta pontificalia, vetustate consumpta), primo et mox alia tria capita cum aliis reliquiis, quæ regis, reginæ [et] filii sui, prædictorum, et similiter credebantur et creduntur, a dicto feretro vetere seu cripta abstulit, et in dictum aliud feretrum ligneum novum illico idem reverendus antistes frater Henricus honorifice

AUCTORE V. D. B.

AUCTORE V. D. B.

honorifice transtulit, dictumque numisma æreum ibidem reposuit, et ipsum feretrum novum clausit, illudque retro majus altare ipsius ecclesiæ super columnas lapideas poni jussit et decrevit, aut * positum est de et supra. Quibus præmissis * omnibus et singulis, præfatus frater Dominicus abbas, suo et dicti sui monasterii nominibus, a nobis notariis publicis subscriptis instrumentum publicum unum et plura ejusdem scribere * tenoris sibi fieri atque tradi petiit cum instantia et postulavit. Acta fuerunt * hæc sub anno, mense, die, hora, loco, indictione et pontificatu supradictis; præsentibus in præmissis dictis venerabilibus patribus dominis sanctorum Apri et Leonis monasteriorum abbatibus; ac religiosis viris fratribus Henrico Garni de Gondricuria, priore prioratus de Rinello *t* Tullensis diœcesis, a dicto monasterio dependentis *; Widerico, dicti monasterii sancti Leonis religioso claustrali; Joanne Rauceleti, magistro scabino; Joanne de Jenvilla * et Guillelmo de Foro, civibus Tullensibus; una cum pluribus aliis testibus, ad præmissa vocatis specialiter et rogatis *u*.

* ut ?

* *Male* promissis

* scribere *dele*

* *Male* futurum

t

* *Male* dependenti

* Joinville

u

ANNOTATA.

a *Vide in præmissis Paralipomenis, num.* 5. *Auctus est sæpius is Catalogus aliter in aliis codicibus; verum deest hic locus in editionibus Martenii, Calmeti et Pertzii.*

b Monasterium *hoc loco est ipsum templum; et* cancellum *seu potius cancellus, licet quodvis septum sit, est hoc loco claustrum, quo chorus ædis S. Petri dividebatur a navi, adeoque per synecdochen ipse chorus. Qua significatione eadem vox venit in instrumento Tullensi anni* 1117, *quo prioratui Pontis S. Vincentii sua confirmantur jura* (1) : Curæ tuæ successorumque tuorum, *ratione patronatus* erit in matre tantum ecclesia librum, calicem, sacerdotale vestimentum procurare et corporis ecclesiæ parietes ac tectum restaurare, CANCELLI restauratio sub cura sacerdotis erit; turris vero ad parrochianos pertineat.

c *Videtur anno* 1441 *adhuc exstitisse vetus* C *ecclesia, quam loco primævæ ædis cœmeterialis construxit S. Gerardus Tullensis præsul sub annum* 965, *quam S. Mansueti abbates novis dein ædificiis auxerant et in qua Theomarus, qui ab anno circiter* 1079 *ad* 1124 *abbatialem baculum habuit, novas cryptas procurasse legitur, anno* 1090 *ab episcopo Pibone consecratas, et alias dein mutationes molitus est quæ in Historia inventionis reliquiarum S. Petri his verbis enarrantur* (2) : Theomarus..... divino se brachio sustentante, mirandam ecclesiæ structuram binis subnexam turribus inopinabili celeritate complevit. Instante denique die, ut novum opus veteri continuaretur, necessitas dictabat et ratio, ut condendis novis altaribus antiqua everterentur. *Quod negotium dum procuraret, in cryptam S.* Amonis *incidit Ludovicus de Haracuria, qui ab anno* 1437 *ad* 1449 *Tullenses infulas gessit, de novo multa magnificentia ædificavit id templum; sed id ante annum* 1441 *non videtur aggressus esse* (3). *Medio sæculo* XVI *id periit; neque postea restitutum est.*

d *Arcus triumphalis est vel ædificium arcuatum, in triumphi memoriam erectum, vel arcus, in veteribus basilicis inter absidem et navim consurgens. Hic nil aliud indicari videtur quam cryptam non fastigiatam fuisse aut testitudinis formam habuisse, sed ex uno producto arcu constitisse.* D

d *Septem aderant corpora, et tria tantum sepulcra; quorum unum trisomum, seu tria capiens corpora; alia vero duo verisimillime bisoma. Hæc quoque Romæ in subterraneis cœmeteriis sæpissime occurrunt.*

e Crypta *hoc loco non est subterranea camera, sed lapideus aut ligneus sarcophagus. Inferius eadem significatione redit.*

f *S.* Amon *ibi olim jacuerat, sed non amplius jacebat : qua in re erravit Mabillonius. Traditur hic tantum legi in Catalogo seu Gestis episcoporum Tullensium quinque hos sanctos depositos fuisse in æde S. Mansueti seu potius S. Petri.*

g *Numisma L. Veri id fuisse legit in suo exemplari Mabillonius; unde patet id melius fuisse quam Benedicti Picardi.*

h Ad cujus rei evidentiam *etc., id est, cognita horum sepulcrorum retectione, non destruxit* E *hanc cryptam, sed eamdem continuavit, ut ædiculæ formam haberet et consecrari posset.*

i *Richardus, Albanensis episcopus, magnam vitæ partem legatus, anno* 1107 *B. Paschalem papam II in Gallias secutus est et multa ejus mandato peregit; sed utrum tum reapse legati auctoritate munitus fuerit, an vero legati nomine dictus, quod is titulus ei jam pridem quasi adhæsisset, hoc loco disputandum non est.*

k *Corpora hæc in crypta reliquit Theomarus; sed postea aliquis ejus successor curavit ea transferenda ab episcopo Tullensi post altare summum templi, ubi anno* 1441 *denuo retecta sunt.*

l *Id est factum post annum* 1107, *quum scilicet post Theomari tempora ex crypta subterranea educta fuerunt septem corpora.*

m *Ab Hermanno scilicet, Tullensi episcopo, anno* 1025.

n *Dominicus de Nancejo abbas erat anno* 1428 *eamque dignitatem retinuit usque ad annum* 1447.

o *Nisi* tertium *redundet, significatur præcipuos ex clero et nobilitate tertium invitatos* F *fuisse, ut ea servaretur solemnitas juris quæ in ter citandis reis in usu posita erat.*

p *Ludovicus de Haracuria plerumque in politicis versabatur, diœcesis suæ relicta cura Henrico de Valliscolore* (Vaucouleurs). *Christophorus Collet, qui anno* 1511 *S.* Amonis *reliquias in nova capsa recondidit, et Hugonis de Hazardis vicarius erat in pontificalibus, etiam episcopus Christopoleos in partibus infidelium erat; ita ut tunc non vitaretur ne idem titulus daretur iis, qui in eodem vicariatu sibi quasi succedere videbantur. Atque nunc etiam pauci aliquot tituli eidem officio sunt affixi, ut archiepiscopatus Porphyrensis, episcopatus Bethleemitanus etc. Christopolis episcopalis sedes facta est sæculo* IV, *Philippis metropoli, in provincia secunda exarchatus Macedoniæ; sæculo* XIII *Dramensi cathedræ unita, archiepiscopalis evasit. Alia erat in Cœlesyria in secunda provincia Arabiæ, sub patriarcha Antiocheno et metropolita Bostrensi, quæ et Chrysopolis. Tyana etiam cum Christopolis no-*

(1) Ap. D. Calmet, Hist. de Lorraine, tom. V. preuves, col. CLVII. — (2) Ibid. col. CLIV et CLV. — (3) Cfr Gallia Christ. tom. XIII, col. 1037, 1085, 1087 et seqq.

mine

A *mine occurrit. Primus titulus videtur Christophoro Collet collatus fuisse.*

q *Walterus seu Waltrinus de Chastenois præfuit S. Apri monasterio ab anno* 1433 *ad* 1469.

r *Dominicus Cacal seu Cancarul S. Leonis fuit abbas ab anno* 1439 *ad* 1449.

s *Testimonio invocantur libri abbatiæ S. Mansueti et libri episcoporum Tullensium seu templi cathedralis.* Collectarium missale *est liber, con-* D *tinens collectas, in Missa dicendas, et vulgo dictum* Sacramentarium.

t *Prioratus S. Laurentii de Rinello medio sæculo* XII *antiquior est* (1), *mansitque penes S. Mansueti monachos usque ad annum* 1776; *quo anno, extincto ejus titulo, archidiaconis Tullensibus attributus est* (2).

u *In Picardi exemplari, quod descripsimus, desunt subscriptiones.*

(1) Hist. de Toul, pag. 111. — (2) Gallia Christ. nova, tom. XIII, col. 1087.

DE CORPORE S. JOANNIS CAPISTRANI.

Addenda ad § XLV commentarii de S. Joanne Capistrano.

Medio sæculo XVIII *volebant catholici Sclavoniæ S.* Joannis Capistrani *corpus sub nomine S. Theodori Tironis*

Licet *magna cura impensa fuerit ut ubi corpus S.* Joannis *Capistrani nunc quiescat detegi posset, diligentiam tamen præterivit insignis locus Chorographiæ patriarchatus Ipekiensis, quam sub annum* 1740 (1) *Michael Millescichius, imperatoris Austriaci et magni ducis Etruriæ inter Ragusinos consul, literis mandavit. Ecce tibi quæ illic leguntur :* Promovendus nunc nobis est, *inquit, postquam de insula Pharia seu Pharo, vulgo Lesina, dixerat,* promovendus nunc nobis est gradus in Sclavoniam, ut cætera Ipekiensis patriarchatus jura prosequamur. Postquam enim hanc suis armis subegit provinciam invictissimus imperator Leopoldus, eo ingens Servianorum multitudo ex finitima Turcarum regione confluxit, ut ibi coloniam positura sub Austriacæ domus tutela in pace conquiesceret. In eo itaque tractu, qui Turcas disterminat (montes Frusckæ appellant), sunt septem aut octo monasteria, quæ sibi magnam gloriam assumunt ex sanctorum suorum lypsanis, quæ ibi religioso cultu asservantur. Nominis præcipue nactum celebritatem cœnobium de Opovo, quod ossa principis Lazari, de quo supra verba fecimus, et sancti martyris Theodori Tyronis suo templo
C excipiat. Hanc vero, quam impendunt sancto martyri venerationem, in confesso est apud omnes hujus provinciæ catholicos dari S. Joanni Capistrano, ex Franciscana familia viro sanctissimo, qui magnis exantlatis laboribus pro defendendo adversus Turcas Hungarico regno et catholica servanda religione extremum diem obiit, prodigiorum gloria præfulgens. In oppido quoque Carolostadii, vulgo Carlovitz,... suam habet amplitudinem opulentum templum... Hinc adverso flumine Danubio intenditur iter Petrovaradinum. *Atque hæc Millescichius; ex quibus quum qua via iter ille instituerit colligi aliquatenus possit, sic quoque intelligitur quem locum designari voluerit seu ubi situm fuerit monasterium Opovense : plures enim in illis partibus sunt loci, quibus Opovum, Oppova seu potius Opova nomen est.*

coli in monasterio Opovensi inter Savum et Danubium non procul a Petrowaradino et Carlovitsio ad meridiem.

2 *Sed alibi tamen accuratius Opovensis monasterii positionem designat Millescichius; ubi* (2) *scilicet narrat Lazari Serbiæ principis, anno* 1389 *bello a Turcis occisi et inter martyres a popularibus relati,* solemnem memoriam coli die 15 junii stylo veteri, convenientibus undequaque magna celebritate suæ gentis ho- E minibus ad ejus lypsana, quæ asservantur in montibus Frusckæ prope Petrovaradinum. *Equidem inquirere nolim an quod Lazari corpus esse dicebant Opovenses revera esset, quum passim scriptores Russi id in Ravanicense monasterium delatum fuisse ibique ad hanc usque diem honoratum velint (nostra enim impræsentiarum non interest); sed id unum animadvertam, fieri non posse quin Opova, quam intellexit Millescichius, ea sit quæ in vicinia Petrowaradini expressa est in tabula geographica, exhibente regnum Sclavoniæ cum Sirmii ducatu, quæ ex mappa grandiori desumpta et in lucem edita est ab Homannianis hæredibus anno* 1745; *atque etiam, sed minus distincte, in nova et accurata tabula (is iterum titulus est) sedis belli in regno Hungariæ; cui accedunt cetera regna Sclavonia, Croatia, Bosnia, Servia, Dalmatia, Bulgaria et Romania : ut et principatus Septimontium, Moldavia et Valachia, una cum reliquis circumjacentibus regionibus : excudit Petrus Schenk Amstelodami. Jacet ibi scilicet Opova inter Savum et Danubium fluvios, duabus circiter leucis a Petrowaradino meridiem ver-* F *sus; paulo minus a Carlovitsio seu Carlostadio ad occidentem brumalem; duabus fere a Ruma ad septentrionem; proxime ad latus orientale vici seu oppidi Irek aut Ireg, in vulgaribus mappis notati; et quinque fere leucis a Vilaco orientem brumalem versus. Jam si quæratur an hæc persuasio catholicorum, qui medio superiori sæculo in vicinia Opovæ degebant, præferenda sit illi alteri, quæ in commentario de S.* Joanne *Capistrano* § XLV *explicata est et secundum quam ille thesaurus Biztrizcii in Valachia sub nomine S. Georgii Decapolitæ servaretur, omnino non arbitror ajendum esse; sed in negantium partem ire etiam nolim. Quoties enim contentiones inter latinos et slavos illarum regionum sunt, summa opus est prudentia : quum ambæ partes, æque fere incultæ et ad temere affirmandum quod adversariis displiceat promptæ, testimonium ferre non valeant quod apud viros cautos magnam habeat auctoritatem. Id certe valde suspectum est quod vellent Opovenses mo-*

(1) Farlati et Coleti Illyricum sacrum, tom. VIII, pag. 63. — (2) Ibid. pag. 52.

nachi

A *nachi S. Theodori Tironis corpus in suo templo esse; sed ea de re quæ integrum tractatum requireret, hoc loco disserendum non est. Qualitercumque autem illa omnia se habeant, universa de* S. Joannis *Capistrani corpore quæstio valde obscura est et intricata atque haud scio ullusne umquam eam soliturus sit. Nec quidquam est quod præterea addam nisi quod S. Theodorus Tiro, sub cujus persona* S. Joannem *Opovæ coli dicebant, ille sit qui in Martyrologio Romano ad diem* 9 *novembris summopere laudatur, quippe qui Amaseæ in Ponto, tempore Maximiani imperatoris, pro christianæ fidei confessione flagra, carceres, equuleum, ungulas et demum ignes perpessus sit : de quo plura disserit in Annotatis ad illum diem Baronius.* D

DE S. NICEPHORO, CONF. NON PONT.

FUNDATORE MONASTERII IN CHARSIANO,

V. D. B.

DUBITATIO.

S. Nicephorus, *auctor Charsiani monasterii memoratur ad diem* 24 *octobris. Cpoli Charsiæ monasterium erat, cujus situs et præcipuæ res indicantur:*

In *Menæis Sirmundianis, quorum nomen et usus in opere nostro magna sunt, legitur ad diem* 24 *octobris :* Μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Νικηφόρου, τοῦ συστησαμένου τὴν ἐν τῷ Χαρσιανῷ σεβασμιωτάτην μονήν ; *id est :* Memoria sancti patris nostri Nicephori, auctoris venerabillimi monasterii in Charsiano. *Quisnam autem sit ille S.* Nicephorus, *quodnam Charsianum monasterium, ambiguum mihi valde est. Novimus Constantinopoli Charsiæ monasterium exstitisse anno* 518, *quo* presbyteri et archimandritæ venerabilium monasteriorum, in religiosa imperiali civitate consistentium, *literas dederunt ad patres concilii Constantinopolitani, sub S. Hormisda papa celebrati in defensionem concilii Chalcedonensis ejusque assertorum; inter subscriptorum enim nomina venit* Ὑπάτιος πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τῶν Ἁρσίου, Hypatius, presbyter et archimandrita monasterii Charsii (1). *Situm erat id asceterium prope portam Charsiæ; unde nomen suum acceperat* (2) : *porta autem hæc exstructa fuerat, imperante Theodosio Juniore, qui ab anno* 408 *usque ad* 455 *Orienti præfuit; et eo nomine* dicta est, *inquit Codinus* (3), a Charsia secundario factionis Venetæ, qui structuræ hujus
C loci præfuit, cum conderetur murus terrestris, *adeoque a Codino ponitur inter portam Quintam et portam quæ vocatur Xylocercus. Anonymus Bandurianus, qui tribus sæculis ante Codinum vixit et Alexio Comneno imperatori octo suos libros Antiquitatum Constantinopolitanarum obtulit et dedicavit, eamdem rem paulo copiosius memorat:* Theodosius Junior, *inquiens* (4), murum terrestrem ad Blachernas usque extruxit, intra sexaginta dierum spatium, opera duarum factionum populi, quæ singulæ octo millia hominum continebant. Venetæ quidem factionis præses erat Magdalas, Prasinæ vero Charsia ejus frater. Jungebatur autem utraque factio in porta dicta Myriandra, quæ alias Polyandra appellabatur, quod ambæ factiones ibi copularentur; *ubi factiones aurigarum Veneta et Prasina ita collocantur, ut Charsias hujus secundarius seu præses fuisse dicatur, qui a Codino Venetæ secundarius dicitur : sed id parum ad nos. Neque pluribus agendum mihi est de portæ Charsiæ situ, quum hic ex iis, quæ* E *initio hujus tomi in Commentario de S. Theodota et S. Socrate super Xylocerco disseruimus, cognosci facile possit: Xylocercus scilicet et porta Charsiæ ad murum occidentalem seu terrestrem spectabant; Xylocercus ad septentrionem fere seu cornu aureum, porta Charsiæ ad meridiem magis. Cæterum Charsiæ monasterium mihi alibi obvium non factum est quam in indicata epistola synodali. Quum tamen post Theodosii Junioris tempora tot monumenta de ecclesiis et monasteriis Constantinopolitanis supersint, oportet ut alio nomine, verbi gratia sancti tutelaris, designatum fuerit, aut ut multo, antequam a Mahumetanis occuparetur urbs, cessarit aut saltem splendorem numquam habuerit.*

Vixitne in eo S. Nicephorus *an potius in Cappadocia, ubi Charsianum thema, Charsianæ clausuræ et castrum erant, quorum nominum origo*

2 *Verumenimvero, licet commemorationes singulares sanctorum, quæ in Sirmundianis Menæis occurrunt, plerumque spectent ad ecclesias et monasteria Constantinopolitana, non tamen ausim asserere Charsianum, de quo in Menæis, vere Constantinopolitanum vicum fuisse. Sane alii erant in illa urbe vici, a proximis portis agnominati; sed de his sæpius mentio fit a scriptoribus Byzantinis, nuspiam autem de vico Charsiano. Quidni verba illa :* In Charsiano *spectent ad Cappadociæ tractum? De Charsiano itaque pauca quæramus. Imprimis castrum fuisse, nomine Charsianum, situm in Cappadocia ex Georgio Cedreno certum est, quippe qui scribat* (5) : Anno XIX *regni Leonis III seu Isaurici, qui anno* 717 *regnare cœpit, Masalmas, Sarracenorum princeps, qui prius Amorium* (6) *in Lycaonia iverat; deinde Pergamum ceperat in Mysia* (7); *post, reflectens ad orientem, Cæsarea Cappadociæ potitus fuerat* (8); in Romanam ditionem bello illato, cum in Cappadociam venisset, Charsianum castrum fraude cepit. *Teste Ortelio* (9), Charsiani clausuras *memorat Codinus Curopalates; ex quibus liquet in Cappadocia singularem fuisse cum illo nomine locum; verum ubi situs fuerit, nondum compertum est. Accedere tamen licet hujus rei*

(1) Labbe, Concilia, tom. V, col. 176. — (2) Du Cange, Constantinopolis Christiana, lib. IV, cap. VIII. num. 23, edit. Paris. pag. 154; edit. Venet. pag. 107. — (3) De ædificiis, pag. 55. edit. Paris, pag. 110, edit. Bonn. — (4) Banduri, Imperium orientale, tom. II, pag. 20, edit. Veneta. — (5) Historiarum compendium, tom. I, pag. 800, edit. Bonn. — (6) Ibid. pag. 787. — (7) Ibid. pag. 788. — (8) Ibid. pag. 794. — (9) Thesaurus geographicus, v° *Charsianum,* edit. Antverp. 1596.

cognitioni.

AUCTORE V. D. B.

A *cognitioni. Constantinus scilicet Porphyrogenitus, libro* I *de Thematibus* (themata *autem militares provinciæ erant, divisæ in* turmas *et rursus in* banda) *de themate* II *seu Armeniaco disserens* (1) : I. Cappadociam, *inquit,* veteres in tres partes secuerunt, videlicet in Cataoniam, quæ in Melitina initium accipit; et in eam, quæ a Tauro monte Taurica nuncupatur; necnon in regionem ipsam mediterraneam, in qua et Cæsarea urbs est, Cappadociæ metropolis. II. Veteres autem Majorem et Minorem Cappadociam appellant; ac Majorem quidem a Cæsarea et Tauro ad Ponticum mare usque, quam terminat Halys quidem fluvius ab occasu, Melitine vero ab Oriente... Minor autem Cappadocia, quæ nunc inter themata censetur, finitima est Lycaoniæ et Cæsaream usque pertingit ac extenditur ad initium thematis Buccellariorum usque, *seu ad Halyn fluvium usque, occidentem versus* (2); desinit vero ad orientem Rodentum usque, et ad propugnaculum quod vocatur Luli atque ad ipsam Podendum usque..... Et hæc quidem est minor
B Cappadocia, quæ non ita pridem thematis nomen nacta est.

et locorum situs qualitercumque indicantur.

3 III. Superioribus vero temporibus, sive Justiniani sive alterius cujusdam ex imperatoribus Cappadocia in tres partes secta : mediterranea pars Charsianum vocabatur, a Charsio quodam duce, qui tum bellum adversus Persas prospere gesto celebris erat; atque idcirco in thematis et præfecturæ ordinem in hunc diem est relata. *Atque hinc apparet quantum a veritate aberrarit Philippus Lebas* (3), *ubi arbitratus est Charsianos Cappadociæ gentem fuisse.* Inferior vero *aut septentrionalis* pars, ad mare *Euxinum* vergens, Armeniacum appellatum est. Superior autem *aut meridionalis* pars, finitima Lycaonibus et Tauro, Cappadocia minor. *In libro autem de administrando imperio, cap.* L, *idem Constantinus docet Charsianum thema prius valde exiguum fuisse, sed plurimum fuisse auctum abscissis partibus thematum Armeniaci, Cappadociæ et Buccellariorum, idque factum sub Leone Philosopho, qui ab anno* 886 *usque ad* 911 *imperium orientale tenuit et quem ille idem Constantinus, ejus*
C *successor, Philochristum et Porphyrogenitum appellare amat.* Charsiani prætura, *inquit* (4), στρατηγιδα *et* θεμα *promiscue hoc loco dicens,* Charsiani prætura turma antiquitus erat Armeniacorum præturæ..... Porro sub Christi amantissimo imperatore Leone a themate Buccellariorum in Charsiani thema translata sunt hæc banda, vicariatus Myriocephali, venerandæ Crucis et Berinopoleos; factaque ex iis fuit turma, quæ nunc Saniana appellatur. Ab Armeniacorum vero themate in Charsiani thema hæc banda translata sunt, vicariatus Comodromi et vicariatus Tabiæ; adjectique fuere prædictæ Charsiani turmæ. E Cappadocum autem themate in Charsiani itidem thema translata fuere hæc banda, universa turma Cases et vicariatus Nyssæ cum Cæsarea. *Hinc sæculo* X *seu Constantini Porphyrogeniti ævo* (5) erant *in themate Charsiani seu* prima præfectura *Cappadociæ* urbes celebriores quatuor, Cæsarea metropolis,... altera urbs Nyssa, tertia Therma, quarta Rhegepondandus. *Ex his facile concludere est Charsianum ad dextram Halys, nunc Kizil Irmak, fluminis situm fuisse; thema primævum Charsiani propius ad Amaseam quam ad Cæsaream fuisse positum; castellum proinde et Charsiani clausuras verisimiliter quærenda esse non procul a Tchoro ad meridiem, seu potius inter Tchorum et Ancyram seu Angoram : quod spatium ad Halys dextram nondum hactenus videtur fuisse visitatum. In recentioribus enim Asiæ Minoris mappis seu potius itinerariis et in libris, a viatoribus conscriptis, vacuam plane reperio hanc plagam.*

In Cappadocia multa adhuc supersunt monasteriorum vestigia. In Asia Minori S. Nicephorus *quidam condidit Mediciense monasterium; quod non procul a Symbolorum laura, in clivo Olympi Mysii, situm erat. Non possunt alter pro altero accipi illi SS.* Nicephori.

4 *Postquam itaque modo qualicumque Charsiani situm investigavimus, addemus passim adhuc in Cappadocia reperiri veterum monasteriorum reliquias, pleraque in arduis rupibus excisa, alia secto lapide exstructa. Verum, licet hæc ita sint, dubitare subit an S.* Nicephorus, *monasterii in Charsiano auctor, idem sit ac S. Nicephorus, fundator monasterii S. Sergii, Medicii in Asia Minori constituti, et die* 4 *maji a græcis cultus* (6). *Ad ajendum me aliquandiu propensum fuisse non inficiabor; sed, re maturius examinata, plane mihi certum est ab hac sententia recedere. Hactenus hujus S. Nicephori Mediciensis Vita lucem non aspexit; exstat tamen Monachii; sed jam pridem ad* 3 *aprilis Henschenius noster latine et græce edidit S. Nicetæ Vitam* (7), *qui, vivente ipsomet S. Nicephoro, asceterii hegumenus fuit : atque ex ea Medicii situm fere assequi possumus. Quum enim S. Nicetas Cæsareæ in Bithynia natus esset, vitæ solitariæ amore* profectus versus torrentem, qui civitati ad meridiem est, contulit se ad senem quemdam, inibi degentem, Stephanum nomine (8). *A quo monitus melius juniores in cœnobiis quam in solitudine vivere,* viam iniit versus mare; *quo nullum aliud intelligi potest quam Propontis* (9); venitque ad Medicii monasterium, του Μηδικιου την μονην. *Non procul id aberat a cœnobio Symbolorum,* των Συμβολων; *unde accersitus est S. Athanasius, qui S. Nicetæ, hegumeno creato, adjungeretur rei temporalis administer* (10): *ex universa enim narratione sequitur egregii hujus juvenis virtutem S. Nicephoro innotuisse, quod*
F *in vicinia claresceret. Porro Symbolorum monasterium in partibus erat Olympi montis quemadmodum in Vita S. Platonis hegumeni ad diem* 4 *aprilis legitur* (11); *hunc vero Olympum montem* (*multis enim montibus idem nomen erat*) *prope Prusam, vulgo* Brousse, *assurrexisse testis est Michael monachus, S. Theodori Studitæ Vitæ auctor:* Diversatus ergo, *inquiens* (12), in Pteleis aliquo temporis spatio Theodorus, iter deinde Prusam intendit. Quo simul atque eum qui Olympum incolunt (*hos inter ante recensuerat S. Platonem* (13) venisse cognoverunt, accurrerunt protinus omnes visendi illius cupidi et audiendi : *similiter Vitæ S. Johannicii abbatis auctor, qui postquam narravit beatum virum, iconomachorum adhuc partes sequentem, cum exercitu, cui eo ævo præerat,* transiisse per quamdam partem Olympi, et

(1) Corpus scriptorum historiæ Byzantinæ, Constantinus Porphyrogenitus, tom. III, pag. 18 et seqq. — (2) Ibid. pag. 28. — (3) Asie Mineure, Mappa IV. — (4) Constantini Porph. opp. tom. III, pag. 225. — (5) Ibid. pag. 20 et 21. — (6) Acta SS. tom. I Maji, pag. 500 et 501. — (7) Ibid. tom. I Aprilis, pag. 254 et seqq, et XXII et seqq. — (8) Ibid. pag. 255, num. 7. — (9) Ibid. num. 8. — (10) Ibid. pag. 256, num. 11 et 12. — (11) Ibid. pag. 367, num. 8. — (12) Sirmondi Opp. tom. V, pag. 71. — (13) Ibid. pag. 6.

AUCTORE V. D. B.

nutu divino iter fecisse prope quemdam ex monachis qui eo monte exercebantur, *atque hac occasione ad rectam fidem conversum pientissimam deinde sex annis vitam cum militari conjunxisse, in fine addit* (1) : Hinc se dedit totum solitæ orationi; et cum vidisset montem qui supereminet a dextera Bithyniæ, qui apud nos vocatur Olympus, concepit animo vitam quietam et amantem solitudinis. *Non itaque in ipsa Bithynia erat ille mons, sed in Mysia, ita ut ad septentrionem adjaceret Bithyniæ et ad orientem Phrygiæ Epicteto, et qui hinc Constantinopolim spectabant, a dexteris Bithyniam haberent. Quoniam itaque Mysiæ pars erat, nomen et cognomen ei* ὁ Ὄλυμπος ὁ Μυσιος; *nunc autem, quod totius Anatoliæ altissimus est, a Turcis dicitur* Natoliedag (2). *Ut itaque Symbolorum monasterium ad orientem Prusiæ vicinum erat, sic etiam Mediciense asceterium. Certe quum S. Nicetas Constantinopoli diem obiisset,* discipuli illius genuini, eumdem navi imponentes, direxerunt illam ad sanctum monasterium, quod suis laboribus ad optimum statum adduxerat. Nos autem, *subdit Theosterictus monachus et biographus* (3), exspectabamus *in littore sinus* B *Nicæensis* cum sanctissimo Paulo episcopo Prusiadis; statimque ut navis appulit, ex ea tulimus sanctas reliquias, deinde eas multis cum lacrymis adoravimus, levatasque in humeros cum hymnis et canticis tulit utriusque (*Mediciensis et Symbolorum*) cœnobii fraternitas usque in monasterium. *Plane itaque manifestum est Mediciense monasterium non procul a Propontide fuisse, neque confundi posse cum Charsianensi, sive Constantinopoli, sive in Cappadocia id fuerit, et proin alium esse S.* Nicephorum *hujus fundatorem, alium S. Nicephorum auctorem Mediciensis cœnobii. Neque aliud quidquam ostendere cogitavimus, quum passi sumus nos involvi obscurissimis geographicis disquisitionibus. Quod Sirmundiana Menæa Constantinopoli scripta sunt et Constantinopolitanis memoriis abundant, magis me ad illud delabi ut S.* Nicephorum, *Charsianensis cœnobii auctorem, in hac urbe esse versatum existimem, in fine non denegabo; sed quam latebrosa sit hæc quæstio, neque prius solvenda quam nova veniant documenta in lucem, nemo non videt. Faxit Deus ut detegantur tandem aliquando hujus* Nicephori *Acta; quæ quin scripta aliquando fuerint vix dubitandum est.* D E

(1) Ap. Surium, Vitæ Sanctorum, ad diem 4 novembris, num. 5 et 7, tom. XI, pag. 45, edit. 1618. — (2) Cfr Mannert, Geographie der Griechen und Römer, tom. VI, part. III, pag. 567 et 568; Hamilton, Reisen in Kleinasien, Pontus und Armenien, edit. Ritter, tom. I, pag. 74. — (3) Acta SS. tom. I Aprilis, pag. 265.

DE JACOBO BOROVICENSI, SALO.

His, quæ in prætermissis ad diem 23 octobris de hoc viro dicta sunt, substituantur sequentia :

Cujatis fuerit hic vir aut ubinam vixerit et diem obiverit prorsus ignorari videtur. Fert quidem traditio localis eum portitorem fuisse vitamque eorum egisse, qui Sali seu Stulti pro Christo nuncupantur, et tandem fulminis ictu occubuisse; verumtamen id unum pro certo habetur quod corpus ejus, adverso flumine super glaciem natans, ad cataractas Borovicenses C *advectum est feria tertia post Pascha anni* 1540, *atque ter ab accolis repulsum toties eodem rediit. Qua re attoniti fuere Borovicenses; et quidem, quum ipse Jacobus præcipuos aliquos (ut sibi videbantur audivisse) in somnis monuisset de christianis, quos olim coluerat, moribus, honorifice ejus exuvias susceperunt et in littore Mstæ fluvii in singulari scrobe collocarunt. Neque hic stetit eorum veneratio. Ubi enim paulo post retectum est peregrinum corpus, corruptionis expers apparuit. Miraculi loco, ut inter Slavos orthodoxos assolet, id habitum. Theophanus itaque, archiepiscopus Novgorodensis, in cujus diœcesi jacebat Borovicensis vicus, eo se contulit; et examine de illis omnibus instituto, boni consuluit, annuente Macario, metropolita Moscuensi et Menæorum Slavicorum celeberrimo auctore, Jacobi Sali corpus in Borovicense S. Spiritus templum transferre : quæ peregit anno* 1545. *Sæculo sequenti, anno scilicet* 1657, *jussu nominatissimi patriarchæ Niconis, translatum est idem corpus in monasterium Ibericum ad lacum Valdaïcum, reliquiis aliquot Borovicii relictis. Colitur* F *die* 23 *octobris in translationis memoriam, et die* 22 *maji; propriumque officium habet. Secundum hæc corrige quæ in præsenti volumine dicta fuere in Prætermissis ad diem* 23 *octobris. Desumpta sunt autem, quæ modo retulimus, partim ex Prologo seu Synaxario, quod anno* 1843 *duobus magnis voluminibus editum est et Vitas breves Russorum aliorumque cœlitum continet; partim dein ex Magnis Menæis Russorum, duodecim majoris molis voluminibus secundum duodecim anni menses conclusis; partim etiam ex Menologio ecclesiæ orientalis orthodoxæ, anno* 1854 *a Versinskio, presbytero Russo, in lucem edito; et demum ex Lexico hagiographico, quod anno* 1836 *ex Petropolitano prelo prodiit.*

ADDENDA

A D

ADDENDA AD COMMENTARIUM

DE SS. ARETHA ET SOCIIS,

MARTYRIBUS NEGRANENSIBUS IN ARABIA.

Pag. 683, num. 74, lin. 18 in fine parenthesis addatur : *Quod tamen rejicitur a Zenker* (1) *in singulari disquisitione de hoc nomine.*

Pag. 717, initio num. 193 post verba : *Dein comprehendere jussit Demaham,* omissis sequentibus usque ad finem parenthesis, hæc in eorum loco legantur : *Filiam Rabê* (*sive Rabia, aut ex Benu-Rabia, quæ gens inter Himyaritas notissima fuit. Cfr Sapetus p.* 457, *Caussin de Perceval, passim. Verum si nomen ei fuit Demahæ, quomodo a Simeone Betharsamensi* Rumi (11) *vel* Rehumi (12) *dici potuit, ut dictam ab eo esse ex pluribus exemplaribus mss. ejus epistolæ, quibus usus est Assemanus, certo constat?*)

Pag. 727, ubi de Nagrana civitate agitur, addantur sequentia : *Philologus Weber et post eum baro ab Eckstein, advertunt vocem Sanscriticam* Nagara (civitas), *quæ obvia est in notissimo vocabulo* Deva-Nagari, *etymologia Sanscritica carere, et ad nullam Indorum linguam referri posse. Quapropter deducendam esse arbitrantur, non secus ac ipsas literas* Deva-Nagari, *a civitate Arabica Nagran; ac incolas Indiæ primitivos* (2), *quos Cusjitas vel Chamitas fuisse plurimi ethnologi censent, ab ea civitate, quam vel incoluerint quondam, vel negotiationis causa frequentaverint, hæc secum advexisse* (3). *De adventu sane stirpis Arianæ in Indiam ævo antiquissimo convenit hodiedum inter viros eruditos omnes : itemque migrationes gentium ante Abrahæ tempora multiplices fuisse : quod ex chronologia septuaginta interpretum, quæ inter Græcos semper vulgaris fuit, et hodiedum multis catholicis præplacet, nullo negotio admittendum est. Insuper non est desperandum quin ostendatur aliquando, Indos pristinos prodiisse ex Cusjitis Arabiæ, maris rubri accolis* (4), *qui, ut Chamitæ alii, lingua utebantur Semitica* (5) : *atque hoc posterius* (*ut id obiter dicam*), *Chamitas scilicet non paucos Semitice locutos esse, itemque Semitas plures Ariano-Indice, mirum in modum vexat scriptores illos qui confusionem linguarum Babelicam ut fabulam habent; at forte illius ipsius confusionis non leve argumentum est. Sed ne a proposito dimovear, quæ supra suggerebat v. cl. A. Weber, nec ullatenus ut certa admittere, nec temere rejicere in animo est; si vero comprobarentur ista labente tempore, sequeretur manifesto, Negranam inter antiquissimas orbis civitates connumerandam esse.*

Pag. 731, ad finem annotati *s* post numerum 12 legantur sequentia : *Præter ea quæ ad pag.* 717 *supplenda esse diximus, dubitare subit an nobilissima martyr* Rumi *dicta non fuerit, quia erat Romano-Græca; quum vox* Rumi *Arabica sit et Romano-Græcam significet? At repugnant tum locus Senkessar Æthiopici, ubi e gente Rabia nata dicitur; tum quæ dicit ipsa nobilissima martyr ad feminas Negranenses, Comment. n.* 147. *Ceterum nomen* Demaha *e solo Senkessar enotescit et forte ex unico codice : ita ut tamquam certum assumi non possit. Insuper, etiamsi vocabulum* Rumi *merum esset cognomentum, usu acceptum, eo nomine coli et invocari sancta martyr procul dubio posset : ut vel ex historia SS. Francisci Assisiatis et Bonaventuræ apparet.*

Pag. 740, annot. d post verba : *S. Basilii* addatur : *saltem plerisque in locis;* et in nota (1) ad calcem paginæ hæc suppleantur : *Hieron. epist. ad Lucinium tom.* III, *col.* 579 *edit. Maurinæ; sed cfr Euseb. Dem. evang. lib.* I *cap.* 10, *col.* 87 *edit. Migne et Chrys. hom. de B. Philogon. ap. Migne Patr. Gr. tom.* XLVIII, *col.* 755.

Pag. 760 ad calcem paginæ addantur sequentia : *Serius ad nos pervenerunt Acta ultimorum annorum societatis orientalis Lipsiensis, in quibus in primis ad rem nostram spectat dissertatio v. cl. Ernesti Osiandri de inscriptionibus Himyariticis. In hac elucubratione, in qua tum de lingua Himyaritica, tum de antiquitatibus Arabum veterum non minus acute quam diligenter inquirit auctor, occurrunt plura ex quibus ea, quæ in Commentario passim proposuimus, mire confirmantur : sicuti vicissim ex nostro Commentario lucem plurimam mutuant non pauca eorum, quæ idem commentando deducit. Satis vero sit hic ea, quæ alicujus momenti visa sunt, quam brevissime indicare. In dicta igitur disquisitione, quæ in Actis anni* 1856 *vulgata est* (6), *pag.* 19 *ostendit auctor Sabæos probe calluisse architectonicen; cfr Comment. supra p.* 666, *n.* 16. — *Pag.* 20 *conjicit auctor in inscriptione regis Tazenæ* (*Comment. n.* 54) *vocem* Selken, *vel, ut Dillmannus legit* (7), Salhen, *intelligendam esse de castro Sabæorum* Salhin, *cujus mentio est in libro Arabico Mudjam-al-buldan. Observo tamen urbem Zeilam longe veri similius quam arcem Salhin designari in titulo regis Aizanæ, Comment. p.* 677, *n.* 54; *cfr Osiander l. c. p.* 21. — *Dein arbitratur idem, nomen* Raidan, *quod similiter in inscriptione Tazenæ legitur, arcem significare urbis Yemanicæ Dhafaris,* (*Acta societ. orient. etc. l. c. pag.* 18, 23 *sqq.*), *quam nos Homeritarum regiam fuisse docuimus, Comment. p.* 675, *n.* 48 *sqq. Insuper docet idem ap. Edrisium* (*vide Comment. ibid., n.* 48) *loco harum vocum :* palatia Zeidan, *legendum esse :*

B C E F

(1) Cfr Zeitschrift d. d. m. G. 1854 pag. 593. — (2) Cfr ibid. 1853, pag. 452. — (3) Ap. Revue archéol., tom. XII, pag. 601. Paris 1855; cfr A. Weber, Ueber den semit. Urspr. d. indischen Alph. Zeitschrift d. d. m. G. 1856, pag. 396, 404. E. Renan, Hist. des Lang. Sém. tom. I, pag. 313 et seq. et 323, édit. 1858: quem librum non parum elevat doctor. — (4) Steinthal, Zeitschrift d. d. m. G. tom. XI, pag. 396 et seqq. Cfr d'Eckstein Rev. archéol. l. c., pag. 735. — (5) V. supra, pag. 664, n. 11. — (6) Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft. Leipzig, 1856. — (7) Ibid. tom. VII, pag. 356.

palatia

A palatia Reidan *seu* Raidan : *ex quo uti ex aliis (Osiander, Acta soc. orient. l. c. p.* 24, *not.* l) *mirum in modum firmatur positio nostra, Dapharim Yemanæ interioris regiam Homeritarum fuisse, non vero Zapharim maritimam. — Pag.* 22, *not.* 1 *intelligit Osiander nomen* Saba, *quod in eadem inscriptione Tazenæ regis occurrit (Comment. p.* 677, *n.* 34), *de regno Sabæorum Arabiæ; quod nos de Saba Habessiniæ, seu Africana interpretati sumus (Comment. l. c.; cfr ibid., p.* 698, *n.* 123) : *quod scilicet hujusmodi interpretationi favet ordo gentium ac regionum quæ in inscriptione Græca regis Aizanæ advertitur, Comment. n.* 54. — *Eadem pag.* 22, *not.* 1 *scribit Osiander, si nomina Raidan, Salhen et Saba de Arabia intelligenda sunt, regem Tazenam regionem et castella meri tituli gratia sibi adscribere; quod forte ea reges Habessinorum aliquando possederant. Etenim hujusmodi possessionis extremo sæculo* v *scriptores Arabes nullam mentionem habent. Nisi tamen* D *tum temporis jam dudum Sabæorem reges Æthiopibus tributa pendere cœperint, supra p.* 725, *annot.* o *et* 745, *annot.* s. — *Pag.* 31 *et seq. et similiter in Actis anni* 1860 (*tom.* XIV, *p.* 560) *aperte docet quæ conjectavimus Comment. n.* 50, *linguam Ehhkili ab Himyaritica non parum differre : ex quo iterum firmantur quæ ibidem de situ Dhafaris, regiæ Homeritarum, contra Fresnellium scripsimus. — Pag.* 59 *ostendit inscriptiones Himyariticas antiquiores esse ruptura catarractæ Marebensis. Cfr Comment. n.* 6 *et* 18. *— Scribit denique pag.* 60 *verisimilius vocem tam Himyaritarum quam Phœnicum* El, *sicuti in horum lingua deum aliquem, non vero Deum supremum designat, ita et Himyaritice eumdem significatum habuisse. Ex quibus comprobantur quæ de Arabum veterum idololatria congessimus Comment. n.* 22 *sq. et pag.* 759, *annot.* g.

INDEX

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM X OCTOBRIS.

A

Abdallah, *nomen non insuetum in Arabia ante Mahumetem* 759 b c, 760 a
† Abdallah *dictus S. Arethas* 759 b
Abdallah, *filius Thamir, Negranensis, urbis principem ad religionem christianam convertisse dicitur* 692 d e f; *num idem sit ac S. Arethas* 692 f, 693 a b
Abdallah-Ibn-Althamir 709 e, 710 b
Abdas Dorkenensis 688 f
Abd-el-Masih, *ex principibus Djorhomitis, christianus fuit* 674 c d
Ahd-errahman-Soyuti, *scriptor Arabs* 669 d
Abd-Kelal, *rex Homeritarum christianus* 674 e f
Abd-kulalam. *Vide* Abd-Kelal.
Abdsjams-Saba, *rex Sabæorum* 667 c
Abraam *constituitur prorex Homeritidis a S. Elesbaa* 758 b, 759 a. *Vide* Abrahamus.
Abraham *patriarcham omni ævo venerati sunt Arabes* 667 et seq. 707 b, 736 c. *Ejus posteri in Arabia* 759 c, 760 a. *Ejus memoria, in kaaba Meccana servata, inservit nonnullis ad retinendum unius Dei cultum* ibid. *Eum colit Alexander imp.* 11 e
Abraham *Cascarensis, monachus Nestorianus* 690 d e
Abrahamus, *prorex Homeritarum* 698 et seq., 760 a b; *quando regnaverit* 699 b; *rebellavit aliquando contra regem Æthiopum S. Elesbaan* 698 e f, 712 e f; *dictus Abraha Alasjram* 712 d e; *et quare* 713 a; *qua occasione in Arabiam venerit et quando* 712 d e; *ejus rebellio altera, in qua regnum consequitur* 712 f, 713 a b c d; *bellum ejus contra Meccam, a quo æram elephantis Arabes auspicantur* 713 c.
Abrahamus *legatus, Euphrasii filius* 700 b; *presbyter fuit* ibid. et 701 b; *ejus merita in catholicos Mesopotamiæ* 700 b, 701 b; *ejus iter ad Almundarum* 699 d, 700 f, 701 d, 711 a; *pater Nonnosi, alterius legati ad Arabas* ibid., 701 b; *laudatur* 701 a; *legationes ejus itemque patris ac filii* 683 e, 695 e, 701 c d, 719 c d, 742 b
Abrames. *Vide* Abrahamus.
Abramus, *prorex Homeritarum. Vide* Abrahamus.
Abrenuntio (Petrus) *mirabiliter a B. Giraldo servatus* 264 e
Abu Becr; *ejus expeditio in Syriam* 718 e
Abu Carib 718 e, 719 b; *phylarcha fuit Phœniconis. Vide* Phœnicon. *Item Palæstinarum* 682 c d. *Genere Homerita fuit et christianus* 682 d
Abu-Haritha, *episcopus Negranensis, Mahumeti notus* 720 d
Abulpharagius Barhebræus, *historicus monophysita* 689 a b d
† Abundius, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 e
Acacio *patre, Anecio genere nata S. Theodota Pontica, quæ et Candida* 13 b
Acacius, *Melitenes episcopus* 681 f; *accusat hæreseos libros Theodori Mopsuesteni* 643 e
Acaciana *recensio Paterici* 876 a
† Accabronus, *frater S. Laidgenni* 9 d
Acclozemora (Leonellus), *conjux Cobellæ, comitissæ Celani* 306 c
Acindynus, *archimandrita Cryptensis* 874 c e, 880 a
Acrischius, *civis Florentinus* 588 e
Actardus, *episcopus Nannetensis* 795 e
Actius, *archidiaconus CP., jus ecclesiæ suæ defendit* 647 c
Acyndinus II, *hegumenus Kievocryptensis* 870 c, 872 e
Adad, *nomen e Bibliis mutuatum, a Theophane pro Anda vel Amda* 725 b c. *Vide* Ala-Ameda.
Adad, *rex Axumitarum* 696 a d f
† Adæus *sive* Thaddæus *e* 72 *discipulis; num Arabum apostolus fuerit* 671 a b c d
† Adalbertus, *episcopus Comensis, implicitus schismati Trium Capitulorum* 106 c, 107 e
Adelperga, *uxor Arichetis II, Beneventani* 839 a
Adephan, *frater regis Axumitarum* 677 d
Adi-ben-Zeid, *poëta Arabs* 686 c
† Adimatas. *Vide* † Imeatas.
† Adonis *chronologia sæpe male cohæret* 73 a e
Adonaldus *anno* 941 *donat episcopum Florentinum* 601 b
Adrianus II *papa vindicat sedi suæ Bulgariam* 164 c d; *Photio exprobrat crudelitatem* 192 c; *concilium œcumenicum contra Photium convocat* 194 f
Adrianus, *chartularius, procurator patrimonii ecclesiæ Romanæ in Sicilia* 68 e
Adrianus, *filius Michaelis, ope S. Capistrani sanatur* 476 e
Adrianus, *filius Michaelis, cœcus ope S. Capistrani illuminatur* 542 f
† Adrias *in baptismo dictus Neon* 594 d
Adso, *abbas Dervensis, scriptor Vitæ S. Mansueti* 48 c e
Adviga, *uxor Lucæ, agonizans a S. Capistrano sanatur* 479 e
Adviga, *filia Nicolai nobilis, agonizans ope S. Capistrani ad vitam revocatur* 482 c
Ægidius de Campis, *episcopus Constantiensis* 845 e
† Ægidius, *socius S. Francisci, multa miracula patrat in conventu ad Montem juxta Perusiam* 494 b, 496 a
Ægidius de Athii *agonizans ope S. Capistrani ad vitam revocatur* 482 b
Ælbertus, *peregrinus Hierosolymitanus, reperit S. Fremundi sepulcrum* 848 e
Ælius Gallus *in Arabiam mittitur cum exercitu ab Augusto imp.* 665 cd
Æthelredus, *rex Anglorum* 223 e. *Diploma pro monasterio Tavestockiensi* 223 e f
Æthelstanus, *rex Angliæ, Glastoniam orationis causa adit* 219 b, 220 b
Æneas Sylvius, *episcopus Senensis, post Pius Papa II, scribit pro defensione Observantum* 316 a-f, 317 a. *Prædicationis modum S. Capistrani describit* 328 d e f. *Ejus virtutes deprædicat*

prædicat 328 d e f, 329 a b c. *Hortatur eum ut adsit comitiis imperii* 352 b c, 355 d e f, 528 d e. *Describit victoriam de Turcis relatam* 363 a b c. *Accusat S. Capistranum vanæ gloriæ* 381 c d
Æizanas, *rex Axumitarum* 677 c d e; *num subditos habuerit Homeritas* 725 b
Afa, *dictus* El-Cahin, *princeps Negranensis* 706 a
Afrella, *mater S. Maglorii* 773 d
Agarus. *Vide* Hodjr.
Agapetus, *medicus et monachus* 874 f
Agatha, *uxor Gregorii pellificis, contracta, ope S. Capistrani sanatur* 477 d
Agatha, *uxor Ladislai, cancerosa, ope S. Capistrani sanatur* 543 b
† Agathæ *crux inscripta campanis* 605 a b
Agathander, *ut videtur, Græcus, episcopus Metensis* 65 b
Agathias, *episcopus Constantiensis in Normannia* 843 f, 844 a
† Aghæus, *Syriæ orientalis apostolus* 671 b e
Agiulfus, *episcopus, frater S. Firmini Uceticensis* 39 d e
Agnes, *Tertii Ordinis S. Francisci, paralytica ope S. Capistrani sanatur* 544 c
† Agricolaus, *episcopus Tungrensis* 656 f
† Agrippinus, *episcopus Comensis, implicitus schismati Trium Capitulorum* 106 c, 107 e
Aguirre (Josephus de) *probat diploma Alahonense* 131 c
Ahmad-el-Bauhaki, *scriptor Arabs* 686 b
† Aicadrus *initium dat Quinciacensi monasterio* 154 a
† Aidanus, *qui et Modocus, episcopus Fernensis in Hibernia* 2 a
Aidog, *alias* Adad, Andan, *rex Æthiopiæ, idem ac S. Elesbaas, vel idem forte ac Ameda seu Ala-Ameda* 695 f, 696; *ei tribuuntur gesta tum Ala-Amedæ, tum S. Elesbaæ* 725 b c. *Vide* † Elesbaan *et* Ameda *seu* Alameda.
Aimericus, *abbas Ingeriacensis* 154 c
Aimonus, *monachus Ferrariensis, furatur S. Montanæ corpus* 860 b c
Ajon II, *princeps Beneventanus* 837 e, 839 c
Airardus, *archiepiscopus Ausciensis* 123 e
Aizana, *rex Axumitarum* 670 f
Alabantus (Antonius Protasii), *prior Annuntiatæ, dein prior generalis totius Ordinis Servorum B. M. V.* 889 d e, 890 e, 901 b c d. *Creatur prior generalis* ibid. 904 e f
Alagus, *monachus Autissiodorensis, scriptor* 206 f
† Alamandus (Ludovicus), *cardinalis, fautor Felicis antipapæ* 502 f, 503 a
Alameda, Ala-Ameda *seu* Alamieda, *rex Æthiopiæ seu Axumitarum* 677 d, 751 b; *num bella gesserit cum Homeritis* 725 b c. *Vide* Andas *et* Ameda.
Alamundarus. *Vide* Almundarus.
Alanus, *rex Britonum, pius in S. Martinum Vertavensem* 811 a b
Alanus Barbatorta *recuperat anno* 943 *pagos Nanneticum, Medalgicum, Theophalgicum et Herbadillicum* 151 b c
Alanus III, *rex Britanniæ Armoricæ* 813 d e
† Albanus, *cultus Ferrariis* 861 b
Albericiæ *familiæ, Florentinæ, dein Mantuanæ, origo* 902 b
Albericii (Philippi), *Servi B. M. V., laudes* 902 b c. *Vita B. Joannis Angeli* 901, 902. *Vide* Philippus.
Alberon, *cancellarius Tullensis* 858 d
Albertis (Albertus de), *cardinalis tit. S. Eustachii, Eugenii IV commissarius in causa canonizationis S. Bernardini Senensis* 513 e
† Albertus, *in Anglia rex* 849 a
Albertus, *dux Austriæ* 465 b, 468 b
Albertus, *marchio Brandeburgensis, fautor S. Capistrani* 468 f; *honorifice S. Capistranum excipit* 340 f; *petit canonizationem S. Capistrani* 406 f
Albertus Prodigus, *frater Frederici III imperatoris, fundator academiæ Friburgensis in Brisgovia* 551 b e
Albertus, *abbas Majoris Monasterii Turonensis* 155 f
Albertus, *comes de Franckenberg in Hassia, canonicus Præmonstratensis* 7 d
Albertus Sartianensis, *ordinis Minorum Observantiæ, deputatur ad obsequium pontificis* 298 c. *Præses capituli generalis* 299 b c. *Sua prædicatione multos convertit* 454 a, 455 f. *Obit* 460 b. *Defenditur a S. Capistrano* 515 e
Albertus, *plebanus Valliscavæ* 605 c
† Albinus, *pro martyre cultus in S. Pontii Tomeriarum* 8 d e. *Ejus reliquiarum et cultus fata* ibid.
† Albinus, *episcopus Andegavensis* 8 f
† Albinus, *episcopus Tullensis* 910 b c
Alcama-Dhu-Kifan, *filius Sjarabhil, princeps Homerita* 711 d
† Alcha, *episcopus Tulli Leucorum* 49 c, 50 a. *Ejus acta et cultus* 908 et seqq.
Aldebertus, *episcopus Constantiensis in Normannia* 843 f, 844 a b
† Aldegundis, *Truncinii culta, virgo in sæculo* 139 d
† Aldhelmus, *episcopus, in colenda castitate mirabilis magis quam imitabilis* 222 b c
Aldrincus, *vir uxoratus, sæculo* IX *coquus in monasterio Vertavensi* 816 a, 817 f
Alevazolius (Augustinus) *ex ordine Servorum B. M. V. biographus B. Joannis Angeli* 885 c d e f et seqq.
Alexander III *papa* 869 f
Alexander VII *papa heroicas declarat virtutes S. Capistrani* 414 b
Alexander VIII *papa B. Capistranum canonizat* 420 b
Alexander de Ragusia, *ordinis Observantum, episcopus Scardonensis in Dalmatia* 399 c d; *in castris crucesignatorum* 370 b, 379 f. *Mensurat castra circa Belgradum* 391 e. *Remanet apud S. Capistranum infirmum* 392 c.
Alexander *ex ducibus Mazoviæ, episcopus Tridentinus, advocat S. Joannem Capistranum* 285 c d. *Eumdem consolatur de inutilitate ejus prædicationis* 285 e f, 286 a b
Alexander Magnus *expeditionem in Arabiam cogitavit* 665 e. *Ejus absis seu arcus triumphalis in India* 567 e
Alexander Severus, *imperator, an decretum contra christianos proposuerit* 11 c d e f. *Ejus in christianos sensa* ibid. *Persecutio ejus tempore* 12 a b. *Apparitoribus substituit milites* 18 d
Alexius, *imperator, redit ad unionem cum Romana ecclesia, Innocentio III summo pontifice* 870 d
† Alexius *de Florentia, ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f

Algarus,

Algarus, *episcopus Constantiensis in Normannia* 844 d, 845 b
Almundharus *seu* Mundhir I, *rex Hirensis* 686 b, 687 a
Almundharus III, *rex Hirensis, alias* Alamundarus, Al-Mundhar, Al-Mundhir, Al-Munsir 684 b d. *Rex Hirensis* 690 a d; *filius Imrulcaysi et Maëssemæ, aliquando christianus fuit* 688 b c d; *num et catholicus fuerit* ibid. et 690 f, 691 a. *Ejus virtus bellica et expeditiones* 691 a b c d. *Legationes suscipit Dhu-Nowasi, regis Homeritæ, ad persecutionem hortantis* 710 c d; *et aliam Justini imperatoris* 710 c, 742 a b, 743 d. *Ei suadet Dhu Nowasus christianæ religionis abrogationem* 742 a b. *Legatum ei mittit Justinus I imp.* ibid. 743 d. *Dolo occiditur* 691 a
Alphonsus, *rex Aragoniæ, heres regni Neapolitani a Joanna II instituitur* 291 a, 447 b c. *Obit* 461 b, 464 d
Altansi (Elisabeth) *agonizans a S. Capistrano sanata* 480 c d
Altovitus (Antonius) *anno* 1568 *Florentinus archiepiscopus* 608 a
Alvarez(Thomas), *capellanus regius in Lusitania* 577 d
Alviza *benefica in S. Gregorium, ex Armenia Pitiverim advenam* 802 c
Alympius, *pictor Cryptensis* 874 f
Amador, *presbyter et canonicus S. Crescii de Vallecava* 601 c
† Amaethtlu *in insula Mona* 663 c
† Amalberga, *virgo sæcularis* 137 e
† Amandus, *episc. Burdegalensis* 51 c d, 65 d e
† Amandus, *episcopus Trajectensis, unde ortus* 796 f; *serpentem fugat* 88 d; *velat S. Gertrudem* 859 d e. *Ejus corpus Elnonensibus restitutum* 2 b. *Ejusdem corporis translatio* 575 c f. *Prætermissus* ibid.
Amans de Brixia, *Servus B. M. V.* 890 c
† Amantius, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 e
† Ambrosius *ex judice subito episcopus ordinatus* 648 f. *S.* Ambrosii *Breviarium usitatum ab eremitis nonnullis in Longobardia* 557 c
Ambrosius (Carolus), *patriarcha Alexandrinus et Laudensis episcopus* 899 a
Ambrosius *anno* 1279 *plebanus de Maciola* 607 e
Ambrosius Aquilanus, *laicus ordinis Observantum, socius itineris germanici S. Capistrani* 328 c d. *S. Capistrani, cum crucesignatis in Turcas procedentis, socius* 379 e; *Belgradi moratur* 370 b. *Infirmus in locum Aconya dimittitur* 392 c. *Morti proximus a S. Capistrano sanatur* 395 c. *Impedit furtum tunicæ S. Capistrani* 401 b
Ameda *seu* Ala-Ameda, *rex Æthiopiæ, avus S. Elesbaæ* 696 a; *num idem sit ac Adad, Andas, Aidog, scriptorum Græcorum et Syrorum* ibid. *Vide* Aidog *et* Andas.
Amedeus, *dux Sabaudiæ, a Basileensibus eligitur antipapa sub nomine Felicis V* 290 b
† Amedeus de Florentia *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 c
Amelius, *episcopus Tolosanus, fundationem Grandis Silvæ approbat* 240 e f
Amelius I, *episcopus Uceticensis, circa finem sæculi* IX 34 c
Amelius II, *episcopus Uceticensis, sæc.* X 34 e f
Amicus, *prædicente S. Capistrano, fit episcopus Aquilanus* 512 b, 513 f
Ammanes, *phylarcha Saracenorum prope mare Rubrum* 682 f, 683 a
Ammon, *pater S. Samsonis* 773 d
† Amonis, *episcopi Tullensis, acta et cultus* 48 et seqq. 908 et seqq.
Amorcesus, *insulæ Iotabæ regulus. Vide* Imrulcais.
Amphilochius, *Cyzici metropolita, Photii asseela* 189 b, 191 b
Amrus, *filius Djafnæ, phylarcha Ghassanidarum* 697 b
Amrus, *historicus Nestorianus* 688 f, 689 a, 690 e
Amrus Matthæi, *scriptor Arabs* 671 b c d
Amurtiis de Busto (Paula de) *secedit in Montem supra Varesium, vitam eremiticam ductura* 557 b
Amyot (Jacobus), *Autissiodorensis episcopus, Breviarium diœcesanum mutat* 105 e
† Ananias, *unus trium puerorum* 566 f
† Anastasia, *martyr coœva S. Theodotæ Nicænæ* 9 f
Anastasius, *imperator* 681 b c, 687 b e, 693 d
Anastasius, *episcopus insulæ Iotabæ* 683 d e
† Anastasius *an Trevirensis episcopus* 616 c d, 617 a
Anastasius, *presbyter, amicus Nestorii, ejus hæresim promulgat* 640 d e
Anatolius, *Orientis præfectus* 680 e
Anatolius, *monachus Kievo-Cryptensis, parum notus* 864 e
Andas, *rex Æthiopiæ, idem videtur ac Ameda, seu Ala-Ameda* 725 b c
† Andreas *num apostolus Arabum fuerit* 670 e. *Erat patronus secundus Quinciacensis monasterii* 154 c
Andreas *anno* 1289 *episcopus Florentinus* 601 c
Andreas *Bogolubscius* 878 c
Andreas de Brixia, *ordinis Observantum, cultum S. Capistrani promovet* 545 b
† Andreas de Burgo sancti Sepulcri *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Andreas de Florentia, *Servus B. M. V. restituit eremum Clanti* 890 d
Andreas, *filius Joannis, ab epilepsia ope S. Capistrani curatur* 541 b
† Andreas *an Trevirensis episcopus* 616 c d, 617 a
Androenus, *rex Britanniæ Armoricæ* 794 e
† Andronici *vulnera prodigio curantur, ut constat ex actis præsidialibus* 17 b
Anecio *genere, patre Acacio, nata S. Theodota Pontica, quæ et Candida* 13 b
Angæus, *filius Zet (Zeit), filii Job, ethnarcha Paremboles christianorum Saracenorum in Palæstina* 681 e 742 b c, 744 b
Anganes, *prorex Æthiopum in Homeritide* 689 et seq. *Vide* Aryates.
† Angela de Arena, *virgo Carmelitana, de cujus exsistentia dubitatur* 3 d
Angelina (Gemma) *filium, in partu mortuum, ope S. Capistrani vivum recipit* 535 f
Angelus de Aretio, *prior generalis Servorum B. M. V.* 892 b
Angelus de Civitella, *vicarius generalis Observantum* 294 a
† Angelus a Clavasio, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c
† Anicetus *papa, omissus in Catalogo Liberiano* 616 b

Anicia gens. *Aliquot ex ea, quos inter S. Theodota, habitant in Ponto* 16 d e
Anna, *mater S. Samsonis* 773 d
Anna, *uxor Simonis sutoris Villakensis, contracta, a S. Capistrano sanatur* 476 e, 539 b c
Anna Maria, *electrix Palatina* 900 d
Anna, *Mazoviæ ducissa, fundat Varsaviæ conventum Observantum* 312 a
Anno I, *archiepiscopus Coloniensis, fundat præbendas in ecclesia S. Severini* 55 c
† Annoni II *Coloniensi scripta sua offert Anselmus Leodiensis* 819 a
† Annobertus, *Liberiacensis abbas* 799 e
Ansbertus *e Ferreolorum familia, pater S. Firmini et Deotharii* 39 d e
Ansegisi, *abbatis, anno* 831 *testamentum* 799 e
Anselmus, *continuator Gestorum episcoporum Leodiensium, laudatur* 819
† Anthes, *Salerni cultus, perperam socius datus S. Felici Tubzacensi* 622 d
† Antimundus, *episcopus Tullensis* 910 b c
Antipater, *episcopus Bostrensis* 679 a, 682 b
Antonius, *episcopus cardinalis Portuensis, inquisitor contra hæreticos* 326 d
Antonius Byrsodepsas, *patriarcha CP. hæreticus* 169 a, 172 e
Antonius de Bitecto *seu* Biserecto, *episcopus, fit Servus B. M. V.* 888 b. *Promovet reformationem* 889 d
Antonius, *episcopus Urbinas, commissarius in causa canonizationis S. Bernardini Senensis* 513 e
Antonius de Massa, *minister generalis ordinis Minorum, remissior in administrando* 295 e. *Deponitur* 296 b
Antonius de Rusconibus, *minister generalis ordinis Minorum, confert vicariatum generalem S. Capistrano et Joanni Mauberto* 298 d, 299 c d e f
† Antonius de Stronconio, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c
† Antonius, *monasterii Cryptensis Kioviæ fundator* 873 d, 875 a. *Ejus Vita, incerti auctoris, falso tribuitur Simoni, episcopo Vladimiriensi* 881 a. *In vetustis calendariis nomen ejus occurrit* 867 f; *comparatur soli, ob vitam solitariam* 881 d e
† Antoninus *ex Septem Dormientibus* 3 d e
Antonius a Guevara, *Mendonensis episcopus, prætermissus* 580 b
Antonius de Senis, *Servus B. M. V. restaurat vitam eremiticam in monte Senario* 887 f, 888 a
Antonius Joannis de Sicilia, *auctor eremi Clanti* 889 a
Antonius, *filius Petrarchæ, graviter febricitans a S. Capistrano sanatur* 505 b
Antonius de Tarusis, *anno* 1350 *in Etruria campanarius* 605 a
Antonii *Villakensis filius ope S. Capistrani ab apostemate liberatur* 542 b
† Antonius *Viterbiensis ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Anulinus, *præses, persecutor christianorum in provincia proconsulari in Africa, minus ferox fuisse videtur quam vulgo perhibeatur* 630 b
Aper, *presbyter Tubzacensis* 623 a. *Is ipse, de quo in Passione S. Felicis Tubzacensis, prætermissus* 578 f
Apollinaris, *patriarcha Alexandrinus* 710 e
Apollonium *colit Alexander imperator* 11 e
Aquilinus, *præfectus Nicææ* 16 f
† Aragawus (Michael), *abbas Habessinus* 8 c *idem qui abbas in Æthiopia* 751 b
Arbogastes, *comes Trevirensis* 49 c
Arbore (Everhardus de), *canonicus Coloniensis* 822 c
Arcam, *Ghassanida; num idem sit ac Zocomus* 680 b
† Archangelus de Calatafimo, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c
Archembaldus, *magister palatii, dominatur Neustriæ* 842 d
Archinti *Mediolanensis, nuntius apostolicus Florentiæ* 900 d
Arcupriar (Bartholomæus), *civis Villakensis, examinator miraculorum S. Capistrani* 545 b
Arechis *seu* Arichis II, *princeps Beneventanus ab* 757 *ad* 787. *Ejus laudes, ætas, uxores et alia* 837 b c, 838 e f, 839 a. *In Beneventanam civitatem multa sanctorum corpora transferri jubet* 622 e f, 826 f, 827 a. *Privilegium dat Montimassico* 827 c
Arefastus, *frater Gonoris, uxoris Richardi, primi Normannorum regis* 844 d
Areobindus, *dux Græco-Byzantinorum* 687 e
Aretas, *rex Damasci* 670 d
† Arethas *sive* Hirut, *martyr Negranæ in Arabia; ejus et sociorum Acta* 661 et seqq.; *quando natus et conversus ad fidem* 693 b c; *num idem sit qui Abdalla Ibn Thamir* 692 f, 693 a b c; *a Syris et Armeniis dictus Charetas* 730 c. *Ejus nominis origo* 759 b
† Arethæ, *monachi Cryptensis, Acta et cultus* 871 et seqq.
Arethas, *rex provinciæ Nedj* 687 c e
Arethas, *filius Amr-el-Macsur, phylarcha Arabum Thalabensium, Syriam vastat* 681 c d
Arethas. *Vide* Aryates.
Arethas. *Vide* Harith.
Arloctus, *parochus S. Crescii de Maciola, facetiis suis in Italia celeberrimus* 604 a, 607 e
Ariowaldus, *rex Longobardorum* 796 d
Armagila Nicolas, *prætermissa* 580 e
Armentarius, *illustris vir sæculo* VI 832 b f
Arnaud (Th.), *ejus iter in Arabiam* 666 a b
† Arnulfus, *Metensis episcopus, Arisitum ecclesiæ suæ acquirit* 39 f. *Non fuit filius S. Odæ* 129 c, 134 b, 137 d, 140 b
† Arnulfus, *abbas S. Medardi* 83 e
Arnulfus, *fundator Asianensis prioratus* 155 f
Arnulfus, *ex antiqua familia Vertavensi, cui Normanni ambas manus amputarunt* 812 d
† Arnulphus, *episcopus Tullensis* 910 c
† Arsenius, *episcopus Tverensis* 875 f. *Arseniana Paterici recensio expenditur* 875 f
Arsancia Cadela, *monialis de Pruliano, prætermissa* 7 e
Artemius *Verkoliensis* 864 a b
Arturus, *rex Britanniæ* 773 c d
Aryates, *prorex Homeritarum* 698 et seqq. 760 a; *idem esse ostenditur qui Anganes* 698 d e; *a Theophane Arethas dictus* ibid., 699 a. *Prorex Æthiopum in Arabia* 711 f. *Num dux fuerit exercitus Æthiopici, quo victus est Dhu Nowasus* 711 f, 712 d. *Prorex post victoriam relatam de Abrahamo, duce rebelli* 712 d e f; *occiditur in bello contra Abrahamum, qui regnum consequitur* 713 a b; *eum crudelem fuisse narrant historici Arabes* 718 c
Asa Abu Carib, *primus rex Homeritarum judæus* 694 a

Asbas, *præfectus Aduli in Æthiopia* 752 c
Asclepion *sæculo* IV *hegumenus in Mesopotamia, diversus ab Asclepio, de quo Theodoretus* 566 d, 571 e f
Asolig (Steph.), *scriptor Armenius* 719 e
Aspebetus *seu* Aspebedus, *phylarcha Arabum Hirensium, quo pacto cum universa tribu christianus sit factus* 680 seq.; *in baptismo cognominatur Petrus* 681 a; *fit episcopus Paremboles, seu coloniæ Saracenorum* 681 b; *interest synodo Ephesinæ et a patribus mittitur ad Nestorium* 681 e f
Assemanus (J. S.) *emendatur* 710 e
Asterius, *senator Romanus, curat funus S. Marini centurionis* 610 b
Aswad *seu* Asuades, *rex Hirensis* 681 c d
Ataulfus, *Gothorum rex, sociatus Alanis* 765 f
† Athanasius, *patriarcha Alexandrinus; ex quibus cognorit Juliani imp. necem* 573 b *S. Athanasii symbolum. Vide* Symbolum.
Athanasius, *episcopus Perrhæ, suis artibus S. Proclum circumvenit* 645 d e f, 646 a b c
† Athanasii, *episcopi Neapolitani, Vitam an scripserit Petrus diaconus* 836 d
Athanasius Junior, *Neapolitanus episcopus, Saracenorum opera utitur et alia facinora patrat* 828 a b. *Propter bella et ambitionem plurimum reprehendendus* 715 f; *Acta S. Arethæ e Græco vertit* ibid., 716 a; *item alia* ibid. *Ejus interpretatio Actorum S. Arethæ* 761 et seq.
† Athanasius, *episcopus Tarsensis* 578 e
Athanasius, *reclusus Kioviensis* 867 b
Athanasius, *monachus Kievocryptensis* 874 d
† Athanasius, *qui in libris Russis loco S. Procli Constantinopolitani scriptus videtur, prætermissus* 578 c d e
Athelstanus, *rex Angliæ* 215 a
Atenulfus, *comes Capuanus et Beneventanus, auxiliatur Massico monasterio contra Saracenos* 828 d. *Condit Calvium* 829 a b
Athenaïs. *Vide* Eudocia.
Atrius Clonius, *legatus augusti, proprætor in Cappadocia et in aliis provinciis* 16 d
Atropaldus *anno* 941 *donat episcopum Florentinum* 601 b
† Atticus, *Constantinopolitanus episcopus* 594 d; *ordinat S. Proclum diaconum* 638 f. *S. Joanni Chrysostomo infensus* 639 c. *Hæreticis terribilis* 642 d. *Silvanum episcopum Philippopoli Troadem transfert* 642 d
† Ava *seu* Avia, *monialis Dononiensis in Hannonia, prætermissa* 575 f
Aucher (J. B.), *scriptor seu hagiographus Armenius ordinis Mechitaristarum* 710 a, 719 d e
† Auctor *an Trevirensis episcopus* 616 c d, 617 a
† Audactus, *male sociatus S. Felici, Tubzacensi episcopo et martyri* 8 a b, 619 f et seqq.
† Audactus, *socius S. Felicis, via Ostiensi sepulti, prætermissus* 576 e
† Audobertus, *episcopus Parisiensis* 844 a
† Audoenus, *archiepiscopus Rotomagensis* 844 a; *successor S. Romani Rotomagensis* 77 f; *ordinatus probabiliter anno* 646 78 f, 79 a-f
† Augustini *festum. Indulgentiæ Coloniæ* 822 c. *Ejus regula* 557 c
Avicius, *prior S. Laudi Rothomagensis* 845 d
† Auspicius, *episc. Tulli Leucorum* 49 c, 50 a. *Ejus ætas* 909 b. *Ejus corpus* 910 e. *Ejus festum* 910 f
† Austindus, *episcopus Ausciensis* 122 b, 125 e f
† Austregisilus *quando mortuus* 818 c e
Ayroldus (Marcellinus), *præpositus S. Babylæ Mediolanensis* 886 b
Aymericus, *comes Narbonensis, fundat monasterium Fontis Frigidi* 242 c d
† Azarias, *unus trium puerorum* 566 f
† Azkir *sive* Azqir, *presbyter,* Cyriacus *et socii triginta octo, martyres Negranæ in Arabia sub rege Sarabahal* 711 d e f. *Eorumdem cultus ex martyrologiis orientalibus* 716 f

B

Babæus, *patriarcha Nestorianorum, Seleuciæ et Ctesiphonte sedem habens* 690 e, 699 e, 744 b c
Bachor (Joannes) *agonizans ope S. Capistrani ad vitam revocatur* 536 b c
Bahram-Giur *sive* Vararanes V, *filius Isdegerdis, rex Persarum, educatur a rege Hirensi* 686 d e; *num S. Simeonem Stylitam veneratus sit* 686 seq.; *christianos persecutus est* 687 a
† Bainus, *episcopus Tarvanensis seu Morinensis* 109 b, 120 d, 121 e
Baissar *seu* Baitsar, *puerulus post martyrium S. Arethæ in ignem prosiliens, inde servatus, et post princeps patriciorum in aula Constantinopolitana* 740 c, 741 a
Balaam, *in Arabia vaticinatus* 669 c, 670 a
Balac, *rex Moabitarum* 669 c
Balæus, *scriptor Syrus* 689 b
Baldomerus, *ep. Constantiensis* 843 f, 844 a
Baldricus, *episcopus Leodiensis* 660 e
Balduinus, *abbas Tavestockiensis in Anglia* 225 b
Baldus, *ex Ubaldorum familia, j. c.* 275 c
Baleus, *sanctis viris inimicus* 6 a
† Balsamus. *Vide* † Petrus Aulanus.
† Bandaridus, *episcopus, requiescit in monasterio S. Medardi Suessione* 84 d
Bancha (Ladislaus) *a carcinomate per S. Capistranum liberatur* 479 e, 543 a b
Banham Ricardus. *Vide* Ricardus.
Banini de Monthia (Franciscus Maria), *rector Montis Senarii, mutat cellam BB. Sosthenei et Joannis Angeli in oratorium* 900 a
Barat, *hungaris* Amicus, *pro FF. Mendicantibus usurpatur* 435 c d
† Barbantius, *famulus S. Maxentiæ, prætermissus* 582 d
Barbara, *uxor Balthasaris Villakensis, curatur a paralysi* 475 d, 538 d
Barbara, *uxor Galli Zatha, a paralysi per S. Capistranum liberatur* 543 f
Barbara, *filia Valentini, a febribus ope S. Capistrani liberatur* 542 f
† Barbaseminus, *archiep. Seleuciensis* 688 f
Barberius (Bernardinus), *procurator in causa canonizationis S. Capistrani* 415 b
Barberius (Joannes Bapt.), *biographus S. Joannis Capistrani* 271 e; *procurator in causa canonizationis S. Capistrani* 415 b. *Refellit promotorem Fidei* 415 d. *Inquirit in miracula* 415 e f. *In domo sua conservat biretinum S. Capistrani* 435 d e
Barbo (Petrus), *cardinalis, commissarius Nicolai V in causa canonizationis S. Bernardini Senensis* 513 e
Bardas, *cæsar, S. Ignatii CP. persecutor* 173 f, 174 a b c, 176 b c; *misere perit* 189 d e f, 190 a b, 191 f, 192 a b c
Barhebræus. *Vide* Abulpharagius.
Barkul, *nobilis Valachus, corpus S. Capistrani a Turcis redimit* 434 c, 435 a

Barlaam, *primus monasterii Kievocryptensis hegumenus* 871 f
Barlaam, *monachus Cryptensis* 875 a
Baronius *emendatur* 681 b, 691 a; *similiter circa canonem concilii CP. I* 639 f; *initium Passionis S. Felicis Tubzacensis mutat* 628 c
Barontinus (Franciscus), *plebanus S. Crescii de Vallecava* 604 a
Barsumas, *episcopus Nestorianus Nisibi* 699 e
† Bartholomæus, *apostolus idem ac Nathanaël* 672 c; *fidem prædicavit in Arabia* 672 seq.; *num et in India Brachmanica* ibid.
Bartholomæus, *archiepiscop. Narbonensis* 132 a
† Bartholomæus de Bragantia, *episcopus Vicentinus* 3 c d
Bartholomæus Iscanus, *Exoniensis episcopus* 225 a b
Bartholomæus, *ordinis Eremitarum S. Augustini, S. Bernardini Senensis doctrinam concilio Basileensi denuntiat* 323 a
† Bartholomæus de Burgo S. Sepulcri *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 e
† Bartholomæus de Cæsena *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Bartholomæus, *Tertii Ordinis S. Francisci minister Cracoviæ* 308 c
Bartholomæus de Brixia, *Servus B. M. V.* 884 a
Bartholomæus de Brixia *liberos suos ope S. Capistrani a morte vindicat* 545 b
Bartholomæus, *civis Villakensis, testis miraculorum S. Capistrani* 478 c
Bartholomæus Yanensis *Umber, ordinis Minorum Observantiæ, deputatur ad obsequium pontificis* 298 c
Bartholomæus, *filius Demetrii, ab epilepsia per S. Capistranum liberatur* 476 f
Basilius Macedo, *imperator, S. Ignatio favet* 193 f; *a Photio malis artibus deceptus, eumdem sedi CP. restituit* 201 d e f
† Basilius, *Pareorum episcopus, fidei confessor* 169 e, 172 f
Basilius, *archimandrita Cryptensis* 875 b. *Ejus virtutes* 870 c. *Polycarpi archimandritæ successor* 870 c, 872 b. *In hegumenum eligitur e sacerdotibus sæcularibus* 870 c
Basilius, *monachus Cryptensis* 874 f
Basinus, *episcopus Trevirensis* 130 e
Bassianus, *episcopus litigat de sede Ephesina* 646 e f, 647 a-e
† Bassus, *idem forte qui Hura aut Waris, martyr in Æthiopia, nisi hic sit S. Arethas* 4 e
Bastida (Joannes), *gubernator Belgradi sub Michael Zilagio* 370 d
Bayar (Ladislaus), *epilepticus a S. Capistrano sanatur* 479 f, 541 c
Beatrix, *abbatissa Camaldulensis, prætermissa* 580 b
† Beatrix *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
† Beatus *Vindocini serpentem exterminat* 88 d
Beaufort (*comes de*) *servandis publicis monumentis præpositus* 136 e
Bede (Georgius de) *surdus ope S. Capistrani sanatur* 475 f, 540 b
† Begga, *vidua* 141 c
Begon, *dux Aquitanorum seu comes Pictaviensis, anno* 844 *cæsus* 151 e f, 152 c
Begon (Scipio Hieronymus), *ep. Tullensis* 857 b
Beichlingen (Fridericus), *archiepiscopus Magdeburgensis, fautor S. Capistrani* 469 a
Belzonius *Berenices in Ægypto rudera detexit* 745 b c
Benaia *cæca a S. Senocho sanata* 770 e
Benalea (Joseph), *syndicus fiscalis Mediolani* 907 f
Benedictus *papa III literas formatas dat pœnitenti, peregrinanti ad loca pia* 847 f, 848 a
Benedictus XIII *papa bullam canonizationis S. Capistrani promulgat* 420 b-f, 421, 422 a b
† Benedictus, *episcopus Comensis, implicitus schismati Trium Capitulorum* 106 c, 107 e
Benedictus, *episcopus Lucensis* 238 f
† Benedictus, *abbas, quando accesserit Casinum* 825 f, 826 a, 836 a b. *Ejus sapientia ad S. Martinum Massicum monita* 832 c d. *Benedictinus ne fuerit S. Martinus Massicus* 825 e f. *S. Benedicti regula an a S. Martino Vertavensi usurpata* 798 a b
† Benedictus, *Herbadillicus, qui et Quinciacensis et Pictaviensis, presbyter, dictus episcopus, cultus in diœcesibus Pictaviensi et Lucionensi. Ejus Acta et cultus* 150 et seqq.
† Benedictus *Maceracensis non confundendus cum S. Benedicto Quinciacensi seu Pictaviensi* 150 c e f
† Benedictus, *cultus in agro Pictaviensi, prætermissus* 577 b
Benedictus, *pater S. Romani* 76 d e
Benedictus, *filius Petri Joannis, febricitans ope S. Capistrani sanatur* 543 b
Benedictus, *vulgo* Benescio, *camerarius Moraviæ, ad fidem conversus* 336 c
Benignus Genuensis, *minister generalis Observantum, obtinet extensionem cultus S. Capistrani ad universum Ordinem* 410 d
† Benincasa de Florentia *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Benini (Joannes), *episcopus Pisciensis, varia documenta pro Actis SS. communicavit* 228 e
Benukius (Andreas) *ope S. Capistrani a morte suscitatus* 479 b c d, 535 d e
Benzefi (Joannes), *brachio exsiccatus, ope S. Capistrani sanatur* 539 e f
Benzoni (Ludovicus), *prior generalis Carmelitarum* 899 b
Berarius, *archiepiscopus Narbonensis* 131 f
Berengarius, *comes Britannorum, Lehonense monasterium confert ecclesiæ S. Bartholomæi* 792 f
Berengarius *seu* Berengerus, *episcopus Virdunensis* 54 e, 55 a
Bernardinus Aquilanus, *vicarius provinciæ S. Bernardini* 395 e
† Bernardinus a Feltria, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c
† Bernardinus a Fossa *ordinis Minorum Observantiæ* 269 e
Bernardinus de Habiate *sepelit B. Julianam de Busto et ab ea curatur* 560 e
Bernardinus Saguntinus, *missionarius ex ordine FF. Minorum in India Occidentali* 7 f
† Bernardinus Senensis, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c. *Magister, amicus et socius S. Joannis Capistrani* 281 f. *Ejus pileolo et sanguine multos infirmos sanat S. Capistranus* 287 c d, 458 c d. *Vicarius generalis Observantum an primus* 293 f, 298 a d e f, 508 a. *Sancte obit* 298 f, 299 a. *Magnificum templum ad ejus honorem erigunt Aquilani* 308 e f. *Sub ejus invocatione S. Capistranus erigit conventus Brunæ* 309 e f, 310 a; *Loysii* 310; *Cracoviæ* 311 e; *Varsaviæ* 311 f, 312 a; *Olomucii* 312 b; *Wratislaviæ* 312 d, 332 b. *Ejus doctrina*

doctrina de cultu Nominis Jesu defenditur 322 a-f. *Promovet cultum SSmi Nominis Jesu* 320 d e, 420 d, 515 c. *Ejus canonizationem promovet S. Capistranus* 323 b-e, 420 d, 462 c-f, 509 a-f, 510 f; *post mortem multa signa patrat* 510 a b
Bernardus, *dux Oppoliensis, fundat conventum Observantum Oppolii* 343 c
† Bernardus, *episcopus Foroclaudiensis, dein Carinulanus, transfert sedem* 829 c d. *Item corpus S. Martini Massici* 829 d. *Patronus Carinulæ* 830 a. *Ejus jussu scripta historia translationis S. Martini Massici, ab ipso factæ* 831 a, 833 et seqq.
† Bernardus, *episcopus Viquensis in Hispania* 8 b, 582 c
† Bernardus *justo iniquior erga S. Guilielmum Eboracensem* 165 f; *omni humilitate delatos sibi publicos honores accipit* 333 c d e. *Tolosæ prædicat* 241 e f; *electionem Grimoardi ad sedem Pictaviensem apud Innocentium II defendit* 253 c
Bernardus, *monachus Cisterciensis in Grandisilva, prætermissus* 580 a
Bernardus Mutinensis, *ordinis Observantum in locum Aconya sanandus dimittitur* 392 c. *Socius itineris Germanici, S. Joannis Capistrani* 328 c, 516 d
Bernardus de Neapoli, *laicus, ordinis Observantum, socius itineris Germanici S. Capistrani* 328 c, 516 d
Bernardus, *eremita Plumbi, ob omissas preces corrigitur* 262 f, 263 a
Bernefridus, *decanus Tullensis* 858 d
Berta *pro Alberta* 588 e
† Berthæ *officium Aveniaci in diœcesi Remensi* 157 d
† Bertilia, *virgo sæcularis* 139 e
Bertrada, *mulier Deo vota, restituit ædem S. Florentini in vico Domni Germani* 858 a
Bertrandus, *pater S. Huberti, frater Bogonis* 130 d e, 132 e
Beryllus, *Bostrenorum in Arabia episcopus, ab Origene emendatur* 678 d e
Bestani (Petrus Franciscus) *ex ordine Servorum B. M. V. pius in B. Joannem Angelum* 893 e
Bevilacqua (Aloysius), *plenipotentiarius Innocentii papæ IX in comitiis Neomagensibus* 580 f
† Bibianæ *cardinalis. Vide* Tarlati.
Bignamus (Paulus) *archidiaconus Laudensis* 885 b
Billy (Tustanus de), *Constantiensis in Normannia historicus* 842 c
Bimia (Francisca) *venit in Montem supra Varesium, vitam eremiticam ductura* 557 b
Bimia *seu* Biuma (Benedicta), *priorissa Montis supra Varesium, scripsit B. Julianæ de Busto gesta* 553 c d f, 554 a b. *Venit in Montem* 557 b. *Fit priorissa* 557 d
Bimius (Aloysius), *pater Benedictæ Bimiæ, priorissæ Montis supra Varesium* 553 f
Bindus *pro Aldobrandino* 588 e
Bird (Jacobus) *scripsit de rebus Arabicis* 666 b d. *Ejus conjectura de Joanne, Æthiopiæ episcopo* 698 b
† Birinus, *episcopus Dorcestriensis* 848 e
Bissi (Henricus de Thyard de), *episcopus Meldensis* 106 d
Blanca, *filia ducis Mediolanensis, nubit Francisco Sfortia* 446 e
Blanchefort (Ludovicus de), *abbas Ferrariensis, pius in S. Montanam* 860 c, 861 b
Blasius Joannis de Florentia, *primus prior Clanti* 889 a
Blasius, *filius Mathiæ, membris captus per S. Capistranum sanatur* 482 b c
Blasius, *filius Petri, contractus ope S. Capistrani sanatur* 476 b c, 539 a b
Blasius, *de Valle Ceciliana, per S. Capistranum loquelam recuperat* 504 e
Bock, *presbyter Coloniensis, laudatur* 822 b
Bodilo, *sæculo* IX *Vertavensium advocatus* 814 f
† Boethius, *qui et Severinus. Ejus religio, gesta, martyrium, reliquiæ, cultus* 3 b c
Bognoniorum *nobili familiæ accensetur B. Juliana de Busto, genere rustica* 554 d
Bogo, *maritus S. Odæ, filius Cariberti regis* 130 d, 132 e, 141 a b
Boissonadii *editio Actorum S. Arethæ* 721 a d
Bombonus (Rocchus), *prior S. Laurentii Florentinus* 604 a
Bonaccursius (Franciscus) *anno* 1486 *edit Martyrologium Florentinum* 599 c
† Bonajuncta *de Florentia ex ordine Servorum B. M. V.* 883 c
† Bonaventura de Forolivii *ex ordine Servorum B. M. V.* 884 a
† Bonaventura *de Pistorio ex ordine Servorum B. M. V.* 883 e
† Bonaventura *diu post mortem canonizationis honores nactus est* 409 e f
† Bonfilius de Florentia *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 c
Bonfinius (Antonius) *describit victoriam de Turcis relatam* 363 et seq.
† Bonifacius *I papa prætermissus* 582 a; *Treviris cultus* 615 c
† Bonifacius, *archiepiscopus Moguntinus* 655 b c; *puer a parentibus monasterio oblatus* 651 b
Bonisii, *præpositi Papiensis, egregia scriptio de Boethii gestis, martyrio et cultu* 3 b c
† Bonosus, *episcopus Salernitanus* 47 c
† Bonosus *et Maximilianus tormenta non sentiunt* 18 a b
† Borisus *et Glebus in vetustissimis kalendariis inscripti* 867 f
Borisus, *S. Euphrosynæ Polocensis virginis avus, obiit anno* 1128 866 c
Borogh (Elisabeth) *testis miraculi pueri resuscitati* 479 c, 480 a f
Borromæus (Fredericus), *archiepiscopus Mediolanensis, jubet inquiri in miracula B. Joannis Angeli* 897 e f
Borromæus (Gibertus), *episcopus Navariensis et cardinalis* 898 e. *Petit approbationem cultus B. Joannis Angeli* 899 a
Boskowitz *sive* Schwarzenberg (Protasius), *episcopus Olomucensis* 336 e
† Boso, *qui et Leudinus, episcopus Tullensis* 3 e
Bossuet (Benignus), *episcopus Meldensis, Breviarii mutationes parum probat* 106 b
Botta (P. Æ.), *viator Gallus* 695 a
Bozzolini (Laurentius), *sculptor Florentinus* 900 b
Bracci (Ignatius), *chirurgus, ope S. Capistrani perfecte sanatur* 415 f, 416 a b c
Braccius de Montone, *dominus Perusiæ* 277 c
† Brichjesus *seu* Bochtjesus, *diaconus Seleuciensis et martyr* 688 f
† Briocus, *fundator ecclesiæ Sambriocensis* 780 b, 792 c, 793 c

Briroy (Nicolaus de), *episcopus Constantiensis* 846 e
Briseio (Petrus, Wido *et* Vulterus de) *intersunt synodo Tullensi* 858 d
Britfertus, *incertus auctor vitæ primævæ S. Dunstani* 218 c d
† Brithwaldus *Cantuariensis S. Wilfridum Eboracensem injuste de sede deponit* 165 e
† Bruno, *episcopus Coloniensis, S. Evergisli corpus Tungris Coloniam transtulisse dicitur* 658 d e, 659 e f, 660 a-e; *sed potius corpus S. Ebregisi Trajectensis Trutmonia Coloniam transtulit, putans eas esse exuvias S. Evergisli Coloniensis* 818 e f et seqq.
Bruyères-Chalabre (Alexander), *episcopus Audomarensis, edit novum Breviarium* 111 e
Budicus, *rex Britanniæ Armoricæ* 794 e
† Budocus, *episcopus Dolæ* 780 b c, 784 a b d e
Burchardus, *comes et auctor Vitæ S. Fremundi* 848 b
Burckardt, *viator* 726 a
† Burgundofara, *magistra Wilsindis* 7 c

C

Caccia (Julius), *senator Florentinus, de brachio S. Crescii* 604 c d
† Cadfarchi, *conf. non pont. in Wallia septentrionali, Acta et cultus* 763, 764
† Cadfanus *ex Armorica pergit in Walliam* 764 d
† Cadmarch. *Vide* † Cadfarchus.
† Cadocus, *monachus magister S. Iltuti* 773 c. *Solitudinem colit* 775 f
† Cæciliæ *virginis et martyris vestes, quibuscum humata est* 610 b
Cælestinus *papa III eximit Tavestockium monasterium ab auctoritate episcopi Exoniensis* 225 b c
Cæsarea, *soror Ignatii Bracci, fratrem hortatur, ut recurrat ad B. Capistranum, ipsa curata* 416 a
Cæsarinus (Julianus cardinalis). *Vide* Julianus.
Cahlan, *rex Sabæorum et frater Himyari* 684 b, 706 b
Caisus. *Vide* Imrulcays.
Cajuma, *archiepiscopus Seleuciensis* 689 a b
† Caji *papæ sepulcrum fabulosum* 610 c
† Cajus, *Salerni cultus, perperam socius additus S. Felici Tubzacensi* 622 d
† Caleb *i. e. Elesbaas, rex Æthiopum* 717 b, 718 b. *Vide* † Elesbaan.
Caligarius (Joan. Andreas), *episcopus Brittonoriensis, transfert reliquias S. Maglorii* 782 b
Calixtus III *papa vult Capistranum in Hungaria ad bellum Turcicum parandum permanere* 317 b c. *Jurat et vovet populum christianum jugo Turcico eripere* 350 b c. *Eum S. Capistranus certiorem facit de victoria Belgradensi* 382 a. *Rescribit S. Capistrano* 384 e f. *Obit* 461 b, 464 e
Callistus, *Juliani apostatæ satelles. Ejus de illius morte opinio* 573 a
Camburius, *filius Rivali, ducis Britonum* 774 d
Camilli (Laura) *ope S. Capistrani mirabiliter sanata* 435 e f, 436 a b c
† Camini, *abbatis Mis-Keltraensis, Vita metrica tributa S. Dalbacho* 5 d
Campis (Ægidius de), *episcopus Constantiensis in Normannia* 845 e
Canal (Joseph de la) *probat diploma Alahonense* 131 b
Candacis *nomen reginis Æthiopiæ Meroëticæ adhæsit* 670 e f
† Candida, *primævum nomen S. Theodotæ Ponticæ, ex genere Anicio* 13 b, 16 d
† Candida, *martyr Romana cœmeterialis, Cremifanum translata* 580 e f
† Candidus, *martyr Thebæus* 780 c
Canisa (Ladislaus) *Turcas abigit* 365 d
† Cannechus, *frater S. Laidgenni* 9 d
Capassius (Gerardus) *ex ordine Servorum B. M. V. Ejus scripta de SS. Crescio et sociis* 584 et seqq.
Capranica (Angelus), *cardinalis episcopus Reatinus, testis sanctitatis B. Capistrani* 314 e; *agit causam canonizationis S. Bernardini* 462 f, 464 f
Capranica (Dominicus), *cardinalis, vulgo Firmanus dictus, protector ordinis Minorum, litterarum fautor* 314 d e. *Ejus patrocinium contra adversarios Observantum imploratur* 314 e f
† Caprasius, *Agennensis martyr* 859 e
Caracciolus (Antonius), *historicus Neapolitanus* 716 a; *tradit sæculo* VIII *episcopatum Salernitanum incepisse* 47 b
Caradocus Fraichfras *ex familia Coëli in Wallia* 763 b c
Carafa (Petr. Aloysius), *episcopus Tricariensis et nuntius apostolicus ad partes Rheni, jubet visitari reliquias S. Odæ* 136 a b
Caraffinus (Lazarus), *episcopus Comensis, incipit publice colere sponte sua plurimos suos decessores* 107 d
Caravaggio (Æmilia *et* Maria de), *moniales ordinis Servorum B. M. V.* 892 c d
Cardi (Paulus), *biographus B. Joannis Angeli* 885 e
Carissimus, *comes S. Romuli Fæsulani* 587 a
Carlerius (Ægidius), *decanus Cameracensis, adversarius compactatorum* 339 a
Caroli V *imp. confessarius Antonius a Guevara* 580 b
Carolus Calvus, *imperator et rex Galliæ, literarum fautor* 206 e, 212 e; *confirmat fundationem Alahonensem* 131 e
Carolus Simplex, *coronatur Francorum rex a Fulcone Remensi* 209 a
Carolus VII, *rex Franciæ, consentit levandis decimis in Burgundia pro bello sacro* 354 e; *obit* 461 c, 464 e
Carolus Audax, *dux Burgundiæ, mittit Hierosolymam cum regiis muneribus cor patris sui Philippi* 355 a b
Carolus Dyrrachinus (di Durazzo) *regnum Neapolitanum occupat* 273 b c
† Carolus Borromæus *moniales non induxit in Montem supra Varesium* 562 a; *an coluerit B. Joannem Angelum* 898 e f; *an noluerit humari corpus B. Joannis Angeli* 899 b c
Carvajal (Joannes), *cardinalis diaconus patrocinium præstat Observantibus* 316 a, 473 d. *Sedis apostolicæ legatus pro bello sacro* 361 c, 363 f. *Indefesse laborat* 361 f. *Dat crucem belli sacri S. Capistrano* 362 a, 470 b, 531 f. *Budæ tempore belli consistit* 363 a. *Ibidem militem conscribit* 370 e f. *Victoriæ Belgradensi præsens non fuit* 383 d. *Belgradum advenit* 391 d. *Morbo endemico dire tentatur in Hungaria* 393 e. *Minus æquus erga S. Capistranum* 402 c d; *vir tamen optimus* 403 d e.
Casimirus IV, *rex Poloniæ, S. Capistranum litteris*

teris in regnum invitat 344 d e, 466 f, 469 b. *Nuptias celebrat cum Elisabeth Austriaca* 530 e
† Casimirus, *filius Casimiri IV et Elisabeth Austriacæ* 346 e
† Cassianus *an episcopus Trevirensis* 616 c d, 617 a
† Cassianus, *ex Ægypto advena, episcopus Augustodunensis* 64 f
† Cassiodorus, *cultus in oppido S. Marci, prætermissus* 576 f
Castagno (Andreas de), *pictor* 600 e
Castellanus (Albertus), *Ord. Præd., auctor sacerdotalis Romani* 854 d
Castillioneus (Joannes), *episcopus Ticinensis, legatus sedis apostolicæ ad comitia imperii pro bello sacro* 356 b f, 462 f, 464 f
† Catharina Palantina, *fundatrix monasterii S. Mariæ de Monte supra Varesium et B. Julianæ de Busto magistra* 553 et seqq.
† Catharinæ de Ricciis *corporis translatio* 2 b c
Catharina a Vino, *prætermissa* 580 d
Catharina, *uxor Galli Soka, uno oculo cæca per S. Capistranum sanatur* 480 a, 540 f
Catharina, *filia Gregorii, castellani Villakensis, ad vitam a S. Capistrano revocatur* 479 d
Catharina, *uxor Ladislai, filiam suam obtinet illuminari ope S. Capistrani* 540 e
Catharina, *uxor Laurentii sutoris, membris destituta, a S. Capistrano sanatur* 479 f
Catharina, *filia Michaelis, invocato S. Capistrano, recte ambulat* 539 d
Catharina, *Petri sartoris filia, resuscitatur a S. Capistrano* 457 e f, 518 a
Catharina, *vidua Petri, a fluxu ope S. Capistrani liberatur* 543 f
Cathenus, *pater Lonani, de quo in Vita S. Fintani* 579 e
Cavades *seu* Cobad, *rex Persarum* 687 c d e f, 710 c; *ei suadet Dunaan christianæ religionis abrogationem* 742 a b. *Contrarium suadet Justinus I, imperator* 743 e, 744 a
Caussin de Perceval (A. P.), *historicus Arabum veterum* 662 a f; *laudatur* 666 f, 696 d, 759 c; *emendatur* 699 a b
† Cawrdaf, *ex familia Coëli, princeps de Brecknock in Wallia* 763 b
Cecha, *uxor Mathæi, arida, ope S. Capistrani sanatur* 540 a
† Cedonius de Bononia *ex ordine Servorum B. M. V.* 884 a
Ceizo, Gizo, Kezo, Giso, *nunc* Geitz, *crementum, cupido* 823 f
† Celsinus, *episcopus Tulli Leucorum* 49 c, 50 a. *Ejus Acta et cultus* 908 et seqq.
Centulfus, *jussu Dagoberti I regis monasterio Vertavensi gravis, punitur* 800 b c, 811 d e
† Cerbonius. *Vide* † Crescius.
Ceresa (Antonius), *præpositus S. Thomæ in Terra Amara* 907 f
Ceresa (Leopoldus), *magister chori S. Mariæ Scalensis* 908 a
Cervantes (Joannes), *cardinalis* 296 a
Cetura *vel* Chettura, *ex uxoribus Abrahæ* 675 c, 714 f
Chaidulfus *sanatus ad sepulcrum S. Senochi* 771 a
Chalo *seu* Calo, *episcopus Pictaviensis, ecclesiam Castellariensem dedicat* 262 b f
Chaneb *seu* Charieb, *pater S. Arethæ martyris* 762 b f
Chaoaldus, *episcopus Viennensis, forsan idem cum Landaleno* 73 d e
Charibertus, *rex Aquitaniæ, pater Bogonis, mariti S. Odæ* 130 a, 133 d
Chariboinus, *episcopus Constantiensis in Normannia* 844 a
Charrier de la Roche (Ludovicus), *intrusus episcopus Rotomagensis, seu potius Sequanæ Inferioris, privilegium S. Romani conservatum cupit* 91 b
Charsias, *secundarius factionis aurigarum Venetæ, secundum alios Prasinæ* 916 b
Charsius, *dux, pugnat contra Persas in Asia Minori* 917 b
† Cheledonius, *martyr, perperam dicitur filius S. Marcelli martyris* 26 d e f
Cherenuk (Lazarus), *epilepticus a S. Capistrano sanatus* 480 c, 537 a
Chiffletii (Francisci) *opusculum de una S. Syra Meldensi et Trecensi* 104 c
Childebertus I, *rex Francorum* 774 a b
Childebertus II, *rex Francorum, fautor S. Samsonis* 774 b, 775 a-e, 786 d
Childebertus, *occiso Sigiberto rege Austrasiæ, ejus loco coronam assumit* 765 a
Childebertus, *filius Theodorici III, dicitur pater S. Odæ* 129 e f, 130 c d
Chilpericus *seu* Ildericus, *Merovingicus infans occiditur* 133 c
Chilpericus *anno* 575 *versans Tornaci* 765 c. *Bellum cum Sigiberto gerit* 765 c d
Chramnus, *filius Clotarii I, patri rebellis* 774 d
Chresti *cædis auctor dicitur Ulpianus* 12 a
† Christeta, *martyr, culta Eboræ* 577 d
Christianus, *episcopus Ambianensis sæc.* VIII 143 c, 144 a
Christina, *soror laica in Monte supra Varesium* 561 a
Christophorus Alcazar *prætermissus* 580 c
Christophorus Foroliviensis, *vicarius generalis Observantum, supplicat pro cultu S. Capistrano concedendo* 410 b
Christophorus Tornielli *ex vicario apostolico creatur prior generalis Servorum B. M. V.* 887 d
Christophorus de Soldo, *testis oculatus prædicationis et miraculorum S. Joannis Capistrani Brixiæ* 287 a
Christophorus de Varisio, *ord. Min. Observantiæ socius et biographus S. Joannis Capistrani* 270 f, 271 a, 516 d. *Eum in itinere Germanico comitatur* 328 c; *ei S. Capistranus commendat provinciam Austriæ* 398 b
Chromatius, *ut videtur, Græcus, episcopus Metensis* 65 b
Chrysophora, *sæculo* II *laudatissima femina, prætermissa* 579 a
Cibo (Innocentius), *cardinalis abbas commendatarius S. Audoeni Rotomagi* 85 b
Ciccazelli (Alphonsus) *Umber falsarius* 439 c
Cicus *pro Francisco* 588 e
Cid (Nicolaus). *Vide* Zid (Nicolaus).
† Ciferianus, *episcopus Alethensis* 780 b, 792 c, 793 d
Cimaroli (Marcus Aurelius), *medicus, testis miraculi a B. Capistrano patrati* 415 f
Cinelli (Hieronymus Maria), *Servus B. M. V. mutat cellam BB. Sosthenei et Joannis Angeli in oratorium* 900 a b
Cipellis (Joannes Jacobus de), *clericus Laudensis* 886 e
Circo (Catharinæ de) *filia agonizans ope S. Capistrani sanatur* 536 a
Clara, *mater Catharinæ resuscitatæ* 457 e

Clara,

Clara, *filia Jacobi, paralytica ope S. Capistrani curatur* 541 a
Clara, *uxor Stephani, cæca a S. Capistrano illuminatur* 480 a, 540 e
† Claudianus, *martyr Hierapolitanus* 634, 635
† Claudius, *martyr, perperam dicitur filius S. Marcelli martyris* 26 d
Claverinus, *patronus causæ de approbando cultu B. Joannis Angeli* 896 c
† Clavinus. *Vide* † Flavianus.
† Clementis *papæ et martyris manu imposita consecratur metropolita Kioviæ Clemens* 868 d; *patriarchæ CP. nomen ex SS. diptychis expungit* 868 f
Clemens X *papa approbat duo miracula in causa canonizationis S. Capistrani* 414 c; *transfert S. Paschasii Giennensis festum* 9 d
Clemens *papa XI vetat recitari lectiones de SS. Crescio et sociis* 584 d e
Clemens *papa XIII permittit officium fieri in honorem B. Joannis Angeli* 899 e f
Clementi *papæ seu Guiberto antipapæ epistolam inscripsit quidam metropolita Kioviensis, nomine Joannes* 869 d e f
Clemens, *ex recluso metropolita Kioviensis* 867 b. *Modo inaudito consecratus, anno* 1147 868 d e f; *bis exulat* 868 f
† Clemens, *episcopus Metensis, serpentes in fluvium præcipitat* 88 d
† Clemens *an Trevirensis episcopus* 616 c d, 617 a
Clemens de Darleriis, *Servus B. M. V* 891 f
Cleopatronia, *Daciani præsidis filia, Thessalonicæ a S. Viventio conversa* 153 d
Clerc (Laurentius le), *Cerasiensis abbas* 845 f
† Cleridonia, *virgo Sublacensis* 4 b
† Cletus, *confessor et diaconus Tibure, prætermissus* 582 a b
Clonius. *Vide* Atrius Clonius.
Clotarius I, *rex Francorum, socius Rivali, ducis Armoricæ* 774 c d f; *moritur* 767 c
Clotarius. *Vide* Lotharius.
Cobad, *rex Persarum* 698 d, 699 d e. *Vide* Cavades.
Cobella, *comitissa Celani, fundum dat ad ædificandum conventum Observantibus Capistrani* 306 a-e. *Mirabiliter a S. Capistrano sanatur* 457 c. *Benedictionem S. Capistrani morientis accipit* 398 f. *Excitatur ad procurandam ejus canonizationem* 404 c d
Coelchu, *fons nominis Colcani et Colgani* 5 b
† Coëlus, *episcopus in Hibernia, prætermissus* 579 d e
Cokii *seu* Loflhi (Helena) *infirma ope S. Capistrani sanatur* 477 b c, 540 d
Cola (Andreas) *claudus ex vulneribus a S. Capistrano sanatur* 504 f
† Colcanus *seu* Colgánus, *nomen derivatum a Coelchu sive Colga* 5 b c
† Coleta, *reformatrix Clarissarum, literas accipit a S. Capistrano* 301 e f, 302 a b
Colga, *fons nominis Colcani et Colgani* 5 b
Collet (Christophorus), *episcopus Christopoleos et vicarius in spiritualibus Tullensis* 910 a, 914 f
Collonier, *parochus Asianensis* 156 b
† Colmani *plurimi in Hibernia* 5 a b. *Vide* Colum.
† Colmanus, *filius Fiddicain, prætermissus* 579 d
† Colmanus, *Tuam Grenensis* 5 b
† Colmanus, *Cluan Tibrinnensis in Hibernia* 579 b c
Colum, Columba, Columbanus, Colmanus, *idem nomen* 5 a b
† Columba, *virgo et martyr, in Cornugalliæ* 2 e
† Columbanus monachus, *idem qui Luxoviensis abbas, prætermissus* 582 d e
Columna, *familia Romana* 502 e
Conanus, *rex Britanniæ Armoricæ* 794 e
Conober, *Britonum rex* 774 d
Conradus, *dux Silesiæ, petit canonizationem S. Capistrani* 406 f
Conradus Cantor, *sectarius ab episcopo Cameracensi damnatus* 324 e
Constantinus Copronymus, *imperator iconoclasta* 171 f
† Constantino Magno *imperatore, florent res ecclesiasticæ in orbe Romano* 616 e
Constantinus, *filius Basilii Macedonis imp.* 158 e f
Constantinus, *filius natu maximus Basilii imperatoris, moritur* 205 d e
Constantinus, *Vsevolodi III filius natu secundus* 878 d. *Victus a fratre exulat* 879 a
Constantinus, *metropolita Kioviensis, Clementis successor, quid gesserit* 869 a
Constantinus II, *Kioviæ metropolita* 870 b
† Constantinus *ex Septem Dormientibus* 3 d e
Constantius, *imperator* 677 b e f; *episcopum Arianum mittit ad Homeritas* 675 seq.
Constantius, *assessor præfectorum Italiæ* 563 f
† Consul, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 e
† Convojon, *monasterii Rotonensis auctor* 150 f, 151 a. *Secunda ejus sepultura* 154 e
Corarius (Antonius), *cardinalis, episcopus Bononiensis, amicus S. Joannis Capistrani* 284 f, 285 b
Corda *cognomen, sæculo* IX *distinctionis causa impositum* 817 a
† Corentinus, *episcopus Corisopitensis* 780 b, 792 c, 793 d
Corivinus (Jacobus), *puer a S. Capistrano sanatur* 504 e
† Cornelius *papa, cultus Rothnaci* 853 f
† Cornelii *et* Cypriani *cultus Coloniæ* 64 b
Corno (Joannes Baptista) *præcentor Mediolanensis* 898 b; *et scriptor* 885 c
Corsignani (Petrus Antonius), *episcopus Valvensis et Salmonensis* 826 b
Cosmas, *Polocensis episcopus* 868 e. *Mortuus anno* 1156 866 c
† Cosmas *et* Damianus, *martyres* 4 a
Cosmas Indicopleustes, *scriptor Ægyptius, hæresi Nestoriana infectus* 689 e f, 690 e, 725 a. *Scribit de propagatione religionis christianæ sæc.* VI ibid. *Versatus Aduli* 750 a. *Ejus librorum historia* 752 c, 753 a
Cosmus III, *magnus dux Etruriæ, promovet SS. Crescii et sociorum cultum* 583 et seqq. 601 f et seqq.
Cosroës I, *dictus* Anusjirvanus, *christianis libertatem sui cultus peragendi largitur* 689 d e; *num ante obitum baptizatus fuerit* ibid.
Cosroës Parviz, *rex Persarum, devictis Æthiopibus, Yemanam occupat* 718 f; *ejus victoriæ aliæ* ibid. et 719 a; *ab Heraclio imp. clade afficitur* ibid.
Coss, *filius Saida, episcopus Negranensis, Mahumeti notus* 720 d
Cotelerius *emendatur* 681 b
Couppé, *parochus S. Montanæ in diœcesi Bituricensi* 860 d
Crechia, *biographus S. Joannis Capistrani* 272 b

Crementius, *Byzacenus episcopus, refugit judicium Sedis apostolicæ* 68 f, 71 b
† Crescii, *Omnionis, Emptii, Cerbonii seu Seraphionis et Pamphiliæ, martyrum in Thuscia, Acta et cultus* 583 et seqq.
Crespi Castoldi (Petrus Antonius), *scriptor* 553 e
Crespi (Petrus Augustinus), *curatus ecclesiæ collegiatæ S. Joannis Baptistæ de Busto, auctor Vitæ B. Julianæ de Busto* 553 c
Crillon (Ludovicus de), *commendatarius Grandis Silvæ* 744 a
Criscens, Crisconius *pro Crescente et Cresconio* 588 f
† Criscus. *Vide* † Crescius.
Crisedia, *filia Joannis Aquilani, ope S. Capistrani arida brachio sanatur* 540 b
† Crispina, *martyr in Africa* 630 b
Crochi (Antonii) *filius ope S. Capistrani a morte suscitatus* 535 e f
Cruttendon (C.) *inscriptiones Himyariticas collegit* 666 b
Curci (Catharina), *epileptica a S. Capistrano curata* 481 f
Cusanus (Nicolaus), *cardinalis episcopus Brixinensis, legatus pontificius in causa Hussitarum, suboffensus S. Capistrano* 339 c d. *Ejus jussu adest comitiis Ratisbonæ S. Capistranus* 524 d f
† Cuthbertus, *magister S. Ywii* 4 a
† Cwerda, *patronus Aber-Erch in Wallia* 764 a d
† Cyprianus *Carthaginensis, cultus Rothnaci* 853 f. *Ejus sepulcrum secundo milliario a Carthagine sæculo* IX *visitant pœnitentes Galli* 847 f
Cyriacus, *abbas S. Eugenii in Xylocirco* 9 c
† Cyriacus *sive* Qiriaqos, *martyr Negranæ in Arabia. Vide* Azkir.
Cyriacus Fulginas, *vicarius Servorum B. M. V.* 892 a b
† Cyrillus *Alexandrinus excusat Joannis Antiocheni indulgentiam erga Nestorianos* 643 b. *Circumvenitur ab Athanasio Perrhensi* 645 f
Cyrillus *Scythopolitanus, biographus S. Euthymii* 680 et seq.; *emendatur* 687 f
Cyrillus, *ex stylita Turoviæ episcopus, floruit circa annum* 1150 867 b. *Ejus epistola ad Basilium hegumenum Kievocryptensem* 870 c, 872 b
† Cyrus, *lector Tubzacensis* 623 a; *hic ipse de quo in Passione S. Felicis, prætermissus* 578 f
Czephac (Margarita) *ope S. Capistrani sanatur* 476 d

D

Dacianus, *præses Antiochiæ* 153 c d e
Dagobertus I, *rex Austrifranciæ seu Austrasiæ* 818 c; *Neustriæ dominans* 842 c; *annis* XVI *Galliam regit* 79 a b; *Aquitaniam donat Cariberto fratri* 132 e; *rex sub annum* 629 *monasteriis infestus, mediam bonorum dominicalium aufert* 800 b c, 811 d e
† Dalbach de Cuil-Collaing 578 f
† Dalioba *de Cuil-mic-Lurchare, in prætermissis* 579 f
Dalmatius, *episcopus Cyzicenus semiarianus* 639 e
Dalmatius (Raimundus), *episcopus Rotensis* (*Roda*) 131 c
† Daluath, *episcopus et confessor in Hibernia, prætermissus* 578 e f
Damianus, *rex Homeritarum. Vide* Dhu Nowas.
Damianus, *episcopus Juriensis, adfuit concilio Kioviensi anno* 1147 868 e
Damianus, *monachus Cryptensis cum Matthæo et Jeremia Providis laudatur* 864 d
Damianus, *presbyter Cryptensis* 874 f, 875 b
† Damianus *et Cosmas, martyres* 4 a
Darii *fugati memoria celebrata arcu triumphali in India* 567 e
David, *rex Scotiæ, maritus S. Margaritæ, pater dictus SS. Fiacrii et Syræ* 105 d
David, *rex Æthiopiæ, nomen suum communicat oppido Beth-David* 751 b
David, *archiepiscopus Beneventanus* 839 b
Dawud *seu* David, *rex Salihitarum Syriæ, christianus fuisse dicitur* 679 a b; *profligatur a Ghassanidis* ibid.
Debeauvais (Lud.), *parochus S. Jacobi Parisiis, varia mittit instrumenta circa reliquias SS. Maglorii et aliorum* 779 f
Decivilis. *Vide* Docibilis.
Decii *imperii initium* 599 e; *quando purpuram assumpserit et quando obierit* 588 c. *An Florentiæ versatus sit anno* 250 588 d. *Christianos Florentinos persequitur* 589 f, 590 a
Decius *etiam Trajanus dictus* 31 a b
Delisle (Leopoldus) *laudatur* 862 a
† Delphinus, *episcopus Burdegalensis* 51 b c
Demetrius, *patriarcha Alexandrinus* 672 e f, 678 c
Demetrius, *presbyter, ab incendio ope S. Capistrani liberatur* 482 e
† Demetrius, *martyr Casinensis* 835 f
Demetrius, *piscator, ad mortem damnatus a S. Capistrano liberatur* 482 d
Demostratus, *alias* Timostratus, *bello captus ab Almundaro Hirensi* 691 b c
Denyngton (Joannes). *Vide* Joannes.
Deodatus, *episcopus Comensis. Vide* Deusdedit.
Deotharius, *episcopus Arisitensis, S. Firmini Uceticensis frater* 39 b c e
Derochus, *filius Rivali, dux Britonum* 774 d e
Descuret, *doctor medicus, visitat ossa SS. Maglorii et aliorum* 779 f, 780 a
† Desiderius, *episcopus Cadurcensis* 123 a b c
† Desiderius, *abbas in diœcesi Bituricensi* 4 b
Desvergers (N.) *scripsit de Arabia* 674 d et passim.
Desjuvre (Gulielmus), *monachus Castellariensis, gaudet apparitione B. Giraldi* 264 b c
Deusdedit, *episcopus Comensis, finem imposuit in sua diœcesi schismati Trium Capitulorum* 106 c, 107 b
Dhu Djadan, *num rex fuerit Homeritarum* 711 d f
Dhu Nowas *vel* Dhu Nawas (Zura Ibn Caab, *cognomento*), *dictus a Syris* Dimion 693 e, 696 d f, 697 a b, 725 a; *a Græcis* Damianus, Damnus 696 d f; *et* Dunaan *ex Arabico Dhu Nawas* ibid. et 725 a; *ab Æthiopibus* Fi-Neas 696 d f; *occidit regem Homeritarum Dhu Sjnatir et regnum adipiscitur* 693 e f; *quando regnare cœperit* 693 c d; *fit judæus* 694 a b; *ejus cum Æthiopibus bellum duplex* 694 d e, 714 d; *bellum primum cum S. Elesbaa, rege Æthiopum* 722 a; *profligatur, ad montes sese recipit ac paucis post annis aliud contra Elesbaan bellum orditur* 694 e f, 699 c, 742 a b d e, 722 et seqq.; *in bello primo, anno scilicet* 519 *aut paulo post, urbe sua regia Taphari pellitur* 759 a; *num umquam vicarius fuerit S. Elesbæ* 745 a; *princeps crudelis et fraudulentus* 701 f, 721 f; *christianos persequitur et multos martyrio addicit* 699 c d, 701 et seqq.

et seqq., 722 et seqq., 726 a; *Negranam frustra oppugnat, sed perjurio ingreditur* 702 c, 717 c d, 727 a; *vectigal requirit a Negranensibus et quantum* 727 a b c; *martyres Negranenses in fossam ignitam projici jubet* 708 et seq.; *inde dictus* Saheb-al-Okhdud, *sive* dominus fossæ 694 a, 708 d; *reges plures ad persecutionem hortatur* 710 c, 724 a b; *hunc in finem scribit ad Almundarum regem Hirensem* 695 c; *ejus epistola ad eumdem* 701 et seqq.; *occurrit exercitui S. Elesbaæ in hujus expeditione altera* 754 et seqq.; *capitur ab Æthiopibus* 696 e, 756 a; *ab eorum rege S. Elesbaa occiditur* ibid. et 712 b e, 713 c; *num alii principes Homeritæ post eum regnarint* 711 d e f; *num eo regnante passi sint martyres Negranenses Azkir, Cyriacus et socii* ibid.

Dhu Sjnatir. *Vide* Lakhnia.

Dhu Thaleban. *Vide* Dus Dhu Thaleban.

Djabala, *alias* Gamalus, *princeps Kinda, Syriam vastat* 687 b

Djabala III, *rex Ghassanida* 691 c

Djafna, *seu* Djofna, *phylarcha Ghassanidarum* 679 b

Djawharius, *lexicographus Arabs* 676 a b

† Didacus, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c

Didymus, *Alexandriæ versans, cognoscit statim Juliani apostatæ cædem* 573 b

Dieu (Le), *secretarii Bossueti, de una S. Syra Meldensi et Trecensi opinio* 104 c; *novi Breviarii incentor* 106 b

Dimion, *rex Homeritarum* 696 c d e. *Vide* Dhu Nowas.

Diocletiani *primum edictum adversus christianos* 625 c; *primum, secundum et tertium edictum* 628 c f, 629 a. *Vicennalia celebrat Romæ* 632 a

Dido, *Pictaviensis episcopus* 795 e

Diodorus, *episcopus Tarsensis, accusatus hæreseos* 643 d e, 644 a. *Eum nominatim condemnatum non vult S. Proclus* 645 a b

† Diogenes, *episcopus Atrebatensis* 64 f

Diogenes, *episcopus Cyzicenus* 647 c

Dionysius, *cardinalis archiepiscopus Strigoniensis, gratulatur S. Capistrano ejus in Hungariam adventum* 357 b

Dionysii *chronicum Syriacum* 708 b

Dionysius, *episcopus Polocensis, obiit anno* 1183 866 c

† Dionysius *ex Septem Dormientibus* 3 d e

† Dionysius, *martyr Casinensis* 836 d

Dionysius, *filius Jacobi Aquilani, jam agonizans ope S. Capistrani ad vitam revocatur* 537 d e

Dioscorus, *patriarcha Alexandrinus, in exilium missus* 581 b

Docibilis *seu* Decivilis, *dux Cajetanus, admittit Saracenos, dein emittit* 828 b c

Dœringius (Mathias), *Minor Conventualis, sinistre loquitur de S. Capistrano et refutatur* 332 d e f, 333 a-e

Dombal, *pictor* 853 a

Dominicus, *episcopus Ambianensis, sæculo* VIII 144 a c

Dominicus, *episcopus in Bulgaria* 161 e

Dominicus Concarul *seu* Cacal, *abbas S. Leonis Tullensis* 913 e, 915 a

† Dominicus de Florentia *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f

Dominicus de Nancejo, *abbas S. Mansueti Tullensis* 913 d e, 914 a e

† Domitianus, *episcopus Trajectensis* 818 b

† Domitius, *in agro Ambianensi cultus, prætermissus* 557 b

† Domninus, *in Galliis advena, episcopus Diniensis* 64 f

Domnus, *episcopus Antiochenus, Athanasium episcopum damnat* 645 e, 646 a b c

Donatianus, *presbyter, filius Uttonis, sæculo* IX *disponit de tribus monasteriis in Etruria* 607 b c

Donatus, *episcopus, legatus Hadriani papæ II in concilio CP.* 194 f

† Donatus *e duodecim fratribus Adrumetanis socius datus S. Felici Tubzacensi* 622 d e

† Donatus, *idem qui S. Dorotheus, martyr Hadrianopolitanus* 23 b f

† Donatus a Ferraria *ex ordine Minorum, prætermissus* 580 e

Donodeus, *custos monasterii S. Domnini in Etruria* 603 d e

† Dorothea *loco S. Dorothei, martyris Hadrianopolitani* 23 c

Dorothea, *uxor Emerici de Themeswar, cæca ope S. Capistrani sanatur* 476 a, 542 d

Dorothea, *filia Stephani, a S. Capistrano sanatur* 479 e

† Dorothei, *cubicularii Diocletiani et martyris, reliquiæ Aurelianis* 3 e

† Dorotheus, *martyr Hadrianopoli* 4 d e; *cultus Tolosæ* 4 f, 5 a; *falso adscriptus Cæsareæ Cappadociæ* 8 a; *item Nicomediæ et Trajanopoli* 23 et 24. *Item falso dictus Nicomediensis, prætermissus* 577 a b

† Dorotheus, *sacerdos Apollinis, Ancyræ in rogum pergit cum S. Theodota Pontica* 15 b c d

Dotrewe (Victor), *parochus Amaniensis, varia communicat circa cultum S. Odæ* 136 a d

Dubourg (Thomas III), *abbas Cerasiensis* 845 e

† Dubricius, *episcopus Menevensis, solitudinem petit* 775 f

† Dulcardus, *Biturícensis, prætermissus* 582 b

Dulcinus (Gulielmus), *ord. Præd. episc. Lucensis recognoscit reliquias S. Allucii* 231 c, 232 d, 233 f

Dunaan. *Vide* Dhu Nowas.

† Dunstanus, *abbas Glastoniæ, episcopus Wigorniensis, archiepiscopus Cantuariensis* 215 b, 216 d e; *vindicatur a calumnia* 216 e f, 217 a, 218 a-e

Durth *seu* Huith (Jacobus) *agonizans, ope S. Capistrani reviviscit* 482 d

Dus Dhu Thaleban, *seu* Dus Ibn Dhi Thaleban, *Homerita christianus, qui martyria Negranensium nuntiavit S. Elesbaæ, regi Æthiopum* 712 a b; *hujus, durante expeditione, in Æthiopia vicarius fuisse fertur* ibid.; *alii verius id negant* 712 d f; *num et Cpolim iverit* 712 c d. *Multa docuisse fertur Justinum I imperatorem* 744 c

† Dympna, *virgo sæcularis* 139 d; *pro amentium valetudine invocata et multis ritibus culta* 853 b c d; *quare pingatur cum domito diabolo* 855 d

E

Eber, Ever, *quid significat in nominibus theutonicis* 823 e f

†, Ebergisus. *Vide* † Ebregisus.

Ebedjesu, *episcopus Dair-Meherak* 689 a, 690 d

Ebnarrahebus. *Vide* Petrus.

Ebn Batuta, *scriptor Arabs* 679 a

Ebn-Dhi-Kifan. *Vide* Esimiphæus.
† Ebregisi *seu* Ebergisi, *episcopi Trajectensis, Acta et cultus* 818 et seqq. *Ebergisi nominis origo et significatio* 823 e f. *Differt ab Ebergislo* ibid.; *corpus Trutmoniæ* 660 f
Ebroinus, *magister palatii, dominatur Neustriæ* 842 d
† Ebrulfus *an servavit stabilitatem Benedictinam* 798 d. *Brevis ejus vita* ibid.
Edebridus, *comes S. Fremundi martyris* 848 b
Edgarus, *rex Anglorum. Uxores Ethelfleda et Ælfdritha; filius Æthelredus* 223 c e
† Edmundus, *martyr a quibus cæsus* 848 b c
Edrisius, *geographus Arabs* 675 f, 676 b
† Eduardus, *martyr, Angliæ rex* 849 a
Eduardus I *judicium instituit de nundinis Tavestockiensibus* 225 d e
† Eduardus, *confessor, Angliæ rex* 849 a
Eduardus III, *rex Angliæ, confirmat nundinas Tavestockienses* 225 e
Edulfus. *Vide* Odulfus.
† Edwulfus *in Anglia rex* 849 a
Ega, *magister palatii, dominatur Neustriæ* 842 d
El-Azraki, *scriptor Arabs* 674 d
Electramnus, *episcopus Rhedonensis* 848 a
† Elesbaas, *rex Æthiopum Axumitarum, sive Habessinorum* 8 c d, 708 b; *filius Tazenæ, regis item christiani, ab Æthiopibus* Caleb *dicitur* 696 a, 717 b, 718 b c, 724 c; *etymologia nominis Elesbaæ* 724 c, 725 a; *num idem sit qui* Aidog, *seu* Anda, *vel* Adad 695 f, 696 a b d; *ei attributa videntur aliquot res gestæ regis Amedæ, sive Ala-Amedæ* 725 b c; *a Procopio Hellestheæus dicitur et quare* 685 a, 694 c d : *vide* Hellestheæus; *a nativitate christianus* 696 a b, 697 a b; *ejus bella cum Dhu Nowaso, rege Homeritarum* 693 d, 694 c; *expeditio prima contra Homeritas* 694 d e, 696 f, 714 d, 722 a; *in qua Dhu Nowasum profligat : qui aliquot post annis aliud bellum orditur* 694 e f, 699 c, 742 a b d e, 722 et seqq.; *chronologia ejus belli secundi cum rege Dhu Nowaso* 701 e f, 711 b c; *ei scribit Justinus I, imperator; et Timotheus, patriarcha Alexandrinus, Eucharistiam cum literis mittit* 743 d e f; *classem instruit navium septuaginta* 711 b c d, 747 et seqq.; *et exercitum* 120,000 *militum* ibid. et 712 a d; *ante expeditionem adit S. Pantaleonem* 718 b; *cum classe et exercitu trajicit fretum Bab-el-mandeb* 753 b; *exercitum ducit ipsemet in Arabiam, non vero prorex Aryates* 711 f, 712 a, 713 c d; *Dhu Nowasum profligat et gladio interimit* 712 b c e, 718 c; *Tapharon, urbem regiam, occupat* 755 e f; *episcopum obtinet a patriarcha Alexandrino* 758; *qui factum ut cum patriarcha hæretico communicaverit* 710 d f, 711 a, 713 e f; *proreges ab eo diversis temporibus constituti in Homeritide* 698 et seq.; *tertio Arabiam adit et proregem agnoscit Abrahamum* 759 b; *in Æthiopiam redit, fit monachus et sanctissime vivit ac moritur* 758 et seqq.; *tempus obitus* 719 b; *ejus laudes* 721 f, 722 a, 761 e; *in Menologiis Armenorum dictus* Elizbahaz *et* Elesbowan 725 a. *Vide* Aidog.
† Elesbowan. *Vide* † Elesbaas.
† Eleutherius *papa omissus in Catalogo Liberiano* 616 b
† Elfleda, *virgo, filia Eduardi senioris* 214 a
† Elfleda, *virgo, abbatissa Streneshalæ in Anglia* 214 a
Elfrida, *filia Ordgari, comitis Domnoniensis et regis Edgari uxor* 223 b c d e. *Procurat S. Eduardi necem* 223 e
Elias, *legatus, patriarchæ Hierosolymitani in concilio CP.* 194 f
Elias, *episcopus Polociæ, floruit circa annum* 1128 866 c
Elias Damascenus, *scriptor Arabs* 671 d
† Eligius, *Noviomensis et Tornacensis episcopus* 844 a; *ordinatur probabiliter anno* 646 78 f, 79 a-f; *quia laicus, ante ordinationem anno integro probatus fuit* 81 c d
Elisabeth Austriaca, *conjux Casimiri IV, regis Poloniæ* 345 e, 346 e; *mater S. Casimiri* 530 e
Elisabeth *Lusitanica. Vide* Isabella.
Elisabeth, *uxor Joannis Hunyad, mater Mathiæ regis, instat pro canonizatione S. Capistrani* 408 f, 409 a b
† Elisabetha Picinarda *de Cremona ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Elisabeth de Reven, *abbatissa S. Cæciliæ Coloniensis, auget S. Evergisli honores* 822 a b
† Elisabeth *Senensis ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Elisabeth, *filia Balthasaris pellificis Vilakensis a S. Capistrano curata* 475 c, 540 b
Elisabeth, *uxor Nicolai sartoris, agonizans per S. Capistranum sanata* 477 c, 536 d
Elisabeth, *uxor Nicolai Zelesconniz, cancerosa, ope S. Capistrani sanatur* 543 c
† Elisbahas. *Vide* † Elesbaas.
Eliseus de Galentiis, *Servus B. M. V.* 891 f
Eliseus, *medicus, gener Silæ, patriarchæ Nestorianorum* 744 b
Emeno, *comes, fautor Pippini II* 801 d e
Emericus, *Castellariorum primus abbas* 262 b
Emericus, *Capuccinus, transfert Cremifanum S. Candidæ corpus* 580 f
Emerici de Illye *filii agonizantes a S. Capistrano sanantur* 482 d
Emericus, *pellifex, herniosus, a S. Capistrano curatur* 542 d
Emericus, *puerulus contractus, ope S. Capistrani sanatur* 539 a
† Emptius. *Vide* † Crescius.
† Endulus, *episcopus Tullensis* 910 c
Enoch, *nobilis, cœcus a S. Capistrano illuminatus* 480 a, 540 f
† Enochus. *Vide* † Senochus.
† Eoain, *Hibernus. Vide* † Joannes.
Ephraem, *metropolita Kioviensis* 875 a, 876 d
Ephræm, *episcopus Perejaslaviæ* 880 b
Ephræm, *episcopus Suzdaliæ* 880 b, 883 a
Epiphanius, *S. Vincentii Vulturnensis abbas* 827 f
Erasmus, *monachus Cryptensis* 874 d; *expendit divitias suas in exornanda ecclesia* 866 d
Erbach (Theodericus de), *archiepiscopus Moguntinus, provocat ad futurum concilium* 385 d
† Erca, *virgo Hiberna, prætermissa* 579 f
Erispogius, *anno* 851 *victor, obtinet a Carolo Calvo comitatum Nanneticum* 794 c e, 813 e
Erkenbodus, *socius SS. Luglii et Lugliani* 110 b
Erlichshausen (Ludovicus), *magister ordinis Teutonici* 347 d; *contra rebelles Pruthenos invocat auxilium Sedis apostolicæ* 347 d
Ernestus Bavarus, *archiepiscopus Coloniensis et episcopus Leodiensis, concedit translationem corporum SS. Justæ et Rufinæ ex Germania in Hispaniam* 28 c d

Estouteville (Gulielmus d'), *cardinalis tit. S. Martini in Montibus, Eugenii IV et Nicolai V commissarius in causa canonizationis S. Bernardini Senensis* 513 e
Esimiphæus, *prorex Homeritarum Arabiæ pro Æthiopibus* 684 a b, 698 et seq. 711 f, 760 a; *num Arabice Ebn-Dhi-Kifan dictus sit* 699 a b

Ethelredus. *Vide* Æthelredus.
Ethelstanus, *qui et Livingus, Wellensis, dein Cantuariensis antistes* 224 a b
† Eva, *socia S. Saturnini martyris* 624 f
† Eucharius, *episcopus Trevirensis* 616 f
† Eucharius, *Tullensis episcopus, prætermissus* 582 c d

Eudo, *dux Vasconiæ, regibus Carlovingicis rebellis* 132 f
Eudocia, *uxor Theodosii Junioris, ante baptismum et nuptias Athenaïs dicta* 594 d
Eudoxius, *episcopus hæreticus Constantinopolitanus* 578 d
Ever, Eber, *quid significat in nominibus theutonicis* 823 e f
† Evergisus. *Vide* † Ebregisus.
† Evergislus, *diaconus S. Severini* 61 c
† Evergislus, *episcopus Coloniensis* 52 f. *Ejus reliquiæ putatæ, quæ sunt S. Ebregisi* 818 et seqq. *In ejus festo indulgentiæ Coloniæ* 822 c
Eufratas, *episcopus Coloniensis* 52 f, 53 b c
Eugenii Pp. IV *pontificatum prædicit S. Capistranus* 459 f; *et ejus obitum* 460 a. *Visitatores ordinis Jesuatorum instituit SS. Laurentium Justinianum et Joannem Capistranum* 288 c-f. *Pontifex eligitur secundum vaticinium S. Joannis Capistrani* 297 b c, 511 e. *S. Joannem Capistranum vicarium generalem confirmat* 301 d. *Moritur* 303 b
Eugenius, *metropolita Kioviensis* 869 d. *Quid sentiat de auctore Paterici* 873 d e, 876 d, 879 d

Eugenius, *abbas S. Eugenii in Xylocirco* 9 c
† Eulaliæ, *virginis Barcinonensis, translatio* 2 b
† Eupelius, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 f

Euphemianus, *Euchaitarum episcopus e sede sua a Photio pulsus* 203 a
Euphemius, *patriarcha Cpolitanus* 719 f
Euphrasius, *patriarcha Antiochenus* 717 b, 719 f, 761 e

Euphronius, *episcopus Turonensis, diaconum creat S. Senochum* 766 b, 767 a b. *Consecrat altare erectum a S. Senocho* 769 f
† Euphrosyna, *virgo, fundavit monasterium SS. Salvatoris prope Poloclam* 866 c
† Evregisus. *Vide* † Ebregisus.
Eusebius, *episcopus* 675 d
Eusebius, *episcopus Ancyranus, reprobat jurisdictionem episcoporum CP.* 647 f, 648 a
† Eusebius, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 e

† Eusebius *Samosatensis extra propriam provinciam episcopos ordinat* 655 d
Eusebius, *laicus, post Dorylæi episcopus, primus in Nestorium insurgit* 640 e
Eustathius, *episcopus Ancyranus seu Sebastenus, damnatus in synodo Gangrensi* 191 c
† Eusterius, *episcopus Salernitanus* 47 c
† Eustratius, *et socii, MM.* 716 a
† Eutherius, *martyr Hieropolitanus* 634, 635
Euthymius, *Novgrodensis episcopus, adhæret Isidoro, metropolitæ Kioviensi, post concilium Florentinum* 6 d
Euthymius, *Perejaslaviæ episcopus, adfuit concilio Kioviensi anni* 1147 868 e
† Euthymius, *monachus et presbyter, plura monasteria condit in Palestina* 680 d; *apostolus Arabum Scenitarum* 680 et seq.; *eorum coloniam christianam constituit, dictam Parembolen, quam diu regit* ibid.; *magister S. Sabæ* 682 a; *alii ejus discipuli: Gajanus episcopus Medabæ* 682 b; *Petrus episcopus Paremboles* 680 et seq. *Convertit plures Saracenos Hirenses* 744 b
† Eutropii, *episcopi Santonensis, reliquiæ inveniuntur sinceræ* 230 a
Eutropius, *historicus, Julianum apostatam bello Persico secutus* 572 f
† Eutychius, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 e

† Exsuperantius, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 e
† Exuperius, *episcopus, Tolosam suam protegit* 52 d
Ezelo (Franciscus) *agonizans ope S. Capistrani sanatur* 538 a

F

Fabbrini (Stephanus), *pictor Florentinus* 900 b
Faber (Jacobus) *Stapulensis. Agones martyrum* 619 a
Fabianus de Buda *agonizans a S. Capistrano sanatur* 479 d e, 482 c
Fabriani (Victor), *S. J. de re hagiographica bene meritus* 446 e
† Facundus, *martyr, perperam dicitur filius S. Marcelli, martyris* 26 d
Fagnanus (Jul. Cæsar) *instat in consistorio apud Alexandrum VII pro canonizatione S. Capistrani* 411-414 a b
Falignus, *plebanus Valliscavæ* 605 c
† Fauricius *an episcopus Trevirensis* 616 c d, 617 a
Fauriel *probat diploma Alahonense* 131 b
† Faustus, *abbas monasterii S. Luciæ* 69 b
† Faustus, *martyr, perperam dicitur filius S. Marcelli, martyris* 26 d-f
Faymiyun, *Syrus, Negranam ad fidem christianam perduxisse perhibetur* 692
† Febronia, *virgo* 716 a
Febronia Bononiensis, *ex ordine FF. Prædicatorum, prætermissa* 7 e
Felicitas, *mater S. Romani, diu sterilis* 77 a b
Felicii (Antonii Francisci) *de SS. Crescio et sociis scripta* 584 et seqq.
Felix V, *antipapa. Vide* Amedeus.
Felix *Aptungitanus, Donatista, prætermissus* 582 a, 620 c
Felix I, *episcopus Catalaunensis* 105 c
† Felix, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 f
† Felix *Mettensis videtur intrusus in catalogum Trevirensem* 616 a; *adeoque idem videtur ac falsus S. Felix I Trevirensis* 618 d e
† Felicis, *episcopi Nannetensis episcopatus initium et finis* 799 a, 802 f, 803
Fernandus Ovalo, *prætermissus* 580 d
Ferreolus, *episcopus Jaccensis* 132 a
Ferreolorum *familia nobilis et sancta* 39 d
† Fiacrius, *frater dictus S. Syræ, virginis Meldensis* 104 et seqq. *Filius dictus S. Margaritæ, reginæ Scotiæ* 105 d
Fidelis (Franciscus), *protonotarius Mediolanensis* 897 e

† Filibertus *Quinciacense monasterium curat* 154 a. *Ejus corpus sæculo* IX *varia in loca defertur* 155 c
Fillâtre (Joannes du), *episcopus Constantiensis in Normannia* 356 b
Filz (Josephus Henricus), *decanus Coloniensis* 822 e
† Findganus, *filius Airchinnig, prætermissus* 579 e
Fineas *i. e.* Dhu Nowas, *rex Homeritarum* 717 b. *Vide* Dhu Nowas.
† Fintanus, *abbas de Cluain-Ednagh* 579 c
† Firminus, *episcopus Uceticensis* 39 d e
Firuzabadius, *auctor Camusi* 696 a
† Flavianus, *episcopus Comensis, implicitus schismati Trium Capitulorum* 106 c, 107 e
† Flavianus II, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 f
† Flavianus, *martyr Hieropolitanus* 634, 635
† Flavianus, *martyr Nicomediensis* 23 d
Flaviani *cædis auctor dicitur Ulpianus* 12 a
† Florebertus, *episcopus Leodiensis, elevat corpus S. Odæ et aliorum sanctorum reliquias* 135 e f, 139 e f, 141 e
† Florentini, *confessoris, genere Scoti, culti in pristina diœcesi Tullensi, Acta et cultus* 850 et seqq.
† Florentius, *episcopus Trevirensis* 616 c d
Florentius, *S. Gregorii Turonensis pater* 824 e
† Florus, *martyr, prætermissus* 582 b
Florus *dirus persecutor christianorum in Numidia* 630 b
Fogginius (Joannes Baptista), *architectus Florentinus* 601 f, 602 a
† Foillani *martyris festum* 8 d
Folcmaro, *episcopo Coloniensi, dicata S. Brunonis, ejus decessoris, Vita* 818 f
Follinii *investigationes de pristino Florentiæ ambitu* 587 e
Fontanini (Justus) *immiscetur controversiæ de Actis SS. Crescii et sociorum* 584 c
Forgeais (Arthuri) *egregium opusculum de plumbis effigiatis, in Sequana repertis, laudatur* 840 f
Foro (Guilielmus de), *civis Tullensis* 914 a
† Fortunatianus, *lector, perperam sociatus S. Felici, episcopo Tubzacensi et martyri* 619 f et seqq.
† Fortunatus *an episcopus Trevirensis* 616 c d, 617 a
† Fortunatus, *socius additus S. Felici Tubzacensi* 8 a b
† Fortunatus *alter, Salerni cultus, perperam socius additus S. Felici Tubzacensi* 622 d
† Fortunatus *seu* Fortunatius, *ex turma duodecim fratrum, prætermissus* 576 e
† Fortunatus *cum sociis, prætermissus* 576 e
† Fortunatus *Vercellensis sancte vivit in agro Senonensi* 65 e
† Framechildis, *mater S. Austrebertæ* 137 e
Franchis (Jacobus de), *testis vocationis S. Joannis Capistrani* 278 d e f
† Franciscus Assisias *novem observat Quadragesimas* 446 e; *S. Joannem Capistranum ad ordinem suum invitat* 279 c
Franciscus de Gotiis, *Servus B. M. V.* 891 f, 892 a
Franciscus *Hungarus, ordinis Observantum, Belgradi moratur* 370 b
Franciscus Lardegarius, *presbyter Ord. S. Franc., anno* 1566 *a Calvinianis occisus* 7 e f
Franciscus a Papia *per visionem certus redditur, favere Deum Observantibus* 304 e f
Franciscus a Saxoferrato, *reformator VV. Clarissarum* 307 f
† Franciscus *Senensis ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Franciscus, *filius Antonii, ab epilepsia ope S. Capistrani liberatus* 541 c
Franciscus, *filius Joannis, a morbo pestifero ope S. Capistrani liberatur* 544 e
Franco, *Rothomagensis episcopus* 845 a; *baptizat Rollonem, ducem Normannorum* 100 a
† Fremundi, *eremitæ et martyris in Anglia acta et cultus* 847 d e f, 848, 849. *Confusus cum S. Fromundo, episcopo Constantiensi in Normannia* ibid.
Fresnel (Fulg.) *scripsit de Arabiæ historia antiqua* 662 a, 674 f; *ejus sententia de situ Taphari* 676 a; *confutatur* 676, 900
Fridericus III, *imperator, advocat S. Capistranum, ejusque Fratribus conventum Viennæ fundat* 309 a b, 465 b, 468 a. *Scribit ad Nicolaum V pro defensione Observantum* 314 f, 315 a-e. *Petit mitti ad se S. Capistranum* 328 b c. *Inimicitias habet cum Ladislao, Hungariæ rege* 385 d. *Coactus tradit Ladislaum Bohemis* 549 f, 550 a; *urget canonizationem S. Capistrani* 406 c d e
Fridericus I, *dux Lotharingiæ* 851 e
Fridericus, *dux Saxoniæ, honorifice S. Capistranum excipit* 340 f
Fridericus I, *archiepiscopus Coloniensis, donis ornat ecclesiam S. Severini* 55 d
Fridericus, *episcopus Ultrajectinus, sæc.* XV 293 b
Fridericus *ordinis Observantiæ, interpres S. Capistrani Wratislaviæ* 344 b
† Fromundi, *episcopi Constantiensis in Normannia, gesta et cultus* 842 et seqq.
† Fromundus, *martyr. Vide* † Fremundus, *martyr.*
Fromundi, *monachi Rothonensis, facinus et pœnitentia* 847 e f, 848 a
Fronimus, *ut videtur, Græcus, episcopus Metensis* 65 b
† Frontinus, *qui et S. Fronto, Petragoricensis apostolus habetur et dicitur a S. Petro Florentiam et in alias partes missus* 586 e f
† Fronto, *idem habitus ac S. Frontinus, missus a S. Petro et Petragoricensium apostolus dictus* 586 e f
Frotharius, *Tullensis episcopus* 909 e
† Fructuosus *seu* Fructus, *Segoviæ cultus, prætermissus* 582 b
† Frumentius, *Æthiopiæ seu Abyssiniæ apostolus et episcopus Axumis, a S. Athanasio ordinatus* 8 c, 670 e f, 671 a, 677 e
Fulradus, *medio sæculo* IX *præpositus Ensionensis* 814 e
Fulbertus, *archidiaconus, B. Maurilio Rotomagensi a consiliis* 75 f
Fulbertus, *archidiaconus Rotomagensis, moritur monachus* 75 f, 76 a
Fulco, *archiepiscopus Remensis, regem coronat Carolum Simplicem* 209 a; *necatur* 209 b
Fulco, *pater B. Giraldi de Salis* 254 c
Fulco, *frater B. Giraldi de Salis* 254 d, 258 a
† Felicis I, *habiti episcopi Trevirensis, Acta et cultus* 615 et seq.
† Felix, *presbyter Nolanus et S. Felix Romanus confusus cum S. Felice Tubzacensi. Hinc hujus corrupta Acta* 621 d e f

† Felicis,

† Felicis, *martyris et Tubzacensis episcopi, Acta et cultus* 8 a b, 599 c d, 615 c, 618 et seqq.
† Felix, *socius S. Saturnini martyris* 624 f
† Felix, *martyr Nicomediensis* 23 d, 634, 635

G

Gabalus. *Vide* Djabala.
† Gabriel, *archangelus, invocatus ab Æthiopibus, eos servat* 756 a. *Tribus diebus annis singulis eum colunt* 757 b. *Arabes etiam noverunt* ibid.
† Gabriel de Florentia *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Gabriel, *pseudopapa Fratricellorum* 324 d
† Gabriel Ferretti, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 e
Gabriel de Verona, *socius itineris germanici S. Capistrani, post S. R. E. cardinalis* 328 c, 516 d; *vicarius provinciæ Austriæ* 398 b. *Originem suam prodit* 455 c d
Gabriel, *filius Dorotheæ Brunensis, agonizans a S. Capistrano curatur* 519 f
Gajanus, *episcopus Medabæ in Arabia deserta* 682 b
Galerius Maximianus, *incentor Diocletiani ad persequendos christianos* 629 a
Gamaliel, *rabbinus, a S. Joanne Capistrano ad fidem conversus* 291 e, 449 a, 599 d e
Gamalus. *Vide*. Djabala.
Gamardus, *frater S. Firmini episcopi Uceticensis* 39 d
Gaphar (Michael), *testis miraculorum Villaki patratorum* 478 c
† Garimas. *Vide* † Garumas 8 c
Garsias, *archiepiscopus Ausciensis* 123 f
† Garumas, *idem qui Isaacus, abbas Habessinus* 8 c
Gaspar, *filius Valentini, a morbo caduco sanatur per S. Capistranum* 455 e, 541 b
Gaudentius, *episcopus Salernitanus* 47 c
† Gaudiosus, *episcopus et patronus Turiasonensis* 8 f
Gaufridus, *episcopus Carnotensis, testis coryli prodigiosi* 22 c d
Gaufredus de Montbray, *Constantiensis episcopus* 842 e
Gauterius, *Aurelianensis episcopus, S. Martini Turonensis alumnus, consanguineus S. Herifridi* 207 a c, 210 d, 212 f
Gauterius, *archiepiscopus Senonensis* 208 d, 213 a; *regem coronat Odonem* 209 a, 213 a
Gauzberga, *cæca, sæculo* IX *curata ad sepulcrum S. Martini Vertavensis* 816 e
† Gauzelinus, *Tullensis episcopus, transfert S. Amonis reliquias* 909 e f
Gauzelinus, *monachus Claravallensis, prætermissus* 7 b
Gazin (Joan. Paulus), *testis miraculi S. Capistrani* 419 e
Gebo, *pseudo-imperator* 174 c
Gellius, *dux Arabiæ, num fuerit ab Origine ad fidem conversus.* 678 d
† Generosus, *Ensionensis abbas* 813 e
† Genesia *ejusque filius S. Genesius* 8 d
† Genulfus, *episcopus Cadurcensis* 860 f
Georgius, *Vsevolodi III filius* 878 d; *bellum indixit fratri suo Constantino* 878 d; *eumque vicit ad Lipicam* 879 a
Georgius Dolgoruki, *Suzdaliæ dux, favet Niphonti, episcopo Novgorodensi; Clementi vero adversatur* 868 f. *Sede pellit Clementem metropolitam* 868 f. *Niphontem libertati restituit* ibid.
Georgius Suzdaliensis *sacrarum reliquiarum cultor eximius* 879 b
Georgius, *pseudo-patriarcha Alexandrinus* 677 e
† Georgius *Cappadox Antiochiam venisse dicitur* 153 c
Georgius, *dux græcus, sæculo* VIII *Beneventum occupat* 837 e, 839 c
Georgius *Hungarus, ordinis Observantum, Belgradi moratur* 370 b
Georgo, *filia Michaelis Curopalatæ, soror S. Ignatii patriarchæ* 168 c
Geraldus, *episcopus Engolismensis, dicitur fundasse Bornetum* 252 f, 253 a
Geraldus *seu* Gerbaldus, *episcopus Leodiensis, prætermissus* 579 f
† Gerardus, *episcopus Tullensis, consecrat oratoriolum S. Florentini in parœcia Domni Germani* 857 c d e f. *S. Mansueti abbatiæ auctor* 914 c; *dat S. Mansueti monachis altare S. Florentini in parochia Bonnet* 851 e f, 852 a; *an coluerit SS. Alcham, Celsinum et Ursum decessores* 910 c
† Gerardus, *fundat monasterium Sylvæ Majoris* 83 e
Gerardus, *monachus S. Medardi, auctor Vitæ S. Romani* 74 f, 75 a b
Gerardus. *Vide* Gherardus.
Gerberga, *mater Lotharii regis Franciæ, soror S. Brunonis Coloniensis* 660 a
Gerburga, *Gandersheimensis abbatissa, prætermissa* 580 a b
† Gereboldus, *episcopus Bajocensis* 799 e
Germanus, *episcopus Novgorodiæ* 880 b
† Germanus *Parisiensis quando obiverit* 765 a b c
Germanus, *monachus Camaldulensis, dicitur ex Anglia reliquias SS. Maglorii et Samsonis Uranum transtulisse* 781 a, 782 b
Gerville, *scriptor Normannus* 843 b
† Gervinus, *abbas Centulensis, sacellum ædificat in honorem S. Gratiani martyris* 19 c d
Gesenius *quid censuerit de regione Ophir* 665 b; *de lingua Himyaritica* 666 b
Ghentius (Joannes), *canonicus regularis Viridis Vallis* 848 b
Gherardi (Gherardus), *canonicus Florentinus, visitat anno* 1659 *reliquias S. Crescii et sociorum* 609 e f
Gherardus. *Vide* Gerardus.
Gialdini (Felix) *Pisciensis de Actis Sanctorum bene meritus* 228 f
Giambullarius (Petrus Franciscus), *scriptor Florentinus* 583 e
Gilbert, *vicarius generalis Constantiensis* 842 c
† Gilbertus, *ordinis Præmonstratensis canonicus, prætermissus* 576 a b c. *Ejus festivitatis historia* ibid.
Ginori (Philippus), *Florentinus* 900 d
Girardus, *clericus ex castro Clamicejo, blasphemans miracula S. Bernardi Claravallensis punitur* 333 d
Gislus *quid significat in nominibus theutonicis* 823 e f
Giso, Gizo. *Vide* Ceizo.
Gisus *quid significat in nominibus Theutonicis* 823 e f
Gizel (Innocentius), *archimandrita Kioviensis, edidit*

edidit slavonice Patericon Kioviense 865 a. *Gizeliana Paterici editio expenditur* 865 a b
Goar, *rex, sociatus Alanis* 765 f
† Goda, *culta in Héron prope Leodium* 5 e
Godelgaudus, *presbyter et decanus S. Remigii Remensis* 150 b c. *Ejus Sacramentarium* ibid.
† Godefridi, *comitis Cappenbergensis et canonici Prœmonstratensis, reliquiæ in Tongerloa* 1 c
† Godefridus *loco S. Gilberti* 576 b
† Gohardus, *episcopus Nannetensis, occisus a Normannis* 800 e
Gondi (Carolus Antonius abbas de), *secretarius Cosmi III, ducis Etruriæ, promovet SS. Crescii et sociorum cultum* 583 et seqq.
Gondia *familia in S. Crescium pia* 602 b d
Gonor, *uxor Richardi, primi Normannorum regis* 844 d
Gonzalez (Eusebius), *ord. Minor. Observantiæ, biographus S. Joannis Capistrani* 271 e
† Gorgonii, *cubicularii Diocletiani et martyris, reliquiæ Aurelianis* 3 e
† Gotha *an eadem ac S. Goda, culta in Héron prope Leodium* 5 e
† Gourda. *Vide* † Cwerda.
Gozelo, *dux Lotharingiæ, pater Odæ comitis* 128 e
Grallonus, *rex Britanniæ Armoricæ* 794 e
† Gramatius, *episcopus Salernitanus* 47 c
Grandgagnage *egregie de veteribus nominibus locorum diœcesis Leodiensis scripsit* 821 c
† Gratiani, *martyris Ambianensis, Acta* 18 et seqq.
† Gratianus, *episcopus Telonensis in Provincia* 9 d
† Gratianus, *martyr cœmeterialis Romanus, Toletum translatus* 7 a
† Gregentius, *archiepiscopus Tapharensis in Homeritide* 713 c e; *quando sederit* 714 a; *ejus disputatio cum Erbano judæo* 720 d
† Gregorius Magnus *dubie Benedictinus* 67 a. *Ejus dialogi lecti ab scriptore Actorum SS. Crescii et sociorum* 585 b d e
Gregorii IX, *papæ, consiliarius S. Bartholomæus de Bragantia* 3 c d
Gregorius XIII *sanctarum albo inscribit S. Parasceviam Polocensem* 866 d
Gregorius papa XV *ad universum ordinem Minorum extendit cultum S. Capistrani* 410 c-f, 411 a
Gregorius papa XVI *indulgentias concedit Coloniensibus causa translationis reliquiarum S. Evergisli, imo S. Ebregisi* 822 f, 823 a
† Gregorius Decapolita *Bistricii in Valachia cultus dicitur* 434 c; *et quidem pro S. Joanne Capistrano* 915 f
† Gregorius Armenus *seu* Illuminator 204 f, 205 a
† Gregorius, *Nicopolitanus seu Armenus episcopus, Pitiveri in Galliis* 802 c
Gregorius Asbesta, *Syracusanus episcopus, exauctoratus, Photium sacrilege consecrat* 177 e, 180 a b
† Gregorius *Turonensis quando scripserit Gloriam confessorum et Historiam Francorum* 764 c. *Quare a S. Felice Nannetensi aversus* 800 d. *Multa omittit in sua historia* ibid.
Gregorius, *monachus Cryptensis* 874 f
Grimoaldus, *episcopus in Bulgaria* 161 e
Grimoardus, *frater B. Geraldi, abbas Alodiæ, dein episcopus Pictaviensis* 253 b c, 257 e f
Gualdricus, *episcopus Autissiodorensis, instituit sæculo* x *in sua diœcesi processiones bannales seu vectigales* 861 f, 862 a
Gualterius, *abbas Quinciacensis* 155 f
† Gualteri, *confessoris, translatio Laude Pompeja* 3 d
Guastuccius (Gabriel Maria) *Camaldulensis mittit varia instrumenta circa reliquias SS. Maglorii et Paschasii* 782 b
† Gudula, *virgo sæcularis* 139 e; *ab Oda ducissa transfertur* 128 c d
Gueferius *a Lamberto, Nannetensi comite, Herbadillam regionem obtinet* 797 a
Guibertus, *pseudo-papa, sub nomine Clementis III* 869 e
Guicton, *patronus plurium monasteriorum in Etruria* 603 c
Guido, *cardinalis Prænestinus, legatus in Belgio* 862 b
Guido, *marchio Spoletanus, Benevento expellit græcos* 837 e, 839 d
Guido, *notarius conscribit miracula S. Capistrani Villaki* 478 c
Guido Italicus, *civis Villakensis, examinator miraculorum S. Capistrani* 545 b
Guilielmus Nothus, *rex Angliæ. Prioratus S. Fromundi* 842 e
Guilielmus Rufus *seu* II, *Angliæ rex. Placitum habet anno* 1092 *de munerio de Wlurintuna* 224 f, 225 a
Guilielmus Caput de Stupa, *comes Pictaviensis, paciscitur anno* 943 *cum Alano Barbatorta de pluribus pagis ad Ligerim* 151 b c
† Guilielmus, *archiepiscopus Eboracensis adversarium electionis suæ habet S. Bernardum* 165 f
Guilielmus, *episcopus Engolismensis, confirmat fundationem Borneti, olim factam* 252 f
Guilielmus I, *episcopus Pictaviensis, adest sepulturæ B. Giraldi* 262 e
Guilielmus II Adelelmus *seu* Adelenius, *episcopus Pictaviensis* 261 e, 262 e
Guilielmus de Bona Anima, *archiepiscopus Rothomagensis, transfert corpus S. Romani* 82 c d
Guilielmus, *archiepiscopus Rothomagensis, consecrat templum Fiscannense* 846 c
Guilielmus I, *dux Montium, ædificat turrim maximam ecclesiæ S. Severini* 55 d
Guilielmus, *dux Oppaviensis, excitat cives suos ad succurrendum necessitatibus Observantum* 313 d
Guilielmus, *abbas Fiscannensis* 846 b
Guilielmus Monachus, *prior S. Laudi Rothomagensis* 845 b
Guilielmus Botellarius *an Carthusiæ Majori dederit prioratum Hamensem* 844 d
Guilielmus de Casali, *primum socius ministri generalis Ordinis S. Francisci, dein minister generalis* 295 e, 296 b c e f
Guilielmus de Hildenissem, *sectarius ab episcopo Cameracensi damnatus* 324 e
Guilielmus de Houmetz *restituit S. Fromundi prioratum* 842 e f
Guilielmus Petri, *ejusque fratres fundant monasterium Calertii* 242 f, 243 a
Guilielmus, *nobilis Melioratæ, imperator Fraticellorum* 324 b
Guimundus, *episcopus Aversanus* 833 f, 838 c
Guimundus, *abbas Tavestochiensis* 225 a
† Gumberti *officium Aveniaci in diœcesi Remensi* 157 d

Gundicarus, *servus S. Viventii* 153 f
Gunfridus, *S. Bernardi Claravallensis notarius* 333 c
Gunnus *loco Hygini* 571 e
Guntramnus, *rex Burgundiæ* 775 a
Gurvand, *rex Britanniæ Armoricæ* 813 e
Gyrus. *Vide* Cyrus.

H

Habiate (Bernardinus de) *sepelit B. Julianam et ab ea curatur* 560 e
Haclii *seu* Helye (Joannis) *uxor epileptica a S. Capistrano curata* 482 a
Hadjr, *seu* Agarus, *Syriam vastat* 687 b
Hammer-Purgstall (J. von), *scriptor historiæ literariæ Arabum* 683 f
Hamyar. *Vide* Himyar.
Hamza Isfahani *seu* Ispahanensis 694 a b, 711 f
Hareth, *id est vir lucrosus* 759 b
† Harethæ *nominis origo* 759 b
Harewi, *scriptor Arabs* 674 d
Harigerus. *Vide* Herigerus.
Harith *seu* Arethas, *rex Kinda et Maad* 683 f
Harith-el-Aradj *seu* Arethas V, *rex Ghassanida, Almundarum Hirensem dolo perimi jubet* 691 a c
Haroldus, *rex Danorum, immittit suos milites in Armoricam* 778 f
Hathas (Ursula) *paralytica a S. Capistrano curatur* 479 f
Haz (Joannes XII), *episcopus Olomucensis, Indulgentiam tribuit fautoribus Observantum* 313 e. *Fautor S. Joannis Capistrani* 466 c, 469 a
Hedervara (Ladislaus), *episcopus Agriensis, petit ut S. Capistranus visitet diœcesim suam* 357 c d
Helenæ *filius agonizans per S. Capistranum ad vitam revocatur* 482 a
Helena, *uxor Brivii Villakensis, cœca a S. Capistrano sanatur* 476 f
Helena, *uxor Jacobi, contracta a S. Capistrano sanatur* 479 f, 539 e
† Helesbas. *Vide* † Elesbaan.
Helladius, *biographus S. Basilii* 573 b c
Hellestheæus 698 c d e f. *Vide* † Elesbaas.
Helvidis, *uxor comitis Mondiderensis, fundat ecclesiam et collegium clericorum in honorem SS. Luglii et Lugliani* 112 a
Helyæ *filius ope S. Capistrani ad vitam revocatur* 536 a
† Hemeterius, *martyr, perperam dicitur filius S. Marcelli martyris* 26 d-f
Hemeth *seu* Nemeth (Demetrius) *agonizans per S. Capistranum ad vitam revocatur* 482 b, 537 d
† Henricus, *imperator, plura in Italia fundat monasteria* 603 f
Henricus Auceps, *imperator, pater S. Brunonis Coloniensis* 659 e
Henricus I, *rex Angliæ, nundinas concedit Tavestockiensibus* 225 d e
Henricus III, *Angliæ rex, sanctos reges recenset* 849 a
Henricus VI, *rex Angliæ, permittit abbati Tavestockiensi ut sibi Romæ procuret insignia pontificalia* 225 f, 226 a. *Interimitur* 461 c, 464 e
Henricus VIII, *rex Angliæ, admittit abbatem Tavestockiensem in parliamentum* 226 a d. *Idem cœnobium supprimit.* ibid.
Henricus, *cardinalis, primus archiepiscopus Eborœ in Lusitania* 577 d
Henricus de Noya, *decanus S. Petri Trecensis* 105 d
Henricus Garni de Gondricuria, *prior prioratus de Rinello* 914 a
Henricus de Valliscolore, *ex ordine Minorum, episcopus Christopoleos, vicarius in spiritualibus episcopi Tullensis* 913 d f, 914 f
Henschenius *emendatur* 681 b
Her *seu* Hera *aliquibus est nomen patris S. Joan. Capistrani* 273 e
† Heraclianus, *episcopus, idem forte qui Pisauriensis* 582 d
Herbersteinius *commemoratur* 869 d f
Herbinius *ministerii evangelici partibus fungebatur Vilnæ in ecclesia Saxonica* 872 f. *Ejus error circa auctorem Paterici* 872 c f. *Laudatur* 867 c d, 868 b, 872 d e
† Herculanus: *plures hujus nominis martyres* 237 b
Herezegh (Raphael), *archiepiscopus Colocensis et Vacciensis, subscribit epistolæ Hungarorum, opem S. Sedis contra Turcas implorantium* 358 c. *Invitat S. Capistranum in diœcesim suam* 360 b. *Conscribit militem pro bello sacro* 370 e
Heribertus, *comes Viromanduorum, abbatiam S. Medardi Suessionensis invadit et filiis legat* 75 b
Hericus, *monachus Autissiodorensis, scriptor* 206 e f
Herigeri *seu* Harigeri, *Laubiensis abbatis, laudes litterariæ* 818 b. *Quam egregius historicus* 617 a b
Herimbertus, *amicus B. Herifridi Autissiodorensis, verisimiliter clericus* 213 d
Herimannus, *episcopus Tullensis, transfert S. Amonis corpus* 909 f, 914 e
Herlemundus, *episcopus Cenomannensis, fit monachus in Duobus Gemellis* 799 e
Hermannus I, *cognomento Pius, archiepiscopus Coloniensis, devotus S. Severino* 54 e
Hermannus II, *archiepiscopus, renovat ecclesiam S. Severini* 55 c d
Hermannus III, *archiepiscopus Coloniensis, S. Severini reliquias in novam capsam transfert* 55 d
Hermannus Italus, *auctor sectæ Fraticellorum* 325 a
Hermannus (Petrus), *biographus S. Joannis Capistrani* 272 b
Hermann (Amandus), *ord. Minorum Observantum, biographus S. Joannis Capistrani* 271 f
Hermentrudis, *conjux Caroli Calvi* 132 e
† Hermes *quare pingatur cum domito diabolo* 855 d
Heswi *seu* Æscwy, *episcopus in comitatu Warwicensi* 848 b
Heut (Agatha), *a cancro per S. Capistranum liberata* 480 d, 543 a
† Hieronymus, *advenientibus Saracenis gentilibus, Bethlemo fugere cogitur* 683 a
† Hieronymus de Burgo sancti Sepulcri *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Hieronymus de Mediolano, *ordinis Observantum, socius itineris Germanici S. Capistrani* 328 c, 516 d
Hieronymus Utinensis. *ord. Min. Obs. socius et*

et biographus S. Joannis Capistrani 271 b c. *Ejus eloquentia laudatur* 390 c. *Infirmus in locum Aconya dimittitur* 392 c. *Sanatus redit ad S. Capistranum* 395 c d
Hieronymus de Zenariis, *servus B. M. V.* 891 f
† Hilarion, *abbas in Palestina, prætermissus* 577 a. *Ex Apostolis fuit Ghassanidarum Arabiæ Petrææ, imprimis civitatum Elusæ et Majumæ* 680 b c d
Hilarion, *monachus Cryptensis* 875 a, 880 b
† Hilarius, *episcopus Pictaviensis. Usque ad Ligerim extendebatur ejus jurisdictio* 796 a b. *Ad eum venisse dicitur ex Samaria S. Benedictus Quinciacensis* 152 f, 153 a
† Hilarius, *sæculo* XI *Vulturnensis abbas* 828 e f, 838 a b
† Hilda (Ste Houx), *virgo martyr* 138 d
† Hildebertus. *Vide* † Hildevertus.
Hildeboldus, *cæcus ope SS. Petri et Marcellini sanatus* 799 e
Hildericus *seu* Huldericus, *episcopus Constantiensis in Normannia* 843 f, 844 a
† Hildeverti *seu* Hildeberti, *episcopi Meldensis, Reliquiæ Rotomagi* 86 a
Hilduinus, *comes Mondiderensis* 109 e, 111 f, 112 b
Hildulfus, *archiepiscopus Rotomagensis, S. Romani prædecessor* 78 e, 81 e f
Himyar *seu* Hamyar, *rex Sabæorum sive Homeritarum* 669 c, 684 b, 725 a
† Hippolytus *num episcopus fuerit in Arabia* 674 c
Hippolytus Porro, *biographus B. Joannis Angeli* 885 a b
Hispan (Helena), *in partu periclitans, per S. Capistranum salvatur* 481 b c, 543 d
Hodjr, *alias* Hadjr, Agarus, *rex Kinda et Maad* 683 f, 684 a
Hoëlus Magnus, *rex Britanniæ Armoricæ* 794 e
Hofsmyt de Dursten (Rutgerus), *presbyter Coloniensis* 822 c
† Hoilda. *Vide* † Hilda.
Hongo. *Vide* Zongo.
Honofrius de Seggiano *B. Joannem Capistranum novitium multis exercet* 281 d
Horogh *seu* Thokax (Blasius), *pene mortuus, a S. Capistrano sanatur* 479 d
Houmetz. *Vide* Guilielmus *et* Robertus.
Hubba, *dux Normannorum, auctorum cædis S. Edmundi* 848 b c
† Hubertus, *episcopus Leodiensis, ex principibus Aquitanis* 133 f, 134 a d, 137 d, 140 c d, 142 e. *Sedem episcopalem Leodium transfert, ejus corpus elevatur a S. Floreberto* 134 d, 135 f
Hughierus, *an episcopus Constantiensis in Normannia* 844 a b
Hugo Capetus, *Franciæ dux, postea rex, reliquias S. Maglorii et aliorum Parisiis recepit* 779 a b, 792 e, 793 b
Hugo, *archiepiscopus Rothomagensis* 75 c
Hugo de Hazardis, *Tullensis episcopus* 910 a, 914 f
Hugo Calvus, *archidiaconus Tullensis* 858 d
Hunaldus, *dux Vasconiæ, regibus Carlovingicis rebellis* 132 f, 133 e
Hunyad (Joannes), *belli dux Hungarus* 329 c, 473 c. *Vocat S. Capistranum in arcem suam, ut nurum a peste liberet* 357 e. *Offert milites, suo sumptu ad bellum sacrum armandos* 358 d e. *Jubet omnes pseudo-presbyteros Valachorum ejici* 359 d e. *In auxilium Belgradi accurrit* 363 b, 370 d e, 532 b. *Classem Turcicam destruit* 371 f, 372. *Desperat liberationem Belgradi* 376 a-d, 377 d, 378 b, 471 c. *Aggredi Turcas vetat* 379 b c, 471 e. *Ladislaum regem de victoria instruit* 382 c-f. *Piissime obit, assistente S. Capistrano* 384 c, 386 a-f, 474 a. *Sepelitur Albæ Juliæ* 386 f. *Luctus in ejus morte* 387 a b e. *Controversias habet cum Ulrico, comite Ciliæ* 464 c
† Hura, *qui et* Waris, *martyr in Æthiopia* 4 e. *Vide* † Blasius, † Arethas.
Hussenot (Paulus), *parochus Gondulficurtis, canonice visitat S. Florentini reliquias* 857 b
Hussitæ, *eorum errores exponuntur* 333 f, 334 a b c. *Multi a S. Capistrano reducuntur* 335 e f, 500 d e f, 501 a b. *Compactatis quibusdam causam suam apud PP. Basileenses defendere conantur* 337 c-f, 338, 339 a. *Wratislavia expelluntur* 343 c d. *Similiter Cracovia* 346 e f, 347 a. *Numerus reductorum ad ecclesiam* 367 b, 465 f
Hutmacher, *parochus Coloniensis* 823 b
Hyginus, *qui fingitur S. Macarium Romanum visitasse* 565 d, 566 c
Hypatius, *presbyter monasterii Charsiæ seu Charsiani* 916 b

I

Iaasaphus Krokovski, *archimandrita Kievocryptensis* 876 f
† Jacobus *Frater Domini, specialis patronus S. Ignatii CP.* 199 f, 200 a, 203 f; *ejus humerale S. Ignatio donatum* 199 f, 200 a, 203 f
† Jacobus, *apost. et episc. Hierosol.* 3 a
† Jacobus Eleemosynarius *ex ordine Servorum B. M. V.* 884 b
† Jacobus Illyricus *seu* de Bitecto, *ordinis Minorum observantiæ* 269 c
† Jacobus Intercisus *tormenta non sentit* 16 f
Jacobus Laggerius, *laicus minorita, anno* 1566 *a Calvinianis occisus* 7 e f
Jacobus a S. Petro, *ex ordine FF. Prædicatorum a Mauris occisus* 7 d
† Jacobus Philippus Bertonus, *Servus B. M. V.* 901 a
† Jacobus Philippus *Faventinus ex ordine Servorum B. M. V.* 884 a
† Jacobus Piscenus *seu de Marchia, ordinis FF. Minorum, thaumaturgus* 149 d e, 269 c. *Deputatur in speciale obsequium Pontificis* 298 c. *Obtinet licentiam fundandi tres conventus Observantum in Austria* 308 f, 309 a. *Prædicat contra Fraticellos* 324 a b c, 420 e. *Contra eosdem inquisitor fidei* 326 c d. *In Hungariam mittitur a Calixto III* 403 a
Jacobus Porsianus de Brixia, *vicarius generalis Servorum B. M. V.* 890 c
Jacobus Salus Borovitsciensis, *sanctus habitus a Russis et ab iisdem cultus* 6 c d e f, 917
† Jacobus, *fabulosus S. Ursulæ comes et episcopus Antiochenus, prætermissus* 577 a
Iahias, *commentator Corani* 709 b
† Jamblichus, *ex septem dormientibus* 3 d e
Jamblichus *episcopus Trevirensis* 49 d
† Jamlichus, *Trevirensis episcopus* 909 b
† Januarius, *martyr, perperam dicitur filius S. Marcelli, martyris* 26 d e f
† Januarius *seu* Januarianus *presbyter, ex*

turma duodecim fratrum, prætermissus 567 e
† Januarii *cultus Beneventi* 3 f
† Januarius *presbyter, socius additus S. Felici Tubzacensi* 8 a b
Jaroslaus, *magnus dux Kioviæ* 875 b, 880 e f
Ibn-Hazm, *scriptor Arabs* 678 b
Ibn-Khaldun, *historicus Arabs* 668 b c, 692 a f
Ibn-Khotaiba, *scriptor Arabs* 678 b
Ibn Omar Sjah, *scriptor Arabs* 693 a
Ida, *abbatissa S. Cæciliæ Coloniæ* 819 a b f, 820, 821
Jectan, *alias* Yectan, *filius Heber, dictus Kahtam ab Arabibus, pater Sabæorum, seu Homeritarum* 666 f
† Jematos. *Vide* † Imeatas.
Jeremias, *episcopus Senonensis, explicat siglas nominum Jesu et Christi* 321 f
Jeremias, *monachus admodum annosus* 874 f, 875 b
Jeremias Providus, *monachus Cryptensis* 864 d, 867 d. *Vide* Damianus.
† Jestinus, *patronus templi in insula Mona* 764 d
† Jesu Nazareni *seu* Pueri Jesu *festum* 4 c d
Jesuatorum, *seu* Pauperum Christi ordo, *calumniis impetitus, a S. Joan. Capistrano defenditur* 288 b c, 289 c f
Igar Sviatoslaides, *bellum indicit Polovcensibus anno* 1185 866 b
† Iltutus, *magister SS. Samsonis et Maglorii* 773 c d, 786 b. *Solitudinem expetit* 775 f
† Imeatas, *abbas Habessinus, seu Æthiops* 8 b c
Imrulcays, *alias* Imri-al-Cays, Caisus 684 a b; *phylarcha Kindarum et Maadenorum et præfectus Palæstinarum, poëta Arabs celeberrimus, num aliquando christianus fuerit* 683 e f. *Ad eum missæ ab imperatoribus Constantinopolitanis quatuor legationes* 701 c d.
Imrulcays, *filius Amri, rex Hirensis, num christianus fuerit* 684 d
Imrulcays, *alias* Amr-el-Cays, Amorcesus, *potitur insula Iotabe et phylarchiam consequitur Saracenorum Arabiæ Petrææ* 683 b c d e
Ingelrannus, *episcopus Ambianensis, testatur miraculum in corylo S. Gratiani* 20 f
Inghilbertus, *judex et notarius in Etruria* 603 f
†† Innocentium *reliquiæ in monasterio S. Medardi Suessionensi* 84 d
Innocentius *papa III secundam a Romana sedem patriarchæ CPpolitano tribuit* 163 e. *Anno* 1209 *memorabilem epistolam scripsit ad universum clerum Rutheniæ* 870 d. *Ruthenorum ecclesiam ad unionem vocat et hortatur* 870 d e
Innocentius *papa VIII unit equites S. Sepulcri cum equitibus S. Joannis* 228 b. *Sanat contractum simoniacum* 886 f, 887 a
Innocentius *Pp. IX, imminente Turca Germaniæ, jubet solemniter exponi imaginem B. Joannis Capistrani, et festun nominis Mariæ instituit* 273 e, 417 c. *Mille scutata Romana dat pro canonizatione S. Capistrani* 410 a. *Declarat tuto procedi posse ad canonizationem S. Capistrani* 414 c d e. *Regem Poloniæ in Turcam excitat* 418 f. *Pecuniam confert pro absolvenda canonizatione S. Capistrani* 419 f
Innocentius Gizel, *archimandrita Cryptensis* 872 f 873 b 874 b 876 e 877 a. *Vide* Gizel.
Involatus, *episcopus Convenensis* 123 e, 132 a
Joachim, *episcopus Turoviæ* 868 e
† Joachimus Senensis, *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
† Joanna *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
† Joanna de Florentia *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Joanna de Osoria, *monialis ex ordine FF. Prædicatorum, prætermissa* 7 d
Joanna a Vino, *prætermissa* 580 d
† Joannes Evangelista *apostolus Arabum fuisse dicitur* 670 e
Joannes I *papa* 3 c, 761 e
Joannes VIII *papa vindicat sedi suæ Bulgariam* 164 e f, 165 a b c. *Photium in sedem CP. reponit* 205 c d
Joannes XXII *papa damnat Fraticellos* 324 a
Joannes, *rex Angliæ, ineunte sæculo* XIII *nundinas S. Fremundi concedit Dunstablensibus* 849 a
Joannes Gaston I, *magnus dux Etruriæ, petit approbationem cultus B. Joannis Angeli* 899 a
Joannes, *marchio Brandeburgensis, honorifice S. Capistranum excipit* 340 f
Joannes, *palatinus Rheni, petit canonizationem S. Capistrani* 406 f
Joannes, *dux Romano-Græcorum sæculo* VI 691 b
Joannes Cremensis, *Card. S. Chrysogoni visitat reliquias S. Romani* 83 a b
Joannes, *patriarcha Antiochenus* 681 f
Joannes, *episcopus Antiochenus, accusatus conniventiæ cum Nestorianis* 643 b
† Joannes Chrysostomus *syncellum habet S. Proclum* 638 d e. *Ordinat episcopos per varias provincias* 647 d. *Ejus corpus a S. Proclo CPolim transfertur* 649 f
† Joannes Chrysostomus. *Vide* Nicarete.
Joannes *seu* Jannes *patriarcha CP. hæreticus* 169 a, 172 a, 173 b, 175 d e f
Joannes Cappadox *patriarcha Cpolitanus* 719 f
Joannes, *patriarcha Cp. ab anno* 1199 *ad annum* 1204, *redit ad unionem cum Romana sede* 870 d
Joannes, *patriacha Hierosolymorum* 681 e, 717 b; *falso dicitur accepisse coronam S. Elesbaæ regis* 758 c, 760 c, 761 e
Joannes, *Æthiopiæ episcopus* 698 b
Joannes Paramonarius, *num episcopus fuerit Æthiopum, an vero Homeritarum* 697 d e, 698 b, 759 a
Joannes, *Asiæ seu Ephesi episcopus, monophysita et historicus* 697 f. *Ejusdem historia* 760 a. *Ejus narratio de puerulo Negranensi, e manibus Dhu Nowasi servati* 740 c, 741 a. *Emendatur* 713 c d e f
Joannes, *episcopus Beneventanus* 827 a, 837 c
Joannes II, *archiepiscopus Beneventanus* 839 b
Joannes, *episcopus Cameracensis dictus, interest translationi S. Severini* 54 e, 55 a b
† Joannes, *episcopus de Chill Airthir in Hibernia* 579 e
† Joannes I, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 e
† Joannes II *et* III, *episcopi Comenses, implicitis schismati Trium Capitulorum* 106 c, 107 b
† Joannes Damascenus, *prætermissus* 576 a
Joannes, *anno* 1257 *episcopus Florentinus* 605 b c
Joannes, *episcopus Gurcensis, scribit ad S. Capistranum* 547 a b c

Joannes II,

Joannes II, *metropolita Kioviensis ab anno* 1080 *ad annum* 1098, *propheta cognominatus* 869 d. *Auctor epistolæ Clementi papæ inscriptæ* 869 d e f. *Eadem hæc epistola variis auctoribus a variis tributa* ibid. *Epistola hæc* 869 f.
Joannes, *metropolita hujus nominis quartus, Theodori in sede Kioviensi successor* 869 b; *sedit ad annum* 1164 869 d; *videtur fuisse catholicus* 869 c d
Joannes, *episcopus Pennensis, commissarius in causa canonizationis S. Bernardini Senensis* 513 e
Joannes, *metropolita Pergæ Pamphyliæ Secundæ, S. Ignatio CP. semper fidelis* 194 e, 198 a
Joannes, *episcopus Rostaviæ* 878 a c d e; *episcopatum abdicat* 878 e
Joannes V (de Thoisy), *episcopus Tornacensis sæc.* XV 293 b
† Joannes Agnus, *episcopus Trajectensis* 818 c
Joannes de Auxeio, *episcopus Trecensis* 105 d
Joannes, *episcopus Varadiensis, subscribit epistolæ Hungarorum, opem S. Sedis contra Turcas implorantium* 358 c
Joannes de Capha, *pseudo-episcopus seu Wladica Valachorum, captus ad fidem convertitur, et pristino honori redditur* 359 d. *Baptizatur ad cautelam* 360 a
Joannes ab Annuntiatione *in Hispaniam transferri curat S. Gratiani, martyris cœmeterialis Romani, reliquias* 7 a
Joannes de Austria, *laicus ordinis Observantum, socius itineris germanici S. Capistrani* 328 c, 516 d
Joannes Baptista de Levanto, *vicarius generalis Observantum* 398 b. *Encyclicas mittit de obitu S. Capistrani* 402 b
Joannes de Camplo, *laicus ordinis Observantum, socius itineris germanici S. Capistrani* 328 c, 516 d
† Joannis Capistrani *corpus dicitur esse Opavæ in Sclavonia* 915
† Joannes de Dukla, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c
Joannes Maubertus, *vicarius generalis Ultramontanus Observantum* 298 d, 299 d. *Sancte obit* 304 f
Joannes Niderus, *ex ordine FF. Prædicatorum, celeber mysticus* 7 d
Joannes Thaulerus, *ex ordine FF. Prædicatorum, celeber mysticus, prætermissus* 580 d
Joannes de Ragusio, *ordinis Prædicatorum, adversarius Compactatorum* 339 a
† Joannis Angeli Porri, *ex ordine Servorum B. M. V., acta et cultus* 883 et seqq.
Joannes Baptista de Roma, *Servus B. M. V.* 890 f
† Joannes Germanus, *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 e
Joannes de Ferraria, *vicarius generalis ordinis Servorum B. M. V.* 887 c
Joannes Petri de Florentia, *Servus B. M. V.* 890 f
† Joannes de Mediolano. *Vide* † Joannes Angelus Porro.
† Joannes Bonus *ex ordine eremitarum S. Augustini, prætermissus* 4 c, 577 b
† Joannes a S. Facundo, *ordinis Eremitarum S. Augustini, ab Alexandro VIII canonizatur* 421 e
† Joannis Colombini, *institutoris ordinis Jesuatorum, Vita antiquior* 289 f
† Joannes de Tossiniano, *ex ordine Jesuatorum, episcopus Ferrariensis, amicus S. Joannis Capistrani* 284 e, 285 b. *Ordinem suum, calumniis expeditum, commendat S. Joanni Capistrano* 288 f, 289 a b c
Joannes de Calencio, *primus abbas Boscarii, moritur* 263 b c
† Joannes Cassianus, *Scytha aut Atheniensis, Massiliæ duo monasteria ædificat* 65 a
Joannes Clerici, *abbas Ninivensis in Flandria, subcollector decimarum pro bello sacro* 354 f
Joannes Siculus, *abbas S. Pauli de Urbe* 299 f
Joannes, *abbas Quinciacensis* 156 a
Joannes Denyngton, *primus abbas mitratus Tavestockiensis* 225 f, 226 a
Joannes Peryn, *ultimus abbas Tavestockiensis* 226 d
† Joannes Silentiarius *miraculo servatur ab incursionibus Arabum Hirensium* 687 f, 688 a b
Joannes, *archipresbyter Aversanus* 833 f
Joannes, *dux Græco-Byzantinus, bello captus liberatur* 700 f
Joannes de Borogh, *comes de Castilliis, adest obsidioni Belgradensi* 374 d, 382 f
Joannes Maledictus, *nobilis Capuanus* 835 b c, 840 b
† Joannes *ex Septem Dormientibus* 3 d e
Joannes, *qui et Mondinus, subdiaconus in Perside* 742 b c
Joannes Patiens, *monachus Cryptensis* 874 f
Joannes, *reclusus Kioviensis* 867 b
Joannes, *initio sæculi* XII *Vulturnensis chronographus et monachus* 828 e
Joannes, *filius bani de Zossoiz, cæcutiens, a S. Capistrano curatur* 357 c
Joannes de Carnonia *a S. Capistrano sanatur* 520 c
Joannes, *filius Christiflorelli, dæmoniacus ope S. Capistrani liberatur* 545 a
Joannes, *filius Jacobi, epilepticus a S. Capistrano curatur* 541 d
† Joannicius, *abbas in Bithynia* 173 c d, 176 a b. *Ante impugnator sanctarum imaginum, pergit in Olympum Mysiæ* 917 f, 918 a
Joanvilla (Joannes de) *interest translationi episcoporum Tullensium* 914 a
† Job, *patriarcha Arabs fuit* 669 e f. *Ejus patientiæ laus* 866 e
Jonas, *dux Armoricæ* 774 e
Jonas, *episcopus Aurelianensis, explicat siglam nominis Jesu* 321 e f
Jonathas, *Richardi an Jordani, principis Aversani, filius et Carinulanus princeps* 833 f, 834 b c d e
Jordanus, *episcopus cardinalis Albanensis, inquisitor contra hæreticos* 326 d
Jordanus, *Capuanus princeps* 834 d
Jordanus de Ursinis, *cardinalis protector ordinis Minorum* 295 d
Josephus II, *imperator Germaniæ, Servos B. M. V. Mediolanenses separat ab ordine* 900 d
Josephus, *legatus patriarchæ Alexandrini in concilio CP.* 194 f
Josephus Maria Avila, *prætermissus* 580 d
Josephus (Flavius) *perperam reginam Saba in insula Meroë regnasse scribit* 725 b
Josue, *episcopus Constantiensis in Normannia* 843 f
Josue Stylites, *scriptor Syrus* 681 d, 687 c
Jouglar, *academicus Tolosanus, opus Bollandianum adjuvat* 244 e

† Jovini *abbatis corpus Ensione* 814 e
† Jovinus, *presbyter, draconem domat* 88 c
Irenæus, *episcopus Tyriorum a S. Proclo ordinatur* 648 c
† Isaac, *monachus Syrus* 687 a
Isaac, *monachus Cryptensis, a dæmone tentatus* 874 f, 875 b
† Isaacus, *idem qui Garumas, abbas Habessinus* 8 c
Isacius, *Saracenus christianus in Perside* 742 c
Isabella, *dux Burgundiæ, theca argentea includit reliquias SS. Luglii et Lugliani Lillerii* 111 a, 114 a
Isabella Portugalliæ, *conjux Philippi Boni, ducis Burgundiæ, expetit videre et audire S. Capistranum* 327 f
Isaias, *episcopus Rostoviæ* 875 a, 876 d, 880 b
Isdegerdes, *rex Persarum* 689 a b c; *filium educandum tradit regi Hirensi* 686 d e f; *num S. Simeonem Stylitam noverit* ibid.
Isembertus, *episcopus Pictaviensis* 154 c d
† Iserninus, *episcopus constitutus a S. Patricio in Cuil-Collang in comitatu Corcagiensi* 5 c
Isidori, *metropolitæ Kioviensis et Moscuensis, labores ante et post concilium Florentinum* 6 d
Ismaelis *posteri in Arabia* 759 c, 760 a
Istachrius, *geographus Arabs* 676 a b
Judicaël, *dux Armoricæ* 774 e
† Judicaelis *regis reliquiæ in monasterio Ensionensi* 802 a b
† Judoci *genealogia* 774 e
Judualus, *dux Armoricæ* 774 e f, 775 b c, 786 e f
† Julianæ *Alexandrinæ, passæ propter castitatem, nomen imponitur B. Julianæ de Busto* 556 a b
† Juliana de Busto Arsitio. *Ejus Acta et cultus* 553 et seqq.
† Juliana de Florentia *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 e f
Juliania Olsanensis, *ducissa* 876 f
Julianus, *imperator Apostata, non vult gladio sæviri in christianos* 44 a; *perit in expeditione Persica* 46 c f, 47 a d. *Ejusdem expeditio in Persiam* 572 c d e f, 573
Julianus, *avunculus Juliani Apostatæ et præfectus Orientis, persequitur christianos* 33 d. *Ejus cum Apostata consanguinitas explicatur* 45 c f, 46 a d
Juliani Cæsarini, *cardinalis, opera in reformandis Servis B. M. V.* 889 c d
† Julianus, *episcopus Cenomannensis, serpentem occidit* 88 d
Julianus, *episcopus Coensis, legatus apostolicus in synodo Chalcedonensi, prævertit arrogatam jurisdictionem CP.* 647 e f
† Julianus Sabbas *de longe cognoscit Juliani apostatæ cædem* 573 a b
Julianus, *legatus Justiniani imperatoris, ad Homeritas* 684 a, 698 e, 699 a
Julius *papa II Philippum Albericium, Servum B. M. V., nuntium mittit in Galliam et Angliam* 902 c. *Ejusdem pontificis sepulcrum violatum; ejus anulus* 610 c
† Justæ et Rufinæ *corpora, metu Maurorum ex Hispania Wittlariam translata* 28 c
Justiniani *nomine sæpe dictus Justinus I sive Thrax* 740 c
Justinianus, *imperator* 689 d, 691 c, 684 a, 698 d. *Dono accipit desertum Phœniconis* 682 b c d
Justinus Thrax *sive* Senior, *imperator* 689 d, 694 d e, 697 d f, 699 a, 700 b d. *Catholicus et religiosus princeps* 713 f. *Ejusdem regnum et ætas* 761 d. *Mittit ad regem Saracenorum presbyterum* 742 b. *Legatos mittit ad Timotheum Alexandrinum* 743 d e. *Ejus lacrimæ placitæ Deo* 748 b. *Ab orientalibus dictus Justinianus* 700 b, 740 c. *Scribit ad patriarcham Alexandrinum de martyribus Homeritis* 710 d; *item ad S. Elesbaan, regem Æthiopum* 711 a. *Ei victoriam suam nuntiat S. Elesbaan* 758 a. *Legationem mittit ad Almundarum III* 710 c d
Justinus Junior, *imperator* 690 b c d
† Justinus. *Vide* † Jestinus.
† Justus, *socius assignatus S. Seuresio, martyri Cæsariensi* 24 b. *An vere martyr Cæsareæ in Cappadocia* 4 f
† Justus, *martyr Hieropolitanus* 634, 635
Juthael, *dux Armoricæ* 774 e
Juvenalis, *Hierosolymorum patriarcha* 681 b
Iziaslaus, *magnus dux Kioviæ, Clementi metropolitæ Kioviensi, amicissimus* 868 d e; *pellitur a Georgio Dolgorukio* 868 f. *Moritur anno* 1154 ibid. *Defunctus anathemate percutitur a Constantino metropolita* 869 a

K

Kacenovski, *olim in universitate Mosquensi professor* 873 e f
Kadassi (Nicolaus) *per S. Capistranum ab ulcere sanatur* 476 d, 542 e
Kahtan. *Vide* Jectan.
Kajalovicius, *Societatis Jesu presbyter, auctor Miscellaneorum, laudatur* 869 c d e f
† Kaleb, *idem qui S. Elesbaan* 8 c d
Kalmar (Georgii) *filius, agonizans a S. Capistrano curatur* 477 a
Kalteisen (Henricus), *ordinis Prædicatorum, adversarius Compactatorum* 339 a
Karamzin, *historiographus, quid sentiat de auctore Paterici* 874 a. *Laudatur* 869 d
Kassianiana *recensio Paterici omnium interpolatissima* 876 a b.
Keever *seu* Licwer (Fabianus) *agonizans a S. Capistrano curatus* 480 b, 536 f
Kelly (Matthæus), *editor martyrologii Tamlactensis* 5 c
† Kenelmus, *in Anglia rex* 849 a
Kessel, *presbyter Coloniensis, laudatur* 822 a
Kezo. *Vide* Ceizo.
Kirchhoff (Joannes), *archidiaconus Embricensis* 822 c
† Killenus, *qui et* Killianus 5 d e
† Killianus, *filius Todnani seu Toidnaim* 5 d e
Kohlius, *eruditus vir* 875 e
Kossov (Sylvester), *episcopus Mstislaviæ, Orsæ et Mohiloviæ* 876 c d e; *deinceps metropolita Kioviensis* 864 f; *Patericon Kievo-Cryptense primus edidit polonico idiomate* 864 f. *Kossovianum Patericon a vulgato in multis abludit* 876 d
Kubarev, *vir clarissimus, laudatur* 873 b, 874 a, 875 d f, 876 a b
† Kuksa, *hieromartyr* 874 d
Kulczinski (Ignatius), *hagiologus Ruthenus* 716 d, 869 a d. *Multum usus est Paterico Kossoviano* 864 c d f, 868 d, 869 b, 876 d; *corrigitur* 869 a c, 876 d

L

L

Lacina, *Suevorum princeps, Armoricam invadit* 778 c
Laderchii (Jacobi), *Oratorii Romani presbyteri, infelices de SS. Crescio et sociis labores et scripta* 583 et seqq.
Ladislaus, *filius Caroli Dyrrachini, rex Neapolitanus* 273 b c. *S. Joanni Capistrano favet* 275 d e f. *Inhiat bonis alienis* 276 e. *Miserabiliter Neapoli moritur* 277 b
Ladislaus, *rex Bohemiæ et Hungariæ minorennis* 329 e. *Instante bello Turcico in Austriam abit* 363 b. *Inimitias habet cum Friderico imp.* 385 d. *Belgradum ingreditur* 388 c d. *S. Capistranum, Villaci infirmum, visitat* 394 f. *Viennam triumphans ingreditur* 548 e, 549 f, 550 a; *interimitur* 461 b, 464 c
Ladislaus Corvinus, *filius Huniadis* 387 f. *Occidit Ulricum, comitem Celiæ* 388 b-f, 461 a, 464 c; *vicissim capitis a rege damnatur* 389 a b
† Ladislaus de Gielnow *circa medium sæculum* XV *natus* 308 d e
Ladislaus Hungarus, *guardianus Cracoviensis, distinguendus a Polono S. Ladislao de Gielnow* 308 c d, 311 f
Ladislaus, *filius Joannis, agonizans a S. Capistrano sanatur* 479 e
Ladislaus, *infans cæcus, ope S. Capistrani illuminatur* 540 d
Ladson (Bartholomæus), *S. J., visitat reliquias S. Odæ* 136 a b
† Laidgennus *seu* Laidcend, *filius Bochra* 9 d
Lakhnia Dhu Sjnatir, *rex Homerita, a Dhu Nowaso occiditur* 693 e f
† Lambertus, *episcopus Tungrensis, occiditur* 134 f, 135 a
Lambertus, *comes Nannetensis* 797 a
Lambertus, *sæculo* IX *monachus Vertavensis* 816 c
Lamii (Joannis) *scripta de SS. Crescio et sociis* 584 et seqq.; *corrigitur* 594 d e
Lamousque, *parochus Virdunensis* 244 e
Lampadius, *Jovis sacerdos Cæsareæ in Cappadocia* 14 c
Landalenus, *episcopus Viennensis, ab Adone omissus, adest concilio Cabilonensi* 72 d, 73 a
Landebertus, *episcopus Catalaunensis* 105 e
Landricus, *comes Sanctonicus* 817 f
Landricus, *fautor Pippini II contra Carolum Calvum* 801 e
Landulfus II, *princeps Beneventanus* 828 f
Landulfus, *Capuanus, auxiliatur Massico monasterio contra Saracenos* 828 d
Lannegisilus, *sæculo* IV *Vertavensis monachus* 795 b
Lantbertus, *librarius et sacerdos, scriptor Sacramentarii S. Remigii Remensis* 150 b c
Lante (Fredericus), *S. R. E. cardinalis, commendatarius Grandis Silvæ* 243 f
Lantusca (Angelus), *ordinis Observantum, indicat infirmo S. Capistranum sanatorem* 416 a
† Landoaldi *corpus elevatur a S. Floreberto Leodiensi* 135 e
Lapi (Paulus), *Ord. Præd., commissus ad recognoscendas reliquias S. Allucii* 232 f
Lapus *pro Jacobo* 588 e
† Laudi *Constantiensis reliquiæ* 844 e f, 845. *Breviaria* 847 a
† Launegisilus, *Ensionensis abbas. Ejus ætas* 813 e f. *Vide* Lannegisilus.
† Laurentius Justinianus, *episcopus Castellanus, dein patriarcha Venetiarum, visitator ordinis Jesuatorum* 288 b-f, 289 c f. *Ab Alexandro VIII canonizatur* 421 e
Laurentius, *episcopus Turoviæ* 880 b
Laurentius Leclerc, *Cerasiensis abbas* 845 f
Laurentius Ramirez, *ex ordine FF. Prædicatorum, vir apostolicus* 7 e
† Laurentius *recusat tradere pecuniam ecclesiæ* 36 b, 46 b. *Ejusdem sancti martyris tabula picta in Vallecava* 600 c d
Laurentius, *castellanus Villacensis, morienti et sepeliendo S. Capistrano adest* 400 c e, 401 a
Lazarus, *Serbiæ princeps, anno* 1389 *a Turcis occisus, sanctus Serbis habitus. Ejus corpus Opovæ prope Petrowaradinum* 915
Lecanu, *parochus in Belleville, historicus Constantiensis* 842 et seqq.
Lede (Nicolaus) *mutus ope S. Capistrani sanatur* 475 f, 476 a, 540 c
Leep (Petrus) *Villacensis a S. Capistrano curatus* 475 c, 542 b
Legnano (Stephanus Maria), *pictor Italus* 894 d
Le Grand (Albertus), *Ord. Præd. hagiographus Armoricæ* 772 f
† Lenanus *seu* Lonanus, *Cluan-Tibrinnensis in Hibernia, prætermissus* 579 a b
† Lencernus. *Vide* Lothiernus.
Lenormand (C.), *archæologus, laudatur* 666 e
Lennich (Nicolaus de), *presbyter Coloniensis* 822 c
† Leonis I *papæ sermones de Nativitate lecti ab auctore Actorum SS. Crescii et sociorum* 585 b c d. *Ejusdem tomus seu epistola ad Flavianum in Ægypto* 581 c
Leo III *papa sepulcrum S. Severini devote visitat* 62 a, 63 d
Leo X *papa die* 17 *martii anni* 1513 *jubet Catharinam Bimiam, quoad vivat, præesse Monti supra Varesium* 554 a. *Permittit cultum publicum S. Capistrani in loco natali* 410 b c. *Confirmat exemptionem Tavestockiensis monasterii* 225 f
Leo I *seu* Macellus, *imperator* 683 a b c d. *Construit S. Mamantis monasterium Constantinopoli* 10 a
Leonis *imperatoris pons Constantinopoli* 9 c
Leo Armenus, *usurpato imperio, regiam familiam attonderi jubet* 168 c d e, 170 f, 171 c d, 172 a-d
Leo Isauricus, *imperator Iconoclasta* 171 f
Leo Creticus, *patricius, falsus testis contra S. Ignatium CP.* 183 b
Leo Lalaco, *Numerorum domesticus* 178 b, 180 f
† Leocadiæ *corpus e Belgio in Hispaniam translatum* 28 d
Leofricus, *episcopus Cridiensis, sedem suam transfert Exoniam* 224 b c
Leofwinus, *episcopus Dorcestriensis* 224 a
† Leomirii *reliquiæ in monasterio Ensionensi* 802 a
† Leonardi *festum. Indulgentiæ Coloniæ* 822 c
Leonardellius (Michael), *abbas Classensis, transtulit reliquias SS. Maglorii et Samsonis Faventiam* 781 c
† Leonarius, *episcopus regionarius* 780 c, 792 c, 793 c
Leonora de Porto-Carrieræ, *Clarissa* 7 f
Leontius, *proconsul Apuliæ, auctor martyrii SS. Fortunati, Caji et Anthis* 622 d
Leontius, *episcopus Magnesiæ* 647 c

† Leontius,

† Leontius, *Rostoviensis hieromartyr* 880 b. *Primi Kioviæ martyres, natione Variagi* 880 b
Leopoldus I, *imperator, frigide excipit victorem Joannem Sobiesky* 419 a
Leopoldus I, *magnus dux Etruriæ, supprimit hospitalem domum S. Allucii* 231 b
Leopardus, *episcopus in Bulgaria* 161 e
Lepori (Stephanus), *cæmentarius Mediolanensis* 900 b
Lepsius, *archæologus* 666 e
Lequien. *Acta sincera S. Arethæ* 710 e f. *Laudatur* 694 d; *emendatur* 681 b
† Leudinus, *qui et Boso, episcopus Tullensis* 3 e
† Levianus, *episcopus regionarius* 780 c, 792 c, 793 d
Leyba (Hieronymus) *recognoscit reliquias SS. Justæ et Rufinæ Colonia Agrippina Hispalim translata* 28 d
Leyra (Antonius de), *Caroli V dux generalis* 890 c
† Liberata *seu* Wilgefortis, *culta Eboræ* 577 d
Liberianus *catalogus pontificum Romanorum non accuratus* 616 b
† Libertinus, *abbas Fundensis, miracula sua ex humilitate occultat* 531 b
† Licerius, *Hispanus, episcopus Conseranensis in Occitania* 65 a
Lichot *seu* Lythot (Eliæ) *filius agonizans per S. Capistranum ad vitam revocatur* 482 a, 537 d
Licinnius *Augustalis Ægypti* 697 e
Linange (Ludovica de), *abbatissa Aveniaci in diœcesi Remensi* 157 d
Livingus, *prius Wintoniensis monachus, dein abbas Tavestockiensis, post Cridiensis episcopus, auget Tavestockiense monasterium* 223 b c, 224 a b
Livingus, *qui et Ethelstanus, episcopus Wellensis, dein Cantuariensis* 224 a b
Livinus, *episcopus Constantiensis in Normannia* 843 f, 844 a
Llyr Merini, *princeps in Wallia* 763 c
Lobineau (Guido), *Ord. S. Benedicti, hagiographus Armoricæ* 772 f
Loctarius, *patronus plurium monasteriorum in Etruria* 603 c
Lohr, *bibliothecarius Monacensis* 851 b
Loiescon, *comes, a lepra ope S. Maglorii liberatur* 784 f, 785 a b
† Lonanus, *de quo in Vita S. Finniani Clonardensis* 579 c
† Lonanus, *discipulus S. Patricii* 579 c
Lonanus, *filius Catheni, de quo in Vita S. Fintani de Cluain-Ednagh* 579 c
† Lonanus, *filius Darii* 579 c
† Lonanus, *filius Laire* 579 c
† Lonanus, *filius Talmuigh* 579 c
† Lonanus. *Vide* † Lenanus.
Lonati (Francisci) *legatum in honorem B. Joannis Angeli* 896 d
Londriani Porro (Joannis Baptistæ) *legatum in honorem B. Joannis Angeli* 896 d
† Longinus Centurio, *qui et Primianus* 2 c d e
† Longinus, *Christi vulnerator* 2 c d e
† Longinus, *martyr, cultus Cæsareæ in Cappadocia* 8 a, 23 b, 24 b; *et alibi* 24 c; *prætermissus* 575 f
Lotharius, *Dagoberti I pater, quando mortuus* 818 c. *Dagobertum committit Pippino* 820 b
Lotharius, *rex Francorum, confirmat donationes, factas ecclesiæ S. Bartholomæi Parisiis* 792 e, 793 e
Lotharius, *filius Ludovici Pii, episcopos ad synodum vocat* 847 e f
Lotharius, *Lotharingiæ rex, ad schisma a Photio allicitur* 190 c, 192 c d
† Lothiernus, *episcopus regionarius* 780 c, 792 c, 793 d
Lubomirsky, *dux Polonus, socius victoriæ Joannis Sobiesky* 418 b
Lucas, *episcopus Bialogradiæ* 880 b
† Lucas, *abbas, cultus in oppido S. Marci, prætermissus* 576 f
Lucas, *prior Servorum B. M. V. Mediolanensium* 896 a
Lucas, *discipulus S. Norberti et primus abbas Montis Cornelii, prætermissus* 7 a
Lucas Alexandri, *Florentinus, incola Senarii montis* 890 d
Lucas, *filius Joannis, contractus, ope S. Capistrani sanatur* 539 e
Luchesinus (Vincentius), *prior generalis Servorum B. M. V., dein archiepiscopus Ragusinus* 896 e
Lucia, *uxor Joannis, graviter infirma, ope S. Capistrani sanatur* 544 d
† Lucia de Brixia *ex ordine Servorum B. M. V.* 884 a
† Lucianus *et socii, martyres, prætermissi* 582 b
† Lucilla, *Nemesii filia* 594 d
Lucillus, *episcopus Melitensis, e sede depositus* 68 e
† Lucius *et Montanus tormenta non sentiunt* 16 f
Ludmilla, *clauda a S. Capistrano Brunæ curatur* 520 a
Ludolfus Senior, *Saxoniæ dux et Gandersheimii fundator* 580 b
Ludovici II, *imperatoris, diploma anni* 861 607 b
Ludovicus III, *imperator, rex Arelatensis* 34 c d
Ludovicus V, *rex Francorum, confirmat donationes, factas ecclesiæ S. Bartholomæi Parisiis* 792 e, 793 e
† Ludovico, *regi Galliarum, amicus S. Bartholomæus de Bragantia* 3 c d
Ludovici XI, *regis Galliarum, Mediolani versati, memoria* 890 d
Ludovicus Andegavensis, *frater Joannis II, regis Galliæ, regnum Neapolitanum invadit* 273 a b
Ludovicus, *dux Bavariæ, fautor S. Capistrani* 466 c, 468 e; *honorifice S. Capistranum excipit* 340 f
Ludovicus, *dux Sabaudiæ, fœdus init cum Philippo Bono, salva obedientia Eugenio Pp. IV debita* 290 f
Ludovicus, *episcopus Silvensis in Lusitania, legatus Nicolai papæ V ad ordinem Teutonicum* 347 d
Ludovicus de Haracuria, *episcopus Tullensis* 913 c d e, 914 c f
Ludovicus Bononiensis *deputatur ad obsequium pontificis* 298 c
Ludovicus de Monte Corvino, *Ord. Minor. Observ. biographus S. Joannis Capistrani* 271 d
Ludovicus de Pisauro, *Servus B. M. V.* 890 f
Ludovicus de Senis, *vicarius Observantum in Tuscia; ad eum epistola Fr. Nicolai de Fara* 330 c
Ludwinus, *episcopus Trevirensis* 130 e
† Lugdelinus, *episcopus Tullensis* 3 e. *Vide* † Leudinum *et* Bosonem.

† Lullus *controvertit cum S. Sturmio Fuldensi* 165 d
Luminosus, *episcopus Salernitanus* 47 c e
† Lupercius, *martyr, perperam dicitur filius S. Marcelli martyris* 26 d
† Lupianus, *in vico Ratiatensi sepultus* 796 a
Lupus, *dux Vasconiæ, Carolo Magno rebellis* 133 a
† Lupus, *episcopus Trecensis* 49 d, 909 b

M

Macarius, *episcopus Atakuæ, Kawi, Tkou, Kou seu Taku in Ægypto, monophysita, prætermissus* 581
Macarius, *episcopus Cabassorum, Dioscorum comitatur, sed ab eo dissentit* 581 d
Macarius, *metropolita Mosquensis, Menœorum majorum auctor* 867 f
† Macarius *Ægyptius* 565 d
† Macarius *Alexandrinus diversus a S. Macario Romano fabuloso* 565 c
† Macarii *Romani fabulosi Acta et cultus* 563 et seqq.
Macarius, *præfectus vicarius, dein monachus visitat Opianum abbatem, ante S. Melaniæ Parvæ maritum* 563 e f, 564 a. *Ei inscribit Rufinus Apologiam pro Origine* 564 a
† Machutus, *episcopus Alethensis* 780 b, 792 c, 793 a b
† Macrenius, *qui positus videtur loco S. Maglorii, prætermissus* 578 b
Maderna (Joannes Baptista) *sanatus ope B. Julianæ de Busto* 561 c
Madjahed, *commentator Corani* 709 b
† Maeltulius, *seu* Maltulius *et* Moeltulius, *sanctus Hibernus* 5 d e
† Maehtlu, *in insula Mona* 763 c, 764 d
Magdalas, *factionis Venetæ aurigarum Constantinopolitanorum præses* 916 c
Magdalena, *filia Blasii sutoris, a febribus per S. Capistranum curatur* 476 f
Magdellianus. *Vide* Magnellianus.
Magnellianus, Magnelianus *seu* Magnilianus, *curator Tubzacensis, apprehendi jubet S. Felicem Tubzacensem* 619 f et seqq.
Magnianus. *Vide* Magnellianus.
† Magnus, *socius assignatus Seuresio, martyri Cæsariensi* 24 b. *An martyr Cæsareæ in Cappadocia* 4 f
Mahar. *Vide* Macarius.
Mahumetes *exercitum mittit in Syriam* 718 e; *christianos Negranenses vectigal pendere jubet* 719 a; *cum christianis Negranensibus disputasse fertur* 706 b; *in Corano christianos commendat ac tuetur* 709 b; *martyrum Negranensium meminit* ibid. *Ejus errores de S. Aretha et sociis* 738 b. *Quot uxores habuerit* 734 a
Mahometes II *obsidione capit CPolim* 349 b-e. *Cum ingenti exercitu christianitati imminet* 353 d e, 363 d; *christianitati infensissimus* 329 d. *Ad Belgradum vincitur et sauciatur* 365 et seqq.
Maillard, *parochus S. Gratiani, varias notitias de hoc sancto patrono subministrat* 22 e f
† Majorus, *martyr Tiburtinus, immo S. Servus incola Tiburbitanæ civitatis Majoris, prætermissus* 582 e f, 583 a d, 781 e f
Malacius, *Apollinis sacerdos Cæsareæ in Cappadocia* 14 c
Malalas (Joannes) *duobus sæculis ante Theophanem scripsit* 760 a; *emendatur* 697 e f, 698 a; *illustratur aut emendatur* 697 e f, 698 d e, 699 a, 700 b
Malchus rhetor, *historicus Byzantius* 683 a d
Maldinus, *episcopus S. Andreæ in Scotia* 1 f, 2 a
Maledictus (Joannes), *nobilis Capuanus* 835 b c, 840 b
† Mallosus, *martyr Thebanus, a S. Evergislo inventus dicitur* 656 a
Malmikil, *pater Modoci, episcopi S. Andreæ* 2 a
† Maltulius. *Vide* † Maeltulius.
† Mamas. *Hujus nominis bini martyres CP.* 193 a
† Mamerti *reliquiæ Aurelianis* 3 e
Mammæa, *Alexandri imperatoris mater* 11 d e
† Mammarii *Acta passionis* 630 b
Manderscheydt (Carolus Alexander de), *capellanus legationis Hispanicæ in Suecia et dein itineris reginæ Catharinæ socius* 859 a b
Mandinus. *Vide* Joannes.
Mandolx (Joan. Franciscus de), *episcopus Ambianensis, jubet recognosci reliquias SS. Luglii et Lugliani* 116 f
† Manettus de Florentia *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 c
Manicinne (Angeluccia) *agonizans ope S. Capistrani sanatur* 537 f
Mannellus (Raymundus), *prior S. Crescii de Campis* 603 f
Mansfeldius *comes impie occidit anno* 1376 *monachos Setichenbeckenses* 7 b
† Mansuetus, *primus episcopus Tullensis* 48 c e f; *regem, reginam et filium ad fidem convertisse traditur* 913 b
† Mansuetus *an Trevirensis episcopus* 616 c d, 617 a
Mansuetus, *monachus Cisterciensis, prætermissus* 579 f, 580 a
Manuel, *imperator græcus, unioni ecclesiæ Græcæ cum Romana favet* 869 e
Manuel, *episcopus Smolensci, adfuit Kioviensi concilio anni* 1147 868 e
Manzania, *de Civitate Ducali, capite læsus a S. Capistrano sanatur* 504 b c
† Marcellini *papæ, Rotonæ quiescentis, auxilio vinculis mirabiliter solutus est Fromundus pœnitens* 848 a
† Marcellinus, *in Galliis advena, episcopus Ebredunensis* 64 f
† Marcellus, *episcopus Trevirensis* 616 c d
† Marcellus, *perperam dicitur pater SS. Servandi et Germani* 26 b-d
Marchitianus, *comes S. Romuli Fæsulani* 587 a
Marcianus, *imperator, obsistit Monophysitis Ægyptiis* 581 d
Marcianus, *episcopus insulæ Iotabæ* 683 e
† Marcianus *jurat per salutem imperatorum* 596 f
† Marcianus, *martyr, prætermissus* 582 b
† Marcianus. *Vide* † Martinianus.
† Marcius *Arvernensis confusus cum S. Martino Massico* 824 e, 825 c
† Marcius, *martyr, cultus Eboræ* 577 d
† Marcus *an episcopus Trevirensis* 616 c d, 617 a
Marcus *et Theophilus, monachi et fossores Cryptenses* 864 e, 874 f, 876 d
† Marculfi *reliquiæ in monasterio Ensionensi* 802 a
Marcus, *poeta, S. Benedicti discipulus* 836 e

Marcus Bergomensis *S. Joannem Capistranum in ordinem Minorum admittit* 281 c
† Marcus de Monte Gallo, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c
† Mares *ex apostolis Arabiæ Desertæ* 671 b c d e
Mares, *Arabs Hirensis, baptizatur a S. Euthymio et fit monachus* 681 a
Mares, *scriptor Nestorianus* 688 f, 689 a
Mares Salomonis, *scriptor Arabs* 671 b d
† Margarita, *regina Scotiæ* 5 f; *mater dicta SS. Fiacrii et Syræ* 105 d
Margarita, *conjux Augustini, arida, ope S. Capistrani curatur* 539 b
Margarita, *uxor Benedicti de Chika, ope S. Capistrani a febribus liberatur* 476 b, 478 f, 482 e, 542 e
Margarita, *uxor Fabiani ope S. Capistrani sanatur a claudicatione* 482 b, 544 b
Margarita, *uxor Georgii de Larmera, dæmoniaca a S. Capistrano liberatur* 503 d e
Margarita, *uxor Martini Villakensis, filium suum curatum habet a S. Capistrano* 475 d, 544 e
Margarita, *uxor Mathiæ Villakensis, clauda, ope S. Capistrani curatur* 538 d
Margarita, *uxor Nicolai Parvi, arida per S. Capistranum sanata* 480 b, 539 f
Margnac (Joannes), *carpentarius, mirabiliter in lapsu a B. Giraldo servatus* 264 e f
† Mariæ Virginis *imago in Cappadocia sæc.* IV 573 e. *S. Mariæ de Bono Consilio imago in monasterio seu parochia S. Crescii in Campis* 607 d. *S. Mariæ gratiarum imago in eremo Clanti* 890 d. *B. Maria Virgo, monasterii Kievocryptensis patrona singularis* 877 f, 880 b. *B. Mariæ Virginis cultus eximius in Monte supra Varesium* 554 f et seqq. *B. Mariæ Virginis imago Volodimeriensis et festum* 578 c. *B. Mariæ ædem extruxisse traditur S. Amon, episcopus Tullensis* 909 c d. *B. Mariæ Virginis dolores venerandi mos* 853 c. *Cereus pro missa fundatus* 799 f. *B. Mariam Virginem, quam egregie coleret B. Juliana de Busto* 558 a d e. *Vide* Vestis B. M. V. Salutatio Angelica.
Mariæ, *uxoris Honorii imperatoris, sepulcrum Romæ apertum* 610 a
Mariæ, *magnæ ducissæ, pietas et in egenos caritas* 878 b
Maria, *uxor Wandragesili, fundatoris Alahonensis* 131 f
Maria a S. Antonio, *prætermissa* 580 d
Maria a Spiritu Sancto, *prætermissa* 580 d
† Maria Salome, *culta Compostellæ* 4 b
Marianus de Mediolano, *Servus B. M. V.* 890 c
Marinus, *episcopus Jurieviæ* 880 b
Marinus, *diaconus Rom. Ecclesiæ, legatus Hadriani Pp. II in concilio CP.* 194 f
† Marini, *centurionis, corpus magnifice sepultum* 610 b
Marlianus (*Comes* Joannes Raymundus), *decurio Mediolanensis* 907 f
† Martha, *Christi hospita, draconem edomat* 88 d
Marthad, *alias* Morthid, *rex Homeritarum* 674 f, 675 a. *Quis fuerit et quando regnarit* 677 b c e
Marthadus, *filius Dhu Djadan, princeps Homerita* 711 d
† Martialis, *martyr, perperam dicitur filius S. Marcelli martyris* 26 d-f
† Martialis, *dictus abbas S. Hilarii Pictaviensis, prætermissus* 578 b
† Martinianus *ex Septem Dormientibus* 3 d e
† Martinianus, *episcopus Comensis, implicitus schismati Trium Capitulorum* 106 c, 107 f
Martinianus *Voloscovicius, abbas monasterii S. Spiritus Vilnæ* 872 f
† Martinianus, *martyr sub Vandalis, prætermissus* 576 f
Martinof *seu* Martynov (Joannes), *Societatis Jesu presbyter* 6 d, 863, 918 b c e f
Martinus Pp. V *permittit Observantibus construere conventus* 293 c d e. *Accusatos convocat Romam* 294 e f. *Moritur* 297 d, 511 d. *Jubet nomini Jesu imaginem crucifixi appingere* 320 d. *Fraticellos damnat, in eosque inquiri jubet* 326 b c
† Martinus *Moguntinus verisimiliter confusus cum S. Martino Vertavensi* 813 d
† Martinus *an Trevirensis episcopus* 616 c d, 617 a
† Martini *Turonensis obitus cælitus manifestatus* 54 b c. *Olim patronus ecclesiæ Lucensis* 239 e
† Martini *Dumiensis itinera* 804 e f
† Martini, *dicti Martii, abbatis Montis Massici in Campania Neapolitana, acta et cultus* 824 et seqq.
† Martinus *Sanctonicus, confusus cum S. Martino Vertavensi* 794 b
† Martinus *Vertavensis confusus cum S. Martino Massico* 824 f, 825 b; *et cum S. Martino Sanctonensi* 825 a b c. *Visitatus fuisse dicitur a S. Viventio* 153 b e. *Ejusdem acta et cultus* 794 et seqq.
Martinus, *plebanus Valliscavæ* 605 c
Martinus, *famulus, epilepticus, ope S. Capistrani curatur* 543 e
† Martius. *Vide* † Martinus.
† Martyrii *monachi monasterium* 681 c d
† Maruthas, *Tagritensis episcopus* 690 e f; *synodos plures celebrat in Mesopotamia* 689 a b
Marx, *recens Trevirensis historicus, laudatur* 615 f
Marzimedices (Alexander), *anno* 1613 *archiepiscopus Florentinus* 601d e
Marzi *seu* Martius Medices (Alexander), *archiepiscopus Florentinus* 608 b c
Masalmas, *Saracenorum princeps* 916 f
Mascator, *qui et* Mascatus, *vir nobilis, in S. Martinum Massicum benevolus* 832 b c f
Masdeu (Joannes de) *inscriptiones Romanas Hispaniæ colligit* 27 c
Masinago (Antonius), *medicus et miraculorum B. Julianæ de Busto testis* 561 a
Massonius (Salvator), *biographus S. Joannis Capistrani* 271 d e
Masudius, *scriptor Arabs* 666 b
† Maternus, *episcopus Coloniensis* 52 f, 53 a
† Maternus, *episcopus Coloniensis, Tungrensis et Trevirensis habitus* 616 f. *Ejusdem translatio* 3 f. *In ejus festo indulgentiæ Coloniæ* 822 c. *Duo hujus nominis Colonienses episcopi* 60 e
† Matthæus *apostolus non Arabibus evangelium prædicavit, sed Nubiis Africanis* 671 e, 672 b c, 673 b
Matthæus, *metropolita Kioviensis ab anno* 1200 *ad annum* 1223 870 d
Matthæus, *pseudo-episcopus Fraticellorum, habitum FF. Minorum gerit* 324 b
Matthæus, *plebanus Valliscavæ* 608 c d e f
Matthæus Providus, *monachus Cryptensis* 864 d, 874 f,

874 f, 875 b. *Vide* Damianus.
† Matthæus ab Agrigento, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c
Matthæus, *filius Oswaldi, brachio contractus ope S. Capistrani curatur* 539 c d, 540 d
† Matthias *Arabiæ apostolus non fuit* 670 e
Matthias Corvinus, *filius Huniadis* 387 a-f, 389 e. *Urget canonizationem S. Capistrani* 404 e f, 405 a-e
Matthias de Florentia, *Servus B. M. V.* 890 f
Matthias, *filius Lucæ, epilepticus a S. Capistrano curatus* 480 b, 536 e f
Maubertus. *Vide* Joannes Maubertus.
Mavia *seu* Mawia, *regina Ghassanidarum, Græco-Romanos profligat, et fit christiana* 679 d e f
† Maurilius, *archiepiscopus Rotomagensis* 75 f
Mauritia, *vidua, graviter decumbens, ope S. Capistrani sanatur* 544 d
Mauritius, *imperator cum filiis occisus* 9 a. *Ejus soror super ejus sepulcro monasterium S. Mamantis struit aut renovat* 10 a
Maurocenus (Petrus), *provincialis Venetus Ordinis Minorum* 484 b, 485 f
Maurocordatus (Constantinus), *princeps Valachiæ, jubet sacrum corpus Bistricense Bukurestinum transferri* 435 b
† Maurus *quando missus in Gallias* 798 b
† Maxentia, *virgo Scotica, a Bellovacis culta, prætermissa* 582 d
† Maxentius, *abbas, visitasse dicitur S. Ventium* 153 f. *Plebelanium non venit, sed eo translatus est* 154 b. *Ejus secunda sepultura* 154 e
† Maxima, *virgo, martyr sub Vandalis, prætermissa* 576 f
Maximianus Herculius *in Italia persequitur christianos* 629 a b
† Maximianus, *deposito Nestorio, episcopus CPolitanus* 641 f
† Maximianus, *Syracusanus episcopus* 67 e f
† Maximilianus *ex Septem Dormientibus* 3 d e
† Maximilianus *et Bonosus tormenta non sentiunt* 18 a b
† Maximinus, *episcopus Trevirorum, an socius S. Martini Vertavensis* 616 c d, 810 e, 813 c d
Maximus, *episcopus Antiochenus, commissus ad examinandam causam Athanasii Perrheni* 646 c d
Maximus, *diaconus et archimandrita, accusat Joannem Antiochenum conniventiæ cum Nestorianis* 643 b
Maximus, *præses Ciliciæ* 16 f, 17 b
Maximus, *præses in Provincia Proconsulari in Africa* 630 b
Mazzinghus (Franciscus), *patricius Florentinus* 603 c
Medices (Alexander), *anno* 1590 *archiepiscopus Florentinus* 608 a. *Fit Leo XI papa* ibid.
Medicæus (Carolus), *cardinalis, promovet canonizationem S. Capistrani* 415 a b
Mediceus (Cosmas), *præcipuus fautor Observantum* 303 f, 304 a
Mediorota (Ludovicus), *cardinalis, pacem conciliat inter Eugenium Pp. IV et Alphonsum Aragonium* 291 a
Melantius, *episcopus Rotomagensis initio sæculi* VII 81 f
Meletius Syrigus, *auctor Officii Kievo-Cryptensis* 867 e
Meliorelli (Bonajunte), *notarius, anno* 1289 *in Etruria* 601 d
† Melorius, *juvenis martyr* 780 c, 792 c, 793 d
Memnon, *episcopus Ephesinus* 646 f
Menander, *historicus CPolitanus* 689 d, 690 b c d
† Menas, *geminus hujus nominis martyr Ægyptius* 204 a b
Menas, *negotiator in Æthiopia* 752 c
Mennas, *episcopus Polocensis* 880 b; *sedit ab anno* 1105 *ad annum* 1116 866 c
Mensurius, *episcopus Carthaginensis, tradit libros hæreticos comburendos loco Sacræ Scripturæ* 630 b
Merbesius (Bonus, Bon de Merbes), *Oratorianus theologus et poeta* 113 f
† Mercurius, *martyr, verisimiliter auctor dicitur Juliani imperatoris cædis* 573 b c
Mercy d'Argenteau, *archiepiscopus Tyrensis et nuntius Monachii* 822 d
Meriadocus, *rex Britanniæ Armoricæ* 794 e
Meropius, *philosophus, Indiam et Æthiopiam adiit, comitibus S. Frumentio et Edesio* 673 b c d e
Metaphrastes (Simeon) *quando et quo exitu scripserit* 716 b; *ejus methodus* 717 a b; *ejus scribendi genus* 710 d; *perperam Asterium sæculo* VI *ut patriarcham Alexandrinum intrudit* 710 d e; *scripsit Acta S. Arethæ* 699 f; *emendatur* 726 a
† Methodius, *patriarcha CP.* 173 b c
Metius (Federicus) *e græco in latinum vertit Vitam S. Ignatii CP.* 159 a
Metrodorus, *philosophus, Indiam adiit* 673 b
† Metropolus, *episcopus Trevirensis* 615 e, 616 c d
Michael Balbus, *ejecto Leone Armeno, thronum CP. usurpat* 168 f, 172 e
Michael Curopalata, *imperator Orientis, pater S. Ignatii patriarchæ* 168 a b, 170 c, 171 a b
Michael Ebriosus, *imperator CP.* 174 b c, 187 e f; *decipitur a Photio* 185 c d; *occiditur* 190 e f, 193 b c d
Michael, *princeps Bulgariæ, primus ad fidem convertitur* 162 b c
Michael II Fortis, *princeps Valachiæ, sacrum Bistricense corpus veneratur* 435 a b
Michael, *patriarcha Alexandrinus, per legatum interest concilio œcumenico* VIII 194 f, 198 b
† Michael Aragawus, *abbas Habessinus* 8 c. *Vide* † Aragawus.
Michael Claudus, *vicarius conventus Villacensis* 396 e
Michael a S. Dionysio, *guardianus conventus Villacensis* 396 e. *S. Capistranum reficit ultimis sacramentis* 390 b, 400 a b
Michael de Perusia, *laicus ordinis Observantum, socius itineris germanici S. Capistrani* 328 c, 516 d
Michael *contractus ope S. Capistrani sanatur* 482 d
Michaelis *Villacensis filius, febricitans, ope S. Capistrani curatur* 542 c
Michael, *filius Stephani, agonizans per S. Capistranum ad vitam revocatur* 477 d
Michaelis (J. D.) *laudatur* 702 e
Miglitius (Paulus), *episcopus Olomucensis* 469 a
Milanesi de Summaripa (Gregorius) *singulariter pius in B. Joannem Angelum* 893 e. *Ejus Catalogus miraculorum B. Joannis Angeli* 906 et 907
Millescichius (Michael), *consul Etruriæ inter Ragusanos. De patriarchatu Ipekiensi liber* 915 b
† Minias,

† Minias, *martyr Florentinus. Acta, templa et alia* 586 d e f
Mioland (Joannes Maria), *episcopus Ambianensis, dein archiepiscopus Tolosanus, jubet recognosci reliquias SS. Luglii et Lugliani* 114 d
Mirkhoud, *historicus Persidis* 686 b
Missirolius (Joan. Bapt.), *episcopus Brittonoriensis, transfert reliquias S. Maglorii* 782 c
† Mizael, *unus Trium Puerorum* 566 f
Moctius. *Vide* Mozzi.
Modocus, *filius Malmikil, episcopus S. Andreæ in Scotia* 2 a
† Modocus, *episcopus et culdeus in Scotia* 1 f
† Modocus, *qui et Aidanus, episcopus Fernensis in Hibernia* 2 a
† Modocus Priscus, *comes fabulosi S. Amphibali* 2 a
† Moeltulius. *Vide* † Maeltulius.
Mohamad, *filius Isaac, commentator Corani* 709 c
Monachus (Guilielmus), *prior S. Laudi Rothomagensis* 845 b
Monderus, *nomen Syriacum Almundari* 700 et seqq. *Vide* Almundarus.
Monlezun, *canonicus Ausciensis, scribit de Sanctis Ausciensibus* 122 b, 126 d
Monoimus *Arabs, discipulus S. Justini, hæresin docet* 679 a
Monona, *dicta mater S. Montanæ* 859 d e
Monos (Benedictus), *paralyticus ope S. Capistrani curatur* 538 f
† Montanæ, *olim in diœcesi Senonensi atque nunc in Bituricensi cultæ, acta et veneratio* 859 et seqq.
† Montanus *et Lucius tormenta non sentiunt* 16 f
Montbrun (Petrus) *sanatus ad sepulcrum S. Florentini* 852 f, 853 a
Montonius (Carolus) *ad bellum a Florentinis fraudulenter incitatus* 889 b
Morel, *parochus in Bonnet, laudatur* 851 f
Moriggia (Paulus), *Jesuata, vir egregius et historicus* 553 d e
Morini (Augustinus) *ex ordine Servorum B. M. V. laudatur* 883 et seqq.
Morinus (Guilielmus), *scriptor pessimæ historiæ Ferrariensis* 861 b c
Mosca (Gaspar). *An episcopatus Salernitanus sæculo* v *inceperit* 47 a
Movers (F.), *historicus Phœnicum* 662 a
† Moyses, *episcopus Saracenorum Syriæ, sive Ghassanidarum* 669 a; *ordinatur episcopus* 679 d e f; *num gente Romanus, an vero Arabs fuerit* ibid.
† Moyses *an Trevirensis episcopus* 616 c d, 617 a
Moyses Hungarus, *monachus Kioviensis commemoratur* 867 d, 874 f; *ubinam sepultus sit* ibid.
Mozanica (Jacobus), *minister generalis Minorum, erga Observantes minus æquus, repentine moritur* 513 c d
Mozzi (Marcus Antonius). *Ejus de SS. Crescio et sociis scripta* 584 et seqq.
Mullerus *Schlœzero favet* 873 c
Munatius Felix, *flamen perpetuus curator Coloniæ Cirtensium* 629 b
Mundhir. *Vide* Almundarus.

N

Naaman. *Vide* Nooman.
Nantulfus *sanatus ad sepulcrum S. Senochi* 771 b
† Navitus, *episcopus Trevirensis* 616 c d
Negri (Joannes Baptista), *vicarius Montis supra Varesium* 559 d
† Neithan, *in Anglia rex* 849 a
Nemes (Laurentius) *agonizans ope S. Capistrani ad vitam revocatur* 476 c, 536 b
† Neon. *Vide* † Adrias.
Nerlius (Franciscus), *archiepiscopus Florentinus* 609 e f
Neroni *non placet juramentum per caput et salutem imperatoris* 596 f
Neronius (Joannes), *anno* 1462 *archiepiscopus Florentinus* 603 f
Neroniana *familia Florentina. Prioratus S. Crescii de Maciola* 604 a b
Nestor, *Rostoviæ episcopus, floruit circa annum* 1157 869 a
Nestor, *chronologus Kioviensis seu annalium auctor* 874 c; *laudatur* 864 b; *Paterici auctor habitus fuit ab Herbinio* 873 a. *Certissime scripsit vitam S. Theodosii, hegumeni Cryptensis* 874 a, 875 a b. *Ei falso tribuitur Vita Antonii Kievocryptensis* 873 d e. *Mortuus est anno* 1106 867 b. *Ejus Chronicon continuasse dicitur Simon, episcopus Vladimiriensis* 881 a
Nestorius *hæresim de duabus in Christo personis CPoli prædicat* 640 c. *In Ægyptum relegatus, obit* 642 c. *Ejus placita sequuntur plures christiani Persidis* 742 b c
Nestoriani *Persidis* 742 b c. *Eorum patriarchæ Babœus et Sylas* ibid. 744 b c. *Laudantur a Judæis homeritis* 762 c
Nevolin *propugnavit Joannem II, metropolitam Kioviensem, esse auctorem epistolæ ad Clementem papam* 869 e
Nicarete, *virgo Cpolitana, tum dignitatem diaconissæ detrectat, tum præfecturam canonicarum a S. Joanne Chrysostomo sibi oblatam* 730 b
Nicephorus, *imperator* 170 c
† Nicephorus, *patriarcha CP.* 168 e, 171 f
† Nicephori, *monasterii in Charsiano fundatoris, gesta obscura* 916 et seqq.
† Nicephorus, *fundator monasterii S. Sergii Mediciensis* 917 e f, 918 a d
Nicephorus, *auctor hist. eccl. Græcæ, emendatur* 691 a; *multa e Philostorgio mutuavit* 677 e, 741 e
Nicetas, *monachus ex recluso episcopus Novgorodensis* 874 f
† Nicetas, *abbas monasterii S. Sergii Mediciensis in Mysia* 917 e, 918 a b
Nicetas, *stylita Kioviensis, obiit anno* 1108 867 b. *Ejus vita narratur apud Kulcinium* 867 b
Nicetas Stethatus, *auctor Vitæ Simeonis Junioris, auctoris Palamitarum* 10 b
Nicetas, *biographus S. Ignatii patriarchæ CPolitani* 158 c d
Nicodemus, *prosphorarum pistor. Vide* Spiridion.
† Nicolaus I *papa, vindicat sedi suæ Bulgariam* 162 d, 164 a b; *agit contra Photium* 179 e, 182 b c d, 187 d e
Nicolai Pp. V *pontificatum prædicit S. Capistranus* 460 b c; *petenti duci Mediolanensi S. Joannem Capistranum prædicatorem concedit* 288 a; *jubet, ut conventus Austriæ Observantum*

servantum in unam provinciam coalescant 310 e f. *Permittit S. Capistrano occupare conventus, a Conventualibus in Austria, Bohemia et Moravia derelictos* 311 b c. *Permittit Observantibus transitum ad Conventuales, frustra reclamante S. Capistrano* 314 b-e. *Obit* 317 b. *S. Capistranum in Germaniam et Hungariam legat* 329 d; *classem instruit contra Turcas et decimas imponit universo clero* 350 a b. *Maximi faciebat S. Capistranum* 449 f; *prædictum a S. Capistrano pontificatum adit* 303 b c, 511 f. *Concedit, ut Observantes possint redire ad obedientiam Conventualium* 304 d. *S. Capistranum in Bohemiam mittit contra Hussitas* 334 e f. *Accusatur nimiæ prodigalitatis in exstruendis ædificiis* 353 c d, 356 d e. *Ejus sumptus in Urbe exornanda sugillantur* 353 c d, 356 d e. *Ejus obitum prædicit S. Capistranus* 512 d e; *superstes S. Capistrano, statim post obitum intendebat eumdem canonizare* 413 f, 415 d

Nicolaus, *cardinalis tit. S. Marcelli, commissarius Eugenii IV in causa canonizationis S. Bernardini Senensis* 513 e

Nicolaus, *patriarcha Antiochenus, per legatum interest concilio œcumenico* VIII 198 d

Nicolaus, *episcopus et inquisitor apud Hungaros, ex ordine FF. Prædicatorum* 7 d e

† Nicolaus *navigantium patronus* 119 c

Nicolaus, *episcopus Polociæ, sedit ab anno* 1185 866 c

Nicolaus, *episcopus Perejaslaviæ* 880 b

Nicolaus de Uylack, *dux exercitus christiani contra Turcas* 384 c d. *Papæ commendatur* 392 d. *In castrum suum Villacum S. Capistranum infirmum defert* 393 b-f, 394 a b c. *Promovet canonizationem* 405 f

Nicolaus de Vilak, *Waivoda, curat corpus S. Capistrani sepeliri et ejus conscribi miracula* 475 b, 535 a

Nicolaus, *abbas S. Audoeni Rotomagi, obtinet caput S. Romani* 83 c-f, 84

† Nicolaus de Aretio *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f

Nicolaus Lyranus, *exegeta S. Scripturæ, inter prætermissos* 7 e

Nicolaus de Fara *seu* Tellus, *Ord. Minorum Observantiæ, socius et biographus S. Joannis Capistrani* 270 e. *Eum in itinere germanico comitatur* 318 c, 516 d. *Post obitum S. Capistrani Villakum venit* 399 d

Nicolaus de Perusio, *generalis prior Servorum B. M. V.* 887 b c d

Nicolaus de Uzzano, *post S. Bernardinum vicarius generalis Observantum* 294 a

Nicolaus Devotus *laudatur* 864 d e, 866 d, 877 e

Nicolaus, *notarius, agonizans per S. Capistranum ad vitam revocatur* 505 c

Nicolaus, *dictus* Parvulus, *contractus ope S. Capistrani curatur* 538 e f

Nicomachus, *episcopus Bostrensis* 679 d

Nicon Avidus, *monachus Cryptensis* 874 d, 875 a

Niderus (Joannes) *ex ordine FF. Prædicatorum, celeber mysticus* 7 d

† Nigasius, *episcopus Rotomagensis, serpentem edomat* 88 d

Niphon, *Novgorodensis episcopus* 875 b, 880 b, 881 a; *adfuit concilio Kioviensi anni* 1147 868 e; *in monasterio Cryptensi detinetur* ibid. f. *Ejus Vita, falso tributa Simoni, episcopo Vladimiriensi* 881 a

Nizezius *beneficus in Moissiacense monasterium* 123 b

† Noitburgis, *virgo, prætermissa* 581 d

Nomenoius, *princeps Armoricæ, episcopatus erigit* 777 c d e, 793 b

† Nonia, *uxor S. Marcelli, perperam dicitur SS. Servandi et Germani mater* 26 b c d

Nonnosus, *historicus legationum ad Arabas* 683 e f

Nonnosus, *legatus. Vide* Abrahamus legatus.

Nooman I *sive* Naaman, *rex Hirensis* 690 d; *viso S. Simeone Stylita in somnis, evangelio favere incipit et fit christianus* 685 et seq.; *exstruit arcem Khowarnakum* 686 c d e; *fugit ex aula et solitudini se dedit* ibid.

Nooman *sive* Naaman, *rex Hirensis* 687 b-f; *Arabiam desertam et Syriam invadit* 687 f, 688 a

Novak (Petrus II), *episcopus Wratislaviensis, ratam habet fundationem conventus Observantum Wratislaviæ* 312 c-f, 312 a b; *fautor S. Capistrani* 344 c

Novellus. *Vide* Petrus Novellus.

Noya (Henricus de), *decanus S. Petri Trecensis* 105 d

Nusdorff (Udalricus a), *episcopus Passaviensis, impedire vult fundationem conventus Santhippolytani Observantum* 310 b c

Nuweirius, *historicus Arabum* 686 b, 693 e

O

Obbonius, *primus abbas Alahonensis* 131 f, 132 a d

† Octavianus *seu* Octarianus, *episcopus Comensis. Ejus Acta et cultus* 106 et seqq.

† Oda, *S. Eliphii martyris, ut fertur, consanguinea* 138 d

† Oda, *virgo sæcularis* 137 e

† Oda, *virgo Rhodæ in Belgio* 128 a b

† Oda, *vidua, prætermissa* 577 b

Oda, *vidua, transfert corpus S. Gudilæ* 128 c d

Oddis (Franciscus de), *episcopus Assisiensis, nuntius pro bello sacro* 360 e. *Petrovaradini occurrit S. Capistrano* 370 f

Odenatus (Septimius), *rex Palmyræ* 678 b

Odheyna, *rex Iracæ* 678 b

Odo *coronatur rex Francorum a Ganterio Senonensi* 209 a

Odo, *abbas S. Medardi, dat Nicolao, abbati S. Audoeni, Rotomagi, caput S. Romani* 83 d-e

Odoleus, *abbas S. Medardi Suessionensis* 75 b

Odolricus, *episcopus Aurelianensis, in Columbense monasterium monachos introducit* 20 d

Odruvasch (Andreas), *palatinus Leopoliensis petit canonizationem S. Capistrani* 406 f

Odulfus *seu* Ordulfus, *dux Cornubiæ et frater Ordgari, comitis Domnoniensis, fundator Tavestockiensis monasterii* 223 e f. *Transfert ossa S. Rumoni* 224 c d

Offæ, *reguli in comitatu Warwicensi, filius S. Fremundus martyr* 848 b c

† Olavus, *Noricorum dux, postea martyr Armoricam invadit* 778 c

† Olga *in vetustis calendariis nominatur* 867 f

Olieschniça (Sbigneus), *cardinalis episcopus Cracoviensis, in Poloniam vocat S. Capistranum, eique conventum assignat* 311 d e, 469 b c. *Ad eumdem rescribit ut Russos cum ecclesia catholica uniat* 344 e f. *Ejus elogia* 345 b c. *Conventum Observantum Cracoviæ fundat* 345 d. *Vult ipse benedicere nuptiis*

Casimiri IV 346 b. *Dissuadet Casimiro regi occupare Prussiam* 348 b. *Hortatur, ut S. Capistranus principes incitet adversus Turcas* 350 e f, 351 a
Olieschniça (Joannes), *palatinus Sandomiriensis, S. Capistrano aream Cracoviæ concedit ad ædificandum conventum* 311 e
Olympius, *episcopus Theodosiopolis* 647 a
Omar, *khalifa, christianos Negranenses exsilio plectit* 719 a
Omnio, *deductum nomen ab* Omni 589 a
† Omnion. *Vide* † Crescius.
Onesiphorus, *monachus Kievocryptensis* 874 d, 876 d
Onion *an pro Omnione* 588 f
Onuphrius, *episcopus Cernigoviæ, adfuit concilio Kioviensi anni* 1147 868 e
† Onuphrii *eremitæ capilli ad terram promissi* 564 b c
Ophir, *filius Jectan, habitavit in regno Saba* 665 b
Opianus, *abbas, ante S. Melaniæ Parvæ maritus* 563 e f
Orderici Vitalis *chronotaxis ab errore vindicatur* 80 d e f, 81 a
Ordgarus, *comes Domnoniensis, an Tavestockiensis cœnobii fundator* 223 b c d e f
Ordulphus. *Vide* Odulphus.
† Orestes, *martyr* 4 d e; *assignatus socius SS. Severo et Dorotheo, martyribus Hadrianopolitanis* 23 e f
† Orientius, *episcopus Ausciensis* 122 b
Origenes *ter Arabiam desertam adiit rei christianæ propagandæ et tuendæ gratia* 678 c d e f
† Oswaldus, *in Anglia rex* 849 a
Oswaldi *filii et uxor a S. Capistrano curantur* 477 a b
† Oswennus, *in Anglia rex* 849 a
† Othilda. *Vide* † Hilda.
Otto Magnus, *imperator, frater S. Brunonis Coloniensis* 659 e
Otto III, *imperator, plura in Italia fundat monasteria* 603 f
Ouseley, *viator Anglus* 692 a

P

Pachomius, *episcopus Rostoviæ* 878 e
† Pachomius Junior *fabulosus* 566 b
Pagius, *annalista* 710 e; *emendatur* 688 a
Pagliari (Paulus Maria) *ex ordine Servorum B. M. V. scriptor* 885 c
Palma (Carol. Francisc.), *episcopus Colophoniensis, in Lotharingiæ ducem derivat victoriam Viennensem* 418 f, 419 a
Pammachius, *vir consularis, fit monachus* 563 e f
Pammon, *abbas Arsenoitarum, divinitus cognoscit Juliani imp. necem* 573 b
† Pamphila. *Vide* † Crescius.
Pampichler (Norbertus), *monachus Seittenbergensis, egregius de peregrinationum ritibus scriptor* 856 f
Pancia, *cononicus Valliscavæ* 605 d
Pandenulfus, *princeps Capuanus, Saracenorum amicus, Cajetam occupat* 828 b
Pandulfus I, *qui et Caputferreum, princeps Beneventanus* 828 f
† Pantænus *Alexandrinus, apostolus Homeritidis et Indiæ Brachmanicæ* 672 et seq.
† Pantaleon, *monachus in Æthiopia; novem sanctorum Habessinorum dux* 8 d; *eum adit S. Elesbaas ante expeditionem suam alteram contra Homeritas* 718 c. *Vide* † Zonænus.
Paoli, *dux castri S. Joannis Baptistæ Florentini* 900 c
Pap (Georgii) *filia, contracta ope S. Capistrani sanatur* 538 e
Pap (Laurentius) *Villakensis curatur a cœcitate* 475 d, 478 d e, 538 e
† Paperius *seu* Papirius, *martyr Nicomediensis* 23 d, 634, 635
Papiniani *assessores Paulus et Ulpianus* 11 f
Paramonarius. *Vide* Joannes.
Parascensus, *filius Georgii Aquilani, ope S. Capistrani periculo eripitur* 537 e f
† Parasceve, *Polocensis abbatissa, floruit sæculo* XIII; *inter sanctas adscripta est a Gregorio XIII* 866 d
Paschalis I *papa confirmat Vulturnensibus sua bona* 827 e
† Paschalis *papa II confirmat episcopo Fæsulano sua bona* 607 e; *versatur in Galliis* 914 e
† Paschalis Baylon, *ordinis Minorum, ab Alexandro VIII canonizatur* 421 e
† Paschasius, *episcopus Giennensis* 9 d
† Paschasius, *episcopus Viennensis, dicitur in monasterio Uranensi quiescere* 781 a, 782 e
Pasqua (Antonius) *Aquilanus cœcus ope S. Capistrani illuminatur* 541 a
Pasquiten, *rex Britanniæ Armoricæ* 813 e
Passama, *navis præfectus, scripsit de Arabia* 726 a
† Paternus, *episcopus Abrincensis* 780 b, 792 c, 793 d
Patharis (Barnabas) *agonizans ope S. Capistrani ad vitam revocatur* 536 c
Patriarcha (Lucia) *a S. Capistrano sanatur* 504 c d
Patricius, *dux Græco-Byzantinorum* 687 e
Patricius *seu* Mar-Abas, *archiepiscopus Seleuciæ nestorianus* 690 e
† Patricius *episcopum constituit S. Iserninum* 5 c
Patritius (Fr. X.) *laudatur* 700 d
Patroche (Maria) *clauda a S. Capistrano sanatur* 504 f
† Pavacius, *cultus Ferrariis* 861 b
Pavinis (Joan. Franciscus de) *relationem pro canonizatione S. Bonaventuræ conscribit* 403 b c
† Paulina, *in baptismo dicta Maria* 594 d
† Paulini, *episcopi Coloniensis, lipsanotheca* 821 f, 823 b
† Paulinus, *qui et Lucensium habetur episcopus, dicitur a S. Petro Florentiam et in alias partes missus* 586 e f
Paulinus (Thomas), *Florentinus, in B. Joannem Angelum pius* 900 c d
† Paulus *et Sylas in carcerem interiorem trusi* 17 a
† Paulus *num inter apostolos Arabum connumerandus sit* 670 d
Paulus, *episcopus in Bulgaria* 161 e
† Paulus, *fundator ecclesiæ Leonensis seu Legionensis in Armorica, solitudinem petit* 775 f; *draconem domat* 88 c
Paulus, *episcopus Negranensis* 694 e f, 695 a d, 702 f, 703 c, 707 b, 714 f, 762 b. *Ejus ossa, e terra effossa, comburuntur* 724 a
Paulus, *canonicus Albæ Regalis, S. Capistrani interpres* 380 b
Paulus *presbyter aufert et sacrilege vendit reliquias SS. Luglii et Lugliani* 111 c-f, 112 a
Paulus, *sacerdos infirmus, a S. Capistrano sanatur* 482 c

† Pauli,

† Pauli, *primi eremitæ, Vitæ prologus* 564 a b
Paulus de Ferraria, *laicus ordinis Observantum, socius itineris germanici S. Capistrani* 328 c, 516 d
Paulus de Praga, *hussita occultus, mittitur Cracoviam et in vincula conjicitur* 346 b c, 347 a b
Paulus de Rota (de la Roa), *subcollector decimarum pro bello sacro* 354 f
Paulus Warnefridi, *diaconus Casinensis. Ejus versus echoici* 831 c
Pauli, *pellificis de Futhack, uxor sanatur a S. Capistrano* 475 e, 541 b
Pauli *filius, vita functus, a S. Capistrano ad vitam revocatur* 479 d
Paulus *J. C. sub Alexandro imp. christianos male habet* 11 f, 12 a
Pegasius *commentariensis in Passione SS. Tarachi et sociorum* 17 b
† Pelagius *papa multa narrat de S. Martino Massico* 826 a b
Pelegri (Paulus), *prior Servorum B. M. V. Mediolanensis* 893 d
† Peregrinus de Forolivio *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Perenius (Franciscus) *dicitur corpus S. Capistrani profanasse* 432 e, 433 b-f
† Perpetuus, *episcopus Trajectensis* 818 b c, 820 b
Peruccius (Angelus), *episcopus Sarsinensis, transfert reliquias S. Maglorii* 782 b
Peryn (Joannes). *Vide* Joannes.
Petrus, *cardinalis episcopus Augustanus, petit canonizationem S. Capistrani* 406 f
† Petri de Rates, *archiepiscopi Braccarensis in Lusitania, translatio* 3 a
Petrus, *episcopus Chanadiensis, invitat S. Capistranum in diœcesim suam* 357 d e
Petrus, *Gangrensis episcopus, ordinatus ab Eusebio Ancyrano* 648 a
Petrus, *episcopus insulæ Iotabæ* 683 c d e
Petrus Mohila, *metropolita Kioviensis* 876 c
Petrus, *episcopus Paremboles. Vide* Aspebetus.
Petrus, *metropolita Sardensis, fautor Photii* 194 e, 198 b, 205 d
Petrus, *diaconus Cassinensis, scriptor sæculi* XII. *Fragmentum ejus Virorum illustrium* 824 b. *Ejusdem Vita S. Martini Massici* 835 et seqq. *Ejusdem Hymnus de S. Martino Massico et alia de eodem scripta* 831 a b c, 835 et seqq. *An scripserit Vitam S. Athanasii Neapolitani* 836 d
Petrus, *consanguineus et vasallus Ricuini, episcopi Tullensis* 858 b
Petrus, *nobilis Hungarus, vexillifer S. Capistrani* 372 a
Petrus *sartor, pater Catharinæ resuscitatæ* 457 e
† Petrus Aulanus, *ante baptismum dictus Balsamus* 594 c
Petrus de Briseio *interest synodo Tullensi* 858 d
Petrus Delgatus, *ex ordine FF. Prædicatorum, missionarius in India orientali* 7 e
Petrus Ebnarrahebus, *Ægyptius, auctor Chronici orientalis* 710 e
† Petrus Germanus *ex ordine Servorum B. M. V.* 884 a
† Petrus de Molleano, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c
Petri Novelli de Tarvisio, *Servi B. M. V. ambitio et apostasia* 905 e
† Petrus Regalatus, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 f
Petrus Saracenus 835 a, 840 a
Petrus de Sopronio, *encomiastes S. Joannis Capistrani* 271 c. *Eum in itinere germanico comitatur* 328 c, 516 d, 551 f
Petrus de Vallibus, *ordinis Minorum Observantum, confessarius S. Coletæ* 301 e f
Pettorano (Bartholomæus), *ordinis Observantum, procurator in causa canonizationis S. Capistrani* 415 b
Pharasmanes, *eunuchus, renovat Constantinopoli S. Mamantis monasterium* 10 a
Pherozes, *rex Persarum, favet Nestorianis* 689 c, 690 f
Philaretus, *archiepiscopus Cernigoviæ, commemoratur* 869 d e
Philippus, *imperator, quando occisus* 599 e
Philippus, *ecclesiæ CP. presbyter, jus ecclesiæ suæ defendit* 648 a
† Philippus diaconus *Arabiæ apostolus non fuit* 670 e f
Philippus Albericius *ex ordine Servorum B. M. V. laudatur* 884 c, 902 b c
Philippus Aquitanus, *ordinis Observantum sancte obit Sulmone* 395 e
† Philippus Benitius *seu de Florentia ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f. *Ejus Vita scripta a Philippo Albericio* 902 c. *Hic laborat pro ejus canonizatione* ibid.
Philippus Bonus, *dux Burgundiæ, fidelis Eugenio IV* 290 d e f, 448 e; *convenitur a S. Capistrano* 327 f; *omni ope succurrere vult christianis adversus Turcas* 353 d e f. *Vellus aureum instituit ad tutandam fidem* 354 c d. *Votum belli sacri emittit* 354 d e. *Ejus cor Hierosolymam delatum* 355 a b. *Ecclesiam S. Mariæ in Bethlehem suis sumptibus instaurat* 355 a. *Promittit se adfuturum bello sacro* 356 d
Philostorgius, *historicus* 675 et seqq.
Photius, *græci schismatis auctor, sedem CPolitanam usurpat* 177 b c d e, 178 e f; *legationem mittit ad Nicolaum papam* 178 e, 182 a; *eumdem exauctorat* 190 c, 194 c; *S. Ignatium deponit e sede CPolitana* 183 a-f; *eumdem multimode ad necem usque vexat* 184 a-d; *de Bulgarorum conversione falso gloriatur* 162 b; *S. Ignatii familiares ad se allicere conatur* 188 e f, 189 a-d; *fictum concilium contra Ignatium conscribit* 194 a b; *in concilio œcumenico* VIII *ad communionem laicam redigitur* 194 e f, 195 a b; *interrogatus in concilio recusat respondere* 199 a; *malis artibus Basilium imperatorem decipit, ab eoque in sedem CP. restituitur* 201 d e f; *fautoribus S. Ignatii infensus* 202 d e; *iterare conatur ordinationes et consecrationes a S. Ignatio factas* 202 e f
Photius, *metropolita Kioviensis, sedit ab anno* 1410 *ad annum* 1431 875 c. *Scripsit epistolam ad monachos Cryptenses* ibid.
Pibo, *episcopus Tullensis, elevat SS. Alchæ, Celsini, Auspicii et Ursi decessorum corpora* 910 c d, 912 f, 914 c
Picktel (Simon) *Viennensis, singularis amicus S. Capistrani* 398 c
Piconius (Dominicus), *medicus, testis sanationis Lauræ Camilli* 435 f, 436 a b
Pie (Anna de), *abbatissa SS. Trinitatis Pictavis* 156 d
Piilki *seu* Piisrii (Catharina) *febricitans a S. Capistrano sanatur* 477 a, 542 f

Pimænus,

Pimænus, *monachus Cryptensis* 874 d
Pimænus Patiens, *monachus* 874 f
Pinianus. *Vide* Opianus.
Pippinus *dictus pater S. Montanæ* 859 d e
Pippinus II, *Aquitaniæ rex, favet Vertavensibus monachis profugis* 801 b. *Eum inter et Carolum Calvum lites de Aquitania* 801 c d. *Ejusdem moneta Metuli et Pictavis cusa* 801 e. *Quare ejus historia tam obscura* ibid.
Pireto (Ant. Angelus de), *minister generalis ordinis Minorum, prævidet magna S. Capistrani facinora* 498 e, 499 a
† Pirminus, *cultus in Bonnet* 852 a, 857 a
Piscarius, *dux imperialis, capit Mediolanum* 560 f
Pittori (Nicolaus), *pictor Florentinus* 900 c
Pius II *papa restituit Observantibus bullam Eugenianam* 513 d; *vicarios apostolicos dat ordini Servorum B. M. V.* 887 c. *Vide* Æneas Sylvius.
† Pius V *supprimit indulgentias, concessas adjutrices manus porrigentibus* 845 e
† Plato, *abbas, incolit montem Olympum in Mysia* 917 f
Pocciantius, *chronographus Servorum B. M. V., an coævus B. Joanni Angelo Porro* 884 e
Pocokius (R.) *scripsit de Monotheismo Arabum veterum* 667 d e
Podiebradsky (Ambrosius), *ordinis Observantum, refert corpus S. Capistrani in Szolos delitescere* 433 c-f
Podiebrad (Georgius), *primum gubernator dein rex Bohemiæ, fautor Hussitarum* 530 d; *S. Capistranum rejicit* 341 b c
Poggianus (Julius), *primus secretarius congregationis interpretum concilii Tridentini* 239 a
† Polycarpus *cœlesti voce ad martyrium animatur* 17 d
Polycarpi, *archimandritæ Cryptensis, virtutes et laudes* 870 b. *Erroris damnatur a synodo Kioviensi, quod usum casei et lacticiniorum suis permitteret feria* IV *et* VI, *quotiescumque festa solemniora occurrerent* 870 b. *Injuste damnatum a synodo Kioviensi conqueritur populus* 870 b
Polycarpus II, *hegumenus Kievocryptensis* 870 d, 872 e
Polycarpus, *hagiographus, a Polycarpo archimandrita Cryptensi distinguendus* 874 a c e, 875 b; *magistrum habuit Simonem episcopum Vladimiriæ* 874 e; *monachus ambitionis febri laborat* 879 f
Polychronius, *discipulus Zebinæ abbatis* 571 e
Pompejus *bello piratico legatus per totam rempublicam* 16 c
† Pompejus (Saint-Pope), *presbyter Amanii* 138 e f
Pontius, *abbas simoniacus S. Medardi* 83 f
Popusitus, *cæcus a S. Senocho sanatus* 770 c d
Porris (Gasparinus de), *archipresbyter S. Mariæ de Monte, promovet monasterium Montis supra Varesium* 557 c d
Porro, *familia Mediolanensis, ex qua ortus B. Joannes Angelus Porro* 883 et seqq. *Vide* Hippolytus Protasius.
Porrus (Petrus Paulus) *typographiam orientalem in Italiam invehit* 886 a
Posega (Helena) *surda per S. Capistranum sanatur* 482 d
† Potamiœna *jurat per caput imperatoris* 596 f
Prando (Joannes Baptista), *receptor S. Mariæ de Monte* 561 b
Predatis (Joannes de) *curat B. Joannem Angelum* 886 d
Primadicius (Jacobus) *Bononiensis, ex ordine Min. Observantum, deputatur in Pontificis obsequium* 298 c. *Vicarius generalis* 303 a. *Capitulum convocat* 303 f
† Primitivus, *martyr, perperam dicitur filius S. Marcelli martyris* 26 d-f
† Probus, *martyr in Cilicia, tormenta non sentit* 16 f
Probi *et* Probæ *sepulcrum Romæ* 610 b
Prochorus, *thaumaturgus* 874 f
† Proclus *Constantinopolitanus videtur coli a Russis sub persona S. Athanasii* 578 c d e
Procopia, *imperatrix, conjux Michaelis Curopalatæ, mater S. Ignatii patriarchæ* 168 a
Procopius, *hypodiaconus, S. Ignatium ornamentis pontificalibus exuit* 183 d
Procopius *historicus christianus non fuit* 745 a b. *Quando vulgarit libros de bello Persico, tres priores de bello Gothico, et quartum de eodem bello* 691 d, 750 a. *Librum* I *de bello Persico scripsit Justiniano vivente* 682 b c d. *Emendatur* 694 c d e
Procopovicz. *Vide* Theophanes.
Promotus *filius S. Benedicti Quinciacensis* 153 d
† Prosper, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 e
Protasius Porrus, *pater B. Joannis Angeli* 886 a
† Proterium, *archipresbyterum Alexandrinum, a subscribendo S. Leonis I papæ Tomo abhortatur Macarius Kawensis* 581 c. *Inthronizatur in sede S. Marci* 581 d e
† Provinus, *episcopus Comensis. Ejus festum* 107 e
Prutheni *rebellant contra equites Teutonicos et regibus Poloniæ se dedunt* 347 c-f, 351 f
Psalmæus (Nicolaus), *episcopus Virdunensis, commendas vult sublatas* 244 b
Pseudo-Methodius, *fabulator Trevirensis* 617 d e. *Ejus Chronici fata* ibid.
Ptolemaïca *inscriptio* 752 b
Ptolemaïcum *talentum. Vide* Talentum.
† Puresellis (Juliana de) *eadem ac B. Juliana de Busto* 554 d
Purpurius, *episcopus Limatensis* 629 c

Q

† Qiriaqos, *martyr Negranæ in Arabia. Vide* † Cyriacus.
Quartio, *deductum nomen a* Quartus 589 a
Quelen (Hyacinthus de), *archiepiscopus Parisiensis, approbat inventas reliquias SS. Maglorii et aliorum* 780 d e
Questa (Horatius), *pius in B. Joannem Angelum* 394 e
Quintilius Varus, *legatus extraordinarius* 16 d
† Quiricus, *puer martyr, variis diebus colitur* 234 c d

R

Raakz *seu* Raatz (Catharina) *contracta a S. Capistrano sanatur* 477 a
Rabatta (Vincentius), *canonicus Florentinus* 600 b
Rabula, *episcopus Edessenus, accusat hæreseos libros Theodori Mopsuesteni* 643 e
† Radegundis, *regina, prætermissa* 576 d

Radeprandi *anno* 800 *testamentum* 827 d
Raderus (Matth.) *minus accuratus in vertenda e Græco Vitam S. Ignatii CP.* 159 a
Ragazonius (Hieronymus), *Famæ Augustæ episcopus, visitat auctoritate apostolica diœcesim Mediolanensem* 898 f, 899 c
Ragnebodus, *episcopus Catalaunensis, an S. Syram, sororem S. Fiacrii, abbatissam fecerit* 104 e, 105 c. *Cœnobium rectum a S. Syra Meldensi* 104 e, 105 a c
Ragnifridus, *frater S. Firmini Uceticensis* 39 d e
Raimbaldus, *archidiaconus Tullensis* 858 d
Raimbaldus, *qui et Rainaldus, abbas Vertavensis* 814 d
Raimbertus, *episcopus Ambianensis sæc.* VIII 144 c
Raimboldus *Vertavensis et ejus nepos Raimboldus Corda suadent sociis a canonicis institutionibus redire ad monasticas* 817 a
Rainoldus, *dux Franciæ, sæculo* IX *passim omissus* 817 c, 818 d. *Vertavensis infestus* ibid. *Mittitur Hastingum ad Rollonem* ibid.
Rainaldus, *Andegavorum vicecomes* 811 a
Raynaldus, *pseudo-papa Fraticellorum* 324 b
Rainaldus. *Vide* Raimbaldus.
Rainardus, *comes Tullensis* 858 d e
Rainulfus, *comes, fautor Caroli Calvi contra Pippinum II* 801 d
Rainsoindis, *mulier sæculo* IX *juxta ecclesiam Vertavensem habitans* 816 e
Rakovicza (Stephanus), *princeps Valachiæ corpus sanctum Bistricense Bukurestinum advehi jubet* 435 c
Ramirandus, *abbas Ensionensis* 801 b
† Raphael, *archangelus, prætermissus* 576 f; *dicitur dux fuisse fabulosi S. Macarii Romani* 569 f
Ranceleti (Joannes), *scabinus Tullensis* 914 a
Razzolini (Aloysius) *Mediolanensis laudatur* 900 e
Reanus, *dux Arabiæ* 678 d
Redenk (Petrus) *agonizans ope S. Capistrani ad vitam revocatur* 536 c
Redi (Thomas), *pictor principum Etruriæ* 600 d f
Redzek *seu* Redurh (Petrus) *a febribus per S. Capistranum liberatus* 476 f
Reeves (Guilielmus), *S. Columbani Vitæ illustrator, laudatur* 5 a b
Reginonis *Prumiensis chronologia sæpe incerta* 53 d
† Regiola, *socia S. Saturnini martyris* 624 f
† Regnobertus. *Vide* † Renobertus.
Rehnberg (Conradus), *archidiaconus Wratislaviensis, consentit in fundationem conventus Observantum* 312 c
Reinogala, *monachus Autissiodorensis, scriptor* 206 f
Ren (Joannes), *notarius, testis miraculi S. Capistrani* 419 d
† Renobertus, *episcopus Bajocensis, translatus in diœcesim Vesontionensem, in prætermissis* 576 a
† Respicius *et Tryphon tormenta non sentiunt* 16 f; *visitantur ab angelo* 17 a
Riatan, *dux Armoricæ* 774 e
† Riccha de Cremona *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Rice Rees *egregie de sanctis Walliæ scripsit* 763 b
Richardus I, *comes Aversanus et princeps Capuanus* 834 b e
Richardus, *primus Normannorum rex* 844 d
Richardus, *dux Normanniæ, invocat Danos contra regem Franciæ* 778 f, 792 a
Richardus, *Albanensis episcopus et legatus, dedicat cryptam in templo S. Mansueti Tullensi* 910 e, 913 b, 914 e
Richardus, *abbas Tavestockiensis in Anglia* 225 c f
Ricardus Banham, *abbas Tavestockiensis* 226 a
Richardus de Wicha, *benefactor Tavestockii monasterii* 225 a b
Richildis, *vidua Caroli Calvi, velamen continentiæ assumit* 219 f
Richmundis, *monialis Montis S. Walburgis prope Coloniam, prætermissa* 7 c d
Rictiovarus, *Indiæ et Asiæ rex dictus* 153 f
Ricuinus, *episcopus Tullensis. Templum S. Florentini* 857 d e f
Ridder (de), *presbyter Bruxellensis, geographiæ veteris Belgii peritissimus, laudatur* 821 c
† Rigomerus, *cultus Ferrariis* 861 b
Riquet (Franciscus), *magnus prior S. Deodati in Vosago* 910 c
Riquinus. *Vide* Ricuinus.
Rithverus *seu* Rithveus, *episcopus Trecensis* 211 d, 213 f
Ritter (C.), *geographus, emendatur* 682 f
Rivalus, *dux Armoricæ* 774 b-f
Robertus, *Hugonis Capeti filius* 792 e, 793 f
Robertus I, *archiepiscopus Rotomagensis* 102 f, 103 a
† Robertus de Arbrisello, *magister B. Giraldi de Salis* 254 e, 256 e
Robertus, *abbas Cerasiensis* 799 e f
Robertus de Houmetz 842 e f
Robertus, *patronus plurium monasteriorum in Etruria* 603 c
Robore (Victoria Ubaldi de). *Vide* Victoria.
Roboz (Catharina) *a S. Capistrano obtinet illuminationem filiæ* 481 e
† Rochmundus *et* Rothmundus, *episcopus Constantiensis. Vide* † Fromundus.
Rockyczana, *pseudo-episcopus Pragensis* 502 f; *Hussitarum fautor, protelat colloquium cum S. Capistrano habendum* 335 b c d. *Bohemi eum volunt episcopum institui a papa* 356 a
Rödiger (C.) *inscriptionum Himyariticarum interpres* 674 f
Rodoaldus, *episcopus Portuensis, legatus Nicolai papæ CP. infidelis* 179 e, 182 b c d, 183 e f
† Rogatus, *martyr Nicomediensis* 23 d, 634, 635
Rogerius, *episcopus Bellovacensis, monasterium Columbense instaurat* 20 c d
Rogerius, *plebanus Valliscavæ* 605 d
Rogwolodus *seu* Reichwaldus, *Polociæ dux, pater S. Parasceviæ* 866 c
Rollo, *dux Normannorum, baptizatur ab archiepiscopo Rothomagensi* 100 a, 845 a
Romanus, *Græco-Byzantinorum dux* 687 b
† Romani, *privilegium ejusque ritus* 87 b, 91 c-f. *Ejusdem abolitio* 91 b
† Romanus, *martyr Antiochenus, quare ad Diocletianum missus* 631 e
† Romani, *martyris Romani, reliquiæ Fiscannis* 846 e
Romanus, *Herbadillæ civis, convertitur et servatur a S. Martino Vertavensi* 803 b c
Romualdus de Fabriano, *Camaldulensis monachus* 7 b
† Romulus, *Fæsularum episcopus, missus non fuit a S. Petro, sed sæculo* IV *vixit* 586 f, 587 a b c.

a b c. *Ejus Acta fabulosa* 587 a b c. *Epitaphium et laudatio Theuzonis abbatis* ibid.
Rosembergica familia *principalis in Germania* 502 e; *in scuto gentilitio pictas habet rosas* 547 d. *Exstinguitur initio sæculi* XVII 547 d. *Commendatur a S. Capistrano Nicolao Pp. V et Carolo VII, regi Francorum* 547 e f, 548 a. *De re catholica optime merita* 547 e f, 549 a b c, 550 d; *fautrix S. Capistrani* 466 b, 468 e
Rosembergius (Henricus) *filius Ulrici, rei catholicæ vindex* 550 d
Rosembergius (Judocus), *episcopus Wratislaviensis* 552 c d e. *Se strenue opponit Podjebradio Hussitæ* 552 c
Rosembergius (Ulricus), *anceps in causa catholica* 550 b-f, 551 c d. *Renuntiat dominiis suis* 551 d e
Rosgenius (Sebastianus) *Turcas Belgrado abigit* 365 d
Rosminius, *scriptor Vitæ Joannis Jacobi Trivultii* 560 d
Rossi, *canonicus Setiensis, a morbo mortifero per B. Capistranum liberatus* 416 a
Rossis (Petrus Francisc. de), *promotor fidei, objicit S. Capistrano præsumptionem* 415 c
Rossi (Petrus Paulus), *chirurgus Mediolanensis, examinat corpus B. Joannis Angeli* 895 b
Rostislaus, *magnus dux Kioviæ, successit Iziaslao anno* 1154 868 f
Rosweydus (Heribertus), *S. J., commendatur* 876 d
Rotehan (Antonius de), *episcopus Bambergensis* 469 a; *indulgentias impertit audientibus prædicationem S. Capistrani* 327 c d e f
Rotrodus, *archiepiscopus Rotomagensis, reponit corpus S. Romani in novam capsam* 82 e f
Rovezella (Laurentius), *episcopus Ferrariensis et nuntius apostolicus, consecrat ecclesiam Observantum Olomucii* 312 b
Roussel (Radulfus), *archiepiscopus Rotomagensis, visitat reliquias S. Romani* 85 a
† Rubianus, *episcopus Comensis, implicitus schismati Trium Capitulorum* 106 c, 107 e
† Rufini *reliquiæ in monasterio Ensionensi* 802 a
Rufinus *Indiam Æthiopicam a Brachmanica non distinguit* 673. *Cui inscripserit Apologiam pro Origene* 564 a
Rufinus, *dux Romano-Græcorum* 691 b
Rufinus, *patricius* 698 d
† Ruma, *vidua et martyr Negranæ in Arabia, an genere Negranensis fuerit* 693 b, 919; *non uxor, sed forte nurus fuit S. Arethæ* 704 d; *obierat ejus maritus dudum ante persecutionem* 733 c; *quot filios habuerit* 704 b c, 717 e, 733 b; *ejus divitiæ et nobilitas* 732 a, 733 c, 704 e f; *pulchritudo* 732 b c, 733 e; *non prodibat nisi facie velata* 731 f, 732 b, 734 a b. *Ejus et filiarum martyrium Negranæ in Arabia* 703 e, 705 c d, 717 e f, 731 et seqq.; *hortationes ad mulieres Negranenses* 704 et seq.; *cultus* 714 et seqq.; *ab Æthiopibus dicitur Demaha* 717 e f; *et filia Rabê seu Rabîæ* 919; *Syriace dicta* Rumi *vel* Rehumi 717 e, 919. Rumi *num sit nomen proprium* ibid.
† Rumoldus. *Vide* † Rumondus.
† Rumondus, *episcopus de Cluain-Eraird seu Clonard in Hibernia* 224 e
† Rumoni, *episcopi et confessoris, acta et cultus Tavestockii in Devonia* 223 et seqq.
† Rumpharii *Constantiensis reliquiæ* 844 e f, 845
Ruotgerus, *Coloniensis et S. Brunonis Coloniensis biographus* 818 f
Rupertus, *palatinus Rheni, administrator ecclesiæ Ratisbonensis, petit canonizationem S. Capistrani* 406 f
Ruricus, *Normannorum dux, Pologiam sociis suis tradidit regendam* 866 b
Rusa (Agnes), *dæmoniaca a S. Capistrano liberatur* 487 d, 544 f
Rusdorf (Paulus), *magister ordinis Teutonici* 347 a
Russel (Joannes) *accipit ab Henrico VIII abbatiam, burgum et oppidum Tavestockiensia* 226 d
† Rusticus *an Trevirensis episcopus* 616 c d, 617 a

S

Saba *regina. Vide* Sabæ *regina, in indice topographico.*
Saba, *filius Jectan, pater Sabæorum Arabiæ felicis* 666 f. *Vide* Jectan.
† Sabas, *abbas et presbyter, archimandrita omnium monachorum Palæstinæ* 681 f, 682 a; *ejus laudes* ibid.; *quæ in gratiam Saracenorum gesserit* ibid. *S. Joannem Silentiarium ad Lauram reducit* 688 a b
Sabbaticus. *Vide* Symbaticius.
† Sabina, *martyr, culta Eboræ* 577 d
Sabinianus, *episcopus Perrhenorum* 646 c
Sacchicas, *cognomen Alamundari, regis Saracenorum* 742 b
Sacconius (Carolus Ventura), *pictor principum Etruriæ* 602 a
Sacy (S. de), *emendatur* 693 c
Saghas (Barbara) *agonizans a S. Capistrano curata* 480 d, 537 b
Saint-Martin, *historicus imperii Cpolitani* 694 d
Saizana *vel* Sazana, *rex Axumitarum* 677 d
Saladoba, *pater Alamedæ, regis Æthiopiæ* 751 b
Salinis (Antonius de), *archiepiscopus Ausciensis, visitat reliquias S. Leothadii* 127 c-e
Sallustius, *patriarcha Hierosolymitanus* 682 a
Salomon, *rex Israël, a regina Saba seu Arabiæ australis, magnifice donatur* 663 f. *Ejus divitiæ unde magnam partem sint ortæ* 665 a b
Salomon, *rex Britanniæ Armoricæ* 794 e
Salomon, *princeps Britanniæ Minoris, ad obedientiam revocatur* 207 d e
Salomon III, *rex Britanniæ Armoricæ* 813 d e
Salomon, *episcopus Constantiensis in Normannia* 843 f, 844 a
Salt (H.), *emendatur* 725 b c
Salvator, *Alethensis episcopus, Sanctorum reliquias in Galliam mediterraneam transfert* 778 c, 791 e, 793 e
† Samson, *episcopus in Britannia Minori* 772 b, 783 a b c. *Vitæ ejus chronotaxis* 773 a-f. *Childebertum II fautorem habet* 774 c d. *Consanguineus S. Maglorii* 782 e. *Ejus reliquiæ Parisiis et Aurelianis* 780 b, 791 f, 792 d, 793 d
Sapeto (J.), *missionarius, scripsit de Æthiopia* 663 d, 666 d e
Sapor II, *rex Persarum, christianos persequitur per 40 annos* 688 e f, 689 b
Sarabahal, *rex Homerita et persecutor, sub quo passi sunt SS. Azkir, Cyriacus et socii* 711 d e f;

d e f; *idem proculdubio qui Sjarabhîl scriptorum Arabum* ibid.
Sarraceni *cognomen initio sæculi* XII *in Italia* 835 a c, 840 a
Sarstonus, *episcopus Bigorrensis* 123 e
Satterapa, *nobili familia Comensi, ortum volunt S. Octavianum episcopum* 107 b
† Saturianus, *martyr sub Vandalis, prætermissus* 576 f
Savericus, *vir potens, prope Vertavum* 816 a
† Saviniani *martyris in diœcesi Trecensi, reliquiæ, miraculum, etc.* 104 b
Sazana. *Vide* Saizana.
Scabo, *vicarius card. Sbignei Olieschniça, episcopi Cracoviensis* 347 a
Scarampi (Ludovicus), *cardinalis archiepiscopus Colocensis, præfectus classis pontificiæ adversas Turcas* 362 a
Schallermann (Joannes), *episcopus Goricensis* 519 b
Scheurak (Georgii) *filius agonizans sanatur a S. Capistrano* 475 e, 535 f
Schlœzeri *error circa auctorem Paterici* 873 b c. *Ejusdem et aliorum non probatæ in Tatiscevii historiam censuræ* 881 b
Schmitz (Guilielmus), *presbyter Coloniensis* 822 e
† Scholastica. *Carmen echoicum* 831 c
Scholastica, *uxor Petri Zeleni, ope S. Capistrani a febribus liberatur* 476 b
† Scofilus (Escuiphle), *abbas* 780 c, 792 c, 793 d
† Scubilio, *abbas* 780 c, 792 c, 793 d
† Sebastiana, *martyr Heracleæ in Thracia, prætermissa* 576 c d
Sebochtes, *legatus Cosrois ad Justinum imperatorem* 690 b c d
Seetzen (U. J.); *ejus iter Arabicum* 676 d
Seguier (Dominicus), *episcopus Meldensis* 106 a
Sellier (Ludovicus), *S. J., scriptor Vitæ S. Ulphiæ* 143 f
Semiticæ *stirpi an proprium fuerit unum Deum colere* 759 b c
† Senanus, *episcopus Litmorensis* 579 f
† Senanus *in Inis-cara in Hibernia* 579 f
† Senator, *episcopus Abrincensis* 780 b, 792 c, 793 c
† Senator, *martyr, prætermissus* 576 f
† Senochi, *abbatis in pago Turonensi, acta et cultus* 764 et seqq.
† Senresius. *Vide* † Seuresius.
† Septem Dormientium *multiplicia festa* 3 d e
† Septiminus *seu* Septimus, *lector, perperam sociatus S. Felici, episcopo Tubzacensi et martyri* 619 f et seqq.
Septimius Odenatus. *Vide* Odenatus.
† Septimus, Septimius *seu* Septiminus, *ex turma duodecim fratrum, prætermissus* 576 e
† Septimus, *socius additus S. Felici Tubzacensi* 8 a b
Serbellona (Octavia), *comitissa, pia in B. Joannem Angelum* 393 c
Sergent (Jacobus), *prior claustralis S. Jovini de Marnis* 800 a
† Serapion. *Vide* † Crescius.
† Serenus *requiescit in monasterio S. Medardi Suessione* 84 d
Sergius, *qui fingitur S. Macarium Romanum visitasse* 565 d, 566 c
Sergyartho (Stephanus) *ope S. Capistrani sanatur* 475 f, 481 e, 540 f
Serpetri (Angelus), *minister generalis ordinis Minorum* 464 f
† Servatius, *Tungrensis episcopus* 53 e f; *ejus ætas* 819 e. *Appropinquantibus Hunnis, an transtulit decessorum corpora Tungris Trajectum* 616 e f, 617 b c
† Servus, *Tuburbitanus Major, martyr sub Vandalis* 582 f, 583 a d
† Severinus, *qui et Boethius. Vide* † Boethius.
† Severinus, *Burdegalensis episcopus* 50 c f, 51 a
† Severinus, *episcopus Coloniensis* 819 d
† Severinus *Coloniensis ac Burdigalensis an confundendus cum Trevirensi* 617 c d e
† Severini *Tungrensis, habiti episcopi Trevirensis, acta et cultus* 615 et seqq.
† Severinus II, *episcopus Trevirensis* 618 b d
† Severinus, *idem qui S. Severus, martyr Hadrianopolitanus* 23 b. *Loco Severini Coloniensis* 23 e
† Seversius. *Vide* † Seuresius.
Severus, *pseudo-patriarcha monophysita Antiochenus* 681 e, 688 c d
† Severus, *episcopus et confessor, male attributus Cæsareæ in Cappadocia* 24 c e
† Severus, *presbyter Heracliensis et martyr* 4 b c
† Severus, *presbyter et martyr Hadrianopolitanus* 4 d e, 23 e f; *falso adscriptus Cæsareæ in Cappadocia, Nicomediæ et Trajanopoli* 8 a, 23, 24, 577 a; *cultus Tolosæ* 4 f, 5 a; *prætermissus* 577 a b
† Severus, *martyr Nicomediensis* 23 d, 634, 635
Severus, *diaconus Beneventanus, auctor scriptionis de S. Martino Massico* 831 b
† Severus, *cultus in Montefalco* 2 b
Severus *Indus templum S. Stephani ædificat Viennæ in Gallia* 65 a
† Seuresius, *martyr Cæsareæ in Cappadocia* 4 f; *ibidem cultus* 23 e et 24
Sfortia (Franciscus), *dux Mediolanensis, a papa S. Joannem Capistranum prædicatorem expetit* 288 a; *nuptias cum Blanca, filia Philippi Mariæ, ducis Mediolanensis, impeditas videt* 445 b, 446 e f
Sjakika *vel* Sakikes, Sekkes *et quare* 687 f, 688 b
Sjarabhîl, *filius Dhu Djadan, princeps Homerita, num idem sit qui Sarabahal Æthiopum* 711 d. *Vide* Sarabahal.
Sicardus, *princeps Beneventanus* 827 c
Sicbrannus, *monachus Ensionensis simul cum uxore* 815 b c
† Sidonius Apollinaris, *episcopus Claramontanus* 909 b
Sigibertus, *rex Austrasiæ, occisus* 764 f, 765 a b
Sigebertus Gemblacensis *annis undecim anticipat chronotaxim* 135 b
Sigismundus, *palatinus Rheni, petit canonizationem S. Capistrani* 406 f
Sigismundus Stupkens. *Vide* Stupkens.
Siguinus, *archidiaconus Nannetensis, scripsit miracula S. Martini Vertavensis* 811 b
Silas, *archiepiscopus Seleuciensis et caput Nestorianorum Persidis, ad Almundarum III se confert, ut sæviat in catholicos* 710 c d; *mores, tempus regiminis et annus mortis* 744 b c
† Silvanus, *Agedunensis martyr* 859 e
Simeon, *presbyter vel episcopus Beth-Arsamensis, caput catholicorum Persidis sæculo* VI 690 e f, 699 d e, 700 a; *legatus Cavadis regis Persarum*

Persarum et catholicorum Saracenorum ad Almundarum III ibid., 710 c, 742 b c; *ejus epistola de persecutione Arabica* 699 d; *quando et qua occasione eam scripserit* 699 f, 700 c d; *recitatur et illustratur* 700 et seqq.; *qua utatur æra chronologica* 700 c d e; *nestorianus non fuit* 701 b; *ejus sinceritas et accuratio* 702 c d e; *ejus epistolæ exemplaria mss. duo* 717 e

Simeon, *abbas Gabulæ in Euphratesia* 699 d, 700 a

Simeon Metaphrastes *an auctor Passionis SS. Theodotæ et Socratis* 11 a b c

Simeon Stylita, *genere Arabs* 682 b; *ejus columna, fama, concursus hominum ex multis regionibus, maxime Arabum* 684 et seqq.; *apostolus fuit in primis Arabum Hirensium* ibid.; *ejus oratorium Telanissi* 686 a e; *quando columnam conscenderit* 696 e

Simeon. *Vide* Symeon.

Simon, *archiepiscopus Burdigalensis, dedicat ecclesiam Castellariensem* 264 c, 267 b

† Simon, *episcopus Vladimiriæ et Suzdaliæ, floruit sæculo* XIII 873 c d e. *Ejus natalis annus inquiritur* 877 d e. *Cognatus fuit Polycarpi monachi* ibid. *Fit hegumenus* ibid.; *fuit primus episcopus Vladimiriæ et Suzdaliæ* 878 f. *Exulat Radilivium* 879 a. *Ejus encomia* 881 c et seqq.; *comparatur Simoni Oniæ, veteris legis pontifici* 881 d et seqq., 882 b c. *Imitatus est virtutes B. Theodosii et Antonii Cryptensis et B. M. Virginis* 881 d e f. *Insignis ejus amor erga Deiparam* 881 f, 882 e. *In legendis Vitis Patrum Cryptensium assiduitas* 881 d. *Comparatur soli, lunæ et stellæ matutinæ* 881 d et seq. *Vitas Patrum Cryptensium literis mandat* 882 c d e. *Ejus virtutes* 882. *Rexit ecclesiam Vladimiriensem per duodecim annos* 882 f. *Colit SS. Theodosium et Antonium Cryptenses* 882 e. *Ejus scripta* 879 e f et seqq. *Ejus epistola ad Polycarpum* 866 d, 874 c, 875 a. *Analysis epistolæ ad Polycarpum* 879 e f, 888 a b c d. *Annus scriptionis* 880 c d. *Scripta B. Simonis ab heterodoxia vindicantur* 880 e f. *A confessionibus fuit Mariæ, ducissæ Vladimiriensi* 878 b; *in episcopum eligitur* 878 f. *Ejus desiderium moriendi in Laura Kioviensi* 880 c. *Rerum terrenarum contemptus* 880 d. *Ejus annus emortualis stabilitur* 879 c. *Mortuus est scilicet anno* 1226 *die* 22 *maji* 879 c. *Conditus in ecclesia cathedrali Vladimiriæ* 879 b c. *Translatus est Vladimiria Kioviam* 879 c, 882 f. *Colitur die* 10 *maji* 879 c d

Simon, *nobilis Varegus* 880 e

Simon, *filius viduæ, epilepticus a S. Capistrano curatus* 482 a

† Simon a Lipnica, *ordinis Minorum Observantiæ* 269 c

Simplicius, *imperante Alexandro, mittitur in Orientem et in Asiam Minorem, ut urgeat observationem decretorum adversus christianos* 12 f. *S. Theodotam Ponticam multis modis cruciat* 13 et seqq.

† Sindulfus, *episcopus Viennensis, adest concilio Remensi* 72 d

Sintrel (Michael), *biographus S. Joannis Capistrani* 272 b

Sisebutus, *episcopus Urgellitanus* 132 a, 133 c d

Sisinnius, *episcopus CP. S. Proclum episcopum Cyzici ordinat* 638 f, 639 a b

Sixtus *papa IV probat Observantum Servorum B. M. V. divisionem in congregationem Transpadanam et Cispadanam* 888 c d

Slavus *seu* Solanus (Nicolaus) *dæmoniacus a S. Capistrano liberatur* 481 c

Sobiesky (Joannes III), *rex Poloniæ, Viennam a Turcis liberat* 417 b-e. *Scribit epistolam de victoria christianorum* 417 d e f, 418 a-e

† Socrates, *socius S. Theodotæ et martyr Ancyræ. Ejus acta et cultus* 99 et seqq.

Soldani (Philippus), *archipresbyter Florentinus, visitat anno* 1659 *reliquias S. Crescii et sociorum* 609 e f

Sollerius, *hagiographus* 710 e

Sophia, *regina Poloniæ, mater regis Casimiri IV, obviam procedit S. Capistrano* 345 f

Sophronius, *episcopus Nicænus, sepelit corpus S. Theodotæ Ponticæ, martyris* 16 a, 18 e

Sopikov, *bibliographus* 876 f, 877 a

Sorgius (Georgius), *prior generalis Servorum B. M. V.* 896 e

Sorka (Andreas), *canonicus Wratislaviensis et plebanus S. Mauritii, consentit in fundationem conventus Observantum* 312 d

Sormanus (Octavius), *notarius archiepiscopalis Mediolanensis* 897 f

† Sostheneus *de Florentia ex ordine Servorum B. M. V.* 883 e

† Sostheneus de Sostheneis, *Servus B. M. V. Ejus specus seu cella habitata dicitur a B. Joanne Angelo* 888 e; *mutata in oratorium* 900 a b d

† Sozon, *ante baptismum Tarasius dictus* 594 c

† Speciosus, VII *episcopus Fesularum, non videtur exstitisse* 4 f

Speciosus, *episcopus Florentinus, non videtur fuisse cultus* 4 f

Speculo ad Desenberg (Ferdinandus Augustus de), *archiepiscopus Coloniensis* 822 d

Spee (Fridericus), *S. J., scribit contra nimiam facilitatem in damnandis magiæ accusatis* 342 e

Spiegel (Von). *Vide* Speculo.

Spinula (Georgius), *cardinalis. Approbatio cultus B. Joannis Angeli* 899 d

Spiridion *et Nicodemus, prosphorarum pistores* 864 d e, 874 f

Sprowski (Petrus), *archiepiscopus Gnesnensis, prætendit nuptiis Casimiri IV benedicere* 346 b

Stahrembergius, *præfectus urbis Viennensis* 418 c

Stampa (Joannes Baptista), *vicarius generalis Mediolanensis* 899 a

Stauracius, *filius Michaelis Curopalatæ, frater S. Ignatii patriarchæ* 168 c, 170 d

† Stephanus I *papa nomina catechumenorum in baptismo mutat* 594 d

Stephanus, *episcopus, legatus Hadriani papæ in concilio CP* 194 f

Stephanus, *episcopus, litigat de sede Ephesina* 646 e f, 647 a-e

Stephanus, *episcopus Vladimiriæ* 875 a, 880 b, 883 a

Stephanus, *presbyter, a cæcitate ope S. Capistrani liberatur* 544 c

† Stephanus, *protomartyr, oratorium suum ab incendio liberat* 60 f, 61 a

Stephanus, *archidiaconus Tullensis* 858 d

Stephanus, *monachus, habitans prope Cæsaream Bithyniæ, S. Nicetæ Mediciensis magister* 917 e

Stephanus,

Stephanus, *paralyticus ope S. Capistrani sanatus* 480 a
Stephanus, *filius Nicolai, contractus, ope S. Capistrani sanatur* 539 f
Stephanus de Burgo S. Sepulcri, *prior generalis Servorum B. M. V.* 888 a
Stephanus Molina, *Minorita, prætermissus* 580 c d
Stephanus Nicasii de Flandria, *insignis Servus B. M. V.* 889 e
Steterlingus, *insignis Servus B. M. V.* 889 e
Stiltingus (Joannes), *S. J., laudatur* 868 c d, 869 c
Stoldus Cennis, *excommunicatus* 601 c
Strabus. *Vide* Trabus.
Strahlius, *scriptor de rebus Russicis* 877 a
Stuldus, *plebanus S. Crescii de Vallecava, canonicos sine voluntate episcopi eligit* 605 c d. *Vide* Stoldus.
Stupkens (Sigismundus) *conventum excitat in monte Senario* 888 e
† Sturmius *Fuldensis controversiam habet cum S. Lullo Moguntino* 165 d
Suhomlinov, *in universitate Petropolitana professor, laudatur* 867 b
† Suranus, *abbas et martyr, prætermissus* 1 c f
Susanna, *in partu periclitans, ope S. Capistrani salvatur* 481 d, 537 c
† Suversius. *Vide* † Seuresius.
Sworcz (Georgius), *hospes S. Capistrani* 346 a
† Sylas *et Paulus in carcerem interiorem trusi* 17 a
Symbaticius, *dux græcus, sæculo* VIII *Beneventum occupat* 837 e, 839 c
Symeon Junior, *theologus in monasterio S. Mamantis Constantinopoli, et Palamitarum pater* 10 b. *Ejus Vita* ibid.
† Symmachus, *S. Boethii Severini socer* 3 c
† Symphorianus, *Augustodunensis martyr* 859 f
† Syra, *virgo, culta Meldis et Catalauni in Gallia. Ejus acta* 104 et seqq.
† Syra *seu* Syria, *matrona, in Actis S. Saviniani laudata, et abbatissa Rilliacensis, non confundenda cum S. Syra virgine Meldensi* 104 et seqq.
Syrigianus *Canon merito suspectus* 867 e
Szegedi (Joan. Franciscus), *lector Observantum, horrende vulneratur a Calvinianis Szolosii* 433 f

T

Taberita, *historicus Arabs* 691 f, 692. *Ejus Chronicon regum* 709 d e
Tabrius. *Vide* Taberita.
Tagliacotius (Joannes), *ordinis Minorum, describit victoriam de Turcis relatam* 366 d. *Cum S. Capistrano ducit crucesignatos in Turcas* 379 e; *remanet apud S. Capistranum infirmum* 392 c. *Describit morbum et obitum ejus* 390-402. *In Germaniam mittitur informator pro canonizatione* 403 f
Tamuza *seu* Tomarsa, *archiepiscopus Seleuciensis* 688 f, 690 d
† Tarachi, *Probi et Andronici acta laudantur* 17 b
† Tarasius, *patriarcha CP. indulgentior erga Iconomachos* 195 e, 199 d
† Tarasius. *Vide* † Sozon.
Tarlati (Bernardus), *vulgo cardinalis Bibiena, dat literas approbationis cultus publici S. Ca-*
pistrani 410 b c
† Tarsitia, *soror S. Firmini Uceticensis* 40 a
Tarusis (Antonius de). *Vide* Antonius.
Tassimannus *anno* 941 *donat episcopum Florentinum* 601 b
Tatianus, *discipulus Justini martyris* 679 a
Tatianus, *adjutor commentariorum Simplicii, legati Alexandri imperatoris per Asiam* 14 f
Taticev, *historiographus laudatur* 881 a b
† Taurinus, *episcopus Ausciensis* 122 b, 125 e f
† Taurini *feretrum Fiscannis* 846 e
Tazena, *rex Æthiopum seu Axumitarum* 677 d, 693 d, 694 c, 695 b, 751 b; *ejus inscriptio* 677 d e; *Homeritidis partem habuit tributariam* 725 b c; *retractatur idem argumentum* 919 f
Techildes, *fundatrix Asianensis prioratus* 155 f
† Teclæ, *Iconii a flammis servatæ, magna primis sæculis fama* 17 f, 18 a
† Tecla-Haimanoth, *monachus in Æthiopia* 751 b
Tedesco (del), *familia Capistranensis, consanguinea S. Joanni Capistrano* 274 a b
† Temorius, *infans martyr* 780 c, 792 c, 793 d
Terebon, *Arabs Hirensis, baptizatur a S. Euthymio* 680 et seq.
Terebon, *præcedentis nepos, præfectus Paremboles christianæ* 680 d
Tertullianus. *Ejus loci duo de velo feminarum Arabum et Judæarum illustrantur* 734 a b
Tertullus, *patricius, S. Placidi pater* 836 e
Tetbaldus *dæmoniacus curatus ad sepulcrum S. Martini Vertavensis* 816 f
Tettamantius, *scriptor Vitarum BB. Catharinæ de Palantia, Julianæ de Busto et Montis supra Varesium* 553 f et seqq.
† Thaddæus *apostolus Arabum fuisse dicitur* 670 e
† Thaddæus *e* 72 *discipulis. Vide* † Adæus.
Thaddæus Tancredus de Bononia, *prior generalis Servorum B. M. V.* 891 d e f, 892 a
Thalaba, *filius Amri, phylarcha Ghassanidarum* 679 b
Thalebius, *historicus Arabs* 677 c
Thalassius, *senator, factus episcopus Cæsareæ Cappadociæ, ad Eutychetem deflectit* 648 e f
† Thangwn, *frater S. Cadfarchi, in insula Mona* 763 c, 764 d
Theobaldus, *comes Carnotensis, vincitur a Richardo, duce Normanniæ* 778 f
Theobaldus Ambianensis, *archiepiscopus Rotomagensis, reliquias SS. Samsonis et Maglorii Dolensibus donat* 778 d
† Theocharius. *Vide* † Eutherius.
Theoctistus, *episcopus Cernigoviæ* 880 b
Theoctistus, *abbas in Palæstina* 680 f, 682 a
† Theodardus, *episcopus Leodiensis* 819 c
Theodebertus, *Chilperici ex Audovera filius* 765 d
† Theodora, *imperatrix, jussu filii velata* 173 b, 174 c d, 177 a
Theodoricus I, *rex Austrasiæ* 843 f
Theodoricus II, *rex Austrasiæ et dein Burgundiæ* 843 f
Theodoricus III, *rex Neustriæ et Burgundiæ, locum construendo Hamensi parthenoni concedit* 843 b c e f
Theodoricus IV *seu Cellensis* 843 f
Theodoricus, *dux Lotharingiæ* 858 e
Theodoricus Auriga *eligitur vicarius generalis Ultramontanus Observantum* 304 f, 305 e

Theodorus *seu* Theodosius, *patriarcha Hierosolymitanus, per legatum interest concilio œcumenico* VIII 194 f, 198 e
† Theodorus *Cantuariensis acriter certat cum S. Wilfrido Eboracensi* 165 e
Theodorus, *metropolita Kioviensis* 869 a; *sedit ab anno* 1161 *ad annum* 1163 ibid. b
Theodorus, *Laodicenus pseudo-episcopus, Photii assecla* 190 d, 192 f, 193 a
Theodorus Mopsuestenus, *auctor hæresis Nestorianæ* 643 b. *De ejus libris scribit S. Proclus* 643 e f, 644. *Eum nominatim condemnatum non vult S. Proclus* 645 a b. *Ibas, episcopus Edessenus, Syriace reddit libros Theodori Mopsuesteni* 643 b c
Theodorus Santabarenus, *Patrarum metropolita, Photii sectator* 189 b, 191 b, 203 a, 205 b c
Theodorus, *episcopus Vladimiriæ in Volynia, adfuit anno* 1147 *concilio Kioviensi* 868 e
Theodorus, *hegumenus Cryptensis, Basilii successor, circa annum* 1203 *obiit* 870 c
† Theodorus, *abbas Tabennensis, divinitus cognoscit Juliani imperatoris necem* 573 b
† Theodorus, *martyr Antiochiæ* 32 a b; *tormentis supervixit* 32 c
Theodorus Cupharas *primus inter Bulgaros Evangelium prædicavit* 162 c
Theodorus Lector 693 d
Theodorus Tentatus, *monachus* 874 f
† Theodorus Tiro, *martyr Amasenus, Opoviæ cultus loco S. Joannis Capistrani* 915, 916 a d
Theodosius Junior, *imperator* 683 a b; *cum Persis bella gerit* ibid., 687 a; *murum terrestrem Constantinopoli construit* 916 c; *interdicit Nestorianorum conventus* 642 f, 643 a
Theodosius, *patriarcha Alexandrinus monophysita, sede pellitur* 713 d
† Theodosius, *hegumenus Cryptensis* 873 e, 874 a
† Theodosius, *monasticæ vitæ in Russia parens et exemplar* 867 b; *communem vivendi rationem in monasterio Kievocryptensi instituit* 867 a; *in ignem projiciebat, quidquid superflui apud monachos suos inveniebat* 872 a; *comparatur lunæ lucenti* 881 d e. *Ejus devotio erga sedem Romanam* 880 e. *Inter sanctos relatus est anno* 1108 867 e; *in vetustissimis calendariis ejus nomen occurrit* 867 f
Theodosius, *Paterici Cryptensis transcriptor* 876 a
† Theodota, *Nicæna natione martyr. Ejus templum Constantinopoli* 9 f
† Theodota, *ex Pontica regione oriunda, martyr Nicææ. Ejus Acta et cultus* 9 et seqq.
Theodotacius *patricius, falsus testis contra S. Ignatium CP* 183 b
Theodotus *patriarcha CP* 168 e
Theomarus, *abbas S. Mansueti. Oratorium S. Florentini in parœcia Domni Germani curat* 858 a d; *invenit plurium sanctorum episcoporum Tullensium corpora* 910 c e, 912 f, 914 c e
Theophanes, *clericus palatinus, complex Photii in libris adulterandis, post episcopus Cæsareæ Cappadociæ* 201 f, 205 a
Theophanes Jejunator, *monachus Kioviensis, commemoratur ad diem* 11 *octobris* 864 d
Theophanes *illustratur aut emendatur* 679 f, 691 a, 696 b f, 697 e f, 699 a, 700 b, 712 b
Theophania, *dicta uxor Arichetis II, principis Beneventani* 837 e, 839 a
Theophano, *filia Michaelis curopalatæ, soror S. Ignatii patriarchæ* 168 c
Theophanus Procopovicz, *archiepiscopus Novgorodensis, commemoratur* 868 b
Theophilus Indus, *episcopus Arianus* 726 a; *cujas fuerit* 675 a b d, 726 a. *Ejus legatio ad Homeritas* 675 et seqq.
Theophilus, *monachus Cryptensis. Vide* Marcus.
Theophilus, *qui fingitur S. Macarium Romanum visitasse* 565 d, 566 c
Theophylactus, *filius Michaelis curopalatæ, frater S. Ignatii patriarchæ* 168 c
Theosterictus, *monachus et S. Nicetæ biographus* 918 b
Theret (Blasius), *in agone constitutus, a S. Capistrano sanatur* 482 c
Theuzo *abbas. Ejus laudatio S. Romuli Fæsulani* 587 a b
Thimus *loco Hygini* 571 e
† Thomas *apostolus Arabum fuisse dicitur* 670 e; *Indis Brachmanicis fidem prædicavit* 673 b
Thomas, *metropolita Tyrensis, legatus patriarchæ Antiocheni in concilio CP* 194 f, 198 d
Thomas, *abbas Castellariensis, novam ecclesiam ædificat, et corpus B. Giraldi transfert* 263 d e
Thomas III, *qui et Dubourg, abbas Cerasiensis* 845 e
Thomas Edessenus, *nestorianus sæc.* VI 690 e
† Thomas de Florentia, *ordinis Observantum, jam mortuus, mandato sui prælati cessat miracula facere* 463 a, 465 a; *præcepto non faciendi miracula etiam mortuus obedit* 510 e, 513 f
Thomas de Florentia, *prior Senarii montis* 890 d f
† Thomas Germanus, *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 e
Thomas Veronensis, *hagiographus ex ordine Servorum B. M. V.* 884 c d. *Ejus Vita B. Joannis Angeli* 902 e f, 903 a b
† Thomas Urbevetanus *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Thytno *seu* Thitheus (Valentini) *filius per S. Capistranum sanatur* 536 a
Tiberio *non placet juramentum per caput et salutem imperatoris* 596 f
Timkovski *quid sentiat de Paterici auctore* 873 f, 875 b
† Timon, *e septem diaconis, Arabiæ apostolus non fuit* 671 a. *Vide* † Tymon.
Timostratus *dux, bello captus, liberatur* 700 f. *Vide* Demostratus.
Timotheus, *patriarcha Alexandrinus* 708 b, 717 b, 743 et seqq., 761 e; *diu catholicus fuit vel potius hypocrita* 710 d e f, 711 a; *ejus liber contra synodum Chalcedonensem* ibid. *Legati ad eum missi a Justino I, imperatore, ut ad S. Elesbaan scribat* 743 d e, 745 a. *Literis acceptis Justini imperatoris, de cohibendo persecutore christianorum Homeritarum agit in synodo* 710 d, 711 c; *processionem, vigilias et synaxim extraordinariam instituit ut legatio, portans ad S. Elesbaan Eucharistiam, bene cedat* 743 f.

Oratio

Oratio ejus placita Deo 748 b. *S. Eucharistiam mittit ad S. Elesbaan, regem Homeritarum* ibid. *Victoriam suam ei nuntiat S. Elesbaan* 758 a. *Mittit Timotheus episcopum ad Homeritas* 758 a b
Timotheus Ælurus *S. Proterium persequitur* 581 d
Timotheus, *patriarcha Cpolitanus* 717 b
Tinnebroek (Antonius) *S. J. hagiographus, laudatur* 869 e
Titus, *episcopus Bostrensis* 679 a; *ejus scripta* ibid.
Titus, *presbyter Cryptensis, cum Evagrio diacono* 874 d, 877 e
Todd, *scriptor Vitæ S. Brigittæ, laudatur* 5 a b
Tornielli. *Vide* Christophorus.
Toth (Dionysius) *amens per S. Capistranum curatur* 476 f
Toto, *archiepiscopus Beneventanus* 839 b
Tournaire (Gilbertus), *presbyter Oratorii, reliquias S. Maglorii abscondit* 779 e
Trabus *seu* Trahus, *forte* Strabus, *episcopus Constantiensis in Normannia* 843 f
Trajanus, *nomen familiæ Decianæ* 31 a b
De Trapes (Leonardus), *archiepiscopus Ausciensis* 125 b c
Tresvaux, *canonicus Parisiensis, hagiographus Armoricæ* 772 f. *Recognoscit reliquias S. Maglorii* 779 f
Tricius (Joannes), *graviter infirmus, ope S. Capistrani sanatur* 544 d
Trigan, *parochus in Digosville, scriptor de rebus diœcesis Constantiensis* 843 b
Trivultius (Augustinus) *cardinalis* 610 c
Trivultius (Joannes Jacobus), *insignis dux militaris. Aliquot ejus gesta. Fiduciam in B. Julianam de Busto vivam et pietas in mortuam* 560 b c d
Trizna (Josephus), *archimandrita Kievocryptensis* 876 b c
† Trudo, *cultus in Trognie* 821 d
Trutmannus, *auctor oppidi Dortmund* 821 d
† Tryphon *et Respicius tormenta non sentiunt* 16 f. *Visitantur ab Angelo* 17 a
Turgenevius *laudatur* 870 d
Turgotus, *episcopus S. Andreæ in Scotia* 5 e f, 6 a b
Turpio, *comes Engolismensis* 801 e
† Tymon, *unus ex* 72 *Christi discipulis et episcopus Bassoræ* 2 f

U, V, W

Vaifarius, *dux Vasconiæ, regibus Carlovingicis rebellis* 132 f, 133 a e
Volachus *seu* Walachus (Nicolaus) *a gravi morbo per S. Capistranum sanatur* 479 e
Valye (Ferdinandus de) *Cisterciensis Antverpianus* 824 e
Valens, *episcopus Paremboles in Palæstina* 681 e
Valentibus (Ludovicus de), *fidei promotor* 899 d
Valentina *de castro Scampa, dæmoniaca a S. Capistrano liberatur* 503 c d
† Valentinus, *episcopus Trevirensis* 616 c d
Valentinus *clericus cæcus a S. Capistrano illuminatur* 481 f
Valentinus de Tuscia, *ordinis Observantum, socius itineris Germanici S. Capistrani* 328 c, 516 d
Valentinus de Zegedino *paralyticus a S. Capistrano sanatur* 481 c, 543 d e
† Valerius, *episcopus Trevirensis* 616 f
† Valerius *Cæsaraugustanus in prætermissis* 575 c
† Valerius, *martyr in pristino Breviario Eborensi celebratus, prætermissus* 577 d e
Vannes *pro Joanne* 588 e
Vararanes V, *rex Persarum. Vide* Bahram Giur.
Varaton, *magister palatii, dominatur Neustriæ* 842 d
Varone (Bartholomæus), *Suessanus episcopus* 829 d e
Vassan (Stephanus), *vicarius Observantum Hungariæ* 395 a b. *Hortatur Cobellam, comitissam Celani, ad promovendam canonizationem S. Capistrani* 404 c d
Ubaldorum *familia e Perusina civitate oriunda* 275 a b c
Ubaldus (Petrus) *magister juris S. Joannis Capistrani* 275 a b
† Ubaldus *de Florentia ex ordine Servorum B. M. V.* 883 e
Udalricus, *comes Cilliensis, fundat Enzersdorfii conventum Observantum* 313 e f, 314 a
Udalricus Bulchardus, *decanus Passaviensis, dat, sede vacante, licentiam erigendi Novemburgæ conventum Observantum* 309 d e
† Venantii *abbatis visio de missæ sacrificio* 4 a b
Venantius *patritius, monachici instituti apostata* 68 c, 70 c d e
† Venantius Fortunatus *Vitam S. Severini, hactenus delitescentem, conscripsit* 66 e. *Ejusdem episcopi Pictaviensis præcipua gesta et commentarius de Symbolo Athanasiano* 585 f
Vercruysse (Theodorus), *chalcographus belga in Italia* 600 f
Veris (de), *auditor Rotæ Romanæ, commendatarius Grandis Silvæ* 243 f
Versinski, *auctor Menologii ecclesiæ orientalis, laudatur* 864 c, 865 c
L. Veri *imperatoris Romani numisma inventum in sepulcris Tullensibus* 910 e, 914 d
Vetellii (Nicolaus Antonius *et* Joannes) *episcopi Carinulani* 830 e f
† Veteranus, *quiescens Noviheriæ* 800 e f
† Veterini *corpus in vico Geinensi* 800 e f
Vetesius (Joannes), *episcopus Varadiensis, post archiepiscopus Strigoniensis, indirecte probat cædem Ulrici, comitis Cilliæ* 388 e
Ugo *judex et notarius anno* 941 *in Etruria* 601 b
† Ugotionus *de Florentia ex ordine Servorum B. M. V.* 883 e
† Viator *martyr, prætermissus* 576 f
Viator, *vicarius aut præses in Hispania* 27 c, 30 f, 31 a-d
Vespuccius (Antonius), *præpositus Florentinus* 599 c
Vicecomitibus (Visconti Philippus Maria de), *dux Mediolanensis, adhæret parti Eugenii IV* 290 b c d; *filiam suam nuptui dat Francisco Sfortiæ* 446 e f
† Victor, *cultus Tolosæ* 4 f, 5 a; *adscriptus Cæsareæ in Cappadocia* 8 a

† Victor,

† Victor, *martyr Hieropolitanus* 634, 635
† Victor *Massiliensis cœlesti voce confirmatur* 18 e
† Victor, *martyr Nicomediènsis* 23 d, 634, 635 ; *perperam socius datus SS. Severo et Dorotheo, martyribus Hadrianopolitanis; alibi Cæsareæ Cappadociæ attributus* 23 b e
† Victoria, *martyr Nicomediensis in Bithynia* 23 d, 634, 635
Victoria Ubaldi de Robore, *magna dux Etruriæ, promovet S. Crescii et sociorum cultum* 583 et seqq.
† Victoricus, *martyr, perperam dicitur filius S. Marcelli martyris* 26 d
† Victorinus, *episcopus Comensis, implicitus schismati Trium Capitulorum* 106 c, 107 e
† Victricius, *episcopus Rotomagensis* 101 f, 102 a, 103 e
Viida (Petrus) *ope S. Capistrani a morte suscitatus* 479 a b, 535 c
Villa de Brescia (Joannes Paulus) *ex ordine Servorum B. M. V.* 883 c
Villecourt (Clemens), *episcopus Rupellensis, veras declarat reliquias S. Eutropii* 230 a
Villiers (Robertus de) *dat prioratum Duogemellorum Cerasiensi monasterio* 799 e
Vincemaris (Joannes Rodulphus), *fundator conventus Mediolanensis S. Mariæ de Paradiso* 890 b
Vincenti (Franciscus), *episcopus Pisciensis, accipit in depositum reliquias S. Allucii* 231 f
† Vincentii, *martyris Hispani, reliquiæ Becciaci* 152 c
† Vincentius, *martyr cultus Eboræ* 577 d
Vincentius Celsinus, *decurio coloniæ Tubzacensis* 620 c, 624 d, 631 a
† Vitalis *in Calendario S. Salvii prope Florentiam ad diem 24 octobris* 599 d
† Vitalis, *martyr Nicomediensis* 23 d, 634, 635
† Vitalis, *aliis martyr, aliis confessor, verisimiliter martyr Nicomediensis, prætermissus* 577 e f, 578 a
Vitalis, *lector Tubzacensis* 623 a. *De eo in Passione S. Felicis; prætermissus* 578 f
† Viventius *in Pictavis cultus* 153 a c d e. *Corpus Arvernos delatum* 155 d; *item in Burgundiam et alio* ibid.
† Vladimiri *tempore ecclesia Kioviensis cum Romana fuit unita* 868 e. *Ejus nomen in vetustissimis kalendariis occurrit* 867 f
Vladimirus, *episcopus Polocensis* 879 a
Vladislaus *seu* Ladislaus IV, *rex Hungariæ, Turcis formidandus* 350 f
Vladislaus, *Poloniæ rex, Lithuanos ad Christum adducit* 344 e
Ulivi (Benedictus), *medicus physicus, recognoscit ossa S. Crescii et sociorum* 608 f
† Ulphia, *virgo Ambianensis* 143 d e, 144 e f, 145 f, 150 a d
Ulpianus *JC. sub Alexandro imperatore Christianos male habet* 11 f, 12 a b, 16 b
Ulricus, *comes Cilliæ, a Ladislao Corvino occiditur* 388 b-f, 461 a, 464 c, 474 a. *Ejus interfectio a S. Capistrano prædicta* 399 d
Ulricus, *princeps Egenburgensis, patronus catholicorum, testis conversionis Hussitarum* 335 e
Umbrafel, *pater S. Maglorii* 773 d e
Voloskovicius. *Vide* Martinianus.
Vostokovius, *egregius auctor* 871 e
Vowincker (Mathias) *presbyter Coloniensis* 822 e
Ursinianus, *episcopus Ambianensis sæculo* VIII 144 b
Ursinus (Jacobus), *cardinalis, commissarius Nicolai V in causa canonizationis S. Bernardini Senensis* 513 e
Ursula, *uxor Andreæ, arida ope S. Capistrani liberatur* 539 d e
Ursula, *filia Cosmæ, febricitans a S. Capistrano sanatur* 477 a
Ursula, *uxor Galli, epileptica a S. Capistrano sanata* 480 b, 541 d
† Ursi *seu* Ursini, *episcopi Tullensis, acta et cultus* 908 et seqq.
Ursus, *filius Agonis II, princeps Beneventanus* 837 e, 839 c
Usaji *seu* Vuraji (Elisabeth) *epileptica a S. Capistrano sanatur* 477 a, 541 c
Vsevoladus III, *magnus dux Vladimiriæ* 878 d. *Regnum præter legem partitur* 878 d. *Sex filios habuit* 878 d
Utto *fundat sæculo* IX *tria monasteria in agro Florentino* 607 b c
Vuzear *seu* Huza (Georgii) *filius intercessione S. Capistrani sanatur* 475 e, 542 c
Wainardus, *episcopus Conseranensis* 123 e
Wathia, *rex Homeritarum, num christianus fuerit* 677 c e f
Walchius (Chr. G. Fr.) *scripsit de rebus Homeriticis* 692 f, 702 d e; *laudatur* 708 et seq.
Waldomarus *seu* Baldomerus, *episcopus Constantiensis in Normannia* 843 f, 844 a
Walterus de Castineto, *abbas S. Apri Tullensis* 913 e
Walterius, *abbas Montis S. Michaelis juxta Rotomagum* 84 f
Wandalmarus, *an episcopus Constantiensis in Normannia* 844 b
Wandragesilus, *comes Vasconiæ, fundator Alahonensis* 131 f
† Waris, *qui et* Hura, *martyr in Æthiopia* 4 e; *idem forte ac S. Arethas* 716 e f
Wazo, *episcopus Leodiensis* 819 c, 820 a
Welsted; *ejus iter in Arabiam* 666 a
† Wenalis (Gueneau), *abbas* 780 c, 792 c, 793 c
† Wendelino *et S. Florentino eadem fere affiguntur Acta* 851 c. *S. Wendelini feretrum ruptum baculorum tactu* 855 b
Wibaldus *seu* Vribaldus, *episcopus Autissiodorensis, B. Herefridi prædecessor* 208 f, 213 a
Wibertus. *Vide* Guibertus.
Wicha (Ricardus de). *Vide* Richardus.
Widericus, *S. Leonis Tullensis claustralis* 914 a
Wido de Briseio *interest synodo Tullensi* 858 d
Widricus, *abbas S. Apri* 858 d
Wigfridus, *archiepiscopus Coloniensis, transfert reliquias S. Severini* 54 d e f, 55 a
Wigularis (Joan. Joseph) *baro, testis miraculi S. Capistrani* 419 e
Wilfridus *seu* Wifridus, *episcopus Constantiensis, in Normannia* 843 f, 844 a
† Wilgefortis. *Vide* † Liberata.
† Wilfridus, *episcopus Eboracensis, infestos habet*

habet SS. Theodorum et Brithwaldum Cantuarienses 165 e
Willebertus, *episcopus Constantiensis in Normannia* 843 f, 844 a b
† Willibrordus *infans a parentibus monasterio offertur* 651 b
† Winganton (Guinganthon) *abbas* 780 c, 792 c, 793 d
† Winoci *genealogia* 774 e
† Wiston, *in Anglia rex* 849 a
Vulterus de Briseio *interest synodo Tullensi* 858 d
Wright (Th.) *scripsit de Arabiæ historia christiana* 662 a; *emendatur* 698 a

X

Xenodon, *rex Æthiopiæ superioris* 695 f

Y

Yngar, *dux Normannorum, auctorum cædis S. Edmundi* 848 b c
† Ywius *diaconus, discipulus S. Cuthberti* 4 a

Z

Zabo (Valentinus) *cæcus per S. Capistranum illuminatur* 475 e, 540 c
Zacharias, *episcopus Anagninus, legatus papæ Nicolai I infidelis* 179 e, 182 b c d, 183 e f
† Zacharias *papa metropolim Moguntinam sub S. Bonifacio confirmat* 655 b
Zacharias Cophus, *seu surdus aut stultus, Chalcedonensem sedem usurpat* 192 f
† Zacharias, *sacerdos et S. Joannis Baptistæ pater* 9 a
Zaffar (Michael), *civis Villakensis, examinator miraculorum S. Capistrani* 545 b
Zavadellus (Christophorus), *confessarius in Monte supra Varesium et miraculorum B. Julianæ de Busto testis* 561 b
Zebeer *seu* Ezeleer (Elisabeth), *uxor Petri de Zegedino, clauda per S. Capistranum curatur* 475 e, 538 f
Zebinas, *abbas in vico Cittico* 571 e
Zeeleb (Elisabeth), *vidua Nicolai, a carcinomate per S. Capistranum curata* 480 d
Zeno, *imperator, favet monophysitis* 689 c
Zenobia, *regina Palmyræ* 678 b; *Romam abducitur* 679 a
† Zephyrinus *papa omissus in Catalogo Liberiano* 616 b
Zet, *pater Angœi, ethnarchæ christianorum Saracenorum* 742 b
Zicci (Petrus), *albarius Mediolanensis* 900 b
Zid (Nicolaus), *consiliarius regis Hispaniarum et procurator generalis rerum militarium in Longobardia, pius in B. Julianam de Busto* 559 b c
Zilachius (Michael), *avunculus Joannis Hunyadis, Turcas Belgrado ejicit* 365 d. *Castellanus Belgradensis* 366 f, 370 d. *Belgradum, quasi jamjam perdendum, relinquit* 378 a
Zipoli (Dominicus), *canonicus S. Laurentii Florentinus* 602 a
Zocomus, *sive* Zacomus, *phylarcha Arabs, fit christianus* 680 a b
† Zonænus, *qui et Pantaleon, visitatus Sabæ a S. Elesbaa* 748 a b, 751 c
Zondadari *cardinalis. Approbatio cultus B. Joannis Angeli* 899 c
Zongo (Benedictus) *ope S. Capistrani sanatur* 476 b
Zongo (Mathias) *ope S. Capistrani ab epilepsia liberatur* 476 b, 541 b
Zopetus (Christophorus) *claudus a S. Capistrano curatus* 504 f, 505 a
Zopor (Elisabeth) *agonizans ope S. Capistrani ad vitam revocatur* 536 b
† Zosimus, *episcopus Syracusanus* 2 f, 69 b, 71 e
Zotz (Aquilanus) *per S. Capistranum a dæmone liberatur* 503 e f
Zwola (Bohuslaus de), *episcopus Olomucensis* 336 e

INDEX TOPOGRAPHICUS ET ETHNICUS.

A

Aber, Wallensibus ostia fluminis 764 a
Abererch in comitatu Caernavon. *S. Cadfarchus* 763 b c, 764 a
Abitinenses *martyres in Africa* 624 f
† Abundii templum suburbanum Comense, prius cœmeteriale, dein monásticum 107 c d. *Sepulti ibi et culti plures episcopi Comenses* 107 d e f. *Monasterio a Gallis destructo, ecclesia adhuc exstat* 108 d
Abyssinia, Abyssini. *Abyssini origine Sabæi, seu Homeritæ* 725 b. *Abyssiniæ regnum a colonia Arabica fundatum* 667 b; *ex qua gente colonia prodierit* ibid. *Abyssiniæ reges : vide* Aizana, Saizana, Ala-Amieda, Tazena, † Elesbaas, *etc. Vide etiam* Æthiopia, Homeritæ, *etc.*
Achadraithin *in regione Desiorum in Hibernia. S. Laidgennus* 9 d
† Acheoli *monasterium juxta Ambianum* 144 d e, 148 d e. *An olim ædes cathedralis* 144 f, 145 a-d
Adane, *vulgo* Aden, *portus Arabicus, ecclesiam christianam habuit sæc.* IV 676 f; *capta ab Anglis* ibid. *Vide* Adane.
Ader *seu Turris gregis prope Bethleem* 572 c
Adrianopolis. *Vide* Hadrianopolis.
Adulis, Adulitarum portus 750 a. *Æthiopiæ civitas* 696 c; *portus* 698 f; *portus Axumi civitatis regiæ Æthiopicæ* 747 a, 750 a, 757 a. *Eo pergit S. Elesbaas* 748 b. *Rudera* 751 b.
Ægypti *incolarum olim numerus* 746 a. *Ejus monasteria sæculo* IX *circumeunt pœnitentes Galli, catenis ferreis onusti* 847 f. *Ægyptiaca moneta* 752 b. *Vide* Saraceni.
Æla *seu* Ailath civitas ad mare Rubrum 747 a, 749 b c, 750 a. *Patria S. Zonœni seu Pantaleonis, abbatis* 748 a. *Episcopus Petrus* 679 d.
Ælana. *Vide* Æla.
Ælaniticus sinus in mari Rubro 749 b
Ælurum in Lycaonia *pro Rhegio in Lucania* 619 e
Ænaria insula 839 e
Æthiopia, Æthiopes. *Æthiopia etiam Indiæ nomine appellata est* 672 a b; *similiter Æthiopibus nomen Indorum applicitum* 695 f, 696 b c; *et vicissim* 567 a. *Æthiopia Africana duplex* 670 f. *Æthiopes Axomitæ* 747 c. *Æthiopes fidem christianam communicant Nubiis* 745 c. *Quando Æthiopes reges christianos habere cœperint* 697 a b c. *Eorum reges Aizana et Sazana* 697 c; *plurium regum nomina* 751 b c. *Æthiopum et Homeritarum communis origo* 666 d e, 667 a b. *Æthiopum nomine dicti sunt Homeritæ, incolæ Arabiæ felicis* 671 f. *Urbs eorum in Æthiopia regia Axum, in Arabia vero Negrana* 760 a b. *Æthiopes, a Persis Yemana expulsi, mox eam recipiunt, donec aliquot post annis in perpetuum ejecti sunt* 718 f. *Eorum proreges in Homeritide : Esimiphæus, Aryates seu Anganes, Abrahamus, etc.* 698 et seq., 701 e; *conversio ex narratione Joannis Ephesini* 697 d e. *Origo bellorum Æthiopum cum Homeritis* 696 b c e, 697 a b; *ea bella cum Homeritis* 695 e, 696 b c, 701 f. *Æthiopes olim docti fuisse videntur artem bellicam a Græco-Romanis* 760 b. *Æthiopici exercitus in mediis periculis pietas* 755 e. *In Æthiopiam sæculo* V *sancti novem monachi et abbates ex imperio Cpolitano advenerunt* 8 c, 725 c. *S. Hura seu Hirut qui et Waris et forte Bassus* 4 e; *immo potius S. Arethas* 716 e. *Æthiopes in India* 567 a. *Vide* Axumitæ, Homeritæ, † Elesbaas.
Æsuris fluvius in agro Pisciensi 230 f
Agareni *sive* Saraceni 681 a c e. *Vide* Saraceni.
Ἅγιον Φρεαρ, sacer puteus, in æde S. Sophiæ CP. *dicebatur fons, ad quem Christus cum muliere Samaritana locutus fuerat* 197 f
Agriæ *episcopatus a S. Stephano rege fundatus in Hungaria* 357 d
Agrigentum *ducitur S. Felix Tubzacensis* 627 c
Agropolis in regno Neapolitano. *Saraceni* 839 d
Aila. *Vide* Æla.
Ailath. *Vide* Æla.
Akil, *gens Arabica* 683 b
Aksum. *Qua via hinc iretur in Arabiam* 749 c, 750 a. *Vide* Axum.
Akula. *Vide* Cufa.
Alahon (Nuestra Señora de la O) monasterium in Aragonia *fundatur* 131 a-f, 132 a-f, 133 a
Alani *Gallias occupant* 61 a. *Eorum sedes in Galliis* 765 f, 766 a
Alba regalis (Stuhlweissemburg), civitas Hungariæ, *visitata a S. Capistrano* 530 a, 531 d
Albinum, Albium. *Vide* † Crescii plebs de Maciolis.
Alexandrina *mansio* 750 c
Alexandria. *Timotheus, patriarcha Alexandrinus* 743 d e f; *aliquot alii ejus patriarchæ sæculi* VI, *monophysismo infecti* 713 d e f. *Carolus Ambrosius patriarcha et episcopus Laudensis* 899 a. *Solemnitas religiosa in templo S. Marci ut legatio ad S. Elesbaan bene cedat* 743 f. *Alexandrinum talentum. Vide* Talentum.
Alisbot *seu* Alogoth. *Vide* Elisbot.
Alodia monasterium in diœcesi Pictaviensi, *a B. Giraldo fundatum* 253 b c, 257 b
Alperiensis archidiaconatus. *Videtur olim fuisse pagus de Paredis* 152 a
Alpes. *Viam procurat per hos montes S. Martinus Vertavensis* 804 d e, 810 e
Alpium, in Alpibus. *Vide* † Crescii plebs de Maciolis.
Alutha, fluvius Valachiæ 435 c
Aluthinenses *martyres in Africa* 624 f
Amalecitæ, *incolæ Arabiæ veteris* 668 b c
Amanium (Amay) villa juxta Hoyum in Belgio 128 b c, 142 d
Amasea in Ponto. *S. Theodorus Tiro* 916 d
Amberga, oppidum Palatinatus. *Miracula operatur S. Capistranus* 524 d, 525 f
Ambiani *a barbaris vastati* 52 d; *episcopi sæculo* VIII 144 b c
† Ambrosii parochia prope Montem supra Varesium 559 d
† Ambrosii ad Nemus monasterium *et instituta* 557 c. *Vide* Eremitæ.
Amida, *hodie* Diarbekr. *Expugnatur a Cavade, rege Persarum* 687 c d, 689 c; *capta a Persis* 688 a
Amniacus pagus prope Ligerim 801 a b

† Amonis silva seu nemus in pristina diœcesi Tullensi et in pago Columbensi (Colombey) 50 e, 909 c
Amorium in Lycaonia 916 f
Ancyra in Galatia 917 d. *Eo ducta S. Theodota; martyrium S. Socratis* 10 et seqq., 17 d e. *Ancyranorum pars deserit religionem christianam tempore Juliani* 17 e. *S. Basilius presbyter martyr* 17 e. *Cultus Hecates et Æsculapii* ibid. *Civitas sacra* ibid.
Andegavi. *Rainaldus vicecomes* 811 a
† Andreæ civitas episcopalis in Scotia et prioratus 1 f. *Maldinus episcopus* 1 f, 2 a. *Modocus episcopus* 2 a. *Turgotus episcopus* 5 e f, 6 a b
Andrezé in pago Medalgico 151 d
† Angeli cardinalis. *Vide* Carvajal.
Anglia, Angli. *Angli distinctos a Saxonibus episcopos olim habebant* 776 f. *Angliæ clerus ævo S. Dunstani erat corruptissimus* 218 b c
Annesley sinus in mari Rubro 752 b
Ansanum *seu* Lancianum in Aprutio. *Prædicat ibidem S. Joannes Capistranus et pacem inter Ansanenses et Ortonenses conciliat, ibidemque conventum fundat* 284 b c, 456 e
Antæopolis. *Vide* Atakua.
Antiochia in Syria. *Anno* 303 *ibidem versatur Diocletianus* 632 a. *Antiochena ecclesia multis donis a Constantino M. ditatur* 33 d. *Antiochenum schisma* 37 c d. *Euphrasius patriarcha* 761 e. *Antiochiam venisse dicitur S. Gregorius Cappadox* 153 c. *Dacianus præses* ibid.
Antoniana crypta Kioviæ. *Dicitur etiam vicinior* 867 c
Antverpiæ *confraternitas Vexilliferorum sub invocatione S. Joannis Capistrani* 272 c
Apothuce. *Vide* Tapothuce.
† Apollonii conventus Observantum Brixiæ 287 b c
Apponiacum (Appoigny) in agro Autissiodorensi 213 f
Aprusium *terræ motibus quassatur* 461 b c
Apuliæ *corrector, dictus provincialis cognitor* 632 c
Aquaviva. *Plura hoc nomine loca* 839 e, 840 b
Aquila *conventum Observantum recipit* 306 f. *Aquilæ monasterio sororum Secundi Ordinis benedicit S. Capistranus* 399 a. *Item sororum Tertii Ordinis* ibid.
Aquitaniam *devastant barbari* 52 d. *De Aquitaniæ regno lites inter Pipinum II et Carolum Calvum* 801 c d
Aracha. *Vide* Iraca.
Ara Cœli, præcipuus Minorum Romæ conventus. *Datur Observantibus* 302 b
Areopolis, civitas episcopalis Arabiæ desertæ 682 d
Arindela, civitas episcopalis Arabiæ desertæ 682 d
Arabia, Arabes. *Arabia vastissima regio* 661 b c; *ejus limites* ibid. *Arabes dicti* Beni Kedem *i. e. filii Orientis* 669 e f. *Arabum progressus in Oriente ante Christum* 661 b, 670 d. *Arabiæ divisiones geographicæ* 661 c e. *Arabia Ægypti* 661 b. *Arabiæ desertæ episcopi ineunte sæculo* v 681 f. *Arabia felix* 761 e. *Arabica tota pœninsula olim a veteribus dicta* Arabia felix 661 e f; *et vicissim* ibid.; *a recentioribus sola Yemana dicta* Arabia felix ibid. *Arabia felix etiam Indiæ nomine appellata est* 672 a b. *Vide* Homeritis. *Arabia felix, portus prope introitum maris Rubri* 753 c. *Arabes Mesopotamiæ quando facti sint christiani* 688 e. *Arabes Nabatæi et Ghassanidæ* 750 a. *Arabia Petræa* 661 e. *Arabia Petræa quas terras complecteretur* 682 e; *quousque christiana fuerit* ibid. *Arabum Scenitarum sive Saracenorum apostoli* 680 d, 682 a b; *SS. Hilarion, Euthymius. Vide* † Hilarion *et* † Euthymius. *Arabes Scenitæ in Mesopotamia* 661 c. *Arabum historici omnes Mahumete posteriores* 684 d. *Arabes veteres sequuntur luxum Babyloniorum* 757 a b; *iidem sapientia commendati et studiis naturæ* 669 e. *Eorumdem religio quæ fuerit* 667 et seqq.; *an olim unum Deum coluerint* 759 b c. *Arabes fuerunt inter auditores S. Petri in die Pentecostes* 670 c d. *Arabiæ apostoli* 669 et seqq.; *inter eos recensentur S. Paulus, S. Thaddæus, S. Andreas, S. Thomas, S. Joannes* 670 d e; *SS. Adæus et Mares* 671; *Arabes jam extremo sæculo* IV *circa Bethlehem habitabant* 682 e f. *Quatenus Arabia christiana esset sæculo* VI 690 a. *Arabum navigatio et mercatus maritimus* 665 b; *negotiationis terrestris in Asia occidentali antiquitus monopolium habuerunt* 665 a; *eorumdem negotiatio sæculis christianis* 665 f; *eadem usque ad sæculum sextum* 674 a b. *Arabiæ aromata* 663 d. *Arabica moneta* 744 a. *Arabes, virtute bellica insignes* 760 b. *Arabum zelotypia maritalis* 734 a; *eorum uxores non prodibant nisi velatæ* 734 a; *inde deductus mos mahumetanus velandi mulieres* ibid. *Cupedia puerilia in Arabia* 739 d. *Vide* Sabæi.
Arasia (S. Maria de) in diœcesi Laudensi. *Mutatur in conventum Servorum B. M. V.* 886 e
Arbatilicum. *Vide* Herbadilicus pagus.
Arbricum (Esbri) *in agro Autissiodorensi* 213 e
Aregotto, Arisgotti, Arisgotto prope Florentiam. *Vide* Elisboth.
Arelatense regnum, *sæculo* IX *et* X *non eosdem habuit fines* 34 c f
Arenis (templum B. Mariæ de) Barcinone 2 b
Aretium in Italia. *B. Nicolaus ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Argæus mons prope Cæsaream in Cappadocia. *Aquila in honorem Jovis* 17 d. *Cultus Apollinis* ibid. *Nummi.* ibid.
Argentoratum *a barbaris vastatum* 52 d
Ariacum in pristino pago Pictaviensi 151 c
Ariano-Indi. *Vide* Indi Gangetici.
Arida Gamantia sylva in pago Morinensi 115 e
Arisitum, locus in finibus Ruthenorum 39 c. *Episcopalem sedem aliquandiu habuit* 39 d. *Sedi Metensi tribuitur* 39 e f
Armenia, Armeni. *Armeni a Persis deficiunt* 690 b c. *Vide* Persarmeni. *Armenorum apostolus fuit S. Bartholomæus* 673 a. *Armeniam sæculo* IX *visitant pœnitentes Galli* 848 a. *Armenorum Martyrologia et Calendaria. Vide* Martyrologia. *Armeniacum thema in Cappadocia* 917 b
Armoricus tractus *late extendebatur* 206 f, 207 a
Armorium, urbs Phrygiæ Magnæ 172 d
Arnest, *probabiliter* Arnstadt in Saxonia 525 c, 526 b
Arniensis *tribus* 588 b
Arnstetenses *canonizationem S. Capistrani petunt* 408
Arsitium. *Vide* Bustum Majus.

Artadum (Arté), locus incognitus diœcesis Autissiodorensis 213 d
Artinia, locus incognitus in dominio Veneto 461 c, 464 e
Arvad, insula 666 c
Arverni. *Corpus S. Viventii eo defertur* 155 d
Ascentia fluvius (Auzance) in pago Herbadillico 152 e
Asculum, *regi Neapolitano Ladislao oppignoratum* 275 f
Asia *seu* Assia, non procul a Tigri. *Julianus apostata* 572 d e, 573 d e. *Vide* Rasia.
Asianum, Asiniacum (Aizenay *seu* Azenay) in pago Herbadillico 152 e, 155 f, 156 a b c. *Prioratus et reliquiæ S. Benedicti Quinciacensis* ibid.
Asianensis decanatus in pago Herbadillico 152 b c
Asinarius mons 604 d
Aspona in Asia Minori 17 e
Assia campus, *ubi S. Mercurius martyr Julianum apostatam occidit* 566 f, 571 d, 572 d e f, 573. *Vide* Asia.
Astigitanus (Ecija) conventus provinciæ Bæticæ 27 f
Astomi montes in India 573 e
Atakua, Tkou, Kou, Taka *seu* Kawi, sedes episcopalis in Ægypto. *Macarius* 581. *Eadem civitas Antœopolis nunc Qaou seu Kau-el-Kebireh, immo potius Atku prope Alexandriam* ibid.
Athenæ, *literarum sedes* 46 b
Atku prope Alexandriam. *Vide* Atakua.
Atra in Mesopotamia. *Solis cultus* 744 a
Atrebates *a barbaris vastati* 52 d
Atratenorum *moneta* 752 a b
Attarde locus prope Ligerim et Vertavum 803 f, 810 a, 812 d
Aubry (Capella de) in pago Medalgico 151 d
Aveniacum, monasterium in diœcesi Remensi 157 d. *Cultus SS. Gumberti, Berthæ et Benedicti Quinciacensis* ibid.
Aversa. *Guimundus episcopus, Joannes archipresbyter* 833 f, 838 c. *Richardus I et II et Jordanes, comites* 834 b c e
Augustani *canonizationem S. Capistrani petunt* 408 f
† Augustini altare in pristina ecclesia cathedrali Cameracensi 577 c
Augustodunenses *episcopi, qui sæculo* IV *et* V *rexerunt ecclesiam* 60 d
† Avisi monasterium in Petragoricis 249 f, 250 a, 255 a
Aurelianum in Galliis. *Reliquiæ SS. Gorgonii, Dorothei et Mamerti* 3 e
Auriensis ecclesiæ cathedralis *dedicatio* 577 c
Aus *et* Kharadj, *tribus Arabicæ seu Yemanicæ* 668 b, 694 b
Auscium, *in metropolim ecclesiasticam erectum* 123 e f, 124 a-d, 127 f. *Ausciensis ecclesiæ magnificentia* 126 f
Austriæ *provincia Observantum in familia Cismontana recensetur* 309 c d. *Eam fundat S. Capistranus* 519 c d e
Austrifrancia *seu* Austrasia. *Quando Dagobertus I regnum adeptus* 818 c
Autissiodorum. *Episcopi Joannes de Auxeio et Jacobus Amyot* 105 d e. *Cultus S. Syræ* ibid. *Ecclesia cathedralis novo et sumptuoso opere reædificata* 209 c
Axum, Axumitæ. Axum *alias* Axuma, Axumum, Auxumis, Auxomis, Auximus, *vulgo* Aksum, regia urbs Æthiopiæ 761 e, 721 f; *status hodiernus* 725 a. *Ecclesia magna cœmiterialis* 747 e, 751 b. *Axumitæ, i. e. Abyssini* 725 a; *a Theophane Exumitæ dicuntur* 696 f; *Indi dicuntur, non item Æthiopes Africæ interioris* 696 c. *Vide* Aksum.
Aye in pago Marcensi diœcesis Namurcensis. *Patronum habet S. Severinum* 64 d
Azeb in Æthiopia 751 b
Aziongeber regis Salomonis in Ælanitico sinu 749 c
Azoole. *Vide* Adulis.
Azule. *Vide* Adulis.

B

Bab-el-mandeb, fretum maris Arabici 711 c; *migrationibus gentium viam præbuit* 666 e; *ejus latitudo* 711 d. *Fretum ad introitum maris Rubri transmittit cum exercitu S. Elesbaas* 753 a b.
Babilia *eadem forte ac Babylon tertia* 573 d.
Babylon prima in ripa occidentali Euphratis. *Ejus situs* 573 d. *Inde olim viæ plures in Ægyptum ducebant* 664 d. *Babylone ecclesia instaurata in lacu Danielis* 689 b
Babylon secunda, *quæ et Seleucia in ripa occidentali Tigridis* 573 d
Babylon tertia, *seu Eski-Bagdad* 573 d e
Bactri *christiani sæculo* VI 689 f
Bætica, *in quatuor conventus juridicos olim divisa* 27 f
Baganeum in Asia Minori 17 e
Bagdad. *Ejus situs* 572 e
Bajocæ in Normannia. *S. Regnobertus episcopus* 576 a. *S. Gereboldus episcopus* 799 e. *Reliquiæ SS. Laudi, Rumpharii, Fromundi* 845
Baliera fluvius juxta Alahonem 131 f
Balis non procul ab Euphrate 744 b
Bambergæ *prædicat S. Capistranus* 327 c d; *miracula patrat S. Capistranus* 525 b. *Bambergenses canonizationem S. Capistrani petunt* 408 f
Ban, Æthiopiæ regio 677 e
Baraba in Arabia 757 b
Barazensis cryptæ *barbarum nomen* 867 c
Barbænovæ prioratus in agro Turonensi 768 a
Barbaria Barbari, Barbareotæ. *Barbaria regio supra Æthiopiam* 750 c. *Barbari seu Barbareotæ, gens in illa regione habitans* ibid.
Barbarinum in Etruria 604 e
Barcino in Hispania. *S. Eulaliæ corpus. Basilica S. Mariæ de Arenis. Templum cathedrale* 2 b
† Bartholomæi ecclesia Parisiis. *Reliquiis SS. Maglorii et aliorum ditatur* 792 c d e
† Bartholomæi de Cavacurta conventus Servorum B. M. V. 887 f, 886 a b c d. *B. Joannes Angelus* ibid.
Basileense conciliabulum *deponit papam Eugenium IV* 290 a. *Eligit pseudo-pontificem Felicem V* 290 b. *Id concilium impugnat S. Capistranus* 501 c-f
Bassora occidentalis. *S. Tymon, discipulus Christi et episcopus* 2 f
Battigny. *Vide* Gelaucourt.
Bavariæ *elector, Maximilianus Emmanuel, socius victoriæ Joannis Sobiesky* 418 b d f
Bauptensis archidiaconatus in diœcesi Constantiensi 842 b

Beaupréau in pago et decanatu Medalgico 151 d
Becciacum in Arbatilico. *Videtur esse Bessay* 152 c. *S. Vincentii reliquiæ* ibid.
Beddr, *urbs primaria provinciæ Negranensis* 726 a
Beduini *veteres* 692 b; *eorum eruptiones et deprædationes* 688 a b. *Vide* Arabes Scenitæ.
Beit-el-Fakih ad mare Rubrum 750 a
Belgica Prima et Secunda. *Multos habet martyres sub Rictio Varo* 19 f
Belgradum *obsidione a Turcis cingitur* 363 a b, 364 a b, 367 f, 473 f. *Ejus muri et propugnacula destruuntur* 471 b c. *Ab obsidione per S. Capistranum liberatur* 363 c, 365 f, 380 b-e, 487 e f, 488 a b c, 532 a. *Victoria christianorum ibidem relata describitur* 362 a-d, 380, 532 c-f, 533 a b
Bellumpratum (Beaupréau) prope Ligerim in pago Herbadillico 151 e
Bellus Mons. *Videtur oppidum super Isara* (Beaumont-sur-Oise) 792 d, 793 d
Belna. *Vide* † Margaritæ monasterium.
Belvisium in territorio Palentino. *Didacus Suffranus, Minorita* 7 f
† Benedicti altare in pristina ecclesia cathedrali Cameracensi 577 c
† Benedicti de Pinu *monasterii origo* 251 c
Beneventum. *Arichis II; S. Sophiæ templum; Joannes episcopus* 827 a. *Sicardus princeps* 827 c. *Oppidum Ladislao regi Neapolitano oppignoratur* 275 f. *Terram deprædant Saraceni* 828 a. *Capitur civitas a Græcis, tentatur a Saracenis* 837 e, 839 c d. *Severus diaconus* 831 b, 837 c. *Joannes episcopus* 837 c. *Cultus S. Januarii* 3 f
Benu-Caab 727 b
Beni Kedem, *filii orientis* 669 e
Benu-l-Harith-ibn-Caab, *tribus Arabica provinciæ Negranensis* 706 b c
Berenice seu Beronice, portus maris Rubri. *Iter ex Ægypto in terras Saracenorum* 743 e, 745 b c. *Rudera* ibid. *Naves hinc colligit S. Elesbaas* 747 a
Berinopoleos vicariatus in Asia Minori 917 c
Beth-Arsam pagus apud Seleuciam 699 e. *Simeonius, presbyter aut episcopus* 744 b
Beth-David in Æthiopia 751 b
Bethlehem, *Palæstinæ civitas* 682 e, 683 a. *Sæculo* IV *præsepe Domini veneratum* 566 e, 572 b c. *Locus ubi angelus pastoribus apparuit* 566 f, 572 b c. *Ecclesia S. Mariæ instauratur a duce Burgundiæ, Philippo Bono* 355 a
Bethleemiticum monasterium. *Vide* Ferrariense.
Beuten *seu* Bithohom *oppidum in districtu Lignicensi* 530 f
Bialogrod, *urbs Russiæ meridionalis* 880 b
Bibio, *parthenon Fontis Ebraldi, a B. Giraldo fundatus* 251 e, 252 a, 257 b
Bihain *in pago Houffalise, diœcesis Namurcensis, patronum habet S. Severinum* 64 d
Bimium superius, in suburbio Varesii. *Benedicta Bimia* 553 f
Βιουκα. *Vide* Tubuza.
Bissargia *probabiliter alterutra insula circa Sargiam* 790 b
Bistricium, *oppidum Valachiæ, in quo corpus S. Capistrani quiescere dicitur* 434 c-f, 435 a-d. *Utrum id corpus S. Gregorii Decapolitæ an S. Joannis Capistrani* 915 f
Biserectum *seu* Bitectum sedes episcopalis in Sicilia. *Antonius episcopus* 888 b
Bitectum. *Vide* Biserectum.
Bithyniam *adit Simplicius, legatus per Orientem, cum S. Theodota Pontica* 15 d e
Biturgia Etrusca. *Vide* Burgum Sancti Sepulcri 464 a
Bituricensis diœcesis. *Reliquiæ S. Montanæ* 860 b c
Blachernarum templum monasterium et palatium Constantinopoli 9 c
Blemmyes *seu* Blemmyi 675 a b; *vastant monasterium Raithu in pæninsula Sinaï* 682 e f. *Blemmyes, parentes Justino I imperatori, immittendi in terras Saracenorum* 743 e, 745 c
Blesonis vada *seu* vicus Boulogne in decanatu Maroliensi et pago Herbadillico 152 c
Bogulàbense monasterium 878 e
Boissière (la) in S. Florentii Veteris territorio et in pago Medalgico 151 d
Bolonia *seu* Bononia urbs maritima ad oceanum 119 e, 121 e
Bonetum. *Vide* Bonnet.
Bonnesium. *Vide* Bonnet.
Boney. *Vide* Bonnet.
Bonnet, parœcia pristinæ diœcesis Tullensis. *Incolatus et cultus S. Florentini* 850 et seqq.
Bononia in Italia. *B. Cedonius ex ordine Servorum B. M. V.* 884 a
Borboniæ aquæ non procul a Lingonibus, *olim a militibus stato tempore frequentatæ* 853 a b
Bornetum, *monasterium in diœcesi Engolismensi, a B. Giraldo fundatum* 252 f, 253 a, 257 b
Borovitski in provincia Novgrodensi in Russia. *Jacobus salus inter sanctos relatus* 6 c d e f, 918 c f
Boscflamenum in Normannia 842 f
Boscum Cavum (Boschaud) in diœcesi Petragoricensi. *Olim eremitorium, dein monasterium ordinis Cisterciensis* 258 a, 259 c d
Bostra, *hodiedum* Busrah, in Arabia deserta 671 a; *Arabiæ desertæ metropolis* 678; *quando episcopos habere cœperit* ibid; *de Beryllo episcopo* ibid; *Nicomachus episcopus* 679 d; *Antipater episcopus* 682 b
Bouzille in S. Florentii Veteris territorio et in pago Medalgico 151 d
Brademere, *rivus incurrens in Charwell* 848 d e
Braccaræ in Lusitania. *S. Petrus de Rates archiepiscopus* 3 a
Braina (Braine) in diœcesi Suessionensi oppidulum. *Olim ad ecclesiam Rotomagensem pertinebat* 75 b c, 94 c
Bram (Vicaria de) in pago Herbadillico 152 e
Branziacus vicus. *Concessus Vertavensibus* 801 b, 814 e
Brecknock in Wallia 763 b
Brevan *seu* Brevands in Normannia. *S. Fromundus* 842 b
Brigense S. Burgundofaræ monasterium in diœcesi Meldensi. *S. Syra* 104 e
† Brioci civitas, in Armorica. *Fit episcopalis sæculo* IX 776 d
† Briomaglus. *Vide* † Brioci civitas.
Britanniæ Armoricæ *seu* Minoris *jura et officia erga reges Francorum* 794 d e. *Ejus reges Allanus III et decessores* 813 d e. *Britannia Minor multis calamitatibus afflicta sæc.* IX 207 b c. *Britones sæc.* IX *Toarcensibus infesti* 816 a

Brixia in Italia. *BB. Bartholomæus et Lucia ex ordine Servorum B. M. V.* 884 a. *Ibidem prædicat S. Joannes Capistranus* 286 f, 287 a f
Bruna, civitas Moraviæ 519 f. *Fundatur conventus Observantum* 309 e f, 310 a. *Ibi residet S. Capistranus* 335 e. *Ibidem multos Hussitas convertit* 336 c-f. *Servatur ibidem apud Observantes pallium S. Capistrani* 436 d. *Ibidem miracula operatur S. Capistranus* 520 e. *Brunenses piscatores benefici in erectione conventus Observantum* 309 f. *Brunenses canonizari petunt S. Capistranum* 408 d
Bruxellæ *infectæ hæresi Beghardorum sæculo* XV 324 e
Bubio, collapsa urbs, non procul a Tigri 572 d
Buccellariorum thema in Asia Minori 917 a b c
Buda, primaria civitas Hungariæ. *Visitatur a S. Capistrano* 530 a, 531 d
Budissum (Bautzen), oppidum Lusatiæ. *Prædicationes S. Capistrani* 526 f, 530 c
† Budoci parœcia in Cornubia. *Ea Falemutha continebatur* 224 e f
Bugaitæ, gens Æthiopica 677 d
Bukurestinum (Bucharest). *Eo transfertur ad tempus sacrum Bistricense corpus* 435 b c
Bulgaria, Bulgari. *Bulgari a Volga flumine Rossiæ veniunt* 160 d e. *Ad fidem conversi sæculo* IX 160 d, 162 c. *Episcopos a sede Romana accipiunt* 161 e. *Bulgaria ad patriarchatum Romanum pertinebat* 160 e f, 161, 162, 163, 164 a b. *Bulgarorum origo* 160 d. *Etiam Triballi seu Serbii dicti propter immixtos Serbios devictos* 363 a
Bulicas, portus maris Rubri 750 a
Bunetum. *Vide* Bonnet.
Burgum S. Sepulcri, civitas episcopalis in Etruria 460 b. *BB. Bartholomæus et Andreas ex ordine Servorum B. M. V.* 883 e f
† Burgundofaræ Brigense monasterium in diœcesi Meldensi. *S. Syra* 104 e
Busrah. *Vide* Bostra.
Bustum Majus *seu* Bustum Arsitium prope Varesium in Longobardia. *Patria B. Julianæ de Busto* 554 b c
Butnetum *villa in pago Morinensi* 122 a
Buxa sylva in agro Engolismensi 765 d
Byzantium *versus pergit Simplicius præses cum S. Theodota Pontica* 14 e

C

Cabillonense *concilium anni* 649 844 a
Caduinum monasterium 241 c d e; *a B. Giraldo fundatur in diœcesi Petragoricensi* 253 a b, 257 b
† Cæciliæ ecclesia Coloniæ 660 f. *S. Ebregisi corpus habitum pro corpore S. Evergisli Coloniensis* 818 f et seqq.
Cæsaraugusta in Hispania. *S. Valerius episcopus* 575 c
Cæsarea in Bithynia. *S. Nicetas* 917 e
Cæsarea in Cappadocia 917 a d. *SS. Seuresius martyr, Magnus et Justus* 4 f, 24. *Examen S. Theodotæ Ponticæ* 13 et seqq. *Cultus Jovis* 17 d. *Ei civitati falso adscripti SS. Severus et Dorotheus, martyres Hadrianopolitani et S. Victor* 8 a; *item S. Longinus Centurio, qui et Primianus* 2 c d e, 23 b-e; *item S. Severus, episcopus et confessor* 24 c
Cæsarodunum. *Vide* Turones.
Cæsena in Italia. *B. Bartholomæus ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Cajeta in regno Neapolitano. *Occupatur a Pandenulfo Capuano, qui a Docibili et Saracenis ejicitur* 828 b
Cairus mons non procul a Casino 826 d
Calenis. *Vide* Carinula.
Calenum *vetus. Videtur idem quod Carinula, et diversum a Caleno medii ævi* 829 a b, 830 d
Calenum *medii ævi idem quod Cales. Fit dein Calvium in Campania* 829 a b c
Calertium (Calers) in hodierna diœcesi Tolosana monasterium Cisterciense. *Ex Grandi Silva prodiit* 242 f, 243 a
Cales *medio ævo dictum Calenum* 829 a b
Caletes (Pays de Caux) *in fide christiana a S. Romano firmati* 100 b. *Cultus S. Fromundi* 846 b, 847
Calinium, Calinidum. *Vide* Carinula.
Calinula. *Vide* Carinula.
Calinum. *Vide* Carinula.
Calliana, *seu* Calliani prope Bombay. *Episcopus nestorianus sæculo* VI 689 f
Callinicum, *seu* Nicephorium, urbs ad Euphratem 687 d
Callinicum, *sive* Rakka, urbs Syriæ desertæ 726 b
Callirhoe. *Vide* Edessa.
Calventianus ager in suburbio Papiæ 3 c.
Calvestre castrum 837 e, 839 d. *Vide* Calvium.
Calvium in Campania. *Ejus origo* 829 a b, 834 c; *dictum Aquaviva* 839 e, 840 b
Camaldulum. *Romualdus de Fabriano egregius monachus* 7 b
Cameracum. *Altaris cryptæ consecratio* 577 c d. *Martyrologium vetus* ibid.
Camplum, oppidum in Aprutiis. *Conventum Observantum recipit* 307 a
Campo (prioratus S. Crescii de). *Tabulæ pictæ* 600 d. *Alia decora* 603 b c d e f
Campus Martius prope Florentiam. *Initium ordinis Servorum B. M. V.* 889 c
Candia *seu* Creta insula. *Conventus Observantum* 307 e f
Canigneji ecclesia in Normannia 842 f
Cantalicium, oppidum in diœcesi Civitatis Ducalis. *A S. Capistrano conciliatur Reatinis* 456 f
Capistranum, oppidum Aprutii ulterioris. *Locus natalis S. Joannis Capistrani* 270 a, 272 f, 273 a, 440 c. *Ibidem prædicat et conventum fundat* 286 a b, 305 e f, 306 a-e. *Ejus dominium temporale ad familiam Mediceam traducitur* 415 a
Cappadocia in Asia Minori. *Simplicius, Alexandri imp. legatus, eam peragrat, sæviens in christianos* 16 c. *Ejus historia* 16 d. *Cappadociæ loca aliquot* 916 f. *Ejus variæ partes* 917 a b
Cappenberga. *B. Godefridus comes* 1 c
Capilliacum (Chouilly) in diœcesi Catalaunensi 213 d
Capriolum, oppidum in agro Brixiensi. *Prædicationes S. Capistrani* 516 e, 518 e
Capua in Campania. *An inde ortus S. Martinus Massicus* 825 d e. *Joannes Maledictus, Fredericus imperator* 835 a c d. *S. Vincentii monasterium* 838 b

Carantus flumen in agro Engolismensi 765 d
Carentoniensis decanatus in diœcesi Constantiensi in Normannia 842 b
Carim, oppidum ad Danubium. *Quatuor milliaribus Hungaricis Belgrado distat* 368 e
Carinula. *Ejus origo, episcopi, fata, corpus S. Martini Massici et alia* 829 et seqq.
Carinulum. *Vide* Carinula.
Carlovitz in Sclavonia. *Opulentum templum* 915 c f
Carnellus, *superior Gariliani pars et interdum totus fluvius* 827 c
Carnutensis S. Petri abbatia. *Prioratus Hamensis* 844 d
Caro vicus inter Varesium et Mediolanum 561 b
† Caroli novum templum Mediolani. *Cultus B. Joannis Angeli* 900 e
† Caroli ad fontes templum Romæ 4 c
Carthago in Africa. *Basilica Novorum* 630 b. *Mensurius episcopus* ibid. *Persecutio christianorum imperio Diocletiani* ibid.
Carza. *Vide* † Crescii plebs de Maciolis.
Casale prope Carinulam 829 e
Casanova prope Carinulam 829 e
Casca. *A Romanis eo nomine Casinus appellatus* 836 d
Cascara, Chaldææ urbs 671 b d
Casentinus pagus. *Ejus fines* 604 d
Cases turma in Asia Minori 917 c
Casina S. Claræ, *extra portam Tosam prope Mediolanum* 561 c
Casina Pauperum *et* Casina Vergherana prope Bustum Arsitium 554 b c
Casinus mons, *prius Casca dictus* 836 d. *S. Demetrius martyr* 835 f; *cultus S. Martini Massici* 830 f, 831 a; *reliquiæ ejusdem* 838 e. *Petrus diaconus, scriptor sæculi* XII 824 b. *Ibi ante S. Benedictum habitat S. Martinus Massicus* 825 f et seqq. *Vide* Heraclea.
Casion, prope Pelusium. *Illuc pertingebant viæ multæ, quæ a quavis Asiæ parte ad Ægyptum ducebant* 664 d e
Cassu, Æthiopiæ regio 677 e
Castalensis prioratus 251 d
Castellantia prope Varesium in Longobardia 554 c d
Castellaria, monasterium in diœcesi Pictaviensi 253 f, 254 a
Castrense monasterium in Petragoricis 251 c
Castrum Florentinum in Etruria. *Donatus a Ferraria, Minorita* 580 c
Catalaunum in Galliis. *Ragnebodus episcopus et S. Syra* 104 e. *Felix I et Landebertus episcopi* 105 c. *S. Syra virgo* 104 et seqq. *Cœnobium rectum a S. Syra Meldensi* 105 a b
Catana in Sicilia. *S. Agatha patrona adversus Ætnæ ignes* 605 b. *Eo ducitur S. Felix Tubzacensis* 627 c
Cataonia, pars Cappadociæ 917 a
Cavense cœnobium. *Abbatissa hujus loci unde dicta sit S. Montana* 860 a b
Cavacurta, conventus ordinis Servorum B. M. V. in diœcesi Laudensi. *B. Joannes Angelus* 886 d e f, 887, 892 b c d. *Ibidem B. Joannes Angelus levatur super terram inter orandum* 901 e f, 905 b c. *Reliquiæ ejusdem B. Joannis Angeli* 896 f, 897 d
Cavigniacum, *varia hujus nominis loca* 265 f, 266 c e
Caucasica stirps. *An sola idonea sit religioni catholicæ* 759 c
Cedar, Arabiæ provincia 664 a
Cementia (Kamenz). *Miracula ibi patrat S. Capistranus* 526 f, 530 c
Cenomanni in Galliis. *Cenomannica civitas, Rainoldo, Franciæ duci, parens* 817 c. *Herlemundus episcopus* 799 e
Cenon Gallicanon in Asia Minori 17 e
Cerbinaria in Caudetanis, castrum Campaniæ Neapolitanæ 827 d
† Cerbonii silva in Etruria 602 d
Cerasium. *Vide* † Vigoris abbatia.
Ceriacum (Cerin) in agro Autissiodorensi 214 a
Ceylan insula. *Vide* Taprobana.
Chaburas, *sive* Circesium, urbs ad Euphratem 687 d
Chalamis (Villa de) in pristina diœcesi Tullensi 858 b
Chaldæa, Chaldæi. *Num ex ea gente ii fuerint magi, qui Christum inviserunt* 669 c d, 670 c. *Quatenus Chaldæa catholica fuerit sæculo* VI 690 e f, 691 a
Chalonne vicus ad confluentem Ladionis et Ligeris, in pago et decanatu Medalgico 151 c d
Chamitæ. *Vide* Cusjitæ.
Chananæi in India, *qui et Cynocephali* 567 b c
Charax, ad frontem sinus Persici 664 f
Charmes-la-Côte in pristina diœcesi Tullensi. *Templum et cultus S. Florentini* 857 c d e f
Charræ. *Vide* Haran.
Charsiæ monasterium *et* porta Charsiæ Constantinopoli 916 b c d
Charsianum monasterium, *a S. Nicephoro conditum* 916 et seqq.
Charsianum castrum, thema, clausuræ in Cappadocia 916 e f, 917 b
Charwell, fluvius agri Oxoniensis 848 d e. *Brademere rivus incurrens in Charwell* ibid.
Chasteau-Penue in pago et decanatu Medalgico 151 d
Chaudefons in pago Medalgico 151 d
Chaudron in pago et decanatu Medalgico 151 d
Chaussaire in pago et decanatu Medalgico 151 d
Chianti. *Vide* Clantus.
Chill-Airthir. *Vide* Kill-Airthir.
Chimiliacum (Chemilly) in hodierna diœcesi Senonensi (dép. de l'Yonne, arrond. de Tonnerre) 213 e
Choros. *Vide* Cyrrhus.
† Christinæ parochia in pago Medalgico 151 d
† Christophori parochia in pago Medalgico 151 d
Christopolis, diœcesis in partibus, *assignata pluribus vicariis episcoporum Tullensium* 910 a, 914 f. *Tres hujus nominis diœceses* ibid.
Chrysopolis diœcesis *sub metropolita Bostrensi* 914 f
Ciliza, *nunc* Killis in Cyrrestica 571 f
Circentium colonia. *Persecutionis initium sub Diocletiano* 629 b
Circesium. *Vide* Chaburas.
Ciriacum in pristino pago Pictavensi 151 c
Cirtica *seu* Cittica oppidum Cyrresticæ 571 f
Cisterciensium *more regulam S. Benedicti observare idem non est ac in ordinem Cisterciensem redigi* 240 f, 241 a b
Citta, oppidum Cyrresticæ 571 f
Citta rotta. *Vide* Calvium.

Citticus vicus. *Zebinas abbas* 571 e
Civitas Ducalis, episcopatus in provincia Aquilana 456 f, 459 b
Civitas Plebis in Italia. *B. Jacobus Eleemosynarius ex ordine Servorum B. M. V.* 884 b
Clanti eremus Servorum B. M. V. prope Florentiam. *B. Joannes Angelus* 888 f, 890 d, 891 a, 901 c d, 904 f, 905 a
Clanus, amnis in Pictavis 153 a
Claravallis. *Gauzelinus, laudatissimus monachus* 7 b
Claramontana diœcesis. *S. Gilberti abbatis festum* 576 b. *Sæculo* VI *duo erant in hac diœcesi archidiaconi* 804 b
Claustrum-Neoburgum, oppidum Austriæ. *Conservat calicem S. Capistrani* 436 e
Clenon in agro Turonensi. *Ibi vetus Pictavus* 766 f, 767 a
Cleopatris, *antiquæ Nili fossæ proxima* 753 a
Clissoniense clima in pago Herbadillico 152 b. *Prius pars diœcesis Pictaviensis, dein Nannetensis* 796 a d
Cloin Cheallagh in Hibernia 579 b
Clonard in Hibernia. *Episcopus S. Rumondus seu Rumoldus* 224 e
Clontivrin *seu* Cloontivrin. *Vide* Cluain-Tibrinne.
Cluain-Ednagh *seu* Clonenagh in Hibernia. *S. Fintanus* 579 c
Cluain-Eraird. *Vide* Clonard.
Cluain Tibrinne, *vulgo* Cloontivrin *seu* Clontivrin in Hibernia. *SS. Lenanus et Colmanus* 579 a b c
Clysma, portus maris Rubri 747 a, 749 c
Coburgum, oppidum Saxoniæ, *ubi miracula patrat S. Capistranus* 525 b, 526 b. *Coburgenses canonizationem S. Capistrani petunt* 408 f
Cochin. *Vide* Male.
Collis in agro Mugellano. *S. Crescius* 592 a, 594 b, 596 f
Colonia Agrippina *sæc.* IX *a Ripuariis vastata* 64 d. *Coloniensis synodi contra Eufratem Acta videntur interpolata* 53 b c. *Coloniensis ecclesiæ jus metropoliticum vindicatur* 654 f, 655 a b c. *Episcoporum successio intricata* 656 e f. *Coloniensibus, Tungrensibus et Trevirensibus unus præest episcopus* 616 f. *S. Maternus episcopus* 3 f. *Item S. Bruno et Folcmarus* 818 f; *Clemens Augustus de Droste de Vischering* 822 f. *Ferdinandus Augustus de Speculo* 822 d e. *Templum S. Petri* 822 d e f. *Templum S. Cæciliæ* 660 f, 818 f, 822 a b. *Abbatissa Elisabetha de Reven* 822 a b. *Cultus S. Noitburgis* 562 d
Colvani montes 604 d
Coltbergum (Goltbergum) oppidum Silesiæ. *Prædicationes S. Capistrani* 526 f, 530 c
Columbensis monasterii in diœcesi Carnotensi *fundatio; reliquiæ S. Gratiani eo translatæ* 20 c d
† Columb Major *et* Minor, oppida Cornugalliæ. *S. Columba, virgo et martyr* 2 e
Combensis villa (Coulanville en Brie). *Villa olim abbatiæ S. Germani a Pratis Parisiis* 112 b
Comodromi vicariatus in Asia Minori 917 c
Compostella. *Cultus S. Mariæ Salomæ* 4 b
Comum in Longobardia. *S. Octavianus seu Octarianus et alii decem episcopi; schisma Trium Capitulorum* 106 et seqq. *Templum cathedrale S. Mariæ et suburbanum S. Abundii* 107 c d
Conaldum (Cunault) in agro Andegavensi. *S. Filiberti corpus* 155 c
Condrusi (le Condroz) pagus minor in diœcesi Leodiensi. *Domicilium S. Odæ* 134 a
Constantia in Arabia deserta. *Episcopus Chilon* 679 d
Constantiense *concilium. Antonius de Bitecto* 888 b
Constantia in Normannia. *S. Fromundi gesta et cultus* 842 et seqq. *Episcopus Gaufredus de Montbray* 842 e. *Item Willebertus, Agathius, Livinus, Wilfridus, Josue, Leo, Angulo, Waldomarus et alii* 843 f. *Algarus episcopus* 844 d. *Pentecostalium processionum frequentia* 862 d
Constantina. *Vide* Tela.
Constantinopolis. *Ejus forma* 9 b c. *In tractu Protasii ecclesia B. Virginis Mariæ* 715 b. *Constantinopolis Rum seu Roma dicitur ab Æthiopibus* 751 b c. *Constantinopolitani episcopi arrogant sibi jus in alienas provincias* 639 f, 640 a, 647 d e f. *CPolitani patriarchatus limites* 163 d. *Constantinopolis a Turcis capitur* 349 b-e
Conventus ad Montem, juxta Perusiam. *Locus tyrocinii S. Capistrani* 494 b, 496 a
Cophagium, *prius* hospitium, *dein* conventus Annuntiatæ Servorum B. M. V. Florentiæ 889 c
Coptos ad latus dexterum Nili. *Militare iter ex Ægypto in terras Saracenorum* 743 e, 745 b
Coraysjitæ, *Abrahæ posteri* 759 c. *Meccani adorant angelos, maxime S. Gabrielem* 757 b
Corbaria in diœcesi Lunensi Sarzanensi. *Conventus Servorum B. M. V.* 891 c d
Corbasim prioratus 251 d
Corbiniacum in agro Nivernensi 800 f
Corboilum (Corbeil) oppidum in hodierna diœcesi Versaliensi 792 d, 793 d
Cordubensis conventus provinciæ Bæticæ 27 f
Corvariensis eremus Servorum B. M. V. in diœcesi Placentina. *B. Joannes Angelus* 891. *Vide* Observantia Corvariensis.
Cornuaureum, Constantinopoli maris sinus 9 b c
Cornubia, *silvosa olim tellus* 224 e
Cracoviæ *prædicat S. Capistranus, patrat miracula, conventum fundat* 345 d, 527 d e f, 528 a-d. *Cracovienses canonizationem S. Capistrani petunt* 408 f
Cré in diœcesi Cenomannensi 802 d
Cremifanense monasterium. *S. Candida martyr cœmeterialis Romana* 580 f
Cremona in Italia. *BB. Riccha et Elisabetha Picinarda* 883 f
Cremonensis S. Cataldi conventus Servorum B. M. V. 888 c, 891 e f, 892 a
† Crescii plebs de Maciolis, *quæ et* Alpium, in Alpibus, in Albino, in Albio et in Carza 600 d, 601 b, 604 a b f, 605 a
† Crescii prioratus de Campo 600 d e. *Monasterium* 603 c
Crevennum (Cravant *aut* Crevant) oppidulum in antiqua diœcesi Autissiodorensi 213 c
Cridiensium *episcoporum in Anglia sedes aliquando Domnoniæ* 223 b c. *Livingus episcopus* 223 b c, 224 a b. *Hæc sedes translata Exoniam* 224 b c
Crumlovium (Bömisch-Krummau), *ad familiam Schwarzenbergicam pertinens, locus designatus*

signatus ad colloquium S. Capistrani cum Rockyczana 335 c; *sedes familiæ Rosembergicæ, fautricis S. Capistrani* 521 e f
† Crucis (Venerandæ) *vicariatus in Asia Minori* 917 c
† Crucis de Montemassico monasterium 827 d e
† Crucum *seu* Crucium monasterium. *Vide* Vallis Laurea.
Cryptense monasterium Kioviæ. *Quandonam in lucem prodierit* 871 f. *Ejus nominis origo* 857 d; *ejus nomen lato sensu accipiendum* 871 e f. *Cryptæ Kiovienses sepulturæ inserviebant* 867 d. *Cryptenses monachi in varios gradus dividebantur* 872 b. *Cryptensium Patrum nomina in calendaria Mosquensia quandonam et a quo invecta sint* 867 f. *Sanctorum Cryptensium orthodoxia comprobatur* 868 a b. *Vide* Kiovia.
Ctesiphon. *In Ctesiphontis planitie versatur Julianus apostata proxime ante mortem* 572 d, 573 c d. *Ctesiphonte synodus habita* 689 c. *Vide* Modaina.
Cuculi mons 604 d
Cufa *sive* Akula, *civitas Arabica prope Euphratem* 700 e. *Vide* Kufa.
Cuil-Collang, Cule Colla, Cule Collaing *seu* Culcolling in comitatu Corcagiensi. *SS. Dalbach et Iserninus* 5 c
Cule Colla *seu* Cule Collaing, *idem locus qui Cuil-Collang in comitatu Corcagiensi* 5 c
Cusjitæ *seu* Chamitæ *multi linguis usi sunt Semiticis* 919 c
Cyprus insula. *Diœcesium limites sæculo* IV *vagi* 616 a
Cyrrhus *seu* Cyrus, *nunc* Kuris *seu* Choros, in Cyrrestica 571 f
Cythæum, oppidum insulæ Cretæ. *Aliquando cum urbe Candia confunditur* 307 d e
Cyzicus, Hellesponti metropolis 639 d
Dablis in Asia Minori 17 e
Dadastana in Asia Minori 17 e
† Dalbach Cule Colla *seu* de Cuil-Collang in comitatu Corcagiensi 5 c d
Dalona monasterium in diœcesi Lemovicensi, *a B. Giraldo fundatum* 252 c d, 257 b
Damar, urbs Homeritidis 676 b c
Damascus. *Civitas Arabica erat jam ante Christum* 670 d. *Episcopus Magnus* 679 d
Damo monasterium in Æthiopia 751 b
Dani, *Armoricam vastant* 778 f, 791 e, 793 a. *Vide* Normanni.
Dardania, *dein Bulgaria dicta, ad patriarchatum Romanum pertinebat* 161 d, 163 a c
Dedan, provincia Arabiæ 664 d f
Deense monasterium, *dein* S. Philiberti prioratus in pago Herbadillico 152 b
Deir-ejjub, monasterium Syriæ 679 b
Deir-Hali, monasterium Syriæ 679 b
Deir-Hind, monasterium Syriæ 679 b
Deir-Meherak, sedes episcopalis in Chaldæa 689 a
Dénée in pago Medalgico 151 d
Dhafar (Thafar), regia Homeritarum in Yemana interiori 920 a; *quatenus christiana fuerit* 702 a b. *Vide* Taphar.
Dhalak, insula maris Rubri. *Num eadem ac Dibus Philostorgii* 675 b
Dhiamair. *Vide* Domair.
Diamor. *Vide* Domair.
Diarbekr. *Vide* Amida.
Dibus insula 677 a. *Patria Theophili Indi; quæ sit hæc insula* 675 a b
Djebul. *Vide* Gabulæ monasterium.
Djodham, tribus Homeritica 682 d
Dionantum in Belgio. *S. Perpetuus* 818 e
† Dionysii templum Mediolanense Servorum B. M. V. 898 d
Dionysiadis *episcopus Severus* 679 d
Djorhom tribus provinciæ Hedjaz 674 c d; *Djorhomitæ, dynastia regulorum Hedjaz* 667 e f
Dioscoridis insula, *vulgo* Socotora 756 c. *Vide* Socotora.
Dioscurada, *forte* Socotora 757 b
Dira promontorium ad introitum maris Rubri 753 b
Dissé *seu* Dissay-sous-Lelude in diœcesi Cenomannensi 802 d
Diva Æstivalis rivus. *Incurrit in Ligerim* 816 e, 818 b d
Dolum, civitas Armoricæ. *Fit episcopalis sæculo* IX 776 d. *Jus metropoliticum ab Innocentio III extinctum* 777 b. *Episcopale sæculo* XIX 786 c
Domair in comitatu Midensi in Hibernia. *S. Findganus* 579
Dominium Martini (Dommartin-lez-Toul) *juxta Tullum Leucorum. S. Ida* 138 c d e
Domna Martina, vicus diœcesis Bituricensis. *Reliquiæ S. Montanæ* 860 b c d
Domni Germani parochia in pristina diœcesi Tullensi. *Templum et cultus S. Florentini* 857 c d e f
† Domnini monasterium plebatus S. Juliani de Septimo 603 c
† Donati templum prope Florentiam 590 f
Domnonia in Devonia. *Sedes aliquando episcoporum Cridiensium et Exoniensium. Monasterium Tavestockium. Comites. Cultus S. Rumoni* 223 et seqq.
Dononiense monasterium in Hannonia. *B. Ava* 575 f
Dorcestria. *Leofwinus episcopus* 224 a b
Dorkena, Chaldææ urbs 671 b d
Dortmund. *Vide* Trutmonia.
Dramensis diœcesis 914 f
Drasoff, villa in districtu Brunensi 335 e
Dresda. *Ibi agit S. Capistranus* 342 b; *ibidem prædicat* 526 f, 530 c. *Dresdenses petunt canonizari S. Capistranum* 407 e f
Drusi *memoriam venerantur civitatis Negranæ* 726 a
Druthmonia. *Vide* Trutmonia.
Dvipa Sukhatara. *Vide* Socotora.
Du-Men *seu* Dumen, silva prope Ligerim. *S. Martinus Vertavensis* 797 f, 780 a, 803 d
Dumiense monasterium. *S. Martinus Braccarensis* 797 f
Dunelmiæ *prior Turgotus, dein S. Andreæ in Scotia episcopus* 5 e
Dunstable (prioratus de) in Bedfordiensi agro et diœcesi Lincolniensi. *Reliquiæ S. Fremundi* 848 f, 849 a. *Nundinæ S. Fremundi* 849 a
Duo Gemelli abbatia, *constructa a S. Martino Vertavensi* 798 e. *Unde id nomen* ibid. *Fundationis tempus* 799 a b c d e
Durenum, Dureium, Durinum, Durivum, Theofalgiæ vicus 800 a
Durenense *seu* Durivense monasterium. *S. Martinus Vertavensis* 800, 813 b
Durivum, *nunc* S. Georgii parochia prope Montemacutum 151 e f

Dymor. *Vide* Domair.

E

Ebora in Lusitania. *S. Valerius* 577 d e. *Pristinum Breviarium* ibid. *Sancti proprii* ibid.
Eboracum in Anglia. *Ven. Wilsindis, discipula S. Burgundofaræ* 7 c
Eboracensis *archiepiscopus excommunicat Dunelmensem ob impeditas processiones Pentecostales* 862 b
† Ebrulfi monasterium. *An fundatum a S. Martino Vertavensi* 798 d, 799 d
Edessa 687 d e f; *dicta etiam Callirhoe, Rhoe, Roha* 720 b; *a Plinio Arabiæ deputatur* 661 c; *frustra obsidetur a Persis* ibid. *Vide* Roa.
Edom *seu* Idumæa, provincia Arabiæ 664 d e
Eggenburgum, oppidum Austriæ. *Miracula operatur S. Capistranus et initium dat conventui* 310 d, 335 e, 521 b d
Egra, oppidum Bohemiæ. *Residet ibi S. Capistranus* 435 e; *miracula operatur* 522 c
Egwast *in compositis nominibus locorum Walliæ* 763 f
Eichstadium, urbs episcopalis hodiernæ Bavariæ. *Miracula operatur S. Capistranus* 524 e, 525 f
Elbinga in Prussia. *Conventus ordinis Teutonici* 347 c d e
Elisboth, silva prope Florentiam. *S. Crescius et S. Minias* 589 f, 590 e f
Elnonensis *seu* S. Amandi abbatia. *Corpus restitutum* 2 b
Elusa, Arabiæ Petrææ civitas 683 a
Elusa, *olim* metropolis Novempopulaniæ 124 c d
Elysboch. *Vide* Elisbot.
Embrica. *Joannes Kirchhoff archidiaconus* 822 c
Emesa. *Episcopus Anatolius* 679 d
Enzerstorff *in Austria fundatur conventus Observantum* 313 e f, 314 a
Engolismensis pagus. *Cui anno* 844 *subesset* 801 e
Ensionense S. Jovini monasterium, dein cella *seu* præpositura 798 a, 800 a, 801 a b f, 802 a b. *Ejus templa, breviarium, corpus S. Martini etc.* ibid. 814 d e. *Abbates* 813 e f. *Corpora SS. Maxentii, Martini Vertavensis et Convojonis* 154 e
Epha, Arabiæ provincia 664 a, 669 b
Epirus *utraque ad patriarchatum Romanum pertinebat* 161 d, 162 f, 163 a c
Eraca. *Vide* Iraca.
Erch, rivus Walliæ 764 a
Erfordia oppidum Thuringiæ, in hodierna Saxonia Borussica. *Prædicationes S. Capistrani* 466 c, 469 a; *ibi miracula patrat S. Capistranus* 525 c d, 526 c
Eski *seu* Vetus Bagdad 572 e, 573 d e
Estrigneuil, rivus pagi Turonensis 771 f
Etruriæ *corrector ubi resideret* 588 b
† Eucharii *seu* S. Mathiæ templum Trevirense. *Episcopi ibidem sepulti* 616 d f
Eudæmon Arabia. *Vide* Arabia Felix 761 e
† Eugenii monasterium in Xylocirco Constantinopoli 9 c e f. *Abbates Eugenius et Cyriacus* ibid.
Euphedia, Syriæ regio 687 e
Europæ *status medio sæculo* XV 385 e f; *propter bella intestina impotens resistendi Turcis* 351 d e f
Euzeliæ, Æthiopiæ pars 696 b c
Exonia in Anglia. *Eo transfertur sedes episcopi Cridiensis* 224 b. *Leofricus episcopus* ibid.; *item Bartholomæus Iscanus* 225 b. *Exoniensium episcoporum sedes aliquando Domnoniæ* 223 b c
Eykensis ecclesia in Belgio. *Processiones bannales* 862 b d

F

Fæsulæ, Fæsulanus comitatus in Etruria. *Fæsulanus comitatus anno* 941 601 b. *S. Romulus, Fæsulanus episcopus* 586 f, 587 a b c. *Fæsulana via Faventiam versus ducta* 602 e f. *Vide* Fesulæ.
Fage, insula in ostiis Sabrinæ 848 b
Falcionum prope Carinulam 829 e
Falemutha in Cornubia 224 d e f
Falterona mons inter Mucillum et Casentinum 604 d
Fama Augusta. *Hieronymus Ragazonius episcopus* 898 f
Farsan insulæ. *Vide* Pharsan.
Faventia, Faventinus comitatus in Italia. *Faventiæ B. Jacobus Philippus ex ordine Servorum B. M. V.* 884 a. *Eo cum sociis fugit S. Crescius* 591 f. *Faventini bella gerunt adversus Ravennates* 238 a. *Faventini comitatus incolæ in S. Crescium pii* 608 d
Feldpergæ *in Austria fundatur conventus Observantum* 313 a
Fernensis in Hibernia *episcopus S. Modocus, qui et Aidanus* 2 a
Ferrariense monasterium in diœcesi Senonensi. *Cultus S. Montanæ* 859 c, 860 b c d, 861 a b c
† Ferreoli martyris altare in templo cathedrali Nannetensi 814 b
Fesulæ in Thuscia. *An S. Speciosus episcopus* 4 f. *Vide* Fæsulæ.
Ficalles mons, *qui et* Novulæ in Etruria 607 e f
Fidena, civitas Aprutii. *Domicilium Saracenorum* 306 d
Fief-Sauvin in pago et decanatu Medalgico 151 d
† Filiberti parochia in pago Medalgico 151 d
† Filiberti de Grandilacu prioratus, ante Deense monasterium in pago Herbadillico 152 b
Fiscannense monasterium. *Oratorium, parœcia et cultus S. Fromundi* 846 b c d. *Reliquiarum catalogus* 846 d e
Flandria. *Tapetes* 559 e. *Flandris prædicat S. Capistranus* 340 c
Florentia, Florentinus comitatus in Etruria. *Cultus S. Crescii et sociorum* 583 c. *Fidei christianæ propagatio* 586 d e f, 587. *S. Romulus* ibid. *S. Minias* ibid. *Florentiæ antiquitas, splendor etc.* 587 d e f, 588 a b c. *Florentiæ celebratur capitulum generale Conventualium* 304 b. *Pestis anno* 1480 889 f. *Ex Florentia oriundi complures sancti ex ordine Servorum* 883 e f, 884 a. *Conventus Annuntiatæ Servorum B. M. V.* 889 b c. *In templo S. Marci reliquiæ S. Crescii* 610 d. *Collegio S. Joannis Evangelistæ Societatis Jesu datur prioratus de Vallecava* 605 e. *Speciosus, episcopus* 4 f. *Item Andreas* 601 c; *item anno* 1257 *Joannes* 605 b c; *archiepiscopi Antonius Altovitus et Alexander Medices* 608 a; *seu Alexander Marzi-Medices* 601 e, 608 b c; *Petrus Nicolinus* 609 c; *Franciscus Nerlius*

Nerlius 609 e; *Joannes Neronius* 603 f. *Florentinus comitatus anno* 941 601 b
† Florentii Glonnense monasterium in pago Pictavo 801 e
† Florentii veteris monasterium in pago Medalgico 795 e; *abbatia, oppidum et territorium ad Ligerim* 151 d e, 795 e. *Anno* 853 *exustum a Normannis* 155 a
Fons dulcis (Font-douce) monasterium ordinis S. Benedicti *olim* in diœcesi Santonensi in Gallia 241 a, 251 b
Fons Ebraldi (Fontevrault), *primitus filia Tutionis* 257 b
Fons Frigidus (Fontfroide) in hodierna Carcassonensi diœcesi, monasterium Cisterciense. *Ex Grandi Silva prodiit* 242 c d e
Fontanæ in pristina diœcesi Autissiodorensi. *Cultus et reliquiæ S. Syræ* 105 d e
Forum Claudii, *nunc* Città rotta 829 b c. *S. Bernardus episcopus hinc sedem transfert Carinulam* 829 c d, 833 et seqq.
Forum Cornelii in Italia. *Ecclesiæ cathedralis dedicatio* 577 c
Forum Julii (Frioul). *Olim caput provinciæ homonymæ* 516 f, 518 f. *Hæc provincia finitima Germaniæ.* 465 b, 468 b
Forum Livii in Italia. *Conventus Servorum B. M. V.* 891 d f, 892 a. *BB. Peregrinus et Bonaventura ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f, 884 a
Forum Popilii, *sæculo* IV *adhuc existens* 829 c
Fracfragium villa in pago Morinensi 122 a
Franciæ *dux sæculo* IX *Rainoldus* 817 c, 818 d
Franckenberg in Hassia. *Albertus comes, qui dein canonicus Præmonstratensis* 7 d
Francofordiæ *comitia imperii habentur pro exercitu contra Turcas, sed minimo fructu* 352 b-f, 354 c d
Franconia. *Processiones Pentecostales* 862 d e
Fregnanum, locus in diœcesi Florentina 238 c
† Fremundi vicus. *Vide* † Fromundi vicus.
Fribergæ in Saxonia *residet aliquandiu S. Capistranus* 335 e, 524 a
Frisacum, oppidum Carinthiæ 517 c, 519 b. *Ibi multa miracula operatur S. Capistranus* 331 d
† Fromundi vicus et prioratus in Normannia. *Prioratus* 842 e f; *hujus prioratus custodia commissa monasterio Cerasiensi* 799 f. *Brachium S. Fromundi et alia* 845 d e f
Frusckæ montes in finibus Sclavoniæ 915 b e. *Octo monasteria* ibid.
Fulginio *deducitur colonia virginum Clarissarum ad reformandum asceterium Perusinum* 307 f
Fundus Ursonianus, *hodie* Ponte de Zuaso 28 b

G

Gabazan *seu* Gabazzan portus civitatis regiæ Æthiopicæ Adulis 747 a. *Eo pergit S. Elesbaas* 748 b, 750 a
Gabulæ monasterium. *Simeon abbas* 744 b
Gaditanus conventus provinciæ Bæticæ 27 f
Galerata prope Varesium in Longobardia 554 b c d f
Galileam *sæculo* IX *visitant pœnitentes Galli* 848 a
Galliæ *ab Hunnis vastatæ* 60 f. *Eas occupant gentes barbaræ* 52 b c. *Galliæ metropoles ecclesiasticæ* 124 a b. *Gallia parcior in celebrando S. Joanne Capistrano* 272 c
Gandavum, civitas Flandriæ. *Construit conventum Observantibus* 293 b
Gandersheimium, monasterium Saxoniæ. *Ludolfus fundator, Gerburga abbatissa* 580 a b
Gangras *Dioscorus Alexandrinus et Macarius, episcopus Kawi, in exilium mittuntur* 581 b c. *Gangrense concilium Eustathium Ancyranum damnat* 191 c
Gariglianus *seu* Garilianus. *Vide* Carnellus *et* Liris.
Gastria, parthenon Constantinopoli 176 f
Gaza, urbs Palestinæ, *limes Arabiæ* 750 a; *oræ Philistææ emporium* 664 e f; *ejus partem occupant Arabes multo ante Chr. nat.* 661 b
Geapolis in Arabia 757 b
Geinensis vicus in agro Andegavensi. *S. Veterinus* 800 e f
Gelaucourt, annexa parœciæ de Battigny. *Reliquiæ S. Florentini* 857 c
Gemona *seu* Clemona, oppidum provinciæ Forojuliensis 516 f, 518 f, 519 a
Gena. *Vide* Geinensis.
† Genulfi templum in diœcesi Bituricensi 860 e
Genuenses *tributa solvunt Turcis* 351 d
† Georgii parochia prope Montemacutum 151 e f; *olim prioratus et prius Durenense monasterium* 800 a b. *Mors S. Martini Vertavensis* ibid.
Gerasa, in Arabia deserta. *Quando episcopos habere cœperit* 678 e
Germaniæ *populi accurrunt ad pugnam contra Turcas sub S. Capistrano* 531 f, 532 a
† Germani de Busco parochia. *Eadem ac S. Montanæ in diœcesi Bituricensi* 860 e
Gerrha, emporium Arabiæ 664 d f
Gessoriacum, hodierna Bolonia maritima 121 e
Gesté in pago et decanatu Medalgico 151 d
Ghalefka, portus maris Rubri 750 a
Ghassan (regnum), Ghassanidæ. *Regnum* 691 c. *Ghassanidæ Arabes et Nabatæi* 750 a. *Ghassanidæ origine Sabæi* 684 b c; *e stirpe Homeritica fuerunt* 691 d. *Ghassanidæ Syriæ unde venerint* 678 b; *ex Homeritide prodierunt* 679 b; *quo pacto et a quibus ad fidem sint traducti* 679 et seq.; *quando facti sint christiani* 684 b c; *eorum phylarchæ qui fuerint et quando christiani esse cœperint* ibid. c d e f et 679 f; *eorum historia christiana* 677 et seqq. *Ghassanidæ christiani prope Bethlehem* 682 f. *Ghassanidæ victi ab Abu Becr* 718 e
Ghela in Belgio. *Hospitium amentium, eo adductorum venerationis S. Dymphnæ causa* 852 e, 853 b c d
† Gildardi ecclesia Rotomagi 82 b
Glannafoliense monasterium 798 c
Glastonia, *celeberrimum olim* monasterium in comitatu Somersettensi 220 b c, 215 f, 216 a
Gliboschi. *Vide* Elisbot.
Glonna. *Vide* † Florentii monasterium.
Glorisa prope Ferrariense monasterium. *Templum cum parthenone perperam adscriptum matri S. Montanæ* 861 a
Gondonium monasterium. *A B. Giraldo fundatum perperam asseritur* 251 b
Gondulficurtis decanatus in pristina diœcesi Tullensi 851 e
Gorgonzola in diœcesi Mediolanensi. *Conventus Servorum B. M. V.* 886 c
Gorlicium (Gorlitz), oppidum Silesiæ. *Prædicationes*

cationes S. Capistrani 526 f, 530 c
Græci. *Ecclesia Græca in ordinibus conferendis observat interstitia* 179 d e. *Græci sancti loco suo movendi non sunt a latinis* 565 a b. *Id non factum ab ecclesia Latina* 166 d. *Græci sacerdotes barbam et cæsariem nutriunt* 434 c. *Græci in Italia meridionali, jam in auxilium vocati, jam infesti et expulsi* 828 et seq. *Græcis schismaticis prædictum excidium CPolitanum* 349 e f. *Græca lingua sæculo* VIII *parum usitata Neapoli* 761 c. *Græca verba immista latinis in diplomate anglico anni* 981 223 f
Grandislacus *seu* locus in pago Herbadillico 797 a b
Grandissilva, Cisterciense monasterium in Occitania, *a B. Gerardo de Salis inchoatum* 240 d, 252 c, 257 b; *associatur Claravallensibus* 241 c-f, 242 a-c; *alia monasteria gignit* 242, 243; *in commendam datur* 243 e f; *quo pretio* ibid.; *penitus destruitur* 244 b-f. *Bernardus monachus* 580 a
Granum *non videtur umquam fuisse caput Leucorum* 50 d
† Gratiani villa juxta Ambianum 20 a; *recipit et hactenus conservat reliquias S. Gratiani* 22 e f
Gravio castellum in Pictavis 153 a e, 154 a b
† Gregorii altare in pristina ecclesia cathedrali Cameracensi 577 c
† Gregorii Theologi ædes sacra CP 183 b
Greve, rivulus Clanti prope Florentiam 888 f
Griechiesch-Weissemburg. *Vide* Belgradum.
Grimma, oppidum Saxoniæ. *Prædicationes S. Capistrani* 526 f, 530 c
Grorbeum in Asia Minori 17 e
Grouwelsteeg, juxta Tungros, *locus necis S. Evergisli* 659 d
Grymnenses *canonizationem S. Capistrani petunt* 408 f
Gurgiacum (Gurges) in agro Autissiodorensi 213 e

H

Habessinia. *Sancti monachi et abbates* 8 c. *Vide* Abyssini.
Hadrianopoles *sex recensentur* 24 a d
Hadrianopolis forte in Thracia. *SS. Severus et Dorotheus* 23 et 24
Halen, regio Æthiopica 677 c d
Hala Saxonica oppidum. *S. Capistranus ibi prædicat* 525 e, 526 c. *Hallenses canonizari petunt S. Capistranum* 408 b c d f
Halys, Asiæ Minoris fluvius 917 a d
Hamense monasterium in Normannia. *Templi fundatio et dedicatio* 843 b c d. *Ejus fata* 844 c d, 849 d
Hamer *sive* Hamyar, *i. e.* Homeritis 725 a c. *Vide* Himyar, Homeritis.
Haran, *seu* Charræ, urbs Mesopotamiæ 664 f, 669 c, 687 d
Harmuza. *Vide* Hormuz.
Haynenses *canonizationem S. Capistrani petunt* 408 e
Hazramaa, Æthiopiæ regio. *Eam incolebant Sabæi* 698 b
Hebron, mercatus celeberrimus in Palæstina 674 a; *item, locus magnæ venerationi Arabibus* 757 b
Hebdomum Constantinopoli 9 f; *idem quod Magnaura palatium CP.* 197 e. *Campus Hebdomi* 9 f
Hebræorum *moneta* 752 a b
Hedjaz *sive* Hidjaz, provincia Arabiæ 667 et seqq. *Hujus provinciæ incolæ posteri Abrahæ per Ismaelem* 759 c, 760 a
Helleh, *ubi olim Babylon* 573 d
Heracleæ Casinensis arx, *eadem forte ac Heraclea apud Campaniæ fluvium Lirim, de qua Florus lib. I, cap. XVIII* 835 f, 836 a b d, 838
Heraclea in Thracia. *S. Severus presbyter et martyr* 4 b c
Herbadilla civitas. *An exstiterit et divina vindicta interierit* 796 d e f, 797, 803 a b c
Herbadilla regio, Herbadillicus pagus in diœcesi Pictavensi ad Ligerim 795 e. *Ejus extensio* 151 a b c. *Ejus fines* 152 b c d e. *A Normannis vastatur* 154 f. *Gueferius eam obtinet, Bego vastat* 797 a. *De eo paciscitur Alanus Barbatorta. Quomodo partim facta sit pars diœcesis Nannetensis* 796 b c. *S. Benedictus Quinciacensis dictus episcopus* 150 et seqq.
Herbauge, *sitne hoc nomine* locus prope S. Mars de Coutais 152 b
Herbipolis in Germania. *Ecclesiæ cathedralis dedicatio* 577 c
Hesebun *seu* Esbundorum *episcopus Gennadius* 679 d
Hieria duplex insula in Bosphoro 178 b, 180 e
Heron prope Leodium. *S. Goda* 5 e
† Hieronymi altare in crypta ecclesiæ Cameracensis 577 c
Hieropolis in Phrygia. *SS. Claudianus, Eutherius, Flavianus, Justus et Victor, martyres* 634, 635. *Disquisitio de duobus Hierapolibus Phrygiæ* 634
Hierosolymis *resurrectionis locus et crux sæculo* IV *venerata* 566 e. *Locus Ascensionis Domini* 566 f. *Hierosolymam sæculo* IX *pergunt pœnitentes, catenis ferreis onusti, cum literis formatis Romani pontificis* 847 f, 848 a. *Hierosolymam coronam suam regiam, suspendendam ante S. Sepulcrum, mittit S. Elesbaas, monachus factus* 758 c; *Joannes episcopus* ibid., 760 c. *Hierosolyma capta a Cosroë Parviz, rege Persarum* 718 f
† Hilarii Pictaviense monasterium. *Ei attributus S. Martialis abbas* 578 b
Himyaritica lingua 666. *Vide* Homeritæ.
† Hippolyti fanum (S. Polten). *Conventus Observantum* 310 b c
Hira, Hirenses. *Hira sive Hirta, urbs regia Arabum Hirensium* 684 c, 690 d e; *ab Arabibus dicta* Hirat-Annoman 700 f; *ejus situs* ibid., 686 c d, 688 f, 689 b, 700 e; *monasterium fundatur* 688 f; *ejus arces Khawarnacum et Sadirum* ibid. *Hirenses Arabes* 744 a; *plerique origine Homeritæ* 684 c; *magnam partem e stirpe Homeritica* 691 d; *eorum incursiones in Palæstinam et Syriam* 687 et seqq.; *quando facti sint christiani* 684 et seqq.; *multi S. Simeonem Stylitam adeunt et idololatriam ejurant* 685 b d e f. *Multi inter eos christiani* 744 b; *christiani inter eos quatenus catholici fuerint sæculo* VI 690 et seqq. *Vide* Hirta.
Hirat-Annoman. *Vide* Hirta.
Hirta Naamanis, *appellatio Syriaca Hiræ, urbis*

bis regiæ Arabum Iracæ occidentalis 700 a e f, 705 f
Hislæ ad marchas in pago Herbadillico 152 e
Hispalensis conventus provinciæ Bæticæ 27 f
Hispania, Hispani. *Hispaniamoccupant Alani, Vandali, Suevi* 52 d e. *Hispani, augures egregii* 16 b
Homeritæ *dicti sunt a Græcis et Romanis non tantum* Himyaritæ, *seu progenies* Himyar, *sed et reliqui Sabæi Jectanidæ Arabiæ australis* 667 c d, 721 f, 725 a; *quando sic dici cœperint* ibid. *Dicti etiam* Sabæi 714 d, 717 et seqq., 672 a: *vide* Saba. *Et* Arabes Felices *seu* Beati 662 d, 757 b: *vide* Arabia Felix. *A Theodoro Lectore* Immireni *vocantur* 693 d; *ab aliis* Æthiopes 671 e f; *et* Indi 672 a b c, 698 d. *Regnum Homeritidis dictum* Hamyar 661 f, 693 f; Hamer 725 c; Yemana 661 f, 662 e: *vide* Yemana. *Regni situs et amplitudo* 661 e f, 722 b. *Homeritarum idololatria* 667 et seqq., 725 b; *astra coluerunt* 668 a, 675 c; *eorum lingua* 666 b c d e, 728 b: *vide* Himyaritica lingua, Inscriptiones. *Inter Homeritas christianos excultæ aliquando literæ Græcæ* 720 d e. *Homeritarum luxus et divitiæ* 757 a b: *vide* Sabæi. *Eorum moneta, talentum* 723 f, 727 a b c, 760 c; *eorum bella cum Æthiopibus* 694 d e f, 696 et seqq., 701 e f, 722 a. *Num bella gesserint cum Æthiopiæ rege Ala-Ameda* 725 b c. *Dudum Æthiopum tributarii fuerunt* 695 b c; *a quo tempore* 725 b c: *vide* Æthiopes. *S. Elesbaæ, regis Habessiniæ sive Æthiopiæ, cum Homeritis bellum primum* 753 a; *secundum* 710 et seqq., 743 et seqq.; *tertium* 698 f, 699 a. *Homeritarum reges* Asa Abu Carib, Lakhnia Dhu Sjnatir, Dhu Nowas, *sive* Dunaan, Marthad, Wakia: *vide singula nomina in Ind. historico. Post Dhu Nowasum in aliquo tractu Homeritidis regnasse videntur Dhu Djadam, Marthadus alter, Alcama-Dhu-Kifan, et Sjarabhil, seu Sarabahal* 711 d f. *Homeritarum proreges constituti ab Æthiopibus: Esimiphæus, Aryates seu Anganes, Abrahamus et quartus anonymus* 698 et seqq., 722 a, 723 a, 760 a; *quando munere fungi cœperint* 699 b, 760 a. *Homeritarum regnum num Dhu Nowasus, seu Dunaan, tenuerit tamquam vicarius S. Elesbaæ* 743 e, 745 a. *Num Æthiopes ante cædem Dhu Nowasi umquam universam Homeritidem obtinuerint* 725 c. *In ea judæi multi* 768; *eorum conversio ad religionem christianam* 699 et seqq., 674 c d e f, 675 et seqq., 691 et seqq.: *vide* Negrana. *Legatio Theophili Indi* 675 et seqq. *Post victoriam S. Elesbaæ multi baptizantur* 758 a b; *eorum ecclesia ad patriarchatum Alexandrinum spectabat* 695 d; *quando episcopos habere cœperint* 695 a b d; *eos ex Alexandria accipiunt* 713 d e f, 720 c; *sæculo* VI *plures habebant sedes episcopales* 720 d; *inter eos sacerdotes multi* 701 f, 702 a b, 703 c, 728 a; *et monachi* 703 c, 715 a, 723 a, 728 a, 730 b; *et moniales* 703 c, 730 b c; *et aliæ virgines sacræ* 703 c, 728 a; *et ecclesiæ plurimæ* 701 f, 702 a f, 723 a. *Homeritarum martyria in persecutione Dhu Nowasi ex epistola Simeonis Betharsamensis* 701 et seqq.; *item ex Senkessar Æthiopico* 717 et seqq.; *eorum acta Græco-Latina* 721 et seqq.; *alii ex Homeritide fugiunt* 705 e, 713 d, 729 a; *supplicii genus* 708 et seqq., 727 a; *numerus martyrum* 709 f, 710 a, 717 d, 729 d; *cultus e martyrologiis* 714 et seqq. *Num Homeritæ aliquando monophysitæ fuerint* 713 d e f; *brevis chronologia eorum historiæ exeunte sæculo* VI *et ordiente sequenti* 718 f, 719 a
Hormuz, *alias* Harmuza, *ad sinum Persicum, ubi ecclesia ædificata dicitur sæculo* IV 677 a
Hungaria, Hungari. *Hungaria caret medicis et abhorret medicinas* 393 a. *Hungariæ imminet Mahometes II* 350 d. *Suis viribus Turcis resistere non potest* 351 a, 352 f. *Hungari ad Callistum papam III scribunt, ut opem ferat christianitati* 357 f, 358 a b; *se accingunt ad repellendos Turcas* 363 b. *Turcas Belgrado arcent* 364 b c. *Eos ad fortiter pugnandum animat S. Capistranus* 368 a. *Nobiles paucissimi cruce signantur* 374 d. *Eisdem calamitas prædicta* 399 b c. *Hungari in diœcesi Tullensi sæculo* IX 909 e
Hunni Asiatici. *Inter eos christiani erant sæculo* VI 689 f, 670 a. *Hunni Gallias vastant* 60 f. *Hunnorum invasione Galliarum deleta monumenta historica* 616 e
Huzitæ, gens Persica 671 b c
Hyschia insula 839 e. *Vide* Ischia.

I

† Jacobi de Alto Passu ecclesia Parisiis. *Reliquiæ S. Maglorii* 779 d
Jacobitæ. *Vide* Monophysitæ.
Jaillais in pago et decanatu Medalgico 151 d
Iberes *a Persis deficiunt* 690 b
Idumæi 669 e, 670 c
Idunum. *Vide* Judemburg.
Jectanidæ in Homeritide 666 b
Jena, oppidum Saxoniæ. *Miracula patrat S. Capistranus* 525 c d, 526 c
Jerim, civitas Homeritidis 676 c
Ila. *Vide* Æla.
Illok. *Vide* Uylack, Villacum.
Illyria *universa ad patriarchatum Romanum pertinebat* 163 a b c f
India, Indi. *India, nomen Æthiopiæ australis* 617 a. *Eo nomine olim appellata est tum Arabia felix, tum Abyssinia et reliqua Æthiopia* 972 a b. *India seu regna maritima ad meridiem Æthiopiæ* 747 a, 749 c. *India Africana seu Æthiopica* 695 f, 722 b c, 726 c. *Indi Gangetici seu Ariano-Indi; eorum adventus in Indiam ex Asia occidentali* 919 b c. *Ex Indorum Brachmanicorum apostolis fuit S. Pantænus* 672 et seqq. *Indicæ naves. Vide* Naves Indicæ.
Ingeriacum monasterium. *Aimericus abbas* 154 c
Inis-Cara in Hibernia. *S. Senanus* 579 f
Insula major, quæ territorio Neapolitano pertinet 837 f, 839 d e
Insulæ Principum in Bosphoro 169 d, 171 d
† Joannis Baptistæ Vertavense monasterium. *Vide* Vertanum.
† Joannis equites *coalescunt in unum corpus cum equitibus S. Sepulcri* 228 b
Jacca, oppidum Hispaniæ. *Saracenis ereptum* 132 d
Joctanidæ. *Vide* Jectanidæ.

Iotabæ, insula maris rubri. *Dicta hodiedum Tyran* 683 a e; *ejus episcopi* 683 b c d e; *in potestatem devenit Amorcesi, Arabis* ibid.; *a Græcis Cpolitanis recipitur* 687 b c; *mercatoribus traditur et mercatu floret* ibid.; *negotiatores Romani* 749 c. *Naves hinc colligit S. Elesbaas* 747 a
Jovii mons 604 d
† Jovini ecclesia Viheriæ 801 a
† Jovini de Marnis. *Vide* Ensionense.
Ipekiensis patriarchatus. *Ejus descriptio* 915 b
Iraca *sive* Aracha *duplex* 671 b; *Iraca, sive Eraca Babylonica* 700 e; *Iraca, regio Euphratensis* 678 a; *Iraca occidentalis* 684 a b
Irek *seu* Ireg in Sclavonia 915 f
Irumna (Iromne, Ironne, Yrôme) rivus pristini pagi Pictaviensis 151 c
Ischia insula 839 e. *Vide* Hyschia.
Ismaëlitæ 669 e; *habitarunt in provincia Hedjaz; ædificarunt templum Caaba.* ibid.
Italorum *imbecillitas sæculo* IX *et deinceps* 827 f, 828 a
Jubaudière in pago et decanatu Medalgico 151 d
Judæa, Judæi. *Judæi nuptias cum ethnicis ineunt* 761 d. *Judææ negotiatio temporibus priscis* 664 c e; *Judæorum moneta* 752 a b; *Judæi veteres num juramenta servarent cum christianis* 727 c; *Judæis varia, christianis nociva, interdicta erant* 291 c; *Judæi sæpe infesti christianis accusantur usuræ, sacrilegii, homicidii* 342 d e; *item accusati necis infantis christiani* 467 c d, 499 e, 502 a b; *Judæos insectatur S. Capistranus propter eorum præsertim blasphemias et usuras* 499 b-f; *Judæi Æthiopiæ. Vide* Falasja. *Judæi in Homeritide sæculo* IV 675 e, 713 c; *multi fuere in Arabia veteri* 668; *eorum adventus et progressus* ibid.; *quando in Homeritidem penetrarint* ibid.
Judemburgum, oppidum Styriæ 517 c, 519 b. *A conventualibus ad Observantes transfertur conventus* 314 a, 473 b. *Ibidem miracula operatur S. Capistranus* 331 d
Juliopolis in Asia Minori 17 e
Juliopolis II M. P. ab Alexandria 745 b
Jumelière in pago Medalgico 151 d

K

Kafri, non procul a Bagdad 572 e
Kafrisou prope Tigrim 572 e
Kanitz, oppidum Cromlovio conterminum 523 f
Karkindoc in Scotia 2 a
Kan-el-Kebireh. *Vide* Atakua.
Kawi. *Vide* Atakua.
Kedem, *Oriens, i. e. Arabia* 670 a
Keft. *Vide* Coptos.
Kelb, *seu* Benu-Kelb, tribus Arabica *christiana* 682 d e
Khaibar, civitas Arabiæ veteris 668 a b c d
Khawarnacum, arx prope Hiram, *exstructa a rege Nooman I* 686 c d
Khazradj. *Vide* Aus.
Khorazan, *Syriace* Gurzan, *regio Persidis; ejus episcopi triginta catholici sæc.* VI 690 f
Khorsabad, prope Ninivem 695 a
Kill-Airthir in comitatu Midensi in Hibernia. *SS. Joannes episcopus et Lugacius presbyter* 579 e f
Killis. *Vide* Cilliza 571 f
Kindæ, gens Arabica 681 c, 683 b; *ex Homeritide originem ducebat* 683 f, 684 b
Kiovia in Russia; Kievo-Cryptense monasterium. *Ecclesia Kioviensis a Mosquensi diu fuit separata* 867 f; *ecclesiæ romanæ fuit unita sæculis* X *et* XI 868 c. *Kioviensium metropolitarum series ab anno* 1147 868 d. *Ecclesiæ Kioviensis cauta agendi ratio in sanctorum cultu decernendo* 867 e. *Calendaria Kioviensia vetustissima exhibent nomina SS. Borisi et Glebi, Vladimiri et Theodosii* 867 f. *Crypta duplex Kioviæ, Antoniana et Theodosiana, delineatur* 867 c. *Cryptarum Kioviensium visitatio paschalis, descripta apud Herbinium* 872 d e. *Monasterium Kievocryptense cur Theodosianum cognominatum sit* 871 f. *Id centum fere fratres habebat ineunte sæculo* XII 867 b. *Monachi Kievocryptenses sæculo* XII *sedi Romanæ adhæsisse videntur* 870 a. *Monasterium Kievocryptense sanctorum ferax* 880 a b c. *Seminarium episcoporum* 880 b c. *Cryptenses patres quandonam cultu publico donati sint apud Mosquenses et in ecclesia Kioviensi* 868 a. *Kioviensium patrum plures communi officio honorantur* 867 e. *Sancti Kievocryptenses, mense octobri frequentes* 864 d. *Officium Kievocryptense scriptum fuit anno 1643 a Metetio Syrigo* 867 e. *Monachorum Kievocryptensium vita* 874 f
Kitissefodo, civitas Persidis. *Ananias, Azarias et Mizaël requiescunt* 566 f, 571 d
Kizil Irmak. *Vide* Halys.
Klattau. *Vide* Patovia.
Kolzum. *Vide* Clysma.
Konnotz, *forsan* Kaunitz *aut* Kannitz 521 f, 523 f
Kou. *Vide* Atakua.
Kufa *sive* Cufa, urbs Arabica 684 c; *ejus situs* 686 d; *characteres Cufici* ibid. *Vide* Cufa.
Kuris. *Vide* Cyrrhus.

L

Lach, oppidum Austriæ 457 e f, 459 c
Ladio flumen, *finis trium pagorum ad Ligerim* 150 b c. *Vide* Ledius.
Lak *seu* Laak, oppidum ad Tasam fluvium 518 a, 521 c
Lakhm, tribus Homeritica. *Pars Hiræ dominabatur* 682 d
† Lamberti du Lattay vicus in pristino pago Pictaviensi 151 c
Lancianum. *Vide* Ansanum.
Latina ecclesia *Sanctos, a Græcis cultos, numquam rejecit* 166 d, 565 a b
Lattay (S. Lambert du) vicus in pristino pago Pictaviensi 151 c
† Laudi Rothomagense templum. *Reliquiæ SS. Laudi, Rumpharii et Fromundi* 844 e f, 845. *Ordinarium* ibid.
Laudosa, quæ Separis dicitur (la Sèvre-Nantaise) 803 f, 809 f
† Laurentii templum collegiatum Florentiæ. *Prioratus S. Crescii, reliquiæ* 603 f, 604 a b
† Laurentii plebs de Mucillo 601 b
† Laurentii ad Separim decanatus in pago Theofalgico 151 f, 152
Ledius fluvius in pago Herbadillico et Pictaviensi 152 e. *In mare Occidentale influit* 151 c e, 152 e. *Vide* Ladio.

Lehonensis monasterii *fundatio* 777 f, 778 a b, 791 e
Lemovicum *olim ad tractum Armoricanum pertinebat* 207 a
Lenejensis archidiaconatus in pristina diœcesi Tullensi 851 e
Leobschicii (Lubschitz) in ducatu Carnoviensi. *Fundatur conventus Observantum* 343 d
Leodium in Belgio *sub S. Huberto sedem episcopalem obtinet* 134 d. *Leodiensis episcopatus bona* 821 c. *Diplomata anno* 1185 *pleraque incendio deleta* 821 d. *Processiones Pentecostales seu bannales in diœcesi Leodiensi* 862 b d. *Vide* Letigia.
Leopolis (Lemberg), caput Russiæ Rubræ 466 f, 469 b
Letigia *seu* Leodium in Belgio. *Episcopi Trajectenses ei adscripti* 819 c. *Vide* Leodium.
Lewenbergum, oppidum Silesiæ. *Prædicationes S. Capistrani* 526 f, 530 c. *Lewenbergenses canonizationem S. Capistrani petunt* 408 f
Lignitium (Lignitz), oppidum Silesiæ. *Prædicationes S. Capistrani* 526 f, 527 a, 530 d; *ibidem versatur S. Capistranus* 342 b
Ligolium, *vulgo* Ligueil, in agro Turonensi 766 f
Lillerium in Artesia. *Corpora SS. Luglii et Lugliani* 108 c f. *Lillerium patronum habebat olim primarium S. Audomarum* 113 b
Limonum, Limunum. *Vide* Pictavus.
Lingones *an coluerint S. Florentinum, diœcesis Tullensis confessorem* 850 b c, 851 e
Lipsia, oppidum Saxoniæ. *S. Capistranus, miracula operatus, conventum ibi fundat* 526. *Lipsiensis academia petit canonizationem S. Capistrani* 406 f, 407 a-d. *Fundatur a Friderico Bellicoso, duce Saxoniæ* 407 d
Lipicensis *pugna anno* 1216 *pugnata* 879 a
Liris *seu* Garilianus, flumen Campaniæ 826 c, 827 c. *Vide* Carnellus, Garilianus.
Lisboch. *Vide* Elisbot.
Litmorensis *episcopus S. Senanus* 579 f
Llan-egwast *seu* Vallis Crucis, monasterium Cisterciense in Wallia 763 f
Llanfachtlu in insula Mona. *S. Mæthlu* 763 c
Llanfihangel Tyn Sylwy in insula Mona. *S. Michael* 764 d
Llangoed in insula Mona. *S. Thangwn* 763 c, 764 d
Llan-Jestyn in insula Mona. *S. Jestinus seu Justinus* 764 d
Lochlevin in Scotia. *Ecclesiæ fundatio* 1 f
Loconvacum (Leugny) in agro Autissiodorensi 212 c, 214 a
Locopolis, Laak, oppidum Illyriæ 459 c
Lotharingiæ dux, *socius victoriæ Joannis Sobiesky* 418 b. *In illum derivant laudem victoriæ Austriaci* 418 f, 419 a
Loysium (Loys *seu* Langenloys), oppidum Austriæ, *conventum Observantum recipit* 310 d e
Lubana (Lobau), oppidum Saxoniæ. *Prædicationes S. Capistrani* 526 f, 530 c. *Lubanenses petunt canonizari S. Capistranum* 408 a
Luca in Italia. *S. Paulinus episcopus* 586 e f. *Lucenses civitatem Pisciam expugnant* 229 b. *Lucenses denarii* 603 e
Luccæ, *vulgo* Loches, in agro Turonensi. *S. Senochus* 766 f et seqq.
Lucio in Galliis. *Anno* 853 *exusta a Normannis* 155 a. *Cultus S. Senochi* 768 f, 769 a. *In Lucionensi cathedrali templo colebatur S. Benedictus Casinensis, non Quinciacensis seu Herbadillicus* 157 a
Lugdunensis provincia *a barbaris vastata* 52 d
Luigné in pago Medalgico 151 d
Luli propugnaculum in finibus Cappadociæ Minoris 917 a
† Lupi Trecensis monasterium. *Reliquiæ S. Syræ* 106 d
† Lupuli ecclesia in ducatu Beneventano 827 d
Lutianum in agro Mugellano. *Reliquiæ SS. Crescii et sociorum* 610 d

M

Moab, regio Arabiæ desertæ 669 c, 671 a
Maaddeni 701 d; *Abrahæ posteri* 759 c; *quare rariores inter eos christiani fuerint* 691 e
Maceracum in Britannia Minori. *S. Benedictus eremita* 150 c e f
Maciliacum monasterium in Cadurcis 123 a-c
Maciolæ. *Vide* † Crescii plebs de Maciolis.
Madian, Madianitis, Arabiæ provincia 664 a. *Madian et Epha, regiones Arabiæ* 669 b. *Madianitidis regulus Abu Carib* 682 d. *Madianitidis et Kindæ reges Harith, Hodjr, Imrulcays (rex designatus)* 683 f, 684 a
Magdeburgum, urbs *olim* archiepiscopalis. *Prædicat S. Capistranus* 329 f, 525 e, 526 c. *Magdeburgenses petunt canonizari S. Capistranum* 407 d, 408 b c d f
† Maglorii parthenon Faventiæ 781 c d
Magnaura, palatium CP. *etiam Hebdomum dictum* 197 e, 205 b. *Vide* Hebdomum.
Majus Monasterium Turonense (Marmoûtier). *Lis de prioratu Asianensi* 155 f. *Albertus abbas* ibid. *Acquirit monasterium Lehonense* 778 b
Mailrosense monasterium. *Ibi vixit Turgotus, dein S. Andreæ in Scotia episcopus et Aldwinus magister* 6 b
Male *seu* Cauca-Mali (*hodiedum* Cochin) *sæculo* VI *sacra christiana colit* 689 f
Malegnone (parthenon de) ordinis Servorum B. M. V. 898 d
Malliacum (Mailly-le-Château, Mailly-la-Ville) ad ripam Icaunæ, hodiernæ diœcesis Senonensis (dépt de l'Yonne, arrond. d'Auxerre) 213 c
† Mamantis monasterium Constantinopoli, quod et Xylocircus 8 f, 9 a b. *Festum et forte reliquiæ SS. Theodotæ et Socratis* 9 f, 10 e
Manezardus in Asia Minori 17 e
Manhali mons in Arabia prope introitum maris Rubri 753 c
† Mansueti *prius* S. Petri templum et monasterium Tullense 50 d. *Plurium sanctorum Tullensium episcoporum cœmeterium* 909 et seqq. *Abbates* ibid. *Parochia Bonneti, altare S. Florentini et alia* 851 e f, 852 a b
Mantuæ *prædicat S. Joannes Capistranus* 287 f
Marca regni Gothici 131 e
† Marcelli templum Romæ 4 c
Marcheisum, *locus ignotus, verisimiliter in tractu Pictaviensi aut Petragoricensi* 264 d, 267 b
† Marci oppidum in Italia. *SS. Senator, Viator, Cassiodorus et Lucas abbas* 576 f
† Marci templum Alexandriæ 743 f, 746 a
Mareb flumen in Æthiopia 751 b
Mareb, *alias* Mariaba, Saba, *urbs regia Homeritarum, seu* Sabæorum in Arabia 665 c f, 667

667 b, 672 a, 675 c; *ejus situs* 676 c; *ejus rudera* 666 a; *ruptura ejus catarractæ* 662 f, 665 f, 666 a, 668 b, 678 a, 920 d
† Margaritæ de Belna monasterium in agro Augustodunensi. *Cultus S. Senochi* 768 d
† Mariæ de Arenis basilica Barcinone. *Corpus S. Eulaliæ* 2 b
† Mariæ Bellifontis *seu* de Valle Unta monasterium juxta Petrovaradinum ad Danubium 360 f
† Mariæ de Fornacibus templum Romæ 4 c
† Mariæ ad Novemfontes in agro Claromontano monasterium. *S. Gilbertus* 576 b
† Mariæ della Scala hospitalis domus. *Sustentatur concione S. Capistrani* 456 b, 458 f
† Mariæ trans Tiberim ecclesiæ *origo* 11 e
Marillage in S. Florentii Veteris territorio et in pago Medalgico 151 d
Marinæ Vallis 604 d
Marnas ad Divam et prope Ligerim 816 f, 818 d
Maroliensis decanatus in pago Herbadillico 152 b c
Marsicus mons. *Vide* Massicus mons.
† Martini altare in pristina ecclesia cathedrali Cameracensi 577 c
† Martini Turonensis oraculum Casini 836 b
† Martini (Vertavensis) monasterium de Duobus-gemellis 798 e, 799
† Martini Vertavensis ecclesia (S. Martin de Bram) 152 e
Massicus *seu* Marsicus mons in Campania. *S. Martinus et fundatum ab eo monasterium aliaque* 824 et seqq. *Massici vini laus et interitus* 826 d e. *Vide* † Crucis monasterium.
† Mathiæ *seu* S. Eucharii templum Treviris, *prius cœmeteriale, dein monasticum* 617 a
Matotha, Chaldææ urbs *vel* regio 689 a
Matreventus pagus, *quo Lucio continetur, pars olim pagi Herbadillici* 152 d
Maulimart in pago Medalgico 151 d
Maurillus mons 604 d
Mauritania Tingitana *Hispaniæ accensebatur in civilibus* 31 d; *in ecclesiasticis ecclesiæ Africanæ* 31 e
† Maxentii monasterium. *Diploma anni* 848 801 e
Mecca, Arabiæ civitas, prope templum Caaba 667 e f; *ejus antiquitas* ibid. *Memoria Abrahæ, in Meccana Caaba servata, inservit nonnullis Arabibus ad retinendum unius Dei cultum* 760 a. *Meccani Coraysjitæ coluntangelos, maxime S. Gabrielem* 757 b
Medabæ *residebat rex Salihitarum Dawud* 679 a b; *incolebatur a Ghassanidis christianis* 682 a; *ejus episcopus Gajanus* 682 b
Medalgicus pagus in diœcesi Pictaviensi ad Ligerim 795 e. *Ejus fines* 151 d e. *De eo paciscitur Alanus Barbatorta* 151 b. *A Normannis vastatur* 154 f; *quomodo transierit sub auctoritatem episcopi Andegavensis* 796 b
Medina, *dicta olim Yathreb, civitas Judæis frequens antiquitus* 668 a b
Mediciense S. Sergii monasterium in Mysia. *SS. Nicephorus et Nicetas abbates* 917 e f, 918 a d
Mediolanum *anno* 1521 *capitur ab imperialibus* 560 f. *Conventus S. Mariæ de Paradiso Servorum B. M. V. fundatio et destructio* 890 b c d. *Familia Porrea, B. Joannes Angelus, conventus Servorum B. M. V. et alia huc facientia* 883 et seqq.
Meldæ in Galliis. *S. Syra virgo* 104 et seqq. *Episcopi Dominicus Seguier, Benignus Bossuet et Henricus de Thyard de Bissy* 106 b d. *Breviarii Meldensis mutationes* ibid.
Melitina in finibus Cataoniæ 917 a
Mendonia in Hispania. *Episcopus Antonius a Guevara* 580 b
Meroë, insula regni Nubiæ Æthiopiam inter et Ægyptum. *Num ejus regina fuerit regina Saba quæ invisit Salomonem* 725 a b
Merseburgum, civitas *olim* episcopalis in Saxonia 525 e, 526 c
Mesciacum (Missé) in agro Pictaviensi. *S. Filiberti corpus* 155 c
Mesena insula ad ostia Tigris et Euphratis 689 a. *Mesenorum moneta* 752 a b
Mesnil in S Florentii Veteris territorio et in pago Medalgico 151 d
Mesopotamia Syriæ in medio Tygris et Euphratis. *A Xenophonte Arabiæ deputata* 661 c; *quatenus christiana fuerit sæc.* III 684 d; *conditio rei christianæ in Mesopotamia sæculo* IV *et* V 688 et seqq.; *hæreses* ibid. *Asclepion hegumenus* 566 d
Messanam *ducitur S. Felix Tubzacensis* 627 c
Meta mons non procul a Casino 826 d
Metensis urbs *vastata* 60 f, 61 a
Metulum. *Pippini II monetæ ibi cusæ* 801 e
Meure in pago Medalgico 151 d
Mezzuola. *Vide* Monsficalli.
† Miniatis in Monte templum prope Florentiam 590 e, 600 e
Mirbad, civitas Hadramautiæ 676 a
Mis-Keltraensis *abbas S. Cominus* 5 d
Misna (Meissen), urbs *olim* episcopalis in Saxonia. *Miracula operatur S. Capistranus* 335 e, 523 a, 524 b. *Misnenses canonizationem S. Capistrani petunt* 408 e
Mitylene insula maris Egææ 178 c, 181 a
Mizimum in Asia Minori 17 e
Modaina, *sive Seleucia et Ctesiphon* 671 b c d. *Vide* Seleucia, Ctesiphon.
Moedo Orientis in Asia Minori 17 e
Moguntia metropolis 655 b c; *a barbaris vastata* 52 c
Moissiacum monasterium in Cadurcis 123 a-c
Mondiderium *seu* Mons Desiderius in Ambianis. *Reliquiæ SS. Luglii et Lugliani* 109 a
Montisacuti decanatus in pago Theofalgico 151 f, 152 a
Mons Albanus, ramus Apennini per tractum Pistoriensem 237 c
Mons Calvuli (Monte Calvi) in diœcesi Samminiatensi 238 f
Monsdraconis in Campania. *Cultus S. Martini Massici* 829 c
Monsfalcus in Umbria. *S. Severus* 2 b
Monsficalli, *olim* Mezzuola, in Etruria. *Templum et cultus S. Crescii* 604 c
Mons Lucis, asceterium Persusinum VV. Clarissarum reformatum. *Mittit colonias* 307 f, 308
Monsmajor Novus, conventus B. Mariæ de Gratiis, in territorio Eborensi 580 c
Mons Marsicus *seu* Massicus. *Vide* Massicus mons.
Mons Murlus (Montemurlo) in diœcesi Pistoriensi 738 f
Mons Rapulus (Monte Trappoli) locus diœcesis Florentinæ 238 c

Mons

Mons Regalis in Gallia. *Martyrium duorum Minoritarum* 7 e f
Mons Toparius (Montopoli) parochia diœcesis Samminiatensis 234 b
Mons supra Varesium in Longobardia. *Altitudo* 554 f. *Monasterii S. Mariæ origo et fata* 553 et seqq. *BB. Catharina de Palantia et Juliana de Busto* ibid.
Mons S. Walburgis, monasterium Cisterciense, non procul a Colonia. *Richmundis, laudatissima monialis* 7 c
† Montanæ parochia in diœcesi Bituricensi. *Cultus S. Montanæ* 860 d e f
Montejan vicus ad confluentem Ladionis et Ligeris 151c
Montejan in pago et decanatu Medalgico 151 d
Montopere *idem ac Mons Taupiarius* 238 f. *Vide* Mons Taupiarius.
Montrevault in pago et decanatu Medalgico 151 d
Morbegnum, oppidum in Valle Telina 498 a e f
Morini *a barbaris vastati* 52 d
Msta fluvius provinciæ Novogrodensis 6 f
Mucillum, Mugellum in Etruria 601 b. *Hujus agri descriptio* 604 d e
Mugellanus ager, sylvæ etc. in Etruria. *S. Crescius ejus et socii* 598 f et seqq. *Vide* Mucillum.
Myriandra porta Constantinopoli 916 c
Myriocephali vicariatus in Asia Minori 917 c
Mysia *argenti fodinas habet* 363 d

N

Nabaioth, provincia Arabiæ 664 a
Nabatæi Arabes ad mare Rubrum 750 a; *eorum negotiatio* 664 d, 670 b c; *moneta* 752 a b; *cameli* 753 c. *Nabatæi, Chaldææ gens* 664 d, 689 a
Nadj. *Vide* Nedj.
Nagara (*vox Indica*) *civitas* 919 b. *Vide* Nagran, Negran.
Nagran, *forma Syriaca nominis Nedjran sive Negranæ. Vide* Nagara, Negran.
Nancejum in Gàlliis. *Cultus S. Florentini confessoris* 850 d e
Nanderalba. *Vide* Belgradum.
Nannetæ, Nanneticus comitatus, pagus etc. in Galliis. *Quando comitatus pars Neustriæ* 794 c. *Usurpatus a Lamberto* 207 b, 797 a. *De Nannetico pago paciscitur Alanus Barbatorta* 151 b. *Britonum occupatio* 794 e. *Normanni populantur* ibid. *Actardus episcopus* 795 e. *Felix episcopus* ibid., 796, 802 f. *S. Gohardus episcopus* 800 e, 814 a b. *Seguinus archidiaconus* 705 b
Narbonensis *provincia a barbaris vastata* 52 d
Narciacum (Narcy) *olim* in archidiaconatu Varziacensi (Varzy) diœcesis Autissiodorensis, in districtu Tonnodorensi (arrond. de (Tonnerre) in hodierna diœcesi Senonensi 213 c
Nascon in Arabia 757 b
Naucleria, *vulgo* Pilots island in mari Rubro 753 b, 754 a, 756 b c
Nazanum in Terra Laboris. *Stephanus Molina* 580 c
Neapolis, Neapolitanum regnum. *Lingua græca sæculo* VIII *Neapoli partim usitata* 761 c. *Sæculo* IX *Græci multi ibi erant et sex ecclesiæ Græcæ parochiales* 715 e. *Athanasius Junior improbus episcopus* 828 a b. *Saraceni admissi* ibid. *Labores ecclesiastici Philippi Albericii, Servi B. M. V.* 902 c. *S. Felicis Tubzacensis cultus, olim celeber, jam pridem cessavit* 625 b. *Templum Teatinorum seu S. Pauli Majus. Reliquiæ S. Martini Massici* 830 e f. *Neapolitanum regnum circa finem sæc.* XIV *factionibus agitatum* 273 b c
Nedj, *vel* Nadj, pæninsulæ Arabicæ pars 687 b c. *Hujus provinciæ incolæ, posteri Abrahæ per Ismaelem* 759 c, 760 a
Nedjran, *nomen Arabicum civitatis Negranæ. Vide* Negrana. *Item nomen provinciæ Negranensis; ejus regulus, sive phylarcha S. Arethas* 734 c; *ejusdem conditio hodierna, numerus incolarum, oppida, torrens (Wadi Nedjran), nuperus regulus Makkrani* 726 a
Negara, *nunc* Nedjran, in Arabia 757 b
Negrana, *Homeritidis septentrionalis civitas, ab Arabibus dicta* Nedjran, *a Syris* Nagran, *a Græcis* Negran 691 f, 702 b c, 722 d, 725 c; *nominis significatus* 722 c, 726 c, 727 a; *ejus antiquitas et num inde originem ducant literæ Indicæ Deva-nagari* 919; *civitas ampla et munita* 717 b c; *numerus incolarum Negranæ* 727 b; *proregum Æthiopum dudum regia* 727 a b, 760 a; *ejus princeps seu phylarcha Afa-el-Cahin* 760 a; *cujus progenies a Benu-l-Harith-ibn-Caab dominatu spoliatur* 706 b. *Sitne inter ejus apostolos connumerandus S. Mares* 671 e; *quando christiana esse cœperit* 693 b c d, 704 e, 726 a, 730 b c; *Negranæ episcopus Paulus* 694 et seqq. 702 f, 703 c, 724 a, 762 b; *episcopi alii : vide* Coss, Abu-Haritha. *Obsidetur a Dhu Nowas, seu Dunaan, rege Homerita judæo* 702 c, 723 d e, 761 et seq.; *qui ab ea vectigal requirit* 723 f; *quantum id fuerit* ibid. et 727 b; *perjurio civitatem ingreditur* 702 c, 723 e f, 724 a; *ordo rerum gestarum Negranæ a Dhu Nowaso, itemque martyriorum* 703, 704 a b, 730 f, 731 a; *christianorum fortitudo coram tyranno* 702 f, 704 et seq., 728 c, 729 et seq.; *martyrium sacerdotum et monachorum* 702 f, 728 a; *monialium et aliarum virginum* 728 a, 729 f, 730 a; *uxorum procerum civitatis* 729 d e, 730 a; *martyrium S. Rumæ et filiarum* 704 et seq., 731 et seqq.; *item S. Arethæ* 706 et seq., 734 et seq.; *supplicii genus* 708 et seq.; *numerus martyrum* 709 f, 710 a. *Negranæ a S. Elesbaa restituitur religio christiana et civitas reædificatur* 718 c, 737 c; *eo ducit S. Elesbaas episcopum, missum a Timotheo Alexandrino* 758 b; *S. Arethæ filius dux ibi constituitur a S. Elesbaa* ibid.; *civitas martyrum dicitur* ibid.; *dudum christiana remansit* 718 f, 719 a; *et quidem medios inter mahumetanos* ibid.; *hæreses quando ibi cœptæ* 737 c; *christiani Negranenses a califa Omar in exsilium ejecti* 719 a. *Negranæ scripta primum videntur Acta S. Arethæ* 720 c d e; *ejus episcopi plerumque Græce sciebant* 720 c d; *Negranæ laudes* 722 a c, 723 e, 740 a b; *venerationi est etiamnum* 726 a; *ejus situs et conditio hodierna* 725 c, 726 a. *Provincia Negranensis*; *vide* Nedjran.

Nemea silva in Cornubia 224 d
Nemetæ (Spira) *a barbaris vastantur* 52 d
Nemore de Mugello, *conventu Etruriæ, celebrant Observantes capitulum generale* 303 f, 455 b
Neufuy in pago et decanatu Medalgico 151 d
Neustria *Galliæ pars inter Ligerim et Sequanam* 78 b. *Quando complexa Nannetes* 794 c, 802 f. *Neustriæ sæculo* VII *fata* 842 c d
Nicæa in Bithynia. *Martyrium S. Theodotæ Ponticæ* 10 et seqq. *Sophronius episcopus* 16 a. *Altera S. Theodota, Nicæna martyr* 9 f. *Eo pergit Simplicius, legatus per Orientem, cum S. Theodota Pontica* 15 d e. *Ibi eam denuo cruciat et demum occidit* ibid. et seqq.
Nicephorium. *Vide* Callinicum.
† Nicolai de Portu hospitale. *Reliquiæ S. Florentini* 857 c
Nicomedia. *SS. Severus, Vitalis, Felix, Rogatus, Papirius, Victoria, Flavianus et Victor martyres* 23 d, 634, 635. *Initium persecutionis Diocletiani* 629 a. *Nicomediæ falso attributi SS. Severus et Dorotheus, martyres Hadrianopolitani* 23 b d
Nigellum monasterium (Nesle-la-Reposte). *Ordinatio B. Herifridi Autissiodorensis, olim Trecensis, nunc Catalaunensis diœcesis* 208 e, 213 a
Nimociensis *episcopus S. Bartholomæus de Bragantia* 3 c d
Nira (molendinum de) *in Normannia* 842 f
Nisa in Asia Minori 17 e
Nissenses *canonizari petunt S. Capistranum* 408 d
Nitriæ *monachi* 743 f, 746 a
Nobades. *Vide* Nubii.
Nocellettum prope Carinulam 829 e
Nocidum villa (Noisy-sur-Oise) 144 c
Nola in regno Neapolitano. *In ejus laudem corrupta Passio S. Felicis Tubzacensis* 625 e
Nonantulanum monasterium. *Alia monasteria sub ejus protectione sæculo* IX 607 e
Normannia, Normanni. *Normanni prædæ gratia Ligerim ingressi* 813 e, 814 a b, 817 e; *anno* 843 *pagos ad Ligerim vastant* 155 a; *destruunt parthenonem Hamensem* 844 c; *an in diœcesi Tullensi versati sint* 909 e; *auctores cædis S. Edmundi* 848 c; *ambas manus famuli Vertavensis abscindunt* 812 d; *ad Christum conversi* 99 f, 100 a. *Processiones bannales in Normannia celeberrimæ* 862
Novaborda, *alias* Haborda, civitas Rasciæ. *A Turcis capitur* 357 f, 358 d
Nova Civitas (Wienerisch-Neustadt), oppidum Austriæ 517 c. *Comitia imperii ibidem habentur pro bello sacro* 355 c f, 356 b, 357 f; *dies aliquot incolam habet S. Capistranum* 328 e
Novaria. *Gibertus Borromæus episcopus* 898 e
Novemburga Claustralis (Klosterneuburg). *Fundatur conventus Observantum* 309 d e
Novemfontes, agri Claromontani monasterium. *S. Gilbertus* 576 b
Novempopulaniæ *metropolis* 124 b c. *Novempopulaniam devastant barbari* 52 d
Novicum (Neuvy) in diœcesi Nivernensi (dépt de la Nièvre) 213 f
Novgorodia inferior, urbs Russiæ orientalis 879 a. *Euthymius episcopus* (*ut videtur*) *catholicus* 6 d
Noviheria, ubi S. Veteranus quiescit. *S. Martini Vertavensis reliquiæ* 800 e f, 814 d e
Novocomum. *Vide* Comum.
Novulæ. *Vide* Ficalles mons.
Novum Forum (Neumarkt) oppidum Palatinatus 524 e, 525 f. *Noviforenses canonizari petunt S. Capistranum* 408 d
Nubades, *veteres* Nubiæ incolæ 670 f
Nubii, *parentes Justino I imperatori, immittendi in terras Saracenorum* 743 e, 745 c. *Fidem accipiunt ab Æthiopibus* ibid. *Vide* Nubades.
Numidia in Africa. *Persecutio christianorum imperio Diocletiani* 630 b
Nuremberga *vocata* Urbs Mellita 526 a. *Nurembergenses canonizationem S. Capistrani petunt* 408 f
Nyssæ vicariatus in Asia Minori 917 c d

O

Ocelis emporium in littore Arabico ad introitum maris Rubri 753 c, 756 b
Odias *seu* torrens Wadi in Arabia 738 a. *Vide* Wadi.
Odornus rivus in pristina diœcesi Tullensi 851 e
Offecherche quinque milliaribus a Warwicko. *Palatium regium* 848 d. *Sepultura S. Fremundi* ibid.
Olonica insula. *Eo fugisse dicitur S. Viventius* 153 e
Olomucium, civitas principalis Moraviæ. *Miracula S. Capistrani insignis* 520 c; *fundatur conventus Observantum unicus* 312 a b; *possidet Nomen Jesu, manu S. Capistrani pictum* 436 e
Olympus mons in Mysia prope Bithyniam. *Symbolorum et Mediciense monasteria* 917 f, 918 a d. *Plures in eo degunt sancti* ibid.
Oman, provincia Arabiæ 664 d
Ophir, regio auri in regno Saba 665 b, 749 c
Opolia (Oppeln), oppidum Silesiæ in hodierna Borussia ad Viadrum 531 a; *fundatur conventus Observantum* 343 c d
Opova, Opovum *seu* Oppova, monasterium prope Petrowaradinum 915 b c e. *Corpus principis Lazari, a Serbis sancti dicti, et S. Joannis Capistrani* ibid.
Oppavia (Troppau) in Silesia. *Fundatur conventus Observantum* 313 d e
Ormuz. *Vide* Hormuz.
Orosa (Orense) fluvius in agro Senonensi 213 e
Orsologiacum in Asia Minori 17 e
Ortona *conciliatur Lanciano a S. Capistrano* 456 e, 459 b
Osiana in Asia Minori 17 e
Ossuna, civitas conventus Astigitani 27 f, 28 a
Oxia *seu* Acuta insula 174 d
Oydella, in Burgundia. *S. Leothadius quievit illic* 125 a

P

Padum *prodigiose trajicit S. Capistranus* 505 d e
Palantia in diœcesi Novariensi. *Patria B. Catharinæ, fundatricis Montis supra Varesium* 554 f
Palma in territorio Cordubensi. *Leonora de Portu-Carrieræ, Clarissa* 7 f
Palmyra. *Solis cultus* 744 a; *episcopus Marinus* 679 d; *centrum viarum plurium et negotiationis Syriæ desertæ* 664 e f. *Palmyrenorum moneta* 752 a b

Palmetum. *Vide* Phœnicon.
Palæstina prima, secunda *ac* tertia 682 d e f, 683 e
Pannonii, *optimi augures* 16 b
† Pantaleonis mons in Æthiopia 751 b
Papia. *B. Boethii Severini martyrium, reliquiæ, cultus* 3 b c. *Templa cathedrale et S. Petri in cælo* ibid. *Vide* Ticinum.
Paraclitus, monasterium Virginum in diœcesi Ambianensi. *Olim eremitorium S. Ulphiæ* 143 d, 144 d, 148 e f
Pareds, *olim* pagus, *dein* archidiaconatu Alperiensi *repræsentatus* 152 a
Parembole, *colonia Saracenorum christianorum in Palæstina, fundatur a S. Euthymio* 680 et seq.; *ab Hirensibus et Thalabensibus subvertitur* 681 c d; *restituitur* 681 e. *Ejus episcopi: Petrus* 681 b e f; *Valens* 681 e. *Ejus comites, seu præfecti: Aspebet* 680 et seq.; *Terebon* 680 d; *Anghæus filius Zet, filii Job* 681 e
Parisiensis academiæ *origines* 212 e
Parnassus in Asia Minori 17 e
Parthia *aliquando idem fere ac Persis* 673 b
Parthenopensis ecclesia, *seu* Neapolitana. *Athanasius Junior episcopus* 761 c
Patavii *prædicat S. Joannes Capistranus* 287 f
Patovia (Klattau) oppidum Bohemiæ. *Miracula operatur S. Capistranus* 522 a, 523 f
Pelusium, oræ Ægyptiacæ emporium 664 d e
Pen, *Wallensibus caput, omne quod extremum est, in nominibus locorum* 763 e f
Pen egwest. *Vide* Penegoes.
Penegoes in Montis Gomerici comitatu. *S. Cadfarchus* 763
Percetum *villa in pago Morinensi* 122 a
Perejaslavia, urbs prope Kioviam 878 c, 880 b
Pergamus in Mysia 916 f
Periculum Maris, *seu* Mons S. Michaelis in hodierna diœcesi Constantiensi 258 e, 259 e f
Perim insula in mari Rubro 753 b c, 756 b c
Perrhe, civitas episcopalis, in provincia Euphratensis in Syria 645 d
Persæ, Persis. *Persarum regnum finit Tigris flumen* 566 f. *Persarum reges: Sapor II* 688 e, 689 b; *Cavades, seu Cobad* 687 c d e f, 689 c d, 698 d, 699 d e; *Bahram Giur, seu Vararanes V* 686 et seq. 689 c. *Ardasjirus* 688 f, 689 a; *Pherozes, seu Firuz* 689 c, 690 f; *Iezdegerd I* 686 d e f, 689 a b; *Vararanes IV* 689 a b; *Sapores III* 689 a; *Balasch* 689 c; *Cosroës I dictus Anusjirvanus* 689 d; *Iezdegerd II* 689 c. *Vide* Cosroës Parviz. *Persarum rex et regina S. Simeonem Stylitam venerantur* 686 e f. *Persæ, exeunte sæculo* VI, *Yemanæ regnum occupant* 718 f; *eorum bella cum Græcis Cpolitanis* 683 a b, 687 a b c d e f, 689 c d, 694 d. *Persæ negotiatores in mari Rubro* 747 a. *Num ex eis fuerint magi qui Christum inviserunt* 670 a b. *Persis quatenus christiana fuerit sæc.* III 684 d. *Saraceni catholici* 742 b c. *Nestoriani* ibid.; *inter eos sæc.* VI *christiani plerique catholici erant* 690
Persarmenia 689 f, 670 c, 684 e; *ejus episcopi* 32 *catholici sæc.* VI 690 f
Perusia *celebris academia* 275 *a. Ladislao regi Neapolitano oppignoratur* 275 f. *Dominum habet Braccium de Montane* 277 c
Petra, Arabiæ Petrææ urbs primaria 664 e; *seu urbs regia Arabum Nabatæorum et Ghassanidarum* 750 a; *civitas episcopalis* 682 d; *episcopus Asterius* 678 e
Petrafricta in pristino pago Pictaviensi 151 c
Petragorica in Galliis. *S. Fronto qui et Frontinus* 586 e f
† Petri in Cælo templum Papiæ 3 b c
† Petri monasterium situm Lecore plebatus S. Laurentii de Signa 603 c
† Petri Romani capitulum. *Sub ejus protectione sæculo* IX *constituta monasteria* 607 c
Petrovaradinum 915 c
Phacusa, in Arabia Ægyptiaca 661 b
Pharan, monasterium Palæstinæ 680 d
Pharia *seu* Pharos insula, *vulgo* Letina 915 b
Pharsan insulæ. *Inde naves colligit S. Elesbaas* 747 a. *Earum situs, ignoratus græcis et latinis, anno* 1824 *detectus* 749 b
Phersan insulæ. *Vide* Pharsan.
Philadelphia, in Arabia deserta. *Quando episcopos habere cœperit* 678 e; *Cyrion episcopus* 679 d
Philippi, metropolis in exarchatu Macedoniæ 914 f
Phœnices *e Sabæis Arabiæ oriundi* 665 a. *Phœnicum coloniæ in mari Arabico* 666 c. *Phœnicum negotiatio cum Sabæis seu Arabibus* 663 b c, 664 et seq.
Phœnicum, *seu* Palmetum, desertum Arabiæ 682 b, 683 a, 722 b. *Ejus regulus Abu Charabus, seu Abu-Carib, illud donat Justiniano imp.* 682 b c d; *quo tempore illud amiserint Græci Byzantini* 718 et seq.
Phrygia *locus emortualis Juliani imperatoris* 47 b
Phrygia in Asia Minori. *Integra civitas odio christianorum deletur* 12 b
Piceleonis castrum, *vulgo* Picighettino. *Conventus monialium ordinis Servorum B. M. V.* 892 c d. *B. Joannes Angelus* ibid. *Manticæ B. Joannis Angeli* 898 e, 901 e, 905 b
Pictavus in Galliis 767 a. *SS. Trinitatis monasterium* 156 d. *Pictaviensis pagi et diœcesis sæculo* VI *amplitudo* 771 c. *Pictaviensis diœcesis continuit totum pagum Herbadillicum* 795 e f, 796 a b. *Pictorum fines* ibid. *Isemberbus episcopus* 154 c d. *Comes Guilielmus Caput de Stupa* 151 b c. *Cui subesset anno* 844 *is pagus* 801 d e. *Cultus S. Benedicti Quinciacensis* 150 et seqq. *Cultus S. Senochi* 768 f. *Monetæ Pippini II* 801 e
Pictavus Vetus. *Ejus situs* 766 f, 767 a
Pin-en-Mauge in pago et decanatu Medalgico 151 d
Pisæ in Italia. *S. Paulinus episcopus* 586 e f
Piscia, urbs episcopalis in Etruria 226 f, 227 a b c
Pistorium in Italia. *B. Bonaventura ex ordine Servorum B. M. V.* 883 e
Pitiver in Galliis. *S. Gregorius Nicopolitanus* 802 c. *S. Martini Vertavensis ecclesia* 802 c
Placentinus S. Annæ conventus Servorum B. M. V. 892 b
Placentinus S. Mariæ Gratiarum conventus Servorum B. M. V. 888 c
Plebelanium *non venit S. Maxentius abbas, sed eo translatus est* 154 b
Plumbus (Plomb), parœcia ruralis in hodierna diœcesi

diœcesi Constantiensi 262 f, 266 f
Podendum in finibus Asiæ Minoris 917 a
Poitevinière in pago et decanatu Medalgico 151 d
Polocia Lituaniæ urbs perantiqua 866 a b; *protulit S. Euphrosynam et S. Parascevem, virgines et abbatissas* 866 b. *Episcopi Polocenses antiquiores enumerantur* 866 c. *Polocenses non confundendi cum Polovcensibus* 866 a
Polonia, Poloni. *Polonia vindicat sibi Prussiam* 347 d e f. *Poloni in obsidione Belgradensi adversus Turcas fortissimi* 364 c
Polovcensium *gens Russis inimica* 866 b; *invadunt Kioviam, et ingenti clade afficiunt* 866 b
Polyandra porta Constantinopoli 916 c
Pomerium (Pommeraye) villa in agro Senonensi 213 c
Pommeraye (la) in pago Medalgico 151 d
Pons Signianus *dicitur a S. Allucio ædificatus* 237 d
Pontis S. Vincentii prioratus in diœcesi Tullensi 914 b
Pontalbuinum oppidum medium inter Brixiam et Cremonam 458 c, 459 c d
Pontensis civitas in Bohemia 523 b, 524 c
Pontia, villa in confinibus Italiæ 331 c
† Pontii Tomeriarum civitas episcopalis. *S. Albini reliquiæ et cultus* 8 d e f. *Petrus Joannes Franciscus de Percin de Montgaillard episcopus* ibid. *Singulares mutationes in Kalendario liturgico factæ* ibid.
† Portiani abbatiola in agro Arvernensi. *S. Filiberti et aliorum sanctorum corpora* 155 c d
Portus Genarius. *Prædicationes et miracula S. Capistrani* 516 e, 518 e
Posis ædes CPoli 183 a, 186 d
Posnania in Polonia. *Conservatur illic vexillum S. Capistrani* 436 f
Præmonstratensis *ordo. S. Gilberti festi historia* 576 a b c
Prati montes 604 d
Priscianum, curtis in finibus Suessæ 827 d
Prometum, *forsan* in littore Chalcedonico 178 c, 180 f
Prota, una ex insulis Principum 172 d
Protasii tractus Constantinopoli 715 a b
Provincia Proconsularis in Africa. *Persecutio christianorum imperio Diocletiani* 630 b
Prussis in Mysia, *vulgo* Brousse 917 f, 918 a. *Paulus episcopus* 918 d
Prutheni *rebellant contra equites Teutonicos et regibus Poloniæ se dedunt* 347 c-f
Pteleæ in Asia Minori. *S. Theodorus Studita* 917 f
Ptolemaïca *mansio* 750 c
Puiset-Doré in pago et decanatu Medalgico 151 d
Ponteba *seu* Pontafil oppidum conterminum Lombardiæ et Carinthiæ 517 a, 519 a
Puteoli prope Neapolim. *Medio sæculo* I *christiani* 587 d

Q

Qaoul-el-Kebireh. *Vide* Atakua.
Qosiat, *patria S. Imeatæ, abbatis Habessini* 8 c
Quinciacum, pristinum morasterium diœcesis Pictaviensis. *Cultus S. Benedicti Herbadillici. Fata monasterii* 150 et seqq. *Gualterius, Joannes et Aimericus, abbates* 155 f, 156 a
Quingejum in Vesontionis finibus. *Corpus S. Renoberti Bajocensis* 576 a
† S. Quintini in pago Medalgico (Saint-Quentin-en-Mauge) 151 d

R

Radamus, urbs Babyloniæ 671 b
Radilovium, oppidum ad Volgam situm 879 a
Raidan in Æthiopia 677 c d
Raithu, eremus et monasterium in pæninsula Sinaï 682 e f
Rakka. *Vide* Callinicum.
Ramle, montes Arabiæ 701 d
Rascia, provinciæ meridionalis Serviæ. *Rasciam ad Danubiam in inferiori Hungaria* 473 c. *Eam occupant Turcæ* 353 d
Rasia, *seu* Rassia et Radia, non procul a Tigri. *Julianus apostata* 572 d e. *Vide* Asia *et* Assia.
Ratiatum, Raisé, *sæculo* VIII *aquis sublatum* 797 e
Ratiatense clima in pago Herbadillico 152 b; *prius pars diœcesis Pictaviensis, dein Nannetensis* 796 a b
Ratisbonæ *celebrantur comitia imperii contra Hussitas* 548 b d. *Miracula operatur S. Capistranus* 522 b. *Ratisbonenses canonizationem S. Capistrani petunt* 408 f
Ravanicense monasterium. *Corpus Lazari, principis Serbiæ, pro sancto culti* 915 e
Ravennates *bella gerunt adversus Faventinos* 238 a
Reate, civitas episcopalis. *Reconciliatur a S. Capistrano Cantalicensibus* 456 f, 459 b
Rebnicium, urbs episcopalis in Valachia 434 d e
Redic, prioratus canonicorum in Anglia. *Reliquiæ S. Fremundi* 848 e f
Reema. *Vide* Regma.
Regii Lepidi (Reggio) in ducatu Mutinensi *servatur birretum S. Bernardini Senensis* 459 b
Regma, *sive* Reema, provincia Arabiæ antiquæ 664 a d f; *Arabiæ emporium* 664 d f
Reidan regio, *vel forte* palatium Dhafarense, *quod ab Edrisio* Zeidan *dictum est* 920 a
Remi in Gallia. *Concilium anni* 625 105 c. *Civitas a barbaris occupatur* 52 c. *Remenses episcopi, qui sæc.* IV *et* V *rexerunt ecclesiam* 60 d
† Remigii abbatia Remis in Gallia. *Gandelgaudus decanus* 150 b c. *Vetus Sacramentarium Gregorianum* ibid.
† Remigii altare in crypta ecclesiæ Cameracensis 577 c
† Remigii in pago Medalgico (S. Remi-en-Mauge) 151 d
Rhedones in Britannia Minori. *Electramnus episcopus* 848 a
Rhegepondandus urbs Cappadociæ 917 d
Rhegium in Lucania. *Eo ducitur S. Felix Tubzacensis* 627 c
Rhinocolura, oræ Ægyptiacæ emporium 664 e.
Rhodus. *Vide* Rodus.
Rhoe. *Vide* Edessa, Roa.
Riec (castellum de), *nunc* Rié, in pago Herbadillico 152 e
Rilliacum, vicus non longe distans a Treis in Gallia. *SS. Syra seu Syria et Savinianus* 104 b e f, 105 b. *Monasterium rectum a S. Syra* ibid.

Rinaldus mons 604 d
Rinello (Prioratus de). *Prior Henricus Garni* 914 a, 915 d
Rioza in Campania prope Vulturnum 827 d
Risapha. *Vide* Rosapha.
Roa, *sive* Ῥόα, *num Edessam designet* 726 b
Rochefort in pago Medalgico 151 d
Roda in Hispania. *Translatio S. Valerii Cæsaraugustani* 575 c
Roda (Sint-Oden-Roei) *in decanatu Endhoviensi, diœcesi Buscoducensi* 128 b
Rodentum in finibus Cappadociæ Minoris 917 a
Rodi insula. *Monasterium fundatur ab Eudone, duce Aquitaniæ* 132 b
Roha. *Vide* Edessa, Roa.
Roma in Italia. *Sæculo* IV *ineunte munera eo delata dicuntur a christianis ex Oriente* 153 d. *Romana peregrinatio quam frequens olim* 804 e. *Eam instituit S. Martinus Vertavensis* 810 e. *Roma capta ab Alarico, apparet lumen forte zodiacum* 741 b c. *Romæ aliquando uxores, more orientali, velo obtegi cœperant* 734 a. *Romanorum negotiatio cum Arabibus* 675 d. *Vide* Negotiatio, Sabæi, Mare Rubrum. *Romanorum pontificum catalogus Liberianus non accuratus* 616 b. *Romani Pontifices constituunt S. Capistranum universalem inquisitorem* 499 f, 500 a. *Romanam fidem ut defendant Saraceni catholici* 742 c, 743 d. *Romana ecclesia plures sub se habet metropoles* 655 a b. *Romanæ ecclesiæ amplissimum patrimonium in Sicilia* 71 a
Roma Nova. *Roma dicta ab Æthiopibus Constantinopolis* 751 b c. *Romanos appellant Æthiopes græcos, maxime Constantinopolitanos* 751 b c
Rosapha, *sive* Sergiopolis, urbs Syriæ desertæ 720 b, 722 b; *dicta etiam Risapha et Sergiopolis* 726 b c; *ejus situs, monasterium* ibid.; *num illic scripta fuerint Acta S. Arethæ* ibid. et 727 a; *etymologia nominis* 726 b c
Rosapha, urbis Bagdadi regio 726 b
Rossi *seu* Russi *infesti christianis* 182 e; *fidem christianam amplectuntur* 185 f, 186 a b. *Vide* Russi, Rutheni.
Rostoviensis *ecclesiæ episcopus præfuit olim Vladimiriensi, Suzdaliensi et Perejaslaviensi* 878 c
Rothomagus in Normannia. *S. Laudi, prius S. Salvatoris templum* 844 e f, 845. *Rotomagensium antistitum episcopologii fragmentum* 76 c. *Rotomagi liberatur quotannis captivus in honorem S. Romani* 89 b-f, 90 a-f, 91 a-e
Rothonense monasterium in Britannia Minori. *Ejus fundatio* 777 d e. *Historia Fromundi pœnitentis* 847 e f. *Cultus S. Benedicti Maceracensis* 150 f
Rotundus mons 604 d
Ruba, solitudo in Palæstina 688 a b
Rubri maris *extensio ignota Constantinopolitanis sæculo* X 750 c. *Quinam populi illic sæculo* VI *negotiarentur* 747 a, 749 b. *Vide* Mare rubrum.
Rulo. *Vide* Rhegium.
Rum. *Vide* Roma *et* Constantinopolis.
Ruma in Sclavonia 915 f
Russorum *indoles describitur* 344 e f, 345 a b. *Eorum assiduitas in evolvendo Paterico* 874 c; *eorum item in describendis aliis voluminibus diligentia* 875 e; *etiam voto obfirmata* ibid.
Rutheni. *Vide* Rossi *et* Russi.

S

Saba *seu* Sabat, Æthiopiæ portus in sinu Adulitico. *Ibi S. Elesbaas invisit S. Zonænum seu Pantaleonem abbatem* 748 a, 751 b
Saba, urbs. *Vide* Mareb.
Sabæorum *regnum aliquando vastissimum* 726 b. *Sabæi Jectanidæ diversi a Sabæis Cusjitis* 666 f, 667. *Sabæi postmodum Homeritæ dicti* 675 c. *Saba sive Sjaba, aut Sjeba nomen antiquum regni Homeritarum* 725 a b; *provincia eadem ac Arabia Felix* 761 e; *eadem item ac Homeritis* 721 f, 722 a. *Vide* Yemana. *Item regnum Sabæorum Jectanidarum in Arabia* 667 a. *Sabæorum cameli* 753 c. *Eorum negotiatio* 663 b c d, 664 et seq.; *vix ulla gens ante Christum magis mercatui dedita* 665 a; *Phœnicibus præiverunt* ibid.; *eorum divitiæ* 662 et seqq., 663 e f, 664 a, 669 f, 665 d e; *sæculo* VI 665 f; *alias gentes superabant copia auri* 665 b; *divitiæ ejus regum* 665 b d; *sequuntur luxum Babyloniorum* 757 a b; *perperam dicti magi* 762 d. *Regina Sabæorum Arabiæ, non vero insulæ Meroës in Nubia, fuit regina Saba, quæ Salomonem invisit* 643 b, 669 a, 675 c, 725 a, 761 b. *S. Arethas et socii* 761 b. *Sabæi Cusjitæ seu Chamitæ, tum in Arabia, tum in Æthiopia habitarunt* 666 f, 669. *Saba, Æthiopiæ regio* 677 d. *Sabæi Æthiopiæ Africanæ* 698 b
Sabæi *seu* Ssabæi, *id est astrorum cultores, partim fuere Arabes veteres* 668 a. *Vide* Ssabæi.
Sabaitæ 677 c d
Sabrina, Angliæ fluvius 848 b
Saccasena in Asia Minori 17 e
Sacco (Conventus B. M. V. de) *ordinis Servorum B. M. V.* 886 c
Sadirum, arx prope Hiram 686 c d
Salankemen oppidum in dextero Danubio, medium fere inter Petrovaradinum et Belgradum 371 e, 470 d, 473 e. *Ibidem post victoriam Belgradensem moratur S. Capistranus* 384 d
Salernum. *SS. Fortunatus, Cajus et Anthes* 622 d. *Salernitani episcopatus incerta origo* 47 b e f
Salihitæ *seu* Benu-Salih in Syria 678 b; *origine Sabæi* 684 b; *eorum rex Dawud* 679 a b; *phylarchiam Syriæ obtinent* 679 a; *eorum historia christiana* 677 et seqq.
Salionum, vulgo Saumur, super Ligerim 811 c
Salis, *duplex hujus nominis* vicus in Petragoricis. *Locus natalis S. Giraldi* 249 f
† Salvii monasterium. *Reliquiæ SS. Petri et Marcellini* 799 e
† Salvii Vallumbrosanum monasterium prope Florentiam 599 d
Samara *seu* Samarrah, *olim* Sumere prope Tigrim. *Julianus apostata* 572 e
Samaria in Palæstina. *Episcopus ibi fuisse dicitur S. Benedictus Quinciacensis* 152 f, 153 a. *Inde S. Viventius oriundus* 153 c
Samboria in Gallicia. *Conservatur pileolus S. Capistrani* 436 f
Sanaa, urbs Yemanæ *seu* Homeritidis 676 a b c, 702 b, 712 c
Sandeodatum in Galliis. *Cultus S. Florentini confessoris* 850 d
Sanctensis pagus. *Vide* Sanctesium.
Sanctesium territorium, Sanctesis provincia, 124[a] pagus,

pagus, comitatus, *etc.* in diœcesi Tullensi. *S. Amon* 909 c d, 912 a d e
Sanctonensis pagus. *Cui subesset anno* 844 801 d e
Sanguinaria villa in territorio Aquævivensi seu Calviensi 840 b f
Saniana turma in Asia Minori 917 c
San-Polten. *Vide* † Hippolyti fanum.
Santones in Gallia. *S. Vivianus, episcopus, prætermissus* 576 d
Saon flumen. *Vide* Savon.
Saraceni. *Vide* Arabes Scenitæ. *Saraceni qui et Arabes Hirenses* 744 a. *Eorum origo et nominis etymologia* 191 a, 204 c d. *Saraceni sæculo* IV *in christianos graves* 569 b. *Saraceni monachos in monte Sinaï iteratis vicibus occidunt* 682 e f; *item Thecuæ in Palestina* ibid. *Saraceni christiani sub ditione Persarum* 742 a b. *Eorum regulus* ibid. *Clerici* ibid. *Saraceni, Italorum imbecillitate, ingrediuntur sæculo* IX *Italiam et multa impie faciunt* 827 f et seqq. *Saraceni constituti Agropoli prope Salernum in Campania pugnant cum græcis* 837 e, 839 d. *Ter quotannis vastant Campaniam* 837 f
Sargia (Sark), insula inter Guernesayum et Jersayum 776 a, 787 b
Sarlebia vicus, non procul a Vertavo, *submersus* 812 e
Sarmatæ *in Galliis* 765 f
Sassenayum in agro Callinonensi. *S. Senochus seu Enochus* 768 b c
Sasus, regio supra Æthiopiam 750 c, 751 a
† Satyri monasterium. *Sepultura S. Ignatii CP.* 200 b c, 204 c
Saviniacum villa ad ostia Ligeris 812 d
Savon flumen Campaniæ 827 c
Saxones, Saxonia. *Saxonicæ gentes maxime usurpant morem ponderandi frumentum et alia id genus quantum pendet infirmus* 854 f. *Saxones in Britannia distinctos ab Anglis olim episcopos habebant* 776 f. *Saxoniæ elector, socius victoriæ Joannis Sobiesky* 418 d f
Sayda oppidum Saxoniæ 523 b, 524 b
Scacarium (Echiquier) *supremum Normanniæ tribunal* 89 f, 90 c
Scardona, urbs episcopalis in confinio Dalmatiæ, sub metropoli Spalatensi 399 c d
Scarpariæ vicariatus et territorium in Etruria 604 e
Scepe, monasterium. *Ejus situs ignoratur; locus exilii Photii* 193 d
Scetense desertum et monasterium. *Monachi* 743 f, 746 a. *Scetensium patrum exempla quam proficua* 866 f
Scheisheim, eremitorium in diœcesi Frisingensi. *Statua S. Capistrani* 419 b c
Scilla oppidum in Africa 624 e. *Scillitanorum via prope Carthaginem* 623 a, 624 e f. *Scillitani martyres prope Carthaginem sepulti* 624 d e
Scilly (Insulæ de) in Anglia. *Decimæ* 225 a b
Sclavonia. *Serviani eo migrant post Leopoldi I imperatoris victoriam* 915 b
Scoti *in scriptis, ante sæculum* XI *confectis, fere Hiberni interpretandi sunt* 105 e, 224 d; *sic S. Florentinus* 858 e
Scyredala, vallis in Artesia 109 b, 120 f, 121 f
Segontensis *aut* Segintensis pagus *seu* comitatus. *Vide* Sanctesium.
Segovia in Hispania. *S. Fructus* 582 b
Seleucia ad Euphratem 688 f; *synodus* 689 b; *archiepiscopi quando facti sint Nestoriani* 690 a; *ejus archiepiscopi : Babœus seu Babuæus* 690 e, 699 e; *Patricius, seu Mar-Abas* 690 e, 699 e; *ejus episcopi : Barbaseminus martyr* 688 f; *Tamuz seu Tomarsa* ibid. et 689 a; *Cajuma* ibid.; *Isaacus* ibid. *Vide* Modaina.
Selken, Æthiopiæ regio 677 d; *in inscriptione Tazenæ, num Zeilam, civitatem maritimam, designet, vel Selhin, sive Salhin, arcem Homeritidis* 919 f
Selles-Saint-Denis in diœcesi Biturícensi. *Cultus S. Montanæ* 860 f
Seltse, villa antistitum Polocensium, urbi Polociæ proxima 866 c
Semlin oppidum Slavoniæ ad Danubium. *Naves Turcicæ congregantur* 371 c. *Fere excisum* 392 a. *Eo delatum corpus S. Joannis Capistrani* 433 b
Senæ in Italia. *BB. Joachimus, Franciscus et Elisabeth ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f. *Ibidem prædicat S. Joannes Capistranus* 284 a b. *Senensis ordo officiorum diversus a Florentino* 589 d
Senarius mons. *Vitam eremiticam anno* 1411 *ibidem instaurat Antonius de Senis* 887 f, 888 a. *Locus describitur* 888 d e. *Prior fit B. Joannes Angelus* 890 e, 892 d e, 901 c, 904 e f
Senarii montis *incolarum laus* 901 b
Sennaar (terra) in Mesopotamia 699 e
Sennaar, pars Nubiæ 672 c
† Senochi parochia in agro Turonensi 767 f et seqq. *Homonyma parochia in diœcesi Rhedonensi* 768 a b
Separis, rivus agri Nannetensis, ante dictus Laudosa 803 f, 809 f
† Sepulcri *equites uniuntur equitibus S. Joannis* 228 b
Sequana, *Rotomagensibus infesta* 95 d e, 100 a
† Sergii monasterium Rosaphæ sive Sergiopoli in Syria deserta 776 b
† Sergii monasterium Mediciense in Mysia. *SS. Nicephorus et Nicetas* 917 e f, 918 a d
Sergiopolis. *Vide* Rosapha.
Sethia, *oppidum Cretæ insulæ, hodie Cythæum* 307 e
Setichenbeckensis abbatia in Germania. *Monachi impie occisi anno* 1376 7 b
Setium oppidum diœcesis Terracinæ 415 f
† Severini castellum (*hodie* S. Seurin) in hodierna diœcesi Burdigalensi, *olim* monasterium 63 f
† Severini ecclesia, *olim SS. Cornelii et Cypriani, Coloniæ* 54 d e f, 55 a-f
Serio flumen Piceleonis castri 892 d
Sevis vallis *et* fluviolus in Etruria 604 d
Sicilia *a Saracenis vastata* 200 f, 201 a, 204 d; *terræ motibus quassatur* 461 a
Silee in Æthiopia 677 c d
Siler. *Vide* Sillarus flumen.
Sillarus flumen regni Neapolitani in Campania 837 e, 839 d
Sinaï montem *sæculo* IX *visitant pœnitentes Galli* 848 a
Sindad flumen prope Hiram 686 d
Sirasiense monasterium Ord. S. Benedicti 132 a
Sirmium, oppidum Hungariæ, *olim sub Turcis* 433 b
Slavorum *calendaria ecclesiastica* 716 b c d

Socotara,

Socotora, *dicta etiam* Dvipa Sukhatara, Dioscorides, *num* Dibus *Philostorgii* 675 a b, 756 c; *incolarum lingua et origo* ibid.; *ejus ecclesia sæculo* VI 689 f
Sodomæ *ruinam imitatur Herbadilla, divinitus punita* 803 b c d
Somaules, Africa gens supra Æthiopiam 750 c; *seu Æthiopica* 696 b, 726 c
Sombat. *Vide* Tasempot.
† Sophiæ Beneventanum templum. *Multa corpora sanctorum* 827 a
Sophiæ, portus CP. *non confundendæ cum templo primario S. Sophiæ* 187 e
Spoleti *partem deprædant Saraceni* 828 a. *Guido dux* 837 e, 839 d
Stenum, fretum Bosphori 171 f, 172 a, 186 b c
† Stephani *seu* Calatina diœcesis in Campania Neapolitana 827 d
† Stephani templum Autissiodorense. *Processiones bannales* 862 a
Strasburg, castrum principale episcopi Gurcensis 547 d
Strelitz *seu* Storlitz oppidum medium inter Beuthen et Opoliam 531 a
Stroburga, oppidum diœcesis Gurcensis 517 b c, 519 a
Studium monasterium. *Ejus regula utebantur monachi Kievocryptenses* 870 b, 871 f; *ea regula prohibebatur quidpiam retinere, inscio præposito* 871 f
Sublacus. *Quomodo inde ivit Casinum S. Benedictus* 836 a b
Suessa in Campania 829 b d e f
Suessionenses Franci, *derelicto Chilperico, adhærent Sigiberto, regi Austrasiæ* 765 c
Suez ad mare Rubrum 749 c
Sully (Iles de Scilly) in Anglia. *Decimæ* 225 a b
Sulmona, civitas episcopalis in Aprutio Ulteriori. *Intestinis odiis agitata, a S. Capistrano pacificatur* 456 e, 459 b
Sumere prope Tigrim. *Vide* Samara.
Sutrium. *S. Maximinus, episcopus Trevirensis, et S. Martinus, abbas Vertavensis, imo episcopus Moguntinus* 810 e, 813 c d
Suzdalia, urbs Russiæ 878 c. *Ecclesia cathedralis consecrata a Simone episcopo anno* 1225 880 d. *Suzdaliensis et Vladimiriensis ecclesiæ divitiæ* 880 d. *Ecclesia B. M. Virginis a Simone de novo exstructa* 879 a. *Monasterium Suzdaliense SS. Cosmæ et Damiani* 878 e
Syllæum *aliquando* metropolis Pamphyliæ Secundæ 198 a
Symbolorum cœnobium in Mysia. *S. Athanasius, dein Mediciensis procurator* 917 e f. *S. Plato abbas* ibid.
Syracusæ in Sicilia. *Civitas capta et direpta a Saracenis* 158 e f; *horrenda clade affecta* 203 c, 205 e f; *incertum medio ævo jus metropoliticum* 70 a b. *S. Zosimus* 2 f
Syriæ *accensita Mesopotamia* 566 d. *Syria vastatur a Cosroë Parviz* 718 f. *Syriaca lingua concinnata fuere Acta S. Arethæ* 719 e f, 720, 724 b c, 726 b c, 727 a, 730 c. *Syrorum menses sæculo* VI 738 b. *Syromacedonum menses qua ætate cum Julianis convenire cœperint* 720 a b
Szabacs, oppidum Hungariæ. *Corpus S. Capistrani ibi quievisse dicitur* 434 b
Szolos *seu* Naguszolos, oppidum Hungariæ. *Eo delatum dicitur corpus S. Capistrani* 433 b c

T

Tabenne, Tabennesi, palma, palmæ Isidis, in Ægypto 581 e
Tabiæ vicariatus in Asia Minori 917 c
Tacu *seu* Taku. *Vide* Atakua.
Taghlebitæ *christiani fuisse dicuntur* 689 a
Tagrita, *sive* Tecrit, urbs Mesopotamiæ ad Tigrim 689 a b; *ejus episcopus S. Maruthas* ibid.
Taifali *quam spurca gens* 764 b c e, 765 e f, 766 a. *Ejus sedes ad Ligerim* ibid. *Ex ea natus S. Senochus* ibid. *Taifaliæ in Gallia fines* 766 b, 769 f
Taliaferrum in Etruria 604 e
Tapothucê, *idem* in Ægypto locus *ac* Apothucê, Boutidj et Aboutidj 581 e
Tapharon, *alias* Taphar, Dhafar, Dhofar, Zhafar, Zafar, *regia Homeritarum* 675 et seq.; *urbs primaria Dunaan regis* 739 f, 740 a. *Ejus situs* 676 c; *quando episcopos habere cœperit* 720 d. *Vide* † Gregentius. *Taphari ecclesiæ christianæ* 676 e f; *urbs capta a S. Elesbaa* 755 d e f, 756 c, 757 a b, 759 a b, 760 a. *Templum ibi exstruit* 758 a, 759 a
Taphra. *Vide* Tapharon.
Taprobana, Indiæ insula, *vulgo* Ceylan, *sæc.* VI *sacra christiana colit* 689 e f
Tasempot, *idem* in Ægypto locus *ac* Sombat 581 e
Tau fluvius in Devonia 223 b c
Tavestockium monasterium et oppidum in Devonia. *Cultus S. Rumoni et alia decora; abbates et vices* 223 et seqq.
Taureni montes 683 a
Taurica Cappadocia 917 a
Taurinum *incerta* civitas in Hungaria 531 c
Tauromínium *ducitur S. Felix Tubzacensis* 627 c
Tchorus in Asia Minori 917 d
Tehama, Arabiæ regio 678 b
Tekrit, urbs Mesopotamiæ 699 e. *Vide* Tagrita.
Tehama Yemanæ 676 b; *Arabiæ pars* 674 d
Tela, *seu* Constantina, urbs ad Euphratem 687 d
Telanissus vicus in Syria 686 e
Telonum in Provincia. *S. Gratianus* 9 d
Temeswarium, sedes episcopalis diœcesis Csanadinæ. *Prædicationes S. Capistrani* 359 b c, 460 e, 464 c
Tenalia monasterium. *E Fonte Dulci prodiit* 251 c
Terebinthi locus prope Hebron in Palæstina 674 a
Teredon, *Chaldææ emporium* 664 d f
Thalabenses (Arabes) *Syriam vastant* 681 c d; *invadunt regnum Hirense* 687 e
Thalemundensis decanatus in pago Herbadillico 152 d e. *Vicaria* 152 e
Thapsacus, urbs ad Euphratem 664 f
Theana. *Episcopi Guilielmus et Pandulfus. Diœcesis hodierna conditio* 834 a e f
Thecua, urbs Palæstinæ 682 e
Theodonisvillæ *ponte ruente miser casus* 852 f
Theodosiana Crypta *vocata etiam remotior* 867 c. *Vide* Kiovia.
† Theodotæ Nicænæ templum in campo Hebdomi Constantinopoli 9 f
Theofalgicus pagus in diœcesi Pictaviensi ad Ligerim 795 e. *Ejus fines* 151 e f, 152 a. *De eo*

eo paciscitur Alanus Barbatorta 151 b. *A Normannis vastatur* 154 f
Therma urbs Cappadociæ 917 d
Thessalia *ad patriarchatum Romanum pertinebat* 161 d, 162 f, 163 a c
Thessalonica in Thracia. *Dacianus præses; S. Viventius prædicator* 153 d. *Palamitarum origo* 10 b
Thibiræ *seu* Tibiræ in Africa *episcopus non fuit S. Felix* 623 f
Thubursicabura. *Hujus nominis significatio* 624 a. *Vide* Tibursicabura.
Thusci, Thuscia. *Thusciæ metropolis* 588 b. *Thuscorum sanctorum cultus promotus sæculo* XVII 583 b c
Tiama, regio 677 d
Tiberias, urbs Palæstinæ, *ubi habitabant pontifices judæorum* 708 b
Tibiura. *Vide* Tubzaca.
Tibrinne. *Vide* Cluain Tibrinne.
Tiburi *male adscriptus S. Majorus, qui S. Servus est Africanus* 582 e f, 583 a d
Tibursicaburæ in Africa *episcopus non fuit S. Felix* 623 f, 624 a
Ticinum in Italia. *Cultus B. Joannis Angeli* 894 c
Ticinum. *Vide* Papia.
Tiermogne. *Vide* Trutmonia.
Tigernum apud Alvernos. *SS. Genesia et Genesius* 8 d
Tigris *flumen, limen regni Persarum* 566 f
Tiriacum in pristino pago Pictaviensi 151 c
Tizzana, castellum in parte orientali Montis Albani in Etruria 230 c
Tkou. *Vide* Atakua.
Tmutorokania civitas ad paludem Mæotidem sita 880 b
Toarcensibus *Brittones sæculo* IX *infesti* 816 a
Tocai regio 677 d
Toletum in Hispania. *S. Gratianus martyr cœmeterialis Romanus* 7 a. *Templum fratrum SS. Trinitatis* ibid.
Tolosa in Galliis. *Cæcus curatus ad tumulum S. Martini Vertavensis* 811 c. *Male adscripti SS. Severus et Dorotheus, martyres Hadrianopolitani* 24 d. *Cultus eorum et S. Victoris* 4 f, 5 a
Trecorium (Treguier), civitas Armoricæ, *fit episcopalis sæc.* IX 776 d
Tremonia. *Vide* Trutmonia.
Trenorchium abbatia in Burgundia. *Corpus S. Veterini* 800 f. *S. Benedicti Quinciacensis corpus et alia* 155 b d
Tor, *sive* Tur, portus pæninsulæ Sinaï prope Rachu 682 e
Torgavia, oppidum Borussiæ. *Prædicationes S. Capistrani* 526 f, 530 c
Tornacum in Belgio. *Anno* 575 *ibi versatur Chilpericus* 765 c. *Civitas a barbaris occupata* 52 d. *S. Felicis Tubzacensis cultus jam pridem cessavit* 625 b
Tornum ad lacum Comensem 562 a
Tosa porta Mediolani 561 c
Totaio in Asia Minori 17 e
Trajanopoli *falso attributi SS. Severus et Donatus seu Dorotheus, martyres Hadrianopolitani* 23 b e
Trajectum prope Cajetam. *Datur Saracenis, post ejectis* 828 b c
Trajectum ad Mosam. *Episcopi SS. Perpetuus, Ebregisus, Joannes Agnus* 818 c. *Veterum episcoporum cultus* 823 d. *Communis omnium illius urbis sanctorum commemoratio* 615 a. *Eo translata Tungrensium episcoporum corpora* 616 e f
Trecæ. *Episcopus Joannes de Auxeio; Henricus de Noya decanus S. Petri* 105 d. *Monasterium S. Lupi* 106 d. *Reliquiæ S. Syræ* ibid.
Treviri. *S. Maternus* 3 f. *Olim ibi cultus S. Felix Tubzacensis* 625 b d. *Trevirensibus, Tungrensibus et Coloniensibus unus præest episcopus* 616 f
Tridenti *parvo cum fructu ad populum sermonem habet S. Joannes Capistranus* 285 e f, 286 a b. *Clerum reformat* 286 b c
† Trinitatis monasterium puellare Pictaviense. *Anna de Pie abbatissa. Breviarium* 156 d
Trizaci vadum, vulgo Trizay 152 c
Trognie in pristina diœcesi Leodiensi. *S. Trudo* 821 d
Trotimania. *Vide* Trutmonia.
Trutmonia *seu* Trumonia, episcopatus Trajectensis *seu* Leodiensis villa. *S. Ebregisus* 818 c, 819, 820
Trutmonia, Trotimania, Druthmania, Trutmania, Tremonia, nunc Dortmund 821 d
Truncus Berengarii, *in pago Morinensi locus latrociniis insignis* 115 e
Tubjuça. *Vide* Tubuza.
Tuburbitana civitas Major in Africa. *S. Servus* 582 f, 583 a d
Tubuza in provincia proconsulari. *S. Felix episcopus et martyr* 623 f et seqq. *Ejus magistratus et alia* ibid.
Tubzuca. *Vide* Tubuza.
Tullum Leucorum caput 50 c d. *Tullensis ecclesiæ initia* 49 a b e f. *Tullensium pontificum catalogi* 908 f, 909 a. *SS. Amon, Alchas, Auspicius, Celsinus, Ursus seu Ursinus, episcopi. Eorum gesta et cultus* 908 et seqq. *S. Leudinus, seu Lugdelinus, qui et Boso* 3 e. *Tulli una festivitate plures episcopi celebrati* 910 b c. *Cultus S. Florentini confessoris* 850 et seqq. *Generalis synodus anni* 1112, *cui intersunt duo abbates, quatuor archidiaconi, cancellarius, decanus, comes et alii* 858 d. *Synodus anni* 1025 ibid. *Templum S. Petri, dein S. Mansueti monasterium* 909. *Vide* † Mansueti monasterium.
Tumulus Berengarii (la Motte Bérenger), *ubi percussor SS. Luglii et Lugliani conditus fuit* 115 f
Tungerloa, abbatia in Belgio. *S. Sebastiani altare* 1 c. *Reliquiæ B. Godefridi comitis* ibid.
Tungrorum *civitas olim perampla* 658 f. *S. Maternus* 3 f. *Tungrensibus, Coloniensibus et Trevirensibus unus præest episcopus* 616 c d f, 617 a. *Tungrensis cum Coloniensi ecclesia nexus explicatur* 654, 655 a. *Episcoporum successio* 659 d e. *Tungri sedem episcopalem amittunt* 134 d. *Tungris neque S. Ebregisi neque S. Evergisli corpus Coloniam translatum* 819 a. *Tungrensis pagus a Teutonibus occupatus* 650 f
Turettum (Turrichio) *locus adjacens solo natali S. Allucii* 237 e
Tur. *Vide* Tor.
Turiason in Hispania. *S. Gaudiosus episcopus et patronus* 8 f
Turones, *olim* Cæsarodunum 766 f. *Civitas anno* 853 *exusta a Normannis* 155 a. *Majus monasterium* 155 f. *Cultus S. Senochi* 768 d e. *Turonense jus metropoliticum a Britonibus controversum* 207 c d

Turovia,

Turovia, urbs Russiæ et episcopi sedes 880 b
Tuscio (le Tusson), monasterium Ord. Fontis Ebraldi 248 f, 251 d e f, 257 b c
Tyana, Christopolis dicta 914 f
Tzaiom, Æthiopiæ regio 677 d

U, V, W

Vadanimons, vulgo Vaudemont, caput Sanctesii in pristina diœcesi Tullensi 912 e
Vadi. *Vide* Wadi.
Valachia, *ad unitatem ecclesiæ reducta, denuo in schisma relabitur* 360 a b
Valdibotti. *Vide* Elisbot.
Vallicula in agro Mugellano. *S. Crescius et socii* 597. *Vide* Valliscava.
Vallis Aspera ad Tessam in Apulia 580 d
Vallisbocti prope Florentiam 950 f. *Vide* Elisbot.
Valliscava in agro Mugellano. *Cultus S. Crescii et sociorum* 589 e. *Templum et alia memorabilia S. Crescii et sociorum* 601 et seqq.
Vallis Cernaji prope Parisios. *Dedicatio* 4 d
Vallis Laurea *seu* Valdaura monasterium Cisterciense in confinio diœcesium Tarraconensis et Barcinonensis, *ex Grandi Silva prodiit* 243 b-e
Valloniæ in Normannia. *Titulus Hamensis parthenonis seu S. Fromundi Constantiensis* 843 b. *Decanatus* 844 c
Vangiones (Wormatia) *a barbaris deleti* 52 c
Varadini *S. Capistranus prædicat* 498 b, 499 a
† Varentii parochia in provincia utriusque Separis (*dépt des Deux-Sèvres*) 151 c
Varesium *seu* Varisium in Longobardia 553 et seqq.
Variagorum *trium millia conversio* 880 e. *Epistola ad Jaroslaum de fide Variagorum falso tribuitur B. Theodosio* 880 e f
Varsaviæ *fundatur conventus Observantum* 312 a
Vascones *augures celebres* 16 b. *Vasconia trans Garumnam Saracenis erepta* 131 f
Vastinum, *vulgo* Vatan, in agro Biturícensi. *S. Montana* 860 b
Vastinensis ager in Suecia et alter in diœcesi Senonensi 859 b
Vatan. *Vide* Vastinum.
Ucecia, civitas *olim* episcopalis, *patronum habet S. Theodoritum; ad regnum Arelatense pertinebat sæc.* IX 34 c
Velate prope Montem supra Varesium 559 d
Venetiæ in Britannia Minori. *Armagila Nicolas* 580 e
Venitiis in Italia *S. Capistranus Quadragesimam anni* 1451 *prædicat* 287 f
Ventariolum prope Carinulam 829 e
Venusia in Apulia. *S. Felix Tubzacensis et perperam adscripti socii* 8 a b, 599 c. *Palæstra S. Felicis, episcopi Tubzacensis et martyris* 618 et seqq.
Ver in Normannia. *Dimidiæ decimæ* 799 f
Verkola, vicus comitatus Archangelscensis, *olim* Novgorodensis 864 a
Vernii montes 604 d
Veronæ *prædicat S. Joannes Capistranus* 287 f
Vertanum *seu* Vertavum, olim monasterium in diœcesi Nannetensi, in climate Clisso-
niensi et pago seu provincia Herbadillica 152 b c. *S. Martinus abbas et fundator* 794 et seqq.
Vertona rivus (rivière S. Martin) in pago Herbadillico 152 e
† Veterini prioratus in pago Andegavensi 800 c f
Vetrala in Italia 904 e. *Celebratur anno* 1485 *Servorum B. M. V. generale capitulum* 890 a
† Victoris ad amphitheatrum templum Mediolani 898 d
Vicentiæ *prædicat S. Joannes Capistranus* 278 f. *Vicentinus episcopus S. Bartholomæus de Bragantia* 3 c d
Vicus, civitas episcopalis Cataloniæ. *S. Bernardus* 8 b, 582 c
Vienna Austriæ *ambit habere S. Capistranum prædicatorem* 328 e f. *Istic plus quam ducenta miracula operatur S. Capistranus* 331 d, 517 c d; *fundatur conventus Observantum* 309 b c, 311 b c d, 468 d; *gymnasium artium* 465 e; *civitas a Turcis obsidione cingitur* 417 b c
Vienna fluvius prope Vertavum et Nannetas 814 c
† Vigoris Cerasiense monasterium in Normannia. *Robertus abbas. Prioratus Duorum-gemellorum* 799 e f. *Prioratus S. Fromundi* 842 f, 845 d e f. *Cultus S. Fromundi* 846 a
Vihiers, Vihers, in pago Pictaviensi 800 e f
Villacum in Carinthia 465 c, 468 b, 915 f. *Multa miracula operatur S. Capistranus* 331 c; *oppidum a morbo epidemico liberatur ope S. Capistrani* 517 a b, 519 a; *Villaki inquiritur in miracula a S. Capistrano post ejus obitum patrata* 477 f, 478 a-d; *conventus a conventualibus ad Observantes traducitur* 482 f, 483 a. *Vide* Uylack.
Ville-Neuve in pago et decanatu Medalgico 151 d
† Vincentii abbatia Ordinis Præmonstratensis Wratislaviæ 344 c
† Vincentii monasterium Capuanum 838 b
† Vincentii Vulturnensi monasterio *datur monasterium Massicum* 827 c d e. *Epiphanius abbas* 827 f. *Ejus monasterii chronographi errores* 827 c d et seqq.
Vitellensis archidiaconatus in pristina diœcesi Tullensi 912 e
Viterbium, *Ladislao regi Neapolitano oppignoratum* 275 f. *Viterbiense generale capitulum Servorum B. M. V., anno* 1482 *celebratum. Ut in id introducti novitii* 890 a. *B. Antonius ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
† Viti Castellum. *Miracula S. Capistrani* 516 e
Vladimiria urbs Russiæ, *olim princeps* 878 a b c. *Ecclesiæ Vladimiriensis et Suzdaliensis primitus suos quæque habuit episcopos* 880 b, 883 a. *Ecclesia S. Demetrii* 879 b. *Monasterium Nativitatis B. M. Virginis* 865 e f, 878 a
Ulmetan in diœcesi Abulensi. *Conventus tertii ordinis S. Francisci. Catharina de Quadia* 7 f
Ad Ulmos, sacellum, prope Lillerium, *in quo corpora SS. Luglii et Lugliani aliquandiu quieverunt* 112 f, 113 a
Volodimeria in Russia. *Festum et imago B. M. V.* 578 c

Uranum, monasterium Camaldulensium in diœcesi Britonoriensi. *Reliquiæ SS. Samsonis et Maglorii* 780 f
Urbs vetus in Italia. *B. Thomas ex ordine Servorum B. M. V.* 883 f
Urrigné in pago Medalgico 151 d
Ursel. *Vide* Urseria.
Urseria vallis in Italia, *imo* vicus Ursel ad Rhenum 810 f, 813 c d
Ursinia (Orsogna) in Aprutiis *conventum Observantum recipit* 306 f
Uruffe in pristina diœcesi Tullensi. *Cultus S. Florentini* 857 c
Uticam inter et Carthaginem *sepultus S. Felix Tubzacensis* 620 b
Uticensis monasterii *exordia* 799 b c d
Utinæ *prædicat S. Joannes Capistranus et infirmos sanat* 284 b, 516 e, 518 f
Utarde locus prope Ligerim et Vertavum 803 f
Wadi Nedjran, *torrens provinciæ et civitatis Negranæ, a Syris dictus* Vadi, *in quem projecta dicuntur corpora martyrum* 707 b, 708 et seq. 718 a, 726 a; *a Græcis dictus* Odias 708 f, 736 c; *ei adjacent oppida multa* 726 a
† Walburgis mons. *Vide* Mons S. Walburgis.
Wallia in Britannia Majori. *Sancti permulti* 763 a. *Genealogiarum fides* 763 d e
Warwicensis comitatus. *Offa regulus et S. Fremundus martyr* 848 b
Weitra, oppidum medium inter Zwetelium et Crumlovium 547 a
Wellensis in Anglia *episcopus Livingus, qui et Ethelstanus* 224 a b
Wintonia in Anglia. *Lifingus monachus, dein abbas Tavestockiensis, post episcopus Cridiensis* 224 a b
Wiremuthæ *monachus fuit Turgotus, dein S. Andreæ in Scotia episcopus* 6 c
Wischovium (Wischau), oppidum Moraviæ. *Miracula operatur S. Capistranus* 520 c, 521 d
Wisihoffen oppidum medium inter Egram et Ratisbonam 522 b, 523 f
Wittlahe villa in decanatu Dusseldorpiensi, diœcesis Coloniensis. *Corpora SS. Justæ et Rufinæ* 28 b-d
Vulturnus, flumen Campaniæ 826 c
Vulturnense monasterium. *Vide* † Vincentii.
Wlurintura (Manerium de) in Cornubia, dominium regium, an Tavestockiense 224 f, 225 a
Wratislavia in Silesia. *Fundatur conventus Observantum* 312 c-f, 313 a b, 527 b c d. *Civitas S. Capistrano devotissima* 342 a b c. *Hussitæ expelluntur* 342 c d. *Cives amantissimas ad S. Capistranum dant literas* 343 e f, 344 a b
Wyke, manerium *traditum monasterio Tavestockio* 225 c
Uylack *seu* Villacum *in agro Sirmiensi* 389 f, 432 c, 474 c d. *Ibidem sepulturam eligit S. Capistranus* 392 e f. *Cives ejus canonizationem promovent* 406 a b. *Capitur a Turcis* 432 d e. *Vide* Villacum.

X

Xerocercus. *Vide* Xylocircus.
Xylocercus *seu* Xilocircus Constantinopoli 916 c. *Ejus situs Constantinopoli* 8 c. *Porta* ibid. *Nomen monasterii S. Mamantis* 9 f, 10 a

Y

Yathreb, *alias* Medina, civitas Arabiæ, *judæis frequens* 694 b. *Vide* Medina.
Yectan, Yectanidæ. *Vide* Jectan, Saba, Sabæi.
Yemana, *alias* Sabæa, Hamyar, Homeritis; *est* Arabia Felix *recentiorum* 661 e f; *ejus limites* 662 a. *Yemana interior* 756 c; *num inter Yemanæ apostolos fuerit S. Mares* 671 b c d e

Z

Zaphar. *Vide* Taphar.
Zegedinum (Szegedin), civitas Hungariæ, *visitata a S. Capistrano* 530 a, 531 d
Zeidan, palatia regum Taphari 675 f, 676 d
Zeila portus 677 d; *seu Æthiopiæ civitas maritima* 696 b; *aut forte portus supra Æthiopiam* 750 c. *Aliquando in ditione fuisse videtur regum Axumitarum* 919 f
Zaphar maritima in Arabia 756 c, 757 a; *utitur lingua Ehhkili* 676 d e. *Vide* Taphar.
Zingium prope mare Rubrum 751 a
Znoima (Znaim) oppidum Moraviæ 468 e
† Zosimi ecclesia in ducatu Beneventano 827 d
Znaimum, oppidum Moraviæ. *Miracula S. Capistrani* 520 f, 521 b
Zucnin, monasterium prope Amidam 687 c
Zuitania, *forsan* Zwittau in extremo limite occidentali Moraviæ 522 e, 523 f
Zulla non procul ab Aduli in Æthiopia 752 b
Zwettel, oppidum Austriæ. *Insigne monasterium Cisterciense* 521 e, 523 e, 546 f

INDEX

INDEX ONOMASTICUS.

A

Abd-el-Masih (*Arabicum*), *servus Messiæ* 674 d
Absida, absis, *arcus triumphalis* 567 e
Acta (respondere apud), *verba dicere, instrumentis judicialibus inserenda* 630 c
Ἀδελφις, *soror* 732 e
Adjutor commentariorum, *auxilians custodi reorum* 14 e f, 17 f
Adjutor commentariensis, *adjutor custodis reorum* 17 f
Adorea, *far et omnis agrorum proventus; quæ quum victoribus dono darentur, adorea etiam pro gloria et laude dictum est; hinc* virtutum adoreæ *sunt virtutum laudes* 805 d
Ἀειπαρθενος, *virgo Deo dicata* 728 d, 730 b
Æolica exemplaria, *scripta græca* 761 c
Ἀγριοφοινικος *vel* ἀγριοφοινικινος, *ex palma agresti* 748 f, 753 c
Ala-Atzbah (*vox Æthiopica*), *benedictus* 724 c
Albis (in) transire, *mori ante depositam vestem baptismalem* 796 a
Amma, *puerilis matris appellatio græca* 739 a
Angelica forma, *habitus monachalis apud Orientales* 883 a
Annale, *acta publica alicujus loci* 234 e
Apocrisiarius, *legatus* 699 d, 742 e
Ἀπόλλειν, *perdere* 749 a
Archiclavus, *thesaurarius ecclesiæ* 213 e
Archimandrita, *archiepiscopus* 213 e
Arcisterium, *aceterium, abbatia* 223 f
Ἀρκτος ἑπταὰστρος, *septemtriones* 739 c
Aspebed, *vel* Ispebed (*vox Persica*), *præfectus equitum* 681 a
Astrifera Salvatoris infantia, *quæ astro Magis innotuit* 761 c
Attædiari, *fastidio affici* 803 b

B

Bacillus, *pedum episcopale* 66 a
Banda, *minor pars thematis seu provinciæ militaris* 917 a c
Barathrum, *carcer teter* 590 f
Banni episcopalis homines, *diœcesani* 858 b
Barat, *Hungaris amicus, appellatio FF. Mendicantibus imposita* 435 c d
Βαρις, *domus, palatium* 731 c
Basilica episcopii, *ecclesia cathedralis* 834 b
Βαυκαλλιον, *patera, lagena vitrea ore patulo, vulgo bocal* 758 f, 760 b
Bayt-Allah (*voces arabicæ*), *domus Dei* 668 a
Benedictus, *beatus* 767 d
Bene-Kedem (*vox hebraïca*), *filii orientis* 669 e
Βιγλαι, *vigiliæ seu excubiæ* 205 b
Βιοθανης, *qui ex decreto judicum mortem violentam passus est* 733 b
Birotum, *currus nixus duabus rotis* 816 e
Βοηθος κομεντων, *adjutor commentariorum seu custodis reorum* 17 f
Bombardæ. *Vide* Balistæ.
Bulletone, *catalogus feudorum* 601 b

C

Calopodium, *calceamenti genus* 444 a, 446 c
Campagus, *ornamentum pontificale, a diaconis Catanensibus male usurpatum* 68 f, 71 d
Cancellum monasterii, *clatra ante chorum, ipse chorus templi monastici* 913 a, 914 b
Canun posterior, *januarius* 700 a
Capsa, Capsus, Capsum, *locus rhedæ et forte navis, in quo sarcinæ sunt* 632 a
Carceris ima custodia, *barathrum* 590 a f
Carrucarum quatuor terra, *tantum terræ, quantum quotannis quatuor aratris coli possit* 842 f
Castrum, *oppidum* 837 e, 839 d
Cayl (*Himyariticum*), *nomen præfectorum provinciarum in Homeritide* 725 a
Cedula, *inscriptio sepulcralis* 909 a
Censualis terra, *censum annuum debens* 858 b
Centuriæ, *centum coloni* 588 a
Charta pecuaria, *charta pergamena* 234 f, 237 b
Chorus interior, *oratorium intra monasterium* 559 e, 560 c
Cinubium, *cœnobium* 843 c
Clamare, *prætendere, sustinere* 225 d
Clavicularii, *custodes reorum* 17 f
Cochlear *seu* Cochlea, *turris* 213 f
Cœnobialis grex, *monachi* 817 b
Cognitor, *judex delegatus ab augustis, prius alieni juris defensor et procurator* 632 c
Collectarium missale, *sacramentarium* 910 f, 913 f, 915 a d
Commentarienses, *reorum custodes* 14 e, 17 f
Commentarii, *liber cui inscripti rei seu incarcerati* 17 f
Commune, *kalendarium* 859 d
Confirmare, *affirmare, asserere* 595 e
Conjungere, *pervenire* 572 b
Conterminalis, *aliquot leucis distans* 803 a
Contiguus, *aliquot leucis distans* 803 a
Conventus, *contractus matrimonialis* 277 f
Cornicularii, *custodes reorum* 17 f
Crypta, *cœmeterium* 61 d; *feretrum* 913 c e f, 914 d
Cule (*vox Britannica*), *secessus, angulus, abditus locus* 5 d
Curator perpetuus coloniæ, reipublicæ, *præcipuus coloniæ magistratus* 629 c

D

Danegeldum, *vectigal propter Danorum incursiones institutum* 224 a
Deifici libri, scripturæ, *libri sacri* 626 b, 628 c
Demotus, *separatus, remotus* 770 a
Δηναριος, *denarius aureus* 742 d, 748 e
Denariatæ ceræ, *valentes unum denarium* 862 a
Deo vota mulier, *vitam religiosam professa in sæculo* 858 a
Dhu (*Himyaritica vox*), *nominibus plurium principum Homeritarum præponitur, forte dominum significans* 725 a
Dhu Nowas, *dominus cincinni* 693 e
Dirhem, *seu* dirham (*Arabica vox*), *drachma Arabica pristina* 727 b
Domesticus, *præfectus officii aulici* 176 d
Dominica *seu* dominicana abbatissa, *nobilis abbatissa* 860 a
Dominicum vexillum, *crux* 816 b
Domus necessaria, *latrina* 249 a
Dormentorium, *dormitorium commune in canonia* 605 d

Δοσοληψια,

Δοσοληψια, *ratio dati et expensi* 731 c
Dragunculus, *ulceris seu cancri species* 816 c, 818 a
Δρομαιον, *cursim* 738 f, 740 c
Dromon, *navis oblonga* 193 e
Drungarius, *officium seu præfectura aulæ CPolitanæ* 185 f
Dvipa (*vox Indica*), *insula* 665 a b

E

Ecticus, *qui ex febri tabescit* 768 b
Ela *seu* Ala (*Æthiopica vox*), *quid significet* 725 a c
Ἑλκας, *vel* ὁλκας, *numus aureus Homeriticus* 723 b c, 727 a b
Embolus, *porticus secretior* 187 c
Εἰλαμην, *forma insueta* 728 f
El arim *ab Himyaritis dictus agger Marebensis* 666 a
Elimon (*vox Arabica*), *sapiens, magus* 669 d
Elymas, *magus* 669 d. *Vide* Elimon.
Ἡμερουσιος, *quotidie, quotidianus* 758 f
Ἐνομοτος λογος, *juramentum* 723 c
Epimenia, *dona menstrua* 789 b, 791 d
Ἐπισκοπατευω, *episcopatum gero* 719 f, 724 c
Episcopii basilica, *ecclesia cathedralis* 834 b
Ἑπτα ἀστερες, Ἑπταστρον, *pleiades* 741 a b
Ἑπτααστρος ἀρκτος, *septemtriones* 739 c
Exceptores, *curatoris coloniæ ministri aut apparitores* 630 b
Ἐξερκετος, exercitus 728 d
Ἑως cum genitivo, *usque ad* 738 f

F

Farinarium, *molendinum* 213 d
Feronymus, *homonymus* 838 e
Festum baptismi, *epiphania* 711 e
Fisci naturales, *bona temporalia* 223 f, 224 a
Flasco, *lagena vitrea* 835 b, 840 a
Forma ceræ, *ellychnium cereum*, (*pain de cire*) 840 f
Fossorium *seu* Fossarium, *ligo ad effodiendam terram* 486 c
Frigoritici, *febricitantes* 767 e, 771 b
Fumarium, *caminus* 817 b
Fundi *significatio* 28 a

G

Genialis, *ad generationem pertinens* 835 a, 840 a
Genici, Γενικοι, *ærario publico præpositi* 191 d
Gentiles, *barbari qui in Imperio Romano suis, non Romanis legibus vivebant* 765 f

H

Harith, *agricola* 759 b
Hellenismus, ἑλληνικη δοξα, *idololatria* 745 a b
Hesychastæ, *silentiarii, eremitæ* 690 a
Hippagines, *naves quibus equi vehebantur et viri* 632 a

I

Ἰνδικα πλοια, *genus navium* 747 a
Instrumentum sacrum. *Vide* Sacrum instrumentum.
Interminus, *sine fine* 830 b
Ἱππαγωγοι, *naves quibus equi vehebantur et viri* 632 a
Ispebed. *Vide* Aspebed.
Judicia Dei, *infernus in India* 567 f, 568 a

K

Καβαλλαριος, *eques* 749 a, 754 f
Κανονικη, *virgo ecclesiastica* 728 d, 730 b
Kantar (*Arabica vox*), *pondus librarum centum, dictum pro* Kintar, *unde Italicum* Cantaro *etc. Vide* Kintar.
Καραβιον *et* Καραβος, *carabus, navicula* 755 b c, 756 b
Καταβραχος, *vadosus* 748 a
Καταγελος, *irrisio* 755 b
Kedem (*Hebraica vox*), *Oriens* 669 f, 670 a
Κεραταρια, *antennæ* 755 b
Κερατιον (*pondus*), *ceratium, seu caratium, siliqua* 727 b
Kill (*vox Britannica*), *cella, templum* 5 d
Kintar (*vox Arabica*), *talentum Arabum, duplex fuit* 727 c. *Vide* Kantar.
Κλανω, *frango* 755 c
Κομεντον. *Vide* Commentarii.
Κομης, *comes* 742 e, 744 b
Κορμη. *Vide* Κορμι.
Κορμι *pro* Κορμιον, *truncus* 754 a
Κορμιον, *truncus* 748 f, 749 a
Κυρις, *dominus* 735 a

L

Lacus, *carcer teter* 590 f
Lamæ, *anfractus viarum* 371 a
Λαμπινη *seu* λαμπηνη, *currus regius superius tectus* 755 c, 757 a
Latumiæ, *carcer teter* 590 f
Laudes, *officium matutinum* 103 c
Laube. *Vide* Loggia.
Lebonah (*vox Hebraica*), *thus* 663 e
Λιβελλησιος. *Vide* Libellensis.
Libellenses, *libellis recipiendis præpositi* 15 b, 18 a
Libri deifici, *Scriptura sacra* 626 a d
Libertas monasterii, *exemptio* 225 c
Λιτανεια *vel* λιτη, *processio ecclesiastica* 743 c f, 746 a
Lobia, loggia, loge, laube, *locus tectus* 558 a b
Loge. *Vide* Loggia.
Loggia. *Vide* Lobia.
Luban (*vocabulum Arabicum*), *thus* 663 e

M

Melina, *major aut forte extraordinarius maris æstus* 789 b, 791 d
Mamma, *puerilis matris appellatio* 739 d
Mansionarius, *ædituus* 697 e
Mar (*vox Syriaca*), *dominus* 671 et passim
Μαρτυριον, *ecclesia martyri dedicata* 743 c, 746 a
Marzabanus, *nomen dignitatis militaris inter Persarmenos* 690 f
Matres, *moniales chorales* 559 c
Matricula, *templum, monasterium* 913 a. *Variæ significationes* 50 e
Maurella, *solanum, herba medica* 816 d, 818 a
Medicabilis, *medica* 770 c
Medo, *potio melle condita, hydromel* 220 c
Merceria, *locus, ubi merces venales exponuntur* 461 e, 464 f
Metanœa, *pœnitentia* 872 a
Μεταξις (*vulgo* μεταξα), *sericum* 722 e
Ministeriales villæ, *officio aliquo fungentes* 858 b

Moallacat (*vox Arabica*), *suspensa* (*carmina*) 683 f
Monachi non seculares, sed regulares, *locutio diplomatis anglici anni* 981 223 f
Monasterium, *templum monasticum* 913 a, 914 b
Monastria, *monialis* 762 b
Μονη, *mansio, iter diei* 747 b
Μονητα, *moneta* 723 c
Monisterium, *monasterium* 843 c
Morbilli, *pusulæ rubentes* 908 e
Μυστηρια (ἁγια, θεια), *divina mysteria, i. e. eucharistia* 729 c, 731 a, 755 c

N

Nagara, (*vox Indica*), *civitas* 919 b
Nagra (*Chaldaica vox*), *vectis, pessulus* 727 a
Ναρθηξ, *narthex, pars anterior templorum gentium orientalium* 747 b
Nobilia prædia, *bona dominicalia concessa monasteriis* 811 e
Nolarium, *turris campanaria* 607 e
Νομισμα, *solidus aureus Constantinopolitanus* 733 c
Numeri, *cohors palatina* 181 a

O

Officium publicum, *exceptores seu curatoris coloniæ ministri aut apparitores* 630 b
Olere Arabice, *olere aromata* 663 e
Ὁλκας. *Vide* Ἑλκας.
Onoma, *nomen* 223 f
Ὀνοματα, *personæ, homines* 755 b
Oraculum, *ædicula, basilica* 836 b
Ὁσιοτης (*titulus regius*), *sanctitas, pietas* 743 b

P

Παγανος, *paganus, plebejus* 747 b, 748 d
Palpitare, *palpare, blandiri* 552 a c
Παραμοναριος, *ecclesiæ mansionarius, ædituus* 697 e
Παρεμβολη, *seu* παρεμβολος, *castra nomadum* 681 a b e f, 701 a, 742 e, 744 b
Parochia, *diœcesis* 803 a
Παροικια, *ditio, regnum* 722 e
Παξαματιον, *panis bis coctus* 758 f
Pelagus, *quælibet aqua, etiam fluvialis* 46 c
Pen, *Wallensibus caput, omne quod extremum est* 762 e f
Φοινικων, *palmetum* 682 c
Πιαστηρ, *prælum, torcular* 748 f
Plebs, *parochia christiana* 629 c
Polyeleum, *quid* 879 d
Potestariæ, *pagi minores in Etruria* 604 e
Prius *et* primum *relata non ad successionem temporis, sed ad præstantiam officii* 630 c
Προκενσον *seu* προκεσσον, *processio ecclesiastica* 747 b, 751 a
Proponere, *juridicum vocabulum, publice affigere* 628 c
Προσφερειν, *missam integram aut sine præsanctificatis facere* 746 a b
Προσφοραι ἀλειτουργηται, *hostiæ consecrandæ* 746 a b. Προσφορα (Θεια), *sacra hostia, eucharistia* 743 b
Psallentium, *psalmorum et hymnorum concentus* 65 e, 66 d
Psaltriæ, *feminæ psallentes* 762 b
Puer, *novitius regularis* 905 e
Pugillares, *tabulæ scriptoriæ, plerumque cereæ* 17 a

R

Ῥοιζημα, ῥυζημα, *vis et stridor venti* 749 a
Refrigerium, *cessatio in agendo* 141 d
Reginæ, *titulus fœminis quibusque sanguinis regii tributus* 215 b
Ῥοα, *pomum Punicum* 726 b
Rogitus, *instrumentum notarii, interventio rogatâ* 603 f, 604 d
Rustica *lingua, vernacula* 64 e

S

Sacellarius, Σακελλαριος, *custos fisci imperatorii* 201 c, 204 f
Sacrum instrumentum, *universa supellex liturgica* 169 d, 172 e
Saheb-al-Okhdud (*Arabica vox*), *dominus fossæ* 708 d
Sbirus, *custos pacis publicæ* 494 a, 496 b
Scacarium, *échiquier, supremum in Normannia tribunal* 89 f, 90 c
Schema monachile, *vestis monastica* 798 f
Schola, *sodalitium pium* 896 a
Scholares, *collegæ sodalitii pii* 895 f
Scripturæ deificæ, dominicæ, *libri sacri* 626 b-f
Secretarium, *locus ubi judices consedebant* 46 a
Sed Marib (*nomen Arabicum*), *agger Marebensis* 666 a
Σελλιον, *sella* 755 c
Seniores plebis, *episcopi et presbyteri* 629 c
Senkessar (*vox Æthiopica ex corrupta Græca*), *synaxarium* 693 b c, 717 a b
Sepulcratio, *depositio* 597 b
Sicula, *gladiolus* 191 e
Signum Christi, *crux* 748 a
Signum salutare, *signum crucis* 770 d
Σκευοθηκαριον, *pharetra* 754 f
Σκηνη βασταζομενη, *umbella, sella gestatoria* 731 c, 733 c
Σκουλκευω, *vigilias ago, speculor* 754 f
Soma, *corpus* 223 f
Soror, *nomen laïcarum in cœnobiis* 557 d, 561
Σουδαριον, *fasciola* 574 a
Σπαθαριος, *spatharius, armiger* 733 b
Sperare, *credere* 570 d, 544 a d
Spingardus, spingarda, *balistæ species* 372 b
Sporta, *cella penuaria* 141 d
Sportula, *corbis monastica* 758 c
Squilla, *vulgo* schelle, *minor campana* 589 c d
Σταδιαρχης, *stadii dominus* 747 c
Staupum vini, *scyphus vini* 856 a
Stemma, *corona imperatoria* 192 c
Stratilates, *strategi, duces militares* 837 e
Sturma, *assultus militaris* 382 d
Subscalmus, *locus navis sub scalmis seu paxillis, quibus alligabantur remi, inter sentinam scilicet et thalamum seu infimum remigum ordinem* 632 a
Suggestum, Σολεα, *locus medius inter chorum et navim ecclesiæ* 191 e
Synaxis, *conventus et liturgia* 746 a
Συνοδια, *societas, socii* 715 d, 716 c
Superhumerale, ἐπωμις, *ornamentum pontificale* 203 f
Σφραγις, *sigillum, baptismus, baptismus cum confirmatione* 16 e
Σχολασται, *sequaces* (*dæmonum*) 15 d, 18 b
Σχολη, *cohors, turma* 735 c

T

Τελειουσθαι, *martyrio perfici, coronari* 737 b
Terra solida *arabilis* 149 c
Tesrin prior (*Syro-Arabicum*), *october* 716 e. *Vide* Thisri.
Testamentum, *documentum publicum* 858 d
Thema, provincia militaris 917 a
Θεριστρον, *velum feminarum Judæarum* 734 b
Thisri prior (*vox Syriaca*), *october* 724 b, 738 b
Thronus adyti, *sedes patriarchæ CP. in choro seu ἀδυτῳ* 191 e
Tomus, *scriptio symbolica* 581 c
Trochanter *videtur esse tabulatum navis* 186 c
Τρυμαλια, τρυμαλις, *foramen* 748 e
Tuppa, *sera* 233 d, 234 c
Turma, *pars thematis seu provinciæ militaris* 917 a

U, V, W

Vadi. *Vide* Wadi.
Vexillum dominicum, *crux* 816 b
Victimam (ad) cervicem flectere *caput gladio abscindendum præbere* 628 a d
Ὑπερβερεταιος, *october* 720 a, 721 c, 724 b c, 737 b
Wadi (*vox Arabica*), *profluens, torrens, vallis* 707 b, 718 a, 708 e f; *inde deducta, nomina Hispanica plurima* ibid.
Warantum, *jus, auctoritas* 225 d

INDEX REALIS ET MORALIS.

Ablutio *calicis amentibus porrecta* 853 c
Abstinentia *carnis apud Observantes Servos B. M. V.* 888 a
Absynthium, *cum sale mixtum, datum ad vomendum amentibus seu dœmoniacis* 856 a b
Acta sanctorum. *Scopus eorum et indoles* 563 b c. *Acta martyrum Italorum sunt pleraque minoris auctoritatis* 586 b. *Quæ acta martyrum cycli dici quæant* 622 e. *Acta S. Felicis, episcopi Tubzacensis, quanta varietate studiose mutata fuerint* 618 et seqq. *Vide* Vita, Sancti, Hagiographi, Hagiologia, Historiæ sanctorum, Passio, Vita.
Acus *feminæ pectori tegendo solita præfigi* 840 a
Adventus *jejunium aliaque pane et aqua sustinet B. Juliana de Busto* 555 b, 556 f, 557 a
Advocatus *Vertavensium medio sæculo* IX 814 f
Aeris *serenitas sanctorum intercessione obtenta* 116 f. *Vide* Pluvia.
Æræ *seu temporum computus. Æra Antiochiæ Syriæ seu Græcorum, alias Syromacedonum, sive Seleucidarum* 700 a c d e, 719 f, 724 b; *Æræ arabum ante Mahumetem* 674 f, 675 a. *Æra elephantis* 699 b c
Æsculapii *cultus Ancyræ* 17 e. *Ejus templum in agro Mugillano* 603 a
Ætas legitima *pro sacris ordinibus sæculo* V *in ecclesia græca* 638 f
Affinitas, *impedimentum matrimonii* 176 d
Aismavurg. *Vide* Martyrologia.
Akaba. *Vide* Aela.
Al *articulo arabico aucta nomina locorum* 581 e f
Aldebaran *stellam aliasque colebant Arabes veteres* 668 a
Aleæ *multorum scelerum causæ* 497 e f
Altaria. *Altare parœciale famulorum Fiscannensium* 846 c. *Altare oratorii S. Senochi consecrat S. Euphronius, Turonensis episcopus* 769 f. *Altaris S. Rumoni usus ad confirmanda pacta conventa* 225 a b. *Altari idololatrico everso, martyrio afficitur S. Socrates* 10 d, 14 e f. *Item S. Theodota* 15 e
Altempsianum Usuardi Auctarium *seu Kalendarium Wintoniense* 214 c
Ambitio *ut curanda humilitatis studio* 880 a b
Ambo, *pulpitum ad legenda publice Epistolam et Evangelium* 191 d
Amentium *sanandorum causa peregrinationes et multi alii ritus observati in honorem S. Florentini, S. Hermetis et S. Dymphnæ* 850 et seqq.
Amygdala, *cupedia puerilia in Arabia* 139 d
Anathemata *dicuntur in honorem B. Joannis Angeli adhuc vivi oblata fuisse* 894 c, 901 d, 904 a, 905 a f
Angeli. *Cultus angelorum apud Arabes* 757 b. *Angeli auxiliantur multis modis S. Theodotæ Ponticæ* 14 c. *Angelus visitat SS. Tryphonem et Respicium in carcere eosque coronat* 17 a. *Angelica visione recreatur S. Arethas monachus Cryptensis* 871 b. *Angeli inserviunt B. Joanni Angelo ægrotanti* 901 f, 903 a, 905 c. *Angelus custos S. Agathæ* 605 a b. *Angelorum dæmonumque controversia de anima S. Arethæ, monachi Cryptensis, qui hac visione ad pœnitentiam actus est* 871 b. *Angelorum formam indutæ puellulæ in translatione B. Julianæ de Busto* 559 f
Anguillæ *pœnitentiæ causa interdictæ* 856 b.
Annum *olim ordiebatur apud Russos mensis Martius* 878 e. *Vide* Mensis, Æra.
Antipodes *non esse, olim visum* 572 b
Anuli *in martyrum sepulcris* 610 b c
Apocrisiarius, *legatus* 744 b
Apollinis *nomen perniciem significat* 13 b, 16 e. *Ejus cultus in Cappadocia* 12 f, 13 et seqq.
Apostoli *qualitates* 428 b
Apparitoribus *substituit Alexander Severus milites* 18 d e; *quot irent ante tribunum, quot ante ducem, quot ante legatum, quot ante alios magistratus* ibid.
Approbatio *cultus B. Joannis Angeli qua via obtenta fuerit* 899 b c
Aqua *procurata seu indicata baculo S. Martini Vertavensis* 804 d. *Aqua benedicta bibenda data dæmoniacis et amentibus* 856 a. *Aquæ ut distributæ in Monte supra Varesium* 556 d. *Aquationes pro camelis ad stationes in Ægypto institutæ* 745 b
Arborum *cultus inter Arabes veteres* 691 f, 692 b c. *Arbori, cretæ ex S. Martini baculo, honor habitus* 811 a
Archidiaconus *unus Nannetis sæculo* VI 803 a. *Quot alibi* 804 b. *Archidiaconus apud Autissiodorenses*

siodorenses concionatur ad crucium bannalium latores 862 a
Archiepiscopatus *et his majores sedes creantur, quando christianitas est dilatata* 162 d
Arcus *ex ivo olim facti* 811 b
Aromatibus *condita cadavera* 16 a
Aruspices *eorumque artem amat Alexander imperator* 16 b. *Infesti christianis* ibid.
Astarte, *dea Phœnicum et Arabum* 684 f
Astra *colebant Arabes veteres* 668 a
Asylum *fecit S. Elesbaas de loco, in quo martyres Negranitæ sepulti jacebant* 758 b
Avaritia *quid sit ex mente S. Theodori Studitæ et quam pœnitentiam mereatur* 872 a. *Avaritiæ damna et pœnæ* 871 a b, 872 a. *Dei mira benignitas erga quemdam monachum Cryptensem, avaritiæ deditum* 871 b
Aves. *Vide* Volatilia.
Augures *Vascones, Hispani et Pannonii celebres* 16 b. *Alexander imp. aruspex egregius* ibid. *Vide* Aruspices.
Aurei, *sive solidi aurei, moneta Cpolitana* 733 c. *Eorum valor* 744 a
Auriæ, *moneta Arabica. Ejus valor* 761 f
Auroræ boreales *an appareant in Arabia* 741 a b
Aurum *num effossum fuerit umquam in Arabia, incertum* 662 d, 663 e, 669 f. *Auri commercium in Barbareotarum regione* 751 a. *Vide* Divitiæ, Lanceolæ, Lectica.

B

B, f, g, *facile sibi invicem substituuntur* 558 b
Baculo *fontem procurat S. Florentinus confessor* 851 a. *Passim recurrit idem prodigium* 851 c d. *Similiter baculo S. Martini Vertavensis fontes procurati seu indicati* 804 d. *Baculus ex ivo aridus S. Martini Vertavensis crescit in arborem et morbos fugat* 811 a b. *Baculis tactæ reliquiarum thecæ* 855 b c
Balanitidum *usus in collatione Quadragesimali* 556 f
Balneorum *parietinæ primis temporibus sæpe loco monasteriorum, etiam in Galliis* 766 d e. *Balneis quare imponerentur amentes* 853 d e, 855 d e f
Balistæ *sæculo* XV 369 c, 370 f, 371 a
Bannales cruces *seu* processiones *causæ peregrinationum Pentecostalium* 861 e f, 862
Baptismati *præmissum jejunium* 594 b. *Nomina mutata* 594 b c. *Baptismus seorsim et baptismus cum confirmatione* σφραγις *dicta* 16 e. *Baptismus aliquando in monasteriis administrabatur* 169 f, 173 a. *Baptismus per immersionem propter incommoda suppressus* 855 d. *Quando ubique in Belgio* ibid.
Barba *clericorum olim tonsa* 149 e
Basilicæ profanæ et sacræ. *Basilica cum tribunali Cæsareæ in Cappadocia* 14 c. *Basilicis duabus Ensionensibus is habetur honor ut inter eas equitando non transeatur* 801 c
Beatificatio *piorum olim ab episcopis decernebatur* 166 e f
Bellum *ortum ex testamento Vsevoladi III* 878 c
Benedicit *S. Zonænus abbas, qui et Pantaleon, S. Elesbaæ* 748 b
Benedictus *dictus S. Senochus* 767 d
Beneficiorum incompatibilium *pluralitas arguitur* 239 a d
Bibliotheca *magni ducis Vladimiriensis Constantini* 881 a
Bigami *aliquando ad ordines admissi* 648 d
Birretum, *pileolus ad capitis formam strictus* 459 a
Blanditiis *tentat Dunaan puerulum ad judaïsmum pertrahere* 739 d e
Blasphemi *in sanctos puniuntur* 331 f, 332 a
Bona. *Bonorum dominium, ut injustum a Fraticellis traductum* 325 c. *Bona sua partim ecclesiæ relinquit S. Arethas* 737 c, 738 a. *Senioris cujusdam mira rerum temporalium abnegatio* 866 f. *Bonorum rapina grato animo ferenda* ibid. *Bona direpta quomodo in eleemosynam reputari possint* 866 f, 871 c. *Bona monasterii Vertavensis rapere studet Rainaldus, Franciæ dux* 817 c d. *Vide* Divitiæ, Dominicalia bona.
Breviaria. *Breviarium Ambrosianum usitatum ab eremitis nonnullis in Longobardia* 557 c. *Breviarium S. Maximini Trevirense anni* 1600 617 e
Bubali *in India* 567 c
Bullæ *initio sæculi* XVI *parum prudenter datæ* 892 b. *Bullæ seu sigilla diversæ materiæ* 197 e
Bursa *insigne prioris generalis Servorum B. M. V.* 887 d
Butyro *interdicti dæmoniaci seu amentes* 856 c. *Butyro non vescitur B. Juliana de Busto, quando jejunat* 556 f

C

Caaba *templum mahumetanorum prope Meccam* 667 et seq.; *ejus antiquitas* ibid.; *in ea colebantur imagines Christi et Mariæ Virginis* 674 d; *delubrum illud evertere, illato bello, frustra nititur Abrahamus, rex Homeritarum* 713 c. *Vide* Abraham patriarcha.
Caba. *Vide* Caaba.
Cæcus *Tolosanus curatur ad tumulum S. Martini Vertavensis* 811 c
Cælibatus. *Vide* Cœlibatus.
Cæremoniæ, *in locis piis usurpatæ, non facile culpandæ* 854 a b c
Cæsaries, *gloria juvenum* 278 a
Calcei *iidem quæ caligæ* 570 c, 574 a
Calendaria *Trevirensia plura antiqua recensentur* 617 c d e. *Vide* Kalendaria, Martyrologia, Menologia, Synaxaria.
Caligarum *veterum forma* 574 a d. *Vide* Calcei.
Cameli *Sabæorum et Nabatæorum* 753 c. *Cameli gestant tabernacula apud Homeritas* 754 b. *Camelis iter terrestre institutum in Ægypto* 745 b
Campanæ *S. Crescii de Vallecava et aliarum inscriptio* 605 a b. *Campanæ pulsandæ ritus Florentiæ* 589 c. *Campanæ sponte pulsantur obitu B. Joannis Angeli* 902 a, 905 d. *Campanæ pulsatæ dum miracula fiunt* 853 a. *Campanæ quotidie intra octiduum pulsatæ ante translationem B. Julianæ de Busto* 559 d f. *Campana Turcica* (*Turken-klok*) *indicat preces pro victoria christianorum fundendas* 362 e
Candelæ, *prius ad tumulum B. Joannis Angeli accensæ, delatæ ad ægrotos* 836 e
Canones Apostolorum *varie distributi in ecclesia latina et græca* 186 e, 199 c

Canon

Canon *patrum Cryptensium a Syrigo conscriptus* 879 d
Canonici, Canonicæ. *Canonicorum institutum amplectuntur Vertavenses ob nimiam rerum inopiam* 816 f. *Redeunt ad vitam monasticam* 817 a. *Canonici creati a plebano* 605 c d. *Canonicæ quæ sint* 730 b. *Canonicarum Negranensium fortitudo ac martyrium* 728 a, 729 f, 730 a; *quem locum haberent plerumque canonicæ in ecclesiis* 730 b; *non omnes virgines Deo sacræ canonicæ fuerunt* ibid.
Canopen *stellam aliasque colebant Arabes* 668 a
Cantaro, Cantar, *etc. derivatum ex* kantar *Arabum* 760 c
Canun posterior, *nomen Syriacum mensis januarii* 700 a
Capilli *ad terram promissi* 564 b c
Capitula *ecclesiarum cathedralium, senatus episcopi* 145 b c
Capitulorum Trium *schisma in diœcesi Comensi* 106 c f, 107 et 108
Capræ *carne interdicti dæmoniaci seu amentes* 856 c
Capsula reliquiarum, *pyxis imponenda sepulcro altaris* 769 f. *Vide* Reliquiæ.
Captivus *liberatur ope S. Martini Massici* 835 a, 839 f
Caput *et salus imperatoris etiam a christianis in juramento invocata* 595 b, 596 f
Carcer, Carceris custos. *Carceres interior et exterior quo modo distinguantur* 13 f, 16 f, 17 a, 590 f. *Carcerum custodes quibus nominibus dicerentur* 17 f. *Carceris custos S. Omnion convertitur a S. Crescio captivo* 591
Cardines *in re agromensoria limites a meridie ad septentrionem ducti* 588 a
Caritatem *unde discat B. Juliana de Busto* 556 d e, 558 d. *Caritas B. Joannis Angeli in mendicos* 904 e
Carnem *bis tantum manducat B. Juliana de Busto intra annos quadraginta* 556 f
Casei *et lacticiniorum usus apud Russos feria* IV *et* VI, *quoties occurrerent diebus istis festa solemniora* 870 b. *Caseum non manducat B. Juliana de Busto, ubi jejunat* 556 f. *Caseo interdicti dæmoniaci seu amentes* 856 c
Castitas *magna mortificatione servanda* 508 c d. *Castitati optime per fugam consulitur* 258 e f, 259 f. *Castitatis constantia S. Martini Massici* 824 b. *Castitatis eximius cultor Moyses Hungarus* 874 f. *Castitatis amor B. Julianæ de Busto in pueritia* 554 e; *et postmodum* 557 e f. *Castitas B. Joannis Angeli falso accusata* 887 b c d. *Castitas præscripta dæmoniacis seu amentibus, etiam nuptis* 856 c. *Castitatis votum sub stola* 855 a. *Votum castitatis solemne et simplex antiquissimis temporibus in ecclesia* 652 f. *Solemne maturam requirebat ætatem* 652 f, 653 a. *Vide* Pericula.
Cataractæ *Nili* 726 c
Catechesis *publicæ origo Mediolani* 885 b. *Vide* Doctrina christiana.
Catena *immani Dunaan, rex Homeritarum, iter maritimum præcludit classi S. Elesbaæ* 748 c. *Catenis ferreis vinctus jubetur homicida loca pia circuire* 847 e f. *Catena ferrea manibus, pedibus et collo revinctus S. Senochus* 770 a, 771 d. *Catena non ferrea, sed caritatis ligandos esse viros pios suadet S. Benedictus* 832 c d. *Catenæ S. Martini Massici fata* 833 a
Cathedrales ædes *sæpe duabus ecclesiis constabant* 213 b
Cayl, *titulus præfectorum provinciæ inter Homeritas* 725 a
Ceratium *sive* siliqua, *pondus Græcorum, Gallice dictum* carat, *quantum valuerit* 727 b; *item pondus Arabum* (kirat) ibid.
Cera, Cerei. *Cera valoris unius denarii præcepta singulis Normanniæ domibus* 862 a. *Cereæ offerendæ ritus* 854 d e f. *Redemptionis forma* ibid. *Cereum ellychnium, in spiram convolutum, offerendi sanctis mos* 840 c f. *Cerei ante reliquias sanctorum diu noctuque ardent* 840 d. *Cereus pro missa B. M. V. fundatus* 799 f. *Cerei super sepulcra positi, an semper cultus ecclesiastici signum* 767 f. *Cereorum in sanandis amentibus usus* 853 e. Ceræ forma. *Vide* Forma.
Cervisia *fermentata pœnitentiæ causa usurpata* 856 a c
Cherubim *custodientes ecclesiam in India* 568 d
Chorepiscopi *quatenus veri nominis episcopi fuerint* 678 e
Chrisimon *seu monogramma Christi vix ante sæculum* IV *usurpatum* 587 b
Christianismus *sæpe secundo et tertio in aliquam provinciam introductus legitur propter irruptiones novarum gentium* 656 b c
Christianitas universa *sæculo* XV *medio bellis turbata* 329 d e
Christianus sum, *vulgare responsum martyrum* 627 e, 631 b
Chronologia, Chronologi. *Chronologia septuaginta interpretum num præferenda chronologiæ codicis Hebraici* 919 b. *Chronologorum russorum quidam creationis annum figunt ad annum* 5500 *ante nativitatem Christi* 869 b
Ciacum *ad finem nominum locorum mutant Pictones in* çay, say, sé 152 c d
Cilicio *utitur B. Juliana de Busto* 557 a
Cinere *capitibus asperso, paratur translatio reliquiarum* 837 c. *Cineres martyrum ab omni veneratione prohibiti* 14 c
Circuitur *novies a clericis infirmus sanandus* 853 d
Circumcisione *utuntur Arabes ab antiquissimis temporibus* 675 c; *et quare* 667 d
Circumducendi *templa amentes mos* 853 b
Civitates, *imperantibus Romanis, passim non erant magnæ* 587 f
Clarissimi *titulus quibus datus* 832 f
Clausura *monialium sæculo* XV *parum in Italia usitata* 556 c d. *Vide* Sanctimoniales.
Clerus, Clericus. *Clerus capax est dominii rerum temporalium* 338 c d. *Clerus, præsertim junior, habitabat cum episcopo* 145 d. *Clericus olim ad episcopum ordinatorem pertinebat* 656 b c. *Clerici sine licentia episcopi sui ad episcopatum assumi non poterant* 69 d, 70 c. *Clericum fieri aut monachum idem olim erat aut fere idem* 766 c d, 769 f
Cœlibatus clericorum 145 d; *cœlibatus sacerdotum quo pacto antiquitus in Occidente et Oriente servaretur* 701 b c
Cœmeterium. *Cœmeterialis ædicula episcoporum Tullensium* 909 d. *Cœmeteriale templum S. Eucharii Trevirense* 616 d. *Cœmeterialis martyris S. Candidæ corpus translatum in Germaniam* 580 f, 581 a
Cognitores *Diocletiani ævo nondum dicti judices ab augustis delegati* 632 c

Cognomen *Corda, sæculo* IX *distinctionis causa impositum* 817 a
Collationis *mos sæculo* XV *in Longobardia tempore Adventus et Quadragesimæ* 556 f
Collecta, *celebratio sacrificii Missæ* 46 a
Coloniarum *deducendarum mos* 588 a
Columba *ad animum habendum excitat* 567 e
Comes *Tullensis anno* 1112 *interest generali synodo* 858 d
Cometa *anni* 1456 *videtur eadem, quæ ab Halley nuncupatur* 473 e. *Lumen visum Constantinopoli* 741 b c. *Vide* Ignis, Lumen.
Comitia *generalia Servorum B. M. V. Cantus novitiorum* 890 a. *Disputationes juniorum theologorum* 902 b c
Commissariorum generalium *in ordine Minorum Observantum origo* 302 c d
Commendarum *abusus* 243 e f, 244 a b, 254 b. *Commendatariorum voracitas pernicies monasteriorum* 768 d
Communio quotidiana *caute suadenda* 238 d e. *Communio, sub una vel utraque specie laicis distribuenda, pendet a lege ecclesiæ* 337 d e f
Communismus *in secta Fraticellorum adumbratus* 324 f, 325 a-f, 326 a
Compactata *in causa Hussitarum explicantur* 337 c-f, 338, 339 a. *A Sigismundo imperatore approbantur* 337 c; *displicuerunt PP. Basileensibus* 339 a. *Nihil efficiunt pro pace ecclesiæ* 339 b c d e f
Concilia, *præmisso triduano jejunio, inchoata die dominica* 844 a b. *Concilium Kioviense anno* 1147 *celebratum* 868 e f. *Concilium Remense anni* 625 105 c. *Vide* Synodus.
Concionaturo *sufficit diaconatus* 804 a
Confessio, Confessor. *Confessionis et martyrii via ad cælum* 586 c. *Confessorum et martyrum distinctio* 805 c. *Confessor pontifex S. Fromundus mutatur in martyrem* 847 b
Confitetur *peccata B. Juliana de Busto, ut primum advenit in Montem supra Varesium* 555 d
Confirmatio *cum baptismo an* σφραγις *dicta* 16 e
Confraternitas *S. Romani Rotomagi* 86 e f
Congregationem *aliquam religiosam ex quatuor monasteriis constituit S. Martinus Vertavensis* 805 a
Congregatio *seu Observantia Servorum B. M. V.* 888 c d
Consignant *se itinerantes sæculo* IV, *ubi se dant in viam* 586 f, 572 c. *Vide* Crux.
Consortium *seu confraternitas B. Joannis Angeli. Ejus auctor et leges* 896 e
Contus, *instrumentum martyrii* 46 b
Conventualium *Servorum B. M. V. origo* 887 f
Conversi. *Vide* Laici.
Coquus *monasterii Vertavensis sæculo* IX *uxoratus et extra septa vivens* 816 a, 817 f
Corani *Mahumetis sura* LXXXV, *de martyribus Negranensibus, explicatur* 709; *Corani commentatores aliquot* ibid. *Corani loci aliquot illustrantur* 730 b
Coronam *suam auream Hierosolymam mittit S. Elesbaas, monachus factus* 758 c; *suspenditur ante S. Sepulcrum* 759 a, 760 c. *Coronas floridas et gemmatas angelus imponit capitibus SS. Tryphonis et Respicii, in carcere constitutis* 17 a
Cornua *potatoria* 220 d. *Cornu scissum aliquando in Anglia signum donationis* ibid.
Corpus *S. Ebregisi Trajectensis, habitum pro corpore S. Evergisli Coloniensis* 818 f et seqq. *Corpora, super humum posita, jubentur inhumari in diœcesi Mediolanensi* 898 f, 899 a. *Corpora in cryptis Kioviensibus condita incorruptione gaudent* 883 d. *Corpus B. Julianæ de Busto post mortem induit formam juvenilem et fit flexibile* 559 a b. *Annis* 48 *postmodum est adhuc integrum* 559 b. *Elevatur super terram* ibid. *Sponte se movet* 560 f. *Corpus B. Joannis Angeli dicitur integrum repertum fuisse multo post mortem* 893 c, 895 b c. *Vide* Fragrantia, Incorruptio, Reliquiæ, Sepultura, Translatio.
Corrector Apuliæ, *dictus provincialis cognitor* 632 c
Corvi *indicasse dicuntur S. Benedicto iter* 836 b e
Corylus S. Gratiani *prodigiose frondescit, florescit et fructus profert, quotannis die* XXIII *octobris* 21 b-f, 22 a-c
Crimina majora *privilegio S. Romani non gaudebant* 89 f, 91 f
Critica *ars quibus subsidiis crescat* 583 f, 584 a. *Principium singulare* 619 a
Crux, Crucis dominicæ lignum, Signum crucis, Cruciferi. *Crux Dominica sæculo* IV *Hierosolymis venerata* 566 e. *Crux pretiosissima et antiquissima Vertavi* 816 b c. *Crux in virga ferrea, munita cuspide, portatur a monacho in exercitu S. Elesbæ* 756 a. *Crux S. Agathæ inscripta campanis* 805 a b. *Cruces bannales. Vide* Bannales cruces. *Cruciferorum triplex ordo* 523 b, 524 b. *Crux belli sacri varie colorata* 361 f. *Cruce signati ad Belgradum variis industriis in pietate retinentur* 373 e f, 374 a b c. *Plerumque rustici et pauperes* 374 d e. *S. Capistrano præ cæteris obediunt* 376 f. *Nomen Jesu continue acclamant* 377 a. *Eorum mulieres arma et subsidia subministrant* 377 d e. *Signi crucis antiquissimus usus* 736 c. *Ejus frequentia primis temporibus* 738 a; *ejus usus inter Arabes christianos sæculo* VI 707 c. *Crucis signo passim utitur S. Martinus Vertavensis* 812 c d. *Crucis signo cæcos sanat S. Senochus* 770 c d. *Crucis signo dæmones pellit B. Joannes Angelus* 903 a, 905 a. *Vide* Consignare, Signum.
Cryptam *habitasse dicitur fabulosus eremita S. Macarius Romanus* 568 f. *Cryptarum Kioviensium varius usus* 867 d. *Crypta ædiculæ cœmeterialis S. Petri Tullensis* 909 e. *Cryptæ ecclesiæ cathedralis Cameracensis altare* 577 c d
Cuficæ (literæ) 686 d
Culdei. *S. Modocus episcopus* 1 f
Cultellus *eburneus, adhibitus in tradendo manerio de quo lis fuerat, servatus in capsa reliquiaria* 225 a
Cultus *sanctorum græcorum a latinis non abrogandus* 565 a b. *Vide* Græci. *Ex cultu ab ecclesia tolerato nil concludi potest* 565 b. *Cultus dies diversi non semper significant sanctos cognomines esse diversos* 104. *Communis omnium sanctorum Trajectensium commemoratio* 615 a. *Vide* Approbatio cultus, Depositio, Officium, Reliquiæ, Sancti.
Cunis, *in templo Bonetensi dispositis, alligati amentes, S. Florentini ope sanandi* 852 d e
Cupedia *puerilia in Arabia* 739 d
Curatores *oppidorum quinam essent* 624 d
Curopalatæ *officium principale in aula CP.* 170 f
Custodia, Custodes carcerum. *Custodia interiori includitur S. Theodota Pontica* 13 f.

Quomodo differat ab exteriori 16 f. *Custodes carcerum quibus nominibus dicerentur* 17 f

D

Dæmon *frequenter sub figura serpentis exhibetur* 88 e f
Dæmoniaci *olim passim habiti amentes* 853 d, 855 d e f. *Dæmoniaca sanata a S. Crescio* 591. *Dæmoniacos liberat S. Senochus* 770 f
Defunctorum corpora *lavabantur* 220 e. *Vide* Sepelire.
Degradationis *ritus in ecclesia græca* 183 d, 186 f
Delictum *puniendum, delinquens amandus* 393 b
Decimæ *omnibus beneficiis impositæ pro bello sacro* 350 b. *Quantæ fuerint in parte Belgii et ducatu Burgundiæ* 354 e f
Decimale *systema numerandi* 744 a
Decumani *in re agromensoria limites ab oriente ad occidentem ducti* 588 a
Decuriones *quinam essent* 624 e. *Decurio coloniæ Tubzacensis assignatus S. Felici episcopo, jusso post imperatores navigare* 626 c
Dedicationis *templi die a pluribus terræ donantur* 857 f. *Ecclesiæ B. M. V. Vladimiriæ dedicatio* 879 b
Denarii *Arabici. Eorum valor* 744 a. *Denarius aureus Constantinopolitanus, usitatus in Æthiopia* 752 a. *Vide* Moneta.
Depositionis *sanctorum martyrum dies statim post martyrium fit festivus* 597 b
Deva-Nagari, *genus literarum Indicarum* 919 b; *de nominis origine* ibid.
Dei *unius cultus an proprius familiæ Semiticæ* 759 b c
Dhu, *vox Himyaritica, quid significet* 693 e; *appellatio aliquot principum Homeritarum* 725 a; *num differat ab Æthiopico* Ela *seu* Ala ibid.
Diaconatus, Diaconi, Diaconissæ. *Diaconatus sufficit concionaturo* 804 a. *Diaconi multi primis sæculis in ecclesiis* 730 a b; *quot Constantinopoli* ibid. *Diaconi sæculo* VI *quot annos nati esse deberent* 766 b. *S. Senochus diaconus* 766 b c d. *Diaconissæ in templo S. Sophiæ Constantinopoli* 730 b; *quandoque e virginibus electæ, plerumque e viduis* ibid.
Diademate *se cingit Apollinis sacerdos* 15 c
Djarrentir, *legendarium Armenorum* 719 d e, **724 c**
Dibaptistæ *hæretici* 183 b, 188 d e
Dies obitus *sanctorum non semper cum eorumdem festivitate concurrit* 637 f
Diluvium el Arim, *alias* Sail el Arim, *seu ruptura catarractæ Marebensis* 662 f; *ejus tempus* ibid.
Dinar, *moneta Arabica* 733 c. *Vide* Denarii Arabici.
Diœcesium *limites primis sæculis non accurate assignati* 616 a. *Diœcesium fines respondent fere semper limitibus pagorum aut provinciarum* 796 a. *Diœcesium minimarum exempla* 829 f, 830 a
Dirhem, *sive* Dirham, *drachma pristina Arabica, ponderis ceratiorum, sive caratiorum duodecim* 727 b, 752 a. *Vide* Drachma.
Discipuli *Domini septuaginta duo; eorum nullus exstat catalogus genuinus* 671 a
Discretio *in verbis B. Julianæ de Busto* 556 c, 557 a
Disco, *loco cymbæ, usus mare transmisisse dicitur S. Martinus Vertavensis* 812 c d
Disticha *echoica, seu cum eodem initio et fine, (de quibus vide Sirmundum in lib.* VIII, *epist.* II *Sidonii Apollinaris), in carmine de S. Scholastica, edito a Mabillonio, in Epitaphio Pipini; in carmine ad Carolum Imperatorem et in Lamento cujusdam monachi Bobiensis, editis a Majo (Class. auct. tom.* V, *pagg.* 417, 425 *et* 458) *atque etiam de S. Martino Massico* 831 c, 841
Divitiarum *contemptus S. Martini Vertavensis* 812 c. *Vide* Bona.
Doctrinæ *christianæ publice tradendæ origo Mediolani* 885 b. *Doctrinam christianam pueros Mediolanenses docet B. Joannes Angelus* 891 b. *Vide* Catechesis.
Dominæ *dicuntur moniales chorales* 557 d
Dominicæ *diei violatio ut punita* 770 e f. *Dominica die inchoata concilia* 844 a b. *Dominica die proxime ad translationem statutum annuum festum B. Julianæ de Busto* 560 b
Dominicalium *bonorum mediam partem monasteriis auferri jubet Dagobertus I rex* 811 d e
Donazoiz. *Vide* Martyrologia.
Donariorum *duplex genus* 854 c d
Donatio *et redditio ad feudum anno* 941 *in Etruria* 601 b
Dos *reddenda est, soluto matrimonio rato non consummato* 280 f
Drachma *antiquissima Euboica vel forte insulæ Æginæ* 727 b; *eadem ac Arabica vetus sive Dirhem, quæ minima fuit inter Asiaticas* ibid. *Vide* Dirhem.
Draco *in India involutam tenens feminam* 568 a; *alius in India loquens* 570 b. *Draco sæpe metaphorice pro dæmone acceptus* 87 d e

E

Ecclesia Christi, Ecclesiastici, Templa. *Ecclesiæ est decernere quæ ad fidem et disciplinam spectant* 549 d e. *Ecclesiam Christi defendere debent omnes baptizati* 350 b. *Ecclesiastici non debent sua sponte se ingerere rebus politicis* 552 c. *Ecclesiæ cathedrales an primis sæculis exstiterint extra civitatum mœnia* 107 d. *Ecclesias matrices, cathedrales, archiepiscopales adeunt filiales parochiales, episcopales cum crucibus bannalibus* 861 e f, 862. *Ecclesia interior seu monastica super portam majorem templi* 558 b. *Ecclesiæ olim e ligno extruebantur, adeoque brevi tempore* 879 b. *Ecclesia crystallina in India* 568 c d. *Ecclesiæ initio sæculo* XIII *passim reædificabantur in Francia* 209 c. *Ecclesiarum tituli aliquando ore vulgi ad alios sanctos translati* 115 d
Echoïci elegi *seu* versus. *Vide* Disticha.
Ehhkili (lingua) *Zhafarensium Hadramautiæ* 676 d, 920 d
El, *nomen alicujus dei Phœnicum et Himyaritarum* 920 d; *num significaverit Deum supremum* ibid.
Ela, *vox Æthiopica. Vide* Dhu.
Eleemosyna *sponte erogata multum promeretur apud Deum* 871 c. *Eleemosynis pauperes et servos juvat S. Senochus ex accepta a fidelibus pecunia* 770 b. *Eleemosynam spiritualem suadet B. Juliana de Busto sororibus, quod de temporalibus nil dari posset* 558 a. *Eleemosynæ quæsitæ circumlatione reliquiarum Ferrariensium*

rariensium 861 b. *Vide* Reliquiæ, Indulgentiæ.
Elegi echoici. *Vide* Disticha.
Ephemerides *hodiernæ seu diaria incœpere occasione belli Turcici* 355 b
Episcopi, Episcopatus, Episcopales sedes et insignia. *Episcopi quandoque speciali genti, non territorio præponuntur* 776 e f, 777 a b, 786 b c. *Episcopi regionarii et Scoti* ibid. *Episcopi regionarii etiam in Italia* 587 d. *Episcopatus in partibus infidelium ejusdem nominis, concessi aliquando vicariis episcoporum aut aliis, eidem muneri præpositis sibique quasi succedentibus* 914 f. *Episcoporum catalogi passim non rite curati* ibid.; *antiquarum sedium catalogi sæpe interrupti* 615 f, 616 a. *Nomina ex unius ecclesiæ catalogo intrusa in alius* 616 a b. *Episcoporum electioni cum clero populus concurrebat* 69 e; *eadem principibus aliquantum permissa* 208 a b c. *Episcopis ordinandis ætas tricenaria præscribitur* 77 d. *Episcopi, e statu laico assumpti, anno integro probandi erant ante suam ordinationem* 81 c d. *Tempus, episcopatus quandoque a consecratione, quandoque ab inthronizatione desumitur* 208 f. *Ordinis olim potestas magis considerata quam jurisdictionis* 616 b. *Episcoporum auctoritas olim non tanta habita in loca dissita quam in suas civitates* 796 d. *Episcopi olim beatificationem piis personis decernebant* 166 e f. *Episcopi a consiliis regum Franciæ* 78 c. *Episcoporum translationes sacris canonibus interdictæ* 51 e f; *eædem gravibus tantum de causis faciendæ sunt* 642 b c. *Episcopus sine consensu Romani pontificis non potest deserere ecclesiam suam* 111 b. *Episcopi, ope potestatis sæcularis ecclesiam adepti, deponendi* 186 e f. *Episcopus monasterium ingreditur, tyrannos fugiens* 799 e. *Episcopales sedes sæpe vacuæ relictæ et quomodo tum primis sæculis administratæ* 616 a b. *Episcoporum sepulturæ intra civitatem* 214 d. *Episcoporum corpora agnita ex sandaliis* 913 a f. *Episcopalium insignium usus concessus abbati Tavestockiensi* 225 f, 226 a
Epitaphium *Joannis Jacobi Trivultii* 560 d
Equitando *inter duas basilicas Ensionenses non transitur ob reverentiam* 801 c
Equuleum *diversum a nervo* 18 d. *Equuleo suspenditur, genas abraditur et flagellatur S. Theodota Pontica* 13 c d
Eremitica vita, Eremus, Eremitæ. *Eremitica vita neglecta a Servis B. M. V. et restituta* 887 f. *Eremitarum S. Ambrosii ad Nemus instituta amplectitur in Monte supra Varesium B. Catharina de Palantia cum sociabus* 557 c. *Eremitæ frequenter in suis oratoriis sepeliebantur* 148 b, 149 f. *Eremitorium B. Catharinæ de Palantia* 555 e. *Vide* Solitudo.
Evangeliorum *liber, impositus altari, in signum rei immobilis traditionis* 225 b. *Evangelia recitandi mos super peregrinos* 861 e. *Evangelii secundum Joannem initii recitandi mos* 856 f. *Vide* Fidei propagatio.
Eucharistia. *Sub alterutra specie est totus et integer Christus* 337 f : *hostia prodigiose sanguinolenta* 342 f, 343 a. *Calix sanguinis Domini S. Arethæ primo porrigitur, utpote regulo; item calix martyrii* 736 c, 738 a. *Eucharistiam sæculo* XV *sæpe recipit B. Juliana de Busto, adhuc existens in sæculo* 555 b. *Hujus in id sacramentum reverentia* 555 c d. *Eucharistiam accipiunt milites Æthiopes, in mediis periculis constituti* 755 f. *Eucharistiæ effectus salutares* 147 d e. *Eucharistia ad absentes et ad episcopos communionis signo et ad alios pro amicitiæ spiritualis tessera missa* 746 b c. *Eucharistia quanta celebritate in theca argentea missa a Thimotheo, patriarcha Alexandrino, ad S. Elesbaan* 711 c, 743 f. *Eucharistiam collo ferens, agros circuit presbyter in Franconia* 862 d e. *Eucharistia a judæis profanata* 467 b. *Vide* Communio,
Eulogiæ, *eucharistia et aliæ res benedictæ* 746 b
Exaltatæ *crucis templum Vladimiriæ* 879 b
Excommunicatio *omnium canonicorum, illegitime electorum* 605 c. *Excommunicatio inflicta ob non juratam fidelitatem* 601 c d. *Excommunicat archiepiscopus Eboracensis Dunelmensem ob impeditas processiones Pentecostales* 862 b
Exemptio *per protectionem cum annuo tributo sæculo* IX 607 c. *Exemptio monasterii Tavestockii, concessa a Cœlestino papa III* 225 b c. *In hujus rei indicium solvendi quotannis tres aurei* ibid.
Exorcisatio *adhibita in amentium sanatione* 853 d. *Exorcizans stolam imponit afflicto* 855 a
Extrema unctio *a novitate vindicatur* 222 e f. *Extremæ unctionis formula* 147 f, 149 e

F

F, b, g, *facile sibi invicem substituuntur* 558 b
Falasja *quando in Æthiopiam advenerint* 668 d
Fames *in Armorica per S. Maglorium mitigatur* 788 c
Familiarum nomina. *Vide* Gentilitia nomina.
Fasciola *ornamentum meretricium* 570 c. *Fasciolis capilli ligati* 568 e
Febricitans, *in lecto B. Giraldi dormiens, sanatur* 266 b
Feretra *quomodo vinculis ferreis munita* 913 a
Ferrum *adhibere non possunt Æthiopes ad compingendas naves* 750 b
Festorum *translationis et obitus confusio* 824 c d. *Festum S. Amonis in synodo Tullensi anni* 1025 *constitutum* 909 f, 910 a. *Qui festum S. Gilberti, abbatis Novemfontium, die statuta observent, indulgentiis donati* 576 c. *Festivitatis annuæ B. Joannis Angeli origo, non interposita archiepiscopi Mediolanensis auctoritate* 895 e f, 896 a. *Festum S. Martini Vertavensis sæculo* IX *multis cum luminaribus celebratum* 816 d
Ficus, *cupedia puerilia in Arabia* 739 d
Fidelitatis *juramenti denegatio punita excommunicatione* 801 c d
Fidei *propagatio primis ecclesiæ temporibus* 587 c d
Fila aurea *quare reperiantur in antiquis martyrum sepulcris* 609 f, 610 a b
Flagella *divinitus inflicta propter nimiam indulgentiam erga hæreticos* 195 f, 196 a
Flagra, Flagellatio : *crudelissima pœna, inflicta S. Theodotæ Ponticæ* 16 e f. *Flagrorum ictus in ejus corpore sponte sanantur* 14 a. *Flagellationis usus B. Julianæ de Busto* 555 f, 557 a
Flammis *injicitur S. Theodota Pontica; postridie integra exit, septuaginta militibus combustis*

bustis 14 b c. *Post iteratur id prodigium* 15 a b c. *Sacerdos Apollinis, in easdem ingressus, comburitur* 15 b c
Florenus *pontificius quantum penderet* 886 e
Floribus *sparsum corpus B. Julianæ de Busto, quum transferendum esset* 559 e
Fœminæ *lege Salica hereditates quasdam adibant* 130 b c
Fontes *baculo S. Martini procurati* 804 d. *Fontes salutiferi sæpe referuntur ad cultum sanctorum* 763 f. *Fons S. Florentini amentibus curandis saluber* 852 d. *Fons S. Fromundi aditur pluviæ obtinendæ causa* 845 f. *Fons S. Montanæ* 860 e. *Vide* Aqua, Baculus.
Fornaci *includitur S. Theodota Pontica et postridie integra exit* 14 b c
Fossa ignis *sive* fovea, *in qua combusti sunt martyres Negranenses quadringenti viginti septem* 708 et seq.
Fovea ignis. *Vide* Fossa.
Fragrantia *corporis B. Julianæ de Busto post mortem* 559 a
Fraticellorum secta *describitur* 294 b c, 325, 326 a. *Ejus initia* 323 e f. *Varias vitæ conditiones mentitur* 324 b. *Paupertatem, licet locuples, affectat* 324 b c. *Summum pontificem sibi habet* 324 d e. *Inquisitoribus insidiantur* 324 e. *Hodiernum communismum prædicant* 325, 326 a. *Ejusdem sectæ opulentia* 324 b c. *Eam insectantur SS. Capistranus et Jacobus Picenus* 326 f, 327 a b. *Vicissim insidiatur sanctis* 327 a b. *Ex Italia pellitur in Græciam, et loca ejus exusta* 448 f. *A S. Capistrano exstirpatur* 500 a b
Frumenti *tantum oblatum quantum pendebat infirmus* 853 c. *Redemptionis forma* 854 d e f. *Hujus rei ritus* ibid.
Furatur *reliquias S. Montanæ Aimonus monachus Ferrariensis* 860 b c. *Furtum reliquiarum S. Martini Massici habitum probari ipsi sancto, quia tam facile fuit* 834 a. *Furaturi reliquias orant sanctum ut se transferri sinat* 837 d

G

G, b, f, *facile sibi invicem substituuntur* 558 b
Gemmas *ex Arabia petebant Romani aliæque gentes* 663 e f
Genæ *S. Theodotæ Ponticæ abrasæ* 13 c d
Genealogiæ *italicæ, fabulis plenæ* 107 b; *eædem onerantur nominibus sanctorum : S. Octavianus, episcopus Comensis* 108 d. *B. Juliana de Busto* 554 d. *Genealogiæ quanta cura servata in Wallia* 763 d e
Genium *imperatorum in juramentis invocare non licet* 596 f
Gentilium *terræ censentur nulli episcopo subesse* 796 d
Glandes *humani cibi loco* 569 d, 570 e
Grandines *ad avertendos B. Joannis Angeli manticæ adhibitæ* 898 e
Gratias *internas occultat B. Juliana de Busto* 558 e f
Gratus animus, Gratiarum actio. *Grati animi quanta apud Deum efficacia* 870 f, 871 a c. *Gratiæ Deo agendæ semper* 870 f. *Gratias Deo agit S. Felix Tubzacensis de proximo martyrio* 627 c, 628 a

H

Hæreses *reipublicæ civili sæpe funestæ* 334 d e. *Hæresis nestoriana in Mesopotamia* 689 c; *item monophysitica* ibid. *Hæresis Berylli Bostrensis* 678 d e; *hæresis alia Arabica* 678 f; *hæresis Monoimi, Arabis* 679 a
Hagiographi *slavici Nestor, Polycarpus et Simon* 872 et seqq.
Hagiologia *ecclesiarum Orientalium fidem faciunt pro cultu sanctorum* 166, 167 a
Hecates *cultus Ancyræ* 17 e
Helcas, *sive* Holcas, *nummus aureus Homeritarum* 723 f, 727 b, 752 a; *pendebat drachmam veterem Arabicam, sive* Dirhem 727 b. *Vide* Olcas.
Hereditatis *causa Fromundus, vir nobilis, dein pœnitens, homicidium patrat* 847 e
Hesychostarum *Thessalonicensium origo* 10 b
Historiæ sanctorum *fabulis sæpe inficiuntur* 782 a. *Vide* Acta.
Holcas. *Vide* Helcas.
Horologia solaria *construit S. Capistranus Novemburgæ* 309 e
Horarum *longitudo olim varia pro vario tempore anni* 149 a. *Hora nona quid fieret ab eremitis* 571 f
Hordeaceus *panis pœnitentiæ causa adhibitus* 770 a
Hospitales domus *præsertim pro peregrinis medio ævo constructæ* 237 f
Hospitalarii *plerumque arma gerebant, ut peregrinos defenderent* 238 a
Humicubatio *B. Julianæ de Busto* 555 b, 557 a. *Humo nuda strata moritur* 558 f
Humilitas *B. Julianæ de Busto* 556 c, 558 c d e f. *Hanc virtutem docetur a B. Catharina de Palantia* 556 d. *Humilitas B. Joannis Angeli in media miraculorum fama* 901 d e
Hydri *sæculo* VI *in agro Turonensi* 770 e
Hymnus *de S. Martino Massico* 830 c d. *Hymnus alter de eodem* 835 d e
Hyperberetæus *mensis Syromacedonum christianorum respondet octobri juliano* 724 b c, 738 b

J

Idola, Idololatria. *Idola publica evertere prohibebant canones* 30 e. *Idolorum vanitas ostensa a S. Crescio* 595 f. *Idololatriæ dediti Arabes veteres* 667 et seq., 920 d. *Idololatria per barbarorum irruptiones sæpe reviviscebat* 656 b c
Jejunii *magna pars in delectu ciborum constituta* 856. *Hic olim valde varius* ibid. *Jejunium feriæ* IV *cur institutum* 785 e. *Jejunium ante baptisma non ubique æque diuturnum* 594 b. *Jejunium triduanum præmissum conciliis* 844 b; *item ante translationem reliquiarum* 837 c. *Jejunia B. Julianæ de Busto in pueritia* 554 e f. *Jejunat singulis hebdomadibus tres dies B. Juliana de Busto; quam severe* 556 f. *Vide* Adventus, Quadragesima, Vigiliæ, Caseus, Butyrum, Ova.
Jesu nomen, *fortissimum adversus hostes propugnaculum* 309 f. *Variæ ejus siglæ* 320 f, 321 a-f. *Cultus impugnatur et defenditur* 322 a-f. *Christus sæpe in forma pauperis pascendum se exhibet* 139 f
Ignis naturalis, artificialis, cælestis et sacer. *Igni*

Igni immittuntur sacerdotes ut veritas idololatriæ constet et ne hæc videatur religione christiana inferior 18 a b. *Igne consumuntur S. Arethæ et sociorum corpora* 762 b. *Igne in fovea accensa plectitur mulier a Dunaan tyranno* 738 c. *Ignes artificiales propter translationem reliquiarum B. Julianæ de Busto* 559 d. *Ignis visus in cœlo per dies quadraginta* 718 b; *et quidem post martyrium S. Arethæ et sociorum* 739 f. *Ignis sacer seu S. Antonii, morbus plerumque funestus* 266 e, 267 e. *Vide* Cometa, Ignis, Lux.
Illustris *titulus quibus datus* 832 f
Ignorantia. *Vide* Literæ.
Imagines *sæculo* VI *in Arabia* 739 d. *Imagines pictæ et aliæ B. Joannis Angeli* 898 c d. *Imagines B. Joannis Angeli usurpantur ad nonnulla ei affingenda charismata* 887 e
Incarnationis *mysterium exponit S. Proclus* 640 a b, 644 a b
Inclusi, *monachorum genus* 690 a. *Inclusus in parva turri vivit S. Zonænus, qui et Pantaleon, in Æthiopia* 748 a, 751 c. *Inclusionem perpetuam S. Senochi non probat S. Gregorius Turonensis* 770 c. *Vide* Reclusi.
Incorruptio *corporum non semper dicenda est miraculosa* 883 d. *Vide* Corpora.
Indulgentia nimia *sæpe nociva est ecclesiæ* 195 c d e f. *Indulgentia erga parvulos* 789 a
Indulgentia *plenaria in articulo mortis concessa B. Julianæ de Busto* 558 e f. *Indulgentiæ Coloniæ in festis SS. Augustini, Materni, Evergisli et Leonardi* 822. *Item in translatione S. Ebregisi* 822 f, 823 a. *Indulgentiæ concessæ iis qui stant decreto Præmonstratensium de S. Gilberti festo* 576 c. *Indulgentiæ concessæ adjutrices manus porrigentibus templo prioratus S. Fromundi* 845 e. *Vide* Eleemosynæ.
Infernus *negantium Christum in India* 567 f
Infidelium *liberi, invitis parentibus, baptizari extra mortis periculum non possunt* 469 c
Inscriptiones *Himyariticæ* 674 e f; *in Arabia collectæ* 666 a b c d; *Dhafari* 676 d; *item Marebenses* 676 d; *inscriptio Aeizanæ* 919 e f, 920 a d; *Tazenæ* ibid. *Inscriptionum Himyariticarum ætas* 920 d. *Inscriptiones Axumi repertæ* 725 a. *Inscriptio Axumitica Æthiopice exarata* 698 a; *inscriptio alia Æthiopica* 698 b. *Inscriptio græca Axumitana* 677 c d. *Inscriptio Ptolemaïca* 752 b. *Inscriptiones in templo S. Crescii de Vallecava* 605 e f et seqq.
Inspiratione *divina domo fugit in Montem supra Varesium B. Juliana de Busto* 555 e f
Interstitia *in ordinibus conferendis observantur apud Græcos* 179 d e
Itineris *pientissime instituendi ratio B. Julianæ de Busto* 555 c. *Vide* Consignare. *Iter diei unius inter Arabas quantum fuerit* 726 b
Judaismum *amplecti frustra cogitur S. Arethas et socii* 762 c
Judex *et notarius anno* 941 *in Etruria* 601 b, 603 f
Judicialis *sententia lata post testes auditos de immemorabili consuetudine* 225 d e
ugera Cæsariana, *lege Julia præscripta* 588 a
Jupiter *plurimum cultus Cæsareæ in Cappadocia* 14 c, 17 d
Juramentum *per salutem et caput imperatoris, christianis idololatricum non visum* 595 b, 596 f. *Per genium imperatorum non licet* 596 f. *Juramentum sub stola* 855 a. *Juramentum adhibitum ad confirmandas fabulas* 568 e
Jurisconsulti, *christianis infesti* 16 b
Jurisdictio ecclesiastica *divisione regnorum non mutatur* 161 a

K

Kalendaria *liturgica majoris auctoritatis sunt quam martyrologia* 66 f. *Kalendaria Russiæ vetustiora paucos sanctos indigenas exhibent* 867 f, 868 a. *Vide* Calendaria.
Kantar *idem quod Kintar* 760 c
Kintar, *sive* Kantar, *talentum Arabum* 727 c. *Ejus valor* 744 a; *valet scilicet* 1000 *denariis aureis atque etiam* 100 *libris auri aut argenti* 760 c. *Vide* Talentum, Moneta.
Kitab-alaghani, *liber Arabicus* 684 a
Kitab-ennucat-el-Mutriba, *liber Arabicus* 693 a

L

Labores *domestici, juncti cum oratione, B. Julianæ de Busto in pueritia* 554 e f, 557 f
Lacrimarum *donum B. Julianæ de Busto* 555 b
Laïci fratres et sorores. *Laïcorum fratrum gradus sæculo* X *primum ortus* 818 a. *Laïca soror B. Juliana de Busto* 557 d
Laïci, *in episcopos electi, solido anno probandi erant ante consecrationem* 81 c d
Lampas *ante altare S. Martini Vertavensis fundata* 799 f. *Lampades ad sepulcrum B. Joannis Angeli oblatæ a senatu Mediolanensi* 894 e
Lanceolis *aureis in venatione utuntur optimates Homeritæ* 754 c
Laniones *præcipui benefactores conventus Loysiensis Observantum* 310 d
Lanx *ad ponderandos infirmos in templo* 853 c, 854 d e f
Lardum *frigidum pœnitentiæ causa usurpatum* 856 a
Lat, *dea Arabum* 684 f
Lavandi *amentes usus* 853 d e, 855 d e f. *Lavabantur scilicet sex hebdomadas amentes seu dæmoniaci aqua benedicta* 856 a b
Lectica *aurea utitur Dunaan in bello* 755 f
Lectus. *Vide* Humicubatio, Saccus.
Lex Julia, *qua certi agris statui jubebantur limites* 588 a
Legati *extraordinarii* 16 b. *Legati proconsuli Africæ duo* 631 a
Legationes *imperatoriæ ad Arabas et Æthiopas. Vide* Abrahamus, Euphrasius, Julianus, Nonnosus.
Leo, *animal nocturnum* 573 f. *Leones deservire dicuntur fabuloso S. Macario Romano* 569 c d, 570 b c e f, 571 c
Libri *qua hora redderentur ab eremitis* 571 f. *Liber amentium Rothnaci* 853 f, 854 a. *Liber constitutionum, insigne prioris generalis Servorum B. M. V.* 887 d
Lignum *quod tormentum genus* 15 e. *Super lignum extensi, serrantur martyres* 15 e, 18 b d

Lilium *positum in manibus B. Julianæ de Busto, quum transferenda esset* 559 e
Litania. *Vide* Processio.
Literæ, *characteres, bonæ artes, epistola. Literæ Cuficæ* 686 d. *Literas ignoravit B. Juliana de Busto* 556 d, 557 d. *Literarum studia in monasteriis præsertim Mendicantium promovenda* 303 d e f. *Literis formatis Benedicti papæ III muniti tres pœnitentes pergunt Hierosolymam* 847 f
Liturgia *publica quotidie sæculo* VI *celebrata in Arabia* 739 d, 740 b. *Item privata in patriarchatu Romano* 740 b
Loca pia et sancta. *Quæ ibi peraguntur ceremoniæ non facile culpandæ* 854 a b c. *Loca sancta Hierosolymitana sæculo* IV *probe cognita* 572 b c
Loculus *in altari ad recipiendas reliquias* 769 f
Lorica *utitur Dunaan, seu Dhu Nowasus, rex Homeritarum* 748 c. *Item ejus milites* 754 b
Lues *memorata a S. Gregorio Turonensi* 799 b c
Lumen zodiacum *aliquando longissime lucens* 741 b c. *Singularia ea de re* ibid.
Luminaribus *multis sæculo* IX *festum S. Martini celebratum* 816 d
Luna *in sanguinem convertitur martyrio S. Felicis Tubzacensis* 628 a
Lux *mirabilis in carcere S. Crescii* 591 a b. *Luce cœlesti radiasse dicitur vultus B. Joannis Angeli* 887 d e. *Vide* Cometa, Ignis, Lumen.

M

M. S. S. H. D. E. P. L *quid his siglis significetur* 605 b
Magia, Magi. *Magiæ crimen frequenter injuste impactum* 342 e f. *Magiæ adscribunt gentiles, quod S. Theodota Pontica et similiter SS. Bonosus et Maximilianus tormenta non sentiunt* 18 a b. *Magos secum duxisse dicitur Alexander imperator* 12 e
Magi *fuere in Arabia* 669 d. *Magi, qui Christo recens nato munera obtulerunt, num reges fuerint, et quando nata hæc sententia* 670 b; *videntur fuisse Arabes* 669 et seq. *Quid senserint veteres scriptores sacri* 669 b d, 670 a
Mahumetani *morem velandi mulieres unde habuerint* 734 a. *Mahumetani veteres plurimi christianos laudant* 709 e, 710 b. *Vide* Mahumetes.
Mansionum *cursualium antiquissimus usus* 750 e; *quam longæ et quam variæ* ibid.
Manticæ *B. Joannis Angeli reliquiarum loco habitæ* 898 e, 905 b. *Vide* Sacculi.
Manibus *licet absciscis, venatur adhuc famulus Vertavensis* 812 d
Manui *adhæret ramus propter diem Dominicam violatam* 770 e f. *Manuum impositione infirmos sanat S. Senochus* 770 d e
Mare *transeundi mirabilis modus* 851 c; *item S. Martini Vertavensis* 799 a. *Maris clausi et aperti tempora* 621 b
Margaritæ *e mari Arabico et Persico educuntur* 726 c
Martyrium, Martyres. *Martyrii et confessionis via ad cælum* 586 c. *Martyrum et confessorum distinctio* 805 c. *Martyres olim dicebantur etiam viri pii injuste occisi* 656 c d; *seu qui, virtute spectabiles, nefarie occiduntur* 109 f. *Martyres a paganis simpliciter vocabantur mortui* 40 c, 46 a. *Martyres quomodo victores exstiterint* 761 b. *Martyrum sacrificium a Deo gratias obtinet* 748 b. *Martyrum sepulcris basilicæ imponebantur* 46 a. *Martyres quare visitari possent* 17 a. *Martyris Theodotæ Ponticæ cineres pietati fidelium eripiuntur* 14 c. *Martyres monachi* 40 *occisi a Saracenis in Monte Sina* 682 e; *item alii occisi a Blemmyibus in Raithu, eremo pæninsulæ Sinaï* ibid; *alii occisi prope Tecuam in Palæstina* ibid; *alii occisi a Saracenis in monte Sina* 682 f, 683 a. *Martyrium expetunt mater et filiolus Negranenses* 738 c, 739 a. *Martyrum Negranensium oratio ante martyrium* 737
Martyrologia, Calendaria, *etc. Æthiopum Senkessar, i. e. synaxarium* 711 d e, 716 f, 717 et seq.; *eorumdem Calendarium a Ludolfo editum* 711 e. *Martyrologia Armenorum :* Aismavurg *sive Lectionarium* 710 a; Donazoiz *sive Ordo festorum* ibid.; *Calendarium Armeniacum* ibid. *Martyrologiis Hieronymianis id sæpe inest vitii ut sancti martyres ex una die transferantur in proximam et ex una urbe in aliam* 23 d e. *Martyrologium Cameracense vetus* 577 d. *Martyrologium Florentinum Francisci Bonaccursii* 599 c; *id anno* 1486 *editum* 576 f. *Calendarium Neapolitanum marmoreum* ibid.; *Menologia aliquot Græca et Slavica* 716 a b c d; *Ephemerides Slavorum effigiatæ* 716 c d; *Calendaria aliquot Orientalia* 716 e f, 719 d e; *Typicum S. Sabæ quando scriptum fuerit et a quibus auctum* 715 c; *Menologium Sirleti* 714 c; *Synaxarium Sirmondi seu Claromontanum* 714 e; *Wintoniense Kalendarium seu Auctarium Usuardi Altempsianum* 214 c. *Vide* Calendaria, Menologia, Synaxaria, Djarrentir.
Marzabanus, *titulus militaris inter Persarmenos* 690 f
Matris *B. Julianæ de Busto crudelitas in filiam ut eam ad nuptias cogeret* 554 e
Matrimonium, *tyrannis a Fraticellis habitum* 325 b c. *Matrimonii christiani sæculo* IV *apud Romanos celebritates* 569 e. *Matrimonia sub stola benedicta* 855 a. *Matrimonium quanta constantia fugerit B. Juliana de Busto* 554 e, 555 b. *Matrimonio ex lege juncti patriarchæ Nestorianorum* 744 b c. *Matrimonium ratum, non consummatum, liberum permittit ingressum in religionem* 280 f; *et solvitur per religionis ingressum* 565 a b
Meditationem *passionis Christi aliis commendat B. Juliana de Busto, præiens exemplo* 558 e; *meditationem subjicit orationi* 556 f
Melodiam *canit B. Juliana de Busto moriens* 558 f
Menæa *Græcorum quibus differant a Menologiis* 565 e f. *Menæa nova correcta nonnihil* 566 a b
Menologia *Græcorum an libris ecclesiasticis accensenda* 565 d e f. *Vide* Hagiologia, Martyrologia, Menæa.
Menses. *Mensis aprilis nomen usurpatum in rebus Alexandrinis* 743 f, 745 c. *Menses Syrorum et aliorum orientalium sæculo* VI 738 b. *Vide* Annus, Canun, Hyperberetæus, Thisri.

Mercatus *hebdomadarius Tavestockiensis instituitur ab Henrico I, rege Angliæ* 225 d. *Vide* Nundinæ.
Metropolis, Metropolita. *Metropolitanum jus in subjectas ecclesias evolvitur* 654 c d e. *Metropolis civilis plerumque erat ecclesiastica* 654 f, 655 a b. *Metropoles ecclesiasticæ non facile mutandæ* 124 d. *Metropolitarum Russorum vestitus* 578 c
Migrationes *gentium ante Abrahamum* 919 b
Milites, *martyrem torquere recusantes, ipsi martyrium faciunt* 33 f. *Militis christiani fortitudo* 705 f
Milliare *medio ævo tertiam partem leucæ gallicæ hodiernæ efficiebat* 144 d e. *Milliare Arabicum* 676 b
Minor *Conventualis adversarius S. Capistrani, divinitus punitus, sancti ope sanatur* 482 f, 483 a. *Vide* Conventuales, Observantes.
Miracula *singularibus probationibus indigent* 851 d. *Miracula eadem variis sanctis attribuuntur* 222 d. *Miracula dum fiunt, pulsantur campanæ* 853 a. *Miracula B. Joannis Angeli* 906 et 907; *eorum fama beato huic viro fugam suadet* 890 f. *Miracula, in Passione SS. Tarachi, Probi et Andronici facta, tabulis publicis consignata* 17 b. *Miraculorum liber B. Julianæ de Busto* 561 b
Missa *pontificalis describitur* 101 b-f, 102 a b, 103 f. *Missæ sacrificium in cælis absolvi videt S. Venantius abbas* 4 a b. *Missa celebrata ad S. Senochi sepulcrum trigesimo die ab obitu* 771 a. *Missa celebrata ante depositionem reliquiarum in altari* 771 d
Mithræ *cultus idem ac solis* 744 a
Mitra *et alia insignia episcopalia concessa abbati Tavestockiensi* 225 f, 226 a
Moallakat (Carmina) 683 f
Modestia *B. Julianæ de Busto* 556 c, 557 e f
Monastica vita, Monasteria, Monachi. *Monastica professio publicæ pœnitentiæ loco* 176 e f. *Monasterio puella a patre devota* 840 b. *Monasteria ingredientes pecunias dant* 815 b c. *Monasticam vitam exercet S. Zonœnus qui et Pantaleon, inclusus in turri Sabæ in Æthiopia* 748 a. *Habitus religionis non datur incarceratis* 280 d. *Monasteriorum fundator retinet sæculo* IX *eorum possessionem* 607 b c. *Monasterii Benedictini legitimus numerus monachi duodecim* 836 b. *Monastici ordinis initia in Hispania* 30 d. *Monasteria exstitere ante finem persecutionum* 679 b c. *Quæ primis temporibus monasteriorum forma in Galliis esset* 766 d. *Monasteria quandoque infra brevissimum tempus ædificata, quia lignea* 311 f, 312 a. *Monasteriorum traditio aliis monasteriis, ruinæ causa* 833 f. *Monasteria quam facile olim darent et reciperent principes* 827 e. *Monasteria ab imperatoribus concessa laicis* 603 d. *Monasteria a laicis occupata* 75 b. *Monasterium aliquando cathedralis ecclesia* 659 d. *Quæ monasteria dicta Maximæ Lauræ* 688 a b. *Monasteria Italiæ sæculo* IX *frequentissimam habebant monachorum turbam* 828 d; *eadem sæculo* IX *multum passa a Saracenis* 828 a b c d. *Monasteria Arabiæ Deir-Hali* 679 b; *Deir-ejjub* 679 b; *Deir-Hind* 679 b. *Palæstinæ : Pharan* 680 d; *Salibæ seu Crucis in Chaldæa* 688 f; *monasterium Hiræ fundatum ab Ebedjesu* 688 f; *Babylone ad Euphratem* 689 b. *Monasterium duplex virile et femineum Dureni* 800 a b. *Monasterium duplex Ensione et Vertavi* 814 e. *Monasterium Kievo-Cryptense seminarium præsulum* 874 e. *Monasterium martyrii in Palæstina* 681 c d. *Monasteria monialium Negranæ in Arabia* 730 b c. *Monasterium suburbanum Papiæ S. Petri in Cælo cœmeteriale* 3 c. *Monasterium et ecclesia S. Salvatoris, prope Polociam, valde celebre* 866 c. *Monasteria S. Sergii Rosaphæ seu Sergiopoli in Syria Deserta* 726 b. *Monasterium abbatis Theoctisti in Palæstina* 682 a. *Monasterium Zucnin prope Amidam* 687 c. *Monachi nomen non convenit Mendicantibus* 336 b. *Monachum fieri aut clericum idem olim erat aut fere idem* 766 c d. *Monachatus videtur supplevisse locum quatuor minorum ordinum et subdiaconatus* ibid. *Monachorum græcorum tres classes* 179 c. *Triplex vitæ genus viguit in monasterio Cryptensi sæculo* XII 867 b. *Monachi ad succurrendum, seu in fine vitæ habitum sumentes* 76 a, 257 e, 259 b. *Monachi nomen proprium novum plerumque assumunt* 168 c, 171 d e. *Monachorum numerus passim magnus sæculo* VI 803 e, 804 f. *Verumtamen singula monasteria in Galliis primis temporibus paucos passim capiebant monachos* 766 e. *Monachi Benedictini resident in aliis monasteriis* 860 b c. *Monachi magno schemate condecorati facultatem habebant utendi bonis* 872 b. *S. Senocho monacho pecuniam ministrat fidelium pietas* 770 a. *Monachi soli apud Græcos ad episcopatum promoventur* 179 b c. *Monachi sub abbate suo sacrum ministerium rite exercent* 67 a b. *Monachi Syros multos, Persas ac Arabas ad fidem convertunt* 688 e. *Monachi immixti exercitui S. Elesbaæ* 756 a. *Monachi militaribus armis se defendunt adversus Saracenos* 838 a. *Monachorum cibi quotidiani quantitas* 760 b. *De monachorum dormitione singularia* 896 f. *Monachorum Kievocryptensium vivendi ratio* 867 d. *Monachorum multitudo quanto olim in Ægypto* 743 f, 746 a. *Monachi multi inter Arabas christianos* 723 a, 728 a, 730 b. *Monachus fit S. Elesbaas ex grato in Deum animo propter victoriam* 758 c. *Ejus victus et supellex* ibid. 760 c. *Monachis, transire ad alium ordinem volentibus, licentiam olim denegare non poterant prælati* 256 e f. *Monachi plerumque primi ab impiis appetuntur* 641 e f. *Famuli Fiscannenses propriam habebant parœciam* 846 c. *Vide* Congregatio, Coquus, Dominicalia bona, Religiosi, Servi, Testamentum, Velamen.
Monetæ *valor initio sæculi* XIII 209 d. *Moneta Hebræorum, Ægyptiorum et Arabum ante Mahumetem* 752 a b. *Monetæ Pippini II cusæ Metuli et Pictavis* 801 e. *Vide* Denarii, Dinar, Kintar, Talentum, Aurei, Nomismata, Helcas *seu* Holcas, Decimale systema, Nabatæi, Palmyreni, Meseni, Atrateni, Ægyptii.
Monogramma *Christi*. *Vide* Chrisimon.
Monophysitarum *hæresis num in Homeritidem penetrarit* 713 d e f. *Monophysitarum pseudo-martyr Macarius, Kawensis episcopus* 581 c
Mordet *femur regis Dunaan seu Dhu Nowasi puer, mox martyr futurus* 739 e, 740 c
Mors, Mortui. *Morti ut se præparet B. Joannes Angelus* 892 e. *Mors pientissima B. Julianæ de Busto* 558 f. *Mors dira Evagrii impœnitentis*

tentis monachi 874 d, 877 e. *Mortuus respondet Missæ* 4 a b
Mortuorum *extra civitates sepultura* 61 d. *Vide* Defuncti, Sepultura.
Mortificationis *studium et adhortationes B. Julianæ de Busto* 558 c d
Mudjam-al-buldan, *liber Arabicus* 919 f
Mulier, *tentans S. Martinum Massicum, punitur* 832 a
Musices *cura inter Servos Florentinos B. M. V.* 889 e
Myrrha *in Arabia gignitur* 662 b d, 663 d

N

Narthex, *ecclesiæ vestibulum* 751 a. *Ibi regias vestes deponit S. Elesbaas et plebejas assumit* 747 e, 751 b
Natalis *navigationis seu anniversaria festivitas* 621 b
Naves, Navigatio. *Navibus singulis olim vix centum milites transvehi poterant* 357 a. *Naves Indicæ, funibus non ferro compactæ* 747 a, 750 b. *Naves Turcicæ* 369 f. *Navigatio in mari Rubro* 749 c. *Navigationis natalis. Vide* Natalis.
Negotiatio *trans mare Rubrum ab antiquissimis temporibus* 664 c, 753 c. *Negotiatio in mari Rubro usque ad Mahumetem* 749 b
Neptis *intelligitur de quacumque consanguinea* 220 b
Nervus, *ab equuleo diversus, quod tormenti genus* 18 b d
Nestoriani *nonnulli inter Homeritas* 728 b, 730 c; *Nestoriani Persidis* 689 c f, 690. *Nestorianorum Catholici sive patriarchæ* 671 c d
Nomina propria hominum, gentilitia, Nomen Jesu, Nomina geographica. *Nomina idololatrica olim servata a christianis* 594 c. *Nomen Serapionis gentile positum in baptismo* 589 a. *Nomina animalium imposita christianis* 589 a, 594 e. *Nomina etiam christiana mutata in baptismo* 594 b c d e. *Nomina apostolorum et martyrum amant christiani* 594 e. *Nomina quare in baptismo mutarentur* 594 e. *Nomina servorum, qui manumittebantur item mutata* ibid. *Nomen Julianæ assumit, vetere posito, B. Juliana de Busto, propter similitudinem cum S. Juliana Alexandrina* 556 a b. *Nominibus miræ formæ non deneganda fides* 24 e f. *Nomina propria Germanica, ex duobus vocabulis consistentia, non sunt proprie composita* 823 f. *Gentilitia nomina medio ævo plerumque incognita* 234 e. *Nominis Jesu pictura et sculptura artificibus proficua* 320 e. *Festum SS. Nominis Mariæ ab Innocentio XI institutum* 272 e. *Nominum geographicorum mutationum exempla* 860 e.
Nomismata *seu denarii aurei Constantinopolitani* 752 a. *Vide* Moneta, Numismata.
Nona hora *quid fieret ab eremitis* 571 f
Notarius *et judex anno* 941 *in Etruria* 601 b, 603 f. *Notarius archiepiscopalis causarum criminalium* 897 f, 898 a. *Notarii publici prædicationes S. Joannis Capistrani scripto consignant* 287 f
Notitia Imperii *quando scripta* 765 e
Novitii *inter Servos B. M. V. sedecim annos non nati* 905 f. *Novitiorum magister B. Joannes Angelus* 901 c. *Novitiatus Florentini Servorum B. M. V. instauratio* 904 e f; *quantopere is floreret B. Joanne Angelo magistro* 889 e f, 890 a
Nudis *pedibus obvius fit Jonathas, princeps Carinulanus, reliquiis S. Martini Massici* 834 b. *Episcopi et magnates similiter parant reliquiarum translationem* 837 c
Numerorum *ludicra comparatio* 817 a. *Numeri superpositi; numerorum multiplicatio etc.* 843 d e. *Numerus concurrentis populi sæpe a scriptoribus exaggeratur* 286 e f, 287 e
Numismata *in S. Crescii sepulcro* 610 c. *An ex his similibus numismatibus cognosci queat quo tempore martyres obiverint* ibid.
Nundinæ *S. Fremundi apud Dunstable* 849 a. *Nundinæ Tavestockienses in festo patroni S. Rumoni, concessæ ab Henrico I, Angliæ rege, olim celeberrimæ* 225 d
Nuces, *cupedia puerilia in Arabia* 739 d

O

Obedientia *miracula operatur* 452 e, 495 a b. *Obedientia B. Julianæ de Busto* 557 e f. *Aliis suadet* 558 c. *Obedientia B. Julianæ de Busto parentibus iis in rebus, quas jure jubere poterant, non in aliis* 554 e f. *Obedientiæ commendatio B. Joannis Angeli* 904 c
Oblatio puerorum, *monasterio aut ecclesiæ facta, vim aliquam obtinebat* 651 c-f, 652, 653 a b e
Observantum *reformatio initio humilis* 291 f, 453 e f, 455 d e. *In concilio Constantiensi approbatur* 292 b-e, 506 e f. *A Minoribus Conventualibus impetitur et a S. Joanne Capistrano defenditur* 294 e f, 295, 445 c d e, 509 c. *Celebratur capitulum generale* 298 a b. *Accipit vicarios generales, per electionem creandos* 299 d e f, 300, 301 a b c, 507 f. *Sub obedientia Conventualium reducenda* 314 b-f, 315, 316, 317. *Observantium reformatio laudata* 316 c. *Numerus Observantum sub S. Capistrano* 316 f. *Nomina Conventuum, ab eodem fundatorum* 308 e f, 343 d e. *Belli sacri ductores* 573 d. *Quadragesimæ observandæ* 446 d. *Constitutiones conscribit S. Capistranus* 507 b c d e, 508 b c. *Pius Pp. II Observantibus bullam Eugenianam restituit* 513 d
Observantum *Servorum B. M. V. origo* 887 f. *Ejus progressus* 888 a b c, 889 d
Observantia *Corvariensis Servorum B. M. V.* 891 d e f, 892 a b
Odor *ex aperto S. Martini Massico sepulcro* 834 a f
Odoriferum *dicitur corpus B. Joannis Angeli* 895 c
OEconomi *munus in monasterio Cryptensi* 867 c
Officii *S. Syræ lectiones institutæ a decano S. Petri Trecensis* 105 d
Olcadis arabicæ *valor* 761 f, 762 e f. *Vide* Helcas.
Oleo *ferventi immergitur S. Theodota* 19 d. *Olei offerendi ritus* 854 d e f. *Redemptionis forma* ibid. *Oleo benedicto miracula patrat S. Senochus* 770 f
Oleribus *crudis vescitur S. Elesbaas, monachus factus* 758 c

Ὁμοιουσιον *vox olim fideli et pia intelligentia accipi poterat* 53 e
Ὀφιοκτονοι *sancti* 88 c d. *Vide* Serpentes.
Orationis utilitas *ad perfectionem* 556 f. *Orationes quas recitaret B. Juliana de Busto* 556 d. *Oratio Dominica* 556 d e
Ordinarium *canonicorum regularium S. Laudi Rothomagensis* 844 e
Ordo decurionum Tubuzæ 624 e
Ordo hierarchicus *persecutionis tempore aliquando intervertitur* 655 d e
Ordines minores et majores *in ecclesia latina et græca* 172 f
Ordinem regularem *ingredi libere licet post matrimonium, non consummatum* 280 f. *Quæ eum maxime conservant* 507 e. *Vide* Monachi.
Ordo Teutonicus *bellum gerit cum regno Poloniæ* 347 f
Orpheum *colit Alexander imperator* 11 e
Osculandi *mos quam late olim pateret* 770 b, 771 e. *Osculorum usus inter valedicendum* 571 c
Ova *non manducat B. Juliana de Busto, quando jejunat* 556 f
Ozza, *dea Arabum* 684 f

P

Pacta *confirmata reliquiis, evangeliorum libro et altari* 224 f, 225 a b
Pagi *non semper nomen suum obtinent a capite seu præcipuo loco* 797 b
Palamitarum *origo* 10 b
Palla *seu* Pallium super reliquias, sacerdotale, commune. *Palla seu Pallium, super sepulcrum positum, an semper cultus ecclesiastici signum* 767 e, 771 a b f. *Pallium super reliquias S. Martini Massici, initio sæculi* XII *translatas* 840 d. *Pallium, olim honor sacerdotalis officii potius quam metropoliticæ dignitatis* 69 f, 70 a. *Pallio expanso mare transvectus esse dicitur S. Benedictus Quinciacensis* 153 d
Panem *et aquam ab angelo in carcere recipit S. Theodota Pontica* 13 f. *Panis subcinericius frigidus aut triduanus in jejunio usurpatus* 856 a
Pannus *tunicæ B. Julianæ de Busto infirmis applicitus* 560 e
Papa *habet jus mutandi regulam quorumcumque ordinum* 304 c. *Papa concedit absolutionem casuum, episcopis reservatorum* 282 e f. *Papa de omnibus calamitatibus debet Deo rationem reddere* 353 b
Paradisus *terrester ubi olim esse videretur* 572 b; *a nemine potest intrari* 569 b c. *Inde non longe habitasse dicitur fabulosus S. Macarius Romanus* 569 et seqq. *Ejus custodes* 573 f
Parasanga *Arabica* 676 b. *Ejus valor* ibid.
Parentibus *gaudendum est, quando liberi se religioni devovent* 255 b
Parliamentum anglicum. *In eo admittitur abbas Tavestockiensis* 226 a
Parochus, Parochia, Parochiani. *Parochus simul et canonicus debet, relicto capitulo etiam cathedrali, residere in parochia* 239 a d. *Parœciam propriam habebant famuli et commensales Fiscannenses* 846 c. *Parochi circa sartatecta templi officia* 914 b. *Parochianorum circa sartatecta templi officia* 914 b
Parturientibus *salutaris est B. Joannis Angeli tunica* 896 f, 897 a b c d
Paschalis solemnitas *quandoque in varios dies apud varias gentes incidebat* 79 f, 80 a, 628
Passio *Christi Domini incitamento est B. Catharinæ de Palantia ad severe vivendum* 555 a. *Ejus memoria adhibita ad avertendas tentationes* 557 f. *Aliis suadetur eadem memoria* 558 c
Passio *S. Felicis, episcopi Tubzacensis, quanta varietate studiose mutata fuerit* 618 et seqq. *Vide* Acta.
Patericon Kievocryptense et Scetense. *Patericon Cryptense quid sit* 872 c. *Paterici editiones variæ* 876 et seqq. *Paterici Cryptensis auctor* 872 c f, 873; *origo, incrementa, partes* 874 et seqq. *Interpolationes* 875 c. *Variæ recensiones* 875 d et seqq. *Conflatum fuit sæculo* XV 875 a. *Partitio primæva* 874 b c. *Auctores supposititii* 872 c. *Editionum Paterici nævi communes* 877 a; *editiones criticæ necessitas* 877 b c. *Editio vulgata et princeps* 876 e. *Paterico anno* 1661 *ultimam formam indidit Gizel* 874 b. *Additamenta in Paterico Cryptensi posterius facta* 875 a. *Paterici codex Cassianianus* 871 e. *Paterici Kioviensis quisnam fuerit auctor* 874 b c. *Paterici Scetensis lectio quantum utilis* 866 f
Patrum dicta, *etiam collecta inter Servos B. M. V.* 904 b c
Patris *B. Julianæ de Busto crudelitas in filiam* 554 e. *Patria potestas paulatim legibus limitata* 652 b c d; *multo minor apud Germanicas nationes* 652 d e
Patriarchalis *vestitus in Ephemeridibus Græcomoscis* 578 c
Patroni, Patronatus. *Patronorum ecclesiarum officia* 914 b. *Patronatum templi nanciscitur Cosmus III, dux Etruriæ, id restaurando* 605 d e. *Patronorum seu sanctorum titularium monasteriorum mutatio* 154 b c, 225 b c d
Pauperum Christi Ordo. *Vide* Jesuati.
Paupertatem *fovebant monachi Kievocryptenses* 871 f. *Paupertatis amor B. Julianæ de Busto* 557 e. *Prodigium in monacho bona fide proprietario* 815 b c. *Vide* Religiosi, Monachi.
Pax. *Pacem sibi mutuo apprecantur ante martyrium martyres Negranenses* 737 b
Paximatia, *seu panes bis cocti, sex unciis pendebant* 760 b. *Paximatia sicca manducat S. Elesbaas monachus factus* 758 c, 760 b
Peccata *populi videt Macarius, episcopus Ægyptius, tamquam oleum aquæ supernatare* 581 a b
Pecuniæ *valor sæculo* XV 278 c. *Pecuniam, a S. Elesbaa oblatam, recusat S. Zonœnus, qui et Pantaleon, abbas in Æthiopia* 748 b. *Pecunia canonizationi S. Capistrani destinata, impenditur bello Turcico* 410 a
Pelliceis *peris inclusæ reliquiæ* 845 b
Pensio ecclesiastica *beneficio imposita* 647 d e
Pentecostalium *processionum origo et ritus* 861 d e f, 862
Peregrina cognitio *dicitur sæculo* III *religio christiana* 13 b, 16 d
Peregrinationes. *Peregrinationes Hierosolymitanæ quam crebræ sæculo* IV 572 b. *Peregrinatio Romana quam frequens olim* 804 e.

Eam faciliorem facit S. Martinus Vertavensis, struendo vias per Alpes ibid., 810 e. *Romana peregrinatio episcopis Siculis in singula quinquennia præscripta* 70 f. *Peregrinatio sæculo* IX *ad loca sacra instituta cum literis formatis, et corpore catenis ferreis onusto* 847 f. *Peregrinationes circa Pentecostalia festa passim usitatæ* 857 b. *Earum origo, ritus, propagatio* 861 d e f, 862. *Peregrinantes ad loca pia offerunt formas cereæ seu ellychnia convoluta et pileis affixas gestant signa seu plumbeas imagines aut ex aurichalco* 840 c f, 890 a. *Quæ in locis sacris veteri instituto fiunt ceremoniæ, non facile culpandæ* 854 a b c. *Peregrinantibus pauperculis ad Montem supra Varesium aquam ministrat B. Juliana de Busto* 556 c

Pericula *castitatis ut fugit B. Juliana de Busto* 555 a b

Perpetui *a Probi ævo dicti imperatores; is titulus irrisus; ejus fata* 630 e

Persecutores. Persecutio. *Persecutores christianorum quibus stimulis agerent* 12 b; *libertatem loquendi martyrum tolerarunt quidem judices, non tamen ipsi tyranni* 736 b. *Persecutores sanctorum puniuntur* 121 b. *Persecutio christianorum in Arabia sæculo* VI 694 e, 695 d et seqq. *Inter sævissimas fuit* 699 e. *Persecutio Diocletiani maxime in Africa* 620, 627. *Persecutio Isdegerdis* 680 e

Pestis *Florentiæ* 889 f. *Peste Mediolanensi impeditur inquisitio in miracula B. Joannis Angeli* 898 b

Phialæ *ossibus martyrum plenæ* 604 a

Picturam *optime callebat Alympius monachus Cryptensis* 874 f

Pietas *B. Julianæ de Busto in pueritia* 554 e

Piscibus *quibusdam interdicti jejunantes* 856 b

Pleiades *quomodo dictæ* 741 a b

Plebani *dicti præpositi canonicorum S. Crescii de Vallecava* 605 c d. *Eligunt canonicos sine voluntate episcopi* ibid.

Plumbum, Plumbi usus, Plumbatæ, Plumbeæ imagines. *Plumbi molem humi abscondunt Vertavenses, accedentibus Normannis* 814 c d. *Plumbo catenæ in mare mersæ dicuntur* 754 a. *Plumbo non solum diplomata, sed res quæcumque signabantur* 197 e. *Plumbatis cæsi SS. Bonosus et Maximilianus* 18 a b. *Plumbeas imagines, pileis affixas, gestant viri a locis piis reduces* 840 f

Pluviæ *obtinendæ causa aditur fons S. Fromundi* 845 f. *Pluvia patrocinio S. Severini impetrata* 62 f, 63 a. *Vide* Aeris serenitas.

Podagra *stanno portentose sanata* 211 c, 213 f

Pœnitentia, Pœnitens. *Pœnitentia avaro monacho imposita ex regula S. Theodoræ Studitæ* 872 a. *Pœnitens, catenis ferreis ligatus, circuit loca pia* 847 f

Ponderandi *frumenti, cereæ, etc. usus, tanti ponderis quanti infirmus* 853 c. *Redemptionis forma* 854 d e f. *Hujus rei ritus* ibid.

Popinæ *despectæ ab Alexandro imperatore* 11 e

Pontes *ex misericordia construit S. Senochus* 770 f, 771 a f

Portus *viginti stadiis a civitate distans* 749 c

Potestas vindicativa *ad jurisdictionem fori externi pertinet* 338 b

Prædam *bellicam pretiosam Deo offert S. Elesbaas* 755 d

Prædicator, Prædicatio. *Prædicatoris evangelici indoles* 256 c d. *Prædicatores numquam debent publice exponere vitia cleri* 514 f. *Prædicatione S. Capistrani multi academici Lipsienses ad ordinem Observantum alliciuntur* 407 b

Præfatio Missæ *in ecclesia græca* 197 f

Præfectus prætorio *leges imperatorias edicto notas facit provincialibus* 631 b. *Summa ejus jurisdictio* ibid. *Ex Africa quare ad eum mittatur S. Felix Tubzacensis* ibid. *Solet comitari imperatores* 631 c

Prælati regulares, *quales esse debeant* 305 c

Præpositi *seu priores dati monasteriis, quæ alii monasterio subjecta erant* 834 d

Præsentatio B. Mariæ *antiquissima apud græcos festivitas* 637 e f

Præsepe *Domini sæculo* IV *Hierosolymis veneratum* 566 e, 572 b c

Principum *discordiæ favent hostibus christianorum* 531 a

Prioris *munus inter Servos B. M. V. annale aut biennale* 889 a

Processionum *antiquitas* 61 b, 751 a; *earumdem frequentia et celebritas Constantinopoli* ibid. *Processio et vigiliæ ante synaxim extraordinariam indictæ a Timotheo, patriarcha Alexandrino* 743 f, 746 a. *Processionem instituit S. Elesbaas ante expeditionem bellicam* 747 b. *Processionibus publicis intersunt omnes Servi B. M. V.* 905 c. *Processiones bannales causæ peregrinationum Pentecostalium* 861 e f, 862. *Vide* Pentecostales processiones.

Processio Spiritus Sancti. *Vide* Spiritus Sanctus.

Proconsules *extraordinarii* 16 c

Promissiones *factæ S. Omnioni ut fidem abdicet* 595 c d

Propagatio. *Vide* Fides.

Prophetia *S. Arethæ de fatis religionis christianæ apud Negranenses ut impleta* 737 c. *Divinitus intelligit S. Martinus Vertavensis proximam Herbadillæ ruinam* 803 b

Propræfecto *solet esse in Africa* 631 c

Prosa *de S. Martino Vertavensi* 802 d e

Protectio *capituli S. Petri Romani alii monasterio concessa, imposito annuo tributo* 607 c. *Protectio monasterii pontificia. Vide* Exemptio.

Psalmi XV graduum *cantati Tavestockii pro quiete Livingi abbatis, dein episcopi et benefactoris* 224 b

† Pueri Jesu *festum* 4 c

Pueri *Negranenses christiani* 1297 *addicuntur servituti a Dunaan seu Dhu Nowaso Judæo* 739 f. *Pueri quinquennis admiranda constantia coram Dhu Nowaso, rege judæo Homerita* 707 et seq., 718 a b. *Hic puer, volens cum matre martyr fieri, frustra blanditiis tentatur a Dunaan* 738 c, 739 d. *Se projicit in ignem* 739 e. *Dicitur inde evasisse* 740 c

Pugillares *prodigiosos ulnis gestans reperitur in carcere S. Theodota Pontica* 13 f

Pulli *gallinacei oblati in honorem S. Hermetis* 853 e

Puteus *S. Amonis; et quare hic cum puteo pingi soleat* 909 d
Pygmæi *in India* 573 e

Q

Quadragesimale jejunium ante Pascha et S. Martini. *Quam sancta lex de quadragesima ante Pascha* 770 c. *Id jejunium aliaque pane et aqua sustinet B. Juliana de Busto* 555 b, 556 f, 557 a. *Quadragesima S. Martini quam longa esset* 770 c, 771 e.
Quilate *derivatum ex Kirat Arabum* 760 c
Quintal, Quintale, *etc. derivatum ex* Kintar *Arabum* 760 c
Quotatio, *accurata indicatio libri per capita et articulos* 514 d, 516 b

R

Ratl, *libra veterum Arabum* 760 c
Rebellio *difficile per concessiones compescitur* 339 d e
Reclusi *ecclesiæ Russicæ illustriores* 867 b *Reclusi cibum per foramen accipiebant* ibid. *Reclusi Kiovienses sepeliebantur in eadem crypta in qua vixerant* 867 c. *Vide* Inclusi.
Redemptionem *olim aliquam imitata plurima donaria* 854 d e f
† Redemptoris *imago et festum* 4 d
Reformationes *ordinum religiosorum per scissuras quot incommodis obnoxiæ* 888 b
Regina Saba, *vel* Austri 693 d
Regulæ *monasticæ quantæ sint auctoritatis* 502 c d. *Regula S. Augustini* 557 c. *Regula S. Benedicti an a S. Martino Vertavensi usurpata* 798 a b. *Regula, priorum patrum decretis instituta, usurpata Vertavi* 798 b; *regularis disciplinæ conservandæ subsidia* 399 e
Religionis *novæ condendæ an attentatio sit, ubi plures simul ad pie vivendum conveniunt* 557 b c. *Religiosam vitam, mutato habitu, profitetur mulier et sua bona retinet* 858 a
Reliquiæ sanctorum *morbos sanant* 659 c. *Reliquiæ ad firmanda pacta adhibitæ, v. g. S. Rumoni* 224 f, 225 a. *Loculus in altari ad recipiendas reliquias* 769 f. *Capsula reliquiarum* ibid. *Reliquiæ S. Hermetis immersæ balneo, amentibus parato* 853 e. *Reliquiarum thecæ quare gena, ore, manu et baculis tangantur* 855 b c. *Reliquiarum circumlatio propter conquirendas eleemosynas* 845 e. *Rependi sub feretra sanctorum mos* 852 e, 853 b, 855 b c. *Sacras reliquias contemnens a Deo punitur* 792 b. *Reliquiæ ex aliis regionibus Romam accersitæ* 822 d. *Reliquiæ S. Martini Vertavensis deportantur, accedentibus Normannis* 814 c d e f. *Reliquiæ SS. Crescii et sociorum retectæ et multa solemnitate translatæ* 583 et seqq., 608 et seq. *Reliquiæ Crucis Dominicæ, S. Longini et S. Magdalenæ Vladimiriam Polocia adferuntur* 879 a b. *Reliquiarum B. Gilberti, abbatis Novemfontium, mirabilis inventio* 576 b. *Reliquiæ pelliceis peris inclusæ* 845 b. *Reliquiariæ capsæ, ornatæ gestis S. Evergisli, imponuntur reliquiæ S. Paulini* 821 f, 822 a. *Reliquiaria theca, insigne ornamentum imperatorum CP.* 183 f, 187 c. *Reliquiaria theca B. Joannis Angeli* 895 a d. *Reliquiaria theca B. Julianæ de Busto, crystallis aliisque ornamentis decorata* 560 a b. *Reliquiarum nanciscendarum avidissimus S. Bruno, Coloniensis episcopus* 821 a b. *Reliquiarum sacrarum ablationes frequentes* 266 a b, 267 e. *Reliquias S. Martini Massici furari et vendere cogitat monachus* 838 a b. *Reliquias S. Martini Massici furaturi orant eum ut se transferri patiatur* 827 a b. *Reliquiarum visitatio legitima* 857 b. *Reliquiæ sanctorum auctoritate Romani pontificis recognoscendæ* 229 e f, 234 a. *Reliquiæ unius sancti habitæ pro alterius* 819. *Reliquiarum nundinationes* 111 e. *Vide* Cineres, Corpus, Eleemosynæ, Manticæ, Nudi pedes, Pallium, Pelliceæ peræ, Phialæ, Saccus, Sepulcrum, Tormenta, Translatio, Tunica.
Resurrectionis *locus Hierosolymis sæculo* IV *veneratus* 566 e
Ritum *cum fidei dogmatibus miscent Russi* 880 f, 881 a
Rogationum *dies cum jejunio celebrantur* 78 f
Romilia *tribus* 588 b
Rosæ *hiemales in castitatis testimonium* 887 b
Rustico *ex genere nata B. Juliana de Busto intruditur a genealogis in nobilem familiam Bognoniorum* 554 d

S

Saccis *de corio inclusæ reliquiæ* 845 b
Sacco, *foliis aridis farto, utitur pro lecto B. Juliana de Busto, etiam in ultimo morbo* 558 f
Sacculi. *Vide* Manticæ.
Sacerdotibus *prohibendum, ne etiam in bello justo hostes percutiant aut ad percutiendum arma ministrent* 370 b. *Sacerdotes multi martyrio coronantur inter Homeritas* 701 f
Sacramentarium *Florentinum sæculi* X *aut* XI 589 c. *Sacramentarium Gregorianum Godelgaudi, decani S. Remigii Remensis* 150 b c
Sacrificiorum *instrumenta reperta in loco martyrii S. Crescii* 603 a
Sacrilegii *in B. Julianam de Busto vestigium* 560 f
Sagittæ. *Vide* Lanceolæ.
Sahhlahh, *liber Arabicus* 676 d
Sail el Arim. *Vide* Diluvium.
Sal benedictum *datum amentibus seu dæmoniacis* 856 a b
Salica lex *omnem hereditatem fœminis non adimebat* 130 b c
Salus, *cognomen multis sanctis Russis commune, stultum voluntarium significat* 6 e, 918 b c d f
Salus *et caput imperatoris in juramentis, etiam a christianis, invocata* 595 b, 596 f. *Salus proximi præferenda est otio sanctæ solitudinis* 784 d e
Salutatio Angelica *frequentata a B. Juliana de Busto* 556 d e. *Ubi desineret* 556 e. *Ejus usus aliis suasus* 558 a
Sancti *inter se de juribus suis quandoque acriter contendunt* 160 e. *In sanctos injurii puniuntur* 263 f, 264 a. *Sanctis annumerantur decem episcopi Comenses, qui schismatis Trium Capitulorum fuere participes* 106 c f. *Sancti homonymi ad eamdem dies relati Treviris* 615 b c. *Sanctos cognomines sociandi mos in ecclesia Russiaca usitatus* 864 a, 879 d. *Sancti, qui in eadem aliqua regione coluntur, facile dicti consanguinei* 106 a. *Sancti unius corpus habitum pro alterius* 819. *Sancti unius gesta afficta alteri* 810 e, 813 c d. *Sancti græci*

græci loco suo movendi non sunt a latinis 565 a b. *Sanctorum memoria et cultus lapsu temporis quandoque obliterantur* 115 d. *Vide* Acta sanctorum, Cultus, Reliquiæ.
Sanctimoniales *clausuræ legibus non obligatæ sæculo* XII 835 b, 840 b
Sandalia *reperta in sepulcro, episcoporum ibidem conditorum signa* 913 a f. *Sandalia et alia insignia episcopalia concessa abbati Tavestockiensi* 225 f, 226 a
Sanguis Eucharisticus *adhibitus, atramenti loco, in subscriptionibus damnationis Photii* 195 c, 199 b c
Sanguine martyrum *sese ungunt christiani* 707 c. *Sanguine S. Arethæ mulier ungit filium* 738 b. *Sanguine S. Crescii cyathus tinctus* 604 a. *Sanguinis ejusdem S. Crescii et sociorum signa manent in pavimento* 596 e. *Sanguis humanus adhibitus in iciendo fœdere* 47 a. *Sanguinis immolatitii rara aspersio* 47 a
Sartatecta *templi quibus incumbant* 914 b
Scalpris *abraduntur martyres* 16 e
Scaptia *tribus quando creata* 588 a
Schema *parvum et magnum nonnisi tonsuratis concedebatur* 872 b
Schisma *Trium Capitulorum in diœcesi Comensi* 106 c f, 107 et 108. *Schisma episcoporum non illico subditos efficit schismaticos* 690 a b. *Schismatici quandoque salutariter sacramenta administrant* 166 b c d
Schola, Scholares. *Schola palatina sub Carolo Calvo* 207 f, 208 a, 210 d, 212 e. *Scholares benedictione sanctorum proficiunt in litteris* 211 f, 212 a, 213 f
Schœnus, *mensura veterum* 662 d
Scriba *in judicio S. Felicis, Tubzacensis episcopi et martyris, recitat edictum Diocletiani* 628 d
Scriptionis *acerbitas quandoque excusabilis* 341 d e f
Scripturæ *sacræ loca sæpius in passione sua adhibet S. Theodota* 11 c d. *Scripturæ sacræ exemplaria ignibus consumi jubet Diocletianus* 626 a d
Scyphus *unus vini diebus jejunii* 856 a
Seminariorum clericalium *imago, adumbrata in concilio Toletano* II 653 c
Senes *in testes vocantur antiquæ possessionis* 252 c d
Senkessar, *id est synaxarium* 693 b c. *Vide* Martyrologia.
Sententia capitalis, *ficta, vere damnabilis* 276 d e f
Septem stellarum *borealis constellatio* 739 f, 741 a b
Sepulcrum, Sepultura, *etc. Sepulcrum Domini veneratum sæculo* IV 571 d. *Sepulti reges et sacerdotes in ecclesia magna Axumi* 747 e, 751 b. *Sepulti primi Tullenses episcopi in ædicula S. Petri suburbana* 909 d. *Sepultura mortuis denegata in basilica, quod ibi SS. Crescius et socii sepulti fuissent* 601 d, 608 d. *Sepulturæ extra civitatem* 145 a. *Sepeliendi mos intra civitates sæculo* VII *nondum invaluerat* 107 c. *Sepeliendi mos christianus sæculo* III *Nicææ in Bithynia* 16 a. *Ritus peculiaris in sepeliendis monachis Cryptensibus olim servatus* 872 d. *Sepulturam Cryptensium monachorum in tabula delineatam exhibuit Herbinius* 872 d. *Sepulcra trisoma et bisoma Tulli* 914 d. *Sepulcris quam pretiosæ res aliquando claudantur* 610 a b. *Sepultura martyrum quantis sumptibus procurata* 597 b. *Sepulcro inferri non potest B. Joannes Angelus* 902 a, 903 a-e, 904 a b, 905 c d. *Sepulcro plumbeo sæculo* IX *clauditur S. Fremundi corpus* 848 d. *Sepulcrum S. Florentini fulcris levatum: reptatur sub id aliaque singularia fiunt venerationis causa* 852 c d e f. *Inter sepulcrum S. Martini Vertavensis et aram mittitur cæca ut visum recuperet* 816 e. *Sepulcrum sanctorum vacuum instar reliquiarum habitum* 86 b. *Sepulcra lapidea sanctorum, posita in templis, signo certo non sunt eos illic primum sepultos fuisse* 154 e f. *Sepulcrum S. Senochi longe a loco ubi primum depositus fuit* 768 b. *Sepulcrorum præsertim sanctorum violatores a Deo puniti* 201 c d. *Vide* Corpora, Defuncti, Epitaphium, Episcopi, Eremitæ, Martyres, Reliquiæ.
Sermones *longi in Actis S. Arethæ et sociorum* 738 a
Serpentes *sæculo* VI *in agro Turonensi* 770 e f. *Serpens diu cum S. Martino Massico habitat* 824 b. *Serpentem mirabilem præcipitem agit S. Martinus Massicus* 831 f. *Serpentes igniti in lacu fabuloso Indico* 567 f. *Vide* Ὀφιοκτονοι sancti.
Serrari *jubetur, sed frustra, S. Theodota Pontica* 15 e f, 18 b d
Servituti *propter æs alienum obnoxios eleemosynis liberat S. Senochus* 770 b, 771 a
Servi *manumissi, novo nomine donati* 594 e. *Servi sæculo* IX *res domesticas curant Vertavi* 817 f, 818 a
Servorum B. M. V. ordo *laudatur de multitudine sanctorum* 883 b c e f. *Multa ex ejus historia occasione B. Joannis Angeli Porro* 883 et seqq. *Primus eorum vivendi modus* 889 c. *Prioris generalis insignia* 887 d. *Ordinis divisio* 887 f, 888. *Tertius habitus* 895 f
Sigillum, *insigne prioris generalis Servorum B. M. V.* 887 d. *Vide* Plumbum.
Sigillum Christi, *id est baptismus et confirmatio, robur S. Theodotæ Ponticæ addidit* 13 e, 16 e
Signa *seu imagines ex plumbo aut orichalco pileis affixas gerunt peregrinantes* 890 a. *Vide* Plumbeas imagines.
Signa *Vertavensia, accedente S. Martino, sponte moventur* 812 f. *Vide* Campanæ.
Signo crucis *sæculo* IV *omnia corporis membra munita* 568 f, 569 a, 570 d. *Vide* Consignare, Crux.
Simonia *sæculis* VI *et* VII *frequens* 94 d e. *Simoniacus contractus singulari modo sanatus* 886 f, 887 a
Societas Jesu *remittit Observantibus sensum debitum, quamdiu ab iis alienatum non fuerit* 310 e
Sodalitium *B. Joannis Angeli. Ejus auctor et leges* 896 e
Solem, *lunam et astra colebant Arabes veteres* 668 a. *Solis cultus Palmyræ, Atræ et apud Persas* 744 a. *Solem sibi benevolum fingit Dunaan seu Dhu Nowasus, scribens ad regem Persarum* 742 a
Solitudinis *utilitates intellectæ a B. Juliana de Busto* 555 a b. *Solitudinis commendatio B. Joannis Angeli* 904 c. *Vide* Eremitica vita.

Somnum *interrumpit B. Juliana de Busto, ut noctu pro miseris oret* 558 a; *item sæpe omittit, ut opem ferat peregrinantibus* 556 c
Soror laïca *B. Juliana de Busto* 557 d
Spectabilis *titulus quibus datus* 832 f
Speluncæ *primis temporibus sæpe loco monasteriorum etiam in Galliis* 766 d. *Speluncæ Servis B. M. V. initio erant pro cellis* 888 e. *Idem institutum olim alibi servatum* ibid. *Vide* Monasteria.
Spiritus Sancti *ex Patre et Filio processio demonstrata verbis:* Spiritu oris ejus 585 e f
Sponsi *rumpere possunt pactum matrimoniale religionis causa* 565 a b. *Vide* Matrimonium.
Ssabæi *id est astrorum cultores partim fuere Arabes veteres* 668 a
Stabilitas *Benedictina a S. Martino Vertavensi suis monachis non præscripta* 798 d
Stallum *assignatum in possessione tituli sui, inita a canonico* 605 d
Sterilitas *precibus et eleemosynis depulsa* 77 b, 200 f
Stola *ligati amentes ad sepulcrum S. Florentini* 852 d. *Stolæ in aliis multis rebus usus* 854 f, 855 a b c
Streteniæ *seu Obviationis imaginis B. M. V. festum apud Russos* 578 c
Stylitarum *exemplar, Nicetas Kioviensis, et Cyrillus Turoviensis* 867 b. *Stylita S. Pantaleon seu Zonainus in Æthiopia* 751 c. *Vide* Inclusi, Reclusi.
Suicidarum *veteres pœnæ* 853 f, 854 a. *Ab his liberi qui S. Hermetis balneo loti fuerant* ibid.
Supellex *S. Elesbaæ, monachi facti* 758 c. *Sacra supellex in miserabiles personas expenditur* 82 f
Superbia *dejiciuntur aliquando qui castitatem fidelissime servarunt* 769 e f. *Eo vitio liberatur S. Senochus* 770 b c
Superflua *a cellis Cryptensium monachorum arceri debebant* 872 a. *Vide* Bona, Paupertas.
Superstitionis *non facile damnandæ ceremoniæ in locis piis usurpatæ* 854 a b c, 855
Sutores, *præcipui benefactores, conventus Loysiensis Observantum* 310 d
Symbola *Athanasianum et Constantinopolitanum explicata in Actis SS. Crescii et sociorum* 585 b. *Item a B. Venantio Fortunato* 585 f, 586 a
Synaxarium. *Vide* Martyrologia.
Synaxis *extraordinaria Alexandriæ quanta celebritate facta* 743 f. *Synaxis vespertina eremitarum* 569 d
Συνεισακτων, subintroductarum *abusus perperam adscribitur quibusdam sanctis* 222 a b
Synodus *episcoporum* 14 *in Arabia Deserta sæc. tertio* 678 f. *Synodus Bostrensis in causa Berylli* 678 d e; *alia in eadem Arabia Deserta et præsente itidem Origene* 678 f. *Synodi plurimæ in Mesopotamia sæculo* IV 689. *Synodo Nicænæ subscribunt plures Arabiæ Desertæ et Petrææ episcopi, qui huic synodo interfuerunt* 679 d. *Episcoporum* 40 *Persidis sub S. Marutha synodus* 690 e f. *Tullensis anno* 1025 909 f. *Synodo generali Tullensi intersunt magnates laïci* 858 d. *Synodus convocata a Lothario, filio Ludovici Pii, pro plectendo crimine* 847 e f

T

Ta, *articulo coptico aucta initia nominum locorum* 581 e f
Tabacat-el-Moluk, *historia Arabum* 677 c
Tabernacula *a camelis gesta* 754 b
Tabernarum *popinariarum despectus Alexandri imperatoris* 11 e
Talentum Æthiopicum, Arabicum, Atticum, Babylonicum, Homeriticum, Ptolemaicum, Phileterianum. *Talentum tredecim librarum in Æthiopia* 761 f. *Talentum Arabum dictum Kintar, vel Kantar* 727 c; *quantum valuerit* ibid., 744 a. *Talentum Atticum* 664 a. *Talentum Babylonicum* 663 a. *Talentum Homeriticum idem erat ac Æthiopicum* 723 f, 727 b c d; *quantum valuerit* ibid. *Vide* Kintar. *Talentum Ptolemaicum seu Phileterianum, quantum valuerit* 663 f. *Talentum Ptolemaïcum seu Alexandrinum. Ejus pondus, valor, usus in Scriptura Sacra* 752 b. *Talentum majus Ptolemaicum* 760 c
Tapetes *Flandrenses* 559 e
Tarikh-al-Moluk, *historia Arabum veterum* 691 f
Tauris *permissa sæpius sepulturæ indicatio* 851 d
Te Deum laudamus *citatum in Actis SS. Crescii et sociorum* 585 b
Tela. *Vide* Lanceolæ.
Templum. *Vide* Ecclesia.
Tenor vitæ *viri apostolici in S. Joanne Capistrano adumbratus* 283 d e f
Tentationibus *ut Dei servi se præparent necesse esse docet B. Catharina de Palantia B. Julianam de Busto* 555 f. *Tentatur S. Martinus Vertavensis moribundus* 809 d e
Terræ motus *ob injurias sanctis illatas* 183 c
Tertius ordo S. Francisci *floret in Polonia et Silesia* 308 a b
Testamentum *Ansegisi abbatis* 799 e
Thisri qedm, *seu* thisri *prior, mensis Syromacedonum christianorum, respondet octobri juliano* 724 b, 738 b
Thus *aliunde non coëmerunt Sabæi, sed eis proprium fuit* 662 d, 663 d e
Thymiamata *seu thymiateria cum pecunia, a S. Elesbaa oblata, recusat S. Zonœnus, qui et Pantaleon, abbas inclusus in Æthiopia* 748 b, 752 a
Tinea *piscis pœnitentiæ causa prohibetur* 856 b
Titulus existimatus *sufficit ad salutarem sacramentorum administrationem* 166 d
Titulos honorificos *sibi ipsi indebant antiqui* 94 b
Tonsura. *Tonsuræ ecclesiasticæ origo* 212 f. *Tonsura monialium in Occidente olim non generalis* 258 b c, 259 d e
Tormenta, *S. Theodotæ Ponticæ inflicta, impedita aut non sensa* 13 et seqq. *Item ea non sentiunt SS. Probus, Tryphon et Respicius aliique* 16 f, 18 a b
Tormentorum *explosiones propter translationem reliquiarum B. Julianæ de Busto* 559 d f
Tortura, *argumentum sceleris sæpe incertum* 276 b c
Traditionis *signum, scilicet cultellus eburneus, servatus in lipsanotheca* 225 a
Transfigurationis festum, *Calisto Pp. III antiquius, ab eodem solemniori ritu celebrandum præscribitur* 385 a b c

Translatio. *Licentia reliquias transferendi petita a Romano pontifice* 837 c. *Jejunium triduanum, cinere capitibus asperso, ante translationem* ibid. *Ad translationem reliquiarum SS. Alchæ et aliorum episcoporum Tullensium ter invitantur magnates ecclesiastici et laici* 913 d, 914 e. *Translatio solemnissima S. Candidæ, martyris cœmeterialis, Roma Cremifanum* 580 f. *Translatio reliquiarum S. Evergisli seu potius S. Ebregisi honestata indulgentiis* 822 f, 823 a. *Translationes corporis B. Joannis Angeli* 893, 894. *Translatio corporis B. Julianæ de Busto prima* 559 b. *Secunda translatio multo solemnior* 559, 560. *Translatio reliquiarum S. Martini Massici ex tumulo Carinulam* 833 et seqq. *Translatio S. Viviani, episcopi Santonensis* 576 d. *Translatio reliquiarum mutata in adventum ipsius sancti, quasi vivus advenisset* 154 b
Tribunalia *in basilicis* 17 d
Trium Capitulorum *schisma in diœcesi Comensi* 106 c f, 107 et 108
Tribus *Romanæ, aliæ aliis honoratiores* 588 a b. *Quomodo assignatæ* ibid.
Trisagii *institutio et propagatio per utramque ecclesiam* 649 a-e
Trigesimo *die ab obitu missa celebrata ad sepulcrum S. Senochi* 771 a
Triticum. *Vide* Frumentum.
Tuguria *primis temporibus sæpe loco monasteriorum, etiam in Galliis* 766 d
Tullianum, *carcer teter Romæ* 590 f
Tunica *ex tela nigra B. Joannis Angeli* 901 e, 905 b c f. *Tunica B. Joannis Angeli plurimum culta* 896 f, 897 a b c d
Turrim *parvam habitat S. Zonœnus qui et Pantaleon, inclusus Sabæ in Æthiopia* 748 a. *Turris S. Petri de Blachernis* 751 c. *Vide* Inclusi.
Typographiæ *origo biennio forsan anticipanda* 355 b
Tyranni *maledictis impetiti a christianis* 737 b, 738 c

U, V, W

Vanæ gloriæ *accusatus S. Capistranus defenditur* 381 c-f, 382, 383
Vasa sacra. *Vide* Supellex sacra.
Velamen sacrum, uxorium. *Velaminis sacri impositione Christi sponsa consignata* 812 c. *Velamine consecratæ moniales, etiam quæ ante nuptæ fuerant* 219 f, 220 a, 798 d. *Velum uxorum ethnicarum Arabiæ, Thraciæ, Lacedæmonis, etc.* 734 a; *item Mahumetanarum* ibid.; *et feminarum judæarum* 734 b; *harum quale fuerit* ibid.
Versus echoici. *Vide* Disticha.
Vestes *patriarcharum et metropolitarum in Ephemeridibus Græcomoscis* 578 c. *Vestis monachum a tormentis non liberat* 879 e f. *Vestes dæmoniacorum seu amentium mutatæ* 856 b. *Veste rubra induti amentes ad sepulcrum S. Florentini* 852 d. *Vestibus aureis martyres aliique induti ante sepulturam* 610 a b
Vestis B. Mariæ Virginis, *pietatis exercitium, inventum a B. Juliana de Busto, ex quibus orationibus constaret* 558 d e
Vexillum Turcicum 369 d
Viæ *quibus Arabes merces antiquitus camelis suis deferebant per universam Asiam occidentalem* 664 et seq. *Viam per Alpes procurat S. Martinus Vertavensis* 804 d e, 810 e. *Viæ quibus ibatur Florentiam, Romanorum imperio* 587 d e
Vicarii præfecti *dignitas et institutio* 27 c d
Vicarii apostolici *dantur Servis B. M. V.* 887 c d
Vicarii generalis *episcoporum imago quædam antiquis temporibus* 256 c, 257 a
Victus *S. Elesbaæ, monachi facti* 758 c
Viduæ *Negranensis, genere nobilissimæ, martyrium, ac simul filiarum* 731 et seqq. *Vidualis castimonia a S. Joanne Capistrano matri commendatur* 273 f. *Vide* Velamen.
Vigiliæ *nocturnæ apud antiquos* 149 c. *Vigiliæ et processio extraordinaria Alexandriæ* 743 f, 746 a. *Vigiliis festorum Christi et Deiparæ aliisque jejunat B. Juliana de Busto* 556 f, 557 a. *Vigiliarum abusus* 746 a
Vincula *S. Theodotæ Ponticæ quotidie certa hora solvuntur* 14 f
Vinum, *immissa cruce Vertavensi, hominibus salutare* 816 b c. *Vini offerendi ritus* 854 d e f. *Redemptionis forma* ibid. *Vina Massica, Falerna et alia* 826 d e
Virgines *sacræ in Arabia* 662 b. *Virgines sanctæ in sæculo* 137 d e. *Virgines Deo sacræ domi psalmos recitabant* 730 b. *Vide* Canonicæ. *Virginitatem in sæculo profitetur S. Theodota Pontica* 12 f, 16 d. *Virginitatem Dei gratia annos quinquaginta sex servavit S. Felix Tubzacensis* 628 a d
Virtutes cardinales 173 d e f, 176 b
Visio *terribilis oblata Juliano apostatæ nocte ante cædem* 573 a
Visitatio *martyrum quare fieri posset* 17 a
Vitæ *patrum quam proficuæ legentibus* 877 f. *Vita S. Gertrudis Nivellensis applicata S. Montanæ, cultæ Ferrariis* 859 c d e f. *Aliæ similes fraudes* ibid. *Vide* Acta.
Unicornes *in India* 567 c
Volatilia *edere, an prohibitum Regula Benedictina* 787 a b. *Volatilia loquentia in India* 568 b
Votorum *observatio B. Julianæ de Busto* 557 e. *Votum castitatis sub stola* 855 a. *Votum pauperatis sedulo servandum* 866 e
Vox *cœlestis auditur a S. Theodota Pontica martyre* 16 a. *Item in passione S. Polycarpi* 17 d; *et in passione S. Victoris Massiliensis* 18 e
Ursus *loco ambesi aselli cogitur ferre sarcinas* 810 e f, 813 c d. *Urso comparata Diocletiani persecutio* 630 b
Vulnera *S. Theodotæ sponte sanantur* 14 a. *Vulnus curatum adipis applicatione* 815 a
Uxor *in monasterio libera, viro votis obligato* 815 b c d e
Weregeldum *videtur in causa esse cur gentes Saxonicæ tantum offerant frumenti et aliarum rerum quantum pendent infirmi* 854 f

Z

Zelus *S. Joannis Capistrani in sacris missionibus obeundis per Italiam pene universam* 283 e f et seqq. : *in defendenda Reformatione ordinis S. Francisci* 294 e f, 295, 297 f, 298; *in propagando cultu Nominis Jesu* 322, 323 a b; *in concionibus per Germaniam* 327 d e f, 328; *in exstirpanda Hussitarum hæresi in Bohemia, Moravia*

Moravia et Silesia 333 f, et seq., 341 f, 342 a-d : *in conscribendo milite pro bello sacro* 350 d e f et seqq.; *præsertim per Hungariam* 355 c-f et seqq. : *propter quæ Apostoli titulus pro eo a Sede apostolica obtinere nituntur ejus clientes* 427 f et seqq. *S. Martini Vertavensis zelus in convertendis obstinatis gentilibus* 796, 803, 807. *Virorum apostolicorum labor, non fructus, remuneratur* 287 a b
Zelotypia *maritalis Arabum antiquissima* 734 a

CORRIGENDA.

Pag. 7, *col.* 2, *lin.* 49 *et* 50 inchoare-*lege*-inchoatum.
Pag. 131, *col.* 1, *lin.* 36 *adde* sententia.
Pag. 560, *col.* 2, *lin.* 1 partem-*l*-portam.
Pag. 564, *col.* 1, *lin.* 73 virgo-*l*-virga.
Pag. 581, *col.* 2, *lin.* 7 Antiochenum-*l*-Alexandrinum.
Pag. 600, *col.* 1, *lin.* 37 ugunt-*l*-agunt.
Pag. 686, *num.* 82, *lin.* 4 Mirkhud-*l*-Mirkhond.
Pag. 698, *num.* 125, *lin.* 6 Justinianus-*l*-Justinus I.
Pag. 700, *num.* 133, *lin.* 22 Justiniani-*l*-Justini.
Pag. 706, *num.* 153, *lin.* 6 Benou-*l*-Benu.
Pag. 709, *col.* 2, *lin.* 8 Jahias-*l*-Iahias.
Ibid. lin. 10 Magiahed-*l*-Madjahed.
Ibid. lin. 11 Nageran-*l*-Nedjeran.
Pag. 721, *lin.* 23 *a fine* Justinianus-*l*-Justinus.
Pag. 722, *num.* 2, *lin.* 1 Erat-*l*-Est.
Pag. 728, *lin.* 28 inter vos-*l*-inter nos.
Pag. 735, *num.* 16, *lin.* 5 patrici-*l*-patricie.
Pag. 747, *num.* 30, *lin.* 19 Patrem nostrorum-*l*-patrum nostrorum.
Pag. 823, *col.* 1, *lin.* 37 exstat-*l*-exstant.
Pag. 826, *col.* 1, *lin.* 46 episcopi-*l*-episcopo.
Pag. 914, *col.* 1, *lin.* 47 abbas-*l*-episcopus.

FINIS.